


Digitized by Google

Digitized by Google

163
12

Digitized by Google



Digitized by Google

163
7
12-14

BIBL. NAZ.
163
I
12

Digitized by Google

[illegible] by Goog[illegible]

Digitized by Google

SPICILEGIUM

SIVE

COLLECTIO

VETERUM ALIQUOT

SCRIPTORUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

SPICILEGIUM
SIVE
COLLECTIO
VETERUM ALIQUOT
SCRIPTORUM
QUI IN GALLIÆ BIBLIOTHECIS
DELITUERANT:

Olim editum Operâ ac ſtudio D. LUCÆ D'ACHERY Preſbyteri ac Monachi Ordinis Sancti Benedicti, Congregationis S. Mauri.

Nova editio priori accuratior, & infinitis propè mendis ad fidem MSS. Codicum, quorum varias lectiones V. C. STEPHANUS BALUZE, *ac R. P. D.* EDMUNDUS MARTENE *collegerunt, expurgata, per* LUDOVICUM-FRANCISCUM-JOSEPH DE LA BARRE, *Tornacenſem.*

TOMUS I.

PARISIIS,
Apud MONTALANT, ad Ripam PP. Auguſtinianorum, propè Pontem S. Michaëlis.

M. DCC. XXIII.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

UT ejus collectionis quam R. P. D. LUCAS D'ACHERY ſub *Spicilegii* nomine edidit, nova pararetur editio, duæ potiſſimùm cauſæ impulerunt. Prima, quòd diſtractis exemplaribus omnibus, ſe ejus utilitate privatos eſſe non pauci quererentur. Altera, quòd cum ea conſtet è XIII. voluminibus quæ diverſis temporibus lucem viderunt, & in unoquoque volumine compacta ſint variarum ætatum ac de variis rebus opera, ſingula certo quodam ordine diſtribuere haud omninò inutile viſum eſt. Sed his deinde cauſis aliæ acceſſerunt, eæque graviſſimæ. Nam cum R. P. D. EDMUNDO MARTENE, viro in vetuſtis monumentis, ut omnes norunt, verſatiſſimo, conſilium ſuum aperuiſſet Bibliopola; utiliſſimi cujuſque operis aut varias lectiones, aut etiam deſcriptiones integras quibus lacunæ quæ Spicilegium interdum deformabant, reſarcirentur, humaniſſimè obtulit, ac cætera omnia quæ ad eam editionem, quam meditatus olim fuerat, adornandam ſibi notaverat, in ejus manus liberaliſſimè depoſuit. Nec ita multo poſt eum id Spicilegii exemplar, quod olim à ſe comparatum, cum codicibus MSS. omnibus quos reperire potuerat diligens hujuſmodi theſaurorum indagator STEPHANUS BALUZE, ſuo more, hoc eſt, accuratiſſimè contulerat, magno ære comparaviſſet idem Bibliopola, & utilitatis publicæ, & privati ejus commodi ratio poſtulabat, ut ejuſmodi κειμήλιον apud ſe latere non pateretur.

Quæ porrò fuerint in hac editione meæ partes, paucis proloquar. Primùm, unumquodque Spicilegii opus in ſuo ordine collocavi; ac primum quidem locum dedi Tractatibus dogmaticis & polemicis, alterum verò Tractatibus ac Sermonibus moralibus, tertium Statutis Eccleſiaſticis ac Monaſticis; ex his omnibus conſtat primum volumen, quod pro primâ totius Collectionis parte haberi poteſt. Alteram partem, quæ tota eſt Hiſtorica, ſic diſpoſui. Quæ pertinent ad hiſtoriam eorum qui Eccleſiam ſanctitate ſuâ illuſtraverunt, cæteris præeunt; editæ deinde ſunt Epiſcoporum hiſtoriæ, quas ſequuntur Monaſteriorum Chronica, atque hæc omnia alterum volumen complectitur. In tertio volumine poſt prolixiora opera quæ ad hiſtoriam profanam ſpectant, edi curavi Miſcellanea Epiſtolarum, Diplomatum, &c. in ſingulis verò claſſibus ab ordine Chronologico nuſquam ferè diſceſſi, niſi ubi is ordo commode ſervari non poterat. Deinde variis lectionibus quæ in manus meas venerunt, uſus ſum cum ſummâ fide, eas quæ meliores editis videbantur in textum tranſtuli, alias quæ & alicujus momenti eſſe videbantur, & minùs placebant, in imum marginem ablegavi, cæteras omnes omiſi, quæ nihil niſi ſummam librariorum aut imperitiam aut negligentiam oſtendebant. Poſtremò varios Indices adornavi, quos ſi quis conſulat, vel ut veteris editionis ordinem cum ordine editionis hujus comparet, vel ut noſcat eos quorum opera, Epiſtolæ, Diplomata in hac collectione habentur, vel denique ut quidlibet diſcat eorum quæ non ignorare operæ pretium eſt, nihil fermè in iis deſiderari agnoſcet.

Hoc etiam curæ fuit, ut ea quæ ſecùs edita erant, emendarem ubi ſe facultas obtulit; atque id maximè in operibus Ratherii Epiſcopi Veronenſis præſtiti, quæ cum non omninò contemnenda viderentur, & eſſent fœdiſſimè corrupta, iis accuratiùs edendis ita pertinaciter inſtiti, ut ſecundas curas ei dederim, & quæ me priùs fugerant in indiculo erratorum adnotarim: ſed hîc tria Lectorem moneri volo. Primum, id à me non eſſe ſuſceptum, ut nihil inemendatum relinquerem, quod & ingenii mei vires ſuperabat, & à viro perſpicaciſſimo intrà breve tempus quod mihi concedebatur, præſtari non poterat. Alterum, nihil à me emendatum eſſe ex conjecturâ, de quo eum certum eſſe voluerim, niſi ubi conſtitit errorem non à MSS. codicibus, ſed ab his qui priorem editionem accurabant, eſſe profectum. Tertium denique, haud pauca repertum iri opuſcula quæ vitiis ſcateant, quæque haud ita difficile fuiſſet emendatiora exhibere, niſi vitia ipſa viris antiquitatis ſtudioſis placere compertum fuiſſet: quod quidem non Lectoris eruditi causâ moneo, quem ejuſmodi vitia non fallent, ſed non nullorum hominum, qui aut alienis laboribus nimiùm detrahere amant, aut in his ſtudiis minus adhuc verſati ſunt. Nam ut eum qui operas typographicas rexit, ab his nimiùm feſtinantibus ſe deludi non rarò paſſum eſſe agnoſco, ita ejus exiſtimationem non lædi ab iis quos dixi hominibus, eo majori curæ mihi eſſe debet, quo magis intelligo, ab his qui in ejuſmodi opuſculis adhuc peregrini ſunt, facilè pro erratis typographicis haberi poſſe quæ ita errata non ſunt, ut nihil in his ſine ſummâ temeritate & audaciâ mutari potuerit.

Qui alienam culpam elevare conatur, ſi ſuam tegat, is alterius causâ minùs quàm ſuâ laboraſſe videtur; quod cum à naturâ meâ ſit alieniſſimum, ingenuè fateor à me peccatum eſſe in eo, quod inter Epiſtolas quæ ad luctuoſum illud ſchiſma ſæculi XIV. pertinent, editas in primo volumine, non nullæ, hoc eſt eæ quæ ſcriptæ ſunt anno 1394. inverſo ordine editæ ſunt: & quod Epiſtola Pilei de Prata Cardinalis, & Archiepiſcopi Ravennatis ad Ludovicum Comitem Flandriæ, alieno loco, videlicet in tertio volumine legitur. Hoc etiam reprehendendum eſſe agnoſco, quòd Arnulfi Epiſcopi Lexovienſis Epiſtolas eo ordine quo reperi in volumine II. & in appendice voluminis XIII. quamquam minùs accurato repræſentavi: nec fortaſſè culpâ vacat, quod in Miſcellaneis Epiſtolarum ac Diplomatum aliquot Epiſtolæ ſunt, quæ inter opuſcula dogmatica locum ſuum tam benè tenuiſſent, quàm quæ ſe prima omnium legenda offerunt. Verùm quidquid de Chronicis Beſuenſi & S. Benigni ſentiat eruditus lector, hoc eſt, utrum ab antiquiori ſcriptore editum eſſe arbitretur, hoc reprehendi nolim, quod Chronicon S. Benigni prius edi curavi. Nam cum in hoc plurima legantur quæ in illud transferri oportuiſſet, ſi priorem locum obtinuiſſet, quod & lectoris parum intererat, & fieri non poterat ſine maximo incommodo, hoc unum à me exigi debuit ut monerem, de Chronicorum antiquitate controverſiam eſſe inter eruditiſſimos viros, & Cointio quidem videri Chronicon Beſuenſe ſub finem ſæculi VIII. ſcriptum eſſe, quia auctor quæ narrat (*hujus edit. pag.* 404) de Angla ſcorto Remigii fratris Pipini, ea ſe accepiſſe dicit *à viris fide dignis, qui præſentes fuerunt, & viderunt, & audierunt*; aliis verò, atque in his Adriano Valeſio, hoc argumentum tanti viſum non eſſe, ut Joannes Monachus pro Chronici continuatore potius quàm ſcriptore haberi debeat, cum ab eo qui chartas poſt eum collegit, (*pag.* 450) librum iſtum de variis rebus & chartis compoſuiſſe dicatur.

Cæterùm quòd Præfationes prioris editionis hîc non comparent, illud in causâ eſt, quod ex iis excerptum eſt, ac ſingulis operibus præfixum quidquid de

his Acherio notare libuit, prorsùs ut nihil ſit omiſſum, quod alicujus momenti eſſe videatur. Porrò ubi quid occurrit quod obſervare officii mei eſſe duxi, id modeſtè feci, ſub Monitorum finem, aut in notis, quas cum ſemper curaverim eſſe breviſſimas, tùm multas objicere ita non amavi, ut etiam ea quæ in textum ſubinde addidi maluerim uncis includere, quàm de hoc aut illo adjecto operam meam venditare videri. Nec quidquam, ut equidem ſentio, ſupereſt, niſi ut hîc ſubjiciam ea quæ in Monitis locum ſuum tenere non potuerunt, nimirum Elogium V. C. Hieronymi Vignier, quod legebatur in Præfatione Tomi V. Diſſertatiunculam de Epiſcopatu Amalarii ſcriptoris Operis de Eccleſiaſticis Officiis, quem uno Trithemio teſte pro Archiepiſcopo Trevirenſi habitum fuiſſe ſcripſit Acherius, quia nondum in manus ejus venerat Hiſtoria Trevirenſis, ſcripta ſub initia ſæculi XII. in quâ poſt Wizonem inter Archiepiſcopos Trevirenſes numeratur Amalarius Fortunatus *Cardinalis Romanus, qui librum Officiorum compoſuit*; (*hujus editionis tom.* 2. *pag.* 213.) ac poſtremò Epiſtolam nuncupatoriam Tomi I. ad virum omni laude dignum Hieronymum Bignon, in ſupremo Senatu Pariſienſi Advocatum Regium.

Elogium Hieronymi Vignier.

Teſtamentum & Epitaphium S. Perpetui, & Collationem Epiſcoporum, Aviti Viennenſis potiſſimùm, coram Gondebaldo Rege Burgundionum adversùs Pſeudo-Epiſcopos Arrianos, eruerat jam pridem V. C. Hieronymus Vignerius, ac Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſive Epiſcoporum orbis Gallici intexuerat, unà cum optimæ notæ veteris ævi ſcriptis, præſertim Concilio Burdegalenſi, cui Delphinus præſedit, interfuitque S. Martinus; alio item Concilio ad ventilandam Roberti de Arbricellis cauſam celebrato; Epiſtolis Petri Salmurienſis; cæteriſque id genus, quorum pleraque apud ſe ſervabat autographa, vel apographa antiquâ manu exarata.

De Aviti Collatione ſic habet doctiſſimus ille Vignerius in præfatâ à ſe ſcriptâ hiſtoria ad an. CCCCXCIX. *Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopi ferè omnes hoc ann adversùs Arianos Lugduni convenêre. Mirum eſt rei tantæ monimenta apud Scriptores omnes antiquos nulla exſtare; & pauca quæ habemus apud unum de miraculis S. Juſti Scriptorem ineditum conſervari. Dolemus ſanè hujus celeberrimi conventûs acta intercidiſſe, ſed gaudemus ſatis adhuc in eo Auctore ſuperare, quo pio Lectori ipſa moveatur, nobiſque gratuletur, qui theſaurum iſtum illi minimè invidemus.*

Et quia tanti viri, dum in vivis ageret mihi amicitiâ ac familiaritate conjunctiſſimi, mentionem feci, non pigebit pauca percurrere quæ geſſit. Is è nobili & antiquâ Vigneriorum familiâ oriundus in Burgundiâ, filius exſtitit Nicolai Mottæ domini, & Olympiæ de Blon; nepos illuſtris illius Nicolai, Regum Francorum Henrici III. & IV. in arcano conſilio Senatoris, & Hiſtoriographi percelebris. Multiplex erat in Hieronymo lectio, acre ingenium ac felix memoria. Triginta plùs minùs annis inter eruditiſſimos Congregationis Oratorii D. J. religione, doctrina, ſcriptis enituit. Semel domui Rupellenſi præfuit, bis San-Maglorianæ Pariſienſi. Varia ſummo labore elucubravit Opera; videlicet Genealogiam Alſatienſium dominorum; perutile ad S. Auguſtini Opera Supplementum; & Gallicam Evangeliorum Concordantiam, Opus poſtumum Pariſiis editum. At inſignem Tractatum S. Fulgentii hactenùs tene-

bris obſitum prælo paraverat; ſicut & Originem Burgundionum Regum; Genealogiam Comitum Campaniæ; Hiſtoriam Eccleſiæ Gallicanæ, uti ſuperiùs indicavi; in quibus texendis multum ſtudii, vigiliarumque pluribus annis inſumſerat, idcircò Galliam propè univerſam, Lotharingiam, Alſatiam peragrâtat: Sed proh dolor! poſtquam morte âbreptus eſt, neſcio quis illius gloriæ, imò literariæ utilitati invidens, clam inſcio herede ſurripuit omnia. Cæterùm quæ narro didici è Clariſſ. Hieronymi ſchedis, quas plenâ manu frater ipſius vir nobilis Benjaminus Vignerius ultrò attulit, obtulitque; eâ profectò humanitate ac benevolentiâ, ut quoniam vehementi admiratione obſtupefactus eram, in gratiis agendis penè verba deeſſent. Schedas iſtas ordine Chronologico digeſtas Galliæ Epiſcoporum ſeriem & hiſtoriam complectentes in muſæo noſtro nunc aſſervamus. Obiit Hieronymus omni virtutum genere cumulatus Pariſiis, ſepultuſque in Æde San-Magloriana die XIV. Novemb. ætatis ſuæ currente anno LVI. Reparatæ verò ſalutis, MDCLXI.

Diſſertatiuncula de Epiſcopatu AMALARII.

AMALARII caput ultimum lib. III. de Eccleſiaſticis Officiis, ſcilicet *de nomine* JESU, quod in editionibus deſiderabatur, licet capitum index id notaret, ſuppeditavere duo codices ſcripti Abbatiæ Corbeienſis, necnon & alias quas nunc primùm damus in lucem epiſtolas. Exſtant quoque ea omnia in duobus MSS. Bibliothecæ Vaticanæ notatis 1146. & 1147. uti è literis eruditiſſimi domni Gabriëlis Flambart Procuratoris noſtri Generalis in Curiâ Romanâ accepi. Exſtant denique in cod. MS. Monaſterii S. Benigni Divionenſis Ord. S. Benedicti.

Amalario Trevirenſi quatuor hoſce libros de Officiis Eccleſiaſticis conſtanter aſſerunt qui huc uſque illos edidere, freti haud dubiè Trithemii teſtimonio: ſed abs re, ut ante me jam obſervatum eſt à doctiſſimis viris, nimirum à Jacobo Sirmondo in Notis ad Ennodium; à Joanne Bona in Notitiâ Auctorum Tractatui de Divinâ pſalmodiâ præfixâ; à Philippo Labbe in tom. I. Diſſertationis hiſtoricæ inter Addenda, ubi refert ipſe eâ de re elegantem Sirmondi epiſtolam; & ab aliis. Scio equidem hoſce viros, Sirmondum maximè, contendere Diaconi Ordine dumtaxat inſignitum fuiſſe Amalarium. At luce clariùs patet, Sacerdotii munia eum obiiſſe, præſertim ex Epiſtolâ ad Guntardum, quem ſic alloquitur ſibi ab ipſo objectis reſpondens initio: *Fili mi recordatus ſum, percunctatum eſſe pollens ingenium tuum, quare non me cum majori cuſtodiâ cuſtodirem, ne ilico poſt conſumptum ſacrificium ſpuerem. Addidiſti, quod non videres cæteros Sacerdotes hoc facere, &c.* Patet item Abbatem fuiſſe Amalarium ex MS. codice Thuaneo not. 374. quædam è libris de Officiis velut excerpta continente in hunc modum: *Tomus Amalarii Abbatis de Divinis Officiis.* Et poſt multa: *Continentia ſecuturæ cauſæ Amalarii Abbatis, viri doctiſſimi, de Ordine Romanæ Eccleſiæ, qui vocatur liber Officialis.* Is nimirum liber forſitan eſt de quo Trithemius lib. 2. de Viris illuſtr. Ord. S. Bened. cap. 43. *Fertur nonnulla plena eruditionis edidiſſe Opuſcula: De Officiis Eccleſiaſt. librum I. ſcripſit de eâdem re latiùs poſtea ad Ludovicum Libb. 4.* Auctor æqualis Agobardus Lugdun. Archiep. contrà hos libros IV. Amalarii nimium acriter & indignè ſcripſit librum, à V. Cl. Stephano Baluzio in lucem emiſſum, ubi Amalarius Abbas nuncupatur. Legendæ ejuſdem Baluzii notæ pagg. 34. 140. 143.

Denique

Denique non modo Amalarium Sacerdotem & Abbatem exſtitiſſe, ſed etiam Epiſcopum, docent illi Bibliothecæ Vaticanæ ſcripti codices. Quam verò ſedem occupaverit non indicant, nec mihi licuit hactenùs conjectare.

Atque ut Sirmondi & aliorum utcumque conciliem cum noſtra obſervatione ſententiam, fieri potuit, ut cum Amalarius ſuos de Officiis Eccleſiaſt. libros conſcriberet, ſolummodo eſſet Diaconus, ac poſtmodum Sacerdos ſeu Preſbyter ordinaretur, poſt Abbas, tandemque Epiſcopus conſtitueretur. Quamobrem amanuenſes qui poſteriori tempore illos deſcripsêre libros, & Abbatem & Epiſcopum eum appellavêre. Nec obſtat Ademarus in Chronico, cujus auctoritati innititur Sirmondi ſententia: quippe tribus poſt Amalarium vixit ſæculis, haudque diſcere potuit ipſum Diaconum ſolummodo fuiſſe, niſi fortè ex aliquo MS. At codices à nobis in medium adducti Ademaro ſunt antiquiores: quorum unus in Galliâ, duo Romæ aſſervantur.

Obſervationem iſtam cum perſcripſiſſem, incidi in Apologiam Davidis Blondelli pro ſententiâ Hieronymi, &c. ubi ſect. 2. n. 3. Amalarium ita perſtringit: *Amalarius non Metenſium, (quod Honorius ſomniavit) non Lugdunenſium (quod alii perperam conjecerunt) Pontifex; non (quod vulgò placet) celeberrimus ille legatione Conſtantinopolit. anno 814. defunctus Trevirenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, cujus anno 847. gregem regebat, 851. demum vivis exemptus Hetto, ſed* [illegible] *alius qui anno circiter 827. de Eccleſiaſticis Officiis ſcripſit, Hetti primùm Archidiaconus; ſed anno fortè 824. ad epiſcopatum evectus, cum de eo & Halitgario Cameracenſi ſequentia in Concilii Pariſ.* datâ tunc ad Hludovicum* *Synod. Pariſienſ. de Imaginibus.* *Auguſtum epiſtolâ legamus:* Veſtræ imperiali potentiæ per venerabiles viros Halitgarium & Amalarium dirigere præſumſimus. *Utrumque enim inter Epiſcopos ſediſſe, reſcripto ſuo ad Hieremiam Senonenſem Jonamque Aurelianenſem directo*, his verbis uſus nos docet Imperator:* Venerunt ad præſentiam noſtram *Ibid. in fine.* Halitgarius & Amalarius Epiſcopi VIII. Id. Decembris, &c. *Quocumque autem loco ſederit Amalarius (cum explorare per otium non liceat) ſententiam, &c.*

EPISTOLA NUNCUPATORIA

D. LUCÆ D'ACHERY *ad V. Cl.* HIERONYMUM BIGNON.

Illuſtriſſimo Viro D. D. HIERONYMO BIGNONIO, Supremi Senatus Pariſienſis Advocato Regio: F. LUCAS DACHERIUS Benedictinus S. P. D.

A*DVOLAT in ſinum tuum, VIR ILLUSTRISSIME, ſuâpte naturâ* Veterum Scriptorum Spicilegium, *ut noſtro labore haud tenui, à ſqualore ſitûs vindicatum, ex tuo amplexu obtineat ſecuritatem, & aſpectu optatam literatis utilitatem conferat, eo jucundiorem, quo feliciùs à te mutuatam. Eccui enim ſi denuò mortalibus per ſemet affulgerent ſplendidiſſima illa anterioris ævi Lumina ſiſterent ſeſe, niſi antiquæ rei Arbitro, abſconditæ doctrinæ Oraculo? Num* JONÆ *Aurelianenſi Epiſcopo volupe non foret, ſuos* de Inſtitutione Laïcali Libros, *in quibus* Te quaſi in quodam Speculo *Jonas in Præfat.* *(aiebat ipſe ad Comitem Mathfredum)* aſſiduè contemplari debeas, *Tibi conſecrare, qui candidiſſimum diſciplinæ Chriſtianæ Speculum es*, Probitatis Juſtitiæque Documentum? *Qui familiam ſapienter adeo & religiosè ordinas ac moderaris, eam ut quiſquis adierit, non vani ſplendoris domicilium; ſed genuinum* *Voluſian. ad Auguſt. epiſt. 2.*

*pietatis Templum, Palæſtram ſcientiarum, virtutum Senatum mirabundus agnoſcat
ac veneretur; certò id ſibi de Te perſuaſus, quod de Paulini Senatoris familiâ*
Epiſt. 34. *ſcribit Auguſtinus*: Hanc Chriſti gloriam oculis noſtrorum hominum cupimus
admoveri, in uno conjugio propoſita utrique ſexui calcandæ ſuperbiæ, non
deſperandæ perfectionis exempla. *Neutiquam præterea flores arido mundo partos,*
Ambroſ. in Pſal. 43. poſt init. *ſed quot Bignonii filios, tot fructus cælo dignos obſtupeſcat.* Ipſe namque es
bonus pater, qui potes docere & formare in filiis Dominum JESUM. * Qui
* Jonas l. 1. c. 14. plus legem cœli, quàm mundi diſcere ſuades. *Unde & paratam cæleſtis præ-
mii lauream expectas, & in clariſſimâ ſobole tibimetipſi ſuperſtes, immortalem
tui Nominis gloriam poſteritati commendas. Et Primogenitum quidem ſeptem &
viginti annos vix natum, eâ religione, prudentiâ, facundiâ, legum peritiâ, tuo
Regii Advocati muneri fungendo paratiſſimum, conſtans fides eſt: ſed & ejus ger-
manum, abſolutâ feliciter linguarum Græcæ, Hebraicæ, Arabicæ, artiumque libe-
ralium, nec non Pontificii Regiique juris encyclopædiâ illuſtrem ſic ſuſcipiunt uni-
verſi, quatenùs una Bignonii familia viros quibuſque, arduis licet ac ſummis,
imperii Gallicani muniis pares mox atque expeditos ſit ſuppeditatura. Effuſam verò
in pauperes miſericordiam idcircò præterire compellitur ſtylus exilis, quia ſolidis*
Job 31. 18. *unius Chriſti laudibus & æternis præmiis compenſandam: quam de* utero tecum egreſ-
ſam, & ab infantiâ creſcentem, *nec ipſe ille inficias ibit, qui nobili hacce vir-*
Ibid. 7. 5. *tute gloriabatur etiam* in ſordibus pulveris. *Siquidem* nec buccellam tuam co-
Ibid. 31. 17. mediſti ſolus, *ſed* comedit pupillus ex eâ; *& in extremis nuper deſolatæ civita-
tis cladibus dignam non Chriſtiano tantùm, ſed Apoſtolico ore protuliſti ſententiam:*
Non me condecet Chriſtianum, domi frumenta aſſervare, quamdiù egere ac
cruciari audio Filii Dei membra. *Hæc tamen talis ac tanta miſericordia, quæ
multis ad perennem ſatis eſt futura mercedem, Tibi haud ſola eſt ad triumphum:*
Pſal. 88. *etenim cum Pſalte Rege*, Miſericordiam Domino cantas & judicium; *& cum*
Job 29. 17. *illo Orientalium ſapientiſſimo Principe*, pauperem cui non erat adjutor, *ſoles*
liberare, ac molas iniqui conterens, de dentibus illius prædam auferre *non du-
bitas. Gratulabitur proinde* JONAS *noſter inventum Te, cui familiariùs ani-
mi ſenſa ſui aperiat, non tanquam ignota extraneo, ſed tamquam domeſtica
amico.*

CODEGRANDUS *quoque Metenſis Epiſcopus veſtigia Jonæ terens, Tibi* Re-
gulam Canonicorum *apertis ulnis oblaturus accedit; ut per Te Clericis non ſecus
ac μίγμα è variis Sacræ Scripturæ, Patrumque aromatis confectum, propinet;*
In Præfat. Regulæ. *quò* ſe Cletus ab illicitis coërceat, vitioſa deponat, mala diu longeque uſurpata
derelinquat: ut dum mens ab aſſuetis vitiis vacuatur, faciliùs bona & optima
quæque ſunt, inſerantur. *Per Te, inquam, Patrum, præſertim veterum, Conci-
liorumve lectione exercitatiſſimum; rei Eccleſiaſticæ peritiſſimum; ſolertiſſimum Ec-
cleſiæ immunitatum Propugnatorem, ac Sacerdotum Religioſorumque Defenſorem
conſtantiſſimum; ut meritò proinde queas uſurpare, etſi ratione diſpari, quod olim*
In Præfat. Conc. ſub med. *Arnulfus Imperator Patribus Concilii Triburienſis de ſe profitebatur.* Habetis me
omnibus Eccleſiæ Chriſti adverſantibus, & veſtro Sacerdotali miniſterio re-
nitentibus oppoſitiſſimum bellatorem. *Quippe cum in ſermone quotidiano, cum
in Senatu palam eâ quâ polles eloquentiâ oſores, ac præfractos, ſi qui occurrant,
confutas, confirmas probos, ſepultas propè leges revocas, quantum potes, ruenti in
pejus ſæculo temet opponis.*

Tertius properat Epiſcopus, ISIDORUS *Hiſpalenſis; Teque, uti quondam*
In Epilogo. *Braulium, alloquitur*: Ecce Librum de Ordine creaturarum tibi compendioſo
ſermone conſcriptum exhibeo. Hunc igitur pectoris tui portu non dedignare,
& trans garrientium inſtabiles fluctus timore tuæ Authoritatis, præſentis

Opuſculi naviculam non pigeat gubernare. *Utpote cui omnium ſcientiarum, diſciplinarumque ineſt cognitio; quas & acutè concipis, & appoſite profers, &* *ſapienter illuſtras: quem hujus ævi Varronem alterum, veriùs Hieronymum, conſulunt Galli, ſuſpiciunt Itali, Germani demirantur, venerantur & Hiſpani. Exorſus ſanè es, SAPIENTISSIME BIGNONI, ubi deſinunt eruditiores; in dolio figularem artem didiciſti (ut fert adagium) quando antiquitatis nobile monumentum*, Marculphi Monachi veterum formularum Lib. II. *aliaſque veteres formulas in flore juventutis edidiſti, Notis adornaſti. Tua hæc aurora literaturæ ad lucem meridianam, nempe ad perfectam uſque ſcientiarum notitiam, nullâ inertiæ nube interpoſitâ, continuato curſu pervenit. Quàm Tibi tum competebat illud Sapientis:* Cum conſummaverit homo tunc incipiet! Eccl. 18. 6.

RATRAMNUS *Corbeienſis ex Angliâ in Galliam appulſus*, Libro de Nativitate Chriſti *Patronum Te ambit; nec (quamvis lubrici nonnihil rudioribus præferre videatur) ſiniſtri quid ſub tanto ſidere lucem expaveſcit. Imò felicem illum cuncti haud dubiè proclamabunt, cui contigit togæ præclarum decus habere Tutorem; quem animi generoſi conſtantiâ, mentis fortiſſimæ vigore, ingenii prudentis efficaciâ præditum, antiquioris Theologiæ peritiſſimum omnes exoſculantur, quin & ſentiunt quod Voluſianus Auguſtino ſcribens aſſerebat:* Cum ad te venitur, legi deeſt, quidquid contigerit ignorari. August. Epist. 2.

Supplices tandem adſunt SAN-BENIGNIANUS *ac* BESUENSIS ASCETÆ, *ſua* CHRONICA *(propter ſtudia partium, gliſcentibus in dies odiis inflammata) quæ rerum noſtrarum commentaria continent, recludunt multa antiquitatis monumenta, Pontificum Regum, Procerumque diplomata, & chartas propè innumeras, quæ antea latuerant atque ad Francorum hiſtoriæ cum Sacræ, tum civilis illuſtrationem conferunt, ultrò nuncupantes Tibi literarum Gloriæ; Divini atque humani juris Cuſtodi; Regiæ dignitatis, legumque Regni & linguâ facundiſſimâ, & ſcriptis non vulgari eruditione refertis acerrimo Propugnatori. Sibilent ac ſcriptitent, omnemque moveant lapidem in Reges Chriſtianiſſimos perduelles, incaſſum vires exerunt, deartuentur neceſſe eſt, dum ſtrenuiſſimus ſtat Bignonius, ſtabuntque Bignonii filii: teſtis egregius ille ſingularis tuæ eruditionis fœtus* de Regum noſtrorum dignitate, *quem necdum fermè adoleſcentiæ annos egreſſus Henrico Magno conſecraſti. Queis ingenii tui excellentiſſimis dotibus Ludovicus XIII. Fel. Mem. illectus, in Deum pietate, in Regem fide, juvandæ Reipublicæ ſtudio indefeſſo, legum peritiâ, antiqui Francorum juris notitiâ, qui ad ſummas Regni dignitates eveheberis Te dignum, ac* totius gloriæ capacem *adjudicavit. Et primò quidem in Ampliori Conſilio,* Voluſian. ubi ſup. *deinde in ſupremo Senatu Pariſienſi, Advocati Regii munere auctum, atque à Sanctioribus conſiliis, & à Bibliothecis Te voluit. Quæ ita præclarè munia geſſiſti, ac ſuſtinuiſti, uti nullius obtrectatoris æmulationem, imò verò admirationem & amorem Tibi, comparaveris univerſorum.*

Perſpicis, opinor, VIR ILLUSTRISSIME, quàm multis juſtiſque nominibus adductus, Spicilegium *iſtud veterum Scriptorum tuis ſub auſpiciis eventilem. Quod equidem ego, tamquam obſervantiæ erga te meæ & grati animi ſymbolum, eâ qua ſoles comitate ac benevolentiâ, abs Te ſuſceptum iri ſpero, confido. E Monaſterio S. Germani Pariſienſis, duodecimo Cal. Decemb. M. DC. LIV.*

A P P R O B A T I O.

JUſſu Illuſtriſſimi Galliarum Cancellarii legi Opus cui titulus : *Spicilegium, ſive collectio veterum aliquot ſcriptorum qui in Galliæ Bibliothecis delituerant, editum Operâ ac ſtudio R. P. D. Lucæ d'Achery Preſbyteri ac Monachi Ordinis S. Benedicti, Congregationis S. Mauri*, iſtiuſque operis orbi Litterario notiſſimi, novam quæ jam diu deſideratur editionem pergratum fore atque utiliſſimam cenſui. Datum Pariſiis die ſeptimâ Decembris milleſimi ſeptingenteſimi vigeſimi primi.

VEISSIERE.

P R I V I L E G E D U R O Y.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre : A nos amez & féaux Conſeillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes Ordinaires de nôtre Hôtel, Grand Conſeil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra, Salut. Nôtre bien amé FRANÇOIS MONTALANT Libraire à Paris, Nous ayant fait remontrer qu'il ſouhaitoit faire imprimer & donner au Public un Ouvrage qui a pour Titre : *Domni Lucæ d'Achery Spicilegium nova editio.* Mais craignant que quelques Libraires ou Imprimeurs ne s'aviſaſſent de luy contrefaire ledit Ouvrage, ce qui luy feroit un tort conſiderable, il Nous auroit en conſequence fait ſupplier de luy accorder nos Lettres de Privilege ſur ce neceſſaires : A ces cauſes, voulant favorablement traiter ledit Expoſant, Nous luy avons permis & permettons par ces Preſentes de faire imprimer ledit Livre, en tels volumes, forme, marge, caracteres, conjointement ou ſéparément, & autant de fois que bon luy ſemblera, & de le vendre, faire vendre & debiter par tout nôtre Royaume, pendant le temps de quinze années conſecutives, à compter du jour de la date deſdites Preſentes. Faiſons défenſes à toutes ſortes de Perſonnes, de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion Etrangere dans aucun lieu de nôtre obeïſſance ; comme auſſi à tous Libraires, Imprimeurs & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre, faire vendre, debiter ni contrefaire ledit Livre, en tout ni en partie, ni d'en faire aucuns Extraits, ſous quelque pretexte que ce ſoit, d'augmentation, correction, changement de Titre ou autrement, ſans la Permiſſion expreſſe & par écrit dudit Expoſant, ou de ceux qui auront droit de luy, à peine de confiſcation des Exemplaires contrefaits, de quinze cens livres d'amende contre chacun des Contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit Expoſant, & de tous dépens, dommages & interêts : A la charge que ces Preſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, & ce dans trois mois de la date d'icelles ; que l'impreſſion dudit Livre ſera faite dans nôtre Royaume, & non ailleurs, en bon papier & beaux caracteres, conformément aux Reglemens de la Librairie ; Et qu'avant que de l'expoſer en vente le Manuſcrit ou Imprimé qui aura ſervi de Copie à l'impreſſion dudit Livre ſera remis dans le même état où l'Approbation y aura été donnée, ès mains de nôtre très-cher & féal Chevalier Garde des Sceaux de France le Sieur Fleuriau d'Armenonville, & qu'il en ſera enſuite remis deux Exemplaires dans nôtre Bibliotheque Publique, un dans celle nôtre Château du Louvre, & un dans celle de nôtredit très cher féal Chevalier Garde des Sceaux de France le Sieur Fleuriau d'Armenonville : le tout à peine de nullité des Preſentes ; du contenu deſquelles vous mandons & enjoignons de faire joüir l'Expoſant ou ſes ayans cauſe pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchemens. Voulons que la Copie deſdites Preſentes qui ſera imprimée tout au long au commencement ou à la fin dudit Livre, ſoit tenuë pour dûëment ſignifiée ; & qu'aux Copies collationnées par l'un de nos amez & féaux Conſeillers & Secretaires, foy ſoit ajoûtée comme à l'Original. Commandons au premier nôtre Huiſſier ou Sergent de faire pour l'execution d'icelles tous Actes requis & neceſſaires, ſans demander autre Permiſſion, & nonobſtant Clameur de Haro, Charte Normande, & Lettres à ce contraires : CAR tel eſt nôtre plaiſir. DONNÉ à Paris le huitiéme jour du mois d'Avril, l'an de Grace mil ſept cens vingt-trois, & de nôtre Regne le huitiéme. Signé, Par le Roy en ſon Conſeil, CARPOT. Et ſcellé du Grand Sceau de Cire jaune.

Regiſtré ſur le Regiſtre V. de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, page 338. N°. 487. conformément aux Reglemens, & notamment à l'Arrêt du Conſeil du 13. Août 1703. A Paris le 12. Avril 1723. Signé, BALLARD, Syndic.

ELENCHUS

Ordo Novæ Editionis.

ELENCHUS CONTENTORUM

IN XIII. VOLUMINIBUS SPICILEGII.

ELENCHUS TOMI I.

Tom. pag.

I. 258 | JONÆ Epiſcopi Aurelianenſis libri III. de Inſtitutione Laicali, pag. 1

565 | CHRODEGANGI Epiſcopi Metenſis, Regula Canonicorum. 205

225 | S. ISIDORI Hiſpalenſis Epiſc. liber de Ordine Creaturarum, ad BRAULIUM Epiſcop. Cæſarauguſtæ. 268

III. 314 | QUIRICII Barcinonenſis Epiſcopi Epiſtola ad HILDEFONSUM Toletanæ Sedis Epiſcopum. 308

ibid. | HILDEFONSI Epiſtola ad QUIRICIUM. 310

315 | QUIRICII ad HILDEFONSUM. 311

ibid. | HILDEFONSI ad QUIRICIUM. 312

316 | IDALII Barcinonenſis Epiſcopi Epiſtola ad JULIANUM Toletanæ Sedis Epiſcopum. 313

317 | Ejuſdem Epiſtola ad ZUNTFREDUM Narbonenſem Epiſcopum. 316

I. 52 | RATRAMNI Monachi Corbeienſis liber, de eo quod Chriſtus ex Virgine natus eſt. 318

449 | ISAACI Abbatis Stellæ Epiſtola de Canone Miſſæ. 345

II. 357 | Chronicon S. Benigni Divionenſis. 353

394 | Ejus Chronici Continuatio. 472

400 | JOANNIS Monachi Chronicon Beſuenſis Abbatiæ. 489

ELENCHUS TOMI II.

I. 63 | RATRAMNI Monachi Corbeienſis contrà Græcorum oppoſita libri IV. 1

RATHERII Epiſcopi Veroneſis Opuſcula, ſcil.

345 | De contemptu Canonum. 161

356 | Concluſio deliberativa Leodici acta. 194

357 | Qualitatis conjectura. 199

363 | Diſcordia inter Ratherium & Clericos. 217

366 | Apologeticus liber. 225

368 | De Clericis ſibi rebellibus. 233

369 | De Abbatiolâ Magnaziano amandatis Monachis Clerici ſubrogantur. 236

370 | De nuptu cujuſdam illicito. 238

371 | Epiſtolæ, I. ad MARTINUM Epiſcopum Ferrarienſem. 241

ibid. | II. ad Romanam Eccleſiam. 242

372 | III. ad JOANNEM Papam XIII. 245

374 | IV. ad Epiſcopos Italiæ, Galliarum, & Germaniæ. 253

375 | V. ad Anonymum. 254

376 | Synodica ad Presbyteros, &c. 256

379 | Itinerarium Ratherii Romam euntis. 265

384 | Sermo valde prolixus de Quadrageſimâ. 281

391 | Contrà reprehenſores ejus Sermonis. 304

ibid. | Sermo II. de Quadrageſimâ. 305

392 | Sermones de Paſcha. 308

397 | Sermones de Aſcenſione Domini. 324

Alia ſunt Ratherii Opuſcula inedita, ſcil. Sermones duo de Pentecoſte: de Mariâ & Marthâ: Tom. I. de proprio lapſu (Videndum num hic diverſus ſit ab eo quem edidimus inter Sermones de Paſcha) de otioſo ſermone. Præterea Meditationes cordis in exilio cujuſdam Ratherii, Veronenſis quidem Eccleſiæ Epiſcopi, ſed Lobienſis Monachi; quas in ſex digeſtas libellis Volumen *cenſuit appellari* Præloquiorum: *eo quod quoddam præloquuntur opuſculum quod vocatur* Agoniſticum. *Epiſtolæ duæ. Liber de Corpore & Sanguine Domini, conſtans 99. Capitulis.*

ARNULPHI Sagienſis Archidiaconi, poſt Epiſcopi Lexovienſis, Tractatus de Schiſmate orto poſt Honorii Papæ II. obitum, contrà GIRARDUM Epiſcopum Engoliſmenſem. 336 | I. 152

Miſcellanea Epiſtolarum, Diplomatum, &c.

Ord. n. Edit. Tom. pag.

Anno CCCLX. Epiſtola POTAMII Epiſcopi ad ATHANASIUM Epiſcopum Alexandrinum. 366 | III. 299

DXC. LICINIANI Epiſcopi ad GREGORIUM Papam I. 368 | 313

DCCCLXXXI. HELIÆ Patriarchæ Hieroſolymorum ad CAROLUM Imp. 372 | 363

CMXXXVIII. LEONIS Papæ VII. ad HUGONEM Principem Francorum. 375 | 373

MIX. GUIMUNDI Archiepiſcopi Averſani ad ERFASTUM. 377 | 401

CMXCIV. S. ODILONIS Abbatis Cluniacenſis ad SANCIUM Epiſcopum. 386 | 381

JOANNIS Papæ XIX. ad ODILONEM. 387 | ibid.

ODILONIS ad GARSIAM Regem Navarræ. 388 | ibid.

Ejuſdem ad matronam R. 389 | ibid.

Cujuſdam Monachi ad Monachos S. Benigni Divionenſis. 390 | 382

MCVI. HENRICI Imp. Epiſtolæ tres ad HUGONEM Abbatem Cluniacenſem. ibid. | 441

Incerti ad eumdem. 397 | 443

HENRICI Imp. ad HUGONEM Abbatem. ibid. | ibid.

MCVII. HENRICI Romanorum Regis ad P. & Monachos Cluniacenſes. 399 | 449

MCLVII. HUGONIS III. Abb. Cluniacenſis ad FRIDERICUM Imperatorem. 400 | 526

MC I. HUGONIS I. Abbatis Cluniacenſis ad PHILIPPUM I. Regem Francorum. 401 | 443

MCLV. GERALDI Epiſcopi Cadurcenſis ad FRIDERICUM Imp. 403 | 519

MXCIV. HUGONIS Archiepiſcopi Lugdunenſis ad MATHILDEM Comitiſſam. 405 | 426

MLXXX. G. A. ad PETRUM Priorem S. Joannis. 408 | 427

Ex autographis Abbatiæ Cluniacenſis.

Tomellus, ſive Epiſtola ERNOLFI Roffenſis Epiſcopi ad WALCHELINUM Epiſcopum, de inceſtis conjugiis. 410 | 464

Ex MS. Bibliotheca Bigotiana.

Ejuſdem ad LAMBERTUM, de variis quæſtionibus. 431 | 471

Ex eodem.

MCXXX. Canonicorum Petengenſis Eccleſiæ ad Ca- | 483

a

Ord. n. Edit. Tom. pag.

Elenchus Contentorum

Ord. n. Edit. Tom. pag.

pitulum Tornacenſe. 443

III. 485 RAINALDI Archiepiſcopi Remenſis ad ROBERTUM Epiſcopum Tornacenſem. 445

500 MCXLVIII. GUALTERI Abbatis S. Martini Laudunenſ. ad GERAULDUM Epiſcopum Tornacenſ. ibid.

ibid. A. ad eumdem. 446

Ex MS. S. Theoderici prope Remos, O. B.

544 MCLXXX. PETRI Abbatis S. Remigii, ſive Cellenſis, ad WILLELMUM, &c. 447

545 Ejuſdem ad WIDONEM, &c. 449

ibid. G. ad WIDONEM, &c. 450

Ex MS. Nicolai Camuzat Canon. Trec.

528 MCLX. ALIENORIS Anglorum Reginæ ad ALEXANDRUM Papam. 451

ibid. Ejuſdem ad HYACINTHUM Cardinalem. 452

527 MCLIX. PHILIPPI Abbatis de Eleemoſynâ ad ALEXANDRUM Papam. 453

528 MCLX. LAURENTII Abbatis Weſtmonaſterienſis ad ALIENORAM Reginam. 455

Ex MS. S. Catharinæ Canonic. Regg. Laval.

398 MXLIX. LEONIS Papæ IX. ad Francos. 456

Ex MS. S. Remigii Remenſ. O. B.

484 MCXXX. HENRICI I. Anglorum Regis ad INNOCENTIUM Papam II. 457

Ex antiquis ſchedis S. Germani à Pratis.

ibid. INNOCENTII Papæ ad HUGONEM Archiepiſcopum Rotomagenſem. 458

Ex iiſdem.

520 MCLVI. GUALTERI de Mauritaniâ Epiſcopi Laudunenſis Epiſtolæ, I. ad Magiſtrum GUILLELMUM. 459

ibid. II. ad omnes in fide Catholicâ. 462

522 III. ad Magiſtrum THEODERICUM. 467

523 IV. ad Magiſtrum ALBERICUM. 469

525 V. ad PETRUM Abaelardum. 473

Ex MS. S. Vincentii Laudun. O. B.

485 MCXXXI. LOTHARII Imp. ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, &c. 480

486 INNOCENTII Papæ ad PETRUM Abbatem Cluniacenſem. 481

Ex MS. Cluniacenſi, O. B.

511 ARNULPHI Epiſcopi Lexovienſis Epiſtolæ, I. ad LUCIUM Papam. 482

512 II. ad S. THOMAM Archiepiſcopum Cantuarienſem. 485

515 III. ad ALEXANDRUM Papam 495

516 IV. ad HENRICUM Regem Anglorum. 497

ibid. V. ad ALBERTUM & THEODINUM Cardinales, Sedis Apoſt. Legatos. 50?

517 VI. ad GUILLELMUM Epiſcopum Cenomanenſem. 501

Ex MS. Falcardi-montis, O. C.

518 Fragmentum Sermonis ejuſdem in Synodo, quod in editis deeſt. 503

517 Initium Epiſtolæ ad CŒLESTINUM Papam, quod omiſſum eſt in editis. 505

ibid. MCXLIII. Epiſtola ejuſdem ad CŒLESTINUM Papam. ibid.

Ex MS. Bibliotheca Regia.

486 MCXXX. GAUFRIDI de Meduanâ ad PETRUM, Abbatem SS. Sergii & Bacchi. 507

Ex MS. SS. Sergii & Bacchi Andeg. O. B.

413 MLXXXIX. Literæ Commendatitiæ GREGORII Papæ VII. ad BERENGARIUM. 508

Ex MS. S. Albini Andeg. O. B.

399 ML. FROLLANDI Epiſcopi Silvanectenſis ad BERENGARIUM. 509

400 BERENGARII ad RICARDUM. 510

Ex MS. Bibliotheca Regia.

501 MCL. A. ad Magiſtrum Templi E. 511

Ex antiquis Schedis S. Vincentii Laud. O. B.

594 MCCXIII. J. Decani, & Capituli Turonenſis ad PETRUM Epiſcopum Redonenſem. 513

Ex MS. Majoris-Monaſterii, O. B.

MCX. Encyclica Monachorum Burgidolenſium de HERVEI geſtis. 514 III. 461

Ex MS. Abbatiæ Claravall. O. C.

MCXI. Encyclica Monachorum Caſalis-Benedicti de ANDREA nuper defuncto. 518 462

Ex MS. Caſalis-Bened.

MCCXXXIII. MAURICII Archiepiſcopi Rotomagenſis Epiſtola ad Decanos. 520 614

Ejuſdem ſententia. ibid. ibid.

Ejuſdem Epiſtolæ tres ad Decanos. 521 ibid.

Ex MS. Majoris-Monaſterii, O. B.

MCLX. ODONIS Canonici Regularis Epiſtolæ VII. ad diverſos. 525 529

Ex MS. Corbeiæ, O. B.

MCCLXX. S. LUDOVICI ad MATTHÆUM Abbatem S. Dionyſii in Franciâ, & SIMONEM de Nigellâ. 548 663

Ejuſdem ad MATTHÆUM Abbatem. 550 664

PETRI de Condeto ad N. Priorem Argentolii. 551 ibid.

PHILIPPI III. ſive Audacis Regis Francorum, Epiſtola ad MATTHÆUM Abbatem & SIMONEM de Nigellâ. 555 666

Ejuſdem Epiſtola ad Optimates. 556 ibid.

Ejuſdem Epiſtola ad MATTHÆUM Abbatem & SIMONEM de Nigellâ. 557 ibid.

PETRI de Condeto ad Theſaurarium S. Framboudi. 558 667

PHILIPPI Regis ad MATTHÆUM Abb. & SIMONEM de Nigellâ. 561 ibid.

PETRI de Condeto ad MATTHÆUM Abb. ibid. ibid.

Ejuſdem ad Priorem Argentolii. 564 668

PHILIPPI Regis ad Abbatem & Monachos S. Dionyſii. 567 669

MATTHÆI Abbatis & SIMONIS de Nigellâ ad PHILIPPUM Regem. 569 670

PHILIPPI Regis ad MATTHÆUM Abbatem & SIMONEM de Nigellâ. 571 ibid.

MCCXXX. FRIDERICI Imp. ad Regem Boëmiæ. 572 601

Ex MS. Majoris-Monaſterii, O. B.

MCCCCL. NICOLAI Papæ V. ad CAROLUM VII. Francorum Regem. 576 790

MCCCCXXXII. Concilii Baſileenſis ad Monachos Cluniacenſes. 577 761

Ex autographis Cluniacenſibus.

Variæ Galliæ Concilia.

DCCCXXXIV. Privilegium in Concilio Senonenſi præſidente ALDRICO Archiep. de Abbatiâ S. Remigii Senonenſis. 579 I. 593

DCCCXXXV. Diploma LUDOVICI Pii illud Privilegium ratum habentis. 584 594

DCCCLII. Confirmatio ejuſdem Privilegii à VANILONE Archiepiſcopo facta. 586 595

DCCCLXIV. Conventus Piſtenſis. 588 600

MLXVIII. Concilium Auſcenſe. 592 625

MCXIV. Concilium Belvacenſe. 594 633

MLXXXV. Privilegia Eccleſiæ SS. Cornelii & Cypriani in Concilio Compendienſi approbata. 598 627

In Concilio Compendienſi Canonicis Eccleſiam SS. Acei & Acheoli confert RORICO Ambianenſis Epiſcopus. 601 626

MXCII. In Concilio Pariſienſi bona Eccleſiæ Compendienſis confirmantur. 604 627

MCCXXXIII. Decreta JUHELLI Archiepiſcopi Turonenſis. 606 III. 612

MCCIX. Concilium Avinionenſe. 609 I. 703

MCCXX. Forma juramenti Conſulum Montiſpeſſulani. *618 706

MCCXXV. Decreta contra Canonicos, &c. 620 707

Ord. n. Tom.	Edit. pag.		
I.	710	MCCXXVIII. Concilium Toloſanum.	621
	719	MCCLIV. Concilium Albienſe.	630
	724	MCCLVIII. Statuta Synodi Montiſpeſſulani.	645
III.	684	MCCLXXXII. Proceſſus habitus contrà PETRUM Regem Aragonum.	649
	689	MCCLXXXIII. Proceſſus depoſitionis ejuſdem.	666
I.	604	MXVII. Geſta Synodi Aurelianenſis.	670
II.	135	Vita S. ROMANÆ Virginis & Martyris: necnon fundatio & dedicatio Eccleſiæ & Cœnobii S. Quintini Belvacenſis.	677
	153	Vita HILDEBURGIS Ibrienſis Comitiſſæ.	686
	155	Vita & miracula S. Petri de Chavanon.	619
	463	Chronicon S. Petri Vivi Senonenſis, auctore CLARIO Monacho.	705
	486	Chronicon S. Medardi Sueſſionenſis.	781
	492	De temporibus quorumdam Ordinum.	800
	ibid.	Proſapia Regum Francorum uſque ad DAGOBERTUM Jun. filium HILDEBERTI II.	ibid.
	493	Genealogia de quâ ortus eſt CAROLUS M. Rex Francorum, & Imperator Romanorum.	801
	495	Chronicon S. Dionyſii in Franciâ.	808
III.	613	Fragmentum Chronici Eccleſiæ Rotomagenſis.	819
	337	HINCMARI Archiepiſcopi Remenſis Epiſtola ad CAROLUM Calvum Francorum Regem.	822
		Ex MS. Rivipollenſis Abb. in Catalanniâ, O. B.	
	387	FULBERTI Epiſcopi Carnotenſis Epiſtola de bonis Eccleſiarum.	827

ELENCHUS TOMI III.

Ord. n. Tom.	Edit. pag.		
I.	221	TRactatus Nicetii Epiſcopi, fortè Trevirenſis, de Vigiliis Servorum Dei.	1
	223		
II.	123	Ejuſdem Tractatus de Pſalmodiæ bono.	7
		Sermo S. THEODORI Studitæ de S. Bartholomæo Apoſtolo, interprete ANASTASIO Bibliothecario: ubi de tranſlationibus corporis ejuſdem Apoſtoli in Liparam Inſulam, atque è Liparâ Beneventum.	13
I.	443	S. ANSELMI Archiepiſcopi Cantuarienſis, Tractatus Aſceticus.	24
	452	PETRI Cellenſis Tractatus prolixus de diſciplinâ Clauſtrali.	42

Miſcellanea Epiſtolarum, &c.

Ord. n. Tom.	Edit. pag.		
III.	307	DXLV. Epiſtola FACUNDI Epiſcopi Hermianenſis in defenſionem Trium Capitulorum.	106
		Ex MS. S. Germani à Pratis	
	312	DXXXV. JUSTI Epiſcopi Orgelitani ad SERGEUM Epiſcopum.	119
		Ex MS. Corbeienſi.	
	433	MLXXXVIII. S. ANSELMI ad LANFRANCUM Archiepiſcopum Cantuarienſem.	121
		Ex MS. Abbatiæ Beccenſis, O. B.	
	418	MXCIII. RAIMUNDI Gallæciæ & HENRICI Portugalliæ Comitum ad HUGONEM Abbatem Cluniacenſem.	122
		Ex MS. Abbatiæ Cluniacenſis.	
	425	MXCIV. URBANI Papæ II. Privilegium pro Atrebatenſi Eccleſiâ, ſeu de reſtituto ipſi Epiſcopo.	123
		Ex MS. Corbeienſi.	
	436	MCI. PASCHALIS Papæ II. Epiſtola ad DAYMBERTUM Archiepiſcopum Senonenſem.	126
		Ex MS. S. Florentii Salmurienſis, O. B.	
	ibid.	MCII. Ejuſdem ad LAMBERTUM Epiſcopum Atrebatenſem, quâ reſtitutum Epiſcopum confirmat, munitque privilegiis.	ibid.
		Ex MS. Corbeienſi.	
	439	MCIV. Canonicorum Eccleſiæ Pariſienſis ad PASCHALEM Papam II.	128

		Ord. n. Tom.	Edit. pag.
Ex MS. S. Florentii Salmurienſis			
PASCHALIS Papæ II. ad Archiepiſcopos & Epiſcopos Provinciarum Remenſis, Senonenſis ac Turonenſis. Ut PHILIPPUM Regem, & ejus pellicem à vinculo excommunicationis abſolvant.	128	III.	439
Juramentum PHILIPPI Regis.	129		ibid.
Ex MS. Corbeienſi.			
MCV. PASCHALIS Papæ II. ad DAYMBERTUM Archiepiſcopum Senonenſem.	130		ibid.
Ex MS. S. Florentii Salmur.			
MCVII. Ejuſdem de Legatione S. A. datâ GIRARDO Epiſcopo Engoliſmenſi.	131		444
Ex MS. S. Albini Andegavenſis.			
MCX. Ejuſdem ad GUIDONEM Archiepiſcopum Viennenſem.	132		439
Ex MS. S. Florentii Salmur.			
MCVIII. THEOBALDI Stampenſis Epiſtolæ, I. ad Epiſcopum Lincolnienſem de quibuſdam in divinâ paginâ titubantibus.	ibid.		445
II. ad PHARITIUM Abbatem Habendonenſem.	137		447
III. ad MARGARITAM Reginam.	139		ibid.
IV. ad PHILIPPUM amicum.	140		ibid.
V. ad ROSCELINUM Clericum Compendienſem, quem de Eccleſiaſticis dogmatibus pravè ſentientem confutat.	142		448
Ex MS. Abbatiæ Beccenſis, O. B.			
MCXXI. CALLISTI Papæ II. ad LUDOVICUM VI. Francorum Regem.	146		478
LUDOVICI VI. ad CALLISTUM. Queritur de Archiepiſcopo Lugdunenſi, qui uſurpare tentabat Primatum Eccleſiæ Senonenſis.	147		ibid.
MCXXIV. CALLISTI Papæ II. ad GAUFRIDUM Carnotenſem, JOANNEM Aurelianenſem, & STEPHANUM Pariſienſem Epiſcopos.	149		479
MCXXV. HONORII Papæ II. ad Canonicos Eccleſiæ Turonenſis.	ibid.		ibid.
MCXXVII. Ejuſdem ad LUDOVICUM VI.	150		ibid.
MCXXX. LUDOVICI VI. ad Legatum Apoſtolicæ Sedis.	151		ibid.
Ex MS. S. Florentii Salmur.			
Cleri Rotomagenſis ad HONORIUM II. pro electione HUGONIS in Archiepiſcopum.	ibid.		ibid.
Ex MS. S. Germani à Pratis.			
MCXXXII. INNOCENTII Papæ II. ad LUDOVICUM VI.	152		488
ARCHEMBALDI Eccleſiæ Aurelianenſis Subdecani ad HENRICUM Archiepiſcopum Senonenſem.	153		ibid.
GAUFRIDI Epiſcopi Carnotenſis ad eumdem.	154		489
INNOCENTII Papæ II. ad GAUFRIDUM Carnotenſem & STEPHANUM Pariſienſem Epiſcopos.	ibid.		ibid.
Ejuſdem ad STEPHANUM Epiſcopum Pariſienſem.	155		ibid.
STEPHANI Epiſcopi Pariſienſis ad HENRICUM Archiepiſcopum Senonenſem.	ibid.		ibid.
Ejuſdem ad Legatum S. A.	157		490
HENRICI Archiep. Sen. ad STEPHANUM Pariſ.	158		ibid.
STEPHANI Pariſ. ad HENRICUM Senonenſem.	159		ibid.
GAUFRIDI Carnotenſ. ad STEPHANUM Pariſ.	160		491
Abbatum & Clericorum Pariſienſium ad INNOCENTIUM Papam II.	161		ibid.
Incerti Epiſtolæ duæ ad STEPHANUM Pariſ.	161		ibid.
GAUFRIDI Carnotenſis ad eumdem.	163		492
GAUFRIDI Epiſcopi Catalaunenſis ad eumdem.	164		ibid.
STEPHANI Epiſc. Pariſ. de MATTHÆO de Montemorenciaco.	165		493
S. BERNARDI ad GAUFRIDUM Abbatem S. Medardi Sueſſionenſis.	ibid.		492
Ejuſdem ad RAINALDUM Abbatem.	166		ibid.
Ejuſdem ad INNOCENTIUM Papam II. pro ARNULPHO Lexovienſi Epiſcopo Electo.	167		496
Ex MS. Corbeienſi.			
MCCIV. Fundatio Monaſterii B. MARIÆ de Sylvâ-			556

Regali, Ord. Ciſterc. in Diœceſi Arelatenſi. 168
Ex MS. Vallis-Magnæ, O. C.
III. 568 — MCCV. Epiſtola STEPHANI Archiepiſcopi Cantuarienſis ad JOANNEM Anglorum Regem. 170
ibid. — JOANNIS Regis ad STEPHANUM Cantuarienſ. 171
Ex MS. Ciſterc. Abbatiæ.
603 — MCCXXX. GREGORII Papæ IX. ad Archiepiſcopum Arelatenſem & Epiſcopum Arauſicanum. ibid.
ibid. — Ejuſdem Epiſtolæ duæ ad PETRUM de Collemedio S. A. Legatum. 172
ibid. — MCCCXXXII. Ejuſdem Epiſtolæ duæ ad RAIMUNDUM Comitem Toloſanum. 174
604 — Abbatis & Conventûs Conchenſis ad eumdem. 175
ibid. — GREGORII Papæ IX. Epiſtolæ, ad Epiſcopum Tornacenſem. 176
ibid. — Ad LUDOVICUM Francorum Regem. 177
605 — Ad Reginam Francorum. 179
ibid. — Ad Comitem Toloſanum. ibid.
ibid. — Ad Epiſcopum Tornacenſem. 180
ibid. — MCCXXXIII. ad Comitem Toloſanum. Confirmat inſtitutam ab A. S. Legato Academiam Toloſanam, ejuſque Statuta. 181
606 — MCCXXXIV. ad Archiepiſcopos & Epiſcopos in Provinciâ conſtitutos. 183
ibid. — Ad Comitem Toloſanum. ibid.
Ex MS. V. C. Antonii de Vion d'Herouval.
II. 263 — Chronicon, ſeu Geſta Abbatum Monaſterii Fontinellenſis, nunc S. Vandregiſili, Diœceſis Rotomagenſis, O. B. 185
283 — Appendix I. 248
ibid. — Appendix altera ante ſcripta quàm GUILLELMUS Normannorum Dux Anglicum Regnum obtineret. ibid.
603 — Chronicon Senonienſis Abbatiæ in Voſago, Diœceſis Tullenſis, O. B. ſcriptum à RICHARDO Monacho: ab ipſâ fundatione ad annum circiter MCCL. 271
498 — Hiſtoria Vizeliacenſis Monaſterii, O. B juri ſolius Romani Pontificis ſubditi: quam Hugo Pictavinus, GUILLELMI Abbatis Vizeliacenſis Notarius, ſcribere aggreſſus anno MCLVI. anno MCLXVII. abſolvit. 446

ELENCHUS TOMI IV.

I. 586 — ANno circ. DCCCXXII. Statuta antiqua Abbatiæ S. Petri Corbeienſis, à S. ADALARDO Abbate præſcripta. 1
641 — Circà MLXX. Antiquiores Conſuetudines Monaſterii Cluniacenſis, collectæ à S. UDALRICO Monacho. 21
Ex MSS. Nicolai Camuzat, & S. Germ. à Prat.
441 — Circà MLXXX. Sermo, ſive Sententiæ LANFRANCI Archiepiſcopi Cantuarienſis. 227
Ex MS. Collegii Æneonaſenſis, Oxoniæ.

Miſcellanea Epiſtolarum, &c.

III. 333 — MCCCXXVIII. Literæ Monachorum S. Remigii Remenſis, quibus ſocietatem ineunt cum Monachis S. Dionyſii in Francia. 229
Ex MS. S. Remigii Remenſis.
398 — MXLIV. GREGORII Papæ VII. ad univerſos Fideles, à quibus ſubſidia ad inſtaurandas Baſilicas SS. Petri & Pauli Romæ expoſcit. 232
Ex MS. S. Albini Andegavenſis.
I. 628 — MXCVII. Decreta URBANI Papæ II. in Concilio Nemauſenſi. 234
Ex MS. ejuſdem Monaſterii.
III. 437 — MCI. Donatio terræ Rumiliaci facta Moliſmenſi Monaſterio ab HUGONE Comite Trecenſi. 237
Ex ejus Monaſterii Chartulario.
MCIV. Concilium Trecenſe approbat hanc donationem. 239 — I. 631
Iterum approbat Concilium. 243 — 632
Ex eodem MS.
MCVIII. HILDEBERTI Cenomanenſis Epiſcopi, dein Archiepiſcopi Turonenſis Epiſtola ad GUILLELMUM Winceſtrenſem Epiſcopum. 244 — III. 450
Ejuſdem Epiſtolæ ſex ad amicos. 245 — ibid.
Ejuſdem ad HONORIUM Papam. 256 — 453
Ejuſdem ad Epiſcopum qui ſandalia miſerat. 257 — ibid.
Ex MS. Biblioth. Bigotianæ.
MXCVIII. STEPHANI Comitis Carnotenſis & Blesenſis ad ADELAM uxorem. Refert quæ in caſtris ante Antiochiam à Chriſtianis acta ſunt. ibid. — 430
E ſchedis V. C. Hadriani Valeſii.
MCXXXII. HUGO Caſtrinovi Dominus confirmat ea quæ conceſſerat Canonicis Regg. Abbatiæ S. Vincentii in Nemore, Diœceſis Carnot. 261 — 488
MCLXX. LUDOVICUS VII. Francorum Rex, Fratribus S. Joannis de Sebaſte aſſignat XX. libras annui reditûs è caſtro Nantonis percipiendas. 263 — 540
E ſchedis V. C. Antonii de Vion d'Herouval.
MCLXXVII. Charta fundationis Carthuſiæ Luviniacenſis à GALTERO Lingonenſi Epiſcopo facta. 264 — 542
E ſchedis N. Camuzat.
MCCXLIII. RAIMUNDUS Comes Toloſanus ab excommunicatione a FF. Prædicatoribus prolatâ Epiſcopos appellat. 265 — 621
MCCCXV. LUDOVICI X. Regis Francorum Epiſtola ad GAZONEM Epiſcopum Laudunenſem. 268 — 707
MCCCXVI. ROBERTI Archiepiſcopi Remenſis ad Archiepiſcopos & Epiſcopos. Rogat ut Silvanectum conveniant ad diſcutiendam cauſam PETRI Epiſcopi Catalaunenſis. ibid. — ibid.
ÆGIDII Archiepiſcopi Rotomagenſis Epiſtola ad LUDOVICUM X. 270 — 708
E MS. D. d'Herouval.
MCCCXLIII. CLEMENTIS Papæ VI. Epiſtola ad Reginam Franciæ. 271 — 722
MCCCXLVII. Ejuſdem ad JOANNAM Reginam Franciæ. 272 — 723
Ejuſdem ad JOANNEM Regem Francorum, & JOANNAM Reginam Epiſtolæ, quibus varia iis privilegia concedit. 274 — ibid.
E MS. S. Florentii Salmurienſis.
MCCCLXXV. GREGORII Papæ XI. ad CAROLUM Regem Francorum. Quod conferre poſſit Capellam Montis Calvariæ in Jeruſalem. 298 — 738
MCCCLXX. URBANI Papæ V. ad eumdem. 299 — 734
MCCCLXXVI. GREGORII Papæ XI. ad eumdem & JOANNAM Reginam. 300 — 738
Ex eodem MS.
MCCCLXXVIII. PILEI de Prata Archiepiſcopi Ravennatis S. R. E. Cardinalis, ad LUDOVICUM Comitem Flandriæ. Scribit quæ geſta ſunt in electione Urbani VI. & Comitem hortatur ad partes ejus tuendas. 301 — 743
Ex MS. Abbatiæ Gemmeticenſis.
MCCCCVI Reſponſio Prælatorum, & aliorum virorum Eccleſiaſticorum per Ducem Bedfordiæ, tunc aſſertum Regem Francorum, Pariſios vocatorum, ut aſſenſum præbeant exigendi ſubſidia à Clero velut à laicis. 309 — 757
MCCCCXV. Epiſtola Regi directa per Prælatos Eccleſiæ Gallicanæ Bituricis congregatos, ad obtinendam exemptionem ſubſidii XL. ſolidorum ſuper qualibet caudâ vini de novo impoſiti. 314 — 759
MCCCCXLV. CAROLI Regis Francorum fœdus initum cum aliquot Principibus Rom. Imperii. 318 — 765
MCCCCXLVII. Propoſitiones ad dirimendum ſchiſma — 768

tempore

tempore Amedei, Felicis Papæ V. nuncupati. 351

III. 770 Pro pace Eccleſiæ propoſitiones ad cogendum Concilium Generale. 356

771 Inſtructions à Monſeigneur de Reims, Monſeigneur de Clermont, M. de la Fayette, M. Helie de Pompadour, M. Thomas de Courcelles, &c. de ce qu'ils ont à faire touchant la matiere de la paix & union de l'Egliſe. 331

Ex MS. D. d'Herouval.

767 Nicolai Papæ V. ad Carolum VII. Regem Francorum. 334

774 Ejuſdem Bulla, quâ Amedeum omni dominio Sabaudiæ privatum, atque illud ad Regem Franciæ devolutum declarat. 336

ibid. mccccxlviii. Ejuſdem Bulla, quâ, pace Eccleſiæ datâ, omnia quæ ſchiſmatis tempore acta ſunt, rata eſſe decernit. 338

775 Friderici Imp. Epiſtola ad Carolum VII. Regem Francorum. 341

776 Nicolai Papæ V. ad eumdem. 342

777 mccccxlix. Oratorum Regis Franciæ in causâ Nicolai Papæ V. & Amedei, Felicis itidem Papæ V. nuncupati. Promittunt Amedeo tres Bullas, queis abrogentur omnes lites, priſtino gradui reſtituantur ii qui ſuis officiis privati ſunt, & ea quæ ex utràque parte acta ſunt confirmentur. 345

778 Oratorum Ludovici Delphini Viennenſis. Ejuſdem argumenti. 347

ibid. Decretum Synodi Lauſanenſis, quo abrogat cenſuras occaſione ſchiſmatis inflictas. ibid.

779 Nicolai Papæ V. Epiſtola ad Carolum VII. Francorum Regem. 350

780 Decretum Synodi Lauſanenſis, quo rata eſſe decernit quæ ſchiſmatis tempore acta ſunt. 352

781 Epiſtola Bullata Amedei, ſive Felicis Papæ V. quâ Papatui renuntians, rata decernit acta ſui Pontificatûs tempore. 361

ibid. Ejuſdem Epiſtola Bullata, quâ revocat abrogatque omnes cenſuras ratione ſchiſmatis latas. 362

783 Ejuſdem Epiſtola Bullata, quâ omnes electiones, privilegia, & cætera id genus à ſe collata, valitura decernit. 363

784 Jacobi Jovenalis de Urſinis, Epiſcopi Pictavienſis, Epiſtola ad Cameram Computorum Pariſienſem. Ob pacis Eccleſiæ fœdus, initum ut ſupplicationes in gratiarum actionem decernat hortatur. 366

ibid. Nicolai Papæ V. Bulla, quâ irritas decernit quaſcumque cenſuras inflictas ſchiſmatis occaſione. 368

Cætera quæ ad ſchiſma illud evellendum ultrò citroque peracta ſunt, vide in Tom. 18. Annal. Eccleſiaſt. Odolrici Raynaldi ad annos mccccxlvii. mccccxlviii. *& ſeqq.*

790 mccccliii. Ejuſdem Epiſtola ad Franciscum Sfortiam Ducem Mediolanenſem. 371

ibid. Ejuſdem ad Carolum VII. R. F. 373

795 mccccliv. Friderici Imp. ad eumdem. 376

796 mccccly. Callisti Papæ III. ad eumdem. 381

797 Ejuſdem Votum de bello Turcis inferendo. 383

ibid. S. R. E. Cardinalium ad Carolum VII. 384

799 mcccclvi. Ladislai Hungariæ Regis ad Callistum Papam III. 386

800 Joannis Cardinalis S. Angeli ad eumdem. 389

ibid. Callisti Papæ III. ad Carolum VII. R. F. 391

801 Joannis de Hunyad ad Dionysium Cardinalem. Relatio victoriæ relatæ de Turcis, qui caſtrum Nandoalbenſe, ſive Taurunum, obſederant. 393

803 mcccclvii. Henrici IV. Anglorum Regis, ad Nicolaum de Cuſa, Cardinalem. 394

804 Joannis Cardinalis S. Angeli ad Carolum VII. Regem Francorum. 397

mcccclx. Pii Papæ II. ad eumdem. 400 | III. 815

mcccclxxiii. Beſſarionis Cardinalis ad Ludovicum XI. Regem Francorum. 401 | 841

Circà mcccclxviii. Georgii Pogiebracii Regis Boëmiæ Apologetica ad Mathiam generum Hungariæ Regem. Injuſtè ſe ob prætentam de communione ſub utràque ſpecie hæreſim damnatum à Legatis Cardinal. & à S. P. conqueritur. 403 | 830

mcccclxix. Pauli Papæ V. ad Archiepiſcopum Lugdunenſem. Bullam *in Cœna Domini* ne promulget, mandat. 417 | 834

Ex autographis D. d'Herouval.

mlxxx. Chronicon Eccleſiæ Centulenſis, ſive S. Richarii, auctore Hariulfo Monacho O. B. 421 | II. 291

Ex MS. V. Cl. Franciſci du Cheſne.

Martyrologium vetuſtiſſimum S. Hieronymi nomine inſignitum. 617 | 1

Ex antiquiſſimo MS. Abbatiæ Corbeienſis.

ELENCHUS TOMI V.

Anno circ. dcccxc. Via Regia, Smaragdi Abbatis S. Michaëlis in Diœceſi Virdunenſi, O. B. 1 | I. 238

Ex Biblioth. Ser. Reginæ Sueciæ.

dcccxxviii. Jonæ Aurelianenſis Epiſcopi, Opuſculum de Inſtitutione Regiâ. 57 | 324

Ex MS. Tabularii Canonicorum S. Petri Romæ.

cccclxxiv. Teſtamentum Perpetui Turonenſis Epiſcopi. 105 | III. 303

E ſchedis Hieronymi Vignier Cong. Orat. D. J.

cccclxxix. Collatio Epiſcoporum, præſertim Aviti Viennenſis, coram Rege Gondebaldo adverſus Arianos. 110 | 304

Ex iiſdem.

Circ. dcccxiv. Theodulphi Aurelianenſis Epiſcopi Sermones, ſive fragmenta Sermonum. 117 | I. 254

Ex M. V. C. Emerici Bigot.

mcccl. Concilium Senonenſe præſide Guillelmo de Meliduno celebratum Pariſiis in domo Epiſcopali. 128 | 748

Ex autographo Eccleſiæ Senonenſis.

dccclxx. Inventio & Tranſlatio Sanctorum à Deoderico Metenſi Epiſcopo repertorum. 139 | II. 133

Circà dclx. Vita S. Eligii Epiſcopi Noviomenſis, auctore S. Audoeno Archiepiſcopo Rotomagenſi. 147 | 76

E MS. Abbatiæ Corbeienſis.

Circà dxv. Fundatio Abbatiæ Miciacenſis, nunc S. Maximini, in Diœceſi Aurelianenſi, à Chlodoveo I. Francorum Rege. 303 | III. 307

E ſchedis Hieronymi Vignier.

Wandalberti Diaconi Martyrologium. 305 | II. 39

Idem de menſium duodecim nominibus, ſignis, &c. 345 | 57

Ejuſdem Horologium per xii. menſium punctos. 357 | 61

Ex MS. Iſaaci Voſſii.

Chronicon S. Clementis Piſcarienſis, O. B. auctore Joanne Berardi; ab anno dccclxv. ad annum mclxxxii. 361 | 129

Ex MS. D. d'Herouval.

Miſcellanea Epiſtolarum, &c.

Circà cccc. Severi Epiſtolæ V. 532 | III. 300

Ex MS. Romano.

mxcii. Urbani Papæ II. ad Rainoldum Ar- | 418

Ord. n. Tom.	Edit. pag.		
		chiepiſcopum Remenſem, & ejus Suffraganeos. Graviter fert PHILIPPI I. F. R. adulterium, & Epiſcopos reprehendit, quòd ei ſe non oppoſuerint.	537
III.	431	Ejuſdem ad Archiepiſcopos & Epiſcop. Franciæ.	538
	420	MXCIII. RAINOLDI Archiep. Remenſis ad LAMBERTUM Electum Atrebatenſem. Quid erga ejus electionem agere debeat, conſilium ſe à ſuis Suffraganeis accepturum mandat.	539
	ibid.	Atrebatenſium ad RAINOLDUM Archiepiſcopum Remenſem. Ut cum ſuis literis Lambertum mittat ad Urbanum Papam.	540
	ibid.	RAINOLDI ad URBANUM Papam. Ad eum mittit Lambertum, ac reddit rationem cur ipſum conſecrare tenuerit.	ibid.
	ibid.	Atrebatenſium ad eumdem. Poſtulant ut Lambertum Epiſcopum ordinet.	
	421	Quæ acta ſunt Romæ in conſecrat. Lamberti.	542
	422	URBANI Papæ ad RAINOLDUM.	543
	ibid.	LAMBERTI Epiſcopi Atrebatenſis ad eumdem.	547
	423	Ejuſdem ad Capitulum Eccleſiæ Remenſis.	548
	ibid.	RAINOLDI ad ROBERTUM Flandriæ Comitem.	549
	ibid.	URBANI Papæ ad eumdem & Optimates ejus.	550
	ibid.	HUGONIS Archiep. Lugdunenſis ad eumdem.	551
	ibid.	URBANI Papæ ad Abbates & Abbatiſſas.	552
	424	Ejuſdem ad GUALCHERIUM Epiſc. Cameracenſ.	ibid.
	ibid	RAINOLDI Archiep. Remenſis ad LAMBERTUM Atrebatenſem.	553
	ibid.	MXCIV. Ejuſdem ad eumdem.	554
	ibid.	URBANI Papæ ad LAMBERTUM.	ibid.
	ibid.	Narratio, quomodo Lambertus ad Concilium Claromontanum proficiſcens in itinere capitur.	555
	425	URBANI Papæ ad GUARNERIUM de Caſtellione.	556
	ibid.	Ejuſdem ad RICHERIUM Archiep. Senonenſem.	557
	ibid.	Narratio de itinere Lamberti ad Concilium Claromontanum properantis.	ibid.
	427	RAINOLDI Archiep. Remenſis Epiſtolæ duæ ad LAMBERTUM.	558
	436	Circà MXCVIII. PASCHALIS Papæ II. ad RADULPHUM Archiep. Remenſem. Confirmat privilegia Atrebatenſi Epiſcopo conceſſa.	559
	463	Ejuſdem ad Clerum & Populum Atrebatenſem.	561
	ibid.	Ejuſdem ad LAMBERTUM Epiſc. Atrebatenſem.	562
	ibid.	Ejuſdem ad XII. arbitros delectos ad litem inter Canonicos & Monachos Atrebatenſes dirimendam.	563
	493	MCXXXI. INNOCENTII Papæ II. ad ALVISUM Aquicinctinum Abbatem.	ibid.
	497	MCXLVI. EUGENII Papæ III. ad Clerum & Populum Tornacenſem Epiſcopum poſtliminio Eccleſiæ Tornacenſi reſtitutum, & à ſe conſecratum mittit.	564
	498	Ejuſdem ad LUDOVICUM Regem Francorum.	565
	493	MCXXXII. INNOCENTII Papæ II. ad Archiepiſcopos Remenſem, & Senonenſem, &c.	566
	536	MCLXII. FRIDERICI Imp. ad Comitem Sueſſionenſem.	567
	537	Ejuſdem ad NICOLAUM Epiſc. Cameracenſem.	568
	538	MCLXV. ALEXANDRI Papæ III. ad Archiepiſcopum Remenſem, & Suffraganeos ejus.	570
		Ex MS. Monaſterii S. Ghiſleni, O. B.	572
	578	MCCXIV. INNOCENTII Papæ III. ad JOANNEM Anglorum Regem. Angliæ Regnum R. E. datum recipit, & in Apoſtolicam protectionem admittit.	573
		Ex membranaceo fol. V. C. Henrici Suarez.	

Appendix ad Miſcellanea Epiſtolarum.

Ord. n. Tom.	Edit. pag.		
	302	CCCCLXII. LEONTII Epiſcopi Arelatenſis ad HILARIUM Papam.	578
	ibid.	CCCCLXXII. LUPI Epiſcopi Trecenſis ad APOLLINAREM SIDONIUM Epiſcopum Arvernorum.	579
		CCCCXCIV. GELASII Papæ ad RUSTICUM Epiſcopum Lugdunenſem.	581
III.	304		
		CCCCXCVII. ANASTASII Papæ II. ad CHLODOVEUM Francorum Regem.	582
	ibid.		
		DI. SYMMACHI Papæ ad AVITUM Epiſcopum Viennenſem.	583
	307		
		E ſchedis Hieronymi Vignier.	
		MCCCCLXXXV. Concilium Senonenſe, præſide TRISTANDO de Salazar Archiepiſcopo: in quo Conſtitutiones Concilii anno MCCCCLX. congregati ſub LUDOVICO Triſtandi deceſſore innovantur, nonnulla mutantur, adduntur pauca.	584
I.	751		
		Ex autographo Eccleſiæ Senonenſis.	
		MDV. Teſtamentum JOANNÆ LUDOVICI XI. Regis Francorum filiæ, Biturigum Duciſſæ, & Ordinis Annunciatarum B. V. MARIÆ Inſtitutricis.	629
III.	849		
		MDXX. Teſtamentum MARGARETÆ à Lotharingiâ, viduæ RENATI de Alençonio.	635
	850		
		Ex autographis D. d'Herouval.	

ELENCHUS TOMI VI.

Varia Concilia.

		Ord. n. Tom.	Edit. pag.
ANno DXXV. Synodi Carthaginenſis à BONIFACIO Epiſcopo habitæ anno DXXV. Seſſio II. in quâ agitur de libertate Monachorum.	1	I.	481
E vetuſtiſſimo Codice MS. Biblioth. Vaticanæ.			
DXXXV. Excerptum ex Concilio Carthaginenſi ſub REPARATO Epiſcopo celebrato, in quo ſuperior Synodus confirmatur.	16		485
Ex cod. Longobardico ejuſd. Bibliothecæ.			
MLXXXVIII. Concilium apud Exoldunum, præſide HUGONE Dienſi A. S. Legato.	17		625
Ex membranis Majoris-Monaſterii, O. B.			
MXCVI. Donatio terræ S. Ægidii in Valle Flavianâ, facta à RAIMUNDO Comite Toloſano in Concilio Nemauſenſi.	19		629
Ex membranis S. Ægidii in Valle, O. B.			
Confirmatio facta ab URBANO Papa II. in eodem Concilio.	21		630
Ex iiſdem ſchedis.			
MXCVI. Decretum URBANI PAPÆ II. in Concilio Turonenſi. Præcipit Abbati Cormeriacenſi, ut baculum Paſtoralem ſumat è ſepulcro S. Martini.	22		ibid.
Ex MS. V. C. D. de Marolles.			
MCIX. Concilium Loſdunenſe, ubi ſopita lis eſt inter Abbatem Majoris-Monaſterii, & Canonicos de Camiliaco.	24		632
E membranis Majoris-Monaſterii.			
MCXIX. Concilium Toloſanum præſidente CALLISTO Papa II. Decernit Abbati Monaſterii Anianæ poſſeſſionem Cellæ de Gordanicis.	25		635
E Chartulario Mon. Anianenſis, O. B.			
MCCXXVI. Statuta Abbatum Ordinis S. Benedicti in Provinciâ Narbonenſi ad reſtaurandam diſciplinam Regularem, approbata à GREGORIO Papa IX.	30		707
Ex MS. Mon. S. Guillelmi de Deſertis, O. B.			

LITTERÆ, ET ACTA NONNULLA

Quæ ad Schiſma quod Concilium Piſanum anni MCCCCIX. præceſſit, attinent. *Ex tribus MSS. Abbatiæ Gemeticenſis O. B. & Hiſtoriâ MS. Caroli VI. Regis Fr. auctore Monacho San-Dionyſ. Biblioth. Thuanea.*

		Ord. n. Tom.	Edit. pag.
MCCCLXXVIII. Cardinalium qui Romæ exiſtentes elegerant BARTHOLOMÆUM, dictum URBANUM VI. ad Cardinales Avenione exiſtentes.	39		763

Ord. Tom.	n. Edit. pag.		
I.	764	Cardinalium partis adverſæ ad Reges & Principes ſuper electione Barthołomæi in Papam per impreſſionem.	42
	765	Eorumdem ad Univerſitatem Pariſienſem.	44
	ibid.	MCCCLXXXI. Inſtrumentum de confeſſione D. Mediolanenſis Cardinalis Cistamontani, in mortis articulo factâ Niciæ.	45
	766	MCCCXCI. Bonifacii Papæ IX. ad univerſos Fideles.	49
	768	MCCCXCII. Ejuſdem ad Regem Francorum.	54
	769	MCCCXCIII. Viæ, quas Univerſitas Pariſienſis practicavit ad extirpandum Schiſma.	56
	ibid.	Copia Bullæ Bonifacii ad Regem Fr. miſſæ.	57
	770	MCCCXCIV. Ad requeſtam Univerſitatis iterum Rex ſcripſit Cardinalibus, ut electionem differrent.	60
	771	Caroli Regis Fr. ad Collegium Cardinalium.	62
	ibid.	Cardinales ad electionem proceſſerunt, poſtquam juraverunt quòd ad unionem pro viribus laborarent.	63
	ibid.	Schedula Cardinalium.	64
	772	Univerſitatis Pariſienſis literæ ad Benedictum Papam, quibus aſſentitur ejus electioni.	65
	773	Rex Prælatos Regni ſui evocavit propter pacem Eccleſiæ.	71
	774	Quæ tacta fuerunt in Concilio Prælatorum.	74
	776	Literæ Univerſitatis Pariſienſis ad Regem. Proponit tres vias ad ſedandum ſchiſma.	81
	782	Studii Colonienſis Epiſtola ad Univerſitatem Pariſienſem.	102
	783	Reſponſio Univerſitatis Pariſienſis.	104
	786	Literæ ejuſdem Univerſitatis Cardinalibus, mortuo Clemente VII. directæ, ut electionem differrent.	106
	784	Univerſ. ejuſdem Literæ ad Clementem VII.	109
	785	Litera clauſa miſſa DD. Cardinalibus ex parte Univerſitatis Pariſienſis.	113
	ibid.	Literæ ex parte Regis Papæ Clementi, includentes literas ex parte Regis directas lotruſu, ſuper facto unionis.	114
	787	Literæ ex parte illius qui dicit ſe Bonifacium, Conſilio Regis Franciæ directæ.	117
	ibid.	Ejuſdem D. Regi.	118
	ibid.	I. Litera D. Papæ Benedicti XIII. Univerſitati Pariſienſi, præſentata per Epiſcopum Avenionenſem, & M. Petrum Blavii, ejus Legatos.	120
	788	II. Ejuſdem Univerſitati Pariſienſi.	123
	ibid.	Univerſitatis Pariſienſis DD. Cardinalibus.	125
	789	MCCCXCV. Reſponſio Papæ Benedicti XIII. Ducibus Bituricenſi, Burgundiæ, & Aurelianenſi, ex parte Regis Franciæ miſſis ſuper unione procurandâ per viam ceſſionis.	126
	790	Confirmatio reſponſionis ſupraſcriptæ.	130
	791	Cardinales in ſcriptis approbant viam Regis.	131
	ibid.	Non approbatur via Papæ; & viam Regis Cardinales tenuerunt.	134
	792	Opiniones Cardinalium.	136
	789	Nuntii Regis à Papa recipiuntur curialiter, cui flexis genibus literas Regias obtulerunt.	142
	795	MCCCXCVIII. Prima Appellatio Univerſitatis Pariſ. interpoſita pro facto ſchiſmatis a D. Papa Benedicto.	143
	798	Cancellarii Regis Fr. Oratio habita in Conſilio, ut ſubſtractio obedientiæ Papæ fiat, donec acquieſcat ceſſioni.	153
	794	Papa nititur impedire ne Rex ampliùs procuret viam ceſſionis, ſcribens Duci Bituriæ.	157
	799	Literæ Regis publicè in Parlamento lectæ, quibus præcipiuntur quæ Schiſmatis tempore obſervari debent.	159
	822	MCCCCVIII. Declaratio nominatim facta contrà certos fautores Petri de Lunâ ſuper privatione beneficiorum ſuorum, per Concilium Eccleſiæ Gallicanæ.	161
I.	800	MCCCCII. Papa Regi, Conſiliariis ejus, & Univerſitati Pariſ. notum facit quare Avenione egreſſus ſit.	164
	799	MCCCXCVIII. Litera quam Cardinales miſerunt Regi ſuper ſubſtractione quam fecerant D. Benedicto.	165
	800	MCCCCIV. Articuli pro Exemptis concluſi per Concilium Eccleſiæ Gallicanæ.	166
	801	Litera Regis Cardinalibus Romæ exiſtentibus, ut different electionem poſt mortem Bonifacii.	169
	ibid.	MCCCCV. Quæ facta fuerant Romæ, Intruſus Univerſitati Pariſ. intimavit.	171
	803	MCCCCVII. Nuntiorum Legatione auditâ, Rex Francorum Gregorium hortatur ut perſeveranter agat in proſequutione unionis.	175
	ibid.	Litera Regis ad Gregorium exhortatoria, quòd ſervet juramentum de viâ ceſſionis, &c.	177
	805	MCCCCVIII. Bulla per quam Benedictus fulminabat graves pœnas in Regem Franciæ, & ſuos Conſiliarios, &c. ſi ab eo ſe ſubſtraherent, &c.	178
	805	MCCCCVII. Ejuſdem Bulla inſerta præcedenti.	182
	794	MCCCXCV. Inhibitio facta Cardinalibus à Benedicto Papa, ne opinionem ſuam de viâ ceſſionis traderent DD. Ducibus, &c.	188
	806	MCCCCVIII. Litera utriuſque Collegii Cardinalium Univerſitati Pariſienſi, cui inſerta eſt alia Regi Francorum.	190
	807	Copia literæ neutralitatis factæ per DD. Cardinales alterius partis, tunc D. Gregorio obedientes.	192
	808	Literæ Regis ad Regem Aragonum, exhortantes quod non faveat Petro de Lunâ, &c.	196
	809	Litera Patens ex parte Cardinalium, per quam Petrus de Lunâ convocatur ad Concilium Piſanum.	200
	811	Litera per quam Cardinales Benedicti XIII. convocant omnes Prælatos de ſuâ Obedientiâ ad Concilium Piſanum.	205
	814	Litera per quam Cardinales Gregorii, &c.	215
	818	Copia literæ clauſæ miſſæ D. Benedicto per Cardinales partis ſuæ, una cum aliis Patentibus, per quas convocatur ad Concilium Piſanum.	215
	820	Litera ſupraſcripta præſentata fuit Petro de Luna per Mag. Petrum Ciraudi Archipreſbyterum Pictav. in eâ nominatum, ad hoc miſſum per DD. Cardinales, apud Perpinianum; cui dictus Petrus de Lunâ reſponſionem fecit per cedulam in formâ quæ ſequitur.	232
	823	MCCCCIX. de Concilio Piſano ſuper electione unici Summi Pontificis celebrato Hiſtorica Narratio *ex Monacho Sandioniſiano.*	241
	817	De morte Alexandri Papæ, & electione Joannis XXIII. *ex eodem.*	254
	818	Concilium Piſanum.	257
	600	DCCCLXII. Concilium Piſtenſe, in quo confirmatum eſt privilegium Monaſterio S. Dionyſii à B. Landerico Epiſcopo Pariſienſi conceſſum. *Ex autographo Abbatiæ S. Dionyſii.*	377
III.	735	Statuta Academiæ Pariſienſis antiquiora, innovata anno MCCCLXX. *Ex MS. Corbeienſi.*	381

Miſcellanea Epiſtolarum, Diplomatum, &c.

Ord. Tom.	n. Edit. pag.		
	321	Circà DCCC. Epiſtolæ duæ Albini Alcuini ad Gallicellulam.	391
	322	Ejuſdem ad Fridugisum. *Ex MS. Abbatiæ S. Germani à Pratis.*	396
	343	DCCCLV. Benedicti Papæ III. confirmatio Privi-	

Elenchus Contentorum

Ord. n. Tom. | Edit. pag.

legiorum Corbeiæ. 397

III. 346 DCCCLXXVII. CAROLI *Calvi* Imp. diploma. Confirmat Regum & Epiſcoporum Privilegia Corbeiæ collata. 408

347 DCCCCI. CAROLI *Simplicis*. Approbat eadem privilegia. 411

348 DCCCCVI. CHRISTOPHORI Papæ. Eadem confirmat. 415

349 ML. LEONIS Papæ IX. Approbat eadem. 417

Ex Chartulariis Corbeiæ.

374 DCCCCLIV. Electio S. MAIOLI in Abbatem Cluniacenſem vivo adhuc HAIMARDO Abbate. 419

Ex tabulario Abbatiæ Cluniacenſis.

377 DCCCCLXVI. GAUFRIDUS Comes, cui Griſea gunnella cognomen fuit, Monachilem Regulam in Monaſterio S. Albini Andegav. inſtituit. 421

378 DCCCCLXXXVIII. De electione RAINALDI Abbatis S. Albini Andegavenſis. 424

Ex Chartulario S. Albini.

379 Electio S. ODILONIS in Abbatem Cluniacenſem, vivo adhuc S. MAIOLO. 425

383 M. PONTIUS Archiepiſcopus Arelatenſis, indulgentias concedit in dedicatione Eccleſiæ S. Crucis, ac confirmat privilegia Montis-Majoris à Summis Pontificibus conceſſa. 427

Ex membranis Montis-Majoris.

392 MXXXV. Teſtamentum GUIFREDI Comitis Ceritanenſis. 431

Ex MS. D. d'Herouval.

393 MXXXVI. De electione WALTERII Abbatis S. Albini Andegavenſis. 436

Ex tabulario ejus Abbatiæ.

404 MLXIII. Eccleſiam S. Stephani Nivernenſis inſtaurat HUGO Comes, atque inibi Canonicos inſtituit. 437

Ex MS. Cluniacenſi.

405 MLXV. Abſolutio à pœnitentiis impertitur in conſecratione Eccleſiæ S. MARIÆ de Correno, quæ dotatur. 441

407 MLXVIII. Conſecratio Eccleſiæ S. MARIÆ de Valle, dotante BALDA Virgine. 443

Ex MS. Montis-Majoris.

ibid. MLXX. ALFONSI Hiſpaniarum Regis Epiſtolæ ad HUGONEM Abbatem Cluniacenſem. Cenſum annuum ipſi à patre conceſſum recipere velit, Rex poſtulat. 445

408 Statuta HUGONIS Abbatis pro Rege ALFONSO tamquam inſigni benefactore. 447

ibid. Statuta ejuſdem. Recipit LAMBERTUM Abbatem S. Bertini veloti proprium Cluniaci Monachum. 448

ibid. THEOBALDI Comitis Epiſtola ad HUGONEM Abbatem Cluniacenſem. 449

410 Præbenda Eccleſiæ Carnotenſis confertur Monachis Cluniacenſibus. 451

457 Societas, ſive Fraternitas Epiſcopi & Canonicorum Aurelianenſis Eccleſiæ, inita cum Abbate & Monachis Cluniacenſibus. 452

412 MLXXVII. Donatio Eccleſiæ in caſtro de Avalone, facta ab HUGONE Duce Burgundiæ Monachis Cluniacenſibus. 454

413 MLXVIII. WIDO Comes Matiſconenſis abjectâ ſæculi pompâ Monachum induens, nonnulla confert Monaſterio Cluniacenſi. 457

ibid. GUILLELMUS Aquitaniæ Dux monetam de Niort tribuit Monachis Cluniacenſibus. 459

435 MC. PASCHALIS Papæ literæ ad Archiepiſcopos & Epiſcopos Galliæ, ut Cluniacenſis Cœnobii privilegia tueantur. 460

496 MCLXIII. COELESTINI Papæ ad Cluniacenſes. 461

Ex Chartulario Abbatiæ Cluniacenſis.

546 Circà MCLXXX. De eleemoſynâ PHILIPPI Comitis Flandriæ. 462

Circà MCCIV. INNOCENTII Papæ III. ad PHILIPPUM Regem Franc. Uſuras in ſuo Regno in poſterum Rex non patiatur. 463 III. 577

Ejuſdem ad eumdem. Benevolentiam ejus expoſtulat. 464 ibid.

MCCIX. PHILIPPI Regis Stabilimentum de feodo Regni Franciæ. 465 570

MCCXIV. Ejuſdem Stabilimentum de Cruce ſignatis. 466 577

MCCXVI. Ejuſdem de judicio facto apud Meledunum inter BLANCAM Comitiſſam Campaniæ, & ERARDUM de Brenâ. 468 585

MCCXVII. ROBERTI Archiepiſcopi Rotomagenſis fœdus initum cum Rege. 470 586

MCCXVIII. PHILIPPI *Auguſti* Decreta de Judæis. 471 589

MCCXXX. LUDOVICI Regis Stabilimentum de Judæis factum apud Meledunum. 473 606

MCCLXVI. Teſtamentum BEATRICIS Reginæ Siciliæ. 475 660

MCCLXXIII. Officialis Pariſienſis teſtatur ſepulturæ Eccleſiaſticæ traditum fuiſſe corpus ADÆ Militis, qui ob debita non ſoluta excommunicatus fuerat. 481 677

MCCXCV. GUILLELMI Archiepiſcopi Rotomagenſis ad PHILIPPUM IV. Regem Francorum. 482 695

Ejuſdem de jure patronatûs ad Eccleſias Parochiales. 483 696

MCCXXXVI. GREGORII Papæ IX. ad LUDOVICUM IX. Regem Francorum. Nulli liceat interdicto ſupponere Capellas Regis. 484 606

MCCLIV. ALEXANDRI Papæ IV. ad eumdem. Confirmat Privilegium deceſſoris ſui. 485 633

MCCLV. Ejuſdem ad eumdem. Prohibet regnum ſupponi interdicto aut excommunicationi. 486 634

MCCLIX. Ejuſdem ad eumdem. Quomodo ſe Rex gerere debeat erga Clericos flagitioſos. ibid. ibid.

Ejuſdem ad Archiepiſcopos & Epiſcopos Franciæ. Ut reprimant quoſdam Clericos bigamos, aut uxoratos maleficia exercentes. 487 ibid.

Ejuſdem ad eoſdem. Ad officium redigant Clericos mercatores. ibid. ibid.

MCCLXV. CLEMENTIS Papæ IV. Confirmat privilegia Regi conceſſa. 488 659

Ejuſdem ad Abbates S. Dionyſii & S. Germani, ut conſervari curent Regis privilegia. 489 ibid.

MCCCXXVIII. Edictum PHILIPPI VI. F. R. de formâ juramenti quâ uti debent Tabelliones. 490 716

MCLXX. Capitula de interceptionibus Clericorum adversùs Domini Regis juriſdictionem. 492 593

MCCCLVII. FRANCISCI S. R. E. Cardinalis PETRUS Borboneſius excommunicatus ob debita non ſoluta, vitâ functus abſolvitur. 494 732

MCCCCXXXVII. Erectio Academiæ Cadomenſis ab EUGENIO Papa IV. 495 762

Ex MSS. D. d'Herouval.

MCCCCIII Eamdem erectionem approbat CAROLUS VII. Rex Francorum. 499 792

Ex Chartophylacio Academiæ Cadomenſis.

MCCCCLV. CALLISTI Papæ III. Gratias agit Regi Francorum de ipſius erga Apoſtolicam Sedem cultu ſingulari. 503 799

Ex MS. D. d'Herouval.

Libellus, ſive Chronicon de Geſtis Abbatum Gemblacenſium, auctore, ut quidam volunt, SIGEBERTO. 505 II. 759

Ex MS. Abbatiæ Gemblac. O. B.

Geſta ſeu Chronicon Abbatum Lobienſium, auctore FULCUINO Abbate. 541 730

Continuatio, vel Excerpta ex antiquis monumentis, variiſque auctoribus Abbatiæ Lobienſis. 589 743

Ex MS. ejuſdem Abbatiæ.

Chronicon

II. 224 — Chronicon Epiſcoporum Metenſium, cum duplici Appendice. 643
Ex MS. V. C. Raymundi Formentin, Socii Sorbonici.

III. 738 — Teſtamentum GREGORII Papæ XI. 675
Ex autographo Mon. Caſa-Dei, O. B.

I. 584 — Capitulare ANTONIS Epiſcopi Baſileenſis. 691

ELENCHUS TOMI VII.

I. 113 — ANno circ. DCCCLXVI. ÆNEÆ Epiſcopi Pariſienſis liber adversùs Græcos. 1
Ex MS. Biblioth. Thuanea.

215 — S. FAUSTINI Epiſcopi Fragmentum Sermonis in Dominicâ ante Quadrageſimam. 118
Ex MS. Abbatia Corbeienſis.

ibid. — S. PETRI *Chryſologi* Archiepiſcopi Ravennatis, Sermones V. de Oratione Dominicâ. 120
Ex eodem MS.

473 — NICOLAI de Clemangiis liber de Studio Theologico. 138
Ex MS. V. C. Raymundi Formentin.

Miſcellanea Epiſtolarum, &c.

III. 330 — DCCCXXVI. AMALARII Epiſcopi Epiſtolæ, I. ad HIEREMIAM Archiepiſcopum Senonenſem. 164

ibid. — HIEREMIÆ Reſponſio. 165

ibid. — II. ad JONAM Epiſcopum Aurelianenſem. ibid.

ibid. — III. ad RANTGARIUM Epiſcopum Noviomenſ. ibid.

331 — IV. ad HETTONEM Monachum. 167

ibid. — V. ad GUNTARDUM. 168

333 — VI. de Obſervatione Quadrageſimæ. 173
Ex MS. Corbeienſi.

335 — DCCCXL. Apologeticum EBBONIS Archiepiſcopi Remenſis. 175
Ex MS. Em. Card. Franciſci Barberini.

339 — DCCCXLIX. LOTHARII Imperatoris confirmatio fundationis Abbatiæ Grandis-vallis. 184

365 — DCCCLXXXIV. CAROLI *Craſſi* Imp. approbatio Præcepti LOTHARII. 185

378 — DCCCCLXVI LOTHARII Francorum Regis confirmatio bonorum Grandis-vallis Monaſterio collatorum. 186

375 — DCCCCLVII. CONRADI Jurenſis Burgundiæ Regis inſtauratio Monaſterii Grandis-vallis. 187
E ſchedis S. Germani à Pratis.

569 — MCCVIII. Conſtitutio PHILIPPI *Auguſti* Regis Francorum de jure patronatûs in Eccleſias Normanniæ. 189
Ex MS. D. d'Herouval.

459 — MCVI. HELIÆ Comitis Cenomanenſis donatio facta Monaſterio de Culturâ in gratiam fratris ſui qui Monachum induit. 190
Ex membranis ejus Monaſterii.

431 — MXCIX. ANSELMI de Ribodimonte, ſive peregrinorum qui amore Dei perrexerunt Hieroſolymam, ad MANASSEM Archiepiſcopum. 191
Ex MS. V. C. Stephani Baluzii.

459 — MCIX. BALDRICUS Epiſcopus Dolentis approbat omnia bona Monaſterio S. Florentii collata, quæ ſita ſunt in ſuâ Diœceſi. 196
E ſchedis ejus Monaſterii.

384 — MVI. HALDEBERTUS Epiſcopus Avenionenſis & ROSTAGNUS conferunt Monaſterio S. Andreæ in monte Andaone Eccleſiam, &c. in Alieraco minore. 197
Ex Chartophylacio Mon. S. Andrea.

385 — Teſtamentum GIRUINI & uxoris ejus CONSTANTIÆ. 200

III. 388 — MXXIV. Dos facta in conſecratione Eccleſiæ S. Martini in Monte Andaone à STEPHANO & GARSINNE ejus uxore, & à Comitiſſâ Toloſæ EMMA ac filio ejus PONTIO. 201
Ex eodem Chartophylacio.

390 — MXXVI. RICHARDI II. Normannorum Ducis donatio propter nuptias ADELÆ facta. 203
Ex tabulario Eccleſia S. Petri Aria urbis in Atreſiâ.

410 — MLXXV. GREGORII Papæ VII. ad Dominos Nigellæ & Bovæ. Ut ob injurias & damna illata Monachis Lehunenſibus ſatisfaciant. 206
Ex tabulario Mon. Lehunenſis.

518 — MCLIV. GAUFRIDI Epiſcopi Avenionenſis. Lis mota inter Epiſcopum Cabellionenſem ac Monachos S. Andreæ de Eccleſiis nonnullis, dirimitur. 207
Ex Chartophylacio Mon. S. Andrea Avenion.

I. 707 — MCCXV. Narratiuncula de Concilio Lateranenſi IV. 209

ibid — Concilii Later. ſententia de Terrâ Albigenſi. 210
Ex MS. Abbatia de Lyrâ, O. B.

III. 602 — MCCXXX. Tranſactio facta de electione Epiſcopi Majoricarum, ſeu erectio & fundatio Epiſcopatûs in illo Regno à JACOBO Aragonum Rege. 211
E membranis D. d'Herouval.

624 — MCCXLIX. ODONIS Epiſcopi Tuſculani ad INNOCENTIUM Papam IV. Refert prolixè quæ geſta ſunt ab exercitu Chriſtianorum in Cypro Inſulâ. 213

628 — H. Epiſcopi Maſſilienſis ad eumdem. Narrat quæ geſta ſunt ab exercitu Chriſtianorum contrà Infideles. 225
Ex MS. V. C. Stephani Baluzii.

630 — MCCLI. Juramentum Univerſitatis Pariſienſis factum anno DCCLI. 226

635 — MCCLX. S. LUDOVICI Regis Francorum. De eleemoſynâ argenti, bladi, & halecum olim à Rege præſcripta, ut fiat tempore Quadrageſimæ. 228

659 — MCCLXVI. CLEMENTIS Papæ IV. ad JACOBUM Aragonum Regis filium. 229
Ex MS. D. d'Herouval.

629 — MCCLXVII. INNOCENTII Papæ IV. ad Epiſcopum, Clerum, &c. Majoricarum. Ne Majoricenſes ad lites dirimendas loca remota petere cogantur. 231

ibid. — Ejuſdem ad Abbatem Montis Regalis de eâdem re. 232
Ex rotulo membranaceo antiquarum legum à D. d'Herouval communicato.

694 — MCCXCIV. BONIFACII Papæ VIII. ad Regem Majoricarum. ibid.
Ex MS. ejuſdem.

753 — MCCCLXXXII. CLEMENTIS Papæ VII. ad ULADISLAUM Polonum. Ut abdicato habitu Monaſtico Poloniam, Regnum adepturus petat. 236

ibid. — Ejuſdem ad eumdem: ut Papam adeat 239
Ex MS. Abbatia Ciſtercienſis.

709 — MCCCXVII. JOANNIS Papæ XXII. ad SANCIUM Regem Majoricarum. LUDOVICUM Epiſcopum Toloſanum catalogo Sanctorum adſcriptum nuntiat. ibid.

711 — MCCCXXIII. CAROLI IV. Regis Francorum. Reliquiæ ſacræ Capellæ Pariſ. dum Rex iter facit, expenſis Domûs Dei deferendæ. 241

725 — MCCCXLVII. CLEMENTIS Papæ VI. ad JOANNEM Archiepiſcopum Rotomagenſem. Regem Francorum rogat ut Regi Majoricarum nonnulla reſtituantur in Comitatu Roſſilionis. 242

751 — MCCCLXX. URBANI Papæ VI. ad ANTONIUM Archiepiſcopum Mediolanenſem. Facultatem ipſi tribuit pro ſequenti diſpenſatione. 243

752 — Diſpenſatio Comitis Virtutum GALEAS, & CATHARINÆ filiæ BERNABOVIS Vicecomitis Mediolanen-

ſis, de contrahendo matrimonio. 244

III. 752 Inſtrumentum ejuſdam Diſpenſationis. 247

774 MCCCCXLVII. NICOLAI Papæ V. ad GUILLELMUM Franciæ Cancellarium. 249

773 CAROLI VII. Francorum Regis ad Nicænum SS. XII. Apoſtolorum Cardinalem Græcum Beſſarionem. 250

Ex membranis D. d'Herouval.

ibid. Adviſata & deliberata in Dietâ Aſſchaffemburgenſi die 13. Julii. 251

776 MCCCCXLVIII. CAROLI VII. Francorum Regis ad SIGISMUNDUM Auſtriæ Ducem. Gratum ſe habere teſtatur ejus matrimonium cum filiâ Regis Scotorum. 252

777 NICOLAI Papæ V. ad CAROLUM VII. Rogat ut ANTONIO Crepin è Pariſ. Cathedrâ ad Laudunenſem tranſlato faveat. 254

ibid. Magiſtri Hoſpitalarii Jeruſalem ad eumdem. 256

785 MCCCCXLIX. CAROLI VII. ad NICOLAUM PP. V. Congregatos Rotumagi Prælatos Regni ad bonum Eccleſiæ nuntiat. 257

786 MCCCCLII. NICOLAI Papæ V. ad CAROLUM VII. Rogat ut Cardinali Rotomag. Archiepiſcopo, qui fidelitatem & homagium nondum præſtiterat, annuum reditum percipere liceat. 258

763 MCCCCXXXVII. JANI de Campofregoſo Januenſium Ducis ad eumdem. Orat ut Regno Cyprio periclitanti ſubſidium ferat. 260

764 MCCCCLXXXVIII. CAROLI VII. ad FRIDERICUM Imperatorem. Ut Ducem Bavariæ diutiùs detentum libertate donet. 261

Ex MS. D. d'Herouval.

578 MCCXIV. BERTRANDI Epiſcopi Cavellicenſis. GARALDUS peccatis apud Epiſcopum depoſitis, quædam à ſe uſurpata Monaſterio S. Andreæ Avenionenſi reſtituit. 263

596 MCCXIII. JAUSIRANNA de Medullione vidua ſpreto mundo ſeſe Deo conſecrat, ac ſubjicit Abbati S. Andreæ Avenion. 264

616 MCCXXXIV. Inſtitutio Monaſterii puellaris S. Crucis in Aptenſi Diœceſi, ſeu Donatio ejuſdem Monaſterii facta ab Abbate & Monachis S. Andreæ Avenion. 266

619 MCCXXXIX. Charta inſtitutionis Monaſterii B. MARIÆ de Fugnie in Diœceſi Avenionenſi per CALVARIAM Abbatem S. Andreæ. 271

647 MCCLXV. ROSTAGNI de Podio-alto. Conſtituit duo anniverſaria quolibet anno in Monaſterio S. Andreæ, &c. 275

Ex Tabulario Mon. S. Andreæ Avenion.

766 MCCCCXLVI. BENEDICTI de Aureâ Francorum Regis Capitanei ad Protectores S. Georgo. Januenſes ut ſe Regi Franc. ſubdant hortatur. 276

773 MCCCCXLVII. FRIDERICI Imp. ad L. Sabaudiæ Ducem. Hortatur ut patri ſuadeat Pontificatum abdicare. 278

796 MCCCCLV. CALLISTI Papæ III. ad CAROLUM VII. Regem Francorum. Certiorem eum facit ſe in ſedem Apoſtolicam evectum. 280

798 CAROLI VII. ad Archiepiſcopum Moguntinum Electorem Rom. Imp. ALBERTUM Marchionem Brandenburgenſem, &c. Commonitates jura Eccleſ. infringere conantes expugnandas eſſe, &c. 281

787 Ejuſdem ad ALFONSUM Aragonum Regem. 283

788 Ejuſdem ad FRIDERICUM Romanorum Regem. Eos hortatur ut ſummum Pontificem honore proſequantur. 284

766 MCCCCXLVI. Incerti ad EUGENIUM Papam IV. Rogat ut JOANNIS Cordis electionem in Archiepiſcopum Bituricenſem confirmet. 285

ibid. CAROLI VII. ad Summum Pontificem. Prælati omnes Regni Franc. fidelitatis juramentum Regi præſtare debent. 286

Ejuſdem ad ſummum Pontificem. De eodem argumento. 288 III. 785

MCCCCLV. Ejuſdem ad CALLISTUM Papam III. Literæ ſeu reſcripta Papæ in Franciam miſſa, debent primò Regi offerri, ab ipſo recipi, &c. 289 798

Ejuſdem ad eumdem. Electionem Abbatiæ Gorzienſis ut confirmet, Rex orat. 290 ibid.

Ejuſdem ad ſummum Pontificem. Ut Papa Abbatem S. Mauri Foſſat. electum ob præclaras virtutes Epiſcopum Meldenſem, approbet. 292 772

Ejuſdem ad NICOLAUM Papam V. Queritur quòd contraria juri ſuo & Nationi Gallicanæ in Capitulo Generali Ordinis S. Joannis Rhodi acta ſint. 294 791

Ejuſdem ad eumdem. Pecunias in Regno ſuo colligi niſi per viros à ſe deputatos renuit. 296 767

Ejuſdem ad eumdem. Oratorem Papæ benignè ſuſcepiſſe, miſſoſque à ſe nuntiat, &c. 297 ibid.

Ejuſdem ad S. R. E. Cardinales. Oratores ſuos ad S. Pontificem cum benevolentiâ ut excipiant, rogat. 298 ibid.

GUILLELMI Franciæ Cancellarii ad NICOLAUM Papam V. Ut Eccleſiæ Collegiatæ in Baroniâ de Treignello annecti permittat Eccleſias Parochiales. 299 786

CAROLI VII. ad Ducem Clivenſem. Ut in pacem cum Archiepiſcopo Colonienſi redeat. 300 ibid.

Ejuſdem ad Archiepiſcopum Colonienſem. Milites & pecuniam ſe ipſi præſtiturum pollicetur. 301 ibid.

Ejuſdem ad JOANNEM Hiongad Vaivodam Tranſſylvanum, Comitem Themetienſem, &c. Promittit ſe opem laturum, ſtatim atque pax in regno firmata fuerit. 302 787

Ejuſdem ad DIONYSIUM Cardinalem Archiepiſcopum Strigonienſem, LAURENTIUM Palatinum Hungariæ, &c. Auxiliares copias ſe miſſurum, cum primum Regnum pace fruetur. 303 ibid.

Idem ARNOLDO Gelrenſi & Juliacenſi Duci Romam ire cupienti, Diploma commeatûs concedit. 304 ibid.

Ex MS. Domini d'Herouval.

ÆNEAS Sylvius HIPPOLYTO Mediolanenſi contrà fornicationem monita ſubminiſtrat. 305 788

Ex MS. Mon. Lyrenſis O. B.

MCCCCLIX. PII Papæ II. ad CAROLUM VII. Ut GUILIELMO de Torreta Societatem Jaſo ad Infidelium oppugnationem inſtitutam ingrediendi det facultatem. 311 806

Ex authentico D. d'Herouval.

MCCCCLXI. Ejuſdem ad Epiſcopum Atrebatenſem A. S. Legatum. Regem Franc. laudibus attollit, deinde ut quam benevolum erga ipſum Regem animum habeat, Epiſcopus ſignificet. 312 823

MCCCCLXVIII. JOANNIS Goffredi Cardinalis Oratio facta in Eccleſiâ Pariſ. die quâ Cardinalis Andegavenſis JOANNES Baluë Cardinalatûs dignitatem recepit. 314 825

Ex MS. Mon. Lyrenſis.

MCCCCLXXIV. Sixti Papæ IV. ad LUDOVICUM XI. Regem Francorum. Conqueritur quòd Rex Concordata non obſervet. 333 844

Ex MS. D. d'Herouval.

Chronicon Epiſcoporum Albienſium, & Abbatum Caſtrenſium. 335 570

E ſchedis Ill. V. Guillelmi Maſnauvii Senat. Toloſ.

Geſta Abbatum Trudonenſium, Ordinis S. Bened. in Diœceſi Leodienſi; auctore RODULFO Abbate ejuſdem Monaſterii. 344 II. 659

Chronicon Valciodorenſis Cœnobii O. B. in Diœceſi Leodienſi. 513 709

Ex MS. Cœnobii Gemblacenſis.

Genealogiæ ex Chronicis Hannonienſibus collectæ à Magiſtro BALDUINO de Avenis. 584 III. 286

Ex MS. V. C. Caroli du Freſne D. du Cange.

Ord. n. Edit. Tom. pag.

II. 561 — Chronicon Moſomenſe Diœceſis Remenſis, incerto auctore. 613

Ex duplici apographo Bibl. S. Germani à Pratis, & V. C. Franciſci du Cheſne.

ELENCHUS TOMI VIII.

I. 402 — ATTONIS Epiſcopi Vercellenſis opera, *ſcilicet* Capitulare. 1

414 — Libellus de Preſſuris Eccleſiaſticis in tres partes diviſus: videl. I. de Judiciis Epiſcoporum: II. de Ordinationibus eorumdem: III. de Facultatibus Eccleſiarum. 44

431 — Epiſtola I. ad VALDONEM Epiſcopum. Graviter reprehendit quòd ſeditionem contrà Regem excitarit: probatque quamvis Rex injuſtè agat non ſumenda arma, ſed preces & exhortationes eſſe adhibendas. 99

434 — II. Contra nefarios quoſdam & ſuperſtitioſos 110

ibid. — III. Contrà eos qui præſtigiatoribus fidem adhibent. 111

435 — IV. Ad pia exercitia adhortatur, & ut ferià ſextà otio non vacent, ſed abſtinentiam &c. obſervare non negligant. 112

ibid. — V. Ad AZONEM Epiſcopum. Rationem reddit quare quemdam à nuptiis feminæ quæ ipſum de ſacro fonte ſuſceperat, fretus ſacris humaniſque legibus prohibuerit. 113

437 — GUNZONIS Levitæ Novaric. ad ATTONEM de eodem argumento. 120

438 — AMBROSII Preſbyteri Mediolanenſis ad eumdem, de eodem argumento. 122

ibid. — VI. ATTONIS ad AMBROSIUM. Quid in Canonibus Preſbytera, quid Diacona ſignent. 123

439 — VII. ad cunctos Sacerdotes, &c. in Diœceſi Vercellenſi. Adversùs concubinarios Clericos & Sacerdotes agit, & eos ad continentiam hortatur. 126

440 — VIII. ad eoſdem. Ut caſtitatem amplectantur. 131

441 — IX. ad Epiſcopos Italiæ. Quâ fidelitas Regni exhibenda; & an ipſi dandi ſint obſides pro fidelitate aſſerendâ. 132

Ex MS. Biblioth. Vaticana.

Miſcellanea Epiſtolarum, &c.

III. 329 — DCCCXXVI. Diploma LUDOVICI & LOTHARII Imperatorum. Confirmatur Privilegium JONÆ Aurelianenſis Epiſcopi pro inſtauratione Monaſticæ diſciplinæ in Miciacenſi Monaſterio S. Maximini. 138

Ex Chartulario Eccleſ. Aurelian. à D. d'Herouval communicato.

340 — DCCCLII. Præceptum LOTHARII Imp. quo villam quamdam Eccleſ. Eduenſi reſtitui jubet. 141

E Chartulario Eduenſi ab eodem.

356 — DCCCLVIII. JONAS Epiſcopus Eduenſis multa confert cùm ad victum Monachorum, tùm ad ipſorum ædificiorum conſtructionem neceſſaria. 143

357 — DCCCLXV. Idem fundatam ac dotatam à TANCRADO nobili viro Eccleſiam conſecrat. 145

364 — DCCCLXXXIV. CARLOMANNI Regis præceptum. Omnia quæ à prædeceſſoribus conceſſa ſunt Eccleſiæ Aurel. approbat. 148

371 — Circà DCCCCXIII. Teſtamentum HARIVEI Eduenſis Epiſcopi. 151

E Maiori Chartulario Eduenſi ab eodem.

379 — DCCCCXCIX. Forma electionis Epiſcopi. GAUSBERTUS eligitur Epiſcopus Caducenſis permittente Metropolitano, & Epiſcopis aſſenſum præbentibus. 154

E Chartulario Cadurcenſi ab eodem.

MLVII. HENRICI Francorum Regis Diploma, quo abrogat injuſtam conſuetudinem claudendi portas urbis Aurelianenſis, & cuſtodes eis adhibendi tempore vindemiæ. 156 — III. 401

MLXXVI. RADINARDUS in Concilio Auguſtodunenſi excommunicatus, quæ abſtulerat Canonicis Auguſtod. Eccleſiæ reſtituit. 157 — 411

E Chartulario Eccl. Aurelian.

MLXXXVIII. RAIMUNDUS Comes Toloſanus pœnitentià ductus, erogat quædam Monaſterio S. Andreæ Avenionenſis. 159 — 415

Ex Chartis ejus Monaſterii.

MXC. Teſtamentum GERALDI Cadurcenſis Epiſcopi. Conſtituit Canonicos Regulares in ſuà Eccleſià. 161 — ibid.

Ex Chartulario Cadurcenſi.

MCIV. GODEFRIDUS Epiſcopus Ambianenſis confirmat quæ Monaſterio Lehunenſi donata ſunt à Comite Flandriæ ROBERTO Juniori, & à ROBERTO Peronenſi. 163 — 438

MCIX. Pactum initum inter GUILLELMUM Montiſpeſſulani Dominum, & BERTRANDUM de Anduſia, pro ineundo matrimonio filii & filiæ ipſorum. 165 — 457

MCXIII. Baldrici Noviomenſis Epiſcopi. BOSO Miles à ſuis prædeceſſoribus ablata Lehunenſi Monaſterio moribundus reſtituit. 169 — 463

MCXIV. GODEFRIDI Epiſcopi Ambianenſis. Conferuntur eidem Monaſterio Eccleſiæ de Herboneriis & de Hangeſto. 171 — 464

E membranis D. d'Herouval.

MCXX. Compoſitio pro Abbatiâ S. Blaſii, Diœceſis Baſileenſis. 172 — 477

Ex MS. Abbatia Ciſtercienſis.

MCXXXI. BARTHOLOMÆI Epiſcopi Laudunenſis Judicium, quo Lehunenſium Monachorum terra de Cais à ROBERTO abjuratur. 173 — 487

Communicavit D. d'Herouval.

MCXXXII. ALDEFONSI Hiſpaniarum Regis. Abbatia SS. Facundi & Primitivi Cluniaco ſubjicitur. 175 — ibid.

E membranis Abb. Cluniacenſis.

MCXXXIII. INNOCENTII Papæ Sententia. Quam pœnitentiam interfectores ARCHEMBALDI Aurel. Subdecani agere teneantur. 177 — 493

E MS. D. d'Herouval.

MCLIII. HENRICI Huntindonenſis Archidiaconi Lincoln. de contemptu mundi per ea quæ ipſe vidit. 178 — 503

Ex MS. Abbatia Gemeticenſis.

MCLVI. Donatio propter nuptias facta MARIÆ ſorori Ducis Burgundiæ à GUILLELMO Montiſpeſſulani Domino. 194 — 526

Ex membranis D. d'Herouval.

MCLXIV. GUILLELMI de Rocamaura & PETRI fratris. Conferunt Monaſterio S. Andreæ Aven. quidquid in Jaxià habebant, dum frater illorum PONTIUS cucullam induit. 196 — 537

Ex MS. eius Monaſterii.

MCLXXI. LUDOVICI VII. Francorum Regis Præceptum. Approbat donationem Aurelianenſi Eccleſiæ factam à MANASSE Epiſcopo. 197 — 541

Conceſſit D. d'Herouval.

MCLXXXV. PHILIPPUS Epiſcopus Belvacenſis Eccleſiam Uſſivillarem dat Monachis Lehunenſibus, qui in die obitûs Epiſcopi Miſſas & Anniverſarium celebrare pollicentur. 198 — 548

Ex eodem.

MCLXXX. RAIMUNDUS Comes Toloſanus confirmat donationem ab ISNARDO factam dum habitum Monachalem ſuſcepit. 199 — 546

Ex MS. Mon. S. Andrea Aven.

MCLXXXVII. ARCHEMBALDI de Borbonio pactum initum cum PETRO de Blot coram Rege Anglorum HENRICO. 201 — 548

Elenchus Contentorum

Ord. n. edit. Tom.	pag.		
III.	554	MCLXXXIX. Philippus II. R. F. quæ uſusparat Regalia Eduenſi Eccleſiæ reſtituit. *E chartis D. d'Herouval.*	203
	ibid.	RAIMUNDUS Comes Tolosanus approbat ea quæ BERTRANDUS profeſſionem Monaſticam amplectens tradidit Abbatiæ S. Andreæ Aven. *E chartis ejus Abbatiæ.*	204
	555	MCXCI. Dotalitium ob matrimonium inter GUILLELMUM Montiſpeſſulani, & TIBURGAM filiam RAIMUNDI ATTONIS.	205
	557	MCXCV. Sententia divortii facti inter GALCHERUM de Salinis, & M. de Borbonio conſanguineos. *Ex membranis D. d'Herouval.*	210
	558	JOANNES Portugalliæ Rex confert MENENDO Abbati Monaſterium Ceicenſe. *Ex chartis Abbatiæ Ciſtercienſis.*	215
	560	MCXCIX. TIBURGA renuntiat pactionibus matrimonialibus à parentibus confectis, quibus eam dum adhuc infans eſſet uxorem ſpoponderant filio GUILLELMI Montiſpeſſulani.	214
	565	MCCIV. Donationes ob nuptias factæ inter PETRUM Aragonum Regem, & MARIAM Montiſpeſſulani Dominam.	216
	566	MCCV. MARIA Regina dat Montempeſſulanum, &c. PETRO Aragonum Regi.	220
	567	PETRUS Rex Aragonum RAIMUNDO Duci Narbon. ſpondet filiam SANCIAM uxorem dare RAIMUNDO ejus filio. *Ex Chartis D. d'Herouval.*	225
	583	MCCXV. Inſtitutio Ordinis Vallis Scholarium. *Idem communicavit.*	237
	600	MCCXXVIII. Literæ de Præbendis Tornodorenſibus conferendis.	240
	621	MCCXLI. Initum matrimonium inter RAIMUNDUM Comitem Toloſanum, & SANCIAM filiam Comitis Provinciæ, JACOBO Rege Majoricarum Procuratore. *Ex membranis ejuſdem*	231
	628	MCCXLIX. Literæ inſtitutionis Monachorum Ciſtercienſium in Monaſterio de Camenta, amotis inde Canonicis Regularibus. *Ex Chartis Mon. Ciſtercienſis.*	232
	631	MCCLIII. Statuta ad inſtaurandam Monaſticam diſciplinam in Monaſterio S. Andreæ Aven.	236
	637	MCCLXI. Teſtamentum ROSTAGNI de Podio alto. *Ex MS. Mon. S. Andreæ.*	241
	673	MCCLXX. Contractus matrimonii inter SANCIUM filium Regis ALDEFONSI, & GUILLELMAM filiam GASTONIS Vicecomitis Bearnenſis.	245
	670	Teſtamentum Magiſtri ROBERTI de Sorbonâ. *Ex membranis D. d'Herouval.*	247
	679	MCCLXXIV. Magiſtri GAUFRIDI de Baſio donatio bonorum quæ ipſi contulit ROBERTUS de Sorbonâ, facta Congregationi pauperum Magiſtrorum in Theologicâ Facultate ſtudentium Pariſiis, Roberto jam mortuo. *Idem dedit.*	249
	677	MCCLXXII. PETRI Electi Lugdunenſis Archiepiſcopi. Fidelitatem Regi exhibet eâ lege, ut id ſibi nullum detrimentum afferat. *Ex minori Chartulario Eduenſi.*	250
	681	MCCLXXV. Matrimonium initum inter JACOBUM Regis Aragonum filium, & SCLARMUNDAM filiam Comitis Fuxenſis. *Ex membranis D. d'Herouval.*	251
	684	MCCLXXXI. AYMARI Archiepiſcopi Lugdunenſis. Ordinat ut more antiquo Archiepiſcopus Lugdunenſis & Epiſcopus Eduenſis, alter alterius ſedem vacantem teneat & adminiſtret.	253
	693	MCCLXXXVIII. RADULFI Archiepiſcopi Lugdunenſis & HUGONIS Eduenſis Epiſcopi Ordinationes pro adminiſtratione Archiepiſcopatûs & Epiſcopatûs Sede vacante. *Ex minori Chartulario Eduenſi.*	255
III.	696	MCXCIX. SAORA filia Regis Majoricarum contrahit matrimonium cum PETRO GAUCERANNI de Pinoſo. Donationes ob nuptias factæ ab utrâque parte.	259
	715	MCCCXXV. CAROLI Regis Francorum. Emancipatio filii ſeptennis auctoritate Regiâ.	263
	700	MCCCXI. Inſtrumentum, quo MARGARITA de Bello-joco renuntiat omnibus bonis mobilibus & debitis JOANNIS Comitis Autiſſiodorenſis mariti ſui nuper mortui.	264
	705	MCCCXIII. SANCII Regis Majoricarum. Conceſſio feudi ab eo facta.	267
	704	Matrimonium contractum inter FERRANDUM Regis Majoricarum filium, & ISABELLAM filiam GUILLELMI Achaiæ Principis.	270
	708	MCCCXVI. PETRI Patriarchæ Jeroſolymitani literæ hortatoriæ ad expeditionem tranſmarinam.	276
	712	MCCCXXVI. JACOBI Aragonum Regis ad CAROLUM Regem Francorum. Reſtitutio ab eo facta ob naves mercibus oneratas à ſuis militibus in mari ſublatas.	277
	713	Regis Francorum Reſponſio.	282
	718	MCCCXXXII. JOANNIS Papæ XXII. ad LUDOVICUM Borbonenſis Ducem. Diſpenſatio juramenti.	283
	719	MCCCXXXIV. Ejuſdem Papæ ad CAROLUM Regem Francorum. Diſpenſatio conſanguinitatis ad contrahendum matrimonium.	284
	762	MCCCCXXXIII. Concilii Baſileenſis Patres à Comite de Villandrando auxilium contrà Epiſcopum Albanum requirunt. *Ex membranis D. d'Herouval.*	285
	793	MCCCCLIII. Cardinalis Sabinenſis, aliàs Ruthenenſis de expugnatione urbis Conſtantinop. *Ex MS. Ciſtercienſi.*	286
	811	MCCCCLIX. Pii Papæ II. Reſponſio ad Orationem Oratorum Gallicorum in celebri Conventu Mantuano publicè habita, & uno ſpiritu pro ſuâ excuſatione recitata. *Ex MS. V. C. Claudii Joly, Canonici Pariſ.*	292
	824	MCCCCLXIII. Ejuſdem ad JOANNEM Borbonenſis Ducem. Hortatur ut contrà Turcos arma ſumat.	325
	ibid.	MCCCCLXIV. Pauli Papæ II. ad LUDOVICUM XI. Regem Francorum. Hortatur ut ſuppetias ferat adversùs hoſtes Chriſtianæ Religionis. *Ex membranis D. d'Herouval.*	326
	835	MCCCCLIX. Propoſitio facta per JOANNEM Goffredum Cardinalem Albienſem, coram Rege Caſtellæ HENRICO, &c. *Ex MS. Mon. Lyrenſis.*	328
	846	MCCCCLXXV. JOANNIS Ducis Borbonii leges in blaſphemos latæ. *Ex membranis D. d'Herouval.*	345
	351	DCCCLXXI. CAROLI Calvi F. R. præceptum. Approbat fundationem Monaſterii S. Andreæ Diœceſis Helenenſis, O. B.	349
	354	DCCCLXXXI. Præceptum CARLOMANNI Regis in favorem Monaſterii S. Polycarpi O. B. in Diœceſi Narbonenſi.	352
	366	DCCCLXXXIX. Præceptum ODONIS Regis pro eodem Monaſterio.	354
	375	DCCCCLVIII. LOTHARII Regis Præceptum. Quæ Monaſterio S. Michaelis de Coxano in Diœceſi Helenenſi dederat GERBERGA Regina, approbantur à Rege.	357
	429	MXCVI. Canonicorum Cadurcenſium Donatio f. & GAUBERTO de Caſtronovo, eâ lege, ut filius ejus, cum ad decimum ætatis annum pervenerit, induat habitum Canonicum, &c.	36.
	437	MCII. GUILLELMI Præpoſiti Cadurcenſis Juſjurandum.	

dum. Spondet ſe perſonas, jura & bona Eccleſiæ Cadurcenſis defenſurum. 362

III. 458 Circà MCIV. GUILLELMI Vicecomitis Sancti Cirici. Quæ oppigneraverat ipſe, data fuerant Canonicis Cadurcenſibus, ſed poſtea ablata reſtituuntur. 364

ibid. Donatio facta Canonicis Cadurcenſibus à RATHARIO de Bello-forte. 365

ibid. BERNARDUS Traucapetus induens habitum Canonicum multa tribuit, ac filium offert Eccleſiæ Cadurcenſi. 366

444 Circà MCVII. RAIMUNDI de Banzâ & uxoris ejus Donatio dum filium offerunt ut fiat Canonicus Regularis in Eccleſiâ Cadurcenſi. ibid.

560 Circà MCC. HUGO de la Roca offert filium ſuum in Eccleſiâ Cadurcenſi. 367

587 MCCXVII. NONONIS SANCII Edictum pro pace ſeu treugâ ſervandâ. 368

Hactenùs eruit & conceſſit D. d'Herouval.

590 MCCXIX. J. Epiſcopi Acconenſis ad HONORIUM Papam. Chriſtianorum res geſtas in Terrâ ſanctâ narrat. 373

Ex Schedis D. Stephani Baluzii.

598 MCCXLVIII. JACOBI Aragonum Regis Edictum pacis & treugæ. 383

Communicavit D. d'Herouval.

848 MCCCCXCVII. CAROLUS VIII. petit à Cameræ Computorum adminiſtratoribus, ut in Chartis perquirant quomodo prædeceſſores ſui Reges, ac præſertim S. LUDOVICUS, audientiam populo præſtabant. 390

II. 70 Vita S. Medardi Epiſcopi Noviomenſis, auctore FORTUNATO Presbytero. 391

Ex MSS. Codd. S. Germani à Pratis, Mon. Reſbacenſis, D. Claudii Joly, & D. d'Herouval.

71 Actus S Medardi, incerto Auctore. 397

Ex MS. Mon. Reſbacenſis.

III. 243 Chronicon NICOLAI TRIVETI Ordinis Prædicatorum. 411

Ex Bibliothecâ Bigotianâ.

ELENCHUS TOMI IX.

I. 492 CApitula ſelecta ex antiquâ Canonum Collectione factâ in Hiberniâ. 1

Ex MS. Corbeienſi.

486 Alia Capitula THEODORI Archiepiſcopi Cantuarienſis. 52

Ex eodem Codice.

507 Statuta quædam S. BONIFACII Archiepiſcopi Moguntini & Martyris. 63

Ex alio Codice MS. Corbeienſi.

603 Anno MCCCCXCVIII. Concilium Romanum, præſidente GREGORIO Papa V. 68

Ex Tabulario Eccleſiæ Aniciensis.

718 Statuta, ſeu Conſtitutiones Eccleſiæ Lugdunenſis. 71

Ex membranis D. d'Herouval.

747 Ordinatio facta per Prælatos pro Clericis conjugatis & non conjugatis anno MCCLXXVII. 78

Ex MS. ejuſdem.

336 Sermones quinque Selecti ABBONIS Monachi S. Germani à Pratis, qui florebat ſæculo IX. deſinente. 79

ibid. Sermo I. in Cœnâ Domini. 80

337 Sermo II. de Cœnâ Domini, & de multis Sacramentis ejuſdem diei. 82

338 Sermo III. in portâ Eccleſiæ ad Pœnitentes nondum adeptos reconciliationem. 88

ibid. Sermo IV. in Cœnâ Domini ad Pœnitentes reconciliatos. 89

Sermo V. de fundamento & incremento Chriſtianitatis. 101 — I. 338

Ex MS. S. Germani à Pratis.

Miſcellanea Epiſtolarum, &c.

Circà DCCCII. ALBINI ALCUINI in Expoſitionem VII. Pſalmorum Pœnitentialium, Pſalmi CXVIII. & Pſalmorum XV. Gradualium Præfatio ad ARNONEM Epiſcopum. 111 — III. 323

Ex MS. Monaſterii S. Claudii.

Circà MC. S. ANSELMI Archiepiſcopi Cantuarienſis Epiſtolæ VIII. I. ad RICHARDUM Monachum Beccenſem, quem hortatur ut indiſcretis corporis vexationibus obedientiam anteponat. 116 — 433

II. ad ROBERTUM, SEIT. & EDIT. Eos monet ut de minimis ſint ſolliciti, & Angelos ſibi ſemper adſtantes cogitent, eorumque converſationem imitentur. 117 — ibid.

III. ad HUGONEM Monachum. Eum hortatur ut culpas ſuas nec celet nec defendat, &c. 118 — 434

IV. WILLELMUM amicum monet, ut Deo ſemper ſit præſens. 120 — ibid.

V. HERBERTUM Thiofordenſem hortatur, ut Presbyteros Concilio inobedientes, & qui feminas nolunt dimittere, à ſacris prohibeat, &c. ibid. — ibid.

VI. ANSELMO nepoti ſuo commendat bonos mores, ac ſtudioſitatem, & linguæ Latinæ perpetuum uſum. 121 — ibid.

VII. WALTERUM Cardinalem Apoſtolicum in Angliâ Legatum rogat, ut ad ſuſtinendum onus ſui Archiepiſcopatûs opem ſibi ac ſubſidium à Romano Pontifice accerſat. 122 — 435

VIII. Epiſcopos Hiberniæ orat ut pro ſe multis ærumnis preſſo Deum interpellent: ſimul admonens ut ſui quiſque officii partes impleant; ac ſi quid inter eos controverſiæ ortum fuerit, ad ſe deferant. 123 — ibid.

M. Gaſto Bearnenſis Vicecomes filiam GUILLELMAM in matrimonium dare ſpondet SANCIO Regis Caſtellæ filio. 125 — 382

Ex Chartis D. d'Herouval.

Circà ML. RAINALDUS Burgundiæ Comes I. Mareſcaliam, & Cavariam in villâ Cuſſiaco, remittit Eccleſiæ Biſontinæ. 128 — 399

MCXXIV. Eamdem remiſſionem confirmat CALLISTUS Papa II. 130 — 479

MXC. RAIMUNDUS Burgundionum Comes multas terras dat Eccleſiæ Biſontinæ. 131 — 417

Communicavit R. P. Petrus Chifflet.

MCVII. Teſtamentum HUMBERTI Guerilla. Jura quædam confert Abbatiæ S. Eparchii, vulgò S. CYBAR, in Diœceſi Engoliſmenſi. 132 — 444

Ex Chartulario ejus Abbatiæ.

MCX. Teſtamentum RAIMUNDI Comitis Melgorienſis. 135 — 460

Ex Chartis D. d'Herouval.

Matrimonium initum inter GAUFRIDUM de Roſſilione, & ERMENGARDEM filiam BERNARDI Vicecomitis Biterrenſis. 137 — 463

Ex membranis ejuſdem.

MCXXIX. Pactum de futuro matrimonio SIBYLLÆ filiæ PETRI de Obillone cum ARMANNO de Omelaz. 138 — 483

Ex autographo ejuſdem.

MCXLVI. Teſtamentum GUILLELMI Montiſpeſſulani. 140 — 498

Teſtamentum GUILLELMI de Tortoſâ. 148 — 526

MCLXVII. Concordia facta inter Clericos Lugdunenſis Eccleſiæ, & GUIDONEM Comitem Forenſem. 149 — 539

Elenchus Contentorum

Ord. n. Tom. — Edit. pag.

Ex membranis ejuſdem.

III. 542 MCCXVII. Teſtamentum GUIDONIS Gueregiati. 151

Idem communicavit.

561 MCC. Tranſcriptum Literarum Prælatorum Normanniæ, ſuper contentione juris Patronatus Eccleſiarum. 154

Ex MS. ejuſdem.

ibid. MCCII. Teſtamentum GUILLELMI Montiſpeſſulani. 155

576 MCCXIII. Teſtamentum MARIÆ Reginæ Aragonum. 168

Ex membranis ejuſdem.

586 MCCXVII. Hæc eſt finis & concordia facta inter HENRICUM Regem Angliæ, & LUDOVICUM primogenitum Regis Franciæ. 171

Ex Chartulario S. Ægidii apud Pontem-Andemari.

590 MCCXIX. Teſtamentum HENRICI Comitis Rutenenſis. 174

597 MCCXVIII. JACOBUS Aragoniæ Rex volens barbaras nationes expugnare, cum iis pactum init qui ſuppetias attulerint. 176

Ex membranis D. d'Herouval.

610 MCCXXXII. GUILLELMUS Sudra & ERMANGARDIS uxor ejus ſe & ſua conferunt Abbatiæ S. Eparchii. 180

Ex Chartulario ejus Abbatiæ.

611 MCCXXXIII. HUMBERTI Belli-joci Domini Statuta, queis jura & libertates civium Bellæ-villæ aſſerit; eaque confirmat GUICHARDUS Humberti filius. 181

Ex Chartis D. d'Herouval.

623 MCCXLVI. Pactum initum inter fratres, HUGONEM Epiſcopum Claromontanum, HUMBERTUM Belli-joci, ALBERTUM de Turre, &c. 187

ibid. MCCXLVII. Stipulationes queis GUIDO Foreſiæ & HUMBERTUS Belli joci ſpondent ſe daturos RAINAUDO de Foreſiâ uxorem ELIZABETH filiam SIMONIS de Luzi. 189

Ex autographis ejuſdem.

630 MCCLIII. Jura & libertates habitantium in villâ de Villereys. 192

Idem communicavit.

635 MCCLIX. LUDOVICI IX. Regis Francorum. Confirmat judicium prolatum ad dirimendam litem inter HUGONEM Comitem Marchiæ, &c. & PETRUM Baudrandi, &c. 196

Ex Chartulario S. Eparchii.

638 MCCLXII. JACOBI Regis Aragoniæ, &c. teſtamentum. 198

648 MCCLXV. Literæ CLEMENTIS Papæ IV. Declarat Regem Angliæ, ac filium ejus EADMUNDUM Regni Siciliæ veros nunquam fuiſſe poſſeſſores. 207

Ex membranis D. d'Herouval.

650 Idem Papa ſuo, & Apoſtolicæ Sedis nomine Regnum Siciliæ CAROLO Andegaviæ Comiti confert. 214

Ex autographo ejuſdem.

673 MCCLXXII. Teſtamentum JACOBI cognomento Magni, Regis Aragoniæ. 245

Idem deſcripſit & conceſſit.

678 MCCLXXV. LUDOVICUS Belli joci dominus confirmat jura & libertates civium Tyciacenſium, &c. 259

680 JACOBUS Regis Aragoniæ filius Procuratores conſtituit ad contrahendum matrimonium cum SCLARMUNDA filiâ Comitis Foxenſis. 262

682 MCCLXXVI. JACOBUS Aragoniæ Rex abdicato Regno Monaſticum habitum induit. 267

69. MCCLXXXV. Teſtamentum PHILIPPI III. Regis Francorum Gallicè confectum. 268

692 Fundatio Monaſterii Fratrum Minorum in Inſulâ Majoricâ, ab ALFONSO Rege Aragoniæ 273

702 MCCCXII. Teſtamentum SCLARMUNDÆ Reginæ Majoricarum. 276

Ex membranis ejuſdem.

Edictum PHILIPPI IV. Regis Franc. Ordinat ut debita à ſe contracta ad diem præfixum ſolvantur. 281 — III. 704

MCCCXXXII. Pactum matrimonii inter GRIMAUDUM & GUILLELMAM. 283 — 609

Idem deſcripſit & communicavit.

MCCCLXX. URBANI Papæ V. diſpenſatio conſanguinitatis conceſſa LUDOVICO de Borbonio, & ANNÆ filiæ BERALDI de Arverniâ. 284 — 734

MCCCCIII. Teſtamentum JOANNIS de Luxemburgo, & uxoris ejus. 286 — 757

Ex membranis ejuſdem.

MCCCLXXIV. GREGORII Papæ XI. ad GUIDONEM Tremolienſem. Rogat ut pactum EDUARDI de Bello-joco cum domino de Poiſſe obſervari curet. 289 — 737

Idem communicavit.

MCCCXCII. Procuratorium inſtrumentum, quo, LUDOVICUS Rex Hieroſolymæ. dat facultatem ineundi matrimonium pro ſe cum YOLANDA filiâ Regis Aragoniæ. 290 — 754

MCCCXCVI. Teſtamentum ANDREÆ de Luxemburgo Epiſcopi Cameracenſis. 294 — 755

Ex membranis ejuſdem.

MCCCCXV. Concordia facta inter Cæleſtinos Aven. & Comitem de Luxemburgo. Inducias ei dant ad ſolvendas ipſis pecunias teſtamento patris legatas. 299 — 760

MCCCCXX. MARTINI Papæ III. vulgò V. Regem juramento ſolvit. 301 — 761

Idem conceſſit.

MCCCCLVII. CHRISTIERNI Daniæ Regis ad CAROLUM VII. Regem Franc. Orat ut Rex Franciæ compellat Scotiæ Regem de maximis injuriis illatis ſibi ſatisfacere: & exemplar mittit Pragmaticæ ſanctionis. 302 — 803

Ex autographo ejuſdem.

MCCCCLIX. NICOLAI Petit Narratio eorum quæ in Conventu Mantuano acta ſunt coram Pio Papa II. ad JUVENALEM de Urſinis Franciæ Cancellarium. 305 — 806

Idem communicavit.

Pii Papæ II. Oratio habita in Conventu Mantuano. Reſpondet Orationi GUILLELMI Epiſcopi Pariſ. & Oratoris Regis Franciæ. 310 — 807

Ex chartis ejuſdem.

Oratio Legatorum Regis Franciæ coram Pio Papa II. recitata in Conventu Mantuano. 317 — 809

Reſponſio Legatorum Regis Franc. ad Orationem à Pio II. habitam in Conventu Mantuano, quæ edita eſt Tomo VIII. Spicilegii. 323 — 810

MCCCCLXXI. Oratio coram Summo Pontifice habita in cauſâ JOANNIS Balüe Cardinalis, a Rege Franc. ob proditionem carceri mancipati. 329 — 840

Ex MS. ejuſdem.

Chronicon Andrenſis Monaſterii O. B. in Diœceſi Morinenſi, nunc Bolonienſi, ab anno MLXXXII. ad MCCLXXXIV. Auctore GUILLELMO Abbate ejuſdem Monaſterii. 338 — II. 781

Ex apographo V. C. Franc. du Cheſne.

S. LIETBERTI Epiſcopi Cameracenſis Vita, incerto auctore. 675 — 138

Ex MS. Cod. Mon. S. Sepulcri Cameracenſis.

ELENCHUS TOMI X.

CONſultationum ZACHÆI Chriſtiani & APOLLONII Philoſophi libri III. 1 — I. 1

Ex MS. Bibliotheca Thuanea.

Venerabilis BEDÆ Martyrologium heroico car- — II. 23

Digitized by Google

mine. 126

Ex MS. Abbatiæ S. Remigii Remenſis.

II 64 Ordo Solaris anni cum literis à S. HIERONYMO ſuperpoſitis, &c. ſive vetus Calendarium. 130

Ex MS. Corbeienſi.

Miſcellanea Epiſtolarum, &c.

III. 324 Anno DCCCX. Epiſtola DUNGALI Recluſi ad CAROLUM Magnum de duplici Eclipſi ſolis illo anno. 143

Ex MS. Abbatiæ S. Remigii Rem.

352 DCCCLXXVI. Fundatio Monaſterii S. Cornelii Compendienſis à CAROLO Calvo facta. 157

417 MXC. GUILLELMI Comitis Toloſani, & GUILLELMI Barcinonenſis concordia pro Caſtro de Laurago. 162

459 MCX. Donatio facta Monaſterio (nunc Epiſcopatui) S. Pontii Tomeriarum à BERNARDO de Minerbà in gratiam filii qui Monaſticum ordinem ſuſcipiebat inibi. 63

527 MCLVIII. Memoriale LUDOVICI VIII. Regis Francorum. Libertates confert Epiſcopo & Eccl. Laudunenſi. 165

539 MCLXVII. Pactum initum inter ILDEFONSUM Regem Aragoniæ, & HUGONEM Comitem Ruthenenſem pro Vicecomitatu de Carladeſio, &c. 168

548 MCLXXXIV. Juſjurandum GUILLELMI Montiſpeſſulani, præſtitum JOANNI Epiſcopo Magalonenſi, 171

556 MCXCIV. Sacramentum fidelitatis à GUILLELMO Montiſpeſſulani domino factum RAIMUNDO Comiti Toloſano. 172

543 MCLXXIX. Pactum initum inter ILDEFONSUM Regem Aragoniæ, & BERNARDUM Atonis Vicecomitem Nemauſenſem. 174

574 MCCXII. PETRUS Rex Aragoniæ donat GUILLELMO de Montepeſſulano Montempeſſulanum & alia caſtra, de quibus Guillelmus præſtat ſacramentum. 178

622 MCCXLI. Concordia facta inter JACOBUM Regem Aragonum & JOANNEM Epiſcopum Magalonenſem. 181

633 EDUARDI primogeniti Regis Angliæ literæ procuratoriæ, ad contrahendum matrimonium cum ALIENORA ſorore Regis Caſtellæ. 184

636 MCCLVII. ARTAUDUS de Ruſſilione filium ſuum GUILLELMUM emancipat, datque ipſi Caſtrum-novum. 186

637 MCCLX Ejuſdem alia donatio eidem. 188

644 MCCLXIV. PETRUS filius Regis Aragonum dotem CONSTANTIÆ uxori ſuæ conſtituit. 189

682 MCCLXXV. Conventiones pro matrimonio contrahendo inter JOANNAM filiam BLANCHÆ Reginæ Navarræ, & filium primogenitum PHILIPPI III. Regis Franc. 196

713 MCCCXXVII. Concordia inter JACOBUM Regem Aragon. & JACOBUM Regem Majoricarum. 197

717 MCCCXXVIII. PHILIPPUS VI. Regis Franc. hortatur Italiæ dominos, &c. ut Romanam Eccleſiam propugnent, expugnentque hæreticos recens exortos. 205

721 MCCCXLIII. JOANNA renuntiat bonis mobilibus & debitis mariti ſui PHILIPPI Regis Navarræ defuncti, dum cor ipſius Pariſiis in Eccleſiâ Dominicanorum ſepulturæ traderetur. 208

730 MCCCLI. Inſtitutio Militum Stellæ à JOANNE Francorum Rege. 215

731 MCCCLII. Literæ ejuſdem Regis. Fundatio Eccleſiæ (quam Nobilem Domum vocant) Canonicorum S. Audoëni propè S. Dionyſium in Franciâ, ubi Milites B. MARIÆ congregari debeant. 218

III. 732 MCCCLV. Literæ ejuſdem Regis ejuſdemque argumenti. 221

746 MCCCLXXXII. Literæ Bullatæ, quibus CLEMENS Papa VII. Regnum Adriæ inſtituit, ac LUDOVICO Duci Andegavenſi tribuit. 225

801 MCCCCLVI. JACOBI Scotiæ Regis ad CAROLUM VII. Regem Francorum. 243

Ex MS. D. d'Herouval.

II. 159 Geſta GUILLELMI Majoris Epiſcopi Andegavenſis ab ipſomet conſcripta. 247

573 Hiſtoria Prælatorum ac poſſeſſionum Eccleſiæ B. MARIÆ de Fontanis. à PEREGRINO ejuſdem Eccleſiæ Abbate. 367

Ex apographis Ill. V. D. Michaëlis de Marolles, Abbatis Villæ Lupæ.

II. 232 Hiſtoriæ Andegavenſis fragmentum proliſum per FULCONEM Comitem Andegavenſem. 392

Ex iiſdem.

234 Geſta Conſulum Andegavenſium, auctore Monacho Benedictino Majoris-Monaſterii. 399

Conceſſit D. d'Herouval.

273 Liber de Compoſitione Caſtri Ambaziæ, & ipſius Dominorum geſtis. 51

Ex MS. S. Laudi Andegavenſis.

II. 769 Hiſtoriæ Aſſlegementis liber unus, cum Continuatione. 583

Ex MS. ejuſdem Abbatiæ.

III. 140 Chronicon Barcinonenſe. 621

Communicavit V. C. Carolus du Freſne D. du Cange.

Addenda in Miſcellaneis.

312 Circà DLX. Libellus MARTINI Epiſcopi ad MIRONEM Regem Gallæciæ. 626

Ex MS. S. Remigii Remenſis.

317 DCXCII. Privilegium Monaſterio Dervenſi virorum, & alteri puellarum à CHLODOVEO III. Francorum Rege conceſſum. 627

ibid. DCLXXXVII. Privilegium à THEODORICO Rege BERCHARIO Abbati & Monachis Dervenſibus datum. 631

Ex tabulario eius Monaſterii.

I. 507 DCCC. Adnotatio de Synodis. 632

Ex MS. S. Remigii Remenſis.

II. 320 Excommunicatio lata ab Archiepiſcopo Senonenſi in pervaſores rerum Eccleſiaſticarum. 635

Ex vetuſto Pontificali MS.

386 MXIV. S. HENRICUS Alemannorum Rex PETRO Epiſcopo & Abbati S. Michaëlis in Porcarianâ, bona & jura confirmat. 637

Deſcripſit R. P. Pet. Franc. Chifflet S. J.

474 MCXV. FREDERICI Archiepiſcopi Coloñienſis litteræ formatæ. 639

Ex codice Ciſtercienſi.

501 MCIII. HENRICUS Epiſcopus Trecenſis BERNARDUM Claræ-vallis Abbatem mittit in poſſeſſionem Bullencuriæ, ultrò cedentibus qui eam obtinebant Canonicis Regg. 640

Ex apographo R. P. Pet. Franc. Chifflet.

548 MCLXXXVII. GUILLELMUS Montiſpeſſulani contrahit matrimonium cum AGNETE. 641

595 MCCXXIII. Statuta LUDOVICI VIII. Regis Francorum, quibus Communiam apud Criſpiacum inſtituit. 642

Ex membranis D. d'Herouval.

497 MCXLIII. LUDOVICUS VII. Rex Franc. decimam panis ad Curiam ſuam allati dum Pariſiis moraretur, concedit Monialibus Hederenſis Abbatiæ. 647

536 MCLXI. Idem Rex dat iiſdem Monialibus quidquid percipere ſolebat de Pariſienſi Capiceriâ, Sede Epi-

ſcopali vacante. 648
Ex Chartulario Hederenſi.
III. 663 MCCLXIX. Privilegium Eccleſiæ S. Juliani Brivatenſis conceſſum à CAROLO Calvo, confirmatum à LUDOVICO VII. & a S. LUDOVICO. 649
710 MCCCXXI. PHILIPPI V. Regis Francorum Ordinationes pro æqualibus ac ſimilibus ponderibus ac menſuris in univerſo Regno inſtituendis, & eximendis dominii ſui bonis abalienatis vel uſurpatis. 651
716 Circà MCCCXXVIII. PHILIPPUS VI. Rex Franc. præcipit FARNARDO de Moreul ut Gallicorum caſtrorum depoſitâ Præfecturâ, regimen ſuſcipiat atque inſtitutionem JOANNIS filii ſui primogeniti. 653
Ex membranis D. d'Herouval.
762 MCCCCXXXVI. Patres Concilii Baſileenſis mutuo accipiunt pecuniam ab Abbate Ciſtercienſi. 655
Ex authentico Abbatiæ Ciſtercienſis.
802 MCCCCLVI. PHILIPPUS Burgundiæ Dux ſcribit CAROLO VII. Regi Franc. quid Delphinus ejus filius agat. 656
839 MCCCCLXX. JOANNES Bo bonius Epiſcopus Podienſis pecuniæ ſummam confert Regi Franc. LUDOVICO XI. qui bellum tunc gerebat 658
843 MCCCCLXXIII. Literæ LUDOVICI XI. ad Cancellarium nomine Doriole, ob Auguſtam Viromanduorum ſive S. Quintini urbem à Comite-Stabuli occupatam. 659
847 MCCCCLXVIII. JOANNES de la Grollaye de Villiers Epiſcopus Lomberienſis ſcribit LUDOVICO XI. quæ in Legationis munere geſſerit apud Regem Caſtellæ. 661
Ex Chartis D. d'Herouval.

ELENCHUS TOMI XI.

I. 510 Collectio antiqua Canonum Pœnitentialium in tres libros diſtincta. 1
Ex duplici Cod. S. Thuaneo & Baluziano.
726 Statuta Synodalia NICOLAI Gelant & GUILLELMI Majoris Epiſcoporum Andegavenſium ab anno MCCLXI. ad MCCCXIV. 201
Ex MS. Biblioth. Thuanea.
48 Sermo in Natali Domini, pervetuſti auctoris circà annum o. 279
Eruit R. P. Pet. Franc. Chifflet S. J.

Miſcellanea Epiſtolarum, &c.

III. 370 Anno DCCCCXIX. GUILLELMUS Aquitaniæ Dux decernit ut menſæ Canonicorum Brivatenſium ablata reſtituantur. 281
372 DCCCCXXIV. Fundatio Capellæ S. Juliano dicatæ, à JOANNE Archidiacono facta. 283
373 DCCCCXIV. Donatio Liziniaci S. Juliano Briv. facta à STEPHANO Epiſcopo Claromontano. 283
376 MCCCCLXII. Idem fundat Eccleſiam Liziniacenſem pro XI. Canonicis. 289
385 MX. PONTIUS Gabalitanenſis & Forenſis Comes fundat Eccleſiam Canonicorum Caſilienſium. 292
Ex majori Chartulario Brivatenſi.
406 MLXVII. Donatio Eccleſiæ S. Machuti facta Majori-Monaſterio à ROBERTO de Sabulio & uxore ejus HADUISA. 294
409 MLXX. GERVASIUS Miles dat Monachis Majoris-Monaſterii Eccleſiam S. Guingualoei, amotis Canonicis. 296
MLXXVI. GUILLELMUS Aquitaniæ Dux condit Monaſterium S. MARIÆ in ſuburbio Pictavenſi pro Cluniacenſibus Cœnobitis. 300 II. 411
Ex membranis Majoris-Monaſterii.
MLXXXV. PHILIPPUS Epiſcopus Trecenſis inſtituit Canonicos Regg. S. Quintini Belvacenſis in Eccleſiâ S. Georgii. 301 415
MXC. Idem Canonicis Regg. confert præbendam in Eccleſiâ Cathedrali, & Eccleſiam S. MARIÆ. 302 416
Eruit R. P. Robertus de Gyvés Canon. Reg. Congr. S. Genov.
MXCIII. Diploma fundationis Abbatiæ Hamenſis, O. B. vulgò HAM in Arteſiâ inter Lileriùm & Ariam, ab INGELRANNO nobili viro factæ, & à ROBERTO Flandriæ Comite confirmatæ. 304 418
Communicavit Ill. Joannes Robertas Toparcha D. de Rebec.
MXCV. Charta Confraternitatis inter Eccleſias S. Nicolai & S. Laudi in civitate Andegavenſi ſitas. 309 428
MCIII. ADELA Viromandenſis Comitiſſa præbendam Eccleſiæ S. Quintini confert Canonicis Regg. Belvacenſibus. 314 437
Deſcripſit R. P. Robertus de Gyvés.
MCXV. Donationes factæ ROBERTO de Arbricellis Auctori Monialium Fontis Ebraldi. ibid. 474
GUILLELMUS Petragoricenſis Epiſcopus & Canonici S. Frontonis concedunt eidem locum cui nomen Salvitas in Sylvâ Cadoni. 317 475
Aliæ donationes eidem factæ à variis. 318 ibid.
MCXVI. Confirmatio ſuperiorum donationum à GUILLELMO Epiſcopo Petragoricenſi conceſſa. 321 476
Ex Chartis S. Germani à Pratis.
MCXXVIII. Conſtitutio LUDOVICI VI. Franc. Regis, quæ leges pacis ab eo præſcriptas in civitate Laudunenſi continet. 322 481
Eruit D. d'Herouval.
MCXXXVII. Quæ Abbatiæ Caricampi Ord. Ciſtercienſis, vulgò *Cercamp* in Arteſiâ, &c. contulerat Hugo Candavenæ, rata habent THEODORICUS Ambianenſis & MILO Morinenſis Epiſcopi. 328 495
MCLXXXVI. Diploma fundationis Abbatiæ Monialium Ord. Ciſterc. in Blandecâ, vulgò *Blandeque* propè S. Audomarum, à DESIDERIO Morinenſi Epiſcopo confirmatæ. 330 548
Eruit Ill. D. de Rebec.
MCXL. PETRUS Venerabilis Abbas Cluniacenſis, pro RADULFO de Peronâ benefactore ordinat Miſſas ac preces tùm Cluniaci, tùm in toto Ordine celebrandas. 332 495
MCLII. Charta fundationis S. Bartholomæi Apoſtoli in Alnienſi pago ſub Hyenſi monatu. 334 501
Ex membranis S. Germani à Pratis.
MCLIII. Judicium LUDOVICI VII. Regis Franc. quo GODEFRIDO Lingonenſi Epiſcopo ablata ab HUGONE Burgundiæ Duce reſtituuntur. 335 502
MCLXXII. Pactum matrimonii inter GUILLELMUM de Turre, & SEXELIAM filiam ARNALDI de Villiſpallantis. 339 541
MCLXXXI. Conſuetudines Communiæ Sueſſionenſis conceſſæ à LUDOVICO VI. Franc. Rege confirmatæ à LUDOVICO Jun. & à PHILIPPO Auguſto. 340 546
MCLXXXVII. Uſus & Conſuetudines Communiæ Tornacenſis à PHILIPPO II. Rege Franc. ordinatæ. 345 551
MCLXXXVIII. PHILIPPUS Flandriæ & Viromandiæ Comes confirmat Leges & Conſuetudines Ambianenſium in Arteſia. 351 553
Pactum matrimonii inter BERNARDUM Comitem Convenarum, & MARIAM filiam GUILLELMI domini Montiſpeſſulani. 356 558
MCCIV. GUILLELMUS de Turro & GUILLELMA matrimonium 565

trimonium ineunt. 360
D. d'Herouval eruit.

III. 578 MCCXI. Jura & Conſuetudines civibus Atrebati conceſſa a LUDOVICO PHILIPPI Auguſti filio, & à ROBERTO Comite Atrebatenſi approbata. 362
Eruit Dionyſius Godefroy Cameræ Computorum Inſulis Præfectus ac Rector.

575 GUILLELMUS Comes Forcalqoerii fœdus init cum GUIDONE de Dampetrà, quo ſuum omne jus quod prætendebat in Borbonio, ipſi relinquit. 365
Eruit D. d'Herouval.

600 MCCXXVIII. Literæ aſſociationis Monaſterii B. Joannis in Valle Carnotenſi cum Monaſterio S. Quintini Bellovacenſi. 367
Deſcripſit R. P. Robertus de Gyvès.

619 MCCXXXVII. Concordia inita inter PETRUM Archiepiſcopum Rotomagenſem, & Canonicos S. Mellonis Pontiſarenſis. 370
Ex veteri membranâ D. d'Herouval.

628 MCCXLVI. Literæ per quas Rex S. LUDOVICUS dedit fratri ſuo CAROLO Andegaviam & Cenomaniam. 378

678 MCCLXX. Libertates & Conſuetudines villæ Ricomago conceſſæ ab ALFONSO Comite Pictavenſi, fratre S. LUDOVICI, quæ antiquarum Legum & Conſuetudinum Arverniæ locum tenent. 373

683 MCCLXXVIII. NICOLAUS Papa III. ſcribit ad PHILIPPUM III. Regem Franc. ſe Papam Electum. 381

707 MCCCXV. Manumiſſio ſervis Regni Franciæ à LUDOVICO X. conceſſa. 385

ibid. Eadem manumiſſio confirmatur. 387

709 MCCCXVI. JOANNES XXII. ſe ad ſummum Pontificatum evectum ſcribit CAROLO Marchiæ Comiti. 388

711 MCCCXXII. Ordinatio CAROLI IV. Regis Franc. pro expenſis domûs Reginæ uxoris ſuæ. 391

730 MCCCXLVI. CLEMENTIS Papæ VI. contra adulteratores monetarum. 392

761 MCCCCXXV. MARTINUS Papa V. gratias agit Regi Franc. de Oratoribus ad ſe miſſis. 394

ibid. Idem ejuſdem argumenti. 395

770 MCCCCXLVII. Media propoſita ad Eccleſiæ pacem & concordiam ineundam. 396

805 MCCCCLIX. LUDOVICUS Delphinus patri CAROLO VII. Francorum Regi nuntiat natum ſibi filium. 402

ibid. Regis reſponſio ad præfatas literas. 403

843 MCCCCLXXXII. LUDOVICUS XI. Franc. Rex ordinat publicas ſupplicationes in Eccleſiâ S. Dionyſii. *ibid.*
D. d'Herouval eruit.

8 Chronicon GUILLELMI DE NANGIS Monachi S. Dionyſii in Franciâ ab anno MCCXIII. ad MCCC. 405

54 Continuatio duplex ejuſdem Chronici à duobus Monachis itidem Dionyſianis, ab anno MCCC. ad M. CCCLXVIII. 603

ELENCHUS TOMI XII.

I. 44 S. PASCHASII RATBERTI Abbatis veteris Corbeiæ O. B. Opuſculum de Partu Virginis. 1
Ex duplici MS. ejuſdem Monaſterii.

48 AYMONIS ſive HAIMONIS Epiſcopi Halberſtatenſis O. B. Tractatus de Corpore & Sanguine Domini.
Ex MS. S. Germani à Pratis.

150 ADRLVALDUS O. B. de Corpore & Sanguine Domini contrà ineptias JOANNIS Scoti. 30
Ex MS. S. Benedicti Floriacenſis.

375 Epiſtola RATHERII Epiſcopi Veronenſis, O. B. de Corpore & Sanguine Domini. 37
Ex membranis Lobienſis Monaſterii.

Reſponſio cujuſdam de Corpore & Sanguine Domini. 39 — I. 149
Ex Gemblacenſi Monaſterio.

Reſponſa NICOLAI Papæ I. ad Conſulta ARDUICI Archiepiſcopi Veſontionenſis. 41 — 596
Ex MS. S. Mariani Autiſiodorenſis O. P.

FLORI viri prudentis collecta ex Lege & Canone. 48 — 597
Ex eodem MS.

Statuta Noſocomii Ambianenſis facta à GAUFRIDO ejuſdem civitatis Epiſcopo anno MCCXXXIII. 54 — 713

Confirmatio Statutorum ab INNOCENTIO Papa III. 60 — 715
Ex apographo Ambianenſi.

Fondatio Hoſpitalis Comitiſſæ Inſulis facta à JOANNA Comitiſſâ, & Privilegium THOMÆ Comitis Flandriæ & Hannoniæ, ac ipſius Comitiſſæ, &c. 61 — III. 617
Ex chartis V. C. D. Wantier civis Inſulenſis.

Regula Fratrum & Sororum Noſocomii Belvacenſis O. A. edita à GARINO Archidiacono & VINCENTIO Belvacenſi. Approbata per JOANNEM Papam XXII. & JOANNEM Epiſcopum Belvacenſem. 68 — I. 725
Eruit R. P. Robertus de Gyvès.

Indictio Concilii Provincialis Capitulorum Eccleſiarum Cathedralium Provinciæ Remenſis. 76 — 858
Ex Schedis Ambianenſibus.

Expoſitio de Conſecratione Eccleſiæ, deque veſtimentis Epiſcoporum, auctore BRUNONE Signienſi Epiſcopo, O. B. 79
Ex MS. S. Memmii Catalaunenſis, O. A.
[Omiſſa eſt, quia jam olim edita erat inter Opera Brunonis.]

Miſcellanea Epiſtolarum, &c.

Anno DCXCVI. Teſtamentum EPHIBII Abbatis de Genciaco villâ, & de iis quæ ad eam pertinent. 101 — III. 318
Eruit. D. Louvet.

DCCCXXV. Reædificatio Brivatis & Eccleſiæ S. Juliani ejuſdem loci à BERENGARIO Comite. 104 — 318

DCCCXXXV. Præceptum PIPINI Aquitaniæ Regis, quo S. Juliani Brivat. bona confirmat. 105 — 319
Ex Chartulario S. Juliani Brivat.

Circà DCCCXLVI. LOTHARII I. Imperatoris Præceptum, quo reſtituuntur AMOLONI Archiepiſcopo Lugdunenſi prædia, &c. 107 — 337

DCCCL. Ejuſdem Præceptum de Eulaniâ. 109 — 340

Circà DCCCLI. Ejuſdem Præceptum de Lucenaco, & Eccleſiâ S. Gervaſii, & rebus S. Stephani in Comitatibus Lugdunenſi & Viennenſi. 110 — *ibid.*

DCCCLIII. Ejuſdem Præceptum de S. Petro Jurenſi. 113 — 341

Ejuſdem Præceptum de Saviniaco. 114 — *ibid.*

Circà DCCCLIV. Ejuſdem Præceptum de Nantoadis. *ibid.* — *ibid.*

Circà DCCCLV. Ejuſdem Præceptum de Lentis, de Capellâ in Ambatiaco, atque de villâ Gianâ ex rebus S. Stephani in Comitatu Lugdunenſi. 115 — 348

CAROLI Regis Præceptum de Monte-aureo in Cabilonenſi. 116 — 349

Circà DCCCLVI. Præceptum de Cangiaco villâ in Auguſtodunenſi, & de Scopellâ in Cabilonenſi, CAROLI Regis juſſu S. Stephano redditis, flagitante REMIGIO Præſule. 118 — 350

Circà DCCCLVII. AGILMARUS Archiepiſcopus Viennenſis conſtruendæ Eccleſiæ tribuit facultatem. 119 — 356

DCCCLVII. CAROLI Regis Provinciæ ſive Burgundiæ Præceptum de villâ Urbanâ. 120 — 353

DCCCLXI. Ejuſdem Præceptum de rebus à Domno REMIGIO poſtulatis. 122 — 354

DCCCLXII. Ejuſdem Præceptum de Tornone. 123 — *ibid.*

Elenchus Contentorum

Ord. n. Tom.	Edit. pag.		
III.	355	Circà DCCCLXIII. Ejuſdem Præceptum de Piſiniaco.	124
	ibid.	Ejuſdem Præceptum de Leviâ.	125
	ibid.	DCCCLXIII. Manumiſſio ſervi facta ab eodem.	126
	ibid.	Confirmatio ejuſdem manumiſſionis.	127
	358	Circà DCCCLXVII. LOTHARII Regis Lotharingiæ & partis Provinciæ Præceptum de Cadoliaco & Liviâ.	128
	ibid.	Ejuſdem Præceptum de Tornone & Cortenaco, &c.	129
	359	Ejuſdem Præceptum de rebus Eccleſiæ Lugd. injuſtè retentis.	130
	ibid.	Ejuſdem Præceptum contrà WITOARIUM de rebus S. Stephani Eccleſiæ Lugdun.	132
	360	DCCCLXX. Ado Archiepiſcopus Viennenſis confirmat in Synodo Eccleſiam Velnenſem Abbatiæ S. Eugendi Jurenſis.	135
	361	Circà DCCCLXXXVII. BARNOINUS, ſive BERNUINUS Archiepiſcopus Viennenſis, RATBERTO facultatem dat inſtaurandi Eccleſiam S. Blandinæ.	136
	360	Circà DCCCLXXV. HELEGRINA dotem ſuam à FOLRADO quondam marito ſuo acceptam SIGENANDO vendit.	137
	ibid.	DCCCLXXXII. Præceptum D. BARNOINI Archiepiſcopi Viennenſis, quod fecit Monachis S. Teuderii.	139
	362	Circà DCCCLXXXVI. Donatio villæ Mantulæ à TAURBERTO Comite Eccleſiæ Viennenſi facta.	143
	365	Circà DCCCLXXXIX. Privilegium RAGANFRIDI Archiepiſcopi Viennenſis de Eccleſiâ S. Albini in villâ Vogoriâ.	145
	363	Circa DCCCLXXXVII. Villam Mantulam quam Eccleſiæ Viennenſi donaverat TAUTBERTUS Comes, cum uſufructuario poſſidendam ipſi concedit Epiſcopus.	146
	372	DCCCCXVIII. Præceptum HUGONIS Regis Italiæ & Comitis Provinciæ, quo confirmantur quæ collata ſunt Monaſterio S. Teuderii.	147
	366	DCCCXCI. Privilegium FORMOSI Papæ pro Monaſterio S. Teuderii.	150
	367	DCCCXCVI. Præceptum LUDOVICI Regis filii BOSONIS Regis Burgundiæ, pro Monaſterio S. Teuderii.	152
	358	Circà DCCCLXIII. SIGIBERTUS ob graviſſima quæ intulerat mala Eccleſiæ S. Mauricii in judicium vocatus, ea confeſſus eſt.	154
		Hucuſque eruit D. Louvet.	
	398	MXLVIII. Dotem conjugi ſuæ INGÆ dat ILDEBRANDUS Langobardus in Italia.	155
	410	MLXXVI. Privilegium HERIBERTI Viromanduorum Comitis, quo jura & libertates Abbatiæ S. Præjecti in urbe S. Quintini aſſeruntur.	156
		Ex Chartophylacio S. Præjecti.	
	479	MCXXVIII. Damnat Summus Pontifex pravam conſuetudinem exigendi pecunias ab his qui recipiuntur in Canonicos.	158
	494	MCXXXV. Inſtitutio Canonicorum Ordinis S. Auguſtini, & jurium Decani Ambianenſis confirmatio per GARINUM Epiſcopum.	159
	497	MCXLV. Literæ THEODERICI Epiſcopi de Eccleſiæ S. Martini Ambianenſis promotione in Abbatiam.	162
		Ex chartis Ambianenſibus.	
	541	MCLXXVI. ARNULFUS de Monceaux contrahit matrimonium cum AGNETE.	163
		Ex Chartophylacio S. Præjecti.	
	589	MCCXVIII. De tribus perſonatibus additis in Eccleſiâ Ambianenſi; & eorum reditus & munia præſcribuntur.	165
		Ex Chartis Ambianenſibus.	
	594	MCCXXIII. PONTIUS Vicecomes Podemniaci contrahit matrimonium cum ADELAIDE filiâ GARNERII	

		Ord. n. Tom.	Edit. pag.
de Triangulo.	167		
Circà MCCLX. Forma in quâ Dominus Rex (S. *Ludovicus*) vult ut tallia aſſideator in villis ſuis.	168	III.	663
Eruit D. d'Herouval.			
MCCXXXI. Leges de Arkes ab Abbate S. Bertini conceſſæ.	169		607
Ex Chartulario S. Bertini.			
MCCLX. Conſtitutio S. LUDOVICI Regis Francorum de eleemoſynâ quadrageſimali tempore pauperibus erogandâ.	177		635
Idem Rex confirmat mulieribus leproſis de Salceiâ prope Pariſios, quæ à proavo ſuo LUDOVICO ipſis donata ſunt.	179		636
MCCLXIV. Fundatio Eccleſiæ S. Mauricii Silvanectenſis facta à S. LUDOVICO Rege Francorum.	181		646
Eruit D. d'Herouval.			
MCCLXXIV. Capitularis fundatio Eccleſiæ Collegiatæ S. Hilarii Sinimuri Briennenſis.	187		679
Communicavit D. Louvet.			
MCCCXXVIII. Decretum Summæ Curiæ Pariſienſis, quo declaratur Regem in vacationibus Canonicatuum Ambianenſium jus Regalium non habere.	191		716
Ex Chartis Ambianenſibus.			
MCCCCLXXIV. FERDINANDI Regis Siciliæ Epiſtola ad LAURENTIUM Medicem. Filiam ſuam primogenito Regis Francorum in matrimonium dare iniquis conditionibus recuſat.	193		843
Eruit. D. d'Herouval.			
Hiſtoria Trevitenſis.	196	II.	208
Ex MS. S. Cornelii Compendienſis.			
BERCARII Presbyteri Hiſtoria brevis Epiſcoporum Virdunenſium.	251		234
Continuatio per Monachum Abbatiæ S. Vitoni.	262		237
Hiſtoria Epiſcoporum Virdunenſium, auctore LAURENTIO de Leodio.	274		241
Continuatio per Monachum S. Vitoni.	333		257
Ex MS. S. Vitoni Virdunenſis.			
Epiſtola cujuſdam Abbatis Monaſterii S. Germani ad V. Epiſcopum Virdunenſem de Hungaris.	349	III.	368
Ejuſdem, ut videtur Epiſtola; cur Eccleſiæ non dedicentur in memoriam SS. Veteris Teſtamenti.	356		370
Ex MS. S. Ghiſlens.			
Narratio reſtaurationis Abbatiæ S. Martini Tornacenſis, auctore HIRIMANNO ejus Monaſterii Abbate.	358	II.	888
Ex MS. ejus Abbatiæ.			
Origo ſive Hiſtoria Monaſterii Cyſonienſis per chartas quaſdam ſelectas.	488		875
Communicavit V. C. Dionyſius Godefroy.			
Fondatio Cœnobii Viconienſis, ſive brevis Hiſtoria Canonicorum Ordinis S. Auguſtini.	533		871
Ex MS. ejus Abbatiæ.			

Additamenta ad Miſcellanea.

		Ord. n. Tom.	Edit. pag.
Epiſtola THEONÆ Epiſcopi. Monita Chriſtiana & politica LUCIANO præſcribit.	545	III.	297
Communicavit Paſchaſius Queſnel.			
DCCCLXXI. CAROLUS Calvus Rex Monaſterium S. Porciani confert Abbati & Monachis S. MARIÆ, ſive S. Filiberti Herenſis.	551		350
DCCCLXXVI. JOANNES Papa VIII. ſuperiorem donationem approbat.	552		351
Eruit D. Claudius Eſtiennot.			
MCCXXXII. Litera ANDREÆ Hungariæ Regis ad GREGORIUM Papam IX. Conqueritur ſe ac Regnum ſuum injuſtè interdicto ſuppoſitum eſſe ab Archiepiſcopo Strigonienſi.	554		610
Communicavit Em. Cardinalis Bona.			

Ord. n. Tom.	Edit. pag.	
III.	394	MXIV. Statuta antiqua, in quibus Angliæ totius Regni Comitia ordinantur. 557
	579	MCCXV. Diploma regium, ſive ordinationes JOANNIS Regis Angliæ, queis ſtatuit quid Nobilis, quid plebeii obſervare debeant ad pacem & tranquillitatem Regni ſtabiliendam. 573
	634	MCCLVIII. Literæ de matrimonio PHILIPPI filii S. LUDOVICI, & ISABELLIS filiæ JACOBI Regis Aragonum. 586
	642	MCCLXIII. Compromiſſum Regis ac Baronum Angliæ, in quo eliguot arbitrum omnium contentionum & diſcordiarum Regem Franciæ S. LUDOVICUM. 588
	662	MCCLXVI. Matrimonium initum per Procuratores inter FERDINANDUM filium Regis Caſtellæ, & BLANCHAM Regis Franc. filiam. 593
		Eruit D. d'Herouval.
	764	MCCCCXXXIX. Literæ Concilii Baſileenſis, quibus intimantur Ordini Ciſtercienſi facta contra EUGENIUM Papam IV. 596
		Ex MS. Ciſtercienſi.
II.	127	DCCCXLVI. Hiſtoria tranſlationis Corporum SS. Ragnoberti & Zenonis, auctore JOSEPH Sacerdote, ex Cancellario Regis Aquitanorum Præceptore Regis LUDOVICI. 600
		Ex MS. S. Benigni Divionenſis.
	655	Circà DCCCCLXXIV. Hiſtoria fundationis Monaſterii S. Viti Martyris in Gladbach, Diœceſis Colonienſis, auctore incerto. 622
		Ex MS. Monaſterii S. Pantaleonis.
	68	Paſſio S. FELICIS Epiſc. Tubzocenſis & Martyris. 634
		Eruit R. P. Petrus Chifflet S. J.
I.	636	Addenda Concilio Lateranenſi Præſidente ALEXANDRO Papâ III.
		Ex MS. Monaſterii de Branâ, O. P.

ELENCHUS TOMI XIII.

Ord. n. Tom.	Edit. pag.	
	607	ANno MXXV. Synodus Atrebatenſis à GERARDO Cameracenſi ſimul & Atrebatenſi Epiſcopo celebrata. 1
	208	Circà MCLXIII. Vita hæreticorum, ſeu manifeſtatio hæreſis Catharorum per BONACURSUM, qui quondam fuit Magiſter illorum Mediolani, coram populo. 63
	261	Circà MCXLIX ANSELMI Havelbergenſis Epiſcopi libri, ſive dialogi tres Ἀντικειμένων adverſus Græcos. 88
		Ex MS. Abbatiæ Ciſtercienſis.

Miſcellanea Epiſtolarum, &c.

Ord. n. Tom.	Edit. pag.	
III.	301	Circà CCCC. Epiſtola S. HIERONYMI ad CONSTANTIUM, ſive Præfatio libri qui *Comes* appellatur. 253
	306	Circà D. S. PROSPERI Epiſcopi Regienſis, ſeu veriùs JULIANI POMERII in tres libros de Vitâ Contemplativâ ſecundus Prologus, qui non extat in Editionibus Lovanienſi an. 1565. nec Lugdunenſi an. 1539. 254
		Eruit R. P. Pet. Franc. Chifflet S. J.
	319	DCCLV. Certa privilegia habitatoribus Figiaci, ſeu Monaſterio Figiacenſi conceſſa à PIPINO Rege ob chartas direptas, vel incenſas. 255
		Dedit D. d'Herouval.
	342	DCCCL. ANGILGUINUS & uxor ejus RIMUERIS multa apud Fontanas conferunt Eccleſiæ Ambianenſi. 260
		Communicavit D. du Cange.
		Circà DCCCLIII. ANGILMARO Archiepiſcopo Viennenſi WIGFRICUS Comes in conventu procerum, quæ uſurpaverat bona reſtituere cogitur. 263
		Ex Chartulario Viennenſi.
III.	343	
	367	DCCCXCVIII. CAROLI ſimplicis privilegium Monaſterio S. Aniani in Diœceſi Narbonenſi collatum. 265
I.	601	DCCCCVII. Synodus Viennenſis, in quâ Præſide ALEXANDRO Archiepiſcopo, lis inter duos Abbates ſopita eſt. 267
		Ex Chartulario S. Andreæ Vienn.
III.	376	DCCCCLXVI. Duello probatum eſt Eccleſiam S. Saturnini Monaſterio Bellilocenſi debere attribui. 268
		Ex Chartulario Belliloci.
	380	DCCCCXCII. CONRADI Regis Burgundiæ donationes piæ, factæ S. Andreæ Vienn. Monaſterio. 270
	ibid.	DCCCCXCIV. RUDOLFUS Rex Burgundiæ confirmat quæ Monaſterio S. Andreæ Vienn. donaverat CONRADUS pater ejus. 272
	382	M. Conſtitutio Monachorum S. Andreæ Vienn. quâ Monachis ſurtum utenſilium Monaſterii interdicitur. 273
		Ex Chartulario ejus Monaſterii.
	386	MXIV. RICHARDUS Marchio Normanniæ multa confert Eccleſiæ Carnotenſi, ut detrimenta quæ ipſi intulerat, reſarciat. 274
		Ex MS. Eccleſiæ Carnotenſis.
	ibid.	MXV. RODOLFUS Rex Burgundiæ approbat & auget quæ Monaſterio S. Andreæ dederant parentes ejus CONRADUS & MATHILDIS. 275
	389	MXXV. ERMENGARDIS Regina Eccleſiam S. Joannis donat Monachis S. Andreæ. 276
	ibid.	GUILLELMI Burgundiæ Ducis donatio facta Abbatiæ S. Andreæ pro ſalute Imperatoris. 277
	ibid.	LEODEGARIUS Archiepiſcopus prohibet ne Monachus uſurpet & ſibi attribuat reditus Obedientiæ, ſive Prioratûs in quo degit. 278
	390	Conventus Procerum Viennenſis civitatis, in quo nonnulla donantur VAGONI & uxori ejus loco beneficii, ut Monachis inſerviant, quamdiù vixerint. 279
	391	MXXVII. BORCHARDI Comitis donatio facta Monaſterio S. Andreæ. 280
		Ex Chartulario S. Andreæ Vienn.
	ibid.	MXXXII. Charta fundationis Eccleſiæ S. Martini Sparnacenſis, Diœceſis Rem. ab ODONE Comite Campaniæ. 281
	393	MXLIII. vel ſeq. De Monetâ Viennenſi corruptâ. 284
	398	MXLVIII. HENRICUS I. Rex Francorum Eccleſiæ Carnotenſi fiſcum Unigradum immunem concedit. 285
	400	ML. Confirmatio donorum factorum Eccleſiæ Rotomagenſi S. Audoëni. 286
	ibid.	MLII. Fondatio Abbatiæ beatorum Martini & Wulgani de Siggi, & ejus traditio Rotomagenſi Eccleſiæ S. Petri Apoſtoli & S. Audoëni. 288
	413	MLXXX. Donatio AMALRICI Militis facta Majori Monaſterio. 290
		Conceſſit D. d'Herouval.
	414	MLXXXII ARBERTUS & uxor ejus & filius ineunt ſocietatem cum Monachis S. Andreæ Vienn. ut piorum operum ipſorum participes fiant. 293
	ibid.	EMMO & ISABELLA conferunt plura bona Monaſterio S. Andreæ Vienn. ob filii ſuſceptionem in Monachum. 294
		Ex Chartulario S. Andreæ Vienn.
	430	MXCVIII. MARBODUS Epiſcopus Redonenſis reſpondet HILDEBERTO Epiſcopo Cenomanenſi, qui illum conſuluerat de viro à quo uxor debitum tori poſtulabat, licet ipſe votum monaſticæ vitæ conſenſu ejus emiſiſſet. 295

Ord. n. Tom. | Edit. pag.

Ex MS. S. Albini Andegav.

III. 440 Philippus I. Francorum Rex jubet bona Epiſcoporum Carnutenſium defunctorum intacta ſervari. 296

ibid. Ejuſdem argumenti Paschasii II. literæ ad Canonicos Eccleſiæ Carnutenſis. 297

ibid. Fundatio Abbatiæ SS. Trinitatis in Novoburgo à Guillelmo Comite facta pro Sanctimonialibus. 298

476 MCXIX. & MCCCXII. Confirmatio ſeu renovatio cujuſdam privilegii antiqui, olim Abbati & Conventui Monaſterii Cluniacenſis per Ludovicum VI. Regem Francorum conceſſi. 300

Conceſſit D. d'Herouval.

480 MCXXV. A Gaufrido Epiſcopo Carnutenſi licentia Canonicis conceſſa eligendi Decani. 304

Ex MS. Eccleſiæ Carnut.

ibid. MCXXVII. Inſtitutio Canonicorum Regularium in Abbatiâ S. Martini Sparnacenſis, à Theobaldo Comite Campaniæ. 305

ibid. MCXXVIII. Charta Rainardi II. Archiepiſcopi Remenſis de eâdem inſtitutione. 307

Eruit R. P. Robertus de Gyvès Canonicus Reg.

481 Ludovicus VI. Rex Francorum confirmat privilegium, quo ſervi Eccleſiæ Carnutenſis habent in omni foro ſæculari poteſtatem teſtificandi, &c. 309

486 MCXXXI. Fundatio Abbatiæ de Miratorio, Ordinis Ciſtercienſis. 311

494 MCXXXVI. Hugo Epiſcopus Autiſiodorenſis complurium Eccleſiarum decimas ſuis Canonicis concedit eâ conditione, ut totâ quadrageſimâ communiter comedant. 313

536 MCLXII. Joannes Martini ſeipſum ac filios tradit dominio Gerardi Comitis Roſſilionis. 314

538 MCLXV. Confirmatio privilegiorum Eccleſiæ Narbonenſis. 315

Communicavit D. d'Herouval.

543 MCLXXVIII. Fundatio Noſocomii Noviomenſis à Rainaldo Epiſcopo approbata. 320

Eruit R. P. Robertus de Gyvès.

547 MCLXXXIV. Lucius Papa III. prohibet Canonicis Carnutenſibus pluralitatem beneficiorum, & reſidentiam præſcribit. 321

Eruit D. d'Herouval.

550 MCLXXXVII. Urbanus Papa III. Reginaldo Epiſcopo Carnutenſi, ne domus in clauſtro laicis dentur, aut locentur à Canonicis. 322

Ex MS. Eccleſiæ Carnut.

ibid. Philippus II. Rex Francorum Pagenſibus de Vailly, de Condé, &c. Diœceſis Sueſſionenſis, Communiam conceſſam confirmat & auget. 323

559 MCXC. Hugo de Gornaco fundat ac dotat Abbatiam Belloſanenſem Canonicorum Ord. Præmonſtr. 327

D. d'Herouval eruit.

569 MCCVI. & MCCXV. Simon Comes Montisfortis c. ſolidos pro anniverſario matris ſuæ aſſignatos confirmat. 330

Ex MS. Eccleſiæ Carnut.

ibid. MCCVIII. Quibus conditionibus recipiatur à Capitulo Noviomenſis Eccleſiæ Decanus. 331

574 MCCXI. De anniverſario Stephani de Pertico. 332

Ex MS. Eccleſiæ Carnut.

ibid. Fundatio duarum præbendarum in Eccleſiâ S. Matthæi de Foilliaco. 333

584 MCCXV. Ordinationes pro Noſocomio factæ à Stephano Epiſcopo Noviomenſi. 334

ibid. MCCXVIII. Prologus ejuſdem ad Regulam ab ipſo datam fratribus & ſororibus ejus Monaſterii. 335

585 Literæ Honorii Papæ III. Regulam iſtam approbantis. 336

ibid. MCCXXII. Gerardus Epiſcopus Noviomenſis confirmat fundationem Noſocomii. 337

III. 585 MCCLXVI. Literæ Willelmi Ep. Noviom. de eodem. 338

Eruit R. P. Robertus de Gyvès.

615 MCCXXXIII. Ordinationes Gaufridi Ambianenſis Epiſcopi, pro Canonicis S. Matthæi de Foilliaco propè Corbeiam. 339

620 MCCXL. Statuta facta ad corrigendos mores Canonicorum Foilliacenſium 341

Ex MS. S. Germani à Pratis.

641 MCCLXIII. Tranſumptum literarum Ottonis de Cyconis, Caryſti Dominatoris, qui dedit Abbati & Conventui Ciſtercii, & miſit brachium B. Joannis-Baptiſtæ. 342

642 Tranſcriptum literarum Gallico idiomate ſcriptarum Balduini Imp. Conſtantinopolitani, per quas brachium B. Joannis-Bapt. Ottoni de Cyconis conceſſit perpetuò. 343

ibid. Exemplar literarum Ottonis de Cyconis, quas miſit Abbati, Conventui, ac Capitulo Generali Ciſtercii, de donatione quam Ciſtercienſi Monaſterio fecit brachii B. Joannis-Baptiſtæ. 344

ibid. Charta, ſive Vidimus Joannis Epiſcopi Cabilonenſis de prædictis tribus literis, acta anno Domini MCCCCXLII. more Romanæ Curiæ, 25. Aprilis. 346

Eruit D. Jacobus de Lannoy.

697 Litera Regia, per quam Philippus IV. Francorum Rex concedit Prælatis & perſonis Eccleſiaſticis Regni, quòd acquiſita pacificè teneant. 347

700 MCCCX. Commonitorium fit Priori de Cheză ſuper negotiis quæ ſequuntur, expediendis in Coriâ, ſuper quibus ſupplicandum eſt D. Papæ, vel ſuper quibus habet Prior literas præſentare 349

698 MCCCIV. Philippus Pulcher Franc. Rex, ob victoriam in Flandriâ relatam, centum libras annuatim ſolvendas tribuit Eccleſiæ Carnutenſi. 356

ibid. MCCCVII. Idem attribuit fratri ſuo Ludovico Comitatus, Baronias, &c. quindecim millia librarum Turonenſium annui reditûs. 358

717 MCCCXXXII. Philippus Valeſius Joanni filio ſuo primogenito emancipato confert Ducatum Normanniæ, & Comitatus Andegaviæ & Cenomaniæ. 363

719 MCCCXXXV. Ludovicus Imperator dat poteſtatem Ludovico Comiti de Oetingen quædam negotia cum Humberto Delphino Viennenſi tractandi. 367

ibid. Idem per eumdem Legatum Viennæ Regnum Humberto confert. 368

742 MCCCLXXVI. Fundatio Monaſterii Cæleſtinorum de Meduntâ, à Carolo V. Francorum Rege facta. 372

733 MCCCLX. Joannes Franc. Rex Ludovico filio ſuo ſecundogenito confert Andegaviæ & Cenomaniæ Comitatus. 376

823 MCCCCLXI. Joannes Godefridus, vulgò Cardinalis Albienſis, Regi Franc. Ludovico XI. ſcribit Abbatem Cluniacenſem morti eſſe proximum. 379

844 MCCCCLXXIV. Ferdinandus Siciliæ Rex Ludovico Regi Franc. queritur quòd Chriſtophorus Colombus triremes ſuas deprædatus ſit, poſtulatque ablata ſibi reſtitui. 380

845 Ludovici XI. Reſponſio. 383

II. 25 Martyrologium Gellonenſe, ſive S. Guillelmi de Deſerto pervetuſtum. 388

Ex MS. ejus Monaſterii.

[Additæ ſunt Variæ lectiones è duobus antiquis Codd. quorum unus eſt S. Galli.]

580 Hiſtoria Condomenſis Abbatiæ, nunc Epiſcopatûs. 438

Ex MS. ejus Abbatiæ conceſſo ab Ant. Dadino Alteſerra.

Ordinatio

XII. 665 Ordinatio ad talliam aſſidendam. 511

[Sequebantur Indices, & Variæ Lectiones aliquot Opuſculorum, quas ſuis locis reſtituimus.]

Appendix.

XI. 202 De homagio ligio Bernardi Archidiaconi Transligerenſis, Diœceſis Andegav. 227

ibid. De homagio ligio Gallardi Archidiaconi Transligerenſis. 230

204 De ſuſpenſis latronibus apud Eventart. 235

205 Litteræ compoſitionis pro procurationibus habendis in Prioratibus Majoris Monaſterii Turonenſis. 237

208 Profeſſio obedientiæ facta Epiſcopo Andegavenſi ab Abbate de Buxeriâ Ciſterc. Ord. 245

III. 507 Arnulfi Lexovienſis Epiſcopi, Sermo in Annuntiatione B. Mariæ Virginis. 246

Ejuſdem Epiſtolæ v. ſcilicet

509 I. Ad dominum Papam Alexandrum. Conqueritur de Monachis qui, ut prætendebat, parochiales Eccleſias uſurparant, ac judicium impediebant. 253

510 II. Ad dominos Cardinales Albertum & Theodinum Eccleſiæ Romanæ Legatos pro Raginaldo Bathonienſi Electo. 254

ibid. III. Ad Robertum Rotomagenſ. Archiep. Rogat ut ſententiam in Monachum perverſum ab Abbate prolatam non infirmet. 255

ibid. IV. Univerſis Fidelibus. Pecuniam in teſtamento Hugonis de Pinu memoratam juſtè ſe diſtribuiſſe profitetur. 256

ibid. V. Henrico Regi Anglorum. Agit contrà nepotem ſuum qui ingratum & crudelem ſe ipſi exhibebat, rogatque ut illum coërceat. 257

Epiſtolæ xv. Hildeberti Turonen. Archiepiſcopi; ſcilicet

453 I. Gratias agit Epiſcopo, qui ſuos tempeſtate jactatos benignè exceperat. 260

II. Scribit Regi Anglorum ægritudinem ſuam nondum plene expulſam. Congratulatur ei quòd bene ſit cum Comite genero ſuo: ac denique certiorem eum facit pacem Eccleſiæ ſuæ ſub certis conditionibus ſibi moleſtis redditam. ibid. — XII. 454

III. Reſpondet cuidam, qui eum interrogaverat de adulterâ a Chriſto dimiſſâ. 262 — ibid.

IV. Conſolatur Abbatiſſam, quam ſuæ Moniales affligebant malis & diſſolutis moribus. 263 — ibid.

V. Congratulatur & compatitur amico, cui ſe aſſlictum febribus quartanis indicat. 264 — 455

VI. Narrat Epiſcopo cuidam cauſam indignationis Regis Francorum in ſe, & eum rogat ut collaboret Regi prædicto ſibi propitiando. 265 — ibid.

VII. Scribit, ut opinor, Henrico Anglorum Regi, ut Abbatiſſę cuidam, quæ ſibi bonum nomen ex moribus comparaverat, favere velit. 266 — ibid.

VIII. Ad amicum de gratitudine. 267 — ibid.

IX. Summo Pontifici, cui ſe excuſat, quòd ei de beneficiis acceptis gratias non egerit: deinde poſtulat ut pallium ſoli Metropolitano Turonenſi debitum, Epiſcopo Dolenſi negetur: deinque pro Andegav. Epiſcopo precatur. ibid. — ibid.

X. Eidem de Canonico Turonenſi graviter mutilato. 269 — 456

XI. Eidem conqueritur, quòd à ſe excommunicato, Sedes Apoſtolica officium Sacerdotii, & beneficium abſque ſatisfactione prævià reſtituerit. 270 — ibid.

XII. Eidem de controverſiâ motâ inter Epiſcopum Carnutenſem & Abbatem Majoris-Monaſterii. ibid. — ibid.

XIII. Afflictus Hildebertus luget mortem cujuſdam ſibi ex inimico amiciſſimi. 271 — ibid.

XIV. Ranulfo Dunelmenſi Epiſcopo in gratiam Roberti cujuſdam. ibid. — ibid.

XV. Algardo Priori S. Cuthberti commendat eumdem Robertum. 272 — 457

FINIS.

INDEX ALPHABETICUS OPERUM IN TRIBUS VOLUMINIBUS CONTENTORUM.

Ordo Veteris Editionis. Tom. pag.

A.

XI. 446 A Abbatis Evershamenſis Epiſtola ad Geraldum Epiſcopum Tornacenſem. t. III. 500

IX. 79 Abbonis, Monachi S. Germani à Pratis, Sermones V. ſelecti. t. I. 336

IV. 1 Adalardi Abbatis, Statuta antiqua Corbeiæ. t. I. 586

XI. 314 Adala Viromandenſis Comitiſſa, præbendam S. Quintini confert Canonicis Regg. Belvacenſibus. t. III. 437

XIII. 284 Adelaïs Marchioniſſa ne quis monetam Viennenſem adulteret, vetat. t. III. 393

XII. 135 Ado Archiepiſcopus Vienneuſis Eccleſiam Velnenſem confirmat Eccleſiæ Sancti Eugendi Jurenſis. t. III. 360

30 Adravaldi Opuſculum de Corpore & Sanguine Domini, contrà Joannem Scotum. t. I. 150

IV. 250 Ægidii Archiepiſcopi Rotomagenſis, Epiſtola ad Ludovicum X. Francorum Regem. t. III. 708

VII. 1 Æneæ Pariſienſis Epiſcopi liber adverſus Græcos. t. I. 113

305 Æneæ Sylvii, poſtea Pii Papæ II. Epiſtola de Fornicatione, ad Hippolytum Mediolanenſem. t. III. 788

Afflegemienſis Monaſterii Hiſtoria. t. II. 769 — X. 585

Ahytonis Epiſcopi Baſileenſis Capitulare. t. I. 584 — VI. 691

Ainardus de Bamaco nonnulla donat Roberto de Arbricellis. t. III. 476 — XI. 320

MCCLIV. Albienſe Concilium, præſidente Zoeno Epiſcopo Avenionenſi, A. S. Legato. t. I. 719 — II. 630

Albigenſium Epiſcoporum Chronicon. t. III. 570 — VII. 331

Albini Alcuini Epiſtolæ duæ ad Gallic. Ibulam. t. III. 321 — VI. 391

Epiſtola ad Fredugiſum t. III. 322 — 396

Præfatio ad Arnonem Epiſcopum Saltzburgenſem in expoſitionem Pſalmorum quos Pœnitentiales & Graduales vocant, ac Pſalmi CXVIII. t. III. 323 — IX. 11

Aldefonsus Hiſpaniæ Imperator Cluniacenſi Monaſterio donat Abbatiam SS. Facundi & Primitivi. t. III. 485 — VIII. 155

Aldricus Archiepiſcopus Senonenſis, Abbatiam S. Remigii Senonenſis ad Vaſellias transferri in Concilio permittit. t. I. 593 — II. 59

Alexandri Papæ III. Epiſtola ad Henricum Archiepiſcopum Remenſem, ac ſuffraganeos ejus. t. III. 538 — V. 72

Alexandri Papæ IV. Epiſtolæ IV. ad Ludovicum — VI. 435

Index Alphabeticus Operum

Ord. v. Tom.	Edit. pag.	
		IX. Francorum Regem. t. III. 633
VI.	487	Epiſtolæ duæ ad Prælatos Franciæ. t. III. 634
	445	Alfonsi Hiſpaniarum Regis Epiſtola ad Hugonem Abbatem Cluniacenſem. t. III. 407
XI.	373	Alfonsus Pictavenſis Comes libertates & Conſuetudines villæ Ricomago concedit. t. III. 671
IX.	273	Alfonsus Aragonum Rex Monaſterium Fratrum Minorum in Inſulâ Majoricâ fundat. t. III. 692
II.	451	Alienoræ Anglorum Reginæ Epiſtola ad Alexandrum Papam III. t. III. 528
	452	Ad Hyacinthum Cardinalem. ibid.
VII.	164	Amalarii Epiſcopi Epiſtolæ.
		I. Ad Hieremiam Archiepiſcopum Senonenſem. t. III. 330
	165	II. Ad Jonam Epiſc. Aurelianenſem. ibid.
	ibid.	III. Ad Rangarium Epiſcopum Noviomenſem. ibid.
	167	IV. Ad Hettonem Monachum. 331
	168	V. Ad Guntardum. ibid.
	173	VI. de obſervatione quadrageſimæ. 333
XIII.	290	Amalricus Miles Majori Monaſterio Senicurtem donat. t. III. 413
XII.	54	Ambianenſis Noſocomii Statuta. t. I. 713
	60	Ab Innocentio Papa III. confirmantur. 715
IV.	361	Amedæi, dicti Felicis Papæ V. Literæ, quibus declarat ſe, tametſi Papatui renuntiat, eaque ſui Pontificatûs tempore acta ſunt, rata eſſe velle. t. III. 782
	362	Ejuſdem Literæ, quibus abrogat cenſuras omnes ratione Schiſmatis latas. ibid.
	363	Ejuſdem Literæ, quibus electiones, privilegia, & cætera id genus à ſe collata, valitura decernit. 783
VII.	263	Amicus (Geraldus) à Bertrando Epiſcopo Cavellicenſi monitus, nonnulla Monaſterio S. Andreæ reſtituit. t. III. 578
V.	582	Anastasii Papæ Epiſtola ad Chlodoveum I. Fr. Regem. t. III. 504
XI.	309	Andegavenſium Eccleſiarum S. Nicolai & S. Laudi confraternitas. t. III. 418
XII.	554	Andreæ Hungariæ Regis Epiſtola ad Gregorium Papam IX. t. III. 610
IX.	294	Andreæ de Lucemburgo Epiſcopi Cameracenſis teſtamentum. t. III. 755
XIII.	473	S. Andreæ Viennenſis Monachorum Conſtitutio, quâ ſibi furtum utenſilium interdicunt. t. III. 382
IX.	338	Andrenſis Monaſterii Hiſtoria. t. II. 781
VIII.	165	Anduſia, (Bertrandi de) & Guillelmi Montiſpeſſulani Domini pactum, pro ineundo matrimonio filii & filiæ ipſorum. t. III. 457
XIII.	260	Angilguini ac Rimuldis ejus conjugis donationes Eccleſiæ Ambianenſi factæ. t. III. 542
XII.	119	Anselmarus Archiepiſcopus Viennenſis Mauringo facultatem condendæ Eccleſiæ tribuit. t. III. 556
	557	Angliæ Statuta antiqua, in quibus totius Regni comitia ordinantur. t. III. 594
XIII.	88	Anselmi Havelbergenſis Epiſcopi libri tres: I. de variis Chriſtianæ religionis formis: alii duo Diſputationum adverſus Græcos. t. I. 161
VII.	191	Anselmi de Ribodimonte Epiſtola ad Manassem Archiepiſcopum Remenſem. t. III. 431
III.	24	S. Anselmi Archiepiſcopi Cantuarienſis Tractatus Aſceticus. t. I. 443
	121	Epiſtola I. ad Lanfrancum Archiepiſcopum Cantuarienſem. t. III. 433
C.	116	II. Ad Richardum Monachum Beccenſem. ibid.
	117	III. Ad Robertum, Seyt, & Edit. ibid.
	118	IV. Ad Hugonem Monachum. 434
	120	V. Ad Willelmum amicum. ibid.
	ibid	VI. Ad Herbertum Epiſcopum Thiofordenſem. ibid.
	121	VII. Ad Anselmum nepotem. ibid.

	Ord. v. Tom.	Edit. pag.
VIII. Ad Walterum Cardinalem, Apoſtolicum in Angliâ Legatum. 435	IX.	122
IX. Ad Epiſcopos Hiberniæ. ibid.		123
Aptenſis Monaſterii S. Crucis inſtitutio. t. III. 616	VII.	266
Araldus Epiſcopus Carnutenſis præbendam Eccleſiæ ſuæ confert Monachis Cluniacenſibus. t. III. 410	VI.	452
Arbertus Miles, ejus uxor & filius ſocietatem ineunt cum Monachis S. Andreæ Viennenſis, ut piorum operum ipſorum participes fiant. t. III. 414	XIII.	295
Arbrieselis (Robertus de) quæ à variis acceperat in Diœceſi Petragoricenſi, transfert in Gerardum de Salis. t. III. 475	XI.	318
Archembaldi Eccleſiæ Aurelianenſis Subdecani Epiſtola ad Henricum Archiepiſcopum Senonenſem. t. III. 488	III.	353
Archembaldi de Borbonio pactum initum cum Petro de Blot coram Henrico Anglorum Rege. t. III. 549	VIII.	202
Askes villæ leges à Jacobo Abbate S. Bertini conceſſæ. t. III. 607	XII.	169
Ariensium in Arteſiâ Conſuetudines, dictæ Amicitiæ Leges. t. III. 553	XI.	351
Armanni de Omellas, ac Sibyllæ pactum de futuro matrimonio. t. III. 483	IX.	158
Arnaldus de Monte-incenſo nonnulla donat Roberto de Arbricellis. t. III. 476	XI.	321
Arnaldi de Corbeiâ Cancellarii Regis Francorum, Oratio habita in Concilio, ut Obedientia Benedicto XIII. ſubtrahatur, donec ceſſioni conſentiat. t. I. 798	VI.	353
	Append.	
Arnulfi Lexovienſis Epiſcopi ſermo in Annuntiatione B. Mariæ. t. III. 507	XIII.	246
Epiſtolæ I. ad Alexandrum Papam II. 509		253
II. ad Albertum & Theodinum Cardinales, Sedis Apoſtolicæ Legatos. 510		254
III. ad Robertum Archiepiſcopum Rotomagenſem. ibid.		255
IV. Judicium in cauſâ teſtamenti Hugonis de Pinu. ibid.		256
V. ad Henricum Anglorum Regem. ibid.		257
VI. ad Lucium Papam. 511	II.	482
VII. ad S. Thomam Archiepiſcopum Cantuarienſem. 512		485
VIII. ad Alexandrum Papam II. 515		495
IX. ad Henricum Anglorum Regem. 516		497
X. ad Albertum & Theodinum Cardinales, Sedis Apoſtolicæ Legatos. ibid.		500
XI. ad Willelmum Epiſcopum Cenomanenſem. 517		504
XII. & XIII. ad Cæleſtinum Papam. ibid.		505
Fragmentum Sermonis. 518		503
Tractatus in Gerardum Epiſcopum Engoliſmenſem. t. I. 151		556
Arnulfus de Moncenna matrimonium init cum Agnete. t. III. 541	XII.	163
Artaudus de Roſſibone Guillelmum filium ſuum emancipat, ac eidem Caſtrumnovum donat. t. III. 636	X.	186
Eidem alia donat. 637		188
Aſchaffemburgenſis Diætæ Concluſiones. t. III. 773	VII.	451
Atrebatenſis Synodus à Gerardo Cameracenſi ſimul & Atrebatenſi Epiſcopo celebrata. t. I. 607	XIII.	1
Atrebatenſium Epiſtola ad Rainoldum Archiepiſcopum Remenſem. t. III. 420	V.	540
Ad Urbanum Papam II. ibid.		542
Atrebatenſis Civitatis jura & conſuetudines. t. III. 572	XI.	362
Attonis II. Epiſcopi Vercellenſis Opera, ſcilicet	VIII.	1
Capitulare. t. I. 402		
Libellus de Preſſuris Eccleſiaſticis. 414		44
Epiſtolæ I. ad Valdonem Epiſcopum. 431		99

Digitized by Google

Ord. v. Tom.	Edit. pag.	
VIII.	110	II. III. IV. ad Fideles ſuæ Diœceſeos. 434
	115	V. ad Azonem Epiſcopum. 435
	123	VI. ad Amaroſium Preſbyterum Mediolanenſem. 438
	126	VII. ad Clericos Diœceſis Vercellenſis. 439
	131	VIII. ad eoſdem. 440
	132	IX. ad Epiſcopos Italiæ. 441
V.	147	S. Audoeni Archiepiſcopi Rotomagenſis, Vita S. Eligii Epiſcopi & Confeſſoris. t. II. 76
XIII.	288	S. Audoëni Monaſterio Rotomagenſi traditur Abbatia BB. Martini & Wlgani de Siggi. t. III. 400
II.	609	MCCIX. Avenionenſe Concilium. t. I. 703
VIII.	236	Avenionenſia Monaſterii S. Andreæ Statuta, ad inſtaurandam Monaſticam diſciplinam. t. III. 631
IX.	299	Avenionenſium Cœleſtinorum, & Petri Comitis de Lucemburgo Tranſactio. t. III. 760
		Avania v. Baldoini.
V.	110	Aviti Viennenſis, aliorumque Epiſcoporum collatio cum Arianis, coram Gundebaldo Burgundionum Rege. t. III. 304
II.	670	Aurelianenſis Synodi anni circiter MXVII. Geſta. t. I. 604
VI.	452	Aurelianenſis Eccleſiæ Epiſcopus & Canonici ſocietatem ineunt cum Monachis Cluniacenſibus. t. III. 457
II.	592	MLXVIII. Auſcenſe Concilium, præſidente Hugone Cardinali. t. I. 625
VIII.	253	Aymarus Archiepiſcopus Lugdunenſis, jubet more antiquo Archiepiſcopum Lugdunenſem & Eduenſem Epiſcopum, alterum alterius Sedem vacantem tenere & adminiſtrare. t. III. 684
		B.
XI.	320	Bainaco (Ainardus de) nonnulla donat Roberto de Arbricellis. t. III. 476
VI.	443	Baloa Virgo Eccleſiam S. Mariæ de Valle dotat. t. III. 407
VII.	196	Baldricus Epiſcopus Dolenſis confirmat Monaſterio S. Florentii bona, quæ in ſuâ Diœceſi ſita ſunt. t. III. 459
VIII.	169	Baldricus Noviomenſis Epiſcopus Lehunenſi Monaſterio confirmat, quæ eidem à Boſone Milite reſtituta ſunt. t. III. 463
VII.	584	Balduini de Avenia, Genealogiæ ex Chronicis Hannonienſibus collectæ. t. III. 286
VIII.	368	Banza (Raimundus de) & Aſtorga uxor ejus nonnulla donant, ac filium offerunt Eccleſiæ Cadurcenſi. t. III. 444
XII.	139	Barnoini Archiepiſcopi Viennenſis Præceptum, quo multa confert, aut collata confirmat Eccleſiæ S. Teuderii. t. III. 360
	136	Idem Ratberto facultatem tribuit reſtaurandi Eccleſiam S. Blandinæ. 362
	146	Idem Teutberto Comiti Villam Mantulam, & alia prædia uſu fructuario poſſidenda donat. 363
VIII.	249	Barro (Gaufridus de) Pauperibus Magiſtris in Theologicâ facultate ſtudentibus Pariſiis donat, quæ ſibi à Roberto de Sorbonâ collata fuerant. t. III. 679
XI.	334	S. Bartholomæi Eccleſia in pago Alnienſi fundatur. t. III. 501
VIII.	273	Bartholomæi Epiſcopi Laudunenſis Judicium, quo terra de Caia Monachis Lehunentibus aſſeritur. t. III. 487
II.	577	Baſileenſis Concilii Epiſtola ad Monachos Cluniacenſes. t. III. 761
VIII.	285	Ejuſdem Epiſtola ad Rodericum Comitem de Villandrando. 762
X.	655	Idem pecuniam mutuam accipit à Joanna Abbate Ciſtercienſi. ibid.
XII.	596	Ejuſdem literæ, quibus Ordini Ciſtercienſi intimantur facta contrà Eugenium Papam IV. 764

	Ord. v. Tom.	Edit. pag.
Beatricis Reginæ Siciliæ teſtamentum. t. III. 660	VI.	475
Bedæ Martyrologium, Heroicis verſibus ſcriptum. t. II. 25	X.	126
Bellilocenſi Monaſterio Eccleſiam S. Saturnini debere attribui, duello probatur. t. III. 376	XIII.	268
Bello-forti (Raterius de) nonnulla donat Eccleſiæ Cadurcenſi. t. III. 438	VIII.	365
Bellojoco, (Humberti de) & Guichardi filii ejus Statuta, quibus libertates civium Bellævillæ aſſerunt. t. III. 611	IX.	181
Bellojoco (Hugonis de) Epiſcopi Claromontani, Humberti Bellijoci Domini, & aliorum fratrum, pactum de ſe mutuò tuendis. t. III. 613		187
Bellojoco (Humbertus de) Elizabetham filiam, viduam Simonis de Luzi, Rainaudo de Foreſio nuptum dat. ibid.		189
Bellojoco (Ludovicus de) confirmat libertates ac jura civium Tyliaceoſium à prædeceſſoribus ſtatuta. t. III. 678	IX.	259
Bellojoco (Margareta de) renuntiat omnibus bonis Joannis de Cabillone Autiſiodorenſis Comitis mariti ſui, nuper fato functi. t. III. 700	VIII.	264
MCXIV. Belvacenſis Concilii Geſta. t. I. 633	II.	594
Belvacenſis Cœnobii S. Quintini fundatio, ac dedicatio. t. II. 135		677
Belvacenſis Cœnobii S. Quintini, & Monaſterii B. Joannis in Valle Carnotenſi, aſſociatio. t. III. 600	XI.	367
Belvacenſis Noſocomii Regula. t. I. 715	XII.	68
Ejus Statutum quoddam confirmat Joannes Papa XXII. 716		72
Literæ Joannis Epiſcopi Belvacenſis de juriſdictione Epiſcopali in idem Noſocomium. 717		74
Benedicti de Aureâ Claſſis Francorum Regis Capitanei, Epiſtola ad Protectores S. Georgii. t. III. 766	VII.	276
Benedicti Papæ III. confirmatio Privilegiorum Corbeiæ. t. III. 343	VI.	397
Benedicti Papæ XIII. Epiſtola ad Academiam Pariſienſem. t. I. 787		120
Altera ad eamdem. 788		123
Epiſtola ad Ducem Bituricenſem, continens alteram ad Carolum VI. Franc. Regem. 794		157
Epiſtola ad Carolum VI. 800		164
Bulla contrà Regem Franc. & alios à ſuâ Obedientiâ recedentes. 805		278
Altera Bulla in eoſdem. 803		182
Epiſtola ad Cardinales qui olim Obedientiæ ſuæ fuerant. 816		233
Benedictinorum Abbatum in Provinciâ Narbonenſi Decreta, ad reſtaurandam diſciplinam Regularem. t. I. 707		30
Berardi (Joannis) Chronicon Abbatiæ Caſaurienſis, ſive Piſcarienſis. t. II. 919	V.	361
Bercarii Preſbyteri, Hiſtoria Epiſcoporum Virdunenſium. t. II. 234	XII.	251
Berengarii Epiſtola ad Ricardum. t. III. 400	II.	510
S. Bernardi Epiſtola ad Gaufridum Abbatem S. Medardi. t. III. 492	III.	165
Ad Rainaldum Abbatem. ibid.		166
Ad Innocentium Papam II. 496		167
Bernardus de Minerbâ non nulla donat Monaſterio S. Pontii Tomerienſium. t. III. 459	X.	163
Bernardus Trancapetus non nulla donat, ac filium offert Eccleſiæ Cadurcenſi. t. III. 438	VIII.	366
Bernardi Atonis Vicecomitis Nemauſenſis pactum cum Ildefonſo Aragonum Rege. t. III. 541	X.	174
Bernardi Comitis Convenarum pactum matrimonii cum Maria filiâ Guillelmi Domini Montiſpeſſulani. t. III. 558	XI.	356
Bertoendi Epiſcopi Catalaunenſis privilegium Monachis Dervenſibus datum. t. III. 327	X.	631
Bertrandi de Anduſiâ, & Guillelmi Montiſpeſ-	VIII.	365

Ord. v. Edit. Tom.	pag	
		ſulani domini pactum, pro ineundo matrimonio filii & filiæ ipſorum. t. III. 457
IV.	401	Beſſarionis Cardinalis Epiſtola ad Ludovicum XI. t. III. 842
I.	489	Beſuenſis Abbatiæ Chronicon. t. II. 400
XI.	318, 320	Birontio (Guillelmus de) non nulla donat Roberto de Arbricellis. t. III. 475. 476
VIII.	201	Blot (Petri de) & Archimbaldi de Borbonio pactum initum coram Henrico Anglorum Rege. t. III. 549
XIII.	63	Bonacurſi Vita hæreticorum, ſive Deſcriptio hæreſium quas Cathari profitebantur, & earum confutatio. t. I. 208
IX.	63	S. Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini & Martyris Statuta quædam ſelecta. t. I. 507
VII.	231	Bonifacii Papæ VIII. Epiſtola ad Regem Majoricarum. t. III. 694
VI.	49	Bonifacii Papæ IX. Literæ ad univerſos fideles. t. I. 766
	54	Bulla ad Carolum VI. Regem Francorum. 768
	57	Altera Bulla ad eumdem. 769
	117	Epiſtola ad Conſilium Regis Francorum. 787
	118	Altera Epiſtola ad Francorum Regem. ibid.
X.	658	Borbonii (Joannis) Epiſcopi Anicienſis, Epiſtola ad Lodovicum XI. t. III. 839
VIII.	201	Borbonio (Archembaldi de) pactum initum cum Petro de Blot coram Henrico Anglorum Rege. t. III. 549
XIII.	280	Borcardus Comes non nulla donat Monaſterio S. Andreæ Viennenſis. t. III. 591
VI.	45	Broſſano (Simonis de) Cardinalis vulgò Mediolanenſis, Declaratio in cauſa Schiſmatis, dum in extremis ageret. t. I. 765
II.	514	Burgidolenſis Abbatiæ Monachorum Epiſtola Encyclica, vitam, & Opera Hervæi continens. t. III. 461

C.

Ord. v. Edit. Tom.	pag	
VIII.	360	Cadurcenſes Canonici non nulla donant Gauſberto de Caſtronovo, eâ lege ut filius Canonicum habitum apud ſe induat, &c. t. III. 429
VI.	461	Cæleſtini Papæ II. Epiſtola ad Monachos Cluniacenſes. t. III. 496
III.	146	Calliſti Papæ II. Epiſtola ad Ludovicum VI. Regem Francorum. t. III. 478
	149	Ad Gaufridum Carnotenſem, Joannem Aurelianenſem, & Stephanum Pariſienſem Epiſcopos. 479
IX.	130	Idem confirmat remiſſionem Mareſcaliæ & Canariæ in villâ Tuſſiaco conceſſam Eccleſiæ Biſuntinæ. ibid.
IV.	381	Calliſti Papæ III. Epiſtola ad Carolum VII. Regem Francorum. t. III. 796
	383	Ejuſdem Votum. 797
VI.	503	Altera Epiſtola ad Carolum VII. 799
IV.	391	Tertia ad eumdem. 800
VII.	260	Campofregoſo (Jani de) Januenſium Ducis Epiſtola ad Carolum VII. Francorum Regem. t. III. 763
II.	620	Canonici qui Epiſcopis locum in ſuis Capitulis dare nolunt, arguuntur. t. I. 707
IX.	1	Canonum antiqua Collectio facta in Hibernia. *Ex eâ tantum habentur Capitula ſelecta.* t. I. 492
XI.	1	Canonum Pœnitentialium Collectio antiqua. t. I. 510
VI.	39	Cardinalium qui Urbanum Papam VI. elegerant, Epiſtola ad Cardinales qui Avenione remanſerant. t. I. 763
	42	Cardinalium qui ab Urbano Papa VI. deſciverant, Epiſtola ad Reges ac Principes. 764
	44	Eorumdem Epiſtola ad Academiam Pariſienſem. 765
	63	Iidem quo modo Petrum de Lunâ, ſive Benedictum Papam XIII. elegerint. 771

	Ord. v. Edit. Tom.	pag
Eorumdem Epiſtola ad Carolum VI. Regem Francorum. t. I. 799	VI.	165
Eorumdem Epiſtola ad Benedictum XIII. quibus eum ad Concilium Piſanum vocant. 809		200
Eorumdem Literæ ad univerſos Prælatos, quibus eos ad Concilium Piſanum convocant. 811		205
Eorumdem Epiſtola ad Benedictum XIII. 818		225
Cardinalium Collegii Romani Literæ, quibus ſe in neutram partem inclinare declarant. 807		192
Eorumdem Literæ ad Prælatos Obedientiæ ſuæ, quibus eos ad Concilium Piſanum convocant. 814		215
Cardinalium utriuſque Collegii Epiſtola ad Academiam Pariſienſem, aliam ejuſdem ad Carolum VI. Francorum Regem continens. 806		190
Eorumdem Epiſt. ad Carolum VII. t. III. 797	IV.	384
Carlomanni Franc. Regis Præceptum in gratiam Monaſterii S. Polycarpi in Diœceſi Narbonenſi. t. III. 364	VIII.	352
Præceptum, quo omnia quæ à prædeceſſoribus ſuis Eccleſiæ Anicienſi conceſſa ſunt, confirmat. ibid.		348
Caroli M. Regis Franc. & Imperatoris Genealogia. t. II. 493	II.	801
Caroli Calvi præceptum, quo privilegia Corbeiæ collata confirmat. t. III. 346	VI.	408
Præceptum, quo Monſaureus Eccleſiæ Lugdunenſi reſtituitur. 349	XII.	116
Præceptum, quo alia prædia eidem Eccleſiæ reſtituuntur. 350		118
Præceptum, quo Monaſterium S. Porciani Monachis Herenſibus confert. ibid.		551
Præceptum, quo approbat fundationem Monaſterii S. Andreæ in Diœceſi Elnonenſi. 351	VIII.	349
Fundatio Monaſterii S. Cornelii Compendienſis. 352	X.	157
Caroli Regis Provinciæ Præceptum, quo Villam Urbanam Eccleſiæ Lugdunenſi reſtituit. t. III. 353	XII.	120
Præceptum, quo varia eidem Eccleſiæ confert. 354		122
Præceptum, quo Tornonem eidem Eccleſiæ reſtituit. ibid.		123
Præceptum, quo Piſiniacum eidem Eccleſiæ reſtituit. 355		124
Præceptum, quo Leviam eidem Eccleſiæ reſtituit. ibid.		125
Servi cujuſdam manumiſſio. ibid.		126
Caroli Simplicis Præceptum, quo privilegia Corbeiæ collata confirmat. t. III. 347	VI.	411
Præceptum in gratiam Mon. S. Aniani, in Diœceſi Narbonenſi. 367	XIII.	265
Carolus Craſſus Imperator confirmat Præceptum Lotharii Imp. in gratiam Abbatiæ Grandis-Vallis. t. III. 365	VII.	185
Caroli IV. Francorum Regis Ordinatio pro expenſis Domus Reginæ. t. III. 711	XI.	391
Idem jubet Reliquias Capellæ ſuæ Pariſienſis expenſis Domus Dei ad ſe deferri ac eidem Domui Dei non nulla donat. ibid.	VII.	241
Idem Ludovicum Caroli Comitis Valeſiæ patrui ſui filium ſeptennem emancipat. ibid.	VIII.	263
Ejuſdem Epiſtola ad Jacobum Aragonum Regem. 713		282
Carolus V. Monaſterium Cæleſtinorum Meduntæ fundat. 742	XIII.	372
Caroli VI. Epiſtola ad Clementem Papam VII. aliam ad Bonifacium Papam IX. continens. t. I. 785	VI.	114
Ejuſdem Epiſtolæ duæ ad Collegium Cardinalium qui Avenione morabantur. 771		62
Ejuſdem Legatio ad Benedictum Papam XIII. 789		126. & 148
Ejuſdem Literæ, quibus quid ſubſtractionis tempore agendum ſit, decernit. 799		159
Ejuſdem Epiſtolæ, ad Cardinales Romæ morantes, poſt mortem Bonifacii Papæ IX. 801		169

Ad

Ord. v. Tom.	Edit. pag.		
VI.	275	Ad GREGORIUM Papam XII.	803
	277	Ad eumdem.	ibid.
	196	Ad Regem Aragonum.	808
VII.	261	CAROLI VII. Epiſtola ad FRIDERICUM Regem Romanorum.	t. III. 764
IV.	318	Fœdus cum aliquot Principibus Imperii.	765
VII.	286	Epiſtola ad EUGENIUM Papam IV. de fidelitatis juramento, quod ſibi Prælati omnes præſtare debent.	766
	296	Ad eumdem.	767
	297	Ad eumdem.	ibid.
	298	Ad Cardinales.	ibid.
IV.	331	Mandata data ſuis Legatis pro pace Eccleſiæ conciliandâ.	771
VII.	292	Epiſtola ad NICOLAUM Papam V.	772
	250	Ad Cardinalem Nicænum.	773
	252	Ad SIGISMUNDUM Auſtriæ Ducem.	776
	257	Ad NICOLAUM Papam V.	785
	288	Ad eumdem.	ibid.
	300	Ad Ducem Cliveńſem.	786
	301	Ad Archiepiſcopum Colonienſem.	ibid.
	302	Ad JOANNEM Huniad.	787
	303	Ad DIONYSIUM Cardinalem Strigonienſem, & aliquot Hungariæ Proceres.	ibid.
	304	Diploma commeatûs ARNOLDO Duci Romam eunti conceſſum.	ibid.
	283	Epiſtola ad ALFONSUM Aragonum Regem.	ibid.
	284	Ad FRIDERICUM Imperatorem.	788
	294	Ad NICOLAUM Papam V.	791
	282	Ad Archiepiſcopum Moguntinum, ALBERTUM &c.	798
	289	Epiſtolæ duæ ad CALLISTUM Papam III.	ibid.
XI.	403	Epiſtola ad LUDOVICUM Delphinum.	805
VI.	499	Idem Academiam Cadomenſem ab EUGENIO Papa IV. erectam confirmat.	792
IX.	317	CAROLI VII. Legatorum Oratio in Conventu Mantuano.	809
	313	Eorumdem reſponſio ad Orationem PII Papæ II.	810
VIII.	390	CAROLI VIII. Epiſtola ad Cameram Computorum.	t. III. 848
VI.	1	DXXV. Carthaginenſis Synodi ſub BONIFACIO Epiſcopo habitæ pars II.	t. I. 481
	16	DXXXV. Carthaginenſis Synodi ſub REPARATO Epiſcopo habitæ fragmentum.	485
II.	518	Caſalis-Benedicti Monachorum Epiſtola Encyclica, vitam ANDREÆ Abbatis continens.	t. III. 462
V.	361	Caſaurienſis Abbatiæ Chronicon.	t. II. 929
XI.	301	CASTELLIONE (Philippus de) Epiſcopus Trecenſis, inſtituit Canonicos Regg. S. Quintini Belvacenſis in Eccleſia S. Georgii.	t. III. 415
	302	Idem præbendam in Eccleſiâ Cathedrali, & Eccleſiam S. MARIÆ confert Canonicis S. Georgii.	416
VII.	335	Caſtrenſium Abbatum Chronicon.	t. III. 570
IV.	419	Centulenſis Monaſterii Sancti Richarii Chronicon.	t. II. 291
II.	691	CHAVANON (S. Petri de) vita & miracula.	t. II. 155
V.	303	CHLODOVEI I. Francorum Regis, fundatio Abbatiæ Miciacenſis S. Maximini.	t. III. 307
IX.	302	CHRISTIERNI Daniæ Regis Epiſtola ad CAROLUM VII. Francorum Regem.	t. III. 803
VI.	415	CHRISTOPHORI Papæ, Confirmatio privilegiorum Corbeiæ.	t. III. 348
I.	205	CHRODEGANGI Epiſcopi Metenſis Regula Canonicorum.	t. I. 565
XII.	488	Ciſtinienſis Monaſterii Hiſtoria per chartas quaſdam ſelectas.	t. II. 875
II.	705	CLARII primùm Floriacenſis, deinde S. Petri Vivi Monachi, Chronicon S. Petri Vivi Monaſterii Senonenſis.	t. II. 463
VII.	138	CLEMANGIIS (Nicolai de) liber de Studio Theologico, ad JOANNEM de Pedemontio Baccalaureum.	t. I. 473

		Ord. v. Tom.	Edit. pag.
CLEMENS Papa IV. decernit HENRICUM III. Anglorum Regem, & filium ejus EADMUNDUM Regni Siciliæ veros nonquam fuiſſe poſſeſſores.	t. III. 648	IX.	207
Idem ſuo & Apoſtolicæ Sedis nomine Regnum Siciliæ CAROLO Andegaviæ & Provinciæ Comiti confert.	650		214
Idem confirmat privilegia à prædeceſſoribus ſuis LUDOVICO IX Francorum Regi conceſſa.	659	VI.	488
Ejuſdem Epiſtola ad Abbates S. Dionyſii in Franciâ, & S. Germani à Pratis.	ibid.		489
Ejuſdem Epiſtola ad JACOBUM Aragonum Regis filium.	ibid.	VII.	229
CLEMENTIS Papæ VI. Epiſtolæ.			
I. ad JOANNAM Francorum Reginam.	t. III. 721	IV.	271
II. ad eamdem.	723		272
III. ad JOANNEM Archiepiſcopum Rotomagenſem.	ibid.	VII.	242
IV. & reliquæ numero novem ſuprà viginti, ad JOANNEM Regem Francorum, & JOANNAM Reginam, continentes varia privilegia Francorum Regibus conceſſa.	ibid.	IV.	274
Ejuſdem Bulla contra adulteratores monetarum.	730	XI.	392
CLEMENS Papa VII. Regnum Adriæ inſtituit, ac donat LUDOVICO Duci Andegavenſi.	746	X.	213
Ejuſdem Epiſtolæ duæ ad VLADISLAUM Polonum.	753	VII.	236
Cluniacenſis Monaſterii antiquiores Conſuetudines, collectæ à S. UDALRICO Monacho Benedictino.	t. I. 641	IV.	21
Colonienſis Studii Epiſtola ad Academiam Pariſienſem.	t. I. 782	VI.	102
MLXXXV. Compendienſe Concilium, in quo Eccleſiam SS. Acei & Acheoli Canonicis confert Rorico Epiſcopus Ambianenſis.	t. I. 616	II.	601
In eodem privilegia Eccleſiæ SS. Cornelii & Cypriani confirmantur à PHILIPPO I. Francorum Rege.	627		598
Conchenſis Conventus Epiſtola ad RAIMUNDUM Comitem Toloſanum.	t. III. 604	III.	275
Condati in Diœceſi Sueſſionenſi Conſuetudines.	t. III. 550	XIII.	323
CONOSTO (Petri de) Epiſtolæ.			
I. ad Priorem Argentolii.	t. III. 664	II.	551
II. ad Theſaurarium S. Frambaldi.	667		558
III. ad MATTHÆUM Abbatem S. Dionyſii.	ibid.		561
IV. ad Priorem Argentolii.	668		564
Condomenſis olim Abbatiæ, nunc Epiſcopatûs, hiſtoria	t. II. 580	XIII.	432
CONRADUS Burgundiæ Rex Monaſterium Grandis-Vallis inſtaurat.	t. III. 375	VII.	187
Ejuſdem Præceptum, quo varia donat Monaſterio S. Andreæ Viennenſis	380	XIII.	270
Corbeiæ Veteris Statuta antiqua, primitùs ab ADALARDO Abbate ſcripta.	t. I. 586	IV.	1
CORBEIA (Arnaldi de) Cancellarii Regis Francorum Oratio habita in Concilio, ut Obedientia BENEDICTO XIII. ſubtrahatur, donec eſſet unio conſentiat.	t. I. 798	VI.	153
Cuſpiaci Communiæ leges.	t. III. 595	X.	642

D.

		Ord. v. Tom.	Edit. pag.
DEODERICUS Metenſis Epiſcopus plurima Sanctorum corpora in Italiâ reperit.	t. II. 153	V.	139
DESIDERIUS Epiſcopus Morinenſis, confirmat fundationem Abbatiæ Monialium Ord. Ciſterc. in Blendecâ, prope S. Audomarum in Arteſiâ.	t. III. 548	XI.	330
S. Dionyſii Chronicon breve, ad Cyclos Paſchales.	t. II. 491	II.	808
S. Dionyſii in Franciâ Monachi, ſocietatem ineunt cum Monachis S. Remigii Remenſis.	t. III. 33	IV.	129

I. 353 Divionenſis Monaſterii S. Benigni Chronicon. t. II. 357

X. 143 DUNGALI Recluſi Epiſtola ad CAROLUM-MAGNUM. t. III. 324

VIII. 230 DURANNUS Epiſcopus Cabilonenſis litem dirimit inter Epiſcopum Lingonenſem, & Comitem Nivernenſem ac Forenſem, de præbendis Tornodorenſibus. t. III. 600

E.

VII. 175 EBBONIS Archiepiſcopi Remenſis Apologeticum. t. III. 335

XI. 321 EBRARDUS de Madelano nonnulla donat ROBERTO de Arbricellis. t. III. 476

X. 184 EDOARDI Primogeniti Regis Anglorum Literæ procuratoriæ ad contrahendum matrimonium cum ALIENORA ſorore Regis Caſtellæ. t. III. 633

XIII. 294 EMMO & ISABELLA uxor ejus Monaſterio S. Andreæ Viennenſis non pauca donant, ob filii ſuſceptionem in Monachum. t. III. 414

XII. 101 EPHIBII Abbatis teſtamentum. t. III. 318

XIII. 276 ERMENGARDIS Regina Burgundiæ Eccleſiam S. Joannis donat Monaſterio S. Andreæ Viennenſis. t. III. 389

IX. 137 ERMENGARDIS filiæ BERNARDI Vicecomitis Buerrenſis matrimonium cum GAUFRIDO de Roſſilione. t. III. 461

II. 410 ERNULFI Monachi Benedictini, poſtea Roffenſis Epiſcopi, Epiſtola ad WALCHELINUM Epiſcopum Wentanum. t. III. 464

431 Ad LAMBERTUM. 471

V. 565 EUGENII Papæ III. Epiſtola ad Clerum & populum Tornacenſem. t. III. 497

566 Ad LUDOVICUM VII. Francorum Regem. 498

VI. 495 EUGENIUS Papa IV. Academiam Cadomenſem erigit. t. III. 762

XII. 165 EVRARDUS Epiſcopus Ambianenſis perſonatus tres in Eccleſiâ Ambianenſi addit, & eorum reditus ac munia præſcribit. t. III. 689

VI. 17 MLXXXI. Exoldunenſe Concilium, præſide HUGONA Dienſi, A. S. Legato. t. I. 625

IX. 283 EZRICII (Grimaudi) & GUILLELMÆ pactum de matrimonio. t. III. 609

F.

III. 196 FACUNDI Hermianenſis Epiſcopi, Epiſtola in defenſionem trium Capitulorum. t. III. 307

VII. 118 S. FAUSTINI Epiſcopi Sermonis fragmentum. t. I. 215

XII. 634 S. FELICIS Tubzocenſis Epiſcopi & Martyris Paſſio. t. II. 68

FELICIS Papæ V. *Vide* AMEDEI.

193 FERDINANDI Regis Siciliæ Epiſtola ad LAURENTIUM de Medicis. t. III. 843

XIII. 380 Ad LUDOVICUM XI. Regem Francorum. 844

XII. 593 FERNANDI filii ALFONSI Regis Caſtellæ, & BLANCHÆ filiæ LUDOVICI IX. Francorum Regis, matrimonium per Procuratores. t. III. 662

VIII. 272 FARRANDI filii JACOBI Regis Majoricarum, matrimonium cum ISABELLA filiâ PHILIPPI d'Ybelin, Seneſcalli Cypri. t. III. 704

XII. 48 FLORI collectio Legum & Canonum. t. I. 597

III. 185 Fontanellenſis Monaſterii S. Wandregeſili Chronicon. t. II. 263

X. 367 Fontanenſis Monaſterii B. MARIÆ Hiſtoria, à PEREGRINO Abbate ſcripta. t. II. 573

XIII. 348 Foilliacenſium Canonicorum ſtatutum, ad mores reformandos. t. III. 620

XII. 150 FORMOSI Papæ Privilegium in gratiam Monaſterii S. Teuderii. t. III. 366

VIII. 391 FORTUNATI Preſbyteri, Vita S. Medardi Epiſcopi & Confeſſoris. t. II. 70

FRANCISCUS de Tuderto, Cardinalis, Epiſcopus Florentinus, & Innocentii Papæ VI. Major Pœnitentiarius, PETRUM Ducem Borbonenſii excommunicatum ob debita non ſoluta, poſt mortem abſolvit. t. III. 732 VI. 494

Francorum Regum, tam primæ, quàm ſecundæ ac tertiæ ſtirpis Genealogia. t. II. 492 II. 800

FREDERICI Archiepiſcopi Colonienſis Epiſtola ad BRUNONEM Archiepiſcopum Trevirenſem. t. III. 474 X. 639

FRIDERICI Imperatoris Epiſtola ad Comitem Sueſſionenſem. t. III. 536 V. 568

Ad NICOLAUM Epiſcopum Cameracenſem. 537 570

FRIDERICI II. Imperatoris Epiſtola ad Regem Bohemiæ. t. III. 601 II. 572

FRIDERICI III. Imp. Epiſtola ad Sabaudiæ Ducem. t. III. 773 VII. 278

Ad CAROLUM VII. Francorum Regem. 775 IV. 341

Ad eumdem. 795 376

FROLLANDI Epiſcopi Sylvanectenſis Epiſtola ad BERENGARIUM. t. II. 399 II. 509

FULBERTI Epiſcopi Carnotenſis Epiſtola de bonis Eccleſiarum, & rebus ſacris. t. III. 387 827

FULCUINI Abbatis Hiſtoria Abbatum Lobienſium. t. II. 730 VI. 541

Furnenſis Monaſterii B. MARIÆ inſtitutio. t. III. 619 VII. 271

FULCONIS Comitis Andegavenſis, Hiſtoriæ Andegavenſis fragmentum. t. III. 232 X. 392

G.

G. A. Cluniacenſis Monachi Epiſtola ad PETRUM Priorem S. Joannis. t. III. 427 II. 408

GAUCHERI de Salinis matrimonium cum M. de Borbonio diſſolvitur. t. III. 557 VIII. 210

GALEACIO Vicecomiti licentia datur matrimonium contrahendi cum CATHARINA filiâ BARNABOVIS Vicecomitis. t. III. 751 VII. 243

Gallicanæ Eccleſiæ Prælatorum quos Pariſios convocaverat Dux Bedfordiæ, ut ab Eccleſiaſticis viris eadem ſubſidia, quæ a laicis obtineret, reſponſio. t. III. 757 IV. 309

Gallicanæ Eccleſiæ Prælatorum Biturigibus Congregatorum, Epiſtola ad Francorum Regem, quâ petunt ſe à novo quodam ſubſidio liberari. 759 314

GASTO Bearnenſis Vicecomes filiam ſuam GUILLELMAM SANCIO Regis Caſtellæ filio nuptum dare ſpondet. t. III. 382 IX. 125

GAUFRIDUS Griſea-gunella dictus, Andegavenſis Comes, Monachus in Eccleſiâ S. Albini conſtituit. t. III. 377 VI. 421

GAUFRIDI de Roſſilione, & ERMENGARDIS filiæ BERNARDI Vicecomitis Buerrenſis matrimonium. t. III. 461 IX. 137

GAUFRIDI Epiſcopi Catalaunenſis Epiſtola ad STEPHANUM Epiſcopum Pariſienſem. t. III. 492 III. 164

GAUFRIDI de Meduanâ Epiſtola ad PETRUM Abbatem SS. Sergii & Bacchi. t. III. 486 II. 507

GAUFRIDUS Epiſcopus Carnotenſis, eligendi Decani licentiam Canonicis concedit. t. III. 480 XIII. 304

Ejus Epiſtola ad HENRICUM Archiepiſcopum Senonenſem. 489 III. 154

Ad STEPHANUM Epiſcopum Pariſienſem. 491 160

Altera ad eumdem. 492 163

GAUFRIDUS Epiſcopus Avenionenſis litem inter Epiſcopum Cabellionenſem, ac Monachos S. Andreæ dirimit. t. III. 518 VII. 207

GAUFRIDUS de Bario Pauperibus Magiſtris in Theologicâ facultate ſtudentibus Pariſiis donat, quæ ſibi à ROBERTO de Sorbonâ collata fuerant. t. III. 679 VIII. 249

GAUFRIDI Epiſcopi Ambianenſis ordinationes pro Canonicis S. Matthæi de Foilliaco. t. III. 615 XIII. 339

*GAUSBERTUS eligitur Epiſc. Cadurcenſis. t. III. 379 VIII. 154

in Tribus Voluminibus Concentorum.

Ord. v. Edit. Tom.	pa.	
XI.	201	Gelant (Nicolai) Epiſcopi Andegavenſis, Statuta Synodalia. t. I. 726
V.	581	Gelasii Papæ Epiſtola ad Rusticum Epiſcopum Lugdunenſem. t. III. 504
XIII.	588	Gellonenſe Martyrologium, ſive S. Guillelmi de Deſerto. t. II. 25
VI.	505	Gemblacenſium Abbatum Geſta. t. II. 759
IV.	403	Georgii Pogiebracii Bohemiæ Regis, Epiſtola ad Matthiam Corvinum Hungariæ Regem. t. III. 830
VIII.	161	Geraldi de Gordonio, Cadurcenſis Epiſcopi, teſtamentum. t. III. 415
II.	403	Geraldi Epiſcopi Cadurcenſis Epiſtola ad Fridericum Imperatorem. t. III. 519
VII.	263	Geraldus Amicus à Bertrando Cavellicenſi monitus, S. Andreæ Monaſterio non nulla reſtituit. t. III. 578
XIII.	337	Gerardus Epiſcopus Noviomenſis approbat Noſocomii fundationem. t. III. 585
XI.	296	Gervasius Eccleſiam S. Guingualoei dat Majori-Monaſterio, amotis inde Canonicis. t. III. 409
XII.	187	Girardus Epiſcopus Eduenſis, & Joannes Miles Eccleſiam S. Hilarii Sinimori Brienneuſis fundant. t. III. 679
VII.	200	Giruinus & uxor ejus Constantia non pauca donant Monaſterio ſancti Andreæ Avenionenſi. t. III. 584
XII.	622	Gladbacenſis Monaſterii S. Viti fundationis Hiſtoria. t. II. 655
VIII.	263	Godefridus Epiſcopus Ambianenſis, confirmat quæ Lehunenſi Monaſterio donata ſunt à Roberto Flandrenſi Comite, & a Roberto Peronenſi. t. III. 418
	271	Idem confirmat quæ Lehunenſi Monaſterio ab Oberto Præpoſito donata ſunt. t. III. 464
XIII.	379	Godefridi (Joannis) Cardinalis Albienſis, Epiſtola ad Ludovicum XI. Francorum Regem. t. III. 823
VII.	314	Ejuſdem Oratio de promotione Joannis Baluë ad Cardinalatum. 825
VIII.	328	Ejuſdem Oratio ad Henricum Regem Caſtellæ. 835
XII.	196	Golscheri Monachi, Hiſtoria Epiſcoporum Trevirenſium. t. II. 208
VIII.	161	Gordonio (Geraldi de) Cadurcenſis Epiſcopi, teſtamentum. t. III. 415
XIII.	327	Gornaco (Hugo de) fundat ac dotat Abbatiam Belloſaneoſem Canonicorum Ordinis Præmonſtratenſis. t. III. 559
IV.	232	Gregorii Papæ VI. Literæ ad univerſos fideles, quibus eos ut indigenti Romanæ Eccleſiæ ſubveniant, hortatur. t. III. 198
II.	508	Gregorii Papæ VII. literæ commendatitiæ datæ Berengario poſt Concilium Romanum. t. III. 413
VII.	206	Gregorii IX. (Acherio VII videtur) Epiſtola ad Dominos Nigellæ & Bovæ. t. III. 410
III.	271	Gregorii Papæ IX. Epiſtolæ, I. ad Archiepiſcopum Arelatenſem, & Epiſcopum Arauſicanum. t. III. 603
	272	II. ad Petrum de Collemedio, Apoſtolicæ Sedis legatum. ibid.
	273	III. ad eumdem. ibid.
	274	IV. & V. ad Raimundum Comitem Toloſanum. ibid.
	276	VI. ad Epiſcopum Tornacenſem. 604
	277	VII. ad Ludovicum IX. Francorum Regem. ibid.
	279	VIII. ad Reginam Francorum. 605
	ibid.	IX. ad Comitem Toloſanum. ibid.
	280	X. ad Epiſcopum Tornacenſem. ibid.
	281	XI. ad Comitem Toloſanum. ibid.
	283	XII. ad Prælatos Provinciæ. 606
	ibid.	XIII. ad Comitem Toloſanum. ibid.
VI.	484	XIV. ad Ludovicum IX. Francorum Regem. ibid.

	Tom.	pag.
Gregorii Papæ XI. Epiſtola ad Guidonem de la Tremoille. t. III. 737	IX.	289
Idem Carolo V. & ſucceſſoribus ejus concedit, ut Capellam Montis Calvariæ Hieroſolymis conferre poſſint. 738	IV.	298
Idem Carolo V. ac Joannæ Reginæ concedit, ut ova, lac, butirum, & caſeum in Quadrageſimâ poſſint comedere. ibid.		300
Ejus teſtamentum. ibid.	VI.	675
Gregorius Cardinalis Preſbyter & Pontius Abbas Cluniacenſis, litem inter Epiſcopum Baſileenſem, ac Monachos S. Blaſii dirimunt. t. III. 477	VIII.	172
Grimaudi Exuciis & Guillelmæ pactum de matrimonio. t. III. 609	IX.	283
Grollaye de Villiers (Joannis de la) Epiſcopi Lomberienſis, Epiſtola ad Ludovicum XI. Regem Francorum. t. III. 847	X.	661
Gualterus Epiſcopus Lingonenſis Carthuſiam Luviniacenſem fundat. t. III. 542	IV.	264
Gualteri Abbatis S. Martini Laudunenſis Epiſtola ad Gerauldum Epiſcopum Tornacenſem. t. II. 500	II.	445
Gualteri de Mauritaniâ Epiſcopi Laudunenſis Epiſtolæ, I. ad Guillelmum Monachum. t. III. 520		459
II. ad univerſos fideles. ibid.		462
III. ad Magiſtrum Theodericum. 522		467
IV. ad Magiſtrum Albericum. 523		469
V. ad Petrum Abaëlardum. 525		473
Corregiati (Guidonis) teſtamentum. t. III. 542	IX.	151
Guarilla (Humberti) teſtamentum. t. III. 445		232
Guidonis Gueregiati teſtamentum. t. III. 542		251
Guifredi Comitis Ceritanenſis teſtamentum. t. III. 392	VI.	432
Guigonis Comitis Forenſis, Concordia cum Clericis Eccleſiæ Lugdunenſis. t. III. 539	IX.	149
Guillelmus Burgundiæ Dux non nulla donat Monaſterio Viennenſi S. Andreæ. t. III. 389	XIII.	277
Guillelmus Aquitaniæ Dux decernit, ut menſæ Canonicorum Burstenſium ablata reſtituantur. t. III. 370	XI.	282
Guillelmus Aquitaniæ Dux Monaſterium S. Mariæ in ſuburbio Pictavenſi fundat, in uſum Monachorum Cluniacenſium. t. III. 411		300
Idem Monaſtam de Niort donat Monaſterio Cluniacenſi. t. III. 413	VI.	459
Guillelmi Domini Montiſpeſſulani, ac Bertrandi de Andutiâ pactum, pro matrimonio filii & filiæ ipſorum. t. III. 457	VIII.	165
Guillelmi Domini Montiſpeſſulani Teſtamentum. t. III. 498	IX.	140
Guillelmi Montiſpeſſulani Domini donatio propter nuptias, facta Mathildi ſorori Ducis Burgundiæ. t. III. 526	VIII.	194
Guillelmi Domini Montiſpeſſulani juſjurandum præſtitum Joanni Epiſcopo Magalonenſi. t. III. 548	X.	171
Guillelmus Montiſpeſſulani Dominus, matrimonium contrahit cum Agnete. t. III. 548		641
Guillelmi Montiſpeſſulani pactum de futuro matrimonio filii ſui cum Tiburga filiâ Raimundi Atonis. t. III. 555	VIII.	105
Ejuſdem Sacramentum fidelitatis, factum Raimundo Comiti Toloſano. 556	X.	172
Guillelmi Montiſpeſſulani Domini teſtamentum. t. III. 561	IX.	155
Guillelmi de Nangis, Monachi S. Dionyſii in Franciâ, Chronicon. t. III. 1.	XI.	405
Guillelmi Comitis Toloſani, & Guillelmi Comitis Barcinonenſis Concordia pro caſtro de Lauraco. t. III. 417	X.	262
Guillelmi Comitis Forcalquerii, & Margaretæ ejus uxoris Epiſtola ad Blancham Trecenſem Co-	XI.	365

Ord. v. Tom.	Edit. pag.	
		mitiſſam. t. III. 575
XI.	317	GUILLELMUS Epiſcopus Petragoricenſis, ROBERTO de Arbricellis locum, qui in Sylvâ Caduni dicitur Salvitas, donat. t. III. 475
	381	Idem varia dona ROBERTO de Arbricellis collata confirmat. 476
XIII.	338	GUILLELMUS Epiſcopus Noviomenſis, in Noſocomio ejus urbis Presbyteros ſex degere jubet. t. III. 585
VI.	482	GUILLELMUS Archiepiſcopus Rotomagenſis, Dominium Regis in Normanniâ ab interdicto liberat. t. III. 695
	483	Ejuſdem, ac cæterorum Normanniæ Prælatorum Epiſtola ad PHILIPPUM IV. R. F. de Jure patronatûs. ibid.
X. & XIII. App.	247 227	GUILLELMI Majoris, ſive le Maire, Epiſcopi Andegavenſis, Geſta ab ipſomet ſcripta. t. II. 159
XI.	201	GUILLELMI Majoris, Epiſcopi Andegavenſis, Statuta Synodalia. t. I. 735
IX.	180	GUILLELMUS Abbas S. Eparchii, quid de bonis Monaſterio ſuo à Guilelmo Sudra & uxore ejus Ermengardâ collatis faciendum ſit præſcribit. t. III. 610
VIII.	362	GUILLELMUS Præpoſitus Caducenſis juſjurandum præſtat, ſe perſonas, jura, ac libertates Eccleſiæ Caducenſis defenſurum. t. III. 437
IX.	334	GUILLELMI Abbatis, Chronicon Andrenſis Monaſterii. t. II. 781
VIII.	364	GUILLELMUS Vicecomes S. Cyrici non nulla donat Eccleſiæ Cadurcenſi. t. III. 438
XIII.	298	GUILLELMUS Comes Moretonii Abbatiam Sſ. Trinitatis pro Monialibus fundat. t. III. 440
XI.	318. & 320	GUILLELMUS de Bivontio non nulla donat ROBERTO de Arbricellis. t. III. 475 & 476
VIII.	196	GUILLELMUS de Rocamaurâ & PETRUS ejus frater non nulla donant Monaſterio S. Andreæ. t. III. 537
IX.	148	GUILLELMI de Tortoſâ teſtamentum. t. III. 586
XI.	339	GUILLELMI de Turre matrimonium cum SIBILIA filiâ ARNALDI de Villis paſſantis. t. III. 541
	360	GUILLELMUS de Turre & GUILLELMA matrimonium ineunt. t. III. 565
VII.	299	GUILLELMI de Urſinis Franciæ Cancellarii, Epiſtola ad NICOLAUM Papam V. t. III. 785
VIII.	180	GUNZONIS Levitæ Novarienſis Epiſtola ad ATTONEM II. Epiſcopum Vercellenſem. t. I. 437
		H.
VII.	225	H. Epiſcopi Maſſilienſis Epiſtola ad INNOCENTIUM Papam IV. t. III. 624
XII.	27	HAIMONIS Commentarii in Epiſtolam I. ad Corinthios fragmentum. t. I. 42
IV.	419	HARIULFI Monachi, Hiſtoria Monaſterii Centulenſis S. Richarii. t. II. 291
VII.	197	HELDEBERTUS Epiſcopus Avenionenſis, non pauca donat Monaſterio S. Andreæ. t. III. 384
XII.	137	HELEGRINA dotem ſuam SISENANDO vendit. t. III. 360
II.	372	HELIÆ Hieroſolymorum Patriarchæ Epiſtola ad CAROLUM Calvum Imperat. Epiſcopos, ac Nobiles Galliarum. t. III. 363
VII.	190	HELIAS Cenomanenſis Comes, non nulla donat Monaſterio S. Petri de Culturâ. t. III. 459
X.	637	S. HENRICUS Alemannorum Rex poſtmodum Imperator, Epiſcopo & Abbati S. Michaelis in Porcarianâ omnia bona & jura ſua confirmat. t. III. 386
II.	390	HENRICI IV. Imperatoris Epiſtolæ tres ad HUGONEM Abbatem Cluniacenſem. t. III. 441
	397	Quarta ad eumdem. 443
II.	399	HENRICI Romanorum Regis Epiſtola ad Monachos Cluniacenſes. t. III. 449
XIII.	285	HENRICUS I. Francorum Rex fiſcum Unigradum immunem Eccleſiæ Carnutenſi concedit. t. III. 398

	Ord. v. Tom.	Edit. pag.
Ejuſdem Diploma, quo injuſtam conſuetudinem in orbe Aurelianenſi abrogat. 401	VIII.	156
HENRICI II. Anglorum Regis Epiſtola ad INNOCENTIUM Papam II. t. III. 484	II.	457
HENRICUS III. Anglorum Rex & LUDOVICUS PHILIPPI Auguſti filius pacem ineunt certis quibuſdam legibus. t. III. 586	IX.	171
HENRICI Comitis Ruthenenſis teſtamentum. 593		174
HENRICI IV. Anglorum Regis Epiſtola ad NICOLAUM de Cuſa S. R. E. Cardinalem. t. III. 803	IV.	394
HENRICI Portugalliæ & RAIMUNDI Gallæciæ Comitum Epiſtola ad HUGONEM Abbatem Cluniacenſem. t. III. 418	III.	122
HENRICI Archiepiſcopi Senonenſis Epiſtola ad STEPHANUM Epiſcopum Pariſienſem. t. III. 490		158
HENRICUS Epiſcopus Trecenſis S. BERNARDUM, & Clarevallenſes Monachos mittit in poſſeſſionem Bulenceriæ. t. III. 501	X.	640
HENRICI Huntindonenſis Epiſtola de contemptu mundi, ad Walterum. t. III. 503	VIII.	178
HERIBERTUS Viromandorum Comes, jura & libertates Abbatiæ S. Præjecti in urbe S. Quintini aſſerit. t. III. 410	XII.	156
HERIMANNI Abbatis Narratio reſtaurationis Abbatiæ S. Martini Tornacenſis. t. II. 883		358
HERIVEI Epiſcopi Eduenſis teſtamentum, quo non pauca Eccleſiæ ſuæ confert. t. III. 371	VIII.	151
HIEREMIÆ Archiepiſcopi Senonenſis Epiſtola ad Amalarium. t. III. 330	VII.	165
S. HIERONYMI nomine inſignitum Martyrologium. t. II. 1	IV.	617
HIERONYMI Epiſtola ad CONSTANTIUM, ſive Prologus ejus Operis quod inſcribitur *Comes*. t. III. 301	XIII.	253
HILDEBERTI Cenomanenſis Epiſcopi, ac deinde Archiepiſcopi Turonenſis Epiſtolæ, I. ad GUILLELMUM Wincestrenſem Epiſcopum. t. III. 450	IV.	244
II. III. IV. V. VI. VII. ad Amicos. ibid.		245
VIII. ad HONORIUM Papam. 453		256
IX. ad Epiſcopum qui ſandalia miſerat. ibid.		257
X. ad Epiſcopum quemdam. ibid.	XIII.	Ap. 260
XI. ad HENRICUM Anglorum Regem. 454		ibid.
XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. ad diverſos. ibid.		262
XVIII. XIX. XX. XXI. ad INNOCENTIUM Papam II. 455		267
XXII. ad amicum. 456		271
XXIII. ad RADULFUM Epiſc. Dunelmenſem. ibid.		ibid.
XXIV. ad Algarum Priorem S. Cuthberti. 457		272
HILDEBURGIS Ibrienſis Comitiſſæ Vita. t. II. 153	II.	686
S. HILDEFONSI Epiſcopi Toletani Epiſtolæ duæ ad QUIRICIUM Epiſcopum Barcinonenſem. t. III. 314. 315	I.	310. 312
HINCMARI Archiepiſcopi Remenſis Epiſtola ad CAROLUM Calvum. t. III. 337	II.	822
HONORII Papæ II. Epiſtola ad Canonicos Eccleſiæ Turonenſis. t. III. 479	III.	149
Ad LUDOVICUM VI. Francorum Regem. ibid.		150
Ad ALEXANDRUM Epiſcopum, & ad Clerum Leodienſem. ibid.	XII.	158
HONORIUS Papa III. Regulam Noſocomii Noviomenſis approbat. t. III. 585	XIII.	336
HUGONIS Italiæ Regis & Comitis Provinciæ Præceptum, quo confirmat quæ Monaſterio S. Theuderii collata ſunt. t. III. 372	XII.	147
HUGO Burgundiæ Dux Eccleſiam in caſtro de Avalone donat Monachis Cluniacenſibus. t. III. 412	VI.	454
HUGO Comes Trecenſis & uxor ejus Conſtantia, terram Rumiliacum donant Eccleſiæ Moliſmenſi. t. III. 437	IV.	237
HUGONIS Archiepiſcopi Lugdunenſis Epiſtola ad ROBERTUM Flandriæ Comitem. t. III. 423	V.	552

A.

Ord. Tom.	v. Edit. pag.	
II.	405	Ad Mathildem Comitiſſam. 426
VI.	457	Hugo Nivernenſis Epiſcopus Eccleſiam, ſive Monaſterium S. Stephani inſtaorat, atque ibi Canonicos inſtituit. t. III. 404
XIII.	513	Hugo Epiſcopus Autiſſiodorenſis complurium Eccleſiarum decimas Canonicis ſuis concedit eâ lege, ut totâ quadrageſimâ communiter comedant. t. III. 424
VIII.	255	Hugonis Epiſcopi Eduenſis, & Raoulfi Archiepiſcopi Lugdunenſis Ordinationes pro adminiſtratione Archiepiſcopatûs & Epiſcopatûs, ſede vacante. t. III. 693
VI.	445	Hugonis Abbatis Cloniacenſis Statuta in gratiam Alfonsi Hiſpaniarum Regis. t. III. 408
	448	In gratiam Lamberti Abbatis S. Bertini. ibid.
II.	401	Hugonis Abbatis Cloniacenſis Epiſtola ad Philippum I. Francorum Regem. t. III. 443
	400	Hugonis Abbatis Cluniacenſis Epiſtola ad Friocricum Imperatorem. t. III. 526
III.	446	Hugonis Pictavini Hiſtoria Monaſterii Vizeliacenſis. t. II. 498
IV.	261	Hugo Caſtrinovi Dominus confirmat ea quæ Canonicis Regg. S. Vincentii in Nemore donaverat. t. III. 488
XIII.	337	Hugo de Gornaco fundat ac dotat Abbatiam Belloſanenſem Canonicorum Regg. Ord. Præmonſtrat. t. III. 559
VIII.	367	Hugo de la Roccâ filium ſuum offert in Eccleſiâ Cadurcenſi. t. III. 560
XIII.	333	Hugo de Vers, & Thomas ejus alumnus duas præbendas fundant in Eccleſiâ S. Matthæi de Foilliaco. t. III. 574
IX.	181	Humberti Bellijoci, & Guichardi ejus filii Statuta, quibus libertates civium Bellævillæ aſſeruit. t. III. 611
	187	Humberti Bellijoci, & fratrum ejus pactum de ſe invicem tuendis. 623
	189	Humbertus Bellijoci Elizabetham filiam, viduam Simonis de Luzi, Rainaudo de Foreſio nuptum dat. ibid.
	132	Humberti Guerillæ teſtamentum. t. III. 445
IV.	392	Honiad (Joannis de) Epiſtola ad Dionysium Cardinalem Strigonienſem. t. III. 801
		I.
IX.	176	Jacobus Aragonum Rex pactum init cum aliquot Principibus viris, ad bellum Saracenis in inſulis Balearibus inferendum. t. III. 597
VIII.	383	Ejuſdem Edictum pro pace & treugâ ſervandâ. 598
VII.	211	Ejuſdem Tranſactio cum Epiſcopo & Capitulo Barcinonenſi, de electione Epiſcopi Majoricarum. 602
X.	181	Ejuſdem Tranſactio cum Joanne Epiſcopo Magalonenſi. 622
IX.	198	Ejuſdem Teſtamentum. 638
	245	Ejuſdem alterum teſtamentum. 673
	267	Idem abdicato regno, Monaſticum habitum induit. 682
	262	Jacobus Jacobi Aragonum Regis filius, procuratores conſtituit ad contrahendum matrimonium cum Sclarmunda filiâ Rogerii Comitis Fuxenſis. 680
VIII.	277	Jacobi Aragonum Regis Epiſtola ad Carolum IV. Regem Francorum. 712
X.	197	Ejus concordia cum Jacobo Rege Majoricarum. 713
XII.	169	Jacobi Abbatis S. Bertini, Leges villæ de Arkes. 607
X.	243	Jacobi Scotiæ Regis Epiſtola ad Carolum VII. Regem Francorum. t. III. 801
VIII.	373	Jacobi de Vitriaco Epiſcopi Acconenſis, Epiſtola ad Honorium Papam III. t. III. 590
IV.	366	Jacobi Juvenalis de Urſinis, Epiſcopi Pictavenſis, Epiſtola ad Cameram Computorum. t. III. 784
VII.	260	Jani de Campofregoſo Januenſium Ducis, Epiſtola

	Ord. Tom.	v. Edit. pag.
ad Carolum VII. Regem Francorum. t. III. 763		
Ibalii Epiſcopi Barcinonenſis Epiſtola ad Julianum Epiſcopum Toletanum. t. III. 316	I.	313
Ad Zuntfredum Epiſcopum Narbonenſem. 317		316
Jausaranna de Medullione vidua, Deo ſe offert, & nonnulla donat Monaſterio ſancti Andreæ. t. III. 596	VII.	264
Ildebrandus Longobardus dotem dat conjugi ſuæ Inoæ. t. III. 398	XII.	255
Ildefonsus Aragonum Rex Hugoni Comiti Rutenenſi Vicecomitatum Carlatenſem lege feudi concedit. t. III. 539	X.	168
Ejus pactum cum Bernardo Atonis Vicecomite Nemauſenſi. 543		174
Idem Monaſterium S. Mariæ de Sylvâ Regali fundat. t. III. 516	III.	168
Incerti Sermo in Natali Domini. t. I. 41	XI.	279
Incerti Adnotatio de Synodis. 507	X.	632
Incerti Epiſtola ad Magiſtrum Militiæ Templi. t. III. 501	II.	511
Incerti Opuſculum de Corpore & Sanguine Domini. t. I. 149	XII.	39
Incerti Genealogia Regum Francorum, tam primæ, quàm ſecundæ ac tertiæ ſtirpis. t. II. 492	II.	800
Incerti Proſapia Rollonis primi Normanniæ Ducis. 494		802
Incerti Deſcriptio temporum quibus varii Ordines inſtituti ſunt. 492		8c-
Incerti Chronicon Eccleſiæ S. Dionyſii, ad Cyclos Paſchales. 495		803
Incerti Chronicon Monaſterii Moſomenſis S. Mariæ. 561	VII.	623
Incerti Hiſtoria fundationis Monaſterii S. Viti Gladbacenſis. 655	XII.	622
Incerti Chronicon Cœnobii Valciodorenſis. 709	VII.	518
Incerti Hiſtoria Abbatum Gemblacenſium. 759	VI.	505
Incerti Hiſtoria Monaſterii Afflighemienſis. 769	X.	51.
Incerti brevis Hiſtoria Cœnobii Viconienſis. 871	XII.	512
Incerti Hiſtoria Monaſterii Ciſonienſis. 875		486
Incerti Chronicon Epiſcoporum Metenſium. t. II. 224	VI.	661
Incerti, ſed Monachi S. Dionyſii in Franciâ, continuatio Chronici Guillelmi de Nangis. t. III. 54	XI.	603
Incerti, altera continuatio ejuſdem Chronici. t. III. 104		785
Incerti Chronicon Barcinonenſe. t. III. 140	X.	611
Incerti, ſed Monachi Majoris Monaſterii, Geſta Conſulum Andegavenſium. t. III. 234		399
Incerti, Geſta Dominorum Ambaſienſium. t. III. 273		511
Incerti Chronicon Fontanellenſis Monaſterii S. Wandregeſili. 262	III.	185
Incerti Chronicon Monaſterii S. Benigni Divionenſis. 353	I.	373
Incerti Epiſtola ad Monachos S. Benigni Divionenſ. t. III. 381	II.	390
Incerti Epiſtola ad Incertum. t. III. 545		456
Incerti Epiſtolæ duæ ad Stephanum Epiſcopum Pariſienſem. t. III. 491	III.	162
Incerti, ſed Nobilis Galli, Epiſtola ad Eugenium Papam IV. t. III. 766	VII.	285
Incerti, ſed Abbatis Monaſterii S. Germani, Epiſtola ad Widonem Epiſcopum Virdunenſem, de Hungaris. t. III. 368	XII.	349
Ejuſdem, cur Eccleſiæ in memoriam SS. Veteris Teſtamenti non dedicentur. 370		356
Ingelrannus Abbatiam Hamenſem fundat. t. III. 418	XI.	304
Indulgentiæ conceſſæ in dedicatione Eccleſiæ S. Mariæ de Correno. t. III. 405	VI.	441
Innocentii Papæ II. Epiſtola ad Hugonem Archiepiſcopum Rotomagenſem. t. III. 484	II.	458
Ad Petrum Abbatem Cluniacenſem. 486		481

Ord. v. Tom.	Edit. pag.	
III.	552	Ad Lodovicum VI. Francorum Regem. 488
	154	Ad Gaufridum Carnutenſem, & Stephanum Pariſienſem Epiſcopos. 489
	155	Ad Stephanum Pariſienſem. *ibid.*
V.	564	Ad Alvisum Aquicinctinom Abbatem. 495
	567	Ad Remenſem ac Senonenſem Archiepiſcopos. *ibid.*
VIII.	177	Ad Gaufridum Carnutenſem, & Stephanum Pariſienſem Epiſcopos. *ibid.*
XII.	54	Innocentius Papa III. confirmat Statuta Noſocomii Ambianenſis. t. I. 723
VI.	463	Innocentii Papæ III. Epiſtolæ duæ ad Philippum II. Francorum Regem. t. III. 577
V.	573	Epiſtola ad Joannem Anglorum Regem, quâ Angliæ regnom in feudom recipit. 578
VII.	231	Innocentii Papæ IV. Epiſtola ad Epiſcopum, Clerum, & populum inſulæ Majoricarum. t. III. 629
	235	Ejuſdem Epiſtola ad Abbatem Monaſterii Regalis. *ibid.*
VI.	271	Innocentii Papæ VII. Epiſtola ad Academiam Pariſienſem. t. I. 801
XII.	62	Joanna Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſa, domum Hoſpitalem Inſulis fundat. t. III. 617
	63	Eidem leges dat. *ibid.*
X.	208	Joanna renuntiat bonis mobilibus ac debitis Philippi Navarræ Regis mariti ſui, nuper facto functi. t. III. 721
V.	629	Joannæ filiæ Ludovici XI. Francorum Regis, ac Biturigum Duciſſæ, teſtamentum. t. II. 849
II.	387	Joannis Papæ XIX. Epiſtola ad S. Odilonem Abbatem Cluniacenſem. t. III. 381
XII.	72	Joannes Papa XXII. confirmat Statutum quoddam Noſocomii Belvacenſis. t. I. 716
XI.	388	Ejuſdem Epiſtola ad Carolum Comitem Marchiæ. t. III. 709
VII.	239	Ejuſdem Epiſtola ad Sancium Regem Majoricarum. *ibid.*
VIII.	283	Idem Ludovicum Borboneſii Ducem à juramento quodam abſolvit. 718
	284	Idem cum Jacobo de Borbonio Ludovici Ducis filio diſpenſat, ut matrimonium in tertio conſanguinitatis gradu contrahere poſſit. 719
VI.	254	Joannis Papæ XXIII. electio. t. I. 827
X.	215	Joannes Francorum Rex Ordinem Militum Stellæ inſtituit. t. III. 730
	218	Idem fundat Eccleſiam Canonicorum S. Audoeni pro dictis Militibus, ſub nomine Nobilis Domûs. 731
	221	Eam fundationem confirmat. 732
XIII.	376	Idem Lodovico alteri filiorum Comitatus Cenomaniæ & Andegaviæ confert. 733
VIII.	213	Joannes Portugalliæ Rex Alcobaciæ Monaſterio Monaſterium Ceicenſe donat. t. III. 558
III.	170	Joannis Anglorum Regis Epiſtola ad Stephanum Archiepiſcopum Cantuarienſem. 568
XII.	573	Ejuſdem Ordinationes ad tranquillitatem Regni ſtabiliendam. 579
IV.	389	Joannis Cardinalis S. Angeli Epiſtola ad Calliſtum Papam III. t. III. 800
	397	Ejuſdem Epiſtola ad Carolum VII. Regem Francorum. t. III. 804
		Joannis Godefridi. *Vide* Godefridi.
XII.	74	Joannis Epiſcopi Belvacenſis literæ de Juriſdictione Epiſcopali in Noſocomium Belvacenſe. t. I. 717
X.	281	Joannis Epiſcopi Magalonenſis concordia cum Jacobo Aragonum Rege. t. 3. 612.
	658	Joannis Borbonii, Epiſcopi Anicienſis, Epiſtola ad Ludovicum XI. Regem Francorum. t. III. 839
VIII.	345	Joannis Borbonii Ducis, Leges in blaſphemos latæ. 846
X.	661	Joannis de la Grollaye de Villiers, Epiſcopi Anicienſis, Epiſtola ad Ludovicum XI. 847
XII.	187	Joannes Miles cum Girardo Epiſcopo Eduenſi,

	Ord. v. Tom.	Edit. pag.
fundat Eccleſiam Collegiatam S. Hilarii Sinimori Briennenſis t. III. 679		
Joannis Monachi, Chronicon Abbatiæ Beſuenſis. t. II. 400	I.	489
Joannis Beraldi Hiſtoria Monaſterii Caſaurienſis. t. II. 929	V.	561
Joannis de Huniad Epiſtola ad Dionysium Cardinalem Strigonienſem. t. III. 801	IV.	392
Joannis de Lucemburgo, & uxoris ejus teſtamentum. t. III. 757	IX.	286
Joannes Martini ſe, ac liberos tradit Girardo Comiti Ruſcionenſi. t. III. 536	XIII.	314
Jonæ Epiſcopi Aurelianenſis libri tres de Inſtitutione Laicali. t. I. 258	I.	1
Opuſculum de Inſtitutione Regiâ. 324	V.	57
Jonas Epiſcopus Eduenſis, multa Eccleſiæ ſuæ confert. t. III. 356	VIII.	142
Idem fundatam à Tancrado, & ab Ahardo ejus filio dotatam Eccleſiam conſecrat. 357		145
Joſephi Sacerdotis, ex Cancellario Regis Aquitanorum Præceptoris Regis Ludovici, Hiſtoria tranſlationis corporum SS. Ragnoberti & Zenonis. t. II. 127	XII.	600
Isaaci Abbatis Stellæ Epiſtola ad Joannem Epiſcopom Pictavenſem. t. I. 449	I.	345
S. Isidori Hiſpalenſis Epiſcopi liber de Ordine Creaturarum, ad Braulium Epiſcopum. t. I. 225		268
Isidori Cardinalis Sabinenſis ſive Ruthenenſis, Epiſtola ad univerſos fideles de expugnatione Conſtantinopolis. t. III. 793	VIII.	186
Itarius de Moyſidano non nulla donat Roberto de Arbricello. t. III. 476	XI.	320
Juhelli Archiepiſcopi Turonenſis Decreta pro Eccleſiâ Briocenſi. t. III. 612	II.	606
Justi Epiſcopi Orgelitani Epiſtola ad Siricium Papam. t. III. 312	III.	119
L.		
Ladislai Hungariæ Regis Epiſtola ad Calliſtum Papam III. t. III. 799	IV.	386
Lamberti Epiſcopi Atrebatenſis conſecratio Romæ. t. III. 421	V.	543
Epiſtola ad Rainoldum Archiepiſcopum Remenſem. 422		548
Ad Capitulum Eccleſiæ Remenſis. 423		
Iter ad Clarum-montem. 425	556 & 558	
Lanfranci è Monacho Beccenſi Archiepiſcopi Cantuarienſis Sermo, ſive ſententiæ. t. I. 442	IV.	227
Lateranenſis Concilii anni MCLXXIX. ſubſcriptiones. t. I. 636	XI.	638
Lateranenſis Concilii IV. Sententia de terrâ Albigenſi. 707	VII.	210
De eodem Narratiuncula. *ibid.*		209
Lauſanenſis Synodi Decretum, quo abrogat cenſuras occaſione Schiſmatis inflictas. t. III. 778	IV.	347
Alterum, quo rata eſſe decernit quæ Schiſmatis tempore acta ſunt. 780		352
Laurentii Abbatis Weſtmonaſterienſis Epiſtola ad Alienorem Anglorum Reginam. t. III. 328	II.	455
Laurentii de Leodio Monachi, Hiſtoria Epiſcoporum Virdunenſium. t. II. 241	XII.	274
Leodio (Laurentii de) Monachi, Hiſtoria Epiſcoporum Virdunenſium. t. II. 241		*ibid.*
Leonis Papæ VII. Epiſtola ad Hugonem Francorum Principem, ac S. Martini Turonenſis Abbatem. t. III. 373	II.	375
Leonis Papæ IX. confirmatio privilegiorum Corbeiæ. t. III. 349	VI.	417
Epiſtola ad Francos, quâ eos ut ſui Apoſtoli Remigii Remenſis feſtum celebrent, hortatur. t. III. 398	II.	456
Leontii Arelatenſis Epiſtola ad Hilarium Papam. t. III. 302	V.	578

Digitized by Google

Ord. v. Edit. Tom.	pag.	
XIII.	278	Leudegarius Archiepiſcopus Viennenſis Monachis S. Audiæ, ne quid de rebus obedientiarum ſibi commiſſarum uſurpent, prohibet. t. III. 389
II.	368	Liciniani Epiſcopi Epiſtola ad Gregorium Papam I. t. III. 313
VI.	541	Lobienſium Abbatum Geſta. t. II. 730
	24	Meix. Loſdooenſe Concilium celebratum à Girardo Epiſcopo Engoliſmenſi. t. I. 632
XII.	107	Lotharii Imp. Præceptum, quo Amoloni Archiepiſcopo Lugdunenſi prædia quædam reſtituuntur. t. III. 339
	109	Præceptum, quo Remigio Archiepiſcopo Lugdunenſi alia prædia reſtituit. 340
	110	Præceptum, quo eidem alia bona reſtituit. ibid.
VIII.	141	Præceptum, quo villam quamdam Jonæ Epiſcopo Eduenſi reſtituit. ibid.
VII.	184	Præceptum, quo confirmat fundationem Abbatiæ Grandis-vallis. 339
XII.	312	Præceptum, quo S. Petri Juſenſium Eccleſiam Lugdunenſi Eccleſiæ confert. 341
	314	Præceptum, quo Saviniacum eidem Eccleſiæ confert. ibid.
	ibid.	Præceptum, quo Nantuadenſe cœnobium eidem Eccleſiæ donat. ibid.
	315	Præceptum, quo alia eidem Eccleſiæ donat. 342
	328	Lotharii Regis Provinciæ Præceptum, quo Caduliacum & Liviam eidem Eccleſiæ donat. 358
	329	Præceptum, quo alia bona eidem Eccleſiæ reſtituit. ibid.
	330	Præceptum, quo eidem Eccleſiæ reſtitui jubet, quidquid à variis hominibus quovis tempore fuerat uſurpatum. 359
	332	Præceptum, quo commutationem quamdam eidem Eccleſiæ damnoſam reſcindit. ibid.
VIII.	357	Lotharii Francorum Regis Præceptum, in gratiam Monaſterii SS. Michaëlis & Germani. 375
VII.	386	Præceptum, quo bona Monaſterio Grandis-vallis collata confirmat. 378
II.	480	Lotharii II. Imperatoris literæ in cauſâ Innocentii Papæ II. ac Petri Leonis. 485
V.	635	Lotharingia (Margaretæ à) uxoris Renati Ducis Alençonii, teſtamentum. t. III. 850
IX.	294	Lucemburgo (Andreæ de) Epiſcopi Cameracenſis, teſtamentum. t. III. 755
	286	Lucemburgo (Joannis de) & uxoris ejus teſtamentum. 757
	299	Lucemburgo (Petri de) concordia cum Cœleſtinis Avenionenſibus. 760
XIII.	321	Lucius Papa III. Canonicis Carnutenſibus pluralitatem beneficiorum prohibet, ac reſidentiam præſcribit. t. III. 547
II.	584	Lodovici Pii Imp. Diploma, quo privilegium quoddam Alderici Archiepiſcopi Senonenſis de Abbatiâ S. Remigii ad Varellias transferendâ, confirmat. t. I. 593
XII.	104	Ejuſdem Præceptum in gratiam Eccleſiæ S. Juliani Brivatenſis, quam Berengarius Comes reædificaverat. t. III. 328
VIII.	138	Ludovici Pii ac Lotharii Imp. Diploma, quo Conſtitutionem Jonæ Aurelianenſis Epiſcopi pro inſtauratione Monaſterii Miciacenſis confirmant. t. III. 329
XII.	352	Ludovici Regis Burgundiæ Præceptum in gratiam Monaſterii S. Teuderii. t. III. 367
III.	347	Ludovici VI. Francorum Regis Epiſtola ad Calistum Papam II. t. III. 478
XIII.	309	Carnutenſis Eccleſiæ ſervos in jure pro liberis haberi jubet. 481
XI.	322	Leges pacis Laudoni conſtituit. ibid.
III.	351	Ejus Epiſtola ad Legatum Apoſtolicæ Sedis. 484
X.	647	Ludovicus VII. Francorum Rex, Monialibus Hederenſis Abbatiæ decimam concedit panis ad Co-

	Ord. v. Edit. Tom.	pag.
nam allati dum Pariſiis moratur. 497		
Idem Godefrido Lingonenſi Epiſcopo ablata ab Odone Burgundiæ Duce, reſtitui jubet. 502	XI.	335
Idem libertates confert Epiſcopo & Eccleſiæ Laudonenſi. 527	X.	165
Idem Monialibus Hederenſibus donat, quidquid de Capiceri à Pariſienſi, ſede Epiſcopali vacante, percipiebat. 536		648
Idem confirmat Privilegia Eccleſiæ Narbonenſis. 538	XIII.	115
Idem non nulla donat Fratribus S. Joannis de Seballe. 540	IV.	263
Idem approbat donationem Eccleſiæ Aurelianenſi factam à Manasse Epiſcopo. 541	VIII.	397
Ludovici filii Philippi Auguſti, & Henrici III. Anglorum Regis fœdus, quo pacem inter ſe ineunt 586	IX.	371
Ludovici IX. Stabilimentum de Judæis. 606	VI.	473
Idem Cenomaniam & Andegaviam Carolo fratri Comiti Provinciæ donat. 612	XI.	372
Idem confirmat judicium prolatum ad dirimendam litem inter Hugonem Marchiæ Comitem & Petrum Baudrandi. 635	IX.	196
Idem confirmat eleemoſynam quæ diſtribui ſolebat tempore Quadrageſimæ, ac non nulla donat Domui Dei Pariſienſi. ibid.	VII.	228
Idem mulieribus Leproſis de Salceiâ confirmat, quæ à proavo ſuo donata fuerant. 636	XII.	179
Idem arbiter electus ab Henrico III. Anglorum Rege, & Magnatibus rebellibus, ſententiam promulgat. 641		588
Idem Sylvanectenſem Eccleſiam S. Mauricii fundat. 646		381
Idem privilegium S. Juliano Brivatenſi conceſſum à Carolo Calvo, & à Lodovico VII. confirmatum confirmat. 663	X.	649
Ejus lex de Talliis aſſidendis. ibid.	XIII.	511
Ejus Epiſtola ad Matthæum Abbatem S. Dionyſii in Franciâ, & Simonem de Nigellâ. ibid.	II.	548
Altera Epiſtola ad Matthæum Abbatem. 664		550
Ludovicus X. ſervos omnes in domaniis ſuis manumitti jubet certis quibuſdam legibus. 707	XI.	385
Idem ſervos ad libertatem obtinendam adigi jubet. ibid.		387
Ejuſdem Epiſtola ad Gazonem Epiſcopum Laudunenſem. ibid.	IV.	268
Ludovici Delphini Epiſtola ad patrem Carolum VII. Regem Francorum. 805	XI.	402
Ejuſdem jam Regis Ludovici XI. Epiſtola ad Cancellarium, &c. 843	X.	659
Ejuſdem Epiſtola ad Ferdinandum Regem Siciliæ. 845	XIII.	383
Ejuſdem Epiſtola ad Cameram Computorum. 848	VIII.	390
Ejus Legati Oratio Romæ habita in cauſâ Joannis Baluë Cardinalis, in carcerem miſſi. 840	IX.	329
Ludovicus Bavarus Imp. Ludovico Comiti de Oetingen poteſtatem dat negotia quædam tractandi cum Humberto Delfino Viennenſi. t. II. 719	XIII.	367
Idem Humberto Regnum Viennenſe confert. ibid.		368
Ludovicus Rex Hieroſolymitanus Procuratores inſtituit ad contrahendum nomine ſuo matrimonium cum Yolanda Joannis Aragonum Regis filiâ. t. III. 754	IX.	290
Ludovicus Bellijoci Dominus confirmat libertates ac jura civium Tyliacenſium, à prædeceſſoribus ſtatuta. t. III. 678		259
Lugdunenſis Eccleſiæ Clericorum, & Guigonis Comitis Forenſis concordia. t. III. 539		149
Lugdunenſis Eccleſiæ Statuta, ſeu Conſuetudines. t. I. 718		71
Luna (Petri de) electio in Summum Pontificem. t. I. 771	VI.	63
S. Lupi Epiſcopi Trecenſis Epiſtola ad Apollina-	V.	579

Digitized by Google

Index Alphabeticus Operum

Ord. v. Edit. Tom.	pag.	
		REM SIDONIUM Epiſcopum Arvernorum. t. III. 302
		M.
XI.	321	MAOBLANO (Ebrardus de) nonnulla donat ROBERTO de Arbricelli. t. III. 476
VI.	419	S. MAIOLI electio in Abbatem Cluniacenſem, vivente HAYMARDO Abbate. t. III. 374
XI.	810	MAIRE (GUILLELMI le) Epiſcopi Andegavenſis, Statuta Synodalia. t. I. 735
XIII.	295	MARBODI Epiſcopi Redonenſis Epiſtola ad HILDEBERTUM Epiſcopum Cenomanenſem. t. III. 430
II. *poſt Præf.*		MARCA (Petri de) Archiepiſcopi Toloſani, Epiſtola ad D. LUCAM d'Achery. t. III. 852
VIII.	264	MARGARITA de Bellojoco renuntiat omnibus bonis JOANNIS de Cabillone mariti ſui, nuper fato functi. t. III. 700
V.	635	MARGARITÆ à Lotharingiâ, uxoris RENATI Alençonii Ducis, teſtamentum. t. III. 850
VIII.	220	MARIA Aragonum Regina Montempeſſulanum, & alia caſtra PETRO marito donat. t. III. 566
IX.	168	Ejus teſtamentum. 576
II.	649	MARTINI Papæ II. ſive IV. Proceſſus contra PETRUM Regem Aragonum. t. III. 684
	666	Proceſſus depoſitionis ejuſdem. 689
IX.	301	MARTINI Papæ III. ſive V. Epiſtola ad JOANNEM Regem Caſtellæ. t. III. 761
XI.	394	Ad CAROLUM VI. Regem Francorum. ibid.
	395	Ad MARIAM Reginam Francorum. ibid.
X.	626	MARTINI Epiſcopi Dumienſis Epiſtola ad MIRONEM Suevorum Regem: ſive Proœmium libri quem inſcripſit, *Formula vitæ honeſtæ*. t. III. 312
XIII.	314	MARTINI (Joannes) ſe ac liberos tradit GIRARDO Comiti Ruſcinonenſi. t. III. 536
II.	569	MATTHÆI Abbatis S. Dionyſii in Francia, & SIMONIS de Nigellâ Epiſtola ad PHILIPPUM III. Francorum Regem. t. III. 670
	520	MAURICII Archiepiſcopi Rotomagenſis, Epiſtolæ V. ad Decanos. t. III. 614
		MAURITANIA (Gualteri de) *Vide* GUALTERI de Mauritaniâ.
	507	MEDUANA (Gaufredi de) Epiſtola ad PETRUM Abbatem SS. Sergii & Bacchi. t. III. 486
VII.	264	MEDULLIONE (Jauseranna de) vidua, ſe offert, ac non nulla donat Monaſterio S. Andreæ. t. III. 596
VI.	661	Metenſium Epiſcoporum Chronicon. t. II. 224
V.	303	Miciacenſis Abbatiæ fundatio. t. III. 307
XI.	328	MILO Morinorum Epiſcopus confirmat quæ Abbatiæ Caricampi collata ſunt. t. III. 495
X.	163	MINERBA (Bernardus de) non nulla donat Monaſterio S. Pontii Tomeriarum. t. III. 459
XIII.	311	Miratorienſis Abbatiæ fundatio & antiq. t. III. 486
XII.	163	MONCLAUX (Arnaldus de) matrimonium init cum AGNETE. t. III. 541
XI.	321	MONTE-INCENSO (Arnaldus de) nonnulla donat ROBERTO de Arbricellis. t. III. 476
II.	645	MCCLVIII. Montiſpeſſulani Concilii, præſide JACOBO Archiepiſcopo Narbonenſi, Statuta. t. I. 724
		Montiſpeſſulani Conſulum juſjurandum. 706
	618	Molomenſis Monaſterii ſanctæ MARIÆ Chronicon.
VII.	623	t. II. 573
XI.	320	MOTSIDANO (Iterius de) non nulla donat ROBERTO de Arbricellis. t. III. 476
		N.
		NANGIS *Vide* GUILLELMI.
IV. 234 & VI. 19 & 21		MXCVI. Nemauſenſis Concilii Actorum Pars. t. I. 628
III.	1	NICETII Epiſcopi Tractatus de Vigiliis ſervorum Dei. t. I. 221
	7	Ejuſdem Tractatus de Pſalmodiæ bono. 223
XII.	42	NICOLAI Papæ I. Reſponſa ad conſulta ARDUICI Archiepiſcopi Veſontionenſis. t. I. 596

	Ord. v. Edit. Tom.	pag.
NICOLAI Papæ III. Epiſtola ad PHILIPPUM III. Francorum Regem. t. III. 683	XI.	381
NICOLAI Papæ V. Epiſtolæ, ad CAROLUM VII. Regem Francorum. 767	IV.	334
Ad GUILLELMUM Franciæ Cancellarium. 774	VII.	249
Ejuſdem Bulla in AMEDEUM, quâ eum omni dominio Sabaudiæ privat. ibid.	IV.	336
Altera, quâ omnia quæ Schiſmatis tempore acta ſunt, nulla eſſe decernit. ibid.		338
Epiſtola ad CAROLUM VII. 776		342
Altera ad eumdem. 777	VII.	254
Ejus & CAROLI VII. Oratorum Tractatus cum Oratoribus AMEDEI, ſive FELICIS Papæ V. ibid.	IV.	345
Ejus & LUDOVICI Delfini Oratorum Tractatus cum iiſdem. 778		347
Ejus Epiſtola ad CAROLUM VII. 779		350
Ejus Bulla quâ irritas decernit Cenſuras omnes ratione Schiſmatis indictas. 784		368
Epiſtola ad CAROLUM VII. 790	II.	576
Ad FRANCISCUM Sfortiam Ducem Mediolanenſem ibid.	IV.	371
Ad CAROLUM VII. ibid.		373
Ad eumdem. 794	VII.	258
NICOLAI Gelant, Epiſcopi Andegavenſis, Statuta Synodalia. t. I. 726	XI.	201
NICOLAI de Clemangiis liber de Studio Theologico, ad JOANNEM de Pedemontio, Baccalaureum. t. I. 473	VII.	138
NICOLAI Petit Epiſtola ad GUILLELMUM de Urſinis Franciæ Cancellarium, in quâ narrat quæ in Conventu Mantuano acta ſunt. t. III. 806	IX.	305
NICOLAI Triveti, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Chronicon. t. III. 143	VIII.	439
Normanniæ Prælatorum Epiſtola ad PHILIPPUM II. Francorum Regem, de Jure patronatus. t. III. 561	IX.	154
Normanniæ Prælatorum Epiſtola ad PHILIPPUM IV. Fr. Regem de Jure Patronatus. t. III. 693	VI.	483
Noviomenſis Eccleſiæ Decani Juſjurandum, cum recipitur. t. III. 569	XIII.	331
NUNONIS SANCII Domini Ruſcinonis, Edictum pro pace ſeu treugâ ſervandâ. t. III. 587	VIII.	368
O.		
S. ODILO eligitur in Abbatem Cluniacenſem, vivente S. MAIOLO Abbate. t. III. 179	VI.	425
Ejus Epiſtolæ ad PATERNUM Abbatem S. Joannis Pinnatenſis. 381	II.	386
Ad GARSIAM Regem Navarræ. ibid.		388
Ad matronam quamdam. ibid.		389
ODONIS Francorum Regis Præceptum in gratiam Monaſterii S. Polycarpi, in Diœceſi Narbonenſi. t. III. 366	VIII.	354
ODO Comes Palatinus Francorum Regis, *vulgò* Campaniæ Comes, Eccleſiam S. Martini Sparnacenſis fundat, in Diœceſi Remenſi. t. III. 391	XIII.	281
ODONIS Epiſcopi Tuſculani, Epiſtola ad INNOCENTIUM Papam IV. t. III. 624	VII.	213
ODONIS Canonici Regularis Epiſtolæ VII. ad diverſos. t. III. 529	II.	525
OMELLAZ (Aimanni de) ac SIBYLLÆ filiæ PETRI de Cabillone pactum de futuro matrimonio. t. III. 483	IX.	138
P.		
MXCII. PARiſienſe Concilium, in quo bona Eccleſiæ S. Cornelii & Cypriani Compendienſis confirmantur t. I. 627	II.	604
Pariſienſis Academiæ Epiſtola ad BENEDICTUM Papam XIII. 772	VI.	65
Ad CAROLUM VI. 776		81
Ad Studium Colonienſe. 78		104

A

Ord. v. Edi. Tom.	pag.	
VI.	109	Ad CLEMENTEM Papam VII. 784
	113	Ad Cardinales Collegii Avenionenſis. 785
	106	Ad eoſdem poſt mortem CLEMENTIS. 786
	125	Ad eoſdem. 788
	143	Appellatio à BENEDICTO XIII. 795
	385	Pariſienſis Academiæ Statuta antiquiora. t. III. 735
III.	128	Pariſienſis Eccleſiæ Canonicorum Epiſtola ad PASCHALEM Papam II. t. III. 459
	161	Pariſienſium Abbatum & Clericorum Epiſtola ad INNOCENTIUM Papam II. t. III. 491
VII.	126	Pariſienſium civium, & Academiæ Pariſienſis Jusjurandum. t. III. 630
XII.	192	Pariſienſis Curia declarat, Regem in vacationibus Canonicatuum Ambianenſis Eccleſiæ jus Regalium non habere. t. III. 716
VI.	460	PASCHALIS Papæ II. Epiſtolæ, ad Archiepiſcopos & Epiſcopos Galliarum. t. III. 435
III.	126	Ad DAIMBERTUM Archiepiſcopum Senonenſem. 436
	ibid.	Ad LAMBERTUM Epiſcopum Atrebatenſem. ibid.
V.	561	Ad RADULPHUM Archiepiſcopum Remenſem. ibid.
III.	128	Ad Archiepiſcopos & Epiſcopos Provinciarum Remenſis, Senonenſis, ac Turonenſis. 439
	130	Ad DAIMBERTUM Senonenſem. ibid.
	132	Ad GUIDONEM Archiepiſcopum Viennenſem. 459
V.	562	Ad Clerum & Populum Atrebatenſem. 463
	563	Ad LAMBERTUM Epiſcopum Atrebatenſium. ibid.
	ibid.	Ad duodecim Arbitros. ibid.
XIII.	296	Idem bona Epiſcoporum Carnutenſium vitâ functorum jubet intacta ſervari. 440
III.	231	Ejuſdem Epiſtola de Legatione S. A. datâ GIRARDO Epiſcopo Engoliſmenſi. 444
XII.	1	PASCHASII RATBERTI, Abbatis Corbeienſis, Opuſculum de Partu Virginis. t. I. 44
VIII.	326	PAULI Papæ II. Epiſtola ad LUDOVICUM XI. Regem Francorum. t. III. 814
IV.	417	Altera ad Archiepiſcopum Lugdunenſem. 834
V.	105	PERPETUI Epiſcopi Turonenſis teſtamentum. t. III. 303
	109	Epitaphium. 304
XIII.	332	IRAIICO (Stephanus de) Eccleſiæ Carnutenſi non nulla donat. t. III. 574
II.	445	Petengenſium Canonicorum Epiſtola ad Capitulum Tornacenſe. t. III. 485
		PETIT (Nicolai) Vide NICOLAT.
VII.	120	S. PETRI Chryſologi ſermones V. in Orationem Dominicam, ad Catechumenos. t. I. 215
II.	691	S. PETRI de Chavanon Vita & miracula. t. II. 155
VIII.	216	PETRI Aragonum Regis matrimonium cum MARIA GUILLELMI Montiſpeſſulani filiâ. t. III. 566
	221	SANCIAM filiam RAIMUNDO filio RAIMUNDI Ducis Narbonæ nuptum dare ſpondet. 567
X.	178	Montempeſſulanum GUILLELMO de Montepeſſulano donat. 574
	189	PETRUS filius Jacobi Aragonum Regis, CONSTANTIÆ uxori ſuæ dotem conſtituit. t. III. 644
		PETRI de Condeto. Vide CUNOSTO.
XI.	330	PETRUS Venerabilis, Abbas Cluniacenſis, pro RODULFO de Peronâ benefactore ordinat Miſſas ac preces, tum Cluniaci, tùm in toto Ordine celebrandas. t. III. 495
	370	PETRI Archiepiſcopi Rotomagenſis concordia cum Canonicis S. Mellonis Pontiſarenſis. t. III. 619
VIII.	250	PETRUS Electus Lugdunenſis fidelitatem Regi exhibet. t. III. 677
	276	PETRI Patriarchæ Hieroſolymitani, & Epiſcopi Rutenenſis literæ hortatoriæ ad expeditionem transmarinam. t. III. 708
II. poſt Præf.		PETRI de Marcâ Archiepiſcopi Toloſani, Epiſtola ad D. LUCAM d'Achery. t. III. 852
III.	24	PETRI Cellenſis, Abbatis S. Remigii Remenſis, Tractatus de diſciplinâ clauſtrali. t. I. 452

Tom. I.

	Ord. v. Edi. Tom.	pag.
Epiſtola ad tres Monachos Ciſtercienſes. t. III. 544	II.	447
Altera ad eorum duos. 545		ibid.
PETRI Comitis de Lucemburgo, concordia cum Cœleſtinis Avenionenſibus. t. III. 760	IX.	299
PHILIPPUS de Caſtellione Trecenſis Epiſcopus, inſtituit Canonicos Regulares S. Quintini Belvacenſis in Eccleſiâ S. Georgii. t. III. 415	XI.	301
Idem præbendam in Eccleſiâ Cathedrali, & Eccleſiam S. MARIÆ confert Canonicis Regg. ſancti Georgii. 416		302
PHILIPPUS I. Francorum Rex bona Epiſcoporum Carnutenſium vitâ functorum jubet intacta ſervari. 440	XIII.	29[illegible]
PHILIPPUS II. Eccleſiæ Eduenſis Regalia quæ uſurpaverat, Lugdunenſi Archiepiſcopo reſtituit. 554	VII.	205
Ejus Conſtitutio de jure Patronatûs in Normanniâ. 569	VII.	18[illegible]
Altera de modo tenendi feuda diviſa. 570	VI.	461
Lex de Cruce ſignatis. 577		466
Litem dirimit inter BLANCAM Trecenſem Comitiſſam, & ERARDUM de Brenâ. 585		468
Cum eo fœdus ROBERTI Archiepiſcopi Rotomagenſis. 586		470
Ejus Conſtitutio de Judæis. 589		471
Reſponſa ad poſtulata Clericorum. 593		4[illegible]
PHILIPPI filii S. LUDOVICI matrimonium cum ISABELLA filiâ JACOBI Regis Aragonum. t. III. 634	XI.	566
Ejuſdem jam Regis PHILIPPI III. Epiſtolæ, ad MATTHÆUM Abbatem S. Dionyſii, & SIMONEM de Nigellâ. 666	II.	555
Ad Regni Optimates. ibid.		556
Ad MATTHÆUM Abbatem, & SIMONEM de Nigellâ. ibid.		557
Ad eoſdem. 667		558
Ad Abbatem & Monachos S. Dionyſii. 669		567
Ad MATTHÆUM Abbatem, & SIMONEM de Nigellâ. 670		571
Ejuſdem teſtamentum. 691	IX.	268
PHILIPPI filii PHILIPPI III. conventiones pro matrimonio contrahendo cum JOANNA filiâ THEOBALDI Navarræ Regis, & BLANCHÆ Reginæ. 682	X.	196
Idem jam Rex PHILIPPUS IV. omnes Prælatos ac perſonas Eccleſiaſticas Regni ſui bona à ſe acquiſita quietè tenere jubet, modo decimam ſolvant. 697	XIII.	347
Idem ob victoriam in Flandriâ relatam, centum libras annuatim ſolvendas tribuit Eccleſiæ Carnutenſi. 698		356
Idem LUDOVICO fratri Comitatum Ebroicenſem, & aliquot Præpoſituras aſſignat. ibid.		358
Ejus Mandata data PETRO de Paredo, Domino de Chezâ, Priori de Menillo, ad Curiam Avenionenſem. 700		349
Idem debita à ſe contracta jubet ad diem præfixum ſolvi. 704	IX.	281
PHILIPPUS V. ALBERTUM de Roye Concilio Senonenſi adeſſe jubet, eique mandata ſua dat. 710	X.	651
PHILIPPUS VI. Francorum Rex privilegia Narbonenſis Eccleſiæ confirmat. t. III. 538	XIII.	315
Idem præſcribit jusjurandum quod præſtare debent Tabelliones. t. III. 716	VI.	490
Idem BERNARDUM de Moreul Franciæ Mareſcallum jubet dignitati ſuæ renuntiare, ut inſtitutionem ac regimen JOANNIS filii ſui ſuſcipiat. ibid.	X.	653
Idem Italos Principes hortatur ut Romanam Eccleſiam propugnent, & hæreticos recens exortos perſequantur. 717		205
Idem JOANNI filio emancipato Normanniæ Ducatum, & Comitatus Andegaviæ ac Cenomaniæ confert. ibid.	XIII.	363
PHILIPPI Burgundiæ Ducis Epiſtola ad CAROLUM VII. Regem Francorum. t. III. 802	X.	656
PHILIPPI Comitis Flandriæ Eleemoſyna. t. III. 546	VI.	462

VIII. 198 PHILIPPUS Epiſcopus Belvacenſis, Eccleſiam Uſiſivillatem Monachis Lehunenſibus concedit. t. III. 548
II. 453 PHILIPPI Abbatis de Eleemoſynâ Epiſtola ad ALEXANDRUM Papam III. t. III. 527
IV. 301 PILEI de Prata Archiepiſcopi Ravennatis, S. R. E. Cardinalis Epiſtola ad LUDOVICUM Flandriæ Comitem. t. III. 743
XIII. 255 PIPINI I. Francorum Regis, Privilegia Monachis Figiacenſibus data. t. III. 319
XII. 105 PIPINI Aquitaniæ Regis Præceptum, quo bona S. Juliano Brivatenſi collata confirmat. 329
VI. 241 PISANI Concilii Hiſtoria. t. I. 823
257 Piſanum Concilium. 828
V. 361 Piſcarienſis Cœnobii Chronicon. t. II. 929
II. 588 Piſtenſis Conventus, in quo bona Abbatiæ S. Germani Autiſſiodorenſis confirmantur. t. I. 609
VII. 311 PII Papæ II. Epiſtola ad CAROLUM VII. Regem Francorum. t. III. 806
IX. 310 Ejus reſponſio ad Orationem GUILLELMI Epiſcopi Pariſienſis, & Oratoris Regis Francorum. 807
VIII. 292 Ejuſdem altera Oratio, qua reſpondet Oratoribus Regis Francorum. 811
IV. 400 Ejuſdem Epiſtolæ, ad CAROLUM VII. 822
VII. 312 Ad Epiſcopum Atrebatenſem, A. S. Legatum. 823
VIII. 325 Ad JOANNEM Borbonii Ducem. 824
241 PODIO-ALTO (Roſtagni de) teſtamentum. 637
VII. 275 Ejuſdem Codicillus. 647
XI. 370 Pontiſarenſium Canonicorum S. Melloris Concordia cum PETRO Archiepiſcopo Rotumagenſi. t. III. 619
VIII. 172 PONTIUS Abbas Cluniacenſis cum GREGORIO Cardinali Preſbytero litem dirimit inter Epiſcopum Baſileenſem ac Monachos S. Blaſii. t. III. 477
VI. 427 PONTIUS Archiepiſcopus Arelatenſis Indulgentias concedit in Dedicatione Eccleſiæ, & confirmat privilegia Monaſterio Montis-Majoris conceſſa à Summis Pontificibus. t. III. 383
XI. 292 PONTIUS Gabalorum ac Foreſii Comes, Eccleſiam Canonicorum Colidenſium fundat. 385
XII. 167 PONTIUS Vicecomes Podemniaci, matrimonium contrahit cum ADELAIDE filiâ GARNERII de Triangulo. t. III. 594
II. 366 POTAMII Epiſtola ad ATHANASIUM Epiſcopum Alexandrinum. t. III. 299
Prata (Pilei de) *Vide* PILEI.

Q.

I. 308 & 311 QUIRICII Epiſcopi Barcinonenſis Epiſtolæ duæ ad HILDEFONSUM Epiſcopum Toletanum. t. III. 314 & 315

R.

VIII. 255 RADULFI Archiepiſcopi Lugdunenſis, & Hugonis Eduenſis Epiſcopi ordinationes pro adminiſtratione Archiepiſcopatûs & Epiſcopatûs, Sede vacante. t. III. 693
XII. 145 RAGANFRIDI Archiepiſcopi Viennenſis privilegium, quo Eccleſię S. Albani in villâ Vugoriâ bona omnia reſtituit. t. III. 365
VIII. 157 RAGINARDUS in Concilio Auguſtodunenſi excommunicatus, injuſtam conſuetudinem dimittit. t. III. 411
IX. 131 RAIMUNDUS Burgundionum Comes, Eccleſiæ Biſuntinæ non pauca donat. t. III. 417
III. 122 RAIMUNDI Gallæciæ, & HENRICI Portugalliæ Comitum Epiſtola ad HUGONEM Abbatem Cluniacenſem. t. III. 418
VIII. 159 RAIMUNDUS Comes Toloſanus, non nulla donat Monaſterio Avenionenſi ſancti Andreæ. t. III. 415
199 RAIMUNDUS Comes Toloſanus, & Provinciæ Marchio, donationem ab ISNARDO factam Monaſterio Avenionenſi S. Andreæ, confirmat. t. III. 546
Idem donationes à BERTRANDO Jordano eidem Monaſterio factas confirmat. 554 VIII. 204
RAIMUNDUS Comes Toloſanus ab excommunicatione à FF. Prædicatoribus prolatâ Epiſcopos appellat. t. III. 621 IV. 265
RAIMUNDUS Berengarii Provinciæ Comes, SANCIAM filiam RAIMUNDO Comiti Toloſano nuptum dare ſpondet. *ibid.* VIII. 231
MXCVI. RAIMUNDUS Comes Toloſanus, terram S. Ægidii in valle Flavianâ ODILONI Abbati donat. t. I. 629 VI. 19
RAIMUNDI Comitis Melgorienſis teſtamentum. t. III. 460 IX. 135
RAIMUNDUS de Banzâ, & ASTORGA uxor ejus nonnulla donant, ac filium offerunt Eccleſiæ Cadurcenſi. t. III. 444 VIII. 366
RAINALDUS Burgundiæ Comes Mareſcalciam & Canariam Eccleſiæ Biſuntinæ remittit in villâ Cuſſiaco. t. III. 399 IX. 128
RAINALDUS Archiepiſcopus Remenſis confirmat inſtitutionem Canonicorum Regularium in Eccleſiâ Sparnacenſi S. Martini. t. III. 480 XIII. 307
Ejuſdem Epiſtola ad ROBERTUM Epiſcopum Tornacenſem. t. III. 485 II. 445
RAINALDUS Epiſcopus Noviomenſis fundationem Noſocomii Noviomenſis approbat. t. III. 543 XIII. 320
RAINALDUS eligitur in Abbatem S. Albini Andegavenſis, vivente GUNTERIU Abbate. t. III. 378 VI. 424
RAINOLDI Archiepiſcopi Remenſis Epiſtola ad LAMBERTUM Electum Atrebatenſem. t. III 420 V. 539
Ad URBANUM Papam II. *ibid.* 540
Ad ROBERTUM Flandriæ Comitem. 423 550
Ad LAMBERTUM Epiſcopum Atrebatenſem, duæ. 424 554
Ad eumdem, duæ. 427 559
RATERIUS de Belloforte non nulla donat Eccleſiæ Cadurcenſi. t. III. 438 VIII. 363
RATHERII ex Monacho Lobienſi Epiſcopi Veronenſis, Opera, ſcilicet Volumen Perpendiculorum ad HUBERTUM Epiſcopum Parmenſem, de contemptu Canonum. t. I. 345 II. 161
Concluſio deliberativa Leodii acta. 356 194
Qualitatis conjectura. 357 199
Diſcordia inter eum & Clericos. 363 217
Apologeticus liber. 366 225
De Clericis ſibi rebellibus. 368 233
De Abbatiolâ, in quâ Monachis Clericos ſubrogaverat. 369 236
De nuptu cujuſdam illicito. 370 238
Epiſtola ad MARTINUM Epiſcopum Ferrarienſem. 371 241
Ad Eccleſiam Romanam. *ibid.* 242
Ad JOANNEM Papam XII. 372 245
Ad Epiſcopos Italiæ, Galliarum, & Germaniæ. 374 253
Ad incertum. 375 254
Ad PATRICUM de Corpore & Sanguine Domini. *ibid.* XII. 37
Synodica ad Preſbyteros ſuæ Diœceſeos. 376 II. 256
Itinerarium Romam euntis. 379 265
Sermo I. de Quadrageſimâ. 384 281
Contrà reprehenſores ejus Sermonis. 391 304
Sermo II. de Quadrageſimâ. *ibid.* 305
Sermones tres de Paſcha. 392 308
Sermo poſt Paſcha. 396 320
Sermones duo de Aſcenſione Domini. 397 324
RATRAMNI, Monachi Corbeienſis, liber de eo quod Chriſtus ex Virgine natus eſt. t. I. 52 I. 318
Ejuſdem libri IV. contrà Oppoſita Græcorum. 63 II. 1
Remenſium Monachorum S. Remigii literæ, quibus ſocietatem ineunt cum Monachis S. Dionyſii in

Ord. v. Edit. Tom.	pag.	
		Franciâ. t. III. 535
VII.	191	Ribodimonte (Anſelmi de) Epiſtola ad Manaſſem Archiepiſcopum Remenſem. t. III. 431
XIII.	274	Richardus Marchio Normanniæ multa confert Eccleſiæ Carnutenſi, ut damna quæ ei intulerat, reſarciret. t. III. 586
VII.	103	Ejus donatio propter nuptias Austæ facta. 590
III.	271	Richarii Monachi, Hiſtoria Abbatiæ Senonienſis in Voſago. t. II. 603
VI.	470	Roberti Archiepiſcopi Rotomagenſis fœdus cum Philippo II, Francorum Rege. t. III. 586
IV.	268	Roberti Archiepiſcopi Remenſis Epiſtola ad plures Archiepiſcopos & Epiſcopos. t. III. 707
XI.	318	Robertus de Arbricellis quæ ei à variis in Diœceſi Petragoricenſi collata erant, transfert in Gerardum de Salis. t. III. 475
	294	Robertus de Sabulio, & uxor ejus Hadulsa, Eccleſiam S. Machuti, & non nulla donant Majori-Monaſterio. t. III. 406
VIII.	247	Roberti de Sorbonâ teſtamentum. t. III. 670
	196	Rocamaura (Guillelmus de) ac Petrus ejus frater non nulla donant Monaſterio Avenionenſi S. Andreæ. t. III. 537
	567	Rocca (Hugo de la) filium ſuum offert in Eccleſiâ Caducenſi. t. III. 560
XIII.	272	Rodulfi Burgundiæ Regis Præceptum, quo confirmat quæ Monaſterio S. Andreæ Viennenſis Conradus pater ſuus donaverat. t. III. 380
	275	Aliud, quo ea quæ eidem Monaſterio à patre ſuo Conrado & matre ſua Mathildi donata ſunt, confirmat. 386
IX.	675	Rodulfi Monachi Marcianenſis, ac deinde Abbatis S. Trudonis, Vita Lietberti Epiſcopi Cameracenſis. t. II. 138
II.	677	S. Romanæ Virginis & Martyris Vita. t. II 135
	601	MLXXXV. Rorico Epiſcopus Ambianenſis, Eccleſiam SS. Acei & Acheoli Canonicis confert. t. I. 626
X.	186	Roſſiliona (Artaudus de) Guillelmum filium ſuum emancipat, ac eidem Caſtrum novum donat. t. III. 636
	180	Eidem alia donat. 637
VIII.	241	Roſtagni de Podio-alto teſtamentum. t. III. 637
VII.	275	Ejuſdem codicillus. 647
II.	819	Rotomagenſis Eccleſiæ Chronici fragmentum. t. III. 613
III.	251	Rotomagenſis Cleri Epiſtola ad Honorium Papam II. t. III. 484
XIII.	286	Rotomagenſi Eccleſiæ S. Audoëni dona facta confirmantur. t. III. 400
	288	Eidem donatur Abbatia BB. Martini & Wulgani de Siggi. *ibid.*
		S.
XI.	294	Sabulio (Robertus de) & uxor ejus Haduisa Eccleſiam S. Machuti, & nonnulla donant Majori-Monaſterio. t. III. 406
VIII.	267	Sancius Majoricarum Rex confirmat feudum à prædeceſſoribus ſuis Dominis de Sancto-Joanne collatum. t. III. 705
	245	Sancii filii Regis Alfonsi matrimonium cum Guillelma filiâ Gastonis Vicecomitis Bearnenſis. t. III. 673
	259	Saura Jacobi Majoricarum Regis filia naturalis, matrimonium contrahit cum Petro Gaucerandi de Pinoſio. t. III. 696
IX.	276	Sclarmundæ Majoricarum Reginæ teſtamentum. t. III. 702
II.	579	Senonenſe Concilium, in quo Aldricus Archiepiſcopus concedit privilegium de Abbatiâ S. Remigii ad Varellias transferendâ. t. I. 593
	586	Aliud, in quo Wenilo Archiepiſcopus ſuperius privilegium confirmat. 595

	Ord. v. Edit. Tom.	pag.
MCCCL. Aliud, præſide Guillelmo Archiepiſcopo celebratum Pariſiis. 748	V.	128
MCCCCLXXV. Aliud, præſide Tristanno de Salazar Archiepiſcopo. 751		584
Senonenſis Archiepiſcopus (incertum quinam) excommunicationem fert in pervaſores rerum Eccleſiaſticarum. t. III. 320	X.	635
Senonienſis Monaſterii ſancti Petri Vivi Chronicon. t. II. 463	II.	705
Senonienſis Abbatiæ Hiſtoria. t. II. 603	III.	271
Severi Epiſtolæ V. t. III. 500	V.	551
Siggienſis Abbatia BB. Martini & Wulgani fundatur, ac traditur Eccleſiæ Rotomagenſi ſancti Audoëni. t. III. 400	XIII.	288
Sigibertus invaſor rerum Eccleſiæ S. Mauricii Viennenſis, eas reſtituere cogitur. t. III. 358	XII.	154
Simon Comes Montisfortis centum ſolidos anniverſario Amiciæ matris ſuæ aſſignatos confirmat. t. III. 569	XIII.	310
Simonis de Broſſano, S. R. E. Cardinalis vulgò Mediolanenſis, Declaratio in cauſâ Schiſmatis, dum in extremis ageret. t. I. 765	VI.	45
Sixti Papæ IV. Epiſtola ad Ludovicum XI. Regem Francorum. t. III. 844	VII.	333
Smaragdi Abbatis, Ordinis S. Benedicti, Via Regia. t. I. 238	V.	1
Sorbona (Roberti de) teſtamentum. t. III. 670	VIII.	247
Stephanus Arvernorum Epiſcopus Liziniacum donat Eccleſiæ Brivatenſi S. Juliani. t. III. 373	XI.	285
Eccleſiam Liziniacenſem pro XII. Canonicis fundat. 376		289
Stephani Epiſcopi Pariſienſis Epiſtola ad Henricum Archiepiſcopum Senonenſem. 489	II.	155
Ad Gaufridum Epiſcopum Carnotenſem, A. S. Legatum. 490		157
Ad Henricum Senonenſem. *ibid.*		159
Ad eumdem. 493		165
Stephani Archiepiſcopi Cantuarienſis Epiſtola ad Joannem Anglorum Regem. t. III. 568		170
Stephani Epiſcopi Noviomenſis, Ordinationes pro Noſocomio ejuſdem urbis. 584		334
Ejus prologus ad Regulam fratribus ac ſororibus Noſocomii datam. *ibid.*		335
Stephani Canonici Regularis, Vita S. Petri de Chavanon. t. II 155	II.	691
Stephani Comitis Carnotenſis Epiſtola ad Adelam uxorem. t. III. 430	IV.	257
Stephanus de Pertico non nulla donat Eccleſiæ Carnotenſi. t. III. 574	XIII.	352
Sueſſionenſe Concilium, in quo confirmatum eſt Privilegium Monaſterio S. Dionyſii conceſſum à B. Landerico Epiſcopo Pariſienſi. t. I. 599	VI.	377
Sueſſionenſis Monaſterii S. Medardi Chronicon. t. II. 486	II.	781
Sueſſionenſis Communiæ Conſuetudines. t. III. 546	XI.	340
Symmachi Papæ Epiſtola ad Avitum Archiepiſcopum Viennenſem. t. III. 307	V.	583
T.		
Teutbertus Comes villam Mantulam Eccleſiæ Viennenſi donat. t. III. 361	XII.	146
Titburga renunciat pactis matrimonialibus, quibus eam adhuc infantem parentes ſui filio Guillelmi Domini Monſpeſſulani dare ſpoponderant. t. III. 560	VIII.	214
Theobaldus Francorum Comes Palatinus, Odonem filium dat ſalutaribus aquis abluendum Hugoni Abbati Cluniacenſi, eique Monaſterio Coſiacum donat. t. III. 408	VI.	449
Theobaldus Comes Palatinus, ſive Campaniæ, Canonicos Regulares in Eccleſiâ Sparnacenſi ſancti Martini inſtituit. t. III. 480	XIII.	305

Digitized by Google

Ord. v. Tom.	Edit. pag.	
III.	132	THEOBALDI Stampenſis Epiſtola ad Epiſcopum Lincolnienſem. t. III. 445
	537	Ad PHARITIUM Habendonenſem Abbatem. 447
	539	Ad MARGARITAM Reginam. ibid.
	540	Ad PHILIPPUM amicum. ibid.
	142	Ad ROSCELINUM Compendienſem Clericum. 448
XI.	328	THEODERICUS Ambianenſis Epiſcopus confirmat, quæ Abbatiæ Caricampi collata ſunt. t. III. 495
XII.	562	Eccleſiam S. Martini in Abbatiam promovet. 497
X.	631	THEODORICI Francorum Regis, Privilegium Monachis Dervenſibus datum. t. III. 317
III.	13	S. THEODORI Studitæ Sermo de S. Bartholomæo Apoſtolo, interprete ANASTASIO S. R. E. Bibliothecario. t. II. 153
IX.	52	THEODORI Archiepiſcopi Cantuarienſis Capitula. t. I. 486
V.	117	THEODULFI Epiſcopi Aurelianenſis fragmenta Sermonum. t. I. 554
XII.	545	THEONÆ Epiſcopi Epiſtola ad LOCIANUM Præpoſitum Cubiculariorum. t. III. 597
	63	THOMAS Flandriæ & Hannoniæ Comes, domui Hoſpitali Inſularum leges dat. t. III. 617
VIII.	232	THOMAS Epiſcopus Wratiſlavienſis Monachos Ciſtercienſes inſtituit in Monaſterio de Cameoſs. t. III. 628
VI.	25	MCXIX. Toloſanum Concilium præſidente Calliſto Papa II. t. I. 635
II.	621	MCCXXVIII. Aliud. 710
XII.	358	Tornacenſis Monaſterii ſancti Martini reſtauratio. t. II. 882
XI.	345	Tornacenſis Communiæ Conſuetudines. t. III. 551
IX.	148	TORTOSA (Guillelmi de) teſtamentum. t. III. 526
VIII.	366	TRANCAPSIUS (Bernardus) non nulla donat, ac filium offert Eccleſiæ Caducenſi. t. III. 438
IV.	239 & 243	MCIV. Trecenſe Concilium, in quo bis approbatur donatio ab HUGONE Trecenſi facta Eccleſiæ Moliſmenſi. t. I. 631 632
XII.	196	Trevirenſium Epiſcoporum Hiſtoria. t. II. 508
		TRIVETTI. *Vide* NICOLAI.
VII.	344	Trudonenſium Abbatum Geſta. t. II. 659
VI.	22	MXCVI. Turonenſe Concilium, in quo URBANUS Papa II. decernit Abbatem Cormeriacenſem baculum paſtoralem ſumere debere ex ſepulcro S. Martini. t. I. 630
XI.	339	TURRA (Guillelmi de) ac SIBILLÆ filiæ ARNALDI de Villis-paſſantis matrimonium. t. III. 541
	360	TURRA (Guillelmus de) matrimonium init cum GUILLELMA. t. III. 565
		V.
VII.	513	VAlciodorenſis Cœnobii Chronicon. t. II. 709
XIII.	323	Valliaci pagenſium Conſuetudines. t. III. 550
VIII.	227	Vallis-Scholarium Ordinis inſtitutio. t. III. 583
IV.	21	S. UDALRICI, antiquiores Conſuetudines Monaſterii Cluniacenſis. t. I. 641
XIII.	333	VERI (Hugo de) ac THOMAS ejus alumnus duas præbendas fundant in Eccleſiâ S. Matthæi de Foilliaco. t. III. 574
XII.	533	Viconienſis Cœnobii Hiſtoria brevis. t. II. 871
XIII.	267.	Viennenſis Synodus, in quâ Præſide ALEXANDRO Archiepiſcopo lis inter duos Abbates ſopita eſt. t. I. 601

	Ord. v. Tom.	Edit. pag.
Villereys villæ Jura & libertates. t. III. 630	IX.	192
Virdunenſium Epiſcoporum Hiſtoria. t. II. 234	XII.	251
Virzeliacenſis Monaſterii Hiſtoria. t. II. 498	III.	446
MXCVI. URBANI Papæ II. Decreta in Concilio Nemauſenſi. t. I. 628	IV.	234
Confirmat Donationem terræ S. Ægidii in Valle Flaviana ODDONI Abbati factam à RAIMUNDO Comite Toloſano. 630	VI.	21
Decernit Abbatem Cormeriacenſem baculum paſtoralem ſumere debere ex ſepulcro B. Martini. ibid.		22
Ejus Epiſtola ad RAINOLDUM Archiepiſcopum Remenſem, ac ſuffraganeos ejus. t. III. 418	V.	537
Ad eumdem. 452		547
Ad ROBERTUM Flandriæ Comitem. 423		551
Ad quoſdam Abbates. ibid.		552
Ad GUALCHERUM Epiſcopum Cameracenſem. 424		553
Ad LAMBERTUM Epiſcopum Atrebatenſem. ibid.		555
Ad GUARNERIUM de Caſtellione 425		557
Ad RICHERIUM Archiepiſcopum Senonenſem. ibid.		ibid.
Ad Archiepiſcopos & Epiſcopos Franciæ. 431		558
Ejus Decretum, quo Atrebatenſi urbi ſuum Epiſcopum reſtituit. 425	III.	123
URBANUS Papa IV. domos in Clauſtro Eccleſiæ Carnotenſis laicis dari, aut locari vetat. 550	XIII.	322
URBANUS Papa V. cum LUDOVICO Borbonenſi Duce, & ANNA BERARDE de Alvernia filiâ diſpenſat, ut matrimonium contrahere poſſint. 734	IX.	284
Idem CAROLO V. Francorum Regi concedit, ut ejus Confeſſor ſuus indulgentiam peccatorum omnium in mortis articulo poſſit impertire. ibid.	IV.	299
URBANUS Papa VI. diſpenſat cum GALEACIO Vicecomite, & CATHARINA filiâ BERNABOVIS Vicecomitis, ut matrimonium contrahere poſſint. 751	VII.	243
URSINIS (Jacobi Juvenalis de) Epiſcopi Pictavenſis, Epiſtola ad Cameram Computorum. t. III. 784	IV.	366
URSINIS (Guillelmi de) Franciæ Cancellarii, Epiſtola ad NICOLAUM Papam V. 786	VII.	299
WANDALBERTI Diaconi Prumienſis Martyrologium, cum variis appendicibus. t. II. 39	V.	305
WALTERUS Epiſcopus Torneacenſis confirmat Statuta domûs Hoſpitalis Inſularum. t. III. 617	XII.	67
WANILO Archiepiſcopus Senonenſis, confirmat ALDRICI prædeceſſoris ſui privilegium de Abbatiâ S. Remigii ad Varellas transferenda. t. I. 593	II.	580
WIDO Matiſconenſis Comes Monachum induens, non pauca confert Monaſterio Cluniacenſi. t. III. 413	VI.	457
WIMUNDI è Monacho Abbatiæ de Cruce S. Leufredi Archiepiſcopi Averſani, Epiſtola ad ERFASTUM de Deo uno & trino. t. III. 401	II.	377
WIFFARDUS Eccleſiæ Vienneſis S. Mauricii Advocatus, SIGIBERTUM in judicio cogit ea quæ invaſerat, reſtituere. t. III. 358	XII.	154
Z.		
ZACHÆI Chriſtiani & APOLLONII Philoſophi Conſultationum libri tres. t. I. 1	X.	1

ELENCHUS

Digitized by Google

ELENCHUS
OPERUM IN TOMO I. EDITORUM.

Ordo veteris Editionis.

Tom.	pag.		
X.	1	Zachæi Chriſtiani & Apollonii Philoſophi Conſultationum libri tres,	pag. 1
XI.	279	Sermo in Natali Domini.	41
XII.	27	Tractatus Haimonis, de Corpore & Sanguine Domini: aut potiùs Fragmentum Commentarii in Epiſtolam I. ad Corinthios.	42
	2	Paschasii Ratberti Abbatis Corbeienſis, Opuſculum de Partu Virginis.	44
I.	318	Ratramni Monachi Corbeienſis, liber de eo quod Chriſtus ex Virgine natus eſt.	52
II.	1	Ejuſdem libri IV. contrà Oppoſita Græcorum, Eccleſiam Romanam infamantium.	63
VII.	1	Æneæ Pariſienſis Epiſcopi, liber adverſus Græcos.	113
XII.	39	Iaceri Opuſculum de Corpore & Sanguine Domini.	149
	30	Adrevaldi Opuſculum de Corpore & Sanguine Domini, contrà Joannem Scotum.	150
II.	336	Arnulfi Archidiaconi Sagienſis, poſtea Lexovienſis Epiſcopi, Tractatus in Girardum Epiſcopum Engoliſmenſem.	152
XIII.	88	Anſelmi Havelbergenſis Epiſcopi libri tres: I. de vario Chriſtianæ religionis formis: alii duo Diſputationum adverſus Græcos.	161
	63	Bonacursi Vita Hæreticorum, hoc eſt Deſcriptio hæreſium quas Cathari profitebantur, & earum confutatio.	208
VII.	118	Fragmentum Sermonis S. Fauſtini Epiſcopi.	215
	120	S. Petri Chryſologi Sermones V. in Orationem Dominicam, ad Catechumenos.	ibid.
III.	1	Nicetii Epiſcopi Tractatus de vigiliis Servorum Dei.	221
	7	Ejuſdem Tractatus de pſalmodiæ bono.	223
I.	268	S. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi ad Braulium Epiſcopum liber de Ordine Creaturarum.	225
V.	1	Smaragdi Abbatis, Ordinis S. Benedicti, Via Regia.	238
	117	Theodulfi Epiſcopi Aurelianenſis, fragmenta Sermonum aliquot.	254
I.	1	Jonæ Epiſcopi Aurelianenſis, libri tres de Inſtitutione laicali.	258
V.	57	Ejuſdem Opuſculum de Inſtitutione Regiâ.	324
IX.	79	Sermones V. ſelecti Abbonis, Monachi S. Germani à Pratis.	336
		Ratherii ex Monacho Lobienſi Ordinis S. Benedicti, Epiſcopi Veronenſis Opera ſcil.	
II.	161	Volumen Perpendiculorum, ad Hubertum Epiſcopum Parmenſem, de contemptu Canonum.	345
	194	Concluſio deliberativa Leodii acta.	356
	199	Qualitatis conjectura.	357
	217	Diſcordia inter ipſum & Clericos.	363
	225	Apologeticus liber.	366
	233	De Clericis ſibi rebellibus.	368
	236	De Abbatiola, in quâ Monachus Clericos ſubrogaverat.	369
	238	De nuptu cujuſdam illicito.	370
	241	Epiſtolæ. I. ad Martinum Epiſcopum Ferrarienſem.	371

		Ord. v. Edit. Tom.	pag.
II. ad Eccleſiam Romanam.	ibid.	II.	242
III. ad Joannem Papam XIII.	372		245
IV. ad Epiſcopos Italiæ, Galliarum, & Germaniæ.	374		253
V. ad incertum.	375		254
VI. ad Patricum de Corpore & Sanguine Domini.	ibid.	XII.	37
Synodica ad Presbyteros ſuæ Diœceſeos.	376	II.	256
Ejus Itinerarium Romam euntis.	379		263
Sermo I. de Quadrageſimâ.	384		281
Contrà reprehenſores ejus Sermonis.	391		304
Sermo II. de Quadrageſimâ.	ibid.		305
Sermones tres de Paſcha. 392. 394.	395	308.	313. 315
Sermo poſt Paſcha.	396		320
Sermones duo de Aſcenſione Domini. 397.	399	324.	329
Attonis II. Epiſcopi Vercellenſis, Opera, ſcil.			
Capitulare.	402	VIII.	1
Libellus de Preſſuris Eccleſiaſticis.	414		44
Epiſtola, I. ad Valdonem Epiſcopum.	431		99
II. III. IV. ad Fideles ſuæ Diœceſeos. 434.	435	110.	111. 112
V. ad Azonem Epiſcopum.	435		113
VI. Gunzonis Levitæ Novarienſis Epiſtola ad Attonem.	437		120
VII. Ambroſii Presbyteri Mediolanenſis Epiſtola ad eumdem.	438		121
VIII. Attonis ad Ambroſium.	ibid.		123
IX. ad Clerum Diœceſis Vercellenſis.	439		126
X. ad eoſdem.	440		131
XI. ad Epiſcopos Italiæ.	441		132
Sermo ſive Sententia Lanfranci è Monacho Beccenſi Archiepiſcopi Cantuarienſis	442	IV.	227
S. Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis, Tractatus Aſcetici.	443	III.	24
Iſaaci Abbatis Stellæ, de Canone Miſſæ Epiſtola ad Joannem Epiſcopum Pictavienſem.	449	I.	345
Petri Cellenſis. Abbatis S. Remigii Remenſis, Tractatus de diſciplinâ Clauſtrali.	45[illegible]	III.	44
Nicolai de Clamengiis liber de Studio Theologico, ad Joannem de Pedemontio Baccalaureum	471	VII.	138
Synodi Carthaginenſis ſub Bonifacio Epiſcopo habita an. CCXXV. Seſſio ſecunda.	481	VI.	1
Excerptum ex Concilio Carthaginenſi ſub Reparato Epiſcopo habito. an. DXXXV.	485		16
Capitula Theodori Archiepiſc. Cantuarienſ.	486	IX.	52
Capitula ſelecta ex antiquâ Canonum Collectione factâ in Hiberniâ ſæculo circiter VIII.	492		1
Adnotatio de Synodis.	507	X.	632
Statuta quædam S. Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini & Martyris.	ibid.	IX.	63
Collectio antiqua Canonum Pœnitentialium.	510	XI.	1
Chrodegangi Epiſcopi Metenſis, Regula Canonicorum.	565	I.	205
Ahitonis Epiſcopi Baſileenſis Capitulare.	584	VI.	691

Elenchus Operum in Tomo I. Editorum.

Ord. & Edit. Tom.	Pag.	Opus	Pag.
IV.	1	*Statuta antiqua Abbatiæ S. Petri Corbeienſis ab* Adalardo *Abbate ſcripta.*	586
II.	579	*Privilegium in Concilio Senonenſi, præſidente* Aldrico *Senonenſi Archiepiſcopo conceſſum, de Abbatiâ S. Remigii Senonenſis ad Vareillas transferendâ.*	591
	584	Ludovici *Pii Imperatoris Diploma, quo ſuperius privilegium confirmat.*	594
	586	*Idem confirmat* Wenilo *Archiepiſcopus in Concilio Senonenſi.*	595
XII.	41	*Reſponſa* Nicolai *Papæ I. ad conſulta* Arduici *Archiepiſcopi Veſontionenſis.*	596
	48	Flori *Collectio Legum & Canonum.*	597
VI.	577	*Concilium Sueſſionenſe, in quo confirmatum eſt Privilegium Monaſterio S. Dionyſii conceſſum à B.* Landerico *Epiſcopo Pariſienſi.*	599
II.	588	*Conventus Piſtenſis, in quo bona Abbatiæ S. Germani Antiſiodorenſis confirmantur.*	600
XIII.	267	*Synodus Viennenſis, in qua præſide* Alexandro *Archiepiſcopo lis inter duos Abbates ſopita eſt.*	601
IX.	68	*Concilium Romanum præſidente* Gregorio *Papa V.*	603
II.	670	*Geſta Synodi Aurelianenſis anno circ.* MXVII. *celebrata.*	604
XIII.	1	*Synodus Atrebatenſis à* Gerardo *Cameracenſi & Atrebatenſi Epiſcopo celebrata.*	607
II.	592	*Concilium Auſcenſe, præſidente* Hugone *Cardinali, anno* MLXVIII.	625
VI.	17	*Concilium apud Exoldunum anni* MLXXXI. *præſide* Hugone *Dienſi, A. S. Legato.*	ibid.
II.	601	*Concilium Compendienſe anni* MLXXXV. *in quo Eccleſiam SS. Acei & Acheoli Canonicis confert* Rorico *Epiſcopus Ambianenſis.*	626
	598	*In eodem Privilegia Eccleſiæ SS. Cornelii & Cypriani confirmantur à* Philippo *I. Francorum Rege.*	627
	604	*Concilium Pariſienſe anni* MXCII. *in quo bona ejuſdem Eccleſiæ confirmantur.*	ibid.
IV.	234	*Decretum* Urbani *Papæ II. in Concilio Nemauſenſi anni* MXCVI.	628
VI.	19	*In eodem Concilio terram S. Ægidii in Valle Flavianâ* Odiloni *Abbati donat* Raimundus *Comes Toloſanus.*	629
	21	*Eam donationem confirmat* Urbanus *Papa II.*	630
	22	*Concilium Turonenſe anni* MXCVI. *in quo* Urbanus *Papa II. decernit Abbatem Cormeriacenſem baculum paſtoralem ſumere debere ex ſepulcro B. Martini.*	ibid.
IV.	239	*Concilium Trecenſe anni* MCIV. *in quo approbatur donatio ab* Hugone *Trecenſi facta Eccleſiæ Moliſmenſi.*	631
	243	*Idem Concilium eamdem donationem iterum approbat.*	632
VI.	24	*Concilium Loſdunenſe anno* MCIX. *celebratum à* Girardo *Epiſcopo Engoliſmenſi.*	ibid.
II.	594	*Ex Geſtis Belvacenſis Concilii anni* MCXIV.	633
VI.	25	*Concilium Toloſanum, præſidente* Calixto *Papa II. anno* MCXIX.	635
XII.	638	*Addenda Concilio Lateranenſi anni* MCLXXIX.	636
IV.	21	*Antiquiores Conſuetudines Cluniacenſis Monaſterii, collectæ à S.* Udalrico *Monacho Benedictino.*	641
II.	669	*Concilium Avenionenſe anni* MCCIX.	703
	618	*Forma juramenti Conſulum Montiſpeſſulani.*	706
	620	*Decretum contra Canonicos qui Epiſcopis locum in ſuis Capitulis dare nolunt.*	707
VII.	209	*Narratiuncula de Concilio Lateranenſi IV.*	ibid.
	210	*Ejuſ Concilii Sententia de Terris Albigenſi.*	ibid.
VI.	30	*Statuta Abbatum Ordinis S. Benedicti in Provinciâ Narbonenſi, ad reſtaurandam diſciplinam Regularem.*	ibid.

Opus	Pag.	Ord. & Edit. Tom.	Pag.
Concilium Toloſanum anni MCCXLVIII.	710	II.	611
Statuta Noſocomii Ambianenſis.	713	XII.	54
Ea confirmat Innocentius *Papa III.*	715		60
Regula Fratrum & Sororum Noſocomii Belvacenſis.	ibid.		68
Joannes *Papa XXII. ejus Noſocomii Statutum quoddam confirmat.*	716		72
Joannis *Epiſcopi Belvacenſis Litera de Juriſdictione Epiſcopali in idem Noſocomium.*	717		74
Statuta, ſeu Conſuetudines Eccleſiæ Lugdunenſis.	718	IX.	71
Concilium Albienſe anni MCCLIV. *præſidente* Zoeno *Epiſcopo Avenionenſi, A. S. Legato.*	719	II.	639
Statuta Synodi Montiſpeſſulani anni MCCLVIII. *præſide* Jacobo *Archiepiſcopo Narbonenſi.*	724		645
Statuta Synodalia Nicolai *Gelant, &* Guillelmi *Majoris, Epiſcoporum Andegavenſium.*	726	XI.	201
Ordinatio facta anno MCCLXVII. *per Prælatos, pro Clericis conjugatis & non conjugatis.*	747	IX.	78
Concilium Senonenſe, præſide Guillelmo *Archiepiſcopo, celebratum Pariſiis anno* MCCCL.	748	V.	128
Concilium Senonenſe anni MCDLXXXV. *præſide* Tristando *de Salazar Archiepiſcopo.*	751		584
Vetera Acta ad Concilium Piſanum pertinentia, *ſcilicet :*			
Cardinalium qui Urbanum *VI. Papam Romæ elegerant, Epiſtola ad Cardinales qui Avenione remanſerunt.*	763	VI.	39
Cardinalium qui ab Urbano *Papa VI. defecerunt, Epiſtola ad Reges ac Principes.*	764		42
Eorumdem Epiſtola ad Academiam Pariſienſem.	765		44
Simonis *de Broſſano, S. R. E. Cardinalis vulgo Mediolanenſis, Declaratio in cauſâ Schiſmatis, dum in extremis ageret.*	ibid.		45
Bonifacii *Papæ IX. Litera ad univerſos Fideles.*	766		49
Ejuſdem Bulla ad Carolum *Regem Francorum.*	768		54
Alia ejuſdem Bulla ad eumdem.	769		57
Narratio de Legatione Avenionem miſſa ab Rege Francorum, poſt mortem Clementis *Papæ VII.*	770		60
Caroli *Regis Francorum Epiſtolæ duæ ad Collegium Cardinalium, qui Avenione morabantur.*	ibid.		62
Narratio de electione Petri *de Luna, qui ſe* Benedictum *nuncupavit.*	771		63
Academiæ Pariſienſis Epiſtola ad Benedictum *Papam.*	772		65
Narratio eorum quæ acta ſunt in Congregatione Prælatorum Pariſiis.	773		73
Academiæ Pariſienſis Epiſtola ad Carolum *Regem.*	776		81
Studii Colonienſis Epiſtola ad Academiam Pariſienſem.	782		102
Academiæ Pariſienſis reſponſio.	783		104
Ejuſdem Epiſtola ad Clementem *Papam VII.*	784		109
Ejuſdem Epiſtola ad Cardinales.	785		113
Caroli *Regis Epiſtola ad* Clementem, *aliam ejuſdem Epiſtolam ad Intruſum continens.*	ibid.		114
Academiæ Pariſienſis Epiſtola ad Cardinales poſt mortem Clementis.	786		106
Bonifacii *Papæ Epiſtola ad Conſilium Regis Francorum.*	787		117
Ejuſdem Epiſtola ad Francorum Regem.	ibid.		118
Benedicti *XIII. Epiſtola I. ad Academiam Pariſienſem.*	ibid.		120
Academiæ Pariſienſis Epiſtola ad Cardinales.	788		125
Benedicti *XIII. altera Epiſtola ad Academiam*			123

Elenchus Operum in Tomo I. Editorum.

Ord. v. Edit. Tom.	pag.		
		Pariſienſem.	ibid.
VI.	126. & 188	Narratio & Acta celeberrima Legationis ad BENEDICTUM XIII. miſſa à CAROLO VI. Francorum Rege.	789
	157	BENEDICTI XIII. Epiſtola ad Ducem Bituricenſem, continens ejuſdem Epiſtolam ad CAROLUM Francorum Regem.	794
	143	Prima Appellatio Academiæ Pariſienſis à BENEDICTO XIII.	795
	153	Cancellarii Regis Francorum Oratio habita in Concilio, ut Obedientia BENEDICTO XIII. ſubtrahatur, donec ceſſioni conſentiat.	798
	165	Cardinalium Epiſtola ad CAROLUM VI.	799
	159	Regis & Avunculorum ejus Litera publicè in Parlamento lecta, quibus quid ſubſtractionis tempore agendum ſit, decernitur.	ibid.
	164	BENEDICTI XIII. Epiſtola ad CAROLUM Regem.	800
	166	Concilium Eccleſiæ Gallicanæ ſtatuit quid erga Exemptos ſervandum ſit tempore ſubſtractionis.	ibid.
	169	CAROLI Regis Francorum Epiſtola ad Cardinales Romæ morantes, poſt mortem BONIFACII Papæ.	801
	171	INNOCENTII Papæ Epiſtola ad Academiam Pariſienſem.	ibid.
	175	CAROLI Regis Francorum Epiſtola ad GREGORIUM Papam.	803
	177	Ejuſdem altera ad eumdem.	ibid.
VI.	178	BENEDICTI XIII. Bulla contrà Regem Francorum, & alios à ſuâ Obedientiâ recedentes.	ibid.
	182	Ejuſdem altera Bulla in eoſdem.	805
	190	Epiſtola utriuſque Collegii Cardinalium ad Academiam Pariſienſem, aliam ejuſdem ad CAROLUM Regem continens.	806
	192	Litera Neutralitatis Cardinalium qui GREGORIO adhæſerant.	807
	196	CAROLI Regis Epiſtola ad Regem Aragonum.	808
	200	Cardinalium qui BENEDICTO adhæſerant Epiſtola ad eumdem, quibus eum ad Concilium Piſanum vocant.	809
	205	Eorumdem litera ad univerſos Prælatos, quibus eos ad Concilium Piſanum convocant.	811
	215	Cardinalium qui GREGORIO adhæſerant, Litera ad Prælatos Obedientiæ ſuæ in eamdem ſententiam.	814
	225	Cardinalium qui BENEDICTO adhæſerant, Epiſtola ad eumdem.	818
	232	BENEDICTI Reſponſio.	820
	161	Declaratio Concilii Eccleſiæ Gallicanæ contrà certos fautores BENEDICTI.	822
	241	Narratio de Concilio Piſano.	823
	254	De morte ALEXANDRI Papæ, & electione JOANNIS XXII.	827
	257	Concilium Piſanum.	828
XII.	76	Indictio Concilii Provincialis Provinciæ Remenſis.	862

MONITUM.

VETUSTISSIMOS eſſe Dialogorum libros, qui Zachæi nomen præferunt, ex antiquitate MSS. codicum, imò ex ipſa librorum lectione conſtat: certam porrò Auctoris ætatem præfigere operoſum adeo, ac perdifficile nobis viſum eſt, ut poſt accuratam, diligentemque diſcuſſionem, poſt conſultos à nobis viros doctiſſimos, nihil exploratum hactenùs occurrerit. Enimverò tam ſtudioſè, & quaſi compoſito nomen ſuum diſſimulaſſe videtur Auctor iſte, ut fictitia tantùm nomina ZACHÆI & APOLLONII affixerit Dialogis ſuis: & profiteatur licet ſe ex ſuperiorum Patrum monumentis ſuam hauſiſſe doctrinam, unius tamen nec nomen apponit, nec ſcripti genus indicat. Proinde nonnullas duntaxat conjecturas hîc tibi, Lector erudite, exhibere cogimur.

Profeſſio Zachæi noſtri non perinde obſcura ac ejus ætas: nam cum teſte Caſſiano in præfat. ad inſtitutiones, Monaſtici ritus nonniſi ab experto tradi queant, ex his quæ ſcribit toto ferè libro tertio colligitur, eum in Monaſtice meruiſſe, quod & ipſe alicubi ſignificavit. Hinc ætas illius forſitan definiri poſſit. Cum etenim ſexto circiter ſæculo Regulam S. P. Benedicti omnes propè Monachi in Occidente ſint amplexati, ſi noſter Zachæus ad hæc uſque tempora ſuperſtes fuiſſet, eâdem lege, quâ ex SS. Patribus fidei dogmata, ex S. Benedicti Regulâ Monaſticam inſtitutionem fuiſſet mutuatus: quod tamen eum non præſtitiſſe factâ collatione liquidò comperimus.

Sed neque eum ante ſæculi quinti initium huic operi manum admoviſſe non obſcura ſuadent argumenta.

Ante illud ævi non proſtabant in Europâ, ubi ille tum temporis verſabatur, illuſtria numeroſaque Patrum volumina, ad quæ ſuum Apollonium miſſitaret velut ad fontes, è quibus totam hanc catecheſim hauſiſſet: neque ante illud tempus ea de quibus agit libro ſecundo contrà Arianos, Photinianos, alioſque hujuſmodi tenebriones, erant ita diſertè à Patribus Latinis explicata, ut ſine tædio refricari non poſſent; quod ipſe habet cap. 1. libri 2. Quæ ſic conſtituta inducunt animum, ut quinto ſæculo Dialogi natalem adſcribamus.

Id ſuadet etiam quòd Zachæus ipſe hæreticos ſolum Manichæos, Marcionitas, Photinianos, Sabellianos, Patripaſſianos, Arianos ac Novatianos, qui ſuâ tempeſtate ampliùs fremebant vigebantque, perſtringat. At de Pelagii ejuſque Sectatorum hæreſi, quæ procedente ſæculo quinto maximam orbis partem infecit, ne verbum quidem, cum pluribus in locis, libri potiſſimum 2. cap. 11. ſeſe dabat occaſio.

Obſervandum hîc interim Auctorem noſtrum hallucinatum, vel amanuenſium inſcitiâ ſubreptum non nihil fuiſſe in deſcriptione Sabellianæ hæreſis; quippe quæ Macedonii eſt adſcribit Sabellio.

Accedit quod omnia ſigna quibus Antichriſti adventum inſtare auguratur lib. 3. cap. 8. cum hiſce noſtris conjecturis quadrant ex amuſſi. Illud enim ipſum tempus eſt, quo ingentia Barbarorum examina in Africam atque Europam effuſa, Galliam, Hiſpaniam, Italiam, ac ipſam Imperii arcem Romam devaſtarunt, dum interim in Oriente Regia Conſtantinopolis, ac pleræque civitates Palæſtinæ horrendo terræ motu quaterentur; fame denique ac peſte homines affligerentur. Videſis Oroſium in libri 7. capite 40. ſub finem, & cap. 42. Zoſim. lib. 6. Sozom. lib. 9. c. 8. S. Hieron. epiſt. 16. Lucam Tudenſem in Chronico, Marcellinum Comitem p. 27.

Favent inſuper quæ de inſtitutis Cœnobitarum in urbibus degentium, deque ſacra hymnodiâ lib. 3. cap. 6. fuſe narrat. Quippe ante annum 400. pauca admodum, imò fortè nulla Cœnobia in Europææ urbibus viſebantur. Quod verò ad cantum attinet, illum in Eccleſia à B. Ambroſio quinto ſæculo appetente invectum non obſcurè ſcribit Auguſtinus in Confeſſionum l. 9. c. 7.

Poſtremò ſtilus plerumque turgens ac lacertoſus, ſententiæ ſæculi hujuſce Scriptoribus familiares non ſemel uſurpatæ: Mathematicorum ac hæreſeon in quas tunc Patres ſtilum ſtringebant, perſpicua confutatio: ſupplicationum quibus pluviæ arcerentur non prætermittenda commemoratio, aliaque hujuſcemodi complura, conjecturas noſtras ſatis ſuperque confirmare videntur. Hactenus itaque conjecturas, non noſtras tantummodò, ſed & virorum clariſſimorum indigitavimus, nempe; Sebaſtiani Le Nain D. de Tillemont, Caroli du Freſne D. du Cange, Joannis Bapt. le Cotelier, RR. PP. Joannis Garnier S. J. ac Paſchaſii Queſnel Congregationis Oratorii D. JESU *Presbyterorum, & noſtri præſertim Franciſci Delfau.*

Erit forſan & emunctioris naris criticus, qui non nihil momenti ad hæc argumenta accedere putet ex his quæ ſcribit Auctor lib. 1. cap. 21. atque ſua Dominicæ mortis indicia felicis ſepulcri exuvias continuiſſe: quibus exuviis credat ſignificari ſindonem illam quâ ſacrum Chriſti corpus obvolutum eſt, quam ineunte quinto ſæculo Eudocia Conſtantinopolim aſportaverat, quamque, teſte Gualtero (penes quem hujus rei fides ſit) an. 439. Theodoſius II. Veſuntionem ſummâ ſolemnitate tranſmiſit.

Erit præterea qui conjecturam capiat temporis quo vixerat Auctor noſter, ex capite 28. lib. 1. ubi non quidem cultum omnem, ſed incautum *(ut ait)* obſequium, *imaginibus Imperatorum à populo exhibitum reprehendit. Quippe deſinente ſæculo quarto vigebat ritus ille, ut pictæ aut fictæ Auguſtorum imagines ſolemni pompâ circumferrentur, ac publicis vulgi acclamationibus exciperentur. Verùm non rarò cultus ille in ſuperſtitionem cedebat ex impotentiâ vulgi, qui affectibus ſuis, ſicubi adulatio aut lætitiæ publicæ oſtentatio movet, moderari nequit. Huc etiam locus non nunquam faciebat. Si quidem non tantùm in profanis, ſed in ſacris quoque locis exponebantur imagines illæ, ſicut Eudociæ ſtatua Conſtantinopoli propè Baſilicam erecta, quæ Joanni Chryſoſtomo juſti zeli ſimul & invidiæ cauſa fuit. Quo reſpexiſſe videtur Zachæus, cum inſit, Sacerdotes ejuſmodi conſuetudinem incautioris obſequii prohibere. Ut enim Patres cenſuere colendas eſſe Imperatorum imagines, ita ſemper immoderatum improbavere cultum, qui ad religionem, imò ad ſuperſtitionem accedere videbatur.*

Quin etiam Imperatores quibus pietas cordi erat, non tulere effuſam libidinem in colendis iconibus ſuis. Præclara eſt eam in rem lex Theodoſii Imperatoris, quam huc adſcribam ad id loci illuſtrandum: Si quando noſtræ ſtatuæ vel imagines eriguntur, ſeu diebus, ut adſolet, feſtis, ſive communibus, adſit judex ſine adorationis ambitioſo faſtigio: ut ornamentum diei, vel loco & noſtræ recordationi ſui probet acceſſiſſe præſentiam. Ludis quoque ſimulacra propoſita tantùm in animis concurrentum, mentiſque ſecretis noſtrum numen & laudes vigere demonſtrent; excedens cultura hominum dignitatem ſuperno Numini reſervetur. *Eodem ſpiritu animatus Honorius paternæ pietatis imitator arguit Arcadium fratrem, quòd non ſolùm Conſtantinopoli Eudociæ Auguſtæ colenda populo ſtatua exponeretur, ſed & per provincias velut fabuloſæ Cybeles ſimulacrum circumferretur.*

L. unica Cod. Theod. de imag. Imperial.

Cæterum fruſtrà quis hunc Zachæi locum detorqueret in venerationem ſanctarum imaginum, quandoquidem Eccleſia, quæ pium earum cultum probat, rejicit immodicum ac ſuperſtitioſum, uti Zachæus Imperatorum.

Atenim conjecturis noſtris obſtare videtur, quod Zachæus nihil de Apollinariſtis, Donatiſtis, Priſcillianiſtis, Pelagianiſve ſcribat. Sed hanc objectionem ipſe prævertit, conteſtatus ſe non omnes iſtiuſmodi peſtes ſuſcepiſſe recenſendas: tametſi dici poſſet ſæculo ineunte quinto Pelagii ac Neſtorii dogmata non ſtatim ſic exertè proſcripta, ut jam tum exſtarent illuſtria volumina è quibus more ſuo Catholicam teneret doctrinam. Quod iterum ſingularem hominis modeſtiam arguit, & aſſertas de illius ætate conjecturas confirmat.

Cæterùm fortiſſimus ille Religionis athleta non modo priorum temporum, ſed etiam ævi noſtri hæreticos compreſſit, eoſque ſuis coloribus ad vivum expreſſiſſe viſus eſt in lib. 2, cap. 21. Illi namque ipſi, qui traditionem Apoſtolicam relinquentes, magiſtros perfidiæ ſequuti ſunt, nomen Religionis mutavere cum ſenſu.

Eodem loci cap. 18. Petrum non ſolùm Eccleſiæ fundamentum eſſe dicit, verum in ejus perſonam poteſtatem omnium convenire ſacerdotum, contra quàm ſentiunt Novatores, affirmat: idem lib. 2.

Digitized by Google

cap. 18. poteſtatem abſolvendi à peccatis ſacerdotibus à Chriſto factam, adverſus Novatianos eleganter fortiterque vindicat. Lib. 2. in præf. Apollonius jam Chriſtianæ militiæ adſcriptus, Eccleſiæ ſacrificium & realem Chriſti in Euchariſtiâ præſentiam confitetur. Eodem lib. cap. 7. pro obſoletis pecudum atque alitum victimis cœleſte fidelium munus purâ oblatione celebrari commemorat. Liberum arbitrium ſartum atque integrum paſſim propugnat.

Lib. 1. cap. 21. ſacrarum Reliquiarum virtuti illuſtre teſtimonium reddit, dum ea quæ feciſſe legimus vivos, etiam ante defunctorum cineres fieri teſtis oculatus affirmat. In lib. 3. capp. 3. 4. & 6. Monaſticen, quam Lutherus ut inventum diaboli exagitat, ut Dei Opt. Max. opus ſingulare commendat. Denique lib. 2. cap. 2. & 3. Spiritum ſanctum à Patre ac Filio eſſe tradit, quod me judice idem eſt, atque à Patre Filioque procedere.

Quamquam, uti nihil ab omni parte beatum, non deſunt in hoc Auctore aliquot nævi, queis, ut ei auctoritas undiquaque conſtet, benignas, ut par eſt, interpretationes adhibebit Lector eruditus, qui eum volet excuſatum. Nos interim cautiones opponimus nonnullas, ne ſimpliciores alicubi temerè offendant.

In primis videtur nonnihil Pelagianæ fuliginis (quæ erat illius ſæculi labes) contraxiſſe, quo fortean effectum eſt, ut à Pelagianis, Neſtorianiſque, qui ex his originem duxere, perſtringendis abſtinuerit. Lib. 1. cap. 8. Incarnationis cauſa eſt, inquit, vel ſervandi humani geneeis, vel reparandi. Et ſtatim hanc reparationem in lege atque exemplo conſtituere videtur: velut & capp. 15. 17. 21. cap. verò 36. prœmaturas infantum mortes in elementorum inæqualitatem, aut in parentum ſcelera, non in originalem noxam refundit, quo Deum injuſtum non eſſe demonſtret; ſubditque cum eis benigniùs agi, ne ex improbis geniti, ſimiles quandoque efficiantur auctoribus; ubi peccatum originale in pravo parentum exemplo ferè ſtatuit. Nuſquam verò gratiæ Salvatoris meminit, quem ut meritorum dumtaxat arbitrum habet cap. 33. Denique cap. 36. totam legis neceſſitatem in voluntate noſtrâ ſitam eſſe opinatur.

Hanc porrò labem abſterget Catholicus Lector eâdem ſpongiâ, quâ S. Auguſtinus eam à Patribus Græcis amovit; quod videlicet nondum hujuſmodi dogmata ab Eccleſiâ exertè explicata eſſent: tametſi nihil eſt hac excuſatione opus, cum ipſe & peccatum originale, & gratiæ Chriſti neceſſitatem quantum ſatis erat ante pleniorem definitionem, inſinuarit. In lib. 1. cap. 14. Hæc fuit aſſumendi hominem præcipua ratio vel voluntas, ut peccatum ab homine contractum, per hominem tolleretur. Lib. 2. cap. 8. Nullum ſine lavacro aquæ ſpiritalis poſſe ſalvari. Cap. 16. Generalis exemptus ruinâ, in ſpem quam amiſeras repararis. Item capp. 5. & 8. Gratiæ Redemptoris eleganter aſtipulatur. Lib. 3. cap. 10. Ille tantùm efficiendi ſubſtantiam præſter, qui magna cupere ſe donante permiſit. Lib. 2. cap. 20. Conferre non abnuat, quæ præſtitit velle.

In ejuſdem libri capp. 8. & 18 ait juſtificari per fidem, eo nempe ſenſu quo B. Paulus id ſcripſit de fide quæ per charitatem operatur, alioquin etſi habuero omnem fidem, nihil mihi prodeſt.

In cap. 19. ejuſdem libri: Sufficiat Canonicis inhærere doctrinis. Non exauctorat traditiones Patrum, quas ibi aſtruit, eaſque ab heterodoxis prætermiſſas conqueritur.

In libri primi cap. 33. Angelis pœnitentiæ tempus indultum exiſtimat, forſan non è Scholæ ſenſu: niſi per tempus illud intelligatur ſpatium, quod peccatum inter & pœnam interceſſit.

Cujas fuerit Zachæus inquiris forſitan Lector? Næ nobis quid aſſeramus, ut ingenuè fateamur, haud venit in mentem. Quidam rerum antiquarum exploratores curioſi eum vel Gallum vel Italum autumant. Si tamen conjecturæ indulgere liceat, Africanum dicam Zachæum ob ſtili affinitatem cum Africæ Scriptoribus, qui illo ævo vel paulo ante ſcripſitabant.

Supereſt nunc, ut à me noveris, Lector, quâ ex Bibliothecâ ſuppeditati ſint codices MSS. unde Zachæi opus exſcribendum curavimus. Cum VV. CC. Carolus du Freſne D. du Cange, & Joannes Bapt. Le Cotelier, uterque eruditiſſimus, luſtrarent inviſerentque MSS. codices celebris Bibliothecæ Thuaneæ, occurrère bini MSS. Zachæi Chriſtiani & Apollonii Philoſophi Dialogorum libri tres: volvunt illos & revolvunt, ac tandem diſcuſſos utcumque, judicant luce dignos. Expetunt pro me neſciente binos MSS. à doctiſſimo Bibliothecario Joſepho Queſnel, qui cum mihi ſit amicitiâ conjunctiſſimus, & comperea humanitatis in omnes, benignè utrumque commodavit. Ad me ſtatim detulerunt viri amiciſſimi, obtuleruntque theſaurum huc uſque abſconditum atque inviſum, quem volupè admodum ſuſcepi, ac pollicitus ſum in lucem proferre.

Verumenimverò dum illos codices legere atque examinare ſum aggreſſus, hæſi in ipſo principio; nempe deerat titulus in poſteriori (præ ſe tamen octingentos annos præferente) prima pagina propè obliterata erat, verba totius operis identidem inverſa, ac ſyllabæ inconcinnè divulſæ & compoſitæ. In altero codice manu paulo antiquiore exarato titulus exſtabat quidem, ſed characteres viſum paſſim fugiebant, velut & in toto volumine, ut pote pluviâ & carie labefactato, ac putrefacto: deinde non ſolùm eſt labefactatus iſte codex, ſed tam oſcitanter & imperitè exaratus ab inſcio quodam, ut ſubinde textûs ordo pervertatur: putà in libro primo, atque ut in uno eodemque capite promiſcuè ex libro 2. multa invexit, ita & in libro 2. & in tertio pariter contextûs ſeriem

perturbavit, ac ſenſum immutavit. Cum autem anxius hærerem, & nulla in tanto labyrintho ſeſe offerret via, quâ ex eo emergere valerem, V. C. D. Faure Doctor Sorbonicus, rerum antiquarum peritiſſimus, ſe in Bibliotheca S. Arnulfi Metenſis Patrum Congregationis SS. Vitoni & Hidulfi deprehendiſſe Zachæi Dialogos mihi ſignificavit. Eâ de re actutum ſcripſi ad R. P. Domnum Petrum Deſcrochets ejuſdem Congregationis pereruditum Presbyterum, ac Subpriorem S. Arnulfi. Ipſe, ut eſt ſingulari comitate præditus, nullâ interpoſitâ mora benevolè codicem eleganter ab anno circà ſexcenteſimo conſcriptum tranſmiſit. At mirum, codex ille eaſdem inverſiones ſive repetitiones ac antiquior Thuaneus continet. Adjumento nihilominùs fateor, mihi fuit permaximo: ſi quidem ex eo pluribus in locis nodos, qui remanſerant, reſolvi, nævos exterſi. Atque ut dicam quod ſentio, par eſt credere Arnulfinum codicem ex præfato Thuaneæ Bibliothecæ antiquiori tranſcriptum, juriſque olim fuiſſe Abbatiæ S. Arnulfi Metenſis.

Suppetias nonnulli ex noſtris ivère, non diffitemur, ad conferendum ingenti labore apographum quo in hac uſi ſumus editione, cum codicibus MSS. atque ad elucidandas tenebras quæ ſæpiuſculè animum obvolvebant, è noſtris etiam D. Gabriel Gerberon & D. Joannes Mabillon præſto fuere.

Hactenus Acherius, cujus labori haud parum eſſet detractum, ſi Altercationem Theophili Chriſtiani & Simonis Judæi, *quam R. P. D. Edmundus Martene tomo V. Anecdotorum edidit, videre potuiſſet; cum enim illius Altercationis auctor ſit Evagrius, qui circà annum 420. ſcribebat, ut diſcimus è Gennadio cap. 50. & è Marcellino Comite ad annum 423. quin idem has Conſultationes ſcripſerit dubitari vix poſſe, non immerito arbitratus eſt vir quem ſuprà nominavi doctiſſimus.*

Alia ſunt quæ lectorem moneri operæpretium ducimus. Nam quod ait Acherius felicis ſepulcri exuviis forte intelligi Sindonem illam qua ſacrum Chriſti corpus involutum eſt, omninò eſt, ut mihi quidem videtur, improbabile. Satis enim conſtat ſindonem illam non ab Eudociâ Arcadii uxore ineunte ſæculo quinto, ſed à Theodoſii Jun. conjuge Æliâ Eudoxiâ, non ante annum 440. Conſtantinopolim eſſe aſportatam. Hanc ſcil. Hieroſolymam urbem adiiſſe omnes ſciunt, illam verò in Palæſtinâ verſatam eſſe qui ſcripſerit, neminem novi. Porrò hæ Conſultationes priùs ſcriptæ erant, quam Eudoxiam duxiſſet Theodoſius Jun.

Quod ab eodem additum eſt de Proceſſione ſancti Spiritus à Patre & Filio, minùs etiam eſt accuratum; nam in iis locis quæ indicat, hoc eſt, capp. 2. & 3. lib. 2 ne una quidem vocula eſt, quæ ad eam quæſtionem referri ullatenùs poſſit. Quod ſi de cap 19. cogitavit, in quo antea legebatur, Eſt & Spiritus ſanctus à Patre ſimul ac Filio; *id primum lectorem ſcire volumus, expunctam à nobis vocem* ſimul, *& in ejus locum ex fide optimi codicis reſtitutam vocem* ſimiliter, *quæ ſententiam omnino mutet, ut in notis noſtris videre eſt: deinde quantumvis ſervetur vocula* ſimul, *non liquere Zachæum, ſive Evagrium de Proceſſione Spiritûs ſancti idem ſenſiſſe, quod nunc omnes Latinos; nam fuiſſe olim qui Spiritum ſanctum eſſe & Patris & Filii, imò eſſe & à Patre & à Filio faterentur, nec tamen vellent ſcribi eumdem à Patre & Filio procedere, conſtat vel ex Anſelmi Havelb. Dialogorum lib. 2. cap. 17.*

Supereſt ut moneamus Acherio, cum has Conſultationes ederet, nundum factam fuiſſe copiam mſ. Codicis S. Martialis Lemov. ante annum 1010. juſſu Ademari Cabanenſis exarati, è quo deinde varias lectiones excerptas edidit ad calcem tomi XIII. Spicelegii. Eas non mediocri nobis adjumento fuiſſe ad emendandum contextum libenter agnoſcimus; ſed ita, ut multo plures è codice Monaſterii Vindocinenſis excerptæ ſint à D. Martene, qui eas edi curavit ad calcem tomi V. Anecdotorum.

CONSULTATIONUM[a]
ZACHÆI CHRISTIANI
ET
APOLLONII PHILOSOPHI
LIBRI TRES.

INCIPIUNT[b] CAPITULA LIBRI PRIMI.

I. *SI Chriſtus Deus & homo eſſe poſſit.*
II. *Quomodo idem Chriſtus ſit Dei Filius.*
III. *Ne ſine cauſa ſit hæc collactatio.*
IV. *Si de Chriſto aliquid Poetæ dicant.*
V. *Non ſolùm de dictis Poëticis, ſed de præſentibus miraculis.*
VI. *Ut quid ad rationem dandam de dæmoniis dicatur.*
VII. *Quæ neceſſitas Deo fuit deſcendendi ad terras.*
VIII. *Quare incorruptibilem hominem Deus ſuſcepit.*
IX. *Quare Deus ex fœminâ naſcatur.*
X. *Quomodo fragilitatem humanam evaſit ex Virgine natus.*
XI. *Quomodo per ætates diverſas Deus creverit.*
XII. *De virtutibus Chriſti.*
XIII. *Si Chriſtus alios ſuſcitavit, quomodo morte non caruit.*
XIV. *Qui ſit diabolus, vel quod peccatum hominis.*
XV. *Si Deus impaſſibilis eſt, quare iraſcitur & vindicat.*
XVI. *Quomodo poſt diluvium homines ſint creati.*
XVII. *Unde origo Judæorum.*
XVIII. *Quare poſt egreſſionem Ægypti in eremo ducti ſunt, vel cur lex data ſit.*
XIX. *Si lex plus attulit hominibus quàm natura.*
XX. *Quare ſalus hominum tam tarde advenerit.*
XXI. *Si præfinita conſummatio ſit, an ordo exhibeat finem.*
XXII. *Si corpora reformentur in reſurrectionem.*
XXIII. *De neglectis & a beſtiis devoratis.*
XXIV. *Quomodo moles cœli aut facta ſit aut ſine prætereat.*
XXV. *Si mundus reparetur in melius.*
XXVI. *Cur fruſtrà adorentur idola, ſi in templis donant reſponſa.*
XXVII. *Si Deus ſolus debetur honorari, quare & homines honorantur, & imagines ſculpuntur in vaſis Dei.*
XXVIII. *Quare Chriſtiani fatum non credunt.*
XXIX. *Si diabolus in occultis nocet, quomodo poteſt in curſibus lunæ vel ſiderum, cum ſint in præſentia, nocere.*
XXX. *Qui ſint dæmones, & à quo diabolus.*
XXX . *Cur præſcius futurorum Deus fecerit diabolum, qui futurus eſſet hominibus inimicus.*
XXXII. *Si peccavit diabolus cum fecit, quare non ſtatim interfectus eſt.*
XXXIII. *Quare Deus non Angelum miſit, qui aut hominem reſtitueret, aut diabolum perderet.*
XXXIV. *Cur iniqui florent & recti premuntur.*
XXXV. *Si juſtus eſt Deus, quare infantes malorum neſcii diverſis malis afficiuntur.*
XXXVI. *Quæ ſit plenitudo legis : confeſſio credulitatis ad Deum.*

a *Conſultationum*] In mſ. codice S. Martialis Lemovic. ſic legitur : *A tertatio Apollonii Philoſophi cum Zachæo Chriſtiano.* Sed veram eſſe inſcriptionem quam edidimus, vel inde liquet, quod auctor ipſe in Præfat. *Conſultationum* voce utitur : *Paulatim conſultationes de contradictionibus facere.*

b *Incipiunt*] Quæ ſequuntur capitula exſcripta ſunt ex codice Lemovicenſi ; nam in editis hîc deerant. Ea verò Zachæi non eſſe ex ſtili diſſimilitudine conficio.

PRÆFATIO.

Anno Chr. circ. 410.

APUD quoſdam contradictio Gentilium, quia ſit ab omni verâ ſapientiâ excluſa, [c] exul & vacua, ſpernenda potiùs videtur eſſe quàm refellenda; cum in contemptu ejus faſtidium inutile; in informatione autem duplex bonum ſit, quòd & Religio noſtra ſicut ſancta [d] & ſimplex, omnibus intimatur: & ſolent edocti [e] credere quod ſpreverint neſcientes. Viſum eſt ergo rem magnam licet tenui ſtylo condere, & clariùs quidem à multis, ſed ſparſim dicta in corpore quodam credulitatis aperire; atque introductâ ſciſcitantis reſpondentiſque perſonâ paulatim conſultationes de contradictionibus facere. Itaque ne ſibi velut abſenti præjudicatum Gentilitas quereretur, & ne ille ait, ne *inquam* & *inquit*, ſæpiùs interponeretur, placuit Gentilitatis adhibere Philoſophum, qui in præfatione propoſitionis ſuæ dum de credulitate noſtrâ arrogantiùs diſputat, breviter quid credere debeamus exponit: membratim poſtea perſcrutans omnia, ſubcreſcentibus interrogationum cauſis Fatum homini non eſſe cognoſcet: de quo præcipuè ob Mathesim aliquantiſper reſultans, ſicut de cæteris, ad extremum Fidei manus dabit. Noſter verò in expoſitionem venerandæ Religionis ſenſim leniterque deſcendens, ex multis atque inenarrabilibus pauca & ſumma perſtringet, rationem, quæ ſola ab hujuſmodi diſputatoribus quæritur, ſicubi terrenis intellectibus deeſt, Fidei ſpiritualiter commiſſam demonſtrans, rerum indiciis non ſoliditatibus moraturus, quoniam admotum cæcis oculis lumen ſi ſplendore non cernitur, calore ſentitur.

CAPUT PRIMUM.

Apollonius Phil.

IN tempore, [a] Zachæe, te mihi, & his qui adſunt, opportunitas præſtitit, ut quæ olim abuſivè præloquebamur, nunc liberè proferre liceat & probare. Omnes enim religionum ſectas, & univerſos ſacrorum ritus rationabilibus manaſſe primordiis facilè intelligas, ſi diligenter inquiras: veſtræ autem credulitatis ſecta ita ſuperflua & irrationabilis eſt, ut mihi nonniſi per ſtultitiam recipi poſſe videatur. Quid enim tam abſurdum, & ab humanâ ratione tam diſcrepans, quàm ut Chriſtus, quem Dei filium dicitis, Deus & homo pariter idemque credatur? Conceptum ſine ſemine virgo pariat? Deus naſcatur ex feminâ; per conſequentes poſtea ætatum gradus terreni actûs humilitatem cognoſcat, ſentiat, patiatur & perferat? fixus deinde cruci mortem adeat, atque ad extremum mortuus à ſe ſuſcitetur? Nec ſufficit hujus perſuaſionis auctoribus tam ſtultæ traditioni [f] aggregare conſenſum, niſi & immortales [g] gentilium deos faſtidioſâ infeſtatione condemnent. Vigentem [a] præterea æternitate ſuâ mundum velut temporarium brevemque deſpiciant; ſibi ſine Fati ullius conſtitutione degentibus ſ poſt reſurrectionem corporum mortuorum immortalitatis beatitudinem pollicentes. Cujus obſervantiæ rationem (ſi tamen ratio dicenda eſt, hominum ſtulta perſuaſio) ſi reddere potes vel audes, cum [h] præſentium examinatione demonſtra; ut aut convictus ab errore diſcedas, aut me, eâdem conditione ſuperatum, traditione tuæ concilio teſte conjungas.

Aſſerit Gentilis abſurdum eſſe Deum fieri hominem, mori, &c.

Zachæus Christ.

Audere quidem quivis facilè poteſt verum, [i] & de Deo proferre, ſi tamen quidquam ex divinis veſtræ ſapientiæ congruum, taliſque juſtitiæ [k] non abhorrens, poſſit expromi: veſtræ enim ſententiæ eſt, ſapientem nihil opinari, nihil credere, non falli, ſed [a] per ſe omnia ſcire, & occulta atque ignorata non perpeti, nec majorem Creatori poſſibilitatem facere, quàm creaturæ, atque de Dei ſenſu atque hominis judicare: & præcipuè adverſùm Chriſtianos hanc diſputationis intentionem tenere: unde hæc quoque collectio tua cœpit quod priùs damnaveras, poſtea velle cognoſcere.

Qui apud Gentiles ſapiens.

CAPUT II.

Apollonius Phil.

FAcilitas me veſtræ credulitatis, & contrà totius mundi rationem legemque naturæ ſuſcepta confeſſio vehementiùs loqui, & diſtrictiùs diſſerere coëgit. Verumtamen ſi eſt reſpondendi fiducia, hanc primùm mihi fidem pande, quomodo Chriſtum videri Deum vel Dei Filium vultis, quem poſtea & hominem non negetis: cum utique aut Deus aut homo debeat prædicari, quia omnium intellectibus patet, alterum fieri poſſe, ſimul utrumque eſſe non poſſe.

Objectio: Chriſtus Deus & homo ſimul eſſe non poteſt.

Zachæus Christ.

Veſtrarum argutiarum eſt iſta ſubtilitas, quod credi noluiſtis receptâ primùm parte deſtruere, & ad hoc exiguis manus dare, ut integra ſubruatis. Unde maximè ad vos ſilentium præſtat; quia cum ſit levior culpa non deferre [a] quàm lædere; vos nec credere in Deum [l] vultis, & loqui ſine ejus injuriâ non poteſtis.

CAPUT III.

Apollonius Phil.

AT ego horum tractatuum collationes ſemper prodeſſe dubitantibus credo, & quibuſdam inquiſitionum rivis ad veritatis fontem veniri [m] expertus affirmo; ac propterea [a] univerſarum ſectarum eſſe doctrinas, ut audiendo intelligas quod ante neſcieris: faciliùs enim, ſi ratio ſuppetat, credi audita poſſunt, quàm inaudita cognoſci. Quâ de re, ſi dignum eſt, ſpeciatim pande propoſita, ne in vacuum

c *excluſa*] Hanc vocem quæ in aliis mſſ. deerat, reſtituimus è codice Lemov.

d *ſicut ſancta*] Ita in cod. Vindoc. nam in editis legebatur, *ſit ſancta*, nullo ſenſu. Infrà, *edocti* ex eodem cod. & è Lemov. repoſuimus, ubi editum erat *ex doctis*.

e *Zachæe, te mihi*] In cod. S. Arn. *Apollonius dixit: Zachæe*: ſed duæ priores voces meliùs abſunt: in editis legitur, *ut mihi*, malè, in cod. Vindoc. *te mihi*, benè.

f *tam ſtultæ traditione*] Sic in cod. S. Arn. & quidem haud paulo meliùs quàm quod in textu legebatur, *rationi*. Infrà, ex cod. Vindoc. ſcripſimus *Vigentem*, ubi edita habent *Vincentem*. In Lemov. paulo ſuperiùs *niſi & ut mortales*, meo quidem judicio, malè.

g *de gentibus*] Ita in cod. Vindoc. in editis, *de gentilibus* ſolo librarii errore.

h *cum præſentium*] Lectionem hanc cod. S. Arn. in textu collocare placuit, ubi *eam præſentium* legebatur: in cod. Vindoc. *cum*, haud ita longè à verâ lectione.

i *verum, & de*] Ita reſtituimus è cod. Lemov. in quo *audere*, & è Vindoc. in quo cætera ſequuntur ſic, at edita vides. In editis, *audere quidem quivis facilè poteſt, & de Deo verum*.

k *taliſque juſtitiæ*] In cod. Vindoc. & Lemov. *talique*. Haud ita multo poſt, ubi *ſed per ſe omnia ſcire*, in Vindoc. vocula *ſed* abeſt.

l *nec credere in Deum*] In alio cod. *vos non credere vultis in Deum* quâ de cauſa præpoſitionem *in* repoſuimus, quæ in textu deerat. Suprà, *non deferre honorem*, lego.

m *fontem veniri*] Haud dubium quin ita legendum ſit, nam quod in editis habetur, *venire*, ferri non poteſt. Paulo infrà in cod. Vindoc. *propterea*, emendatè, in priori editione, *praeterea*, malè.

CONSULTATIONUM[a]

ZACHÆI CHRISTIANI

ET

APOLLONII PHILOSOPHI

LIBRI TRES.

INCIPIUNT[b] CAPITULA LIBRI PRIMI.

I. *SI Chriſtus Deus & homo eſſe poſſit.*
II. *Quomodo idem Chriſtus ſit Dei Filius.*
III. *Ne ſine cauſâ ſit hæc colluctatio.*
IV. *Si de Chriſto aliquid Poëtæ dicant.*
V. *Non ſolùm de dictis Poëticis, ſed de præſentibus miraculis.*
VI. *Ut quid ad rationem dandam de dæmoniis dicatur.*
VII. *Quæ neceſſitas Deo fuit deſcendendi ad terras.*
VIII. *Quare incorruptibilem hominem Deus ſuſcepit.*
IX. *Quare Deus ex feminâ naſcatur.*
X. *Quomodo fragilitatem humanam evaſit ex Virgine natus.*
XI. *Quomodo per ætates diverſas Deus creverit.*
XII. *De virtutibus Chriſti.*
XIII. *Si Chriſtus alios ſuſcitavit, quomodo morte non caruit.*
XIV. *Qui ſit diabolus, vel quod peccatum hominis.*
XV. *Si Deus impaſſibilis eſt, quare iraſcitur & vindicat.*
XVI. *Quomodo poſt diluvium homines ſint creati.*
XVII. *Unde origo Judæorum.*
XVIII. *Quare poſt egreſſionem Ægypti in eremo ducti ſunt, vel cur lex data ſit.*
XIX. *Si lex plus attulit hominibus quàm natura.*
XX. *Quare ſalus hominum tam tardè advenerit.*
XXI. *Si præfinita conſummatio ſit, an ordo exhibeat finem.*
XXII. *Si corpora reformentur in reſurrectionem.*
XXIII. *De neglectis & à beſtiis devoratis.*
XXIV. *Quomodo moles cœli aut facta ſit aut ſine prætereat.*
XXV. *Si mundus reparetur in melius.*
XXVI. *Cur fruſtrà adorentur idola, ſi in templis donant reſponſa.*
XXVII. *Si Deus ſolus debetur honorari, quare & homines honorantur, & imagines ſculpuntur in vaſis Dei.*
XXVIII. *Quare Chriſtiani fatum non credunt.*
XXIX. *Si diabolus in occultis nocet, quomodo poteſt in curſibus lunæ vel ſiderum, cum ſint in præſenti nocere.*
XXX. *Qui ſint dæmones, & à quo diabolus.*
XXXI. *Cur præſcius futurorum Deus fecerit diabolum, qui futurus eſſet hominibus inimicus.*
XXXII. *Si peccavit diabolus cum ſociis, quare non ſtatim interfectus eſt.*
XXXIII. *Quare Deus non Angelum miſit, qui aut hominem reſtitueret, aut diabolum perderet.*
XXXIV. *Cur iniqui florent & recti premuntur.*
XXXV. *Si juſtus eſt Deus, quare infantes malorum neſcii diverſis malis afficiuntur.*
XXXVI. *Quæ ſit plenitudo legis, confeſſio credulitatis ad Deum.*

a *Conſultationum.*] In mſ. codice S. Martialis Lemovic. ſic legitur: *Altercatio Apollonii Philoſophi cum Zachæo Chriſtiano.* Sed veram eſſe inſcriptionem quam edidimus, vel inde liquet, quod autor ipſe in Præfat. *Conſultationum* voce utitur: *Paulatim conſultationes de contradictionibus faciens.*

b *Incipiunt.*] Quæ ſequuntur capitula exſcripta ſunt ex codice Lemovicenſi, eam in editis hic deerant. Ea verò Zachæi non eſſe ex ſtili diſſimilitudine conjicio.

PRÆFATIO.

ANNO CHR. CIRC. 420.

c
d

APUD quoſdam contradictio Gentilium, quia ſit ab omni verâ ſapientiâ excluſa,[c] exul & vacua, ſpernenda potiùs videtur eſſe quàm refellenda; cum in contemptu ejus faſtidium inutile; in informatione autem duplex bonum ſit, quòd & Religio noſtra ſicut ſancta[d] & ſimplex, omnibus intimatur: & ſolent edocti[e] credere quod ſpreverint neſcientes. Viſum eſt ergo rem magnam licet tenui ſtylo condere, & claràs quidem à multis, ſed ſparſim dicta in corpore quodam credulitatis aperire, atque introductâ ſciſcitantis reſpondentiſque perſonâ paulatim conſultationes de contradictionibus facere. Itaque ne ſibi velut abſenti præjudicatum Gentilitas quereretur, & ut ille ait, ne *inquam & inquis*, ſæpiùs interponeretur, placuit Gentilitatis adhibere Philoſophum, qui in præfatione propoſitionis ſuæ dum de credulitate noſtrâ arrogantiùs diſputat, breviter quid credere debeamus exponit: membratim poſtea perſcrutans omnia, ſubcreſcentibus interrogationum cauſis Fatum homini non eſſe cognoſcet: de quo præcipuè ob Matheſim aliquantiſper reſultans, ſicut de cæteris, ad extremum Fidei manus dabit. Noſter verò in expoſitionem venerandæ Religionis ſenſim leniterque deſcendens, ex multis atque inenarrabilibus pauca & ſumma perſtringet, rationem, quæ ſola ab hujuſmodi diſputatoribus quæritur, ſicubi terrenis intellectibus deeſt, Fidei ſpiritualiter commiſſam demonſtrans, rerum indiciis non ſoliditatibus moraturus, quoniam admotum cæcis oculis lumen ſi ſplendore non cernitur, calore ſentitur.

CAPUT PRIMUM.

APOLLONIUS PHIL.

e

IN tempore,[e] Zachæe, te mihi, & his qui adſunt, opportunitas præſtitit, ut quæ olim abuſivè præloquebamur, nunc liberè proferre liceat & probare. Omnes enim religionum ſectas, & univerſos ſacrorum ritus rationabilibus manaſſe primordiis facilè intelligas, ſi diligenter inquiras: veſtræ autem credulitatis ſecta ita ſuperflua & irrationabilis eſt, ut mihi nonniſi per ſtultitiam recipi poſſe videatur. Quid enim tam abſurdum, & ab humanâ ratione tam diſcrepans, quàm ut Chriſtus, quem Dei filium dicitis, Deus & homo pariter idemque credatur? Conceptum ſine ſemine virgo pariat? Deus naſcatur ex feminâ; per conſequentes poſtea ætatum gradus terreni actûs humilitatem cognoſcat, ſentiat, patiatur & perferat? fixus deinde cruci mortem adeat, atque ad extremum mortuus à ſe ſuſcitetur? Nec ſufficit hujus perſuaſionis auctoribus tam ſtultæ traditioni[f] aggregare conſenſum, niſi & immortales gentilium deos faſtidioſâ infeſtatione condemnent. Vigentem[g] præterea æternitate ſuâ mundum velut temporarium brevemque deſpiciant; ſibi ſine Fati ullius conſtitutione degentibus[g] poſt reſurrectionem corporum mortuorum immortalitatis beatitudinem pollicentes. Cujus obſervantiæ rationem (ſi tamen ratio dicenda eſt, hominum ſtulta perſuaſio) reddere potes vel audes, cum[h] præſentium examinatione demonſtra; ut aut convictus ab errore diſcedas, aut me, eâdem conditione ſuperatum, traditioni tuæ concilio teſte conjungas.

Aſſerit Gentilis abſurdum eſſe Deum fieri hominem, mori, &c.

f

g

h

ZACHÆUS CHRIST.

i
k

Quis apud Gentiles ſapiens.

Audere quidem quivis facilè poteſt verum,[i] & de Deo proferre, ſi tamen quidquam ex divinis veſtræ ſapientiæ congruum, taliſque juſtitiæ[k] non abhorrens poſſit exprimi: veſtræ enim ſententiæ eſt, ſapientem nihil opinari, nihil credere, non falli, ſed[*] per ſe omnia ſcire, & occulta atque ignorata non perpeti, nec majorem Creatori poſſibilitatem facere, quàm creaturæ, æquè de Dei ſenſu atque hominis judicare: & præcipuè adversùm Chriſtianos hanc diſputationis intentionem tenere: unde hæc quoque collectio tua cœpit quod priùs damnaveris, poſtea velle cognoſcere.

CAPUT II.

APOLLONIUS PHIL.

FAcilitas me veſtræ credulitatis, & contrà totius mundi rationem legemque naturæ ſuſcepta confeſſio vehementiùs loqui, & diſtrictiùs diſſerere coëgit. Verumtamen ſi eſt reſpondendi fiducia, hanc primùm mihi fidem pande, quomodo Chriſtum videri Deum vel Dei Filium vultis, quem poſtea & hominem non negetis: cum utique aut Deus aut homo debeat prædicari, quia omnium intellectibus patet, alterum fieri poſſe, ſimul utrumque eſſe non poſſe.

Objectio: Chriſtus & Deus & homo ſimul eſſe non poteſt.

ZACHÆUS CHRIST.

Veſtrarum argutiarum eſt iſta ſubtilitas, quod credi nolitis receptâ primùm parte deſtruere, & ad hoc exiguis manus dare, ut integra ſubruatis. Unde maximè ad vos ſilentium præſtat; quia cum ſit levior culpa non deferre[*] quàm lædere; vos nec credere in Deum[l] vultis, & loqui ſine ejus injuriâ non poteſtis.

l

CAPUT III.

APOLLONIUS PHIL.

m

AT ego horum tractatuum collationes ſemper prodeſſe dubitantibus credo, & quibuſdam inquiſitionum rivis ad veritatis fontem veniri[m] expertus affirmo; ac propterea[*] univerſarum ſectarum eſſe doctrinas, ut audiendo intelligas quod ante neſcieris: faciliùs enim, ſi ratio ſuppetat, credi audita poſſunt, quàm inaudita cognoſci. Quâ de re, ſi dignum eſt, ſpeciatim pande propoſita, ne in vacuum

c *excluſa*] Hanc vocem quæ in aliis mſſ. deerat, reſtituimus e codice Lemov.

d *ſicut ſancta*] Ita in cod. Vindoc. nam in editis legebatur, *ſit ſancta*, nullo ſenſu. Infrà, *edocti* ex eodem cod. & e Lemov. repoſuimus, ubi editum erat *eo docti*.

e *Zachæe, te mihi*] In cod. S. Arn. *Apollonius dixit: Zachæe*: ſed duo priora verba meliùs abſunt: in editis legitur, *ut mihi*, male, in cod. Vindoc. *te mihi*, benè.

f *tam ſtultæ traditioni.*] Sic in cod. S. Arn. & quidem haud paulo meliùs quàm quod in textu legebatur, *vacuus*. Infra, e cod. Vindoc. ſcripſimus *Vigentem*, ubi editi habent *Vacentem*. In Lemov. paulo ſuperius *niſi & ut mortales*, meo quidem judicio, malè.

g *degentibus*] Ita in cod. Vindoc. in editis, *de gentilibus* ſordo librarii errore.

h *cum præſentium*] Lectionem hanc cod. S. Arn. in textu collocare placuit, ubi *cum præſentium* legebatur: in cod. Vindoc. *cum*, haud ita longe à verâ lectione.

i *verum, & de*] Ita reſtituimus è cod. Lemov. in quo *audere*, & è Vindoc. in quo cætera ſequuntur ſic, ut edita vides. In editis, *audire quidem quivis facile poteſt, & de Deo verum.*

k *taliſque juſtitia*] In cod. Vindoc. & Lemov. *taliqne*. Haud ita multo poſt, ubi *ſed per ſe omnia ſcire*, in Vindoc. vocula *ſed* abeſt.

l *nec credere in Deum*] In alio cod. *vos non credere vultis in Deum* quâ de cauſa præpoſitionem *in* repoſuimus, quæ in textu deerat. Suprà, *non deferre honorem*, lego.

m *fontem veniri*] Haud dubium quin ita legendum ſit, nam quod in editis habetur, *venire*, fieri non poteſt. Paulo infrà in cod. Vindoc. *præterea*, emendatè, in priori editione, *prætorea*, malè.

certantibus nobis, hiqui præſentes ſunt non ſperato intellectu, ſed faſtidio complectantur.

ZACHÆUS CHRIST.

Dignum planè eſt cœleſtium conſiliorum ſacramenta cognoſci, & tam ſimplex de Chriſti divinitate atque elucens per ſe veritas eſt, ut eam licet dignè nemo eloqui poſſit, quivis tamen facilè intelligat, ſi voluntatem exhibeat credituri: quâ in re etiam ego, qui ſum Chriſtianorum minimus, non reticerem, niſi per legem talium altercationum occaſiones vitare præciperet. Ubi enim nullus profectus eſt, conflictus inhibetur. Unde ſi diſputare tantùm & convinci impunè nitceis non crediturus, Epicureos ac Platonicos, cæteraque ſimilium ſectarum oſtenta perquire.

1. Cor. 11, 16. *Nos talem conſuetudinem non habemus.*

CAPUT IV.

APOLLONIUS PHIL.

OMiſſa iſta hæc facito, nequaquam à propoſitâ conditione diſcedens, ut eum ſcilicet altera pars ſequatur, qui hiſdem audientibus in fine ſuperaverit. Et quia, ut verè dicis, [n] pro religione loqui nemo oneri juſtè reputat, membratim univerſa dicturus de Chriſto, primùm evalentem pande rationem, ut ſi Deum vel Dei Filium probare potueris, cæteris quæ ab eodem geſta aut gerenda memoratis, faciliùs acquieſcam; nec me pigebit liberè credere quod Dii non potuerint prohibere.

ZACHÆUS CHRIST.

Matth. 3. 9.

Et ego per ipſum credo, quia [o] excitare ſibi incolas etiam ex lapidibus poteſt, te à gentilitatis errore facilè poſſe deduci, ſi eum cujus majeſtatem vel conſcius negligis, vel ignorans requiris, depoſito falſæ ſapientiæ ſupercilio confeſſum, ubi rebus agnoveris, corde non renuas: ecce enim munitum Chriſti fide loquentem Dii tui audient, nec prohibebunt. Sed te miror formam totius ſcientiæ præferentem, an ſit Deus Chriſtus vel Dei Filius dubitanter inquirere, qui non neſcias etiam veſtrorum auctorum volumina teſtari ejus Divinitatem, & Crucem quam irridetis proferre [p]; ex quibus interim duorum exempla nunc proferam. Plato enim, [q] quem doctiſſimum ac ſapientiſſimum perhibetis, cum de revelandâ Chriſti majeſtate loqueretur, his verbis etiam ſignum illius intimavit, futurum adſtruens Deum, cujus ſignum circumrotundatum & decuſſatum eſt. Sibyllæ perinde prædivina, ut aſſeritis, [r] carmina proprietatem ſancti nominis perſonarunt [s] cum dignitate naturæ: hæc eadem Deum poſtea uno verſu [ſ] crucemque ſignavit, quam vos multis diſputationibus refutatis, prædictum poema ita ponens:

Ex Gentilium auctoribus probat Chriſtum eſſe Deum, ac crucem pertuliſſe.

Felix ille Deus[t], ligno qui pendet ab alto.

Vide diſtantibus quidem verbis, expreſſam tamen utriuſque confeſſionem. Ille futurum deſignat, quia manifeſtandum in homine ſentiebat. Hæc felicem eum vocat, quia divinam prævidet in hominis fragilitate virtutem, & in ejuſdem hominis morte victoriam. Quos tamen non idcirco conſequi convenit, quia his velut per ſomnium veram ſapientiam loqui aliquando permiſſum eſt, neque ut gentilitas meruiſſe ex Deo præſcientiam videretur ſed ut Deum Chriſtum ac Dei Filium etiam veſtri loquerentur auctores, qui cum penè in omnibus falſi ſint, in hoc [t] probabiliter erraverunt.

CAPUT V.

APOLLONIUS PHIL.

BEnè quidem utriuſque dictorum ad tempus reminiſceris, ſed quia probandi libertas eſt, præcedentem ſententiam tuam pari liceat ſermone cohiberi; quòd hi quorum auctoritas recipi in omnibus [non] debet [u], in hoc forte humaniter erraverunt. Unde ſi verè Chriſtus Deus vel Dei Filius eſt; non veterum tantummodo literis, ſed præſentibus edoceri debet exemplis.

ZACHÆUS CHRIST.

Dæmones etiam Chriſtum agnovere Deum.

Quàm iniqua eſt gentilis perſuaſionis intentio! cum pro ſe aſſerit, ſuis utitur; cum revincitur, nec ſuis credit. Non eſt tam inops fidei noſtræ aut egena defenſio, ut in ſui probatione externis tantum teſtimoniis nitatur, nec quod intrà ſe eſt, foris quærit. Audi immundos dæmoniorum ſpiritus, quæ veſtra ſunt numina, ſub hujus vocabuli invocatione conterritos Chriſtum Deum & Dei Filium non negare, ac velut reos cum tormenta ſæviunt quæſtionum non quod placeat dicere, ſed quod extorquetur fateri; & ſi credulitati noſtræ & fidei derogatis, Diis ſaltem veſtris credite; aut ſi ulteriùs pudor non eſt, negent homines quod etiam dæmones confitentur.

CAPUT VI.

APOLLONIUS PHIL.

QUid mihi varia dæmonum pro omni ratione commenta, & volubilem incertorum ſpirituum pro totâ fide [x] niteris objectare ſententiam? Si vobis hæc ſola probatio eſt, ad prædictorum auctoritatem honeſtiùs recurretis.

Æquum eſſet veſtrorum vos primùm teſtimoniis credere; deinde invitam dæmonum confeſſionem non levi æſtimatione penſare: quia niſi inviſibilibus cruciatibus agerentur, liberè utique pro ſe faciliùs dicerent, quam ſemper contrà ſe mentirentur. Sed cum in re omni inæſtimabiles ſint divitiæ Dei, maximè in honore ſui nominis approbando, provocandiſque ad fidem hominibus majeſtas vera [y] diffunditur. Unde ſi hæc parva ſunt, mandata curationum remedia ſuccedunt, & inenarrabilia Dei etiam in mortuos porrecta beneficia. Jubente itaque Chriſto cæci illuminantur, auditus redditur ſurdis, claudi ambulant, mundantur leproſi, mortui ſuſcitantur. Quæ ſi ab eodem geſta non creditis, fieri ab hominibus in nomine ejus aut facta cognoſcite; qui utique ſi Dei Filius aut Deus non eſſet, vel falsò induiſſe hominem crederetur, nec invocatus aſſiſteret, nec profutura indigentibus ſigna præſtaret; quia apertè intelligi poteſt nec Deum

Deum probant Chriſtum miracula quæ ipſe patravit.

n *ut verè dicis*] Sic in Lemov. qui deinde addit *ut penè*, fortaſſis *ut benè*. In editis, *Et quia vere, ut ipſe dicis.*

o *quia excitare*] In cod. Vindoc. *qui excitare*, fortaſſe meliùs.

p *proferre*] In cod S. Arn. *proferre*.

q *Plato enim*] Cum eum locum in Platone quæſiſſemus, hoc reperimus in x. lib. de Legib ſcriptum, motum ſphæricum ſive in orbem, Menti, à quâ omnia condita ſunt ac reguntur, eſſe ſimillimum. Quod quidem abſurdum eſſe nemo non intelligit, ſed neſcio an non id abſurdius ſit, quod ſibi nonnulli veteres Chriſtiani crucis Domini mentionem à Platone fieri conjecerunt.

r *ut aſſeritis*] Vera hæc eſt codd. Vindoc. & Lemov. lectio; nam ea quam edni præferunt, *ut aſſentis*, ab errore immunis non eſſe videtur, quippe ex quâ concludi poſſet Zachæo ipſi Sibyllæ carmina divina viſa eſſe.

ſ *uno verſu*] Sic in cod. S. Arn. in textu, *uno verſo*, peſſimè. Superiùs, *perſonarunt*, repoſuimus, cum antea *perſonarent*, legeretur, ac bellè omnia diſſiparent.

t *in hoc probabiliter*] In Vind. *etiam in hoc*. Cujus erroris hic vel Platonem, vel Sibyllam inſimulet, haud ſatis ſcio; nec multum dubito, quin in verbo *erraverunt*, librarius erraverit.

u *in omnibus non debet*] Particulam negationis quæ è codd. omnibus exulabat, reſtituimus, ut ſententia conſtaret.

x *pro totâ fide*] Mallem *pro tuâ*, ſi codices faverent.

y *majeſtas vera*] In editis *majeſtatis*, malè; in codd. Vind. & Lem. *majeſtas*, benè.

acquieſcere mendacio, nec homines per mendacium ſigna poſſe promereri.

CAPUT VII.

APOLLONIUS PHIL.

VIderentur hæc à fide non abeſſe quæ loqueris, ſi credulitatem ſequentia mererentur: nam ut alia interim taceam, veniendi ad terras Deo quæ ratio aot neceſſitas fuit?

ZACHÆUS CHRIST.

Non neceſſitate Deus hominem induit, ſed merà voluntate.

Deum quidem neceſſitas nulla complectitur, quia ſemper liber & nulli eſt obnoxius paſſioni, ipſi per ſemet ſubjecta ſunt omnia, nec cuiquam ipſe ſubjectus eſt. Verumtamen abſoluta eſt ejus & certa ſententia; *Niſi ere iderits, non intelligetis*. Proinde ſi animum in tenebris oberrantem ad ſuperni intellectûs lumen erexeris, ut Deum quæcumque velit credas & poſſe; veniendi eidem ad terras, imò quia ubique ſemper eſt, in homine ut viſibiliter appareret, neceſſitatem quidem, quantum in ipſo eſt, non deprehendes, ſed cum ratione fuiſſe intelliges voluntatem.

CAPUT VIII.

APOLLONIUS PHIL.

SIcut ea quæ velit Deum poſſe ambigi non poteſt; ita cum nolle contraria ac ſe indigna perſpicuum; atque ideo ſi neceſſitas non fuit, cum ratione edoce voluntatem.

ZACHÆUS CHRIST.

Solo amore ductus, naturam humanam ſuſcepit.

Hoc primum menti tuæ trade, quæcumque idem inter homines Deus oſtendit, ſuſcepit ac pertulit, cauſa eſt vel ſervandi humani generis vel reparandi: in quo ita beneficia ſua quæ à principio dederat ſemper dilexit, ut plus veniæ largiretur indultis quàm ultionibus [z] mali penſaret. Propter hominem volumina ſcripturæ referta exemplis præteritorum, & adhortatione præſentium, futurorum præterea ſpe, metuque completa ſunt, os ſi ad agnitionem Creatoris & coltum, quæ eſt ſumma juſtitiæ, [a] non illicerent promiſſa fidelia, denunciati examinis formido conſtringeret. Cum hæc igitur conſtituta parùm proficerent per Prophetas, præſentiam ſui Salvator indulſit, ut ſalutis noſtræ opus integrum cum prædicatione virtus impleret, nec ſemper à ſolo homine caſtigatio venire putaretur. Cum in Chriſto & doctrinâ, & actibus & ſignis divinitas eluceret, noſque ad imitationem juſtitiæ ac ſanctitatis non vi cogeret, ſed mirabilibus invitaret. Itaque opus tantæ dignationis acturus, quemadmodum debuit ad terrena deſcendere, niſi ut illum in ſuo fragilis hominum materia [b] ſuſtineret, quem erat viſura præſentem, docentem auditura, imitatura operantem?

CAPUT IX.

APOLLONIUS PHIL.

ESto veniendi ad terras probabilis cum voluntate ratio videatur; quoniam pro hominis miſeratione Deus veniſſe perhibetur, numquid non ei impoſſibile fuit ex quâcumque ſublimiore materiâ incorruptibile corpus efficere, quo aſſumpto ita homini opem ferret, ne corruptibili homine gravaretur?

ZACHÆUS CHRIST.

Omnia Deus ex voluntate ſuâ faciens, nihil quod ſibi grave ſit velut coactus aſſumit; [c] ſed ſicut falli non poteſt, ita ipſe non fallit, verum ergo ab eo fieri, non ſimulatum decebat, nec præſtigiorum more phantaſiam pro homine monſtrari, ſed ut hoc eſſet quod eſſe vellet videri. Itaque in homine vero pro omnium ſalute venturus, & naſci debuit, & per ordinem vitæ ætatis incrementa ſuſcipere, ut ſimul & ea duceret quæ facere homo poſſit, nec fieri præciperet quod non priùs ipſe per hominem aſſumptum feciſſet.

c Venit eo quo cæteri modo homo fieri, ut verum ſe probaret habere corpus.

CAPUT X.

APOLLONIUS PHIL.

FIat ſi libet certandi ex hac quoque parte compendium. Nonne hoc ſaltem indignum fuit intra uterum femineum coaleſcere, aot credibile eſt eum naſciturum ſine ſemine fuiſſe conceptum?

ZACHÆUS CHRIST.

Ex Virgine abſque ſeminis permixtione conceptus eſt Chriſtus.

Dixi dudum, intellectus fidem ſequitur; nec niſi per fidem quæ ſe altiora ſunt & Deo proxima, humana mens percipit [d], ſi enim ex non ſubſiſtenti materiâ, vel ex quâcumque, ut paulo ante dixiſti, Deus cum vellet & facere hominem potuit: nempe facilius de ſubſiſtenti & ſuâ, [e] ut nihil non verum, & mirum magis eſſet, & permixtionem ſeminis non haberet. Vel quod animal aut elementum Deo carius quàm homo eſt? Quæ tantæ formationi materia, quàm ſanctæ Virginis aptior, intrà quam Spiritus Dei electo puriſſimorum viſcerum flore corpus effecit; in quo Filius Dei inter homines converſatus habitavit? Quod ne incredibile videatur per Spiritum Dei fieri potuiſſe, intuere quid mundi ſpiritus poſſit, qui utique non Deus ſed unus ex operibus Dei eſt, quam facilè diſſolutam naturaliter humum rigore conſtringat, aquas vèrtat in glaciem, ea iiſdem & nivem gignens, quæ pondus levitate, colorem candore commutet; idem cryſtallo flatibus duret, naturæ ſuæ non receptura mollitiem, & poſt hæc Deo impoſſibile fuiſſe crede, quod eſſe poſſibile intelligis creaturæ.

CAPUT XI.

APOLLONIUS PHIL.

ETiamne Virginem peperiſſe teſtamini? Creatio enim ſicut aſſeris non de incorruptibili [f] Deo, ſed ea materiâ corruptibili effecta, quo pacto modum propriæ fragilitatis exceſſit?

ZACHÆUS CHRIST.

Virtus ac potentia Dei in hoc maximè emicuit.

O mundi ſapientia divinum in tuâ perſuaſione nihil ſentiens! Dei opere fieri intrà hominem omnium audis ſalutem, & cum ſine turbatione corporis conceptum intelligas, abſque ejus diſſolutione produiſſe non credis! Ubi eſt ergo beneficium aut potentia Dei, ſi humanæ fragilitati ſacra conjunctio nomen tantùm communicat, non honorem? Tu Chriſtum ex hoc vel maximè Deum eſſe non credis, quia contrà conſuetudinem humanæ nativitatis natus prædicatur ex Virgine. At ego hinc eum magis tranſiſſe in Dei gloriam credo, quòd conditioni noſtræ etiam ſecundùm hominem in aliquo diſſimilis, & naſcendi ordinem decenter implevit, & materni corporis integritatem naſcentis neceſſitate non violavit. Dubium ergo non eſt, cum ſit creatio de ſpiritu incorruptibilis Dei incorruptibilem etiam editionem fuiſſe, & quod erat fragile hominis, Divinitatis potiùs virtute ſervatum,

z *quàm ultionibus*] Sic codex Vind. In editis *quàm pro ultionibus*, haud ita rectè.

a *qua eſt ſumma juſtitia*] Optima cod. Vind. lectio: in Lemov. *juſtitia*, ac cætera ut in Vind. in editis, *qui eſt ſumma juſtitia*, alio, nec adeo idoneo ſenſu.

b *in ſuo fragilis*] Fœda lectio, quæ omnes codices inſedit: libenter legerem, *in ſuâ fragilis hominum natura*

c *coactus aſſumit.*] Ita in Vind. in editis *aſſumpſit*. Haud ita multo poſt in Lemov. *ſed ut quod eſſet, vellet videri*: neſcio an meliùs.

d *mens percipit*] In alio codice, *perſpicit*, minùs rectè: cum neque per fidem Deo proxima perſpiciantur.

e *de ſubſiſtenti & ſua*] Sic in codd. Vind. & Lem. & quidem optimè: in editis, *de ſubſiſtenti ſuâ*, ut & nihil.

f *non de incorruptibili*] Particulam negationis quæ omnino neceſſaria erat, adjecimus è cod. Lemov.

quàm id quod erat Dei fragilitate hominis imminutum.

CAPUT XII.

APOLLONIUS PHIL.

POne, ut ita ſe Chriſti Divinitas & nativitas habeat, quis propter Deum, quem rationi ſemper immiſces, etiam Virginem parere potuiſſe judicandum eſt; quid momenti fuit infantem in cunis vagiſſe, deinde in puerili ignorantiâ remoratum, aut lubricum adoleſcentiæ tempus annis non tranſiſſe majoribus, ubi poſſibilitate g divinâ ſtatim à firmitate virili quæ erat geſturus inciperet?

ZACHÆUS CHRIST.

Sicut Deum ſe probârat mira operando, ita ſe hominem humilia & infirma ſuſtinendo demonſtravit.

Ex hoc tibi vitæ ipſius ratio adjunctâ divinitatis voluntate reſpondit, ut qui convaleſcentis uteri moras tulerat, tempora ſervaret ætatis: nec dedignaretur ut homo vivere, qui dignatus fuerat ita naſci. Quando enim verum induiſſe hominem crederetur, ſi hos h vitæ gradus tranſcucurriſſet? Sed forte ſpernere aliquid de homine debuit, qui ad edocendam humilitatem & patientiam veniebat. Quanto modeſtiùs in ſe Deum & hominem probans & mira prætulit, i & infirma non reſpuit! Inde in mœrore doluiſſe, dormiſſe in laſſitudine, in mediâ eſum deſideraſſe, fleviſſe in luctu, & gemuiſſe in morte perſcribitur; ut cum Deum verum quæ ſuperiùs comprehenſa ſunt ſublimia opera demonſtrarent, verum hominem flebilia loquerentur. Cum & quæ nobis ſunt propria ſuſcipiendo pertulerit, & quæ ſoli Deo poſſibilia, verbo cum voluerit effecta præſtiterit.

CAPUT XIII.

APOLLONIUS PHIL.

MEmini dudum & curationum varietates, & mortuorum ſuſcitationes fuiſſe prolatas; in quibus tamen ſpecialem Chriſti admirationem fuiſſe non video: ſiquidem cum & peritiores Magi mortuos ſuſcitent, & medici univerſis debilitatibus remedia largiantur.

ZACHÆUS CHRIST.

Oſtendit Zachæus Magos dæmonum arte homines deluſiſſe, Chriſtum verò miracula, non medicorum more, non incantationibus, ſed divinâ virtute peregiſſe.

Nec me præterit magicis carminibus non mortuorum ſed dæmonum ſpiritus evocari, eoſdemque per phantaſiam pauluſper ſimulare quod non ſunt: conditionem præterea addere falſitati, ut aut non viſi reſpondeant, aut ſi videntur obticeant, ut imprudentium vota debilia umbrarum illudat effigies. Defunctorum autem animæ reſolutis corporibus ad ſedes debitas perducuntur, ac pro meritis uſque ad futuri judicii diem vel in locis beatorum morantur, & ſubjectæ Magorum invocationibus non ſunt, aut quibuſdam clauſæ carceribus venire ad ſuperna prohibentur: ita fit ut iiſdem venire vel dedignantibus, vel retentis, eorum ſimilitudinem dæmones fingant, ut & fallaciæ quam diligunt ſemper interſint, & credentes talibus veri imitatione fruſtrentur. Medicorum verò medelæ multis herbarum confectionibus nec ſtatim nec omnibus proſunt; & ſi quando altior ægris morbus inoleverit; aut igni viſcera exuſta torrentur, aut ferro pernicies occulta reſecatur; nihil in remedium imperio agitur, nihil ſolo ſermone perficitur. Et certè fateri omnes poſſumus derogare medicinam ex eo quod ſit in homine, poſſe, addere non poſſe quod non ſit: quæ Chriſti operum contrà reputatio eſt. Cœcus materias luminum ab initio non habens, & vacua oculorum loca præbens, limo illitus quemadmodum erat primùm homo factus viſum recepit: greſſum neſciens jubetur incedere: ſolutus in muliere venarum ſanguis, dicto ſiſtitur: imperio auris ſolidatur abſciſſa, nec medicamine fugit lepra, ſed verbo. Huc tabefactum ſepulcris cadaver & prodire jubetur, & vivere; nec ſubitam præſentiam cernentibus præſtat, ſed cunctis hominum actibus intereſt, atque annos victurus exultat. Quis præter Deum quinque panibus tantùm plura l hominum millia paſcere ita potuit ut ſaturaret? Quis mare pedibus ingredi, & immenſum ambulando liberè calcavit elementum, ut famulantibus viæ fluctibus figeret firma veſtigia? Quis ventis jubere, & ſævientes in tempeſtatem procellas ſermone compeſcere? Quis de aquâ vinum facere, & ex eâdem in eamdem naturâ ſine intellectu demutationis melioris ſpeciei præſtare profectum? Quæ Chriſtus in homine agens ut ſe & Deum probaret, multis videntibus fecit. Itaque ſi echo loquenti, aut fontibus ſpuma, vel vero lumini umbra coæquanda eſt, non indignâ comparatione junguntur opera hominum virtutibus Dei: cum hic, hæc tantùm remediorum mora ſit, ut prodiiſſe jubeantur; illic præſtita per laborem priùs penè quàm ſentiantur, evaneſcant.

CAPUT XIV.

APOLLONIUS PHIL.

SI prædicta miracula, ut credi ſtudes, manens in homine Deus præſtitit, numquid ſuſcipere & pati Crucem voluit? aut quam ob cauſam erepturus à morte alios, morte non caruit; vel quemadmodum aliis proderit qui ſibi prodeſſe non potuit? cum in hoc magis fidem de ſe ambigentibus munire debuerit, liberaturum & alios fore qui hoc primùm in ſuâ liberatione monſtraſſet. Quâ in re aut rationem prodi neceſſe eſt, aut credulitatem non exigi ſatis juſtum.

ZACHÆUS CHRIST.

Quare Crucem ſubire voluit Chriſtus. Non divinitas ſed homo paſſus eſt.

Etiam in hoc æſtimatio tua fallitur, ut in Crucis affixione divinitatem credas injuriam pertuliſſe, quæ incomprehenſibilis & libera nec pati potuit, nec teneri, ſed quemdam de diabolo per aſſumptum hominem egit triumphum, cum in ligno victoriam carnis imponens, cum ſine ſui injuria per hominem ſuperavit, qui hominem cum Dei injuriâ egerat in delictum. Homo ergo non divinitas cruci data eſt, & qui per lignum peccaverat fixus in ligno eſt; atque hæc Deo fuit aſſumendi hominem præcipua ratio vel voluntas, ut peccatum ab homine contractum per hominem tolleretur, & ab illo fides reſurrectionis inciperet, quem primum reſurgere debuiſſe conſtaret: purus enim & ab omni immunis delicto pati pro omnibus voluit, ut non ſolâ poteſtate ſed merito omnibus præferretur. Vides ergo quæ ſit divinæ pompa virtutis vitæque victoria, mortem non meruiſſe ſed merentibus abſtuliſſe, & vexillo ſpiritalis m triumphi culpam materiæ affixiſſe non propriam; quoniam quicumque alius, dum à peccatis nemo hominum liber eſt, pro ſe tantùm vitam dediſſet: *illum oportuit pro omnibus interire, qui pro ſe noxæ nihil debens, cum con-

g *ubi poſſibilitate*] Sic codex Vind. in priori editione *ut poſſibilitate*, minùs idoneo ſenſu.

h *crederetur, ſi hos*] Hic quoque codicem Vind. ſequimur; nam antea legebatur, *niſi hos*; fœdo errore, qui inde ortus eſt, quod librarius verbi *tranſcurrere* intellectum aſſequutus non erat.

i *prætulit*] Ita in codd. Vind & S. Arn. In textu *pertulit*, malè: utroque haud paulo meliùs eſſe *prætulit*.

l *tantum plura*] Sic codex Vind. rectiùs quàm prior editio *plurima*.

m *vexillo ſpiritalis*] In Lemov. *ſpecialis*. Infrà *dediſſet* reſtituimus è cod. Vind. cum in editis legeretur *dediſſe*.

demnari non poſſet, acquiêverit & occidi, ne nos perpetua mors teneret.

CAPUT XV.

APOLLONIUS PHIL.

REmoto hoc interim, ut quis iſte diabolus vel unde ſit dicas, quem incentorem neſcio cujus peccati nuſſi confirmas, ipſum, ſi non piget, hominis primi peccatum, cujus tanta atrocitas ſicut aſſeris fuit, ut niſi per ſolam Chriſti crucem non potuerit expiari: inſpectâ enim ſi qua ſit criminis qualitate, quid hæc crucis prædicatio tantopere elata præſtiterit, promptiùs elucebit.

ZACHÆUS CHRIST.

Primi hominis peccatum explicat.

Non piget planè offenſæ veteris explanare principia, & quem mali gradum primi hominis tranſgreſſio fecerit, ſimplici narratione contexere, ut qui peccati tantùm cauſas audire deſideras, etiam Creatorem humani generis propiùs agnoſcas. Cum enim Deus omnia feciſſet ex nihilo, habitatorem mundi hominem finxit ex limo, rudique adhuc & exanimo corpori ſpiritum ſenſumque largitus eſt; ſpiritum quo communem carpimus aërem, quo membra provehimus; ſenſum quo à cæteris animalibus diſcrepamus; tum vivendi proprium arbitrium addidit, liberum in omnia imperium tribuens; tum immortalitas cum conditione permiſſa eſt, & in voluntate lex poſita, non quæ obſervatione difficilis periculum inferret ignaro; ſed quæ oſtenſa ne uſurparetur, tantam Creatoris gratiam cum immortalitatis beneficio cuſtodiret. Sic poſito itaque homini inter delicias Paradiſi, amœniſſimi ſcilicet loci, & nullâ aurarum intemperie ac varietate corrupti, ex omni pretioſarum arborum fructu edendi copioſa datur facultas; ſed in multis unius tantùm arboris uſurpatio prohibetur, ut interdictam eamdem arborem ſemper metuens homo, ejus qui interdixerat meminiſſet, & prælatus omnibus [a] præ ſe eſſe non oblivisceretur auctorem; ac ſibi ita omnia ſubjecta cognoſceret, ut ei qui ſibi ſubjecerat, eſſet ipſe ſubjectus: ſimul ne homo rationabilis factus ſicut bruta animalia ſine obſervatione torperet; ſed ut eo quem ſolus præcipuum acceperat ſenſum, inter præceptum ac beneficium & cavere intelligeret & mereri.

Huic beatitudini diabolus invidens per ſerpentem, qui erat cæteris animalibus prudentior, mulierem primùm, id eſt inferioris ſexûs hominem, & ad credendum animi facilioris illexit interdictum guſtatum arboris temerare; per eamdem poſtea virum ſimili falſitate decepit, futuros aſſerens Deo ſimiles ſi ejus ligni pomis non abſtinerent, quod velut ideo divinitas excepiſſet, ne cœleſtem ſcientiam cum hominibus partiretur. His deceptos dolis in peccatum praviſſimum compulit, ut ſe per tranſgreſſionem præcepti Creatori ſimiles eſſe, quamvis non poſſint, velle tamen auſi ſint. Hac fraude immortalitatis beneficio ſpoliati de paradiſo ejiciuntur; exilio inviolabili temperie detractis, & ſub hoc corruptibili aëre victuris pelliceus ſtatim veſtitus imponitur, & ad quærendum victum labor improbus deputatur, ut ſolum verterent nil ſponte præbiturum, & inter ſpinas ac tribulos deſudantes, quamvis plura congererent, mortis tamen ſententiæ ſubjacerent.

Cauſa omnium malorum, mortiſque tranſgreſſio.

Hæc interdicti prima tranſgreſſio malorum omnium cauſa mortiſque principium; nec tamen in vindictam Dei promptam patientia ſententiæ irrogavit effectum, ſed vim ſeverioris edicti temporis interpoſitione mollivit; ut meritum veniæ eſſet ex labore pœnitentiæ, ac lapſi obſervationem juſtitiæ vel poſteros edocerent, quorum gratiâ [o] reſtitui vitæ quam amiſerant poſſent qui per ſe graviter corruiſſent. Hæc intervalla pietatis ac ſalutaris viæ tramitem non per converſionem ſatisfactio tenuit, ſed vitiorum potiùs incrementa creverunt, & frequentium hominum conſumpſit abuſio; ita ut poſtea mortis convaleſcente ſententiâ, ardentium criminum labem diluvii infuſio ſola reſtingueret.

CAPUT XVI.

APOLLONIUS PHIL.

SUſpectæ audientiæ eſt præterire quæ permovent; nam ſi Deus & impaſſibilis & bonus eſt, quemadmodum nunc & iratus aut vindicans eſt? ira enim paſſibilem ſignificat, ultio malum.

ZACHÆUS CHRIST.

Deus quamvis iraſcitur impaſſibilis probatur.

Æquiſſimus humanorum actuum Deus judex eſt, qui reddit bonis præmia, malis pœnam; bonus, cum tribuit; cum vindicat, juſtus. Unde ira non paſſibilem ſignificat, ſed improbantem, & non malum vindicta, ſed juſtum.

CAPUT XVII.

APOLLONIUS PHIL.

CEdendum eſt reverentiæ divinitatis, maximè cum hoc ſemper credi de Deo debeat quod pro honore ſit dignum. Unde ad ſuſpenſum articulum narrationem reducens, quemadmodum poſt diluvium vel facti homines vel nati ſint, ſi auditu dignum eſt conſultus expone.

ZACHÆUS CHRIST.

Quid actum poſt diluvium.

Dignum planè Dei ergà nos ab initio pandere medicinam, & poſt diluvium ſervatum in Noe humani generis ſemen expromere, atque hinc progeniem veniſſe per poſteros, non jactis poſt tergum lapidibus puerili modo Deucalionem Pyrrhamque confingere. Itaque terrâ diluvio elutâ, Noe tantùm, quia ſolus juſtus inventus ſit, ad propagandum humanum genus cum progenie reſervatur, [p] mortis tamen adhuc ſicut nunc manente ſententiâ, ut ex merito converſationis cum reſurrectione immortalitas redderetur. Aliquamdiù apud homines juſtitiæ forma duravit, & exempli memoriâ viguit diſciplina, ac reverentia terrore ſervata eſt. Sed ſicut ſemper longa proſperitas ex abundantiâ ſecuritatem, ex ſecuritate abolitionem, ex abolitione abuſionem creavit, obliti metum obliviſcuntur auctorem, & à vitiis in ſacrilegia proruperunt; jam nec terris habitare contenti, tamquam aſcenſuri cœlum exſtruunt turrem, & hominum manu nubium celſa temerantur. O inexplicabilis bonitas Dei, & nulli, ut dignum eſt, eloquenda miſeratio! Deo non obedire mors juſta eſt, & Dei ſedem appetiſſe impunitas fuit.

Intuere divinæ clementiæ lenitatem; temerarii non puniuntur in ſcelere, ſed ab ſcelere deducuntur; & ubi ſævire debuit cœleſte judicium, præſtantur ſigna virtutum. Inſuper pœnitentiæ via & intellectus aperitur; nam cum eſſet adhuc eo tempore unus omnibus ſermo, in numeroſas, quæ nunc per orbem ſparſæ ſunt, gentes lingua dividitur ſingulorum, & in opere ferventiſſimo, hoc tantùm unuſquiſque loquitur, quod ſolus intelligit. Cum enim in exſtructione ſceleris perſeveraret audacia,

---

[a] *prælatus omnibus*] Totum hunc locum reſtituimus è codd. Vind. & Lemov. in priori editione, *prælatus omnibus præeſſe non ſibi*; quo nihil fœdius.

[o] *quorum gratiâ*] Optima lectio cod. S. Arn. quam cur in marginem Acherius ablegarit, ut reponeret *cujus*, non video. In ſequentibus tot ferè occurrunt variæ lectiones, quot verba, ſed quæ nullius ſunt momenti.

[p] *reſervatur*] Sic in codd. Vind. & Lem. in editis *reſervato*, malè.

repente neſciant rogare poſcentes, obedire neſciunt miniſtrantes, & quæ molientibus velut neceſſaria ingeruntur, adverſa ſunt; ſic non pœnâ, ſed tædio, cœpta linquuntur, ut miraculis ad omnes poſtea cum ſtupore formido ſine ſupplicii perveniret exemplo; cum quam ob cauſam linguæ prioris notitiam perdidiſſet, genti ſuæ in quam ſermonis novitatem tranſierat, unuſquiſque narraret.

Sed quid prodeſt crimina texiſſe diluvio? Quid hanc inſaniæ machinam indulgentiâ deſtruaſſe non pœnâ? Ecce iterum ô homo in Dei injuriam elementa confundis, honorem & cultum inviſibilis majeſtatis ad viſibiles transferens creaturas. Si altitudinem ſuſpicis, Deus ſuprà eſt; ſi magnitudinem, ille immenſior, ubique eſt; ſi ſplendorem, Creator eſt clarior, & qui fecit ſpeciem neceſſe eſt hac virtute à ſe facta præcedat: ſit poſtremo hæc inter Creatorem creaturamque diſtantia, ut ſic admirationem quæ cernimus habeant, ut ea quæ ob majeſtatem videre non poſſumus, cum reverentiâ non amittant.

CAPUT XVIII.

APOLLONIUS PHIL.

SI horum quæ recolis fides vera eſt, inæſtimabili modo Dei ergà homines, ac ſine fine patientia eſt. Sed quoniam opere turris ubmiſſo, per omnem terram gentes factas [q] linguarum diverſitate memoraſti; quemadmodum cum Moyſe Judæorum ſubrepſerit ſecta; aut quam ob cauſam tot ſæculorum temporibus abſumptis latio legis emerſerit, cum hominis ſenſibus naturaliter lex inſerta ſit, ſi facultas ſcientiæ eſt, arrepto ordine ingravanter eloquere.

ZACHÆUS CHRIST.

Abraham tanquam credentium pater à Deo electus.

A primo homine uſque ad quod dixi tempus per ſucceſſionem gradus Dei notitia tenta eſt; lex autem etſi non ſcripta literis, ſicut ipſe profeſſus es, ſenſibus erat inſerta naturaliter, ſed poſtquam abolitione utraque ceſſerunt, Abraham vir fidei ſingularis eligitur, quem patrem totius credulitatis ob hoc meritum Deus ſtatuit, quòd primùm incunctabundus domum, patriam propinquoſque per vocationem Dei ad ignota & peregrina iturus reliquit, ne ſervituti Idolorum degens inter proximos dederetur, & gratiam fidei quam jam merebatur, & erat aucturus amitteret, aut certè tepidiùs retineret: in ſuâ iterum & uxoris ſenectute poſtremâ, jam membris per ætatem frigentibus, naſciturum ſibi filium, quia hoc ei Deus promiſiſſet, non deſperavit, credens naturæ difficultatem divinæ ſponſionis poſſibilitate vincendam: quem poſtea cum eſſet ei unicus, Dei juſſu cædendum aræ incunctanter admovit; præſtare amplius Creatori, quàm affectui ſtudens, ſimulque confidens etiam de ambuſtis cineribus reddi ſibi integrum poſſe, quem Dei causâ ignis hauſiſſet. [r] Verùm nunquam credentibus dura Divinitas non orbari lectiſſimum virum paſſa eſt, ſed tantùm probari; nam ſub ictu gladii jam-jamque ferientis arietem ſubjecit intento, hoſtiam mitiorem, ut & abſque pietatis diſpendio devotio compleretur, & nihilominùs gratiam fidei acciperet, qui Deum affectui prætuliſſet.

Primus Abraham circumciſionem accepit.

Tali igitur credulitate promiſſionem affluentis terræ ſequuturo ſemini meruit, & Judaïci Princeps populi circumciſionem primus accepit. Non quòd præputium juſtitiæ præjudicaret aut fidei, vel aliquid ſuperfluum in homine Deus creaſſet, quod poſtea juberet abſcindi; ſed ut inter alias gentes ſignaculo corporis electi viri ſoboles noſceretur.

Captivitas Judæorum in Ægypto.

Itaque plebs eadem ob inopiam earum quas inhabitabat regionum tranſit in Ægyptum: non quòd his Deus quocumque loci præſtare abundantiam non valeret; ſed ut rurſum educturus ex Ægypto quantus eſſet mirabilibus edoceret. Fit magnus ea hac progenie populus, & uſque ad invidiam multitudinis paucitas creſcit; ita ut cum ſibi prævalituros Ægyptii formidarent, tamquam debitæ ſubditos ſervituti indignis operibus afficere niterentur; ſævâ inſuper edicti violentiâ virilem ſexum ab utero neci dabant, ut oriundos expoſitio, labor validos abſumeret. Sub his afflictionibus auctorem Deum ſibi à majoribus traditum peregrina plebs convenit, & in ſui liberationem cultam per patres poſcit divinitatem; quâ factum eſt ut contrà vim crudelis edicti Moyſes primùm à parentibus educaretur occultè; inventus deinde à filiâ Pharaonis, cum ob metum præcepti eſſet expoſitus, omni Ægyptiorum

Miranda patrat Moyſes.

informaretur ſapientiâ, atque ad liberandum Dei populum præcepta ſuſciperet, ne vel indoctus caſualiter, vel mediocris intellectu, [ſ] ſi inſtitutus omni eorum ſapientiâ non fuiſſet, incautus quæ ſuſceperat & crediſſe videretur & gereré. Huic per ignem de rubo Deus loquitur, & valitura in Ægyptios ſigna demonſtrat: quibus utique & hi crederent quorum ſervitus ſolvebatur, & qui tenuiſſent erant deterrerentur, poſſetque in hac prodigiorum oſtentatione gens utraque ſervari; cum Dei manu evidenter inſpectâ, & converti ab impietate ſua contumaces admonerentur, & liberarentur afflicti.

Magi prodigia facere permittebantur, ut Dei virtus latius eluceret.

Tum Moyſi emiſſionem memoratæ plebis ex Dei auctoritate poſcenti, cum Pharaone Ægyptiorum Rege Magi reſiſtunt, fallere eumdem prodigiorum quæ feciſſet [t] imitatione nitentes: nec cedit aliquantiſper ſimilitudo veritati, ſignique phantaſia, ſed obniti utcumque permittitur, non ut prophanorum falſitas vinceret, ſed ut Dei virtus latiùs eluceret. Nam cum plagarum diverſitates in causâ ſigni ſicut Moſes faciebat, idem quoque facere viderentur, revocare non poterant quod feciſſent. Et ſicut hæc monſtruoſa ſcientia ſolet, nocere noverant, ſuccurrere neſciebant, malorum quæ ipſi intulerant ceſſationem ab eo rurſum quem imitari conabantur orantes. Sic ad extremum dimittere populum vi inimitabilium ſignorum & [u] impoſſibilitatis ſuæ confeſſione compulſi ſunt. Admonentur Dei judicio profecturi celebritatem gaudii ſub brevi ſimulare diſceſſu, & ad ornatum abſentium ſolemniorum impetrare hoſpitum cenſum, eumdemque pro diuturni laboris merito retinere; non fraudis ſtudio, ſed honore mercedis. Ii deluſi, cum adhuc de opum retentatione nihil ſcirent, quos ad iter oratu compulerant, recrudeſcente malitiâ cum irâ inſequuntur emiſſos, & imminente Ægyptiorum exercitu ſpes evadendi metuentibus deeſt, cum & à tergo hoſtes inſiſterent, & mare à fronte oppoſitum prohiberet.

Judæi ab Ægyptiorum ſervitute & perſequutione mirè liberantur.

Adeſt territis Deus, & in ſummo deſperantium metu cœleſte pugnat auxilium: interjectæ primùm per diem tenebræ velut objectu impenetrabili præ-

q *gentes factas*] Hic quoque codd. Vind. & Lem. ſequimur: in priori editione *factâ*, legebatur.

r *ignis hauſiſſet*] Sic. cod. Lem. è quo etiam *dura* paulo infrà reſtituimus; nam in editis hic habebatur *uſſiſſet*, deindeque *clara divinitas*, nullo ſenſu. Cætera quæ leviora ſunt, omittimus.

ſ *intellectu, ſi*] Ita legitur in cod. Vind. malè in priori editione, *intellectus*, *inſtitutus*.

t *quæ feciſſet*] Hæc etiam eſt cod. Vind. lectio, quam prætulimus editæ, *quæ feciſſent*.

u *ſignorum &*] Sic in Vind. & Lem. in editis, *populum inimitabilium ſignorum impoſſ.* peſſimè.

cedentes defendunt, & à perſequentium impetu, mutatâ elementorum vice, tuetur trepidos ſubdita noctis infuſio. Virgâ deinde Moyſes percutere pelagus jubetur immenſum, atque ad præbendam tranſeuntibus viam profundi aquas imperio removere; celſa altrinſecus undarum acies erigitur, & tamquam ad ſignum bellici moris diſpoſitos ſtare diceres fluctus, ac mare muri ſimilitudine ſolidatum intelligentis obſequio dividi. Panditur ſiccum gradientibus ſolum, & ima pelagi arduâ laterum mole vacuantur; populoque in littus aliud evadente, cum perſequentes abeuntibus imminerent, ictum ſimiliter per Moyſen rurſum in ſe convenit mare, & tamquam ob Dei injuriam vindicis elementi immenſitas recurſu tumidiore conflueret, innumerabilis curruum & equorum cum electis aſcenſoribus multitudo ſubmergitur; mixtaque arenis bellatorum manus, tamquam non fuiſſet, obtecta eſt.

Deus Judæos in eremo fovet ac nutrit.

His primordiis ab Abraham Moyſe duce plebs aſſumpta Judæorum eſt; & poſt tranſitum maris uſque ad eremum, in quâ quadraginta annis manſere, perducti ſunt. Hos per noctem columna lucis tamquam itineris dux præbat [x], eadem etiam per diem ne feſſos laſſitudo conficeret, in nube præcedens ab æſtûs injuriâ vindicabat. Ita prorſus famulantibus elementis Dei auxilio uſi ſunt, ut in ejus beneficiis non ſolâ cœleſtis potentiæ dignatione, ſed & paternæ pietatis indulgentiâ fruerentur, & cum inter admirationem ac neceſſitatem ſtuperent, ſigna & pericula non timerent.

CAPUT XIX.

APOLLONIUS PHIL.

GRata eſt quidem cognitio prædictorum, ſed niſi rationis plenitudine muniatur, infirma eſt. Quid igitur fuit cauſæ, ut emenſo mari tantis rerum miraculis liberati ad eremum ducerentur; aut cur poſtea in deſertis tam longi temporis ablegatione cruciati ſunt? Cum illis præterea alimoniam, cæteraque vitæ neceſſaria horrens regionum nuditas non præberet. Unde ergo multitudini paſtus; aut quam ob cauſam hæc tantopere liberatis pœna fuerit; vel quemadmodum poſtea lex lata, deprome.

ZACHÆUS CHRIST.

Quomodo Deus Judæos nutrierit, legemque tulerit.

Nec pœna illud relegationis fuit, nec in deſertis ac ſqualentibus locis neceſſaria defuerunt, ſed paſtus hominum exhibitione pretioſior, & eremi ipſius circuitio congrua: atque hæc præcipua morarum cauſa, ut illic præcedentia miraculorum augerentur exempla; & quia ſemper aſſueta diligimus, providendum fuit, ne ſtatim ad promiſſionis terram brevi ac recto itinere pervenirent, quibus ad Ægyptum revertendi voluntas, ſicut confeſtim probatum eſt, poſſet aliquando ſubrepere, cum etiam in ſummâ abundantiâ incognitæ regionis aſſuetorum deſideriorum [y] & prophani ſacrorum ritus, à quibus maximè arcebantur, occurrerent; ne expellendarum præterea ex iiſdem regionibus gentium, licet præviâ divinitate illis non illatura diſpendium, ſtatim bella terrerent. Simul etiam ut poſt eremi injuriam promiſſa habitatio plus placeret, quam licet per ſe inæſtimabilis amœnitas commendaret, præteritorum tamen recordatio faceret aptiorem. Et vide clementem in ſuâ patientiâ divinitatem. Victum non ſupplici ſperantibus prece, ſed deeſſe tumultuariè querentibus, nubem quamdam præſtat annonæ, & angelorum cibo corpora humana veſcuntur: ita ut nocturnæ largitatis infuſio non querelæ tantùm intercluderet locum, ſed uſui congeſta ſupereſſet. Illic per omne quod dixi tempus mirum in modum, non calceamentum, non veſtis atteritur, nulla perinde capillorum aut unguium excretio dominata eſt, ſed velut immortalitate jam redditâ, immutabilem hominis formam ſimplex ſervavit integritas.

Populus Judaicus in varia crimina impiè labitur.

Illic Moyſes ad ſuſcipiendam legem vocatur in montem, & quadraginta diebus ac noctibus Dei tentus alloquio, ſcripta in lapideis tabulis refert præcepta. Proh nefas! corruptos ſacrilegio quos reliquerat deprehendens, dum adhuc manna & cœleſti oblectatione eſſent refecti [z]. Cum enim ejuſdem Moyſi moras velut non redituri idem populus incuſaret, prædictâ abundantiâ ſaturatus cito Deum à quo ex Ægypto eductus eſſet oblitus eſt; poſcere per luxuriam quos coleret Deos cœpit, miſſiſque in ignem mulierum monilibus, illi ſe dandum profeſſus eſt religioni, quæ culti in Ægypto Idoli formam referret. Reverſus Moyſes fideliter ſævit in facinus, & redacto in pulverem tauri capite quod factum in ſimilitudinem abominationis Ægyptiæ fuerat, delatas in legem tabulas indignatione confringit; indignos fore Dei literis judicans quos talis auſi execratio polluiſſet. Nec priùs ab iræ impetu deſtitit, quàm miſſis per caſtra ſectoribus multorum cæde piaretur admiſſum, & ſedatâ injuriâ Dei refecta in tabulis reportarentur præcepta, quorum reparatione monſtratum eſt, Deum non odiſſe quos permiſerit corrigi, ſed deleri noluiſſe quos ſic voluerit caſtigari. Hæc ergo eremi circuitio, hæc ergà ſuſceptam ſemel plebem beneficia Dei quadraginta annis durarunt: tum lex divinitùs lata eſt, quæ ſui editione [a] non præceptorum novitatem, ſed reparationem juſtitiæ naturalis afferret, ut quod ante pauci admodum & ſapientes ſciebant, omnes nunc intueantur, & perlegant, nec excuſandi habeat ignoratio locum, cum id quòd ſibi ingenitum quis fore non ſentit, non ſolis ſenſibus quærat, ſed viſibus recognoſcat.

CAPUT XX.

APOLLONIUS PHIL.

HÆrere naturaliter humanis ſenſibus legem, & ineſſe omnibus intellectum quid noceat ac proſit, quid æquum aut injuſtum ſit, aperta cognitio eſt, quando & diligere propria [b] ſcimus & odiſſe contraria, ac ſimul placita alii præſtare ſit bonitas, & rurſum improbitas alii quæ diſpliceant irrogare. Unde quid amplius lex per Moyſen lata detulerit, quàm natura tradiderat, niſi edictorum qualitas exponatur, intelligere non poſſum.

ZACHÆUS CHRIST.

Quid lex per Moyſem lata præcipiat, prohibeatque.

Dei agnitio & cum dilectione formido lex prima eſt. Deum enim noſſe quid prodeſt, ſi diligere ac timere non cordi eſt? Conſummatus deinde juſtitiæ ordo ſubſequitur, ſtudere pietati, & in obſervantias bonorum operum mentis puritate tranſcendere. Ineſt præterea præſens pœna commiſſis & piacula junguntur offenſis, ſummâque edictorum concluſione præcipitur, ne aliis facias quod fieri tibi nolis; & rurſum, ut aliis facias quod fieri tibi velis. Creatio perinde mundi hujus inſerta eſt, & hanc ele-

x *dux præbat*] Totum hunc locum reſtituimus ope codd. Vind. & Lemov. ſiquidem in priori editione, *hoc per noctem ... dux iis præbat.*

y *deſideriorum*] Haud dubium quin locus hic malè habitus ſit à librariis. Ita emendari poſſe arbitror, *cognitæ regionis*, h. e. Ægypti, *aſſueta deſideria*. Quod deinde legitur, *poſt eremi injuriam*, ferri non poteſt, itaque lego *poſt eremi moram.*

z *eſſent refecti*] Ita cod. Vind. in editis *refecti*: infrà ex eodem cod. *Deum* adſcripſimus.

a *ſui editione*] Sic cod. Vind. in priori editione legitur *ſui electione.*

b *diligere propria*] Vind. & Lem. ſic habent, & quidem haud paulo meliùs quàm prior editio *proſpera.*

menetorum

mentorum conſpirationem idem qui ex nihilo fecerat fabricator expoſuit, ſui indicans operis, quæ illi coæterna humanus error invexit.

Dei miſericordia erga Judæos.

Poſt Moyſen currentibus temporum ſpatiis, cum per abuſionem ſalutarium præceptorum idolorum cultus increſceret, additur frequens increpatio Prophetarum, & adventum Chriſti quem jam experti ſumus, & nunc opperimur, multa curationum genera denuntiant ac præcedunt. Deus enim ne vel rarò vindicet ſæpiùs comminatur, iræ cœleſtis ſeveritatem timeri magis quàm exeri [c] cupiens. At contrà Judæorum contumax natio non ſolùm corrigi detrectat, ſed argui dedignatur. Denique imperiis multos Prophetas diverſis mulctavere ſuppliciis, ut humanarum ſuperſtitionum traditio præſumptis honoribus non careret, mentioſa pravitate deſignans Dei ſe forſitan præſentia corrigendos, quem tamen poſtea cruci dantes * poſt ſigna atque virtutes credere noluerunt, cum & venturum ſciſſent, & veniſſe cognoſcerent.

CAPUT XXI.

Apollonius Phil.

SI igitur tam neceſſarius adventus illius fuit, ut per ſe formam juſtitiæ præbiturus pati pro omnibus non recuſaret, in morte propria ſpem novæ reſurrectionis oſtendens; cur & Dei beneficium & ſalus hominum tantorum temporum dilatione tardata eſt?

Zachæus Christ.

Rationes afferuntur cur diſtulerit Deus homini ſuccurrere; natraſque quæ ante Filii Dei incarnationem acciderunt.

Grandi, ut inſpicere potuiſti, diſpenſatione Dei hominum à principio genus tutatum ſemper eſt atque ſervatum; & ſi breviter ſummâ perſtringas, videbis ad hoc divinæ providentiæ ordinem concurriſſe, ne juſto judicio Dei neceſſe eſſet homines aboleri: potuit enim mortis ſententia in primâ ſtatim tranſgreſſione compleri, ut temeratores punirentur edicti, & tamen pro ratione pœnitentiæ vivendi tempus indultum eſt. Subcreſcentibus poſtea ſceleribus terra corrumpitur, ſed ita pollutio eluitur elementi, ut per Noë humani generis reliquiæ reſerventur. Poſt diluvium valida jam & multiplex manus in ædificationem turris inſurgit, & non extinguitur pro immanitate auſi, ſed ut corrigi poſſit cum admiratione diſpergitur. Poſtmodum non ceſſante perfidiâ, ſicut Noë in diluvio ob generationem, ita Abraham ad propagandam fidem in quâdam vitiorum inundatione ſecernitur; multiplicatus per ejus progeniem populus Ægyptiorum contagione polluitur, & ad Dei cultum non judicis ſeveritate, ſed beneficiis ſigniſque revocatur: iterum in eremo Deos ſculptiles faciendo à vero Creatore diſcedunt, tamquam tunc primùm factis hominibus, aut in ſenſu non habentibus legem, lex Dei ſermone conſcripta Moyſe deferente tranſmittitur.

Cum verò nihilominùs impietas ſerperet, prædicatio adjungitur Prophetarum, & interjectis temporibus divina ſollicitudo [d] ſemper in ſpeculis aut ab errore prohibet, aut mediocriter vindicans viventes in errore caſtigat. Ipſe ad extremum cœli terræque & hominis Conditor, velut magnæ familiæ Dominus fidelibus famulis ante præmiſſis, potentiæ ſuæ largitur adventum, aſſumptionem terreni corporis pro hominum ſalute non ſpernens, atque in ipſum quem induit crucis paſſionem mortemque convertens, & plenitudinem legis exhibuit & ſalutis.

Quæris cur ante non venerit? Nonne impromptu eſt tardari debuiſſe poſtrema, finemque differri, ut plenitudinem juſtitiæ plenitudo temporum cuſtodiret, & inter traditionem ac judicium per prolixitatem abolitio non auferret, quod magna Dei dignatio præſtitiſſet? Si enim vel mediis vel quibuſcumque ante temporibus Chriſtus veniſſet, jam non ſola abuſio fidem, ſed cum abuſione tuliſſet & oblivio, nullâque juſtitiæ cura hominum corda morderet; quoniam difficiliùs antiquis credendum eſſet exemplis, cum vix recentibus fides detur. Ecce adhuc Dominicæ crucis ac mortis indicia felicis ſepulcri exuviæ continent, & ſignatus à præſenti multitudine locus poſt reſurrectionis viſum cœleſtem teſtatur aſcentum; penè adhuc ſolo reſident pedum preſſa veſtigia, ac luſtratæ operibus regiones virtutum exempla demonſtrant, & à multis Chriſtus aut quia fuit mortuus, Deus eſſe non æſtimatur, aut quoniam ſi Deus, fuiſſe mortuus, & poſt mortem reſurgere potuiſſe non creditur, cum præter cætera & mors hominem probet, & reſurrectio Deum. Extant præterea Apoſtolicæ converſationis actus, & formam juſtitiæ ſequi penè ut [e] à præſentibus edocemur, cum ea quæ feciſſe legimus vivos etiam ante defunctorum cineres fieri ſæpe videamus. Vix * propinquitate finis & inſtantis examinis terrore compellimur, relictis idolis, veram colere divinitatem; & inter primum quem novimus ac ſecundum Chriſti quem exſpectamus adventum, brevitate ſalutari atque ipſis temporum arctamur anguſtiis, nec oblivionem admittere præceptorum, nec promiſſæ beatitudinis deſperare proventum. Neceſſarium ergo vides fuiſſe, ut interclusione ſæculorum nec periclitari finem ſineret propinquitas adventûs alterius, & ſervari juſtitiam imminentis judicii terror exigeret; præcipuè cum maxima eſſet & perfecta delaturus, & quæ perfecta ſunt niſi poſtrema eſſe non poſſint. Videto enim, quantos anterior illius ſalvaſſet adventus, plures certè quàm nunc facit, cum à fide invenerit alienos, poſterior perdidiſſet; quoniam quem talium curationum remedia non ſanarint, denunciati examinis ordo damnabit, parque in deſperationem perpetuitatis eſſe exſpectatio poteſt, Deum per legem ſcire, & nolle juſtitiam, quàm ea agere quæ juſtitiæ videantur, & Deum per legem nolle cognoſcere.

CAPUT XXII.

Apollonius Phil.

NOn ignoramus animas depoſitis corporibus ad Deum, id eſt ad auctorem proprium remeare, ſed in his prius contractam humanis actibus labem æthereo igne purgari, ut Deo iterum ex quo utique ſunt, puræ ac ſimplices miſceantur. Unde ſi hoc fortè judicium vultis videri, non præfinita univerſorum conſummatio efficit finem, ſed ordo decedentium.

Zachæus Christ.

f Animæ hominum non ex Deo ſunt, ſed a Deo factæ.

Tota in errore eſt veſtra definitio; nam quemadmodum [f] animæ hominum judicium ſuſciperent ſi ex Deo eſſent? Simplex enim ſubſtantia divinitatis non purgatur, quia nec polluì poteſt: neceſſe eſt enim ut purgatio paſſione non careat, quam, ſicut ſcimus, ſubſtantia divina non recipit. Animæ ergo

c *quàm exeri*] Hæc quoque eſt utriuſque codicis lectio, quæ magis placuit quam ea quæ olim edita eſt, *exerceri*. Haud ita multo poſt *cruci dantes* legebatur, ubi ex iiſdem codd. reſtituimus *cruci dantes*. Initium capitis ſequentis ſ eoſdem codices ſequuti, alter edidimus, quam olim Acheriis, ſed quæ mutavimus non ejuſmodi ſunt, ut de ſingulis lectorem moneri neceſſe ſit.

d *divina ſollicitudo*] Sic ſæpè laudati codices: in editis, *divina providentia*.

e *ſequi pene ut*] Optima eorumdem codicum lectio: prior editio *ſequi prout*, p. ſimè. Quod ſequitur, *vix propinquitate*, mendoſum eſt, ſed ita ut facilè emendetur, ſi legatur, *pæ propinquitate*.

f *nam quemadmodum*] Voculam *nam*, addidimus è cod. Vind. & Lem infrà alterâ paginâ ſcripſimus *recepturæ*, ubi prius legebatur *receptura*; hoc enim de animabus dicitur.

hominum non ex Deo ſunt, ſed à Deo factæ, & opus Creatoris, non conſortes divinitatis. Cum verò prædicti judicii tempus advenerit, defuncta quælibet olim receptucæ * ſunt corpora, ut cum iiſdem aut juſtè acta percipiant, aut iniquè perpetrata patiantur. Chriſtus autem manifeſtè iterum de cœleſtibus veniet, illius coram tribunali adſtabimus, illius ſententiâ univerſorum merita penſabuntur, & qui ſub judicio paſſus eſt, judicabit, nulla iniquitatis veſtigia relicturus, cum & fidelibus immortalitatem reddat in regno, & incredulis perpetuum in dolore cruciatum.

CAPUT XXIII.

APOLLONIUS PHIL.

HOccine etiam aſſeri à ſapientibus poteſt, antiquas mortuorum favillas, & in ſepulcris ſæculorum ætate conſumptis vix oſſium cinerem reſidentem, rurſum in corpora poſſe componi, ac priſtinum membrorum vigorem dubii pulveris collectione ſolidari? unde animas cuilibet judicio ſubdi poſſe facilius acquieſcam, quàm mortuorum corpora in vitæ ordinem poſſe revocari.

ZACHÆUS CHRIST.

g

Probat corporum poſt mortem Dei virtute reſurrectionem.

h

Et admonitionis meæ & tuæ ſponſionis oblitus es, ſi Deo [g] aliquid impoſſibile contendis. Qui igitur quod non erat fecit ut eſſet, * ergo ut ſit quod fuerat non poteſt facere? aut non etiam nobis difficiliùs eſt facere quod non fuerit, quàm reparare quod fuerit? Sed hanc Dei poſſibilitatem æſtimatio humana non capiat [h], ſi hoc præſentes non edocent creaturæ, ſi tempora ſpecierum varietate non ſignant. Diverſæ arbores hyemis rigore nudantur, & decuſſis foliis periiſſe cum gratiâ ſpem germinum credas. At ubi lenius veris tempus afflaverit, mirum in modum humor radicibus tentus celſa conſcendit, candorem cum ſpecie, quem in ligno non habuerat, in floribus creans: fructus adjiciuntur in pomis, & quidam veſtitus in foliis, quodque in arbore non erat videtur in tempore. Quid jacta in agris ſemina? non plenam fidem reſurrectionis oſtendunt? Aperiuntur terræ viſcera, ut nuda ſulcis grana mandentur; quod humus non texerit, vires non habet renaſcendi: unde etiam tu parvis potentiam Creatoris conſidera; niſi putruerint ſemina non reſurgunt, & niſi priùs mortua non reviviſcunt. Numquid ſulcis virentia ſunt demerſa, aut cum calamis operta laturiunt? Unde ergo in uno [i] multiplex ſemen? Unde cum ariſtis novus palearum candor emergit? Quo pacto ex radice vis germinis ſcandit in ſpicas, vel quemadmodum poſtea ex viridibus herbis alba mollities mutatur in ſatra? Quæ certè ſimiliter fieri poſſe non crederes, niſi ſemper videres. Quod ergo in his quæ ad victum hominis pertinent, ut ab initio Deus ſtatuit, terra ſic reddit; in ipſius hominis reparatione non facit? Qui mirabilium Dei teſtis effectus [eſt,] * in ſe neceſſe eſt poſt reſurrectionem maximè ſtupeat, quod in ſubjectis ante laudavit. Unde horum omnium ratione perſpectâ, defunctorum cineres vel favillas ſemen corporum eſſe non neſcias, ex quo in adventum majeſtatis ſuæ Chriſtus ſecundum merita excitabit & formas. Parum eſt enim divinæ clementiæ ſpecies tantùm reparare quæ fuerant, niſi & bonorum corpora ſplendor exornet, & malorum confuſio deformitatis obſcuret.

CAPUT XXIV.

APOLLONIUS PHIL.

l

POne interim quod de ſepulcris tamquam ex notis ſedibus mortuorum favillæ reparentur in corpora; & quia condita membra ſua [l] animæ noverint, ex iiſdem locis confidenter repoſcant, quid eos qui fluctibus merſi ſunt, belliſque proſtrati, * & poſt latronum cædes exequiis funebribus caruerunt, efciis non ſepulcris membra linquentes, numquid credibile eſt in eadem quæ habuerint corpora poſſe reſtitui, cum etiam reliquiæ cinerum non queant inveniri?

ZACHÆUS CHRIST.

Iterum probat licet corpora à beſtiis exeſa, in aquis ſuffocata, &c. tamen eſſe reſurrectura.

Si Deum poſſe omnia crederes, hoc denique factu facile judicares, neque humanâ diſputatione diſcerneres, utrum fieri poſſit quod faciundum ille dixiſſet: & ideo fides ſummum præ bonis omnibus meritum eſt, quia quæ Deus dixerit implenda non dubitat. Rei autem hujus hæc ratio eſt: elementa omnia, cunctæque creaturæ nullo quidem nobis ſenſu intellectuque reſpondent, & ad obſervantiam tantum proprii miniſterii videntur bruta ſubſiſtere, quoniam vel indigni eorum imperio ſumus, vel mundi arcana neſcimus: Deum autem & intelligunt & verentur, atque ita juſſis illius obſecundant, ut ad nutum præcepta mox impleant. Quælibet ergo ex illis corporibus piſcium, beſtiarum alitumque digeſtio aut aquis miſcetur, aut terris: nec fieri ullo pacto poteſt, ut ex eo quod qualitercumque ſubſiſterit, nihil reſtet; ſed pretioſiorem materiem quacumque deciderit, hæc duo elementa conſervant, * & in ſe velut ſpeciali colore diſtinctam reſurrectione reddituram cuſtodiunt [m], nec reſidere unquam velut perditum poterit quod & divinitùs inquirendum eſt, & ſponte prometur; * ſic famulantibus cunctis diſperſorum viſcerum reliquiæ in ſuam formam corpuſque redituræ ſunt; ita ut in reſurrectionis miraculo inde fidei meritum credentibus augeatur, unde aliis incredulitatis augmentum eſt.

m

CAPUT XXV.

APOLLONIUS PHIL.

JAm dodum in hoc tractatûs tui tendit intentio, ut cum elementa ſingula ex nihilo facta commemores, etiam mundum quem ex ſemetipſo eſſe, & ſuâ credimus æternitate manſurum, & initio minuas & fine concludas; ac licet aſſertionis tuæ ordinem teneam, quo factum à Deo in præcedentibus memoraſti: quemadmodum tamen inexplicabilis poli molem aut factam credi velis, aut ſicut nunc eſt non ſemper futuram, ratione confirma.

ZACHÆUS CHRIST.

Mundus non æternus, ſed à Deo creatus, & deſiturus quando ipſe voluerit.

Omnia igitur elementa quæ vos Deo velut coæterna numinatis, ab ipſo, ſicut jam dixi, & ex nihilo facta ſunt, & in hanc mundi formam mirabili conſpiratione ſociata; quæ ſicut initium ex Dei creatione ſumſerunt, ita perennitatem ejus beneficio conſequuntur: & ideo ei coæterna non ſunt à quo facta ſunt; quia nulli dubium eſt auctori quælibet non ſolùm paria non eſſe, ſed eſſe ſubjecta. Hoc autem intellectui apertiſſimè patet mundum ex pluribus fuiſſe compoſitum; unde adverti facilè poteſt non aliunde, ſed præſſe divi-

g *oblitus es, ſi Deo*] Sic in cod. Vind. in editis *es de reſurrectione, ſi Deo*, ſed eas voces imperitus quidam librarius obtruſerat. Infra *ut eſſet* adſcripſimus ex eodem codice.

h *non capiat*] Ita reſtituimus, cum in editis legeretur *capit*, & in Vind. *capiat*. Totum hoc caput ita editum erat, ut intelligi vix poſſet: nunc ſervatis interpunctionum legibus, quarum nullam Acherius rationem habuerat, egregias ſententias perſpicuè in eo deprehendes.

i *ergo in uno*] Hic etiam codicem Vind. ſequimur: in priori editione habetur *ex uno*, male. Haud ita multò poſt ubi *teſtis effectus eſt* legitur, verbum *eſt* addidimus.

l *membra ſua*] Poſterior hæc vocula addita eſt è cod. Vind.

m *conſervant.. cuſtodiunt*] Sic codex Vind. & infrà idem, ac Lemov. *prometur*. In editis *conſervent... cuſtodiant... promitur*.

nitatem, quoniam alterius adjumento divinitas ſola non indiget, ſed una in ſe & ſimplex atque perfecta eſt, quia incorporalis, & ideo inviſibilis & incorruptibilis Deus eſt: quæ in hujus mundi actu & contemplatione non ita ſunt, ſed corporalia eſſe, etiam ea quæ ex ipſo mundo gignuntur oſtendunt. Quæcumque præterea ab eodem vel agi cernimus vel creari ſub diſpoſitione divinâ, non ſuæ voluntatis, ſed officii ſunt. Aſpice tranſitus ſolis lunæque diſcurſus, & utrique quotidie per viciſſitudines temporum vel ortum vel occaſum eſſe repetendum. Adventu noctis ſol diem perdit, quem tamen nec ſemper objecto nubium, velut excluſus [n] illuminat. Luna ſui patitur detrimentum, & plenitudinem luminis ſub conſtitutione rectoris aut perdit, aut recipit: varius præterea ſiderum lapſus, & rationi ſigna famulantia, & intumeſcens notis menſibus mare, & ſub certâ horarum diſpenſatione exceſſum modumque cuſtodiens aut ſereno quieſcit, aut tempeſtate turbatur. Terra imbribus infuſa mollitur, eademque rurſum aut gelu ſtringitur, aut calore ſiccatur: quin & aſpectum Dei metuens contremiſcit, & ſe imperio ſubditam motu fatetur. Ipſum aërem pernicioſior halitus ſæpè corrumpit, & poſtquam gravaverit, efficit peſtilentem: vincuntur pias ad Dominum precibus pluviæ, & prolixa rurſum ſerenitas ſupplicatione mutatur, cunctaque aut impoſitæ ſerviunt rationi, aut in uſum hominis neceſſarium ſub religioſâ deprecatione vertuntur.

Hæc vos appoſitis nominibus pro Deo ſingula atque univerſa veneramini. Quod ſi ita eſt, falsò Dii æſtimantur, & error impromptu eſt; ſi verò aliquos qui iiſdem ex arbitrio Dei præſint, apertæ ſtultitiæ eſt ſubjicienti æquare ſubjectos. Dii enim plures non ſunt, ſed unus naſcentium viventiumque formator ſicut fecit omnia & regit, parique imperio vel manſura efficit vel caſura decernit. Vides ergo Deo ſoli initium non apponendum, à quo omnium proceſſit exordium, nec conſempiterna majeſtati illius æſtimanda, quæ ut æterna ſint, ſicut de homine, ipſe facturus eſt. Illo enim adveniente deſtructa in melius mutabuntur, ut immortalia cum homine perdurent, quæ nunc utique noſtris criminibus licet invita & gementia aut paſſione tamen polluuntur aut viſu; quoniam quæ à paſſione immunia ſunt, contaminantur aſpectu. Ita fiet ut etiam elementis cum homine in melius innovatis, memoria auctoreſque intereant vitiorum; cum etiam illa purgentur quæ ingenitam puritatem non factis, ſed factorum ſcientiâ perdiderunt.

CAPUT XXVI.

APOLLONIUS PHIL.

CRedi quidem arduum eſt, ut mundus tantâ virtutum admiratione conſiſtens aut deſtrui unquam poſſit, aut refici; ſed quia immutandum Dei poſſibilitate confirmas, quid futurum ſine ullo erit? aut qualis reparatio eſt effectura clariorem, cujus tanta vel magnitudo vel gratia eſt, ut nec magnitudo ejus ratione aut notitiâ deprehendi, nec ſplendor poſſit augeri? Quæ ergo ſuper hoc definitio vel ſententia ſit ſequenda, promiſſæ inſtructioni convenit non ſileri.

ZACHÆUS CHRIST.

Poſt mundi deſtructionem erit cœlum novum & terra nova, ac juſti ſummâ atque æternâ felicitate fruentur.

Rectè quidem dicis, intellectibus noſtris ad integrum in Dei providentiâ indeprehenſibilem eſſe rationem; ſed præſentis gratiæ formam multiplex ſplendor acturus eſt: quoniam longè amplior ei à Creatore lux veniet, quàm eſt [o] ab eodem inſerta creaturis. Ergo inviſibilia metiri ex viſibilibus non oportet, & incorruptibilia de corruptibilium admiratione penſare; juſtis autem in gaudia æterna ſurgentibus, cœlum novum & rudis terra revelabitur: multiplicatum perinde ſuprà ſolem ex Dei conſpectu ſe lumen infundet; quia multo magis ſol à Deo diſtat, quàm nos ab eodem ſole diſtamus. Hi potiùs quos ad hanc vitam diverſis juſtitiarum gradibus merita provexerint, ſplendorem ſolis habituri ſunt, & ita ſinguli adeptæ felicitatis honoribus perfruentur, ut nec altior efferatur, nec ſpernatur inferior, ſed gaudia ſua unuſquiſque ſic diligat, ut claritatis diſtantiam pari immortalitate compenſet. Nulla tum interjectio noctis continuitatem diei luciſque violabit, præſens enim cernentium viſibus Deus, & beatorum lætitiæ ſemper ſocia divinitas obſcuritatem fugabit, diemque junctura eſt. Non livor miſeros, non ſuſpicio vexabit incautos, nullus animi ac viſcerum dolor, nullaque peccati vel neceſſitas, vel occaſio, vel voluntas mortem aut mereri faciet aut timeri: vernabunt cuncta cum fructibus, omnium ſpecie [n] nullâ temporum varietate mutatâ: odor cum amœnitate certabit; non illic importunæ obſcuritatibus pluviæ, aut perennis auræ libertatem rigor caloſque corrumpet: ſed manebit perpetuò blanda temperies, & inæſtimabilia illius beatitudinis gaudia præteritorum recordatio nulla vexabit; ita ut præſentis mundi uſum etiamſi abolitio futura non tolleret, tranſiiſſe tamen gauderent juſti potiùs quàm dolerent.

CAPUT XXVII.

APOLLONIUS PHIL.

MAgna eſt, ſicut dicis, adhortatio futurorum, ſed nondum patuit gentilium vanam religionem [p], aut vacua honore divinitatis numina nuncupari, quando & certa ex adytis reſponſa præſtantur, & futura noſcuntur in templis, quæ ſi & vera ſunt & quærentibus proſunt, fruſtrà Chriſtiani deſtruere conamini quod eripere non poteſtis.

ZACHÆUS CHRIST.

Quæ à Diis Gentilium mira fieri videntur, aut falſa ſunt, aut Dæmonum arte peraguntur.

Hæc quidem quæ in templis oſtendere extorum inſpectio ſolet, & ex adytis velut futura portendere, nec ſemper vera ſunt, & nulli unquam, ut arbitror, proſunt; quia ſi adverſa ſunt, & ad correctionem ex Deo veniunt: niſi ab ipſo non queunt immutari. Et denunciata ſciſſe quid prodeſt, ſi vitari prædicta non poſſunt? ſi autem ex Deo non ſunt, nec bona poſſunt eſſe nec vera, & ſicut haud officiunt, ita nihil proſunt: ſed ſive ſunt falſa, ſeu certè ex proventu habent aliquid veritatis, omnia figmenta ſunt dæmonum, qui & ſperari à ſe volunt, & ſperantes decipere conſueverunt; ut cum à Dei cultu homines abſtraxerint, etiam beneficiis exuant atque ab ejus bonitate disjungant. Hi gentilium obſident templa, hi ſub mortuorum hominum nominibus ſedem in veſtris adytis collocarunt, & quia illis nuſquam præterea conſiſtendi in terrâ locus eſt, aërem ſub nubibus præcipites incurſant, volucrique diſcurſu omnia perſcrutantes, aut jam viſa denuntiant, aut à ſe nequiter facienda quaſi ut caveantur, adverſa prædicunt. Nam licet nequam & inceriti ſint ſpiritus, omnique crimine reatuque polluti, incorporalis tamen, ejuſque ſubſtantiæ, cujus dignitatem amiſêre cum cœlo, naturæ beneficio & vigore non carent, ac pluſquàm homines ſciant neceſſe eſt, quorum & creatio ſublimior eſt,

n *velut excluſus*] Ita codd. Vind. & Lemov. in priori editione *excluſum*, haud ita benè.

o *quàm eſt ab eodem*] Voculam *eſt* addidimus è cod. Vind. Infra in eodem & in Lemov. *omnium ſpecierum nullâ*.

p *vanam religionem*] Optima codicis Vind. lectio: in priori editione corruptè, *nondum gentilium potuit vanâ religione*. Alia ſunt quæ ope ejuſdem codicis deinde emendavimus, ſed leviora ſunt, quam ut ſingula indicare neceſſe ſit.

nec terreno corpore ſenſus includitur. Et quæ, rogo, illorum divinatio eſt? Nonne ſimiliter cum hominibus, quos per vitia ceperint, Chriſti invocatione terrentur? Volunt quædam ſponte prædicere, & de abſentibus vel futuris, velut manifeſta denunciant, dum aut medelam cruciatibus ſperant, aut prædicturos imitantur ut fallant. Omnis tamen divinandi ſimulatio de rebus actibuſque terrenis eſt, nihil antefactum, quod ſit q Dei, prævident, nihil
q priuſquàm videant cœleſte noverunt, & quod magis mirere, ne cogitationes quidem in cordibus hominum deprehendunt.

His ergo non pudet cultum veræ Divinitatis adſcribere, his vitam hominis ſpemque committi, quibus circumſcribendi ſemper dolus eſt, & fallendi pro divinatione ſubtilitas? His etiam ſimulacra aut igni excocta componitis, aut in ligno vel ſculptilibus adoranda præbetis, ex quibus is vobis venerabilior Deus eſt, qui artificis manu meliùs expolitus, & hoc divinitas clarior, pictura ſi pulchrior; nec requirendi Creatorem ſtudium eſt, aut agnoſcendi Deum verum ſenſus apponitur. Nonne manifeſtæ dementiæ eſt his quaſi Deo hominem ſubjici, quos tibi poſſis Deum credendo ſubjicere; & ab his vitæ auxilia poſtulare, quos in reatu eſſe non dubium eſt? Quos ſi profuturos putas, & ideo placari debere conſidis, profuturos cuiquam crede propitios, ſi ſpreti à fidelibus nocent, ſi his à quibus propter Deum contemnuntur officiunt. Cum ergo nos ti-
r meant, vobis præſunt r. Et vide qualiter haberi debeant, qui nec prodeſſe unquam poſſunt, nec ſemper nocere, cum & ſit facilius, & velle non deſinant.

CAPUT XXVIII.

Apollonius Phil.

HAbet quidem ſpeciem veritatis objurgatio tua, ſed poteſt recurrentibus confutari. Nos enim eorum ſimulacra vel imagines adoramus, quos vel verâ religione Deos credimus, vel antiquorum tra-
ſ ditionibus docti ſ Deos non eſſe neſcimus: vos verò quibus iſtud abominatio eſt, cur imagines hominum vel ceris pictas, vel metallis deſictas ſub Regum reverentiâ etiam publicâ adoratione veneramini, & ut ipſi prædicatis Deo tantùm honorem debitum etiam hominibus datis? Quod ſi & illicitum, legique contrarium eſt, cur hoc facitis Chriſtiani, aut cur hoc veſtri non prohibent ſacerdotes, ne id quod ignorantibus nobis pro ſacrilegio adſcribitis, ſcientes ſub officii excuſatione ſubeatis?

Zachæus Christ.

Non eo quo Gentiles eſſent imagines veneramur.

Iſtud quidem nec debeo probare nec poſſum, quia evidentibus Dei dictis non elementa, non Angelos, nec quoſlibet cœli ac terræ vel aëris principatus adorare permittimur. Divini enim ſpeciale hoc nomen officii eſt, & altior omni terrenâ veneratione reverentia: ſed ſicut in hujuſmodi malum primùm adulatio homines impulit, ſic nunc ab errore conſuetudo vix revocat; in quo tamen incautum obſequium, non aliquem divinum deprehen-
t dictis cultum. Scilicet t propter ſimilitudinem amabilium vultuum gaudia interna plus faciunt, quàm hi fortè exigant, quibus defertur, aut pertungi oportrat deferentes; & licet hanc incautioris obſequii conſuetudinem diſtrictiores horreant Chriſtiani, nec prohibere deſinant ſacerdotes, non tamen Deus dicitur, cujus effigies ſalutatur, nec adolentur thure imagines, aut colendæ aris ſuperſtant, ſed memoriæ pro meritis exponuntur, ut exemplum facturum probabilium poſteris præſtent, aut præſentes pro abuſione caſtigent. Vides ergo nil veſtris erroribus ſimile in hoc eſſe quod arguis, nec juſtè profanis actibus officia incautiora conferri, quando etiam ipſi ad quos referri illud poteſt, aut ſi nec hoc nolint ſi conſulantur, aut quamlibet vanæ gloriæ conſuetudinem non recidant, nihil temerè aſſumentes divinum, mortales ſe eſſe, & Dei indignos honore fateantur, cui & quod ſunt debent, & fide ut hoc eſſent fortaſſe meruerunt.

CAPUT XXIX.

Apollonius Phil.

ADvertere in hujus propoſitionis principio potuiſti, tenui me objectione iſta lubaſſe, quia profeſſionis veſtræ perfecta ut vultis obſervatio, nil penitùs quo exaſperari Deus poſſit, debet admittere: nunc autem neglectis his, hoc ſi videtur ſignanter exprome, cur fatum homini eſſe nolitis, aut quam ob cauſam nullam decreti neceſſitatem videri; cum hæc ipſa per curſum ſiderum lunæque rationem ita inveniantur & certa ſint, ut nemo facilè devitet, quod futurum ei ſtatuta propriæ u nativitatis aſſi- u
xerint.

Zachæus Christ.

Omnia non neceſſitate aut fato regi, ſed Dei factoris omnium providentiâ. Aſsolos confutat.

Credo intelligas ex interpretatione ſermonis fati nomen aſſumptum, & quod vocari putatur in ſpecie non rei alicujus eſſe, ſed verbi; decreti autem neceſſitas ſi eſt ulla, quod credi nefas eſt, humanæ vitæ Deus aut ignarus eſt, aut injuſtus: injuſtus, ſi bona malaque inexpertis ipſe conſtituit; ignarus, ſi decerni ab alio ſe ceſſante permittit. Nam ſi neceſſe eſt bonos eſſe, cur adſcribuntur merita voluntati; ſi malos, cur pœna commiſſis? Ergo & lex ſupervacua eſt, & neſcio quam ob cauſam ſæculi jura conduntur, ſi quod rectè homo geſſerit, proventibus adſcribendum eſt; quod pravè, neceſſitati. Cur præterea idem bonorum potiùs conditor Deus tantis ſcripturarum voluminibus vel comminatur judicium, vel beatitudinem repromittit? Quid religioſæ hominum preces faciunt, aut ſupplicatio enixa quid præſtat, ſi poteſtas aliqua decreti inexpertis hominibus atque in lucem naſcendo prodeuntibus, quod vitari non queat, & quod ipſi videtur affigat? At contrà, juſtus & nulli unquam inæqualis judicio Deus, ſicut cuncta ipſe formavit, ita & cuncta moderatur, legem ab initio ſtatuens, ut boni tantùm ſimus, imò quia ſic creamur & naſcimur, ne mutemur, neque tantùm ne mali ſimus, ſed ne vel mali eſſe velimus, ut & faciamus ſemper bona, non ut merentes mala aliquando patiamur.

Verùm hanc de homine, ut videtur, præſcientiam maleficiarum omnium diabolus auctor invenit, ut velut per innoxiam matheſim occultiùs decipiantur, qui fraudem illius hanc eſſe non norunt. x In- x
ter omnes enim ſcelerum ſuorum artes nulla dubios perniciofiùs appetit, nec alia x à Dei cultu ſubtiliùs homines avocat, quàm ut, cum ſciamus omnes Deo nos debere quod formamur & naſcimur, fato nos ſuadeat debere quod vivamus. Fallimur niſi hæc quibuſdam pro totâ religione præcipua cura

Quàm perniciosum eſt fa-

q *provident, nihil*] Totum hoc de rerum cœleſtium cognitione e margine in textum revocavimus. Illud, *quod ſit Dei*, vix ferri poteſt, itaque libenter legero, *quod ſolius eſt Dei*.

r *vobis præſunt*] Sic codd. Vind. & Lemov. emendatè, prior editio, *vobis proſunt*, corruptè.

ſ *traditionibus docti*] Uterque codex, *ducti*, fortaſſe meliùs: haud multo poſt iidem codices, ubi legitur *nobis pro ſacrilegio adſcribitis*, habent tantùm *nobis objicitis*.

t *cultum. Scilicet*] Sic ex ingenio reſtituimus. Nam in editis & in mſſ. *cultum, ſed*, corruptè.

u *ſtatuta propria*] Poſteriorem vocem adjecimus è codd. Vind. & Lemov.

x *eſſe non norunt*] Sic codex Vind. prior editio *eſſe non credunt*. Infrà ubi ex eodem reſtituimus *nec alia à Dei*, legebatur corruptè *nec alias à Dei*.

ro adſcribere quæ accidunt.

eſt ut futura non neſciant. Velint nolint, ei à quo ſcierint efficiuntur obnoxii, quia credunt, ac dum iſta ſectantur, à fide & religione diſcedunt, & quod eſt ſævius, ſub ſpecie innocentiæ malum non cavetur, dum vitari poſſe non creditur, neque ſi e ſt proſperum à Deo poſcitur, quod neceſſariò eventurum ſperatur. Intuere præterea ipſam maleficiorum ſectam: ſignorum qualitas, ſtatus lunæ, dies, hora, conſulentis nomen inquiritur. Ecce jam incerta divinatio eſt, ubi falli interrogans vel reſpondens poteſt. Fit poſtea quicumque proſperorum gradus, & cum evadendi conditione prædicuntur adverſa. Nempe etiam hic memorati artificis fraus elucet, quòd eſſe fateatur incerta, quæ evadi poſſe denuntiet. Deus enim innoxiis adverſa non ſtatuit, inexpertis mala [y] non tribuit. Vides ergo & divinæ patientiæ & humanæ curioſitati fraudem diabolicæ artis illudere, & velut in ſupputatione lunæ ac ſiderum curſu occultum perfidiæ vulnus & virus latere, ut inter cognitionem ac præſcientiam futurorum & reverentia Dei, & amor juſtitiæ apud homines minuantur, cum Deus aut mala naſcentibus ſtatuiſſe credendus ſit, aut ab alio conſtituta auferre non poſſe.*

CAPUT XXX.

Apollonius Phil.

QUantum video magna eſt diaboli hujus potentia, quia contrà Dei, ut intelligitur, voluntatem, etiam lunæ ac ſiderum curſui ea per quæ hominibus nocere poſſit, inſerunt; verumtamen quo pacto aliunde venire credenda ſunt, quæ illic inſpecta noſcuntur. Arbitrer autem in occultis falſitatibus illudi homines ab eo poſſe; matheſim verò cum ſignis ac ſideribus ſimpliciter convenire: ac non ideo noxiam debere judicari, quia nihil de caſibus ſuberahit, ſed magis utilem, quæ aut denuntiet proſpera, aut cavenda prædicat.

Zachæus Christ.

Math. ſis ſive ars divinandi prorſus incerta & vana.

Priùs dixi matheſim hoc eſſe ſævius malum quòd innocens æſtimatur; ſed licet inveſtigabili ſubtilitate tecta atque concluſa ſit, actus ſui tamen, ſicut expoſui, corpore ac fine reſeratur. Ex Deo enim non eſt, & idcirco nec ſideribus cohærere credenda eſt; quæ primùm incerta & infidelis, deinde inanis eſt operis, & idcirco obſervari ſupervacuum eſt ad profuturam. Multæ autem ſtoliditatis eſt ab eâdem prædicta metuere, quæ & cum prædicentis confeſſione evadi poſſunt, & præcipuè converſis ad Deum precibus ſuperari. Proſperum verò aliquid ab eâdem ſperare perſtultum eſt, cum tam facilè aut falli poſſit aut fallere. Sed finge verum aliquando denunciet; quod conſilium eſt cum manifeſto reatu ab hujuſmodi prodigiis dubios potiùs exſpectare proventus, quàm in fide ſemper ſecurum, vel medelam à Deo ſperare, vel meritum? Hoc magis noveris, quemdam eſſe diabolo in ſceleribus principatum, atque huic immundorum ſpirituum miniſteria diverſa ſervire; ſub illius enim flagitioſâ diviſione alii concupiſcentiæ faces præferunt, & luxuriæ fomenta ſuccendunt: per quoſdam in præceps fertur libido, atque avaritia officiis ſuis utitur; [z] alii amore habendi cruenta perſuadent, & fraudes furtorum ſorores. [Lætantur ad cognitos.] * Hi mœroribus præſunt, & qui terrores metuentibus ingerant certi ſunt, aliorum exercetur turba cruciatibus, ut ſæviùs infelicium hominum corpora vexatione quatiantur: à quibuſdam ſub incremento lunæ augetur inſania, & tamquam de plenitudine puriſſimi luminis captorum labes veniat, ſub quâdam mali dimenſione aut exaggeratur aut incipit; nonnulli magicam præſtolantur artem, & mentiri mortuorum figuras in meditatione deputant: his etiam divinationibus doctiores præcurrunt, & fallendi ſubtiliſſimos velut ſimplex matheſis amplectitur. Alii in avibus auguria præcinunt, & volantum lapſus certis laterum partibus monſtrant; atque ita illo falſitatum omnium inventore vel præſule, diverſis criminum ſtipendiis dæmones militant, ut indefeſſos humano generi laqueos prætendentes, vitari ab hominibus utrique non poſſint; ſi tamen, ſicut illi vel credi ſemper vel fieri volunt, totum aut crederetur aut fieret.

CAPUT XXXI.

Apollonius Phil.

OPportunè ad reſponſionem interrogatio dudum ſequeſtrata deſcendit, unde igitur quive iſti ſunt dæmones quos dudum in templis Gentium commorari, & nunc univerſis vel præeſſe vel intereſſe criminibus ſignantiùs edidiſti? Quis eorum ſimiliter princeps, quem diabolum vocas? Vel unde ad hæc opera ſunt dejecti, ſi ulla his tamen ſublimioris naturæ dignitas fuit? Effici enim per eos quæ in ſuperioribus meminiſti, non niſi ipſorum genere & qualitate monſtrabitur.

Zachæus Christ.

Diverſas Deus creaturas condidit: Angelos præſertim & homines rationis capaces ac libertate præditos.

Eadem quidem etiam nunc illis eſt natura quæ ab initio fuit, quia quod ſemel creaverit Deus, aut in melius mutat, aut ipſe non abrogat: cœleſtem verò dignitatem non ſui Creatoris, ſed voluntate propriâ perdiderunt. Unde quia & originis causas requiris, ex ſcripturarum ratione utraque cognoſce. Duo creationum genera cum omnia conderet, præcipua Deus fecit, quibus ſecundùm officium tribuit & ſenſum: in cœlis Angelos, homines in terris; incorporales ſunt & verè ſpiritus Angeli; nos verò cœleſtes ſenſus intrà corpora terrena geſtamus. Et cum munere Creatoris voluntas utriſque ſit libera, major eſt tamen in hominibus occaſio delinquendi; quibus & animo & corpore cavendum eſt: nam deſideriis animæ, corpora actibus peccant.

Hi ergo propiores Deo, qui magis liberi; & quia imperiorum ejuſdem miniſtri ſemper ac medii, ideo plus ſcientes. Ergo [ut] quæcumque [a] in terris agi poteſtatum & dignitatum gradibus vides, umbra cœleſtium eſt: ita & illic magis ſecundùm Dei datum & diſciplinâ, * & ordinum modus præſidentis Dei ſervit imperiis, atque ad nutum ineffabilis majeſtatis innumerabilem Angelorum multitudinem, Archangelorum obedientia regit. Qui nunc autem diabolus & dæmonum princeps, primus omnium Angelus fuit; qui facturâ & gradu cæteris præeminens, dum effertur ſuperbiâ, ultrà omnes effectus eſt: videri ſe etenim Deum, quod non erat voluit; & quia primus inter omnes factus fuerat, divinitati ſe comparando honorem Creatoris aſſumere: ob cujus auſi præſumptionem cum aliquantis ex inferioribus qui aſſenſum præbuerant, ejectus

Princeps nunc dæmonum primus omnium Angelus fuit.

Qui è ſuâ ſummâ dignitate ac ejus conſortes ſunt dejecti.

y *inexpertis mala*] Sic edere maluimus, quamquam nullus codex faveret, quàm quod antea legebatur *inexpertis magna*. In fine etiam capitis repoſuimus *poſſe*, cum editum eſſet *poſſet*.

z *officiis ſuis utitur*] Hoc ut intelligat, monendus eſt lector, vocem *officium*, ita hic accipi ut in codice, & in Notitia dignitatum Imperii, pro Miniſtris ſive Officialibus Præſidis. Quæ uncinis incluſa vides, ea ſuperſunt ex commate in quo Zachæus ſcribebat immoderatæ lætitiæ præeſſe dæmones, quibus id munus à principe dæmone collatum erat.

a *ergo ut quæcumque*] Voculam *ut* quæ & in editis & in mſſ. deerat, ideo adjecimus quod neceſſaria videatur. Infra *& diſciplina* edidimus ex Vind. nam antea legebatur *eſt diſciplina*, malè.

è cœlo eſt; quos poſtquam ſecum traxit ad terras, tamquam amiſſum reparans principatum, ex Angelis ſatellites ſuos fecit, & ſicut paulo ante memoravi, officiis criminum malíque lapſorum, negatum in cœlos reditum conſolatur. Hic primum hominem ad temerandam præcepti legem in ſerpente prævius & ſuaſor animavit, & in conſequentibus ſemper bonam noſtri creationem per vitæ blandimenta egit in crimina; & quàmlibet per manus hominum, hoc tamen Chriſtus inſiſtente crucifixus eſt.

Auctor ac ſuaſor diabolus primum hominem ad temerandam præcepti legem animavit.

Illi invidia, tumor, crudelitas, & mixtus concupiſcentiæ luxus in ſordibus cordi ſemper & gaudio eſt: & ne ſemper impia vel polluta ſectando ſubtilis nequitiæ figmenta nudaret, informationi atque effectibus ſcelerum honeſta permiſcuit; videri ſtudens ſibi virginitatem placere, dicari debere idolis caſtitatem, ut quod re deſtruit, ambiret in nomine, purificatis etiam plus quiddam fallaciæ ſuæ præſtans, & quamlibet homini ſectam libenter indulgens, dum Deum nec ignoratum aliquis ſcire queat [b], nec agnitum ex ipſius voluntate ac lege veneretur. Hi ergo dæmones, & hic eorum diabolus princeps: hos Chriſti nomen intrà hominum viſcera abditos terret & cruciat. Hi omnibus memoratas ſuperiùs inſidias ſtruunt, quos metu nequeunt illecebris capientes, ut cum quolibet modo offenſos Deo fecerint, ab ſpe immortalitatis abducant & oblectatione præſentium, & incredulitate futurorum.

Quantis artibus ac fallaciis deludit homines.

b

CAPUT XXXII.

Apollonius Phil.

SI tam malus eſt diabolus quàm dicis, & tam perniciax criminum, futuri præſcius Deus nec malum creare debuerat, nec tanto culmine dignitatis efferre, ne aut ſibi obvium, aut hominibus crearet inimicum; cujus quæ ratio facti ſit ſi ſcientia ſuppetit, narratio ſubſequatur.

Zachæus Christ.

Bona eſſe omnia creata à Deo; nocere tantum malè iis utentibus.

c

Nihil malum penitùs in ſuo opere Deus fecit, nec inſitum in his creaturis aliquid noxium eſt, ſed ab his potiùs appetitum, quia ut placerent facta ſunt omnia, non ut nocerent: ſed primùm Angelis ſicut hominibus poſtea liberam Deus præſtitit voluntatem, alioquin in nullo præter naturam mutis animalibus præſtitiſſent, hoc eſt [c] ſicut jam de hominibus dixi, in quodam ignorantiæ torpore compoſitis aut licerent omnia, aut omnia non licerent. Fons ergo totius rationis Deus irrationabiles ſibi erat creaturus miniſtros? Aut quæ ipſorum ſenſibus ratio, ſi nulla voluntati poteſtas? Quæ poſtremò obedientia, aut quis Dei cultus niſi jubentis imperiis conſequens eſſet ſimilitudo famulantum? Quòd ſi propter uniuſcujuſque voluntarium malum Creator eſt arguendus, quod dici nefas eſt, & de omnibus hoc modo argui poteſt, quia ad bonum uſum facta ſunt omnia, & malos exitus habent, ſi his aliter uti velis.

Numquid malum eſt ignis? & certè quæ importunè admoveris exuruntur: terra obruit, ſed cum ſubruitur: non naufragiis maria congregata ſunt, & tamen intempeſtivè ratibus adita ſubmergunt. Numquid ad decidendum celſa conſtructa ſunt? & niſi ſummis cautiùs conſiſtamus, excidimus. Vertendæ in ſulcos terræ atque excidendorum causâ lignorum ferrum hominibus datum eſt, & exin gladios bella ſumſerunt. Numquid in reſti mors poſita eſt? & multi vitam laqueo finiunt. Quis hominum lapidationibus ſaxa, quis ligna crucibus deputavit? Numquid ſummæ dignitates idcirco regibus dantur, ut tyrannides faciliùs aſtimantur? Quàm bona creatio vini eſt! & acceptum effuſiùs gignit inſaniam. Ipſi herbarum ſucci, qui profuturis medicaminibus admiſcentur, aut ſæviùs inſiti nocent, aut largiùs hauriuntur & perimunt. Creandorum liberorum causâ ſunt permiſſa conjugia, & ex licitis coitibus adulteria admittuntur illicita.

Quid, rogo, æquiùs facere Deus debuit, quàm rationabilem Angelorum & hominum creaturam, atque hanc nec libertate privaret, & ſcientiâ cautionis imbueret? Quòd ſi futuri præſcius Deus creare hujuſmodi, aut cæteris præferre non debuit, ergo nec hominem facere aut cunctis præferre debuerat, quem peccaturum ſciebat: & ſicut tu dicis, ne ipſa quidem fieri elementa debuerunt ſi nullius erant uſui profutura, vel quoniam nocere univerſa poſſunt, ſi ordine non ita utaris ut facta ſunt. Quanto hic divinæ providentiæ probabilior ordo eſt, idcirco illi primùm ſumma committere, qui erat auſurus illicita, ut attentior ſucceſſuris cura juſtitiæ & amare Creatorem inſtitueret & timere [d], ac ſimul tentari eum nec ab Angelis impunè monſtraret, qui ob præſumptionem etiam Archangelum dejeciſſet. Vides ergo Dei creatione bonum factum, atque ipſius beneficio in ſublimibus conſtitutum voluntate propriâ, quam liberam acceperat, & bonitatem mutaſſe malitiâ, & dignitatem inſolentiâ perdidiſſe.

d

CAPUT XXXIII.

Apollonius Phil.

ETiam hæc cum ratione facere videntur quæ de diaboli creatione caſuque dixiſti: ſed quid cauſæ ſit, quòd poſt auſum tantæ temeritatis, ſicut jam quæſivi, deletus ſtatim cum ſatellitibus non fuerit ſignanter edíſſere.

Zachæus Christ.

e

Quare Angelos proximè poſt peccatum è ſuo gradu Deus non dejecerit, aut prorſus deleverit.

Dei judicium non tantùm ex poteſtate, ſed ex ratione eſt, qui in condemnatione [e] non judicantis ſolam vult eſſe ſententiam, niſi & conſcientiam delinquentis per quamdam pœnitentiæ comperendinationem, miſericordiam ſemper ad ſe reverti cupientibus præſtans. Et licet in omni æquitate ſuâ juſtus ſit, eſt tamen in miſeratione propenſior, neque ad ulciſcendum celeri indignatione feſtinat, cujus judicio nemo ſuccedit. Salvare ergo non perdere quod creavit ſtudet, & inde inenarrabilis patientiæ nec præcipitis aliquando vindictæ eſt; quòd ſi idem diabolus cæterique ejus perditionis ſocii ante augmenta conſequentium flagitiorum, & ſecretorum cœleſtium, quæ ex parte ſciebant, proditionem obnoxias pœnitentiæ manus dediſſent, humilitatis exoratione crimen ſuperbiæ diluentes; profectò in eos honor rediiſſet Angelicus, nec miſeri in eorum nunc ſordibus volverentur, quos captos nequitiarum laqueis deprimunt, & infelici ſorte vitiorum tamquam in ſolatium ſuæ perditionis adſciſcunt.

Vide præterea inter delicta & juſtitiam hominum, dæmonumque certamen, ex compugnantibus inter ſe luxu atque virtutibus, præmium immortalitatis exiſtere. Spectat nos quotidie præliantes meri-

[b] *ſcire queat*] In Vind. *ſcire quærat*, neſcio num meliùs. Haud ita multo poſt ubi, *hos ergo Chriſti*, vocem *ergo* delevimus ejuſdem codicis auctoritate freti.

[c] *præſtitiſſent, hoc eſt*] Haſce duas voculas quæ in editis deerant, adſcripſimus è cod. Lem.

[d] *amare . . . & timere*] Sic codex Vind. in priori editione *amari . . . & timeri*.

[e] *qui in condemnatione*] Ita è cod. Vind reſtituimus, cum antea legeretur, *qui condemnationem*.

torum arbiter Deus, & ſpiritales inſidias fragili corpore ſuperari placidus intuetur; debuit profectò tam ſublimis creaturæ culpa ſic plecti, & erecta in Deum Angeli ſuperbia hominibus ſubjugari; ut qui ſibi auctorem ſuum præeſſe noluerit, ſubditorum prius nunc imperia pateretur, & quàmlibet in pejorem partem homines voluntatis ſuæ dominos pertrahat, plures tamen per ſe [f] ad Dei ſedem virtutum ac fidei probatione tranſmittit. Vides ergo diabolum ejuſdemque participes futuro judicio per providentiam Dei etiam cum quâdam hominum utilitate ſervatos, ut & longanimitas Creatoris lapſis pœnitentiæ locum daret, & ſi indulgentiæ ſpatia nihil profeciſſent, ſuâ potiùs quàm Dei ſententiâ damnarentur; quorum reatui quotidie extrinſecùs illud accreſcit, quod licet ad juſtitiam hiſdem impugnantibus exercèamur: nihilominùs tamen & eo magis obtinet terrena fragilitas, quod hi nullo* adverſante in ſubſtantiâ Angelicâ perdiderunt.

CAPUT XXXIV.

APOLLONIUS PHIL.

INtelligo aſſertionis tuæ ſummam in hanc venire ſententiam, ut Dei Filium Chriſtum non ſolùm ad reſtituendum hominem, verùm etiam ad condemnandum diabolum ejuſque conſortes, vel jam ad terras veniſſe, vel itcrum venturum eſſe confirmes; quod ſi ita eſt, potuit & Angelus mitti, qui abſque injuriâ Dei & diſcretos à bonis malos perderet, & ipſum cum ſociis malorum principem divinâ auctoritate puniret.

ZACHÆUS CHRIST.

g Cur Dei Filius per ſeipſum, non per Angelum voluit hominem reparare.

Prima eſt quidem [g] cauſa quâ Chriſtus Dei Filius veniendi ad terras habuit voluntatem,* ut vel periturum hominem perire non ſineret, vel perditum repararet: ſed hoc quoque ejus providentiæ junctum eſt, ut diabolum atque ipſius ſocios ſicut in homine in primo ſuperavit adventu, ita in homine judicet in ſecundo; nec difficile Deo fuit per quamlibet cœleſtis militiæ poteſtatem finem præſenti ſæculo mittere, & punire prædictos: ſed quia memoratus nequitiarum auctor Deum ſe, ſicut jam expoſui, voluiſſet videri, ut eorum qui uterque eſſet ab Angelis & hominibus noſceretur, manifeſtari Dei Filium viſibiliter oportuit, & præſumptorem cominus confutari, ut nulla deinceps de intellectu unius majeſtatis apud utramque creaturam dubitatio linqueretur. His præterea additur cautis, quòd hominem ſub conditione immortalem antea factum, idem reſtituere in melius debuit, qui ante plaſmaverat. Etenim indecens erat ſi à Deo corruptibilis homo factus ab Angelo incorruptibilis redderetur, poſteaquam hoc fidei probatione meruiſſet. Quid verò Dei munificentiâ dignius, quàm ut præſentiam ſuam in ſummam beatitudinis præſtet, & quod homini negaverat inexperto, indulgeat reſtituto? Ut poſtremò quem tantis malorum paſſionibus ſequimur, quem cum ſæculi invidiâ & periculis confitemur & credimus, ſicut cupimus, ab his omnibus liberati, in ſuâ videamus majeſtate regnantem.

CAPUT XXXV.

APOLLONIUS PHIL.

FIrmata eſt intrà animum expoſitorum fides, ſed ut nihil cunctationis reſideat, jam credenti pande quæſo, quæ vis florere iniquos facit, vel deprimit rectos; & cum de homine, ſicut aperuiſti, tanta ſit Deo cura, tam prava nihilominùs utroſque diverſitas agat, ut cum in illis malorum & voluntas & actus ſit, copia è contrario cedat bonorum; his proſpera denegentur, quos magis æquum eſt eſſe locupletes.

ZACHÆUS CHRIST.

Cur Deus juſtos ſinit carere felicitate temporali & affligi, iniquos verò gaudere ac proſperè agere.

Facilis rei iſtius intellectus eſt, nec tota in ſpiritalibus experimenta quærenda ſunt; quoniam evidenter etiam præſens converſatio docet quo pacto aut iniquis affluant cuncta, aut neceſſaria bonis deſint. Hi enim versâ actuum vice non ſolùm pertinaciter quæſita concludunt, verum inſuper populantur aliena; hi quibuſlibet lucris totius vitæ tempus *addicunt, & in pecuniâ ſpem requirunt. Hi autem propter occaſionem delicti etiam honeſta compendiorum ſtudia devitant, ac benè parta pertinaciter non tuentes, quietem jurgiis præferunt, & auctorem juſtitiæ vindicem ſperant. Additur, quòd pravos miſeratio nunquam permovet, aut ad data exigua vix educit. His verò inopum ſumptus operi eſt, & prompta ſemper in opere bonæ voluntatis expenſa: quia verò morum ſubverſio ex abundantia maximè venit, ſuos tantùm incentor criminum fovens largas exultantibus ſufficit opes; ut ſucceſſibus gaudiorum luxuria ſubrepat; deinde in contumeliationem exuberatio vertatur, & captiva temulentia vitiis irrigetur. Hinc ad Deum minor abundantibus cura eſt, & fiducia præſentium ſperare non ſinit divitias futurorum; prolixæ autem patientiæ Deus & tumentes in diſſolutionem projici ſinit, & anguſtatos in paſſione confirmat, promiſſum cunctis judicium redditurus, ut hoc illic percipiat unuſquiſque quod hic egerit, hoc in perpetuum patiatur, quo inferiores ac ſubditos temporariè deſpiciendo vexaverit.

CAPUT XXXVI.

APOLLONIUS PHIL.

APertè etiam hujus interrogationis membra patuerunt, & nii moleſtum vererer aliquid tamquam in cumulum præſtitæ hactenus expoſitionis adjicere, non ſupervacuè inquirerem quid hoc ſit, quòd vitiorum ac peccatorum penitùs inſcii diverſis malis afficiuntur infantes, ac nonnunquam ex utero prodeuntes aut debilitas occupat, aut ad mortem immatura vis præripit; quòd ſæva innoxios vexat inſania, nec majeſtatis indubiæ pietas & juſtitia omnibus prompta ſuccurrit. Unde ſi, ut dixi, tædium non eſt, breviter cuncta oſtenſurus eloquere.

ZACHÆUS CHRIST.

h Cauſæ aſfert cur infantes morti prælmatura etiam in utero præripiantur, aut à Dæmone vexentur.

Ampliùs quidem poſtulas quàm ſufficere poſſit credenti; & neceſſariæ ſcientiæ terminos inquiſitione prætergrederis [h]: ſed ne in fidei ſuſceptione ex aliquo incertus nutes aut hæreas, atque ut in nullo* de Dei juſtitiâ infidelium diſputatio locum teneat; quid ſentire debeat* adverte. (* Ex quatuor elementis hominem Deus fecit, ſiccis, humidis, calidis frigidiſque. In ſplene frigida, calida ponuntur in felle, in ſanguine humida, ſicca reputantur in oſſibus, miraque ut intelligis conſpiratio hæc ex contrariis Factoris opus in homine conſervat, & divinæ artis ingenio, præſtantiorem ſpeciem ſociata demonſtrant quam in ſemet prius ſingula retinebant. Sic res ſemper in melius quidquid à Creatore renovatur, apparet. Hæc

f *tamen per ſe*] Hic etiam codicem Vind. ſequimur: nam in priori editione legebatur, *pro ſe*, nullo ſenſu. In fine, *quod hi nullo*, repererat in uno codice Acherius, & nos in Vind. reperimus: quod quidem haud paulo melius eſt, quàm id quod edidit *quem nullo*.

g *prima eſt quidem*] Sic codex Lem. In editis *primo & quidem*, m.c. Eadem Acherius monet in uno codice legi, *Dei filius venit ad terras, ut*.

h *prætergrederis*] Sic Acherius ipſe in margine monuit legi oportere, cum in omnibus codicibus repertum *progrederis*. Infrà, *ut in nullo*, teſtimonio ea codd. Vind. & Lem. nam antea legebatur *ut nullum*. Quæ deinde parentheſi incluſa ſunt, hæc in omnibus codd. præterquàm in uno S. Arnulfi, deſunt. Idem S. Arn. codex ubi legit *quid ſ atiri debeat*, plenius habet *quid ejus ſepulturam vita accuerit*.

ergo in conceptionem æquis partibus confluunt, atque ita ex omni viſcerum regione conveniunt, ut in nullo æqualitatem germina Creatoris excedant; ſed hanc naſcendi integritatem aut parſimonia, aut nimietas temperat parentis alterius, & quod malè prævaluerit coaleſcenti intrà uterum, vel mox ex utero prodeunti aut valetudines gignit aut mortes: geminæ enim in homine venæ ſunt, quæ præcipuum inter omnes ſpiraminis ac ſanguinis obtinent principatum, & ab ipsâ ſede vitalium exiguis meatibus ſparſæ totum corpus illuſtrant, notiſque diſcurſibus exploratum vitæ iter ac pervium ſervant; quarum ſi alteram de prænicls vis aliqua præcluſerit, perniciem haud dubiæ debilitatis ac mortis operatur: unde infantes ſæpiſſimè aut totius lucis efficiuntur expertes, aut conſilium parvulos immatura mors præripit.) Nonnunquam & ob eorumdem parentum vel peccata vel merita, infantum citus finis eſt; quia dilectorum ablatione probantur boni, puniuntur injuſti, & qui ſe argui doloribus aliis, damniſque non ſentiunt, etiam orbitatibus affliguntur: juſtos autem major fidei ignis examinat, cum in levioribus ſtabiles etiam amiſſione probantur affectuum [i].

Quòd verò nondum boni vel mali conſcios infanda dæmonum vexat inſania, patens quidem, ſed diſtantibus modis cauſa eſt; ſi iniqui ſunt, nec prædictis vel ſimilibus caſtigationibus emendantur, etiam innocentum ſuorum arguuntur exitus. Hi autem, quibus converſatio recta eſt, & per ſe malitiam diabolicam ſuperant, etiam tamen talibus fatigantur inſidiis; neque à tædiorum exercitio vacant, quibus nocere aliter vis doloſa non prævalet, ad hoc malorum verſutiam ſemper involvens, ut ſive ob vitia, ſeu propter fidem, iſta proveniant, aut iniquum aut negligentem Deum, ſi quibus forte [l] ſuadere poſſit, affirmet. Sed qualibet arte vel parvulos cruciet, vel parentes, Dei juſtitia in utroque non deeſt: nam & infantibus tranſlatio malis vitæ iſtius melior etiam hoc præſtat, ne ex improbis geniti ſimiles quandoque efficiantur auctoribus, & hiſdem qui genuerunt pro beneficio reputandum eſt, quòd temporario vexatorum dolore aut peccatis eruuntur, & boni ſunt, aut meritis augentur, & in fide creſcunt.

Zachæus Apollonium compellat adhortaturque, ut abjectâ mundi ſapientiâ fidem Chriſtianam amplectatur.

Habes ergo interrogationum tuarum cauſas, & omnium ambiguitatum intellectum patentem. Itaque jam ſubditus Deo promiſſam concedio fidem redde, abjectâque hac mundi ſapientiâ veræ ſapientiæ aſſertoribus crede; & quærere à te altiora deſiſtens, rationem cæleſtium ſecretorum auctoris ſui ſcientiæ conſilioque permitte. Nam licet nunc plura cognoveris, & de interioribus fidei aliqua ſupererint; non tamen putes omnia hominem ſcire poſſe quæ Dei ſunt, niſi quæ aut ſcire hominem ipſe perdocuit, aut intelligere divinâ aſpiratione permiſit. Age ergo, & fidem cordis ſimplicitate ſuſceptam, devoti oris [m] confeſſione teſtare, nec gravi præceptorum onere terrearis: levis eſt ſervitus Dei, & intrà voluntatem hominis tota neceſſitas legis, quam cum penitùs revelatam comperteris, ita ejus agnitione gaudebis, ut licet ſtimulet de ante acto errore pœnitentia, major tamen veniat de confeſſione gratulatio.

CAPUT XXXVII.

Apollonius Phil. [n]

Amicè Apollonius, ſed ut brevi repetat quæ diſſeruit, rogat Zachæum.

JAm dudum voluntas, quam expetis, prompta eſt, ſed velut oppleta ſudentibus fundamentorum loca; ita mentem dubietatibus emundari, ignorantiam ſcientia [n] oportuit imbui; ut patentem fidei aditum veterum purgatio firma proſpiceret. Unde quia occupatior dudum plena legis non potuit hærere revelatio; digeſtam in pauca nunc repete; ut, quam prope modum non recepturus audieram, examinatam multipliciter cum veneratione ſuſcipiam.

Zachæus Christ.

Cui Zachæus facit ſatis.

Repetam planè; & animæ viſceribus intimandam brevioribus eloquar verbis. Chriſtianæ [o] fidei integritas, plenitudo juſtitiæ eſt, id eſt Deum noſſe, colere, timere, diligere; manu facta nec adorare nec colere, nec profanis immolatorum cibis veſci. Ecce jam non copioſæ cruore hoſtiæ aut odor pollutus ignis expoſcitur: omnì Deum colueris, ſi temet pro omnibus Deo dedas, duo ex omnibus præcipua centurus præcepta, ut Deum pluſquam te, ſicut te autem hominem diligas; quia nec poſſeſſe tibi ullus ex ſe tantum poteſt, quantum ille vel omnibus in commune vel ſingulis: quid autem æquius quàm ut ſicut te hominem diligas, à quo te ſimiliter diligi, ſi [o] conſolari exoptas? Sic præmiare quemadmodum & cupere bona: certè non propter caducam breviſſimi temporis voluptatum, ſpem beatiſſimæ æternitatis excludere, nec tueri præſentium vanitatem, ac fidem deſtruere futurorum, cum ex duobus conditionibus fore alterum clareat, non dicam ſub Dei, ſed cujuſlibet honeſti hominis arbitrio ſpem ponere, & propter electionem venientium præſentia ſpernere, quàm ob præſentium tranſeuntem uſum manſura præterire.

CAPUT XXXVIII.

Apollonius Phil. [o]

Apollonii confeſſio fidei Chriſtianæ.

DEi unam eſſe & ſimplicem majeſtatem atque ab eo viſibilia & inviſibilia condita omnes quidem ſentiunt, & intelligere omnes poſſunt [o]; plenam perinde legis ac promiſſorum illius fidem, plenamque juſtitiæ & merito divinæ poſſibilitati ſubeſſe, Reſurrectionis effectu æterno careat, qui non credat; quique te Chriſte Dei Filium & Deum manentem in homine diffitetur, nec Redemptorem humani generis evecto in cælos Crucis triumpho & confitetur & prædicat; qui retributorem ſancti laboris, aut ſcelerum vindicem non ſperat futurum; iſte conſortio diaboli gemens perpetuas eat exul ad tenebras, & profundæ noctis merſus horroribus flagrantis æterni volvatur incendiis.

Abſit autem nunc mihi amplius quàm de Deo rebuſque illius ſapere, & niſi ab illo edocta ſcire velle vel quærere; tantùm, ne ignorantiæ vel tardæ credulitatis culpam pœna comitetur. Maculatæ idolorum [p] concidant ſedes, & execrandæ abomina-

i *probantur affectuum.*] Sic cod. Vind. emendatè: prior editio, *probantur affectum*, corruptè. Haud ita multo poſt, ubi ex eodem codice ſcripſimus *arguuntur exitus*, legebatur *argumentum exitus*, minùs rectè.

l *ſi quibus forte*] Hic etiam cod. Vind. auctoritatem ſecuti, emendavimus id quod prius legebatur *ſi quos forte*. Infrà, ex eodem & è Lem. edidimus *malis vitæ*, nam Achetius ſcripſerat *ex malis vita*.

m *devoti oris confeſſione*] Optima cod. Lem. lectio: quod prius legebatur *devotionis confeſſione*, minus placebat. In fine idem codex & Vind. *de confeſſione*, prior editio *de converſione*.

n *ignorantiam ſcientiâ.*] Sic ex cod. Lemov. in editis, *ignorantiam ſcientiam*. Infrà *Chriſtianæ fidei*, quod reperimus in cod. Vind. magis placet quam quod prior editio habet *Chriſtiana fides*. Haud ita multo poſt ubi *ſi conſolare*, legas *conſolari*.

o *& intelligere omnes poſſunt*] Sic utroque cod. Vind. & Lemov. & quidem emendatè. In priori editione, *ſed intelligere quoque non poſſunt*. Infrà, ubi *evecto in cælos*, Lemov. habet *ito*, Vind. *elato*.

p *maculata idolorum*] Codex S. Arn. & Vind. habent *polluta*. Haud ita multo poſt lectionem codicis S. Arn. *gaudia perſuaſerunt*, prætulimus illi quam in textu collocaverat Achetius, *gaudia reſtituerunt*. In iiſ codd. Lemov. & Vind. *ſerò agnitam*, prior editio, *ſerò agnitum*.

tionis

tionis templa vacuentur, ipſaque divinatio, quæ ut video à multifariis dæmonum fraudibus vel doloſa vel falſa eſt, ſub reverentiâ ſanctæ Religionis intereat. Ego Deum Chriſtum & ſalutis viam ſequar, illum præ animâ & cunctis viſceribus diligens, in me hoc tantùm amaturus quod ille dilexerit. Tu autem, qui divini in me muneris miniſter fuiſti, ab auctore gratiam recepturus, trade, quæſo, plenitudinem fidei; trade interioris ſacramenta myſterii, & caducam materiem celſioris ſpiri innovatione perfunde; ſi quid enim creditis qui noſtris tractatibus aſtitiſtis, ita animum veræ lucis gaudia perfuderunt, ut Deum Chriſtum, ejuſque pietatem, licet diù ignoraſſe pœniteat, æternæ tamen beatitudinis ſperem eſſe, vel ſero agnitum, credidiſſe.

Finit liber altercationis Zachæi Chriſtiani & Apollonii Philoſophi.

INCIPIT EARUMDEM LIBER SECUNDUS CONSULTATIONUM.

Incipiunt capitula Libri ſecundi.

I. *SI ſit tertia in Religionis honore perſona.*
II. *Si Spiritus ſanctus Deus ſit.*
III. *Si Scripturis ſanctis poſſit firmari hæc eloquutio.*
IV. *Quid Judæis reſpondendum ſit.*
V. *Si & in aliis ſeducantur Judæi, præter id quod Dei Filium non credunt.*
VI. *Si Dominicæ Paſſionis Sacramenta Prophetarum oraculis ſint prædicta.*
VII. *Cur antiqua legis portio ſit reciſa, vel quæ volumina obſervantiam juſtitiæ tradiderint.* ᵃ
VIII. *Quæ ſit Judæis in circumciſione juſtitia.*
IX. *Cur Patriarchis licuit habere in conjugio plures.*
X. *Quæ Gentium offenſa: cur Judæis, quibus prius lex data eſt, abjectis, Gentes quotidie amplectitur Deus, edocet.*
XI. *Quæ Hæreticorum genera vel errores.*
XII. *Contrà Manichæos, qui duos* * *dicunt Dei filios eſſe.*
XIII. *Contrà Marcionitas & Photinianos, quorum unus Dei Filium fuiſſe corporalem refutat, alius pro tempore fuiſſe corporeum, perpetuum eſſe non poſſe credit.* *
XIV. *Contrà Sabellianos, qui Spiritum ſanctum negant Deum, credendum donum potiùs quàm Donatorem affirmant.*
XV. *Contrà Patripaſſianos, qui Patrem paſſum eſſe exiſtimant.*
XVI. *Contrà Arianos, qui Filium & ſanctum Spiritum eſſe minores Patre dicunt.*
XVII. *Contrà Novatianos, qui unitatem diſſociant, & ſemel lapſum reſtaurari poſſe non credunt.*
XVIII. *Quæ Novatianis reſpondenda ſint.*
XIX. *Quæ ſit myſteriorum divinorum integra plenitudo.*
XX. *Confeſſio ad Deum.*

PRÆFATIO ZACHÆI.

CUM ad exercitium juſtitiæ optima atque exoptabilis via ſit piè vivere, & vitæ ipſius rationem factorum & cogitationum obſervantiâ cuſtodire, ᵇ præcipui inter bona omnia ſtudii eſt, aut Deo ſemper aut de Deo fideliter loqui, quodque in homine maximum eſt, linguæ ac mentis officium Auctoris ſui laudibus * deputare, nec tamen ita fervore piæ voluntatis attolli, ut in aliquo ſentiendi ac profitendi modum ſubnixa fidei vota tranſcurrant, aut ſacros divinæ prædicationis terminos audentior licitis ᶜ calcet ingreſſus. Non ergo fiduciâ ſed fide prompti, inſinuationem primùm Sanctæ Trinitatis aggredimur; poſt in Judæos, ac deinceps in hæreticos planâ expoſitione pergentes, etiam ſchiſmaticum Novatianorum detegemus errorem. Ita inſtructio ex multis collecta voluminibus breviarii vicem dabit, non omnia in ſingulis elaborans. Experti itaque rem inter perſonas meliùs agi, Zachæum noſtrum Apolloniumque jam noſtrum ad prædictos cauſarum gradus robuſtiore ſcientiâ deducemus, ut libelli ſuperioris more, religionis noſtræ æmuli prædamnentur; & is qui diſcendi accenditur ſtudiis Deo vivere cupiat ac vitiis interire. Nunc ergo inter prædictos leni collatione & proferentur omnia & probabuntur, ut congruâ brevitate monſtretur quid recipi debeat, quid caveri; cum & fidelium credulitas cœleſtibus confirmetur exemplis, & prophanorum perfidia ſuis vel maximè intellectibus deſtruatur.

APOLLONIUS. SI quiſquam, Zachæe, referre, ut dignum eſt, gratiam Deo pro collatis in ſe ejus miſeratione beneficiis, aut ſermonibus ſufficit, aut animo comprehendit, ego præcipuè perfungi hoc munere debeo confeſſionis & mentis, qui illius adſpiratione, tuâve doctrinâ tantis errorum laqueis evolutus, mortis vincla depoſui; & terrenum exutus hominem, in ſpem cœleſtium gaudiorum Dei adop-

a *tradiderint*] In cod. Vind. legitur *intulerunt*. Infrà ex eodem codice & è Lemov. reſtituimus *qui duos dicunt*, ubi malè edit. erat *qui nos dicunt*; & capitulo ſequenti verbum *credit* adſcripſimus.

b *obſervantiâ cuſtodire*] Sic codd. Vind. & Lemov. emendatè: prior editio *obſervantiam*, corruptè. Haud ita multò poſt *Auctoris ſui laudibus*, ſcripſimus auctoritatem codicis Vind. ſecuti, in quo voces intermediæ *rebus aut* non comparent.

c *audentior licitis*] Optima ejuſdem Vind. cod. lectio, in editis *audentiori licet calcare ingreſſu*, minùs benè, ut equidem ſentio.

tione tranſivi; æterni inſuper ſacrificii particeps factus, imò Deum ſumendo [d] pars ipſius, toto animi vigore & ſalutaria expetere debeo, & obliqua deſtruere. Sed quoniam in retribuendâ gratiarum vice, nec in hoc quidem ſufficientes ſumus quod intelligendo ſentimus, hæc ſolùm retributionis penes impares via eſt, ſi largitor totius indulgentiæ Deus, dignatione quâ noſtris cogitationibus intereſt, debentibus inſpiciat votum, & pro effectu recipiat voluntatem. Quàmlibet ergo ineffabilis lætitiæ compos magna ſim conſequutus, major mihi tamen ignorantiæ metus eſt ex quo aliquid eſſe cœpit ſcientiæ; grandiſque animum cura ſollicitat, ſi ſpiritualium conſcius ſecretorum plenitudinis ſacræ quantum audire farique liceat, aut ignarus aut trepidus deprehendar. Nam prima fidei in me præcepta concludens, Patris tantùm ex quo ſunt omnia, & Filii per quem facta ſunt omnia, credulitatem ſimplicem popoſciſti; poſt autem incuntis traditionem myſterii etiam ſancti Spiritûs mihi à te exacta confeſſio eſt, & tota in Trinitatem miſſa credulitas.

CAPUT PRIMUM.

Apollonius. PRomiſſionis igitur [e] memor pande an ſit tertia in Religionis honore perſona, vel ſi ex uſu multiplices reverentiæ & non ex ſpeciali appellatione nomen aſſumptum; quòd ſi hæc ſapientiæ cœleſtis occulta reſeraveris, quidquid in ſuſceptione advenientis fidei benè cœpit conſummatum notitiâ perfectiore roborabitur: conſequens erit ut doctrinas quoque hæreticorum & univerſas ſchiſmatum pravitates, quo vitari ocius * poſſint, conſultus expedias, ſi priùs qualiter credi debeant jam conceſſa monſtraveris.

Zachæus. Semper quidem ſtipendiis malitiæ ſpiritalis accinctos velut ſub imminentium exſpectatione bellorum inſtructionis uſu oportet inſtitui, & otium deteſtari; ſed à multis quæ expetis & prolixè & ſublimiter condita, velut novæ eruditionis opus recuſant, ac tam planè de omni dudum ambiguitate diſſertum eſt, ut nunc non modò rudes in interpretationibus ſenſus, ſed verba denique niſi inculcata non ſuppetant. Notiſſimum præterea in quâlibet editione faſtidium eſt aut refricare jam cognita, aut clarioribus inſerta monumentis ſuppreſſo auctore proferre; unde magis utrique noſtrum fortaſſe conveniat exemplaria adire priſcorum, ac de illuſtrium voluminibus hujuſmodi haurire doctrinam: quia & tibi abſque dubio conducibilius eſt perfecta ab eruditioribus diſcere, & mihi de maximis tutius reticere.

CAPUT II.

Apollonius. ET ego credo aliquos ſuper his creſcente fide noſtra latiùs diſputaſſe, ac tantis annorum temporumque curriculis ſpiritalium virorum ingenia, non ſilentio poſſeſſa, ſed meritis. * Verumtamen rudibus animis diffuſa tardiùs innoteſcunt, & ſenſum priùs onerant prolixa, quàm doceant. Atque ideo excuſatione ceſſante invidiæ metum militum fervor [f] excludat, & adeptæ quietis quam amplecteris gratiam inexſuperabilis fidei amor vincat; verecundiam proverbii veteris ſententiâ ſublevante. Quid enim dici à quoquam poteſt quod ante non dictum ſit? Aut quæ tam abſtruſa in noſtris rebus ſcientia eſt, quam uſus non illuſtraverit præcedentium? Unde hoc primum de ſancto Spiritu certus revela: Deus ne, an res aliqua Dei ſit? Et munus divinitatis, an plenitudo credendus? Probari autem teſtimoniis oportebit quidquid ſimpliciter crediturо fidei ſacramenta, dictaveris. [g]

Zachæus. Oneri licet expoſtulatio tua ſit, & quoddam negotium tantæ interrogationis nectat intentio, quia ardui operis res loquenda, & fide magis eſt intimanda quàm verbis: tamen quoniam exigere ab humilibus magna non deſinis, & recitandi * opportunitatem dominicus fervor exſuſcitat, quo fidei ſubſtantiam non depreſſam humo tegere, id eſt, non incluſam cordis retinere ſecretis, ſed notitiæ cupientium promptâ annumeratione mutuare, ac vice fœnoris multiplicare præcipimur; ad expoſitionem ineffabilis majeſtatis trepidi, ad confeſſionem ſecuri commiſſa auctori ſuo ora ſolvamus. Deus unus eſt, & quàmlibet perſonis ac nominibus diſtincta ſit Trinitas, à ſe tamen atque à ſuâ æternitate non diſtat, ſed manens ante ſæcula divinitas in Patre ac Filio & ſancto Spiritu verè ac propriè creditur una atque eadem, nec dividi noſtris interpretationibus poteſt, nec rurſum verſâ in unius perſonam Trinitate confundi. *Explicat Trinitatis myſterium.* Sic ergo Spiritus ſanctus ut Pater ac Filius Deus eſt. Neque in Trinitate unus, ſed Trinitas unum eſt. Hæc fides plena, hæc noſtra credulitas. Idcirco Deos nec æſtimari patimur nec vocari, ſed Deum in prædictis perſonis ac nominibus confitemur. Inenarrabilis enim divinitas, non ut concludi aut apprehendi vel vocabulis poſſit intrà nomina perſonaſque ſe præſtitit: ſed ut quod erat, eſſe & noſceretur, intelligentiam ſui ex parte, quam capere humani ſermonis anguſtiæ prævalebant, credentibus dedit. Verùm hæc tibi non ſubtracta æſtimes priùs, ſed non credita priùs; quia ab Idolorum multitudine veniens, etiam hic tibi prædicari Deos putaſſes, niſi id quod plenitudo fidei continet traditionis exordia ſiluiſſent.

CAPUT III.

Apollonius. QUantum intelligi datur, adeſt ſperata in interpretationibus fides, ac veritati ratio expoſitionis cohæret; verumtamen ſacris interloquutionibus eadem dicta firmari ſtabilitas puræ credulitatis expoſcit, & quoddam veritatis culmen ceſſantibus argumentis lectione conſtitui, quia videri incongruum poteſt, ita de Deo loqui, ut non magis illa quibus ſe idem inſinuari voluit, proferantur. Quâ de re ex multis, quæ enumerari ad præſens non poſſe arbitror, neque ut nunc enumerentur expoſtulo, qui interim doctrinæ ordinem non hiſtoriæ corpus inquiro; perſpicua quæque & pauca dicturus auctoritatem redde memoratis. Nam, ſicut dixi, velut tenuiter jacta nutabunt, niſi humanis adſtructa ſermonibus, divinis inſuper fulciantur exemplis.

Zachæus. *Spiritum ſanctum probat Deum eſſe.* Competenter expoſcis, ut his potiùs fides detur quæ in teſtimonium ſui divinitas ipſa proloquuta eſt; & rectè ex innumerabilibus pauca proferri; quoniam veræ probatio majeſtatis, tametſi habet plu-

d *imò Deum ſumendo*] Vix quidquam in toto hoc opere præclarius, quàm hocce Apollonii jam Chriſtiani de reali Chriſti dum ſumitur præſentiâ teſtimonium.

e *promiſſionis igitur*] Sic codex Vind. meo judicio meliùs quàm prius editio *profeſſionis*. Infrà idem & Lemov. *quo vitari tutiùs*.

f *militum fervor*] Ita edidimus ex codice Lem. in editis *ut ſtium fervor*, malè. Paulo ſuperiùs, ubi legitur *non ſilentio poſſeſſa, ſed meritis*; nemini quidem dubium erit quin aliquod vitii inſit, ſed nihil in mſſ. reperimus, quo hæc menda reparari poſſet.

g *ſacramenta, dictaveris*] Præclara emendatio quam codex Vind. ſuppeditavit: antea corruptè editum erat, *dictaverint*. Haud ita multo poſt ejuſdem codicis eſt quod ſcripſimus *recitandi oportunitatem*, in ejus quod Acherius ediderat locum *retinendi oportunitatem*.

talitatem, pluralitate non indiget; credentique & pauca ſufficiunt, quæ increduli, etiam ſi in multis ſcrutentur, ignorant. Unde primùm de veteris Teſtamenti libris, poſt etiam novi, ſanctum Spiritum in ſubſtantiâ unius divinitatis agnoſce, libro Geneſis ſic inchoante: *In principio fecit Deus cœlum & terram; terra autem erat inviſibilis & incompoſita; & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* Ille principium eſt, qui Judæis, quis eſſet, interrogantibus dixit: *Principium* [h] *quod & loquor vobis*, unde ab eo & alio loco dictum eſt: *In capite libri ſcriptum eſt de me.* Ferebatur autem Dei Spiritus ſuper aquas, ut ex his viva omnia producturus ipſe rudibus ignis proprii* fomenta præſtaret, qui nunc purificatis dona ſanctificationis infundit. David perinde, Deo aſpirante, teſtatur: *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Vide quàm plena ſit brevitas, & quàm clarè in ſacramentum unitatis recurrat; Patrem in Domino, in Verbi ſignificatione Filium ponens, ſanctum Spiritum ex ore Altiſſimi nuncupavit. Et ne vocis editio reputaretur in Verbo, cœlos per eum edocet factos: ne flatus in Spiritu, virtutis in eo plenitudinem demonſtravit. Nam ubi virtus, ibi neceſſe eſt & perſona ſubſiſtens; ubi omnis, non ablata à duabus ſed conſummata ſignatur in tertiâ; non ut ſola habeat quod in toto eſt, ſed ne minus habeat quæ in ſolâ appellatione poſtrema eſt.

Geneſ. 1. 1. Ex Textu Septuag.
h
Joan. 8. 25.
Hebr. 10. 7.
Pſal. 32. 6.

Iterum idem Propheta Trinitatem, dum precatur, exponit: *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in viſceribus meis. Ne projicias me à facie tuâ, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & Spiritu principali confirma me.* Principalis Spiritus, Patris eſt; Rectus eſt Filii; Sanctus verò cognominis ſui adjectione diſtinguitur. Nec de vocabulorum adjectione movearis, quòd principalis & rectus Spiritus ſanctus propheticâ appellatione ſignatus eſt. Licet proprietas una ſit in ſingulis, tamen quia Deus Spiritus eſt, ne perſonarum confuſio noſtris intellectibus fieret, nominibus eſt adjecta diverſitas: qui enim ſanctus, neceſſariò rectus eſt; nec poteſt iterum rectus eſſe, niſi ſanctus ſit: principalis autem, quia ex eo unigenitus Filius, atque ab ipſo Spiritus ſanctus procedens; de quo Eſaias ſub perſonâ Dei de Chriſto loquentis hæc poſuit: *Ego loquutus ſum: & ego vocavi & adduxi eum, & proſperum iter ejus feci: accedite ad me & audite hæc. Non in occulto ab initio loquutus ſum: cum fierent illic eram, & nunc Dominus miſit me, & ſpiritus ejus.* Angelus perinde ad MARIAM ſacræ Nativitatis myſteria nuntians, paria de eodem ſic depromit: *Spiritus Dei ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Dominus poſtea, cum de vocatione Gentium loqueretur, intrà unum divinitatis nomen ſanctum Spiritum prædicans ait: *Euntes nunc, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritûs ſancti.* Paulus ſimiliter Apoſtolus: *Qui autem confirmat nos, vobiſcum Chriſtus Dominus, & qui unxit nos Deus, & qui ſignavit nos & dedit pignus Spiritûs in cordibus noſtris.* Et iterum, dum cœleſtia Corinthiis precaretur, hæc ſubdidit: *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei & communicatio Spiritûs ſancti cum omnibus vobis.* Unde propoſitæ brevitatis memor, ſententiarum multitudinem, quæ largiſſima ſuppetit, non requiras; quoniam, ſicut dixi, in paucis Deo credere conſuetudo fidelium eſt; meminiſſe autem plurium, diligentiæ magis perfectè proficientis, quàm docentis officium eſt.

Pſal. 50. 12.
Iſa. 48. 15. Textus ex Septuag. & editione vulgatâ compoſitus.
Luc. 1. 35.
Matth. 28. 19.
2. *Cor.* 1. 21.
2. *Cor.* 13. 13.

CAPUT IV.

APOLLONIUS.

JAm quidem ſimplex aſſertio fidem fecerat ſanctum Spiritum verè ac propriè Deum credi; ſed quia facilius eſt ſermonibus præbere conſenſum, quàm intellectum ſenſibus mutuari, firmiter oportuit examinare ſuſcepta, ac voluntariam confeſſionem cœleſtibus confirmare doctrinis. Nunc autem ſectarum quæ adverſæ nobis ſunt pravitates retexens, à Judæis, ſi videtur, ordire principia, cur indomabilis populus Deum ac Dei Filium abnuat Chriſtum, creaturamque omnium Dominum in neutrâ velint nativitate ſubſiſtere, qui utique ante omnes quæ nunc ſalvantur ſalvatæque ſunt nationes, futurorum ſcientiam per legem Prophetaſque noſcentes, quæ erant pro mundi ſalute facienda neſcire nullatenùs potuerunt, cum & Deum nollent & Dei eloquiis non carerent.

ZACHÆUS.

Chriſtum Deum eſſe & hominem probat adverſus Judæos.

Non fallitur æſtimatio tua Redemptoris noſtri nativitatem, & quæ ſecundum Deum & quæ ſecundum hominem in uno eodemque nunc permanet, totis ſcripturarum voluminibus contineri; apertèque Judæis ſacri adventûs myſteria revelata, quæ intimare ſummatim ab animo non abſceſſit, ſi in cunctis attentos ſenſus ſequeretur ordo ſermonum. Sed quoniam voluntas nobis intelligentiæ ſimplicis, non pugnæ contraria difficultas eſt, auditioni tuæ ſatis ſit libatis faſtigiis totam lucem in parte luminis intueri, & utrumque brevi expoſitione percurrere. In libro itaque Geneſis dum refertur conflagratio Sodomorum, unius quidem ut ſemper voluntatis, ſed non unius perſonæ actus oſtenditur, Scripturâ dicente: *Et pluit Dominus à Domino de cœlo.* Moyſes iterum Dei juſſu in lapide conſtitutus cum poſteriora illius cerneret, Trinitatis diſtinctionem in numero deſignavit dicens, *Domine, Domine, Domine, miſericors & miſerator.* Per David autem loquentis ad Filium Dei Patris hæc verba ſunt: *Ex utero ante luciferum genui te.* Per Salomonem verò de ſe Filius ipſe teſtatur: *Cum pararet Dominus cœlum aderam illi.* [i] *Cum ſecerneret ſuam ſedem, & ſuper ventos validos* faceret nubes, cum confirmatos poneret fontes ſub cœlo: quando fortia faciebat fundamenta terræ: ego eram apud eum diſponens, ego eram cui adgaudebat: quotidie jucundabar ante faciem ejus: cum lætaretur orbe perfecto.* Idem iterum dum de ejus ac Patris ambigit nomine, propheticatem veræ nativitatis expoſuit dicens: *Quod nomen ejus, vel quod nomen Filii ejus.* Hæc de Chriſto ſecundum divinitatem ad præſens dicta ſufficiant.

Gen. 19. 24.
Exod. 34. 6.
Pſal. 109. 3.
i
Prov. 8. 27. Secundum LXX.
Prov. 30. 4.

Aſſumendi verò corporis fidem, Moyſes primùm juſſus hoc populo prædicare ſic loquitur: *In noviſſimis diebus Prophetam vobis excitavit Deus de fratribus veſtris ſicut me: hunc audietis, & qui non audierit Prophetam illum, ego vindicabo, dicit Dominus.* Quod teſtimonium à Salvatore firmatum eſt, cum in Evangelio eoſdem Judæos increpans dicit: *Si crederetis Moyſi, & mihi crederetis: de me enim ille ſcripſit.* Innumeris verò ſub ejuſdem Moyſi perſonâ trucem populum dum Jeſum Nave Deus commendaret, admonuit ut in cognomine terreni ducis, futuri & cœleſtis vocabulum noſceretur: ait enim Deus ad Moyſen, *Ecce hic Jeſus qui aſſiſtit tibi, vade ne ſpernas illum, quia & ipſe obtemperans tibi erit; & nomen meum eſt in illo.* Planiſſimè denique per Jacob Patriarcham veritas Prophetiæ be-

Deut. 18. 15.
Ibid. 19.
Joan. 5. 46.

h *interrogantibus dixit*] In Vind. totum hoc comma ſic deſcriptum eſt. *Ille principii nomine deſignatur, qui de ſemetipſo: Ego principium*, &c. Infra ubi legitur *ignis proprii*, ex cod. Lam. in editis corruptè legebatur *ſignis proprii*.

i *aderam illi*] In cod. Vind. *aderam illic.* idem infrà *validos faceret.*

nedictionis impleta eſt, cum & Dux & Princeps, id eſt Rex & Sacerdos, uſque ad ejus tempus Judæis futurus verbis talibus intimatur: *Non deficiet Dux de femoribus Juda, & Princeps ex Iſraël, donec veniat cui repoſitum eſt*[l]: *& ipſe eſt exſpectatio Gentium.* (Gen. 49. 10.) Balaam perinde in Numeris eadem annuntiat, dicens: *Orietur ſtella ex Jacob, & homo ex Iſrael exſurget.* (Num. 24. 17.) Quod Magi in Orientis partibus ſemper reticentes, primi ortum Salvatoris inſpecto ſidere nuntiarunt, & quod olim per auctorem ſuæ artis fuerat prophetatum, per ipſos cognitâ æterni luminis inſpectione completum eſt. Per Eſaiam denique Deus loquitur: *Ecce mitto in Sion lapidem electum angularem, pretioſum; & qui crediderit in illum non confundetur.* (Iſai. 28. 16.)

Hunc eumdem ex Virgine naſciturum idem Propheta ſic memorat: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod eſt interpretatum nobiſcum Deus.* (Iſai. 7. 14. Matt. 1. 23.) Sub verbis iterum eorumdem Judæorum in futuro judicio gementium, cum Christum in patris majeſtate conſpicient, hæc depromſit: *Non eſt Deus præter te; tu enim es Deus & neſciebamus.* (Iſai. 45. 14) Hieremias autem fidelis populi vocibus hæc exponit: *Hic eſt Deus noſter, & non deputabitur alius abſque illo, qui invenit omnem viam prudentiæ, & dedit eam Jacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſuo: poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* (Baruch. 3. 36.) Michæas verò etiam locum in quo erat oriundus ita prodidit: *Et tu Bethleem domus illius Ephrata, numquid exigua es, ut conſtituaris in millibus Juda? Ex te enim mihi prodiet qui*[m] *ſit Princeps in Iſraël; & proceſſiones ejus à principio ſæculi.* (Mich. 5. 2.) Innumera præterea leguntur & ſuppetunt, quæ myſterium nativitatis utriuſque in Deo Chriſto apertiſſimè docent; ſed confutari perditos ac rebelles ſuorum tantùm auctoritatibus ratio eſt: & ſicut jam admonui, interrogationi potius tuæ quàm renitentium intentioni reſpondere propoſitum: habere enim prolixitatum neceſſitatem ratio certaminum poteſt, expleri brevibus æquum eſt ſtudia conſultantium.

CAPUT V.

APOLLONIUS.

DUbium non eſt his teſtimoniis nequaquam ſubtrahi fidem poſſe, atque ejuſmodi probationes, ne ab ipſis quidem Judæis, niſi inſanire plus malunt, æquanimiter improbandas, præcipuè cum ex eorumdem voluminibus intimatæ adeo clarâ integritate perluceant, ut etiamſi ſine aſſertore pertendas, ipſa ſe comprobent. Verumtamen quibus idem Judæi in diverſum agantur exemplis, fieri certior cuperem, nec ſolùm ſectis ſed contrariis pariter educeri; quoniam illa demum conſummata dici doctrinæ veritas poteſt, quæ errantibus non ſolùm in quo corrigi poſſunt; verùm etiam in quo per ſemet depravantur oſtendit.

ZACHÆUS. *Unitas in ſubſtantiâ, Trinitas in perſonis nctum probatur adverſus Judæos.*

Inculcatum tibi ſæpiſſimè retines, unum Deum eſſe, hoc eſt unam Trinitatis divinitatem, & in hujus vocabuli appellatione ſignificationem unius ſubſtantiæ, non unius eſſe perſonæ: ſed illis hunc error occaſioque perfidiæ eſt, quòd tibi in Horeb monte Dei vocibus hæc dicantur: *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus unus eſt.* (Deut. 6. 4.) Et iterum: *Ego Deus, & præter me Deus non eſt.* (Ibid. 32. 39.) Et tertiò: *Ego Deus, & non demutor: gloriam meam alteri non dabo.* (Malac. 3. 6. Iſai. 42. 8.) Non utique nulli, ſed non alteri, id eſt, huic tantum dabo per quem vobis ab initio amiſſam immortalitatem in melius reparari in prædeſtinatione conſtitui: demutari autem verè non poteſt, qui diſpendium augmentumque non recipit. Cum verè alia Divinitas non ſit, neceſſe eſt ut Deus alius non dicatur. Hoc tamen Judæis de unitate Divinitatis non tamquam neſcientibus dictum eſt, ſed ad idola tranſgreſſuris prædictum, ne Deos ſcilicet aut interpretarentur aut colerent, qui unum in ſubſtantiâ &[n] majeſtate cognoſcerent. Illud præterea clarum eſt, cum Deus de mundi & hominis creatione diſponeret, ſacramentum Trinitatis oſtenſum, Scripturâ dicente: *Et dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* (Geneſ. 1. 26.) Cum dicit *noſtram*, prodit utique non unius; cum verò *ad imaginem & ſimilitudinem* profert, æqualitatem diſtinctionis intimat, ut in eodem opere ſit Trinitatis aperta cognitio, in quâ nec pluritas caſſa eſt, nec ſimilitudo diſſentiens, dum & conſequentia ſic traditur: *Et dixit Deus fiat*: Et, *Fecit Deus*: Et, *Benedixit Deus.* Deus ergo Pater facienda denuntiat, Filius perficit dicta, Spiritus ſanctus benedictione confirmat: & neceſſe eſt, ut creationis totius auctor Deus unus ſit, tametſi eſt enuntiantis ſermo *faciamus*, quam fidei rationem antiqua denique per Moyſen benedictio pandit & comprobat, quâ benedicere populum ſacramento trinæ invocationis jubetur; ait enim Deus ad Moyſen: *Sic*[o] *benedices populum meum, ut & ego benedicam illos; Benedicat te Dominus & cuſtodiat te, & illuminet Dominus faciem ſuam ſuper te, & miſereatur tui, attollat Dominus faciem ſuam ſuper te, & det tibi pacem.* (Num. 6. 23.) Unde intelligis non interceſſe indiſſociabilis atque indemutabilis Dei, ſi non ad omnes ſententiarum proprietates humanæ efficientiæ verba conſpirent, cum evidens fidelium intellectui ſit relictum, ut quod creari à Deo vel effici dicitur, agi & effici[p] ſemper à Trinitate credatur.

CAPUT VI.

APOLLONIUS.

SPecialibus documentis Chriſti Nativitas in Deo & homine monſtrata eſt, atque indubitanter apparuit Spiritum ſanctum in eâdem ſubſtantiâ permanentem ſacramentum perfectæ Trinitatis implere. Unde nunc eâdem ſi ſuppetit Scripturarum additione confirma, utrum & Dominicæ Crucis prædicta ſit paſſio, vel ſi in aliquo legis veteris corpore venerandæ mortis indicia prænotantur; ut ſollicitudine parumper indultâ, hanc denique ſacri operis partem ordo cœptæ eruditionis illuſtret, quam dudum ſimplicis traditionis informatio revelavit.

ZACHÆUS. *Paſſionem Chriſti prædictam probat.*

Eſt plane omnium Scripturarum non ſolùm de Paſſione, verùm etiam de Reſurrectione, cœlique conſcenſu aperta prædicatio, atque in nobis Dei Regnum à Chriſti Paſſione cœpturum præſcia Prophetarum ora cecinerunt. David præ cæteris ſic loquente: *Dicite in Gentibus, Deus regnavit à ligno.* (Pſal. 95. 10.) Non quid non ſemper à conditione noſtrâ ſub Dei imperio fuerimus, ſed quamdiu ab ejus cultu ac voluntate diſſentimus æſtimati ſumus alieni. Unde & Moyſis prædictum populum propheticè increpat dicens: *Eris pendens vita tua ante oculos tuos, & timebis die ac nocte, & non credes vitæ tuæ.* (Deut. 28. 66.) De quo & in Numeris ita ſcriptum eſt: *Non quaſi homo Deus ſuſpenditur, nec quaſi filius hominis minas*[q] *patitur.* (Num. 23. 19.) Verè

[l] *cui repoſitum eſt*] Codex Vind. *qui mittendus eſt*: haud ita multo poſt idem *in Sion lapidem angularem.*

[m] *prodiet qui ſit*] Codex S. Arn. *prodiet ut ſit*: idem, *proceſſiones ejus ab initio à diebus ſæculi.*

[n] *ſubſtantiâ & majeſtate*] Sic codex Vind. & Lem. prius editio *ſubſtantiæ majeſtate*, minùs rectè. Infrà ex cod. Vind vocem *Sic* quæ deerat, adſcripſimus ubi legitur *ſic benedices populum.* Ejuſdem eſt quod edidimus in hunc *agi & effici*, cum edita illic mutila eſſent.

Digitized by Google

enim in eâ exprobratione, quòd ſe Dei Filium diceret cuncta perpeſſus eſt, & non ut homo datus eſt morti [o], quem non à crimine Crux recepit. Per Amos verò Prophetam ſpiritus loquitur die mediâ, ſicut factum eſt in Paſſione illius, noctem futuram: *Amos 8. 9.* ait enim: *Et erit in die illâ dicit Dominus, occidet ſol meridie, & dies lucis* [p] *obtenebrabitur ſuper terram.* Et *Jerem. 15. 9.* Hieremias: *Exterrita eſt quæ parit, & timuit anima ejus. Subiit ſol cum adhuc medius dies eſſet, & confuſa eſt.* Sub verbis autem ipſius Domini, etiam tormentorum atque illuſionis injuriam Eſaïas apertiſſimè *Iſai. 50. 6.* declaravit dicens: *Dorſum meum poſui ad flagella, & maxillas meas ad palmas, & faciem meam non averti à fœditate ſputorum.* Hinc & per David ante prædi- *Pſal. 21. 17.* xerat: *Foderunt manus meas & pedes meos. & dinumeraverunt univerſa oſſa mea. Ipſi verò conſideraverunt & conſpexerunt me. Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Nota omnibus cauſa eſt, à militibus qui eum cruci dederant veſtem illius fuiſſe diviſam, & unum ex omnibus veſtimentis eſſe ante judicium [q] ſorte tranſcriptum. Aceti ſimiliter & fellis admixtio, quam iidem Judæi pendenti in Cruce Domino dederunt, per David *Pſal. 68. 32.* longè ante prædicta eſt, ſic loquente: *Dederunt mihi in eſcam fel, & in ſiti meâ potaverunt me aceto.* Ita & per Zachariam de vulnerum acerbitate conqueſtus *Zach. 11. 10.* eſt dicens: *Intuebuntur in me quem transfixerunt* Lanceâ enim latus illius penetrantes; * quia frangere os jam defuncto ſævientibus non licebat, quod olim Moyſi dictum fuerat impleverunt; ait enim Domi- *Exod. 12. 3. & ſeq.* nus ad Moyſem: *Accipient * agnum maturum anniculum ab agnis & hœdis, & occidet eum omnis multitudo Synagogæ ad veſperam, & manducabunt eâ * nocte; & os non frangetis ex eo.* Latrones denique ſuſpenſioni ejus * eſſe jungendos Spiritus propheta- *Iſai. 53. 12.* vit, dicens: *Et deputabitur cum iniquis.* De pactione verò infelicis Judæ, qui unus ex Apoſtolis fuit, & Salvatorem acceptis triginta argenteis tradidit, adeo Scriptura non tacuit, ut modum quoque pecuniæ *Zach. 11. 13.* deſignaret, ait enim: *Et fecerunt pretium appretiati triginta argenteos.* His teſtimoniis Paſſionem probaſſe ſufficiat.

Paſſione Chriſti probatâ, de ejus agit Reſurrectione.

Nunc verò Reſurrectionem ſub ipſius Salvatoris verbis ad Patrem loquentis agnoſce, David pleniſ- *Pſal. 15. 10.* ſimè perdocente: *Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Dicere hoc de ſe prædictus Propheta non potuit, qui uſque ad communis reſurrectionis diem, in eâ quâ eſt patribus additus corruptione, durabit. Per *Iſai. 33. 10.* Eſaïam ſimiliter: *Nunc reſurgam, nunc glorificabor, nunc exaltabor, nunc videbitis, nunc erubeſcetis.* Verè autem de Salvatore præmonitum præſtita inferis bidui mora, & poſt aſcenſus conſequens prodit, quo corpus ſponte depoſitum, ſponte iterum propriâ reſumens evexit. Hunc enim dierum poſt Reſurrectionem illius numerum Oſee Propheta aper- *Oſe. 6. 3.* tiùs indicavit dicens: *Vivificavit nos Deus die tertio, poſt biduum reſurgemus.* Eſaias verò totam Paſſionis Aſcenſuſque indicans fidem, hæc in prædicatione *Iſai. 53. 7.* ſuâ poſuit: *Tamquam ovis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe ſine voce ſic non aperuit os ſuum. In humilitate judicium ejus ſublatum eſt. Generationem autem illius quis enarrabit? Quoniam tolletur à terrâ vita ejus.* David perinde ſub verbis Dei Patris ad Filium proloquentis, non ſolùm aſcenſum, ſed & judicium prædicavit, dicens: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* *Pſal. 109. 1.* Cum igitur teſtante Propheta Dominus ad Dominum ſit loquutus, cui dubium eſt, quòd Filio Pater in gloriam divinitatis ex homine tranſeunti, cœleſtis judicii potentiam ac vim exercendæ majeſtatis inſinuet, ſicut ipſe in Evangelio de hoc eodem loco dixit, nulli unquam Angelorum aut hominum dictum fuiſſe, ut ad Dei Patris dexteram ſedens ſubjectos pedibus nominis ſui calcaret inimicos? Hunc ſibi Zacharias aſtruens demonſtratum, ſic loquutus eſt: *Et oſtendit mihi Dominus Jeſum Sacerdotem illum magnum ſtantem ante faciem Angeli Domini: & diabolus ſtabat ad dexteram ejus adverſari ei: & dixit Dominus ad diabolum: increpet Dominus in te diabole, increpet Dominus in te, qui elegit Jeruſalem. Nonne hic titio extractus ex igni eſt?* *Zach. 3. 1.* Id eſt, numquid non peracta jam paſſio eſt, & hominis fragilitate depoſitâ, poteſtas Chriſto ſempiterna ſucceſſit? Daniel quoque paria de eodem proferens ait: *Videbam ecce in nubibus cœli quaſi filius hominis venit uſque ad veterem dierum; qui aſſiſtebant obtulerunt eum, & data eſt ei poteſtas regia, & omnis terra, & genus, & omnis claritas ſerviet: & poteſtas ejus poteſtas æterna, quæ non auferetur: & Regnum illius non corrumpetur.* *Dan. 7. 13.* Hæc itaque Judæi audiunt & recenſent: noverunt iſta, nec tamen credunt Chriſtum, quem à patribus abjuratum non neſciunt: ſed neſcire ſe ſimulant, dum ita ſemper etiam in eâdem quam præferunt lege vixerunt, ut id quod labiis faterentur, corde ſimul & opere denegarent.

CAPUT VII.

APOLLONIUS.

Satis abundèque monſtratum eſt Reſurrectionem Dominicam, Aſcenſumque cœleſtem divinis teſtimoniis elucere, & iſta omnia ſpiritualibus fulgere documentis, ut etiam ſi admiſſi facinoris aliqua poſſint ignorantiæ excuſatione defendi, damnari præſentium incredulitatem veritas latiùs diffuſa compelleret; quia auctoritatem cœleſtium ſtatutorum actus denunciatæ humilitatis implevit, & ſubcreſcentium docet credulitas populorum. Pande nunc itaque cur legis veteris portio ſit reciſa, vel quæ antiquandorum priorum voluminum cauſa formam obſervantiæ juſtioris invexerit; cum & idem utrorumque ſit conditor, & eidem divinæ majeſtatis ſubſtantiam poſſidenti nec voluntas in ratione diſſentiat, & in præſcientiâ æternitas obſecundet.

ZACHÆUS. *Cur legis partem Chriſtus aboleverit.*

Fidelis ac vera profeſſio eſt utraque unius Dei cenſere præcepta, & per Moyſen traditam legem non abrogatam per Chriſtum, ſed impletam fateri, ipſo in Evangeliis ſic proteſtante: *Non veni legem ſolvere, ſed adimplere.* *Matt. 5. 17.* Olim enim Evangelicæ prædicationis promiſſa lex fuerat, Deo per Eſaiam ſic loquente: *Lex ex Sion prodiet, & verbum Domini ex Jeruſalem.* *Iſai. 2. 3.* Id eſt consummata juſtitiæ fideique

o *datus eſt morti*] Id in hunc locum annotavit Acherius: *Id eſt non quòd hominem ſe diceret, morti datus eſt:* ſed ut verum fatear, mihi quidem hæc interpretatio non placet. Hoc enim dicere videtur Zachæus, Chriſtum à Judæis idcirco eſſe morti datum, quod ſe Dei filium diceret, nec damnatum eſſe ut ceteros homines, cum eum nullius admiſſi piaculi inſimulatum Crux receperit: itaque in hunc convertit quæ ex numerorum libro ſuprà exſcripſit. Quod eo loco legitur *minus patitur*, non probat codex Lemov. in quo vox *minus* omiſſa eſt.

p *& dies lucis*] In alio codice *& in die lux.*

q *eſſe ante judicium*] Optimam lectionem hanc ſuppeditavit codex Lemov. nam in priori editione legebatur *ceſſante judicio*, quod vix ferri poterat. Infrà *penetrantes* maluimus, quàm quod in editis erat *penetrante*, & favet codex Vind. ex quo etiam infrà ſcripſimus *ſuſpenſioni ejus*, cum prior editio præferret *ſuſpenſione ei.* Eum locum Exodi quem Zachæus laudat, idem codex paulo aliter exhibet: nam in eo legitur *accipe agnum*, & *manducabunt eum nocte*; in Lemov. etiam *accipe.*

doctrina per Chriſtum in Eccleſiâ dignoſcetur. Et iterum Michęas: *Lex ex Sion prodiet, & ſermo Domini ab Jeruſalem: & judicabit inter plurimos populos, & revincet & deteget validas nationes.* Alioquin veteri lege jam traditâ, quæ alia niſi Evangeliorum nunciabatur addenda? De quâ per Jeremiam ſimiliter eſt loquutus: *Ecce dies veniunt; & conſummabo ſuprà domum Iſrael, & domum Juda teſtamentum novum. Non ſecundum teſtamentum quod diſpoſui patribus eorum, cum apprehendi manus eorum, ut educerem eos de terrâ Ægypti.* Id eſt mitiorem * in Evangeliis ordinabo, illaque erilabunt, de quibus ſcriptum eſt: *Dedi illis præcepta non bona, in quibus non juſtificabuntur in eis; ſed qui fecerit ea, vivet in illis.* Quædam ergo in lege idcirco ſeveriùs ſunt ſtatuta, ut rebellem populum atque aſſuetâ gentilitate laſcivum potiùs humiliarent, quàm attolli juſtificaturâ [r] permitterent, & velut quâdam cuſtodiâ diſciplinæ prætentis pœnæ terrore cohiberent, quos adhuc longè à ſæculi fine degentes, ſervare judicii interminatio tarda non poſſet. Hinc illud eſt: *Oculum pro oculo, dentem pro dente: Ne manducaveritis, ne contigeritis.* Hinc menſium obſervatio definita, neomeniarumque feſtivitas: hinc ſtatutum Sabbati iter, ac penè totis humanorum actuum rebus otio intercluſa libertas. Sacrari verò pecudum atque alitum victimas prima ratio conſuetæ abominationis exegit; quia arceri ab iiſdem repente non poterant, conſultius fuit paulatim abolenda reſpuere, quàm ſtatim inhibenda punire.

Mich. 4. 2.
Jerem. 31. 31.
Ezech. 20. 25.
Gal. 3. 12.
Dei conſilium in condendâ lege.
r
Lev. 24. 20.
Ibid. 11. 8.

Hæc autem alia & evidens ratio eſt, quòd licet Gentilium ritu hoſtias immolabant, Deo tamen docebantur offerre, quod præſtare idolis ante conſueverant, & multiplicis ſacrificii actibus occupatis ne cogitare quidem de tranſgreſſione ſpatium aut occaſio præbebatur, [ſ] cum & quod deſiderare poſſent, non auferebatur, ſemperque ſupererat quod explere devotionis intentio non * valeret. Denique mox audiunt Prophetam: *Quo mihi multitudinem ſacrificiorum veſtrorum dicit Dominus, plenus ſum: Holocautomata arietum, & adipem agnorum, & ſanguinem hircorum & taurorum nolo: nec ſic veniatis ante conſpectum meum: Quis enim exquiſivit iſta de manibus veſtris? Calcare regiam meam non apponetis. Si attuleritis ſimilaginem, vanum eſt: incenſum abominatio eſt mihi. Neomenias veſtras & Sabbata, & diem magnum non ſuſtineo. Jejunium & dies feſtos odit anima mea. Facti eſtis mihi in abundantiam. Non dimittam peccata veſtra.* Id eſt, non his piaculis crimina veſtra purganda ſunt, ſed quid eſſet in noſtro baptiſmate purificationis futurum propheticè demonſtravit dicens: *Lavamini, mundi eſtote.* Id eſt, cum illius viſitationis tempus advenerit, ſpiritalis lavacri Sacramenta ſectamini: *Et ſi fuerint delicta veſtra ut phœnicium, ut nivem dealbabo ea; ſi autem ut coccum, ut lanam candidam efficiam.* In phœnicio obſcuritas peccatorum, in cocco mens cruenta deſignatur. Talibus ergo per Chriſtum denunciata mutatio in melius verſa eſt, ac pro obſoletis pecudum atque alitum victimis cœleſte fidelium munus purâ oblatione celebratur, & contrà omnes inſidias infeſtantis inimici ſpiritalis ſacrificii admixtione munimur; & illud in aſſumptum hominem Dei Patris completur edictum: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Ubi ergo Evangeliorum tempus illuxit, ſolvit continuò gratia quos legis ſervitus retinebat, ſacroque Domini ore prædicatum eſt: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & invenietis requiem animabus veſtris. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde; jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Ne autem prædictarum vindictarum rigor maneret, & medelam ſalutaris pœnitentiæ incumbens reatui exitus raperet, ſequeſtrari judicio plectenda conſtituit, in Evangelio Dominus ita prædicans: *Mihi vindictam, & ego retribuam:* quoniam niſi emendatio juſta ſucceſſerit, nemo rectiùs vindicat, quàm qui in admiſſi probatione non fallitur.

ſ
Iſai. 1. 11.
Ibid. 1. 16.
Ibid. 1. 18.
Pſal. 109. 4.
Matth. 11. 28.
Rom. 12. 19.

Sic itaque & Sabbati abolitus torpor eſt, atque à bono opere nullum fidelibus tempus excluſum; ipſo in Evangeliis ſic loquente: *Quia licet Sabbatis bene facere.* Et, *quia Filius hominis Dominus Sabbati eſt.* Edendi præterea quæ conveniant facultas eſt attributa; quoniam ut ipſe teſtatus eſt: *Non coinquinant hominem quæ in os ingrediuntur; ſed ea quæ de ore exeunt.* Ita hæc omnia quæ cruciatui rebellibus erant, indultâ per Chriſtum libertate ſolvuntur, paucique à ſuperſtitione ceſſantibus [t] quæ verè * juſtitiam merentur adjecta ſunt; atque ideo inter exordia & plenitudinem fidei lex media ſubrepſit, quæ feras Judæorum mentes talium ſanctionum difficultate confringeret, & venturæ indulgentiæ gratiam ſuſcipi faciliùs perſuaderet, quam diuturnæ abſolutio ſervitutis, & exoptata olim libertas amabiliorem etiam incredulis reddidiſſet.

Matth. 12. 12.
Ibid. 8.
Ibid. 15. 11.
t

CAPUT VIII.

Apollonius.

NOn immerito in hujus cauſæ interrogatione proſpexeram aliquod divinæ providentiæ fuiſſe conſilium, ut hæc rudis populi permiſſa primordiis velut profutura ac placita juberentur, quæ aboleri poſtmodum conveniret. Quid rogo in Circumciſione hiſdem Judæis ſanctificationis aut meriti eſt, quod eâ ſibi etiam nunc in vicem baptiſmatis blandiuntur, quam in ſignaculum tantùm electæ ſobolis conſtitutam præcedentis libelli tenore ſignaveras? Et procul dubio clarum eſt eos juſtitiæ præmiis carituros, ſi in hac tantùm corporis imminutione fidentes totius ſpei documenta componant, quos rejectâ carnis injuriâ gaudere potiùs merentis ſancti Spiritûs muneribus oportebat.

Zachæus.

Rectè recolis prioris libelli hujuſmodi expoſitionem fuiſſe, in Circumciſione carnali ſignaculum fidei non ſtatum fuiſſe juſtitiæ, Scripturâ memorante: *Et dixit Deus ad Abraham: hoc Teſtamentum meum ſervabis inter me & vos; tu & ſemen tuum tecum. Circumcidetur omne veſtrum maſculinum, & circumcidetis carnem præputii veſtri. Et erit in ſignum teſtamenti inter me & vos.* Hanc uſque ad Chriſtum carnaliter [u] cuſtoditam Jeſu Nave actus ſubſequens probat, qui poſt exceſſum eremi in quâ iidem Judæi quadraginta vixerant annis, nec quiſquam huic fuerat ſubjectus injuriæ, quia in ſolitudine

* De circumciſione.
Gen. 17. 10.
u

r *attolli juſtificaturâ*] Sic cod. Vind. & alius quem viderat Acherius, à quo tamen editum eſt *juſtificaturi*. Suprà, *id eſt mitiorem in* nonnihil deeſt, quod niſi mſſ. ope reſarcire non poſſumus.

ſ *occaſio præbebatur*] Ita repperimus in cod. Vind. ex quo etiam infrà ſcripſimus *intentio non valeret*. In editis *præbeatur.... intentionem valeret*, malè.

t *à ſuperſtitione ceſſantibus*] Vix adducor ita ſcriptum eſſe à Zachæo; cum enim dicere voluerit pauca quædam eſſe abrogata, in quibus nonnihil eſſet ſuperſtitionis, eam ſententiam non malè exprimi arbitror ſi ſcribas *ob ſuperſtitionem*; ſed eamdem in vulgatâ lectione an quiſquam agnoſcere poſſit, haud ſatis ſcio. In Lemov. deinde legitur, *quæ veram juſtitiam*, fortaſſe meliùs.

u *carnaliter cuſtoditam*] In cod. Vind. & Lemov. *rationabiliter cuſtoditam*. Haud ita multo poſt in Vind. & in alio codice quem Acherius viderat, *Jeſus enim ille verbo, nejer & facto*.

permixtio extraneorum non erat populorum, plebem ſignare præcipitur, atque interdicto patribus more, Jordanem tranſiturus cognitionem avitæ credulitatis imponere, Scripturâ dicente: *Et ait Dominus ad Jeſum Nave, fac tibi cultellos petrinos, & ſedens circumcides ſecundò filios Iſraël.* (Joſ. 5. 2.) Iſtud quidem & ſecundum literam contigit, ſed in nos magis propheticâ interpretatione porrectum eſt. Jeſus enim ille ſed vocabulo tantùm, * noſter & facto, Angelo ad Paſtores in Evangelio nuntiante: *Natus eſt*, inquit, *vobis hodie Salvator, quem vocabitis JESUM: Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* (Luc. 2. 11. Matth. 1. 21.) In ſecundis autem filiis gentium intelligitur populus, & in abſciſionibus petrinis Evangelicæ conveniunt diſciplinæ. Unde Moyſes primùm talia prophetavit dicens: *In noviſſimis diebus circumcidet Deus cor veſtrum, & cor ſeminis populi tui* [x] *ad amandum Deum veſtrum.* (Deut. 30. 6.) Hieremias perinde non carnem circumcidendam ſed corda denuntiat dicens: *Circumcidite vos Deo veſtro; ſed & circumcidite præputium cordis veſtri.* (Jerem. 4. 4.)

Baptiſmi neceſſitas.

Dominus autem in Evangelio Principi Judæorum evidentiſſimè proteſtatur, nullum penitus ſine lavacro ſpiritalis aquæ poſſe ſalvari, aut poſſeſſionem regni illius adepturum; ait enim: *Amen, amen dico tibi,* * *niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto, non videbit regnum Dei.* (Joan. 3. 5.) De quo tamen per Eſaiam ante prædixerat: *Nolite priora meminiſſe, & antiqua nolite recordari. Ecce nova facio quæ nunc orientur: & cognoſcetis ea: & faciam in deſerto viam, & flumina in loco inaquoſo, adaquare genus meum electum, & plebem meam quam acquiſivi ut virtutes meas exponeret.* (Iſai. 43. 18.) Et iterum; *Si ſitierint per deſertum, adducet illis aquam de petrâ, findetur petra & fluet aqua, & bibet plebs mea.* (Num. 20. 8.) Et tertiò: *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* (Joan. 7. 38.) Itaque ſecundum Apoſtolum, *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum Dei.* (1. Cor. 7. 19.) Quæ in fide Evangelicæ credulitatis impleta; gratiaque baptiſmatis, non nunc etiam [y] ſicut ante aut populum ſignat aut ſexum: ſed injuriam carnis in ſignaculum ſpiritale convertens, nec ſexum excipit, nec gentem ſecernit; atque in ſe omnes æqualiter ſalvans præputium in vitiis reputat, & circumciſionem tradit in moribus; quia id quod veræ ſanctificationis eſt in fide dignoſcitur, quod * manifeſtæ fidei, operibus juſtitiæ non injuriæ corporis deputatur.

CAPUT IX.

APOLLONIUS.

Hujus quoque diſpenſationis ſicut acceperam certa probatio eſt, & Judæorum vana præſumptio, qui reputandum ſibi pro munere baptiſmatis credunt, quod pro temporis ratione præceptum, non ſtatum fidei, ſed notitiam generis cuſtodivit. [z] Quid Patriarchis juſtitiæ merita retinentibus, quam ob cauſam habere in conjugio conventuque plures licuit? Nec in peccatum Deo utique ſciente [a] reputatum eſt, quod nunc ita inhibetur & plectitur, ut non ſolùm Dei dignum æſtimetur offensâ, ſed ultione hominum æquiſſimum * judicetur.

ZACHÆUS.

Cur Judæis plures ſimul uxores ducere licuerit.

Multiplex quidem apud plures licentiæ iſtius cauſa eſt, ſed hæc præcipua fuiſſe credenda, ut perfectionis ordine ſequeſtrato, Dei primùm credulitas fundaretur, & fidem potiùs ſtabilire contendens lex illata non tolleret, quod fieri velut innoxium repeririſſet, eaque tantùm ſignarentur illicita quæ verè mortalia credebantur. Inde Abrahæ fides pro juſtitiâ reputata eſt, & devotio ceſſit ad merita, Scripturâ dicente: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* (Rom. 4. 3.) Deinde quòd plebem exiguam divinitas fovens, gaudere voluit ſucceſſionibus numeroſis, ut præ cæteris augeretur quam præ cæteris [b] diligebat, & maledictum legis effugeret, cui ſemen in ſobole ſubſtituiſſet. Sed excuſatio cunctis iſta communis eſt, & non paucorum cauſa, ſed populi: Patriarchis verò extrinſecus æſtimatur; nam promiſſum ex ſemine ſuo Chriſtum dum ſibi quiſque crederet proventurum, & oriundum adhuc abſque ſemine non legiſſent, tantæ ſobolis amore ferventes conjugia adiere multarum, infirmiſſimum judicantes uni tantùm matrimonio ſpem ſublimiſſimi germinis deputare. His enim Dei verbis Abrahæ primùm ejus facta promiſſio eſt: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* (Gen. 22. 18.) Pari propemodum Patriarcha Jacob honoratus eloquio, Domino ad eum loquente: *Ego ſum Deus tuus: creſce & reple gentes, & Eccleſiæ Gentium erunt de te, Reges de lumbo tuo exibunt: & terram quam dedi Abrahæ & Iſaac, tibi dabo eam & ſemini tuo poſt te.* (Gen. 35. 11.) David autem in ſpiritu planiùs ſibi hæc promiſſa commemorat dicens: *Juravit Dominus David, & non pœnitebit eum: de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* (Pſal. 109. 4. Ibid. 131. 11.) Similis per Eſaiam promiſſionis iſtius ordo ſervatus eſt; ait enim: *Exiet virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus* [c] *aſcendet: in ipſo gentes ſperabunt.* (Iſai. 11. 1. Ibid. 10.) In virgâ MARIÆ venerabilis monſtratur integritas; in odore floris & gratiâ ſignatus eſt Chriſtus, ipſo in Canticorum Canticis hoc docente: *Ego ſum flos campi, & lilium convallium.* (Cant. 2. 1.) Ergo hæc avidorum vota ſimplicia, Domino per Eſaiam loquente, mollita ſunt, dum in ſalutem humani generis per occaſionem ſigni virginalis partus oſtenditur, Propheta ad Achaz promiſſionem muneris iſtius ſic loquente: *Ecce dabit Dominus ſignum. Virgo concipiet & pariet filium.* (Iſai. 7. 14.) Ecce tertia. *

Prima ergo eſt cauſa, quòd non vetitis ſimpliciter ſunt abuſi, miſſiſque in numeroſam ſobolem ſtudiis augeri inſipientem [d] populum divinitas voluit. Hæc deinque inſuper juncta, quòd ex genere ſuo Chriſtum promiſſum tamdiù ſibi eventurum acceſſione * multiplicis matrimonii incauta ſanctorum deſideria putaverunt, donec ex virgine naſciturum prædicatio continentiæ jam vicina revelaret, & idem ſenſim ſalutis noſtræ Reparator & Conditor creſcente juſtitiâ impleturus afferret quod olim per du-

x *ſimilis populi tui*] In alio codice *ſeminis populi tui.* Infrà ex codice Vind. ſcripſimus *amen dico tibi*, cum editis legeretur *vobis.*

y *non nunc etiam*] Sic codex Vind. ſed vox *circumciſio* deinde addenda eſt ſic, ut legatur *non nunc etiam ſicut ante circumciſio*: in editis *nonnunquam* malè: Acherius conjecit, *non nunquam.* In fine *quod manifeſtæ fidei*, optima lectio codicis Vind. contrà prioris editionis *quæ manifeſtæ fidei*, peſſima.

z *non ſtatum fidei .... cuſtodivit*] Sic codex Vind & alius quem Acherius viderat, emendatè: in textu prioris editionis *non ſtatutum fidei .... cuſtodiunt*, corruptè. Superiori capite, *in ſignaculum fidei, non ſtatum ſuiſſe juſtitiæ.*

a *Deo utique ſciente*] Hic ſecundi verbum aliter accipitur ac vulgò ſolet, nimirum ut *ſcitum* in illâ voce *plebiſcitum.* Infrà *ultione hominum æquiſſimum*, ultima vox adſcripta è codice Vind. & Lemov.

b *augeretur quam præ cæteris*] Hæ voces quatuor additæ è codice Vind. In Lemov. cætera quidem ut in Vind. ſed in eo habetur, *quos præ cæteris diligebant.*

c *de radice ejus*] Poſtremam voculam addidimus, ſequuti authoritatem codicis Vind. Infrà in eodem *pariet filium & cætera*: ſed quanto meliùs codex Lemov. *Ecce tertia*, nimirum cauſa cur Patriarchis plures uxores ducere licuerit. Hæ duæ voces in editis omnino deerant.

d *augeri inſipientem*] Hunc locum ob errorem amanuenſis vitiatum credo. Infrà *acceſſione multiplicis* habent codd. Vind. & Lemov. ubi prior editio *acceſſione.*

penſationem immaturi temporis diſtuliſſet.

CAPUT X.

APOLLONIUS.

QUantum reor, & patere omnium intellectibus credo, à cunctis ſævioris concupiſcentiæ ſuſpicionibus Sanctorum ſimplicitas abſoluta eſt, præcipuè cum explorator mentium Deus prærogativam juſtitiæ talibus non dediſſet, ſi id quod prohibitum pro diſpenſatione non fuerat, præſumptum injuriâ comprobaſſet. Sed exactis, ut jam videtur, cauſis interrogatio inopina ſubrepſit, quæ fuerit gentium ſpecialis offenſa, quæ tot ſæculis ac temporibus abjectas à Dei informatione repulerit, & nunc ſpe æternorum munerum provocatas amplectatur ac doceat, Judæis penitùs à gratia Dei pulſis, quibus & in legis ſuſceptione uſus anterior, & in electione ſors prima eſt.

ZACHÆUS.

Cur antea Gentiles, deinde Judæi à verâ religione aberrarint.

Nullum à principio credentium Deus repulit, nec prius Creatori ſuo diſplicuere Gentes, quàm beneficiorum illius & ſuæ conditionis oblitæ pro ejus reverentia vel honore inſenſibiles colerent creaturas, ac ſimulacra hominum & pecudum venerantes, his meritò ſimiles redderentur, quæ ſibi, cum potiores à Deo facti eſſent, prætulerunt; Scripturâ memorante: *Simulacra Gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Similes eis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Similiter & Salomon: *Homo fecit eos, & qui ſpiritum mutuatus eſt, finxit illos.* Nemo autem hominum ſimilem ſibi poterit Deum fingere: cum ſit mortalis, mortuum fingit manibus iniquis; melior eſt ipſe his quos colit, quoniam ipſe vixit, illi verò nunquam. Et iterum attendentes opera, non noverunt quis eſſet artifex; ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut aërem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, aut Lunam rectores orbis terrarum Deos putaverunt. Cum ergo totius ſpei fiduciam, neglecto Creatore, in talibus collocaſſent, mercedem proprii operis perceperunt, ut ſuâ ſponte in omne immunditiarum genus ruentes alienæ ab informatione Dei fierent, quæ ſolis vitiis ſerviebant, demerſæque criminibus non priùs viam adipiſcendæ immortalitatis agnoſcerent, quàm Mediatori Dei & hominum credidiſſent: unde in Deuteronomio ſcriptum eſt Synagogæ Eccleſiam ex gentibus præferendam: *Erit iſte,* inquit, *gentes in caput: incredulus autem populus in caudam.*

Pſal. 113. 4. ibid. 8. Sap. 15. 16. Deut. 28. 44.

Judæis autem quamdiu fides & juſtitia viguit, Dei quoque ab his dilectio non receſſit, ipſo per Eſaiam in Canticis proteſtante: *Cantabo nunc dilecto canticum dilecti vineæ meæ.* Querela in Cantico, dilectus in Chriſto eſt; Vinea, Synagoga: hoc enim & in conſequentibus ait: *Et nunc homo Juda, & qui inhabitatis Hieruſalem, judicate inter me & vineam meam: Quid faciam vineæ meæ quod illi non fecerim ei? Vinea enim Domini Sabaoth domus Iſrael eſt.* Homo Juda, Salvator ut ſuprà: hi autem qui habitant Hieruſalem, quorum pes [e] in Eccleſiæ fide currit. Itaque inter ſe ac populum Judæorum velut pari conditione Dominus hortatur agnoſci. Quid enim adhuc mirabilium ac beneficiorum præſtare poſſit, quod ante [*] non factum ſit: cui ex Ægypto gravilliſſimæ liberatio ſervitutis, & abſolutæ à copioſo manus: cui innumera in Pharaonem atque omnes Ægyptios ſigna, ſicut in columnâ nubis & luminis die ac nocte viſibile præviæ divinitatis auxilium, & à perſequentium impetu impenetrabilis diſcretio tenebrarum? Inaudita præterea pelagi fuga, & contrà inſiſtentium violentiam defenſio præliantis elementi; manna in eremo, & ſine decoris ac veſtium detrimento diuturnæ uſus ætatis: expulſio perinde gentium vi ac numero imparibus [f] præſtita, atque in poſſeſſionem affluentis terræ hæreditas conſtituta. Quid objurgatio ſæpe incruenta peccantibus, & abolita paucorum animadverſione tranſgreſſio, remiſſæ peccantium neces, ac penè [*] in abuſionem donantis redacta aſſiduitas lenitatis.

Iſai. 5. 1. ibid. 3. ibid. 7.

Tantis igitur debacchantis perfidiæ malis quid adjici potius potuit [g] in medelam, quàm ut in remedio pereuntium ex utriuſque & ſancti Spiritûs voluntate Dei Filius mitteretur, qui fragilitatis noſtræ materiam dignatus aſſumere totum in Deo ſuſciperet hominem, ut & totum ſi crederet, in ſuâ adoptione ſalvaret? Sed reſtabat incredulis, ut in illos eorumque nunc poſteros ſententia compleretur: *Oculis videant & non videant: corde intelligant & non intelligant; auribus audiant & non audiant: ne quando convertantur, & ſanem illos, dicit Dominus.* Et iterum: *Væ genti peccatrici, populo pleno peccatis, filiis ſceleſtis.* Et tertiò: *Derelinquetur filia Sion ut tabernaculum in vineâ, & ſicut caſa cuſtodiaria in cucumerario; & ſicut civitas quæ expugnatur.* Quæ à ſe olim per Prophetam dicta confirmans, in Evangelio Dominus approbavit dicens: *Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas miſſos ad te: quoties volui congregare filios tuos ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas ſuas, & noluiſti! Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Id eſt quæ Dei erat habitatio ante, nunc dæmonum eſt: quia quidquid religio vera deſtituerit, ſuperſtitio prophana ſibi vindicat.

Iſai. 6. 10. Iſai. 1. 4. ibid. 8. Matth. 23. 37.

Ubi ergo Judæorum perditio in Chriſti internecione completa eſt, credulitati gentium fides patuit promiſſorum: & ſicut ab initio non generis dignitati, ſed meritu fidei ſalus magna promiſſa eſt, Domino ſic docente cum ſe iidem Judæi pro totius fidei probatione Abrahæ filios eſſe jactarent: *Vos,* inquit, *de diabolo patre nati eſtis, & opera illius facitis. Si enim Abrahæ filii eſſetis, opera illius faceretis.* Id eſt, fides in vobis ſimilis appareret; & ſicut ille in omni humanæ hæſitationis difficultate mihi credidit, pari & vos manſuetudine crederetis. Hanc tamen eorum cordis duritiam manere quidem pro ſui miſeratione divinitas non vult, ſed exiſtere pro eorum incredulitate permiſit, ac ſecundum Apoſtolum: *Ex parte in Iſraël cæcitas contigit, ut fides gentium ſubintroiret.* Itaque ad obtinenda æternitatis bona nec Judæis prærogativa generis ſufficit, niſi & fides origini ſuffragetur, neque rurſum ſola eorum non ſalvat offenſa, niſi præfati humiliatorum pariter vereamur exemplum; & unam in Chriſto atque indubitabilem viam utrique populo patere credentes, intemerata fidei dona teneamus; ſicut in Evangelio ipſe nos docuit dicens: *Ego ſum via, & veritas, & vita. Nemo vadit ad Patrem niſi per me.* Et, *Qui crediderit in me hic ſalvus erit.* Id eſt, ut ſicut unus Deus, ita unus credentium populus Creatoris in perpetuum ſerviat voluntati: cultumque non reſpuat, dum neutram partem Dei juſtitia deprimens, abſolvi lætatur in confeſſione credentes, quos incre-

Joan. 8. 44. ibid. 39. Rom. 11. 25. Joan. 6. 14. ibid. 6. 47.

e *quorum pes*] Sic codex Vind. emendatè: prior editio, *quorum ſpes*, corruptè. Infrà idem codex & Lemov. *quod ante non*, antea legebatur quod *certe non*.

f *imparibus præſtita*] Edita *in patre no*, peſſimè: codd. Vind. & Lem. *in paribus*, & ipſi malè: haud dubium quin veram lectionem exhibuerimus hîc, perinde atque iſta ubi editum erat *ac pene in abuſionem*.

g *potius potuit*] Sic codd. Vind. & Lemov. prior editio *præterquàm potuit*.

dulitas

dulitas in auctoribus prædamnavit.

CAPUT XI.

Apollonius. Multa eſt Judæorum vecordia ſi tam perſpicua neſciunt, damnabilior contumacia ſi intellecta contemnunt: ſed ſive ignorent ſeu intelligant & recuſent, alieni à crimine eſſe non poſſunt, quibus aut negligentiæ præjudicium in abuſione, aut reatus in incredulitate ſubeundus eſt. Hos igitur perditioni ſuæ, ſi hoc tamen eligunt, derelinquens, hæreticorum genera proprietateſque [h] mihi pande, ut in fide tamquam in immobili rupe ſiſtentem, cum infeſtare fluctus perfidiæ cœperint, præcogniti ante non moveant. Nam licet ſimplicis animi fore credam horum pravitates erroreſque neſcire, munitioris tamen fidei eſt pro cautione cognoſcere.

Zachæus. Tantæ hæreticorum ac tam innumeræ peſtes ſunt, ut eos non ſolùm enumerare difficile, verùm etiam nominare deforme ſit; ita miſeros evidentium pravitatum deteſtanda traditio à fide avertendo cæcavit, ſic denique in ſenſus pereuntium ſubtilitas ſe diabolicæ fraudis immerſit, ut etiam hæretici hæreticos habere ſe credant. Hi itaque traditionem Apoſtolicam relinquentes, magiſtros perfidiæ ſunt ſequuti, & nomen religionis mutavere cum ſenſu. Prout enim cuique libuit plebem inſciam fallendo ſeducere, ac ſibi honorem parare de crimine, Deum aut ex parte credendum docuit, aut penitùs abnegandum: habentes præterea Chriſti nomen, proprio nuncuparunt [i], ut quoquo pacto à ſacrilegio non abeſſent, qui Chriſti nomine derelicto religionis vocabulum ex homine ſumſiſſent. Quid enim intereſt ab idolo an ab homine vocabulum accipiat, qui vocari Chriſtianus deſiſtit? Ex illo igitur hæreſis unaquæque nunc dicitur, quo auctore tranſgreſſa eſt, & in tantum proprietate criminis delectantur, ut nec ſic quidem intelligant ſe ab unitate religionis abſciſos, quòd fidem etiam in nomine perdiderunt.

Varios recenſet hæreticos. Ex Manete itaque Manichæi, ex Marcione ſimiliter alumna plebs nominis: Photinus ſuos etiam vocabulo dividit: Sabellius perinde appellari ex ſe conventûs ſui exigit partem: Patripaſſianis error nomen impoſuit; & in diaboli hæreditate arctem Arius tenens ex ſe gregem nuncupat perditorum. Innumera præterea talium prodigiorum portenta dicuntur, quæ ſtultitiæ vilitas etiam reprehenſione indignos facit: prædictorum tamen impietati velut in appendicem connexi, impugnare Eccleſiam Chriſtumque non deſinunt. Sed quia ſemper nihil eſt validius veritate, eliſis undique fluctibus magnæ molis pondus immobile eſt, & ictibus propriis infeſta franguntur, dum ad hoc tantùm perfidorum conſurgit intentio, ut à ſe invicem diſcrepantes, fidem noſtram dum deſtruere ſinguli cupiunt, aſtruant univerſi.

Quæ Manetis hæreſis. Manichæus enim duos eſſe aſtruit Deos, duoque principia, quorum alterum bonum, malum credi alterum voluit; bonum ſcilicet, qui ſeveritatem veterum præceptorum Evangelii editione molliverit: malum, qui hunc fecerit mundum, & per Moyſen ac per Prophetas cæteros ſit loquutus. Humani generis inſuper Redemptorem non veritatem aſſerunt carnis habuiſſe, ſed ſpeciem.

Quæ Marcionis. Marcion verò ſecundum divinitatem Dei Filium confitetur, ſecundum hominem negat. Porrò Photinus ex tempore aſſumpti de MARIA hominis Filium Dei dicit, ante tempora non eſſe confirmat. Sabellii. Sabellius cum perfidiâ, quâ in Dei Filium blaſphemat ut cæteri, etiam ſanctum Spiritum diffitetur, & in Patre tantùm veritatem Deitatis [l] aſſumit. Patripaſſiani. Patripaſſianus eſſe quidem aſtruit Patrem, ſed ipſum mox eſſe ſibi Filium, atque eumdem ab innatâ ſubſtantiâ [m] in nativitatem, paſſionemque deſcendere; ſanctum perinde Spiritum etiam in perſonâ eumdem eſſe, non tertium. Scandit Arius ſublimia ruiturus ad ima, & Trinitatem in perſonis ac nominibus confitetur, ſed unitatem divinitatis excludit, Dei Filium, per quem omnia ſunt creata, creaturam ſtatuens non Creatorem: appellationi præterea nominum gradus adjicit dignitatum [n], humiliorem faciens in honore, quem poſterius loquatur in nomine.

Iſtæ ſunt principales hæreticorum ſectæ, & tam funeſtæ humanitus perſuaſiones in dogmata diverſa rapiuntur, ut ſubſtantiam indiſſociabilis Dei ſimplicem, & divinitatis ineffabilis majeſtatem aut interpretationibus dividant, aut gradibus exhonorent, cum & quæ indigna ſunt de Deo fingunt, & quæ ei ſempiterna vel propria, diffitentur.

CAPUT XII.

Apollonius. Æſtimari ab his haud dubiè poteſt, quas haberi principe loco dicis, quales illæ hæreticorum ſectæ ſint, quæ condemnari etiam à talibus poſſunt. Verùm quoniam ut ſponſione propoſiti eſt exemplis cuncta firmari, quibus tandem Scripturis has perfidiæ diviſiones graduſque condiderint, quove intellectu ad hæc præcipitia ſint deducti, interpretationum qualitatibus pande. Ego enim licet nondum quid ab his obtendatur audierim, errare tamen miſeros incunctanter adverto, & ſolam Catholicæ fidei integritatem manere, dum plenitudinem Trinitatis atque ejus ſpiritalia conſtituta & probata non renuit, & ſuſcepta cuſtodit.

Zachæus. Si rectè de malis meliora dici poſſint, profectò veniabilius videretur neſcire Deum, quàm impiè confiteri: ſed quoniam hi quoque ſtatutorum cœleſtium damnantur edictis, qui Deum per legem ſcire neglexerint, eadem perfidos credere detrectantes malorum perennium amplexura conditio eſt, Scriptura memorante: *Qui ignorat, ignorabitur. Qui ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt.* (1. Cor. 14. 38. Rom. 2. 12.) Meritò hos euſdem Antichriſtos vocans, qui veram religionem latenti perfidiâ deſtruentes, ut fidem faciliùs impetrent, Deum credere ac prædicare ſe ſimulant. Jamque primus Manichæus nefas propriæ traditionis ingreſſus, ut duos aſtruat Deos duoque principia, ex ſcripturis fidelibus auctoritates eligit infidelis, Davidicum maximè illud aſſumens, quo ait: *Tecum principium in die virtutis tuæ.* (Manichæi confutantur. Pſal. 109. 3.) Non intelligens in Verbo eſſe principium quod verè manens prædicatur in

h *genera proprietateſque*] Sic codex Vind. editi *genera erroreſque*. Haud ita multo poſt ubi legitur *ut etiam hæretici*, &c. in eodem codice, *ut jam nec habere hæreticos ſe credant*, minùs rectè. Vide initium cap. ſeq.

i *proprio nuncuparunt*] Codex Vind. *proprio, ut eſt Ario, nuncup.* Lem. *ut eſt Ario*, ſed hoc mihi gloſſema videtur quod è margine in textum irrepſit. Statim *à ſacrilegio non abeſſent*, benè quidem, ſed ne id quidem malè quod eſt in codice Vind. *à ſacrâ religione abeſſent*.

l *tantùm veritatem Deitatis*] Sic codex Vind. & quidem haud paulo melius quam prior editio *tantum ac Filio ſacramentum veræ trinitatis*, cum ille trinitatem agnoſcere non potuerit Sabellius, ubi duas duntaxat eſſe perſonas contendebat.

m *ab innatâ ſubſtantiâ*] Sic codex Vind. emendatè, in editis *ab unitâ*, corruptè, nec melius in codice Lemov. *ab unitâ*. Acherius in margine ſcripſerat *ab ingenita*, ex codice quodam, an quod ſic legendum eſſe conjecerat? Idem monet in codice S. Arn. ſcriptum *ſubſiſtentiâ*, quod non placet.

n *gradus adjicit dignitatum*] Ita ſcriptum in utroque cod. Lem. & Vind. malè in editis *gradus adjicit dignitatem*.

Chriſto: diem autem virtutis diem paſſionis & judicii mox futuri; omnemque divinitatem non in duobus, ſed in Trinitate compleri. Aiunt præterea malum eſſe qui hunc fecerit mundum, quia ſcriptum ſit: *1. Joan. 5, 19.* *Mundus in maligno poſitus eſt.* Non hæc quæ cernimus elementa ſunt noxia, aut mali aliquid vel gignere vel habere credenda ſunt, quæ Dei operatione diſpoſita valde cum facta ſunt placuerunt, Scripturâ dicente: *Eccli. 39. 21.* *Ecce omnia bona valde.* Sed in malignitate iniquitas noſtra, in mundo genus deſignatur humanum, Johanne dum de adventu Salvatoris prædicat, hoc docente: ait enim: *Joan. 1. 11.* *In hunc mundum venit, & mundus eum non cognovit.* Si diverſum [o] Evangeliorum ac legis aſſerunt conditorem, quoniam in lege ultio præſens, in Evangeliis veniæ locus datur: lex quidem vitem poſcit injuriæ, & parem conditionem ſancit amiſſi; Deus tamen *Nahum 1. 9.* *Non vindicat bis in idipſum:* & expenſa in corpore pro admiſſi qualitate ſupplicii[*] mitioris, ut credimus judicii ſorte penſanda ſunt. Iſthic autem ſatisfactioni quidem tempus admittitur, ſed niſi dignus pœnitentiæ fructus & opera ſubſequantur, æternus ignis eſt vermiſque perpetuus; Domino hiſdem in Evangeliis proteſtante: *Iſa. 66. 24.* *Quorum vermis non morietur, nec ignis extinguetur.* *Mat. 8. 12.* *Ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Non ergo alius in Chriſto Deus, aliudque principium, ſed idem latæ olim & nunc ſimplicæ auctor eſt legis; nec malus in Trinitate quiſquam quia unus dicitur bonus, ſed cum in uno Deo divinitatis unitas expetatur, eadem neceſſe eſt bonitatis unitatemque æqualitas intimetur, cum & in lege cuſtos juſtitiæ ſeveritas non malitia ſit putanda; & in Evangeliis abſque juſtitiâ bonitas non credenda.

His præterea illud adjiciunt, non veram in Chriſto carnem fuiſſe, ſed ex neſcio quâ re [p] vel fluento frivolam ſpeciem pro homine demonſtratam. Quid ergo univerſa prædicatio Prophetarum de corporali ejus nativitate præmonuit? Quid diverſis vicibus Angeli ſunt loquuti? Johannes deinde fortaſſe non nullus eſt, aut illa ad eumdem Dei Patris falſa ſententia eſt: *Malach. 3. 1.* *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam?* Quid denique intrà Beatiſſimam Virginem infuſio ſancti Spiritûs fecit? Cur non in abolitionem ſecundum prædictos tumentis uteri tempus exceptum eſt? Ubi integra felicis puerperii ſigna, & partus matrum omnium conditione ſublimior? Infans in præſepibus vagiens, ætate & ſapientiâ puer creſcens, atque inter electos ſeniorum cœtus divinorum intellectuum diſputator? Quid rogo impietas flagitioſa non diceret, ſi hæc fundator ſalutis omnium non egiſſet: ſi deſpiciens prædicantem, & opinionem tantum originis non myſterium veræ nativitatis intelligens incredula Judæorum turba illuſiſſet, dicens: *Mat. 13. 55.* *Nonne hic eſt filius Joſeph fabri, & mater & fratres ejus nobiſcum ſunt?* Veri ergo hominis gradus iſti ſunt, & annorum communium certa provectio, Evangeliis ſic proteſtantibus: *Luc. 2. 52.* *Proficiebat JESUS ætate & ſapientiâ & gratiâ apud Deum & homines.* Meruit ergo eſſe quod natus eſt, qui juſtitiâ & vitæ puritate Deo placuit, manſuetudine & humilitate conſortibus. Adde uſum corporis manifeſti; & licet in vitâ immutabilis ſanctitatis, [q] humanæ tamen infirmitatis natura præſidio indiget veſtium; eſurit, ſitit, mœret, quieſcit, dolet perinde, atque in fletum movetur, neque ullum ulterius actum aut ſpernit aut præterit; quin etiam ſpiritalibus dolis tentatur & vincit, & hoſtis ſui profeſſione, an ſit idem Dei Filius exploratur. Hunc in exhortationem victricis conſtantiæ Angeli miniſtraverunt; hic traditus oſculo, tentus ac paſſus eſt: & ſi probari verum hominem infelix perfidia ſibi velit, clamantem de Cruce priuſquam moreretur audiat: *Pſal. 21. 2.* *Deus, Deus meus quare me dereliquiſti?* Ubi enim humilitas & injuria eſt, hominem intelligas: ubi virtus & divinitas, Deum credas, Apoſtolo ſic docente: *2 Cor. 5. 19.* *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.*

Ecce enim infirmus ac ſubditus ſtatuto Apoſtolis loco ſicut prædixerat, tertiâ die reſurgens vix credendus ſtupentibus redit, tractuſque inferi faucibus cœlo ſedem locaturus apparuit. Gratias tibi Thoma, qui unus ex omnibus tardiùs credidiſti, qui clavorum loca palpans & totius paſſionis indicia flagitans, probari tibi confidenter expoſtulas, quod erat quandoque à perfidis denegandum. Profectò facilius incorporeum rediiſſe contenderent quem ſine corpore vixiſſe confingunt, ex hoc fallaciæ ſuperioris ſuffragia colligentes, quòd mare pedibus ſupergreſſus ſit, quòd manentia improviſus clauſtra penetrarit, atque exceptus nube fulgenti paternum ſolium iterum venturus aſcenderit. Qui Petrum jubente eodem in fluctibus ambulaſſe non neſciant, & cadentibus ſponte vinculis emiſſum cuſtodia carceris per Angelum non ignorent: Paulum verò ut invidiam vanitatis effugeret, in corpore an extrà corpus, ſub Dei tamen ſcientiâ uſque ad cœlum tertium iiſſe fateantur: Heliam denique curru igneo fuiſſe ſublatum, & aſpicientes relinquentem Prophetas inauditum homini iter ſubiiſſe commemorent. Qui nunc in Dei Filio virtutes hujuſmodi non credentes, dum ſacramentum veræ incarnationis abjurant, actumque diſſimulant, & hominem nolunt habere quod meruit, & Deum non credunt potuiſſe quod fecit.

CAPUT XIII.

Apollonius.

Patuit ſictæ hujus impietas, & manifeſtè execrabilis damnanda perſuaſio, quamvis in exordiis narrationis inſpecta ſit, de propriis tamen eſt facta ſignatior: conſequens nunc eſt, ut quæ ſit aliarum in ſuâ traditione perverſitas, vel quam defenſionem objiciat ſingularum modum ſervaturus edoceas; quia ſpeciatim ordinata diſtinctio confuſionem intellectibus derogabit, dum expoſitionum luce fit clarius, quod errorum tenebris involutum lumen ſemper refugit veritatis.

Zachæus. *De Marcionitarum hæreſi.*

Intimatum eſt ſuperiùs Marcionitas ſecundum divinitatem Dei Filium credere, ſecundum hominem refutare: Photinianos è contrario, ex tempore terrenæ nativitatis Dei Filium dicere, ante tempora diffiteri. Vide concertationum perfidiarum in unâ colluctione veritatem: ſimul quod in toto eſt neuter confitetur, & quod ſimul in toto eſt uterque non tenuit. Deterum Filius in Verbo ante omnium ſeculorum creationem natus ex Patre, de ſempiterno ſempiternus, verus ex vero eſt. Neque in eo aliud poteſt eſſe quàm id quod ſemper in Patre eſt, ipſo in Evangeliis hoc docente: *Joan. 16. 15.* *Omnia quæcumque habet Pater mea ſunt.* Et tamen non ita ab eo velut ſoli propria vindicantur, ſed ita communia, ut in ſingulis plena. Et iterum: *Ibid. 8. 56.* *Abraham vidit diem meum & lætatus eſt.* Et, *Ibid. 58.* *Ante Abraham*

o *ſi diverſum*] Ita edidimus è codice Vind. in editis *ſic diverſum.* Haud ita multo poſt ubi ex eodem ſcripſimus *qualitate ſupplicii*, antea legebatur *ſupplicia*, ſic ut ea vox referretur ad *expenſa*, fortaſſe non malè.

p *ex neſcio quâ re*] Sic uterque codex Lem. & Vind. prior editio *ex neſcio quo aere.*

q *immutabilis ſanctitatis*] Hic in codice Vind. legitur, *inæſtimabilis ſanctitatis.* Infra ubi *audias: Deus*, antea legebatur *audires.*

ego ſum. Dicitur perinde ad Patriarcham Jacob: [Geneſ. 35. 1.] *Fac illi Deo altare, qui tibi apparuit cum fugeres à facie fratris tui Eſau.* Ipſe iterum in Evangelio ſic [Joan. 17. 5.] loquutus ad Patrem eſt: *Clarifica me Pater, claritate quam habui apud te priuſquàm mundus fieret.* Iſte eſt qui populum de Ægypto venientem præceſſit in nube. Illum Eſaias manifeſto à ſe viſum teſtatur aſpectu. Ille denique ſe principem cœleſtis militiæ fore ut acie à Jeſu Nave interrogatus edixit: [Mat. 11. 27.] *Nemo enim unquam novit Patrem niſi Filius;* (ſicut ſcriptum eſt) *& cui voluerit Filius oſtendere.* Ille ſe ſemper humanis aſpectibus dedit, quia cœleſtem ſocietatem fragilitati noſtræ admirantes in homine quod erat futurus jam meditabatur intelligi. Hæc itaque Marcionitis ſecundum divinitatem dicta ſufficiant.

[De Photiniana hæreſi.] Corpoream nativitatem Photiniana viciſſim hæreſis agnoſcat; ait Dominus ad Nathan Prophetam: [2. Reg. 7. 5.] *Vade, dic ſervo meo David, non tu ædificabis mihi templum, ſed ſuſcitabo ſemen tuum poſt te,* [Ibid. 11.] *& parabo regnum ejus; hic ædificabit domum nomini meo, & erigam thronum ejus in ſecula, & ego ero ei in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium.* Similiter in Geneſi Patriarcha Jacob de eodem ante prophetaverat: [Geneſ. 49. 8.] *Juda, te laudabunt fratres tui: manus tua ſuper dorſum inimicorum tuorum; adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda, de germine filius mihi aſcendiſti: recubans dormiſti ſicut leo & ſicut catulus leonis: quis ſuſcitabit eum?* Forte non lateat nobiliſſimæ feræ hanc eſſe naturam, ut leo ſine ſpiritu integrâ tantùm corporis formâ naſcatur, jacenſque ſic biduum ſpiramine genitoris uſum vitæ communis accipiat: unde hæc in Salvatorem ſuſcitatio comparata, meritò ſubjecit: *Quis ſuſcitabit eum?* Nemo utique niſi Pater. Adoratus verò Judas à fratribus ſuis non eſt, ſed quia ex eâdem Tribu corpus aſſumſit, propheticæ benedictionis eloquiis Salvator in Juda, credentes autem computantur in fratribus; ipſo in Evangeliis ſic proteſtante: [Mat. 12. 50.] *Hi ſunt fratres mei qui faciunt voluntatem Patris mei, qui eſt in cœlis.* Eſaias perinde ait: [Iſa. 35. 4.] *Confortate manus reſolutas, & genua debilia roborate: Dominus noſter judicium retribuit; ipſe veniet & ſalvos faciet nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum audient: tunc ſaliet claudus ſicut cervus: & plana erit lingua mutorum.*

Jam quidem hoc in Evangelio novimus factum, ſed faciundum pleniùs in reſurrectione confidimus, cum innovata ſiccis oſſibus membra jungentur, & poſt aſſumptorum corporum pulverem ſpiritalis formæ muneribus induemur; Apoſtolo ſic docente: [1. Cor. 15. 53.] *Oportet mortale hoc induere immortalitatem, & corruptibile hoc induere incorruptionem.* Ut ſimus conformes formæ corporis Chriſti, quem Hieremias venturum in corpore prædicans ait: *Et homo eſt; & quis cognoſcet eum?* Non enim fuerat neceſſarium cum adjectione hominis de Deo loqui, niſi ut in Deo homo pariter monſtraretur. David autem ſub verbis Domini ipſius ait: [Pſal. 2. 7.] *Dominus dixit ad me: filius meus es tu; ego hodie genui te.* Quod teſtimonium in Evangelio geminâ Patris voce firmatum eſt: primum cum à Johanne baptizatum Jordanis emitteret: ſecundò cum in monte futuræ claritatis ſplendore perfuſus medius inter Moyſen Heliamque conſedit. Hæc itaque de eodem Dei Patris utroque in tempore verba tonuerunt: *Hic eſt Filius meus dilectus in quo benè complacui: ipſum audite.* [Mat. 17. 5.] Id eſt, jam non Moyſen qui nunc ſpeciem legis exhibuit, aut Heliam qui figuram intulit Prophetarum, ſed hunc audite, cui & ſermo in poteſtate eſt, & in virtute lex gratiæ. Sic enim de eo Scriptura prædixerat: *Orietur vobis ſol juſtitiæ, & in pennis ejus ſanitas.* [Malach. 4. 2.] Paulus quoque prædicans ait: *At ubi venit adimpletio temporis, miſit Deus Filium ſuum qui factus eſt ei ſecundum carnem.* [Galat. 4. 4.] Johannes ſimiliter: *Omnis,* inquit, *ſpiritus qui confitetur Chriſtum in carne veniſſe, de Deo eſt: qui autem negat, de Deo non eſt, ſed Antichriſtus eſt.* [1 Joan. 4. 2.]

r *denique ſe . . . edixit* Ita legitur in codice Vind. in editis *denique principem. . . ſe dixit.* Haud ita multo poſt *quia cœleſtem* ex eodem cod. ſcripſimus, cum editum eſſet *qui cœleſtem*

ſ *hæc in Salvatorem*] Codex Vind. *hac Salvatori.* Infrà in Lemov. *plena erit lingua.*

t *Jordanis emitteret*] Antea legebatur *Jordani ſe mitteret,* ſcedo librarii errore. Infrà ubi *qui nunc ſpeciem,* vitii

Vides ergo perfacilè Photinianorum, Marcionitarumque doctrinas poſſe convinci; ſed imbutas funeſtis fraudibus mentes antiquus ſerpens diris nexibus illigavit, ut ſectæ inexpiabilis labem quadam conſtantiæ præſumptione tueantur. Nihilominus tamen per utramque confeſſionem veritas manifeſtæ divinitatis elucet, dum altercantium malignitas diſcors hebeſque perfidia partem negantis aſſirmat, cum partem negaverit confitentis.

CAPUT XIV.

[Apollonius.] PLana eſt etiam in his ſperatæ expoſitionis inſpectatio, & utriuſque ſectæ indubitata perverſitas infelicium pravitatum commenta nudavit. Ordo nunc hæreſes pergat in cæteras, & cunctarum vulgationem ſeries cœpta percurrat, ut tamquam venenatorum anguium intrà volumina pectorum conditos ſinus illata fidei lux revolvat; non quia tales mereantur agnoſci, ſed ne dubiorum ſenſibus nocituræ faciliùs dum ignorantur obrepant.

[Zachæus. De Sabelli hæreſi.] Credo teneas in præcedente titulo prænotatum, à Sabellianis præcipuè ſanctum Spiritum denegari, & donum potiùs quàm donatorem impiorum traditionibus dici; maliquæ hujus auctoritatem ſacris vel maximè teſtimoniis uſurpari, quia & dari legatur & accipi; Salvatore ad Apoſtolos ſic loquente: *Et inſufflans eis dixit: Accipite Spiritum ſanctum.* [Joan. 20. 22.] Quidam etiam diſcipulorum à Paulo interrogati, *An accepiſtis Spiritum ſanctum? neque accepiſſe, nec ſi eſſet ſcire ſe dixerunt.* [Act. 19. 2.] Quorum intellectuum ratio talis eſt. Datur quidem non quia ſe ipſe non præſtet, ſed ut in eo qui tribuit ineſſe monſtretur: ſicut enim Pater in Filio, & Filius in Patre, ita ſanctus Spiritus in utroque, ac rurſus in ipſo eſt uterque conſpicuus. Hac igitur ratione poſt Aſcenſum Salvatoris venturus dicitur qui ab eodem priùs datur; & quem à ſe poſtea mittendum promittit, in ſe jam eſſe demonſtrat; ſeque ſimiliter poſt ejus adventum ſuumque conſenſum nobiſcum uſque ad mundi conſummationem futurum promittens idem Dominus, ait: *Et ero,* inquit, *vobiſcum uſque ad conſummationem mundi.* [Mat. 28. 20.] Et iterum: *Niſi ego iero, Paracletus ille non veniet.* [Joan. 16. 7.] Adeo connexa & indiſſociabilis datio in infuſione indubitabilem Dei actu alium probat in exſpectatione perſonam, dum & aſcendens ad Patrem nihilominus eſt nobiſcum, & benè ab aſcenſuro cerditur datus qui promittitur adfuturus: quamvis enim Apoſtoli ante Aſcenſum Salvatoris, ſancti Spiritus donum fuerint conſequuti, in ipſo tamen poſtea ple-

nonnihil eſſe ſuſpicor.

u *volumina pectorum*] Sic codex Vind. & alius quem viderat Achcrius, qui tamen edere maluit *volumina peccatorum.*

x *in utroque. . . . conſpicuus* Hic è codd. Vind. & Lemov. reſarcivimus lacunam prioris editionis, in quâ hoc tantùm legebatur, ita *ſanctus Spiritus in utroque conſpicitur,* & in margine, *conſpicuus.*

nitudinem perceperunt, libro Actuum ſic docente:
Act. 2. 2. *Et factus eſt ſubitò de cœlo ſonus tamquam ſpiritûs vali-*
di advenientis; & implevit domum totam in quâ erant
ſedentes: & apparuerunt illis linguæ divisæ: seditque
y *ſicut* y *ignis ſuper ſingulos eorum.* Spiritus * quin etiam
& ſermone manifeſtus eſt, eâdem Scripturâ memo-
Act. 8. 29. rante: *Et ait Spiritus ad Philippum: accede ad cur-*
Ibid. 13. 2. *rum Eunuchi.* Et iterum: *Separate mihi Paulum &*
Barnabam in opus in quo aſſumſi eos. Dominus au-
tem in Evangelio ſancti Spiritûs reverentiam cum in-
Mat. 12. 32. terminatione commendat dicens: *Qui blaſphemave-*
rit in Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque hîc,
neque in futurum.

Hic fidelium corda ſanctificat, atque ad omnem
cœleſtis gratiæ perfectionem informat & dirigit, Do-
Joan. 15. 26. mino prædicante: *Cum autem venerit Paraclitus ille*
quem ego mittam vobis à Patre meo, ipſe vos diriget,
Ibid. 16. 8. *& ipſe arguet mundum à peccatis eorum.* Non eſt ergo
munus, ſed munerator; nec donum aliquod, ſed
largitor donorum; non ſanctificatur, ſed ipſe ſan-
ctificat; nunquam inter creaturas, ſed ſemper in
ſubſtantiâ Trinitatis apparens, Apoſtolo ſic docen-
1. Cor. 12. 4 te: *Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus:*
& diviſiones miniſteriorum, idem autem Dominus: &
diviſiones operationum, idem autem Deus. Hæc au-
tem omnia operatur unus atque idem Spiritus.

Jam verò illud æſtimare perſtultum eſt, eumdem
Angelum aut aliquem de ſuperius poteſtatibus æſti-
z mari, z cum infundi in plures Angeli non queant,
quod huic de propriâ divinitate poſſibile eſt. Illum
perinde Angeli tantùm obtinent locum, ad quem à
Deo aut mittuntur aut redeunt: hic ita alicubi eſt,
Pſal. 138. 7. ut & ubique ſit ſemper, Pſalmiſta dicente: *Quo ibi-*
bo à Spiritu tuo, &c. Angelos idem Propheta ita
Ibid. 103. 4. indicat factos: *Qui facis*, inquit, *Angelos tuos ſpiri-*
tus, & miniſtros tuos ignem urentem. Sanctum verò
Spiritum Deum eſſe Scriptura evidenter oſtendit, di-
Joan. 4. 24. cens: *Quoniam Spiritus Deus eſt.* In largitatibus li-
ber, in majeſtate ſimplex, & conſentiens in Patris
ac Filii voluntate, non ſubditus, Apoſtolo ſic pro-
1. Cor. 12. 11 teſtante: *Tribuit Spiritus unicuique prout vult.* Im-
plet omnia nec minuitur; à cunctis recipitur, &
ipſe nil recipit, temperat ſancto moderamine pias
mentes, & nullius indigens invenitur, in judicio
juſtus eſt, promptus in munere. Namque & juſtum
Ananiæ exitus monuit; & non inaniter Deum credi
ante invocationem docentis Petri Cornelius appro-
bavit: ſed tamen non hæc tantùm ſubſiſtentem ejus
in Deitate * perſonam teſtantur aut comprobant.
Viventis Dei viva ſpecies in columba ſuperius cœlo-
rum ſedibus venit, & ab ipſo ut Redemptor mundi
eliceretque adoraretur ab Angelis unctus eſt Chriſtus,
Luc. 4. 18. ipſo de Iſaia in Evangeliis ſic recenſente: *Spiritus*
Dei ſuper me, propterea quod unxit me, &c.

Ergo his teſtimoniis innumeriſque præterea perdi-
tus Sabellianorum error oſtenditur, qui ſanctum
Spiritum ſpecialiter refutantes, plenitudinem ſoli-
dæ majeſtatis ſacrilegâ traditione contaminant; non
intuentes illum ut cauſæ noſtræ utilitas exegerit,
aut in Patre aut in Filio, aut rurſum hiſdem in ſe
manentibus deminiſtrari: quia licet plena noſtræ cre-
dulitatis ſalus ſit, unum per omnia ſicut eſt Deum
credere & confiteri, abeſſe tamen fidei non poteſt,

Trinitatem non eſſe ſine tertio.

CAPUT XV.

Diverſus quidem à memoratis Sabellianorum er- Apollonius.
ror & cauſa eſt, ſed ut credo perfidiæ exitus ſi-
milis ac retributio præcedentibus comparanda, cum
ſanctum Spiritum in Dei virtute ac ſubſtantiâ per-
manentem ab unitatis a excipiunt Trinitate, & a
ſcripturis omnibus renitentes, fidem Trinitatis im-
pugnant. Verùm his quoque in numero prophano-
rum relictis, reſiduorum perverſitas conſtituitur,
ne id quod retectum expoſitione non fuerit, ſup-
preſſum potiùs æſtiment quàm relictum, & in quem-
dam ignem favilla deficiens convaleſcat, ſi quando
quæſitoris mentio facta præterat, quod Scripturarum
auctoritas fortaſſe non reticet.

Præmonueram primæ interrogationis exordiis ple- Zachæus.
nitudinem ineffabilis majeſtatis utcunque intelligi De hæreſi
fide poſſe, verbis ut dignum eſt patere non poſſe; Patripaſſia-
ſiquidem cum ipſa nominum ac perſonarum diſtin- norum.
ctionem efficientia veritatis, non ſtatim faciat ſub-
ſtantiæ differentis: quoniam ad intuendam divini-
tatem cunis etiam ſenſus impar ſit, nulli dubium eſt
imbecilliorem multo ſermonis ſubſtantiam eſſe quàm
mentis. Hanc itaque humanæ infirmitatis difficul-
tatem auctores univerſorum amplectuntur errorum.
E quibus Patripaſſianus eam ſibi partem impietatis
elegit, ut quia ex Patre primogenitus Filius, & ab
ipſo Spiritus ſanctus procedens, idem Pater & Ver-
bum ſit, atque ab ipſo & caro ſuſcepta videatur
& paſſio: idem perinde & Spiritus ſanctus. Nec
auctor in Trinitate, ſed ſolus in diviſionem divini-
tatis ad diſpendium prædicatur, b niſi in communio- b
nem * Trinitas redacta credatur: de quâ, ut creber-
rimè memini, quod ſenſu precipi non poteſt, mena-
rabile potiùs quàm nullum eſt æſtimandum. Non
ſolùm autem à Patre abeſſe injuriam paſſionis, ve-
rùm etiam à Verbo multipliciter agnoſcitur *. Nec
enim incorporabilis divinitas ſed corpus affixum eſt,
& quidquid infrà honorem cœleſtis potentiæ Dei Fi-
lius pertulit, non Verbo, ſed homini reputatur
aſſumpto. Cumque peccatum in primo homine
fuerit, quemadmodum denunciata à tôt ſæculis hu-
mano generi redemptio provenirect, niſi illud ſan-
guis veri iterum hominis expiaſſet? Cujus mortem
licet jam teſtimonia plura docuerunt, ne tamen ad-
verſus ſe prædicta hæreſis aſtruat nihil prolatum, de
copioſâ exemplorum multitudine pauca ſumemus.

David itaque ſub verbis Domini ipſius dicit: *Obe-* Pſal. 21.
diens factus c *jam uſque ad mortem.* Et iterum: *Po-* Pſal. 1. 8.
ſuerunt me in ſepulcro ſicut mortuos ſæculi: Et tertio: Pſal. 142. 3.
Factus ſum ſicut homo ſine adjutorio inter mortuos liber. c
O inæſtimabilis Dei virtus, & inſcrutabilis Dei ſa- Ibid. 87. 5.
pientia! Unde hic paulo ante *ſicut mortuos ſæculi*,
nunc *ſine adjutorio inter mortuos liber eſt?* niſi quia
ut ipſe prædixerat: *Oportebat Filium hominis pati &* Mat. 16. 21.
crucifigi à Scribis & Principibus Sacerdotum, & de-
bellatâ morte die tertiâ ab inferis remeare, ut in effe-
ctum noſtræ ſalvationis vivorum ſimul ac mortuo-
rum acciperet dominatum, & illud ſublimiſſimæ
charitatis ſtatueretur exemplum, ut noſmet pro eo
paſſionis calicem biberemus, quem non reſpuerat

y *dividua: ſeditque ſicut*] In codice Vind. *diſpertitæ: ſeditque ignis.* Acherius in margine ſuis codicibus legi ſæpe etiam *diſpertita*, in alio *diviſa*. Statim vocem *Spiritus* adſcripſimus e codice Vind.

z *poteſtatibus æſtimari*] Sic codex Vind. in editis *æſtimare*. Infrà ex eodem codice *in Deitate perſonam*, ſcripſimus, ubi erat *in Deitatem perſonam*.

a *ab unitate, &c.*] Sic uterque codex Lem. & Vind. niſi quod hic *permanentes* habet, male. Prior editio, *ab* *unitate propriæ divinitatis excipiunt, & Trinitatem Scripturis omnibus renitentes*.

b *diſpendium prædicatur*] In codd. Vind. & Lem. *prædicantur*. Statim codex S. Ath. *in unionem*. Infrà *agnoſcitur* ſcripſimus ſic, ut Acherius legendum eſſe monuit, cum in textu legatur *agnoſce*.

c *obediens factus, &c.*] Ad hunc locum monuit Acherius, auctorem vel memoriter præfatum eſſe, vel alludere ad Pſalmum 21. in quo tamen nihil hujuſmodi reperi.

ille pro cunctis. Manifeſta ergo in perſonis ac nominibus Trinitas, ſed divinitas una eſt, nec Patripaſſianis recipimus unionem, ſed Catholicam in Deo amplectimur unitatem. Ab hac itaque memorati interpretatione diſſentiunt, & falſa imponere moliuntur occultis, dum quod ex Patre eſt, non niſi in eo tantùm eſſe confirmant, quod ſpecialiter ex homine, injuriæ divinitatis adſcribunt.

CAPUT XVI.

APOLLONIUS. QUàm metui ne quod validius aut abſtruſius malum intrà occulta, perfidiæ iſtius viſcera reſideret; namque ad primam relationis tuæ frontem non tam perſpicua fidei noſtræ membra cernebam, & obſcuritatem noxiorum fraudibus involutam ignorantiæ potiùs quàm malitiæ deputabam. Itaque probabilis doctrinæ tuæ ordo auctoris laceram rabiem perditioni miſcuit & clientelæ. Quid nunc ſibi Ariani contrà veritatem noſtræ credulitatis aſſumant ſimili modo pande, ut ſi vel ejuſdem vel tectioris nequitiæ [d] docebuntur, gregi hæreant * prædictorum, non immeritò execrabiles judicandi, ſi traditionibus ſubdolis derogant, quod profeſſionis titulo non recuſant.

ZACHÆUS. De Arianâ hæreſi. Dixi dudum Arianos arcem tenere perfidiæ, & hoc ruinæ majoris putandos, quo celſiora profitentes velut integram fidem præferunt, qui fidei integritatem recuſant; non enim Creatorem ſed creaturam Dei Filium dicunt, & cæteris hoc tantùm modo eſſe potiorem, quod factus priùs ex Deo Patre non genitus ſit. Tempori perinde obnoxium eſſe quia natus eſt: quam impietatem talis ſententiæ calliditate confirmant: *Erat*, inquit, *quando non erat.* O ſæva impiorum malignitas! Deuſne potuit aliquando non eſſe? aut quemadmodum genitus, ſi * & ſecundum divinitatem [e] factus adſtruitur? Nam cum Deo ſpeciale ſoli ſit ſemper fuiſſe, ex ipſo atque intrà ipſum naſcens quid aliud poteſt eſſe quàm Pater eſt? Aut ille quemadmodum Pater, ſi in Verbo aſſumptio aliqua non nativitas vera eſt? Quòd ſi verus Pater, verus & Filius, & ſi in nullo diſſimilis, tum demum certa imago genitoris. Atque illud conſentiens in Propheta: *Eructavit cor meum verbum bonum.* Et iterum: *Ante luciferum genui te.* Sed his confeſtim illa ſubſtituunt quæ ſub Domini ipſius verbis in perſonâ aſſumpti hominis proferuntur: *Pater*, inquit, *major me eſt.* Et, *Non veni voluntatem meam facere, ſed voluntatem ejus qui miſit me Patris.* Altioris denique ſenſûs ex verbis Salomonis ſcripta corripiunt: *Prior*, inquit, *omnium creata eſt Sapientia.* Et, *Dominus in initio viarum ſuarum creavit me.* Quæ ſi * in præſcientiâ, ſicut dixi, de auctore redemptionis noſtræ prædicta non cenſent: [f] & Salomonem in eodem Spiritu aliud putant ſenſiſſe quàm cæteros; audiant æqualitatem ſubſtantiæ & divinitatis unius, Patremque ac Filium licet in perſonis ac nominibus non eumdem, unum tamen in majeſtate cognoſcant: *Ego*, inquit, *Et Pater meus unum ſumus.* Et iterum: *Philippe, tanto tempore vobiſcum ſum, & non ſcitis me? Qui me videt, videt & Patrem.* Et tertiò: *Omnia quæcumque habet Pater mea ſunt: & quæ vult Filius eadem vult & Pater: & ſi quæ operatur Pater, operatur & Filius.* Similiter clarificari perinde à Patre ſe poſtulat, ſed rurſum Patrem à ſe clarificatum coram hominibus proteſtatur. Quo autem pacto includi quilibet pro-

Pſal. 44. 1. — Ibid. 109. 3. — Joan. 14. 28. — Ibid. 6. 38. — Eccli. 1. 4. — Prov. 8. 22. — Joan. 10. 30. — Ibid. 14. 9. — Ibid. 16. 15. — Ibid. 5. 19.

tenſione temporum poterit, à quo tempora ſunt creata? Vel quod ei initium eſt adſcribendum, per quem omnium initia prodierunt?

Intuere Ariani cæcam perſuaſionem, & ſenſum totius impietatis terminos excedentem. Finge quòd tranſgredi rerum initia opinione ſuâ poſſit, & ſolidæ majeſtati præjudicium comparare. Nonne apertæ inſaniæ eſt, Deo cui omnia debeas nomen ſubſtantiæ deterioris adſcribere, ac de immenſo quaſi poſſis exigua definire? Quid in te, ô nequam homo, tantum ille promeruit, imò quid non præ cæteris, cum te poſt omnia formare indulſit, ut bonis mala referas, ut zizania eſſe quàm triticum malis? Cunctis poſterior factus creaturis per eum potior factus es, quem à te factis prophanè permiſcere ſtudes. Tu de calcabili, ut ipſe non renuis, limo, ſenſu, ſpecie, ac poteſtate imago ac ſimilitudo Dei es: terræ inſuper præes de qua aſſumptus es; validioribus infirmior dominaris, profunda modicis trabibus vectus ingrederis, & ſubjecto ſerviunt elementa non præſtent: tibi anni, aut gratæ aut utiles vices mutantur, rerumque varietas diſpoſitos univerſorum germinum educat fructus: tibi aëreæ aves decidunt, & aquis naſcentia aluntur ac vivunt. Taceo quòd generali exemptus ruinæ in ſpem quam amiſeras reparaxis; quod per te munere immortalitatis exutus, per illum tamquam à principio dignus induceris; & velut exigua ſit iſta liberalitas, cœlum inſuper ſi merearis conſcendes: ſituque materiæ tuæ ulteriùs non gravandus, choris miſceberis Angelorum, ac tot ſæculis inviſibilem Deum perennis lætitiæ poſſeſſor aſpicies. Quid plura? Si adoptionis Catholicæ fidem ſerves, hæres Dei, cohæres autem Chriſti perpetuò permanebis.

Sed his ac talibus pulſi hærere nihilominùs malignis intellectibus ſtudent, illud ex Evangeliis aſſumentes, quòd horam adventûs ſui diemque neſcierit. Ut illis hoc dimittatur, aſſumptum hominem ante neſciſſe quàm terreſtrium & cœleſtium poteſtatem in Dei gloriâ receptus acciperet, numquid etiam Verbi divinitas ignorabat, aut cum ſit Filius ſemper in Patre, atque in Filio Pater, ſciret aliquid unus alio neſciente? Et quàmlibet ex voluntate Patris à ſe tamen facienda penitus ignorabit? Cum in ipsâ paternæ voluntatis ratione non ſubjectio ſed conſenſus eſt: David in Spiritu ſub verbis ipſius ſic docente: *Ut facerem voluntatem tuam Deus meus volui.* Non eſt ergo ita obtemperans, quaſi ſubditus, ſed voluntatem Patris in ſuâ faciens voluntate: mitti autem dicitur, ſed ut alter intelligatur. Novitque etiam ſecundùm hominem omnia; quæ futura ſic prænotat, ut in aperto ſit conſummationis diem nobis potius congruum fuiſſe neſcire, quàm illum penitùs ignoraſſe. Denique hinc & vitæ propriæ fine celamur, ut attentiores ad juſtitiam incerti exitûs ſollicitudo perficiat, & ſub omni peccatorum occaſione compoſiti mortem faciliùs evitemus, ſi mortis adventum quotidie timeamus; hoc enim generaliter providens Scriptura præmonuit dicens: *Stulte hac nocte expoſtulabitur anima tua: ea quæ præparaſti cujus erunt?* Similiter Apoſtoli præmonentur, Salvatore dicente: *Orate ſine intermiſſione; quia neſcitis quando Filius hominis venturus ſit.* Id eſt, metus vobis & exſpectatio incerta conſultior eſt, ne ſecuros fiducia ſubruat, & futurorum ſcientia decipiat nil timentes; cum magis ſpe diuturnitatis abjectâ audere ſalubriter timeas, quod

Pſal. 39. 9. — Luc. 12. 20. — Mat. 24. 42.

non poteras.

d *vel tectioris nequitiæ*] In codice S. Arn. *vel terrioris*; ſtatim *hæreant* codex Vind. prior editio *adhærerent*.

e *genitus, ſi & ſecundum*] Optima lectio codicis Lemov. quod antea legebatur *genitus ſit, & ſecundum*, intelligi

f *quæ ſi… non cenſent* Priores duæ voces è codice Vind. poſteriores duæ è Lemov. deſcriptæ ſunt. In editis, *quaſi non eſſent*: peſſimè.

corrigi in ſpatio poſſe non credas.

Univerſæ tamen hæreticorum perfidiæ de utrâque Chriſti nativitate duobus vel maximè teſtimoniis ſubruuntur, Johannis Evangelio ſic intonante : *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum; & Deus erat Verbum : Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil* : Et iterum : *Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Vides ergo nullum Arianis locum relictum, quo meritò à fidei noſtræ integritate diſſentiant : cum idem Dei Filius ante ſæcula unigenitus, & nunc primogenitus prædicetur; terreni corporis obtinens veritatem, & cœleſtem potentiam non omittens, utrâque nativitate complexus eſt quod per ſolam divinitatem antea poſſidebat.

Joan. 1. 1.

Ibid. 14.

CAPUT XVII.

APOLLONIUS.

Omnium quidem ſectarum error & pravitas in primâ ſtatim expoſitione claruerat; ſed ut promptiùs eluceſcet, neceſſariò firmitas doctrinæ ſequentis acceſſit, & currens per ſingula modus competentes detexit quidquid traditio ſceleratæ interpretationis obduxerat. Unde nunc ut nulla animo deſit inſtructio, pande quæſo quæ Novatianos à nobis cauſa diſterminet, ut à credulitate Catholicâ diſcedentes, non ſolùm conventus extrà Eccleſiam contrahant, ſed, ut credo, etiam fidem illius impetant, à cujus pace unitatis odio receſſerunt.

ZACHÆUS. De ſchiſmate Novatianorum.

Rectè intelligis fidei unitatem penès eos eſſe non poſſe, à quibus Eccleſiæ unitas ſit relicta; quia non intereſt quemadmodum quis recedat, ſi ab ejus corpore ſponte ſe dividit, Domino in Evangeliis hoc loquente : *Qui mecum non eſt, adverſus me eſt : & qui mecum non colligit, ſpargit.* Fuerunt hi enim aliquando nobiſcum, ſed quodam Novato auctore diſrupti ſunt; non tamen hæreticis conjungendi, quia non à confeſſione Catholicâ ſed à charitate diſſentiunt, atque ut ſolam pietatem rebelles Dei miſericordiæ ſubtrahunt, quos ſemel inimici laqueis irretitos reſtitui non admittunt. Mundos ſe atque, ut ipſorum verbo utar, catharos vocant, divinæ admonitionis ſemper immemores, quâ primùm in Job Spiritus dicit : *Quis enim mundus à ſordibus, nec ſi unius diei ſit ejus vita in terrâ?* Unde & Pſalmiſta ſimiliter ſentiens, ait : *In peccatis peperit me mater mea.* Et Joannes in epiſtolâ ſuâ : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus; & veritas in nobis non eſt.* Severioribus itaque judiciis plectenda non credunt, quæ nunquam in confeſſionem deducta, velut latere perpetuò poſſint, callidiſſimè ſupprimuntur. Profitentibus verò cum præſentium emendatione præterita non ſolùm veniam non negari, verùm etiam juſtitiæ privilegium tribui Deus ipſe ſic loquitur per Eſaiam converſis, iſta denuntians : *Dic tu injuſtitias tuas prius ut juſtificeris.* Intuere cum veniâ præmium, & cujuſdam honoris in ſimplici confeſſione mercedem : Deus illi juſtitiæ fructum promittit, in quem Novatianus dura pronuntiat, & abſolvi poſſe cum gratiâ pollicetur, quem ille ne ſalvetur, expellit.

Luc. 11. 23.

Job 7. 9.

Pſal. 50. 7.

1. Joan. 1. 8.

Iſa. 43. 26.

His tamen non legitimus ſacerdotii principatus, ſummaque in Pontificio non fuit ſedes, ſed per obreptionem velut in quâdam tyrannide diſcordia convaleſcens prædictum ſchiſmatis ſectatur auctorem, & à conſortio piæ communionis excluſi g tradi ſatanæ perpetuò malunt, quàm Deo ſpiritalis gratiæ exhortatione revocari; recipere innumera ſcripturarum exempla nolentes, quibus haud dubiâ interpretatione cognoſcitur & provocari lapſos debere, & ſuſcipi revertentes, Pſalmorum libro ſic inchoante : *Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in viâ peccatorum non ſtetit.* Beatus ergo eſt qui non ita abiit ut redire contemneret, & profectum conſilii melioris accipiens miſceri impiis deſtitit, poſtquam corrigi potius * intellexit. Beatus perinde eſt qui in viâ non ſtetit peccatorum, ille utique qui ingreſſus vitia non permanſit in vitiis, ipſo in conſequentibus hoc docente, cum obrepentium delictorum excuſationem præmittens, conſcius noſtræ fragilitatis hæc poſuit : *Delicta quis intelligit?* Id eſt, admitti facilius poſſe, quàm noſci. Addit in precibus, ut & ab alienis & ab occultis propriis emundetur; immaculatum ſe fore confidenter affirmans, ſi ea ſibi non dominentur, in quibus ante peccaverat. Ecce etiam à maximo delicto purus efficitur, qui in ſe crimina non reditura condemnat; & immaculati honore gloriatur, qui elegit hoc eſſe quod noluit, dum perſtrui reſpuit quod dilexit. Similis per Ezechielem ſententia Dei eſt, hæc dicentis : *Ut quid moriemini filii hominum : convertimini ad me & convertar ad vos.* Id eſt, inferni eſt via iſta quam pergitis, & in veniæ deſperatione mors vera : non ſum ego crimina avarus abolere, qui tam leniter ne jam admittantur admoneo, qui judicii mei inviolabilem formam his ſermonibus pando : *Nolo mortem morientis; tantum revertatur & vivat.* Et, *ſi iniquus converterit ſe ab iniquitatibus ſuis, quas fecit, & cuſtodiat omnia mandata mea, & faciat juſtitiam & judicium, vita vivet & non morietur. Omnia delicta ejus quæcumque fecit, non commemorabuntur.*

g

Pſal. 1. 1.

Pſal. 18. 13.

Ezech. 33. 11.

Ibid.

Ibid. 14.

Sed tamen Dei munus & digniſſimum piæ remiſſionis edictum non ſolùm in abolitione h Novatianus reddi prohibet, ſed pertinaces ad veniam non ſinit pertinere. Ne ſanè ab his horumque ſimilibus penitùs excedat, leviſſima quæque & pauca dimittens, in quâlibet correctione exertæ * indulgentiæ vim repellit : cum Salvator in Evangeliis mundari per eleemoſynam cuncta commemoret, ac, *ſicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatum.* Relicto denique toto admodum grege, unam ovem fidei paſtor inquirit, & inventam humeris ſuperponens plus gaudii in amiſſæ recuperatione conſtituit, quàm habebat in ſalvis. Apoſtolus autem formari in ſe rurſum more partûs Galatas ait, quos revaleſcentibus vitiis fruſtrà primùm in regeneratione mentis ediderat. Unde & opere charitatis effecto peccatorum multitudinem tegi, Petrus, & Jacobus Domini Frater affirmant, verbis ſimilibus proteſtantes : *Charitas*, inquit, *tegit multitudinem peccatorum.* Ita, his evidenter inſpectis, intelligis Novatianos atroci obſtinatione cæcatos, malitiæ potiùs ſuæ quàm Dei ſatisfacere voluntati, dum in proximos & poſt compunctionem præteritorum, ipſis qui judicant fortaſſe meliores, & confeſſa condemnant, & expiata non ſolvunt; quæ & donari poſſunt, & occuli non oportet.

h

Eccli. 3. 33.

1. Pet. 4. 8.

CAPUT XVIII.

APOLLONIUS.

Manifeſta & evidens ratio eſt, non dicam Dei, penès quem miſericordiæ ſumma eſt, verùm

g *communionis excluſi*] Sic è codd. Vind. & Lem. edere libuit, cum antea legeretur *excluſos*. Infrà eoſdem codices ſequuti, ſcripſimus *potius intellexit*, ubi male erat *pœnituiſſe intellexit*. Cætera quæ leviora ſunt, adſcribere piget.

h *in abolitione*] Codex Lemov. *in abolitionem ... reddi*; quod ultimum verbum agnoſcit codex Vind. utrique deinde *exerta indulgentia*.

etiam juſtorum hominum judicio irremediabiles [non] duci [i], qui vitiorum pravitate calcatâ ad meliora ſe conferunt, & antea vel ætatis ignorantiâ negligentes, vel caſuum diverſorum erroribus occupati, iter fidei repetunt, atque abjectâ, quam priùs prætulerant, carnis illecebrâ, ſupernæ converſationis actibus diluunt quidquid ante terrenorum amore polluerant; ſed forte ante infuſionem baptiſmatis iſta conceſſa ſint, & aliqua Novatianis adſit auctoritas, quâ poſt lavacrum ſpiritale pollutos purgari non poſſe contendant, & inviolabilis ſancti Spiritûs munus tradi per homines ſemel poſſe, amiſſum reſtitui non poſſe confirment. Aſſertioni ipſorum illo forſitan extrinſecùs ſuffragante, quòd à ſe locus pœnitentiæ non negetur, ſed à Deo venia ſit ſperanda; & ſatisfactio explenda pro factis, non reputanda pro meritis. Quid ergo in hujuſmodi intentione durantibus referri debeat vel probari, more conſuetæ expoſitionis inſinua: ut ſermonis noſtri occaſione & pravis correctio, & venia ſuadeatur afflictis; dum irreligioſorum pertinaciâ panditur quidquid ſpei deſperantium comprobatur.

ZACHÆUS. Felicius quidem eſt intemerata ſpiritalis gratir dona ſervare, & incorruptum cœleſtis indulgentiæ munus futuro deferre judicio [l], David hoc perdocente: Pſal. 118. 1. *Beati immaculati in viâ.* Apoſtolus ſimiliter: 1. Theſſ. 5. 23. *Ut poſſimus*, inquit, *Fratres, integram & animam & corpus & ſpiritum ſervare in diem JESU CHRISTI Domini noſtri.* Sed alios incautæ ignorantia juventutis, alios terrenæ fervor illecebræ, ad proclivem delictorum viam ducit; ſub verbis propriæ excuſationis David in ſpiritu iſtud loquente: Pſal. 24. 7. *Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris Domine.* Juſtarum quippe allegatio precum eſt, annis infirmioribus perpetrata formâ remiſſionis recenſeri, & cum ætatis privilegio perperam geſta dimitti; quia in hoc eodem teſtimonio non otioſa per Prophetam refertur hiſtoria; ſed ætatis ad caſum facilitas incautæ intimatur. In quo annorum gradu ne velut [m] ſpecialem Novatiani locum teneant, audiant Salomonem ſine exceptione temporum ſimilia prædicantem: Prov. 20. 9 *Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor, & mundum ſe eſſe à peccato?* Excluſa eſt ergo vanitas tacitæ falſitatis; quamlibet purus oculis videatur humanis, non tamen ideo reus non eſt, quòd ſuæ ille conſcientiæ Deoque pollutus eſt.

Hanc igitur noſtræ fragilitatis infirmitatem trino indulgentiæ gradu purgari pietas divina permiſit; donans principio cuncta per baptiſmum, obrepentia poſtea pœnitentiâ tegens, reputari penitùs nulla conſtituit, ſi ab omni corporis labe martyrii quempiam fervor abſolvat; Pſalmiſta dicente: Pſal. 31. 1. *Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates; & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir cui non imputabit Dominus peccatum.* Remittuntur ergo in baptiſmate omnia, quoniam illa tantùm, quæ contracta poſt fuerint, adſcribuntur: teguntur in pœnitentiâ, quæ ſi fuerint repetita reviviſcunt. Imputari autem in Martyrio nulla poſſunt, quia & primùm pretioſâ ſanguinis effuſione delentur, & in præjudicium exſtincti feliciter corporis non recurrunt. Sed quamlibet adſtipulante pœnitentiâ dimittere gravia ſuæ poteſtatis negabunt, cum pariter officii ac profeſſionis ſuæ eſſe cognoſcant, aut ligare quæ dura ſunt, aut expiata diſſolvere; illâ ad Petrum, in cujus perſonam poteſtas omnium convenit Sacerdotum, Salvatoris ſententiâ perdocente: Matt. 16. 19. *Quæcumque ligaveritis in terris, ligata erunt & in cœlis: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, ſoluta erunt & in cœlis.* Donari itaque delicta ſine exceptione permiſſum eſt, ſi tantùm in abolitionem miſſa non redeant; nec ſicut ſcriptum eſt horrorem proprii vomitûs canis repetat; atque ablutas piis laboribus ſordes ſus in volutabris mergenda deſideret, [n] plus poſt remedia paſſura diſcriminis, quàm inchoantibus malis lapſura pertulerat, Domino in Evangeliis ſic monente: Joan. 5. 14. *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat.* Nolo dubites, præſentia ſemper non præterita Deus cenſet; hoc enim ait: Ezech. 33. 20 *In quâ viâ te invenero, in eâ te judicabo, dicit Dominus.*

Quòd ſi poſt baptiſma, id eſt, poſt ſancti Spiritûs ſuſceptionem, redintegrandæ nobis gratiæ locus non eſt, quemadmodum Aaron, utique jam Sacerdos, gravi exemptus offenſæ amiſſum Pontificii gradum recepit, & poſt lepræ infuſionem mundari Maria cœlitùs meruit, quæ ne quemquam pollueret, fuerat ſegregata? nam in caſtris congregatio ſpiritalis ſignatur Eccleſiæ, leprâ verò delicti mortalis effigies demonſtratur. Cur Patriarcha David geminis ſanguinibus expiandus, innovari in ſe prioris gratiæ Spiritum petit, evidenti fiduciâ Deo pollicens, ut iniquorum converſio veniæ ſuæ provocetur exemplo: patere inſuper ſibi in Dei laudibus loquendi copiam deprecatus, auctoritatem prædicationis obtinuit, dicens: Pſal. 50. 17. *Labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Peccatori autem dixit Deus: Ibid. 49. 16. *Quare tu enarras juſtitias meas, & ſumis teſtamentum meum per os tuum?* Niſi forte in Prophetis alium ſpiritum, quàm nunc accipimus, fuiſſe contendunt, aut penitùs non fuiſſe; atque immitiorem ſub gratiâ Evangeliorum Deum quàm in lege conſtituunt; qui Petrum, id eſt, ipſum Eccleſiæ fundamentum, tametſi in crimine non manſiſſe, fuiſſe tamen in crimine fatebuntur; & admonitionis dominicæ recordantem, non perfidiæ, ſed infirmitatis reatum amaritudine diluiſſe intelligant [o] lacrymarum. Talis perinde luxurioſi illius in Evangelio reditus abſumptis opibus ſubſtantiæ ſpiritalis, atque à ſe in Cœlum peccatum fatentis, non renuitur ut pollutus, nec refutatur ut prodigus, ſed incumbentis in cervicem ſuam patris oſculis, id eſt, Catholicâ pace, ſuſcipitur; qui utique niſi per adoptionem Baptiſmatis priùs filius eſſe non potuit. Magni etiam convivii lætatus eſt apparatu, id eſt, communionis divinæ honore donatus eſt; in annulo fidem recipiens, in ſtolâ gratiæ veſtimentum: carne inſuper paſcitur vituli, id eſt, æternæ hæreditatis, ſacri corporis aſſumptione, fit particeps, plena Apoſtolicæ dignitatis ornamenta ſortitus.

Poſtremò etiam blaſphemiam, quæ cuncta ſupergreditur crimina, remitti poſſe Salvator inſinuat, abolerique in ſe commiſſa non renuit, ſi veræ converſionis labore mereamur ut ſub ejus præcepto cœlum conſentiat cum judicio Sacerdotum; quâ fiduciâ Salvatoris edicti eos, qui per fidem vitiis emundantur, non tantùm ad veniam ſed honorem Gen-

i *irremediabiles non duci*] In editis *irremeabiles duci*, ſic tamen ut Acherius ad marginem monuerit particulam negationis eſſe adjiciendam: vocem *irremediabiles* è codice Vind. ſumſimus.

l *futuro deferre judicio*] Sic codex S. Arn. quem cum Acherius vidiſſet, edere tamen maluit *meo deferre judicio*. Infrà *geſta dimitti*, quod eſt in codice Vind. maluimus quàm quod erat in priori editione *geſta committi*.

m *ne velut ſpecialem*] Sic codd. Vind. & Lemov. in editis *ne vel ſpecialem*: iidem infrà *tacitæ falſitatis*, bene, ubi prior editio *tanta falſitatis*, malè: poſtremò è codice Lemov. edidimus *quòd ſuæ ille*, cum antea legeretur *quòd ſoli*.

n *mergenda deſideret*] Totus hic locus fœdè corruptus. Ita legerem ſi res mei arbitrii eſſet, *mergendo ſe deſideret.... paſſurus.... lapſus.*

o *Diluiſſe intelligant*] Sic uterque codex Lem. & Vind. emendatè: prior editio, *diluſ intelligant*, corruptè.

2 Tim. 2. 21.

tium Doctor invitat dicens: *Qui autem ſe emundaverit ab iſtis, erit vas ſanctificatum in honore, utile Domino [p] ad omne opus bonum paratum.* Itaque ut in unitate divinitatis eſt Trinitas, ita in uno baptiſmatis nomine trina purgatio: Domino ad Apoſtolos ſic loquente: *Adhuc*, inquit, *habeo baptizari baptiſmate quod vos neſcitis.* Cujus tamen gradus omnibus relicturus exemplum agens in corpore ipſe luſtravit. In Jordane baptizatus eſt; pœnitentiæ ſpeciem pertulit in deſerto: quod autem ſummæ purificationis erat, in paſſione complevit.

Luc. 12. 50.

Unde advertis Novatianos ſub omni peccatorum occaſione degentes adverſum ſe ſtultiſſimè recuſare, quod Deum pro ſe intelligant præſtitiſſe; ſolamque Eccleſiam, ut fide, ita & pietate, Deo proximam, ſuprà vilem concubinarum gregem, Reginam meritò nuncupari, quæ dextræ partis obtinens locum, ſiniſtræ filios cella condemnat; ad ſe venientibus integram fidem tradens, revertendi ad ſe cupientibus aditum non præcludens; dum & manifeſtam divinitatem fidelibus prædicat, & ſpe veniæ promptioris mavult revocare pereuntes, quàm corrigendos forſitan deſperatione confundere.

CAPUT XIX.

APOLLONIUS.

IN aperto eſt Novatianos ſtultè ignoſci nolle peccatis, & ſuæ fragilitatis immemores lapſorum magis damnatione, quàm converſorum emendatione lætari; ſed niſi expoſtulatio multiplex tædium gignit, unam hanc conſummandi operis adjice firmitatem, ut totius credulitatis corpus amplectens, ſacramentorum enumeres faſtigia divinorum, & memoriæ mandanda conſtituas, quæ perennis ſpei intellectibus prodidiſti, ut concluſo paucis ſenſibus verbo recolere poſſit crebra confeſſio, quod in formam Catholicæ brevitatis inſinuatio fidelis aptaverit.

ZACHÆUS.

Repetit quæ anteà fuſius ſcripſit de Trinitate.

Sufficere quidem poterat decurſa in cauſis ſingulis ratio, & omnium interpretationum textus elucens: ſed ne aliquis ex varietate ſenſuum ſcrupulus, ne qua ex reſponſionum pluralitate ambiguitas excitetur, totius fidei ſacrum ordinem tenens, ſemper hæc recoles. Unus eſt Deus Pater, qui ſemper hoc habuit ſpeciale quòd Pater eſt, non recipiens ulla ſed à ſe proferens omnia; inconvertibilis, inviſibilis, inæſtimabilis, æternus. Eſt igitur & Filius nomine atque perſonâ, non ſubſtantia, à Patre diſtinctus, plenæ majeſtatis ut genitor, perfectus perinde & ſempiternus; nec ſecundùm perfidorum opiniones à tempore credendus eſt quia natus eſt; ſed cum Patre ante tempora manens: nobis ex tempore aſſumpti Salvatoris oſtenſus: unus nunc idemque manſurus & credendus eſt & confitendus; quoniam manifeſta ejus divinitas non admittit ut aliquando non fuerit; nec rurſum veræ carnis aſſumptio patitur, ut ſancti Spiritûs creatione ceſſante natus ex Virgine non credatur. Eſt & Spiritus ſanctus à Patre ſimiliter [q] ac Filio, perſonâ tantùm & nomine, non majeſtate aut ſubſtantiâ alius æſtimandus; non genitus ut Filius, ſed à Patre procedens, virtutis, divinitatis, honoris perinde ac voluntatis ejuſdem, idem ſemper quod Pater ac Filius faciens atque idem præſtans: informator ſapientiæ, fidei dator, largitor munerum, ſanctificationis indultor, remiſſor criminum, gratiarum diviſor, Patrique ſemper ac Filio omni operum bonitate permixtus; nec creatus aliquando ſed creans ſemper. Hunc perpetuò credi & confiteri, adorari, colique ac metui convenit; ſummâque cordis puritate ſic diligi; ut ſicut idem in Patre ſemper ac Filio eſt, ita in eo Patris ac Filii plenitudo credatur.

Habes quæſitorum intellectuum veram ac ſimplicem rationem, brevitatiſque reſponſi ſcientiæ congruentis affectum: ſupereſt, ut ſicut prædictum in principio meminiſti, refertioribus majorum voluminibus ſtrenuus lector invigiles, & in hoc vel ſolâ brevitate contentus, celſioris doctrinæ notitiâ glorieris: voluntati potiùs privatim tuæ quàm editioni publicæ reſpondiſſe nos credens. Et ſanè ulterius pergere cœleſtium ſecretorum arcet immenſitas, ac retuſos propriâ imbecillitate ſenſus menarrabilis majeſtatis prohibet magnitudo: jamque horis in occaſum vergentibus vicina tenebris umbra diffunditur, atque attentos crebrâ interpretatione ſenſus & refoveri convenit, & reſolvi: tu autem hæc toto mentis & corporis labore cuſtodiens, nunquam fidem, nunquam deſeras confeſſionem: ne licitis excedas dum ſectaris illicita; & impoſſibilia cupiens, exuare ſalutaribus, Deo taliter præmonente: *Altiora à te [r] ne quæſieris, & fortiora à te ne ſcrutatus fueris.* Id eſt, quæ tibi prodita de cœleſtibus vel infernis lege ipſius non ſunt, noli penitùs audire vel credere; quoniam quos decipere carnis vitiis diabolus non poteſt, tali ſtudio & vanitate ſupplantat; occultæque ſcientiæ arbitros ſtatuens, lapidem ſub lapide cogit inquirere, ut inveniant ſerpentem. Ergo ſufficiat canonicis inhærere doctrinis & divinarum hiſtoriarum notitiam perquirenti, ea tantùm non ignorare quæ ſcripta ſunt, ſummâque diligentiâ conditum aſſiduè recordari Chriſtum Dominum Crucifixum, venturumque in judicium reſurgentium corporum, & cum electis perpetuò regnaturum. Hæc fiducialiter credes, hæc futura profiteberis, ut ſanctorum cœtibus aggregatus æternæ vitæ honore blandiſſimo & donari poſſis & perfrui. Sic inter obvias [s] peccatorum procellas, atque æſtus ſæculi collabentis juſtitiæ regulam ſervans, fidei ſpecialiter integritate merearis quæ ſunt perpetuò manſura poſt ſæculum.

Eccli. 3. 22.

Qui Diabolus decipere ſolet incautos ac curioſos. Studiis operam dantes, quibus incumbere debeat.

CAPUT XX.

APOLLONIUS.

MAgna eſt quidem libelli prioris editio, ac perſpicuis intellectibus [t] ſenſus rerum notitiam fidemque docuerunt; ſed non minùs præſentis utilitati, quàm gratiæ adſcribendum eſt præcedentis: quia licet à multis, ut ipſe profeſſus es, decurſa luſtraveris, intulit tamen brevitas commodum quod rarò mereantur eloquia prolixorum; fructuſque non parvus eſt, Trinæ primùm unitatis divinitatem clarâ expoſitione cognoſcere, tum Judæorum in perfidiâ ſuâ caſum, & in hæreticis univerſarum impietatum ruinam; tum denique in ſtultitiâ tuâ Novatiane, convictus, quantum tibi ex Dei indulgentiâ derogaris, evidentibus Scripturarum teſtimoniis didiciſti. Brevis inſuper fidei adjecta concluſio eſt, cordique adeò cuncta ſederunt, ut in his quæ ſecunda

p *in honore, utile Domino*] Codex Vind. *in honorem, utile Deo.* Suprà alterâ paginâ ubi legitur *ſacri corporis aſſumptione*, in utroque codice vox *ſacri* deeſt.

q *à Patre ſimiliter ac*] Sic codex Vind. haud paulo meliùs quàm prior editio *à Patre ſimul ac*: nam in vulgatâ lectione hæ voces *à Patre ac Filio*, ad verbum *eſt*, referri neceſſariò debent: in Vindocinenſi, ad vocem *alius*, quæ ſequitur, referuntur.

r *altiora à te*] Ita hunc locum exhibet codex Vind. *Altiora te ne quæſieris & inferiora te ne*, &c. Suprà ex eodem codice ſcripſimus *fidem.... confeſſionem* cum antea legeretur *fide.... confeſſione*.

ſ *ſic inter obvias*] Ita edere maluimus quàm quod erat in priori editione *ſi inter obvias*.

t *perſpicuis intellectibus*] Sic utraque codex Lemov & Vind. in editis *perſpicui intellectibus*. Sub finem ubi *alumna preratioms effetus*, legebatur *effectus*.

ſunt

ſunt degere votum ſit, in his conſummare deſiderium: modo ut hæc rerum omnium Creator ingenitus per eum quem ex ſe atque intrà ſe genuit Deum, & nunc florem ſumpti corporis habitantem in utrâque manſurum nativitate complectitur, per ſanctum perinde Spiritum impleturus exaudiat; & alumnæ precationis effectu * conferre non abnuat, quæ præſtitit velle; reptantemque inter præcepta ſua parvis greſſibus famulum placidus tueatur & dirigat, Trinitatem in perſonis ac nominibus, Deum in majeſtate ac ſubſtantiâ confitentem; utrumque tamen ſuæ miſerationis beneficiis relaturus, ſi & vivendo voluntatem ipſius impleam, & ſervatam Patrum traditionibus fidem, futuræ reſurrectionis gaudiis repræſentem. Patrum traditiones fidem ſervant.

Explicit Chriſtiani Zachæi & Apollonii Conſultationum liber ſecundus.

INCIPIT EARUMDEM LIBER TERTIUS CONSULTATIONUM.

Capitula Libri tertii.

I. *Quæ opportuna vivendi forma.*
II. *Quæ ſit ſublimioris vitæ regula conſervanda.*
III. *Quæ inſtituta Monachorum; vel quare à multis odio habeantur.*
IV. *Si fideles Monachi à Dei præcepto hæc gerant.*
V. *Ex quibus Scripturis continentia vel virginitas prædicentur, vel ſi præceptum eſt ut conjugia pro Dei amore ſeparentur.*
VI. *Quæ conſuetudo pſallendi orandique ſit, vel unde Monachis hæc præcepta venerunt.*
VII. *Si Antichriſtus veniet, aut quo mundus fine claudatur.*
VIII. *Quando veniet, vel quæ longinquitas Regni ejus.*
IX. *Quibus Scripturis ſit reſurrectio repromiſſa.*
X. *Oratio ad Deum.*

PRÆFATIO.

Tertium hunc jam inſtruentes libellum converſationis Catholicæ formam loquemur, quâ inſtrui alios, non quâ ipſi velimus efferri: hæc diſpoſitis obſervantiæ gradibus quid effici ab homine poſſit aut ſoleat, divinis ut exinde ſententiis demonſtrabit, exiguis ac mediocribus ſumma ſic temperans, ut nequaquam humilioribus deroget, quod ſit collatura potioribus; ſed ut illud Apoſtoli: *Quiſque ſibi vindicans fidem penès ſe habeat, ne judicans quemquam in Domino glorietur:* cautiùs utique ſervaturus in propriis, quod in alienis graviùs æſtimarit. [a]. Huic igitur Operi pauliſper ſtudium commodantes ſolitas exercebimus ſub congruâ diſputatione perſonas; atque inſtitutum à cognito eruditore diſcipulum arduæ profeſſionis honore provocabimus, morem diſtrictioris aggredi diſciplinæ, ſubjectiſque actibus probabilium Monachorum mentionem futuræ conſummationis inducere: cui hæc breviter perſcrutanti quæ ſit de Antichriſto abſolvetur obſcuritas; ut his ſpeciatim decurſis ultima reſurrectionis fides pateat, quæ licet dudum benè credita atque ſuſcepta ſit, verbis tamen ſimplicibus intimata divinâ promiſſione * firmabitur. Rom. 14. 22. a.

Primus itaque, ut in cæteris, Apollonius dilatæ collationis ſpatia relaturus, velut comperendinatam repetet ſubnixâ auctoritate vel affabilitate doctrinam, ut prædicti ordinis membra perluſtrans ſervire juſtitiæ arctiùs cupiat, ævique reſidua Deo deputans, mori quoque pro ejus nomine non recuſet, cum librato in ſingulis tenore cognoſcat quid velle hominem, quid audere * conveniat: quia & ſoli fiduciæ omnia credere parum firmum eſt, & infirmitati in omnibus ſubjici nihil merentis.

CAPUT PRIMUM.

APOLLONIUS. Si dignè comparatum eſt, ô Zachæe, ut id quod in mutis animalibus ſæpe comperimus, etiam in quorumdam hominum ſenſibus cerneremus; profectò in me hoc ſpecialiter veniens dicti veteris ſententiam comprobavit: nam ſicut cætera animalia ad ea ſemper loca ubi aliquando benè paſta ſunt revertuntur, nec largioribus illecta pabulis obliviſci poſſunt quod jejuna perceperint: ſic nos poſt verbi, ut nunc intelligo, famem ſitimque doctrinæ colloquia tua avidi petimus, expertiſque tractatibus fiducialiter inhæremus; à quo ſcilicet cœleſtis ſcientiæ cibos & hauſtus intellectuum ſumſimus divinorum. Ecce enim vix adhuc vaſtis gentilitatis erroribus liberi, modo infuſæ regenerationis novitatem ſpirantes, integritatem fidei [b] te tradente jam novimus, atque univerſa hæreticorum membra carpentes munus Catholicæ confeſſionis amplectimur, & Deo auctore fidentes exſtructæ ſuper petram domûs tegmina poſſidemus; ſi idem bonorum omnium largitor indulgeat, terrenæ converſationis actum, & cæcas ſæculi vanitates ab Evangelicæ turris ſpeculâ viſuri. Sed quamlibet Creatorem proprium, ut eſt; noſſe bonum primum ſit, atque in fidei ſuſceptione veræ ſalutis certa fundamina, alia tamen ordinatio credulitatis, alia vitæ * eſt; & ſpiritalis ædificii ſolidam molem tametſi impacta nequitiarum torrentibus unda non ſubruit; juſtitiæ tamen metalla non pingunt, ſi nulla virtutum opera ſuffragentur. Unde quia ab hujuſmodi ſtudiis tempore pridem non mente ceſſavimus, recentes poſt quietem ſenſus dilatis, ut recolis, redde tractatibus; & b

a *graviùs æſtimarit*] In codd. Vind. & Lem. *æſtimaret.* Infrà ex iiſdem ſcripſimus *divinâ promiſſione*, ubi erat *divinâ proviſione;* & ſubſtituimus *quid audere*, cum antea legeretur *quid audire*.

b *integritatem fidei*] Sic uterque codex Lem. & Vind. in editis *integram fidei*, malè: infrà *alia vitæ eſt*, in iiſdem ſcriptum, ubi editum erat *alia vita eſt*.

quam nos potiſſimùm vivendi formam inire conveniat conſultus exprome; ut dum ſpiritalem indulgentiam ſalubriter ſuades, hæc denique ex ſcripturis edicta conſtituas, quæ cum fidem teneant, virtutis operum [c] & gratiam non omittant.

ZACHÆUS. Memini dudum collationem noſtram diei fine ſuſpenſam, & ſubcreſcentibus interrogationum cauſis tempus magis quàm ſtudia defuiſſe; ob quæ nunc eâ conditione tibi cedimus, ut à nobis vivendi formam requirens, *competentem ſcientiæ gradum, non quòd gloriemur ex nobis, ſed quòd ex Deo prodeſſe aliis velimus, accipias: in quo tamen non abſurda præmonitio eſt tutis primordiis munire propoſita, * & manentibus in obſervatione deſideriis aſcenſum ſemper potiorum moliri. Ait enim in Evangelio Dominus: *Nemo*, inquit, *ſed ſi aturus turrem, non prius ſecum cogitaverit & ſumptum.* Ne interrupto opere incautiùs cœpta rideantur, & ſint odii quæ fuerant priùs voti. Talis * aggrediendorum hoſtium cauſa, * prænoſcere pugnaturos proprias docet [d] vires, perpenſoque adverſi agminis pondere vel fœdus inire vel prælium, ne ſerâ infirmitatis querelâ dare inſequuturo terga compellat, & poſt facti præcipitis pœnitentiam loco motis aut lugubris conditio ſubeatur aut turpis.

Luc. 14. 28.

Rectè ac Chriſtianè vivendi monita.

Itaque prima ac ſine diſcrimine via eſt, Deum firmiter credere, & cum benè credideris, plùs timere; toto inſuper, ut ſæpe jam diximus, formidatum corde diligere: non quia idem benè ac malè facere potens eſt, ſed quia magis præſtare bona mavult, & nunquam pro noxâ ut meremur ulciſci. Conſequens bonum eſt vitæ ſimplicis puritas, & exoſis facinoribus in proximos ſtudium charitatis. Sic enim ſcriptum eſt: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totis viſceribus tuis, & proximum tuum tanquam te.* Quo in loco non de propinquitate ſolâ fit mentio, ſed jure proximus dicitur, qui malis obrutus proſperis adjuvatur, & adoptivâ miſeratione confotus, quod cognatione generis non habet, gratiarum ad Deum reddit affectu [e]. Unde illud Salomonis eſt: *Conclude eleemoſynam in corde pauperis, & ipſa pro te exorabit ab omni malo.* Et iterum: *Qui pauperis miſeretur, Deo fœneratur.* David ſimiliter: *Junior fui & ſenui, & non vidi juſtum derelictum; nec ſemen ejus quærens panem. Totâ die miſeretur & commodat, & ſemen ejus in benedictione erit.* Job perinde: *Conſervavi*, inquit, *egenum de manu potentis; & pupillo cui non erat adjutor auxiliatus ſum. Os viduæ benedixit me ſemper, cum eſſem oculus cæcorum, & pes claudorum, & invalidorum pater.* Et Dominus in Evangelio ſe in perſonis humilium ſublevari docuit, dicens: *Amen dico vobis, quod feciſtis uni ex minimis iſtis, mihi & feciſtis.* Apoſtolus quoque: *Qui parcè ſeminat, parcè & metet; & qui ſeminat in benedictione, de benedictione & metet. Unuſquiſque autem ſecundum quod propoſuit in corde ſuo, non quaſi ex triſtitiâ & ex neceſſitate; hilarem enim datorem diligit Deus.* Totum autem miſericordiæ opus prodeſſe * per Eſaiam Spiritus pandit dicens: *Solve omnem nodum injuſtitiæ; reſolve ſuffocationes impotentium commerciorum, dimitte quaſſatos in requiem, & omnem conſignationem injuſtam diſſipa. Frange eſurienti panem tuum, & egenum ſine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, veſti, & domeſticos ſeminis tui ne deſpexeris. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, & veſtimenta tua citò orientur, & præibit ante te juſtitia tua, & claritas Dei circumdabit te. Tunc clamabis, & ego exaudiam, dum adhuc loqueris dicam, ecce adſum.* Ergo ſubſtantia abſque fraudibus parta, ſi ita poſſideatur, accepta eſt; ac non in facultate mediocri, ſed in cupidine divitiarum cauſa peccati eſt, Domino proteſtante: *Væ vobis divites, qui habetis conſolationem veſtram.* Et iterum: *Difficilè qui pecunias habent intrabunt in regnum cœlorum.*

Matth. 22. 37. *Ibid. 39.* *Eccli. 29. 15.* *Prov. 19. 17.* *Pſal. 36. 25.* *Job 29. 12. ad Septuag.* *Mat. 25. 40.* *2. Cor. 9. 6.* *Iſai. 58. 6.* *Luc. 6. 24.* *Ibid. 18. 24.*

Conjugia autem Deo honeſta non diſplicent, & in procreationibus liberorum ſolemnis tori modeſta dilectio, Scripturâ dicente: *Propter hoc relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ; & erunt duo in carne unâ.* Et iterum: *Quod Deus junxit homo non disjungat.* [f] [Inde habitus non luxui deditus, ſed nitori.] * Et ſecundum Apoſtolum: *Omnium quæ in macello veneunt eſus ſine culpâ eſt.* Quoniam ſicut idem Apoſtolus ait: *Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia & pax in Spiritu ſancto.* Perniciosa tamen nimietas uſus utriuſque eſt, Domino ſic monente: *Videte ne graventur in vino & crapulâ corda veſtra.* Quod jam tamen per Salomonem ante prædixerat: *Cui væ, cui lividi oculi? nonne eorum qui commorantur in vino, & ſectantur ubi convivia fiunt?* Unde Apoſtolus ſumendi propter infirmitatem vini dat Timotheo præcepta, ſed modici. Hæc & alio loco dicens: *Nemo vos ſeducat; ebrioſi regnum Dei non poſſidebunt.* In hac igitur vitæ formâ & converſationis ſobriæ diſciplinâ mens ad Deum prompta ſit, crebraque jejunia, & aſſiduæ in ſupplicationibus preces juſtitiam aut mereantur aut faciant, ut ſumpta ex Evangeliis ſententia ſic viventem comitetur ac protegat: *Gloria in excelſis Deo, & pax in terrâ hominibus bonæ voluntatis.* Hæc mediocribus, ſi ſublimium fervor aberit dicta ſufficient. His vitæ perennis promiſſa concedi, omnium ſcripturarum pandit auctoritas, ut ſi inter illa futuri regni clariſſima ſidera ſplendor eximius [g] non attollit exiguos, delicta non opprimant, manſionumque, ut ipſe meminit, apud Patrem diverſitas conſoletur, illudque in ſummâ adhortantis Domini ſuccurrit edictum: *Omnes qui crediderint in me non confundentur.* Id eſt, ut eos à Chriſto vis nulla diſterminet, * quos ſemel eidem fides pura nexuerit, & ſalutaris ſigni integritate ſalventur, qui ea quæ ob laborem difficilia ſunt aut * impoſſibilia reſpuunt, aut aggredi quia ſunt ardua & magna, timuerunt.

Geneſ. 2. 24. *Matth. 19. 6.* *1. Cor. 10. 25.* *Rom. 14. 17.* *Luc. 21. 34.* *Prov. 23. 29. juxta Sept.* *1. Cor. 3. 18.* *Ibid. 6. 10.* *Luc. 2. 14.* *Rom. 9. 33.*

CAPUT II.

APOLLONIUS. Aperta eſt doctrinæ iſtius veritas, ſanumque conſilium, ut Deum præ cunctis affectibus diligentes, etiam ſi ſumma non capimus, nequaquam

c *virtutis operum &*] Sic codex Lem. & Vind. *virtutis opera &*. Prior editio *virtutis operum &*. Infrà ubi *tutis primordiis munire propoſita*: in editis *tut. prim. munere propoſito*: quo nihil fœdius, nec tamen mendum mſſ. codices, niſi quod Vind. habet *propoſita*.

d *talis... cauſa... docet*] Sic in codice Vind. & Lem. emendatè: in priori editione *tales... cauſas... docet*, corruptè.

e *reddit affectu*] Poſterior vox è codice Lemov. deſumpta eſt, nam antea legebatur *affectum*. Infrà ex eodem codice verbum *prodeſſe* adſcripſimus poſt illa *miſericordiæ opus*. Idem in Iſaiâ habet *citò orientur*, ubi legitur *citò orientur*.

f *non disjungat*] Codex Vind. *non ſeparet*. Quæ ſequuntur uncinis incluſa ſuperſunt è commate in quo Zachæus de uſo fictio veſtium & ciborum diſputabat.

g *ſplendor eximius*] Hic locus ſic deſcriptus eſt in codice Lem. *ſplendor eximius non attollit, exiguos delicta*, &c. Infrà in eodem codice *vis nulla ſubtrahat*. Quod ſequitur *difficilia ſunt aut impoſſibilia*, diſplicet Acherio, qui conjecit legi oportere *aut ut impoſſibilia*: ſed hæc vocula meliùs abeſt; non enim hic agitur de præceptis, ac ne de conſiliis quidem generatim, ſed de certis duntaxat conſiliis, quæ pleriſque hominibus impoſſibilia eſſe non immeritò dixeris, quòd ad ea ſequenda vocati non eſſe videantur.

h tamen vel mediocribus excedamus: [h] & ſi honor ſublimium ſplendorque non vetat, ſententia miſeros æterna non damnet: ſed verè iſtud aut inertis aut diffidentis eſt animi, atque à Dei munificentiâ præcipuum nil ſperantis, torpere in exiguis hominem, cui ſumma propoſita ſint, & vitæ tanti facere commoditatem, ut inæſtimabilium ſæculorum regna diſſimuler, vel quadam vulgi conditione deſpectus ſerò ſe lugeat non quæſiſſe, quod jam mereri exacta ſæculi converſatione non poſſit. Quæ nobis ergo vivendi forma ſublimiorque ſit ratio propoſiti celſioris, ſacris non pigeat docere ſententiis, quia non ita labor aſpernatur* infirmos, ut nulla divinæ provocationis fiducia cohortetur, dum in his quæ, ut ipſe dixiſti, velut impoſſibilia prædicantur, & i temporibus meritum non tenetur, [i] & actu levius* fortaſſe quàm creditur.

ZACHÆUS. Matth. 7. 14. *Anguſta* quidem *& ardua via eſt, quæ ducit ad vitam*, ſed cum ſint poſſibilia cuncta credentibus, Quid faciendum ſit ab eo, qui ad perfectionem aſpirat. inquantum ratio noſtræ fragilitatis admittit, faſtigia munerum divinorum ſub Dei ſemper invocatione quærenda ſunt, præcipuè cum in noſtro corpore Dominus agens, nil penitùs quod homo efficere non Joan. 13. 15. poſſit injunxerit, Apoſtolis dicens: *Ecce reliqui vobis exemplum quod ſequamini.* Id eſt, excuſatio impoſſibilitatis abſcedat, ea facere poſſe vos doceo Matt. 19. 21. quæ ipſe non renui: quapropter *Si perfectus vis eſſe,* (ut idem conſulenti juveni Dominus ait) *vade, vende omnia bona tua, & da pauperibus: & veni ſequere me.* Id eſt oblitus reſpuenſque terrena, cœ-Ibid. leſtia concupiſce, & ſicut ipſe ſubjicit dicens: *Theſauri ſpiritalis opibus abundabis.* Talis enim apud Deum voluntariæ paupertatis eſt cauſa, ut temporariè inops factus, dives maneas in æternum, & caducam ſæculi dignitatem vel voluptatem pro illius amore contemnens, cœleſtes delicias poſſeſſurus obtineas. Inexſolubilia itaque mundi iſtius vincula rumpenda, & quædam facultatum & prædiorum abjicienda ſunt onera, ut ad Redemptorem noſtrum pervenire cupientes, nullis delictorum neceſſitatibus urgeamur; quibus tametſi cum voluntate ipſa peccandi neceſſitas abeſt, timenda nihilominus ſemper occaſio eſt, ac nonnunquam ſub honeſtis actibus l culpa ſubrepens; in ipſo Evangelio [l] veritate ſic Luc. 14. 33. teſtante: *Qui non renunciaverit omnibus quæ poſſidet, &* Ibid. 26. *tulerit crucem ſuam, & ſequutus fuerit me, non poteſt meus diſcipulus eſſe.* Ergo enitendum eſt, ut illius primùm diſcipuli, poſt amici eſſe poſſimus. Ceſſat enim conditio ſervitutis, ſi meritum ſpiritale ſuccedat, ipſo dicente: *Si feceritis quod mando vobis:* Joan. 15. 14. *ecce jam non dicam* vos ſervos ſed amicos.* Hic labor ſic viventibus gratus eſt, & pro ſpe hujuſmodi cunctis deliciis præſtat injuria, blanda humilitas, patienſque contemptus, victus exiguus, pauperque veſtitus; & in imperia* ſpiritûs carne depreſſâ, obliqua vitiis ſtudia diſcenda ſunt, iram vincere, invidiæ nihil debere, colere manſuetudinem, arrogantiam deteſtari, reſpuere humanæ gloriæ vanitatem, & linguam ſervilimum malum ab obtrectatione cohibere; ut ſic exuviis veteris hominis abjumptis non 1. Cor. 15. 49. fruſtrà illud Apoſtoli recenſeatur: *Sicut portavimus* Ibid. 4. 16. *imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis*: imitatoreſque illius ſimus, ſicut ille Chriſti, fiducia-Phil. 3. 20. liter uſurpantes: *Noſtra autem converſatio in cœlis eſt.*

Thren. 3. 24. Et, *Pars noſtra Dominus.* Cum in hæc ſemper intenti nec viſu recipimus nec auditu, quo aut admitti delictum aut admittendum ſoleat cogitari.

CAPUT III.

APOLLONIUS. SUfficienter interrogationis iſtius vota ſuppleta ſunt, & ita veræ perfectionis merita patuerunt, ut quidam animo experiendi fervor obrepſerit, & vitæ præſentis uſum à totis delictorum occaſionibus ſegregarit. Quæ nunc igitur Monachorum congregatio vel ſecta ſit, vel quam ob cauſam etiam noſtrorum odiis digni habeantur, exprome: qui utique ſi honeſta ſectantur, neque à fidei omnino diſſentiunt, imitandi ſunt potiùs quàm vitandi: quia, ut arbitror, ejuſdem apud Deum criminis atque peccati eſt odiſſe bonos, cujus & noxios non vitare; dum fieri nullo pacto poteſt, ut eſſe bonus malit qui diligit malos, vel rurſum, malitiæ ſtimulis non agatur, qui quamlibet bonitatis ſpeciem præm ferat, ut verè illud [m] quod immeritò in aliis exercetur.

ZACHÆUS. Juſtà æſtimatione perpendis hujuſmodi propoſitum, vitamque ſectantes odio eſſe fidelibus non Varia Monachorum genera. debere, ne ſub incerto mentis arbitrio pro malis bonorum incatur offenſa; & ſicut ſcriptum eſt: *Qui* Pſal. 33. 22. *oderunt juſtos, delinquent.* Et illud: *Væ vos qui di-* Iſai. 5. 20. *cunt malum bonum.* Multiplex enim obſervantiæ iſtius forma eſt, ac ſub uno propoſiti nomine diverſa genera Monachorum: ſed talis omnium cauſa, qualem in cunctis ordinibus fore* noſti, ut propter morum varietatem ſit etiam diverſitas voluntatum: unde profeſſio irreprehenſibilis & ſancta eſt; ſed quidam ſub hujus converſationis velamine odiis digna committunt, ac licet diſſimili arguantur reatu, generaliter tamen à profeſſione diſcedunt. Hi namque quorum inter devitantes perditior animus eſt, temporariè abſtinentiam & continentiam ſimulant, & primùm ſtudiis lubricæ familiaritatis irrepunt, captaſque mulierculas vanis opinionibus illudentes, in uſum miſeræ cupiditatis illiciunt; dum aut muneribus inhiant, & fœda avaritiæ lucra conquirunt, aut dolo ſubditas vincunt, & à propoſito devotæ caſtitatis abducunt. Alii autem fideliter inchoant, ardentique propoſito juſtitiæ ſervire contendunt; deinde inconſiderantiùs arrepta non perferunt, atque à cœptis deſiſtunt, vel certè invidentium aut aggredi detrectantium perſuaſionibus molliuntur, atque ab inſtituti rigore diſcedunt; tum remiſſioribus aſſuefacti in omnem illecebram corporis redeunt, ac primam fidem irritam facientes, communis vitæ ordinem laudant, ut actum propoſiti durioris accuſent. Unde intelligis non ab his eorumque ſimilibus integritatem perdurantis induſtriæ prædamnandam, aut in labore ſanctiſſimo ſublimiter conſummantium gloriam reverentiamque minuendam: cum ſicut dictum eſt, perſona magis quàm ordo diſpliceat, nec jure deſpici propter aliquos poſſit, quod magnanimiter ſervatur à multis.

Hi autem verè modum profeſſionis iſtius exequuntur, qui ut jam dictum eſt, abſciſſis penitùs ſæculi vinculis, in legis exercitatione verſantur, & promiſſa ad integrum præſtolantes, præcepta ad integrum implere nituntur: ſed in his quoque ob-

h *mediocribus excedamus*] Achelius rectè monuit legi oportere *excedamur.* Infra, *quia non ita labor*, &c. perſpicuè malè; ſed nihil eſt in mſſ. quo errorem emendare poſſimus: fortè *aſperatur, infirmos ut*, &c. ſed mallem *aſpero dehortatur infirmos, ut*, &c.

i *meritum non tenetur*] Hic etiam librariorum negligentiæ exemplum vides; nullus enim idoneus ſenſus ex his verbis erui poteſt. Non diſpliceret *non teritur*, hoc eſt, non minuitur: ſed deinde legendum eſſet, *& actu levius eſt.*

l *in ipſo Evangelio*] Sic codex Vind. prior editio, *ipſo in Evangeliis ſic proteſtante.* Haud ita multo poſt ex eodem codice ſcripſimus *jam non dicam*, ubi erat *jam non dico*. & infrà è Lemov. *in imperia ſpiritus*, ubi legebatur *in imperio ſpiritûs.*

m *ſic verè illud*] Sic in codice Lem. in editis *ſit verè illud.* Infrà ubi *fore noſti*, mallem *fore noſſe.*

ſervantiarum non parva diſtantia eſt; ac licet cunctis merces cordi ſit gloriam futurorum; alii tamen ſummis, alii mediocribus ſtudent.

Quidam etiam velut in poſtremo ſectæ iſtius gradu parva obſervatione contenti tantùm cœlibes vivunt, vel numquam experti matrimonia reſpuentes, vel amiſſorum recordatione commoniti, ſecunda, ſi prima habuere, devitant, dum alterum ferè non caventibus provenit, ut aut quod in primis perdiderunt, non inveniant in ſecundis; aut rurſum in conſequentibus patiantur quod caruerint in defunctis. Hi, inquam, rebus communis converſationis interſunt, & ſecreta non expetunt, vitæ hujus conſuetudinem retinentes, ut etiam ſi à delictis vacui fore poſſunt, occaſioni tamen ſubjaceant delictorum, dum lege corporis in diverſum trahente difficilius magna perficiunt, qui poſſunt mala videre nolentes. Habitus his nec inhonorabilis nec abjectus eſt; & aut idem qui omnibus cibus potuſque communis, aut rarò abſtinens & in paucis receſſus. Pſallendi perinde vigore non ferveut, nulliſque vigiliis nocturnam rumpunt quietem; non profuſum ſed tractabilem cenſum poſcentium inopiæ ſuggerentes: fides calida eſt, non tamen fervens, & mens religioſa, non religioni penitùs addicta. Hujuſmodi autem conſuetudo potiorum eſt; locis primùm remotioribus habitant, etiamſi in urbibus degant, ipſiumque converſationis ordinem non quidem jactanter oſtentant, ſed ab exhortationibus alterum velle ſupprimere peccati loco ducunt.

Cœnobitæ.

His conveniendi unus omnibus locus eſt, ſed diſpar materia; veſtitus humilis, cibuſque non blandus, nec intereſt ex quo potiſſimùm ſitis, vel quàm vili liquore ſatietur, dum potandi arceat voluptatem, & vim corpore neceſſitatis excludat. Pſallendi verò intentis crebra ſunt ſtudia, certiſque horarum vicibus laudandi Deum devotio diſtributa: jugis jejunii uſque ad veſperum labor, & opus diurnum prout eſt ſcientia exercetur; ac [n] ſingulis (n) proprium quod alicui ſuppetit non eſt, & eſt commune quod deficit. Ideo cunctis execrabilis torpor & victus niſi ex labore non congruens. Juncia perinde lectulis ſtrata, parviſque velaminibus permiſſum ſomno corpus obtegitur: quin etiam ſupplicandi in nocte ſtatuta ſunt tempora, notæque vigiliæ. Numquam præterea diei falluntur adventu, ſed ſtrenuos ſemper pſallentes [o] auroræ tempus exſuſcitat, atque offerendas Deo laudes devotio matutina compellit.

Eremitæ.

Hi autem quibus primus obſervantiæ gradus eſt, ſoli eremum ac ſqualentia deſerti loca habitant, veriſque vocabulis nuncupati ſingularem tranſigunt vitam, aut cavatis in habitaculum ſaxis ſubterraneis ſpecubus à ſole & imbribus temperantes, pane veteri & ſine ciborum adjectione veſcuntur, ſumentes purum è fontibus potum: veſtitus talibus aut pelliceus aut cilicinus eſt, & totius vitæ uſus in agone mentis & corporis. Jam verò ad Deum inceſſabiles preces; ac ſupplicatio in ſacrificii vicem cedit, vel ſi quando ab oratione ceſſatur, pſallendi gratia canitur laus divina, & alacritas mentis exercitio religioſæ jucunditatis accenditur. Ineſt præterea multifaria dæmonum turba, & dolis immundorum ſpirituum victrix conſtantia ſæpe congreditur. Continuatio aſſidua jejunandi, noctiſque pervigiles, & aut ſine fulcris humo corpuſcula decubant, aut ſaxo pauliſper dejecta (o) durantur, ut ſomnus non agi videatur injurioſà brevitate, ſed pelli. Hæc Monachorum diverſitas, & talis ſpiritaliter degentium cœleſtis in terris agitur diſciplina. Pro Dei autem nomine votiva mors omnibus, atque optabilis ſancti exitûs pompa, dum nulla in ſæculo compenſatur injuria; quod & ſublimi honore munerandum eſt, & ſine ulla temporum mutatione manſurum.

CAPUT IV.

Apollonius.

Magna eſt quidem talium prædicatio virtutum, & in Dei voluntate vel laudibus famulantium [p] ſervitus glorioſa, quoniam hujuſmodi ſtudiis & pernicioſa vitæ iſtius blandimenta vitantur, & perennis beatitudinis præmia conquiruntur. Singula tamen quæ à fidelibus Monachis agi ſuperiùs meminiſti, ex Dei monentis manare præcepto, ordine cœptæ informationis oſtende; nam procul dubio clarum eſt incerti eadem eſſe momenti, ſi non ejus auctoritate ſuſcepta ſunt, à quo & muneranda creduntur.

Zachæus. Cur Monaſtica inſtituta ſit.

Specialis primùm expetendorum ſecretorum Monachis cauſa eſt, ut peccati, ſicut jam dictum eſt, etiam occaſionem devitent, & quibus voluntas in propoſito recta eſt, actus alius eſſe non poſſit; ſimul denique ut bellum contra ſæculum ſuſcepturi, nullà mundi frangantur illecebrà; fervens enim in ſpiritu fides rebus illius inimica eſt, ſicut Johannes in epiſtolà ſuà prædicat, dicens: *Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis dilexerit mundum non eſt charitas Patris in illo; quia omnia quæ in mundo ſunt, concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & ambitio ſæculi eſt.* (1. Joan. 2. 15.) Jacobus ſimiliter: *Neſcitis, Fratres, quia amicitia hujus mundi inimica eſt Deo; & quicumque voluerit amicus eſſe hujus ſæculi, inimicus Dei conſtituetur?* (Jac. 4. 4.) Veſtitûs autem humilitatem, & jugem jejuniorum laborem Deo acceptabilem fore David ſpecialiter indicat, dicens: *Ego*, inquit, *cum mihi moleſti eſſent, induebar cilicio: & in jejunio humiliabam animam meam*: (Pſal. 34. 13.) Et iterum: *Poſui veſtimentum meum cilicium*: (Ibid. 68. 12.) Et, *Panem meum cum cinere miſcebam, & potum meum cum fletu temperabam.* (Ibid. 101. 10) Dominus verò Johannis habitum prædicans ait: *Quid exiſtis in deſertum videre? Hominem mollibus veſtimentis indutum? Ecce qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt.* (Matth. 11. 8. Luc. 7. 25.) Illi ſcilicet cultum fore indicans habitum, ubi & uſum in voluptatibus abundantem: erat enim veſtitus illius de pilis cameli, id eſt, etiam lanarum mollitie habitus carens. Zonà perinde pelliceà cingebatur; & vinum ac ſiceram non bibens, edebat locuſtas & mel ſilveſtre, elegantis paratioriſque convivii copias non requirens, eo tantùm utebatur, quod electæ converſationi nec inferret luxuriam, nec gigneret ſumptum.

Unde Ilias magnum iter ex Dei juſſione ſubiturus aquæ tantùm ab Angelo, & vilis ponitur panis. Daniel verò ut deſideriorum obtineat effectum [q] poculis ciboque non fruitur. Ipſe denique Dominus in jejunio & humilitate diabolum vincit: ſicut Apoſtolus ait: *Semetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, ut nos & paupertate illius divites fieremus, & ab injurià ſalvaremur.* (Philip. 2. 7. 2. Cor. 8. 9.) Qui tamen cum in eodem ſuſceptam ex gentibus gubernare vellet [*] Eccleſiam,

n *ac ſingulis*] Sic edere maluimus, quàm ut in priori editione *à ſingulis*. Infra ubi ſcripſimus *ſemper pſallentes*, ex codice Vind. antea legebatur *ſemper fallentes*.

o *pauliſper dejecta*] Ita legitur in codice Vind. in priori editione *pauliſper projecta*.

p *vel laudibus famulantium*] Hanc vocem quæ deerat, adſcripſimus è codice Vind.

q *obtineat effectum*] Statim in priori editione ſequebatur vox *deſideriorum*, quam expunximus ut inutilem. Infrà in codice Vind. deeſt *Eccleſiam* in editis *velet*.

Rom. 14. 21.
Epheſ. 5. 18.

abſtinentiam quoque verbis talibus prædicavit: *Bonum eſt non manducare carnes, & non bibere vinum, in quo eſt luxuria.* Id eſt, ut Deum mens humiliata plus cogitet, carnemque ſubjectam à luxu pariter ſumptuque ſubmoveat, quo utique & quærendo occupamur, & ſollicitamur expenſo: cum ſi in Dei Regnum intenti potiùs fuerimus, in exhibendis neceſſariis ſententia illa non deſit, quâ ſcriptum eſt:

Luc. 12. 22.
Ibid. 30.
Phil. 3. 19.

Nolite ſolliciti eſſe quid manducetis, aut quid bibatis, aut quid veſtiamini: quoniam hæc gentes requirunt: Illi ſcilicet: *Quorum venter Deus eſt, & ſpes omnis in faucibus.* Quibus edendi, bibendique animalium more ſola ac præcipua cura eſt. Prædictam autem rei fiduciam tali protinùs confirmavit exemplo:

Matth. 6. 26.
Ibid. 32.

Aſpicite volatilia cœli: non arant, neque ſerunt, neque in horrea congerunt: & Pater veſter paſcit: ſic & vos modicæ fidei: ſcit enim Pater veſter quia his omnibus indigetis; itaque quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia apponentur vobis: id eſt, nec opinantibus præbebuntur. Unde Apoſtolus, ut poſſideri omnia poſſint, nihil in ſollicitudine poſſidendum declarat,

2. Cor. 6. 10.

dicens: *Ut nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Itaque intelligis eos proprietati ſuæ cuncta ſubjicere qui cuncta contempſerint, atque inſipientium judicio pauperes credi, qui ſunt in Dei promiſſione locupletes, & temporariè parva deſpiciunt, ut perpetuò magna mereantur: hiſque in ſæculo egere contenti ſunt, quæ ab aliis cum diſcrimine honeſtatis & vitæ ad hoc per omne ævum contracta pariuntur, ut aut mox in ſæculo hiſdem viventibus pereant, aut quandoque de ſæculo receſſuris peritura cum ſæculo relinquantur.

CAPUT V.

APOLLONIUS.

CLarè patuit contemptum mundi cum humilitate veſtitûs, continentiæque propoſito, ſacræ informationis oraculis præfulgere; eoſque in cœleſtibus plus mereri qui de terrenis parva præſumpſerint, atque ad hoc Monachos juris obſervationibus erudi, ut non ſolum vitia, ſed materiam amputent vitiorum; unde nunc evidens continentiæ & virginitatis præceptum iiſdem Scripturarum auctoritatibus pande; quare denique cœlibes non ſolùm calibus facti, ſed à juſtis conventibus abſtinentes, rectè quidem illicita condemnant, ſed nihilominùs licita aut aſpernantur aut reſpuunt; quæ ſi utique[r] ex præcepto divinitatis ut prædicta venerunt, ſalubriter exiguntur; ſin autem à cœleſti informatione ſejuncta ſunt; quam ob cauſam velut oportuit imperantur quæ & in obſervatione difficilia, & in labore ſine fructu ſunt.

ZACHÆUS.
Geneſ. 2. 18.
Geneſ. 1. 28. & 9. 1.
Cur Monachi ſint cœlibes.

Adæ quidem à principio dictum eſt: *Non eſt bonum eſſe ſolum.* Et mox procreationum ſententia ſubſequuta: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Sed facta eidem atque ex eodem mulier priùs ſolatio quàm conjugio fuit; donec à paradiſo inobedientia faceret extorres, quos intrà paradiſum obedientia tenuiſſet, ac poſt beatæ ſedis excidium, mulierem ſuam pulſus agnoſceret, libro Geneſis hoc docente:

Geneſ. 4. 1.

Et cognovit Adam uxorem ſuam, & concepit & peperit filium. Ergo addictum laborem nuptiæ præceſſerunt, & tribulos ſpinaſque paſſuri prævios adjecere conventûs; ſequuta in procreationibus tædia, & paritura aliud præceſſit edictum:

Ibid. 3. 16.

In dolore, inquit, *& mœrore paries filios.* Quos utique ſic creatos diverſi, ut cernimus, caſus fluctuſque ſubripuerunt. Unde Apoſtolus prædicans ait: *Tribulationem*

1. Cor. 7. 28.

tamen carnis habebunt hujuſmodi. Non tamen conjugiorum inhonorabiles thori, aut immaculatum cubile ſine fructu eſt; nempe ſoboles inde Sanctorum; & quod laudatur in virginitate conjugii eſt; ſed ſublimius continentiæ præmium; celſiorque virginitas nec poteſt timere quod minor ſit, nec debet inſultare quia major eſt; ſed Catholica interpretatio[s] diſtincta honeſtis conjugiis præconia tribuat caſtitatis, continentiæ meritum abſtinentibus reputet, integris præmium virginitatis adſcribat. Hoc eſt non damnare quod bonum eſt, ſed ſuadere quod melius; unde illud in ſcripturis evidens continentiæ documentum eſt: *Sciebat,* inquit, *Dominus quoniam minoratus* eſt Iſraël, & non eſt jam dereliƈtus præter continentes.* Quod Salomon in ſpiritu prævidens ait:

Eccleſ. 3. 5.

Tempus amplexandi & tempus longè fieri ab amplexu. Quia præcepti veteris eſt, ut terra procreationibus impleatur; novi autem, ut continentia atque virginitatis impleat cœlum. Unde per Zachariam Dominus ait:

Zach. 9. 16.

Sancti lapides volvuntur ſuper terram, in juvenibus triticum, vinum ſuave olens in virginibus. In Evangelio denique ſpadonum diverſa genera memorantur, ſed illis ſpecialis regni poſſeſſio deputatur, qui ſe ejus causâ & amore caſtraverint, id eſt, non quos impoſſibilitatis neceſſitas cogit; ſed quos voluntas efficit continentes. Sic enim ſcriptum eſt, Domino diſputante:

Matth. 19. 12.

Sunt ſpadones qui ab hominibus ſunt, & ſunt ſpadones qui ab utero matris ſuæ ita nati ſunt; & ſunt ſpadones qui ſe caſtraverunt propter regnum cœlorum. De quibus per Eſaiam dicitur:

Iſai. 56. 5.

Dabo illis locum meliorem filiis & filiabus.

Quam tamen adeò ardui ac ſublimioris præmii eſſe profeſſus eſt; ut dicentibus quodam loco Apoſtolis;

Matt. 19. 10.
Virginitatis prærogativæ.

Si ſic eſt homini cauſa cum muliere, ergo non expedit nubere. Ille reſponderit: *Qui poteſt capere, capiat.* Non ergo præceptum de continentibus, ſed ſuaſio eſt; nec injungitur virginitas, ut ſit neceſſitatis, ſed, ut voluntatis poſſit eſſe, laudatur, Apoſtolo proteſtante:

1. Cor. 7. 25.

De virginibus autem præceptum Domini non habeo, ſed conſilium do, tanquam & ipſe ſcientiam Dei habens. Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe. Joannes verò in Apocalypſi eos tantùm agni veſtigiis inhærere præſcribit, qui contaminati mulierum conventibus non fuerint, dicens:

Apoc. 14. 4.

Hi ſunt qui ſequuntur agnum quocumque vadit; hi ſunt qui ſe cum mulieribus non coinquinaverunt; virgines enim permanſerunt. Præferuntur itaque rationabiliter meliora, ſed tamen quæ humiliora ſunt, mala non ſunt; nec aliquod in nuptiis ſignatur delictum; ſed ut paulo ante cognoſti, propter inſtantis finis neceſſitatem, ne ſecundum Evangelium,

Luc. 21. 23.

Væ prægnantibus & nutrientibus ſit, continentia perſuadetur; ſimul ut diſtrictæ ſatisfactioni aliquando ſint dediti, qui conjugiis vacaverunt; ac peccatorum onera recordantes reſtitui Deo arctiùs enitantur, dum rectè etiam à licitis abſtinent, qui illicita commiſerunt.

CAPUT VI.

APOLLONIUS.

ET ego ſciebam virginitatis, continentiæque propoſitum meriti eſſe ſublimis, præcipuè cum Dei reverentiæ dedicati humanam conſecrent voluntatem: dum & veneratione communi digna ſuſcipiunt, & vitam Angelicæ dignitatis vel converſationis imitantur. Sed quia imperium in hac parte non conſilium credidi, auctoritatem ex Scripturis oportuit dari. Nunc autem quæ orandi pſallendique

r *quæ ſi utique*] Sic codex Vind. prior editio *ſi itaque.*
s *ſed Catholica interpretatio*] Ita edere libuit, cum antea editum eſſet *ſed catholicâ interpretatione.* Infrà ubi *minoratus eſt Iſrael,* in codice Lem. habetur *voratus eſt Iſrael.*

t conſuetudo tam crebra ſit, aut unde ad Monachos[t] talium doctrinarum ſtudia defluxerint, breviter pande; quamvis enim grande ſit in aſſiduâ ſupplicatione momentum, cantandi tamen ſtudium videtur utiolum, cum & attentior in ipsâ ſupplicatione ſit raritas, & divinam majeſtatem ſeriis potiùs laudibus quàm facetis deceat honorari.

ZACHÆUS. De pſallendi officio.

Intentos quidem orationi ac per omnia ſerios offerri nos Dei conſpectibus fas eſt, & proſperum actuum * regimen ſubjectis ſenſibus poſtulare; ſed neceſſe eſt ut ocius impetret qui ſæpiùs deprecatur, Domino in Evangeliis depromente: *Amen dico vobis, ſi non dabit propter amicitiam, dabit propter importunitatem*, id eſt, ſi parùm poteſt obtinere per meritum, rogandi frequentia prævalebit. (Luc. 11. 8.) Unde iterum: *Orate ſine intermiſſione, ut digni habeamini effugere mala quæ ſuperventura ſunt vobis.* (Ibid. 21. 36.) Per Salomonem verò Spiritus dicit: *Ne impediaris orare ſemper*: Apoſtolus perinde: *Orantes inceſſabiliter gratias Deo agite: hæc enim eſt voluntas ejus.* (1. Theſſ. 5. 18) In illo autem de canticis ſancti carminis textu totum ſerium, totumque venerabile eſt; adeoque ſanctis cultibus dignum, ut eo ſemper aut laudetur divinitas, aut oretur. Hoc enim illic indulgentia divina proſpexit cum infirmitati noſtræ abuſionique conſuleret, ut triſtibus mitia, ſeveris blanda permiſcens abire nos quoquomodo à ſui recordatione non ſineret, cum ejus beneficia non ſolùm loqui, ſed & canere delectaret. Moyſe primùm poſt rubri maris tranſitum, ſic docente: *Cantemus Domino, glorioſè enim honorificatus eſt.* (Exod. 15. 1.) David perinde pro bonorum retributione quid Deo potiſſimùm offerret eligenti, cantandi, pſallendique amœnitas ſedit, ait enim: *Cantabo Domino qui bona tribuit mihi.* (Pſal. 12. 16.) Et, *Pſallam nomini tuo, Altiſſime.* (Ibid. 9. 2.) Et iterum: *Exaltare Domine in virtute tuâ; cantabimus & pſallemus virtutes tuas.* Per Hieremiam verò hujuſmodi ſtudiis deditos multiplicandos in gloriâ Deus dicit: *Erunt*, inquit, *ex his cantantes vox laudantium; & multiplicabo eos, & non minorabuntur.* (Baruch. 2. 32 & 34.)

Tres autem pueri in camino ignis intacti ſalvationis vicem in cantico laudis rependunt. Hymno cum Apoſtolis dicto Dominus pergit ad montem, ut ſanctæ feſtivitatis libertas ab illo[u] conſummatæ auctoritatis haberet exemplum, qui nos in omnibus imbuiſſet. (u) Quod tamen certis diei noctiſque horis eſſe celebrandum David ſub relatione proprii actûs inſtituit, dicens: *Ego*, inquit, *clamabo veſpere, mane & meridie.* (Pſal. 54. 18) Et iterum: *Septies in die laudem dixi tibi.* (Pſ. 118. 164.) Et tertiò: *Clamabo per diem nec exaudies: & nocte, & non ad inſipientiam mihi.* (Ibid. 21.) Exultare ergo Dei laudibus nec Regem puduit, nec Prophetam, adeoque in his Deo nos placere perdocuit, ut cum ſibi nocturnas ſpiritalium canticorum vigilias fore monſtrat, etiam ipſius & tempus edicat: *Mediâ nocte ſurgebam ad confitendum nomini tuo, Domine.* (Ibid. 118. 62) Hiſdem ſe horis fortaſſe ſe venturum in Evangelio Salvator aſtruxit, tum primogenita Ægypti Angelo affligente percuſſa ſunt; & quod à Chriſto de hujus mundi potentibus in fine faciendum eſt, plagæ illius præfiguratione ſignatum eſt. Paulus denique cum Sila tali meditatione perfuncti, à vinctis cæteris audiebantur in carcere, eoſque ab hac ſolemnitate nec pœna compeſcuit. Unde adverſus pſallendi orandique frequentiam juſſis Sanctorum officiis[x] celebrari, finemque communem vel, ſi advenerit, proprium ſub tali * actu exſpectare ſecuros, (x) dum in hac mentium oblectatione & fidei honor & alacritas creſcit animorum; interque ſæculi ac proſiliæ inquietudinis curas læta exigit gratia, quod obtinere non prævalet triſtior diſciplina.

CAPUT VII.

APOLLONIUS.

Benè conſummationis in[y] narratione ſanctorum actuum adducta cognitio eſt, atque interminatum ſæculi, ut prohibetur, finem quò liberiùs inquireremus oblatum eſt. (y) Quali ergo præſentium exitu rerum, vel quem in modum memorata libellis præcedentibus tempora concludentur? Unde præterea tam confidentes gentium minæ, ac prophanorum ſuperba ſunt jurgia? Erunt aliquis ſacræ appellationis aſſumptor, aut quiſquam mortalium mentiri ſe Dei Filium poterit audere? Mihi enim veriſimile non videtur, ut diabolicæ fraudis reliquiæ vix admodum in pauciſſimis reſidentes, in legem iterum Catholicam convaleſcant; & quamlibet terminis careat divina potentia, in hoc uſque antiqui ſerpentis injuria diſſeratur, ut extincta tot ſæculis bella perfidiæ funeſtus reducat, perque omnia terrarum loca Eccleſiæ cultibus ſtratis impium rurſus efferat caput, qui ita venerandæ majeſtatis invocatione torquetur, ut jam adire etiam ipſorum criminoſorum volutabra vix audeat, dum occultis ignium ſuorum cladibus fortius totum undique contremiſcit, quidquid ex nomine Catholicæ religionis audierit.

ZACHÆUS.

Sæva in memoriam redigi cupis, & ineluctabilem humani generis obtritionem ſupremorum narratione proferri, quæ tam flebili exaggeratione dicenda ſunt, ut ſicut ſcriptum eſt: *Nec fuerint unquam nec futura ſint talia.* (Dan. 12. 1.) Sed hæc fieri humanæ fidei defectio, & peccatorum immenſitas maturabit: nec ſunt quaſi ex aliquâ neceſſitate decreta, ſed ex præſcientia ſunt prædicta, Scripturâ de Amorrhæis prodente: *Nondum*, inquit, *impleta ſunt peccata Amorrhæorum.* (Gen. 15. 16.) Daniel perinde quia delictorum expletio ſit futura, conſummationem aſtruit ſequuturam; unde & Dominus in Evangelio de abuſione humani generis conquerens, ait: *Cum venerit Filius hominis, putas inveniet fidem ſuper terram?* (Luc. 18. 8.) Apoſtolus etiam horum temporum iniquitatem increpans, ait: *Erunt*, inquit, *in noviſſimis diebus tempora periculoſa, homines ſe ipſos amantes, blaſphemi, ſuperbi, parentibus non obedientes, inſenſati, incompoſiti, ſine affectione, ſine miſericordiâ. qui cum juſtitiam Dei*, id eſt, futurum judicium *ſcirent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt digni ſunt morte.*

De Antichriſto.

Horum igitur merito venturum Antichriſtum fides certa eſt, imò diabolum ſub perſonâ hominis ſæviturum; ſed gentilitatem deteſtabitur, & circumciſionem ſuadebit. Nec enim aliter Dei filius credi poſſet[z], niſi à ſe legis veteris reparationem exhibitam mentiretur; ac primùm Judæos idem totius perfidiæ caput ac fallaciæ ſibi ſuadet. (z) Chriſtum enim & venturum ſciunt, & ſempiternum judicem confitentur; ſed ut atrocitatem illati à ſe facinoris excuſent, in corpore quod interfecerunt veniſſe non credunt. Hæreticis verò prædictus ſimulator Deum ſe * quidem, ſed minorem aſſeret Patre, ut eorum denique impietatem perditioni * ſuæ ſuſcepturus admiſceat, & in utriſque illa ex Evangelio ſententia

t *unde ad Monachos*] Sic unus codex quem videbat Acherius, qui id tamen edere maluit quod in alio codice repererat *unde à Monachis*. Infra ubi *proſperum actuum*, in codice Lemov. legitur *proſperum actuum*.

u *libertas ab illo*] Sic profectò ſcripſit Zachæus, nec dubium quin lectio prior ſit vitioſa: *libertas ab alia*, vitioſa ſit.

x *ſanctorum officiis*] Acherius monet ſe in codice reperiſſe *cantorum officiis*: item *ſub ſomnotali actu*, ubi ex aliis codicibus edidit *ſub tali actu*.

y *conſummationis in narr*] Quin ita legendum ſit nemini dubium eſſe poteſt: prius legebatur *in conſummationis narr*.

z *poſſet*] In editis legitur, *niſi*. Item ubi *Deum ſe quidem* legebatur *Deum eſſe quidem*, & *perditioni ſuæ*, ubi edidimus *perditioni ſuæ*.

Rom. 2. 8. complectur : *Credent*, inquit, *iniquitati, qui veritati credere noluerunt.* Tum gentiles velut ſenſu rationabili carentia pecora, phantaſiarum admiratione capturus eſt, ut illaqueatis nationum penè omnium populis, etiam electi, ſi fieri poſſit, dolis talibus ſeducantur : & hujus mali auctoritatem efficiet multitudo. Inde errorem mali veteris ſubintroducet ; & qui primùm idolorum veſtigia convulſurus eſt, in locis ſanctis poni ſibi ſtatuas imperabit, eaſque adorari atrociter cogens, quod ſe odiſſe ſimulaverat ſubtiliter reparare nitetur. Nam, ſicut dixi, ad hujuſmodi facinus ignaros ſignis, præmiis inconſtantes, Sanctos ſuppliciis coarctabit infauſtæ abominationis imagines vultuſque mortificos ſupplici adoratione venerari ; nuſquam ſecura cedentibus fuga, nullaque ut celet in abditis latebra, cum & à proximis prodantur latentes, & fugientes mediâ conſumantur. Ait enim in Evangelio Dominus cum de malis
Mat. 24. 10. diius loqueretur : *Et tradet*, inquit, *homo proximum ſuum.* Inopiâ verò fideles necandos, Apocalypſis ſic
Apoc. 13. 16. declarat : *Faciet omnes puſillos & magnos, divites &*
a *pauperes, liberos & ſervos, ut dent ipſi ſibi*[a] *characteres in manu ſuâ dexterâ, vel in frontibus ſuis ; ut nemo poſſit emere aut vendere, niſi qui habeat characterem, vel nomen beſtiæ.* Quem Daniel his ſermonibus futurum[a] prædixit : *Exurget Rex improbus facie, intelligens propoſitionem ; & fortis virtus ejus, mirabilia corrumpet & diriget, & exterminabit fortes, & populum ſanctum : dolus in manu ejus, & in corde ſuo magnificabitur, & abundantiâ corrumpet multos,*[a] *&*
Dan. 11. 36. *ad interitum multorum ſtabit.* Et iterum : *Extolletur Rex adverſus omnem fortem, & magnificabitur ſuper omnem Deum : & loquetur ſuperba, & diriget quoadusque perficiatur ira : in conſummatione enim fiet*[b]*, &*
b *nuum Deum patrum ſuorum non intelliget : & in cupiditatem mulierum non ibit.*

Itaque intelligis execrandi temporis regem præ omnibus æſtimandum, qui eos quos violentiâ ac fraude nequiverit corrumpere, nitetur illecebrâ carpere, nec in Deos patrios ſuorum, id eſt gentilium, intelligens, feralem in corpore enervato quaſi puerus præferens[a] caſtitatem, ſanctum populum id eſt Chriſtianum crudeli internecione vaſtabit. Sed hunc mundi luctum, tribulationemque juſtorum iræ cœleſtis ſtigmata ſubſequentur, & rerum omnium finem priuſquam Domini dies magnus adveniat, malorum ineffabilium dolor præcedet, dum, ante ultimam mundi ſolutionem humani generis reliquiis, aut in ſacrilegiis perpetuò pereundum ſit, aut ob ſacrilegia in ſæculo non vivendum.

CAPUT VIII.

APOLLONIUS. Futurum verè Antichriſtum, atque in orbis excidium legemque Catholicam ſæviturum nimis perſpicuè clarèque docuiſti ; ſed quando adventurus, quanto tempore ſit futurus expoſitio cœpta non contingit[a] : ſedulà itaque mente percurre quæ regnantem clauſura ſint tempora, quæ præcurrant indicia venientem ; quoniam ſi in tantâ ſignorum, regnique virtute ſpiritalis nequitiæ exerit voluntatem, nullis contrà aut deſtruendus rebus, aut ſignantiùs divulgandos ; dignoſcendæ, ut arbitror, falſitatis nec ipſis copia fidelibus erit, nullaque dubios remediorum genera ſalvabunt ; ſi compulſio tranſgreſſionum atrocitate & phantaſiis plena, ſit obſcura notione. Unde hanc quoque ambiguorum partem divinæ auctoritatis editione diſtingue ; ut, evulſis radicitus fraudibus, & inſtruantur dubii, & confirmentur infirmi, dum & falſoris prodentur inſidiæ, & brevitate temporis forte conſtringitur inſania bacchatoris.

ZACHÆUS. Manifeſtè quidem Antichriſtus veniet, ſed confeſtim ſequuturus eſt Chriſtus ; & licet diem vel horam adventûs ſui, ut ipſe ait, nec Angeli ſciant ; quòd ſecreti iſtius notionem in ſuam Pater redegerit poteſtatem ; evidentia tamen eodem mox docente ſigna præmiſſa ſunt, quibus perpensâ præſenti temporis qualitate adeſſe confeſtim ſuprema dignoſcimus. Sic

Mat. 24. 7. enim ait : *Cum videritis ſigna in cœlis, & prodigia in terris, gentem ſuper gentem, regnum ſuper regnum, prælia & opiniones præliorum, famem, & terræ motus per loca, tunc erunt initia dolorum, ſed nondum finis.* Percurre nunc ſingula, atque ex his, quæ geruntur, aut geſta ſunt, quid ſuperſit intellige : profectò id tantùm deeſſe[c] perſpicies, quod noviſſimis aut jam

c aſcribi poſſit aut jungi. Quis enim natus quietem patriæ poſſidens vivit ? Quis intrà genitale ſolum populus labori exhibetur aſſueto, aut ab inferendo ſuſcipiendoque diſcrimine, vel propriæ ſalutis intuitu, vel domeſtico retinetur affectu ? Ardet bellandi impius furor, atroxque inſania armis delectatur & rapto, hinc fauces hiantes avaritiæ cruor paſcit, & cum penè injectis mortibus cuncta ſuccenderit,[a] reliquias tamen ſitiens aut ſternit aut ſpoliat. Non dilectio proximos, non juſtitia ſervat extraneos : gemens interea[a] pietas exulat, atque ab humanis mentibus pulſa, veſtigia quæ pridem reliquerat, auferre compellitur. Regnis inſuper regna confligunt, & inſuſpicabiles ſceptris juſtarum ſedium Auguſtos depellunt. Adde prodigiorum ineffabiles ruinas, & terræ creberrimos motus, pluraque cœlo ſigna fulſiſſe. Quid inediæ funeſtos exitus loquar, & infandis humanorum corporum cibis impletas deficientium aviditates ? Horret animus dicere parricidiis famem paſtam, & reliquias corporum dilectorum, ut ſævius quàm vixerant interirent, viſceribus ſuorum ſepultas.

Æſtima, quæſo, utrum hoc ferre diu ſæculum poſſit, quod eloqui humanus ſermo vix audet. Utrumne hæc diabolo otiante ſic ſæviant ; quæ licet meritò noſtris ſint reputanda peccatis, illius tamen

d opere tecto[d] peraguntur ; qui coram continuò congreſſurus, ita ſupremorum urgetur anguſtiis, ut quod implendum Evangelia prædixerunt, agere orbis deſertione jam cœperit : hæc enim his quæ

Mat. 24. 15. nunc memorata ſunt Dominus adjecit : *Cum videritis abominationem deſertionis ſtare in loco ſancto : qui legit intelligat :* Id eſt, cum fiet omnium ſolitudo terrarum, ſacriſque altaribus execrabilium imagi-

Ibid. num abominatio præponetur, *& prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto orbe, tunc erit finis.* Quæ nunc igitur portio, habitatioque terrarum eſt, quæ nomen noſtræ religionis ignoret, imò quæ nobis ex ſe credentium membra non miſerit ? Unde Evangelii prædicatio propemodum jam impleta intelligitur : in illis tamen, qui nunc venturus eſt, ſermone complebitur ; tribus enim & ſemis annis primùm Antichriſtum, deinde Chriſtum adeſſe præ-

e dixit : qui quàmlibet[e] pari tempore regnaturus per

a *ut dent ipſi ſibi*] In codice Vind. *ut det unuſquiſque ſibi.* Haud longè *quem... futurum*, ſic codex Lem. prior editio *quam... futurum.* Infrà in codice Vind. *& mirabilis corrumpet multos, & diriget.*

b *enim fiet*] Codex Vind. *enim finem, & in omnem.* Infrà *quaſi puerus præferens*, in editis *præferret*, procul dubio malè.

c *id tantum deeſſe*] Imò *adeſſe*, vel *eſſe*. Haud longè ubi legitur *cuncta ſuccenderit*, codex S. Arn. habet *ſuccederit.* Statim è codd. Vind. & Lem. ſcripſimus *gemens interea*, cum in priori editione legerent *gemens in terra*, nullo ſenſu.

d *opere tecto*] Sic codex Vind. prior editio *opera ſecta*, malè : nec meliùs codex S. Arn. *opere rapta.*

e *prædixit : qui quàmlibet*] In editis *prædicens, qui qualibet* ; in Vind. *prædixit*, in eodem & in Lem. *qui quamlibet.*

Apocalypſin deſignetur; breviandos tamen ejus dies in Evangelio Salvator inſinuat, ne intolerabilibus malis per diuturnitatem caro victa ſuccumbat; ſic enim ait: *Et niſi breviati fuiſſent dies illi, non eſſet ſalva omnis caro.* (Ibid. 22.) Non quòd dierum ac noctium fixa ab initio conſtitutio ſit mutanda, aut currentium temporum horis ſpatia recidenda; ſed ſicut per Nathan denuntiata populi cædes pro tribus diebus tres tantùm horas divina miſeratione promeruit; ita exacerandi temporis regnum non ſpatio credimus minuendum eſſe, ſed numero; nec divinæ ordinationi modum, ſed furentis imperiis imponendum; ut in reſurrectione poſt tanti certaminis pugnam, & devotio fidelium, & perfidia non lateat impiorum; dum & antiqui hoſtis brevis dominatio pellitur, & Dei advenientis reverentia Sanctorum confeſſionibus honoratur.

CAPUT IX.

APOLLONIUS.

QUantùm videtur, & patere ſollicitorum mentibus credo, ambiguæ prædicationis obſcuritas abſoluta eſt, & tota in planum ſupremi temporis miſſa cognitio, præcipuè cum adſtipulantibus quæ aguntur dierum malis clara ſit ratio, nec aliud ſupereſſe merito credatur, quàm ut annuntiatui Prophetæ præſentia demonſtretur. Nunc verò unum hoc conſummatis interrogationibus præſta, ut reſurrectionem ex Dei poſſibilitate jam creditam doceas & promiſſam; ne tantæ admirationis magnitudinem ſine auctoritate cœleſtium ſtatutorum aſſertio nuda contigerit; ſed libellis prioribus intimata præſentis eruditione firmentur, gaudium allatura credentibus, diſputationem dubiis ablatura, dum & poſſibilem ex Dei potentia fatebuntur, & faciendam ex ejus promiſſione cognoſcent.

ZACHÆUS. De reſurrectione mortuorum.

Tam plena eſt divinæ miſerationis erga homines liberalitas, ut ea quæ fragilitas terrena vix credit, probare voluerit antequàm facere, ac priùs veris confirmare credentes, quàm probare dubiis credituros: nam cum hanc muneris ſui partem totis admodùm ſcripturarum voluminibus indiderit, ſpeciali per Ezechielem monſtravit effectu, facilius homines ſuſcitari à ſe poſſe quàm facti ſunt, fruſtraque quaſi perditos hic lugeri, quos non ſit impoſſibilitas ulla reſtitui. Ait enim: *Et tulit me ſpiritus Domini, & ecce facies campi, & hæc erat oſſibus plena, & circumduxit me in gyrum eorum; & ecce arida nimis; & ait ad me: Fili hominis ſi vivent oſſa iſta? Et dixi, tu ſcis, Domine. Et ait ad me: propheliza ſuper ea, & dic: oſſa arida, audite verbum Domini: hæc dicit Dominus; Ecce ego addaco ſuper vos nervos & viſcera, & obtegam vos cute, & dabo ſpiritum vobis, & vivetis: & ecce os ad os conveniebat, & ſuper ea nervi & viſcera naſcebantur, & cutis deſuper aſcendit; & jacuerunt ſine ſpiritu. Et ait ad me, propheliza fili hominis ſpiritui, & dic: Hæc dicit Dominus ſpiritui: à quatuor angulis cœli veni ſpiritus, & inſuffla oſſibus iſtis & vivent: & factum eſt, &, ſteterunt pedibus ſuis congregatio nimis multa. Et ait ad me: Fili hominis oſſa hæc domus Iſrael eſt: Qui dicunt, vana eſt ſpes noſtra nimis, interivimus; & ſcient quod ego ſum Dominus, cum educam eos de ſepulcris, & vivificabo populum meum & ponam illos in terrâ ipſorum, & faciam hæc, dicit Dominus.* (Ezech. 37. 6.)

Unde Salvator Saducæis reſurrectionem non credentibus ait: *Quomodo legiſtis Deus Abraham & Deus Iſaac & Deus Jacob? Non eſt utique Deus mortuorum ſed vivorum.* (Luc. 20. 38.) Apoſtolus autem ſub elementorum comparatione, meritorum quoque diſtantiam prædicavit, dicens: *Alia claritas ſolis, & alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum; ſtella enim à ſtellâ differt in claritate, ſic erit & reſurrectio mortuorum.* (1. Cor. 15. 41.) Johannes verò etiam eos quos mare fluctibus tegit, aſtruit reformandos, dicens: *Et mare reddet mortuos ſuos.* Tunc illud David canentis implebitur: *Deus manifeſtè veniet, & non ſilebit: ignis in conſpectu ejus ardebit, & in circuitu ejus tempeſtas valida.* (Pſal. 49. 3.) Unde in epiſtolâ ſuâ Petrus: *Quales nos*, inquit, *oportet eſſe fratres, in die illâ, cum cœli magno impetu tranſcurrent, & elementa ardore ſolventur.* (2. Pet. 3. 10.) Tunc illud ſancti Apoſtoli vocibus depromettur: *Ubi eſt mors aculeus tuus, abſorpta eſt mors in victoriâ tuâ.* (1. Cor. 15. 55.) Et qui nunc lacrymoſis ſeminibus juſtitiæ vias implent, pretioſæ mortis manipulos referentes, ſublimium coronarum honore fulgebunt. De quibus ſcriptum eſt: *Exultabunt ſancti in gloriâ, lætabuntur in cubilibus ſuis.* (Pſal. 149. 5.) Et iterum: *Exultabunt ut vituli ex vinculis ſoluti.*[f] (Malach. 4. 2.) Et, *ſicut ſcintilla inter arundines diſcurrent.* (Sap. 3. 7.) Hi ſtatutâ cœleſtis throni ſede Domini invitabuntur affatibus: *Venite benedicti Patris mei, accipite regnum quod vobis paratum eſt ante conſtitutionem mundi.* (Matt. 25. 34.) Illâ impius ſententiâ perſequente: *Tacui; numquid ſemper tacebo?* Id eſt, jam non ſubditus ut crucifigi à negantibus poſſim, ſed paternâ quam cernitis majeſtate ſubnixus, qui ex infirmitate carnis mortuus fueram vivo ex virtute Dei, ſolioque æterni judicis præſidens, non aliâ quàm in Evangeliis prædixeram inimicos meos definitione condemno: *Ite maledicti in ignem æternum, quem præparavit Pater meus diabolo & Angelis ejus: ubi eſt fletus & ſtridor dentium.* (Ibid. 41.) (Ibid. 8. 12.)

Hæc ſunt quæ moneri noſtrâ voce te licear: hæc mentis & corporis labore fugienda ſunt, & illa quæ electis parantur adeunda, quorum magnitudinem formamque non quæras: erit enim: *Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit.* (1. Cor. 2. 9.) Sed ſi inæſtimabiles quarumdam regionum amœnitates, odoreſque vix creditos aut audimus, aut cernimus: ſi quibuſdam Gentibus auro rutilanti flumina amnes, & gemma pro lapide eſt; ſi paſſim cinnamum & amomum naſcitur vulgo; ſi denique mollia redolentibus thura, & pretioſa balſamis ligna rorantur; ſi nobis etiam ſub corruptibili aere lilia picta ſic candent, nec ſui imitationem quolibet habitu aut odore permittunt; quid æternarum divitiarum habituræ ſint gratiæ, quid ſplendor cœleſtium dignitatum, eloqui ſermo ſenſuſque non prævalet; hoc tantùm indubitanter accipias, nil illic neceſſarium, nil defuturum, ſed omnium omnibus Deus lætitiarum inæſtimabilium novitate generabit, quod dignum præſentiæ ſuæ poſſeſſione judicetur.

Nunc, inquam, meâ quâ potui inſtructione munitum indeſinenter admoneo, ne aratrum culturæ Dei ponens omiſſa reſpicias, aut ad propoſitum contendens bravium, curſum propoſiti ferventis retardes. Niſi peractus agon ſit, palma non ſequitur: nec niſi certamine conſummato inſignis gloriæ præſtatur triumphus. Unde in Salomone: *Laus in exitu canitur.* Et in Evangelio: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* (Matt. 10. 22.) Fiat ergo fides[g] tua felix, ac ſemper informatoris tui ad Deum memento, nec nimis ſæculi aut malorum imminentium terrore movearis; adjutor in omnibus Deus eſt, illoque virtutem ſpiritus miniſtrante inundatio tempeſtatum in leves defluet ſpumas; modo ut prima præſtantis

Qui perſeverat ſolus laude dignus.

[f] *ex vinculis ſoluti*] Sic in codice Vind. in editis *ex vinculis diſſoluti*.

[g] *fiat ergo fides*] Sic codex Vind. prior editio *ergo ſide*. Infrà ubi *conſtantia*, ſcripſimus è codd. Lem. & Vind. legebatur *conſtantiæ*, mirtis iden eo ſenſu. Haud longè in Lem. *dans, ergo*, ubi *dabis credens*.

Conſcientiæ

conſcientiæ* arma non deſint; ac ſi neceſſitas denuntiatæ tribulationis advenerit, hoſtem confeſſio firma ſuſtineat: dabit credenti * in mœrore patientiam, qui ſe præbiturum & verba promiſit, opemque Martyrii benignus impertiet, qui ut honorem numinis ſui etiam morte tueremur admonuit dicens:
Luc 9. 24. *Qui perdiderit animam ſuam propter me; in vitam æternam ſalvam faciet eam.* Et iterum:
Mat. 19. 29. *Qui reliquerit uxorem, filios, parentes, & omnia quæ habet propter nomen meum in ſæculo, centuplum accipiet, in futuro autem centuplum inſuper & vitam æternam.* Ad hoc tamen tentari pauliſper cognitos ſinens, ut eodem perfuncti examinis labore ſibi placeant, & illic juſtitia ſic muneretur afflictos, cum judicare cœperit perſequentes.

CAPUT X.

APOLLONIUS. Conſummatus in interrogationibus ordo eſt, & vota in reſponſionibus plena, devotioris fidei ignem decurſis Scripturarum teſtimoniis excitarunt: habes promptum inſtitutionis tuæ fructum, & niſi
h infirmitas carnis officiat, [h] paratam ſpiritûs voluntatem; ille tantùm efficiendi ſubſtantiam præſtet, qui magna cupere ſe donante permiſit. * Quid enim quandoque in pulverem redigendo præcipua corpori cura? Quid molles ſine exercitio meritorum proderunt ſomni? Quid quæſitus magno labore vel pretio [i]
i ſæculi honor, & ciborum blanditiæ perituræ poſt fauces? Nulla eſt illic acceptio * perſonarum, nec ſequentur extinctos onera facultatum, nudi introivimus in hunc mundum, nudi neceſſe eſt exeamus:
Pſal. 75. 6. Ac ſicut David ait: *Dormient viri divitiarum, & nil invenient in manibus ſuis.* Et ſecundum Salomo-
Sap. 5. 8. nem à multis talia ſunt dicenda: *Quid nobis profuit*
l *ſuperbia? aut quid divitiarum jactantia* [l] *contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tamquam umbra.* Devinctam tu potiùs cultibus tuis mentem creaturarum omnium formator inſtitue, & qui ſolus renum ſcrutator & cordis es, perfice quod in votis eſt, ut cum elevaveris * confringere terram, cum ſicut liber plicabitur * cœlum, terribilique incendio cuncta ſolventur, ſit primùm fidei integritas ſupplicanti, nec conſcientiam deſperatio ulla confundat: tum ſub conſpectu majeſtatis tuæ aſſiſtentium Angelorum innumeram multitudinem poſt magnos Patriarcharum honores, & cœtus ſplendentium Prophetarum, poſt ſublimes Apoſtolorum thronos, & beatorum Martyrum exercitus coronatos, felices perinde Confeſſorum catervas, atque impollutorum agmina Sacerdotum ſubſequens famulum turba ſuſcipiat, vitæque iſtius, ſi quæ ſunt maculæ, labor veræ perfectionis emundet: ſi verò indulgere pauperi perennium munerum largitor annueris, ut probatio Catholicæ confeſſionis & morte proveniat, vel quod
m lubricæ [m] converſationis actus infirmior fortaſſe non prævalet, devotio ſanguinis * pura ſanctificet: erit ut in æternum munere tuo gaudens verè me in laudibus tuis cantaſſe reminiſcar: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.*

Explicit Zachæi & Apollonii altercatio.

SERMO

IN NATALI DOMINI.[a]

a

AN. CHR. CIRC. 500. Udiat in præſenti dilectio veſtra, fratres cariſſimi, quemadmodum Eſaias Propheta de Domino noſtro JESU-CHRISTO annuntiavit,
Iſai. 7. 14. dicens; *Ecce Virgo in utero concipiet, & pariet filium, & vocabis nomen ejus* JESUM: *ipſe enim ſalvum*
Luc. 1. 31. *faciet populum ſuum à peccatis eorum. Joſeph fili David.* Videtis, fratres, in perſonâ genus vocari: videtis in unum totam proſapiam nuncupari: videtis in Joſeph
Mat. 1. 20. ſeriem Davidici ſtemmatis ſanciri. *Joſeph fili David.* Viceſimâ octavâ generatione natus, quomodo David filius dicitur, niſi quia generis aperitur arcanum, fides promiſſionis impletur, ſuperna conceptio cœleſtis partûs, virgineâ jam ſignatur in carne? *Joſeph fili David.* Tali voce ad David prolata fuerat pro-
Pſal. 131. 11. miſſio Dei Patris: *Juravit Dominus David veritatem, & non fruſtrabitur eum. De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Benè, de fructu ventris; bene, de utero: quia cœleſtis hoſpes, ſupernus habitator, ſic in uteri deſcendit hoſpitio, ut corporis clauſtra neſciret; ſic de habitaculo ventris exivit, ut virginalis clauſtri janua non pateret, ut impleretur illud
Cant. 4. 12. quod cantatur in Cantico canticorum; *Sponſa mea hortus clauſus, fons ſignatus. Joſeph fili David, noli timere.* Sponſæ cauſâ ſponſus ne timeat admonetur: & verè pius animus dum compatitur, plus paveſcit. *Joſeph fili David, noli timere*; ne qui de conſcientiâ ſecurus es, de ſacramenti cogitatione ſuccumbas. *Joſeph fili David, noli timere:* quam vides virtus eſt iſta, non crimen: hîc non humanus lapſus, ſed eſt divinus illapſus: hoc præmium eſt, non reatus: hîc incrementum cœli eſt, non eſt corporis detrimentum: hîc non eſt proditio perſonæ, ſed judicis eſt ſecretum: hîc palma cognitoris eſt, non eſt ſupplicii pœna: hic hominis ſcortum non eſt, theſaurus eſt Chriſti: hic non eſt mortis cauſa, ſed vitæ; & ideo noli timere; quia quæ vitam parturit, non meretur occidi. *Joſeph fili David, noli timere accipere* MARIAM *conjugem tuam.* Sponſam vocari conjugem, legis eſt hoc divinæ: ſicut ergo manente virginitate mater eſt, ita conjux dicitur permanente pudore.

Luc. 1. 35. *Joſeph fili David, noli timere accipere* MARIAM *conjugem tuam; quod in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Veniant & audiant qui requirunt quis eſt, quem MARIA genuit. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Veniant, & audiant qui Græco turbine Latinam nubilare niſi ſunt puritatem; anthropotocon, Chriſtotocon, theotocon ut tollant, blaſphemantes. *Quod in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt:* & quod de Spiritu ſancto natum eſt, ſpiritus eſt; quia Deus ſpiritus eſt. Quid ergo requiris quid ſit quod de Spiritu ſancto natum eſt, cum tibi quia Deus eſt, Deus ipſe reſpondeat? cum tibi Johannes
Joan. 1. increpet: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: & Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis; & vidimus gloriam*

h *carnis officiat*] Ita edere libuit cum antea legeretur *efficiat*, atque medica minus non minùs neceſſaria erat, quam paulo infrà ubi editum erat *ſe donante promiſit*.

i *labore vel pretio*] Ultimæ duæ voces additæ ſunt è codice Vind. ex quo etiam infrà ſcripſimus *acceptio*, ubi legebatur *exceptio*.

l *divitiarum jactantia*] Sic etiam codex Vind. prior editio *divit. jactatio*. Haud ita longè *ut cum elevaveris*, non *ut cum te levaveris*? Statim è codd. Vind. & Rem. ſcripſimus *plicabitur*, ubi editum erat *prebebitur*.

m *vel quod lubrica*] Codex S. Arn *ut quod eluето converſatio infirmior*. Statim vocem *ſanguinis*, quæ omnino neceſſaria erat adſcripſimus è codice Vind

a *in natali Domini*] Hunc ſermonem Achrrius conjicit à S. Fulgentio compoſitum adverſus Neſtorium, quòd ex ultimis verbis conſtet dictum eſſe circà annum 500. ac de Neſtorio oratorem cogitaſſe.

ejus. Johannes vidit gloriam, reſpice, infidelis, injuriam. *Quod in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt: & vidimus gloriam ejus.* Cujus? Ejus qui natus eſt de Spiritu ſancto; ejus qui Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. *Quod in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Virgo concepit, ſed de Spiritu ſancto: Virgo parturit, ſed eum quem prædixit
Iſai. 7. 14. Eſaias; *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel; quod interpretatur, Nobiſcum Deus.* Nobiſcum Deus, cum illis homo: & maledictus homo qui ſpem ſuam ponit in homine. Audiant qui requirunt quis eſt qui natus
Luc. 1. 31. eſt de Mariâ. *Paries*, inquit Angelus, *filium, & vocabunt nomen ejus* Jesum. Quare Jesum?
Philipp. 2. 10 Apoſtolus dicit, *ut in nomine* Jesu *omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* In nomine Jesu jam omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: & tu, quid ſit Jesus, doloſus cognitor nunc requiris? Omnis jam lingua confitetur, quia Dominus Jesus in gloriâ eſt Dei Patris: & tu adhuc modo quid ſit Jesus nequiter perſcrutaris? Audi adhuc quid ſit Jesus; *Pariet filium, & vocabis nomen ejus* Jesum: *ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Sed ſuum, non alterius ſalvum faciet populum. Unde? *A peccatis eorum.* Eſſe Deum qui peccata donat, ſi Chriſtianis non credis, crede, infideliſſime, vel Ju-
Joan. 10. 33. dæis, dicentibus; *Cum ſis homo, facis teipſum Deum:*
Marc. 2. 7. Et, *Nemo poteſt peccata dimittere, niſi ſolus Deus.* Illi enim negabant Deum, qui eum peccata dimittere non credebant: tu ab eo peccata dimitti credis, & Deum dubitas confiteri? Verbum caro factum eſt, ut homo caro promoveretur in gloriam Dei, non ut Deus in carnis verteretur injuriam: ſicut dicit
1 Cor. 6. 17. Apoſtolus; *Qui ſe jungit Deo, unus ſpiritus eſt.* Et quomodo non quando ſe jungit Deus homini, unus Deus eſt? Humanæ leges intrà triginta annos litigioſas omnes interimunt quæſtiones: & Chriſtus circà quingentos annos nativitatis ſuæ cauſas præſtat, ortûs ſui lites patitur, ſtatûs ſui ſuſtinet quæſtiones! Hæretice, deſine judicare judicem tuum: adora in cœlis Dominum, quem Deum Magus adoravit in terris.

Explicit.

a

INCIPIT TRACTATUS AIMONIS[a]

De Corpore & Sanguine Domini.

An. Circ. 845.

SEd quoniam hujus Epiſtolæ opportunitas affert, ut aliquid de tanto Sacramento latiùs dicatur, proferatur in medium quod gratia illius contulit, qui hoc Sacramentum Corporis ſui & Sanguinis ad ſalutem fidelium animarum in terris relinquere voluit, ut fidei integritas propenſiùs roboretur, & credentium merita cumulatiùs augeantur. Subſtantiam ergo panis & vini, quæ ſuper altare ponuntur, fieri Corpus Chriſti & Sanguinem per myſterium Sacerdotis & gratiarum actionem, Deo hoc operante, divinâ gratiâ, ſecretâ poteſtate, nefandiſſimæ dementiæ eſt fidelibus mentibus dubitare. Credimus itaque & fideliter confitemur & tenemus, quod ſubſtantia illa panis ſcilicet & vini, per operationem divinæ virtutis, ut jam dictum eſt, id eſt, natura panis & vini ſubſtantialiter convertantur in aliam ſubſtantiam, id eſt, in carnem & ſanguinem. Non enim impoſſibile eſt apud omnipotentiam divinæ rationis in quidquid voluerit inſtitutas mutare naturas, cum non fuit ei impoſſibile eaſdem naturas, cum non fuit ex nihilo quando voluit inſtituere. Nam ſi de nihilo aliquid facere poteſt, tunc aliquid facere ex aliquo non impoſſibile eſt. Commutat ergo inviſibilis Sacerdos ſuas viſibiles creaturas in ſubſtantiam ſuæ carnis & ſanguinis ſecretâ poteſtate. In quo quidem Chriſti corpore & ſanguine propter ſumentium horrorem ſapor panis & vini remanet & figura, ſubſtantiarum naturâ in Corpus Chriſti & Sanguinem omnino converſâ; ſed aliud renuntiant ſenſus carnis, aliud renuntiat fides mentis. Senſus carnis nihil aliud renuntiare poſſunt quàm ſentiunt: intellectus autem mentis & fides veram Chriſti carnem & ſanguinem renuntiat & confitetur: ut tanto magis coronam ſuæ fidei recipiat & meritum, quanto magis credit ex integro, quod omnino remotum eſt à ſenſibus carnis.

Subſtantialiter panis & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti convertuntur.

Et notandum quòd panis ille ſacratus & calix ſigna dicuntur. Non autem hoc quantum ad carnem Chriſti & ſanguinem accipiendum eſt: quod tamen quidam errore ſenſibus carnis omnino dediti, mente cæcati ſtolidiſſimè putant: jam enim corpus Chriſti & ſanguis non eſſent. Nullum ſignum eſt illud cujus eſt ſignum, nec res aliqua ſui ipſius dicitur ſignum, ſed alterius. Et omnino omne ſignum in quantum eſſe ſignum deprehenditur, diverſum eſt ab eo quod ſignificat: Corpus ergo Chriſti & ſanguis Sacramentum dicuntur, id eſt, ſacrum ſignum, non ſui ipſius, ut præmiſſum eſt & probatum, ſed ad ſimilitudinem ſumentium reverà ſigna dicuntur: ſicut enim panis qui ſacratus fit corpus Chriſti, ex multis granis fit unus panis, & potus ille qui ſanctificatus efficitur ſanguis Chriſti, ex multis acinis fit unus potus; ſic omnes dignè ſumentes hoc Sacramentum ex multis unum corpus in Chriſto efficiuntur. Poſſunt & aliter corpus Chriſti & ſanguis ſigna nominari, quod manducamus & in corpus Chriſti noſtrum trajicimus, quodam modo nobis incorporari videtur & uniri. Significat ergo hoc corporalis & temporalis carnis Chriſti & ſanguinis comeſtio & incorporatio illam æternæ ſocietatis & refectionis viſionem ſpiritalem & ſempiternam, quâ ei incorporabimur & uniemur in futuro, ſic ſine fine cum eo permanſuri: ad quod nos perduci poſſe integrâ fide, alacri ſpe, flagranti charitate præſumendum eſt.

Panis & Calix qui ſigna dicuntur.

Hoc quoque fides ſumentium hoc Sacramentum firmiter tenere debet, quantulumcumque ſumere videatur de hoc Sacramento, corpus Chriſti, non per partes diviſum & ſeparatum, ſed omnino integrum accipere; etenim granum tritici in terram projectum & mortuum, iterum reſurgens in fructûs multiplicationem, totum eſſe neceſſe eſt in ſingulis granis ab eo progenitis. Hoc niſi ratione teneamus, quid fieri poſſet tanta tamque multis diminutio partium, ut ex ſingulis partibus illius grani ſingula formarentur grana. *Quod ſi noſmetipſos dijudicaremus*, id eſt diſcuteremus & examinaremus vitam noſtram, utrum digni eſſemus necne; & ſi noſmetipſos, & errores noſtros corrigeremus, *non utique dijudicaremur*; id eſt, non damnaremur à Chriſto neque in hoc ſeculo, neque in futuro. *Dum judi-* *1. Cor. 11. 31.*

a *Tractatus Aimonis*] Titulus falſus; nam fragmentum eſſe commentarii brevioris, ſive paraphraſeos in Primam Epiſtolam B. Pauli ad Corinthios, vel è primâ lectione conſtat. Quod cum non viderit Acherius, de eo ſic ſcripſit: Tractatus Aimonis ſive Haimonis Epiſcopi Halberſtatenſis de corpore & ſanguine Domini ejus ſermonibus ſubjiciebatur in codice mſ. Sancti Germani Pariſienſis, ubi nomen Aimonis erat interpoſitum. Quare fides non dubia eſt illud ipſi tribuendum eſſe, cum titulus id aſſerat.

camur autem in paucis, in illis videlicet qui infirmantur & febricitant in hoc præſenti tempore, & in illis etiam qui moriuntur, *a Domino corripimur*, & flagellamur corpore per illos, *ut* ipſi timore perterriti, *non damnemur* æternaliter *cum hoc mundo*, id eſt, cum infidelibus & amatoribus mundi: nihil enim diſtat ab infideli, qui irreverenter cum ſit omnibus peccatis criminalibus commaculatus, ad menſam Domini præſumit accedere: ſed potiùs deterior

2. Pet. 2. 2. eſt illo, & majori pœnâ dignus: quia *melius eſt viam veritatis non cognoſcere, quam poſt cognitionem retror-*

1. Cor. 11. 33. *ſum abire. Itaque fratres mei convenientes ad manducandum* Corpus & Sanguinem Chriſti in Eccleſiâ *invicem exſpectate*, ut multorum oblatio ſimul celebretur, & omnes communiter ex uno pane communicate; quia illa oblatio unus panis eſt, & communis debet eſſe omnibus. *Si quis eſurit domi manducet*, id eſt, qui impatiens eſt, nec vult jejunare cum cæteris, domi terreno pane vaſcatur. *Ut non in judicium conveniatis*, id eſt, ne corpus Chriſti reprehenſibiliter percipiatis ad damnationem veſtram. *Cætera autem*, ſubauditur quæ reſtant inordinata, *cum venero diſponam.*

MONITUM.

OPUSCULUM DE PARTU VIRGINIS, *an Hildefonſi Toletani Archiepiſcopi, an Paſchaſii Ratberti Corbeiæ Abbatis eſſet, jam olim addubitaveram cum primum Spicilegii tomum ederem in lucem. Verùm noſter Joannes Mabillonius cum certiſſimis argumentis Paſchaſii Ratberti eſſe comprobarit, viſum eſt ea ipſa argumenta hic adſcribere, queis prædictum Opuſculum, quod nunc à me integrum profertur, Ratberto aſſeratur.*

Sæculi 11. Act. SS. Ord. S. Bened. in obſervat. ad vitam S. Hildefonſi.

Franciſcus Feuardentius Theologus Pariſienſis in Bibliothecâ Patrum nonnulla Hildefonſi opuſcula vulgavit, in his librum de Virginitate ſanctæ MARIÆ contrà tres infideles: *cujus hic Prologus*: Deus lumen verum, qui illuminas omnem hominem, &c. *Et initium*: O Domina mea atque Dominatrix mea, &c. *cui libro alium Hildefonſo itidem attributum ſubjecit* de perpetuâ virginitate S. MARIÆ & de ejus parturitione, *cum hoc exordio*: Quamvis omnium Eccleſiarum virginitas beatæ & glorioſæ Genitricis Dei MARIÆ ſit decus &c. *Primum librum eſſe* HILDEFONSI, *poſteriorem verò* RATBERTI *Abbatis Corbeienſis, certiſſimis deprehendimus argumentis. Hildefonſus librum de Virginitate* teſtimoniis veteris ac novi Teſtamenti plenum edidit, *inquit Zixilanes: qui dicendi modus in priori libro evidenter, non in poſteriori apparet. Præterea Hildefonſus, auctore Juliano, librum de virginitate ſcripſit* contrà tres infideles, *& quidem* contrà Jovinianum, Helvidium, & Judæos, *quemadmodum ex Quirici epiſtolâ, quæ præfixa eſt operibus Hildefonſi in MS. cod. manifeſtum eſt. Atqui Hildefonſus eoſdem omnino infideles nominatenùs in priore hocce libro interpellat & exagitat. In poſteriore verò libro alius omnino quæſtionis ſtatus: Patrum teſtimonia paſſim in confirmationem adducuntur, quos inter laudantur & citantur Gregorii Magni Moralia, Auguſtinus, Hieronymus, Cyrillus Alexandrinus, Petrus Ravennas, aliique, quos ne ſalutat quidem in opere ſuo Hildefonſus. Denique magna eſt inter utrumque opus ſtili diverſitas. Hildefonſus conglobatis ſynonymis adverſarios urget; Ratbertus majori ſententiarum gravitate, qui modus ſenem decebat, in poſteriori libro procedit: opuſque ſuum dedicat Abbatiſſæ & Sanctimonialibus B. Mariæ apud Sueſſionas, ubi educatus fuerat, quod ex operis inſcriptione poſtea referendâ patebit. Unde eas* Matres *&* Matronas cariſſimas *ſæpe appellat.*

Non ergo Hildefonſus, ſed Ratbertus poſterioris iſtius libri auctor cenſendus eſt. Hujus tempore emerſit controverſia quædam inter Catholicos de modo, quo B. MARIA *Chriſtum peperit. Eum naturali & communi cæterorum hominum viâ & lege natum aſſerebant nonnulli: alii contrà, quos inter Ratbertus, reclamabant. Quæſtio iſta in Germaniâ orta eſt, uti docet Ratramnus Corbeienſis Monachus, Ratberti ſententiæ contrarius, in libello quem hoc de argumento compoſuit, & cuidam ſibi* ignoto (*non proinde Ratberto Monaſterii ſui Abbati*) *inſcripſit. Ratramno reſpondere videtur Ratbertus*, Fratrum *nomine adverſarios appellans his verbis*: ſed quia quorumdam nunc Fratrum rurſus impudica quaſi percunctando laborat temeritas, decrevi ad vos, Matronæ Chriſti, de his ſcribere, quæ ipſi curioſiùs contrà ejus pudicitiam, quàm religioſiùs conantur explorare. *Et ut ſtatum controverſiæ intelligas*: non dico, *inquit*, quod dicant virginitatem amiſiſſe, quæ neſciens virum virgo concepit, virgo peperit, & virgo permanſit: ſed quia idipſum quod confitentur negant, dum dicunt eam communi lege naturæ puerperam filium edidiſſe.

Hinc apparet magna inter utrumque Hildefonſi & Ratberti opus diverſitas. Hildefonſus agit contrà tres infideles; *Ratbertus* adverſus Fratres. *Hildefonſus arguit Helvidium & Judæos, virginitatem Deiparæ pernegantes, Ratbertus Catholicos Theologos, eamdem ipſius Deiparæ virginitatem admittentes, at non rectè explicantes: ut qui* MARIAM *dilatatis virginalibus clauſtris Chriſtum peperiſſe dicerent: quod certè jam voluerat Jovinianus, quem Hildefonſus impugnat. Ratbertus Opus ſuum in duos partitus eſt libros, Sanctimonialibus Sueſſionenſibus nuncupatos, hac inſcriptione, qualis in apographis Corbeienſibus reperitur*: Venerabili Matronæ Chriſti unâ cum

ſacris virginibus Veſona (*legendum* Sueſſona) monaſticè degentibus P. R. (*id eſt* Paſchaſius Ratbertus Monachorum omnium peripſema, &c. *Hanc inſcriptionem ſi vidiſſet Feuardentius, Ratberto ſine dubio proprium ac germanum fetum tribuiſſet. Poſt hæc ſic liber incipit* : Quoniam omnium Eccleſiarum, &c. *quæ in Bibliothecâ PP. habentur ad medium uſque libellum. Nam ab eo loco ubi legitur hæc nota*, hîc aliquid deſideratur, *codices manu deſcripti ab editis omnino diſcrepant, ſubſtituuntque partem ſermonis Hildefonſo adſcripti, qui inter editos* de Purificatione S. MARIÆ *inſcribitur : ſecundus verò Ratberti liber, eſt ipſa homilia quæ in impreſſis prædicto ſermoni ſubjicitur cum hoc exordio* Inter ſanctarum ſcripturarum eloquia, &c.

[*Hæc Mabillonius, quem cum Acherius exſcriberet, oblitus eſt ſui officii eſſe hic monere Ratberti opus è veteri codice Corbeienſi eſſe deſcriptum, & cum altero ejuſdem Monaſterii collatum. Quod uterque opinatur libros hoſce duos miſſos eſſe ad virgines Sueſſione degentes, ſtatim ſub examen revocabimus.*

S. PASCHASII RATBERTI

ABBATIS CORBEIÆ VETERIS

OPUSCULUM DE PARTU VIRGINIS.

PRÆFATIO.

An. Chr. circ. 850. a VENERABILI Matronæ Chriſti, unà cum ſacris virginibus Veſuna [a] monaſticè degentibus, PASCHASIUS RATBERTUS Monachorum omnium peripſema.

Quæſtionum, Cariſſimæ, de partu Beatæ MARIÆ Virginis mihi nuper allatam vobis perſolvere decrevi; quoniam vos eam plurimùm amare non ambigo; ut ex hoc ſciatis quantum am, longè diu à puero veſter alumnus, multo jam ſenio confectus.

QUamvis omnium Eccleſiarum virginitas beatæ & glorioſæ Genitricis Dei MARIÆ ſit decus, honor & forma virtutis, maximè tamen ſanctimonialium Virginum, quarum caſtitas ejus ſpecialiùs illuſtratur virtutibus, informatur exemplis, corroboratur & meritis. Unde ſacratiſſimum ejus puerperium animo & corde devotiſſimè venerari ac retexere, divini muneris eſt gratia. Propterea verò contrà hæreticam pravitatem dimicare ac vincere opus eſt Spiritus ſancti & virtus Altiſſimi, qui eam obumbravit : ut ſine coitu viri, & ſine ullâ corruptione Dominum & hominem pareret, virgoque ſemper maneret. Pro quâ jam olim Beatum Hieronymum contrà Helvidium hæreticum & contrà ejus complices ſcripſiſſe legimus; qui ita debellavit ac devicit, ut deinceps uſque ad præſens nihil recidivum [b] erroris contrà eam ſurrexerit. b

1. Sed quia nunc quorumdam Fratrum rurſus impudica quaſi percunctando laborat temeritas, decrevi ad vos, Matronæ Chriſti, de his ſcribere, quæ ipſi curioſiùs contrà ejus pudicitiam, quàm religioſiùs conantur explorare, explorando verò partum virginitatis ejus, & uterum pudicitiæ, introducunt [ac * ſi] periti ſſimi phyſiologi callidè ſatis diſputatione ſua colluvionem vitiorum, in qua concurrunt plurima erroris diſcrimina.

Objectio 1. 2. Dicunt enim non aliter beatam Virginem MARIAM parere potuiſſe, neque aliter debuiſſe quàm communi lege naturæ, & ſicut mos eſt omnium feminarum, ut vera nativitas Chriſti dici poſſit. Aliàs autem, [*] inquiunt, ſi non ita natus eſt ut cæteri naſcuntur infantes, vera nativitas non eſt. Et ideo ne phantaſia putetur, aut ne ſicut aqua per alveum tranſiiſſe, ita per uterum Virginis abſque naſcentis ordine natus credatur, pium eſt ſentire, ſic eum lege naturæ natum fuiſſe, quomodo naſcuntur cæteri infantes, & eam ſic peperiſſe, ſicut reliquæ pariunt mulieres.

O cæca pietas, quæ tam impiè ſentit de MARIA Virgine, & cæca præſumptio, quæ tam impiè loquitur de Chriſto. Non dico quòd dicant virginitatem amiſiſſe, quæ neſciens virum Virgo concepit, Virgo peperit, & Virgo permanſit : ſed quia idipſum quod confitentur negant, dum dicunt eam communi lege naturæ puerperam filium edidiſſe. Quod ſi ita eſt ut aſtruunt & affirmant, quod abſit, jam MARIA Virgo non eſt, Chriſtus ſub maledicto natus eſt, iræ filius de carne peccati, & ipſa quæ benedicta ab Angelo prædicatur, in maledictione adhuc permanens ſub maledicto peperit. Alioquin quid eſt quod legem naturæ requirunt in MARIA, ubi totum quidquid in ea fuit poſſedit Spiritus ſanctus? quam virtus Altiſſimi obumbravit? Quod ſi virtus Altiſſimi ab omni æſtu peccati eam obumbravit, ut in conceptu & in partu ſicut ab omni æſtu libidinis libera fuit, ita & ab omni preſſurâ maledictionis, non ex ſe, ſed ex virtute Altiſſimi immunis & aliena fuit. Quapropter cogitent & divinarum rerum jura, quia non ex naturâ rerum divinæ leges pendent, ſed ex divinis legibus natura bitamur. Reſponſio.

a *virginibus Veſona*] Acherius ad eum locum ſic monet : *id eſt, Sueſſione*; atque eadem ſunt doctiſſimi Mabillonii ſententia, quippe qui legi voluerit *Sueſſona*. Nos aliquid amplius dicendum cenſemus : nam cum in Galliis fuerit, & quidem in Petragoricenſi Provincia, urbs *Veſona*, ſive *Veſunna*, ſive *Veſunes*, ut omnes Geographorum filii norunt, nec quidquam obſtare videatur, quominùs ad virgines quaſdam in illa urbe degentes ſcripſerit Paſchaſius ejus nomen retineri poſſe arbitramur.

b *nihil recidivum*] In altero codice, *nihil reſiduum*, nec omninò malè. Ipſa verba *ac ſi* parentheſi includere libuit, atque idem aliis duobus locis fecimus, quod cum ſenſum turbarent, addita videntur à librario, ac è genere illo eſſe notarum, quarum uſum nunc pauci norunt. Ne verò parentheſes illæ aliquem fallerent, etiam aſteriſcos adjecimus.

rum rerum leges manare probantur. Idcirco temerarium eſt aſſerere de Chriſto, quòd ſecundum communem legis naturam ſit natus, qui non ſecundum ſolum naturæ in utero de carne Virginis eſt procreatus. Nam & ipſa lex naturæ, ſub quâ nunc mulieres concipiunt & pariunt, ut ita dicam, verè non eſt lex naturæ quodammodo, ſed maledictionis & culpæ; quoniam mox Adam & Eva primòm peccaſſent in paradiſo, nemo deinceps naſceretur ſub culpâ peccati. Et ideo iſta communis lex naſcendi non naturæ eſt, ſed corruptionis & vitii. MARIA autem quia benedicta culpam corruptionis non habuit, propterea Chriſtum non in dolore neque ſub corruptione genuit. Quòd ſi ex corruptione aut cum dolore natus eſt Chriſtus, jam ex maledicto natus eſt. De quo maledicto Geneſis teſtatur quod dixerit
Geneſ. 3. 16. Dominus Evæ: *Multiplicans*, inquit, *multiplicabo dolores tuos & conceptus tuos*. Pro quo Symmachus, *afflictiones tuas* dixit. Origenes verò & Theodotion nec non & Septuaginta, *triſtitias tuas* dixerunt, *& gemitus*. Ubi & Theodotion & Symmachus pro gemitibus ærumnas poſuerunt, in quibus omnibus non lex naturæ deſignatur, ut iſti phyſiologi volunt imperitè ſatis, ſed lex vindictæ multiplicatur, & augetur cauſa peccati, labores in partu, afflictiones, triſtitiæ & ærumnæ atque gemitus. Pro quo in Hebræo habetur: הרבה ארבה עצבנך הרנך.

Unde omnes quæ pariunt non ex naturâ primæ originis ſic pariunt, ſed ex vitio culpæ, & ex maledicto juſtæ vindictæ Dei. At verò benedicta & glorioſiſſima Virgo MARIA, non dico quòd non ex communi lege naturæ, verùm etiam nec ex naturâ primæ originis filium, neque ex ſemine viri, ſed de Spiritu ſancto ex ſuâ carne divinitùs procreatum ſine ulla vitiorum colluvione Deum & hominem profudit. Et ideo partus ejus non ſic tractandus eſt ut cæteri naſcuntur, quoniam ſicut Doctor egregius
S. Athan. lib. 9. de ſuâ fide circa finem. Athanaſius ait inter cætera in libello fidei ſuæ, quem quaſi ſub dialogo edidit, Incarnatus eſt Unigenitus ſecreto ſuo myſterio quod ipſe novit. Unde proſequitur: Noſtrum eſt, inquit, credere, & illius noſſe. Audiant quapropter, quia ſolummodo illius eſt noſſe quomodo conceptus, quomodo in utero converſatus, quomodo Verbum Deus & homo de virgine natus ſit unus Chriſtus: quia, ut ipſe ait, Deus Verbum totum ſuſcipiens quod eſt hominis, ut homo ſit, & aſſumptus homo totum accipiendo quod Dei eſt, utique Deus eſt. Quod ſi ita eſt, ut ille confeſſus eſt, imo quia eſt, ubi quæſo communis eſt lex in naſcendo, ubi colluvio vitiorum? Nam Chriſtus Deus, qui nunquam non fuit, ex quo homo factus eſt & aſſumptus in unitate perſonæ, ſemper manſit & permanet verus Deus & homo, non duo quidem ut eſſet alter Deus, & alter homo, ſed unus idemque Deus & homo. Quamvis enim aliud per quod Deus, & aliud per quod homo, in utroque tamen unus Deus & homo, quia non fuit aliquando purus ſine Deo conceptus vel natus homo. Sed quia conceptus eſt de Spiritu ſancto ex virgineâ carne, & natus homo verè, mox ex ipſâ conceptione ineffabili nativitate Deus verus proceſſit, & natus eſt homo. Quomodo ergo commune dicitur quod eſt ineffabile? Vel quomodo non ſemper totus eſt verus Deus Chriſtus, qui cumque ſine vero Deo nec conceptus eſt nec natus? Et ideo ſicut clauſis viſceribus jure creditur conceptus, ita omnino & clauſo utero natus. Nec enim illi acceſſit de homine impotentia quomodo naſceretur ex virgine, ſicut nec aliquando ei acceſſit ne eſſet Deus & unus Chriſtus, qui voluit ſic naſci in unitate veri Dei & hominis, ut eſſet totum veritas quod naſcebatur, & eſſet ineffabile prout naſcebatur, atque totum credibile quod ex virgine naſcebatur ſine colluvione peccati, ſicut ex nullâ contagione primæ originis.

Quapropter audiant temerarii perſcrutatores tanti myſterii, & intelligant quòd non ſunt hæc humanitatis jura in naſcendo, neque lex non dico damnatæ naturæ, verùm etiam nec lex primæ originis ante peccatum, ut Deus & homo unus de virgine ſic Chriſtus naſceretur; quia, ut ait beatus Cyrillus in Epiſtolâ ad Neſtorium, Non eſt natus communis homo de ſancta virgine, quia in ipsâ vulvâ virginis, ut ipſe fatetur, utero virginali ſe Verbum cum carne conjunxit, & ſuſtinuit generationem carnalem, quia carnis ſuæ nativitatem ſuam fecit, & qui in forma Dei fecit hominem, in formâ ſervi factus eſt homo, ſed utrumque Deus de potentiâ ſuſcipientis, & utrumque homo de humilitate ſuſcepti: ac per hoc talis partus non eſt communis lege naturæ, ſed ſicut mirabiliter conceptus, ita mirabiliter Deus & homo natus. Ergo non illum, ut cæteros adoptio filios Dei, fecit filium, ſed divinitatis natura illum in proprium Dei Filium exaltavit, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut eſſet totus Dei Filius homo & Verbum, quia nunquam non fuit Dei Filius, qui ſempiternus permanet unici genitoris unigenitus. Nunquam igitur ipſe purus homo conceptus, neque natus ſicut cæteri naſcuntur infantes, ut ei ex adoptionis gratiâ aut ex emolumento virtutum prærogativa filii præſtaretur: ſed Dei Verbum quia caro factum eſt, aſſumſit hominem in ſe ſine perſonâ hominis, ut totus eſſet Chriſtus proprius, non ex dono gratiæ renaſcendo ut cæteri, ſed ſalvâ proprietate utriuſque naturæ. Perſonam verò hominis ideo non aſſumpſit, ſed tantùm hominem, quia ipſe perſona tertia cum Patre & Spiritu in Trinitate Deus unus ſemper fuit. Idcirco jure quod habuit in æternitate perſonam non aſſumſit, ſed hominem in tempore antea quem non habuit, ita ut qui ſuſcepit, & quod ſuſceptum eſt, ſicut ait Beatus Auguſtinus in librô de prædeſtinatione, una eſſet in Trinitate perſona: quia ſicut ipſe alibi ait, natus eſt de Patre Deus Verbum, natus eſt de matre Verbum caro factum, unus atque idem Deus Dei filius natus ante ſæcula, & natus in ſæculo, & utraque nativitas unius eſt Filii Dei; ac per hoc virgo MARIA jure Dei genitrix vocatur, quia genuit Deum & hominem. Verbum caro factum, non ut cæteri naſcuntur infantes, aut ut ex dono gratiæ fiunt homines, ſed ſicut Beatus Gregorius ait in Moralibus, ſalvâ proprietate utriuſque naturæ eſſentialiter in ſuam aſſumſit perſonam hominem, per quod mirabile ſacramentum & æternus ex Patre & temporalis ex matre, unus idemque eſſet verus Dei hominiſque filius: quoniam, ſicut ipſe ait in eiſdem Moralibus, aliud eſt natos homines gratiam adoptionis per eum accipere, aliud unum ſingulariter per divinitatis potentiam Deum ex ipſo conceptu prodiiſſe.

In Epiſt. ad Neſtor. poſt med.

Quapropter, quæſo, ceſſent iſti dicere, ſic eum eſſe natum ut cæteri naſcuntur; quia non genuit eum virgo Dei genitrix ex origine primæ prævaricationis ut renaſcatur, ſed de Spiritu ſancto ut Deus credatur, ſine dolore & ſine gemitu, ſine moleſtiâ & ærumnâ, ſine triſtitiâ & afflictione, quoniam hæc omnia juſtiſſimè damnatæ carnis in primâ origine retributiones ſunt & vindictæ. At verò Beata MARIA licet ipſa de carne peccati ſit nata & procreata, ipſaque quamvis caro peccati fuerit, non tunc jam quando præveniente Spiritûs ſancti gratiâ ab Angelo præ omnibus mulieribus benedicta vocatur. *Spiritus ſanctus*, inquit, *ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*. Alioquin ſi non eodem Spiritu ſancto ſanctificata eſt & emundata, Luc. 1. 35.

quomodo caro ejus non caro peccati fuit? & ſi caro ejus de maſſa primæ prævaricationis venit, quomodo Chriſtus Verbum caro ſine peccato fuit, qui de carne peccati carnem aſſumſit, niſi quia [c] Verbum quod caro factum eſt eam primùm obumbravit, in quam Spiritus ſanctus ſupervenit, & virtus Altiſſimi eam totam poſſidit? Propterea verè caro jam non caro peccati fuit; in quâ Deus ſe totum infudit, & Verbum quod caro factum eſt ſine peccato ad nos venit, qui jure non ſolùm legem naturæ vitiatæ in naſcendo non tenuit, verùm nec legem primæ originis quam haberent feminæ, ſi mandatum ſervaſſet mater omnium Eva in paradiſo. Aliàs autem quomodo Spiritu ſancto eam replente non ſine originali peccato fuit, cujus etiam nativitas glorioſa Catholicâ in omni Eccleſiâ Chriſti ab omnibus felix & beata prædicatur: enimverò ſi non beata eſſet & glorioſa, nequaquam ejus feſtivitas celebraretur ubique ab omnibus. Sed quia tam ſolemniter colitur, conſtat ex auctoritate Eccleſiæ quòd nullis quando nata eſt, ſubjacuit delictis, neque contraxit in utero ſanctificatâ originale peccatum. Unde & ſi Jeremiæ dies atque Job maledicta pronuntiatur, dies inquam nativitatis eorum: dies tamen, quando inchoata eſt felix Mariæ nativitas, beata pronuntiatur, & colitur religioſè ſatis. Quòd ſi in peccato eſſet, jure maledicta diceretur, & gemebunda potiùs quàm benedicta, quando nuntiatum eſt patri ejus quòd nata eſſet in ſæculo. Nunc autem quia univerſam benedictione ſuâ beata virgo MARIA illuſtrat Eccleſiam, num merito ſanctificata in Spiritu ſancto colitur veneranda? Nullius igitur nativitas celebratur in mundo niſi Chriſti, & ejus atque beati Johannis. Sic & Beata Virgo MARIA, niſi in utero matris ſanctificata eſſet, minimè nativitas ejus colenda eſſet. Nunc autem quia ex auctoritate totius Eccleſiæ veneratur, conſtat eam ab omni originali peccato immunem fuiſſe, per quam non ſolùm maledictio matris Evæ ſoluta eſt: verùm etiam benedictio omnibus condonatur. Quòd ſi præclara ſacratiſſimæ Virginis nativitas univerſaliter tam ſancta & tam glorioſa jure colitur & veneratur, quanto magis ipſa quando ab Angelo jam gratiâ plena officioſiſſimè ſalutatur? Nam cum dicit ei *Ave*, cœleſte venerationis obſequium exhibet: cum autem dicit *Gratiâ plena*, ex integro iram expulſam oſtendit, & reſtitutam gratiam declarat: cum dicit, *Benedicta tu*, fructum benedictionis demonſtrat, quia quando Spiritus ſanctus in eam advenit, totam defæcavit à ſordibus virginem & decoxit, ut eſſet ſanctior quàm aſtra cœli. Porrò quando virtus Altiſſimi totam eam obumbravit, ſtatim ejus [d] in utero veniens Verbum, quod erat in principio ſempiternum apud Patrem, ut caro fieret ex tempore & habitaret in nobis.

Luc. 1, 28.

Audiant igitur novi diſputatores & inveſtigatores novi & inauditi partûs; audiant & intelligant primùm quia viri ſunt; quomodo benè diſputare queant de naturâ & ſexu mulierum. Deinde recogitent, ut qui naturam requirunt & communem legem naſcendi, ubi totum divinum eſt & ineffabile, divina virtus quod operatur. *Generationem ejus*, inquit, *quis enarrabit?* Nam *quis* hoc loco pro impoſſibili accipitur: quia nemo Sanctorum eſt non dico divinam, verùm etiam qui humanitatis ejus generationem ad liquidum queat enarrare, quamvis utraſque omnes debeant credere? Hinc ergo colligitur quòd ſuperſtitioſa ſit iſtorum cunctatio & ſuperflua diſputatio, quia dicunt oſtia ventris & vulvæ eum aperuiſſe, & colluvionem ſanguinis ut cæteri omnes, & ſecundarum ſpurcitias poſt ſe traxiſſe, in quibus omnibus gemitus & dolor multiplicatur, triſtitia & ærumnæ augentur, ut nemo ſine his pariat filium. Sed abſit à cordibus fidelium ut tale aliquid ſuſpicentur de MARIA virgine, quæ pro maledictione primæ originis benedictionem attulit mundo. Unde & ipſa ſi quidem, ut dixi, ab Angelo benedicta prædicatur in mulieribus, & ſalutatur officioſiſſimè ut mater Domini præ omnibus glorioſa, necnon & ab Eliſabeth in ſpiritu prophetiæ benedicta pronuntiatur, & benedictus fructus ventris ejus creditur & veneratur. Ergo in quâ & per quam tanta benedictio effloruit & gratia manavit, non eſt credendum quod ejus puerperium doloribus & gemitibus more feminarum ſubjacuerit. Et quia beata Dei genitrix triſtitiis non ſubjacuit & ærumnis, libera ab omni maledictionis nævo fuit, quam Spiritus ſanctus adimplevit & totam Domino dedicavit, quam virtus Altiſſimi obumbravit, & ex ſanctificatâ carne virginis Verbum carnem aſſumſit & coinivit in unitate perſonæ. Et hoc eſt quod dicitur, Verbum caro factum eſt, non commixtione naturæ, ſed ex unitate perſonæ. Et ideo etiam de hac nativitate, ut dixi, jure dictum credimus: *Generationem ejus quis enarrabit?* Quia & iſta ineffabilis eſt mira nativitas carnis, non ſicut illi cæcutiunt communis ex lege naturæ, ſed ſacramento gratiæ. Nam quod naſcitur Deus homo ex Virgine non eſt conſuetudo, ſed myſterium: non eſt natura, ſed virtus, ſed dignatio, non eſt ordo naſcendi, ſed poteſtas. Et ideo non eſt quod requirat humana ſapientia in hac nativitate, niſi quia Verbum caro factum eſt & natus eſt ut voluit, vel quando & quomodo voluit. Alioquin quis capiat quod inauditum & ineffabile eſt, vel quid intelligentia carnis jure in eo requirit, ubi totum & divinum & incomprehenſibile quod narratur? Ait namque Evangeliſta: *Generatio Chriſti ſic erat.* Utique generatio iſta carnalis ſic erat, de quâ non dixit ſic facta eſt, ſed ſic erat, quia Chriſti generatio erat apud Patrem ineffabilis, quando per hanc præſcriptam & ineffabilem generatus eſt ex matre. Unde quod erat, utique ſemper erat. Et quod ſemper erat ex æternitate, potuit fieri ex tempore quidquid factum eſt in eo non mirabile.

Unde plurimum deſipiunt, qui dicunt eum communi lege naturæ eſſe natum, qui non eâ lege conſtat eſſe conceptus; quoniam hæc lex naſcendi, quæ nunc lex naturæ vocatur, ex vitio primæ damnationis eſt. Et ideo ait Apoſtolus: *Fuimus nos omnes aliquando filii iræ ſicut & cæteri.* Sed abſit à fidelium cordibus ut ita Chriſtus natus credatur filius iræ, ſicut cæteri naſcuntur in vitio corruptionis, de quâ corruptione dolor & gemitus multiplicatur. Aliàs autem ſecundum carnem nec gemitus, nec dolor ſine corruptione viſcerum, nec corruptio ſine dolore & gemitu: gemitus & corruptio in partu feminarum

c niſi quia] E duabus lectionibus eam prætulimus quam Acherius in marginem ablegarat, cum edere maluiſſet *non quia*. Hic neceſſarium eſt lectorem monere, hîc de Mariâ Virgine aliter ſcribi cum de Chriſti conceptione agitur, aliter, cum ejus nativitatis conditio deſcribitur. Nam cum prius ſcripſiſſet Paſchaſius, Mariam & de *carne peccati natam* eſſe, & ipſam *carnem peccati* fuiſſe donec eam Spiritûs ſancti obumbratio *emundaret*, ſtatim additur eam non ſolùm nullis quando nata eſt ſubjacuiſſe delictis, ſed ne in utero quidem materno originale peccatum contraxiſſe: deindeque, Spiritum ſanctum, *quando in eam advenit*, defæcaſſe eam à ſordibus & decoxiſſe. Nullus umquam ſcriptor ut equidem exiſtimo, magis ipſe ſibi adverſatus eſt; an verò adeo turpis levitas Ratberto adſcribi queat, lectorem ut ex reliquo opere judicet, rogo.

d *ſtatim ejus*] Sic emendavimus cum corruptè legeretur *factum ejus*, ac deinde voculam *ut*, quæ neceſſaria erat, adſcripſimus.

non niſi ex delicto & maledictione primæ originis veniunt. Unde interrogemus iſtos ſequaces Helvidii hæretici, qui etſi virginem eam non denegant permanſiſſe, pudicitiam tamen commaculant & gratiam quâ plena prædicatur, quando communi lege vitiatæ naturæ dicunt eam peperiſſe. Quòd ſi ita peperit, ergo adhuc [ac * ſi] in maſſâ primæ damnationis contrà Angeli vocem maledictioni ſubjacuit, & Verbum Patris de carne peccati, quod abſit, ut caro fieret hominem aſſumſit. Sed quia contrà fidem Catholicam eſt ſic ſapere, Beata Virgo plena gratiâ neque dolorem ſenſit, neque corruptionem viſcerū pertulit, quia quantum aliena fuit à culpâ, Spiritu ſancto in eâ cooperante & virtute Altiſſimi quâ adumbrabatur, in tantum extranea à maledicto primæ damnationis, nec non & à gemitu & doloribus, quibus vexantur omnes filiæ Evæ cum pariunt. Unde Propheta in perſonâ Chriſti ad Patrem:

Pſal. 21. 10 *Tu es*, inquit, *qui extraxiſti me de ventre: ſpes mea ab uberibus matris meæ.* Ergo cum dicit; Tu es qui extraxiſti me, ſingularem ſuam declarat nativitatem, ſuavitatem de utero enixûs. Aliàs autem omnis qui de ventre matris venit ad lucem in mundo, non niſi nutu & operatione Dei procreatus venit. Chriſtus autem de Virgine ſpeciali & ineffabili quodam modo procreatus, abſque vexatione matris ingreſſus eſt mundum. Et ideò pium eſt credere, quòd non ſicut cæteri, ſed novo & admirabili ordine Deus & homo natus eſt in mundo. Hinc ergo eſt quod Je-

Jerem. 31. 22. remias teſtatur: *Faciet Dominus novum ſuper terram, mulier circumdabit virum.* Quòd ſi utique novum fuit & admirabile quòd virgo concepit ſine ſemine & ſine corruptione viri, vetuſtas eſſe non potuit in partu, & ideò nihilominùs credendum quòd ſimili modo, novo & admirabili ordine natus ſit in mundo ſine dolore, & ſine gemitu, & ſine ullâ corruptione carnis. Et hinc eſt [ac * ſi] pro gratiarum actione, quod ſpeciali modo in pſalmo, qui de ipſo

Pſal. 21. 10. totus eſt, ad Patrem ait: *Tu es qui extraxiſti me de ventre.* Ac ſi patenter dicat: Extraxiſti me, quia non eo ordine ſum egreſſus de utero ut cæteri naſcuntur cum ingenti vexatione matris, ſed novo egreſſu ſine corruptione pudoris. Extraxiſti me quidem de ventre matris, & non ego viſcera corrupi integritatis. Et ne putaremus phantaſma fuiſſe, ut multi

Ibid. hæreticorum dixerunt, addidit: *Spes mea ab uberibus matris meæ.* Ergo ubi mater & ubera narrantur, veritas carnis & non phantaſma prædicatur, qui licet clauſo utero ſit natus, quem ipſe ſibi pervium fecit ſalvo ſigillo pudoris, ſicut & conceptus, tamen de carne Virginis procreatus eſt, & ideo uberibus jure lactatus commemoratur. Sic itaque totum factum eſt, ut fieret novum ſuper terram quando Verbum caro factum eſt, vocatum eſt Emmanuel, quod eſt nobiſcum Deus. Hic eſt itaque hortus ille concluſus in Canticis, fons ſignatus: hortus ſiquidem concluſus, quia quando Deus ingreſſus eſt & eam incorruptam invenit, ſed fons ſignatus permanſit, quando Deus & homo natus eſt ex eâ, nec tamen fontem pudoris aut ſanguinis integritatem violavit. Nam ſanguis & fons pudoris qui corruptus non fuit in conceptione prolis ex coitu viri, non credo quòd corrumpi debuerit in nativitate, quòd cruciationem matris & contaminationem honeſtatis habuerit. Hinc eſt ſanè quod Eccleſia ex auctoritate ſanctorum Patrum canit de nativitate ejus: *Et gaudium matris habens*, inquit, *cum virginitate pudoris.* Ubi alii quàm egregii viri emendarunt, cum virginitate honoris. Virginitatis autem honor permaximus eſt, ſi & virgo Deum pariat & hominem, & tamen ex homine nato nullis affligatur kakis ſigillum pudoris. Kakiæ namque dicuntur Græcè vexationes, quibus quàm dirè affligitur corpus & animus. Sed beata Maria nihil horum pertulit, quæ & gaudium habuit in fructu, & honorem in partu. Hinc quoque dicitur concepiſſe Virgo & peperiſſe & permanſiſſe. Æquâ igitur conditione dicitur concepiſſe ac peperiſſe, æqua & permanſiſſe. Non enim in partu ſolent coire puerperæ cum viris, ut virgo tunc negetur virginitatem perdidiſſe, quando nullus eſt appetitus, neque ulla poſſibilitas coëundi, ſed integritas commendatur virginis, & honor atque incorruptio carnis. Alioquin nos viri quia neſcimus illius ſexûs naturam, interrogemus virgines, interrogemus æquè & matronas conjugio copulatas. Virgines quidem, ut ſciamus quid ſit integritas carnis & ſanguinis; conjugatas verò, ſi eſt ulla corruptio in partu aut dolor, niſi preceſſerit ſanguinis contaminatio & ſeminis ſuſceptio. Non enim libenter vobis verecundiam incutimus, cariſſimæ, qui non ſine magno pudore de his loquimur, ſed eximiæ pietatis honor eſt vobis & decus virtutis, beatiſſimæ Virginis pudicitiam prædicare incorruptam & incontaminatam, & ab omni contagione primæ originis cognoſceri alienam. De quâ ſi interrogemus virgines, norunt incorruptionis gratiam, ſed neſciunt fecunditatem prolis. Si verò quæramus apud conjugio dedicatas, ſciunt quidem maledictionis Evæ preſſuras & gemitus, ſciunt & inter ærumnas & triſtitias fecunditatem feminis, ſed neſciunt integritatem virginitatis, nec in conceptu nec in partu. Beata vero mater Domini in utroque virgo permanſit; id eſt, & in conceptu mater, & in partu Virgo, quia in nullo horum contaminata reliquarum exemplo feminarum fuit, quæ nec Adam ad ſe admiſit, nec ex Evæ colluvione filium ſuſcepit, nec ſub maledicto in doloribus & anguſtiis enixa Dominum peperit. Unde conſtat quia ſicut clauſo utero concepit, ita & clauſo peperit, non communi lege naturæ vitiatæ & maledictionibus damnatæ, ſed Spiritûs ſancti gratiâ, & virtute Altiſſimi quâ legitur adumbrata.

At verò iſti niſu quo poſſunt conantur adſtipulare Virginem in vitio peperiſſe, & pudicitiæ contumelias inferre. Unde aſſumunt illud ex Evangelio: *Cum* *Luc. 2. 22.*
* *impleti eſſent dies purgationis ejus*, quòd *obtulerunt* Jesum *in Jeruſalem ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini: Quia omne maſculinum adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur.* Ecce, inquiunt, cum dicit completos dies purgationis ejus, oſtendit Evangeliſta legi naturæ eam ſubjacuiſſe, & ſordibus coinquinatam fuiſſe ſimul, & Jesum vulvam matris aperuiſſe. Qui profectò temerarii aſſertores dum ita ſentiunt, totum deſipiunt & deſtruunt quod ſanæ doctrinæ eſt, quod rudimenta fidei de Chriſto Eccleſiis commendarunt, quod gratia Spiritûs ſancti in myſterio promulgavit. Non enim ſic completi dies purgationis ejus dicuntur, quaſi beata Virgo purgatione eguerit ullius delicti, quia peperit Dominum Jesum Christum de Spiritu ſancto procreatum, ſed quia ipſa ſub lege erat, & Dominus Jesus Christus ſub lege factus, factus de muliere, legis præcepta & inſtituta veterum in eo ſervantur jure ad tempus, quouſque ceſſante lege, gratia ſuccederet. Et hæc eſt completio dierum ſecundum conſuetudinem legis, & non ſecundum neceſſitatem purificationis, quia beata & intemerata virginitas immaculata & incorrupta permanſit, nullis coinquinata ſordibus, nullis vexata Evæ cruciatibus. Non poteſt fieri, juxta Angeli vocem qui gaudium univerſorum affert, ut ipſe Chriſtus tormenta in ortu ſuo matri attulerit. Inter Angelorum excubias & laudes non credo quòd matri gemitus & dolores triſtitiaſque Evæ contraxerit: & ideo alia

erat purgatio illa feminarum, in quâ purgabantur non minùs delicta animarum quàm & vitia corporum; & alia purgatio MARIÆ, in quâ non ob aliud quam pro myſterio conſuetudo legis ſervatur, quia nullis egebat purgamentis, quæ Deum de ſe omnium purificatorem genuit incarnatum. Porrò completio dierum purgationis ejus nulla alia cauſa eſt, quàm expletio & conſuetudo legis. Purgatio verò & ſeparatio reliquarum feminarum multis ex cauſis eſt, in quâ & vitia purgantur animarum & vitia corporum. Unde ſeptem deputantur dies immundi, quibus ſedere jubetur mulier in ſanguine immundo, immundiſſima juxtà dies ſeparationis ejus, & triginta tres ut ſedeat in ſanguine puro. Omnibus tamen diebus iſtis mulier immunda erat & ſordida multis ex vitiis, donec redintegraretur ſtatus totius corporis, & ſanarentur corpora, ſanguiſque ceſſaret à fervore vitiatus: ſicque emundatis ſordibus, mulier divinis purgaretur hoſtiis & muneribus. Sed beata MARIA non talibus eguit ſacrificiis, quæ ſanctam de ſe genuit hoſtiam: per quam mundus purgatus eſt.

Luc. 2. 23.

Nam quod dicit Evangeliſta; *Quia omne maſculinum, adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur*; non ideo dicit, ut nos cogat credere quòd Chriſtus vulvam matris aperuit, ut alii, ſed ut doceret quòd ideo ſiſtunt eum Domino ut *facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo; quia omne maſculinum adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur*, in myſterio legis & ſacramento ſacræ prævaricationis.

Ibid.

Non enim Evangeliſta hoc teſtimonium de lege ideo adhibuit, ut monſtraret Chriſtum vulvam virginis reſeraſſe, ſicut cæteri primogeniti, ſed ut oſtenderet eum ſub lege factum, & de vulvâ virginis prodiiſſe, non qui vocaretur tantùm, ſed qui eſſet eſſentialiter ſanctus, cui jure patet omne clauſum. Quod teſtimonium beatus Ambroſius exponens in Evangelio ait: [e] Non enim virilis coitus vulvæ virginis ſecreta reſeravit, ſed immaculatum ſemen inviolabili utero Spiritus ſanctus infudit.

e

S. Ambr. l. 2. in Luc. c. 2. poſt med.

Quod ſanè ſemen præfatus Doctor non ſic dicit infuſum, ut aliunde ſit quàm ex carne Virginis & ſanguine, neque ut Spiritus ſanctus ſementivum eſſe credatur carnis, ut Irenæus vult, ſed per hoc verbum Spiritûs ſancti operatio deſignatur. Deinde addidit: Solus enim per omnia ex natis de feminâ ſanctus Dominus JESUS, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partûs novitate non ſenſerit, & cœleſti majeſtate depulerit.

S. Ambr. Ibid.

Et paulo poſt: Hic ergo, inquit, ſolus ſibi aperuit vulvam. Nec mirum. Qui enim dixerat ad Prophetam: *Priuſquàm te formarem in utero, novi te, & in vulvâ matris ſanctificavi te.* Qui ergo vulvam ſanctificavit alienam ut naſceretur Propheta, hic eſt qui aperuit matris ſuæ vulvam, ut immaculatus exiret.

Ibid.

Quibus profectò verbis non mihi videtur ſibi contrarius, aut cæteris Doctoribus ſanctis, quia dicit quòd ſolus ſibi aperuit vulvam. Aperuit ſiquidem ſibi ſuâ potentiâ mirabiliter, ut eſſet & pervium iter, ita ut virgineus clauſus maneret uterus, ſicut fuerunt januæ clauſæ, & tamen per eaſdem ingreſſus eſt ad Diſcipulos, ſicut etiam ſepulcrum ſignatum & clauſum quando reſurgens egreſſus eſt per illud: hinc quoque alibi ipſe ait: Fit porta Chriſti pervia, referta plena gratia, tranſitque rex & permanet clauſa.

In quodam hymno.

Non hoc ſic dicit ut intelligas quòd contrà ſe ſentiat, ſed ſic utique ut pleniſſimè cognoſcas eum de utero & per uterum Virginis natum, quem ipſe ſibi fecit pervium, ut per hoc ipſe ſibi vulvam aperuit. Sibi quidem, quia vulva virginis licet clauſa et penetrabilis patuit, tamen cum enixus intraret mundum, clauſam reliquit & ſignatam ſigillo pudoris. Omnino quia Deo nihil difficile eſt, eo quod, ut quidam ait, ſubditur omnis natura ejus imperiis, ritu ſolito: idcirco conſtat eum abſque ambiguo ita natum, ut eſſet ſecretum genitale matris & clauſum, quod ſibi ipſe ſuâ virtute fecit apertum. Aliàs autem ipſe ſolus ſanctæ Eccleſiæ, quam ſibi ſponſam dedicavit ad generandos populos, aperuit vulvam virginitatis. De quâ nimirum vulvâ David Propheta canit dicens: *Alienati ſunt peccatores à vulvâ; erraverunt ab utero; loquuti ſunt falſa*; perſonam hæreticorum declarans, qui alienantur à vulvâ integritatis Eccleſiæ;

Pſal. 57. 4.

quam ſanè immaculatam ſervare contendit Apoſtolus & virginem cuſtodire, cum dicit: *Deſpondi enim vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.*

2. Cor. 11. 2.

Cujus genitale ſecretum tunc aperuit, quando per aquam & Spiritum ſanctum renaſcendi gratiam conceſſit. Cui Propheta: *Lætare*, inquit, *ſterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis; quoniam multi filii deſertæ magis quàm ejus quæ habet virum.*

Iſai. 54. 1.

Unde & Anna in cantico ſuo: *Donec ſterilis*, inquit, *peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata eſt.*

1. Reg. 2. 5.

Iſte eſt ergo ſolus eſſentialiter ſanctus, non per quem mater corrumpatur, ſed per quem vulva reſeretur Eccleſiæ, primogenitus ex multis fratribus. Quem in figurâ futuri myſterii per ora legis [f] divinæ præſcripta ſignabant in primogenitis ſuis.

f

Non quòd eſſent verè ſancta, ſed quia vocabantur ex myſterio legis. Alioquin ſi litteram ſequimur, quomodo ſanctus erat omnis maſculus aperiens vulvam, cum multos ſceleratiſſimos fuiſſe non lateat. Numquid ſanctus Achab, aut Joram, ſeu cæteri? Numquid pſeudoprophetæ quos ad Heliæ preces ultor cœleſtis injuriæ ignis abſumſit? Non utique; ſed in ſacramento futuræ præfigurationis vocabantur ſancti cum non eſſent, donec veniret Chriſtus eſſentialiter ſanctus, qui & ſponſæ ſuæ vulvam aperiret, fecunditatemque pariendi filios refunderet. Ipſe namque dominico dignus judicatus eſt obtutu; cæteros omnes juxtà legis ſeriem typum fuiſſe futuri, nemo qui ambigat. Et ideo ſiſtunt eum Domino, quoniam ipſe eſt purgatio per reſurrectionem octavi diei in Jeruſalem, ut in eo condonetur & offeratur omnis adoptio filiorum Dei. In eo namque quod lex ait: *Omne maſculinum adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur*, promittebatur Virginis partus verè ſanctus, quia immaculatus, qui aperiret vulvam Eccleſiæ, ut in eo ſanctificarentur reliqua omnia, & eſſent primogenita.

Exod. 13. 2.

Unde ſignanter Angelus ad MARIAM: *Et quod naſcetur*, inquit, *ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.*

Luc. 1. 35.

Non quòd corruperit matrem naſcendo, quam integram & inviolatam reliquit virginem, ſed quia ex eâ natus Deus homo aperuit Eccleſiæ vulvam, & in carne ſuâ pervium ſibi fecit iter, ita ut Virginis aulam clauſam ſervaret, quatinùs ex matre Virginem ſibi duxiſſe ſponſam oſtenderet, quam tali tantoque fœdere naſcendi virginem permanſuram & immaculatam monſtrabat.

Unde conſtat legaliter eum oblatum, ſicut & circumciſum; alioquin circumciſione non eguit, quia originale peccatum nullum traxit, quo defendus eſſet ipſe Chriſtus de populo ſuo niſi circumcideretur. Et tamen circumciſus eſt, quia volens ſub lege fuit, ut eos qui ſub lege erant redimeret, ſicut & oblatus, ut nos qui rei eramus ſacrificium Deo Patri in ſe of-

e *non enim*] Quæ ſequuntur, de verbo extant apud Hildefonſum ſerm. 1. de Purificatione.

f *per ora legis*] Fortè *priora*: aut *pia*, ut in Ratramno legitur cap. 6. non ita multo poſt particulam negationis ubi legitur *ſancti cum non eſſent*, adjecimus.

ferret,

offerret. Aliàs autem ſi ipſe, quod abſit, immundus eſſet ut matrem coinquinaret, quomodo nos emundaret in ſuâ oblatione, & faceret hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis? Idcirco etſi ipſe dolores noſtros & infirmitates in ſe pertulit & portavit languores, abſit ut matris pudorem ullis vexaverit injuriarum moleſtiis. Abſit per quam omnis maledictio Evæ ſoluta eſt, ut ipſa in partu maledictionibus ſubjacuerit primæ damnationis. Abſit ubi virtus naſcitur, ut ibi tanta colluvio vitiorum credatur; ubi gaudium omnium prædicatur, quòd tanta triſtitia & gemitus intervenerit; inter Angelorum diſcurſus quòd immunda ſeptem diebus in ſanguine immundo ſederit. Ad quam ſi ita eſſet, nec paſtores mane juxtà legem, ut ita dicam, ingredi liceret; nunc autem quia Angelus eos evangelizandi gratiâ devotus invitat, veniunt & vident, inveniunt & intelligunt de Verbo quod eis prædictum fuerat. Nequaquam igitur credendum quòd invenerint MARIAM in tantis ſpurcitiis, ſolam, multis miſeriis ut aſſolent puerperæ, conſternatam & obvolutam. Ad cujus partum multitudo Angelorum canit: *Gloria in excelſis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Ergo ubi & per quem tanta pax prædicatur, non credo quòd illæ ignominiæ immaculatæ matri contigerint aut dolores carnis.

Luc. 2. 14.

Sed & Magi venerabiliter deinceps intrant domum, & inveniunt quod paſtores invenerunt, MARIAM, Joſeph & Puerum; inveniunt non vexatam doloribus, ſed obſequentem puero; deinde procidunt & adorant oblatis muneribus quem cum matre inveniunt. Adorant, inquam, ejus primogenitum. Primogenitum autem, non eum quem ſequantur fratres, ſed quem nullus antecedit. Quamvis enim quidam voluerint potiùs unigenitum dici debere quàm primogenitum, tamen quia idioma ſcripturarum eſt quidquid primum aperit vulvam primogenitum vocari, ſanctificatumque eſſe Domino, maluit Evangeliſta ſecundum eumdem ritum primogenitum quàm unigenitum dicere; non quòd aperuit vulvam lege naturæ, ut mos eſt cæterarum fœminarum, ſicut iſti aiunt, ſed quia ex eâ natus eſt tam primogenitus quàm & unigenitus, lege divinâ factus ſub lege, ut per eum lex tota impleretur in ſpiritu & ad litteram. Nam & ipſe primogenitus ex reſurrectione appellatur ex multis fratribus. Unde quia colligitur in ſpecie genus, quamvis unigenitus dici poſſet per naturam, magis tamen hic primogenitus debuit dici, ut eſſet indicium quòd jam in eo & per eum alii quàm multi fratres colligebantur filii Eccleſiæ per gratiam, cujus aperuit vulvam. In veteri quoque teſtamento illis primogenita dabantur quàm ſæpe, qui Dei gratiâ prælecti ſunt, quorum non ex naturâ dignitas, ſed ex gratiâ meritum auferebatur. Idcirco dicimus & nos quòd primogenitus hic ſignificantiùs dicitur quàm unigenitus, ut per eum omnes qui ex gratiâ colliguntur, illi ſolummodo coadunati in cœleſtibus habeantur. Hanc quippe figuram gerebant omnia illa primogenita ſub lege Domino conſecrata. Et ideo juſtum erat ex his omnibus primogenitis qui vulvam Domino aperiebant, ut Dominus inter eos legaliter offerretur, cujus formam illa omnia præferebant, ut eſſet ipſe primogenitus in omnibus primatum tenens. Non qui vulvam vexaret matris, ſed qui vulvam aperiret Eccleſiæ. Hæc idcirco dixerim ut intelligat prudens lector, quia primogenitum non ſequentes fratres faciunt, ſed ideo certè primogenitus Chriſtus vocatur, quia omnes unigeniti, ſicut ipſe unigenitus fuit matris, primogeniti dici queunt, non tamen omnes primogeniti jure queunt unigeniti vocari. Ex quo colligitur primogenitum eum vocari debere, ante quem nullus & poſt quem nullus, & non eum tantum quem fratres ſequuntur. Jure igitur Chriſtus primogenitus appellatur ex virgine, non quòd vulvam vexaverit virginis & aulam reſeraverit pudoris, ſed quia qui erat ab initio primogenitus totius creaturæ, natus eſt ex eâ & ipſe tam unigenitus quàm & primogenitus eo quo voluit modo, ſine gemitu & ſine dolore parientis. Nam & de baptiſmo primogenitus rectè vocatur, qui & in reſurrectione primogenitus reſurrexiſſe dicatur. In utràque tamen naturâ & nativitate quamvis primogenitus dicatur, jure unigenitus eſſe creditur, quoniam idem eſt hominis & Dei filius: non alius & alius, ſed unus & in utràque unus.

Quare Chriſtus primogenitus appellatur.

Quibus profectò Catholicæ veritatis regulis hinc inde patet ſenſus, quòd nemo niſi hæreticus dicit Chriſtum nonniſi communi lege naturæ natum, neque aliter quàm ut cæteri naſcuntur infantes. Quamvis enim præfatus Doctor Hieronymus in eo opere, quod contrà Helvidium ex hoc egit, videatur ei ceſſiſſe, & eo in loco ubi ait de hoſpitio vulvæ novem menſium, & de vilitate naſcendi quod ille hæreticus inſultando propoſuerat, quaſi indignum eſſet divinæ Majeſtati ad tantam dignationem ſe humiliaſſe, ut inter viſcera in utero verſaretur Virginis, aut inter femora feminea naſceretur tam ſordidus. Sic enim omnia in contrarium opponens quaſi hæreticus, ut deſtrueret fidei Catholicæ veritatem. Cui è contrario egregius ille veritatis aſſertor non cedendo, ut iſti volunt, ſed dignitatem glorioſiſſimæ humilitatis Dei ampliùs commendando ait; quòd quanto viliora & inhoneſtiora pro nobis illa Majeſtas divina ſuſcepit aut ſuſtinuit, tanto cariùs nos redemit, & propenſiùs honorandus eſt. Tali namque ſenſu, etſi non eiſdem verbis in quantum recolo, eidem reſpondens hæretico videtur Beatæ Virgini non infamiam ullius colluvionis, aut pœnam peccati intuliſſe, ſed dignationem divinam & exinanitionem immenſam in formâ ſervi reverenter ſatis commendaſſe, non ut virginem vexatam à Domino & exhonoratam oſtenderet, ſed ut clementiam pii Conditoris etiam hujuſmodi hæreticis demonſtraret. Idcirco non ceſſit iſtis cum Helvidio errantibus, ſed corripuit ut diſcerent non infamare virginem, & Deum non derogare in forma ſervi humilitatem. Non enim pudicitiam ejus in aliquo læſam docet, qui tantum in ejus laude triumphat, neque ad horam ceſſit ejus adverſarius, qui pro eâ tantum & tamdiu dimicavit verbi gladio. Cui Deus contrà hoſtes ejus tantam reſiſtendi contulit gratiam, & revincendi præbuit virtutem, ut nemo contrà eum audeat inſurgere.

Non communi lege naturæ Chriſtus natus eſt.

S. Hieron. contrà Helvid. c. 9.

Oro autem, ſacratiſſimæ virgines Chriſti, veſtris intervenientibus meritis, ut qui illi tantam præſtitit dicendi peritiam & debellandi adverſarios fortitudinem, mihi quoque dare dignetur loquendi gratiam, & quæ digna ſunt huic myſterio aperire in Spiritu veritatis, quatinùs hinc inde per vos & propter vos, ô matronæ Chriſti, dignus inveniar tantopere, qui meis nullis ſuffragor meritis, ut aptè defendere queam matris Domini mei pudicitiam, & non ſanè credentibus pandere veritatem, ut reſipiſcant & ceſſent jam ultrà loqui falſitatem.

Objectiones adverſariorum diluit iterum

Dicunt autem quòd non aliter natus dici queat Chriſtus niſi æquâ ſorte naturæ ut cæteri: quaſi æquâ conditione in ſcripturis divinis ſemper nativitas eſſe dicatur, cum longè alia ſit illa nativitas omnium quæ ſub ſorte maledictionis naſcuntur, & alia ſi Eva non peccaſſet: quia iſta ſub maledicto eſt & ærumnâ; illa autem tota in flore benedictionis fructum afferret ſine gemitu & dolore. Unde, quæſo, ſaltem illam iſti concedant nativitatem Chriſto de

Maria Virgine, quâ naſcerentur communi lege omnes ſi non peccaſſet Eva, quæ nunc nativitas nota eſt ſoli Deo, & ignota fortè hominibus; & non adſcribant ei maledicta, gemitus, & ærumnas pro gaudio matri attuliſſe. Quæ tanto magis virgo libera fuit à corruptione paſſionis, à dolore carnis, à ſordibus ignominiæ, quanto gratiâ plena & incorrupta, quanto Spiritu ſancto dedicata & virtute divinâ adumbrata. Habet enim Spiritus ſanctus in ſe receſſus ſuos, quibus modis dicatur nativitas in ſcripturis ſacris, & quibus occultetur legibus ſempiternis. Alia namque eſt nativitas carnis de carne, alia Dei de Deo, & alia quarumlibet rerum innumerabilium. Et tamen eorum omnium non unus eſt modus naſcendi, neque unus eorum ordo exiſtendi, quamvis nativitas in ſingulis æquè dicatur quibus eſt jure attributum, ut nati de altero dicantur, ac per hoc quolibet modo de Maria Virgine Chriſtus rectè natus creditur, quia ex eâ carnem aſſumſit. Nativitas verò ipſa quomodo ad nos exierit, utrumne eâ conditione quâ Eva peperiſſet ſi non peccaſſet, an glorioſiùs, quia Deum & hominem genuit & virgo permanſit, quòd illa non eſſet, neque reliquæ dum parerent, ſuperfluè quæritur. In quo opere nemo Sanctorum voluit dubitare, ſed Catholicâ fide hoc certum omnes prædicant, quia nec in delicto concepit, nec in delicto & dolore cum corruptione peperit, neque Chriſtus ex eâ ullum peccatum traxit. Quòd ſi ex ea peccatum non traxit, nec admiſit, quia nullis cruciatibus in naſcendo matris vexavit pudorem, neque in aliquo ejus commaculavit virginitatem.

Non dicimus itaque, ut aiunt, quòd monſtruosè ſit natus, ſed ſicut præſignatum eſt olim in Prophetis, & traditum eſt nobis à ſanctis Patribus, quòd ipſa ſit porta quæ oſtenſa eſt Ezechieli, de quâ dicit: *Vidi portam in domo Domini, & hæc erat clauſa; & vir non tranſiet per eam, quia Dominus Deus exercituum ingreſſus eſt per eam.* De quâ portâ beatus Ambroſius in eodem hymno, de quo dixi, quem in honore ſacratiſſimæ Virginis compoſuit: Fit porta, inquit, Chriſti pervia, referta plena gratiâ, tranſitque Rex & permanet clauſa, ut fuit, per ſæcula. Ergo cum dicit, fit pervia, ſemetipſum exponit & oſtendit tranſitum nativitatis ejus: cum dicit, permanet clauſa, oſtendit adimpletum quod erat in Prophetis. Clauſa igitur non diceretur, ſi in aliquo læſa eſſet ejus integritas. Sed quia in nullo eſt violatus pudor virgineus, neque fons in aliquo reſignatus, proculdubio patet ſenſus, quia clauſo utero ad nos venit, ſicut januis clauſis ingreſſus eſt ad diſcipulos. Secundùm aſpectus diſcipulorum utrumque tunc probavit, ſcilicet quòd & fores clauſæ eſſent, & quòd Dominus per eaſdem introiens coram eis præſens adſtaret. Sic & fides noſtra utrumque de Chriſto certiſſimum tenet, quòd & pervia fuerit ejus integritas naſcente Domino ex eâ, & tamen uterus non fuerit reſeratus. Alioquin quomodo clauſum dici poteſt permanſiſſe quod violatum eſt? Aut quomodo ſine dolore & ſine gemitu puerpera peperit, ſi more cæterarum fœminarum vexatis viſceribus filium edidit? Et ſi ita partum; ut aiunt, quomodo clauſa permanſit ut fuit antequam pareret? Nec enim januæ illæ penetrabiliores erant clauſæ, quàm uterus virginis incorruptus. Idcirco non abs re creditur ad nos Dominum ſic exiſſe, ut nativitas Chriſti de carne Virginis probaretur, & virgo nullis cruciatibus vexaretur.

Ezech. 44. 2.

Fortè dicturi ſunt iſti, quòd corpus jam incorruptibile & immortale exilius eſſet ad penetrandum quo vellet, quam eſſet priùs antequàm reſurgeret. Nequaquam igitur hoc dicit quiſque qui ſanè ſapit: quia ex quo conceptus eſt homo, idem ſemper qui ante Deus fuit. Unde quando ſuper undas æquoreas ambulavit ante paſſionem, non minùs homo quàm Deus fuit. Quòd ſi ad naturam reſpicias rerum, aut corpus ſine pondere vexit, aut undas ſuâ potentiâ quo ſuſtinerent [g] pondus corporis ſolidius, confirmavit. Et ideo, ut beatus Gregorius ait in homiliis ſuis, Redemptoris noſtri opera quæ ex ſemetipſis comprehendi nequaquam poſſunt, ex aliâ ejus operatione penſanda ſunt, ut rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabiliora. Illud enim, inquit, corpus Domini intravit ad diſcipulos januis clauſis, quod videlicet ad humanos oculos per nativitatem ſuam clauſo exiit utero virginis. Deinde addit: Quid ergo mirum ſi clauſis januis poſt reſurrectionem ſuam in æternum jam victurus intravit, qui moriturus veniens non aperto utero virginis exivit? Ecce tantus taliſque Doctor & ſummus Pontifex de hoc quid ſroſerit, qui omnes ante ſe legerat tam Latinos quàm & Græcos eximios tractatores. Ecce ex hoc uno quod nulli dubium eſſe credidit, approbat quod fortè dubium eſſe poterat. Nemo igitur qui ſanè ſapit, de re multum dubiâ incertum aliquid affirmare contendit. Unde quia de illo corpore quod videri poterat, fides intuentium dubitabat dum fores cernebant clauſas, magiſter veritatis ab eis omnem aufert dubietatem, cum eis manus & latus palpare & videre jubet. Ita & hic Auctor egregius de hoc quod omnibus in commune certum eſſe credidit, rem valde difficilem adſtruxit & firmavit, quòd corpus Dominicum poſt reſurrectionem januis clauſis introierit, fueritque incorruptibile pari modo & palpabile. Tamen quolibet pacto ingreſſus ex Evangelio ad diſcipulos januis clauſis probatur, ſicut & clauſo utero virginis natus. Quòd ſi natus ſic per vulvam jure dici non poteſt, ut iſti volunt, omnino nec ingreſſus per januas: & tamen ingreſſus ad eos convincitur, quando in medio eorum ſtetiſſe legitur. Sicut & de ſepulcro egreſſus ſignato monumento [h] monſtratur, quando Angelus revolvit lapidem & vacuum oſtendit monumentum. Unde liquidò conſtat, quòd ſicut ſaxeum illud oſtium ei pervium & penetrabile fuit, nec potuit cohibere vivum quem priùs claudebat ſub ſigillo mortuum, ita & clauſtrum matricis atque genitale virginis cum eſſet clauſum & ſignatum ſigillo pudoris, cum impleti eſſent dies pariendi non potuit obſtare partui integritas corporis, nec tamen eguit reſerari, quia non oportuit ut eſſet tormentum ei qui erat honor matris & gaudium, quia Deo totum erat pervium in eâ quidquid erat clauſum, honor verò quia totum erat Deificum quod natum.....

g

S. Greg. Papæ homil. 26. initio.

h

Fateor planè quòd non tanta materies diſputandi valeat inveniri, cur ſignato ſepulcro exierit, vel cur clauſis januis introierit ad diſcipulos, quanta quòd de Maria Virgine clauſo exierit utero. In illis ſiquidem declaratur divina Majeſtas, in hac autem monſtratur divina dignatio, & ſecundum humilitatem debitus honor matris & reverentia pudoris. Hinc quoque beatus Ambroſius hymnidicis laudibus teſtatur, quòd clauſtrum pudoris permanſerit, & vexilla virtutum in eâ fulſerint, in quâ tota Majeſtas Deitatis velatur, quo uſque plenitudo temporis advenit pariendi. Ergo in quâ clauſtrum pu-

In hymno in natali Domini.

g *quo ſuſtinerent*] Ita emendavimus; nam corruptè legebatur *quo ſuſtinere*.

h *ſignato monumento*] Acherius ediderat *ſignatum*; idem ſcripſerat *Deificum quo natum*, ubi repoſuimus *quod natum*.

doris integrum permanſit, nulla diſruptio intervenit, nulla vexatio carnis, nulla fœditas diræ conditionis. Et in quâ vexilla virtutum micarunt, nullum peccatum primæ originis ut cruciaretur, viguit. Fulſerunt autem vexilla virtutum in illo ſacro puerperio, quando virgo concepit ſine ſemine, virgo peperit ſine dolore & gemitu, & permanſit virgo fecunda prole. Hoc quippe eſt clauſtrum permanere pudoris, in nullo violatum eſſe genitale ſecretum quod ei fuit apertum. Non in conceptu, non in partu, non in ullâ confuſione parturitionis. Nam & Eccleſia Chriſti omnis tam Romana quàm & Græca ſic ſuâ & divinâ fidenter canit auctoritate quòd peperit Virgo ſine dolore, quòd permanſit inviolata, quoniam eam in omnibus illæſam ſervavit Spiritus ſanctus, ut virgo haberet filium, & ſervaretur ei honor tanto munere dignus, quantâ ſanctificatione uterus Deo fuerat dedicatus.

Explicit Tomus de Partu Virginis Mariæ primus unà cum ſacris Virginibus dedicatus.

INCIPIT TOMUS SECUNDUS

De Partu Virginis.

Eccli. 1. 15.

INter ſacrarum ſcripturarum eloquia cavenda eſt ſemper vana & ſuperſtitioſa intelligentia; quia ſicut in proverbiis legitur, *Perverſi difficilè corriguntur; & ſtultorum infinitus eſt numerus.* Et ideo quorumdam fratrum temeritas, quia ſemel cœpit ſacramenta divini muneris procaci diſputatione commaculare, & myſterium ſacri partûs ſuperfluâ inquiſitione diſcutere, malunt cum hæreticis errare, quàm cum Catholicis quæ malè ſentiunt corrigere. Unde ſibi quia rimas vanæ diſputationis inveniunt, ſentinam pravæ colluvionis ad ſubmerſionem animarum fœtidam nimis in Eccleſiis introducunt, dum dicunt mendoſè, MARIAM Virginem naturali lege Dominum peperiſſe ſicut reliquæ pariunt feminæ, & non aliunde in partu incorruptam fuiſſe ſolummodo, niſi quia ex viri coïtu non conceperit. De cujus incorruptione jam me ſuprà ſatis in priori tomo dixiſſe credo. Sed quia iſti noſtris non acquieſcunt dictis, pervicaci inſultatione diffiniunt virginitatem non aliunde quàm ex coïtu viri corrumpi poſſe, neque corruptam vocari debere MARIAM, licet juxtà legem pepererit omnium feminarum, eo quod, inquiunt, etſi viſcera vel genitale ſecretum more cæterarum feminarum patuit ut naſceretur Chriſtus, virginitas tamen corrumpi non potuit; propterea Dei genitrix ſola virgo poſt partum & incorrupta fuit. Talibus igitur & hujuſmodi vaniloquiis dum ſuas diffundunt nænias, ſanctorum Patrum præmittunt auctoritatem, & commaculant Catholicam fidem. Unde, quæſo, quia noſtra dedignantur audire, audiant beatum Auguſtinum, cui contradicere fas non eſt, de hac re in libro Enchiridii inter cætera diſputantem. Ait enim: Nihil humanæ naturæ in illa ſuſceptione fas eſt dicere defuiſſe. Non qualis de utroque ſexu naſcitur per concupiſcentiam carnis cum obligatione delicti, cujus reatus regeneratione diluitur, ſed qualem de virgine naſci oportebat, quem fides matris nôn libido conceperat; quoniam ſi vel per naſcentem corrumperetur ejus integritas, non jam ille de virgine naſceretur, eumque falsò, quod abſit, natum de Virgine MARIA tota confitetur Eccleſia, quæ imitans ejus matrem, quotidie parit membra ejus & virgo

Virginitas in quo conſiſtit ex adverſariis.

Confutat Paſchaſius.

Ench. cap. 34.

eſt. De quo ſanè Opere ad Voluſianum ſatis eleganter ſcribit, ad quem etiam librum nos legendum pro hoc remittit. Sed iſti quia nec illum librum, nec hunc locum legere volunt, errant ſuâ temeritate decepti. Alioquin, ut hic egregius Doctor fatetur, ſi vel per naſcentem corrumperetur integritas virginalis, non fas eſſet eam dicere virginem, corruptâ à naſcente virginitate. Et ſi corrupta eſſet vel per naſcentem, quomodo integra eſſet & illæſa virgo? Audiant itaque hic vaniloqui tantum Doctorem, & reſipiſcant, ne forte introducant per ſuam falſam aſſertionem Chriſtum in delictis conceptum, & iniquitatibus natum. Quia & ſi de virgine non eſt natus, falſum eſt quod Eccleſia confitetur, ut hic ait. Falſum & quod omnis ſcriptura novi ac veteris Teſtamenti de illâ teſtatur. Sed quia omninò virgo permanſit, nullis preſſa eſt [i] doloribus, in nullo corrupta fuit: & ideo non fecundarum ſpurcitias traxit, non ſanguinis fluxum emiſit, non corruptiones viſcerum intrà extràque pertulit. Quòd ſi talibus & hujuſcemodi pateretur puerpera tormenta, procul dubio virgo non eſſet, quia virginalis integritas violata eſſet. Hinc Sedulius Rhetor Romanæ Eccleſiæ in paſchali ſuo opere ait: Infans namque parvus ac maximus, membris ſcilicet exiguus, Deitate præcelſus, per hoſpitalis templi ſinceram defluens caſtitatem, non læſit corpus abſcedens, quod non læſerat cum veniſſet. Quòd ſi ita eſt, imò quia ita eſt, non ita natus eſt ut cæteri naſcuntur corrupto corpore, ſed illæſis viſceribus Deus & homo natus eſt. Unde adhuc idem verè divinæ generationis hoc ſecretum teſtis virginis partûs oſtenditur, qui materni pudoris cuſtos ingreſſus clauſis viſceribus conceptus eſt & creatus. Nihil ergo apertius dici queunt, nihil manifeſtiùs hìc ſancti Doctores de partu Virginis, quòd integra virgo clauſaque permanſerit, ut fuit antèquam pareret, quod omnino non eſſet ſi in partu more cæterarum feminarum corruptioni ſubjaceret. Nulla igitur virgo hujuſmodi ſubjacet paſſionibus; & ideo verè virgo, quia integra & incorrupta eſt, jure dicitur. Sic & beata Dei genitrix ut verè virgo dicatur dum parit, ex toto rectè clauſa more virginum & incorruptâ creditur. Quòd ſi non ita maneret incontaminata ut reliquæ virgines, verè virgo non eſſet. Quod ut oſtenderet David Propheta, vaticinans de eâ ſatis congruo exemplo ita ait: *Deſcendit ſicut pluvia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.* Quem verſum Caſſiodorus Senator in expoſitione pſalmorum pertractans, vellus ſacratiſſimam Virginem MARIAM intelligit detonſam ex ovibus Iſraël; pluviam verò divinitatem Verbi comparat; quia ſicut pluvia in vellus cum ſummo ſilentio venit, ità perfudit ac replevit virgineum corpus, & poſſedit virgineam mentem. Miro itaque modo utroque comparationis exemplo firmavit vaticinando deſcenſionis ejus in uterum virginis adventum, quia ſicut pluvia integrum & inviolatum perfundit vellus, ita & divinitas Verbi incontaminatam & illæſam ſervavit virginem. Integram quidem eam invenit & incorruptam, quando deſcendit ſicut pluvia in vellus, & ingreſſus eſt virginea viſcera, deſcendit autem & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. Unde idem Propheta in duabus iſtis prophetiæ ſententiis perfectam Chriſti incarnationem explanat. Per ſtillicidia namque terram germinare cernimus, ex quâ ad infuſionem & ad humorem pluviæ omne virgultum agri germinatur; & omnis terræ viror naſcitur. Sic & divinitas Verbi deſcendens in MARIAM ſicut ſtillicidia ſuper terram, germinare eam fecit germen vitæ; & non

Ibid.

Cap. 3. initio.

Pſal. 71. 6.

i *nullis preſſa eſt*] Sic Acherius ipſe legi debere conjecit, cum in codicibus ſuis repeperiſſet *paſſa eſt*.

aliunde quàm ex ſe ipſâ idem de carne virginis per infuſionem divinæ Majeſtatis. Et ideo æquè quod natum eſt ex eâ divinum & humanum fuit, ita ut ex MARIA neque divinitas Verbi nata credatur ſine homine, neque homo ſine Verbo, quia Verbum caro factum eſt, ac per hoc Deus & homo unus eſt Chriſtus. Porrò per pluviam quæ deſcendit in vellus, non germinandi naturam expreſſit ex vellere, ſed modum naſcendi ex virgine. Nam pluvia ſereno tempore quando perfundit vellus æquè ad ingreſſum ſervat integritatem ejus, æquè ad egreſſum quando refunditur: quia in nullo à pluvia velleris integritas violatur. Sic quippe de MARIA Virgine præfatus ille cœleſtis Orator ſentit, ſicque confitetur quòd nec ad ingreſſum Filii Dei ſit corrupta, nec ad egreſſum violata, ſed in omnibus plena gratiâ, integra & illæſa eſt ſervata; nec cum ingreditur, uterus aut viſcera corrumpuntur, nec cum evacuatur, reſecantur. Manet quidem genitale ſecretum, ſed clauſum & immaculatum, evacuatur uterus, ut vellus à pluviâ, ſed non quaſſantur viſcera. Duabus itaque iſtis ſententiis, ut præfatus Doctor inſinuat, Spiritus ſanctus voluit declarare quod demum Iſaias de Chriſto teſtatur dicens: *Quomodo deſcendit imber & nix de cœlo, & illuc ultrà non revertitur, ſed inebriat terram & infundit eam, & germinare eam facit; ſic erit Verbum quod egredietur de ore meo. Non revertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcumque volui; & proſperabitur in his ad quæ miſi illud.* Iſai. 55. 10. Ecce quid per pluviam David voluerit ſignificare, & quid per ſtillicidia; profectò Spiritûs ſancti infuſionem, & Verbi divinitatem.

MONITUM.

PASCHASII *Ratberti Opuſculo de Partu Virginis ſubjungimus Ratramni Opus de Nativitate Chriſti, quod Ratberto junior ſit Ratramnus, nec ulla cauſa eſſe videatur cur cum Ill. Mabillonio cenſeamus hujus operis occaſione Ratbertum de Partu Virginis ſcribere inſtituiſſe. De Ratramno hæc monet Acherius in ſuâ Præfatione: Ratramni, aliis Bertramni, Corbeienſis Monachi Presbyteri Opuſculum*, de eo quod Chriſtus de Virgine natus eſt, *tot ſeculis in Anglia tenebris obſitum, in Galliam demum non abſque induſtria redux effeci. Anſam præbuit Uſſerius Armachanus, qui ſuæ Ratramnum labe hæreſeos ut aſpergeret, inſibilat, ipſum panis ſubſtantiam Eucharistiæ Sacramento, in corpus Filii Dei tranſmutari, duobus quos de eo Sacramento libris conſcripſit, nequaquam admittere; perperamque id Uſſerius ſuadere conatur, in Gotheſcalci hiſt. cap. 11 hunc in modum:* Inter Opuſcula ejus (*Ratramni*) quæ ad Trithemii notitiam non pervenerunt, unum eſt de Nativitate Chriſti (in quo eamdem, quam in libro de Corpore & Sanguine Domini tradit, doctrinam propugnat.) De animâ alterum, *&c.*

Quàm porrò à vero aberret hæc aſſertio, probat ipſummet Opuſculum, cui erroris hujuſce ne verbuli quidem aut apicis veſtigium ineſt. Imò verò illi ipſi perduellium anteſignani Magdeburgenſes centuriâ IX. cap. de Doctrina, col. 212. paucis Uſſerium refellunt: Tranſubſtantionis habet ſemina Bertramus, utitur enim vocabulis commutationis, & converſionis. *Et c. 6. de Cæremoniis & Ritibus Eccleſiæ, col. 243.* Bertramus lib. de Corpore & Sanguine oſtendit Corpus Domini & Sanguinem ſuper altare ſeu menſam poni, & inde populo diſtribui, *&c*

Ratramnum doctè luculenterque ab omni nævo aſſeruere, Sixtus Senenſis Præf. Bibliothecæ ſanctæ, Cardinalis Peronius, ac Præſes Mauguinus: ille lib. 2. Euch. capp. 1. & 1. iſte verò Hiſtoricæ & Chronicæ Diſſertationis cap. 37. Literis ac famâ floruiſſe Ratramnum Ludovici Pii & Caroli Calvi tempeſtate, fidem faciunt quas protulit elucubrationes.

Hactenùs Acherium exſcripſimus. Nunc lectorem monemus, ita ſcriptum eſſe de partu Virginis à Ratramno & ab ejus Abbate Ratberto, ut neuter alterius opuſculum legiſſe videatur; nec enim veriſimile eſt, ſi legiſſent, utrumque eadem SS. PP. teſtimonia prolaturum fuiſſe, ſuam ut quiſque ſententiam probaret, nec ullam curam adhibiturum fuiſſe, ut ea teſtimonia perverſum in intellectum detorta eſſe ab adverſario demonſtraret. Hoc etiam non omittendum eſt, priorem editionem collatam eſſe cum veteri codice Dallei à D. Edm. Martene, qui varias lectiones nobis communicavit.

RATRAMNI MONACHI CORBEIENSIS LIBER DE EO QUOD CHRISTUS EX VIRGINE NATUS EST.

AUCTORIS PRÆFATIO.

Ann. circ. 850. Christiana propinquitas carnali præponderanda.

SI uno ſub Magiſtro Chriſto omnes Chriſtiani cenſemur, ſi uno cœleſti Patre univerſi credentes gloriamur, ſi unius Spiritûs fœdere in unius charitatis compage ſolidamur, non eſt quod me à tuâ dignatione ſejunctum verear, quominùs religioni tuæ familiaria ſcripta procudam. Non enim vel ſanguinis propinquitas tanta eſt, quanta Spiritûs. Terrena ſcilicet propago inferior multo eſt, quàm divina, nec officia temporalis obſequelæ tantam pariunt gratiam dilectionis, quantam

divinus ignis generat charitatem. Proinde ceſſet hic vel facies inviſa, vel nomen ignotum, vel familiaritatis comparatio nulla, ubi in copulæ ſocialis devinctionem tanta, tam magna, tamque neceſſaria conveniunt jura ſocietatum. Non igitur velut alienum refutes, quem ſuperna conditio tibi fratrem conciliavit propinquum. Cum hæc ita ſe habeant, obſecro reverentiam tuam, ut ad ſuggeſtionem parvitatis noſtræ reſpondere non graveris.

CAPUT PRIMUM.

De Chriſti nativitate in Germaniâ errores.

FAma eſt, & quorumdam non contemnendâ cognovimus relatione, quòd per Germaniæ partes ſerpens antiquus perfidiæ novæ venena diffundat, & Catholicam ſuper Nativitate Salvatoris fidem, neſcio quâ fraudis ſubtilitate ſubvertere molitur; dogmatizans Chriſti infantiam per virginalis januam vulvæ, humanæ nativitatis verum non habuiſſe ortum, ſed monſtruosè de ſecreto ventris incerto tramite luminis in auras exiiſſe, quod non eſt naſci, ſed erumpi. Quod enim vias uteri naſcendo non eſt ſequutum, ſed quâcumque verſum tamquam per parietem domûs erupit, non jure natum eſſe, ſed violenter egreſſum. Jam ergo nec verè natus Chriſtus, nec verè genuit MARIA. At verò fides habet Catholica JESUM natum ex MARIA Virgine. Quod Angelus ad eam miſſus ſignatis enuntiat verbis: *Ecce*, inquiens, *concipies in utero, & paries filium.* Vide quàm evidenter ſectam depulit nefandam. Non ait concipies filium, & egredietur tuo de utero, ſed concipies & paries, utrumque referens ad *Mariam*, ut virginitate[a] inviolatâ & conciperet tamquam femina, & pareret tamquam mater, ne genitrix divinitatis de conceptu fieret glorioſa, & de partu redderetur inhonora. Alterum velut ad ſuum penderet officium, alterum ad illius qui concipiebatur effectum: ita nec ipſa mater diceretur integra, nec ſalvatoris nativitas ex matre perfecta. Quamvis etiam ad *Mariam* directus Angelus ſi ſic forte loquutus, non propterea neceſſariò cogeret intellectum, quò nativitas de matre Chriſti extraordinaria crederetur. Qui enim de feminâ Virgine concipi delegit, nonnisi naſci de feminâ Virgine credi facilè voluiſſet, quoniam de ſexu fragilioris humanitatis qui delegit exortum, nequaquam humanæ nativitatis modum, ſalvâ virginitatis integritate contemneret.

Rationes affert quare naſci ut cæteri debuit Chriſtus.

Luc. 1. 31.

Inconveniens nempè divinitatis erat conſilio, ut in Virgineo corpore uterum, quo conciperetur, quo formaretur, quo novem menſium dilatione portaretur eligeret, & uteri viam, quâ de virgineâ procederet aulâ, repudiaret. Aut aliam igitur viam, quâ feminæ parientes partus ſuos emittant, jure nativitatis præter ſolemnem parturitionis viam, talia quicumque garriunt, edoceant, aut eum habuiſſe de utero virginis exitum. Chriſtum, quem lex monſtrat naturæ, præter integritatis violatum pudorem, neceſſe eſſe confiteantur. Viperæ priuſquàm parturitionis ad tempus perveniant catuli, traditur quòd maturam naturæ completionem non exſpectantes, corroſis matris lateribus, exeunt cum genitricis interitu. Eſt quoque vulgaris opinio muſtelam ore concipere, aure partum effundere. Forſitan quiſquis humanæ viam nativitatis denegas Chriſto, aut viperinam maternis exitioſam conceptibus concedis, aut muſtelinam fabuloſis effictam commentis. Ut maluerit potiùs hominum Redemptor de Virgine conceptus, vel ſerpentinam naturæ contrariam, vel pecualem confictam nativitatem ſuſcipere, quàm humanam. Iſto itaque modo, jam quidquid libuerit poterit excogitari, vel undecumque, vel per quodcumque placuerit natum fuiſſe Chriſtum blaſphemari, ut non ſit virgineus partus Verbum caro factum, ſed prodigialis egreſſus.

CAPUT II.

Objicitur, violatam Matris integritatem.

Reſponſio.

SEd quæſo cur refugis aſcribere Chriſto naturalem virginalis portæ progreſſum? Propterea, inquis, quoniam ſi uteri portam exivit, non eſt Virginis integritas intemerata. Equidem per quemcumque fuerit locum egreſſus, conſequenter ſecundum tuam ſententiam integritas eſt violata. Si enim Salvatoris ortus viam naturæ neceſſariò fuerat corrupturus, neceſſariò quoque quacumque exivit, ſive per latus, ſive per ventrem, ſive per renes, ſive per ſuperiores inferioreſve corporis partes, non abſque integritatis damno proceſſit. Abſit verò Catholicis ſenſibus, ut Nativitas, per quam reſtaurata fuerunt[b] corrupta, quòd corruperit integra credatur. Intellige tandem vecors præſumptio, quoniam ſi per quamcumque Virginei corporis partem ortus Salvatoris potuit fieri ſine damno integritatis, conſequenter & hoc potuit per januam vulvæ. Quòd ſi hanc fuerat violaturus, nihilominùs quacumque eſt egreſſus, violavit. At Catholica fides de Virgine Salvatoris matre confitetur, quòd virgo fuerit ante partum, virgo in partu, virgo poſt partum. Utrumque vides credi, utrumque confiteri, & matris Virginitatem, & infantis exortum.

Maria ſemper virgo permanſit.

Propter namque inviolatam pudoris aulam, virginitatem prædicat & ante partum, & in partu, & poſt partum: & propter veræ Nativitatis exortum, verum parientis partum confitetur. Quid enim virgo ante partum, niſi impprægnata virginitas? Quid eſt virgo in partu, niſi pariens virgo? Et quid virgo poſt partum, niſi virgo perſeverans poſt partum? Ubi ergo virgo pariens, ſi partus negatur? [Negatur] porrò cum prædicatur virginitas non peperiſſe, non peperit autem ſi partus aliter quàm per naturæ januam proceſſit. Siquidem jam talis ortus non virginis eſt partus, ſed proprius videlicet ipſius infantis egreſſus. Obmuteſcat igitur hujuſce commentum falſitatis, & Catholica fides inconcuſſa teneatur, quæ & verè natum de matre confitetur Chriſtum, & verè Virginem MARIAM concepiſſe, peperiſſe, & poſt partum, id eſt, poſt editum filium, credit, prædicat, & veneratur permanſiſſe virginem.

CAPUT III.

Per vulvam exiiſſe Chriſtum probat Auctor. Partes corporis minimè turpes.

DIcis turpe fuiſſe Dei filio per vulvam proceſſiſſe. Turpe hoc aut de natura, aut de peccato. Sed per naturam nihil turpe; teſtatur enim Geneſeos lectio, quòd omnis creatura bona. Quod bonum, & honeſtum eſt; quodque honeſtum eſt, non turpe. Igitur omnis creatura ſecundum quod creata eſt, nequaquam turpis. Igitur & mulieris vulva non turpis, ſed honeſta; ſiquidem partes omnes creaturæ honeſtæ. Non ergo naſcituro Chriſto ſemita vulvæ declinanda, velut turpe aliquod, imò ſuſcipienda tamquam nativitatis miniſtra. Quomodo namque matricem, quâ conceptus formaretur, non contempſit, ita nec vulvam, quâ formatus exciperetur, repudiavit.

Porrò tu ſenſus corporis interrogans, æſtimas eas

a *ut virginitate*]. Sic emendavimus, cum legeretur *ut virginitat'.*

b *fuerunt corrupta*] In editis *fuit corrupta*: in eodem cap. ubi *negatur porrò*, priorem vocem addidimus.

uteri partes indecoras. Noli ſenſibus fallentibus, id eſt corporeis, de rerum veritate aſſentiri, mentis judicium diſquire, & deprehendes fore pulcra, quæ videntur turpia. Nulla denique creaturæ pars, aut membrum, ni pulcrum eſt; redditur autem indecens, cum inordinatus & illicitus eum motus deturpaverit. Etenim ante prævaricationem Adam & Eva non erubeſcebant, utpote motum inordinatum ſuis in membris nullum ſentientes; aſt ubi prævaricati ſunt, erubeſcere cœperunt. Non quidem propterea membra, quæ nunc peccati culpâ pudenda vocamus; ſiquidem & priuſquàm deliquerint, ſuper eis non confundebantur. Ubi verò inhoneſtus acceſſit motus genitalibus ante pudicis, ſed de peccato jam non pudicis, ſequuta confuſio eſt, non propter turpitudinem honeſtarum corporis partium, ſed propter turpes irrationabilis motus paſſionis. In quo autem per ſancti Spiritûs ignem, vel in hoc corpore caducô, vel in futura vitâ jam per reſurrectionem incorruptibili, fuerit iſte paſſibilis motus ad naturæ digniſſimam redactus muſicam, infirmitate depulsâ, nihil habebunt membra naturæ quod ſit confuſionis, quod turpitudinis, quod inhoneſti.

Qui partes corporis deturpantur.

Interea verò lex quæ eſt in membris noſtris donec repugnat legi mentis, & captivat nos in legem peccati, & erubeſcimus & confundimur. Sed non propter hanc legem peccati dominantem in membris noſtris opus fuit Salvatori declinare viam Nativitatis lege conſtitutam; quandoquidem Spiritus ſanctus, qui Virginis uterum, quo Dei filius incarnaretur, ab omni contagio ſanctificavit, ipſe quoque & vulvam, quâ naſceretur purgavit. Niſi forte credibile videatur, quòd eum locum divino conceptu reddiderit dignum, qui magis libidinis æſtu ſuccenditur, & quem minoris flammæ temperamentum pertentat, mundare nequiverit. Quod enim mulieribus in umbilico, cui matrix ſubjacet, libido dominetur, verbis ſcripturæ ſanctæ didicimus. Tibi autem non propter legem peccati, ſed propter deformitatem naturæ, genitale membrum videtur inhoneſtum. Cur hoc? Quoniam ſenſum carnis in rebus cognoſcendis percunctaris, quem primo ſapiens de veri perceptione ſequutus eſt. Non mirum ſi fallens, qui falſitatis auctore perdoceris. Eum denique ſequuntur omnes, qui veriſimilia pro veris, id eſt, corruptibilia pro æternis amplectuntur. Revoca magis oculos à temporalibus, quæ docet Eccleſiaſtes non tantum vanitatem, verùm vanitates vanitatum; & diſce veri perceptionem de ſenſibus veritati participantibus. Quod cum feceris, nihil in naturis turpe præter inordinatos motus videbis, quos non de creantis ſapientiâ, ſed de peccati culpâ contraxêre, & deinceps non indignam judicabis Incarnatione Verbi ad naſcendum Virgineam vulvam. Equidem pervidebis nil dignius Creatoris humanitate, quàm ſuæ diſpoſitionum fabricæ comprobare. Ut ſicut approbavit uterum, quo conciperetur, ita non approbarit uteri januam ſui natalis abrogatione; ne quam conſtituit naſcendi viam, ſuæ refutaret humanationis egreſſu.

Spiritus ſanctus B. Virginem ab omni contagio ſanctificavit.

Partes quædam corporis quare inhoneſtæ.

Iſta ducas cum impia, novum quiddam moliris, ut Salvatori quò naſceretur nihil fuiſſe clauſum clames, quod Conditori nil creaturarum queat obſiſtere: verùm quidquid ſubſiſtit, ſit ei apertum & permeabile. Ita planè ſi ſentis, prudentiſſimè ſentis. Hac verò regulâ cum Nativitatis Chriſti primordia mancipare diſponis, quod ad potentiam ſpectat, clariſſimè dogmatizas. Quod autem ad corporis proprietatem ſuſcepti, & Nativitatis pertinet humanæ, à veritatis calle longiſſimè recedis. Virtuti ſiquidem voluntatis Chriſti nihil eſt clauſum, nihil non penetrabile. Humanitas autem quæ ſuſcepta eſt, ſicut intrà ſinus matricis collecta eſt; ita quamdiù manſit illic, ventris exteriora non experta [eſt]. At verò mox Virginei thalamum reliquit ſecreti, & foris exſtitit, & intùs eſſe ceſſavit. Hac loci quid alternatione monſtravit, niſi quòd quamvis ſecundum divinitatis proprietatem ſit ubique, juxtà corporis circumſcriptionem localis exſtitit? Igitur quod locale eſt, ſicut ubique non eſt ſemper, ſed tunc ad alium migrat, cum locum deſerùit primum; ita etiam cum tranſitum facit, non ſimul dextrum ac ſiniſtrum tenet, quemadmodum ſimul ante & retrò non graditur, nec ſuprà pariter & deorſum. Certè & Salvator ſicut alio tempore fuit in utero ſecundum corpus, & alio foris, ita in egrediendo quamvis egreſſionis voluntati nil fuerit clauſum, unam tamen tenuit egreſſionis viam, non per omnes corporis, in quo formatus fuerat, partes exivit.

Conſtitue certè quam volueris corporis partem ortui Salvatoris. Non enim per omne corpus egreſſus eſt, quamvis voluntati ejus ad egreſſum nulla corporis pars fuerit clauſa. Nec illocaliter egreſſus, hoc eſt enim incorporeæ proprium naturæ; longè vero à corporeâ remotum. Conſtitue certè quam delegeris partem. Vulvam renuis, umbilicum attribue; vel ſi malueris, honeſtius quodcumque corporis oſtium: ac ſi oſtia quæ dedit natura diſplicent, diſſice ventrem, [c] nuda coſtas, ſpinam rumpe, vel quemadmodum neſcio qui ſtultiſſimi delirant, aperi axillam, & ita de monte umbroſo & condenſo nativitatem conteſtare Salvatoris. Num igitur talis janua dominatoris ortu digna probabitur, quam ſtultorum opinio ementitur, & quam Creatoris ſapientia naturæ dedit conceptibili, diſputetur? An certè Bragmanorum ſequemur opinionem, ut quemadmodum illi ſectæ ſuæ auctorem Bubdam, per Virginis latus narrant exortum, ita nos Chriſtum fuiſſe prædicemus? Vel magis ſic naſcitur Dei ſapientia de Virginis cerebro, quomodo Minerva de Jovis vertice, tamquam Liber Pater de femore? Ut Chriſticolam de virginis partu non ſolemnis natura, vel auctoritas ſacræ lectionis, ſed ſuperſtitio Gentilis, & commenta perdoceant fabuloſa.

CAPUT IV.

SED jam nunc teſtimonia procedant in medium divina, & ex eis ortum diſcamus Salvatoris, ne fabulis decipiamur vanis, & falſis opinionibus eludamur: Iſaias vates ortus hujus arcanum retexens, *Dabit Dominus*, inquit, *ipſe vobis ſignum. Ecce virgo concipiet & pariet filium.* Virginem confitetur concepturam, Virginem parituram, & hoc à Domino ſignum fore dandum, quòd utrumque mirabiliter ſit factura virgo, non quòd præter viam naturæ partus ſit exiturus. Quod ſi eſſet futurum, oportuerat hoc Prophetico nuntiari myſterio, quemadmodum virgineus nuntiatus eſt conceptus & partus. Nec enim talis editio minus divinæ operationis proferret inſigne, quando naturæ viam in alios tranſpoſuiſſet fines. Nunc autem virilem ſegregans operam, & integritatis inſinuans donum, hoc docet à Domino ſignum, quòd editura ſit virgo Salvatorem. Non enim præter naturam novum parturiendi deſignat iter Virgini Matri, ſed à naturâ datum cum incorruptionis palmâ Nativitatis dedicat ſublimitate.

Profert teſtimonia, ut ſuadeat Chriſtum per vulvam Virginis exiſſe.
Iſa. 7. 14.

c *diſſice ventrem*] Acherius in margine monuit legendum fortaſſe *diſſeca*. Sub initium capitis ſequentis ex cod. Dall. adjecimus *confitetur ante concepturam*.

Non puto neceſſarium, nec brevitas concedit, ut de toto ſcripturarum corpore ſubjiciantur exempla, quibus fiat manifeſtum, parere & generare, mulieribus non niſi legitimo ventris orificio concedi: ut illud; *Mulier quæ concepto ſemine peperit maſculinum.* Item: *Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Iſraël.* Si enim mulier aliter, quàm per vulvam, id eſt, os uteri, generat, jam non omne primogenitum ſanctificatur Domino; ſed quoniam hoc ſtultum dicere, non virgo genuit, niſi per vulvam: & ipſius verbi vis ſignificatioque manifeſtè dat intelligentiæ argumentum: ut enim videre ad oculos, audire ad aures, olfacere ad nares, guſtare ad fauces, ita parere refertur ad vulvam. Alioquin ſi pro arbitrio ſingulorum licet intellectus verborum variari, erunt univerſa confuſa, & parere, concipereque de viris etiam ſuſcipietur. Cur non certè hæc verborum officia de viris prædicentur, ſi partus Salvatoris non viam tenuit uteri, ſed exivit quacumque. Habes, & ſuperbis, patrocinium Poëtarum figmentum, ut & concepit vir, & peperit. Quod, quia Chriſtianus es, & eloquiis inſtructus veritatis, non dubito repellis. Quà de re legitimum naturæ curſum vocibus prædicatum conſuetis, non opinione novâ pervertas, ſed verâ & uſitatâ receptes interpretatione. Et cum legeris, audieris, pronuntiaveris, vel Virginem peperiſſe Chriſtum, vel natum de Virgine Chriſtum, ilicò tibi ſemita naturæ janua vulvæ occurrat. Sicque te non error per devia ducet, ſed verus intellectus in tramite recto tenebit. Ne autem argumentis hæc videamur tantùm comprobare, teſtimoniis diſce vera de ortu Salvatoris quæ aſſerimus eſſe.

Lev. 12. 2. Exod. 13. 1.

Iſai. 8. 3. Idem Propheta Iſaias: *Et acceſſi ad Propheriſſam, & concepit & peperit filium: & dixit Dominus ad me, Voca nomen ejus, Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari.* Adverte partum [d] virginis prophetali ſignatum miniſterio. Propheta acceſſit ad Propheriſſam, quia Spiritus ſanctus venit ad *Mariam*: concepit illa, & peperit filium, magis Spiritûs ſancti dono, quàm ſementivo virili. Quemadmodum Sara, & ſterilitate infecunda, & ſenio jam frigida; ut mater Virgo de Spiritu ſancto & imprægnanda & generata prophetaretur. Et conceptus ergo & partus in Propheriſſâ proceſſit ut hæreſis futura damnaretur, aſſerens Mariam concepiſſe, nec ut feminam generaſſe. Sed Propheriſſa non in altero fallit, in altero verum præfigurat; quoniam genitrix Salvatoris & Virgo de Spiritu ſancto concepit; & ſicut femina ſalvo pudore generavit.

Ibid. 45. 8. Item aliàs: *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant juſtum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Admirabili ſanè brevitate Propheticus ſermo, & annuntiationem Angeli, & Prophetarum vaticinia, & conceptum virginis, & modum generationis expoſuit. Ortum denique Chriſti & Angelus inſinuat, nec Prophetæ tacent, & uterus virginis aperitur ad ſobolem, & pudoris clauſtrum germinat Salvatorem, ut in apertione videas conceptum Virginis, in germine intelligas partum pudoris: ut enim germen veram ſervat natalem, nec alieno ſemine concretum, ſed genitricis eſt propriæ ſementivum, juxtà quod Geneſis teſtatur de arboribus & herbis lo-

Geneſ. 1. 11. quens: *Cujus ſemen ſit*, inquiens, *in ſemetipſo.* Sic virgo Maria non de virili, ſed de proprio ſemine concepit, & genitali rivo expoſuit conceptum. Propterea virga Aaron aperitur in germen, erumpit in flores, qui foliis dilatatis formantur in amygdalas, ut inſinuetur coagulum ſeminis, concretio conceptûs, expoſitio partûs. Et quemadmodum Virga Aaron protulit telluris abſque ſubminiſtratione, & humoris irrigatione, nativas tamen per ſemitas, germen, flores, & fructum; ſic mater Virgo non de voluptatis rivo, nec de maritali commercio, genitalem tamen per ſemitam genuit carnem Verbum factum.

CAPUT V.

Jer. 31. 22. Jeremias quoque hunc ſacrum Virginis partum præſigiens ait: *Creabit Dominus novum ſuper terram: femina circumdabit virum.* Diſcerne quid novum dixerit creatum iri, ſcilicet quòd femineo tantùm ſemine ſancti Spiritûs per miniſterium, matricis in gremio habitus configuretur virilis. Et quoniam naſcendo talis conceptus uteri ſemitas non præteriret, qui curſus nativitatis cunctis datur mortalibus, meritò illud ſiluit, in quo præter inviolatum pudorem ſub naſcendi lege nihil afferret novi.

Ezech. 44. 1. Ezechiel quoque: *Et converti me ad viam portæ ſanctuarii exterioris, quæ reſpiciebat ad orientem: & erat clauſa: & dixit Dominus ad me: porta hæc clauſa erit, non aperietur, & vir non tranſiet per eam, quoniam Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam; eritque clauſa principi. Per viam veſtibuli portæ ingredietur, & per viam ejus egredietur.* Æſtimo quòd hic locus omnem ſolvat hujus nodum quæſtionis. Etenim portam quam deſcribit Propheta majores intellexerunt Virginem Mariam, quæ benè monſtratur clauſa, quia Virgo ſemper manet intacta, & vir non tranſiet per eam. Intende diligenter cui negatur tranſitus, & quà negatur. Negatur prorſus viro, qui poterat violare, & ab eo removetur, quod poterat per coitum corrumpi. Nemo enim removet ingreſſum, quia ratio naturæ, nec viam admittit, nec tranſitum, quâ de re quando dicitur: *Vir non tranſiet per eam*, non de latere, nec de cerebro, nec de femore dicitur, quoniam tranſitus conjugalis ad alias refertur corporis partes, quibus natura ad coitum viam præbuit & tranſitum. Quoniam verò quà virilis removetur tranſitus, illac Dominus Deus Iſraël eſt ingreſſus, ſubſequens ſermo demonſtrat, dicendo: *Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam.* Utque omne demat ambiguum, ſubjicit: *Per viam veſtibuli portæ ingredietur, & per viam ejus egredietur.* Nolit jam de viâ Salvatoris, quam naſcendo ſequutus eſt, Hæreſis nova dubitare. En tibi Propheta tamquam ſub oculos metaphoricè muliebris vulvæ & veſtibulum & viam ponit. *Ingreſſus eſt* denique *Dominus Deus Iſraël per viam veſtibuli hujus portæ*, quia per Incarnationis myſterium virginale introivit gremium; & per viam hujus portæ egreſſus eſt, quoniam humanitate ſuſceptâ in domum mundi per incontaminatam exiit vulvam. Non igitur neſcio quem Dei Filio de utero matris confingas egreſſum. Spiritus ſanctus te doceat veritatem, qui & thalamum tanto dignum ſponſo ſanctificavit & portam. Sed quid in difficilioribus & myſticis locis immoramur? ad aperta veniamus, & de domorum clauſtris, id eſt, ſecretorum figuris ad portarum latitudinem migremus, quatenus veſtigia ſponſi, & emiſſiones ſponſæ, ſub divo contemplemur.

Exod. 13. 2. In lege omne primogenitum ſanctificatum erat Domino, ſignificans eum qui ſolus ſanctus & ſine peccato natus eſt. Sic enim ſuper hoc habes ſcriptum: *Sanctificate mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in Iſraël.* Item: *Cumque introduxerit te Dominus in terram Chananæi, ſicut juravit tibi & patribus tuis, & dederit eam tibi, ſeparabis omne quod*

d *adverte partum*] Ultima vox addita eſt è codice Dal'ai

Exod. 13. 15. *aperit vulvam Domino.* Item; *Nam cum induratus eſſet Pharao, & nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum in terrâ Ægypti. Idcircò immolo Domino omne quod aperit vulvam maſculini ſexûs, & omnia primogenita filiorum meorum redimo.* Nota quòd primogeniti ſunt, qui vulvam naſcendo primi aperiunt, ut conſequenter accipias hoc eſſe naſci de feminâ, quod eſt oriendo vulvam exire. In Catalogo Præceptorum: *Ibid. 22. 29.* *Primogenitum filiorum dabis mihi.* Alibi: *Omne quod aperit vulvam generis maſculini meum erit.* *Lev. 12. 2.* In Levitico: *Mulier ſi ſuſcepto ſe-* *Ibid. 5.* *mine peperit maſculum*, & reliqua. Item: *Sin autem feminam pepererit*, &c. & generare & parere docet feminas, non aliud eſſe, quàm per vulvam emittere partum. *Num. 3. 13.* In Numeris: *Meum eſt omne primogenitum ex quo percuſſi primogenitos in terrâ Ægypti. Sanctificavi mihi quidquid primum naſcitur in Iſraël.* Et *Ibid. 12.* ſuperiùs: *Ego tuli Levitas à filiis Iſraël pro primo-* *Ibid. 40.* *genito, qui aperit vulvam in filiis Iſraël.* Et in ſequen- *Ibid. 41.* tibus: *Numera primogenitos ſexûs maſculini de filiis* *Ibid. 8. 16.* *Iſraël à menſe uno.* Et ſuprà: *Tolleſque Levitas mihi pro primogenitis filiorum Iſraël.* Et infrà: *Pro primogenitis quæ aperiunt omnem vulvam in Iſraël accepi eos;* nimirum Levitas. Mea ſunt omnia primogenita fi- *Ibid. 18. 15.* liorum Iſraël. Alibi: *Quidquid primum erumpit e vulvâ cunctæ carnis quam offerunt Domino, ſive de hominibus, ſive de pecoribus fuerit, tui juris erit.* Ergo omnis partus tam hominum, quàm jumentorum, per vulvam erumpit. Quâ de re omnis de feminâ naſcens per vulvam egreditur. Non ergo nobis incertam generent quæſtionem verba quæ conſuetudine ſuâ, & uſu ſcripturarum certam ſuæ ſignificationis ſubminiſtrant notionem; ut enim ambulare de pedis officio, ſic parere de vulvæ miniſterio prædicamus. Non igitur confundat dubietas, quod intellectûs manifeſti ſignificatio declarat. Ut autem ſine viæ directione non pervenitur ad limitem deſtinatum, ſic niſi per verborum ſignificantiam veram, loquutionis veritas non aperitur. Partum igitur aut natum, vel ſi quo alio nomine talis actio nominatur, feminarum, docti & naturæ veritate, & conſuetudine naſcendi, & auctoritate ſcripturarum, non aliud præter verba ſignificatarum rerum de rebus ſignificatis intelligamus, ne procul à veritate evagemur, dum veritatis ſigna vel non cognoſcimus, vel pravâ interpretatione pervertere molimur. Secundum datam regulam Evangeliorum ſuper Salvatoris nativitate dicta contemplemur.

Matth. 1. 20. & ſeq. In Matthæo ſic ſcriptum legimus: *Angelus Domini apparuit Joſeph in ſomnis dicens: Joſeph fili David: Noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Pariet autem filium, & vocabis ejus nomen Jeſum. Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum: hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Ecce in utero habebit & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur nobiſcum Deus. Exurgens autem Joſeph à ſomno, fecit ſicut ei præcepit Angelus Domini: & non cognoſcebat eam donec peperit filium ſuum Primogenitum, & vocavit nomen ejus Jeſum.* Cum ergo natus eſſet Jeſus in Bethleem Judæ, toties Nativitas prædicata Salvatoris, toties narratus Virginis partus, Virginitas perdocetur, virilis removetur amplexus, non tamen vulvæ tranſitus abnegatur. Verum & Evangeliſtæ dictis, & Prophetæ vaticinio Salvatoris ortus per vulvam extitiſſe monſtratur; quoniam non parit femina, niſi per vulvam, non exit infans, niſi per uteri januam.

Luc. 1. 28. & ſeq. Lucas taliter ſuper hac loquitur Nativitate: *Ingreſſus Angelus ad Mariam dixit: Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. Quæ cum audiſſet turbata eſt, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio, & ait Angelus ei; Ne timeas Maria, inveniſti gratiam apud Dominum. Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum.* Et infrà: *Dixit autem Maria ad Angelum, quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Et reſpondens Angelus dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur filius Dei.* Si nondum vel naturæ ſolemnitate, vel exemplo naſcentium quid ſit parere acquieſcis, ſaltem miſſus ad Zachariam Angelus ex ipſo Evangelio te inſtruat. Ait autem illi Angelus: *Ne timeas Zacharia: quoniam audita eſt deprecatio tua; & uxor tua Elizabeth pariet tibi filium.* *Luc. 1. 13.* Unum verbum ſuper utroque promittitur partu, & quomodo non idem ventris oſtium ſignificatur? Diſpar conceptionis ordo, non diſpar eſt lex naſcendi, quoniam Joannes de ſemine viri, Jesus de Spiritu ſancto concipitur; & ille per portam per quam tranſivit vir, exponitur, ille per intemeratam pudoris aulam generatur: ambo tamen pariuntur, quoniam uterque per vulvæ januam excipitur. Atteſtatur etiam noſtræ rationi Evangeliſta, quando ait: *Ideo quod naſcetur ex te ſanctum.* Memento quid de primogenitis, id eſt, qui aperiunt vulvam, Legifer mandaverit, & intelligas ſanctum primogenitum vocari, & primogenitum qui aperit vulvam, quare & Jeſus cum ſanctum Domino dicitur, & primogenitus appellatur. Et ſi primogenitus, utique vulvam aperuit, non ut clauſam corrumperet, ſed ut per eam ſuæ nativitatis oſtium aperiret, ſicut & in Ezechiel porta & clauſa deſcribitur, & tamen Domino Iſraëli narratur aperta, non quòd liminis ſui fores dimoverit ad ejus egreſſum, ſed quòd ſic clauſa patuerit dominanti.

Ibid. 2. 6. Idem Evangeliſta rurſus: *Factum eſt autem cum eſſent ibi, impleti ſunt dies ut pareret, & peperit filium ſuum primogenitum.* Et de Elizabeth ferè eadem ſcribuntur: *Elizabeth autem impletum eſt tempus pariendi,* *Ibid. 1. 57.* *& peperit filium.* Sicut utriuſque feminæ tempus ut pareret aſſignatur, ſic ambobus naſcentibus infantibus eodem verbo idem ventris oſtium monſtratur. Et deinceps: *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis* *Ibid. 2. 22.* *Mariæ ſecundum legem Moyſi, tulerunt Jeſum in Jeruſalem ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum in lege Domini: Quia omne maſculinum adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur.* Si tibi minùs ſatisfecerant verba quibus genuiſſe MARIA perdocetur, ut propterea aliunde quàm per vulvam de Virginis aulâ proceſſiſſe JESUM garrias, quoniam honeſtiori ſermone pudendum mulieris fuerat obvelandum, tandem verbis Evangeliſtæ acquieſcens, diſce non tranſlato, ſed ſuo proprio vocabulo os feminei ventris inſinuatum, atque per illud Salvatorem naſcendi ſubiiſſe progreſſum. Nam ſi fuit aliud MARIAM peperiſſe, quàm maſculinum ejus vulvam aperuiſſe, non ſecundum legis præceptum ſiſti Domino, nec ſanctum Domino debuerat vocari: *Quoniam omne* *Ibid. 23.* *maſculinum adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur.* Nunc verò & peperit eum MARIA Virgo, & per vulvam ejus egreſſus eſt Salvator, & tanquam primogenitus adaperuit eam, non quò violaret integritatem uteri; ſed quò ventris palatium vacuaret; unde & mater, quamquam non ſuſceptu ſeminis genuerit, quia verò illi maſculinus adaperuerit vulvâ, ſecundum legem & purgationis dies implet, & hoſtiam ad templû cum puero Domino ſiſtendo, defert.

CAPUT VI.

VErum quoniam breviter iſta de divinæ auctoritatis collegimus libris, quibus ſalvatoris ortum

p...

E Patribus ſuam aſſerit ſententiam.

per intemeratæ vulvam Virginis doceremus, libet etiam majorum traditionibus firmare ſententiam noſtram, quatenùs multitudine teſtium, & adverſarius confutetur, & fideles uberiùs inſtruantur. Locos tamen in medium deducemus, & eorum ipſorum teſtimonia pauca, ut propoſitæ modum brevitatis cuſtodiamus. Alioquin ſi unius eorum, ne dicam omnium, ſuper hoc dicta in unum conſerre voluerimus, multorum corpus voluminum conficiemus. Ambroſius cœleſtis tuba, ſpecimen ſanctitatis, fidei robur inexpugnabile, dum de humano Salvatoris exortu tractaret, ita fatus eſt: « An mediocribus ſignis Deus probatur, quòd Angeli miniſtrant, quòd Magi adorant, quòd Martyres confitentur? Ex utero funditur, ſed coruſcat è cœlo: terreno in diverſorio jacet, ſed cœleſti lumine viget. Nupta peperit, ſed virgo concepit. Nupta concepit, ſed virgo generavit. » Quàm ſubtiliter inviolati pudoris edocet ſecretum, quàm magnificè Virginem deſcribit, & Matrem nuptam prædicat & intactam! Fuſum narrat ex utero Chriſtum, ut eum per naturæ viam ſentias proceſſiſſe, nec æſtimes peregrinos ortus ſui exitûs requiſiſſe, quem vena uteri naturali fluxu emiſit in lucem. Quod ut clariùs commendaret, adjecit, nuptam peperiſſe, ſed Virginem concepiſſe, & nuptam concepiſſe, ſed Virginem peperiſſe; ut in conceptu Virginis & partu removeas virile conſortium. Animadvertis autem membra ſuis à naturâ miniſteriis deputata, ut conceptus ad matricem, partus ad orificium referatur. Quibus denique membris mulier nupta concipit & parit, eiſdem Virginem & fecundatam * credas, & enixam.

S. Ambroſ. in Luc. l. II, c. 2.

Exod. 13. & Num. 8.
S. Ambroſ. l. 2. in Luc. c. 2.
Luc. 1.
S. Aug. l. 2. de peccat. orig. c. 40. Et lib. 1. contr. Jul. c. 2.

Ruſſus in ſequentibus. » *Omne maſculinum adaperiens vulvam, ſanctum domino vocabitur.* Verbis enim » legis promittebatur Virginis partus. Et verè » ſanctus, quia immaculatus. Denique ipſum eſſe » qui lege ſignetur, in eumdem modum ab Angelo » repetita verba declarant. *Quia quod naſcetur*, in» quit, *ſanctum, vocabitur filius Dei.* Non enim virilis » coitus vulvæ virginalis ſecreta reſeravit, ſed im» maculatum ſemen inviolabili utero Spiritus ſanctus » effudit. Solus enim per omnia ex natis de feminâ » ſanctus Dominus Jesus, qui terrenæ contagia cor» ruptelæ immaculati partûs nativitate non ſenſerit, » & cœleſti majeſtate depulerit. Nam ſi literam » ſequamur, quomodo ſanctus omnis maſculus, » cum multos ſceleratiſſimos fuiſſe non lateat? » Numquid ſanctus Achab? Numquid ſancti Pſeu» doprophetæ, quos ad Heliæ preces ultor cœleſtis » injuriæ ignis abſumſit? Sed ille ſanctus, per » quem figuram [e] myſterii pia legis divinæ præſcripta » ſignabant. Et quòd ſolus ſanctæ Eccleſiæ Virginis » ad generandos populos Dei immaculatæ fecundi» tatis aperiret genitale ſecretum. Hic ergo ſolus » aperuit ſibi vulvam. Nec mirum: Qui enim di» xerat per Prophetam: *Priuſquàm te formarem* » *in utero, novi te, & in vulvâ matris ſanctificavi te.* » Qui ergo vulvam ſanctificavit alienam, ut naſce» retur Propheta, hic eſt qui aperuit matris ſuæ » vulvam, ut immaculatus exiret.

Jerem. 1.

Orator inſignis hac oratione primò antiquæ legis explanans Edictum, dogmatizat ſanctum legale unius veri ſancti myſterium ſignaſſe, qui ſæculi ſub fine natus de Virgine, terrenæ contagia corruptelæ immaculati partûs novitate non ſenſerit, ſic aperiens virginalem vulvam naſcendo, ut tamen eam relinqueret clauſam non violando. Alioquin ſi non illum ſcriptura ſignificavit, quæ de maſculis ſancivit, ut habeantur ſancti, oſtendit verum non eſſe decretum multorum pravitas maſculorum. Sed lex Domini immaculata, & teſtimonium fidele. Quâ de re quærendus eſt intellectus qui poſſit aptari meritò veritati; ubi ſanctus ille ſolus repetitur, qui ſine peccato conceptus, ſine delicto genitus, ſanctæ Eccleſiæ Virginis ad generandos populos Dei immaculatæ fecunditatis aperuit genitale ſecretum. [[f] Quo myſtico dicto teſtatur, matris virginis quòd immaculatæ fecunditatis aperuit genitale ſecretum.] Non enim hoc genus narrationis ad Eccleſiam per myſterium coaptaret, niſi rei veritate, de virginalis vulvæ reſeratione factum fuiſſe docere voluiſſet. Quem ſequentia comprobant intellectum, ait enim: hic ergo ſolus aperuit ſibi vulvam. Quid amplius requiris, quando ſignatis atteſtatur quod dicimus verbis? Et aperuit enim, & vulvam dixit, quo nihil per figuram reputes dictum. Igitur manifeſta confirmat ſententia, quòd olim vetus ſcriptura loquebatur: *Omne* ſcilicet *maſculinum quod aperiret vulvam, ſanctum Domino vocari*, ut non moderno ſed antiquiſſimo diſcas tempore ſignatum fuiſſe, non ſolùm quod de Virgine naſceretur Jesus; verùm quòd per intemerati pudoris vulvam naſceretur.

Utque Nativitas iſta impolluta de inviolato, non coinquinata de corrupto egreſſu putaretur, docet ſub exemplu adhuc in vulvâ ſanctificati prophetæ. Subjungit autem: Qui enim dixerat ad Prophetam: *Priuſquam te formarem in utero, novi te, & in vulvâ matris ſanctificavi te.* Qui ergo vulvam ſanctificavit alienam, ut naſceretur Propheta, hic eſt qui aperuit matris ſuæ vulvam, ut immaculatus exiret. Ceſſent jam verba noſtra, ubi tanti Doctoris verbis inſtruimur quid de Salvatoris ortu ſentire debeamus. Non enim explicare debemus quid dixerit, cum potius involvere, quàm manifeſtius aperire queamus: niſi forte quis adeò rudis extiterit, ut vulvam fore pudendum mulieris ignoret.

CAPUT VII.

PRocedat ſed in conſpectum Auguſtinus, fluvius eloquentiæ, perſcrutator ſecretorum, occultorum revelator, propugnator Eccleſiæ, Hæreticorum debellator; & quid ſuper Salvatoris ſentiat exortu, palam profiteatur. In ſermone de natali Domini, dum de modeſtiâ Virginis, & mirabili Salvatoris conceptu declamaret, ſic ait: Pronuntiato per « Angelum partu cœpit Verbum formari, concep« tione colligitur in homine Deus, & eum ſuſtinet « venter cui parvus fuerat mundus, & intrà breve « Virginei corporis ſpatium pro nobis eſt incarnata « majeſtas; fecunda viſcera Verbo auctore tendun« tur; completiſque novem menſibus venter cœ« leſtem hominem fudit: natum Dominum publicat « Angelicus ſermo. « Diligenti deſcriptione quàm breviſſimè proſequutus eſt, & principia conceptûs, & conſtructionem ſoliditatis, & augmentum corporis. Menſium quoque ſpatium quo intrà ſecreta ventris infantilis coaluit ſucceſſus, inde progreſſus in auras, & in nativitatem Dei Angelica conclamatio. Vide profectò quoniam & conceptum dicitur, & concretum, & fuſum, id eſt non per peregrinam irruptionem egreſſum, ſed per veſtibulum ventris Virginalis fuſum.

S. Auguſt ſerm. de Nat. Dom.

Item in alio ſermone ſuper eàdem nativitate:

e *per quem figuram*] Eundem locum exſcripſit Ratbertus, apud quem legitur *quem in figurâ*. Ante hæc Ambroſii & Auguſtini elogia, ubi ſcripſimus ex cod Dall. *Virginem & fecundatam*, editum antea erat *virginem fecunditatem*.

f *Quo myſtico*] Totum hoc additum eſt è cod. Dall.

S. Auguſtin. ſerm. de Nat. Dom.

« Natus ergo Dominus noſter ex carne quidem, ſed non ex corruptione carnali. Natus ut homo, ſed non genitus ut homo. Ita ſuſcepit carnem, ut ſervaret majeſtatis honorem; & ſic ſegregavit puritatem Nativitatis ſuæ à colluvione concretionis humanæ. Peregit quidem in ortu ſuo plenam hominis diſpenſationem, ſed Dei tamen non deſeruit dignitatem. « Vides à docto viro & divinitatem filii Dei, & humanæ Nativitatis ordinem deſignari. Dicit enim eum natum ex carne; ſcilicet de membris & humanitate virginis, lege quidem carnis, ſed præter corruptionem carnis; utque manifeſtiùs quid dicitur animadvertas, ait, » natus ut homo, ſed non genitus ut homo. « Cerne quàm pleniſſimè Nativitatis Chriſti myſterium reſeravit: Ait namq;, » natus ut homo, ſed non genitus ut homo. » Quid eſt natus ut homo? quia per vulvam, per quam naſcitur omnis homo, de virginis utero egreſſus eſt. Et quid eſt non genitus ut homo? quoniam non de ſemine viri, ſed de Spiritu ſancto eſt incarnatus. Fac ut non fuerit egreſſus per oſtium ventris, non erit verum quod natus fuerit ut homo: ſed natus eſt ut homo, igitur per ventris oſtium, id eſt, vulvam natus eſt.

S. Hilarii de Trinitate lib. 2. ſub med.

Hilarius vir virtutum omnium atque ornamentorum, & ſicut vitâ, ita etiam eloquentiâ inſignis, in libro fidei ſecundo: » Unus unigenitus Deus in corpuſculi humani formam ſanctæ Virginis utero inſertus accreſcit. Qui omnia continet, & intrà quem & per quem cuncta ſunt, humani partûs lege profertur. » Docet eum & corporis habitum ex Virgine & intrà Virginem induiſſe, & de more nativitatis humanæ, virginalis vulvæ penetraſſe ſecreta. Commutatis ſiquidem verbis idem quod Pater Auguſtinus proteſtatur: Ille namque quòd natus ſit ut homo teſtificatur: at iſte quòd humani partûs lege prolatus eſt, intonuit. Quatenùs uterque dum Salvatoris proceſſum de Virgine conſonâ ſcripturis ſacris voce profitentur, & veritas doceatur, & falſitas ſubtuatur.

CAPUT VIII.

S. Gregorii Papæ.

UT autem nullus adverſario locus relinquatur contradictionis, procedat in medium Gregorius, ſpeculum ſanctitatis, eloquium lacteum, regula morum, & Dominici partûs genituram verbis doceat veritatis. In homiliâ 26. dum propoſitam ſolveret quæſtionem, quòd Corpus Dominicum & verum fuit, & clauſis januis ad diſcipulos introivit, tali ſub exemplo comprobavit. » Illud enim corpus Domini introivit ad diſcipulos januis clauſis, quod videlicet ad humanos oculos per Nativitatem ſuam clauſo exiit utero. « Dicitur, quòd quemadmodum Dominus Jeſus Chriſtus poſt reſurrectionis gloriam cum corporis veritate diverſorium diſcipulorum, non per parietem, nec per poſtica, ſed per januam non tamen reſeratam ingreſſus eſt, ita de matris alvo procedens, non aliunde, ſed per vulvam clauſam tamen exivit. Dicis fortè clauſis ad diſcipulos januis Dominum introiſſe, non tamen per locum januarum, ſed per quamcumque penetraſſe partem. Primò quid ad divinum miraculum ſpectat clauſis oſtiis aliunde ingreſſum? Aut quid dignum Evangeliſtæ commendatione, inde introiſſe Dominatorem, per quod quilibet ingreſſum ſibi poterat reperire mortalium? Aut omnipotenti ſi nihil eſſe clauſum quiret ad introitum, cur non idem ſuper januarum aditu ſuſcipiatur, ut & illis clauſis, attamen ſuo adventui reſeratis ad diſcipulos foret ingreſſus? Sed quid reſpondebis de ſepulcro, quandoquidem non ſolum clauſo, verum etiam obſignato illo, corpus redivivum repoſuit ſub auras. An dices quod tantæ ſubtilitatis corpus illud ſubſtiterit Jeſu, ut tenuius ventis, exilius aëre nequiverit tumuli parietibus coërceri? Sed quamquam ſit impium iſta ſentire de Salvatoris corpore, cum poſt reſurrectionem dixerit ad diſcipulos: *Palpate & videte quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*: & natura non patitur ut & oſſium & carnis ſoliditate duratum ſit craſſum; & ſubtilitatis exilitate deductum ſit tenue: nec Catholica fides naturæ corporis aut qualitati adſcribit, quòd clauſum exierit ſepulcrum, quòd obſeratis foribus penetraverit ad diſcipulos, ſed divinitatis potentiæ & reſurrectionis gloriæ. Alioquin non erit jam miraculum deitatis commendans inſigne, quod naturæ ratione tenebitur aſtrictum. Attamen concedimus & iſta, quamvis impia, quamvis contrà fidem. Numquid non idem de januis confiteberis clauſis? Velis, nolis, hoc laqueo illigaberis. Ergo exivit clauſo ſepulcro, & ingreſſus foribus obſeratis. Tantumdem igitur licet invitus, licet reſultans concedis Virginali vulvæ, nec infirmior, nec inhumanior ſuperni numinis proles exſtitit circà maternæ clauſtra vulvæ, ut & clauſam relinqueret, & per eam tranſiret, quemadmodum tumuli ſui ſigna, & diſcipulorum domûs oſtium vel exivit, vel introivit, nec tranſeundo patefecit.

S. Vener. Bedæ in c. 2. l. 1.

Beda Presbyter Anglorum, Chriſti membrum non reprobum, de hac quæſtione non diſſimilem ſuperioribus profert ſententiam in Commentario Lucæ, dum de Salvatoris Nativitate & partu Virginis loqueretur, ſic ait: » Quod autem filium ſuum primogenitum MARIA peperiſſe deſcribitur, non juxta Helvidium nobis accipiendum eſt, alios quoque filios eam procreaſſe, quaſi nequeat primogenitus dici, niſi qui habeat fratres, ſicut non unigenitus, niſi qui caret fratribus, ſolet appellari: quia & teſtimonium legis, & aperta ratio declarat omnes unigenitos, etiam primogenitos, non autem omnes primogenitos etiam unigenitos poſſe vocari. Hoc eſt non ſolùm primogenitum poſt quem alii, ſed omnes antequàm nullus è vulvâ proceſſerit. Denique quia omne maſculinum quod aperit vulvam, ſanctum Domino vocari præcipitur, ſive fratres ſequantur, ſive non ſequantur, quod primum de vulvâ naſcitur, primogeniti eſt jure conſecrandum. « His verbis & virginitatem defendit MARIÆ, & humani partûs lege Salvatoris inſinuat ortum. Nam dum primogenitus & unigenitus perdocetur, fratres eum habere potuiſſe monſtratur, quod nequaquam poterat eſſe verum, ſi Chriſtus humanâ natus non fuerit lege. Nec enim meritò tunc vel primogenitus, vel unigenitus diceretur, quia non genitus, genitus autem, eſt nativitatis humanæ lege prolatus. Quâ de re ſi Chriſtus non eſt natus ſicut homo, nec ſi genuiſſet Maria præter Chriſtum, potuiſſet Chriſtus primogenitus vocari; quoniam non eſſet genitus, ſed adverſùs jura naturæ vel ejectus, vel egreſſus. Nunc verò & legis auctoritate, & Evangelii veritate hic doctor inſtructus dogmatizat Jeſum primogenitum ſacræ Virginis, quoniam & primus & ſolus natus eſt ex eâ humani partûs jure; quoniam naſcendo aperuit vulvam, non ut violaverit uteri pudorem, verùm quò per ſignatam & intemeratam procederet januam, de ſecreto ventris ad humanos oculos. Et idcircò quod primus de vulvâ natus eſt, primogeniti jure conſecratur. Neſcio quid ampliùs ad hujus quæſtionis comprobationem congerere ſit neceſſarium teſtes. Tot enim & tam magnæ auctoritatis viri, non ſolùm cuilibet ſufficere Catholico poſſunt, verùm quemvis hære-

ticum, & fidei gravitate, & ſapientiæ lumine conterere queunt.

CAPUT IX.

NE autem ſibi quidquam commentum novitatis deeſſe queratur, jam nunc ipſa Virginis pudenda nudo nomine dicta, & per ea genitum Salvatorem in medium conſtituamus. Hieronymus ſacræ legis interpres, omnium peritiſſimus diſciplinarum, fidei turris inconcuſſa, ſapientiæ lampade ſplendidiſſimos, eloquio facundiſſimus, Latini, Græci, Hebræique ſermonis doctiſſimus, in libello adverſus Helvidium, conſtituens primò ipſios Helvidii ſuper hac re dicta, poſtea ſuam ſententiam profert, quâ benè ab hæretico inſinuata confirmat. Sic enim legitur: » Numquid non quotidie Dei manibus parvuli finguntur in ventribus, ut meritò erubeſcere debeamus, MARIAM nupſiſſe poſt partum? Quòd ſi hoc illis turpe videtur, ſupereſt, ut non credamus[g] etiam Deum per genitalia Virginis natum. Turpius eſt enim juxtà eos, Deum per Virginis pudenda genitum, quàm Virginem viro ſuo nupſiſſe poſt partum. « Hactenùs hæreticus de nuptu Virginis poſt partum nefandiſſima latrat. Sed de generatione Filii Dei per hominem veriſſima narrat, quod ſequens oratio doctoris noſtri declarat manifeſtè. Talis enim eſt: » Junge, ſi libet alias naturæ contumelias, novem menſibus uterum intoleſcentem, faſtidia, partum, ſanguinem, pannos. Ipſe tibi deſcribatur infans tegmine membranarum ſolito convolutus: ingerantur dura præſepia, vagitus parvuli, octavi diei circumciſio, tempus purgationis, ut probetur immundus, non erubeſcimus, non ſilemus. Quanto ſunt humiliora quæ pro me paſſus eſt, tanto illi plus debeo. Et cum omnia replicaveris, nihil cruce contumelioſius proferes, quam profitemur, & credimus, & in quâ de hoſtibus triumphamus. Sed ut hæc, quæ ſcripta ſuot, non negamus, ita ea, quæ non ſuot ſcripta, renuimus: natum Deum eſſe de Virgine credimus, quia legimus: Mariam nupſiſſe poſt partum non credimus, quia non legimus.

Hieron. adverſ. Helvid.

Helvidii objectio.

S. Hieron. reſponſio.

Diſtinctione prudenti vir doctiſſimus quæ fuerant ab adverſario malè ingeſta removit, & quæ Catholicè prolata ſuſcepit; quæ verè dicta confirmavit, & quæ ore blaſphemo jaculata redarguit. Per genitalia Virginis natum eſſe Deum confeſſus eſt: poſt partum nupſiſſe Mariam reprobavit: quòd genitalia & pudenda in injuriam ſacri partûs deprompſerit, execratus eſt; quòd Verbum caro factum per ſecretam ventris januam exire non repudiaverit, approbavit. Inde eſt quòd & alias naturæ depoſitiones annexuit, novem menſibus uterum inſoleſcentem, faſtidia, partum, ſanguinem, pannos, infantem tegmine membranarum ſolito convolutum, dura præſepia, vagitus, circumciſionem, tempus purgationis, noviſſimè crucis contumeliam; hæc univerſa tamquam Catholicus amplexatur, ſuſcipit, veneratur. Quanto namque humiliora pro electis paſſus eſt Creator, tanto plus illi debent hac oratione Doctoris egregii conſiderare, quia non pauca dinumerat, quæ parvulus nequiverit ſuſtinere, ſi non humani partûs lege natus eſt, ut partum, ſanguinem, pannos, membranarum convolutionem, vagitus. Univerſa hæc & genitalis Virginei ſecretum, & humanæ nativitatis legem proteſtantur.

Pariter quoque diſce Spiritum ſanctum hunc ſacro-ſanctum qui proteſtatus eſt ortum, & ſanctos doctoſque homines, qui eum poſtea verbis ſcriptiſque ſuis commendavere populis, magis illum voluiſſe ſermonis honeſtioris inſinuare circuitu, quàm ſimplicis eloquii ſervando proprietatem, aliquid quod offenderet audientes, in medium proferre: decebat enim tantam rem non humilibus, ſed magnis, non ſordidis, ſed honeſtis exponere verbis, ut illud: *Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget homo de Iſrael, & exiet virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus deſcendet. Rorate cœli deſuper, & nubes pluant juſtum; aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Neque enim defuère Spiritui ſancto verba, quibus genitale Virgineum valuerit aperire, ſed rem præclaram atque magnificam præclaris magnificiſque delegit figuris edocere. Acceſſit tamen & propriis, & legitimis propriiſque decoris adaperuit ſermonibus: propterea Propheta: *Ecce Virgo concipiet in utero, & pariet filium.* Et, *Puer natus eſt nobis; filius datus eſt nobis.* Et Angelus ad Mariam: *Ecce concipies & paries filium*, & multa horum ſimilia: in omnibus iſtis & naturalibus & decentibus Chriſti nativitas commendatur verbis.

Num. 24. 17. & Iſa. 1. Iſai. 45. 8.

Ibid. 7. 14.

Luc. 1. 31.

Vitatur tamen ſuo vocabulo pars illa membrorum, quâ partus egreditur, commemorari, ut pote nec honeſtum, nec neceſſarium. Alioquin quando nomina ponuntur officiorum & verba, quis non & ea membra, quibus illa peragantur officia, ſtatim intelligit? Si quidem & videre per oculos, & audire per aures, & ambulare per pedes intelligimus, nec quando de aliquo prædicatur, ut vidit, audivit, ambulavit, ponuntur pariter oculi, aures, pedes, niſi diſtinctionis & intelligentiæ gratiâ, nec ſic nos ſignificata verborum advertimus, ut non partem, etiam membra illa ſine quibus talia miniſteria non explicantur, ſentiamus. Quâ dere quod ſuperfluum & turpe erat ſuper ſacri partûs actu refugit enuntiare oraculum cœleſte, refugerunt & ſancti homines. Porrò quod plenum ſignificationis, & commodationis modeſtiam habebat, expoſuere. Nec tamen & hoc uſquequaque vitarunt, ſive propter futuros veritatis inimicos, ſive propter tollendæ dubietatis occaſionem. Inde eſt quod ait Lucas Evangeliſta: *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundum legem Moyſi, tulerunt Jeſum in Jeruſalem ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini: Quia omne maſculinum adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur.* Nec mirum ſi noluerint graves, & reverendi Doctores talia ſuper glorioſiſſimæ nativitatis contumeliam referre, qualia nec vulgus ſuper cujuſlibet pauperculæ partu non erubeſcit confiteri.

Luc. 2. 22.

Ergo & iſte Doctor inſignis, cujus hic teſtimonium protulimus, cum recepiſſet ab inimico veritatis teſtimonium veritatis ſuper divinâ generatione, indignatur tamen verborum injuriis in Virginis contumelias, quòd illis verbis quamquam naturalibus, quamquam propriis, humilibus tamen, minuſque modeſtis virginis narraverit partum.

CAPUT X.

AMplius ergo jam non eſt quid requiras, quando nil ſuperat de ſancto partu quod diſcutias: ſiquidem pervenimus jam ad genitalia Virginis, tranſivimus ad pudenda puerperæ, ut cui non dabat in-

g *ut non credamus*] Alias *credant*, ait Acherius in margine; atque ea lectio mihi magis placet. Ex hoc loco liquet, eam de Partu Virginis opinionem quam Ratramnus propugnat, ità communem fuiſſe, ut de alterâ nemo cogitaret.

telligentiam conceptus, partus, generatio, nativitas, apertio vulvæ, tandem doceant pudenda, erudiant genitalia; non dederunt intellectum naturalia & honeſta, dent ſaltem turpia & figurata. Quoniam tantùm docti ſunt noſtri ſecretorum perveſtigatores, ut potiùs obſcuris & alienis, quàm claris & propriis aſſentiantur ſignificationibus.

Verùm Poëtarum jam ſuffragia convocemus, ut omnis eloquentia teſtimonium ferat veritati. Prudentius,* vir liberalium ſtudiorum non ignarus, in Apotheoſi dum de injuriis quas paſſa eſt vita mundi pro libertate mundi diſputaret, atque ab eis inviolabilem naturam, id eſt, divinam, ſegregaret, eaſque paſſibili[h] ſubſtantiæ, id eſt humanæ aſſignaret, ſic ait:

Prudentii. Contra hæreſim quæ Patrem paſſum aſſirmat.

Hic afflicta eſt caro hominis, quam femina prægnans
Enixa eſt ſub lege veteri, ſine lege mariti.

Fideli prorſus & ſapienti narratione, & concubitum ſecrevit, & prolem naturaliter enixam diſſeruit. Legem removit mariti, & legem ſubſtituit uteri; ut de Spiritu ſancto conceptum monſtraret, per vulvam peperiſſe non taceret. Huic ſimile Fortunatus Presbyter* peregrinus, ſed cœleſtis civis, pauper rebus, cenſu fidei dives, in laude Virginis Mariæ ſic fatur:

Fortunati Lib. 8. poem. 1. poſt init.

Sed redeo qua Virgo tenbit laude canenda*
Qualis nulla fuit, nulla futura venit.
*Quemque planus nubes juſtum te rore ſerenum,**
Hæc Salvatorem germine terra dedit.
Hæc porta eſt clauſa, in quam introivit nemo, nec exit,
Ni Dominus ſolus, cui quoque clauſa patent.

Non diſconvenit ſuperiori, imò aliis verbis hoc idem deſignat; nam geminâ periodo eandem ſententiam commendans, & Virginitatis prædicat integritatem, & humano de more nativitatis indicat expoſitionem, & Salvatorem conceptum divinitùs narrat, & naturalis ſemitæ vena germinatum; utque clariùs eliqueret quod loquebatur, atteſtatur Mariam portam extitiſſe Hezechieliticam, per quam virilis nullus eſt introitus, vel exitus; ſolus verò omnipotens, cui nihil eſt clauſum, per eam tranſit, ut qui concipi decrevit ex Virgine, humani partûs lege de ea naſceretur.

Poſt omnes Athanaſius Alexandrinus veniat, ut qui dote virtutum, conſtantiâ probatæ fidei, ſapientiæ doctrina, perſeverantia confeſſionis, ſolus, ut ita dixerim, Arrianæ perfidiæ ſubvertit multitudinem numeroſam, & vexillum veræ credulitatis propugnator gerens invictus Eccleſiæ reſtauravit murum, roboravit ſtatum; noſtræ quoque diſputationis confirmator aſſiſtat, & erroris ſectam valenter evertat. Ad Epictetum adverſus eos agens, qui unius ſubſtantiæ Verbum & corpus quod aſſumſit pro noſtrâ redemptione dogmatizabant, cum fides teneat Chriſtiana, duas ſubſtantias, divinam ſcilicet humanamque in Chriſto conjunctas, ut in unâ perſonâ utraque natura ſuam poſſideat diſtinctionem; inſiſt inter reliqua: » Propterea ergo neceſſaria Maria, ut ex ipſâ corpus aſſumeret, & ut ſuum pro » nobis corpus offerret; & hanc Iſaias Propheteſans » oſtendit dicens: *Ecce Virgo:* Gabriel autem mittitur ad ipſam non tranſitoriè Virginem, ſed ad Virginem, deſponſatam viro, ut ſponſo oſtenderet » Mariam verè hominem fuiſſe. Et partûs meminit ſcriptura, & dicitur: *involvit puerum.* Et, *beata ſunt ubera quæ ſuxit.* Et, oblatum eſt ſacrificium, » quoniam aperuit qui natus eſt, vulvam. Hæc autem omnia parturientis virginis erant indicia, &

Athanaſius Alexandrinus ad Epictetum

Gabriel certiſſimè evangelizavit ipſe dicens, non « tranſitoriè, quod naſceretur ex te; ut non de foris « inditum ei corpus videtur, ſed, ex te; ut ex ipſâ, « naturaliter quod natum eſt, eſſe manifeſtè credatur; « & hoc naturâ demonſtrante, quia impoſſibile « eſt virginem lac proferre, & impoſſibile eſt « lacte nutriri corpus, & pannis involvi non ante « naturaliter natum. «

Orthodoxæ fidei conſtantiſſimus, quem Dominus poſuerat in civitatem munitam, in murum æneum, & in columnam ferream Regibus Judæ, Principibus ejus, & omni populo terræ, non aliter de Virginis partu aut ſentire potuit, aut effari, quam ſentit & prædicat Eccleſia; quæ eſt domus ædificata ſuper ſolidiſſimam petram, columna, & firmamentum veritatis; propter quod cum enumeret plura quibus approbat Incarnatum natum Chriſtum de Virgine, ut etiam novam depellat hæreſim, dicit quoniam qui natus eſt, aperuit vulvam. Hancque veræ confeſſionis doctrinam, magis ac magis inculcans, inferius annectit: » Impoſſibile eſſet virginem lac « proferre, & impoſſibile eſſet lacte nutriri corpus, « & pannis involvi, non ante naturaliter natum. « Quid ampliùs vultis, novæ & inauditæ præteritis ſæculis hæreſeos, vel auctores, vel defenſores! En conſiſtit adverſum cuneum veſtrum Athanaſius ille, qui olim contrà perfidiam Arrianam dimicavit. Illo certamine divinitatem Verbi defendit, hoc agone humanitatem propugnat. Tunc nativitatis quæ eſt de Patre, veritati contradicebatur, nunc nativitatis quæ eſt de matre, veritati renititur. Hoſtes illi confingebant non eſſe natum Filium de ſubſtantiâ Patris, ſed ex nihilo factum, iſti oppugnant non naturaliter ortum Chriſtum de matris utero, ſed prodigialiter exceptum. Ubique Chriſto contradicitur, ubique mundi liberatio maledictorum linguis injuriatur, ſed propugnator doctus vincere, neſciens cedere, non de ſe tamen præſumens, ſed in ipſo pro quo pugnat confidens, accedat, & catervam ſuperbiâ tumidam, vanitate ſubnixam, veritatis mucrone concidat.

Intorques pars adverſa telum, & jactas; Non eſt natus Deus per naturam mulieris. Opponit fidei ſcutum vir fidelis, & refert gladium verbi Dei. » Oblatum « eſt ſacrificium, quoniam qui natus eſt, aperuit vulvam. « Quid ſtupes falſitatis commentum? Non mucrone ſtimulatus, ſed validiſſimo telo perculſus es; oblatum eſt ſacrificium, non vales negare; quâ de re & apertam vulvam cogeris confiteri. Quod ſi aperuit vulvam, natus eſt per naturam mulieris ſanguineam. Veternoſus anguis quo convertis aciem? quo lubricum captas caput objectare? An adhuc conaris in vultus, & ſibilas ore rictu;? Si aperuit vulvam, corrupit? Sed os peſtiferum offa Danielitico jam nunc oppletur, ut ſquamoſus Draco per partes diſjectus, ceſſet dementare Chaldæos. » Iſaias Propheta: *Ecce Virgo:* & Gabriel mittitur « non tranſitoriè ad Virginem, ſed ad Virginem de- « ſponſatam viro, « & poſt, partum, poſt, involutionem parvuli, poſt, lactationem, poſt, oblatum, quoniam aperuit qui natus eſt vulvam, inclamat. Hæc omnia parturientis virginis erant indicia. Ergo virgo parit, non corrumpitur, Virgini matri naſcens Deus aperuit vulvam, nec violavit pudoris ſigillum.

Nec ad hæc forſitan penitùs conquieſcis, ſed audes nimis confractam conciſamque in ictus manum moliri: Deo naſcituro, nihil fuit clauſum, ſed vo-

h *atque paſſibili*] Poſterior vox addita eſt è cod. Dall. cujus fidem ſecuti expunximus vocem *Gallicus* poſt *Presbyter*, infrà *qua virgo*. Hæc marginis lectio magis placuit, quam quæ erat in textu *qua Virgo:* ſtatim in margine habebatur *de rore ſuperno*.

luntas ut exſtitit naſcendi, affluit mox egreſſus, nec moras paſſus eſt nativitatis, cui ſine proceſſu factus eſt ortus. Et hanc perfidiæ calumniam ſic elidit defenſor fidei, non quò divinitatis ſubroget potentiæ quidquam, ſed quò humanæ nativitatis homini Deo » conteſtetur veritatem; ut ex ipſâ, naturaliter quod » natum eſt, eſſe manifeſtè credatur. Igitur naturaliter natum eſſe Deum hominem factum prædicat, ut per naturæ vulvam humani partûs lege proceſſiſſe cognoſcas. Inde quoque docet haud aliter Virginem lege naturæ potuiſſe lac proferre, vel lacte nutrire corpus; vel conſequenter pannis involvere non ante naturaliter natum.

Ergo omnifariam adverſario devicto, teneamus verâ fide confiteamur ore veridico, Verbum carnem factum per miniſterium vulvæ naturaliter natum, & ſecundum rationis conſequentiam, & ſecundum divinarum teſtimonia ſcripturarum, & ſecundum doctorum non contemnendam auctoritatem: ſatis abundèque, ut æſtimo, monſtratum eſt, Dominum Salvatorem de Virgine ſicut hominem natum, non ut integritatem violaret illa nativitas, quia MARIA Virgo fuit ante partum, Virgo in partu, Virgo manſit & poſt partum. Sed ut qui de Virgine corpus aſſumſit, & intrà gremium Virginale concrevit, per aulam quoque Virgineam naturaliter naſceretur. Quòd ſi alicui iſta non ſuffecerint, vel tarditate ſenſus, vel contradicendi ſtudio, non deerit unde utrique ſubveniatur. Si tamen & vulnus aperire ſuum maluerint, & contentionis perniciem non amare. Luſimus hæc de more ſtudentium: quæ ſi quis contemnet, exercitia nobis noſtra complacebunt.

MONITUM.

HOs Libros Epiſcoporum hortatu, juſſuve elucubraſſe Ratramnum perſuadere videntur iſthæc libri quarti verba poſtrema: Egimus velut potuimus reſpondentes ad ea quæ nobis ſcripta miſiſtis. Quæ ſi placuerint, Deo gratias agimus; ſin verò diſplicuerint, veſtræ correctionis cenſuram præſtolamur. *Etenim Summus Eccleſiæ Hierarcha Nicolaus I. Galliæ Epiſcopos literis commonuerat, ut Græcorum Romanæ Sedis adverſariorum objectis occurrerent; uti auctor eſt Frodoardus in Hiſt. Eccleſ. Remenſ. lib. 3. cap. 17.* Nicolaus Papa epiſtolam eidem *(Hincmaro)* & cæteris Archiepiſcopis & Epiſcopis in regno Caroli conſtitutis tranſmiſit, innoteſcens præfatos Græcorum Imperatores, ſed & Orientales Epiſcopos calumniari ſanctam Romanam Eccleſiam, imò omnem Eccleſiam quæ Latinâ utitur linguâ; quòd jejunamus in Sabbatis: quòd Spiritum ſanctum ex Patre, Filioque procedere dicimus: quia Presbyteros chriſmate linire baptizatorum frontes inhibemus: dicentes ipſi Græci, quòd chriſma ex aquâ fluminis Latini conficiamus; reprehendentes nos Latinos quòd octo hebdomadibus à caſei & ovorum eſu more ſuo non ceſſamus; dicentes etiam, quòd in Paſcha more Judæorum ſuper altare pariter cum Dominico corpore agnum benedicamus & offeramus; ſuccenſentes etiam nobis, quia Clerici apud nos barbas ſuas radunt; & dicentes, quia Diaconus non ſuſcepto Presbyteratûs officio apud nos Epiſcopus ordinatur, &c. *Deinde Nicolai epiſtolæ verba ſubtexit:* Tua, Hincmare, caritas cum hanc epiſtolam legerit, mox ut etiam ad alios Archiepiſcopos, qui in regno filii noſtri Caroli glorioſi Regis conſiſtunt, deferatur, ſummopere agere ſtudeat, ut & de his ſinguli in ſuis Diœceſibus propriis unà cum ſuffraganeis ſuis, in cujuſcumque regno ſint conſtituti, convenienter tractare, & nobis quæ repererint ſuggerere curent, eos incitare non negligat, &c. *En ſumma Schiſmatis in Oriente à Photio Pſeudopatriarcha Conſtantinopol. & gregariis excitati, fotique à Græcorum Imperatoribus Michaële & Baſilio.*

Itaque Ratramnus noſter, id muneris ſibi impoſitum accuratè, eleganter, & prorſus eruditè, quatuor peregit Libris. In prioribus totus eſt cùm in ſacris Scripturis, tùm in Græcorum, Latinorumque placitis, quo Novatorum propellat blaſphemias, & ſtabiliat de Spiritu ſancto Catholicam veritatem. Quarto verò in libro de variâ Quadrageſimæ obſervatione, deque vario ciborum uſu; de jejunio Sabbati apud Latinos: de Clericorum barbæ & capitis tonſurâ, ac cœlibatu; de Confirmationis Sacramento à ſolo Epiſcopo conferendo; de Romani Pontificis in Patriarcham Conſtantinopolitanum, atque adeo in univerſos orbis Chriſtiani Præſules ſummo jure: deque aliis Eccleſiæ ritibus agit omninò feliciter. Quàm porrò in Sacræ Scripturæ, & in antiquorum Patrum ac Conciliorum lectione verſatus fuerit Ratramnus, facilè qui Libros hoſce quatuor evolverint, animadvertent. Non enim ſinit Præfationis anguſtia prolixiori ſtilo laudes tanti viri percurrere, de quo nonnulla dumtaxat Scriptorum teſtimonia hic ſubjicienda exiſtimavi.

Sed antequàm ulteriùs progrediar, non abs re fuerit Lectorem præmonere, Jacobum Sirmondum immortali memoriâ dignum, edendo S. Fulgentii Opuſcula quædam, dum in calce fragmenta eorum quæ hactenus latuere, recenſeret, illos ipſos Ratramni Libros Hincmaro Remenſi adſcripſiſſe fragmento ultimo, in hunc modum: Ex libro 3. Hincmari Archiepiſcopi Remenſ. adverſus objecta Græcorum, ad Odonem Bellovacenſem: *Deinde ipſiſſima Ratramni verba ſubjecit:* Fulgentius Epiſcopus literarum ſtudiis admodum eruditus, &c. *Quæ infrà lib. 3. c. 5. videbis. Deinum idem loca duo Fulgentii inedita à Ratramno locis citatis allata profert. Quid Sirmondo*

perſuaſerit prolem hanc extraneo parenti ſupponere mihi prorſus incompertum: cum alioquin cæteris Hincmari Operibus per duodequadraginta propè annos à ſe ſummo ſtudio, ſummâque diligentiâ conquiſitis, illud non ignobile opus acceuſere debuiſſet. Nunc teſtimonia in medium afferamus.

SIGIBERTUS de Scriptoribus Eccleſ. cap. 95. Bertramus (*ſive Ratramnus*) ſcripſit librum de Corpore & Sanguine Domini: & ad Carolum librum de Prædeſtinatione.

JOANNES Trithemius Abbas de viris Illuſt. Ordinis S. Benedicti, lib. 2. cap. 48. Bertramnus Monachus in divinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, atque in ſæcularibus literis nobiliter inſtructus, ſcripſit non parvipendendæ lectionis Opuſcula; quibus ſuum magnificè exercitavit ingenium, è quibus ego tantùm reperi de Corpore & Sanguine Domini lib. 1. ad Carolum de Prædeſtinatione lib. 1. Claruit A: D. 870.

Claudius Eſpencæus Doctor Pariſienſis de Euchariſtiâ lib. 4. *c.* 19. *ſub med.* Et meritò ſanè, cum verus, ut ita loquar, ille Bertramus, totos annos ſeptingentos, nec à quodam hæreſeos fuerit inſimulatus, vel reprehenſus quaſi malè ſcripſerit, ſed in catalogum Scriptorum Eccleſiaſticorum relatus, ut vir non minùs vitâ, quàm doctrinâ, ingenio & eloquio inſignis.

Claudius de Saintes Epiſcopus Ebroicenſis, de Euchariſtiæ controverſiis repet. 2. *c.* 14. Verùm illum Bertramum totos annos ſeptingentos nemo hæreſeos reprehendit, quaſi malè ſcripſerit; ſed refertur in catalogum Scriptorum Eccleſiaſt. ut vir non minus vitâ, quàm doctrinâ, ingenio, & eloquio inſignis & Catholicus.

AUBERTUS Miræus in Scholiis ad præfatum Sigiberti caput: Bertramus ſcripſit librum de Corp. & Sang. Domini excuſum Coloniæ 1532. Baſileæ in Micropreſbytico, & alibi, ſed damnatum à Tridentinis Cenſoribus: ita Molan. in Biblioth. MS. Hæretici eum primi typis ediderunt, videnturque illi inſeruiſſe quæcumque vel obſcura, vel in ſpeciem pravè ſonantia leguntur. Plurimis certè locis veram Chriſti præſentiam adſtruit, & tranſſubſtantiationem docet, ut ne ipſe quidem interpolator id ſub finem diſſimulet, dicens multa non cohærere, & præcedentia ſequentibus contradicere. Hoc inter alios obſervavit Bartholomæus Petrus Lintrenſis Doctor Theologus.

DIONYSIUS Petavius S. J. Theologicorum dogmat. to. 2. *lib.* 7 *cap.* 2. *ante finem: Ratramni tamquam Catholici, nobiliſque Scriptoris authoritate utitur, explicans vocem;* Filioque *additam ad Symbolum Conſtantinopol.* Quin etiam Ratramnus Corbeienſis Monachus in lib. 2. pro Romanâ Eccleſiâ contrà Græcos, quem circà annum 868. ſcripſit Photii tempore, tamquam ab illis objectum corrupti ſymboli crimen diluit, &c. *Ac ſubdit:* Scripſit autem Ratramnus, ut jam dictum eſt, poſt acceptam Nicolai Encyclicam, quam ad Hincmarum & alios Epiſcopos in regno Caroli Calvi conſtitutos miſerat anno 867. ut eos hortaretur ad refellendas Græcorum calumnias, adversùs Romanam Eccleſiam objectas à Michaële Imperatore, & Baſilio in Epiſtolâ quâdam ad ſe ſcriptâ.

JOANNES de Launoy Doctor Pariſienſis in Diſſertatione de Veteri ciborum delectu, &c. pag. 13. Græcorum objectioni ſic reſpondet Ratramnus Corbeienſis Monachus in Opere, quod tunc Epiſcoporum auctoritate contrà Græcos vir ille doctiſſimus conſcripſit. Ex lib. 4. hujus Operis, &c. *Inde prolixam pericopen excerpſit.*

GILBERTUS Mauguin Regi à Conſiliis, in Hiſtoricæ & Chronologicæ diſſertationis capite 17. *ad annum* 850. Hoc etiam anno Ratramnus Corbeienſis Monachus, non levis armaturæ in Eccleſiâ Chriſti Miles, regio mandato obtemperans duos Libros de Prædeſtinatione compoſuit: *quos ille primus luci dedit.*

JACOBUS DE SAINTE BEUVE Socius Sorbonicus, ac Regius Profeſſor, Tractatum de Euchariſtiâ in Sorbonæ Scholis ipſe prælegens, Ratramnum multis, iiſque non vulgari eruditione refertis, egregiè vindicat. Primò quidem poſt Sigibertum, Trithemium, Eſpencæum, & Sanctesium, inter Eccleſiaſticos Scriptores Orthodoxoſque locum obtinuiſſe Ratramnum: deinde Catholicum Opus de Corpore & Sanguine Domini compoſuiſſe docet; ſicuti non tantùm Sigiberti, & aliorum teſtimoniis, imò hiſce potiſſimùm rationibus adductus. Altera eſt, ſeptingentos per annos hæreſis haud inſimulatum ab ullo ſcriptore, nedum damnatum Ratramnum. Altera verò, neque ab ipſo Berengario Hæreſiarcha, neque ab ejus diſcipulis uſquam laudatum reperies. His accedit, quòd immunis extiterit liber ille Ratramni à cenſurâ Concilii Vercellenſis, in quo Berengarii impium dogma, ſimulque Joannis Erigenæ ſive Scoti ejuſdem farinæ Opuſcula æterno anathemate fuère perculſa. Poſtremò ſubjungit Sanbovæus: Etſi Opus illud de Corpore & Sang. Domini, quod Bertrami præ ſe fert nomen, genuinus eſſet ipſius fœtus, minimeque corruptus, interpolatuſve, ſuum eſſe nihilominùs Ratramnum noſtrum, vel ſuæ hæreſi faventem, ob nævos eo in Opere contentos, incaſſum perſuadere conantur Hæretici: quippe qui continuò in Eccleſiæ ſinu vixit, ac placidè in ejus obdormivit communione. Ait enim Facundus lib. 10. *c.* 5. Non ex levi ſono verborum, ſed ex intentione dicentis æſtimanda ſunt quæ dicuntur. Dicentis autem intentio, cum jam perſona defuncta eſt, ex communione religioſiùs æſtimatur. *Et ſanè ab heterodoxorum calumniâ catholicè defendi poſſet Ratramnus, non ſecus atque olim Dionyſium Alexandrinum vindicavit Athanaſius.* Magni certè argumenti eſt (*inquit ipſe in Epiſtolâ de Dionyſii ſententiâ contra*

Arrianos.) ne in hoc quidem illos verum dicere, ſed calumniis virum premere, quod ille nunquam ab aliis Epiſcopis de impietate convictus eſt, neque hæreſim propugnando ab Eccleſiâ receſſit, ſed in eâ cum pietate obdormivit: quodque ejus memoria hactenùs cum Patribus huc uſque celebrata eſt, & in catalogum relata: qui ſi cum iſtis ejuſdem opinionis fuiſſet, aut ſi ſcriptorum ſuorum rationem non reddidiſſet, minimè dubium quin eadem quæ illi, paſſus fuiſſet. *Tandem verò cum tam præclara & aperta in præfato Ratramni Opere realem Corporis & Sanguinis Chriſti præſentiam ſub ſpeciebus Euchariſticis probent ac tranſſubſtantiationem, obſcuriora proinde & difficiliora ad orthodoxum ſenſum benignè queunt elucidari; ex regula nimirum Facundi lib. 9. c. 5.* Quemadmodum calumniantium hæreticorum eſt, ex dubiis & obſcuris, quæ certa & manifeſta ſunt malè interpretari, ita ſalvum eſt prudentiæ ac pietatis Catholicæ ex indubitatis atque evidentibus, & firmare ambigua, & latentia declarare. Si qui verò Orthodoxi etiam aliud faciendum putaverint, non ſunt in hoc à prudentibus imitandi.

Hæc Acherius qui præterea monet eos libros à ſe editos eſſe ex codice Thuaneo. Hunc codicem deinde Baluzius contulit in Bibliothecâ Colbertinâ, eumque diligentiæ ſuæ fructum retulit, quod in nonnullis locis deprehendit Acherii librarium in Ratramni opere exſcribendo nimium ingenio ſuo indulſiſſe.

RATRAMNI
CORBEIENSIS MONACHI,
ORDINIS SANCTI BENEDICTI,
CONTRA GRÆCORUM OPPOSITA, Romanam Eccleſiam infamantium
LIBRI QUATUOR.

LIBER PRIMUS.
CAPUT PRIMUM.

Anno 867. Michaelis & Baſilii Impp. reſpondet oppoſitis.

OPPOSITA quibus *Michaël & Baſilius* Græcorum Imperatores Romanam Eccleſiam infamare conantur, vel falſa, vel hæretica, vel ſuperſtitioſa, vel irreligioſa fore cognoſcuntur. Quapropter meritò contemptui ſubjacere deberent, niſi conſideraretur quòd ſimplicibus minuſque capacibus ſcandalum læſionis inferre valerent, illudque Salomonicum Spiritu ſancto prolatum: *Reſponde ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur.* (Prov. 26. 5.) Cum enim dicant, quòd Chriſma conficiamus ex aquâ: (Oppoſita Græcorum.) Et quòd Agnum die ſancto Paſchæ ſuper altare unà cum dominico corpore ſacrandum Judæorum de more ponamus, nonne manifeſtè mentiuntur? Nec timent illud Pſalmiſtæ Spiritu ſancto loquentis: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* (Pſal. 5. 7.) Et quod alibi Spiritus ſanctus comminatur: *Falſus teſtis non erit impunitus.* (Prov. 19. 5. 9.) Item, quòd culpare nituntur non ſolùm Romanam, verùm omnem Latinam Eccleſiam, quòd Spiritum ſanctum de Patre Filioque procedere confiteamur, ſecundum Catholicam fidem, cum illi tantùm dicant, eum de Patre procedere, nonne ſe hæreſeos pravitate condemnant, & ab Eccleſiæ communione removent, & in Spiritum ſanctum blaſphemant? quod peccatum irremiſſibile eſſe Salvator in Evangelio proteſtatur. (Marc. 3. 29.) Niſi fortè monſtrare poſſint à ſuis majoribus Catholicis viris hoc aliquando denegatum. Etenim cum dicant Spiritum ſanctum procedere à Patre, non negant & à Filio procedere. Quòd ſi majores ſuos ſequi voluerint, amplexabuntur Catholicè dictum, procedere Spiritum ſanctum à Patre, ſicut & ſui majores ſunt amplexi, qui ſacris literis inſtituti optimè noverunt utriuſque Spiritum eſſe, videlicet tam Patris quàm Filii. Quod in ſequentibus clariùs demonſtrabitur.

CAPUT II.

Item Græcorum objecta.

JAm quod arguere conantur, quòd in Sabbato jejunamus, vel quòd Paſchale jejunium non eâdem cum eis regulâ celebremus; quis non videat quanto tumore, quantâque ſtultitiâ vel inflati vel excæcati talia dicant? Arguunt jejunantes, iterum reprehendunt non jejunantes; aut enim bonum eſt jejunium, aut malum; ſi bonum: cur accuſant? ſi malum: cur exercent quod accuſant? Forſitan res non ſui merito ſancienda, ſed pro perſonarum acceptione judicanda eſt; ut jejunium quod celebrat Latinus ſit arguendum; quod verò Græcus, ſit venerandum, ſic judicant vel elatione decepti, vel ſcientiâ privati. Quis autem ferre poſſit quod reprehendere geſtiunt continentiam affectantes, à feminarum concubitu ſe removentes, carnis & animæ ſanctitatem æmulantes? Quæ cum ſint in cunctis mortalibus præconio laudis extollenda, tùm præcipuè in ſacri Altaris miniſtris, quorum eſt officium in ſacris ſemper aſſiſtere, Divinitati ſervitutis obſequium jugiter exhibere, pro commiſſis populis divinam majeſtatem diebus omnibus jugi precatu placare. Hoc quia noſtri Sacerdotes agere de more majorum non omittunt, infamantur nuptias damnare. Quid hæc impugnant, niſi Religionem? Quid hæc deſtruere nituntur, niſi ſanctimoniam ſine quâ nemo placere poteſt Deo? Quis vero non videat quanto ſit tenendum ridiculo, de barbæ tonſione quod culpant: vel

quod Preſbyteri penes nos baptizatorum frontes chriſmate ſancto non liniunt, ſed hoc privilegium Pontificibus relinquunt? Num in barbæ vel tonſione, vel conſervatione, præceptorum divinorum prævaricatio cognoſcitur ulla? vel ſi preſbyteri quos baptizant eorum frontes unctione ſacrâ non liniunt; num idcircò baptiſmi gratiam non perficiunt, Trinam merſionem per invocationem ſanctæ Trinitatis facientes? Superſtitionis iſta deprehenduntur eſſe, non alicujus religioſæ conſiderationis.

Quid muneris Imperatoribus incumbit.

Quid mirum hujuſmodi ſi calumniæ procedant ab hominibus ſacræ legis peritis, ſæculari potentiâ fultis, Imperii faſtu confidentibus? De ſacris dogmatibus, de Eccleſiaſtico ritu, non Imperatorum, ſed Epiſcoporum ſurrat diſputare. Diſcendum illis, non docendum, in Eccleſiâ miniſterium commiſſum eſt. Nam quamvis Imperiali dignitate præcellant, res illis publica commiſſa eſt, non Epiſcopale miniſterium. Imperatores de ſæculi legibus tractare debent; Epiſcopi verò de divinis dogmatibus diſputare. Suum modum ſtudeant tenere, non officium Epiſcopale præripere, ne illis proveniat quod Oziæ

2. Paral. 26. 17.

Regi Pontificale miniſterium præſumenti contigit; qui divinitùs leprâ percuſſus non ſolum à Templo, verùm & à communione populi noſcitur ejectus. Cur ergo recentes iſti doctores, & monſtruoſi, ut ita dicamus, præceptores, ſuo nunc tempore in crimen devocare conantur, quod ſui priores, ſi tamen Eccleſiæ filii ſunt, & unitatis catholicæ ſectatores, duxère ſemper venerandum? Nullus novus cultus apud Romanam Eccleſiam nunc agitur: nulla nova Religio, nulla nova doctrina, inſtitutio nova nulla. Majores noſtri quæ tenuère, quæ docuère, quæ ſervanda ſuis poſteris reliquère, hæc tenemus, hæc ſervamus, nihil ſuprà ponentes, nihil eis adimentes. Quod de ſancto Spiritu ſenſerunt, hoc ſentimus. Perceperunt illi ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto acceperunt. In eâdem fide tam Orientalis quàm Occidentalis ſemper remanſit Eccleſia. Noverunt etenim Apoſtoli dictum, quod eſt

Epheſ. 4. 5.

una fides, unum Baptiſma. Et licet hæreſes frequenter exurgerent, quæ tamquam mali piſces Chriſti retia rumperent; Chriſti tamen tunica permanſit integra. Inſtituta verò majorum ſuis quibuſcumque locis edita, ſicut non omnibus Eccleſiis eadem, ſic unitatem fidei nullo modo diviſère: nec propter alternæ conſuetudinis commutationem mutuæ ſocietatis amiſère communionem. Quoniam aliud eſt de habitu, de converſatione diſcernere, & aliud de unitate fidei ſimiliter ſentire. Sed de his poſteriùs. Nunc ad propoſita veniamus, & de ſingulis quæ gratia ſancti Spiritûs donaverit, diſputemus, non ordinem propoſitarum ſequentes quæſtionum. Eſt enim minus prudenter diſpoſitus, quia levitate mentis, non prudentiæ gravitate digeſtus eſſe cognoſcitur.

Et primò de Spiritu ſancto quæ donaverit ipſe dicamus: hoc enim & primum eſt & præcipuum, & ad Catholicæ fidei pertinens firmamentum. Oſtendere namque eſt animo, quòd ſic de eo ſentimus & confitemur, ſicut & Patres noſtri ſenſerunt & confeſſi ſunt; & ſic ipſi ſenſerunt & profeſſi ſunt, ſicut Apoſtoli ſenſerunt & docuerunt. Apoſtolorum autem doctrinam ſi quis arguere maluerit, Chriſti neceſſe eſt magiſterium redarguat, & Prophetarum oracula refutet.

CAPUT III.

Probat Auctor Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere.

ARguitis quòd Spiritum ſanctum ex Patre Filioque procedere dicamus, cum ipſi ex Patre tantum procedere dicatis. Conſideremus Evangelii lectionem, & ex eo reſponſionis tenorem capiamus. Loquitur enim Salvator in ſermone, quem ſecundum Joannem ad diſcipulos nocte quâ tradendus erat, fecerat; inter reliqua ſic: *Cum autem venerit Paraclitus quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.* Legitis *qui à Patre procedit*, & audire non vultis dicentem Filium, *quem ego mittam vobis à Patre.* Dicite quemadmodum mittatur à Filio: hoc namque dicere Filium non negatis, ſi tamen Evangelium legitis, aut Evangelio ſi creditis? Aut ergo miſſionem hanc confitemini proceſſionem, aut, quod eſt impium, dicetis obſequium [a]; & eritis, quod abſit, cum Arrio, qui minorem dogmate perverſo Spiritum ſanctum aſſerebat Filio. Abſit autem ut Arrii partes velitis aſtruere; abſit ut Spiritum ſanctum minorem Patre Filioque velitis aſſirmare. Igitur cum dicat Filius miſſurum ſe eſſe *Spiritum veritatis qui à Patre procedit*; profectò fatetur quòd à ſe dicat eum procedere, dum confirmat eum ſe mittere. Fortaſſis quæſtionem facit, quòd non ſimpliciter dixerit Salvator; *Quem ego mittam vobis*: ſed addiderit, *à Patre.* Hoc Arriani movère primi, gradum facere volentes in divinitate. Sed Evangelii veritas conſubſtantialem totius Trinitatis oſtendit unitatem. Procedit Spiritus ſanctus à Patre, illius quia de ſubſtantiâ manat. Mittit quoque Filius Spiritum veritatis à Patre, quia Spiritus ſanctus ut à Filio procedat, ipſe natus eſt ex Patre; & ſicut accepit de Patre Filius naſcendo ſubſtantiam, ſic itidem accepit à Patre ut Spiritum veritatis mitteret à ſe procedendo. Alioquin cum dicit: *Qui à Patre procedit*, non negat à ſe procedere: quoniam miſſio Filii, proceſſio eſt Spiritûs ſancti; ut mittat Spiritum veritatis, non tanquam minorem jubendo ipſe major exiſtendo; ſed miſſionis verbo monſtratur, quia ſicut procedit Spiritus veritatis à Patre, ſic etiam procedit & à Filio. Hinc in conſequentibus: *At ille me clarificabit; quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Quid enim accipiet Spiritus ſanctus à Filio, cum unius ſint ſubſtantiæ, uniuſque potentiæ? Nimirum, *de meo accipiet*, dixit; id eſt à me procedit, quia ſicut ſunt unius ſubſtantiæ Pater & Filius, ſic & de utroque procedendo Spiritus ſanctus accepit conſubſtantialitatis exiſtentiam.

Joan. 15. 26.

a Arrio aſſimilantur Græci.

Ibid.

Ibid.

Ibid. 16. 14.

Nec debet movere quòd *Accipiet*, futuri tempori dixit, hoc enim ad illud reſpicit quod futurum erat, quod diſcipulis mitteretur; non ad illud quod à Patre Filioque procedit: ſine tempore namque procedit à Patre, procedit & à Filio; quia Pater & Filius & Spiritus ſanctus tres quidem perſonæ, ſed unius ejuſdemque exſtiterunt exiſtuntque ſubſtantiæ.

Sequitur: *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt; propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Si omnia quæcumque habet Pater, habet & Filius, profectò ſicut eſt Spiritus ſanctus Patris Spiritus, ſic eſt & Filii Spiritus; alioquin ſi Patris eſt tantùm, non etiam Filii, non omnia quæcumque habet Pater, ſunt Filii. Sed habet omnia quæcumque habet Pater, Filius. Igitur ſicut eſt Spiritus Sanctus Patris Spiritus, ſic eſt & Filii Spiritus. Sed hanc habitionis poſſeſſionem non putemus vel minorationem depoſitionis, vel conditionis additionem. Verùm illud declaratur, quia ſicut procedit Spiritus ſanctus à Patre, ſic quoque procedit à Filio. Paulo ſuperiùs Chriſtus ait: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis*; & priùs dixerat: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis.* Veritas Salvator eſt; ipſe Philippo teſti-

Ibid. 15.

Ibid. 16. 13.

Ibid. 15. 26.

a *Dicetis obſequium*] Veriſſima lectio, antea legebatur, *impium dicentis, obſequium.*

ficatus:

Joan. 14. 6. ficatur: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Si ergo veritas Salvator eſt, & Salvator Filius Patris eſt, quid eſt aliud dicere Spiritum veritatis, quàm Spiritum Filii? Cognoſcitur ergo Spiritus Patris eſſe, qui procedit à Patre; ſimulque Spiritus Filii, quem Salvator confitetur Spiritum eſſe veritatis.

Salvator eſt veritas.

Spiritus eſt Spiritus veritatis, id eſt Chriſti.

Si quæris unde ſit Spiritus veritatis, quære ſimul unde ſit Spiritus Patris: procedendo namque à Patre Spiritus Patris eſt; ſimulque procedendo à Filio, qui eſt veritas, Spiritus eſt Filii. Non propter ſubjectionem dicuntur iſta, ſed propter unius ejuſdemque ſubſtantiæ ſignificationem. Quoniam ſicut ſunt Pater & Filius unius ejuſdemque ſubſtantiæ, ſic ab utroque procedit Spiritus Sanctus. Nec putes duos habere Patres Spiritum ſanctum, quia procedit à Patre, procedit à Filio; quoniam Spiritus ſanctus non eſt Filius, & qui Filius non eſt, habere patrem non poteſt.

Charitas dicitur Spiritus Sanctus.

1 Joan. 4. 16. *Ibid. 2. 27.* *Joan. 16. 16.*

Dicitur quoque Spiritus ſanctus charitas eſſe, unde Beatus Joannes: *Deus charitas eſt.* Quam charitatem commendans ſcribit fidelibus: *Et vos unctionem quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis; & neceſſe non habetis ut aliquis doceat vos; ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus.* Huic ſimile Salvator: *Cum autem venerit*, inquit, *ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Sive igitur dicas: *Deus charitas eſt*; ſive dicas: *Sicut unctio ejus docet vos de omnibus*; ſive dicas: *Spiritum veritatis, qui docet omnem veritatem*; Spiritum ſanctum ſignificas. Eſt autem charitas Patris, quâ nos dilexit: eſt charitas Filii, quâ nos redemit. Sed non diverſa propterea charitas, quia Patris eſſe dicitur atque Filii: quâ namque charitate Pater diligit Filium, eâdem charitate Filius diligit Patrem: eſt namque charitas Patris Spiritus ſanctus, eſt charitas quoque Filii Spiritus ſanctus. Procedit charitas Patris à Patre, ut diligat Filium; procedit etiam charitas Filii à Filio ut diligat Patrem. Igitur utriuſque una charitas, quoniam utriuſque unus Spiritus ab utroque procedens.

Ibid. 7. 37. Chriſtus clamabat dicens: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat: Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Subjungit Evangeliſta: *Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum.* (*Ibid. v. 39.*) Aquæ vivæ flumina, Evangeliſtâ docente, inundationem dicimus Spiritûs ſancti, quâ docet Salvator in ſe credentes rigandos. Unde igitur flumina, niſi de fide Chriſti manantia? Et unde fides, niſi ex Chriſti doctrinâ? Quemadmodum igitur doctrina Chriſti de Chriſto, & fides illius doctrinæ de Chriſto: ſic flumina aquæ vivæ, id eſt Spiritus ſanctus procedit à Chriſto: Chriſtus namque & homo perfectus, & Deus perfectus. Ex quo perfectus Deus, Spiritum ſanctum in ſe credentibus, qui à ſe procedit, largitur, infundit; cujus fluenta corda credentium æternæ vitæ fontibus inundant.

Ibid. 4. 13. Samaritanæ quoque dicit: *Qui biberit ex aquâ hac, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aquâ quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Quod alibi flumina dixerat aquæ vivæ; nunc appellat fontem aquæ ſalientis in vitam æternam; in utroque Spiritum ſanctum volens intelligi, quem manifeſtiſſimè dicit à ſe dari cum dicit: *Aquam quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ.* Quod enim dat, ex ſemetipſo dat: dat autem fontem aquæ ſalientis in vitam æternam, id eſt, Spiritum ſanctum in ſe credentibus copioſiſſimè largitur. Demonſtrans à ſe procedere, quem à ſe dicit credentibus donari.

Ibid. 20. 22. Reſurgens à mortuis & diſcipulis in conclavi reſidentibus, poſt pacis ſalutationem, & poſt mandatam pacis legationem: *Inſufflavit*, & dicit eis: *Accipite Spiritum ſanctum*, & reliqua. Quid enim per inſufflationem, niſi Spiritûs ſancti proceſſionem ſignificat? Non ut flatus ille corporeus ex aëre ſumptus, & pulmonum miniſterio per oris organum effuſus, Spiritûs ſancti fuerit ſubſtantia; verùm tali nos modo voluit edocere, Spiritum ſanctum ex ſeipſo procedere, & de ſubſtantiâ Filii Spiritus quoque ſancti ſubſtantiam manare. Sicut Pater Filii nativitatem de ſuâ ſubſtantiâ volens oſtendere propagatam, ac per hoc Filium ſibi fore conſubſtantialem, loquitur in pſalmo eidem Filio: *Ex utero ante luciferum genui te.* (*Pſal. 109. 3.*) Non quòd uterum Deus Pater habuerit, de quo filium ante ſæcula genuerit; ſed quo teſtificatus fuerit, quòd Filium non de nihilo, non alterius de rei ſubſiſtentiâ, ſed propriâ de naturâ ſubſtantiâque genuerit. Sic & Filius inſufflando dans Spiritum ſanctum Apoſtolis, oſtendit de ſuâ ſubſtantiâ procedere, quem tali inſufflatione voluit donare.

De Sacramento Corporis & Sanguinis ſui loquens diſcipulis ait: *Verba quæ loquutus ſum vobis, Spiritus & vita ſunt.* (*Joan. 6. 64.*) Unde igitur procedunt verba, niſi mentis ab intimo? Igitur verba quæ loquitur Chriſtus Spiritus & vita ſunt, quia Spiritus, qui de corde Chriſti procedit, vita eſt. Non quòd in Divinitate cor ſit, carnis videlicet particula; ſed quòd tali vocabulo voluit interioris ſubſtantiæ monſtrari ſacramentum, de quo dicit procedere Spiritum qui vita eſt. Ergo procedit Spiritus ſanctus à Filio, & eſt unius ejuſdemque ſubſtantiæ cum Filio.

CAPUT IV.

Luc. 4. 14. IN Evangelio Lucæ ſic legitur: *Et egreſſus eſt Chriſtus in virtute Spiritûs in Galilæam.* De Salvatore legitur, quòd ſit Virtus Patris, & nunc Spiritus Virtus appellatur. Numquid alia Virtus Chriſtus, & alia Virtus Spiritus? Non utique: ſed uterque Virtus dicitur, ut una utriuſque ſubſtantia monſtretur. Quid eſt autem quod ait: *In virtute Spiritûs?* (*Ibid.*) Numquid majorem voluit oſtendere Spiritûs ſancti virtutem Filii virtute? Non omnino. Quid eſt ergo quod ait: *In virtute Spiritûs?* (*Ibid.*) Non enim externam Chriſto voluit oſtendere virtutem, & velut aliunde conceſſam, ſed propriam; quæ cum ſit Spiritûs ſancti, ſit etiam ſimul & Filii, tamquam in unâ naturâ non in eſſentiâ diverſâ; & manendo ſimul in uno alter procedat ex altero, Spiritus videlicet ſanctus ex Filio; uterque vero de Patre: ſed Filius naſcendo, Spiritus verò ſanctus procedendo. Non quòd alternis temporibus de Patre procedat vel Filio, ſed quòd nullo interveniente tempore de Patre procedat ſimul & Filio.

Galat. 4. 6. Beatus Paulus Apoſtolus ſcribit ad Galatas: *Quoniam eſtis Filii Dei, miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra clamantem Abba Pater.* Non ait: Miſit Deus Spiritum ſuum. Quod ſi diceret, non penitus excluderet Filium; quoniam Deus eſt etiam Filius, quemadmodum Pater eſt Deus, & uterque non duo dii, ſed unus eſt Deus: quod enim perſona ſeparat, ſubſtantia conjungit. Volens autem omnem auferre quæſtionem, perſonam Filii ſpecialiter dixit, miſiſſe Deum Spiritum Filii ſui in corda noſtra. Num alius eſt Spiritus Filii, quàm Spiritus Patris? Quòd ſi idem eſt Spiritus amborũ, profecto procedit ab utroque; non enim ſic dicitur Spiritus Filii tãquam ſit minor Filio; hoc qui ſentit, vel dicit, non eſt Catholicus. Quâ de re non eſt quare dicatur Spiritus Filii, niſi quia procedit à Filio; ſicut dicitur Spiritus Patris, quia procedit à Patre.

Philipp. 1. 19. Ad Philippenſes autem ſcribens, inter cætera ſic ait: *Scio enim quia hoc mihi proveniet in ſalutem per veſtram orationem, & ſubminiſtrationem Spiritûs* Jesu *Chriſti.* Jesus Chriſtus, Deus & homo. Numquid

de humano ſpiritu loquebatur Apoſtolus, hæc quando dicebat? In cruce namque Jesus-Christus humanum poſuit ſpiritum, Evangeliſta teſtante, qui de illo dicit: Joan. 19. 30. *Et inclinato capite tradidit ſpiritum.* Ibid. 10. 18. Et de quo dicit etiam ipſe: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam.* Iſte verò Spiritus, de quo nunc loquitur Apoſtolus, per cujus ſubminiſtrationem certâ ſpe confidit, quòd in nullo 1. Cor. 12 & alibi. ſuper Chriſti adminiſtratione confundetur, Deus eſt: Ibid. 4. &c. qui etiam Spiritus Sanctus appellatur ad diſtinctionem Patris & Filii; de quo teſtatur Apoſtolus, quòd diviſiones gratiarum ipſe diſtribuat; qui operatur omnia prout vult. Hic ergo Spiritus eſt Chriſti, non ſubjectione ſervili, ſed proceſſione divinâ; Patri, Filioque in natura, in majeſtate, in dignitate æqualis.

Act. 16. 7. Scribit ſanctus Lucas in Actis Apoſtolorum: *Cum veniſſent autem in Myſiam, tentabant ire Bithyniam, & non permiſit eos Spiritus* Jesu. De quo Spiritu Ibid. 6. dicat, ſuperiùs narrat, dicens: *Tranſeuntes autem Phrygiam & Galatiæ regionem, vetiti ſunt à ſancto Spiritu loqui verbum in Aſiâ.* Quem dixerat ſuperiùs ſanctum Spiritum, ipſum poſtea dixit Spiritum Jesu, manifeſtè ſignans non alium eſſe Spiritum Jesu, quàm Spiritum ſanctum. Cur autem dicatur Spiritus Jesu, frequenter eſt dictum, quoniam procedit à Jesu. Non ex ea naturâ, quâ factus eſt miſericorditer homo, ſed ex ea, qua natus de Patre æqualis eſt Patri.

Tit. 3. 5. Item loquitur ad Titum: *Secundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritûs ſancti, quem effudit in nos abundè per* Jesum *Chriſtum Salvatorem noſtrum.* Quemadmodum effudit per Jesum Chriſtum Spiritum ſanctum? numquid velut minorem per majorem? Hoc Ariani voluerunt: ſed Patrem dicit effudiſſe Spiritum ſanctum per Jesum Chriſtum, ut oſtenderet effuſionem Spiritûs ſancti factam ex Jesu Chriſto, non tamquam aliunde accipiendo, ſed eam ex ſeipſo mittendo: neque enim voluit dicere ut Pater Spiritum ſanctum effuderit per Jesum Chriſtum, tamquam ſuper fiſtulam effundatur aqua, ut nihil in hac effuſione fuerit Filii, præterquam miniſterium vel evectionis, vel tranſitionis. Hoc itaque ſentire impietas eſt. Verùm effudit Pater Spiritum ſanctum in nos abundè per Jesum Chriſtum Salvatorem noſtrũ, quia procedit & à Filio, ſicut procedit à Patre: & dicendo effudit per Filium, monſtravit proceſſionem ejus à Filio, nec tamen negavit eum à Patre procedere; quia cum procedit à Filio, procedit & à Patre.

De hac effuſione Spiritûs ſancti teſtatus Beatus Petrus in Actis Apoſtolorum de Domino Jesu Chriſto, Act. 2. 33. Judæis ſic loquens: *Dexterâ igitur Dei exaltatus, & promiſſione Spiritûs ſancti acceptâ à Patre, effudit hunc quem vos vidiſtis & audiſtis.* De quo loquutus Ibid. 2. 2. & ſeq. Lucas in eiſdem Actis teſtatur: *Cum complerentur,* inquit, *dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco, & factus eſt repente de cœlo ſonus tamquam advenientis ſpiritûs vehementis; & replevit totam domum ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tamquam ignis; ſeditque ſupra ſingulos eorum: & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.* Ibid. 17. Et in conſequentibus: *Et erit in noviſſimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri,* & reliqua. Et Ibid. 18. paulo poſt: *Et quidem ſuper ſervos meos & ſuper ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt.* Hoc totum poſuimus ut Beato Petro docente noſceremus Spiritum ſanctum effuſum ſuper Apoſtolos, & reliquos credentes, qui pariter fuerant congregati die Pentecoſtes, ab Jesu. Unde Act. 2. 32. ſcriptum eſt: *Hunc* Jesum *reſuſcitavit Deus, cui omnes nos teſtes ſumus.* Deinde intulit: *Dexterâ igitur Dei* Ibid. 33. *exaltatus effudit hunc,* id eſt Spiritum ſanctum, nimirum Jesus, *quem Deus reſuſcitavit, quem vidiſtis & audiſtis.* Vidiſtis in igneis linguis, audiſtis in linguarum varietate: nam Spiritus ſanctus in propria naturâ nec videri corporeâ viſione, nec audiri poteſt auditu corporeo, ſed aſſumſit habitum, ignis ſpeciem ſub linguarum imagine, quò poſſet intueri, & diſcipulorum putaretur eſt vocibus, quò poſſet audiri. Ibid. Quod autem ait: *Promiſſione Spiritûs ſancti acceptâ à Patre* effudiſſe hunc Spiritum, non Divinitatis, ſed humanitatis commendat gratiam. Nam ſecundum Divinitatem non accepit repromiſſionem, quoniam omnia quæ habet Pater ſua ſunt, non temporaliter accipiendo, ſed æternaliter habendo.

CAPUT V.

Effuſio S. Spiritus quid. Et comparemus his Pauli ſententiam ſuprà jam poſitam, qua dixit loquens ad Titum, de Spiritu Tit. 3. 6. ſancto, *quem effudit in nos abundè per* Jesum *Chriſtum Salvatorem noſtrum.* Paulus teſtatur quòd Pater effuderit Spiritum ſanctum per Jesum Chriſtum Salvatorem noſtrum. Petrus verò dicit, quòd Jesus effuderit hunc eumdem Spiritum ſanctum reſurgens à mortuis. Quibus docemur & Patrem eum effundere & Jesum Chriſtum, ut diſcamus ab utroque procedere Spiritum ſanctum, quem uterque effundit: neque enim cogitare debemus hanc effuſionem localem extitiſſe, ut de Patre manans localiter tranſierit ad Chriſtum tamquam Patrem relinquendo, vel ut poſſet ad Filium venire ſemetipſum extendendo, ut alterâ ſui parte Filium contingeret, alterâ verò in Patre maneret. Similiter enim à Filio in diſcipulos fuerit effuſus, vel Filium reliquerit & ad diſcipulos venerit, vel certè quâdam protentione facta, proportione quâdam ſui, diſcipulorum corda irradiaverit, & quâdam in Chriſto reſederit; veluti radium Solis ſi conſideres aliâ ſui parte ſphæram ipſius illuſtrantem, aliâ verò terras attingentem. Sed iſta in corporibus ſunt; at verò in Divinitate ſanctæ Trinitatis nil horum deprehenditur, ſed abſque temporis intervallo vel loci Spiritus ſanctus à Patre effunditur, ſimiliter & à Filio. Effunditur à Patre in Filium, quia genuit Pater Filium, effunditur & à Filio, quia omnia quæ Patris ſunt, habet Filius.

Qui ſpirat Spiritus S. Teſtatur quoque ſanctum Evangelium quòd *Spiritus ubi vult ſpirat.* Quid eſt ſpirat? nimirum quia Joan. 3. 8. quandocumque vult, ubicumque vult ſemetipſum effundit. Videamus totius Trinitatis unam operationem. Pater effundit, Filius effundit Spiritum ſanctum. Spiritus ſanctus ubi vult ſpirans, ſemetipſum effundit. Quàm congruenter Apoſtolus dicit effuſionem Spiritûs ſancti factam per Jesum Chriſtum, per quem Pater Deus omnia fecit, quàm convenienter quoque Petrus Apoſtolus teſtatur Filium effudiſſe Spiritum ſanctum, de quo dicit Evangelium quòd *omnia quæ facit Pater, hæc eadem & Filius* Ibid. 16. 15. *facit ſimiliter.* Effundit igitur Pater Spiritum ſanctum, effundit & Filius, quoniam ſicut datur à Patre, datur & à Filio. Non igitur arguant Græcorum Imperatores Latinos, quòd confiteantur Spiritum ſanctum procedere à Filio, ſicut procedit à Patre, ſed potiùs diſcant fidei veritatem à Chriſto, diſcant & ab Apoſtolis illius.

Item in Actibus Apoſtolorum loquitur Petrus: Act. 5. 32. *Et nos ſumus teſtes horum verborum, & Spiritus ſanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus ſibi.* Quem Deum dicit dediſſe Spiritum ſanctum; niſi de quo Ibid. 2. 33. ſuperiùs ait: *Dexterâ Dei igitur exaltatus, effudit hunc quem vidiſtis & audiſtis;* Jesum Chriſtum (ſicut dictum eſt) intelligi monſtrans? Sed quomodo dedit

Spiritum ſanctum Deus obedientibus ſibi? num quaſi minorem? Nequaquam. Filius namque dicit: *Joan. 3. 8.* *Spiritus ubi vult ſpirat.* Dat itaque Deus Spiritum ſanctum obedientium ſibi cordibus infundendo, non ut ſe relinquat in quo per unitatem ſubſtantiæ permanet, ſed ut illos illuminet, quos priùs non irradiabat. Nemo quod non habet donare prævalet: ſic Filius teſtatur habere Spiritum ſanctum, quem dedit omnibus obedientibus ſibi. Quemadmodum autem habet per unitatem ſubſtantiæ, non per poſſeſſionis obtentum, ſic & cum donat, non alieni juris quaſi donum tribuit, ſed ſui quod eſt proprium muneris impertitur. Quod non aliàs Filius faceret, ſi non à ſe quoque Spiritus ſanctus procederet. In ſequentibus etiam Beatus Petrus docens quemadmodum Cornelius de gentibus; & qui cum eo fuerant credentes, baptiſmi gratiam perceperint, ſic poſt cætera dicit: *Act. 11. 17.* *Si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus, ſicut & nobis qui credidimus in Dominum* JESUM *Chriſtum, ego quis eram qui poſſem prohibere Deum?* Quamvis hic Deus, vel Spiritus ſanctus, qui corda repleverit credentium, & linguarum dederit ſcientiam, vel certè Pater poſſit intelligi; tamen ſi conſideremus verba Petri ſuperiùs loquentis de miſſione Spiritûs ſancti ſuper credentes, quòd Filius eum effuderit (ſicut antea dictum eſt) conſequenter & hic Deus Filius intelligendus, qui dederit eamdem gratiam Cornelio, ſociiſque ejus, Petro loquente, quam dedit priùs effundens Spiritum ſanctum ſuper diſcipulos in linguis igneis. Et evidenter monſtratum eſt, effuſionem Spiritûs ſancti, ſive donationem, ad Patrem pertinere & ad Filium, quia procedit ab utroque. Et hîc igitur quod dicit eâdem gratiam dediſſe nuper credentibus, quam dedit priùs Apoſtolis, Spiritum ſanctum manifeſtè ſignificat, quem dare potuit Filius, quoniam à ſe procedit: quod omninò non poſſet, ſi non ab illo procederet.

CAPUT VI.

AD Romanos Beatus Paulus ſcribens, fidelibus ait: *Rom. 8. 9.* *Vos autem in carne non eſtis, ſed in Spiritu; ſi tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* Videte cujus perſonam velitis accipere cum dicit: *Si Spiritus Dei habitat in vobis.* Quòd ſi perſonam Patris accipitis, conſequenter eumdem Spiritum, Spiritum Chriſti eſſe teſtatur. Quo dicto manifeſtè comprobat eumdem eſſe Spiritum Patris qui ſit & Chriſti: & dum utriuſque Spiritum eſſe non tacet, ab utroque procedere confitetur. Quòd ſi utrumque velitis intelligere de perſona Chriſti, quod ordo lectionis magis videtur admittere: (nam Chriſtus eſt Deus) ſic quoque docemur Spiritum Chriſti eſſe Spiritum ſanctum: per quod inſtruimur eum à Chriſto procedere. Nam perſona Patris manifeſtiùs infrà ſignatur, ubi loquitur: *Ibid. 11.* *Quod ſi Spiritus ejus, qui ſuſcitavit* JESUM *Chriſtum à mortuis, habitat in vobis.* Quamvis & hic Filius poſſit intelligi, quòd hominem quem ſuſceperat, ipſe quoque cum Patre ſuſcitaverit, ſicut in Evangelio dicit. Sed ſive hoc, ſive illud malueris, manifeſtè inſtruimur eumdem eſſe Spiritum Filii, qui ſit & Patris. Unde quod inferius ſanctus dicit Apoſtolus: *Rom. 8. 14.* *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei*, de utroque ſine cunctatione poteſt accipi, id eſt, ſive de Patre, ſive de Filio; utriuſque namque Spiritus eſt, ab utroque procedens; ſicut in multis jam comprobatum eſt. Et infrà: *Ibid. v. 15.* *Non enim accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timore; ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Ad Galatas autem ſcribens ait: *Galat. 4. 6.* *Quomodo autem eſtis Filii Dei? miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda noſtra clamantem Abba Pater.* Videte quòd eumdem dicat Spiritum adoptionis Filiorum, quem confitetur Spiritum Filii, quo nos doceat Apoſtolus eumdem eſſe Spiritum Patris, quem dicit Spiritum adoptionis, & eumdem eſſe Spiritum Filii, quem miſit Deus in corda noſtra; & in eodem, qui tam Patris quàm Filii monſtratur Spiritus, clamamus Abba Pater. Quod nequaquam facere poſſemus, ſi non quemadmodum procedit à Patre Spiritus ſanctus, ſic etiam procedat & à Filio.

Scribit Corinthiis in Epiſtolâ ſecundâ: *2. Cor. 3. 2.* *Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris: quæ ſcitur & legitur ab omnibus hominibus manifeſtata; quoniam epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei vivi.* Cum dicat quòd Corinthii ſint Epiſtola Chriſti, quæ ſcripta ſit Spiritu Dei vivi, unam operationem demonſtrat ſancti Spiritûs & Chriſti; ſed quem appellat hoc in loco Deum vivum? Nimirum Chriſtum, cujus Epiſtolam dicit eſſe Corinthios, manifeſtans Spiritum eſſe Chriſti, qui ſcripſerit in cordibus Corinthiorum epiſtolam non atramento corporis, ſed illuſtratione ſui. Per hoc ergo quod eamdem epiſtolam ſcribunt Chriſtus & Spiritus ſanctus, ſicut unius operationis, ſic eſſe monſtrantur unius ſubſtantiæ: quod enim ſcribit Chriſtus, hoc & Spiritus ſanctus, & quod Spiritus ſanctus, hoc & Chriſtus, non alternatione temporis, nec locorum permutatione, nec operis varietate; quoniam ſicut ejuſdem ſunt voluntatis, ſic ejuſdem operationis, nec diſſimilis potentiæ, quoniam non ſunt diſſimilis eſſentiæ. Quemadmodum autem dicatur Spiritus ſanctus, Spiritus Chriſti, frequenter eſt dictum; quoniam non ſicut vel pars illius, vel qualitas, vel aliquod ſubjectum, ſed ſicut procedens à Chriſto. Item ad Corinthios in eâdem: *2. Cor. 3. 15.* *Uſque hodiernum diem cum legitur Moyſes, velamen eſt poſitum ſuper cor eorum; cum autem converſus fuerit ad Deum, auferetur velamen.* Quem hic dicat Deum paulo ſuperiùs manifeſtat; dicens de eodem velamine quomodo in Chriſto evacuatur. Si ergo velamen veteris lectionis evacuatur in Chriſto, manifeſtum quia cum converſus quis fuerit ad Chriſtum, auferetur velamen.

Quod & Beatus Joannes in Apocalypſi ſuâ dicit: *Apoc. 5. 4.* *Et ego flebam multum, quia nemo dignus inventus eſt aperire librum, nec videre eum. Et unus de ſenioribus dixit mihi, ne fleveris; ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, & ſeptem ſignacula ejus.* Apertio libri, velaminis eſt ablatio: quem autem dicat iſta facturum, non eget expoſitione, cum manifeſtum ſit leonem de Tribu Juda, & radicem David, ſignificare Chriſtum, qui ſeptem quoque ſignacula ejus perhibetur aperire. Quibus ſeptem ſignaculis Spiritus ſanctus inſinuatur propter ſeptemplicem ipſius donationis gratiam. Ipſe eſt namque *Isa. 11. 2.* *Spiritus ſapientiæ & intellectûs, conſilii & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis*, ipſe quoque *Spiritus timoris Domini*, ſicut Propheta loquitur Iſaias. Aperit autem ſeptem ſignacula libri hujus radix David, id eſt, Salvator: quoniam myſteria quæ continentur in eo ſpiritalia, reſerantur in Chriſto, cum aufertur velamen quod in libro veteris teſtamenti conſtat ſignatum, & revelatur in Chriſto.

Subjungit verò Apoſtolus: *2. Cor. 3. 17.* *Dominus autem Spiritus eſt, ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Cujus Domini? Nimirum illius in quo velamen aufertur, quod in lectione veteris teſtamenti cum legitur Moyſes, manet non revelatum: remotio verò velaminis, remotio ſervitutis eſt, quæ continetur in litterâ legis, ut fiat libertas quæ per Spiritum Domini miniſtratur; quod fit cum de litterâ tranſitur ad ſpiritalem intelligentiam, & de ſervitute carnis in Spiritûs libertatem venitur. Videmus in his Spi-

ritum Domini Spiritum Chriſti dici. Hinc & in con-
2. Cor. 3. 18. ſequentibus : *Nos autem omnes revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur, à claritate in claritatem, tamquam à Domini Spiritu.* Ergo cum revelatio faciei per Chriſtum fiat, & nos transformemur à claritate in claritatem à Domini Spiritu, communis operatio Jesu Chriſti, ſanctique Spiritûs oſtenditur. Unde quod ait : *A Domini Spiritu* Chriſti ſine dubio perſonam oſtendit. Qui cum ſit Spiritus ipſius, pariter tamen cum Salvatore revelationem operatur veteris lectionis. Quòd ergo ſimul operantur unius ſubſtantiæ ſocietas oſtenditur. Quòd verò Domini Spiritus dicitur, quòd ab ipſo procedit, inſinuatur : Dominum namque Salvatorem hoc in loco ſignificari circumſtantia lectionis evidenter inſinuat.

CAPUT VII.

Beatus Petrus Apoſtolus ſcribit credentibus in
1. Pet. 1. 10 epiſtolâ primâ : *De quâ ſalute exquiſierunt atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futurâ in vobis gratiâ prophetaverunt, ſcrutantes in quod vel quale tempus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti.* Princeps Apoſtolo-
Matt. 16. 18. rum cui Salvator loquitur : *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, dicere non dubitat Spiritum ſanctum, qui loquutus eſt in Prophetis, Spiritum eſſe Chriſti : & neſcio qui ſæculari elati dignitate præſumunt reprehendere, quod ab Apoſtolis Eccleſiæ Chriſti didicerunt! Ergo ſi Spiritus ſanctus non procedit à Chriſto, quomodo Spiritus dicitur eſſe Chriſti? procedit igitur à Chriſto, quia non ex ſubjectione, nec ex particulari ſectione dicitur ejus eſſe, ſed quòd ejus de ſubſtantiâ ſubſtantialiter procedat.

Cerne quoque Beatum Joannem in eamdem concurrere ſententiam, & Spiritum ſanctum Chriſti Spiritum eſſe proclamantem : ait enim in Apocalypſi :
Apoc. 5. 6 *Et vidi in medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum agnum ſtantem, tamquam occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem.* Ex exponens
Ibid. quid dixerit, adjecit : *Qui ſunt ſeptem Spiritus Dei miſſi in omnem terram.* Agnum occiſum nemo, puto, negabit Catholicus intelligi Chriſtum debere : de
Joan. 1. 29. quo Baptiſta Joannes : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Hic agnus Dei immolatus eſt propter peccata mundi, & reſurrexit propter juſtificationem mundi. Hic agnus habere dicitur oculos ſeptem, quibus ſeptem Dei Spiritus, Joanne docente, ſignificantur : non quia ſeptem ſint perſonarum enumerationes, cum ſit unus Spiritus ſanctus in ſanctæ Trinitatis comprehenſione : ſeptem autem dicuntur, propter ſeptenariam donorum diſtributionem ; nam ſubſtantialiter unus eſt. Ergo manifeſtum, cum dicit oculos agnum habere ſeptem, quòd Chriſtum fateatur habere Spiritum ſanctum, non quaſi membrum aliquod, vel partem corporis aliquam, ſed quòd ſubſtantialiter in ipſo ſit, à quo ſubſtantialiter etiam procedit. In ipſo autem dicimus eſſe, non velut in loco, nec velut in ſubjecto; non enim continetur à Chriſto, quaſi minor ſit Chriſto, quod ſolet rebus contingere quæ locis continentur; majora ſunt enim quæ continent, eis quæ continentur : non enim ſic dicimus eſſe Spiritum ſanctum in Chriſto, quoniam æqualis eſt, non minor. Sed neque ſic dicitur quaſi in ſubjecto; non enim eſt accidens, quod ſine ſuo ſubjecto non poſſit exiſtere : ſed eſt in Chriſto ſicut conſubſtantialis; ſicut in ſplendore ignis videmus ineſſe calorem; ignis enim & ſplendet & calet, quomodo & illuminat & accendit.

Zac. 3. 8. Habes etiam in Zacharia Propheta : *Ecce enim adduco ſervum meum orientem : quia ecce lapis quem dedi coram* Jesu *ſuper lapidem unum, ſeptem oculi ſunt.* Et infrà : *Septem iſti oculi Domini qui diſcurrunt in univerſam terram.* Lapis iſte Salvator eſt, de quo Pſal- Ibid. 4. 10.
miſta loquitur : *Lapidem quem reprobaverant ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Quem etiam ſer- Pſal. 117. 22.
vum ſuum orientem Deus Pater appellat : ſervum propter hominis ſuſceptionem ; orientem, quia ipſe eſt ſol juſtitiæ. Et ſuper illum lapidem oculos dicit eſſe ſeptem Domini diſcurrentes in univerſam terram. In oculis Spiritum ſanctum intelligendum. Septem autem propter cauſam ſuperiùs dictam, cum unus ſit Spiritus ſanctus, dona verò gratiarum plura. Quid eſt autem ſuper lapidem ſeptem oculos eſſe? Nimirum Spiritum ſanctum in Chriſto manere. Et ſicut oculi dicuntur ejus in quo ſunt ſubſtantialiter eſſe, ſic Spiritum ſanctum intelligas Chriſti eſſe. Quod & ſub ſpecie candelabri idem Propheta ſigna-
vit dicens : *Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas ejus ſuper caput ipſius, & ſeptem lucernæ* Zac. 4. 2.
ejus ſuper illud. Candelabrum aureum Chriſti conſpice incarnationem; aureum quia ſine maculâ, ſine aliquâ commixtione delicti, totum fulgidum, totum ſplendidum. Lampas autem ſuper caput ipſius Divinitas eſt in homine. *Caput enim Chriſti* 1. Cor. 11. 3.
Deus; dicit Apoſtolus. Septem verò lucernæ ſuper illud, id eſt ſuper candelabrum, vel ſuper caput ejus, plenitudo eſt Spiritûs ſancti; requieſcit ſuper illum ſecundum Iſaiæ Vatis oraculum : *Et requieſcet* Iſai. 11. 2.
ſuper eum Spiritus ſapientiæ & intellectûs, Spiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. Quòd ſi ſuper Chriſtum ſeptem lucernæ Spiritûs ſancti requieſcunt, requieſcit in eo Spiritus ſanctus, qui demonſtratur in ſeptem lucernis; & cum in eo requieſcit inhabitando ſubſtantialiter, ipſius eſt Spiritus, in quo ſubſtantialiter requieſcit. Unde non immeritò Spiritus eſſe Chriſti dicitur. Notandum autem quod de illo Spiritu per ſeptem oculos ſignificato, ſubjungitur, quod diſcurrant in univerſam terram.

Et Apocalypſis : poſtquam dixit ſeptem Spiritus Dei ſeptem eſſe oculos agni, ſubjunxit : *Miſſi in* Apoc 5. 6.
omnem terram. Quod Zacharias ait, *diſcurrentes*, hoc Zach. 4. 10.
Joannes in Apocalypſi dicit, *miſſos*; miſſionis vocabulo proceſſionem inſinuans Spiritûs ſancti, quidum ſubſtantialiter ſit in Chriſto, non diſcurrit, vel mittitur, niſi procedat à Chriſto, non localiter, ſed ſubſtantialiter. Ut enim ſit, ſuſcipit & à Patre pariter & à Filio; ſicut Filius eſſentialiter ut ſit accepit à Patre. Sed non recurrit convertibiliter, ut quia Spiritus ſanctus de Filio pariter procedit & Patre, Filius quoque naſcatur pariter & de Patre & de Spiritu ſancto; nativitas enim tantùm ex Patre eſt, ab utroque verò proceſſio, id eſt à Patre ſimul & Filio. Miſſos verò ſeptem Spiritus Dei vel Apocalypſis in omnem terram dicit, vel ſeptem oculos Domini diſcurrentes in univerſam terram Zacharias, propter dona Spiritûs ſancti ſeptiformia, per Apoſtolos, Apoſtolorumque ſucceſſores, in omnes diffuſa gentes, quibus ſanctificantur fideles credentes in Chriſtum, & ſuorum percipientes delictorum emundationem.

Ipſum quoque Spiritum ſanctum, Spiritum eſſe Chriſti ſignavit Joannes, cum dixit vidiſſe ſe *in* Apoc. 1. 13.
medio ſeptem candelabrorum ſimilem Filio hominis. Et quibuſdam interpoſitis ait : *Et oculi ejus velut flam-* Ibid. v. 14.
ma ignis. Quis eſt iſte Filius hominis? Nimirum Dominus Jesus Chriſtus, qui ſe filium hominis in Evangelio ſæpiſſimè nuncupat; ut eſt illud : *Quem* Matth. 16 13.
dicunt homines eſſe Filium hominis? Et Ezechiel ſub figurâ illius frequenter ſe audit filium hominis nun-

cupari. Oculos autem hujus Filii hominis quos dicit velut flammam ignis relucere, Spiritum ſanctum inſinuat: nam ſuper Apoſtolos velut ignis de cœlo miſſus apparuit. Dicendo verò oculos ejus Spiritum ſanctum, Spiritum eſſe Chriſti ſignificavit. Nec aliud exiſtit cur Chriſti dicatur Spiritus, niſi quod procedat ab ipſo, & ſit ſubſtantialiter in ipſo.

Item dicit Joannes cum de ſanctorum gloriâ loqueretur futurâ, quòd neque *ſol, neque ullus æſtus* afficeret eos; ſubdidit: *Quoniam agnus qui in medio throni eſt, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Qui ſunt iſti vitæ fontes aquarum? fluenta Spiritûs ſancti, quibus fideles & lavantur per emundationem, & vivificantur per irrigationem. De quibus fluentis Salvator in Evangelio: *Qui credit*, inquit, *in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Significans Spiritum ſanctum, quem credentes fuerant accepturi. Quod in Apoſtolis primò completum eſt quinquageſimo die reſurrectionis. Ergo deducet eos ad vitæ fontes aquarum agnus, quia Spiritûs ſancti fluentis eos inebriabit, ut vitæ gaudia ſempiterna nunquam valeant amittere. Hos autem fontes vitæ aquarum extrà Chriſtum degere non arbitremur, ipſe namque Philippo dixit: *Ego ſum vita; Et qui videt me, videt & Patrem.* Sic ergo & qui videt Chriſtum, videt & Spiritum ſanctum, qui eſt in Chriſto; & deducere ſibi credentes ad vitæ fontes aquarum, hoc eſt ad ſe ducere, quatenùs in ſe credentes, & illum contuentes, Spiritûs ſancti de illo procedentis ſemper fontibus ſatientur.

Apoc. 7. 16. — *Ibid. 17.* — *Joan. 7. 38.* — *Ibid. 14. 6.* — *Ibid. 9.*

Item Beatus Joannes in Apocalypſi: *Et accepit Angelus turibulum, & implevit illud de igne altaris, & miſit in terram. & facta ſunt tonitrua & voces.* & reliqua. Angelus iſte Jesus Chriſtus eſt, qui legitur *Magni conſilii Angelus.* Turibulum autem humanitas eſt ipſius; altare verò, de cujus igne turibulum impletur, Chriſti divinitas eſt; ignis verò de altari, Spiritus ſanctus eſt de Chriſti divinitate ſumptus: altare namque & turibulum, utrumque Chriſtus. Sed altare quoniam ſuper illud holocauſta ſive ſacrificia ſanctorum offeruntur, cujus imaginem tenet altare terrenum; nec enim aliter ſanctorum vota ſuſcipiuntur, ſi non ſuper altari Chriſto componantur. Turibulum verò propterea dicitur, quoniam orationes ſanctorum per ipſum ſuſcipiuntur. Vel certe turibulum, donum eſt Spiritûs ſancti; teſtatur enim Apoſtolus: *Neſcimus quid oremus, ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis*, id eſt poſtulare nos facit, *gemitibus inenarrabilibus.* Ignis autem altaris, Spiritus ſanctus eſt, de quo Salvator: *Ignem veni mittere in terram, quem volo ut ardeat.* Ergo Angelus turibulum altaris igne plenum miſit in terram; quia repromiſſione Spiritûs ſancti acceptâ à Patre, Salvator effudit gratiam Spiritûs ſancti ſuper credentes. Unde convenienter ſequitur, quòd facta ſint tonitrua, & voces, & fulgura, & terræ motus ſecundum quod Salvator in Evangelio dicit: *Expedit vobis ut ego vadam: ſi enim non abiero, Paraclitus non veniet. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de juſtitiâ, & de judicio.* Quod Apocalypſis dicit de igne altaris, quòd miſerit Angelus eum in terram, & facta ſint tonitrua; hoc eſt quod Salvator ait; *Mittam eum ad vos; & cum venerit ille, arguet mundum.* Poſt adventum Spiritûs ſancti quæ tonitrua & voces prædicationum inſonuerint, quanto pavore mortalium corda concuſſerint, quæ fulgura miraculorum coruſcaverint, qui terræ motus exſtiterint duritiam mortalium concutientes, totus orbis agnovit. Ignem autem altaris Spiritum ſanctum dicit Chriſti, quem ipſe ſe miſſurum promittit Apoſtolis: & Apocalypſis teſtatur quòd miſerit eum in terram, manifeſtè docens, quod Spiritus ſanctus, Spiritus ſit Filii, & ab ipſo ſit poſt aſcenſionem ejus ſuper Apoſtolos miſſus. Quomodo namque mittitur à Filio, niſi procedendo? & procedit ab eo, cujus eſt Spiritus.

Apoc. 8. 5. — *Rom. 8. 26.* — *Luc. 12. 49.* — *Joan. 16. 7.*

Item in eâdem Apocalypſi Joannes: *Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum vocabatur fidelis & verax, & juſtitiâ judicat & pugnat: oculi autem ejus ſicut flamma ignis.* Equus albus corpus eſt Chriſti ſanctitatis candore perfuſum, maculam nullam habens; ſeſſor ejus, Divinitas Chriſti, quæ ſic hominem quem ſuſcepit, regit, & ſedet, ut unum faciat Filium, ex Divinitate, Patris; ex humanitate, Matris ſubſtantiam continentem; cujus oculi ſunt velut flamma ignis, quia ſancti Spiritûs Divinitas & ſplendor flammiferus in eo conſiſtit: de cujus plenitudine velut oculorum lux effulget; tali figurâ ſignificans, imò clariſſimè docens Divinitatem Spiritus à Filii divinitate procedere; & tamquam lumen oculorum ejus dicitur eſſe, cujus ſunt oculi; ita Spiritus ſanctus, Spiritus eſt Chriſti, in quo conſiſtit, & à quo procedit.

Apoc. 19. 11.

CAPUT VIII.

Credimus ſufficienter eſſe monſtratum divinarum teſtimoniis ſcripturarum Spiritum ſanctum à Filio procedere. Addamus adhuc ex Evangelio duo teſtimonia, quibus contradicentium duritiès conteratur. A profluvio ſanguinis muliere ſanatâ, dicit Salvator: *Quis me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis quis me tetigit? Et dixit* Jesus: *Tetigit me aliquis: nam ego novi virtutem de me exiiſſe.* Quæ eſt hæc virtus, quam dicit Salvator de ſe exiiſſe? Nimirum Spiritûs ſancti gratia: ſic enim ait Apoſtolus: *Alii datur gratia ſanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum.* Quid eſt ergo dicere Salvatorem: *Ego novi virtutem de me exiiſſe?* niſi dicere: Ego novi Spiritum à me procedere, qui eſt collator ſanitatum, & operator virtutum. Exiiſſe autem Spiritum ſanctum à ſe dicit eo modo, quo de ſe alibi dicit: *Exivi à Patre.* Exiiſſe namque Filium à Patre, eſt natum eſſe de Patre. Sic exiiſſe Spiritum ſanctum à Filio, eſt ab eodem proceſſiſſe. Item habes in eodem Evangelio Beati Lucæ: *Et omnis turba quærebat eum tangere; quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Virtus de Chriſto exiens ſanat omnes, quia Spiritus ſanctus ab eo procedens, ſanitatis gratiam tribuit cunctis.

Luc. 8. 45. — *1. Cor. 12. 9.* — *Luc. 8. 46.* — *Joan. 16. 28.* — *Luc. 6. 19.*

Ceſſent igitur reprehenſores, vel malivoli, vel imperiti, Chriſti Eccleſiam redarguere, quòd Spiritum ſanctum confitetur à Patre & Filio procedere. Hoc Evangelia docent, hoc Apoſtoli profitentur, hoc Prophetæ non tacent. Diſcant primùm quod Eccleſia didicit à Chriſto, & diſcipuli veritatis effecti confiteantur Catholicam fidem, ne præſumptionis elatione decepti, vel erroris imperitiâ capti, hæreſim nutriant olim ſopitam: labuntur enim hæc in Arii veſaniam, qui dum Filio derogabat conſubſtantialem Patris æqualitatem, Spiritum quoque ſanctum Filio docebat eſſe minorem, conatus aſtruere nec Filium de Patris ſubſtantiâ natum, & Spiritum ſanctum creaturam.

Videritis quò tendat veſtra (Imperatores præclari) profeſſio, qui dicitis Spiritum ſanctum à Patre procedere, non autem à Filio. Hoc nec in literis divinis, nec in Doctoribus Eccleſiaſticis aliquando legiſtis. Dixit quidem ſancta Synodus Conſtantinopolitana, veſaniam Arii confutans, atque condemnans, Filium conſubſtantialem eſſe Patris, Spiritum

Concil. Conſt. 1. in Symbolo.

quoque ſanctum procedentem à Patre: numquid negavit eum à Filio procedere? vel conſequens eſt, ut ſi procedit à Patre, non procedat à Filio? Potiùs ergo cognoſcite, ſi Filii vultis eſſe Eccleſiæ, & Patrum ſequi doctrinam, quòd dicendo ſanctum Concilium Conſtantinopoli collectum, Spiritum ſanctum procedentem à Patre, quòd eum & à Filio procedere non negavit, ſed tota Trinitas, cum ſit conſubſtantialis, & Filius ſit natus à Patre, Spiritus quoque ſanctus ſit charitas utriuſque, non poſſit quis negare Spiritum ſanctum à Filio procedere, niſi negaverit Filium charitatem, quà diligit Patrem habere. Quod quia veſanum, tenendum omninò, & fideliter profitendum, quia Pater diligit Filium, & Filius diligit Patrem, & hæc dilectio, quà Pater diligit Filium, à Patre procedit; & dilectio quà Filius diligit Patrem, à Filio nihilominùs procedit. Eſt autem hæc dilectio Spiritus ſanctus. Procedit ergo Spiritus à Patre & à Filio. Tempus eſt jam ſanctorum Patrum teſtimoniis proceſſionem ſancti Spiritûs à Filio comprobare, ut diverſa ſentientes revereantur, & reverentiâ ſalutari corrigantur, ne ſtultâ pervicaciâ in perditionis foveam dilabantur.

Explicit liber primus.

INCIPIT LIBER SECUNDUS

RATRAMNI CORBEIENSIS MONACHI,

CONTRA GRÆCOS.

CAPUT PRIMUM.

Comprobat ex Patribus Spiritum ſanctum à Filio procedere.

QUÆSTIONEM de ſancti Spiritûs proceſſione verſamus, quam Græcorum Imperatores à Filio negant fieri, dicentes, quòd à Patre tantùm procedat, & idcircò nolentes Eccleſiæ Romanæ communicare, Legatos Apoſtolicæ ſidis non receperunt, in culpam devocantes, quòd aliter Latina diceret Eccleſia, quàm ipſi de Spiritu ſancto, profitendo, credendoque Spiritum ſanctum à Filio procedere, quem ipſi dicunt tantùm à Patre quòd procedat. Primò videmus laïcos contrà cunctas Eccleſiaſticas regulas venire, decreta fidelibus imponere; & quibus non eſt licitum ullo ſuper Eccleſiaſtico jure præter Epiſcoporum conſultum ſtatuta conſtituere, leges ipſi fidei condere conantur, & ſecundum ſua decreta alii in communionem recipiuntur, alii verò removentur.

Si quid namque ſanciri de ſuæ fidei tenore delegerant, Epiſcoporum concilium evocari decuerat, Patrum ſtatuta requiri, ſanctarum oracula ſcripturarum, conſultu Epiſcoporum communi ſententiâ decerni, quid ſequendum, quid verò fuerat abigendum. Quòd ſi quibuſdam in Eccleſiis, vel quâlibet terrarum in parte teneri vel profiteri deprehenderentur, quæ juſtè rectèque permovere debuiſſent, vel ex fide, vel ex conſuetudine, ſcribendum his primò fuerat, & facti cauſa cognoſcenda. Tum ſi juſtæ rationis religio poſtulaſſet, judicium proferendum. Et hoc tamen ſuo ſub regimine, imperiique providentiâ, Eccleſiis conſtitutis: alioquin ad ſuæ proviſionis curam populos non pertinentes, vel Eccleſias ſuo ſub imperio non commorantes, quid juris fuerat, vel de conſuetudine judicare, vel de dogmate fidei diſcutere: & ſi non per omnia ut illi vel ſentiant, vel teneant, excommunicationis cenſurâ ferire? Num Græcorum Imperatoribus Salvator ligandi ſolvendique poteſtatem contribuit? Num illis

Mat. 5. 14.

dixit: *Vos eſtis lux mundi?* Num illis mandavit docere omnes gentes, & baptizare eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti? Quod ſi vos dicitis tantùm Spiritum ſanctum à Patre procedere, nolentes confiteri quòd à Filio procedat, & omnis Eccleſia Latina vel certè totius orbis Catholica profiteatur, quòd & à Filio procedat: unde probatis veſtram ſententiam fore potiorem & veritatis auctoritate munitam? an forſan Evangelii veritas ad vos ſolos pervenit, & apud vos ſolos permanet?

Ibid. 28. 19.

Apoſtolus Paulus vocatum ſe dicit Apoſtolum, ſeparatum in Evangelium Chriſti, ab Hieruſalem uſque ad Illyricum totum per circuitum Evangelio Chriſti repleviſſe; Romam quoque Hiſpaniaſque profectum, & in totum pleriè orbem Romanum vel præſentiâ corporis, vel ſcriptis pertranſiſſe, Chriſtum prædicans. Num dicit, quòd ſolis Græcis Chriſtum prædicaverit, & Græcis ſolummodo Imperatoribus Evangelii veritatem patefecerit? per totum orbem Evangelium Chriſti coruſcat; Apoſtolorum ſcripta leguntur; Prophetarum oracula recitantur, quibus Eccleſiarum Magiſtri ſicut à principio per Apoſtolos fuerant inſtituti, quotidie diſcunt quid ſentire de ſanctâ Trinitate debeant, quid profiteri; quid populos ſibi commiſſos edocere, quibus moribus inſtituere, quâ converſatione formare, quâ religione componere. Nec paginæ ſanctæ loquuntur, nec majorum inſtituta commendant, nec præcepta cenſent Apoſtolorum, vel quorumcumque dicta ſcriptaque majorum, vel Græcos totius Eccleſiæ Chriſti fore magiſtros, vel ab ipſis monſtrandum, vel diſcendum Imperatoribus eorum, quid per totum Chriſti Eccleſiæ orbem vel in habitu, vel in religione, vel dogmate debeat obſervari. Quod ſi nimis ſtultum, nimiumque inſolens eſſe cognoſcitur; non debuit Eccleſia Romana tam leviter reprehendi, quòd majorum ſervat inſtituta ſuorum, nec in omnibus ſequitur inſtituta Græcorum; quandoquidem ſive de ſanctâ Trinitate, vel de cujuſcumque obſervantiâ religionis quidquid vel tenet, vel exercet, diſcipulorum Chriſti manavit de fonte. Nec eſt ſanctarum paginis repugnans vel diſconveniens ſcripturarum quod credit, docet, exequitur. Ergo reprehendere conamini, quòd dicimus Spiritum ſanctum à Filio procedere, cum vos dicatis eum à Patre procedere.

Rom. 15. 19.

CAPUT II.

PRimò poſtulamus à vobis auctoritatem majorum, videlicet Catholicorum Epiſcoporum, quâ decretum teneatis quod tantopere defendere conamini. Nicæna Synodus trecentorum decem & octo Epiſcoporum, adversùs Arium ſub Conſtantino primo Imperatore collecta, poſtquàm de conſubſtantialitate Filii cum Patre Symbolum dictavit, ubi ventum eſt ad Spiritum ſanctum ſic ait: *Credimus & in Spiritum ſanctum*: nihil vel majus, vel minus ſuper ejus vel ſubſtantiâ, vel proceſſione decernens. Ubi ergo nunc regula, quâ vos muniri, vel Latinos arbitramini conſtringi, ut vobis liceat dicere procedentem à Patre Spiritum ſanctum, Romanis non liceat dicere procedentem à Filio? Quòd ſi ſequentes auctoritatem Nicæni Concilii nihil ultrà vultis addere, removete procedentem à Patre, quia non continetur in Nicæni Concilii Symbolo: & fortaſſis liceat removeri quod à Romanis ſuperadditum eſt, procedentem à Filio. Quòd ſi reſpondentes dixeritis, in Conſtantinopolitana Synodo centum quinquaginta Epiſcopis, qui Conſtantinopoli congregati ſunt, hoc poſitum eſſe; reſpondemus non licuiſſe quidquam Nicæni Concilii Symbolo de fide vel demere, vel addere, vel immutare. Quòd ſi dicatis de Filii conſub-

Concil. Nicæn. 1. in Symbolo.

ſtantialitate non licuiſſe quod determinatum eſt in illo conventu quidquam ſuperaddi; de Spiritu ſancto verò quia perparum hinc dictum eſt, licuiſſe propter futuras hæreticorum quæſtiones ſecundum ſanctarum auctoritatem ſcripturarum: reſpondemus hoc idem licuiſſe Romanis, propter futuras hæreticorum quæſtiones ſecundum divinarum auctoritatem ſcripturarum. Nec enim convincere poteſtis majorem Conſtantinopolitanæ civitatis auctoritatem, quàm civitatis Romanæ, quæ caput eſt omnium Chriſti Eccleſiarum, quod majorum tam veſtrorum, quàm noſtrorum teſtimonio comprobatur. Sed neque centum quinquaginta Epiſcoporum tanta conſtat auctoritas, ut univerſis totius orbis Epiſcopis præferri poſſit, ut quod illis licuit, non liceat tam Romano Pontifici, quàm univerſis Chriſti Eccleſiis.

Concil. Conſt. I. in Symbol. ex verſ. Dionyſ. Exigui. Addiderunt etiam illi Symbolo præfato, dicentes: *Spiritum ſanctum cum Patre & Filio adorandum, & conglorificandum, qui loquutus eſt per ſanctos Prophetas*, & alia plura. Hæc ſuperadjicientes non præſcripſerunt Eccleſiis Chriſti, ſed exemplum dederunt, ſi quid ſecundum ſcripturas ſanctas ſuperaddere vellent de Spiritu ſancto, quod hæreticos expugnaret, & fidem credentium roboraret. Quòd ſi malitis opponere, inveniri quòd non poſſit in ſanctis Evangeliis, ſive cæteris divinis paginis ſcriptum, Spiritum ſanctum procedentem à Patre, ac propterea nolle vos recipere quod in ſcripturis ſanctis ſcriptum non reperitur; quemadmodum Ariani nolebant recipere unius ejuſdemque ſubſtantiæ Patrem & Filium, quoniam Scripturæ ſacræ non hæc continebant: dicite ubi legeritis quod Conſtantinopolitanum Concilium in Symbolo poſuit de Spiritu ſancto, dicens, eum cum Patre & Filio ſimul adorandum & conglorificandum, & qui loquutus eſt per ſanctos Prophetas. Quod ſi dicatis in ſcripturis ſanctis non nudis verbis iſta reperiri, ſed virtutem intelligentiæ in eis contineri, ut quomodo eſt unius cum Patre Filioque ſubſtantiæ, unius potentiæ, non diſſimilis majeſtatis, & propterea cum Patre Filioque ſimul adorandus, & conglorificandus; eadem concedite Latinis Eccleſiis, ut licet nudis verbis Evangelia non dicant de Filio procedere Spiritum ſanctum, multis tamen modis oſtendant Spiritum eſſe Filii, ſicut eſt Spiritus Patris, & à Filio procedere, ſicut procedit à Patre: quod ſufficienter ſuperiori Libello monſtratum eſſe credimus. Iſta cum ſe ſic habeant, & de Spiritu ſancto fides Catholica per Salvatorem & per Apoſtolos fundata ſemper tenuit, nec prædicare omiſit, quòd ejuſdem ſit cum Patre Filioque virtutis, & ejuſdem ſubſtantiæ, procedatque de utroque: quid eſt nunc quòd Catholicam fidem reprehendere nitimini, & contrà Catholica dogmata neſcio quid moliri conamini? Fortaſſis vel Arium, vel Macedonium reſuſcitare tentatis, & eorum pravi dogmatis cineres olim ſopitos in Eccleſiam introducere. Numquid majores veſtri neſcierunt quemadmodum de Spiritu ſancto Romana tenebat Eccleſia? nec tamen aliquando à Romanæ ſedis communione ſeſe removêre, ſcientes Catholicæ fidei veritatem fore quod tenet & prædicat, nec meritò reprehenſioni patere, quod ſanctarum Scripturarum auctoritate conſiſtit.

Uſque ad Arrii tempus nulla confuſio vexabat credentes, de Patris Filiique conſubſtantialitate, nec homouſion prædicabatur; virtus tamen illius verbi credentium mentibus inſita conſiſtebat, quoniam omnipotentem Filium in nullo diſſimilem Patri fore credebat, benè dictum Salvatoris recolens dicentis:
Joan. 14. 9. *Qui videt me, videt & Patrem.* Neque Chriſtum aliud quàm creaturarum auctorem omnium, ſciens ex
Ibid. 1. 3. Johanne dictum; *omnia per ipſum facta fuiſſe*, nec tamen in Symbolo Apoſtolorum collatione facto continebatur aliud, quàm quod novimus omnes, credere nos oportere in Deum Patrem omnipotentem, & in JESUM Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum. Sufficiebat iſta fides credentium ſaluti; quæ multorum ſanguine Martyrum, & innumerabilium ore Confeſſorum per univerſum orbem & approbata eſt, & commendata. Verùm ubi Arrius impugnator Arii hæreſis quæ.
veritatis cœpit in Chriſti Divinitatem inſanire, & blaſphema non pauca jaculari, fidelium mentes ad pietatem incitantur, & veritatis arma contrà impietatis errorem proferunt, confodiunt unà cum auctore impium dogma, quod Filium Dei creaturam & non de Patre genitum; Spiritumque quoque ſanctum minorem Filio blaſphemabat.

Poſt quem Macedonius ſurrexit, de Patre Filioque Macedonii.
cum Catholicis ſimilia ſentiens, Spiritûs verò ſancti perſonam non recipiens. Adverſus iſtum Catholici decertantes Epiſcopi, Spiritum ſanctum probaverunt unum eſſe in ſancta Trinitate, conſubſtantialem tam Patri quàm Filio, & de Patre procedentem, coadorandum, & conglorificandum Patri Filioque. Dein Arianâ repullulante veſania, volenteque confirmare, non eſſe rectæ fidei Spiritum ſanctum dicere de Patre procedere, hoc quia videretur eſſe blaſphemum, quoniam duorum profiteretur Pater eſſe, id eſt Filii, ſeu Spiritûs ſancti: hanc quoque blaſphemiam propellendam decernentes Eccleſiæ Doctores, ſuperaddidere Symbolo Spiritum ſanctum de Filio quoque procedere. Ne ſi de Patre tantùm procedens diceretur, putaretur Filius, nec diceretur Spiritus Filii, quod eſt impium & blaſphemum, & adverſus Evangelicam Apoſtolicamque doctrinam veniens. Nam ſi velitis dicere, quòd procedere verbum ſatis diſtinguat, ne Spiritus ſanctus putetur eſſe Filius; ſcitote quod etiam de Filio prædicetur: ait enim ipſe in Evangelio Joannis: *Ego ex Deo proceſſi, & veni.* Si ergo Joan. 8. 42.
ex Deo Patre procedit Filius, procedit & Spiritus ſanctus, quid erit quod Arianis ſilentium imponat, ne Spiritum ſanctum Patris eſſe Filium blaſphement?

CAPUT III.

HAnc igitur intuentes cauſam Doctores tam Latinorum, quàm Græcorum, dixerunt Filium quidem ex Patre tantùm genitum, Spiritum verò ſanctum de Patre Filioque procedentem, quomodo divinarum edocti magiſterio litterarum intellexerunt, tam Patris, quàm Filii Spiritum eſſe; ac propterea de utroque procedere. Unde Beatus ATHANASIUS Alexandrinus Epiſcopus multa propter Catholicæ fidei conſtantiam ab Arianis perpeſſus, frequenter etiam exilio illorum factione pulſus, & in Nicænâ Synodo Epiſcopo ſuo beato Alexandro Diaconus aſſiſtens, adverſus veſaniam Arrii ſingulariter dimicans, in libello de fide quem edidit, & omnibus Catholicis tenendum propoſuit, inter cætera ſic ait: « Pater « à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus. Filius « ATHANAS. in Symbolo
à Patre ſolo eſt; non factus, non creatus, ſed ge- « nitus. Spiritus ſanctus à Patre & Filio, non factus, « non creatus, non genitus, ſed procedens. « Quam fidei veritatem Latinorum Præſules doctorum comprobantes, & adverſus pravi dogmatis Ariani ſingulare munimen conſiderantes, & de Scripturis ſanctis propagatam intelligentes, Symbolo fidei ſuperaddidere, dicentes de Spiritu ſancto; *Qui ex Patre Filioque procedit.* Hanc fidem ex illis temporibus, videlicet Conſtantini, ſub quo Synodus in Nicæa trecentorum decem & octo Epiſcoporum congregata eſt, uſque ad noſtra tempora Occidentalis tenuit Eccleſia. Sed nec Græcorum abdicavit Catholica, quoniam noluit doctrinæ veritatis aliena fieri, ſicut

illorum litteris declaratur. Et nunc vos hanc fidem accuſatis neſcio quâ levitate permoti, quove errore decepti.

Dicite ſi Spiritum ſanctum, Spiritum eſſe Chriſti profitemini? Quod ſi negatis, Apoſtolus Paulus contrà vos clamat, qui dicit: *Si quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* (Rom. 8. 9.) Clamat & ſanctus Lucas, qui dicit: *Et non permiſit eos Spiritus* Jeſu. (Act. 16. 7.) Clamat & Petrus: *Dexterâ igitur Dei exaltatus, effudit hunc, quem vos vidiſtis & audiſtis.* (Ibid. 2. 33.) Clamat & ipſe Salvator, qui diſcipulis loquitur: *Si non abiero, Paraclitus non veniet: ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* (Joan. 16. 7.) Item poſt reſurrectionem diſcipulis inſufflavit, & ait eis: *Accipite Spiritum ſanctum.* (Ibid. 20. 22.) Hæc omnia Spiritum ſanctum, Spiritum eſſe Chriſti profitentur. Quod negare cum non valeatis, neceſſitas illa vos conſtringit, ut velitis nolitis, eum procedere de Filio non negetis: nam ut creaturam eum eſſe dicatis cum Arrio, vel non eſſe cum Macedonio, teſtatur profeſſio, quâ dicitis eum à Patre procedentem. Hoc cum dicitis, quemadmodum negare conamini à Filio procedere; cum ſit utriuſque ſubſtantiæ, Patris ſcilicet & Filii, nec poſſit eſſe de ſubſtantiâ utriuſque, niſi procedat ab utroque.

Audiamus quid Gregorius Epiſcopus Nazianzenus in ſermone de Spiritu ſancto, quem in Eccleſiâ Conſtantinopolitana coram populo fecit die Pentecoſtes, dicat: (Greg. Naz. Orat. 44.) » Spiritus, inquit, ſanctus erat » quidem ſemper, & eſt, & erit, neque initium ul» lum, neque finem habens, ſed Patri ac Filio coæ» ternus: neque enim dignum eſt aut Filium ali» quando defuiſſe Patri, aut Spiritum Filio. » Dicendo namque Spiritum ſanctum Patri Filioque coæternum, Arianos expugnat, [qui] creaturam eum dogmatizabant. Dicendo verò quòd erat ſemper, & eſt, & erit, Macedonium confutat, qui eum eſſe negabat. At verò profitendo Filium aliquando non defuiſſe Patri, nec Spiritum Filio, vos confutat, qui negatis eum procedere à Filio. Si enim ſecundum veſtram ſententiam voluiſſet Spiritum ſanctum de Patre tantùm procedere, dicere debuerat nec Filium nec Spiritum ſanctum aliquando defuiſſe Patri: nunc verò cum dicat nunquam Filium Patri defuiſſe, nec Spiritum Filio, manifeſtè loquitur Filium natum eſſe de Patre ſine ullo tempore, & Spiritum de Filio proceſſiſſe ante omne tempus. Nec tamen negavit eum à Patre procedere, unde nulla quæſtio fuerat, ſed dixit nunquam defuiſſe Filio, quod in quæſtionem venerat.

In conſequentibus quoque de ipſo Spiritu loquens: » Qui ſanctificet, & non ſanctificetur, Deos fa» ciat, non ipſe fiat Deus; inconvertibilis, immu» tabilis, ſemper adeſt ſibi ac Patri & Filio, inviſibi» lis, intemporalis, propriæ potentiæ, omnis po» tentiæ: » Cum dicit eum ſibi ſemper adeſſe & Patri ac Filio, non obſequii ſervitutem aſſiſtendo demonſtrat, ſed inconvertibilis & immutabilis, quòd ſit tamen in propriâ natura, quàm in Patris Filiique ſubſtantiâ: in propriâ ſiquidem, quia non eſt apud eum nulla commutatio; Patri verò Filioque ſit immutabilis, quia cujus eſt naturæ Pater & Filius, ejuſdem eſt etiam & Spiritus ſanctus. Patri ſiquidem eſt inconvertibilis & immutabilis, qui eſt fons & origo prima univerſorum; Filio verò, quia procedit ab illo, nec eſt diſſimilis illi, nec alterius quàm Filius, ſubſtantiæ; qui quoque dicitur propriæ potentiæ, omnis potentiæ; quia & in propriâ perſonâ ſubſiſtit, & quidquid voluerit, in omni crea» turâ facit. Et infrà: » Hic & vita eſt vivificans, lux » & illuminans, bonus & bonitas, qui eſt Domi» nus omnium, mittens Apoſtolos: inſpirans ubi » vult; dividens donationes prout vult: Spiritus veritatis, Spiritus ſapientiæ; per quem Pater cognoſ- « citur, & Filius glorificatur. «

Multa prætermus, ea colligentes ſola quæ præſentem reſpiciunt quæſtionem. Dicitur Spiritus vita eſſe; & Filius de ſe dicit: *Ego ſum vita.* (Joan. 14. 6.) Dicitur vivificans eſſe; & Filius de ſe ait: *Sicut Pater quos vult vivificat, ita & Filius quos vult vivificat.* (Ibid. 5. 21.) Ergo ſi vita Spiritus, vita & Filius; & vivificans Spiritus, & vivificans Filius; unius ſubſtantiæ ſunt, & unius operationis. Sed vita Filius ex Patre, vita verò Spiritus ex Filio; ſic & vivificans Filius ex Patre, vivificans verò Spiritus ex Filio. Lux quoque Spiritus & illuminans; & Salvator de ſe: *Ego ſum lux mundi.* (Ibid. 8. 12.) Evangeliſta Joannes de Filio; *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* (Ibid. 1. 9.) Igitur ſi uterque lux, & uterque illuminans, Filius videlicet & Spiritus ſanctus; unius ſunt ſubſtantiæ, unius & operationis. Sed Spiritus ſanctus ut ſit lux, accipit de luce Filio, & ut ſit illuminans, accipit de Filio illuminante; quemadmodum ipſe Filius teſtatur: *De meo accipiet.* (Ibid. 16. 14.) Accipit autem non tamquam non habendo quod accipit, ſed tamquam procedens. Item bonus Spiritus; & Filius de ſe: *Ego ſum Paſtor bonus.* (Ibid. 10. 11.) Bonitas Spiritus; Chriſtum quoque bonitatem nemo ſanus negabit. Sed bonus & bonus non duo boni, ſed unus bonus; ſicut bonitas & bonitas non duæ bonitates, ſed una bonitas; quia non duo dii, ſed unus Deus; nec deitas multiplicando ſe, numeri novit augmentum. Ergo bonus Spiritus ex bono Filio procedens, non naſcens. Et bonitas Spiritus ex bonitate Filio, non naſcendo, ſed procedendo. Alioquin ſi de Patre tantùm procedat Spiritus, & non de Filio, quomodo quæ ſunt Filii, ſunt etiam Spiritûs? Vel quemadmodum de Filio accipit Spiritus?

Jam verò quod ait ſanctus Gregorius, Spiritum ſanctum Dominum eſſe omnium, ad omnipotentiam pertinet Spiritûs, eo quod univerſorum quæ creata ſunt à Patre per Filium Dominus exiſtat, non ex tempore ſuſcipiendo, ſed æternaliter à Patre Filioque procedendo. Mittens autem Apoſtolos Spiritus ſanctus dicitur; & Salvator eiſdem loquitur: *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum.* (Mat. 10. 16.) Monſtratur una utriuſque operatio, dum Filius & Spiritus ſanctus ſibi cooperantur. Unde manifeſtatur nec diverſæ ſubſtantiæ, nec diverſæ voluntatis, nec diverſæ potentiæ conſiſtere, quorum exſtat eadem in omnibus operatio: referri tamen Filium ad Patrem, de quo naſcitur, & Spiritum ſanctum ad Filium, à quo procedit. Subſequitur beatus Gregorius de Spiritu dicens: » Inſpirans ubi vult; dividens dona- « tiones prout vult. « Et de Filio: *Aſcendens in altum* « *captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* (Epheſ. 4. 8.) Quibus oſtenditur ſancti Spiritûs majeſtas, quòd non ſubjectus, non imperfectus, non minus potens, verùm æqualis Patri ſit Filioque in naturâ, in magnitudine, in omni potentiâ, & in omni virtute. Quòd autem donationes diſtribuit quemadmodum Filius, non alias, ſed ipſas; nec alio tempore Filius, alio Spiritus ſanctus; nec aliis hominibus Filius, aliis Spiritus ſanctus; evidenter oſtenditur unius operationis effectus, & ejuſdem voluntatis affectus. Et cum ita ſit, non poſſe Filium eſſe ſine Spiritu ſancto, nec Spiritum ſanctum ſine Filio, tamquam unius ſubſtantiæ quod ſit uterque, & quòd de Filio procedat Spiritus. Dicit etiam Spiritum ſanctum Spiritum eſſe veritatis; & Salvator de ſe: *Ego ſum veritas.* (Joan. 14. 16.) Ergo dicens Spiritum veritatis eſſe, docet manifeſtè Spiritum Chriſti, qui veritas eſt, eſſe.

Dicit adhuc beatus iſte Spiritum ſanctum eſſe ſapientiæ; Paulus Apoſtolus teſtificatur *Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam* eſſe. (1. Cor. 1. 24) Sapientiæ itaque Spiritus, Chriſti Spiritus eſt, qui eſt Dei ſapientia. Igitur

tur evidenter oſtendit Spiritum eſſe Chriſti, dicendo Spiritum veritatis, & Spiritum ſapientiæ. Unde ergo Chriſti, cum ſit Spiritus dominus omnium (quemadmodum idem beatus teſtatur Gregorius)? niſi tantum quia procedit à Chriſto: quod ſi negaveris, fateberis eum ſubjectum, & per hoc vel creaturam, vel minorem Filio. Eſt autem utrumque hoc blaſphemum, & à Catholicâ pietate longè remotum. Dicatur ergo quod veritas habet, Spiritum eſſe Chriſti; videlicet & Spiritum veritatis, & Spiritum ſapientiæ, quoniam procedit de Chriſto, id eſt procedit à veritate, procedit à ſapientiâ. Subjungit: »Per quem Pater agnoſcitur, & Filius glorificatur, & à quibus ſolis ipſe cognoſcitur.« Ait autem Filius ad Patrem:
Joan. 17. 6. *Pater, manifeſtavi nomen tuum hominibus quos dediſti mihi.* Si Pater per Spiritum agnoſcitur, & Filius Patris nomen hominibus manifeſtat, unius operationis eſſe monſtrantur. Dicit etiam quòd Filius glorificetur à Spiritu ſancto;
Ibid. 8. 54. & Filius ait: *Eſt Pater meus qui glorificat me.* Et Patri loquitur:
Ibid. 17. 5. *Clarifica me Pater apud temetipſum.* Si Spiritus glorificat Filium, & Pater glorificat Filium, unum idemque Pater & Spiritus operantur; & ſi pariter operantur, unius voluntatis & eſſentiæ, uniuſque poteſtatis oſtenduntur. Subjungitur: »Et à quibus ſolis ipſe cognoſcitur.« Si à ſolo Patre Filioque cognoſcitur Spiritus ſanctus, profectò procedit ab utroque, & eſt utriuſque conſubſtantialis. Et vide quid dicat, quia glorificatur Filius à Spiritu; quemadmodum legitur, quia Filius glorificat Patrem. Quid eſt autem Patrem glorificare Filium, niſi hominibus manifeſtum facere quòd ſit genitus à Patre? Similiter Filius glorificatur à Spiritu, oſtendens quia procedit à Filio. Multis itaque modis beatus Gregorius probat Spiritum ſanctum à Filio procedere, & unius ejuſdemque eſſe cum Patre Filioque ſubſtantiæ: & concludens: »Quid opus eſt, inquit, pluribus verbis? Omnia quæ Pater eſt, hæc eſt & Filius, excepto eo quod innatus eſt Pater. Omnia quæ Filius eſt, hæc eſt & Spiritus ſanctus, præter hoc quod natus eſt Filius.« Quid vult iſta diſtinctio & ordinis conſequentia: Filium eſſe quod Pater eſt, præter hoc quod innatus eſt Pater: & Spiritum ſanctum eſſe quod Filius eſt, eo excepto quod natus eſt Filius? potuit namque dicere, omnia quæ Pater eſt eſſe Filium & Spiritum ſanctum, præter hoc quod non natus eſt Pater, nec procedit ab alio: nunc autem Filium eſſe loquitur omne quod Pater eſt, & Spiritum ſanctum, non omne quod Pater eſt, ſed omne quod Filius eſt, excepto nativitatis privilegio: nimirum ſic loquens oſtendit, quod Pater non eſt de aliquo, Filius verò de Patre ſolo ſit genitus, Spiritus autem de Filio procedat. Quòd autem & à Patre procedat, paulo ſuperiùs ait, dicens: »Et ad primam omnium originem, qui eſt Pater, ſicut Unigeniti omnia, ita etiam ſancti Spiritûs omnia referuntur.« Talia dicens oſtendit omnia quæ ſunt Filii, ad Patrem habere relationem; & omnia quæ ſunt ſancti Spiritûs, ad eumdem referri velut ad primam omnium originem: quoniam etſi Spiritus procedit à Filio, accepit hoc Filius à Patre, ut naſcendo de Patre Filius, Spiritus ſanctus procederet ab illo; ut omnia quæ ſunt Filii, ſint Patris; & omnia quæ ſunt Spiritûs ſancti, ſint etiam Filii: ac per hoc Patris, à quo Filius accepit ut Spiritus ſanctus ab illo procederet, non ut creatus à Patre, ſed genitus; nec minoratus, ſed æqualis potentiæ; nec alterius, ſed unius ejuſdemque naturæ.

Item in poſterioribus: »Re enim verâ dignum erat, & cum JESUS nobis corporaliter adveniſſet, etiam Spiritum nobis corporaliter apparere: & cum Chriſtus ad ipſum aſcendiſſet, ipſum deſcendere ad nos; qui venit quidem ut Dominus in poteſtate, mittitur autem tamquam qui non ſit contrarius Deo.« Et hîc unam operationem, & unius concordiæ voluntatem, JESU & ſancti Spiritûs, ille Doctor oſtendit, agens dignum eſſe, ut quia JESUS corporaliter venerit ad nos, Spiritus ſanctus etiam corporaliter appareret nobis. Ex quo unius voluntatis ſimilitudo monſtratur, volente Spiritu ſancto corporaliter ſe monſtrare mortalibus, quoniam JESUS corporaliter voluerit ſuum adventum mortalibus oſtendere; ut quia procedit ex ipſo, unius voluntatis ſit etiam cum ipſo; nec à Filio ſit opere diverſus, à quo non ſit naturâ ſeparatus; & ipſi ſemper ſit conjunctus actione, cui nunquam deeſt per coæternitatem, ut à quo procedit, illi jugiter cooperetur. Quod verò ſubjunxit: »Et cum Chriſtus ad ipſum aſcendiſſet, ipſum deſcendere ad nos,« non minorationem Filii voluit oſtendere, ſed humanitatis ſuſceptionem: per hanc enim non ſolùm ad Spiritum ſanctum aſcendit JESUS, verùm etiam ad ſeipſum; quoniam qui ex humanitate factus eſt infrà omnia, per divinitatem erat ſupra omnia. Subjungit: »Qui venit quidem ut Dominus in poteſtate, mittitur autem tamquam qui non ſit contrarius Deo.« duo dicit, & veniſſe Spiritum ſanctum, & miſſum eſſe. Quod venit, propriè poteſtatis eſt, & idcircò dixit, *ut Dominus:* quòd mittitur, alterius oſtenditur, & idcircò ait: tamquam qui non ſit contrarius illi à quo mittitur. Miſſio verò non ſubjectionem ſignificat, ſed proceſſionem. Mittitur verò à Chriſto, ad quem aſcendit Chriſtus; & mittitur tamquam non contrarius Deo, id eſt, Chriſto, qui quidem eſt Deus, cujus voluntati ſemper jungitur; à quo & mittitur, quoniam procedit ab illo.

Subdidit: »Propterea autem poſt Chriſtum, ut unus nobis paraclitus (id eſt advocatus vel conſolator) nunquam deſit: idcirco autem alius paraclitus dicitur, ut æqualitatem naturæ ac poteſtatis agnoſcas; alius enim, hoc eſt alius ego; quia alius ego non dicitur de eo qui alterius generis ſit, ſed de eo qui ejuſdem ſit ſubſtantiæ vel naturæ.« Quòd Chriſtum dicit paraclitum, & Spiritum ſanctum nihilominùs paraclitum, & abeunte Chriſto venire Spiritum, ne ſint fideles ſine paraclito, vel Chriſto videlicet vel Spiritu ſancto, liquidò monſtrat unius eſſe officii, quorum conſtat unum eſſe vocabulum; & mutuò ſibi ſuccedere, dum dicuntur unius voluntatis, & [unius] operationis oſtenduntur; & cum Chriſtus aſcendit, Spiritus deſcendit, evidenter à Chriſto mittitur, cujus viciſſitudinem repræſentat. Et miſſio iſta, proceſſio eſt, quoniam non eſt minoratio, nec ſubjectio. Alius autem, hoc eſt alius ego, mitti Spiritus ſanctus dicitur, per quod ſimilitudo monſtratur omnimoda: neque enim alius ego poteſt dici de eo qui ſit alterius generis, ſed de eo qui ſit ejuſdem ſubſtantiæ, ſeu naturæ. Monſtratur igitur ab eo procedere Spiritus, cujus eſt naturæ, ſeu ſubſtantiæ: neque enim poteſt ejuſdem naturæ, ſeu ſubſtantiæ, cujus eſt Filius, eſſe Spiritus, niſi procedat ab illo.

Adjungit etiam interius. »Ignis ergo Deus [b], & ignis Spiritus ſanctus. Legitur de Deo quòd ſit«

b *Ignis ergo Deus*] Hic Ratramnus Gregorium Nazianz. ita exſcribit, ut ejus ſententiam potiùs quàm verba afferat; quod Achetius ipſe monuit. Falſa porro eſt verborum Gregorii interpretatio: nam quod ignem eſſe ſcripſit Deum Patrem, item ignem eſſe Deum Filium, ac deinde addidit ignem quoque eſſe Spiritum ſanctum, nec Dei nomen huic adſcripſit, ea de causâ factum novimus, quod quamvis Catholici omnes Spiritum ſanctum Patri ac Filio æqualem

» ignis conſumens, non quidem naturalis, & cor» poreus, ſed ſpiritalis & inviſibilis. Ignis ergo Deus » Pater, ignis Deus Filius, ignis Deus Spiritus ſan» ctus: ſed ignis ex nullo igne Deus Pater, quia de » nullo ſumens originem; ignis Deus Filius, ſed de » Patre igne, quia natus ex illo; & ignis Spiritus » ſanctus, ſed de Filio igne, quia procedens ex Filio. Ergo dicendo quòd Deus ſit ignis, & ignis Spiritus ſanctus, unam ſubſtantiam totius Trinitatis oſtendit; Patris quidem & Filii ſocians perſonam, dicendo, ignis Deus: deinde ſubintulit Spiritûs ſancti, dicens, & ignis Spiritus ſanctus. Cur autem ſeorſim Patris & Filii perſonas poſuerit ſub Dei vocabulo communiter ſociatas, & Spiritûs ſancti ſeorſim diſtinguere maluerit; res in evidenti eſt. Voluit utique monſtrare tali diſtinctione, ignem Spiritum ſanctum de igne Patre Filioque procedere.

Sanctus Gregorius cum in Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ de Spiritu ſancto talia tractaſſet, & litteris mandaſſet, quibus probavit Spiritum ſanctum conſubſtantialem Patris Filiique eſſe, & de Filio procedentem, nec tamen proceſſionem ejus à Patre vel ſilens, vel derogans, ſed omnipotentiam ejus, & dominationem ejus Patri Filioque per omnia coæquans, num repulſus eſt ab Eccleſiâ? Num illius ſermo reprobatus? Num vel à civibus, vel ab Imperatore in communionem minimè ſuſceptus? Fuit certe venerabilis iſte Doctor Gratiani, ſive Theodoſii Majoris Imperatorum Romanorum temporibus; ex quo uſque ad noſtra tempora pluſquàm quingenti tranſierunt anni, & nunquam à Filio Spiritûs ſancti proceſſio denegata eſt, nec ex eo inter Catholicos ulla quæſtio facta, præterquàm modò veſtris temporibus; verùm ſemper & Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ ſimilis eademque de Spiritu ſancto fidei manſit profeſſio. Quæ nunc res illa poſt tot ſæcula quæſtionis hujus genuerit propoſitionem, vos videritis; nulla tamen vel probitatis, vel ſapientiæ ratio comprobatur, cur in hoc deveneritis, quoniam talia dicendo Catholicæ fidei repugnatur, & veritati reſiſtitur, & ſacris paginis obviatur.

CAPUT IV.

AMBROSIUS Mediolanenſis Epiſcopus, vir omnium ſplendore virtutum decoratus, adversùs Arrianos certamina non pauca conficiens, nec paucis ab iis perſequutionum injuriis appetitus, in libris quos de Spiritu ſancto adverſus Arrianam pravitatem eloquentiſſimè ſcripſit, & Evangelicâ veritate roboravit, ait: » Si Chriſtum dicas, & Deum Pa» trem à quo unctus eſt Filius, & ipſum qui unctus » eſt Filium, & Spiritum qui unxit deſignaſti: & ſi » Patrem dicas; Filium ejus & Spiritum oris ejus » pariter indicaſti; ſi tamen etiam id corde compre» hendas. Et ſi Spiritum dicas; & Deum Patrem » à quo procedit Spiritus, & Filium, quia Filii quoque » eſt Spiritus. « Docet Beatus Ambroſius uno nuncupato, Patre videlicet, vel Filio, vel Spiritu ſancto, totius Trinitatis fieri comprehenſionem; demonſtrans tantam in tribus æqualitatis ſimilitudinem, ut uno vocabulo tres perſonæ contineantur, etſi non vocis diſtinctione, unitatis tamen æqualitate. Quòd autem dicit à Patre procedere Spiritum, nulla hinc quæſtio; nobiſcum enim id fatemini: quòd autem ait Filio nuncupato, Spiritum pariter nuncupari, quia Filii ſit Spiritus, hinc à nobis dividimini: qui enim profiteri diffugitis Spiritum à Filio procedere, pariter quoque diffugitis dicere quòd ſit Spiritus Filii: ſi non enim ab illo procedit, non rectè dicitur Spiritus ejus: dicitur autem Spiritus Patris, quia procedit à Patre, ac per hoc, nuncupato Filio, non ſimul intelligitur nuncupatio Spiritûs ſancti; non enim poteſt illius nuncupatione comprehenſus oſtendi, cujus non eſt Spiritus; non eſt autem ejus à quo non procedit, ſanctus autem Ambroſius dicit quia Filii ſit Spiritus, procedit igitur à Filio.

Ambros. lib. 1. de Spir. ſancto cap. 3.

In conſequentibus idem loquitur: » Qui Spiritum ſanctum negabit, & Deum Patrem negabit « & Filium: quoniam idem eſt Spiritus Dei, qui « Chriſti Spiritus eſt: unum autem eſſe Spiritum « nemo dubitaverit. » Quanta ſit unitas, quanta con- « ſubſtantialitas Spiritûs cum Patre Filioque monſtrat, dum dicit: quia qui negat Spiritum, negat quoque pariter Patrem & Filium; quia unus Spiritus eſt amborum. Unde namque Patris eſt? quia procedit à Patre: hinc quoque Filii pariter eſt, quia procedit à Filio: non enim duo, ſed unus eſt Spiritus: nec enim alius dicitur eſſe Patris, & alius Filii Spiritus, ſed unus amborum; procedit igitur ab utroque. In poſterioribus: « Non ergo quaſi ex loco mittitur Spiritus, aut quaſi ex loco procedit, quando pro- « cedit ex Filio, ſicut ipſe Filius cum dicit, de Patre « proceſſi & veni. « Manifeſtè Spiritum ex Filio procedere teſtatur. Verùm ne illa proceſſio de corporalibus ſpatiis metiatur, ipſe Filius hanc opinionem excludens, ait de Patre, *Proceſſi & veni*. Procedit autem Filius de Patre, non ſpatio loci, ſed nativitatis egreſſu: procedit Spiritus ſanctus à Filio nec loci ſpatio, nec nativitatis egreſſu, ſed exiſtentiæ proceſſu.

Ibid. cap. 10.

Joan. 8. 42.

Inferiùs loquens de proceſſione Filii ex Patre ſic infit, » Neque cum de Patre exit, de loco recedit, « & quaſi corpus à corpore ſeparatur. Neque cum « eſt cum Patre, tamquam in corpore corpus inclu- « ditur: Spiritus quoque ſanctus cum procedit à « Patre & à Filio, non ſeparatur à Patre, non ſepa- « ratur à Filio. « Præcipuus iſte Doctor, & clariſſimus Chriſti Conſeſſor, dicens procedere Spiritum ſanctum à Patre, procedere & à Filio, Arrianis adverſus quos agebat, blaſphemandi ſuſtulit occaſionem, ne, qui dicebant eum fore creaturam, & minorem non ſolùm Patre, verùm etiam Filio, victoriæ palmam referrent: verùm audientes eum ex utroque procedentem, cognoſcerent Patris Filiique conſubſtantialem, ac pariter cum eis coadorandum & conglorificandum. Et inferiùs Filium dicentem teſtatur: *Qui diligit me, ſermonem meum ſervabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* » Sic igitur venit Spiritus, quemadmodum venit Pater; quia ubi Pater « eſt, ibi eſt & Filius; & ubi Filius, ibi eſt & Spiritus « ſanctus. « Quid eſt autem quod ait, quia ubi Pater eſt, ibi eſt & Filius, niſi quia Filius de Patre natus eſt, à quo nunquam dividitur: & quid eſt, ubi eſt Filius, ibi eſt Spiritus ſanctus? niſi quia de Filio procedit Spiritus ſanctus, à quo nunquam ſeparatur, & inſeparabilem oſtendit totius Trinitatis conſubſtantialitatem, cum Filium teſtatur ſemper in Patre eſſe, & Spiritum ſanctum ſemper eſſe in Filio, ut ubi Pater ſit, ſit & Filius; & ubi Filius, ſit quoque Spiritus ſanctus, non loco, non tempore, non voluntate, non actione, non eſſentiâ diviſi. Item poſteriùs: » Sicut Pater tra- « didit Filium, & Filius ipſe ſe tradidit; accipe quia « Spiritus ſanctus eum tradidit: ſcriptum eſt enim: «

Ibid. 14. 23.

Ibid. cap. 12

eſſe crederent, plures tamen hunc Deum appellari Gregorii ætate idcirco nollent, quia in ſcripturis nunquam Deus appellatur. Quod cum prudentiſſimus quiſque Præſulum ita perverſum eſſe intelligeret, ut inde tamen nullum Chriſtianæ fides detrimentum pati poſſet, à Spiritu ſancto Deo appellando cavebat: atque hujuſmodi indulgentiæ exemplum non Gregorius ſolum, ſed etiam Baſilius Magnus ejus ſummus amicus exhibuit.

Matt. 4. » *Tunc* JESUS *ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut ten-* » *taretur à Diabolo.* Ergo & Spiritus diligens tra- » didit Filium: eſt enim una charitas Patris & Filii. « Dum dicit charitatem unam eſſe Patris & Filii, teſtificatur unum eſſe Spiritum utriuſque; eſt enim Spiritus charitas. Dicit Apoſtolus: *Fructus enim Spi-* *Galat. 5. 22.* *ritûs, charitas.* Monſtratur ergò Spiritus à Patre & Filio procedere, quorum eſt charitas: non enim poteſt charitas Patris eſſe niſi de Patre procedat; quia non aliunde charitatem accepit: neque Filii charitas poteſt eſſe, niſi procedat à Filio: quomodo quâ diligit charitas, ex ipſo procedit: & quomodo una charitas eſt Patris atque Filii, unus Spiritus eſt utriuſque procedens ab utroque.

Ibid. Lib. 2. cap. 12. In ſecundo libro ſic dicit: » De Filio Spiritus ſan- » ctus accepit. Accepit autem per unitatem ſub- » ſtantiæ, ſicut accepit à Patre Filius. « Hoc dicens, nonne clariſſimè docet, quòd accepit Spiritus ſanctus à Filio? & quod accepit, procedendo accepit; quemadmodum Filius quod accepit à Patre, naſcendo accepit. Num aliud potuit accipere Spiritus ſanctus à Filio quod antea non habebat, cum ſit unius ſubſtantiæ cum Filio, unius potentiæ: & quæcumque Filius habet, habeat etiam & Spiritus ſanctus? ſubjungit ſanctus Ambroſius teſtimonium ex Evangelio: *Joan. 16. 14.* *Ille*, inquit, *me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt; propterea dixi, de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Subſequitur; » Quid igitur hac evi- » dentius unitate? Quæ habet Pater, Filii ſunt: » quæ habet Filius, accepit & Spiritus. « Hæc ſancti Ambroſii verba planiſſimè teſtantur Spiritum ſanctum à Filio ſubſtantialiter proceſſiſſe; ait namque: Quæ habet Pater Filii ſunt, id eſt, ſubſtantialiter natus de Patre, quæ ſunt Patris ſunt & Filii: ſimiliter & Spiritus ſanctus ſubſtantialiter procedens de Filio, accepit à Filio, ut quæcumque Filius habet, habeat & Spiritus, id eſt, ut ſit ejuſdem ſubſtantiæ cum Filio, ſicut eſt Filius ejuſdem ſubſtantiæ cum Patre. Item in conſequentibus: » Quod loquitur » Filius, loquitur & Pater; & quod Pater loquitur, » loquitur & Filius: & de Spiritu Filius Dei dixit: *Ibid. 13.* » *Non enim loquitur à ſe*, hoc eſt, non ſine meâ, » & Patris communione (non enim diviſus ac ſepa- » ratus eſt Spiritus) *ſed quæ audit loquitur*: audit » videlicet per unitatem ſubſtantiæ, & proprietatem » ſcientiæ. « Dum confitetur Doctor iſte Catholicus Spiritum ſanctum non loqui ſine Patris Filiique communione; videlicet loquente Spiritu, loquitur Pater, loquitur & Filius, teſtatur eumdem eſſe Patris & Filii conſubſtantialem, & ejuſdem operationis, nec diviſum, nec ſeparatum. Et quod addidit: Quæ audit loquitur, proceſſionem ejus inſinuat: non enim quibuſdam interjectis ſpatiis, vel aliquibus foraminibus audit Patris Filiique loquutionem Spiritus, cum ſit ejuſdem ſubſtantiæ. Et ſicut dicit Filius: *Joan. 15. 15.* *Omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis*: naſcendo videlicet de Patre, & in Patris ſubſtantiâ permanendo, non aliquibus intervallis Patris loquutionem percipiendo: ſic & Spiritus quæ audit loquitur, procedendo ſcilicet de Patre Filioque, quia ſubſtantialiter manens in utroque, & procedens ab utroque, audit quæ loquitur per unitatem ſubſtantiæ & proprietatem ſcientiæ.

Ibid. 16. 15. Et infrà: » Omnia Patris habet Filius, qui ait: » *Omnia quæ Patris ſunt, mea ſunt*, & quæ acce- » pit ipſe per unitatem naturæ, ex ipſo per eamdem » unitatem accepit Spiritus: ſicut ipſe Dominus *Ibid. 14.* » JESUS declarat de Spiritu ſuo dicens: propterea » dixi, *De meo accipiet, & annuntiabit vobis.* « Dicens omnia Patris quæ ſunt habere Filium, rurſus & omnia quæ accepit ipſe à Patre, per unitatem naturæ Spiritum accepiſſe ex ipſo, id eſt ex Filio; nonne manifeſtè declarat Filium ex Patre natum, id eſt, ex paternâ ſubſtantiâ, Spiritum quoque ſanctum ex Filio procedere, id eſt, Filii ſubſtantiâ, & ſicut Filius naſcendo omnia quæ Patris ſunt, accepit; ſic & Spiritus ſanctus procedendo de Filio, quæcumque ſunt Filii ſuſcepit? Et infrà: » Quod ergo loquitur Spi- » ritus, Filii eſt; quod dedit Filius, Patris eſt. « Igitur ſi quod loquitur Spiritus Filii eſt, manifeſtè Doctor iſte teſtatur quia quæcumque Spiritus habet, à Filio ſuſcepit, quia procedit ex ipſo; & ſi quod dedit Filius, Patris eſt, cui verò dedit? Nimirum Spiritui ſancto qui de illo procedit: & ſi quod dedit Patris eſt, accepit de Patre naſcendo Filius, ut ex ipſo procedat Spiritus ſanctus. Subjunxit: » Ità nihil à ſe » aut Filius loquitur aut Spiritus, quia nihil extrà ſe » Trinitas loquitur. « Tota Trinitas in Patre, Filio, Spirituq; conſiſtit. Nihil autem loquitur Filius à ſe, quia non eſt à ſe, ſed à Patre. Similiter nihil loquitur Spiritus à ſe, quia non eſt à ſe, ſed à Filio: ſolus autem Pater ex nullo. Ergo cum loquitur Filius, tota Trinitas loquitur; & cum loquitur Spiritus, tota Trinitas loquitur; & cum loquitur Pater, tota Trinitas loquitur; quia nihil extrà ſe Trinitas loquitur, quia non dividitur à ſe, nec ſeparatur.

Item ejuſdem Operis in tertio libello: » Nam ſe- « *Lib. 3. c. 2.* » cundum divinitatem non ſuprà Chriſtum eſt Spi- « » ritus, ſed in Chriſto: quia ſicut Pater in Filio, & « » Filius in Patre; ita Dei Spiritus & Spiritus Chriſti in « » Patre eſt & Filio. « Beatus Ambroſius dicens ſe- » cundum divinitatem Spiritum non eſſe ſuper Chriſtum, ſed in Chriſto, diſcernit humanitatem ejus à divinitate. Legimus in Evangelio, quia venit Spiritus ſanctus ſuper Salvatorem, & manſit ſuper eum: & Pater loquitur Johanni: *Super quem videris* *Joan. 1. 33.* *Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum.* Itaque ſecundum humanitatem venit Spiritus ſuper Chriſtum, & manſit ſuper ipſum; at verò ſecundum divinitatem manet in Chriſto, quoniam æqualis eſt ipſi, utriuſque ſubſtantiæ cum ipſo; ſicut & de Patre ſcribitur, quòd maneat in Filio, & Filius in Patre. Quod ſubjunxit, Spiritum Dei, & Spiritum Chriſti in Patre manere, ſeu Filio, teſtatur unum utriuſque Spiritum, eo quòd ab utroque procedat, & maneat per conſubſtantialitatem in ambobus: Subjunxit: Manet enim in Deo, quia ex Deo eſt, ſicut ſcrip- « tum eſt; » *Nos autem non Spiritum hujus mundi* « *1. Cor. 2. 12.* *accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt*: Et manet in Chriſto quia à Chriſto accepit, & in Chriſto eſt. Quia iterum ſcriptum eſt: *Ille de meo accipiet.* *Joan. 16. 14.* Unde eſt ergo ex Deo Spiritus? nempe quia procedit ex Deo. Et unde accepit à Chriſto? Certè quia procedit à Chriſto. Et unde manet tam in Deo quàm in Chriſto? Prorsùs quia conſubſtantialis eſt utriuſq. Dicit in ſequentibus loquens de Antichriſto: » *Quem* « *1. Theſ. 2.* *Dominus* JESUS *interficiet Spiritu oris ſui.* Hic « *Ibid. cap. 7. & cap. 8.* non acquiſita gratia eſt, ſed individua manet uni- « tas; quia neque Chriſtus ſine Spiritu, neque Spi- « ritus poteſt eſſe ſine Chriſto: non enim poteſt di- « vinæ naturæ unitas ſeparari. « Hic quoque ſanctus « Ambroſius humanitatis ac divinitatis Chriſti ſeparationem oſtendit, non quòd alius ſit homo, & alius Deus Chriſtus, ſed quòd perfectus Deus, & perfectus homo, ſit unus Chriſtus; homo tamen gratiâ factus eſt Deus: Deus verò naturâ exiſtit Deus. Itaque cum diceret: *Quem Dominus* JESUS *interficiet Spiritu oris ſui.* Et ſubjunxerit, non hîc acquiſitam gratiam eſſe; humanitatem removit, ut Spiritus oris, quo ſit Antichriſtus interficiendus, divinitatis intelligatur Spiritus, videlicet Spiritus ſanctus, qui eſt in ſanctâ Trinitate una perſona; ut quod ait; *Quem Dominus* JESUS *interficiet Spiritu*

oris ſui, Spiritum ſanctum intelligas, qui ſit Spiritus Domini Jesu. Simul videndum, quia cum de eodem Spiritu dicatur quòd ſit Spiritus oris Domini, & nunc dicitur quòd ſit Spiritus oris Domini Jesu, clariſſimè monſtratur Spiritus ſanctus procedere ex ore Domini Jesu, non quòd ſecundum divinitatem os habeat, ſed quòd de ſubſtantiâ illius procedat; quemadmodum dicitur Spiritus oris Domini, quoniam procedit de Patris ſubſtantiâ. Igitur evidentiſſimâ monſtratur aſſertione procedere Spiritum tam de Patre quàm de Filio, dum legitur quòd ſit Spiritus oris & Patris & Filii.

Ibid. cap. 8. Proſequitur beatus Ambroſius individuam manere » unitatem tam Chriſti quàm Spiritûs; quia » neque » Chriſtus ſine Spiritu, neque Spiritus poſſit eſſe ſine Chriſto. » Non poteſt eſſe Chriſtus ſine Spiritu, tamquam ſibi conſubſtantiali, & qui ex ſe procedat; neque rurſus Spiritus poteſt eſſe ſine Chriſto, tamquam cui conſubſtantialis eſt, & à quo accepit quæcumque Chriſtus habet. Connectitur cauſa cur » ita ſit, videlicet » quoniam non poteſt divinæ naturæ unitas ſeparari. » Hoc dicens fatetur naturam Chriſti, naturam eſſe Spiritûs, & naturam Spiritûs naturam eſſe Chriſti, nec unitatis compagem aliquo modo poſſe ſeparari, præter quàm Filius natus, Spiritus verò procedens; ſed hæc non ſubſtantiam faciunt, ſed relationem oſtendunt. Inferiùs loqui-

Ephes. 6. 17. » tur: » Lectum eſt, quia Verbi gladius Spiritus ſit: » ſimiliter lectum eſt, quia Spiritûs ſancti gladius Verbum Dei ſit. » Et nonnullis per aſſumtionem » interpoſitis colligendo concluſit, ita: » Cum igi- » tur Verbi gladius Spiritus ſanctus ſit, & Spiritûs » ſancti gladius Verbum ſit, utique unitas eſt potentiæ. » Sed gladius Verbi, quid eſt niſi ipſum Verbum? Et gladius Spiritûs quid eſt, niſi ipſe Spiritus? Ex quo colligitur, quia Spiritus ſanctus Verbi eſt Spiritus, cujus eſt gladius, & Verbum Spiritûs ſancti eſt, cujus eſt gladius; quoniam nec Verbum ſine Spiritu ſancto, nec Spiritus ſanctus ſine Verbo, quoniam unius ſunt operationis, ejuſdemque potentiæ. Cum ita ſit, non poſſunt ſubſtantiâ ſeparari, neque voluntate dividi: igitur unius ſubſtantiæ uniuſque voluntatis Filius & Spiritus ſanctus exiſtentes, procedit alter ab altero, id eſt, Spiritus ex Filio, quoniam Filius natus de Patre, omnia quæ naſcendo accepit à Patre, dedit Spiritui, non quaſi minori, nec tamquam extraneo, ſed tamquam à ſe procedenti.

Videndum autem quia cum dicitur Spiritûs ſancti gladius Verbum, & Verbi gladius Spiritus ſanctus, non perſonarum ſit conjunctio, ſed ſubſtantiæ monſtratur copulatio, ut unius ſint ſubſtantiæ, cum non ſint unius perſonæ. Eſt autem alter ex altero, Spiritus videlicet ex Filio, non verò Filius de Spiritu, ſed de Patre. Hoc modo ſanctus Ambroſius de Spiritu ſancto ſentiens atque diſputans, non Imperatoribus Græcorum, Gratiano videlicet & Theodoſio Majori, quorum temporibus extitit, vel ingratus vel hæreticus viſus eſt, qui toto ſanctum virum amore coluerunt, & præcipuâ veneratione ſemper habuêre. Cujus diſputatio, & pro Catholicâ fide labor indefeſſus, Arrianos Eccleſiam impugnantes expugnavit, vicit, oppreſſit. Videte nunc vos Imperatores quorum ſtudeatis, vel fidem defendere, vel religionem imitari: ecce negando Spiritum ſanctum à Filio procedere, Catholicis obvias fecitis manus Epiſcopis, qui Arrianos pravè de Spiritu ſancto ſentientes protrivêre, & veſtrorum majorum, Romanorum videlicet Imperatorum, pietatem evertitis, qui hanc fidem ſemper coluêre, & pro ea decertantes multa veneratione dilexêre.

CAPUT V.

DIDYMUS Alexandrinus, [c] corporalibus quidem à puero captus oculis, verùm ſpiritali viſione ſatis illuſtris, in libro quem de Spiritu ſancto ſcripſit, ſic loquitur: » Igitur quicumque communicat Spi- « ritui ſancto, ſtatim communicat & Patri & Filio. « Et qui charitatem habet Patris, habet eam à Filio « contributam per Spiritum ſanctum, Et qui parti- « ceps eſt gratiæ Jesu Chriſti, eamdem gratiam ha- « bet datam à Patre per Spiritum ſanctum. » Ex qui- « bus omnibus approbatur eamdem operationem eſſe Patris & Filii & Spiritûs ſancti. Diligenter [quæ] dicit, retractemus, Ait ergo: « Quicumque communicat « Spiritui ſancto, « is autem communicat Spiritui, qui « particeps efficitur ipſius, « ille ſtatim communicat « & Patri & Filio: » particeps eium eſt factus tam « Patris quàm Filii per Spiritûs communicationem. Monſtratur ex hoc Spiritus conſubſtantialis eſſe Patris Filiique, & adeo conſors, ut non poſſit haberi Spiritus, niſi pariter habeatur Pater & Filius. Subjungit: » Et qui charitatem habet Patris, habet « eam à Filio contributam per Spiritum ſanctum. « Superiùs conſubſtantialitatem tantummodò Patris & Filii monſtravit, jam verò docere incipit proceſſionem Spiritûs. Charitatem autem Patris appellat Spiritum ſanctum, ſicut ex poſterioribus approbatur, dicens eam contributam per Spiritum ſanctum, Non enim tribuit Spiritus ſanctus niſi proprium munus cum tribuit charitatem. Et de charitate ſcribitur quòd ſit Deus; ergo tribuens charitatem Spiritus, ſemetipſum tribuit, quoniam ipſe charitas eſt: ſed hæc charitas Patris eſſe dicitur, quoniam Spiritus, Patris eſt Spiritus: & unde illius Spiritus? quia procedit ex ipſo: non enim creaturarum unus eſt Spiritus, ut ſit alterius quàm Patris ſubſtantiæ. Quapropter non tamquam ab eo creatus ejus eſſe dicitur, ſed tamquam conſubſtantialis, & ex illo procedens. Dicit autem habenti charitatem Patris, contributam à Filio per Spiritum ſanctum: quemadmodum igitur contribuit Filius munus Spiritûs ſancti? Videlicet velut cooperator Patri Spirituique. Sed quemadmodum poteſt tribuere ſibi coæqualem: vel alterius, id eſt Spiritûs ſancti donum? Certè quia charitas, quæ eſt Patris, & quæ à Filio contribuitur per Spiritum ſanctum, eſt etiam Filii; quia quæcumque ſunt Patris, ſunt & Filii. Sed numquid charitas quæ eſt Spiritus ſanctus, ſic eſt Filii, ut ſit creatura? nequaquam prorſus; ſed tribuitur à Filio, quia procedit ex illo; & eſt Filii, quoniam conſubſtantialis eſt illi.

c DIDYMUS de Spir. ſancto lib. 1.

Subjungitur. » Et qui particeps eſt gratiæ Jesu- « Chriſti. « Gratiam hoc in loco Jesu-Chriſti dicit, quam ſuperiùs charitatem Patris appellavit. Quid eſt autem quòd gratiam Jesu-Chriſti nunc dicat, quam conſtat eſſe munus Spiritûs ſancti? Proculdubio monſtrat à Jesu-Chriſto contribui, cujus exiſtit gratia; ut ſicut dicitur charitas Patris, quia procedit à Patre, ſic eadem charitas, quam appellat gratiam Jesu-Chriſti, procedere cognoſcatur à Jesu-Chriſto. Eamdem autem gratiam quiſquis habet Chriſti, dicit ei datam per Spiritum ſanctum; ut quidem videamus cooperantem ſibi totam Tri-

c *Didymus Alexandrinus*] Hunc Didymi librum, Æneas Pariſienſis, Ratramni coætaneus, in eo opere quod Ratramno ſubjungimus, teſtatur ab Hieronymo in Latinum ſermonem verſum eſſe. Idem deinde ſcripſit Anſelmus Havelb. Dialog. lib. 2, cap. 24.

nitatem, & teneamus Spiritum ſanctum, qui eſt charitas Patris & Filii, procedere tam à Patre quàm à Filio. Subſequitur: » ex quibus omnibus approbatur eamdem operationem eſſe Patris & Filii & Spiritûs ſancti. « Quorum autem eſt eadem operatio, una eſt quoque voluntas: & quorum una voluntas, una eſt ſubſtantia. Hinc eſt quod ſubjungit: » Quorum autem eſt una operatio, una eſt & ſubſtantia; quia quæ ejuſdem ſubſtantiæ [illegible] ſunt, eaſdem habent operationes: & quæ alterius ſubſtantiæ ſunt, diſſonas atque diverſas. Approbat Spiritum ſanctum unius cum Patre Filioque ſubſtantiæ, quoniam eamdem cum eis habet operationem. Sed oſtenſum eſt ſuperiùs Patris & Filii Spiritum eſſe, quoniam procedat tam à Patre quàm

Matt. 10. 19. à Filio. In poſterioribus ait: » Cum enim dixerit in tempore reſpondendi, nimirum Filius, doceri diſcipulos à Spiritu, quid debeant reſpondere, in

Luc. 21. 15. ſequentibus ait: *Ego enim dabo vobis ſapientiam cui non poterunt reſiſtere & contradicere.* Ex quibus oſtenditur ſapientiam, quæ diſcipulis datur à Filio, Spiritûs ſancti eſſe ſapientiam; & doctrinam Spiritûs ſancti, Domini eſſe doctrinam. « Quemadmodum autem ſit ſapientia, quæ datur à Filio, Spiritûs ſancti? Non aliàs, niſi quia procedit Spiritus ſanctus à Filio, cujus ſapientia, ſapientia eſt quoque Spiritûs ſancti. Et quomodo doctrinam Spiritûs ſancti, doctrinam dicit eſſe Domini? Videlicet eo quòd omnia quæ ſunt Spiritûs ſancti, ſunt etiam Domini Jesu Chriſti; quoniam procedit ex ipſo. » Unde ſubjungit: » Unumque & naturæ & voluntatis conſortium Spiritûs eſſe cum Filio. « Teſtantur hæc Spiritum ſanctum procedentem à Filio, dum unius & naturæ & voluntatis ſit Spiritus cum Filio: alioquin ſi non procedat ab ipſo Spiritus, non eſt ejuſdem voluntatis, cujus eſt Filius: nam quæ ſeparantur conſortio, ſeparantur etiam voluntate. Dicit etiam: » Et quia ſuperiùs demonſtratum eſt ſocium eſſe per naturam Spiritum Unigenito Deo, & Deo Patri: Filius verò & Pater unum ſunt,

Joan. 10. 30. » juxtà illud: *Ego & Pater unum ſumus*; indiviſa & inſeparabilis ſecundum naturam oſtenſa eſt Trinitas. « Si per naturam ſociatur Spiritus Unigenito Deo, & Deo Patri, procedit ab Unigenito Deo. Quòd ſi tantùm procedit à Deo Patre, & non procedit ab Unigenito Deo; Patri quidem ſociatur per naturam, unigenito verò Deo non conjungitur: non enim jungi poteſt ei per naturam, à quo non procedit. Sed Auctor teſtatur eſſe ſocium iſte per naturam Spiritum unigenito Deo: fatetur ergo procedere Spiritum ab unigenito Deo. Et quoniam indiviſam & inſeparabilem ſecundum naturam dicit eſſe Trinitatem, fatetur Filium de Patre genitum, Spiritum verò de Patre Filioque procedentem. Quòd ſi de Patre doceas tantùm procedere Spiritum, jam non eſt indiviſa & inſeparabilis Trinitas; quoniam Spiritus dividitur à Filio, à quo non procedit: ſeparatur ab unigenito, cujus non eſt Spiritus. Procul hæc ſit à catholicis membris impietatis opinio: eſt enim indiviſa & inſeparabilis ſecundum naturam ſancta Trinitas; quoniam Pater de nullo, Filius verò de Patre genitus, Spiritus autem ſanctus de Patre Filioque procedens.

Item dicit: » In alio quoque Evangelio legitur:

Mat. 10. 20. » *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Si ergo Spiritus Patris in Apoſtolis loquitur, docens eos quæ debeant reſpondere, & quæ docentur à Spiritu, ſapientia eſt, quam non poſſumus alium præter Filium intelligere; liquidò apparet ejuſdem naturæ Spiritum eſſe cum Filio, & cum Patre cujus eſt Spiritus. Porrò Pater & Filius unum ſunt. « Dicit Auctor iſte ſapientiam, quam docet Spiritus Patris Apoſtolos, Filium eſſe. Si ſapientia Filius eſt, & Spiritus ſanctus ſapientiam, quæ Filius eſt, loquitur in Apoſtolis, accipit à Filio. Quemadmodum autem accipit? procedendo certè, non participando quod ante non habuerit: non enim fuit aliquando Spiritus ſine ſapientiâ, ſed accepit à Filio ut ſemper eſſet ſapiens, ab ipſo procedens; quia unius eſt naturæ cum Filio & cum Patre, cujus eſt Spiritus: quod ſic non dixit, ut non etiam Spiritum Filii ſignificaret; cujus ſapientiam dixit loqui Spiritum, ſed quia ſuperiùs dixerat: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri.* Nam dicit in poſterioribus: Porrò Pater & Filius unum ſunt. Si Pater & Filius unum ſunt, Spiritus qui Patris eſt, eſt etiam & Filii; ac per hoc ex utroque procedens. In poſterioribus cum non pauca de Patris & Filii & ſancti Spiritûs conſubſtantialitate tractaſſet, concludit: » Ex his colligitur, quamquam indiviſa « Ibid. lib. 2.
ſit ſubſtantia Trinitatis, & Patrem tamen verè Filii eſſe Patrem, & Filium verè Patris Filium, & Spiritum ſanctum verè Patris & Dei eſſe Spiritum; & inſuper ſapientiæ & veritatis, id eſt, Filii Dei. « Si ergo Pater Filii Pater eſt, quia genuit illum; & Filius Patris Filius, quia genitus eſt ab illo; & Spiritus ſanctus verè Patris Spiritus, quia procedit ab illo, conſequenter & ſapientiæ & veritatis, id eſt Filii Dei Spiritus eſt, quoniam procedit à Filio, id eſt procedit à veritate, procedit à ſapientiâ, procedit à Deo, id eſt Filio: ideo namque cum dixiſſet Spiritum ſanctum Spiritum eſſe veritatis, intulit, » Et Dei eſſe Spiritum, « perſonam Filii volens intelligi. Sed ne titubatio Lectorem confunderet, ait in conſequentibus, » Spiritum ſapientiæ & veritatis, id eſt Filii Dei. «

In poſterioribus inquit. » Porrò jam frequenter oſtendimus ejuſdem eſſe operationis Spiritum, cujus eſt Pater & Filius, & in eâdem operatione unam eſſe ſubſtantiam, & reciprocè eorum quæ [illegible] ſunt, operationem quoque non eſſe diverſam. « Operatio Spiritûs eadem eſt quæ & Patris & Filii operatio; quoniam conſubſtantialis eſt utriuſque tamquam procedens ab utroque: non enim poteſt eis eadem operatione conjungi, ſi non ab utroque procedit: dividitur namque ſubſtantiâ quibus proceſſione non cohæret, nec aliter poteſt vel Patri vel Filio ſubſtantialiter copulari, quoniam ut ſit ſubſtantia, Spiritus accepit tam à Patre quàm à Filio procedendo. Item infrà: » In conſequentibus de Spiritu veritatis, qui à Patre mittitur, & ſit paracletus, Salvator ait: *Non enim loquitur à ſemetipſo*; hoc eſt ſine me, & ſine meo & Patris arbitrio; quia inſeparabilis à meâ & Patris eſt voluntate: hoc enim ipſum quod ſubſiſtit & loquitur, à Patre & me illi eſt. Ego veritatem loquor, id eſt, inſpiro quæ loquitur, ſiquidem[d] Spiritus veritatis eſt. « Manifeſtè Doctor iſte nos inſtruit Spiritum ſanctum eſſe à Filio: nam cum dicit; *Non enim loquitur à ſemetipſo*, oſtendit eum à ſemetipſo non eſſe; propter quod explanans quod dixit: » Hoc eſt ſine me, & ſine meo & Patris arbitrio; « oſtendit à quo ſit, qui non loquitur à ſemetipſo, à Patre ſcilicet eſt & à Filio, ſine quibus, & ſine quorum non loquitur arbitrio. Et dicens: » Hoc enim ip- «

Joan. 16. 13. d

d *ſiquidem Spiritus*] Totum hoc quidquid eſt è margine in textum transferri curavimus, nam antea hoc tantum legebatur, *quod ſubſiſtit & loquitur ego veritas loquor, ſiquidem*, quod profectò imperfectum erat. Quamquam ex ſequentibus ſatis conſtet Rattamno placuiſſe pravam lectionem.

« ſum quod ſubſiſtit & loquitur, ego veritas loquor : oſtendit ſubſiſtentiam Spiritûs eſſe à Filio. Et ſi cum loquitur Spiritus, loquitur veritas, hoc eſt Filius, oſtendit quia quod loquitur, & quod ſubſiſtit Spiritus, accepit à Filio. Et inculcans idipſum velut » apertius quod dixerat, faciens ; » id eſt, inſpiro quæ « loquitur. « Quomodo inſpirat ? nimirum cum ab » illo procedit & connectit. » Siquidem Spiritus veritatis eſt : » quod eſt dicere, Spiritus Filii eſt. Quibus omnibus demonſtratur quod ſit Spiritus Filii, & quod inſpiretur à Filio, id eſt procedat ab illo. Et quia quod loquitur Spiritus, & ſubſiſtit Spiritus ; accipit à Filio, non tamquam minor, ſed tamquam conſubſtantialis, & ex illo procedens.

Item infrà : » Loqui ergo Patrem, & audire » Filium ; vel è contrario, Filio loquente audire Pa« trem, ejuſdem naturæ in Patre & Filio, conſen» ſûſque ſignificatio eſt. Spiritus quoque ſanctus, » qui eſt Spiritus veritatis, Spiritûſque ſapientiæ, « non poteſt Filio loquente audire quæ neſcit ; cum « hoc ipſum ſit quod profertur à Filio. « Dicens loquentem Patrem audire Filium, demonſtrat Filii nativitatem ex Patre : ſimiliter Filium loquentem audire Patrem, Patrem monet genuiſſe Filium ; & quia ſunt unius naturæ Pater & Filius, ſunt etiam ejuſdem conſenſûs ; ut hoc ſit loqui Patrem ad Filium vel Filium ad Patrem, in unius conſenſum voluntatis venire : neque diverſum aliquid ſentire. Spiritum quoque ſanctum veritatis Spiritum [&] ſapientiæ confitens, Spiritum Filii declarat, de quo dicit, quia non poteſt Filio loquente audire quæ neſciat ; quoniam cum ſit ejuſdem cum Filio ſubſtantiæ, procedatque de Filio, quæ loquitur Filius, loquitur & Spiritus ſanctus ; quoniam hoc ipſum quod eſt Spiritus, loquutio Filii eſt ad Spiritum, præſenti Doctore docente. Qui cum dixiſſet non poſſe Spiritum ſanctum Filio loquente audire quæ » neſciat, mox ſubdidit : » Cum hoc ipſum ſit quod » profertur à Filio ; » hoc eſt prolatio Filii ſubſtantia eſt Spiritûs : nam dicens ; cum hoc ipſum ſit, ſubauditur Spiritus : quod profertur à Filio, hoc eſt quod loquitur Filius. Si quod loquitur Filius, Spiritus ſanctus eſt, quemadmodum Doctor iſte teſtatur, non poteſt negari quod à Filio procedat Spiritus : ſiquidem loquutio Filii de Filio procedit : quâ de re cum hoc idem ſit Spiritus quod profertur à Filio, procedit omnino Spiritus à Filio.

Subjungit : » Denique ne quis illum à Patris & » Filii voluntate & ſocietate diſcerneret, ſcriptum
Joan. 16. 13. » eſt : *Non enim à ſemetipſo loquetur, ſed ſicut au» diet loquetur.* Cui ſimile etiam de ſemetipſo Sal-
Ibid. 5. 30. « vator ait : *ſicut audio judico.* « Voluntas Patris, voluntas eſt Filii, & ſocietas utriuſque Spiritus amborum : quoniam charitas, quæ eſt Spiritus, ſociat voluntatem Patris & Filii : neque poteſt voluntas Spiritûs à voluntate Patris & Filii ſejungi ; ſed ſicut ſocietas eſt utriuſque, ſic ejuſdem voluntatis amborum. Et ſicut voluntas Filii naſcitur de Patre, ſic voluntas Spiritûs procedit à Filio. Hinc eſt quod
Ibid. 16. 13. ait de Spiritu : *Non enim à ſemetipſo loquetur, ſed ſicut audiet loquetur.* A quo audiet ? Videlicet à Filio, de quo procedit. Et audire Spiritum, procedere eſt à Filio : ſicut & audire Filium, naſci eſt de Patre : nam non aliud eſt audire Filium, & aliud naſci, ſed idem utrumque : ſic enim aliud minimè eſt audire Spiritum, & aliud procedere, ſed unum » eſt utrumque. Et infrà : » Scriptum eſt enim : *Quæ» cumque ille facit* (haud dubium quin Pater) *hæc » eadem Filius facit ſimiliter.* Quod ſi operante Pa» tre & Filio, non juxtà ordinem primi & ſecundi, » ſed juxtà idem tempus operandi eadem & ſimilia, » ſubſiſtunt univerſa quæ fiunt : & Filius non poteſt à ſemetipſo quid facere, quia à Patre non poteſt « ſeparari : ſic & Spiritus ſanctus nequaquam ſepa« ratus à Filio, propter voluntatis naturæque con« ſortium, non à ſemetipſo creditur loqui ; ſed juxtà « verbum, & veritatem Dei, loquitur univerſa. « Pater & Filius eadem operantur, non alio tempore Pater, & alio Filius, ſed eodem ſimul & eodem tempore : nec poteſt Filius ſeparatus operari, quoniam non dividitur à Patre, cum ſit natus ex Patre, & ejuſdem ſubſtantiæ cum Patre : ſic & Spiritus ſanctus non loquitur à ſemetipſo ſeparatus à Filio ; quoniam procedens à Filio conſors eſt naturæ Filii : voluntatis & ejuſdem, cujus & Filius : non enim voluntas diſcernit quos natura conjungit, ſed juxtà verbum & veritatem Dei loquitur univerſa ; quoniam à verbo & veritate procedens percipit quid loquatur : non enim aliud eſt quod procedit, & aliud loquendi perceptio, ſed perceptio loquutionis proceſſionis eſt exiſtentia, quemadmodum exiſtentiæ proceſſio, loquutionis acceptio.

Et infrà : » Quomodo igitur ſuprà de naturis in« corporalibus diſputantes intelleximus, ſic & nunc « Spiritum ſanctum à Filio accipere, id quod ſuæ « naturæ fuerat, cognoſcendum eſt, & non dan« tem & accipientem, ſed unam ſignificare ſub« ſtantiam. Siquidem & Filius eadem à Patre acci« pere dicitur, quæ eſt ipſe ſubſiſtens : neque enim « quid aliud eſt Filius, exceptis iis quæ ei dantur à « Patre, neque alia ſubſtantia eſt Spiritûs ſancti, « præter id quod ei datur à Filio. « Confirmat pro« ceſſionem Spiritûs à Filio factam, & dicit Spiritum ſanctum à Filio accipere id quod ſuæ naturæ fuerat, quod eſt, naturam Spiritûs ex Filio eſſe, & non ſit aliud accipere Spiritum à Filio, quàm procedere de Filio ; neque dantem & accipientem intelligendum tamquam alterius & alterius ſubſtantiæ, ſed perſonam Filii dantem, ut exiſtat Spiritus, & perſonam Spiritûs accipientem, ut procedat à Filio. Et confirmat opinionem ſuam ex eo quod Filius accipere dicitur à Patre : non enim aliud eſt Filius, & aliud eſt quod percipit à Patre ; ſed à Patre perceptio Filii eſt ſubſiſtentia : quod clariùs aſſirmat proſequendo : » Neque enim quid aliud eſt Filius, ex» ceptis his quæ ei dantur à Patre. « Quod eſt, non « licet excipere quæ donantur à Patre Filio à ſubſtantiâ Filii, ſed data Patris ſubſtantia eſt Filii ; quoniam naſcendo percepit omnia quæ ſunt Patris ; ſic & de Spiritu ſancto fatetur, quòd non ſit alia ſubſtantia Spiritûs ſancti præter id quod ei datur à Filio : hoc eſt, non eſt aliud Spiritus ſanctus, & aliud quod Spiritui ſancto datur à Filio, ſed donum Filii ſubſtantia eſt Spiritûs ſancti. Quo manifeſtè commendat Spiritum ſanctum eſſe de Filio, non tamquam partem, ſed tamquam totum, quod eſt Filius ; quia quæcumque ſunt Filii, ſunt & Spiritûs ſancti : & accipit Spiritus ſanctus à Filio, procedens ab illo ſicut conſubſtantialis, & habens omnia quæ ſunt Filii. Inferiùs : » Denique interpre« tationem inferens quomodo dixiſſet, *de meo ac« cipiet*, protinus adjecit *omnia quæ habet Pater, mea* « Joan. 16. 13.
ſunt : propterea dixi, de meo accipiet. & annun« tiabit vobis ; quodammodo loquens, licet à Patre « Ibid. 14.
procedat Spiritus veritatis, & det Deus Spiritum « ſanctum petentibus ſe ; tamen quia omnia quæ « habet Pater, mea ſunt, & iſte ipſe Spiritus Patris « meus eſt, & de meo accipiet. « Hoc dicens docet « Spiritum à Filio procedere, ſicut procedit à Patre : eſt enim Spiritus veritatis, videlicet Chriſti, qui veritatis eſt : & quia Filius habet omnia quæ Patris ſunt, iſte ipſe Spiritus Patris teſtatur quòd ſit Filii, & accipit de Filio. Quid accipit ? omninò ſubſiſtentiam de illo procedendo.

In conſequentibus : » Idem autem Spiritus Dei, » & Spiritus Chriſti eſt, adducens & copulans eum, » qui ſe habuerit, Domino Jeſu Chriſto. Unde in » ſequentibus dicitur: *Si quis autem Spiritum Chriſti* » *non habet, hic non eſt ejus.* « [*Rom. 8. 9.*] Si qui eſt Spiritus Dei, eſt & Spiritus Chriſti, quemadmodum auctor iſte fatetur; haud dubium non ſunt duo Spiritus, alius Patris, alius Filii, ſed unus & idem utriuſque. Et ſi Chriſti Spiritus eſt is qui Spiritus Dei Patris eſt; ſicut procedit à Patre, ſic procedit & à Filio : non enim aliàs Dei Patris dicitur Spiritus, niſi quòd à Deo Patre procedit : ſic non aliter dicitur Spiritus Chriſti, niſi quia procedit à Chriſto : non enim eſt creatura, quò tamquam inferior poſſideatur; ſed conſubſtantialis. Sic quoque quod addit, Spiritum Chriſti non habentem Chriſti non eſſe, de Chriſto fatetur prodeuntem, quem dicit eſſe Chriſti; nec eſſe poſſe Chriſti, qui non habeat Spiritum ejus; quoniam in quo non eſt Spiritus Chriſti, non eſt Chriſtus : non enim habitatione ſeparantur, qui ſubſtantiâ copulantur. Unde diſcimus ſocietatem quam habet Spiritus ad Chriſtum, quòd habeat & ad Deum Patrem : non enim poteſt eorum ſocietatem non habere, quibus eſt conſubſtantialis, & à quibus exiſtit. Inferiùs quoque : » ſed & in epiſtola Petri [*1. Pet. 1.*] » Spiritus ſanctus eſſe Chriſti Spiritus comprobatur : » ſcrutantes, inquit & exquirentes (id eſt Prophetæ » de quibus ei fuerat ſermo ſuperior) in quod aut » quale tempus ſignificabat his, qui in eis erat Spi» ritus Chriſti, teſtificans in Chriſto paſſiones, & ea » quæ poſt erant ſequutura decreta. « Et paulo poſt : » Iſte autem Spiritus ſanctus dictus eſt & Spiritus » Dei : ut ibi : *ea quæ Dei ſunt nemo novit niſi Spi-* » *ritus Dei.* « [*1. Cor. 2. 11.*] Eumdem ergo fatetur Spiritum Chriſti, qui ſit Spiritus Dei; ac per hoc de utroque prodeuntem; quoniam non ſit aliud cur utriuſque dicatur Spiritus : æqualis eſt enim & conſubſtantialis. Item infrà loquitur : » Per hoc quod ait : *ſi quis autem* [*Rom. 8. 9.*] » *Spiritum Chriſti non habet, iſte non eſt ejus.* Et in- [*Ibid. 10.*] » fertur : *ſi autem Chriſtus in vobis eſt* ; manifeſtiſſi» mè demonſtravit inſeparabilem eſſe Spiritum ſan» ctum à Chriſto; quia ubicumque Spiritus fuerit, » ibi & Chriſtus eſt : & undecumque Chriſti Spiri» tus diſceſſerit, inde pariter recedit & Chriſtus. Iſta ſocietas Spiritûs & Chriſti, quam docet, non tantùm voluntatis eſt, verum etiam ſubſtantialitatis, & non ſubſtantialitatis ſolùm, verum etiam proceſſionis : poſſunt enim voluntate conjungi quæ ſubſtantiâ ſeparantur : ut illud quod Chriſtus loquitur diſcipulis : *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus* : [*Matt. 28. 20.*] vel quod in præſcuti loco dixit, in quo eſt Spiritus Chriſti ſit quoque Chriſtus. In quibus namque Spiritus Chriſti eſt, & Chriſtus quoque pariter eſt : ſimul quidem ſunt, ſed voluntate, non ſubſtantiâ. Deus etenim & homo non unius, ſed diverſæ ſunt ſubſtantiæ. Item poſſunt ſubſtantiâ copulari, ſimulque nativitate conjungi, ut Pater & Filius. Item copulantur ſubſtantiâ, non autem nativitate, ſed proceſſione, Filius & Spiritus. Ergo dum dicit, ubicumque Spiritus fuerit, ibi & Chriſtus eſt; & undecumque Chriſti Spiritus diſceſſerit, inde pariter recedit & Chriſtus, monſtrat ſocietatem iſtam, non voluntate ſolùm, ſubſtantiâque, verùm etiam proceſſione, conſtare; quòd Spiritus non ſolùm conſubſtantialis exſtat Chriſti, verùm etiam exſtat ab ipſo.

Item poſterius Apoſtoli teſtimonium aſſumens, ait : » *Non accepiſtis Spiritum ſervitutis in timore.* [*Rom. 8. 15.*] » id eſt, non in ſimilitudinem ſervorum, metu & » terrore pœnarum vos abſtinetis à vitiis, quia ha» betis vobis datum Spiritum adoptionis, id eſt Spi» ritum ſanctum; qui etiam Spiritus Filii, & Chriſti & veritatis dicitur atque ſapientiæ. « Quid per hæc » inſinuat ? nam veritas & ſapientia Chriſtus eſt (ut ſcriptura teſtatur, & non ſemel approbatum eſt,) Chriſtus quoque Filius Patris eſt haud dubium. Affirmat Spiritum ſanctum procedentem à Filio, procedentem à Chriſto; procedentem à veritate & ſapientiâ; non quidem quod ſint Spiritus diverſi, quia non ſunt quæ poſita ſunt, quorum eſſe dicitur Spiritus, diverſam ſubſtantiam ſignificantia. Sapientia namque & veritas, & Chriſtus, Filium prædicant; Chriſtus propter hominem ſuſceptum; veritas, quoniam ipſe dixit; *Ego ſum veritas.* Sapientia, quia Paulus teſtatur de ipſo, quòd ſit nobis à Deo factus Sapientia. [*1. Cor. 1. 30.*] Quid hæc omnia colligunt ? Proculdubio quòd procedat à Filio, cujus eſſe dicitur Spiritus : non enim vel pars ejus poteſt eſſe, vel aliquod Filio ſubjectum. Unde ergo illius ? Proceſſione, ſive conſubſtantialitate : ſed conſubſtantialitas æqualitatem oſtendit; æqualitas autem non ſubjicitur; ſed confertur. Unde ergo Spiritus Filii ? haud dubium quia procedit ex Filio.

Sufficiant iſta de libro Didymi breviter collecta, qui dum talia de Spiritu ſancto poſitus Alexandriæ ſentiret & ſcriberet, nec à Græcis, nec à Græcorum Imperatoribus eſt vel reprehenſus, vel communione ſuſpenſus : intelligebant enim qui per id temporis Imperatores; qui non ſolùm Conſtantinopoli, verùm etiam Romæ regnabant, Catholicum eſſe dogma, fidem Apoſtolicam, perfidiam hæreticorum quæ debellabat, & veritatis doctrinam affirmabat. Vos nunc Imperatores moderni, novi ſectam erroris inſtituentes, videte cujus ſitis fidei; quoſque habueritis in doctrinâ Chriſti magiſtros : nam illorum convincimini non eſſe diſcipuli, qui priores veſtri fuere, qui catholicam fidem roboravere, qui pravi dogmatis inventa ſemper expugnavere.

CAPUT VI.

His ſociemus quid per eadem tempora Romana ſenſit Eccleſia de Spiritu ſancto, ut comprobaverimus novam non fore ſectam quam prædicat, ſed olim à Patribus commendatam, & per univerſum totius Eccleſiæ corpus vindicatam, & contrà diverſa ſentientes expugnatam; oſtendatur pariter fruſtrà nunc reprehendi quaſi novum dogma prædicans, cum ſit à prioribus noſtris ſemper prædicatum.

Pascasius antiquus Romanæ ſedis & Doctor & Diaconus, in libello, quem de Spiritu ſancto ſcripſit, Didymi ſequens Alexandrini veſtigia, ſic infit : [*Pascas. de Spir. ſancto lib. 1, cap. 8.*] » Non ſcruteris qualiter Deus ſit, quem Deum « eſſe manifeſtum eſt. Hic ratio latet, veritas non « latet. Cur interroges quomodo ſit ſocius & æqua- « lis Regis, quem regni conſtat eſſe & honoris & ge- « neris. Ex ſuperfluo de nomine agitur inquiſitio, « ubi non eſt de ſublimitate dubitatio. « Hoc adverſus Arrianos, qui Spiritûs ſancti divinitatem denegabant, nolentes confiteri Patri Filioque conſubſtantialem, ſed creaturam dicebant Filio ſubjectam, tamquam minorem, vos veraciter confutans, & Deum verum eſſe prædicat, & Patris, & Filii conſubſtantialem. Quid etiam de proceſſione ſentiat ſubdendo manifeſtat. » Ergo quia Spiritus ſanctus « ex utroque procedit ideo dicit : *Qui autem Spiri-* « [*Rom. 8. 9.*] *tum Chriſti non habet, & hic non eſt ejus.* Et alio « loco : *inſufflavit, & dixit : Accipite Spiritum* « [*Joan. 20. 22.*] *ſanctum.* « Teſtatur & Spiritum ſanctum ex Patre Filioque procedere; ſuamque aſſertionem roborat tam ex Apoſtolo, quàm ex Evangelio, pariter oſtendens, quia Spiritus non aliter poſſit eſſe Chriſti, niſi

procedat ab ipſo : nec aliàs dat Chriſtus Spiritum inſufflando, niſi ex ſuâ ſubſtantiâ mittendo, Siquidem cum dicatur Spiritus Chriſti, relationem habere monſtratur ad Chriſtum ; non verò tamquam ſervus : (non enim eſt creatura) ſed tamquam ab illo capiens exiſtentiam procedendo, non creando vel generando. Similiter cum inſufflat eum mittendo : non mittit extraneum, nec aliunde quàm de propriâ naturâ : nec poteſt negari proceſſus ejus à Filio, quem inſufflando ex intimis ſuæ divinitatis Filius emittit. Subjungit adhuc de eodem loquens Spiritu : » Utrum genitus an ingenitus ſit requi» ris ? nihil ex hoc eloquia ſacra cecinerunt, nefas » eſt irrumpere divina ſilentia. Quod Deus ſcripturis » ſuis indicandum eſſe non credidit, interrogare, » vel ſcire ſuperfluâ curioſitate te noluit. Hoc per» venire debere judicavit ad conſcientiam tuam, » quod pertinet ad ſalutem tuam. « Hæc adverſus eos loquitur, qui Spiritûs ſancti perſonam, ſanctæ Trinitati derogantes, Deum eſſe non recipiebant, tamquam ſi Deus haberetur, vel ingenitus vel genitus confiteretur : ſi genitus, duo filii dicerentur ; & jam Salvator dici non poſſet unigenitus ; eſſetque contra Catholicam fidem, quæ quidem confitetur credere ſe in Deum Patrem omnipotentem, & in Jesum Chriſtum Filium ejus unigenitum. Quòd ſi confiteretur ingenitus, jam non unus Pater, ſed duo comprobarentur ; & eſſet hoc nihilominus fidei Catholicæ valde contrarium. Credimus etenim in unum Deum Patrem omnipotentem. Tam perverſa machinantibus pie ſatis cautéque reſpondet Doctor iſte Catholicus, dicens Spiritum ſanctum nec genitum, nec ingenitum debere dici, quod ſanctæ ſcripturæ non loquuntur : debere verò profiteri quod affirmant, Spiritum videlicet ſanctum Patri Filioque conſubſtantialem, & de utroque procedentem.

Eodem lib. cap. 10. In poſterioribus loquitur : » In actibus Apoſtolo-
Act. 2. 33. » rum Petrus de Domino Jesu Chriſto diſſerens ita » dicit : *Dexterâ igitur Dei exaltatus, & promiſ» ſione Spiritûs ſancti acceptâ à Patre, effudit hunc » quem videtis & auditis.* In dexterâ Filius, in Deo » Pater, in nominis ſui proprietate Spiritus ſanctus » deſignatur. « Hoc teſtimonio comprobavit Spiritum ſanctum à Filio procedere, quem ab eo dixit effuſum : non enim effudit niſi quòd in ſe continebat, non velut in loco concluſum : ſed tamquam in ſe ſubſtantialiter manentem : nec ſic effudit ut ſui vacuationem faceret ; quemadmodum vas efficitur vacuum cum effunditur quod continebatur in illo : eſt rerum iſtud corporearum : eſt in divinis non idem. Cum enim vel Pater vel Filius Spiritum effundit, non ſe vacuat, ſed ſui muneris gratiam ſine ſui damno quibus vult communicat. Et infrà ponens teſti-
Rom. 8. 9. monium Apoſtoli : » *Vos autem non eſtis*, inquit, » *in carne, ſed in Spiritu : ſi tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Chriſti* » *non habet, hic non eſt ejus.* Dum dicit *Spiritum* » *Dei*, & infert conſequenter *Spiritum Chriſti* : » adverte quia hîc perſonam Chriſti ſub Dei appel» latione deſignat. Aut ſi hîc Patrem, cujus Spi» ritus ſit, ſub Dei nuncupatione ſignificat, ecce » hic Spiritus per unitatem ſubſtantiæ, & Patris & » Filii eſſe Spiritus declaratur, & meritò procedere » ex utroque dignoſcitur, & in vinculo Trinitatis » diſtinctam perſonam habere perſpicitur ; & qui » Spiritum ſanctum non habet, nec Chriſtum ha» bere monſtratur. Deus itaque Spiritus ſanctus,
Joan. 14. 6. » quo negato negatur & Chriſtus, qui dixit : *Nemo* » *venit ad Patrem niſi per me.* Qui Spiritu ſancto » vacuus eſt, Chriſti non eſt, & perdidit viam quâ » pervenitur ad Patrem. » Multis oſtendit rationibus Spiritum ſanctum & Deum eſſe, & conſubſtantialem Patris & Filii, & ex utroque procedere, nec à vinculo Trinitatis poſſe diſcerni, cum ſit ejuſdem, cujus & Pater & Filius eſt, naturæ. Et inculcat Chriſtum habere non poſſe, qui non habeat Spiritum ſanctum : & quoniam Deus eſt Spiritus ſanctus, qui negaverit Spiritum, conſequenter negarit & Chriſtum : quod non fieret, ſi non in Chriſto maneret, & ei conſubſtantialis exiſteret. Manere verò in Chriſto, & conſubſtantialem eſſe Chriſto, Spiritum procedentem ab eo demonſtrat : non enim poteſt, niſi procedat ab illo, in quo manet, & cui conſubſtantialiter inhæret ; & cum via ſit Chriſtus ad Patrem, qui Spiritum non habet, viam Chriſtum habere non valet : non enim alterum habere quis poteſt præter alterum, qui nec ſubſtantiâ dividuntur, nec manſione. Propter quod Spiritu ſancto vacuus, Chriſto quoque vacuus invenitur ; quia qui fontem non habet, fontis irriguo non inundatur. Quibus omnibus evidenter oſtenditur à Chriſto procedere Spiritum ſanctum.

Et infrà : Nil itaque in Spiritu ſancto ſemiple- « Ibid. cap. 11.
num putetur, quia plenitudini comparatur : nam « qui ad vicem Dei pignoris loco tribuitur, fas non « eſt, ut aliud quàm Deus eſſe credatur. » Semiple- « num Spiritum ſanctum deputat, quiſquis eum à Filio procedere denegat : & negat eum ad vicem Dei pignoris loco contribui, quicumque proceſſionem à Filio eſſe non tribuit : non enim poteſt plenus Deus intelligi, cui conſubſtantialitas denegatur Filii ; nec vicem valet Dei repræſentare, cui Filius non eſt conſubſtantialis. Verùm Catholicus nullus ſic ſentit, ſed plenum Deum, ac conſubſtantialem Patri, Filioq. confitetur : noverit unde procedere Filium, unde quoque ſumit ſubſtantiam ; & qui Patri Filioque copulatur ſubſtantiâ, procedat neceſſe eſt ab utroque. Item ſubjungit, capitulum ponens ejuſdem Apo-
ſtoli ad Titum : » *Salvos nos fecit per lavacrum* « Tit. 3. 5.
regenerationis & renovationis Spiritus ſancti, quem « *effudit in nobis abundè per* Jesum *Chriſtum*. Ecce « etiam hic ſub Trinitate manifeſtâ Pater per Filium « abundantiam Spiritûs ſancti effundit. Et, quod « vel maximè advertendum eſt, ipſi Spiritui ſancto « potentiam regenerationis & renovationis adſcri- « bit. « Effudit Pater in nobis Spiritum ſanctum abundè per Jesum Chriſtum : ut oſtendat quia procedit & à Patre & à Jesu Chriſto. Dum nobis effunditur, effundit Pater Spiritum ſanctum, quoniam mittitur à Patre ; effundit per Jesum Chriſtum, quoniam cooperatur Patri ſimul effundendo Spiritum : nec enim ſic ait effundere Patrem per Jesum Chriſtum, tamquam Chriſtus non effundat ; non enim ſeparantur Pater & Filius operatione ; ſed effundit per Jesum Chriſtum, quia cum Pater effundit, & Jesus Chriſtus effundit, quia mittitur ab utroque ; quoniam procedit tam à Patre quàm à Filio. Potentiam verò Spiritûs ſancti teſtatur Auctor iſte Patris Filiiq. coæquam, dum dicit adſcribi Spiritui ſancto potentiam regenerationis & renovationis, ut oſtendat ejuſdem eum eſſe virtutis, cujus eſt Pater & Filius ; ac per hoc & conſubſtantialis, & de utroque procedens affirmatur.

Ibid. cap. 12. Item poſterius Pſalmiſtæ ponens teſtimonium, di-
Pſal. 138. 7 centis : » *Quo ibo à Spiritu tuo ?* hoc eſt, ubi « me à conſpectu ejus abſcondam, quem præſto eſſe « per omnia, id eſt, intrà extràque non ambigo ? Et «
Ibid. 18. 7. infrà : De quo dictum evidenter intelligitur : *Nec* « *eſt qui ſe abſcondat à calore ejus.* Cujus ineffabilis « magnitudo profunda inferorum, diffuſa fluctuum, « extenta terrarum, excelſa cœlorum intrat, implet, « excedit, mitti à Patre & Filio dicitur, & de ipſorum ſubſtantiâ procedere, & unum cum eis opus « agere dinoſcitur. » His omnibus ſancti Spiritûs Ma-

jeſtas oſtenditur & proceſſio : cum enim teſtetur nullum eſſe locum à Spiritûs ſancti præſentiâ remotum, Patris Filiique divinitati cuncta penetranti, ſive continenti, comparatur. De quo conſequenter adjiciens, quòd caloris ejus igne nemo ſit qui non contingatur; illud teſtatur quod de Filio quoque dicitur : *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* : (Joan. 1. 9.) monſtrans ejuſdem eum eſſe potentiæ, cujus & Filius, quandoquidem Filius omnem hominem illuminat, & à calore Spiritûs extorris nemo fiat. Cumque & à Patre & à Filio mitti dicitur, & de ipſorum ſubſtantiâ procedere, monſtratur pariter & à quo ſit Spiritus, & cujus virtutis exiſtat; per omnia Deum illum oſtendens coæqualem Patri Filioque tam potentiâ, quàm ſubſtantiâ, & quia prodeat ab utroque: & infrà, Filium introducens dicentem : (Ibid. 15. 26.) » *Paracletus qui à Patre procedit*, » non dixit qui à Patre creatus eſt, ſed *à Patre procedit*, id eſt, de paternæ ſocietate potentiæ, & de » proprietate naturæ; & ex ipſo ſermone oſtenditur, » cum dicitur à Patre procedere, cum Patre initium » non habere. « Nec putes eum negare voluiſſe Spiritum ſanctum de Filio procedere, quia dixit eum de Patre proceſſiſſe : ſuperius namque eum mitti à Patre & à Filio dixit, & de ipſorum ſubſtantiâ procedere, & unum cum eis opus agere. Nunc quoque dicens eum de paternæ ſocietate potentiæ, & de proprietate naturæ procedere : quoniam ſicut Pater & Filius nec potentiâ, nec natura ſeparantur; ſic in exiſtentiâ Spiritûs non ſecernuntur; quoniam cum ſit utriuſq; Spiritus, procedit ab utroque; & quos æquat naturâ potentiâque, proceſſione non ſeparat.

Dicit inferius : » Quid eſt autem quod ex Deo » Patre Filius naſci dicitur, & Spiritus ſanctus pro» cedere ſignificatur? Si requiras, quid inter naſ» centem & procedentem diſtet, evidenter hoc inter» eſt, quia iſte ex uno naſcitur, ille ex utroque pro» greditur. » Quibus & progreſſum à Patre Filioque Spiritum profitetur. Et ratio redditur cur & à Filio progreditur : nam ſi dicamus quòd à Patre tantùm procedat, fidei periculum non evitamus : qualiter enim Filius unicus eſſe Patris dicatur, cum etiam & Spiritus ejuſdem eſſe non taceatur? Et quomodo comprobetur non eſſe Filius, qui velut Filius à Patre conſiſtat? fugienda eſt, imò ſubruenda talis blaſphemia, ut fides Catholica jaculis inimicorum non fiat expoſita. Dicatur itaque quod noſtri dixêre majores : Filius ex Patre natus, ſolus de ſolo, ac per hoc unigenitus : Spiritus verò ſanctus de Patre quidem procedens, ſed non de ſolo ſolus; quoniam procedat & à Filio, ne duos Filios videamur prædicare, proceſſionem Spiritûs ſ. de Patre ſolummodo confiteamur. Igitur Doctor iſte majorum doctrinam ſequutus ſuorum, ſuis poſteris tranſcripſit quod à ſuis prioribus accepit : cumque de Spiritu ſancto Romanam ſentire, ſicut hodie ſentit, probarit Eccleſiam, nullomodo tamen oſtendit, in tali fide permanentem ab Orientalibus Eccleſiis vel aliquando fuiſſe diviſam, vel unquam diverſa de Spiritu ſancto vel ſenſiſſe vel docuiſſe. Aſt nunc mirandum quid arguant novi dogmatis repertores; cur à communione ſe dividant quam ſemper tenuere majores? Cur ante cognitionem judicium proferunt? Cur accuſant priùs quàm audiant? Non eſt hoc æquitatis judicium, ſed iniquitatis præjudicium. Quòd ſi ſatis putant eſſe quod pro certo noverunt Romanam Eccleſiam prædicare de Spiritu ſancto, quòd à Patre Filioque procedat; & idcircò nolle requiri quod evidenter novêre dici, ſciant quia cum Romanis ſuos quoque judicent majores. Et dum Romanos ſuâ cupiunt communione privare, ſe pariter excommunicent à ſuorum ſocietate majorum : & nulli pro-

bentur Eccleſiæ communicare Catholicæ, dum Romanâ communione ſeſe faciunt alienos. Hoc factum cujus ſit mali citò conſiderent, & errorem corrigere ſuum non differant; ne ſi Romanis communicare noluerint, ab universâ Catholicâ Eccleſiâ ſe paveant excommunicandos.

Explicit liber ſecundus.

INCIPIT LIBER TERTIUS

RATRAMNI CORBEIENSIS MONACHI,

CONTRA GRÆCOS.

CAPUT PRIMUM.

SCRIPTURA dicit : *Ne transferas terminos quos poſuere Patres tui.* (Prov. 22. 28.) Si voluiſſent hoc Græcorum Principes cuſtodire præceptum, nec Romana de Spiritu ſancto pateretur Eccleſia quamcumque reprehenſionem, nec illi nova conarentur moliri, verùm contenti forent fidei terminis quos catholici Patres inſtituêre, quoſque Scripturæ ſacræ per Spiritum ſanctum editæ diſpoſuêre : ſed cenodoxiæ morbo laborantes, vel invidiæ peſte languentes; quoniam finibus majorum nequeunt eſſe contenti ſuorum, gloriam propriam quærentes, tranſgrediuntur quos ſui priores terminos fixêre. Sed dum gloriam parentum quærunt obruere, incidunt in foveam, quam, juxtà Pſalmiſtæ vocem, foderunt : (Pſal. 7. 16.) non enim de proceſſione Spiritûs ſancti debuiſſent ullam noſtris temporibus movere quæſtionem, ſi vel doctrinis majorum intendere, vel ſcripturas ſacras pio certaſſent ſtudio percenſere. Quid enim de Spiritu ſancto ſentire debeamus, Catholici Doctores liquidò demonſtrant, qui tam diſputatione creberrima, quàm ſcriptis frequentiſſimis hæreticorum prava commenta de ſummâ Trinitate, ubi etiam de Spiritûs ſancti pariter proceſſione, non ſolùm comprehendêre, verùm evidentiſſimis aſſertionibus expugnaverunt; quorum authoritatem ſuperiùs jam non minimâ parte protulimus : quibus evidenter oſtenſum credimus, quid de proceſſione Spiritûs ſancti ſentire debeamus : quibus contradicere, imò non acquieſcere molitus quis fuerit, apertiſſimè monſtratur fidei Catholicæ contradictor, & Spiritûs ſancti blaſphemator. Quali pœnâ verò talis ſit feriendus, Veritatis ore didicimus loquentis, Spiritûs ſancti blaſphemiam neque in hoc ſæculo, neque in futuro remittendam. (Mat. 12. 32.) Placuit etiam ſuperioribus Patris AUGUSTINI ſcripta copulare, Doctoris egregii, & inter Eccleſiaſticos Magiſtros elegantiſſimi; cui jugè certamen adverſus hæreticos manſit; cujus doctrinæ ſimul & eloquentiæ non ſolùm Arriana ſubjacuit impietas, verùm reliquorum hæreticorum, Macedonianorum videlicet, Manichæorum, Pelagianorum ceſſit immanitas.

Fortaſſis Græcorum tumor opponet Latinorum authoritatem ſe recipere nolle; verùm quid de ſuis dicet quos ſuprà poſuimus Auctoribus? Quid de ſanctarum ſcripturarum conditoribus? An nolint & ipſos recipere, quoniam erroris ſui ſeveros cernunt inimicos, & expugnatores impietatis eorum acerrimos; licet ſtultiſſimum ſit dicere Latinorum nolle authoritatem recipere, eiſque non conſentiendo ſchiſmatis novitatem conſtruere, alienoſque ab Eccleſiâ catholicâ ſeſe reddere. Abiit autem ut iſti vel dicant vel ſentiant, ſuamque velint tantummodo vel ſententiam, vel conſuetudinem totius Eccleſiæ generalitati præferre. Eſt enim jactantiæ malum aliud

vel opinari, vel decernere, tam nefandum, ut non ſit tolerabile, verùm generali totius Eccleſiæ Catholicæ feriendum authoritate: dicendo namque Salvatore ſuis Apoſtolis: *Ite in univerſum orbem, & prædicate Evangelium omni creaturæ*: non Græcos tantùm commendavit, ſed totius orbis plenitudinem commemoravit, cui prædicandum Evangelium præcepit. Et ſuperbiſſimum eſt ſibi tamquam ſpeciale velle vindicare, quod conſtat omnibus gentibus, populis & linguis generaliter eſſe collatum. Dicit enim per Prophetam Spiritus ſanctus loquens ad Hieruſalem: *Ab Oriente adducam ſemen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, da, & Auſtro, noli prohibere.* Num de ſolis Græcis iſta dicuntur? vel de Conſtantinopoli tantummodo Hieruſalem populus vaticinatur colligendus? Univerſalitas Gentium toto orbe diffuſa nuntiatur, è quibus Hieruſalem cœleſtis congreganda perdocetur. Non ergo ſibi tribuant quod omnibus Gentibus eſt collatum; nec ſuæ prælationis ſpecialitate uſurpent munus, quod univerſalitatis eſſe conſtat. Aſpiciant Catholicam Chriſti Eccleſiam totius mundi latitudine diffuſam, & ab Oriente uſque in Occaſum, à Septentrione uſque in Auſtrum dilatatam. Gaudeant in toto orbe Chriſtum dominantem, impleto vaticinio David, quo Patrem inducit Filio loquentem: *Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Et quod alius Pſalmus in perſonâ Chriſti loquitur: *Et dominabitur*, inquiens, *à mari uſque ad mare: & à flumine uſque ad terminos orbis terrarum.* Nuſquam iſthîc vel Græcos vel Conſtantinopolim meminit: nec tamen uſquequaque præterit, quoniam eos in univerſalitate concludit: ſpecialitatis prærogativam ſuſtulit, ne inflentur; in generalitate ponit eos, ut humilientur: quatenus noverint non totius corporis Eccleſiæ ſe fore quantitatem, ſed portionem, & venerentur Matrem à ſolis ortu in occaſum regali magnificentiâ ſublimem, cujus ſe gaudeant eſſe filios, non glorientur fore patres. Dicit enim Salvator: *Et Patrem nolite vocare vobis ſuper terram: unus eſt enim Pater veſter qui in cœlis eſt.* Salvator etiam cœlos aſcenſurus ſuis promittit diſcipulis: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Audimus Chriſti promiſſum omnibus credentibus, univerſæ videlicet Eccleſiæ, non autem ſpecialiter vel Græcis vel Conſtantinopolitanis. Quâ de re quâcumque linguâ, in quâcumque gente Chriſtus loquatur, Græcorum Imperatores accipiant reverenter, ne ſi contempſerint, veritatem contemnere judicentur, & inde fiant ſalutis extorres, unde veritatem Chriſtum ſpreverint alloquentem: non enim Spiritus ſanctus in igneis linguis ſuper Apoſtolos deſcendens Græcorum tantùm linguam edocuit, verùm omnium gentium linguarum ſcientiam contulit; ut monſtraret Eccleſiam omnibus linguis omnium populorum locuturam, & Spiritûs ſancti diſtributionem cunctis nationibus divinitùs largiendam. Accipiant igitur glorioſi Principes Spiritum ſanctum per Doctores Eccleſiæ, de ſemetipſo Latinâ linguâ loquentem, quatenùs humilitate diſcant unde proficiant, ne tumoris inflatione deſpicientes veritatis lumen, erroris tenebras incurrant.

Univerſalis Eccleſia, totum orbem comprehendit.

Marc. 16, 15.

Iſai. 43. 5.

Pſal. 2. 8.

Ibid. 71. 8.

Mat. 23. 9.

Ibid. 28. 20.

CAPUT II.

AUguſtinus Epiſcopus Hipponenſis, egregius Doctor, & Catholicæ fidei propugnator eximius, in libro Quæſtionum, quem ad Oroſium Presbyterum ſcribit, inter cætera de Spiritu ſancto ſic ait: « Spiritum ſanctum neque ingenitum, neque genitum fides certa declarat. Quia ſi dixerimus ingenitum, duos Patres affirmare videbimur; ſin autem genitum, duos Filios credere culpabimur: ſed quod fides certa tenet, nec ingenitus, nec genitus, ſed ab utriſque procedens, id eſt & à Patre & à Filio. Et ut hæc teſtimoniis approbem, ipſum Dominum noſtrum JESUM Chriſtum diſcipulos ſuos audi docentem: *Cum autem*, inquit, *venerit Paracletus, quem ego vobis mittam à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.* Et rurſum ipſe Dominus noſter JESUS Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam, ut oſtenderet à ſe procedere Spiritum ſanctum, ſicut à Patre, inſufflans in diſcipulos ait: *Accipite Spiritum ſanctum.* Unus ergo Spiritus eſt Patris & Filii, unus amborum Spiritus. Igitur quòd Patris ſit Spiritus, ipſe Dominus & Salvator noſter diſcipulis ſuis ait: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Et quòd idem & Filii ſit Spiritus, Paulus Apoſtolus teſtis eſt: *ſi quis autem*, inquit, *Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* »

Auguſtin. in lib. Quæſt. quæſt. 2.

Joan. 15. 26.

Ibid. 20. 22.

Mat. 10. 20.

Rom. 8, 9.

Quid iſthîc, ô Græcorum Principes, dignum reprehenſione judicatis? Dicit Spiritum à Patre Filioque procedere. Probat hoc Evangelii teſtimonio. Dicit & Patris & Filii eſſe Spiritum; affirmat tam ex Evangelio quàm ex Apoſtolo. Si non vultis Latinis, Evangelio credite. Si verbis Auguſtini aurem præbere non vultis, præbete Chriſto, præbete Apoſtolo. Quòd ſi contemnitis Chriſtum & Apoſtolum, videte ne contemnamini. Horum enim qui non ſequitur doctrinam, ſocietatem à ſe quidem repellit Chriſti diſcipulorum; nec erit particeps Eccleſiæ, qui doctrinam repellit Eccleſiaſticam; nec cum Chriſto portionem eſt habiturus, Chriſti magiſterium qui non amplectitur.

GREGORIUS Romanæ Sedis Epiſcopus, Tiberii Conſtantini temporibus Apocriſarius, tunc quidem Diaconus, poſtea verò Præſul eximius: Imperatoribus Tiberio, Mauritioque, necnon Focæ chariſſimus atque familiariſſimus: qui cum Diaconus, & Romanæ Sedis Legatus Conſtantinopoli degeret, Eutychium Conſtantinopoleos Epiſcopum de Reſurrectione carnis peſſimè dogmatizantem, Imperatoris in præſentiâ, divinorum authoritate librorum, ipſiuſque rei veritate Catholicâ evicit, confutavit: de Spiritûs ſancti proceſſione ſic loquitur in homiliâ habitâ ad populum octavis Paſchæ: « Nam ſanctum quoque Spiritum, qui cum ſit coæqualis Patri & Filio, non tamen incarnatus eſt, à Patre quidem Filius mittere ſe perhibet, dicens: *Cum venerit Paracletus quem ego mittam vobis à Patre.* Si enim mitti ſolummodò incarnari deberet intelligi, ſanctus proculdubio Spiritus nullomodo diceretur mitti, qui nequaquam incarnatus eſt; ſed ejus miſſio ipſa proceſſio eſt, quâ de Patre procedit & Filio. Sicut itaque Spiritus mitti dicitur quia procedit, ita & Filius non incongruè mitti dicitur quia generatur. Illius authoritatem Præſulis ſi contemnere molimini, videte quo ſuperbiæ cornu vos erigitis. Veſtris prioribus tam ſanctitatis quàm ſapientiæ reverentiſſimus exſtitit magnificentiâ, qui cum foret Legatus Sedis, & Diaconatûs officio fungens, tantâ contrivit authoritate veſtræ Conſtantinopolis Epiſcopi prava dogmata, quo non ſolùm ipſum evinceret, verùm dogmatis illius vires uſque adeò proſtraverit, ut ne reſpirare poſtea virtutem obtinuerit. Quod autem dicit de ſancti Spiritûs proceſſione; rationis approbat virtute, dicens non aliud eſſe mitti paraclitum à Filio, quàm procedere; ſicut Filius eum mitti dicitur à Patre, ejus nativitas inſinuatur.

Homil. 26. in Evang.

Joan. 15. 26.

Auguſtinus Epiſcopus in Evangelii Tractatu ſecundum Joannem, ſic ait: « Hic aliquis forſitan »

S. Auguſt. Tract. 99.

» quærat utrum & à Filio procedat Spiritus ſanctus: Filius enim ſolius Patris eſt Filius, & Pater ſolus Filii eſt Pater; Spiritus autem ſanctus non eſt unius eorum Spiritus, ſed amborum. Habes ipſum dicentem: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Habes & Apoſtolum: *Miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda noſtra.* Numquid duo ſunt, alius Patris, alius Filii? abſit: *Unum enim corpus*, ait, *ſumus* cum ſignificaret Eccleſiam, moxque addit; *Et unus Spiritus.* » Et in conſequentibus plura ponit teſtimonia, quibus approbat Spiritum ſanctum & Patris & Filii Spiritum eſſe; nec alterum Patris, alterum Filii, ſed qui ſit Filii, ſit etiam Patris Spiritus. His evidentibus teſtimoniis quiſquis contraire conatus fuerit, ſanctæ ſcripturæ contradicere manifeſtè probabitur. Et infrà: » Si ergo & de Patre & de Filio procedit Spiritus ſanctus, cur Filius dixit, *de Patre procedit*? cur putas, niſi quemadmodum ſolet ad eum referre & quod ipſius eſt, de quo & ipſe eſt. Inde illud eſt quod ait: *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui me miſit.* Si igitur intelligitur hîc ejus doctrina, quam tamen dixit non ſuam, ſed Patris; quanto magis intelligendus eſt & de ipſo procedere Spiritus ſanctus, ubi ſic ait, *De Patre procedit*, ut non diceret, de me non procedit. « Evidentiſſimâ ratione Doctor Auguſtinus Spiritum ſanctum monſtrans tam à Patre quàm à Filio procedere: teſtimonio quoque illo Evangelii quo ait Filius de Spiritu, quòd de Patre procedat, opinionem ſuam affirmat. Dicit enim ſic eſſe intelligendum quod ait, *De Patre procedit*, ut intelligatur etiam de Filio procedere: non enim voluit negare quòd de ſe procederet, ſed Patris perſonam ponens, ſuam quoque pariter voluit intelligi: ſicut & illud ubi ait; *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui me miſit.* Hoc dicens oſtendit ſuam quoque pariter eſſe; ſed Patris dicit eſſe; quoniam ſicut ab illo eſt, ſic & ejus doctrina Patris eſſe dicitur; quoniam quidquid habet Filius, naſcendo ſumſit à Patre: ſic quoque dicens Spiritum de Patre procedere, de ſe quoque non negat procedere: oſtendit tamen unde Filius habeat quod à ſe procedat Spiritus, videlicet à Patre, à quo genitus accepit ut ex illo procederet Spiritus. Unde conſequenter ſanctus Auguſtinus: » A quo autem habet Filius ut ſit Deus, (eſt enim de Deo Deus) ab illo habet utique, ut etiam de illo procedat Spiritus ſanctus: ac per hoc Spiritus ſanctus ut etiam de Filio procedat, ſicut procedit de Patre, ab ipſo habet Patre. » Mirabili prorsùs ſubtilitate Doctor egregius & Filii nativitatem & ſancti Spiritûs proceſſionem inſinuat, dicens, accepiſſe Filium à Patre & ut eſſet tamquam Deus de Deo, & ut à ſe procederet Spiritus; nihilominùs etiam accepiſſe Spiritum ſanctum ab eodem Patre ut de Filio procedat, ſicut procedit de Patre: quod dicens, utrumque confitetur & Filium & Spiritum ſanctum à Patre, qui fons eſt divinitatis, & Filium accepiſſe, & Spiritum ſanctum; Filium generationem, & Spiritûs ſancti de ſe proceſſionem; Spiritum verò ſanctum accepiſſe tam de Patre quàm de Filio proceſſionem, non tamen generationem, quod eſt ſolius Filii de ſolo Patre.

Matt. 10. 20.

Galat. 4. 6.

Epheſ. 4. 4.

Joan. 15. 26.

Ibid. 7. 16.

Hîc ſubjicit illam quæſtionem, quæ nonnullos ſolet movere legentes, ſi Spiritus ſanctus natus eſſe dicatur? Dicit itaque: » Hîc utcumque etiam illud intelligitur, quantum à talibus quales nos ſumus intelligi poteſt, cur non dicatur natus eſſe, ſed potiùs procedere Spiritus ſanctus. Quoniam ſi & ipſe Filius diceretur, amborum utique Filius diceretur, quod abſurdiſſimum eſt: filius quippe nullus eſt duorum, niſi patris & matris. Abſit autem, ut inter Deum Patrem & Deum Filium tale aliquid ſuſpicemur. Nec filius hominum ſimul & ex patre & ex matre procedit; ſed cum in matrem procedit ex patre, non tum procedit ex matre: & cum in hanc lucem procedit ex matre, non tunc procedit ex patre. Spiritus autem ſanctus non de Patre procedit in Filium, & de Filio procedit ad ſanctificandam creaturam, ſed ſimul de utroque procedit; quamvis hoc Filio Pater dederit ut quemadmodum de ſe, ita quoque de illo procedat. Neque enim poſſumus dicere quòd non ſit vita Spiritus ſanctus: cum vita ſit Pater, vita ſit & Filius. Ac per hoc ſicut Pater cum habeat vitam in ſemetipſo, dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo; ſic ei dedit vitam procedere de illo, ſicut procedit & de ipſo. « Veriſſimâ ratione comprobat Spiritum ſanctum tam à Patre quàm à Filio procedere, nec tamen amborum eſſe Filium cum ſit utriuſque Spiritus: Filius namque duorum, matris eſt ac patris: nihil enim tale novit proceſſio ſpiritalis: non eſt enim hîc diſtinctio ſexûs, quia non eſt carnalis propago, carne vel oſſibus fabricata; nec per intervalla temporum fit iſta proceſſio, ut alio tempore procedat à Patre, alio verò procedat à Filio, ſed ſimul ab utroque. Nec eo modo fit ut fieri ſolet in carnali generatione; non eſt enim hîc ulla defluxio, qualis ſolet ſeminis eſſe de viro in uxorem; ſed neque propago qualis exſtat à matre in filii generationem: in his enim omnibus permutationis motus exiſlit; qui motus à ſpiritali[e] proceſſione longè remotus exſtat. Procedit enim Spiritus ſanctus tam à Patre quàm à Filio, præter ullum motum, præter ullam commutationem, præter ullam defluxionem: potentiâ namque voluntatis efficitur iſta proceſſio, non aliquâ temporali permutatione, vel extenſione, vel tamquam de patre ſeu matre procreatione, ſed veluti de duobus ſubjectis unum lumen, non ut Pater & Filius ſubjecti ſint Spiritui, ſed quòd Pater & Filius duæ perſonæ, unius tamen eſſentiæ, à quibus tertia procedit Spiritûs ſancti perſona; non quaſi qualitas duorum, ſed veluti conſubſtantialitas utriuſque. Sicut beatus Auguſtinus ait; vita Pater; vita Filius, vita Spiritus ſanctus. Sed vita Pater de nullâ vitâ ſumendo vitam; vita Filius, de Patre vitâ capiendo vitam; vita Spiritus ſanctus de Patre Filioque vitâ prodeundo ſumens vitam. Non enim deitate poterit eſſe Trinitas perfectæ conſubſtantialitatis, ſi non Spiritus ſanctus hoc fuerit quod & Pater & Filius.

Et quidem quòd de Patre procedat, nulla nunc vertitur quæſtio; quod autem à Filio procedat, ipſe Filius teſtis exiſtit, qui loquitur: *De meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Sed hinc Hæretici gradus in divinitate conſtruere voluerunt, dicentes: ſi Filius accipit à Patre, & Spiritus ſanctus à Filio, minor eſt Spiritus ſanctus à Filio. Huic perverſæ propoſitioni obviat beatus Auguſtinus, ſuperiùs poſitum tractans capitulum: » Quod autem ait *De meo accipiet, & annuntiabit vobis*, catholicis audite auribus, catholicis percipite mentibus. Non enim propterea, ſicut quidam hæretici putaverunt, minor eſt Filio Spiritus ſanctus; quia Filius accipiat à Patre, & Spiritus ſanctus à Filio, quibuſdam gradibus naturarum. Abſit hoc credere, abſit hoc

Hæreticorum objectio.

Joan. 16. 14.

Hos confutat S. Auguſtin. ibid Tract. 100. ante finem.

[e] *à ſpiritali proceſſione*] Ita legendum eſſe nemo ſani judicii negaverit: quod antea legebatur *à ſpeciali proceſſione*, totam ſententiam perturbabat: ſi verò erroris originem ſcire velit lector, monere non gravabimur eum inde oriri potuiſſe, quòd amanuenſis ſcripſerit *à ſpali proceſſione.*

» dicere, abſit à Chriſtianis cordibus cogitare. De- » nique continuò ſolvit quæſtionem, & cur hoc » dixerit explanavit: *Omnia*, inquit, *quæcumque » habet Pater, mea ſunt: propterea dixi, quia de meo » accipiet, & annuntiabit vobis.* Quid vultis am- » plius? Ergo de Patre accipit Spiritus ſanctus, » unde accipit Filius: quia in hac Trinitate de Pa- » tre natus eſt Filius, de Patre procedit Spiritus ſan- » ctus. Qui autem de nullo natus ſit, de nullo » procedat, Pater ſolus eſt. « Non eſt contrarium quod nunc agit Spiritum ſanctum de Patre procedere, ſuperioribus, ubi dixit eumdem Spiritum ſanctum à Filio procedere, ſed auſert minorationem quam Hæretici garriebant, & commendat æqualitatem, quam catholici credunt. Nam ſi tantùm Spiritus ſanctus à Filio diceretur accipere, non etiam à Patre, præberetur locus Arrianis fingendi gradus in divinitate: nunc autem dicens de Patre quòd procedat Spiritus ſanctus, non eſt unde fingant minorationem; quoniam inde accipit etiam Spiritus ſanctus ut procedat, unde accipit Filius ut naſcatur: & dum ambo percipiunt à Patre, Filius nativitatem, Spiritus ſanctus proceſſionem, non eſt unde alter alteri præferatur. Nec tamen idcirco negandum quòd de Filio quoque procedat: ait namque Filius: *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Habet autem Pater ut de illo procedat Spiritus ſanctus, conſequenter & Filius habet ut de illo quoque procedat; ergo procedit ab utroque Spiritus ſanctus.

Joan. 16. 15.

Ibid. 16. 15.

CAPUT III.

Augustin. lib. 1. de Trinit. cap. 4.

IN libro de ſanctâ Trinit. primo ſic ait: » Quam- » vis Pater Filium genuerit, & ideo Filius non » ſit qui Pater eſt; Filiuſque à Patre ſit genitus, & » ideo non ſit Pater qui Filius eſt: Spiritus ſanctus » nec Pater ſit, nec Filius, ſed tantùm Patris & » Filii Spiritus, Patri & Filio etiam ipſe coæqualis, » & ad Trinitatis pertinens unitatem: non tamen » eamdem Trinitatem natam de Virgine Maria, » & ſub Pontio Pilato crucifixam, & ſepultam, » tertiâ die reſurrexiſſe, & in cœlum aſcendiſſe, » ſed tantummodo Filium. « Diſtinctè ſingularum in ſanctâ Trinitate Perſonarum proprietates inſinuat, & ad ſolum Filium Incarnationem pertinere. Etenim Pater non eſt idem qui Filius, quoniam genuit Filium; & Filius non idem qui Pater, ſed tantummodo Filius qui ſit à Patre genitus: Spiritus quoque ſanctus nec Pater ſit, nec Filius, ſed tantùm Patris & Filii Spiritus. Et quoniam utriuſque dicitur Spiritus, conſequenter ab utroque procedere confitendus. Sicut enim Patris dicitur eſſe, quia procedit à Patre: ſic Filii quoque profitetur eſſe, quia procedit à Filio. Similis etenim cauſa cur ſit utriuſque, ſimiliter confitetur ab utroque procedere; & cum ſit Patri Filioque coæqualis, & ad Trinitatis pertineat unitatem, Incarnatio tamen Filii nec ad Patrem, nec ad Spiritum ſanctum pertinet; pertinet autem ad ſolum Patrem genuiſſe Filium; ad Filium autem hominem ſuſcepiſſe perfectum: ad Spiritum quoque ſanctum ex Patre Filioque proceſſiſſe. Item in conſequentibus: » Mo- » vet etiam quomodo Spiritus ſanctus in Trinitate » ſit, quem nec Pater, nec Filius, nec ambo ge- » nuerint, cum ſit Spiritus & Patris & Filii. « His verbis generationem removet à Spiritu ſancto, quem nec Pater ſolus, nec Filius ſolus, nec ambo genuiſſe dicantur; attamen ſit & Patris & Filii Spiritus: nimirum inſinuans quia qui naſcendo non ſit Filius, procedendo ſit amborum Spiritus: ubi enim nativitas tollitur, & amborum eſſe dicitur, proceſſio ſine dubio ſignificatur, & non ab uno tantummodo, hoc eſt, vel à Patre, vel à Filio, ſed ab utroque, quoniam non unius tantùm Spiritus, ſed utriuſque fore comprobatur.

Ibid. cap. 5.

Item infrà: » Jam enim oſtendimus in hac Tri- « nitate per multos loquutionum divinarum modos « etiam de ſingulis dici quod omnium eſt, propter « inſeparabilem operationem unius ejuſdemque ſub- « ſtantiæ. Sicut & de Spiritu ſancto dicit: *Cum* « *ego iero, mittam illum ad vos.* Non dixit mitte- « mus, ſed ita quaſi tantùm Filius eum miſſurus « eſſet, & non Pater. Cum alio loco dicat: *Hæc lo-* « *quutus ſum vobis apud vos manens; Advocatus* « *autem ille, Spiritus ſanctus, quem mittet Pater* « *in nomine meo, ille vobis declarabit omnia.* Hîc « rurſus ita dictum eſt, quaſi non eum miſſurus eſ- « ſet & Filius, ſed tantùm Pater. « Frequenter dictum eſt miſſionem Spiritûs proceſſionem eſſe; quapropter cum teſtatur Filium eum miſſurum eſſe, proceſſionem ejus à Filio ſignificat: item cum dicat Patrem miſſurum Spiritum ſanctum in nomine Filii, rurſus proceſſionem ejus de Patre ſignat. Et dum ab utroque mitti dicitur, ab utroque procedere comprobatur. Et dat generalem ſanctæ Trinitatis regulam, dicens de ſingulis dici quod omnium eſt, » propter inſeparabilem operatio- « nem unius ejuſdemque ſubſtantiæ. « Quo dicto manifeſtè docemur, quòd cum dicatur Spiritus à Patre procedere, intelligendum pariter quod & à Filio procedat. Itemque cum dicitur à Filio mitti, ſimul intelligendum quòd & à Patre mittatur; quoniam Pater & Filius ſicut unius ejuſdemque ſunt ſubſtantiæ, ſic unius ejuſdemque ſunt operationis. Quâ de re qui negat Spiritum à Filio mitti, cum fateatur eum à Patre mitti, negat proculdubio Filium Patri cooperari; ac per hoc jam Patrem & Filium dicit non unius ejuſdemque operationis: quod dicens, conſequenter negat Patrem & Filium unius ejuſdemque fore ſubſtantiæ. Tale eſt & illud quod Filius teſtatur, Spiritum à Patre procedere. Quiſquis negare maluerit non eum quoque à Filio procedere, negat pariter Filium non ejuſdem eſſe operationis cum Patre: ac per hoc Patrem Filiumque non unius ſed diverſæ fore ſubſtantiæ. Quod quoniam Arrianæ videmus impietatis de fonte manare, profiteamur cum Catholicis totam ſibi Trinitatem cooperari, & de omnibus intelligendum de ſingulis quod dicitur: quoniam cum ſit tota Trinitas unius ejuſdemque ſubſtantiæ, ſeparari nequaquam poteſt operatione. Quâ de re cum dicitur Spiritus à Patre procedere, pariter quoque ſentiendum dici quod procedat & à Filio.

Joan. 16. 7.

Ibid. 14. 25.

Idem lib. 15. de Trinit. c. 6.

Item in lib. 15. ſanctæ Trinitatis: » Dicitur qui- « dem in ſcripturis ſanctis Chriſtus Dei virtus, & « Dei ſapientia. Sed quemadmodum ſit intelligen- « dum, nec Patrem Filius videatur facere ſapientem, « in libro ſeptimo diſputatum eſt. Et ad hoc ratio « pervenit, ut ſic ſit Filius ſapientia de ſapientiâ, « quemadmodum lumen de lumine, Deus de Deo. « Nec aliud potuimus invenire Spiritum ſanctum, « niſi & ipſum eſſe ſapientiam, & ſimul omnes unam « ſapientiam; ſicut unum Deum, unam eſſentiam. « Quid iſthinc edocemur, niſi proceſſionem Spiritûs tam de Patre quàm de Filio; & hanc Trinitatem unius ſubſtantiæ? Dicit ſapientiam eſſe Patrem, ſapientiam Filium, ſapientiam quoque Spiritum ſanctum: ſed Pater ſapientia de nullâ ſapientiâ. Non enim à Filio ſumſit ut eſſet ſapiens; quoniam cum ſit ipſe fons & principium univerſalitatis, à ſemetipſo ſapiens eſt, non alicujus participatione. Sicut Deus non ab aliquo, ſed à ſemetipſo lumen: non

enim habet aliquid ſuperius, vel præcedens, alioquin non erit univerſitatis principium; ſed nec imperfectus, nec indigens alicujus Deus, ſed plenus, & verus, & perfectus Deus: igitur à ſemetipſo ſapiens. Filius verò ſapientia, ſed de Patre ſapientia; quoniam hoc genuit Pater quod eſt. Spiritus quoque ſapientia, ſed non de nullâ ſapientiâ: ſolus enim Pater de nullo. Unde igitur, niſi de ſapientiâ? Pater autem ſapientia, Filius quoque ſapientia, ergo Spiritus ſapientia de Patre Filioque ſapientiâ. Non enim Pater ſapientia, Filiuſque ſapientia, diverſitate ſeparantur, ſed unitate copulantur. Mittit igitur uterque Spiritum ſapientiam procedentem ab utroque.

Ibid. c. 7. Item poſteriùs: » Ecce ergo tria illa, id eſt, memoria, intelligentia, dilectio ſeu voluntas, in illâ ſummâ & immutabili eſſentiâ quod eſt Deus, non Pater & Filius & Spiritus ſanctus ſunt, ſed Pater ſolus. Et quia Filius quoque ſapientia eſt genita de ſapientiâ, ſicut nec Pater ei, nec Spiritus ſanctus ei intelligit, ſed ipſe ſibi, ita nec Pater ei meminit, nec Spiritus ſanctus ei diligit, ſed ipſe ſibi: ſua enim eſt & ipſe memoria, ſua intelligentia, ſua dilectio; ſed ita ſe habere, de Patre illi eſt, de quo natus eſt. Spiritus etiam ſanctus quia ſapientia eſt procedens de ſapientiâ, non Patrem habet memoriam, & Filium intelligentiam, & ſe dilectionem: neque enim ſapientia eſſet, ſi alius ei meminiſſet, eique alius intelligeret, ac tantummodo ſibi ipſe diligeret; ſed ipſe habet hæc tria; & ea ſic habet, ut hæc ipſa ipſe ſit: veruntamen ut ita ſit, inde illi eſt unde procedit. » Subtiliter nimis atque divinè Perſonarum Trinitatis diſtinctiones inſinuans, ſapientiam dicit eſſe Patrem, ſapientiamque Filium, ſapientiam quoque Spiritum ſanctum; ſed Filium genitum, qui eſt ſapientia de Patre, qui ſimiliter eſt ſapientia; & Spiritum procedentem, qui ſit etiam ſapientia, ſed de Patre qui ſapientia eſt, Filioque qui ſimiliter ſapientia eſt. Et ut evidentiùs elareat quod dicit, ponamus ſuperiùs poſitam ſimilitudinem. Tria enim conſtituit, videlicet memoriam, intelligentiam, dilectionem, tamquam Trinitatis ſimilitudinem in interiori homine poſitam, de quibus multum diſputat, tam in decimo quinto libro, quàm & in aliis ejuſdem Operis, approbans in memoriâ contineri tam intelligentiam quàm dilectionem, & de memoriâ intelligentiam naſci; de utrâque verò, memoriâ ſcilicet & intelligentiâ, dilectionem procedere; & hæc tria ſimul eſſe atque unius ſubſtantiæ. Ea enim meminimus quæ intelligimus, & cum volumus intelligentiam noſtram intueri, non valemus niſi de memoriæ quodam ſecreto procedat, tamquam generetur: & cum approbamus intelligentiam noſtram de memoriâ progenitam, fit amor quidam complectens & intelligentiam & memoriam: nam delectatur & intelligentiâ, quam approbat, & memoriâ de quâ novit natam intelligentiam, quam diligit: unde fit, ut hæc dilectio tam de memoriâ quàm de intelligentiâ naſcatur. Si nulla namque foret intelligentia, nulla poſſet eſſe ejus dilectio; & ſi nulla foret memoria, non eſſet unde conſiſteret intelligentia. Nihil enim intelligimus cujus memoriam non habemus: diſtinguuntur tamen iſta propriis intellectûs ſui finibus. Memoria namque non per ſe intelligit, ſed per intelligentiam; nec intelligentia per ſe ſui meminit, ſed per memoriam: ſic & dilectio ſine memoriâ vel intelligentiâ non diligit; ſublato namque intellectu non eſt quod memoria retineat; & ſublatâ memoriâ dilectio nihil meminit; quâ de re dilectio jam non erit, cum non ſit quod diligat, vel non meminerit quo ſe diffundat. Sic igitur iſta tria & ſimul ſunt, & ex alterutro naſcuntur, & ſuis finibus diſtinguuntur, & mutuò ſuimet indigentiam habent.

Sed non eodem modo ſancta Trinitas æſtimatur, ſicut Doctor iſte venerabilis inſinuat. Eſt enim Pater & Filius & Spiritus ſanctus tota Trinitas, tamquam memoria, intelligentia, dilectio. Et Pater quidem veluti fons de quo Filius naſcitur, ſicut memoria principium quoddam exiſtit, ex quo formatur intelligentia. Filius quoque cum ſit ſapientia, de Patre naſcitur, velut intelligentia de memoriâ generatur: Spiritus quoque ſanctus, & ipſe ſapientia, qui tamen eſt dilectio, procedit à Filio & à Patre, velut dilectio de intelligentiâ & memoriâ procedit. Verùm cum ita ſit, non eſt perſonarum talis diſtinctio, ut Pater non ſit ſapiens niſi per Filium, & Filius non diligat niſi per Spiritum ſanctum, velut in hominis trinitate videmus interioris, memoriam non per ſe, ſed per intelligentiam intelligere, & intelligentiam non per ſe, ſed per memoriam meminiſſe: intelligentiam quoque non per ſe, ſed per dilectionem diligere: dilectionem quoque non per ſe intelligere, nec per ſe meminiſſe, ſed per memoriam meminiſſe, & per intelligentiam intelligere. Non eſt enim illa Trinitas, quæ eſt ſumma & immobilis eſſentia, id eſt, Deus, memoria, intelligentia, dilectio, ut hæc tria ſint Pater & Filius & Spiritus ſanctus, tamquam Pater memoria, Filius intelligentia, & Spiritus ſanctus dilectio; ſed ſolus Pater hæc tria ſit, & Filius ſimiliter hæc tria, Spiritus quoque ſanctus hæc tria pariter. Pater enim ex ſe & meminit & intelligit & diligit: non enim accepit à Filio intelligentiam; alioquin naſci diceretur à Filio, quod non eſt quidem catholicum; nec dilectionem accepit à Spiritu ſancto, videretur enim de illo procedere, quod eſt perverſum; ſed à ſemetipſo meminit, ſapit, diligit. Filius quoque cum ſit ſapientia, genitus de ſapientiâ, non ei Pater meminit, ſed ipſe ſibi; ſicut nec ei Pater intelligit, ſed ipſe ſibi: nec Spiritus ſanctus ei diligit, ſed ipſe ſibi: nam ex ſe meminit & intelligit & diligit. Spiritus etiam ſanctus, qui eſt & ſapientia procedens de ſapientiâ, non habet Patrem ſibi memoriam, & Filium intelligentiam, & ſibi ſolummodo dilectionem, ſed habet ſimul hæc tria, memoriam, intelligentiam, dilectionem: per ſe namque meminit, per ſe intelligit, & per ſe diligit; ut tamen hæc tria ſit, inde habet unde procedit, id eſt, tam à Patre quàm à Filio: procedit enim ab utroque. Videmus enim ſubtiliſſimâ veriſſimâque ratione monſtratum, cui contradici nemo prudens poſſit, quòd Spiritus ſanctus & de Patre procedat & Filio; & cum ſit amborum Spiritus, non tamen vel amborum, vel alterutrius Filius: ſiquidem dilectio, quam naſci dicimus de memoriâ & intelligentiâ, non tamen filia dicitur vel amborum vel alterutrius.

Item in conſequentibus: » Nunc de Spiritu ſancto, quantum Deo donante videre conceditur, diſſerendum eſt; qui Spiritus ſanctus ſecundùm ſcripturas ſanctas nec Patris eſt ſolius, nec Filii ſolius, ſed amborum; & ideo communem quâ invicem ſe diligunt Pater & Filius, inſinuat Trinitatem. « Quòd Patris ſolius non eſt Spiritus, nec Filii ſolius, ſed amborum, cauſa eſt, quia procedit ab utroque, & ideo communem inſinuat Trinitatem, quâ ſe diligunt invicem Pater & Filius, utrumque conjungens, velut ex utroque procedens: non quaſi qualitas amborum, ſed ut exiſtens in Trinitate tertia Perſona conſubſtantialis & coæqualis. Item poſteriùs: « Eſt enim & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus ſanctus Deus, & ſimul omnes unus Deus. Et tamen non fruſtrà in hac Trinitate non dicitur Verbum Dei, niſi Filius, nec donum Dei niſi Spiritus ſanctus; nec de quo genitum eſt Ver- «

Eodem lib. 15, cap. 17.

» bum, & de quo procedit principaliter Spiritus » ſanctus, niſi Deus Pater. Ideo autem addidi, » principaliter, quia & de Filio Spiritus ſanctus » procedere reperitur. Sed hoc quoque illi Pater » dedit, non jam exiſtenti, & nondum habenti, » ſed quidquid unigenito Verbo dedit, gignendo » dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiam de illo do- » num commune procederet, & Spiritus ſanctus, » Spiritus eſſet amborum. » Et hoc teſtimonio Spiritum ſanctum procedere comprobat à Filio; attamen ſingulis ſanctæ Trinitatis Perſonis quaſi aliquid proprium aſſignat, cum ſit Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus ſanctus Deus, & ſimul omnes unus Deus. Eſt autem proprium Verbi Dei ut dicatur ſolus Filius, & proprium doni Dei ut ſolus dicatur Spiritus ſanctus, & de quo genitum eſt Verbum, & de quo procedit principaliter Spiritus, non vocitetur niſi Deus Pater. Et hæ ſunt in ſanctâ Trinitate ſingularum proprietates Perſonarum. Principaliter autem Spiritum dixit de Patre procedere, quoniam reperiatur & de Filio procedere; & hoc quoque dederit illi Pater non tamquam priùs exiſtenti, & hoc non habenti, ſed gignendo dedit; quoniam quidquid habet Filius à Patre gignendo percepit: non enim priùs eum genuit Pater, & poſtea dedit ut de Filio procederet Spiritus, ſed ei gignendo contulit, ut etiam de illo donum commune procederet, hoc eſt Spiritus ſanctus, quem dicit eſſe donum tam Patris quàm Filii, quoniam ſit Spiritus amborum.

Ibid. cap. 19. Item infrà: » Si in donis Dei nihil majus eſt cha- » ritate, & nullum eſt majus donum Dei quàm Spi- » ritus ſanctus, quid conſequentius quàm ut ipſe » ſit charitas, qui dicitur & Deus ex Deo? Et ſi » charitas quâ Pater diligit Filium, & Patrem dili- » git Filius, ineffabiliter communionem demonſtrat » amborum; quid convenientius quàm ut ille pro- » priè dicatur charitas, qui Spiritus communis eſt » ambobus? Superiùs donum Dei Spiritum ſanctum dixerat, & hac proprietate Spiritûs ſancti Perſonam à Patris Filiique Perſonâ diſcreverat; quod donum Dei modò charitatem appellat, quæ ſit inter dona divinitatis præcipuum donum, eo quod ſecundùm
1. Cor. 13. 3. Apoſtolum, cætera dona ſine charitate nihil ſint; & hanc charitatem dicit Deum ex Deo, ſignificans Spiritum ſanctum procedentem ex Deo. Et quia Deus commune vocabulum eſt tam Patris quàm Filii, nec appareat de quo dicat eum procedere, conſequenter hoc demonſtrat, dicens: » Et ſi charitas quâ Pater diligit Filium, & » Patrem diligit Filius, ineffabiliter communionem » demonſtrat amborum; quid convenientius quàm » ut ille propriè dicatur charitas, qui Spiritus eſt » communis ambobus? » Quod dicens & Spiritum ſanctum charitatem appellat, & communiter de ambobus, Patre ſcilicet Filioque procedere confitetur: non enim aliter poſſet ambobus communis exiſtere, niſi ex ambobus communiter procederet.

Ibid. cap 23. Item poſteriùs: » In illâ ſummâ Trinitate, quæ » incomparabiliter rebus omnibus antecellit, tanta » eſt inſeparabilitas, ut cum Trinitas hominum non » poſſit dici unus homo; in illâ unus Deus & di- » catur, & ſit, nec in uno Deo ſit illa Trinitas, ſed » unus Deus. Nec rurſus quemadmodum iſta imago » quod eſt homo habens illa tria, una Perſona eſt; » ita eſt illa Trinitas: ſed tres Perſonæ ſunt, Pater » Filii, & Filius Patris, & Spiritus Patris & Filii. Cum dicat Patrem Filii eſſe Patrem tantummodò, & Filium Patris eſſe Filium; Spiritum verò non Patris ſolùm vel Filii Spiritum, ſed amborum, profectò teſtatur, quòd ab utroque procedat. Nam Pater idcircò Filii Pater eſt, quòd eum genuit; & Filius idcircò Patris eſt Filius, quòd ab illo ſit genitus: conſequenter igitur Spiritus Patris & Filii Spiritus dicitur, quòd procedat & à Patre & à Filio. In hac autem Trinitate tantam docet inſeparabilitatem, ut cum Trinitas hominum non poſſit dici unus homo, (conſtat enim in tribus hominibus, quemadmodum Trinitas corporum in tribus corporibus, ac per hoc unus homo Trinitas non poteſt dici: eſt enim ſingulare inſecabile unius numeri) At in illâ ſummâ Trinitate & Trinitas dicitur Deus & unus Deus, nec tamen ut in uno Deo ſit illa Trinitas, videlicet ut unaquæque Perſona ſingulariter ſit Trinitas, id eſt, nec Pater ſolus Trinitas, nec Filius ſolus, nec Spiritus ſanctus ſolus; ſed cum Pater & Filius & Spiritus ſanctus ſit unus Deus, eſt Trinitas unus Deus. Nec enim quemadmodum imago Trinitatis hujus habet illa tria, id eſt, memoriam, intelligentiam, dilectionem, & propterea in unâ perſona Trinitas eſt, non quòd unus homo ſit Trinitas, ſed quòd in uno homine ſint illa tria; ita eſt in illa ſummâ Trinitate: ſed tres Perſonæ ſunt Pater & Filius & Spiritus ſanctus, ſed hæc tria unus Deus; & propterea Trinitas unus Deus. Tanta ſocietas eſt trium Perſonarum, tanta conſubſtantialitas, ut tres unum ſint, & unus Deus de tribus prædicetur: ſeparantur autem relatione tantùm; ſubſtantia verò copulantur. Nam Pater relativum eſt Filii, Filius relativum eſt Patris, Spiritus autem ſanctus Patrem & Filium habet relationem, unde convincitur ab utroque procedere. Item infrà:
Ibid. cap. 26. » Deinde in illâ ſumma Trinitate, quæ Deus eſt, » intervalla temporum nulla ſunt, per quæ poſſit » oſtendi, aut ſaltem requiri, utrum priùs de Patre » natus ſit Filius, & poſtea de ambobus proceſſerit » Spiritus ſanctus: quoniam ſcriptura ſancta Spiritum eum dicit amborum. » Ipſe eſt enim de quo dicit
Galat. 4. 6. Apoſtolus: *Quoniam autem eſtis Filii, miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda noſtra.* Et ipſe eſt de quo
Mat. 10. 20. dicit idem Filius: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Et multis aliis divinorum eloquiorum teſtimoniis comprobatur Patris & Filii eſſe Spiritum, qui propriè dicitur in Trinitate Spiritus ſanctus. De quo item
Joan. 15. 26. dicit ipſe Filius: *Quem ego mittam vobis à Patre.*
Ibid. 14. 26. Et alio loco, *Quem mittet Pater in nomine meo.* De utroque autem procedere ſic docetur, quia ipſe Filius ait: De Patre procedit. Et cum reſurrexiſſet à mortuis, & apparuiſſet diſcipulis, inſufflavit, & ait:
Ibid. 20. 22. *Accipite Spiritum ſanctum:* ut eum etiam de ſe
Luc. 6. 19. procedere oſtenderet. Et ipſe eſt *virtus quæ de illo exibat* (ſicut legitur in Evangelio) *& ſanabat omnes.* Quis ibi contradicendi locus eſt? Divinarum auctoritate ſcripturarum oſtenditur, quòd Spiritus ſanctus & Patris ſit & Filii, & quòd ab utroque procedat; ſi negari contenditur, negetur Apoſtolus, negetur & Filius hoc dixiſſe. Creditur Filio dicenti, quia procedit de Patre. Credatur quoque quòd miſerit eum à ſe cum inſufflavit, & ait diſcipulis: *Accipite Spiritum ſanctum.* Nihilominùs quoque virtus, quæ ſanabat omnes, exiens de Jesu Spiritum ſanctum à Filio procedere teſtificatur. Evidenter igitur oſtenditur Spiritus ſanctus procedere tam à Patre quàm à Filio, quamquam & illud evidentiſſimum ſit proceſſionis ipſius ab utroque teſtimonium, quòd dicitur eſſe Spiritus & Patris & Filii: eſt enim Spiritus amborum: non quia creatus per Filium à Patre, quod eſt impium, ſed quòd ſubſtantialiter procedat ab utroque. Nec quando proceſſerit vel de Patre vel de Filio, vel ſi poſtquàm genitus eſt Filius, proceſſerit ab utroque Spiritus ſanctus, ulla monſtrari poſſunt intervalla temporum: quod enim antecedit omne tempus, nullius menſurâ temporis

continetur. Non eſt igitur ordo proceſſionis quærendus in tempore; quod paternitatem concludit omne tempus. Nunquam Pater ſine Filio, nunquam Filius ſine Patre, nunquam Spiritus ſanctus ſine Patre Filioque, nunquam Pater & Filius ſine Spiritu ſancto.

Item infrà: » Numquid ergo poſſumus quærere utrum jam proceſſerat de Patre Spiritus ſanctus quando natus eſt Filius, an nondum proceſſerat; & illo nato, de utroque proceſſit, ubi nulla ſunt tempora: ſicut potuimus quærere ubi invenimus tempora, voluntatem priùs de humanâ mente procedere, ut quæratur quòd inventum proles vocetur, quâ jam partâ ſeu genitâ voluntas illa perficitur, eo fine requieſcens, ut qui fuerat appetitus quærentis, ſit amor fruentis, qui jam de utroque, id eſt; de gignente mente, & de genitâ notione tamquam de parente ac prole procedat? Non poſſunt prorſùs iſta ibi quæri, ubi nihil ex tempore inchoatur, ut conſequenti perficiatur in tempore. Quapropter qui poteſt intelligere ſine tempore generationem Filii de Patre, intelligat ſine tempore proceſſionem Spiritûs ſancti de utroque. « Teſtatur Beatus Auguſtinus proceſſionem Spiritûs ſancti tam de Patre quam de Filio fieri. Sed movet quæſtionem, de quâ jam ſuperiùs dictum eſt, utrum Spiritus ſanctus ante Filii nativitatem proceſſerit de Patre, & poſt nato Filio proceſſerit etiam ab illo: ſed in hanc quæſtionem illa compellit ſimilitudo, quâ dicitur de humanâ mente procedere voluntatem priuſquàm verbum formetur ex mente, ut fiat appetitus quidam voluntatis ad quærendum, quod cum inventum fuerit, vocetur tamquam proles mentis; quâ generatâ perficitur voluntas illa quâ proceſſit appetitus quidem ad quærendum; ſed hæc voluntas & primò de mente nata eſt antequàm quæreretur quod inveniri deſiderabatur, quo invento plena perficitur, dum ex ipſo invento multiplicatur: gaudet enim inveniſſe quod quæſivit: unde ex utroque nata voluntas, videlicet tam de mente quàm de invento, procedit ab utroque; ſed priùs à mente, & poſt ab invento; inde videlicet ad quærendum: hinc autem ut delectetur reperto. Nec tamen iſta duplex eſt voluntas, veluti prior mentis, poſterior inventi, ſed una, unius quidem rei, videlicet inventi inchoationem habens ex mente ad quærendum, perfectionem autem ejus quod quærebat inventi: ut qui primò fuerit appetitus quidam quærendi, poſt verò factus ſit amor invento fruendi. Sed iſta fiunt in rebus creatis quæ tempore continentur; at in divinitate tempus ubi nullum exſtat, tale nihil valet reperiri. Non enim dicitur ibi vel ante fuiſſe Pater, vel poſt genitus eſſe Filius, ſed ſemper Pater in Filio, & Filius in Patre manſit; nec Spiritus ſanctus procedendo potuit prævenire nativitatem Filii: quoniam ubi nullum exſtat tempus, nec ante vel poſt valet inveniri. Non enim poteſt conſequenti perfici tempore, quod exordium nullum habet ex tempore. Quâ de re qui poteſt generationem Filii de Patre cogitare ſine tempore, cogitet quoque proceſſionem Spiritûs ſancti tam ex Patre quàm ex Filio ſine tempore. Sicut igitur non eſt quærendum quando ſit natus Filius de Patre, ſic nullo modo quærendum quando proceſſerit Spiritus ſanctus ab utroque; vel ſi nativitatem Filii prævenerit de Patre procedendo. Ubi namque ſempiternitas ineſt, temporis ordo deeſt. Nec ex humanæ conditione creaturæ lex eſt ulla divinitatis æſtimanda; quoniam iſta facta ſub tempore temporis ordinem ſervat: illa verò conditrix temporis nullo temporis jure diſponitur: prævenit enim omnia quæ tempore continentur.

Subjungit etiam aliud unde comprobet procedere Spiritum ſanctum à Patre & à Filio ſine tempore, ſicut conſtat genitum eſſe Filium de Patre ſine tempore: Dicit autem: » Et qui poteſt intelligere in eo quod ait Filius: *Sicut habet Pater vitam in ſemetipſo, ſic dedit Filio vitam habere in ſemetipſo*: Non ſine vita exiſtenti jam Filio vitam Patrem dediſſe, ſed ita eum ſine tempore genuiſſe, ut vita, quam Pater Filio gignendo dedit, coæterna ſit vitæ Patris qui dedit: intelligat ſicut habet Pater in ſemetipſo, ut de illo procedat Spiritus ſanctus, ſic dediſſe Filio, ut de illo procedat idem Spiritus ſanctus, & utrumque ſine tempore: atque ita dictum, Spiritum ſanctum de Patre procedere, ut intelligatur, quòd etiam procedit de Filio, de Patre eſſe & Filio; ſi enim quidquid habet de Patre Filius, de Patre habet, utique ut & de illo procedat Spiritus ſanctus. Sed nulla ibi tempora cogitentur, quæ habent prius & poſterius, quia omnino nulla ibi ſunt. « Procedere Spiritum ſanctum de Filio, ſicut procedit de Patre, teſtificatur; quòd tamen procedit à Filio dediſſe Patrem Filio, non priùs exiſtenti, ſed gignendo: quoniam quæcumque dedit Pater Filio, non tamquam minori, vel priùs exiſtenti, dedit, ſed gignendo dedit. Et dat ſimilitudinem quâ clariùs fiat quod approbat: » qui poteſt, inquit, intelligere quod ait Filius: *Sicut habet Pater vitam in ſemetipſo, ſic dedit Filio vitam habere in ſemetipſo.* Non ſine vitâ exiſtenti jam Filio vitam Patrem dediſſe. « Exiſteret Filius ſine vitâ, ſi priùs aliquo modo fuiſſet quam viveret, ut exiſtenti jam poſtea fuerit illa vita contributa. Quemadmodum Geneſis de primo Adam loquitur, dicens: *Formavit igitur Deus hominem de limo terræ.* Et poſt infertur: *Et inſufflavit in faciem ejus ſpiraculum vitæ.* Priùs namque eum dicit fuiſſe formatum, & poſtea jam formato, videlicet per propriæ formationis qualitatem exiſtenti, ſpiramentum vitæ contributum. Sed non ſic Filio Pater vitam dedit tamquam priùs gigneret, cui poſtea genito vitam donaret: ſed gignendo vitam dedit, quoniam ſubſtantialiter vita Filius eſt, cui gignendo vitam dedit. Homo denique priùs formatus exſtitit, & poſt vitam accepit, quoniam participando non naſcendo vitam accepit: non enim ſubſtantialiter vita fuit, ſed participatione vitæ vixit. At verò Filius Patris unigenitus non participatione vitam accepit, ſed ſubſtantialiter de Patre genitus eſt vita: non enim exiſtenti tamquam ſine vitâ manenti data eſt vita, ſed genitus eſt totus vita coæqualis & conſubſtantialis vitæ Patris, qui gignendo dedit ei vitam.

Joan. 5. 26.

Geneſ. 2. 7.

Sequitur: » Sed ita eum ſine tempore genuiſſe, ut vita quam Pater Filio gignendo dedit, coæterna ſit vitæ Patris qui dedit. « Hoc dicens oſtendit vitam eſſe Patrem, & vitam eſſe Filium; ſed vita Filius accepit à Patre, ut eſſet vita; non priùs exiſtens ſine vitâ, ſed genitus vita, quæ coæterna ſit & conſubſtantialis vitæ Patris, qui dedit Filio vitam generando. Quiſquis hoc intelligere quomodo ſit valet, intelligat quoque ſicut habet Pater in ſemetipſo ut de illo procedat Spiritus ſanctus, ſic dediſſe Filio ut de illo procedat idem Spiritus ſanctus. Vult enim approbare accepiſſe Filium à Patre ſicut gignendo vitam, ſic etiam gignendo ut de illo procedat Spiritus ſanctus, non alter, ſed idem qui procedit à Patre. Et cum negare nemo ſanæ mentis valeat vitam ſumſiſſe Filium de Patre ut ſit vita ſicut eſt Pater, ſic conſequenter negare non poſſit accepiſſe Filium à Patre ut de illo procedat Spiritus ſanctus: & hoc utrumque ſine tempore; quoniam ſicut ſine tempore procedit à Patre, ſic quoque

ſine tempore procedit à Filio; quoniam iſta proceſſio eſt minimè temporalis, ſed æterna. Sicut enim nativitas Filii de Patre removet omne tempus, ſic proceſſio Spiritûs ſancti quæ ſit ab utroque, nullum tempus agnovit.

Adjungit: «Atque ita dictum Spiritum ſanctum de Patre procedere, ut intelligatur quòd etiam procedit de Filio, de Patre eſſe & Filio.» Vult ut intelligatur cum legitur vel dicitur Spiritus ſanctus de Patre procedere, pariter quoque de Filio ſignificari procedere; & idcirco in Patris commemoratione Filium intelligendum; quoniam ſit Filio de Patre ut procedat ab eo Spiritus ſanctus. Et quia refertur ad auctorem Patrem à quo accepit Filius ut à ſe procedat Spiritum ſanctum, propterea cum dicitur de Patre procedere, ſentiendum pariter quòd & à Filio procedat. Hinc etiam ſubjungit: «Si enim quidquid habet, de Patre habet Filius; de Patre habet utique ut & de illo procedat Spiritus ſanctus. Novimus autem dicente Filio, quòd omnia quæ Patris ſunt, ſint & Filii: ſed hæc cum ſibi fuerint à Patre data, meritò referentur ad eum à quo ſunt data. Et idcirco cum dicitur Spiritus ſanctus à Filio procedere, refertur ad Patrem à quo ſibi datum eſt ut ab illo procederet. Unde cum dicit Filius in Evangelio: *Spiritus qui à Patre procedit*: vult intelligi quòd à ſe quoque dixerit eum procedere, ſed ſine ullâ temporis admotione, quoniam non ſit diſquirendum utrum priùs proceſſerit Spiritus ſanctus, & poſtea natus ſit Filius; vel nato Filio, poſtea proceſſerit Spiritus ſanctus ab utroque: non eſt enim hîc cogitandum prius vel poſterius, quoniam nullum hîc tempus æſtimandum. Et in conſequentibus: «Quomodo ergo non abſurdiſſimè Filius diceretur amborum, cum ſicut Filio præſtat eſſentiam ſine initio temporis, ſine ullâ mutabilitate naturæ generatio, ita Spiritui ſancto præſtet eſſentiam ſine ullo initio temporis, ſine ullâ mutabilitate naturæ de utroque proceſſio.» Monſtrat proceſſionem quidem Spiritûs ſancti tam de Patre fore quàm de Filio, ſed non quærendum ſi priùs de Patre; vel poſt de Filio; verùm cogitandum quia ſicut generatio Filio tribuit ſubſtantiam interveniente nullo tempore, nec aliquâ intercedente mutabilitate, ſic Spiritui ſancto proceſſio dedit ſubſtantiam præter aliquod tempus, & præter aliquam mutabilitatem: nec diſputandam quid ante vel poſt, ſed intelligendam de Patre Filii nativitatem, & ab utroque Spiritûs ſancti proceſſionem.

> Joan. 16. 15.

> Ibid. 15. 26.

Sequitur: «Ideo cum eum Spiritum ſanctum genitum non dicamus, dicere tamen non audemus ingenitum, ne in hoc vocabulo vel duos Patres in illâ Trinitate, vel duos qui non ſunt de alio quiſpiam ſuſpicetur. Pater enim ſolus non eſt de alio, ideo ſolus appellatur ingenitus, non quidem in Scripturis, ſed in conſuetudine diſputantium, & de re tantâ ſermonem qualem valuerint proferentium. Filius autem de Patre natus eſt; & Spiritus ſanctus de Patre principaliter, & ipſo ſine ullo intervallo temporis dante, communiter de utroque procedit. Diceretur autem Filius Patris & Filii, quod abhorret ab omnium ſanorum ſenſibus, cum ambo genuiſſent. Non igitur ab utroque eſt genitus, ſed procedit ab utroque amborum Spiritus.» Perſeverat approbare Spiritum ſanctum tam de Patre quàm de Filio procedere: obviat autem in hac propoſitione contradicentium diſputationi, qui dicunt utriuſque eſſe Filium, ſi ab utroque procedit Spiritus ſanctus: verùm priùs de nomine tractat, id eſt quid dicatur Spiritus ſanctus, genitus an ingenitus, & negat neutro vocabulo appellandum: & cauſam infert: quâ comprobet quod affirmat, eâ videlicet: quia ſi dicatur genitus, erit duorum Filius, id eſt, Patris & Filii, quod dicit execrabile chriſtianæ pietati; ſed nec ingenitum poſſe vocitari; hoc enim propriè Patri deputatur, quoniam de nullo eſt alio; ſui namque principium eſt ex ſeſe conſiſtens, nec aliquid habet præcedens; eſt enim univerſitatis principium, fons & origo. Cum igitur nec genitus, nec ingenitus dici fideliter poſſit Spiritus ſanctus, procedens propriè vocitatur, ſed non à ſolo ſolus, videlicet à Patre ſolo ſolus Spiritus ſanctus procedens, quemadmodum Filius ſolus à ſolo Patre dicitur natus: procedit autem ab utroque, id eſt, & à Patre & à Filio intemporaliter, quoniam æternaliter; nec tamen dicuntur eum genuiſſe, quoniam nec Filius Patris eſt, nec Filius Filii, ſed ab utroque procedens. Eſt enim amborum Spiritus. Sic evidenti ratione monſtratur ab utroque procedere Spiritus ſanctus, dum manifeſtè docetur non eum ſolum à ſolo Patre procedere, ne Filius eſſe Patris dicatur: ſed nec à ſolo Filio, ne Filius Pater eſſe blaſphemetur, ſed dicitur Spiritus ſanctus & procedens, & de utroque procedens.

CAPUT IV.

MOvet autem multos quid ſit inter generationem & proceſſionem. Iſta verò quæſtio quoniam inexplicabilis eſſe videtur in illâ incorporeâ & inviſibili Trinitate, dicendum quid præclariſſimus auctor Auguſtinus ſenſerit. Subjungit itaque ſic loquens: «Verùm quia in illâ coæternâ, & coæquali, & incorporali, & ineffabiliter immutabili, atque inſeparabili Trinitate difficillimum eſt generationem à proceſſione diſtinguere, ſufficiat interim eis qui extendi non valent ampliùs, id quod de hac re in ſermone quodam proferendo ad aures populi Chriſtiani diximus, dictumque conſcripſimus. Inter cætera enim cum per ſcripturarum ſanctarum teſtimonia docuiſſem, de utroque procedere Spiritum ſanctum. Si ergo, inquam, & de Patre & de Filio procedit Spiritus ſanctus, cur Filius dixit: *De Patre procedit?* Cur putas, niſi quemadmodum ſolet ad eum referre, & quod ipſius eſt, de quo & ipſe eſt? Unde illud eſt: *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui me miſit.* Si igitur hic intelligitur ejus doctrina, quam tamen dixit non ſuam, ſed Patris; quanto magis illic intelligendus eſt & de ipſo procedere Spiritus ſanctus, ubi ſic ait: *De Patre procedit*: ut non diceret, de me non procedit? A quo autem habet Filius ut ſit Deus, (eſt enim de Deo Deus) ab illo habet utique ut etiam de illo procedat Spiritus ſanctus: ac per hoc Spiritus ſanctus, ut etiam de Filio procedat, ſicut procedit de Patre, ab ipſo habet Patre. Hic utcumque etiam illud intelligitur, quantum à talibus quales nos ſumus intelligi poteſt, cur non dicatur natus eſſe, ſed potiùs procedere Spiritus ſanctus; quoniam ſi & ipſe Filius diceretur, amborum utique Filius diceretur; quod abſurdiſſimum eſt. Filius quippe nullus eſt duorum, niſi patris & matris. Abſit autem ut inter Deum Patrem & Deum Filium tale aliquid ſuſpicemur; quia nec Filius hominum ſimul ex patre & matre procedit; ſed cum in matrem procedit ex patre, non tunc procedit ex matre: & cum in hanc lucem procedit ex matre, non tunc procedit ex patre. Spiritus autem ſanctus non de Patre procedit in Filium, & de Filio procedit ad ſanctificandam creaturam, ſed ſimul de utroque procedit: quamvis hoc Pater Filio dederit, ut quemadmodum de ſe, ita de illo quoque procedat. Neque

> Lib. 15. de Trinit. c. 17.

> Joan. 7. 16.

enim

Joan. 5. 26. « enim poſſumus dicere quòd non ſit vita Spiritus ſanctus, cum vita Pater, vita ſit Filius: ac per hoc ſicut Pater cum habeat vitam in ſemetipſo, dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo; ſic ei dedit vitam Spiritum ſanctum [f] procedere de illo ſicut procedit & de ipſo. »

Hæc beatus Auguſtinus de ſermone quem ſe dixit feciſſe coram populo, tranſtulit in librum decimum quintum de Sanctâ Trinitate. De quo ſermone ſuprà jam teſtimonia poſuimus, & quid nobis viſum exinde fuerit breviter diximus, quæ replicare nunc credimus non eſſe neceſſarium. Hoc ſolummodo dicendum, quòd inter generationem ac proceſſionem hanc dicit eſſe differentiam, quòd generatio ſit Filii, quoniam ipſe natus eſſe dicatur de Patre, proceſſio verò pertineat ad Spiritum ſanctum; nec eum poſſe dici generatum; quòd ſi dicatur natus, tam Patris quàm Filii eſſe dicetur: quod ſummæ dicit eſſe ſtultitiæ, neque divinæ generationi convenire. Quando namque quiſque Filius de Patre Filioque natus extitit? Ergo quoniam iſta ſunt abſurdiſſima, dicatur Filius natus de Patre, Spiritus verò ſanctus procedens ab utroque. Nec hoc inconvenienter. Dictum namque eſt, Patrem ſolum ex nullo: ex Patre vero Filium & Spiritum ſanctum. Et Patrem eſſe vitam, Filium etiam vitam, Spiritum quoque ſanctum vitam. Sed vitam de nullâ vitâ Patrem ſolum: Filium verò vitam de Patre ſolo, ſed genitam; Spiritum quoque ſanctum vitam non de ſolo Patre, nec de ſolo Filio, ſed ab utroque: ſed non ſic de Patre, ut inde procedat in Filium, & rurſus de Filio procedat ad creaturæ ſanctificationem: non enim illhîc ulla momenta temporis, vel ordo cogitandus. Simul denique procedit ab ambobus, id eſt, cum procedit à Patre, procedit à Filio; & cum procedit à Filio, procedit à Patre, nullo vel tempore vel ordine mediante: hoc tamen intereſſe ut Pater à nullo acceperit, ut de illo procederet Spiritus ſanctus: at verò Filius à Patre percepit, ut ab eo procederet idem Spiritus ſanctus.

Item in libro diſputationis contrà quinque Hæreſes, ſic de Spiritu ſancto ſermonem terminans, ait: « Quid aliud dicam fatigatus fatigatis? Qui Spiritum ſanctum à Patre & Filio, æternitate, ſubſtantiâ, vel communione ſeparat, eumque negat Spiritum eſſe Patris & Filii, plenus eſt Spiritu immundo, vacuus Spiritu ſancto. » Audiant hæc impugnatores veritatis, negantes Spiritum ſanctum de Patre Filioque procedere. Quod cum negant, negant eum eſſe Patris Filiique Spiritum: & pertimeſcant ſe Spiritu plenos eſſe immundo, vacuoſque Spiritu ſancto: nec poſſe veniam conſequi, tantæ ſi non blaſphemiæ renuntiaverint. Quod ſi nolunt audire maligni, audiant pietatis amici, & exhorreſcant impietatis blaſphemiam, ut repleantur Spiritu ſancto.

Idem lib 3. cont. Maxim. cap. 5. Item in libro contrà Maximinum Arrianum: « Dicis vos Spiritum ſanctum honorare, ut doctorem, ut ducatorem, ut illuminatorem, ut ſanctificatorem: Chriſtum colere ut Creatorem: Patrem cum ſincerâ devotione adorare ut auctorem. Si auctorem propterea dicis Patrem, quia de ipſo eſt Filius, non eſt autem ipſe de Filio: & quia de illo & Filio ſic procedit Spiritus ſanctus, ut ipſe hoc dederit Filio, gignendo eum talem ut etiam de ipſo procedat Spiritus ſanctus. Si Creatorem ſic dicis Filium, ut Creatorem non neges Patrem, nec Spiritum ſanctum. Si denique Spiritum ſanctum dicis ſic doctorem, ducatorem, illuminatorem, ſanctificatorem, ut hæc opera nec Patri audeas auferre, nec Filio, iſta tua etiam noſtra ſunt verba. » Hæc ſanctus Auguſtinus adverſus Arrianos. Videant iſti cujus velint eſſe fidei vel Imperatores, vel Arriomanitæ. Si negant Spiritum ſanctum de Patre Filioque procedere, catholicæ fidei repugnant; & Arriani dogmatis aſſertores efficiuntur. Quòd ſi catholici ſunt, & oderunt pravi dogmatis falſitatem, non arguunt Latinos, imò Catholicam confitentem Spiritum ſanctum de Patre Filioq; procedere; iſta quoniam negare, Arrianæ perfidiæ manifeſtum eſt conſentire.

Item in eodem libro: « Quæris à me: (nimirum Maximinum Arrianum interpellans, cui loquebatur) ſi de ſubſtantiâ Patris eſt Filius, de ſubſtantiâ Patris eſt Spiritus ſanctus, cur unus Filius ſit, & alius non ſit Filius? Ecce reſpondeo, ſive capias, ſive non capias: De Patre eſt Filius, de Patre eſt Spiritus ſanctus; ſed ille genitus, iſte procedens. Ideo ille Filius eſt Patris, de quo eſt genitus; iſte autem Spiritus utriuſque, quoniam de utroque procedit. » Negabat Maximinus Arrianus, contrà quem agit beatus Auguſtinus, Spiritum ſanctum de Patre procedere. Dicebat enim eum minorem Filio, nec conſubſtantialem Patri, volens evacuare quod fides catholica tenet, Spiritum ſanctum conſubſtantialem Patri Filioque. Et ideò dicebat: ſi de ſubſtantiâ Patris foret Spiritus ſanctus, ſicut de ſubſtantiâ Patris eſt Filius, eſſe jam conſequenter duos Filios. Cui reſpondens beatus Auguſtinus, dicit eum & de Patre procedere, quoniam ejuſdem eſt cum Patre ſubſtantiæ; nec tamen eſſe Filium, quoniam non eſt natus, ſed procedens: Filius namque qui eſt natus, eſt de ſubſtantiâ Patris, & idcirco Filius, quia natus. At verò Spiritus ſanctus, quamquam ſit de ſubſtantiâ Patris, non eſt tamen Filius, quia non eſt genitus. Procedit autem de ſubſtantia Filii, quoniam eſt utriuſque Spiritus, & conſubſtantialis amborum. Hoc qui negat, Arrianis conſentit, & catholicæ fidei contradicit.

Sequitur: « Sed ideo cum de illo Filius loqueretur, ait: *De Patre procedit*: quoniam Pater proceſſionis ejus eſt auctor, qui talem Filium genuit, & gignendo ei dedit ut etiam de ipſo procederet Spiritus ſanctus. Nam ſi non procederet & de ipſo, non diceret diſcipulis: *Accipite Spiritum ſanctum*; eumque inſufflando daret, ut à ſe quoque procedere ſignificaret, apertè oſtenderet flando, quod inſpirando dabat occultè. Quia ergo ſi naſceretur, nec tantùm de Patre, nec tantùm de Filio, ſed de ambobus utique naſceretur, ſine dubio Filius diceretur amborum. Ac per hoc quia Filius amborum nullo modo eſt, non oportuit eum naſci de ambobus. Amborum eſt ergo Spiritus, procedendo de ambobus. » Approbat quod de Filio procedat Spiritus ſanctus, & hoc voluiſſe ſignificare Filium, cum de illo loqueretur in Evangelio, dicens, *De Patre procedit*. Non enim eo modo dixit hoc, ut eum à ſe negaret procedere, ſed auctoritatem proceſſionis retulit ad Patrem, qui talem genuit Filium, & illi gignendo contulit, ut non ſolùm de Patre, verùm etiam de Filio procederet Spiritus ſanctus. Et hoc affirmat ex alio teſtimonio, quo poſt Reſurrectionem apparens diſcipulis Salvator ait: *Accipite Spiritum ſanctum*. Et ne verbis tantùm, verùm etiam inſufflatione daret quod eos accipere jubebat, dicit quòd inſufflando loquutus ſit diſcipulis ut acciperent Spiritum ſanctum; eumque inſufflando dederit, ſignificans apertè flando à ſe pro-

Joan. 15. 26.

Ibid. 20. 22.

[f] *vitam Spiritum ſanctum*] Duæ ultimæ voces in Auguſtino non leguntur; & additas eſſe à Ratramno vel inde conſtat, quòd ſuperiùs capite 2, ubi eumdem Auguſtini locum attexuit, hoc tantum legebatur *vitam procedere de illo*, &c.

cedere, quod ſpirando dabat occultè. Pariter quoque ſolvens quæſtionem, ne Filius ſit amborum, quoniam procedit ab ambobus, ſicut impietas Arriana calumniabatur, dicens, » quia ſi naſceretur Spiritus ſanctus, non tantùm naſceretur de Patre, » nec tantùm naſceretur de Filio; » quoniam procedit ab utroque. Procedit, inquam, non naſcitur: ſed de ambobus utique naſceretur, quoniam procedit ab ambobus; & diceretur ſine dubio Filius amborum. Nunc autem removetur generatio Spiritus, quoniam non eſt Filius nec Patris, nec amborum; ac propterea non oportuit naſci de ambobus, quoniam qui nativitatem non habet, filietatem refutat; & qui Filius non eſt, naſci nullo modo debuit. Eſt autem amborum Spiritus procedendo de ambobus. Subvertit igitur Arrianam calumniam, falſitatis invidiâ conflatam, & impietatis malignitate progenitam, aſſerere cupientem non eſſe Spiritum de ſubſtantiâ Patris, quia ſi foret, eſſet Filius. Sed iſte vir Catholicus catholicâ diſputatione demonſtrat eſſe quidem de ſubſtantiâ Patris Spiritum, nec tamen eſſe Filium; quoniam non eſt idem procedere, quod eſt naſci.

Hinc conſequenter intulit: » Quid autem inter » naſci & procedere interſit, de illâ excellentiſſimâ » naturâ loquens, explicare quis poteſt? Non om» ne quod procedit naſcitur, quamvis omne proce» dat quod naſcitur; ſicut non omne quod bipes eſt, » homo eſt, quamvis bipes ſit omnis qui homo eſt. Hoc » ſcio: diſtinguere autem inter illam generationem & » hanc proceſſionem, neſcio, non valeo, non ſufficio. Teſtatur Doctor eximius, & Hæreticorum expugnator vehementiſſimus, Spiritum ſanctum non eſſe Filium, qui non eſt natus, ſed procedit, non à Patris tantùm ſubſtantiâ, ſed etiam à Filio. Cum autem ſit utriuſque ſubſtantiæ conſors, ut pote conſubſtantialis, & dicatur de Patre procedere, de quo & naſcitur Filius, non parva vertitur quæſtio, quid ſit inter nativitatem & proceſſionem. Et confitetur de illâ excellentiſſimâ naturâ non ſolum ſibi, verùm nulli mortalium poſſibile fore diſtinguere, quid ſit inter naſci & procedere; quamvis comprehendatur quòd non omne quod procedit, naſcatur; attamen omne procedens eſt quod naſcitur: non enim poteſt aliquid naſci, ſi non procedat ex eo de quo naſcitur, ut filius ex parente. Cum enim ex ſecretis uteri materni procedit in lucem, dicitur naſci, ſed non ita cum procedit ex ſecretis patris in matrem. Proceſſionem quippe negare non valemus, cum fiat diffluxio ſeminis in uterum matris, de quo poſtea filius procedens natus eſſe dicitur. Non iſta dicimus velut alio tempore de Patre proceſſerit Spiritus, & alio de Filio: verum oſtendere volentes, non omnem proceſſionem eſſe generationem; omnem autem generationem eſſe proceſſionem: ſicut non omne quod bipes eſt, homo eſt; quamvis bipes ſit omnis qui homo eſt. Hoc quod ponit exemplum, propter diſtinctionem ponit nativitatis & proceſſionis; non tamen propriè ſignificans quid ſit naſci vel procedere, ſed veluti cum dicitur: quid ſit ſpecies, quid ſit genus. Bipes enim genus eſt ejus ſpeciei, quæ eſt homo; & homo ſpecies eſt ejus generis, quod eſt bipes; ſi genus conſideres, & homo, & volatile bipedes ſunt; ſi ſpeciem, homo bipes eſt. Idcirco dixit: Non omne bipes homo; quoniam hoc generali vocabulo etiam aves comprehenduntur. At verò cum dixeris hominem, comprehendis omnem quidem hominem ſimul, ſed non omne quod eſt bipes: ampliùs enim ſignificat quàm homo: & ideo hæc definitio nec hominem propriè ſignificat, nec bipedem propriè: ſic & proceſſio & nativitas. In proceſſione namque monſtratur nativitas, ſed non ſemper: veluti cum dicitur: *De ore ſapientis procedit mel.* Et Pſalmiſta de ſole: *& ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.* *Pſal. 18. 6.* Thalamum namque ſolis ſecretum quoddam, & ab hominum conſpectu remotum ſignificat; unde lucem præbiturus mortalibus ſingulis diebus procedit. At verò nativitas proceſſionem ſemper oſtendit, quia nunquam poteſt fieri ſine proceſſione: quidquid enim naſcitur, etiam procedit: ac propterea dicit quidem beatus Auguſtinus quid ſit generatio & proceſſio, ſed ſicut in genere, vel ſicut in ſpecie, non verò ſicut in proprio: dicit enim hæc ſe neſcire, nec propriis finibus illa poſſe diſtinguere. Et cur hoc? ſubjicit cauſam, inquiens, » quia & illa & iſta eſt ineffabilis, » id eſt generatio Filii, & proceſſio Spiritus ſancti. » Sicut Propheta de Filio loquens, ait: *Generationem* » *ejus quis enarrabit?* *Iſai. 53. 8.* Ita de Spiritu ſancto veraciſſi» mè dicitur: proceſſionem ejus quis enarrabit? «

Quibus verbis oſtendit & nativitatem Filii, ſicut proceſſionem Spiritûs ſancti non enarrari poſſe, quia ſint ineffabiles: ac propterea non deberi ſcrutari quod non poſſit enarrari, quia nullo modo poſſit comprehendi. Debere verò ſufficere quod ſuper his ſcriptura ſancta teſtatur, natum Filium de Patre, Spiritum verò ſanctum procedere, non à Patre ſolùm, verùm & à Filio: ſicut conſequenter inſinuat, dicens: » Satis ſit ergo nobis, quia non eſt à ſeipſo « Filius, ſed ab illo de quo natus eſt, non eſt à « ſeipſo Spiritus ſanctus, ſed ab illo de quo proce« dit. Et quia de utroque procedit, ſicut jam oſten« dimus, unde & Spiritus Patris dictus eſt, ubi le« gitur: ſi autem Spiritus ejus qui ſuſcitavit Chri« ſtum à mortuis, habitat in vobis. Et Spiritus Fi« lii, ubi legitur: *Qui autem Spiritum Chriſti non* « *habet, hic non eſt ejus.* « *Rom. 8. 9.* Hic adverſùs Maximinum Arrianum doctor Auguſtinus agens, oſtendit Spiritum ſanctum tam de Patre quàm de Filio procedere; quod qui negare contendunt, Arriomanitas ſe fore confitentur, nec conſubſtantialem Spiritum ſanctum Filio fatentur: quoniam ſi non procedit ab illo, non eſt ejuſdem ſubſtantiæ cujus eſt Filius: ac per hoc jam aut creaturam Spiritum ſanctum blaſphemabit, aut Filium non omnia quæ Patris ſunt habere denegabit. Negare verò non poteſt Spiritum ſanctum Spiritum eſſe Filii: dicit enim Apoſtolus: *Quoniam eſtis filii, miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda noſtra, clamantem, Abba, Pater.* *Galat. 4. 6.* Quod ſi eſt Spiritus Filii, ſicut Apoſtolus confitetur, aut erit ſubjectus, quod vult Arrianus, qui connumerat eum creaturis; aut procedens ex Filio, quod confitentur Catholici. Eligant ergo quod volunt Imperatores Græcorum: negare non poſſunt Spiritum ſanctum Spiritum eſſe Filii; dicant ergo quomodo Filii, ſi non procedit ab ipſo. Nam ſi proceſſionem negant, prædicant creationem, quod impietatis eſſe conſtat Arrianæ, quia non poteſt eſſe Filii Spiritus, ſi non vel creatus ſit, vel procedens ab illo.

Item in conſequentibus: » Quid eſt autem: *In* « *principio erat Verbum*; niſi in Patre erat Filius? « Ibid. cap. 27 *Joan. 1. 1.* Et ipſe Filius interrogatus à Judæis, quis eſſet, « reſpondit: *principium qui & loquor vobis.* Pater « *Ibid. 8. 2.* autem principium non de principio; Filius prin« cipium de principio: ſed utrumque ſimul, non « duo, ſed unum principium. Sicut Pater Deus, & « Filius Deus, ambo autem ſimul, non duo dii, ſed « unus Deus. Nec Spiritum ſanctum de utroque « procedentem negabo eſſe principium, ſed hæc tria, « ſimul ſicut unum Deum, ita unum dico eſſe prin« cipium. « Negat eſſe creaturam Spiritum ſanctum, dicens eum eſſe principium ſicut Pater eſt principium, & Filius principium: ſed Pater principium de nullo principio, Filius autem principium, ſed de Patre principio: Spiritus quoque ſanctus princi-

pium non de nullo principio, nec de Patre ſolùm principio, ſed de utroque, id eſt, Patre principio Filioque: nec tamen tria principia, ſed unum principium: quemadmodum non tres dii Pater & Filius & Spiritus ſanctus; quamvis ſingulus eorum dicatur Deus: ſed hi tres unus Deus.

Cap. 21. Item in poſterioribus: » Lux de luce, Filius de » Patre, & ſimul ambo lux una: ſicut Deus de » Deo, & ſimul ambo utique Deus unus; & hoc » totum non ſine Spiritu amborum. « Quod dicens teſtatur eum ab utroque procedere. Nam ſi Spiritus eſt Patris, quia procedit à Patre; conſequenter quoque Spiritus eſt Filii, quoniam procedit ab illo: non enim diverſâ causâ dicitur Spiritus eſſe Patris, & Spiritus Filii, ſed unâ eâdemque; illâ videlicet, quia procedit ab utroque, ſicut Spiritus eſt utriuſque. Nam ſi dicas eum Spiritum Patris, quia procedit de Patre, quænam cauſa reſtat ut dicatur Spiritus Filii, niſi quia procedat & ab illo? Hæc beatus Auguſtinus adverſus Maximinum agens Arrianum, de ſancti Spiritûs proceſſione ex Filio ſenſit, dixit, ſcripſit, Arrianam perfidiam damnans, catholicæ verò fidei pietatem aſſirmans; cui contradicere quiſquis molitus fuerit, hoſtis catholicæ fidei reperitur.

A tertario Paſcentio cum Aug. epiſt. 178. med. Hic etiam in collatione dialogi contra Paſcentium Arrianum diſputans, ait: « Si enim in homine » credente ipſe totus Deus credendus eſt habitare, » quomodo Filium totum in ſe Pater, aut Filius Pa» trem totum non credatur excipere? Ac per hoc » ipſe in Patre, & Pater in eo manet, & ex Patre » & Filio ſanctus credendus eſt Spiritus non ſolùm » proceſſiſſe, ſed ſemper ad agenda opera Trinitatis » omnino procedere. « Unum eſſe dicit ſanctum Spiritum ex ſanctâ Trinitate cooperaturem, qui non ſolùm ſubſtantiâ, verùm operatione Patri Filioque copuletur tamquam ab utroque procedens, & cum utroque cooperans: quod non poſſet facere, ſi non ab utroque procedendo ſubſtantiam & accepiſſet & accipiat.

CAPUT V.

g Gennadius lib. Eccleſ. Dogm. GENNADIUS g Conſtantinopolitanus Epiſcopus, vir multâ lectione Antiquorum peritus, in libro Eccleſiaſticorum dogmatum de Spiritûs ſancti proceſſione ſic loquitur: « Credimus unum Deum » eſſe Patrem & Filium & Spiritum ſanctum. Pa» trem eo quod habeat Filium. Filium eo quod ha» beat Patrem. Spiritum ſanctum, eo quod ſit ex » Patre & Filio. Pater ergo principium divinitatis, » principale nomen: quia ſicut nunquam fuit non » Deus, ita nunquam fuit non Pater, à quo Filius » natus, à quo Spiritus ſanctus non natus; quia » non eſt Filius, neque ingenitus, quia non eſt Pa» ter; nec factus Spiritus ſanctus, quia non eſt ex » nihilo, ſed ex Deo Patre, & Deo Filio Deus pro» cedens. « Dilucide ſatis eſſe profitetur Spiritum ſanctum ex Patre & Filio, quod eſt de ſubſtantiâ Patris Filiique procedere. Non enim aliter ex utroque poterat eſſe, ſi non ſubſtantialiter procederet ab utroque. Propter quod dicit in conſequentibus, quòd ex Deo Patre & Deo Filio Deus ſit procedens. Et cum eum dicat procedentem, negat tamen eum dici debere vel natum, quia non eſt Filius, vel ingenitum, quia non eſt Pater.

Fulgent. in lib. Quæſt. FULGENTIUS Epiſcopus, litterarum ſtudiis admodum eruditus, & vitæ ſanctitate perſpicuus, ab Arrianis quoque pro Catholicâ fide multa perpeſſus, in libro quæſtionum de Spiritûs ſancti proceſſione ſic ait: « Sic totum quod eſt ipſa natura, commune » tribus invenitur eſſe perſonis, ut aliquid tamen » inveniatur, quo propriè unaquæque perſona noſ» catur: quod tamen nec inveniatur ſeparabile, nec » poſſit eſſe commune. Nam proprium Patris dici» mus eſſe, quod genuit: proprium dicimus Filii » eſſe, quòd ſolus de ſolo Patre natus eſt, proprium » Spiritûs ſancti quòd de Patre Filioque procedit. In » his verò propriis nulla eſt naturæ ſeparatio, ſed » quædam perſonalis agnitio. « Dicit hic auctor quid commune, quid propriè unaquæque ſanctæ Trinitatis perſona noſcatur habere; commune quidem ineſt tribus perſonis unius naturæ conſubſtantialitas; proprium verò ſingulis, quòd Pater ſolus genuit, Filius ſolus natus de Patre ſolo, Spiritus ſanctus quòd de Patre Filioque procedit. Quâ de re qui recipiunt Patris ineſſe proprium, quòd ſit genitor, & Filii proprium, quòd ſit genitus, recipiant quoque neceſſe eſt eſſe Spiritûs ſancti proprium, quòd de Patre Filioque procedit. Quod ſi negare contendunt, dicant quid ſit ei proprium. Nam proceſſio de Patre communis eſt etiam Filio; quoniam omne quod naſcitur procedit etiam, ergo ſecundum Doctoris hujus ſententiam, proprium eſt Spiritûs ſancti quòd de Patre Filioque procedit, quòd nec Patri nec Filio cernitur eſſe commune: ſiquidem Pater de nullo, Filius verò de ſolo Patre, Spiritus autem ſanctus de utroque.

Item in conſequentibus: » Non ergo potuit Spi» ritum ſanctum divinitas Filii accipere, cum ipſe » Spiritus ſanctus ſic procedat à Filio, ſicut proce» dit à Patre; & ſic detur à Filio, ſicut datur à Pa» tre. Nec illa natura, unde Spiritus ſanctus habet » originem, potuit vel exſpectare vel accipere lar» gitatem. Spiritus ille totus eſt Patris, totus eſt Fi» lii; quia unus naturaliter Spiritus eſt Patris & Fi» lii. Proinde totus de Patre procedit & Filio, totus » in Patre manet ac Filio; quia ſic manet ut proce» dat, ſic procedit ut maneat. Unde naturaliter » hanc habet cum Patre ac Filio unitatis plenitudi» nem, & plenitudinis unitatem, ut totus à Patre, » totus habeatur à Filio. Non ergo accepit Spiritum » ſanctum divinitas Filii, cum quâ unius eſt na» turæ Spiritus ſanctus, & ex quâ habet quidquid » habet, imò de quâ eſt hoc quod eſt; quia quod » naturaliter habet, hoc eſt. « Locus iſte tractatur de plenitudine divinitatis Chriſti, & de ipſius humanitate: humanitatem quidem dicit accepiſſe Spiritum ſanctum, non quidem ad menſuram, quia divinitatis plenitudo conſiſtit in illâ, ſicut Evangelium teſtatur, dicens de Chriſto: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Joan. 1. 14. Veritas ad divinitatem, gratia refertur ad donum. Ut enim homo de Virgine natus perfectus eſſet Deus, ſicut perfectus eſt homo, non merito, ſed gratiæ divinæ dono percepit. At verò divinitas naturaliter habet, ut ſit plena atque perfecta, nullius indiga, nec minorationem valens accipere, nec augmentum ſuſtinere. Secundum hanc divinitatis plenitudinem Filius Dei Chriſtus non potuit Spiritum ſanctum accipere, quandoquidem ipſe Spiritus ſanctus ſic procedat ab ipſo, ſicut & à Patre procedit, & detur ab illo nihilominùs, quemadmodum datur à Patre. Quâ de re divinitas Filii, de quâ ſumit originem Spiritus ſanctus, non valet accipere largitatem ejus, cui ſit cauſa exiſtendi: eſt enim ille Spiritus totus Patris, & totus Filii; & cum

g *Gennadius Conſtantinopolitanus*] Qui hunc Gennadii librum ediderunt, cum nullum ejus nominis ſcriptorem noſſent præter Maſſilienſem preſbyterum, alienum fœtum ei ſuppoſuerunt. Quorum ignorantiam Ratramnus hoc loco redarguit. Anatolio Gennadius hic ſucceſſit anno 458. ac ſedit uſque ad annum 471. & ſucceſſorem habuit Acacium: Græcum ejus Operis exemplar interiit.

ſit amborum totus, vel alterutrius totus, non convertibilitate ſit, ut Pater & Filius dicantur eſſe Spiritus ſanctus velut ab illo ſuſcipientes eſſendi cauſam; nec ſolus Filius Spiritûs ſancti Filius, velut ab illo percipiens exiſtentiam, quoniam naturaliter unus Spiritus eſt tam Patris, quàm Filii, percipiens ab illis eſſentiam. Proinde ſicut beatus Fulgentius teſtatur, totus de Patre procedit, & totus de Filio: non enim pars illius à Patre, pars quoque procedit à Filio; neque pars manet ejus in Patre, pars rurſùs in Filio. Eſt enim inſecabilis, & impartibilis, neque ex diverſis compoſitus: & ſic manens ut procedat, ſic procedens ut maneat. Naturaliter enim habet cum Patre ac Filio plenitudinem unitatis, & unitatem plenitudinis, & totus habetur à Patre, & totus habetur à Filio. Non ergo divinitas Filii Spiritum ſanctum accepit, quem priùs non habuit, cùm ſit Spiritus ſanctus ejuſdem naturæ cujus eſt Filius, utpote de quo accepit quidquid habet, imò de quo eſt hoc quod eſt; quoniam ſubſtantialiter de divinitate Filii eſt. Quibus omnibus evidenter oſtenditur Spiritûs ſancti proceſſio non minùs eſſe de Filio quàm de Patre: quod quiſquis negare intenderit, negabit pariter Spiritus ſancti ſubſiſtentiam: quoniam non poteſt ſubſiſtere, niſi eſſentiam accipiat ab illo de quo procedendo ſubſiſtit. Hoc ſanctus Fulgentius adversùs Arrianam perfidiam diſputans de Spiritûs ſancti proceſſione loquutus eſt, approbans veriſſimè dici tam à Patre quàm à Filio procedere Spiritum ſanctum, quoniam ſit utriuſque Spiritus, eſſentiam accipiens ab utroque; quod qui negat, monſtratur Arrianæ perfidiæ obnoxius eſſe.

CAPUT VI.

Sed ad Athanaſium Alexandrinum Epiſcopum revertamur, quem in exordio catholicorum teſtium primum poſuimus, ut is ſit clauſula teſtificationis de proceſſione ſancti Spiritûs à Filio, qui fuit initium. In libro namque ſecundo de propriis perſonis, & de unito nomine divinitatis adverſus Arrianos
Athanas. lib. 2. de propr. perſonis. ſic ait: » In hoc ſanè alius eſt Pater in perſonâ, » quia verè genuit; & in hoc eſt alius Filius à Patre » in perſonâ, quia verè ab eo genitus eſt. Sed in » hoc alius eſt in perſonâ Spiritus hic principalis pa- » raclitus à Patre & Filio, qui in Pentecoſte in A- » poſtolos effuſus eſt, quia verè de unitâ divinitate » Patris & Filii procedit. « Hic Auctor ſingularum proprietatem perſonarum diſtinguens, & unitate divinitatis conjungens, oſtendit quid ſingulis ſit proprium, quid commune. Proprium Patris eſſe dicens, quòd genuit; in quo nec Filio nec Spiritui ſancto participatur, alioquin non eſſet proprium Patris vocabulum: & Filius in hoc diſcernitur à Patre quòd genitus ſit, ille genuerit; ſed nec in generationis proprietate Spiritus ſancti communionem recipit ullam, quoniam cùm hic ſit genitus, illo non eſſe genitus approbetur. Spiritus autem ſanctus hoc rurſus habet proprium, ut nec genuerit, nec genitus ſit, ſed de unitâ Patris & Filii divinitate procedat; in quo nec Patri nec Filio communicat. Pater enim de nullo, Filius de ſolo Patre, Spiritus autem ſanctus de Patre Filioque. Quod qui negare contendit, oſtendat unde Spiritûs ſancti perſona diſtinguatur à Patris Filiique proprietate. Et hæ tres perſonæ ſanctæ Trinitatis ſuis proprietatibus cùm diſtinguantur à ſingulis, divinitatis unitate ſociantur, ut nullam contineant in divinitatis communione differentiam, ſed ſit in perſonis proprietas, in divinitate indifferens unitas.

Item in libro ſeptimo: » Cur *qui me videt, videt & Patrem meum*, indicat, ſi non eſt in his « *Ibid. lib. 7. Joan. 14, 9.*
una inviſibilis imago naturæ veritatis? Cur legitis; *ſervare veritatem Spiritûs in vinculo pacis*, « *Epheſ. 4. 3.*
ſi eum de ipsâ unitâ divinitate Patris, & Filii eſſe « non accipitis? Cur legitis Vas electionis dixiſſe: « *Omnes unum Spiritum potavimus*, ſi eum vos de « *1. Cor. 12, 13.*
unitâ verâ deitatis naturâ diſcernitis? « Teſtatur Filium ejuſdem naturæ eſſe cujus ſit Pater, quod negabant Arriani, quoniam ſit in Patre Filioque una inviſibilis imago naturæ veritatis. Teſtatur & Spiritum ſanctum ejuſdem ſubſtantiæ fore cujus ſit & Filius, quoniam exiſtat de unitâ deitate Patris & Filii: quod dicens, liquidò monſtrat quòd procedat ab utroque: cum enim ſit deitas Patris & Filii ſic unita, ut nullam differentiam recipere poſſit, non poteſt procedere Spiritus de deitate Patris, niſi procedat & de Filii. Quemadmodum nec de Filii deitate, niſi procedat etiam de Patris; alioquin unita deitas Patris & Filii non erit jam indifferens, ſi procedat Spiritus de deitate Patris, & non pariter procedat de deitate Filii: ac per hoc jam non erit unita: quod eſt impium & Arrianum. Dicatur ergo ſecundùm fidem Catholicam, quòd beatus Athanaſius confitetur, Spiritum ſanctum de unitâ deitate Patris & Filii eſſe. Item teſtatur quòd unum Spiritum potaverimus. Quod dicens approbat non alium eſſe Patris Spiritum, & alium Filii, ſed qui ſit Filii, ſit etiam Patris, ipſeque eſt de unitâ verâ deitatis naturâ, id eſt, Patris Filiique ſubſtantiâ, quæ tanta unitate conſiſtit, ut nulla ſeparatione dividatur; cujus ſubſtantiæ dum Spiritus ſanctus ſit quoque unus, approbatur evidenter à Patre Filioque procedere, quibus in unitâ naturâ deitatis conjungitur.

Item infrà: » Hypocritæ, quemadmodum [h] ſuſ- «
cipitis: *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens unicuique ſicut vult*: ſi eum de « *1. Cor. 12. 11.*
unitâ deitatis operatione ſecernitis? Unita deitas « totius eſt ſanctæ Trinitatis, in quâ pariter conſiſtit « & perſona Spiritûs ſancti, ſine quâ nec Trinitas « erit. « Ergo dicens deitatem unitâ operatione conjungi, tribuit Spiritui ſancto Patrem Filiumque cooperari; nec poſſe naturâ ſecerni quos eadem operatio conjungit. Conſequenter ergo de unitâ conſtat naturâ Patris Filiique Spiritus, quibus & ſubſtantiâ jungitur & operatione. Item: » Hypocritæ, « quomodo accipitis dictum fuiſſe: *Idem Spiritus*, « *Ibid. 12, 4.*
idem & Dominus, idem & Deus; ſi eum vos ve- « *Ibid. 5.*
rum Deum de verâ naturâ, in omnibus mirabilia « *Ibid. 6.*
operantem non ſuſcipitis? » Spiritum & Dominum dicit & Deum: & verum quidem Deum de verâ naturâ. Dum dicit de verâ naturâ, confitetur non à ſe fore Spiritum ſanctum, ſed de verâ naturâ Patris Filiique. Sicut enim naturæ veritate Pater & Filius non ſeparantur, ſic Spiritus ſanctus de utriuſque ſubſiſtit verâ naturâ: quoniam non poteſt procedere de naturâ Patris, ſi non etiam procedat de naturâ Filii: quoniam quæ natura Patris eſt, eadem eſt & Filii. Et dicendo beatus Athanaſius Spiritum ſanctum verum Deum de verâ naturâ, nec addendo Patris vel Filii, profectò dat intelligi de utriuſque verâ naturâ verum Deum Spiritum ſanctum eſſe, in omnibus mirabilia operantem.

Item: » Hypocritæ, per quem ſubminiſtratur

h *Hypocritæ, quemadmodum*] Hæc, & quæ ſequuntur in Athanaſii libris *de propriis perſonis* non exſtant; quin tamen ab Athanaſio ſcripta ſint, dubitare religio eſt; cùm enim aliunde noverimus ejus libros ab anathematiſtis fœdè eſſe tractatos, facilè credimus ea quæ fruſtra quæſita ſunt iis locis quæ veteres indicarunt, ſub aliis titulis latentia poſſe reperiri, ſi quis id laboris ſibi aſſumat.

» ſermo ſapientiæ, ſive verbum ſcientiæ, ſive fides, » ſive gratia ſanitatis, ſive operatio virtutum, ſive » prophetia, ſive ſeparatio Spirituum, niſi quoniam » de unitâ plenitudine eſt : « Hæc omnia quæ commemorat, dona ſancti Spiritûs eſſe nemo fidelium ambigit. Inferens autem in concluſione hæc Spiritû ſanctum poſſe, quoniam de unitâ plenitudine eſt, profectò confitetur quòd de Patre Filioque procedit. Unita namque plenitudo divinitatis Patris eſt & Filii : nam cum ſit plena divinitas Patris, & plena divinitas Filii, quia perfecta, quia non valens augeri; ita tamen unita, ut non duæ plenitudines, ſed una plenitudo; ſicut nec duæ deitates, ſed una deitas & dicatur, & exiſtat; & de hac unitâ plenitudine Patris & Filii procedit, plenus & ipſe conſiſtens Deus, quia non valens augmenti recipere quantitatem. Si enim juxtà novam hæreſim de Patre tantùm procedit Spiritus, non de unitâ plenitudine procedit, quoniam non eſt illic communitas Filii, ſingularitas ubi eſt Patris. Eſt autem hoc falſum atque hæreticæ pravitatis plenum. Dicatur igitur juxtà beati Athanaſii ſententiam, de unitâ plenitudine procedere Spiritus ſanctus, quoniam conſiſtit de verâ deitate tam Patris quàm Filii verus Deus.

Pſal. 32. 6.

Item infrà : » Ergo quia dixit : *Verbo Domini » cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus » eorum* : cognoſce hoc Verbum ſubſtantivum non » aliunde quàm de Patre proprium natum fuiſſe; ſed » & Spiritum oris ejus cum Spiritum dixit, qui de » ipsâ unitâ ſubſtantiâ proceſſit. « Arriani negabant tam Filium quàm Spiritum ſanctum Patris eſſe conſubſtantiales, & ideo per totius diſputationis textum præſentem tam Filii quàm ſancti Spiritûs conſubſtantialem deitatem Patri contendit approbare : quemadmodum loco præſenti; Verbo Domini cœlos firmatos dicens, Filii divinitatem; Spiritu verò oris ejus omnem virtutem eorum, Spiritûs ſancti conſubſtantialitatem ſignificat. De quo ſubjungit etiam, quòd de ipsâ unitâ ſubſtantiâ proceſſit. Inſinuans profectò quod de Patre Filioque procedat, quorum eſt unita ſubſtantia. Hinc conſequenter ait : » Sic autem invenimus non ex aliâ naturâ quàm de ipsâ. « Subauditur eſſe Spiritum ſanctum. Blaſphemabant Arriani Spiritum ſanctum ex aliâ natura fore quàm ſit Pater : nam contendebant eum eſſe creaturam. Quos explodens beatus Athanaſius, dicit eum non ex aliâ naturâ eſſe, quàm Pater; & de unitâ ſubſtantiâ Patris Filiique proceſſiſſe. Ac per hoc teſtatur unitam eſſe Patris & Filii & Spiritûs ſancti ſubſtantiam, quam Græci dicunt *ὀυσίαν* & unitam ejuſdemque eſſe Trinitatis operationem.

Ibid. lib. 8.

In libro octavo : [i] » Quomodo ergo duo ligna » conjuncta miſſa in fornacem ignis, & de duobus » lignis procedit flamma inſeparabilis; ſic de Patre » & Filii virtute procedit Spiritus ſanctus, ipſam » virtutem deitatis habens. « Nemo putet Deum Patrem & Deum Filium tamquam duo ligna unius flammæ voluiſſe dicere beatum Athanaſium ſubjectos Spiritui ſancto, verùm de rebus materialibus ſumſiſſe ſimilitudinem ejus rei, quæ non eſt materialis, vel loco diviſibilis; & non ex toto, ſed pro parte : non enim creatura poteſt ex omni parte Creatori conſimilis inveniri, quâ de re ſenſum debemus potiùs intelligentiæ perpendere. Dicit enim, non quia Spiritus ſanctus de Patre Filioque procedit tamquam de duobus lignis unius ignis & inſeparabilis, Spiritum ſanctum idcirco ſeparabilem videri; vel tamquam duos Spiritus, unum Patris & alterum Filii, ſed unum eumdemque Spiritum ſanctum, unam eamdemque deitatis virtutem habentem, quam habet Pater & Filius, à quibus procedit. Nec hoc vel impoſſibile, vel incredibile videri, quoniam in rebus materialibus inveniatur aliquid de duobus naſci, quod ſingulariter ſubſiſtat, nec dualitatem recipiat. Item in eodem libro : » Pater in « Filio, & Filius in Patre; Spiritus autem ſanctus « conjunctio divinæ virtutis, & unitas Trinitatis. « Hæc dicens oſtendit Spiritum ſanctum charitatem eſſe Patris & Filii, neque enim aliud eſt quo potentiùs & convenientiùs unitas ſanctæ Trinitatis perficiatur. Non tamen ſic accipiendum hic charitatem, quæ eſt Spiritus ſanctus, ut ſit qualitas, & non ſubſtantia, cum una ſit perſona ſanctæ Trinitatis. Conjunctionem autem appellat Spiritum ſanctum, vel unitatem Patris & Filii, quoniam de utroque procedens utrumque conjungit, manens ipſe non diviſus, non ſeparatus, & conſubſtantialis; quoniam ſanctæ Trinitatis unus exiſtit.

Idem lib. 11. de fide unitatis ad Theophilum.

Item in libello fidei ſic ait : » Pater verus ge- » nuit Filium verum, Deum de Deo, lumen de lu- « mine, vitam ex vitâ, perfectum de perfecto, to- « tum à toto, plenum à pleno; non creatum, ſed « genitum, non ex nihilo, ſed à Patre, unius ſub- « ſtantiæ cum Patre : & Spiritum ſanctum verum « Deum, non ingenitum, neque genitum, non crea- « tum, nec factum, ſed Patris & Filio, ſemper in « Patre & Filio. « Et hic Spiritum ſanctum nec genitum dicit eſſe, nec ingenitum, eo quod Filius ſit genitus, ſicut ſuperiùs dixit, Pater autem ingenitus, nec tamen propterea vel creatum, vel factum, cum ſit Patris & Filii Spiritus, ſemper in Patre & Filio permanens. Dicens autem Patris Filiique eſſe Spiritum, non tamen creatum, neque factum, oſtendit ab utroque procedentem, qui tamquam conſubſtantialis & coæternus in Patre ſit ſemper & in Filio, quo ſanctæ Trinitatis unitas nec loco nec tempore ſeparabilis exſtat. Item in libro decimo ponens teſtimonium Apoſtoli dicentis : » *Quis* « *enim cognovit ſenſum Domini qui inſtruat eum?* « *Nos autem ſenſum Chriſti habemus.* « Quo poſito « ſubjungit : » Senſum autem JESU Chriſti in ſub- « ſtantiâ propriâ Apoſtolus Spiritum ſanctum eſſe « profeſſus eſt. « Subſtantiam propriam Chriſti beatus Athanaſius appellat divinitatem ejus, cujus ſubſtantiæ ſenſum Spiritum ſanctum eſſe profitetur : ſenſum autem in hoc loco non ſecundùm humani corporis vel auditum, vel viſum ſentiendum, ſed ſecundùm quod appellamus ſenſum animi, intellectum ejus ſignificare volentes. Dicit autem intellectum JESU Chriſti Spiritum ſanctum, non quòd non intelligat à ſe, ut intellectus ejus ſit Spiritus ſanctus : eſt enim ſapientia Patris; *Attingens à fine uſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuaviter* : ſed ideo volt Chriſti ſenſum accipi Spiritum ſanctum, ut nos inſtruat de Chriſti ſubſtantiâ Spiritum eſſe ſanctum : ſicut enim ſenſus animi non poteſt ab animo ſeparari, nec aliunde quàm ab animo naſcitur, ita Spiritus ſanctus cum dicatur ſecundùm Apoſtolum ſenſus eſſe JESU Chriſti, non à ſubſtantiâ divinitatis Chriſti ſeparatur, nec aliunde quàm ex eâ procedit; eſt enim conſubſtantialis Filii, proceſſionem habens ipſius de divinâ ſubſtantia.

1. Cor. 2. 16.

Sap. 8. 1.

Et poſteriùs : » Audientes ergo & Salvatorem « dicentem : *Ego ſum vita*. Et Paulum ſcribentem : « *Joan. 14. 6.*

[i] *in libro octavo*] Si edita conſulas, hæc non in libro octavo tractatus *de propriis perſonis*, ſed in decimo *de fidei unitate* reperies. An igitur Athanaſii locum à Rattamno malè indicatum dicemus? Nequaquam, nam & Æneas Pariſienſis Epiſcopus, cap. 15. libri adversùs Græcos infrà, è libro octavo de fidei unitate eadem attexuit iiſdem verbis. Quamobrem librarios Rattamno & Æneæ poſteriores ordinem librorum Athanaſii inveriſſe dicere malumus, à quo inde fieri, ut quæ ab antiquis è Magno illo viro exſcripta ſunt, non ita facilè inveniantur.

Rom. 8. 2. » *Lex enim Spiritus vitæ.* Et rurſum, *Miſit Deus*
Galat. 4. 6. » *Spiritum Filii ſui in corda veſtra.* Videntes etiam » Unigenitum in faciem Apoſtolorum inſpirantem,
Joan. 20. 22. » & dicentem: *Accipite Spiritum ſanctum:* inſpirationem Filii in propria vitâ & ſubſtantia manentis, » Spiritum eſſe docemur. Et neque genitum, neque » creatum eſſe à Filio ſapimus. « Quibus omnibus inſtruimur Spiritum ſanctum de Filio procedere, & in propriâ vitâ ſubſtantiâque manere. Et licet inſpiretur à Filio, quod eſt eum de Filio procedere, non eſſe tamen neque creatum, neque genitum ab illo. Non eſt enim neque Filius, neque creatura Spiritus ſanctus. Quibus evidenter inſtruit ejuſdem Spiritum ſanctum eſſe ſubſtantiæ, cujus eſt & Filius, utpote procedens ab illo; nec qui ſit unus de creaturis, ſed creaturarum Sanctificator. Unde cum dicit eum ſecundum Apoſtolum Spiritum Filii, non vult eum intelligi ſubjectum, quia non eſt creatus; ſed vult ut intelligatur procedens, non tamen genitus, quia non eſt Filius. Accepit tamen de ſubſtantiâ Filii propriam exiſtentiam, quoniam eſt una ſanctæ Trinitatis perſona.

Item in libro diſputationis adverſus Arrium:
Idem in lib. Diſp. adv. Arium. » Apparet Spiritum ſanctum à Patris & Filii ſubſtantiâ non eſſe alienum, dum non à ſeipſo tamquam alienus & extraneus, ſed utpote unius ejuſdemque naturæ ſocius, quæ Patris & Filii communia ſunt agit & loquitur; nam ſi de propriis loqueretur, non ſolum à Patre alienus, ſed & fallax » & deceptor proculdubio haberetur. Quoniam, ut » ait Filius, *Omnis qui loquitur mendacium, de pro-*
Joan. 8. 44. » *priis loquitur*, & ideo hic verum loquitur, quia » non de proprio, id eſt, non à ſemetipſo, ſed Patris & Filii quæ loquenda ſunt loquitur: *De meo*,
Ibid. 16. 14. » inquit Filius, *accipiet, & annuntiabit vobis.* Et » ut oſtenderet hoc eſſe à ſe accipere, quod eſt etiam » de Patre ſumſiſſe, ait; *Ideo dixi, de meo acci-*
Ibid. v. 15. » *piet, quia omnia quæ habet Pater, mea ſunt.* Vides ergo Spiritum ſanctum à Patre & Filio non » eſſe diſcretum, dum ea loquitur quæ Patris & Filii » propria eſſe noſcuntur. « Luce clariùs oſtendit Spiritum ſanctum de Patre Filioque procedere, & ambobus eſſe conſubſtantialem. Ait enim eum à Patris & Filii ſubſtantia non eſſe alienum, quoniam non ſit à ſemetipſo, ſed ab eis à quibus procedit: & quoniam ſit ejuſdem naturæ ſubſtantiæque cujus eſt Pater & Filius, non loquitur propria, ſed quæ Patris & Filii ſunt communia. Non enim eſt à ſeipſo, & idcirco quæ loquitur, eorum eſſe conſtat à quibus accepit, ut & ſit, & agat, & loquatur. Sicut nec de propriis loquitur, ſed à Patre quod
Ibid. 8. 44. loquitur accepit. *Omnis qui loquitur mendacium de propriis loquitur*; & idcirco beatus Athanaſius Spiritum ſanctum dicit verum loqui, quia non loquitur de proprio, non enim eſt à ſeipſo, ſed ea loquitur quæ ſunt Patris & Filii; quoniam ſicut conſubſtantialis eſt illis, ita percepit ab illis quæ loquitur, non priùs exiſtendo, & poſtea accipiendo, ſed procedendo accipiens. Et inducit Filium dicentem:
Ibid. 16. 14. *De meo*, inquit, *accipiet, & annuntiabit vobis.* Et cur hoc dixerit, exponit cum ſubjungit. Hoc eſt, inquiens, de Filio accipere, quod eſt etiam de Patre ſumſiſſe: quoniam Pater & Filius ſicut ſubſtantiâ non ſeparantur, ita in proceſſione ſancti Spiritûs nullo modo dividuntur. Idcirco ſubjungit Filium dixiſſe:
Ibid. 15. *Propterea*, inquit, *dixi, de meo accipiet: quia omnia quæ habet Pater, mea ſunt.* Oſtendens Spiritum ſanctum cum procedit à Patre, procedat & à Filio; & cum procedit à Filio, procedat etiam & à Patre. Unde in fine concludens ait, Spiritum ſanctum à Patre Filioque non eſſe diſcretum, quibus & naturâ jungitur & operatione. Nam ea loquitur & ait quæ Patris & Filii propria eſſe noſcuntur, ab utroque procedens, ab utroque percipiens ſicut eſſentiam, ſic operationem, indiviſus ab eis tam voluntate quàm virtute, utpote unus ipſius ejuſdemque ſanctæ Trinitatis exiſtens. Hæc beatus Athanaſius de proceſſione ſancti Spiritûs dogmatizans, approbat eum procedere tam de Patre quàm de Filio. Cui Græcorum Imperatores ſi velint contradicere, videant in profeſſione ſanctæ Trinitatis quos ſequantur auctores. Nam iſtius beatiſſimi catholiciſſimique viri auctoritatem omnis catholica Chriſti amplectitur Eccleſia, veneratur & defendit.

Sufficiant iſta nos dixiſſe de Spiritu ſancto, auctoritatem majorum ſequentes, ſanctarumque ſcripturarum magiſterium imitantes, nos quidem approbare volentes, quòd Deus ſit & conſubſtantialis Patri Filioque coæternus, & per omnia ſimilis potentiæ, ſimilis virtutis, unius ejuſdemque majeſtatis. Hæc namque quæſtio ſanctorum diſputatione Patrum ventilata atque determinata eſt, expugnantium perfidiam hæreticorum, qui de Spiritu ſancto malè ſentientes negabant eum eſſe Deum verum: nobis autem ex hoc non multa diſputandi neceſſitas incubuit, quamvis non pauca ſint à nobis ex hoc dicta, cum ſe locus obtulit. De proceſſione verò ipſius plura ſunt dicta, de quâ quæſtio nata eſt; quæ ſufficere credimus pietatem amantibus, & veritatem diligentibus, magiſque ſapientiæ lumen quàm tenebras erroris ſectantibus. De quibus utriſque loquitur Spiritus ſanctus in Salomone, dicens: *Noli arguere deriſo-* *Prov. 9. 8.*
rem, ne oderit te. Argue ſapientem, & feſtinabit accipere. Et rurſum: *In auribus inſipientium ne lo-* *Ibid. 23. 9.*
quaris: non enim recipient niſi dixeris illa quæ verſantur in corde eorum. Quapropter videant Spiritûs ſancti calumniatores, ne nolentes recipere ſapientiæ diſciplinam, illis comparentur, qui ſuam præferre volunt inſipientiam ſanctarum regulis ſcripturarum. Hos tamen modernos, non diſputatores, quia nihil ex ratione vel redarguunt vel aſtruunt, ſed novitatis aſſertores, quibus ſimiles eſſe dicamus? Cum enim negare volunt Spiritum ſanctum de Filio procedere, unde quod dicunt comprobent, nullam vel ratiocinationem, vel auctoritatem oſtendunt: unde tumor potius levitatis eſſe videtur, quàm prudentiæ gravitas. Adeo denique arrogant ſibi, ut quidquid aſſerunt, auctoritas eſſe videatur: ſimiles eis qui cæci non valentes lucem, jurant ſolis præſentiam non eſſe ſuper terram, cum dies ſereno lumine fulgeat. Sed dicamus illis quod Salvator Judæis loquitur: *Scru-* *Joan. 5. 39.*
tamini ſcripturas. Illæ ſunt enim quæ teſtimonium perhibent de me. Sic & iſti ſacrarum volumina ſcripturarum ſcrutentur. Et illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent quidem Spiritu ſancto quod de Patre Filioque procedat. Evolvant Catholicorum dogmata Patrum; & reperient unde ſuum corrigant errorem, deponantque ſtultitiæ tumorem, quo putant ſibi potiùs quàm veritati credendum, & majorum auctoritatem ſuæ veſaniæ poſtponendam: diſcant priùs quod appetunt docere, ne dum imperitiam ſuam pro ſummâ peritiâ voluerint jactare, ſimiles iſti fiant, qui poſtquam elatus eſt in ſublime, dicente Salomone, *Prov. 30. 32.*
ſtultus apparuit.

Verùm tempus eſt jam ad reliqua quæ criminosè proferunt, tranſire, quibus dum geſtiunt Latinos reprehendere, quàm ſint ipſi reprehenſibiles, liquidò demonſtrant.

Explicit liber tertius.

Digitized by Google

INCIPIT LIBER QUARTUS

RATRAMNI CORBEIENSIS MONACHI

Contra Græcos.

CAPUT PRIMUM.

De diverſis Eccleſiæ conſuetudinibus agitur.

OBJECTA quæ ſequuntur dum ſapientiæ parum, imperitiæ verò non parum continere videantur, poterant omitti, ſi non minùs prudentibus erroris ſcandalum viderentur poſſe parturire. Dum enim talia ſint quæ formam pietatis videantur oſtendere, plurimos valent incautos decipere, non valentes diſcernere quid inter veram ſimulatamque diſtet religionem. Etenim cum nihil de dogmate fidei contineant, in quo Chriſtianitatis plenitudo conſiſtit, verùm conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ tantummodo narrent, nihil iſthinc vel approbandum, vel refutandum noſtræ reſtabat Eccleſiæ. Non enim continetur in hoc illud Apoſtoli dicentis: *Obſecro vos ut idem dicatis omnes; & non ſint in vobis ulla ſchiſmata.* Quæ ſint autem de quibus obſecrat idem ſentire, idem loqui, nec ullam fieri diviſionem, monſtrat alibi, dicens: *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma. Unus Deus & Pater omnium, qui ſuper omnes eſt, & in omnibus vobis.* In his enim nulla fit diverſitas credentium, quando ſanctæ Trinitatis confeſſionem, & Salvatoris noſtri JESU Chriſti nativitatem ex Virgine, paſſionem, mortem, reſurrectionem, in cœlos aſcenſionem, ad dexteram Patris conſeſſionem, & corde credimus, ut juſtificemur, & ore confitemur, ut ſalvemur: ſed & ipſum venturum tam vivorum quàm mortuorum judicem: & unum baptiſma in nomine Patris & Filii & Spiritûs ſancti, æquali confeſſione quicumque ſumus Chriſtiani tenemus & confitemur. In his enim obſecrat nos Apoſtolus idem ſapere, non diverſa ſentire.

1. Cor. 1. 10.

Quid in Eccleſia uniformiter ab omnibus tenendum.

Epheſ. 4. 5.

Cæterùm conſuetudines Eccleſiarum nec eædem ſunt omnes, nec ab omnibus poſſunt uniformiter haberi. Principio ſi quidem naſcentis Eccleſiæ Apoſtolorum acta teſtantur quòd qui Hieroſolymis erant credentes, nihil proprium poſſidebant: poſſeſſiones autem quas habebant, vendebant, earumque pretia coram pedibus Apoſtolorum ponebant, diſtribuebantque ſingulis prout cuique opus erat: erant enim eis omnia communia. At verò de Gentibus qui crediderant non eadem religionis forma detinebat: ſcribitur enim in eiſdem Actis Apoſtolorum, quæ per Apoſtolos præcepta ſuſceperant, quæque ſervantes ſalutis æternæ participes exiſterent. Hæc autem erant, ut abſtinerent ſe à ſimulacrorum culturâ, à fornicatione, & ſanguine, & ſuffocato: nihil enim ſuprà voluerunt eis imponere: ſicut literæ teſtantur Credentibus de præputio ab Apoſtolis miſſæ, in quibus hoc ferebatur. *Viſum eſt*, inquiunt, *Spiritui ſancto & nobis nihil ultrà imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria; ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, &c.* Et in concluſione: *A quibus cuſtodientes vos benè agetis.* Quis non videat diverſam eſſe religionis conſuetudinem; nihil proprium poſſidere, ſed communiter vivere, & omnia ſua retinere, neque niſi paucíſſimis præceptis mancipari? Aliud

Mutantur aliquando conſuetudines.

Act. 4. 34.

Ibid. 15. 28. 29.

Ibid. 29.

eſt namque perfectionis ſummam aſſequi; quod fecerunt qui cuncta ſua vendentes pauperibus ea diſtribuebant, & pauperem Chriſtum ipſi pauperes effecti ſunt ſequuti: aliud autem qui vix præcepta pauca complectentes inter initia religionis continebantur, nec tamen ob hoc alieni facti ſunt ab eis qui ſumma tenebant, iſti qui minima, veluti dicam, præcepta ſectabantur. Etenim licet obſervantiæ fuerint qualitate diſpares, fidei tamen unitate ſociabantur.

EUSEBIUS Cæſarienſis Epiſcopus in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ ſcribit de Credentibus qui morabantur Alexandriæ, quòd religionis fervore detinebantur, quàm excellenti converſationis philoſophiâ ſeſe gerebant. Ait ergo, « Primò omnium [1] renuntiant cunctis facultatibus ſuis, qui ſe ad hujuſmodi Philoſophiam dederunt, & bonis ſuis quibus interſunt, cedunt. Tum deinde quòd omnes etiam vitæ ſollicitudines procul abjiciant, & extrà urbem egreſſi in hortulis, vel exiguis quibuſque agellulis degant, refugientes imparis propoſiti conſortia, & vitæ diſſimilis contubernia: ſcientes impedimento eſſe hæc arduum volentibus iter virtutis incedere. » Et poſt alia: « Eſt autem, inquit, in ſingulis locis conſecrata orationis domus, quæ appellatur Semnion, vel monaſterium. Semnion autem ſignificare poteſt honeſtorum conventiculum, in quod ſecedentes honeſta & caſta vitæ myſteria celebrant. Nihil illuc prorſus quod ad cibum potumque pertinet inferentes, vel reliqua humani corporis miniſteria, ſed Legis tantùm libros, & volumina Propheticum, hymnos quoque in Deum, cæteraque his ſimilia. In quorum diſciplinis & exercitiis inſtituti, ad perfectam beatamque vitam ſtudiis jugibus coaleſcant. Ab ortu autem diei uſque ad veſperam omne eis ſpatium ſtudiorum exercitiis ducitur: quibus ad divinam Philoſophiam per ſacras litteras imbuuntur; Patrum leges in allegoricam intelligentiam deducentes; quoniam formas eſſe & imagines ea quæ in legis litterâ ſcripta ſunt, opinantur, latentis intrinſecùs profundi cujuſdam divinique myſterii. » Et in conſequentibus: « Continentiam verò velut quoddam fundamentum primò in animâ collocant; & ita demum reliquas ſuper hanc pergunt ædificare virtutes. Cibum potumq; nullus eorum capit ante ſolis occaſum; videlicet tempus lucis cum Philoſophiæ ſtudiis, curam verò corporis cum nocte ſociantes. Nonnulli autem etiam poſt triduum in communionem veniunt cibi, quos ſcilicet edacior ſtudiorum fames perurget. Jam verò hi qui in eruditionibus ſapientiæ, & in profundiore intelligentiâ ſacrorum voluminum converſantur, tamquam copioſis dapibus inhiantes, expleri nequeunt, & continuendo acriùs inflammantur, ita ut nec quarto jam, nec quinto, ſed ſexto die demum, non tam deſideratum quàm neceſſarium corpori indulgeant cibum. »

Euſebius. Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 16.

Hæc ſcribens de converſatione Credentium, non Alexandriæ tantùm, verùm per Ægyptum paſſim inhabitantium, docet quantum iſtorum converſatio diſtabat à cæteris per totius orbis amplitudinem Credentibus. Siquidem hi deſiderio patriæ cœleſtis adeò incaluerant, ut his meritò diceretur: *Veſtra autem converſatio in cœlis eſt.* In carne ſiquidem commorantes, Angelicam, ut ita dixerim, in terris vitam agebant. Fertur enim per beatum Marcum Evangeliſtam, quem miſerat Apoſtolus Petrus à Româ Alexandriam ut Evangelium Chriſti illi regioni præ-

Philipp. 3. 20.

[1] *Primò omnium*] Hic neceſſarium duximus monere, Ratramnum Euſebii hîc fequutum, ita quæ ille exſcripſerat è Philone accepiſſe, ac ſi nemini dubium eſſe poſſet quin viri illi quorum mores Philo depinxit, inter Chriſtianos cenſerentur. Quod profectò non ita eſſe norunt omnes, qui rei litterariæ operam dant. Quamquam enim Euſebio dein de adſtipulati ſunt viri & ſuperioris, & noſtræ ætatis doctiſſimi, non paucos video qui in Eſſenis illis nihil dum videns, quod Chriſtianos potiùs quàm Judæos indicet, & litem adhuc eſſe ſub judice, non immeritò dixeris.

dicaret, fuiſſe ſic inſtitutos. Num verò propterea cæteras in orbe toto Chriſti Eccleſias longè aliter degentes, ſua communione privarant, vel in ſuos ritus ſuamque conſuetudinem tranſmutare geſtiebant? Noverant enim unicuique non ſolùm hominum, verùm etiam Eccleſiæ datam eſſe gratiam ſecundùm menſuram donationis Chriſti; nec tamen illi, quia continentiam velut fundamentum quoddam primò conſecrandam conſtituerant, nuptias condemnabant: niſi forte putandum apud eos Epiſcopos atque Presbyteros uxores duxiſſe, apud quos conſtat ipſos etiam Laïcos nuptiis abſtinuiſſe. Sed neque prandebant omni Sabbato, quos conſtat uſque ad veſperam continuata perduxiſſe jejunia; plurimoſque illorum in tertiâ vel ſextâ die cibum corpori vix præbuiſſe.

Videant igitur Græcorum ſapientes, vel certè Principes, quàm juſtè reprehendant Romanos in Sabbato jejunantes. Ergo reprehendant & illos omni die jejunantes; reprehendant etiam totam hebdomadam jejunio continuantes. Quod quia ſtultum eſſe cernitur, ex hoc ſaltem velim vel imprudentiæ, vel levitatis ſuæ perſpiciant errorem, & ſtudeant potiùs virtutis imitatores exiſtere, quàm jejunantibus derogare. *Non enim*, ait Apoſtolus, *regnum Dei eſt eſca & potus, ſed juſtitia & pietas.* Et Salvator diabolum non prandendo, ſed jejunando vicit. Nec ſuæ conſuetudinem religionis omnes Chriſti velint Eccleſias tenere; cùm videant tam Apoſtolorum temporibus, quàm diſcipulorum eorum, diverſas obſervationum inſtitutiones fuiſſe; nec tamen fide diverſos, licet obſervantiâ diſpares extiterint.

Rom. 14. 17.
Matt. 4.

CAPUT II.

SCribit Apoſtolus Theſſalonicenſibus: *Vos enim*, inquit, *imitatores facti eſtis, fratres, Eccleſiarum Dei quæ ſunt in Judæâ in Chriſto* JESU. Iſta dicens oſtendit etiam Eccleſias Credentium de gentibus non ejuſdem eſſe virtutis, verùm diverſi muneris, ac per hoc diverſæ quoque conſuetudinis. Quod etiam beatus Hieronymus in prologo epiſtolarum Pauli teſtatur, dicens; non eas ordinem ut ſcriptæ ſunt, ſed quemdam graduum tenere provectum; ut primum locum epiſtolæ contineant, quæ miſſæ fuerant ad Eccleſias, quibus minor obſervantiæ doctrina vel virtus inerat. Medium verò teneant, quæ miſſæ fuerant his quæ jam ab initiis receſſerant, necdum tamen perfectionis culmen obtinuerant. Ultimum verò, quæ miſſæ fuerant perfectionis gradum obtinentibus, quæ tam ſcientiæ quàm virtutis eminentiâ præpollebant, ut infra ſe multos, ſupra ſe verò nullos haberent. Quid enim in his monſtratur, niſi quantum erat differentia in ſcientiâ & virtute Eccleſiarum, earum quoque non eadem eſſe conſuetudo religionis. Siquidem longè aliter ſe gerebant qui Hieroſolymis fuerant communiter viventes, & in fractione panis communicantes, & oratione perſeverantes, nihil proprium poſſidentes: atque longè aliter qui ſua quæ poſſederant retinentes, ſecundùm gratiam ſibi divinitùs impertitam Evangelium Chriſti, vita, moribus, & fide commendabant. Inter quos plurimùm extollit Apoſtolus Theſſalonicenſes, quibus donatum eſt ut eadem paterentur à contribulibus ſuis, quæ paſſi ſunt & hi qui Hieroſolymis morabantur, à Judæis.

1. Theſ. 2. 14.

De variâ quoque Eccleſiarum conſuetudine SOCRATES in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ ſic loquitur: « Quid » verò ex conſuetudine quadam per provincias celebratur Paſcha, hinc æſtimo quòd nulla religio » eaſdem videatur ſervare ſolemnitates. Nam cum » unius ſint fidei, plurima tamen diſponunt circà Paſcha legitima; unde pauca dicenda ſunt. Nam in ipſis jejuniis aliter apud alios invenis obſervari: Romani enim ſex ante Paſcha ſeptimanas, præter Dominicam, ſub continuatione jejunant. Illyrici verò & tota Hellas, Alexandria quoque ante ſex ſeptimanas jejunant; eaque jejunia Quadrageſimam vocant. Alii verò ante ſeptem Paſchæ ſeptimanas jejuniorum facere noſcuntur initia. » Et poſt pauca: « Sed etiam ciborum abſtinentiam non ſimilem habent: nam alii omninò ab animatis obſervant; alii animantium piſces ſolummodò comedunt; quidam cum piſcibus veſcuntur & volatilibus, dicentes hæc ſecundùm Moyſem ex aquâ habere ſubſtantiam; alii verò etiam caulibus & ovis abſtinere noſcuntur: quidam ſicco tantùm pane veſcuntur; alii neque hoc: alii uſque ad nonam jejunantes horam, ſine diſcretione ciborum reficiuntur. Et innumerabiles conſuetudines apud diverſos inveniuntur. Et quia nulla lectio ex hoc invenitur antiqua, puto Apoſtolos ſingulorum hoc reliquiſſe ſententiæ, ut unuſquiſque operetur non timore, non neceſſitate, quod bonum eſt. Sed etiam circà celebritatem collectarum quædam diverſitas invenitur. Nam dum per Eccleſias in univerſo terrarum orbe conſtitutas, die Sabbatorum per ſingulas hebdomadas ſacrificia celebrentur, hoc in Alexandriâ & Româ quadam priſca traditione non faciunt. Ægyptii verò Alexandriæ vicini, & Thebaidis habitatores, Sabbato quidem collectas agunt, ſed non ſicut moris eſt ſacramenta percipiunt: nam poſtquàm fuerint epulati, & cibis omnibus adimpleti: circà veſperam oblatione factâ communicant. Rurſus autem in Alexandria quarta & ſexta feria ſcripturæ leguntur, eaſque Doctores interpretantur; & omnia fiunt præter ſolemnem orationis morem. » Item infrà: « In eadem Alexandria Lectores, & Pſalmi pronuntiatores, indifferenter fiunt, ſive Catechumeni, ſive jam Chriſtiani, dum omnes Eccleſiæ jam fideles in his ordinibus habere videantur. Ego quoque cognovi in Theſſaliâ aliam conſuetudinem, dum quidam Clericus ante Clericatum legitimè duxiſſet uxorem, quia cum eâ mixtus fuerit poſt Clericatum, abdicatus eſt; dum in Oriente cuncti ſpontaneâ voluntate, & non aliqua neceſſitate, etiam Epiſcopi ſemetipſos abſtineant. Plurimi enim eorum etiam Epiſcopatûs tempore ex legitima uxore etiam filios habuerunt. Hoc quoque in Theſſalia ſervari cognovi, quoniam apud eos in diebus Paſchæ tantummodo baptizatur; quapropter plurimi ſine baptiſmate moriuntur. In Antiochia verò Syriæ altare non ad Orientem Eccleſiæ, ſed magis ad Occidentem habent. In Hellada, Hieroſolymis, & Theſſalia ad tempus veſpertinum orationes ſimiles Novatianis Conſtantinopolim degentibus habent. In Cæſarea Cappadociæ, & Cypro, die Sabbati & Dominico circà veſperam cum lucernariis Epiſcopi atque Presbyteri ſcripturas interpretantur. In Alexandria Presbyter non facit ſermonem; & hæc res initium accepit ex quo Arrius Eccleſiam conturbavit. Romæ Sabbata univerſa jejunant. In Cæſareâ Cappadociæ eos qui poſt baptiſma delinquunt, à communione ſuſpendunt. Novatiani circà Phrygiam bigamos non recipiunt: Conſtantinopolim verò, neque apertè recipiunt, neque palam removere noſcuntur: in occidentalibus verò partibus apertè recipiunt. »

SOCRATES, lib. 5 cap. 21. Jejunium Quadrageſimæ diverſimodè olim celebratum.

Ibid. Variorum ciborum uſus.

Ibid. paulo poſt. Ritus diverſi.

Longum fiet ſi cuncta voluerimus colligere, quæ per Eccleſias toto orbe diſpoſitas multiplex varie-

tas

tas obſervare dignoſcitur, vel antiquitus obſervaſſe deprehenditur. Sed ſufficiant iſta breviter ex unius Scriptoris hiſtoriâ collegiſſe, & hoc Græci: quatenus Imperatores intelligant Græcorum quàm injuſtè, quàm imperitè Romanos redarguant, quòd ſuas conſuetudines per omnia non obſervent. Cogant ergo univerſum Eccleſiarum Chriſti corpus toto orbe diffuſum in ſuarum leges conſuetudinum, & tum ſi valent Romanos dijudicent ſuper ſuæ varietate religionis, quòd à Conſtantinopolitanâ diverſi videantur haberi conſuetudine. An certè doctiores ſunt Apoſtolis, aut ex antiquorum lectione poſſunt oſtendere ſuam potiorem fore Romanâ conſuetudinem? Hiſtoriographus ſiquidem illorum teſtatur, ſingulorum hoc reliquiſſe ſententiæ ſanctos Apoſtolos, ut unuſquiſque non timore, non neceſſitate, quod bonum eſt operetur; ſed magis propriæ voluntatis judicio. Siquidem cum ſint unius omnes fidei, diverſa tamen diſponunt tam circà Paſcha legitima, quàm circà jejuniorum obſervationes, aliis plures, aliis pauciores jejuniorum dies celebrantibus. Nec ipſa jejunia ſua vel eſcarum, vel temporis ſimilitudine, vel æqualitate frequentantibus, verùm ſingulos vel provinciæ ſuæ, vel Majorum conſuetudine, vel corporum viribus, fore contentos. Collectas quoque, id eſt, Conventus populi, nec eodem tempore, nec uno more omnes tenent Eccleſiæ: ſiquidem aliter Alexandrini, & Romani; aliter Ægyptii atque Thebani eas celebrant: nam nec Romani nec Alexandrini die Sabbato Conventus faciunt, quod facere comprobantur in univerſo Oriente Chriſti Eccleſiæ, & Ægyptii quidem ſive Thebaïdæ commorantes, quamquam Conventus, id eſt, Collectas faciant die Sabbato, non tamen ſacramenta corporis & ſanguinis Chriſti accipiunt jejuni, ſed ad veſperam poſt ciborum repletionem contrà totius orbis conſuetudinem. Addunt etiam ſuæ conſuetudini Alexandrini quartam & ſextam feriam, quibus quidem Conventus faciunt ſcripturas ſacras legentes, Doctoribus eos interpretantibus, non tamen ſolemnem oblationis morem in his diebus agunt; nec tamen propter iſta à cæteris orientalibus Eccleſiis excommunicantur, à quibus eſſe diverſi videntur. Theſſalia quoque cum diverſæ ſit conſuetudinis à cæteris orientalibus: nam poſt Clericatûs ſuſceptionem, non patiuntur aliquem, ſicut Hiſtoriographus ille teſtatur, etiam propriam quam ante Clericatum legitimè duxerat, cognuſcere uxorem, quod ſi fecerit, miniſterio privatur; cum per cæteras Orientis Eccleſias nullus hac lege conſtringatur, verùm proprio relinquatur judicio, ſuæque voluntatis arbitrio, ut non ſolùm reliqui gradus Eccleſiaſtici, verùm Presbyteri & Epiſcopi proprias quas ante ordinationem legitimas habuère uxores, ſi velint retineant; non tamen liceat non habentibus ducere, nec prioribus defunctis ſecunda ſortiri matrimonia. Nec tamen hæc diverſitas à communione quemquam ſegregat, cum conſuetudo diſcernat. In baptiſmatis quoque tempore diverſitatem Theſſalonicenſis Eccleſia gerit à cæteris; quandoquidem in Paſcha tantummodò baptizat, cum duo ſint tempora majorum authoritate baptiſmati decreta, Paſchæ videlicet, & Pentecoſtes.

Quid Antiochiæ Syriæ memorem, cui mos eſt altare non ad orientem Eccleſiæ, ſed magis ad occidentem habere? Conſtantinopolitanos idem Hiſtoriographus refert, in recipiendo vel rejiciendo binubos non idem ſentire, ſed eſſe diviſos, quibuſdam ſentientibus eorum receptionem; quibuſdam diſſentientibus ratum eſſe: cum occidentalis omnis Eccleſia ſine contradictione palam recipiat: nec tamen ſic inter ſe conſuetudine diviſi, communionis unitate ſeparantur. Rogo, quæ ſit iſta ſapientia, vel ſacræ zelus religionis, ut circà Romanos non patiantur Imperatores Græcorum, quod in toto ſuſtinet orbe univerſalis Eccleſia, & velint à ſuâ conſuetudine nec Romanos, nec Occidentales diſcrepare, quandoquidem Orientales multimodâ ſeparentur varietate. Hæc ipſa Conſtantinopolis unius conſuetudinis eſt more contenta?

Parum eſt de conſuetudine Credentium in Chriſtum diverſa dixiſſe, ſi non etiam Judæorum quòd non fuerit uniformis religionis obſervatio demonſtremus. Quamvis enim uni Deo culturam debitam exhiberent, & Moſaicæ legis præceptis continerentur, circà tamen vivendi conſuetudinem; morumque regulas non uniformiter agebantur, ſicut JOSEPHUS Hiſtoriographus illorum his verbis commemorat: » Judæis, inquit, philoſophiæ tres erant ab initio inſtitutis patriis derelictæ: Eſſenorum, Sadducæorum, & tertia quâ philoſophabantur, qui dicebantur Phariſæi. Phariſæi enim quotidianam converſationem exiguam habent, & prorſùs abjectam; nihil mollitudini [m] aut delicatudini penitùs indulgentes, ſed quæcumque judicio rationis oportere comperta ſunt, illa ſequuntur: præpoſitis nullo modo reluctantur; majores natu competenti honore venerantur, ita ut nec contrarium quiddam aliquando reſpondeant: Fato geri omnia credunt; ſed neque liberum arbitrium hominis auferunt: judicium Dei futurum eſſe ſentiunt; illic cunctos homines propria merita recepturos, tam eos qui ſecundùm virtutem vixerint, quàm illos qui nequitiâ depravati ſunt. Animas autem immortales dicunt; ſed etiam in inferno congrua unicuique habitacula pro merito vel virtutis vel iniquitatis attribui, ſicut unicuique viventi gerebatur ſtudium: & alias quidem animas æternis retrudi carceribus; alias autem facilitatem reviviſcendi percipere. Et ob hæc quidem populis acceptabiles, credibileſque conſiſtunt. Quantumcumque item ad divinitatis culturam pertinent, orationum celebrationes, templorum conſtitutiones expoſitionibus ſuis facienda eſſe prædicant. Nam tantum ſtudii eorum prælatum eſt teſtimonium, ut ad eos plurimæ civitates, & maxima multitudo, cum ſtudio grandi confluant, opinione adducti quâ meliores cæteris æſtimantur. Sadducæi autem animas mortales exiſtimant, ſimulque cum corporibus interire; nullas verò alias obſervationes præter legem cuſtodiunt: adverſus Doctores autem Philoſophiæ ſuæ certare & vinci glorioſum annumerant; ſed ad paucos admodum doctrina pervenit, vel modus exercitationis. Primates autem apud eos dignitatibus honoribuſque celebrantur. Eſſeni autem ad Deum cuncta redigunt: immortalem animam dicunt: juſtitiam autem rem pretioſam, pro quâ uſque ad mortem pugnandum eſſe prædicant. In templo autem anathemata prohibent: ſacrificia vel hoſtias cum populo non celebrant, quòd ſe plurimùm ab eis putant munditiâ vel ſanctitate differre & merito: ſe à communi congregatione diſcernunt, in remotis ſacrificia facientes; cultu verò morum atque converſatione optimi, ad colendam terram & exercendam omni ſtudio in-

> JOSEPHUS lib. 18 cap. 2. init.
> Quot olim apud Judæos ſectæ.

> 1. Phariſæorum.

> 2. Sadducæorum.

> 3. Eſſenorum.

m *nihil mollitudini*] Sic emendavit Cotelerius, quem conſulere potes tomo 1. Monument. Eccl. Græcæ pag. 761. antea legebatur *multitudini*, ineptè.

» tenti. Illud etiam habent dignum & valdè mirabile, quod in aliis non invenias Gentibus tam Græcorum quàm etiam Barbarorum, quòd omnes illis in medio opes ſunt, & ab eis omnia communia poſſidentur: nihil ampliùs inter eos ditior fruitur, nihil pauperibus defraudatur, ac ſi nihil omninò poſſideatur. Sunt autem ſuper quatuor millia hominum numero. Uxores non ducunt; neque ſervos habere feſtinant; aliud quippe iniquitatis, aliud ſeditionis opportunitatem æſtimant. Iſti ergo ſemotim apud ſemetipſos adjuvant, mutua ſibi viciſſitudine miniſtrantes. Suſceptores autem redituum promovent, curatoreſque conſtituunt, qui cuncta quæ terra profert in uſus neceſſarios adminiſtrent. Sacerdotes autem optimos viros eligunt: cibus illis ſimplex eſt, habitus inſumptuoſus & mundus. «

Ibidem in fine.

Deſcribit adhuc Joſephus iſte quartam ſpeciem philoſophiæ, quæ penes Judæos agebatur, cujus Principem dicit Judam exſtitiſſe, quam vel propter brevitatem omiſimus, vel quia noviter reperta, cæteris inferior habebatur.

Poſuimus iſta Judæorum, volentes oſtendere circà divinitatis quidem culturam, & Moſaicæ legis obſervantiam, non diſſimilem uſum habuiſſe, parique ſtudio ferbuiſſe; at verò moralitatis converſationem, & religionis habitum longè diſſimilem tenuiſſe. Non quòd illorum noſtris temporibus approbemus religionem, verùm monſtrare volentes quòd in unius cultu divinitatis cum ſimiles exſtitiſſent, habitu verò converſationis diſſimiles, non tamen propterea ſe ab alterutrâ communione ſecernebant, ſed in unitatis ſocietatem manentes, patientiſſimè tolerabant morum conſuetudinem non omnium fore conſimilem; ſcientes nihil fidei ſuæ repugnare moralitatis diverſitatem: quandoquidem de Deo, deque legis obſervantiâ præceptorum eumdem haberent aſſenſum: & ecce Græcorum Imperatores graviter ferunt Romanos non eodem quo illi more converſari, neque ſecundùm ſuam conſuetudinem, id eſt, Græcorum, ingredi; cum iſta nec apud Eccleſias Chriſti poſſint reperiri, nec apud Judæos, penes quos ante prædicationem Evangelii divinitatis cultus inſignis habitus eſt, fuerint obſervata. Quâ de re convincitur non pietatis ſtudio hujuſmodi reprehenſionem geniuſſe, ſed livoris malitiâ, tumoriſque jactantiâ. Veniendum jam ad ſingula quæ videntur appoſuiſſe, quibus dum videntur jactare vel ſapientiam vel religionem, ſuam prodant inſipientiam & irreligioſitatem.

CAPUT III.

Græci Romanos culpant, quòd Sabbato jejunent.

CUlpant Romanos & Occidentales quòd Sabbato jejunent; quandoquidem ipſi vel Orientales omni Sabbato prandeant; neſcientes, ut credimus, quòd non omnes Occidentales Eccleſiæ hac conſuetudine teneantur, ſed Romana, vel aliæ quædam Occidentales Eccleſiæ; ſiquidem major numerus Occidentalium in Sabbato non jejunat: nec tamen Romanos propterea jejunantes reprehendunt, vel à Romanis jejunantibus ipſi reprehenduntur. Noverunt enim ab Apoſtolo dictum: *Qui manducat, non manducantem [non] ſpernat; & qui non manducat, non manducantem non judicet.* Nec tamen omnes Orientales Eccleſiæ Sabbato [non] jejunare deprehenduntur. Alexandrina namque cum Romanâ priſcâ jam traditione ſuper jejunio Sabbati conſentit. Etenim collectæ non fiunt eo die Alexandriæ, ſicuti nec Romæ. Unde monſtratur Alexandrinos Sabbato non prandere, ſicut nec Romanos. In diebus enim collectarum & Sacramenta moris eſt conficere atque percipere, & jejunia ſolvere; penes tamen Thebaidos & Ægyptios conſuetudo eſt jejunium quidem Sabbato ſolvere, Sacramenta verò Dominici corporis & ſanguinis non niſi ad veſperam percipere poſt ciborum expletionem; nec tamen ex hoc ab aliis Eccleſiis redargui inveniuntur, ſicut nullam ſuper hac re inveniant Eccleſiam cujus ſequantur conſuetudinem; utrum tamen & ab iſtis reprehenſoribus novellis redarguantur, neſcimus: ſcimus tamen Romanos ab Apoſtolo Petro inſtitutos, ſicut antiquorum fert traditio, ut in Sabbato jejunent. Scribitur enim Petrum & Paulum Apoſtolos contrà Simonem Magum dimicaturos die Sabbato jejunaſſe: hac de causâ Romanis conſuetudinem factam eſſe in omni Sabbato jejunandi.

Rom. 14. 3.

Quare Romani jejunant.

» Super quâ re (ſicut ſcribit EUSEBIUS Hiſtoriographus in Libello vitæ Silveſtri Romani Pontificis) Græci convenerunt beatum Silveſtrum, quæſtionem agentes adverſus Romanos de jejunio Sabbati: quibus hæc reſpondit, ſufficere debere hoc ad authoritatem noſtri propoſiti, quòd ita tenuiſſe Apoſtolos priores cognovimus; tamen quia ratio flagitatur à veſtrâ charitate, reddenda eſt. Si omnis Dominicus dies causâ Reſurrectionis Domini tenetur, juſtum eſt ut omnis Sabbatorum dies causa ſepulturæ jejunii ſuſcipiatur inſtantia, ut flentes cum Apoſtolis de morte Domini JESU Chriſti, gaudere cum eis de reſurrectione ejuſdem mereantur. Sed dicebant Græci unum eſſe Sabbatum ſepulturæ, in quo ſemel in anno jejunium eſt colendum. Quibus Papa Silveſter dicebat: ſi omnis dies Dominicus Reſurrectionis eſſe creditur gloria decoratus, omnis qui eum antecedit dies ſepulturæ, eſt jejunio mancipandus [a], ut meritò gaudeat de Reſurrectione, qui de morte ploraverit. Plorare autem compati dixerim, ſalvo eo quod Paſſio Domini gaudii noſtri ſit ſumma. Acceptâ igitur Græci ratione, quieverunt. «

Lib. 1, c. 8.

Ad quid jejunium Sabbato obſervatur.

Græcorum objectio.

Reſponſio Silveſtri PP.

D

Hæc poſuimus ut oſtenderemus non novum eſſe quod Romani Sabbato jejunant, nec leve quod Apoſtolicâ firmatur auctoritate, & congrua ſatis ratione roboratur. Unde mirandum quæ ſit iſta novis ſapientibus prudentia, non acquieſcere, quod ſui probantur majores acquieviſſe. Ex quo namque Princeps Apoſtolorum Petrus & Paulus Romæ docuerunt, & doctrinæ ſuæ veritatem proprii ſanguinis effuſione commendaverunt, conſuetudo fuit Romanis, & quibuſdam Occidentalibus omni Sabbato jejunare; nec tamen propterea cunctæ per Orientem Eccleſiæ, quæ non iſtâ conſuetudine detinentur, Romanos ſuâ communione judicarunt alienos, quamvis ipſi conſuetudinem habeant omni Sabbato ſicuti Dominicâ non jejunare.

Scribit ex hoc Doctor Auguſtinus ad Caſulanum Presbyterum, inquirentem ſuper eâdem quæſtione, reſpondens ita: » Sequitur Sabbatum, quo die caro Chriſti in monumento requievit, ſicut in primis operibus mundi requievit Deus illo die ab omnibus operibus ſuis. Hinc exorta eſt iſta in Eccleſiâ veſcendi varietas, ut alii, ſicut maximè populi Orientis propter requiem ſignificandam mallent relaxare jejunium; alii propter humilitatem mortis Domini jejunare, ſicut Romana, & nonnullæ Occidentis Eccleſiæ. Quod quidem uno die, quo paſcha celebratur, propter renovandam rei «

Auguſt. Epiſt. 86.

a eſt jejunio mancipandus] Vox *jejunio* addita eſt è codice Biblioth. cæ Sancti Germani à Prato, in quo caſtat hæc vita Sancti Silveſtri.

» geſtæ memoriam, quâ diſcipuli humanitùs mortem Domini doluerunt, ſic ab omnibus jejunatur ut etiam illi Sabbato jejunium devotiſſimè celebrent, qui cæteris per totum annum Sabbatis prandent; utrumque videlicet ſignificantes, & uno anniverſario die luctum diſcipulorum, & cæteris Sabbatis quietis bonum. Duo quippe ſunt quæ juſtorum beatitudinem, & omnis miſeriæ finem ſperari faciunt; mors & reſurrectio mortuorum: in morte requies eſt; de qua dicitur per prophetam: *Plebs mea, intra cellaria tua, abſcondere puſillum, donec tranſeat ira Domini.* In reſurrectione in homine toto, id eſt, in carne & ſpiritu perfecta felicitas. Hinc factum eſt ut horum duorum utrumque non ſignificandum putaretur labore jejunii, ſed potiùs refectionis hilaritate; excepto uno Paſchali Sabbato, quo diſcipulorum, ſicut diximus, luctus propter rei geſtæ memoriam fuerat jejunio prolixiore ſignandus. Sed quoniam non invenimus (ut jam ſuprà commemoravi) in Evangelicis & Apoſtolicis litteris, quæ ad novi teſtamenti revelationem propriè pertinent, certis diebus aliquibus evidenter præceptum obſervanda eſſe jejunia; & ideo res quoque iſta ſicut aliæ plurimæ, quas enumerare difficile eſt, invenit in veſte illius filiæ Regis, hoc eſt Eccleſiæ, varietatis locum; indicabo tibi quid mihi de hoc requirenti reſponderit venerandus Ambroſius (à quo baptizatus ſum) Mediolanenſis Epiſcopus. Nam cum in eâdem civitate mater mea mecum eſſet, & nobis adhuc Catechumenis, parùm iſta curantibus, illa ſollicitudinem gereret, utrum ſecundùm morem noſtræ civitatis ſibi eſſet Sabbato jejunandum, an Eccleſiæ Mediolanenſis more prandendum, ut hac cunctatione eam liberarem interrogavi hoc ſuprà dictum hominem Dei. At ille, quid poſſum, inquit, hinc docere ampliùs quàm ipſe facio? Ubi ego putaveram nihil eum iſtâ reſponſione præcepiſſe, niſi ut Sabbato pranderemus; hoc quippe ipſum facere ſciebam: ſed ille ſequutus adjecit; quando hîc ſum, non jejuno Sabbato, quando Romæ ſum, jejuno Sabbato: & ad quamcumque Eccleſiam veneritis, inquit, ejus morem ſervate, ſi pati ſcandalum non vultis aut facere. Hoc reſponſum retuli ad matrem, eique ſuffecit, nec dubitavit eſſe obediendum; hoc etiam nos ſequuti ſumus. Sed quoniam contingit maximè in Affricâ, ut una Eccleſia, vel unius regionis Eccleſiæ, alios habeant Sabbato prandentes, alios jejunantes, mos eorum mihi ſequendus videtur, quibus eorumdem populorum congregatio regenda commiſſa eſt. «

Iſai. 26.

Ibid. & Epiſt. 118. ad Jan.

Hæc de jejunio Sabbati beatus Auguſtinus Catholicus Doctor ſenſit & ſcripſit, æſtimans nullam graviorem hinc diſceptationem fore tenendam; verùm ſequendam uniuſcujuſque Eccleſiæ conſuetudinem de jejunio Sabbati, vel pranſione, quandoquidem & qui prandent in Sabbato, pietatis habere videntur cauſam, quâ illud faciant: ſignificant enim quoniam in illo die D.us requievit ab omnibus operibus ſuis; vel Credentium requiem, quâ requieturi ſunt ſancti in reſurrectione, receptis corporibus æternâ cum Domino quiete fruituri. Similiter & illi qui jejunant, pietatis habent cauſam, quam ſequantur; quoniam illâ die propter mortem Chriſti diſcipuli corporaliter contriſtati ſunt, eorumque triſtitiam imitari volentes, jejunant quidam in Sabbato fideles. Alii verò non jejunant, ut gaudium reſurrectionis Dominicæ prandentes, quod habuerunt Apoſtoli viſâ Domini reſurrectione, demonſtrent. Siquidem ob imitationem triſtitiæ diſcipulorum cunctæ per orbem Eccleſiæ uno per annum Sabbato, quod ſanctum præcedit Paſcha, jejunant, licet aliis Sabbatis prandeant, ſive non prandeant. At verò Romanis placuit id omni Sabbato jejunando memorari, quemadmodum omni Dominicâ reſurrectionis Domini memoria cunctis ab Eccleſiis frequentatur.

Cum igitur pietatis cauſam habeant & jejunantes in Sabbato, & prandentes, cur id faciant; & nulla reperiantur præcepta novi teſtamenti, quibus id vel præcipiatur, vel prohibeatur, non debet in Eccleſiis Chriſti gravior hinc diſcrepatio ulla fieri, ſed in arbitrio uniuſcujuſque relinqui quid potiùs eligant, majorum tamen authoritatem ſuorum ſequentes, & ſuæ conſuetudinem Eccleſiæ. Quod ſi conſideraſſent Græcorum Imperatores, nullam hinc moviſſent diſceptationem, ſed tenuiſſent hoc quod ſui tenuere majores. Num meritò quiſquam debet judicari, quòd pietatis causâ jejunare videtur? ſunt enim & alii dies quibus nonnullis Eccleſiis per ſingulas hebdomadas conſuetudo eſt jejunandi, ſicut quartâ & ſexta feriâ; & redditur cauſa cur hoc fiat (ſicut ait beatus Auguſtinus) eo quod quartâ feriâ congregati ſunt principes Judæorum, & conſilium inierunt ut JESUM dolo tenerent & occiderent. Sextâ verò feriâ eum crucifixêre: de quibus ſic loquitur: Cur autem quartâ & ſextâ feriâ maximè jejunet « Eccleſia, illa ratio reddi videtur; quòd conſiderato « Evangelio ipſa quartâ Sabbati, quam vulgò quartam feriam vocant, concilium reperiuntur ad occidendum Dominum feciſſe Judæi. Intermiſſo autem uno die, cujus veſperâ Dominus Paſcha cum « diſcipulis manducavit, qui finis fuit ejus diei, quem « vocamus quintam Sabbati: deinde traditus eſt eâ « nocte quæ jam ad ſextam Sabbati, qui dies paſſionis ejus manifeſtus eſt, pertinebat. Hic dies « primus azymorum fuit, à veſperâ incipiens. Sed « Matthæus Evangeliſta quintam Sabbati dicit fuiſſe « primum diem azymorum, quâ ejus veſperâ conſequente, futura erat cœna Paſchalis: quâ cœnâ « azymum incipiebat & ovis immolatio manducari: « ex quo colligitur quartam Sabbati fuiſſe quando « ait Dominus: *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & Filius hominis tradetur ut crucifigatur.* Ac per « hoc, jejunio dies ipſe deputatus eſt: quia ſicut « Evangeliſta ſequitur & dicit: *Tunc congregati ſunt principes Sacerdotum & Seniores populi in atrium « principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas; & « concilium fecerunt ut* JESUM *dolo tenerent & occiderent.* Intermiſſo autem uno die de quo dicit « Evangelium: *Primâ autem azymorum acceſſerunt « diſcipuli ad* JESUM *dicentes: ubi vis paremus tibi « comedere Paſcha:* Hoc ergo die intermiſſo, paſſus « eſt Dominus, quod nullus ambigit Chriſtianus, « ſextâ Sabbati: quapropter & ipſa ſexta rectè jejunio deputatur. Jejunia quippe humilitatem ſignificant: unde dictum eſt: *Et humiliabam in jejunio animam meam.* «

Epiſt. 86.

Mat. 26. 2. & ſeq.

Ibid. 17.

Pſal. 34. 13.

Hæc beatus Auguſtinus de jejunio quartæ ſextæq; feriæ ſcribit ad Caſulanum preſbyterum, oſtendens cur fuerit inſtitutum: nec tamen hoc jejunium, quod quartâ ſive ſextâ Sabbati celebratur, ab omnibus Eccleſiis vel Orientalibus vel Occidentalibus peragitur; ſed à quibuſdam quibus id placuit obſervare; nec tamen propterea qui jejunant his diebus reprehenduntur ab eis qui prandent, ſed tenet unaquæque Eccleſia morem quem à majoribus ſuis ſuſcepit. Quâ de re mirandum cur à Græcis Romani redarguantur ſuper jejunio Sabbati, cum non redarguantur ab eis vel Alexandrini quartâ ſextâque feriâ jejunantes, vel reliqui per Orientem Chriſtiani: cum conſtet Conſtantinopolitanos quartâ ſive ſextâ Sabbati ut jejunent nullâ lege vel conſuetudine conſtringi.

In inſulâ Britannicâ omni ſextâ Sabbati jejunatur,

cedere, quod ſpirando dabat occultè. Pariter quoque ſolvens quæſtionem, ne Filius ſit amborum, quoniam procedit ab ambobus, ſicut impietas Arriana calumniabatur, dicens, « quia ſi naſceretur Spi» ritus ſanctus, non tantùm naſceretur de Patre, » nec tantùm naſceretur de Filio ; » quoniam procedit ab utroque. Procedit, inquam, non naſcitur : ſed de ambobus utique naſceretur, quoniam procedit ab ambobus ; & diceretur ſine dubio Filius amborum. Nunc autem removetur generatio Spiritûs, quoniam non eſt Filius nec Patris, nec amborum ; ac propterea non oportuit naſci de ambobus, quoniam qui nativitatem non habet, filietatem refutat ; & qui Filius non eſt, naſci nullo modo debuit. Eſt autem amborum Spiritus procedendo de ambobus. Subvertit igitur Arrianam calumniam, falſitatis invidiâ conflatam, & impietatis malignitate progenitam, aſſerere cupientem non eſſe Spiritum de ſubſtantia Patris, quia ſi foret, eſſet Filius. Sed iſte vir Catholicus catholicâ diſputatione demonſtrat eſſe quidem de ſubſtantiâ Patris Spiritum, nec tamen eſſe Filium ; quoniam non eſt idem procedere, quod eſt naſci.

Hinc conſequenter intulit : « Quid autem inter » naſci & procedere interſit, de illâ excellentiſſimâ » natura loquens, explicare quis poteſt ? Non om» ne quod procedit naſcitur, quamvis omne proce» dat quod naſcitur ; ſicut non omne quod bipes eſt, » homo eſt, quàvis bipes ſit omnis qui homo eſt. Hoc » ſcio : diſtinguere autem inter illam generationem & » hanc proceſſionem, neſcio, non valeo, non ſufficio. Teſtatur Doctor eximius, & Hæreticorum expugnator vehementiſſimus, Spiritum ſanctum non eſſe Filium, qui non eſt natus, ſed procedit, non à Patris tantùm ſubſtantiâ, ſed etiam à Filio. Cum autem ſit utriuſque ſubſtantiæ conſors, ut pote conſubſtantialis, & dicatur de Patre procedere, de quo & naſcitur Filius, non parva vertitur quæſtio, quid ſit inter nativitatem & proceſſionem. Et confitetur de illâ excellentiſſimâ naturâ non ſolùm ſibi, verùm nulli mortalium poſſibile fore diſtinguere, quid ſit inter naſci & procedere ; quamvis comprehendatur quòd non omne quod procedit, naſcatur ; attamen omne procedens eſt quod naſcitur : non enim poteſt aliquid naſci, ſi non procedat ex eo de quo naſcitur, ut filius ex parente. Cum enim ex ſecretis uteri materni procedit in lucem, dicitur naſci, ſed non ita cum procedit ex ſecretis patris in matrem. Proceſſionem quippe negare non valemus, cum fiat defluxio ſeminis in uterum matris, de quo poſtea filius procedens natus eſſe dicitur. Non iſta dicimus velut alio tempore de Patre proceſſerit Spiritus, & alio de Filio : verum oſtendere volentes, non omnem proceſſionem eſſe generationem ; omnem autem generationem eſſe proceſſionem : ſicut non omne quod bipes eſt, homo eſt ; quamvis bipes ſit omnis qui homo eſt. Hoc quod ponit exemplum, propter diſtinctionem ponit nativitatis & proceſſionis ; non tamen propriè ſignificans quid ſit naſci vel procedere, ſed veluti cum dicitur : quid ſit ſpecies, quid ſit genus. Bipes enim genus eſt ejus ſpeciei, quæ eſt homo ; & homo ſpecies eſt ejus generis, quod eſt bipes ; ſi genus conſideres, & homo, & volatile bipedes ſunt ; ſi ſpeciem, homo bipes eſt. Idcirco dixit : Non omne bipes homo ; quoniam hoc generali vocabulo etiam aves comprehenduntur. At verò cum dixeris hominem, comprehendis omnem quidem hominem ſimul, ſed non omne quod eſt bipes : ampliùs enim ſignificat quàm homo : & ideo hæc definitio nec hominem propriè ſignificat, nec bipedem propriè : ſic & proceſſio & nativitas. In proceſſione namque monſtratur nativitas, ſed non ſemper : veluti cum dicitur : *De ore ſapientis procedit mel.* Et Pſalmiſta de ſole : *& ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.* Thalamum namque ſolis ſecretum quoddam, & ab hominum conſpectu remotum ſignificat ; unde lucem præbiturus mortalibus ſingulis diebus procedit. At verò nativitas proceſſionem ſemper oſtendit, quia nunquam poteſt fieri ſine proceſſione : quidquid enim naſcitur, etiam procedit : ac propterea dicit quidem beatus Auguſtinus quid ſit generatio & proceſſio, ſed ſicut in genere, vel ſicut in ſpecie, non verò ſicut in proprio : dicit enim hæc ſe neſcire, nec propriis finibus illa poſſe diſtinguere. Et cur hoc ? ſubjicit cauſam, inquiens, « quia & illa & iſta eſt ineffabilis, » id eſt generatio Filii, & proceſſio Spiritus ſancti. » Sicut Propheta de Filio loquens, ait : *Generationem* » *ejus quis enarrabit ?* Ita de Spiritu ſancto veriſſi» mè dicitur : proceſſionem ejus quis enarrabit ? » Psal. 18. 6. Isai. 53. 8.

Quibus verbis oſtendit & nativitatem Filii, ſicut proceſſionem Spiritûs ſancti non enarrari poſſe, quia ſunt ineffabiles : ac propterea non deberi ſcrutari quod non poſſit enarrari, quia nullo modo poſſit comprehendi. Debere verò ſufficere quod ſuper his ſcriptura ſancta teſtatur, natum Filium de Patre, Spiritum verò ſanctum procedere, non à Patre ſolùm, verùm & à Filio : ſicut conſequenter inſinuat, dicens : « Sicut ſit ergo nobis, quia non eſt à ſeipſo » Filius, ſed ab illo de quo natus eſt, non eſt à » ſeipſo Spiritus ſanctus, ſed ab illo de quo proce» dit. Et quia de utroque procedit, ſicut jam oſten» dimus, unde & Spiritus Patris dictus eſt, ubi le» gitur : ſi autem Spiritus ejus qui ſuſcitavit Chri» ſtum à mortuis, habitat in vobis. Et Spiritus Fi» lii, ubi legitur : *Qui autem Spiritum Chriſti non* » *habet, hic non eſt ejus.* » Hîc adversùs Maximinum Arrianum doctor Auguſtinus agens, oſtendit Spiritum ſanctum tam de Patre quàm de Filio procedere ; quod qui negare contendunt, Arriomanitas ſe fore convincentur, nec conſubſtantialem Spiritum ſanctum Filio fatentur : quoniam ſi non procedit ab illo, non eſt ejuſdem ſubſtantiæ cujus eſt Filius : ac per hoc jam aut creaturam Spiritum ſanctum blaſphemabit, aut Filium non omnia quæ Patris ſunt habere denegabit. Negare verò non poteſt Spiritum ſanctum Spiritum eſſe Filii : dicit enim Apoſtolus : *Quoniam eſtis filii, miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda noſtra, clamantem, Abba, Pater.* Quod ſi eſt Spiritus Filii, ſicut Apoſtolus confitetur, aut erit ſubjectus, quod vult Arrianus, qui connumerat eum creaturis ; aut procedens ex Filio, quod confitentur Catholici. Eligant ergo quod volunt Imperatores Græcorum : negare non poſſunt Spiritum ſanctum Spiritum eſſe Filii ; dicant ergo quomodo Filii, ſi non procedit ab ipſo. Nam ſi proceſſionem negant, prædicant creationem, quod impietatis eſſe conſtat Arrianæ, quia non poteſt eſſe Filii Spiritus, ſi non vel creatus ſit, vel procedens ab illo. Rom. 8. 9. Galat. 4. 6.

Item in conſequentibus : « Quid eſt autem : *In* » *principio erat Verbum* ; niſi in Patre erat Filius ? » Et ipſe Filius interrogatus à Judæis, quis eſſet, » reſpondit : *principium qui & loquor vobis.* Pater » autem principium non de principio ; Filius prin» cipium de principio : ſed utrumque ſimul, non » duo, ſed unum principium. Sicut Pater Deus, & » Filius Deus, ambo autem ſimul, non duo dii, ſed » unus Deus. Nec Spiritum ſanctum de utroque » procedentem negabo eſſe principium, ſed hæc tria, » ſimul ſicut unum Deum, ita unum dico eſſe prin» cipium. » Negat eſſe creaturam Spiritum ſanctum, dicens eum eſſe principium ſicut Pater eſt principium, & Filius principium : ſed Pater principium de nullo principio, Filius autem principium, ſed de Patre principio : Spiritus quoque ſanctus princi- Ibid. cap. 17 Joan. 1. 1. Ibid. 8. 2.

pium non de nullo principio, nec de Patre ſolùm principio, ſed de utroque, id eſt, Patre principio Filioque: nec tamen tria principia, ſed unum principium: quemadmodum non tres dii Pater & Filius & Spiritus ſanctus; quamvis ſingulus eorum dicatur Deus: ſed hi tres unus Deus.

Cap. 21. Item in poſterioribus: » Lux de luce, Filius de Patre, & ſimul ambo lux una: ſicut Deus de Deo, & ſimul ambo utique Deus unus; & hoc totum non ſine Spiritu amborum. « Quod dicens teſtatur eum ab utroque procedere. Nam ſi Spiritus eſt Patris, quia procedit à Patre; conſequenter quoque Spiritus eſt Filii, quoniam procedit ab illo: non enim diverſâ cauſâ dicitur Spiritus eſſe Patris, & Spiritus Filii, ſed unà eâdemque; illâ videlicet, quia procedit ab utroque, ſicut Spiritus eſt utriuſque. Nam ſi dicas eum Spiritum Patris, quia procedit de Patre, quænam cauſa reſtat ut dicatur Spiritus Filii, niſi quia procedat & ab illo? Hæc beatus Auguſtinus adverſus Maximinum agens Arrianum, de ſancti Spiritûs proceſſione ex Filio ſenſit, dixit, ſcripſit, Arrianam perfidiam damnans, catholicæ verò fidei pietatem aſſirmans; cui contradicere quiſquis molitus fuerit, hoſtis catholicæ fidei reperitur.

Altercatio Paſcentii cum Aug. epiſt. 178. med. Hic etiam in collatione dialogi contra Paſcentium Arrianum diſputans, ait: » Si enim in homine credente ipſe totus Deus credendus eſt habitare, quomodo Filium totum in ſe Pater, aut Filius Patrem totum non credatur excipere? Ac per hoc ipſe in Patre, & Pater in eo manet, & ex Patre & Filio ſanctus credendus eſt Spiritus non ſolùm proceſſiſſe, ſed ſemper ad agenda opera Trinitatis omnino procedere. « Unum eſſe dicit ſanctum Spiritum ex ſanctâ Trinitate cooperatorem, qui non ſolùm ſubſtantiâ, verùm operatione Patri Filioque copuletur tamquam ab utroque procedens, & cum utroque cooperans: quod non poſſet facere, ſi non ab utroque procedendo ſubſtantiam & accepiſſet & accipiat.

CAPUT V.

g GENNADIUS lib. Eccleſ. Dogm. GENNADIUS g Conſtantinopolitanus Epiſcopus, vir multâ lectione Antiquorum peritus, in libro Eccleſiaſticorum dogmatum de Spiritûs ſancti proceſſione ſic loquitur: » Credimus unum Deum eſſe Patrem & Filium & Spiritum ſanctum. Patrem eo quod habeat Filium. Filium eo quod habeat Patrem. Spiritum ſanctum, eo quod ſit ex Patre & Filio. Pater ergo principium divinitatis, principale nomen: quia ſicut nunquam fuit non Deus, ita nunquam fuit non Pater, à quo Filius natus, à quo Spiritus ſanctus non natus; quia non eſt Filius, neque ingenitus, quia non eſt Pater; nec factus Spiritus ſanctus, quia non eſt ex nihilo, ſed ex Deo Patre, & Deo Filio Deus procedens. « Dilucidè ſatis eſſe profitetur Spiritum ſanctum ex Patre & Filio, quod eſt de ſubſtantiâ Patris Filiique procedere. Non enim aliter ex utroque poterat eſſe, ſi non ſubſtantialiter procederet ab utroque. Propter quod dicit in conſequentibus, quòd ex Deo Patre & Deo Filio Deus ſit procedens. Et cum eum dicat procedentem, negat tamen eum dici debere vel natum, quia non eſt Filius, vel ingenitum, quia non eſt Pater.

FULGENT. in lib. Quæſt. FULGENTIUS Epiſcopus, litterarum ſtudiis admodum eruditus, & vitæ ſanctitate perſpicuus, ab Arrianis quoque pro Catholicâ fide multa perpeſſus, in libro quæſtionum de Spiritûs ſancti proceſſione ſic ait: » Sic totum quod eſt ipſa natura, commune tribus invenitur eſſe perſonis, ut aliquid tamen inveniatur, quo propriè unaquæque perſona noſcatur: quod tamen nec inveniatur ſeparabile, nec poſſit eſſe commune. Nam proprium Patris dicimus eſſe, quod genuit: proprium dicimus Filii eſſe, quòd ſolus de ſolo Patre natus eſt, proprium Spiritûs ſancti quòd de Patre Filioque procedit. In his verò propriis nulla eſt naturæ ſeparatio, ſed quædam perſonalis agnitio. « Dicit hic auctor quid commune, quid propriè unaquæque ſanctæ Trinitatis perſona noſcatur habere; commune quidem ineſt tribus perſonis unius naturæ conſubſtantialitas; proprium verò ſingulis, quòd Pater ſolus genuit, Filius ſolus natus de Patre ſolo, Spiritus ſanctus quòd de Patre Filioque procedit. Quâ de re qui recipiunt Patris ineſſe proprium, quòd ſit genitor, & Filii proprium, quòd ſit genitus, recipiant quoque neceſſe eſt eſſe Spiritûs ſancti proprium, quòd de Patre Filioque procedit. Quod ſi negare contendunt, dicant quid ſit ei proprium. Nam proceſſio de Patre communis eſt etiam Filio; quoniam omne quod naſcitur procedit etiam, ergo ſecundum Doctoris hujus ſententiam, proprium eſt Spiritûs ſancti quò de Patre Filioque procedit, quòd nec Patri nec Filio cernitur eſſe commune: ſiquidem Pater de nullo, Filius verò de ſolo Patre, Spiritus autem ſanctus de utroque.

Item in conſequentibus: » Non ergo potuit Spiritum ſanctum divinitas Filii accipere, cum ipſe Spiritus ſanctus ſic procedat à Filio, ſicut procedit à Patre; & ſic detur à Filio, ſicut datur à Patre. Nec illa natura, unde Spiritus ſanctus habet originem, potuit vel exſpectare vel accipere largitatem. Spiritus ille totus eſt Patris, totus eſt Filii; quia unus naturaliter Spiritus eſt Patris & Filii. Proinde totus de Patre procedit & Filio, totus in Patre manet ac Filio; quia ſic manet ut procedat, ſic procedit ut maneat. Unde naturaliter hanc habet cum Patre ac Filio unitatis plenitudinem, & plenitudinis unitatem, ut totus à Patre, totus habeatur à Filio. Non ergo accepit Spiritum ſanctum divinitas Filii, cum quâ unius eſt naturæ Spiritus ſanctus, & ex quâ habet quidquid habet, imò de quâ eſt hoc quod eſt; quia quod naturaliter habet, hoc eſt. « Locus iſte tractatur de plenitudine divinitatis Chriſti, & de ipſius humanitate: humanitatem quidem dicit accepiſſe Spiritum ſanctum, non quidem ad menſuram, quia divinitatis plenitudo conſiſtit in illâ, ſicut Evangelium teſtatur, dicens de Chriſto: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti a Patre, plenum gratia & veritatis.* Joan. 1, 14. Veritas ad divinitatem, gratia refertur ad donum. Ut enim homo de Virgine natus perfectus eſſet Deus, ſicut perfectus eſt homo, non merito, ſed gratiæ divinæ dono percepit. At verò divinitas naturaliter habet, ut ſit plena atque perfecta, nullius indiga, nec minorationem valens accipere, nec augmentum ſuſtinere. Secundum hanc divinitatis plenitudinem Filius Dei Chriſtus non potuit Spiritum ſanctum accipere, quandoquidem ipſe Spiritus ſanctus ſic procedat ab ipſo, ſicut & à Patre procedit, & detur ab illo nihilominùs, quemadmodum datur à Patre. Quâ de re divinitas Filii, de quâ ſumit originem Spiritus ſanctus, non valet accipere largitatem ejus, cui ſit cauſa exiſtendi: eſt enim ille Spiritus totus Patris, & totus Filii; & cum

g *Gennadius Conſtantino, elitanus*] Qui hunc Gennadii librum edidere, cum nullum ejus nominis ſcriptorem noſſent præter Maſſilienſem preſbyterum, alienum fœtum ei ſuppoſuerunt. Quorum ignorantiam Raynaudus hoc loco redarguit. Anatolio Gennadius hic ſucceſſit anno 458, ac ſedit uſque ad annum 471, & ſucceſſorem habuit Acacium: Græcum ejus Operis exemplar mereat.

ſit amborum totus, vel alterutrius totus, non convertibilitate ſit, ut Pater & Filius dicantur eſſe Spiritus ſanctus velut ab illo ſuſcipientes eſſendi cauſam; nec ſolus Filius Spiritûs ſancti Filius, velut ab illo percipiens exiſtentiam, quoniam naturaliter unus Spiritus eſt tam Patris, quàm Filii, percipiens ab illis eſſentiam. Proinde ſicut beatus Fulgentius teſtatur, totus de Patre procedit, & totus de Filio: non enim pars illius à Patre, pars quoque procedit à Filio; neque pars manet ejus in Patre, pars rurſùs in Filio. Eſt enim inſecabilis, & impartibilis, neque ex diverſis compoſitus: & ſic manens ut procedat, ſic procedens ut maneat. Naturaliter enim habet cum Patre ac Filio plenitudinem unitatis, & unitatem plenitudinis, & totus habetur à Patre, & totus habetur à Filio. Non ergo divinitas Filii Spiritum ſanctum accepit, quem prius non habuit, cum ſit Spiritus ſanctus ejuſdem naturæ cujus eſt Filius, utpote de quo accepit quidquid habet, imò de quo eſt hoc quod eſt; quoniam ſubſtantialiter de divinitate Filii eſt. Quibus omnibus evidenter oſtenditur Spiritûs ſancti proceſſio non minùs eſſe de Filio quàm de Patre: quod quiſquis negare intenderit, negabit pariter Spiritûs ſancti ſubſiſtentiam: quoniam non poteſt ſubſiſtere, niſi eſſentiam accipiat ab illo de quo procedendo ſubſiſtit. Hoc ſanctus Fulgentius adversùs Arrianam perfidiam diſputans de Spiritûs ſancti proceſſione loquutus eſt, approbans veriſſimè dici tam à Patre quàm à Filio procedere Spiritum ſanctum, quoniam ſit utriuſque Spiritus, eſſentiam accipiens ab utroque; quod qui negat, monſtratur Arrianæ perfidiæ obnoxius eſſe.

CAPUT VI.

SEd ad Athanaſium Alexandrinum Epiſcopum revertamur, quem in exordio catholicorum teſtium primum poſuimus, ut is ſit clauſula teſtificationis de proceſſione ſancti Spiritûs à Filio, qui fuit initium. In libro namque ſecundo de propriis perſonis, & de unito nomine divinitatis adverſus Arrianos ſic ait: » In hoc ſanè alius eſt Pater in perſonâ, » quia verè genuit; & in hoc eſt alius Filius à Patre » in perſonâ, quia verè ab eo genitus eſt. Sed in » hoc alius eſt in perſonâ Spiritus hic principalis paracletus à Patre & Filio, qui in Pentecoſte in Apoſtolos effuſus eſt, quia verè de unitâ divinitate » Patris & Filii procedit. « Hic Auctor ſingularum proprietatem perſonarum diſtinguens, & unitate divinitatis conjungens, oſtendit quid ſingulis ſit proprium, quid commune. Proprium Patris eſſe dicens, quòd genuit; in quo nec Filio nec Spiritui ſancto participatur, alioquin non ei eſſet proprium Patris vocabulum: & Filius in hoc diſcernitur à Patre quòd genitus ſit, ille genuerit; ſed nec in generationis proprietate Spiritus ſancti communionem recipit ullam, quoniam cum hic ſit genitus, illo non eſſe genitus approbetur. Spiritus autem ſanctus hoc rurſus habet proprium, ut nec genuerit, nec genitus ſit, ſed de unitâ Patris & Filii divinitate procedat; in quo nec Patri nec Filio communicat. Pater enim de nullo, Filius de ſolo Patre, Spiritus autem ſanctus de Patre Filioque. Quod qui negare contendit, oſtendat unde Spiritûs ſancti perſona diſtinguatur à Patris Filiique proprietate. Et hæ tres perſonæ ſanctæ Trinitatis ſuis proprietatibus cum diſtinguantur à ſingulis, divinitatis unitate ſociantur, ut nullam contineant in divinitatis communione differentiam, ſed ſit in perſonis proprietas, in divinitate indifferens unitas.

ATHANAS. lib. 2. de propr. perſonis.

Item in libro ſeptimo: » Cur *qui me videt, videt & Patrem meum*, indicat, ſi non eſt in his « Ibid. lib. 7. Joan. 14. 9.
una inviſibilis imago naturæ veritatis? Cur legitis; *ſervari veritatem Spiritûs in vinculo pacis*, « Epheſ. 4. 3.
ſi eum de ipsâ unitâ divinitate Patris, & Filii eſſe « non accipitis? Cur legitis Vas electionis dixiſſe: «
Omnes unum Spiritum potavimus, ſi eum vos de « 1. Cor. 12. 13.
unitâ verâ deitatis naturâ diſcernitis? « Teſtatur Filium ejuſdem naturæ eſſe cujus ſit Pater, quod negabant Arriani, quoniam ſit in Patre Filioque una inviſibilis imago naturæ veritatis. Teſtatur & Spiritum ſanctum ejuſdem ſubſtantiæ fore cujus ſit & Filius, quoniam exiſtat de unitâ deitate Patris & Filii: quod dicens, liquidò monſtrat quòd procedat ab utroque: cum enim ſit deitas Patris & Filii ſic unita, ut nullam differentiam recipere poſſit, non poteſt procedere Spiritus de deitate Patris, niſi procedat & de Filii. Quemadmodum nec de Filii deitate, niſi procedat etiam de Patris; alioquin unita deitas Patris & Filii non erit jam indifferens, ſi procedat Spiritus de deitate Patris, & non pariter procedat de deitate Filii: ac per hoc jam non erit unita: quod eſt impium & Arrianum. Dicatur ergo ſecundùm fidem Catholicam, quòd beatus Athanaſius confitetur, Spiritum ſanctum de unitâ deitate Patris & Filii eſſe. Item teſtatur quòd unum Spiritum potaverimus. Quod dicens approbat non alium eſſe Patris Spiritum, & alium Filii, ſed qui ſit Filii, ſit etiam Patris, ipſeque eſt de unitâ vera deitatis naturâ, id eſt, Patris Filiique ſubſtantiâ, quæ tantâ unitate conſiſtit, ut nulla ſeparatione dividatur; cujus ſubſtantiæ dum Spiritus ſanctus ſit quoque unus, approbatur evidenter à Patre Filioque procedere, quibus in unitâ naturâ deitatis conjungitur.

Item infrà: » Hypocritæ, quemadmodum [h] ſuſ- «
cipitis: *Hæc omnia operatur unus atque idem Spi-* « 1. Cor. 12. 11.
ritus, dividens unicuique ſicut vult: ſi eum de «
unitâ deitatis operatione ſecernitis? Unita deitas «
totius eſt ſanctæ Trinitatis, in quâ pariter conſiſtit «
& perſona Spiritûs ſancti, ſine quâ nec Trinitas «
erit. « Ergo dicens deitatem unitâ operatione conjungi, teſtatur Spiritui ſancto Patrem Filiumque cooperari; nec poſſe naturâ ſecerni quos eadem operatio conjungit. Conſequenter ergo de unitâ conſtat naturâ Patris Filiique Spiritus, quibus & ſubſtantiâ jungitur & operatione. Item: » Hypocritæ, «
quomodo accipitis dictum fuiſſe: *Idem Spiritus*, « Ibid. 12. 4.
idem & Dominus, idem & Deus; ſi eum vos ve- « Ibid. 5.
rum Deum de verâ naturâ, in omnibus mirabilia « Ibid. 6.
operantem non ſuſcipitis? « Spiritum & Dominum dicit & Deum: & verum quidem Deum de verâ naturâ. Dum dicit de verâ naturâ, confitetur non à ſe fore Spiritum ſanctum, ſed de verâ naturâ Patris Filiique. Sicut enim naturæ veritate Pater & Filius non ſeparantur, ſic Spiritus ſanctus de utriuſque ſubſiſtit verâ naturâ: quoniam non poteſt procedere de naturâ Patris, ſi non etiam procedat de naturâ Filii: quoniam quæ natura Patris eſt, eadem eſt & Filii. Et dicendo beatus Athanaſius Spiritum ſanctum verum Deum de verâ naturâ, nec addendo Patris vel Filii, profectò dat intelligi de utriuſque verâ naturâ verum Deum Spiritum ſanctum eſſe, in omnibus mirabilia operantem.

Item: » Hypocritæ, per quem ſubminiſtratur

h *Hypocritæ, quemadmodum*] Hæc, & quæ ſequuntur in Athanaſii libris *de propriis perſonis* non exſtant; quin tamen ab Athanaſio ſcripta ſint, dubitare religio eſt; cum enim aliunde noverimus ejus libros ab amanuenſibus fœdè eſſe tractatos, facilè credimus ea quæ fruſtra quæſita ſunt iis locis quæ veteres indicarunt, ſub aliis titulis latentia poſſe reperiri, ſi quis id laboris ſibi aſſumat.

» ſermo ſapientiæ, ſive verbum ſcientiæ, ſive fides, » ſive gratia ſanitatis, ſive operatio virtutum, ſive » prophetia, ſive ſeparatio Spirituum, niſi quoniam » de unitâ plenitudine eſt ? « Hæc omnia quæ commemorat, dona ſancti Spiritûs eſſe nemo fidelium ambigit. Inferens autem in concluſione hæc Spiritũ ſanctum poſſe, quoniam de unitâ plenitudine eſt, profectò confitetur quòd de Patre Filioque procedit. Unita namque plenitudo divinitatis Patris eſt & Filii: nam cum ſit plena divinitas Patris, & plena divinitas Filii, quia perfecta, quia non valens augeri; ita tamen unita, ut non duæ plenitudines, ſed una plenitudo; ſicut nec duæ deitates, ſed una deitas & dicatur, & exiſtat; & de hac unitâ plenitudine Patris & Filii procedit, plenus & ipſe conſiſtens Deus, quia non valens augmenti recipere quantitatem. Si enim juxtà novam hæreſim de Patre tantùm procedit Spiritus, non de unitâ plenitudine procedit, quoniam non eſt illic communitas Filii, ſingularitas ubi eſt Patris. Eſt autem hoc falſum atque hæreticæ pravitatis plenum. Dicatur igitur juxtà beati Athanaſii ſententiam, de unitâ plenitudine procedere Spiritus ſanctus, quoniam conſiſtit de verâ deitate tam Patris quàm Filii verus Deus.

Pſal. 32. 6. Item infrà: » Ergo quia dixit: *Verbo Domini » cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus » eorum:* cognoſce hoc Verbum ſubſtantivum non » aliunde quàm de Patre proprium natum fuiſſe; ſed » & Spiritum oris ejus eum Spiritum dixit, qui de » ipsâ unitâ ſubſtantiâ proceſſit. « Arriani negabant tam Filium quàm Spiritum ſanctum Patris eſſe conſubſtantiales, & ideo per totius diſputationis textum præſentem tam Filii quàm ſancti Spiritûs conſubſtantialem deitatem Patri contendit approbare: quemadmodum loco præſenti; Verbo Domini cœlos firmatos dicens, Filii divinitatem; Spiritu verò oris ejus omnem virtutem eorum, Spiritûs ſancti conſubſtantialitatem ſignificat. De quo ſubjungit etiam, quòd de ipsâ unitâ ſubſtantiâ proceſſit. Inſinuans profectò quòd de Patre Filioque procedat, quorum eſt unita ſubſtantia. Hinc conſequenter ait: » Sic autem invenimus non ex aliâ naturâ quàm de ipsâ. « Subauditur eſſe Spiritum ſanctum. Blaſphemabant Arriani Spiritum ſanctum ex aliâ naturâ fore quàm ſit Pater: nam contendebant eum eſſe creaturam. Quos explodens beatus Athanaſius, dicit eum non ex aliâ naturâ eſſe, quàm Pater; & de unitâ ſubſtantiâ Patris Filiique proceſſiſſe. Ac per hoc teſtatur unitam eſſe Patris & Filii & Spiritûs ſancti ſubſtantiam, quam Græci dicunt οὐσίαν & unitam ejuſdemque eſſe Trinitatis operationem.

[1] Ibid. lib. 8. In libro octavo: [1] » Quomodo ergo duo ligna » conjuncta miſſa in fornacem ignis, & de duobus » lignis procedit flamma inſeparabilis; ſic de Patre » & Filii virtute procedit Spiritus ſanctus, ipſam » virtutem deitatis habens. « Nemo putet Deum Patrem & Deum Filium tamquam duo ligna unius flammæ voluiſſe dicere beatum Athanaſium ſubjectos Spiritui ſancto, verùm de rebus materialibus ſumſiſſe ſimilitudinem ejus rei, quæ non eſt materialis, vel loco diviſibilis; & non ex toto, ſed pro parte: non enim creatura poteſt ex omni parte Creatori conſimilis inveniri, quâ de re ſenſum debemus potiùs intelligentiæ perpendere. Dicit enim, non quia Spiritus ſanctus de Patre Filioque procedit tamquam de duobus lignis unus ignis & inſeparabilis, Spiritum ſanctum idcirco ſeparabilem videri; vel tamquam duos Spiritus, unum Patris & alterum Filii, ſed unum eumdemque Spiritum ſanctum, unam eamdemque deitatis virtutem habentem, quam habet Pater & Filius, à quibus procedit. Nec hoc vel impoſſibile, vel incredibile videri, quoniam in rebus materialibus inveniatur aliquid de duobus naſci, quod ſingulariter ſubſiſtat, nec dualitatem recipiat. Item in eodem libro: » Pater in « Filio, & Filius in Patre; Spiritus autem ſanctus « conjunctio divinæ virtutis, & unitas Trinitatis. « Hæc dicens oſtendit Spiritum ſanctum charitatem eſſe Patris & Filii, neque enim aliud eſt quo potentiùs & convenientiùs unitas ſanctæ Trinitatis perficiatur. Non tamen ſic accipiendum hîc charitatem, quæ eſt Spiritus ſanctus, ut ſit qualitas, & non ſubſtantia, cum una ſit perſona ſanctæ Trinitatis. Conjunctionem autem appellat Spiritum ſanctum, vel unitatem Patris & Filii, quoniam de utroque procedens utrumque conjungit, manens ipſe non diviſus, non ſeparatus, & conſubſtantialis; quoniam ſanctæ Trinitatis unus exiſtit.

Item in libello fidei ſic ait: » Pater verus ge- « Idem lib 11. de fide unitatis ad Theophilum.
nuit Filium verum, Deum de Deo, lumen de lu- «
mine, vitam ex vitâ, perfectum de perfecto, to- «
tum à toto, plenum à pleno; non creatum, ſed «
genitum, non ex nihilo, ſed à Patre, unius ſub- «
ſtantiæ cum Patre: & Spiritum ſanctum verum «
Deum, non ingenitum, neque genitum, non crea- «
tum, nec factum, ſed Patris & Filii, ſemper in «
Patre & Filio. « Et hîc Spiritum ſanctum nec genitum dicit eſſe, nec ingenitum, eo quod Filius ſit genitus, ſicut ſuperiùs dixit, Pater autem ingenitus, nec tamen propterea vel creatum, vel factum, cum ſit Patris & Filii Spiritus, ſemper in Patre & Filio permanens. Dicens autem Patris Filiique eſſe Spiritum, non tamen creatum, neque factum, oſtendit ab utroque procedentem, qui tamquam conſubſtantialis & coæternus in Patre ſit ſemper & in Filio, quo ſanctæ Trinitatis unitas nec loco nec tempore ſeparabilis exſtat. Item in libro decimo ponens teſtimonium Apoſtoli dicentis: » *Quis* « 1. Cor. 2. 16.
enim cognovit ſenſum Domini qui inſtruat eum? «
Nos autem ſenſum Chriſti habemus. « Quo poſito «
ſubjungit: » Senſum autem JESU Chriſti in ſub- «
ſtantiâ propriâ Apoſtolus Spiritum ſanctum eſſe «
profeſſus eſt. « Subſtantiam propriam Chriſti beatus Athanaſius appellat divinitatem ejus, cujus ſubſtantiæ ſenſum Spiritum ſanctum eſſe profitetur: ſenſum autem in hoc loco non ſecundùm humani corporis vel auditum, vel viſum ſentiendum, ſed ſecundùm quod appellamus ſenſum animi, intellectum ejus ſignificare volentes. Dicit autem intellectum JESU Chriſti Spiritum ſanctum, non quòd non intelligat à ſe, ut intellectus ejus ſit Spiritus ſanctus: eſt enim ſapientia Patris; *Attingens à fine* Sap. 8. 1.
uſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuaviter: ſed ideo vult Chriſti ſenſum accipi Spiritum ſanctum, ut nos inſtruat de Chriſti ſubſtantiâ Spiritum eſſe ſanctum: ſicut enim ſenſus animi non poteſt ab animo ſeparari, nec aliunde quàm ab animo naſcitur, ita Spiritus ſanctus cum dicatur ſecundùm Apoſtolum ſenſus eſſe JESU Chriſti, non à ſubſtantiâ divinitatis Chriſti ſeparatur, nec aliunde quàm ex eâ procedit; eſt enim conſubſtantialis Filii, proceſſionem habens ipſius de divinâ ſubſtantiâ.

Et poſteriùs: » Audientes ergo & Salvatorem «
dicentem: *Ego ſum vita.* Et Paulum ſcribentem: « Joan. 14. 6.

[1] *in libro octavo*] Si edita conſulas, hæc non in libro octavo tractatûs *de propriis perſonis*, ſed in decimo *de fidei unitate* reperies. An igitur Athanaſii locum à Rattamno malè indicatum dicemus? Nequaquam, nam & Æneas Pariſienſis Epiſcopus, cap. 15. libri adverſùs Græcos infrà, è libro octavo de fidei unitate eadem attexuit iiſdem verbis. Quamobrem librarios Rattamno & Ænea poſteriores ordinem librorum Athanaſii inverſiſſe dicere malumus: atque inde fieri, ut quæ ab antiquis è Magno illo viro exſcripta ſunt, non ita facilè inveniantur.

Rom. 8. 2. » *Lex enim Spiritus vitæ.* Et rurſum, *Miſit Deus* *Galat. 4. 6.* » *Spiritum Filii ſui in corda noſtra.* Videntes etiam » Unigenitum in faciem Apoſtolorum inſpirantem, *Joan. 20. 22.* » & dicentem: *Accipite Spiritum ſanctum:* inſpira- » tionem Filii in propriâ vitâ & ſubſtantiâ manentis, » Spiritum eſſe docemur. Et neque genitum, neque » creatum eſſe à Filio ſapiamus. « Quibus omnibus inſtruimur Spiritum ſanctum de Filio procedere, & in propriâ vitâ ſubſtantiâque manere. Et licet inſpiretur à Filio, quod eſt eum de Filio procedere, non eſſe tamen neque creatum, neque genitum ab illo. Non eſt enim neque Filius, neque creatura Spiritus ſanctus. Quibus evidenter inſtruit ejuſdem Spiritum ſanctum eſſe ſubſtantiæ, cujus eſt & Filius, utpote procedens ab illo; nec qui ſit unus de creaturis, ſed creaturarum Sanctificator. Unde cum dicit eum ſecundùm Apoſtolum Spiritum Filii, non vult eum intelligi ſubjectum, quia non eſt creatus; ſed vult ut intelligatur procedens, non tamen genitus, quia non eſt Filius. Accepit tamen de ſubſtantiâ Filii propriam exiſtentiam, quoniam eſt una ſanctæ Trinitatis perſona.

Item in libro diſputationis adverſus Arrium: *Idem in lib. Diſp. adv. Arium.* » Apparet Spiritum ſanctum à Patris & Filii ſub- » ſtantiâ non eſſe alienum, dum non à ſeipſo tam- » quam alienus & extraneus, ſed utpote unius ejuſ- » demque naturæ ſocius, quæ Patris & Filii commu- » nia ſunt agit & loquitur; nam ſi de propriis lo- » queretur, non ſolùm à Patre alienus, ſed & fallax » & deceptor proculdubio haberetur. Quoniam, ut » ait Filius, *Omnis qui loquitur mendacium, de pro-* *Joan. 8. 44.* » *priis loquitur*, & ideo hic verum loquitur, quia » non de proprio, id eſt, non à ſemetipſo, ſed Pa- » tris & Filii quæ loquenda ſunt loquitur: *De meo*, *Ibid. 16. 14.* » inquit Filius, *accipiet*, *& annuntiabit vobis.* Et » ut oſtenderet hoc eſſe à ſe accipere, quod eſt etiam » de Patre ſumſiſſe, ait; *Ideo dixi, de meo acci-* *Ibid. v. 15.* » *piet, quia omnia quæ habet Pater, mea ſunt.* Vi- » des ergo Spiritum ſanctum à Patre & Filio non » eſſe diſcretum, dum ea loquitur quæ Patris & Filii » propria eſſe noſcuntur. « Luce clariùs oſtendit Spiritum ſanctum de Patre Filioque procedere, & ambobus eſſe conſubſtantialem. Ait enim eum à Patris & Filii ſubſtantiâ non eſſe alienum, quoniam non ſit à ſemetipſo, ſed ab eis à quibus procedit: & quoniam ſit ejuſdem naturæ ſubſtantiæque cujus eſt Pater & Filius, non loquitur propria, ſed quæ Patris & Filii ſunt communia. Non enim eſt à ſeipſo, & idcirco quæ loquitur, eorum eſſe conſtat à quibus accepit, ut & ſit, & agat, & loquatur. Sicut nec de propriis loquitur, ſed à Patre quod loquitur accepit. *Omnis qui loquitur mendacium de* *Ibid. 8. 44.* *propriis loquitur*; & idcirco beatus Athanaſius Spiritum ſanctum dicit verum loqui, quia non loquitur de proprio, non enim eſt à ſeipſo, ſed ea loquitur quæ ſunt Patris & Filii; quoniam ſicut conſubſtantialis eſt illis, ita percepit ab illis quæ loquitur, non priùs exiſtendo, & poſtea accipiendo, ſed procedendo accipiens. Et inducit Filium dicentem: *De meo*, inquit, *accipiet*, *& annuntiabit vobis.* Et *Ibid. 16. 14.* cur hoc dixerit, exponit cum ſubjungit. Hoc eſt, inquiens, de Filio accipere, quod eſt etiam de Patre ſumſiſſe: quoniam Pater & Filius ſicut ſubſtantiâ non ſeparantur, ita in proceſſione ſancti Spiritûs nullo modo dividuntur. Idcirco ſubjungit Filium dixiſſe: *Propterea*, inquit, *dixi, de meo accipiet: quia* *Ibid. 15.* *omnia quæ habet Pater, mea ſunt.* Oſtendens Spiritum ſanctum cum procedit à Patre, procedat & à Filio; & cum procedit à Filio, procedat etiam & à Patre. Unde in fine concludens ait, Spiritum ſanctum à Patre Filioque non eſſe diſcretum, quibus & naturâ jungitur & operatione. Nam ea loquitur & ait quæ Patris & Filii propria eſſe noſcuntur, ab utroque procedens, ab utroque percipiens ſicut eſſentiam, ſic operationem, indiviſus ab eis tam voluntate quàm virtute, utpote unus ipſius ejuſdemque ſanctæ Trinitatis exiſtens. Hæc beatus Athanaſius de proceſſione ſancti Spiritûs dogmatizans, approbat eum procedere tam de Patre quàm de Filio. Cui Græcorum Imperatores ſi velint contradicere, videant in profeſſione ſanctæ Trinitatis quos ſequantur auctores. Nam iſtius beatiſſimi catholiciſſimique viri auctoritatem omnis catholica Chriſti amplectitur Eccleſia, veneratur & defendit.

Sufficiant ita nos dixiſſe de Spiritu ſancto, auctoritatem majorum ſequentes, ſanctarumque ſcripturarum magiſterium imitantes, nos quidem approbare volentes, quòd Deus ſit & conſubſtantialis Patri Filioque coæternus, & per omnia ſimilis potentiæ, ſimilis virtutis, unius ejuſdemque majeſtatis. Hæc namque quæſtio ſanctorum diſputatione Patrum ventilata atque determinata eſt, expugnantium perfidiam hæreticorum, qui de Spiritu ſancto malè ſentientes negabant eum eſſe Deum verum: nobis autem ex hoc non multa diſputandi neceſſitas incubuit, quamvis non pauca ſint à nobis ex hoc dicta, cum ſe locus obtulit. De proceſſione verò ipſius plura ſunt dicta, de quâ quæſtio nata eſt; quæ ſufficere credimus pietatem amantibus, & veritatem diligentibus, magiſque ſapientiæ lumen quàm tenebras erroris ſectantibus. De quibus utriſque loquitur Spiritus ſanctus in Salomone, dicens: *Noli arguere deriſorem, ne oderit te. Argue ſapientem, & feſtinabit accipere.* *Prov. 9. 8.* Et rurſum: *In auribus inſipientium ne loquaris: non enim recipient niſi dixeris illa quæ verſantur in corde eorum.* *Ibid. 23. 9.* Quapropter videant Spiritûs ſancti calumniatores, ne nolentes recipere ſapientiæ diſciplinam, illis comparentur, qui ſuam præferre volunt inſipientiam ſanctarum regulis ſcripturarum. Hos tamen modernos, non diſputatores, quia nihil ex ratione vel redarguunt vel aſtruunt, ſed novitatis aſſertores, quibus ſimiles eſſe dicamus? Cum enim negare volunt Spiritum ſanctum de Filio procedere, unde quod dicunt comprobent, nullam vel ratiocinationem, vel auctoritatem oſtendunt: unde tumor potius levitatis eſſe videtur, quàm prudentiæ gravitas. Adeo denique arrogant ſibi, ut quidquid aſſerunt, auctoritas eſſe videatur: ſimiles eis qui cæci non videntes lucem, jurant ſolis præſentiam non eſſe ſuper terram, cum dies ſereno lumine fulgeat. Sed dicamus illis quod Salvator Judæis loquitur: *Scrutamini ſcripturas. Illæ ſunt enim quæ teſtimonium perhibent de me.* *Joan. 5. 39.* Sic & iſti ſacrarum volumina ſcripturarum ſcrutentur. Et illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent quidem Spiritui ſancto quod de Patre Filioque procedat. Evolvant Catholicorum dogmata Patrum; & reperient unde ſuum corrigant errorem, deponantque ſtultitiæ tumorem, quo putant ſibi potiùs quàm veritati credendum, & majorum auctoritatem ſuæ veſaniæ poſtponendam: diſcant priùs quod appetunt docere, ne dum imperitiam ſuam pro ſummâ peritiâ voluerint jactare, ſimiles iſti fiant, qui poſtquam elatus eſt in ſublime, dicente Salomone, ſtultus apparuit. *Prov. 30. 32.*

Verùm tempus eſt jam ad reliqua quæ criminosè proferunt, tranſire, quibus dum geſtiunt Latinos reprehendere, quàm ſint ipſi reprehenſibiles, liquidò demonſtrant.

Explicit liber tertius.

INCIPIT LIBER QUARTUS
RATRAMNI CORBEIENSIS MONACHI
Contra Græcos.

CAPUT PRIMUM.

De diverſis Eccleſiæ conſuetudinibus agitur.

OBJECTA quæ ſequuntur dum ſapientiæ parum, imperitiæ verò non parum continere videantur, poterant omitti, ſi non minùs prudentibus erroris ſcandalum viderentur poſſe parturire. Dum enim talia ſint quæ formam pietatis videantur oſtendere, plurimos valent incautos decipere, non valentes diſcernere quid inter veram ſimulatamque diſtet religionem. Etenim cum nihil de dogmate fidei contineant, in quo Chriſtianitatis plenitudo conſiſtit, verùm conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ tantummodo narrent, nihil iſthinc vel approbandum, vel refutandum noſtræ reſtabat Eccleſiæ. Non enim continetur in hoc illud Apoſtoli dicentis: *Obſecro vos ut idem dicatis omnes; & non ſint in vobis ulla ſchiſmata.* Quæ ſint autem de quibus obſecrat idem ſentire, idem loqui, nec ullam fieri diviſionem, monſtrat alibi, dicens: *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma. Unus Deus & Pater omnium, qui ſuper omnes eſt, & in omnibus vobis.* In his enim nulla fit diverſitas credentium, quando ſanctæ Trinitatis confeſſionem, & Salvatoris noſtri JESU Chriſti nativitatem ex Virgine, paſſionem, mortem, reſurrectionem, in cœlus aſcenſionem, ad dextram Patris confeſſionem, & corde credimus, ut juſtificemur, & ore confitemur, ut ſalvemur: ſed & ipſum venturum tam vivorum quàm mortuorum judicem: & unum baptiſma in nomine Patris & Filii & Spiritûs ſancti, æquali confeſſione quicumque ſumus Chriſtiani tenemus & confitemur. In his enim obſecrat nos Apoſtolus idem ſapere, non diverſa ſentire.

1. Cor. 1. 10.

Quid in Eccleſia uniformiter ab omnibus tenendum.

Epheſ. 4. 5.

Cæterùm conſuetudines Eccleſiarum nec eædem ſunt omnes, nec ab omnibus poſſunt uniformiter haberi. Principio ſi quidem naſcentis Eccleſiæ Apoſtolorum acta teſtantur quòd qui Hieroſolymis erant credentes, nihil proprium poſſidebant: poſſeſſiones autem quas habebant, vendebant, earumque pretia coram pedibus Apoſtolorum ponebant, diſtribuebantque ſingulis prout cuique opus erat: erant enim eis omnia communia. At verò de Gentibus qui crediderant non eadem religionis forma detinebat: ſcribitur enim in eiſdem Actis Apoſtolorum, quæ per Apoſtolos præcepta ſuſceperant, quæque ſervantes ſalutis æternæ participes exiſterent. Hæc autem erant, ut abſtinerent ſe à ſimulacrorum culturà, à fornicatione, & ſanguine, & ſuffocato: nihil enim ſuprà voluerunt eis imponere: ſicut literæ teſtantur Credentibus de præputio ab Apoſtolis miſſæ, in quibus hoc ferebatur. *Viſum eſt*, inquiunt, *Spiritui ſancto & nobis nihil ultrà imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria; ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, &c.* Et in concluſione: *A quibus cuſtodientes vos benè agetis.* Quis non videat diverſam eſſe religionis conſuetudinem; nihil proprium poſſidere, ſed communiter vivere, & omnia ſua retinere, neque niſi pauciſſimis præceptis mancipari? Aliud eſt namque perfectionis ſummam aſſequi; quod fecerunt qui cuncta ſua vendentes pauperibus ea diſtribuebant, & pauperem Chriſtum ipſi pauperes effecti ſunt ſequuti: aliud autem qui vix præcepta pauca complectentes inter initia religionis continebantur, nec tamen ob hoc alieni facti ſunt ab eis qui ſumma tenebant, iſti qui minima, veluti dicam, præcepta ſectabantur. Etenim licet obſervantiæ fuerint qualitate diſpares, fidei tamen unitate ſociabantur.

Mutantur aliquando conſuetudines.

Act. 4. 34.

Ibid. 15. 28. 29.

Ibid. 29.

EUSEBIUS Cæſarienſis Epiſcopus in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ ſcribit de Credentibus qui morabantur Alexandriæ, quòd religionis fervore detinebantur, quàm excellenti converſationis philoſophiâ ſeſe gerebant. Ait ergo, » Primò omnium [1] renuntiant cunctis facultatibus ſuis, qui ſe ad hujuſmodi Philoſophiam dederint, & bonis ſuis quibus interſunt, cedunt. Tum deinde quòd omnes etiam vitæ ſollicitudines procul abjiciant, & extrà urbem egreſſi in hortulis, vel exiguis quibuſque agellulis degant, refugientes imparis propoſiti conſortia, & vitæ diſſimilis contubernia: ſcientes impedimento eſſe hæc arduum volentibus iter virtutis incedere. « Et poſt alia: » Eſt autem, inquit, in ſingulis locis conſecrata orationis domus, quæ appellatur Semnion, vel monaſterium. Semnion autem ſignificare poteſt honeſtorum conventiculum, in quod ſecedentes honeſta & caſta vitæ myſteria celebrant. Nihil illuc prorſus quod ad cibum potumque pertinet inferentes, vel reliqua humani corporis miniſteria, ſed Legis tantùm libros, & volumina Prophetarum, hymnos quoque in Deum, cæteraque his ſimilia. In quorum diſciplinis & exercitiis inſtituti ad perfectam beatamque vitam ſtudiis jugibus coaleſcant. Ab ortu autem diei uſque ad veſperam omne eis ſpatium ſtudiorum exercitiis ducitur: quibus ad divinam Philoſophiam per ſacras litteras imbuuntur; Patrum leges in allegoricam intelligentiam deducentes: quoniam formas eſſe & imagines ea quæ in legis litterà ſcripta ſunt, opinantur, latentis intrinſecùs profundi cujuſdam divinique myſterii. « Et in conſequentibus: » Continentiam verò velut quoddam fundamentum primò in animâ collocant; & ita demum reliquas ſuper hanc pergunt ædificare virtutes. Cibum potumq; nullus eorum capit ante ſolis occaſum; videlicet tempus lucis cum Philoſophiæ ſtudiis, curam verò corporis cum nocte ſociantes. Nonnulli autem etiam poſt triduum in communionem veniunt cibi, quos ſcilicet edacior ſtudiorum fames perurget. Jam verò hi qui in eruditionibus ſapientiæ, & in profundiore intelligentiâ ſacrorum voluminum converſantur, tamquam copioſis dapibus inhiantes, expleri nequeunt, & contuendo acriùs inflammantur, ita ut nec quarto jam, nec quinto, ſed ſexto die demum, non tam deſideratum quàm neceſſarium corpori indulgeant cibum. «

[1] Euſebius. Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 16.

Hæc ſcribens de converſatione Credentium, non Alexandriæ tantùm, verùm per Ægyptum paſſim inhabitantium, docet quantum iſtorum converſatio diſtabat à cæteris per totius orbis amplitudinem Credentibus. Siquidem hi deſiderio patriæ cœleſtis adeò incaluerant, ut his meritò diceretur: *Veſtra autem converſatio in cœlis eſt.* In carne ſiquidem commorantes, Angelicam, ut ita dixerim, in terris vitam agebant. Fertur enim per beatum Marcum Evangeliſtam, quem miſerat Apoſtolus Petrus à Româ Alexandriam ut Evangelium Chriſti illi regioni præ-

Philipp. 3. 20.

[1] *primò omnium*] Hic neceſſarium duximus monere, Ratramnum Euſebii fidem ſequutum, ita quæ ille exſcripſerat è Philone accepiſſe, ac ſi nemini dubium eſſe poſſet quin viri illi quorum mores Philo depinxit, inter Chriſtianos cenſerentur. Quod profectò non ita eſſe norunt omnes, qui rei literariæ operam dant. Quamquam enim Euſebio deinde adſtipulati ſint viri & ſuperioris, & noſtræ ætatis doctiſſimi, non paucos video qui in Eſſenis illis nihil videant, quod Chriſtianos potiùs quàm Judæos indicet, & litem adhuc eſſe ſub judice, non immeritò dixeris.

dicaret, fuiſſe ſic inſtitutos. Num verò propterea cæteras in orbe toto Chriſti Eccleſias longè aliter degentes, ſua communione privarant, vel in ſuos ritus ſuamque conſuetudinem transmutare geſtiebant? Noverant enim unicuique non ſolùm hominum, verùm etiam Eccleſiæ datam eſſe gratiam ſecundùm menſuram donationis Chriſti; nec tamen iſti, quia continentiam velut fundamentum quoddam primò conſiderandam conſtituerant, nuptias condemnabant: niſi forte putandum apud eos Epiſcopos atque Preſbyteros uxores duxiſſe, apud quos conſtat ipſos etiam Laïcos nuptiis abſtinuiſſe. Sed neque prandebant omni Sabbato, quos conſtat uſque ad veſperam continuata perduxiſſe jejunia; plurimoſque illorum in tertiâ vel ſextâ die cibum corpori vix præbuiſſe.

Videant igitur Græcorum ſapientes, vel certè Principes, quàm juſtè reprehendant Romanos in Sabbato jejunantes. Ergo reprehendant & illos omni die jejunantes; reprehendant etiam totam hebdomadam jejunio continuantes. Quod quia ſtultum eſſe cernitur, ex hoc ſaltem velim vel imprudentiæ, vel levitatis ſuæ perſpiciant errorem, & ſtudeant potiùs virtutis imitatores exiſtere, quàm jejunantibus derogare. *Non enim*, ait Apoſtolus, *regnum Dei eſt eſca & potus, ſed juſtitia & pietas*. Et Salvator diabolum non prandendo, ſed jejunando vicit. Nec ſinæ conſuetudinem religionis omnes Chriſti velint Eccleſias tenere; cùm valeant tam Apoſtolorum temporibus, quàm diſcipulorum eorum, diverſas obſervationum inſtitutiones fuiſſe; nec tamen fide diverſos, licet obſervantia diſpares extiterint.

Rom. 14. 17.
Matt. 4.

CAPUT II.

SCribit Apoſtolus Theſſalonicenſibus: *Vos enim*, inquit, *imitatores facti eſtis, fratres, Eccleſiarum Dei quæ ſunt in Judæa in Chriſto* JESU. Iſta dicens oſtendit etiam Eccleſias Credentium de gentibus non ejuſdem eſſe virtutis, verùm diverſi muneris, ac per hoc diverſæ quoque conſuetudinis. Quod etiam beatus Hieronymus in prologo epiſtolarum Pauli teſtatur, dicens; non eas ordinem ut ſcriptæ ſunt, ſed quemdam graduum tenere provectum; ut primum locum epiſtolæ contineant, quæ miſſæ fuerant ad Eccleſias, quibus minor obſervantiæ doctrina vel virtus inerat. Medium verò teneant, quæ miſſæ fuerant his quæ jam ab initiis proceſſerant, necdum tamen perfectionis culmen obtinuerant. Ultimum verò, quæ miſſæ fuerant perfectionis gradum obtinentibus, quæ tam ſcientiæ quàm virtutis eminentiâ præpollerent, ut infrà ſe multos, ſuprà ſe verò nullos haberent. Quid enim in his monſtratur, niſi quarum erat differentia in ſcientiâ & virtute Eccleſiarum, earum quoque non eadem eſſe conſuetudo religionis. Siquidem longè aliter ſe gerebant qui Hieroſolymis fuerant communiter viventes, & in fractione panis communicantes, & oratione perſeverantes, nihil proprium poſſidentes: atque longè aliter qui ſua quæ poſſederant retinentes, ſecundùm gratiam ſibi divinitùs impertitam Evangelium Chriſti, vitâ, moribus, & fide commendabant. Inter quos plurimùm extollit Apoſtolus Theſſalonicenſes, quibus donatum eſt ut eadem paterentur à contribulibus ſuis, quæ paſſi ſunt & hi qui Hieroſolymis morabantur, à Judæis.

1. Theſ. 2. 14.

De variâ quoque Eccleſiarum conſuetudine SOCRATES in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ ſic loquitur: « Quid verò ex conſuetudine quadam per provincias celebratur Paſcha, hinc æſtimo quòd nulla religio eaſdem videatur ſervare ſolemnitates. Nam cùm unius ſint fidei, plurima tamen diſponunt circà Paſcha legitima; unde pauca dicenda ſunt. Nam in ipſis jejuniis aliter apud alios inveniis obſervari: Romani enim ſex ante Paſcha ſeptimanas, præter Dominicam, ſub continuatione jejunant. Illyrici verò & tota Hellas, Alexandria quoque ante ſex ſeptimanas jejunant; eaque jejunia Quadrageſimam vocant. Alii verò ante ſeptem Paſchæ ſeptimanas jejuniorum facere noſcuntur initia. » Et poſt pauca: « Sed etiam ciborum abſtinentiam non ſimilem habent: nam alii omninò ab animatis obſervant, alii animantium piſces ſolummodò comedunt; quidam cum piſcibus veſcuntur & volatilibus, dicentes hæc ſecundùm Moyſem ex aquâ habere ſubſtantiam; alii verò etiam caulibus & ovis abſtinere noſcuntur: quidam ſicco tantùm pane veſcuntur; alii neque hoc: alii uſque ad nonam jejunantes horam, ſine diſcretione ciborum reficiuntur. Et innumerabiles conſuetudines apud diverſos inveniuntur. Et quia nulla lectio ex hoc invenitur antiqua, puto Apoſtolos ſingulorum hoc reliquiſſe ſententiæ, ut unuſquiſque operetur non timore, non neceſſitate, quod bonum eſt. Sed etiam circà celebritatem collectarum quædam diverſitas invenitur. Nam dum per Eccleſias in univerſo terrarum orbe conſtitutas, die Sabbatorum per ſingulas hebdomadas ſacrificia celebrentur, hoc in Alexandriâ & Româ quadam priſca traditione non faciunt. Ægypti verò Alexandriæ vicini, & Thebaidis habitatores, Sabbato quidem collectas agunt, ſed non ſicut moris eſt ſacramenta percipiunt: nam poſtquàm fuerint epulati, & cibis omnibus adimpleti: circà veſperam oblatione factâ communicant. Rurſus autem in Alexandria quarta & ſexta feria ſcripturæ leguntur, eaſque Doctores interpretantur; & omnia fiunt præter ſolemnem orationis morem. » Item infrà: « In eadem Alexandria Lectores, & Pſalmi pronuntiatores, indifferenter ſunt, ſive Catechumeni, ſive jam Chriſtiani, dum omnes Eccleſiæ jam fideles in his ordinibus habere videantur. Ego quoque cognovi in Theſſaliâ aliam conſuetudinem, dum quidam Clericus ante Clericatum legitimè duxiſſet uxorem, quia cum eâ mixtus fuerit poſt Clericatum, abdicatus eſt; dum in Oriente cuncti ſpontaneâ voluntate, & non aliqua neceſſitate, etiam Epiſcopi ſemetipſos abſtineant. Plurimi enim eorum etiam Epiſcopatûs tempore ex legitima uxore etiam filios habuerunt. Hoc quoque in Theſſalia ſervari cognovi, quoniam apud eos in diebus Paſchæ tantummodo baptizatur; quapropter plurimi ſine baptiſmate moriuntur. In Antiochia verò Syriæ altare non ad Orientem Eccleſiæ, ſed magis ad Occidentem habent. In Hellada, Hieroſolymis, & Theſſalia ad tempus veſpertinum orationes ſimiles Novatianis Conſtantinopolim degentibus habent. In Cæſarea Cappadociæ, & Cypro, die Sabbati & Dominico circà veſperam cum lucernariis Epiſcopi atque Presbyteri ſcripturas interpretantur. In Alexandria Presbyter non facit ſermonem; & hæc res initium accepit ex quo Arrius Eccleſiam conturbavit. Romæ Sabbata univerſa jejunant. In Cæſareâ Cappadociæ eos qui poſt baptiſma delinquunt, à communione ſuſpendunt. Novatiani circà Phrygiam bigamos non recipiunt: Conſtantinopolim verò, neque apertè recipiunt, neque palam removere noſcuntur: in occidentalibus verò partibus apertè recipiunt. »

SOCRATES, lib. 5 cap. 21. Jejunium Quadrageſimæ diverſimodè olim celebratum.

Ibid. Variorum ciborum uſus.

Ibid. paulo poſt. Ritus diverſi.

Longum fiet ſi cuncta voluerimus colligere, quæ per Eccleſias toto orbe diſpoſitas multiplex varie-

tas

tas obſervare dignoſcatur, vel antiquitus obſervaſſe deprehenditur. Sed ſufficiant iſta breviter ex unius Scriptoris hiſtoriâ collegiſſe, & hoc Græci: quatenus Imperatores intelligant Græcorum quàm injuſtè, quàm imperitè Romanos redarguant, quòd ſuas conſuetudines per omnia non obſervent. Cogant ergo univerſum Eccleſiarum Chriſti corpus toto orbe diffuſum in ſuarum leges conſuetudinum, & tum ſi valent Romanos dijudicent ſuper ſuæ varietate religionis, quòd à Conſtantinopolitanâ diverſi videantur haberi conſuetudine. An certè doctiores ſunt Apoſtolis, aut ex antiquorum lectione poſſunt oſtendere ſuam potiorem fore Romanâ conſuetudinem? Hiſtoriographus ſiquidem illorum teſtatur, ſingulorum hoc reliquiſſe ſententiæ ſanctos Apoſtolos, ut unuſquiſque non timore, non neceſſitate, quod bonum eſt operetur; ſed magis propriæ voluntatis judicio. Siquidem cum ſint unius omnes fidei, diverſa tamen diſponunt tam circà Paſcha legitima, quàm circà jejuniorum obſervationes, aliis plures, aliis pauciores jejuniorum dies celebrantibus. Nec ipſa jejunia ſua vel eſcarum, vel temporis ſimilitudine, vel æqualitate frequentantibus, verùm ſingulos vel provinciæ ſuæ, vel Majorum conſuetudine, vel corporum viribus, fore contentos. Collectas quoque, id eſt, Conventus populi, nec eodem tempore, nec uno more omnes tenent Eccleſiæ: ſiquidem aliter Alexandrini, & Romani; aliter Ægyptii atque Thebani eas celebrant: nam nec Romani nec Alexandrini die Sabbato Conventus faciunt, quod facere comprobantur in univerſo Oriente Chriſti Eccleſiæ, & Ægyptii quidem ſive Thebaïdæ commorantes, quamquam Conventus, id eſt, Collectas faciant die Sabbato, non tamen ſacramenta corporis & ſanguinis Chriſti accipiunt jejuni, ſed ad veſperam poſt ciborum repletionem contrà totius orbis conſuetudinem. Addunt etiam ſuæ conſuetudini Alexandrini quartam & ſextam feriam, quibus quidem Conventus faciunt ſcripturas ſacras legentes, Doctoribus eos interpretantibus, non tamen ſolemnem oblationis morem in his diebus agunt; nec tamen propter iſta à cæteris orientalibus Eccleſiis excommunicantur, à quibus eſſe diverſi videntur. Theſſalia quoque cum diverſæ ſit conſuetudinis à cæteris orientalibus: nam poſt Clericatûs ſuſceptionem, non patiuntur aliquem, ſicut Hiſtoriographus ille teſtatur, etiam propriam quam ante Clericatum legitimè duxerat, cognoſcere uxorem, quod ſi fecerit, miniſterio privatur; cum per cæteras Orientis Eccleſias nullus hac lege conſtringatur, verùm proprio relinquatur judicio, ſuæque voluntatis arbitrio, ut non ſolùm reliqui gradus Eccleſiaſtici, verùm Presbyteri & Epiſcopi proprias quas ante ordinationem legitimas habuere uxores, ſi velint retineant; non tamen liceat non habentibus ducere, nec prioribus defunctis ſecunda ſortiri matrimonia. Nec tamen hæc diverſitas à communione quemquam ſegregat, cum conſuetudo diſcernat. In baptiſmatis quoque tempore diverſitatem Theſſalonicenſis Eccleſia gerit à cæteris; quandoquidem in Paſcha tantummodò baptizat, cum duo ſint tempora majorum authoritate baptiſmati decreta, Paſchæ videlicet, & Pentecoſtes.

Quid Antiochiæ Syriæ memorem, cui mos eſt altare non ad orientem Eccleſiæ, ſed magis ad occidentem habere? Conſtantinopolitanos idem Hiſtoriographus refert, in recipiendo vel rejiciendo bimubos non idem ſentire, ſed eſſe diviſos, quibuſdam ſentientibus eorum receptionem; quibuſdam diſſentientibus ratum eſſe: cum occidentalis omnis Eccleſia ſine contradictione palam recipiat: nec tamen ſic inter ſe conſuetudine diviſi, communionis unitate ſeparantur. Rogo, quæ ſit iſta ſapientia, vel ſacræ zelus religionis, ut circà Romanos non patiantur Imperatores Græcorum, quod in toto ſuſtinet orbe univerſalis Eccleſia, & velint à ſuâ conſuetudine nec Romanos, nec Occidentales diſcrepare, quandoquidem Orientales multimodâ ſeparentur varietate. Hæc ipſa Conſtantinopolis unius conſuetudinis eſt more contenta?

Parum eſt de conſuetudine Credentium in Chriſtum diverſa dixiſſe, ſi non etiam Judæorum quòd non fuerit uniformis religionis obſervatio demonſtremus. Quamvis enim uni Deo culturam debitam exhiberent, & Moſaicæ legis præceptis continerentur, circà tamen vivendi conſuetudinem; morumque regulas non uniformiter agebantur, ſicut Josephus Hiſtoriographus illorum his verbis commemorat: » Judæis, inquit, philoſophiæ tres erant ab initio inſtitutis patriis derelictæ: Eſſenorum, Sadducæorum, & tertia quâ philoſophabantur, qui dicebantur Phariſæi. Phariſæi enim quotidianam converſationem exiguam habent, & prorsùs abjectam; nihil mollitudini [m] aut delicatudini penitùs indulgentes, ſed quæcumque judicio rationis oportere comperta ſunt, illa ſequuntur: præpoſitis nullo modo reluctantur; majores natu competenti honore venerantur, ita ut nec contrarium quiddam aliquando reſpondeant: Fato geri omnia credunt; ſed neque liberum arbitrium hominis auferunt: judicium Dei futurum eſſe ſentiunt; illic cunctos homines propria merita recepturos, tam eos qui ſecundùm virtutem vixerint, quàm illos qui nequitiâ depravati ſunt. Animas autem immortales dicunt; ſed etiam in inferno congrua unicuique habitacula pro merito vel virtutis vel iniquitatis attribui, ſicut unicuique viventi gerebatur ſtudium: & alias quidem animas æternis retrudi carceribus; alias autem facilitatem reviviſcendi percipere. Et ob hæc quidem populis acceptabiles, credibileſque conſiſtunt. Quantumcumque item ad divinitatis culturam pertinent, orationum celebrationes, templorum conſtitutiones expoſitionibus ſuis facienda eſſe prædicant. Nam tantum ſtudii eorum prælatum eſt teſtimonium, ut ad eos plurimæ civitates, & maxima multitudo, cum ſtudio grandi confluant, opinione adducti quâ meliores cæteris æſtimantur. Sadducæi autem animas mortales exiſtimant, ſimulque cum corporibus interire; nullas verò alias obſervationes præter legem cuſtodiunt: adverſus Doctores autem Philoſophiæ ſuæ certare & reniti glorioſum annumerant; ſed ad paucos admodum doctrina pervenit, vel modus exercitationis. Primates autem apud eos dignitatibus honoribuſque celebrantur. Eſſeni autem ad Deum cuncta redigunt: immortalem animam dicunt: juſtitiam autem rem pretioſam, pro quâ uſque ad mortem pugnandum eſſe prædicant. In templo autem anathemata prohibent: ſacrificia vel hoſtias cum populo non celebrant, quòd ſe plurimùm ab eis putant munditiâ vel ſanctitate differre & merito: ſe à communi congregatione diſcernunt, in remotis ſacrificia facientes; cultu verò morum atque converſatione optimi, ad colendam terram & exercendam omni ſtudio m-

Josephus lib. 18 cap. 2. init.

Quae olim apud Judæos ſectæ.

1. Phariſæorum.

2. Sadducæorum.

3. Eſſenorum.

m *nihil mollitudini*] Sic emendavit Cotelerius, quem conſulere potes tomo 1. Monument. Eccl. Græcæ pag. 762. antea legebatur *multitudini*, ineptè.

« tenti. Illud etiam habent dignum & valdè mirabile, quod in aliis non invenias Gentibus tam Græcorum quàm etiam Barbarorum, quòd omnes illis in medio opes ſunt, & ab eis omnia communia poſſidentur: nihil ampliùs inter eos ditior fruitur, nihil pauperibus defraudatur, ac ſi nihil omninò poſſideatur. Sunt autem ſuper quatuor millia hominum numero. Uxores non ducunt; neque ſervos habere feſtinant; aliud quippe iniquitatis, aliud ſeditionis opportunitatem æſtimant. Iſti ergo ſeniorum apud ſemetipſos adjuvant, mutua ſibi viciſſitudine miniſtrantes. Suſceptores autem redituum promovent, curatoreſque conſtituunt, qui cuncta quæ terra profert in uſus neceſſarios adminiſtrent. Sacerdotes autem optimos viros eligunt: cibus illis ſimplex eſt, habitus inſumptuoſus & mundus. »

Ibidem in fine.

Deſcribit adhuc Joſephus iſte quartam ſpeciem philoſophiæ, quæ penes Judæos agebatur, cujus Principem dicit Judam extitiſſe, quam vel propter brevitatem omiſimus, vel quia noviter reperta, cæteris inferior habebatur.

Poſuimus iſta Judæorum, volentes oſtendere circà divinitatis quidem culturam, & Moſaicæ legis obſervantiam, non diſſimilem uſum habuiſſe, parique ſtudio ferbuiſſe; at verò moralitatis converſationem, & religionis habitum longè diſſimilem tenuiſſe. Non quòd illorum noſtris temporibus approbemus religionem, verùm monſtrare volentes quòd in unius cultu divinitatis cum ſimiles extitiſſent, habitu verò converſationis diſſimiles, non tamen propterea ſe ab alterutrâ communione ſecernebant, ſed in unitatis ſocietatem manentes, patientiſſimè tolerabant morum conſuetudinem non omnium fore conſimilem; ſcientes nihil fidei ſuæ repugnare moralitatis diverſitatem: quandoquidem de Deo, deque legis obſervantiâ præceptorum eumdem haberent aſſenſum: & ecce Græcorum Imperatores graviter ferunt Romanos non eodem quo illi more converſari, neque ſecundùm ſuam conſuetudinem, id eſt, Græcorum, ingredi; cum iſta nec apud Eccleſias Chriſti poſſint reperiri, nec apud Judæos, penes quos ante prædicationem Evangelii divinitatis cultus inſignis habitus eſt, fuerint obſervata. Quâ de re convincitur non pietatis ſtudio hujuſmodi reprehenſionum genuiſſe, ſed livoris maniâ, tumoriſque jactantiâ. Veniendum jam ad ſingula quæ videntur appoſuiſſe, quibus dum videntur jactare vel ſapientiam vel religionem, ſuam prodant inſipientiam & irreligioſitatem.

CAPUT III.

Græci Romanos culpant, quòd Sabbato jejunent.

CUlpant Romanos & Occidentales quòd Sabbato jejunent; quandoquidem ipſi vel Orientales omni Sabbato prandeant; neſcientes, ut credimus, quòd non omnes Occidentales Eccleſiæ hac conſuetudine teneantur, ſed Romana, vel aliæ quædam Occidentales Eccleſiæ; ſiquidem major numerus Occidentalium in Sabbato non jejunat: nec tamen Romanos propterea jejunantes reprehendunt, vel à Romanis jejunantibus ipſi reprehenduntur. Noverunt enim ab Apoſtolo dictum: *Qui manducat, non manducantem [non] ſpernat; & qui non manducat, non manducantem non judicet.* Nec tamen omnes Orientales Eccleſiæ Sabbato [non] jejunare deprehenduntur.

Rom. 14. 3.

Alexandrina namque cum Romanâ priſcâ jam traditione ſuper jejunio Sabbati conſentit. Etenim collectæ non fiunt eo die Alexandriæ, ſicuti nec Romæ. Unde monſtratur Alexandrinos Sabbato non prandere, ſicut nec Romanos. In diebus enim collectarum & Sacramenta moris eſt conficere atque percipere, & jejunia ſolvere; penes tamen Thebaidos & Ægyptios conſuetudo eſt jejunium quidem Sabbato ſolvere, Sacramenta verò Dominici corporis & ſanguinis non niſi ad veſperam percipere poſt ciborum expletionem; nec tamen ex hoc ab aliis Eccleſiis redargui inveniuntur, licet nullam ſuper hac re inveniant Eccleſiam cujus ſequantur conſuetudinem; utrum tamen & ab iſtis reprehenſoribus novellis redarguantur, neſcimus: ſcimus tamen Romanos ab Apoſtolo Petro inſtitutos, ſicut antiquiorum fert traditio, ut in Sabbato jejunent. Scribitur enim Petrum & Paulum Apoſtolos contrà Simonem Magum dimicaturos die Sabbato jejunaſſe: hac de causâ Romanis conſuetudinem factam eſſe in omni Sabbato jejunandi.

Quare Romani jejunant.

« Super quâ re (ſicut ſcribit EUSEBIUS Hiſtoriographus in Libello vitæ Silveſtri Romani Pontificis) Græci convenerunt beatum Silveſtrum, quæſtionem agentes adverſus Romanos de jejunio Sabbati: quibus hæc reſpondit, ſufficere debere hoc ad authoritatem noſtri propoſiti, quòd ita tenuiſſe Apoſtolos priores cognovimus; tamen quia ratio flagitatur à veſtrâ charitate, reddenda eſt. Si omnis Dominicus dies causâ Reſurrectionis Domini tenetur, juſtum eſt ut omnis Sabbatorum dies causa ſepulturæ jejunii ſuſcipiatur inſtantia, ut flentes cum Apoſtolis de morte Domini JESU Chriſti, gaudere cum eis de reſurrectione ejuſdem mereantur. Sed dicebant Græci unum eſſe Sabbatum ſepulturæ, in quo ſemel in anno jejunium eſt colendum. Quibus Papa Silveſter dicebat: ſi omnis dies Dominicus Reſurrectionis eſſe creditur gloria decoratus, omnis qui eum antecedit dies ſepulturæ, eſt jejunio mancipandus[n], ut meritò gaudeat de Reſurrectione, qui de morte ploraverit. Plorare autem compati dixerim, ſalvo eo quod Paſſio Domini gaudii noſtri ſit ſumma. Acceptâ igitur Græci ratione, quieverunt. »

Lib. 1. c. 8.

Ad quid jejunium Sabbato obſervatur.

Græcorum objectio.

Reſponſio Silveſtri PP.

Hæc poſuimus ut oſtenderemus non novum eſſe quod Romani Sabbato jejunant, nec leve quod Apoſtolicâ firmatur auctoritate, & congrua ſatis ratione roboratur. Unde mirandum quæ ſit iſta novis ſapientibus prudentia, non acquieſcere, quod ſui probantur majores acquieviſſe. Ex quo namque Princeps Apoſtolorum Petrus & Paulus Romæ docuerunt, & doctrinæ ſuæ veritatem proprii ſanguinis effuſione commendaverunt, conſuetudo fuit Romanis, & quibuſdam Occidentalibus omni Sabbato jejunare; nec tamen propterea cunctæ per Orientem Eccleſiæ, quæ non iſtâ conſuetudine detinentur, Romanos ſuâ communione judicarunt alienos, quamvis ipſi conſuetudinem habeant omni Sabbato ſicuti Dominicâ non jejunare.

Scribit ex hoc Doctor Auguſtinus ad Caſulanum Presbyterum, inquirentem ſuper eâdem quæſtione, reſpondens ita: « Sequitur Sabbatum, quo die caro Chriſti in monumento requievit, ſicut in primis operibus mundi requievit Deus illo die ab omnibus operibus ſuis. Hinc exorta eſt iſta in Eccleſiâ veſcendi varietas, ut alii, ſicut maximè populi Orientis propter requiem ſignificandam mallent relaxare jejunium; alii propter humilitatem mortis Domini jejunare, ſicut Romana, & nonnullæ Occidentis Eccleſiæ. Quod quidem uno die, quo paſcha celebratur, propter renovandam rei

Augustin. Epiſt. 86.

n *eſt jejunio mancipandus*] Vox *jejunio* addita eſt è codice Biblioth. ex Sancti Germani à Pratis, in quo extat hæc vita Sancti Silveſtri.

» geſtæ memoriam, quâ diſcipuli humanitùs mortem Domini doluerunt, ſic ab omnibus jejunatur ut etiam illi Sabbato jejunium devotiſſimè celebrent, qui cæteris per totum annum Sabbatis prandent; utrumque videlicet ſignificantes, & uno anniverſario die luctum diſcipulorum, & cæteris Sabbatis quietis bonum. Duo quippe ſunt quæ juſtorum beatitudinem, & omnis miſeriæ finem ſperari faciunt; mors & reſurrectio mortuorum: in morte requies eſt; de qua dicitur per prophetam: *Plebs mea, intra cellaria tua, abſcondere puſillum, donec tranſeat ira Domini.* In reſurrectione in homine toto, id eſt, in carne & ſpiritu perfecta felicitas. Hinc factum eſt ut horum duorum utrumque non ſignificandum putaretur labore jejunii, ſed potiùs refectionis hilaritate; excepto uno Paſchali Sabbato, quo diſcipulorum, ſicut diximus, luctus propter rei geſtæ memoriam fuerat jejunio prolixiore ſignandus. Sed quoniam non invenimus (ut jam ſuprà commemoràvi) in Evangelicis & Apoſtolicis litteris, quæ ad novi teſtamenti revelationem propriè pertinent, certis diebus aliquibus evidenter præceptum obſervanda eſſe jejunia; & ideo res quoque iſta ſicut aliæ plurimæ, quas enumerare difficile eſt, invenit in veſte illius filiæ Regis, hoc eſt Eccleſiæ, varietatis locum; indicabo tibi quid mihi de hoc requirenti reſponderit venerandus Ambroſius (à quo baptizatus ſum) Mediolanenſis Epiſcopus. Nam cum in eàdem civitate mater mea mecum eſſet, & nobis adhuc Catechumenis, parùm iſta curantibus, illa ſollicitudinem gereret, utrum ſecundùm morem noſtræ civitatis ſibi eſſet Sabbato jejunandum, an Eccleſiæ Mediolanenſis more prandendum, ut hac cunctatione eam liberarem interrogavi hoc ſuprà dictum hominem Dei. At ille, quid poſſum, inquit, hinc docere ampliùs quàm ipſe facio? Ubi ego putaveram nihil eum iſtâ reſponſione præcepiſſe, niſi ut Sabbato pranderemus; hoc quippe ipſum facere ſciebam: ſed ille ſequutus adjecit; quando hîc ſum, non jejuno Sabbato, quando Romæ ſum, jejuno Sabbato: & ad quamcumque Eccleſiam veneritis, inquit, ejus morem ſervate, ſi pati ſcandalum non vultis aut facere. Hoc reſponſum retuli ad matrem, eique ſufficit, nec dubitavit eſſe obediendum; hoc etiam nos ſequuti ſumus. Sed quoniam contingit maximè in Affricâ, ut una Eccleſia, vel unius regionis Eccleſiæ, alios habeant Sabbato prandentes, alios jejunantes, mos eorum mihi ſequendus videtur, quibus eorumdem populorum congregatio regenda commiſſa eſt. »

Iſai. 26.

Ibid & Epiſt. 118. ad Jan.

Hæc de jejunio Sabbati beatus Auguſtinus Catholicus Doctor ſenſit & ſcripſit, æſtimans nullam graviorem hinc diſceptationem fore tenendam; verùm ſequendam uniuſcujuſque Eccleſiæ conſuetudinem de jejunio Sabbati, vel pranſione, quandoquidem & qui prandent in Sabbato, pietatis habere videntur cauſam, quâ illud faciant: ſignificant enim quoniam in illo die Deus requievit ab omnibus operibus ſuis; vel Credentium requiem, quâ requieturi ſunt ſancti in reſurrectione, receptis corporibus æternâ cum Domino quiete fruituri. Similiter & illi qui jejunant, pietatis habent cauſam, quam ſequantur; quoniam illâ die propter mortem Chriſti diſcipuli corporaliter contriſtati ſunt, eorumque triſtitiam imitari volentes, jejunant quidam in Sabbato fideles. Alii verò non jejunant, ut gaudium reſurrectionis Dominicæ prandentes, quod habuerunt Apoſtoli viſâ Domini reſurrectione, demonſtrent. Siquidem ob imitationem triſtitiæ diſcipulorum cunctæ per orbem Eccleſiæ uno per annum Sabbato, quod ſanctum præcedit Paſcha, jejunant, licet aliis Sabbatis prandeant, ſive non prandeant. At verò Romanis placuit id omni Sabbato jejunando memorari, quemadmodum omni Dominicâ reſurrectionis Domini memoria cunctis ab Eccleſiis frequentatur.

Cum igitur pietatis cauſam habeant & jejunantes in Sabbato, & prandentes, cur id faciant, & nulla reperiantur præcepta novi teſtamenti, quibus id vel præcipiatur, vel prohibeatur, non debet in Eccleſiis Chriſti gravior hinc diſcrepatio ulla fieri, ſed in arbitrio uniuſcujuſque relinqui quid potiùs eligant, majorum tamen authoritatem ſuorum ſequentes, & ſuæ conſuetudinem Eccleſiæ. Quod ſi conſideraſſent Græcorum Imperatores, nullam hinc moviſſent diſceptationem, ſed tenuiſſent hoc quod ſui tenuere majores. Num meritò quiſquam debet judicari, quòd pietatis causâ jejunare videtur? ſunt enim & alii dies quibus nonnullis Eccleſiis per ſingulas hebdomadas conſuetudo eſt jejunandi, ſicut quartâ & ſexta feriâ; & redditur cauſa cur hoc fiat (ſicut ait beatus Auguſtinus) eo quod quartâ feriâ congregati ſunt principes Judæorum, & conſilium inierunt ut JESUM dolo tenerent & occiderent. Sextâ verò feriâ eum crucifixêre: de quibus ſic loquitur: « Cur autem quartâ & ſextâ feria maximè jejunet Eccleſia, illa ratio reddi videtur; quòd conſiderato Evangelio ipſâ quartâ Sabbati, quam vulgò quartam feriam vocant, concilium reperiuntur ad occidendum Dominum feciſſe Judæi. Intermiſſo autem uno die, cujus veſperâ Dominus Paſcha cum diſcipulis manducavit, qui finis fuit ejus diei, quem vocamus quintam Sabbati: deinde traditus eſt eâ nocte quæ jam ad ſextam Sabbati, qui dies paſſionis ejus manifeſtus eſt, pertinebat. Hic dies primus azymorum fuit, à veſperâ incipiens. Sed Matthæus Evangeliſta quintam Sabbati dicit fuiſſe primum diem azymorum, quâ ejus veſperâ conſequente, futura erat cœna Paſchalis: quâ cœnâ azymum incipiebat & ovis immolatio manducari: ex quo colligitur quartam Sabbati fuiſſe quando ait Dominus: *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & Filius hominis tradetur ut crucifigatur.* Ac per hoc, jejunio dies ipſe deputatus eſt: quia ſicut Evangeliſta ſequitur & dicit: *Tunc congregati ſunt principes Sacerdotum & Seniores populi in atrium principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas; & concilium fecerunt ut* JESUM *dolo tenerent & occiderent.* Intermiſſo autem uno die de quo dicit Evangelium: *Primâ autem azymorum acceſſerunt diſcipuli ad* JESUM *dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Paſcha:* Hoc ergo die intermiſſo, paſſus eſt Dominus, quod nullus ambigit Chriſtianus, ſextâ Sabbati: quapropter & ipſa ſexta rectè jejunio deputatur. Jejunia quippe humilitatem ſignificant: unde dictum eſt: *Et humiliabam in jejunio animam meam.* »

Epiſt. 86.

Mat. 26. 2. & ſeq.

Ibid. 17.

Pſal. 34. 13.

Hæc beatus Auguſtinus de jejunio quartæ ſextæq; feriæ ſcribit ad Caſulanum presbyterum, oſtendens cur fuerit inſtitutum: nec tamen hoc jejunium, quod quartâ ſive ſextâ Sabbati celebratur, ab omnibus Eccleſiis vel Orientalibus vel Occidentalibus peragitur; ſed à quibuſdam quibus id placuit obſervare; nec tamen propterea qui jejunant his diebus reprehenduntur ab eis qui prandent, ſed tenet unaquæque Eccleſia morem quem à majoribus ſuis ſuſcepit. Qua de re mirandum cur à Græcis Romani redarguantur ſuper jejunio Sabbati, cum non redarguantur ab eis vel Alexandrini quartâ ſextâque feria jejunantes, vel reliqui per Orientem Chriſtiani: cum conſtet Conſtantinopolitanos quartâ ſive ſextâ Sabbati ut jejunent nullâ lege vel conſuetudine conſtringi.

In inſulâ Britannicâ omni ſextâ Sabbati jejunatur,

nec tamen excommunicantur ab eis, qui per Occidentem illo die non habent conſuetudinem jejunandi. Scotorum natio Hyberniam inſulam inhabitans, conſuetudinem habet per Monaſteria Monachorum, ſeu Canonicorum, vel quorumcumque Religioſorum, omni tempore præter Dominicam, feſtoſque dies, jejunare, nec niſi vel ad nonam vel ad veſperam corpori cibum indulgere: ad nonam quidem æſtivis, ad veſperam verò diebus hyemalibus. Hacque conſuetudine cum nulla detineatur Eccleſia vel Occidentalis, vel Orientalis, non tamen vel excommunicantur vel reprehenduntur taliter jejunantes ab eis qui minimè ſic jejunant.

Dictum eſt jam ſuperiùs quantus jejunii fervor habuerit Credentes in Alexandriâ cum primùm cœperit illic Chriſtiana religio. Nullus enim ſibi ſumebat ante ſolis occaſum cibum; plures autem quartâ, nonnulli ſextâ Sabbati cibum capiebant, non tam deſiderabilem corpori, quàm neceſſarium: & tamen præter reliquorum morem Credentium jejunantes non excommunicabantur, vel redarguebantur ab eis, quibus jejunandi conſuetudo non iſta manebat. Et ecce redarguuntur Romani jejunantes in Sabbato vel propter memoriam ſepulturæ Dominicæ, vel ob diſcipulorum de morte Domini triſtitiam, vel quòd principes Apoſtolorum illo die jejunaſſe traduntur adverſus Simonis præſtigia fallaciamque pugnaturi, certè contrà diabolum Neroniſque veſaniam dimicaturi. Quintam quoque Sabbati nonnullis eſt conſuetudo ſervare, ne in illo die jejunent, quemadmodum nec in Dominicâ.

Approbat hoc EUSEBIUS Cæſarienſis Epiſcopus in libro, quem de geſtis Silveſtri Papæ compoſuit, ita dicens: » Et ait Papa Silveſter: Natalem Calicis » ° ſimiliter ut diem Dominicum ſolemnem habere » debemus, in quo ſacrificium Dominici corporis & » divini ſanguinis ab ipſo Domino celebrationis ſumpſit initium. Hac die in toto orbe ſanctum Chriſma » conficitur: hac etiam die pœnitentibus per indulgentiam ſubvenitur; diſcordes ad concordiam hac » die redeunt, pacificantur irati; dant indulgentiam » Principes criminoſis; ſervis malis indulgent Domini; Judices etiam latronibus parcunt, pateſcunt » carceres in toto orbe. Hoc die ad lætitiam feſtivitatis exeunt qui ſe clauſerunt, propter auſteritatem culparum flendo, quod ridendo fortè, aut iraſcendo, aut aliis quibuſlibet modis tranſgrediendo commiſêre. Hæc & his ſimilia multa dicente ſancto Silveſtro conquievit omnis contradictio, quam Græci Chriſtianiſſimi & docti viri oppoſuiſſe memorati ſunt, dicentes: Verè Apoſtolica Sedes hoc à Petro didicit, quod nulla poteſt » ratione convinci. « Si de die Sabbati judicantur Romani quòd jejunent in eo, cur non judicantur qui jejunant quintâ Sabbati; aut cur moderni Græcorum ſuis majoribus doctiores exiſtere malunt, ut quod illi receperunt, & dignis laudibus extulerunt, hoc iſti reprehendere quærant: non enim vel religioſiores, vel doctiores eis comprobantur; videant ne fortaſſe inſolentiores reprehendantur. Cur enim per tot ſæcula quod cum pace Chriſtianâ obſervatum eſt, nunc portari non poteſt, verùm moliendo contradictiones in diſcordiæ ſcandalum congeritur: an adeo imprudentiæ tenebris ſunt involuti, quo putent Eccleſias Chriſti inſolentium reprehenſione velle mutare, quod inconcuſsè per multa ſæcula ſervavêre?

MELCHIADES Romanæ Sedis Apoſtolicus à Petro Apoſtolo trigeſimus tertius, de quintâ Sabbati conſtituit, ut nullâ ratione, Dominicâ, aut quintâ feriâ jejunium quis de fidelibus ageret; quoniam eos dies Pagani quaſi ſacro jejunio celebrabant. Et quamvis potior illa ratio videatur eſſe de diei Dominici pranſione, quam omnis tenet Eccleſia, quòd in eâ videlicet Chriſtus à mortuis reſurrexerit, & quòd futuri ſæculi requies per eam ſignificatur: de quintâ quoque Sabbati, quam Beatus Silveſter cum Græcis diſputans reddidit, non eſt tamen contemnendum quod Melchiades Romanus Epiſcopus edocuit. Paganorum etenim jejunia deſtruere potiùs quàm imitari debet Eccleſia Catholica, quemadmodum feſtivitates eorum univerſas, in quibus potiùs dæmonibus quàm Deo vero noſcitur deſerviri. Et ideo convenienter definitum eſt illis diebus à Chriſtianis non eſſe jejunandum, quibus pagani jejunare noſcuntur; ne piæ ſanctimoniam religionis maculare videatur ſuperſtitio dæmoniaci cultus. Attamen cum primâ Sabbati ſit omnibus Chriſtianis generalis obſervantia, non jejunandi, quintam Sabbati non omnibus obſervare mos eſt, pluribus in eo die jejunantibus, maximè Quadrageſimâ Paſchali; nec tamen ob hoc ulla ſit inter Eccleſias Chriſti diſceptatio, ſervantibus ſingulis quam ſuſceperunt à majoribus ſuis jejunandi vel prandendi conſuetudinem. Hoc ſi vellent Græcorum principes attendere, non tam leviter reprehenderent Latinos ſive Romanos Sabbato jejunantes, ſed ſuâ contenti conſuetudine, mirarentur Reginam aſſiſtere Chriſto in veſtitu deaurato circumamictam varietate, nec certis regulis conarentur addici, de quo nullam habent tam novi Teſtamenti quàm veteris authoritatem.

CAPUT IV.

Romani, quòd Græcorum more Quadrageſimam non obſervent, redarguuntur.

TRanſeamus jam ad illud quod de Quadrageſimâ Paſchali conantur redarguere, dicentes, quòd non jejunemus ſicut illi octo hebdomadas ante Paſcha à carnium, & ſeptem hebdomadibus à caſei & ovorum eſu ſuo more non ceſſamus. Sic iſta dicentes, tamquam hanc illorum conſuetudinem omnes Orientales & Occidentales, præter Romanos, Eccleſiæ conſervent: quandoquidem tam in Orientalibus quàm in Occidentalibus Eccleſiis multa diverſitas invenitur (ſicut jam ſuperius oſtenſum eſt) aliis ſex hebdomadibus, præter Dominicam, Eccleſiis ante Paſcha jejunantibus; aliis ante ſex ſeptimanas; aliis ante ſeptem Paſchæ ſeptimanas jejunium inchoantibus: id eſt, quidam jejunium Paſchale inchoant ſextâ hebdomadâ ante Paſcha, nonnulli ſeptimâ, plures octavâ; ſuperaddunt etiam alii nonam.

Videant igitur iſti reprehenſores quos habeant vel comites vel imitatores. Denique cum Romanis non conſonant, qui ſex hebdomadas continenter ante Paſcha præter Dominicam jejunant; neque cum eis qui ſeptimâ hebdomadâ jejunium inchoant: quandoquidem iſti illâ ſe dicunt hebdomadâ ab ovis & caſeo continere, perfectam verò jejunii nondum obſervantiam ſuſcepiſſe, quod faciunt illi qui ſeptem hebdomadas jejunio Paſchali dedicavere.

Dicunt etiam iſti, quòd octo hebdomadibus ante Paſcha carnibus abſtineant, jejunii ſui non plenam, ſed dimidiatam continentiam agentes; unde longè ſiunt ab eis qui ſic octavâ hebdomadâ jejunium inchoant, ut nihil de continentiæ varietate permutent. Jam verò cum illis qui novem hebdomadibus jejunando Paſchale tempus præveniunt, nullam iſti videntur habere communionem; quandoquidem in nonâ hebdomadâ nec ab ovis, nec à caſeo, neque

o natalem Calicis] In codice Sar-Germ. longè aliter. *Cur quinta feria Chriſtianorum putetur feſta excludi, in quo Aſcenſio Domini conſtet Apoſtolis eſſe revelata? In hac etiam die Sacrificium, &c.*

Digitized by Google

à carnibus ſe continere profiteantur. Ergo cum deprehendantur in obſervatione jejunii Paſchalis non ſolùm ab Occidentalibus, verùm ab Orientalibus diſſentire, dicant quâ ratione reprehendant Romanos, & non reprehendi verentur ab aliis Eccleſiis, quibus in Paſchali jejunio non concordare videntur: aut certè proferant vel veteris vel novi Teſtamenti præcepta, vel authoritatem, quâ defendant ſuam conſuetudinem, vel Romanam meritò reprehendant. Quod cum facere nequeunt, doceat eos ſaltem conſuetudo Eccleſiarum varia jejunandi, quòd non iſta fiat obſervantia de præceptione quâcumque divinâ, cujus neceſſitate jejunantes coërceantur: ſed maneat in uniuſcujuſque propoſito, ſeu voluntatis arbitrio, ut cum gaudio ſancti Spiritûs offerat Deo quod ſibi rectum poſſibileque videtur, & non neceſſarium, ſed fiat voluntarium bonum noſtrum: nec tamen ut hoc in uniuſcujuſque ſit ſingulariter electione: verùm ſervanda eſt ſingulis Eccleſiis majorum authoritas, & conſuetudo; quatenùs ſinguli cuſtodiant quod unaquæque Eccleſia à ſuis accepit fundatoribus cuſtodiendum. Niſi fortè putandum quòd Græci ſint in hoc præponendi, quòd hebdomadâ ſeptimâ nec ova nec caſeum comedant; quandoquidem longè præcelluntur ab eis qui coctum aliquid per totam Quadrageſimam non comedunt; nec non ab eis qui ſolo pane veſcuntur. Appareant etiam multùm inferiores illis, qui nec hoc, ſed herbarum tantummodo eſu reficiuntur. Nec quoque penitùs eis conferendi, qui per totam Quadrageſimam vix ſemel aut bis in hebdomadâ cibum corpori largiuntur. Ceſſent igitur ſe ſuperextollere, ne corruant; ſed potiùs humilientur ut ſurgant, & potiorem eſſe cognoſcant concordiam pacis, & dilectionis unitatem, quàm jejuniorum obſervantiam. Conſiderent quoque cur iſta varietas ante Paſcha jejunandi contigerit.

Quam ob cauſam quadraginta dierum jejunium ante Paſcha. Matt. 4.

Denique tam Evangelicâ quàm legali docemur authoritate, quadraginta dierum celebrandum fore jejunium: nam Salvator in Evangelio legitur quadraginta diebus & noctibus jejunium continuaſſe. In veteri vero Teſtamento ſcribitur quòd Moſes bis hunc dierum jejunando numerum compleverit: ſemel quidem antequàm legis decalogum, Domino tribuente, perceperit: ſecundò verò poſtquàm populi tranſgreſſione provocatus, tabulas ad radices montis confregerit: duabus de cauſis iterum quadraginta dierum jejunium noctiumque continuans; una videlicet quâ divinitatis offenſam circà tranſgreſſores placabilem redderet; alterâ verò quâ legem rurſus à Domino dignus percipere præſtaretur. Elias quoque Jezabelis indignationem fugiens, quadraginta diebus & noctibus per ſolitudinem gradiens, uſque dum ad montem Dei Oreb perveniret, jejunavit. Hinc factum eſt ut mos Eccleſiis inoleverit, quadraginta dierum continuatione jejunii.

Variè hebdomadarum numerus ſervatur.

Cum ergo hunc ferè omnes numerum jejunando Chriſti Eccleſiæ celebrare contendant, nec tamen in hebdomadarum numero ſimul omnes conveniant, dierum facit hoc variabilis viciſſitudo. Conſtat enim apud omnes quadragenarium obſervari numerum Paſchalis jejunii, non tamen omnes ſingulis uniuſcujuſque hebdomadis diebus jejunare: quidam enim Dominicâ tantummodo prandent, alii nec Sabbato, nec Dominicâ jejunant, reperiuntur nonnulli quintâ Sabbati jejunium ſolvere. Sed qui Dominicâ non jejunant, aliis verò per ſingulas hebdomadas diebus jejunant, quadragenarium numerum non adimpſent; ſiquidem quatuor dies minùs in numerum veniunt; unde fit, ut quadragenarium adimplere volentes, non ſex tantùm, verùm ſeptem hebdomadas ante Paſcha jejunent; quamvis ſex hebdomadæ non quadraginta tantùm, verùm quadraginta duos dies contineant. Subtractis autem ſex Dominicis de quadraginta duobus, ſuperſunt triginta ſex dies quibus jejunium celebratur; ut verò quadragenarius perficiatur quatuor dies hebdomadâ ſeptimâ jejunatur. Hinc efficitur, ut hebdomadis ſeptimæ non ſex, ſed quatuor tantummodo dies jejunetur, qui triginta ſex diebus ſuperadditi quadragenarium perficiunt. Qui verò nec Sabbato, nec Dominicâ jejunant, & tamen ante Paſcha quadrageſimam implere geſtiunt, neceſſe eſt, ut octavâ hebdomadâ jejunium incipiant. Nam quinque tantùm diebus per ſingulas ſeptimanas jejunare comprobantur, & octies quini quadraginta perficiunt, qui quadragenarius octo ſeptimanis lege præſcriptâ perficitur. Huic verò numero, id eſt, duobus diebus Dominicæ & Sabbato, quibus non jejunatur, qui quintam Sabbati ſuperaddere malunt, quadrageſimam ante Paſcha jejunare non poſſunt; niſi novem jejunium hebdomadæ ſortiantur: tribus enim ablatis de ſeptem, Dominicâ videlicet, Sabbato, & quintâ Sabbati, ſuperſunt quatuor dies per ſingulas hebdomadas jejunii; & quaternarii novies ducti triginta ſex, non quadraginta implere noſcuntur: & cum quadraginta jejunando dies non impleant, quadrageſimam tamen implere ſe dicunt.

Hac de cauſâ Græci non habent quid Romanis objiciant ſuper ſeptimanarum diſparilitate, quoniam quod illi in octo hebdomadibus faciunt, per ſingulas hebdomadas quinis non ampliùs diebus jejunantes, hoc tam Romana, quàm Occidentalis Eccleſia, ſex hebdomadibus perficere noſcuntur; ſuperadditis quatuor diebus hebdomadis ſeptimæ. Nam ſi octo hebdomadarum ſex diebus Græci jejunarent ſicut faciunt Romani, vel omnes ferè Latini, non in quadrageſimam, ſed multo ampliùs ante jejunarent: octies enim ſeni quadraginta octo perficiunt. Quâ de re videant Græci, ſi tot diebus ante Paſcha jejunant, quam ſequantur authoritatem. Nec Salvator enim, nec Helias, nec Moſes hunc jejunando numerum ſervavêre. Quòd ſi jejunii ſui ſummam quadraginta diebus perficiunt, ut à novo veterique Teſtamento non diſcrepent, nihil quod redarguant in Occidentalibus reperiunt, quoniam tot diebus ante Paſcha, quot & ipſi jejunant.

Quòd ſi jejunium eſt humilitatis exequutio, ſecundùm illud quod Pſalmiſta confitetur: *Et humiliabam*, inquiens, *in jejunio animam meam*: plures quàm Conſtantinopolitani tam Romani quàm Occidentales hebdomadas jejunant: ſiquidem cantica ſolemnia videlicet alleluya, ſeu Martyrum ſolemnitates, novem ante Paſcha ſeptimanis Occidentalis Eccleſia nequaquam ſolemni more frequentat, ſed ab omni celebri glorificatione, quam per totius anni ſpatium frequentare conſuevit, ſeſe continet, ut tanto glorioſiùs in die Reſurrectionis exultet, quanto diutiùs ſemet humiliando ſanctum Paſcha prævenire curavit. Nam & filius Iſraël Dominus per Moyſem mandavit poſt vituli fabricationem ut ornatum ſuum depouerent, ut ſciret Dominus quid eis faceret: non quòd ignoraverit idololatriæ culpa quâ ferri pœnâ deberent, ſed quòd ex humilitatis afflictione prævaricator populus oſtenderet quemadmodum reatum prævaricationis agnoſceret, qualique ſatisfactione quod deliquerat expurgare maluiſſet. Quid ergo ornatum populi, quem deponere jubetur, accipere debemus, niſi lætitiæ ſplendorem, quo lætari conſueverat priuſquàm idololatriæ culpam contraxerit? ſic igitur vel Romana, vel Occidentalis Eccleſia, ornatum ſuum deponit ſemet humiliando, quando feſta lætitiæ vel hymnorum gaudia, quibus totius anni ſpatio conſueverat *Pſal. 34. 16.*

exultare, dimittit, & humilitatis habitum ſumens, exultationis gloriam deponit; quatenùs humilitatis habitu faciem Domini præveniens, Paſchalia feſta exultationis gaudio ſuſcipiat.

Non habent igitur Græcorum Imperatores unde meritò culpare queant vel Romanos vel Occidentales, ſi non tot hebdomadas ante Paſcha quot illi jejunant, quoniam dierum numero quadraginta jejunando coæquantur. Quòd ſi jejunium humilitatem ſignificat, & humilitas eſt depoſitio lætitiæ, afflictionis forma, mœroris habitus, jucunditatis remotio, jure quidem dicuntur Romani vel Latini Conſtantinopolitanis plùs jejunare, quoniam novem hebdomadibus ſemet humiliando Paſcha præveniunt, licet illud ſit præcipuum. Unde reprehenſores Romanorum ſeſe debent redarguere, ſi tamen diſciplinæ legibus cupiunt eſſe ſubjecti, quòd conſuetudo jejunandi ante ſanctum Paſcha cunctis Eccleſiis non ſit uniformis, nec ullà divinorum mandatorum lege conſtringuntur ad iſta; ſed unicuique licitum ſit Eccleſiæ ſuorum ſequi majorum conſuetudinem. Quod ſi noviſſent, non tam procaces in reprehenſione viderentur eorum maximè qui, quod exercent, Apoſtolico quidem inſtituuntur magiſterio, & rationis ſatis honeſtæ conſideratione.

Quare nonnulli Occidentalium 36. dies jejunant.

Jejunant denique Romani ſex ante Paſcha ſeptimanas continuatim, præter Dominicam, quà jejunium ſolvunt. Unde ſi jejunantes triginta ſex dies quatuor minus à quadraginta complere noſcuntur, cauſa cur ita faciant piè conſiderare volentibus & honeſta ſatis eſt, & in evidenti poſita. Siquidem annus ſolaris trecentis ſexaginta quinque diebus peragitur; horum dierum decimam ſi aſſumas, triginta ſex dies habebis: jubemur autem laborum decimas noſtrorum offerre Domino. Non igitur immeritò decimas etiam dierum illi offerimus, ut qui totius anni ſpatio nobis viximus, anni decimas illi offerendo dierum, Domino vivamus; ut delicta quæ per totum annum admiſimus nobis vivendo, purgemus per hos Domino dies ſerviendo.

Quadrageſimus dierum numerus myſticè explicatur.

Sed quia perpauci ſunt in Occidente qui non quadraginta dies ante Paſcha jejunando compleant, hinc etiam cauſa reddenda eſt, quâ factum eſt, ut quadraginta dierum numero ſint contenti. Sepoſitâ igitur authoritate vel Evangelicâ vel Legali, quâ docemur evidenter quadraginta dies nos jejunio fore mancipandos: ſiquidem ſunt decem præcepta legis quibus ſervire præcipimur, ſecundùm inſtituta veteris Teſtamenti, & quatuor Evangelia, quibus in novitatem vitæ deducimur. Quater etenim deni quadragenarium perficiunt; & unuſquiſque Domino ſerviens ad perfectionis ſummam veniſſe cognoſcitur, ſi legale decalogum Evangelii perfectione ſuppleverit. Conſtat etiam homo quatuor, ſicut mundus elementis. Et quoniam decalogum legis per multa tranſgredimur, neceſſe eſt ut quater decies nos affligendo delictorum veniam conſequamur.

Hæc igitur cauſa eſt cur placuerit Romanis ſeu Latinis jejunare quadraginta dies ante Paſcha; quæ cùm religioſa, tùm fore myſtica comprobatur, ſicut ſuperiùs oſtenſum eſt. Eſt igitur & hæc reprehenſio jejunandi ſuper hebdomadarum numerum ante Paſcha & injuſta, & nullo rationis pondere ſuffulta: quapropter pro nihilo ducenda, niſi quòd charitas, quæ omnia ſuffert, cogit reſpondere talibus, quæ præter rationem objecta deprehenduntur; quatenùs cognitâ ratione, reprehendere non audeant, quod honeſtatis jure religioniſque decore obſervari cognoverint, & ad unitatis concordiam pacifici redeant, à quâ deviaſſe ſtultâ præſumptione non timuerant.

CAPUT V.

De barbæ ſeu capitis tonſione agitur

JAm videamus quod de barbæ tonſione Clericos culpare non tantùm Romanorum, verùm omnium Occidentalium Chriſti Eccleſiarum non verentur. Quæ tam levis agnoſcitur, ut nihil ei reſponderi meritò decerneretur, ne forſitan talium levitati pares, vel certè leviores æſtimentur, qui nullam habenti rationem objecto reſpondere potiùs, quàm contemnere delegêre. Quid enim refert ad juſtitiæ non tantùm perfectionem, verùm etiam inchoationem barbæ detonſio, vel conſervatio? Dicant ergo redarguentes quid hinc vel in novo vel in veteri Teſtamento præceptum reperiatur: &, ut plus inferam, quid in Apoſtolorum ſcriptis, vel Eccleſiaſticorum conſtitutis Magiſtrorum hinc eſſe determinatum inſinuare poſſunt? Eſt enim iſtud, ſicut & reliqua multa, ſingularum conſuetudini derelictum Eccleſiarum, ut pro reſpectu majorum capitis comam, ſive barbam, vel nutriant, vel tondeant. Aliis ſiquidem mos ineſt barbam ſeu caput tondere: nonnullis verò barbam quidem non tondere, caput verò crine totum nudare: nonnullis autem placet faciem pilis omnibus ſpoliare, verticem capitis capillorum tonſione detergere, relictâ capillorum parte quæ inter nudati verticis partes & tempora conſiſtit. At verò quidam barbam non attondent, caput verò ex parte tondent, & detonſum ex parte relinquunt. Eſt quidem iſte Clericorum habitus non uniformis cunctis Eccleſiis, ſed pro conſuetudine majorum varius atque diverſus; nec hinc aliquando inter Eccleſias vel Occidentales, vel Orientales contentio nata eſt, ſed tenuerunt ſingulæ quod ſuis à majoribus ſuſcepêre; vel quod Provinciarum uſus potiùs approbavit.

Redarguit Apoſtolus Paulus Corinthios quòd viri quidem vel comam nutriebant, vel capita velabant; mulieres autem nec capita velabant, nec comam nutriebant. Quæ conſuetudo jùre reprehenditur ab Apoſtolo; quoniam etſi Corinthiis videbatur probabilis, naturæ tamen apparebat inconveniens. Et cur id reprehenderit, cauſam evidenter oſtendit, dicens: *Vir quidem non debet velare caput ſuum, quoniam imago & gloria Dei eſt.* 1. Cor. 11. 7.
Cur autem mulier debeat vel comam nutrire, vel caput velare, cauſam ſimiliter edocet, dicens: *Debet mulier poteſtatem habere ſuper caput propter Angelos.* Ibid. v. 10.
Hinc igitur conſiderent Clerici qui barbam quidem nutrientes, at verò caput penitùs capillis omni ex parte nudant, & vel vim frigoris vel caloris ferre non valentes, vel potiùs hujuſmodi deturpationem habitûs utcumque celare volentes, capita veſte cooperiunt p, an contrà præceptum Apoſtolicum venire comprobentur. Siquidem negare non poſſunt contra ſententiam Pauli ſe facere dicentis: *Omnis vir orans, vel prophetans velato capite, deturpat caput ſuum.* Ibid. 4.

Non iſta dicimus quo forſan talem conſuetudinem reprehendere malimus: ſcimus enim & hujuſmodi habitum humilitatis eſſe indicium; ſed ut

p *capita veſte cooperiunt*] Locum hunc velim expendant, qui de veſtimentis Monachorum diſputant. Nam cum morem eorum qui capita radunt, ac veſte cooperiunt, redargui utcumque poſſe moneat Ratramnus, addatque id ſe non ideirco ſcribere, quod morem illum omninò improbandum putet, ſed ut Græcis Principibus oſtendat, apud eos nonnihil eſſe quod reprehendere faciliùs poſſint, quàm quod eſt apud Latinos uſurpatum; ſatis, meâ quidem ſententiâ, oſtendit in his regionibus hoc veſtis genere quo nunc utuntur, Monachos indutatis uſos non fuiſſe.

moneamus Græcorum Imperatores è vicino habere quod poſſint vel redarguere, vel emendare; nec longè poſitos vel Romanos vel Latinos leviter reprehendant; qui ſi radant barbam, comam tamen nec nutriunt, nec caput vel prophetantes, vel orantes velant: licet habeant in ſanctarum authoritate ſcripturarum unde ſuam conſuetudinem optimè defendant. Et in veteri quidem Teſtamento Nazaræis conſuetudo manebat, ut conſecrationis tempus adimplentes caput & barbam raderent, & in ignem ſacrificii ponerent: hoc ſignificantes, quòd non ſolùm actus, verùm etiam omnes cogitatus ſuos Domino conſecrarent. Hinc Ezechieli Prophetæ ſermo divinus loquitur:
Ezech. 5. 1. *Et tu fili hominis ſume tibi gladium acutum radentem pilos, aſſumens eum, duces per caput tuum & barbam tuam.* Fuerat enim ſacerdos non extranei generis, ſed de ſacerdotali germine procreatus: unde ſecundùm conſuetudinem Nazaræorum radere mandatur & caput & barbam. In Apoſtolorum actibus quoque ſcribitur, Priſcam & Aquilam Judæos in Chriſtum credentes, in Cenchris caput ſibi totondiſſe: habebant enim votum, ſicut conſequenter ſcriptura ſignificat. Et in Hieroſolymis Seniores Apoſtolo Paulo loquuntur:
Act. 21. 23. *Sunt nobis viri quatuor votum habentes ſuper ſe: his aſſumptis ſanctifica te cum illis, & impende in illis ut radant capita, & ſcient omnes quia quæ de te audierunt falſa ſunt, ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem.* Et paulo poſt:
Ibid. v. 10 *Tunc Paulus aſſumptis viris poſterâ die, purificatus cum illis intravit in Templum, annuntians expletionem dierum purificationis.* Hunc morem ſequentes Clerici Romanorum, vel cunctarum ferè per Occidentem Eccleſiarum, barbas radunt, & capita tondent, formam accipientes tam ab eis qui in veteri Teſtamento Nazaræi dicebantur, quàm ab eis qui in novo Teſtamento talia feciſſe leguntur. Sed non penitùs capillis capita nudant, verùm pro parte; ſignificantes tali ſchemate tam regale decus, quàm inſigne Sacerdotale. Siquidem Regibus decus eſt proprium coronas in capite ferre: Pontifices autem in Templo thiaras vertice portabant: & thiara quidem hemiſphærii gerit ſimilitudinem; corona verò circuli gerens figuram caput aſſolet ambire. Loquitur Beatus Petrus Apoſtolus Credentibus:
1. Pet. 2. 9. *Vos autem eſtis genus electum, regale ſacerdotium.* Quod ſignificare volentes Clerici Romanorum, ſive Latinorum, in verticis nudatione thiaræ ſimilitudinem figurant, per quam Sacerdotale decus inſinuant. Porrò reliqua pars capillorum caput ambiens, neque tamen verticem contingens, ſpeciem coronæ repræſentat, quà regalis dignitas oſtentatur. Sic utrâque hac ſpecie regale Sacerdotium deſignatur.

Chriſtus etiam Rex & Sacerdos exprimitur; Propheta teſtificante:
Iſai. 3. 22. *Dominus legifer noſter, Dominus Rex noſter.* Item:
Pſal. 2. 9. *Reges eos in virgâ ferreâ.* Quòd autem Sacerdos ſit, Pater Filio teſtificatur, dicens:
Ibid. 109. 4 *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Igitur ſive Chriſti Sacerdotium atque Regale ſolium Clerici Latinorum ſignificare volentes, hujuſmodi ſchema capite geſtant: ſive quòd omnis Chriſtiana natio Regia ſimul atque Sacerdotali dignitate præmineat, tali ſpecie deſignant. In faciei verò denudatione cordis oſtendunt puritatem, illud innuentes Apoſtolicum, ubi ait:
2. Cor. 3. 18. *Nos autem revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur.* Facies enim capitis faciem cordis inſinuat: ſicut enim caput arx eſt cordis, ſic mens hoc loco, quæ cor appellatur, animæ culmen exiſtit: debet enim facies cordis cogitationibus terrenis jugiter ſpoliari, qualiter puro ſinceroque conſpectu gloriam Domini poſſit ſpeculari, & in eam per contemplationis gratiam transformari.

Beatus quoque Petrus Apoſtolus, nec non & alii plures tam de numero Apoſtolorum, quàm etiam de Chriſti diſcipulorum, leguntur & barbas & capita raſiſſe. Siquidem hoc egiſſe Petrum ipſius hodieque teſtantur imagines, quæ tali ſchemate pictorum arte formantur. Nec propterea Græcorum veriti ſunt reprehenſionem vel Apoſtolus, vel reliqui Chriſti diſcipulorum, quibus non diſplicuit hujuſmodi habitum ſibi aſſumere. Et cum nec ante legem, nec poſt Evangelium hactenùs quæſtionem hanc aliquis intenderit, viderint cur Græcorum Imperatores reprehendere moliantur, quod reprehenſionis calumniæ ſubjacere nequaquam meritò poſſit. Si enim barbam tondere peccatum eſt aliquod, vel divinæ legis ulla transgreſſio, dicant cur Propheta Domino jubente barbam raſerit; cur Nazaræis iſte mos extiterit; cur denique Apoſtoli hanc conſuetudinem non exhorruerint. Sed huic oppoſitioni ſuperſedramus, quoniam nec rationis virtute nixam, nec gravitatis eam aliquâ dignitate ſuffultam conſpicimus: & niſi minùs prudentibus ſubrepi poſſe arbitraremur, nullam ex hoc fieri reſponſionis diſputationem juſtius decerneretur.

CAPUT VI.

Cœlibatus Clericorum propugnatur adverſus Græcos

NUnc illud conſiderandum quod objiciunt, Romanos nuptias damnare, quoniam Preſbyteris uxores ducere non ſolùm non conſentiunt, verùm penitùs interdicunt. Quamvis in cæteris nimiùm ſuperſtitioſi videantur objectis, in iſto tamen vel ſtupendi, vel dolendi plurimùm videntur. Stupendi quidem, ſi tam ſunt à ſapientiæ lumine remoti, quo non intelligant Romanos in hoc facto non ſolùm non culpabiles apparere, verùm etiam prædicabiles enitere. Nam continentiæ bonum & caſtitatis inſigne tam conſtat eſſe præclarum, ut etiam gentilibus ſit admirabile; & in omni ordine cùm ſit prædicabile, tùm præcipuè in Sacerdotibus, ac reliquis ſacri Altaris Miniſtris; quos cum reliquæ virtutes faciunt illuſtres, illuſtriores tamen reddunt ſanctimoniæ ſplendor, & caſtitatis decus egregium. Dolendi verò ſunt, ſi talia cum noverint, adverſus conſcientiam propriam nitentes, reprehendere non verentur quod laudabile fore non ignorant. Timere namque debuiſſent quod per Iſaiam loquitur Spiritus ſanctus: *Væ eis qui dicunt malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* *Iſai. 5. 20.*

Quemadmodum ergo conſequens eſſe decernunt, ut Romani damnare nuptias judicentur, ſi penes illos Epiſcopi ſeu Preſbyteri matrimonia non ſortiuntur: ergo ſi propterea nuptiarum damnatores habendi ſunt, eidem ſententiæ ſubjacebunt Patres tam veteris quàm novi Teſtamenti. Helias Propheta, cujus ad imperium cœlum reſeratur & clauditur, quique miniſterio Angelico ſuſtollitur ad cœlos, non duxit uxorem. Hieremias vates in utero ſanctificatus, virginitatis bonum, & caſtimoniæ puritatem matrimonio prætulit. Daniel vir deſideriorum appellatus, magis continentiam quàm conjugalem copulam delegit. Nec tamen iſti nuptias damnavêre, quamvis nuptiarum fœdera non habuerint. Salvator de Virgine naſci maluit; ut ſacrum conjugium approbaret, nuptiis intereſſe non renuit. Joannes amoris privilegium à Chriſto promeruit, quoniam plùs Chriſti diſcipulatum, quàm nuptias elegit. Petrus Apoſtolus, antequàm Chriſtus eum in Apoſtolatûs dignitatem ſubrogaret, ma-

trimonium non ſprevit, Apoſtolatûs autem dignitate ſublimatus, & in Evangelicam prædicationem deſtinatus, etſi conjugem non repulit, opus tamen conjugale declinavit. Quod etiam cæteros Apoſtolos feciſſe non dubitandum. Attamen iſtos nemo ſanus dicet damnaſſe conjugia, licet continentiæ ſanctimoniam fuerint amplexati.

Porrò Romani quemadmodum culpantur nuptiarum fœdera damnare, quandoquidem apud eos nuptiæ celebrentur, & ex legitimo matrimonio filii procreentur? Scribit Beatus Apoſtolus Paulus Corinthiis, 1. Cor. 7. 7. dicens: *Volo autem omnes homines eſſe ſicut me ipſum: ſed unuſquiſque habet proprium donum ex Deo; alius quidem ſic, alius vero ſic.* Unde verò dicebat quod vellet omnes homines eſſe ſicut ſeipſum, paulo ſuperiùs aperit, ubi conjugatis præcepta ſanxit invicem ſibi quemadmodum deſervirent, ſui corporis poteſtatem tam vir quàm fœmina non habendo, ſed ex alterius permiſſione ſervando. Ibid. 6. Unde in concluſione ſic intulit: *Hoc autem*, inquiens, *dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium.* Cui protinùs ſubjecit: *Volo autem omnes homines eſſe ſicut meipſum*, & reliqua. Quibus manifeſtè ſignificat ſe cœlibem eſſe, nec uxoris Ibid. 9. 5. copulà detineri. Hinc alibi ſcribit: *An non habemus poteſtatem ſororem mulierem circumducendi?* In quâ re ſocium ſibi Barnabam fore non abnegat, dicens: Ibid. v. 6. *An ego & Barnabas hanc poteſtatem non habemus?* Et tamen iſta cum Beatus Apoſtolus de ſe profiteatur, nequaquam nuptias condemnat, de quibus & præcepta conjugatis dedit, & incontinentes hortatur, ut ſi ſe non continent, nubant. Adeo namque tam Salvator quàm beatus Paulus matrimonii pacta non reprobant, ut ſtatuant uxorem à viro non diſcedere, nec virum uxorem relinquere, niſi causâ fornicationis: quòd ſi diſceſſerint, innuptos manere.

Attamen continentiam perſuadere deſiderans Paulus, 1. Cor. 7. 29. ſic eiſdem Corinthiis ſcribit: *Hoc itaque dico, fratres, tempus breve eſt; reliquum eſt ut qui habent uxores, tamquam non habentes ſint; & qui flent, tamquam non flentes; & qui gaudent, tamquam non gaudentes; & qui emunt, tamquam non poſſidentes; & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi.* Qui ſuperiùs incontinentibus nubendi licentiam dederat, tamquam Ibid. 7. 9. infirmis ſalutis remedium porrigens, dicit; *Melius eſt enim nubere quam uri.* Nunc præcipit fræna luxuriæ cum propriâ quoque uxore cohibere. Quid eſt Ibid. 29. enim aliud quod dicit, *Qui habent uxores, tamquam non habentes ſint*, niſi dicere, libidinis laſciviam à propriis etiam uxoribus reprimere, & amori magis filiorum, quàm carnis deſiderio ſerviendum? Propter Ibid. 6. 1. quod dixerat ſuperiùs: *Bonum eſt homini mu*- Ibid. v. 2. *lierem non tangere.* Sed quoniam hæc virtus non omnibus adeſt; *Propterea dico, propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat; & unaquaque ſuum virum habeat.* Quod hoc loco infirmitati conceditur, poſteriùs reſecare geſtiens, ait: Ibid. 7. 29. *Qui habent uxores, tamquam non habentes ſint.* Monens non ſemper infirmitati deſerviendum, verùm caſtimoniæ ſanctitati conſueſcendum; quoniam præterit figura hujus mundi. Figura fuit mundi carnalem poſteritatem quærere, & filiorum progenie gaudere, turbâque propinquorum exultare: at verò quoniam mundus in extremo poſitus finem præſto- 1. Joan. 2. 18. latur; &, ut ait beatus Joannes, *Noviſſima hora eſt*; non carnalis propago, ſed ſpiritualis magis de- 2. Cor. 5. 15 bet appeti ſucceſſio: *Ut qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed Chriſto qui pro eis mortuus eſt, & reſurrexit.* Propterea dicit flentes fieri debere tamquam non flentes, ut hujus mundi ruinam atque tribulationes æternorum ſpe gaudiorum conſolentur. Similiter gaudentes in ſæcularibus temporaliter commodis, fiant tamquam non gaudentes; ut temporalis boni gaudia contemnentes propter ſui fragilitatem, atque permutationem, de æternis potiùs gaudeant & exultent; quatenùs gaudia perennia conſequi prævaleant. Similiter ementes non hîc poſſidere concupiſcant, ſed poſſeſſionem ſuam in cœleſtibus eſſe deſiderent, cum Pſalmiſta loquentes: *Quid enim mihi eſt in cælo; & à te quid volui ſuper* Pſal. 72. 25. *terram?* Sic qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur, ut in tranſitu ſit eis, non in deſiderio; & in viâ, non in patriâ; & tamquam ex latere reſpiciatur, non ut amore tenendi, ſive fruendi, poſſideatur. Et propterea conſequenter ait: *Volo* 1. Cor. 7. 32. *autem vos ſine ſollicitudine eſſe: qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt hujus mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt: & mulier innupta, & virgo, cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta & corpore & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.*

Videant itaque Græcorum Principes, Romanos redarguere nitentes ſuper continentiâ Sacerdotum, Miniſtros altaris in quâ ſorte conſtituere diſponant; an eos velint eſſe ſine ſollicitudine, quod vult Apoſtolus, an certè ſollicitudinibus implicari mundi, quod non optat Apoſtolus. Si enim ſine uxore ſunt à ſollicitudine mundi liberi, eorum ſollicitudinem gerunt quæ ſunt Domini, quærentes omni tempore Deo complacere; Apoſtolicum illud meditantes: *Omnia* Coloſſ. 3. 17. *quæcumque facitis, in nomine Domini ſemper facite.* Si verò cum uxore degerint, neceſſe eſt mundi ſollicitudinibus eos implicari, & quærere jam quomodo placeant uxori, non Deo: & hujuſmodi quicumque ſunt, diviſi ſunt, quoniam inter amorem uxoris, amoremque Dei medii conſiſtunt, non valentes dicere cum Propheta: *Portio mea Domine: dixi cu-* Pſal. 118. 57. *ſtodire legem tuam.* Neque cum beato Hieremia, qui ait: *Pars mea Dominus, dixit anima mea:* Thren. 3. 24. *propterea præſtolabor eum.* Dicit Apoſtolus: *Mulier* 1. Cor. 7. 34. *innupta, & virgo cogitat quæ ſunt Domini, ut ſit ſancta & corpore & ſpiritu.* An igitur decet Domini Sacerdotes, & altaris miniſtros, mulieribus innuptis & virginibus eſſe inferiores, ut illis cogitantibus quæ ſunt Domini, ſanctimoniam tam corpore quàm ſpiritu conſervando; iſti cogitent quæ ſunt mundi, ſanctitatem corporis & ſpiritûs reſpuendo? Utriuſque namque ſanctimoniâ privantur, qui cogitationem habent eorum quæ ſunt mundi, placere uxori geſtientes; quoniam, ſicut dicit Apoſtolus; *Quæ nupta* Ibid. *eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.* Ait Salvator duobus dominis neminem poſſe ſervire. Ergo vel Epiſcopi, vel Preſbyteri, cogitantes debitum ſolvere uxori, cogitare nequeunt ſervitutis debitum Domino ſolvendæ. Et cum Clerici dicuntur, quia ſint Domini ſors (ſic enim nomen ipſum ſonare deprehenditur) & eorum portio non alia ſit, quàm Dominus; Sacerdotes uxori ſervientes, & ea quæ ſunt mundi cogitantes, ſortem Domini, quâ ſpecialiter ei cohærere debuerant, reſpuere; nec jam eorum poſſeſſio ſolus eſt Dominus; quoniam mundo per meditationis aſſiduitatem cohærendo, Domino cohærere nequeunt. Mens namque cogitationibus ſuis mundum amplexans, & mundo inhærens, Dominum complexari, & illi inhærere nullo modo prævalet.

Propter quod mirandi Græcorum Principes, quòd reprehendere ſtudeant Domini Sacerdotes à complexu mulierum longè ſe facientes, ut nullâ neceſſitate detineantur à mundo, ſed mundum reſpuentes, liberi poſſint jugiter inhærere Chriſto. Quantum

Digitized by Google

1. Cor. 7. 35.

tum verò conjugale vinculum conferat impedimenti Dominum jugiter obſecrandi, beatus Paulus inſinuat, cum conſequenter dicit: *Porrò ad utilitatem veſtram dico, non ut laqueum vobis injiciam, ſed ad id quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi.* Liquidò namque dicens iſta, demonſtrat uxori ſervientes facultatem nequaquam habere jugiter Dominum obſecrandi, verùm ad tempus tantummodo. Videant igitur iſti nuptiarum cenſores, quales habere velint Sacerdotes; utrum eos qui ſanctimoniæ ſervantes puritatem, facultatem habent ſine impedimento Dominum obſecrandi, ſancti manentes, in ſanctis jugiter habitantes, mundum ſpernentes, cœleſtia contemplantes; vel eos certè qui conjugalibus addicti vinculis, nec in ſanctis continuò valentes habitare, nec mundum ſpernere, nec omni tempore Dominum pro ſibi ſubjectâ plebe deprecari, quamque ſit iſtorum intellectus ab Apoſtolico ſenſu longiſſimè remotus. Ille continentiam perſuadet, iſti Sacerdotum ſanctimoniam (ſine quâ nemo videbit Deum) nuptiarum condemnationem interpretantur; obliti quod ait Apoſtolus: *Hoc ad utilitatem*, inquiens, *veſtram dico*, continentiam perſuadens. Mox autem infirmitati conſulens, inquit: *Non ut laqueum vobis injiciam.* Oſtendit enim quid deſideret: ſed conſiderat quòd unuſquiſque proprium habeat donum à Deo, *alius quidem ſic, alius verò ſic.* Rurſus ad id quod potius eſt exhortans, ſubjungit: *Sed ad id quod honeſtum eſt*; ſubauditur, vos invitans. Honeſtatem, talia dicens, continentiæ præponit nuptiis: non quidem quo nuptias condemnet, ſed evidenter prædicat quòd nuptiæ quidem bonæ ſunt, ſed melior eſt continentia vidualis; ſupereminet autem integritas virginalis.

Non ſunt igitur reprehendendi vel Romani vel Latini, ſi vel Epiſcopos, vel Sacerdotes à maritali thoro ſuſpendunt; quoniam nec Apoſtolus habetur dignus reprehenſione, qui caſtimoniam perſuadens, conjugii fœdus hortatur non agere, quatenùs facultas jugis maneat fidelibus Dominum deprecandi. Etenim qui Dominici corporis & ſanguinis omni tempore debent ſacramenta contingere, quemadmodum valent conjugio deſervire? David namque ad Abimelech Sacerdotem veniens, non antea meruit panes ſacros contingere, quàm ſe pueroſque ſuos à mulierum tactu tertiâ jam die diceret purificatos. Et quis ignorat corporis & ſanguinis Chriſti myſterium fore longè ſublimius panibus, qui per ſingula Sabbata proponebantur ſuper menſam in Templo? Et ſi minimè licebat eos contingere qui non ſanctificati fuiſſent à mulieribus, quemadmodum expediat ſacra contingere Dominica mulieribus deſervientes, & conjugali thoro mancipatos? Quod myſterium Theſſalonicenſis Eccleſia diligenter examinans, Clericos ante clericatum legitimè ductas uxores ſi cognoviſſent, deponendos fore cenſuerunt. Unde mirandum Græcorum principes in Romanis redarguere, quod in Theſſalonicenſibus patienter concedunt. Quòd ſi moderno tempore ſuæ fortaſſis ſuperſtitioni præbuere conſenſum, quolibet modo teneant perſuaſos, noverint tamen majorum talem ſuorum extitiſſe conſuetudinem.

Cœlibatum Clericorum legibus Eccleſiaſticis aſſeri.

Sed veniamus ad Eccleſiaſtica tandem decreta, quo cognoſcamus quid decernere ſuper his maluerint. In Nicæno Concilio ſub Conſtantino Imperatore primo per trecentos octodecim Epiſcopos ſic decernitur: » Interdixit per omnia magna Synodus, non Epiſcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino qui in Clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem; niſi fortè ma-

Ca. 3. ex verſ. Dionyſii Exig.

trem, aut ſororem, aut amitam, vel eas tantùm « perſonas quæ ſuſpiciones effugiunt. « Audiant » hæc Conſtantinopoleos Imperatores, & judicent, an debeant iſti gradus, ſuper quibus hoc capitulo decernitur, matrimonia ſortiri, quibus non licet mulieribus cohabitare, niſi ſolummodo perſonis illis, quas nulla ſuſpicio poſſit commaculare. Nam quiſquis uxorem duxerit, non poteſt præter uxorem alias etiam mulieres in domo non habere, quibus uxoria neceſſitas, & cura domeſtica ſuppleatur. Ubi verò cunctarum interdicitur ſubintroductio fœminarum, præter omninò perſonas quæ careant omni ſuſpicione, manifeſtum eſt quòd interdicatur etiam uxoria pariter copula, quæ nullo modo poteſt fieri ſine reliquarum acceſſione fœminarum.

In concilio Neocæſarienſi ſic ſtatuitur: » Presbyter ſi uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si « verò fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, ampliùs pelli debet, & ad pœnitentiam redigi. « Quod hi canones decernunt, hactenùs & Eccleſia Romana &, omnes Occidentales ſervare ſtuduerunt, ſcientes cunctis eſſe ſervandum, quod patet eſſe religioſum, & divinis cultoribus dignum. Videant Græci, ſi quod ſtatutum eſt, tenere contendunt; quòd ſi faciunt, fruſtrà Romanos redarguunt, quos ſibi pares in Eccleſiaſticis ſervandis Conciliis omnino perſpiciunt. Quòd ſi conſtitutum hoc licenter prævaricantur, Eccleſiaſticarum conſtitutionum rei deprehenduntur: & dum in Oriente fuerit hoc conſtitutum, & nimirum ſervetur ab Orientalibus, quod pro Eccleſiæ diſciplinâ probatur ille ſancitum, mirum cur in Occidentalibus culpare nituntur, quod apud Orientales ſervare non dubitant. Quòd ſi leges Eccleſiaſticas ignorant, quis neſcit fore meritò contemnendos, quos non ſapientiæ gravitas, ſed ignorantiæ levitas ad loquendum propellit.

Ca. 1. ex ejuſdem verſione.

In concilio Carthaginenſi: » Præterea, cum de « quorumdam Clericorum, quamvis ergà uxores « proprias, incontinentiâ referretur; placuit, Epiſ- « copos, & Presbyteros, & Diaconos ſecundùm « priora ſtatuta, etiam ab uxoribus continere. Quod « niſi fecerint, ab Eccleſiaſtico removeantur officio. « Præſenti capitulo non ſolùm præfati gradus uxores ducere prohibentur, verùm à propriis, quas priuſquàm ordinarentur habuere, continere præcipiuntur: quod ſi non fecerint, deponi jubentur. Conſentitur in hoc decreto tam Nicæno quàm Neocæſarienſi Concilio: nam utrumque præcipit presbyteros ab uxoribus arceri. Quâ de re videant Imperiales reprehenſiones, qualiter juſtum ſit contrà decreta majorum presbyteros uxores ducere, quibus inhibetur propriis, quas ante ordinationem duxerant, abſtinere. Quas leges ſi ſervare maluerint, cognoſcant quàm injuſtè Romanos redarguant: quòd ſi noluerint, etiam cum Romanis totius Africæ provinciales Epiſcopos reprehendant, & cum his etiam ſuos Orientales, qui conſtituta majorum ſervantes, Epiſcopos, presbyteros, & diaconos vivere continenter omninò decernunt, niſi ſuorum delegerint forte decretorum tranſgreſſores.

Seu Concil. Africano an. 424. Can. 37.

In Libro conſtitutionum Juſtini Imperatoris ita decernitur capitulo vigeſimo quarto. » Oportet « autem eum qui Epiſcopus fit, neque uxorem ha- « bere, neque concubinam, neque liberos, ſeu le- « gibus incognitos. Et ſi quis contrà hæc fecerit, & « is qui factus eſt, & is qui eum fecit, Epiſcopatûs « expellatur honore. « Videant nunc Græcorum Imperatores, qui Romanos damnare nuptias calumniantur, eo quod non Epiſcopos, non presbyteros, non diaconos, uxores ducere concedunt, quo in loco velint habere ſuas leges, id eſt, à ſuis majori-

Verb. à aliquanto diverſis lex iſta exprimitur Novell. conſt. Coll. 1. tit. 6. Nov. 6. cap. 1.

bus inſtitutas. Ecce Juſtinus Romanorum Imperator legibus decrevit eum qui Epiſcopus futurus ſit, neque uxorem habere, neque concubinam: vos autem è contrario conſtituitis, ut tam Epiſcopi quàm preſbyteri matrimonii jura ſortiantur. Leges à majoribus veſtris conſtitutæ, qui hoc fecerint, gradûs ſui præcipiunt honore privare; vos autem illos, qui non fecerint, culpatis nuptias condemnare, nec in veſtram eos vultis recipere communionem. Apparet igitur tam Eccleſiaſticis legibus, quàm veſtris ſanctionibus vos repugnare: quapropter duplicis reatûs vos culpâ conſtringitis, veluti transgreſſores tam divini & humani juris, quàm Eccleſiaſticæ conſtitutionis.

Juſtinian. ubi ſupra. Novell. 123. cap. 29.

» Preſbyteris autem & diaconis, & aliis in Clero ſcriptis, non habentibus » uxores ſecundùm divinas regulas, interdicimus » & nos mulierem habere in ſuâ domo, exceptâ » matre, & filiâ, & ſorore, & aliis perſonis quæ » omnem querelam effugiunt. Si quis autem adverſùs iſtam obſervationem mulierem in ſuâ domo » habuerit, quæ poteſt ſuſpicionem inferre turpi» tudinis, & ille à Clericis ſuis audierit, quòd cum » tali muliere non debeat habitare, & noluerit eam » ſuâ domo repellere; vel accuſatore emergente pro» batus fuerit inhoneſtè cum tali muliere verſari; » tunc Epiſcopus ſecundùm Eccleſiaſticos canones » Clero eum repellat, curiæ civitatis cujus Clericus » eſt tradendum. « Superior lex ſpecialiter ſuper Epiſcopi perſonâ decreverat, licet pariter preſbyterorum, Diaconorumque perſonas comprehenderit. Quod enim Epiſcopo non conceditur, miniſtris conſequenter altaris, & myſteria Dominici corporis & ſanguinis contrectantibus, pariter interdicitur. Quòd ſi non illic ad liquidum de Preſbyterorum Diaconorumque causâ decernitur, præſens ſanctio dubietatis omnem caliginem removere cognoſcitur, interdicens manifeſtè non ſolùm Preſbyteris, & Diaconibus, ſed etiam Subdiaconis, & aliis quibuſcumque in Clero matrimonium interdicitur, ut in ſuâ domo præter matrem, & eas perſonas quæ ſuſpicione turpitudinis careant, habitare nullo modo permittant; prævaricatores autem ſi convicti fuerint, Clero depelli decernit, & ad ignominiæ pœnam tales curiæ mancipandos eſſe jubet officiis.

Non credimus quòd Eccleſiæ Græcorum talia de preſbyterorum connubiis ſentiant, qualia Conſtantinopolitani principes ſentire comprobantur. Abſit igitur ut adversùs Eccleſiaſtica conſtituta venire præſumant, & ea reprehendere conentur, quæ conſtat ab Eccleſiis ſervata, & jure perpetuo cuſtodita. Quòd ſi poteſtates ſæculi ſua præſumptione talia redarguunt, qualia prohibent & condemnant, & Eccleſiaſticæ leges & humanæ, mirum cur non animadvertunt quòd eorum ſanctionem non ſolùm Occidentalis Eccleſia condemnet, verùm etiam Orientalis non recipiat, niſi fortaſſis tyrannidis crudelitate fatigata quædam pars in Oriente ſuſceptura ſit: ſed terrere debet eos ſententia Domini dicentis: *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis qui in me credunt, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Verùm fixa ſtat ſententia Salvatoris loquentis ad Petrum: *Tu es Petrus; & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.*

Mat. 18. 6.

Ibid. 16. 18.

Ibid. in fine ejuſdem cap.

Item in eodem libro: » Nullus Epiſcopus cum » muliere penitùs habitet: ſin autem probatus fue» rit hoc non obſervaſſe, Epiſcopatûs honore de» jiciatur; quia ipſe ſe indignum Sacerdotio oſten» dit. « Dicant igitur glorioſi principes Græcorum quâ præſumptionis audaciâ freti contrà conſtituta majorum, contrà leges Eccleſiæ, contrà conſuetudinem hactenùs obſervatam venire non verentur, Romanos atque Latinos reprehendentes, quòd Epiſcopis, Presbyteris, Levitis, atque Subdiaconis, uxores ducere non concedunt. Ecce enim imperialibus coarguuntur legibus, quæ cum pro Romanis atque Latinis ſanciant, eos qui contraveniunt proculdubio condemnant. In veteri teſtamento Tabernaculo, ſive Templo deſervientes Levitæ, ſive Presbyteri, uxoribus non appropinquabant, nec ſancta vel ingredi vel contingere præſumebant, niſi ſanctificarentur: & vos dicitis quia Sacerdotes, quibus officium eſt corporis & ſanguinis Domini myſterium quotidie celebrare, nec à ſacris aliquando recedere, quod uxores ducere debeant, nec inter Laïcos & ſacri altaris Miniſtros ullam differentiam conſiſtere. Quòd ſi requiratur à vobis unde nata fuerit opinio talis, non aliam proculdubio monſtrare poteſtis authoritatem, quàm imperitiam atque jactantiam, de quibus levitatis naſci ſolet audacia.

CAPUT VII.

Confirmationis Sacramentum à Preſbyteris conferri poſſe contendunt Græci.

NUnc ad illud veniamus quod objicitur, quia penes Romanos baptizatorum frontes Preſbyteri chriſmate non liniunt. Quod objectum, ſicut & reliqua, magis levitate quàm ratione propoſitum eſt: ſiquidem Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem ſequentes iſta proponunt, non aliquam divinæ legis auctoritatem. Quamvis ut hoc fiat & apud Romanos, & apud Occidentales omnes, tam ex Evangelio, quàm ex Apoſtolorum actis eſſe conſtat aſſumptum.

Hos refellit Auctor.

Conſtat namque Spiritûs ſancti gratiam per unctionem frontis ex chriſmate ab Epiſcopis donari, quod nulli præter Epiſcopos eſſe conceſſum Evangelica teſtatur authoritas. Reſurgens etenim Dominus, & diſcipulis apparens, inſufflavit, & dixit eis: *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Ergo ſi remiſſio peccatorum per Spiritum ſanctum contribuitur, & hoc munus Apoſtolis ſpecialiter conſtat eſſe donatum; jure ſolis Epiſcopis hæc gratia reſervatur, quos in Eccleſia conſtat Apoſtolorum ſucceſſionem, & miniſterium ſortitos. Moyſen quoque legimus in Exodo Aaron & filios ejus in ſacerdotale miniſterium chriſmate ſancto perunxiſſe. Deinde Reges & Sacerdotes oleo ſancto perunctos in veteri Teſtamento per Pontifices exſtitiſſe; quos conſtat geſſiſſe figuram veri Regis atque Pontificis Domini noſtri Jesu Chriſti; cui Pſalmiſta præcinit, dicens: *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.*

Joan. 20. 22.

Exod. 30. 30.

Pſal. 44. 8.

Conſtat autem omnem Eccleſiam corpus eſſe Chriſti, etenim, videlicet Regis & Sacerdotis, unde omnes Chriſtiani genus ſumus Sacerdotale & Regale; propter quod poſt lavacrum ungimur, ut Chriſti nomine cenſeamur; & non niſi per Pontifices, à quibus Reges & Sacerdotes ungebantur in lege. In Actis habes etiam Apoſtolorum: *Quia cum audiſſent Apoſtoli qui erant Hieroſolymis, quia recepit Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Joannem. Qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini* Jesu. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Vide quia primùm baptizati fuerant in nomine ſanctæ Trinitatis, quod eſt in nomine Domini Jesu; ſiquidem totius Trinitatis invocatio in nomine Domini Jesu continetur. Nec tamen adhuc acceperant Spiritum ſanctum. Poſtea verò manus imponentibus ſuper eos Apoſtolis, acceperunt Spiritum ſanctum. Quæ forma ſervatur hodieque in Eccleſiâ, ut baptizentur quidem fide-

Act. 8. 14. & *ſeq.*

les per presbyteros, gratia verò Spiritûs ſancti per impoſitionem manuum tribuatur ab Epiſcopis: quod tunc fit, quando frontes baptizatorum chriſmate ſancto liniuntur ab Epiſcopis.

Act. 19. 1. & ſeq.

Item in eiſdem Actis: *Factum eſt autem cum Apollo eſſet Corinthi; & Paulus peragratis ſuperioribus partibus veniret Epheſum, & inveniret quoſdam diſcipulos; dixit ad eos: Si Spiritum ſanctum accepiſtis credentes? At illi dixerunt ad eum; Sed neque ſi Spiritus ſanctus eſt, audivimus. Ille verò ait; In quo ergo baptizati eſtis? qui dixerunt in Joannis baptiſmate. Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens in eum qui venturus eſſet poſt ipſum ut crederent, hoc eſt in* JESUM. *His auditis baptizati ſunt in nomine Domini* JESU. *Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit ſuper eos Spiritus ſanctus; & loquebantur linguis, & prophetabant.* Et hîc vides quia Paulus non baptizaverit eos, ſed juſſerit baptizari. Baptizatis autem manus Paulus impoſuit; & ita demum venit ſuper eos Spiritus ſanctus. Docemur igitur baptiſmi gratiam per presbyteros poſſe contribui, donum verò Spiritûs ſancti, quod tribuitur per manuum impoſitionem, quando frontes baptizatorum chriſmate ſancto liniuntur, non niſi per Epiſcopos poſſe promereri.

Quî differt ſacerdos ab Epiſcopo.

Et re verâ inter Sacerdotes & Epiſcopos differentia non parva conſiſtit. Sacerdotes namque, ſicut reliqui gradus Eccleſiaſtici, per Epiſcoporum miniſterium conſecrantur; at Epiſcopi non à Sacerdotibus benedicuntur. Ipſi quoque ſanctum chriſma ſanctificant, & oleum conſecrant: omniſque gradus Eccleſiaſticus illorum diſpoſitione peragitur. Quod conſiderantes Eccleſiaſtici viri, ſtatuerunt, ut frontes baptizatorum non à Preſbyteris, ſed ab Epiſcopis chriſmate ſancto linirentur. Sicut de ſancto Silveſtro in geſtis Apoſtolicis legitur, ubi ſic ſcriptum invenitur: »Hic conſtituit, »ut chriſma ab Epiſcopo efficiatur; & privilegium »ſit Epiſcopis, ut baptizatos chriſmate ſancto conſignent, propter hæreticam inſimulationem.« Hinc etiam Innocentius Papa in ſuis Decretalibus hoc modo decernit. « De conſignandis infantibus ma»nifeſtum eſt, non ab alio quàm ab Epiſcopo fieri »licere. Nam Presbyteri, licet ſint Sacerdotes, Pon»tificatûs tamen apicem non habent.« Hoc autem Pontificibus ſolis deberi, ut vel conſignent, vel Paraclitum Spiritum ſanctum tradant, non ſolùm conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verùm illa lectio Actuum Apoſtolorum, quæ aſſerit Petrum & Joannem eſſe directos, qui jam baptizatis tradant Spiritum ſanctum. Nam Presbyteris ſeu extrà Epiſcopum, ſeu præſente Epiſcopo cum baptizant, chriſmate baptizatos ungere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum; non tamen frontem eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis cùm tradunt Spiritum Paraclitum. Hinc omnes Occidentales Epiſcopi majorum ſequentes inſtitutionem ſumſere conſuetudinem, ut frontes baptizatorum chriſmate liniendi non presbyteris concedant, ſed privilegium ſibi reſervent: non autem ipſum chriſma (quod mentiuntur Græci) de fonte conficiunt, ſed ex ſucco balſami, vel olivæ liquore: quod fit non ſolùm à Græcis, verùm ab univerſis Chriſti Eccleſiis.

Lib. Pontificali Damaſi Papæ.

Epiſt. 1. cap. 3.

CAPUT VIII.

Sed criminantur iſtud falsò, ſicut & de agni conſecratione; nec non quod arguunt, Levitas Epiſcopos fieri, presbyterii gradu non priùs accepto; non reputantes quòd in cæteris ſibi demant authoritatem fidei, quandoquidem in iſtis tam evidenter mentiuntur: non verentes quod Spiritus ſanctus loquitur: *Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus.* Et, *Perdet omnes qui loquuntur mendacium.* Et in Salomone: *Falſus teſtis non erit impunitus.* Quòd autem redarguunt Levitam Epiſcopum conſecrari, cur non contrà ſe dictum advertunt, qui de Laïcis ſubitò tonſis faciunt Epiſcopos, contrà regulas Eccleſiaſticas, & Imperialia decreta? Siquidem prohibet Apoſtolus neophytum Epiſcopum fieri. Juſtinus quoque Imperator in Eccleſiaſticis conſtitutionibus, ita decernit: Neque ex laïco ſtatim ad Epiſcopatum aſcendere« licet: neque Clericatûs honorem ſimul habuiſſe« ſufficit. Oportet autem eum qui Epiſcopus fit,« neque uxorem habere, neque concubinam, ne-« que liberos, neque nepotes ſeu legitimos, ſeu« legibus incognitos. Et ſi quis contrà hæc fece-« rit, & is qui factus eſt, & is qui eum fecit,« Epiſcopatûs expellatur honore. Nec liceat pecu-« niæ datione Epiſcopum fieri. Eſſe autem oportet« eum qui Epiſcopus fit vel Monachum, vel Cle-« ricum: ita tamen ut non minùs ſex menſibus ap-« pareat eum in clericatu fuiſſe, &c.« Videmus non ſolùm Eccleſiaſticis, verùm etiam imperialibus obviari conſtitutionibus, ut ex Laïco ſtatim ad Epiſcopatûs honorem aliquis aſſumatur, cum debeat priùs in Eccleſiâ probari, & ſecundùm Eccleſiaſtica conſtituta doceri; quatenùs viâ regiâ per graduum ſucceſſionem conſcendens, dignus inveniatur ſummi culminis apicem obtinere. Verùm Græcorum Imperatores tam divina quàm humana jura tranſgredientes, faciunt ſibi de Laïcis ſubitò tonſis Epiſcopos, & eos qui nondum minimi gradûs honorem digni percipere fuerant, ſummi culminis vertice ſuſtollunt: & talia gerentes non verentur Chriſti Eccleſiam calumniari, falſa pro veris loquentes, pro nihilo ducentes quod Salvator ait in Evangelio: *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Ut pœna mortis in eos vindicet, & fluctibus perditionis abſorbeantur, quos charitas timori ſancto non fecit eſſe ſubjectos.

Pſal. 5. 7. ibid.

Prov. 19. 5

1. Tim. 3. 6.

Novella 6. cap. 1. ſub init.

Mat. 18. 6.

Sed unde talis innata ſit præſumptio, ut Romanam non vereantur Eccleſiam falſis oppetere criminationibus? Nimirum inde, quòd ſui menſuram ignorantes ſtatûs, ambiunt ſibi vindicare principatum, quem nec Chriſtus eis, nec Apoſtoli, nec Eccleſiarum Magiſtri, nec ulla conſuetudo contribuit, ſed illius imitatores effecti, qui dicebat in corde ſuo: *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, & ſuper ſydera cœli exaltabo ſolium meum: ponam ſuper altitudinem montium, & in lateribus Aquilonis ſedem meam. Ero ſimilis altiſſimo.* Quid enim iſti Græcorum Principes aliud altitudine cordis ſui dicunt, qui Eccleſiæ ſibi principatum uſurpant, & Apoſtolorum ſublimitatem (quos Iſaias Propheta nubes volantes appellat) ſibi vindicant: cupientes ſolium ſuæ dignitatis ſuper aſtra cœli componere, id eſt, omni Sanctorum cœtui præferre, & Patriarcharum venerationem uſurpare; quatenùs omni Eccleſiâ ſibi ſubjectâ Chriſto ſimiles efficiantur: cum nulla majorum auctoritas hoc eis contribuat, nec Eccleſiaſtica jura concedant, verùm nec humanæ leges adſcribant? Quæ cuncta ſibi vindicare velle, potiſſimùm comprobant, quòd Patriarcham Conſtantinopolitanum præponere Romano Pontifici geſtiunt, & urbem Conſtantinopolim Romæ præferre conantur, tamquam ſui juris exiſtat leges Eccleſiaſticas immutare, & Regnorum apicem diſponere.

Iſai. v. 13. & 14.

Romano Pontifici Patriarcham Conſtantinopol. præferre conabantur Imperatores.

Meminiſſe tamen debuerant, Chriſtum totius Eccleſiæ caput exiſtere, & ei Patrem per Prophetam dixiſſe: *Dabo tibi gentes hereditatem tuam; & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* (*Pſal. 2. 8.*) Ipſumque fore lapidem abſciſſum de monte ſine manibus, qui confregerit, & in pulverem redegerit univerſa regna mundi. Ipſumque Petro dixiſſe: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et tibi dabo claves Regni cœlorum.* (*Mat. 16. 18.*) Paulum quoque teſtificantem: *Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes.* (*Galat. 2. 8.*) Quos ambos in Eccleſiæ principatum à Chriſto poſitos, & Romæ directos, cùm Eccleſiaſtica veritas, tùm ipſius paſſionis monſtrat auctoritas. Illuc namque ambo principes ſunt directi, ubi principatus eminebat mundi: quatenùs Romana civitas, ſicut imperiali potentiâ totum ſibi ſubjecerat orbem, ſic Religionis culmine, & Apoſtolatûs dignitate, totius mundi Regnis præſideret. Et ſicut voluit Salvator Hieroſolymam nativitate ſuâ, doctrinâ, miraculis, morte, ſepulturâ, reſurrectioneque reddere ſublimem, ſic etiam delegit Romanam urbem Apoſtolorum Principum ſanguine, ſepulcro, memoriâ, doctrinâ, reddere glorioſam: ut quoniam Chriſtus Hieruſalem cœleſtis in dextrâ Patris conſidens, Rex & Dominus honoratur Angelorum & Sanctorum omnium famulatu; ſic Petrus & Paulus Hieruſalem peregrinantis obtineat principatum, ſubjectis ſibi per totius orbis latitudinem Chriſti Eccleſiis.

Eccleſia Romana dignitate omnes alias præcellit.

Hoc ita fore & antiquitas ipſa comprobat, & litterarum monumenta conſitentur. Siquidem Socrates in hiſtoria Eccleſiaſticâ ſcribens de Arrianis, qui in Antiochia Syriæ ſynodum collegerant ad ſubverſionem, atque deſtructionem Nicæni concilii, & condemnationem Athanaſii; poſtquàm commemoraverat Præſules, quorum auctoritate ſynodus collecta fuerat, ſubjunxit: » Sed neque Julius interfuit maximæ Romæ Præſul, neque in locum ſuum aliquem » deſtinavit; cum utique regula Eccleſiaſtica jubeat » non oportere præter ſententiam Romani Pontificis » Concilia celebrari. « Ecce fuit hic Græcus Hiſtoriographus, nec tamen Conſtantinopolim dicit tantâ pollere auctoritate veluti Romam; teſtificans ſine Romani Pontificis vel aſſenſu vel juſſione nulla poſſe Concilia celebrari.

Socrates lib. 2. cap. 13. med. ſed aliis verbis ſenſum exprimit.

In concilio Sardicenſi tali modo ſancitur: » Placuit, ut ſi Epiſcopus accuſatus fuerit, & omnes » judicaverint congregati Epiſcopi regionis ipſius, & » de gradu ſuo eum dejecerint: ſi appellaverit qui » dejectus videtur, & confugerit ad beatiſſimum » Eccleſiæ Romanæ Epiſcopum, & voluerit ſe audiri: ſi juſtum putaverit, ut renovetur examen, » ſcribere Epiſcopis dignetur Romanus Epiſcopus his » qui in finitimâ & propinqua alterâ provincia ſunt, » ut ipſi diligenter omnia requirant, ut juxtà fidem » veritatis omnia definiant. Quòd ſi is qui rogat » cauſam ſuam iterum audiri, deprecatione ſua moverit Epiſcopum Romanum, ut è latere ſuo Preſbyteros mittat, erit in poteſtate ipſius quid velit » & quid æſtimet. Et ſi decreverit mittendos eſſe » qui præſentes cum Epiſcopis judicent, ut habeant » etiam auctoritatem perſonæ illius à quo deſtinati » ſunt, erit in ejus arbitrio. Si verò crediderit ſufficere Epiſcopos provinciales, ut negotio terminum imponant, faciat quod ſapientiſſimo conſilio » ſuo judicaverit. « Hoc Concilium ab Orientalibus Epiſcopis in Aſiæ provinciâ q geſtum, taliter de Romani Pontificis dignitate decrevit ſub Romano Imperatore Conſtantino Magno, qui civitatem Conſtantinopolim ædificavit, voluitque Juniorem Romam vocitari. Num de Conſtantinopolitano Patriarcha tale quid ab Epiſcopis legitur conſtitutum? Cernimus omninò Romani Pontificis auctoritatem ſuper cunctas Eccleſias Chriſti præeminere, ut omnes Epiſcopi illum habeant Caput, & ad ejus judicium pendeat quidquid in Eccleſiaſticis negotiis diſponitur; ut ex ejus arbitrio vel maneat conſtitutum, vel corrigatur erratum, vel ſanciatur quodcumque fuerit innovandum.

Cap. 7. ex interpretatione Dionyſii Exigui.

Teſtatur & hoc Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus, qui in hiſtoriâ de Vitâ Silveſtri ſic ait: » Quartâ » die Imperator Conſtantinus privilegium Eccleſiæ » Romanæ Pontifici contulit, uti toto orbe Romano Sacerdotes ita hunc Caput habeant, ut judices » Regem. « Quæ res ex Conciliorum geſtis approbatur: ſiquidem omne Concilium vel quod in Oriente, vel quod in Affricâ geſtum eſſe dignoſcitur, vel Romani Pontificis vicarios ſemper habuit præſidentes, vel ejus auctoritate litterarum, quæ fuerunt decreta firmitudinem acceperunt. Siquidem Concilium Nicænum, omnibus Chriſti Eccleſiis venerandum, Victorem & Vincentium Preſbyteros urbis Romæ, Romani Pontificis vicem agentes, in Epiſcoporum ſubſcriptione primos poſuêre ſtatim poſt Oſium Epiſcopum civitatis Cordubenſis provinciæ Hiſpaniæ, qui fuerat illuc à Romano Pontifice directus, quoniam ipſe venire ſenectute præpediente non valuerat. Sic reliqua Concilia primo in loco ſemper habuêre Romanos Pontifices, vel eorum Legatos, tamquam Apoſtolorum vicarios. Et re verâ omnes Orientales Eccleſiæ, ſimul & Occidentales, Romanæ civitatis Præſulem ſemper quaſi Caput Epiſcoporum venerati ſunt, & ad ejus ſententiam reſpexerunt, & de rebus dubiis quæcumque decrevit ejus judicium ſuſtinuerunt, illiuſque decreto paruerunt. Quæcumque Concilia ejus ſententiâ roborata ſunt, rata manſerunt; quæ verò damnavit, pro nihilo reputata fuerunt, nec auctoritatem ullam habere potuerunt.

Vita MS. ſuprà citata.

Quæ licet antiquorum monumentis Patrum vera eſſe quæ dicimus approbentur, unius tamen Romani Pontificis placet litteris oſtendere quæ loquimur. Nam cum Flavianus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, qui Eutychen Archimandritam Conſtantinopolitanum malè de Incarnatione Dominicâ ſentientem damnaverat, ipſe quoque fuiſſet à ſynodo, quæ Epheſi collecta eſt, contrà regulas Eccleſiaſticas damnatus, Romanum hac de causâ Leonem Pontificem interpellaſſet, ſcripſit Theodoſio Imperatori ſynodum retractandam, & ea quæ pravè conſtituta fuerant caſſanda. Quod cum ſub Theodoſio Imperatore fieri non potuit, morte præveniente, ſub Principibus Valentiniano & Marciano, qui Theodoſio Patri ſucceſſerant, actum eſt. Quorum literæ ad Leonem venerabilem Epiſcopum Romanæ urbis miſſæ, taliter habentur: » Victores Valentinianus & Mar- » cianus, glorioſi Triumphatores, ſemper Auguſti, » Leoni Reverendiſſimo Archiepiſcopo glorioſæ ci- » vitatis Romæ. Ad hoc maximum Imperium ve- » nimus Dei providentiâ, & Senatûs excellentiſſimi, » cunctæque militiæ. Unde pro reverendâ & Ca- » tholicâ Religione Chriſtianorum fidei, cujus au- » xiliis virtutem noſtræ potentiæ confidimus guber- » nari, tuam ſanctitatem principatum in Epiſco- » patu divinæ fidei poſſidentem, ſacris litteris in » principio juſtum credimus alloquendam, invitan- » tes atque rogantes, ut pro firmitate & ſtatu noſtri » imperii, æternam divinitatem tua ſanctitas de- » precetur, ut & tale propoſitum & deſiderium ha- »

Ante Concil. Calchedon. epiſt. 33.

q. *in Aſia provinciâ*] Nequaquam, ſed in Illyrico: Ratramnus Sardicam, ſive Serdicam cum Sardibus confudit.

» beamus, quatenùs omni impio errore ſublato per celebrandam ſynodum, Te auctore, maxima pax circà omnes Epiſcopos fidei catholicæ fiat. « Item in ſecundâ, poſt ſalutationem & præfationis alloquutionem ſcribitur ſic: » Superest, ut ſi placuerit tuæ Beatitudini his partibus advenire, & ſynodum celebrare, hoc facere Religionis affectu dignetur; noſtris utique deſideriis veſtra ſanctitas ſatisfaciet, & ſacræ Religioni quæ utilia ſunt, decernat. Si verò hoc onerosum eſt, ut tu ad has partes advenias, hoc ipſum nobis propriis tua ſanctitas litteris manifeſtet; quatenùs in omnem Orientem, & in ipſam Thraciam, & Illyricum; ſacræ veſtræ litteræ dirigantur; ut ad quemdam definitum locum omnes ſanctiſſimi Epiſcopi debeant convenire; & quæ Chriſtianorum religioni atque Catholicæ fidei proſint, ſicut ſanctitas tua ſecundùm Eccleſiaſticas regulas definierit, ſuâ diſpoſitione declarent. « His litteris Romanorum Imperatorum non oſtenditur, quòd Patriarcha Conſtantinopolitanus Romano Pontifici prælatus habeatur; verùm quòd Romanus Pontifex principatum obtineat Epiſcoporum, cujus arbitrio debeat colligi ſynodus, & quæ ſunt tractanda per ejus diſpoſitionem debeant ordinari.

Ibid. epiſt. 34.

Teſtantur etiam litteræ Valentiniani Imperatoris ad Theodoſium Patrem Auguſtum, quam dignitatem, atque honorem Romanus Pontifex ſuper omnes Epiſcopos debeat obtinere: quæ ita ſe habere noſcuntur: » Domino Theodoſio, glorioſiſſimo, victori, ac triumphatori præcellentiſſimo Imperatori & Patri, Valentinianus victor glorioſus, ac triumphator, ſemper Auguſtus & filius. Cum veniſſem in urbem Romam ob divinitatem placandam, ſequenti die ad Baſilicam Apoſtoli Petri proceſſi, & illic poſt venerabilem noctem diei Apoſtoli, & à Romano Epiſcopo, & ab aliis cum eo ex diverſis provinciis congregatis, rogatus ſum ſcribere veſtræ manſuetudini de fide, quæ cum ſit conſervatrix omnium fidelium animarum, dicitur perturbata: quam nos à noſtris majoribus traditam debemus cum omni competenti devotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis beato Apoſtolo Petro intemeratam noſtris temporibus conſervare, quatenùs Beatiſſimus Romanæ civitatis Epiſcopus, cui principatum Sacerdotii ſuper omnes antiquitas contulit, locum habeat & facultatem de fide & Sacerdotibus judicare, Domine ſacratiſſime Pater, & Venerabilis Imperator: hac enim gratiâ, ſecundùm ſolemnitatem Conciliorum & Conſtantinopolitanus Epiſcopus eum per libellos appellavit, propter contentionem quæ orta eſt de fide. « Galla quoque Placidia, mater Auguſti, literas eâdem pro re filio dirigens Auguſto, inter cætera ſic ait: » Non modicum detrimentum eſt ex his quæ geſta ſunt; ut fides, quæ tantis temporibus regulanter cuſtodita eſt à ſacratiſſimo Patre noſtro Conſtantino (qui primus imperio ſplenduit Chriſtianus) nuper turbata ſit, ad arbitrium unius hominis, qui in ſynodo Epheſinæ civitatis odium & contentiones potiùs exercuiſſe narratur, militum præſentiâ & metu appetens Conſtantinopolitanæ civitatis Epiſcopum Flavianum, eo quod libellum ad Apoſtolicam ſedem miſerit per eos qui directi fuerant in concilium à Reverendiſſimo Epiſcopo Romæ, qui ſecundùm definitiones Nicæni Concilii conſueti ſunt intereſſe, Domine ſanctiſſime fili, Venerabilis Imperator. Hac itaque gratiâ, tua manſuetudo tantis turbis reſiſtens, veritatem immaculatam Catholicæ fidei ſervari præcipiat, & ſecundùm formam & definitionem Apoſtolicæ ſedis, quam etiam nos tam quam præcellentem ſimiliter veneramur, in ſtatu ſacerdotii illæſo manente per omnia Flaviano, ad Concilii & Apoſtolicæ ſedis judicium tranſmittat; in quâ primus ille, qui cœleſtes claves dignus fuit accipere, principatum Epiſcopatûs ordinavit. Decet itaque nos huic maximæ civitati; quæ Domina omnium eſt, in omnibus reverentiam conſervare: Diligentiùs autem hoc providete, ne quod priſcis temporibus noſtra generatio cuſtodivit, ſub nobis imminui videatur, & per præſens exemplum ſchiſmata generentur inter Epiſcopos, ac ſanctas Eccleſias. « Apparet igitur ex his Romanum Pontificem nunquam fuiſſe ſubjectum Patriarchæ Conſtantinopolitano, quin potiùs ubi neceſſitas poſtulavit, eum Apoſtolicam ſedem expetiiſſe, & ſecundùm ejus judicium ſuam terminum habere cauſam popoſciſſe; quandoquidem ſit Romana civitas omnibus imperii Romani civitatibus honorabilior, & Romanus Pontifex principatum obtineat Sacerdotii ſuper omnes Epiſcopos; ut pote cum ſit civitas hæc domina omnium, & illi civitati quiſquis præfuerit Epiſcopus, ex antiquitatis conſtitutione princeps omnium habeatur Eccleſiarum.

Ibid. epiſt. 25.

Ibidem epiſt. 26. poſt init.

Hac igitur authoritate Leo venerabilis Romanæ civitatis Epiſcopus fretus, ſcripſit Anatolio Epiſcopo Conſtantinopolitano, quam formam concilii tenere debuiſſet, damnando Neſtorium, & Eutychen, ita ſcribens: » Licet ſperem dilectionem tuam ad omne opus eſſe devotam, ut tamen efficacior tua fieri poſſit induſtria, neceſſarium & commodum fuit, fratres meos Licentium Epiſcopum & Baſilium Preſbyterum (ut promiſimus) deſtinare, quibus tua dilectio ſocietur, ut nihil in his quæ ad univerſalis Eccleſiæ ſtatum pertinent, aut dubiè agatur aut ſegniter: cum reſidentibus vobis, quibus exequutionem noſtræ diſpoſitionis injunximus, ea poſſint agi cuncta cum moderatione; ut nec benevolentiæ partes, nec juſtitiæ negligantur, ſed abſque perſonarum acceptione divinum in omnibus judicium cogitetur. « Et nonnullis interpoſitis: » Et quia Evangelica & Apoſtolica fides omnes expugnat errores, & ab uno latere Neſtorium dejicit, ab alio Eutychen & participes ejus elidit, hanc regulam mementote ſervandam; ut quicumque in illâ ſynodo, quæ nomen ſynodi nec habere poterit, nec meretur, & in quâ malevolentiam ſuam Dioſcorus, induſtriam autem Juvenalis oſtendit, ſatisfactioni eorum pax fraterna præſtetur: ..... ita ut non dubiis profeſſionibus Eutychen cum ſuo dogmate, & cum conſortibus ſuis, anathematis conſecratione condemnent. De his autem, qui in hac cauſâ graviùs peccaverunt, & ob hoc ſuperiorem ſibi locum in eâdem infelici ſynodo vindicarunt, ut humilium fratrum ſimplicitatem arrogantiæ præjudiciis aggravarent: ſi forte reſipiſcant, & facti ſui defenſionem caſſantes in condemnationem proprii convertuntur erroris, horum ſatisfactio talis accedat, quæ non refutanda videatur, ſed maturioribus Apoſtolicæ ſedis conſiliis reſervetur; ut examinatis omnibus atque perpenſis, ipſis eorum agnitionibus, quid conſtitui debeat, æſtimetur. Neque priùs in Eccleſiâ, cui te Dominus voluit præſidere, cujuſquam talium (ut ad te jam ſcripſimus) nomen ad altare recitetur, quàm quid de eis conſtitui debeat, rerum proceſſus oſtendat. « Et poſt pauca: » Annitere itaque, Frater cariſſime, ut quæ Eccleſiæ Dei congruunt, fideliter & efficaciter cum his fratribus conſtanter, quos idoneos authores elegimus, exequaris. « Monſtratur his litteris Romanum Pontificem præeſſe Patriarchæ Conſtantinopolitano, cui

Leonis Papæ epiſt. 45.

vices ſuas in ſynodo habendas committit : cuique de ſingulis qualiter exequatur, præſcribit ; & quid ſuo judicio reſervandum ſit, indicit ; quid verò ipſe determinare debeat, definit ; nec tamen ſolus poteſtatem habere judicandi permittitur, verùm ſocius illis, qui fuerant ab Apoſtolicâ ſede directi, ſuper determinandis negotiis adhibetur.

Scribit etiam idem beatus Leo Epiſcopus ſanctæ ſynodo Chalcedonenſi conſtitutæ, pro condemnandâ Epheſinâ ſynodo ſecundâ, in quâ fuerat Patriarcha Conſtantinopolitanus venerabilis Flavianus non juſtitiâ, ſed violentiâ condemnatus. Cujus iſta ſunt verba, ſalutatione præmiſſâ. « Optaveram quidem, dilectiſſimi, pro noſtra charitate Collegii, omnes Domini Sacerdotes in unâ Catholicæ fidei devotione perſiſtere, nec quemquam gratiâ aut formidine ſæcularium Sacerdotem depravari, aut à viâ veritatis abſcedere. Sed quia multa ſæpe quæ pœnitudinem poſſint generare, proveniunt, & ſuperat culpas delinquentium miſericordia Dei, atque ideo ſuſpenditur ultio, ut poſſit locum habere correctio ; amplectendum eſt clementiſſimi Principis plenum religione conſilium, quo ſanctam fraternitatem veſtram ad deſtruendas inſidias diaboli, & ad reformandam Eccleſiaſticam pacem maluit convenire, beatiſſimi Apoſtoli Petri Sedis jure & honore ſervato, adeo ut nos quoque ad hoc ut ſuis litteris invitaret, ut venerabili ſynodo noſtram ſententiam præberemus : quod quidem nec neceſſitas temporis, nec ulla poterat conſuetudo permittere : tamen in his fratribus, hoc eſt, Paſcaſino & Lucentio Epiſcopis, Bonifacio & Baſilio Preſbyteris, qui ab Apoſtolicâ ſede directi ſunt, me ſynodo veſtrâ fraternitas æſtimet præſidere, nec ſejunctam à vobis præſentiam meam, qui nunc in vicariis meis adſum, etiam dudum in fidei Catholicæ prædicatione non deſum. » Et poſt alia : « Quia verò non ignoramus, per pravas æmulationes multarum Eccleſiarum ſtatum fuiſſe turbatum, pluriſmoſque fratres, quia hæreſim non receperunt, ſedibus ſuis pulſos, & in exilia deportatos, atque in locum ſuperſtitum alios inſtitutos ; his primitùs vulneribus adhibeatur medicina juſtitiæ ; nec quiſquam ita careat proprius, ut alter utatur alienis : cum ſi, ut cupimus, errorem omnes relinquunt, nemini quidem honor perire debeat, ſed illis qui prò fide laboraverunt, cum omni privilegio oporteat eis proprium reformare. Prioris autem Epheſinæ ſynodi, cui ſanctæ memoriæ Cyrillus Epiſcopus tunc præſedit, contrà Neſtorium ſpecialiter ſtatuta permaneant : ne tunc damnata impietas demum ſibi in aliquo blandiatur, quâ Eutyches juſtâ execratione percellitur. Puritas enim fidei atque doctrina, quam eodem, quo ſancti Patres noſtri, ſpiritu prædicamus, & Neſtorianam & Eutychianam cum ſuis Auctoribus condemnat pariter & perſequitur pravitatem. »

Ibid. epiſt. 40.

Advertimus certè Romanæ ſedis Pontificem nec ſupponi, nec conferri, ſed præferri Conſtantinopolitano Patriarchæ ; quandoquidem Chalcedonenſem ſynodum videamus ejus permiſſione fuiſſe collectam : cuique præſidere maluit per ſuos Legatos ; cuique etiam formam dedit propriis litteris quid de ſecundâ ſynodo Epheſi collectâ foret ſtatuendum : quid quoque de his qui fuerant in eâ propter fidei veritatem ſedibus propriis expulſi, & in exilia deportati ; nec non & ex iis qui minus atque terroribus compulſi contrà fidem judicium protulerunt, atque conſenſerunt, ſi reverti ab errore mallent, & veritatem fidei profiteri : ſynodum quoque primam Epheſinam per beatum Cyrillum Alexandrinum Epiſcopum factam ſtatuit omnibus modis ſervandam, condemnans tam Neſtorium quàm Eutychen de Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti pravè ſentientes. Quibus omnibus evidenter inſtruimur, non ſolùm Conſtantinopolitano, verùm cunctis Orientalibus Epiſcopis Romanum Pontificem honore prælatum, veluti qui cunctorum ſollicitudinem plenam habere debeat Epiſcoporum, & cui ſpecialiter incumbat pro cunctis Eccleſiis pervigil ſollicitudo.

Ut autem evidentiùs appareat quanto Romanus Epiſcopus honore præcellat ſuprà cunctos qui per Orientem habentur Epiſcopos, ex epiſtolâ beati Leonis Epiſcopi urbis Romæ, Anaſtaſio Epiſcopo Theſſalonicenſi directa, placuit oſtendere ; cui ſalutatione præmiſſâ ſic loquitur : « Quanta fraternitati tuæ à beatiſſimi Petri Apoſtoli auctoritate commiſſa ſint, & qualia etiam noſtro tibi favore ſint credita, ſi verâ ratione perſpiceres, & juſto examine ponderares, multum poſſemus de injunctæ tibi ſollicitudinis devotione gaudere : quoniam ſicut prædeceſſores mei præceſſoribus tuis, ita ego dilectioni tuæ priorum ſequutus exemplum, vices mei moderaminis delegavi ; ut curam quam univerſis Eccleſiis principaliter ex divinâ inſtitutione debemus, imitator noſtræ manſuetudinis effectus adjuvares, & longinquis à nobis Provinciis præſentiam quodammodo noſtræ viſitationis impenderes. Si quidem continenti oportunoque proſpectu promptum tibi eſſet agnoſcere, quid in quibuſque rebus vel tuo ſtudio componeres, vel noſtro judicio reſervares. Nam cum majora negotia & difficiliores cauſarum exitus liberum tibi eſſet ſub noſtrâ ſententiæ exſpectatione ſuſpendere, nec ratio tibi nec neceſſitas fuit, in id quod menſuram tui excederet, deviandi : abundant enim apud te monitorum ſcripta noſtrorum, quibus te de omnium actionum temperantiâ frequenter inſtruximus ; ut commendatas tibi Chriſti Eccleſias per exhortationem charitatis ad ſalubritatem obedientiæ provocares : » Et poſt alia iſtiuſmodi redargutionibus conqueſta, iterum infert : « Et dum dominari magis quàm conſulere ſubditis quærant, placet honor, inflat ſuperbia, & quod proviſum eſt ad concordiam, tendit ad noxam. Quod ut neceſſe habeamus ita dicere, non de parvo animi dolore procedit : meipſum enim quodammodo trahi in culpam ſentio, cum te à traditis tibi regulis immodicè diſceſſiſſe cognoſco. Qui ſi tuæ exiſtimationis parum diligens erâs, meæ ſaltem famæ parcere debuiſti ; ne quæ tuo tantùm facta ſunt animo, noſtro viderentur facta judicio. Relegat fraternitas tua paginas noſtras, omniaque ad tuos miſſa majores Apoſtolicæ ſedis præſulum ſcripta decurrat, & vel à me, vel à præceſſoribus meis inveniet ordinatum, quod à te cognovimus eſſe præſumptum. Venit namque ad nos cum Epiſcopis Provinciæ ſuæ frater noſter Atticus, veteris Epiri Metropolitanus Antiſtes, & de indigniſſimâ afflictione quam pertulit, lacrymabili actione conqueſtus eſt coram aſtantibus Diaconibus tuis, qui querelis flebilibus ejus nihil contrà referendo, ea quæ nobis ingerebantur fide non carere monſtrabant. Legebatur quoque in litteris tuis, quas iidem ad me Diaconi tui detulerunt, quòd frater Atticus Theſſalonicam veniſſet. »

Leonis Papæ epiſt. 84.

Ibidem.

Et poſt alia : « Unde deplorationibus ſupradicti verba epiſtolæ tuæ teſtimonium præbuerunt, & per hoc, quod non eſt tacitum, nudatum eſt illud quod ſilentio fuerat adopertum : aditam ſcilicet Illyrici præfecturam, & ſublimiſſimam inter mundanos apices poteſtatem in exhibitionem inſontis

Ibidem.

Digitized by Google

» Antiſtitis excitatam, ut miſsâ exequutione terribili, quæ omnia ſibi officia publica ad effectum præceptionis adjungeret, à ſacris Eccleſiæ adytis, nullo vel falſo inſimulatus crimine extraheretur Sacerdos, cui non ob moleſtiam ægritudinis, non ob ſævitiam hyemis darentur induciæ, ſed iter aſperum & periculis plenum per invias nives agere cogeretur. Qod tanti laboris, tantique diſcriminis fuit, ut ex his qui Epiſcopum comitati ſunt quidam defeciſſe dicantur. Multum ſtupeo, Frater cariſſime, ſed & plurimùm doleo, quòd in eum (de quo nihil ampliùs indicaveras, quàm quòd evocatus adeſſe differret, & excuſationem infirmitatis obtenderet) tam atrociter & tam vehementer potueris commoveri; præſertim cum ſi tale aliquid mereretur, exſpectandum tibi fuerat quid ad tua conſulta reſcriberem. Sed ut video benè de meis moribus æſtimaſti, & quàm civilia pro conſervandâ Sacerdotali concordiâ reſponſurus eſſent veriſſimè prævidiſti, & ideo motus tuos exequi ſine dilatione properaſti, ne cum moderationis noſtræ aliud diſponentia ſcripta ſumſiſſes, faciendi id quod factum eſt licentiam non haberes. An forte aliquid tibi facinus fratris innotuerat, & Metropolitanum Epiſcopum novi apud te criminis pondus urgebat? At hoc quidem alienum ab illo eſſe, etiam tu nihil ei objiciendo confirmas; ſed etiam ſi quid grave intolerandumque committeret, noſtra erat exſpectanda cenſura; ut nihil priùs ipſe decerneres, quàm quid nobis placeret, agnoſceres. Vices enim noſtras ita tuæ credidimus charitati, ut in partem ſis vocatus ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis. Unde ſicut multum nos ea quæ à te piè ſunt curata, lætificant; ita nimiùm ea quæ perperam ſont geſta, contriſtant. Et neceſſe eſt, poſt multarum experimenta cauſarum ſollicitiùs proſpici, & diligentiùs præcaveri; quatenùs per Spiritum charitatis & pacis omnis materia ſcandalorum de Eccleſiis Domini, quas tibi commendavimus, auferatur, præeminente quidem in illis Provinciis Epiſcopatûs tui faſtigio, ſed amputato totius uſurpationis exceſſu. Igitur ſecundùm Sanctorum Patrum canones, Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ conſecratos, Metropolitanos ſingularum Provinciarum Epiſcopos, quibus ex delegatione noſtrâ fraternitatis tuæ cura prætenditur, jus traditæ ſibi antiquitùs dignitatis intemeratum habere decernimus; ita ut à regulis præſtitutis, nullâ aut negligentiâ, aut præſumtione diſcedant. « & cætera quæ ſtatuit Theſſalonicenſi Epiſcopo in Eccleſiaſticis negotiis conſervanda.

Quibus videmus nequaquam Conſtantinopolitanum Epiſcopum Eccleſiis Chriſti, niſi tantùm ſuæ Diœceſios, eſſe prælatum, ſed Romano Pontifici hujus ſollicitudinis curam antiquitùs eſſe commiſſam, ad quem omnes Eccleſiæ Chriſti reſpiciant; & cujus ſit officii de ſingulis Eccleſiaſticis rationibus diſponere, eamque tenere ſingulas Provincias Eccleſiaſticarum cauſarum formam, quam Pontifex Romanus vel conſtituerit, vel conceſſerit; quod approbant Pontificum decreta Romanorum, omnibus Chriſti Eccleſiis tam per Orientem quàm per Occidentem poſitis directa, quæ veluti leges Eccleſiaſticorum negotiorum & obſervantur ab omnibus & ſuſpiciuntur Eccleſiis. Quis autem ferat ut Conſtantinopolitanus Patriarcha cunctis Chriſti præferatur Eccleſiis, quod nec antiquitas ei contulit, nec ulla decreta majorum conſtituunt, nec rationis habetur vel Eccleſiaſticæ vel humanæ jure firmatum: niſi forte putant Græcorum Imperatores moderni, non illi Romanorum, quorum Imperium totius orbis Provincias diſponebat, hoc ſibi licere, quod illis non licuit: & Eccleſiam Romanam, quam illi tamquam matrem venerati ſunt, pro libito ſuo diſponere, & authoritatem quam beato Petro tam Chriſtus, quàm omnis Eccleſia, totiuſque mundi principatus contulit, immutare poſſe; quandoquidem civitatem Romam, quæ cunctarum Principatum Eccleſiarum obtinet, ab imperio ſuo vident remotam, & omnem Occidentem ſibi ſublatum, Affricamque, & Orientem penè cunctum, præter pauciſſimas Europæ, Aſiæque Provincias, & paucarum ambitus inſularum.

Quam autem reverentiam Conſtantinopolitanus Pontifex obtinere debeat, non ſuo merito, ſed quia ſecunda vocitata ſit Roma, teſtatur Juſtiniani pragmaticum Imperatoris, quod ita fertur: » Papa Romanus prior omnibus Epiſcopis & Patriarchis ſedeat, & poſt illum Conſtantinopolitanæ civitatis Archiepiſcopus. « Non hic præfertur neque confertur Papæ Romano, ſed ſupponitur Patriarcha Conſtantinopolitanus. Conſiderandum quoque, quòd honor ſedis illi contribuitur, poteſtatis autem culmen nullatenùs confertur. Item in hiſtoriâ Socratis ſic ſcribitur: » Tunc etiam regulam protulerunt, (nimirum Epiſcopi qui Nectarium Conſtantinopoli conſtituerunt ut eſſet Epiſcopus), ut Conſtantinopolitanus Epiſcopus haberet honoris privilegia poſt Pontificem Romanum, eo quod ſit nova Roma. « Sed neque poteſtatis hic privilegia donantur illi, quæ Pontifici manere Romano comprobantur. Unde igitur authoritatem Græcorum Principes accipiunt, ut Conſtantinopolitanum Epiſcopum omnibus Eccleſiis præferant? Antiquitas eis nulla ſuffragatur, ſynodorum decreta nulla, Imperatorum pragmatica nulla, quæ licet etſi aliqua monſtrarentur, authoritatis pondus obtinere nequirent ſine Romani Pontificis aſtipulatione: cujus tantæ manet antiquitate tribuente poteſtatis jus, ut ſine permiſſionis illius authoritate nec Conſtantinopolis, nec ulla civitas Orientalis vel Occidentalis obtinere privilegia valeat poteſtatis, niſi quæ fuerant à Romano Pontifice vel conceſſa vel roborata: ipſi verò maneat poteſtas atque ſollicitudo omnium Eccleſiarum, concedendi, vel diſponendi quæcumque Eccleſiaſticis utilitatibus ſecundùm Eccleſiaſticas regulas probata fuerint deſervire. Quod multis approbatur ſcripturarum monimentis, per univerſas Eccleſias à Romano Pontifice deſtinatis.

Novel. 131. cap. 2.

Lib. 5. cap. 8.

Unde Acacius Epiſcopus Conſtantinopolitanus ad Simplicium Epiſcopum urbis Romæ ſcribens, ſic ait: » Domino ſancto Patri Archiepiſcopo Simplicio Acacius. Sollicitudinem omnium Eccleſiarum ſecundùm Apoſtolum circumferentes, nos indeſinenter hortamini, quamvis ſponte vigilantes & præcurrentes; ſed vos divino zelo ſollicitos demonſtratis, ſtatum Alexandrinæ Eccleſiæ certiùs requirentes, ut pro paternis canonibus ſuſcipiatis laborem, piiſſimo ſtillantes ſudore pro his, ſicut ſemper eſt approbatum, « & reliqua. Cognoſcimus quòd Acacius Pontifex Conſtantinopolitanus Romanum Pontificem teſtatur omnium Eccleſiarum ſecundùm Apoſtolum ſollicitudinem circumferentem, & hanc ei ſemper adeſſe ex antiquitate ſuperimpoſitam: quod dicens, ſibi nullo modo contribuit omnium Eccleſiarum procurationem: novit enim hoc à ſuo longè remotum officio, nec uſurpare ſibi præſumit, à quo ſe procul abeſſe non ignorat. Cui Acacio, cum contra regulas Eccleſiaſticas deprehenſus fuiſſet egiſſe, quod ſibi nulla ratio juſta facere conceſſiſſet, Felix Epiſcopus Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ urbis Romæ, ſic ſcribit: » Multarum tranſgreſſionum repertus ob-

Inter Concilia post ep. ſt. 8. Simplicii.

Epiſt. 6. init. » noxius, & in venerabilis concilii Nicæni contumeliâ ſæpe verſatus, alienarum tibi Provinciarum » jura temerariè vindicaſti. Hæreticos & perverſores, atque ab hæreticis ordinatos, & quos ipſe » damnaveras, atque ab Apoſtolicâ Sede petiiſti damnari, non modo communioni tuæ recipiendos putaſti; verùm etiam Eccleſiis aliis, quod nec de Catholicis fieri poterat, præſidere feciſti, atque honoribus, quod non merebantur, auxiſti. « Et cum multa de tranſgreſſionibus illius ſcripſiſſet, in concluſione ſic intulit: » Habe ergo cum his quos libenter amplecteris, portionem, & ſententiâ præſenti, quam per tuæ tibi direximus Eccleſiæ Defenſorem, ſacerdotali honore, & communione » Catholicâ, nec non etiam à fidelium numero ſegregatus, ſublatum tibi nomen & munus miniſterii Sacerdotalis agnoſce, Spiritûs ſancti judicio, & » Apoſtolicâ per nos auctoritate damnatus, nec jam » anathematis vinculis exuendus. « Num modo convincitur Romanus Pontifex Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubjectus, per quem de ſuis tranſgreſſionibus non leviter redarguitur, & anathematis ſententiâ condemnatur? Immenſum fiet ſi cuncta congeſſerimus, quibus Romanus Pontifex approbatur Conſtantinopolitano Pontifici fore prælatus. Sed ſufficiant quæ poſita ſunt, quibus evidenter oſtenſum eſt, Conſtantinopolitanum Patriarcham Eccleſiis Chriſti nullatenùs omnibus præferendum, ſed ſui menſurâ honoris eſſe debere contentum; ne contrà Nicæni concilii decreta faciens, honoris proprii damna ſuſtineat.

Egimus velut potuimus reſpondentes ad ea quæ nobis ſcripta miſiſtis. Quæ ſi placuerint, Deo gratias agimus: ſin verò diſplicuerint, veſtræ correctionis cenſuram præſtolamur.

Explicit liber quartus.

MONITUM.

LIBER HIC ÆNEÆ PARISIENSIS EPISCOPI ADVERSUS GRÆCOS, è Bibliothecâ Thuaneâ jam ab annis plus minùs duodecim erutus. In eo multa cùm Græcorum, tum Latinorum Patrum teſtimonia adducit Æneas. Græcorum teſtimonia propter antiquam illorum interpretationem reliqui ſarta tecta; Latinorum verò, cum & prolixiora eſſent & frequentiora, ne tædium parerent Lectori, ſæpiùs expunxi; ſervatis tamen prioribus & poſterioribus verbis, remiſſoque ad edita citatorum Patrum Opera Lectore. Utraque, partim ad excuſos Auctorum libros, partim ad Mſſ. contuli, adnotatis lectionibus variis, & nonnullis obſervatis quæ in editionibus non exſtant.

CAROLI Calvi Imperatoris temporibus inter Galliæ Præſules pietate ac eruditione conſpicuus vixit Æneas; cumque ſummis laudibus efferet Lupus Abbas Ferrarienſis epiſtolâ 98. *nomine Cleri Pariſienſis ſcripta ad Guenilonem Archiepiſc. Senon.* Æneam cujus præconia præmiſimus, concorditer omnes eligimus, Æneam patrem, Æneam Pontificem habere optamus. Quamvis enim tantâ prudentiâ ac probitate præcellentiſſimus Rex noſter polleat, ut ſolum ejus judicium de viro memorato poſſet ſufficere: tamen conditionis humanæ non neſcii, futurorumque curioſi, aulicorum nos ipſi propoſitum ac mores longè priùs inſpeximus, & inter graves probabileſque perſonas & ſanctitate ferventes, hunc quem Antiſtitem habere cupimus quotquot eum noſſe potuimus, ut nunc palam eſt, abſque errore annumeravimus, &c. *Et in reſcripto Vuenilonis Metropolitani & Coepiſcoporum provinciæ Senonenſis ad Clerum Pariſienſem, Lupi epiſt.* 99. Quis leviter tetigit palatium, cui labor Æneæ non innotuit, & fervor in divinis rebus non apparuit? Quamobrem electionem in eo factam Deo propitio libenter ſequimur, ut eum profuturum populo ejus, ad dignitatem pontificatûs promovendum concorditer decernamus. Sit igitur vobis paſtor, qui pro ſuis ad Deum meritis benè complacuit, & ſequentes ejus veracem doctrinam, & ſancta opera imitantes, ad cœleſtis regni paſcua properate felices. *Epiſcopi etiam qui Cariſiacenſi Synodo adfuerunt, in epiſtola ad Ludovicum Regem Germaniæ,* Æneam Epiſcopum honorabilem *appellant.*

Unam ejuſdem Æneæ epiſtolam, & alterius epiſtolæ fragmentum reperies in tomo 2. *Concil. Galliæ pag* 670.

Schiſma Græcorum contrà quos Æneas ſcripſit librum hunc, quandoquidem memorarunt multi ſive antiquiores, ut Nicolaus Papa I. in epiſt. ad Galliæ Epiſcopos, Rattamnus Corbeienſis qui libros IV. compoſuit contra Græcorum oppoſita; Frodoard. in hiſt. Eccleſ. Remenſis lib. 1. *cap.* 17 *ſive recentiores, ut Baronius in Annal. Eccleſ. &c. Nos etiam in prævia monitione ad Ratramnum multa hic repetenda de eo non duximus.*

Advertas porrò Lector librum Iſidori Hiſpalenſis de Ordine Creaturarum *quem in hoc Spicilegio edimus, ab Ænea citatum cap.* 94. *(tametſi quotquot hactenùs legerim, hujus non meminerint.) haud perperam me Iſidoro tribuiſſe licèt ſolo ductum ſcripti codicis titulo: vetus enim eſt & gravis auctor Æneas, cui fidem adhibendam puto.*

Hæc Acherius, quem haud paucis in locis fefellit librarius ſuus; nam cum eum ipſum codicem quo uſus erat, conſuluiſſet deinde Baluzius V. C. mirum quoties eam lectionem quæ textum inſe-

derat

Digitized by Google

derat, falſam & ab amanuenſi confictam eſſe deprehendit. Id etiam in priori editione vitii erat, quod in ea capitulorum elenchus deſiderabatur: quo ſi Acherius uſus fuiſſet, titulos plurimis in locis reſtituiſſet. Nos elenchum edi curavimus, & textum quantâ potuimus diligentiâ expurgavimus, cujus diligentiæ noſtræ ſpecimina cum initio operis præbere libuiſſet, ſingula deinde annotare minùs neceſſarium viſum eſt.

ÆNEÆ
PARISIENSIS EPISCOPI,
LIBER ADVERSUS GRÆCOS.

CAPITULA SEQUENTIS LIBELLI DE PROPOSITIS QUÆSTIONIBUS.

CAP. I. *Sanctus Athanaſius in libro de unitate ſanctæ & individuæ Trinitatis dicit: quòd in Patre ſit Filius & Spiritus ſanctus, & quia Spiritus ſanctus à Deo Patre procedat; ubi nequaquam excluditur Filii nomen.*

CAP. II. *Item ſanctus Athanaſius in libro de unitate Trinitatis, quòd Spiritus ſanctus unus Deus ſit in Patre & Filio ſic dicit.*

CAP. III. *Item idem in eodem libro, quòd Spiritus ſanctus nec Pater ſit nec Filius, ſed de naturâ unitâ exiſtens, procedat de Deo Patre, & accipiat de Dei Filio.*

CAP. IV. *Item idem in libro ſecundo de propriis perſonis & de unito nomine divinitatis, quòd Spiritus ſanctus ſicut mittitur à Patre, item mittitur & à Filio.*

CAP. V. *Item idem in eodem libro, quòd Spiritus ſanctus mittitur à Patre ſimul & à Filio.*

CAP. VI. *Item ipſe in eodem libro, quòd Spiritus paraclitus à Patre ſimul mittatur & à Filio ſic proclamat.*

CAP. VII. *Item idem in eodem libro, de communi miſſione Spiritûs ſancti à Patre & Filio ita fatur.*

CAP. VIII. *Item idem ipſe in præſenti libro, quòd Spiritus ſanctus à Deo Patre mittatur ſimul & à Dei Filio, & quòd unita poteſtas in eis ſit, ita inquit.*

CAP. IX. *Item idem in eodem libro, unitam naturam virtutem oſtendens mittentis & miſſi Filii ſic dicit.*

CAP. X. *Item idem ipſe in libro quem fecit contrà objectiones cujuſdam Potentini Urbici ita proſequitur.*

CAP. XI. *Idem idem in libro V. de unitâ ac ſempiternâ ſubſtantiâ Trinitatis, quòd Spiritus ſanctus à Patre & Filio procedat.*

CAP. XII. *Item idem in eodem libro, de ſancto Spiritu quòd in Patre & Filio conſiſtat.*

CAP. XIII *Idem ipſe in libro VI. de beatitudine fidei, quòd Spiritus ſanctus in virtute præſcientiæ Patris & Filii unanimiter conſiſtat.*

CAP. XIV. *Item ipſe in libro VII. de profeſſione regulæ catholicæ, de ſancto Spiritu ſic commemorat, exemplum ponens de pſalmographo.*

CAP. XV. *Item ipſe in libro VIII. de fidei unitate, quòd Spiritus ſanctus à Patre & Filio quaſi una procedit flamma, egregiè paucis verbis ita concludit.*

CAP. XVI. *Item idem ipſe in libro VIII. de Trinitate & de Spiritu ſancto ſic dicit.*

CAP. XVII. *Item idem in eodem libro quòd Spiritus ſanctus ſit ſpiritus Domini Jeſu ita inquit.*

CAP. XVIII. *Item in eodem libro quòd Spiritus ſanctus inſpiratio ſit Patris & Filii, inſuper & Filius ſit fons Spiritûs ſancti, quocirca comprehenditur procedere & à Filio.*

CAP. XIX. *Item idem in fide catholicâ, quòd Spiritus ſanctus à Patre procedat & Filio.*

CAP. XX. *Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus in libro primo, quem ſcripſit ad Gratianum Imperatorem, quòd Spiritus ſanctus cum à Patre & Filio procedit, non tranſeat de loco ad locum, ita tractat.*

CAP. XXI. *Item idem ipſe in ſecundo libro, quòd Spiritus ſanctus ſicut mittitur à Patre, ita mittitur & à Filio, & Filius ipſe mittitur à Spiritu.*

CAP. XXII. *Item idem in libro III. quòd Spiritus ſanctus à Patre ſit miſſus & Filio, ubi miſſio proceſſio intelligitur.*

CAP. XXIII. *Item idem ipſe in eodem libro, quòd fluvius de ſede Dei & Agni procedens Spiritus ſanctus ſit, ubi intelligitur ejus à Patre & Filio proceſſio.*

CAP. XXIV. *Cyrillus, quòd Spiritus ſanctus à Patre procedat & Filio, in epiſtolâ ad Neſtorium ſic dicit.*

CAP. XXV. *Item idem in dialogo cum Theodorito in tripertitâ hiſtoriâ Cyrriano Epiſcopo habito, quòd Spiritus ſanctus à Patre procedas & à Filio non ſit alienus, ſic proſequitur.*

CAP. XXVI. *Hilarius Pictavenſis Epiſcopus de miſſione Spiritûs ſancti à Filio, in libro quem ſcripſit in Germaniam, Galliam Belgicam, Belgicam, Lugdunenſem, Novempopulanam, Toloſam, & Britanniam ſic dicit.*

CAP. XXVII. *Item idem in eodem libro.*

CAP. XXVIII. *Item ſanctus Hilarius, quòd unum ſit Spiritui ſancto à Patre procedere & à Filio accipere ſive mitti, in libro octavo de ſanctâ Trinitate ita refert.*

CAP. XXIX. *Hieronymus in libro Didymi, quem de Græco in Latinum tranſtulit, quòd Spiritus ſanctus à Patre egrediatur & à Filio mittatur, non ſecundùm angelorum, prophetarum, & apoſtolorum miniſterium, ſed ut à ſapientiâ Dei ſpiritum Dei mitti decet, ſic docet, ex quo confitetur & à Filio illum, ſicut & à Patre procedere.*

CAP. XXX. *Item idem in eodem libro poſt pauca.*

CAP. XXXI. *Item idem in eodem opere poſt pauca.*

CAP. XXXII. *Item idem in eodem opere poſt pauca.*

Cap. XXXIII. *Item idem in eodem opere poſt pauca.*

Cap. XXXIV. *Item idem in eodem opere poſt pauca.*

Cap. XXXV. *Sanctus Auguſtinus in Homiliâ ſuper Johannem.*

Cap. XXXVI. *Item ſanctus Auguſtinus in libro XIII. de civitate Dei, quod Spiritus ſanctus Patris ſit & Unigeniti, & unus amborum. Quod cum ita ſit, non eſt dubium Spiritum ſanctum procedere ab utroque.*

Cap. XXXVII. *Item idem in libro primo de trinitate qua Deus eſt, quòd Spiritus ſanctus & Patris & Filii ſit, & Patri & Filio coæqualis, conſubſtantialis, & coæternus, ſic docet.*

Cap. XXXVIII. *Item idem in eodem libro, quod Spiritus ſanctus inſeparabiliter Patris & Filii ſit. Quod cum ita ſit, magna dementia eſt illum a Patre & Filio procedere non profiteri.*

Cap. XXXIX. *Item idem in libro tertio de Trinitate, quod Spiritus ſanctus a Patre & Filio ſit miſſus.*

Cap. XL. *Item idem in libro IV. ejuſdem operis aperte docet quòd Spiritus ſanctus procedat a Filio ſicut & à Patre.*

Cap. XLI. *Item idem in libro VI. de trinitate; quod Spiritus ſanctus ſit Filii Patriſque ſuavitas. Unde qui negat eum ab utroque, conſequens eſt ut neget ſuavitatem a Patre Filioque procedere.*

Cap. XLII. *Item idem in libro XV. de ſanctâ Trinitate, quòd Spiritus ſanctus procedat à Patre & Filio.*

Cap. XLIII. *Item idem in eodem libro.*

Cap. XLIV. *Item idem in eodem libro.*

Cap. XLV. *Item ſanctus Auguſtinus, quòd Spiritus ſanctus ſit in Patre & Filio, ſic dicit in libro quem ſcripſit contrà quinque hæreſes, id eſt, Paganos, Judæos, Manichæos, Sabellianos, & Arrianos.*

Cap. XLVI. *Item Auguſtinus in diſceptatione quam habuit contrà Paſcentium Comitem Arrianorum, præſente Laurentio judice electo ab utriſque partibus.*

Cap. XLVII. *Item ſanctus Auguſtinus, quòd Spiritus ſanctus procedat à Patre & Filio, in libro ſecundo quem ſcripſit contrà Maximinum hæreticum ſic ait.*

Cap. XLVIII. *Item idem in eodem libro.*

Cap. XLIX. *Item ſanctus Auguſtinus in libro de Incarnatione Domini.*

Cap. L. *Item ſanctus Auguſtinus in libro Expoſitionis fidei ad Petrum.*

Cap. LI. *Item idem in eodem opere poſt pauca.*

Cap. LII. *Item idem in eodem opere.*

Cap. LIII. *Idem idem in ipſo opere poſt pauca.*

Cap. LIV. *Hormiſdas Papa Romanæ Eccleſiæ, quod Spiritus ſanctus à Patre Filioque procedat, ſic dicit in epiſtola quam ad Juſtinum imperatorem miſit adverſus Neſtorii & Eutychetis blaſphemias.*

Cap. LV. *Leo Papa Romanæ Eccleſiæ, quòd Spiritus ſanctus a Patre Filioque procedat, ſic dicit in epiſtolâ quam miſit ad Turibium Aſturicenſem Epiſcopum.*

Cap. LVI. *Gregorius Papa Romanæ Eccleſiæ, quod Spiritus ſanctus à Patre Filioque procedat, in Homiliâ XXVI. ſic dicit.*

Cap. LVII. *Item idem in libro moralium ſecundo.*

Cap. LVIII. *Item idem in eodem libro poſt pauca.*

Cap. LIX. *Item idem in libro V. quòd Spiritus ſanctus de Patre procedat & de eo quod eſt Filii accipiat, ubi intelligitur & ab eo procedere.*

Cap. LX. *Fulgentius, quod ſolus Pater genuerit Filium, ſolus Filius à Patre genitus ſit, ſolus Spiritus ſanctus à Patre Filioque procedat, in libro tertio quem ſcripſit contra Fabianum ſic dicit.*

Cap. LXI. *Item idem in libro V. contra eumdem Fabianum.*

Cap. LXII. *Item idem in libro VII. ejuſdem operis.*

Cap. LXIII. *Item idem in eodem libro.*

Cap. LXIV. *Item idem in libro VIII. ejuſdem operis.*

Cap. LXV. *Item idem in libro IX. ejuſdem operis.*

Cap. LXVI. *Item idem in libro X. ejuſdem operis.*

Cap. LXVII. *Item idem ut oſtenderet Spiritum ſanctum æqualem Patri & Filio, eumdem Spiritum ſanctum & a Patre & à Filio, & Filium à Patre & Spiritu ſancto miſſum eſſe teſtatur in libro ſecundo quem ſcripſit ad Traſimundum Regem.*

Cap. LXVIII. *Iſidorus Spalenſis Epiſcopus in libro ſecundo officiorum inter cætera ſic dicit.*

Cap. LXIX. *Iſidorus in libro VII. Etymologiarum, quod Spiritus ſanctus à Patre Filioque procedat ſic dicit.*

Cap. LXX. *Item idem in eodem opere poſt pauca.*

Cap. LXXI. *Item idem in libro differentiarum.*

Cap. LXXII. *Item idem in libro ſententiarum.*

Cap. LXXIII. *Proſper in libro de vitâ contemplativa, quod Spiritus ſanctus a Patre & Filio procedat, ſic docet.*

Cap. LXXIV. *Vigilius Africanus Epiſcopus Spiritum ſanctum à Patre Filioque procedere his verbis demonſtrat in libris quos ſcripſit Conſtantinopoli in defenſionem Tomi Leonis Papæ contra Eutychianiſtas.*

Cap. LXXV. *Proclus Conſtantinopolitanus Epiſcopus in epiſtolâ ad Armenios adverſus hæreticos deſtinata, Spiritum ſanctum ab eſſentiâ deitatis inſeparabiliter procedere his verbis edocet.*

Cap. LXXVI. *Agnellus in epiſtolâ ad Arminium, quod Spiritus ſanctus à Patre procedat & Filio, ſic docet.*

Cap. LXXVII. *Caſſiodorus in expoſitione pſalmi L. quod Spiritus ſanctus a Patre Filioque procedat ſic dicit.*

Cap. LXXVIII. *Item idem in pſalmo ſexageſimo primo.*

Cap. LXXIX. *Alcuinus in libro I. de fide ſanctæ Trinitatis, quod Spiritus ſanctus communis eſt Patris & Filii Spiritus.*

Cap. LXXX. *Item idem in eodem*

Cap. LXXXI. *Item idem in eodem.*

Cap. LXXXII. *Item idem in libro ſecundo.*

Cap. LXXXIII. *Item idem in libro ſecundo.*

Cap. LXXXIV. *Item idem in libro II. de unitate Spiritus ſancti cum Patre & Filio.*

Cap. LXXXV. *Item idem in libro ſecundo.*

Cap. LXXXVI. *Item idem in eodem, cur idem Spiritus ſanctus bis à Deo Chriſto datus ſit.*

Cap. LXXXVII. *Item idem in libro III. quomodo miſſio ſancti Spiritus ſit intelligenda.*

Cap. LXXXVIII. *Item in fide ipſius Alcuini.*

Cap. LXXXIX. *Item item Alcuinus in propoſitis quæſtionibus de ſanctâ Trinitate.*

Cap. XC. *Prudentius in libro contra Marcionitas metro heroico.*

Digitized by Google

Cap. XCI. *Item idem in libro hymnorum metro jambico.*

Cap. XCII. *Item idem in libro hymnorum metro choriambico quod aſclepiadeum nominatur.*

Cap. XCIII. *Item in fide catholicâ quam die dominicâ decantat ad miſſam univerſalis Galliarum Eccleſia, ſic canitur inter cætera.*

Cap. XCIV. *Item Iſidorus in fide catholicâ inter cætera ſic dicit.*

Cap. XCV. *Teſtimonia ſanctorum Patrum contrà eos qui profanâ intentione munditiam miniſtrorum Chriſti oppugnare contendunt, quam pulchra virgo & vera mater Eccleſia non habens maculam aut rugam vel aliquid hujuſmodi ſemper ſibi obſequi illibatè delegit.*

Cap. XCVI. *In Nicæno Concilio de ſubintroductis mulieribus.*

Cap. XCVII. *In decretalibus Siricii Papæ de clericis incontinentibus.*

Cap. XCVIII. *In eiſdem de clericorum converſatione.*

Cap. XCIX. *Item in eiſdem decretalibus, quæ fœmina cum clericis habitent.*

Cap. C. *Innocentius Papa in decretalibus, de incontinentiâ Sacerdotum vel Levitarum cap. XXI. ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum.*

Cap. CI. *Item Papa Innocentius, quòd hi qui in presbyterio filios genuerint, removeri ab officio debeant.*

Cap. CII. *Sanctus Siricius Papa in Eccleſiâ beati Petri Apoſtolorum principis in Concilio reſidens, & fratribus & coepiſcopis per Africam Eccleſiaſtica jura deſcribens, inter cætera hæc de pudicitiâ ſimulit.*

Cap. CIII. *In decretalibus Papæ Leonis, quòd ſubdiaconis carnale connubium denegetur.*

Cap. CIV. *Leo Papa ad Ruſticum Epiſcopum Narbonenſem epiſtolam porrigens, & ad ejuſdem conſulta reſpondens, inter cætera dicit.*

Cap. CV. *Item Leo Papa in epiſtolâ ſuâ quam ad Mauros Epiſcopos direxit, inter cætera ſic dicit.*

Cap. CVI. *In canonibus ſanctorum Apoſtolorum cap. VIIII.*

Cap. CVII. *Item in eiſdem, quòd miniſtri altaris oblatione celebratâ debeant communicare, cap. VII.*

Cap. CVIII. *Item in eiſdem, qui clerici debeant conjugibus copulari, cap. XXVII.*

Cap. CIX. *In Concilio Carthaginenſi, cap. XVI.*

Cap. CX. *Item in eodem, cap. XXIV.*

Cap. CXI. *In canone Anquirani Concilii, cap. X.*

Cap. CXII. *In Concilio Laodicenſi, de viris cum mulieribus lavacra celebrantibus, cap. XXX.*

Cap. CXIII. *Item in eodem, non licere clericis ludicris ſpectaculis intereſſe, cap. LIV.*

Cap. CXIV. *In ſynodo Neocæſarienſi, cap. I.*

Cap. CXV. *Item Innocentius Papa ad Victricium Epiſcopum Rothomagenſem, cap. X.*

Cap. CXVI. *Item idem ad eumdem, cap. XII.*

Cap. CXVII. *In Concilio Laodicenſi, ut qui miniſtri altaris ſunt, tabernas non intrent, cap. XXII.*

Cap. CXVIII. *In Concilio Carthaginenſi de continentiâ, cap. III.*

Cap. CXIX. *Item in eodem Concilio de diverſis ordinibus ab uxoribus abſtinendis, cap. IIII.*

Cap. CXX. *In Concilio Africano, qui clerici ab uxoribus debeant abſtinere, cap. XXXVII.*

Cap. CXXI. *In ſynodo quo præſedit Romæ beatus Silveſter Papa cum Epiſcopis* CCLXXXIV. *ubi damnati ſunt Victorinus Epiſcopus, Caliſtus, Hippolytus diaconus, adſtantibus Epiſcopis & Presbyteris & Clericis Græcorum, ita inter cætera legitur.*

Cap. CXXII. *Ambroſius in epiſtolâ ad Titum inter cætera ſic ait.*

Cap. CXXIII. *Item Ambroſius in epiſtolâ ad Timotheum ait.*

Cap. CXXIV. *Item idem in eâdem poſt pauca.*

Cap. CXXV. *Item idem in eâdem poſt pauca.*

Cap. CXXVI. *Item Ambroſius in Libro I. de officiis miniſtrorum.*

Cap. CXXVII. *Item idem in eodem libro.*

Cap. CXXVIII. *Hieronymus in epiſtolâ ad Titum ſic de pudicitiâ dicit inter cætera.*

Cap. CXXIX. *Item idem in eâdem poſt pauca.*

Cap. CXXX. *Item idem in eâdem poſt pauca.*

Cap. CXXXI. *Hieronymus in apologetico ad Pammachium, inter cætera ita de pudicitiâ diſputat.*

Cap. CXXXII. *Item Hieronymus in eodem apologetico poſt pauca.*

Cap. CXXXIII. *Item idem in eodem poſt pauca.*

Cap. CXXXIV. *De virginibus, nuptis, viduis, monogamis, bigamis, trigamis, & cætera, in eâdem poſt pauca.*

Cap. CXXXV. *Item idem in fine ejuſdem apologetici.*

Cap. CXXXVI. *Item Hieronymus in libro primo contrà Jovinianum, inter cætera ſic dicit.*

Cap. CXXXVII. *Item idem in eodem poſt pauca.*

Cap. CXXXVIII. *Item idem in eodem poſt pauca.*

Cap. CXXXIX. *Item idem in eodem poſt pauca.*

Cap. CXL. *Item idem in eodem poſt pauca.*

Cap. CXLI. *Item idem in eodem poſt pauca.*

Cap. CXLII. *Item idem in eodem poſt pauca.*

Cap. CXLIII. *Item idem in eodem poſt pauca.*

Cap. CXLIV. *Item idem in eodem poſt pauca.*

Cap. CXLV. *Item idem in eodem poſt pauca.*

Cap. CXLVI. *Item idem in eodem poſt pauca.*

Cap. CXLVII. *Item idem in eodem poſt pauca.*

Cap. CXLVIII. *Item idem in eodem poſt pauca.*

Cap. CXLIX. *Item idem in eodem poſt pauca.*

Cap. CL. *Item idem in eodem poſt pauca.*

Cap. CLI. *Item idem in eodem poſt pauca.*

Cap. CLII. *Item idem in eodem poſt pauca.*

Cap. CLIII. *Item idem in eodem poſt pauca.*

Cap. CLIV. *Item idem in eodem poſt pauca.*

Cap. CLV. *Item Hieronymus in libro ſecundo contrà Jovinianum ſic dicit.*

Cap. CLVI. *Item idem in eodem.*

Cap. CLVII. *Origenes in libro III. Levitici inter cætera ſic dicit.*

Cap. CLVIII. *Item idem in libro V. Levitici.*

Cap. CLIX. *Item idem in eodem libro.*

Cap. CLX. *Item idem in libro VI. Levitici.*

Cap. CLXI. *Item idem in eodem libro.*

Cap. CLXII. *Iſidorus Spalenſis Eccleſiæ Epiſcopus, in libro officiorum ſecundo ſic dicit.*

Cap. CLXIII. *Item idem in eodem libro.*

Cap. CLXIV. *Item idem in eodem libro.*

Cap. CLXV. *Item idem in eodem libro.*

Cap. CLXVI. *In vitâ beati Baſilii Cæſarienſis Archiepiſcopi, quæ de Græco in Latinum à quodam Græco vocabulo Euſimio eſt veraciter de verbo ad verbum tranſlata, inter cætera ſic legitur.*

Cap. CLXVII. *Et poſt pauca ita ſcribitur.*

Cap. CLXVIII. *Ad augmentandum totius pudicitiæ nitorem beatus Joannes evangeliſta ita concludendo exequitur, dicens.*

Cap. CLXIX. *De his qui eccleſiaſtica jejunia abſque neceſſitate diſſolvunt, in Concilio Gangrenſi ita ſcriptum eſt.*

CAP. CLXX. *De eo quod Eccleſia Romana reprehenditur à Græcis quare jejunium agat in ſabbatis, Innocentius Papa hoc rationabiliter defendit in decretalibus, ſic dicens cap. IV.*

CAP. CLXXI. *De hac reſciſcitanti Lucino Hieronymus reſpondens, inter cætera reſcripta epiſtola ſic dicit.*

CAP. CLXXII. *Item Iſidorus Spalenſis Epiſcopus in primo libro officiorum, de diverſorum dierum ac temporum jejuniis inter cætera ſic diſputat.*

CAP. CLXXIII. *In Concilio Laodicenſi, non debere jejunium ſolvi in quintâ feriâ majoris ſeptimanæ, cap. L.*

CAP. CLXXIV. *Quare nos Latini more Græcorum non ceſſamus octo hebdomadibus ante Paſcha à carnium eſu, & VII. à caſeo & ovis.*

CAP. CLXXV. *De vario uſu abſtinentiæ diverſarum regionum.*

CAP. CLXXVI. *Sanctus Fauſtinus Epiſcopus in dominicâ ante quadrageſimam homiliatico ſermone ſecundùm morem illius temporis ita de jejunio variè exequitur, dicens.*

CAP. CLXXVII. *Item Auguſtinus in homilia de quadrageſimâ inter cætera ſic dicit.*

CAP. CLXXVIII. *Quare Preſbyteri inhibeantur frontes baptizatorum chriſmate linire, Innocentius Papa in decretalibus ita dicit cap. III.*

CAP. CLXXIX. *Quod in geſtis Romanorum Pontificum legatur ut à Preſbytero Neophytus ungi debeat in cerebro ſive vertice.*

CAP. CLXXX. *Gelaſius Papa in Eccleſiaſticis inſtitutis, ut Preſbyteri modum debitum ſervent, non chriſma conficiant, non conſignent, ſic dicit cap. VI.*

CAP. CLXXXI. *Item in eodem capitulo.*

CAP. CLXXXII. *De hoc quod opponitur quare clerici barbas radant.*

CAP. CLXXXIII. *Gregorius Papa in libro primo moralium beati Job ſic inter cætera dicit.*

CAP. CLXXXIV. *Item idem in ſecundo libro moralium.*

CAP. CLXXXV. *Iſidorus Spalenſis Epiſcopus in libro II. officiorum ſic dicit.*

CAP. CLXXXVI. *Quare Latini more Græcorum comas non nutriant, ut mulieribus in crinibus diſpares habeantur.*

CAP. CLXXXVII. *Quòd Romanæ ſedis Pontifex primus omnium habeatur, beatus Papa Silveſter perdocuit in præfatione Nicæni Concilii, ubi iſta leguntur.*

CAP. CLXXXVIII. *Item beatus Silveſter in fine alloquutionis quam fecit in ſynodo acto in Trajanis Thermis III. Kal. Jun.*

CAP. CLXXXIX. *In canonibus Apoſtolorum de primatu Epiſcoporum cap. XXXV.*

CAP. CXC. *In Nicæno Concilio de privilegiis quæ quibuſdam civitatibus competunt, cap. VI.*

CAP. CXCI. *Item in eodem Concilio de Epiſcopo Æliæ, id eſt, Hieroſolymorum.*

CAP. CXCII. *In Concilio Conſtantinopolitano de ordine ſingularum diœceſeon, & de privilegiis quæ Ægyptiis, Antiochenis, Conſtantinopolitaniſque debentur, cap. II.*

CAP. CXCIII. *In Concilio Sardicenſi, quod ſi damnatus appellaverit Romanum Pontificem, ſicut nuper fecit Ignatius Conſtantinopolitanus Epiſcopus injuſtè, ut dicitur, depoſitus, id obſervandum quod ipſe cenſuerit, cap. III.*

CAP. CXCIV. *Item in eodem Concilio, ut nullus accuſati ſedem uſurpet Epiſcopi, ſicut nuper fecit Photius ſedem Ignatii, neophytus & invaſor Conſtantinopolitanæ ſedis, cap. IV.*

CAP. CXCV. *Item beatus Silveſter in alloquutione Nicæni Concilii fecit gradus in gremio ſynodi.*

CAP. CXCVI. *Item commonitorium ſancti Gelaſii per Fauſtum magiſtrum legationis officio fungentem Conſtantinopoli directum, quod ſic incipit.*

CAP. CXCVII. *In hoc commonitorio inter cætera ſic dicit.*

CAP. CXCVIII. *Item in epiſtolâ ad Anaſtaſium Imperatorem inter cætera ſic dicit.*

CAP. CXCIX. *Item in redditis rationibus inter cætera ſic dicit.*

CAP. CC. *Item idem Gelaſius in eiſdem poſt pauca.*

CAP. CCI. *Item idem poſt pauca.*

CAP. CCII. *Item idem in fine rationum.*

CAP. CCIII. *Item in epiſtolâ Leonis Papæ ad Martianum Auguſtum, quæ eſt per Lycinum Epiſcopum & Baſilium Diac. directa, de ambitu Anatolii Epiſcopi Conſtantinopolitani, inter cætera ſic legitur.*

CAP. CCIV. *Item Leo Papa in eâdem epiſtolâ.*

CAP. CCV. *Item Leo Papa ad Anatolium Epiſcopum inter cætera in aliâ epiſtolâ ſcribit.*

CAP. CCVI. *Item Leo Papa in eâdem epiſtolâ poſt pauca.*

CAP. CCVII. *Item in Concilio Calchedonenſi commemoratur ſic authoritas primæ ſedis.*

CAP. CCVIII. *Leo Papa in epiſtolâ quam ſanctæ ſynodo apud Calchedonem dixerat, inter cætera ſic ſcribit.*

CAP. CCIX. *Item de privilegio principatûs apoſtolicæ ſedis.*

CAP. CCX. *De hoc quod quæritur quare apud Romanos plerumque Diaconus Cardinalis quodam ſaltu, non perceptâ preſbyterali benedictione, in Epiſcopum ſubitò conſecretur.*

PRÆFATIO.

Anno 868. ÆNEAS *Pariſiacenſis urbis Epiſcopus, quo primus præſedit S. Dionyſius à Paulo Apoſtolo Athenienſium conſecratus Archiepiſcopus, ſed a ſancto Clemente totius Galliæ conſtitutus Apoſtolus; Pacem & gloriam Catholicæ fidei cultoribus.*

Jud. 3. LEGIMUS in libro Judicum, quòd præſcientia divina terræ inclytæ ſemini Abrahæ, ob immenſæ fidei laudem repromiſſæ, melle reliquias Chananæorum ex parte permiſerit, ſcilicet ut experiretur in eis Iſraël, ne forte otio torpens ignarus bellorum foret, cujus efficax virtus, Deo præduce, dudum regnum egregium cunctis ſæculis prædicabile, ſibi armis vindicaverat. Hujus æquitatis lance cœleſtium, terreſtrium & infernorum Dominus, ſanctam Eccleſiam non habentem maculam aut rugam, annulo ſuæ paſſionis ſibi ſolemniter jure regio deſponſatam, hæreticæ pravitatis aſſertionibus laceſſitam, victrici laureâ experiri voluit, veluti ſtans in acie manus in bella contraheret, & ob creberrimam

adverſariorum victoriam, in amplexu ſui ſponſi condelectans, in totius lætitiæ patrato triumpho[a] admodum exultaret, & frequenti concertatione in bella Dei ſui aſſurgens, ſcientiâ repugnandi venuſtata cum decore polleret, ut ſe toxicatis armis attentantes potenter repellere addiſceret, ipſi conclamans, qui caput galeati contrivit Chelydri, ac fiducialiter agens: *Judica, Domine, nocentes me; expugna impugnantes me.* (Pſal. 34. 1.) *Apprehende arma & ſcutum, & exurge in adjutorium mihi.*

Igitur multoties devicti hoſtes cum indignè ac turpiter rediviva audent reparare certamina, in hoc ſegnitiâ deterioris famæ per ora magnatorum infeliciùs deternuntur, quo ſubrigi ingeniis fraudum ad ſublimiora geſtiunt, ſed ceu effeminati viribus terga præbentes deformiter ſuccumbunt. Ita ſi quidem venenata pernicies perverſi dogmatis ab initio naſcentis Eccleſiæ uſque ad præſens nequiter pullulans ſerpere non deſiſtit, occupare incautos, corrumpere doctrinâ quietos, more latronis aggredi latenter benè degentes, vera in falſis tranſmutare callidè laborans. At ſancta Eccleſia jam quaſi ſenio laſſata, cum Moyſe ad Dominum interventrices elevat manus pro ſuis ut vincant, & pulchrè Aaron & Hur fatigatas ſuſtinent, ſcilicet novi ac veteris Teſtamenti ſeries, teſtimonia ſanctarum defenſionum in promptu feſtina portendit, ne forte ſui, quos Catholicè enutriens ad perfectionis culmen evexit, cedant ſpiculis oppugnantium, ſed clypeo veritatis viriliter reſiſtentes, Domino virtutum & Regi gloriæ jocundantes proclament: *Cantemus* (Exod. 15. 1.) *Domino: glorioſè enim magnificatus eſt, quia equum & eius aſcenſorem dejecit in mare.*

Itaque temporibus glorioſi & orthodoxi Hludowici Imperatoris Græcia, quæ ſe matrem verborum & genitricem Philoſophorum, & omnium liberalium artium fautricem appellari contendit, de his ſuperſtitionibus ſuperfluis, quæ & nunc, Romanam Eccleſiam, imò & omnem gentem Latinâ linguâ utentem conſulere tentavit, ſatiſque mirandum in tam viliſſimis quæſtionibus occupatam, longævo ventilatis ævo, & perſpicuè ad liquidum dilucidatis, quæ totius peritiæ ac facundiæ ſe fore gloriatur auctricem, ut pelagus dialecticæ ſubtilitatis expoſtulat, putans ſe poſſe veraciter diſtinguere vera à falſis. (Tempore Ludovici imper. cœpère Græci Romanam Eccleſ. exagitare.) Ergo, ut intonat Apoſtolus uſque ad tertium cœlum raptus, ſi *Judæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt*, (1. Cor. 3. 22.) hæret ſagacitas de puro fonte potantium, cur ita hebetudo ſenſûs deſpicabilia ſciſcitando ſumma tenere conantes ignominioſè obtenebrat, quos culmen magni intellectûs, ut illi falsò opinantur, in gremio amplitudinis ſuæ velut coruſcans amplectitur & fovet. Nempe cum populi Orientalium, quaſi ſub ſcabello Domini ſpecialiter ſubſidentes, cum Occidentalibus in fidei documentis diſceptare videntur, quaſi ſol pulcherrimus mane in Oriente poſitus, in occiduos ſuæ lucis radios veſperi tranſmutat in tenebras. Non autem cœli climata deteriores reddunt animos mortalium, neque plagæ ſupernæ pro variarum dementiis ſectarum culpandæ, cum Oriens & Occidens mixtim contineat juſtos & reprobos; ſed humanitas primò bona condita, & in libero arbitrio potenter ſtabilita, negligendo Creatorem, & obaudiendo ſeductorem, de dextris ad lævam promoveri meruit, exin orbis multiplicis tramiti devio inhiare cœpit.

Nec adeo mirum ab Aſiâ, vel à finibus Europæ, ubi ſita Conſtantinopolis Græciæ Metropolis habetur, tantarum fallaciarum oriri diſcrimina: ſi enim revolvantur ſanctorum ſtatuta Canonum, & Eccleſiaſticarum diſcutiatur ſeries hiſtoriarum, ab illius regni partibus potiùs quàm ſub Romanâ ditione degentibus, reperientur pullulaſſe genimina viperarum, id eſt, quàm plurimi inventores perverſorum dogmatum, (In Græciâ Hæreſes quamplurimæ pullularunt.) veluti fuerunt, ut ex multis memoremus aliquos, Arrius, Eunomius, Fotinus, Marcion, Cerinthus, Manichæus, Hebion, Neſtorius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, cæteræque peſtes dilatatæ hæreſeos, quibus non fuit requies omni inſtantiâ Catholicas dilacerare & oppugnare mentes. Eutychius etiam Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopus de Reſurrectione in tantùm erravit, ut affirmaret quod corpus noſtrum in illâ[b] reſurrectionis gloriâ futurum eſſet impalpabile, ventis aëreque ſubtilius: ſed nos è contra dicimus, ſanctâque credulitate firmamùs, quòd in illâ reſurrectionis gloriâ erit corpus noſtrum ſubtile quidem per effectum ſpiritalis potentiæ, ſed palpabile per veritatem naturæ. Nam beatus Papa Gregorius quondam in eâdem Conſtantinopolitanâ urbe poſitus, cum præfato Eutychio de hac re in conſpectu Tiberii Conſtantini Imperatoris glorioſum habuit certamen, veluti ipſe pleniùs commemorat in decimo quarto libro Moralium Job. Sed ita ab eo nobiliter eſt devictus, ut pellem manûs ſuæ teneret, dicens: *Confiteor quia omnes in hac carne reſurgemus:* quod omnimodis priùs negare conſueverat.

Eſt autem dictu lamentabile, quia eadem ſedes quæ caput levare conatur ad ſuperos, pro rectæ fidei Præſulibus doctrinâ fœdatos Rectores, olim habuit hæreticâ, quos Tripertita denotat Hiſtoria, & ſanctorum Patrum in Canonibus damnat ſolertia. Non verò in Romanâ Sede, Deo Rectore, tale unquam contigit dedecus, ut aliquis Hæreſiarches eidem præſideret, quam ſummus Apoſtolorum Princeps ſuâ ſeſſione illuſtravit, & fuſo ſanguine conſecravit, cui ſuas regendas oves Dei Filius ſpeciali curâ commiſit, (Nullus Pontificum Rom. uſquam hæreſiarcha.) nec mirum, quia ipſi dictum fuerat: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & tibi dabo claves regni cœlorum.* (Matt. 16. 10.) Ergo cui propriâ auctoritate regnum dabat, hujus fidem firmare non poterat? Quem cum petram dicit, firmamentum Eccleſiæ indicavit. Liberius tamen Papa à beato Petro triceſimus ſeptimus, quamvis à fidei tramite non deviaret, exilio & minis Arriani Principis territus, non virtute quâ debuit perfidis Arrianis viriliter repugnavit. His autem qui ab arce totius Chriſtianitatis deviare videntur, novaſque adinveniunt quæſtiones, rectè intonat Paulus ad Galatas, quorum ex Græciâ propagatur origo: *Miror quòd ſic tam citò transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Chriſti* (Galat. 1. 6.) Jesu *in aliud Evangelium, quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Chriſti.* Magna etiam auctoritate ingeminat dicens: *Sed licet nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* (Ibid. 8.) Et conſequenter addidit: *Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.*

Jure itaque à Rectore ſanctæ Eccleſiæ à viâ veritatis aberrantibus talia apoſtolicè inferuntur. Hac etiam virgâ reprehenſionis digni habentur: *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit veritati non obedire,* (Ibid. 3. 1.) *ante quorum oculos* Jesus-Christus *proſcriptus eſt & crucifixus?* Denique cunctis ſæculis enorme generatur piaculum, dum ab ipſis, quorum doctrinâ adornari debuerat Eccleſia, florere nitore religionis, &

a *patrato triumpho*] Sic legitur in mſ. codice, nec ſatis ſcio cur Acherius ſcripſerit *cat ute triumpho.*

b *corpus noſtrum in illâ*] Optimè, & ad fidem mſ. codicis: Acherius *noſtrum multâ*, & malè, & invito codice Thuaneo.

augmentum accipere ſuæ ſalvationis, humiliati zelo nequitiæ contenditur: & à quâ omnis macula longè abeſſe debuerat, ei infligere nituntur, ut non ſit à ſordibus aliena. Sed quia ſanctus dicit Apoſtolus:
Pſal. 34, 1. *Oportet autem hæreſes eſſe ut probati manifeſti fiant*, fallaciarum ludibria, quæ ad eam applicare tentavit ſanctarum hoſtis animarum, clypeo Redemptoris ſui repelli habet, nec patitur divinitas viſibilium & inviſibilium rerum factor & potior vinci à creatura quæ condita fuit Angelica, ſed ob tumorem ſuperbiæ ſuâ ſponte non alio cogente ſceleratior facta incidit in barathrum perpetuæ damnationis, cui nil placitum, niſi tantùm perditio beatorum. Nam cunctorum opifice largiente, ſapientiam non vincet malitia, ſed
2. Tim. 3. 12. victor apparebit in propriis, qui ſuos ſemper à primo armavit ſpiritalibus documentis: *Omnes enim qui volunt pie vivere in Chriſto* Jesu, *perſequutionem patientur.*

Itaque in præſentiarum jam adtore deprehenditur ætas plena miſeriarum, quæ præſentitur amplecti
Ibid. 4. 3. ſpatium temporis, de quo Apoſtolus lamentando præcinuit, dicens: *Erit enim tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Ecce in promptu hæc prædicta ſerpere conſpicimus, & ideo dum tuba perſonatur belli, neceſſe eſt ut arma aptentur in militum membris, ut doctum induſtriâ præoccupare nequeat perfidus hoſtis. Quamvis autem in talibus controverſiæ procellis concutiatur Dominicus exercitus, valde indignum ut animos fortitudine nobilitatos, à ſtatu rectitudinis detorqueant hæretica pravitate degeneres. Quanto enim aſtutia diaboli cum ſæva calliditate accedit atrocior, tanto providentia fortium cautiùs præmunita debet eſſe paratior. Admonens ſiquidem alumnum Timotheum
Ibid. 2, 17. Apoſtolus ne impediretur deceptionibus malignantium, blandè hortatur, dicens: *Profana autem & vaniloquia devita; multum enim proficient ad impietatem; & ſermo illorum ſicut cancer ſerpit.* Ad Titum etiam ita dicit: *Stultas autem quæſtiones & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita: ſunt enim inutiles*
Tit. 3, 10, 11. *& vanæ.* Et ut ſollicitior redderetur, & ſancto acumine inſtructior eſſet, addit: *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita; ſciens quia ſubverſus eſt qui ejuſmodi eſt, & delinquit proprio judicio condemnatus.* Ergo cum ſancto Heliſeo credamus, quia plures ſunt nobiſcum quàm cum illis, id eſt, utriuſque Teſtamenti ſagaciſſimi Patres, & pro defenſione veræ fidei avidiſſimi & invictiſſimi bellatores, qui cum robuſtiſſimo Joſue Deum ſupplicare ſtudeant ut ſtet ſol, id eſt, tempus ſanctæ concerta-
c tionis [c] prolixius clareſcat, donec ſe verus Iſrael ulciſcatur de inimicis ſuis. *Non enim vocavit nos Deus*
Theſſ 4. 17. *in immunditiam: ſed in ſanctificationem*, dicit Apoſtolus, poſtquam undâ baptiſmatis & Spiritu ſancto in gratiâ Chriſti renovati ſumus. Quocirca non cedendum adverſariis, ſed viriliter reſiſtendum, ut non capiamur illius illecebris, qui de ſupernis ob ſuperbiam ad ima delapſus, hoc elaborat niſibus iniquitatis, ut Eccleſia quæ eſt filia pacis dilaceretur doctrinâ fœditatis, & pateat morſibus erroris.

Hæc & ſimilia ut præcaveret Timotheus, ſacrarum Spiritûs ſancti charitate fervens admonet Paulus:
2. Tim. 2, 23. *Stultas autem & ſine diſciplinâ quæſtiones devita; ſciens quia generant lites.* Hæc nempe præcavere oportet generaliter cunctos in Chriſtum credentes, maximè eos qui regimen debent habere animarum, & eſſe ſpeculum bonorum operum, & ſanctarum forma virtutum. Inde gemendum benè viventibus, quia unde in ſanctâ Eccleſiâ decorem eſſet ſplendere honorem gaudii, ab his partibus multis volventibus ſæculis oboriuntur immenſi detrimenta ſcandali. Si enim ferrum ferro acuitur, congruum eſſet ut Græca lingua à vero non diſcreparet, in quo Latina normam Catholicæ fidei indiſſolubiliter tenet.

Græcorum objectiones. Hæ ſunt ergo ſuperfluæ quæſtiones ad ſæcularia potiùs quàm ad ſpiritalia tendentes, quæ non videntur procedere ab experientiâ magni intellectûs, ſed naſci à reprehenſibilitate exterioris ſenſûs. Illud itaque pelagus, ut jactatur, iniquus eloquentiæ infert Romanis auribus. Quare Spiritum ſanctum à Patre & Filio profiteamur procedere, & non à ſolo Patre, rurſus quare in Sabbatis jejunium exerceamus, & quare ab officio Preſbyterorum nuptias arceamus. Addunt etiam quare Preſbyteri Latinorum inhibeantur frontes baptizatorum chriſmate linire, cum locus conſignandi in fronte propriè ſit Epiſcoporum, & in vertice Preſbyterorum. Item ſciſcitantur quare à carnium eſu octo hebdomadibus ante Paſcha, & ſeptem à caſei & ovorum more ſuo non ceſſamus. Opponunt preterea cur Clerici barbas radant, & quare Diaconi
d nondum ſuſcepto Preſbyteratûs officio in Epiſcopos ordinantur, [d] ut mos eſt aliquando Romanis. Conqueruntur etiam de tranſmigratione Principatûs Romanę Sedis, quam dicunt factam Conſtantinopoli, unde & eam cum Patriarcha ſuo caput dignitatis appellant. Ad ſtultarum cumulum & inertiam ineptiarum garrientes inquirunt, quare chriſma noſtrum, imò Dei, ex aquâ fluminis conficiamus, & quare agnum ſimul cum corpore Chriſti & Sanguine in Paſcha ſuper altare ponamus, & more Judęorum offeramus, cum nullatenùs hæc vel aliquis deſipientium unquam crediderit. Quæ duo in tantum videntur indigniſſima, ut ab auditu fidelium ex toto judicentur penitùs eſſe extranea.

Hæc deliramenta verſutiarum græcalis induſtria ſupercilioſo ambitu per Romanum ſpargit Imperium, & Dominicis aciebus immittens, aſtu calliditatis ſcatuciens, contendit laceſſere quietos. At contrà repugnant ducibus injuſta molientium agmina ſupernarum virtutum, quin imò longè portendunt ſcutum ſanctæ repulſionis illuſtrium defenſio Patrum, concordia Canonum, auctoritas & victoria excellentiſſimorum Antiſtitum, per Chriſtiani nominis limitem in theoriâ magnificè vulgatorum, verbo ac doctrinâ cœlos contingentium. In hoc forti congreſſu non ferent vexilla tyrones, nec fatigata brachia efferent emeriti ſenes, ſed delecta viribus juventus, id eſt, in fide Chriſti perfectiſſimis utentes ſenſibus, ex omni parte armis ſacrorum dogmatum munita corpora menteſque ferentes, inclyta laceſſent bella, & Domino favente victores exiſtent. Lege autem triumphantis peracto certamine, dum laſſatis quaſi membris refrigerium ſubminiſtrabit Spiritûs ſancti afflatus, potiti voto glorioſiſſimi milites, & ob agonium eximiè lætantes, ad
Pſal. 23. 8. cœlos porrigent conſpicuos vultus, Regi Regum dominatori ſuo laudis præconia acclamantes: *Dominus*
Ibid. 10. *fortis & potens. Dominus potens in prælio.* Et: *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.* At verò exhilaratus pater totius Eccleſiæ, Apoſtolicæ ſcilicet Sedis beatiſſimus Pontifex, cum Paulo Apoſtolo erigens in excelſis

[c] *ſancto concertationis*] Hîc quoque pravam lectionem *ſanctæ converſationis*, amovit Baluzius, cum ipſum codicem cujus ope prior editio adornata eſt, accuratioribus oculis quàm Acherius, colluſtraſſet.

[d] *in epiſcopos ordinantur*] Non malè quidem; ſed cum in mſ codice legatur *in epiſ*. neſcio annon rectius ſit *in epiſcopatum*. Hîc notabit lector Æneam eadem Græcorum objecta repellere, quæ à Ratramno ſummâ vi repulſa eſſe vidimus ſuprà.

2. Tim. 4. 17. caput, hæc verba protectori Deo ſolemniter perſonabit: *Dominus autem mihi adſtitit & confortavit me; ut per me prædicatio adimpleatur; & audiant omnes gentes: & liberatus ſum de ore leonis. Liberavit me Dominus ab omni opere malo, & ſalvum faciet in regnum ſuum cœleſte, cui ſit gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.*

CAPIT. I. SANCTUS ATHANASIUS Alexandrinæ Sedis Epiſcopus, Græcæ linguæ experientiſſimus, ubi beatus Marcus Evangeliſta prædicit; quæ Sedes ſecunda eſt à prima Romana, ut Canonum ſtatuta decernunt, in Libro DE [e] UNITATE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS dicit: *Quod in Patre ſit Filius & Spiritus ſanctus, & quia Spiritus ſanctus à Deo Patre procedat, ubi nequaquam excluditur Filii nomen.*

SErviendum itaque eſt Chriſto Filio, quia & perfectus Deus, & verus eſt Filius. Et qui fideliter ſervit Filio, Patri ſervit, & Spiritui ſancto qui in eo eſt. Et qui adorat Patrem, in ipſo adorat Filium & Spiritum ſanctum, quia in Patre eſt Filius & Spiritus ſanctus qui à Deo procedit, ipſo Domino dicente: *Ego in Patre & Pater in me eſt.* (Joan. 14. 10.) De Spiritu quoque ſic ait: *Spiritus autem paraclitus qui à Patre meo procedit.* (Ibid. 15. 26.) Et cum Filium quis adorat, in eo Patrem adorat, & Spiritum ſanctum, quia in ipſo eſt Pater: dicente eo: *Qui me videt, videt & Patrem meum.* (Ibid. 10. 9.) Et iterum: *Pater autem in me manens, ipſe facit opera.* (ibid.) De Spiritu verò ſancto ſic ait: *Ille,* inquit, *me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* (Ibid. 16. 14.) Et, *omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi vobis, quia de meo accipiet.* (Ibid. 15.) Spiritus itaque Patris, Spiritus Filii eſt, Apoſtolo dicente: *Quod autem eſtis Filii Dei, miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda noſtra.* (Galat. 4. 6.) Et iterum: *Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* (Rom. 8. 9.) Et iterum: *Scio enim quia hoc mihi proveniet in ſalutem per veſtram orationem & ſubminiſtrationem Spiritus* JESU-*Chriſti.* (Philip. 1. 19.) In Evangelio quoque ipſe Dominus ait: *Paraclitum,* inquit, *Spiritum ſanctum, quem mittet Pater in nomine meo.* (Joan. 14. 26.) Et in Actibus Apoſtolorum ita legitur: *Tranſeuntes autem Phrygiam & Galatiam, vetiti ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum. Cum veniſſent autem in Myſiam, tentabant ire Bithyniam, & non permiſit eos Spiritus* JESU. (Act. 16.) Maniſeſtiſſimis igitur teſtimoniis probatur, quod Spiritus ſanctus, Spiritus paraclitus, Spiritus qui à Patre procedit, Spiritus ſit Filii, Spiritus Chriſti, Spiritus JESU.

CAP. II. Item S. ATHANASIUS in libro de unitate [f] Trinitatis: *Quod Spiritus ſanctus unitus Deus ſit in Patre & Filio,* ita dicit:

AN ignoras quia Pater unus Deus eſt, & Filius unus Deus eſt, & Spiritus unus Deus eſt? Nonne unus Deus eſt, dum unitum nomen eſt in natura una; ſic & unus Spiritus eſt, quia unita eſt ejuſdem deitas. Nam ſi tu per ſingula non [illegible] perſonarum unitum nomen Spiritûs ter deſignaſti, numquid tres Spiritus dicere oportet? abſit. Quòd ſi hoc putaſtat dici, tale erat ut & hoc in confeſſione debere introduci, tres Deos plurali numero nuncupari: ut jam non eſſe in his perſonis unita [g] natura divinitatis, ſed unuſquiſque in propriâ vel diverſâ naturâ ſuâ conſiſteret. Quod abſit. Interea rurſus eadem repeto, & ad tua dicta verba comparo, & ſenſum intellectûs mei tibi refero. * Pater unus Deus eſt, & Filius unigenitus Deus eſt, & Spiritus ſanctus unitus in Patre & Filio Deus eſt.

CAP. III. Item idem in eodem libro: *Quòd Spiritus ſanctus nec Pater ſit nec Filius, ſed de naturâ unitâ exiſtens, procedat de Deo Patre, & accipiat de Dei Filio.*

BEATUS JOANNES Evangeliſta dicit in epiſtolâ ſuâ: *Tres ſunt qui teſtimonium dicunt in cœlo, Pater & Verbum & Spiritus, & in Chriſto* JESU *unum ſunt.* (1. Joan. 5.) Non tamen unus eſt, quia non eſt in his una perſona. Nam *unum* quod dixit de utriſque, quid aliud intelligitur, quàm quod Deus Pater in naturâ divinitatis, idem ipſe dicatur & Dominus, idem ipſe ſit & Spiritus: & Filius Deus, idemque ſit in divinitate & Dominus, idemque ſit & Spiritus [h]? ſed & Spiritus paraclitus Deus, idemque ſit & Dominus in naturâ deitatis, idem ſit & Spiritus? Vides quia in deitate & in ſubſtantiâ plenitudinis per omnia unum ſunt, & in omnibus perſonarum tres ſunt. Nam quod tres ſunt, quid aliud ſentitur fuiſſe, quàm Pater verus unus, vel ſolus qui genuit, idem non ſit qui & unigenitus ab ipſo eſt? Et Filius unus qui non genuit ſicut ipſe à Patre genitus, Pater non ſit? & hic Spiritus ſanctus alius ſit, qui nec Pater nec Filius eſt, qui nec genuit nec genitus eſt? cum alius ſit in perſonâ qui genuit, & alter ſit in perſonâ qui unigenitus ab ipſo eſt, & alius adæquè in perſonâ, ut dixi, ſecundùm divinam Scripturam, qui nec Pater nec Filius eſt: hic eſt Spiritus ſanctus, ſed planè de unitâ naturâ eſt: ideò in deitate unitâ, unitum divinitatis [i] nomen eſt, ſicut in claritate Evangelicæ Scripturæ, de Spiritu paraclito Filius teſtatur, dicens: *De Patre procedit:* (Joan. 15. 26.) & ſic proſequutus eſt: *Et de meo accipiet.* (Ibid. 16. 14.) Et ideo ubi perſonæ requiruntur, propria nomina [per hæc] * diſtinguuntur. Ubi autem deitas poſcitur, unitum nomen [in his] * indicatur. Quoniam *ſumus* ad nomina perſonarum pluraliter dictum demonſtratur: ac per hoc in deitate * unita unum ſunt, & in nominibus perſonarum tres ſunt.

CAP. IV. Item idem in libro ſecundo de propriis perſonis, & de unito nomine divinitatis: *Quòd Spiritus ſanctus ſicut mittitur à Patre, item mittitur & à Filio.*

SI Filius in nomine Patris venit, numquid ipſe eſt Pater qui ait: *Ego veni in nomine Patris mei:* (Joan. 5.) dum Pater Deus ſit, in cujus nomine Filius venit manifeſtè? Ac per hoc in unitâ naturâ divinitatis unum nomen eſt comprobatum, ſicut ipſe Pater ad

e *in libro de*] Hujus libri qui eſt *de Unitate Dei*, titulus hic eſt in editis, *De Ariana & Catholica fide*

f *de Unitate Trinitatis*] In Græco *de Unitate Dei.*

g *in his perſonis unita*] Achierius alias legi monet *in his una*, quod magis placet. [illegible], *intellectûs mei tibi revelo*

h *Idemque ſit & Spiritus*] Sic alias legi monet Acherius; quod in textu legebatur *ſit in deitate*, non illud quidem erat omnino malum, ſed duas poſtremas voces ſatis conſtat eſſe ſuperfluas.

i *unitum divinitatis nomen eſt*] Haud omittendum eſt quod Acherius alibi reperit horum verborum loco, *communitur nomen ei eſt.* Infra quæ uncinis incluſa vides, addita ſunt è veteri verſione edita. Mox ubi legebatur *in deitate divinitatis*, poſtremam vocem, ejuſdem veteris verſionis editæ fidem ſequuti, expunximus. Hoc etiam non omittendum eſt, vocem *divinitas* editam ab Acherio, fere omnibus locis ubi vocem *deitas* edidimus, quod cum invito codice ſuo fecit, tum etiam contra auctoritatem veterum, quibus vox *deitas* magis placebat, ut infrà diſcimus Ant. in Havelb. Dial. lib. 1. cap. 17, *totius divinitatis, vel ſi melius dici poteſt, deitatis*, &c.

Exod. 23. 19. legiſlatorem Moyſen teſtatus eſt, dicens: *Attende illi, & ne fueris inobediens: nomen enim meum in illo eſt.* *Pſal. 117.* Ad hæc Patriarcha David ſic ait: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Nam & ſi Spiritus paraclitus in nomine Filii venit, ut ipſe dicit, *Quem mittet Pater in nomine meo*, numquid & ipſe Filius eſt dictus, cum ſine dubio nomen Filii Deus ſit in unâ pariter naturâ divinitatis? In hoc ergo nomine evidenter paraclitus venit. Ideo per ſingulas perſonas ſecundùm ſubſtantiam naturæ Trinitatis unitum nomen eſt tibi declaratum. *Iſai. 63.* Iſaias ſanctus hæc approbans dixit: *Deſcendit Spiritus à Deo, & eduxit eos; ſic eduxiſti populum tuum facere tibi nomen gloriæ.* Sed & ipſe idem indicat: *Et irritaverunt Spiritum ſanctum, & converſus eſt illis ad inimicitiam, Dominus ipſe expugnavit eos, & rememoratus eſt dierum æternorum, qui eduxit de terrâ paſtorem ovium.* Et ſubjunxit: *Ubi eſt qui poſuit in illis Spiritum ſuum?* Vides ergo de unito naturæ deitatis nomine gloriam Patris & Filii eſſe hunc Dominum Spiritum ſanctum, qui eduxit Filios Iſrael de terrâ Ægypti, *Exod. 13.* ſicut Propheta dicit: *ſic eduxiſti populum tuum facere tibi nomen gloriæ, qui converſus eſt filiis Iſraël ad inimicitiam.*

CAP. V.

Item idem in eodem libro: *Quòd Spiritus ſanctus mittatur à Patre ſimul & à Filio.*

SEd & ſi Spiritus paraclitus in ſuo nomine tantùm veniſſet, quod dicitur Spiritus paraclitus, & non in unitâ ſubſtantiâ Patris & Filii quod nominatur Deus, jam proprium ejus in perſonâ eſſe videretur, & non ſecundùm unitam naturæ deitatis in utriſque. Ut tantùm unuſquiſque nomina ſingula in perſonis oſtenderet, deitatis autem unitum nomen non indicaret. Porro in hoc unito nomine deitatis Patris, venit verus Filius, in quo dicitur Deus, in quo claritatis[1] nomen eſt cum Patre. In cujus naturæ nomine venit & Spiritus paraclitus, quia in hac ipſa ſacroſanctâ Trinitate hoc nomen ſubſtantialiter ſive uniter conſiſtit, ſicut ſuperiùs prædixi Patrem de *Exod. 23. 19.* Filio ſuo indicantem, *Nomen meum eſt in illo.* Et Filium hæc dicta confirmantem: *Ego veni in nomine Patris mei, & non me recepiſtis. Cum autem alius venerit in nomine ſuo, eum recipietis.* Sed & de Spi- *Joan. 14. 26.* ritu ſancto ipſum rurſum repetentem: *Quem mittet Pater meus in nomine meo.* Et deinceps cum de no- *Marc. 11.* mine ſuo audi diſcipulos hortantem: *Omnia quæcumque petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis.* Sed & Apoſtolum Paulum eadem teſtantem: *1. Cor. 6.* *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis in nomine Domini noſtri* JESU-CHRISTI, *& Spiritu Dei noſtri.* Audi Iſaïam de unito nomine gloriæ ſancti Spiritûs declarantem: *Deſcendit Spiritus à Deo, & eduxit eos: ſic eduxiſti populum tuum facere tibi nomen gloriæ.* Diſce jam unitum nomen eſſe in natura divinæ Trinitatis.

CAP. VI.

Idem ipſe in eodem libro: *Quòd Spiritus paraclitus à Patre ſimul mittatur & à Filio*, ſic proclamat.

IN hoc ſanè alius eſt Pater in perſonâ, qui verè genuit, & in hoc alter eſt Filius à Patre in perſona, qui verè ab eo genitus eſt; ſed & in hoc alter eſt in perſonâ Spiritus hic principalis paraclitus à Patre & Filio, qui in Pentecoſte in Apoſtolos effuſus eſt. Et ideo hæc ſigillatim dicta memento, ut nomina ſingula in perſonis eſſent diſtincta. Vides quia alter ab altero, ſive alius ab alio in perſonâ tantùm differt, & non in plenitudine divinitatis ideo, ſicut ipſe Dominus ait: *Alius eſt qui teſtimonium perhibet mihi, qui me miſit Pater.* *Joan. 5.* Sed & alio in loco idem ipſe perſonam ſancti Spiritûs indicat: *Rogabo Patrem meum & alium paraclitum mittet vobis.* *Ibid. 14.* Scito alium ab alio, ſive alterum ab altero in perſonâ tantùm differre, & non in unâ plenitudine divinitatis uniæ.

CAP. VII.

Item idem in eodem libro: *De communi miſſione Spiritus ſancti à Patre & Filio*, ita fatur.

ERgo ſi Filius in nomine Patris venit, & Spiritus paraclitus in nomine Filii venit, ſicut Filius de eo teſtatur: *Quem mittet Pater in nomine meo:* non *Ibid. 14. 26.* tibi videtur, quia duplex & hic continetur intellectus, id eſt, ut in nomine perſonarum tantùm ſit diſtinctio, in deitate autem nulla ſit diſcretio?

CAP. VIII.

Item idem ipſe in præſenti libro: *Quòd Spiritus ſanctus à Deo Patre mittatur, ſimul & à Dei Filio; & quòd unita poteſtas in eis ſit*, ita inquit.

NAm de perſonâ Spiritûs ſancti Filius teſtatur, dicens: *Quem mittet Pater in nomine meo.* *Ibid.* Vides Filium in hoc nomine veniſſe, quod & in deitate Patris uniter eſſe oſtenditur. Et Spiritum ſanctum in hoc nomine veniſſe indicatur: Apoſtolos autem miſſos fuiſſe, ut baptizarent omnes Gentes in unito vel communi nomine deitatis, quod eſt naturæ inviſibilis ſancti Spiritûs, ſicut ſcriptum eſt: *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die redemptionis veſtræ.* *Galat. 4. 30.* Vel hoc; *Et omnes unum Spiritum potavimus.* *1. Cor. 12. 13.* Sive unitatis nomen baptiſmo operante ſuſcipe dicentis: *Et vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus Omnipotens.* *2. Cor. 6. 18.* Vel hoc accipe; *Ex Deo nati ſunt.* *Joan. 1. 13.* Nec non: *Et baptizetur unuſquiſque veſtrûm in nomine* JESU-CHRISTI. *Act. 2. 38.* Et in alio loco: *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis in nomine Domini* JESU-CHRISTI, *& Spiritu Dei noſtri.* *1. Cor. 6. 11.* Sed & quod ex Deo natus eſt, Johannes teſtatur: *In ſua venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem eum receperunt, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, credentibus in nomine ejus. Qui non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* *Joan. 1. 11.* Diſce ergo hoc unitum nomen eſſe ſempiternum in Deitate Patris & Filii, & ſancti Spiritûs, ſicut & unum baptiſma eſt fidei, quod vitam æternam credentibus tribuit. Quia ſicut unum eſt in naturâ Trinitatis, ita & unum donum per baptiſmum divinitatis. Apoſtolus ait: *Una fides, unum baptiſma.* Idcircò quod nomen Patris ſit in divinitate, hoc nomen ſit & Filii in naturâ deitatis; ſic & ſancti Spiritûs identidem hoc nomen ſit in ſubſtantiâ claritatis.

CAP. IX.

Item idem in eodem libro: *Unitam naturæ virtutem oſtendens mittentis & miſſi Filii*, ſic dicit:

O Inaudita adhuc penitùs tam inquiſita perſcriptio! Itaque ſuggerente ipſo de ſe ſancto Spiritu reſpondeo. Nunc oportet nos unum pro multis pertinens dare auctoritatis exemplum. Memento unitam eſſe hanc naturæ virtutem mittentis & miſſi, dum hic qui nunc miſſus eſt, ipſe jampridem miſiſſe mittentem inveniatur. Denique per ſanctum Iſaiam Dominum Dei Filium accipe teſtantem: *Accedite ad me & audite hæc. Non ab initio in occulto locutus ſum. Cum fierent illic eram, & nunc Dominus miſit me & Spiritus ejus.* *Iſai. 48.* Diſce tan-

[1] *in quo claritatis*] Aliàs, *in quo idem eſt naturâ cum Patre.*

dem

dem aliquando unam eſſe hanc naturam divinitatis mittentis & miſſi, dum qui nunc in Evangelio quamvis miſſurum ſe Spiritum paraclitum teſtatus ſit, tamen ſe ipſe ab eo jam priùs miſſum per inclytum Prophetam Iſaïam fuiſſe profeſſus ſit: dum hic qui mittitur à mittente nunquam dividitur, quia indiſcreta natura eſt: dum inter mittentem & miſſum perſonæ oſtenduntur, & nulla in divinitate diviſio eſt, propterea quòd ubique præſens ſit hæc unita plenitudo, & omnia impleat interiùs & exteriùs à ſummitate cœlorum uſque ad profundum inferorum.

CAP. X. m

Item idem ipſe *in libro quem* [m] *fecit contrà objectiones cujuſdam Potentini Urbici*, ita proſequitur:

Luc. 7. Filius, *inquit*, ad Patrem clamat: *Pater honorifica nomen tuum. Et venit vox de cœlis: Et honorificavi & iterum honorificabo.* Nam & alio in
Joan. 17. loco idem ipſe repetit: *Ego à Patre exivi & veni.* Utique ſi ipſe erat Pater in perſonâ qui & Filius, ſic debuerat intimaſſe: Ego à me exivi & veni in hunc mundum, dum procul dubio alter ſit qui exivit, & alius de quo exierit. Sed ad hæc ſubjunxit de per-
Ibid. 16. ſonâ ſancti Spiritûs: *Dum venerit advocatus ille, quem ego mittam vobis à Patre meo, Spiritum veritatis, qui à Patre meo procedit, ipſe teſtificabitur de me.* Ita & non alter eſt qui mittit, & alius adæquè in perſonâ à quo procedit; & alter eſt hic ipſe qui venit? Denique ſi una eſſet perſona, à quo tandem mitteretur, vel à quo procederet? Sicut Apoſtolus hæc in ſalutatione ad Corinthios confirmat,
2. Cor. 13. 13. dicens, *Gratia Domini noſtri* JESU *Chriſti, & charitas Dei*, hoc eſt, Patris, *& communicatio ſancti Spiritûs cum omnibus vobis.* Nonne apertè per ſingula nomina, ſicut ſuperiùs continentur, ſingulas perſonas ineſſe diſtinxit? Denique ad hæc ipſius Filii
Joan. 5. 32. dicta ſuſcipe dicentis: *Alius eſt qui teſtimonium perhibet mihi, qui me miſit Pater.* Dum infrà de ſe dicat *alius*, vides quia alius eſt Pater in perſonâ Filii, & non alius eſt in divinitate, ſed & de Spiritu ſancto
Ibid. 14. 16. ſic ait: *Rogabo Patrem meum, & alium paraclitum mittet vobis.* Conſidera & alterum eſſe Spiritum paraclitum in perſonâ, & non tamen eſſe alterum in divinitate. Ideo alter ab altero in perſonâ tantùm differt, & non in deitate *οὐσίᾳ*. Itaque alter eſt Pater in perſonâ qui genuit, & alius Filius eſt qui genitus ab ipſo, & alius Spiritus paraclitus qui de unitâ naturâ eſt. Sed dicis mihi hæretice! Quemadmodum Spiritus de unitâ naturâ conſiſtit? Ecce Filius de eo
Ibid. 15. 16. teſtatus eſt; *à Patre procedit*; & ſic proſequutus eſt:
Ibid. 16. 14. *Et de meo accipiet.* Quod teſtimonium Pater comprobavit, dicens: *Spiritus à me procedit.*

CAP. XI.

Item idem in libro V. de unitâ ac ſempiternâ ſubſtantiâ Trinitatis: *Quod Spiritus ſanctus à Patre & à Filio procedit.*

Sempiternitas Patris Filius ejus eſt, quia de ipſo inenarrabiliter ante omne exordium omninò natus eſt. Et ſempiternitas Filii Pater ejus eſt, quia ipſe eum ante cuncta ſæcula ſæculorum incomparabiliter genuit. Sic ſempiternitas Spiritûs paracliti unita deitas ejus eſt cum Patre & Filio, quæ facta non eſt, ſicut Filius teſtatus eſt de eo: *A Patre procedit, & de meo accipiet.* Sed & Pater hæc dicta comprobat per Prophetam dicens: *Spiritus à me procedit.* Et
Joël. 2. 28. alio in loco: *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem.* Quod in Pentecoſte in Apoſtolos factum fuiſſe Scriptura divina teſtatur. Nam ſicut Pater declarat Filium ſuum deitate ſuâ, quoniam Deus verus eſt, ſic & Spiritus ſanctus revelat Patrem & Filium in unitâ naturâ ſuâ æternâ, quoniam Deus verus eſt. Hæc, inquam, unita omnipotens ſempiternitas Trinitas eſt, cui de recenti in deitate nulla acceſſit dignitas.

Item idem in eodem libro de ſancto Spiritu: *Quòd in Patre & Filio conſiſtat.* CAP. XII.

Non eſt, *inquit*, divina ſubſtantia aut extenſa vel protenſa in aliquo, vel excisa in partibus, ſed nec derivationi alicujus rei comparatur; quia liquor non eſt in hac naturâ planè, ſed nec defluxio quædam eſt, quia nullum detrimentum vel augmentum ſuſtinet: præſertim cum inenarrabilis ſit hæc plenitudo ſubſtantiæ indiviſæ Trinitatis, ſicut ipſe Deus Dei Filius indicat: *Ego in Patre & Pater in me.* Sed & Spiritus ſanctus in Patre & Filio & in ſe conſiſtens, ſicut Johannes Evangeliſta in Epiſtolâ ſuâ tam abſolutè teſtatur: *Et tres unum ſunt.*

Idem ipſe in libro VI. de beatitudine fidei: *Quòd Spiritus ſanctus in virtute præſcientia Patris & Filii unanimiter conſiſtat.* CAP. XIII.

De unito nomine deitatis multifariam quamvis ſit dictum per ſingulas perſonas, quod retuliſti in Patre, hoc ipſum ut confitearis neceſſe eſt uniter eſſe & in Filio. Deum de Deo, lumen de lumine, totum de toto, & totum in toto, perfectum de perfecto, plenitudinem de plenitudine, integrum de integro, ſempiternum de ſempiterno, ſapientiam de ſapientiâ, virtutem de virtute, unum de uno, & unum in uno, verum de vero, Filium de Patre, natum non factum, unius ſubſtantiæ cum Patre: ſed & Spiritum ſanctum, qui de unâ Trinitate conſiſtit, Deum verum, lumen verum, totum perfectum, totum plenum, integrum, ſempiternum, in ipſo ſapientiam, virtutem præſcientiæ Patris & Filii conſiſtentem.

Item ipſe in libro VII. *De profeſſione regula Catholica*, *de ſancto Spiritu ſic commemorat; exemplum ponens de Pſalmographo.* CAP. XIV.

Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. *Pſal. 32. 6.* Utique Verbum Filium declaravit: Dominum autem Patrem ejus indicavit, & Spiritum oris ejus Spiritum principalem eſſe demonſtravit. Vides quàm breviter per ſingulas ſignificationes in perſonis ineſſe diſtinxit, id eſt, Verbum, & Dominum & Spiritum, & unitam operationem in his eſſe oſtendit. Nam ſi te adhuc in aliquo ambiguitas tenet, eadem ipſa repeto. Ubi ait: *Verbo Domini*, non ſolùm vocis inconſubſtantivum accipias; quem ſi validiùs quis emiſerit, de montibus ſolet reſonare echo; cujus tantùm in phantaſiâ auditus eſt reſonantis, ſed factus nullus. Sanè de hoc verbo Domini noſtri Patris, qui eſt ſalus noſtra, ſic ubique divinæ Scripturæ teſtantur, quia Filius Dei Deus eſt ſubſtantivus, *per quem omnia facta ſunt.* Ergo quia dixit: *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, cognoſce hoc verbum ſubſtantivum non aliunde quàm de Patre propriè natum fuiſſe; ſed *& Spiritu oris ejus* eum Spiritum dixit, qui de ipsâ unitâ ſubſtantiâ proceſſit, ſicut cautum invenimus; non ex aliâ naturâ quàm de ipsâ; ac per hoc unita eſt Patris & Filii & ſancti Spiritûs ſubſtantia, quam Græci dicunt *οὐσίαν*: & unita eſt ejuſdem Trinitatis operatio in facturâ.

[m] *in libro quem*] Hujus libri qui quartus eſt *de Unitate Dei*, titulus hic habetur in editis *de ſingulis nominibus.*

CAP. XV. n

Item ipſe in libro VIII. [n] de fidei unitate: *Quòd Spiritus ſanctus à Patre & Filio quaſi una procedat flamma*, egregiè paucis verbis ita concludit.

QUomodo ergo duo ligna conjuncta miſſa in fornacem ignis, & de duobus lignis procedit flamma inſeparabilis, ſic de Patris & Filii virtute procedit Spiritus ſanctus, ipſam virtutem deitatis habens. Sicut beatiſſimus Paulus poſuit dicens: *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus* JESUS; (1. Tim. 2. 5.) non Deus Dei mediator. Unum enim eſt, *uſque ad* Trinitatem.

CAP. XVI. o

Item idem ipſe in libro VIII. [o] *de Trinitate & de Spiritu ſancto*, ſic dicit.

SIgnificanter verò Dominus & alium paraclitum eſſe dixit Spiritum ſanctum, quoniam ipſe paraclitus eſt, ſicut Johannes in Epiſtolâ ſuâ ait: *Hæc vobis ſcripſi ut non peccetis. Quòd ſi peccaverimus, paraclitum habemus ad Patrem* JESUM *Chriſtum, & ipſe propitiatio eſt pro peccatis noſtris.* Ut docerèmur Spiritûs cum Filio æqualitatem.

CAP. XVII.

Item idem in eodem libro: *Quòd Spiritus ſanctus ſit Spiritus Domini* JESU, ita inquit.

SIcut Pater ſuſcitat mortuos & vivificat, ſic & Filius quos vult vivificat: ad Romanos dicit. (Rom. 8. 11.) *Si Spiritus ejus qui ſuſcitavit* JESUM *à mortuis habitat in vobis; qui ſuſcitavit* JESUM *Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra per inhabitantem Spiritum ſuum in vobis.*

CAP. XVIII.

Item in eodem libro: *Quòd Spiritus ſanctus inſpiratio ſit Patris & Filii: inſuper & Filius ſit fons Spiritûs ſancti; quocirca comprehenditur procedere & à Filio.*

SApientia Salomonis in Proverbiis ita exequitur: (Prov. 20. 27.) *Lux Domini ſpiratio eſt hominum, qui ſcrutatur interna ventris.* Et manifeſtum eſt, quia Spiritus omnia ſcrutatur, quemadmodum ſcribit Paulus; & quod à principio formato Adam in faciem ejus ſpiraſſet Deus Spiritum ſanctum, ſicut Moyſes ait: (Geneſ. 2. 7.) *Et ſpiravit Deus in faciem Adæ inſpirationem vitæ; & factus eſt homo in animam viventem.* Neque id quod ſpiratum eſt à Domino, anima eſt, ſecundùm fabulatores Judæos: alioqui quomodo hoc quod à ſe ſpiratum eſt, Deus igni æterno condemnat? Sed vivificans Spiritus eſt, de quo & Paulus ait; (Joan. 6. 24.) *Spiritus verò vivificat*; Et, *Spiravit Deus in faciem ejus ſpirationem vitæ*; & *factus eſt homo in animam viventem.* Itaque Spiritus ſanctus eſt Spiritus vitæ, à quo excidentes nonnulli viventes mortui ſunt, ſicut Paulus ſcribit: (1. Tim. 5. 6.) *Nam quæ in deliciis eſt*, ait, *vivens mortua eſt.* Alioqui quomodo audiendus eſt Salomon dicens: *Lux Domini ſpiratio eſt hominum, qui ſcrutatur interna ventris*: ſi animas hominum lumen Dei eſſe dicitis, niſi Spiritum ſanctum lumen Dei eſſe credatis, dicente Moyſe; *Spiravit Deus in faciem Adæ ſpiraculum vitæ.* Et Filius Dei: *Ego ſum vita.* Sed & ſapientia Salomonis introducentem ſalvatorem dicit: (Prov. 1. 23. Ibid. 1. 24.) *Ecce proferam vobis meæ aſpirationis profeſſionem*: Sic enim in Proverbiis ait: *Sapientia in exitu canetur, in plateis verò fiducialiter aget, portis autem potentium aſſiſtet, in muris quoque civitatis confidenter aget. Quanto tempore obtinent prudentes juſtitiam, & non erubeſcent: imprudentes autem contumeliæ cum ſint cupidi & impii effecti, odio habuerunt ſenſum, & obnoxii facti ſunt increpationibus. Ecce proferam vobis meæ aſpirationis profeſſionem, docebo vos meum ſermonem.* Et Iſaias Spiritûs ſancti promiſſionem prædicans, ſic ait: (Iſai. 42. 5. ſecund. LXX.) *Dixit Dominus, qui cœlum fecit & affixit eum; qui ſolidavit terram & quæ in eâ ſunt: qui dat ſpirationem populo qui eſt ſuper eam, & ſpiritum calcantibus eam.* Dicite quis eſt populus qui accepit ſpirationem: numquid & hîc ſpirationem animam eſſe dicitis, & dabitis ſine animâ populum ſuper terram conſtitiſſe? Sed non eſt: profeſſionem namque Spiritûs ſancti prædicans Propheta hæc ait. Denique completam profeſſionem ſuper fideles qui fuerant ſub illo tempore ſcripſit Lucas: (Act. 2. 1.) *Et cum complerentur dies quinquageſimæ, erant pariter omnes in unum, & factus eſt ſubitò ſonus è cœlo, tamquam Spiritus ſanctus vehemens ferretur, implens totam domum ubi erant ſedentes; & viſæ ſunt eis diviſæ linguæ tamquam ignis, & ſedit ſuper unumquemque eorum: & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus dabat pronuntiare eis.* Simili modo magnus ille Job adversùs amicos ſuos, cum eſſent Spiritu ſancto privati, & nihil verum dicerent, neque opinarentur ſe ante Deum loqui: aiebat ergo Job: (Job 26. 4.) *Nonne ante Deum loquimini?* Et rurſum: *Cui annuntiaſtes verba? Spiratio verò cujus eſt quæ procedit à te?* Ex quibus unus magna loquens dicebat; (Ibid. 8. 27.) *Spiritus eſt qui mortalibus intercedit: ſpiratio verò omnipotentiæ eſt, quæ me docet.* Omnipotens autem Filius Dei, de quo Zacharias ait: (Zach. 2. 8.) *Proptérea ſic dicit Dominus omnipotens. Poſt gloriam miſit me ſuper gentes.* Igitur Salomone dicente: (Prov. 20. 27.) *Lux Domini ſpiratio eſt hominum.* Et à Moyſe inſtructi: (Gen. 2. 7.) *Spiravit Dominus in faciem Adæ ſpirationem vitæ; & factus eſt in animam viventem.* Audientes verò & Salvatorem dicentem: (Joan. 11. 25.) *Ego ſum vita*, & Paulum ſcribentem: (Rom. 8. 2.) *Lex enim ſpiritus vitæ.* Et rurſum: (Galat. 4. 6.) *Miſit Deus ſpiritum filii ſui in corda noſtra.* Videntes autem etiam Unigenitum inſufflantem in faciem Apoſtolorum & dicentem: (Joan. 20. 22.) *Accipite Spiritum ſanctum.* Spirationem igitur Filii in propriâ vitâ & ſubſtantiâ manente Spiritum eſſe doceamur. Et neque genitum, neque creatum eſſe à Filio ſapiamus, nequaquam genitum Filium credamus eſſe Spiritum, & quòd Dominus ſit verbum Filii: genitum verò à Deo verbum ſuum in propriâ vitâ & ſubſtantiâ permanens cum ſit vita filius Dei. Propterea vero non eſt genitus ab eo Spiritus, quia non eſt verbum ejus. Creatum verò dicere Spiritum, abſit. Veruntamen ſpirationem filii Dei eum & à ſanctis Scripturis docti ſumus, & fontem ſpiritûs, & filium Dei dicimus audientem Filium: (Jerem. 2. 13.) *Quia duo nequam fecit populus iſte. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi lacus contritos, qui non poterunt aquam portare.* Aqua viva Spiritus ſanctus eſt, ſicut Johannes docuit, Salvatore dicente ad Samaritanam mulierem: (Joan. 4. 10.) *Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui tibi dicit; Da mihi bibere, tu utique petiſſes, & dediſſes tibi aquam vivam.* Et rurſum: *Quicumque biberit ex aquâ quam ei dabo, non ſitiet in æternum.* Et in medio templi clamat: (Ibid. 7. 37.) *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat: Qui credit in me, ſicut dixit ſcriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Et inter-

n *in libro VIII.*] Nequaquam, ſed in decimo: niſi fortaſſe Æneas octavum librum *de Propriis perſonis ac de unito nomine Divinitatis* laudare voluit; nam hæc ejus ætate in eo libro lecta fuiſſe conſtat ex Rattamno, lib. 3. cap. 6. quæ nunc illic non comparent.

o *libro VIII. de Trinitate*] Hoc ex loco, perinde atque è ſuperiori diſcimus quàm temerè ab amanuenſibus operum Athanaſii tituli huc illuc tranſlati ſint: hæc enim & ſequentia duo capitula habentur in libro XI. *de fide unitatis Patris & Filii, & Spiritûs ſancti.* Vide ſuprà in Rattamno lib. 3.

[Joan. 39.] pretatus eſt ſic : *Hoc autem dicebat de Spiritu ſancto, quem accepturi erant qui credituri erant in eum.* Ita [Iſal. 44. 3. 4. Secundum LXX.] etiam & Iſaias Dominum dixiſſe ait : *Quia ego dabo in ſiti aquam his qui in ſicco iter faciunt ; & ponam Spiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictiones meas ſuper filios tuos, & orietur tamquam in aquâ fœnum, & velut ſalix inter fluent aquæ.* Ergo manifeſtè in Scripturis ſanctis profitentibus aquam vivam Spiritum ſanctum eſſe cognovimus. Dominus [Jerem. 2. 13.] ſe fontem Spiritûs eſſe dixit, ſic : *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ* ; Sicut David canit in Pſalmo [Pſal. 35. 10.] xxxv. dicens ad Dominum : *Quia apud te fons vitæ.* Igitur præter Dominum oſtende alium fontem eſſe vitæ, qui apud eum ſit. Non enim dixit, quia tu es fons vitæ, ſed *quia apud te fons vitæ eſt.* Eſt verò apud Deum, & eſt Filius fons exiſtens Spiritûs, de [Rom. 8. 10.] quo Paulus ad Romanos ſcribit : *Spiritus verò vita propter juſtitiam*, ita non alienum, ſed proprium Patris eſſe eum dicit. Nam cum profeſſus [Ibid.] fuiſſet, *quia apud te eſt fons vitæ* : adjunxit : *In lumine tuo videbimus lumen.* Id eſt, in Filio tuo videbimus Spiritum. Nec non etiam in nomine virtutis Dei appellatus Spiritus, & virtus, & ſapientia eſſe monſtratur. Audivimus enim Salvatorem in Evangelio dicentem diſcipolis ſuis miſſurum eſſe Spi- [Luc. 24. 49.] ritum ſanctum, qui dicit : *Ecce ego pramittam promiſſionem Patris mei ſuper vos. Vos verò ſedete in civitate, donec induamini ex alto virtute.* In Acti- [Act. 1. 8.] bus verò Apoſtolorum idem Dominus ait : *Sed accipietis virtutem, ſupervenient ſuper vos Spiritu ſancto.* Hoc quoque impletum eſſe comperimus ſub die Quinquageſimæ conſummatæ. Aut ergo virtutem Dei Spiritum eſſe profitemini, aut ſicut Sabellius paraclitum, cum ſit virtus Dei, eumdem Filium eſſe prædicate. Et audientes Paulum dicentem : *Spiritus verò vita propter juſtitiam* : fontem iterum Spiritûs inſtruimur eſſe Filium, Hieremiam audite clamantem contrà Judæos : *Quia dereliquerunt me fontem vitæ Deum.* Alibi autem Spiritum ſapientiæ eſſe ſcientes Spiritum ſanctum, ſecundùm Iſaiam [Iſal. 11. 2.] quidem, dicentem : *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Dei, ſpiritus ſapientia & intellectus.*

[CAP. XIX.] Item idem in fide Catholicâ : *Quòd Spiritus ſanctus à Patre procedat & a Filio.*

PAter à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus : Filius à Patre ſolo eſt, non factus, non creatus, ſed genitus : Spiritus ſanctus à Patre & Filio, non factus, non creatus, nec genitus, ſed procedens. Unus ergo Pater, non tres Patres, unus Filius, non tres Filii, unus Spiritus ſanctus, non tres Spiritus ſancti. Et in hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil majus aut minus, ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales. Ita ut per omnia, ſicut jam ſupradictum eſt, & Trinitas in unitate, & unitas in Trinitate veneranda ſit. Qui vult ergo ſalvus eſſe, ita de Trinitate ſentiat.

[CAP. XX.] AMBROSIUS Mediolanenſis Epiſcopus in libro primò quem ſcripſit ad Gratianum Imperatorem ; *Quòd Spiritus ſanctus cum à Patre & Filio procedit, non tranſeat de loco ad locum*, ita tractat.

[De Spiritu S. cap. 10. unic.] ETenim ſi de loco procedit Spiritus, & ad locum tranſit, *&c. uſque ad hac verba* : Et revelaſti ea parvulis, *quæ finem capitis imponunt.*

[CAP. XXI.] Item idem ipſe in ſecundo libro ; *Quòd Spiritus ſanctus ſicut mittitur à Patre, ita mittitur & à Filio, & Filius ipſe mittitur à Spiritu.*

COnſidera quia Dominus noſter JESUS-CHRISTUS in Iſaia loquutus eſt, à Spiritu ſancto eſſe ſe

miſſum. Numquid ergo Spiritu minor Filius, quia miſſus à Spiritu eſt ? Habes igitur ſcriptum, quod Filius à Patre & Spiritu ejus dicat eſſe ſe miſſum. *Ego ſum*, inquit, *primus, ego in æternum, & manus mea fundavit terram, dextera mea ſolidavit cælum.* Et infrà : *Ego loquutus ſum, ego vocavi, ego adduxi eum, & proſperum iter ejus feci. Accedite ad me & audite hæc. Non in occulto ab initio loquutus ſum. Cum fierent illic eram, & nunc Dominus miſit me & Spiritus ejus.* [Iſal. 48. 13.] Utique qui cœlum fecit & terram, ipſe dicit à Domino & Spiritu ejus eſſe ſe miſſum. Videtis ergo quòd ſimplicitas ſermonis, non injuria ſit miſſionis. Ipſe igitur miſſus à Patre, ipſe eſt miſſus à Spiritu. Et ut agnoſcas nullam majeſtatis eſſe diſtantiam, etiam Filius Spiritum mittit, ſicut ipſe dixit : *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre meo, Spiritum veritatis, qui à Patre meo procedit.* [Joan. 15. 26.] Nunc eumdem Paraclitum & à Patre eſſe mittendum ſuprà poſuit dicens : *Paraclitus autem ille Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* [Ibid. 14. 26.] Vide unitatem, quia quem Deus Pater mittit, mittit & Filius, & quem mittit Pater, mittit & Spiritus.

Item idem in libro tertio : *Quòd Spiritus ſanctus à Patre ſit miſſus & Filio ; ubi miſſio, proceſſio intelligitur.* [CAP. XXII.]

SPiritum quoque & Pater miſit & Filius, Pater miſit quia ſcriptum eſt : *Paraclitus autem ille Spiritus ſanctus quem mittet Pater in nomine meo, &c. uſque ad hæc verba* : Digitus Dei appellatus eſt Spiritus ſanctus. [Lib. 3. cap 1. & 2.]

Item idem ipſe in eodem libro : *Quòd fluvius de ſede Dei & agni procedens Spiritus ſanctus ſit, ubi intelligitur ejus à Patre & Filio proceſſio.* [CAP. XXIII.]

HAbet ergo Spiritus quod habet Chriſtus. Habet igitur quod habet Deus, quia omnia quæ [Ibid cap 20. & 21.] habet Pater, habet & Filius. Ideoque dixit : *Omnia quæ habet Pater, mea ſunt.* [Joan. 16. 15.] Nec illud mediocre eſt, quod de throno Dei exire fluvium legimus. Sic enim dicit Johannes Evangeliſta : *Et oſtendit mihi flumen aquæ vivæ, ſplendidum tamquam cryſtallum, procedens de ſede Dei & agni ; & in medio plateæ ejus, ex utrâque parte lignum vitæ faciens fructum. Duodecim per ſingulos menſes reddentes fructum ſuum, & folia ligni ad medicinam omnium gentium.* [Apoc. 22. 1.] Hic eſt utique fluvius de Dei ſede procedens, hoc eſt Spiritus ſanctus, quem bibit qui credit in Chriſtum, ſicut ipſe ait : *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, ſicut dixit ſcriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dicebat de Spiritu.* [Joan. 7. 38.] Ergo flumen eſt Spiritus.

CYRILLUS, *Quòd Spiritus ſanctus à Patre procedat & Filio*, in Epiſtolâ ad Neſtorium, ſic dicit. [CAPITUL. XXIV.]

DE Spiritu quoque cum dicit : *Ille me clarificabit* : hoc rectiſſimè ſentientes, unum Chriſtum & Filium non velut alterius egentem gloriâ, [Epiſt. 10. in edit. Baſil.] confitentur ab Spirito ſancto gloriam conſequutum ; quia Spiritus ejus nec melior nec ſuperior illo eſt ; ſed quia mira opera faciens ad demonſtrationem ſuæ deitatis virtute propriâ Spiritus utebatur, ab ipſo glorificari dicitur : quemadmodum ſi quis de hominibus aſſeveret, quòd virtus ſua vel diſciplina quemlibet unumquemque clarificet. Quamvis enim in ſuâ ſit ſubſtantiâ Spiritus, & ejus intelligatur in perſonâ proprietas, juxtà id quod Spiritus eſt & non

Filius, attamen alienus non eſt ab illo. Nam Spiritus appellatus eſt veritatis, & veritas Chriſtus eſt, unde & ab iſto ſimiliter, ſicut ex Deo Patre procedit. Denique hic ipſe Spiritus etiam per ſanctorum manus Apoſtolorum miracula glorioſa perficiens, Deum glorificavit JESUM Chriſtum poſtquam aſcendit in cœlum. Nam creditus eſt Chriſtus naturâ Deus exiſtens, per ſuum Spiritum virtutes efficiens. Ideoque dicebat: *De meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Nequaquam verò participatione alterius idem Spiritus ſapiens aut potens dicitur, quia per omnia perfectus eſt, & nullo prorſus indigens bono. Nam paternæ virtutis & ſapientiæ idem Filii Spiritus creditur, & ideo ipſe & ſubſtantia virtus, & ſapientia comprobatur.

CAPITUL. XXV.

Item idem in Dialogo cum Theodoreto in tripertitâ hiſtoriâ Cyrriano Epiſcopo habito: *Quòd Spiritus ſanctus à Patre procedat, & à Filio non ſit alienus*, ſic proſequitur:

MEminimus enim dicentem Chriſtum palam de Spiritu ſancto: *Ille me clarificabit.* Novimus ad hæc ſancti Spiritûs operationem conterentem nequiſſimas immundaſque virtutes, ſed non ita dicimus eum ſicuti denique unumquemque ſanctorum, tamquam alienâ per Spiritum ſanctum utentem virtute. Fuit enim & eſt ejus Spiritus, ſicuti denique & Patris. Et hoc nobis benè ſatis explanat ſcribens ſacratiſſimus Paulus: *Qui autem in carne ſunt, placere Deo non poſſunt: Vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu, ſi tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* (Rom. 8. 8.) Procedit enim ex Deo & Patre Spiritus ſanctus, ſecundùm Salvatoris vocem, ſed non eſt alienus à Filio. Omnia enim habet cum Patre, & hoc ipſe docuit dicens de Spiritu ſancto: *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi vobis quia ex meo accipiet, & annuntiabit vobis.* (Joan. 16. 15.) Ergo glorificavit quidem JESUM Spiritus ſanctus inopinabilia operantem: verumtamen ſicut Spiritus ejus, & non aliena virtus, & eo ſuperior ſecundùm quod intelligitur Deus.

CAPITUL. XXVI.

HILARIUS *Pictavenſis Epiſcopus de miſſione Spiritus ſancti à Filio, in libro quem ſcripſit in Germaniam, Galliam, Belgicam, Lugdunenſem, Novempopulanam, Toloſam, & Britanniam*, ſic dicit:

CRedimus & in Spiritum ſanctum, hoc eſt paraclitum, quem promittens Apoſtolis ſuis, poſt reditum ſuum in cœlos, miſit docere eos ac memorari omnia, per quem ſanctificantur ſinceriter in eum credentium animæ.

CAPITUL. XXVII.

Item idem in eodem libro.

SI quis Spiritum ſanctum paraclitum dicens, innaſcibilem Deum dicat, anathema ſit. (Adjectio nunc p Paracliti, anathemati obnoxium facit innaſcibilis in eum Dei prædicationem. Impiiſſimum enim eſt innaſcibilem Deum eum dici, qui ad conſolationem noſtram ſit miſſus à Filio.) Si quis, ſicuti docuit nos Dominus, non alium dicat Paraclitum à Filio, dixit enim: *Et alterum Paraclitum mittet vobis Pater, quem rogabo eum*; anathema ſit. (Joan. 14. 16.) (A Filio Paraclitum miſſum meminimus, & in principio hoc fides ipſa expoſuit. Sed quia frequenter Filius propter indifferentis naturæ virtutem opera ſua, opera Patris eſſe dixit dicens: *Ego opera Patris mei facio*: miſſurus quoque Paraclitum, ſicuti frequenter ſpopondit, interdum eum & mittendum dixit à Patre, dum omne quod ageret, piè referre eſt ſolitus ad Patrem. Ex quo hæretici occaſionem frequenter arripiunt, ut ipſum eſſe Filium Paraclitum dicant, cum in eo quod alium Paraclitum mittendum à Patre ſit precaturus, differentiam miſſi, rogantiſque ſignificet.) Si quis Spiritum ſanctum Patrem dicit Patris vel Filii, anathema ſit. (Stultitia hæretici furoris hæc coëgit in ſcripturâ referre, non quæſtio. Nam Spiritûs ſancti nomen habeat ſuam ſignificationem, & Spiritus ſanctus Paraclitus habeat ſubſtantiæ ſuæ & officium & ordinem. Et cum ubique indemutabilis Pater & Filius prædicetur, quomodo pars eſſe aut Patris & Filii Spiritus ſanctus aſſeretur? Sed quia ſicut inter cætera inſaniarum genera, etiam hoc quoque proferri ab impiis ſolet, idcirco à ſanctis debuit improbari.) Si quis Patrem & Filium & Spiritum ſanctum tres dicit Deos, anathema ſit.

CAPITUL. XXVIII.

Item S. HILARIUS, *Quòd unum ſit Spiritui ſancto à Patre procedere, & à Filio accipere ſive mitti*; in libro VIII. de ſanctâ Trinitate, ita refert:

CUm venerit advocatus ille, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre meo procedit, ipſe teſtificabitur de me. (Joan. 15. 26.) Advocatus veniet, & hunc mittet Filius à Patre, & Spiritus veritatis eſt qui procedit à Patre, &c. *uſque ad*: ut Filius dandum à ſe fateatur.

CAPITUL. XXIX.

HIERONYMUS in libro Didymi, quem de Græco in Latinum tranſtulit: *Quòd Spiritus ſanctus à Patre egrediatur, & à Filio mittatur, non ſecundum Angelorum, Prophetarum, & Apoſtolorum miniſterium, ſed ut à ſapientiâ Dei Spiritum Dei mitti decet*, ſic docet, *ex quo confitetur & à Filio illum, ſicut & à Patre procedere.*

Lib. 2.

CUm ergo Spiritus ſanctus ſimiliter ut Pater & Filius mentem & interiorem hominem habitare doceatur, non dicam ineptum, ſed impium eſt eum dicere creaturam. Diſciplinas quippe, virtutes dico & artes, & his contrarias perturbationes, & imperitias & affectus in animabus habitare poſſibile eſt; non tamen ut ſubſtantias, ſed ut accidentes: creatam verò naturam in ſenſu habitare impoſſibile eſt. Quod ſi verum eſt, & Spiritus ſanctus abſque ullâ ambiguitate ſubſiſtens, animæ eſt habitator & cordis, nulli dubium eſt quin cum Patre & Filio credi debeat increatus. Ex omnibus igitur quæ præcedens ſermo diſſeruit, incorruptibilis & ſempiternus ſecundùm naturam Patris & Filii, & Spiritus ſanctus demonſtratus univerſam de ſe ambiguitatem & ſuſpicionem abſtulit, ne unus è creatis ſubſtantiis æſtimetur qui Spiritus Dei ſit, & quem exire de Patre Salvatoris in Evangelio verba declarant: *Cum venerit*, inquit, *Conſolator, quem ego mittam vobis, Spiritus veritatis, qui de Patre egreditur, ipſe teſtimonium dabit de me.* (Joan. 15. 26.) Conſolatorem autem venientem Spiritum ſanctum dicit; ab operatione ei nomen imponens, quia non ſolùm conſolatur eos quos ſe dignos eſſe reperit, ſed & ab omni triſtitia & perturbatione reddit alienos. Verùm incredibile quoddam gaudium & hilaritatem eis tribuit, in tantum ut poſſit quis Deo gratias referens, quòd tali hoſpite dignus habeatur, dicere: *Dediſti lætitiam in corde meo.* (Pſal. 4. 7.) Sempiterna quippe lætitia in eorum corde verſatur, quorum Spiritus ſanctus habitator eſt. Iſte Spiritus conſolator à Filio mittitur,

p *adjectio nunc*] Quidquid in hoc capitulo uncinis incluſum eſt, in veteribus ſancti Hilarii editionibus deerat.

non ſecundùm Angelorum, & Prophetarum, & Apoſtolorum miniſterium, ſed ut mitti decet à ſapientiâ & veritate Spiritum Dei, indiviſam habentem cum Patre & Filio ſubſtantiam.

CAPITUL. XXX.

Item idem in eodem libro, poſt pauca:

LIcet enim ex Deo frequenter ſe dicat exiſſe Salvator, proprietatem tamen, & ut ita dicam, familiaritatem, de quâ ſæpè tractavimus, ex vocabulo magis ſibi Patris aſſumens dicit, *&c. uſque ad verba:* juxtà operationis veritatem.

CAPITUL. XXXI.

Item idem in eodem Opere poſt pauca:

QUia ergo & Spiritus ſanctus in nomine Filii à Patre mittitur, habens Filii proprietatem, *&c. uſque ad verba:* Scientiam divinorum.

CAPITUL. XXXII.

Item idem in eodem Opere poſt pauca:

DEnique interpretationem inferens, quomodo dixiſſet, *de meo accipiet.* Protinùs ſubjecit: *Omnia quæ habet Pater, mea ſunt: Propterea dixi: de meo accipiet, & annuntiabit vobis, &c. uſque ad verba:* hæc eadem & Pater habet.

CAPITUL. XXXIII.

Item idem in eodem Opere poſt pauca:

VOs autem, ait (haud dubium quin Diſcipuli Chriſti) qui ſapientiam Spiritûs ſuſcepiſtis & vitam & pacem, & non eſtis in carne, id eſt, in carnis operibus, neque enim ejus opera perpetratis, ſiquidem Spiritum Dei habetis in vobis. Idem autem Spiritus Dei & Spiritus Chriſti eſt, adducens & copulans eum qui ſe habuerit Domino JESU CHRISTO, *&c. uſque ad:* Trinitatis ſubſtantiam demonſtratur.

CAPITUL. XXXIV.

Item idem in eodem Opere poſt pauca.

Lib. 3. CUm igitur ſancta ſcriptura ampliùs de Trinitate non dicat, niſi Deum Patrem eſſe Salvatoris, & Filium generatum eſſe de Patre. Hoc autem debemus ſentire quod ſcriptum eſt: & oſtenſo quòd Spiritus ſanctus increatus ſit, conſequenter intelligere, quod cujus non eſt creata ſubſtantia, rectè Patri Filioque ſocietur.

CAPITUL. XXXV.

S. AUGUSTINUS in Homiliâ ſuper Johannem.

q HIc aliquis q forſitan quærat, utrum & à Filio procedat Spiritus ſanctus. Filius enim ſolius Patris eſt Filius, & Pater ſolius Filii eſt Pater: Spiritus autem ſanctus non eſt unius eorum Spiritus, ſed amborum. Habes ipſum Dominum dicentem: *Non* Matt. 10. 20. *enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Habes & Apoſtolum: Galat. 4. 6. *Miſit Deus*, inquit, *Spiritum Filii ſui in corda noſtra.* Numquid duo ſunt, alius Patris, alius Filii? Epheſ. 4. 4. abſit. *Unum* enim *corpus* ait, cum ſignificaret Eccleſiam, moxque addidit, *& unus Spiritus.* Et vide quomodo illic impleat Trinitatem; *Sicut vocati eſtis*, inquit, *in unâ ſpe vocationis veſtræ. Unus Dominus.* Hic utique Chriſtum intelligi voluit. Reſtat ut etiam Patrem nominet. Sequitur ergo: *Una fides, unum baptiſma, unus Deus & Pater omnium, qui ſuper omnes & per omnes, & in omnibus.* Cum ergo ſicut unus Pater, & unus Dominus, id eſt, Filius, ita ſit & unus Spiritus, profectò amborum eſt: quandoquidem dicit ipſe Chriſtus JESUS: *Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Et dicit Apoſtolus: *Miſit* Mat. 10. 20. Galat. 4. 6. *Deus Spiritum Filii ſui in corda noſtra.* Habes in alio loco eumdem Apoſtolum dicentem: *Si autem Spiritus ejus qui ſuſcitavit Jeſum ex mortuis, habitat* Rom. 8. 11. *in vobis.* Hic utique Spiritum Patris intelligi voluit, de quo tamen in alio loco dicit: *Quiſquis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* Et multa Ibid. 9. alia ſunt teſtimonia, quibus hoc evidenter oſtenditur, & Patris & Filii eſſe Spiritum, qui in Trinitate dicitur Spiritus ſanctus. Nec ob aliud exiſtimo ipſum propriè vocari Spiritum, cum etiam, ſi de ſingulis interrogemur, non poſſumus niſi & Patrem & Filium Spiritum dicere, quoniam Spiritus eſt Deus, id eſt, non corpus eſt Deus, ſed Spiritus. Quod ergo communiter vocantur & ſinguli, hoc propriè vocari oportuit eum, qui non eſt unius eorum, ſed in quo communitas amborum apparet. Cur ergo non credamus, quòd etiam de Filio procedat Spiritus ſanctus, cum Filii quoque ipſe ſit Spiritus. Si enim ab eo non procederet, non poſt Reſurrectionem ſe repræſentans diſcipulis ſuis inſufflaſſet, dicens: *Accipite Spiritum ſanctum.* Quid enim aliud ſignifica- Joan. 20. 22. vit inſufflatio, niſi quòd procedat Spiritus ſanctus & de ipſo? Ad hoc pertinet etiam illud quod ait de muliere, quæ fluxum ſanguinis patiebatur: *Tetigit me aliquis: Ego enim ſenſi virtutem de me exiſſe.* Luc. 8. 46. Nam virtutis nomine appellari etiam Spiritum ſanctum, & eo loco clarum eſt, ubi Angelus dicenti MARIÆ, *Quomodo fiet iſtud; quoniam virum non* Ibid. 1. 34. *cognoſco?* Reſpondit: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Et ipſe Dominus promittens eum diſcipulis ait: *Vos autem* Ibid. 24. 49. *ſedete in civitate, quoad uſque induamini virtute ex alto.* Et iterum: *Accipietis*, inquit, *virtutem Spi-* Act. 1. 6. *ritûs ſancti ſupervenientem in vos, & eritis mihi teſtes.*

CAPITUL. XXXVI.

Item S. AUGUSTINUS in libro XIII. de civitate Dei: *Quod Spiritus ſanctus Patris ſit & Unigeniti, & unus amborum: Quod cum ita ſit, non eſt dubium Spiritum ſanctum procedere ab utroque.*

QUapropter in eo quod Dominus fecit quando Cap. 14. inſufflavit, dicens: *Accipite Spiritum ſanctum:* Joan. 20. nimirum in hoc intelligi voluit, quòd Spiritus ſanctus non tantùm ſit Patris, verùm etiam ipſius unigeniti Spiritus. Idem ipſe eſt quippe Spiritus & Patris & Filii, & cum quo eſt Trinitas Pater & Filius & Spiritus ſanctus, non creatura, ſed Creator. Neque enim flatus ille corporeus de carnis ore procedens ſubſtantia erat Spiritûs ſancti atque natura, ſed potiùs ſignificatio, quâ intelligeremus, ut dixi, Spiritum ſanctum Patri eſſe Filioque communem, quia non ſunt eis ſinguli, ſed unus amborum eſt.

CAPITUL. XXXVII.

Item idem in libro primo de Trinitate quæ Deus eſt: *Quod Spiritus ſanctus & Patris & Filii ſit, & Patri & Filio coæqualis, conſubſtantialis, & coæternus*, ſic docet.

OMnes quos legere potui qui ante me ſcripſerunt Cap. 1. de Trinitate, quæ Deus eſt, divinorum librorum veterum & novorum Catholici tractatores, hoc intenderunt ſecundùm ſcripturas docere, quòd Pater, Filius, & Spiritus ſanctus unius ſubſtantiæ inſeparabili æqualitate divinam inſinuent unitatem. Ideoque non tres Dii, ſed unus Deus, quamvis Pa-

q *Hic aliquis*] Monet Acherius homiliam hanc fruſtrà à ſe eſſe quæſitam; ſed quod ex eâ exſcriptum eſt ab Æneâ, Theodulfum quoque retuliſſe in libro de Spiritu ſancto.

ter Filium genuerit, & ideo Filius non ſit qui Pater eſt, Filiuſque à Patre ſit genitus, & ideo Pater non ſit qui Filius eſt; Spirituſque ſanctus nec Pater ſit nec Filius, ſed tantùm Patris & Filii Spiritus, etiam Patri & Filio ipſe coæqualis, & ad Trinitatis pertinens unitatem.

CAPITUL. XXXVIII. Item idem in eodem libro: *Quòd Spiritus ſanctus inſeparabiliter Patris & Filii ſit; quod cum ita ſit, magna dementia eſt illum à Patre & Filio procedere non profiteri.*

DEnique propter ipſam inſeparabilitatem ſufficienter aliquando nominatur, vel Pater ſolus, vel Filius ſolus adimpleturus nos lætitiâ cum vultu ſuo. Nec inde ſeparatur utriuſque Spiritus, id eſt, Patris & Filii Spiritus: qui Spiritus propriè dicitur
Joan. 14. 17. Spiritus veritatis, quem hic mundus accipere non poteſt. Hoc eſt enim plenum gaudium noſtrum, quo amplius non eſt, frui Trinitate Deo, ad cujus imaginem facti ſumus. Propter hoc aliquando ita loquitur de Spiritu ſancto, tamquam ſolus ipſe ſufficiat ad beatitudinem noſtram. Et ideo ſolus ſufficit, quia ſeparari à Patre & Filio non poteſt; ſicut Pater ſolus ſufficit, quia ſeparari à Filio & Spiritu ſancto non poteſt: & Filius ideo ſufficit ſolus, quia ſeparari à Patre & Spiritu ſancto non poteſt.

CAPITUL. XXXIX. Item idem in libro tertio de Trinitate: *Quòd ſanctus Spiritus à Patre & Filio ſit miſſus.*

CUm enim ad id ventum eſſet, ut vellemus oſtendere, non ideo minorem Patre Filium,
Joan. 1. 10. quia ille miſit, hic miſſus eſt; nec ideo minorem utroque Spiritum ſanctum, quia & ab illo & ab illo miſſus in Evangelio legitur, ſuſcepimus hoc quærere, cum illuc miſſus ſit Filius ubi erat, quia in hunc mundum venit, & in hoc mundo erat: cum illuc etiam Spiritus ſanctus, ubi & ipſe erat, quo-
Sap. 1. 7. niam *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis.*

CAP. XL. Item idem in libro quarto ejuſdem Operis apertè docet, *quòd Spiritus ſanctus procedit à Filio, ſicut & à Patre.*

Cap. 20. PAter cum ex tempore à quoquam cognoſcitur, non dicitur miſſus. Non enim habet de quo ſit, aut ex quo procedat. Sapientia quippe dicit: *Ego ex ore Altiſſimi prodii.* Et de Spiritu ſancto dicimus: *A Patre procedit.* Pater verò à nullo, &c. *uſque ad:* operatur omnia in omnibus.

CAP. XLI. Item idem in libro ſexto de Trinitate, *quòd Spiritus ſanctus ſit Filii Patriſque ſuavitas: unde qui negat eum ab utroque, conſequens eſt, ut neget ſuavitatem à Patre Filioque procedere.*

ILla ergo dilectio, delectatio, felicitas vel beatitudo, ſi tamen aliquâ humanâ voce dignè dicitur, uſus ab illo appellatus eſt, & eſt in Trinitate Spiritus ſanctus non genitus, ſed genitoris genitique ſuavitas, ingenti largitate atque ubertate perfundens omnes creaturas pro captu earum, ut ordinem ſuum teneant, & locis ſuis acquieſcant. Hæc igitur omnia quæ arte divina facta ſunt, & unitatem quamdam in ſe oſtendant, & ſpeciem & ordinem. Quidquid enim horum eſt, & unum aliquid eſt.

CAP. XLII. Item idem in libro XV. de ſanctâ Trinitate: *Quòd ſanctus Spiritus procedat à Patre & Filio.*

Cap. 17. NEſcio cur non ſicut ſapientia & Pater dicatur & Filius & Spiritus ſanctus, & ſimul omnes non tres, ſed una ſapientia, &c. *uſque ad:* Trinitatis iſta diſtinctio.

Item idem in eodem libro. CAPITUL. XLIII.

DEinde in illâ ſummâ Trinitate, quæ Deus eſt, intervalla temporum nulla ſunt, per quæ poſ- Cap. 16.
ſit oſtendi, aut ſaltem requiri, utrum priùs de Patre natus ſit Filius, & poſtea de ambobus proceſſerit Spiritus ſanctus, &c. *uſque ad:* propter dilectionem Dei.

Item idem in eodem libro. CAPITUL. XLIV.

NUmquid ergo poſſumus quærere utrum jam Ibid. & cap.
proceſſerat de Patre Spiritus ſanctus quando 27.
natus eſt Filius, an nondum proceſſerat, & illo nato de utroque proceſſit ubi nulla ſunt tempora, &c. *uſque ad:* videatur mente quod tenetur fide.

Item S. AUGUSTINUS: *Quòd Spiritus ſanctus ſit in Patre & Filio*, ſic dicit in libro quem ſcripſit contrà quinque hæreſes, id eſt, Paganos, Judæos, Manichæos, Sabellianos, & Arrianos. CAPITUL. XLV.

DIximus de Patre & Filio quod potuimus & quantum potuimus, ſi tamen aliquid dignè potuimus. De Spiritu ſancto tacuimus, ſed non eum præterivimus. Quidquid enim de Patre & Filio diximus, de Spiritu ſancto diximus. Eſt enim in illis & cum illis unus & verus Deus; non minor aut tertius Deus. Quid adhuc dicam fatigatis fatigatus? Qui Spiritum ſanctum à Patre & Filio æternitate & ſubſtantiâ, vel communione ſeparat, eumque negat Spiritum eſſe Patris & Filii, plenus eſt Spiritu immundo, vacuus eſt Spiritu ſancto. Ideo enim di-
citur, *Deus charitas*, quia partibus non dividit uni- 1. Joan. 4. 8.
tatem, ſed ineffabiliter coagulat Trinitatem. Ipſa eſt enim Trinitas unus Deus, turris fortitudinis à facie inimici, qui in ſe credentes cuſtodit in ſæcula ſæculorum, Amen.

Item AUGUSTINUS *in diſceptatione quam habuit contra* PASCENTIUM *comitem Arrianorum, præſente* LAURENTIO *Judice electo ab utriſque partibus.* CAPITUL. XLVI.

ECce quid eſt homouſion, quod exprobratur in- Epiſt. 178.
juſtè? Non enim verbum ſolum, ſed & res in in medio.
verbo eſt, nec ſolus ſermo ſonans auribus, ſed ſubſtantia una eſt Dei credenda in mentibus. Si enim in hominibus credentibus in ſe totus Deus credendus eſt habitare, quomodo Filium totum in ſe Pater, aut Filius Patrem non credatur excipere? Ac per hoc ipſe in Patre, & Pater in eo manet, & ex Patre vel Filio ſanctus credendus eſt Spiritus non ſolùm proceſſiſſe, ſed ſemper ad peragenda opera Trinitatis omninò procedere.

Item S. AUGUSTINUS: *Quòd Spiritus ſanctus procedat à Patre & Filio*, in libro ſecundo, quem ſcripſit contrà Maximinum hæreticum, ſic ait: CAPITUL. XLVII.

MAgnum aliquid ſanè tibi dicere videris, quia Imò in lib.
dicis, Filius erat in principio antequàm ali- 3. cap. 17.
quid eſſet, Pater verò ante principium. Ubi legiſti ut hoc crederes? Unde præſumſiſti ut hoc diceres, ubi nec auctoritas ulla nec ratio eſt? Quid eſt enim ante principium, quandoquidem quidquid ante eſſet, hoc eſſet principium? Si ergo Pater ante principium eſt; ante ſe ipſum eſt; quia & ipſe princi-
pium eſt. Quid eſt autem; *In principio erat Verbum*, Joan. 1. 1.
niſi in Patre erat Filius? Et ipſe Filius interrogatus

Joan. 8. 24. à Judæis quis eſſet, reſpondit: *Principium qui & loquor vobis.* Patet ergo principium non de principio, Filius principium de principio. Sed utrumque ſimul, non duo, ſed unum principium. Sicut Pater Deus, & Filius Deus, ambo autem ſimul non duo Dii ſed unus Deus. Nec Spiritum ſanctum de utroque procedentem negabo eſſe principium; ſed tria hæc ſimul ſicut unum Deum, ita unum dico eſſe principium.

CAPITUL. XLVIII. In eodem lib. 5. cap 14.

Item idem in eodem libro:

QUæris à me: ſi de ſubſtantiâ Patris eſt Filius, de ſubſtantiâ Patris eſt etiam Spiritus ſanctus, cur unus Filius ſit, & alius non ſit Filius? Ecce reſpondeo, ſive capias, ſive non capias. De Patre eſt Filius, de Patre eſt Spiritus ſanctus, *&c. uſque ad:* ſed inde eſt unde procedit.

CAPITUL. XLIX. *

Item S. AUGUSTINUS in libro de [*] Incarnatione Domini.

SPiritum quoque ſanctum non ingenitum neque genitum, ſed ex Patre Filioque procedentem, eo quod Patris & Filii ſit Spiritus, & ipſe conſubſtantialis & coæternus ambobus, nec alium fuiſſe Spiritum ſanctum quem inſufflans dedit, & alium quem poſt Aſcenſionem ſuam miſit. Unus enim Spiritus Dei, Spiritus Patris & Filii, Spiritus ſanctus; idem Deus qui operatur omnia in omnibus. Ita ut perfecta credatur Trinitas propter proprietatem perſonarum, & unus Deus propter inſeparabilem Trinitatem.

CAP. L. f

Item S. AUGUSTINUS [f] in libro expoſitionis fidei ad Petrum.

SIcut ergo nec Filius poſterior aut minor eſt Patre, ita nec Spiritus ſanctus poſterior aut minor eſt Filio, *&c. uſque ad:* Græci *ousia* vocant.

CAP. LI.

Item idem in eodem Opere poſt pauca:

IN illâ igitur ſanctâ Trinitate, quod ideo à nobis repetitur, ut veſtro cordi tenacius infigatur, unus eſt Pater qui ſolus eſſentialiter de ſeipſo unum Filium genuit, & unus Filius, qui de uno Patre ſolus eſt eſſentialiter natus; & unus Spiritus ſanctus, qui ſolus eſſentialiter de Patre Filioque procedit. Hoc autem totum una perſona non poſſet, id eſt, & gignere ſe, & naſci de ſe, & procedere de ſe. Quia igitur aliud eſt genuiſſe quàm natum eſſe, aliudque procedere quàm genuiſſe vel natum eſſe, manifeſtum eſt, quoniam alius eſt Pater, alius eſt Filius, alius eſt Spiritus ſanctus.

CAP. LII. In cap. 2.

Item idem in eodem Opere:

NEque enim in illâ Trinitate proprium eſſet ſolius Patris, quòd non eſt natus ipſe, ſed unum filium genuit, neque enim proprium ſolius Filii, quòd non genuit ipſe, ſed Patris eſſentiâ natus eſt: neque enim proprium Spiritûs ſancti, quòd nec natus ipſe nec genuit, ſed ſolus de Patre Filioque incommutabili æternitate procedit.

CAP. LIII. Ibidem c. 11.

Item idem in ipſo Opere poſt pauca:

FIrmiſſimè & nullatenùs dubites eumdem Spiritum ſanctum qui Patris & Filii unus Spiritus eſt, de Patre & Filio procedere, *&c. uſque ad:* quia de ſuis ore procedit.

CAP. LIV.

HORMISDAS Papa Romanæ Eccleſiæ: *Quòd Spiritus ſanctus à Patre Filioque procedit*, ſic dicit in Epiſtolâ quam ad Juſtinum Imperatorem miſit adverſus Neſtorii & Eutychetis blaſphemias.

Epiſt. 76.

ADoremus Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, indiſtinctam diſtinctè, incomprehenſibilem & inenarrabilem ſubſtantiam Trinitatis: ubi etſi admittat numerum ratio perſonarum, unitas tamen non admittit eſſentiæ ſeparationem. [t] Ita tamen ut ſervemus divinæ propria unicuique perſonæ, ut ne perſonis divinitatis ſingularitas denegetur, nec ad eſſentiam hoc quod eſt proprium nominum transferatur. Magnum eſt, ſanctum & incomprehenſibile myſterium Trinitatis, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus, Trinitas indiviſa; & tamen notum eſt quia proprium eſt Patris generare Filium, proprium Filii Dei, ut ex Patre Patri naſceretur æqualis, proprium Spiritûs ſancti ut de Patre & Filio procederet ſub unâ ſubſtantiâ deitatis.

CAP. LV.

LEO Papa Romanæ Eccleſiæ: *Quòd Spiritus ſanctus à Patre Filioque procedat*, ſic dicit in Epiſtolâ quam miſit ad Turibium Aſturicenſem Epiſcopum.

Epiſt. 93. c. 1.

PRimo itaque Capitulo demonſtratur, quàm impiè de Trinitate divinâ ſentiant, qui Patris & Filii & Spiritûs ſancti unam atque eamdem aſſerunt eſſe perſonam, tamquam idem nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus ſanctus nominetur; nec alius ſit qui genuit, alius qui genitus eſt, alius qui de utroque procedit, & ſingularis unitas in tribus quidem vocabulis, ſed non in tribus ſit accipienda perſonis. Quod blaſphemiæ genus, de Sabellii opinione ſumſerunt.

CAP. LVI.

GREGORIUS Papa Romanæ Eccleſiæ: *Quòd Spiritus ſanctus à Patre Filioque procedat*, in Homiliâ XXVI. ſic dicit.

Joan. 20. 21. ITaque dicitur: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, id eſt eâ charitate vos diligo cum inter ſcandala perſequutorum mitto, quâ me charitate Pater diligit, quem venire ad tolerandas paſſiones fecit. Quamvis mitti etiam juxtà naturam divinitatis poſſit intelligi. Eo enim ipſo à Patre Filius mitti dicitur, quo à Patre generatur. Nam ſanctum quoque Spiritum qui, cum ſit æqualis Patri & Filio, non tamen incarnatus eſt, idem ſe Filius mittere perhibet & dicens: *Cum venerit Paracletus quem ego mitto vobis à Patre, &c. uſque ad:* debeat ad amorem Domini. Ibid. 15. 26.

CAP. LVII.

Item idem in libro Moralium ſecundo.

Cap 57.

SI prophetiæ Spiritus Prophetis ſemper adeſſet, David Regi de templi conſtructione conſulenti, nequaquam Nathan Propheta concederet, quod poſt paululum negaret. Unde benè in Evangelio ſcriptum eſt: *Super quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt qui bapti-* Joan. 1. 33.

[*] *in libro de Incarnatione*] Nullum nunc novimus Auguſtini tractatum de Incarnatione; nam eos libros de Incarnatione, qui inter Opera S. Auguſtini editi ſunt, ſatis conſtat alterius cujuſdam eſſe ſcriptoris. In quibus cum non reperiatur hoc capitulum, nemini dubium eſſe debet quin fragmentum ſit operis cujuſdam deperditi.

[f] *in libro expoſitionis*] Nunc omnes norunt ejus expoſitionis ſcriptorem fuiſſe non Auguſtinum, ſed Fulgentium, cujus inter opera edita eſt anno 1684. pag 501.

[t] *eſſentiæ ſeparationem*] Sic maluimus ex editis, quàm quod antea legebatur *eſſentiam*.

zat. In cunctos namque fideles Spiritus venit, ſed in ſolo Mediatore ſingulariter permanet; quia ejus humanitatem nunquam deſeruit, ex cujus divinitate procedit. In illo igitur manet, qui ſolus & omnia & ſemper poteſt.

CAP. LVIII. Item idem in eodem libro poſt pauca:

Cap. 28. IN his igitur donis ſine quibus ad vitam perveniri non poteſt, Spiritus ſanctus ſive in prædicatoribus ſuis, ſeu in electis omnibus ſemper manet, *&c. uſque ad:* manet ad cuncta.

CAP. LIX. Item idem in libro quinto: *Quòd Spiritus ſanctus de Patre procedat: & de eo quod eſt Filii accipiat, ubi intelligitur & ab eo procedere.*

Cap. 26. Job 4. 16. E*T vocem quaſi auræ lenis audivi.* Quid enim per vocem auræ lenis, niſi cognitio Spiritûs ſancti deſignatur? qui de Patre procedens, & de eo quod eſt Filii accipiens, noſtræ tenuiter notitiæ infirmitatis infunditur, *&c. uſque ad:* illuminando perturbat.

CAP. LX. u FULGENTIUS[u]: *Quòd ſolus Pater genuerit Filium, ſolus Filius à Patre genitus ſit, ſolus Spiritus ſanctus à Patre Filioque procedat,* in libro tertio quem ſcripſit contrà Fabianum, ſic dicit:

VEraciter quippe profitemur, ſolum Patrem genuiſſe, ſolum Filium de Patre natum eſſe: veraciter etiam dicimus ſolum Spiritum ſanctum de Patre Filioque procedere.

CAP. LXI. Item idem in libro quinto contrà eumdem Fabianum.

ECce in quantum potui, licet breviter, reddidi rationem, qua unum Deum dicamus Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, & in ipſâ imagine Dei oſtendi quoddam divinæ agnitionis indicium. In quâ quidem imagine, memoria, intelligentia & voluntas non habent ſingulas propriaſque perſonas. Imago quippe eſt iſta non nata, ſed facta; non genita, ſed creata. Ad hoc utique, ut ſicut in iſtâ unâ imagine invenitur quædam diſcretio vocabulorum, ſic in illâ unâ divinitate cognoſcatur diſcretio perſonarum; & naturalis unitas oſtendat unum Deum eſſe Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum; perſonarum verò proprietas demonſtret alium eſſe Patrem, alium Filium, alium Spiritum ſanctum. Alium autem Patrem, non eo quod Deus eſt, ſed eo quod Pater eſt: & alium Filium, non eo quod Deus eſt, ſed eo quod Filius eſt: alium quoque Spiritum ſanctum, non eo quod Deus eſt, ſed eo quod & Patris & Filii Spiritus eſt. Alium ergo Patrem, quia genuit; alium Filium, quia de Patre natus eſt; & alium Spiritum, quia de Patre Filioque procedit. Non tamen alium Deum Patrem, & alium Deum Filium, & alium Deum Spiritum ſanctum; ſed unum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Non enim confundit unitas Trinitatem, nec Trinitas ſeparat unitatem; quia quod in perſonarum proprietate diſcernitur, hoc unum naturaliter eſſentiæ unius communione monſtratur.

CAP. LXII. Item idem in libro VII. ejuſdem Operis.

Joan. 16. 13. N*On enim loquetur à ſemetipſo; ſed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura ſunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Ecce primùm oſtendit non eſſe alia Spiritûs ſancti, quàm quæ ſunt Filii. Deinde ut oſtenderet omnia ſua eſſe quæ Patris ſunt, adjecit: *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt: propterea dixi, quia de meo accipiet, &* Ibidem. *annuntiabit vobis.* Illud igitur primitùs attendamus quod ait: *Non enim loquetur a ſemetipſo, ſed quæcumque audiet loquetur.* Quis autem comprehendat qualis ſit illius ſimplicis naturæ loquutio, vel qualis auditio, ubi non eſt aliud audire quàm eſſe? Audit itaque Spiritus ſanctus quæcumque Pater & Filius dicit, & hæc eadem ſimiliter facit. In illâ enim natura, ubi eſt ſumma & vera ſimplicitas, ut eo Filius videt quod Pater facit, Spiritus ſanctus audit quod cum Patre Filius dicit, quia communione naturalis eſſentiæ, & Filius de Patre natus extitit, & Spiritus ſanctus de Patre Filioque procedit. Hoc igitur eſt Spiritui ſancto audire, quod eſt de naturâ Patris Filiique procedere: & hoc eſt loqui, quod eſt per gratiam noſtris cordibus ineffabiliter intimare.

CAP. LXIII. Item idem in eodem libro.

Joan. 10. 28. E*T non rapiet eas quiſquam de manu meâ. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus eſt: & nemo poteſt rapere de manu Patris mei. Ego & Pater unum ſumus.* Hæc eſt ergo vox quam oves ejus audiunt: quæ ſcilicet in eo quod nemo rapit de manu Filii, neque de manu Patris, unam virtutem Filii & Patris intelligunt; & audientes ab eo quia ipſe & Pater unum ſunt, unitatem veram in Patre & Filio eſſentiæ naturalis agnoſcunt. Hæc eſt vox Filii, hæc eſt loquutio Spiritus ſancti, quia de naturâ Patris natus eſt Filius, & exinde procedit Spiritus ſanctus. Hoc etiam à Patre & Filio Spiritus ſanctus audit, quia de Patre & Filio communis divinitatis æqualitate procedit. Non ergo Spiritus ſanctus loquitur à ſeipſo, quia non eſt à ſeipſo, ſed de Patre & Filio habet naturalem loquutionem, unde naturaliter procedens habet originis veritatem. Ad hoc utique pertinet quod ait: *Ille me clarifi-* Ibid. 16. 14. *cabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæ habet Pater, mea ſunt: propterea dixi, quia de meo accipiet.* Quàm benè veritatem doctrinæ ſuæ veritas ipſa ſervavit! Si enim hoc non dixiſſet, quaſi ſuum eſſe tantùm Spiritum oſtendiſſet; ſed dicens: *Omnia quæ habet Pater, mea ſunt:* Ibidem 15. *propterea dixi, quia de meo accipiet;* ipſum Spiritum ſanctum unum eſſe oſtendit & Patris & ſuum. Cujus intelligentia dicens: *Paracletus autem Spi-* Ibid. 14. 26. *ritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo: ille vos docebit omnia quæcumque dixero vobis.* Pater mittit, ſed in nomine Filii mittit: Spiritus miſſus à Patre docet, ſed Filius dicit. Hoc etiam illo demonſtratur loco, ubi Dominus dicit: *Cum autem* Ibid. 15. 26. *venerit Paracletus quem ego mittam in vos à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Ecce hic paracletum quem mittit Pater in nomine Filii, ipſum mittit Filius à Patre: mittit autem à Patre Spiritum veritatis. Mittit ergo à Patre Spiritum ſuum, quia ipſe eſt veritas: mittit eum Pater in nomine Filii, quia unus Spiritus eſt Patris & Filii. Mittit eum Filius à Patre, quia ſic procedit à Filio, ſicut procedit à Patre. Idem quoque Spiritus Patris, qui Spiritus eſt veritatis. De Filio ergo accepit, & omnia quæ habet Pater, Filii ſunt, quæ Spiritus ſanctus accepit: quia non de ſolo Patre, nec de ſolo Filio, ſed ſimul de utroque procedit. Hoc autem

u *Fulgentius*] Nihil ex iſtis Fulgentii libris extat, præter hæce fragmenta, quæ Theodulfus etiam excerpſit in libro de Spiritu ſancto.

vocabulum

vocabulum proceſſionis de Patre nulli creaturæ invenitur indultum, ut proprietas iſta proceſſionis ſolius eſſe demonſtretur eſſentiæ naturalis. Legimus enim Filium de Patre genitum, & quamvis in eo quod unigenitus dicitur, in ſolo naturalis generatio demonſtretur, tamen propter gratiam adoptionis nos quoque Deus Pater voluntariè genuit verbo veritatis. Unigenitus igitur unus & ſolus eſt de Patris eſſentiâ filius natus; ſed & nos per adoptionem & Filii Dei dicimur, & de Deo nati, beato Evangeliſta dicente: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Cum ergo noſſet Dei filios, & de Deo genitos, & de Deo natos divinis oſtendatur eloquiis, proceſſionis tamen de Deo vocabulum nemo poteſt creaturæ cuiquam docere conceſſum. Quid ita, niſi quia unigenitum Filium poſſet naturalis nativitas verum Deum oſtendere; eumque non adoptivum, nec diverſæ naturæ, ſed conſubſtantialem Patri ſine dubitatione monſtrare. Procedere autem de Deo ideo nulla creatura dicitur, ut ille qui procedit de Patre & Filio, ſic eſſe credatur Deus, ſicut eſt Pater & Filius: ſolius eſt enim Spiritûs ſancti de Patre & Filio proprietas iſta proceſſionis, cujus eſt cum Patre & Filio natura communis. De Patre quippe ac Filio procedit, ſed non recedit; nec eſt in aliquo minor aut ſubditus, qui de Patre immenſo, ac de immenſo Filio inſeparabiliter & unus procedit & totus. Sic igitur ei non poteſt imperari quod mirabiliter operatur.

Joan. 1. 12.

CAP. LXIV. Item idem in libro VIII. ejuſdem Operis.

FIlius eſt igitur à Patre miſſus, non Pater à Filio, quia Filius eſt à Patre natus, non Pater à Filio. Similiter etiam Spiritus ſanctus à Patre & Filio legitur miſſus, quia à Patre Filioque procedit. Sed quia non uno modo in Scripturis ſanctis dicitur miſſio, propterea in ſacramento Incarnationis non ſolùm à Patre, verùm etiam ab Spiritu ſancto miſſus eſt Filius, quia mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jesus totius eſt Trinitatis operatione plaſmatus. Alio autem modo mittitur à Patre & Filio Spiritus ſanctus, quia naturaliter à Patre Filioque procedit. Mittitur enim à Patre & Filio Spiritus ſanctus, cum ab ipsâ Trinitate uno Deo gratiæ ſpiritalis donatur effectus.

CAP. LXV. Item idem in libro IX. ejuſdem Operis.

DEum itaque Patrem non totius Trinitatis, ſed Filii & Spiritûs ſancti fatemur auctorem; de quo habet & unigenitus Filius æternæ nativitatis, & Spiritus ſanctus æternæ proceſſionis originem. Unitas autem naturalis, creatorem Filium de creatore Patre naturali nativitate inſinuat extitiſſe, & creatorem Spiritum ſanctum de Patre Filioque procedere.

CAP. LXVI. Item idem in libro X. ejuſdem Operis.

EXpletâ verò confeſſione veræ divinitatis, veræq; humanitatis unici Filii Dei, confitemur nos credere in Spiritum ſanctum, qui eſt unus Spiritus Patris & Filii, de Patre Filioque procedens, in Patre Filioque naturaliter manens, de Patre ac Filio unius deitatis habens naturaliter veritatem.

CAPITUL. LXVII. Item idem, *ut oſtenderet Spiritum ſanctum æqualem Patri & Filio, eumdem Spiritum ſanctum & à Patre & a Filio, & Filium à Patre & Spiritu ſancto miſſum eſſe teſtatur in libro ſecundo quem ſcripſit ad Traſemundum Regem.*

JAm nunc etiam illa nobis eſt de Spiritûs ſancti miſſione quæſtio revolvenda, *&c. uſque ad*: quoquam localis adventus.

Lib. 2. ad Monimum c. 6.

CAPITUL. LXVIII. Isidorus Spalenſis Epiſcopus in libro ſecundo Officiorum inter cætera ſic dicit:

Cap. 23.

HÆc eſt autem poſt Apoſtolicum Symbolum certiſſima fides, quam Doctores noſtri tradiderunt, ut profiteamur Patrem & Filium & Spiritum ſanctum unius eſſentiæ, ejuſdemque poteſtatis & ſempiternitatis, unum Deum inviſibilem; ita ut ſingulis perſonarum proprietate ſervatâ, nec ſubſtantialiter Trinitas dividi, nec perſonaliter debeat omninò confundi. Patrem quoque confiteri ingenitum, Filium genitum, Spiritum autem ſanctum nec genitum nec ingenitum, ſed ex Patre & Filio procedentem; Filium à Patre naſcendo procedere, Spiritum verò ſanctum procedendo non naſci.

CAPITUL. LXIX. Isidorus in libro ſeptimo Etymologiarum: *Quòd Spiritus ſanctus à Patre Filioque procedat*, ſic dicit.

Cap. 3.

SPiritus ſanctus ideo prædicatur Deus, quia ex Patre Filioque procedit, *&c. uſque ad*: hic non eſt ejus.

CAPITUL. LXX. Item idem in eodem Opere poſt pauca.

Ibid. cap. 4.

PAter igitur & Filius & Spiritus ſanctus Trinitas & unitas. Idem etenim unum, idem & tria. In naturâ, unum, in perſonis tria. Unum propter majeſtatis communionem, tria propter perſonarum proprietatem. Nam alius Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus, ſed alius, non quidem aliud: quia pariter ſimplex, pariterque incommutabile bonum & coæternum. Pater ſolus non eſt de alio; ideo ſolus dicitur ingenitus. Filius ſolus de Patre eſt natus, ideo ſolus appellatur genitus: Spiritus ſanctus ſolus de Patre & Filio procedit, ideo ſolus jam amborum nuncupatus Spiritus.

CAPITUL. LXXI. Item idem in libro Differentiarum.

Lib. 2. cap. 1.

INter perſonam Patris & Filii & Spiritûs ſancti ita ſecernitur, quòd Pater nec factus nec natus eſt, Filius natus non factus, Spiritus verò ſanctus nec natus nec factus, ſed ex Patre procedens, *&c. uſque ad finem capitis.*

CAPITUL. LXXII. Item idem in libro Sententiarum.

Lib. 1. c. 17

Job 33. 4.

SPiritus ſanctus creator eſt, ſicut Pater & Verbum, teſtante Propheta: *Spiritus Domini fecit me, & in ſpiraculum omnipotentis vivificavit me.* Spiritus ſanctus Patris & Filii eſt; & inde unum ſunt Pater & Filius; quia nihil habet Pater quod non habeat Filius. Non enim res una & duorum conſubſtantialis poterit ſimul ab eis procedere, & ſimul ineſſe, niſi unum fuerint à quibus procedit.

CAPITUL. LXXIII. Prosper in libro de vitâ contemplativâ: *Quòd Spiritus ſanctus à Patre & Filio procedat*, ſic docet.

Sive Julianus Pomerius Lib. 1. cap. 1 & 19.

AT cùm non ſolùm ſecundùm Apoſtolum nos oporteat formam præbere fidelibus, ſed etiam eos ipſos fideles qui nobis divinitùs inſtituendi com-

miſſi ſunt inſtruere debeamus, de Patre qoomodo ſolus accipiatur ingenitus; de Filio quomodo ſolus dicatur genitus; & de Spiritu ſancto quomodo ex Patre & Filio procedens, nec ingenitus poſſit dici nec genitus. Qualiter iſta tria unum ſint, & hoc unum non dividatur, ſed diſtinguatur in tria, *&c. uſque ad*: benè agat.

CAPITUL. LXXIV.

Vigilius Africanus Epiſcopus *Spiritum ſanctum à Patre Filioque procedere his verbis demonſtrat in libris quos ſcripſit Conſtantinopoli in defenſionem tomi Leonis Papæ contra Eutychianiſtas.*

Aliis Vigilius ſive Vigil. Trident. Epiſcop. l. 1.

SImiliter nobis & de Trinitate quæſtionem aliquam movent, ut quia ſunt quædam propria Patris, quæ nec ad Filium, nec ad Spiritum ſanctum pertineant; & ſunt quædam propria Filii, quæ nec ad Patrem nec ad Spiritum ſanctum pertineant, & ſunt etiam Spiritûs ſancti nonnulla propria, quæ nec ad Patrem, nec ad Filium pertinere monſtrantur, tres à ſe invicem ſeparatos criminentur Catholicos credere Deos. Sed ne forſitan inopinatâ quæſtione turberis, adverte per ſingula ſuſcepti hominis diſpenſationem; nec ad Patrem nec ad Spiritum, ſed ad ſolum pertinere Filium. Propriè enim Filius non Pater, de Virgine natus eſt. Rurſus illa quæ ſuper eum audita eſt vox, *Hic eſt Filius meus dilectus*, nec ad Filium nec ad Spiritum ſanctum, ſed ad Patrem pertinet ſolum. Item columbæ ſpecies quæ in Jordane apparuit, & ignearum linguarum multipertita diſtributio, propriè ad ſancti Spiritûs perſonam pertinere monſtratur. Sed ne adhuc de his proprietatibus dubites, audi manifeſtius. Proprium Patris eſt genuiſſe, & proprium Filii eſt natum fuiſſe; proprium verò eſt Spiritui ſancto de Patre Filioque procedere. Nec omninò reciprocatur in aliam perſonam, quod eſt unicuique perſonæ ſpecialiter proprium. Si ergo hæ tres perſonæ habentes ſingulæ proprietates ſuas, quibus ſignificantiùs diſtinguantur, non quibus ſeparentur, unus eſt Deus, quomodo Filius ſalvâ utriuſque naturæ proprietate non eſt unus Chriſtus?

CAPITUL. LXXV.

Proclus *Conſtantinopolitanus Epiſcopus, in Epiſtolâ ad Armenos adverſus hæreticos deſtinatâ, Spiritum ſanctum ab eſſentiâ deitatis inſeparabiliter procedere*, his verbis edocet.

FUgiamus itaque conſilia ſeductionis, fluenta hæreticorum dico pernicioſa, Deoque inimica contagia, Arrii veſaniam, qui Trinitatem inſeparabilem ſubſtantiis dividit: Eunomii audaciam, qui naturam incomprehenſibilem infrà ſcientiam humanitatis includit: Manichæi & Macedonii rabiem, qui ſequeſtrat ab eſſentia deitatis Spiritum ſanctum, ut ſeparabiliter procedentem.

CAPITUL. LXXVI.

Agnellus in Epiſtolâ ad Menium: *Quòd Spiritus ſanctus à Patre procedat & Filio*, ſic docet.

IDeo ex Patre Filius, ex Patre & Filio procedit Spiritus ſanctus. Nec ut quidam dicunt, duos habet Deus Filios Chriſtum & Spiritum ſanctum, ſed habet Filium inviſibilem, ſicut ipſe inviſibilis eſt; qui ut eſſet viſibilis, corpus noſtræ fragilitatis aſſumſit: non ut inviſibilis eſſe ceſſaret, ſed ut in ipſo Chriſto inviſibilis incredulis permaneret. Nam cum dicit:
Luc. 10. 23. *Beati oculi qui nunc vident quæ vos videtis.* Ergo beati erant Judæi omnes, & hi qui eum crucifixerunt; de quibus per David dicit: *Ipſi verò conſide-*
Pſal. 21. 18. *raverunt & conſpexerunt me.* Vides ergo quia inviſibilis Pater perſeverat, & mente cernitur purâ & credulâ. Ergò inviſibilis Pater, inviſibilis Filius, inviſibilis Spiritus ſanctus. Et ut ad hoc te revocem, unde factum eſt ut hoc de fragili homine doceamus, tria hæc inviſibilia, & indiviſa, & in unum conglomerata, & virtutis efficaciâ redundantia, id eſt vocem genitricem Verbi, ex verbo verò ſimul cum voce procedentem efficaciam, quæ faciat alterum Conſulem fieri, alterum trucidari: dic mihi, Arriane, iſta tria unum ſunt an non? Si unum non ſunt, divide vocem à verbo, & efficaciam à voce & verbo. Quòd ſi hoc in fragili homine ita unum ſunt tria, vox, & verbum, & efficacia, ut tres quidem perſonæ ſint, ſed una ſubſiſtendi potentia: in homine fragiliſſimo, ut diximus, hæc ſit tanta potentia, quanto magis in omnipotentiâ Dei ita eſt, ut ſit Pater omnipotens genitor Filii, & ex Patre & Filio procedens virtus, qui eſt Spiritus ſanctus.

CAPITUL. LXXVII.

Caſſiodorus in expoſitione Pſalmi L. *Quòd Spiritus ſanctus à Patre Filioque procedat*, ſic dicit.

Pſal. 50. 14.

R*Edde mihi lætitiam ſalutaris tui; & Spiritu principali confirma me.* Nec incaſſum putemus quòd vir ſanctus & cordis illuminatione radiatus tertiò Spiritum nominavit, niſi quia individuæ Trinitati devotus, concedi ſibi ab eâ veniam poſtulavit. Spiritus enim quantum ad eſſentiam divinitatis, & Pater & Filius & Spiritus ſanctus rectè unus dicitur Deus, ſed pro diſtinctione perſonarum, proprium eſt Patri quòd naturaliter ſine initio ante ſæcula genuit Filium; proprium eſt Filio quòd naturaliter à Patre generatus eſt; proprium eſt Spiritui ſancto quòd à Patre & Filio procedit, quia ineffabili charitate atque cooperatione eorum conſubſtantialis æternitas & poteſtas omnia facit quæ vult in cœlo & in terrâ, *&c. uſque ad*: breviter de æternitate diſſeruit.

CAPITUL. LXXVIII.

Item idem in Pſalmo ſexageſimo primo.

Pſal. 61. 2. & 3.

A*B ipſo enim ſalutare meum*, id eſt, unigenitus Filius, qui rectè credentibus ſalutaris exiſtit. Ab ipſo enim cùm dicitur, Filius ſignificatur. Hæc enim propria, unus Deus ſancta Trinitas habet, quod Pater ingenitus, Filius genitus, Spiritus ſanctus à Patre & Filio procedit, *&c. uſque ad*: mirabili veritate monſtravit.

CAPITUL. LXXIX.

Alcuinus in libro primo de fide ſanctæ Trinitatis: *Quòd Spiritus ſanctus communis eſt Patris & Filii Spiritus.*

Cap. 6.

ERgo hæc donum Dei, id eſt, Spiritus ſanctus qui de Patre & Filio æqualiter procedit, ineffabilis quædam Patris Filiique communio eſt. Et ideo fortaſſe ſic appellatur, quia Patri & Filio poteſt eadem appellatio convenire. Nam hoc ipſe propriè dicitur, quod illi communiter dicuntur. Quia & Pater Spiritus, & Filius Spiritus; & Pater ſanctus, & Filius ſanctus rectè dicitur. Ergo ut nominibus junctis, quæ ſeparatim utriuſque perſonæ conveniunt, utriuſque communio propriè ſignificetur, vocatur ſanctus Spiritus, qui eſt tertia in ſanctâ Trinitate perſona, Patri & Filio per omnia æqualis, coæternus & conſubſtantialis. Et hæc Trinitas unus eſt Deus, ſolus bonus, magnus, æternus, omnipotens. Ipſe ſibi unitas, deitas, magnitudo, bonitas, omnipotentia, & quidquid ad ſe ſubſtantialiter dicitur. Non ita in relativis vocabulis intelligendum eſt vel dicendum; quia dici non poteſt, Pater ſibi Pater, vel Filius ſibi Filius, vel Spiritus ſanctus ſibi Spiritus ſanctus, ſed hæc relativa vocabula ad aliam procul dubio perſonam referri debent.

Google

CAPITUL. LXXX.

Item idem in eodem.

Cap. 12. Spiritus ſanctus itaque hoc habet proprium quod ex Patre & Filio æqualiter procedit, *&c. uſque ad :* omnipotentiâ & æternitate.

CAPITUL. LXXXI.

Item idem in eodem.

Cap. 15. Spiritus ſiquidem ſanctus nec ingenitus, nec genitus alicubi dicitur, *&c. uſque ad :* procedat Spiritus ſanctus.

CAPITUL. LXXXII.

Item idem in libro ſecundo.

Cap. 9. Sunt hæc tria æternaliter tria. Quod ingenitum eſt Pater eſt ſolus, qui à nullo eſſe habet quod eſt niſi à ſeipſo. Qnod genitum eſt Filius eſt, cui à Patre eſt eſſe quod eſt. Quod verò nec ingenitum eſt, nec genitum, Spiritus ſanctus eſt, cui eſt eſſe à Patre & Filio procedere. Et hæc tria Trinitas eſt vera, conſubſtantialis & coæterna.

CAPITUL. LXXXIII.

Item idem in libro ſecundo.

Cap. 11. In Chriſto autem ſecundùm Catholicæ fidei veritatem, in unitate perſonæ ſimul & deitatem fatemur, & animam rationalem & carnem. In quo tamen deitas Spiritum accipere non potuit, quia ſecundùm deitatem Pater & Filius & Spiritus ſanctus unus eſt Deus. Non ergo potuit Spiritum ſanctum divinitas Filii accipere, cum ipſe Spiritus ſanctus ſic procedat à Filio, ſicut procedit à Patre, & ſic detur à Filio ſicut datur à Patre.

CAPITUL LXXXIV.

Item idem in libro ſecundo; *De unitate Spiritûs ſancti cum Patre & Filio.*

Cap. 19. Spiritus itaqoe ſanctus ſicut Pater & Filius plenus eſt Deus & perfectos, imò unus Deus cum Patre & Filio atque una ſubſtantia, ſicut ſuprà memoravimus, *&c. uſque ad :* ubi vult ſpirat.

CAPITUL. LXXXV.

Item idem in libro ſecundo.

Cap. 20. Spiritus ſanctus in eâdem unitate ſubſtantiæ & æqualitate cum Patre & Filio conſiſtit, *&c. uſque ad finem capitis.*

CAPITUL. LXXXVI.

Item idem in eodem: *Cur idem Spiritus ſanctus bis à Deo Chriſto datus ſit.*

Cap. 21. Abſque dubitatione ideo Spiritus ſanctus bis datus eſt, ut commendarentur duo præcepta charitatis, *&c. uſque ad finem capitis.*

CAPITUL. LXXXVII.

Item idem in libro III. *Quomodo miſſio ſancti Spiritûs ſit intelligenda.*

Sicut enim à Patre Spiritus ſanctus mittitur, ita & à Filio, *&c. uſque ad finem capitis.*

CAPITUL. LXXXVIII.

Item in fide ipſius Alcuini:

Credimus ſanctam Trinitatem, id eſt, Patrem & Filium & Spiritom ſanctum, unum Deum omnipotentem, unius ſubſtantiæ, unius eſſentiæ, unius poteſtatis; Creatorem omnium creaturarum. A quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Patrem à ſe ipſo non ab alio, Filium à Patre genitum, Deum verum de Deo vero, lumen verum de lumine vero, non tamen duo lumina, ſed unum lumen. Spiritum ſanctum à Patre & Filio æqualiter procedentem, conſubſtantialem, coæternum Patri & Filio.

CAPITUL. LXXXIX.

Item idem Alcuinus in propoſitis quæſtionibus de ſanctâ Trinitate.

Reſp. ad interrog. 2. Proprium eſt Patris, quòd ſolus eſt Pater, & quòd ab alio non eſt niſi à ſe. Proprium eſt Filii, quòd à Patre genitus eſt, ſolus à ſolo coæternos & conſubſtantialis genitus. Proprium eſt Spiritûs ſancti, quòd nec ingenitus eſt, ſed à Patre & Filio æqualiter procedens.

CAP. XC.

Prudentius in libro contrà Marcionitas metro Heroïco.

In perorat. Hamartigenia.

O Dee cunctipotens animæ dator, ô Dee Chriſte,
Cujus ab ore Deus ſubſiſtit Spiritus unus.

CAP. XCI.

Item idem in libro Hymnorum metro Iambico.

In Hym. ante ſomnum.

O Trinitatis hujus,
Vis una, lumen unum,
Deus ex Deo perennis,
Deus ex utroque miſſus.

CAP. XCII.

Item idem in libro Hymnorum metro Choriambico, quod Aſclepiadeum nominatur.

Hym. ad incenſum cerei Paſchalis.

Inventor rutili dux bone luminis,
Qui certis vicibus tempora dividis,
Merſo ſole chaos ingruit horridum,
Lumen redde tuis Chriſte fidelibus.
Per Chriſtum genitum ſumme Pater tuum,
In quo inviſibilis ſtat tibi gloria,
Qui noſter Dominus, qui tuus unicus
Spirat de patrio corde Paraclitum.
Per quem ſplendor, honor, laus, ſapientia,
Majeſtas, bonitas, & pietas tua,
Regnum continuas nomine triplici
Texens perpetuis ſæcula ſæculis.

CAP. XCIII

Item in fide Catholicâ, quam die Dominicâ decantat ad Miſſam univerſalis Galliarum Eccleſia, ſic canitur inter cætera.

Credo & in Spiritom ſanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur, qui loquutus eſt per Prophetas.

CAP. XCIV.

Item Isidorus in fide Catholicâ inter cætera, ſic dicit:

Lib. de Ordine Creaturarum cap. 1.

Deus unus omnipotens, ſancta Trinitas Pater & Filius & Spiritus ſanctus. Pater ergo omnipotens ex nullo originem ducit, & ipſe origo divinitatis eſt, à quo Filius Deus omnipotens genitus ſine tempore eſt, non quippe creatus eſt, quia Deus eſt. Cui, præter quod Filius eſt, in divinitate totum eſt commune Patris in æternitate, in voluntate, in poteſtate, in ſapientiâ. Sic & Patri, præter quod Pater eſt, totum eſt commune Filii. Spiritus ſanctus eſt Deus omnipotens, nec genitus eſt, quia non eſt Filius, nec creatus, quia non eſt creatura, ſed ex Patre procedit & Filio. Cui, præter quod Spiritus ſanctus eſt, totum commune eſt Patris & Filii; quia non qui Pater eſt, Filius aut Spiritus ſanctus in perſonâ hic eſt, nec qui Filius eſt, Pater aut Spiritus ſanctus hic eſt, nec qui Spiritus ſanctus eſt, Pater aut Filius hic eſt, ſed in eſſentiâ quod Pater eſt; &

Filius, & Spiritus ſanctus hoc unum eſt. Et quod Filius eſt, Pater & Spiritus ſanctus hoc eſt. Et quod Spiritus ſanctus eſt, Pater & Filius hoc eſt, ſed non triplex in illâ Trinitate Deorum numerus eſt. Salvâ enim ſeparatione perſonarum totum commune divinitatis eſt.

CAP. XCV.

Teſtimonia Sanctorum Patrum contrà eos qui profanâ intentione munditiam Miniſtrorum Chriſti oppugnare contendunt, quam pulchra virgo & vera mater Eccleſia non habens maculam aut rugam, vel aliquid hujuſmodi, ſemper ſibi obſequi illibatè delegit.

VOx tonitrui PAULUS ita de munditiâ proſequitur, cum vulgaribus conjugium permutteret:
1. Cor. 7. 2. *Unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque*
Ibid. 6. *ſuum virum habeat. Hoc, inquit, dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium. Volo autem omnes homines eſſe ſicut meipſum, ſed unuſquiſque proprium habet donum ex Deo. Alius quidem ſic, alius verò ſic. Dico autem non nuptis & viduis, bonum eſt illis ſi ſic manſerint ſicut & ego.* Et idem
Ibid. 25. poſt pauca in eâdem Epiſtolâ ad Corinthios primâ: *Conſilium autem do tamquam miſericordiam conſecutus a Domino ut ſim fidelis. Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe.* Subauditur, ut ita ſit continens ſicut ego. Et item poſt pauca: *Volo autem vos ſine ſollicitudine eſſe. Qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt quomodo placeat uxori.* Si autem hanc caſtimoniam laïcis hortando ſuadet, multo magis Miniſtris Eccleſiæ eamdem ineſſe deſi-
Galat. 5. 16. derat. Item Apoſtolus ad Galatas: *Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Caro enim concupiſcit adversùs ſpiritum, ſpiritus autem adversus carnem. Hæc enim invicem ſibi adverſantur, ut non quæcumque vultis illa faciatis; quod ſi ſpiritu du-*
Ibid. 22. *cimini, non eſtis ſub lege.* Et item: *Fructus autem Spiritûs eſt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modeſtia, lenitas, continentia, caſtitas; adverſus hujuſmodi*
Ibid. 25. *non eſt lex.* Et item: *Si ſpiritu vivimus, ſpiritu &*
Hebr. 7. 26. *ambulemus.* Cum autem de magno Pontifice Chriſto ad Hebræos dixiſſet: *Talis enim decebat ut nobis eſſet Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus & excelſior cœlis factus:* hanc caſtitatis munditiam cunctis Sacerdotibus & Miniſtris Eccleſiæ ſervandam propoſuit. Et ſi talia in ſæcularibus laudantur, abundantiùs in Eccleſiaſticis ho-
Coloſſ. 3. 5. neſtiora eſſe videntur. Item Paulus ad Coloſſenſes: *Mortificate*, inquit, *membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam.* Addit etiam: *Propter quæ venit ira Dei ſuper filios incredulitatis. In quibus & vos fuiſtis aliquando cum viveretis in illis. Nunc autem deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore ve-*
Luc. 12. 35. *ſtro.* Ad hæc augmentanda Dei Filius concludens imperat: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Et Paulus: *Bonum eſt mulierem non tangere*, videlicet quaſi in tactu ſtatim periculum pro foribus adeſſet. Si carnalibus eſt à tactu temperandum & cavendum, inſtantiùs ſpiritalibus ab amplexu illicito perpetualiter abſtinen-
Epheſ. 5. 3. dum. Item Paulus: *Fornicatio autem & omnis immunditia aut avaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos; aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas quæ ad rem pertinet, ſed magis gratiarum actio. Hoc enim ſcitote intelligentes, quòd omnis fornicator aut immundus, aut avarus, quod eſt Idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti*
Ibid. 8. *& Dei.* Et paulo poſt: *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino; ut filii lucis ambulate. Fructus enim lucis eſt in omni bonitate & juſtitiâ & veritate.* His & aliis quampluribus auctoritatibus pudicitia mentis & corporis uſque ad cœlos extollitur.

CAP. XCVI.

IN NICÆNO CONCILIO: *De ſubintroductis mulieribus.*

Can. 3. ex 1. edit. INterdixit per omnia magna Synodus, non Epiſcopo, non Preſbytero, non Diacono, nec alicui omninò qui in Clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem, niſi fortè matrem, aut ſororem, aut amitam, vel eas tantum perſonas quæ ſuſpiciones
In fine Proœmii l. 1. de fide ad Gratian. effugiunt. Hoc autem Nicænum Concilium Beatus Ambroſius in libro de Trinitate his verbis in immenſum effert: De Conciliis id potiſſimùm ſequar, quod trecenti decem & octo Sacerdotes, tamquam Abrahæ lecti judicio, conſonâ fidei virtute victores, velut trophæum toto orbe ſubactis perfidis extulerunt: ut mihi videatur hoc eſſe divinum, quod eodem numero in Conciliis habeamus oraculum, quo in hiſtoria pietatis exemplum.

CAPITUL. XCVII.

IN Decretalibus SIRICII Papæ; *De Clericis incontinentibus.* cap. VII.

Epiſt. 1. c. 7. VEniamus nunc ad ſacratiſſimos Ordines Clericorum, quos in venerandæ religionis injuriam ita per veſtras provincias calcatos atque confuſos, caritate tua inſinuante reperimus, ut Hieremiæ nobis
Jerem. 9. voce dicendum ſit: *Quis dabit capiti meo aquam, aut oculis meis fontem lacrymarum; & flebo populum hunc die ac nocte.* Si ergo beatus Propheta ad lugenda populi peccata non ſibi ait lacrymas poſſe ſufficere, quanto nos poſſumus dolore percelli, cum eorum qui in noſtro ſunt corpore, compellimur facinora deplorare? Quibus præcipuè, ſecundùm beatum
2. Cor. 11. Paulum, *inſtantia quotidiana, & ſollicitudo omnium Eccleſiarum indeſinenter incumbit. Quis enim infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Plurimos enim Sacerdotes Chriſti atque Levitas poſt longa conſecrationis ſuæ tempora, tam de conjugiis propriis, quàm etiam de turpi coïtu ſobolem didicimus procreaſſe, & crimen ſuum hac præſcriptione defendere, quia in veteri Teſtamento Sacerdotibus ac miniſtris generandi facultas legitur attributa, &c. *uſque ad:* contulerint medicinam.

CAPITUL. XCVIII.

In eiſdem; *De Clericorum converſione*, cap. IX.

Ibid. cap. 9. QUicumque itaque ſe Eccleſiæ vovit obſequiis, à ſuâ infantiâ ante pubertatis annos baptizari, & lectorum debet miniſterio ſociari: qui acceſſit adoleſcentiæ uſque ad triceſimum ætatis annum ſi probabiliter vixerit, unâ tantùm, & eâ, quam virginem communi per Sacerdotem benedictione perceperit, uxore contentus, Acolythus & Subdiaconus eſſe debebit. Poſt quæ ad Diaconii gradum, ſi ſe ipſe primitùs continentiâ præeunte dignum probarit, accedat. Ubi ſi ultrà quinque annos laudabiliter miniſtrarit, congruè Preſbyterium conſequetur. Exinde poſt decennium Epiſcopalem cathedram poterit adipiſci, ſi tamen per hæc tempora integritas vitæ ac fidei ejus fuerit approbata.

CAPITUL. XCIX.

Item in eiſdem Decretalibus; *Quæ fœminæ cum Clericis habitent*, cap. XII.

Ibid. cap. 12. FOEminas verò non alias eſſe patimur in domibus Clericorum, niſi eas tantum, quas propter ſolas

neceſſitudinum cauſas habitare cum iiſdem Synodus Nicæna permiſit.

CAP. C. INNOCENTIUS Papa in Decretalibus; *De incontinentiâ Sacerdotum vel Levitarum*, cap. XXI. ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum.

Epiſt. 3. c. 1. PRopoſuiſti quid de his obſervari debeat, quos in Diaconii miniſterio, aut in officio Presbyterii poſitos, incontinentes eſſe, aut fuiſſe, generati filii prodiderunt. De his & divinarum legum eſt diſciplina, & beatæ recordationis viri Siricii Epiſcopi monita evidentia commearunt, ut incontinentes in officiis talibus poſiti omni honore Eccleſiaſtico privarentur, nec admittantur ad tale miniſterium, quod ſolâ continentiâ oportet impleri, *&c. uſque ad*: arbitrati ſunt voluptatem.

CAPIT. CI. Item Papa INNOCENTIUS; *Quòd hi qui in Presbyterio filios genuerint, removeri ab officio debeant*. cap. XXXIII.

Epiſt. 5. ſub init. QUi zelo fidei ac diſciplinæ ductus non patitur Eccleſiam pollui ab indignis Presbyteris, quos in presbyterio filios aſſerit procreaſſe. Quod non licere exponerem, niſi noſſem veſtram prudentiam legis totius habere notitiam. Et ideo, fratres cariſſimi, libelli qui ſubjectus eſt tenore perſpecto, eos qui talia perpetraſſe dicuntur jubete in medio collocari, diſcuſſiſque objectionibus quæ ipſis Presbyteris impinguntur, ſi convinci potuerint, à ſacerdotali removeantur officio; quia qui ſancti non ſunt, ſancta tentare non poſſunt, atque alieni efficiuntur à miniſterio, quod vivendo illicitè polluerunt. Miramur autem hæc eorum diſſimulare Epiſcopos, ut aut connivere, aut neſcire eſſe illicita judicentur.

CAP. CII. *Sanctus* SIRICIUS *Papa in Eccleſiâ Beati Petri Apoſtolorum Principis in Concilio reſidens, & Fratribus & Coëpiſcopis per Africam Eccleſiaſtica jura deſcribens, inter cætera hæc de pudicitiâ intulit*.

Epiſt. 4. n. 9. PRæterea, quod dignum & pudicum & honeſtum eſt, ſuademus Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus ſuis non coëant, quia in miniſterio Miniſtri quotidianis neceſſitatibus occupantur. Ad Corinthios namque Paulus ſic ſcribens ait: *Abſtinete vos ut vacetis orationi*. Si ergo laïcis abſtinentia imperatur, ut poſſint deprecantes audiri, quanto magis Sacerdos utique omni momento paratus eſſe debet, munditiæ puritati ſecurus, ne aut ſacrificium offerat, aut baptizare cogatur. Qui ſi contaminatus fuerit carnali concupiſcentiâ, quid faciet? Qualiter ſe excuſabit? Quo pudore, quâ mente uſurpabit? Quâ conſcientiâ, quo merito ſe hic exaudiri credit, cum dictum ſit: *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum*. Quâ de re hortor, moneo, rogo, tollatur hoc opprobrium, quod poteſt jure etiam gentilitas accuſare. Forte hoc creditur, quia ſcriptum eſt: *Unius uxoris virum*. Non permanentem in concupiſcentiâ generandi dixit, ſed propter continentiam futuram. Neque enim integros non admiſit qui ait: *Vellem autem omnes homines ſic eſſe, ſicut & ego*. Et apertiùs declarat dicens: *Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Vos autem jam non eſtis in carne, ſed in ſpiritu*. Hæc itaque, Fratres, ſi plenâ vigilantia fuerint ab omnibus obſervata, ceſſabit ambitio, diſſenſio conquieſcet, hæreſes & ſchiſmata non emergent, locum non accipiet Diabolus ſæviendi; manebit unanimitas, iniquitas ſuperata calcabitur; charitas ſpiritali fervore flagrabit, pax prædicata labiis cum voluntate concordabit; pax utique Dei noſtri Salvatoris, quam proximus paſſioni ſervandam eſſe præcepit, & hæreditariam nobis jure dereliquit dicens: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*. Et dictum Apoſtoli: *Ut unanimes unum ſentientes permaneamus in Chriſto; nihil per contentionem nobis, neque per inanem gloriam vindicantes; nec hominibus, ſed Deo noſtro Salvatori placeamus*. His præceptis omnibus ſi fideliter voluerimus obedire, cuſtodiet Dominus corpora noſtra & animas noſtras in die quâ redditurus eſt unicuique ſecundum opera ſua. Si quis ſanè inflatus mente carnis ſuæ ab hac Canonis ratione voluerit evagari, ſciat ſe & à noſtra communione ſecluſum, & gehennæ pœnas habiturum. Præterea miſericordia cum judicio eſſe debet. Talibus enim oportet labentibus manum porrigere, quæ ſic currentem non pertrahat in ruinam. Datum Romæ in Concilio Epiſcoporum octoginta ſub die VIII. Idus Januarias poſt conſulatum Arcadii Auguſti & Bautonis VV. CC. CONSS.

[Margin: 1. Cor. 7. — Tit. 1. — 1. Tim. 3. — 1. Cor. 7. — Rom. 8. — Joan. 14. — Philip. 2. — Rom. 2.]

In decretalibus Papæ LEONIS: *Quòd Subdiaconis carnale connubium denegetur*, cap. XXXIV. CAP. CIII.

NAm cum extrà Clericorum ordinem conſtitutis nuptiarum ſocietati, & procreationi filiorum ſtudère ſit liberum arbitrium; ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem nec Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur; *ut & qui habent ſint tamquam non habentes*; & qui non habent, permaneant ſingulares. Quod ſi in hoc ordine qui quartus eſt à capite, dignum eſt cuſtodiri, quanto magis in primo vel ſecundo tertiove ſervandum eſt, ne aut Levitico, aut Presbyterali honore, aut Epiſcopali excellentiâ quiſquam idoneus æſtimetur, qui ſe à voluptate uxoris needum frænaſſe detegitur. Epiſt. 84. c. 4. 1. Cor. 7. 29.

LEO *Papa ad Ruſticum Epiſcopum Narbonenſem epiſtolam porrigens, & ad ejuſdem conſulta reſpondens inter cætera dicit*, cap. III. CAP. CIV.

DE his qui altari miniſtrant, & conjuges habent, utrum eis licitò miſceantur. Lex continentiæ eadem eſt altaris Miniſtris, quæ Epiſcopis atque Presbyteris. Qui cum eſſent laici ſive lectores, licitè & uxores ducere, & filios procreare potuerunt: ſed cum ad prædictos pervenerint gradus, cœpit eis non licere quod licuit. Unde ut de carnali fiat ſpiritale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, & quaſi non habeant ſic habere; quo & ſalva ſit caritas connubiorum, & ceſſet operatio nuptiarum. Epiſt. 95. Inquiſit. 3.

Item LEO Papa *in Epiſtolâ ſuâ quam ad Mauros Epiſcopos direxit, inter cætera ſic dicit*: CAP. CV.

TOtius familiæ ſtatus & ordo nutabit, ſi quod requiritur in corpore non inveniatur in capite, *&c. uſque ad*: argentum purum eſſe meruerunt. In edit. Epiſt. 87 ad Epiſc. Africanos per Mauritaniam &c. cap. 1.

In Canonibus ſanctorum Apoſtolorum, cap. VII. CAP. CVI.

UT Sacerdotes & Miniſtri altaris, ſæcularibus curis abſtineant: Epiſcopus autem Presbyter aut Diaconus nequaquam ſæculares curas aſſumat; ſin aliter, dejiciatur. Can. 7. al. 6. uſſitat ab edit.

Item in eiſdem: *Quòd Miniſtri altaris oblatione celebratâ debeant communicare*, cap. IX. CAP. CVII.

SI quis Epiſcopus, aut Presbyter aut Diaconus, vel quilibet ex ſacerdotali catalogo, facta obla- Can. 9. ex Verſ. Dionyſii Exigui.

tione non communicaverit, aut cauſam dicat, ut ſi rationabilis fuerit, veniam conſequatur: aut ſi non dixerit, communione privetur tamquam qui populo cauſa læſionis exſtiterit, dans ſuſpicionem de eo qui ſacrificavit, quod rectè non obtulerit.

CAP. CVIII. Item in eiſdem: *Qui Clerici debeant conjugibus copulari*, cap. XXVII.

Can. 18. ex eadem verſ.

INnuptis autem qui ad Clerum provecti ſunt, præcipimus, ut ſi voluerint uxores accipiant, ſed Lectores Cantoreſque tantummodo.

CAP. CIX. In Concilio Carthaginenſi, cap. XVI.

Conc. Carthag. III. c. 17. ex alt. edit.

UT cum omnibus omninò Clericis extraneæ fœminæ non cohabitent, ſed ſolæ matres, aviæ, materteræ, amitæ, ſorores & filiæ fratrum aut ſororum, & quæcumque ex familiâ neceſſitate domeſticâ, etiam antequàm ordinarentur, jam cum eis habitabant, vel ſi filii eorum jam ordinatis parentibus uxores acceperint, aut ſervis non habentibus in domo quas ducant, aliunde ducere neceſſitas fuerit.

CAP. CX. Item in eodem, cap. XXIV.

Ibid. cap. 25.

UT Clerici vel continentes, ad viduas vel virgines, niſi ex juſſu vel permiſſu Epiſcoporum aut Presbyterorum non accedant, & hoc non ſoli faciant, ſed cum Clericis, aut cum his cum quibus Epiſcopus aut Presbyter juſſerit. Nec ipſi Epiſcopi aut Presbyteri ſoli habeant acceſſum ad hujuſmodi fœminas, ſed aut ubi Clerici præſentes ſunt, aut graves aliqui Chriſtiani.

CAP. CXI. In Canone Anquirani Concilii, cap. X.

Can. 10. differt hæc verſio à trib. edit.

DIaconi quoque cum ordinantur, ſi in ipſâ ordinatione proteſtati ſunt, dicentes velle ſe habere uxores, neque poſſe ſe continere, hi poſtea, ſi ad nuptias convenerint, maneant in Clero tantùm, & à miniſterio abjiciantur. Quicumque ſanè tacuerunt, & ſuſceperunt manûs impoſitionem, profeſſi continentiam, & poſtea ad nuptias convenerunt, à miniſterio vel Clero ceſſare debebunt, laicam tantùm communionem recipientes.

CAP. CXII. In Concilio Laodicenſi: *De viris cum mulieribus lavacra celebrantibus*, cap. XXX.

Cap. 30. ex interp. Dionyſii Exigui.

QUòd non oporteat ſacris officiis deditos, aut Clericos, aut continentes, vel omnem Laicum Chriſtianum, lavacra cum mulieribus celebrare, quia hæc apud Gentiles reprehenſio prima eſt.

CAP. CXIII. In eodem, *Non licere clericis ludicris ſpectaculis intereſſe*, cap. LIV.

Cap. 54.

NOn oportet Miniſtros altaris vel quoſlibet Clericos, ſpectaculis aliquibus, quæ aut in nuptiis aut in cœnis exhibentur intereſſe, ſed antequàm thymelici ingrediantur, ſurgere eos & abire debere de convivio.

CAP. CXIV. In Synodo Neocæſarienſi, cap. I.

Cap. 1. ex interpret. Gerardi Mercat.

PReſbyter qui uxorem duxerit, ab ordine ſuo illum deponi debere. Quòd ſi fornicatus fuerit, vel adulterium commiſerit, extrà Eccleſiam abjiciatur, & pœnitentiam inter Laicos redactus agat.

Item INNOCENTIUS Papa ad Victricium Epiſcopum Rotomagenſem, cap. X. CAP. CXV.

Epiſt. 2. cap. 9.

PRæterea quod dignum, & pudicum, & honeſtum eſt, tenere Eccleſia omnimodo debet, ut Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus ſuis non coëant, quia miniſteriì quotidiani neceſſitatibus occupantur. Scriptum eſt enim; *Sancti eſtote, quoniam & ego ſanctus ſum, dicit Dominus Deus veſter.* Nam priſcis temporibus de templo Dei Sacerdotes anno vicis ſuæ non diſcedebant, ſicut de Zacharia legimus, nec domum ſuam omninò tangebant. *&c. uſque ad finem capitis.*

Levit. 11. 44. & 20.

Item idem ad eumdem, cap. XII. CAPITUL. CXVI.

Cap. 10. in fine.

QUæ forma ſervatur in Clericis, maximè cum vetus regula hoc habeat, ut quiſque corrector baptizatus Clericus eſſe voluiſſet, ſponderet ſe uxorem omninò non ducere.

In Concilio Laodicenſi: *Ut qui miniſtri altaris ſunt tabernas non intrent*, cap. XXII. CAPITUL. CXVII.

Cap. 24. ex interpr. Mercatoris.

QUoniam non oportet altari deſervientes à Presbyteris uſque ad Diaconos, & deinceps Ordinis Eccleſiaſtici homines uſque ad Miniſtros, aut Lectores, aut Pſaltes, aut Exorciſtas, aut Oſtiarios, qui in propoſito continentiæ ſunt, tabernas intrare.

In Concilio Carthaginenſi, *De continentiâ*, cap. III. CAPITUL. CXVIII.

Carthag. Conc. II. 2.

AUrelius Epiſcopus dixit: Cum præterito Concilio de continentiæ & caſtitatis moderamine tractaretur, gradus iſti tres qui conſcriptione quâdam caſtitatis per conſecrationes adnexi ſunt, Epiſcopos, inquam, Preſbyteros & Diaconos ita placuit, ut condecet ſacros Antiſtites, ac Dei ſacerdotes, nec non & Levitas, vel qui ſacramentis divinis inſerviunt, continentes eſſe in omnibus, quo poſſint ſimpliciter quod à Deo poſtulant impetrare; ut quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.

Item in eodem Concilio, *De diverſis ordinibus ab uxoribus abſtinendis*, cap. XV. CAPITUL. CXIX.

Cap. 14. ex alterâ edit.

FAuſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Potentinæ, provinciæ Piceni, Legatus Romanæ Eccleſiæ dixit: Placet ut Epiſcopi, Preſbyteri & Diaconi, vel qui ſacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes, ab uxoribus ſe abſtineant. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt. Placet ut in omnibus & ab omnibus pudicitia cuſtodiatur, qui altari inſerviunt.

In Concilio Africano; *Qui clerici ab uxoribus debeant abſtinere*, cap. XXXVII. CAPITUL. CXX.

Cap. 7. Ex Carthag. Conc. V. c. 3.

PRæterea, cum de quorumdam Clericorum, quamvis erga uxores proprias, incontinentia referretur: placuit Epiſcopos, & Preſbyteros, & Diaconos ſecundùm priora ſtatuta, etiam ab uxoribus continere. Quod niſi fecerint, ab Eccleſiaſtico removeantur officio. Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, ſed ſecundùm uniuſcujuſque Eccleſiæ conſuetudinem obſervari debere.

In *Synodo cui præſedit Romæ beatus* SILVESTER *Papa cum Epiſcopis ducentis octoginta quatuor, ubi damnati ſunt Victorinus Epiſcopus, Caliſtus,* CAPITUL. CXXI.

Digitized by Google

Hippolytus diaconus, adſtantibus Epiſcopis & Presbyteris, & Clericis Græcorum, ita inter cætera legitur.

Conc. Rom. 2. c. 19. differt ab edit.

NEmo Presbyter à die honoris presbyterii ſumat conjugium. Quòd ſi quis hoc neglecto aliter egerit, duodecim annis eum dicimus privari honore. Quod ſi quis contrà hoc chirographum præſens & publicè dictum egerit, condemnabitur in perpetuum.

CAPITUL. CXXII.

In cap. 2.

AMBROSIUS in epiſtolâ ad Titum inter cætera ſic ait.

JUniores ſimiliter, *&c. uſque ad verba:* probat factis.

CAPITUL. CXXIII.

1. Tim. 3.

Item in Epiſtolâ ad Timotheum.

U*Nius uxoris virum.* Quamvis ſecundam numero uxorem non ſit haberi prohibitum, ut tamen quis dignus ad Epiſcopatum ſit, etiam licitam debet ſpernere propter ſublimitatem ipſius ordinis, quia cæteris melior debet eſſe, qui cupidus eſt ſedis illius: *ſobrium, pudicum, hoſpitalem, docibilem, non obnoxium vino, non verberatorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non aſperum, domum ſuam benè regentem, filios habentem ſubditos cum omni caritate.* Talem hominem qui hæc cuſtodiat quæ enumerat bona, creari debere dicit Epiſcopum. Hæc enim ſigna ſunt dignitatis Epiſcopalis. Si quis autem potiora ſectatus, & corpus & animam ſuam Deo dicaverit, ne ſe copulet matrimonio, tanto magis dignior fiet; ideo enim inferiorem poſuit, ut de potiore nemo dubitaret.

Ibid.

CAPITUL. CXXIV.

Ibidem.

Item idem in eâdem poſt pauca:

D*Iaconos pari modo pudicos, non bilingues, non vino multo deditos, non turpibus lucris vacantes, habentes myſterium fidei in conſcientiâ purâ:* Et hi autem probentur primùm, & ſic miniſtrent ſine crimine. Qui tantâ curâ Diaconos eligendos præcipit, quos conſtat Miniſtros eſſe Sacerdotum, quales vult eſſe Epiſcopos, niſi ſicut ipſe ait, *irreprehenſibiles?* Negotia tamen publica, turpia, vilia non habentes. Scit enim negotiari, ut accipiant lucra, nec aliud profitetur quàm gerit. Turpia autem lucra hæc dicit eſſe, ſi ſub piâ profeſſione quæſtibus ſtudeatur. Turpis enim deprehenditur cum ſe purum oſtentat. Poſt Epiſcopum tamen Diaconatûs ordinationem ſubjicit: quare? niſi quia Epiſcopi & Presbyteri una ordinatio eſt, uterque enim Sacerdos eſt, ſed Epiſcopus primus eſt, ut omnis Epiſcopus Presbyter ſit, non tamen omnis Presbyter Epiſcopus; hic enim Epiſcopus eſt, qui inter Presbyteros primus eſt. Denique Timotheum Presbyterum ordinatum ſignificat; ſed quia ante ſe alterum non habebat, Epiſcopus erat. Unde & quemadmodum Epiſcopum ordinet, oſtendit; neque enim fas erat aut licebat, ut inferior ordinaret majorem: nemo enim tribuit quod non accepit.

CAPITUL. CXXV.

Ibidem.

Item in eâdem poſt pauca:

DIacones ſint unius uxoris viri, *&c. uſque ad:* Actores Dei ſunt.

CAPITUL. CXXVI.

Hoc capitulum non occurrit in lib. 1. Offic. S. Ambroſii.

Item AMBROSIUS in libro primo de Officiis Miniſtrorum.

VIduarum ac Virginum domos, niſi viſitandi gratiâ juniores adire non opus eſt: & hoc cum ſenioribus, hoc eſt, vel cum Epiſcopo, vel ſi gravior eſt cauſa, cum Presbyteris. Quid neceſſe eſt ut demus ſæcularibus obtrectandi locum? Quid opus eſt ut illæ quoque viſitationes crebræ accipiant auctoritatem? Quid ſi aliqua illarum forte labatur? Cur alieni lapsûs ſubeamus invidiam? Quam multos etiam fortes illecebra decepit? quanti non dederunt errori locum, & dederunt ſuſpicioni? Cur non illa tempora, quibus ab Eccleſiâ vacas, lectioni impendas? Cur non Chriſtum reviſas, Chriſtum alloquaris, Chriſtum audias? Illum alloquimur cum oramus, illum audimus cum divina legimus oracula. Quid nobis cum alienis domibus? Una eſt domus quæ omnes capit; illi potiùs ad nos conveniant, qui nos requirunt. Quid nobis cum fabulis? Miniſterium altaribus Chriſti, non obſequium hominibus deferendum recepimus. Humiles decet eſſe, mites, manſuetos, graves, patientes: modum nos tenere in omnibus vel tacitus vultus, vel ſermo annuntiet.

CAPITUL. CXXVII.

Cap. 50. ſub init.

Item idem in eodem libro.

DE caſtimoniâ autem quid loquar, quando una tantùm nec repetita permittitur copula, *&c. uſque ad verba:* quod eſt temperantiæ.

CAPITUL. CXXVIII.

HIERONYMUS in Epiſtolâ ad Titum, ſic de pudicitiâ dicit inter cætera.

Ad cap. 1. 1. Tim. 3.

O*Portet autem illum & teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt, ut non in opprobrium incidat, & laqueum diaboli.* Quod autem ait, *unius uxoris vir*, ſic intelligere debemus, ut non omnem monogamum digamo putemus eſſe meliorem, ſed quo is poſſit ad monogamiam & continentiam ſubditos cohortari, qui ſui exemplum præferat in docendo, *&c. uſque ad* neceſſitati carnis indulgeat.

CAPITUL. CXXIX.

Item idem in eâdem poſt pauca:

SIt autem Epiſcopus & pudicus, quem Græci σώφρονα vocant, & latinus Interpres verbi ambiguitate deceptus, pro pudico prudentem tranſtulit. Si autem laicis imperatur ut propter orationem abſtineant ſe ab uxorum coitu, quid de Epiſcopo ſentiendum eſt, qui quotidie pro ſuis populique peccatis, *&c. uſque ad:* Sine regula veritatis.

CAPITUL. CXXX.

Ibid. cap. 2.

Item idem in eâdem poſt pauca:

T*E ipſum*, inquit, *formam prœbens bonorum operum.* Nihil prodeſt aliquem exercitatum eſſe in dicendo, & ad loquendum triviſſe linguam; niſi plus exemplo docuerit quàm verbo. Denique qui impudicus eſt, quamvis diſertus ſit, ſi ad caſtitatem audientes cohortetur, ſermo ejus infirmus eſt, & auctoritatem non habet cohortandi. Et è contrario quamvis ſit ruſticanus & tardus ad loquendum, ſi caſtus fuerit, exemplo ſuo homines poteſt ad vitæ ſimilitudinem compellere, *&c. uſque ad:* in incorruptione & in pudicitiâ.

CAPITUL. CXXXI.

Sive Epiſt. 50. ante med. tom. 2. p. 233.

HIERONYMUS in *Apologetico ad Pammachium, inter cætera ita de pudicitiâ diſputat.*

IN fine quoque comparationem nuptiarum & virginum, diſputationem noſtram hoc ſermone concluſimus: Ubi bonum & melius eſt, ibi boni & melioris non unum eſt præmium: Et, ubi non unum præmium, ibi utique dona diverſa. Tantum eſt igitur inter nuptias & virginitatem, quantum inter non peccare & benefacere: imò ut levius dicam,

quantum inter bonum & melius. *&c. uſque ad:* Unuſquiſque ferre poteſt.

CAPITUL. CXXXII.

Item Hieronymus *in eodem Apologetico poſt pauca.*

Ibidem.

NUlli dubium eſt, Sacerdotes de Aaron & Eleazar, & Phinees ſtirpe generatos, qui cum & ipſi uxores habuerint, rectè nobis opponerentur, ſi errore Encratitarum contenderemus matrimonia reprobanda, *&c. uſque ad:* in gradu tertio ponerem.

CAPITUL. CXXXIII.

Item idem in eodem poſt pauca:

Ibid.

NUnc verò cum interpres magis Apoſtoli fuerim quàm dogmatis, & commentatoris ſim uſus officio, quidquid durum videtur, ei magis magiſque imputetur quem expoſuimus, quàm nobis qui expoſuimus, *&c. uſque ad:* potiùs quam aliorum obſcuram diligentiam.

CAPITUL. CXXXIV.

De Virginibus, *nuptis, viduis, monogamis, bigamis, trigamis & cætera in eodem poſt pauca.*

Ibidem.

TUment contrà me mariti quare dixerim: O ſo te, quale illud bonum eſt, quod orare prohibet, quod Corpus Chriſti accipere non permittit? Quando impleo mariti officium, non impleo continentis, *&c. uſque ad:* nec ſenſum, nec verba mutavi.

CAPITUL. CXXXV.

Item idem in fine ejus Apologetici.

IGitur hoc extremâ voce proteſtor, me nec damnaſſe nuptias nec damnare, reſpondiſſe adverſario, non meorum inſidias formidaſſe. Virginitatem autem in cælum fero, non quia habeo, ſed quia magis miror quod non habeo. Ingenua & verecunda confeſſio eſt, quo ipſe careas, id in aliis prædicare, *&c. uſque ad finem Apologiæ.*

CAPITUL. CXXXVI.

Item Hieronymus in libro I. contrà Jovinianum, inter cætera ſic dicit:

Ante med.

VIs ſcire quid velit Apoſtolus? Junge quod ſequitur. (1. Cor. 7. 7.) *Volo autem omnes homines eſſe ut meipſum.* Beatus qui Pauli ſimilis fuerit, felix qui audit Apoſtolum præcipientem, non ignoſcentem. (ibid. 4. 16.) *Hoc*, inquit, *volo, hoc deſidero ut imitatores mei ſitis, ſicut & ego Chriſti.* Ille virgo de virgine, de incorrupta incorruptus; nos quia homines ſumus, & nativitatem Salvatoris non poſſumus imitari, imitemur ſaltem converſationem, *&c. uſque ad:* ſed ſimplex per ſe bonum volo.

CAPITUL. CXXXVII.

Item idem in eodem poſt pauca:

QUanta felicitas non uxoris eſſe ſervum, ſed Chriſti; non carni ſervire, ſed ſpiritui. (1. Cor. 6 17.) *Qui enim adhæret Domino, unus Spiritus eſt.* Ac ne forſitan in eo quod ſuprà dixerat: (Ibid. 7. 16.) *Servus vocatus es, non ſit tibi curæ, ſed etſi potes liber fieri, magis utere:* ſuggillaſſe continentiam videretur, & in ſimulatum tradidiſſe nos conjugum, infert ſententiam quæ omnem cavillationem amputet: (Ibid. 23.) *Pretio empti eſtis, nolite fieri ſervi hominum, &c. uſque ad:* inſtantem neceſſitatem.

CAPITUL. CXXXVIII.

Item idem in eodem poſt pauca:

IDeo plus amat virgines Chriſtus, quia ſponte tribuunt quod ſibi non fuerat imperatum, majoriſque gratiæ eſt offerre quod non debeas, quàm reddere quod exigaris Apoſtoli uxoris onere contemplato: (Matt. 19 10.) *Si talis eſt*, inquiunt, *cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere.* Quorum Dominus ſententiam probans: Rectè quidem, ait, ſentitis, quòd non expediat homini ad cælorum regna tendenti accipere uxorem; ſed difficilis res eſt, & (Ibid. 11.) *non omnes capiunt verbum iſtud, verùm quibus datum eſt.*

CAPITUL. CXXXIX.

Item idem in eodem poſt pauca:

Ibid.

SImulque tractanda ſententia eſt: (Mat. 19. 12.) *Qui ſe*, inquit, *caſtraverunt propter regnum cælorum.* Si caſtrati mercedem habent regna cælorum, ergo qui ſe non caſtraverunt, locum non poſſunt accipere caſtratorum. (Ibid.) *Qui poteſt*, inquit, *capere capiat.* Grandis fidei eſt, grandiſque virtutis, Dei templum eſſe puriſſimum, totum ſe holocauſtum offerre Domino, & juxtà eumdem Apoſtolum eſſe ſanctum & corpore & ſpiritu, *&c. uſque ad:* liber ad extremum ſolutus.

CAPITUL. CXL.

Item idem in eodem poſt pauca:

AD maritos veniam. (1. Cor. 7. 29.) *Tempus breve eſt.* Dominus propè. Etiamſi nongentis viveremus annis, ut antiqui homines, tamen breve putandum eſſet quod haberet aliquando finem, & eſſe ceſſaret. Nunc verò cum brevis ſit non tam lætitia, quàm tribulatio nuptiarum: quid accipimus uxores quas citò cogimur amittere? *&c. uſque ad:* ſollicitudinum partes, miſeriarumque diſtractus.

CAPITUL. CXLI.

Item idem in eodem poſt pauca:

PRimus Adam monogamus, ſecundus agamus: qui digamiam probant, exhibeant tertium Adam digamum, quem ſequantur. Verùm fac ut conceſſerit Paulus ſecunda matrimonia. Et eâdem lege & tertia concedit & quarta, & quotieſcumque vir moritur. Multa compellitur Apoſtolus velle quæ non vult, *&c. uſque ad:* juxtà imaginem Creatoris ſui.

CAPITUL. CXLII.

Item idem in eodem poſt pauca:

Ibid. in med.

NOn enim poteſt Domini ſervire militiæ ſervus uxoris, *&c. uſque ad:* in terram repromiſſionis induxit.

CAPITUL. CXLIII.

Item idem in eodem poſt pauca:

Ibidem.

VErùm jam tempus eſt ut caſtitatis Jesu vexillum levemus, *&c. uſque ad:* Salvatoris auxilio coopertos.

CAPITUL. CXLIV.

Item idem in eodem poſt pauca:

Ibidem.

CUmque in ſepulturam Jesu liber qui ex nomine ejus appellatur expletus ſit, rurſum in Judicum volumine quaſi vivens reſurgenſque deſcribitur, *&c. uſque ad:* poſt mortem incipit coronari.

CAPITUL. CXLV.

Item idem in eodem poſt pauca:

NUmquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi, aut ſorores mulieres circumducendi? (2. Cor. 9.) Ubi de comedendo & bibendo, & de miniſtratione ſumptuum præmittitur, & de mulieribus ſororibus ſic infertur; perſpicuum eſt non uxores intelligi debere, ſed eas ut diximus, quæ de ſuâ ſubſtantia miniſtrabant,

niſtrabant, *&c. uſque ad:* nihil tale Scriptura ſignificat.

CAPITUL. CXLVI. Ibid.

Item idem in eodem poſt pauca:

POſſumus autem de Petro dicere, quòd habuerit ſocrum eo tempore quo credidit, & uxorem jam non habuerit, *&c. uſque ad:* Mater virgo virgini diſcipulo commendatur.

CAPITUL. CXLVII. *Prov. 15.*

Item idem in eodem poſt pauca:

S*Icut in ligno vermis: ita perdit virum ſuum uxor maleſica.* Si autem aſſerueris hoc de malis dictum eſſe conjugibus, & ego tibi breviter reſpondebo. Quæ enim mihi incumbit neceſſitas venire in dubium, utrum mala ſit an bona futura, quam ducero? *&c. uſque ad:* de ædibus ſuis, id eſt, de Eccleſià.

CAPITUL. CXLVIII. Ibid. poſt med.

Item idem in eodem poſt pauca:

AUt permitte Sacerdotibus exercere opera nuptiarum, ut idem ſint virgines quod mariti: aut ſi Sacerdotibus uxores non licet tangere, in eo ſancti ſunt, quia imitantur pudicitiam virginalem. Sed & hoc inferendum: Si laicus & quicumque fidelis orare non poteſt, niſi careat officio conjugali; Sacerdoti, cui ſemper pro populo offerenda ſunt ſacrificia, ſemper orandum eſt. Si ſemper orandum, ergo ſemper carendum matrimonio. Nam & in veteri lege qui pro populo boſtias offerebant, non ſolùm in domibus ſuis non erant, ſed purificabantur ad tempus ab uxoribus ſeparati, & vinum & ſiceram non bibebant, quæ ſolent libidinem provocare.

CAPITUL. CXLIX. Ibidem. *1. Tim. 3.*

Item idem in eodem poſt pauca:

O*Portet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*, ut nulli vitio mancipatus ſit. *Unius uxoris virum*, qui unam uxorem habuerit, non qui habeat. *Sobrium*, ſive ut meliùs in græco dicitur, vigilantem, id eſt, νηφάλιον pudicum, hoc enim ſignificat σώφρονα. *Ornatum* & caſtitate & moribus. *Hoſpitalem*, ut imitetur Abraham & cum peregrinis, imò in peregrinis Chriſtum ſuſcipiat, *&c. uſque ad:* non qui nobilior, ſed qui fortior eſt.

CAPITUL. CL. Ibid. *Rom. 8. 12.*

Item idem in eodem poſt pauca:

E*Rgo fratres debitores ſumus non carni, ut ſecundùm carnem vivamus. Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini, &c. uſque ad:* ſerviamus in Evangelio novo Adam.

CAPITUL. CLI.

Item idem in eodem poſt pauca:

ÆStimo quòd qui uxorem habet, quamdiù revertitur ad id ipſum, ne tentet eum ſatanas, in carne ſeminet, & non in ſpiritu, *&c. uſque ad:* his copulemur, hæc ſequamur.

CAPITUL. CLII. Ibid. paulo poſt.

Item idem in eodem poſt pauca:

TRanſeamus ad Jacobum qui frater Domini dicebatur, tantæ ſanctitatis, tantæque juſtitiæ & perpetuæ virginitatis, ut Joſephus quoque hiſtoricus Judæorum propter hujus necem ſubverſam Hieroſolymam referat, *&c. uſque ad:* in ſe virgine dedicaverit.

CAPITUL. CLIII. *1. Joan. 3.*

Item idem in eodem poſt pauca:

C*Ariſſimi, nunc filii Dei ſumus, & necdum apparuit quid futuri ſimus. Scimus autem quoniam ſi apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.* Et omnis qui hanc habet ſpem, caſtificat ſemetipſum, ſicut & ille caſtus eſt, *&c. uſque ad hac verba:* ad comparationem, &c. eſſe pollutos.

CAPITUL. CLIV.

Item idem in eodem poſt pauca:

INfinitum eſt de Evangelio virginum exponere ſacramentum quinque ſtultarum & quinque ſapientum. Hoc ſolum nunc dico, quòd quomodo abſque cæteris operibus virginitas ſola non ſalvat, ſic omnia opera abſque virginitate, puritate, continentià, caſtitate imperfecta ſunt, *&c. uſque ad:* de divinis libris exempla præbuimus.

CAPITUL. CLV.

Item HIERONYMUS in libro ſecundo contrà Jovinianum, ſic dicit.

CHæremon Stoïcus, vir eloquentiſſimus, narrat de vità antiquorum Ægypti Sacerdotum, quòd omnibus mundi negotiis curiſque poſtpoſitis ſemper in templo fuerint, & rerum naturas cauſaſque ac rationes ſiderum contemplati ſunt; nunquam mulieribus ſe miſcuerint, nunquam cognatos & propinquos, nec liberos quidem viderint. Et ex eo tempore quo cœpiſſent divino cultui deſervire, carnibus & vino ſemper abſtinuerint, propter tenuitatem ſenſûs & vertiginem capitis, quam ex parvo cibo patiebantur, & maximè propter appetitus libidinis, qui ex his cibis & ex hac potione naſcuntur. Pane raro veſcebantur ne onerarent ſtomachum, *&c. uſque ad:* proprium volumen edidit.

CAPITUL. CLVI. Multo ante *finem.*

Item idem in eodem.

DIximus de nuptiis, viduis, virginibus: virginitatem viduitati, viduitatem prætulimus matrimonio, *&c. uſque ad:* ruina ſtantium metus ſit.

CAPITUL. CLVII. Sive Homil. 3. in cap 5.

ORIGENES in libro tertio Levitici, inter cætera ſic dicit.

A*Nima quæcumque tetigerit omnem rem immundam, aut morticinum jumentorum immundorum, & latuerit eum, & inquinatus eſt; aut ſi tetigerit ab immunditià hominis ab omni immunditià ex quà inquinetur, &c.* Hæc quidem apud Judæos, indecenter ſatis & inutiliter obſervantur. Ut quid enim immundus habeatur qui contigerit, verbi causâ, animal mortuum, aut corpus hominis defuncti? Quid ſi Prophetæ corpus ſit? Quid ſi Patriarchæ, vel etiam ipſius Abrahæ corpus? Quid ſi & oſſa contigerit Samuelis, immundus erit? Quid ſi Heliſei oſſa contingat quæ mortuum ſuſcitant? immundus erit ille qui contingit, & immundum faciunt oſſa Prophetæ etiam illum ipſum quem à mortuis ſuſcitant? *4. Reg. 13.* Vide quàm inconveniens ſit Judaïca intelligentia. Sed nos videamus primò quid ſit tangere, & quid ſit tactus qui faciat immundum. Apoſtolus dicit: *Bonum eſt homini mulierem non tangere.* *1. Cor. 7.* Hic tactus immundus eſt: Hoc eſt enim illud quod Dominus in Evangelio dixit: *Si quis viderit mulierem ad concupiſcendum, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* *Mat. 7.* Tetigit enim cor ejus concupiſcentiæ vitium, & immunda facta eſt anima ejus. Si quis ergo hoc modo tangit aliquam rem, id eſt, vel per mulieris concupiſcentiam, vel per pecuniæ cupiditatem, vel alio quolibet peccati deſiderio, immundum tetigit & inquinatus eſt. Oportet ergo te ſi quid tale tetigeris, ſcire quomodo offeras ſacrificium, ſecundùm ea quæ in ſuperioribus memoravimus, ut mundus effici

poſſis. Vis tibi oſtendam quæ eſt anima quæ tetigit immundum, & immunda facta eſt, & rurſum tetigit mundum, & facta eſt munda? Illa quæ profluvium ſanguinis paſſa eſt, & erogavit omnem ſubſtantiam ſuam in medicos, nec aliquid proficere potuit, per immunditiam peccati in hoc devoluta eſt. Tetigerat enim peccatum, & idcirco flagellum carnis acceperat. Sed poſteaquàm fide plena tetigit *Matt. 9.* fimbriam JESU, ſtetit fluxus ſanguinis ejus, & repentè facta eſt munda, quæ ante per tantum tempus vixit immunda. Et quemadmodum cum tetigiſſet *Ibid.* Dominum & Salvatorem, dixit ipſe: *Quis me tetigit? Ego enim ſenſi virtutem exiiſſe de me*, illam ſine dubio virtutem intelligimus quæ mulierem ſanaverat & fecerat eam mundam; ſic intelligendum eſt, quia ſi quis contigerit peccatum, exeat ex ipſo peccato virtus quædam maligna, quæ eum qui ſe contigit faciat immundum. Et hoc eſt verè contigiſſe immundum. Simili ratione etiam de morticino hominis, vel de morticino pecoris mundi aut immundi dicendum eſt.

CAPITUL. CLVIII. Homil. 5.

Item idem in libro quinto Levitici.

CONſequens eſt, ut ſecundùm imaginem ejus qui Sacerdotium Eccleſiæ dedit, etiam Miniſtri & Sacerdotes Eccleſiæ peccata populi accipiant, & ipſi imitantes magiſtrum, remiſſionem populo peccatorum tribuant. Debent ergo & ipſi Eccleſiæ Sacerdotes ita perfecti eſſe, & in officiis ſacerdotalibus eruditi, ut peccata populi in loco ſancto in atriis tabernaculi teſtimonii, ipſi non peccando conſumant. Quid autem eſt in loco ſancto manducare peccatum? Locus erat ſanctus in quem pervenerat Moyſes, ſe- *Exod. 3.* cundùm quod dictum eſt ad eum: *Locus enim in quo ſtas terra ſancta eſt.* Similiter ergo & in Eccleſiâ Dei locus ſanctus eſt, fides perfecta, & charitas de corde puro, & conſcientia bona. Qui in his ſtat in Eccleſiâ, in loco ſe ſancto ſtare cognoſcat. Neque enim in terrâ quærendus eſt locus ſanctus, in quo *Geneſ. 3.* ſemel data ſententia eſt à Deo dicente: *Maledicta terra in operibus tuis.* Fides ergo integra, & ſancta converſatio locus eſt ſanctus. In hoc itaque loco poſitus Sacerdos Eccleſiæ, populi peccata conſumat, ut hoſtiam jugulans verbi Dei, & doctrinæ ſanæ victimas offerens, purget à peccatis conſcientias auditorum.

CAPITUL. CLIX.

Item idem in eodem libro.

DIſcant Sacerdotes Domini qui Eccleſiis præſunt, quia pars eis data eſt cum his quorum delicta repropitiaverint. Quid autem eſt repropitiare delictum? Si aſſumſeris peccatorem, & monendo, hortando, docendo, inſtruendo, adduxeris eum ad pœnitentiam, ab errore correxeris, à vitiis emendaveris, & effeceris eum talem, ut ei converſo propitius fiat Deus, pro delicto repropitiaſſe diceris. Si ergo talis fueris Sacerdos, & talis fuerit doctrina tua & ſermo tuus, pars tibi datur eorum quos correxeris; ut illorum meritum tua merces ſit, & illorum ſalus tua gloria. Aut non & Apoſtolus hæc oſtendit, ubi dicit: *Quia quod ſuperædificaverit quis, mercedem accipiet?* Intelligant igitur Sacerdotes Domini, ubi eſt eis data portio, & in hoc vacent, atque his operam dent: non ſe manibus & ſuperfluis actibus implicent, ſed ſciant ſe in nullo alio partem habituros apud Deum, niſi in eo quod offerunt pro peccatis; id eſt, quod à viâ peccati converterint peccatores. Notandum etiam illud eſt, quòd quæ offeruntur in holocauſtum, interiora ſunt; quod verò exterius eſt, Domino non offertur. Pellis Domino non offertur, nec cedit in holocautomata.

CAPITUL. CLX. Homil. 6.

Item idem in libro ſexto Levitici.

REquiritur enim in ordinando Sacerdote & præſentia populi, ut ſciant omnes & certi ſint qui præſtantior eſt ex omni populo; qui doctior, qui ſanctior, qui omni virtute eminentior, ille deligitur ad ſacerdotium, & hoc adſtante populo, ne qua poſtmodum retractatio cuiquam, ne quis ſcrupulus reſideat. Hoc eſt autem quod & Apoſtolus præcipit in ordinatione Sacerdotis, dicens: *Oportet autem eum* *1. Tim. 3.* *& teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt.* Ego tamen & amplius aliquid video in eo quod dicit, quia convocavit Moſes omnem Synagogam, & puto quod convocare Synagogam, hoc ſit colligere omnes animi virtutes in unum, & congregare in unum virtutes, ut cum ſermo de ſacerdotalibus ſacramentis habetur, vigilent omnes animi virtutes, & intentæ ſint, ut nihil in his ſapientiæ, nihil ſcientiæ, nihil deſit induſtriæ, ſed adſit omnis multitudo ſenſuum, adſit omnis congregatio ſanctarum cogitationum, ut quid ſit Pontifex, quid unctio, quid indumenta ejus conferant, intrà ſacrarium cordis ſui poſſit advertere.

CAPITUL. CLXI.

Item idem in eodem libro.

OCtava ſpecies ibi ponitur campeſtre, ſive ut alibi legimus, femoralia linea, de quo hîc inter cætera ſiluit indumenta. Quid ergo dicemus? Oblivionem dabimus in verbis Spiritûs ſancti, ut cum cætera omnia ſecundò enarraverit, una cum ſpecies ſuperiùs dicta latuerit? Non audeo hæc de ſacris ſentire ſermonibus, ſed videamus ne forte quoniam in ſuperioribus diximus hoc genus indumenti indicium caſtitatis videri, quo vel femora operiri vel conſtringi renes videntur ac lumbi, ne forte, inquam, non ſemper in illis qui tunc erant Sacerdotes has partes dicat eſſe conſtrictas. Aliquando enim & de poſteritate generis & de ſucceſſu ſobolis indulgetur, ſed ego in Sacerdotibus Eccleſiæ hujuſmodi intelligentiam non introduxerim. Alio namque rem video currere ſacramento. Poſſunt enim & in Eccleſiâ Sacerdotes & doctores filios generare, ſicut & ille qui dicebat: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Et iterum alibi dicit: *Tametſi multa millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres. Nam in Chriſto JESU per Evangelium ego vos genui.* Iſti ergo Doctores Eccleſiæ in hujuſmodi generationibus procreandis aliquando conſtrictis femoralibus utuntur, & abſtinent à generando, cum tales invenerint auditores in quibus ſciant ſe fructum habere non poſſe. Denique & in Actibus Apoſtolorum refertur de quibuſ- *Act. 16.* dam: *Quod non potuimus*, inquit, *in Aſiâ verbum Dei loqui.* Hoc eſt impoſita habuiſſe femoralia, & continuiſſe ſe ne filios generarent, quia ſcilicet tales erant auditores, in quibus & ſemen periret, & non poſſet haberi ſucceſſio. Sic ergo Eccleſiæ Sacerdotes cum incapaces aures viderint, aut cum ſimulatos inſpexerint, & hypocritas auditores, imponant campeſtre, utantur femoralibus, non pereat ſemen verbi Dei, quia & Dominus eadem mandat & dicit: *Matt. 7. 6.* *Nolite mittere ſanctum canibus, neque margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus, & converſi rumpant vos.*

CAPITUL. CLXII.

ISIDORUS Spalenſis Eccleſiæ Epiſcopus in libro Officiorum ſecundo ſic dicit:

Cap. 5. QUod verò unius virginalis matrimonii ſint qui eligantur in ordinem Pontificatûs, & in veteri lege mandatum eſt, & pleniùs ſcribit Apoſtolus di-

Digitized by Google

Levit. 21. 1. Tit. 3. cens: *Unius uxoris virum.* Sacerdotem enim quærit Eccleſia aut de monogamiâ ordinatum, aut de virginalitate ſanctum. A digamo autem aufertur agere Sacerdotium. Porrò quòd Epiſcopus non ab uno ſed à cunctis provincialibus Epiſcopis ordinatur, id propter hæreſes agnoſcitur inſtitutum, ne aliquid contrà fidem Eccleſiæ unius tyrannica auctoritas molitetur. Ideoque ab omnibus convenientibus inſtituitur, ut non minùs à tribus præſentibus, cæteris tamen conſentientibus teſtimonio litterarum. Huic autem dum conſecratur, datur baculus; ut ejus in dicio ſubditam plebem vel regat vel corrigat, vel infirmitates infirmorum ſuſtineat. Datur & annulus propter ſignum pontificalis honoris, vel ſignaculum ſecretorum.

CAPITUL. CLXIII.

Item idem in eodem libro:

Ibid. QUi enim erudiendis atque inſtituendis ad virtutem populis præerit, neceſſe eſt ut in omnibus ſanctus ſit, & in nullo reprehenſibilis habeatur; *&c. uſque ad:* diſtributione ſecreta.

CAPITUL. CLXIV.

Item idem in eodem libro.

Ibid. cap. 17. PErgant igitur Virgines viam ſublimitatis, pede humilitatis ſequantur Chriſtum, tenendo perſeveranter quod voverunt ardenter: ita ut profeſſi hac ſervatâ integritate, cæteris etiam moribus congruant, ſine quibus procul dubio otioſa & inanis manet virginitas, *&c. uſque ad:* carnem vincere potuerunt.

CAPITUL. CLXV.

Item idem in eodem libro.

Ibid. ANte adventum quippe Chriſti conjugia placuere Deo, poſt adventum virginitas, *&c. uſque ad:* cœlum adimpleatur.

CAPITUL. CLXVI.

In vitâ Beati BASILII, *Cæſarienſis Archiepiſcopi, quæ de græco in latinum à quodam Græco vocabulo EUFEMIO eſt veraciter de verbo ad verbum tranſlata; inter cætera ſic legitur.*

Exſtat apud Surium; qui ſtilum mutavit.

COnvenientes ergo cœtus Epiſcoporum, ſancti Spiritûs cooperatione elegerunt Baſilium ad Epiſcopatûs ſedem; & conſecratus gubernabat Eccleſiam Dei providentiâ. Poſt quoddam autem tempus poſtulavit Deum, ut daret illi gratiam atque intellectum, propriis ſermonibus offerre inſanguineum ſacrificium illi, & venire ſuper eum ſancti Spiritûs adventum. Poſt dies verò ſex ſicut in extaſi factus, adventu ſancti Spiritûs ſeptimâ die apprehendente, cœpit miniſtrare Deo per ſingulos dies. Et poſt aliquod tempus fide & oratione cœpit propriâ manu ſcribere miniſtrationis myſteria: atque in unâ nocte adveniens ei Dominus in viſione cum Apoſtolis, propoſitionem panis faciens in ſancto altari, excitavit Baſilium dicens ei: Secundùm tuam poſtulationem repleatur os tuum laude, ut per proprios ſermones offeras inſanguineum ſacrificium. Qui non ferens oculis viſionem, ſurrexit cum tremore, & accedens ad ſanctum altare, cœpit dicere: ſcribens in cartâ ſic: Repleatur os meum laude, ut hymnum dicat gloriæ tuæ, Domine Deus, qui creaſti nos & adduxiſti in vitam hanc: & cæteras orationes ſancti miniſterii. Et poſt finem orationum exaltavit panem, ſine intermiſſione orans & dicens: Reſpice Domine JESU-CHRISTE Deus noſter, ex ſancto habitaculo tuo, & veni ad ſanctificandum nos, qui ſurſum Patri conſedes, & hîc nobis inviſibiliter coes. Dignare potenti manu tuâ tradere nobis, & per nos omni populo ſancta ſanctis. Populus reſpondit. Unus ſanctus, unus Dominus JESUS-CHRISTUS cum ſancto Spiritu in gloriâ Dei Patris, Amen. Et dividens panem in tres partes, unâ quidem communicavit cùm timore multo: alteram autem reſervavit conſepeliri ſibi: tertiam verò imponens columbæ aureæ, pependit ſuper altare.

CAPITUL. CLXVII.

Et poſt pauca ita ſcribitur:

SAncta exaltante ſancto Baſilio, ſignum non fuit factum ſicut erat ſolitum, moveri videlicet columbam, quæ cum ſacramento Dominico pendebat ſuper altare, ſemper ad exaltationem ſancti ſacrificii moveri ter ſolens. Et cogitante eo quid hoc eſſet, vidit unum Ventilantium Diaconem innuentem mulieri inclinatæ deorſum; & tranſponens eum de altari, infrà Eccleſiam juſſit cuſtodiri: & ita videns ſancti Spiritûs adventum, hortatus eſt omnem populum ſeptem diebus ibidem in oratione manere.

CAPITUL. CLXVIII. [a]

Ad augmentandum [a] totius pudicitiæ nitorem beatus JOHANNES *Evangeliſta ita concludendo exequitur,* dicens:

* * * *

CAPITUL. CLXIX.

De his qui Eccleſiaſtica jejunia abſque neceſſitate diſſolvunt, in Concilio Gangrenſi ita ſcriptum eſt.

* * * *

CAPITUL. CLXX.

De hoc quòd Eccleſia Romana reprehenditur à Græcis quare jejunium agat in Sabbatis: INNOCENTIUS *Papa hoc rationabiliter defendit in Decretalibus*, cap IV. ſic dicens:

Epiſt. Decent. Epiſcop. Eugubino.

SAbbato verò jejunandum eſſe ratio evidentiſſima demonſtrat. Nam ſi diem Dominicum ob venerabilem Reſurrectionem Domini noſtri JESU-CHRISTI non ſolùm in Paſcha celebramus, verùm etiam per ſingulos circulos hebdomadarum ipſius diei imaginem frequentamus, ac ſextâ feriâ propter Paſſionem Domini jejunamus, ſabbatum prætermittere non debemus, qui inter triſtitiam atque lætitiam temporis illius videtur incluſus. Nam utique conſtat Apoſtolos biduo iſto & in mœrore fuiſſe, & propter metum Judæorum ſe occuluiſſe. Quod utique non dubium eſt in tantum eos jejunaſſe biduo memorato, ut traditio Eccleſiæ habeat iſto biduo Sacramenta penitùs non celebrari. Quæ forma utique per ſingulas tenenda eſt hebdomadas, propter id quod commemoratio diei illius ſemper eſt celebranda. Quòd ſi putant ſemel atque uno ſabbato jejunandum, ergo & Dominicum, & ſexta feria ſemel in Paſcha erit utique celebrandum. Si autem Dominici diei ac ſextæ feriæ per ſingulas hebdomadas reparanda imago eſt, dementis eſt bidui agere conſuetudinem ſabbato prætermiſſo, cum non diſparem habeat cauſam; à ſextâ videlicet feriâ, in quâ Dominus paſſus eſt, quando & ad inferos fuit, ut tertiâ die reſurgens redderet lætitiam poſt biduanam triſtitiam præcedentem. Non ergo nos negamus ſextâ feriâ jejunandum, ſed dicimus & ſabbato hoc agendum, quia ambo dies triſtitiam Apoſtolis, vel his qui Chriſtum ſequuti ſunt, induxe-

a *ad augmentandum*] Hic eſt titulus cap. 68. qui in editis deſiderabatur, ac reſtitutus eſt ex elencho capitum. Quem Johannis locum laudaverit Æneas, haud ſatis ſcio. Ex eodem loco reſtituimus titulum cap. 169.

runt. Qui die Dominico hilarati, non ſolùm ipſum feſtiviſſimum eſſe voluerunt, verumetiam per omnes hebdomadas frequentandum eſſe duxerunt.

CAPITUL. CLXXI.

De hac re ſciſcitanti Lucino HIERONYMUS *reſpondens inter cætera reſcripta Epiſtola*, ſic dicit:

Epiſt. 28.

DE ſabbato quod quæris utrum jejunandum ſit, & de Euchariſtià an accipienda quotidie, quod Romana Eccleſia & Hiſpaniæ obſervare prohibentur, ſcripſit quidem & Hippolytus vir diſertiſſimus, & carptim diverſi auctores in variis auctoribus edidere: ſed ego illud breviter te admonendum puto, traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiant, ita obſervandas, ut à majoribus traditæ ſunt, nec aliarum conſuetudinem, aliarum contrario more ſubverti. Atque utinam omni tempore jejunare poſſemus. Quod in actibus Apoſtolorum diebus Pentecoſte, & die Dominico Apoſtolum Paulum, & cum eo credentes, feciſſe legimus; nec tamen Manichææ hæreſeos accuſandi ſunt, cum carnalis cibus præferri non debuerit ſpiritali. Euchariſtiam quoque abſque condemnatione noſtri, & pungente conſcientià, ſemper accipere, & Pſalmiſtam audire dicentem: *Guſtate & videte quoniam ſuavis eſt Dominus*. Et cum eo canere: *Eructavit cor meum verbum bonum*. Nec hoc dicu quo feſtis diebus jejunandum putem, & contextas in quinquaginta diebus ferias auferam, ſed unaquæque provincia abundet in ſenſu ſuo, & præcepta majorum leges Apoſtolicas arbitretur.

Pſal. 33. 9. Ibid. 44. 2.

CAPITUL. CLXXII.

Item ISIDORUS *Spalenſis Epiſcopus in primo libro Officiorum, de diverſorum dierum ac temporum jejuniis inter cætera ſic diſputat.*

Cap. 42. & 43.

PRæter hæc autem legitima tempora jejuniorum, omni ſextà feria propter Paſſionem Domini à quibuſdam jejunatur. Sed & ſabbati dies à pleriſque propter quod in eo Chriſtus jacuit in ſepulcro, jejunio conſecratus habetur, ſcilicet ne Judæis exultando præſtetur, quod Chriſtus ſuſtulit morindo, *&c. uſque ad finem cap.* 43.

CAPITUL. CLXXIII.

In Concilio Laodicenſi cap. 5. *Non debere jejunium ſolvi in quinta feria majoris ſeptimanæ.*

Cap. 50. ex interpret. Dionyſii Exigui.

QUòd non oporteat in Quadrageſimà in ultimà ſeptimanà quintà ferià jejunium ſolvere, totamque Quadrageſimam ſine veneratione tranſire, magiſque conveniat omnem Quadrageſimam diſtricto venerari jejunio.

Si ergo non oportet, ut hoc cenſetur Concilio, ſolvi jejunium in Cœnà Domini, multo magis eſt indecens id agendum in quintà & ſeptimà ferià per reliquas Quadrageſimæ hebdomadas.

CAPITUL. CLXXIV.

Quare nos Latini more Græcorum non ceſſamus octo hebdomadibus ante Paſcha à carnium eſu, & ſeptem à caſeo & ovis.

QUod etiam quæritur cur non ceſſamus octo hebdomadibus ante Paſcha à carnium eſu, & ſeptem à caſeo & ovis; ad hoc breviter reſpondendum, quia in Quadrageſimali jejunio nos perfectiùs Dominum imitamur, qui eoſdem dies continuatim, ut ipſe Dei Filius, jejunamus, non dirimentes, nec interrumpentes ſpatium abſtinentiæ & jejunii, ſicut in Evangelio legitur: *Et cum jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit.* Non dixit Evangeliſta quòd in unà quaque hebdomadà, quintà & ſeptimà ferià jejunium ſolverit, aliis diebus abſtinens, ut Græci facere dicuntur; ſed ipſis quadraginta diebus ex aſſe & per ordinem jejunans, tum demùm eſurierit. Dicendum etiam quia ſive per

Mat. 4. 2.

octo hebdomadas jejunetur, ſolvendo jejunium in ſingulis quinta & ſeptima ferià, & die Dominicà, ſive ſex hebdomadibus continuatim abſtineatur, exceptà Dominicà, in utroque tempore triginta & ſex dies in abſtinentia inveniuntur. Unde rationabiliùs agunt qui Dominum imitantes, continuatim quadrageſimale jejunium exercent, quàm qui per aliquam dierum intercapedinem illud peragere videntur. Nam Beatus Papa Gregorius quadrageſimale computans tempus, à capite ſex hebdomadarum illud dinumerare incipit dicens his verbis: A præſenti etenim die uſque ad Paſchalis ſolemnitatis gaudia ſex hebdomadæ veniunt: quarum videlicet dies quadraginta & duo fiunt: ex quibus dum ſex dies Dominici ab abſtinentià ſubtrahuntur, non plus in abſtinentià quàm triginta & ſex remanent. Dum verò per trecentos & ſexaginta quinque dies annus ducitur, nos autem per triginta & ſex dies affligimur, quaſi anni noſtri decimas Deo damus, ut qui nobiſmetipſis per acceptum annum viximus, auctori noſtro nos in ejus decimis per abſtinentiam mortificemus.

Homil. 16. in Evang.

CAPITUL. CLXXV.

De vario uſu abſtinentiæ diverſarum regionum.

DE hoc etiam quod quæritur, quare ſeptem hebdomadibus ante Paſcha ab eſu caſei & ovorum non abſtinemus, ſed tantummodo ſex; dicendum breviter quia talis exactio ſuperflua ex ſanctis ſcripturis non habet auctoritatem; nam per diverſas regiones varius exercetur abſtinentiæ uſus. Ægyptus namque & omnis Paleſtina novem hebdomadibus ante Paſcha jejunat: inſuper & pars Italiæ, cui hoc ex animo complacet, tribus diebus in hebdomada per totam Quadrageſimam à cibis igne decoctis abſtinet, tantummodo diverſis fructibus arborum & generibus herbarum, quibus Italia opulenter abundat, in cibo utens abſtinentiæ perficit votum. Quibus ergo deeſt diverſitas ac multiplicitas fructuum, nequaquam negabitur cibus ab igne decoctus. Germania etiam à lactis & butiri ac caſei, & ovorum eſu per totam Quadrageſimam generaliter non abſtinet, excepto quem ſpontanea attrahit voluntas. Denique nonnulli fuère rationabile judicantes ſolvere abſtinentiam in Cœna Domini & Paraſceve, quæ dies pro dolore Apoſtolorum figuram habet triſtitiæ, eſui ovorum, caſei, lactis & butiri indebitè & ſtultè indulgentes. Itaque donec gloria Dominicæ Reſurrectionis veſpere ſabbati, quæ eluceſcit in primà ſabbati, ſolemniter appropinquet, & undà baptiſmatis filii lucis renaſcantur, & *Gloria in excelſis Deo* & *Alleluia* præconetur Reſurrectionis Chriſti glorioſam victoriam, & myſticus cereus ſanctà luce ſpiritaliter reſplendeat, indignum ducit uti hujuſcemodi cibis mater Eccleſia, quæ à primo Paſtore ſumſit magiſterii diſciplinam. Cum his & aliis modis per multa ſpatia orbis Quadrageſimali tempore ordo abſtinentiæ confundatur, potiſſimum & optimum delegit Romana ſedes continuare & extendere ante Paſcha jejunium in numero quadraginta dierum. Triginta autem & ſex diebus in abſtinentià computatis, adjunctis & quatuor, qui à capite jejunii incipiunt, egregiè compaginamur, & abſque ullà reprehenſione unimur jejunio Salvatoris noſtri, de quo Evangeliſta dicit: *Et cum jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit.*

Matt. 4. 2.

CAPITUL. CLXXVI.

Sanctus FAUSTINUS *Epiſcopus in Dominicà ante Quadrageſimam, homiliatico Sermone ſecundum morem illius temporis, ita de jejunio variè exequitur,* dicens:

PErmotos eſſe vos credo, Fratres dilectiſſimi, cur à ſuperiore Dominicà Quadrageſimam percur-

rimus ; & cum hodie ſit ejus exordium, cur feſtivitatem ejus ante unam hebdomadam celebrare cœperimus. Reprehendi non poteſt obſervatio iſta præpropera : devotionis enim indicium eſt priùs legem exequi, quàm legis ſtatuta cognoſcas ; & ante obedire præceptis, quàm obedientiæ præcepta compellant. Illud amoris eſt, hoc timoris; hoc imperativè exigitur, illud religioſè defertur. Ibi donum numeris exhibetur, hîc debitum ſolvitur. Unde & nos religioſum munus exhibuimus Deo dum ampliùs jejunavimus ; reprehendi enim non poteſt feſtinata feſtivitas ; ſemper enim in gaudiis ſolemnitatem vota præveniunt, & futuram lætitiam devotio dum exoptat, anticipat. Non ſolùm igitur irreprehenſibiliter, ſed & cautè factum eſt. Semper enim in rebus ambiguis oportet addere aliquid ampliùs ad cautelam ; quia quod eſt amplius, recidi poteſt ; quod minus, non poteſt prolongari. Sicut in hac obſervatione factum eſt, ne quod propter Quadrageſimam plùs jejunavimus, non minuimus Quadrageſimam ; integra enim nobis manet. Quòd ſi minùs jejunaſſemus à numero, redintegrare non poteramus ad numerum. Sed fortaſſe illud in causâ eſt, cur jejunium quod jejunavimus, non proficiat nobis ad Quadrageſimam. Proficiet planè nobis, quia etſi non proficit ad Quadrageſimam, proficit ad ſalutem : ſi non proficit ad numerum, proficit ad meritum. Cui enim nunquam profuit orare, legere, jejunare ? Cui non profuit caſtitas, ſobrietas, manſuetudo ? niſi quòd illos magis reprehendendos puto, qui cum parati fuerint jejunare, poſteaquàm audierint ſolemnitatis ambiguum, neglexerunt jejunare. Demonſtrarunt utique non ſe volentes religioſè vivere, ſed coactos. Veriti ſunt, credo, ne quinque dierum jejuniis prolongatis, caro eos corpuſque deficeret, & exiles ac tenues Quadrageſimæ abſtinentiam tolerare non poſſent. Audiant igitur refecti pariter ac robuſti, tenues atque pallentes, quia hodie eſt Quadrageſima. Audiant illi, inquam, ut jejunare incipiant, iſti ut abſtinere non deſinant, & communiter in arcam Chriſti intrare feſtinent, imò feſtinent ampliùs, quia tardiùs abſtinere cœperunt, ut caſtigatiores & puriores introeant, quia arca Domini in periculis jejunum ſuſtentare prævalet, temulentum ſuſtentare non novit.

CAPITUL. CLXXVII.

Item AUGUSTINUS *in Homiliâ de Quadrageſimâ inter cætera ſic dicit.*

Serm. 69. de Temp.

SAnctus igitur & ſalutaris Quadrageſimæ curſus eſt, quo adducitur ad miſericordiam peccator per pœnitentiam, juſtus ad requiem. His enim diebus ſolito ampliùs & divinitas miſeretur, & delinquentia deprecatur, & juſtitia promeretur. Patent enim omnia, & cœli ad indulgentiam, & peccator ad confitendum, & lingua ad poſtulandum. Salutaris, inquam, & myſticus eſt quadragenarius numerus : nam primùm cum mundi faciem iniquitas hominum poſſideret, tot dierum curriculo Deus effuſis de cœlo imbribus univerſam terram diluvio ſuperfudit. Vides ergo jam illo tempore myſterium in figurâ diſpoſitum. Nam ſicut quadraginta diebus pluit ad purgandum mundum, ita & nunc quadraginta diebus miſeretur ad hominem purificandum.

CAPITUL. CLXXVIII.

Quare Preſbyteri inhibeantur frontes Baptizatorum chriſmate linire, INNOCENTIUS Papa in Decretalibus ita dicit, cap. III.

Epiſt. 1. c. 3.

DE conſignandis verò infantibus manifeſtum eſt, non ab alio quam ab Epiſcopo fieri licere. Nam Preſbyteri, licet ſint ſecundi Sacerdotes, Pontificatûs tamen apicem non habent. Hoc autem Pontificibus ſolis deberi, ut vel conſignent, vel paraclitum Spiritum tradant, non ſolùm conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verùm illa lectio Actuum Apoſtolorum, quæ aſſerit Petrum & Joannem eſſe directos, qui jam baptizatis tradant Spiritum ſanctum. *Act. 8.* Nam Preſbyteris, ſeu extrà Epiſcopum, ſeu præſente Epiſcopo cum baptizant, chriſmate baptizatos ungere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum ; non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis cum tradunt Spiritum paraclitum. Verba verò dicere non poſſum, ne magis prodere videar, quàm ad conſultationem reſpondere.

CAPITUL. CLXXIX.

Quòd in Geſtis Romanorum Pontificum legatur ut à Preſbytero Neophytus ungi debeat in cerebro ſive vertice.

LEgitur etiam in geſtis Romanorum Pontificum, quia Silveſter Papa conſtituit ut à Preſbytero neophytus ungeretur, ſcilicet in cerebro ſive in vertice, ſic etenim ibi ſcribitur : Hic conſtituit ut baptizatum liniat Preſbyter chriſmate levatum de aquâ, propter occaſionem tranſitûs mortis. Quo enim tempore Silveſter rexit Romanæ Sedis Eccleſiam manifeſtum eſt, id eſt, quando Nicænum Concilium celebratum eſt ſub Pio Imperatore Conſtantino. Exin ut arbitrari poteſt ſancti Patres inſtituerunt, ut ungerentur Neophyti à Preſbyteris chriſmate conſecrato ab Epiſcopo. Quod ſi id anteà agebatur, ſuperfluum videtur conſtitutum eſſe à ſancto Silveſtro, quod jam à Catholicis implebatur. Secundùm hanc Conſtitutionem ſuſpicari quilibet valet, quòd priori tempore de unctione chriſmatis Pontifex exſpectabatur, ut per manus Epiſcopi omnis unctio Chriſmatis compleretur. Uſque ad illud tempus non generaliter omnes baptizabantur, præſertim cum Imperatores & Principes eorum paganiſmo detinerentur : ideo facilè Neophytis poterat occurrere Epiſcopus, vel ipſi ad Epiſcopum venire, quia adhuc chriſtianitas anguſta erat & clanculo agebatur.

In lib. Pontificali qui falſo aſcribitur Damaſo Papæ.

CAPITUL. CLXXX.

GELASIUS *Papa in Eccleſiaſticis inſtitutis, ut Preſbyteri modum debitum ſervent, non chriſma conficiant, non conſignent ; ſic dicit*, cap. VI.

Epiſt. 9.

NEc minùs etiam Preſbyteros contrà ſuum modum tendere prohibemus : nec Epiſcopali faſtigio debita ſibimet audacter aſſumere, non conficiendi chriſmatis, non conſignationis Pontificalis adhibendæ ſibimet arripere facultatem.

CAPITUL. CLXXXI.

Item in eodem Capitulo.

NEc prorſus addubitet, ſi quidquam ad Epiſcopale miniſterium ſpecialiter pertinens ſuo motu putaverit exequendum, continuò ſe Preſbyterii dignitate & ſacrâ communione privari.

CAPITUL. CLXXXII.

De hoc quod opponitur quare Clerici barbas radunt.

Lib. 2. cap. 5. init. Ezech. 5. 1.

HIERONYMUS in primâ parte Ezechielis exponit : *Et tu fili hominis ſume tibi gladium acutum quaſi novaculam tonſorum (ſive radentem pilos) & trahe per caput tuum & barbam tuam : & aſſumes tibi ſtateram ponderis, & divides eos. Tertiam partem igni combures in medio civitatis juxta completionem dierum concluſionis : & tertiam partem*

concides gladio in circuitu ejus: tertiam verò aliam diſperdes in ventum, & gladium nudabo poſt eos. Et ſumes inde parvum numerum, & ligabis eos in ſummitate pallii. Et ex eis rurſum tolles & projicies in medium ignis, & combures eos igni. Ex eo egredietur ignis in omnem domum Iſrael.

Pro tribus partibus capillorum & pilorum, quarum una comburitur in medio civitatis, alia conciditur gladio in circuitu ejus, tertia vento huc illucque rapienda diſpergitur; de quâ parum aſſumitur & ligatur in pallii; & rurſum modicum quid partis tertiæ mittitur in ignem, de quo egreditur flamma in omnem domum Iſrael: Septuaginta quatuor partes interpretati ſunt. Cumque dixiſſent: Ezech. 5. 1. *Quartam partem igni combures in medio civitatis, & quartam cædes gladio in medio ejus, & quartam diſperges in ventum*: quia remanebat eis quarta pars alia: addiderunt de ſuo: *Et quartam partem aſſumes, & combures eam in medio civitatis*: quaſi non ſit ipſa quæ prima, & aliud quid in primâ dixerit, aliud in iſtâ quæ addita eſt. Denique & in conſequentibus ænigma capillorum in tres partes diviſorum, ipſe Dominus ediſſerit per Prophetam dicens: *Tertia tui pars peſte morietur, & fame conſumetur in medio tui.* Famem & peſtilentiam ignem eſſe ſignificans. *Et tertia tui pars gladio cadet in circuitu tuo*, foris cædes ac bella deſcribens. *Tertiam verò*, inquit, *partem tuam in omnem ventum diſpergam*: eos eſſe demonſtrans qui ducendi ſunt in captivitatem. Poſt quos dicit ſe nudare vel effundere gladium ſuum, ut nec captivitas noviſſimum ſit malorum, ſumereque de ipſis diſperſis atque captivis, & ligare in ſummitate pallii ſui eos qui de captivitate redituri ſunt in Hieruſalem, & ex ipſis quoque tollere aliquam partem, & igni flammâque conſumere; ſignificans Macedones, ſub quibus habitatores Judææ, & præcipuè Hieruſalem, dura perpeſſi ſunt. Quod autem dicit *ex eo*, id eſt, populo; ſive juxtà Septuaginta, *ex eâ*, ut ſubaudiatur urbe Hieruſalem, egredietur ignis in omnem domum Iſraël, Machabæorum narrat hiſtoria, quòd quædam pars Judæorum ſe tradidit Antiocho Epiphani, & eum ad perſequutionem populi concitavit, & multa alia quæ in eâdem ſcribuntur hiſtoriâ, & in Joſephi voluminibus, præcipueque diſſenſione Hyrcani & Alexandri, per quorum occaſionem Gnæus Pompeius cepit Jeruſalem, & Romanæ ditioni ſubdidit: poſteaque ſub Tito & Veſpaſiano urbs capta, templumque ſubverſum. Et poſt quinquaginta annos ſub Ælio Adriano uſque ad ſolum incenſa civitas atque deleta eſt, ita ut priſtinum quoque nomen amiſerit. Quomodo autem in cæſarie & barbâ pulchritudinis ac virilitatis indicium eſt, quæ ſi radantur fœda nuditas appareſcit, & univerſi corporis pars extrema, atque, ut ita dicam, emortua, in capillis ac pilis eſt, ita Hieruſalem & populus ejus emortuus, & à vivo Dei corpore ſeparatus fami ac peſtilentiæ, cædi & gladio, captivitati ac diſperſioni traditur. De quâ diſperſione ſub figurâ capillorum aliqua pars ligatur in ſummitate pallii, ut modicum quid rurſum tradatur incendio, de quo infinita flamma ac penè univerſa devaſtans egreditur in omnem domum Iſraël.

CAPITUL. CLXXXIII.

GREGORIUS *Papa in libro primo Moralium Beati Job, ſic inter cætera dicit*:

Cap. 19. HIeremias inſinuat, quòd venerunt octoginta viri de Sichem & de Silo, & de Samariâ raſi barbâ & ſciſſis veſtibus, ſqualentes, munera & thus habebant in manu ut offerrent in domo Domini. Egreſſus autem Iſmael filius Nathaniæ in occurſum eorum de Maſpha, incedens & plorans ibat. Cumque occurriſſet eis, dixit ad eos: *Venite ad Godoliam filium Aicham. Qui cum veniſſent ad medium civitatis, interfecit eos.* Jerem. 41. 6. Barbam quippe radunt, qui ſibi de propriis viribus fiduciam ſubtrahunt; veſtes ſcindunt, qui ſibimetipſis in exterioris decoris laceratione non parcunt. Oblaturi in domo Domini thus & munera veniunt, qui exhibere ſe in Dei ſacrificio orationem cum operibus pollicentur. Sed tamen ſi ſe in ipſâ ſanctæ devotionis viâ cautè circumſpicere neſciunt, Iſmaël Nathaniæ filius in eorum occurſum venit: quia nimirum quilibet malignus ſpiritus, prioris ſui, ſatanæ videlicet exemplo, in ſuperbiæ errore generatus, ſe ad laqueum deceptionis opponit.

Item idem in ſecundo libro Moralium.

CAPITUL. CLXXXIV.

Cap 10. & 11. *TUnc ſurrexit Job, & ſcidit veſtimenta ſua: & tonſo capite corruens in terram adoravit.* Mos autem veterum fuit, ut quiſquis ſpeciem ſui corporis capillos nutriendo ſervaret, eos tempore afflictionis abſcinderet, &c. *uſque ad*: quas perdidimus, non habuiſſe.

CAPITUL. CLXXXV.

ISIDORUS *Spalenſis Epiſcopus in libro ſecundo Officiorum*, ſic dicit;

Cap 4. init TOnſuræ Eccleſiaſticæ uſus à Nazaræis, niſi fallor, exortus eſt: qui prius crine ſervato, denuò poſt vitæ magnæ continentiam, devotione completa caput radebant, & capillos in igne ſacrificii ponere jubebantur, ſcilicet ut perfectionem devotionis ſuæ Domino conſecrarent. Horum ergo exempli uſus ab Apoſtolis introductus eſt, ut hi qui divinis cultibus mancipati Domino conſecrantur, quaſi Nazaræi, id eſt, Sancti Dei crine præciſo innoventur. Hoc quippe & Ezechiel Prophetæ jubetur, dicente Domino: *Tu Fili hominis, ſume tibi gladium acutum, & duces per caput tuum & barbam.* Ezech. 15. Videlicet quia & ipſe ſacerdotali genere, Deo in miniſterium ſanctificationis deſerviebat. Hoc & Nazaræos illos Priſcillam & Aquilam in Actibus Apoſtolorum primos feciſſe legimus: Act. 18. Paulum quoque Apoſtolum, & quoſdam Diſcipulorum Chriſti, qui in hujuſmodi cultu imitandi exſtiterunt. Eſt autem in Clericis tonſura ſignum quoddam quod in corpore figuratur, ſed in animo agitur, ſcilicet ut hoc ſigno, in religione vitia reſecentur, & criminibus carnis noſtræ quaſi crinibus exuamur, atque inde innovati ſenſibus, ut comis rutibus enteſcamus, *Exſpoliantes nos*, juxtà Apoſtolum, Ephes. 4. Coloſſ. 3. *veterem hominem cum actibus ſuis; & induentes novum, qui renovatur in agnitionem Dei.* Quam renovationem in mente oportet fieri, ſed in capite demonſtrari, ubi ipſa mens noſcitur habitare. Quòd verò detonſo ſuperiùs capite, inferiùs circuli corona relinquitur, ſacerdotium regnumque Eccleſiæ in eis exiſtimo figurari. Tiara enim apud veteres conſtituebatur in capite Sacerdotum, hæc ex byſſo confecta rotunda erat, quaſi ſphæra media; & hoc ſignificatur in parte capitis tonſi. Corona autem latitudo aurei eſt circuli, quæ Regum capita cingit. Utrumque itaque ſignum exprimitur in capite Clericorum, ut impleatur etiam corporis quadam ſimilitudine quod ſcriptum eſt, Petro Apoſtolo perdocente: 1. Pet. 2. *Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium.* Quæritur autem cur, ſicut apud antiquos Nazaræos, non ante coma nutritur, & ſic tondetur. Sed qui hæc exquirunt, advertant quid ſit inter illud propheticum velamentum, & hanc Evangelii revelationem, de quâ dicit Apoſtolus: *Cum* 2. Cor. 3.

tranſieris ad Chriſtum, auferetur velamen. Quod autem ſignificabat velamen interpoſitum inter faciem Moyſi & aſpectum populi Iſrael, hoc ſignificabat illis temporibus etiam coma Sanctorum. Nam & Apoſtolus comam pro velamento eſſe dicit. Proinde jam non oportet ut velentur crinibus capita eorum, qui Domino conſecrantur, ſed tantùm ut revelentur; quia quod erat occultum in ſacramento prophetiæ, jam in Evangelio declaratum eſt.

CAPITUL. CLXXXVI.

Quare Latini more Græcorum comas non nutriant, ut mulieribus in crinibus diſpares habeantur.

CUm ergo Græci Latinos & Romanos redarguant cur barbas radant, qui ob munditiam utique hoc agunt, quam expreſſiùs Eccleſiaſticum expedit & depoſcit miniſterium; quippe cum diverſæ nationes ſuam obſervent conſuetudinem in cultu corporis & veſtimentorum indumentis, & hoc ſine crimine, ita dumtaxat ut non diſcrepet à Catholicâ fide; convenienter & Latini vicem quæſtioni rependunt, quare Græcorum Laïci more fœminarum contrà interdictum tonantis Pauli comas nutriant, qui ita Corinthiis Apoſtolicâ auctoritate interminat dicens: *Nec ipſa natura docet vos, quòd vir quidem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi: mulier verò ſi comam nutriat, gloria eſt illi; quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt.* Denique cum Latini comas nutrire indignum ducant, ut non muliebri cultui aſſentiant, inquirendum quid Græci ſanctius ſentiant, qui quaſi unitum caput cum mulieribus crinium velamine geſtant. Corinthus ſiquidem eſt in Achaïâ, quæ una eſt civitatum Græcarum in Aſia conſiſtentium, cujus viros noluit nutrire comas Apoſtolus, non quilibet alius, ſed ille *qui non ab hominibus, neque per hominem, ſed per* JESUM-CHRISTUM, *& Deum Patrem qui ſuſcitavit eum à mortuis*, eſt conſtitutus Apoſtolus. Dixit itaque quidam ſanctitate & Oratorum eloquio pollens; ſi aliqua ſanctitas ſubintelligitur in corporalibus barbis, forte aliquem poſſet locum in grandioribus hircis. Si ergo prudentia Achivorum contemnit Apoſtolum in nutriendis comis, nullatenùs proinde inferior judicabitur munditia Miniſtrorum Chriſti pro radendis barbis, quæ illicita reſecando, debet præſtantiùs ſplendeſcere in operibus bonis, & omnimodis carere ſordibus mentis ſimul & corporis.

1. Cor. 11. 14.

Galat. 1. 1.

CAPITUL. CLXXXVII.

Quod Romanæ Sedis Pontifex primus omnium habeatur, Beatus Papa SILVESTER *perdocuit in Præfatione Nicæni Concilii, ubi iſta leguntur.*

De Primatu Pontificis. In antiqua edit.

BEatiſſimo Silveſtro in urbe Româ Apoſtolicæ Sedis Antiſtite, Conſtantino Auguſto, & Licinio, Conſulibus Paulino & Juliano Viris Clariſſimis. Anno ab Alexandro milleſimo triceſimo quarto, menſe Junio, decimo tertio Kalendas Julias, propter inſurgentes hæreſes fides Catholica expoſita eſt apud Nicæam Bithyniæ, quam ſancta & reverentiſſima Romana complectitur & veneratur Eccleſia, quippe quam trecenti decem & octo Patres, mediantibus Victore atque Vincentio religioſiſſimis Romanæ Sedis Preſbyteris, inſpirante Deo, propter deſtruenda Arrii venena protulerunt. Nam & nonnullæ regulæ ſubnexæ ſunt, quas memorata ſuſcipiens confirmavit Eccleſia. Sciendum eſt ſanè ab omnibus Catholicis, quoniam ſancta Eccleſia Romana nullis ſynodicis decretis prælata eſt, ſed evangelicâ voce Domini & Salvatoris noſtri primatum obtinuit, ubi dixit beato Apoſtolo Petro: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ Inferi non prævalebunt adverſùs eam: & tibi dabo claves regni cœlorum. Et quæcumque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cœlo. Et quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Adhibita eſt etiam ſocietas in eâdem Romanâ urbe beatiſſimi Apoſtoli Pauli vaſis electionis, qui uno die, unoque tempore glorioſâ morte cum Petro ſub Principe Nerone agonizans coronatus eſt; & ambo pariter ſanctam Eccleſiam Romanam Chriſto Domino conſecrarunt; aliiſque omnibus urbibus in univerſo mundo ſuâ præſentiâ, atque venerando triumpho prætulerunt. Et licet pro omnibus aſſidua apud Deum omnium Sanctorum fundatur oratio, his tamen verbis Paulus beatiſſimus Apoſtolus Romanis proprio chirographo pollicetur dicens: *Teſtis enim mihi eſt Deus, cui ſervio in ſpiritu meo in Evangelio Filii ejus, quod ſine intermiſſione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis.* Prima ergo Sedes eſt cœleſti beneficio Romanæ Eccleſiæ, quam beatiſſimi Apoſtoli Petrus atque Paulus ſuo martyrio dedicarunt. Secunda autem Sedes apud Alexandriam beati Petri nomine à Marco ejus diſcipulo atque Evangeliſta conſecrata; quia ipſe & in Ægypto primum verbum veritatis directus à Petro prædicavit, & glorioſum ſuſcepit martyrium; cui venerabilis ſucceſſit Abilius. Tertia verò ſedes apud Antiochiam, item beati Petri Apoſtoli habetur honorabilis, quia illic priuſquàm Romam veniret, habitavit, & Ignatium Epiſcopum conſtituit, & illic primum nomen Chriſtianorum novellæ gentis exortum eſt. Nam & Hieroſolymitanus Epiſcopus pro tanti loci reverentiâ ab omnibus habetur honorabilis; maximè quoniam illic primus beatiſſimus Jacobus, qui dicebatur Juſtus, qui etiam ſecundùm carnem frater Domini nuncupatus eſt, à Petro, Jacobo & Johanne Apoſtolis eſt Epiſcopus ordinatus. Itaque ſecundùm antiquorum Patrum definitionem ſedes prima in Hieroſolymis minimè dicitur, ne forte ab infidelibus aut idiotis Sedes Domini noſtri JESU-CHRISTI, quæ in cœlo eſt, in terrâ eſſe putaretur. Eſt enim ſedes ejus cœlum, terra autem ſcabellum pedum ejus eſt, quoniam ipſe eſt, per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil, quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Apud Epheſum verò beatiſſimus Johannes Apoſtolus & Evangeliſta multo tempore poſt Reſurrectionem & Aſcenſionem in cœlos Domini noſtri JESU-CHRISTI commoratus eſt, ibique etiam Evangelium, quod ſecundùm Johannem dicitur, divinâ inſpiratione conſcripſit, atque requievit. Et ob hoc Epiſcopus Epheſius pro tanti Apoſtoli & Evangeliſtæ memoriâ, cæteris Epiſcopis Metropolitanis in Synodis honorabiliorem obtinet ſedem.

Ex Decreto Gelaſii Papæ in Concilio Romano an. 494.

Mat. 16. 18.

Rom. 1. 9.

CAPITUL. CLXXXVIII.

Item beatus SILVESTER in fine alloquutionis quam fecit in Synodo acto in Trajanis tertio Kalendas Junias.

In Canonibus Silveſtri cap. 20.

NEmo judicabit primam Sedem juſtitiam deſiderantem temperari, neque ab Auguſto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo judex judicabitur.

CAPITUL. CLXXXIX.

In Canonibus Apoſtolorum: *De primatu Epiſcoporum*, cap. xxxv.

Can. 35. ex interpr. Dionyſii Exigui.

EPiſcopos gentium ſingularum ſcire convenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput exiſtiment, & nihil ampliùs præter ejus conſcientiam gerant quàm illa ſola ſinguli, quæ par

chiæ propriæ & villis, quæ ſub eâ ſunt, competunt. Sed nec ille præter omnium conſcientiam faciat aliquid: ſic enim unanimitas erit, & glorificabitur Deus per Chriſtum in Spiritu ſancto.

CAPITUL. CXC.

In Nicæno Concilio de privilegiis quæ quibuſdam Civitatibus competunt, cap. VI.

Can. 6 ex 5. ed t.

ANtiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Libyam & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium babeat poteſtatem, quia & urbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt. Similiter autem & apud Antiochiam cæteraſque provincias ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis.

CAPITUL. CXCI.

Item in eodem Concilio cap. VII. *De Epiſcopo Æliæ, id eſt Hieroſolymorum.*

QUia conſuetudo obtinuit & antiqua traditio, ut Æliæ Epiſcopus honoretur, habeat honoris conſequentiam, ſalva Metropoli propriâ dignitate.

CAPITUL. CXCII.

In Concilio Conſtantinopolitano cap. II. *De ordine ſingularum Diœceſium, & de privilegiis quæ Ægyptii, Antiocheni, Conſtantinopolitaniſque debentur.*

Can. 2. Diſcrepat hæc verſio abedit.

QUi ſunt ſuper Diœceſim Epiſcopi, nequaquam ad Eccleſias quæ ſunt extrà præfixos ſibi terminos accedant, nec eas hac præſumptione confundant; ſed juxtà Canones Alexandrinus Antiſtes quæ ſunt in Ægyto regat ſolummodo. Et Orientis Epiſcopi Orientem tantùm gubernent, ſervatis privilegiis quæ Nicænis Canonibus Eccleſiæ Antiochenæ tributa ſunt. Aſianæ quoque Diœceſeos Epiſcopi ea ſolùm quæ ſunt in Aſianâ Diœceſi diſpenſent: nec non & Ponti Epiſcopi ea tantùm quæ ſunt in Ponto; & Thraciarum, quæ in Thraciis ſunt gubernent. Non vocati autem Epiſcopi ultrà ſuam Diœceſim non accedant propter ordinationes faciendas, vel propter alias diſpenſationes Eccleſiaſticas. Servata verò quæ ſcripta eſt de gubernationibus regulâ, manifeſtum eſt quòd illa quæ ſunt per unamquamque provinciam ipſius provinciæ Synodus diſpenſet, ſicut Nicæno conſtat decretum eſſe Concilio. Eccleſias autem Dei in Barbaricis gentibus conſtitutas gubernari convenit juxtà conſuetudinem, quæ eſt à Patribus obſervata. Verumtamen Conſtantinopolitanus Epiſcopus habeat honoris primatum poſt Romanum Epiſcopum, propterea quòd urbs ipſa ſit junior Roma.

CAPITUL. CXCIII.

In Concilio Sardicenſi cap. III. *Quòd ſi damnatus appellaverit Romanum Pontificem, ſicut nuper fecit Ignatius Conſtantinopolitanus Epiſcopus injuſtè, ut dicitur, depoſitus, id obſervandum quod ipſe conſuerit.*

Can. 3. ex interpretat. Dion. Exigui.

OSius Epiſcopus dixit: Illud quoque neceſſariò adjiciendum eſt, ut Epiſcopi de ſuâ provinciâ ad aliam provinciam, in quâ non ſunt Epiſcopi, non tranſeant; niſi fortè à fratribus ſuis invitati, ne videantur januam claudere charitatis. Quòd ſi in aliquâ provinciâ aliquis Epiſcopus contrà fratrem ſuum Epiſcopum litem habuerit, neuter è duobus ex aliâ provinciâ advocet Epiſcopos ad judicium cognitores. Quod ſi aliquis Epiſcopus judicatus fuerit in aliquâ causâ, & putat ſe bonam cauſam habere, ut iterum ad judicium Concilium renovetur; ſi vobis placet ſancti Petri Apoſtoli memoriam honoremus, ut ſcribatur vel ab his Epiſcopis qui in propriâ Provinciâ morantur, Julio Romano Epiſcopo: & ſi judicaverit renovandum eſſe judicium, renovetur, & det judices. Si autem probaverit talem cauſam eſſe, ut non refricentur ea quæ acta ſunt, quæ decreverit confirmata erunt. Si hoc omnibus placet, ſtatuatur. Synodus reſpondit: Placet.

CAPITUL. CXCIV.

Item in eodem Concilio cap IV. *Ut nullus accuſati ſedem uſurpet Epiſcopi, ſicut nuper fecit Photius ſedem Ignatii, Neophytus & invaſor Conſtantinopolitanæ ſedis.*

Ibid. Can. 4.

GAudentius Epiſcopus dixit: Addendum, ſi placet, huic ſententiæ, quam plenam ſanctitate protuliſtis; ut cum aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit eorum Epiſcoporum judicio qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum ſibi negotium in urbe Româ: alter Epiſcopus in ejus cathedrâ poſt appellationem ejus qui videtur eſſe depoſitus omninò non ordinetur, niſi cauſa fuerit in judicio Epiſcopi Romani determinata.

CAPITUL. CXCV.

Item beatus Papa SILVESTER *in allocutione Nicæni Concilii fecit gradus in gremio Synodi.*

In Canonibus Silveſtri cap. 3.

UT non Preſbyter adversùs Epiſcopum, non Diaconus adversùs Preſbyterum, non Subdiaconus adversùs Diaconum, non Acolythus adversùs Subdiaconum, non Exorciſta adversùs Acolythum, non Lector adversùs Exorciſtam, non Oſtiarius adversùs Lectorem det accuſationem aliquam: & non damnabitur Epiſcopus Præſul, niſi in ſeptuaginta duo teſtimonia; neque Præſul ſummus à quoquam judicabitur, quoniam ſcriptum eſt: *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum.* Preſbyter autem non damnabitur Math. 10, 24
niſi in quadraginta quatuor teſtimonia. Diaconus autem Cardinalis conſtitutus urbis Romæ, niſi in triginta ſex teſtimonia non condemnabitur. Subdiaconus, Acolythus, Exorciſta, Lector, niſi, ſicut ſcriptum eſt, in ſeptem teſtimonia, filios & uxores habentes, & omninò Chriſtum prædicantes. Sic datur myſtica veritas.

Sanctus GELASIUS Papa Acacium Conſtantinopolitanæ ſedis Epiſcopum auctoritate damnavit Apoſtolicâ, ob maximam videlicet præſumptionem, quia Johannem qualemlibet hominem, Catholicum tamen, à Catholicis ordinatum, de Alexandrinâ civitate, quæ poſt Romanam ſecunda habetur ſedes, excluſerat, Petrumque in hæreſi jam detectum atque damnatum abſque ſedis Apoſtolicæ conſultatione receperat, & quia aliquâ Synodo habitâ hoc audacter arripuerat, ut Kalendionem Antiochenæ ſedis Epiſcopum contrà rationem deponeret, & hæreticum Petrum quem ipſe dudum damnaverat, abſque notitiâ ſedis Apoſtolicæ rurſus admiſerat, Baſiliſco Imperatore hæretico in hac facinoroſâ præſumptione conſentiente. Pro quâ præſumptivâ poteſtate idem Papa Gelaſius ad Anaſtaſium Imperatorem mirabilem direxit epiſtolam, ut indignè uſurpata poteſtas reprimeretur, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſingulare privilegium totius Principatûs illibatè conſervaretur. Hæc autem Epiſtola ita incipit: Famuli veſtræ pietatis, filii mei, Fauſtus Magiſter & Irenæus, atque eorum comites publicâ legatione fungentes, ad Urbem reverſi, clementiam veſtram quæſiiſſe dixerunt; cur ad vos meæ ſalutationis ſcripta non miſerim, & cætera uſque ad finem. Item Gelaſius reddidit rationes egregiè deſcriptas, Acacium à ſede Apoſtolicâ competenter fuiſſe damnatum, quæ rationes tale habent exordium: Valde mirati ſumus, quòd veſtra dilectio quaſi novam & veluti difficilem quæſtionem, & adhuc tamquam inauditum quidpiam noſſe deſiderans, & reliqua uſque ad finem. Rurſus Papa

Ad Anaſtaſ. Imp. Epiſt. 8. init.

Ejuſdem Epiſt. 13. ad Epiſcopos Dardaniæ.

Gelaſius

Gelaſius de eâdem re reddidit rationem ad Epiſcopos Orientis, eoſque admodum reprehendit, quare talibus præſumptionibus non repugnaverint. Hujus itaque rationis initium tale eſt: Quid ergo iſti prudentes viri & argutis mentibus totius religionis interna rimantes, in Orientis partibus conſtituti: &c. uſque ad finem ſermonis. Igitur quicumque hæc omnia per ordinem relegerit, Apoſtolica ſedes quantâ dignitate cunctis per orbem Eccleſiis præpolleat, & poteſtate ſit eminentior, perſpicuè ad plenum cognoſcere poterit.

Ejuſdem Epiſt. 15. Non occurrit hæc Epiſt. inter edit.

CAPITUL. CXCVI.

Item *Commonitorium Sancti* Gelasii *per Fauſtum Magiſtrum legationis officio fungentem Conſtantinopoli directum: quod ſic incipit.*

Epiſtola 4.

EGo quoque mente percepi Græcos in ſuâ obſtinatione manſuros, ne cui velut inſperatum videri poteſt, quod eſt in ante præcognitum. *& cætera uſque ad finem.*

CAPITUL. CXCVII.

In hoc commonitorio inter cætera ſic dicit:

QUòd ſi dicunt: Imperator hoc fecit, hoc ipſum quibus Canonibus, quibus regulis eſt præceptum? Cur huic tam pravo facto conſenſit Acacius, cum auctoritas divina dicat: *Non ſolùm qui faciunt prava reos eſſe, ſed & qui conſentiunt facientibus?* Quibus Canonibus, quibus regulis Kalendion excluſus eſt, vel primi urbium diverſarum Catholici Sacerdotes? Quâ traditione majorum Apoſtolicam Sedem in judicium vocant? An ſecundæ Sedis Antiſtites & tertiæ, cæterique benè ſibi conſcii Sacerdotes depelli debuerunt, & qui exſtitit religionis inimicus, depelli non debuit? Videant ergo ſi alios habent Canones quibus ſuas ineptias exequantur. Cæterum iſti qui ſacri, qui Eccleſiaſtici, qui legitimi celebrantur, non ſolùm ſedem Apoſtolicam ad judicium vocare non poſſunt: & Conſtantinopolitanæ Epiſcopus civitatis, quæ utique per Canones inter ſedes nullum nomen accepit, in communionem recidens perfidorum, non debuit ſubmoveri? An qui homini mentitus dicitur Imperatori, & qui Imperatorem læſiſſe perhibentur, depelli debuerunt, & in Deum qui ſummus & verus eſt Imperator, Acacium delinquentem, ſinceramque communionem divini ſacramenti ſtudentem miſcere cum perfidis, ſecundùm Synodum quâ hæc eſt damnata perfidia non oportebat excludi? Sed velint nolint, ipſius judicio antiqua Canonum conſtituta firmantur: ſed religioſi viri atque perfecti ſecundùm Canones conceſſam ſedi Apoſtolicæ poteſtatem nimirum conantur eripere, & ſibimet eam contrà canones uſurpare contendunt.

Rom. 1.

CAPITUL. CXCVIII.

Item in Epiſtolâ ad Anaſtaſium Imperatorem, inter cætera ſic dicit:

Epiſt. 8.

APoſtolicæ verò ſedis auctoritas, quòd cunctis ſæculis Chriſtianis Eccleſiæ prælata ſit univerſæ, & Canonum ſerie paternorum, & multiplici traditione firmatur, *&c. uſque ad*: putas intereſſe.

CAPITUL. CXCIX.

Item in redditis rationibus inter cętera ſic dicit:

Epiſt. 13. ad Dardanos.

NEc planè tacemus quod cuncta per mundum novit Eccleſia; quoniam quorumlibet ſententiis ligatum Pontificem ſedes beati Petri Apoſtoli jus habeat reſolvi, utpote quæ de omni Eccleſiâ fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de quâlibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illâ autem nemo ſit appellare permiſſus. Quapropter ſatis conſtat Acacium nullam habuiſſe Pontificum ſententiam ſedis Apoſtolicæ, ſine ullâ ejus notione ſolvendi: quâ certè Synodo hoc ille præſumſit, quod nec ſic abſque Apoſtolicâ ſede fas quidem haberet efficere? Cujus ſedis Epiſcopus? Cujus eſt Metropolitanæ civitatis Antiſtes? nonne parochiæ Heraclenſis Eccleſiæ? Si illi certè licuit ſine Synodo ſententiam Apoſtolicæ ſedis abrumpere, nullâ ejus conſultatione quæſitâ, itane verò non licuit primæ ſedi Calcedonenſis ſynodi conſtituta, ſicut decuit, exequenti, hujuſmodi prævaricatorem ſuâ auctoritate detrudere? Sed nec illa præterimus, quòd Apoſtolica ſedes frequenter, ut dictum eſt, more majorum, etiam ſine ullâ Synodo præcedente, jus habuit exſolvendi quod Synodus iniqua damnaverat, & damnandi nullâ exſiſtente Synodo quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctæ memoriæ quippe Athanaſium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum ſedes Apoſtolica, quia damnationi Græcorum non conſenſit, abſolvit. Sanctæ memoriæ nihilominùs Johannem Conſtantinopolitanum Synodus etiam Catholicorum Præſulum certè damnaverat, quem ſimili modo ſedes Apoſtolica etiam ſola, quia non conſenſit, abſolvit. Itemque ſanctum Flavianum Pontificum Græcorum congregatione damnatum, pari tenore, quoniam ſola ſedes Apoſtolica non conſenſit, abſolvit, potiùſque qui illic receptus fuerat Dioſcorum ſecundæ ſedis Præſulem ſuâ auctoritate damnavit, & impiæ Synodo non conſentiendo ſola ſummovit, & ut Synodus Calcedonenſis fieret, ſola decrevit: (in quâ ſicut ſola jus habuit abſolvendi eos quos Synodica decreta perculerant, ſic etiam ſine Synodo in hac eadem causâ plurimos etiam Metropolitanos damnaſſe cognoſcitur.) Quod ſi quis hæc ab Apoſtolicâ ſede vel ſecundùm Synodum acta reprehendit, præter quod priſcâ rerum probatione convincitur, interim multo magis Acacio non licuiſſe fatebitur.

CAP. CC.

Item idem Gelasius in eiſdem poſt pauca.

Ibid.

RIſimus autem quòd prærogativam volunt Acacio comparari, quia Epiſcopus fuerit regiæ civitatis. Numquid apud Mediolanum, apud Ravennam, apud Sirmium, apud Triberos, multis temporibus non conſtitit Imperator? Numquid nam harum urbium Sacerdotes ultrà menſuram ſibimet antiquitùs deputatam, quidpiam ſuis dignitatibus uſurparunt?

CAP. CCI.

Item idem poſt pauca:

Ibidem.

SI certè de dignitate agitur civitatum, ſecundæ ſedis & tertiæ major eſt dignitas Sacerdotum, quàm ejus civitatis, quæ non ſolùm inter ſedes minimè numeratur, ſed nec inter Metropolitanorum jura cenſetur. Nam quod dicitis regiæ civitatis, alia poteſtas eſt regni ſæcularis, alia Eccleſiaſticarum diſtributio dignitatum. Sicut enim quamvis parva civitas prærogativam præſentis regni non minuit, ſic imperialis præſentia menſuram diſpenſationis religioſæ non mutat. Sit clara urbs illa poteſtate præſentis Imperii, & religio ſub eodem tunc firma, tunc libera, tunc provecta conſiſtit, ſi potiùs hoc præſente propriam teneat ſine ullâ perturbatione menſuram.

CAP. CCII.

Item idem in fine rationum:

Ibid.

SIcut per unum ſcribentem eorum omnium vulgata tranſgreſſio eſt, qui in eâdem perfidiæ reciderant actione: ſic in uno eodemque qui pro om-

quantum inter bonum & melius. *&c. uſque ad:* Unuſquiſque ferre poteſt.

CAPITUL. CXXXII.

Item Hieronymus in eodem *Apologetico poſt pauca.*

Ibidem. NUlli dubium eſt, Sacerdotes de Aaron & Eleazar, & Phinees ſtirpe generatos, qui eum & ipſi uxores habuerint, rectè nobis opponerentur, ſi errore Encratitarum contenderemus matrimonia reprobanda, *&c. uſque ad:* in gradu tertio poneremus.

CAPITUL. CXXXIII.

Item idem in eodem poſt pauca:

Ibid. NUnc verò cum interpres magis Apoſtoli fuerim quàm dogmatis, & commentatoris ſim ulus officio, quidquid durum videtur, ei magis magiſque imputetur quem expoſuimus, quàm nobis qui expoſuimus, *&c. uſque ad:* potiùs quàm aliorum obſcuram diligentiam.

CAPITUL. CXXXIV.

De Virginibus, *nuptis, viduis, monogamis, bigamis, trigamis & cætera in eodem poſt pauca.*

Ibidem. TUment contrà me matr... are dixerim: O to te, quale illud bonum eſt, quod orare prohibet, quod Corpus Chriſti accipere non permittit? Quando impleo mariti officium, non impleo continentis, *&c. uſque ad:* nec ſenſum, nec verba mutavi.

CAPITUL. CXXXV.

Item idem in fine ejus Apologetici.

IGitur hoc extremâ voce proteſtor, me nec damnaſſe nuptias nec damnare, reſpondiſſe adverſario, non meorum inſidias formidaſſe. Virginitatem autem in cœlum fero, non quia habeo, ſed quia magis miror quod non habeo. Ingenua & verecunda confeſſio eſt, quo ipſe careas, id in aliis prædicare, *&c. uſque ad finem Apologiæ.*

CAPITUL. CXXXVI.

Item Hieronymus in libro I. contrà Jovinianum, inter cætera ſic dicit:

Ante med. 1. Cor. 7. 7. VIs ſcire quid velit Apoſtolus? Junge quod ſequitur. *Volo autem omnes homines eſſe ut meipſum.* Beatus qui Pauli ſimilis fuerit, felix qui audit

ibid. 4. 16. Apoſtolum præcipientem, non ignoſcentem. *Hoc*, inquit, *volo, hoc deſidero ut imitatores mei ſitis, ſicut & ego Chriſti.* Ille virgo de virgine, de incorruptâ incorruptus; nos quia homines ſumus, & nativitatem Salvatoris non poſſumus imitari, imitemur ſaltem converſationem, *&c. uſque ad:* ſed ſimplex per ſe bonum volo.

CAPITUL. CXXXVII.

Item idem in eodem poſt pauca:

1. Cor. 6. 17. QUanta felicitas non uxoris eſſe ſervum, ſed Chriſti; non carni ſervire, ſed ſpiritui. *Qui enim adhæret Domino, unus Spiritus eſt.* Ac ne forſitan in eo quod ſuprà dixerat: *Servus vocatus es,*

Ibid. 7. 16. *non ſit tibi curæ, ſed etſi potes liber fieri, magis utere:* ſuggillaſſe continentiam videretur, & in famulatum tradidiſſe nos conjugum, infert ſenten-

Ibid. 23. tiam quæ omnem cavillationem amputet: *Pretio empti eſtis, nolite fieri ſervi hominum, &c. uſque ad:* inſtantem neceſſitatem.

CAPITUL. CXXXVIII.

Item idem in eodem poſt pauca:

IDeo plus amat virgines Chriſtus, quia ſponte tribuunt quod ſibi non fuerat imperatum, majoriſque gratiæ eſt offerre quod non debeas, quàm reddere quod exigaris. Apoſtoli uxoris onere contemplato: *Si talis eſt*, inquiunt, *cauſa hominis cum*

Matt. 19. 10. *uxore, non expedit nubere.* Quorum Dominus ſententiam probans: Rectè quidem, ait, ſentitis, quòd non expediat homini ad cœlorum regna tendenti accipere uxorem; ſed difficilis res eſt, & *non*

Ibid. 11. *omnes capiunt verbum iſtud, verum quibus datum eſt.*

CAPITUL. CXXXIX.

Item idem in eodem poſt pauca:

Ibid. Matt. 19. 12. SImulque tractanda ſententia eſt: *Qui ſe*, inquit, *caſtraverunt propter regnum cœlorum.* Si caſtrati mercedem habent regna cœlorum, ergo qui ſe non caſtraverunt, locum non poſſunt accipere

Ibid. caſtratorum. *Qui poteſt*, inquit, *capere capiat.* Grandis fidei eſt, grandiſque virtutis, Dei templum eſſe puriſſimum, totum ſe holocauſtum offerre Domino, & juxtà eumdem Apoſtolum eſſe ſanctum & corpore & ſpiritu, *&c. uſque ad:* liber ad extremum ſolutus.

CAPITUL. CXL.

Item idem in eodem poſt pauca:

1. Cor. 7. 29. AD maritos veniam. *Tempus breve eſt.* Dominus prope. Etiamſi nongentis viveremus annis, ut antiqui homines, tamen breve putandum eſſet quod haberet aliquando finem, & eſſe ceſſaret. Nunc verò cum brevis ſit non tam lætitia, quàm tribulatio nuptiarum: quid accipimus uxores quas citò cogimur amittere? *&c. uſque ad:* ſollicitudinum partes, miſeriarumque diſtractus.

CAPITUL. CXLI.

Item idem in eodem poſt pauca:

PRimus Adam monogamus, ſecundus agamus: qui digamiam probant, exhibeant tertium Adam digamum, quem ſequantur. Verùm fac ut conceſſerit Paulus ſecunda matrimonia. Et eâdem lege & tertia concedit & quarta, & quotieſcumque vir moritur. Multa compellitur Apoſtolus velle quæ non vult, *&c. uſque ad:* juxtà imaginem Creatoris ſui.

CAPITUL. CXLII.

Item idem in eodem poſt pauca:

Ibid. in med. NOn enim poteſt Domini ſervire militiæ ſervus uxoris, *&c. uſque ad:* in terram repromiſſionis induxit.

CAPITUL. CXLIII.

Item idem in eodem poſt pauca:

Ibidem. VErùm jam tempus eſt ut caſtitatis Jesu vexillum levemus, *&c. uſque ad:* Salvatoris auxilio cooperatos.

CAPITUL. CXLIV.

Item idem in eodem poſt pauca:

Ibidem. CUmque in ſepulturam Jesu liber qui ex nomine ejus appellatur expletus ſit, ruſum in Judicum volumine quaſi vivens reſurgenſque deſcribitur, *&c. uſque ad:* poſt mortem incipit coronari.

CAPITUL. CXLV.

Item idem in eodem poſt pauca:

1. Cor. 9. NUmquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi, aut ſorores mulieres circumducendi? Ubi de comedendo & bibendo, & de miniſtratione ſumptuum præmittitur, & de mulieribus ſororibus ſic infertur; perſpicuum eſt non uxores intelligi debere, ſed eas ut diximus, quæ de ſuâ ſubſtantia miniſtrabant,

niſtrabant, *&c. uſque ad:* nihil tale Scriptura ſignificat.

CAPITUL. CXLVI.
Ibid.

Item idem in eodem poſt pauca:

POſſumus autem de Petro dicere, quòd habuerit ſocrum eo tempore quo credidit, & uxorem jam non habuerit, *&c. uſque ad:* Mater virgo virgini diſcipulo commendatur.

CAPITUL. CXLVII.
Prov. 25.

Item idem in eodem poſt pauca:

S*Icut in ligno vermis; ita perdit virum ſuum uxor maleſica.* Si autem aſſerueris hoc de malis dictum eſſe conjugibus, & ego tibi breviter reſpondebo. Quæ enim mihi incumbit neceſſitas venire in dubium, utrum mala ſit an bona futura, quam duxero? *&c. uſque ad:* de ædibus ſuis, id eſt, de Eccleſiâ.

CAPITUL. CXLVIII.
Ibid. poſt med.

Item idem in eodem poſt pauca:

AUt permitte Sacerdotibus exercere opera nuptiarum, ut idem ſint virgines quod mariti: aut ſi Sacerdotibus uxores non licet tangere, in eo ſancti ſunt, quia imitantur pudicitiam virginalem. Sed & hoc inferendum: Si laïcus & quicumque fidelis orare non poteſt, niſi careat officio conjugali; Sacerdoti, cui ſemper pro populo offerenda ſunt ſacrificia, ſemper orandum eſt. Si ſemper orandum, ergo ſemper carendum matrimonio. Nam & in veteri lege qui pro populo hoſtias offerebant, non ſolùm in domibus ſuis non erant, ſed purificabantur ad tempus ab uxoribus ſeparati, & vinum & ſiceram non bibebant, quæ ſolent libidinem provocare.

CAPITUL. CXLIX.
Ibidem.
1. Tim. 3.

Item idem in eodem poſt pauca:

O*Portet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*, ut nulli vitio mancipatus ſit. *Unius uxoris virum*, qui unam uxorem habuerit, non qui habeat. *Sobrium*, ſive ut meliùs in græco dicitur, vigilantem, id eſt, νηφάλιον pudicum, hoc enim ſignificat σώφρονα. *Ornatum* & caſtitate & moribus. *Hoſpitalem*, ut imitetur Abraham & cum peregrinis, imò in peregrinis Chriſtum ſuſcipiat, *&c. uſque ad:* non qui nobilior, ſed qui fortior eſt.

CAPITUL. CL.
Ibid.
Rom. 8. 12.

Item idem in eodem poſt pauca:

E*Rgo fratres debitores ſumus non carni, ut ſecundùm carnem vivamus. Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini, &c. uſque ad:* ſerviamus in Evangelio novo Adam.

CAPITUL. CLI.

Item idem in eodem poſt pauca:

ÆStimo quòd qui uxorem habet, quamdiù revertitur ad id ipſum, ne tentet eum ſatanas, in carne ſeminet, & non in ſpiritu, *&c. uſque ad:* his copulemur, hæc ſequamur.

CAPITUL. CLII.
Ibid. paulo poſt.

Item idem in eodem poſt pauca:

TRanſeamus ad Jacobum qui frater Domini dicebatur, tantæ ſanctitatis, tantæque juſtitiæ & perpetuæ virginitatis, ut Joſephus quoque hiſtoricus Judæorum propter hujus necem ſubverſam Hieroſolymam referat, *&c. uſque ad:* in ſe virgine dedicaverit.

CAPITUL. CLIII.
1. Joan. 3.

Item idem in eodem poſt pauca:

C*Ariſſimi, nunc filii Dei ſumus, & necdum apparuit quid futuri ſimus. Scimus autem quoniam ſi apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.* Et omnis qui hanc habet ſpem, caſtificat ſemetipſum, ſicut & ille caſtus eſt, *&c. uſque ad hæc verba:* ad comparationem, &c. eſſe pollutos.

CAPITUL. CLIV.

Item idem in eodem poſt pauca:

INfinitum eſt de Evangelio virginum exponere ſacramentum quinque ſtultarum & quinque ſapientum. Hoc ſolum nunc dico, quòd quomodo abſque cæteris operibus virginitas ſola non ſalvat, ſic omnia opera abſque virginitate, puritate, continentiâ, caſtitate imperfecta ſunt, *&c. uſque ad:* de divinis libris exempla præbuimus.

CAPITUL. CLV.

Item HIERONYMUS in libro ſecundo contrà Jovinianum, ſic dicit.

CHæremon Stoïcus, vir eloquentiſſimus, narrat de vitâ antiquorum Ægypti Sacerdotum, quòd omnibus mundi negotiis curiſque poſtpoſitis ſemper in templo fuerint, & rerum naturas cauſaſque ac rationes ſiderum contemplati ſunt; nunquam mulieribus ſe miſcuerint, nunquam cognatos & propinquos, nec liberos quidem viderint. Et ex eo tempore quo cœpiſſent divino cultui deſervire, carnibus & vino ſemper abſtinuerint, propter tenuitatem ſenſûs & vertiginem capitis, quam ex parvo cibo patiebantur, & maximè propter appetitus libidinis, qui ex his cibis & ex hac potione naſcuntur. Pane raro veſcebantur ne onerarent ſtomachum, *&c. uſque ad:* proprium volumen edidit.

CAPITUL. CLVI.
Multo ante finem.

Item idem in eodem.

DIximus de nuptis, viduis, virginibus: virginitatem viduitati, viduitatem prætulimus matrimonio, *&c. uſque ad:* ruina ſtantium metus ſit.

CAPITUL. CLVII.
Sive Homil. 3. in cap. 5.

ORIGENES in libro tertio Levitici, inter cætera ſic dicit.

A*Nima quæcumque tetigerit omnem rem immundam, aut morticinum jumentorum immundorum, & latuerit eum, & inquinatus eſt; aut ſi tetigerit ab immunditiâ hominis ab omni immunditiâ ex quâ inquinetur, &c.* Hæc quidem apud Judæos, indecenter ſatis & inutiliter obſervantur. Ut quid enim immundus habeatur qui contigerit, verbi cauſâ, animal mortuum, aut corpus hominis defuncti? Quid ſi Prophetæ corpus ſit? Quid ſi Patriarchæ, vel etiam ipſius Abrahæ corpus? Quid ſi & oſſa contigerit Samuelis, immundus erit? Quid ſi Heliſei oſſa contingat quæ mortuum ſuſcitant? immundus erit ille qui contingit, & immundum faciunt oſſa Prophetæ etiam illum ipſum quem à mortuis ſuſcitant? (*4. Reg. 13.*) Vide quàm inconveniens ſit Judaïca intelligentia. Sed nos videamus primò quid ſit tangere, & quid ſit tactus qui faciat immundum. Apoſtolus dicit: *Bonum eſt homini mulierem non tangere.* (*1. Cor. 7.*) Hic tactus immundus eſt: Hoc eſt enim illud quod Dominus in Evangelio dixit: *Si quis viderit mulierem ad concupiſcendum, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* (*Mat. 5.*) Tetigit enim cor ejus concupiſcentiæ vitium, & immunda facta eſt anima ejus. Si quis ergo hoc modo tangit aliquam rem, id eſt, vel per mulieris concupiſcentiam, vel per pecuniæ cupiditatem, vel alio quolibet peccati deſiderio, immundum tetigit & inquinatus eſt. Oportet ergo te ſi quid tale tetigeris, ſcire quomodo offeras ſacrificium, ſecundùm ea quæ in ſuperioribus memoravimus, ut mundus effici

poſſis. Via tibi oſtendam quæ eſt anima quæ tetigit immundum, & immunda facta eſt, & rurſum tetigit mundum, & facta eſt munda? Illa quæ profluvium ſanguinis paſſa eſt, & erogavit omnem ſubſtantiam ſuam in medicos, nec aliquid proficere potuit, per immunditiam peccati in hoc devoluta eſt. Tetigerat enim peccatum, & idcirco flagellum carnis acceperat. Sed poſteaquàm fide plena tetigit
Matt. 9. fimbriam Jesu, ſtetit fluxus ſanguinis ejus, & repentè facta eſt munda, quæ ante per tantum tempus vixit immunda. Et quemadmodum cum tetigiſſet
Ibid. Dominum & Salvatorem, dixit ipſe: *Quis me tetigit? Ego enim ſenſi virtutem exiſſe de me*, illam ſine dubio virtutem intelligimus quæ mulierem ſanaverat & fecerat eam mundam; ſic intelligendum eſt, quia ſi quis contigerit peccatum, exeat ex ipſo peccato virtus quædam maligna, quæ eum qui ſe contigit faciat immundum. Et hoc eſt verè contigiſſe immundum. Simili ratione etiam de morticino hominis, vel de morticino pecoris mundi aut immundi dicendum eſt.

CAPITUL. CLVIII.

Item idem in libro quinto Levitici.

Homil. 5. Conſequens eſt, ut ſecundùm imaginem ejus qui Sacerdotium Eccleſiæ dedit, etiam Miniſtri & Sacerdotes Eccleſiæ peccata populi accipiant, & ipſi imitantes magiſtrum, remiſſionem populo peccatorum tribuant. Debent ergo & ipſi Eccleſiæ Sacerdotes ita perfecti eſſe, & in officiis ſacerdotalibus eruditi, ut peccata populi in loco ſancto in atriis tabernaculi teſtimonii, ipſi non peccando conſumant. Quid autem eſt in loco ſancto manducare peccatum? Locus erat ſanctus in quem pervenerat Moyſes, ſe-
Exod. 3. cundùm quod dictum eſt ad eum: *Locus enim in quo ſtas terra ſancta eſt.* Similiter ergo & in Eccleſiâ Dei locus ſanctus eſt, fides perfecta, & charitas de corde puro, & conſcientia bona. Qui in his ſtat in Eccleſiâ, in loco ſe ſancto ſtare cognoſcat. Neque enim in terrâ quærendus eſt locus ſanctus, in quo
Geneſ. 3. ſemel data ſententia eſt à Deo dicente: *Maledicta terra in operibus tuis.* Fides ergo integra, & ſancta converſatio locus eſt ſanctus. In hoc itaque loco poſitus Sacerdos Eccleſiæ, populi peccata conſumat, ut hoſtiam jugulans verbi Dei, & doctrinæ ſanæ victimas offerens, purget à peccatis conſcientias auditorum.

CAPITUL. CLIX.

Item idem in eodem libro.

Diſcant Sacerdotes Domini qui Eccleſiis præſunt, quia pars eis data eſt cum his quorum delicta repropitiaverint. Quid autem eſt repropitiare delictum? Si aſſumſeris peccatorem, & monendo, hortando, docendo, inſtruendo, adduxeris eum ad pœnitentiam, ab errore correxeris, à vitiis emendaveris, & effeceris eum talem, ut ei converſo propitius fiat Deus, pro delicto repropitiaſſe diceris. Si ergo talis fueris Sacerdos, & talis fuerit doctrina tua & ſermo tuus, pars tibi datur eorum quos correxeris; ut illorum meritum tua merces ſit, & illorum ſalus tua gloria. Aut non & Apoſtolus hæc oſtendit, ubi dicit: *Quia quod ſuperædificaverit quis, mercedem accipiet?* Intelligant igitur Sacerdotes Domini, ubi eſt eis data portio, & in hoc vacent, atque his operam dent: non ſe inanibus & ſuperfluis actibus implicent, ſed ſciant ſe in nullo alio partem habituros apud Deum, niſi in eo quod offerunt pro peccatis; id eſt, quod à viâ peccati converterint peccatores. Notandum etiam illud eſt, quòd quæ offeruntur in holocauſtum, interiora ſunt; quod verò exterius eſt, Domino non offertur. Pellis Domino non offertur, nec cedit in holocautomata.

CAPITUL. CLX.

Item idem in libro ſexto Levitici.

Homil. 6. Requiritur enim in ordinando Sacerdote & præſentia populi, ut ſciant omnes & certi ſint qui præſtantior eſt ex omni populo; qui doctior, qui ſanctior, qui omni virtute eminentior, ille deligitur ad ſacerdotium, & hoc adſtante populo, ne qua poſtmodum retractatio cuiquam, ne quis ſcrupulus reſideat. Hoc eſt autem quod & Apoſtolus præcipit
1. Tim. 3. in ordinatione Sacerdotis, dicens: *Oportet autem eum & teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt.* Ego tamen & amplius aliquid video in eo quod dicit, quia convocavit Moſes omnem Synagogam, & puto quod convocare Synagogam, hoc ſit colligere omnes animi virtutes in unum, & congregare in unum virtutes, ut cum ſermo de ſacerdotalibus ſacramentis habetur, vigilent omnes animi virtutes, & intentæ ſint, ut nihil in his ſapientiæ, nihil ſcientiæ, nihil deſit induſtriæ, ſed adſit omnis multitudo ſenſuum, adſit omnis congregatio ſanctarum cogitationum, ut quid ſit Pontifex, quid unctio, quid indumenta ejus conferant, intrà ſacrarium cordis ſui poſſit advertere.

CAPITUL. CLXI.

Item idem in eodem libro.

Octava ſpecies ibi ponitur campeſtre, ſive ut alibi legimus, femoralia linea, de quo hîc inter cætera ſiluit indumenta. Quid ergo dicemus? Oblivionem dabimus in verbis Spiritûs ſancti, ut cum cætera omnia ſecundò enarraverit, una cum ſpecies ſuperiùs dicta latuerit? Non audeo hæc de ſacris ſentire ſermonibus, ſed videamus ne forte quoniam in ſuperioribus diximus hoc genus indumenti indicium caſtitatis videri, quo vel femora operiri vel conſtringi renes videntur ac lumbi, ne forte, inquam, non ſemper in illis qui tunc erant Sacerdotes has partes dicat eſſe conſtrictas. Aliquando enim & de poſteritate generis & de ſucceſſu ſobolis indolgetur, ſed ego in Sacerdotibus Eccleſiæ hujuſmodi intelligentiam non introduxerim. Alio namque rem video currere ſacramento. Poſſunt enim & in Eccleſiâ Sacerdotes & doctores filios generare, ſicut & ille qui dicebat: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Et iterum alibi dicit: *Tametſi multa millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres. Nam in Chriſto* Jesu *per Evangelium ego vos genui.* Iſti ergo Doctores Eccleſiæ in hujuſmodi generationibus procreandis aliquando conſtrictis femoralibus utuntur, & abſtinent à generando, cum tales invenerint auditores in quibus ſciant ſe fructum habere non poſſe. Denique & in Actibus Apoſtolorum refertur de quibuſ-
Act. 16. dam: *Quod non potuimus*, inquit, *in Aſiâ verbum Dei loqui.* Hoc eſt impoſita habuiſſe femoralia, & continuiſſe ſe ne filios generarent, quia ſcilicet tales erant auditores, in quibus & ſemen periret, & non poſſet haberi ſucceſſio. Sic ergo Eccleſiæ Sacerdotes cum incapaces aures viderint, aut cum ſimulatos inſpexerint, & hypocritas auditores, imponant campeſtre, utantur femoralibus, non pereat ſemen verbi Dei, quia & Dominus eadem mandat & dicit:
Matt. 7. 6. *Nolite mittere ſanctum canibus, neque margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus, & converſi rumpant vos.*

CAPITUL. CLXII.

Isidorus Spalenſis Eccleſiæ Epiſcopus in libro Officiorum ſecundo ſic dicit:

Cap. 5. Quod verò unius virginalis matrimonii ſint qui eligantur in ordinem Pontificatûs, & in veteri lege mandatum eſt, & pleniùs ſcribit Apoſtolus di-

Digitized by Google

Levit. 21. 5. *Tit.* 3.

cens: *Unius uxoris virum.* Sacerdotem enim quærit Eccleſia aut de monogamiâ ordinatum, aut de virginalitate ſanctum. A digamo autem aufertur agere Sacerdotium. Porro quòd Epiſcopus non ab uno ſed à cunctis provincialibus Epiſcopis ordinatur, id propter hæreſes agnoſcitur inſtitutum, ne aliquid contrà fidem Eccleſiæ unius tyrannica auctoritas moliretur. Ideoque ab omnibus convenientibus inſtituitur, ut non minùs à tribus præſentibus, cæteris tamen conſentientibus teſtimonio litterarum. Huic autem dum conſecratur, datur baculus; ut ejus indicio ſubditam plebem vel regat vel corrigat, vel infirmitates infirmorum ſuſtineat. Datur & annulus propter ſignum pontificalis honoris, vel ſignaculum ſecretorum.

CAPITUL. CLXIII. Ibid.

Item idem in eodem libro:

QUi enim erudiendis atque inſtituendis ad virtutem populis præerit, neceſſe eſt ut in omnibus ſanctus ſit, & in nullo reprehenſibilis habeatur; *&c. uſque ad:* diſtributione ſecreta.

CAPITUL. CLXIV. Ibid. cap. 17.

Item idem in eodem libro.

PErgant igitur Virgines viam ſublimitatis, pede humilitatis ſequantur Chriſtum, tenendo perſeveranter quod voverunt ardenter: ita ut profeſſi hac ſervatâ integritate, cæteris etiam motibus congruant, ſine quibus procul dubio otioſa & inanis manet virginitas, *&c. uſque ad:* carnem vincere potuerunt.

CAPITUL. CLXV. Ibid.

Item idem in eodem libro.

ANte adventum quippe Chriſti conjugia placuere Deo, poſt adventum virginitas, *&c. uſque ad:* cœlum adimpleatur.

CAPITUL. CLXVI.

In vitâ Beati BASILII, *Cæſarienſis Archiepiſcopi, quæ de græco in latinum à quodam Græco vocabulo EUFEMIO eſt veraciter de verbo ad verbum tranſlata; inter cætera ſic legitur.*

Exſtat apud Surium; qui ſtilum mutavit.

COnvenientes ergo cœtus Epiſcoporum, ſancti Spiritûs cooperatione elegerunt Baſilium ad Epiſcopatûs ſedem; & conſecratus gubernabat Eccleſiam Dei providentiâ. Poſt quoddam autem tempus poſtulavit Deum, ut daret illi gratiam atque intellectum, propriis ſermonibus offerre inſanguineum ſacrificium illi, & venire ſuper eum ſancti Spiritûs adventum. Poſt dies verò ſex ſicut in extaſi factus, adventu ſancti Spiritûs ſeptimâ die apprehendente, cœpit miniſtrare Deo per ſingulos dies. Et poſt aliquod tempus fide & oratione cœpit propriâ manu ſcribere miniſtrationis myſteria: atque in unâ nocte adveniens ei Dominus in viſione cum Apoſtolis, propoſitionem panis faciens in ſancto altari, excitavit Baſilium dicens ei: Secundùm tuam poſtulationem repleatur os tuum laude, ut per proprios ſermones offeras inſanguineum ſacrificium. Qui non ferens oculis viſionem, ſurrexit cum tremore, & accedens ad ſanctum altare, cœpit dicere: ſcribens in cartâ ſic: Repleatur os meum laude, ut hymnum dicat gloriæ tuæ, Domine Deus, qui creaſti nos & adduxiſti in vitam hanc: & cæteras orationes ſancti miniſterii. Et poſt finem orationum exaltavit panem, ſine intermiſſione orans & dicens: Reſpice Domine JESU-CHRISTE Deus noſter, ex ſancto habitaculo tuo, & veni ad ſanctificandum nos, qui ſurſum Patri conſedes, & hîc nobis inviſibiliter coës. Dignare potenti manu tuâ tradere nobis, & per nos omni populo ſancta ſanctis. Populus reſpondit. Unus ſanctus, unus Dominus JESUS-CHRISTUS cum ſancto Spiritu in gloriâ Dei Patris, Amen. Et dividens panem in tres partes, unâ quidem communicavit cùm timore multo: alteram autem reſervavit conſepeliri ſibi: tertiam verò imponens columbæ aureæ, pependit ſuper altare.

CAPITUL. CLXVII.

Et poſt pauca ita ſcribitur:

SAncta exaltante ſancto Baſilio, ſignum non fuit factum ſicut erat ſolitum, moveri videlicet columbam, quæ cum ſacramento Dominico pendebat ſuper altare, ſemper ad exaltationem ſancti ſacrificii moveri ter ſolens. Et cogitante eo quid hoc eſſet, vidit unum Ventilantium Diaconem innuentem mulieri inclinatæ deorſum; & tranſponens eum de altari, infrà Eccleſiam juſſit cuſtodiri: & ita videns ſancti Spiritûs adventum, hortatus eſt omnem populum ſeptem diebus ibidem in oratione manere.

CAPITUL. CLXVIII. x

Ad augmentandum x *totius pudicitiæ uxorem beatus* JOHANNES *Evangeliſta ita concludendo exequitur, dicens:*

* * * *

CAPITUL. CLXIX.

De his qui Eccleſiaſtica jejunia abſque neceſſitate diſſolvunt, in Concilio Gangrenſi ita ſcriptum eſt.

* * * *

CAPITUL. CLXX.

De hoc quòd Eccleſia Romana reprehenditur à Græcis quare jejunium agat in Sabbatis: INNOCENTIUS *Papa hoc rationabiliter defendit in Decretalibus*, cap IV. ſic dicens:

Epiſt. Decent. Epiſcop. Eugubino.

SAbbato verò jejunandum eſſe ratio evidentiſſima demonſtrat. Nam ſi diem Dominicum ob venerabilem Reſurrectionem Domini noſtri JESU-CHRISTI non ſolùm in Paſcha celebramus, verùm etiam per ſingulos circulos hebdomadarum ipſius diei imaginem frequentamus, ac ſextâ feriâ propter Paſſionem Domini jejunamus, ſabbatum prætermittere non debemus, qui inter triſtitiam atque lætitiam temporis illius videtur incluſus. Nam utique conſtat Apoſtolos biduo iſto & in mœrore fuiſſe, & propter metum Judæorum ſe occuluiſſe. Quod utique non dubium eſt in tantum eos jejunaſſe biduo memorato, ut traditio Eccleſiæ habeat iſto biduo Sacramenta penitùs non celebrari. Quæ forma utique per ſingulas tenenda eſt hebdomadas, propter id quod commemoratio diei illius ſemper eſt celebranda. Quòd ſi putant ſemel atque uno ſabbato jejunandum, ergo & Dominicum, & ſexta feria ſemel in Paſcha erit utique celebrandum. Si autem Dominici diei ac ſextæ feriæ per ſingulas hebdomadas reparanda imago eſt, dementis eſt bidui agere conſuetudinem ſabbato prætermiſſo, cum non diſparem habeat cauſam; à ſextâ videlicet feriâ, in quâ Dominus paſſus eſt, quando & ad inferos fuit, ut tertiâ die reſurgens redderet lætitiam poſt biduanam triſtitiam præcedentem. Non ergo nos negamus ſextâ feriâ jejunandum, ſed dicimus & ſabbato hoc agendum, quia ambo dies triſtitiam Apoſtolis, vel his qui Chriſtum ſequuti ſunt, induxe-

x *ad augmentandum*] Hic eſt titulus cap. 68. qui in editis deſiderabatur, ac reſtitutus eſt ex elencho capitum. Quem Johannis locum laudaverit Æneas, haud ſatis ſcio. Ex eodem loco reſtituimus titulum cap. 169.

runt. Qui die Dominico hilarati, non ſolùm ipſum feſtiviſſimum eſſe voluerunt, verumetiam per omnes hebdomadas frequentandum eſſe duxerunt.

CAPITUL. CLXXI.

De hac re ſciſcitanti Lucino HIERONYMUS *reſpondens inter cætera reſcripta Epiſtola*, ſic dicit:

Epiſt. 28.

DE ſabbato quod quæris utrum jejunandum ſit, & de Euchariſtiâ an accipienda quotidie, quod Romana Eccleſia & Hiſpaniæ obſervare prohibentur, ſcripſit quidem & Hippolytus vir diſertiſſimus, & carptim diverſi auctores in variis auctoribus edidere: ſed ego illud breviter te admonendum puto, traditiones Eccleſiaſticas; præſertim quæ fidei non officiant, ita obſervandas, ut à majoribus traditæ ſunt, nec aliarum conſuetudinem, aliarum contrario more ſubverti. Atque utinam omni tempore jejunare poſſemus. Quod in actibus Apoſtolorum diebus Pentecoſte, & die Dominico Apoſtolum Paulum, & cum eo credentes, feciſſe legimus; nec tamen Manichææ hæreſeos accuſandi ſunt, cum carnalis cibus præferri non debuerit ſpiritali. Euchariſtiam quoque abſque condemnatione noſtri, & pungente conſcientiâ, ſemper accipere, & Pſalmiſtam audire dicentem: *Guſtate & videte quoniam ſuavis eſt Dominus.* Et cum eo canere: *Eructavit cor meum verbum bonum.* Nec hoc dico quo feſtis diebus jejunandum putem, & contextas in quinquaginta diebus ferias auferam, ſed unaquæque provincia abundet in ſenſu ſuo, & præcepta majorum leges Apoſtolicas arbitretur.

Pſal. 33. 9. Ibid. 44. 2.

CAPITUL. CLXXII.

Item ISIDORUS *Spalenſis Epiſcopus in primo libro Officiorum, de diverſorum dierum ac temporum jejuniis inter cætera ſic diſputat.*

Cap. 41. & 43.

PRæter hæc autem legitima tempora jejuniorum, omni ſextâ feria propter Paſſionem Domini à quibuſdam jejunatur. Sed & ſabbati dies à pleriſque propter quod in eo Chriſtus jacuit in ſepulcro, jejunio conſecratus habetur, ſcilicet ne Judæis exultando præſtetur, quod Chriſtus ſuſtulit moriendo, *&c. uſque ad finem cap. 43.*

CAPITUL. CLXXIII.

In Concilio Laodicenſi cap. 5. *Non debere jejunium ſolvi in quinta feria majoris ſeptimanæ.*

Cap. 50. ex interpret. Dionyſii Exigui.

QUòd non oportet in Quadrageſimâ in ultimâ ſeptimanâ quintâ feriâ jejunium ſolvere, totamque Quadrageſimam ſine veneratione tranſire, magiſque conveniat omnem Quadrageſimam diſtricto venerari jejunio.

Si ergo non oportet, ut hoc cenſetur Concilio, ſolvi jejunium in Cœnâ Domini, multo magis eſt indecens id agendum in quintâ & ſeptimâ feriâ per reliquas Quadrageſimæ hebdomadas.

CAPITUL. CLXXIV.

Quare nos Latini more Græcorum non ceſſamus octo hebdomadibus ante Paſcha à carnium eſu, & ſeptem à caſeo & ovis.

QUod etiam quæritur cur non ceſſamus octo hebdomadibus ante Paſcha à carnium eſu, & ſeptem à caſeo & ovis; ad hoc breviter reſpondendum, quia in Quadrageſimali jejunio nos perfectiùs Dominum imitamur, qui eoſdem dies continuatim, ut ipſe Dei Filius, jejunamus, non dirimentes, nec interrumpentes ſpatium abſtinentiæ & jejunii, ſicut in Evangelio legitur: *Et cum jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit.* Non dixit Evangeliſta quòd in unâ quaque hebdomadâ, quintâ & ſeptimâ feriâ jejunium ſolverit, aliis diebus abſtinens, ut Græci facere dicuntur; ſed ipſis quadraginta diebus ex aſſe & per ordinem jejunans, tum demùm eſurierit. Dicendum etiam quia ſive per

Matt. 4. 2.

octo hebdomadas jejunetur, ſolvendo jejunium in ſingulis quintâ & ſeptima feriâ, & die Dominicâ, ſive ſex hebdomadibus continuatim abſtineatur, exceptâ Dominicâ, in utroque tempore triginta & ſex dies in abſtinentia inveniuntur. Unde rationabiliùs agunt qui Dominum imitantes, continuatim quadrageſimale jejunium exercent, quàm qui per aliquam dierum intercapedinem illud peragere videntur. Nam Beatus Papa Gregorius quadrageſimale computans tempus, à capite ſex hebdomadarum illud dinumerare incipit dicens his verbis: A præſenti etenim die uſque ad Paſchalis ſolemnitatis gaudia ſex hebdomadæ veniunt: quarum videlicet dies quadraginta & duo fiunt: ex quibus dum ſex dies Dominici ab abſtinentiâ ſubtrahuntur, non plus in abſtinentiâ quàm triginta & ſex remanent. Dum verò per trecentos & ſexaginta quinque dies annus ducitur, nos autem per triginta & ſex dies affligimur, quaſi anni noſtri decimas Deo damus, ut qui nobiſmetipſis per acceptum annum viximus, auctori noſtro nos in ejus decimis per abſtinentiam mortificemus.

Homil. 16. in Evang.

CAPITUL. CLXXV.

De vario uſu abſtinentiæ diverſarum regionum.

DE hoc etiam quod quæritur, quare ſeptem hebdomadibus ante Paſcha ab eſu caſei & ovorum non abſtinemus, ſed tantummodo ſex; dicendum breviter quia talis exactio ſuperflua ex ſanctis ſcripturis non habet auctoritatem; nam per diverſas regiones varius exercetur abſtinentiæ uſus. Ægyptus namque & omnis Palæſtina novem hebdomadibus ante Paſcha jejunant: inſuper & pars Italiæ, cui hoc ex animo complacet, tribus diebus in hebdomada per totam Quadrageſimam à cibis igne decoctis abſtinet, tantummodo diverſis fructibus arborum & generibus herbarum; quibus Italia opulenter abundat, in cibo utens abſtinentiæ perficit votum. Quibus ergo deeſt diverſitas ac multiplicitas fructuum, nequaquam negabitur cibus ab igne decoctus. Germania etiam à lactis & butiri ac caſei, & ovorum eſu per totam Quadrageſimam generaliter non abſtinet, excepto quem ſpontanea attrahit voluntas. Denique nonnulli fuêre rationabile judicantes ſolvere abſtinentiam in Cœna Domini & Paraſceve, quæ dies pro dolore Apoſtolorum figuram habet triſtitiæ, eſui ovorum, caſei, lactis & butiri indebitè & ſtultè indulgentes. Itaque donec gloria Dominicæ Reſurrectionis veſpere ſabbati, quæ eluceſcit in primâ ſabbati, ſolemniter appropinquet, & unda baptiſmatis filii lucis renaſcantur, & *Gloria in excelſis Deo* & *Alleluia* præconetur Reſurrectionis Chriſti glorioſam victoriam, & myſticus cereus ſanctâ luce ſpiritaliter reſplendeat, indignum ducit uti hujuſcemodi cibis mater Eccleſia, quæ à primo Paſtore ſumſit magiſterii diſciplinam. Cum his & aliis modis per multa ſpatia orbis Quadrageſimali tempore ordo abſtinentiæ confundatur, potiſſimum & optimum delegit Romana ſedes continuare & extendere ante Paſcha jejunium in numero quadraginta dierum. Triginta autem & ſex diebus in abſtinentiâ computatis, adjunctis & quatuor, qui à capite jejunii incipiunt, egregiè compaginamur, & abſque ullâ reprehenſione unimur jejunio Salvatoris noſtri, de quo Evangeliſta dicit: *Et cum jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit.*

Matt. 4. 2.

CAPITUL. CLXXVI.

Sanctus FAUSTINUS *Epiſcopus in Dominicâ ante Quadrageſimam, homiliatico Sermone ſecundùm morem illius temporis, ita de jejunio variè exequitur, dicens:*

PErmotos eſſe vos credo, Fratres dilectiſſimi, cur à ſuperiore Dominicâ Quadrageſimam percur-

²¹mus ; & eum hodie ſit ejus exordium , cur feſtivitatem ejus ante unam hebdomadam celebrare cœperimus. Reprehendi non poteſt obſervatio iſta præpropera : devotionis enim indicium eſt priùs legem exequi , quàm legis ſtatuta cognoſcas ; & ante obedire præceptis , quàm obedientiæ præcepta compellant. Illud amoris eſt , hoc timoris ; hoc imperativè exigitur , illud religioſè defertur. Ibi donum numeris exhibetur, hic debitum ſolvitur. Unde & nos religioſum munus exhibuimus Deo dum ampliùs jejunavimus ; reprehendi enim non poteſt feſtinata feſtivitas ; ſemper enim in gaudiis ſolemnitatem vota præveniunt , & futuram lætitiam devotio dum exoptat , anticipat. Non ſolùm igitur irreprehenſibiliter, ſed & cautè factum eſt. Semper enim in rebus ambiguis oportet addere aliquid ampliùs ad cautelam ; quia quod eſt amplius , recidi poteſt ; quod minus , non poteſt prolongari. Sicut in hac obſervatione factum eſt , ne quod propter Quadrageſimam plùs jejunavimus , non minuimus Quadrageſimam ; integra enim nobis manet. Quòd ſi minùs jejunaſſemus à numero , redintegrare non poteramus ad numerum. Sed fortaſſe illud in causâ eſt , cur jejunium quod jejunavimus , non proficiat nobis ad Quadrageſimam. Proficiet planè nobis , quia etſi non proficit ad Quadrageſimam , proficit ad ſalutem : ſi non proficit ad numerum , proficit ad meritum. Cui enim nunquam profuit orare , legere , jejunare ? Cui non profuit caſtitas , ſobrietas , manſuetudo ? niſi quòd illos magis reprehendendos puto , qui cum parati fuerint jejunare , poſteaquàm audierint ſolemnitatis ambiguum , neglexerunt jejunare. Demonſtrarunt utique non ſe volentes religioſè vivere , ſed coactos. Veriti ſunt , credo , ne quinque dierum jejuniis prolongatis , caro eos corpuſque deficeret , & exiles ac tenues Quadrageſimæ abſtinentiam tolerare non poſſent. Audiant igitur refecti pariter ac robuſti, tenues atque pallentes , quia hodie eſt Quadrageſima. Audiant illi , inquam, ut jejunare incipiant , iſti ut abſtinere non deſinant , & communiter in arcam Chriſti intrare feſtinent, imò feſtinent ampliùs , quia tardiùs abſtinere cœperunt, ut caſtigatiores & puriores introeant , quia arca Domini in periculis jejunum ſuſtentare prævalet , temulentum ſuſtentare non novit.

CAPITUL. CLXXVII.

Item AUGUSTINUS *in Homiliâ de Quadrageſimâ inter cætera ſic dicit.*

Serm. 69. de Temp.

SAnctus igitur & ſalutaris Quadrageſimæ curſus eſt , quo adducitur ad miſericordiam peccator per pœnitentiam, juſtus ad requiem. His enim diebus ſolito ampliùs & divinitas miſeretur , & delinquentia deprecatur , & juſtitia promeretur. Patent enim omnia , & cœli ad indulgentiam , & peccator ad confitendum, & lingua ad poſtulandum. Salutaris, inquam , & myſticus eſt quadragenarius numerus : nam primùm cum mundi faciem iniquitas hominum poſſideret , tot dierum curriculo Deus effuſis de cœlo imbribus univerſam terram diluvio ſuperfudit. Vides ergo jam illo tempore myſterium in figurâ diſpoſitum. Nam ſicut quadraginta diebus pluit ad purgandum mundum , ita & nunc quadraginta diebus miſeretur ad hominem purificandum.

CAPITUL. CLXXVIII.

Quare Preſbyteri inhibeantur frontes Baptizatorum chriſmate linire , INNOCENTIUS Papa in Decretalibus ita dicit , cap. III.

Epiſt. 1. c. 3.

DE conſignandis verò infantibus manifeſtum eſt, non ab alio quam ab Epiſcopo fieri licere. Nam Presbyteri , licet ſint ſecundi Sacerdotes, Pontificatûs tamen apicem non habent. Hoc autem Pontificibus ſolis deberi , ut vel conſignent , vel paraclitum Spiritum tradant , non ſolùm conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat , verùm illa lectio Actuum Apoſtolorum , quæ aſſerit Petrum & Joannem eſſe directos , qui jam baptizatis tradant Spiritum ſanctum. Nam Presbyteris , ſeu extrà Epiſcopum , ſeu præſente Epiſcopo cum baptizant, chriſmate baptizatos ungere licet , ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum ; non tamen frontem ex eodem oleo ſignare , quod ſolis debetur Epiſcopis cum tradunt Spiritum paraclitum. Verba verò dicere non poſſum , ne magis prodere videar , quàm ad conſultationem reſpondere. Act. 8.

CAPITUL. CLXXIX.

Quòd in Geſtis Romanorum Pontificum legatur ut à Preſbytero Neophytus ungi debeat in cerebro ſive vertice.

LEgitur etiam in geſtis Romanorum Pontificum, quia Silveſter Papa conſtituit ut à Presbytero neophytus ungeretur , ſcilicet in cerebro ſive in vertice , ſic etenim ibi ſcribitur : Hic conſtituit ut baptizatum liniat Presbyter chriſmate levatum de aquâ , propter occaſionem tranſitûs mortis. Quo enim tempore Silveſter rexit Romanæ Sedis Eccleſiam manifeſtum eſt , id eſt , quando Nicænum Concilium celebratum eſt ſub Pio Imperatore Conſtantino. Exin ut arbitrari poteſt ſancti Patres inſtituerunt , ut ungerentur Neophyti à Presbyteris chriſmate conſecrato ab Epiſcopo. Quod ſi id anteà agebatur , ſuperfluum videtur conſtitutum eſſe à ſancto Silveſtro , quod jam à Catholicis implebatur. Secundùm hanc Conſtitutionem ſuſpicari quilibet valet , quòd priori tempore de unctione chriſmatis Pontifex exſpectabatur , ut per manus Epiſcopi omnis unctio Chriſmatis compleretur. Uſque ad illud tempus non generaliter omnes baptizabantur , præſertim cum Imperatores & Principes eorum paganiſmo detinerentur : ideo facilè Neophytis poterat occurrere Epiſcopus , vel ipſi ad Epiſcopum venire, quia adhuc chriſtianitas anguſta erat & clanculo agebatur.

In lib. Pontificali qui falſo aſcribitur Damaſo Papæ.

CAPITUL. CLXXX.

GELASIUS *Papa in Eccleſiaſticis inſtitutis , ut Preſbyteri modum debitum ſervent , non chriſma conficiant , non conſignent* ; *ſic dicit* , cap. VI.

Epiſt. 9.

NEc minùs etiam Preſbyteros contrà ſuum modum tendere prohibemus : nec Epiſcopali faſtigio debita ſibimet audacter aſſumere , non conficiendi chriſmatis , non conſignationis Pontificalis adhibendæ ſibimet arripere facultatem.

CAPITUL. CLXXXI.

Item in eodem Capitulo.

NEc prorſus addubitet , ſi quidquam ad Epiſcopale miniſterium ſpecialiter pertinens ſuo motu putaverit exequendum , continuò ſe Presbyterii dignitate & ſacra communione privari.

CAPITUL. CLXXXII.

De hoc quod opponitur quare Clerici barbas radunt.

Lib. 2. cap. 5. init. Ezech. 5. 1.

HIERONYMUS in primâ parte Ezechielis exponit : *Et tu fili hominis ſume tibi gladium acutum quaſi novaculam tonſorum (ſive radentem pilos) & trahe per caput tuum & barbam tuam : & aſſumes tibi ſtateram ponderis , & divides eos. Tertiam partem igni combures in medio civitatis juxta completionem dierum concluſionis : & tertiam partem*

concides gladio in circuitu ejus : tertiam verò aliam diſperdes in ventum, & gladium nudabo poſt eos. Et ſumes inde parvum numerum, & ligabis eos in ſummitate pallii. Et ex eis rurſum tolles & projicies in medium ignis, & combures eos igni. Ex eo egredietur ignis in omnem domum Iſrael.

Pro tribus partibus capillorum & pilorum, quarum una comburitur in medio civitatis, alia conciditur gladio in circuitu ejus, tertia vento huc illucque rapienda diſpergitur; de quâ parum aſſumitur & ligatur in pallii; & rurſùm modicum quid partis tertiæ mittitur in ignem, de quo egreditur flamma in omnem domum Iſrael : Septuaginta quatuor partes interpretati ſunt. Cumque dixiſſent : Ezech. 5. 1. *Quartam partem igni combures in medio civitatis, & quartam cades gladio in medio ejus, & quartam diſperges in ventum* : quia remanebat eis quarta pars alia : addiderunt de ſuo : *Et quartam partem aſſumes, & combures eam in medio civitatis* : quaſi non ſit ipſa quæ prima, & aliud quid in primâ dixerit, aliud in iſtâ quæ addita eſt. Denique & in conſequentibus ænigma capillorum in tres partes diviſorum, ipſe Dominus ediſſerit per Prophetam dicens : *Tertia tui pars peſte morietur, & fame conſumetur in medio tui.* Famem & peſtilentiam ignem eſſe ſignificans. *Et tertia tui pars gladio cadet in circuitu tuo*, foris cædes ac bella deſcribens. *Tertiam verò*, inquit, *partem tuam in omnem ventum diſpergam* : eos eſſe demonſtrans qui ducendi ſunt in captivitatem. Poſt quos dicit ſe nudare vel effundere gladium ſuum, ut nec captivitas noviſſimum ſit malorum, ſumereque de ipſis diſperſis atque captivis, & ligare in ſummitate pallii ſui eos qui de captivitate redituri ſunt in Hieruſalem, & ex ipſis quoque tollere aliquam partem, & igni flammâque conſumere; ſignificans Macedones, ſub quibus habitatores Judææ, & præcipuè Hieruſalem, dura perpeſſi ſunt. Quod autem dicit *ex eo*, id eſt, populo; ſive juxtà Septuaginta, *ex eâ*, ut ſubaudiatur urbe Hieruſalem, egredietur ignis in omnem domum Iſraël, Machabæorum narrat hiſtoria, quòd quædam pars Judæorum ſe tradidit Antiocho Epiphani, & cum ad perſequutionem populi concitavit, & multa alia quæ in eâdem ſcribuntur hiſtoriâ, & in Joſephi voluminibus, præcipuèque diſſentione Hyrcani & Alexandri, per quorum occaſionem Gnæus Pompeius cepit Jeruſalem, & Romanæ ditioni ſubdidit : poſteaque ſub Tito & Veſpaſiano urbs capta, templumque ſubverſum. Et poſt quinquaginta annos ſub Ælio Adriano uſque ad ſolum incenſa civitas atque deleta eſt, ita ut priſtinum quoque nomen amiſerit. Quomodo autem in cæſarie & barbâ pulchritudinis ac virilitatis indicium eſt, quæ ſi radantur fœda nuditas appareſcit, & univerſi corporis pars extrema, atque, ut ita dicam, emortua, in capillis ac pilis eſt, ita Hieruſalem & populus ejus emortuus, & à vivo Dei corpore ſeparatus fami ac peſtilentiæ, cædi & gladio, captivitati ac diſperſioni traditur. De quâ diſperſione ſub figurâ capillorum aliqua pars ligatur in ſummitate pallii, ut modicum quid rurſum tradatur incendio, de quo infinita flamma ac penè univerſa devaſtans egreditur in omnem domum Iſraël.

CAPITUL. CLXXXIII.

Gregorius *Papa in libro primo Moralium Beati Job, ſic inter cætera dicit :*

Cap. 19. HIeremias inſinuat, quòd venerunt octoginta viri de Sichem & de Silo, & de Samaria raſi barbâ & ſciſſis veſtibus, ſqualentes, munera & thus habebant in manu ut offerrent in domo Domini. Egreſſus autem Iſmael filius Nathaniæ in occurſum eorum de Maſpha, incedens & plorans ibat. Cumque occurriſſet eis, dixit ad eos : *Venite ad Godoliam filium Aicham. Qui cum veniſſent ad medium civitatis, interfecit eos.* Jerem. 41. 6. Barbam quippe radunt, qui ſibi de propriis viribus fiduciam ſubtrahunt; veſtes ſcindunt, qui ſibimetipſis in exterioris decoris laceratione non parcunt. Oblaturi in domo Domini thus & munera veniunt, qui exhibere ſe in Dei ſacrificio orationem cum operibus pollicentur. Sed tamen ſi ſe in ipſâ ſanctæ devotionis viâ cautè circumſpicere neſciunt, Iſmael Nathaniæ filius in eorum occurſum venit : quia nimirum quilibet malignus ſpiritus, prioris ſui, ſatanæ videlicet exemplo, in ſuperbiæ errore generatus, ſe ad laqueum deceptionis opponit.

CAPITUL. CLXXXIV.

Item idem in ſecundo libro Moralium.

Cap. 10. & 11. T*Unc ſurrexit Job, & ſcidit veſtimenta ſua : & tonſo capite corruens in terram adoravit.* Mos autem veterum fuit, ut quiſquis ſpeciem ſui corporis capillos nutriendo ſervaret, eos tempore afflictionis abſcideret, *&c. uſque ad* : quæ perdidimus, non habuiſſe.

CAPITUL. CLXXXV.

Isidorus *Spalenſis Epiſcopus in libro ſecundo Officiorum*, ſic dicit;

Cap. 4. init. TOnſuræ Eccleſiaſticæ uſus à Nazaræis, niſi fallor, exortus eſt : qui priùs crine ſervato, denuò poſt vitæ magnæ continentiam, devotione completâ caput radebant, & capillos in igne ſacrificii ponere jubebantur, ſcilicet ut perfectionem devotionis ſuæ Domino conſecrarent. Horum ergo exempli uſus ab Apoſtolis introductus eſt, ut hi qui divinis cultibus mancipati Domino conſecrantur, quaſi Nazaræi, id eſt, Sancti Dei crine præciſo innoventur. Hoc quippe & Ezechieli Prophetæ jubetur, dicente Domino : *Tu Fili hominis, ſume tibi gladium acutum, & duces per caput tuum & barbam.* Ezech. 5. Videlicet quia & ipſe ſacerdotali genere, Deo in miniſterium ſanctificationis deſerviebat. Hoc & Nazaræos illos Priſcillam & Aquilam in Actibus Apoſtolorum primos feciſſe legimus : Act. 18. Paulum quoque Apoſtolum, & quoſdam Diſcipulorum Chriſti, qui in hujuſmodi cultu imitandi exſtiterunt. Eſt autem in Clericis tonſura ſignum quoddam quod in corpore figuratur, ſed in animo agitur; ſcilicet ut hoc ſigno, in religione vitia reſecentur, & criminibus carnis noſtræ quaſi crinibus exuamur, atque inde innovati ſenſibus, ut comis rudibus enitescamus, *Exſpoliantes nos*, juxtà Apoſtolum, *veterem hominem cum actibus ſuis; & induentes novum, qui renovatur in agnitionem Dei.* Epheſ. 4. Coloſſ. 3. Quam renovationem in mente oportet fieri, ſed in capite demonſtrari, ubi ipſa mens noſcitur habitare. Quòd verò detonſo ſuperiùs capite, inferiùs circuli corona relinquitur, ſacerdotium regnumque Eccleſiæ in eis exiſtimo figurari. Tiara enim apud veteres conſtituebatur in capite Sacerdotum, hæc ex byſſo confecta rotunda erat, quaſi ſphæra media; & hoc ſignificatur in parte capitis tonſi. Corona autem latitudo aurei eſt circuli, quæ Regum capita cingit. Utrumque itaque ſignum exprimitur in capite Clericorum, ut impleatur etiam corporis quadam ſimilitudine quod ſcriptum eſt, Petro Apoſtolo perdocente : *Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium.* 1. Pet. 2. Quæritur autem cur, ſicut apud antiquos Nazaræos, non antè coma nutritur, & ſic tondetur. Sed qui hæc exquirunt, advertant quid ſit inter illud propheticum velamentum, & hanc Evangelii revelationem, de quâ dicit Apoſtolus : *Cum* 2. Cor. 3.

tranſieris ad Chriſtum, auferetur velamen. Quod autem ſignificabat velamen interpoſitum inter faciem Moyſi & aſpectum populi Iſrael, hoc ſignificabat illis temporibus etiam coma Sanctorum. Nam & Apoſtolus comam pro velamento eſſe dicit. Proinde jam non oportet ut velentur crinibus capita eorum, qui Domino conſecrantur, ſed tantùm ut revelentur; quia quod erat occultum in ſacramento prophetiæ, jam in Evangelio declaratum eſt.

CAPITUL. CLXXXVI.

Quare Latini more Græcorum comas non nutriant, ut mulieribus in crinibus diſpares habeantur.

CUm ergo Græci Latinos & Romanos redarguant cur barbas radant, qui ob munditiam utique hoc agunt, quam expreſſiùs Eccleſiaſticum expedit & depoſcit miniſterium; quippe cum diverſæ nationes ſuam obſervent conſuetudinem in cultu corporis & veſtimentorum indumentis, & hoc ſine crimine, ita dumtaxat ut non diſcrepet à Catholicâ fide; convenienter & Latini vicem quæſtioni rependunt, quare Græcorum Laïci more fœminarum contrà interdictum tonantis Pauli comas nutriant, qui ita Corinthiis Apoſtolicâ auctoritate interminat dicens: *Nec ipſa natura docet vos, quòd vir quidem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi: mulier verò ſi comam nutriat, gloria eſt illi; quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt.* Denique cum Latini comas nutrire indignum ducant, ut non muliebri cultui aſſentiant, inquirendum quid Græci ſanctius ſentiant, qui quaſi unitum caput cum mulieribus crinium velamine geſtant. Corinthus ſiquidem eſt in Achaiâ, quæ una eſt civitatum Græcarum in Aſia conſiſtentium, cujus viros noluit nutrire comas Apoſtolus, non quilibet alius, ſed ille *qui non ab hominibus, neque per hominem, ſed per* JESUM-CHRISTUM, *& Deum Patrem qui ſuſcitavit eum à mortuis*, eſt conſtitutus Apoſtolus. Dixit itaque quidam ſanctitate & Oratorum eloquio pollens; ſi aliqua ſanctitas ſubintelligitur in corporalibus barbis, forte aliquem poſſet locum in grandioribus hircis. Si ergo prudentia Achivorum contemnit Apoſtolum in nutriendis comis, nullatenùs proinde inferior judicabitur munditia Miniſtrorum Chriſti pro radendis barbis, quæ illicita reſecando, debet præſtantiùs ſplendeſcere in operibus bonis, & omnimodis carere ſordibus mentis ſimul & corporis.

1. Cor. 11. 14.

Galat. 1. 1.

CAPITUL. CLXXXVII.

Quod Romana Sedis Pontifex primus omnium habeatur. Beatus Papa SILVESTER *perdocuit in Præfatione Nicæni Concilii, ubi iſta leguntur.*

De Primatu Pontificis. In antiqua edit.

BEatiſſimo Silveſtro in urbe Româ Apoſtolicæ Sedis Antiſtite, Conſtantino Auguſto, & Licinio, Conſulibus Paulino & Juliano Viris Clariſſimis. Anno ab Alexandro milleſimo triceſimo quarto, menſe Junio, decimo tertio Kalendas Julias, propter inſurgentes hæreſes fides Catholica expoſita eſt apud Nicæam Bithyniæ, quam ſancta & reverentiſſima Romana complectitur & veneratur Eccleſia, quippe quam trecenti decem & octo Patres, mediantibus Victore atque Vincentio religioſiſſimis Romanæ Sedis Preſbyteris, inſpirante Deo, propter deſtruenda Arrii venena protulerunt. Nam & nonnullæ regulæ ſubnexæ ſunt, quas memorata ſuſcipiens confirmavit Eccleſia. Sciendum eſt ſanè ab omnibus Catholicis, quoniam ſancta Eccleſia Romana nullis ſynodicis decretis prælata eſt, ſed evangelicâ voce Domini & Salvatoris noſtri primatum obtinuit, ubi dixit beato Apoſtolo Petro: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ Inferi non prævalebunt adverſùs eam: & tibi dabo claves regni cœlorum. Et quæcumque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cœlo. Et quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Adhibita eſt etiam ſocietas in eâdem Romanâ urbe beatiſſimi Apoſtoli Pauli vaſis electionis, qui uno die, unoque tempore glorioſâ morte cum Petro ſub Principe Nerone agonizans coronatus eſt; & ambo pariter ſanctam Eccleſiam Romanam Chriſto Domino conſecrarunt; aliiſque omnibus urbibus in univerſo mundo ſuâ præſentiâ, atque venerando triumpho prætulerunt. Et licet pro omnibus aſſidua apud Deum omnium Sanctorum fundatur oratio, his tamen verbis Paulus beatiſſimus Apoſtolus Romanis proprio chirographo pollicetur dicens: *Teſtis enim mihi eſt Deus, cui ſervio in ſpiritu meo in Evangelio Filii ejus, quòd ſine intermiſſione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis.* Prima ergo Sedes eſt cœleſti beneficio Romanæ Eccleſiæ, quam beatiſſimi Apoſtoli Petrus atque Paulus ſuo martyrio dedicarunt. Secunda autem Sedes apud Alexandriam beati Petri nomine à Marco ejus diſcipulo atque Evangeliſta conſecrata; quia ipſe & in Ægypto primum verbum veritatis directus à Petro prædicavit, & glorioſum ſuſcepit martyrium; cui venerabilis ſucceſſit Abilius. Tertia verò ſedes apud Antiochiam, item beati Petri Apoſtoli habetur honorabilis, quia illic priuſquàm Romam veniret, habitavit, & Ignatium Epiſcopum conſtituit, & illic primum nomen Chriſtianorum novellæ gentis exortum eſt. Nam & Hieroſolymitanus Epiſcopus pro tanti loci reverentiâ ab omnibus habetur honorabilis; maximè quoniam illic primus beatiſſimus Jacobus, qui dicebatur Juſtus, qui etiam ſecundùm carnem frater Domini nuncupatus eſt, à Petro, Jacobo & Johanne Apoſtolis eſt Epiſcopus ordinatus. Itaque ſecundùm antiquorum Patrum definitionem ſedes prima in Hieroſolymis minimè dicitur, ne forte ab infidelibus aut idiotis Sedes Domini noſtri JESU-CHRISTI, quæ in cœlo eſt, in terrâ eſſe putaretur. Eſt enim ſedes ejus cœlum, terra autem ſcabellum pedum ejus eſt, quoniam ipſe eſt, per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil, quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Apud Epheſum verò beatiſſimus Johannes Apoſtolus & Evangeliſta multo tempore poſt Reſurrectionem & Aſcenſionem in cœlos Domini noſtri JESU-CHRISTI commoratus eſt, ibique etiam Evangelium, quod ſecundùm Johannem dicitur, divinâ inſpiratione conſcripſit, atque requievit. Et ob hoc Epiſcopus Epheſius pro tanti Apoſtoli & Evangeliſtæ memoriâ, cæteris Epiſcopis Metropolitanis in Synodis honorabiliorem obtinet ſedem.

Ex Decreto Gelaſii Papæ in Concilio Romano an. 494.

Mat. 16. 18.

Rom. 1. 9.

CAPITUL. CLXXXVIII.

Item beatus SILVESTER in fine alloquutionis quam fecit in Synodo acto in Trajanis tertio Kalendas Junias.

In Canonibus Silveſtri cap. 20.

NEmo judicabit primam Sedem juſtitiam deſiderantem temperari, neque ab Auguſto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo judex judicabitur.

CAPITUL. CLXXXIX.

In Canonibus Apoſtolorum: *De primatu Epiſcoporum*, cap. XXXV.

Can. 35. ex tr. Dionyſii Exigui.

EPiſcopos gentium ſingularum ſcire convenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput exiſtiment, & nihil ampliùs præter ejus conſcientiam gerant quàm illa ſola ſinguli, quæ par

chiæ propriæ & villis, quæ ſub eâ ſunt, competunt. Sed nec ille præter omnium conſcientiam faciat aliquid: ſic enim unanimitas erit, & glorificabitur Deus per Chriſtum in Spiritu ſancto.

CAPITUL. CXC.

In Nicæno Concilio de privilegiis quæ quibuſdam Civitatibus competunt, cap. VI.

Can. 6 ex I. ed. t.

ANtiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Libyam & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & urbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt. Similiter autem & apud Antiochiam cæteraſque provincias ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis.

CAPITUL. CXCI.

Item in eodem Concilio cap. VII. *De Epiſcopo Æliæ, id eſt Hieroſolymorum.*

QUia conſuetudo obtinuit & antiqua traditio, ut Æliæ Epiſcopus honoretur, habeat honoris conſequentiam, ſalva Metropoli propriâ dignitate.

CAPITUL. CXCII.

In Concilio Conſtantinopolitano cap. II. *De ordine ſingularum Diœceſium, & de privilegiis quæ Ægyptius, Antiochenis, Conſtantinopolitaniſque debentur.*

Can. 2. Diſcrepat hæc verſio abedit.

QUi ſunt ſuper Diœceſim Epiſcopi, nequaquam ad Eccleſias quæ ſunt extrà præfixos ſibi terminos accedant, nec eas hac præſumptione confundant; ſed juxtà Canones Alexandrinus Antiſtes quæ ſunt in Ægyto regat ſolummodo. Et Orientis Epiſcopi Orientem tantùm gubernent, ſervatis privilegiis quæ Nicænis Canonibus Eccleſiæ Antiochenæ tributa ſont. Aſianæ quoque Diœceſeos Epiſcopi ea ſolùm quæ ſunt in Aſianâ Diœceſi diſpenſent: nec non & Ponti Epiſcopi ea tantùm quæ ſunt in Ponto; & Thraciarum, quæ in Thraciis ſunt gubernent. Non vocati autem Epiſcopi ultrà ſuam Diœceſim non accedant propter ordinationes faciendas, vel propter alias diſpenſationes Eccleſiaſticas. Servata verò quæ ſcripta eſt de gubernationibus regulâ, manifeſtum eſt quòd illa quæ ſunt per unamquamque provinciam ipſius provinciæ Synodus diſpenſet, ſicut Nicæno conſtat decretum eſſe Concilio. Eccleſias autem Dei in Barbaricis gentibus conſtitutas gubernari convenit juxtà conſuetudinem, quæ eſt à Patribus obſervata. Verumtamen Conſtantinopolitanus Epiſcopus habeat honoris primatum poſt Romanum Epiſcopum, propterea quòd urbs ipſa ſit junior Roma.

CAPITUL. CXCIII.

In Concilio Sardicenſi cap. III. *Quòd ſi damnatus appellaverit Romanum Pontificem, ſicut nuper fecit Ignatius Conſtantinopolitanus Epiſcopus injuſtè, ut dicitur, depoſitus, ad obſervandum quod ipſe conſueverit.*

Can. 3. ex interpretat. Dion. Exigui.

OSius Epiſcopus dixit: Illud quoque neceſſariò adjiciendum eſt, ut Epiſcopi de ſuâ provinciâ ad aliam provinciam, in quâ non ſunt Epiſcopi, non tranſeant; niſi fortè à fratribus ſuis invitati, ne videantur januam claudere charitatis. Quòd ſi in aliquâ provinciâ aliquis Epiſcopus contrà fratrem ſuum Epiſcopum litem habuerit, neuter è duobus ex aliâ provinciâ advocet Epiſcopos ad judicium cognitores. Quod ſi aliquis Epiſcopus judicatus fuerit in aliquâ cauſâ, & putat ſe bonam cauſam habere, ut iterum ad judicium Concilium renovetur; ſi vobis placet ſancti Petri Apoſtoli memoriam honoremus, ut ſcribatur vel ab his Epiſcopis qui in propriâ Provinciâ morantur, Julio Romano Epiſcopo: & ſi judicaverit renovandum eſſe judicium, renovetur, & det judices. Si autem probaverit talem cauſam eſſe, ut non refricentur ea quæ acta ſunt, quæ decreverit confirmata erunt. Si hoc omnibus placet, ſtatuatur. Synodus reſpondit: Placet.

Item in eodem Concilio cap IV. *Ut nullus accuſati ſedem uſurpet Epiſcopi, ſicut nuper fecit Photius ſedem Ignatii, Neophytus & invaſor Conſtantinopolitanæ ſedis.* CAPITUL. CXCIV.

GAudentius Epiſcopus dixit: Addendum, ſi placet, huic ſententiæ, quam plenam ſanctitate protuliſtis; ut cum aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit eorum Epiſcoporum judicio qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum ſibi negotium in urbe Româ: alter Epiſcopus in ejus cathedrâ poſt appellationem ejus qui videtur eſſe depoſitus omninò non ordinetur, niſi cauſa fuerit in judicio Epiſcopi Romani determinata. Ibid. Can. 4

Item beatus Papa SILVESTER *in alloquutione Nicæni Concilii fecit gradus in gremio Synodi.* CAPITUL. CXCV.

UT non Presbyter adversùs Epiſcopum, non Diaconus adversùs Presbyterum, non Subdiaconus adversùs Diaconum, non Acolythus adversùs Subdiaconum, non Exorciſta adversùs Acolythum, non Lector adversùs Exorciſtam, non Oſtiarius adversùs Lectorem det accuſationem aliquam: & non damnabitur Epiſcopus Præſul, niſi in ſeptuaginta duo teſtimonia; neque Præſul ſummus à quoquam judicabitur, quoniam ſcriptum eſt: *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum.* Presbyter autem non damnabitur niſi in quadraginta quatuor teſtimonia. Diaconus autem Cardinalis conſtitutus urbis Romæ, niſi in triginta ſex teſtimonia non condemnabitur. Subdiaconus, Acolythus, Exorciſta, Lector, niſi, ſicut ſcriptum eſt, in ſeptem teſtimonia, filios & uxores habentes, & omninò Chriſtum prædicantes. Sic datur myſtica veritas.

In Canonibus Silveſtri cap 3.

Matth. 10. 24

Sanctus GELASIUS Papa Acacium Conſtantinopolitanæ ſedis Epiſcopum auctoritate damnavit Apoſtolicâ, ob maximam videlicet præſumptionem, quia Johannem qualemlibet hominem, Catholicum tamen, à Catholicis ordinatum, de Alexandrinâ civitate, quæ poſt Romanam ſecunda habetur ſedes, excluſerat, Petrumque in hæreſi jam detectum atque damnatum abſque ſedis Apoſtolicæ conſultatione receperat, & quia aliquâ Synodo habitâ hoc audacter arripuerat, ut Kalendionem Antiochenæ ſedis Epiſcopum contrà rationem deponeret, & hæreticum Petrum quem ipſe dudum damnaverat, abſque notitiâ ſedis Apoſtolicæ rurſus admiſerat; Baſiliſco Imperatore hæretico in hac facinoroſâ præſumptione conſentiente. Pro quâ præſumptivâ poteſtate idem Papa Gelaſius ad Anaſtaſium Imperatorem mirabilem direxit epiſtolam, ut indignè uſurpata poteſtas reprimeretur, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſingulare privilegium totius Principatûs illibatè conſervaretur. Hæc autem Epiſtola ita incipit: Famuli veſtræ pietatis, filii nitri, Fauſtus Magiſter & Irenæus, atque eorum comites publicâ legatione fungentes, ad Urbem reverſi, clementiam veſtram quæſiſſe dixerunt; cur ad vos meæ ſalutationis ſcripta non miſerim, & cætera uſque ad finem. Item Gelaſius reddidit rationes egregiè deſcriptas, Acacium à ſede Apoſtolicâ competenter fuiſſe damnatum, quæ rationes tale habent exordium: Valde mirati ſumus, quòd veſtra dilectio quaſi novam & veluti difficilem quæſtionem, & adhuc tamquam inauditum quidpiam noſſe deſiderans, & reliqua uſque ad finem. Rurſus Papa

Ad Anaſtaſ. Imp Epiſt. 8. init.

Ejuſdem Epiſt. 13. ad Epiſcopos Dardaniæ.

Gelaſius

Digitized by Google

Geláſius de eâdem re reddidit rationem ad Epiſcopos Orientis, eoſque admodum reprehendit, quare talibus præſumptionibus non repugnaverint. Hujus itaque rationis initium tale eſt: Quid ergo iſti prudentes viri & argutis mentibus totius religionis interna rimantes, in Orientis partibus conſtituti: &c. uſque ad finem ſermonis. Igitur quicumque hæc omnia per ordinem relegerit, Apoſtolica ſedes quantâ dignitate cunctis per orbem Eccleſiis præpolleat, & poteſtate ſit eminentior, perſpicuè ad plenum cognoſcere poterit.

Ejuſdem Epiſt. 15. Non occurrit hæc Epiſt. inter edit.

CAPITUL. CXCVI.

Item *Commonitorium Sancti* Gelasii *per Fauſtum Magiſtrum legationis officio fungentem Conſtantinopoli directum: quod ſic incipit.*

Epiſtola 4.

EGo quoque mente percepi Græcos in ſuâ obſtinatione manſuros, ne cui velut inſperatum videri poteſt, quod eſt in ante præcognitum. *& cætera uſque ad finem.*

CAPITUL. CXCVII.

In hoc commonitorio inter cætera ſic dicit:

QUòd ſi dicunt: Imperator hoc fecit, hoc ipſum quibus Canonibus, quibus regulis eſt præceptum? Cur huic tam pravo facto conſenſit Acacius, cum auctoritas divina dicat: *Non ſolùm qui faciunt prava reos eſſe, ſed & qui conſentiunt facientibus?* Quibus Canonibus, quibus regulis Kalendion excluſus eſt, vel primi urbium diverſarum Catholici Sacerdotes? Quâ traditione majorum Apoſtolicam Sedem in judicium vocant? An ſecundæ Sedis Antiſtites & tertiæ, cæterique benè ſibi conſcii Sacerdotes depelli debuerunt, & qui exſtitit religionis inimicus, depelli non debuit? Videant ergo ſi alios habent Canones quibus ſuas ineptias exequantur. Cæterum illi qui ſacri, qui Eccleſiaſtici, qui legitimi celebrantur, non ſolum ſedem Apoſtolicam ad judicium vocare non poſſunt: & Conſtantinopolitanæ Epiſcopus civitatis, quæ utique per Canones inter ſedes nullum nomen accepit, in communionem recidens perfidorum, non debuit ſubmoveri? An qui homini mentitus dicitur Imperatori, & qui Imperatorem læſiſſe perhibentur, depelli debuerunt, & in Deum qui ſummus & verus eſt Imperator, Acacium delinquentem, ſinceramque communionem divini ſacramenti ſtudentem miſcere cum perfidis, ſecundùm Synodum quâ hæc eſt damnata perfidia non oportebat excludi? Sed velint nolint, ipſius judicio antiqua Canonum conſtituta firmantur: ſed religioſi viri atque perfecti ſecundùm Canones conceſſam ſedi Apoſtolicæ poteſtatem nimirum conantur eripere, & ſibimet eam contrà canones uſurpare contendunt.

Rom. 1.

CAPITUL. CXCVIII.

Item in Epiſtolâ ad Anaſtaſium Imperatorem, inter cætera ſic dicit:

Epiſt. 8

APoſtolicæ verò ſedis auctoritas, quòd cunctis ſæculis Chriſtianis Eccleſiæ prælata ſit univerſæ, & Canonum ſerie paternorum, & multiplici traditione firmatur, *&c. uſque ad* putas intereſſe.

CAPITUL. CXCIX.

Item in redditis rationibus inter cætera ſic dicit:

Epiſt. 13. ad Dardanos.

NEc planè tacemus quod cuncta per mundum novit Eccleſia; quoniam quorumlibet ſententiis ligatum Pontificem ſedes beati Petri Apoſtoli jus habeat reſolvi, utpote quæ de omni Eccleſiâ fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de quâlibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illâ autem nemo ſit appellare permiſſus. Quapropter ſatis conſtat Acacium nullam habuiſſe Pontificum ſententiam ſedis Apoſtolicæ, ſine ullâ ejus notione ſolvendi: quâ certè Synodo hoc ille præſumſit, quod nec ſic abſque Apoſtolicâ ſede fas quidem haberet efficere? Cujus ſedis Epiſcopus? Cujus eſt Metropolitanæ civitatis Antiſtes? nonne parochiæ Heracleuſis Eccleſiæ? Si illi certè licuit ſine Synodo ſententiam Apoſtolicæ ſedis abrumpere, nullâ ejus conſultatione quæſitâ, itane verò non licuit primæ ſedi Calcedonenſis ſynodi conſtituta, ſicut decuit, exequenti, hujuſmodi prævaricatorem ſuâ auctoritate detrudere? Sed nec illa præterimus, quòd Apoſtolica ſedes frequenter, ut dictum eſt, more majorum, etiam ſine ullâ Synodo præcedente, jus habuit exſolvendi quod Synodus iniqua damnaverat, & damnandi nulla exſiſtente Synodo quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctæ memoriæ quippe Athanaſium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum ſedes Apoſtolica, quia damnationi Græcorum non conſenſit, abſolvit. Sanctæ memoriæ nihilominùs Johannem Conſtantinopolitanum Synodus etiam Catholicorum Præſulum certè damnaverat, quem ſimili modo ſedes Apoſtolica etiam ſola, quia non conſenſit, abſolvit. Itemque ſanctum Flavianum Pontificum Græcorum congregatione damnatum, pari tenore, quoniam ſola ſedes Apoſtolica non conſenſit, abſolvit, potiùſque qui illic receptus fuerat Dioſcorum ſecundæ ſedis Præſulem ſuâ auctoritate damnavit, & impiæ Synodo non conſentiendo ſola ſummovit, & ut Synodus Calcedonenſis fieret, ſola decrevit: (in quâ ſicut ſola jus habuit abſolvendi eos quos Synodica decreta perculerant, ſic etiam ſine Synodo in hac eâdem cauſâ plurimos etiam Metropolitanos damnaſſe cognoſcitur.) Quod ſi quis hæc ab Apoſtolicâ ſede vel ſecundùm Synodum acta reprehendit, præter quod priſcâ rerum probatione convincitur, interim multo magis Acacio non licuiſſe fatebitur.

CAP. CC.

Item idem Gelasius in eiſdem poſt pauca.

Ibid.

RIſimus autem quòd prærogativam volunt Acacio comparari, quia Epiſcopus fuerit regiæ civitatis. Numquid apud Mediolanum, apud Ravennam, apud Sirmium, apud Triberos, multis temporibus non conſtitit Imperator? Numquid nam harum urbium Sacerdotes ultrà menſuram ſibimet antiquitùs deputatam, quidpiam ſuis dignitatibus uſurparunt?

CAP. CCI.

Item idem poſt pauca:

Ibidem.

SI certè de dignitate agitur civitatum, ſecundæ ſedis & tertiæ major eſt dignitas Sacerdotum, quàm ejus civitatis, quæ non ſolùm inter ſedes minimè numeratur, ſed nec inter Metropolitanorum jura cenſetur. Nam quod dicitis regiæ civitatis, alia poteſtas eſt regni ſæcularis, alia Eccleſiaſticarum diſtributio dignitatum. Sicut enim quamvis parva civitas prærogativam præſentis regni non minuit, ſic imperialis præſentia menſuram diſpenſationis religioſæ non mutat. Sit clara urbs illa poteſtate præſentis Imperii, & religio ſub eodem tunc firma, tunc libera, tunc provecta conſiſtit, ſi potiùs hoc præſente propriam teneat ſine ullâ perturbatione menſuram.

CAP. CCII

Item idem in fine rationum:

Ibid.

SIcut per unum ſcribentem eorum omnium vulgata tranſgreſſio eſt, qui in eâdem perfidiæ reciderant actione: ſic in uno eodemque qui pro om-

Hæc in fine Epiſtolæ repetes.

nibus ſcripſerat, vel ſcribendo omnium prodiderat voluntates, tranſgreſſione punitâ cunctorum. Quæ ad inſtructionem veſtræ dilectionis ſatis abundeque ſufficere judicamus, quamvis eadem latius, ſi Dominus conceſſerit facultatem, ſtudeamus exponere; quatenus & fidelium quiſque cognoſcat, nihil Apoſtolicam ſedem, quod abſit, præpropere cenſuiſſe. Quæ tamen ſententia in Acacium deſtinata, & ſi nomine tantummodo Præſulis Apoſtolici, cujus erat utique poteſtatis legitimæ, probatur eſſe deprompta, præcipuè cum ſecretim dirigenda videretur, nec cuſtodiis ubique prætentis y diſpoſitio ſalutaris, quibuſlibet difficultatibus impedita neceſſarium habere non poſſet effectum; tamen quia Orthodoxis ubique dejectis, & hæreticis tantummodo eorumque conſortiibus jam relictis in Oriente, Catholici Pontifices aut reſidui omninò non eſſent, aut nullam gererent libertatem, plurimorum in Italia Catholicorum congregatio Sacerdotum, rationabiliter cognovit in Acacium fuiſſe prolatam: quæ congregatio facta Pontificum non contrà Calcedonenſem, non tamquam nova Synodus contra veterem primamque convenit; ſed potiùs ſecundùm tenorem veteris conſtituti particeps Apoſtolicæ exequutionis effecta eſt; ut ſatis appareat Eccleſiam Catholicam, ſedemque Apoſtolicam, quia alibi jam omninò non poſſet, ubi potuit & cum quibus potuit, nihil penitùs omiſiſſe, quod ad fraternum pertineret pro intemeratâ fide & ſincerâ communione tractatum.

Hoc verò in edit. conjuncta videbis cum verbis: *punita cunctorum*, ſupra.

y

CAP. CCIII. Item in *Epiſtola* Leonis *Papæ ad Martianum Auguſtum, quæ eſt per Lycenium Epiſcopum & Baſilium Diaconum directa, de ambitu Anatolii Epiſcopi Conſtantinopolitani, inter cætera ſic legitur*:

Eſt Epiſt. 6. in Concilii Calched. parte 3.

SCiens glorioſam clementiam veſtram Eccleſiaſticæ ſtudere concordiæ, & his quæ pacificæ congruunt unitati, pulſimum præſtare conſenſum, precor, & ſedulâ ſuggeſtione vos obſecro, ut auſus improbos, unitati Chriſtianæ pacique contrarios, ab omni pietatis veſtræ abdicetis aſſenſu, & fratris mei Anatolii nocituram ipſi, ſi perſtiterit, cupiditatem ſalubriter comprimatis; ne ea quæ veſtræ gloriæ atque temporibus inimica ſunt cupiens, major ſuis velit eſſe prioribus; liberumque illi ſit quantis potuerit ſplendere virtutibus, quarum non aliter particeps erit, niſi charitate magis voluerit ornari, quàm ambitione diſtendi. Hanc autem improbi deſiderii conceptionem, nunquam quidem debuit intrà cordis ſui percipere ſecretum.

CAP. CCIV. Item Leo Papa in eâdem epiſtolâ:

Ibidem

AGite quod & Chriſtianæ eſt probitatis & regiæ, ut prædictus Epiſcopus pareat Patribus, conſulat paci, neque ſibi æſtimet licuiſſe, quòd Antiochenæ Eccleſiæ ſine ullo exemplo, contrà ſtatuta Canonum, Epiſcopos ordinare præſumſit, quod nos amore reparandæ fidei & pacis ſtudio retractare ceſſavimus. Abſtineat ergo ab Eccleſiaſticarum injuriâ regularum, & illicitos declinet exceſſus, ne ſe ab univerſali Eccleſiâ, dum inimica paci tentat, abſcidat. Quem opto magis irreprehenſibiliter agentem diligere, quàm in hac præſumptione, quæ illum ab omnibus ſeparare poterit, perdurare.

CAP. CCV. Item Leo Papa ad Anatolium Epiſcopum inter cætera in aliâ Epiſtolâ ſcribit:

Ibidem Epiſt. 5.

POſt illa itaque ordinationis tuæ non inculpata principia, poſt conſecrationem Antiocheni Epiſcopi, quam tibimet contrà canonicam regulam vindicaſti, doleo in hoc dilectionem tuam eſſe progreſſam, ut ſacratiſſimas Nicænorum Canonum Conſtitutiones conareris infringere, tamquam opportunè ſe tibi hoc tempus obtulerit, quo ſecundi honoris privilegium ſedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Eccleſia proprietatem tertiæ dignitatis amiſerit, ut his locis juri tuo ſubditis, omnes Metropolitani Epiſcopi proprio honore priventur. Quibus inauditis & nunquam ante tentatis ita prævenitis exceſſibus, ut ſanctam Synodum ad extinguendam ſolùm hæreſim, & ad confirmationem fidei Catholicæ ſtudio Chriſtianiſſimi Principis congregatam, in occaſionem ambitûs trahas, & ut conniventiam ſuam tibi dedat impellas; tamquam refutari nequeat, quod illicitè voluerit multitudo, & illa Nicænorum Canonum per ſanctum verè Spiritum ordinata conditio, in aliquâ cuiquam ſit parte ſolubilis. Et nulla ſibimet de multiplicatione congregationis ſynodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo Epiſcopis quantumlibet copioſior numerus Sacerdotum, vel comparare ſe audeat, vel præferre, cum tanto divinitùs privilegio Nicæna ſit Synodus conſecrata, ut ſive per pauciores, ſive per plures Eccleſiaſtica judicia celebrentur, omni penitùs auctoritate ſit vacuum, quidquid ab illorum fuerit conſtitutione diverſum. Nimis ergo hæc improba, nimis prava ſunt, quæ ſacratiſſimis Canonibus inveniuntur eſſe contraria.

Item Leo Papa in eâdem Epiſtolâ poſt pauca: CAP. CCVI.

Ibid

FAteor enim iſtâ me dilectione univerſæ fraternitatis obſtringi, ut nemini prorsùs in his quæ contrà ſe poſuit, aſſentiam, *&c. uſque ad*: univerſalis Eccleſiæ pace privabis.

Item in Concilio Calchedonenſi commemoratur ſic auctoritas primæ ſedis: CAPITUL. CCVII.

Paulo ante finem Act. 5. In Symb. centum quinquaginta Episc. &c. in med Multum diſtat ab edit. verſ.

NOs ergo Scripturarum divinarum atteſtationem evidentius manifeſtantes, propter hos qui ſubſtantiæ ſecretum evertere inſectabantur, dicentes, hominem ſine divinitate fuiſſe creatum, ex venerabili Virgine Maria impudenter & vulgariter, contrà venerabilis quondam Epiſcopi Cyrilli Alexandrinæ Eccleſiæ literas, & totius Orientis congrua ſcripta adversùs Neſtorii amentiam, in quibus manifeſta expreſſio certi atque ſalutaris Symboli deſiderantibus, Epiſtolamque Archiepiſcopi Leonis primæ ſedis, quæ deſtinata & directa videbatur ad venerabilem ſanctæ memoriæ Flavianum, ad intercipiendam Eutychis malignitatem; quamvis ſancti Petri confeſſione nobis concurdante, & una atque ſimilis pagina viſa eſt, adversùs obtrectantium audaciam evidenter edocere convenit integritatem fidei credentibus.

Leo Papa in Epiſtolâ quam ſanctæ Synodo apud Calchedonem direxit, inter cætera ſic ſcribit: CAPITUL. CCVIII.

In Concil. Calched. p. 3. n. ſive Epiſt. 16.

FRatres Cariſſimi, de cuſtodiendis quoque ſanctorum Patrum ſtatutis, quæ Synodi Nicænæ inviolabilibus ſunt fixa decretis, obſervantiam veſtræ ſanctitatis admoneo, ut jura Eccleſiarum ſicut ab illis trecentis octodecim Patribus divinitùs inſpiratis ſunt ordinata permaneant, nihil alienum improbus ambitus concupiſcat, nec per alterius imminutionem ſuum aliquis quærat augmentum

y *cuſtodiis ubique prætentis*] Sic in epiſtolis Gelaſii editis, & quidem rectè: in Æneæ codice *cuſtodia præſentis*, ineptè

Quantumlibet enim exortis aſſentationibus ſe inſtruat vanitatis elatio, & appetitus ſuos Conciliorum æſtimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit, quidquid à prædictorum Patrum Canonibus diſcreparit.

CAPITUL. CCLX.

Lib. 7. Epiſt. 64.

Gregorius Johanni Epiſcopo Syracuſano:

Veniens quidam de Siciliâ dixit mihi, quod aliqui amici ejus, vel Græci vel Latini, neſcio, quaſi ſub zelo ſanctæ Romanæ Eccleſiæ de meis diſputationibus murmurarent dicentes: Quomodo Eccleſiam Conſtantinopolitanam diſponit comprimere, qui ejus conſuetudines per omnia ſequimur? Cui cum dicerem: Quas ſequimur? Reſpondit. Quia *Alleluia* dici ad Miſſas extrà Pentecoſtes tempora feciſtis: quia Subdiaconos ſpoliatos procedere: quia *Kyrie eleiſon* dici; quia orationem Dominicam mox poſt Canonem dici ſtatuiſtis. Cui ego reſpondi: Quia in nullo eorum aliam Eccleſiam ſequuti ſumus. Nam ut *alleluia* hîc diceretur, de Hieroſolymorum Eccleſiâ ex beati Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damaſi Papæ traditur tractum. Et ideo magis in hac re illam conſuetudinem amputavimus, quæ hîc à Græcis fuerat tradita. Subdiaconos autem ſpoliatos ut procedere facerem, antiqua conſuetudo Eccleſiæ fuit. Sed quod placuit cuidam noſtro Pontifici, neſcio cui, eos veſtitos procedere præcepit. Nam veſtræ Eccleſiæ numquid traditionem à Græcis acceperunt? Unde habent ergo hodie, ut Subdiaconi in tunicis procedant, niſi quia hoc à matre ſuâ Romanâ Eccleſiâ perceperunt. *Kyrie eleyſon* autem nos neque dicimus ſicut à Græcis dicitur, quia in Græcis omnes ſimul dicunt, apud nos autem à Clericis dicitur, à populo reſpondetur, & totidem vicibus etiam *Chriſte eleyſon* dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur. In quotidianis autem Miſſis alia quæ dici ſolent tacemus: tantummodò *Kyrie eleyſon* & *Chriſte eleyſon* dicimus, ut in his deprecationis vocibus paulo diutiùs occupemur. Orationem verò Dominicam idcirco mox poſt precem dicimus, quia mos Apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolummodò orationem oblationis hoſtiam conſecrarent. Et valde mihi inconveniens viſum eſt, ut precem quam Scholaſticus compoſuerat ſuper oblationem diceremus, & ipſam traditionem quam Redemptor noſter compoſuit, ſuper ejus corpus & ſanguinem non diceremus. Sed & Dominica oratio apud Græcos ab omni populo dicitur, apud nos verò à ſolo Sacerdote. In quo ergo Græcorum conſuetudines ſequuti ſumus, qui aut veteres noſtras reparavimus, aut novas & utiles conſtituimus; in quibus tamen alios non probamur imitari? Ergo veſtra charitas cum occaſio dederit, ut ad Catanenſem civitatem pergat, vel in Syracuſanâ Eccleſiâ, eos quos credit aut intelligit quia de hac re murmurare potuerunt, facta colloquutione doceat, & quaſi aliâ occaſione eos inſtruere non deſiſtat. Nam de Conſtantinopolitanâ Eccleſiâ quod dicunt, quis eam dubitet ſedi Apoſtolicæ eſſe ſubjectam? Quod & piiſſimus domnus Imperator, & frater noſter ejuſdem civitatis Epiſcopus aſſiduè profitetur. Tamen ſi quid boni vel ipſa vel altera Eccleſia habet, ego & minores meos quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus ſum. Stultus eſt enim qui in eo ſe primum exiſtimat, ut bona quæ viderit diſcere contemnat.

De privilegio principatûs Apoſtolicæ Sedis pauca ex multis & diverſis auctoritatibus Canonum & Romanorum Pontificum collecta ſunt, in quo omnia Concilia ſanctorum Patrum unanimiter concordare videntur, nec in aliquo aberrare dinoſcuntur. Poſtquam enim Conſtantinus Imperator Monarchiam mundani ſæculi tenens, Dei inſpirante clementiâ Chriſtianitatis ſuſcepit ſignaculum, & pro Dei amore & Principis Apoſtolorum honore ſuâ ſponte thronum Romanæ urbis reliquit, dicens non eſſe competendum duos Imperatores in unâ civitate ſimul tractare commune imperium, cum alter foret terræ, alter Eccleſiæ Princeps, tandem ut cunctis legentibus liquet Byzantium adiit, ubi ex ſuo nomine Conſtantinopolim conſtruens, Regiam ſedem fecit. Proficiſcens verò, Romanam ditionem Apoſtolicæ Sedi ſubjugavit, necnon etiam maximam partem diverſarum provinciarum eidem ſubjecit. Denique ſubrogatâ poteſtate, & ſolemniter regiâ auctoritate Romano Pontifici contraditâ, loco ceſſit, & ob capeſſendum cœleſte imperium Deo, ſanctoque Petro honorem regni in poſterum ampliandum reliquit. Itaque ſingulare privilegium & mirabile teſtamentum toto tunc orbe vulgatum Apoſtolicæ Sedi conſcribi juſſit, eidemque obſequendum diverſa regnorum prædia perpetualiter delegavit, ſacraſque leges in diverſis ordinibus & cultibus, ac Eccleſiaſticorum indumentorum ornatibus innumerabilia ſuperaddens donaria, nobiliſſimè ac ſplendidè augmentavit, in quibus etiam inter alia ſpecialiter continere voluit, ut apicem omnis principatûs Romanus Papa ſuper omnem Eccleſiam ejuſque Pontifices perenniter velut jure regio retineret. Hæc & alia quam plurima, & ad computandum copioſiſſima, in eodem releguntur privilegio, cujus exemplaribus Eccleſiarum in Galliâ conſiſtentium armaria ex integro potiuntur.

Iſta cum ita ſint, oppidò mirandum, quare Conſtantinopolitani Præſules ab initio non ſua uſurpare audeant, præſertim cum in nullo Conciliorum eadem urbs inter principales connumeretur Sedes, Conſtantinopolitano excepto, cui regius ejuſdem civitatis ſemper arriſit favor. Repugnante ergo totius æquitatis ratione, huic ſtolidæ præſumptioni vires tantum conanti latenter innuens, conſentanea Regum voluntas indebitè ſubminiſtrat, ex quo inibi imperium ſtatuit habere caput. Plerique ſiquidem hoc faſtigium Apoſtolicæ dignitati debitum Conſtantinopolitani appetentes, toties ignominioſè cum dedecore ſunt devicti, quoties tumore extollentiæ inflati id agere adorſi. Nam relegatur Epiſtola beati Gregorii Papæ ad Johannem Conſtantinopolitanum Antiſtitem, pro ſatis irridendo ambitu, qui ſe in Synodo ubi ipſe præſidebat univerſalem Papam appellari & conſcribi fecit, ibique qui legerit clariùs perſpicere poterit, cum quantâ ſeveritate eum Apoſtolica auctoritas protervum comprobans in tantum condemnaverit, ut eumdem Apoſtatæ Angelo æquiparans infeliciter compararet, qui per ſuperbiam latera diſtendens, ſic fœtido eructavit anhelitu: *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra cœli exaltabo ſolium meum; ſedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo.* Cujus etiam tumor per omnem epiſtolam boneſtiſſimè texitur, & niſi ab illicitis reſipiſceret, eumdem damnationi ſubmittere promittit. Proinde etiam Conſtantinæ Auguſtæ epiſtolam dirigit, ut in talibus tam ipſa quàm Imperator nunquam aſſenſum præbeant, ne forte aliquis inſidorum beati Petri privilegia infringere quoquomodo pertentet. Si harum plenitudo epiſtolarum revolvatur, melius ſollicitè addiſcentes ſatis abundeque perdocere quibit. Etenim in deſcriptionibus Romanorum Pontificum, hæc eadem præſumptio crebriùs ac diſtrictiùs coërcita reperitur.

Lib. 4. Epiſt. 38.

Iſai. 14. 6.

In lib. 4 epiſt. 34 & ad Mauric. Auguſt. epiſt. 31. ibid.

Igitur quòd Ignatius Conſtantinopolitanæ Sedis Epiſcopus nuper Apoſtolicam Sedem juxtà ſta-

Cauſa ſchiſmatis Græ-

corum hac tempeſtate exorti.

tuta Patrum canonicè reclamans, indignè dicitur damnatus; & PHOTIUS Neophytus in loco ejus contrà regulam Eccleſiaſticam conſtitutus, non Epiſcopus dicendus, ſed potiùs invaſor, à conjugio illicò ſolutus & tonſoratus, quantum à ratione aberrat, apertè cognoſcere valet, qui ſynodalium definitionum inſcitiâ caret. Pro ſimili invaſione olim miſerabilis diſpendii exitium paſſa eſt Romana Eccleſia, veluti ſub temporibus VIGILII Pontificis contigit, qui SILVERII venerabilis Papæ ſedem ipſo adhuc vivente & exilio deportato turpiſſimè vi arripuit; necnon etiam ſub beato STEPHANO Papa, à ſancto Petro nonageſimo ſexto evenit, quando Dux quidam vocabulo TOTO fratrem ſuum CONSTANTINUM ſubitò tonſorari fecit, & aliâ die contrà ſtatuta Canonum idem in Diaconum conſecratus, & proximiori Dominicâ non dignè Pontifex acclamatus, ſed potiùs invaſor Apoſtolicæ Sedis judicandus, Romanam Eccleſiam diſcordiæ cladibus & cruentis homicidiis fœdavit: qui ob tantæ cupiditatis voraginem ad hoc uſque pervenit, ut ex ſede arreptâ turpiſſimè dejiceretur, & carcere recluſus, tandem à filiis nequitiæ oculorum lumine privaretur. Iſta itaque cum natio Græcorum cognoverit, aut forte ſi non ante, vel nunc diſcere poterit, inſtantiùs ſtupendum, cur Neophytum extemplo uxoriâ copulâ ſolutum ſine aliquo intervallo & probatione temporum in ſedem falsò damnati Ignatii ſubrogaverit. Vix à muliebri amplexu avulſus, & à pollutione corporeâ needum perfectè mundatus, etiam in Pontificem totius munditiæ erigitur & veneratur ſublimatus. His & aliis tempeſtatum procellis ſancta centupliciter concuſſa Eccleſia horret tam nefandiſſima, non ſolùm opere perfecta, verumetiam voto peragendi cogitatu concepta. Hæc de privilegio Apoſtolici primatûs breviter perſtricta ſufficiant.

CAPITUL. CCX.

De hoc quod quæritur quare apud Romanos plerumque Diaconus Cardinalis quodam ſaltu, non percepta presbyterali benedictione, in Epiſcopum ſubitò conſecretur.

DE hoc autem quod quæritur, quare apud Romam plerumque Diaconus quodam ſaltu non perceptâ presbyterali benedictione in Epiſcopum ſubitò conſecretur, dicendum ſimplicitatis affectu, quia deperit rationalis reſponſio hujuſcemodi adſtipulationibus ſubnixa, cum illa quæ ignorat depromere ſermo verſutus pudicè refugiat, maximè ſi in propatulo lingua diſtendatur eloquio, & nequaquam fulciri poſſit ſanctarum Scripturarum auxilio. Vultu tamen ſuppreſſo ſub arbitrio intellectûs verecundè cedendum, quò forte illi qui iſtiuſce ordinationi aſſentiunt, hoc intelligi velint, quia qui benedictione pontificali perfungitur, reliquarum benedictionum honore decoretur, ſive quia in conſecratione corporis Chriſti & ſanguinis officium Præſulis ac Presbyteri myſticè uniatur. Sicut enim in terrarum Rege diverſæ dignitates adſcribuntur: nam Imperatores ex Conſulibus creati, propter regale commercium quondam non omittebant, nec mutabant Conſulis & Patricii nomen: ita credi poteſt quòd in ſublimitate majoris Pontificis conſiſtat etiam honor minoris Sacerdotis. Forſitan autem illi qui de Diacono ordinant Epiſcopum, prætermiſſâ benedictione presbyterali, aſſertioni B. Hieronymi in epiſtolâ loquentis ad Titum ex parte concredere videntur, qui officium Presbyteri in aliquo comparticipari aſſirmat miniſterio epiſcopali. Sed ne forte aliquantula in nobis excitetur motio majorum Dominorum, noſtram omittentes in hujus negotii quantitate diffinitionem, ipſius ſancti Hieronymi verba ſine noſtrorum intermixtione verborum fideliter ponamus. Sunt enim talia in ſupradictâ epiſtolâ, ubi hanc eleganter exponit ſententiam. *Et conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut ego tibi diſpoſui.* Audiant Epiſcopi qui habent conſtituendi Presbyteros per urbes ſingulas poteſtatem, ſub quali lege Eccleſiaſticæ conſtitutionis ordo teneatur: nec putent Apoſtoli verba eſſe, ſed Chriſti qui ad diſcipulos ait: *Qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit. Sic & qui vos audit, me audit. Qui autem me audit, audit eum qui me miſit.* Ex quo manifeſtum eſt eos qui Apoſtoli lege contemptâ, Eccleſiaſticum gradum non merito voluerint alicui deferre, ſed gratiâ, contrà Chriſtum facere, qui qualis in Eccleſiâ Presbyter conſtituendus ſit per Apoſtolum ſuum in ſequentibus exequutus eſt. Moyſes amicus Dei, cui facie ad faciem Deus loquutus eſt, potuit utique ſucceſſores principatûs filios ſuos facere, & poſteris propriam relinquere dignitatem; ſed extraneus de alia Tribu eligitur Jeſus, ut ſciremus principatum in populos non ſanguini deferendum eſſe, ſed vitæ. At nunc cernimus plurimos honorem beneficium facere, ut non quærant eos qui poſſunt Eccleſiæ plus prodeſſe & Eccleſiæ erigere columnas; ſed quos vel ipſi amant, vel quorum ſunt obſequiis deliniti, vel pro quibus majorum quiſpiam rogaverit, & ut deteriora taceam, qui ut Clerici fierent, muneribus impetrarunt. Diligenter Apoſtoli attendamus verba dicentis: *Ut conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut ego tibi diſpoſui.* Qui qualis Presbyter debeat ordinari, in conſequentibus diſſerens, hoc eſt, *Si quis eſt ſine crimine, unius uxoris vir, &c.* Poſtea intulit: *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, tamquam Dei diſpenſatorem.* Idem eſt ergo Presbyter qui Epiſcopus, & antequam Diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent, & diceretur in populis: *Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ:* communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquàm verò unuſquiſque eos quos baptizaverat putabat ſuos, non Chriſti, in toto orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis cura Eccleſiæ pertineret, & ſchiſmatum ſemina tollerentur. Putat aliquis non Scripturarum, ſed noſtram eſſe ſententiam, Epiſcopum & Presbyterum unum eſſe, & aliud ætatis, aliud eſſe nomen officii? Relegat Apoſtoli ad Philippenſes verba dicentis: *Paulus & Timotheus ſervi Chriſti* JESU, *omnibus Sanctis in Chriſto* JESU *qui ſunt Philippis cum Epiſcopis & Diaconis, gratia vobis & pax.* Et reliqua. Philippi una eſt urbs Macedoniæ, & certè in unâ civitate plures, ut nuncupantur Epiſcopi eſſe non poterant. Sed quia eoſdem Epiſcopos illo in tempore quos Presbyteros appellabant, propterea indifferenter de Epiſcopis quaſi Presbyteris eſt loquutus. Adhuc alicui hoc videatur ambiguum, niſi altero teſtimonio comprobetur. In Actibus Apoſtolorum ſcriptum eſt, quòd cum veniſſet Apoſtolus Paulus Miletum, miſerit Epheſum, & vocaverit Presbyteros ejuſdem Eccleſiæ, quibus poſtea inter cætera ſit loquutus: *Attendite vobis, & omni gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos paſcere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.* Et hic diligentiùs obſervate, quomodo unius civitatis Epheſi Presbyteros vocans, poſtea eoſdem Epiſcopos dixerit. Si quis vult recipere epiſtolam, quæ ſub nomine Pauli ad Hebræos ſcripta eſt, & ibi æqualiter inter plures Eccleſiæ cura dividitur. Siquidem ad plebem ſcribit: *Parete Principibus veſtris & ſubjecti eſtote: ipſi enim ſunt qui vigilant pro animabus veſtris, quaſi rationem reddentes, & ne ſuſ-*

S. Hieronymus lib. 1. in Epiſt ad Tit. cap. 1. 5.

Luc. 10.

Tit. 1. 5.

Ibid. 6.

1. *Cor.* 12.

Philip. 1. 1.

Act. 20. 17.

Ibid. 28.

Hebr. 13. 17.

ſpirantes hoc faciant : ſiquidem hoc utile vobis eſt. Et Petrus qui ex fidei firmitate accepit nomen, in
1. Pet. 5. 1. epiſtolâ ſuâ loquitur dicens : *Preſbyteros ergo in vobis obſecro, Compreſbyter, & teſtis Chriſti paſſionum, qui & ejus gloriæ, quæ in futurum revelanda eſt, ſocius ſum : Paſcite eum qui in vobis eſt gregem Domini, non quaſi cum neceſſitate, ſed voluntariè.* Hæc propterea, ut oſtenderemus apud veteres eoſdem fuiſſe Preſbyteros quos Epiſcopos : paulatim verò ut diſſenſionum plantaria evellerentur, ad unum omnem ſollicitudinem eſſe delatam. Sicut ergo Preſbyteri ſciunt ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei qui ſibi præpoſitus fuerit eſſe ſubjectos ; ita Epiſcopi noverint ſe magis conſuetudine quàm diſpoſitionis Dominicæ veritate Presbyteris eſſe majores, & in commune debere Eccleſiam regere, imitantes Moyſen, qui cum haberet in pôteſtate ſolus præeſſe populo Iſrael, ſeptuaginta elegit cum qoibus populum judicaret. Videamus igitur qualis Preſbyter ſi-
Tit. 1. 6. ve Epiſcopus ordinandus ſit. *Si quis eſt ſine crimine, unius uxoris vir, filios habens fideles ; non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos. Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, tamquam Dei diſpenſatorem.* Et reliqua.

Si autem controverſiæ fortunâ iſtæ alicui diſplicuerint, non ſupercilium tumoris Chriſti imputetur vernaculis, quia non evidentior in præfata propoſitione potuit inveniri reſponſio rationalis, quæ videlicet præſtantior eſſet auctoritate docentis.

RESPONSIO CUJUSDAM[a]

a

De Corpore & Sanguine Domini.

Anno circ. 830.
1. Cor. 2. 14. INtuentes ſententiam Apoſtoli, quâ dicitur ; *Quia animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritûs Dei*, hæſitavimus vehementer ne minùs ſpiritaliter viventes cum de ſpiritalibus reſponſa paramus, qualia forte necdum percepimus, in lapidem offenſionis & petram ſcandali incidamus. Sed iterum cum aſpe-
Pſal. 80. 11. ctus internorum ad eum dirigimus, qui ait : *Aperi os tuum, & ego implebo illud :* fidei[b] integritate manente provocamur reſpondere, de quo dignum eſt non tacere, videlicet de myſterio Corporis & Sanguinis Domini, quod cum in panis fractione & calicis hauſtu accipimus, quo ordine trajectum in nobis naturali & corporeâ conditione ſervetur.

In cujus reſponſionis initio, hoc potiſſimom prædicare oportet, ut ſicut omnia in Chriſto vera credimus, veram videlicet divinitatem & veram humanitatem, verum Verbum & veram carnem, verum Deum & verum hominem : ita in myſterio Corporis & Sanguinis ejus, quod virtute cœleſtis benedictionis & Verbi divini in id quod non erat conſecratur, nihil falſum, nihil frivolum, nihil infidum
Joan. 53. 55. &c. ſentiamus. Nam de hoc ipſe Salvator ait : *Amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Hæc eſt commendatio & qualitas tanti cibi, quo paſcitur

b

Prov. 9. 2. 5. fidei[b] integritas & reficitur anima. Ad has nos dapes ſapientia per Salomonem invitat, dicens : *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis.* Sed hæc Sacramenta dum Judæis à Domino committuntur, non recipiuntur : quia clauſis perfidiæ januis veritatem intrare non ſinentes, pro ſpiritalibus carnalia, pro innocentiſſimis cruenta intelligere maluerunt. Illis ergo ſolummodo verbis tanta myſteria, diſcipulis autem & in eis Eccleſiæ ſuæ Do-
minus ipsâ re veritateque contradidit : *Qui pridie* Matt. 26. 26.
quam pateretur accepit panem, & benedixit ac fre- Marc. 14. 22. 23.
git, deditque illis dicens : Accipite & comedite, hoc Luc. 22. 19.
eſt corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, 1. Cor. 11. 24.
& dedit illis dicens : Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus novi Teſtamenti. Diverſo enim hæc aguntur modo, dum Judæis, ſi non manducaverint & biberint, comminatur : diſcipulis autem ut manducent & bibant præcipitur. Sed licet modus traditionis fuerit diverſus, unum idemque eſt myſterium, quod Judæis ac diſcipulis committitur fide ſumendum, fideque ſervandum.

Hæc tantùm Eccleſia Catholica novit, quæ ſola hæc myſteria ſuſcipit, Incarnationis Verbi divini myſterium tractans, & ſocietate paſſionis communicans. Hæc benedictione divinâ conſecrantur, & virtute inviſibili in id quod non fuerant, convertuntur : ut olim Chriſto aquam in vinum convertente, & mare ſuis greſſibus ſolidum reddente, quod quia ſpiritaliter fit, non niſi fide cognoſcitur. Spiritalis igitur alimoniæ Sacramentum, quia nonniſi ſpiritu ſumitur, ſumma ejus ad interiorem hominem refertur, qui nequaquam digerit quod ſumit. Si autem de exteriori dicimus cibo & homine, liquet illa Do-
mini ſententia quâ dicitur : *Quia omne quod in os* Matt. 15. 17.
intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur. Ubi enim omne dicitur, nihil excipitur ; ſi verò à nobis hæc Sacramenta non excipiuntur à communibus cibis, timenda illa eſt ſententia Apoſtoli, quâ
dicit : *Qui autem manducaverit panem & biberit ca-* 1. Cor. 11. 29.
licem Domini indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini ; hoc eſt non diſcernens à cæteris eſcis illam quæ tantæ excellentiæ effecta eſt, ut corpus Domini dicatur. Sed cum utrumque humiliter ſuſcipimus, & venerabiliter tractare quærimus, ad Domini nos benignam manſuetudinem convertimus, ut hæc qualiter ſint, cognoſcere valeamus. Scimus enim hoc Sacramentum myſterio & reverentiâ omnimodis ſecernendum à communibus eſcis, quæ naturali uſu ſumuntur : ſed tamen eodem modo, quantum ad comeſtionem & hauſtum pertinet, percipiuntur ; videlicet trajiciendo per os, & in ventrem mittendo, ubi quid Domious de myſterio ſuo agere voluerit, ſuæ ſcimus tantùm cognoſcere eſſe voluntati. Scimus enim conſumi poſſe ſpiritali virtute, ſcimus & ſervari poſſe inconſumptibili perennitate, quia quæque ex his Chriſtus elegerit de ſuo Sacramento perficit, de quo ſi multa dicere quærimus, timendum eſt ne pro lacte butyrum, aut ſanguinem ab uberibus eliciamus. Abſit tamen ut tantum myſterium ſeceſſui fiat obnoxium, in quo ſi fortè ordo naturæ ſervatur, myſterium quod ſolâ fide conſpicitur, humilietur. Si corpus in corpore ordinem ſervat, non violatur myſterium, quod divinitatis firmavit Sacramentum, nec ſpiritus amittit quod fide integrâ in re corporali ſpiritaliter ſumſit.

Abſit etiam quòd dicamus corpus Chriſti putrefieri poſſe, aut quocumque igne caloris abſumi, ſi forte per negligentiam perit, aut oblivione amiſſus, aut incuriâ expoſitus ; nequaquam credendum eſt

a *Reſponſio cujuſdam*] Amalarii, ait Baluzius in margine. Quod quâ ratione deprehenderit, haud equidem novi, niſi quod hujus opuſculi ſtilus aliorum Amalarii librorum ſtilo ſimillimus eſt. Florebat ille ſcriptor circà annum 830. Monet Acherius Reponſionem hanc repertam eſſe in mſ. cod. Gemblacenſi, ejuſque meminiſſe Anonymum apud Cellotium.

b *quo paſcitur fides*] Ita emendavimus, cum antea legeretur, *paſcitur*. Suprà pro *fieri*, edi curavimus *fidei*.

benedictione virtutis id in ſe pati poſſe, quam conſtat ſpiritaliter infuſam fuiſſe. Ergo ſi in pane iſto quod natura firmavit, quæcumque corruptio corporalis extrà hominem prævalet, corporali neceſſitate cogente, quid in corpore corpus agat adverti poteſt ſalvo & ſolido ſpiritali Sacramento, quod panis natura non firmavit, ſed cœleſtis benedictio effecit. Novit enim in hoc Sacramento vis divinæ virtutis, quid naturæ reſervaverit, quid benedictione effecerit, cujus juris eſt quod condidit poſſe efficere quod voluerit, & idipſum quod natura firmavit in id mutare quod conſecratio infudit, mutatumque ordinem ſibi ſoli notiſſimum, & in corpore & extrà corpus conſervare, ſive particulariter receptâ naturâ, virtutem, ſive generaliter cum virtute Sacramenti naturam.

Hucuſque reſponſione noſtrâ progreſſi ſumus, quia hucuſque Domino ducente potuimus. Si verò adhuc ad ſatisfactionem aliquid ſupereſt, mox ut Dominus voluerit, & per quemcumque elegerit, tibi ſatisfacturus erit.

ADREVALDUS

De Corpore & Sanguine Chriſti,

Contrà ineptias Johannis Scoti.

a ANNO CIRC. 870. *Ex memb. Abb. S Benedicti Floriac.* *Matt. 26, 26,*

BEatus [a] Hieronymus in commentario Matthæi Evangeliſtæ cum myſteria Dominici Corporis exponeret, taliter intulit: *Cœnantibus autem, &c.* poſtquàm typicum Paſcha fuerat impletum, & Agni carnes cum Apoſtolis comederat, aſſumit panem qui confortabat cor hominis, & ad verum Paſchæ tranſgreditur Sacramentum; ut quomodo in præfigurationem ejus Melchiſedech ſummi Dei ſacerdos panem & vinum offerens fecerat, ipſe quoque in veritate ſui corporis & ſanguinis repræſentaret.

Ibid. 29. Item ad Edibiam, quid ſit in Matthæo ſcriptum: *Dico vobis non bibam amodo de hoc genimine vitis.* Nos audiamus panem quem fregit Dominus deditq; diſcipulis, eſſe corpus Domini Salvatoris, ipſo dicente ad eos: *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum*; Et calicem illum eſſe, de quo iterum loquutos eſt: *Bibite ex hoc omnes; hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Iſte eſt calix de quo in Propheta legimus: *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo:* Et alibi: *Calix tuus inebrians quam præclarus eſt.* Si enim panis qui de cœlo deſcendit, Corpus eſt Domini, & vinum quod diſcipulis dedit, ſanguis illius eſt novi Teſtamenti, qui pro multis effuſus eſt in remiſſionem peccatorum, Judaïcas fabulas repellamus, & aſcendamus cum Domino cœnaculum magnum, ſtratum, atque mundatum, & accipiamus ab eo ſurſùm calicem novi Teſtamenti, ibique cum eo Paſcha celebrantes, inebriemur vino ſobrietatis. *Non eſt enim regnum Dei cibus & potus, ſed juſtitia & gaudium, & pax in Spiritu ſancto:* nec Moſes dedit nobis panem verum, ſed Dominus Jesus, ipſe conviva & convivium, ipſe comedens & qui comeditur; illius bibimus ſanguinem, & ſine ipſo potare non poſſumus, & quotidie in ſacrificiis ejus de genimine vitis veræ, & vineæ Sorech, quæ interpretatur electa, rubentia muſta calcamus, & novum ex his vinum bibimus in regno Patris, nequaquam in vetuſtate litteræ, ſed in novitate ſpiritûs cantantes canticum novum, quod nemo poteſt canere, niſi in regno Eccleſiæ, quæ regnum Patris eſt.

Pſal. 115. 4. *Ibid. 22, 5.* *Rom. 14. 17.*

In expoſitione autem Epiſt. ad Epheſ. in eo loco ubi ſententiam Apoſtoli exponit: *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ipſius*, ita dicit: Dupliciter ſanguis Chriſti & caro intelligitur, vel ſpiritalis illa atque divina, de quâ ipſe dicit: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Et, *Niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis ſanguinem meum, non habebitis vitam æternam:* vel caro & ſanguis quæ crucifixa eſt, & qui militis effuſus eſt lanceâ. Juxtà hanc diviſionem & in ſanctis ejus diverſitas ſanguinis & carnis accipitur; ut alia ſit caro quæ viſura eſt ſalutare Dei, alia caro & ſanguis quæ regnum Dei nequeant poſſidere. *Epheſ. 1. 7.* *Joan. 6. 56.* *Ibid. 54.*

Idem quod in tractatu Iſaiæ Prophetæ, ubi dicitur: *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum?* Et poſt pauca: *Quis enim quæſivit hæc de manibus veſtris?* ait: Audiant Ebionitæ, qui poſt paſſionem Chriſti abolitam legem putant eſſe ſervandam. Audiant Ebionitarum ſocii, qui Judæis tantùm & de ſtirpe Iſraëlitici generis hæc cuſtodienda decernunt. Hoſtiæ ergo & victimarum immolationes non principaliter à Deo quæſita ſunt, ſed ne idolis fierent, & ut de carnalibus victimis quaſi per typum & imaginem ad ſpiritales hoſtias tranſiremus. Dicendo autem ſe hoſtias non quæſiſſe, oſtendit quia lex ſpiritalis ſit, omniaque quæ Judæi carnaliter faciunt, à nobis ſpiritaliter impleri. *Iſai. 1. 11.*

At verò in explanatione Malachiæ Prophetæ, eo capitulo, quo dicitur: *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum.* Et paulo poſt: *In omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Poſt multa, ita dicitur: Quidam putant hoc quod ad Judæos dicitur ſpecialiter, eo quod victimæ eorum immundæ ſint atque pollutæ, & ſacrificium transferatur ad gentes, intelligi debere ſuper Eccleſiæ ſacerdotibus, qui negligenter offerunt victimas Domino. Quod ſi recipimus, ergo ab Eccleſiâ ad aliam rurſum religionem victimæ transferendæ ſunt; & quomodo legi Evangelium, ſic rurſum Evangelio ea quæ non ſunt futura, ſuccedent. *Malach. 1. 10*

Sanctus Auguſtinus in expoſitione Evangelii Johannis, in eodem loco ubi dicitur: *Ego ſum panis vivus qui de cœlo deſcendi.* Ita ſentit: Et unde, inquiens, illi ſuperbierant, ſubjicit dicens. *Patres veſtri manducaverunt manna, & mortui ſunt:* quid eſt unde ſuperbitis? manducaverunt & mortui ſunt. Quare manducaverunt & mortui ſunt? quia quod videbant credebant, & quod non videbant, non intelligebant. Et poſt paululum: Manducaverunt, inquit, manna Moſes, manducaverunt & alii ſancti, & mortui non ſunt morte ſpiritali, quare? quia viſibilem cibum ſpiritaliter intellexerunt, &c. ut ſpiritaliter ſatiarentur. Nam & nos hodie accipimus viſibilem cibum, ſed aliud eſt Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Quàm multi accipiunt de altare & moriuntur, & accipiendo moriuntur! Unde dicit Apoſtolus: *Judicium ſibi manducat & bibit.* Nonne buccella Dominica venenum fuit Judæ? & tamen accipit, & cum accepit, in eum inimicus intravit; non quia malum accepit, ſed quia bonum malus accepit. Videte ergo, Fratres, panem cœleſtem ſpiritaliter manducate. Et poſt multa: *Hic eſt ergo panis qui de cœlo deſcendit, ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur*; ſed quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad viſibile Sacramentum, qui manducat intùs, non foris, qui manducat in corde, non qui premit dente. *Ego ſum* *Joan. 6. 51.* *Ibid. 49.* *1. Cor. 11. 27.* *Joan. 6. 50.* *Ibid. 51.*

a *Beatus*] Hoc opuſculum Acherius monet à ſe repertum eſſe in membranis Floriacenſibus, quod quidem totum conſtat è ſententiis Patrum ab Adrevaldo conſarcinatis.

panis vivus qui de cœlo deſcendi; ideo vivus, quia de cœlo deſcendit, & manna, ſed manna umbra erat, iſte veritas eſt.

Joan. 6. 52.

Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et panis quem ego dabo pro mundi vitâ, caro mea eſt. Hoc quando caperet caro, quod dixit panem carnem? * Vocatur caro, quod non capit caro; & ideo magis non capit caro, quia vocatur caro: hoc enim exhorruerunt, hoc ad ſe multum eſſe dixerunt, hoc enim fieri non poſſe putaverunt. Caro mea eſt, inquit, pro mundi vitâ.

Item in poſitionem buccellæ quam Judas accepit, poſt multa ita dicit: Recordamini unde ſit ſcriptum:

1. Cor. 11. 27.

Quicumque manducaverit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Et de his erat ſermo, cum hoc Apoſtolus diceret, qui Domini corpus velut quemlibet alium cibum indiſcretè, negligenterque ſumebant. Hic ergo ſi corripitur qui non dijudicat, hoc eſt, non diſcernit à cæteris cibis Dominicum corpus; qui ad Dei menſam fingens amicum, accedit inimicus.... ſi reprehenſione tangitur negligentia convivantis, quâ pœnâ percutitur venditor unitatis? Quid autem erat panis traditori datus, niſi demonſtratio cui gratiæ fuiſſet ingratus. Intravit ergo poſt hunc panem ſatanas in Domini traditorem, ut ſibi jam traditum plenus poſſideret, in quem priùs intraverat ut deciperet; neque enim cum illo erat quando ad Judæos perrexit, & de pretio tradendi Domini pactus eſt; cum apertiſſimè Lucas Evangeliſta teſtatur, & dicat:

Luc. 22. 3.

Intravit autem Satanas in Judam, qui cognominatur Iſcarioth, unum de duodecim; & abiit, & loquutus eſt cum Principibus Sacerdotum. Ecce ubi oſtenditur, quod jam intraverat Satanas in Judam; priùs ergo intraverat immittendo in cor ejus cogitationem quo traderet Chriſtum: talis enim jam venerat ad cœnandum. Nunc autem poſt panem intravit in eum, non adhuc ut alienum tentaret, ſed ut proprium poſſideret. Non autem ut putant quidam negligenter legentes, tunc Judas Chriſti corpus accepit; intelligendum eſt enim quòd jam omnibus eis diſtribuerat Dominus Sacramentum Corporis & Sanguinis ſui, ubi & ipſe Judas erat, ut ſanctus Lucas narrat. Ac deinde ad hoc ventum eſt ubi ſecundùm narrationem Johannis apertiſſimè per buccellam tinctam atque porrectam, ſuum exprimit traditorem.

Homiliam quoque de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini diebus reſurrectionis parvam peregit his verbis: hoc quod videtis in altare Dei, etiam tranſactâ nocte vidiſtis; ſed quid eſſet, quàm magnæ rei Sacramentum contineret nondum audiſtis, ad hoc videtis, panis eſt & calix, quod vobis etiam oculi veſtri renuntiant: quod autem fides veſtra poſtulat inſtruenda, panis eſt corpus Chriſti, calix eſt Sanguinis Chriſti. In quæſtionibus etiam ſuis quas de veteri & novo Teſtamento compoſuit, ubi de Paſcha veteri ſermonem agit, ita de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini ait: Purgatis enim ſolis, & lavacro indulgentiæ cœleſtis expiatis percipiendi Chriſti corporis ſacra [*tibi] facultas porrigitur; ita quæ figurata Iſraëlitis fuerant, in nobis corroborata ſunt, & quæ in illis imagines, in nobis ipſæ ſunt veritates: imitabantur illi facere Paſcha dum in ſimilitudinibus exercerentur, ſolis diſcipulis Chriſti verum Paſcha facturis. Sed & Pſal. 39. in eo verſiculo cum dicitur: *Sacrificium & oblationem noluiſti*: optimè & lucidè qualiter corpus Dominicum ſit accipiendum declarat, ita inquiens: Cum datum eſt quod promiſſum eſt, ablata ſunt* verba promiſſiva, data ſunt completiva. Sacrificia ergo illa tamquam verba promiſſiva ablata ſunt. Quid eſt quod datum eſt completivum? Corpus quod noſtis, quod non omnes noſtis, quod utinam qui noſtis omnes non ad judicium noveritis. Et poſt pauca: Quid ergo? Nos jam hoc tempore ſine ſacrificio dimiſſi ſumus? Abſit. *Corpus autem perfeciſti mihi*, ideo illa noluiſti ut hoc perficeres, illa voluiſti antequàm hoc perficeres. Perfectio promiſſorum abſtulit verba promittentia; nam ſi adhuc ſunt promittentia, nondum impletum eſt quod promiſſum eſt. Hoc promittebatur quibuſdam ſignis: ablata ſunt ſigna promittentia, quia exhibita eſt veritas promiſſa. In hoc corpore ſumus, hujus corporis participes ſumus; quod accipimus novimus, & qui non noſtis, noveritis, & cum didiceritis, utinam non ad judicium accipiatis.

1. Cor. 11. 29.

Qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit. Perfectum eſt nobis corpus, perficiamur in corpore. Et longè poſt: Judæi in umbrâ remanſerunt, ſolem gloriæ ferre non poſſunt, jam nos in luce ſumus, tenemus corpus Chriſti, tenemus Sanguinem Chriſti.

Homil. 22. in Evang.

Porro S. Gregorius in homiliis ſuis exponens ſententias Exodi de ſanguine Agni, poſte ac ſuperliminaribus ſic dicit. Quid namque ſit ſanguis Agni non jam audiendo, ſed bibendo didiciſtis, qui ſanguis ſuper utrumque poſtem ponitur, quando non ſolùm ore corporis, ſed etiam ore cordis hauritur; in utroque etenim poſte Agni ſanguis eſt poſitus, quando Sacramentum paſſionis illius cum ore ad redemptionem ſumitur, ad imitationem quoque intentâ mente cogitatur. Nam qui ſic Redemptoris ſui ſanguinem accipit, ut imitari paſſionem illius necdum velit, in uno poſte ſanguinem ponit. Necnon dialog. lib. de virtute ac myſterio victimæ ſalutaris dicit: Inter hæc autem penſandum eſt quòd tutior via ſit, ut bonum quod quiſque poſt mortem ſuam ſperat agi per alios, agat dum vivit ipſe per ſe: beatius quippe eſt liberum exire, quàm poſt vincula libertatem quærere.

*S. Gregor. dialog. *l. 4. cap. 58.*

Debemus itaque præſens ſæculum, vel quia jam conſpicimus defluxiſſe, totâ mente contemnere, quotidiana Deo lacrymarum ſacrificia, quotidianas carnis ejus hoſtias immolare. Hæc namque ſingulariter victima ab æterno interitu animam quæ iniam.... nobis mortem congenitam per myſterium reparat; qui licet reſurgens a mortuis jam non moritur, & mors ei ultrà non dominabitur; tamen in ſeipſo immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc myſterio ſacræ oblationis immolatur. Ejus quippe ibi corpus ſumitur, ejus caro in populi ſalutem partitur, ejus ſanguis non jam in manus infidelium, ſed in ora fidelium funditur. Hinc ergo penſemus quale ſit pro nobis hoc ſacrificium, quod pro abſolutione noſtrâ paſſionem unigeniti Filii ſemper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium poſſit, in ipsâ immolationis horâ ad ſacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu-Christi myſterio Angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrena cœleſtibus jungi, unum quoque ex viſibilibus atque inviſibilibus fieri! Sanè clariſſimæ memoriæ Cyprianus cum orationem Dominicam exponeret, ventumque eſſet ad id quod dicitur: *Panem noſtrum quotidianum.* Poteſt, inquit, dupliciter accipi, & ſpiritaliter, & ſimpliciter, quia & uterque intellectus utilitate divina proficit ad ſalutem: nam panis vitæ Chriſtus eſt, & panis omnium non eſt, ſed noſter eſt; & quomodo dicimus: *Pater noſter*, quia intelligentium & credentium pater eſt; ſic & *panem noſtrum* vocamus, quia Chriſtus noſter, qui corpus ejus contigimus, panis eſt. Hunc autem panem dari nobis quotidie poſtulamus; ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto dum abſtinenti & non communicantes à cœleſti pane prohibemur, à Chriſti corpore ſeparamur, ipſo prædicante & monente: *Ego ſum panis vitæ qui de cœlo*

Matt. 6. 11.

Ibid. 6. 9.

Joan. 6. 51.

deſcendi. ſi quis ederit de meo pane, vivet in æternum: panis autem quem ego dedero pro vitâ ſæculi, caro mea eſt. Quando ergo dicit in æternum vivere, ſi quis ederit de ejus pane; ut manifeſtum eſt eos vivere, qui corpus ejus attingunt, & Euchariſtiam jure communicationis accipiunt: ita contrà timendum & orandū eſt, ne dum quis abſtentus ſeparatur à Chriſti corpore, remaneat à ſalute...., comminante ipſo & dicente: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et ideo panem noſtrum, id eſt Chriſtum, dari nobis quotidie petimus, ut qui in Chriſto manemus & vivimus, à ſanctificatione ejus & corpore non recedamus. Joan. 6, 54.

MONITUM.

TRACTATUS ARNULPHI Lexovienſis Epiſcopi de Schiſmate orto poſt Honorii Papæ II. deceſſum, vehementem continet orationem adverſus Girardum vaferrimum Engoliſmæ Epiſcopum, qui ſtans à Petro Leonis Gallicanam Eccleſiam nefandis artibus perturbavit propè univerſam. Tractatum hunc elucubravit dum in Italiâ moram traheret, nondum infulis decoratus, Romanis legibus dans operam, quemadmodum teſtatur ipſe in Prologuo ad Gaufridum Carnotenſem Epiſcopum: Sed quia me in Italiam, *inquit*, deſiderata diu Romanorum legum ſtudia deduxerunt, &c. *Illum è Cod. MS. Cœnobii Pariſienſis, vulgò Alborum Mantellorum nuncupati, Ord. S. Bened. nunc primùm publici juris facimus.*

ARNULPHI
SAGIENSIS ARCHIDIACONI,
POST EPISCOPI LEXOVIENSIS,
TRACTATUS
De Schiſmate orto poſt Honorii II. Papæ deceſſum.

PRÆFATIO.

ANNO 1134.

VENERABILI *Dei gratiâ Carnotenſi Epiſcopo* GAUFRIDO, *Romanæ Eccleſiæ Legato,* ARNULPHUS *Archidiaconus Sagienſis, Clericus ejus humilis & devotus, Salutem.*

Ad expedienda legationis veſtræ negotia non negarem fidele miniſterium, ſi adeſſem, pro viribus exhibere. Invitaret enim me cùm laborantis Eccleſiæ cauſa communis, tùm beneficiis veſtris obſtricta devotio, tùm Romani Pontificis gratia, quâ me fateor arctiùs obligatum. Sed quia me in Italiam deſiderata diù Romanarum legum ſtudia deduxerunt, loci quidem diſtantia corporale ſubduxit obſequium, ſed ſpiritualem non ſuppreſſit affectum. Novit enim intimus ſecretæ conſcientiæ teſtis, quàm fidelis Eccleſiæ patienti compatiar, quàm affectuosè in adverſis Præſuli Romano condoleam, quàmque obnoxiè veſtrum me totâ mente judico debitorem. Unde nimirum ſublatâ impendendi corporaliter officii facultate, ſtilum ſaltem continere non potui, ſed in GIRARDUM Engoliſmenſem, quod ſolum impendere poterat affectus abſentis, invectus, originem nativitatis ejus & converſationis qualitatem, Prælationis cauſam, quid agat, vel egerit ab initio tempeſtatis hujus, ſervatâ quantum potui brevitate, perſtrinxi. Ad confutationem quoque ejus ſtilo circà Petrum Leonis liberiùs evagato, ſubjunxi de perſonâ Domini Papæ, de ordine electionis ejus, de favore Principum, de populorum conſenſu, quidve ſuper hoc irrefragabilis omnium religioſorum probat auctoritas.

Agit primò de Girardo.

2. De Petro Leonis Antipapa.

3. De Innocentio II. ſummo Pontif.

Opus autem ipſum, præſumo majeſtati veſtræ, fortaſſis impudenter, offerre, cum nullatenùs orationis jejunæ macies mereatur in ſapientiæ veſtræ venire conſpectum. Scio tamen quia ſæpiùs apud vos benignitas indulgentiam parit, quàm ſeveritas exactiſſima, pœnam. Qui enim leviori culpæ veniam negat, cauſam quandoque gravioris importat. Si quid tamen in judicium libeat devocare, non de qualitate operis, ſed de opificis cognoſcatis affectu. Hujus examinationis periculo me ſecurus expono, nec cognitionem formidans, nec latam ex cognitione ſententiam. Quia licet rhetoricum colorem formet ſcientia non affectus, ſi non hanc peritiæ laudem, ſaltem bonæ voluntatis gratiam conſequemur. Sed & hoc ad vos potiſſimùm deſtinari ratio poſtulabat, cum in eam cauſam cuncta ſpecialium augentur, quæ vobis agenda commiſſa eſt. Quippe cum ad reſiſtendum PETRO-LEONIS in Italiâ Præſul Romanus indefeſſus aſſiſtat; ad reſiſtendum GIRARDO vos reliquit in Galliâ, ut ſit capiti caput oppoſitum, & dextera dexteræ conferatur. Sicut enim PETRUS ſchiſmatis hujus princeps & auctor eſt, ſic GIRARDUS ejus inter omnia principalius eſt inſtrumentum. In quo quid de fide & prudentiâ veſtra ſentiendum ſit, manifeſtè probatum eſt, cum nullum vobis prætulerit is, qui nec probaret ignotum, neque notum ſuprà merita pro-

Laudes pertingit Gaufridi Carnot. Epiſcopi.

piæ

priæ virtutis efferret. Arbitratus eſt virum quem charitas animaret, quem ſuſcitaret obedientia, quem ſcientia cogeret, cui pararet fortitudo victoriam. Probavit in vobis in fide conſtantiam, humilitatem in obſequendo, in exequendo prudentiam, in difficultate perſeverantiam. Quis vos hac ejus exiſtimatione neget eſſe felicem? Quis beatum tantâ ejus dignatione non dicat? Sed profectò dignus mittente nuntius, dignum ſuſcipiente mandatum, ſpes utriuſque pulcherrima, quæ tam celebrem victoriam certo ſpectat eventu. Vincet enim in vobis ipſe, ſed & vos vincetis in ipſo; dum ipſe vobis auctoritatem, vos auctoritati præſtatis obſequium. Vincetis, inquam, & captivatum hoſtem ſedatâ Aquitaniâ reducetis; ut per vos ei qui vos miſit oblatus, ob novum crimen novo pœnæ genere puniatur. Indurati enim cordis impœnitentia, veniam non meretur. Hoc autem præmium à vobis bonæ ſaltem voluntatis expoſco, ut mihi tunc inter eos qui modo quaſi ſub ducatu veſtro militant, ſequi currum liceat triumphantis, & laudes veſtras, imò vincentis in vobis Eccleſiæ, præconia decantare. Valete.

ARNULPHI SAGIENSIS ARCHIDIACONI In Girardum Engoliſmenſem TRACTATUS.

CAPUT PRIMUM.

ANxie te jamdudum GIRARDE ſuſtinui, dum ad nos quotidie flagitiorum tuorum fœtor aſcendit, & aures noſtras gravior ſonus nequitiæ ſævientis exaſperat. Silui tamen hactenùs dum pœnitentiam tuam credulus exſpectator attendo, aut divinæ manûs non credo differendam diutiùs ultionem. Sed nobis circà te divinæ longanimitatis & patientiæ proponenda exempla, tuque ſemper eo vehementior, in Eccleſiam Dei ſingulis diebus indefeſſus perſequutor inſurgis. Quouſque igitur abutere patientia Dei? Quouſque mentem tuam inæſtimabilis iſta cæcabit ambitio; & à veritate pecuniæ ſitis hæc inexſtincta prævertet? Numquid miſeram ſenectutem tuam, & inſtantem decrepiti corporis naturali neceſſitate defectum, & hiantis ſepulcri clauſtra non vides? Non ſentis ſuperexcreſcens circà te divinæ longanimitatis augmentum, æternæ tibi damnationis ſupplicia cumulare, ut nulla jam excuſatio divinam minuere valeat ultionem? Totus execrandi corporis tui labor & otium, tota reprobatæ mentis aſtutia, totum in hoc deteſtabilis vitæ tempus impenſum eſt, ut militare pro Eccleſia videreris, & contrà Eccleſiam dimicares. Nunc autem manifeſtavit Deus conſilia cordis tui, & tenebrarum tuarum abſcondita revelavit; ne dubiâ exiſtimatione de te diutiùs hominum judicia fallerentur. Patet te proditorem Eccleſiæ fuiſſe, cujus te ſimulaveras eſſe patronum. Patet te venatorem tantùm fuiſſe pecuniæ, qui venator conſtitutus fueras animarum. Sed quoniam animalis es homo, carnoſus perinde, & carnalis, quæ Dei erant percipere non potuiſti, & inviſibilia ipſius conſpicere contemſiſti. Ne verò adversùm te hunc animi temeritate potiùs quàm ratione videar ſuſcepiſſe ſermonem, placet operum tuorum mihi ſeriem explicare, quibus poſſis hominibus contemptibilis, Angelis execrabilis, Deo condemnabilis inveniri.

Geſta deſcribit Girardi.

Qualis igitur à primo Pontificatûs tui tempore fueris: quid in principio orientis in Eccleſiâ tempeſtatis egeris, quibus eam poſtea operibus infeſtare non ceſſas, ordine tranſigetur. Prætereundus eſt igitur ortus degener, paternæque domûs familiaris inopia, quæ te totius natalis Normaniæ finibus abegerunt; ut ad ignotæ gentis limina peregrinus, & mendicus adſtares. Taceo ignobiles pueritiæ quæſtus, ignominioſam adoleſcentiæ famam, juventutis avara commercia, ne aures eorum ad quos hæc ſcripta ventura ſunt, tuæ ſordibus incontinentiæ, ſimul & avaritiæ polluantur. Venio ad virilis ætatis tempora, ſub quibus te in Epiſcopum non vita probabilis, non præcedens deliberatio, ſed caſus adduxit, & cæcarum ex præcedente diſcordiâ mentium motus impellens. Dum enim adversùm ſe eligentium multitudo diviſa conſurgeret, diverſaſque perſonas alternus poſtularet aſſenſus, in te voces omnium fortuna convertit; non quia in te ſatis commodè proviſum Eccleſiæ crederetur, ſed ut exitum qualemcumque tumultus oſtenderet. Maluit te ſcienter indignum pars utraque excipere, quàm prævaluiſſe pars altera videri. Redit in mentem mihi miſerabile illud nefandiſſimumque ſpectaculum, dum te præcurrentem multitudo reliqua ſequeretur; & tu Clerum quâdam celeritate præires ad cathedram, nè revocata ratione ſtolida mutaretur impulſio, cum alii quidem trahi ſoleant, & pleriſque compellantur inviti. Eâ die de Engoliſmenſi Eccleſiâ veritas & miſericordia receſſit, dolus impietaſque ſucceſſit, rerum ſtatus in deteriora mutatus eſt, nitorem ſuum ſingula perdiderunt. Imminutus eſt enim decor & cultus Eccleſiæ, periit eccleſiaſtici ordinis venerabilis illa religio; Principum reverenda ſeveritas, populique laudabilis honeſtas interiit. Eccleſiam quidem Epiſcopalem de mortuis ædificaſti lapidibus, non ut domum Domini decorares, ſed ut inde conquirendi pecuniam duceretur occaſio, & adversùs malè ſuſpicantem populum mendax excuſatio non deeſſet, dum quæſita reconditur. Dicebatur ad opus Eccleſiæ poſtulari, quidquid ad tuam cupiens avaritiam exigebas, & dum unum de pluribus, de maximis minimum impendiſſes, volebas ut erogaſſe pariter omnia credereris.

Ubi igitur tali in Epiſcopatum ſorte provectus es, inſolentiâ, quam ante paupertas repreſſerat, efferri cœpiſti; petulantiâ, quam privatus exercere non poteras, bonos quos libuit inſectari, rapinis & exactionibus exinanire provinciam: judicia ſolâ munerum comparatione formare, commutare rerum omnium ſtatus, nobilium labefactare fortunas; nepotibus tuis, quos natalis ſoli finibus eadem quæ te cauſa depulerat, rerum tradere ſummam, & dignitatibus Eccleſiæ ſublimare, quaſi Platonem ſcientiâ, Catonem moribus; Scipionem genere ſuperarent. Quos illiteratos quidem & ad res illicitas impudentiùs effluentes, obſcuro loco natura produxit. De quibus, ne nova extrà ordinem ſumatur oratio, dixiſſe ſufficiat, avunculo dignos eſſe nepotes, quos tibi cùm natura conſanguinitatis, tùm educatio, tùm quod à te ſumebatur exemplum, vitæ ſimilitudine conformavit; ut à naturâ principium, ab educatione promotio, ab exemplo ambitionis, avaritiæ, libidiniſque duceretur auctoritas. Reliquis autem Eccleſiæ dignitatibus, & beneficiis, quæ in unum coacervare non poteras, eiſdemque conferre, qui pecunioſior, is dignior habebatur. Non attendebatur honeſtas, ſed manus onuſtas potiùs exſpectabas. Baſilicarum dedicationes, benedictiones altarium; Sacerdotum conſtitutiones, eodem quo cætera more tractaſti, ut planè nihil faciendum putares, quod non alicujus emolumenti auſpicatio præ-

veniret. Nullam virtutibus gratiam reprendiſti, nullum quoque ſupplicium vitiis irrogaſti, neminem ad vitæ innocentiam informaſti.

Nefanda crimina. Si quis de inceſtu quolibet ſonus emerſit: ſi quis adversùs immunditiam exarſit caſtitatis amore, in ſilentium te cohibente redactus eſt. Engoliſmenſem Abbatiſſam quidam tuus Archidiaconus gravidam pravo fecit acceſſu. Porrò facinus ingraveſcentis uteri tumor excedens, & naturalis effectus aperuit. Quod dum propter inſolentiam criminis, divinitatiſque contemptum civibus incredibile videtur, parturientis Abbatiſſæ gemitus, & novi partûs crepundia fidem fecerunt. Univerſa igitur civitas admiratione perculſa eſt: quâ cogitatum impatientiâ, quâ temeritate conceptum, quâ denique impudentiâ poſſet eſſe completum, quòd homo animarum cuſtos, Epiſcopalis oculus, Eccleſiæ columna, ſponſam Domini, Virginum ejus matrem atque cuſtodem, non compellaſſet verbo tantùm, ſed opere polluiſſet, & cubile patris animo fornicantis intraſſet, eamque Deo, quæ homini quoque tam contumelioſa quam opprobrioſa eſt, irrogaſſet injuriam. Suſcitat ad vindictam Comes, cui eamdem germanus ſanguis conjunxerat Abbatiſſam, & cum in caput adulteri ferro priùs animadvertere decreviſſet, ad te, ut canonicè dictaretur ſententia, acceſſit. Rem igitur patefacturus, ter vocem in mediâ narratione continuit vir illuſtris, qui mentem ſuam contemplatione ſceleris, linguam relatione fieri ſordidam judicabat. Explicuit tandem remotâ quâdam circumloquutione quod cœperat, ut qui ſerpentem, prunaſve reconditas diutiùs latere non ſuſtinet, manu tamen nudâ recuſat utrumque contingere, ne vel uratur altero, vel altero polluatur. Quis dignâ ſatis laude efferre valeat quanta principis fuerit in primâ ſceleris animadverſione ſeveritas; quanta in ultionis exequutione diſcretio; qualis in referendo modeſtia ſucceſſit? Quis igitur hoc ſaltem exemplo magnum in Præſule rigorem juſtitiæ non exſpectet? Stat in memoriâ Pontificis digna relatione reſponſio. Replicabat Comes rem non abſque divino contemptu, naturæ contrariam, ſæculoque mirabilem contigiſſe; quam divinæ etiam religionis ignara gentilitas ſupremo puniendam ſupplicio decreviſſet. Tu verò præter ætatis tuæ debitum, præter ordinis & epiſcopalis officii dignitatem, ſingula verba laſciviore proſequente cachinno, te ſanè ſimplicitatem Principis non ſatis admirari poſſe dixiſti, quòd naturæ contrarium diceret, ſæculoque mirabile, quòd de viro femina concepiſſet: ſed in oppoſito ſtare miraculum, ſi de feminâ virum contingeret impregnari. O ſtupenda mentis obſtinatio! ô deteſtabilis impudentia linguæ! ô digna depoſitione reſponſio! Exſpectabatur ut adversùm facinus exardeſceret Epiſcopalis indignatio, ſed ei quaſi gratulanter laſcivia ſenilis arriſit, & quod gravitate cenſoriâ punire ſententia debuiſſet, nova Proteus auctoritate firmavit. Non potes excuſare quin populo dederis certam ſimilia faciendi licentiam, cum ſingulis ex ore tuo pendentibus, novum facinus & ignotum, nec verbo nec opere condemnaſti, ſed quaſi licitum arridentis facie præſignaſti.

Quis igitur animi compos ex hoc reliquas tuæ mentis & vitæ partes manifeſtò non teneat? Numquid enim ſi quis in majoribus intemperans, & petulantiſſimus invenitur, à minori crimine temperabit? Quid ita? Quoniam qui ab inceſtu ſacrilegioque non abſtinet, is ubi luxuriæ flamma, vel avaritiæ ſatis incenſa eſt, fornicatione ſimplici, vel rapinâ, nec corpus inquinare, nec manus implere cunctatur. Quid ad hoc? Quia qui alieni criminis non offenditur ſpurcitiâ, ſed exultat, id in propriâ voluntate non damnabit expertus. Quid igitur? Numquid ſi in ſponſam Domini zelare, ſi ipſius divinitatis injuriam vindicare ſprevisti, circa tuendas hominum nuptias negligenter egiſſe convinceris, & ipſorum injurias non curaſſe? Exſtat ipſius teſtimonium veritatis in ſimili. Non differetur quin fiat in arido, quod in ligno viridi fieri feſtinatur.

CAPUT II.

AD hæc autem, ut his etiam operibus exercendis diffuſa materies, libera facultas, inconcuſſa fiducia non deeſſet, quæſita & impetrata eſt Eccleſiæ Romanæ legatio. Angebat te hinc læſæ conſcientiæ reatus exulcerans; hinc comprovincialium Epiſcoporum nota ſeveritas, hinc Burdegalenſis Archiepiſcopi ſuſpecta prælatio, quem loco confinem tua non ſemper opera feſelliſſent. Ambitio quoque ſua quaſi quibuſdam ſibi coarctata videbatur anguſtiis, dum fauces tuas unius Epiſcopatûs ſpolia non implerent. Ac ſi ergo omnia in Epiſcopatu tuo compoſitio plena firmaſſet, nihilque novi operis caſus afferret, effeciſti, ut quinque Archiepiſcopatibus [a] ſingulari poteſtate præeſſes, & in ipſis vices Romani Pontificis exerceres. In quo quòd Romanæ Eccleſiæ ſurreptum eſt, non credo mirabile, ſi in tantâ negotiorum multitudine, in tanto pondere rerum animus humanus aliquando fatiſcat, cum non ſit ſpirituum ſemper certa diſcretio, per quam fallacium votorum compellatur indignitas, & rectis debitus commodetur aſſenſus. Nec inconſideratè tamen, quantum humanâ potuit ratione perpendi, commiſſa tibi eſt quæſita legatio. Legatus Romani Pontificis factus. Æſtimabatur quippe quòd in Epiſcopum non ſortis eventu, ſed ratione promotus fuiſſes. Nec veriſimile videbatur, quòd in electione tuâ Clerum, Principem, populum, in examinatione tuâ Coepiſcopos, Archiepiſcopum ejuſdem cæcitas implicuiſſet erroris. De operibus quoque tuis, nihil adhuc quiſquam Romanus audierat: quæ finitimis & remotis: his quidem aſtuta diſſimulatio, illis verò locorum diſtantia nullatenùs eſſe nota ſinebat. Ad ſummam, ne veritati derogetur in aliquo, inerat tibi circà gerendas res nota diſcretio, quam plurima ſanè litterarum ſcientia confirmaret, & utriuſque facundia ſermonis ornaret. Quæ quidem, quoties ſi non zelo charitatis divina gratia largitur ingrato, in teſtimonium juſtæ damnationis adjuncta creduntur. Dum igitur Romanus Pontifex ſollicitudinis ſuæ pondus attenderet, te in oneris ſui participationem gratulanter excepit, quem miniſtrum fidelem fore credidit, & prudentem.

Nefariè illam provinciam geſſit. Ab inde igitur inconcuſſæ prærogativâ poteſtatis armatus, liberâ in Eccleſiam Dei facultate graſſatus es, ſingulorum vel depopulando quidem, vel augendo ſubſtantias, infimis ſumma, ſummis infima commutando, ut planè quaſi fortunarum auctor exiſteres, quem de ſtatûs ſui qualitate vel laudare poſſent omnia, vel cauſari. Ab inde tua diffuſioribus ſpatiis effuſa cupiditas, copioſam rapacitati ſuæ materiam non defuiſſe gaviſa eſt. Quid ergo manifeſtas exactiones? Quid familiaria ob periculum juſtitiæ ſuſcepta diſpendia dicam? Quid generales ſynodos? quid fatigatas venerabiles ex remotâ regione perſonas eaſſdem, ut Concilio præſidens generali amplitudinem tuæ poteſtatis gloriabundus inſpiceres, & ambitioni ſatisfaceret contemplatio

a *quinque Archiepiſcopatibus*] In iis fuit Turonenſis, ut apparet ex eo quod in fine capitis narratur de Epiſc. Venetenſi.

Google

Ad quid Concilia celebrantur.

ſubjectorum ? in quo opere quàm perverſa fuerint omnia promptum eſt intueri. Ad hoc enim Concilia celebrari ſanctorum Patrum ſanxit auctoritas, ut inde virtutum doctrina, malorumque correctio proveniret, & velut exercitûs ſui facultate conſpectâ, ipſam ſe pleniùs Eccleſia mater cognoſceret, ut adverſùm vitia ſeveriùs inſurgendo, inſtantium bellorum triumphos poſſet confidentiùs auſpicari. Te verò ad hoc ea convocaſſe quis dubitat, ut cupido animo tuo, & libidini dominandi morem gereres; & cum ſatietatem diſcretè ſingularum cauſarum lucra non præſtant, ipſam plurium multitudo congregata conflaret ? Proh dolor, & miſerabile cadentis Eccleſiæ detrimentum! Videri mihi videor, te quaſi taurum pinguem in ſublimi ſynodalem cathedram inſediſſe, diſpoſitoſque inferiùs Catholicos ex ordine Patres quidquid in cauſis conſcia veritatis prætendat oratio, pari deſperatione languentes, ſub incerto ruentis ſententiæ fluctuare. Malos verò quanto impudentiùs quidem, tanto animoſiùs inſiſtentes efferri, quos polliciti vel collati muneris confidentia ſuſcitat & inducit. Quod non ſine quodam indignationis motu mihi mente revolvo; dum intemperantiæ tuæ recordor impenſum, quod ad decorem Eccleſiæ noſcitur inſtitutum. Pervulgatus eſt conciliorum honos, & dignitas abrogata, quibus te præſediſſe conſtat, & nova Gentibus Romano more decreta formaſſe. Super quo graviter indignatus, feſtivè ſimul & honeſtè ſenex Venetenſis illuſit. Is cum ad quoddam Concilium tuum inter Coëpiſcopos vocatus adeſſet, paſtoralem virgam rudem & incompoſitam prætulit, indumento veteri, quod multa jam ſciſſura rupiſſet, amictus. Interrogatur igitur cur in tam vili & irriſorio habitu proceſſiſſet; libertate conſcientiæ munitus; Tale, inquit, Concilium talis decet ornatus.

Qualis ab initio Pontificatûs tui exſtiteris, minùs pleno, ſed veraci ſermone digeſtum eſt: nunc verò quid egeris dum adverſùs Eccleſiam procella tempeſtatis inſurgeret, conſequenter annectendum eſt.

CAPUT III.

Petrum Leonis pſeudopontificem ſugillat.

CUm ſublatus è medio bonæ memoriæ Papa Honorius, terræ corpus, cœlo ſpiritum, ſua ſingulis debita reſignaſſet, eique ſucceſſione dignum canonica ſurrogaſſet electio, Eccleſiam Dei Petrus ille Petri-Leonis invaſit. Placet hoc loco mihi utriuſque perſonæ deſcribere qualitatem, ut de duobus ſimilem ſimilis elegiſſe proberis, & cupidum cupidus adoraſſe. Parcendum tamen eſt obſcœnitati verborum, dum Petri vita narratur, & rerum veritas ſermonum pallianda decore, ut honus habitus honeſtati legentium videatur. Libet igitur præterire antiquam nativitatis ejus originem, & ignobilem ſimulem proſapiam, nec Judaïcum nomen arbitror opponendum, de quibus ipſe non ſolùm materiam carnis, ſed etiam quaſdam primitias ingenii contraxit erroris. Ipſe enim ſufficiens eſt, & copioſa materia, neque quidquam domui ejus ipſo turpius vel eſſe vel fuiſſe conjecto.

Parentes deſcribit.

Cujus avus cum inæſtimabilem pecuniam multiplici corrogaſſet uſurâ, ſuſceptam Circumciſionem baptiſmatis undâ damnavit. Pudebat eum impotentiæ ſuæ potiùs quàm erroris, ne genus ejus infidelitatis opprobrio confuſum, perpetua damnaret obſcuritas. Suſceptis itaque fidei ſacramentis, ubi novus civis inſitus eſt, factus dignitate Romanus. Cumque ipſi numeroſam progeniem ſeries ſucceſſionis afferret, dum genus & formam regina pecunia donat, alteriis matrimoniis omnes ſibi nobiles civitatis aſcivit, machinante jam humani generis hoſte ut quaſi quodam veteri fermento, tota Romanæ ſinceritatis conſperſio corrumperetur. Ex hac itaque diverſorum generum mixturâ, Girarde, Petrus iſte tuus exortus eſt, qui & Judaïcam facie repræſentet imaginem, & perfidiam voto referat & affectu.

Petri initia ejus acta.

Porrò ipſum à cunabilis, ab ipſius nutricis uberibus, Apoſtolatui præſaga parentum deſtinavit ambitio; atque poſt prima litterarum rudimenta docendum delegavit in Galliam, ut illius regni benevolentiam ipſi morum, linguæque conformatio vendicaret. Totis igitur annis pueritiæ ſuæ, ut honeſtiùs inhoneſta dicantur, ad omne ſe quod alteri collibuiſſet expoſuit, metuque Romani nominis importunus exactor, alienis adoleſcere non refugit expenſis. Et tamen hæc aliquantulum modeſtiùs exacta ſunt, dum ipſum diſciplina ſcholaris inhibet, & quotidianæ præpedit inſtantia lectionis, & quædam crimina naturalis impotentia removet ab ætate. At verò poſtquàm adoleſcentia & peccandi facultatem, & licentiam fecit liberiùs evagandi, ſi qua ſuperbia, ſi qua petulantia eſt, tum verè ipſe ſuperbus & petulans omni intemperantiæ ſeſe ſatis impudenter addixit. Profectò cum in his operibus nec Deum dignatur revereri, nec hominem, tantam ſibi ſuſcitavit infamiam, ut ejus ortu, ambitione, vitâque præcognitis, ipſum eſſe Anti-chriſtum univerſitas gentium paſſim crederet, & publicè teſtaretur. Augebat fidem, quòd ex Judæis ortus; quòd totius mundi dominium Romanæ ſedis auſpicabatur obtentu; quòd vitiis deditus, infamiam nullâ virtute redimeret, & quòd infinitam patris & avi pecuniam deinceps poſſeſſurus eſſet. Ipſe autem adeo hujus nominis gloriabatur opprobrio, ut etiam ruina orbis non erubeſceret appellari. Teſtis eſt Vizeliacenſis Eccleſia, apud quam dum veteres ad innovandum ipſo audiente dirueren officinas, ad contemplandas parietum ruinas ſeſe duci propenſiùs exigebat. Percunctatuſque cur id videre tam ſedulos exoraret; quoniam magnarum me, inquit, rerum ruina delectat, eo quod orbis ruina futurus eſſe prædicat. Poſt hæc habitum quoque monachatûs excepit, ut vitia mentis ovino velaret amictu, opprobria vitæ præteritæ Cluniacenſe nomen obnuberet, & virtutis exiſtimationem bonorum ſocietas quæſita referret. In quo etiam ad hæc quæ in futuro ſibi mens præſaga ſpondebat, Cluniacenſis Eccleſiæ venabatur auxilium, eo quod inter Eccleſias Gallicanas nulla ſit nomine religionis illuſtrior, nulla conſilii diſcretione prudentior, nulla promptior ab obſequia charitatis, nullius in gerendis rebus auxilium vel promptius, vel efficacius eſſe poteſt.

Religio Cluniacenſium tam illuſtris in Galliâ.

Reverſus denique Romam, illi venerabilium ſeniorum ſacroſancto conventui, annitente patre fratribuſque, conjunctus eſt; & Cardinalis factus, honoratus nomine, tituloque ditatus eſt. Nullus quippe fortaſſis ad aures ſummi Pontificis infamiæ Petri rumus aſcenderat, eoque tanti [b] viri ſublimitatem ſinguli reverentes, ſauctis auribus perturbare turpia reformidavit.

Petrus Cardinalis ex Monacho creatur.

Sub hac igitur ignorantiâ, dum in ipſo monachalis habitus, dum Sacerdotii Sacramentum, dum parentum vis attenditur, exceptus eſt ſub Patrum ſilentio, non aſſenſu; quibuſdam patriæ poteſtatis timore vel amore ſilentibus; quibuſdam verò ſperantibus meliora de reliquo. Quoniam habita inter bonos converſatio quoſdam, quidem corrigit & emendat, alii pœnam ex tranſgreſſione timentes, neceſſitatis abſtinentiam convertunt in ſincerum voluntatis affectum.

[b] *eoque tanti*] Lege meo periculo, *eo quod tanti* . . . *turpia referendo formidabant.*

Fungitur legationis officio.

Deinde ad diverſas partes functus legationis officio, cupiditati ſuæ potiùs quàm juſtitiæ ſatisfacere ſtuduit, adeo ut illi ea tantùm bonos exitus habuiſſe negotia viderentur, quæ merces adjecta, & marſupii plenitudo ſubſequuta probaret. Ubi ergo nullis intervenientibus cauſis, nulla rapinæ præſtabatur occaſio, tunc exactio blanditiis, vel comminatione plena non deerat. Bina ſingulis diebus ſumptu plurimo convivia parabantur, tantuſque ciborum luxus & ſuperfluitas erat, ut ad exquiſitas ferculorum varietates, ſollicitari plerumque figulos oporteret, & ignotæ compoſitionis nova vaſa formare. Docebatur etenim figulus amphoras figmento plaſmare mirabili, quibus ad ſimilitudinem ſolii per tranſverſum medium diſcrimen inſiſtet, ſtatuſque ſuperior repoſitis eſcis, fumum per modici oris reſpirare anguſtias, inferior verò pars cancellatis arcubus undique perforata prunas clauderet; quibus thuris copiam tamdiù ſollicitus miniſter infunderet, donec coctis cibis odorem ipſum transferret cocus artifex in ſaporem. Quæ profectò guloſitas naturam prorſus humanitatis exceſſit. Humanorum quippe ſenſuum perceptiones naturalis ratio certâ lege diſcrevit, ſingulis ſingulas rerum qualitates aſſignans; nihilque confusè alicui commune cum alio dereliquit. Hîc verò dum thuris odor transfertur in epulas, quod odoratûs eſt, guſtui vendicatur, fitque in rerum qualitatibus ignota confuſio, & in ſenſuum perceptionibus communicatio non naturæ. Quod divino etiam non potuit carere contemptu, dum in hoc ardenti gulæ peregrinus ſapor exquiritur, quod ſacris adoletur altaribus, quod ad ſignum Deitatis in Chriſto præſaga trium Magorum devotio præſentavit; quod ſolum utrius legis tempore de terrenis rebus gratum Deo eſſe & fuiſſe creditur holocauſtum. Taceo quòd hæc effuſio non apud divites tantùm; ſed apud inopes fiebat Eccleſias, quibus poſteà id luere multis jejuniis & algoribus oporteret. Cumque pauperes Epiſcopos, vel Abbates profuſioribus quam domi didicerat, vexaſſet expenſis, in ipſa Eccleſiarum ornamenta latis impudenti ſacrilegio graſſabatur, ut planè ſponſam Domini ſpoliare, ſuiſque privare monilibus auſu temerario videretur.

Laute vivebat ac luxurioſè.

Profuſa verò convivia tanta libidinum ſpurcitia ſequebatur, ut ab ipſo paſſim quidquid occurreret, adiretur. Sororem Tropeam (ſed nec dici fas eſt) beſtiali polluiſſe narratur inceſtu; & ex eâ abominabili prodigio eoſdem ſuſtuliſſe filios, quos nepotes, nepotum pater, filiorum factus avunculus, ſic naturæ jura confudit, ut eoſdem ſibi invicem fratres faceret & cognatos; jam nec Judæus quidem, ſed Judæo etiam deterior. Nulla ſexuum, nulla loci vel temporis, nulla profeſſionum. Sed hæc ſilere decentius, ne ſi hæc ipſum indifferenter excepiſſe protulero, honeſtiùs potuiſſet ſilentio præteriri. Sic actum domi: nec ab eiſdem legationum tempore temperatum. Ut enim turpiora prætercam, circumducebatur puella, cui in fraudem videntium adoleſcentis ſpeciem veſtis & tonſura conferret, quæ ſingulos æſtus toleraret, ſingulos ſolaretur affectus. Eo gratior, & quaſi quodam novitatis affectata miraculo, quod dum virum facie, reliquis mulierem partibus exhibet, uterque ſexus ipſi in eodem corpore videbatur exponi. Teſtis eſt Montiſpeſſulani populus, & circumjecta provincia ſe vidiſſe. At ne ſatietatem præſtaret identitas, quærebantur & aliæ, quarum ipſe nocturnis fungeretur amplexibus, quibus ipſe ſe Papam futurum in ipſâ turpi commixtione jactaret. Multæ in Galliis ſunt & Aquitania civitates, quæ id apud ſe dictum certâ fide teſtantur. Gratulare, inquit, in tanti te viri deveniſſe complexus, quem Papam futurum totus orbis exſpectat. Numquid Apoſtolatûs gradum, Petre, tibi talis converſatio promittebat? Numquid diſpenſatores domûs ſuæ Chriſtus Eccleſiæ ſponſus & defenſor hoc verbo docuit, vel monſtravit exemplo? *Eſtote*, inquit, *ſancti, quoniam ego ſanctus ſum.* S. Petr. 1. 16. Qui igitur ſucceſſurus eſt Chriſto, oportet eum ſicut ille ambulavit, & ipſum ambulare. Si quis autem poſt ipſum iturus eſt, abneget ſemetipſum, & Matt. 16. 24 tollat crucem ſuam, & ſequatur ipſum. Crucem verò non tollit, niſi qui caſtigans corpus ſuum, & in ſervitutem redigens, in comeſſationibus & ebrietatibus, in cubilibus & impudicitiis, legem Dei, nequaquam diſſolutus, excedit. Ipſum non ſequitur, niſi qui divinis intentus operibus aſcenſiones in corde ſuo diſponit, donec de virtute in virtutem videatur Deus. Tu verò, Petre, cum de vitiis caſu continuo devolvaris in vitia, & ſignatum ſuper te lumen divini vultûs obtenebres, deformatâ jam divinitatis imagine, & ipſius ſimilitudine flagitiis obfuſcatâ, quâ temeritate Chriſti ſucceſſor eſſe præſumis, cujus priùs ſimilitudinem non aſſumis? nulla enim conventio Chriſti ad Belial, nulla lucis ad tenebras communicatio.

CAPUT IV.

Actus recenſet Innocentii II. Papæ.

HIc eſt ille, Girarde, hic eſt ille tuus Papa, quem recipis, quem Univerſitati fidelium ſolum dicens Caput aſſignas, qui ſponſus Eccleſiæ, qui Chriſti Vicarius, qui Petri ſucceſſor, vitæ forma fidelibus, gregem verbo prædicationis inſtruat, & illius ſcilicet operationis exemplo. At verò quis ſit ille quem reprobas, conſequenter attende. Si genus ejus recenſitâ nativitate diſquiritur, fidelis natus ex fidelibus advertetur. Si parentum in ipſius Parentes. educatione vel doctrinâ conſilium, ut habitaret in domo Domini omnibus diebus vitæ ſuæ, & videret voluptatem Domini. Si perſonæ qualitas: ut priùs Corporis habitudo. habitudo corporea deſcribatur, vir ſtaturæ mediocris, quem nec abjectum brevitas, nec immanem reddat immenſæ quantitatis exceſſus. Apparet in oculis ejus & vultu robuſta ſimplicitas, & quæ caſtitatem animi probet verecundia faciei. Quæ profectò facies tantâ dignitate reſplendet, ut & ipſi quamdam reverentiam ingerat intuenti. Ei quoque hanc inter cætera munificentiæ ſuæ dona ſpecialem gratiam vis divina largita eſt, ut omnes ſe videntes manſuetâ ſibi benignitate conciliet, & dilectionem ſolo nanciſcatur aſpectu. Ipſius etenim oculis divinum quiddam ſuperna bonitas inſpiravit, quod plenum gratiæ, quod reverentiâ dignum, quod bonori congruum generaliter arbitretur. Vox blanda; ſed non in nimiam tamen reſoluta molliciem, ut & ſuavitati favor, & magnitudini non deſit auctoritas. Continua vultûs alacritas, riſus in ſermonis excurſu ſæpiſſimus, tanta tamen habitûs honeſtate, ut verborum vultûſque poſſit augere, non minuere dignitatem. Quod quidem eo magis allicit intuentes, quoniam id in ipſo quoddam illius æternæ jucunditatis videtur initium, cujus eum in ipſo corpore quaſdam exiſtimo primitias accepiſſe.

Mores probatiſſimi.

At ſi vitæ conſideretur integritas, & à primis annis ſub examen omnia redigantur, nihil deformatum crimine, nihil infamiâ condemnatum. In eo enim nil illiberale pueritia, nil adoleſcentia fluxum, nil juventus infame, nil virilis ætas edidit indecorum. Inconcuſſa fides operationi bonæ fundamenta præſtruxit. Conſilio providus, benignus alloquio, facundiâ celebris, quam nec verborum faſtus elatam, nec multitudo faciat effluentem. Tantumque apud omnes bonæ exiſtimationis ſervabatur & gratiæ, ut quod aliàs perrarum eſt, eſſet ei ante ele-

Digitized by Google

ctionis ejus tempora nullus hoſtis. Cibi, potûſque tanta ſobrietas, ut illis non faſtidium, ſed abſtinentiæ modus terminator aſſiſtat. Veſtitus autem Apoſtolatûs tempori ſanè conveniens; quem nec profeſſio clericalis excluderet, Cardinalatûs dignitas non horreret. Quibus enim impræſentiarum veſtibus induatur, jam non ex ipſius pendet arbitrio, ſed Sanctorum Patrum antiquâ conſtitutione decretum eſt. Prædicta verò Cardinalatûs dignitas, ab ipſo non impetrata quidem, ſed ob vitæ mundioris & ſcientiæ plenioris meritum, ultro data. Cujus muneris ſic geſſit officia, ut ſuis ipſum laudibus ampliaret. Fiebat honos titulis ſui poſſeſſoris illuſtrior, nec tantum propriâ, quantum adminiſtrationis ſuæ gloriâ præfulgebat. Adeoque cæteros egregiæ prærogativâ bonitatis excellerat, ut nec reſtare locus invidiæ videretur, eoque planè quiſque ſuos ad æqualitatem ipſius aſpirare non poſſe conatus adverteret: neque quidquam cujuſlibet laudibus ipſius prælatio derogaret.

Poſtremò ſi non ille humani generis perfidus adverſator in Petro Leonis Eccleſiæ Dei præſtruxiſſet inſidias, nulla jam poſt Papam Honorium de ſucceſſione quæſtio ſupereſſet, cum vir unicus unicæ dignitati divinâ jam videretur providentiâ præformatus. Ipſum enim hoc divinitatis conſilio talem conſtat eſſe plaſmatum, ut dum adversùs Eccleſiam vis hujus perſequutionis inſurgeret, eſſet qui ſe tempeſtati ſui ſecurus opponeret, & inter fluctus periclitanti naviculæ ſubveniret. Cumque ipſum ad hoc onus omnium penè conſcientia deſtinaret, ipſe ſibi jam adeptæ dignitatis locum nequaquàm videbatur explere. De ſe enim extrà ſuam eredere facultatem judicium ſapientis eſſe. Quod ipſe de ſe ſatis evidenter edocuit, dum ipſum eligentium corona clauderet, & ad Apoſtolatûs faſtigia vocaretur; inſtabat precibus, & reclamantem lacrymis obſecrantes, injecto pluviali renitentem manibus etiam comprimebant. Cumque ipſe injectam ſibi veſtem ſecundò (ut aiunt) totis viribus obſiſtendo rupiſſet; illique nihilominus inſtandum crederent, ſi quid ſanctis electionibus creditur, timuerunt, ne inter manus eorum tantâ reluctatione & compreſſione fatigatus obiret, & ſuffocatam ſingultibus animam protinùs exſpiraret. Manibus igitur, donec modicum reſpiraret, inhibitis, dum tertium ex longinquo pluviale requiritur, inter rorantes adhuc lacrymas, & erumpentes uſquequaque ſingultus, ſic affatur aſtantes: Expediret inſtans negotium excluſâ animorum affectione tractari, nec charitatem zelus alteruter impediret, & generale commodum odio familiari, vel gratiâ in oppoſitum verteretur. Sæpiùs enim præoccupatas mentes fallit affectio, ut & dignos odia reprobent, & indigni ſuggerente gratiâ præferantur. Quam quidem gratiam in hoc vires ſibi video vendicaſſe præcipuas, ubi ſola obtinere debuerat expenſa pari lance ratio meritorũ. Nam ubi me pari voto contenditis tantæ præficere dignitati, profectò non obtinet examinatio meritorum, palamque prævalet indulgentior gratia, quæ me vobis nunc & hactenùs in imperfectis operibus acceptabilem præſtat. Per quam etiam olim huic ſancto me voluiſtis ineſſe conſortio, quem dejectum inferiùs longè morum qualitas amoviſſet. Quem tamen locum etſi vir nullius virtutis tenuiſque ſcientiæ impleret; veſtra infirmitatem meam ſapientia ſupportabat, quos ejuſdem ſollicitudinis idem Dominus in eâdem paritate fecit eſſe miniſtros. Verùm, oportet nunc ex meritis, non ex gratiâ judicare, nec gratioſum tantùm, ſed & dignum conſtituere Sacerdotem. Hic enim nullum capietur ex paritate ſolatium, ubi conſortem muneris prærogativa ſingularis excludit. Excludatur ergo benevolentia, & perſona comparetur officio ad quod vocatur: vitâ probabilem, ſcientiâ præditum, celebratum famâ tantus honor expoſcit; ut ipſi divinum favorem probabilis vita conciliet, gerendorum facultatem ſcientia conferat, & nominis celebritate clara comparetur auctoritas. Quales ex hoc ipſo numero promptum eſt inveniri. Quis ego ſum, ſub cujus arbitrio rerum ſumma verſetur? Quis, inquam, ego ſum, quem Papam Roma ſalutet; qui non inter primos dumtaxat, ſed etiam primorum primus aſſignet? Indignum qui præficit, afficit injuriâ dignitatem.

Reluctatur ne ad ſummi Pontificatûs apicem evehatur.

Quibus virtutibus qui ad ſummum Pontificatum eligitur, præditus eſſe debet.

Talia dicentem, & adhuc dicturum plurima ſi liceret, hoc ſermone cœtus aſſiſtentium deſperatus excepit. Excuſationum diſpendia periculum imminens, & articulus neceſſitatis excludit. Stat enim in inſidiis leo paratus ad prædam, occaſionem, ſicut & ipſe noſti, præſtolatus à puero, cujus ſi non præveniatur aſſultus, ſi non impetus obtundatur; nulla jam libertatis ſpes, nulla prorſus honeſtatis diſciplina relinquitur, antiqua Eccleſiæ Romanæ dignitas occidit, ipſius gloria commutatur opprobrio, & formidata extremis hominum poteſtas vertitur in contemptum. Si enim eſt ille, ſicut equidem eſt, vitâ contemptibilis, & pollutus infamiâ, reſtat & contemptum poteſtas ipſa contrahat ex perſonâ. Quis enim bonus ſubeſſe non recuſet infami? Quis ad honeſtatem coarctari inhoneſtioris arbitrio non refutet? Si autem honor iſte ritè deferendus eſt digniori, profectò apud omnes infinitorum criminum Petri prælatio nos condemnat. Arguemur nimirum de nobis turpiora confeſſi, quàm de ipſo fama vulgaverit, ſi nobis ipſe quaſi dignior antefertur. Æſtimabitur etiam non diſplicere nobis, quod nec in altero nos damnamus, ſed & ſuſtinentes, crimen conſenſûs incurrere, & rei veritate, & exiſtimatione publicâ convincemur. Fuit, fuit hactenùs hæc Romana Eccleſia caput Orbis, penes quam conſtantiſſima fides, ſuprema poteſtas, honeſtas incomparabilis, inconcuſſa ſeveritas, gerendorum ſumma diſcretio, & nota toti mundo pietas viguiſſet; fuit, inquam, fuit hæc olim terror improbis, bonis in tranquillitate præſidium, in neceſſitate effugium ſingulare; à cujus integritate minores Eccleſiæ vires ſumerent, & velut ab illæſo capite membra ſaucia ſuæ ſortirentur initia ſanitatis. Nunc autem inſtat & à fide diſceſſio, & antiquæ deſolatio poteſtatis, & omnium bonorum; ejus caſus manifeſtus apparet, dum homo peccati, perditionis filius revelatur, ut adverſetur, & extollat ſe ſuprà omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ut in templo Dei ſedeat oſtendens ſe quaſi ipſe ſit Deus. Apoſtolo itaque manifeſtè dicente cognoſcimus, quoniam vel ipſe Anti-chriſtus eſt, vel in ipſo nobis Anti-chriſti tempora præparantur, cujus idem præambulus & miniſter emergit. Ecce enim jamjam intruſionis ſuæ comparat adjutores, & conſpirata in Eccleſiâ Dei factio convocatur, quam illi genus, potentia, largitio, promiſſiones, & ſcelerata dudum conjuratio fœderavit. Deſtitutas paſtore lupus oves aggreditur, & vacuam ſedem primus properat uſurpare, quod ſubrogato paſtore præſumere forſitan non auderet. Non enim niſi cum abeſt Moyſes, vitulus conflatur à populo. Ad quod tamen ſi ipſum poſtea temeritas ambitioſa compelleret, ſaltem quem ſequeretur fidelis populus inveniret. Super quo ſupremum ſibi in te conſtituit Eccleſia ſancta conſilium, ut tuâ regatur providentiâ, tuo annitente ſtudio liberetur. Aluit hæc te, & cum in aliquo tui non egeret, excepit, ut in ſummâ tranquillitate ſuis educaret uberibus, & proprio foveret amplexu. Nunc mutuum poſtulat, & ſuorum repetit præmia meritorum, ut ſcilicet in neceſſitate ſubvenias, & oppreſſæ præſtare ſubſidia non recuſes.

Numquid matrem clamantem non audies? Numquid non ſolaberis deſolatam? Numquid non exaudies exorantem? Numquid poſtulatam manum labenti coram te non porrigens ſuſtinebis?

At verò prætendis ex indignitate tuâ ſubterfugii cauſam, quaſi nos prudentiam tuam, & ſingularium partium vitæ tuæ merita neſciremus. Profectò ſi te dignum crederes, hac ipſâ æſtimatione videreris indignus. Dicis quoque nullum ſperari hîc ex paritate ſolatium, quaſi ab inferioribus conſilia, & obſequentibus auxilia nequeant exhiberi. Numquid illud præcipuè nobis onus incumbit, cum velut in humano corpore, is qui præſidet capitis formam, membrorum reliqui ſimilitudinem gerant: ut qui præeſt nutum adhibeat, difficultates expediat obſequentium labor? Revereris etiam pudore laudabili ſubire tantæ faſtigia dignitatis, in quam ſuprema Regni & Sacerdotii prærogativa mirabili fœdere copulatâ conveniunt. At nos, non ad honorem te, ſed ad periculum potiùs invitamus. Nec enim ſumus ignari, quid adversùm nos ille adverſarius machinetur. Jam ſtringit gladios, jam ſagittas acuit; nec viam ſibi ad Apoſtolatum patere, niſi noſtri ſanguinis effuſione confidit. Quantumcumque tamen diſcrimen nobis mortis immineat, maluimus ſanguinis noſtri mercedem de manu divinâ requirere, quàm de manu noſtrâ ſanguis Eccleſiæ requiratur; quamvis te mortis ſocium quærimus, imò volumus etiam præcurſorem. Exponatur jugulus tuus ſicut noſter ad victimam, neque enim fas eſt, ei qui dedit negare ſpiritum, cum repoſcit. Si quid igitur te matris deſolatæ calamitas; ſi quid inundatus aſſiſtentium fletus; ſi quis ullus honeſtatis amor, ſi quid virtus obedientiæ movet, acquieſce. Si acquieſcis, exhibemus obſequia: ſi recuſas, exigimus de inobedientiâ pœnam. Eadem enim quæ Papæ ſuperititis eſt*, ipſo decedente penes nos præcipiendi & ulciſcendi quoque conſiſtit auctoritas, donec alius inducatur.

His dictis parabant excommunicationis promulgare ſententiam, allatum interim ex longinquo pluviale præ manibus offerentes. Quid faceret? tentaret ex fugâ ſubſidium? At illud continua ſeniorum corona claudebat. Poſtularet inducias? ſed quominus impetrarentur, dilationem rei inſtantia Petri machinamenta negabant. Negaret ſemper? At illi gladio ſpiritûs imminebant, anathematis pœnam protinus intentantes. Dum ergo ſibi videtur inter geminæ mortis concluſus anguſtias, alterique eorum lege neceſſitatis ubnoxius, diſcrimen periculi corporalis excepit; quia dum reſpuit anathematis experiri ſententiam, inſidiis, imò potentiæ ſeſe Petri Leonis objecit. In eo autem quo ordine ſequenti die Petri proceſſiſſet intruſio, non diutiùs immorabor, quàm ut dixerim virum turpem, fœditum infamiâ, publicâ exiſtimatione damnatum: poſteraſis à . . . . . . & parentibus eſſe promotum. Ad te potiſſimùm, Girarde, revertar, ut quid egeris orta tempeſtate cognoſcas, & aures tuæ eorum quæ malè geſſiſti contundantur auditu.

CAPUT V.

Rex Francorum prior Schiſmati occurrit.

NUNTIATO in Galliis ſchiſmate, dum pro partibus vario favore multi multa loquuntur, fideliſque populus ancipiti raptatur errore, primus Regum Catholicus Princeps Rex Francorum LUDOVICUS occurrit. Is vocatis Epiſcopis, & omnibus qui probatæ religionis in Galliis habebantur, convocato etiam Clero regnique Majoribus, Concilium ſtatuit generale. Cumque ſe Petro-Leonis ob ſua & patris obſequia fateretur obnoxium, nihil tamen ſuper hoc celſitudini Regiæ voluit arrogare. Epiſcopis, & Patribus qui ex monaſticâ religione convenerant, omni traditâ poteſtate, ut eis, & in eos omnis diffinitio conferretur; eo quod penes ſanctos Epiſcopos Eccleſiæ diſpenſatio tota conſiſtit; & Abbates, quos divinitatis contemplatio reficat, divina latere conſilia non creditur. Cui concilio quoniam intereſſe, GIRARDE, non poteras, cum litteris tuæ deformitatis imagine conſignatis nuntium deſtinaſti.

Girardus Petri Leonis pravos mores ſcriptis oſtendit.

Utramque te noviſſe perſonam, & electionis ordinem pleniùs exquiſiſſe, proculdubio cum INNOCENTIO Papa ſtare juſtitiam, eo quod planè vir eſſet honeſtatis egregiæ; & ipſius electio prima tempore, & à præcipuis Romanæ Eccleſiæ fuerat celebrata perſonis. Porrò PETRUM per opulentam manum Cathedram poſteriùs uſurpaſſe, virum adeo vitâ reprobatum & nomine, ut ſi ipſum etiam quælibet electionis forma defenderet, promoveri tamen vitæ qualitas, & infamia minimè ſuſtineret. Id tibi, & tuæ legationi ſubjectis ratum fore; idque cùm Lugdunenſem, tùm Viennenſem Eccleſiam, tùm totam ferè Italiam ab ipſis urbis mœnibus excepiſſe. Aderant autem ibidem venerabiles quæ Romæ fuerant ſub eâdem tempeſtate perſonæ, quæ rerum ſeriem planè cognoverant, præſertim quæ oculatâ fide ſingula percepiſſent. Habebantur quoque ſuper hoc ipſo & aliarum quæ non aderant ultrò delegata teſtimonia: ſimul & perſuaſiones perſonarum, quas ſpiritum Dei habere certa fides eſſet, cum tot hominum ſenſus in eamdem forte confluerent voluntatem. Sicut enim una bonorum fides eſt, ſic & ſpiritus unus: malorum verò ſpiritus multiplex, & voluntas ambigua.

Tandem ergo favore divinitatis multis lacrymis implorato, dum utriuſque perſonæ merita & proſequentia partes ſtudia conferuntur, invenitur eſt PETRUS indignior adeo, ut ex ipſius comparatione alteri perſonæ irrogari gravis injuria videretur. Studia verò partium tanta dividebat imparitas, ut Petro nondum extra urbis mœnia quiſquam faveret, alterum infrà urbem quidem pars potior elegiſſet, & extrà urbem uſque ad fines terræ tota jam ferè Patrem confiteretur Eccleſia. Sumptâ igitur ex Magni Leonis Papæ decreto ſententiâ, ubi ſe partium vota diviſerant, viſus eſt illis jure canonico præferendus is, qui majoribus ſtudiis juvabatur & meritis. Quâ nimirum ratione cum in Papam INNOCENTIUM inſpirante Domino conveniſſent, ipſi ſtatim de obedientiâ tuâ, & debitâ ſubjectione ſcripſiſti: poſtulaſti tamen ipſius honorari reſcripto, & munus legationis habitæ confirmari.

Electioni primùm Innocentii aſſenſit Girardus.

Viſum eſt ſimoniacum, favorem tuum redimere legationis officio: & cum ipſe partes illas viſitare ſub eodem tempore decreviſſet, nullus locus poterat ſub ipſius præſentiâ reſtare legato. Neque enim Legatus præſentis perſonæ, ſed abſentis explet obſequium. Jamque tantus ad Romanas aures malæ adminiſtrationis tuæ clamor aſcenderat, ut eſſet de eo quod olim impetraveras pœnitentia major, quàm ut modo reſtituereris affectus. Tuliſti repulſam graviter, & mutilata potentiæ tuæ cornua doluiſti. Atque inferioribus antea modo factus inferior, & velut in ſenectute reputatus inutilis, conſueti beneficii finem, rapinæ ratus injuriam, temerariæ ſuccenſus es ultionis affectu.

Sed poſtea ſententiam mutavit, quòd ipſi negatum legationis officium.

Quoniam dum repulſa miniſtrat iracundiæ cauſas: & innata dedignationem parit elatio; addidit ambitio cæcitatem, quæ quidem res cum otia neſciant, & à ſuis effectibus vacare non poſſint, contemptum jam ſuſceptæ partis dedignatio fecit, indiſcretionem cæcitas operata eſt, temerarios auſus iracundia præformavit. Spreto igitur eo quod rectè ſuſceperas, & indiſcretè converſus ad aliud, temerariè prioribus contraria concepiſti; factumque eſt quod in rebus ſæpe contingit humanis,

Digitized by Google

ut circà rem propenſiùs affectatam, ſpem præcipitem deſideria concepta firmarent. Miſiſti Legatum Romam, qui eidem quem jam devoveras Petro favorem tuum venalem, pro munere legationis offerret, & ſimilem ſibi miniſtrum domino fœderaret. Expletum eſt ſine difficultate commercium; & dum te cæcitas indiſcreta conducit, miniſtrum te ſchiſmatis addixiſti, ut inutili privilegio donareris. Formata eſt tibi, ſed inanis nova legatio, & quidquid ab Alpibus uſque ad fines Occidentis interjacet, tuæ ditioni ſed inefficaci donatione ſubjectum eſt. Et ne excedenti ambitioni tuæ fortaſſis anguſtior prædictorum finium præſcriptio videretur, adjectum eſt, ut ubicumque calcaret pes tuus, ibi eſſet legatio tua. Inveniſti, Girarde, hominem de alieno munificum, ſed ſi rei fructum diligenter attendas, dum tibi reſcribuntur maxima, minima recepiſti. Nihil enim tibi Petrus impendit, niſi quod nec ab ipſo, nec ipſius poteſt nomine poſſideri. Implevit tamen aures tuas ſpatioſitas circumſcripta terrarum, & cupiditatem tuam rei qualitas æſtimata ſolo ſtatim gaudio ſatiavit. Sed ambitionem tuam digniſſimus excepit eventus, dum munus inutile prima ſtatim rerum experientià deprehendiſti. Emiſſis igitur ex omni parte curſoribus, cœpiſti Principes ſollicitare finitimos, eos ſcilicet qui rei nondum cognitâ veritate, neutrius adhuc partis nomine nitebantur.

CAPUT VI.

Henricum Regem Anglorum ad partes Petri-Leonis allicere tentat Girardus,

DE circumveniendo autem Rege Anglorum HENRICO præcipuè laborabas; & quia cauteriatam conſcientiam habens, Principi Catholico & ſapienti de ſuſcipiendo PETRO-LEONIS manifeſtè ſuggerere non audebas, ut neutrum ſuſciperet mirabili ſolertià ſuggerebas, ita tamen ut in Petrum tua aliquanto proclivior oratio videretur. Rem ſtare ſub dubio, multos utriuſque partis eſſe fautores, feſtinaſſe quoſdam qui jam multâ pœnitentià ducerentur: Petri-Leonis in civitate inexpugnabilem eſſe potentiam, præſertim qui munitionibus maximis, qui pecuniâ plurimâ, qui denique parentum multitudine maximâ fulciretur. Aſſeverare multos ipſum non juſtitià, ſed potius invidià reprobatum; eo quod perſpicax ejus ingenium, & amplitudinem animi, & irrefragabilem potentiam reliqui vererentur: neminem tamen eſſe, qui poſſet eum urbis privare dominio, penes quam caput Eccleſiæ ſemper fuiſſe, ſed & denique reverſurum fore nullus ambigeret. Ipſum, & eos qui cum ipſo erant, ſufficientes ex proprio, & omnes ad Apoſtolatum pertinentes civiles redditus obtinere: non oportere ipſum ad alienas inſpicere facultates, nec ad invertendum quidlibet rei familiaris inopià compellendum. Si ſuſciperet alterum, onerofum ſibi, & ſuo regno fore, & quod Regi eſt etiam damno deterius, dedecus affuturum, ſi pars altera prævaleret. Nihil eſſe importabilius inde gente Romano, ſub cujus ſis arbitrio conſtitutus. Diſſimularet igitur, & rerum exitus potiùs exſpectaret, quàm ſera præcipitem ſententiam pœnitentia ſubſequatur. Utilius enim eſſe ſine diſpendio declinare pericula, quàm cum gravi diſpendio ipſis ultrò periculis obviare.

Contemnit Rex Girardi fraudulentos ſermones.

Agnovit Rex ſapiens latentem in ſermone ſerpentis aſtutiam, & venenum ſub melle reconditum, quia ſcilicet illa non bonâ fide conſulentis animo mandaveras, ſed fallentis, ut Domino Papa priùs quâlibet arte fraudulenter excluſo, ad loquendum pro Petro tibi commodior aditus appareret. Faciliùs enim ad favendum parti noſtræ vacuos vendicamus affectus, quàm favore jam partis alterius occupatos. Ille verò non diſſimulandum, ſed laborantis Eccleſiæ neceſſitatibus adjutor ultroneus credidit occurrendum, ne perſuaſione tuâ probaretur acephalus; & ab uberibus matris ſuæ fieret alienus.

Regis virtutes extollit Author.

Rex maximus, cujus ad juſtitiam omnes ferè Principes invitantur exemplo, cujus in pauperes munificentiam, liberalitatem in omnes, cuncti Reges mirari poſſunt potiùs, quàm velint aut valeant imitari. Cujus ſapientiam regnum ipſius & Ducatus etſi latè ſpacioſa non continent, ſed ad circumjectas refunditur undique poteſtates.

Cum autem, Girarde, Regibus Hiſpanorum, Britannorumque Principibus eadem ſuggerendo mandaſſes, & ſperatos fructus concinnata tibi mendacia non referrent, cœpiſti dementiore veſaniâ infrà domeſticos parietes debacchari. Pictavienſem Comitem nactus erroris ſocium, & ſchiſmatis adjutorem; quem etiam Pictavienſis Epiſcopi [c] Catholici ſenis negata depoſitio, & contrà ſacratiſſimos canones non exaudita petitio, indignatum pariter à Catholicâ repulit unitate.

Hæc ſunt, GIRARDE, quæ pro Eccleſiâ & adverſùs Eccleſiam ſub initio tempeſtatis egiſti, quæ licet rudi forſitan & inculto ſermone narraverim, ſolam ſaltem ſequi potui veritatem. Nihil enim ſcripſi, quod non vel ipſe cognoverim, vel auctore probabili non haberem, vel quod ſaltem fama publica non affirmet, ut proinde non minùs aliis probabile videatur, cum ipſi tot teſtimonia ſuffragentur ad fidem. Jam verò ſi rectè propoſitæ partitionis membra recolligo, ſola mihi propoſiti mei ſupereſt pars extrema, in quâ quibus Eccleſiam Dei moleſtiis vexare quidem & perſequi non deſiſtis, ex parte dicendum eſt. Si quis enim vellet cuncta narrare, nec ad dicendum lingua ſufficeret, nec calamus ad ſcribendum.

CAPUT VII.

SUSCEPTA igitur PETRI-LEONIS Epiſtolâ, cœpiſti per fines Aquitaniæ diſcurrendo priſtinæ prædicationi tuæ prædicare contraria, Petrum ſcilicet Leonis ANACLETI nomine, ſed veriùs Anti-chriſti, Papam eſſe; cujus quidem Apoſtolatum ſedes principalis exciperet, & totius civitatis obedientia confirmaret. Alterum civitate pulſum cum paucis fautoribus ſine certâ ſede vagantem, avertentem populos, & ab Eccleſiâ ſeparantem; quem nec Cathedra Lateranenſis agnoſceret; nec ei obſequium Romana civitas exhiberet. Quem Papam credere ſimilis amentia videbatur, ut ſi quis carentem regno Regem dicere, deſtitutum principatu Principem appellare voluerit. Quaſi modo, Girarde, juſtitiæ loca præjudicent, & jus dignitatis perimat illius civitatis egreſſus, & velut ſolius populi Romani favor omnibus ferè populis debeat anteferri. Numquid enim ipſe Laterani reſidens, in illâ Beati Johannis Eccleſiâ principali Chriſtianiſſimum Principem LOTHARIUM conſecravit in Regem? Numquid ipſum & Imperii nomine, & Imperiali diademate reutentem ſolemnitate debitâ decoravit? Numquid ipſum pars magna nobilium, & totius populi conſcientia comitatur? Numquid eidem urbis habitatio, & ingreſſus pro arbitrio patens eſt & egreſſus? Quibus profectò ſi careret omninò, nullo tamen eorum poſſet Juſtitiæ derogari. Sed dum te latens odium ſtimulat ad vindictam, linguam mendacio non negabas, ut verba veneno mendacii toxicata, infidelitatis vulnere ſimplicium pectora ſauciarent. Circà quod dum

Lotharium Regem & Imperatorem inauguravit Innocentius Papa.

c *Pictavienſis Epiſcopi*] Guillelmi, quem in Catholicâ fide probatum ſcribit Innocentius II. in Privilegiis Monaſt. Aureæ-Vallis, tom. 4. Gall. Chriſt. *pag.* 114.

unicum tibi propoſitum, unicus urguendi labor, unica laboris perſeverantia conſtat, torrentes impetus tuos prævertit modicum vis divina; primumque de inefficaciâ ſperatæ poteſtatis argumentum acceſſit, in ligationem verſa legatio. Captus es, & menſibus aliquot recluſus in carcere, donec quos gratia prædeſtinaverat, plena veritatis agnitio confirmaſſet, & qui priùs de reſcriptâ tibi legatione ſpetaverant, de ligatione poſtea deſperarent. Reſerato autem carcere proceſſiſti quaſi pardus è caveâ, cujus rabie carcere diutiùs & catenis inhibitâ, ſi forte liber evaſerit, inſurgit audacior, nec eum ulla poteſt ſanguinis effuſio ſatiare. Æſtimabas adhuc auctoritate tuâ totum poſſe præverti, quod Eccleſia ſancta dictaverat, & penes te rerum pondera & momenta conſtare. In quo neſcio tuamne magis cæcitatem vel arrogantiam mirer. Quia quæ arrogantia major, quàm hominem penè ſolum adverſus illud inſurgere, quod divina providentia confirmavit, quod omnis religio confirmavit, quod omnium Regnorum favor confirmavit, quod & ipſe quantum ſuâ intereſt, confirmavit? Quæ major cæcitas, quàm ubi nullum Dei præcedit, exile hominis ſuccedit auxilium, contrà univerſitatem ſperare victoriam? Non potes negare, quin falſi crimen & inconſtantiæ ſimul incurreris, leviſſime transfuga, modo harum, modo illarum partium malefidus aſſertor, cujus in ſingulis operibus duplices vias, duplex ſignat intuitus, & affectus mentis ancipites, ambiguus manifeſtat aſpectus. Sicut enim corporales oculos tuos innaturalis quædam diſtorſit enormitas, ut ad idem contuendum mirabili nequeant diſcordia convenire, ſic & mentis oculi diſſident, ratio ſcilicet & affectus.

Pictavienſis ac Lemovicenſis Eccleſiæ, Comitis viribus abutendo, Catholicos ejeciſti Pontifices, alios extraordinariè ſuperponens; quorum alterum minùs vitâ probabilem, & nullarum hominem litterarum, & in vulgari etiam ſermone ferè prorſùs elinguem, Romana Eccleſia ab ejuſdem Pictavienſis Eccleſiæ regimine reprobatum, olim canonicâ deciſione removerat. Ille tamen nunc auctoritate ſuâ jura patris ſuperſtitis uſurpare non renuit, quamvis ipſi obligatus filialis obedientiæ vinculo teneretur, & licet ſeſe totum manibus ejus, fide etiam corporaliter præſtitâ, dedicaſſet. Alter verò nec ſæculari præditus, nec ſcientiâ litterarum, famoſus apud omnes adulter, ſingulis ferè noctibus à dæmonio rapitur, primumque de ſtrato provolutus in terram, horrendum clamans per totam diem, domum dormiens etiam dicitur evagari; neve ſit circà eorum qualitatem diutiùs immorandum, primis ordinibus, nedum ſacerdotio, nedum etiam Epiſcopali officio convincuntur indigni. Sed neque tu, niſi tibi conſimiles, poteras æſtimare condignos, nec diſſimilia tibi capitique tuo Petro membra formare. Semper enim proprium quælibet opera confitentur artificem, & in eis voluntatis eorum vel ſcientiæ velut imago quædam reperitur expreſſa. Quid autem celeberrima Monaſteria ſanctis Abbatibus expulſis deſolata commemorem; & ſubrogatos ad ejuſdem ſollicitudinis onera precio vel gratiâ juniores? Quibus adminiſtrantibus tanto jam cœpere monaſteria laborare defectu, ut in iis quæ ſingulari nuper religione pollebant, nulla jam ferè virtutis aut regulæ veſtigia reſtent. Illis enim quorum catenùs ardentes monaſticus ordo frænabat affectus, traditæ diſpenſationis occaſio licentiam comparat effluendi. Nihilque ad periculum religionis efficacius eſt, quàm irreligioſum ſuſtinere Paſtorem.

Hic autem te, GIRARDE, convenio, & veteri de Apoſtolatu pauliſper ſepoſitâ quæſtione, quaſi tibi Petri munere jus legationis accedere potuiſſet; in his operibus ordinem requiro canonicum. Spoliatos rebus, ſedibus ſuis violenter expulſos inconventos, incommonitos, abſentes quoque, nullo tecum Epiſcopo reſidente, damnaſti. Sed ut hæc etiam ponamus ordine proceſſiſſe canonico, in aliorum ſuperpoſitionibus regularem diſciplinam, formamque rationis expoſco. In illorum enim qualibuſcumque promotionibus nec juſtitiam, nec umbram juſtitiæ dinoſceris attendiſſe.

Blanditur elatis auribus tuis fortaſſe tantæ rememoratio poteſtatis, quia hæc pro tuâ potuiſti prævertere voluntate. In quo ne nimiam capias voluptatem, quantum tibi partique tuæ profueris conſequenter attende. Tertia pars Pictavienſis Epiſcopatûs quem poſuiſti non agnoſcit Epiſcopum, eique totus ferè Nobilium numerus reſpuit obedire, adeoque omni conſcientiâ reprobatus abjicitur, ut & frater ejus naturalis excommunicatum ex hoc ipſo judicet, nec ullâ ei communione jungatur. Catholicus verò uſque ad portas civitatis plenâ poteſtate dominatur Epiſcopus, & eum majores perſonæ pontificalis Eccleſiæ comitantur, ad formam beati Petri relictis omnibus exulem proſequuti. Alii fornices civitatis inhabitant, qui ſuper ollas carnium recumbentes, gentis & loci potiùs quàm animæ perditione terrentur. At Lemovicenſis ab urbe ſuâ ſtadio uno vix interjacente remotus, caſtrum ſancti Martialis pro foribus urbis inhabitat; unde is qui ſedem ſibi cathedræ Pontificalis uſurpat, ſingulis diebus audire poſſit campanas in ſuâ excommunicatione ſonantes. Te quoque Paſtorem ſuum Engoliſmenſis patria minimè profitetur ubique, ſed & ibi multi catholicæ partis nomine gloriantur.

Diſtuli circà extremitates orationis hujus de uſurpatione Burdegalenſis Archiepiſcopatûs apponere, ut ex hoc illa effrænis ambitio tua irrefragabili liqueat argumento. Engoliſmenſi Eccleſiæ copulatus ſpirituali connubio tenebaris, impudens tamen dominandi libido contemplatione prænominatæ dignitatis incanduit; & dum deſcendentium jam rerum tuarum detrimenta non ſuſtines, ad compenſationem fruſtratæ legationis in amplexum quaſi ditioris adulteræ prorupiſti; filiæ ſponſus, inceſtu matrem nefario polluere non abhorres, & monſtrum biceps, inſolitum ſæculo prodigium non renuis apparere. Non expetitio populi, non cleri præceſſit electio: ſed etiam nunc excommunicatum reputans univerſitas tibi, vel pars ſaltem maxima, refragatur, in partem catholicam multo deſiderio ſuſpirantes.

CAPUT VIII.

AGe ergo, ut quaſi ab initio ſumma omnium brevi complexione claudatur, quia ab eo quod exceperas receſſiſti, temeritatis vel inconſtantiæ te condemnat. Aut enim huic parti temerarius conſenſus adjunctus eſt, aut certè nimis inconſtanter ademptus. Quod autem favorem tuum ab hac parte prima tulit negatio, nullum cæcæ ambitionis eſt firmius argumentum. At verò idipſum palliari fortaſſis aliquo conquiſitæ falſitatis velamine potuiſſet, ſed facta in alteram partem non niſi eâdem legatione impetratâ favoris tranſlatio, omnem tibi copiam defenſionis ademit. Ad ſummam, jam te non illicitè ſolùm, ſed & impudenter operari convincit, Archiepiſcopi & Epiſcopi in eamdem perſonam facta confuſio.

His itaque de te toti mundo patentibus, quâ ſaltem imagine juſtitiæ tibi nomen uſurpas, dum publicè ſuadere putas, te, etſi non ex ſcientiâ, zelo tamen taliter operari? Numquid hæc opera, te non imprudenter ex ſimplicitate delinquere, ſed impudenter ex arrogantiâ contemnere manifeſtant?

Impru

Prov. 18. 3.

Impius enim cum venerit in profundum, contemnit. Saltem deficientia naturæ lege membra conſidera, quia tempus eſt finem dare nequitiæ, & inutiles mundo reliquias exſpectanti Deo gratum munus offerre. Declives ad infima vultus attolle, & enormes oculi tui ad partem dirigantur oppoſitam, ut videas quàm bonum & jocundum eſt in unum habitare. Sed quoniam nocturnus bubo „lucem diurnam non ſuſtines intueri, cœcus aures arrige, niſi & eaſdem inſurdaverit obſtinatio cordis. Audi ergo cum quibus habites, & quorum conſortia reſpuas. Infidelis univerſitas illa quam ſequeris, familia Petri-Leonis eſt, nondum fermento Judaicæ corruptionis penitùs expiata. Et Tyrannus ille, quem altrix tyrannorum Sicilia ſuſtinet, Dionyſii ſucceſſor, aulæ ipſius heres, & ominis, emptus inani Regis nomine; Dux quidem antea, nunc verò nec Dux ipſe nec aliud, quia nomen alienum, quod contrà juſtitiam Tyrannus uſurpat, in ipſo nullatenùs obtinere certo jure firmatur; huic numero ſolus Pictavienſis Comes adjicitur, voluptatum vir, animalis homo, arcana ſpiritualium non attingens, ob repulſam petitionis illicitæ mancipatus errori. Sub quâ paucitate ſi quis ſanctam dixerit Eccleſiam contineri, certè non derogata ſolùm Chriſti videtur hereditas, ſed penitùs abrogata. Ubi ergo David ſancte, ubi tua vetus illa promiſſio? ubi Pauli? ubi ſanctorum teſtimonia Scripturarum? Ille enim Rex Sanctus ex perſonâ Patris ad Filium: *Poſtula*, inquit, *à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Et alibi: *Dominabitur à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis terrarum.* Et Paulus: *Deus*, inquit, *exaltavit eum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine* Jesu *omne genu flectatur.* Dices fortaſſis, jam impleta quæ dicunt, nec obſtare hæc quominùs poteſtatis hujus immineat defectus. Sed regni ejus non erit finis: regit enim in virgâ ferreâ. Partem verò noſtram, ſi tamen hæc tantilla cogat exceptio, ut nomine partis univerſitas ferè tota vocetur, omnis Imperator, omnis Rex, omnis Princeps, omnis homo denique profitetur, quicumque Chriſtiani nominis inſignitur honore. Sed ego, ſi qua fides eſt, favorem Principum populique, quos adhuc ſæcularis tenet affectio compeditos, in tam divino negotio negligenter attendo. Horum in hoc mihi conſenſus præcipuus eſt; horum me movet, motum trahit, tractum tenet auctoritas, quibus datum eſt noſſe myſterium regni Dei, quorum in cœlis eſſe jam ex parte converſatio perhibetur. Quales revera ſunt qui Carthuſiæ perpetuas nives inhabitant, & qui à Ciſtercienſi, vel Cluniacenſi Monaſterio profluentes lucis ſuæ radios undique diffuderunt. Hi enim à manibus ſuis & animo, ſaniore conſilio terrea removentes, aſpera veſte, cibo cùm raro, tùm arido, vigiliis, multiſque laboribus corpus macerant, ad eam tantum retributionem totis animi viribus anhelantes, quam diligentibus ſe gratiam repromiſit. Horum ſancta converſatio, ſermo ſapiens, in divinis diſcretio perſpicax, quam denique nulla nubes terrenæ denſitatis obfuſcat. Patitur quidem eos Deus moleſtiis affici, ut tamquam aurum in fornace probentur, ſed ultrà eorum non excreſcit tentatio facultatem. Licet igitur eos adhuc ex parte remoretur in terris, ut promiſſas augeant deſideria protracta coronas, à divinis tamen conſiliis non creduntur excluſi: *Angeli enim eorum ſemper vident faciem Patris:* & eos familiari ſancti Spiritûs viſitatione faciunt illuſtrari. Neque enim etiam in præſenti, ſua deſerit retributio ſuſtinentes: juxtà illud: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Vado* enim, inquit, *& venio ad vos, & gaudebit cor veſtrum.* Quid igitur? fraudabitur operis ſui fructu pars electa quam dico, & promiſſionem ſuam divinitas immutabit? Abſit. *Juravit* enim *Dominus, & non pœnitebit eum.* Horum ergo mentes promiſſus Spiritus ſanctus inhabitat, quas congrua ſibi templa paravit, & eas neceſſariò plena cognitione veritatis illuſtrat. Quoniam ſi Spiritus Deus eſt: Deus autem veritas, profectò ſub præſentiâ Spiritûs non reſtat ignorantia veritatis. Quid plura? Jam ne ſermo noſter metas debitæ brevitatis excedat, pauca de pluribus, minora de maximis dixiſſe ſufficiat.

Pſal. 2. 18.
Ibid. 71. 8.
Philip. 2. 9.
Carthuſienſes; Ciſtercienſes, & Cluniacenſes laudat.
Matt. 18. 10.
Pſal. 93. 19.

MONITUM.

EST Havelbergum urbs Germaniæ in Marchiâ Brandenburgenſi, Epiſcopatus ſub Archiepiſcopatu Magdeburgenſi. Eo in loco Anſelmus claruit omni genere literaturæ, tùm divinæ, tum humanæ, atque SS. PP. ſcriptis non mediocriter imbutus, tempore Lotharii II. Imp. cujus exſtitit Apocriſiarius, ac Legatus Conſtantinopolim miſſus ad Græcorum Imperatorem, ubi à Græcis ſapientioribus Epiſcopis provocatus, celebrem conventum inſtitui curavit, in quo de controverſiis Græcos inter & Latinos fortiter, ſummâ tamen cum modeſtiâ, ultrò citroque diſputatum eſt. Hujus Diſputationis narrationem deinde deſcripſit Anſelmus juſſu Eugenii Papæ tribus libris, quos D. Jacobus Lannoy eruit è Ciſtercienſi codice. Idem Anſelmus conventioni inter Fridericum Imp. & Eugenium ſubſcripſit, ac poſtmodo Archiepiſcopus Ravennas fuit, ut diſcimus ex Rubeo pag. 336. & Ughello, Italiæ Sacræ tom 2. pag. 367. & tom. 4. pag. 294. Quamquam haud improbabile ſit Græca vocabula ab Anſelmo ipſo Latinis literis eſſe deſcripta, placuit ea Græcis deſcribere, ne quem fallerent, ut Acherium fefellere.

INCIPIT PROLOGUS ANSELMI HAVELBERGENSIS EPISCOPI In Ἀντικειμένων contrapoſitorum ſub Dialogo conſcriptum.

Ad venerabilem Papam Eugenium III. *anno* MCXLV. *tempore beati* Bernardi.

Anno 1145.

EUgenio Domino, ac ſemper intuendo & amplectando, beatiſſimo ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Papæ, Anselmus pauper Chriſti, Havelbergenſis Eccleſiæ inſufficiens Epiſcopus, obedientiam abſolutam in Domino.

Cum in præſentiâ beatitudinis veſtræ eſſem menſe Martio apud urbem Tuſculanam, inter multa quæ

ſanctitati veſtræ mecum conferre placuit, dixiſtis mihi, quòd quidam Epiſcopus legationem Conſtantinopolitani Imperatoris, & epiſtolam Græcis apicibus conſcriptam perferens, ad Sedem Apoſtolicam nuper venerit. Dixiſtis etiam, quòd idem Epiſcopus Græcorum litteris plurimùm inſtructus, & decenti ſermonum facundiâ ornatus & confiſus, multa de doctrinâ & eccleſiaſtico Græcorum ritu propoſuit, quæ doctrinæ Romanæ Eccleſiæ minimè concordant, & à ritu ejus [a] valde diſcrepant. Et ipſe quidem nonnullis auctoritatibus ſanctarum Scripturarum ad ſuum ſenſum violenter retortis, univerſa in quibus Græci à Latinis diſcordant tamquam recta viſus eſt affirmare; ea verò, in quibus Latini à Græcis diſcrepant, tamquam non recta viſus eſt infirmare: illud nimirum quod ſuum erat, quia ſuum erat, non quia verum erat, per omnem modum probando; hoc autem quod noſtrum, quia noſtrum & non ſuum erat, omninò improbando. Inter quæ maximè, ſicut dixiſtis, *de proceſſione Spiritûs ſancti* diſputavit, quem Græci quidem à Patre tantùm, Latini verò à Patre & Filio procedere credunt & dicunt: & [de] rito ſacrificii in altari, quod Latini quidem in azymo, Græci verò in fermentato celebrant, nec non de quibuſdam aliis ſatis argumentosè in quæſtionem poſitis.

Objectiones Græcorum.

Anſelmus Legatus Lotharii Imperatoris Conſtantinopoli aliquamdiù moratus eſt.

Unde, quoniam ego aliquando magni LOTHARII Romanorum Imperatoris Auguſti Legatus fui in Conſtantinopolim, & ibidem aliquam moram faciens, multas ſuper hujuſmodi doctrinâ & ritu collationes & quæſtiones, modo in privatis, modo in publicis, tam Latinorum, quàm Græcorum conventibus habui, placuit ſanctitati veſtræ & præcipiendo rogare, & rogando præcipere, quatenùs ea quæ vel ego ibi dixerim, vel ab illis dicta audierim & exceperim, in unum colligerem, & quaſi ἀντικειμένων, id eſt, librum contrapoſitorum, ſub Dialogo conſcriberem, quatenùs univerſa quæ vel ab eis ſuper his dicuntur, vel quæ eis rationabiliter opponuntur, providentiæ veſtræ tanto liberiori judicio examinanda ſubjacerent, quanto veriùs ea diſcretioni veſtræ innoteſcerent. Nonnulli quippe Latini Græcorum dictis plerumque falluntur, dum ea verborum tantùm tranſitu audiunt, non autem examinato ſenſu intelligunt, putantes eos affirmare quod non affirmant, aut negare quod nullatenùs negant.

Juſſu ſummi Pontificis hoc opus aggreſſus eſt ſub Dialogi formâ.

Feci itaque quod juſſit Apoſtolica auctoritas, cui ſemper obtemperandum eſt, non tantùm devotâ humilitate, verùm etiam æternæ ſalutis neceſſitate. Conſervavi autem quantum memoria ſubminiſtrabat, tenorem Dialogi quem cum venerabili ac doctiſſimo Archiepiſcopo Nicodemiæ Nechite in publico conventu apud urbem Conſtantinopolitanam habui, addens quædam non minus fidei neceſſaria, quàm huic operi congrua. Fuit autem idem Archiepiſcopus Nechites præcipuus inter duodecim Didaſcalos, qui juxtà morem ſapientum Græcorum, & liberalium artium & divinarum Scripturarum ſtudia regunt, & cæteris ſapientibus, tamquam omnibus præeminentes in doctrinâ, præſunt, & ad quos omnes quæſtiones difficillimæ referuntur, & ab eis ſolutæ deinceps ſine retractatione, & pro confirmatâ ſententiâ tenentur & ſcribuntur. Præmiſi autem librum de unâ formâ credendi & multiformitate vivendi à tempore Abel juſti uſque ad noviſſimum electum, multis quorumdam fratrum precibus coactus, qui dicebant multis parvulis, necnon & ſapientibus [haud] modicum eſſe ſcandalum, quòd in Eccleſiâ quæ una eſt, unam fidem tenendo, tot tam diverſæ religionis novitates paſſim ubique per ſucceſſiones temporum emergant multiformiter mundo. Quamvis autem veſtræ beatitudinis arbitrium pretioſiſſimo ſacrarum Scripturarum theſauro plenum & ſuper omnia eminens abundè ad reſpondendum Græcis ſufficiat, & hoc agno revelante, vel aperiente ſigillum divinæ Scripturæ, qui occiſus eſt ab origine mundi, & quamvis poſt tanti Doctoris excellentiam ab aliis quoque Latinorum ſapientibus multa validiora adverſùs eos queant conveniri argumenta, tamen ea quæ ego in hac [illegible] ſub Dialogo contexui, non ſubito ab aliquibus judicentur ſuperflua, quoniam fortaſſis aliqui humiles, & ad aliquid inveniendum ſubito non adeo agiles ſenſus habentes, iſta libenter lecturi ſunt, ut & quæ Græci dicunt, veriùs cognoſcant; [&] quæ illis reſponderi poſſunt, aliquatenùs hîc inveniant. Sanè quicumque hæc legerit, ſciat me ea ſcripſiſſe non tam ut quemquam docerem, aut quid ego didicerim ut oſtentarem, quàm ut Apoſtolicæ beatitudinis ſancto mandato obedirem, cui non obedire majus peccatum eſſe arbitror, quàm tametſi minùs utilia, ſeu minùs probabilia obedienter ſcribere. Feci itaque quod potui, licet minùs quàm debui, vel volui, & quod debui, probabiliter quidem obediendo, licet minùs probabiliter ſcribendo: gravior nempe culpa eſt mandato non obedire, quàm obediendo etiam qualiacumque ſcribere, ſalvâ tantum rectitudine fidei: quoniam ſi imperitia ſcribendo peccat, id injuncta & humiliter impleta obedientia excuſat.

Explicit Prologus.

INCIPIUNT CAPITULA PRIMI LIBRI ANTIKEIMENΩN.

I. *De eo quod quidam ſolent mirari tam varias Chriſtianæ Religionis formas.*

II. *Quòd unum corpus Eccleſiæ uno Spiritu ſancto regitur & gubernatur, diverſas habens gratiarum diviſiones.*

III. *De diverſo ſacrificiorum ritu, quo placabatur idem & unus Deus ab Abel uſque ad Chriſtum.*

IV. *Quòd antiqui Patres, licet ſingulos Chriſtianæ Fidei articulos ad plenum non noverint, tamen in fide futuri ſalvati creduntur.*

V. *Quòd duæ tranſpoſitiones famoſæ Religionis factæ ſunt, Legis videlicet & Evangelii, cum atteſtatione terræ-motûs propter ipſarum rerum magnitudinem.*

VI. *Quòd Vetus Teſtamentum Deum Patrem quidem manifeſtè, Deum autem Filium obſcurè prædicavit; Novum autem Teſtamentum Deum Filium manifeſtavit, ſed Spiritûs ſancti deitatem primò ſubinnuit, & paulatim ſufficienter edocuit.*

VII. *De ſeptem ſigillis ſignificantibus ſeptem ſtatus Eccleſiæ; & quod in primo ſtatu exeunte albo equo miraculorum & prodigiorum novitate primitiva Eccleſia creſcebat.*

VIII. *Quòd in ſecundo Eccleſiæ ſtatu exeunte rufo equo graviſſima perſequutio incanduerit.*

IX. *Quòd in tertio Eccleſiæ ſtatu exeunte nigro equo maxima hæreticorum procella Eccleſiam ſuprà modum turbaverit.*

X. *Quòd in quarto gradu Eccleſiæ exeunte pallido equo in falſis fratribus Eccleſiæ Dei ſupra vires elaboraverit; in quo etiam ſtatu multa ac varia Religiones creverunt.*

a *& à ritu ejus*] Sic emendavit Baluzius, antea legebatur, *& autem ejus*. In hoc prologo nonnullas voces quæ omninò neceſſariæ erant, intrà uncos adjecimus.

XI. *Quòd in quinto ſtatu Eccleſiæ animæ Sanctorum ſub altare Dei clamant :* Uſquequo, Domine ſancte & verus : non vindicas ſanguinem noſtrum de his qui habitant in terrâ, *&c.*

XII. *Quòd in ſexto ſtatu Eccleſiæ facto terræ-motu magno validiſſima perſecutio futura eſt tempore Anti-Chriſti.*

XIII. *Quòd in ſeptimo ſtatu Eccleſiæ poſt multas tribulationes futurum eſt ſilentium magnum, & inſtaurabitur octava infinitæ beatitudinis : & ita Eccleſia Dei, quæ eſt una in fide, una ſpe, una charitate, multiformis eſt diverſorum ſtatuum varietate.*

INCIPIT LIBER PRIMUS DE UNITATE FIDEI, ET MULTIFORMITATE VIVENDI AB ABEL JUSTO USQUE AD NOVISSIMUM ELECTUM.

CAPITULUM PRIMUM.

De eo quod quidam ſolent mirari tam varias Chriſtianæ Religionis formas.

Objectiones adverſus inſtituta varia, tùm Clericorum, tùm Monachorum.

SOLENT plerique mirari, & in quæſtionem ponere, & interrogando non ſolùm ſibi, verùm etiam aliis ſcandalum generare : dicunt enim, & tamquàm calumnioſi inquiſitores interrogant : Quare tot novitates in Eccleſia Dei fiunt ? Quare tot Ordines in ea ſurgunt ? Quis numerare queat tot Ordines Clericorum ? Quis non admiretur tot genera Monachorum ? Quis denique non ſcandalizetur, & inter tot & tam diverſas formas Religionum invicem diſcrepantium tædioſo non afficiatur ſcandalo? Quinimò quis non contemnat Chriſtianam Religionem tot varietatibus ſubjectam, tot adinventionibus immutatam, tot novis legibus & conſuetudinibus agitatam, tot regulis & moribus ferè annuatim innovatis fluctuantem ? Quod modo, inquiunt, à quibuſdam propter regnum cœlorum præcipitur, hoc ſtatim ab eiſdem, ſeu ab aliis propter regnum cœlorum prohibetur. Quod modo tamquam ſacrilegum inhibetur, ſubitò tamquam ſanctum & ſalubre conceditur.

Tales, cum otioſi ſunt, inducunt quæſtiones, & corda ſimplicium pervertunt, dicentes omnem religionem tanto eſſe contemptibiliorem, quanto mobiliorem. Quod enim, inquiunt, eſt tam mobile, tam variabile, tam inſtabile, quomodo alicui ſapientum dignè poteſt eſſe imitabile ? propriâ quippe ſui varietate probat ſe reſpuendum eſſe. Ecce videmus in Eccleſiâ Dei, ut aiunt, quoſdam emergere, qui pro libitu ſuo inſolito habitu induuntur, novum vivendi ordinem ſibi eligunt, & ſive ſub monaſticæ profeſſionis titulo, ſive ſub canonicæ diſciplinæ voto, quidquid volunt, ſibi aſſumunt, novum pſallendi ſibi adinveniunt, novum abſtinentiæ modum, & metas cibariorum ſtatuunt, & nec Monachos qui ſub Regulâ beati Benedicti militant, nec Canonicos qui ſub Regolâ beati Auguſtini apoſtolicam vitam gerunt, imitantur : ſed omnia, ſicut dictum eſt, pro libitu ſuo nova facientes, ipſi ſibi ſunt lex, ipſi ſibi ſunt auctoritas, & quos poſſunt, in ſuam ſocietatem ſub prætextu novæ religionis colligunt ; & in hoc religioſiores videri putantur, ſi ab omni religioſorum habitu & diſciplinâ ſequeſtrati inveniantur, & tamquam præ cæteris notabiles digito demonſtrentur.

Hæc & his ſimilia dicunt, & crebris quæſtionibus aliquos inquietant, non manifeſtè, ſed latenter & inſidioſè religionem lacerantes, & tamquam religionem diligant & amplectantur, dicunt : Utinam alicubi aliquid certi inveniamus, ubi caput noſtrum fiducialiter in exſpectationem ſalutis æternæ reclinemus ! Qui etiam ſunt adeo moleſti calumniatores, ut ſi aliquando viderint aliquem de propoſitâ religione exorbitare, continuò adversùs omnem religionem inflammantur, & unius malum [b] omnibus adſcribunt, & propter unum apoſtatam aberrantem, omnes alios in timore Dei & in propoſito ſancto perſeverantes contemnunt & abjiciunt, non attendentes quod ſcriptum eſt in Evangelio : *Simile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti, quam cum impleta eſſet, educentes, & ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa ſua, malos autem foras miſerunt.* Et in parabolâ zizaniorum : *Sinite utraque creſcere, ne forte colligentes zizania, ſimul eradicetis & triticum.* Porro ſi iſti qui de religione ſic diſputant, & pro ſui varietate calumniantur, ſi inquam, ipſi de numero religioſorum eſſe vellent, univerſa quæ nunc eis in ſcandalum & in deſtructionem, & ipſa fierent eis in correctionem & in ædificationem ; ſicut ſcriptum eſt : *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.* Et, *Sanctis omnia cooperantur in bonum.*

b

Mat. 13. 47.
Ibid. v. 48.
Ibid. v. 49.

Ibid. 29. & 30.

Pſal. 118. 165.
Rom. 8. 28.

CAPITULUM II.

Quòd unum corpus Eccleſiæ uno Spiritu ſancto regitur & gubernatur, diverſas habens gratiarum diviſiones.

Objecta diluuntur.

UT igitur hujuſcemodi inquiſitores jam ampliùs non mirentur de eâ quæ in Eccleſiâ Dei eſt, varietate, & ut eorum moleſtæ & importunæ quæſtiones jam ampliùs locum non habeant ; denique ut & ipſi depoſito ſcandalo & mendacio, & cognitâ verâ religionis viâ, jam ampliùs propter varietatem oberrare non valeant : ſed cum verè religioſis verè religioſi inveniantur, & intrà [a] nobiſcum, non foris contrà nos ſint, videamus, & eos ad videndum nobiſcum invitemus, quid ſecundum fidem Catholicam, ſeu ſecundùm ſacram Scripturam ſuper hoc faciendum & tenendum ſit, videlicet quomodo Eccleſia Dei ſit una in ſe & ſecundùm ſe, & quomodo ſit multiformis ſecundum filios ſuos, quos diverſis modis & diverſis ætatibus generavit & generat, & quos diverſis legibus & inſtitutis informavit & informat, à ſanguine Abel juſti uſque ad noviſſimum electum. Dicitur enim voce ſponſi : *Una eſt columba mea, perfecta mea, una eſt matris ſuæ, electa genitricis ſuæ.* Una eſt, una fide, una charitate, una unius ſine maculâ impiæ infidelitatis, & ſine rugâ perverſæ duplicitatis. Et eſt una generatio juſtorum, de quâ ſcriptum eſt : *Generatio rectorum benedicetur.* Et eſt unum corpus Eccleſiæ, quod Spiritu ſancto vivificatur, regitur & gubernatur, cui Spiritus ſanctus eſt unicus, multiplex, ſubtilis, mobilis, diſertus, incoinquinatus, certus, ſuavis, amans bonum, acutus, qui nihil vetat benefacere, humanus, benignus, ſtabilis, ſecurus, omnem

Cant. 6. 8.

Pſal. 111. 2.

b *unius malum*] Ita edere libuit ; in priori editione *minus malum*. Sequenti capite *& intra nobiſcum*, edidimus ubi erat, *& inter nobiſcum*. De voculis quas adjecimus, hoc ſemel lectorem monuiſſe ſufficiet, eas à cæteris certâ quâdam ratione diſtingui, quòd uncis incluſæ ſint.

habens virtutem, omnia proſpiciens, & qui capiat omnes ſpiritus, intelligibilis, mundus; in quo videlicet
1 Cor. 12, 2. Ibid. 9. & ſeq. Spiritu ſancto, juxtà Apoſtolum, *diviſiones gratiarum ſunt, eadem autem ſpiritus. Et unicuique datur manifeſtatio Spiritûs ad utilitatem, alii quidem datur per Spiritum ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia ſanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult.*

Ecce apparet manifeſtè unum corpus Eccleſiæ uno Spiritu ſancto vivificari, qui & unicus eſt in ſe, & multiplex in multifariâ donorum ſuorum diſtributione. Verùm hoc corpus Eccleſiæ Spiritu ſancto vivificatum, & [per] diverſa membra diverſis temporibus & ætatibus diſcretum & diſtinctum, à primo Abel juſto incœpit, & in noviſſimo electo conſummabitur, ſemper unum unâ fide, ſed multiformiter diſtinctum multiplici vivendi varietate.

CAPITULUM III.

De diverſo ſacrificiorum ritu, quo placabatur idem & unus Deus ab Abel uſque ad Chriſtum.

Sacrifia diverſa tam in lege veteri, quàm in novo Teſtamento Siquidem Abel, cum eſſet paſtor ovium, fide obtulit Deo de primogenitis gregis ſui & adipibus eorum. Et hoc fecit primus in fide, nullo divino mandato ſpecialiter juſſus, nec lege adhuc ſcriptâ doctus, ſed ſolâ lege naturæ inſtructus, quæ Creatorem à creaturâ honorandum ſuadebat; ad quem & ad cujus munera reſpexit Deus, quamvis nullus ritus ſacrificandi adhuc diſpoſitus ibidem legatur, ut [hoc] vel hoc modo offerendum fuerit. Benè etiam priùs ad ipſum, & poſtea ad ejus munera reſpexiſſe dicitur, quia non propter munera, ſed propter juſtitiam, tam ipſum, quàm munera ejus Deo placuiſſe creduntur. Fide Noë reſponſo accepto de his quæ adhuc non videbantur, metuens, aptavit arcam in ſalutem domûs ſuæ, & egreſſus de arcâ, primus ædificavit altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocauſtum ſuper altare. Ibi verò non nominatur altare: hic de volucribus mundis, ibi de primogenitis gregis oblatio facta legitur, ſed necdum hic quoque ordo ſacrificandi diſpoſitus erat. Fide Abraham obtulit ſacrificium Domino, nullâ lege adhuc ſcriptâ doctus, ſed ſpeciali divinâ viſione monitus: ita enim Dominus ad illum dicit, tunc primum ſacrificiorum ordinem docens, non ſcripto, ſed tantum vivæ vocis mandato; ut videatur illi ſoli tunc temporis hoc eſſe faciendum, non autem
Geneſ. 15. 9. & ſeq. ſcripti præcepto poſteris relinquendum. *Sume*, inquit, *mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. Qui tollens univerſa hæc, diviſit ea per medium, & utraſque partes contra ſe altrinſecùs poſuit, aves autem non diviſit; deſcenderuntque volucres ſuper cadavera, & abigebat eas Abraham.* Fide obtulit Abraham Iſaac unicum filium Domino præcipienti, & eum tentanti; qui etiam credidit Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam, & in ſignaculum fidei accepit primus legem circumciſionis. Fide Jacob pergens in Aran, poſt viſionem quâ vidit Dominum innixum ſcalæ, evigilans de ſomno manè erexit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo in titulum, fundens oleum deſuper, nullâ lege doctus, ſed ſolâ fidei devotione hoc faciens. Idem moriens ſingulos filiorum Joſeph benedixit in fide.

An non putandi ſunt iſti & quàmplures alii teſtimonio fidei probati, fuiſſe de unitate Eccleſiæ, qui licet unâ fide, tamen diverſis modis vivendi, & diverſo ſacrificiorum ritu unum Deum coluerunt? Ab Adam equidem uſque ad Noe quam multi fideles fuere, qui hic non numerantur, qui naturalem legem ſecuti ſunt, & Deum omnium Creatorem cognoſcentes coluerunt, & proximo ea quæ ſibi fieri nollent, nulli proximorum ad offenſionem contulerunt! A Noë verò uſque ad Abraham quàmplures inventi ſunt fideles, qui ſequentes legem naturæ, non creaturæ, ſed ſoli Deo Creatori variis modis ſervierunt, & ab omni læſione proximi quantum potuerunt ceſſantes, ea quæ ſibi vellent, proximis humanè impenderunt. Porrò ab Abrahamo uſque ad Moyſen nequaquam pauci reperti ſunt, qui ſimiliter naturalem legem ſequentes, necnon & interdum à Domino legem obedientiæ ſuſcipientes, in unitate Eccleſiæ computantur & ſunt: qui non libidini, ſed procreandorum filiorum poſteritati ſtudentes, aliquando etiam ancillas à propriis uxoribus ſpe filiorum traditas ſibi ſuppoſuerunt, quibus uſi ſunt ita obtemperanter ſicut & propriis uxoribus, non intemperanter. Qui etiam certiſſimâ fide crediderunt, quòd in ſemine eorum qui eſt Chriſtus, benedicerentur omnes tribus terræ. Quorum etiam temporibus nuntiatus eſt ritus circumciſionis, quam ipſi ex mandato Domini ſuſceperunt in ſignaculum fidei. Deinde à Moyſe uſque ad David circumciſione jam uſitatâ, populus Dei electus à ſocietate alienigenarum ſegregatus, ducente Moyſe fideliſſimo principe, in unam Eccleſiam colligitur: lex ſcripta digito Dei inſtauratur, novus ritus, novæ ſacrificiorum regulæ inſtituuntur; lex holocauſti, lex ſacrificii, lex hoſtiæ pro voto multiplici varietate informatur. Novus ordo vivendi, nova mandata, novæ præceptiones, novæ prohibitiones illi Eccleſiæ ſcribuntur, & ita ſcriptæ legis varietate ab incircumciſis & omnibus aliis gentibus populus Dei ſequeſtratur; electis judicibus gubernatur & regitur. Quo in tempore nominatiſſimus Job gentilis inventus fuiſſe putatur, virtute patientiæ præcipuus, fide futuræ reſurrectionis aperiſſimus, in ſuſtinendâ probroſâ propriæ uxoris tentatione fortiſſimus, in oneroſâ amicorum conſolatione prudentiſſimus, in omnium tentationum mole graviſſimâ fide fortiſſimus; ab ipſo Deo, quòd non fuerit ei ſimilis in terrâ, vero teſtimonio probatus. Qui etiam conſurgens diluculo ſanctificabat filios ſuos, & offerebat holocauſta per ſingulos[c], neſcio quo ritu ſuo tunc temporis non ingrato Deo, quem vel ipſemet ſibi tunc adinvenerat, vel quem religio illius gentis ad prædicandum[*] Deum ſibi tunc elegerat, ſive etiam quem Deus forte illo in tempore illi gentili populo per aliquem conſtituerat, quamquam certa ſcriptura nobis hoc non referat.

CAPITULUM IV.

Quòd antiqui Patres, licet ſingulos Chriſtianæ fidei articulos ad plenum non noverint, tamen in fide futuri ſalvati creduntur.

POSTMODUM à David uſque ad Chriſtum ceſſantibus jam Ducibus in eâdem Eccleſiâ eliguntur & unguntur Reges, Scribæ & Phariſæi nominantur: templum glorioſiſſimum, ubi arca Teſtamenti collocanda ſit, conſtruitur; Prophetæ viri

c per ſingulos] Magis placeret *propter ſingulos*, & mox *ad placandum Deum* ubi legitur *ad prædicandum Deum*.

reverendiſſimi exurgunt, prophetias varias dicunt & ſcribunt, proſpera ſive adverſa futura illi populo prophetizant. Legi jam dudum ſcriptæ novæ traditiones, novæ cerimoniæ & obſervationes adduntur: pſaltes in pſalterio pſallentes, in tympano & choro & organo & omni genere muſicorum ordinantur. Nazaræi ſecundum tempora ſuſcitantur, multa honeſta ad decorem domûs Dei devotiſſimè diſponuntur; & ita apud antiquos Patres multiſque modis una fide uni Deo fideliter ſerviebatur. Omnes quippe in fide futuri ſervierunt, & in fide futuri ſalvati ſunt. Et licet plerique illorum non tantam notitiam fidei haberent, ut per ſingulos articulos fidei omnia Sacramenta Chriſti & Eccleſiæ ad plenum cognoſcerent, & myſterium Incarnationis, Nativitatis, Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis revelatâ facie viderent; tamen firmiſſimè credendum eſt eos tamquam à longè aſpicientes, & Chriſtum venturum ſalutantes, & gratiam optatæ repromiſſionis exſpectantes, eſſe de unitate Eccleſiæ Catholicæ, & pertinere ad civitatem ſanctam novam Jeruſalem deſcendentem de cœlo, à Deo paratam tamquam ſponſam ornatam viro ſuo. Quod enim ſcriptum eſt

Geneſ. 4. 26. de quampluribus illorum: *Hic cœpit invocare nomen Domini*; &: *Hic invocavit nomen Dei ſui*; &:

Ibid. 13. 4. Hic *ædificavit altare Domino*; &: *Invocavit nomen*

Ibid. 12. 7. *Dei ſui*; quomodo putamus hoc intelligendum eſſe? Non quia invocavit nomen Domini, credens nomen Domini Filium eſſe Dei venturum in carne? Quod etiam competenter inſinuat Propheta loquens de Incarnatione Filii Dei, quod eſt Verbum Patris,

Iſai. 30. 27. quod eſt nomen Domini: *Ecce nomen Domini venit de longinquo, & claritas ejus replet orbem terrarum.* Sicut enim aliquis per nomen proprium alicui cui priùs ignotus erat, innoteſcit, ita nimirum Deus patet per nomen proprium, per unicum Filium, per Verbum ſuum mundo manifeſtus innotuit.

CAPITULUM V.

Quòd duæ tranſpoſitiones famoſæ Religionis factæ ſunt, Legis videlicet & Evangelii, cum atteſtatione terræ motûs propter ipſarum rerum magnitudinem.

NOTANDUM eſt autem quòd duæ tranſpoſitiones factæ ſunt famoſæ vitæ, & famoſæ Religionis, quæ etiam duo Teſtamenta vocantur, & utraque cum atteſtatione terræ-motûs propter ipſarum rerum magnitudinem. Hæc quidem facta eſt ab idolis ad legem, ubi tonitrua & fulgura, & nubes denſiſſima, & clangor buccinæ & terribilis ſtrepitus. Hæc autem à lege ad Evangelium, ubi terræ-motus factus eſt magnus, ſol obſcuratus, petræ ſciſſæ, monumenta aperta, clauſtra inferni confracta ſunt. Tertius verò terræ-motus futurus prædicatur, quando iſtis finitis & conſummatis ad ea tranſitus erit, quæ neque ampliùs movebuntur, neque concutientur. In iſtis duabus tranſpoſitionibus, ſive mutationibus divina ſapientia tantâ varietate paulatim uſa eſt, ut primò idola recidens hoſtias permiſerit; ſecundò hoſtias auferens circumciſionem non prohibuerit; deinde circumciſionem ſubtrahens ſalutare baptiſmum cum evangelicâ inſtitutione & doctrinâ perſuaſerit: & ita de Gentibus Judæos, de Judæis autem Chriſtianos fecit, & paulatim ſubtrahendo, & tranſponendo, & diſpenſando, quaſi furtim ab idolorum culturâ ad legem, à lege autem, quæ quidem ad perfectum non duxit, ad perfectionem Evangelii pædagogicè & medicinaliter deduxit, & tandem ſubtractâ omni diſpenſatione, omnem perfectionem Chriſtianæ legis edocuit.

CAPITULUM VI.

Quòd Vetus Teſtamentum Deum Patrem quidem manifeſtè, Deum autem Filium obſcurè prædicavit. Novum autem Teſtamentum Deum Filium manifeſtavit, ſed Spiritûs ſancti Deitatem primò ſubinnuit, & paulatim ſufficienter edocuit.

QUOD enim? Vetus Teſtamentum prædicavit manifeſtè Deum Patrem, Filium autem non adeo manifeſtè, ſed obſcurè. Novum Teſtamentum manifeſtavit Deum Filium, ſed ſubmonſtravit & ſubinnuit Deitatem Spiritûs ſancti. Prædicatur poſtea Spiritus ſanctus, apertiorem nobis tribuens ſuæ Deitatis manifeſtationem: non enim conveniens erat, nondum confeſſâ Patris Deitate Filium manifeſtè prædicari, neque Filii adhuc non ſuſceptâ Deitate, Spiritûs ſancti Deitatem nobis prædicari: & quemadmodum cibo gravari ſuper virtutem, & ſuprà modum onerari mentes humanas, terrena inhabitatione obtuſas, & mole peccatorum depreſſas. Neque etiam facilis erat tranſpoſitio eorum, quæ longâ conſuetudine, & prolixo tempore in venerationem devenerant; ideoque tamquam ab infirmis evangelica & ſalubris pharmacia paulatim ſuſcepta eſt, arte divina benignioribus medicinaliter commixta. Attamen ipſe quoque Spiritus ſanctus ubique in Evangelio Filio comparatur: Filius generatur, Spiritus ſanctus præcurrens in concipiendo Virginem obumbrat: Filius baptizatur, Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ cum atteſtatione Patris adeſt: Filius tentatur, Spiritus ſanctus ducit & reducit: Filius virtutes facit, Spiritus ſanctus ubique conſequitur, & credentibus ſe ingerit: Filius in cœlum aſcendit, Spiritus ſanctus ad docendam & ſupplendam omnem veritatem ſuccedit.

Ita quippe fides ſanctæ Trinitatis ſecundum virtutem credentium paulatim menſurata, & quaſi particulariter diſtributa, & in integrum creſcens, tandem perfecta eſt. Proinde ab adventu Chriſti uſque ad diem judicii, quæ ſexta ætas diſtinguitur, & in quâ una eademque Eccleſia, præſente jam Filio Dei, innovatur, nequaquam opus aut uniformis, ſed multi & multiformes ſtatos inveniuntur. Fuit nempe una facies Chriſtianæ Religionis in primitivâ Eccleſiâ, quando Jesus regreſſus à Jordane, & ductus à Spiritu in deſertum, & poſt tentationes relictus à tentatore, pertranſiens Judæam & Galilæam duodecim Apoſtolos elegit, quos ſpeciali doctrinâ Chriſtianæ fidei inſtituit, quos ut eſſent pauperes ſpiritu, & cætera quæ in ſermone in monte ad eos habito ſcripta ſunt, edocuit, quos ut ſæculum hoc nequam calcarent, inſtruxit, quos ſalubribus & innumeris evangelicæ doctrinæ præceptis informavit. Sed poſt Chriſti Paſſionem, Reſurrectionem & Aſcenſionem, & poſt datum Spiritum ſanctum multi videntes ſigna & prodigia quæ fiebant per manus Apoſtolorum, collegerunt ſe in eorum ſocietatem, & factum eſt, ſicut Lucas ſcribit, *multitudinis credentium cor unum & anima* *Act. 4. 32.*

una, nec quiſquam dicebat aliquid eſſe ſuum, ſed *Ibid. 34.*

erant illis omnia communia: nec quiſquam egens erat *Ibid. 36.*

inter illos. Dividebatur autem ſingulis prout unicui- *Ibid. 5. 13.*

que opus erat, cæterorum verò nemo audebat conjungere ſe illis, ſed magnificabat eos populus. Et collecta eſt nova fidelium Eccleſia per gratiam ſancti Spiritûs, renovata primùm ex Judæis, deinde ex Gentibus, depoſito paulatim ritu tam Judæorum, quàm Gentium, ſervatis tamen quibuſdam differentiis na-

turalibus & legalibus, quæ tam ex lege naturæ, quàm ex lege ſcriptâ abſtracta & excepta, Chriſtianæ fidei, nec erant, nec ſunt contraria, ſed omnibus devotè & fideliter ſervantibus conſtat eſſe ſalubria.

Cœpit etiam jam tunc manifeſtè prædicari integra fides ſanctæ Trinitatis, cum teſtimonio veteris & novi Teſtamenti, quæ priùs quaſi ſub umbrâ & quaſi gradatim inſinuata, revelabatur. Surgunt Sacramenta nova, ritus novi, mandata nova, inſtitutiones novæ. Scribuntur Epiſtolæ apoſtolicæ & canonicæ. Lex Chriſtiana doctrinis & ſcriptis inſtauratur, fides quæ vocatur Catholica, in univerſo mundo annuntiatur; & ſancta Eccleſia pertranſiens per diverſos ſtatus ſibi invicem paulatim ſuccedentes, uſque in hodiernum diem, ſicut juventus aquilæ renovatur & ſemper renovabitur, ſalvo ſemper ſanctæ Trinitatis fidei fundamento, præter quod nemo aliud deinceps ponere poteſt, quamvis in ſuperædificatione diverſa plerumque diverſarum religionum ſtructura creſcat in templum ſanctum Domino.

CAPITULUM VII.

De ſeptem ſigillis ſignificantibus ſeptem ſtatus Eccleſiæ. Et quod in primo ſtatu exeunte albo equo miraculorum & prodigiorum novitate primitiva Eccleſia creſcebat.

Apoc. 6. 2. NIMIRUM ſeptem ſigilla, quæ vidit Johannes, ſicut ipſe in ſuâ narrat Apocalypſi, ſeptem ſunt ſtatus Eccleſiæ ſibi ſuccedentes ab adventu Chriſti uſquedum in noviſſimo omnia conſummabuntur, ibidem. & Deus erit omnia in omnibus: ſiquidem *cum aperuiſſet agnus unum de ſeptem ſigillis, ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, habebat arcum; & data eſt ei corona, & exivit vincens ut vinceret.* Equus albus primus eſt ſtatus Eccleſiæ, candore miraculorum nitidus & pulcherrimus, quem omnes in illâ novitate mirabantur & magnificabant. Qui autem ſedebat ſuper eum habens arcum, Chriſtus eſt gubernans Eccleſiam, in arcu apoſtolicæ doctrinæ Apoc. 6. 5. ſuperbos humilians & proſternens. *Et data eſt ei* Luc. 19. 12. *corona, quoniam abiit in regionem longinquam accipere ſibi regnum. Et exivit vincens, ut vinceret.* Joan. 16. 33. Sicut & ipſe dicit ad ſuos: *Confidite, ego vici mundum.* Ecce in iſto primo ſtatu naſcentis Eccleſiæ magis ac magis augebatur credentium in Domino Act. 5. 14. multitudo virorum ac mulierum: & quotidie clareſcebat Eccleſia Dei virtute miraculorum & numero credentium.

CAPITULUM VIII.

Quòd in ſecundo ſtatu Eccleſia exeunte rufo equo graviſſima Sanctorum perſequutio incanduerit.

Apoc. 6. 3. & 4. ET *cum aperuiſſet ſigillum ſecundum, exivit alius equus rufus, & qui ſedebat ſuper eum, datum eſt ei ut ſumeret pacem de terrâ, & ut invicem ſe interficiant homines; & datus eſt ei gladius magnus.* Ecce ſecundus Eccleſiæ ſtatus manifeſtè revelatus illi Diſcipulo quem diligebat Jeſus. Nam quod exivit rufus equus, quid aliud eſt niſi cruor Martyrum, qui effuſus eſt in teſtimonium Chriſti, quando ſublata eſt pax de terrâ, & datus eſt gladius magnus perſequutionis in Eccleſiâ. Iſte utique ſtatus perſequutionis à Stephano glorioſo Protomartyre, quem Judæi lapidaverunt, initium ſumſit; poſt cujus triumphum tanta perſequutio incanduit, ut jam non in uno loco Jeruſalem Eccleſia remanere poſſet, ſed diſperſi in omnem terram Apoſtoli fidem Chriſti evangelizarent, & evangelizando vitam martyrio conſummarent. Unde Petrus & Paulus Romam, Jacobus Jeruſolymam, Andreas Achaiam, Bartholomæus Indiam, Matthæus Æthiopiam, & alii Apoſtoli ſinguli ſingulas provincias glorioſiſſimo martyrio decoraverunt. Poſt quos quàm plurimi fideles alii ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres, graviſſima & exquiſitiſſima tormentorum genera paſſi, titulum Chriſtianæ profeſſionis in cœlum feliciter evexerunt, & nobis memoriam ſui in benedictione reliquerunt. Scribuntur leges adversùs Chriſtianum nomen, ut quicumque hujus religionis cultor inventus fuiſſet, traheretur ad ſupplicia, & ſine audientiâ damnaretur. Sed Eccleſia Dei in perſequutione, ſicut palma in victoriâ, florebat, & ſicut cedrus Libani quanto magis patiebatur, tanto magis multiplicabatur.

Videns autem draco ſerpens ille antiquus, qui tantam ſævitiam adversùs Eccleſiam Dei excitaverat, quòd mulierem amictam ſole, & lunam habentem ſub pedibus, & in capite coronam ſtellarum duodecim, omninò abſorbere non poſſet flumine quod ex ore ſuo miſerat; tractus eſt in mulierem, & iterum ſtatuit facere prælium cum reliquis de ſemine ejus, qui cuſtodiunt mandata ejus, & teſtimonium habent Jeſu. Ceſſante igitur manifeſtâ perſequutione, lex contrà Chriſtianos data relaxatur, alia lex ad pacem Eccleſiæ promulgatur, Reges ad Baptiſmum currunt, diverſarum Provinciarum Principes Fidem Chriſti ſuſcipiunt, totus mundus nomen Chriſtianum quod priùs inſequebatur, jam nunc humiliter veneratur, & Crux Chriſti quæ priùs erat in ſcandalo & deriſione, nunc erigitur in honorem & venerationem. Templa ubique magnificè conſtruuntur, Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi & cæterorum ordinum Clerici priùs abjecti, ab exilio evocantur, & ubique Doctores Fidei poſtulantur, & ſacratiſſimus ordo Epiſcoporum & Clericorum ad prædicandum Evangelium Dei ubique terrarum miſſus diffunditur.

CAPITULUM IX.

Quòd in tertio ſtatu Eccleſia, exeunte nigro equo, maxima hæreticorum pericula Eccleſiam ſuprà modum turbaverint.

ET *cum aperuiſſet ſigillum tertium, ecce equus niger, & qui ſedebat ſuper eum, habebat ſtateram in manu ſua.* Ecce tertius Eccleſiæ ſtatus, in quo Apoc. 6. 5. niger equus emerſit. Niger equus atra hæreticorum doctrina eſt, quos prædictus draco magnus ſuſcitavit adversùs Eccleſiam Dei, ut quam non poterat priùs abſorbere fuſo Martyrum ſanguine, illam modo diſturbaret praviſſimo hæreticorum dogmate.

Surgunt igitur hæretici, characterem beſtiæ portantes infixum in cordibus ſuis, & dum in manu ſuâ doloſam ſtateram trutinantes habent, æquitatem de Fide diſputando proponunt; ſed minùs cautos leviſſimo unius vel minimi verbi pondere fallunt, & in partem ſui erroris pertrahunt, inter quos ſunt Arrius, Preſbyter ille nominatiſſimus, & infeſtiſſimus Eccleſiæ Dei hæreſiarcha, & ejus ſequaces, qui Arrius. de conſubſtantialitatis nomine diſputantes, & ob hoc ab Eccleſiâ ſe dividentes, diverſas in Trinitate ſubſtantias numerantes, mentiendo affirmaverunt, putantes impiè ibi diverſas eſſe ſubſtantias, ubi piè diverſas credimus perſonas. Fuit & Sabellius, qui Sabellius. quoniam rectè credidit unam in Trinitate ſubſtantiam, putavit quoque ibi eſſe credendum unam trium, Patris ſcilicet, & Filii, & Spiritûs ſancti perſonam. Fuit & Neſtorius Epiſcopus, qui arbitra- Neſtorius.

tus eſt non poſſe eſſe naturam duplicem, quin perſona fuerit duplex: atque ideo cum in Chriſto naturam duplicem rectè confiteretur, non rectè duplicem credidit eſſe perſonam, alterum Dei, alterum hominis filium ſtultè prædicans. Eutyches. Fuit & Eutyches Abbas Archimandrites, qui non putavit naturam duplicem eſſe poſſe ſine duplicatione perſonæ: & cum non confiteretur duplicem in Chriſto eſſe perſonam, arbitratus eſt conſequens eſſe ut una videatur eſſe natura. Itaque Neſtorius rectè duas in Chriſto credens eſſe naturas, divinam ſcilicet & humanam, ſacrilego ore confeſſus eſt duas eſſe ibi perſonas. Eutyches verò rectiſſimè credens unam in Chriſto eſſe perſonam, fallaciter credidit unam quoque ibi eſſe naturam. Qui altrinſecùs ſibi oppoſiti fallebantur & fallebant. Macedonius. Fuit Macedonius Epiſcopus, Spiritum ſanctum creaturam & non Deum eſſe infideliter aſſerens. Donatus. Fuit Donatus, Filium Patre, Spiritum ſanctum utroque minorem ſuperbâ contentione docens. Photinus. Fuit & Photinus Epiſcopus, Chriſto à MARIA per coitum principium nimis impudicè adſcribens. Manes. Fuit Manes de Perſide, unde Manichæi, duo principia contumaciter docens, Unigenitum Dei æternum perverſâ doctrinâ negans.

Fuerunt & alii quàmplures hæretici, qui ſinguli ſuis temporibus falſa dogmatizantes, & tamquam inimici homines peſtiferam zizaniam ſeminantes inter triticum apoſtolicæ doctrinæ, columbam Dei ſimplicem in fide, ſanctam & immaculatam in opere crudeliter deplumaverunt & laniaverunt: contrà quos celebrata multa Concilia congruis in locis & temporibus, & damnata eſt hæretica pravitas, & expurgatum eſt fermentum malitiæ & nequitiæ, & ſolidata eſt mater Eccleſia in azymis ſinceritatis & veritatis. Nam in Nicæno Concilio & Antiocheno & Epheſino & Chalcedonenſi & Conſtantinopolitano, & in aliis quàmpluribus ſanctorum Patrum ſynodalibus Conventibus per diverſas Provincias habitis adeo deleta, & contrita, & ſopita, & penitùs exinanita ſunt ſerpentina venena hæreticorum, ut jam ampliùs in nullo Eccleſiæ Catholicæ angulo repullulare ſeu ebullire audeant. Ipſa verò Fides orthodoxa poſt tot impulſiones adeo eſt roborata, & fundata, & ſolidata, ut jam ampliùs Domino favente ſemper inconvulſa, ſemper inconcuſſa jure permanere debeat, tota integra, ut nihil ſit addendum; & tota inviolata, ut nihil ſit auferendum. Unde etiam à ſanctis Patribus convenienter inhibitum eſt, ut de cætero nemo diſputet publicè de Fide, tamquam de eo quod jam eſt definitum, & nulli debet eſſe ambiguum; ſiquidem extremæ dementiæ eſt in medio & perſpicuo die commenticium lumen inquirere. Quiſquis enim poſt veritatem repertam aliquid ulterius diſcit, mendacium quærit, & ſeipſum non immerito involvit.

Radicatâ itaque Fide Catholicâ ad informandam Eccleſiæ diſciplinam acceſſerunt diverſæ regulæ, quas quia ſancti Patres ſanxerunt, dignè Canones appellatæ ſunt, in quibus reperitur quid ſint præceptiones, prohibitiones, diſpenſationes, rigor, neceſſitas, indulgentia, remiſſio, terror, admonitio, & cætera per quæ omnia ita in hoc ſtatu Eccleſia crevit mirabili contrà hæreticos ſapientiâ, ſicut in priori ſtatu in perſequutione Martyrum victorioſâ crevit patientiâ. Sed ecce leo rugiens non ceſſat, non dormit, ſed adhuc circuit quærens quem devoret.

CAPITULUM X.

Quòd in quarto ſtatu Eccleſiæ, ex nomine pallido equo in falſis fratribus Eccleſia Dei ſuprà vires laboraverit, in quo etiam ſtatu multa ac varia Religiones creverunt.

ET *cum aperuiſſet ſigillum quartum, ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi mors, & infernus ſequebatur eum.* Apoc. 6, 7. Iſte nimirum quartus eſt Eccleſiæ ſtatus, in quo graviſſimum & mortiferum periculum eſt in falſis fratribus. Nam ſicut pallidus color ex albo ſimul & nigro miſcetur, nec prorſus album oſtendit, ſed utrumque falsò habet; ita nimirum falſi Chriſtiani, ſeu falſi fratres, quorum innumerabilis jam multitudo eſt, Chriſtum ore publico confitentur, factis autem negant; Eccleſiam frequentant, eccleſiaſtica Sacramenta ſuſcipiunt, Prælatis debitam reverentiam exhibent, juxtà Apoſtolum honore ſe invicem præveniunt, Eccleſias ædificant, & eas ſimul & altaria ad decorem domûs Dei decenter exornant, ſolemnitates & feſta Sanctorum quaſi ſummâ devotione celebrant, longa Miſſarum officia, & ordinatas Cleri proceſſiones plurimum commendant, jejunia quoque & cibariorum diſcretionem interdum ſibi imponunt, pauperibus eleemoſynas propriis manibus porrigunt, ſanctos & verè religioſos viros, ſi forte ſibi occurrant, elato intùs corde & inclinato foris capite ſalutant, & eos plerumque hoſpitio receptos humanè tractant, & eorum orationibus ſe commendant. Quidam etiam glorioſum Domini ſepulcrum in Jeroſolymis, ſeu limina Apoſtolorum, ſeu alia loca Sanctorum viſitant, in omnibus cauſis, tam alienis, quàm propriis, Deum ſibi auctorem teſtantur, univerſa quæ vel dicunt, vel faciunt, in nomine Domini ſe vel dicere vel facere dicunt. Et ut breviter colligam, decenti habitu, decenti ſermone, decenti viſu, decenti inceſſu, decenti toto corporis motu, religioſam & honeſtam & diſciplinatam perſonam gerunt, & foris oſtendunt. Et in iſtis & cum iſtis quaſi pacificus eſt ſtatus Eccleſiæ, nec gladio perſequutorum manifeſtè impugnatur, nec doloſâ importunitate hæreticorum fatigatur: verùm in falſis Chriſtianis, ſeu in falſis fratribus, qui nomen & habitum Chriſtianæ religionis induerunt; adeo laborat Eccleſia, ut huic qui ſedebat ſuper equum pallidum, rectè nomen eſſet mors, quæ nulli mortalium parcit, quæ etiam congruè infernus, qui nunquam dicit, ſufficit. Quid enim eſt in falſis fratribus, niſi mors interfectrix animarum? pallida in hypocriſi & ſimulatione, quam ſequitur infernus apertis faucibus ad devorandum paratiſſimus. De quibus Dominus dicit in Evangelio ſub nomine Scribarum & Phariſæorum: *Væ vobis, Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui clauditis regnum cælorum ante homines.* Matt. 23. 13. *Vos non intratis, nec introëuntes ſinitis intrare. Væ vobis,* Ibid. 14. *Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarum oratione longâ orantes: propter hoc amplius accipietis judicium. Væ vobis, Scribæ & Phariſæi,* Ibid. 23. *qui decimatis mentam & anethum & cyminum, & reliquiſtis quæ graviora ſunt legis, judicium & miſericordiam & fidem. Væ vobis, Scribæ & Phariſæi* Ibid. 25. *hypocritæ, qui mundatis quod de foris eſt calicis & paropſidis, intus autem pleni eſtis rapinâ & immunditiâ. Phariſæe, cæce munda priùs quod intus eſt calicis & paropſidis, ut fiat & id quod deforis eſt, mundum. Væ vobis, Scribæ & Phariſæi hypocritæ,* Ibid. 26. *qui ſimiles eſtis ſepulcris dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum & ſpurcitiâ; ſic & vos à foris quidem paretis hominibus juſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate. Væ vobis, Scribæ & Phariſæi hypo-* Ibid. 27. *critæ, qui ædificatis ſepulcra Prophetarum; & ornatis monumenta juſtorum, & dicitis: Si fuiſſemus* Ibid. 30. *in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocii eorum*

Matt. 23. 31.

ibid. 32.

in ſanguine Prophetarum. Itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia filii eſtis eorum qui Prophetas occiderunt. Et vos implete menſuram patrum veſtrorum: ſerpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ? Ecce, fratres cariſſimi, terribiles comminationes ſuper hypocritas audivimus: mortem pallidam animarum, & infernum ſequentem & hiantem timeamus, hypocriſim deteſtabilem fugiamus: quod intùs eſt, ſincerâ confeſſione mundemus & purificemus, & crebrâ lacrymarum effuſione abſtergamus; foris autem ab Eccleſiaſticæ diſciplinæ norma, unuſquiſque in ordine ſuo quo vocatus eſt, nullatenùs diſcrepemus, ſi vel facere vel pati ſcandalum nolumus.

Invectio in hypocritam.

VÆ tibi, miſer hypocrita, omnium miſerorum miſerrime, ſimulator boni, amator mali, inimice Dei, hoſtis tui, ſeductor tui, deceptor tui, fraudator tui, adulator tui, deriſor tui, deluſor tui, calumniator tui, damnator tui, traditor tui, judex tui, homicida tui, oſtenſor veri, factor falſi, fur proprii theſauri, perſequutor propriæ conſcientiæ, vulpis iniqua, vermis inquiete, anguis tortuoſe, cancer mordax, paries dealbate, cæterorum fatuorum fatuiſſime, martyr diaboli, inter vivos ſine vitâ ambulans, jam mortue ac ſepulte, omnium hominum perditiſſime, ſerve nequam, intùs ligate, intùs incatenate, intùs perforate, intùs incarcerate, intùs abſconſe, intùs putridiſſime, intùs fœtidiſſime, turpiſſime, infeliciſſime, ſceleſtiſſime, nequiſſime, damnate, doloſe, inflate, vacue, ventoſe, pallide, excæcate, tenebroſe, timide, ſuſpicioſe, turgide, dæmonibus plene, magicis artibus foris & intùs imbute, deſperate, paries inclinate, maceria depulſa, non habens fundamentum, ad ruinam proxima, lutoſe, cœnoſe, ſordide, ſpurciſſime, confuſe, odioſe, inſidioſe, ſacri olei venditor, lampas extincta, fallaciſſime, ab omni bono excluſe & alienate, in infernum jam detruſe, mendaciſſime & totius veritatis expers, & per omnia Deo & Angelis & hominibus deteſtabilis. Væ tibi, miſer hypocrita, pallidum equum aſcendiſti, nomen tibi mors, infernus te ſequitur, ad devorandum certiſſimus. Væ tibi, miſer hypocrita, utinam corde converteris, & ſias calcator falſitatis & amator veritatis, ut ea quæ hactenùs feciſti in ſimulatione, jam ampliùs facias in veritate, & non mutes bonorum operum qualitatem, ſed nunquam perverſæ ſimulationis intentionem: & ita ex operibus tuis jam bonis audeas exſpectare vel ſperare meritum, unde priùs tanquam ſimulator dignum exſpectare debueras ſupplicium. Intentio enim bona, ſive mala operi nomen imponit, & ſive meritum, ſive ſupplicium juſtæ retributionis requirit.

Viri religioſi, tum Clerici, tum Monachi inſtituuntur.

In hoc ſtatu Eccleſiæ apparuerunt viri religioſi, amatores veritatis, inſtauratores Religionis, Auguſtinus Hipponenſis Eccleſiæ Epiſcopus, provinciæ Numidiæ Legatus in Africâ, qui collectis non falſis fratribus vitâ apoſtolicâ prælegit vivere: quibus etiam regulam vivendi in communi præſcripſit, quæ poſtea per univerſum orbem Catholicæ Eccleſiæ promulgata & approbata, quàm plurimos ad imitationem Apoſtolorum & in formam tanti viri in ſanctam communis vitæ ſocietatem invitavit atque collegit, & uſque hodie colligit. Cujus veſtigia ſequens quidam religioſiſſimus N. [d] de ſancto Rufo in Burgundia tempore Urbani Papæ ſurrexit, qui collectis in eâdem canonicâ profeſſione fratribus, totam illam provinciam primò illuminavit, & paulatim eamdem religionem in diverſas regiones diſſeminavit. Surrexit in eâdem profeſſione, & in apoſtolicæ vitæ imitatione quidam Presbyter religioſus nomine Norbertus tempore Papæ Gelaſii, qui propter ſuam religionem, & multas enormitates & ſchiſmata quæ tunc fiebant in Occidentali Eccleſia, à Romano Pontifice Gelaſio literas & auctoritatem prædicandi accepit. Iſte ſuis temporibus in religione clariſſimus & famoſiſſimus diverſas provincias prædicando peragravit, non parvam turbam Religioſorum collegit, multas congregationes inſtituit, & eas ad perfectionem apoſtolicæ vitæ verbo, & exemplo informavit. Qui etiam tantam gratiam habuit coram Deo & hominibus, ut verè beatos ſe dicerent, qui illi adhærere poſſent. Poſtea in Magdeburgenſi Eccleſiâ Archiepiſcopus factus eſt, cujus corpus ſanctum & venerabile requieſcit in Eccleſiâ beatæ MARIÆ in ſuâ Metropoli, ubi ipſe fratres ſuæ Religionis ordinaverat. Igitur religio per eum renovata maxima cœpit habere incrementa, & ubique terrarum diffuſa eſt, adeo ut nulla ferè provincia ſit in partibus Occidentis, ubi ejuſdem religionis Congregationes non inveniantur; Francia, Germania, Burgundia, Aquitania, citerior Hiſpania, Britannia minor, Anglia, Dacia, Saxonia, Leuticia, Polonia, Moravia, Bawaria, Suevia, Pannonia, quæ & Hungria, Longobardia, Liguria, Etruria, quæ eſt Thuſcia. Omnes (inquam) hæ provinciæ habent Congregationes præfatæ religionis, quorum etiam exemplis & orationibus confidunt inceſſanter adjuvari. Extendit etiam palmites hæc eadem ſancta ſocietas in partes Orientis: nam in Bethleem una, & in loco quem vocant S. Abacuc, alia Congregatio eſt.

Surrexit quoque in monaſtico Ordine beatus Benedictus poſt multos Patres Monachorum in Ægypto commorantium, vir Deo dignus, Spiritu ſancto plenus: de eremo Nurſiæ, ubi latuerat, abſtractus, & in Campaniâ, in monte Caſſino, Monachorum Abbas factus eſt. Iſte in religione ferventiſſimus Regulam ſuis, dictante Spiritu ſancto præſcripſit, & ordinem monaſticum jam tunc vacillantem renovavit & firmavit. Qui etiam, tùm per ſe, tùm per Regulam ſuam, poſt ſe multa Monachorum monaſteria in diverſis regionibus inſtauravit. Surrexit etiam modernis temporibus in Thuſciâ, in loco qui vocatur Gamaldiela, vir religioſus nomine Johannes [e], ſub monaſticæ profeſſionis titulo, novo fervore novum habitum cum fratribus ſuis Monachis induens, & multos diſcipulos ſuæ formæ ſequaces habens. Nec diù eſt, quòd in alio loco qui vocatur Vallis-Umbroſa, juxtà Peruſinos montes, ſurrexit Congregatio nova Monachorum valde religioſa, à cæteris qui vocantur Monachi novo ordine & novo habitu differentes, & multos habent ſuæ formæ ſequaces.

Proinde in Burgundiâ, in loco qui vocatur Ciſtercium, ferè noſtris temporibus ſurrexit alia nova Congregatio Monachorum, ab omnibus qui dicuntur & ſunt Monachi, ordine & habitu differens. Et quoniam virtute patientiæ, & abjectione habitûs, & Regulæ diligenti obſervatione, & ſanctæ paupertatis amore, & ardentiſſimâ religione alios præeminere videntur & excellunt, innumeros ſuæ religionis & formæ imitatores habent: inter quos noſtris temporibus apparuit quidam Abbas, in loco qui dicitur Claravallis, nomine Bernardus, vir religioſiſſimus, virtute miraculorum inſignis, ab Occidente uſque

d *religioſiſſimus* N.] Arberium indicat, de quo vide tom. 4. Gall. Chriſt. pag. 802.

e *nomine Johannes*] De Romualdo loquitur, hoc nomine notiſſimo.

in

in Orientem pro ſui ſanctitate famoſiſſimus; quem venerabilis Papa Eugenius, quondam ſui Monaſterii Monachus, in Conciliis multorum Epiſcoporum condignâ reverentiâ plerumque honoravit.

Item paulo ante hæc tempora cœpit quædam nova religionis inſtitutio in Jeruſalem civitate Dei. Nempe congregati ſunt ibi laïci, viri religioſi, & vocant ſe Milites de Templo, qui relictis proprietatibus, qui vitâ vivunt, [f] ſub obedientiâ unius magiſtri militant, ſuperfluitatem & pretioſitatem veſtium ſibi abſciderunt, parati ad defendendum glorioſum Domini Sepulcrum contrà incurſus Saracenorum; domi pacifici, foris bellatores ſtrenui; domi obedientes in diſciplinâ regulari, foris obtemperantes diſciplinæ militari; domi ſancto ſilentio inſtructi, foris ad bellicos ſtrepitus & impetus imperterriti; & ut breviter compleam, ad univerſa quæ jubentur facere, intùs ac foris in ſimplici obedientiâ conſummati. Horum vitam & propoſitum primò confirmavit Papa Urbanus conſilio multorum Epiſcoporum, quos ad hoc ipſum convocaverat ad Concilium, ſtatuens ut quicumque in hanc ſocietatem propter ſpem vitæ æternæ ſe colligerent, & in eâ fideliter perſeverarent, remiſſionem omnium haberent peccatorum, affirmans eos non eſſe inferioris meriti, quàm vel Monachos, vel communis vitæ Canonicos.

Item in Orientali Eccleſiâ, apud Græcos & Armenos & Syros, diverſa ſunt genera religioſorum, qui in unâ quidem Fide Catholicâ concordant, ac tamen in moribus, in ordine, in habitu, in victu, in officio pſallendi non parùm ab invicem diſcrepant. Ego cùm eſſem in urbe regiâ Conſtantinopoli Apocriſiarius Lotharii Magni, & Chriſtianiſſimi Romani Imperatoris, ad Kalojohannem ejuſdem regiæ civitatis Imperatorem, & eſſem avidus explorator & diligens inquiſitor diverſarum Religionum; vidi ibi multos Ordines Chriſtianæ Religionis. In Monaſterio quod dicitur Pantocratoros, id eſt, *Omnipotentis*, vidi ſeptingentos fermè Monachos ſub Regulâ beati Antonii militantes. In Monaſterio quod dicitur Philanthropou, id eſt, *Amantis hominem*, vidi non minùs quingentos Monachos ſub Regulâ beati Pachomii militantes. Vidi & quàmplures Congregationes ſub Regulâ beati Baſilii Magni & doctiſſimi viri devotè militantes.

Auctor Apocriſiarius Lotharii Imperatoris tunc Conſtantinopoli morabatur.

Porrò hæc omnia tam divina, tam ſancta, tam bona in diverſis temporibus & in diverſis Ordinibus *operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult.* Novit quippe Spiritus ſanctus, qui totum corpus Eccleſiæ ab initio & nunc & ſemper regit, hominum animos torpentes, & diù uſitata religione ſatiatos fideles aliquo novæ religionis exordio renovare; ut cum viderint alios magis ac magis in altiorem Religionis arcem conſcendere, novis exemplis fortiùs excitentur, & relictâ pigritiâ & amore ſæculi, quo tenebantur, alacriter & ſine formidine, quod perfectum eſt apprehendant & imitentur. Nam inſolita & inuſitata magis ſolent mirari omnes, quàm ſolita & uſitata. Et fit mirâ Dei diſpenſatione, quòd à generatione in generationem ſuccreſcente ſemper novâ religione, renovatur ut aquilæ juventus Eccleſiæ, quo & ſubliniùs in contemplatione volare queat, & ſubtiliùs quaſi irreverberatis oculis radios veri ſolis contueri valeat. Proinde putaſne fieri poſſe, ut in tantâ turbâ bonorum nullum inveniatur ſcandalum in falſis fratribus? Utinam ita eſſet, utinam verè ita eſſet! Sed ego timeo, nequaquàm ſecurus ſum. Cum enim audio Dominum dicentem in Evangelio: *Nonne ego vos elegi duodecim, & unus ex vobis diabolus eſt?* Cum, inquam, hoc audio, valde pertimeſco; attendens ſi in Apoſtolorum collegio, qui pauci erant, & quos ipſe Dominus elegerat, non defuit diabolus, quomodo putandum eſt in tantâ bonorum turbâ deeſſe falſos fratres, qui utique ſunt membra diaboli. Nam & pſeudoprophetæ fuêre & pſeudoapoſtoli fuêre. Ne igitur miremur, ſi nobiſcum & inter nos ſunt falſi fratres; ſed eos in charitate toleremus, & ut depoſitâ ſimulatione veri fiant, orantes exſpectemus. Simul in unâ ſagenâ ſumus; ſed reducti ad littus, non ſimul in vaſis Sanctorum colligemur. Simul in uno agro creſcimus, ſed tempore meſſis non ſimul in uno horreo colligemur. Ipſi enim nobiſcum, & nos cum ipſis, licet diverſis viis, diverſâ intentione ſimul curremus, donec finiatur iſte quartus ſtatus Eccleſiæ, & Sancti ſequantur Agnum quocumque ierit; illi verò portantes nomen pallidi & mortis, in inferno ſepeliantur.

1. Cor. 12, 11.

Joan. 6, 71.

CAPITULUM XI.

Quòd in quinto ſtatu Eccleſiæ animæ ſanctorum ſub altare Dei clamant: Uſquequo, Domine ſanctus & verus, non vindicas ſanguinem noſtrum de his qui habitant in terrâ, *&c.*

Et cum aperuiſſet ſigillum quintum, vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium quod habebant, & clamabant voce magnâ, dicentes: uſquequo, Domine ſanctus & verus, non vindicas ſanguinem noſtrum de his qui habitant in terrâ? Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt illis, ut requieſcerent tempus adhuc modicum, donec impleantur conſervi eorum & fratres eorum qui interficiendi ſunt, ſicut & illi. Iſte eſt quintus ſtatus Eccleſiæ. Laboravit Eccleſia in perſequutione, & crevit in patientiâ: laboravit in hæreticorum ſubtili fallaciâ, & crevit in ſapientiâ: laboravit in falſis fratribus & hypocritis, & crevit in tolerantiâ. Nunc autem animæ ſanctorum, quæ ſubtus altare, qui eſt Chriſtus, fuſo ſanguine meruerunt jam requieſcere, videntes tam infinitas laborantis Eccleſiæ miſerias, magnâ quaſi compaſſionis voce pro eâ clamant: *uſquequo, Domine, non vindicas ſanguinem noſtrum*, & cætera quæ ibi ſequuntur, pertinentia ad quintum ſtatum Eccleſiæ.

Apoc. 6. 9.

Ibid. 10.

CAPITULUM XII.

Quòd in ſexto ſtatu Eccleſiæ, facto terræ motu magno, validiſſima perſequutio futura eſt tempore Anti-Chriſti.

Et cum aperuiſſet ſigillum ſextum, terræ-motus factus eſt magnus. Iſte ſextus eſt Eccleſiæ ſtatus, in quo nimirum terræ-motus factus eſt magnus, quæ eſt validiſſima perſequutio, quæ futura eſt temporibus Anti-Chriſti. Et verè magna, quia ſicut dicit Dominus: *Talis erit tunc tribulatio, qualis non fuit, ex quo gentes eſſe cœperunt.* In aliis enim perſequutionum temporibus, licet contrà Chriſtianum nomen multa genera tormentorum pararentur, tamen fides recta & indubitata tenebatur: hìc verò & tormenta proponuntur, & fides falſa ſub nomine Chriſti perſuadetur. Dicitur enim: *Ecce Chriſtus hic, ecce Chriſtus illic. Et erit tribulatio, qualis non fuit*, non ſolùm perſequutionis quantitate, verùm etiam fidei ſubverſione, neſcientibus hominibus, quid vel credere, vel tenere debeant. Sol

Apoc. 6. 12.

Matt. 24. 21.

[f] *qui vitâ vivunt*] An *communi vitâ vivunt?* Mihi quidem ita videtur.

factus eſt niger tamquam ſaccus cilicinus, quia ſol juſtitiæ Chriſtus, & nomen Chriſtianum tunc erit in abjectione, & in contemptibili & obſcurâ nigredine, & tam ipſe Chriſtus, quàm Chriſtiani erunt viles & abjecti in oculis Anti-Chriſti & ſuorum: ſicut ſaccus cilicinus, qui omnium veſtium eſt viliſſimus. Luna tota facta eſt ſicut ſanguis, quia in omnibus mundi partibus perſequutio ſanguinis graſſabitur contrà Eccleſiam, quam luna modo creſcens, modo decreſcens apertè ſignificat. Et ſtellæ cœli ceciderunt ſuper terram. Stellæ cœli, id eſt, Sancti qui in firmamento Eccleſiæ tamquam Doctores lucere videbantur, ſub illa validiſſimâ perſequutione recedentes à fide in terram cadent, quia terrenis delectationibus inhærebunt, & ex ipſo amore terreno ad iniquitatem ruent. Unde ſubditur:
Apoc. 6. 13. *Sicut ficus mittit groſſos ſuos, cum à vento magno movetur.* Licet ficus in Evangelio ſignificet Synagogam, ſpecialiter hic omnem Eccleſiam ſignificat, de quâ tunc cadent qui infructuoſi fuerant & à bonis operibus vacui. Groſſus enim appellantur fructus primi temporis, qui antequàm veniant ad maturitatem, vento concuſſi cadunt in terram; ita & illi qui needum venerunt ad maturitatem bonorum operum, & vacui ſunt, concuſſi ſunt à vento, id eſt, extremâ perſequutione. *Et deciderunt in terram*, hoc eſt, in terrenas delectationes. Qui ventus bene magnus dicitur, quia, ut ſupra dictum eſt,
Ibid. 14. perſequutio etiam electos occupabit. *Et cœlum receſſit quaſi liber involutus.* Cœlum, id eſt, Eccleſia in quâ celantur Eccleſiaſtica Sacramenta involuta & clauſa, recedent ab uſu Chriſtianorum, &
Luc. 21. 26. abſcondentur à publico & ſolemni ritu. *Areſcentibus hominibus præ timore* Anti-Chriſti, *& exſpectatio-*
Ibid. *ne eorum, quæ ſupervenient univerſo orbi. Et quis poterit ſtare?* & cætera quæ in illo ſexto ſtatu Eccleſiæ inveniuntur.

CAPITULUM XIII.

Quòd in ſeptimo ſtatu Eccleſiæ poſt multas tribulationes futurum eſt ſilentium magnum, & inſtaurabitur octava infinita beatitudinis: & ita Eccleſia Dei quæ eſt una in fide, una ſpe, una charitate, multiformis eſt diverſorum ſtatuum varietate.

Apoc. 8. 1. *ET cum aperuiſſet ſigillum ſeptimum, factus ſilentium in cœlo, quaſi in mediâ horâ.* Sigillum ſeptimum, ſeptimus Eccleſiæ ſtatus eſt, in quo futurum eſt ſilentium, quia poſt tribulationes Eccleſiæ, quæ in multâ triſtitiâ parturivit filios Dei, poſt judiciū quod erit in adventu Filii Dei, in momento, in ictu oculi, omnibus jam conſummatis, ſilentium divinæ contemplationis erit, annus jubilæus inſtaurabitur, octava infinitæ beatitudinis celebrabitur; Sancta ſanctorum, ſublato jam legis velo, fidelibus aperientur: Cantica Canticorum ante thronum Dei & Agni infinitâ lætitiâ, cantabuntur: dies ſolemnis uſque ad cornu altaris, id eſt, uſque ad ſummam contemplationis arcem, in condenſis, ſeu in frequentationibus conſtituetur; omnium figurarum & Sacramentorum quæ ab initio ſæculi in diverſis temporibus fuerunt, veritas revelabitur, & univerſa per ipſum & cum ipſo conſummabuntur. Sed quod ſilentium factum dicitur mediâ horâ, hoc profectò puto ſignificari, quòd licet omnes electi Deum in ſuâ gloria contemplentur, tamen nulli creaturæ concedendum putatur, ut plenam divinæ ſubſtantiæ, ſicuti eſt, aliquâ ſcientiâ comprehendat, ſeu viſione cognoſcat. Ipſe enim incomprehenſibilis eſt, & inhabitat lucem omni rationali creaturæ, tam homini quàm Angelo, inacceſſibilem. Rectè ergo media, & non integra hora dicitur, quia licet ad ſufficientem beatitudinem, tamen ad integram ipſius Dei cognitionem, quâ immenſa divinitas comprehendatur, nulli pertingere conceditur.

Itaque nemo miretur, neque cauſetur Eccleſiam Dei ab invariabili Deo variis legibus & obſervationibus ante legem, & ſub lege, & ſub gratiâ diſtinctam, quia oportebat, ut ſecundum proceſſum temporum creſcerent ſigna ſpiritualium gratiarum, quæ magis ac magis ipſam veritatem declararent, & ſic cum effectu ſalutis incrementum acciperet de tempore in tempus cognitio veritatis: & ita primò quidem bona, deinde meliora, ad ultimum verò optima propoſita ſunt. Facta eſt autem hæc varietas,[g] non propter invariabilis Dei, qui ſemper idem eſt, & cujus anni non deficient, mutabilitatem, ſed propter humani generis variabilem infirmitatem, & temporalem mutationem de generatione in generationem. Nempe una eſt electorum Eccleſia, uni Deo obnoxia: una eſt fide, quâ ea quæ credenda ſunt, tam de præteritis, quàm de futuris, fideliter credit; & una eſt ſpe, qua ea quæ fidelibus ſperanda ſunt, longanimiter ſperat; & eſt una charitate quâ Deum, & in Deo proximum diligit, & cujus latitudine ad inimicos etiam propter Deum ſe extendit.

Eſt ergo gloria filiæ Regis, quæ eſt Eccleſia, ab intùs fidei decore, & teſtimonio puræ conſcientiæ, ſed in fimbriis aureis circumamicta varietate, diverſarum religionum & actionum, & eſt currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium. Ideoque jam deinceps nullus fidelis ſuſpicetur in hoc eſſe aliquod ſcandalum, ſi Eccleſiæ cujus ſemper eſt eadem fides credendi, non ſemper eſt eadem forma vivendi. Sed jam nunc ſufficiat reſpondiſſe eis qui calumniantur tot varietates in Eccleſiâ ſanctâ. Quod ſi ipſi habeant ſiniſtrè, ſed pias ſuſcipere valuerint reſponſiones ad eorum quæſtiones, ſpero nullum eis de cætero ſcandalum poſſe obvenire, unde ipſi aut aliquam ſpeciem religionis contemnant, aut pedem ſuum ab aliquâ ſocietate religionis abſtrahere debeant, ſi tamen ipſi voluerint, & Deus qui omnia ad ſeipſum trahit, hoc eis præſtare voluerit.

Explicit liber primus.

INCIPIT PROOEMIUM SECUNDI LIBRI

QUI DICITUR ΑΝΤΙΚΕΙΜΕΝΩΝ, id eſt, LIBER CONTRAPOSITORUM.

PUTABAM me ſatis reſpondiſſe in ſuperioribus, eis qui cauſabantur in ſanctâ Eccleſiâ tot varietates, tot religionum formas, tot mutationes, tot novitates, tot profeſſionum facies: ſed ut mihi videtur, quamvis eis ſufficere videantur ea quæ dixi, quod exinde apparet, quia ſuper hac quæſtione plùs me non infeſtant; tamen ad alias quæſtiones ſe transferunt, & adhuc me ſollicitare non ceſſant, & quod priùs zelo non bono videbantur facere, hoc jam nunc mutati in melius pio ac humili ſpiritu videntur inquirere: ideoque tanto libentiùs reſpondebo eis id quod mihi datum fuerit de ſupernis,

g *hac varietas*] Ita profectò Anſelmus ſcripſit, non ut Acherius ediderat, *hac veritas*.

quanto illi ſe oſtenderunt inquirere humiliùs. Nam Deus qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, vult nos eſſe humiles, quatenùs interrogando & reſpondendo non nobis tamquam ſuperbis reſiſtat, ſed verè humilibus gratiam det & intellectum præſtet. Hoc autem dicunt me ſufficienter reſpondiſſe ad propoſitam quæſtionem, & dicunt quòd hæc facilè facere potuerim, & quòd ipſi facilè accedere & acquieſcere potuerint poſt tot & tantas rationes & auctoritates: præſertim cum nil officiat in unâ fide diverſas habere conſuetudines, immoto ſemper eccleſiaſticorum Sacramentorum ritu, & generalibus Eccleſiaſtici Ordinis inſtitutis, quorum neutrum nulli per ſe licet immutare, niſi præcipitatæ mentis involvatur inſaniâ.

Diſſentiunt Græci à Latinis in fide Trinitatis.

Verùm quid eſt, inquiunt, quòd aliqui in Eccleſiâ, in fide ſanctæ Trinitatis & in Sacramentorum ritu videntur diſcrepare, quemadmodum Græci à Latinis? Quòd ſi ſalvâ unitate fidei, & uno Sacramentorum ritu, in cæteris omnibus diſſimiles eſſent, utcumque tolerari poſſet, & minus ſcandalum ſeu periculum eſſe videretur. Verùm quoniam de fide, ſine quâ impoſſibile eſt placere Deo, diſſentire videntur, nec in uno Sacramentorum ritu convenire dinoſcuntur: neceſſarium eſt ut ſuper hoc nobis reſpondeas, quid vel de illis ſit ſentiendum, vel nobis tenendum.

Fatemur ſanè non modicè nos ſcandalizari, quando audimus, quòd Græci viri ſapientiſſimi, in omni ſcientiâ Scripturarum eruditiſſimi, dicuntur non credere, nec dicere, quòd Spiritus ſanctus procedat à Filio, ſicut & à Patre procedit. Quod ſi ita eſt, non immeritò maxima occaſio graviſſimi ſcandali eſt. Et quidem tot millia Græcorum nomina reperiuntur in catalogo Sanctorum, quorum corpora, vel in pace ſepulta ſunt in Chriſto, vel qui tradiderunt corpora ſua propter Deum ad ſupplicia, & in ſanguine Agni laverunt ſtolas ſuas, & ideo meruerunt habere coronas perpetuas: in quorum etiam honorem & reverentiam non paucæ Eccleſiæ conſtructæ ac dedicatæ ſunt, & quorum annuæ feſtivitates paſſim per Eccleſias ſolemniter celebrantur.

Ad hoc, in ſanctâ Romanâ Eccleſiâ multi Pontifices natione Græci ſederunt in cathedrâ beati Petri Apoſtolorum Principis; qui gubernaculo fidei rectæ, & remigio ſanæ doctrinæ, Eccleſiam, quæ eſt navicula Petri, vice Petri benè gubernantes, in numero Sanctorum benè computantur. Ipſa autem ſancta Romana Eccleſia, mater omnium Eccleſiarum, hoc à Domino privilegium accepit, quòd ita ſpecialiter fundata eſt ſuprà firmam petram, ut à nullo unquam vento hæreticæ pravitatis impelli potuerit. Et mirum in modum, quomodo Græci in numero Sanctorum computentur, & ex ipſis Romani Pontifices electi inveniantur, ſi in fide ſanctæ Trinitatis adeo erraverunt, ut dicerent & crederent Spiritum ſanctum à Patre tantùm, & nequaquam à Filio procedere; niſi forte quis audeat dicere, quòd nihil obſit Fidei Chriſtianæ, & credentium ſaluti, ſive hoc, ſive illud dicat, vel non credat; quaſi ille articulus fidei, quo Spiritus ſanctus creditur à Filio procedere, vel non procedere, nulli Chriſtiano ſit neceſſarius. Proinde quomodo, inquiunt, potuit eſſe, quòd aliquis natione Græcus Pontifex Romanus, ſecundùm Græcos Spiritum ſanctum à Filio non procedere crederet, & ſecundum Latinos eumdem Spiritum à Filio procedere in Romanâ Eccleſiâ prædicaret? Nam quòd aliter crederent, & aliter prædicarent, nefas eſt dicere. Si autem quod credebant, id etiam prædicabant: quomodo Romana Eccleſia eos patienter audivit, quorum doctrinam de proceſſione Spiritûs ſancti à Patre tantùm, & non à Filio, nec tunc approbavit, nec hodie approbat?

Actor provocatus ad objecta Græcorum reſpondere, imò juſſus eſt ab Eugenio Papa.

Hæc & hujuſmodi ſimilia ſæpe in collatione proponunt, & interdum in ſecreto, interdum in aperto coram fratribus me tacere volentem excitant, & jam tandem importunitate ac crebris eorum precibus victus reſpondere cogor, & præ nimiâ illorum inſtantiâ, oportet me modo ibi pedem figere, ubi priùs in lectione divinarum Scripturarum plano ſenſu ſolebam tranſire. Sed ad ſolvendam tam validæ quæſtionis propoſitionem me ſufficere non video; verumtamen ne omninò videar tacere, & inquirentibus nihil reſpondere, & charitatem fratrum lædam tacendo, quoniam placere poſſum loquendo, malo aliquid dicere, tametſi poſtea ſit corrigendum, quàm ſilentio charitatem eorum offendere, quibus ex debito eſt reſpondendum. Maximè autem ad id faciendum cogit me mandatum Domini ac beatiſſimi Papæ Eugenii: & ſicut fratrum juſtis & devotis poſtulationibus nihil negare debeo, ita, imò multo ampliùs tantis juſſionibus non obedire non audeo. Valet profectò ad evidentiam hujus quæſtionis, ut diſputationem quam ego habui in urbe regia Conſtantinopoli cum Necbite Archiepiſcopo Nicodemiæ, in unum colligam, & ſub dialogo diſtinguam, quatenùs lectori evidentiùs appareat, quid vel Græcus, vel Latinus de proceſſione Spiritûs ſancti ſentiat. Prædictus namque Archiepiſcopus cum eſſet magnus apud illos religionis typo, & acerrimus ingenio, & eruditiſſimus Græcarum litterarum ſtudio, & facundiſſimus eloquio, & cautiſſimus in dando & accipiendo reſponſo, nihil eorum in diſputatione ſeu collatione tacendo neglexit, quæ viderentur poſſe ſpectare ad ſuæ ſententiæ firmitatem, vel ad noſtræ ſententiæ deſtructionem; præſertim cum ipſe inter duodecim electos Didaſcalos, qui ſtudiis Græcorum ex more ſolent præeſſe, tunc temporis fuerit præcipuus, & ab univerſis in officium noſtræ diſputationis adverſum me electus.

Explicit Prologus.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI.

I. QUALITER *Dialogus habitus ſit in urbe Conſtantinopoli de proceſſione Spiritûs ſancti ab Anſelmo Havelbergenſi Epiſcopo Nicodemiæ, & de modo interpretationis inter colloquentes.*

II. *Quòd in Deo non ἀναρχία, id eſt, nullum principium, non πολυαρχία, id eſt, multa principia, ſed μοναρχία, id eſt, unum principium ſit.*

III. *Quòd id quod æternum eſt, non ob hoc ſine principio eſt, ſicut Filius Patri eſt coæternus, ſed non eſt ſine principio, quia de Patre eſt.*

IV. *Quòd ſicut Pater genuit, ſed non ſe, & ſicut Filius genitus eſt, ſed non à ſe; ita quoque Spiritus ſanctus procedit, ſed non à ſe.*

V. *Quod ſicut incognitum eſt, qualis ſit Filii generatio; ita incognitum eſt, qualis ſit æterna Spiritûs ſancti proceſſio.*

VI. *Quòd in ſummâ Trinitate, aliud eſt ibi eſſe, aliud Patrem, aut Filium, aut Spiritum ſanctum eſſe.*

VII. *Quare Spiritus ſanctus ſolus dicatur Spiritus ſanctus, & tertia in Trinitate perſona, & hoc non gradûs dignitate, ſed numerandi ordine, & propria perſonæ deſignatione.*

VIII. *Quòd nomina Trinitatis tranſpoſita inveniuntur.*

IX. *Quòd Pater & Filius & Spiritus ſanctus non ſint defectiva nomina, ſed ſufficientia, nullam re-*

miſſionem vel minorationem ſecundum ſubſtantiam ſignificantia.

X. *Quòd Spiritus ſanctus neque ſecundum ſubſtantiam quæ communis eſt, neque ſecundum perſonam quæ ad ſe dicitur, ſed ſecundum relationem procedens dicitur.*

XI. *Utrum Filius ſicut Pater dicatur rectè Spiritûs ſancti emiſſor, quod Græci dicunt* [illegible].

XII. *Quòd Spiritus ſanctus amborum eſt* [illegible], *id eſt, concordia, & eſt amborum* [illegible], *id eſt, reſpectio.*

XIII. *Quòd nemo fidelis ſine patienter ferre debet blaſphemum ſe vocari, ſicut nec Dominus, quando dictum eſt ei,* Dæmonium habes; *& quòd Spiritus ſanctus propter diverſos effectus diverſa ſortitur vocabula.*

XIV. *Quòd nullus ſenſum Scripturæ, quæ divina meruit appellari, ſuo ſenſui, ſed potiùs ſuum ſenſum illi debet accommodare.*

XV. *Quòd Dominus inſufflando dederit Apoſtolis Spiritum ſanctum, nec tamen flatus ille corporeus fuerit ille Spiritus ſanctus, ſed proceſſionis ejus ſi-*
Joan. 20. 22. *gnificatio; & qualiter intelligendum ſit:* Accipite Spiritum ſanctum.

XVI. *Quòd aliquando ſpiritualia corporalibus, aliquando corporalia ſpiritualibus comparantur.*

XVII. *De eo quod muliere fimbriam Domini tangente, virtus de illo exibat; & quod virtutis nomine Spiritus ſanctus appellatur, qui ab ipſo procedit.*

XVIII. *Quòd ſicut Spiritui ſancto hoc eſt eſſe à Patre, quod procedere à Patre, ita ei hoc eſt eſſe à Filio quod procedere à Filio.*

XIX. *Utrum Spiritus ſanctus æqualiter procedat à Patre, ſicut & à Filio, Filius autem à Patre ſit; & ſimilitudo de Adam primo plaſmate, & de Heva plaſmatis deciſione, & de Abel utriuſque decurſione.*

XX. *Quòd ſicut in Evangelio non invenitur, Spiritus ſanctus procedit à Filio; ita quoque in Evangelio nequaquam reperitur, Spiritus ſanctus non procedit à Filio; nec invenitur quòd à ſolo Patre procedat.*

XXI. *Quòd nihil cum temeritate ſit affirmandum, & nihil cum iracundia refellendum.*

XXII. *Quòd non ſit temerarium addere aliquid Evangelio, quod non contra Evangelium: ſicut in Nicæno Concilio & in multis aliis Conciliis factum eſt.*

XXIII. *Quòd fides ſanctæ Trinitatis ad plenum condita eſt in Conciliis, quibus præſedit Spiritus ſanctus* [illegible], *id eſt, omnium Epiſcopus, qui & auctor prius & conditor fuit Evangelii.*

XXIV. *Quòd multi Græcorum Auctores dixerunt Spiritum ſanctum procedere à Filio, ſicut à Patre.*

XXV. *Quòd Spiritus ſanctus, licet ab utroque procedat, tamen à Patre propriè & principaliter procedere invenitur, tam apud Latinorum, quàm Græcorum Scriptores.*

XXVI. *Quòd quidam Græcorum, & etiam quidam Latinorum putaverunt Spiritum ſanctum procedere à Patre per Filium, inducentes quaſdam ſimilitudines minus idoneas.*

XXVII. *De concordiâ hujus quæſtionis, & de tollendo ſcandalo de medio utriuſque gentis auctoritate Romani Pontificis per Concilium generale.*

INCIPIT LIBER SECUNDUS ANTIKEIMENON DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI. UTRUM SECUNDUM GRÆCOS A PATRE TANTUM PROCEDAT, AN SECUNDUM LATINOS A PATRE SIMUL ET A FILIO.

CAPITULUM PRIMUM.

Qualiter Dialogus habitus ſit in urbe Conſtantinopoli de proceſſione Spiritûs ſancti ab Anſelmo Havelbergenſi Epiſcopo, & Nechite Archiepiſcopo Nicomediæ. & de modo interpretationis inter colloquentes.

IGITUR cum eſſem conſtitutus in urbe Regiâ, & crebrò varias à Græcis quæſtiones ſuſciperem, & itidem alias illis proponerem, placuit Imperatori piiſſimo KALOJOHANNI, placuit etiam Patriarchæ civitatis N. viro religioſo, ut publicus conventus fieret: & ſtatuta eſt dies, ut in audientiâ omnium ea ſonarent, quæ hinc & inde dicerentur. Convenientibus itaque quàmplurimis ſapientibus in vico qui dicitur Piſanorum, juxtà Eccleſiam Agie Irene, quæ linguâ Latinâ ſanctæ Pacis nuncupatur, menſe Aprili, die decimo, ſi tamen benè memor ſum, poſitiſque Silentiariis, ſicut ibi mos eſt, & datis arbitris, & ſedentibus notariis, qui omnia quæ hinc inde dicerentur, fideliter exciperent & ſcripto commendarent, univerſa multitudo, quæ ad audiendum avida convenerat, conticuit. Aderant quoque non pauci Latini, inter quos fuerunt tres viri ſapientes, in utrâque linguâ periti, & litterarum doctiſſimi; JACOBUS nomine, Veneticus natione; BURGUNDIO nomine, Piſanus natione, tertius inter alios præcipuus, Græcarum & Latinarum litterarum doctrinâ apud utramque gentem clariſſimus, MOYSES nomine, Italus natione ex civitate Pergamo; iſte ab univerſis electus eſt, ut utrimque fidus eſſet interpres.

Qui in conventu aderant viri docti.

Colloquuntur Anſelmus & Nechites.

Cunctis itaque ordinatis, & ſedibus è regione poſitis, dato ſilentio, omnibus ad audiendum avidis & ſuſpenſis, ANSELMUS Havelbergenſis Epiſcopus dixit, Patres reverendi, ego ad contentiones non veni, quia ita dicit Apoſtolus: *Non in contentione & æmulatione*; & iterum: *Si quis contentioſus eſt, nos hujuſmodi conſuetudinem non habemus*; ſed veni ad inquirendum & cognoſcendum de fide veſtrâ atque meâ, maximè quia vobis ita placuit. NECHITES Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Placet quod dicis, & humilitas tua nobis placet; nam in colloquendo & humiliter conferendo citiùs elucеſcit veritas, quàm ſi ſuperbè & ad vincendum avidi contendamus. ANSELMUS Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Non debemus eſſe immemores, quòd ſcriptum eſt in Evangelio, quoniam JESUS *junxit ſe duobus Diſcipulis euntibus ab Jeroſolymis in caſtellum Emaus, & loquentibus de ipſo; & ibat cum illis, & cognoverunt eum in fractione panis.* Nos quoque ſi ſimul ire & ſine diſceptatione colloqui ſimul de veritate voluerimus, ipſa veritas ſe nobis jungendo approximabit, & in fractione panis, id eſt, divinæ Scripturæ eam cognoſcemus. Itaque ſimul gradiamur viam charitatis, non contendentes ſuperbâ ratiocinatione, ſed ſimul inveſtigantes veritatem humili inquiſitione. NECHITES Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Videtur mihi quòd ea quæ dicturi ſumus, electus interpres de verbo ad verbum fideliter exponat, quia hoc modo meliùs nos invicem intelligere poſſimus, & ipſe hoc faciliùs facere poteſt. ANSELMUS Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Ego hujuſmodi uſum loquendi non habeo: & propterea ſuſpecta eſt mihi talis interpretatio, quia forte capi poſſum in

Rom. 13. 13.
1. Cor. 11. 16.

Luc. 24. 35.

Digitized by Google

verbo, ſi diſpariliter fuerit interpretatum, nec decet nos contendere verbis. Verùm talis interpretatio in medio currat, quæ ſermonem utrimque continuatum pleno & collecto verborum ſenſu excipiat & exponat: hoc enim modo loquutionis ſeu interpretationis non videhimur verborum obſervatores, ſed ſententiarum inveſtigatores. NECHITES Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Fiat ſicut dicis, nam & hoc mihi placet, quia tibi placet.

ANSELMUS Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Adhuc quædam præmittere volo; quia de quæſtione difficili tractare proponimus, & ego ad conventum iſtum ſubito vocatus ſum, & ab heri & nudiuſtertius nihil horum ſum præmeditatus, precor reverentiam omnium aſſidentium & circumadſtantium, ut ſi forte mihi aliquod verbum fuerit elapſum, ſicut nonnunquam in talibus fieri ſolet, quod alicujus veſtrûm aures offendat, non ſtatim adverſùm me excuſſo plauſu exclametis, ſed juxtà manſuetudinem veſtram finem ſermonis patienter exſpectetis, memores quòd hoſpes ſum in medio veſtri: nam & hoc ipſum priùs veritus ſum in illo genere interpretationis de verbo ad verbum, & ob hoc illud à noſtrâ collatione tunc ſubmovi. Non ſit igitur inter nos verborum litigium, ſed exquiſita veritas ſententiarum. NECHITES Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Benè dixiſti, & ego id ipſum rogo. Univerſi dixerunt: Bonum eſt, honeſtum eſt, & ita fiat, fiat.

Quæſtionem de proceſſione à Patre & Filio proponit Anſelmus: cui reſpondet Nechites.

ANSELMUS Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Nos ſequentes ſanctam & apoſtolicam doctrinam credimus & docemus Patrem & Filium & Spiritum ſanctum unum Deum in ſubſtantiâ, trinum in perſonis. Credimus etiam Patrem ingenitum, Filium à Patre genitum, Spiritum ſanctum ab utroque, Patre ſcilicet & Filio, procedentem. Hoc credimus & docemus. NECHITES Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Ea quæ dicis, Catholica ſunt & ſuſcipienda; ſed quod dicis Spiritum ſanctum à Filio procedere ſicut à Patre, ad hoc non accedimus, nec ſuſcipimus, præſertim cum nulla ratio, nulla auctoritas canonicarum Scripturarum, nullum denique generale Concilium hoc dicat vel doceat.

ANSELMUS Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Quoniam tria poſuiſti, rationem, canonicarum Scripturarum auctoritatem, generalia Concilia; & quia rationem primò poſuiſti, velim etiam primò ſcire quâ ratione prohibearis ne credas vel dicas Spiritum ſanctum procedere à Filio ſicut & à Patre. NECHITES Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: In omni Philoſophiâ, & maximè in ſummâ Theologiâ cavendum eſt, & ſapientiſſimi Græcorum hactenùs vitaverunt dicere πολυαρχίαν, id eſt, multa principia; vitaverunt etiam ἀναρχίαν quæ eſt ſine principio; elegerunt autem & venerati ſunt, & nobis venerandam docuerunt μοναρχίαν, hoc eſt, unum principium. Idcircò autem noluerunt ſuſcipere in Deo πολύαρχον, id eſt multa habens principia, quia quod habet multa principia, dixerunt eſſe litigioſum. Noluerunt etiam ſuſcipere in Deo ἄναρχον, id eſt, ſine principio, quia hoc quod eſt ſine principio, dixerunt eſſe inordinatum. Hæc itaque duo non inconvenienter fugientes, converſi ſunt rationabiliter ad venerandam μοναρχίαν, quam & nos veneramur & amplectimur, & à quâ nullum qui orthodoxæ fidei ſit, oportet recedere. Porro ſi duo eſſent principia, vel utrumque inſufficiens eſſet, aut alterum ſuperfluum eſſet: ſi enim aliquid uni deeſſet quod alterum haberet, non ſummè perfectum eſſet; ſi verò nihil uni deeſſet [a] quod alterum haberet, cum in uno omnia eſſent, alterum ſuperflueret. Itaque Patrem & Filium & Spiritum ſanctum unum Deum eſſe credimus; Patrem quidem ingenitum, Filium verò ex Patre genitum, Spiritum ſanctum à Patre tantùm, & non à Filio procedentem. Nam ſi à Patre & à Filio Spiritum ſanctum procedere diceremus, cum Pater eſſet principium Spiritûs ſancti, & ſimiliter Filius eſſet principium Spiritûs ſancti, ſtatim conſequenter accurreret nobis duo eſſe principia, & incideremus in πολυαρχίαν, id eſt multa principia: quod eſt contrà omnem rationem. Credimus ergo & docemus Patrem eſſe principium Filii quem genuit, & eumdem Patrem ſolum eſſe principium Spiritûs ſancti, qui ab ipſo ſolo procedit. Sic autem dicimus Patrem eſſe utriuſque principium, ſcilicet non tempore, ſed causâ; ambo enim à Patre tamquam ab uno principio, iſte generatione, ille proceſſione, non temporaliter, ſed cauſaliter.

Græci dicunt Spiritum à Patre, non à Filio procedere.

CAPITULUM II.

Quòd in Domino non ἀναρχία, id eſt, nullum principium; non πολυαρχία, id eſt, multa principia; ſed μοναρχία, unum principium ſit.

ANSELMUS Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Ego multa principia, quod tu vocas πολύαρχον, in Deo tecum nego, quia omni rationi contrarium eſt; tamen quia quidam hæreſiarcha, natione Perſes, nomine Manes, de quo Manichæi, qui ferè totam Africam polluerunt, à Catholicâ Eccleſiâ merito damnatus eſt, eo quod contendebat duo eſſe principia, & nonnulla alia Chriſtianæ fidei contraria docebat. Similiter quod tu vocas in Deo ἄναρχον, id eſt, ſine principio, ſeu non principium, nequaquàm in Deo ſuſcipio, ſicut nec tu; quia Deus, niſi ſummum principium eſſet, ſine ſeipſo eſſet, & ſi ſine ſeipſo eſſet, omninò non eſſet. Itaque in Deo neque dicenda ſunt multa principia, quia hoc litigioſum eſſet; neque dicendum eſt nullum principium, quia hoc inordinatum eſſet, quorum utrumque diſſolutionem ac deſtructionem minatur. Sive enim dicatur quòd eo quod multa ſint principia, neceſſe ſit multa quoque eſſe litigia: ſive dicatur quòd eo quod nullum ſit principium, nihil etiam ſit ordinatum: ſive, inquam, hoc, ſive illud dicatur, utrumque eſt abſurdiſſimum; quoniam, ſicut dixi, utrumque diſſolutioni ac deſtructioni proximum eſt: alterum propter eam quæ ibi eſt litem, alterum propter eam quæ ibi eſt inordinationem. Unum igitur principium quod tu vocas μόναρχον, tecum in Deo ſuſcipio, quoniam quidem Deus ſummum ac plenum eſt principium, quod videlicet principium ipſemet eſt ſibimet. Eſt autem ſine principio, quod præter ipſum & extrà ipſum ſit, quod omnino nullum eſt; & ita in Deo non principia multa, non principium nullum, ſed ipſe ſibi unum in ſeipſo eſt principium, per ſeipſum in ſeipſo propriè monarchiæ liberrimum tenens principatum; & ſicut ipſe ſibi eſt vita quâ vivit, ita ipſe eſt ſibi principium quo principatur.

Attamen quod dicis, ſi Spiritus ſanctus procedit à Patre & à Filio, ergo duo ſunt principia. Hanc tuam argumentationem cum tam feſtinato enthymemate nequaquam ſuſcipiendam judico. Ex hoc enim vero quod præmiſſum eſt, non ſequitur illud falſum quod illatum eſt: verum eſt autem quòd Spiritus ſanctus procedit à Patre & à Filio, ſed falſum quòd duo ſint principia; ideoque nulla eſt ibi cohærentia. Intendat itaque charitas tua: Spiritum ſan-

[a] *nihil uni deeſſet*] Sic emendare libuit; nam prioris editionis lectio *nihil unde eſſet*, omninò inepta eſt.

ctum dicimus procedere à Patre & à Filio, nec tamen exinde concedimus duo eſſe principia, quia Pater & Filius unum ſunt principium, ſicut ſunt unus Deus. Sicut autem dicimus Deus de Deo, nec tamen duo dii, & ſicut dicimus tropicè lumen de lumine, nec tamen duo ſubſtantialia lumina, & ſapientia de ſapientiâ, nec tamen duæ ſapientiæ; ita profectò dicimus principium de principio, nec tamen duo principia. Unde Dominus in Evangelio interro-
Joan. 8. 25. gatus: *Tu quis es?* de ſe ipſo reſpondens dicit: *Ego principium qui & loquor vobis*; oſtendens ſe eſſe unum & idem principium cum Patre in unitate ejuſdem ſubſtantiæ, qui tamen eſt de principio proprietate filialis perſonæ.

Conſiderandum quippe eſt quid, de quo, & propter quid, & ſecundum quid dicatur. Nam cum dicit: *Ego ſum principium qui & loquor vobis*; & cum non dicit: *Ego ſum principium quod & loquor vobis*; ſatis inſinuavit quòd ipſe eſt unum cum Patre eâdem conſubſtantialitate, qui tamen non eſt unus cum Patre proprietate perſonæ. Eſt enim Filius idem principium quod Pater ipſe eſt ſecundùm ſubſtantiam; ſed ipſe non eſt idem qui Pater eſt ſecundùm perſonam. Quamvis & aliter intelligi poſſit hoc quod dixit: *Ego principium qui & loquor vobis*; videlicet ſe Creatorem oſtendere volens & principium creaturæ, ſicut & Pater eſt principium creaturæ, eo quod ab ipſo ſunt omnia. Unde in li-
Genes. 1. 1. bro Geneſeos: *In principio creavit Deus cælum & terram*. Et quòd ipſe ſit principium in principio &
Joan. 1. 1. cum principio, audi Johannem Evangeliſtam: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum; omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. In ipſo vita erat*. Et in Pſal-
Pſal. 109. 4. mis: *Tecum principium in die virtutis tuæ*. Proinde Pater quidem ad creaturam relativè dicitur principium ex quo omnia; Filius quoque ad creaturam relativè dicitur principium per quem omnia, Spiritus ſanctus quoque ad creaturam relativè dicitur principium in quo omnia, nec tamen ſunt tria principia, ſicut nec tres Creatores, quoniam inſeparabilia ſunt opera Trinitatis. Unum ergo principium ad creaturam dicitur Deus, non duo vel tria. Quòd ſi ad ſe invicem in Trinitate referantur, tunc ſi gignens, ad eum qui gignitur, principium eſt, Pater ad Filium principium eſt, quia gignit eum. Utrum autem Pater rectè dicatur principium ad Spiritum ſanctum, quia ab ipſo procedit, & utrum Filius rectè dicatur principium ad Spiritum ſanctum, quia & ab ipſo procedit, apud nonnullos aliqua quæſtio eſt. Verùm ſi is qui datur, ſcilicet Spiritus ſanctus, habet principium eum à quo datur, quippe non aliunde accepit quod inde procedit; non incongruè videtur fatendum eſſe Patrem & Filium principium eſſe Spiritûs ſancti, non tamen duo principia: quia ſicut Pater & Filius unus Deus, ſic relativè ad Spiritum ſanctum unum ſunt principium; quia videlicet Spiritus ſanctus non aliunde, ſed à Patre & Filio qui ſunt unum principium, datur & procedit. Porro Pater principium, & Filius idem eſt principium: nam ſi Filius aliud à Patre, & non idem cum Patre principium eſſet, jam ipſe in hoc quod aliud eſſet, principium eſſe deſineret. Quidquid ergo dederimus Patri, demus & Filio: ſi enim Pater in Filio, & Filius in Patre, & omnia Patris Filii, & omnia Filii Patris ſunt; profectò principium Patris principium Filii eſt, hoc eſt, principium quod Pater eſt, principium eſt quod Filius eſt; & ita Spiritus ſanctus procedens ab utroque, Patre ſcilicet & Filio, non duo, ſed unum ſuæ proceſſionis habet principium. Dicitur enim tribus modis principium in Deo, ſubſtantivè ad ſeipſum, relativè autem invicem in Trinitate, ſicut Pater ad Filium, & iterum relativè, quantum ad creaturam Creator.

CAPITULUM III.

Quòd id quod æternum eſt, non ob hoc ſine principio eſt, ſicut Filius Patri eſt coæternus, ſed non eſt ſine principio, quia de Patre eſt.

ET fortaſſe miraris, quia non dicantur συνάρχα, id eſt, ſimul principia vel comprincipia, quæ ſunt ſimul coæterna. Sed notandum, quòd id quod ſine principio eſt, etiam æternum eſt: ſed quod æternum eſt, non ob hoc ſine principio eſt. Quippe Pater & Filius & Spiritus ſanctus totæ tres Perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales, ſed non totæ ſimul ſunt ſine principio: nam Pater quidem ἄναρχος, id eſt, ſine principio eſt, & ipſe eſt principium coæqualis & coæterni & conſubſtantialis ſibi Filii. Principium autem ut cauſa, & ut fons, & ut æternum lumen; Filius autem [b] licet ſit coæternus & conſubſtantialis Patri, nequaquam tamen eſt ἄναρχος, id eſt, ſine principio, quia Patrem habet principium & cauſam, & ipſe eſt principium univerſorum. Principium autem quando dico, non tempus admittas, neque medium aliquod interponas inter generantem & genitum; neque dividas naturam aliquâ interciſione malè excogitatâ & malè immixtâ & interpoſitâ his qui ſemper ſibi coæterni ſunt. Si enim tempus eſſet Filio antiquius, tunc itaque Pater prima cauſa eſſet temporis, non Filii; nec Filius eſſet factor temporum, qui eſſet ſub tempore; nec naturâ eſſet dominus omnium, ſed gratiâ Patris in dominium aſſumptus, vel etiam omninò non dominus. Et ita prorſus de deitate ejiceretur Filius tamquam Patri non coæternus, ſed ſub tempore conſtitutus.

Eſt itaque Pater principium Filii ut cauſa, & eſt Pater ſimul & Filius principium Spiritûs ſancti ut cauſa. Manifeſtum eſt autem quòd non omninò antiquior eſt cauſa his quorum cauſa eſt, ſicut nec ſol lumine proprio antiquior. Unde manifeſtum eſt totas tres ſimul perſonas coæternas eſſe ſibi & coæquales, ſed non totas tres ſimul eſſe ſine cauſali principio. Eſt igitur, ſicut dictum eſt, Pater ἄναρχος, id eſt, ſine principio temporali vel cauſali, quia non aliunde, ſed ab ipſo eſt; Filius verò non ἄναρχος, quippe Patrem ut cauſam ſui habet principium non temporale, ſed cauſale. Si autem id quod ex tempore eſt, principium intelligas; ita Filius quoque eſt ἄναρχος, & Spiritus ſanctus eſt ἄναρχος, id eſt, ſine temporali principio: non enim incœpit cum tempore vel ſub tempore, quæ temporum factrix eſt, Trinitas. Sanè Pater & Filius & Spiritus ſanctus tota ſimul Trinitas ſicut unus eſt Deus, ita eſt unum & idem ſubſtantiale principium, quos vos vocatis μίαν ἀρχὴν, μοναρχίαν, id eſt, unum principium, ſeu unus principatus omnitenens: nullatenus autem duo vel tria principia, quæ vos vocatis δυαρχίαν vel τριαρχίαν. Sic enim in Symbolo Athanaſii, quod eſt venerabile per omnem Eccleſiam, legitur: *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus ſanctus; & tamen non tres æterni, ſed unus æternus. Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus ſanctus; & tamen non tres immenſi, ſed unus immenſus. Et Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus; & tamen non tres dii, ſed unus eſt Deus.* Et Dominus Athanaſ. in Symb. 10.

b *Filius autem*] In priori editione hoc tantum legebatur *Filius, aut licet ſit* mutile ſane; nec dubium quin Anſelmus ſcripſerit ita ut edidimus.

Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus ſanctus; & tamen non tres Domini, ſed unus eſt Dominus. Ita quoque principium Pater, principium Filius, principium Spiritus ſanctus; & tamen non tria principia, ſed unum eſt principium. Omnes quidem tres ſimul unum principium, & ſinguli idipſum plenum atque perfectum principium. Et ſicut tres perſonæ rectè dicuntur conſubſtantiales, nec tamen rectè dicuntur tres conſubſtantiæ; ita fortaſſe tres perſonæ rectè dicuntur comprincipiales, ſed tamen non rectè dicuntur tria comprincipia, quod Græci dicunt ***, Latini verò in nullo latinitatis uſu habent. Et fortaſſe quis argumentosâ, ſed falsâ opinione deceptus, idcircò duo dici poſſe putat principia, quia cum dicitur principium ſine principio, & iterum dicitur principium de principio, duo videntur conſtitui principia. Sed non benè attendit, quòd rectè quidem dicitur Deus non de Deo, ſcilicet Pater: & iterum rectè dicitur Deus de Deo, ſcilicet Filius; nec tamen ob hoc ſunt duo dii. Et rectè dicitur lumen non de lumine, & item rectè dicitur lumen de lumine; nec tamen duo ſunt lumina. Quòd ſi quis dixerit, principium qui Pater, non eſt principium qui Filius; & principium qui Filius, non eſt principium qui Pater; & inde inferre voluerit quòd duo ſunt principia: omninò fallitur, quoniam cum dicitur, principium qui Pater non eſt principium qui Filius: & cum dicitur, [c] principium qui Filius non eſt principium qui Pater: cum hoc, inquam, dicitur, nihil aliud dicitur, vel intelligitur, niſi quòd Pater non eſt Filius, & Filius non eſt Pater, quod ſemper perſonarum diſcretionem diſtinguit. Sicut autem ſecundum diſtinctionem perſonarum rectè dicitur negativè, principium qui Pater non eſt principium qui Filius, & principium qui Filius non eſt principium qui Pater; ita ſecundum identitatem ejuſdem eſſentiæ rectè dicitur affirmativè, Pater idem eſt principium quod Filius, & Filius idem eſt principium quod Pater: & licet iſte non ſit ille, tamen iſte eſt quod ille; & licet is non ſit is idem, tamen idem eſt id idem; & licet hic non ſit qui hic, tamen hic eſt ipſum hoc quod hic; nec ipſe eſt ipſe, ſed ipſi ſunt ipſum & idipſum, ſemper unus Deus, ſemper unum principium; nunquam duo dii, nunquam duæ majeſtates, nunquàm duo principia.

Proinde ſi Spiritus ſanctus non procedit à Filio, ſicut tu putas, oſtende, ſi potes, quomodo verum eſſe poſſit, quòd procedat à Patre. Nam ſi ſecundum te credendum eſt eum non procedere à Filio, credendum eſt etiam ſecundum te eum non procedere à Patre, cum Pater & Filius unum ſint, ſicut ipſe dicit:
Joan. 10. 30. *Ego & Pater unum ſumus*; & iterum: *Ego in Pa-*
Ibid. 38. *tre, & Pater in me eſt.* Qui ergo dicit Spiritum ſanctum procedere à Patre qui in Filio eſt, oportet ut etiam dicat eumdem Spiritum ſanctum procedere à Filio qui in Patre eſt; [aut ſi neget [d] procedere à Filio,] cogitur hoc quoque negare eumdem Spiritum ſanctum procedere à Patre qui in Filio eſt: Pater enim & Filius unum ſunt; & cum viciſſim dicitur, ille eſt in illo, nequaquam aliud in alio tamquam ſubſtantialiter aliud, ſed id quod ſubſtantialiter unum & idem eſt, intelligitur. Unde Dominus ad Philip-
Joan. 14. 9. pum poſtulantem: *Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis. Philippe, qui videt*, inquit, *me, videt & Patrem, quia ego in Patre, & Pater in me eſt.* Quod propter ejuſdem ſubſtantiæ unitatem
Ibid. 10. 30 dictum eſt. Et cum dicitur: *Ego & Pater unum ſumus*; unum propter unitatem ſubſtantiæ, contrà Arrium dicitur; ſumus propter pluralitatem perſonarum, contrà Sabellium dicitur, ac ſi diceret: Ego & Pater unum, hoc eſt, quod ille, hoc ego ſecundum ſubſtantiam. Itaque hoc modo videtur eſſe confectum, ut dum tu vis mihi perſuadere, ne credam Spiritum ſanctum à Filio procedere, ne incidam in duo principia: tu quoque quod priùs credebas, videlicet Spiritum ſanctum procedere tantùm à Patre, jam negare cogaris; & incidiſti per hoc in talem laqueum, ut qui priùs alterum negabas, ſcilicet proceſſionem à Filio, & alterum affirmabas, ſcilicet proceſſionem à Patre, jam nunc aut neutrum ſecundum te confiteri audeas, aut utrumque ſecundùm fidem Catholicam & juxtà propoſitas rationes juſtè mecum fateri debeas.

Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Satis videntur ſuſcipienda ea quæ de principio diſſeruiſti. Sed quoniam dicis Spiritum ſanctum procedere à Patre & Filio, nec tamen recipis duo principia, & hoc probas eâ ratione, quia Pater & Filius unum ſunt; ſimili ratione probari poteſt, quòd idem Spiritus ſanctus procedat à ſemetipſo ſicut & à Patre & à Filio, quia Pater & Filius & Spiritus ſanctus una ſunt divinitatis eſſentia: & ita ſi procedit ab illis, cum quibus ipſe eſt ſubſtantialiter unum, neceſſe eſt dicere ut etiam procedat à ſemetipſo, cum quo & ipſi ſunt ſubſtantialiter unum.

CAPITULUM IV.

Quòd ſicut Pater genuit, ſed non ſe, & ſicut Filius genitus eſt, ſed non à ſe; ita quoque Spiritus ſanctus procedit, ſed non à ſe.

Anſelmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Pater Deus, Filius Deus, Spiritus ſanctus Deus; non tamen tres dii, ſed unus eſt Deus. Et quamvis rectè dicatur, Pater Deus genuit Filium Deum, cum ſit unus Deus; non tamen rectè poteſt dici de Patre Deo, Deus Pater genuit ſeipſum; nec rectè poteſt dici de Filio Deo, Deus Filius genitus eſt à ſeipſo. Sic quoque quamvis Pater & Filius & Spiritus ſanctus unus Deus ſit, & Spiritus ſanctus rectè credatur à Patre & Filio procedere; tamen idcircò non rectè dicitur procedere à ſeipſo, quia cum ipſe ſit ſubſtantialiter unum cum Patre & Filio, nequaquàm tamen ipſe aut Pater eſt, aut Filius eſt, ut ita à ſeipſo debeat procedere, ſicut procedit ab illis. Igitur ſicut Pater genuit, ſed non ſe, & ſicut Filius genitus eſt, ſed non à ſe; ita quoque Spiritus ſanctus procedit, ſed non à ſe. Quod etiam manifeſtè probatur ex Evangelio Johannis, ubi ſcriptum eſt de Spiritu ſancto: *Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet, loquetur.* Joan. 16. 13. Non loquetur à ſemetipſo, quia non eſt à ſemetipſo; & quia non eſt à ſemetipſo, nec procedit à ſemetipſo, cujus eſſe eſt idem quod procedere. Unde ergo eſt, inde procedit; & unde procedit, inde eſt. Ejus eſſe nihil aliud eſt quàm procedere. Sicut autem Patris proprium eſt generare Filium, & ſicut Filii proprium eſt generari à Patre; ita profectò Spiritûs ſancti proprium eſt procedere ab utroque tamquam ab uno principio.

Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: De proceſſione Spiritûs ſancti tractare propoſuimus, ſed tu ad probandam ſententiam tuam de generante Patre & de genito Filio induxiſti, non quidem, ut fateor, inconvenienter, quia ſatis placet quod dixiſti: verumtamen reſponde paulíſper de hoc ipſo. Quæ vel qualis, putas, eſt iſta Spiritûs ſancti proceſſio de

c *& cum dicitur*] Ex hoc loco ejecimus verbum *patri* quod ſententiæ turbandæ additum erat ab imperito quodam amanuenſi poſt vocular *&*.

d *aut ſi neget*] Quod uncis incluſum eſt addidimus; certè ita ſcriptum eſſe ab Anſelmo, qui forte etiam pro ſuo more adjecit *qui in Patre eſt*.

qui loquimur? Verumne videtur tibi quòd ſecundum communem ſubſtantiam, an ſecundum diſcretam & propriam perſonam dicendum ſit Spiritum ſanctum procedere?

CAPITULUM V.

Quòd ſicut incognitum eſt, qualis ſit Patris ingeneratio, & qualis ſit Filii generatio; ita incognitum eſt, qualis ſit æterna Spiritûs ſancti proceſſio.

ANSELMUS Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Dic mihi quæ vel qualis ſit Patris ingeneratio, & quæ vel qualis ſit Filii generatio; & ego narrabo tibi quæ vel qualis ſit Spiritus ſancti proceſſio, & ambo inſaniemus divina myſteria perſcrutantes, & de his rationem inveſtigare volentes, quæ tamquam ineffabilia ſuprà omnem intellectum rationalis creaturæ eſſe dignoſcuntur, & ſuâ profunditate vel altitudine omnem ſenſum humanum, necnon & angelicum ſupergrediuntur. Quòd ſi mihi inſtare, & ſuper hac quæſtione moleſtus eſſe volueris, hoc tibi ſufficiat audire, quod mihi ſufficit credere: ſufficit nempe mihi credere Patrem ingenitum, Filium genitum, Spiritum ſanctum procedentem. Qualiter autem hic ingenitus ſit, vel qualiter hic genitus ſit, vel qualiter ille procedat, reverendo ſilentio honorandum puto; & ſit nobis magnum ita credere ſicuti eſt, & non ſit nobis curioſum inveſtigare qualiter eſt: nam qualiter neque Angelis, nedum nobis excogitare conceditur. Pater autem qui genuit, & Filius qui genitus eſt, & Spiritus ſanctus qui ab utroque procedit, ratione ſibi tantùm æternaliter conſcia ſimul norunt divinam & æternam Filii generationem, & divinam & æternam Spiritûs ſancti proceſſionem, & ejuſdem generationis & proceſſionis modum & qualitatem: quod utique noſtræ humilitatis caliginoſam nubem excedit, quibus aliquando vanitas pro veritate occurrit. Hoc tamen non inconvenienter dici puto, quòd Pater ingenerabiliter ſemper fuit & eſt, & Filius generabiliter ſemper fuit & eſt, & Spiritus ſanctus proceſſibiliter ſemper fuit & eſt; & ipſius Patris generare, concurrit ſimul ejuſdem Patris eſſentiæ; & ipſius Filii generari, concurrit ejuſdem Filii eſſentiæ; & Spiritûs ſancti procedere, concurrit ejuſdem Spiritûs ſancti eſſentiæ: nec hoc, nec illud eſt prius aut poſterius.

CAPITULUM VI.

Quòd in ſummâ Trinitate aliud eſt ibi eſſe, aliud Patrem, aliud Filium, aut Spiritum ſanctum eſſe.

VERUMTAMEN in illâ ſummâ Trinitate non hoc eſt ibi generare quod eſſe, nec hoc eſt ibi gigni quod eſſe, nec hoc eſt ibi procedere quod eſſe; quoniam non eo quo eſt, eo Pater eſt; nec eo quo eſt, eo Filius eſt; nec eo quo eſt, eo Spiritus ſanctus eſt; ſed eo quo eſt, ſubſtantia eſt quæ ibi una eſt: & eo quo ille tamquam Pater generat, & eo quo ille tamquam Filius gignitur, & eo quo hic tamquam Spiritus ſanctus miſſus procedit; en non jam una, ſed tres ibi perſonæ ſunt: & ita ſubſtantiâ, ſeu potius eſſentiâ qua ſunt tres, unum ſunt; & perſonalitate quâ diſtinguuntur tres, tres ſunt. Quoniam quidem, ſicut dixi, non hoc eſt ibi eſſe, quod Patrem eſſe; nec hoc eſt ibi eſſe, quod Filium eſſe; nec hoc eſt ibi eſſe, quod Spiritum ſanctum, ſeu procedentem eſſe; ſed hoc eſt ibi eſſe, quod Deum eſſe, quod magnum, quod bonum, quod ſapientem eſſe: & illa tria ſingula ſingulis ſunt propria ac perſonalia, & hoc unum ſingulis per ſe & ſimul omnibus eſt ſubſtantiale.

CAPITULUM VII.

Quare Spiritus ſanctus ſolus dicatur Spiritus ſanctus, & tertia in Trinitate perſona, & hoc non gradus dignitate, ſed numerandi ordine, & propriæ perſonæ deſignatione.

ET Pater quidem Spiritus eſt, & ſanctus eſt; ſed non eſt is qui Spiritus ſanctus eſt, tertia videlicet in Trinitate perſona: ſimiliter & Filius Spiritus eſt, & ſanctus eſt; ſed non is qui Spiritus ſanctus eſt, tertia videlicet in Trinitate perſona. Ita quoque Spiritus ſanctus Spiritus eſt, & ſanctus eſt, & ipſe ſolus tamùm rectè dicitur Spiritus ſanctus, & tertia perſona in Trinitate. Et fortaſſe ideo ipſe Spiritus ſanctus rectè ſolus dicitur Spiritus ſanctus, quoniam ſolo ſpiraculo ejuſdem Deitatis ambos & ſeipſum in unam connectit eſſentiam, unitatem in trinitate, & trinitatem in unitate ineffabiliter diſtinguendo, mirabiliter conjungendo; ita ut credamus in illâ ſumma unitate & trinitate ſingulariter diſtinctâ & diſtinctè conjunctâ, quod paradoxon, id eſt, extraneum vel inopinabile eſt omni humano intellectui. Eſt itaque Spiritus ſanctus coæterna amborum connexio, amborum communio, amborum concordia, amborum charitas, amborum ſuavitas, amborum ſanctitas. Quomodo enim Pater Deus, ſi non ſanctus? & quomodo Filius Deus, ſi non ſanctus? Quòd ſi hanc ſanctitatem Deo Patri, ſeu Deo Filio ſubtraxeris, ſublatâ hac ſanctitate, Deitatem quoque abſtuliſti. Quæ enim vel qualis Deitas, quæ non ſancta? nonne imperfecta, ſi non ſancta? nonne prorſus nulla, ſi non ſancta? Quia igitur Spiritus ſanctus (ſicut dixi) coæterna amborum ſanctitas eſt, rectè ipſe Spiritus ſanctus dicitur ſanctitate communi unum cum Patre & Filio exiſtens, & proprietate perſonæ Trinitatem complens. Porrò ejuſdem ſubſtantiæ unitas indiviſa & ſimplex & una in ſe, manet æternaliter indiviſa & ſimplex & una in ſe, nullo unquam numero ſuſcepto; & hoc nobis eſt unus Deus. Perſonarum verò pluralitas ab unitate naſcendo non temporaliter, ſed æternaliter & cauſaliter, mota, ut ita dixerim, ad dualitatem, procedens ſtetit in Trinitate coæternâ coæternè, & ſanctæ Trinitatis numero coæternaliter ſine omni tempore habito; & hoc nobis eſt Pater & Filius & Spiritus ſanctus, qui licet tres ſint numero, quoniam alia eſt perſona Patris, alia Filii, alia Spiritûs ſancti, & una eſt perſona Patris tantùm, & duæ ſunt perſonæ Patris & Filii, & tres perſonæ Patris & Filii & Spiritus ſancti; tamen nullus gradus dignitatis in hac coæternâ ibi Trinitate ſuccedenter quærendus eſt. Nuſquàm enim in aliquâ ſcripturâ eorum qui tractaverunt de ſanctâ Trinitate, ſicut puto, reperitur juxtà gradum Trinitatis prima Patris perſona, ſecunda Filii perſona, licet de perſona Spiritûs ſancti aliquando inveniatur tertia in Trinitate perſona: quod non ſecundum gradum dignitatis, ſed ſecundum diſtinctam diſcretæ ac ſingularis perſonæ demonſtrationem ſive deſignationem dicitur. Non enim ordinata ſuccedente ibi numero in dignitate, ſed continuo numero eſt Trinitas & æqualis dignitate, ita ut verè & ſemper ibi ſint continuatim & ſimul tres perſonæ; non autem dicantur gradatim prima, ſecunda, tertia perſona, quoniam hoc notat gradum diſcretæ ac ordinatæ dignitatis: ipſe verò numerus per ſe, videlicet tres, non gradum dignitatis, ſed pluralitatem Trinitatis pluraliter ſignificat. Porrò cum dicatur Spiritus ſanctus tertia in Trinitate perſona, non dicitur reſpectu primæ vel ſecundæ per-

ſonæ

ſonæ, quaſi minor dignitate; ſed dicitur tertia, id eſt, ex tribus una, videlicet illius perſonæ ſpeciali deſignatione. Unde Auguſtinus Hipponenſis civitatis Epiſcopus, egregius Doctor, ſcribens ad Oroſium ita dixit: » Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, qui tertia eſt in Trinitate Perſona. « Item idem in libro quæſtionum veteris & novi Teſtamenti cap. cxiii. » Cur Filius Dei miſſus ſit, & non alius: Poſt Deum Patrem diabolus Deus dici voluit, quod etiam nunc uſque contendit, cum utique non illum hæc res contingeret, ſed eſſet hic Filius Dei, qui poſt Patrem Deum ſecundus eſt, non natura, ſed ordine. « Item idem Auguſtinus in eodem libro cap. cxcv. adverſus Euſebium: » Spiritus ſanctus tertius eſt ordine, non naturâ, non gradu, non divinitate, non perſonâ, non ignorantiâ. Sicut enim Filius Dei ſecundus à Patre eſt, & divinitate minor non eſt; ita & Spiritus ſanctus ſequens à Filio eſt, non impar, ſed æqualis divinitate ſubſtantiæ. « Item Hilarius Pictavienſis Epiſcopus, Catholicæ fidei quondam famoſiſſimus ac diſertiſſimus aſſertor, in libro xii. de Trinitate. » Filius ex te Deo Patre Deus verus, & à te genitus, poſt te ita confitendus ut tecum, quia æternæ originis ſuæ auctor æternus es. Nam dum ex te eſt, ſecundus à te eſt, ſecundus, inquam, ex modo exiſtendi, non ex differentiâ dignitatis; hic quippe à Deo Patre quaſi primo loco ſubſiſtit, cum Spiritus ſanctus tamquam tertio loco à Patre, ſecundo autem loco à Filio ſubſiſtat. « Unde & Hieronymus Preſbyter Latinarum & Græcarum & Hebraicarum litterarum eruditus, Patrem principalem Spiritum ad Filium nominat, opere videlicet illo ſuo de tribus virtutibus ita loquens: » David in Pſalmo tres Spiritus poſtulat dicens: *Spiritu principali confirma me. Spiritum rectum innova in viſceribus meis. Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.* Qui ſunt iſti tres Spiritus? Spiritus principalis Pater eſt, Spiritus rectus Chriſtus eſt, Spiritus ſanctus ipſe Spiritus ſanctus eſt. Itaque Spiritus ſanctus tertius eſt à Patre, ſecundus autem à Chriſto ſecundum numeri ordinem, ac ſi diceretur ſecundum ordinatam & congruam computationis ordinationem, videlicet juxtà ipſum exiſtendi modum & numerandi ſeriem, quæ in ipſis perſonis eſt, non ſecundum aliquos earum dignitatis gradus. Pater quippe à nullo eſt, Filius à Patre ſolo eſt, Spiritus ſanctus ab utriſque ſuum eſſe contrahit. Ideoque nullam, ut ita dixerim, ſecunditatem naturæ ſeu dignitatis, ſed ordinem tantum in modo exiſtendi & in ordine dicendi animadvertas. « Item Auguſtinus in libro quæſtionum veteris & novi Teſtamenti cap. xxii. de principio. » Nihil differt à Patre Filius, nihil planè differt in ſubſtantiâ, quia verus Filius eſt; differt autem in causâ, vel gradu, quia omnis potentia à Patre in Filio eſt: & ſi in ſubſtantiâ minor non eſt Filius, auctoritate tamen major eſt Pater, ipſo Domino teſtante & dicente: *Si diligeritis me, gauderetis quia vado ad Patrem, quia Pater major me eſt.* Quem modum cuſtodiens Apoſtolus Paulus: *Unus, inquit, Deus Pater, ex quo omnia, & nos in ipſo; & unus Dominus* Jesus, *per quem omnia, & nos per ipſum.* Ut primus gradus ſit ex quo ſunt omnia, ſecundus per quem omnia, tertius in quo omnia. Et quia nullus de his degener eſt, in unitate Dei ſignificati ſunt, dicente Apoſtolo: *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſæcula ſæculorum.* « Poſtulat itaque ratio, & fides Catholica docet, ut in deſignatione Trinitatis talis ordo pronuntiationis rectiſſimè ſervetur, ſcilicet Pater, Filius, Spiritus ſanctus. Qui enim æquales ſunt in dignitate, ſimul æqualiter dici non poſſunt in pronuntiatione; & quibus eſt ejuſdem majeſtatis unitas, eſt etiam diſcretæ perſonalitatis trinitas, ſublato omni gradu diſtinctæ dignitatis, conceſſo tamen ſuccedenter ordine diſtinctæ enuntiationis: quem videlicet enuntiationis ordinem in Trinitate ipſe Filius Dei qui omnia novit, patenter edocuit, ita loquens ad Diſcipulos: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.*

Aug. l. diverſ. quæſt. Oroſii, quæſt. 69. & quæſt. 22.

Hilarius lib. 12. de Trinitate ſub fine.

Hieronymus in Commentariis in Pſalmos, & explanatione in hunc verſum Pſalmi quinquageſimi *Spiritu principali confirma me.*

Hieron. in epiſt. 17. in explan. Symboli ad Damaſum.

Auguſt. & Hieron. ibid. & ad Cyrillum epiſt. 28 in explan. Symb.

Joan. 14. 28.

1. Cor. 8. 6.

Rom. 11. 36.

Matt. 28. 19

CAPITULUM VIII.

Quòd nomina Trinitatis tranſpoſita inveniantur.

CÆterum aliqui ſolent præjudicare Spiritui ſancto, quod ideo degener intelligatur, quia in ordine tertius ponitur, cum tanta ſimplicitas ſit in Scripturis divinis, ut aliquando invenias tertium primum poſitum: ut enim ſe cauſa tulerit, ſic & ponuntur. Nullius enim injuria eſt, quia una eorum divinitas eſt. Denique legimus in Iſaia, Domino dicente: *Ego ſum primus, & ego in æternum. & manus mea fundavit terram, dextera mea ſolidavit cælum.* Et in ſubjectis: *Ego locutus ſum, ego vocavi, ego adduxi eum, & proſperum iter ejus feci; accedite ad me, & audite hæc, non in occulto ab initio locutus ſum. Cum fierent, illic eram, & nunc Dominus miſit me & Spiritus ejus.* Quem itaque putamus eſſe, qui fundavit terram? Ipſe eſt qui dicit, Ego ſum primus, & ipſe eſt qui dicit ſe miſſum eſſe. Numquid Patrem hunc eſſe putamus, quia dicit, Ego ſum primus? Abſit; nam quod ſubjecit, *Et nunc Dominus miſit me & Spiritus ejus*, manifeſtè oſtendit Filium eſſe, qui ſe miſſum dicit à Deo & Spiritu ſancto: & tamen dicit, *Ego ſum primus*. Ecce paria ſunt iſta inter Filium & Spiritum ſanctum. Sicut enim à Patre & Filio Spiritus ſanctus legitur miſſus; ita & à Deo & Spiritu ſancto miſſus eſt Chriſtus: hoc autem ſolius Patris peculiare eſt, ne miſſus dicatur. Videamus quoque dicta Apoſtoli, qui alio ordine complectitur Trinitatem; dicit enim inter cætera in Epiſtolâ ſecundâ ad Theſſalonicenſes: *Dominus dirigat corda veſtra in charitate Dei & patientia Chriſti.* Quem putas hîc dici Dominum, niſi Spiritum ſanctum, qui dirigit corda noſtra in charitate Dei Patris mittentis Filium, & in patientiâ Chriſti obedientis Patri uſque ad mortem? Et ad Corinthios in Epiſtolâ primâ præterito ordine qui in traditione Fidei eſt, à Spiritu ſancto incipit gratiarum & miniſtrationum memorare operationes, & ſubjunxit Dominum Jesum, & tertium ponit Deum, quem in Spiritu ſancto & in Domino dicit operari; ſicut etiam ait ipſe Dominus: *Pater manens in me, ipſe operatur*; per id enim quod de Deo Patre eſt & Spiritus ſanctus & Chriſtus, operatio eorum opus eſt Dei. Denique Spiritum ſanctum eumdem dicit & Dominum, & Dominum eumdem dicit & Deum; & hoc propter unitatem naturæ. Cum ergo hoc loco eamdem Deum qui eſt & Dominus, dicat operari omnia in omnibus, inferiùs ſic concluſit dicens: *Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult.* Ecce tranſpoſito ordine nominum perſonalium in Trinitate tres unius operationis eſſe dicuntur, quia videlicet uno operante rectiſſimè tres dicuntur operari. Quare? Niſi quia ſunt unius divinitatis, quocumque ordine nomina eorum poſita inveniantur. Et David in Pſalmo quinquageſimo orat & invocat Deum Spiritum, nominibus trium perſonarum ſimplici fide tranſpoſitis, credens eamdem tribus divinitatis naturam. *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in viſceribus meis.* Spiritum rectum Chriſtum dixit.

Iſai. 48. 13

2. Theſſ. 3. 5.

Joan. 14. 10.

1. Cor. 12. 11.

Pſal. 50. 11

Pſal. 50. 12. Item : *Ne projicias me à facie tuâ, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.* Spiritum ſanctum dixit ipſum Spiritum ſanctum. Item infrà : *Redde mihi*
Ibid. 13. *lætitiam ſalutaris tui, & Spiritu principali confirma me.* Spiritum principalem Patrem dixit, qui ſibi principium eſt & principalis cauſa, ſive cauſale principium eſt Filii & Spiritûs ſancti. Et Johannes in
Apoc. 1. 8. Apocalypſi : *Ego ſum α & ω, principium & finis, dicit Dominus Deus, qui eſt & qui venturus eſt omnipotens.* Et infrà : *Ego ſum primus [illegible]viſſimus,*
Ibid. 17. *& fui mortuus, & ecce ſum vivens.* [illegible]tem infrà : *Hæc dicit primus & noviſſimus, qui fuit mortuus, & vivit.* Ecce videmus ſimplicitatem Scripturæ, quomodo tranſponit nomina Trinitatis, nunc Patrem, nunc Filium, nunc Spiritum ſanctum anteponens ſeu poſtponens : quod quidem nihil obeſt Fidei Catholicæ, quæ confitetur tres eſſe ejuſdem naturæ.

CAPITULUM IX.

Quòd Pater & Filius & Spiritus ſanctus non ſint defectiva nomina, ſed ſufficientia, nullam remiſſionem vel minorationem ſecundum ſubſtantiam ſignificantia.

ET ſciendum quòd Pater & Filius & Spiritus ſanctus nequaquam ſunt nomina defectiva, ut quia Pater non eſt Filius, nec Spiritus ſanctus, in hoc ſit deficiens; & quia Filius non eſt Pater, nec Spiritus ſanctus, ſit & ipſe in hoc deficiens; & quia Spiritus ſanctus non eſt Pater, nec eſt Filius, ſit & ipſe quoque in hoc deficiens : ſed ſunt nomina indefectiva & ſufficientia, nullam remiſſionem vel minorationem ſecundum ſubſtantiam ſignificantia. Dicimus autem hunc Patrem, hunc autem Filium, hunc autem Spiritum ſanctum, ut inconfuſibile trium hypoſtaſeon, id eſt, perſonarum cuſtodiatur in unâ naturâ & dignâ deitate. Quamvis autem cum dicuntur tres perſonæ, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, juxtà vocum ſignificationem pluralitas perſonarum occurrat intellectui; tamen unitas ejuſdem eſſentiæ à fide & intellectu rectè credentium non debet abeſſe. Et cum dicitur unus Deus, quamvis ſingulariter unitas divinæ eſſentiæ ſecundum propriam vocis ſignificationem occurrat humano intellectui, qui in ſe minùs eſt ſibi ſufficiens; tamen pluralitas perſonarum nequaquam debet abeſſe à fide & intellectu rectè credentium : ita ut in corde credamus & ore confiteamur unitatem in divinâ ſubſtantiâ, ſalvâ perſonarum trinitate, & trinitatem perſonarum, ſalvâ unitate divinæ eſſentiæ. Et ſic noſtrum unum non ſit Sabellianum, ſed Chriſtianum, nec ſit in perſonarum confuſa unitate, ſed ſit in verâ & ſimplici ejuſdem ſubſtantiæ unitate. Et itidem noſtrum tres non ſit Arrianum, ſed Catholicum, nec ſit in ſubſtantiarum pluralitate, ſed in perſonarum rectâ diſtinctione; ne vel in illud Arrianæ, vel in illud Sabellianæ impietatis promuntorium impingentes in profunda demerſi pereamus, ubi multi periclitati ſunt, & incautè navigantes naufragium hæreticæ damnationis paſſi ſunt; de fide quidem ſæpe & multum diſputantes, ſed nunquam ad fidei pertingentes veritatem, dum ignorant & ea quæ loquuntur, & ea de quibus affirmant. Quòd ſi humani ſermonis inopia potuiſſet adinvenire unum ſolum nomen, quod aptè & ſufficienter ſignificaret in Deo unitatem ſubſtantiæ, & trinitatem perſonarum, & hoc pleno ac ſufficienti intellectu; nimirum Eccleſia Dei nequaquam adeo laboraret in dicendo & credendo, quæ toties laboravit, multa verba de Deo ſive nomina multiformiter & fideliter exponendo. Nec tamen in ſolà nudorum nominum, & verborum confeſſione, ſed in ipsâ trinitatis & unitatis merâ veritate conſiſtit Fides Chriſtiana, & ſit ex ipsâ veritate, quâ verè unus Deus verus eſt, & verè vera trinitas eſt perſonarum, vera & ſalubris confeſſio ſermonum. Itaque cum dicitur Pater Deus, Filius Deus, Spiritus ſanctus Deus, nemo ibi exiſtimet eſſe [illegible], id eſt, tres deitates, vel triplicem deitatem : quoniam his qui ſunt ejuſdem naturæ, convenit etiam ejuſdem divinitatis & honoris identitas, quod apud Græcos, ſicut ego puto, dicitur [illegible]. Nec decet Chriſtianos [illegible], id eſt, trium Deorum cultores, ſed [illegible], id eſt, unius Dei cultores, dici & eſſe.

CAPITULUM X.

Quòd Spiritus ſanctus neque ſecundum ſubſtantiam quæ communis eſt, neque ſecundum perſonam quæ ad ſe dicitur, ſed ſecundum relationem procedens dicitur.

QUòd autem interrogaſti, utrum Spiritus ſecundum eam quæ communis eſt, ſubſtantiam, aut ſecundum eam quæ diſtincta & propria eſt, perſonam procedens dicatur : ad hoc ita reſpondendum. 1. Spiritus ſanctus conſubſtantialis eſt Patri & Filio; quippe ex eadem & non aliâ ſubſtantiâ eſt, quia ſicut illis eſt commune, ut ſint unus & idem Deus; ita illis eſt commune, ut ſint una eademque ſubſtantia. Attamen nec ſecundum ſubſtantiam, nec ſecundum perſonam, aut Pater ingenitus, aut Filius genitus, aut Spiritus ſanctus procedens dicitur. Si enim ſecundum ſubſtantiam quâ unum ſunt, Pater ingenitus, & Filius diceretur genitus, & Spiritus ſanctus diceretur procedens; tunc utique Pater ſecundum eamdem communem ſubſtantiam ingenitus & genitus diceretur, & procedens diceretur: & ita fieret quædam nova & confuſa commixtio ingeniti & geniti & procedentis; quæcunque enim de divinâ ſubſtantia ſecundum ſubſtantiam dicuntur, ea tribus oportet eſſe communia. Si ergo ſecundum ſubſtantiam diceretur Pater ingenitus, & Filius genitus, & Spiritus ſanctus procedens, tribus utique ſimul oporteret omnia eſſe communia; ita quòd Pater diceretur ſimul ingenitus & genitus & procedens, & Filius ſimiliter ingenitus & genitus & procedens, & Spiritus ſanctus ſimiliter diceretur ingenitus & genitus & procedens : & ſic pro nimiâ confuſione nec perſonarum diſtincta trinitas, nec ejuſdem ſubſtantiæ indiviſa ſtaret identitas. Rursùs ſi ſecundum ſubſtantiam diceretur ingenitus & genitus & procedens, tunc cum is qui ingenitus eſt, non ſit is qui genitus eſt, nec ſit is qui procedens eſt; nec is qui genitus eſt, ſit is qui ingenitus eſt, aut qui procedens eſt; nec is qui procedens eſt, ſit is qui ingenitus eſt, aut qui genitus eſt : jam non una tantum ſubſtantia, ſed tres ibi diverſæ eſſent ſubſtantiæ, ſecundum quas ab invicem differentes, & ille ingenitus, & iſte genitus, & hic procedens diceretur; & ita jam non [illegible], id eſt, ejuſdem ſubſtantiæ, ſed [illegible], id eſt, alterius ſubſtantiæ eſſet Trinitas, ac per hoc in altero quidem confuſio & commixtio perſonarum in Sabellianum barathrum nos projiceret, in altero verò ſubſtantiarum pluralitas in Arrianum profundum nos involveret. Non igitur ſecundum ſubſtantiam Spiritus ſanctus dicitur procedens, licet ejus proceſſio ſit ſubſtantialis. Porro ſi ſecundum perſonam Spiritus ſanctus diceretur procedens, non minor, ſed eadem inde naſci videretur abſurditas. In illâ enim ſummâ & ineffabili & incomprehenſibili Trinitate hoc nomen,

by Google

perſona, ad ſe dicitur; quidquid autem ad ſe dicitur, ſecundum ſubſtantiam dicitur: unde fit ut perſonam in ſubſtantiâ dici conveniat; manifeſtum quippe eſt perſonam ſubjectam eſſe naturæ, nec præter naturam perſonam poſſe dici. Ideoque in Trinitate cum dicimus, perſona Patris, nihil aliud dicimus quàm ſubſtantia Patris; & cum dicimus, perſona Filii, non aliud dicimus quàm ſubſtantia Filii; & cum dicimus, perſona Spiritûs ſancti, non aliud dicimus quàm ſubſtantia Spiritûs ſancti: quamvis ibi una ſemper dicatur ſubſtantia, tres autem ibi ſemper ſint & dicantur perſonæ. Quia ergo perſona ſicut & ſubſtantia ad ſe dicitur, Spiritus ſanctus non ſecundum perſonam, ſicut nec ſecundum ſubſtantiam procedens dicitur. Relinquitur ergo dicendum quòd ſicut Pater ſecundum relativum ad Filium dicitur Pater, & ingenitus ad genitum, & ſicut Filius ſecundum relativum ad Patrem dicitur Filius, & genitus, & verbum, & imago, & ſigillum, & character, & ſplendor; ita etiam Spiritus ſanctus ſecundum relativum dicatur Spiritus ſanctus procedens, & miſſus ab utroque mittente, donum ab utroque donante, amor ab utroque amante. Profectò notandum eſt quid, de quo, & ſecundum quid, & propter quid dicatur, quoniam quæ dicuntur ad ſe, ſecundum ſubſtantiam dicuntur; quæ autem non ad ſe, relativè in ipſâ perſonarum diſtinctione dicuntur: quamvis hoc nomen, perſona, propter maximam verborum inopiam ab antiquis inventum, ut ſerviat huic ſignificationi, quâ intelligitur trinitas in ipſâ trinitate, non relativè, ſed ad ſe dicatur, ſicut & ſubſtantia, vel ut potiùs dicatur, eſſentia. Inter alia verò Latini ſermonis nomina, ea quæ ſingulorum ſingula ſunt, quemadmodum Pater & Filius & Spiritus ſanctus, non communiter, ſed ſingulariter dicuntur; quæ autem communia omnium ſunt, quemadmodum ſubſtantia, Deus, omnipotens, & cætera his ſimilia, non ſingulariter tantùm, ſed & communiter dicuntur. Sicut enim Pater ſolus Pater, & ſicut Filius ſolus Filius, & ſicut Spiritus ſanctus ſolus Spiritus ſanctus dicitur, & hoc ſingulariter; ita ſanè ſimul omnes tres & ſinguli trium dicuntur Deus, ſubſtantia, omnipotens, & cætera hujuſmodi, quæ tam ſingulariter ſingulis, quàm communiter tribus conveniunt. Et in hunc modum, ſicut ea quæ numero & perſonis differunt, ſecundum numerum diſſimiliter proferuntur; ita ea quæ nec numero, nec ſubſtantiâ differunt, ſecundum ſubſtantiam eodem modo & non diſſimiliter proferuntur.

CAPITULUM XI.

Utrum Filius ſicut Pater dicatur rectè Spiritûs ſancti emiſſor, quod Græci dicunt [illegible]. e

NECHITES Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Satis placet quod dixiſti; ſed quæſo, concedis quòd Pater Spiritus ſancti qui eſt proceſſibilis, ſit emiſſor, quod Græci noſtri vocant [illegible]? ANSELMUS Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Quid ſit [illegible], ignoro, quippe non Græcus, ſed Latinus ſum. Benè autem concedo Patrem emiſſorem Spiritûs ſancti, Spiritum ſanctum verò emiſſum; ita tamen quòd etiam Filium dicam ſimiliter ejuſdem emiſſorem. Nam hoc manifeſtè dicit Evangelium de utroque; de Patre quidem: *Paraclitus Spiritus ſanctus quem mittet Pater in nomine meo*; de Filio autem: *Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis*. Et infrà: *Si autem abiero, mittam eum ad vos*. Hoc itaque modo Patrem emiſſorem & Filium emiſſorem eſſe Spiritûs ſancti; Spiritum ſanctum autem ab utroque emiſſum, ab uno tamen, id eſt, à Filio promiſſum.

Joan. 14. 16.
Ibid. 15. 16.
Ibid. 16. 17.

NECHITES Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Si Pater emiſſor, & Filius eſt emiſſor Spiritûs ſancti: ergo ſunt duo emiſſores, duo ſunt datores; & ita videntur eſſe duo principia Spiritûs ſancti. ANSELMUS Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Sicut video, callidè voluiſti mihi inducere duo principia, & ea quæ ſuperiùs, cum de principio tractaremus, determinata ſunt, rurſùs tamquam oblita in quæſtionem revocas, ut incautum, & eorum quæ dicta ſunt, quaſi immemorem capias. Verùm ego duo principia nuſquam in divinâ Scripturâ ſuſcipio. Utrum autem duo emiſſores, ſeu duo datores rectè dici queant, tuâ intereſt dicere, qui induxiſti hoc nomen Græcum [illegible], quod apud nos, ſicut tu dicis, ſonat emiſſor. Quia verò hujus Græci nominis propria ſignificatio incerta eſt, nihil certum ſuper interim diffinire volo. Sed jam nunc velim ut patienter audias me. Tu Spiritum ſanctum dicis non procedere à Filio. Cum hæc dicis, maximam utrique, Filio ſcilicet & Spiritui ſancto, injuriam facis: nam cum Pater & Filius ſe invicem habeant, ut gignens & genitus, & item Pater & Spiritus ſanctus ſe invicem habeant, ut emiſſor & emiſſus, & ut donator & donum; dic, quæſo, numquid non magnam injuriam facis Filio & Spiritui ſancto, quibus nullam ad invicem relationem tribuis, quinimò quos, ut ita dixerim, à ſociâ proceſſionis communione disjungis? Quid enim eſt quod Filius aliquâ mediâ relatione reſpiciat Spiritum ſanctum, ſeu Spiritus ſanctus Filium, ſi proceſſionem illius ab illo de medio amborum abſtuleris? Sunt ſanè, ut ita dixerim, reſpicientes ſe Pater & Filius generatione; & ſunt rurſùs, ut ita dixerim, reſpicientes ſe Pater & Spiritus ſanctus proceſſione: ſed Filius & Spiritus ſanctus ſecundum te manent ſine aliquâ viciſſim communione, vel relationis habitudine, quâ ſe invicem reſpiciant: & hoc ita dicere, quid aliud eſt, quàm ſummam & venerabilem Trinitatem aliquatenùs diſſolvere?

CAPITULUM XII.

Quòd Spiritus ſanctus amborum eſt [illegible], *id eſt, concordia, & eſt amborum* [illegible], *id eſt, reſpectio.*

NEMPE Spiritus ſanctus eſt amborum [illegible], id eſt, concordia, & eſt amborum [illegible], id eſt, reſpectio, ſanctitate propriâ ac naturali Patri ac Filio communicans, idem in ſubſtantiâ, non idem in perſonâ, trinitatem in trinitate, ut ita dixerim, complexus vel complectens, & unitatem propter trinitatem diſſolvens. Attende igitur quid dicas, & vide quid ſentias, & cave ut ſic in Filium & Spiritum ſanctum offendas, quatenùs utroſque ſimul & Patrem non perdas. Qui enim peccat in Filium, peccat & in Patrem, & qui offendit in Filium, offendit & in Patrem; ipſe namque Filius ita dixit: *Qui me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit.* Item: *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui miſit illum.* Certum eſt autem, quòd ille non honorificat Filium, qui hunc ei honorem negat, quòd Spiritus ſanctus ab illo ſicut & à Patre procedat. Rurſùs certum eſt quòd ille Spiritui ſancto non parvam blaſphemiam irrogat, qui hunc à communione Filii, ſublatâ proceſſionis habitudine, fide non ſanâ ſeparat. Ambos ergo offendit, Filium ſcilicet,

Luc. 10. 16.
Joan. 5. 23.

e *dicunt* [illegible]] Veriſſima lectio, cujus in locum Acherius ediderat ubique *provoluens*, nullo ſenſu.

quia eum indignum exiſtimat, ut ab ipſo Spiritus ſanctus; Spiritum verò offendit, quia ipſum quoque indignum judicat, ut à Filio, procedat: & ita in utroſque ſimul & in Patrem graviſſimè peccans, totam Trinitatem blaſphemat. Quæ enim major blaſphemia in Spiritum ſanctum, quàm credere & docere Spiritum ſanctum à Filio non procedere? Siquidem quod ſcriptum eſt:
Luc. 12. 32. *Qui peccaverit in Patrem, ſeu in Filium, remittetur ei; qui autem peccaverit in Spiritumſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro*; non ſolùm de Macedonianâ hæreſi dictum eſſe videtur, qui dicebat Spiritum ſanctum eſſe creaturam & non Deum; verumetiam de iſto blaſphemiæ in Spiritum ſanctum peccato ſcriptum eſſe manifeſtum eſt. Quod videlicet peccatum blaſphemiæ, ſeu infidelitatis, ſeu impœnitentiæ qui fecerit, niſi reſipiſcat, neque in hoc ſæculo, neque in futuro remittetur, quamvis & aliis multis modis ille locus Scripturæ poſſit exponi.

CAPITULUM XIII.

Quòd nemo ſilentio ſeu patienter ferre debet blaſphemum ſe vocari, ſicut nec Dominus, quando dictum eſt ei, Dæmonium habes; *& quòd Spiritus ſanctus propter diverſos effectus diverſa ſortitur vocabula.*

NECHITES Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Satis acutè contexuiſti de propoſitâ quæſtione; ſed quod tandem ſubjunxiſti, ſcilicet quòd nos qui negamus Spiritum ſanctum procedere à Filio, utriq; injuriam faciamus, imò totam Trinitatem in hoc offendamus, &, ſicut tu dicis, blaſphemiam inferamus; hæc æquo animo audire non debemus, nec poſſumus, præſertim cum omne genus increpationis patientiam poſtulet, hoc autem nullam omninò. Quis enim patienter ferat ſe vocari blaſphemum? Nam Dominus, forma totius patientiæ, poſtquàm omnia verba contumelioſa ſibi à Judæis illata audivit patienter, quando eum vocaverunt voracem & potatorem vini, & filium fabri, & alia multa hu-
Joan. 7. 49. juſmodi; denique cum dicerent ei: *Dæmonium habes*; & : *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia*; reſpondit: *Ego dæmonium non habeo*: manifeſtè docens quòd omnia opprobria quæ adversùm nos dicuntur, patienter ſuſcipere debemus; nullus verò ſilentio debet tranſire, ſiquando ei imponitur, quod non Catholicum, ſed hæreticum putatur, unde ipſe à Spiritu ſancto alienus & dæmonum eſſe ſocius videatur. Quapropter ad ea quæ dixiſti, ego reſpondebo, ſicut & Dominus me docet: Nos in nullo ſanctam & individuam Trinitatem offendimus, ſed ſicut verè Catholici eam in unitate ejuſdem ſubſtantiæ debitu divinitatis honore veneramur, nec divinam ſubſtantiam concedentes dividimus, ſicut Arrius, nec perſonas confundimus, ſicut Sabellius, nec cum Macedonio Spiritum ſanctum creaturam dicentes, à Deitate eum ſeparamus, nec ſicut Pneumatomachitæ Spiritum ſanctum impugnantes blaſphemiam aliquam irrogamus: adoramus quippe Patrem Deum, Filium Deum, Spiritum ſanctum Deum, tres perſonas, Deitatem unam, gloriâ, & honore, & imperio, & ſubſtantiâ non partitam. Audi adhuc, ſi Spiritum ſanctum blaſphemamus: Nos credimus adorandum cum Patre & Filio Spiritum ſanctum, unum Deum Deificatorem & vivificatorem per baptiſma, ſpiritum Dei, ſpiritum Chriſti, intellectum Chriſti, ſpiritum Domini, per ſe Dominum, ſpiritum filiationis, hoc eſt, Filii Dei, vel adoptivæ noſtræ filiationis, ſpiritum veritatis, ſpiritum liberationis, ſpiritum ſapientiæ & intellectûs, ſpiritum conſilii & fortitudinis, ſpiritum ſcientiæ & pietatis, ſpiritum timoris Domini. Etenim effectivus horum omnium Spiritus ſanctus Deus, omnia ſubſtantiâ replens, omnia continens, repletivus mundi ſecundum ſubſtantiam, incomprehenſibilis mundo ſecundum virtutem, bonus, rectus, principalis; ſanctificans, non ſanctificatus; vivificans, non vivificatus; menſurans, non menſuratus; participatus, non participans; replens, non repletus; continens, non contentus; hereditatus poſt Chriſtum ab Apoſtolis; clarificans, glorificans, connumeratus in Trinitate perſonarum, digitus Dei, ignis ut Deus, amor, charitas, ſpiritus qui cognoſcit omnia, qui docet, qui ſpirat ubi vult & quantum vult, dirigens, loquens, tentatus in deſerto, irritatus quando Jesus ejecit vendentes & ementes de Templo, conturbatus in reſuſcitatione Lazari, illuminator, vivificator, magis autem per ſeipſum lumen, & per ſeipſum vita, templificativus, deificans, perficiens ut & præveniat baptiſmum per fidem, & exquiratur poſt baptiſmum per manûs impoſitionem; agens quæcumque Deus, partitus per gratiam in linguis igneis, dividens chariſmata, faciens Apoſtolos, Prophetas, Evangeliſtas, Paſtores, Doctores: intellectualis, manifeſtus, magnus, immenſus, improhibitus, incoinquinabilis, qui æqualiter poteſt, qui ſapientiſſimus & multiformis eſt actionibus, manifeſtativus omnium, propriæ poteſtatis, inalterabilis, omnipotens, [illegible], id eſt, omnium Epiſcopus, per omnes tranſiens ſpiritus intellectuales, puros, ſubtiliſſimos, angelicas virtutes, necnon etiam propheticas & apoſtolicas virtutes, & etiam alias virtutes in alios & alios partitas ſecundum idem & non in eiſdem locis, quo etiam demonſtratur incircumſcriptibilis. Quæcumque autem dicuntur humilius de Spiritu ſancto, ut dari, mitti, partiri, chriſma, donum, inſufflatio, repromiſſio, interpellatio, ſive quid aliud tale, ad primam cauſam reducenda ſunt, ut quid ex quo monſtretur. Cum talia de Spiritu ſancto credimus & docemus, nullius blaſphemiæ irremiſſibilis reos nos eſſe confidimus; ſed ſi eum à Filio procedere facilè non credimus, non mireris, quia quantumlibet ratiocinationum adducas, non ſubito accedere poſſumus; præſertim cum nulla nobis auctoritas Evangelii, vel canonicarum Scripturarum, vel etiam ſanctorum Conciliorum hoc ad credendum ſuadeat, vel doceat.

CAPITULUM XIV.

Quòd nullus ſenſum Scripturæ, quæ divina meruit appellari, ſuo ſenſui, ſed potius ſuum ſenſum illi debet accommodare.

ANSELMUS Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Si auctoritates ad perſuadendum tibi hoc expoſtulas, utinam cum eas audieris, recto ſenſu ſuſcipias; ſed vereor quòd contingat hic proverbium de te, quod apud nos dicitur, Lupus poſitus eſt ad diſcendos apices; ſed ipſe ſemper clamavit agnum, agnum, agnum, non attendens quod foris à docente audivit, ſed quod intùs in corde geſſit. Quòd ſi tu cor tuum induraſti, & animum tuum obſtinatum adeo obſeraſti, ut quidquid dicatur, tu tamen acquieſcere nolis: quid ergo valet quidquid dixerimus? Melius eſt autem humiliter tacere, quàm inutiliter loqui, & aërem verbis otioſis verberare, quia tempus eſt loquendi, & tempus eſt tacendi. Si autem propoſitas auctoritates ad tuum ſenſum retorquere niti volueris, & non potiùs tuum ſenſum divinæ Scripturæ accommodare curaveris, timeo ne forte in hoc quoque Spiritui ſancto adverſeris & reſiſtas, dum ea

Digitized by Google

quæ dictante Spiritu ſancto ſcripta ſunt, extrà intellectum Spiritûs ſancti temerè evertere, & ad tuum ſenſum retorquere non erubeſcis, & nos non ad vincendum, ſed ad inveſtigandum quid verum ſit, con-
Joan. 6. 64. venimus; ita quippe Veritas dicit: *Verba quæ loquutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.* Et alibi: *Spi-*
Ezech. 10. 17. *ritus vitæ* qui erat in vobis, ſcilicet ſanctarum Scripturarum.

Nachitas Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Quantum malum ſit, intellectum Scripturæ, quæ divina meruit appellari, ad proprium ſenſum quaſi violentâ expoſitione diſtorquere, ac non potiùs proprium ſenſum omnino divinæ Scripturæ humiliter mancipare & accommodare, nulli debet eſſe incognitum qui ſacris lectionibus vacare conſuevit, & ideo benè monuiſti; fac ergo & tu quod tu in me monuiſti; & ſi vis proponere ſacras auctoritates, ita eas exponas, ne videaris tuam ſententiam, quia tua eſt, non quia vera eſt, extortâ expoſitione velle probare; ſcriptum
Prov. 30. 33. quippe eſt: *Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum; & qui vehementer emungit, elicit ſanguinem.* Sed jam dic, ſi quas auctoritates habes tuæ ſententiæ in propoſitâ quæſtione faventes.

Anselmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Hoc adhuc præmittendum videtur, quoniam quamdiù propriis verbis loquuti ſumus, uterque noſtrûm in ſuo ſenſu abundare potuit. Sed jam cum divina verba tractare cœperimus, decet ut ſine contentione loquamur, & debitâ reverentiâ invicem ſupportantes, Spiritui ſancto, qui eſt auctor divinæ Scripturæ, honorem deferamus, quatenùs ipſe nobis dignetur veraciter aperire, quod ipſe vult nos humiliter & ſine contentione inveſtigare. Sunt enim aliqui, quos dum urget veritas Scripturæ, in diſputatione malunt etiam victi litigare, & perverſis vocibus veritati reluctari, quàm proprios errores confiteri, qui dum non inveniunt quid tandem reſpondeant, tacere tamen humiliter ignorant.

Nechitas Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Benè dixiſti, ſed hoc quoque non eſt ſilentio prætereundum, ut ſi forte alter noſtrûm ab altero in exponendâ Scripturâ diſſenſerit, quia hoc plerumque ſanâ fide fieri poteſt, non ſtatim error vocetur quod dicitur, quoniam de unâ Scripturâ ſæpe diverſi boni intellectus eliciuntur, & nequaquam ſunt ſpernendi, quamvis ad præſentem quæſtionem minimè ſpectare videantur. Anselmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Optimè dicis, tu tantum benevolus ſis, & ad credendum non tardus, nec difficilis; & ne quæras,
Sapient. 1. 4. ſicut vulgò dicitur, nodum in ſcirpo, quia ſicut *in malivolam animam non introibit ſapientia*, ita in benivolam animam ultrò ſe ingerit divina ſapientia. Nechitas Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Bono animo eſto, ego quod credendum eſt libenter credo, ſi tamen convenienter ad hoc inductus fuero; ſed jam tamen dic.

CAPITULUM XV.

Quòd Dominus inſufflando dederit Apoſtolis Spiritum ſanctum, nec tamen flatus ille corporeus fuerit Spiritus ſanctus, ſed proceſſionis ejus ſignificatio; & qualiter intelligendum ſit: Accipite Spiritum ſanctum.

Anselmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Dominus Jeſus poſt reſurrectionem repræſentans
Joan. 20. 22. ſe Diſcipulis ſuis, *inſufflavit & dixit: Accipite Spiritum ſanctum.* Quid aliud, quæſo, ſignificavit illa inſufflatio, niſi quòd procedat Spiritus ſanctus & de ſeipſo? Neque enim flatus ille ſubſtantia Spiritûs ſancti fuit, ſed demonſtratio etiam à Filio procedere Spiritum ſanctum. Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Tecum dico, quòd flatus ille corporeus non fuerit ſubſtantia Spiritûs ſancti; ſed non tecum dico quòd illa inſufflatio fuerit proceſſionis quæ à Filio ſit, ſignificatio. Anselmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Si Chriſto inſufflante ac dicente, *Accipite Spiritum ſanctum*, Apoſtoli acceperunt Spiritum ſanctum; quare ipſa inſufflatio non credatur proceſſionis ejus ſignificatio? Rursùs ſi Spiritus ſanctus Diſcipulis datus eſt à Filio inſufflante, cum dicit: *Accipite Spiritum ſanctum*; dic, quæſo, quomodo à Filio donante pervenit in Diſcipulos accipientes, niſi ab illo procedendo, cum quo ſemper eſt, & ad iſtos perveniendo, quibus tunc in uſu muneris datus eſt? Ut enim Apoſtoli Spiritum ſanctum acciperent, oportuit ut eſſet qui daret, & ſic à dante in accipientes procederet; quamvis tametſi non eſſent qui acciperent, tamen non minùs eſſet qui procederet, æterna enim & ſubſtantialis eſt ejus proceſſio; & ita licet tunc datum non aptè diceretur, tamen non minùs donum vel donabile dici poſſet: dicitur enim donum, ſive donabile, quod quidem dari poteſt, quamquam non detur; datum verò non dicitur, niſi cum datur. Quippe Spiritus ſanctus propriâ naturali eſſentiâ, qua à Patre & Filio eſt, proceſſibilis eſt, donabilis eſt, nec eſt niſi procedendo, nec datur niſi procedendo; nec accipitur niſi procedendo, nec quidquam operatur niſi procedendo. Ideoque cum dicitur ſive à Patre, ſive à Filio mitti vel dari, nec aliter quàm procedendo dicitur dari; ipſius enim donatio ſive miſſio, ipſius eſt proceſſio. Duobus quippe modis procedit Spiritus ſanctus à Patre & Filio: eſt una proceſſio ejus æterna, quæ eſt ſecundum affectum, id eſt, charitatem, qua Pater diligit Filium & Filius Patrem; & eſt illa proceſſio temporalis, quæ eſt ſecundum effectum, id eſt, dona ejus quæ dantur hominibus.

Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Cum Spiritus ſanctus ubique ſit per eſſentiam, nec etiam in cordibus Apoſtolorum per præſentiam defuerit, quid putas Chriſtum inſufflando dediſſe, vel etiam Apoſtolos accepiſſe, quando ad eos dictum eſt: *Accipite Spiritum ſanctum?* Si enim dicantur accepiſſe Spiritum ſanctum, qui eſt tertia perſona in Trinitate, & qui ubique eſt, & qui in cordibus eorum jam erat; quomodo rectè dici poteſt hunc eos tunc accepiſſe, quem jam habebant, & qui in cordibus eorum jam per præſentiam erat? Anselmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Spiritus ſanctus qui à Patre & Filio procedit, qui tertia eſt in Trinitate perſona, qui plenus & perfectus eſt Deus, qui ubique eſt, & nuſquam deeſt per divinitatis eſſentiam, ipſe in Apoſtolorum cordibus fuit per ejus divinitatis præſentiam, quibus tamquam humilibus & electis poſtea datus eſt per inhabitantem gratiam. Ita quippe de ſeipſo dicit: *Super quem requieſcam, niſi ſuper humilem, & quietum, & verba mea trementem?* Item: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus* Jac. 4. 6.
autem dat gratiam. Acceperunt itaque Spiritum ſanctum jam fructificantem per inhabitantem gratiam, qui priùs apud illos tamquam ſterilis erat, tantum ubique per divinitatis eſſentiam; tamquam diceret: Accipite Spiritum ſanctum in gratiâ, qui priùs apud vos erat ſola eſſentiâ. Accipite in donum, quod priùs apud vos erat tamquam alienum. Accipite in uſu & munere, quod priùs apud vos erat ſine muneris acceptione. Accipite in effectu ſpiritualis gratiæ, quod hactenùs apud vos erat ſola præſentia eſſentiæ. Accipite per ſanctificationem, quod priùs apud vos erat ſine alicujus virtutis manifeſtatione. Sicut ſi diceretur alicui claros oculos ſine viſibili ſpiritu habenti, Accipe oculos ut videas, quos priùs ad vi-

dendum non habebas: & ad ſurdum aures habentem diceretur, Accipe aures ad audiendum, quas priùs habuiſti præter audiendi uſum: & ut muto linguam habenti diceretur, Accipe linguam, in uſum loquendi, quam priùs ſine hoc uſu habuiſti: & manus aridas habenti dicerentur, Accipe manus ad operandum, quas priùs habuiſti præter operandi officium: & claudo pulchros pedes habenti diceretur, Accipe pedes ad ambulandum, quos priùs habuiſti præter ambulandi beneficium: aut ſi diceretur alicui habenti pecuniam alterius apud ſe repoſitam, Accipe hanc pecuniam, & tua ſit ad utendum, quæ priùs apud te erat præter omnem tuæ neceſſitatis vel utilitatis uſum. Hoc itaque modo videtur eſſe dictum: Accipite Spiritum ſanctum in uſu & in dono ſpiritualis gratiæ, qui priùs apud vos erat divinitatis immenſitate: quamvis tamen ante ſolemnem, ac tam manifeſtam ſancti Spiritûs donationem omninò non fuerint Apoſtoli expertes ſpiritualis gratiæ. Unde Dominus Petro Chriſtum Filium Dei confitenti

Mat. 16. 17. dixit: *Beatus es, Simon Petre, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cœlis.* Videlicet ac ſi diceret, per cœleſtem ac divinam inſpirationem hoc accepiſti, non humanâ carnis aut ſanguinis revelatione; habebant quippe & alii Apoſtoli fidem divinitùs inſpiratam ante datum Spiritum ſanctum; ſed non tantam, quantam habere oportet eum qui per fidem ſalvandus eſt. Quidquid autem minùs habuerint, hoc per ſolemnem ac manifeſtam Spiritûs ſancti donationem ſuppletum eſt. Quidni? Nonne Petrus Apoſtolorum Princeps, qui cum Chriſto ſe dicebat paratum & in mortem & in carcerem ire, ſubito ad vocem oſtiariæ ancillæ Chriſtum negavit, qui tamen poſtea poſt datum Spiritum ſanctum, indutus virtute ex alto, Principibus Sacerdotum comminantibus & interdicentibus, ne in nomine Chriſti prædicaret, fiducialiter

Act. 5. 29. reſpondit: *Oportet nos Deo magis obedire, quàm hominibus.* Et hæc quidem donatio Spiritûs ſancti primò facta eſt in terra per inſufflationem propter dilectionem proximi, & poſtmodum facta de cœlo in variis linguis propter dilectionem Dei, ubi etiam aliquatenùs inſtruimur, quòd quia bis datus eſt Spiritus ſanctus, à duobus quoque non bis, ſed ſimul & ſemel procedere ſit credendus; & de cœlo quidem tamquam de Patre qui in cœlis eſt, in terra verò tamquam de Filio qui per humanitatem in terrâ cum hominibus converſatus eſt: quamvis idem Filius cum eum daret, non tunc in terrâ inter mortales jam mortalis eſſet, ſed poſt Reſurrectionem & ante Aſcenſionem, eâ quâ ſibi placuit, apparitione Apoſtolis ſe manifeſtaret, Spiritum ſanctum eis abundè tribuens.

Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Cum de arce ſummæ Theologiæ ſermo eſt, hujuſmodi ſimilitudines rerum corporalium non videntur habere locum, nec oportet ex inferioribus ſuperiorum ſimilitudines ſuſcipere: nec enim poteſt ad plenum cognoſci ſtabilis natura immobilium ex fluxibili naturâ mobilium. Sanè ſpiritualia corporalibus comparare, aut divina humanis adaptare, quid aliud eſt quàm viventem inter mortuos exquirere?

CAPITULUM XVI.

Quòd aliquando ſpiritualia corporalibus, aliquando corporalia ſpiritualibus comparantur.

Anſelmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Fateor quod dicis; neque enim poſſibile eſt aliquod aſſimilatorum pervenire ad commodam & puram veritatem ejus rei, cui aſſimilatur: ſimilitudo enim nunquam ex toto, ſed aliquâ ex parte inducitur, alioquin jam non ſimilitudo, ſed potiùs identitas dicenda eſſet. Nullum quippe ſimile eſt [omninò] ſimile cui eſt ſimile, nec etiam in rebus corporalibus, ſi quando ſibi invicem ex ſimilitudine aliquâ comparantur; ſed ita damus vel ſuſcipimus hujuſcemodi ſimilitudines tamquam ſcenicas, non quidem quæ ipſarum rerum puram veritatem exprimant, ſed animum audientis ad majorem ipſius rei cognitionem pertrahant; & fit plerumque per informationem talis doctrinæ cognitum, quod priùs pro magnâ ſuæ naturæ altitudine fuit incognitum. Surgit quippe animus per cognita quæ novit, ad incognita quæ non novit. *Et inviſibilia per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*, & multa in hunc modum. Sicut autem ſpiritualia ſæpe per ſimilitudines corporalium intelliguntur, ita quoque nonnunquam corporalia per ſpiritualia diſcuntur. Ita quippe ad Moyſem dicitur: *Vide omnia facias ad exemplar eorum quæ vidiſti in monte.* Exod. 25. 40. Ubi manifeſtè jubetur univerſa ad inſtructionem tabernaculi corporaliter diſponere ad ſimilitudinem eorum quæ priùs ſpiritualiter viderat in monte: ideo doctrinales rerum corporalium ſeu incorporalium ſimilitudines nequaquàm ſunt concemnendæ, quamvis ipſarum rerum veritatem ad perfectum nequeant exprimere. Et ſæpiſſime per intellectus viſibiles inviſibiliter intrinſecùs in inviſibili animâ neſcientis formantur verba, formantur etiam viſibiliter viſibiles litterarum apices in viſibili membranâ, & tacendo loquuntur, & loquendo tacent. Et rursùs per eoſdem apices viſibiles formatur inviſibilis intellectus in animâ legentis: & fit quoque, ut ſi quando primi intellectus, ad quorum formam iidem apices primò facti ſunt, oblivione ſuperveniente deleantur, per eoſdem apices inſpectos renaſcantur. Ac ita viciſſim ad ſimilitudinem inviſibilium intellectuum fiunt verborum ſermones & viſibiles apices: & iterum ad ſimilitudinem ſermonum, ſeu apicum viſibilium, vel novi intellectus inviſibiles generantur, vel antiqui inviſibiles regenerantur; quamvis tamen viſibilia & inviſibilia non ejuſdem, ſed prorsùs diverſæ naturæ inveniantur. Et Dominus plerumque in parabolis per ſimilitudines loquutus eſt, modo corporalia ſpiritualibus, modo ſpiritualia corporalibus comparans. Sanè de creacurâ ad Creatorem nullam ſimilitudinem ad liquidum adaptandam exiſtimo poſſe facilè inveniri. Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Satis probo ea quæ de his nunc dixiſti; ſed ſi quas adhuc habes auctoritates de proceſſione Spiritûs ſancti à Filio, propone.

CAPITULUM XVII.

Quòd muliere fimbriam Domini tangente virtus de illo exibat; & quòd virtutis nomine Spiritus ſanctus appellatur, qui ab ipſo procedit.

Anſelmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Audi & intende quid Filius dixerit de muliere quæ fluxum ſanguinis patiebatur, & quæ tetigit fimbriam veſtimenti ejus, & ſanata eſt: *Tetigit me aliquis, ego enim ſenſi virtutem de me exiſſe.* Luc. 8. 46. Hîc virtutis nomine appellari Spiritum ſanctum, clarum eſt, quod ex eo loco patenter cognoſcitur, Angelo docente, ubi ad Mariam dixit: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Luc. 1. 35. Cum enim præmiſiſſet Angelus, *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te*; competenter ſubjunxit, *Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*: ut videlicet oſtenderet quòd Spiritus ſanctus ſit idem quod virtus Altiſſimi. Et ipſe Dominus promittens eum

Luc. 24. 49. Diſcipulis, ait: *Vos autem ſedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Et iterum: *Accipietis*, inquit, *virtutem Spiritûs ſancti ſupervenientis in vos, & eritis mihi teſtes.* De hac virtu-
Act. 1. 8.
Luc. 6. 19. te credendus eſt dicere Evangeliſta: *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Manifeſtum eſt itaque Spiritum ſanctum & de Filio procedere, niſi forte id quod luce clarius eſt, oculis ſponte clauſis videre nolis, & Scripturam clamantem & ſe tibi ingerentem ſurdis auribus ſponte velis non audire. Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Si ergo de Patre & Filio, ſicut tu affirmas, procedit Spiritus ſanctus, cur Filius dixit, *De Patre procedit*; & de proceſſione ejus à ſeipſo tacuit? Anselmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Cur putas, niſi quemadmodum ad Patrem ſolet referre quod ipſius eſt, de
Joan. 7. 16. quo & ipſe eſt? Unde & illud eſt quod ait: *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me.* Si igitur ſic intelligitur ejus doctrina, quam tamen dicit non ſuam, ſed Patris, quanto magis illic intelligendus & de ipſo procedere Spiritus ſanctus, ubi ſic ait, *De Patre procedit*, ut non diceret, De me non procedit? A quo autem habet Filius ut ſit Deus, eſt enim de Deo Deus, ab illo habet utique, ut etiam de illo procedat Spiritus ſanctus, ac per hoc Spiritus ſanctus, ut etiam de Filio procedat, ſicut procedit de Patre, ab ipſo habet Patre. Quod etiam convenienter & manifeſtè inſinuatur in Evangelio, ubi
Ibid. 15. 26. ait: *Quem ego mittam vobis à Patre*; oſtendens Spiritum ſanctum & Patris eſſe & Filii. Qui etiam cum
Ibidem. dixiſſet, *Quem mittet Pater*, addidit *in nomine meo*; non tamen dixit, Quem mittet Pater à me, quemadmodum dixit, *Quem ego mittam vobis à Patre.* Videlicet oſtendens quòd totius divinitatis, vel ſi melius dici poteſt, deitatis principium Pater eſt, qui & auctor generationis & proceſſionis eſt. Qui ergo procedit à Patre & Filio, rectè ad eum refertur à quo natus eſt Filius. Eſt ergo Spiritus ſanctus virtus Altiſſimi, Patris ſcilicet; eſt & virtus Filii, qui & ipſe Altiſſimus eſt: & quoniam amborum eſt, ab ambobus etiam procedere rectè credendus eſt, quia ſicut non unius eorum, ſed amborum eſt communio, ita non ab uno eorum; ſed ab ambobus eſt ejus proceſſio. Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Confitemur quòd Spiritus ſanctus amborum eſt, habemus quippe ipſum Dominum dicen-
Matt. 10. 20. tem: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Habemus &
Rom. 8. 11. Apoſtolum dicentem: *Si Spiritus ejus qui ſuſcitavit* Jesum *ex mortuis, habitat in vobis*; hîc nempe ſpiritum Patris intelligi voluit. Item Apoſtolus:
Galat. 4. 6. *Miſit*, inquit, *Deus Spiritum Filii ſui in corda noſtra clamantem, Abba Pater.* Et alio in loco:
Rom. 8. 9. *Quiſquis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* Propter hæc itaque & multa alia teſtimonia quibus inſtruimur, benè, ſicut dixi, confitemur Spiritum ſanctum qui in Trinitate tertia perſona eſt, Patris eſſe & Filii: nec tamen ab utroque eam procedere fateri audemus, quia fortaſſe aliud eſt eum à Patre eſſe, & aliud eſt eum procedere.

CAPITULUM XVIII.

Quòd ſicut Spiritui ſancto hoc eſt eſſe à Patre, quod procedere à Patre; ita et hoc eſt eſſe à Filio, quod procedere à Filio.

Anselmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Spiritus ſanctus qui à Patre eſt, & qui à Patre procedit, aut eo eſt à Patre, quo procedit à Patre; aut eo non eſt à Patre, quo procedit à Patre. Quòd ſi eo quo eſt à Patre, eo etiam procedit à Patre: quare ſimiliter eo quo eſt à Filio, non etiam procedat à Filio? eo enim quo eſt à Patre, eo eſt & à Filio; & eo quo eſt à Filio, eo eſt & à Patre. Ideoque eum eſſe à Patre & à Filio, conſequenter dat ei procedere à Patre & à Filio, niſi forte quis audeat dicere, quòd aliud eſſe habeat à Patre, & aliud eſſe à Filio; quod prorsùs inſani capitis eſt dicere. Non enim habet aliud eſſe à Patre, & aliud eſſe à Filio, nec habet aliam proceſſionem à Patre, & aliam à Filio; ſed unum & idem eſſe, & unam eandemque proceſſionem tam à Patre quàm à Filio habet. Neque enim bis eſt, neque bis procedit, neque duo eſſe, neque duas proceſſiones habet, neque etiam, quod impiiſſimum eſt dicere, duo Spiritus ſancti procedentes ſunt. Sicut autem certum eſt, eum eſſe à Patre nihil aliud eſſe quàm procedere à Patre; ita nulli dubium eſſe debet, eum eſſe à Filio nihil aliud eſſe quàm procedere eum à Filio: ſubſtantialis quippe eſt ejus proceſſio. Si autem das ei aliud eſſe à Patre, & aliud procedere à Patre, profectò eum à ſeipſo diverſificas, cui certè nihil aliud eſt à Patre eſſe, quàm à Patre procedere. Procedendo enim à Patre eſt, & exiſtendo à Patre procedit ſubſtantiali proceſſione; & proceſſivâ ſive proceſſibili ſubſtantia. Deinde oſtende, ſi potes, Spiritum ſanctum habere aliud eſſe à Filio; & iterum oſtende, ſi potes, aliud eſſe eum eſſe à Patre & Filio, & aliud eſſe eum procedere: & ſic eum à ſeipſo diverſificaſti, & ita ſanam fidem quæ de Spiritu ſancto eſt, ſatis inique nunc evacuaſti. Rursùs ſi idem eſt ei à Patre eſſe quod procedere, tunc ſi à Filio idem eſt ei eſſe quod à Patre, à Filio quoque procedit ſicut à Patre. Quòd ſi à Filio non procedit, à Filio quoque non eſt ei idem eſſe quod à Patre. Quòd ſi non eſt ei idem eſſe à Filio quod à Patre; ergo aut aliud eſſe, aut omninò nullum eſſe habet à Filio: quod utrumque abſurdum eſt. Si autem à Filio non eſt, nec à Patre eſt, unum quippe ſunt Pater & Filius. Si autem à Patre non eſt, nec à Patre procedit. Iterum: Si quia proceſſibiliter à Patre eſt, à Patre procedit; ſimili ratione quia proceſſibiliter à Filio eſt, à Filio quoque procedit. Par enim vel potiùs idem eſt Spiritui ſancto à Patre eſſe, & à Filio eſſe, & à Patre procedere, & à Filio procedere, quia ſcriptum eſt de illo: *Non* Joan. 16. 13.
enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet, loquetur. Unde igitur audit, inde loquitur; & unde loquitur, inde procedit. Itaque unde illi eſſentia, inde illi audientia, & unde illi audientia, inde illi ſcientia, & unde illi ſcientia, inde illi proceſſio; & ita eum à Patre & à Filio eſſe, eſt ab utroque exiſtendo, audiendo, ſciendo procedere. Quare autem eſſe Filii à Patre dicatur naſci à Patre, & eſſe Spiritûs ſancti à Patre & à Filio non dicatur naſci, ſed procedere, & quæ differentia ſit inter eſſe quod eſt naſci, & inter eſſe quod eſt procedere, difficillima quæſtio eſt; quanquam & ipſe Filius dicatur procedere à Patre, ſicut ibi: *Exivi à Patre, & veni in* Ibid. 16. 28
mundum. Et iterum: *Ego proceſſi à Patre*; quæ ta- Ibid. 8. 42.
men proceſſio, ſcilicet Filii, omninò alia eſt, differens à proceſſione Spiritûs ſancti. Filius enim ſuâ propriâ miſſione, ac proceſſione naſcendo mittitur, & naſcendo procedit à Patre, & Spiritus ſanctus ſuâ propriâ miſſione ac proceſſione procedendo procedit, & procedendo mittitur tam à Filio, quam à Patre. Vide igitur quid dicas, & cave ne ſic proceſſionem Spiritus ſancti à Filio neges, ut etiam eſſe quod habet à Filio, convincaris ei auferre. Quia enim eum Spiritum ſanctum eſſe, & eum procedere, idem eſt, quicumque negat eum procedere à Filio, negat eum & eſſe à Filio; & qui negat eum eſſe à Filio, negat etiam eum eſſe à Patre, unum quippe ſunt; & qui negat eum & eſſe, ſeu procedere tam

cundum ea quæ ſuffragio rationis contexuiſti, neque videtur abſurdum, quòd Spiritus ſanctus idem eſſe habeat à Patre & à Filio, nec tamen videtur ob hoc adhuc probatum, quòd ab utroque vel æqualiter, vel inæqualiter procedat. ANSELMUS Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Quoniam concedis ei idem eſſe ab utroque, neceſſe quoque eſt te fateri idem ei eſſe procedere ab utroque; præſertim cum ſatis evidenter ſuperiùs oſtenſum ſit, ei idem ab utroque eſſe, quod ab utroque procedere, & idem ab utroque procedere, quod ab utroque eſſe: proinde ſicut Patris eſt, ita & Filii eſt, nec aliter Patris, & aliter Filii eſt. Eſt autem Patris procedendo ab ipſo, cujus equidem eſſe quod habet tam à Filio, quàm à Patre, nihil aliud eſt, quàm ab utroque procedere. Adhuc audi. Concedis quòd Spiritus ſanctus à Filio mittitur, ſcio quòd concedis, quia manifeſtè hoc legitur in Evangelio, niſi forte aliqua impietas hoc à veſtris codicibus, quod minimè puto, ſubtraxerit: *Quem*, inquit Filius, *ego mittam vobis*. Concedis etiam quod ab eodem Filio, cujus equidem idem ipſe eſt, accipiat & annuntiet. Nam & hoc eſt in Evangelio, niſi forte abraſum eſt, ut dixi, in codicibus Græcorum: Joan. 16. 13. *Ille*, inquit, *de meo accipiet, & annuntiabit vobis; nec enim loquetur a ſemetipſo, ſed quæcumque audiet, loquetur.* NECHITES Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Omnia hæc concedo, videlicet quòd ab eo eſt, quòd ab eo mittitur, quòd de ſuo accipiat & annuntiet, quòd ab illo audiat, quòd ab illo loquatur, hæc omnia docente Evangelio concedo: ſed proceſſionem ejus à Filio, quam Evangelium non docet, ego non doceo, nec docere præſumo. ANSELMUS Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Valde miror prudentiam tuam, quòd hoc verbum, *procedit*, tantùm abominaris de Spiritu ſancto à Filio, cum æquipollentia & idem ſignificantia habeas in Evangelio, & ex Evangelio ſecurus concedas. Quid enim aliud eſt, aut etiam quid aliud eſſe poteſt à Filio ejus miſſio, quàm ab ipſo ejus proceſſio? Siquidem illo mittente, conſequens eſt dicere illum ab illo à quo mittitur, miſſum procedere, nec tamen ab hoc miſſus abeſt à mittente, nec elongatur, ſemper præſens à ſemper præſente. Rurſus qui illius eſt, & qui totum quod eſt à Patre, ita ab illo eſt, & ſicut à Patre, ita ab illo habet: quomodo ab illo non procedere putandus eſt, cum, ſicut ſæpe dictum eſt, ejus procedere nihil aliud ſit, quàm ejus eſſe, & ejus eſſe nihil aliud ſit, quàm ejus procedere, & ejus audire & ejus loqui nihil aliud ſit, quàm ejus eſſe & ejus procedere, & hoc totum non à ſeipſo? Procedendo enim eſt, & exiſtendo procedit, cujus eſt eſſe, proceſſibilem eſſe. Eſt ergo, ſicut ex his omnibus quæ dicta ſunt, indubitanter colligitur, Spiritus ſanctus Patris, & eſt Filii, eſt à Patre, & eſt à Filio, mittitur à Patre, mittitur & à Filio, & ita procedit à Patre, procedit & à Filio. NECHITES Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Negare non poſſum, quin & rationibus & auctoritatibus uſquequaque exquiſitis & ſatis convenienter inductis, id quod propoſuiſti, videaris probaſſe, & ego Spiritui ſancto nollem reſiſtere; ſed volo ut adhuc audias, quod me vehementer movet, & quod me ab hoc verbo proceſſionis vehementiſſimè exterret. Dominus noſter JESUS-CHRISTUS Salvator generis humani, conditor Fidei, conditor Evangelii, amator noſtræ ſalutis, fidem ſufficientem ad omnium ſalutem Apoſtolis inſtituit: non enim eſſet ſufficiens Salvator, niſi fuiſſet ſufficiens Doctor; nuſquàm verò de proceſſione Spiritus ſancti à Filio quidquam dixit, quemadmodum de proceſſione ejuſdem à Patre: unde valde temerarium mihi videtur, quòd aliquis Fidei Chriſtianæ ad plenum jam conditæ, & ad ſalutem ſufficienti aliquid addere, vel etiam demere præſumat, maximè in fide ſanctæ Trinitatis; & videtur mihi quòd Evangelio debitam reverentiam deferentes, verbum proceſſionis quod adſcriptum eſt Spiritui ſancto, quòd procedat à Patre, dicamus: quia verò eidem Spiritui ſancto non eſt adſcriptum, quòd procedat à Filio, nequaquàm dicamus: ſic enim videtur, ut tutè ambulemus in Fide, nihil addentes, nihil dementes, ſed ſimpliciter quod ex Evangelio docti ſumus, tenentes ſicut enim intutum eſt [f] aliquid demere, ita periculoſum eſt aliquid addere.

CAPITULUM XX.

Quòd ſicut in Evangelio non invenitur, Spiritus ſanctus procedit à Filio; ita quoque in Evangelio nequaquàm reperitur, Spiritus ſanctus non procedit à Filio; nec invenitur quod à ſolo Patre procedat.

ANSELMUS Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Sicut tuam decet maturitatem & tanti viri prudentiam, loquutus es: veruntamen nequaquàm trepidandum eſt, ubi timor non eſt; ſed ſta hic, & his quæ dico, diligenter intende. Si vereris dicere quòd Spiritus ſanctus procedat à Filio, quia in Evangelio verbum hoc, procedit à Filio, minimè [ullo] in loco ſcriptum eſt, dic, quæſo, quâ fronte quâve temeritate non formidas dicere hanc negativam proceſſionis, videlicet, non procedit à Filio, cum in nullo loco Scripturæ, nec uſquàm in Evangelio ſcriptum reperiatur? Quare non taces, ubi, ſicut tu putas, tacet Evangelium? Unde tibi illud non, negativum, quod te non docet Evangelium? Quis unquam tibi perſuadere potuit, ut diceres, non procedit à Filio, cum Evangelium hoc non dicat; & non potuit tibi perſuadere, ut diceres, procedit à Filio, cum & hoc Evangelium non neget nec prohibeat? Veneraris Evangelium, ut non audeas dicere, procedit à Filio; & non veneraris Evangelium, ut non audeas dicere, non procedit à Filio. Ibi times, ubi non eſt timendum; & ibi non times, ubi eſt timendum. Fateor tibi hoc verbum, procedit à Filio, in ullo loco Scripturæ apud nos non ita ſimpliciter inveniri; & neceſſe eſt te quoque fateri, quòd hoc verbum, non procedit à Filio, nuſquàm in eodem loco inveniatur. Quid ergo? diſputabimus de verbis nunc hoc, nunc illud ſignificantibus? Decetne nos ſequi litteras, ſeu ſyllabas, ſeu dictiones, relictâ rerum veritate? Magis autem relinquamus hoc pueris in Grammaticâ & Dialecticâ ludentibus; at verò nos magis ſententiam inveſtigare, quàm verbis inhærere oportet. Proinde Spiritum ſanctum aut à ſolo Patre, aut à non ſolo dicis procedere. Si à ſolo Patre dixeris, hoc certè ex Evangelio non habes; ſi autem à non ſolo dicere elegeris, oportet ut ſicut à Patre, ita quoque à Filio, ſeu ab illo neſcio quocum procedere fatearis: ſed fortaſſe nec hoc, nec illud eligere audebis, præſertim cum neutrum inveniatur in Evangelio, cui tu nihil prorſus addendum opinaris. Relinquitur ergo ut nos libera fide, tam ſine contradictione Evangelii, quàm ſine contradictione tuâ dicamus Spiritum ſanctum à Patre & Filio procedere. Cum enim Evangelium à Patre, & non à ſolo Patre dixerit, ſatis liberè à non ſolo Patre, ſed etiam à Filio dicendum conceſſit. NECHITES Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: In hoc quod tu dicis, procedit à Filio, & in

[f] *ſicut enim intutum eſt*] Haud dubium quin ita legi debeat; ſaltem inepta erat prioris editionis lectio *ſicut enim in tantum eſt.*

hoc quod tu dicis, procedit à Patre non ſolo, cogis me dicere, procedit à Patre ſolo; & cogis temerè & extrà Evangelium hoc negare, quod tu temerè & extrà Evangelium videris affirmare: non enim dicentis magis ſunt ſermones, quàm dicere cogentis.

CAPITULUM XXI.

Quòd nihil cum temeritate ſit affirmandum, & nihil cum iracundia refellendum.

ANSELMUS Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Tale fuit illud Platonicum dogma in ſcholis Academicorum: Sine temeritate affirmare, & ſine iracundiâ refelli; eſt enim ratio fallax, quæ nonnunquam ſimilitudine veri fallitur, & eſt ratio non fallax, quâ veritas rerum certâ ſcientiâ comprehenditur. Et ſicut illa quæ fallax eſt, ratio juſtè ſine iracundiâ refellitur, ſic ea quæ non fallax eſt, ratio non ſuperba temeritate, ſed humili aſſertione, & laudabili humilitate rectè defenditur. Itaque temeritatem tuam, non meam accuſare debes, quia ego hanc proceſſionem Spiritûs ſancti à Filio, de quâ tractamus, tam multis teſtimoniis Evangelii & aliarum Scripturarum probatam habeo, & ſine temeritate non fallaci ratione adſtruo, & fideliter credo; tu autem negationis nullam Evangelii vel aliarum Scripturarum auctoritatem habes, vel habere potes: ideoque tua temeritas potiùs accuſanda eſt, cum temerè negas quod nec Evangelium, nec alia Scriptura negat, & temerè improbas quod utrum probandum, vel improbandum ſit, ignoras; non autem accuſanda eſt mea fides quam affirmo & quam ſcio, & quam teſtimonio Scripturarum nullâ temeritate, ſed Spiritu ſancto adjuvante probo. Itaque ſicut ego id quod certum eſt, non temerè adſtruo, ſed fideliter credo, & credendum veraciter probo; ita tu quoque id quod tibi incertum eſt, ſine iracundia ſuſtine refellendum. Igitur aut mecum tandem confitere, quòd Spiritus ſanctus procedat etiam à Filio; aut ſi nondum audes, quia forſitan nimis puſillanimis es, & trepidas ubi non eſt timendum: ſaltem hoc fac, ut me confitente tu taceas, & non denega hoc impudenti negationis monoſyllabo verbulo *non*, de quo tu dubius & incertus es, & quod ego certus & ſecurus affirmo. Si autem tu vis reſpondere, hoc reſponde, te videlicet omnino neſcire, utrum Spiritus procedat, vel non procedat à Filio: & tunc rectè reſpondiſti, tuam quidem ignorantiam interim confitendo, meam autem fidem non negando. Quod enim quis ignorat, quomodo de hoc rectè judicat? Tu autem jam de hoc tuam ignorantiam diffiteri non potes.

Ceſſet igitur & de hoc judicium tuum, & jam ampliùs hoc quod tibi incertum eſt, negare non præſumas, quod hactenùs tamquam neſcius temerè ſolebas negare. Quippe incongruum eſt, ut is qui ſecùs viam errat, & errare ſe ignorat, ambulantem in viâ ſcienter & rectè corrigere contendat; & is qui dubius non eſt, dubitatem inferat: niſi forte illa Academicorum fallax ſententia adhuc apud vos, vel apud aliquos veſtrûm ſtat, quâ ipſi putabant ſummam eſſe ſapientiam, exquiſitam omnium rerum ignorantiam; unde & magiſtri ignorantiæ appellati ſunt, quoniam ad omnium quæſtionum ſolutionem ita conſueverant reſpondere: Quid ſi falleris? Unde & quidam illorum ſapiens dictus Ariſtoteles dicit: Dubitare de ſingulis haud erit inutile.

NICHETAS Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Sapientes Græcorum nunquam opinionem pro veritate ſuſcipiendam dixerunt, & potiùs elegerunt de ambiguis circà fidem humiliter dubitare, quàm aliquid temerè diffinire: quoniam quidem quod reſiduum eſt, vel Scripturâ minùs dicente, vel humano intellectu ad capiendum minùs ſufficiente, igni Spiritûs ſancti tradendum videtur. Homines enim ſumus, unde aliter aliquid ſapere, quàm ſe res habet, humana tentatio eſt; nimis autem amando ſententiam ſuam, vel invidendo melioribus uſque ad præcidendæ communionis, vel condendi ſchiſmatis, vel hæreſis ſacrilegium prævenire, diabolica præſumptio eſt. In nullo autem ſapere aliter quàm ſe res habet, angelica perfectio eſt. Ergo quia homines ſumus, & plerumque fallimur & dubitamus, interim caveamus diabolicam præſumptionem, donec perveniamus ad angelicæ ſententiæ perfectionem; ſi quidem majores noſtri hujus proceſſionis verbum affirmativum, *procedit à Filio*, humiliter hactenùs vitaverunt, ignorantes quidem rei veritatem, & caventes vocis temeritatem; verbum verò negativum, *non procedit à Filio*, etiam nunquam dixerunt, metuentes errorem, & fugientes offenſionem Scripturæ neutrum manifeſtè dicentis; niſi forte irritati, & aliquorum Latinorum hoc temerè affirmantium improbitate commoti, qui in ſupercilio ſuo ad nos venientes, & in ſublimitate ſermonis gradientes, & aerem clamoſis diſputationibus verberantes, ſcientiolam ſuam voluerunt oſtendere, & conati ſunt faſtu ſuperbiæ magnam Græcorum ſapientiam ſophiſticis nebulis obfuſcare, vel etiam, ſi poſſent, opprimere: quibus nec ad horam quidem ceſſimus, ſed ſemper confuſione plenos, ſicuti digni erant, remiſimus. Tu autem, cariſſime ſerve Dei, quoniam verbum hoc, quod poteſt ſalvare animas noſtras, humiliter & in manſuetudine dicis, & item quod nos dicimus humiliter, & in manſuetudine ſuſcipis, nec contentioni, ſed rationi & auctoritati ſubſervis: idcirco tuam dulcedinem libenter audimus; & ut verum fatear, tibi hoc in hac noſtrâ diſputatione conceſſum eſt, quod nulli Latinorum ambulanti ſuprà ſe, & extollenti ſe adversùs ſcientiam Dei, hactenùs in hac urbe regiâ in publico conventu conceſſum eſt. Verùm adhuc procedamus.

Quidnam eſt quòd in Nicæno Concilio primo, cui interfuerunt trecenti decem & octo Patres, nihil de proceſſione Spiritûs ſancti à Filio tractatum eſt? Sanè Symbolum in illo Concilio compoſitum, & tantorum Patrum auctoritate roboratum, nihil hujuſmodi continet: quidquid autem continet, hoc ita clarè anathematis feratum eſt [g], ut nihil addi, nihil auferri ſine maximo Eccleſiæ ſcandalo & animæ periculo poſſit. Quomodo ergo illud anathema te putas effugere, qui non times proceſſionem Spiritûs ſancti à Filio ibi priùs non dictam inducere, & Fidei ſuperaddere: ſi tamen Nicænum Concilium omnibus Catholicis venerabile ſuſcepiſti?

CAPITULUM XXII.

Quòd non ſit temerarium aliquid addere Evangelio, quod non ſit contrà Evangelium: ſicut in Nicæno Concilio & in multis aliis Conciliis factum eſt.

ANSELMUS Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Symbolum Nicæni Concilii debitâ veneratione amplector, & ejuſdem Concilii XXII. Capitula, quæ ad nos per exemplaria pervenire potuerunt, ſicut Catholicus ſuſcipio. Sed cum proceſſionem Spi-

g feratum eſt.] Quodnam hoc monſtrum eſt lectionis? An [illegible] eſt [illegible] ita mihi quidem videtur, & aliis fortaſſe videbitur.

ritûs ſancti à Filio, quæ ibi non prohibetur, affirmo, nihil contrarii doceo vel appono, unde illud anathema mihi ſit formidandum: hoc enim ſub anathemate ibidem inhibitum eſt, ut nihil quod contrarium ſit illi Symbolo addatur; non autem prohibitum eſt, ut nihil aliud doceatur; nec enim aliter, ſed aliud doceri permittitur. Tu autem cum ſis litterator Evangelii, & [ut] ſuperius aſſeruiſti, dicas quòd fides à Domino Jesu in Evangelio ſtatuta ſufficiat credenti ad ſalutem, quam qui vel augeat, vel minuat, in utroque prævaricatorem evangelicæ Fidei ſe conſtituat, & nolis vel unum iota, vel unum apicem addere, vel demere, vel etiam mutare, aut ſenſum evangelicæ Scripturæ aliis verbis eumdem ſenſum ſignificantibus exponere: dic mihi, quomodo unquam potuit tibi perſuaderi, ut reciperes Nicænum, ſeu aliquod aliud Concilium, cum in omnibus ferè generalibus Conciliis tam multa Chriſtianæ fidei neceſſaria ſtatuta ſint, quæ in Evangelio minimè reperiuntur? Dic etiam, ſi proceſſionem Spiritûs ſancti à Filio non vis recipere eâ ſolâ ratione, ne videaris Evangelio aliquid, quod ibi patenter non ſit ſcriptum, addere; quare non eâdem ratione reſpuis fidem Nicæni Concilii à Catholicâ Eccleſiâ probatam & ſuſceptam, cum utique eadem fides nuſquam in Evangelio ita diſtincta & expoſita inveniatur? Credis in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum; adoras Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, unum Deum in ſubſtantiâ, trinum in perſonis? Credis in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum ſanctam Trinitatem, unum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate Deitatem eſſentialem & conſubſtantialem, coæternam & omnipotentem, unius voluntatis, poteſtatis & majeſtatis, Creatorem omnium creaturarum?

Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Credo, quia non Arrianus, ſed Chriſtianus ſum.

Anselmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Credis ſingulam quamque in Trinitate ſanctâ perſonam, unum verum Deum, plenum & perfectum?

Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Ita credo, quia Catholicus ſum, non Sabellianus: & hæc eſt fides rectè credentium, ut nec cum Arrianis ſubſtantiam in Deo dividamus, nec cum Sabellianis perſonas confundamus.

Anselmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Non iraſcatur, quæſo, fraternitas tua, neque indignetur, ſi adhuc paululum interrogavero, quoniam non ideo quæro, ut tamquam inſidiator in reſponſione tuâ obſervem te; ſed ut aliquid diſcam à te, vel ſi forte fieri poteſt, ut tu diſcas aliquid ex me, & invicem ignoſcamus, & cognoſcamus de fide tuâ atque meâ.

Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Interroga liberè quod vis, quia gratum habeo.

Anselmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Credis ipſum Filium Dei Verbum Dei, æternalem, natum de Patre, conſubſtantialem, omnipotentem & æqualem Patri per omnia in Divinitate, temporaliter natum de Spiritu ſancto & Maria ſemper Virgine cum animâ rationali, duas habentem nativitates, unam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem, Deum verum & hominem verum, proprium in utrâque naturâ atque perfectum, non adoptivum, non phantaſticum, unicum & unum Filium Dei in duabus & ex duabus naturis, ſed unius perſonæ ſingularitate; impaſſibilem & immortalem in Divinitate, ſed in humanitate pro nobis & pro noſtrâ ſalute paſſum verâ carnis paſſione?

Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Hæc omnia credo & ſuſcipio, quia poſt Neſtorianam hæreſim, qui duas in Chriſto putavit eſſe perſonas, & poſt Eutychianam hæreſim, qui unam tantum in Chriſto putavit eſſe naturam, & poſt quàmplurimos errores in hac tuâ propoſitione breviter & diſtinctè per ſingula verba ſopitos, ita ſanxit ſancta mater Eccleſia.

Anselmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Credis etiam Spiritum ſanctum, plenum & perfectum, verumque Deum, Patri & Filio coæqualem & coeſſentialem, coomnipotentem & coæternum per omnia?

Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Hæc eſt fides Catholica, poſt Macedonianam hæreſim confirmata, & in Alexandrino Concilio à pluribus orthodoxis roborata, qui de Divinitate Spiritûs ſancti tractantes, eum in conſubſtantiali Trinitate comprehenderunt; ideoque qui hanc fidem non ex integro tenuerit, verè Chriſtianum ſe non eſſe oſtendit.

Anselmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Benè credis, benè adoras, benè dicis. Dic ergo, frater cariſſime, mediâ charitate ſtratâ inter nos; dic, inquam, ubi invenitur in Evangelio iſta fides tua ita diſtincta? Nam ut credas in Deum Patrem & in Deum Filium, manifeſtè quidem ibi docetur, dicente Filio: *Creditis in Deum, & in me credite.* (Joan. 14. 1.) Quod autem credis in Spiritum ſanctum, rectè quidem credis; ſed me ſciente nuſquàm in Evangelio ita patenter & ita ſimpliciter verbis hoc oſtenditur. [Apoſtolus tamen [h] Spiritum ſanctum Deum eſſe patenter clamat, ubi dicit: *Neſcitis quia templum Dei eſtis?* (1. Cor. 3. 16.) Statimque ſubjicit: *Et Spiritus Dei habitat in vobis.* Deus enim habitat in templo ſuo, non autem tamquam miniſter habitat Spiritus Dei in templo Dei, cum alio loco evidentius dicat: *Neſcitis quia corpora veſtra templum in vobis eſt Spiritûs ſancti quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio magno, glorificate ergo Deum in corpore veſtro.* (Ibid. 6. 19.) Item: *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* (Ibid. 3. 17.)] Quod adoras Deum Patrem, rectè facis, quia & hoc docet Evangelium: *Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.* (Joan. 4. 23.) Quod etiam adoras Deum Filium, rectè facis, quia in quem credis ut Deum, hunc jure adoras ut Deum; & hoc quoque ex Evangelio inſinuatur: *Ego & Pater unum ſumus; & ego in Patre, & Pater in me eſt.* (Ibid. 10. 17. Ibid. 38.) Quia enim alter in altero verè unus Deus eſt, conſubſtantialis quidem, non autem, ut ita dicam, comperſonalis, rectè alter in altero unus Deus adoratur. Quod autem adoras Spiritum, cum Patre quidem & Filium coadorandum & conglorificandum; ubi, quæſo, hoc in Evangelio uſquàm diſtinctè & manifeſtè reperitur? Quamvis aliquis prudens lector, ſi diligenter inquireret id quod ſcriptum eſt: *Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate;* (Ibid. 4. 23.) profectò totam, puto, Trinitatem adorandam ibi inveniret. Cum enim dicitur, *veri adoratores adorabunt Patrem,* (Ibidem.) continuò ſequitur, *in ſpiritu,* & iterum ſubjungitur, *in veritate:* videlicet ut apertè intelligatur & Patrem in ſpiritu & veritate, qui Filius eſt, & Filium in Patre & Spiritu ſancto, & Spiritum ſanctum in Patre & Filio adorandum.

Verumtamen quidam hæretici textum Evangelii ſuprà modum planè & nimis negligenter, imo ſtultè obambulando pertranſientes, nec ſpiritum & vitam, quæ in verbis evangelicis recondita ſunt, ſcrutantes, Spiritum ſanctum nequaquam affirmave-

h *Apoſtolus tamen*] Hæc uncis includere idcircò libuit, quòd Anſelmi eſſe non videantur, quippe quæ contextum orationis interrumpant.

runt adorandum, pudore, inquientes, Evangelicæ Scripturæ neutrum manifeſtè oſtendentis, videlicet utrum adorandus ſit, necne. Vide ergo quomodo hæc tua ſententia ſtare poſſit, quâ dicis te ita Evangelium venerari, ut nihil addere [audeas] ad fidem quam ibi putas ſufficienter inſtitutam. In hoc quippe convinceris adversùm teipſum dixiſſe, quòd illud equidem primùm ſenſiſti & dixiſti, ad fidem Evangelii nihil addendum; & poſtea Chriſtianâ profeſſione fidem ſanctæ Trinitatis in Nicæno Concilio, & aliis Conciliis diſtinctam & traditam & contrà hæreſes roboratam confeſſus es.

CAPITULUM XXIII.

Quòd fides ſanctæ Trinitatis ad plenum condita eſt in Conciliis, quibus præſedit Spiritus ſanctus Pantoſcopus, id eſt, omnium Epiſcopus, qui & auctor prius & conditor fuit Evangelii.

VErumtamen jam amplius non ita reſtringas fidem Evangelii, ut Symbolum Nicæni Concilii tibi videatur eſſe ſuperfluum, vel etiam alia orthodoxorum Patrum Concilia, quibus præſedit auctor Spiritus ſanctus, quem tu paulo ante vocaſti Pantoſcopum, id eſt, omnium Epiſcopum; in quibus Conciliis Fides Catholica adeo roborata & confirmata eſt, ut ſi illa Concilia celebrata non fuiſſent, ipſa Fides quam tenemus, & quâ unitatem in trinitate, & trinitatem in unitate confitemur & credimus, aut hodie nulla eſſet; aut ſi eſſet, innumeris hæreſibus ſubjecta laboraret & fluctuaret. Unde & Dominus ſciens tam multa adhuc addenda ad inſtaurationem Catholicæ fidei, poſtquàm Diſcipulis ſuis univerſa quæ illi tempori congruebant, dixerat, adjecit ita dicens: *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Meminit fraternitas tua, quòd Dominus in Evangelio de ſeipſo dicit: *Ego ſum via & veritas & vita.* Et hîc dicit: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ecce Spiritus ſanctus amor Patris & Filii, connexio amborum, communicatio amborum, charitas amborum, Spiritus, inquam, Filii qui eſt veritas, ſpiritus veritatis docens omnem veritatem, qui & ipſe procedens à Filio, qui eſt veritas, Evangelium condidit, & Fidem ſecundum tempus ſufficientem Apoſtolis inſtituit: ecce à Filio, qui adhuc multa ſe ad dicendum habere dicit, promittitur, ut videlicet ipſe congruo tempore dicat, quod Filius adhuc ad dicendum ſe habere dicebat. Quid ergo aliud putas eumdem Spiritum ſanctum, Spiritum veritatis docuiſſe, niſi quod novit Filium, qui eſt veritas, à quo procedit, adhuc ad dicendum habere? Id ipſum quippe, & non aliud docuit, quàm quod Filius ſe ad dicendum adhuc habere dixerat. Siquidem Spiritus ſanctus procedens ab ore veritatis, qui Chriſtus eſt, Evangelium prius condidit, poſtea ſanctorum Patrum Conciliis auctor & doctor veritatis, ſicut promiſſus fuerat, interfuit. Fidem quam idem ipſe in Evangelio breviter condiderat, in Conciliis ſanctorum Patrum explanavit, & quæ Filius adhuc dicere habuit, ipſe procedens à Filio veraciter edidit, & pleniter docuit; ut quæ tunc ſoli Apoſtoli non potuerunt portare, ea nunc tota ſimul portet Eccleſia per univerſum mundum diffuſa.

Joan. 16. 12.

Ibid. 14. 6.

Itaque, ſicut dixi, Spiritus ſanctus, ſicut promiſſus fuerat, ut veniens doceret tunc & nunc & ſemper omnem veritatem, ſanctorum Patrum Conciliis interfuit, & tamquam Doctor omnium præfuit, fidem ſanctæ Trinitatis, quam tenemus, inter impietatem Arrii qui divinam ſubſtantiam ſeparavit, & impietatem Sabellii qui perſonas confudit, docens, paulatim omnem veritatem tradidit, Sacramenta eccleſiaſtica inſtituit, formam Baptiſmi quem Dominus inſtituerat, convenienti moderamine ordinavit, & ritum quem in conſecratione corporis & ſanguinis Domini tenet ſancta Eccleſia, diſpoſuit: Patriarchas, Metropolites, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Preſbyteros, Diaconos, & alios inferiores ordines eccleſiaſticos in miniſterium divinum ad decorem domûs Dei inſtauravit, chriſmales unctiones, necnon ſacramentum Pœnitentiæ, & impoſitiones manuum ordine ſacratiſſimo & bono diſtinxit; Miſſarum ſolemnia & cætera divina officia in laudem Dei appoſuit; per catholicos doctores, quaſi per organum ſuum ſacras Scripturas veteris & novi Teſtamenti nobis, tamquam extrinſecùs pluendo, aperuit: arcana quoque divina ſub ſigillo divinarum Scripturarum myſterialiter clauſa familiari inſpiratione nobis inſinuando, tamquam intrinſecùs rorando, innotuit; hæreſes paulatim ſuccreſcentes, quia virtus Altiſſimi eſt, potenter diſſipavit; leges eccleſiaſticas ad conſervandam Chriſtianam Religionem per Apoſtolicos viros dictavit. Et ut omnia ſub brevitate colligam, totam Eccleſiam in ſanctâ diſciplinâ eruditam, omnem paulatim docens veritatem, lumine veræ ſcientiæ illuſtravit, & adhuc illuſtrat, & ſemper illuſtrabit. Ita quippe promiſit qui non mentitur Deus: *Et dabo vobis Spiritum, ut maneat vobiſcum in æternum.* Et item: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi;* videlicet per inhabitantem Spiritûs ſancti gratiam. Itaque & ipſum Evangelium, & ipſa Concilia ab orthodoxis Patribus celebrata idem Spiritus ſanctus dictavit, & paulatim docens omnem veritatem, nihil veritati contrarium dixit; ideoque ſecurè jam potes dicere, quòd Spiritus ſanctus procedat à Filio, quoniam quod idem Spiritus ſanctus in hoc de ſeipſo minùs apertè in Evangelio videtur expreſſiſſe, hoc poſtea in diverſis Conciliis tamquam magiſter utriuſque Scripturæ manifeſtè ſupplevit.

Joan. 14. 16.
Matt. 28. 20.

Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Satis convenienter contexuiſti Evangelium & ſancta ſanctorum Patrum Concilia, & probabiliter oſtendiſti eumdem Spiritum ſanctum eſſe auctorem Evangelii & eorumdem Conciliorum, quod & nos credimus, & ideo pari veneratione cum Evangelio ipſa Concilia veneramur. Proinde ut tibi verum fatear, nos & plerique noſtrorum ſapientes à vobis non diſſentimus in ſenſu hujus proceſſionis; ſed ſicut jam ſæpe dixi, verbum hujus proceſſionis hactenùs apud nos fuit alienum, nec horremus proceſſionis ſenſum, quia rectus eſt, ſed proceſſionis verbum quia inſolitum eſt. Multi etiam Græcorum Doctores qui divinas Scripturas expoſuerunt, licet eumdem proceſſionis hujus ſenſum convenientibus verbis ſatis expreſsè nobis inſinuaverint, tamen hoc verbo proceſſionis non adeo evidenter uſi ſunt, nec nobis in uſu loquendi reliquerunt.

CAPITULUM XXIV.

Quòd multi Græcorum Auctores dixerunt Spiritum ſanctum procedere à Filio, ſicut à Patre.

ANſelmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Cur hoc dicis? Athanaſius ille famoſiſſimus Alexandrinorum Archiepiſcopus, contrà Arrianam hæreſim diſputator acerrimus, in Fide Catholicâ perfectus & doctiſſimus, nulli ſapientum Græcorum alienus, ita dicit in Symbolo Fidei: *Spiritus ſanctus à Patre & Filio eſſe;* atque ſubjunxit, *procedens.* Manifeſtè docuit eum ab utroque procedere, cum

Athanaſ. in Symb. 22.

ad utrumque procedere, ſicut & eſſe retulit; præſertim cum non aliter à Patre & Filio Spiritus ſanctus eſſe habeat, quàm procedendo.

Didymus etiam Græcorum Doctor non minimus, qui multos libros edidit, & de ſanctâ Trinitate tres libros fecit, & Origenis opus de principiis, id eſt, *periarchon*, commentatus, in eis explanationes reliquit eximias: ille, inquam, Didymus oculorum quidem paſſione viſu privatus, ſed intus perfectè illuminatus, in libro de Spiritu ſancto, quem noſter Hieronymus Græcâ & Latinâ & Hebraïcâ linguâ eruditus tranſtulit, Spiritum ſanctum à Filio quoque procedere patenter oſtendit dicens:

Didymus Alex.

» Spiritus » ſanctus qui eſt Spiritus veritatis, Spirituſque ſa» pientiæ non poteſt audire Filio loquente quæ neſcit, » cum hoc ipſum ſit quod profertur à Filio, id eſt, » procedens Deus de Deo, Spiritus veritatis proce» dens à veritate, conſolator manens de conſola» tione. « Hæc ita Didymus. Quæ quidem veritas quæ ſit, à quâ ipſe procedit, ſymbolum Epheſini Concilii ducentorum Epiſcoporum, quod etiam Græcorum fuiſſe conſtat, manifeſtè his verbis determinat: » Quamvis in ſubſtantiâ ſuâ ſit Spiritus » Filii, & intelligatur in perſonâ proprietas, juxtà » quod Spiritus eſt, & non Filius, non eſt tamen » alienus ab ipſo: nam Spiritus appellatur verita» tis, & veritas Chriſtus eſt, unde & ab iſto ſimi» liter ſicut & ex Deo Patre procedit. « Item Cyrillus Epiſcopus Alexandrinorum in epiſtolâ VIII. Neſtorio directâ quæ ſic incipit. » Reverentiſſimo » & Deo amantiſſimo, &c. Si eſt, inquit, in ſub» ſtantiâ ſpiritus ſpirituali, vel certè intelligitur per » ſe ſecundum quod Spiritus eſt, & non Filius, ſed » tamen eſt non alienus ab eo: Spiritus enim veri» tatis nominatur, & profluit ab eo ſicut denique » ex Deo Patre. « Item Johannes Chryſoſtomus Homiliâ XXVI. de expoſitione Symboli, quæ ſic incipit.

Chryſoſt. Hom. de ſancto & adorando Spiritu.

» Univerſalis Eccleſia gaudet. Iſte eſt Spiri» tus procedens à Patre & Filio, qui dividit propria » dona prout vult. » Item in Homiliâ XXVIII. in aliâ expoſitione ejuſdem Symboli, quæ ſic incipit: » Super fabricam totius Eccleſiæ. Itaque creden» dum eſt Spiritum ſanctum Patris eſſe & Filii.

Idem ibid.

Item » iſtum Spiritum ſanctum dicimus Patri & Filio eſſe » coæqualem, & procedentem de Patre & Filio. » Hoc credite, ne colloquia mala corrumpant mores

Idem ibid.

» veſtros bonos. « Item. » Videte ubique ſacramen» tum Trinitatis, ecce & in Spiritum ſanctum cre» dimus, qui Spiritus ſanctus procedens à Patre & » Filio, charitate conjungitur. «

Auguſtinus quoque Hipponenſis Epiſcopus, Legatus Provinciæ Numidiæ in Africâ, vir clarus, & omnium Scripturarum eloquentiâ Afer diſertiſſimus, qui multis Africanorum Conciliis interfuit, qui non paucos libros contrà hæreſes Manichæorum & Donatiſtarum conſcripſit, & in explanationa veteris & novi Teſtamenti molta ſcripta edidit, cujus innumera volumina ubique terrarum in magnâ leguntur auctoritate, ipſe quàmplurima teſtimonia de proceſſione Spiritûs ſancti à Filio uſquequaque in ſcriptis ſuis manifeſtiſſimè inſeruit. Item Hieronymus, Ambroſius, Iſidorus, Hilarius, & alii quàmplures Latini ſermonis Doctores, necnon & Leo Magnus ampliſſimæ urbis Romæ ſummus Pontifex, multa de proceſſione Spiritûs ſancti à Filio ſcriptis ſuis inſeruerunt; quos idcircò tibi cum ſcriptis ſuis non propono, quia fortaſſe apud Græcos non ſunt tantæ auctoritatis his temporibus Latini Doctores, ſicut eſſent, ſi Græci eſſent. Quod id ipſum ſi ita eſt, nequaquàm laudabile eſt, ſalvâ

Act. 10. 34.

pace inter nos & vos dictum ſit. Non enim perſona-

Joan. 3. 8.

rum acceptor eſt Deus, & *Spiritus ubi vult ſpirat.*

Nechitas Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Quòd noſtros Doctores introducere voluiſti, placet mihi; ſed quæro ſi tu auctoritatem illorum quos nominaſti, & aliorum noſtrorum Doctorum, cum ſis Latinus, recipias.

Anselmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Ego nulli Chriſtianorum, Græco, ſive Latino, ſeu cujuſlibet gentis fideli Chriſtiano, donum ſancti Spiritûs intercludo, nullum contemno, nullum abjicio, nec abjiciendum judico; ſed omnem hominem recta loquentem, & ea quæ contrà Apoſtolicam doctrinam non ſunt, ſcribentem, liberâ mente ſuſcipio & amplector.

Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Videor mihi inveniſſe hominem Latinum verè Catholicum; utinam tales Latini iſtis temporibus ad nos venirent? Nam ſi aliqui veniunt, ambulant in magnis & in mirabilibus ſuper ſe, & nequaquàm talis, nec tam Catholica, nec tam humilia, ſed ſuperba & intolerabilia nobis loquuntur. Proinde Doctores noſtri, cum de fide ſanctæ Trinitatis, ſive de Symbolo fidei aliqua conſcripſerunt, ſi quando incidenter occaſione explanandæ ſententiæ dixerunt Spiritum ſanctum à Patre & Filio procedere vel profluere, non dixerunt hoc eâ ſignificatione proceſſionis vel profluxionis, ſicut dicitur à Patre procedere: nam quod à Patre procedit, propriè procedit; & quia propriè procedit, propriè quoque procedere dicitur. Quòd autem à Filio procedere vel profluere à nobis aliquando dictum invenitur, nullatenùs propriè dicitur, quia nec propriè ita procedit vel profluit à Patre, quippe propriè tamquam ab eo qui eſt prima cauſa & principium ſui, procedit; à Filio autem ſi quando invenitur vel dicitur procedere ſeu profluere, non ita propriè dicitur vel eſt, quia quod à Filio eſt, vel à Filio procedit vel profluit, hoc non eſt, vel hoc non facit tamquam à primâ causâ: quia ipſe quoque Filius id quod eſt, & quod Filius eſt, & quod à ſe Spiritum ſanctum procedentem ſeu profluentem mittit, hoc non à ſeipſo, ſed à Patre tamquam à primâ cauſâ & principio; ideoque ſicut dixi, à Patre tamquam à primâ cauſâ Spiritus ſanctus propriè procedere dicitur.

Hanc itaque proceſſionem Spiritûs ſancti tam à Patre quàm à Filio ita diſtinxerunt ſapientiſſimi Græcorum, adſcribentes propriè Patri primam cauſam proceſſionis, à quo propriè eſt & Filius generatione, & à quo Spiritus ſanctus eſt proceſſione. Filio autem adſcribentes ejuſdem Spiritûs ſancti proceſſionem, non tam propriè, quoniam ipſe Filius non eſt à ſemetipſo, nec eſt cauſa ſuimetipſius, ideoque nec propriè, nec prima cauſa eſt Spiritûs ſancti, ut ab eo propriè, ſicut à Patre procedat. Itaque Pater à nullo eſt, Filius à Patre propriè eſt, Spiritus ſanctus ab utroque eſt; à Patre tamen propriè eſt, quia Pater à nullo eſt, à Filio autem non ita propriè eſt, quia Filius non à nullo, ſed à Patre eſt, & à Patre habet quòd Spiritus ſanctus ab ipſo eſt: & ita concedo Spiritum ſanctum à Patre qui à nullo eſt, proprie procedere; à Filio autem, quia & ipſe à Patre eſt, non ita propriè procedere, & hoc eſt quod diſtinxerunt, ſicut jam dixi, ſapientiſſimi Græcorum.

CAPITULUM XXV.

Quòd Spiritus ſanctus, licèt ab utroque procedat; tamen à Patre propriè & principaliter procedere inveniunt, tam apud Latinorum, quàm Græcorum Scriptores.

Anselmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Quòd Spiritus ſanctus à Patre propriè proce-

dat, non negamus, quia id ipſum Doctores noſtri nos docuerunt, ſive hoc ipſi à veſtris, ſive veſtri hoc ab ipſis habuerint. Unde Hieronymus noſter in definitione Fidei Catholicæ, Nicænique Concilii exponens, ait: « Credimus in Spiritum ſanctum qui de Patre procedit. » Item: « Spiritum ſanctum verum Deum invenimus in Scripturâ, & de Patre propriè eſſe. Et iterùm: De Paſre Filius & Spiritus propriè, & verè de Patre Filioque, quia procedit. » Primum igitur accepe, quòd de Patre propriè eſt Spiritus ſanctus, dicente Scripturâ: *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Et Salvator ait: *Spiritus veritatis qui de Patre procedit.* Item beatus Auguſtinus Doctor egregius in xv. libro de Trinitate cap 17. « Non fruſtrà in hac Trinitate non dicitur Verbum Dei, niſi Filius; nec donum Dei, niſi Spiritus ſanctus; nec de quo genitum eſt Verbum, & de quo procedit principaliter Spiritus, niſi Deus Pater. » Idem lib. xv. de Trinitate cap. 17. « Et Spiritus ſanctus principaliter de illo procedit, de quo natus eſt Filius. Ideo autem addidi, principaliter, quia & de Filio Spiritus ſanctus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit non jam exiſtenti, & nondum habenti, ſed quidquid unigenito Verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiam de illo bonum commune procederet. » Item Auguſtinus lib. xv. de Trinitate cap. 26. « Sicut Filio præſtat eſſentiam ſine initio temporis, ſine ullâ mutabilitate naturæ de Patre generatio; ita Spiritui ſancto præſtat eſſentiam ſine ullo initio temporis, ſine ullâ mutabilitate naturæ de utroque proceſſio. » Idem in eodem: « Filius de Patre natus eſt, & Spiritus ſanctus de Patre principaliter, & ipſo ſine intervallo temporis dante communiter de utroque procedit. » Et infrà. « Non ab utroque eſt genitus, ſed procedit ab utroque amborum Spiritus. » Item in ſequenti capitulo. « Neque poſſumus dicere quòd non ſit vita Spiritus ſanctus, cum vita Pater, vita Filius ſit; ac per hoc ſicut Pater cum habeat vitam in ſemetipſo, dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo, ſic ei dedit vitam procedere de illo, ſicut & procedit de ſe ipſo. »

Hieron. in explanatione Fidei ad Cyrillum, initio epiſt. & ſub finem.

Pſal. 32. 6.

Joan. 15. 26.

Auguſt. lib. 15 de Trinit. cap. 17.

Idem ibid.

Idem cap. 26.

Idem ibid.

Idem ibid.

Idem cap. 27.

Ex his verbis beatorum Doctorum Hieronymi & Auguſtini ſatis concedendum puto, Spiritum ſanctum propriè & principaliter ex Patre tamquam à primâ causâ procedere, quia ſic ex Patre procedit quaſi primo loco, dum eum Pater ab alio non habeat, ſed à ſeipſo, Pater quippe prima cauſa eſt, & primæ cauſæ cauſa non eſt; Filius verò cum à ſeipſo non ſit, ſed à Patre, hunc ipſum Spiritum ſanctum à ſe quoque procedentem non à ſe, ſed à Patre habet, à quo & ipſe per generationem eſſe habet. Eſt itaque Pater principalis auctor & cauſale principium tam generationis ad Filium, quàm proceſſionis ad Spiritum ſanctum: ideoque tametſi non legatur adeo propriè & principaliter à Filio procedere; tamen ſicut verum eſt eum à Patre procedere, ita quoque ſublatâ omni ambiguitate verum eſt eum à Filio procedere, & nulla proceſſionis ejus inæqualitas admittitur, cum ab utroque, ſicut dictum eſt, æqualiter procedere affirmatur. Quamquàm autem perſona Patris à quo propriè procedit, non ſit eadem perſona Filii à quo nihilominùs procedit; tamen nequaquàm videtur dicendum, duas eſſe proceſſiones differentes, nec duos Spiritus ſanctos, ſicut duæ ſunt perſonæ Patris & Filii differentes: ſed una tantùm & unius dicenda eſt proceſſio ab utroque, quia nec priùs à Patre, nec poſtea à Filio; ſed ſimul à Patre & à Filio eſt una eademque Spiritûs ſancti æterna & ſubſtantialis proceſſio. Qui videlicet Spiritus ſanctus ab utroque ſimul & ſemel ſubſtantialiter & æternaliter procedens, totam Trinitatem unà cum Patre & Filio perſonaliter, id eſt, perſonali pluralitate conſtituit.

Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Satis videmur jam poſſe convenire, quia & noſtri & veſtri Doctores non inveniuntur uſquequaque in hac ſententiâ diſcrepare; ſi tamen eorum ſcripta rectè intelligantur, qui vel apud nos, vel apud vos de hac quæſtione diligentiùs ſcripſiſſe inveniuntur. Sed quid dicis de hoc, quòd quidam Græcorum ſapientes dicunt Spiritum ſanctum à Patre per Filium procedere?

CAPITULUM XXVI.

Quòd quidam Græcorum & etiam Latinorum, putaverunt Spiritum ſanctum procedere à Patre per Filium, inducentes quaſdam ſimilitudines minùs idoneas.

Anſelmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Ignota ſunt mihi iſta verba & inuſitata, ideoque quid ſuper hoc reſpondeam, ad præſens non habeo, niſi quod Apoſtolus monet: *Verborum novitates devita.* Verumtamen qui hoc dicunt, quo ſenſu dicant, ipſi viderint. Ego profectò legi in quodam libro, quem conſcripſit Hilarius Pictavienſis Epiſcopus, Doctor quondam famoſiſſimus, de Trinitate in tomo xii. quædam his ſimilia; ita enim loquitur idem Hilarius ad Deum Patrem: « De ipſo & Filio in ſancto Spiritu tuo ex te profecto & per eum miſſo. » Item. « Ex te per eum Spiritus ſanctus tuus eſt. » Item. « Filium tuum unà tecum adorem, Spiritum ſanctum tuum, qui ex te per Unigenitum tuum eſt, promerear. » Iſta dicit Hilarius, quæ ego puto ſatis ſuſcipienda cum præmiſſa determinatione, quoniam Pater à nullo hoc habens, Filius autem à Patre hoc habens, Spiritum ſanctum uterque à ſe procedentem emittunt.

Tim. 6. 20.

Hilarius lib. 12. de Trinit. ſub finem.

Idem ibid. ſub finem.

Idem ibid. ſub finem.

Quòd autem Spiritus ſanctus de Patre procedar in Filium, & ſic per Filium procedat ad ſanctificandam creaturam, & non ſimul de utroque procedat, abſurdiſſimum eſt, non ſolùm dicere, ſed etiam cogitare, quamquàm aliqui admodum inſipientes, & de hoc ſtultè thrologizantes, tale ſtultitiæ ſuæ proponunt exemplum. Sicut, inquiunt, Filius hominum ex Patre procedit in matrem, & ex matre procedit in hanc lucem, naturaliter de ſubſtantiâ utriuſque exiſtens; ita profectò Spiritus ſanctus à Patre in Filium, & per Filium ad ſanctificandam creaturam procedit. Tales qui talia dicunt, quoniam in tempore ſunt, temporaliter loquuntur, & ſeipſos fallunt aſſignantes temporalia æternis: cum enim Filius hominum procedit ex patre in matrem, tunc non procedit ex matre in lucem, & cum in hanc lucem procedit ex matre, non tunc procedit ex Patre. Ideoque trahentes hanc ineptam ſimilitudinem, trahuntur non immerito in errorem, & in ejuſdem erroris juſtam condemnationem.

Alii ſe ſuprà ſe in Theologiam extendentes, & tamen multum infrà Theologiam remanentes, non minùs ineptam ſimilitudinem ſibi adinveniunt, dicentes, quòd ſicut lacus ex fonte, non ex rivo, ſed per rivum procedere dicitur, in quem videlicet rivum aqua ipſius lacûs de fonte prodiens, per eum tranſit ac pervenit in ſtagnum; ſic & Spiritus ſanctus ex Patre propriè procedere dicatur quaſi à ſummâ origine, in Filium quaſi in rivum, & ita per Filium quaſi per rivum ad ſanctificandos homines, quaſi in ſtagnum hujus ſæculi. Verùm ego miror & perhorreſco hujuſmodi ſimilitudines de comprehen-

ſibilibus ad incomprehenſibilia erectas, quæ cum ad cognitionem veritatis attingere nequeant, longè infrà remanent, & animos intendentium ſuâ occupatione impediunt, & plerumque à rectâ fide avertunt, cum objectâ mole corporalium creaturarum, iter perveſtigandæ veritatis in divinis & ſpiritualibus occludunt. Sicut autem ambulantes in Fide omnia talia poſtponunt, & poſt ſe projiciunt, & in fide ſpeculativo intellectu proficiunt, & ſe ſuprà ſe humiliter erigentes in altiora tranſcendunt; ita ambulantes in ratione, & in ſimilitudine veri inhærentes, ſarcinâ humanæ ignorantiæ gravati, & ſopore falſæ opinionis depreſſi, retrò remanent digni, qui poſt fidem cum ratione remanente remaneant; & indigni, qui cum fide præcedente rationem antecedant. Itaque tales & tam ridiculoſæ ſimilitudines nequaquàm à ſapientibus inducantur; ſed ſicut jam ſuprà, ſicut puto, ſatis determinatum eſt, Fides Catholica teneatur de proceſſione Spiritûs ſancti à Patre & Filio: & ſi forte aliqua aliena ſcriptura invenitur, quæ tamen propter auctoritatem ſcribentis in veneratione ſuſcipienda & legenda eſt, quemadmodum præfati Hilarii Epiſcopi, qui magnæ auctoritatis eſt in Eccleſiâ: illa, inquam, ſcriptura tametſi videatur aliquid alienum inſinuare; tamen ita legenda, & eo uſque exponenda eſt, quo ad illarum ſcripturarum concordiam perducatur, & ad legem charitatis catholico ſenſu perveniatur.

Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Iſte Hilarius, de quo dicis, Pictavienſis Epiſcopus multis Græcorum Conciliis antiquitùs interfuiſſe invenitur, & magnæ opinionis apud noſtros fuit & eſt, cujus ſcripta tu modo in medio prolata ſatis cautè determinaſti. Nos quoque ſi quando his ſimilia in codicibus noſtrorum Doctorum invenimus, ſimili determinatione determinamus. Cum enim in Scripturis ſanctus de aliquâ verâ ſententiâ conſtat, non eſt difficile prudenti lectori verba quolibet modo ſcripta ad veritatem ſententiæ inclinare. Proinde noverit charitas tua, præmiſſis tot rationibus, & ſuppoſitis tot auctoritatibus, me & quoſlibet ſapientes Græcorum ſtare tecum in eâdem ſententiâ de proceſſione Spiritûs ſancti: verumtamen nolo ut putes nos modo per te in hac tuâ diſputatione ſuperatos hoc confiteri, quoniam ſapientes Græci ſemper hanc ſententiam tenuerunt; & ſi quando à ſapientibus Latinis hæc eadem quæſtio humiliter mota eſt, quod corde crediderunt, ore confeſſi ſunt, & omnibus quæ de hac quæſtione ſcripta ſunt revocatis ad legem charitatis, tam Latini ſapientes, quàm Græci ſapientes, concorditer in unum conſenſerunt. At verò nihil noſtrâ intereſt, quid vel ſtulti Græci, vel ſuperbi Latini inter ſe dicant & contendant.

CAPITULUM XXVII.

De concordiâ hujus quæſtionis, & de tollendo ſcandalo de medio utriuſque gentis; auctoritate Romani Pontificis per Concilium generale.

ANſelmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Gratias agamus Spiritui ſancto, qui nos hanc quæſtionem fraternâ pace & concordi confeſſione in præſentiâ tantorum virorum, qui & ipſi nobiſcum concordant, finire voluit. Nihil ergo jam aliud reſtat, niſi quòd Spiritum à Patre & Filio procedere, ſine aliquâ hæſitatione, ſicut credis, ita doceas, ita ſcribas, & cum ſanctâ Romanâ Eccleſiâ, quæ mater eſt omnium Eccleſiarum, & quæ hoc docet & ſcribit, ejuſdem [1] fidei concordiam habeas. Non enim habet Dei charitatem, qui Eccleſiæ non diligit unitatem, à qua etiam qui diſcordat, ſicut beatus Ambroſius Mediolanenſis Archiepiſcopus dixit, hunc planè hæreticum eſſe conſtat; quicumque enim præſumptione atque obſtinatione utitur, cum ratione & auctoritate ſuffragante ſuperatur, ſine veniâ ignorantiæ peccat, ideoque graviùs offendit. Decet etiam ſanctitatem tuam & humilitatem meam, cum ſimus Epiſcopi, ut non ſolùm ſcienter doceamus ea quæ ſcimus, ſed etiam patienter diſcamus ea quæ forte ignoramus.

Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Tuam humilitatem, frater cariſſime, amplector, & eam devotionem quam habere videris ad veritatem Fidei, admiror: & fateor: nequaquam poſſum non commoveri te loquente; aſſentio etiam omnibus quæ dixiſti, & accedo toto animo & toto corpore. Porrò verba hæc, *Spiritus ſanctus procedit à Filio*, quoniam hactenùs non ſonuerunt publicè in Eccleſiis Græcorum, nequaquàm ſubitò poſſunt indoci, ut ſine aliquo ſcandalo plebis vel aliquorum minùs prudentium publicè doceantur, vel ſcribantur, ſed aliquod generale Concilium Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ auctoritate ſancti Romani Pontificis, admittentibus piiſſimis Imperatoribus celebrandum eſſet, ubi hæc & nonnulla alia Catholicæ Eccleſiæ neceſſaria ſecundum Deum diffinirentur, ne forte vos vel nos in vacuum curreremus. Extunc omnes nos qui in partibus Orientis Chriſtiani ſumus, unà cum ſanctâ Romanâ Eccleſiâ, & cum cæteris Eccleſiis quæ ſunt in Occidente, communi voto & pari conſenſu ſine aliquo noſtrorum ſcandalo verbum hoc, *Spiritus ſanctus procedit à Filio*, libenter ſuſciperemus, & prædicaremus, & doceremus, & ſcriberemus, & in Eccleſiis Orientis publicè cantandum inſtitueremus.

Anſelmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Utinam hoc videam, & tam ſancto Concilio intereſſe merear, ubi Princeps Apoſtolorum Petrus in perſonâ Vicarii ſui Romani Pontificis cum univerſa Eccleſiâ in unum collectâ, quæ illi à Deo commiſſa eſt, conſedeat, & Spiritus ſanctus, de quo tractavimus, ſuper omnes deſcendens, & omnem veritatem tunc & uſque ad conſummationem ſæculi docens, omnes unum in Chriſto cum Petro & in fide Petri faciat. Utinam, utinam, utinam. Deus velit, Deus velit, Deus velit. *Doxa ſi o Theos, Doxa ſi o Theos, Doxa ſi o Theos.* Item alii clamantes dixerunt: Bonum eſt bonum eſt, bonum eſt. Ita fiat, fiat, fiat.

Explicit liber ſecundus.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI TERTII.

I. *DE collatione quæ facta eſt in Baſilicâ ſanctæ Sophiæ in præſentiâ ſapientum Græcorum.*

II. *Quòd univerſalis Eccleſia tribus modis exiſtere dignoſcitur, ſanctorum Scripturarum auctoritate, univerſali traditione, ſingulari inſtitutione.*

III. *Quod Græci contra univerſalem traditionem ſe à ritu Romanæ Eccleſiæ ſequeſtrant, & in fermentato ſacrificant.*

IV. *Quòd melius eſt errorem, quamvis longo uſu uſitatum, conſideratâ meliori ratione deponere, quàm in eo contumaciter perſeverare.*

V. *De primatu Romanæ Eccleſiæ; & quòd nullis hæreſibus aliquando contaminata, ſed ſemper Catholica fuerit.*

[1] *ejuſdem fidei*] Ita emendavimus, cum editum eſſet *ejuſdem fieri.*

VI. *Quòd Conſtantinopolitana Eccleſia ferè ſemper graviſſimis hæreſibus fermentata laboraverit.*

VII. *Quòd Græci dicunt tres Patriarchales ſedes aliquando fuiſſe ſorores, inter quas Romanæ Eccleſiæ primatum non negant.*

VIII. *Quòd Græci dicunt ideo ſe ſubtrahere à Conciliis Romanorum Pontificum, quia monarchiam Romani Imperii diviſerunt.*

IX. *Commendatio Romanæ Eccleſiæ, quàm diligentiſſima ſit in examinandis & dijudicandis Eccleſiaſticis cauſis.*

X. *Quòd licet non ſoli Petro, ſed etiam cæteris Apoſtolis data ſit poteſtas ligandi & ſolvendi, & licet non ſuper ſolum Petrum, ſed etiam ſuper alios Apoſtolos Spiritus ſanctus deſcenderit; tamen principatus Petri cæteris omnibus eſt excellentior.*

XI. *Quòd hæreſes in Conſtantinopoli, vel ubique in Oriente ortæ, ſint etiam ibidem extinctæ.*

XII. *Quòd unum tantùm ſit caput Eccleſiæ in terris, videlicet Roma, & non duo vel plura, ſicut dicunt Græci; & quod Græcorum hæreſes, non Græcorum, ſed Romanorum Pontificum auctoritate deſtructæ ſint.*

XIII. *Quòd auctoritate & inſtitutione Romanorum Pontificum Melchiadis & Siricii dicunt ſe Græci fermento uti in ſacrificio altaris.*

XIV. *De hoc quod credi poteſt, quòd Apoſtoli & eorum ſucceſſores nunc azymo, nunc fermento indifferenter uſi fuerint, & quòd Occidentalis Eccleſia alterum, Orientalis verò alterum paulatim totum deſeruit.*

XV. *Quòd auctoritas plurium Romanorum Pontificum plùs valere debet, quàm duorum; & quòd Synodus Synodum ſolvit, & quod Melchiades & Siricius Papa non videntur de hoſtiâ, ſed de eulogiis inſtituiſſe.*

XVI. *Quòd Conſtantinopolis & omnis Orientalis Eccleſia ſub obedientiâ Romanæ Eccleſiæ fuit, & jure eſſe debet, & eam in ritu Sacramenti imitari.*

XVII. *Quòd in Cœnâ Dominicâ Chriſtus azymum conſecravit; & quòd nuſquàm in veteri Teſtamento fermentum, ſed azymus offerri jubetur.*

XVIII. *Quòd fermentum in divinâ Scripturâ nuſquàm in bono accipiatur, & quòd minus eſt habile ad tractandum cautè.*

XIX. *Quòd propter longum fermenti uſum Græci non facilè poſſunt tranſire ad azymum; ſed facto Generali Concilio, ſive hoc, ſive illud indifferenter ſatis ſuſcipere, ſublato utriuſque gentis ſcandalo.*

XX. *De commixtione vini & aquæ in calice, quod aliter Græci, aliter Latini faciunt.*

XXI. *De Græcorum & Latinorum vario & diverſo Baptiſmate.*

XXII. *De Concordiâ ſapientum Græcorum & Latinorum.*

INCIPIT LIBER TERTIUS DE DIVERSO EUCHARISTIÆ RITU GRÆCORUM ET LATINORUM, VIDELICET AZYMI ET FERMENTATI, ET DE AUCTORITATE ROMANÆ ECCLESIÆ.

CAPITULUM PRIMUM.

De collatione quæ facta eſt in Baſilicâ ſanctæ Sophiæ in præſentiâ ſapientum Græcorum.

ANSELMUS Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Cum in præteritâ hebdomadâ in loco, qui vocatur Piſanorum vicus, conveniſſemus, & de proceſſione Spiritûs ſancti tractaremus, idem Spiritus ſanctus docens omnem veritatem, nobiſcum adfuit, & quid de ipſo, ſeu de ſuâ proceſſione ſentiendum eſſet, ipſe nos mutuâ collatione ſufficienter edocuit, & poſt multos non contentioſæ & fraternæ diſputationis anfractus, tandem in legem charitatis, & in ejuſdem ſententiæ concordiam nos humiliter compoſuit. Et quoniam omnium veſtrâm excellentiæ placuit, ut in hac ſanctâ Baſilicâ ſanctæ Sophiæ iterum conveniremus, in cujus abſidâ nunc ſedemus; ſicut credendum eſt, quòd idem Spiritus ſanctus, qui replet orbem terrarum, nuſquàm deſit per divinam eſſentiam; ita quoque ſperandum eſt, ut tantorum virorum conventui nunc etiam interſit, per inhabitantem & abundantem gratiam. Ita quippe ſcriptum eſt: *Ubi duo vel tres congregati ſunt in nomine meo, in medio eorum ſum*, dicit Dominus. Video etiam multo plures reverendas perſonas hic conveniſſe, & valde mihi meticuloſum eſt, & etiam erubeſco inter tantos Doctores loqui, inter quos ego me tamquam nullum exiſtimo; & ſi quid pro meâ parvitate loquutus fuero, idipſum ignoro, ſi vel commendatione, vel reprehenſione dignum apud vos habeatur. Verùm ſi in medio Doctorum inventus fuero interrogans & audiens, nequaquàm mihi hoc erit inglorium, præſertim cum ipſe Filius Dei, ſapientia Dei, in medio Doctorum ſedens, & interrogans & audiens, exemplum humilitatis ſeipſum nobis præbuerit. Ego ſanè magis volo interrogando aliquid boni dicere, quàm pro nimiâ verecundiâ, cum tempus eſt loquendi, tacere, & tacendo quod ſcire deſiderabam, ignorare. Matt. 18. 20.

NECHITES Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Gratiâ Dei nos ita priorem quæſtionem ſalvâ charitate pacificis verbis conſummavimus, ut jam ſit jucundum nobis tecum conferre, non in diſceptatione verborum, ſed in inquiſitione ſententiarum; ideoque non ſit tibi meticuloſa præſentia tantorum virorum, quia non idcircò huc convenerunt, ut tibi aliquam calumniam quâcumque occaſione inferrent, ſed ut te loquentem conſuetâ Græcorum manſuetudine audirent: audierunt enim priùs de eâ quam in præteritâ hebdomadâ nobiſcum habuiſti, quæſtione, & ſummopere deſiderabant & deſiderant dulcedinis tuæ verba audire, & ſive in interrogatione, ſive in reſponſione tuâ, cupiunt aliquid novi quod bonum ſit, apprehendere. Scriptum eſt enim: *Audiens ſapiens ſapientior erit.* Abſit autem quòd aliquid tibi à quolibet noſtrorum occurrat, quod vel tuam, vel noſtram minùs deceat honeſtatem, vel unde tu juſtè turbari debeas, niſi fortè occaſione diſputationis hoc fiat, quod etiam ſtudioſè cavendum eſt. Dic ergo quod placet. Prov. 1. 5.

CAPITULUM II.

Quòd univerſalis Eccleſia tribus modis exiſtere dignoſcitur, ſanctarum Scripturarum auctoritate, univerſali traditione, ſingulari inſtitutione.

ANSELMUS Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Univerſalis Eccleſia per orbem diffuſa tribus modis exiſtere dignoſcitur: nam quidquid in eâ tenetur, aut auctoritas eſt ſanctarum Scripturarum, aut traditio univerſalis, aut certè propria & ſingularis inſtitutio; ſed auctoritate tota Eccleſia conſtringitur, univerſali quoque traditione majorum nihilominùs tota obligatur, privatis conſtitutionibus & propriis informationibus unaquæque, vel pro locorum varietate, vel prout unicuique benè viſum eſt, ſubſiſtit & gubernatur. Unde miror valdè quòd

Orientalis Eccleſia tantùm differt ab Occidentali Eccleſiâ in diverſo ritu ſacrificandi, in Sacramentis altaris, in confectione corporis & ſanguinis Domini, quod vos vocatis Euchariſtiam, maximè cum iſta ſit univerſalis majorum traditio, quin imò, ut verum, & quod majus eſt, dicam, ipſius Jesu-Christi Domini noſtri inviolabilis & ſemper tenenda inſtitutio. Sancta enim Romana Eccleſia omnibus Catholicis jure imitanda, ſtudioſè & ex antiquâ inſtitutione in Sacramento altaris azymo utitur, & tamquam mater omnium Eccleſiarum omnibus Occidentalibus Eccleſiis id ipſum tradidit.

CAPITULUM III.

Quòd Græci contrà univerſalem traditionem ſe à ritu Romanæ Eccleſiæ ſequeſtrant, & in fermento ſacrificant.

Orientalis Eccleſia ſeipſam ab obedientiâ ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & ab unitate tantæ communionis ſequeſtrans, dum mavult aliquid novum & ſingulare moliri, quàm tenere univerſalem conſuetudinem, & quaſi ſacrilegio proprii ſchiſmatis ſeipſam ſauciando vulnerat, in confectione corporis Domini fermentato [utitur,] & hoc facit ſtudioſè, & quaſi propriæ auctoritatis inſtitutione. Quod dico, ſtudioſè, ita volo intelligas ut Græcus in Sacramento altaris ita ſtudeat habere fermentatum panem, ut ſi forte fermentatum non habeat, nec ullatenus habere queat, potiùs à miniſterio altaris prorsùs abſtineat, quàm azymum in conſecratione corporis Domini offerat. Unde ſicut dixi, valde miror, & hujuſce conſuetudinis rationem vel auctoritatem libenti animo [à] te cognoſcere deſidero.

Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Patres noſtri viri religioſiſſimi, & in lege divinâ eruditiſſimi ac devotiſſimi, qui in hoc patriarchico, in quo nunc ſedemus, præfuerunt, & hanc regiam urbem unà cum toto Oriente in Eccleſiaſticâ diſciplinâ gubernaverunt, quorum memoria hodie apud nos eſt, & in benedictione celebratur; qui etiam multa ſuarum ſacrarum inſtitutionum ſcripta nobis reliquerunt: ipſi in hac inſtitutione fermentati & ritu ſacramentali, nec ratione, nec auctoritate caruiſſe credendi ſunt, ob quorum reverentiam nos ea quæ ad nos transfuderunt, inviolabiliter & debitâ veneratione tenemus, nec ea à quolibet retractanda judicamus, quantàlibet officii auctoritate, ſeu vitæ ſanctitate, ſeu eminentiâ ſcientiæ præfulgeat. Ideoque ſi Romana Eccleſia aliud tenet, ſive tenendum docet, facit quod ſibi placet, & pro arbitrio ſuo modo eligit quod vult, modo abjicit quod vult, modo probat quod vult, modo improbat quod vult, modo ſtatuit quod vult, modo mutat quod vult, modo ſcribit quod vult, modo delet quod vult, modo imperat quod vult, modo prohibet quod vult: & in his omnibus ſuâ propriâ utitur auctoritate, & invenit qui eam ſequantur & imitentur, aut ſimplicitate bona aut ſimplicitate minùs doctâ; quod etiam fortaſſe aliquando fit obtemperandi ſolâ conſuetudine, aliquando obtemperãdi neceſſitate. Nos autem quod à ſanctis Patribus noſtris ſtatutum & traditum ſuſcepimus, hactenùs tenuimus & tenemus, nec facilè illud dimittere quâcumque occaſione audemus; quoniam ſi id tam præſumptuoſè vellemus relinquere vel immutare, ſanctorum Patrum ſemper venerandam & nunquam ſpernendam reverentiam offenderemus, & ipſius Sacramenti ritum, quem hactenùs ſervabamus, quaſi nullus & inanis fuiſſet, evacuaremus, & nos ipſos totius levitatis & inſtabilitatis reprehenſibiles toti mundo oſtenderemus. Magis autem volumus prædeceſſorum noſtrorum inventum & inſtitutionem defendendo tenere, & in lectulo tantæ auctoritatis jam feſſi accumbere, quàm inquirendo ampliùs etiam uſitata reprobare, & ad inducenda nova laborare.

CAPITULUM IV.

Quòd melius eſt errorem, quamvis longo uſu uſitatum, conſideratâ meliori ratione deponere, quàm in eo contumaciter perſeverare.

Anselmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Nemo dubitet veritati manifeſtatæ conſuetudinem cedere, quia conſuetudinem ratio & veritas ſemper excludit: melius eſt errorem, quamvis longo uſu uſitatum, conſideratâ meliori ratione humiliter deponere, quàm in eo ſuperbè perſeverare, ac pertinaci contentione defendere. Nam nec debet quiſquam pro eo quod ſemel imbiberit, pertinaciter contendere, ſed ſi quid melius & utilius audierit, libenter amplecti; & hoc quàmplures boni feciſſe leguntur. Cyprianus magnus magnæ Carthaginis quondam Epiſcopus, Martyr pretioſiſſimus, unâ merſione conſueverat baptizare, abundans in ſuo ſenſu, & attendens unam Fidem, unum Dominum, unam merſionem; ſed perſpectâ meliori ratione poſtea abundavit altiori ſenſu ter mergendo, & ſanctam Romanam Eccleſiam imitando, attendens triduanæ ſepulturæ ſacramenta; & quòd reſurrectio temporis exprimitur, dum infans tertiò ab aquis educitur, & quòd trina confeſſio rationabiliter poſtulat, ut ſit trina merſio. Quamvis autem propter Trinitatis myſterium, & triduanæ ſepulturæ ſacramentum trina merſio rectè celebretur; tamen propter unitatem unius Fidei & propter unam ſubſtantiam unius Dei, unum quoque Baptiſma rectè reputatur. Nollem autem à tuâ prudentiâ talia audire, quia nec tuam religionem, nec alicujus qui ſe velit eſſe Chriſtianum, decet honeſtatem, tam aliena loqui de ſanctâ Romanâ Eccleſiâ. Eſto autem interim, ut tu dixeris quod fuerit in oculis tuis: quamvis ego ſi id æquo animo ferrem, à te utique æquo animo ferendus non eſſem; ſum etenim ſpecialis filius Romanæ Eccleſiæ, nec erubeſco me eſſe ſervum ejus, & hoc tu benè noſti: ideoque decuerat prudentiam tuam, ut mihi parcendo parciùs de illâ loquutus fuiſſes, quoniam ſciebas me nequaquàm poſſe patienter ſuſtinere vel minimam injuriam matris ac dominæ Romanæ Eccleſiæ. Sanè ego ſanctos Patres, qui Orientalem Eccleſiam benè rexerunt, dignâ veneratione, ſicut & tu, frater cariſſime, amplector, quia & ſtudioſi inveſtigatores, & conſtantes aſſertores Catholicæ Fidei plerique ipſorum fuere, quamvis etiam nonnulli eorum qui regiam hanc Metropolim viſi ſunt rexiſſe, aliquando multum in Fide erraſſe inveniantur.

CAPITULUM V.

De primatu Romanæ Eccleſiæ; & quòd nullis hæreſibus aliquando contaminata, ſed ſemper Catholica fuerit.

Quòd ſi eorum qui hîc præfuerunt, auctoritas tanta eſt apud vos, ut eorum qualiacumque ſtatuta inviolabilia exiſtimetis, & attenditis tantùm eorum qui illa ſtatuerunt, nudam auctoritatem, &

non potiùs eorum quæ ſtatuta ſunt, veritatem: quare non potiùs ſuſcipitis ſtatuta ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ per Deum & à Deo & poſt Deum proximo loco auctoritatis primatum obtinuit in univerſâ quæ per totum mundum ſparſa eſt, Eccleſiâ? Ita enim de illâ in Nicæno Concilio primo à trecentis decem & octo Patribus ſtatutum legitur. Sciendum ſanè eſt, & nulli Catholico ignorandum, quoniam ſancta Romana Eccleſia nullis ſynodicis decretis prælata eſt, ſed Evangelicâ voce Domini ac Salvatoris noſtri primatum obtinuit, ubi dixit beato Petro Apo-
Matt. 16. 18. ſtolo: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam; & tibi dabo claves regni cælorum; &*
Ibid. 18. 18. *quæcumque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cælis; & quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis.* Addita eſt ſocietas in eâdem urbe Romanâ beatiſſimi Pauli Apoſtoli, qui uno die unoque tempore glorioſâ morte cum Petro ſub Principe Nerone agonizans coronatus eſt, & ambo pariter ſanctam Romanam Eccleſiam Christo Domino, ſanguine fuſo, conſecraverunt, aliiſque omnibus in univerſo mundo ſuâ præſentiâ atque reverendo triumpho prætulerunt.

Prima ergo ſedes eſt cœleſti beneficio Romanæ Eccleſiæ, quam beatiſſimi Apoſtoli Petrus & Paulus ſuo martyrio dedicaverunt. Secunda autem ſedes eſt apud Alexandriam, etiam beati Petri nomine à Marco ejus Diſcipulo & Evangeliſta conſecrata, quia & ipſe primus in Ægypto verbum veritatis directus à Petro prædicavit, & glorioſum ſuſcepit martyrium: cui etiam ſucceſſit venerabilis Abilius. Tertia verò ſedes apud Antiochiam, etiam beati Petri Apoſtoli veneratione habetur honorabilis, quia illic priuſquàm Romam veniret, habitavit: & Ignatium Epiſcopum inſtituit vel conſtituit, & illic primùm nomen Chriſtianorum novellæ gentis exortum eſt. Itaque alias quidem ſedes, ſecundam videlicet in Alexandriâ, tertiam verò in Antiochiâ ſui nominis tantùm conſecravit memoriæ; primam verò ſedem, quæ eſt in eminentiſſimâ & triumphatrice urbe Româ, Princeps Apoſtolorum Petrus ſui corporis honoravit præſentiâ. Ad hoc etiam ſancta Romana Eccleſia præ cæteris à Domino prælecta, ſpeciali privilegio ab ipſo donata eſt & beatificata, & quaſi quâdam prærogativâ omnibus Eccleſiis præeminet, & jure divino antecellit. Aliis namque diverſis in temporibus variis hæreſibus occupatis, & in Fide Catholica nutantibus, illa ſuprà petram fundata & ſolidata ſemper manſit inconcuſſa, nullis falſis & ſophiſticis hæreticorum argumentis à ſimplicitate Fidei, quam Simon Barjona, quod eſt filius Columbæ, tenuerat, avelli potuit, quia ſcuto divinæ ſapientiæ, Domino largiente, contrà doloſas quæſtiones ſemper munita fuit; nullis etiam terroribus vel minis Imperatorum ſeu potentum hujus ſæculi conquaſſari valuit, quia ſcuto fortiſſimæ patientiæ, confortante Domino, contrà omnes impetus ſecura fuit. Unde & Dominus ſciens alias Eccleſias hæreticâ impulſione nimiùm vexandas, & Romanam Eccleſiam, quam ipſe ſuprà petram fundaverat, nunquam in Fide de-
Luc. 22. 32. bilitandam, dixit Petro: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*; ac ſi apertè ei dicat: Tu qui hanc gratiam accepiſti, ut aliis in fide naufragantibus ſemper in fide immobilis & conſtans permaneas; alios vacillantes confirma & corrige, & tamquam omnium proviſor, & Doctor, & Patre, & Magiſter omnium, curam & ſollicitudinem gere. Meritò ita privilegium prælationis ſuper omnes accepit, qui in conſervandâ integritate fidei præ omnibus privilegium à Domino ſuſceperat.

CAPITULUM VI.

Quòd Conſtantinopolitana Eccleſia ferè ſemper graviſſimis hæreſibus fermentata laboraverit.

At verò Conſtantinopolitana Eccleſia, ut ſalvâ pace tuâ & omnium aſſidentium dixerim; non enim veritatem debetis negare, quam etſi interdum liceat ſilere, nunquam tamen licet negare: quàm innumeris hæreſibus ſæpe fermentata, poſtpoſitâ ſinceritate Fidei, contrà Deum & Apoſtolicam Eccleſiam cavernoſis adinventionibus inflata intumuit, & quantum potuit, contrà Fidem Petri & ſanam ejus doctrinam ſe contumaciter erexit! Hîc viguit illa deteſtabilis Arriana hæreſis, quæ primò in Alexandriâ pullulavit, & totum ferè Orientem venenoſo fermento polluit, necnon etiam quoſdam Epiſcopos de Occidente ſibi immiſcuit, quæ de Filio Dei tam infauſta dicebat: Erat quando non erat, & priuſquàm naſceretur non erat; & quia ex nullis exiſtentibus factus eſt, vel aliâ ſubſtantiâ, vel naturâ; & quia mutabilis & convertibilis eſt Filius Dei. In quâ hæreſi fuit præcipuus Euſebius, qui relictâ hæreticorum [a] civitate primò concupivit & poſſedit Nicomedienſem Eccleſiam, poſtea verò hanc Conſtantinopolitanam Eccleſiam invaſit, & eodem fermento infecit, & ad mortem uſque occupavit. Hîc præfuit Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopus, hæreſiarcha maximus, & fermentum ſuæ hæreſis ubique diffudit, qui purum hominem ex ſanctâ MARIA Virgine natum aſſeruit, ut aliam perſonam carnis, aliam faceret Deitatis, nec unum Chriſtum in Verbo Dei & carne ſentiret, ſed ſeparatim atque ſejunctim alterum Filium Dei, alterum hominis prædicaret. Hîc Macedonius præfuit Arrianâ hæreſi involutus, & eodem peſtifero fermento quoſcumque potuit, contaminavit, qui etiam Spiritum ſanctum creaturam aſſeruit. Hîc Eutyches Preſbyter & Archimandrites fermentum ſuæ hæreſis effudit: confeſſus eſt enim ex duabus naturis fuiſſe Dominum noſtrum ante adunationem; poſt adunationem autem non duas, ſed unam naturam confitens, faciens commixtionem & confuſionem. Fuerunt hîc majores & minores, complures Arrianæ præſumptionis ſectatores.

Hîc Eudoxius priùs in Antiochiâ, poſtea invaſor hujus urbis Epiſcopus præfuit, Arrianâ veſaniâ ſtructus: huic adſtitit Eunomius hæreticus, quem idem Eudoxius in Cyzico fecit Epiſcopum, expellere nîſus Eleuſium. Qui videlicet Eunomius Sophiſta præſumſit contrà Deum profana ſophiſmatibus loqui, ſic enim ait: » Deus de ſubſtantiâ ſuâ « nihil novit ampliùs quàm nos, neque eſt illi potiùs, « nobis aut agnita minùs; ſed quodcumque de illâ « novimus, hoc modis omnibus etiam ille novit. « Quod autem rurſus ille, hoc invenies immutabili- « ter in nobis. « Infinita quoque turba diverſorum hæreticorum, fermentum hæreticæ pravitatis hîc ſemper exſpuere conſueverunt.

Quis denique dinumerare queat omnes hæreticos, & omnes eorum errores qui in hac civitate fuerunt, & ſanctam & immaculatam Dei Eccleſiam falſis dogmatibus fermentaverunt, & tunicam Chriſti impio ſchiſmate ſcindere tentaverunt? Aut enim hîc ortæ ſunt hæreſes, & abhinc quacumque diſſeminatæ, aut undecumque per Orientem ebullierunt, in hanc civitatem quaſi in ſentinam confluxerunt;

a relictâ Hæreticorum] Legendum profectò Berytenſium, ut norunt ii qui in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ verſati ſunt.

Digitized by Google

& hîc coadunatæ cœnoſum ſtagnum fecerunt, in quo quaſi lutoſæ ranæ ſedentes, & argumentoſis & ſophiſticis clamoribus perſtrepentes audirum Fidei, quid verbum veritatis ſit [b], nec ipſi audierunt, nec alios audire permiſerunt. De hoc etiam hæreſum ſtagno tamquam abſinthio multitudo ſimplicium inebriata eſt. Omnes itaque ſordes hæreticæ pravitatis ſemper hîc domicilium, & quaſi proprium nidum habuerunt; & hîc fermentum malitiæ & nequitiæ ſuæ miſcuerunt, & illud communicandum quàcumque potuerunt per orbem terræ non ſolùm verbis, ſed etiam fallacibus ſcriptis diſtribuerunt; & calicem mortiferum ab hac civitate, ſicut prima & ingens Babylon, Imperatoribus, Regibus & Principibus propinaverunt. De quo calice Arrianâ hæreſi pleno biberat Conſtantius Imperator, filius Magni Conſtantini Imperatoris, ſicut apparet in Dialogo, qui inter ipſum & reverentiſſimum Papam Liberium habitus eſt, quem conſcripſit Theodoretus Epiſcopus, Eccleſiaſticarum Hiſtoriarum conſcriptor: in quo nimirum Dialogo ſanctiſſimi Papæ Liberii, qui à Sylveſtro poſt Julium tertius fuit, fides ſuprà firmam petram fundata, & ejus mirabilis conſtantia oſtenditur, qui in Arrianam veſaniam, nec in damnationem Athanaſii Alexandrinorum Epiſcopi, magni & incomparabilis viri, ſubſcribere voluit, dum ab Imperatore multas promiſſiones, &, ſicut ibi legitur, multas minas pateretur. Qui etiam, quoniam columna immobilis erat, & propugnator veritatis, & petrinæ conſtantiæ privilegium obtinuit, ab eodem Imperatore in exilium in Thraciam deportari juſſus eſt. Qui etiam benè Liberius vocatus eſt, quia liberâ fronte & liberâ voce veritatem qui Chriſtus eſt, tunc confeſſus eſt.

Quapropter Conſtantinopolitanâ Eccleſiâ & Alexandrinâ, & Antiochenâ, necnon & aliis ferè omnibus Eccleſiis per Orientem conſtitutis, in Fide Catholicâ laborantibus, & naufragium patientibus, ſola navicula Petri, licet multis perſequutionum fluctibus tunderetur, & quantumlibet validus fllet ventus; nullum tamen hæreticæ ſubverſionis paſſa eſt naufragium; ſed ut expurgaretur fermentum malitiæ & nequitiæ, quo hæretici corrumpebant Eccleſiam Dei, tam per ſe, quàm per Legatos ſuos, ſemper laboravit, & hodie laborat. Ita quippe beatus Petrus Apoſtolorum Princeps mandatum accepit à Domino dicente: *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* (*Luc. 22. 32.*) Quia ergo ſacro-ſancta Romana Eccleſia conſervatâ virginitate rectæ Fidei, opitulante Domino, Eccleſiarum omnium mater eſſe meruit, meritò omnes qui filii Dei & Eccleſiæ dici & eſſe volunt, illam in omnibus eccleſiaſticis Sacramentis debitâ humilitate imitantur; & licet pro diverſitate cujuſque gentis diverſi mores & eccleſiaſticæ conſuetudines habeantur, & in his minimè conformari poſſint omnes Romanæ Eccleſiæ; tamen in eccleſiaſticis, ſicut dixi, Sacramentis, nulla unquam debet eſſe diſcordia à ſacratiſſimâ matre omnium Romanâ Eccleſiâ. Proinde quid putas? Eſtne ſecurum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ decreta Romani Pontificis non ſuſcipere, vel etiam, ut veriùs dicam, contemnere? Quòd ſi filii Eccleſiæ Romanæ nec eſſe, nec dici vultis, vos videritis, vos judicate. Si verò filii Eccleſiæ dici & eſſe vultis, cogitate quod ſcriptum eſt: *Fili, audi diſciplinam patris tui, & ne derelinquas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* (*Prov. 1. 8.*) Ego in merâ charitate meram veritatem ſincerè, & ſine omni fermento falſitatis loquutus ſum, tu quoque in eâdem charitate, utinam fermento dimiſſo, reſponde quidquid vis.

Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Satis magna & ſublimia de dignitate Romanæ Eccleſiæ loquutus es; ſed ea quæ de hac Eccleſiâ ſubjunxiſti, parciùs potuerat dixiſſe modeſtia tua: decet autem & te & me propter eorum reverentiam qui præſentes ſunt, & qui te loquentem patienter audierunt, ut tu me reſpondentem eâ æquanimitate audias, quâ ego te audivi. Hoc enim poſtulat charitas in quâ convenimus.

CAPITULUM VII.

Quòd Græci dicunt tres Patriarchales Sedes aliquando fuiſſe ſorores, inter quas Romanæ Eccleſia primatum non negant.

Primatum Romanæ Eccleſiæ, quem tam excellentem mihi proponis, ego non nego, neque abnuo: ſiquidem in antiquis noſtrorum hiſtoriis hoc legitur, quòd tres Patriarchales Sedes ſorores fuerant, videlicet Romana, Alexandrina, Antiochena, inter quas Roma eminentiſſima ſedes Imperii primatum obtinuit, ita ut prima ſedes appellaretur, & ad eam de dubiis cauſis eccleſiaſticis à cæteris omnibus appellatio fieret, & ejus judicio ea quæ ſub certis regulis non comprehenduntur, dijudicanda ſubjacerent. Ipſe tamen Romanus Pontifex, nec Princeps Sacerdotum, nec Summus Sacerdos, aut aliquid hujuſmodi, ſed tantùm primæ Sedis Epiſcopus vocaretur. Nam & Bonifacius tertius, natione Romanus, urbis Romæ Epiſcopus, ex Patre Johanne, obtinuit apud Phocam Principem, ut Sedes Apoſtolica beati Petri Apoſtoli caput eſſet omnium Eccleſiarum, quia Conſtantinopolitana tunc temporis ſe primam omnium ſcribebat propter tranſlatum Imperium. Verumtamen ne vel Romanus Pontifex, vel Alexandrinus, vel Antiochenus aliquid in ſuis Eccleſiis docerent vel inſtituerent, quod vel à Fide, vel aliorum concordiâ diſcreparet, & ut omnes unum dicerent & prædicarent, ſtatutum eſt quòd duo Legati in fide & ſanâ doctrinâ eruditi à Romanâ Eccleſiâ ſemper mitterentur, quorum alter Alexandrino, alter Antiocheno Patriarchæ aſſiſterent, qui eos in anologio [c] ſtantes, & publicè de fide prædicantes diligenter obſervarent. Similiter duo ab Alexandriâ mitterentur, quorum alter Romano Pontifici, alter Antiocheno in idem opus aſſiſterent. Item ab Antiochiâ duo mitterentur, quorum alter Romano Pontifici, alter Alexandrino Pontifici in idem opus aſſiſterent. Et ita quidquid in unâ iſtarum Eccleſiarum prædicaretur, quod Catholicum eſſet, auctoritate & teſtimonio aliarum confirmaretur: ſi quid verò forte contrarium fidei, & diſſonum communioni, & alienum à veritate apud aliquam iſtarum Eccleſiarum diceretur, Legati aliarum fraternâ charitate ac humili monitione hoc corrigerent; & ſi quidem corrigere non poſſent, & ille tamquam temerarius, & de ſe præſumens, errorem ſuum contentioſè defendere vellet, ſtatim per eoſdem Legatos ad aliarum ſororum audientiam hoc deferretur. Quòd ſi per epiſtolas canonicè miſſas revocari poſſet ad concordiam ſanæ doctrinæ, benè eſſet; ſin autem, Concilium generale ſuper hoc celebraretur.

Quia verò divinâ voluntate in hanc regiam urbem tranſlatum eſt Imperium, & factum eſt caput in Oriente, & nova Roma propter auctoritatem Imperii nuncupata eſt, ſtatutum eſt etiam à CL.

b *quid verbum veritatis ſit*] Vera & idonea lectio, quam edidimus in ejus locum quæ priorem editionem inſederat *qui . . . ſit.*

c *anologio*] Hoc eſt *è ſuggeſtu.*

Epiſcopis, qui in hac urbe convenerunt, quando beatus Nectarius ordinatus eſt hujus ſedis Epiſcopus, damnato Maximo Cynico, qui Apollinaris contagio laborabat: tunc, inquam, ſtatutum eſt, adnitente piiſſimo Imperatore Theodoſio Majore, quòd ſicut antiqua Roma propter honorem Imperii primatum in cauſis eccleſiaſticis à ſanctis Patribus antiquitùs obtinuit; ita quoque hæc junior & nova Roma propter dignitatem Imperii haberet primatum Eccleſiaſticum poſt illam; & ſicut ſecunda Roma, ita & ſecunda ſedes appellaretur & eſſet, & omnibus Eccleſiis totius Aſiæ, Thraciæ & Ponti præeſſet, & cauſas eccleſiaſticas tractaret, & auctoritate propriâ diffiniret. Itaque Legati cuſtodes Catholicæ fidei, qui priùs Romanam, Alexandrinam, Antiochenam Eccleſiam perluſtrantes mutuâ & fraternâ obſervatione fidem cuſtodiebant, deſtinati ſunt in hanc quoque urbem regiam, & ſimiliter hinc ad illos alii Legati in idem miniſterium deſtinati ſunt, quatenùs omnes unum dicerent, & in nullo veritatis dogmata diſcreparent.

CAPITULUM VIII.

Quòd Græci dicunt ideo ſe ſubtrahere à Conciliis Romanorum Pontificum, quia Monarchiam Romani Imperii diviſerunt.

ITa, frater chariſſime, in antiquis hiſtoriis noſtrorum ſcriptum invenitur. Verùm Romana Eccleſia, cui nos quidem inter has ſorores primatum non negamus, & cui in Concilio generali præſidenti primum honoris locum recognoſcimus, ipſa ſe propter ſui ſublimitatem à nobis ſequeſtravit, quando Monarchiam, quod ſui officii non erat, invaſit, & Epiſcopos & Eccleſias Occidentis & Orientis diviſo Imperio diviſit. Et ob hoc ſi aliquando cum Occidentalibus Epiſcopis Concilium ſine nobis celebrat, illi decreta ejus ſuſcipiant, & debitâ veneratione obſervent, quorum conſilio dictat ea quæ dictanda judicaverit, & quorum conniventiâ ſtatuuntur quæ ſtatuenda decreverit. Nos quoque quamvis in eadem Catholicâ fide à Romanâ Eccleſiâ non diſcordemus; tamen quia Concilia his temporibus cum illâ non celebramus, quomodo decreta illius ſuſciperemus, quæ utique ſine conſilio noſtro, imò nobis ignorantibus ſcribuntur? Si enim Romanus Pontifex in excelſo throno gloriæ ſuæ reſidens nobis tonare, & quaſi projicere mandata ſua de ſublimi voluerit, & non noſtro conſilio, ſed proprio arbitrio, pro beneplacito ſuo de nobis & de Eccleſiis noſtris judicare, imò imperare voluerit, quæ fraternitas, ſeu etiam quæ paternitas hæc eſſe poterit? Quis hoc unquam æquo animo ſuſtinere queat? Tunc nempe veri ſervi, & non filii Eccleſiæ rectè dici poſſemus & eſſe. Quòd ſi ſic neceſſe eſſet, & ita grave jugum cervicibus noſtris portandum immineret, nihil aliud reſtaret, niſi quòd ſola Romana Eccleſia libertate quâ vellet, frueretur, & aliis quidem omnibus ipſa leges conderet, ipſa verò ſine lege eſſet, & jam non pia mater filiorum, ſed dura & imperioſa domina ſervorum videretur & eſſet.

Quid igitur nobis Scripturarum ſcientia? Quid nobis litterarum ſtudia? Quid magiſtrorum doctrinalis diſciplina? Quid ſapientum Græcorum nobiliſſima ingenia? Sola Romani Pontificis auctoritas, quæ, ſicut tu dicis, ſuper omnes eſt, univerſa hæc evacuat. Solus ipſe ſit Epiſcopus, ſolus magiſter, ſolus præceptor, ſolus de omnibus ſibi ſoli commiſſis, ſoli Deo ſicut ſolus bonus Paſtor reſpondeat. Quòd ſi in vineâ Dei voluerit habere cooperatores, ipſe quidem conſervato primatu ſuo exaltatus glorietur in humilitate ſuâ, & non contemnat fratres ſuos, quos veritas Chriſti non in ſervitutem, ſed in libertatem in utero matris Eccleſiæ generavit. *Oportet enim*, ſicut dicit Apoſtolus, *omnes nos ſtare ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Omnes dicit, Apoſtolus erat qui dixit, ſeipſum non excepit, nullum mortalium excepit. Omnes dixit, nec Romanum Pontificem quidem excepit. Proinde [in] nullo Symbolo hoc reperitur, quòd Romanam Eccleſiam confiteri ſpecialiter jubeamur; quinimò unam ſanctam Eccleſiam Catholicam & Apoſtolicam confiteri ubique docemur. 2. Cor. 5. 10.

Hæc de Romanâ Eccleſiâ, ſalvâ pace tuâ, dixerim, quam ego tecum veneror, ſed non tecum per omnia ſequor, nec ex neceſſitate per omnia ſequendam arbitror: cujus etiam auctoritatem tam excellentem tu pro nobis propoſuiſti, ut depoſito ritu noſtro ejus formam & imitationem in Sacramentis indiſcuſſâ ratione & Scripturarum auctoritate ſuſciperemus, & ut tanquam cæci clauſis oculis ducentem ſequeremur, quocumque illa proprio ſpiritu ducta præiret. Quod quàm ſecurum, ſeu honeſtum nobis fuerit, judicent tam Latini quàm Græci ſapientes.

CAPITULUM IX.

Commendatio Romanæ Eccleſiæ, quam diligentiſſima ſit in examinandis & dijudicandis eccleſiaſticis cauſis.

ANſelmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Non gravetur charitas tua, ſi ego curſum verborum tuorum intercipio; multâ enim & valde nimiâ & ineptâ ironiâ videris mihi uti adverſus Romanam Eccleſiam, ideoque ſubſannationem tuam ſuſtinere non valens, ſermonem tuum præoccupavi, ne inutilibus magis multiſa adhuc adderes. Quòd ſi noſſes Romanæ Eccleſiæ religionem, ſinceritatem, æquitatem, manſuetudinem, humilitatem, pietatem, ſanctitatem, ſapientiam, diſcretionem, benivolentiam, compaſſionem, conſtantiam, juſtitiam, fortitudinem, prudentiam, temperantiam, puritatem, & ad omnes charitatem, & ſuper omnia in examinandis eccleſiaſticis cauſis diligentiſſimam ejus inveſtigationem, & liberrimam in dandâ ſententiâ veritatem: ſi, inquam, hæc in Romanâ Eccleſiâ ita, ſicut ego, certa experientiâ cognoſceres, nequaquàm talia dixiſſes, vel etiam cogitaſſes, quin potius nullo invitante in omnem ejus communionem ſine morâ ſponte tranſires, & ad obedientiam tantæ ſanctitatis quâ in ſenitet, & æquitatis quâ ad alios ſe extendit, feſtinando curreres, nec quemquam te retardare volentem audires: ſi tamen vis eſſe tam alienæ ſanctitatis amator, quàm tuæ conſuetudinis defenſor.

Scimus quidem à CL. Epiſcopis in hac urbe ſub Theodoſi ocollectis præſumptuosè ſtatutum, quòd Conſtantinopolitana Eccleſia tamquam ſecunda Roma, ſecunda quoque ſedes appellaretur & eſſet, & Eccleſias Ponti & Aſiæ, & Thraciæ, & eas quæ Barbaricis locis eſſent, auctoritate propriâ gubernaret, & earum cauſas ad ſe perlatas per ſe diffiniret. Scimus etiam quòd omnes Epiſcopi Calchedonenſis Concilii numero DCXXX. ſcripſerunt Leoni Papæ, rogantes ut Martiano & Valentiniano Imperatoribus ſatisfaceret, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præ cæteris Metropolitanis hoc præſtaret, quatenùs liceret ei ordinare Metropolitanos Provinciarum Aſiæ & Ponti & Thraciæ. Sed Leo Papa reverentiſſimus reſcripſit, omnia quidem geſta ſanctæ Calchedonenſis Synodi confirmans, ſola verò illa infringens & omninò evacuans, quæ per præſump-

Digitized by Google

tuoſam ambitionem Conſtantinopolitanorum geſta ſunt, eo quod eſſent contrà ſtatuta Nicæni Concilii. Unde miranda eſt tanti viri prudentia, quòd tu ſtatutum, imò præſumptionem à CL. Epiſcopis in hac urbe factam pro auctoritate inducere voluiſti, præſertim cum eccleſiaſtica regula jubeat nullum ea debere habere vigorem, quæ præter Romani Pontificis ſententiam præſumuntur, & quæ ab eo apoſtolicâ auctoritate ac ſubſcriptione non firmantur; niſi forte tu illud quidem ſtatutum legiſti, apoſtolicas verò epiſtolas à beatiſſimo Papa Leone contrà idem ſtatutum conſcriptas non legiſti, in quibus prorsùs evacuatur, & tamquam Nicæno Concilio contrarium, in irritum ducitur.

Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: An videtur tibi, ſoli Petro, & non potius omnibus Apo-
Joan. 20. 23. ſtolis dictum à Domino: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta*
Matt. 16. 19. *erunt?* Et iterum: *Quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis.* Quinimò non ſoli Petro, ſed omnibus cum Petro, & cum omnibus Petro indifferenter dictum à Domino creditur. Nec ſuper ſolum Petrum deſcendit Spiritus ſanctus in Pentecoſte à Domino miſſus, qui omnibus æqualiter Apoſtolis ante fuerat promiſſus, ſed omnes ſimul inflammavit, & non impari dono nec impariter, ſed pari dono omnes pariter, ſicut promiſſum fuerat, donavit. Sic ergo recognoſcamus Petro acceptam à Domino poteſtatem, ut non putemus imminuendam cæterorum Apoſtolorum auctoritatem, qui utique æqualiter omnes ſine aliquo invicem præjudicio vel uſurpatione, tamquam verè mites & humiles corde, eumdem Spiritum ſanctum acceperunt, & in eodem Spiritu ſancto eamdem poteſtatem ligandi atque ſolvendi ſuſceperunt. Nec rectè ſoli Petro videtur attribuendum privilegium, quod ab ipſo Domino donante commune eſt omnium. Cavendumque eſt, ne cæteris in eâdem poteſtate eamdem prærogativam habentibus derogetur, dum uni tantùm, quæ eſt omnium auctoritas adſcribitur. Sic autem honoretur Petrus Apoſtolorum duodecimus, ut cæteri undecim Apoſtoli ab auctoritate ſui Apoſtolatûs non excludantur, quem certè non à Petro, ſed ab ipſo Domino, ſicut & ipſe Petrus, æquali & non diſſimili diſpenſatione acceperunt.

CAPITULUM X.

Quòd licet non ſoli Petro, ſed etiam cæteris Apoſtolis data ſit poteſtas ligandi & ſolvendi; & licet non ſuper ſolum Petrum, ſed etiam ſuper alios Apoſtolos Spiritus deſcenderit; tamen principatus Petri cæteris omnibus eſt excellentior.

Anſelmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Fateor quoniam non ſuper ſolum Petrum, verùm etiam ſuper omnes Apoſtolos Spiritus ſanctus deſcendit, nec ſoli Petro, ſed & aliis omnibus dictum eſt:
Joan. 20. 23. *Accipite Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Verumtamen ſpecialiter ad Petrum ſermonem hunc dirigens, & eum tamquam janitorem
Matt. 16. 19. cœli conſtituens, ait: *Et tibi dabo claves regni cæ-*
Joan. 21. 17. *lorum.* Et rurſum: *Paſce*, inquit, *oves meas.* Cui etiam ante omnes confitenti & dicenti, *Tu es Chri-*
Matt. 16. 17. *ſtus Filius Dei vivi*, dixit: *Beatus es, Simon Petre, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt.* Manifeſtè docens Petrum primò cœleſti inſpiratione edoctum veritatem Fidei, quam poſtea per ejus manifeſtam confeſſionem cæteri didicerunt Apoſtoli. Nam & Dominus Jesus non Andreæ, non Joannis, non Jacobi, nec alicujus alterius; ſed ſolius Petri naviculam aſcendit, & ſedens docebat turbas, figuraliter oſtendens à ſanctâ Romanâ Eccleſiâ, cui præficiendus erat Petrus Princeps Apoſtolorum, evangelicam & apoſtolicam doctrinam in turbas populorum per omnem mundum profluxuram. Ipſi quoque Apoſtoli recognoverunt principaliter beato Petro perſonaliter collatum: quod ſatis patenter oſtenditur in libro Lucæ, qui inſcribitur *Actus Apoſtolorum.* Nam cum apud Antiochiam altercatio eſſet inter aliquos Apoſtolos, utrumne fidelibus qui venerant ex Gentibus circumciſio imponenda eſſet, miſſum eſt in Jeruſalem ad Petrum & alios ſeniores Apoſtolos qui cum ipſo erant, ſuper hac quæſtione. Convenientibus omnibus, & magnam ſuper hoc verbo conquiſitionem agitantibus, Petrus tamquam primatum habens in medio omnium ſurgens, de non imponenda Gentibus circumciſione ſententiam promulgavit, & collatâ ſibi à Domino auctoritate, quod dubium videbatur, diſſolvit: probans hoc oſtenſâ ſibi linteí viſione, & Cornelii & aliorum Gentilium converſione. Cui etiam Jacobus Jeroſolymorum Epiſcopus, & univerſi qui aderant, Apoſtoli & ſeniores in eâdem ſententiâ humiliter acquieſcentes, obedierunt.

Petrus inter Apoſtolos ætate ſenior, fide certior, in audiendis verbis vitæ æternæ ſimplicior, unde & *Barjona*, id eſt, filius columbæ, appellatus eſt; in dandis reddendiſque reſponſis inter Chriſtum & Apoſtolos promptior, in ſanandis infirmis etiam ſui corporis umbrâ efficacior; qui etiam poſt Aſcenſionem Domini vice Chriſti illam novellam & primitivam ſuſcepit Eccleſiam. Ipſe Ananiam & Saphiram Spiritui ſancto mentientes, ſpiritu oris ſui extinctos, ab Eccleſiâ & ab illâ ſanctâ ſocietate ſequeſtravit. Ipſe Simonem Magum cum pecunia ſuâ damnavit, & primatum ſui Apoſtolatûs inter cæteros Apoſtolos humiliter, major ubique virtutibus & miraculis, cooperante Domino, honorificavit. Quocircà nulli fidelium convenit aliquatenùs dubitare, ſeu in quæſtionem ponere, ſed firmiſſimè tenere, quòd Petrus à Domino Princeps Apoſtolorum ſit conſtitutus. Quemadmodum autem ſolus Romanus Pontifex vice Petri vicem gerit Chriſti; ita ſanè cæteri Epiſcopi vicem gerunt Apoſtolorum ſub Chriſto, & vice Chriſti ſub Petro, & vice Petri ſub Pontifice Romano ejus Vicario: nec in hoc aliquatenùs derogatur alicui Apoſtolorum, ſi unicuique humiliter ſuum attribuitur officium.

CAPITULUM XI.

Quòd hæreſes in Conſtantinopoli, vel ubique in Oriente ortæ, ſint etiam ibidem extinctæ.

Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Poteſt eſſe quod dicis. Cæterum paulo ante dixiſti Eccleſiam Conſtantinopolitanam, imò ferè totum Orientem variis hæreſibus contaminatum: hoc dixiſti, & verum ex parte dixiſti, quia & ego cum ſim ſervus veritatis, veritatem negare non debeo. Sed dic, quæſo, ubi ſunt damnatæ illæ hæreſes? Quis eas damnavit? Si hîc à pravis & iniquis ſunt exortæ, hîc etiam à bonis & Catholicis viris ſunt damnatæ: ſiquidem Conſtantino Magno Imperatore ad fidem converſo, & ſcribente Deo placitas leges pro Chriſtianis, Roma cum ſuo Occidente, & Conſtantinopolis cum ſuo Oriente ex decretis Imperatoris ad fidem cucurrit. Et quoniam nova & pluribus inaudita fides ſubitò publicè prædicabatur, & in hac civitate ſtudia liberalium artium vigebant, & multi

ſapientes in Logicâ, & in arte dialecticâ ſubtiles in ratione diſſerendi prævalebant, cœperunt Fidem Chriſtianam diſſerendo examinare, & examinando & ratiocinando deficere; ſcrutantes ſcrutinia, & dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & evanuerunt in cogitationibus ſuis, quia non humiliter inveſtigaverunt quod piè & humiliter credere debuerunt; & dum ſuperbâ ratione humanæ ſcientiæ tendunt in altum, ceciderunt in infidelitatis profundum, & facti ſunt hæretici multi, & fecerunt ſibi ſectas multas, & confuſa & lacerata eſt fides Chriſtiana, in multas & diverſiſſimas hæreſes diviſa. Itaque Eccleſia Orientis videns tales abuti ſæculari ſcientiâ, & per diverſa loca diverſis temporibus ebullire capita hæreſiarcharum, miſſis ubique ſynodicis Epiſtolis, annitentibus piiſſimis Imperatoribus, multa Concilia celebravit. Primum in Nicæâ Bithyniæ provinciæ, ubi damnata eſt hæreſis Arriana, & Symbolum Fidei omnibus Catholicis inviolabile auctoritate Spiritûs ſancti & trecentorum decem & octo Patrum compoſitum & confirmatum eſt.

Deinde ſuccedente tempore, ſuccedentibus quoque diverſis hæreſibus, alia multa Concilia ad deſtructionem diverſarum hæreſum, & ad ædificationem Catholicæ Eccleſiæ celebrata ſunt. Nam & in Calchedonenſi Eccleſiâ, & in hac Conſtantinopolitanâ, & in Epheſinâ, & in Antiochenâ, & in Alexandrinâ generalia Concilia ſolemniter habita ſunt in damnationem hæreticorum, & ad corroborandam fidem & unitatem omnium Eccleſiarum. Unde ſicut dixi, ſi hîc exortæ ſunt hæreſes, hîc etiam extinctæ ſunt; videturque quòd Eccleſia Dei occaſione hæreſum magis ac magis in ſcientiâ Scripturarum creverit, & majus robur fidei poſt exſtinctas hæreſes acceperit, adeo ut fide Catholicâ jam diſtinctâ, & jam ad plenum conſummatâ, juſtè à ſanctis Patribus inhibitum ſit, quòd nemo ampliùs de fide publicè diſputare audeat, præſertim cum nihil demendum vel addendum ſit de cætero. Inventâ quippe veritate, qui ampliùs quærit, quid aliud meretur invenire niſi mendacium? Poteſt equidem quis humiliter interrogando inveſtigare, ut ſibi de fide aliquid in notitiam veniat, quod ante aliquatenùs ignorabat, tantùm ne revocet illud in ambiguum contentioſè, quod à ſanctis Patribus certo fidei termino eſt diffinitum; hoc enim nulli mortalium retractare licet, quoniam graviſſimo anathemate interdictum eſt. Igitur hoc improperium quod nobis de hæreſibus impingere voluiſti, jam ampliùs ceſſet, quoniam quidem apud omnes ſapientes plùs debet valere veritas & virtus bonorum, quàm mendacia & vitia malorum. Dic, quæſo, ubi nunc ſunt hæretici? Non ſunt hîc, quorum nec nomen alicubi in Oriente auditur, ſed à Catholicis ubique per Orientem planâ & ſanâ fide Deo dignum obſequium exhibetur. Et fortaſſe in Romanâ civitate idcircò non ſurrexerunt hæreſes, quia non adeo ſapientes & ſubtiles & Scripturarum inveſtigatores ibi fuerunt, quemadmodum apud nos: & ſicut hæreticorum qui apud nos fuerunt, vana ſapientia quâ ſeducti ſunt, culpanda eſt; ita nimirum laudanda eſt Romana imperitia, quâ ipſi nec hoc, nec illud de fide dixerunt, ſed alios inde dicentes & docentes ſimplicitate quaſi minùs doctâ audierunt. Quod contigiſſe videtur vel ex nimiâ negligentiâ inveſtigandæ fidei, vel ex groſſâ tarditate hebetis ingenii, vel ex occupatione ac mole ſæcularis impedimenti. Sicut enim Doctorum eſt aut omninò benè, aut omninò malè ſentire vel dicere; ita inſipientium & indoctorum eſt nec benè nec malè ſentire vel dicere. [[d] De iſtis dicit Apoſtolus: *Neſcientes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* De illis dicit quidam ſapiens: Dubitare de ſingulis haud erit inutile.] (d 2. Tim. 1. 17.)

CAPITULUM XII.

Quòd unum tantùm ſit caput Eccleſiæ in terris, videlicet Roma, & non duo, vel plura, ſicut dicunt Græci; & quòd Græcorum hæreſes, non Græcorum, ſed Romanorum Pontificum auctoritate deſtructæ ſunt.

ANſelmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Apoſtolus dicit: *Caput Eccleſiæ Chriſtus, caput autem Chriſti Deus.* (Epheſ. 5. 23. 1. Cor. 11. 3.) Sed caput Eccleſiæ Chriſtus aſcendens in altum, vicem ſuam in terris Petro Apoſtolorum Principi commiſit. Petrus ad martyrium veſtigia Chriſti ſequens, Clementem ſibi Vicarium ſubrogavit, & ſic Romani Pontifices per ordinem conſequenter vice Chriſti ſubſtituti, caput Eccleſiæ ſunt in terris, cujus Eccleſiæ caput Chriſtus eſt in cœlis. Noli itaque in uno corpore Eccleſiæ duo vel plurima capita facere, quia valde eſt indecens in quolibet corpore, & indecorum, & monſtruoſum, & perfectioni contrarium, & corruptioni proximum. Cum enim dicis, quòd à centum quadraginta Patribus in hac urbe congregatis ſtatutum ſit, quòd Conſtantinopolis tamquam nova & junior Roma primatum in Oriente ſuper omnes Eccleſias habere debeat, & propriâ auctoritate cauſas eccleſiaſticas diffinire valeat, quid aliud facis, niſi duo capita in uno corpore unius Eccleſiæ erigis, & altare contrà altare exſtruis, & quaſi aliud Manichæorum bema ædificas & innovas: ſicut enim illi hæreticâ pravitate, ab Eccleſiâ [ſe] dividentes, aliquando in Africâ ſuum bema, videlicet ſequeſtratum ſacrificandi locum erexerunt, & diem quo Manichæus occiſus in illâ bematis celebritate pro Paſcha frequentabant, tribunali vel altari quinque gradibus inſtructo, & pretioſis linteis adornato, ac in aperto poſito & adorantibus objecto, & magnis honoribus honorato: ita nimirum vos in Oriente nunc ſingularem ritum ſacrificandi tenentes, & Eccleſiæ Romanæ vos opponentes, cornu ſingularitatis erexiſtis. Quod ſi jure tranſlati Imperii exiſtimas debere fieri, jam non divino, ſed humano judicio probaris inniti. Proinde ſi ab auctoritate urbis, eo quod in illa ſedem Regni eſſe dicatis, caput etiam Eccleſiarum hîc conſtitutum putatis, eâdem ratione in Antiochiâ, quæ non minùs ſedes Regni fuiſſe dignoſcitur, tertium caput Eccleſiarum ſtatuere poteſtis. Nihilominùs quoque in Babylone, quæ eſt Metropolis Ægypti & ſedes Regni, quartum caput Eccleſiarum erigere poteſtis, ſi tamen eam imperio veſtro addere, & legibus Chriſtianorum ſubjugare poteſtis. Simili etiam ratione in civitate magna Baldach, quàm dicunt ſedem magni Regni Perſarum, quintum caput Eccleſiarum inſtituere poteſtis, ſi tamen & illam ſuperare, & legibus eccleſiaſticis ſubdere poteſtis. Et ita de ſingulis aliorum Regnorum ſedibus eadem ratio inſtituendorum Eccleſiaſticorum capitum poteſt adduci, & jam non unus Petrus, non unus Princeps Apoſtolorum, ſed multi Petri & multi Principes Apoſtolorum invenirentur. Quod quàm ſit abſurdum, tu videris; & qui præſentes ſunt, & me & te audiunt, judicent.

Certum eſt igitur, & nulli qui ſani ſit capitis,

d *de iſtis dicit*] Quod uncinis incluſum eſt, videtur huic loco aſſutum ab imperito juxtà & inepto amanuenſi; nam cum ſuperioribus non cohærent: ac poſtremum comma è libro 5. cap. 21. huc advectum eſt.

dubium, quòd ſicut una eſt Eccleſia, ita & unius Eccleſiæ unum caput eſt in terris, & hic eſt Romanus Pontifex, quem non ſolùm auctoritas humani imperii, ſed majeſtas divini judicii principaliter omnibus præeſſe voluit, cujus quidem formam & inſtitutionem maximè in eccleſiaſticis ſacramentis oportet omnes imitari, qui ſub obedientiâ illius in Fide Petri cupiunt ſalvari. Ita enim dicit beatus Ambroſius Mediolanenſis Archiepiſcopus : » Qui à Romanâ Eccleſiâ diſcordat, hunc proculdubio hæreticum eſſe conſtat. « Quod autem dixiſti hæreſes hîc exortas, hîc eſſe mortuas ; & hoc dixiſti factum eſſe auctoritate ſanctorum Patrum qui fuerunt in Oriente, & qui in Nicæno Concilio, & in aliis multis Conciliis congregati ſunt : miror tuam prudentiam quòd hoc adſcribas membris, quod erat capitis ; & quòd aſſidentibus hoc attribuas, quod conſtat eſſe præſidentis. Qui videlicet ſancti Patres, qui eiſdem Conciliis interfuerunt, ſi hodie omnes viverent, nullus eorum ; nec omnes quidem ſimul aliquam auctoritatem alicujus Concilii ſibi uſurparent, quin potiùs omnem Conciliorum auctoritatem Romano Pontifici recognoſcerent, aut in propriâ perſonâ præſidenti, aut per Legatos ſuos univerſa confirmanti. Eccleſiaſtica namque regula quam ipſi non ignoraverunt, ita jubet : » Non oportere præter ſententiam Romani Pontificis Concilia celebrari. « Sciendum eſt ergo quòd hæreſes hic exortæ ſunt, Græcorum quidem errore ; ſed & hic quidem deſtructæ ſunt, non Græcorum, ſed Romanorum Pontificum auctoritate.

Sylveſter Papa natione Romanus, præcepit Nicænum Concilium congregatis trecentis decem & octo Epiſcopis ſub Conſtantino Auguſto celebrari, ubi auctoritate Apoſtolicâ fides integra eſt expoſita, & Arrius, & Photinus, & Sabellius, & eorum ſequaces hæretici ſunt damnati. Cui Concilio vice Sylveſtri Romani Pontificis Victor & Vincentius urbis Romæ Preſbyteri præſederunt, & primi ſubſcripſerunt. Ipſe quoque congregavit in urbe Româ CCLXXVII. Epiſcopos, & iterum damnavit Calixtum & Arrium & Sabellium. Innocentius Papa natione Albanenſis, damnavit Pelagium & Cæleſtium hæreticos. Qui Pelagius dicebat natum de Chriſtianâ matre denuò non oportere naſci per Baptiſmum. Leo Papa natione Thuſcus, conſtituit Concilium fieri ſub Martiano Auguſto in Calchedoniâ, ubi congregati ſunt ſexcenti triginta Epiſcopi ; ubi auctoritate Apoſtolicâ fides Catholica expoſita eſt, quâ creduntur duæ naturæ eſſe in Chriſto, videlicet Dei & hominis ; & Eutyches Archimandrites, & Neſtorius hujus urbis Epiſcopus, & Dioſcorus Alexandrinorum Archiepiſcopus damnati ſunt. Huic Concilio præſederunt Paſchaſinus Heracleenſis Epiſcopus, & Lucenſius Epiſcopus civitatis Eccleſiæ Auſculanæ, & Bonifacius Preſbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, Vicarii Domini Leonis Papæ, & vice ejus ſubſcripſerunt. Felix Papa natione Romanus, facto Concilio in ſede ſuâ [c] damnavit Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, & Petrum Alexandrinum Epiſcopum, eo quod eſſent Eutychianiſtæ. Gelaſius Papa natione Afer, invenit Manichæos in urbe Româ, quos exilio deportari fecit, quorum codices ante fores Baſilicæ ſanctæ MARIÆ incendio concremavit. Hîc factâ Synodo, & miſſis epiſtolis per Orientem, iterum damnavit Acacium & Petrum.

Agapitus Papa natione Romanus, veniens Conſtantinopolim ad Juſtinianum Auguſtum cum gloriâ ſuſceptus eſt, in cujus præſentiâ convicit & damnavit Anthimium hujus urbis Epiſcopum, qui ſeductus Eutychianâ hæreſi noluit duas eſſe naturas in Chriſto. Qui etiam Anthimius ab Auguſto in exilium miſſus eſt. Theodorus Papa natione Græcus, damnavit Pyrrhum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, qui priùs Romam venerat, & condemnatis hæreſibus quibus involutus erat, coram Papa, rurſùs more canis ad proprium damnatæ hæreſis vomitum repedavit. Idem Papa miſſis Legatis in hanc urbem damnavit Paulum hujus urbis Epiſcopum, eò quod nec unam, nec duas voluntates, aut operationes in Chriſto Domino voluit confiteri. Martinus Papa natione Thuſcus, habitâ Synodo in Lateranenſi patriarchio, cum Epiſcopis centum quinque damnavit Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum & Paulum, Patriarchas Conſtantinopolitanos, qui novitates contrà immaculatam fidem præſumſerant innectere ; & faciens exemplaria miſit per omnem Orientem & Occidentem per manus Orthodoxorum. Donus Papa natione Romanus, reperit in urbe Româ in Monaſterio, quod appellatur Boezanas, * Neſtorianitas Monachos Syros, quos per diverſa Monaſteria diviſit, & ibi Romanos Monachos inſtituit. Agathon natione Siculus, rogatu piiſſimorum Principum Conſtantini, Heraclii & Tiberii Auguſtorum direxit Miſſos ſuos in Conſtantinopolim pro faciendâ adunatione Eccleſiarum, Abundantium Paternenſem, Johannem Regitanum, Johannem Portuenſem Epiſcopos, Theodorum Preſbyterum Ravennatem, Theodorum & Gregorium Preſbyteros, Johannem Diaconum, Conſtantium Subdiaconum. Iſti ingreſſi urbem, cum magnâ honorificentiâ ſuſcepti die Dominico, advocati ſunt in proceſſionem ad ſanctam Dei Genitricem ad Blachernas in tanto honore, ut etiam de Palatio caballos ſtratos eis dirigeret cum obſequio pietas Imperialis, ut ſic eos ſuſciperet. Qui in Baſilicâ, quæ Trullus dicitur, præſidentes in Synodo cum centum quinquaginta Epiſcopis, & præſentantes locum beatiſſimi Agathonis Papæ, reſidente Imperatore ſub regali cultu, damnaverunt Macharium Patriarcham Antiochenum & ſuos ſequaces, qui unam voluntatem & operationem in Chriſto aſſeruerunt, quem Imperator Romam in exilium miſit. Statuerunt etiam ut duæ voluntates & duæ operationes in Chriſto dicantur. Eodem tempore Johannes Epiſcopus Portuenſis Dominicorum die octavâ Paſchæ in Eccleſiâ ſanctæ Sophiæ publicas Miſſas coram Principe & Patriarchis Latinè celebravit, & unanimiter in laudes & victorias piiſſimorum Imperatorum Latinis vocibus omnes acclamaverunt.

Ecce vides quaſlibet hæreſes hîc & ubique exortas à Petrâ fidei per Petrum Apoſtolum colliſas & deſtructas. Itaque non ſolùm ex prædictis, verùm etiam ex aliis multis Conciliis per Orientem celebratis, necnon etiam ex plurimis Africanorum Conciliis, in quibus variæ hæreſes damnatæ ſunt, conſtat Romanam Eccleſiam duo divina privilegia diviniùs habere, videlicet præ omnibus incorruptam puritatem fidei, & ſuper omnes poteſtatem judicandi. Quæ ergo præcelſa eſt in poteſtate, quis adeo imprudens, ut illius auctoritatem & decretales ſanctiones ſuſcipere, & ejus ritum in Eccleſiaſticis Sacramentis non eligat imitari ? Quamobrem ſufficiat tibi tandem auctoritas tanta, ut depoſito ritu fermenti, azymo pane utaris in ſacrificio altaris, & tam in hoc quàm in aliis Sacramentis conformem te exhibeas ſanctæ & immaculatæ Romanæ Eccleſiæ, tamquam devotus filius obediens matri ſuæ.

c *in ſede ſuâ*] Ita emendavit Baluzius, cum legeretur *in fide ſuâ*. Infrà ubi legitur quod appellatur *Boezanas*, idem Baluzius monuit edendum eſſe ex Anaſtaſio *Boëtianum*.

Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Nos in hoc archivo hagiæ Sophiæ antiqua Romanorum Pontificum geſta, & Conciliorum habemus actiones, in quibus hæc eadem quæ dixiſti de auctoritate Romanæ Eccleſiæ, reperiuntur; & ideo non parva verecundia nobis eſſet, ſi ea negaremus, quæ apud nos à Patribus noſtris ſcripta præ oculis habemus. Verùm neque ipſe Romanus Pontifex, neque Miſſi ſui aliquam auctoritatem in aliquo Concilio, neque in damnatione alicujus in Oriente habuiſſent, niſi conſenſu & ſuffragio & adminiculo orthodoxorum Epiſcoporum per Orientem conſtitutorum, qui zelo fidei aliquando cum Romanâ Eccleſiâ, aliquando etiam ſine illâ hæreſes damnaverunt, & rectitudinem Catholicæ Fidei confirmaverunt. Quia verò tantopere auctoritatem ſæpe dictæ Romanæ Eccleſiæ prætendis, dic mihi, quæſo, quis Romanorum Pontificum ſtatuerit, ut azymo pane in ſacrificio altaris utendum ſit, in tantum ut neceſſitas urgere nos debeat quòd illud ſuſcipere cogamur: quòd ſi non ceperimus, juſtæ damnationi ſubjaceamus.

CAPITULUM XIII.

Quòd auctoritate & inſtitutione Romanorum Pontificum Melchiadis & Siricii dicunt ſe Græci fermento uti in ſacrificio altaris.

ANSELMUS [f] Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Fateor ego in Eccleſiaſticis libris qui apud nos ſunt, nuſquàm ſcriptum inveni.

Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit. Sanè Melchiades Papa natione Afer, conſtituit, ut die Dominico oblationes ſacratæ per Eccleſias ex conſecratu Epiſcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum. Et Siricius Papa natione Romanus, conſtitutum fecit; ut nullus Presbyter Miſſam celebraret per omnem hebdomadam, niſi conſecratum Epiſcopi loci deſignati ſuſciperet declaratum; quod nominatur fermentum. Si auctoritas Romanorum Pontificum ſufficere tibi videtur contrà me, debet quoque mihi ſufficere contrà te. Tu quidem proponis mihi ritum ſacrificandi in azymo, quem Romana Eccleſia tenet jam longâ conſuetudine; ego autem propono tibi ſcriptum Romanorum Pontificum ex antiquâ fermenti inſtitutione. Si ergo me judicas tamquam prævaricatorem conſuetudinis; ego nihilominùs judico te in eodem tamquam prævaricatorem Apoſtolicæ inſtitutionis. Gravius autem & plus præſumptuoſum offendere inſtitutionem quàm conſuetudinem; hæc enim auctoritate & ipſius auctoris ratione tenenda probatur, illa verò ſolo uſu undecumque orto utcumque tenetur. Etenim conſtitutum Romanorum Pontificum Catholicorum Melchiadis & Siricii de fermentato offerendo nulli dubium eſt, qui geſta Romanorum Pontificum, ac diverſas eorum conſtitutiones legendo noverit. Præterea, ut veriùs puto, & ſicut ex quorumdam conſuetudine, qui utique eâdem auctoritate potiti ſunt, colligi poteſt, Romana Eccleſia antiquitùs in hoc non à Græcis, nec Græci ab illâ diſcordabant; ſed tam iſti quàm illi modo fermento, modo azymo, juxtà quod oportunitas offerentium ſuadebat, indifferenter in miniſterio altaris utebantur, nec quiſquam eorum qui communicare vellent; ſive Græcus, ſive Latinus, aliquod ſcandalum in hoc patiebatur. Quod etiam ex hoc verius credi poteſt, quia cum in urbe Romanâ ſimul habitarent turba Græcorum & Latinorum, non ſolùm Latini, verùm etiam quàmplurimi Græcorum præfuiſſe leguntur in ſanctâ Romanâ Eccleſiâ. Anacletus Papa natione Græcus fuit; Evariſtus ſucceſſor ejus, natione Græcus fuit; Teleſphorus, Hyginus, Eleutherius, Antherius, Xyſtus, Euſebius, Zoſimus, Johannes, item Johannes de patre Platone, Zacharias ex patre Poliœno: iſti omnes & quàmplures alii, quorum nomina præſenti memoriæ non occurrunt, natione Græci, in Chriſtianâ Religione & ſanâ doctrinâ præcipui, in Romanâ Eccleſiâ præfuiſſe noſcuntur.

Putaſne quòd inter iſtos Græcos Prælatos & Latinos ſubditos fuerit quotidie contentioſa diſcordia de offerendo azymo, ſive fermento, ita ut ipſi Pontifices tamquam Græci, nunquam niſi fermentum obtulerint, & Romana Eccleſia eis in hoc nequaquàm communicaverit? Et rurſus Romana Eccleſia per Latinos Sacerdotes nunquam niſi azymo uſa fuerit, & Romani Pontifices ſimiliter ſe à communione Latinorum ſubditorum ſuorum propter oblatum azymum ſubtraxerunt? Quis hoc credat? Quis hoc affirmare audeat? Quomodo poſſent eſſe Prælati Catholici, quibus non communicarent ſubditi æquè Catholici? Aut quomodo poſſent eſſe ſubditi Catholici, quibus non communicarent Pontifices æquè Catholici? Quomodo talis Eccleſia juſtè dici poſſet Eccleſia, in quâ nulla Prælatorum ſeu ſubditorum communicandi eſſet concordia? Quinimò potiùs credendum puto, quòd, ſicut dixi, omnes indifferenter uſi ſunt antiquitùs nunc fermento, nunc azymo juxtà præſidentis, ſeu offerentis arbitrium, ſublato omni ſcandalo communicantium, ſive Græcorum, ſive Latinorum. Unde etiam intrà muros ampliſſimæ Romæ apud beatum Cæſarium Congregatio Monachorum Græcorum uſque hodie eſt, & foris muros viâ Latinâ in territorio Romano, in loco qui dicitur Crypta ferrea, eſt alia Congregatio ſimiliter Monachorum Græcorum, qui adhuc, ſicut verè compertum habeo, fermentatum offerunt; & hoc fit ſine ſcandalo Romani Pontificis, ſeu etiam eorum Latinorum inter quos habitant, & quibus communicantibus ſibi communicant.

CAPITULUM XIV.

De hoc quod credi poteſt, quòd Apoſtoli & eorum ſucceſſores nunc azymo, nunc fermento indifferenter uſi fuerint; & quòd Occidentalis Eccleſia alterum, Orientalis verò Eccleſia alterum paulatim totum deſeruit.

PUto etiam idipſum feciſſe Apoſtolos Chriſti, quos in conſecratione corporis Domini juxtà ritum quem tunc naſcente Eccleſiâ obſervabant, nunc azymo, nunc fermento uſos fuiſſe credendum eſt. Ipſi namque diverſas provincias evangelizando peragrantes, cum ad aliquam Chriſtianorum Eccleſiam declinaſſent, & ſacrificium ſanctum Domino ad communionem fratrum offerre vellent, benè credendum videtur, quòd nec fermentatum, nec azymum nimis ſtudioſè, vel etiam, ut ita dicere audeam, nimis curioſè quæſierunt; ſed quidquid ad manus inveniebatur, ſive hoc, ſive illud, indifferenter cum devotione offerebant; & hanc formam oblationis ſeu communionis puto antiquitùs fuiſſe tam in Romanâ Eccleſiâ, quàm in omnibus aliis Eccleſiis traditam quidem ab Apoſtolis, licet certa ſcriptura hoc nobis non dicat. At verò eadem Romana Eccleſia paulatim alterum depoſuit, videlicet fermentatum; alterum tantum aſſumſit, ſcilicet azy-

f *Anſelmus*] Totum hoc caput in priori editione Nechitæ tribuebatur, nos Anſelmo reddidimus, quod ejus eſſe nemo negaverit.

mum;

Digitized by Google

mum; & hoc fecit propriâ auctoritate. Orientalis quoque Eccleſia alterum totum, ſcilicet azymum, paulatim dimiſit; alterum verò tantum, videlicet fermentatum, elegit: & tamen propter hoc nec antiqui Græci ſapientes, nec antiqui Latini ſapientes ſe invicem contemnendos exiſtimabant; ſed licet in hoc minùs eſſent uniformes, tamen mutuâ pace & fraternâ charitate ſe invicem in Chriſto fideliter diligebant & confovebant, & ſine alterno judicio, ſi quando opportunum fuit, Concilia ſimul celebrabant.

Porro moderna temeritas quorumdam Latinorum extollentium ſe ſuper ſe, juxtà narrationem hiſtoriæ quæ in chronicis, id eſt, in annalibus libris legitur, circiter [ante] trecentos annos ſe erexit. Illa namque temeritas multa ſcandala inter Latinos & Græcos ſæpè commovit. Illis namque temporibus ſurrexit quidam Karolus Rex Francorum, qui violenter Romanum Imperium invaſit, & ſe Patricium Romanæ urbis appellari fecit; cujus tempore contrà majeſtatem Imperii Monarchia diviſa vel potiùs ſciſſa eſt, unde non pauca ſcandala inter Latinos & Græcos orta ſunt, non ſolùm in imperialium inſtitutionum varietate, verùm etiam in eccleſiaſticarum regularum diverſitate. Inde eſt quòd cum Latini noſtrum fermentum blaſphemant, & ſacrificio altaris indignum judicant, & nos potiùs ex faſtu ſuæ elationis, quàm aſſertione veritatis hæreticos vocant, & ab altaribus ſuis removentes nobis non communicant: nos quoque ab eis irritati, & ex æquo eis reſpondentes, azymum eorum nequaquàm curamus, indignum ſacrificio ſacri altaris judicamus, eos non faſtu ſuperbiæ, ſed juſtæ retributionis nomine azymitas hæreticos appellamus, & ab altaribus noſtris removentes eis non communicamus, & confundentes nos æquâ lance confundimus, & quidquid in hoc peccamus, graviter provocati facimus. Quòd ſi ipſi ab hujuſmodi improperiis vellent ſe continere, & nobiſcum in fraternâ charitate ambulare, & non ſuper nos poteſtatis altitudine calcare, nos utique magno gaudio gauderemus, & non ſolùm ab ineptâ reſponſione quieſceremus, verùm etiam neminem illorum judicantes, aut à jure noſtræ communionis aliquem pro eo quod diverſum ſentiret, amoventes, dignam reverentiam fraternâ charitate libentiſſimo animo impenderemus, & juxtà Apoſtolum honore congruo præveniremus. Sed verum eſt proverbium quod dicitur: Ubi præcedit inepta provocatio, haud indignè indigna ſequitur reſponſio. Ad hoc attendendum ſemper, & non facilè obliviſcendum eſſet, quòd Græcorum auctoritas tanta erat aliquando in medio Sapientum Latinorum, ut etiam ipſa Eccleſiaſtica ſeu ſolemnitatum nomina Græcis nominibus diſpoſita ordinarentur, quemadmodum adhuc hodie in ipſâ Romanâ Eccleſiâ & per totum Occidentem dicuntur; ſicut eſt Patriarcha, Metropolites, Archiepiſcopus, Epiſcopus, Chorepiſcopus, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, Acolythus, Exorciſta, Canonicus, Clericus, Abbas, Monachus, Eccleſia, Monaſterium, Cœnobium, Eremita, Baſilica, Baptiſmus, Exorciſmus, Catechumenus, Epiphania, ſeu Theophania, Hypapante, Paraſceve, Pentecoſte. Ex quo manifeſtè patet non minimam habendam eſſe auctoritatem Græcorum, à quibus ipſi Latini aliquando jam æquè vel plùs ut nunc prudentiſſimi, antiquitùs ſortiti ſunt nomina Eccleſiaſticarum dignitatum & ſolemnitatum.

CAPITULUM XV.

Quòd auctoritas plurium Romanorum Pontificum plùs valere debet, quàm duorum; & quòd Synodus Synodum ſolvit; & quòd Melchiades & Siricius Papa non videntur de hoſtiâ, ſed de eulogiis inſtituiſſe.

ANSELMUS Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Si Melchiadis Papæ & Siricii Papæ conſtitutum de fermento obſervandum judicas propter auctoritatem conſtituentium, multo magis obſervandum, quod à plurimis Romanis Pontificibus dignoſcitur quotidiano uſu frequentatum, & in omnibus Eccleſiis tam Romæ, quàm per totum ferè orbem celebri obſervatione uſitatum. Quod autem dixi, ferè, propter vos ſolos Græcos dixi, & eos qui habitant in Ponto, & in Thraciâ, & quoſdam in Aſiâ, & Ruthenorum gentem, qui tamquam idiotæ & ignari omnium divinarum Scripturarum ſolâ conſuetudine ritum veſtrum tam irrationabiliter, quàm ſimpliciter imitantur, quoniam contigui habitatores veſtri ſunt, & jugum hujus Imperii cum formidine ſerviliter portant. Enimverò quod prædicti Papæ auctoritate Sedis Apoſtolicæ ſuis fortaſſe temporibus obſervandum inſtituerunt, numquid non licuit itidem plurimis Pontificibus eâdem auctoritate ejuſdem Apoſtolicæ Sedis, quâ & ipſi præfuerunt, Eccleſiâ creſcente, & in majorem diſcretionem de die in diem aſcendente, in melius rationabiliter mutare? Si auctoritatem Apoſtolicæ Sedis conſideras in duobus, eamdem auctoritatem ſcias prævalere in pluribus: quia major eſt auctoritas plurimorum ſanctorum Patrum qui bonum dicunt & faciunt, quàm duorum qui eâdem auctoritate funguntur, tametſi boni & bonum dicant, & bonum faciant. Prætereà, ſicut tu noſti, Synodus Synodum ſolvit aliquando conſideratâ meliori ratione, aliquando neceſſitate, aliquando utilitate, aliquando temporum qualitate: & hoc totum fit juxtà diſcretionem præſidentium, quos tunc vel nunc Deus ſuæ Eccleſiæ præeſſe voluit, quibus & claves diſcretionis & poteſtatis in omne opus divinum commiſit, ſalvo ſemper & immoto Catholicæ fidei fundamento.

Cæterum ſicut ego verius puto, conſtitutum hoc Romanorum Pontificum Melchiadis & Siricii, non de fermentatâ hoſtiâ, ſed de eulogiis potiùs intelligendum videtur, quæ per ſingulos Dominicos dies per Eccleſias diſtribui jubentur. Quod autem dixiſti de concordiâ antiquorum Sapientium Latinorum & Græcorum, quibus, ut tu aſſeris, nullum erat ſcandalum in offerendo azymo, ſive fermento, mihi quidem id quod dicis, non diſplicet; attamen majorum meorum, & præcipuè Romani Pontificis, ſententiam ſuper hoc verbo exſpectandam puto. Nec enim mea mihi, ſed illorum placere debet ſententia, quibus & de me, & de meâ ſententiâ judicare deſuper datum eſt: & decet nos imitari non ſolùm docendi diligentiam, ſed etiam diſcendi modeſtiam.

CAPITULUM XVI.

Quòd Conſtantinopolis & omnis Orientalis Eccleſia ſub obedientiâ Romanæ Eccleſiæ fuit, & jure eſſe debet, & eam in ritu Sacramenti imitari.

PORrò quòd cauſaris modernam & quaſi novam temeritatem Latinorum adverſus Græcos, non ſit tibi mirum, quia cum omnes hiſtoriæ narrent & probent vos antiquitùs ſub obedientiâ Romanæ Eccleſiæ, quæ Latina eſt, fuiſſe, vos jam non multum longo tempore ſuave jugum obedientiæ contempſiſtis, & ſubjectionem quam anteceſſores veſtri Romanæ Eccleſiæ humiliter exhibuerunt, vos tamquam prudentes apud vosmetipſos & alta de vobis

ſapientes abnegaſtis: unde mirum non eſt ſi vobis indignantur, & ritus veſtros calumniantur, quos ab obedientiâ ſuâ ſequeſtratos in malum vobiſmetipſis dolent.

Quod autem quaſi jactando dicis, Latinos habere Græca vocabula in Eccleſiaſticis dignitatibus & ſolemnitatibus; putaſne, quæſo, quòd Latini huc ad Græcos miſerint, ut ipſi eis formarent hujuſmodi nomina tamquam imperitis, & in Latino eloquio deficientibus, & formare neſcientibus? Ne, quæſo, ita putes. Quin potiùs antiqui Græci ampliſſimam Romam tamquam dominam & caput mundi frequentabant, & ejus imperio, ſicut cæteræ nationes per orbem terræ, ſubjacebant, & Romano Pontifici debitâ reverentiâ obediebant: quorum conſilia tam in ordinandis Eccleſiaſticis nominibus & ſolemnitatibus, quàm in aliis pluribus Romanæ Eccleſiæ ſancta & laudanda humilitas libenter admittebat, quia fuerunt tam ſapienter humiles, quàm humiliter ſapientes. Italia quoque antiquitùs magna Græcia appellabatur, ſicut antiquarum hiſtoriarum Scriptores dicunt, & in urbe Romà utriuſque linguæ ſermo uſitatus vigebat, & viviſſim Latini Græcâ, & Græci Latinâ linguâ utebantur, & neutra fuit aliena Romam habitantibus. Unde factum eſſe videtur, ut quædam Latinis, quædam etiam Græcis nominibus nuncupentur in Eccleſiâ; & unde inſtitutum quoque eſt in Ordine Romano, quòd in ſummis feſtivitatibus ad Miſſarum ſolemnia Lectiones & Evangelia Latinè & Græcè recitentur, propter præſentiam utriuſque populi in utraque linguâ eruditi. Et utinam moderni Græci adeo eſſent humiles, & Romanæ Eccleſiæ obedientes, quemadmodum illi fuerunt. Quam libenter, quam, inquam, libenter Romana Eccleſia adhuc hodie conſilia eorum admitteret, & ſecundum conſuetam humilitatem eorum prudentiam audiret! nunquam enim tam ſuperba vel invida fuit, ut vel propriis inſtitutionibus, qualeſcumque eſſent, ſuperbè nimis & contentioſè inſiſteret, vel aliorum inſtitutis, ſi tamen bona eſſent, invidioſè detraheret, vel obſiſteret.

Quod exinde apparet, quia propria inſtituta ſæpe mutaverunt melioribus inſtitutionibus ſuperordinatis, & aliorum bona inſtituta humiliter imitanda ſuſceperunt; quemadmodum ſigna Eccleſiæ, quæ in Campaniâ apud Nolam civitatem primò inventa ſunt, unde & nola ſive campana vocantur: hoc aſſumſit Romana Eccleſia, quia bonum eſt, & non contemſit, eo quod non ſuum, ſed alterius inventum fuerit. Græci verò tamquam prudentes apud ſemetipſos, & abundantes in ſuo ſenſu, & ſapientes in oculis ſuis, & ſibi ex ſe ſufficere exiſtimantes, ſemper de propriis inventis, qualiacumque fuerint, conſueverunt gloriari, aliorum ſtatutis quantumlibet bonis invidioſè detrahentes, hoc aſſerentes bonum quod ſuum, quia ſuum; & non bonum quod non ſuum, quia non ſuum. Contrà quos dicit Apoſtolus: *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* (1. Cor. 3. 5.) Qui tamen etiam de ſeipſo dicit tam humiliter quàm fiducialiter: *Puto quia & ego Spiritum Dei habeam.* (Ibid.) Utuntur ergo Latini modo Latinis, modo Græcis vocabulis in Eccleſiaſticis Ordinibus, nempe Græcè Epiſcopus, Latinè dicitur Pontifex, Græcè Preſbyter, Latinè Senior, quod eſt Sacerdos: Diaconus Latinè Miniſter, quemadmodum de Græco in Latinum; ſive de Latino in Græcum, ſive de Hebræo in Latinum vel Græcum tranſtulit tranſlatorum diligentia.

Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Satis de auctoritate Romanæ Eccleſiæ utrimque dictum eſt. Quia verò dixiſti quòd conſideratâ meliori ratione apoſtolica auctoritas de azymo conſtitutum fecerit, & omnibus Eccleſiis univerſaliter mandatum dederit, ſeu tradiderit; vellem jam audire rationem quâ hoc factum ſit, quòd deleto uſu fermenti, quem Melchiades Papa & Siricius Papa inſtituerunt, uſus azymorum ab aliis Apoſtolicis viris inſtitutus & traditus ſit. Si enim ratio quam promittis, accedit ad auctoritatem præmiſſam, magis videbitur credendum quod aſſerere conatis. Et ſi quidem, ut dixi, ratio & auctoritas ſibi invicem ſuffragantur, quid aliud reſtat, niſi quòd continuò omnes nos tuæ aſſertioni conſentiamus, & depoſito fermento, quod duo inſtituiſſe videntur, concordantes cum pluribus qui aliud ſuperordinaverunt, azymum aſſumamus.

Anselmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Ego non facilè acceſſerim ad hoc quod tu tam perfunctoriè dictum putas mihi ſubitò eſſe perſuaſum, videlicet quòd Romana Eccleſia aliquando fermento uſa fuerit, quo poſtea depoſito azymum aſſumſerit. Sed quoniam tu conſtitutum Melchiadis & Siricii Papæ adduxiſti, oportuit me tibi reſpondere quid ſuper hoc ſenſerim ducente me non fallaci ratione, ſalvâ tamen tantorum Patrum auctoritate. Proinde jam intende quâ ratione potiùs ſit utendum azymo noſtro, quàm tuo fermentato in ſacrificiis altaris.

CAPITULUM XVII.

Quòd in Cœnâ Dominicâ Chriſtus azymum conſecraverit; & quod nuſquàm in veteri Teſtamento fermentum, ſed azymus offerri jubetur.

Dominus noſter Jesus-Christus qui venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, qui ſe formam totius veritatis exhibuit, ipſe in conſecratione ſui ſacratiſſimi corporis primò credendus eſt habuiſſe azyma, quod & Diſcipulis ſuis diſtribuit, & cujus formam eis imitabilem & in commemorationem ſui faciendam reliquit. Ita quippe dixit Sacramentum diſtribuendo: *Accipite, hoc eſt corpus meum*; (Luc. 22. 19.) & ita dixit formam Sacramenti inſtituendo: *Hoc facite in meam commemorationem.* (Ibid.) Iſtud hoc dixit propter errorem quorumdam, qui in ſacrificio altaris non putant idem corpus conſecrari, quod ipſe in Cœnâ Paſchali conſecravit, & Diſcipulis tradidit; ſed huic verbo quod ſequitur, *in meam commemorationem*, ſtulti nimis inhærentes, putant eum hoc tantum inſtituiſſe, quòd in commemorationem tantum, & non in veritatem ejuſdem ſui corporis ſacramenta altaris celebranda eſſent. *Hoc*, inquit, *eſt corpus meum, hoc facite*; (Ibid.) *hoc*, id eſt, idipſum corpus, non tantùm in commemorationem, ſed in ipſam corporis meram veritatem *facite*, id eſt, conſecrate. Quod autem dixit, *in meam commemorationem*, hoc voluit intelligi, quòd Sacramentum veri corporis nequaquàm propter aliud, ſed ſimpliciter in memoriam Paſſionis ejus & ſalutem animarum debeat à fidelibus celebrari. Sic enim dicit Apoſtolus: *Quotieſcumque panem hunc manducabitis, & calicem hunc bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* (1. Cor. 11. 26.) Credendum eſt itaque Chriſtum in magnâ Cœnâ Paſchali azyma tantum habuiſſe, & illud conſecratum in corpus ſuum Diſcipulis ſuis [tradidiſſe] quia ipſe de ſeipſo dixit: *Non veni legem ſolvere, ſed adimplere.* (Matt. 5. 17.) Lex autem dicit in Exodo, qui & Hellesmoth Hebraïcè dicitur: *Primo menſe, quartâ decima die menſis, ad veſperam comedetis azyma uſque in diem viceſimam primam ejuſdem menſis, ad veſperam; ſeptem diebus non invenietur fermentum in domibus veſtris. Quicumque comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Iſrael, tam de advenis, quam de indigenis terræ. Omne fermentum non come-* (Exod. 12. 18.)

Digitized by Google

detis, in cunctis habitationibus veſtris comedetis azyma. Quia igitur ſecundum mandatum legis in illis ſeptem diebus Paſchalibus in nullâ domo Iſraël inventum eſt fermentatum, ſed tantum ſolum azyma, & Chriſtus venerat non ſolvere legem, ſed adimplere, manifeſtum eſt eum in Cœnâ Paſchali, ubi conſecravit corpus ſuum, azyma habuiſſe, & illud conſecraſſe, antiquum Paſcha ita quidem conſummando, & novum Paſcha initiando. Unde enim illi fermentum, quod utique per omnes domos Iſrael in illis ſeptem diebus ſecundum legem erat probibitum, & tam advenis quàm indigenis ſub certo damnationis periculo interdictum & vetitum? Niſi fortè inde talem tibi opinionem fingere velis, quòd ipſe tamquam omnipotens novum ibi fermentum tunc ad hoc Sacramentum complendum creaverit; quod non ſolùm contrà Evangelium, verùm etiam contrà omnem veriſimilitudinem eſſe conſtat.

Numquid videtur tibi ratio iſta ſufficiens? Chriſtus auctor hujus Sacramenti, quem per omnia oportet imitari, ſufficiat tibi in exemplum & imitationem; cujus auctoritas, ſi cui minùs ſufficit, alium quærat cum quo loquatur, quia ego eum *tamquam hæreticum hominem poſt primam & ſecundam monitionem*, ſicut Apoſtolus monet, vitare volo. Ad hoc attendat charitas tua, quòd nuſquam in veteri Teſtamento præcipitur, vel etiam conceditur fermentum offerri in ſacrificio Domini, imò prorsùs interdicitur, & ſicut ingratum Deo ubique in lege offerri prohibetur. Ita namque legitur in Levitico, qui & Vaicra Hebraïcè nuncupatur: (Levit. 2. 11.) *Omnis oblatio quæ offertur Domino, abſque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in ſacrificio Domini.* Item (Ibid. 7. 11.) in Levitico: *Hæc eſt lex hoſtiæ pacificorum: ſi pro gratiarum actione fuerit oblatio, offerent panes abſque fermento conſperſos oleo, & lagana azyma uncta oleo,* (Num. 6. 13.) *coctamque ſimilam.* Item: *Iſta eſt lex pro conſecratione: Cum complebuntur dies, quos ex voto quis decreverat, offeret oblationem Domino, agnum immaculatum in holocauſtum; ovem anniculam immaculatam pro peccato, arietem immaculatum, hoſtiam pacificam, caniſtrum quoque panum azymorum, qui conſperſi ſunt oleo, & lagana abſque fermento uncta oleo.* (Levit. 6. 14.) Item: *Iſta eſt lex ſacrificii & libaminum. Tollet Sacerdos pugillum ſimilæ quæ conſperſa eſt oleo, adolebitque in altare in odorem ſuaviſſimum; reliquam autem partem ſimilæ comedet Aaron cum filiis abſque fermento, & comedet in loco ſanctuarii. Ideo autem non fermentabitur, quia pars ejus offertur in incenſum* (Exod. 23. 18.) *Domini, ſanctumque ſanctorum erit.* Item in Exodo: *Non immolabis ſuper fermento ſanguinem hoſtiæ meæ.* (Ibid. 29. 2.) Item: *Tolles panes azymos & cruſtulam abſque fermento, quæ conſperſa ſunt oleo, lagana quoque oleo* (Levit. 24. 5.) *lita. Similiter quoque duodecim panes propoſitionis de purâ ſimilâ cocti, qui ſuprà menſam puriſſimam altrinſecùs ſeni côram Domino poſiti ſunt, & per ſingula ſabbata mutabuntur.* Azymos fuiſſe nemo dubitat, qui illius Scripturæ notitiam aliquatenùs habere videatur.

Vides itaque quàm evidenti ratione, quàmve firmâ auctoritate inſtitutum ſit, quòd in ſacrificio altaris potiùs utendum ſit azymo, quàm fermento. Ubique enim fermentum corruptionis improbatur, & à ſacrificio prohibetur, & ubique azymus ſinceritatis & veritatis probatur, per cujus quoque oblationem Deus ad propitiandum populo placatur.

Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Rationem quam promiſiſti, ſatis convenienter & probabiliter, utpote magnis auctoritatibus innixam adduxiſti; & ego quod verum eſſe conſtat, negare non audeo, ne fortè induam ſubitò notabilem faciem pudentis ac erubeſcentis, & amiſſâ fronte ſerenitatis aſſumam ignominioſum vultum confuſionis, & comprehendar in mendacio, dum contrà id quod verum eſt, contentioſè laboro! nam qui veritatem dicit, non laborat; & qui mendacium loquitur, ex proprio loquitur. Eſto igitur interim verum quod dixiſti: at verò nos in Evangelio ita legimus, εὐλόγησεν ἄρτον, id eſt, *benedixit panem.* Cum igitur ἄρτον dicit, ō panem videtur velle ſimpliciter intelligere,[g] communem panem, ſcilicet fermentatum, quo homines univerſaliter utuntur, & quem uſitato ſermone ἄρτον, id eſt, panem vocant. Quòd ſi quando diſcretè voluerint loqui de azymo, nequaquàm utuntur hoc verbo ἄρτος, quod eſt panis; ſed utuntur diſcretâ loquutione, hoc verbo quod azymus. Nam α Græcè, Latinè dicitur *ſine*; ζύμη autem *fermentum*. Ita nimirum & ego ſimpliciter vulgari ſignificatione intelligo fermentatum, cum lego in Evangelio, εὐλόγησεν ἄρτον, id eſt, *benedixit panem.* Quid enim ad me, ut ego ibi ſcriberem vel legerem, εὐλόγησεν ἄζυμον, cum Evangeliſta ibi poſuerit, εὐλόγησεν ἄρτον, quod manifeſtè panem uſitatum videtur ſignificare? Rurſus quod induxiſti de veteri Teſtamento, & oſtendiſti quòd nuſquàm in ſacrificio fermentatum liceat offerri, ſatis quidem argutè hîc notaſſe videris; ſed & ego nullatenùs idem negare poſſum, & hoc eſt magnum argumentum, ut verum fatear, tuæ aſſertionis. Porrò mihi videtur quòd in eodem veteris Teſtamenti Levitico reperiatur de oblatione fermenti, ubi per Moyſen dicitur ad filios Iſraël: (Levit. 23. 15.) *Numerabitis ergo ab altero die Sabbati, in quo obtuliſtis manipulos primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas uſque ad alterum diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, id eſt, quinquaginta dies; & ſic offeretis ſacrificium novum Domino ex omnibus habitaculis veſtris panes primitiarum duos de duabus decimis ſimilæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini.* Hîc planè videtur fermentatum debere offerri Domino, niſi fortè ibi ſit aliqua expoſitio, quæ nos cogat hoc aliter intelligere, quàm ibi videtur ſcriptum.

Anselmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Ita credo legendam divinam Scripturam, ut nunquam inter ſe diſcordet, ſemper autem concordet: & hoc debet eſſe vehemens ſtudium prudentis lectoris, ut tunc ſe noverit rectè intellexiſſe Scripturam divinæ legis, cum eam reduxerit ad aliarum Scripturarum concordiam, & ad legem charitatis. Siquidem iſta talis oblatio, ubi duo panes primitiarum de duabus decimis ſimilæ fermentatæ offeruntur, nullatenùs aliquid attinet ad ordinem eorum quæ Domino ſpecialiter offeruntur, quoniam nec fit in altari, nec in loco ſanctuarii, nec intrà ſancta ſanctorum, nec fit aliquo ritu aliarum oblationum, ſed tantum cum Sacerdos panes primitiarum ſimilæ fermentatæ ab offerente ſuſceperit, & in gratiarum actionem pro frugibus terræ coram Domino levaverit; non quidem ibi aliquo oblationis ritu offeret, ſed ſtatim cedent ex integro in uſum ipſius Sacerdotis. Ideoque, dilectiſſime, ut verum me dixiſſe noveris, diligentiſſimè perquire, & nuſquàm reperies in lege fermentatum Domino offerendum in ſacrificio, ſed ſemper azyma ſeu ſimilam puriſſimam abſque omni fermento. Ad hanc igitur formam oblationis, quam Dominus in veteri Teſtamento ubique inſtituit, & quâ ſeipſum ad propitiandum populo ſuo placari voluit, credendum eſt ipſum quoque Filium Dei, qui optimè novit quomodo placandus ſit Deus Pater, in conſecratione ſui ſacratiſſimi corporis corporis habuiſſe azyma, quatenùs & figuram legis in offerendo azy-

g ἄρτον dicit] Sic profectò legendum, non ut in priori editione *arton, id eſt, panem.*

mo non ſolveret, & veritatem ejuſdem legis in conſecratione veri corporis ſui conſummando adimpleret.

CAPITULUM XVIII.

Quòd fermentum in divinâ Scripturâ nuſquàm in bono accipitur; & quòd minùs eſt habile ad tractandum cautè.

PRoinde in omni divinâ Scripturâ fermentum tuum nuſquàm invenitur in bonâ ſignificatione acceptum, ſicut noſtrum azyma. Unde Dominus in
Luc. 12. 1. Evangelio Lucæ: *Attendite*, inquit, *à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis.* Item in Evange-
Matt. 16. 6. lio ſecundum Matthæum: *Intuemini & cavete à fermento Phariſæorum & Saducæorum.* Item in Evan-
Marc. 8. 15. gelio ſecundum Marcum: *Cavete à fermento Phari-*
1. Cor. 5. 7. *ſæorum & à fermento Herodis.* Et Apoſtolus: *Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azymi. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque epulemur, non in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.*

Præterea ſi rectè conſideres, nequaquàm ita habile eſt ad tractandum cum reverentiâ tuum fermentum, ſicut azyma noſtrum, quod nobis per Moyſen, qui fidelis erat in totâ domo Dei, & qui omnia ordinavit ad exemplar eorum quæ vidit in monte, & per ipſum tandem Chriſtum traditum; quoniam fermentatum quando tractatur, & quando frangitur, & quando diſtribuitur, facillimè in plures micas ſolvitur, & nequaquàm tam cautè, nec omnino ſine negligentiâ, ſicut oportet, cuſtodiri poteſt. Et quoniam minima, ut ita dixerim, micæ particula verum & integrum corpus Domini eſt, ſi cui quantumlibet parva negligentia ſuper hoc contigerit, gravem Domini maledictionem incurrit, ſi-
Jerem. 48. 10. cut ſcriptum eſt: *Maledictus homo qui opus Dei ſui negligenter fecerit.* Cæterum noſtrum azyma tam in veteri quàm in novo Teſtamento electum à Deo Patre, & probatum & conſecratum à Deo Filio ſanctiſſimâ ſui corporis conſecratione, ſolidum eſt, ſincerum eſt, ratum eſt, immaculatum eſt, incorruptum eſt, cavernoſum non eſt, inflatum non eſt, molle non eſt, in micas minimas facilè non ſolvitur; ſed per omnem modum tractabile eſt, & ad conſecrandum, & ad frangendum, & ad diſtribuendum cum omni cautelâ habiliſſimum. Quod etiam apud religioſos Latinos per manus Diaconorum, & ex electis granis, & ex mundiſſimâ ſimilâ in ſacrario ad futuram hoſtiam cum decantatione pſalmodiæ reverenter præparatur, & ſub diligenti cuſtodiâ uſque ad tempus ſacrificii reſervatur. Conſideratâ itaque ratione & auctoritate, & ipſius ſacramentalis hoſtiæ congruâ habilitate, patenter omnibus Græcis per Orientem habitantibus conſtare debet, quòd potiùs utendum ſit azymo quàm fermentato.

CAPITULUM XIX.

Quòd propter longum fermenti uſum Græci non facilè poſſunt tranſire ad azymum, ſed facto generali Concilio, ſive hoc, ſive illud, ſatis indifferenter ſuſcipere, ſublato utriuſque gentis ſcandalo.

NEchites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Ego hunc uſum fermentati in Eccleſiis Orientis ab initio vidi & didici, & à prædeceſſoribus noſtris traditum novi, & tam longum uſum tantæ Eccleſiæ veneror, nec audeo temerè judicare, nec video facilè poſſe permutari; ſed hoc tandem de meâ perſonâ puto, & dico omnes Græcorum ſapientes ab hac meâ ſententiâ non diſcrepare. Si ergo fortè eſſem ubi nullatenùs fermentatum habere poſſem, & azyma præſto & paratum eſſet, & ego Miſſam cantare, ac Domino ſacrificium altaris offerre vellem, ego profectò azyma non horrerem, ſed fiducialiter ad offerendum ſacrificium Deo immaculatum conſecrarem, & fideliter communicarem, & Græcis, ſi fortè adeſſent, ad communicandum præberem, ſi tamen dies publicæ communionis eſſet, ſeu in Paſcha, ſeu in qualibet aliâ ſolemnitate, quâ ſolet Eccleſia ex conſtituto univerſaliter communicare, & nulli Chriſtianorum à communione altaris licet ſe ſubtrahere, niſi fortè quis publicâ pœnitentiâ adſtrictus ſubmoveatur. Verùm quoniam plures ſunt puſillanimes, quàm in fide docti & conſtantes, & turba quæ legem diſcretionis non novit, facillimè ſcandalizatur; hoc operæ pretium eſſet, ut omnes tam Latini quàm Græci ſtudioſiſſimè in Domino elaborarent, quatenùs generale Concilium congruo loco & tempore in unum convenientes celebrarent, & aut omnes univerſaliter ritum azymi, aut omnes univerſaliter ritum fermenti uniformiter aſſumerent: aut ſi hoc, vel illud univerſaliter ſine minimo, aut ſine nimio ſcandalo alteriùs partis vel gentis non poſſet fieri, ſaltem in hoc convenirent, quòd nec iſti illos propter azymum, nec illi iſtos propter fermentum, quod iſti conſueverunt, temerè judicarent, ſed mutuâ pace ſibi invicem indulgerent, & hac occaſione charitas ſancta non deſtrueretur, quæ non ſine utriuſque gentis periculo apud utroſque graviter infirmatur.

Quamvis enim juxtà præmiſſas auctoritates & rationes, & etiam juxtà ipſius Sacramenti ritum, ſicut tu dixiſti, potiùs videatur hoſtia azymi offerenda: tamen quia longus Græcorum uſus hoſtiam fermenti diù obtinuit, & non ſine maximo multitudinis, imò totius gentis ſcandalo permutari poſſe videtur, benè putatur permittendum, quod tamdiù apud nos eſt uſitatum, præſertim cum & hoſtia fermenti & hoſtia azymi æquè ſit panis; & licet in forma differant, tamen [in] panis ſubſtantiâ nulla fermenti vel azymi eſt differentia; & ſalvâ integritate Fidei utrumque ſatis catholicè videtur poſſe offerri; præſertim cum panis vivus qui de cœlo deſcendit, in utroque æquè convenienter poſſit figurari. Tollatur itaque de medio utriuſque gentis pernicioſum diſcordiæ ſcandalum, & nullum in offerendo azymo ſive fermento rectæ fidei erit periculum, quia, ſicut dixi, ſanâ fide de utroque ſatis licitè poteſt fieri hoſtia ſalvatoris Domini noſtri Jesu Christi in ſalutem credentium & fideliter offerentium, & non in ſalutem iniquè diſcordantium.
Scriptum eſt enim: *Deus pacis & non diſſenſionis.* 1. Cor. 14. 33.
Et, *In terrâ pax hominibus bonæ voluntatis* de ex- Luc. 2. 14.
celſo per Angelos annuntiatur. Ex multis quippe granis in unum collectis ſacra fermenti ſive azymi hoſtia confecta, totius Eccleſiæ populum in unam eamdemque charitatem in Chriſto collectum ſignificat, qua videlicet hoſtiâ non ſine magno periculo, quantumlibet ſecurum ſe exiſtimet, communicat, qui ſe à charitate fraternâ quæ eſt in Chriſto Jesu, quoquo modo ſequeſtrat.

Majus etiam peccatum videtur temeraria perverſitas iniquorum judiciorum, quibus invicem nos commanducamus, quàm ipſa Sacramentorum diverſitas propter quam diſſentimus, quia illud ſatis indifferenter, ſicut ſuprà dixi, videtur poſſe fieri in Domino. Illud autem, ſcilicet temerarium præjudicium, altrinſecùs malignè diſcordantium, nulli

unquam licet Chriſtiano. Diſcordiâ autem tamquam peccato plenâ Deus offenditur: hoſtiâ verò ſalutari tamquam devotione perfectâ Deus placatur. Illa damnandos acriter accuſat, iſta ſalvandos ſalubriter excuſat. Illa Deum judicem offendendo provocat, iſta Deum pium propitiando placat. Illa in tartara, iſta mittit ad ſupera. Per illam à Deo alienamur, per iſtam Deo incorporamur. Per illam terreni, per iſtam cœleſtes efficimur. Quidquid igitur ſit de diverſitate ſacræ oblationis, ad unitatem charitatis neceſſe eſt omnes concurrere; quia ſicut charitas in ſacrâ oblatione, ita ſacra oblatio in verâ charitate operit multitudinem peccatorum; & ſicut hoſtia ſalutaris ſalutem non operatur ſine charitate, ita perfecta charitas non ſcandalizatur in ejuſdem hoſtiæ diverſa oblatione. Quâ videlicet charitate abſente, cætera bona omnia inaniter habentur, & quâ præſente quædam bona venialiter non habentur.

Proinde ſi generale Concilium communicato omni conſilio, adnitentibus piiſſimis Imperatoribus fieret, & perſonam meæ parvitatis intereſſe contingeret, ego planè hæc eadem in medio omnium fiducialiter dicerem, nec Græcum, nec Latinum in hac ſententiâ pertimeſcerem, & manſuetudinem Romani Pontificis debitâ humilitate & reverentiâ commonerem, quatenùs ipſo opitulante, ſublatâ omni occaſione tumultûs & diſcordiæ omnes efficeremur unum in Sacramentorum obſervatione, qui ſemper fuimus unum in Catholicâ fide. Et ſpero quòd ipſe me humiliter monentem patienter audiret, ſicut Petrus cum eſſet Princeps Apoſtolorum, Paulum aliquando conſtanter reprehendentem humiliter audivit, ubi & conſtantia Pauli fiducialiter & juſtè reprehendentis commendatur, & humilis patientia Petri in manſuetudine ſupportantis plurimùm laudatur: quàmvis & ego longè inferior ſim Paulo, & ille non inferior debeat eſſe Petro. Ita nimirum fieri poſſet quòd Romanus Pontifex Latinis Latinus, Græcis Græcus, omnibus omnia factus, omnes lucrifaceret, & humili auctoritate Apoſtolicæ ſedis univerſa pro quibus diſcordamus, adæquaret, vel altero prorsùs ſublato, & alterum univerſaliter inſtituendo, vel ſublato utriuſque ſcandalo, utrumque indifferenter inſtaurando.

Anselmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Satis ſuper hac quæſtione dictum videtur, & adhuc aliquid reſtat quòd à tuâ prudentiâ velim cognoſcere.

CAPITULUM XX.

De commixtione vini & aquæ in calice, quod aliter Græci, aliter Latini faciunt.

Dic ergo quare in ſacrificio altaris vinum & aquam ſimul in calicem infuſam & mixtam non offertis? Quare vinum merum ſine aquâ conſecratis? Poſtquàm enim vinum merum oblatum ſacrificatum eſt, tunc demùm aquam ſimplicem & non ſanctificatam in calicem infuſam cum ſacratiſſimo ſanguine miſcetis, & ita communicatis. Quâ ratione, quæſo, hoc facitis?

Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Chriſtus in magnâ illâ ſuâ Cœnâ, quæ ſpecialiter Dominica Cœna vocatur, non legitur aquam cum vino mixtam in calice conſecraſſe, ideoque ad formam illius nos ſimiliter facimus, & non eſt nobis major aliqua ratio, quàm ipſius Salvatoris imitatio.

Anselmus Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Quamvis in Evangelio manifeſtè de aquâ nihil ſcriptum ſit, ita ut vel appoſita, vel non appoſita ibi legatur; tamen non videtur abſurdum, ſi juxtà morem Judæorum & Palæſtinorum, qui ſemper vinum aquâ mixtum bibunt, ipſum quoque Chriſtum vinum aquâ mixtum ſacramentaliter conſecraſſe intelligamus. Quòd ſi tu dixeris hoc eſſe temerarium affirmare, quòd in Cœnâ Domini vinum fuerit aquâ mixtum, quia in Evangelio hoc non legitur: ego nihilominùs dico hoc temerarium affirmare, quòd ibi aqua ad vinum poſita non fuerit, quia & hoc in Evangelio minimè legitur. Et ſi tibi videtur incautum aliquid dicere, quod illa Scriptura ibi de hoc minimè dicit, quare non ſimiliter videtur tibi incautum hoc negare, quod illa Scriptura de hoc eodem minimè negat? Ego quidem contentiosè non affirmo vinum aquâ mixtum in calice Domini fuiſſe, ſed nec tu illud contentiosè debes negare, præſertim cum auctoritas evangelica nec alterum affirmet, nec alterum neget. Porrò in ambiguis rebus nihil eſt cum temeritate affirmandum, & nihil cum indignatione refellendum. Cum igitur aliquid affirmas, cave temeritatem; & cum refellis, cave animi indignationem. Sicut enim temeritas affirmando eſt præſumptuoſa, ita quoque iracundia in refellendo ſolet eſſe litigioſa; quod utrumque prudentiſſimè cavendum eſt ab inveſtigatoribus veritatis.

Quoniam autem Evangelio manifeſtè dicente, de latere Domini in cruce exivit ſanguis & aqua in redemptionem noſtræ ſalutis, rectè videtur vinum & aqua in calice mixta in dominicæ Paſſionis commemorationem & in peccatorum noſtrorum remiſſionem offerri, ut videlicet in ſanguine novi & æterni Teſtamenti non deſit aqua quæ populum ſignificat, qui in communione ejuſdem ſanguinis novi & æterni Teſtamenti redemptus ſalvatur, & tamquam unum corpus Eccleſiæ cum capite ſuo qui eſt Chriſtus, concorporatur & unitur, & ſanctificatur & offertur. Scriptum quippe eſt, *Aquæ multæ populi multi ſunt.* Hac itaque ratione Latini vinum ſimul & aquam in uno calice mixtum offerunt, ut videlicet per vinum ſanguis Chriſti, & per aquam plebs Chriſti, quæ eſt Eccleſia, ſignificetur: & non ſeorſum, nec ſingulariter tamquam diviſa, ſed ſimul mixta tamquam in unum corpus ſanctificetur. Vos autem cum ſolum vinum merum ſine aqua in calice offertis, jam non Eccleſiam quæ eſt corpus Chriſti, cum Chriſto capite ſanctificatis, ſed ſolum Chriſtum caput Eccleſiæ ſine membris conſecratum offertis; quòd nimirum omni ratione carere videtur: & quidem conſecratum non ſingulariter, ſed ſimul ſacratum rectè dicitur.

Nechites Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Sicut dixiſti, *Aquæ multæ populi multi ſunt.* At nos formam Dominicæ Cœnæ imitantes, vinum merum tantum in calice offerimus, quod per divinam operationem & virtutem, & per miniſterium Sacerdotis conſecratum fit ſanguis novi & æterni Teſtamenti; cui etiam convenienter poſtea & rationabiliter aquam admiſcemus, ut videlicet populus nequaquàm per ſe ſanctificatus, per unionem, qua unitur ſacrato jam ſanguini, ſanctificetur; & ſic in conſecratione vini meri ſolius ſanguinis Chriſti conſecrationem debitâ reverentiâ devotiſſimè celebremus: nec tamen ſalutem populi Chriſtiani negligimus, cum aquam poſtea admiſcemus, ut & ipſa qui populus eſt, participatione ejuſdem Sacramenti ſanctificetur. Minùs quippe dignum videretur, ut ſanctificans & ſanctificandum æqualiter eſſent in unâ eademque conſecrationis dignitate; ſufficit autem ſi aqua qui eſt populus, ſanctificatur divinæ conſecrationis participatione, & non ejuſdem conſecrationis integra dignitate. Nec enim ab initio cum Chriſto ſanctificati ſumus, niſi per ſanctum Spiritum, & per

ſancti Spiritûs communicationem; & per ſancta Sacramenta Chriſti & Eccleſiæ participando & communicando ſanctificati cœpimus.

Ephes. 5. 23. ANSELMUS Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Nollem te ſeparare caput à membris, nec membra à capite, quia ſicut Apoſtolus ait: *Caput Eccleſiæ Chriſtus.* Quòd ſi ſeparando tollis Chriſtum, ubi, quæſo, eſt caput Eccleſiæ? aut etiam quomodo poteſt eſſe Eccleſia, ubi non eſt caput qui eſt Chriſtus? Si autem ſeparando tollis Eccleſiam, ubi, quæſo, ſunt membra capitis? aut etiam quomodo Chriſtus dici poteſt caput Eccleſiæ, ubi nulla ejus ſunt membra? Vide ergo, frater, ne aliquo ceu deceptoriæ rationis figmento caput à membris, vel membra à capite ſeparanda exiſtimes; quia hoc eſt & Chriſtum & Eccleſiam de medio tollere, & omnia confundere. Sanè divina Scriptura conſuevit multa de capite, qui eſt Chriſtus, loqui, quæ non conveniunt Eccleſiæ; & itidem multa ſolet loqui in perſonâ Eccleſiæ, quæ non conveniunt capiti; nec tamen alterum ab altero aliquatenùs ſeparare intendit. Sicut enim Heva de latere dormientis Adam, ita Eccleſia de latere Chriſti patientis in cruce fabricata eſt. Ideoque in oblatione & conſecratione ſacratiſſimi corporis & ſanguinis Domini, quæ in commemorationem Dominicæ Paſſionis celebratur, deeſſe non debet aqua, quæ de latere Chriſti unà cum ſanguine fluens Eccleſiam figuravit, & eam ſanctificando irrigavit & baptizavit; quatenùs hoc totum quod de latere Domini manavit, noſter homo his duobus renovatus vivat, ut ſi quam peccati maculam poſt baptiſmum contraxit, habeat in hoc undam veniæ quâ diluatur, & rursùs de die in diem renovetur. Nam ſi vinum ſine aquâ offertur, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis, quaſi caput ſine membris. Si autem aqua ſola offeratur, jam plebs videtur eſſe ſine Chriſto, quaſi membra ſine capite. Quando autem utrumque miſcetur, tunc profectò rectè myſterium Chriſti & Eccleſiæ ſpiritualiter perficitur, quia Chriſtus & Eccleſia unum corpus eſſe probatur, ut jam non quaſi duo, videlicet vinum & aqua; ſed vinum ſcilicet ſanguis Chriſti fiat, quo pueri communicantes, & undam ſacræ purificationis & renovationis percipiant, & ſanguinem pretium Chriſtianæ ſalutis hauriant, & in unitatem corporis Chriſti, quæ eſt Eccleſia, ſpirituali purificatione & convivificatione tranſeant.

Nec mireris quòd duo liquores, aqua ſcilicet & vinum, ſimul conſecrata in unum, ſcilicet ſanguinem divinâ operatione tranſeunt ad ſpiritualem vegetationem animarum noſtrarum, cum quotidie quotquot liquores ſumimus, in noſtrum tranſeant ſanguinem ad ſuſtentationem corporum noſtrorum. Ob hoc quippe non inconvenienter vinum & aqua priùs myſticè commiſcentur, & tamen poſt conſecrationem nonniſi ſanguis bibitur, quia in illo priùs per aquam baptizati, poſtea eum eſuriendo & ſitiendo ſpiritualiter potamus. Quis enim unquam præſumſit communicare Sacramento dominici corporis & ſanguinis, niſi priùs eſſet renatus aquâ baptiſmatis? Hoc enim non eſſet communicare, ſed extrà ordinem faciendo, ſeipſum extrà communionem ponere Chriſtianorum. Neque enim quiſquam bibendo hunc calicem Chriſto incorporatur, niſi priùs in Baptiſmate cum Chriſto conſepultus membrum ipſius efficiatur. Rectè itaque nos aquam vino ante conſecrationem miſcemus, & ſimul conſecrantes ſanguinem ſolum poſt conſecrationem ſumimus, quia priùs aquâ baptizari, poſtmodùm verò ſanguine Chriſti nutriri ac ſatiari oportet. Tu autem ſatis ineptè videris vino conſecrando aquam ſimul conſecrandam ſubtrahere, quia hoc modo quod utriſque quaſi uni convenit, hoc non utriſque quaſi uni impendis, ſed tantùm ſoli, altero ſubtracto, tribuendum putas; & in ipsâ oblatione offendis eum quem placare debueras, dum rectè ſtudes offerre, & oblatum ſive offerendum ſatagis non rectè dividere: quippe non modicè peccat, qui benè conjuncta non benè ſeparat; benè autem in cruce conjuncta, & de latere Domini myſticè manantia tu incautè non benè ſeparas, tamquam aliquid melius per teipſum inſtituendo; illud verò quod divinitùs tunc factum eſt, contemtibiliter mutando.

NECHITES Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Ego membra Eccleſiæ capiti ſuo Chriſto benè divinitus conjuncta [h] non tento ſeparare, ſed congruo modo convenienter conjungere, ut membra ſanctificatione capitis perceptâ ipſa quoque ſanctificentur, & ſanctificationis unione Chriſto digniùs coaptentur: quod & ita faciendum eſſe multis rationibus adſtruere poſſum. h

ANSELMUS Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Semper reſpondere ſemper reſpondentibus, uſque in infinitum ducit. Tu quidem ad inveniendam novam ſententiam ſubtilis es ingenio, & ad eam defendendam facundus es in Græco eloquio: ſed in hujuſmodi magis probatur modeſta & ſobria ſapientia, cui ſufficiunt termini à ſanctis Patribus conſcripti, quàm nimis arguta & ſuprà modum perſcrutans prudentia, quæ ſe ſuprà ſe & ſuprà terminos ſanctorum Patrum extendere conatur. Sic enim monet Apoſtolus: *Non plùs ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* Quid autem tam falſum, Rom. 12. 3. quod dicendo non putetur poſſe videri verum? Aut quid tam verum, quod dicendo non putetur poſſe videri falſum? Si tamen in dicendo non deſit aſtuta ſapientia, nec perſuadibilis eloquentia. Tu videris, ſi falſum pro verò dixeris. Ego ſcio & non dubito me verum dixiſſe. Nam nos de latere Chriſti in cruce ſanguinem & aquam ſimul manaſſe in redemptionem ſalutis noſtræ & totius humani generis, Evangelio teſtante, indubitanter ſcimus & credimus, ideoque & nos vinum & aquam ſimul in uno calice mixta & conſecrata in remiſſionem omnium peccatorum offerimus, & propter hoc hunc ritum offerendi docemus, & ſufficit nobis formam Paſſionis Chriſti imitari, quia nolumus aliquibus novis adinventionibus impediri. Quidquid autem tam in hoc quàm in aliis Sacramentis eccleſiaſticis facimus, aut ſecundum figuram quæ præceſſit, aut ſecundum veritatem quæ in Chriſto apparuit, facimus; & nihil ex nobis, ſed omnia ex Deo, qui omnia ſacramentaliter & veraciter ſanctificet, exiſtimamus.

NECHITAS Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Placet ratio, placet auctoritas, placet veritas, placet ritus, placet etiam tua humilitas, placet tua affabilitas, placet verborum tuorum ordinata maturitas: ſed ſuper his omnibus generale Concilium videre deſidero, ut omnibus in idem conſentientibus idipſum omnes dicamus in Chriſto Jesu Domino noſtro. Et ſicut ex multis puriſſimi frumenti granis tam azyma quàm fermentata hoſtia conficitur, & ſicut ex multis uvis in unum collectis vinum expreſſum colligitur; ita ex multis tam Græcorum quàm Latinorum turbis una & concors, & idipſum ſentiens conſtituatur Eccleſia, ne vel nobis veſtrum azyma, vel vobis noſtrum fermentum in die Domini fiat damnationis judicium, dum altrinſecùs inde ſurgimus in contentionem, quod utriſque inſtitutum eſt ad ſalutem. Magis enim tam nobis quàm vobis timenda

h *divinitus conjuncta*] Acherius ediderat *diu conjuncta*, quod cum ineptum eſſet, ita repoſuimus ut vides.

Digitized by Google

eſt periculoſa contentio, quàm ejuſdem obligationis diverſa conſuetudo.

CAPITULUM XXI.

De Græcorum & Latinorum vario & diverſo Baptiſmate.

ANSELMUS Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Sapientem te in omnibus verbis tuis & diſcretum invenio; & ideo rogo ne pigeat te adhuc parùm reſpondere, & me non parùm mirantem expedire de hoc quod me movet. Sicut audio, conſuetudo apud vos eſt, ut ſi quando Græcus uxorem Latinam ducere voluerit, ſicut plerumque fit, & ſicut etiam inter perſonas Auguſtales ſæpe factum eſſe dignoſcitur, quòd priùs oleo ſanctificato in vaſe aliquo infuſo eam perfunditis, & per totum corpus lavatis, & ſic demùm quaſi in ritum & legem veſtram tranſiens matrimonio copulatur; quod quare fiat, ſi tamen fit, oppido ſcire vellem: videtur enim quædam forma eſſe rebaptizandi. Etſi ita eſt, quòd noſtros Latinos, vel etiam aliquos Chriſtianos ſub invocatione ſanctæ Trinitatis baptizatos quoquomodo judicatis rebaptizandos; planè juxta quamdam Arrianorum ſectam maniſeſtiſſima hæreſis eſt; nec Concilia vobiſcum, ſed contrà vos ſunt celebranda, & ſine ullâ quæſtione vel audientiâ eſtis anathematizandi; & quidquid facitis vel dicitis, totum eſt abominabile, & coram Deo & hominibus deteſtabile & execrabile: maximè ſi nomen Domini in vanum accipitis, & invocationem ſanctæ Trinitatis, quâ in nomine Patris & Filii & Spiritûs ſancti baptizamur, caſſare præſumitis.

Euſebius quondam Nicomediæ Epiſcopus, totus Arrianâ hæreſi fermentatus, ſicut narrat hiſtoria à Theodorito venerabili Epiſcopo Græco ſermone conſcripta, & à Caſſiodoro per Epiphanium Scholaſticum in Latinum noſtrum tranſlata, magnum Conſtantinum Imperatorem in Arrianum dogma rebaptizavit. Ita enim ibi legitur: Conſtantinus ægritudine captus ex urbe Conſtantinopolitanâ quaſi ad calidas aquas egreſſus eſt, qui cum Nicomediæ degeret, languore gravatus, nec ignorans vitæ hujus incertum, gratiam ſacri baptiſmatis eſt adeptus. Hunc eumdem Conſtantinopolitanum Imperatorem, ſicut narrat hiſtoria Eccleſiaſtica [i] ab Euſebio Cæſarienſi Palæſtinæ Epiſcopo conſcripta, beatiſſimus Papa Sylveſter priùs in initio ſuæ converſionis Romæ intrà palatium Lateranenſe baptizaverat. Utraque autem hiſtoria tam Euſebii quàm Caſſiodori, Eccleſiaſtica meruit appellari propter veritatem rerum in Eccleſiâ diverſis temporibus geſtarum. Item Conſtantius Auguſtus, magni Conſtantini filius, eâdem hæreſi fermentatus, & à præfato Euſebio Nicomediæ Epiſcopo rebaptizatus, Liberium Papam venerabilem ab exilio revocatum, ut ſibi conſentiret, & cum hæreticis rebaptizaretur, rogavit & imperavit: quod beatiſſimus Papa minimè fecit. Et licet eidem Conſtantio hæretico ſe publicè in hoc opponeret, tamen propter eum multa hæretica in multis ſupportans diſſimulavit. Idem Conſtantius Auguſtus decollari præcepit Felicem Papam, ſucceſſorem Liberii, eo quod declaraverat eum hæreticum, & ſecundò rebaptizatum à præfato Euſebio Nicomediæ Epiſcopo juxtà Nicomediam in villâ quæ appellatur Aquilone. Quòd ſi fæx [l] ejuſdem hæreſeos adhuc manet in gente Græcorum, videlicet ut alios in nomine ſanctæ Trinitatis baptizatos ad ſe venientes ſuo ritu rebaptizent, quid, quæſo, eſt, quare vocentur Chriſtiani? Quiſquis enim rebaptizandum putat, virtutem ſanctæ Trinitatis, in quâ baptiſmus Catholicus fit, negat, & jam judicatus eſt.

NICHITAS Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Si Latini ritus Græcorum ex integro noſſent, non tam facilè eos calumniarentur, nec in eis tam facilè ſcandalizarentur. Sed non eſt mirandum ſi de hoc non rectè judicant, tametſi rectum ſit quod ignorant. Abſit autem ab orthodoxâ Græcorum fide, ut quemquam Chriſtianorum in invocatione hagiæ Trinitatis baptizatum denuò rebaptizandum putemus, quoniam hoc facere, vel faciendum prædicare, eſt hæreticum eſſe. Sanè habemus quaſdam purificationes in unctione ſacri olei; & quando veniunt ad nos perſonæ extraneæ, viri ſeu mulieres, & tranſire cupiunt in noſtrum ritum & in noſtram ſocietatem, oleo ſacrato eos inungimus, quia ſi Sacramentum unctionis priùs perceperint, ignoramus. Nequaquàm autem eos denuò rebaptizamus, quos priùs baptizatos didicimus, nec eos quoque inungimus, quos priùs unctos, & chriſmali unctione per manûs impoſitionem ſanctificatos, & in Chriſtianâ Religione conſummatos non dubitamus. Non autem dicitur iteratum, quod ignoratur priùs factum.

CAPITULUM XXII.

De concordiâ ſapientum Græcorum & Latinorum.

ANSELMUS Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Gratias ago Deo, qui & hoc ſcandalum à me ſubmovit, & opprobrium Chriſtiani nominis, quod hactenùs in Græcorum ſapientiſſimâ gente ſuſpicatus ſum, à me abſtulit.

NICHITAS Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Si fides noſtra & ritus noſtri, quos habemus in lege Dei, prudentiæ tuæ placent, nos magnopere gaudemus. Quia verò non in magnis, ſed in minimis aliquatenùs diſcrepare videmur, quæ licet ſalutem animarum non impediant, tamen charitatem non ædificant: ſummo ſtudio, ſicut ſuprà dixi, elaborandum eſſet, ut generale Concilium congruo loco & tempore fieret, ubi univerſa quæ nos & vos ab eodem ritu diſſociant, in unam reducta concordiam formarent, & tam Græci, quàm Latini unus populus ſub uno Domino JESU-CHRISTO, in unâ fide, in uno Baptiſmate, in uno Sacramentorum ritu efficeretur.

ANSELMUS Havelbergenſis Epiſcopus dixit: Hæreticorum eſt angulos & latebras quærere; ſed tu qui generale Concilium deſideras, videtur quòd id quod Catholicum eſt, intendas: ideoque & ego Concilium univerſale futurum exopto, ubi tua ſapientia, tua eloquentia, tua ſanctitas, tua maturitas, tua diſcretio, tua manſuetudo, tua modeſtia, tua religio, tua conſtantia, tua pietas, tua perfectio, in facie totius Eccleſiæ ad ſalutem & doctrinam omnium poſſit eluceſcere. Hoc mea humilitas, mea mediocritas, mea parvitas, mea devotio, meus affectus, meum deſiderium ſemper optare non ceſſabit. Univerſi clamantes dixerunt: *Doxa ſi, o Theos, Doxa ſi, o Theos, Doxa ſi, o Theos*, quod eſt, Gloria ſit Deo, Gloria ſit Deo, Gloria ſit Deo. *Calos dialogos*, quod eſt, bonus dualis ſermo. *Holographi, Holographi*, quod eſt, totum ſcribatur, totum ſcribatur. *Hic finit. Deo gratias.*

---

i *hiſtoria Eccleſiaſtica*] De geſtis Sylveſtri Papæ cogitavit, quæ circumferebantur ſub Euſebii Cæſarienſis nomine, ut cum aliunde, tum è Rattramni libro IV. oppoſitorum adverſus Græcos diſcimus. Quæ quidem geſta etiamnum in Bibliothecâ S. Germani à Pratis ſervantur.

l *quod ſi fæx*] Ita emendavit Baluzius; Acherius ediderat *fex*, & conjecerat legendum *facta*.

MONITUM.

CATHARI, de quibus hic agitur, longè diverſi ſunt à vetuſtis illis Catharis ſeu Novatianis, qui Gallieni Imp. & Stephani Papæ I. temporibus emerſere: quod noſſe poteris, Lector, ſi antiquam cum recentiori conferas hæreſim. Catharorum Mediolani Eccleſiam oppugnantium fit mentio in Italiâ ſacrâ auctore Ughello, ubi de Galdino Mediolanenſi Archiepiſcopo agitur: Cæterum Galdinus cum Eccleſiam ſuam divino auxilio ferè ad priſtinum reduxiſſet decorem, &c. plenuſque charitate redivivam hæreſim Catharorum impugnaviſſet, *&c. Hæc Ughellus ad an. 1173. Sed nihil prorſus de Bonacurſo, qui forſitan paulo poſt vivebat.*

Meminit Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad an. 1163. quorumdam Catharorum, quos Eckbertus Abbas S. Florini refutare conatus eſt Coloniæ, ita ut penitùs contradicere non valerent, &c. Sed cum in ſuo propoſito pertinaciſſimè perſiſterent, ab Eccleſiâ prorſus ejecti ſunt, & in manus laïcorum traditi, qui eos extrà urbem educentes, ignibus tradiderunt, &c. Adversùs Catharos iſtos S. Hildegardis, per Spiritum ſanctum inſpirata, ad Canonicos majoris Eccleſiæ Moguntinæ ſcripſit epiſtolam, &c. Cataphrygi ſive Cathari eo dicti, *ait Trithemius*, quod ſe mundos & ſolos Chriſtianos eſſe dicebant. *Catharorum nefandiſſimas hæreſes poſtea anno 1216. amplexati ſunt Albigenſes, qui Comitatum Toloſanum ac plurimas Galliæ urbes veneno ſuo inficere cœperunt, & veluti amentes debacchari. Addit Acherius deſcriptum eſſe hoc opuſculum à D. Jacobo Lannoy, è codice Ciſtertienſis cœnobii: Baluzius verò monet de Bonacurſo videri poſſe ſpecimen Antiquarum Lectionum Labbei pag. 206.*

ANNO circ. 1190.

VITA HÆRETICORUM

Quam patefecit BONACURSUS quondam hæreticus, nunc autem Catholicus.

MANIFESTATIO *hæreſis Catharorum, quam fecit* BONACURSUS, *qui quondam fuit Magiſter illorum Mediolani, coram populo.*

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

DOMINUS noſter JESUS CHRISTUS, qui Eccleſiam ſuam ſemper & ubique protegit & gubernat, atque fidem Catholicam confirmat & conſervat, errores illorum, qui Cathari vocantur, manifeſtare & aperire per ſuam ſanctam miſericordiam volens; quemdam Epiſcopum doctorem, Bonacurſum nomine, miſericorditer gratiâ ſancti Spiritûs illuminavit, & ad ſinum ſanctæ matris Eccleſiæ per gratiam renovavit: unde immenſas laudes Deo omnibuſque Sanctis referamus. Illorum quidem hæreſis non ſolùm formidabilis, verùm etiam ad loquendum ſeu ad audiendum nimis eſt terribilis atque execrabilis.

Catharorum hæreſis.

Nam quidam illorum dicunt Deum creaſſe omnia elementa, alii dicunt illa elementa diabolum creaſſe: ſententia tamen omnium eſt, illa elementa diabolum diviſiſſe. Dicunt etiam eumdem diabolum Adam de limo terræ feciſſe, & quemdam Angelum lucis in eo ſummâ vi incluſiſſe, de quo credunt dictum eſſe in Evangelio: *Homo quidam deſcendebat à Jeruſalem in Jerico, &c.*

Luc. 10. 30.

Hevam dicunt feciſſe, cum quâ concubuit, & inde natus eſt Caïn, de ſanguine cujus dicunt natos eſſe canes, ideoque tam fideles ſunt hominibus. Conjunctio Adæ cum Hevâ, ut dicunt, fuit pomum vetitum. Alium errorem inducunt, ſcilicet omnia quæ facta ſunt in aere, in mari & in terrâ, facta eſſe à diabolo, ſicut homines, animata & inanimata. Ex filiabus Hevæ & dæmonibus dicunt natos eſſe gigantes, qui cognoverunt per dæmones patres ſuos diabolum omnia creaſſe. Unde diabolus dolens eos iſta ſcire, dixit: *Pœnitet me feciſſe hominem.* Genes. 6. 6.

Unde quia Noë hoc ignoravit, à diluvio liberatus eſt, cui dicunt dictum eſſe à diabolo: *Ingredere in arcam.* Ibid. 7. 1.

Enoc ab eodem tranſlatum eſſe dicunt.

Iterum aſſerunt, quæcumque ſunt facta vel dicta Abrahæ, Iſaac & Jacob, à dæmone dicta & facta eſſe. Dicunt etiam quod diabolus Moyſi in rubo apparuit, & loquutus eſt ei. Inſuper miracula quæ facta ſunt in conſpectu Pharaonis per Moyſen; & quòd filii Iſraël per mare rubrum tranſierunt, & educti ſunt in terram promiſſionis; & de loquutione Dei ad ipſum, & de lege quam dedit illi Deus: omnia iſta dicunt & credunt eſſe facta ab ipſo diabolo magiſtro eorum. De dictis ſanctorum Prophetarum dicunt quædam eſſe revelata à Spiritu Dei, quædam à ſpiritu maligno. Unde Apoſtolus: *Omnia probate; quod bonum eſt, tenete.* 1. Theſſ. 5. 21.

David propter adulterium & homicidium damnant. Heliam in curru à diabolo delatum eſſe dicunt. De Angelo à Deo Zachariæ miſſo, Angelum diaboli aſſerunt. Ipſum quoque Johannem, quo nemo major eſt, teſtante Domino, damnant. Quare? Quia Dominus dicit in Evangelio: *Qui minor eſt in regno cœlorum, major eſt illo.* Matt. 11. 11.

Et quia dubitavit de Chriſto, cum dixit: *Tu es qui venturus es, an alium exſpectamus?* Luc. 7. 19. & 20.

MARIAM matrem Domini noſtri credunt natam fuiſſe...... De Chriſto dicunt, quòd non habuit animatum corpus, non manducavit, neque bibit,

ſe.

Digitized by Google

ſed nee aliqua ſecundum hominem fecit, ſed videbatur ita. Dextrum latronem dicunt in inferno eſſe. Non credunt corpus Chriſti reſurrexiſſe, nec in cœlum aſſumptum fuiſſe, neque carnis reſurrectionem, nec Chriſtum deſcendiſſe in infernum. Non credunt *Joan. 14. 28.* Filium æqualem Patri, quia dixit: *Pater major me eſt.* Crucem dicunt characterem eſſe beſtiæ, quæ in Apocalypſi eſſe legitur, & abominationem ſtantem in loco ſancto. Beatum Sylveſtrum dicunt An- *2. Theſſ. 2. 4.* tichriſtum fuiſſe, de quo legitur in Epiſtolis: *Filius perditionis* eſt, *qui extollitur ſuprà omne quod dicitur Deus.* A tempore illo dicunt Eccleſiam eſſe perditam. Nullum credunt in conjugio ſalvari poſſe.

Doctores autem damnant omnes; videlicet Ambroſium, Gregorium, Auguſtinum, Hieronymum, & alios univerſaliter damnant. Si quis manducaverit carnem, vel ova, ſeu caſeum, vel aliquid beſtialis naturæ, quòd damnationem ſibi manducat. Per Baptiſmum aquæ Spiritum ſanctum nullo modo credunt poſſe accipi: nec aliquam ſubſtantiam viſibilem credunt ullo modo in corpus Chriſti poſſe converti. Credunt etiam, [quòd] omnis qui jurat, damnabitur: & credunt nullum poſſe ſalvari, niſi quâdam ſuâ impoſitione manuum, quam Baptiſmum appellant, & renovationem ſancti Spiritûs. Ipſum diabolum credunt eſſe ſolem, lunam dicunt eſſe Hevam, & per ſingulos menſes dicunt eos fornicari, ut vir cum aliquâ meretrice. Omnes ſtellas credunt eſſe dæmones. Ad ultimum dicunt ſine illis neminem poſſe ſalvari. Ecce talis eſt hæreſis Catharorum, à quâ Deus avertat univerſalitatem Catholicorum. Amen.

Adversùs hæreticos qui Cathari vocantur.

Christus Dei Filius, Dominus & Redemptor noſter, qui cum Patre & Spiritu ſancto unus eſt Deus, venturi præſcius erroris, hoc modo ſuos *Matt. 24. 4. & ſeq.* communit Diſcipulos: *Videte*, inquit, *ne quis vos ſeducat; multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus, & multos ſeducent.* Ac paucis *Ibid. v. 11.* intermiſſis ſubjungit: *Et multi pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos. Et quoniam abundavit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Et iterum: *Surgent*, inquit, *pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.* Petrus *2. Pet. 2. 1. & ſeq.* etiam Apoſtolus in Epiſtolâ 2. *Fuerunt & pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & eum qui emit eos, Deum eſſe negant; ſuperinducentes ſibi ſectas perditionis, audaces, ſibi placentes, qui ſectas faciunt blaſphemantes. Hi verò irrationabilia velut pecora ſunt. Naturaliter in captionem & in perniciem in his quæ ignorant, blaſphemantes, in corruptione ſuâ peribunt.* Paulus quoque in Epiſto- *1. Tim. 4. 1.* lâ 1. ad Timotheum: *Spiritus*, inquit, *manifeſtè dicit, quòd in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium,* & cætera.

Et quis tam parvi ſenſûs eſt, qui non apertiſſimè intelligat iſtud eſſe tempus, de quo prophetiæ prædictæ loquuntur? Nonne jam civitates, ſuburbia, villas & caſtella hujuſmodi pſeudoprophetis plena eſſe videmus? Qui verbi ſemen ſuis conculcantes pedibus, zizaniam ſui erroris ſeminare non deſiſtunt, atque ſponſam Chriſti, ſanctam videlicet Eccleſiam, peſtifero veneno nimiâ importunitate corrumpere nituntur. Quapropter velocius ſurgentes non ultrà differamus, ſed gladio ſpiritûs celeriter arrepto illis obviemus ac viriliter reſiſtamus, & quàm peſtifera illorum ſit doctrina, Scripturæ ſacræ teſtimonio apertiſſimè oſtendamus. Aſcendamus ex adverſo, & opponamus nos murum pro domo Iſraël contrà inimicos Crucis Chriſti, ne propheticæ maledictioni ſubjacentes audiamus: *Maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine.* *Jerem. 48. 10.* Apprehendamus arma & ſcutum, & exurgamus in adjutorium Domini. Effundamus gladio, & expugnemus eos qui perſequuntur & diſpergere nituntur oves Domini, de illius adjutorio confidentes, qui dixit: *Dabo vobis os* *Luc. 21. 15.* *& ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes adverſarii veſtri.* Proſternamus iſtos ſeductores, quos videmus quoſdam errores ſuos Scripturarum teſtimonio perverſo intellectu confirmare, quoſdam verò corrupti ſenſûs magis dæmonum inſtinctu fingere, quàm Scripturarum auctoritate fulcire. Quod ergo Scripturæ teſtimonio aſſerere nituntur, ejuſdem teſtimonio omninò deſtruamus. Quod autem velut deliramenta conjicere videntur, tamquam ſint indigna reſponſione, pedibus conculcemus.

Quòd omnia tam viſibilia, quàm inviſibilia, à Deo creata ſunt omnipotente.

CAPUT I.

Johannes cap. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* *Joan. 1. 3.* Item: *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non* *Ibid. v. 10.* *cognovit.* Paulus in Epiſtolâ ad Coloſſenſes, cap. 1. *Colloſ. 1. 16.* *Quia in ipſo condita ſunt univerſa in cælo & in terrâ, viſibilia & inviſibilia; ſive throni, ſive dominationes, ſive poteſtates, ſive principatus, omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt.* Ad Hebræos, cap. 1. *Et tu in principio, Domine, terram fundaſti, & opera* *Hebr. 1. 10. & 11.* *manuum tuarum ſunt cæli; ipſi peribunt, tu autem in æternum permanebis.* Item cap. 3. *Omnis domus* *Ibid. 3. 4* *fabricatur ab aliquo; qui autem omnia creavit, Deus eſt.* In Actibus Apoſtolorum: *Tu autem, Domine,* *Act. 14. 15.* *feciſti cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt; da ſervis tuis cum fiduciâ loqui verbum tuum.* Item: *Ibid. 4. 29.* *Quam domum ædificabitis mihi; aut quis locus requietionis meæ? Nonne manus mea fecit hæc omnia?* *Ibid. 7. 49.* Item cap. 40. *Paulus ego annuntio vobis Deum, qui* *Ibid. c. 17.* *fecit hunc mundum, & omnia quæ in eo ſunt; in quo vivimus & movemur & ſumus.* In Apocalypſi: *Dignus es, Domine Deus noſter, accipere gloriam &* *Apoc. 4. 11.* *honorem & virtutem, quia tu creaſti omnia, & propter tuam voluntatem erant, & creata ſunt.* Item: *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit* *Ibid. 14. 7.* *hora judicii ejus; & adorate eum qui fecit cælum & terram, & omnia quæ in eis ſunt, & fontes aquarum.*

Quòd omnipotens Deus Adam & Hevam, atque omne genus hominum creavit.

CAPUT II.

Matthæus cap. 19. *Quod fecit ab initio, maſculum & fœminam fecit eos. Et dixit: Propter* *Matt. 19. 4.* *hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ,* &c. Marcus cap. 10. *Ab initio* *Marc. 10. 6* *creaturæ maſculum & fœminam fecit eos Deus.* Lucas *Luc. 3. 23 & ſeq.* cap. 3. *Et ipſe* Jesus *erat incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur filius Joſeph, qui fuit Eli,* uſque, *qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Item cap. 11. *Stulti, nonne qui quod deforis eſt, fecit, etiam id* *Ibid. 11. 40.* *quod intus eſt, fecit?* Paulus in Epiſtolâ ad Galatas cap. 1. *Cum autem complacuit ei qui me ſegregavit* *Gal. 1. 15.* *de utero matris meæ,* &c. Matthæus cap. 5. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos,* *Matt. 5. 44.* *& orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri qui in cælis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.* In Actibus Apoſtolorum cap. 14. *Et* *Act. 14. 17.* *quidem non ſine teſtimonio nos reliquit, benefaciens,*

de cælo dans pluviam & tempora fructifera, implens cibo, & lætitiâ corda noſtra.

De lege Moyſi ſervi Dei, quòd ab omnipotenti Deo data ſit.

CAPUT III.
Matt. 5. 17.
Ibid. 7. 12.
Ibid. 19. 16. &c.
Luc. 2. 22.
Ibid. 16. 29.
Rom. 7. 12.
Galat. 3. 19.
Ibid. v. 24.

MATTHÆUS cap. 5. *Nolite putare quoniam veni ſolvere legem aut Prophetas; non veni ſolvere legem, ſed adimplere.* Item: *Omnia quæcumque vultis ut homines vobis faciant, & vos illis facite ſimiliter. Hæc eſt enim lex & Prophetæ.* Item cap. 19. *Et ecce unus accedens, ait illi: Magiſter bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Qui dixit ei: *Cur me interrogas de bono? unus eſt bonus Deus: ſi vis ingredi ad vitam, ſerva mandata. Dixit illi: Quæ?* JESUS *autem dixit illi: Non homicidium facias: non adulterabis: non facies furtum: nec falſum teſtimonium dices. Honora patrem tuum & matrem; & diliges proximum tuum, ſicut teipſum.* Lucas cap. 2. *Et poſtquàm impleti ſunt dies purgationis ejus ſecundum legem Moyſi, tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini.* Item cap. 16. *Habent Moyſen & Prophetas, audiant illos. Si Moyſen & Prophetas non audierint, neque ſi quis ex mortuis ſurrexerit, credent.* Paulus in Epiſtolâ ad Rom. cap. 7. *Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum & bonum.* In Epiſtolâ ad Galatas cap. 3. *Quid igitur, lex propter tranſgreſſionem poſita eſt?* Item ſequenti: *Ea lex pædagogus noſter fuit in Chriſto.*

Quòd Johannes Baptiſta, Abraham, Iſaac & Jacob, & Moyſes ſint electi & amici Dei.

CAPUT IV.
Luc. 1. 13. & ſeq.
Matt. 11. 8. & ſeq.
Luc. 13. 28. &c.
Act. 3. 13. &c.
Apoc. 15. 2.

LUCAS cap. 1. *Ait Angelus Domini: Ne timeas Zacharia: quoniam exaudita eſt deprecatio tua, & uxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Johannem, & erit tibi gaudium & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino; vinum & ſiceram non bibet, & Spiritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ, & multos filiorum Iſrael convertet ad Dominum Deum ipſorum. Et ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Heliæ, &c.* In Matthæo Dominus dixit ad turbas de Johanne: *Quid exiſtis videre? Prophetam? Et etiam dico vobis, & pluſquàm Prophetam. Hic eſt de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum major Johanne Baptiſta. Qui autem minor eſt in regno cælorum, major eſt illo.* Item Lucas cap. 13. *Cum videritis Abraham, Iſaac & Jacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos expelli foras. Et venient ab Oriente & Occidente, ab Aquilone & Auſtro, & accumbent in regno Dei. Ecce ſunt noviſſimi qui erant primi, & ſunt primi qui erant noviſſimi.* In Actis Apoſtolorum cap. 3. *Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob, Deus patrum noſtrorum glorificavit Filium ſuum* JESUM. Et infrà: *Vos eſtis filii Prophetarum & Teſtamenti, quod diſpoſuit Deus ad patres noſtros, dicens ad Abraham: In ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.* In Apocalypſi cap. 15. *Et vidi tamquam mare vitreum mixtum igne, & eos qui vicerunt beſtiam, & magnitudinem ejus, & numerum nominis ejus, ſtantes ſuprà mare vitreum, habentes citharas, & cantantes canticum Moyſi ſervi Dei, & canticum Agni, dicentes: Magna & mirabilia opera tua, Domine Deus omnipotens.*

Quòd conjugium à Deo ſit inſtitutum, & quòd in eo poſſumus ſalvari.

CAPUT V.
Matt. 5. 31. &c.
Matt. 19. 3. &c.
1. Cor. 7. 1. & ſeq.
Ibid. 7. 27.
Ibid. v. 38.
1. Tim. 5. 14

MATTHÆUS cap. 5. Dictum eſt: *Qui dimiſerit uxorem ſuam, det illi libellum repudii; ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari; & qui dimiſſam duxerit, adulter eſt.* Item cap. 19. *Et acceſſerunt ad eum Phariſæi tentantes & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem ſuam quâcumque ex causâ. Qui reſpondens ait: Non legiſtis quòd qui fecit ab initio, maſculum & fœminam fecit eos. Et dixit: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo conjunxit Deus, homo non ſeparet. Dicunt illi: Quid ergo mandavit Moyſes dare libellum repudii, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras, ab initio autem non fuit ſic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem cauſam, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimiſſam, &c.* Paulus in Epiſtolâ ad Corinthios primâ cap. 7. *De quibus autem ſcripſiſtis mihi, bonum eſt homini mulierem non tangere; propter autem fornicationem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque virum habeat. Uxori vir debitum reddat, & uxor viro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos ſatanas propter incontinentiam veſtram.* Item: *Alligatus es uxori? noli quærere ſolutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccaſti. Qui matrimonio jungit virginem ſuam, benè facit; & qui non jungit, melius facit. Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit. Quòd ſi dormierit vir ejus, liberata eſt à lege viri; cui vult, nubat, tantum in Domino; beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium. Puto autem quòd & ego ſpiritum Dei habeam.* Ad Timotheum cap. 5. *Volo juniores nubere, filios procreare, matres-familias eſſe, nullam occaſionem dare adverſario maledicti gratiâ.*

Quòd Filius Dei veram carnem aſſumſit, in quâ dormivit, manducavit & bibit, etiam poſt reſurrectionem.

CAPUT VI.
Mat. 1. 16
Ibid. 8. 24.
Ibid. 11. 19.
Luc. 24. 38. &c.
Joan. 1. 14.
1. Joan. 4. 2.
Apoc. 1. 5.

MATTHÆUS cap. 1. *Jacob genuit Joſeph virum* MARIÆ, *de quâ natus eſt* JESUS *qui vocatur Chriſtus.* Item cap. 8. *Ipſe verò dormiebat, & acceſſerunt & ſuſcitaverunt.* cap. 11. item: *Venit filius hominis manducans & bibens.* Lucas cap. 24. *Et quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? Videte manus meas & pedes meos, quia ego ſum; palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Et cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & pedes. Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus præ gaudio dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & favum mellis. Et cum manducaſſet coram eis, ſumens reliquias dedit eis.* Johannes cap. 1. *Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* In Epiſtolâ Johannis primâ cap. 4. *Omnis ſpiritus qui confitetur* JESUM-CHRISTUM *in carne veniſſe, ex Deo eſt: & omnis qui ſolvit* JESUM, *ex Deo non eſt, & hic Antichriſtus eſt, de quo audiſtis, quia venit, & nunc jam eſt in mundo.* In Apocalypſi cap. 1. *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.*

Quòd panis qui in altare ponitur, & vinum convertatur poſt ſanctificationem in corpus & ſanguinem Domini, & quòd nullus, niſi qui manducaverit, ſalvetur.

CAPUT VII.
Matt. 26. 26. & ſeq.

MATTHÆUS cap. 26. *Cœnantibus Diſcipulis, accepit* JESUS *panem, & benedixit, ac fregit,*

Digitized by Google

dediſque Diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, dedit eis dicens: Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Ecce habes, ô hæretice, quòd panis & vinum poſt benedictionem convertuntur in corpus & ſanguinem Domini. Nam quod ante benedictionem panis dicitur, poſt benedictionem corpus & ſanguinem manifeſtè aſſerit; quod qui non manducaverit, vitam non habebit, qui verò manducaverit, vitam obtinebit. Unde Dominus in Evangelio ſecundum

Joan. 6. 54. &c.

Johannem: Amen amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam; & ego reſſuſcitabo eum in noviſſimo die. Caro enim mea verus eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Apoſtolus

1. Cor. 10, 16.

quoque in Epiſtolâ 1. ad Corinthios cap. 10. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Domini eſt? Et panis quem frangimus, nonne participatio Chriſti eſt? Et infrà cap. 11.

Ibid. 11. 23. &c.

Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus JESUS in quâ nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter & poſtquam cœnavit, dicens: Hic eſt calix novi Teſtamenti in meo ſanguine, hoc facite in meam commemorationem. Quotieſcumque bibetis, &c. uſque: Qui manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.

De reſurrectione mortuorum in die noviſſimo.

CAPUT VIII.

Luc. 10. 34. &c.

LUCAS cap. 20. Filii hujus ſæculi nubunt & traduntur ad nuptias: illi autem qui digni habentur ſæculo illo ex reſurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores, neque ultrà mori poterunt; æquales enim Angelis ſunt, & filii ſunt Dei, cum ſint filii reſurrectionis. Quod reſurgent mortui, & Moy-

Ibid. v. 38.

ſes oſtendit ſecus rubum, ſicut dixit: Deum Abraham & Deum Iſaac & Deum Jacob; Deus autem non eſt mortuorum, ſed vivorum, omnes enim vivunt ei.

Joan. 6. 39. &c.

Johannes cap. 6. Hæc eſt voluntas Patris mei qui miſit me, ut omne quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo, ſed reſſuſcitem illud in noviſſimo die: hæc eſt autem voluntas Patris mei qui me miſit, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam; & ego reſſuſcitabo eum in noviſſimo die.

1. Cor. 15. 12. &c.

Paulus in Epiſtolâ 1. ad Cor. cap. 15. Si Chriſtus prædicatur quòd reſurrexerit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt, neque reſurrexit? Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt & fides noſtra. Et multa alia quæ de reſurrectione in

Ibid. v. 51.

hoc capitulo loquitur Apoſtolus, uſque: Myſterium ecce vobis dico, omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in noviſſimâ tubâ; canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur, &c.

Quòd carnes, caſeus, ova & lac abſque peccato manducari poſſunt.

CAPUT IX.

Matt. 15. 11.

MATTHÆUS cap. 15. Audite & intelligite omnes. Quod intrat in os, non coinquinat hominem; ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.

Rom. 14. 3.

Paulus in Epiſtolâ ad Rom. cap. 14. Is qui manducat, manducantem non ſpernat; & qui non manducat, manducantem non judicet.

Ibid. v. 14.

Item: Scio & confido in

Domino JESU, quia nihil commune per ipſum, niſi ei qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt.

Ibid. v. 20.

Item: Omnia quidem munda ſunt, ſed malum eſt homini qui per offendiculum manducat.

1. Cor. 10. 25

Paulus in Epiſtolâ 1. ad Cor. cap. 10. Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam: Domini eſt terra & plenitudo ejus.

Ibid. v. 27.

Item: Si quis infidelium vocat vos ad cœnam, & vultis ire, omne quod vobis ponitur, manducate.

Coloſſ. 2. 16.

Ad Coloſſ. cap. 2. Nemo vos judicet in cibo aut in potu.

1. Tim. 4. 1. & ſeq.

Ad Tim. cap. 4. Spiritus manifeſtè dicit, quod in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentium nubere, abſtinere à cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognoverunt veritatem. Quod omnis creatura Dei bona, & nihil rejiciendum quod gratiarum actione percipitur: ſanctificatur enim per verbum Dei & orationem.

Tit. 1. 15.

Ad Tit. cap. 1. Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum, ſi in iniquitate ſunt eorum mens & conſcientia.

Quòd veritatem jurare neceſſitate exigente, cupiditate amotâ, non ſit damnabile.

CAPUT XVI.

Matt. 5. 34.

SUPER hoc quod dicis, ô idiota cauteriate, mortale eſſe jurare, pro eo quod Dominus dicit, non jurare omninò, ſit ſermo veſter, eſt, eſt; non, non; ſic reſpondemus, quia non præcipiendo, ſed hortando & monendo hoc dixit, nec tum præcepti neceſſitatem impoſuit, ſed conſilium dedit: ſed nec qui veritatem jurat neceſſitate cogente, cupiditate amotâ, damnabile quiddam facit. Et quid eſt jurare, niſi mentis certitudinem pro manifeſta utilitate verbis confirmare? Nam & ipſe Dominus juravit, ubi dicit: Amen amen dico vobis. Et Apoſtolus ubi di-

2. Cor 1. 23.

cit in Epiſtolâ ſuâ: Invoco Deum teſtem & animam meam.

Rom. 1. 9.

Et iterum: Deus mihi teſtis eſt.

Hebr. 6. 13. &c.

Item in Epiſtolâ ad Hebræos cap. 6. Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem juravit per ſeipſum dicens: Niſi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. Et ſic longanimiter ferens, adeptus eſt repromiſſionem. Homines enim per majorem ſui jurant, & omnis controverſiæ eorum finis ad confirmationem eſt juramentum.

Apoc. 10. 5. & 6.

Item in Apocalypſi cap. 10. Et Angelus Domini, quem ſuprà mare vidi ſtantem & ſuper terram, levavit manum ſuam ad cælum, & juravit per viventem in ſæcula ſæculorum, qui creavit cælum & ea quæ in eo ſunt, & terram & ea quæ in eâ ſunt, & mare & ea quæ in eo ſunt, quia tempus amplius non erit. His itaque auctoritatibus colligere apertè poſſumus, quòd non jurare, conſilium eſt, non præceptum. Unde mentiri manifeſtè comprobaris, ô hæretice, [qui] mortale aſſeris juramentum eſſe: quia ſicut omne id quod in parte decernitur, mortem irrogat non impletum; ita ea quæ [conſuluntur] potiùs quàm jubentur, facta proſunt, non facta [non] nocent.

ADVERSUS HÆRETICOS QUI PASANIS NUNCUPANTUR.

QUALIS ſit eorum error, qui Paſagii vocantur, & quàm illorum ſit nefanda fides & doctrina, non jam paucis, ſed quàm pluribus apparet. Sed quia ſunt nonnulli ad quorum notitiam nondum pervenit, tum pro iſtorum cautelâ & ſalute, tum pro illorum confuſione & pudore, quod de eis ſentio, ſcribere non piget, ut quo magis fuerit eorum

Digitized by Google

nota dementia; eo amplius à cunctis contemnatur & conculcetur. Quia ſicut bona ſciri debent ut exerceantur, ita etiam mala ſcire convenit ut penitùs vitentur.

Hæreſes enumerantur
Adverte ergo tu qui neſcis, quàm perverſa ſit illorum fides & doctrina. In primis enim dicunt, quòd Moſaica lex ſit ad litteram obſervanda, & quòd Sabbatum & Circumciſio & aliæ legales obſervantiæ adhuc habere ſtatum debeant. Dicunt etiam quòd Chriſtus Dei Filius non ſit æqualis Patri, & quòd Pater & Filius & Spiritus ſanctus, iſtæ tres Perſonæ non ſint unus Deus & una ſubſtantia. Præterea ad augmentum ſui erroris, omnes Eccleſiæ Doctores, & univerſaliter totam Eccleſiam Romanam judicant & condemnant. Sed quia hunc ſuum errorem novi Teſtamenti ac Prophetarum teſtimonio [aſſerere] nituntur, proprio illorum gladio, Chriſti ſuffragante gratiâ, ſicut David Goliam, eumdem ſuffocemus.

Quòd lex Moſaica ſit ſpiritualiter obſervanda.

CAPUT I.
Matt. 7. 12.
IN Matthæo: *Omnia quæcumque vultis ut vobis faciant homines, & vos facite illis ſimiliter; hæc eſt enim lex & Prophetæ.* Item [Luc.] cap. 16.
Luc. 16. 16.
Omnis enim lex & Prophetæ uſque ad Johannem per fidem ſine operibus legis. Item cap. 6. *Non enim*
Rom. 6. 14.
ſub lege eſtis, ſed ſub gratiâ. Item, ſeq. cap. *An ignoratis,*
Ibid. 7. 1. &c.
fratres, (ſcientibus enim legem loquor) quod lex dominatur in homine, quanto tempore vivit. Nam quæ ſub viro mulier, vivente viro alligata eſt legi; ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt à lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum altero viro. Igitur vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro. Itaque, fratres mei, & vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti, ut ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit, ut fructificaremus Deo. Cum enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorum quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, ut fructificaremus morti. Nunc autem ſoluti ſumus à morte legis, in quâ detinebamur, ita ut ſerviamus in novitate ſpiritûs & non in vetuſtate litteræ. Item cap. 10.
Ibid. 10. 3.
Ignorantes autem Dei juſtitiam, & ſuam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti; finis enim legis
Ibid. 13. 8
ad juſtitiam omni credenti. Et infrà: *Qui diligit proximum, legem implevit.* Paulus in Epiſtola ad Cor.
2. Cor. 5. 17.
cap. 5. *Vetera tranſierunt, & ecce omnia facta ſunt*
Ibid. 3. 6.
nova. In eâdem Epiſtolâ cap. 3. *Littera occidit, ſpi-*
Galat. 3. 19
ritus autem vivificat. Item & ad Gal. cap. 3. *Quid igitur lex? Propter tranſgreſſiones poſita, donec ve-*
Ibidem v. 16.
niret ſemen cui promiſerat, &c. Et infrà: *Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificemur: at ubi venit fides, jam non ſumus ſub pædagogo.*
Ibid. 5. 14.
Item cap. 5. *Omnis lex enim in uno ſermone completur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Et infrà:
Ibid. v. 18.
Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege. In Epiſtolâ
1. Tim. 1. 8. &c.
ad Timoth. primâ cap. 1. *Scimus autem quoniam bona eſt lex, ſi quis eâ legitimè utatur, ſciens hoc, quòd juſto non eſt lex, ſed injuſtis & ſubditis, impiis & peccatoribus,* &c. In Epiſtola ad Hebræos
Hebr. 7. 18.
cap. 7. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem & inutilitatem.* Item cap.
Ibid. 8. 8. &c
8. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Juda teſtamentum novum, non ſecundum teſtamentum quod feci patribus eorum in die quâ apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terrâ Ægypti; dicendo autem novum, veteravit prius; quod antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt.*
Ibid. v. 14.
Item cap. 7. *Nam tranſlato ſacerdotio, neceſſe eſt ut legis tranſlatio fiat.*
Ibid. 7. 12.

De ceſſatione Sabbati, quod ad litteram non ſit obſervandum.

JOHANNES cap. 5. *Dicebant illi qui ſanatus fuerat:* Joan. 5. 10. &c.
Sabbatum eſt, non licet tibi tollere grabatum tuum. Reſpondit eis: Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum & ambula. Item: Judæi *pro-* Ibid. v. 16. & ſeq.
pterea perſequebantur JESUM, *quia hæc faciebat in Sabbato.* JESUS *autem reſpondit eis: Pater meus uſque modo operatur: propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere, qui non ſolum ſolvebat Sabbatum, ſed & Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.* Paulus ad Coloſſenſes cap. 2. *Nemo* Coloſſ. 2. 16.
vos judicet in cibo, aut in potu, aut in participatione diei feſti neomeniæ, aut ſabbatorum, quæ ſunt umbra futurorum; corpus autem Chriſti. Iſidorus: „Si crimen, Sabbati otia non obſervare; cur Jeſus „Nave diſcipulus ac ſucceſſor Moyſi, præcipiente „Domino, ſeptem diebus continuis, inter quos uti- „que Sabbatum erat, exercitum & arma produxit, „atque circumdatâ arcâ, tubiſque clangentibus „Jerico muros ſubvertit? Quid igitur iterum de „Machabæis eloquar, de quibus ſcriptum eſt: Et nolebant Judæi in die Sabbati vindicare ſe de alienigenis, poſtea conſilio accepto, pugnaverunt die Sabbati, & triumphaverunt de hoſtibus. Quibus teſtimonio edocemur non pertinere ad fidem iſtum Sabbati elementarium diem, ſed alium ſpecialem. Nam hoc carnale Sabbatum non eſt datum propter purificationem, ſed propter tentationem, dicente Domino: *Ut tentem eos, utrum ambulent in viis meis,* Exod. 16. 4.
an non; ſex diebus colligite manna, ſeptimo non colligetis. Itaque dicit, *ut tentem eos*, ut appareat non fuiſſe præceptum propter juſtificationem, ſed propter tentationem. Hinc eſt quòd per Ezechielem Prophetam loquitur, dicens: *Dedi eis præcepta non bona*, id eſt, quæ carnaliter obſervata ſuos obſervatores non ſervant. Utique quædam carnali populo carnaliter agenda permiſſa ſunt, quæ tamen veniente Evangelio ceſſaverunt, ſicut per Prophetam dicit: *Ceſſare faciam omne gau-* Oſee 2. 11.
dium ejus & Sabbata ejus. Sed quæritur: Si non, inquiunt, cuſtodiendum Sabbatum, quare dictum eſt in mandatis Domini: *Memento ut diem Sabbati* Exod. 20. 8.
ſanctifices: ſex diebus operaberis, & facies opera tua; ſeptimâ autem die Sabbata Domini Dei tui ſunt, non facies in eâ omne opus. In opere enim ſex dierum ſex millia annorum demonſtrabant. Mille enim anni apud Deum unius diei ſpatio comparantur, ſicut Propheta teſtatur: *Quoniam mille anni ante oculos* Pſal. 89. 4.
tuos tamquam dies una. Horum dierum Sabbatum, ſeptimi millenarii tempus, ac requies futuri regni & ſæculi eſt; ubi jam nulla erit opera rerum, ſed requies ſola Sanctorum. Eſt quippe aliud Sabbatum, de quo per Eſaiam dicitur: *Et erit quippe* Iſai. 66. 23.
menſis ex menſe Sabbatum. Menſis ex menſe, id eſt, ex perfectione bonæ operationis perfectum gaudium æternæ vitæ. Et erit Sabbatum ex Sabbatis, quia qui hic ceſſaverit à perverſo opere, illic quieſcet in cœleſti retributione. Sed iterum quæritur, quare dixerit Jeremias: *Cuſtodite animas veſtras, & no-* Jerem. 17. 21.
lite portare pondera in die Sabbati. Audi ergo ejuſdem Prophetæ myſterium. Pondera portans in Sabbatum, qui credens in Chriſto, non deſinit à peccato; ipſe enim eſt requies animarum, ſicut iſte dicit: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.* Adhuc tertiò quæritur, quare ille homo qui colligebat ligna in die Sabbati, atrociter juſſu Dei fuerit à populo trucidatus. Intelligant ergo quòd hæc omnia in figurâ accidebant illis, ſcripta ſunt enim ad correptionem

noſtram. Ille enim priſtinus carnaliſque eſt, qui dicit Sabbatum violari uſque dum ligna colligent, propter quod [qui] eſt punitus, formam inſinuat ejus, qui cum carnali opere in die judicii fuerit inventus, pellendus eſt ab omnibus Angelis, & ſtatim morte noviſſimâ puniendus. Sic ergo quæcumque illis Judæis per legem acciderint, formaliter intelligenda ſunt.

De circumciſione, quòd ſpiritaliter non ad litteram ſit obſervanda.

PAulus in Epiſtolâ ad Romanos cap. 2. 28. *Non enim qui in manifeſto, Judæus eſt; neque quæ in manifeſto, in carne, eſt circumciſio; ſed qui in abſcondito, Judæus eſt; & circumciſio carnis in ſpiritu, non litterâ, cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.* Item Gal. cap. 5. 2. *Ecce ego Paulus dico, quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.* In Epiſtolâ ad Coloſſenſes cap. 2. 11. *Circumciſi eſtis circumciſione [non] manufactâ, in exſpoliatione corporis [peccatorum] carnis, [in circumciſione Chriſti.]*

Ratio quare circumciſio Abrahæ data ſit, & pro qua ſignificatione.

ISidorus: Accipe nunc primam cauſam circumciſionis. Quia enim ſecundum carnem erat Chriſtus naſciturus, in quo cunctarum gentium fuerat benedictio repromiſſa, & [ab] Abraham uſque ad Chriſtum multa erant ſæcula futura: prævidens Deus genus Abrahæ, ne reliquis gentibus miſceretur, & paulatim propago ejus fieret incerta, populum Judaïcum circumciſionis ſigno notavit, ut videret inter Ægyptios, Aſſyrios, inter Babylones, ſive Chaldæos, hoc ſignaculo ab his ſive à cæteris gentibus, quòd diſtingueretur. Denique per quadraginta annos in eremo nullus eſt circumciſus, ibi quippe ſine alterius commixtione vivebant; at ubi Jordanis alveum populus Iſraëliticus tranſmeavit, atque in terram promiſſionis pervenit, ſignum circumciſionis futuro ex commixtione gentium prævidit errori. Quam rationabiliter cuſtodiendam eſſe credimus, quouſque naſceretur Chriſtus, qui ex ſemine Abrahæ fuerat repromiſſus, quòd non jam per circumciſionem carnis, ſed per amputationem vitiorum mundaret corda omnium gentium. Unde Moyſes ait: *In noviſſimis diebus circumcidet cor tuum & cor ſeminis tui.* (Deuter 30. 6.) Et Dominus per Iſaïam annuntiavit dicens: *Ne memineritis priorum, & antiqua non intueamini, ecce nova faciam quæ nunc orientur, & cognoſcetis ea.* (Iſai. 43. 18.) Et benè cultris lapideis circumciſio fiebat, ſecundâ namque fiet petrâ, quæ Chriſtus eſt, per quem ſpiritali circumciſione credentes purgantur ab omnibus illecebris vitiorum.

Quòd Chriſtus ſit Deus, Patri æqualis & conſubſtantialis.

CAPUT II.

JOhannes cap. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Item cap. 5. 18. *Propterea magis quærebant Judæi Chriſtum interficere, quòd non [ſolùm] ſolvebat Sabbatum, ſed & Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.* Item cap. 14. 8. *Dicit ei Philippus: Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.* Dicit ei JESUS: *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum. Quomodo tu dicis: Oſtende nobis Patrem? & Pater in me eſt.* Et infrà: *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt.* Item cap. 20. 29. *Reſpondit Thomas & dixit: Dominus meus & Deus meus. Dixit ei* JESUS: *Quia vidiſti me & credidiſti, beati qui non viderunt, & crediderunt.* Item in ultimo cap. 21. 15. dixit ei Petrus: *Domine tu omnia noſti, tu ſcis quia amo te.* In Apocalypſi cap. 1. *Ego ſum A & Ω, principium & finis.* Et infrà: *Ego ſum primus & noviſſimus: & fui mortuus, & ecce ſum vivens in ſæcula ſæculorum.* (Apoc. 1. 17.)

Quòd Chriſtus ſit genitus, & quòd idem cum Patre.

CAPUT III.

ISidorus: *Tecum principium in die virtutis tuæ, ex utero ante luciferum genui te.* (Pſal. 109. 4.) Ex utero itaque, id eſt, ex illâ intimâ & incomprehenſibili Patris ſubſtantiâ. Et iterum: *Eructavit cor meum verbum bonum.* (Ibid. 44. 1.) Et alibi: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* (Ibid. 2. 7.) Cui Reges obediunt, & gentes ſerviunt, & adorabunt Reges terræ, *Omnes gentes ſervient ei.* (Ibid. 71. 11.) Hunc Filium Dei in Daniele Rex ille impius aſpiciens, dixit: *Ecce ego video viros quatuor ſolutos ambulantes in medio ignis, & ſpecies quarti ſimilis Filio Dei.* (Dan. 3. 92.) Si objicitur quòd in Daniele Filius Dei ſuperiùs etiam Angelus nominatur, aſſentio: nam & Chriſtus Dei Filius Angelus dicitur. Sicut enim ait Propheta de ipſo: *Veniet ad templum ſanctum ſuum dominator, quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti, quem vos vultis.* (Malac. 3. 1.) Chriſtus in eo quod à Patre genitus eſt, Filius Dei vocatur: in eo quod à Patre miſſus ad annuntiandum patribus legitur, Angelus annuntiat. *Vox Domini reddentis retributionem inimicis ſuis*, (Iſai. 66. 6.) ipſis videlicet qui non credunt Judæis. *Antequàm parturiret, peperit, & antequàm veniret partus ejus, peperit maſculum.* Ac ſi apertè dicat: Antequàm Chriſtum Virgo parturiret in carne, genuit Filium in deitate, ſicut ſcriptum eſt de eo: *Egreſſus ejus à principio à diebus æternitatis.* (Mich. 5. 2.) Et iterum: *Ante ſolem permanet nomen ejus, & ante lunam & ſtellas.* (Pſal. 71. 17.) Quod & ipſe Dei Filius, Verbum, virtus & ſapientia de ſuâ nativitate confirmat, dicens: *Necdum erant abyſſi, & ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant, nec montes gravi mole conſtiterant: ante colles ego parturiebar, adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ. Quando præparabat cœlos, aderam: quando certâ lege & gyro vallabat abyſſos, quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.* (Prov. 8. 24.) Illud denuò quæritur, quomodo idem ſit genitus, dum ſacræ nativitatis ejus arcana nec Apoſtolus dicit, nec Propheta comperit, nec Angelus ſcivit, nec creatura agnovit, Iſaïa teſtante, qui ait: *Generationem ejus quis enarrabit?* (Iſai. 53. 8.) Idcircò ſi ejus nativitas à Propheta non potuit enarrari, quis confitetur noſſe, quando potuit à Patre Filius generari? Hinc eſt & illud in libro Job: *Sapientiam Dei Patris unde invenies? Latet enim ab oculis hominum, & à volucre cœli abſconſa eſt*, (Job 28 21.) id eſt, etiam ipſis Angelis incognita. Chriſtus enim ex Patre ita emicuit, ut ſplendor à lumine, ut verbum ab ore, ut ſapientia ex corde.

Item quòd Chriſtus ſit Deus, declarat Iſaias, utramque perſonam unum Deum demonſtrans. *Tibi*, inquit, *Deus, & in te eſt Deus.* In eo quod dicit, *Tu es Deus*, Patrem oſtendit; in eo quod ſubjecit, *In te eſt Deus*, Filium declarat. Sed ut eumdem Patrem & Filium unum Deum oſtenderet, ſubjecit. *Non eſt abſque te Deus. Verè tu es Deus abſconditus Deus Iſraël.* (Iſai. 45. 5.) Alio quoque in loco idem Iſaias totam Trinitatem in digitorum numero comprehendens, ſic prædicat dicens: *Quis menſus eſt pugillo aquas, & cœlos palmo quis ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ?* (Ibid. 40 12.) In tribus quippe digitis Propheta trinam divinæ omnipotentiæ Perſonam, & unitatem quæ una eademque in Trinitate

Deus

eſt, in tribus digitis declaravit. Item quòd Chriſtus ſit Deus, oſtendit Jeremias in libro Baruch, ubi dicit: *Hic eſt*, inquit, *Deus noſter, & non eſt alius præter eum, invenit omnem viam ſcientiæ, & oſtendit eam Jacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſuo; poſt in terrâ viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Sed hinc non putant Chriſtum eſſe Deum, eo quod audierint in monte Sinai vocem Domini intonantis: *Audi*, inquit, *Iſraël, Deus unus eſt Dominus Deus tuus.* Et iterum: *Ego Deus, & præter me non eſt alius.* Et illud: *Ego ſum Dominus Deus, & non mutor, gloriam meam alteri non dabo.* Dum ergo legunt hoc perfidi & errore cæcati, Chriſtum Deum eſſe non credunt. Agnoſcant ergo proinde illis eo tempore hæc prædicta fuiſſe, ne forte ab unitate fidei recedentes in multos fictos deos tranſirent, atque idola gentilitatis colerent; quod & fecerunt.

Baruch 3. 36.
Deut. 6. 4.

Quòd Spiritus ſanctus eſt Deus, & quòd idem Spiritus cum Patre & Filio ſit una ſubſtantia; & unus Deus omnipotens eſt, non tres Dii.

CAPUT IV.
Job 33. 4. 6.

IN Evangelio Johannis cap. 4. *Spiritus eſt Deus.* Job 33. *Spiritus Domini fecit me, & ſpiraculum Omnipotentis vivificavit me. Ecce me ſicut & te fecit Deus.* In primo libro Regum: *Dixit David filius Iſai: Dixit vir cui conſtitutum de Chriſto Dei Jacob, egregius Pſalmiſta Iſraël: Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo ejus per linguam meam.* Quis autem eſſet, adjecit: *Deus Iſraël mihi locutus eſt, fortis Iſraël, dominator omnium juſtus.* Dicendo enim Chriſtum Dei Jacob, & Filium & Patrem oſtendit. Item dicendo, *Spiritus Domini locutus eſt per me*, & Spiritum ſanctum evidenter aperuit. Item in Pſalmis: *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum.* In perſonâ autem Domini Patrem accipimus, in verbo Filium credimus, in ſpiritu oris ejus Spiritum ſanctum intelligimus. In Geneſi etiam par ſignificatio Trinitatis per pluralitatem perſonarum exprimitur, ubi dicit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Ubi tamen ut unitatem Deitatis oſtenderet, confeſtim adjecit, dicens: *Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam.* In Iſaia quoque Trinitas declaratur, eodem Filio dicente: *Et nunc Dominus Deus miſit me, & Spiritus ejus.* Ecce duæ perſonæ, Dominus & Spiritus ejus qui mittunt, & tertia Perſona ejuſdem Domini quæ mittitur. Alio in loco idem Iſaias totam Trinitatem in digitorum numero comprehendens ſic prædicat, dicens: *Quis menſus eſt pugillo aquas, & cœlos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ?* In tribus quippe Propheta digitis trinam divinæ omnipotentiæ æqualitatem ſub quâdam myſterii lance libratam, & paritatem virtutis, comparationem & unitatem potentiæ, quæ una eademque in Trinitate eſt, in tribus digitis declaravit. Item Johannes in Epiſtolâ 1. cap. 5. *Spiritus enim eſt qui teſtificatur [quia Spiritus eſt] Chriſtus eſt veritas, quia tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater & Verbum & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt.*

Pſal. 32. 6.
Gen. 1. 26.
Ibid. 27.
Iſai. 36. 12.
Ibid. 40. 12.
1. Joan. 5. 6.

Quòd ſit morticinum, & quòd quædam in lege per ſignificationem ad eſum prohibita ſunt.

CAPUT V.

MOrticinum autem puto, quod ad eſcam uſus hominum non admiſit, eo quod non occiſorum, ſed mortuorum animalium mortua caro eſt, nec apta ad ſalutem corporis, cujus cauſâ ſumimus alimentum. Nam quod eſum de ſanguine antiquis in figuram præceptum eſt, id eſt, ne caro cum ſanguine manducetur, ſed dejecto ſanguine carnes manducari jubentur, hæc præfigurari fatetur beatus Auguſtinus in libro xii. contrà Fauſtum, ne vita priſtina, quaſi ſuffocata in conſcientiâ teneatur, ſed habeat effuſionem per confeſſionem. In Actibus Apoſtolorum hoc legi præceptum eſſe ab Apoſtolis, ut abſtinerent gentes tantùm à fornicatione, & ab immolatis, & à ſanguine, id eſt, nequaquàm ederent carnem, cujus ſanguis non eſſet effuſus. Quod alii non ſic intelligunt, ſed à ſanguine præceptum eſſe abſtinendum, ne quis homicidio ſe contaminet; ſeu forte quamdam rem facilem propter tunc invenerunt Apoſtoli, quam cum Iſraëlitis etiam gentes communiter obſervarent. Nunc autem illa Veritatis ſententia à cunctis firmiter eſt tenenda: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem; ſed quod procedit ex ore hominis, coinquinat hominem.* Item Iſidorus: per illa animalia quæ nec ruminant, nec ungulas dividunt, infideles figurantur, quòd neque bona à malis ſeparant, nec Dei præcepta ruminant tractando: per corvos exprimuntur, qui humanum ſanguinem fundunt: per accipitres & milvos, qui aliena rapiunt: per cygnos, elati: per piſces qui ſquamis & pennis carent, illi qui ſquamis virtutum, & pennis cœleſtis converſationis carent: & ideo ſuper aquas ſaltus dare non poſſunt, id eſt, nequeunt penetrare cœleſtia.

Act. 15. 20.
Matt. 15. 11.

ADVERSUS ARNALDISTAS.

CAPUT I.
De Arnaldiſtis.

QUòd pro malitiâ Clericorum Sacramenta Eccleſiæ dicunt eſſe vitanda: inclina aurem tuam & audi, aperi oculos tuos & vide, emunda cor tuum & intellige. Sicut arca Noë munda & immunda continuit animalia: ita in præſenti Eccleſiâ malos eſſe permixtos bonis, nemo eſt qui ambigere debeat. Quòd ſi malis, dum tolerantur, vel ignorantur, officium eccleſiaſticum commiſſum fuerit, aut forte bonus poſt acceptum beneficium malus eſſe incipit, tu quis es qui alienum ſervum judices? Suo domino ſtat, aut cadit; poteſtatem etenim officii quam accepit, non amittit, quamdiù Eccleſiæ judicio à Prælato ſuo damnatus non fuerit. Sacramenta itaque Eccleſiaſtica ab eo ſi tu dignè acceperis, quamvis indignè miniſtraverit, tibi non ſibi profutura accipe. Audi ergo teſtimonia in hoc ipſum ex veteri Teſtamento ac novo ſcripta, & ex ſcriptis ſanctorum Doctorum, ſcil. Gregorii, Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini & cæterorum auctoritates. De veteri ac de novo Teſtamento. In primo libro Regum, invenies quòd Eli Sacerdos graviter peccavit, quòd filios ſuos delinquentes ſuſtinuit. Item Saul *fecit malum in oculis Domini*, & unctus eſt David in Regem à Samuele privatim, & Spiritus Domini receſſit à Saule, & directus eſt in David; & tamen David obediebat Saüli ut Regi, & habebat & ſuſtinebat ut Regem, quàmdiù Saul vixit. In ſecundo libro Regum Oza extendit manum ad Arcam Dei, & tenuit eam, iratuſque eſt indignatione Dominus contrà Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritatem, qui mortuus eſt ibi juxtà Arcam. Matthæus cap. 7. *Nolite judicare, & non judicabimini.* Item cap. 13. *Sinite utraque ad meſſem creſcere, & in tempore meſſis dicam meſſoribus: Colligite primùm zizaniam, & alligate eam in faſciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum.* Item cap. 13. *Sic erit in conſummatione ſæculi, exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Item cap. 23. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite; ſecundùm verò opera illorum nolite facere, di-*

1. Reg. 15. 19.
Matth. 7. 1.
Ibid. 13. 30.
Ibid. 13. 40.
Ibid. 23. 2.

Marc. 1. 44. *cunt enim, & non faciunt.* Marc. cap. 1. *Vade, oſtende ſe Sacerdotibus, & offer pro emundatione tuâ quæ præcepit Moyſes in teſtimonium illis.* Johannes

Joan. 11. 49. cap. 11. *Caïphas cum eſſet Pontifex anni illius, dixit eis: Vos neſcitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit nobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à ſemetipſo non dixit: ſed cum eſſet Pontifex anni illius, prophetavit.* Auguſtinus: Si fuerit juſtus miniſter, computo eum cum

1. Cor. 3. 6. Paulo, qui gloriam ſuam non quærit, dicens: *Ego plantavi, Apollo rigavit, Dominus autem incrementum dedit.* Si verò ſuperbus miniſter fuerit, cum Zabulon computatur, ſed non contaminatur donum Chriſti, quia per illum purus fluvius tranſit, & venit ad fertilem terram. Scio quoque quòd lapis ex aquâ fructum ferre non poteſt, ſed per lapideos canales tranſit aqua ad areolas. In lapideo canali nihil generatur, ſed hortus multum fructum affert: ſpecialis enim virtus Sacramenti, ut & lex pura illuminandis excipitur, ſed per immundos tranſitus non coinquinatur. Item in libro de Corpore Domini: Intrà Catholicam Eccleſiam in myſterio corporis & ſanguinis Domini nihil à bono majus, nihil à malo minus perficitur Sacerdote, quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo perficitur Creatoris & virtute Spiritûs ſancti. Si enim merito Sacerdotis, nequaquàm ad Chriſtum pertineret. Nunc autem ſicut & ipſe eſt qui baptizat, ita ipſe eſt qui per Spiritum ſanctum hanc ſuam efficit carnem, & transfundit ſanguinem: credendum eſt enim quòd in verbis Chriſti Sacramenta conficiantur, & cujus priùs creantur imperio, ejus utique recreantur in melius. Item in libro 2. contrà Epiſtolam Parmeniani: Omnia Sacramenta cum obſint indignè tractantibus, proſunt tamen per eos dignè ſumentibus, ſicut & verbum Domini. Unde dictum eſt: Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite. Gregorius: Non nocet malitia Epiſcopi neque ad baptiſmum infantis, neque ad conſecrationem Eccleſiæ, quia baptiſma à Deo datur, non ab homine venit. Sic Euchariſtia & alia quæcumque in altari ponuntur, non ab homine, ſed à Deo ſanctificationem accipiunt. Auguſtinus in libro de verbo Domini: Recedite & exite inde, & immundum ne tetigeritis, ſed contactu cordis, non corporis. Quid eſt enim tangere immundum, niſi facere quod pertinet ad correptionem illorum, quantum pro uniuſcujuſque gradu atque perſonâ, ſalvâ pace, fieri poteſt? Diſplicuit tibi quòd quiſquam peccaverit, non tetigiſti immundum, redarguiſti, corripuiſti, monuiſti, adhibuiſti etiam, ſi res exigat, congruam, & quæ unitatem non violet, diſciplinam, exiſti inde: Clamavit Moyſes iſta, clamavit Iſaias, clamavit Jeremias, clamavit Ezechiel. Videamus ſi populum Dei dimiſerunt, & ſe ad gentes alias tranſtulerunt. Quàm multum & quàm vehementer Jeremias increpuit peccatores & ſceleratos! tamen inter eos unus, cum templum intrabat, eadem Sacramenta celebrabat, in eâdem ſceleratorum hominum congregatione vivebat, ſed clamando exibat inde. Hoc eſt ergo exire inde, hoc eſt immundum non tangere, & voluntati non conſentire, & ore non parcere.

FRAGMENTUM SERMONIS SANCTI FAUSTINI[a] EPISCOPI.

[a] Anno circ. 400.

ADMONEMUS ergo nunc, ſicut jam ante diximus, noſtri temporis homines, ut ab hujus mundi turbinibus ad domum Dei certatim unuſquiſque confugiat, ſicut & ſui temporis homines Noë juſtus admonuit. Admonuit enim illos, & futurum diluvium prædicare non deſtitit. Et licet vox prædicationis non ſit audita, tamen etſi tacebat linguâ, opere loquebatur: & ſi ſilebat voce, Arcâ perſonabat: cum enim ædificabat tam grande opus arcæ, illius cauſam cur fieret, ipſo opere teſtabatur. Teſtabatur enim ipſo apparatu nova tabernacula novis periculis profutura. Sapiens enim quiſque intelligere poterat naufragii neſcio quid imminere, cum domus talis fieret, quæ non hæreret in terrâ, ſed nataret in gurgite. Cum hoſpitium hujuſmodi pararetur, quod nec pavimentum ſolo defigeret, nec fluctibus unda ſubmergeret. Quis, inquam, ſapiens non intelligeret adeſſe diluvium, cum videret tale domiciliū fieri, quod ſuſceptos intrà ſe non tam clauderet quàm portaret; quod non tam pluviarum imbres repelleret, quàm naufragii procellas arceret. Quis, inquam, ex hoſpitio non adverteret periculum hominum, in quo hoſpitio non habitandum eſſet, ſed potiùs exulandum in quâlibet parte mundi futurum eſſet, cum ipſis habitaculis peregrinum. Ipſo ergo ſanctus Noë opere populis prædicabat, & dicebat illud evangelicum Domini dictum: *Si mihi non creditis, operibus credite.*

S. PETRI[a] CHRYSOLOGI SERMONES V.

[a] Anno circ. 450.

Incipit Sermo primus de Oratione Dominicâ.

ACCEPISTIS auditum fidei, Fratres Cariſſimi, formam Dominicæ orationis audite: Chriſtus breviter orare docet, qui citò vult poſtulata præſtare: aut quid petentibus ſe non dabit, qui ſeipſum non petentibus dedit? aut in reſpondendo quam faciet moram, qui in dictandis precibus vota ſupplicum ſic prævenit? Hodie quod audituri eſtis ſtupent Angeli, miratur cœlum, pavet terra, caro non fert, auditus non capit, non attin- Valde mirum & ſtupendum quòd homo ſit Fi-

a *Sancti Fauſtini*] Monet Acherius duos Fauſtini ſermones de Quadrageſimâ exſtare in codice quodam Corbeienſi, qui in Bibliothecâ S. Germani à Pratis nunc aſſervatur; qui quidem ſermones hanc inſcriptionem præferunt: *Admonitio S. Fauſtini Epiſcopi Dominicâ ante Quadrageſimam.* Ac priorem quidem editum eſſe & adſcriptum S. Cæſario Arelatenſi, ac ſecundam Homiliam eſſe in Bibliothecâ Patrum: de hoc verò edendo ſe cogitaſſe, ſed, quòd ejus pars jam exſtaret in Opere Æneæ Pariſienſis adverſus Græcos capit. 176. reliquum dumtaxat hîc attexuiſſe, quo integer haberetur. Suprà in Æneæ opera cum Fauſtinum inter Epiſcopos nullum noſſet Acherius, ſermonem hunc Fauſto Regienſi adſcribi poſſe conjecerat, quod mihi vix probari poſſe videtur. Aliam etiam Fauſtini Homiliam de Paſſione Domini in tomo V. Anecdotorum D. Edm. Martene videbit qui volet: ac ſimul quid vir ille diligentiſſimus notaverit.

a *S. Petri*] In Codice Corbeienſi annorum fermè CCCC. ex quo exſcripti ſunt hi ſermones tribuuntur Petro Damiani, atque ejus codicis auctoritatem ſequutus fuerat Acherius tom. 7. ſed cum deinde huic unus è ſuis ſodalibus ſcripſiſſet

Filius Dei & cohæres Chriſti.

git mens, tota ſuſtinere non poteſt creatura; ego dicere non audeo, tacere non poſſum. Deus det ut vos & audire poſſitis & dicere. Quid eſt magis tremendum, quòd ſe dedit terris Deus, aut quòd vos dat cœlo: quòd ſocietatem carnis intrat ipſe, aut quòd vos facit conſortium divinitatis intrare: quòd mortem ſumſit ipſe, aut quòd vos reſumit ex morte: quòd ipſe in veſtrâ naſcitur ſervitute, aut quòd vos ſibi gignit in liberos, quòd ſuſcipit paupertatem veſtram, aut quòd vos facit heredes ſuos, ſui Unici coheredes? Eſt utique terribilius, quòd terra transfertur in cœlum, homo deitate mutatur, ſervitutis ſors dominationis jura ſortitur. Sed hoc quamvis metuendum ſit, tamen quia cauſa non dicentem reſpicit ſed jubentem; accedamus filioli, quo vocat charitas, trahit amor, invitat affectio, Deum Patrem viſcera ſentiant, vox perſonet, loquatur lingua, ſpiritus clamet. Totum quod in vobis eſt reſpondeat gratiæ, non timori; quia judicem mutavit in patrem; amari voluit, non timeri.

Matt. 6. 9. Luc. 11. 2.

Pater noſter qui es in cœlis. Hoc cum dicis non ſic habeas, quaſi non ſit in terris; non ſic accipias, quaſi ſit loco clauſus qui claudit omnia; ſed intellige eſſe tibi genus è cœlo, cujus pater habetur in cœlo. Et age, ut vivendo ſanctè ſancto reſpondeas Patri. Dei filium ille ſe probat, qui vitiis non obſcuratur humanis, qui divinis virtutibus eluceſcit.

Quomodo Dei filium ſe probat homo.

Sanctificetur nomen tuum. Cujus genus ſumus, ejus cenſemur & nomine. Rogamus ergo ut nomen ejus quod in ſe & per ſe ſanctum eſt, ſanctificetur in nobis. Nomen enim Dei aut honoratur ex noſtro actu, aut noſtris actibus blaſphematur. Audi Apoſtolum dicentem: *Nomen Dei per vos blaſphematur in Gentibus.*

Rom. 2. 24.

Veniat regnum tuum. Et quando non regnavit Deus? Petimus ergo ut qui ſibi regnavit ſemper, modo regnet in nobis, ut & nos in illo regnare poſſimus. Regnavit Diabolus, regnavit peccatum, regnavit mors, & fuit diu captiva mortalitas. Petimus ergo ut regnante Deo pereat Diabolus, deficiat peccatum, moriatur mors, captivitas captivetur, ut nos liberi perpetuam regnemus in vitam.

Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terrâ. Hoc eſt regnum Dei, quando in cœlo & in terrâ Dei voluntas eſt ſola, quando omnibus hominibus Deus[b] vivit, Deus agit, Deus regnat, Deus eſt totus; juxtà illud Apoſtoli: *Ut ſit Deus omnia, & in omnibus nobis.*

b

1. Cor. 15.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Qui patrem ſe nobis dedit, qui ſibi nos adoptavit in filios, qui ſecum nos fecit heredes, qui nos .... * nomine ſublimavit, qui nos ſuo & honore donavit & regno, ipſe nos ut panem quotidianum poſtulemus addixit. In regno cœli inter munera divina quid quærit paupertas humana? tam bonus, tam pius, tam largus pater panem filiis non tamen poſtulatus indulget? Et ubi eſt illud: *Nolite ſolliciti eſſe quid manducetis, aut quid bibatis, aut veſtiamini?* Hoc Pater jubet quod prohibet cogitare: quid tenemus? Cœleſtis Pater cœleſtem panem cœleſtis Filii ut poſtulemus hortatur: ipſe dixit: *Ego ſum panis qui de cœlo deſcendi.* Ipſe eſt panis, qui ſatus in virgine,

Matt. 6. 31

fermentatus in carne, in paſſione confectus, fornace coctus ſepulcri, in Eccleſiis conditus, illatus altaribus, cœleſtem cibum quotidie ſubminiſtrat fidelibus.

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Homo ſine peccato eſſe non potes, & vis ſemper dimitti tibi, totum dimitte ſemper: quantum vis dimitti tibi, dimitte tantum. Quoties vis dimitti tibi, toties tu dimitte, imò quia vis totum dimitti tibi, totum dimitte. Homo intellige quia remittendo aliis, tibi veniam tu dediſti.

Et ne nos inducas in tentationem. Quia in hoc ſæculo eſt ipſa vita tentatio: *Tentatio*, inquit, *eſt vita hominis*: rogamus ut nos noſtro arbitrio non relinquat, ſed in omni actu paternâ nos pietate conſtringat, & in vitæ tramite, cœleſti moderatione confirmet. Job 7. 1.

Sed libera nos à malo. A quo malo? à Diabolo, quippe ex quo eſt omne malum. Rogamus nos liberari à malo, quia malo qui non caruerit, frui non poteſt bono. Si adhuc non nati, ſi adhuc in utero conſtituti panem petunt, expetunt regnum; quare ſit quæſtio, quòd ſemper Dei Filius in Dei Patris myſterium, & quòd in Patre Deo Dei filius fuerit? Quomodo humanâ ratione tractatur? Non eſt, non eſt humano modo divinitas æſtimanda. Audiſti Deum, nihil terrenum cogites, nihil humanum. Audiſti Patrem Chriſti, hoc per ſubſtantiam crede: audiſti Patrem tuum, hoc crede per gratiam. Ille eſſe Filius habuit ſemper; te eſſe filium dedit modo. Sic ergo te filium ſcito, & ſervum te eſſe non neſcias. Sic audi ad Chriſti ſimilitudinem te reductum, ut ſemper Chriſto te cognoſcas eſſe ſubjectum.

ITEM SERMO

unde ſuprà ſecundus.

CONDITIO mortalis, terrena compago, limoſa ſubſtantia, ad vitæ penſa ac mortis incerto labore attrita, conſumpta pœnis, putredini pulveris ſubjecta natura capere non valet, credere pertimeſcit, quod hodie cogitur confiteri. Tantam donorum gratiam Dei, proximorum[c] magnitudinem, munerum largitatem, fragilitas humana, unde promereri valeat, non poteſt invenire. Hoc reor, ambiguum Prophetam mentis intuitu prævidiſſe, dum tanto pavore concuſſus, & hujus auditu * taliter exagitatus tremore dicit: *Domine audivi auditum tuum & timui; conſideravi opera tua, & expavi.* Auditum timuit, non quia tunc Propheta tantus audierat Dominum, ſed quia tunc ſervus Dominum ſuum ſibi conſervum * reperit. Et audivit in partem, vel quia mundi hujus fabricam, elementis ita ſibi diſſonis conſonantem, contemplatus, expavit: ſed quia pietatis erga ſe tanta conſiderans tunc opera, admirationis tremore concuſſus eſt & pavore: *Conſideravi*, inquit, *opera tua & expavi.* Adoptatum ſe tunc expavit in filium, quando perdiderat ipſius fiduciam ſervitutis. Denique ut ſciatis hujus orationis, quam vobis hodie divinitas inſtituat & infundit, affectum Prophetam tunc auditu cœlitùs percepiſſe, hujus muneris quodammodo pavore ſolutum, quid iterum

c

Habac. 3. 2. ſecund. LXX.

horum ſermonum auctorem non Petrum Damiani eſſe, verùm Ravennatem Epiſcopum, cui facundia ſua Chryſologi cognomen dedit, ejus h. e. D. Stephani de Marces opinionem ſibi probabiliſſimam videri teſtatus eſt tom. 8 eique omninò adhæſit in Indice Generali; non prolatis rationibus quæ ipſum ut ſuo codici minus fideret impulerant: quod ſi quis majo exemplo factum eſſe contendat, ſanè non admodum adverſabor.

b *hominibus Deus*] hoc in loco delevimus vocem *eſt* quæ ſententiam turbabat ante vocem *Deus*. Infra ubi *qui nos nomine*, cum non nihil deeſſe intelligeremus, punctula adjecimus quibus lector id nos non fugiſſe perſpiceret.

c *proximorum*] Tot mendis ſcatent hæ Homiliæ, quot ne perſpicaciſſimus quidem unus ex conjecturâ tollere poteſt; quamobrem nihil hîc niſi omninò caſtigatum lector exſpectet, nonnulla haud pauca quidem loca fœdè corrupta reſtituimus, ſed de omnibus reſtituendis ne cogitavimus quidem; ſunt enim non nulla quæ, niſi ope mſ. codicis emendari non poſſunt. Hîc lego *tantam gratiam Dei, donorum tranſlatorum magn.* Infra edidimus *auditu* ubi erat *auditum*: mox *conſervum* ubi legebatur *converſum*. Cætera ita mihi legenda videntur, *reperit, & audivit Deum patrem. Nec quia.*

dixerit

Digitized by Google

Habac. 16. dixerit pervidete : *Cuſtodivit me*, inquit, *& expavit venter meus, à voce obſecrationis labiorum meorum.*

Poſteaquàm divini muneris tantam ſenſerat largitatem cuſtodivit ſe, ne ſe hoſtem, ne inimicum, ne latronem ſe iterum in paradiſo ſuſtineret, fit vigilantior, fit ſollicitior ſui cuſtos, qui ſe poſt tantæ rei jacturam, cœleſtem theſaurum ſenſerat reperiſſe,
2. Cor. 7. dicente Paulo : *Portamus hunc theſaurum in vaſis*
Habac. 3. 16. *fictilibus. Cuſtodivit me, & expavit venter meus.* Ventrem cordis interna nominat hic Propheta ; quia
d ſicut [venter] [d] cibis, ita cor ſenſibus paſcitur & repletur. *Et expavit venter meus à voce obſecrationis labiorum meorum.* Si intellectus cordis ſudetat ori vocem, labiis dederat verba, cur vota ſua, cur deſideria ſua, cur * ex hoc eſt exhortaturus ? Expavit, quia non ſuggeſtione ſui cordis, ſed divini Spiritûs
Galat. 4. 6. loquebatur afflatu. Audi Paulum dicentem : *Miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda noſtra, clamantem Abba Pater.* Quòd cum auditum ad interna tranſmitteret, tantum ſe metuiſſe mirabatur, & interna
Habac. 3. 16. tota hominis pavebant, meritò adjecit ; *& intravit tremor in oſſa mea* ; quia ipſius Prophetæ viſcera vexabantur. *Et ſubtus me*, inquit, *commota eſt virtus mea.* Quid ſubtùs me ? quia unus ipſe idemque homo, rursùm per gratiam jam levatus, jacebat ſubtùs priſtinam per naturam, nec virtutem cœleſtem virtus poterat ſuſtinere terrena. Jam fumavit [e]
e mons Sina, cum daturus legem Deus deſcendit in montem : quid caro faceret cum deſcendit Deus in carnem ? carnis gratiam collaturus venit Pater, quia homo Deum, ſervus Dominum non ferebat. Et quia
Pſal. 80. 11 fidelis eſt in verbis ſuis qui dixit : *Aperi os tuum, & implebo illud* : aperite nunc ora veſtra, ut ipſe ea tali prece, tali repleat & clamore. Ubi ſunt qui de Dei promiſſione diffidunt ? Ecce quàm citò eſt fidei remunerata confeſſio, mox ut Deum unici Filii confeſſus es Patrem, tu ipſe es Dei Patris adoptatus in filium, ut eſſes cœli heres, qui paradiſi exul habebaris, & terræ. Et ideo nunc vocas : *Pater noſter qui es in cœlis.* Quia fuit tibi quondam pater, qui te reſolvit in limum, qui te ad elauſtra duxit & pertraxit inferni. Terram neſciat, amorem carnis ignoret, patrem pulveris non requirat, nihil in ſe vult licere permittat, qui à Deo patre cœleſtem repetit ad * naturam, ut qui ſe Dei filium credit, actu, vitâ, moribus, honeſtate tanto generi reſpondeat, ne iterum ad terrena deſcendens, ad ipſam tanti genitoris tendat injuriam.

Sanctificetur nomen tuum. Si nomen Chriſti cæcis viſum, curſum claudis, defeſſis vario languore ſanitatem, mortuis vitam, teque ipſum, homo, totamque ſanctificat creaturam, quemadmodum tu ipſius numinis oras & expoſtulas ſanctitatem ? quia à Chriſto vocatus es Chriſtianus, & ideo ſupplicas, ut prærogativa tanti nominis, meritis in te ſubſequentibus roboretur.

Adveniat regnum tuum. Devotionem mandat, exigit deſideria, vota perquirit ipſe, qui adventûs
f ſui vitam [f] in ſuâ continet poteſtate. Fidelis eſt ille miles, qui Regis ſui præſentiam ſitit, & tot * regni expetit, & concupiſcit triumphos. Sed hîc petis ut tibi & in te adveniat regnatûrus, in quo Diabolus arcem, mors imperium, diu infernus geſſit * & tenuit poteſtatem. Oremus ergo, Cariſſimi, ut Chriſtus ſemper ſuo regnet in milite, ut miles ſemper ſuo triumphet in Rege.

Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terrâ. Beatus dies ille qui terrenorum jungit, ſociat, & exæquat cœleſtibus voluntatem, ut inter diſpares ſubſtantias una eademque fiat voluntas. Hæc eſt fida pax, inconcuſſa concordia, gratia perſeverans, quia unius Domini ordinem, naturam, familia per diverſa voluntatem ſita, una eademque reperitur & ſenſu.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Poſt cœleſte regnum, panem quis poſtulet temporalem? ſed quotidianum. Et inde vult nos in ſacramento ſui corporis, panis viaticum poſtulare : Unde ex hoc ad perpetuum diem, & ipſam Chriſti perveniamus ad menſam, ut unde hîc guſtum ſumſimus, inde plenitudinem ibi totaſque ſatietates capiamus.

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Qui ſic petit [&] debita non relaxat, iſte ſe etiam per quod orat accuſat, qui ſibi tantum donati poſtulat, remitti tantum, quantum ipſe remittit & donat ad placitum, Deum taliter invitat ad pactum ; quantum ipſe præſtiterit alteri, tantum ſibi exigat & ipſe præſtari. Dimittenda ſunt autem, fratres, debita, non pecuniæ ſolùm, ſed omnium cauſarum, culparum, criminum, quidquid homo incurrere poteſt. In his tibi cum incurrerit alter, ignoſce : fidus peccati ſui petit veniam, qui peccanti libenter ignoſcit.

Et ne inducas nos in tentationem. Hoc petere multis modis cogimur, fratres, ne fragilitas plus auſa, & de ſe temerè præſumens, nihil virium ſuarum colligens, in conflictu malè cauta ſuccumbat ; deinde offenſus Deus tradat tentationibus quos relinquit.

Sed libera nos à malo. Satis de ſe humiliter ſentit, nec ſalvari per ſe præſumit, qui ut à malo per Deum liberetur, implorat. Signate vos. Intelligite, filioli, quanta perfectorum, quanta fortium gloria ſit & poteſtas, quando tanta virtus in ipſo conceptu, tanta majeſtas aperitur in partu. Nondum natus Patrem vocat, ſanctitatem poſtulat, regnum petit. Dat jura terris, terrenas cœleſtibus exæquat voluntates, & laboribus profuturis exigit jam devotus annonam. *Panem*, inquit, *quotidianum da nobis hodie.* Beati eſtis qui cœpiſtis ante pugnam vincere, ante triumphare, quàm vivere ; ante ad Patris gremium, ante ad Patris promtuarium, quàm matris ad gremium pervenire ; ante partum gregis, quàm ſuccum lactis invadere totum ; ante victoriam ſonare jubilo, [ante] vagitu reſpondere, quam cunarum [. . . .] Verè ut dixit Apoſtolus ;
Infirmum Dei fortius eſt hominibus. Aut quis poterit 1. Cor. 1. 25.
tanti conceptûs referre ſacramentum, ubi Virgo mater parit orbem quotidie, nec relinquit poſteros ad laborem, ſed à terreno germine præmittit ad gloriam.

SERMO CUJUS SUPRA

de eodem tertius.

OMnia quæ divinitùs dicta factaque referuntur, ſunt miraculo, ſunt ſtupori, ſunt pavenda mortalibus, ipſis etiam ſunt cœleſtibus tremenda. Sed

d *venter cibis*] Per orem vocem rectè additam eſſe nemo ſanus negaverit : mox ubi legitur *ex hoc eſt exhortaturus*, fœdiſſimus librarii error ita emendari poſſe videtur *exhorret obſecrationem* ?

e *Jam fumavit*] In editis *firmavit*, quo nihil eſt ineptius : infra ubi *repetit ad naturam*, præpoſitionem delendam cenſeo, niſi fortè quis malit ſuſpicari non nihil hîc deeſſe, ac legi oportere *cœleſtem originem repetit ac naturam.*

f *adventus ſui vitam*] Quin legi oporteat *vitam*, haud valde dubito. Statim *decus regni expetit*, aut aliud quid ſimile malo, quàm quod è veteri editione ſervatum eſt *& tot regni exp.* mox edi curavimus *infernus geſſit*, ubi erat *infernos geſſit*. Quæ ſequuntur in verſ. *Fiat voluntas* aliis caſtiganda relinquimus. In reliquâ Homiliâ quid additum ſit lector ex ſolitâ notâ intelliget.

nihil ita ſtupet cœlum, pavet terra, expaveſcit univerſa creatura, quàm quod vos eſtis hodie nobis dicentibus audituri. Servus Dominum Patrem vocare audet, judicem ſuum reus nuncupat genitorem; conditio terrena ſuâ ſe voce adoptat in filium; qui terrena perdidit, æſtimat ſe divinitatis heredem. Sed audemus, quia præſumptio dicentis non eſt, ubi auctoritas eſt jubentis. Ipſe enim vos hodie dicere voluit, qui nos docuit ſic orare. Et quid mirum ſi tunc homines Dei conſecravit in filios, quando ſe hominibus dedit & aptavit in filium? Carnis tunc naturam tranſtulit in divinam, quando deitatem humanam detulit ad naturam. Tunc hominem ſibi in cœleſtibus præſtitit coheredem, quando ſe participem reddidit terrenorum: aut homini negare quid amoris potuit, quid muneris, quid honoris, qui totum quod erat hominis, & peccatum ſuſcepit & mortem? Aut quomodo hominem in ſuis proſperis non habebit, qui in adverſis homini ſe fecit eſſe conſortem? Homo redi ad Deum ſic amatus à Deo, & ad illius gloriam da totum te, qui ſe totum propter te ad tuam deduxit injuriam, & voca Patrem filius, quem tanto amore tuum
g probas g, ſentis, intelligis eſſe genitorem.

Pater noſter qui es in cœlis. Quod nondum natus Patrem vocat, nemo miretur. Deo nata ſunt naſ-
Eccleſ. 6. 10. citura, futura facta ſunt Deo: *Fecit*, inquit, *quæ futura ſunt.* Hinc eſt quod in utero ſuum Johannes ſenſit auctorem, & exſtat nuntius matri, qui erat neſcius vitæ. Hinc eſt quod Jacob ante legitur bellaſſe, quàm naſci; cœpit ante triumphare, quàm vivere. Hinc eſt quòd jam ſunt Deo, qui ſibi adhuc non ſunt; quoniam electi eſtis ante conſtitutionem mundi. *Pater noſter qui es in cœlis.* Non quòd ille non ſit in terrâ, ſed ut tu per hoc germen eſſe noveris te cœleſte. Et ſi te Dei filium tu fateris, vive quaſi Dei filius, ut actu, vitâ, virtutibus tanto poſſis reſpondere genitori.

Sanctificetur nomen tuum. Quia à Chriſto vocatus es Chriſtianus, petis ut prærogativa tanti nominis ſanctificetur in te, quia nomen Dei quod per ſe & ſanctum ſibi eſt, aut ſanctificatur in nobis noſtro actu, aut noſtro actu blaſphematur in Gentibus.

Luc. 17. 21. *Adveniat regnum tuum.* Ipſe dicit: *Regnum Dei intrà vos eſt.* Si intrà vos eſt, veniat quid oramus? Eſt in fide, eſt in ſpe, eſt in exſpectatione, ſed ut veniat jam precamur. Veniat autem nobis, non illi qui ſemper conregnat Patri ſuo, ſemper regnat in
Matt. 25. 34. Patre, ſed veniat nobis: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Dicimus *veniat regnum tuum*, ut ſic Deus regnet in nobis, quatinùs in nobis deſinat mors re-
Rom. 5. 14. & 15. gnare, deſinat regnare peccatum. *Regnavit*, inquit, *mors ab Adam uſque ad Moyſem.* Et alibi: *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore.*

Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terrâ. Nunc in terrâ multa fiunt pro Diaboli voluntate, pro ſæculi nequitiâ, pro deſiderio carnis. In cœlo verò fit nihil præter Domini voluntatem. Petimus ergo ut interempto Diabolo, ut novo ſæculo, ut mutato corpore, deſtructo mortis imperio, ut abolitâ dominatione peccati, in cœlo & in terrâ, in Deo & hominibus una Dei & eadem ſit voluntas.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Poſt regnum cœleſte, terrenum panem petere non ju-
Matt. 6. 13. bemur, prohibente ipſo cum dicit: *Nolite ſolliciti eſſe quid manducetis, aut quid bibatis.* Sed quia ipſe eſt *panis qui de cœlo deſcendit*, petimus & precamur, Joan. 41. 50.
ut ipſum panem quem quotidie, id eſt, jugiter ſumimus, in æternitate ad victum corporis mentiſque capiamus.

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Sic dicendo homo indulgentiæ modum, menſuram veniæ ſtatuiſti, & tu tibi dediſti, qui à Domino tantùm tibi petis quantum dimiſeris ipſe conſervo. Dimitte ergo delinquenti in te totum, ſi vis * ipſe de tuis nihil Domino debere delictis. In altero dimitte tibi, ſi vis ipſe vindicem vitare ſententiam.

Et ne nos inducas in tentationem. Deus neminem Jac. 1. 13.
tentat, ſicut ſcriptum eſt; ſed tentare dicitur, cum contumaciter euntes ad tentationum laqueos delinquit. Sic Adam tentatoris incurrit inſidias, dum ſui præcepta deſerit Conditoris. Unde autem & à quo tentatur homo, prodidit ſic dicendo: *Sed libera nos à malo:* hoc eſt, à Diabolo, qui totius mali & auctor eſt & origo. Diabolus natura fuit cœleſtis, nunc eſt nequitia ſpiritualis, ætate major ſæculo, nocendi uſu tritus, lædendi arte peritiſſimus. Unde non jam malus ſed malum dicitur, à quo eſt omne quod malum eſt. Hinc eſt quod propriis viribus homo liberari non poteſt, carnalibus vinculis illigatus. Petendum eſt ergo nobis, ut Deus nos à Diabolo liberet, qui Chriſtum terris, ut Diabolum vinceret, commodavit. Clamet, clamet homo ad Deum, clamet *libera nos à malo*, ut à tanto malo, ſolo Chriſto vincente, liberemur.

Pater noſter qui es in cœlis, orandi thema, materiam petendi, ſupplicandi normam pauciſſimis in verbis ipſe tibi, qui tibi eſt exorandus induſſit, ut ex hoc tu petendi ſumas ſenſum, ut intellectum poſtulandi capias, menſuram colligas impetrandi, & brevi magiſterio orandi latiſſimam capias diſciplinam; ſimul quia ad amoris judicium Rex ipſe officio functus eſt advocati, ut preces * quibus reſponſurus erat ipſe dictaret. Cunctatio ablata eſt tota promerendi, quando ipſum ſe legit in precibus qui rogatur. Metus locum non habet, ubi à patre filius interprete * deſiderat quæ ſancta ſunt impetrare.

SERMO CUJUS SUPRA

De eodem quartus.

FRatres Cariſſimi, qui vos donavit credere, ipſe vos docuit & orare, & totam petendi formam paucis aptavit in verbis; quia cum patrem poſtulat, multâ prece filius non laborat. Sicut enim petere cogit neceſſitas genitum, ita urget caritas dare genitorem. Pater ergo qui ſponte præſtat, non tam ut petatur, quantum quod petatur oſtendit, ut filius petendo juſta placeat, qui poteſt ſtulta poſtulans diſplicere. Audite Patrem, & vos filios eſſe jam credite, ut quæ petieritis incunctanter impetrare poſſitis. Quid valeat fides, credulitas quid poſſit, ſit quanta confeſſio hodie monſtratur in vobis. Ecce Trinitatis trina confeſſio in cœleſtem ſobolem de terrenâ vos ſuſtulit ſervitute: ecce fides quæ Deum loquuta eſt Patrem, Patrem vobis Deum hodie conquiſivit, ecce vox quæ confeſſa eſt Dei filium, vos Dei adoptavit in filios, ecce credulitas quæ Deum Spiritum proclamavit, de carnis ſubſtantiâ mortali in vitalem ſpiritûs ſubſtantiam vos mutavit. Quis pietatis tantæ dignus invenietur aſſertor? Deus Pa-

g *tuum probas*] Editum erat *tuum probas* Infrà in verſ. *Te dimitte* editurus *ſi vis ipſe* non legebatur *ſis ipſe* Sub finem etiam ſcripſimus *ut preces quibus*, cum editum antea eſſet *ut precibus quibus* Statim auctorem ſuum non intellexerat Acherius cum *interpres* legendum eſſe conjecit ubi legitur, *à patre filius interprete*.

ter homines dignatur heredes, Deus filius non dedignatur ſervulos coheredes: Deus Spiritus carnem conſortem divinitati juris ditione ſuſcipit in ſupernis, Apoſtolo probante cum dicit: *Aut neſcitis quia Angelos judicabimus?* (1. Cor 6. 3.) Vocate ergo [h] Dominum Patrem, voſque etſi nondum natos, jam tamen deſignatos filios eſſe jam credite, & date operam quatinùs ſit vobis cœleſtis vita, ſint vobis divini mores, & forma deitatis tota veſtra præferatur in filium; quia * cœleſtis Pater reſpondentes generi filios muneribus ditat divinis, degenerantes ad pœnalem revocat ſervitutem.

Pater noſter qui es in cœlis. Succumberet conſcientia ſervulis, terrena conditio ſolveretur, niſi nos ad hunc clamorem ipſius Patris auctoritas, ipſius Filii Spiritus excitaret: (Galat. 4. 6.) *Miſit*, ait, *Deus Spiritum filii ſui in corda noſtra clamantem Abba Pater.* Laſſeſcit mens, caro deficit ad divina, niſi Deus quæ fieri jubet, impleat ipſe qui jubet. Quando auſa eſt mortalitas Deum vocare Patrem, niſi modo, quando ſupernâ virtute homines animantur in terrâ? *Pater noſter qui es in cœlis.* Homo quid commune cum terris tibi, qui confiteris tibi genus eſſe in cœlis? Ergo cœleſtem vitam monſtra in habitatione terrenâ, quia ſi quid in te geſſerit terrena cogitatio, cœlo maculam, cœleſti generi intuliſti injuriam.

Sanctificetur nomen tuum. Non petimus ut ſanctificet nomen ſuum Deus, quod ſanctitate ſuâ totam ſalvat & ſanctificat creaturam. Fratres, hoc nomen eſt [quod] ſupernæ poteſtates pavent, quod tremendâ ſuſcipiunt ſervitute: hoc nomen eſt, quod fugat Dæmones: hoc ſolum nomen eſt, quod abſolvit animas Diaboli feritate captivas: hoc nomen eſt, quod mundo perdito dat ſalutem. Sed petimus ut nomen Dei actu noſtro ſanctificetur in nobis. Nobis enim benè agentibus benedicitur nomen Dei, nobis malè agentibus blaſphematur. Audi Apoſtolum dicentem: (Rom. 2. 24.) *Nomen Dei blaſphematur in Gentibus.* Petimus ergo, petimus ut quantum nomen Dei ſanctum eſt, tantum nos ejus mereamur in noſtris moribus ſanctitatem.

(i) *Veniat regnum tuum.* Quaſi non ſemper fuerit, [i] ſic regnum Chriſti ut veniat nunc rogamus. Et ubi eſt illud regnum Dei? *Intrà nos eſt.* Intrà nos eſt fide *: ſed ut re veniat ſupplicamus. Fratres, jamdiù Diabolus vario nequitiarum genere, multimodâ arte fallendi rerum faciem turbat, ſenſus hominum moreſque confundit, ſævit idolis, ſacrilegis furit, fallit auguriis, divinatione mentitur, ſignis decipit, illudit arcis, * ſpectaculis occupat, obſidet vitiis, peccatis vulnerat, criminibus ſauciat, deſperatione proſternit, Chriſti regnum prolongat & abſentat à nobis. Petimus ergo ut veniat tempus, quo mali tanti auctore pereunte mundus totus, creatura tota, totam ſolius Chriſti regnet, triumphet ad gloriam: & fiat quod ſequitur:

Ut *ſicut in cœlo, ita & in terrâ* una Domini *voluntas* ſit, terra cœlum, vita Deus, tempus æternitas, patria requies, cenſus innocentia, bonor immortalitas, furia * caſtitas, Deus totum.

Addidit, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Poſt paternitatem Dei, poſt divini nominis ſanctitatem, poſt cœli regnum, quotidianum panem jubemur expoſcere. Chriſtus oblivioni non ſubjacet, Chriſtus mandatis ſuis contraria non demandat. Ipſe dicit: *Nolite ſolliciti eſſe quid manducetis, aut quid bibatis.* (Matt. 6. 31.) Sed quia ipſe eſt panis qui de cœlo deſcendit, qui legis & gratiæ molatus eſt in formâ, qui crucis confectus eſt in farinâ, qui crucis confectus eſt paſſione, qui magno pietatis fermentatus eſt ſacramento, qui conſperſionis levamentum ſuſtulit de ſepulcro, qui [cum] divinitatis ſuæ calore coqueretur ipſe clibanum decoxit inferni, qui ad cœleſtem cibum quotidianus [l] Eccleſiæ defertur ad menſam, qui in remiſſione frangitur peccatorum, qui edentes ſe perpetuam paſcit & enutrit ad vitam: hunc panem quotidie nobis dari petimus, donec illo in die perpetuo perfruamur.

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Homo, penes te eſt poteſtas veniæ, in te eſt indulgentia ejus, tu tibi remiſſionis auctor es conſtitutus, gratis petis veniam, qui tibi in alio indulgere contemnis. Homo tu tibi miſericordiæ factus es ipſe menſura: quantum quæris miſericordiam, fac tantum.

Et ne nos inducas in tentationem. Tentatio eſt, Fratres, ſpecies fallens, quæ proſperat in adverſis; adverſa occultat in proſperis, humanamque ignorantiam doloſos deducit in lapſus. Petimus ergo ne peccatis impellentibus in tentationum foveas incidamus. Inducere autem Deus dicitur currentes ad crimina, cum relinquit.

Sed libera nos a malo. Hic malum mali deſignat auctorem, hoc eſt Diabolum. Petimus ergo unum, * ut munere hoc malis omnibus cum malo careamus auctore.

Pater noſter qui es in cœlis. Nemo cum ſe filium clamat, manere ſe miretur in habitu ſervitutis. Ad divinum germen hodie deſignatus es, non promptus, [m] ſpem, non rem te noveris conſequutum. Audi Apoſtolum: *Spe ſalvi eſtis: ſpes autem quæ videtur non eſt ſpes: quod enim videt quis quid ſperat? Si autem quod non videmus ſperamus, per patientiam exſpectamus.* (Rom. 8. 24.) Hodie adoptionis eſt dies, hodie promiſſionis tempus eſt. Audi, crede, exſpecta: crede creditori tuo, qui tibi credidit debitori: exſpecta parumper ut veniat, qui te diù ſuſtinuit ut venires: da illi inducias, ſed promiſſori, * qui tibi quidquid erat debiti jam donavit. Ut quid tu fatigaris ſpe Dei? [n] fide vivat. Agricola nunquam ſereret anhelus, ſi fructum laboris ſui de tempore non ſperaret; viator labori prolixi itineris non ſubiret, niſi ſe ad deſtinata crederet pervenire: nauta maris non intraret incerta, ſi lucris ſequentibus compenſaturum diſcrimina non penſaret: miles tota juventutis tempora non ageret in periculis, ſi ſenectutis honores copioſiſſimos non ſperaret: filius paternæ dominationis tempora non duraret, ſi ſe ſubſtantiæ paternæ non ſperaret heredem. Et tu, ſi te jam filium Dei credis, juxtà Prophetam: *Exſpecta, viriliter age, & confortetur cor tuum, ſuſtine Dominum.* (Pſal. 26. 20.) Exſpecta, ut heredem * Dei exſpectationis fide, & de virtute patientiæ conſequaris. Audi Apoſtolum: *Filii Dei ſumus; ſed nondum paret quid ſumus. Cum apparuerit, ſimiles ei erimus.* (Joan. 3. 2.) Et iterum: *Vita veſtra abſconſa eſt cum Chriſto, cum apparuerit Chriſtus vita* (Coloſ. 3. 3.)

h *Vocate ergo*] Sic edidimus ubi erat *Vocat ergo*: mox in priori editione *quia cœleſtis*.

i *ſemper fuerit, ſic*] Hic vocem *neceſſe*, quæ omnino ſupervacanea erat, delevimus ante voculam *ſit*. Infrà *intrà nos eſt fide*, edidimus ubi erat *fides*. Mox Acherius conjecit legendum *artibus* ubi editum *illud ?* *Arcis*. Quid hoc ſit quod ſequitur *furia caſtitas*, non intelligo; nec huic loco ſatis conſultum arbitror ſi legatur *luxuria caſtitas*.

l *cibum quotidianus*] In priori editione *quotidianis*. Infrà *ergo unum*, lego *ergo nunc*.

m *non promptus*] An *non aſſumptus*? mihi quidem ita videtur: & infrà ubi *ſed promiſſori*, legitur nullo ſenſu, legi oportere opinor *ſe promittenti*.

n *fatigaris ſpe Dei*] Hoc etiam corruptum eſt, ſed ita, ut ſine codicis ope reſtitui non poſſit. Infrà *ut heredem*, Acherius rectè conjecit *ut hereditatem*

veſtra, tunc & vos apparebitis in gloriâ. Fratres, beati ſunt filii Dei, quia & hereditatem omnium rerum poſſidebunt, & de exceſſu Patris luctûs tempora non videbunt.

SERMO CUJUS SUPRA

De eodem quintus.

QUod ego modo cum magno tremore dicturus ſum, quod vos eſtis nunc terribiliter audituri, imò terribiliter vocaturi, ſtupent Angeli, paveſcunt ſupernæ Virtutes, cœlum non capit, ſol non videt, terra non ſuſtinet, tota non aſſequitur creatura. Quid ad hæc mortale pectus? quid ad hæc mens hominis imbecilla? quid ad iſtud humani ſenſûs anguſtiæ? quid ad hæc humanæ vocis aſtra? quid ad iſtud humana lingua citò tacitura? Hoc Paulus inviſibiliter cum vidiſſet, prodidit non pro-
1 Cor. 2. 9. dendo, dicens: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe.* Hoc Iſaias, cum ſuo vix cepiſſet auditu, adhuc hominum pervenire poſſe debet[o] ad auditum, dicens: *Domine quis credidit auditui*
Iſai. 53. 1. *veſtro?* Hoc Hieremias cum divino concepiſſet auditu, partus ſupernorum ſenſuum ſuſtinebat, cla-
Jerem. 4. 19. mans: *Ventrem meum doleo, & ſenſus cordis mei perturbati ſunt.* Hoc Abacuc divini Spiritûs perora-
Habac. 3. 16. ſecund. LXX. bat afflatu, cum dicit: *Cuſtodivit me, & expavit venter meus à voce obſecrationis labiorum meorum, & intravit tremor in oſſa mea; & ſubtus me commota eſt virtus.* Elevatus virtute Dei, ſenſit ſuam ſub ſe ſuccubuiſſe virtutem. Longum eſt ſuper hoc ſacramentum pavores proſequi & dinumerare Sanctorum, tempus non ſinit diù me in hoc timore dinumerari, cœleſtis partus impetus non poteſt tardare naſcentium. Dico ergo, & vos in utero adhuc penetrali voce compello, providâ exhortatione præmoneo, ut antequàm videatis matrem, vocetis iſtius patrem; ante blandimenta matris, patris tendatis & feſtinetis ad regnum, ante patris perveniatis ad panem, quàm matris ad ubera pendeatis. Nec in vos quidquam ſibi aut matris neceſſitas, aut ætatis tempora vendicent, ſed in vobis totum di-
p vino[p], patris totum cœleſtis reſpondeat & occurrat auctorem.

Pater noſter qui es in cœlis. Hoc eſt quod pavebam dicere, hoc eſt quod tremebam proferre, hoc eſt quod neque cœleſtium neque terreſtrium quemquam ſinebat ſervitutis propriæ conditio ſuſpicari, cœli & terræ, carnis & Dei repentè tantum poſſe provenire commercium, ut Deus in hominem, homo in Deum, Dominus in ſervum, ſervus verteretur in filium, fieretque divinitatis & humanitatis ineffabili modo una & ſempiterna cognatio. Ac divinitatis ergà nos dignatio tanta eſt, ut ſcire nequeat quid potiſſimum mirari debeat creatura, utrum quod ſe Deus ad noſtram depoſuit ſervitutem, an quod nos ad ſuæ divinitatis rapuit dignitatem. Hinc eſt quòd homo quod & divinitùs adoratus, tanto nunc tuo amore flammatur, quòd adhuc in utero voce tuâ te Deus adoptat in filium, ... O vos beatos quibus dominari datum eſt antequàm naſci, ante regnare quàm vivere, ante ad Dei Patris gloriam pervenire, quàm proſapiam propriæ vilitatis agnoſcere. Eccleſia felix mater, quæ vos tales reſpicit, quæ cum virgo permanet, genuiſſe tantos vos & taliter ſe miratur.

Olim partus ille præcedentibus deſignabatur exemplis. Hinc eſt quod Jacob & Eſaü gemini in utero de primatûs honore præliantur, retardant partus, nec ante lucem cupiunt videre quàm vincere. Hinc eſt quod Johannes exultat,[q] & ante ſuo occurrit auctori genitricis, ex utero quàm procedat. Et humana pignora ſic ante Deo militant, quàm noſcantur parentibus, quàm vivant ſæculo. Quid mirum, ſi Eccleſiæ divina germina, ſi Deus ſuâ ſobole * in utero adhuc, quod ſit ſuperni germinis jam fatetur: *Pater noſter qui es in cœlis.* Stupor inſurgit; Chriſtus Dei Patris de pectore matrem vocat & fatetur in terrâ, & homo de matris utero Patrem vocat & confitetur in cœlis: *Pater noſter qui es in cœlis.* Quo te homo repente provexit gratia, quo te rapuit cœleſtis natura, ut in carne & in terrâ poſitus adhuc, & carnem jam neſcires & terram, dicendo: *Pater noſter qui es in cœlis.* Qui ergo tanti Patris filium confitetur & credit, reſpondeat vitâ generi, moribus patri, & mente atque actu aſſerat, quod cœleſtem conſequutus eſt per naturam.

Sanctificetur nomen tuum. Cujus utique genus eſſe cœpimus, ejus utique cenſemur & nomine. Et ideo petimus ut in nobis illius nominis ſanctificatio perſeveret; honor & prærogativa nominis, quod ſublimavit ſic tanti genitoris celſitudo.

Adveniat regnum tuum. Non illi petimus cui nunquam deeſt, nec defuit regnum, imò qui eſt ipſe ſibi regnum, totamque in ſe regni continet poteſtatem. Sed qui nos vult ad promiſſam regni ſui gloriam pervenire, monet nos expetere omnibus hoc votis, in hoc vult nos totis mentibus inhiare. Quantum namque eſt temerarius, qui diſcutit[r] de genere, ignarus eſt qui non audeat, æſtuat, anhelat, cum promiſſum intendit & pertendit ad regnum.

Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terrâ. Tunc jam totum eſt cœlum, tunc autem Dei * mens una omnibus; tunc in Chriſto omnes & in omnibus Chriſtus, quando omnes ſolius Dei ſapiunt & faciunt voluntates; tunc omnes unum, imò unus omnes, quando Dei Spiritus in omnibus vivit unus.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Sicut in Pſalmo: *Benedictus Dominus die quotidie*, ita hic Pſal. 67. 20.
panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, quotidianum jugem dicimus. Jugis panis ille eſt qui de cœlo deſcendit: *Ego ſum panis qui de cœlo deſcendi.* Perfectæ ergo beatitudinis eſt ille panis. *Hodie*, hoc eſt in præſenti illius panis jam cibo vivere, cujus perpetuitate, quod eſt quotidie, ſaginabimur in futurum.

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. De ſupplicantis pectore veniæ fons emanat, & ad veniam refluet quidquid pietatis exuberat,[ſ] & effundet in alterum, quando indulget ſibi tantum, quantum alteri condonarit. ſ
Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Satis poteſt homo miſericors, qui cum Deo de pietate confligit, cum tantum ſibi dari

o *poſſe debet*] Legendum eſt profectò, *poſſe dubitat.* Infrà ubi *dinumerari*, Acherius in margine ait: forte *immorari*; ſed malim *dinumerando immorari.*

p *totum divino*] Locum hunc quem fœdum in modum corruptum eſſe facilè quivis intelliget, ſic medemur: *totum divino patri, totum cœleſti reſpondeat & occurrat auctori.* In ſequentibus *Hinc eſt quod* &c. non nihil eſt vitii, quod alii fortaſſe caſtigabunt.

q *Johannes exultat*] In priori editione *Johanne exultante*, malè. Statim ubi *Deus ſuâ ſobole*? lego *Deo deſtinato ſobole.*

r *qui diſcutit*] Totum hunc locum ſic reſtituo: *qui diſputat de genere, tantum ergo eſt qui non ardet, æſtuat.* Infra *tunc autem Dei*, lego, *cœlum*, *cum Dei.*

ſ *pietatis exuberat*] An *exhibebit*? ſi quis verbo *exuberandi* uſum eſſe hunc auctorem contendat, non equidem reluctabor, ſed velim ſaltem legat *exuberabit.* Infrà *prava & amara* malim, *prava male*, vel *malorum.*

quantum dederit, quantum donaverit, tantum deſiderat & donari. Homo, ſemper in pectore tuo venia, ſi vis crimina non timere.

Et ne nos inducas in tentationem. Hæc interpretatione non indigent, quia tentatio Diaboli prævia & amara * miniſtra eſt. Quamdiu verò hoc fragili continetur in corpore, neceſſariò precatur, ut in nos nec tentationi pateat aditus, nec Diabolo tribuatur acceſſus. *Sed libera nos à malo:* ipſe autem Dominus noſter Jesus Chriſtus liberet nos à malo, & perducat ad omne bonum, qui vivit & regnat Deus modo & ſemper, & per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

MONITUM.

NICETII EPISCOPI *binos Tractatus, unum* DE VIGILIIS SERVORUM DEI, *alterum* DE PSALMODIÆ BONO, *ſubminiſtravit Sangermanenſis codex MS. Cujus autem civitatis inſulas geſſerit ipſe Nicetius, eo in codice non reperi quidem, verùm ut Trevirenſi adſcribam, ſuadent aliquamſque Epiſtolæ ejus duæ in Conciliis Galliæ ad annos 563 & 565. ab Sirmondo collocatæ, quippe cujus parem doctrinam atque animum redolent, ſtylumque genuinum. Nam de Nicetio Lugdunenſi, qui hac ipſa vixit tempeſtate, exſtat nihil quod ipſum ejuſcemodi Opuſculorum auctorem exhibeat, innuatve. Ad id etiam me adducunt Gregorii Turonenſis elogia, queis ſanctitatem Nicetii, eruditionem ac facundiam extollit, aſſeritque monaſticis inſtitutis à puero imbutum, atque Abbatis munere functum: proinde opinor tum hoſce Tractatus, quo Fratres ſuos, quos Dei Servos appellat, de Vigiliis, & pſallendi modo inſtitueret, promuliſſe. Sic autem eloquitur Gregorius Vit. Pat. cap. 17.* A ſtudioſiſſimis enutritus parentibus, literis inſtitutus, Abbati cuidam in Monaſteriu commendatur: in quo loco ita ſe devotum exhibuit, ut migrante Abbate ipſe ſuccederet. Jam verò aſſumpto Abbatis officio tantum ſe talemque ad inſtructionem Fratrum exhibuit &c. Multa & alia exhortabatur Fratres, ut eos dignos Domino exhiberet ac mundos. *Deinde lib. 10 hiſt. Franc. cap. 29.* Erat tunc temporis (*ſt. Theodeberto Rege*) apud Urbem Trevericam vir eximiæ ſanctitatis Nicetius Epiſcopus, non ſolùm in prædicatione admirabilis facundiæ, verùm etiam in operibus bonis ac mirabilibus celeberrimus habebatur in plebe. *Ac tandem de Glor. Confeſſ. c. 94.* Nicetius Epiſcopus eleemoſynæ, charitatis, ſanctitatiſque totius refulſit merito. *De Nicetio Trevirenſi agit quoque Fortunatus lib. 3. carm. 9. & 10. Sed Florianum præ cæteris, Nicetium his verbis alloquentem epiſtola apud Ducheſnium to. 1. Hiſt. Franc. audiamus.* Benedicitur una Trinitas Deus noſter, qui vos Pontificalibus meritis Pontificali locavit in vertice, ut non beatitatem dignitas, ſed beatitudo præcederet dignitatem. Nec immeritò, cum ab ineunte pueritiâ Dominicis militaveris in caſtris, &c. Sic enim eſtis Deo præſule in ſtatutis Cœnobialibus eruditi, ut per mare ſæculi ſine ſæcularibus fluctibus inoffenſo veſtigio tranſiretis &c. *Nicetium vocat Abbatem Lemovicenſem Auctor hiſtoriæ Treverorum MS* Tunc, *ait*, eligentes Sanctum Nicetium Epiſcopum ſtatuerunt, Abbatem urbis Lemovicinæ, &c.

Anno circ. 560.

TRACTATUS NICETII EPISCOPI

DE VIGILIIS SERVORUM DEI.

CAPUT PRIMUM.

Nox neceſſaria ad requiem.

BONA, & digna, & ſancta res, & apta prorſus, ſatiſque conveniens de ſanctis Vigiliis nunc dicere, & conferre ſermonem, quando ipſa lucubratio geritur à ſollicitis & religioſis: nox cœca eſt, & neceſſaria caligo corporibus, quæ non ſolùm homines, ſed etiam in ſomno detinet animantes, ut reparatis viribus per ſoporem, poſſint diurnos labores ſuſtinere vigilantes. Bonus Deus, qui ita proſpexit, ita conſtituit, ut homo exiturus ad opus ſuum, & ad operationem ſuam uſque ad veſperam, haberet vicarium tempus, in quo à laboribus duris, & multâ fatigatione requieſceret. Ergo diem ad opus, noctem fecit ad requiem, & pro hoc, ſicut pro omnibus, gratias debemus agere illi qui præſtitit. Novimus autem multos hominum, ut aut majoribus ſuis placeant, aut ſibi aliquid peculiariter proſint, noctis particulam ad aliquod opuſculum ſegregare, & id pro lucro ducere, quod, furati de ſopore ſuo, operari potuerunt. Quòd ſi in carnalibus inſtrumentis, id eſt, victui ac veſtitui neceſſariis, qui vigilant non reprehenduntur, imò laudantur, quanto magis nos ſacras Vigilias, tam ſpirituali opere fructuoſas, orationibus ſcilicet, hymnis, lectionibus fecundas, obſervare, & amare debemus, ut à Domino Deo mercedem recipiamus?

Dies ad opus.

CAPUT II.

Contrà vigiliarum vituperatores.

EQUIDEM ſunt homines qui iſta reprehendunt, ſed à fide Catholicâ & religione alieni ſunt. Sed

non eſt mirum. Quomodo enim impiis & profanis religioſa placere poſſunt? Quibus ſi placerent, non eſſent, quod ſumus utique Chriſtiani. Si verò noſtri ſunt quos Vigiliarum ſanctarum ſalutifer actus offendit, ut nihil de his deterius ſuſpicer, aut pigri ſunt, aut ſomniculoſi, aut ſenes ſunt, aut infirmi. Si pigri ſunt, erubeſcant; quia illis inſonant Proverbia Salomonis: Prov. 6. 6. *Vade ad formicam, ô piger; & æmulare vias ejus.* Ibid. 9. Si ſomniculoſi ſunt, expergiſcantur Scripturâ proclamante: *O piger quouſque dormis? Quando autem de ſomno ſurgis? Modicum quidem dormis, modicum ſedes, modicum autem dormitas, puſillum autem manibus amplecteris pectus. Deinde, ſuperveniet tibi tamquam viator paupertas, inopia autem ſicut bonus curſor.* Si autem ſenes ſunt, quis eos compellit ut vigilent? quamquàm & non compulſi vigilare debent pro ipſâ ætate ſuâ, & Dominum Deum inſtantiùs orare. Vigilare itaque debent ſedentes, ſi ſtare non prævalent. Si verò infirmi ſunt membris, quod ipſi facere non poſſunt, non reprehendant: imò ſecundùm Prophetam rigent lacrymis ſtratum ſuum, & Pſal. 6. 7. dicant: *Sic memor fui tui ſuper ſtratum meum.* Commendent etiam vigilantibus, ut eos ſuis precibus adjuvent, quòd adjuti à Domino ſuper lectum doloris ſui canere quandoque mereantur, diIbid. centes, *In matutinis meditabor in te, Domine, quia factus es adjutor meus.* Alioquin ſtultum, & ſatis extraneum eſt à religione, ut quia ipſi currere non valemus, benè currentibus derogemus; quia etſi non poſſumus, debemus non invidere, ſed congratulari potentibus. Sicut enim qui conſentit malitiæ, particeps eſt pœnæ, ſic participatio gloriæ ſperanda eſt de conſenſione bonitatis. Alios enim coronat affectus, alios voluntas pia lætificat.

Nec ſanè onerosum vel difficile videri debet etiam delicatis vel infirmis corporibus in ſeptimanâ duarum noctium, id eſt, Sabbati atque Dominicæ, portionem aliquam Dei miniſterio deputare: iſta enim quaſi purificatio eſt dierum quinque vel noctium, quibus ſtupore carnali ingraveſcimus, aut mundanis actibus obſeſſi lætamur. Nec erubeſcat aliquis in bono ſtudio ſanctitatis, quia non erubeſcunt improbi in perpetrando opere fœdiſſimo. Meritò ergo ſcriptura in Proverbiis dicit: Eccli. 4. 25. *Eſt confuſio quæ adducit peccatum.* In bono enim opere confundi, peccatum eſt, ſicut in malefaciendo non confundi pernicies eſt. Si ſancti eſtis, amate vigilias, ut theſaurum veſtrum vigilando cuſtodientes ipſi in ſanctitate ſervemini. Si peccatores eſtis, magis currite, ut vigilantes, & Deum orantes, purgemini; ut tundentes pectora frequentiùs clametis ad Dominum ex toto corde dicentes: Pſal. 18. 13. *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſervo tuo.* Qui enim ab occultis deſiderant jam purgari, neſcio an eos delectet iiſdem miſeriis inquinari.

CAPUT III.

Utilitas antiquitaſque vigiliarum.

TEmpus exigit, Cariſſimi, ut de auctoritate Vigiliarum, de antiquitate, deque ipſâ utilitate pauca dicamus: magis enim quilibet labor libenter ſuſcipitur, ſi ante oculos proponatur ipſius laboris utilitas. Antiqua eſt Vigiliarum devotio, familiare bonum omnibus ſanctis. Eſaias denique Propheta clamat ad Dominum dicens: *De nocte vigilat ſpiritus meus ad te Deus, quia lux præcepta tua ſunt ſuper terram.* David & regio & prophetico ſpiritu ſanctificatus unguento, ita canit: Pſal. 87. 2. *Domine Deus ſalutis meæ in die clamavi, & nocte coram te.* Ibid. 118. 55. Item dicit: *Memoratus ſum in nocte nominis tui Domine, & cuſtodivi legem tuam.* Accipe ejuſdem Prophetæ aliam vocem, quæ & tempus & habitum deprecantis oſtendat: *In noctibus*, inquit, Pſal. 133. 2. *extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum.* Et ne veſpertinas tantum horas noctes æſtimes appellatas, occurrit & dicit: Ibid. 118. 62. *Mediâ nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper judicia juſtitiæ tuæ.* Ecce habetis & tempus expreſſum, & exurgendi ſollicitudinem quomodo confiteamini Deo oſtenſam.

Adhuc conſideranti mihi intentionem Sanctorum, majus aliquid ac laborioſius occurrit, & ultrà naturæ humanæ conditionem ſuggeritur, cum eumdem Prophetam audis ita pſallentem: Ibid. 131. 3. *Si aſcendero in lectum ſtrati mei: ſi dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem: aut requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.* Quis non ſtupeat tantam in Dei amore animi devotionem; ut ſomnum ſibi, ſine quo utique corpora humana deficiunt, penitùs interdixerit, donec locum ac templum Domino fabricandum Rex & Propheta reperiret? Quæ res nos debet fortiter admonere, ut ſi ipſi locus Dei eſſe volumus, & tabernaculum ejus ac templum cupimus haberi perpetuò, ſicut Paulus Apoſtolus aſſerit dicens: 1. Cor. 6. 16. *Vos eſtis templum Dei:* in quantum poſſumus exemplo Sanctorum vigilias diligamus, ne & de nobis dicatur: Pſal. 75. 6. *Dormierunt ſomnum, & nihil invenerunt:* quin potiùs gratulabundus unuſquiſque veſtrûm jam dicat: *In die tribulationis meæ Deum exquiſivi manibus meis nocte coram eo, & non ſum deceptus,* Quia *bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo Altiſſime; ad annuntiandum mane miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.* Hæc & ejuſmodi tanta ac talia ideo ſancti illi cecinerunt, & ſcripta reliquerunt, ut nos eorum poſteri paribus eorum excitaremur exemplis, ad celebrandas etiam noctibus noſtræ ſalutis excubias.

Sed à veteribus veniamus ad nova; à miniſtris legis ad miniſtros Evangelii, ut de novo etiam Teſtamento Vigiliarum gratia conſignetur. Anna filia Phanuel vidua continuis orationibus, ac jejuniis ſerviens, non diſceſſit de templo die ac nocte. In Evangelio legitur, quòd Paſtores illi ſanctiſſimi dum ſuper gregem ſuum nocturnas exercent vigilias, & Angelus in ſplendore videre, & Chriſtum natum in terris primi audire meruerunt. Jam verò inſtitutio Salvatoris nonne omnes ad vigilandum auditores exſuſcitat, ſive in parabolâ boni ſeminatoris docendo: *Cùm dormirent homines, venit malus, & ſuperſeminavit zizania inter triticum, & abiit.* Qui ſi vigilaſſent, nec malus forſitan zizania ſeminare potuiſſet. Sive cum dicit: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes, & vos ſimiles exſpectantibus Dominum ſuum quando revertatur à nuptiis. Beati ſervi illi quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes: Et ſi veſpertina*, inquit, *horâ venerit, & ſi mediâ nocte, & ſi galli cantu, & invenerit eos vigilantes, beati ſunt. Itaque & vos eſtote parati, quia quâ horâ neſcitis filius hominis venturus eſt.* Nec verbis ſolummodo docuit vigilare, ſed etiam exemplo confirmavit. Namque teſtatur Evangelium, quia *erat* JESUS *pernoctans in oratione Dei.* Pernoctabat non ſibi, ſed ut ſciremus quid omnes facere debeamus. Et ipſe increpat Petrum tempore Paſſionis dicens: *Non potuiſtis unâ horâ vigilare mecum?* Et ad omnes jam dicit: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Hæc verba ejuſmodi exemplo, oro vos, quem non de profundo etiam mortis ſimili modo valeant ſuſcitare?

His inſtructi ſermonibus, his confirmati documentis beati quoque Apoſtoli & ipſi vigilaverunt, & Vigilias imperaverunt. Petrus Apoſtolus in carcere noctu ab Angelo ſuſcitatus, & ipſi reſerante portam ferream in domum Mariæ pervenit, ubi

erant multi congregati, non dormientes utique, ſed orantes. Idem in Epiſtolâ ſuâ ponit, & dicit:

1. Pet. 5. 8.

Sobrii eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter Diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem tranſvoret. Paulus, & Silas in cuſtodiâ publicâ circà medium noctis orantes, hymnum audientibus vinctis dixiſſe memorantur; ubi repentè terræ motu facto, & concuſſis fundamentis carceris, & januæ apertæ, & omnium vincula ſunt ſubitò ſoluta. Item beatus Apoſtolus Paulus ſuper exercendis vigiliis adhortatur Theſſalonicenſes, dicens:

1. Cor. 16. 13.

Vigilate, & ſtate in fide, confortamini & viriliter agite.

CAPUT IV.

Utilitas Vigiliarum.

HÆc ſufficiant de auctoritate & antiquitate ſanctarum Vigiliarum. Supereſt ut ſecundùm promiſſum de earum utilitate aliqua proferamus, quamquàm ſentiri magis poteſt per exercitium ipſa utilitas, quàm loquentis ſermone narrari. Guſtando enim videtur quia ſuavis eſt Dominus: qui ergo guſtavit, intelligit, & ſentit quantum pædoris vigilando deponitur, quantus mentis ſtupor excutitur, quanta lux animam vigilantis & orantis illuſtrat, quæ gratia, quæ ſancta viſitatio membra univerſa vigilantis lætificat. Vigilando timor omnis excluditur, fiducia naſcitur, caro maceratur, vitia tabeſcunt, caſtitas roboratur, cedit ſtultitia, accedit prudentia, mens acuitur, error obtunditur, criminum caput Diabolus gladio ſpiritûs vulneratur. Quid hac utilitate magis neceſſarium, quid iſtis lucris ſanctis commodius, quid hac delectatione ſuavius, quid iſtâ felicitate beatius? Teſte etiam Propheta, qui in principio Pſalmorum ſuorum beatum virum deſcribens, ſummam beatitudinis ejus in hoc verſiculo collocavit, dicens:

Pſal. 1. 2.

Si in Domini lege meditetur die ac nocte. Bona eſt quidem diurna meditatio, bona oratio, ſed multo gratior & efficacior eſt nocturna meditatio; quia per diem neceſſitates variæ obſtrepunt, occupationes deſtruunt mentem, ſenſum multiplex cura diſpergit: nox autem ſecreta eſt, nox quieta eſt & oportuna orantibus, aptiſſima vigilantibus, dum carnalibus occupationibus expeditum, collecto ſenſu totum hominem divinis conſpectibus ſiſtit. Itaque Deo placitas cognoſcite eſſe Vigilias ad celebrandam benedictionem.

Quæ ad Vigilias præparatio.

Tantùm, Cariſſimi, qui vigilat oculis, vigilet & corde; qui orat ſpiritu, oret & mente; quia nec ſatis utile eſt oculis vigilare, & animo dormitare, cum ex contrario ex perſonâ Eccleſiæ ſcriptura dicat:

Cant. 5. 2.

Ego dormio, & cor meum vigilat. Curandum eſt etiam ante omnia ne nimietate cibi vel potûs noſtrorum vigilatorum pectora onerentur, ne cruditatem ructantes & crapulam, non ſolùm ipſi nobis inſuaves ſimus, ſed etiam gratiâ Spiritûs ſancti indigni judicemur. Dixit namque vir quidam inter Paſtores eximius: Sicut fumus, inquit, fugat apes, ſic indigeſta ructatio avertit & abjicit Spiritûs ſancti chariſmata. Ergo tamquam divinum celebraturi myſterium, ante nos per abſtinentiam parare debemus, ut integrati & expediti vigilare poſſimus: cogitatio quoque mala pellatur, ne malè vigilantium

Pſal. 108. 7.

oratio fiat, ſicut legitur, *in peccatum.* Sunt enim & ex malignis maledictæ vigiliæ, ut in Proverbiis legitur,

Prov. 4. 16.

quia ablatus eſt ſomnus ab oculis eorum. Non enim dormiunt, inquit, *niſi malè fecerint.* Sed abſint, & longè abſint ab hoc Conventu tales vigiliæ, ſed potiùs vigilantium pectus clauſum Diabolo, ſit apertum Chriſto, ut quæ labiis ſonamus, corde teneamus. Tunc erunt acceptabiles apud Deum noſtræ vigiliæ, tunc pernoctatio ſalutaris, ſi competente diligentiâ, & devotione ſincerâ, miniſterium noſtrum divinis obtutibus offeratur.

Hæc de Vigiliarum auctoritate & antiquitate, nec non etiam de earum ſanctâ utilitate dicta ſufficiant. De hymnorum autem Pſalmorumque devotione quàm grata ſint & acceptabilia Deo, nunc quantulumcumque dixiſſem niſi ratio prolixior volumen aliud poſtularet, quod Domino largiente ſequenti exhibebitur lectione.

TRACTATUS NICETII EPISCOPI

DE PSALMODIÆ BONO.

CAPUT PRIMUM.

DE Pſalmodiæ bono dicamus quæ nobis Deus donare dignatur. Nos itaque, Cariſſimi, qui tam Propheticis, quàm Evangelicis & Apoſtolicis ſumus omnes eruditi magiſteriis, quorum nobis dicta & facta ante oculos proponamus, per quos ſumus omne quod ſumus: & quàm ſint grata & accepta Deo ſpiritalia cantica, à primordio repetentes, iiſdem auctoribus aſſeramus.

Qui Pſalmodiæ Auctores.

Si autem quæramus quis omnium primus hoc genus invexerit, non invenimus alium niſi Moyſen, qui canticum Deo inſigne geſtavit, quando percuſſâ Ægypto decem plagis, & Pharaone demerſo, populus per inſueta maris itinera ad deſertum gratulabundus egreſſus eſt, dicens:

Exod. 15. 1.

Cantemus Domino; glorioſè enim honorificatus eſt. Primus igitur Moyſes dux Tribuum Iſraëlis choros inſtituit, & utrumque ſexum diſtinctis claſſibus, ſe ac ſorore præeunte, cantare Domino canticum triumphale perdocuit. Poſtmodum Debbora nobilis fœmina in libro Judicum hoc miniſterio functa reperitur. Ipſe tamen Moyſes è corpore receſſurus terrificum carmen in Deuteronomio iteravit; quod ſcriptum teſtamenti vice populo dereliquit, unde ſcirent quæ pœna & quales eos contribulationes ſequerentur, ſi à Domino receſſiſſent. Omnes miſeri atque miſerandi qui tali, tamque evidenti denuntiatione prætermiſsâ noluerunt à peccatis & ab illicitis ſuperſtitionibus præcavere.

Pſalmorum Davidis utilitas maxima.

Jam verò poſtea multos invenies non ſolùm viros, ſed etiam fœminas ſpiritu divino completas, Dececinisse myſteria, etiam ante David, qui à pueritiâ in hoc munus à Domino ſpecialiter electus, & cantorum princeps, carminum theſaurus eſſe promeruit. Qui adhuc puer in citharâ ſuaviter fortiterque canens, malignum ſpiritum, qui operabatur in Saule, compeſcuit: non quo citharæ illius tanta virtus erat, ſed quia figura crucis Chriſti, quæ in ligno & extenſione nervorum myſticè gerebatur, jam tunc ſpiritum Dæmonis opprimebat.

Quid in his Pſalmis non invenies quod faciat ad utilitatem & ædificationem, ad conſolationem humani generis, conditionis, ſexûs, ætatis? Habet in Pſalmis infans quid lacteat, puer quid laudet, adoleſcens quid corrigat viam, juvenis quid ſequatur, ſenior quid precetur. Diſcit fœmina pudicitiam, pupilli inveniunt Patrem, viduæ Judicem, pauperes protectorem, advenæ cuſtodem, audiunt Reges judiceſque quid timeant. Pſalmus triſtes conſolatur, lætos temperat, iratos mitigat, pauperes recreat, divites ut ſe agnoſcant, admonet, & ne ſuper-

biant, increpat; omnibus omninò ſuſcipientibus ſe aptam medicinam contribuit Pſalmus, nec peccatores deſpicit, ſed remedium eis per pœnitentiam lacrymoſam ſalubriter ingerit. Dominus itaque Deus noſter per David ſervum ſuum confecit potionem, quæ dulcis eſſet guſtu per cantationem, & efficax ad curanda vulnera peccatorum per ſuam virtutem. Suaviter enim Pſalmus auditur dum canitur, penetrat animum cum delectat; facilè Pſalmi memoriâ retinentur, ſi frequenter pſallantur; & quod legis auſteritas ab humanis mentibus extorquere non poterat, hi per dulcedinem cantionis excludunt. Nam quidquid Prophetæ, quidquid Evangelia ipſa præcipiunt, in his carminibus ſuavi meditantium dulcedine continetur.

Deus oſtenditur ut timeatur, ſimulacra ridentur, juſtitia ingeritur, iniquitas prohibetur, miſericordia laudatur, incredulitas abdicatur, veritas requiritur, mendacia damnantur, dolus accuſatur, innocentia collaudatur, ſuperbia dejicitur, humilitas ſublimatur, pœnitentia prædicatur, pax ſequenda depromitur. Contrà inimicos protectio poſtulatur, vindicta promittitur, ſpes certa nutritur, & quod his eſt omnibus excellentius, in pſalmis Chriſti ſacramenta cantantur. Nam & generatio ejus exprimitur, & rejectio plebis impiæ, & Gentium hereditas nominatur, virtutes Domini cantantur, Paſſio veneranda depingitur, Reſurrectio glorioſa monſtratur, ſedes quoque ad dexteram mirabiliter depingitur. Deinde igneus Domini manifeſtatur adventus, terribile de vivis & mortuis judicium panditur. Quid plura? Etiam Spiritûs creantis emiſſio, & terræ renovatio revelatur, poſt quæ erit in gloriâ Domini ſempiternum juſtorum regnum, peccatorum perenne ſupplicium.

CAPUT II.

HÆc ſunt cantica Dei quæ canit catholica Eccleſia Dei. Hæc ſunt quæ hic noſter Conventus ſono etiam vocis exercet, hæc non ſolùm Cantorem non reſolvunt, ſed potiùs ſtringunt. Hæc cantica placent Deo, ubi totum quod agitur ſpectat ad gloriam Creatoris. Meritò idem Propheta omnes & omnia ad laudem Dei cuncta gubernantis hortatur dicens: *Omnis ſpiritus laudet Dominum.* Seipſum quoque pollicens laudatorem dicebat: *Laudabo nomen Domini cum cantico, & magnificabo eum in laude.* Laudate Dominum in vitâ veſtrâ, immolate Deo ſacrificium laudis pro anima & vita veſtra, & per ipſum oſtenditur vobis in animâ veſtrâ, quâ ad ejus perveniatis ſalutare.

Pſal. 150. 6. — *Ibid. 63. 31.*

Delectat Dominum noſtrum de purâ conſcientiâ laus emiſſa, ſicut idem hortatur Hymnigraphus, dicens: *Laudate Dominum quia bonus eſt pſalmus; Deo noſtro ſit jucunda decoraque laudatio.* Hanc ſcientiam gerens, hoc officium Deo placitum ſciens idem Pſalmiſta teſtatur: *Septies in die laudem dixi tibi.* Et adhuc amplius aliquid pollicetur: *Et lingua*, inquit, *mea meditabitur juſtitiam tuam, tota die laudem tuam.* Sentiebat enim ſine dubio de tali opere beneficium, ſicut ipſe commemorans dicit: *Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis ſalvus ero.* Tali tutamine & tali clypeo armatus, & fortiſſimum illum Goliam gigantem ſtraverat, & ſæpe de alienigenis victoriam reportarat.

Ibid. 134. 3. — *Ibid. 118 164.* — *Ibid. 34. 28.* — *Ibid. 17. 4.*

CAPUT III.

Pſalmodiæ uſus antiquus.

LOngum erit Cariſſimi, ſingula quæ ſanctorum hiſtoria continet dicere, præſertim cum res exigat de novo Teſtamento aliqua ad veterum confirmationem & ad veſtram inſtructionem debere proferri. Ergo invenies primùm Zachariam patrem magni Joannis poſt longum illud ſilentium in hymni vice prophetaſſe; nec Eliſabeth, diù ſterilis, edito de promiſſione filio Deum de ipſâ animâ magnificare ceſſavit; nato in terris Chriſto laudem ſonuit exercitus Angelorum; *Gloria in excelſis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Annuntiantes pueri in templo, *Oſanna filio David clamaverunt*; nec Phariſæis livore ſtrepentibus Dominus ora innocentium clauſit, ſed potiùs aperuit, dicens eis: *Non legiſtis ſcriptum, ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem? Et ſi iſti tacuerint, lapides clamabunt.* Ipſe Dominus in verbis Doctor, in factis conſummator, ut hymnorum miniſterium gratiſſimum comprobaret, cum Diſcipulis hymno dicto exivit in montem Oliveti. Quis jam tali documento de Pſalmorum & hymnorum religione dubitabit? quando ille qui à cœleſtibus cunctis adoratur & pſallitur, ipſe cum diſcipulis hymnum cantaſſe perhibetur?

Luc. 2. 14. — *Matt. 21. 15.* — *Ibid. v. 16.*

Et Joannes in Apocalypſi refert ſe ſpiritu revelante vidiſſe, & audiſſe vocem aquarum multarum, & tonitruorum validorum, dicentium Alleluia, ex quo nullus debet ambigere hoc vigiliarum ſanctarum miniſterium, ſi dignâ fide & devotione verâ celebretur, Angelis eſſe conjunctum, quos conſtat ſine ſomno, ſine occupatione indeſinenter laudare Deum in cœlis, & benedicere ſalvatorem. Quæ cum ita ſint, Fratres, jam pleniore fiduciâ hymnorum myſterium fideliter impleamus, magnam nos credentes à Deo gratiam conſequutos, quibus conceſſum eſt cum tantis ac talibus ſanctis, Prophetis dico atque Martyribus, Dei æterni miracula... Hic cum David Domino confitemur quoniam bonus eſt; cum Moyſe potentiam Domini magnis illis canticis perſonamus; cum Annâ, quæ Eccleſiæ ſpeciem gerit, olim ſterilis, nunc fecunda, in Dei laude corde confirmamur; cum Iſaïa de nocte vigilantes pſallimus; cum Abacuc, cum Hieremia, cum Jona ſanctiſſimus vatibus orando cantamus: cum tribus æquè pueris, quaſi in fornace poſiti, convocatâ omni creaturâ, Creatori omnium benedicentes pſallimus.

Quid hac utilitate commodius, quid hac delectatione jucundius, quia & pſalmis delectamur, & orationibus irrigamur, & interpoſitis lectionibus paſcimur? Et verè ſicut boni convivæ ferculorum varietate delectantur, ita noſtræ animæ multiplici lectione, & hymnorum exhibitione ſaginantur.

Quàm attentè pſallendum eſt.

Tantùm, Cariſſimi, intermittentes fabulas ſuperfluas, intento ſenſu & vigilanti mente pſallamus, ut Deo non diſpliceamus. Sic enim nos hortatur pſalmus dicens: *Quoniam Rex omnis terræ Deus, pſallite ſapienter*, id eſt, intelligenter, ut non ſolùm ſpiritu, hoc eſt, ſono vocis, ſed & mente pſallamus, & ipſum quod pſallimus cogitemus, ne captivata mens fabulis & extraneis cogitationibus, laborem habeat infructuoſum. Sonus etiam vel melodia conſentiens ſanctæ religioni pſallatur, non quæ tragicas difficultates exclamet, ſed quæ in vobis veram Chriſtianitatem demonſtret; non quæ aliquid theatrale redoleat, ſed compunctionem peccatorum faciat. Sed & vox omnium veſtrûm non diſſona debet eſſe, ſed conſona. Non unus inſipienter protrahat, aut unus humiliet, alter vocem extollat; ſed innitatur humiliter unuſquiſque vocem ſuam intrà ſonum chori concinentis includere, non extrinſecùs extollentes, aut protrahentes quaſi ad ſtultam oſtentationem indecenter efferre, neque hominibus placere velle. Totum enim tamquam in conſpectu Dei, non hominibus placendi ſtudio celebrare debemus. Habemus enim & de hac vocis

Pſal. 46. 8. — Modus pſallendi.

conſonantiâ

conſonantiâ formam poſitam, vel exemplum, tres illos utique beatiſſimos pueros, de quibus refert Propheta Daniel: *Tunc*, inquit, *hi tres quaſi ex uno ore hymnum dicebant, & glorificabant Deum in fornace, dicentes: Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum.* Videtis quia pro magiſterio ponitur quòd tres pueri pariter Deum ex uno ore humiliter ſanctèque laudaverint. Et nos utique omnes quaſi ex uno ore eumdemque pſalmorum ſonum, eamdemque vocis modulationem æqualiter proferamus: qui autem æquare ſe non poteſt cæteris, melius eſt ei tacere, aut lentâ voce pſallere, quàm clamoſâ voce omnibus perſtrepere; hic enim & miniſterii implebit officium, & humiliter pſallenti fraternitati non faciet offendiculum. Si ergo & noſtra omnium vox fuerit inoffenſa, vel conſona labiorum cymbalis benè ſonantibus, & nos delectabit, & audientes ædificabit, & Deo noſtro ſuavis erit tota laudatio, qui in domo ſuâ, ſicut legitur, unanimes habitare facit. Quando enim pſallitur, pſallatur ab omnibus; cum lectio legitur, facto ſilentio æquè audiatur ab omnibus, ut legente lectore omninò clamoſis vocibus nemo perſtrepat. Et antequàm legatur, omnes convenite: ſi quis autem ſupervenerit cum lectio celebratur, adoret tantùm Deum, & præſignatâ fronte, aurem legi Dei ſollicitè commodet.

Patet tempus orandi cum omnes oramus, patet tempus cum volueritis, & quoties volueritis privatim orare; ne obtentu lectionis doleas te perdidiſſe lectionem, quia non ſemper eam quilibet paratam poteſt habere: nam grande tempus ſemper in promptu eſt: nec putetis parvam vobis naſci utilitatem ex ſacræ lectionis auditu; quia oratio ipſa fit pinguior, dum mens recenti lectione ſaginatur, & currit per imagines divinarum rerum quas nuper audivit. Nam & Maria ſoror Marthæ, quæ ſedens ad pedes Jesu ſorore neglectâ verbum Domini intentiùs audiebat, bonam partem ſibi elegiſſe Domini voce firmatur. Ideo enim & Diaconus clarâ voce in domo Dei ſancti præconii admonet cunctos, ut ſive orando, ſive in flectendis genibus, ſive in pſallendo, ſive in lectionibus ſollicitè audiendis, unitas ſervetur ab omnibus; quia unanimes homines diligit Deus, & in ſuâ domo eos efficit habitare; in quâ domo qui habitant, beati pronuntiantur in pſalmo, quia ipſi laudabunt Dominum in ſæcula ſæculorum, Amen.

Ex lectione uberior orationis fructus.

Pſal. 83. 5.

S ISIDORI [a] HISPALENSIS EPISCOPI,

AD BRAULIUM EPISCOPUM URBIS ROMÆ,

LIBER DE ORDINE CREATURARUM.

a Anno circ. 600.

CAPUT PRIMUM.

De Fide Trinitatis.

UNiverſitatis diſpoſitio bifariâ ratione debet intelligi, in Deo videlicet & rebus, hoc eſt, in Creatore & Creaturis: non quòd Deum in parte ponamus, aut æquiparare Creatorem creatura poſſit; ſed quia omne quod eſt, aut factum intelligitur, aut infactum, aut potens, aut ſubjectum, aut æternum, aut temporaneum. Factum ergo & ſubjectum & temporaneum, ipſa eſt creatura. Infactum autem, & potens, atque æternum, ipſe eſt Deus. Sancta utique Trinitas Pater & Filius & Spiritus ſanctus, per omnia jura inſeparabilis in ſubſtantiâ, id eſt, una divinitas, & in perſonarum ſubſiſtentiâ inconjuncta Trinitas, in quâ nihil inferius, nihil ſuperius, nihil anterius, nihil poſterius, in naturâ divinitatis eſſe credendum eſt: nihil ſerviens, nihil ſubjectum, nihil loco comprehenſibile, nihil temporaneum, nihil infirmum, nihil creſcens, nihil ad ſexum habitumque pertinens, nihil corporeum ſentiri fas eſt: ſed eſt unus Deus ſine initio, ſempiternus, ſine loco, ubique totus, ſine ſui mutatione omnia mutabilia diſponens Creaturarum; tempora præterita, præſentia, futura pariter cernens: cui nihil eſt præteritum, nihil reſtat, ſed cuncta præſentia ſunt. Cui nihil diſplicet quod bonum eſt, nihil placet quod malum eſt; à quo nihil naturaliter malum creatum eſt, quod per ſe nihil niſi creati boni vitium eſt. Bonus ergo ſine qualitate, magnus ſine quantitate, æternus ſine temporè, præcipuus ſine ſitu, qui omnibus creaturis infunditur, cum non ſit illi locus, quem nulla comprehendit intelligentia.

Deus unus in ſubſtantiâ, Trinus in perſonis.

Deus unus omnipotens, ſancta Trinitas Pater & Filius & Spiritus ſanctus. Pater ergo Deus omnipotens ex nullo originem ducit, & ipſe origo divinitatis eſt, à quo Filius Deus omnipotens genitus ſine tempore eſt: non quippe creatus, quia Deus eſt, cui præter quod Filius eſt, in divinitate totum commune eſt Patris in æternitate, in voluntate, in poteſtate, in ſapientiâ. Sic & Patri præter quod Pater eſt, totum commune eſt Filii. Spiritus ſanctus eſt Deus omnipotens, nec genitus eſt, quia non eſt Filius; nec creatus, quia non eſt creatura, ſed ex Patre & Filio procedens; cui præter quod Spiritus ſanctus eſt, totum commune eſt Patris & Filii, quia non qui Pater eſt, Filius, aut Spiritus ſanctus in perſonâ hic eſt;

a *S. Iſidori*] Ut hunc tractatum Iſidoro potiùs, quàm alii cuilibet adſcriberet Acherius, fecit quidem ejus ſtili, cum aliorũ Iſidori Operum ſtilo indiſcreta ſimilitudo; ſed aliud deinde argumentum ei ſubminiſtravit Æneas Pariſienſis in Opere adverſus Græcos ſuperiùs edito. Nam cum totum illud opus è variis SS. Patrum elogiis contexeret, Iſidorum quoque inter eos retulit qui veritatem quam Græci impugnabant, auctoritate ſuâ tuebantur, & capit. 94. haud contemnendum ex hujus libri capite primo fragmentum protulit cum hoc titulo: *Item Iſidorus in fide Catholicâ inter cætera ſic dicit.* Monet hoc loco Acherius librum hunc ex vetuſtiſſimo codice S. Remigii Remenſis, qui non procul ab ævo auctoris exaratus videatur, eſſe deſcriptum: additque, cum Braulium illum, ſive Braulionem conſtet Cæſaraugustanæ Epiſcopum fuiſſe, non improbabiliter voci *Romæ*, adjici poſſe, *id eſt, Cæſaraugusta*, quod fortaſſe in Hiſpaniâ præclarum Urbis illius olim rerum Dominæ nomen præcipuæ urbi impoſuerint aliæ Romanorum coloniæ. Ejus rei exemplum in Galliis noſtris habemus, ſi quidem ejus rei idoneus auctor ſit Hericus. Ita enim ille in Vitâ S. Germani libro 1. de Auguſtoduno.

Celſa Roma dein voluit [illegible] vocari.

nec qui Filius eſt, Pater, aut Spiritus ſanctus hic eſt, nec qui Spiritus ſanctus eſt, Pater, aut Filius hic eſt; ſed in eſſentiâ quod Pater eſt, Filius, & Spiritus ſanctus hoc unum eſt; & quod Filius eſt, Pater & Spiritus ſanctus hoc eſt; & quod Spiritus ſanctus eſt, Pater & Filius hoc eſt; ſed non triplex in illâ Trinitate Deorum numerus eſt: ſalvâ enim ſeparatione perſonarum totum commune divinitatis eſt.

Filius Dei humanam ſuſcepit naturam.

Filius ex tempore carnem ſuſcepit humanam, quæ vitio caret; humanitatis naturam habuit, animam prudentem, intellectualem, ſapientem, exceptâ divinâ naturâ, habens, ut humanitas integra fieret: quam ideo Filius, qui ſine tempore Dei Patris eſt, aſſumſit, ut qui in divinitate erat Dei Filius, in humanitate idem eſſet hominis Filius. Quâ humanitate nâtus eſt de Spiritu ſancto & Mariâ ſemper Virgine: non quia & Spiritûs ſancti, ſicut, & Mariæ, Filius eſſe credendus ſit, ſed quia ex virtute & opere Spiritûs ſancti conceptus, ex Virgine natus ſit. Paſſionem crucis carne, non divinitate ſuſtulit: mortem pro noſtrâ redemptione & ſalute ſuſtinuit: tridui tempore ſepulcro conditus, divinâ virtute in cádem carne reſurrexit; & poſtquàm Eccleſiam unam, Sánctam, Catholicam verbo inſtruxit, exemplo ſolidavit, gratiâ firmavit, pace munivit, aſſumptâ totâ humanâ naturâ, excepto eo quò corruptioni obnoxia eſt, ad Patrem rediens, unde nunquam defuit, ſedet in dexterâ Patris; unde reſurgentibus cunctis hominibus, ad judicium vivorum & mortuorum aſſuturus in gloriâ Patris, impiis æternas pœnas, juſtis æterna præmia reddat. Hæc eſt Catholica fides, hanc credere & confiteri quàm diſcutere plus proficit: quam non prudentia ſæcularis, non mundana philoſophia, rerum potiùs imagines quàm veritatis intelligentiam ſequens, agnoſcere potuit, ſed Apoſtolica fides tradidit, & Eccleſiaſtica vigilantia cuſtodit.

CAPUT II.

De Creaturâ ſpiritali.

DE Creatoris verò immenſitate tantulo præmiſſo, ad creaturarum ordinem paulìſper aſpiciamus. In quo non noſtræ intentionis, quæ nulla per ſe eſt, inventionem, ſed ſanctæ Scripturæ & majorum explanantium veſtigia vel tenui aliquo relatu ſequimur. Omnis ergo creatura, aut ſpiritalis, aut corporalis eſt. Sed quia [ſpiritualis] creatura in intellectualibus ſpiritibus, qui carne non tenentur, & animabus hominum, quæ carne clauduntur, conſtat, prius de diſtinctis gradibus ſupernorum ſpirituum dicendum eſt, quorum gratiæ, vel differentiæ miniſteriorum eſſe novem per ſcripturas divinas comprehenduntur, Seraphim ſcilicet, & Cherubim, Throni, Dominationes, Principatus, Poteſtates, Virtutes, Archangeli, Angeli. Seraphim etenim ſuper ſolium Domini excelſum ſtare Iſaias vidit, & cantare audivit, & uno ex his ad ſe miſſo, purgari de ſui oris pollutione promeruit. Cherubim verò in oraculo teſtimonii propitiatorium figurati & arcam tegebant, & in templo Domini cum bubus & leonibus per Salomonem depincti fuerant. Ezechiel quoque in viſionibus Dei quadrigam vidiſſe ſe deſcribit, quam quatuor ſcripturæ utriuſque Teſtamenti notis myſtico famine conjungit. Ad Coloſſ. verò Paulus Apoſtolus ſcribens, Thronos & Dominationes, & Principatus & Poteſtates commemorat; *ſive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates:* Ipſe etiam ad Epheſios de Virtutibus enarrat, ita inquiens: *Suprà omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem.*

Novem Angelorum ordines.

Coloſſ. 1. 16.

Epheſ. 1. 21.

Archangelorum autem & Angelorum oſtentationibus, & nominationibus, divinorum voluminum prata referta ſunt. Horum quoque novem Ordinum ſupernorum civium ſignificationem, novem pretioſi lapides Ezechiel oſtendunt. Ubi ſub perſonâ Principis Tyri, ſuper ſummum illum qui lapſus eſt Angelum ſermones Prophetæ planctum dirigunt. Ubi dicitur: *Omnis lapis pretioſus operimentum tuum, ſardius, topazius, jaſpis, chryſolitus, onyx, beryllus, ſaphirus, carbunculus, ſmaragdus:* quibus lapidibus novem opertus idcircò dicitur, quia novem ſpiritalium officiorum ordinibus præerat, ornabatur.

Ezech. 28. 13

Seraphim.

Sicut ergo de numero diximus, ſic etiam de diſtinctis officiorum gradibus aliqua pandamus. Seraphim igitur, id eſt, ardentes vel incendentes, dicti ſunt, quia Dei amore pluſquàm omnis rationalis creatura, ſpeciali quâdam divini muneris largitione inardeſcunt; & quanto omnibus creaturis excellunt, tanto divinæ charitatis privilegio Creatori appropiant; & in tanto excellitatis honore ſublimati conſiſtunt, ut inter ſe ac Dominum nulli alii ſpiritus fiant. Secundo quoque ordine Cherubim inter ſupernos cives numerantur, cujus ordinis vocabulum ſcientiæ multitudo interpretatur, quorum intellectus dum Dei contemplatione prope hærendo reficitur, plus omnibus quæ ſubjacent creaturis intellectualibus ſcientiæ multitudine dilatatur. Qui enim divinæ claritatis ſpeculum perſpicaciùs intendunt, ab his abdita creaturarum occulta fieri qualiter poſſunt? Tertio quoque ordine intellectualium ſpirituum Thronorum agmina conſtituta ſunt, qui Sedes interpretantur: in his etenim dum ſpeciali munere Dominus ſedet, per eos judicia ſua creaturis omnibus terribiliter & mirabiliter exercet. Hinc per Pſalmiſtam dicitur: *Sediſti ſuper Thronum qui judicas juſtitiam.* Et in revelatione Joannis Angelus loquitur: *Et qui ſedet in Throno defendet eos.* Quarto etiam gradu officiorum cœleſtium Dominationes conſiſtunt, quæ illorum, qui infrà ſcribentur, quinque graduum miniſteria alta præcellunt; & quanto aliis potentiæ magnitudine præponuntur, tanto his cæterorum ſubjectio per obedientiam exhibetur. Dehinc poſt illas quinto ordine ſupernorum civium Principatus vocantur, quibus, dum his bonorum ſpirituum jam principatus committitur, ad explenda Dei myſteria quæ facere ſubjecti debeant, principantur. Sexto quoque ſtatu in bonis ſpiritibus Poteſtates ſunt ordinati, qui principari diverſis poteſtatibus Domini munere perceperunt; qui per poteſtatem nequitiam malignorum ſpirituum refrænant, ne ſi pluſquàm oportet permittuntur, ſævitiam exercere, vel humanis ſenſibus inhærere audeant. Septimus gradus ſpiritalium miniſtrationum Virtutes nominantur, per quos ſpiritus virtutes & ſigna & mirabilia in hominibus ſæpe factitantur. Octavus ordo eſt Archangeli, id eſt ſummi nuntii, vocantur, per quos majora quæque hominibus nuntiantur: & quanto Angelis in ordinis ſummitate excellunt, tanto hominum notitiæ, Domini juſſione, excelſiora perferunt. Nonus miniſtrorum cœleſtium ordo Angeli ſunt nominati, qui minora quæque, & communia, ex Dei voluntate hominibus nuntiant & ſuadent.

Cherubim.

Throni.

Pſal. 9. 5.

Dominationes.

Principatus.

Poteſtates.

Virtutes.

Archangeli.

Angeli.

Porrò in his ſciendum eſt, quòd quandocumque nominantur, ex officiorum proprietate, quando ad homines veniunt, ſumſere vocabula; quia illa ſupernorum civium ſumma ſocietas, propriis nominibus non indiget. Inde Michael dicitur, id eſt quis ſicut Deus, eo quod in fine ſæculi Antichriſtus contrà eum, qui ſe adversùs Deum eriget, mittendus deſtinatur. Et Gabriel, id eſt fortitudo Dei, ad Za-

chariam & Mariam Virginem miſſus ſcribitur; ut qui quod humana natura denegabat, futurum eſſe prædixerat, fortitudo Dei diceretur. Ad Tobiam quoque Raphaël, id eſt, medicina Dei, mittitur: nimirum enim qui divinâ virtute ſalutem ferebat, non incongruè medicina Dei nuncuparetur. Et quod Angelis in ſingulis, hoc & in gradibus poteſt eſſe, ut cum unus alterius officium facit, illius etiam nomine cenſeatur, ſicut dicitur: *Qui facis Angelos* [*Pſal. 103. 4*] *tuos ſpiritus*; id eſt, cum vis, ſpiritus hos omnes Angelos, id eſt, nuntios facis. Et aliquando ex vicinitate aliorum graduum, alii graduum officia aſſumunt; ſicut ex Thronorum vicinitate etiam ſuper Cherubim ſedere Dominum ſcripturæ dicunt; ſicut & in Pſalmo ſcriptum eſt: [*Pſal. 79. 2.*] *Qui ſedes ſuper Cherubim manifeſtare coram Ephraim.*

Sed illâ ſupernâ ſocietate, quòd in aliquo ſpecialiter habetur, ab omnibus in commune poſſidetur, quia non minùs unumquemque reficit quod in alio videt, quàm quod in ſemetipſo poſſidet: & cum mittuntur, nunquam ab eorum contemplatione Deus, à quo reficiuntur, abeſt: non quòd illi ſpiritus ubique pariter poſſunt eſſe qui mittuntur, ſed quòd Dominus, qui ubique eſt, ab his qui diſcurrunt ſemper in omni loco ſine ſui mutatione conſpicitur. Unde ſcribitur: [*Dan. 7. 10.*] *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei.* Utrumque enim ſupernæ Poteſtates pariter faciunt, quia & [ad] miniſtrandum mittuntur, & aſſiſtunt dum contemplantur. Aliquando autem qui mittuntur Angeli, illis ad quos veniunt hominibus per ſe nuntiant, aliquando alios velut ſubjectos per ſe ad annuntiandi officium, ſicut in Daniele ſcriptum legitur, Gabriel fac iſtum intelligere ſermonem, velut ſuperiore dictum minimè dubitatur.

CAPUT III.

De aquis quæ ſuper firmamento ſunt.

VERUM quoniam de ordine Creaturarum ſermonem ſumſimus, quod tuæ propoſitionis continentia comprehenderat, poſt ſpiritalem Creaturam, de quâ paulíſper diſſeruimus, de aquis quæ ſuper firmamento ſunt, quid Auctorum intentio potuit excogitare, proferre tentabimus. Cum enim in principio primâ die facta fuiſſet lux, quæ ſpiritalis creatura facta eſſe dignoſcitur, ſecundâ die firmamentum, quod dividit quæ ſuprà ſunt firmamentum, & aquas quæ ſunt ſub firmamento, eſſe factum ſcriptura teſtatur: ex quo intelligitur aquas illas, quæ ſuprà firmamentum ſunt, locali ſpatio & omni corporali creaturâ ſuperiores: quamvis enim in Pſalmo centeſimo quadrageſimo octavo, poſt firmamentum, & ſolem, & lunam, & ſtellas, aquæ illæ quæ ſuprà cœlos ſunt, poſitæ inveniuntur, tamen ut illas omnibus eſſe corporalibus creaturis oſtenderet altiores, iterum excelſarum virtutum velut habitacula recapitulans, cœlos Pſalmiſta his anteponit, dicens: [*Pſal. 148. 4.*] *Laudate eum cæli cœlorum, & aquæ quæ ſuper cœlos ſunt; laudent nomen Domini.* Unde oſtenditur poſt illa ſpiritalia ſpatia, qualiacumque ſunt, ubi ſpiritales, ut diximus, ordines commorantur, quæ cœlorum cœlos Propheta nominat, ante hoc viſibile cœlum aquas illas velut initium rerum corporalium eſſe conſtitutas; quas tamen ne quis ſpiritali jungeret creaturæ, poſt cœlos cœlorum, antequàm de terrâ diceret, poſuit, paulo poſt ſubinferens: [*Ibid. 7.*] *Laudate Dominum de terrâ dracones, & omnes abyſſi.*

Ecce has aquas Pſalmiſta ſuper cœlos poſitas dixit, & tamen his cœlos cœlorum anteponit. Per quod demonſtratur inter utroſque cœlos eſſe collocatas, id eſt, cœlis ſpiritalibus humiliores, & cœlis corporalibus ſuperiores; ſed tamen corporalibus creaturis pertinere dicendæ ſunt, dum in ſecundi diei opere factæ ſuprà iſtud corporeum firmamentum conſiſtunt. Sed quid ibi utilitatis in rerum corporalium uſibus agant, binâ intentione Magiſtrorum inveſtigatur. Quidam enim illas ad terrarum orbis abolitionem in diluvio, quod factum eſt ſub Noë (ſicut Geneſeos hiſtoria narrat) Dei præſcientiâ reſervatas aiunt, ſicut ſcriptura inquit: *Et cataractæ cœli aperta ſunt, & facta eſt pluvia quadraginta diebus, &* [*Geneſ. 7. 11*] *quadraginta noctibus.* Sed quoniam & nubes, de quibus pluviarum imbres terreni ſoli fertilitatem irrigant, atque etiam aër in quo hemiſphæria omnia & auræ corripiuntur, cœlorum nomine per ſcripturas divinas ſæpe cenſentur: quemadmodum dicitur: *Et pluit illis manna ad manducandum; & panem cœli dedit eis.* [*Pſal. 77. 24.* *Ibid. 66. 7.*] Et in alio loco: *Dabunt & cæli imbrem:* Et, *Terra dabit fructum ſuum:* quibuſdam Doctoribus placet ex illo inferiore nubium cœlo, tantarum aquarum abundantiam fuiſſe diffuſam, ut ſecundùm illam conſuetudinem, quâ per omne tempus agitur, etiam tunc pluviarum copiam nubes effunderent, in quibus tamen cataractas apertas Scriptura commemorat, eo quod plus ſolito aquarum diffuſio immiſſa fuerat. Cæteri verò eaſdem aquas ſuprà firmamentum poſitas idcircò aſſerunt, ut igneum, qui in luminaribus ardet & ſideribus, calorem temperarent, ne pluſquàm ſufficit inferiora ſpatia æſtu torrerent.

CAPUT IV.

De firmamento Cœli.

POST illas aquas, creaturarum corporalium ordine, ſecundo loco videtur eſſe firmamentum, quod in ſecundâ die, ut ſuprà diximus, factum, inter utraſque dividi aquas; de cujus etiam ſtatu utrum velut diſcus terram deſuper operiat, an uti teſta ovi omnem introcluſam creaturam undique cingat, utriuſque æſtimationis non deſunt putatores. Nam & illud quod de hoc Pſalmiſta commemorat, cum dicit: *Extendens cœlum ſicut pellem*, [*Pſal. 103. 3.*] utriuſque æſtimationis aſſertionibus non contrà facit, quoniam cum animalis carnem cujuſcumque ſua pellis veſtiat, omnia ſua membra æqualiter undique circumdat; cum verò exciſa de carne ſeorſum extenditur, ſive rectam, ſive curvam cameram poſſe facere non dubitatur. Utrum ergo terram deſuper velut extenſa pellis tabernaculum tegat, an ſicut animalis membra corio conteguntur, mundi molem undique firmamenti cingat, utrique aſſertioni non difficulter ſuffragatur.

De hujus quoque firmamenti ſitu, utrum inane ac penetrale, an ſolidum, an firmum ſit; diverſi Auctores ſuas æſtimationes velut quid ſe ad has deducatur, protulerunt. Quorum ſententias utiliùs quàm nomina curabo; qui ad confirmationem ſententiæ ſuæ omnium elementorum naturas conferunt. Terram etenim omnium creaturarum corporalium graviſſimam eſſe non minùs oſtendunt, quàm dicunt; [Terra omnium graviſſima.] atque illam ideo humillimum in creaturis locum tenere aiunt: quia natura aliqua niſi ſeipsâ ſufferri non valet. Aquam verò quanto leviorem terrâ videmus, tanto graviorem aëre deprehendimus. Aër namque ſub aquâ per ſe ſubſiſtere non valet, ſed ad ſua ſpatia, & ſi aliquâ neceſſitatis vi alicubi ſubductus fuerit, ſtatim evadit. Ignis quoque naturâ ſuprà aërem [Ignis ſuprà aërem.] eſſe deprehenditur; etiamque in illo igne, qui in materiâ terræ ardet, facilè comprobatur; quoniam ſta-

tim ut accenſus fuerit flammâ, ad ſuperna quæ ſuper aërem ſunt ſpatia, ubi illius eſt abundantia & locus, dirigitur, ſed circumfuſione craſſioris exſtinctus, in mollem aërem evaneſcit, ut ad ſuæ naturæ locum pervenire non poſſit. In quo tamen oſtenditur naturam ignis, qui aſcendit, aëre eſſe leviorem; ſicut aquæ, quæ naturâ deſcendit, monſtratur eſſe graviorem.

Firmamentum ſuprà ignem.

Hac ergo ratione etiam firmamenti ſpatium, quod ſuprà ignem eſt, levius ac tenuius putant, quia excelſius his omnibus, quas prædiximus, naturis conſtat. In quo ſpatio etiam ſtellarum fulgurantium lucem inæqualem eſſe idcircò æſtimant, quòd in illo tam amplo ſpatio ex illis aliæ longiùs, aliæ propius currant: ſed hanc putationem qui minùs ſuſcipiunt, ſuprà illud aëre & igne ſubtilius, & inanius, & penetralius ſpatiū conſtare aquas minimè poſſe dicunt; niſi forte, ut illi quos prædiximus aiunt, omni corporalitate tenuiores & ſubtiliores ibi conſiſtunt. Quibus etiam ab aliis contrà reſpondetur, quæ nunquàm quamvis tenuiſſima aquarum vaporalitas, quæ firmamento levior eſſet. Propterea ergo illi aliis firmamentum velut aëre ſolidiſſimo fuſum conſtare ſolidè ac firmiter, facilius putant; atque ideo firmamentum nominari exiſtimant, quia tam ſolida quàm inania, tam levia quàm gravia, quæ diximus, cuncta ſpatia intrà ſe concludat, & ſuprà ſe poſitas aquas, qualeſcumque ſunt, ſuſtineat. Verùm quoniam inter tantos viros de tali & tantâ re variatum eſt, nullius æſtimationem alii præponendam cenſemus, ſed ad hos lectorem utrarumque partium arbitros mittimus.

CAPUT V.

De Sole & Luna.

QUIA verò in firmamento cœli, ſcilicet poſt ſpeciem maris & terræ formata duo luminaria magna in principio Geneſeos Moſaicæ legis, imò divina ſcriptura pronuntiat, non eſt indecens ſi deſcendens de ſupernis ſermo, in ordine locali creaturarum Solem & Lunam ſtatim poſt Firmamentum deſcribat; ita tamen ut in conditionis ordine poſt terram & mare duo hæc luminaria & ſtellas cum ſcripturæ vocibus animus ponat, quamvis omnia elementa ſine tempore facta fideli ratione fides Catholica credat.

Sol ergo & luna duo luminaria in firmamento cœli inſtituta ſunt. Unum quod eſt majus, ut præeſſet diei; ſecundum, quod eſt minus conſtitutum eſt, ut præeſſet nocti. Sed non eamdem ſui ſplendoris lucem, quam cum in principio creata ſunt, habuerunt, nunc per omne ſui miniſterii tempus dierum ac noctium decurſionibus conſervant: hæc enim dum humanis uſibus miniſtrare à Deo Creatore deſtinata ſunt, cum homines incolpabiliter vixiſſent, & ſub Creatoris quo conditi fuerant, lege perſeverarent, etiam ſui luminis plenitudine decorata miniſtrabant; cum verò homines, quibus in miniſterio ſociata primitùs rotulabant, [b] propter tranſgreſſionem dejecti, paradiſi beatitudinem amiſerunt; ipſa quoque luminaria, quamvis non ſuâ culpâ, ſui luminis detrimenta non ſine ſuo dolore pertulerunt, ſicut Paulus Apoſtolus conteſtatur, dicens: *Quoniam omnis creatura congemiſcit & dolet uſque adhuc.* Sed quia per Redemptoris adventum humano generi priſtinæ beatitudinis in melius reſtauratio promittitur, etiam creatura ſuum antiquum decorem acceptura non dubitatur. Unde Proph. Eſa. de Sole ſpecialiter & Lunâ illuſtratus ſpiritali famine, inquit: *Et erit in die illâ cum ceciderit turris, erit lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptemplicitèr ſicut lux ſeptem dierum, cum alligaverit Dominus vulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ ejus ſanaverit.* Cum factum fuerit cœlum novum, & terra nova: & non fuerint in memoriâ priora quæ corruptioni ſerviunt: & peccati vulnus, & percuſſuram plagæ mortis in corporibus reſurrecturorum Dominus ſanaverit, & ſuperbi ſpiritus ex imperio quod arripuerant, depoſiti fuerint; tunc lux Lunæ in lucem Solis mutabitur, & lux Solis in lucem ſeptem dierum, quibus conditus fuerat, hoc eſt, in ſeptuplum ſuum lumen reſtaurabitur. Nihil enim reſtaurabitur, niſi quod amiſſum eſt aut corruptum; quod igitur Sol amiſit & Luna, hoc rurſum accipient.

ante primi ...minis peccatum ſol & ... multo ...diora.

b

...8, 22.

Iſai. 30. 25. & ſeq.

Apoc. 21. 1. Iſai. 65. 17. Ibid. 30. 26.

Ex quo apparet ſeptimam nunc ſui luminis partem luminaria retinere, quam ſeptemplicitèr reſument, quando per Abacuc Spiritus ſanctus pro futuris præterita ponens, inquit: *Elevabitur Sol in ortu ſuo, & Luna ſtabit in ordine ſuo.* Ceſſante namque mutabilitate humani ſtatûs, cui ſerviunt, & ſui curſûs mutabilitas ceſſabit. Quod enim inquit, *Sol in ortu ſuo*, hoc indicat, quod nunquam inclinabitur in occaſu ſuo: & in eo quod dicitur, *Luna ſtabit in ordine ſuo*, hoc inſinuat quòd mutationes incrementi & decrementi ſui non patietur, ſed in ſuo ordine ſemper ſtabit. Hoc autem erit, *Quando*, ut Apoſtolus loquitur, *ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Cum enim ſancti pro mercede ſui laboris, quo Deo ſervierint, immutati fuerint, & fulſerint ſicut ſol juſtitiæ, cujus eſt ſanitas perennis, tunc & ipſi corporeo huic Soli pro mercede ſui miniſterii, quo ſervituti corruptionis ſubjecta eſt, in ſeptuplum fulgoris rutilatio reſtituetur.

Rom. 8. 21.

Unde incrementa & decrementa lunæ.

Interim verò quotidianis ſui miniſterii motibus quoties ſolem ſequitur Luna, ſui incrementa luminis auget; quoties autem Solem antecedit, detrimenta ſui ſplendoris agit. De ſtatu verò Lunæ variè putandum eſt: utrum ſphæra dimidiâ ſui parte nigra ac tenebroſa, & dimidiâ parte alterâ lucida ſit & candida, & ſic incrementa & decrementa agantur, ut cum paulatim pars illius lucida oſtenditur, eodem modo tunc tenebroſa occultatur, ſimiliter quoque dum lucida vertitur, iterum manifeſtatur. An ſit etiam rota radiis Solis illuminata, quæ quandocumque Soli ſive ante ſive poſt appropiat, velut in orâ radio luminis illuceſcat: cum autem longiùs ac longiùs recedere videtur, majus ac majus paulatim ſuum lumen à Solis ſplendore augetur; ut cum ad integrum æquiparato orbe facie ad faciem Soli oppoſitâ conſtiterit, tunc plenè in ſe imaginem Solis habere poſſit.

De curſibus autem Solis ac Lunæ, nec temporis, nec iſtius quidem loci eſt diſſerere, quos idcircò in hoc Opuſculo negligentiùs aſſequor, quoniam & ipſius brevitas compendioſa non patitur, & in uſum penè omnibus lectoribus dierum feſtorum computandorum gratiâ converſi ſunt. Hæc verò lucis organa nulli inſenſibiles * creaturas opinantur, ſed quæ diximus uſitatiùs à Catholicis auctoribus quæ * frequen-

b *primitùs rotulabant*] Lego *primitùs rutilabant.* Poſtrema pars hujus capitis fœdum in modum corrupta eſt; ſed in eam expurgandam ita incubuimus, ut veram lectionem à nobis denique repertam eſſe verè affirmare poſſimus. Ac primum quidem ubi eſt *nulli inſenſibiles*, legimus *nonnulli ſenſibiles*, h. e. quæ ſenſum boni malive habeant: deinde voculam *quæ* ante verbum *frequentantur* expungimus: mox ubi *& ſi hæc etiam* &c. reſtituimus, *etſi hoc etiam examinandum eſt. quidnam multitudo*, &c. & infrà *quæ tantiſdem..... æqualiter curvant.*

tantur. In his ambiguis ſententiarum æſtimationibus intendendum eſt, cui plus ſanctarum ſcripturarum auctorisas ſuffragatur; & ſi hæc etiam hoc amandum eſt, quoniam* multitudo Catholicorum in fidem tradit: diverſæ autem æſtimationes quæ tantidem * à Catholicis aſſertæ ſunt, & quibus utriſque ſacri canonis dicta non contrà faciunt, ad quas æqualiter currunt,* hæ arbitris lectoribus, in ambiguo relinquendæ ſunt.

CAPUT VI.

De ſpatio ſuperiore, & paradiſo cœli.

SERMONE de firmamenso & luminaribus dicto, ſequitur inane ſpatium longum, quod à Cœlo firmamento uſque ad terram deducitur, & in duo ſpatia eſſe diviſum à nonnullis Scriptoribus explanatur: ſed ſuperius ſpatium ad cœlum pertinere dicitur, inferius autem terræ fieri conjunctum non dubitatur. Etenim excelſum ſpatium, quod cœlo pertinere diximus, puriſſimum ac ſubtiliſſimum, nec nubium tumores, nec ventorum inflationes, nec pluviarum aut imbrium humidas conſpirationes, nec nivium vel grandinum gelidas coagulationes, nec aëris mutationes, nec tempeſtatum & tonitruorum fragores, ſed nec ipſum aërem qui volantium avium corporatur,[c] & ipſarum nubium ſpiſſiorem aëris ipſius molem ſufferre valuiſſet, & animantium diverſorũ vitas aërii* ſpiritûs reciprocà inflatione reficeret, atque halitu animares, nec ullas omninò diverſorum hemiſphæriorum perturbationes omnimodis habet; ſicut olim Phrygiæ montis altiſſima terrarum, & ob id cæteris incognita hominibus juga conſcendentibus, comprobatur, & eorum relatione refertur, qui aceto humectas ſpongias ad conſervandam aërii ſpiritus inflationem & ſpirationem, ac naribus circumponentes, anniverſarià conſuetudine neſcio quâ ſuperſtitione ducti conſcendunt; & nec ibi ullam avem, nec nubem, nec pluviam, nec ventum aliquem vidiſſe ſe confirmant, & conſummatis ſacrificiorum, quorum gratia vadunt, officiis, ibidem quædam ſigna ac notas arenis imprimentes redeunt, quas etiam illic poſt annum iterum aſcendentes illæſas atque intemeratas inveniunt. Ex quo perſpicuè demonſtratur, nihil ibi perturbati aëris conſiſtere, præſertim cum in eodem loco nihil quod pertineat ad virorem herbarum, aut arbuſtorum reperiri, aut videri queat. Sed tamen non ipſum eſſe, de quo ſuperiùs diximus, illud puriſſimum ac ſubtiliſſimum ſupernum ſpatium putandum eſt, ad quod nulla terra pertinere, vel accedere poteſt, ſed hic locus ad extrema hujus ſpatii inferioris & vicina illius ſuperioris confinia pertinet. In quo tamen loco eorum qui carne veſtiuntur vita nequaquàm poteſt commorari. Unde perſpicuum eſt illud ſuperius puriſſimum, tranquilliſſimumque ſpatium, de quo paulo ante diſſeruimus, non carnalium habitationi, neque mortalium rerum uſibus præparatum. Quapropter plurimi Catholicorum auctorum illud ſpatium primitùs Angelis, qui lapſi ſunt cum ſuo principe, aſſerunt ad habitandum fuiſſe deſtinatum, eo quod deſuper cœleſtium Angelorum neminem cecidiſſe arbitrantur; ſed cœleſtes quamdiù in Angelicâ beatitudine fuerant, in quo tamen per tempus non ſteterant: *Quoniam*, ut ſcriptura inquit, *ipſe diabolus* Joan. 8. 44
ab initio mendax eſt, & in veritate non ſtetit, hunc 1. Joan. 3. 8.
locum habitationis forte putant percepiſſe, quem ſcriptura pronuntiat paradiſum cœleſtem, quæ ſub perſonâ principis Cyri ad ſummum illum Angelum Apoſtatam ita loquitur: *Perfectus decore in deliciis* Ezech. 28. 13
paradiſi Dei fuiſti: hunc locum habitationis forte putant percepiſſe. Quemadmodum enim homines poſt peccatum ſuum de terreni paradiſi felicitate dejecti, in hujus terræ maledictioni obnoxiæ plagali modo habitationem truſi ſunt, ut dum in terrâ peccaverunt, in deterioris terræ manſione poſtea ſub pœna delicti viverent: ita & Angelos, qui aëreo, imò etiam aëris ipſius puriore ſpatio, peccaſſe putantur, in inferiorem deturbati de ſuperni & puri aëris, ſuæque dignitatis feliciſſimæ, miſerè & infeliciter ſub exſpectatione futuri examinis, in quo durius condemnabuntur, vivere æſtimant; ut dum aërea corpora habent, & in aëre nunc commorantur, non inconvenienter æſtimentur etiam priorem ſuæ beatitudinis ſedem in aëre, ſed puriore & ſubtiliore pridem habuiſſe. Qui tamen locus dum cœlo firmamenti, ut prædixi, pertinet, cœli nomine cenſetur: ſicut Dominus ipſe perhibet, dicens: *Vidi ſatanam* Luc. 10. 18.
ſicut fulgur de cœlo cadentem. Ex ipſius enim loci perſpicuâ ac purâ beatitudine; peccati ſui merito dejectus, in inferioris ſpatii, hoc eſt, nebuloſi ac brumoſi aëris, infelicem ac miſeram habitationem deſtinatus eſt; ſicut Apoſtolus Paulus conteſtatur, dicens: *Non eſt colluctatio adverſus carnem & ſan-* Ephes. 6. 12.
guinem, ſed adverſus Principes & Poteſtates hujus aeris, adverſus mundi Rectores harum tenebrarum. Quæ etiam *ſpiritalia nequitia in cœleſtibus* idem Paulus Chriſtum in ſemetipſo denuntias triumphaſſe.

Dejectis ergo malignis ſpiritibus cum ſuo principe diabolo ex illo, quem prædiximus, limpidiſſimo ſubcœleſtium ſpatiorum habitaculo, & poſtmodum redempto ex Adæ, & proprio uniuſcujuſque delicto, per Mediatoris adventum humano genere, eumdem locum animarum ſanctarum interim eſſe quieti, dum reſurrectionem exſpectant futuram, ... id eſt, putatores opinantur: quem etiam cœleſtem paradiſum autumans eſſe nominatum: de quo Dominus latroni
in cruce confitenti reſponderat: *Amen dico tibi,* Luc. 23. 43.
hodie mecum eris in paradiſo. Qui imò illo paradiſo arboribus conſiſo, & lucido fonte præpollente, animæ exutæ corporibus non indigent: quin imò ſpiritalis homo carnalem uſum corpore mortis liberatus non poſſidet, nec refici terreni paradiſi frugiferis arboribus neceſſe habet: æternus enim temporalibus non utitur, ſed æterna & ſpiritalia contemplatur.

Hæc non confirmantium, ſed æſtimantium ſenſibus perſtrinximus, præſertim cum & ipſam æſtimandi de talibus perſpicaciam nobis ipſis non attribuimus. Cum enim neceſſitas exegerit, harum omnium putationum auctores in medium adducere poterimus, quibus aut fides, aut dubitatio adſcribi poſſerit: quorum referendo potiùs quàm defendendo [opiniones] laboramus: nos enim alterius forte melioris, ſi adſit, aſſertionis, cui plùs vel ſcripturæ exempla, vel Catholicorum conſapientium [d] ſuffragaverint, concordiam ſubire parati ſumus. Sed de ſuperiore ſpatio his utcumque explanatis, ad ſubſequentia feſtinemus.

CAPUT VII.

De ſpatio inferiori, & hemiſphæriis diverſis.

DEhinc inferius ſpatium aër vocatur, quem terræ ſociari diximus, & à quo univerſa carnis quæ

c *corporatur*] An *corpora tuetur*? Infrà lege *aërii ſpiritûs*.
d *conſapientium*] Mendoſam eſſe hanc vocem affirmare noſim, ſed ſive ſincera eſt, ſive corrupta, aliam quamdam deeſſe mihi conſtat; quamobrem hic addo *æſtimationes*.

in terrâ [&] aëre verſatur, vitam adjuvari & contineri in nobis, & per nos comprobamus. Qui & aliquando etiam terræ per ſcripturas nomine vocitatur; ſicut per Pſalmiſtam dicitur, cum in Domini creatoris laudem ordine ſummo cunctæ creaturæ incitantur, & cum conſummatis his quæ ad ſuperiorem cælorum ordinem pertinent, ad hæc aëris ſpa-
Pſal. 148. 7. tia pervenitur, taliter ſubinfertur: *Laudate Dominum de terrà, dracones, & omnes abyſſi. Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, qui faciunt verbum ejus.* Huculque enim in aere ſermo eſt, qui terræ nomine vocitatur: poſtmodum namq; de humo & inferioris terræ naturis ſcripturæ vocibus
Id. v. 9. imperatur: *Montes & omnes colles: ligna fructifera & omnes cedri.* Idcircò autem aër terræ vocabulum ſæpe ſortitur, quia craſſitudine, & velut ſoliditate quam in ſe habet, volantium avium quamvis maximarum corpora ſuſtentantur, quæ velut piſces penè aquatilia marinorum fluctuum recondita natando penetrant; ſic volucres ſpatia volando pertranſeunt. Cuncta etenim quæ aqua præſtat ad conſervandum vitam aquatilibus, hæc aer facit volatilibus: quoniam ſicut reciproco halitu avium, & omnium quæ in aëre & terrà vivunt vita alitur & conſervatur, ita eorum quæ in aquis degunt, inſpirandi, exſpirandique tractu per aquam vitalis motus reficitur. Unde cum in aërem trahuntur, quia lymphaticum ſpiramentum non habent, citò deficiunt, ſicut & ea quæ in aëre vivunt, cum ab eis aer excluditur, ultrà vivere non poſſunt. Sicut autem illâ aëris ſoliditate volatilia, ut dixi, corpora fulciuntur, ita ipſa eadem terrenam quam in ſe habet craſſitudinem, propter quam & terræ vocabulum ſæpe ſortitur, tumida nubium moles ſuſtentatur, & per illam ſoliditatem aëris craſſitudo, nives, & grandines, & glaciem, adnitente vi frigoris, parit, quando ita efficitur.

Nam hoc aëris ſpatium ſuæ naturæ inſitum habet, ut fumali levitate vapores aquarum de terrà & maris ſpecie contrahat & colligat, quos in ſublune elevans, quamdiù minutiſſimis guttis conſiſtunt, non globatis in ſe nubibus, ipſe per ſemetipſum aer ſuſpendit. Sed cum vexante vento illæ guttulæ in majores ſtillas coëunt, aëris ampliùs naturà non ferente, pluvialiter imbres ad terram delapſi cadunt. Si verò ipſas quas prædiximus ſtillas, vento in majuſculas moles coagitante collatas, antequàm deorſum pluant, gelu in nubibus arripuerit, lapillos coagulatos frigoris violentia conſtringit. Si autem remiſſiores necdum denſatos vapores in guttas (id eſt gelu) pervenerit, in nivis ſpeciem magna vis frigoris eoſdem tranſmittit, & quod in ſe ſuſpenſa altiùs nebula taliter nutrit, non ſufferente aere, ac vento diſpergente, ad terram dimittit. Sicut de hoc eodem Pſalmiſta commemorans, de Domino dicit.
Pſal. 147. 5. *Qui dat nivem velut lanam, nebulam ſicut cinerem ſpargit. Mittit cryſtallum ſicut buccellas: ante faciem frigoris ejus quis ſuſtinebit?* Et ut oſtenderet ſive in terrà, ſive in nubibus, nives in aquas iterum reſolvi conſueſcere, paulo poſt ſubjungit, di-
Ibid. 7. cens: *Emittet verbum ſuum & liquefaciet ea: flabit ſpiritus ejus, & fluent aquæ.*

Ut autem perſpicuum ſit ipſas aquas hoc modo in nubibus ſuſpendi, in libro ſancti Job ſcriptum
Job 26. 8. videtur: *Qui ſuſpendit aquas in nubibus ſuis, ut non erumpant pariter deorſum.* Attamen illas aër ad terram & ad mare dimittit, quas ex iiſdem inferioribus partibus ante ſuſtulit. Et quamvis de ſalſâ pelagi latitudine eas traxerit pluvialis conceptio, per aerem indulceſcit. Quemadmodum cum ſalſa de profundo maris unda propinata per humum terræ infunditur (ſicut nautis eſt frequens conſuetudo) in dulcis aquæ ſaporem ſtatim mutatur; commutatione verò aëris ventos, & vehementiore concitatione ignes etiam, ac tonitrua occultis imperiis per Angelos, quibus viſibilis regitur mundus, ſicut & cætera Conditor facit. Nonnulli verò de effectu tonitrui illud intendunt, quòd cum circà aërem duorum elementorum, hoc eſt ignis & aquæ, ſunt ſpatia; unum ſuperius, ſicut diximus, & unum inferius, & tamen aëris natura utraque in ſe trahit, id eſt, aquam vaporaliter de imis, & ignem caumaliter de ſupernis, ipſa duo contraria ſibi elementa confligunt. Impoſſibile namque eſt abſque humidis nubibus & fulgoribus tonitrua moveri, ſicut intuentium oculis perſpicuè patet; in quo conflictu ignis & aquæ confuſi ſonitus horribileſque fragores ſuſcitantur: & ſi ignis victor fuerit, terræ atque arborum fructibus non mediocriter nocet: ſi verò aqua vicerit, frugiferam vim tam in arboribus, quàm in his quæ olerum diverſis ſpeciebus naſcuntur, non perdit. Illo enim præcipuè tempore tonitrua ſonant, quo arborum & terrarum fruges in oſtenſione adhuc ſiunt, priuſquàm matureſcere incipiant. Per creaturas enim aliarum creaturarum incrementa, aut decrementa, Domini conditoris imperio gubernantur.

CAPUT VIII.

De diabolo, & naturâ dæmoniorum.

IN hac autem turbulentâ ac nebuloſâ aëris hujus manſione, de ſublimi felicitate, ut diximus, Angeli repulſi cum ſuo principe commorantur. Sed ille princeps, Satanas & diabolus nominatur, reliqui verò ſpiritus ipſius principis miniſtri, qui priùs Angeli fuerant, nunc dæmones vocantur. Quemadmodum etenim merita, ſic & nomina mutaverunt & loca: ſed tamen & nunc per ſcripturas antiquo vocabulo, eo quod iſti nequitiæ ſunt nuntii, ſicut boni ſpiritus ſunt nuntii juſtitiæ, ſæpe Angeli vocantur.
Sicut in Evangelio ſcriptum legitur: *Quem præparavit pater meus diabolo & Angelis ejus.* Et Apoſto- Matt. 25. 41.
lus ait: *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus ſatanæ qui me colaphiſet.* Sed has etiam ſedes uſque 2. Cor. 12. 7.
in judicii tempus ſub exſpectatione terribilis Domini adventûs, non ſine timore ac tremore, licet infructuoſo, interim poſſident; ſicut Apoſtolica dicta
perhibent, quibus dicitur: *Nam & dæmones timent & contremiſcunt.* Et ut manifeſtum ſit, quòd ſub Jac. 2. 19.
exſpectatione temporis, in quo duriùs judicabuntur, vel potiùs perdentur, hunc locum aëris habitant ſpiritus immundi, qui in præſentià Salvatoris
clamabant: *Quid nobis & tibi Jesu Fili Dei? venisti huc perdere nos ante tempus?* In adventu nam- Luc. 4. 34.
que Æterni (quando communis Sanctorum omnium
oratio complenda eſt dicentium: *Fiat voluntas tua & in terrà ſicut in cælo*) ad tenebras exteriores ſervi Matt. 6. 10.
inutiles ejicientur, cum Dominus adverſarios ſicut repulit è cælo, ſic expellit humo, quibus æterni
ignis (ſicut Dominus ipſe teſtatur) à Patre irremediabiliter præparata eſt pœna. Qui ideo nec remiſ- Ibid. 25. 41.
ſionem, nec redemptionem recipere merentur; quia de ſublimiſſimo ordinis ſtatu ceciderunt, ac proptereà nihil aliud in quid iterum, dimiſſo peccato vocarentur, habuerunt, dum omnem ſuam beatitudinem, in quâ conſtituti ſunt, tranſgreſſione naturalis boni, quod erant, & dominicæ legis, in quâ conditi ſunt, polluerunt: propter quod nec pœnitere deſiderant, nec etiam ſi pœnituiſſent, veniam recipere omninò poſſent.

Quoniam humanum genus à ſuo conditore redemptionem idcircò promeruit accipere, quia de inferiore ſui ordinis gradu corruit: cum enim eſſet adhuc in paradiſo terreno poſitus, generandi officio deſtinatus, ciborumque eſui deputatus, immutationem in meliorem, ſublimioremque, & ſpiritalem vitam ſine morte reciperet, ſi quamdiù in hac converſatione poſitus eſſet, in mandati cuſtodiâ homo permaneret. Clementiâ ergo Conditoris ad illum ſtatum, ad quem peccans adhuc non pervenerat, per paſſionem Domini revocatur; quem ſi inde cecidiſſet, ſicut Angelus, nunquam iterum revocaret: quoniam non ad illum gradum vel ordinem, unde primus homo ceciderat, ſed ad alium ſublimiorem, quem ſperavit, reſtitutio fiet, dicente

Matt. 22. 30. Marc. 12. 25.

Domino: *Erunt ſicut Angeli in cœlo.* Scilicet quia non ſicut homines in paradiſo, in illam enim mortalitatem, quæ generandæ proli, & ciborum eſui deputata pro tempore eſt, quamvis redempti homines, redire non poterunt; ſed poſt mortem reſurgentes, ſpiritalibus corporibus non creſcendo, non ſeneſcendo, non moriendo Angelicæ felicitatis conſortes erunt.

Tempus verò diabolicæ tranſgreſſionis ſi requiritur, ante tempus viſibilium rerum diaboli peccatum fuiſſe originaliter deprehenditur: omnia enim quæ facta ſunt, ſimul & ſine tempore facta fuiſſe

Eccleſ. 18. 1.

ſcriptura docet, quæ dicit: *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul.* In quibus omnibus etiam infernalis ille ignis æternus, de quo Dominus dicit:

Matt. 25. 41.

Ite in ignem æternum, quem præparavit pater meus diabolo & Angelis ejus: ſimul factus fuiſſe minimè dubitatur. In eo enim quod dicit, *creavit omnia ſimul*, nihil non factum in omnibus creaturis reliquit. Cui ergo carcer in illâ creaturarum conditione præparatus eſt, illius peccatum originaliter ipſas creaturas præceſſit: nequaquàm enim adhuc innocenti pœnam Dominus præparaſſet, ſi non illius delictum præparatam pœnam præceſſiſſet. Sed & hoc etiam ſine tempore fecit, qui damnationis ejus pœnam, quâ ſervus fugitivus cruciaretur, effecit.

Iſte autem Angelus cum ab Conditoris beatitudine receſſit, omne ſuæ naturæ bonum, quod in conditione ſuâ habuit, totum amiſit; ſed ſibimetipſi malus, Deo ſemper bonus perſeverat, dum obedienter Dominicæ juſſioni, quamvis non ſponte, propter potentiam Dei tamen obtemperat. Ex omni enim naturæ bono quod habuit, hoc nunc tantummodo habet, quod Deo Creatori ad cuncta obedit imperata. Sed hoc bonum non in diabolo & miniſtris ejus bonum eſt, qui idcircò obediunt, quia non obedire non poſſunt: ſed hæc eorum obedientia in Deo bona eſt, cujus bonæ quidem voluntati invita diaboli mala voluntas, cum bene operari præcipitur, reſiſtere non poteſt. Sed plerumque accidit, ut cum Dei bonâ voluntate aliquid facere imperatur, ipſius mala voluntas in hoc eodem opere paſcatur. Quemadmodum ad decipiendum Achab impiiſſimum Regem, idololatram ſcilicet & Prophetarum perſequutorem, cum à Domino miſſus in quo deciperet interrogaretur, non ſolùm ſe ſponte paratum ad hoc opus obtulit; ſed etiam quali conſilio illud efficeret, indicavit, ac reſpondit:

1. Paral. 18. 21.

Vadam & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Et Dominus dixit, vade & fac ita; & decipies Achab. Valde enim convenerat, ut qui veros Domini Prophetas neci dediſſet, per pſeudoprophetarum falſiloquia ſeductus, deceptus periret. Ecce promptiſſimè diabolus ſuâ malâ voluntate citò ad iſtud decipiendi impii officium ſemetipſum obtulit, ſed niſi à Dominò permiſſus fuiſſet, hoc facere non potuit: in quâ re bona Dei voluntas ſanctorum Prophetarum juſtam vindictam exercuit, ſed malus miniſter in interitu impii & peccatoris malam ſuam voluntatem cibavit.

Sed nec in his quæ hominibus ſubdita ſunt, aliquid abſque Dei permiſſione facere valet, ſicut Evangelica veritas perhibet, quâ refertur: *Si nos ejicis, mitte nos in gregem porcorum.* Sicut enim in illis

Matt. 8. 31.

hominibus, à quibus expellebatur, contrà Domini præceptum ultrà permanere non potuit, ſic & in porcos abſque ejus introire permiſſione non potuiſſe ſe oſtendit. Quod in beato Job, & in rebus quas poſſidebat & amiſerat, ſimiliter manifeſtatur. In quibus inimici nequitia abſque Conditoris permiſſione nihil egiſſe probatur, ſicut dicitur: *Nonne vallaſti eum, ac domum ejus, omnemque ſubſtantiam ejus?* Et cum à Domino maligni hoſtis poteſtati ejus ſubſtantia permittitur, ita ſubinfertur: *Ecce univerſa quæ habet, in manu tuâ ſunt: verumtamen in eum ne extendas manum tuam.* Et hæc ita eſſe ſentiens Job cum ſuarum rerum damna comperiſſet, ita reſpondit: *Dominus dedit, Dominus abſtulit. Quomodo voluit Dominus fecit: ſit nomen Domini benedictum.* Non Job dixit Dominus dedit, diabolus abſtulit; certiſſimè enim abſque Dei permiſſione in rebus aut hominibus nihil omninò facere poſſe adverſarium ſciebat. Sed ſæpe, ut dixi, in eodem miniſterio & ejus adverſarii prava voluntas per ſe paſcitur, & Domini benevolentia, aut juſtæ vindictæ, aut fructuoſæ probationis, aut Job [e] diſpenſatione miniſtratur: ſub quâ bifariâ bonæ & malæ voluntatis diſtributione, & malos poſt vindictas trucidant, & bonos per tentamenta probant. Ad hoc namque ipſorum, quamdiù in hoc aere adhuc liberè volitant, uſque ad tempus extremi judicii pœna à Domino differtur, ut & reprobi ex hominibus eorum conſortes & ſceleris & ſpurcitiæ appareant, & boni per tribulationes eorum irrogatas probati manifeſti fiant.

Job 1. 10.

Ibid. v. 12.

Ibid. v. 21.

At verò improbi & impuri ſpiritus, vagi & ſubtiles, animo [tantum] paſſibiles ſunt, & aëreis corporibus induti, nunquam ſeneſcunt, & cum hominibus inimicitias exercentes ſuperbiâ tument. Fallaces atque in fraude callidi, homines, ſenſus commovent, terroremque mortalibus inferentes, inquietudinibus ſomniorum, & morbis, & diſtortione membrorum vitam turbant, præſtigia atque oracula fingentes, regenteſque ſolites [f], cupidinem illiciti amoris, & cupiditates humanis cordibus infundunt; & veriſimilia mentientes in bonorum etiam Angelorum habitum & lucem ſe transformant. Et quemadmodum nequitiâ, ita & poteſtatum gradibus diſtant. Et ſicut nunc boni ſpiritus, hoc eſt, perfecti Angeli, impaſſibiliter loca poſſident, ſubjecta ſibi, ſi feliciter & beatè viverent, hæc eadem haberent. Et hi etiam quando ſua nomina proferunt, ex officiis nequitiæ & poteſtatibus vocabula ſibi aſſumunt: quemadmodum cum à Domino de ſuo nomine in regione Geraſenorum adverſarius interrogatus fuiſſet, reſpondens, inquit,

Marc. 5. 9.

Legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus. Unde manifeſtum eſt, non proprii nominis, quod non habuit; ſed ſui gradûs ac poteſtatis vocabulum protuliſſe; & requirenti Domino, quia alter lo-

e *aut Job*] Lego *ut in Job.* Non ita multo poſt ubi *hominis, ſenſus*, haud dubium quin legi oporteat *hominum ſenſus.*

f *regenteſque ſolites*] Nihil hoc loco magis corruptum; ſed quod Acherius conjecit legendum fortaſſe *regentes ſoli res*, non placet; nec enim ullus auctor ſani capitis unquam ſcripſit res noſtras à dæmonibus, & quidem ſolis regi.

qui non potuit, de ſemetipſo quod erat verum indicaſſe.

CAPUT IX.

De naturâ aquarum, & curſu Oceani.

POST aëris ſpatia cum ſuis habitatoribus curſa, nunc ad aquæ elementum, quod inter aërem & terram conſtitutum eſt, intentio dirigitur: cujus congregatio, ſicut Geneſeos ſcriptura declarat, Ma-
Geneſ. 1. 10. re vocatur, cum dicitur: *Et congregationes aquarum appellavit maria.* Quarum ea pars, quæ per fontes, & flumina, & ſtagna terris interfunditur, dulcedinem habet, ut & ſitientibus animalibus potamenti & cæterorum uſuum ſolatia præberet, & alendis fructibus terram fecundiùs irrigaret. Propter quod qui de nubibus cribrati per aërem defluunt, ut aptius ad frugiferam vim, & ſedandam ſitim, ſicut ante diximus, ſobvenirent, ſapidi fiunt. Ea ve-
g rò pars immutata g aquarum congregatio, quæ per magna terrarum ſpatia dilatatur, & aquæ ipſius fines occultantur, ſalſuginem & acriorem ſaporem inſitum ſibi naturaliter tenet, ut convenienter humanis uſibus fructus, quos ſapidi liquoris non haberet unda, utiliùs nutriret. Sed utrum ſapidum an ſalſum ſaporem naturaliùs, an æqualiter utrumque aquæ habeant, pro certo Deus viderit; quamvis & plerique ſalſuginem naturalem eſſe aquarum ſaporem putant; dulciorem verò terræ aut aëris naturâ condiri æſtimant: ſed tamen quemadmodum ſalſa aqua per humum perfuſa dulceſcit, ita & dulcis aqua per marinorum olerum cineres infuſa, ſalſi protinùs ſaporis fit: unde uterque ſapor naturalis eſſe ſuo modo non eſt difficiliùs credi, dum ab alterutro in alterum uterque poteſt refundi.

Maris verò fretibus crebrò terrarum ſpatia diſtinguuntur, ut & gentium terminos intercluderet, & munificentiâ ſuorum fluctuum omnes provincias diverſorum populorum ditaret, & inter omnes patrias cuncta commutata invicem commercia neceſſaria miniſtraret. Quantam verò concordantiam cum lunæ curſibus, inundatione & receſſu Oceanus habeat, intuentibus diligenterque animadvertentibus perſpicuè patet, qui quotidie ad terram bis venire ac recedere per horas viginti quatuor indeſinenter videtur,
h cujus curſûs tota convenientia in ledonis & h malinæ diviſus viciſſitudines partiatur; ſed ledonis aſſiſa ſex ſemper horas incrementi ſui immutatâ conſuetudine complet, & per totidem horas ipſa ſpatia quæ texerat, retegit. Malinæ autem aſſiſa quinque horas ſuæ inundationis agit, & per ſeptem horas ejuſdem receſſu ea littora quæ compleverat, vacua reddit. Quæ tantam concordiam cum lunâ videtur habere, ut in ejus medio ſemper lona naſcatur, quæ per ſeptem dies, & duodecim horas, & quartam diei partem diligenti exploratione perſeverare videtur; & ita fit ut cum iterum luna plena minuitur, etiam malina rurſùm tenebroſa dimidiatur: interpoſitis verò ſpatiis ledo deprehenditur, qui nec plenilunium, nec
i naſcentis lunæ initia, in quam i adire cernitur; & per hanc viciſſitudinem efficitur, ut per omnem communem annum XXIIII. malinæ, & totidem ledones numerentur; in emboliſmo autem viginti ſex malinæ, & ejuſdem numeri ledones inveniuntur, quia per omnia cum lunæ curſu inſeparabiliter marinus comitatur. Quatuor verò ex his, hoc eſt temporum quatuor mediæ, duæ ſcilicet æquinoctialis, malinæ duæ, cum aut dies aut nox incrementi & decrementi ſui finem faciunt, ſolito validiores, ſicut oculis probare licet, ad inundationem altiores fieri videntur, & majora littorum ſpatia retegere cernuntur. Et quoniam impoſſibile eſt, ut non aliqua, licet nobis incognita ſpatia deſerat, quando per noſtrarum terrarum ſolum exundat, ſicut eadem loca à nobis recedens implet, ut num aſſiſa ibi ſit receſſa, & an receſſa ibi ſit aſſiſa, dimidium maris miniſterium ignorare fateri compellimur. Sed in hoc & multis ſimilibus nihil noſtræ ſcientiæ conceditur, niſi Creatoris potentiam atque immenſitatem clamare, qui
omnia in numero, pondere, & menſurâ diſpoſuit. Et Sap. 11. 21.
interim cum inſigni Gentium Magiſtro dicere: *Ex* 1. Cor. 13. 9.
parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum eſt, tunc cognoſcam ſicut & cognitus ſum.

Ex hoc autem limphatico elemento piſcium & avium, hoc eſt, omnium aquatilium & volatilium diverſa genera facta fuiſſe Geneſeos ſcriptura pronuntiat. Sed piſcium, id eſt omnium quæ in aquis vivunt animantium CLIII. eſſe genera philoſophi, qui de rerum naturis ratiocinantur, enumerant: quem numerum Apoſtolica ſagena velut ex omni genere piſcium congregans contraxerat. Aves verò utrum & ipſæ hunc ſuorum numerum generum habeant; an majorem, an minorem, etſi ſint aliqui qui æſtiment, tamen quia grandi hoc auctoritate firmare non poſſunt, nec ſequendi, nec reſpuendi ſunt: ſed cum de aquâ omnium avium origo proceſſerit, unde tam diverſæ earum conſuetudines manendi, ſeu vivendi, ſeu natandi extiterint, ut aliæ in ſalſis undis ſemper ſupernatent, & victum habeant; aliæ in dulcium aquarum ſtagnis & fluminibus commorentur; aliæ in terrâ ſine ullâ natandi conſuetudine degant, quarum aliæ in campanis, aliæ in ſilvis, aliæ in montibus, aliæ in paluſtribus locis fieri conſueſcunt: alias ad volandum penna non ſublevet, aliæ ita excelſa ac remota aëris ſpatia volando penetrent, ut æſtatis tempore etiam nivem de altiſſimis nubibus ſuis pennis deferant? Niſi forte has tam diverſiſſimas conſuetudines originis, quamvis de aquâ, diverſitas conditionis in omnibus avibus efficit, ut ex his aliæ de ſalsâ undâ, aliæ ex dulci aquâ, aliæ de herbarum rore, aliæ ex arborum conſtillatione, aliæ ex paludium humore, aliæ ex montium confluxione, aliæ ex aëreo vapore, aliæ ex altiſſimarum nubium fluidâ conſpiratione conditæ ſint, atque illud earum unaquæque naturaliter, quod ſuæ conditionis origini pertineret, aſſueſceret, ut ibi & inde quæque avis viveret, unde priùs ut eſſet, habuiſſet.

CAPUT X.

De Paradiſo.

ET quoniam poſtquàm terra in elementorum ordine ſtatuta eſt, primùm de paradiſo dicemus, ubi primorum hominum habitatio extiterat: quamvis commemorandi loco ſermo ponendus ſit, de quo plurimorum diverſæ ſententiæ prolatæ ſunt, utrum ipſa immortalis vita, quâ ante peccatum homines donati ſunt, paradiſi nomine dicta eſt, an totus hic terrarum orbis tam commodè innocenterque viventibus diſpoſitus fuerat, ut paradiſus diceretur, quatenùs quamdiù inculpabiliter ſine ullo vitio poſſeſſores vixiſſent, etiam terræ ejus habitatio iiſdem cun-

g *pars immutata*] Cum hæc poſtrema vox nullum idoneum ſenſum exhibeat, ſuſpicor legendum *indigitata*, vel *nominata*. Statim quod ſequitur *& aquæ ipſius*, neſcio an ita teſtari poſſit *& à qua ipſius*, ſempe terræ.

h *ledonis & malinæ*] Ledonem, ait Acherius, vocat maris æſtuationem: malinam Oceani incrementum, æſtum.

i *in quam adire*] Lego *nunquam adire*.

cta feliciter abſque ullo labore miniſtraretur, ac poſtmodum ipſis peccantibus, atque in deteriora mutatis, etiam orbis eorumdem vitio & vindictæ ſententiâ mutatus eſt, atque obſcuratus (quomodo de Sole diximus & Luna), & ſui decorem & frugiferam vim, etſi non totam, maximâ tamen ex parte amiſiſſet, ut quæ beatitudini & felicitati benè viventium opitulaverant, malè viventium vindictas cumularent.

An etiam ſpiritaliter aliquis locus hujus terræ felicitatis beatitudine plenus, hominibus ſuæ creationis meritum ſervaturis diſpoſitus fuerit, in quo nihil, quod beatitudinem corporalem læderet, quamdiu mandati patientia ſervaretur, inerat. Cui ſententiæ ſcripturæ Geneſeos auctoritas non mediocriter ſuffragatur, dicentis: *Plantaverat autem Dominus Deus paradiſum a principio, in quo conſtituit hominem quem formaverat.* A principio enim plantatus paradiſus dicitur, dum principatum orbis ſpecialiter hic locus tenere videtur, in quo primus homo ſtatim poſt ſui conditionem conſtitutus fuiſſe non dubitatur. Etenim omnibus modis conveniebat, ut caput & principium humani generis in capite & principio poneretur orbis, ut inde hominum propago membrorum ſuorum incrementa ſumeret, unde terrarum orbis, quem inhabitat, initium acciperet. Cujus paradiſi ſtatum cum eadem ſcriptura enumerat, frugiferis arboribus conſitum, & fonte magno, quo totius terræ facies rigatur, adornatum enarrat, dum appoſitum ibi hominem ita inquiens loquitur: *Ex omni ligno paradiſi comede.* Et mulier ait: *De fructu lignorum quæ ſunt in paradiſo veſcimur.* Et paulo ante profertur: *Et fons aſcendebat de terrâ irrigans univerſam ſuperficiem terræ.*

Geneſ. 1. 8.
Ibid. 2. 16.
Ibid. 3. 2.
Ibid. 2. 6.

In quibus rebus hiſtorialiter abſque ullis ænigmatibus ipſius ſcripturæ veritatem ſervari quid impediret; quomodo & de omnibus quæ de principio naſcentis totius creaturæ viſibilis continet corporaliter, etiam auctoritas elucet. Factum namque firmamentum, & mare, & terram, & luminaria, & ſtellas, aquatilia etiam atque animalia terrena, & hominem iſtum, ſicut ſcriptura Geneſeos inveſtigat hiſtorialiter, abſque ullis ænigmatibus credimus: an in hoc ſolummodo quod paradiſi locum frugiferis conſitum arboribus, & magno fonte illuſtratum commemorat, niſi in ænigmate non recipiemus? Sed hoc utroque modo poteſt intelligi, id eſt, & ſecundùm rerum geſtarum hiſtoricam narrationem, & ſecundum tropologiam, id eſt, juxtà moralem explanationem.

Tribus modis intelligenda ſacra ſcriptura. Hier. epiſt. 150. q. 12. ante fin. Et in Ezech. l. 5. c. 16.

Scriptura etenim ſacra, ratione tripertitâ intelligitur, cujus primus intelligendi modus eſt, cum tantummodo ſecundùm litteram ſine ullâ figurali intentione cognoſcitur, ut ſanctus Hieronymus ait: *Actus Apoſtolorum nudam quidem mihi videtur ſonare hiſtoriam.* Secundus modus eſt, cum ſecundum figuralem intelligentiam abſque aliquo rerum reſpectu inveſtigatur: ut prima & extrema pars Ezechielis, & Cantica Canticorum, & Evangelii quarumdam parabolarum expoſitio, quæ aliud loquuntur, & aliud agunt. Tertius modus eſt, cum ſalvâ hiſtoricarum rerum narratione, myſticâ ratione intelligitur: ſicut arca Noe, & Tabernaculum, & Templum hiſtorialiter facta ſunt, & intellectualiter Eccleſiæ myſteria per hæc deſignantur. Sic nimirum & paradiſi locus prioris Adæ, qui forma futuri exſtiterat, & Eccleſiæ futuræ, quæ eſt terra ſequentis Adæ, myſteria præfigurabat.

Dum verò ibi homo immortaliter & beatè viveret, numquid & totius orbis ſubjectio ibi non ſubjaceret? Quid enim illum ab ingreſſu orbis intercluderet, qui in creaturis nocere ſibi aliquid non timeret: dum ignis non ureret, non aqua mergeret, non beſtiarum fortitudo mactaret, non ſpinarum vel cujuſcumque rei aculei vulnerarent, non abſentia aeris ſuffocaret, non omnia quæ nocent mortalibus impedirent? Corpus enim immortale & invulnerabile, & illædibile, nihil quod mortem, & vulnus, & læſuram inferret, in omnibus creaturis, quoadusque Creatorem offenderet per inobedientiam, inveniret. Paradiſi ergo habitatorem luſtrare omnia quæ ſibi fuerant ſubjecta, quid prohibuit? Cum & hoc facere Dominus eum non ſolùm non interdixit,[1] ſed imperavit, dicens: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam: & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli.* Sicut enim Angelis in his quæ ſibi ſubjecta ſunt, à ſede cœli diſcurrere liberum eſt, & tamen in cœlo habent ſedes, quid & homines in paradiſo conſtitutos diſcurrere per omnem creaturam ſibi ſubjectam ſine ſuo labore impediret? Quemadmodum namque à dolore, & ſenectute, & morte immunia corpora poſſidebant, ita & omni labore & pigredine carentia habebant. At vero cum paradiſi colonus in loco ſuæ terrenæ felicitatis peccatum commiſiſſet, in maledictæ terræ habitationem detruſus, protinùs illa omnia quæ priùs poſſedit partim amiſit, partim cum labore conſervavit. Et illo excluſo à ſede beatitudinis, poſſibilitas iterum redeundi interclusa eſt; & ita factum eſt, ut quemadmodum Angelus Apoſtata cum ſuis de ſummâ ſui paradiſi ſerenitate dejectus, caliginoſum hujus aëris locum ſortitus eſt, ſic & homo de ſui paradiſi terrenâ beatitudine in maledictæ hujus terræ habitationem detruſus eſt. Sic etenim ſcribitur: *Et ejecit illum Dominus Deus de paradiſo, & projecit in terram de quâ ſumptus eſt. Et conſtituit ante paradiſum Cherubim habentem flammeum gladium atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* In quo demonſtratur, quòd quamvis ligni vitæ viam Cherubim dicitur cuſtodire, ne tamen homines regredi poſſent, totum etiam paradiſum jubentur defendere, dum flammeum gladium non ante lignum ſolummodo vitæ, ſed ante totum paradiſum ſcriptura indicat eſſe poſitum.

1 Geneſ. 1. 28.
Ibid. 3. 23.

Non ſatis autem elucet de quâ arbore ſpecialiter Adam comederit, ſed clarum eſt, quòd ſtatim poſt peccatum nuditatem ſuam fici foliis arboris texit, cui ſoli in tempore ſuæ carnis Dominus Jeſus paulo ante quàm mortem pro Adæ delicto ſuſcepiſſet, maledixit, & citò aruit, cum diceret: *Nunquam fructus ex te naſcitur in æternum.* Hoc eſt, qui hominibus ultrà, ſicut ſuperiùs diabolus, nocere poſſit. Ecce in hanc arborem, id eſt, ficum, maledictum delicti Adæ, quod totam terram infecerat, priuſquàm ſanguinis ſui rore ipſam mundaret, Chriſtus collegit. Utrum autem ab hac primitus homo culpam, an de aliâ ſuſceperit, pro certo Deus viderit. Attamen ſi quæcumque nunc eſt, quæ tunc ſcientiæ boni & mali arbor dicta fuerat, non eſt putandum quòd tantum nunc utentibus nocere poſſit, quantum potuit tunc in paradiſo conſtitutis, ut etiam nunc utentibus eâ arbore mortem conferre poſſit: non enim in arboris naturâ mortiferum aliquid ineſſe credendum eſt, aut etiam ut boni & mali ſcientiam facere valeret, ſed mandati Domini tranſgreſſio, quo præceptum eſt, ne de hoc ligno comederet, mortem effecit. Cujus obedientia ſi eſſet, hoc erat ſcire bonum, & inobedientia dum fuit, hoc eſt noſſe malum. Quorum tamen diſtantiam homo niſi tranſgreſſione intelligere non potuit: quando enim ſo-

Matt. 21. 19

1 *non interdixit*] Ita lego: in priori editione *non indixit.*

lummodo bonum poſſidebat, quid eſſet malum, & quomodo ſibi noceret, ignorabat. Ut autem manifeſtum ſit, quòd in hoc ligno qualecumque præter originalem obedientiam ligni ſcientiæ boni & mali nihil ineſſet nocivum, ecce non hujus ſed ligni vitæ via excluditur; in cujus excluſione prioris delicti miſericorditer ren illio præparatur: ſi enim homo poſt peccatum illud originale de ligni vitæ fructu comediſſet, commiſſi penitùs maculam miſerè in æternum & infeliciter in corpore ſeneſcenti & doloribus obnoxio moriendo deponere non poſſet: nullo enim alio modo hoc delicti facinus, niſi morte Dominus præparavit, quod per adventum poſtea in carne Filii ſui Jeſu Chriſti futurum eſſe præſcivit & prædeſtinavit, ut per illius mortem noſtra culpa moreretur, & per illius reſurrectionem lex noſtræ mortis evacuaretur, & per ipſius corporis aſcenſionem, & in cœlo manſionem, noſtræ humanitati immortalitas donaretur, & angelicæ & ſpiritalis vitæ conſortium, quod nobis in principio præparatum eſt, donaretur: ſicut & in extrema futuri judicii vocatione in dexterâ conſtitutis certum eſt à Domino di-
att. 25. 34. ctum: *Venite benedicti patris mei, poſſidete Regnum, quod vobis præparatum eſt ab origine mundi.*

CAPUT XI.

De ſitu orbis terrarum, quem inhabitat genus humanum.

PORRO de terrarum orbis ſitu, quem inhabitat genus humanum, Pſalmiſta ad Dominum ait:
al. 103. 6. *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam; non inclinabitur in ſæculum ſæculi. Abyſſus ſicut veſtimentum amictus ejus: ſuper montes ſtabunt aquæ.* Ex quo intelligitur, non ſuper alterius elementi ſoliditatem, niſi ſuper ſuimet ſtabilitatem & firmitatem terram eſſe fundatam. Utrum verò ſibi aliquid ſicut ipſa aquis, & aquæ aëri, & aër ſpatio ſuperiori & ipſo firmamento, & firmamentum aquis ſuperioribus conſtitutum ſit, ipſe novit qui ubique & undique cuncta conſpicit. Ea verò parte, quæ hominibus ad habitandum data eſt, quadrifarius orbis ſtatus eſſe multi prodiderunt authores: quarum partium quatuor vocabula quatuor litteris nominis primi terrigenæ, hoc eſt Adam, incipere, ſapientes intelligunt. Anatole ſcilicet, Dyſis, Arctus, Meſembria; id eſt, Oriens, Aquilo, Auſter, Occidens. Conveniebat enim ut qui ſuo genere totam terram impleret, ſuo nomine quatuor quadrati orbis partium vocabula colligeret. Quatuor quoque temporum articulis anniverſario ordine diſtinguitur, atque impleto anni ſpatio, terreni orbis diſpenſatio ſemper ſine ceſſatione in circulum redigitur. Veris autem tempore quo mundus fuerat initiatus, ſemper vernat; æſtate autem floret & fructificat; autumno matureſcit, & aptum ſuorum fructuum mortalibus uſum tribuit, hyeme verò decidit & areſcit.

Sed hanc augmenti ſui & decrementi conſuetudinem patitur, quamdiù ſervituti corruptionis obnoxia mortalium officio mancipatur. Cum enim naſcendi & moriendi in hominibus conditio ceſſaverit, tunc etiam viriditatis & ariditatis ſuæ incrementa & damna ipſa terra non habebit, cum Eſaiæ vaticinium imò Domini per Eſaiam completum fue-
s. 65. 17. rit: *Ecce ego creo cœlos novos, & terram novam, & non erunt in memoriâ priora, ſed gaudebitis & exultabitis in his quæ ego creo.* Quoniam dum immutatis corporibus homines ſpiritaliter vivent, neceſſe eſt ut immutata in melius habitandi loca, id eſt, ſpiritalia habitent. *Hoc corpus* (ut Paulus ait) 1. Cor. 15. 42. & ſeq.
ſeminatur in corruptione, ſurget in incorruptione. Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale: ſeminatur in contumelia, ſurget in gloria. Neceſſe eſt enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cum enim corruptio & mortalitas in corporibus deſierint, tunc mortalibus uti & corruptilibus homo non neceſſe habebit. Quod & in Dominici corporis reſurrectione probatum fuiſſe Evangelia ſancta confirmant, dum linteamina quibus fuerat involutum, poſt reſurrectionem & in monumento ſola poſita eſſe denuntiant, quemadmodum de Petro dicitur: *Et vidit linteami-* Joan. 20. 5.
na ſola poſita, & abiit, & ſecum mirans quod factum fuerat. Novis ergo corporibus, non indigentibus iis quæ vitæ corruptibilis uſus requirit, nova terra cum novo cœlo ad habitandum creabitur, hoc eſt, hujus terræ natura & ſuperficies in ſpiritalem ſtatum, qui ſpiritalibus conveniat, abſque aliquâ mutabilitate inſtaurabitur. Sed dum hoc fiet? Quando Hieruſalem laus creata fuerit in terrâ, & populus ejus gaudium & exultatio, & quando ſancti in his quæ Dominus creat gaudebunt, & quorum ſol non occidet, & luna non minuetur, cum redempti à Domino venerint in Sion cum laude, & lætitia fuerit ſempiterna ſuper caput eorum, & obtinuerint gaudium & lætitiam, & fugerit dolor & gemitus, & completi fuerint dies luctûs eorum, & lugentes conſolati fuerint, & abſterſerit Deus omnem lacrymam ab omni facie Sanctorum, & opprobrium populi ſui deleverit, & omnium lugentium Sion mœror depoſitus fuerit, & acceperint coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris,[m] & vocati fuerint in ea fortes juſtitiæ, cum benedicti ad dexteram venerint, & ſicut ſol fulſerint in regno patris eorum.

CAPUT XII.

De naturâ hominum poſt peccatum.

SED hujus interim orbis habitationi poſt originale peccatum homines deſtinati, non totum, quod conditione ſuâ habuerant, naturale bonum perdiderunt; ſed vitiatum primitùs delicto parentis, pravis inſuper moribus corruperunt; & ita fit, ut ſicut cum labore terræ maledictæ fructus percipiunt, ſic & bonum naturale quod in ſe habent non abſque laborioſa curâ cuſtodire poſſunt: & quomodo in ſerpente, & muliere, & viro conſentiente, in protoplaſti tranſgreſſione tripliciter ceciderant, pari modo tribus vulneribus afflicti omnes ejuſdem filii, id eſt, dolore, ſenectute, morte deficiunt, & omne bonum quod in ſe initium naturaliter à Conditore ſuſceperant, ſtudioſo labore ex parte aliquâ inventum magnâ animi vigilantiâ vix conſervant: & quodcumque bonum per induſtriam Dei munere quæſitum inveniunt, præter iniquam mammonam heredibus non relinquunt, & omnes artes quas ſigillatim in vitâ capiunt, in hujus vitæ defectu pariter cum ſpiritus funditur, amittunt.

Parique infirmitatis conditione pauperes, & reges, ſtulti, & ſapientes vexantur. Nam ſimiliter omnes ſomno indigent, & cibo refici, & veſtibus indui neceſſe habent: paſſionibus vitiorum carnalium aut

m pro *ſpiritu mœroris*] Nihil unquàm ſcribi potuit ineptius, nam quid ſpiritus mœroris ad pallium laudis? nec ſanè [illegible], *pro facto mœroris*; nam mœror laudi non ... opponitur. Hic igitur quiddam deeſt, quod niſi ope mſ. codicis reparari non poteſt. Interim tamen lego *pallium laudis pro facto lamentationis, canticum laudis pro ſpiritu mœroris.*

gravantur, aut corrumpuntur: motibus animi, id eſt, irâ & amore, concupiſcentiâ & timore anguſtantur: dolore, & ſenectute, & morte deficiunt: de præteritis citò exuuntur; de præſentibus modicè utuntur; de futuris incerta omnia præſtolantur. Eodem modo auditu, viſu, tactu, guſtu, odoratu, ſentiunt & vivunt: eodem etiam nexu originalis peccati adſtringuntur: eodem Redemptoris munere ditati, undis baptiſmatis & Spiritu ſancto abluuntur. Sed ex his hominibus aut redemptionis fidem, aut opera fidei negligentibus, pariter cum tranſgreſſoribus Angelis & diabolo ſuo principe pœna debetur æterna; ſervantibus verò ſive * ſcripturæ documenta ſive per naturæ bonum munimina, [n] primæ conditionis jura, Redemptoris munere vita præparata eſt futura.

CAPUT XIII.

De diverſitate peccantium & loco pœnarum.

SEd quoniam peccatorum diverſa conditio eſt, ſunt quædam crimina quæ per ignem judicii purgari poſſunt; quædam verò æterni ignis pœnâ plectenda ſunt: & ex his quæ æternâ pœnâ digna ſiunt, quædam ad judicium non perveniunt, quædam poſt judicii examinationem perpetuæ damnationis ſortem ſubeunt; ſicut Paulus Apoſtolus inquit, *1. Tim. 5. 24* *Quorumdam hominum peccata manifeſta ſunt præeuntia ad judicium: quoſdam autem & ſubſequuntur.* De his enim qui judicio carent, Dominus ipſe proteſtatur, & dixit: *Joan. 3. 18.* *Qui non credit in filium, jam judicatus eſt.* Unde intelligitur, quòd qui fidei ſortem ſubire non merentur, nec gratiam baptiſmi conſequuntur, ad futurum non exituri ſunt judicium, ſed ex hac vitâ Evangelii ſermone examinati, exibunt, quo ſcribitur: *Ibid. v. 3.* *Amen dico tibi, niſi renatus quis fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei.* His etiam Pſalmiſtæ verba concordant, quibus ait: *Pſal. 1. 5.* *Non reſurgunt impii in judicio.* Qui autem poſt ablutionem baptiſmi peccatorum multitudine gravantur, & ipſi in duas factiones dividuntur: quidam namque ex ipſis priùſquàm ex ipsâ vitâ exeant, ſcripturæ ſacræ vocibus judicantur: de quibus Paulus Apoſtolus loquitur, dicens: *1. Cor. 6. 9.* *Nolite errare, neque adulteri, neque fornicarii, neque ebrioſi, neque maledici, neque idolis ſervientes, neque avari, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque rapaces, regnum Dei poſſidebunt.* Qui enim hæc & his ſimilia crimina capitalia uſque ad mortem abſque medicamento faciunt, judicati de eâ vitâ ad perpetuas pœnas exibunt. De quorum reatu conviva pectoris Domini Joannes loquitur: *1. Joan. 5. 16.* *Eſt peccatum uſque ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.* Ad mortem enim peccatum deducit, qui licet in extremo vitæ termino de præteritis criminibus pœnitudinem agere negligit. Et notandum eſt juxtà Jacobum Apoſtolum, *Jac. 2. 10.* quòd *qui in uno ex his offenderit, factus eſt omnium reus. Qui enim dixit, non mœchaberis, ipſe dixit, non occides. Quòd ſi non mœcharis, occidas autem, factus es legis tranſgreſſor.*

* Quidam verò ad extremum divini examinis judicium, qui his capitalibus criminibus non involvantur, reſervati, ex hoc ſæculo vadunt, & tamen ſententiâ ſuperni judicis æternæ damnationis ſortem ſubibunt, qui miſericordiæ opera contemnentes, Chriſtum in pauperibus nec cibo nec potu reficiunt; nec veſtibus induunt, nec hoſpitio recipiunt, nec illi in infirmantibus, & alligatis in metallis & carceribus viſitationis ſolatia ferunt, propter quod ab ipſo audient: *Matt. 25. 41* *Ite maledicti in ignem æternum, quem præparavit pater meus diabolo & Angelis ejus.* Non enim ad appetenda regna cœlorum ſufficit non agere mala, ſi quis non curavit facere bona: per Prophetam enim Eſaïam pariter à Domino præcipitur: *Iſai. 1. 16.* *Quieſcite agere perversè: diſcite benefacere.* Per Pſalmiſtam quoque hæc eadem verba idem Domini Spiritus concinnat, dicens: *Pſal. 36. 27* *Declina à malo, & fac bonum.* Et ut oſtenderetur, quòd poſt terrorem tam terribilis hujus quam prædiximus ſententiæ, nullâ pœnitudine judex flecteretur, in fine cunctæ diſputationis ita ſubinfertur: *Matt. 25. 46.* *Tunc ibunt hi in ignem æternum.*

De illius autem ignis æterni loco, id eſt inferni ergaſtulo, multi dixerunt, quòd corporalis locus ſit, ubi peccatorum corpora cruciabuntur: niſi enim ignis ille corporalis & locus eſſet, quomodo reſurgentium corpora cruciata teneret, in quibus corporalitatis veritas ita paſſibilis erit, ut ſtridoribus dentium, & lacrymabilibus fletibus ſubjacebit; ſicut ipſius Domini & judicis verba declarant, dicentis: *Ibid. 25. 30* *Inutilem autem ſervum mitte in tenebras exteriores. Illic erit fletus & ſtridor dentium. Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* In quo dicitur loco ad Regem Babylonis per Prophetam ita: *Iſai. 14. 11.* *Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* De quo loco quidam etiam dixit: ſicut terræ in profundo aquarum, ſic inferna in profundo terrarum ſunt. Unde de illo ſcriptum videatur illud quod ſcriptum eſt, *Apoc. 5. 3.* *Quòd neque in cœlo, neque in terrâ, neque ſubtus terram, inventus eſt, qui poſſit aperire librum, & ſolvere ſignacula ejus.* Unde perſpicuè patet hunc locum qualemcumque ſub terrâ eſſe, qui infernus inferior, & terra oblivionis vocitatur.

Sed hic ignis dum præparatus diabolo dicitur & Angelis ejus, quali corporaſitate eſſe putandus eſt, qui Angelos cruciare poteſt. Animam quoque divitis exutam corpore infernalis ille ignis cruciaſſe deſcribitur, dum dixit: *Luc. 16. 24* *Quia valde crucior in hac flammâ.* Niſi fortè hanc virtutem ille ignis & locus habet, ut Angelos, & animas, & corpora eodem modo cruciare poſſit & retinere. Vel certè dum de filiis reſurrectionis & æternæ beatitudinis dicitur: *Marc. 12. 25.* *Et erunt ſicut Angeli in cœlo.* Nimirùm & filii æternæ damnationis, cum ad pœnam ignis æterni corpora reſumſerint, & ipſi erunt ſicut dæmones in inferno: ut filii bonæ reſurrectionis, cum ſint filii Dei, bonorum Angelorum conſortium; & filii æternæ mortis, cum ſint filii diaboli, conſortium Angelorum ſatanæ ſubeant: de quibus dicitur: *Iſai. 24. 22.* *Et congregabuntur congregatione unius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere: & poſt multos dies viſitabuntur.* Quod utrum an [ad] augendas an ad minuendas pœnas futurum ſit, ignoramus.

CAPUT XIV.

De igne purgatorio.

AT verò hi qui æternæ vitæ ſolatia percipient, bino & ipſi modo largitoris munere regni cœlorum beatitudinem ſument. Quibuſdam namque ex his adhuc in terrâ poſitis, dum pro Chriſto pauperes efficiuntur, regnum cœlorum non promitti-

n *bonum munimina*] Ut in aliis omnibus operibus quæ edenda ſuſcepimus, ſic etiam in hoc opere quæcumque occurrunt vitia, occurrunt autem plurima, quantum fieri poteſt, emendavimus, quod ut facere pergamus, hic monemus legendum eſſe *bona munimina*, & ante, *ſive per ſcriptura*.

tue, ſed abſens licet in labore & fatigatione perſe-
5. 3. verantibus interim donatur, cum dicitur: *Beati
pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlo-
rum.* Similiter & qui perſequutiones hominum pro
juſtitiâ ſuſtinent, eâdem mercedis retributione gau-
. 10. dent, dum ſubinfertur: *Beati qui perſequutionem pa-
tiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt re-
gnum cœlorum.* Non dixit, quoniam ipſorum erit,
ut vocationem futuram ſperarent, ſed cum à cor-
poribus exibunt velut per ſemetipſos recepturi ſunt,
quod in corporibus commorantes interim dono lar-
gitoris poſſident: atque idcircò & his adhuc in terrâ
8. 18. poſitis dicitur: *Quæcumque ſolveritis ſuper terram,
erunt ſoluta & in cœlo: Et quæcumque ligaveritis
ſuper terram erunt ligata & in cœlo.* Ac ſi diceret,
in hoc intelligitur, quòd regnum cœlorum adhuc
in terrâ commorantium veſtrum eſt, dum quem-
cumque peccatis ſolveritis, ut illius poſſeſſor eſſe
poſſit, hoc poſſidebit: & quemcumque in maſſam
perditionis deſtinatum excluſeritis, ab eodem regno
12. excluſos erit. His igitur præcepit Dominus: *Gaudete
& exultate, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.*
Ac ſi diceretur, dum nomina veſtra de terrenæ he-
reditatis conſortio causâ regni cœleſtis deleta ſunt
& abjecta, vos æternæ patriæ heredes interim ſcribi
neceſſe eſt.

Hi ergo cunctas in hac vitâ preſſuras & mala re-
cipientes, abſque examinis aliquâ tribulatione, &
ut dicam, ſine vocatione, æternum refrigerium in-
trabunt; quorum gratiâ & aliqui poſt purgationem
vocabuntur, ſolatium ſine fine poſſidebunt, quibus
poſt examinationem dicetur: *Venite benedicti patris
5. 34. mei, poſſidete regnum.* Quod propter ſolatia paupe-
rum, imò Chriſti in pauperibus, poſſidere merebun-
tur, dum eſurienti cibum, ſitienti potum, nudo ve-
ſtitum, vaganti domum, infirmanti & in carcere po-
ſito Chriſto præbentes viſitationem, in ſuis minimis
fratribus miniſtratio præbebatur. In ipſorum au-
tem vocatione manifeſtum videtur, quod nunc uſque
longiuſculè à Chriſto, quamvis in dexterâ fuerint
conſtituti, ſunt, quibus poſtmodum dicitur à ſum-
mo Judice: *Venite benedicti.* Ac ſi diceret, qui huc
uſque in examinationis purgatione quamdiu aliquid
habuiſtis immunditiæ, quod judicii igne purgaretur,
à ſalute longiuſculè fuiſtis, nunc ad purum exami-
nati ab omnibus modicâ culparum labe, propiùs ac-
cedite & venite.

Quaſdam culpas in futuro remitti Dominus ipſe
. 29. non denegat, cum dicitur: *Qui autem blaſphema-
verit in Spiritum ſanctum, non habet redemptionem
neque in hoc ſæculo, neque in futuro, ſed reus erit æ-
terni delicti.* Ex quo intelligitur quædam eſſe pec-
cata, quæ etſi in hoc ſæculo non remittantur, in
futuro tamen judicio per ignem deleri poſſunt. Si
autem ita non eſſet, hanc diſtinctionem Dominus
nequaquàm poſuiſſet. De quo igne Baptiſta Joan-
nes Domini præcurſor adventûs, loquitur ad Ju-
11. dæos: *Venit poſt me cujus non ſum dignus calceamen-
ta portare; ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto &
igne.* Hoc eſt, qui peccata veſtra quæ præceſſerunt,
Spiritu ſancto per aquæ baptiſmum abluet vel ſolvet,
& quædam ex his quæ poſtea ſequentur criminibus
per ignem purgatorium remittet. De illo enim igne
qui non mundare impios judicatos, ſed perdere dam-
natos accenditur, ab eodem Joanne paulo poſt ſub-
12. infertur: *Cujus ventilabrum in manu ſua, & per-
17. mundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum
in horreum; paleas autem comburet igni inextingui-
bili.* Aliud enim eſt igni baptizari, aliud igni com-
buri inextinguibili. De quo etiam igne idem Joan-
3. 10 nes ait: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum ex-
cidetur, & in ignem mittetur.* De igne verò purga-
tionis Dominus ipſe in Evangelio loquitur: *Qui au-* Matt. 5. 22.
tem dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ ignis.
Non dixit ignis æterni; nempe quia hoc delictum per
ignem purgatorium potiùs, quàm perpetuâ flammâ
puniri credendum eſt.

De hac quoque differentiâ eorum, quos ignis fu-
turi læſura non tanget, & eorum qui poſt ignis de-
trimentum ſalutem percipient, Paulus Apoſtolus ex-
ponit, ita dicens: *Fundamentum enim aliud nemo* 1. Cor. 3. 11.
poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt & ſeq.
JESUS-CHRISTUS. *Alius autem ſuperædificat aurum,
argentum, lapides pretioſos; alius verò ligna, fœnum,
ſtipulam: ſi cujus opus manſerit quod ſuperædificavit,
mercedem accipiet; ſi cujus arſerit opus, detrimentum
patietur, ipſe autem ſalvus erit; ſic tamen quaſi per
ignem.* Per hæc autem duo ædificia, id eſt, aurum,
& argentum, & lapides pretioſos, & ligna, fœnum,
ſtipulam, perfecta, & minùs perfecta ſuper fidem
Chriſti ædificata opera deſignantur; ſed illa quæ per
ligna, fœnum, ſtipulam deſignantur, quamvis fra-
gilia, non tamen polluta fieri demonſtrantur. Unde
intelligitur non principalia crimina quæ maculant
(quorum operarios à regno Dei Paulus excluſit)
ſed illa quæ non multum nocent, quamvis minùs
ædificent, per hæc poſſe deſignari, hoc eſt inutili-
ter . . . . matrimonio legitimo uti pluſquàm ſufficit,
ciborum abundantiâ veſci immoderatè, quâcumque
re lætari, irâ uſque ad verba intemperata moveri,
rebus propriis pluſquàm neceſſe eſt delectari, negli-
gentiùs orationi quàm horarum expetit convenien-
tia inſiſtere, vel tardiùs quàm competit ſurgere,
immoderatu riſu vocem exaltare, ſomno pluſquàm
neceſſitas exigit corporis indulgere; verbum retinere,
otioſè loqui, quod non ita in re ſit opinari, falſum
quod verum putaveris in rebus quæ ad fidem non
pertinent approbare, bonum quod faciendum eſt ne-
gligenter oblivisci, inordinatum habitum habere.
Hæc & his ſimilia peccata per ignem purgari poſſe
non eſt denegandum, & eorum factorem ſi majo-
ribus non gravetur, ſic tamen quaſi per ignem ſal-
vari putandum eſt.

Pœnitentes autem in extremo vitæ præſentis ter-
mino, utrum hìc plenè remiſſionem peccatorum ac-
cipiant, an igne purgatorio eorum delicta delebun-
tur, ipſe ſcit, qui renes & corda conſpiciens, pœ-
nitentiæ dignitatem conſiderat, qui latroni in cruce
penè jam ſine tempore, ſine opere pœnitenti reſpon-
dit: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Et ad Ezechie- Luc. 23. 43.
lem inquit: *Quacumque die converſus fuerit impius* Ezech. 33. 12.
ab impietate ſua, omnium iniquitatum, quas opera- & 19.
tus eſt non recordabor. Sed de illo purgatorio igni hoc
animadvertendum eſt, quòd omni quem excogitare
in præſenti poteſt homo tormentorum modo & lon-
gior, & acrior ſit.

CAPUT XV.

De futurâ vitâ.

De illâ autem verâ beatitudine futuræ vitæ expo-
nit ſancta Scriptura: *Quod oculus non vidit,* 1. Cor. 2. 9.
*nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ
præparavit Deus diligentibus ſe.* De quibus Domi-
nus ait: *Erunt ſicut Angeli in cœlo.* Et ejuſdem Matt. 22. 25.
Domini excelſius aliquid de his ſermo denuntiat:
Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum: Matt. 13. 43
ſol ſcilicet juſtitiæ, & qui timentibus nomen Domi-
ni orietur, in cujus pennis eſt ſanitas, qui in monte
faciem Moyſi cum Helia coram Apoſtolis evacuavit,
cui dum ſancti compatiuntur, ſimul conglorlabun-
tur. In eo autem quod priùs dixerat: *Erunt ſicut* Matt. 22. 25.
Angeli in cœlo, intuendum eſt, quòd ſicut Angeli

priùs per naturam mutabiles facti, quod probatum eſt in his qui ceciderunt, nunc verò immutabiles, ut peccare non metuant nec poſſint, per Dei contemplationem effecti ſunt; ſic homines & ipſi per naturam mutabiles, quod in Adam & ejus ſemine exploratum eſt, creati, poſt reſurrectionem Conditoris contemplatione immutabiles effecti, nec deſiderabunt nec poterunt: omnis enim rationabilis creatura, quæ Dei contemplatione reficitur, peccare non poterit. Non quòd liberæ voluntatis arbitrium vitio carentes Angeli & homines non habeant; omne enim quod volunt in illâ vitâ, hoc faciunt, ſed velle aliquid quod bonum non ſit, nequaquàm poſſunt: unde quia nunquam malè volunt, delictum aliquod omnino non committunt.

Sed hæc perfecta bona voluntas per contemplationem ſuperni Conditoris perficitur, dum quod Creatura per ſe habere non potuit, ipſius largitoris munere donatur: unde perſpicuè intelligitur, quòd Angeli, vel homines, qui ſive in cœlo, ſive in paradiſo peccaverunt, Deum non viderunt, quoniam ſi illum vidiſſent, nullo modo poſteà poſſent delinquere. Sed hæc contrà reſpondens forte aliquis dicet; Cur ergo poſt viſionem gloriæ, unde facies Moyſi in ſolitudine rutilabat, ad aquas contradictionis offendit? Et Petrus poſt Unigeniti gloriam in monte cum Moyſe & Helia oſtenſam, in atrio ſacerdotum Dominum negavit? Cui propoſitioni facilè reſpondetur, quòd Moyſes per Angelum, vel creaturam aliam, poſteriora gloriæ vidit. Et Petrus, & cæteri diſcipuli per corpus humanum rutilare Chriſti divinitatem conſpexerunt: ſi enim per ſemetipſam divinitatem conſpexiſſent, nullo modo in carne poſtea vivere poſſent. Ipſe namque Dominus Moyſi
Exod. 33. 20. reſpondit: *Nemo videbit faciem meam, & vivet.* Sancti ergo poſt reſurrectionem non per figuras & ænigmata Dominum videbunt, ſicut de hoc eodem
1. Cor. 13. 12. gentium inſignis Magiſter pronuntiat: *Quia per ſpeculum in ænigmate videmus; cum autem venerit quod perfectum eſt, tunc cognoſcam ſicut cognitus ſum.* Quemadmodum poſſeſſor Dominici pectoris
1. Joan. 3. 2 conviva potens ait Joannes: *Videbimus eum, ſicuti eſt*, quando complebitur quod Eccleſiæ per Eſaiam
Iſai. 60. 19. Prophetam promittitur: *Non erit tibi ampliùs ſol ad lucendum per diem, neque ſplendor lunæ illuminabit te, ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.* Ex quo intelligitur, quòd non per creaturas, ſed Domini ipſius majeſtate Eccleſia illuminabitur, cum perpetuæ felicitatis ſerenitate ſecura conſortium Angelicæ dignitatis ſubire permittetur, in quâ ſerenitate cuncta proſpera ſine arguente preſſurâ poſſidebit; cum neque tenebris lux, neque morte vita, neque dolore ſalus, nec triſtitia gaudium, neque ſenectute juventus, neque amor carorum abſentiâ, neque defectu, neque ullâ vilitate pulcritudo, neque infirmitate fortitudo, neque juſtitia peccato terminabitur: etſi ſuprà hæc etiam fuerint illa quæ nec cogitatus, nec ulla ratio hominis adhuc in terrâ poſiti apprehendere valet.

Ex his autem omnibus creaturis, quarum perſtrinximus ordinem, quædam ex nihilo, quædam ex aliquo Conditor creavit: cœlum enim, & terram, mare, & quæ ex eis facta ſunt, ex informi materiâ condidit; ipſam verò informem materiam, & Angelorum ordines, de quibus prædiximus, & animam humanam, ex nihilo fecit. Animam etenim neque de ſemetipſo, neque de aliquâ qualibet ſubjacente creaturarum corporalium materia fieri Deus inſtituit, quoniam non Dei partem, ſed Dei creaturam credimus eſſe. Si enim de ſemetipſo eam Deus feciſſet, nequaquàm paſſibilis, & mutabilis, & miſera eſſet. Item, ſi ex creaturis corporalibus illam creaſſet, & corporale aliquid in ſuâ naturâ haberet, aut nunquàm calorem de igneâ, aut flatum ex aëreâ, aut humorem ex aquaticâ, aut craſſitudinem & ſoliditatem ex terrenâ materiâ haberet? Sed quia his omnibus caret, incorpoream illam eſſe conditam convenit, & per ipſam incorporalitatem, & æternitatem, & mutabilitatem, ° & liberi arbitrii poteſtatem, eamdem cum Angelis habere ſubſtantiam, eandique originem dignoſcitur. Hæc autem Dei imago non in æternitate ſimilitudinem in arbitrio liberè poſſidet: de quâ imaginis Dei ſimilitudine impreſſâ Propheta commemorat, dicens: *Signatum eſt* Pſal. 4. 7.
ſuper nos lumen vultus tui.

Utrum autem ſingulis corporibus ſigillatim admittantur, an ex Adam venire, & ex parentibus, ſicut naſcentium corpora, putandum ſit, cum à multis & ſapientibus viris diſputatum ſit, & tamen de hac quæſtione nihil cui plus fides accommodanda eſſe potuerit, reliquerint; quid nos de tantâ & tam periculoſâ re aliquid tentare oportet, vel quid nobis horum, in quibus ſe invicem partes vincunt, cum proprias expoſitiones adſtruere non poſſunt, proferre, emolumenti confert? & idcircò ne ſuprà nos aliquid appetamus, hanc quæſtionem, quæ à multis ſcriptoribus inſolubilis eſſe dicta eſt, ſcientiæ Conditoris reſervemus: quoniam quæcumque ex carnibus agni Paſchalis comedentis ſaturitas conſumere non potuerit, curâ non exiguâ vorax craſtino flamma conſumit; per quod intelligitur, quia omnia quæ ſcripturæ ſacræ corpore noſtræ inveſtigationis ſcientiam effugiunt, dominicæ ſapientiæ rogo igne illuſtrata & conſummata fiunt. Sed & illa quæ velut per exiguam feneſtram noſtri ſenſûs & ſapientiæ ex ante aliquâ ejus gratiæ illuminatione attigimus, ad perfectum omnia ſcire ſicut oportet non valemus; ex parte enim cognoſcimus, quamdiù in hoc ſæculo ſumus: ſed ſi ad illud Patris luminum inæſtimabile lumen perveniamus, tunc cognoſcemus ſicut cogniti ſumus.

Ecce, Venerabilis Pater, De Ordine Creaturarum tibi proponenti, juxtà ingenioli mei modulum, compendioſo ſermone ſummatim reſpondi. Braulium Cæſar-Aug. Epiſc. alloquitur.
Cujus munuſculi mercedem orationibus tuis compenſabo; non quòd exiguitatis meæ obſequium in obedientia, tuâ veneratione & auctoritate conferre poſſit digna, ſed obedientiæ conatus, & ea quæ non valet aſſequi implet: omnia eſſe * in gazophylacio templi, pauperis viduæ æris exiguum munus, multorum divitum auro copioſo præfertur: & in aurato tabernaculo, ubi argentum, & gemmarum pretioſarum, byſſi, & purpuræ, & hyacinthi, & cocci dona conferuntur; etiam eorum qui pelles caprarum deferunt diligentia non deſpicitur. Hanc igitur & tu ſimili modo, meæ parvitatis obedientiam placido pectoris tui portu non dedignare, & trans * garrientium inſtabiles fluctus timore tuæ authoritatis, præſentis Opuſculi naviculam non te pigeat gubernare. Ego enim bonis & Catholicis lectoribus conſentiens, invidorum non curo queriolas vel querelas, qui ſine pennis in terrâ reptantes volatu ranarum nidos avium irrident. Contrà quos tuæ rationis ſcuto protectus, & Domini pergam ſuffragio armatus, ad patriam feſtinare, tutus utroque latere curabo. Deo enim placere curantes, minas hominum penitùs non timemus. Deo gratias, Amen.

° *& mutabilitatem*] Acherius monet fortaſſe legendum eſſe *immutabilitatem*. Alii viderint. Sub finem ubi *omnia eſſe in Gazophylacio*, lego *nam & in Gaz.* & mox *contrà garrientium*, quo loco legitur *trans garrientium*.

MONITUM.

HUJUS Operis Via Regia inſcripti, Auctor non eſt Smaragdus Presbyter & Monachus Anianæ in Septimaniâ, diœceſique Magalonenſi, qui doctrinâ & ſanctitate Ludovici Pii Imperatoris tempeſtate florebat: neque item Smaragdus Luneburgenſis Monaſterii in Saxoniâ Abbas; quandoquidem Monaſterium iſtud condidit Hermannus Saxoniæ Dux ſub anno DCCCCLXXII. *ſed Smaragdus Abbas S. Michaëlis (vulgò* S. Miel*) in diœceſi Virdunenſi. Sententiam hanc approbat doctiſſimus Lucas Holſtenius, qui nuper in Urbe orbem litterarium veluti ſidus ſplendidiſſimum illuſtrabat.*

„ *In Codice manu. ſcripto*, ait ille, *Sereniſſimæ Reginæ [Sueciæ] unde hoc exemplar accuratè
„ deſcriptum eſt, deficit primum folium, quo Auctoris Præfatio continebatur ad Ludovicum Pium,
„ ut puto, ſub quo diem extremum ſuum obiiſſe nos docet Epitaphium à Sammarthanis fratribus editum.
„ Ut Smaragdo hoc Opus tribuam facit epiſtola eidem in calce ſubjuncta Caroli Imperatoris ad
„ Leonem III. Papam, quam idem Smaragdus edidiſſe ſcribitur. Unde apparet hunc Smaragdum
„ auctorem eſſe narrationis de Collatione habitâ Romæ in ſecretario Baſilicæ Vaticanæ inter Miſſos
„ Caroli Magni & Leonem Papam, quam Jac. Sirmondus tom. 2. Concil. Gall. pag. 256. edidit;
„ cum teſtimonia illa, quorum narratio principio meminit, epiſtolâ Caroli contineantur. Præterea ex
„ ſtyli & tractandi modo perſpicuè apparet librum, qui* Diadema Monachorum *appellatur, hujus
„ Smaragdi fœtum eſſe: cujus auctorem alii Smaragdum S. Michaëlis Abbatem in Saxoniâ ma-
„ nifeſto errore faciunt. Nam liber Sereniſſimæ Reginæ ante Saxonicorum Imperatorum tempora
„ ſcriptus eſt, qui Monaſterium Luneburgenſe conſtruxerunt. Neque enim dubitari poteſt, quin
„ utrumque unius ejuſdem auctoris opus ſit, cum multa ex uno in alterum ad verbum tranſcripta le-
„ gantur, ut videre eſt in* Diademate Monachorum, *quod eâdem capitum ſeriè prætexitur, &
„ iiſdem, ut dixi verbis, utrique tamen vitæ generi diverſâ ratione accommodatis: conferas tantum
„ capita 6. 7. 8. & 9. & res ad oculum patebit.*"

Enimverò ea quæ acta ſunt Romæ de Symbolo fidei inter Leonem Papam & Miſſos Caroli Magni, ſe non collegiſſe modo, ſed & ipſis interfuiſſe non obſcurè innuit Smaragdus initio narrationis, ubi hæc verba: His dictis novi quòd nonnulla colloquendo potiùs quàm diſputando præceſſerant, quorum ſeries ſenſuum ſeu verborum, niſi tantum quod inde fuit, non ſatis memoriæ occurrit, &c. in quantum recordari valeo, iſte fuit curſus ſenſuum, & ſumma concluſio noviſſimarum definitionum, &c. *Namque in Urbem ſecum adduxerant Smaragdum Legati illi Jeſſe Epiſcopus Ambianenſis, & Adalardus Corbeiæ Abbas, ut pote virum in rebus Eccleſiaſticis apprimè verſatum, ut ejus eruditio ſibi eſſet ſubſidio.*

Porrò legenti patebit, Smaragdum, cum Regi dicavit ſuum Opus ætate jam provectum fuiſſe. Et licet in hoc opere nullos Sanctos Patres laudet nominatim, continuò tamen è placitis eorum collectos quaſi flores ſpargit, quemadmodum doctus quiſque poterit dijudicare. Denique quantum è Smaragdi monitionibus profecerit Ludovicus, qui agnomen Pii ſortitus eſt, in regendo tum ſeipſe, tum etiam Imperio patefaciunt ipſius egregii mores, & acta illuſtria.

VIA REGIA
SMARAGDI ABBATIS
ORDINIS SANCTI BENEDICTI.

EPISTOLA NUNCUPATORIA.

DEUS Omnipotens, Te, ô Clariſſime Rex, quando voluit, & ubi voluit, de Regali nobilique genere nobiliter procreavit, & miſericorditer ad lavacrum regenerationis perduxit: caput tuum oleo ſacri chriſmatis linivit, & dignanter in filium adoptavit. Conſtituit Te Regem populi terræ, & proprii filii ſui in cœlo fieri juſſit heredem. His etenim ſacris ditatus muneribus ritè portas diademata Regis.

Primùm quia de femore Regis, Regalique deſcendis proſapiâ, decenter tibi convenit, & benè & multa

regere regna. Secundò quia te Regem eſſe, & ſacri chriſmatis unctio, & fidei confeſſio, operiſque confirmat & actio. Tertiò ut æternum cum Chriſto feliciter perciperes regnum, miſericorditer adhuc te parvulum Rex Regum adoptavit in filium. Hæc te proſpicua claraque indicia ab infantiâ Regem clamitant, Regemque confirmant; ſupereſt, ut hæc ipſa regalia, quæ percepiſti à Domino munera, ſollicitè ſalva cuſtodias, & operibus pariter moribuſque defendas: exiguo enim tempore in hac, quâ vivimus, morabimur viâ; quia viâ univerſæ carnis pergimus, & celeri curſu ad promiſſam quotidie patriam feſtinamus.

Reſtat ergo ut de illâ tantum ſolerter interrogemus viâ, quæ nos à latronibus tutos vitiiſque defæcatos

Jerem. 6. 16. deſideratam feliciter ducat ad patriam. Hortatur etenim nos de hac re Propheta, cum dicit: *State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in eâ; & invenietis refrigerium animabus veſtris.* Sollicitè ergo hæc à nobis diſcretèque quærenda eſt via, quæ nos ſalvos ad requiem perducat æternam; & cum Domino nobis monſtrante fuerit inventa, cautè diſcreteque nobis ambulandum eſt per eam, non ad dexteram ambulantibus aut ad ſiniſtram. Occurrat illa de quâ Pro-

Prov. 14. 12. pheticus ſermo denuntians clamat: *Eſt via quæ videtur hominibus recta, cujus noviſſima demergunt ad inferna.* Sed ne aliquis noſtrûm per ignorantiam in hoc oberrans incidat devium, piè nos Propheta ad-

Iſai. 30. 20. monet Iſaïas: *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum: & aures tuæ audientes verbum poſt tergum monentis. Hæc eſt via, ambulate in eâ, ut non declinetis neque ad dexteram neque ad ſiniſtram.* Nam & Iſraëliticus populus cum per aliena tranſiens regna, ad repromiſſionis tenderet patriam, nuntios miſit ad

Num. 21. 21. Sehon Regem Amorrhæorum, dicens: *Obſecro ut tranſire mihi liceat ad terram tuam, non declinabimus ad dexteram neque ad ſiniſtram, ſed per viam regiam gradiemur, donec tranſeamus fines tuos.*

Et tibi ergo, Nobiliſſime Rex, ſi vis ad ſupernam feliciter promiſſionis tendere patriam, diligenter regia quærenda eſt via: quia cum ſis Rex in terrâ, ad cœlorum properans regna per regiam debes currere viam. Trita etenim eſt, & antiquitùs ſanctorum Regum veſtigiis confricata. Per illam Joſue firmiſſimo properans gradu, multorum Regum colla comminuit, nefandorum phalanges ſtravit, Hiericuntinos muros evertit, & Iſraëlitico populo terram repromiſſionis diſtento fune diviſit. Per illam David indeclinabiliter gradiens, perſequutori Sauli pepercit; lapideo ictu Goliam exſtinxit, & ab improperio Allophylorum Dei populum liberavit, & ſibi regnum perpetuum ſolidavit. Per illam firmiter ambulantem Ezechiam miſericorditer Dominus viſitavit, à mortis thoro revocavit, & quinquies ternos ad vitam priſtinam addidit annos. Per illam adhuc ambulans Salomon, quaſi fluvius aquâ, impletus eſt ſapientiâ: nam ab illâ recedens inexpiabilem gloriæ ſuæ intulit maculam. Per illam intrepidus Ozias Rex juſtus ambulans excelſa comminuit, abominationes diverſas à populo Dei abſtulit, & juſtificationes à Domino multiplices accepit.

Ecce conſpicis perſpicuè, Rex Nobiliſſime, qualiter per regiam ad Deum Reges ambulant viam, & ad cœlorum regna cum cæteris ſanctis Reges quoque feliciter volant. Via etenim regia eſt, quæ per Pro-

Iſai. 35. 9. phetam vocatur *Sancta*, per quam non tranſibit pollutus, ait idem Propheta: nec invenietur ibi leo, diabolus ſcilicet, qui rugiens circuit quærens quem devoret; nec mala beſtia, dæmon videlicet, aſcendit per eam; ſed eſt directa via, & ambulabunt qui redempti à Domino & liberati fuerint, per eam. Per quam & te quotidie, auxiliante Domino, ire cognoſcimus, & gratulamur, & ad æternam gloriam te eſſe venturum fideliter credentes non dubitamus. Tantum eſt, ut quod cœpiſti bonum perficias, & uſque ad perſeverantiæ finem perducas; quia non qui inchoaverit, ſed qui perſeveraverit, ſalvus erit. En jam aggrediar Domino miſerante tibi, Rex, Regiam deſcribere Viam, quâ ambulans non habebis offendiculum; ſed perfectum in finem æternumque cum gaudio à Domino excipies regnum, in quâ viâ dilectionis gradum convenienter ponimus primum.

CAPUT PRIMUM.

De dilectione Dei & Proximi.

DILIGE ergo, Mitiſſime Rex, Dominum, ſicut

Deut. 11. 5. ille præcepit, ſcilicet ex toto corde, totâ animâ, & totâ virtute tuâ. Dilige quia prior dilexit. Sic enim Joannes ille qui ſuper dilectionis fontem in

1. Joan. 4. 19. cœnâ recubuit, in Epiſtolâ ſuâ ait: *Fratres, diligamus invicem, quoniam ille prior dilexit nos.* Neque enim poterat Dominum fragilitas diligere humana, niſi ille primùm noſtram diligeret naturam. Illius eſt enim omne quod poſſumus; illo vivificante vivimus, illoque vegetante movemur. Nihil enim habet homo quod non acceperit, nec benè velle in arbitrio conſtat humano; quanto magis perficere? Dilexit etiam te priuſquàm eſſes, & ideo ut eſſes creavit. Illi autem laudem referens ſancta clamitat Scri-

Sap. 11. 25. ptura: *Diligis enim omnia quæ ſunt, & nil odiſti horum quæ feciſti, nec enim odiens aliquid conſtituiſti.* Diligens etenim Dominus, ô Mitiſſime Rex, creavit te, & vivificavit, nutrivit & cuſtodivit, & ad lavacrum regenerationis perduxit, renovavit, gubernavit, & ad intelligibilem perduxit ætatem; & dum adhuc parvulus eſſes, regali te ſede ſublimiter evexit. Hæc omnia tibi miſericorditer & per dilectionem operatus eſt Deus. Aperi ergo, ô Rex, oculos cordis, & intantum te à JESU-CHRISTO Domino noſtro antequàm eſſes cognoſce dilectum, ut pro te ejus ſanguinem non dubites fuſum. Suſpende cor tuum ad dilectionem Creatoris tui; & non modicum, aut ex aliquo, ſed ſicut ſuperiùs dictum eſt, ex toto corde, & ex totâ animâ, & ex totâ virtute tuâ dilige Dominum Deum tuum, ita ut nullius dilectionem præponas dilectioni Domini tui. Et ipſo te docente in-

tellige; ait enim: *Qui diligit patrem & matrem plus-* Matt. 10. 37.

quàm me, non eſt me dignus. Verè enim ſi Deum toto corde diligimus, dilectioni ejus non parentum, nec filiorum dilectionem præferre debemus.

Sed ſi diligis Deum, ô Piiſſime Rex, ex toto corde & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ virtute tuâ, neceſſe

eſt ut diligas proximum tuum ſicut teipſum: *Quia* Matt. 22. 40.

in his duobus mandatis univerſa lex pendet & Prophetæ. Ergo legem & Prophetas non implet, qui Deum proximumque non diligit. Et vera perfectaque in hoc conſiſtit dilectio, ut diligatur Deus, di-

ligatur & proximus; ſcriptum eſt enim: *Qui non di-* 1. Joan. 4. 20

ligit fratrem ſuum quem videt, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum. Ipſe namque auctor dilectionis Dominus JESUS-CHRISTUS mentibus noſtris mandatum dilectionis

inculcans, ait: *Mandatum novum do vobis; ut di-* Joan. 13. 34

ligatis invicem ſicut dilexi vos. In hoc cognoſcent 35.

omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habue-

ritis ad invicem. Nam & ille Diſcipulus, qui de pectore Domini charitatis fluenta potabat, dilectionem
7. Dei & proximi vaporans aiebat: *Chariſſimi, diligamus nos ad invicem, quoniam charitas ex Deo eſt, & omnis qui diligit fratrem ſuum, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum: qui autem non diligit fratrem ſuum, non habet charitatem, & non novit Deum. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta eſt.* Nam & Petrus Princeps Apoſtolorum, ut nos diligamus invicem, dulciter
8. exhortans ait: *Eſtote itaque prudentes, ſobrii, vigilantes in orationibus: ante omnia autem mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes; quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Attendendum eſt quia non dixit: Temporalem habete charitatem, quæ aliquando ſit vobiſcum, & aliquando diſcedat à vobis; ſed continuam, inquit, quæ vobiſcum perſeverans maneat, & à cordibus veſtris nunquam diſcedat. Beata virtus dilectionis & charitatis, quæ ſic operit multitudinem peccatorum, & delet à cordibus fidelium, ut nunquam pereant in æternum.

Quærere nonnulli ſolent quis ſit proximus, quem tam germanè præcipit diligere Deus. Nos verò proximum, fidelem omnem dicimus Chriſtianum, qui non ſolum rationabiliter proximus, ſed & fideliter frater vocatur: unum enim Deum habentes, eumdemque Patrem, ejus gratia renati, vocamus. Ergo generaliter omnis Chriſtianus, Chriſtiano proximus appellatur: cujus ſigillatim ponens ſpecies, Apoſtolus præcipit diligendas: *Viri diligite uxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas.* Ut filii diligantur, idem Apoſtolus admonet parentes, dicens, *Patres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros.* Ut ſervi diligantur, idem Apoſtolus admonet, dicens: *Domini, quod juſtum eſt & æquum præſtate ſervis, ſcientes quoniam & vos Deum habetis in cœlis.* Nam & alibi de illis Scriptura ait: *Si eſt tibi ſervus, ſit quaſi anima tua, quaſi fratrem ſic eum tracta.* Ut amicus pariter diligatur & inimicus, præcipit Apoſtolus, ubi amicum in Deum, & inimicum propter Deum admonet diligendum. Nam & Dominus in Evangelio ait: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Ecce liquidò patet quem proximum præcipit Dominus diligendum, uxorem videlicet & filios, ſervos, amicos, & inimicos, in quibus nominibus omnis Chriſtianus cognoſcitur dici proximus, omniſque à Domino præcipitur diligendus. Beata ergo virtus dilectionis, & charitatis, quæ omnes amplectitur, omnes diligit, & quaſi unius proximi in mentis arcana omnium amorem recondit. Verè beata, quæ nutrit virtutes, & delet peccata, opprimit iram, recludit odia, expellit avaritiam, comprimit elatam, effugat pariter omnia vitia, omnia tolerat, omnia credit, omnia ſperat, inter opprobria ſecura eſt, inter odia benefica, in veritate firma, à pravis impugnatoribus non decipitur, à latronibus non furatur, à prædonibus non capitur, à flumine non deſtruitur, ab incendio non crematur, ab hæreſi non dividitur; individua ſtat, inexpugnabilis manet, inexplicabilis durat, inconcuſſa perſeverat, incorrupta lætatur; ligamentum eſt omnium virtutum, gluten eſt animarum, concordia mentium; ſocietas electorum, & exultatio Angelorum: ne adverſitatibus frangatur, fortiter mentem roborat; ne ira ſuperetur, rationabiliter reprimit. Verè enim hæc, ut video, regalis eſt virtus, quæ cunctis in palatio panem lætitiæ frangit, cunctis vinum jucunditatis porrigit, dulcia cunctis oſcula tribuit, & diligens omnes ulnis extenſis amplectitur. Hanc ergo iſtam, ô Clariſſime Rex, tam claram & beatam, regiamque virtutem; tecum ſit, tecum maneat, tecum ſurgat, tecum pergat, tecum lætetur & convivetur; decet enim in convivio Regis tam regiam jugiter meſſe virtutem.

CAPUT II.

De obſervandis Mandatis Domini.

QUIA Domino auxiliante Viam Regiam ſcribere cœpimus, neceſſe eſt ut in eâ operis greſſus firmiter & diligenter, & ordinatè ponamus, ut currens per eam non ibi damnoſum offendiculum, ſed lucroſum æternumque inveniat gaudium. Videamus quod nobis ipſe dilectionis auctor poſt exequutionem dilectionis conſervandum concedat præceptum; ait enim: *Si diligitis me, mandata mea ſervate: & ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum.* Attende ergo, ô Clementiſſime Rex ac mitiſſime, quantum nos diligat Dominus noſter JESUS-CHRISTUS, qui cum promiſſione à nobis ſuam exigit dilectionem, & Spiritum ſanctum dicit nobiſcum eſſe in æternum manſurum, ſi poſt dilectionem ſuam mandata ejus ſervaverimus. Ab ipſo enim (ut jam ſuperiùs diximus,) nobis omnia bona creduntur, & velle bonum & operari ab illo priùs nobis largitur. Diligimur enim ut diligamus, amamur ut amemus, cognoſcimur ut cognoſcamus, adjuvamur ut operemur, & operando virtutibus ditemur. Ergo ſi te dilectio Dei proximique demulcet, conſequens eſt ut facias quod ille præcepit, quia in tantum diligis, in quantum facis. Neque enim poteſt ſincerè Deum diligere, qui mandata ejus fideliter non implet. Ipſe te Domino docente intellige; ait enim: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum manſionem faciemus. Et qui non diligit me, ſermones meos non ſervat.* Joannes quoque Apoſtolus dilectione Domini repletus in Epiſtolâ ſuâ ait: *In hoc ſcimus quoniam cognovimus eum, ſi mandata ejus obſervemus. Qui dicit ſe noſſe eum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt. Qui autem ſervat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt.* Liber quoque Job ore Domini ſaceatus de hoc ipſo teſtis eſt, maximè de Regibus dicens: *Non aufert à juſto oculos ſuos, & Reges in ſolio collocat in perpetuum, & illi eriguntur. Revelabit quoque aurem eorum, ut corripiat; & loquetur ut revereantur ab iniquitate. Si audierint & obſervaverint, complebunt dies ſuos in bono, & annos ſuos in gloriâ: ſi autem non audierint, tranſibunt per gladium ut conſumantur in ſtultitiâ.* De ſe quoque ipſe Job bonum rectumque dans teſtimonium, ait: *Veſtigia Dei ſecutus eſt pes meus, viam ejus cuſtodivi, & non declinavi ex eâ, à mandatis labiorum ejus non receſſi, & in ſinu meo abſcondi verba oris ejus.* Tale ergo de te, ô bone Rex, volumus ſemper audire teſtimonium, tale videre frequenter & opus.

Ipſe quoque Dominus de dilectione ſuâ, atque mandatorum ſuorum obſervantia populum Iſraeliticum admonens dicit: *Et nunc, Iſraël, audi præcepta & judicia, quæ ego doceo te, ut faciens ea, vivas in eis. Obſerva & cave nequando obliviſcaris Domini Dei tui. Et nunc Iſraël, quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi ut timeas Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum, ut ſervias Domino Deo tuo, in toto corde tuo, & in tota anima, cuſtodiaſque mandata Domini, & cæremonias ejus, quas hodie præcipio tibi, ut bene ſit tibi? Si autem audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atque cuſtodias omnia mandata ejus, quæ ego tibi præcipio hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelſiorem cunctis gentibus quæ verſantur*

Marginal references: Joan. 14. 15. — Ibid. v. 24. — 1. Joan. 2. 3. — Job 36. 7. 10. &c. — Ibid. 23. 11. 12. — Deut. 4. 1. & 2. 18. — Ibid. 10. 12. — Ibid. 28. 1. & ſeqq.

verſantur in terrâ : venientque ſuper te univerſæ benedictiones iſtæ, & apprehendent te, ſi tamen præcepta ejus audieris. Benedictus tu in civitate, & benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructuſque jumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, & caulæ ovium tuarum. Emittet Dominus benedictionem ſuper cellaria tua, & ſuper omnia opera manuum tuarum. Dabit Dominus inimicos tuos qui conſurgunt adverſum te, corruentes in conſpectu tuo.

Levit. 26. & 14. Addens quoque Dominus adhuc ad Iſraëlem, dicit : *Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea cuſtodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus ſuis, & terra gignet germen ſuum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet meſſium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem : & comedetis panem veſtrum in ſaturitate, & abſque pavore habitabitis in terrâ veſtrâ. Dabo pacem in finibus veſtris : dormietis, & non erit qui exterreat. Auferam malas beſtias, & gladius non tranſibit terminos veſtros. Perſequemini inimicos veſtros, & corruent coram vobis. Perſequentur quinque de veſtris centum alienos, & centum de vobis decem millia, cadent inimici veſtri gladio in conſpectu veſtro. Quòd ſi non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, ſi ſpreveritis leges meas, & judicia mea contempſeritis, ut non faciatis ea quæ à me conſtituta ſunt, & ad irritum perducatis pactum meum: Ego quoque hæc faciam vobis. Viſitabo vos velociter in egeſtate, & ardore qui conficiat oculos veſtros, & conſumat animas veſtras. Fruſtrà ſeretis ſementem, quæ ab hoſtibus devorabitur. Ponam faciem meam contrà vos, & corruetis coram hoſtibus veſtris, & ſubjiciemini his qui oderunt vos : fugietis nemine perſequente.* Per Iſaïam quoque Dominus ad Iſraël clamat, & dicit : *Utinam attendiſſes mandata mea ! Factu fuiſſet ſicut flumen pax tua, & juſtitia tua ſicut gurgites maris ; & fuiſſet quaſi arena ſemen tuum, & ſtirps uteri tui ut lapilli ejus non interiiſſet, & non fuiſſet attritum nomen ejus.*

Bonum ergo tibi eſt, ô Rex, ut diligas Dominum Deum tuum, & ob dilectionem ejus nimiam ſollicitè & diligenter cuſtodias ejus præcepta. Sancta ſunt enim mandata ejus & juſta, & obſervantibus valde ſalutaria. Propterea Pater & Filius & Spiritus ſanctus ad te venient, & apud te in proprio lætam manſionem facient, & beatus eris in perpetuo tali hoſpite viſitatus. Propterea complebuntur in benedictionibus dies tui, & in gloriâ anni tui. Propterea pax tua feliciter multiplicabitur, & gaudium ſicut flumen in æternum complebitur.

CAPUT III.

De Timore.

ECce jam auxiliante Deo ad tertium Viæ Regiæ pervenimus gradum, in quo operis noſtri rectum debemus figere greſſum. Sed quia per noſmetipſos agere non valemus, Prophetam ejuſdem Domini, cujus viam gradimur, diligenter interrogemus.

Adeſt nobis benevolus humiliſque David Spiritu ſancto repletus, & ubi poſt obſervantiam mandatorum Dei, ſervitiumque beatum pedem operis noſtri figere debeamus oſtendit, dicens : *Servite Domino in timore : & exultate ei cum tremore.* *Pſal. 2. 11.* Nam & Apoſtolus æquè nos admonet, dicens : *Cum timore veſtram ſalutem operamini.* *Philip. 2. 12.* Ecce quomodo via Regia patet : ecce quomodo perſpicua eſt : ecce quomodo ultrò ſe occurrentibus offert : planam ſe iter agentibus ſternit, & lucidam ſe calcantibus præbet.

Quid enim clarius ? quid lucidius ? quidve congruentius eſſe poteſt, quàm ut qui diligit Dominum, mandata ejus obſervet, & operetur in eis ? & qui operatur, non inaniter, aut jactanter, ſed cum timore Dei operetur, & non ſibi de bono opere inanes & vacuas tribuat laudes, ſed Domino jugiter dignas gratias referat, qui eum & fructu boni operis impleat, & in operando felix ei adjutorium præbeat. Scriptum eſt enim : *Qui timent Dominum, ſperaverunt in Domino : adjutor eorum & protector eorum eſt.* *Pſal. 113. 11.*

Time ergo, ô Mitiſſime Rex, Deum, ut protectionem tibi jugiter & adjutorium felix miniſtret, & tua vox cum voce Mariæ, Moyſi & Aaron unita ad Regem Regum clamet, & dicat : *Adjutor & protector meus Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.* *Exod. 15. 2.* Necnon & vox tua cum Regis David voce conjuncta, jubiloque exultationis repleta vociferans clamet, & dicat : *Dominus virtus mea, firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus: Deus meus, adjutor meus, & ſperabo in eum. Protector meus, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus. Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis ſalvus ero.* *Pſal. 17. 3. & 4.*

Time ergo Deum, Rex, ut jugem tibi animæ virtutem corporiſque miniſtret, firmamentum mentis & adjutorium concedat æternum, cornu regni tui faciat ſublime, & brachium fortitudinis robore confirmet. In timoris etenim laudem Salomon ait : *Timor Domini apponet dies.* *Prov. 10. 27.* Time ergo Deum, ô Rex, ſed illo timore, qui ſanctus permanet in ſæculum ſæculi ; illo caſto timore, qui tibi ad dies temporis hujus adjiciet dies æternos, dies perpetuos, dies immortales, dies perennes : imò diem unum ſine veſperâ & infinitum, diem felici gaudio plenum, indeficiente luce refertum, Angelico comitatu ſuffultum, diem quem nox non interpolat, tenebræ non obſcurant, nubilum non offuſcat, importabilem non efficit calor æſtatis, pigrum non reddit frigus hyemis : dies qui tibimet unus erit cum Sanctis, communis cum Angelis, æternus cum utriſque, qui tibi cum felici gaudio conſortium tribuat Angelorum, & ſocium faciat Patriarcharum, in numero computet Prophetarum, in exultatione ſocium faciat Apoſtolorum.

Ipſe quippe Salomon de laude boni timoris ait : *Timor Domini fons vitæ.* *Ibid. 14. 27.* Ergo, ſi vis, Rex, in æternum feliciter vivere, alacriter ad fontem debes recurrere vitæ. Ipſe enim eſt fons vitæ, qui juge dans poculum, æternam auferet ſitim, & cum gloriâ tribuet immortalitatis coronam. Ipſe iterum Salomon ait : *Timor Domini dat vitam.* *Ibid. 19. 23.* Vides ergo, Rex, quia in timore Domini plenitudo invenitur vitæ: vides quia timor Domini nobis immortalem & æternam miniſtrat vitam. Præſens etenim vita dierum plenitudine non fulcitur, ſed futura. In dimidio namque dierum noſtrorum tollimur ; & ab iſtâ, dum adhuc vivere cogitamus, rapimur vita. Sic enim Rex juſtus Ezechias ait : *Ego dixi in dimidio dierum meorum : Vadam ad portas inferi, &c. Præciſa eſt velut à texente vita mea ; dum adhuc ordirer, ſuccidit me : de mane uſque ad veſperam finies me.* *Iſa. 38. 10.* Nam quòd in timore Dei plenitudo ſit ſapientiæ, & plenitudo fructuum, & plenitudo generationum, & theſaurus ſalutis, unâ ſententiâ comprehendit pariter Eccleſiaſticus liber, & dicit : *Plenitudo ſapientiæ eſt timere Deum ; & plenitudo à fructibus ejus, omnem domum illius implebit à generationibus, & receptacula à theſauris illius. Corona ſapientiæ timor Domini, replens pacem, & ſalutis fructum : & vidit, & dinumeravit eam, utraque autem ſunt dona Dei.* *Eccli. 1. 20.* Ipſe iterum te timere Dominum ſalutari-

ter admonet, dicens: *Serva illius timorem, & in illo veteraſce. Metuentes Dominum ſuſtinete miſericordiam ejus, & non deflectatis ab illo ne cadatis. Qui timetis Dominum, credite illi, & non evacuabitur merces veſtra. Qui timetis Dominum, ſperate in illum, & in oblectatione vobis veniet miſericordia. Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda veſtra.* Ipſe iterum Salomon ait: *Timor Dei eſt non deſpicere pauperem juſtum, & noli magnificare peccatorem divitem. Quia quamvis magnus ſit judex & potens in honore, non eſt major illo qui timet Deum. Quàm magnus qui invenit ſapientiam, & ſcientiam, ſed non eſt ſuper timentem Deum. Timor Dei ſe ſuper omnia ſuperpoſuit: Beatus homo cui donatum eſt habere timorem Dei. Timor Domini ſicut paradiſus benedictionis, & ſuper omnem gloriam operuerunt illum.*

Vides ergo, Rex, quia & iſta regia virtus eſt, in quâ fiducia fortitudinis eſt, in quâ vitæ plenitudo invenitur, in quâ fructuum plenitudo nutritur, in quâ generationis creſcit proſapia, per quam fructus pullulat ſalutis & pacis, per quam theſaurus reconditur ſalutaris, per quam illuminabuntur corda juſtorum, per quam multipliciter creſcet merces eorum. Verè verum eſt: *Beatus cui datum eſt habere timorem Dei.*

Adhuc audi, & diligenter attende, Rex, quid Dominus per Malachiam Prophetam timentibus ſe promittat. *Orietur*, inquit, *vobis timentibus nomen meum ſol juſtitiæ, & ſanitas in pennis ejus: & egrediemini, & ſalietis ſicut vituli de armento: & calcabitis impios, cum fuerint cinis, ſub plantâ pedum veſtrorum.* Et tibi ergo timendum eſt nomen Domini, ut Sol juſtitiæ tibimet oriatur Chriſtus, qui mentis tuæ tenebras repellat, ignorantiam cordis auferat, & lucem intelligentiæ infundat, ſapientiæ radios in te dirigat, & diſcretionis tui memoriam porrigat, inimicorum colla plantis tuis calcanda ſubſternat, & fidelium regna ab inimicorum inſidiis te dominante, defendat.

CAPUT IV.

De Sapientia.

UBERES Deo gratias agere debemus, qui nos ad cœlica regna per regiam jubet pergere viam, ut per recta gradientes itinera, ad cœleſtem feliciter mereamur pertingere patriam. Ergo non declinemus ad dexteram aut ſiniſtram; firmo ſolidoque gradu per regiam nobis incedendum eſt viam, & caſto ſanctoque timori cœleſtis & ſancta jungenda eſt ſapientia; ut utrâque virtute ſociatâ ad immortalem mereamur pertingere vitam. *Corona enim*, ait Scriptura, *ſapientiæ timor Domini eſt.* Et: *Initium ſapientiæ timere Deum.* Et: *Plenitudo ſapientiæ & radix ſapientiæ*, ut dicit Scriptura, *timor Domini eſt.* Si ergo timor Domini initium eſt ſapientiæ, & plenitudo ejus, & corona ipſius, radixque ejuſdem; liquidè apparet, quia una de aliâ pendet, & alteri ſuccedit altera. Et ideo proximè ſunt à nobis ponendæ, non ſeparatè. Congruenter ergo poſt timorem ponimus ſapientiam; quia non in malevolam animam, ut ſcriptum eſt, ſed in timentem Deum ingreditur ſapientia.

Time ergo, Clariſſime Rex, Deum, & animam tuam præpara ad excipiendum ſapientiam, ut ſicut Rex regiam cum ſapientiâ ſapienter poſſis pergere viam: Regibus enim liber Sapientiæ maximè frequenterque clamitans ait: *Ad vos ergo Reges ſunt hi ſermones mei, ut diſcatis ſapientiam, & non excidatis: qui enim cuſtodierint juſta, juſtè juſtificabuntur. Clara eſt, & quæ nunquam marceſcit ſapientia, & facilè videtur ab his qui diligunt illam, & invenitur ab his qui quærunt illam.* Audis ergo, Clariſſime Rex, quia ſpecialiter Regibus, ex quibus divinâ largiente gratiâ, unus es tu, hæc ſuperna dirigitur vox; & ut ſapienter agant, oraculum divinum frequenter Regibus clamitat. Unde & nos veſtram clariſſimam acclines flagitamus Excellentiam, ut ſedulus divinam claramque diſcas ſapientiam, & diligenter & aſſiduè requiras illam, & non tepidè aut tardè, ſed ſagaciter vigilanterque inveſtiges illam, & ſuper aurum & argentum concupiſcas illam. Sic enim ſcriptum eſt de illâ: *Concupiſcentia itaque ſapientiæ deducit ad regna perpetua. Si ergo delectamini ſedibus & ſtemmatibus, Reges populi, diligite ſapientiam, ut in perpetuum regnetis cum eâ. Diligite lumen ſapientiæ, omnes qui præeſtis populis.* Sap. 6. 21.

Oramus ergo te, Sanctiſſime Rex, diligenter attende quid de ſe Salomon, quid de laude ſapientiæ loquatur. Ait enim: *Sum quidem & ego mortalis homo, ſimilis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus eſt, & in ventre matris figuratus ſum caro; decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine ex ſemine hominis, & delectamento ſomni conveniente, & ego natus accepi communem aërem, & in ſimiliter factam decidi terram, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans. In involumentis nutritus ſum, & curis magnis. Nemo enim ex Regibus aliud habuit nativitatis initium. Unus ergo introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus. Propter hoc optavi, & datus eſt mihi ſenſus: & invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ: & præpoſui illam regnis & ſedibus, & divitias nihil duxi in comparatione illius; nec comparavi illi lapidem pretioſum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, tamquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illâ, & innumerabilis honeſtas per manus illius, & lætatus ſum in omnibus: quoniam antecedebat me iſta ſapientia*, &c. Ibid. 7. 1. & ſeqq. *Hæc enim pretioſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, luci comparata, invenitur prior; illi enim ſuccedit nox, ſapientia autem non vincitur malitia.* Ibid. 29. *Attingit ergo à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter. Hanc amavi, & exquiſivi à juventute meâ, & quæſivi eam mihi ſponſam aſſumere, & amans factus ſum formæ illius: generoſitatem illius glorificat, contubernium habens Dei; ſed & omnium Dominus dilexit illam.* Ibid. 8, 1. *Sobrietatem enim & prudentiam docet, & juſtitiam, & virtutem, quibus utilius nihil eſt in vitâ hominibus.* Ibid. 7. *Propter hanc habebo immortalitatem, & memoriam æternam his, qui poſt me futuri ſunt relinquam: diſponam populos, & nationes mihi erunt ſubditæ. Timebunt me audientes Reges horrendi: & in multitudine videbor bonus, & in bello fortis.* Ibid. 13.

Animadverte & intellige, ô Nobiliſſime & Clariſſime Rex, quia ſapientia virtus regia eſt, quæ inveſtigabiliter à Regis Regum prædivite procedit theſauro, & non negligentibus aut ſuperbis, invidis aut malevolis datur; ſed mitibus, humilibus, & timentibus Deum conceditur. Verè enim ſine dubio ſapientia virtus eſt regia, ad quos ſpecialiter, ut diſcant ſapientiam, ſermo Propheticus clamitat. Regia namque virtus eſt ſapientia, quia benè operantes Reges juſtificat, & lumen ſcientiæ illis inexſtinguibile radiat, oculos cordis illuminat, ſenſus mentis illuſtrat, ſubtilem intellectum miniſtrat, ſalutem corporis præſtat, honeſtatem moribus concedit, theſauros infinitos multiplicat, virtutem regni roborat, & participem Dei amicitiæ conſtituit, ſpiritu ſapientiæ & intellectûs, conſilii & fortitudinis, ſcientiæ, & pietatis & timoris Domini replet. Juſtitiam Regibus & prudentiam, fortitudinem & temperan-

tiam donat, virtutem & ſobrietatem miniſtrat, ſtabiles facit in regno, certos in verbo, dulces in eloquio, hilares in dato, in miſericordia humanos, in reſpondendo ſuaves, in diſcernendo ſagaces, in proſperitate mites, in adverſitate ſecuros, acutos in ſenſu, in facto placidos, candidos in vultu, & fortes in bello. Sapientia Regibus concedit ſibi ſubdita diſcretè diſponere regna, & ſuaviter populos jam ſibi facit ſervire poſſeſſos. Exteras etiam gentes fortiter facit debellare minaces, & nationes ſubjici diras, & Reges calcari feroces, & ut ita dicam, in ſapientiâ conſtat regni diſpoſitio cuncta. Theſaurus etenim magnus eſt ſapientia, quam qui invenerit, inveniet vitam; & qui poſſederit, immortalitatis habebit coronam. Theſaurus eſt enim Domini occultus, & non omnibus manifeſtatus. Sic enim de ſapientiâ vir famoſiſſimus Job teſtatur, dicens: *Sapientia verò ubi invenitur? & quis eſt locus intelligentiæ? neſcit homo pretium ejus, nec invenitur in terrâ ſuaviter viventium. Abyſſus dicit: Non eſt in me; & mare loquitur: Non eſt mecum. Non dabitur aurum obrizum pro eâ, nec appendetur argentum in commutatione ejus. Non æquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro eâ vaſa auri: excelſa & eminentia non memorabuntur comparatione ejus: trahitur autem ſapientia de occultis, &c. Unde ergo ſapientia venit? & quis eſt locus intelligentiæ? Abſcondita eſt ab oculis omnium viventium, volucres cœli quoque latet. Perditio & mors dixerunt: Auribus noſtris audivimus famam ejus. Deus intelligit viam ejus, & ipſe novit locum illius, &c. Et dixit homini: Ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia: & recedere à malo intelligentia.*

Job 28. 12. 13. & ſeqq.

Grandis enim hîc, Rex Clariſſime, ut vides, & inveſtigabilis fama de ſapientiâ ſonat; regia ſine dubio virtus eſt, cui non comparatur aurum mundum, vel obrizum, nec adæquabitur argentum clariſſimum, nec confertur vitrum perlucidum. In cujus comparatione lapis vileſcit ſardonicus, pro nihilo ducitur ſaphirus, parvipenditur topazius. Aurea non magnificè feruntur vaſcula, mundiſſimæ non appendentur tincturæ, nec aliquid pretioſi & varii æſtimabuntur lapilli. Verè ut video, regia virtus eſt ſapientia, & à Regibus maximè diligenda.

Dilige ergo illam, ô Clariſſime Rex, ut diligaris ab illâ: taliter enim vox ejus in Proverbiis ſonat: *Ego diligentes me*, inquit, *diligo: & qui manè vigilant ad me, invenient me*. Tale tuum bonis actibus regium præpara pectus, ut tuo ſemper inesse conſilio delectetur. Internis te doceat cogitationibus, quidquid gerere debes operibus. Suum eſt enim conſilium, & cui vult intimat illud; ſua eſt prudentia, & cui vult porrigit illam; ſua eſt fortitudo, & cui vult tribuit illam; ſuum eſt regnum, & cui vult, & quantum vult commendat illud. Sua etenim vox per Salomonem in Proverbiis taliter clamitat: *Ego Sapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus. Meum eſt conſilium & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo. Per me Reges regnant, & conditores legum juſta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam. Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilant ad me, invenient me. Mecum ſunt divitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, & juſtitia. Melior eſt enim fructus meus auro, & lapide pretioſo, & genimina mea argento electo. In viis juſtitiæ ambulo, in medio ſemitarum judicii, ut ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam.* Ergo Rex, ut terrenos theſauros tibi repleat Chriſtus, & concedat æternos, clama medullis cordis, clama totâ intentione mentis, & cum Salomone non ceſſes ad Dominum fundere preces; ora jugiter, ora frequenter, ora inſtanter, ora indeſinenter Deum, & dic: *Deus Patrum meorum, & Domine miſericordiæ, qui feciſti omnia verbo tuo, & ſapientiâ tuâ conſtituiſti hominem ut dominaretur creaturæ, quæ à te facta eſt, ut diſponat orbem terrarum in æquitate & juſtitiâ, & in directione cordis judicium judicet: Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem Sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis: quoniam ſervus tuus ego ſum, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum judicii & legum. Mitte illam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ ut mecum ſit, & mecum laboret, ut ſciam quid acceptum ſit apud te. Scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis ſobriè, & cuſtodiet in ſuâ potentiâ, & erunt accepta opera mea, & diſponam populum tuum juſtè, & ero dignus ſedium patris mei.*

Prov. 8. 17.

Sap. 8. 12. & 14.

Sap. 9. 1.

Verè, Rex, beata eſt virtus ſapientiæ; & qui invenit eam, beatus efficitur ab illâ. Sapientia filiis ſuis vitam præparat, diligentibus ſe juſtitiam miniſtrat, amantibus ſe prudentiam donat: qui tenuerit illam, vitam hereditabit æternam; diligit enim Deus illum, qui diligit ſapientiam. In tentatione ambulat cum eo, & in primis eligit eum, & firmabit illum, & iter adducet directum ad illum, & denudabit abſconſa ſua illi, & theſauriſat ſuper illum ſcientiam, & intellectum prudentiæ.

CAPUT V.

De Prudentiâ.

POſt illuminationem ergo ſapientiæ, theſaurosque ſcientiæ oportet illum, qui cupit regiam feliciter currere viam, Domino donante impleri prudentiâ. Regia etenim virtus eſt prudentia, & à prioribus Regibus nimium dilecta; ſic enim de David Rege ſcriptum eſt: *Egrediebatur quoque ad omnia quæcumque miſiſſet eum Saul, & prudenter ſe agebat.* Prudentia enim quaſi porrovidentia dicitur. Porro autem & à longè providere oportet Regem quid agere debeat, ne poſt actum egiſſe ſe pœniteat. Omnia namque quæ agit & ergà Deum & ergà homines, prudenter agere debet & providè. Omnia juſtè, omnia rectè, omnia ſapienter & cum prudentia neceſſe eſt ut faciat, ne Regis opera vel conſilia, ut cæterorum hominum, reprehenſionis recipiant linguam. Qui enim multa Domino donante gubernat, neceſſe eſt ut alto conſilio prudenter cuncta diſponat. Sic enim prudentiſſimus Salomon in Proverbiis ait: *Qui ſapiens eſt, multâ gubernat prudentiâ.* Item ipſe ait: *Sapientiâ ædificabitur domus, & prudentia roborabitur.* Grandis enim virtus eſt, maximè in pectore Regis, prudentia, quæ cuncta prudenter regna regit atque gubernat. Prudentia namque ornamentum eſt omnium virtutum, gloria verbi, decuſque ſermonis; ſicut ſcriptum eſt: *Ornamentum aureum prudentis doctrina, & quaſi brachiale in brachio dextro.* Prudentia cuſtos eſt oris, gubernatio actionis, temperantia cordis, moderatio linguæ, omniumque ſtatera verborum, & ponderatio rerum. Sic enim ſcriptum eſt: *Verba prudentium in ſtaterâ ponderabuntur.* Iterum ſcriptum eſt: *Aurum tuum, & argentum tuum confla, & verbis tuis fac oſtiola, & frænos ori tuo rectos.* Rurſum ſcriptum eſt: *Aperi os tuum muto, & cauſis omnium filiorum qui pertranſeunt, aperi os tuum, decerne quod juſtum eſt, & judica inopem & pauperem. Quia de fructu oris ſui unuſquiſque replebitur bonis, & juxtà opera manuum ſuarum retribuetur ei.* Malachias quoque ex perſonâ Domini: *Delevi*, inquit, *pactum meum, quod fuit cum eo, vita & pacis, & dedi ei timorem, & timuit me,*

1. Reg. 18. 5.

Prov. 24. 3.

Eccli. 21. 24

Ibid. v. 28

Ibid. 28. 30

Prov. 31. 9.

Malac. 2. 5.

& à facie nominis mei pavebat. Lex veritatis fuit in ore ejus, & iniquitas non eſt inventa in labiis ejus, in pace & in æquitate ambulavit mecum, & multos avertit ab iniquitate. Paulus ad Coloſſ. ait: *Sermo veſter ſemper in gratiâ ſale ſit conditus, ut ſciatis quando oporteat vos unicuique reſpondere.*

Dilige ergo, Rex, hanc clariſſimam regiamque virtutem, quæ tibi regni gubernationem diſponat, & diſcretionem actionis conferat; quæ tibi greſſus operis dirigat, & cogitationis actus diſponat; quæ tibi regiam prolibuſque fœcundam ædificet, & ædificatam roboret; quæ tibi ornamenta virtutum, copiamque miniſtret & rerum; quæ tibi regni cornu ſublimet, & brachio fortitudinem donet; quæ ori tuo legem veritatis miniſtret, & cordi tuo intellectum ſapientiæ multiplicet: quæ tibi multarum gentium colla ſubjiciat, & te cunctis amabilem reddat; quæ ſermonibus tuis aureum ornamentum imponat, & argenteum munus labiis conferat; quæ operibus tuis jugem cuſtodiam, congruam miniſtret & gloriam.

CAPUT VI.

De Simplititate.

MAgna eſt quidem prudentiæ virtus: ſed neceſſe eſt ut ſimplicitatis virtute temperetur.
6. Sic enim Dominus in Evangelio ait: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Ambula ergo, Nobiliſſime Rex, de virtute in virtutem, & jugiter proficiens in melius, ab itinere non declines regio; ſed de prudentiâ in ſimplicitate firmiter pone greſſum. Via enim regia eſt ſimplicitas, & à ſanctis Regibus antiquitùs dilecta. Laudabile etenim de Job laudabili viro Dominus dat teſtimonium, dicens diabolo: *Num quid conſideraſti ſervum meum Job, quòd non ſit ei ſimilis in terrâ, homo ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* De Moyſe quoque Scriptura commemorat dicens: *Erat mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terrâ.* Specialiter namque Liber ſapientiæ Regibus Regumque Miniſtris clamat & dicit: *Diligite juſtitiam, qui judicatis terram, ſentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum: quoniam invenietur ab his qui non tentant illum.* Generaliter autem & de omnibus ſan-
& ctis Salomon in Proverbiis ait: *Simplicitas juſtorum diriget eos. Qui ambulat ſimpliciter, ſalvus erit.*
, Paulus verò ait: *Volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo.* Debet etenim electorum corda prudentia in bonum jugiter acuere, & ſimplicitas ab acumine prudentiæ temperari, ne aut prudentia modum rectitudinis excedat, aut ſimplicitas ignorantiæ fallaciâ torpeſcat.

Regia etenim Via eſt ſimplicitas, quæ Regum ſimpliciter dirigit greſſus, ut ad cœleſtia, per regia gradientes itinera, feliciter perveniant regna. Curre ergo, Rex, firmiter per ſimplicitatis itinera, ut ad perennem citiùs pervenias vitam, & immortalitatis citò accipias præmia, & ſtola induaris pacis & gloriæ.

CAPUT VII.

De Patientiâ.

TRanſi iterum, Rex, de virtute in virtutem, & de ſimplicitate in patientiam feliciter pone gradum. Poſſide patientiam, ſi vis tuam dulciter poſſidere animam. Sic enim Deus auctor noſtræ ſalutis
9. & pacis in Evangelio ait: *In patientiâ veſtrâ poſſidebitis animas veſtras.* Salomon quoque dicit: *Doctrina viri per patientiam noſcitur, & gloria ejus eſt* Prov. 19. 11.
iniqua prætergredi. Paulus quoque ait: *Induite vos ergo ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes invicem, & donantes vobiſmetipſis ſi quis adverſus aliquem habet querelam: ſicut Dominus donavit vobis, ita & vos.* Nam quòd Coloſſ. 3. 12. & ſeqq.
& iſta virtus Principum virtus ſit, Salomon in Proverbiis teſtatur dicens: *Patientiâ lenitur Princeps, & lingua mollis frangit duritiem.* Apoſtolus verò ad Prov. 25. 15.
eoſdem Principes clamat, dicens: *Corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes.* Jacobus Apoſtolus ait: *Pa-* 1. Theſſ. 5. 14.
tientia autem opus perfectum habet: ut ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes. Virtus ergo quæ lenit Principes, & docet corripere inquietos, & opus Jac. 1. 4.
Regum ad perfectum perducit, ſine dubio virtus eſt regia. Ambula ergo per eam, Mitiſſime Rex, & dilige eam, quia currens per eam non habebis offendiculum, ſed plenum & æternum in futuro invenies gaudium. Magna enim eſt virtus patientia, quæ lædentem ſe non lædit, ſed diligit; quæ injurianti injurias remittit, non reddit; [quæ] cui nocere poteſt non nocet, ſed parcit. Patientia eſt quæ nos Deo commendat, & à malis omnibus cuſtodit & ſervat. Ipſa eſt quæ iram temperat; ipſa eſt quæ linguam refrænat; ipſa eſt quæ mentem gubernat; ipſa eſt quæ pacem cuſtodit; ipſa eſt quæ diſciplinam moderatè peragit; ipſa libidinis impetum frangit; ipſa furoris violentiam comprimit, incendium ſimultatis exſtinguit, coërcet potentiam divitum, refovet inopiam pauperum, facit humiles in proſperis, fortes in adverſis, contrà injurias & contumelias mites, tentationes expugnat, perſequutiones tolerat. Ipſa eſt quæ fidei noſtræ fundamenta fortiter munit; ipſa eſt quæ incrementa ſpei noſtræ ſublimiter provehit; ipſa nos ut tenere poſſimus viam Chriſti, gubernat; ipſa ut filii Dei perſeveremus, confirmat.

Hanc ergo ama, Rex, virtutem, hanc dilige, hanc cum gaudio & totis viribus amplecti feſtina. Verè enim Regia Via eſt, & per ſe gradientes feliciter ad regnum perducit æternum. Cave ne declines ad dexteram aut ad ſiniſtram. Scito quia ſicut Domini eſt bonum patientia, ita diaboli malum eſt impatientia. Et ſicut ille, in quo inhabitat & manet Chriſtus, patiens invenitur; ita impatiens ſemper ille exiſtit, cujus mentem Diaboli nequitia poſſidet. Tu verò, Rex, regiam viam tene, & non declines ab eâ, ſed iſtâ felici beatâque virtute, in eam quæ vocatur juſtitia, actionis tuæ feliciter pone pedem.

CAPUT VIII.

De Juſtitiâ.

QUod regale ſit officiom facere juſtitiam, & judicium, Hirremias teſtatur, ubi: *Et præcepit* Jerem. 22. 10.
Dominus, dicens: Deſcende in domum Regis Juda, & loqueris ibi verbum hoc, & dices: Audi verbum Domini, Rex Juda, qui ſedes ſuper ſolium David: tu & ſervi tui, & populus tuus, qui ingredimini per portas iſtas. Hæc dicit Dominus: Facite judicium & juſtitiam, & liberate vi oppreſſum de manu calumniatoris, & advenam, & pupillum, & viduam nolite contriſtari, neque opprimatis iniquè: & ſanguinem innocentem ne effundatis in loco iſto. Si enim facientes feceritis verbum iſtud, ingredientur per portas domus hujus Reges ſedentes de genere David, ſuper thronum ejus, & aſcendentes currus, & equos, ipſi & ſervi, & populus eorum. Quod ſi non audieritis verba hæc; in memetipſo juravi, dicit Dominus,

quia in ſolitudinem erit domus hæc. Dilige ergo juſtitiam, Rex, ſi vis perpetuâ frui vitâ, ſi vis honorari
Ezech. 8. 5. in perpetuo ab eâ. Scriptum eſt enim: *Si ſequeris juſtitiam, apprehendes illam, & indues quaſi poderem honoris, & inhabitabis cum eâ, & proteget te in ſempiternum, & in die agnitionis invenies firmamentum.*

Tu ergo cum ſis Rex in terrâ, ut ſis filius Regis in cœlo, dilige judicium & juſtitiam. Imitare operibus quem patrem clamas ſermonibus. Dilige juſtitiam & operare in eâ; quia pater tuus cœleſtis diligit & operatur in eâ. Ipſe enim ait per Hieremiam:
Jerem. 9. 24. *Ego ſum Dominus qui facio miſericordiam & judicium & juſtitiam in terrâ: hæc enim placent mihi, ait Dominus.* Totis viribus tuis debes imitari illum, cum quo ſperas vivere in æternum. Sic enim Do-
Ezech. 18. 5. minus per Prophetam Ezechielem ait: *Vir ſi fuerit juſtus, & fecerit judicium & juſtitiam, in montibus non comederit, & oculos ſuos non levaverit ad idola domûs Iſraël: & uxorem proximi ſui non violaverit, & ad mulierem menſtrualem non acceſſerit; & hominem non contriſtaverit; pignus debitori reddiderit; & nudum operuerit veſtimento: panem ſuum eſurienti dederit; per vim nihil rapuerit; ad uſuram non commodaverit, & ampliùs non acceperit; ab iniquitate averterit faciem ſuam, & judicium verum fecerit inter virum & virum; in præceptis meis ambulaverit, & judicia mea cuſtodierit ut faciat veritatem, hic juſtus eſt, vitâ vivet, ait Dominus.* Dilige ergo, Rex, juſtitiam & judicium, quæ eſt Via Regia, & à prioribus Regibus antiquitùs trita. Per eam deſiderium bonum juſtis dabitur; per eam de anguſtiâ juſti liberabuntur; per eam ſemen eorum in æternum fundabitur; per illam domus eorum plurimam accipiet fortitudinem. Illam tenendo erit memoria juſtis cum laudibus; illam ſequendo ſancti diligentur à Deo; illam cuſtodiendo exaltabuntur ab eo; illam obſervando honorificabuntur ab eo; in illâ fidendo abſq; terrore erunt quaſi leo. Laborantes in eâ benedictionem conſequentur æternam; operantes cum illâ, mercedem accipient ſempiternam; ſicut ſcriptum
Eccli. 11. 7. eſt: *Datio Dei permanet juſtis, & benedictio ejus in mercedem ejus feſtinat.* Hæc eſt Via Regia, per quam, Rex, gradiens citò pervenies ad perpetua regna. Sed tempera juſtitiam, & crudelitatis ſollicitè cave ſiniſtram. Temperata etenim juſtitia Regiam tenet viam. Quòd ſi cautè non temperetur, in crudelitatem citò dilabitur.

CAPUT IX.

De Judicio.

Sed ne hoc tibi eveniat, ſalutariter te admonet
Ibid. 4. 10. Scriptura, dicens: *In judicando eſto pupillis miſericors ut pater, & pro viro matri illorum: & eris tu velut filius Altiſſimi obediens, & miſerebitur tui*
Job 29. 15. *magis quàm mater.* Job quoque ait: *Oculus fui cæco, & pes claudo: pater eram pauperum, & cauſam quam neſciebam, diligentiſſimè inveſtigabam, conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. Flebam quondam ſuper eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Nam & hanc Regiam eſſe virtutem Rex Salomon approbat, dicens:
Prov. 29. 14. *Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur.* Si vis ergo, ô Rex, ut thronus tuus à Domino firmetur, non ceſſes juſtificare pauperem & pupillum, non ceſſes ſubvenire viduæ & oppreſſo, non ceſſes defendere advenam & deſolatum, ſubveni miſero, eleva jacentem, ſolida confractum, conforta & robora laſſum, divitiis non ceſſes fulcire mendicum, de manu peccatoris non ceſſes liberare oppreſſum. Audi quod Regibus Regumq; judicibus Dominus per David clamitat dicens: *Judicate egeno & pupillo: humilem & pauperem juſtificate. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Psal. 81. 3. Huic ſententiæ concordans liber Eccleſiaſticus ait: *Libera eum qui injuriam patitur de manu ſuperbi.* Eccleſ. 4. 9. Iſaias nihilominùs prædicans ait: *Quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam; & venite & arguite me, dicit Dominus.* Iſai. 1. 17. *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur; & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis.* Vide ergo & diligenter attende, ô Rex, quid defenſoribus eveniat pauperum; ſe illis eſſe debitorem, ſeque redditorem pronuntiat Deus, nivis candorem peccatoribus promittit, & albæ lanæ munditiem pollicetur: poſtremò bona terræ comedere tribuit, terræ ſcilicet illius de quâ ſcriptum eſt: *Sancti in terrâ ſuâ duplicia poſſidebunt.* Ibid. 61. 17. & de quâ Pſalmiſta ait: *Credo videre bona in terra viventium.* Pſal. 26. 13. Vides quia bona terræ æternæ illis Regibus conceduntur, qui hîc pauperum defenſores exiſtunt. Illis in eſcam fructus æternæ conceditur terræ, qui hîc pauperes ſciunt defendere piè, fructus optimos ſcilicet Angelorum, fructus æternos, fructus perpetuos, fructus dulciſſimos & amantiſſimos, plenos ſaturitate & pinguedine, plenos lætitiâ & gaudio, plenos felicitate & gloriâ.

O quàm beata eſt vita Regum juſtorum, quæ & hîc temporalibus rebus fulta niteſcit, & in æternum cum Angelis immortaliter requieſcit: hîc terrenis nutritur deliciis, illic gloriâ veſtitur decoris: hîc populorum conſtipatur catervis, illic choris comitatur Angelicis: hîc hominum multitudine delectatur, illic enim Angelorum choro lætatur. Hîc illi militia imperii obtemperat, illic in militiâ Redemptoris exultat: hîc ſtolâ veſtitus regali niteſcit, illic gloriâ immortalitatis refulget: hîc Regis diademata portat, illic gaudio exultationis reſultat: hîc terreni Regis filius vocitatur, illic cœleſtis Regis filius confirmatur: hîc terreni regni decenter magnam capit hereditatem, illic cœleſtis regni felicem feliciter accipit portionem. Hæc ut tibi eveniat, Clariſſime Rex, totis viribus laborare non ceſſes; nullus te felicior erit, ſi tibi hæc, auxiliante Domino, evenerit; nullus te tranſcendet in gloriâ, ſi hæc tibi à Domino feliciter fuerit collata.

CAPUT X.

De Miſericordiâ.

Qui enim, Domino adjuvante, piè cupit pauperes & viduas, advenas & pupillos defendere, miſericorditer, ſi valet, eorum inopiam bonis ſuis debet abſtergere, & mendicitatem eorum eleemoſynis frequenter debet fulcire. Sicut ſcriptum eſt: *Fili eleemoſynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne tranſvertas à paupere.* Eccli. 4. 1. & ſeqq. *Animam eſurientem ne deſpexeris: & non exaſperes pauperem in inopiâ ſuâ. Cor inopis ne afflixeris, & non protrahas datum anguſtianti: rogationem contribulati ne abjicias: & non avertas faciem tuam ab egeno: ab inope ne avertas oculos tuos. Declina pauperi ſine triſtitia aurem tuam, & redde debitum tuum, & reſponde illi pacifica in manſuetudine. Propter mandatum aſſume pauperem:* Ibid. 29. 12. *& propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum. Conclude eleemoſynam in cor pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Super ſcutum potentis, & ſuper lanceam adverſùs inimicum tuum pugnabit.* Sed & quòd iſta virtus ſit Regia, Rex Salomon in Proverbiis indicat; ait enim: *Miſericordia & veri-* Prov. 20. 28.

tas cuſtodiunt Regem, & roboratur clementiâ thronus ejus. David quoque tam de ſe quàm & de omnibus eleemoſynas miſericorditer facientibus ait:
1. *Beatus vir qui intelligit ſuper egenum & pauperem: in die malâ liberabit eum Dominus.* Job quoque ſimplex & rectus ac timens Deum, de ſe verax proferens teſtimonium, fiducialiter ait:
16. *Si negavi quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ exſpectare feci. Si comedi buccellam meam ſolus; & non comedit pupillus ex eâ. (Quia ab infantiâ meâ crevit mecum miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum,) ſi deſpexi pereuntem, eo quòd non habuerit indumentum, & abſque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera ejus, & de velleribus ovium mearum calefactus eſt. Si levavi ſuper pupillum manum meam, etiam cum viderem me in portâ ſuperiorem: humerus meus à juncturâ ſuâ cadat, & brachium meum cum ſuis oſſibus confringatur.* Non enim tepidè aut tardè nec formidando eleemoſynas erogare debet, qui ex illis feliciter theſaurizare ſperat in cœlo. Cum magna mentis hilaritate pauperibus debemus eleemoſynas dare, quando ipſi Domino ſine dubio datur, quod pauperibus hilariter erogatur. Ipſe namque Dominus in judicio his, qui à dextris ejus
34. erunt, dicturus eſt: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere; hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus, & cooperuiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me: in carcere eram; & veniſtis ad me.* Illis autem interrogantibus, & quando hæc feciſſent ſcire volentibus, reſpondens, omnibus ait: *Quando feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.*

Ergo, Rex, ut ab origine mundi præparatum percipias regnum, debes pauperibus eleemoſynas frequenter porrigere propter Chriſtum. Illum enim in æternum ſenties retributorem, ſi pro illo pauperibus hilariter porrexeris panem; ſi ab illo æternam conſequeris miſericordiam, ſi pro illo plenam pauperibus porrexeris dexteram. Neque enim mereri Dei miſericordiam poterit, qui miſericors & ipſe non fuerit; aut impetrabit de divinâ pietate aliquid precibus, qui ad preces pauperis non fuerit humanus. Sic
14. ſpiritus veritatis per Salomonem dicit: *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit & non exaudietur.* Raphael quoque Angelus ut eleemoſyna humiliter ac largiter fiat hortatur nos, dicens:
8. *Bona eſt oratio cum jejunio, & eleemoſyna magis quam theſauros auri recondere, quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam & vitam æternam.* Revelat Angelus & affirmat eleemoſynis petitiones noſtras efficaces fieri, eleemoſynis vitam de periculis redimi, eleemoſynis à morte animas liberari. Quàm bonum tibi erit, ô Nobiliſſime Rex, quàm dulce & ſuave, quando ipſe creator, redemptor & gubernator tuus coram omnibus Angelis & Archangelis, Patriarchis, Prophetis, & Apoſtolis, totiuſque mundi, videlicet cœli & terræ ex toto congregato, tibi ad dexteram ſuam miſericorditer conſtituto taliter
34. fuerit cum cæteris alloquutus: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.*

Ergo, Mitiſſime atque Clariſſime Rex, fide plenâ, mente devota, operatione continuâ, Domino Deo tuo obſequium præpara: da Chriſto in terrâ veſtimentum, ut ab illo cœleſte recipias indumentum; da cibum & potum, ut cum Abraham, Iſaac & Jacob ad convivium merearis pervenire æternum. Quæ illa erit tibi æterna lætitia; quàm grandis & ſumma gloria, quando tibi cœperit Dominus retribuere pro terrenis cœleſtia, pro temporalibus ſempiterna, pro modicis magna, pro caducis permanentia, pro fucatis permanentia, pro fragilibus firmiſſima, pro tranſeuntibus permanſura! Ergo Rex de reditibus tuis portionem fac Domino tuo, poſſeſſionum terreſtrium fac tibi participem Chriſtum, ut & ille coheredem te faciat regnorum cœleſtium. Ille rerum tibi omnia quæ habes conceſſit, & à te quam tibi centupliciter poſtmodum reddat, in pauperibus eleemoſynam rogat. Ille te facere vult in æternum honorificando ſublimem, & in pauperibus à te parvum expetit honorem.

CAPUT XI.

Ut operibus Dominus honoretur.

Operibus enim miſericordiæ honorari Dominus comprobatur, ſicut ſcriptum eſt: *Qui calumniatur egenum, exprobrat factori ejus: honorat autem eum qui miſeretur pauperis.* Prov. 14. 31. Item Salomon ait: *Fili honora Deum, & valebis.* Jeſus filius Sirach ait: *Honora Deum ex totâ animâ tuâ, & honorifica Sacerdotes, & propurga te cum brachiis. Da illis partem, ſicut mandatum eſt tibi, primitiarum & purgationis; & de negligentiâ tuâ purga te cum paucis. Datum brachiorum tuorum, & ſacrificium ſanctificationis offeres Domino, & initia ſanctorum, & pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio & benedictio tua.* Eccli. 7. 33. Nam, quòd & hæc virtus ſine dubio virtus regia ſit, Regi David Dominus clamat, & per eum ad honorificandum ſe alios Reges provocat, dicens: *Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare meum.* Pſal. 49. 23. Nam ipſe David Rex de ſe ipſo dicit: *Confitebor tibi, Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum, quoniam bonum eſt.* Ibid. 85. 12. Dignum enim & juſtum eſt ut pro omnibus hominibus Reges honorificent Deum, quia pro omnibus hominibus honorificantur ab eo. Honorificate, ô Reges, Deum, quia ille prior honorificavit vos. Illius etenim vox per Salomonem clamat & dicit: *Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus. Meum eſt conſilium & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo. Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam. Ego diligentes me diligo; & qui de mane vigilant ad me, invenient me. Mecum ſunt divitiæ & gloria.* Prov. 8. 12. & 14.

Honorificare ergo, Rex, debes totis viribus Dominum Deum tuum, qui tantam jam tibi contulit dudum, & tantum adhuc promiſit honorem. Hic jam tibi regni eruditionem, prudentiam pariter conceſſit & fortitudinem; ille verò æternæ vitæ promiſit immortalitatem. Hic te terrenum erexit in regnum; ille tibi cœleſte promiſit imperium. Hic tibi gaudium temporale conceſſit, ille gaudium æternum promiſit. Hic amplam regni dedit hereditatem, ille ampliſſimam paradiſi promiſit poſſeſſionem. Hic affluentiam in divitiis ſubminiſtrat, ille poſtea accipiendam præparat. Hic te jam regali veſtivit purpurâ, ille veſtiet adhuc immortalitatis ſtola. Hic jam capiti tuo poſuit diademata regni, ſed ille adhuc æternitatis ponet coronam. Hic jam conceſſit florentia regna, illic dabit grandia & inenarrabilia gaudia. Hic contulit multiplicia munera, illic promiſit candida & perpetua regna. Hic ſine triſtitiâ dedit ducere tempora, illic perenni & ſine fine dabit vivere vitâ. Hic dedit habere virtutem in caſtris, illic dabit ſocietatem felicem cum Angelis. Hic terrenas multiplicesque contulit divitias, illic cœleſtes communeſque cum Sanctis omnibus promiſit, æternas illas videlicet, de quibus ait Apoſtolus:

1. Cor. 2. 9. *Quia oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.*

CAPUT XII.

De Decimis & Primitiis.

HONORIFICA ergo, Rex Clariſſime, moribus & actibus tuis Dominum Deum tuum; honorifica decimis & primitiis, & omnibus oblationibus in vitâ tuâ Dominum Deum tuum, ſicut ſcri- Eccli. 14. 11. ptum eſt: *Fili, ſi habes, benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer: memor eſto quoniam mors non* Deut. 26. 12. *tardat.* Nam & in lege Dominus præcipiens filiis Iſraël, ait: *Quando compleveritis decimam cunctarum frugum tuarum, anno decimarum tertio, dabis levitæ & advenæ, & pupillo & viduæ, ut comedant intrà portas tuas, & ſaturentur: loquerisque in conſpectu Domini Dei tui. Abſtuli quod ſanctificatum eſt de domo meâ, & dedi illud levitæ & advenæ, & pupillo ac viduæ, ſicut juſſiſti mihi: non præterivi mandata tua, nec ſum oblitus imperii tui. Non comedi ex eis in luctu meo, nec ſeparavi ea in qualibet immunditiâ, nec expendi ex his quidquam in re funebri.* Ipſe iterum Dominus per Ma- Malac. 3. 10. lachiam Prophetam ait: *Inferte omnem decimam in horreum, & ſit cibus in domo meâ, & probate me ſuper hoc, dicit Dominus. Si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem uſque ad abundantiam, & increpabo pro vobis devorantem, & non corrumpet fructus terræ veſtræ, nec erit ſterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. Et beatos vos dicent omnes gentes: eritis enim terra deſiderabilis, dicit Dominus exercituum.*

Vide ergo & prudenter intellige, Clariſſime Rex, largitorem bonum, optimumque datorem, qui cum tibi innumerabiles regiaſque dederit divitias, in horreo inferre juſſit tantùm decimas & primitias. Tu cum adhuc in terrâ poſitus decimis honora atque primitiis, ille verò te in cœlo collocatum divitiis ditabit Angelicis. Conſidera, Rex, quàm dulcis tibi erit ſocietas Regum juſtorum, quàm ſuavis collatio Patriarcharum, quàm dulce conſortium Prophetarum, quàm clariſſima germanitas Apoſtolorum, quàm læta dignitas Martyrum, quàm excellentiſſima gloria Virginum, quàm delectabilis & honoranda æqualitas Angelorum, quàm felix vita inextinguibilis manens in ſæcula ſæculorum. Hunc tam grandem & inenarrabilem, Rex, accipies in futuro theſaurum, ſi modo decimis & primitiis tuum honorificaveris Deum.

CAPUT XIII.

Ut theſaurus in cœlo collocetur.

ET ut theſaurus rerum noſtrarum in cœlo collocetur, admonet nos Dominus in Evangelio, di- Matt. 6. 20. cens: *Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo: ubi neque ærugo neque tinea demolitur.* Ipſe iterum Ibid. 19. 21. in Evangelio diviti ait: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo; & veni, ſequere me.* Theſaurum ergo tuum in cœlo pone, Clariſſime Rex, ubi non timeas hoſtem & expugnatorem, ubi non timeas occultum furem, atque latronem, quem rapere non poſſit publicus prædo atque graſſator. Patria enim tua paradiſus eſt: in patriâ enim tuâ poſtmodum recepturus, multiplices debes recondere theſauros. Magnus te illic carorum numerus exſpectat; parentum, fratrum atque ſororum copioſa turba illic te videre deſiderat de ſuâ jam immortalitate ſecura, ſed adhuc de tuâ ſalute ſollicita. Chorus etenim te illic Patriarcharum exſpectat, numerus Prophetarum deſiderat, Apoſtolorum & omnium Sanctorum cuneus cernere cupit. O quàm grandis lætitia eſt ad iſtorum omnium Sanctorum pervenire conſortium; ad iſtorum omnium felicem venire complexum! Quàm ſumma & perpetua felicitas illic Apoſtolorum glorioſos cernere choros; illic Prophetarum exultantium numero intereſſe ſacrato; inter Virginum, Martyrum, Confeſſorum & omnium pro Domino triumphantium candidatum cuneum intereſſe Sanctorum! Ergo ut ad iſtorum merearis, Rex, felix conſortium pertingere, patrimoniorum tuorum quotidie in cœlo theſauros repone bonos, & noli condere malos. Sunt etenim theſauri mali, ſicut & boni, ſicut ſcriptum eſt: *Bonus homo de theſau-* Luc. 6. 45. *ro cordis ſui profert bonum. Et malus homo de malo theſauro profert malum.* Quem enim ſuperbia inflat, iracundia inflammat, rapacitas inquietat, crudelitas ſtimulat, ambitio delectat, libido præcipitat, quid aliud facit quàm theſauros iniquitatis ſibi reponit? De talibus enim Paulus Apoſtolus ait: *Tra-* Rom. 1. 28. *didit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, nequitiâ, plenos invidiâ, homicidio, contentione, dolo, malignitate; ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordiâ.* De quibus & ſubdit: *Quod ſecundùm duritiem tuam & impœ-* Ibid. 2. 5. *nitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ & revelationis juſti judicii Dei.*

CAPUT XIV.

Qualem & quantum theſaurum in vitâ ſibi homo recondterit, talem & tantum poſt mortem inveniet.

QUALEM theſaurum & quantum unuſquiſque adhuc vivens homo in cœlo reconderit, talem & tantum poſt mortem inveniet. Sic enim Paulus ad Galatas ait: *Nolite errare, Deus non irridetur:* Galat. 6. 7. *Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui ſeminat in carne ſuâ, de carne & metet corruptionem: qui autem ſeminat de ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus; tempore enim ſuo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè ad domeſticos fidei.* Salomon quoque ait: *Qui ſeminat iniquitatem, metet mala.* Prov. 22. *Qui pronus eſt ad miſericordiam, benedicetur.* Eſto, Rex, pronus ad miſericordiam, ut merearis à Deo accipere gratiam: ſemina dando pauperibus in præſenti ſæculo, quæ ipſe cum multiplici fœnore metiaris in futuro. Mitte panem tuum in eſurientium viſcera, ut eum multiplicem invenias in æternâ patriâ. Sic enim Salomon ait: *Mitte panem tuum ſu-* Eccleſ. 11. 1. *per tranſeuntes aquas: quia poſt tempora multa invenies illum.* Quid eſt autem ſuper tranſeuntes aquas mittere panem; niſi pauperibus & egentibus, & de hoc ſæculo tranſeuntibus eleemoſynam dare? Quid eſt verò, *Poſt multa tempora invenies illum*; niſi in futuro ſæculo retributionis ex illo largum accipies præmium.

CAPUT XV.

De non fidendo divitiis.

ET quia tibi Dominus miſericorditer regias conceſſit in præſenti ſæculo & largas divitias, ſo-

lcrter agere debes, ut multas invenias ex illis in futurâ patriâ repoſitas. Neque enim aliæ veraciter dicendæ ſunt divitiæ, niſi illæ quæ in cœleſti theſauro feliciter ſunt reconditæ. Audi ergo, Rex, Apoſtolum, & noli confidere in caducis iſtius præſentis ſæculi divitiis, ſed in illis de quibus pauperibus erogatis cœleſtem theſaurum ædificaveris; ait enim Paulus Apoſtolus: *Divitibus hujus ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo, (qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum) bene agere, divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, theſauriſare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Opus enim miſericordiæ & juſtitiæ patrocinatur homini poſt mortem, non divitiæ. Sic enim Salomon ait: *Non proderunt divitiæ in die ultionis: juſtitia autem liberabit à morte. Quia qui confidit in divitiis ſuis, corruet: juſti autem quaſi virens folium germinabunt.* David quoque ait: *Nolite ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere. Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Ille divitiis cor apponit, qui in ipſis ſingularem eſſe felicitatem credit. Iſte ſic illis cor apponit, ut non velit res pauperibus erogare, ſed magis eas ambire. Non vult aurum ſuum expendere, ſed calcare: patrimonia ſua non vult egenis largiri, ſed hæredibus congregata ſervare. Et ideò poſt mortem nihil inveniunt, quia in vita pauperibus nihil tribuunt. De quibus congruè Pſalmiſta ait: *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.* Ad hunc finem Salomon de divitiis ſuis computatam ſententiam produxit, ubi ait: *Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, & plantavi vineas, feci hortos, pomaria, & conſevi ea cuncti generis arboribus, & exſtruxi mihi piſcinas aquarum, ut irrigarem ſilvam lignorum germinantium, poſſedi ſervos & ancillas, multamque familiam habui, armenta quoque & magnos ovium greges, ultrà omnes qui fuerunt ante me in Hieruſalem. Et vidi in his omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere ſub ſole.*

Largas enim divitias Pſalmographus habere non damnat, ſed ne cor illis apponatur vetat. Non tibi oberit divitiarum congregatio juſta, ſi adfuerit diſtributio larga. Ex illis enim munus miſericordiæ egenis porrigitur: ex illis pauperum nuditas operitur; ex illis peregrinorum inopia ſuppletur; ex illis pupillorum miſeria detergitur; ex illis viduarum ſolatia tribuuntur; ex illis eſurientium fames repellitur; ex illis ſitientium ſitis fugatur; ex illis infirmantium deſideria ſupplentur; ex illis accipientes à miſeriis liberabuntur, & illarum fidelis diſpenſator in futuro ditabitur.

CAPUT XVI.

De non gloriando in divitiis, ſed in humilitate.

ERgo illæ divitiæ, quæ in cœleſti conduntur theſauro, permanent in æternum; & iſtæ quæ tenentur in ſæculo caduco, tranſeunt & pereunt. Non gloriandum eſt, ſicut nec confidendum in perituris divitiis, ſed potiùs lætandum & gloriandum eſt in bonis magniſque virtutibus. Nam quia oportet divites non in divitiis gloriari ſed in humilitate, Jacobus teſtatur dicens: *Glorietur autem frater humilis in exaltatione ſuâ: dives autem in humilitate ſuâ.* Noli ergo in divitiis gloriari, Rex, ſed in humilitate. Eſto humilis, eſto in humilitate fundatus; quàmvis ſis ſublimis, magnus & ſummus, humilitatem tene. Sic enim ſcriptum eſt: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Domino invenies gratiam: quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur.* Vides ergo, Rex, quia ſi humilitatem tenueris, habebis gratiam, habebis & gloriam, inſuper & animæ tuæ invenies requiem. Sic enim Dominus tuus redemptor & doctor tuus, creator & gubernator tuus te quem ſequi debeas docet, & quid diſcere debes tibimet oſtendit, dicens: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde;* Matt. 11. 29. *& invenietis requiem animabus veſtris.* Idem ipſe Dominus per Prophetam clamat & dicit: *Ad quem* Iſai. 66. 2. *autem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?*

Si vis ergo ut ad te reſpiciat Deus, ſublimem faciat, glorificet, & exaltet; humilia te in conſpectu illius. Sic enim Jacobus Apoſtolus ait: *Humiliamini* Jac. 4. 10. *in conſpectu Domini, & exaltabit vos.* Per hanc enim regiam humilitatis viam purpuratus & infulatus fortiſſimus Rex David & Sacerdos firmiter currens clamabat: *Domine non eſt exaltatum cor* Pſ. 130. 1. 2. *meum; neque elati ſunt oculi mei; neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me. Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltavi animam meam.* Magna enim eſt virtus humilitas, & mirabilis genitrix omnium & educatrix virtutum. Sed non hæc virtus humanâ voluntate à quoquam ſumitur, ſed miſericorditer à Domino cui voluerit largitur: quæ ideò inter virtutes eximias maximè honorata conſurgit; quia eam majeſtas divina dignanter aſſumſit. Nam quòd & hæc virtus regia ſit, priſcorum Regum acta teſtantur. Saülem ſuperbum humilians Dominus ait: *Cum eſſes parvulus in oculis tuis, caput in tri-* 1. Reg. 15. 17. *bubus Iſraël factus es; unxitque te Dominus in Regem ſuper Iſraël.* Et eſt ſubauditio: Cum tu te magnum exiſtimaſti in oculis tuis, parvus & abjectus factus es in oculis meis. Nam David cum Michol filia Saülis, eo quòd ſe humiliaſſet reprehendit, ait: *Ludam, & vilior fiam pluſquam factus ſum, & ero* 2. Reg. 6. 22. *humilis in oculis meis.* Vides ergo, Rex, quia unus ex illis de regni ſolio per ſuperbiam eſt dejectus, & alius ad regni gloriam per humilitatem eſt evectus. Unde & in illis impletum eſt: *Quia omnis qui ſe* Matt. 23. 12. *exaltaverit, humiliabitur: & qui ſe humiliaverit, exaltabitur.* Unus ex illis cum in oculis ſuis fuiſſet elevatus, in oculis Domini juſtè eſt humiliatus: alius cum in oculis ſuis humiliter fuiſſet deſpectus, in oculis Dei decenter eſt exaltatus. Humilia te ergo, Rex, in oculis tuis, ut exalteris in oculis Domini; quia quantum humilior fueris in conſpectu tuo, tantum glorioſior eris in conſpectu Altiſſimi.

CAPUT XVII.

De Pace.

NEmo enim ſe apud Deum magis exaltat, quàm qui ſe apud ſemetipſum propter Deum humiliat. Ad hoc enim à Domino humilis exaltatur, ut filius Dei & heres Chriſti vocetur. Tantum eſt ut pacem ſequatur, quia pacem quærere debet, & ſequi filius pacis. Taliter enim nos admonet Apoſtolus dicens: *Pacem ſequimini cum omnibus & ſan-* Hebr. 12. 14. *ctimoniam, ſine quâ non videbitis Deum.* Ipſe quoque Dominus in Evangelio ait: *Beati pacifici: quo-* Matt. 5. 9. *niam filii Dei vocabuntur.* Nam & inter ſua divina mandata & magiſteria ſalutaria, paſſioni jam proximus hoc nobis præceptum atque mandatum commendavit Salvator cuſtodiendum. Ait enim: *Pacem* Joan. 14. 27. *meam do vobis.* Hanc nobis hereditatem aſcendens Dominus in cœlum reliquit; & ſequi eam per ſuum fideliſſimum Regem David atque Prophetam mandavit: *Diverte à malo, & fac bonum: inquire pacem,* Pſal. 33. 15. *& perſequere eam.* Si hanc enim ſincero corde ſequi

qui volueramus, Chriſti heredes erimus; ſi autem Chriſti heredes cupimus eſſe, in Chriſti pace debemus verſari. Si filii Dei ſumus, pacifici eſſe debemus: pacificos enim oportet eſſe Dei filios & humiles, mente mites, corde ſimplices, ſermone puros, animo innocentes, affectu concordes, fideliter ſibimet unanimiter cohærentes.

CAPUT XVIII.

De zelo rectitudinis.

VIam Regiam perge, Rex, ne declines ab eâ neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram: ſic enim tene viam humilitatis & pacis, ut à zelo non declines rectitudinis. Tene, inquam, Rex, humilitatem & pacem; & ad Deum cum David clama,
Pſal. 68. & dic: *Zelus domûs tuæ comedit me.* Quam ſententiam in actione ſua Dominus veraciter complevit, quando vendentes & ementes de templo flagellatos eliminavit. Nam & Phinees filius Eleazari pro zelo rectitudinis pactum à Domino meruit accipere ſempiterni ſacerdotii. Ait enim Dominus ad Moyſen:
Num. 25. 15. *Phinees filius Eleazari filii Aaron Sacerdotis avertit iram meam à filiis Iſraël: quia zelo meo commotus eſt contrà eos; ut non ipſe delerem filios Iſraël in zelo meo: idcircò loquere ad eum: Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipſi quam ſemini ejus pactum ſacerdotii ſempiternum, quia zelatus eſt pro Deo ſuo.* Et te ergo, Mitiſſime Rex, zelus domûs Domini rationabiliter comedat, in quâ domo Dei & tu membrum es Chriſti: debent etenim caput ſequi membra. Si quid forte perverſum in Eccleſiâ videris Chriſti, ſatage corrigere, & emendare non ceſſes. Si videris aliquem in domo Dei, quæ eſt Eccleſia, currere ad luxuriam, ad ebrietatem: prohibe, veta, terre, ſi zelus domûs Dei comedit te. Si videris ſuperbiâ inflatum, aut iracundiâ ſævum, aut violentiâ temulentum, aut livore fratris invidum, aut libidine incenſum, aut avaritiâ rapinæ deditum, aut crudelitate violentum, reprime omnes, minare omnibus, & refræna ſeveriſſimè omnes. Hac quidquid potes pro perſonâ quam geſtas, pro miniſterio regali quod portas, pro nomine Chriſtiani quod habes, pro vice Chriſti quâ fungeris. Noli quieſcere lucrari Chriſtum, quia lucratus es à Chriſto, & perficis in te: *Zelus domûs comedit me.* Iſte enim zelus ſalutem tribuit, fidem retinet, pudicitiam ſervat, rectitudinem amat, & Eccleſiam Dei glorioſâ vivacitate . . .

CAPUT XIX.

De Clementiâ.

MEmento quia ſic debes exercere rectitudinis zelum, ut humilitatis atque clementiæ non relinquas officium. Audi quod ſcriptum eſt: *Clementia*
Prov. 11. 19. *præparat vitam: & ſectatio malorum mortem.* Non enim parvipendenda eſt, ſed ſummopere quærenda, firmiterque tenenda virtus, quæ nobis immortalem & æternam præparat vitam. Non enim turbulento animo, ſed cum clementiâ debes diſponere cuncta. Quamvis ergo auro niteſcas, & purpurâ, humilitatis non debes abjicere clementiam; quamvis regali cultu reſplendeas, ab humilitatis clementiâ non recedas; quamvis populorum ſis circumdatus multitudine, tu tamen piam clementiam tene: Regalis enim virtus eſt, & bonorum Regum cuſtos eſt. Illam enim cuſtodiendo, illorum proles ſervabitur, & thronus illorum ſolidabitur. Sic enim ſcriptum eſt:
Ibid. 20. 28 *Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur clementiâ thronus ejus.* Ipſa eſt enim quæ lætos Regi facit ſervire populos: ipſa eſt quæ jucundiſſimè Regis facit hilareſcere vultum, ſicut Salomon ait: *In hilaritate vultûs Regis, vita: clementia ejus ſicut imber ſerotinus.* Ipſa eſt quæ omnibus Ibid. 16. 15.
in palatio Regis jucunditatem miniſtrat atque lætitiam: ipſa eſt quæ cunctis pueris Regis larga dona multiplicat: ipſa eſt quæ parvulos & juvenes ſeneſque lætificat: ipſa eſt quæ per cunctos palatii angulos lætos facit diſcurrere natos: ipſa eſt quæ nonnullis oſcula, pleriſque miniſtrat amplexus. Volo ergo, Clementiſſime Rex, ut & in tuo jugiter vultu reſplendeat clementiæ virtus, quæ cunctis lætitiam, cunctiſque miniſtret amorem.

CAPUT XX.

De Conſilio.

ET ut hæc omnia cum conſilio agas, Scriptura te divina per Salomonem admonet, dicens:
Aſtutus omnia agit cum conſilio; Et Jeſus filius Sirac Ibid. 13. 16.
ait: *Fili, ſine conſilio nihil facias.* Et ut ſapienter Eccli. 32. 24.
& cum diſciplina & cum conſilio ſemper vivas, idem
te Salomon admonet, dicens: *Audi conſilium, &* Prov. 19. 20
ſuſcipe diſciplinam, ut ſis ſapiens in noviſſimis tuis. Qui agunt cuncta cum conſilio, reguntur ſapientiâ.
Diſſipantur cogitationes ubi non eſt conſilium: ubi Ibid. 15. 22.
verò plures ſunt conſiliarii, confirmantur. Ipſe ite- Ibid 27. 9.
rum ait: *Unguento & variis odoribus delectatur cor:*
& bonis amici conſiliis anima dulcoratur. Cum diſ- Ibid. 24
poſitione initur bellum, & erit ſalus ubi multa conſilia ſunt. Magna etenim res eſt conſilium, & Regibus valde neceſſarium, & non parvipendendum, ſed ſuper aurum & argentum conſtituendum. Et hoc idipſum divina approbat Scriptura, dicens:
Aurum & argentum eſt conſtitutio pedum, & ſuper Eccli. 40. 25.
utrumque conſilium beneplacitum permanet.

Vides ergo, Rex, quàm regia virtus eſt conſilium, quam ſuper aurum & argentum eſſe prædicat Scriptura, quam ſicut fontem clamitat aſſiduè manantem. Hanc igitur virtutem conſilii omnes dilexerunt regia currentes itinera. Virtute conſilii roboratus conſtanter Noë per centum annos fabricavit arcam, & in diluvio gubernavit eam. Virtute conſilii Abraham confirmatus, de cognationis ſuæ genere intrepidus eſt egreſſus, & inter gentes exteras prudenter eſt commoratus. Virtute conſilii firmiter credens Iſaac, benedictionem à Domino in ſe omnium gentium accepit. Conſilium matris audiens Jacob benedictionem paternam hereditavit, primogenita fratris accepit, & in duodecim tribubus filiorum largiter excrevit. Per hanc virtutem conſilii noviſſimus Moyſes ſexcenta millia per eremum gubernavit. Per hanc virtutem conſilii frater ejus Aaron fideliter miniſterium, ſacrumque Sacerdotis officium regendo peregit. Per hanc virtutem conſilii Phinees Sacerdotis Eleazari filius zelo Domini plenus Zamrim, cum ſcorto Madianitico gladio perforavit, & ſævientem Domini iram jam ſuper populum pendentem retinuit. Unde & benedictionem perpetui ſacerdotii poſteris ſuis reliquit. Hanc virtutem conſilii Joſue à Moyſe nutritore accipiens, triginta gentium Reges occidit, illorumq; regna deſtruxit, Hiericuntinos muros ſubvertit, in terram repromiſſionis populum Dei introduxit, & eam illis per conſilii rationem diſtento fune partivit. Per hanc virtutem conſilii Samuel populum Dei juſtè judicans gubernavit. Per hanc virtutem conſilii David Goliam interfecit, cum leonibus luſit, & regnû acceptum prudenter & fortiter gubernavit. Per hanc virtutem conſilii Salomon cum pace gentibus

imperavit, & ſublime Domino in Hieruſalem templum ædificavit. Per hanc virtutem conſilii Helias bis quinquagenos cœli igne conſumſit, congruo tempore cœli pluviam diſtulit, & iterum congruo, Domino opitulante, reduxit. Per hanc virtutem conſilii Martyres, ut æternam à Domino acciperent vitam, morti temporali ſe tradiderunt. Per hanc virtutem conſilii Virgines & Confeſſores in ſervitio Domini uſque in finem perſeveraverunt.

Et tu ergo, Rex, omnia quæ agis, cum conſilio
37. 19. age, quia ſcriptum eſt: *Et in his omnibus deprecare Altiſſimum ut dirigat in veritate viam tuam. Ante omnia opera verbum verax præcedat te: & ante omnem*
39. 9. *actum conſilium ſtabile. Si enim Dominus magnus voluerit, ſpiritu intelligentiæ replebit te, & ipſe quaſi imbres mittet ſibi eloquia ſapientiæ, & aperiet in oratione os tuum in bono, & uſque in ſæculum non delebitur memoria tua.*

CAPUT XXI.

Ut caveat unuſquiſque ſuperbiam.

HACTENUS quid, auxiliante Deo, Rex, agere debeas ordinatim digeſſimus. Quid verò deinceps vitare debeas ſalubriter proſeramus; neque enim minoris virtutis eſt homo, qui mala ſollicitè vitat, quàm qui bona ſalubriter congregat. Unde neceſſe eſt, Clariſſime Rex, ut in omnibus actibus tuis viam regiam diſcretè cuſtodias, & per eam ſalubriter ambulans, greſſus operis firmiter ponas; & dextera feliciter tenens itinera, cautè & ſollicitè cave ſiniſtra. Dextera enim via eſt virtus humilitatis, quæ cæteras nutrit virtutes, & benè viventes ad vitam perducit æternam. Siniſtra eſt vitium ſuperbiæ, quæ cætera nutrit vitia, & ſibi malè conſentientes æternam perducit ad pœnam. Superbia enim primum & ſummum vitium eſt, & ſicut ſcriptum eſt in Eccleſiaſti-
7. & co: *Odibilis coram Deo eſt & hominibus ſuperbia. Initium omnis peccati eſt ſuperbia: Qui tenuerit illam adimplebitur maledictis, & ſubvertet eum in finem. Propterea exhonoravit Dominus conventus malorum, & deſtruxit eos uſque in finem. Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus: & ſedere fecit mites pro eis; radices gentium ſuperbarum areſcere fecit Deus: & plantavit humiles ex ipſis gentibus. Terras gentium evertit Dominus, & perdidit eas uſque ad fundamentum; areſcere fecit ex ipſis, & diſperdidit eos, & ceſſare fecit memoriam eorum à terrâ. Perdidit Deus memoriam ſuperborum, & reliquit memoriam humilium.* Dominus quoque dans de ligno humilibus & ſuper-
7. 24 bis comparationem, per Ezechielem ait: *Et ſcient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliavi lignum ſublime, & exaltavi lignum humile: & ſiccavi lignum viride, & frondere feci lignum aridum. Ego Dominus loquutus ſum & feci.* Dominus quo-
13. 11. que in Evangelio ait: *Omnis qui ſe exaltaverit, humiliabitur; & qui ſe humiliaverit, exaltabitur.* Ipſe quoque Dominus per Hieremiam ſuperbo commi-
0. 31. nans ait: *Ecce ego ad te, ſuperbe, dicit Dominus Deus exercituum: Quia venit dies tuus, tempus viſitationis tuæ, & cadet ſuperbus, & corruet, & non erit qui ſuſcitet eum: & ſuccendam ignem in urbibus ejus, & devorabit omnia in circuitu ejus.*

Grande malum eſt ſuperbia, quæ diabolum de cœlo depoſuit, & hominem de paradiſo projecit; quæ & quotidie de ſtatu rectitudinis miſeros ad infima premit, & poſt obitum ad inferna demergit. Superbia priùs in cogitatione elevat hominem, & poſtea elatum extollit in opere; priùs in ſecreto cordis tumidum facit, & poſtea in publico præcipitem reddit. Inde ſuperbi extrinſecùs cadunt, unde priùs miſeri intrinſecùs elevantur. Juſtè enim homo peccato ſubſtratus jacet, qui auctorem ſuum ſuperbiendo contemnit. Tu ergo, Prudentiſſime Rex, time tantum & cave ſuperbiæ malum. Declina ſervilem ſiniſtram, & per dexteram, quæ eſt regia, velociter curre viam. Dilige & tene humilitatem, & quod tibi Dominus per Scripturam clamat diligenter attende; ait enim: *Rectorem te poſuerunt,* Eccli. 32. 1.
noli extolli: eſto in illis quaſi unus ex ipſis. Curam illorum habe, & ſic conſide, & omni curâ tuâ explicitâ recumbe, ut læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam.

CAPUT XXII.

De zelo & livore.

ZELARE & invidere alterius bono non eſt parvum, ſed grande & magnum peccatum. Diabolus inter initia ſtatim mundi zeli livore percuſſus periit primus, & ſic perdidit alios. Poſtquàm verò hominem ad imaginem Dei factum conſpexit, in zeli livorem prorupit, & hominem miſerum ſuadendo decepit: ſed & Angelicam beatitudinem, quam habebat, miſerrimus amiſit; & ex tunc, ut ſcrip-
tum eſt: *Invidiâ diaboli mors introivit in orbem* Sap. 2. 24.
terrarum. Imitantur autem illum qui ſunt ex parte ipſius. Imitatus eſt illum Caïn iniquus, & per zeli livorem Abel fratrem ſuum juſtum occidit. Per zeli livorem Eſaü factus eſt inimicus fratri ſuo Jacob. Per zeli livorem à fratribus ſuis venditus eſt Joſeph. Per zeli livorem David inimicus & perſequutor factus eſt Saül; & ne longiùs eam recenſendo per ſingulos, Judæorum populus per zeli livorem interiit, qui Chriſto maluit invidere quàm credere. Zeli enim livor, quamquam unius vitii cenſeatur nomine, multiplices per diverſa initia generat ramos. Radix eſt omnium malorum, & fons vitiorum. Inde odium ſurgit, animoſitas inde procedit; avaritiam zelus inflammat, ambitionem zelus excitat. Per iniquum livoris zelum Dei timor exponitur, magiſterium Chriſti negligitur, judicii dies non providetur, inflatur ſuperbia, exacerbatur ſævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutitur, furit diſcordia, ferveſcit ira; nec ſe jam poteſt cohibere vel regere, qui factus eſt ſubditus poteſtati alienæ. Hinc omne pacis vinculum rumpitur, hinc fraterna charitas violatur, hinc adulteratur veritas, unitas ſcinditur, ad hæreſes atque ſchiſmata proſilitur, dum obtrectatur Sacerdotibus, Epiſcopis invidetur. De zelo ſuperbus efficitur; de zelo perversè animus mutatur. Non eſt cibus talibus lætus, non eſt potus jucundus; ſuſpirat ſemper ad alterius bona & ingemiſcit. Hinc vultus minax, torvus aſpectus, pallor in facie, in labiis tremor, ſtridor in dentibus. Quid plura referam? De zeli livore fons omnium vitiorum conſurgit.

Tu ergo, Mitiſſime atque Nobiliſſime Rex, dilige omnes, & paterno regalique affectu complectere cunctos, & tantum & tam pernicioſum odii cautè devita malum; quia Jacobus Apoſtolus ait: *Ubi eſt* Jac. 3. 16.
zelus & contentio; ibi inconſtantia, & omne pravum. Vides ergo quàm letifera eſt livoris & invidiæ indignatio. Ipſa eſt quæ cuncta virtutum germina concremat; ipſa quæ cuncta bona ardore peſtifero devorat; ipſa quæ ſenſum comedit; ipſa quæ pectus urit; ipſa quæ mentem afficit, & cor hominis quaſi quædam peſtis depaſcit. Occurrat ergo tibi, ô Rex, contrà zeli livorem animi bonitas plena munere: adverſùs invidiam fraterna charitas præparetur, & arma dilectionis. Pacem ama cum omnibus, pacem retine cum cunctis. In manſuetudine

& charitate amplectere omnes. Stude in terris à cunctis hominibus dulciter amari, ut merearis in cœlo cum Angelis feliciter lætari.

CAPUT XXIII.

De non reddendo malum pro malo.

DILIGE proximum ſicut te ipſum, puro animo, mente ſincera: ita ut ſi etiam in te peccaverit, dimittas, & non reddas malum pro malo; *Prov. 20. 22.* ſicut ſcriptum eſt: *Ne dicas: Reddam malum; exſpecta Dominum, & liberabit te.* Ergo & tu ex toto corde in te dimitte peccanti, & exſpecta Deum, ut à proprio libereris peccato; & noli vindicari in homine qui in te deliquerit. *Eccli. 28. 1.* Quia ſcriptum eſt: *Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam; & peccata illius ſervans ſervabit: relinque proximo tuo nocenti te; & tunc deprecanti tibi peccata ſolventur.* Tu verò cum ſis Rex, & ſummi Regis filius, Patrem tuum bonum imitare Deum, & proximo relinque peccata, ut & tua dimittantur à Domino commiſſa. Fac tu proximo tuo, quod & vis ut faciat tibi Deus tuus: noli quærere de proximo vindictam, ne expetantur à te, Domino vindicante, delicta. *Rom. 12. 21.* *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.* Quod non vis ut tibi faciat Deus: noli tu homo facere homini. *Tob. 4. 16. Luc. 6. 31.* In utrôque Teſtamento ſcriptum reperitur: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias.* Si ergo cavet quiſquam alteri facere quod nequaquàm vult ab altero perpeti, cavet utique ne ſuperbià elatus proximum deſpiciat; cavet ne ambitione commotus fratrem ad iracundiam provocet, cavet ne invidiæ morſu dilaniet. Cum quiſque verò cogitat ea alteri facere quæ ſibi ab altero vult fieri, ſine dubio penſat ut malis bona, & bonis meliora retribuat, procacibus manſuetudinem oſtendat, humilibus gratiam benignitatis demonſtret; errantibus viam rectitudinis demonſtrat, diſcordes ad pacem revocat, neceſſaria indigentibus miniſtrat, afflictos verbo conſolationis ſublevat, & cuncta quæ valet proximis fideliter ſubminiſtrat.

CAPUT XXIV.

De reprimendâ irâ.

NAM quia ſolet homo homini per iram reddere vindictam, ideo peccare per iram nos Apoſtolus prohibet dicens: *Epheſ. 4. 26. 27.* *Iraſcimini & nolite peccare. Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nolite locum dare diabolo.* Vides ergo, Mitiſſime Rex, quia qui per iram in fratrem expetit vindictam, in corde ſuo diabolo facit locum; & vero ſoli, qui eſt Chriſtus, quantum in ſemetipſo eſt, facit occaſum. Rectè etenim per ſolem Chriſtus, & per tenebras diabolus intelligitur. Neque enim poſſunt in uno hominis pectuſculo ſol & tenebræ pariter commorari: habitante etenim luce fugantur tenebræ, commorantibus tenebris excluditur lux. Neque enim commorari poteſt cum amaritudine dulcedo, aut cum lumine caligo, aut cum pace pugna, aut cum tranquillitate tempeſtas. Depone ergo, Mitiſſime Rex, auxiliante Domino, iram, & noli per iram reddere vindictam. Attende diligenter quid Pauli *Coloſſ. 3. 8.* nos admonentis dicat ſententia. Ait enim: *Nunc autem deponite & vos omnem iram, indignationem, & malitiam.* *Jac. 1. 20.* Jacobus quoque dicit: *Ira enim viri juſtitiam Dei non operatur.* *Eccli. 30. 26.* Salomon ait: *Zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus adducet ſenectam cogitatus.* Ipſe quoque Dominus noſter, totius Eccleſiæ ſuæ ornamentum & decus, prædica-

tor & doctor, exemplum & forma, creator, gubernator, & rector, ab irâ nos fratris omninò removens ait: *Matt. 5. 22.* *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio.* Cavendum eſt ergo maximè Regibus ad effectum ſuam perducere iram. Neque enim æqualis eſt cujuſlibet hominis cum irâ Regis. De irâ Regis ſcriptum eſt: *Prov. 19. 12.* *Sicut fremitus leonis, ita ira Regis.* Et iterum: *Ibid. 16. 14.* *Ira Regis nuntius mortis.* Ergo quantum validior eſt ira Regis ad reddendum vindictam, tantum à fideliſſimis Regibus temperata debet eſſe & cauta.

Tu verò, Mitiſſime Rex, ſi vis per hanc quam ſcribimus Regiam currere Viam, & ad ſuperam feliciter regiamque ſcandere patriam, manſuetus atque mitiſſimus eſto; & ſi proruperit iracundia, reſtringe illam; ſi præoccupaverit mentem, mitiga eam; ſi emerſerit animo, comprime illam; ſi iracundiæ furor pulſaverit animum, fraternus amor comprimat illam, fraterna dulcedo temperet iracundiam, fraterna charitas temperet animoſitatem, fraterna dilectio mitiget indignationem. Grande enim vitium eſt iracundia. Per iram ſapientia perditur: per iram juſtitia relinquitur, per iram ſocietas amoris diſſolvitur: per iram pacis concordia rumpitur: per iram lex veritatis amittitur. Iracundiæ ſtimulis agitatum corpus tremit, lingua balbutit, vultus ignelcit, cor palpitans tremulat, & oculi turbati caligant. Hæc ergo, Rex, ne tibi contingant, refrænatâ irâ, omnia diſpone cum patientiâ; ſermo enim tuus poteſtate plenus eſt, cui nemo reſiſtere poteſt. Ergo cum pace diſpone quæ diſponenda ſunt, & cum tranquillitate rege quæ regenda ſunt, ut & regnum benè & juſtè gubernes, & animæ tuæ poſſeſſor in æternum læteris.

CAPUT XXV.

De non conſentiendo adulatoribus.

SOLENT namque adulatores ad reddendum malum pro bono ſibi conſentientes incitare Potentes, qui & ſibi æternum præparent incendium, & illis perniciei inferant detrimentum; quos diligenter, Diſcretiſſime Rex, vitare memento, & qui ſint illi acutiſſimè & cautè diſcutito, & talibus nullo modo nulloque pacto conſentire digneris, ne te lactantes atque laudantes à viâ divertant regiâ, & greſſum operis tui in viâ faciant ponere non rectâ. De talibus enim adulatoribus ſcriptum eſt: *Ibid. 16. 29.* *Vir iniquus lactat amicum ſuum, & ducit eum per viam non bonam.* Iterum de Principibus qui conſentiunt adulatoribus ſcriptum eſt: *Ibid. 29. 12.* *Princeps qui libenter audit verbum mendacii, omnes miniſtros habet impios.* Item de adulatoribus: *Ibid. 26. 28.* *Lingua fallax non amat veritatem: & os lubricum operatur ruinas.* Item de conſentientibus: *Ibid. 17. 4.* *Malus obedit linguæ iniquæ: & fallax obtemperat labiis mendacibus.* Tu ergo, Clariſſime Rex, cave adulatorum lubricas mortiferaſque ruinas, & ne ſub amicorum ſpecie illorum te decipiant malè ſanæ fallaciæ. Audi quid de illis ſcriptum eſt: *Ibid. 11. 9.* *Simulator ore decipit amicum ſuum.* Item de illis ſcriptum eſt: *Iſai. 3. 12.* *Qui beatos vos dicunt, ipſi vos decipiunt; ſemitam pedum veſtrorum conturbant.* Te ergo quid inter tales agere debeas, Spiritus ſanctus per divinam Scripturam admonet dicens: *Prov. 27. 21.* *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum: ſic probatur homo ore laudantis.*

Ecce qualis inter laudantium adulantiumque linguas juſtus & rectus invenitur Princeps, ſcilicet lucidior argento & clarior auro. Hæc illi tamen evenient, ſi divinæ concordaverit Scripturæ, ubi ait: *Ibid. 16. 13.* *Voluntas Regum labia juſta: qui recta loquitur dirigetur.* Diligenter attende, Rex, & vide ſi

in conſpectu ſummi Regis ille dirigitur, qui recta loquitur, debet & in conſpectu tuo ille dirigi, qui non adulantia ſed vera loquitur verba. Reſpue ergo ab auribus tuis ſuaſorios deceptorioſque ſermones, reſpue blandam adulantium linguam: benè etenim ſonant, ſed malè decipiunt; ſuaviter auteant, ſed malè maculant; promittunt dulcia, ſed perdunt animam.

CAPUT XXVI.

De cavendâ avaritiâ.

TU ergo, Rex, nec pro adulatoribus, nec pro muneribus, à recto regioque divertas itinere, nec ad avaritiæ malum, rectum regiumque digneris flectere greſſum. Regum etenim ſpecialiter inculpans avaritiam ſcripta divinitùs invenitur ſententia. *Prov. 29. 4.* Ait enim Salomon in Proverbiis: *Rex juſtus erigit terram: vir avarus deſtruet eam.* *Ibid. 15. 27.* Item ipſe: *Conturbat domum ſuam qui ſectatur avaritiam: qui autem odit munera, vivet.* *Luc. 12. 15.* Dominus in Evangelio Diſcipulis ait: *Cavete ab omni avaritiâ: quia non in abundantiâ cujuſquam vita ejus eſt, ex his quæ poſſidet.* Huic ſententiæ concordans Eccleſiaſtes ait: *Eccl. 5. 9.* *Avarus non implebitur pecuniâ: & qui amat divitias, fructum non capiet ex eis.* *Abac. 2. 19.* Abacuc quoque Propheta dicit: *Væ qui congregat avaritiam malam domui ſuæ: ut ſit in excelſo nidus ejus, & liberari ſe putat de manu mali.* *Epheſ. 5. 3.* Paulus Apoſtolus prædicat dicens: *Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hereditatem in regno Chriſti & Dei.*

Tu ergo, Largiſſime Rex, ama miſericordiam, & fuge avaritiam, ut cum Chriſto hereditatem habere merearis æternam. Omnibus eſto munificus, omnibus largus, ut per te non malè deſtruatur, ſed feliciter erigatur regni tui terra. Non ut avarus domum tuam conturbes, ſed ut largus ædifices. Grande enim & ingens malum eſt avaritia: ignis enim inextinguibiliter eſt ardens, & inceſſabiliter urens. De avaritiâ enim in libro B. Job ſcriptum *Job 15. 34.* eſt: *Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.* Sicut enim corpus habitat in materiali ædificio, ſic mens habitat in cogitationis conſilio: ſed ignis tabernacula devorat, cum æſtus avaritiæ cogitationes mentis devaſtat. Avaritia modum ignorat, temperamentum neſcit, finem habendi poſtponit, & cum cuncta devoret, ſaturitatem penitùs neſcit, eſurit ſemper & mendicat, inops eſt & paupertate repleta; & cum ferratibus cuncta dentibus rodat, adhuc ſe jejunam horribilis confitetur & clamat; & cum ſit unum nomine tenùs vitium, multa ab illo alia pullulant & emergunt vitia; ſicut ſcriptum eſt: *1. Tim. 6. 10.* *Radix omnium malorum eſt avaritia.* Et non ſolùm occulta plurima, ſed & aperta generat multa mala. Inde negatâ fronte in conventu inveniuntur falſarii: inde in medio civitatis ſicarii: inde in publico venefici: inde aperte crimen admittitur; inde ſcelus publicè operatur.

CAPUT XXVII.

Ut de impenſis alienis domus non ædificetur.

TU verò, ô Rex, velut mundiſſimi Regis filius ab omni munere nocuo regias excutiens munda manus, quia ſcriptum eſt: *Iſai. 33. 15.* *Qui excutit manus ſuas ab omni munere, qui obturat aures ſuas ne audiat ſanguinem, & claudit oculos ſuos ne videat malum, iſte in excelſis habitabit.* Ergo ut merearis in excelſo ſedere feliciter throno, muneribus pauperum non amplifices tibimet, aut ædifices domum: quia ſcriptum eſt: *Eccli. 21. 9.* *Qui ædificat domum ſuam impendiis alienis, quaſi qui colligit lapides ſuos in hyeme.* *Hier. 22. 13.* Hieremias quoque ait: *Væ qui ædificat domum ſuam in injuſtitiâ, & cœnacula ſua non in judicio; amicum ſuum opprimet fruſtrà, & mercedem ejus non reddet ei. Qui dicit: Ædificabo mihi domum latam, & cœnacula ſpatioſa: qui aperit ſibi feneſtras, facit laquearia cedrina, pingitque ſinopide.* *Iſai. 5. 8.* Iſaias talibus clamat & dicit: *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, uſque ad terminum loci. Numquid habitabitis vos ſoli in medio terrarum? In auribus meis ſunt hæc, dicit Dominus exercituum.* Hoc ipſum & *Prov. 23. 10.* Salomon prohibet dicens: *Ne attingas parvulorum terminos; & agrum pupillorum ne introeas.*

Tibi ergo, Rex, omnipotens Dominus ampla & florida, divitiiſque plena tribuit regna, parentumque multiplicia divitis & prædia; fiſcorum plurima dedit vectigalia, & multorum potentum honoravit munera, unde regia fabricare poſſis palatia. Cave ne pauperum lacrymis miſerorumque impenſis tibi domus ædificetur regalis.

CAPUT XXVIII.

Ut pro juſtitiâ faciendâ nulla à judicibus requirantur præmia.

JUDICIBUS ergo tuis præcipe, Rex, ut nullum pro juſtitiâ præmium iſtius ſæculi requirant. Præcipe ut pro juſto judicio temporalia lucra non appetant, ſed æterna; mercedem non requirant perituram, ſed permanſuram: pauper an dives ſit, cauſam perſpiciant non perſonam; in omnibus veritatem cuſtodiant, non ambitionis munera. Qui præſentia munera affectat, futuram gloriam non ſperat. Qui cupidus hic recipit pro juſtitiâ dona, ulteriùs æterna non accipiet præmia. Contrà delinquentium judicum pravitatem per Moyſen dicitur: *Deut. 16. 20.* *Juſte quod juſtum eſt exequeris.* Juſtè ergo juſtum exequitur, qui juſtitiam propter Deum exercet, non propter avaritiam. Omnis qui rectè judicat, ſtateram in manu geſtat: in utroque penſo juſtitiam & miſericordiam portat: ſed per juſtitiam promit peccati ſententiam, & per miſericordiam peccati temperat pœnam; ut juſto libramine quædam per æquitatem corrigat, quædam verò per miſerationem indulgeat.

CAPUT XXIX.

Ne ſtatera doloſa inveniatur in regno tuo.

PROHIBE ergo, Juſtiſſime atque Rectiſſime Rex, ne ſtatera doloſa ſit in regno tuo. Audi quid Dominus populo Iſraël prohibet dicens: *Ibid. 25. 13.* *Non habebis in ſacculo diverſa pondera, majus & minus; nec erit in domo tuâ modius major & minor; pondus habebis juſtum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi: ut multo tempore vivas ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. Abominatur enim Dominus Deus tuus eum qui facit hæc.* Salomon quoque ait: *Prov. 20. 23.* *Abominatio eſt apud Dominum pondus & pondus: ſtatera doloſa non eſt bona.* *Ibid. 11. 1.* Item ipſe: *Statera doloſa, abominatio eſt apud Dominum, & pondus æquum voluntas ejus.* Verè enim grandis eſt pravitas, propter terrena commoda Domini deſerere judicia. Dolus enim occultus & diabolicum opus, pro terreno lucro juſtum & legaliter ſancitum fraudulenter mutare modium, aut divinitùs inſtituta commutare pondera in deceptione

Digitized by Google

fraternâ. A Domino enim traditum, ab illoque
Matt. 22. 40.
fideliter confirmatum tenemus, quia in dilectione Dei & proximi tota lex pendet, & Prophetæ. Ergo qui doloſâ ſtaterâ, aut minore modio ponderéque doloſè decipit innocentem, nec proximum diligit, quem fraudulenter ſupplantat, nec Deum, cujus leges ac præcepta deſpiciens calcat. Et in hoc convincitur quia leges & Prophetas à ſe inobediendo procul expellit, qui inobediendo præcepta Domini non cuſtodit.

CAPUT XXX.

Prohibendum ne captivitas fiat.

PRohibe ergo, Clementiſſime Rex, ne in regno tuo captivitas fiat. Eſto fideliſſimus illius Patris filius, ad quem quotidie clamas cum cæteris fratribus:
Matt. 6. 9.
Pater noſter qui es in cœlis. Quidquid ille amans diligit, & tu dilige: quidquid audiens ille prohibet, & tu prohibe. Imitare illum fideliter, cum quo ſperas regnare perenniter. Ipſe enim Moyſi præcipiens ait:
Deut. 24. 7.
Si deprehenſus fuerit homo ſollicitans fratrem ſuum de filiis Iſrael, & vendito eo acceperit pretium, interficietur, & auferes malum de medio tui. Ipſe quoque per Amos Prophetam clamat & dicit:
Amos 1. 6. & 9.
Super tribus ſceleribus Gazæ, & ſuper quatuor non convertam eum: eo quod tranſtulerint captivitatem perfectam, ut concluderent eam in Idumæâ. Item ibi: *Super tribus ſceleribus Tyri, & ſuper quatuor non convertam eum, eo quod concluſerint captivitatem perfectam in Idumæa, & non recordati ſunt fœderis fratrum.* Item ipſe:
Ibid. 2. 6.
Super tribus ſceleribus Iſraël, & ſuper quatuor non convertam eum: pro eo quod vendiderit pro argento juſtum, & pauperem pro calceamentis.

Ut juſtè & rectè ergà ſervos agatur, & ut liberi dimittantur, Iſaias clamat & dicit:
Iſai. 58. 6.
Hoc eſt magis jejunium, quod elegi: diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti ſunt, liberos, & omne onus dirumpe. Eccleſiaſticus quoque:
Eccli. 7. 22. 23.
Non lædas ſervum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam ſuam. Servus ſenſatus ſit tibi dilectus quaſi anima tua, non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum. Item ipſe:
Ibid. 33. 31.
Si eſt tibi ſervus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua, quaſi fratrem ſic eum tracta. Dominus quoque per Hieremiam populo Iſraël de ſervis hoc dedit præceptum. Ait enim:
Hier. 34. 13.
Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Ego percuſſi fœdus cum patribus veſtris, in die quâ eduxi eos de terrâ Ægypti, de domo ſervitutis dicens: Cum completi fuerint ſeptem anni, dimittat unuſquiſque fratrem ſuum Hebræum qui venditus eſt ei, & ſervivit tibi ſex annis: & dimittes eum a te liberum; & non audierunt patres veſtri me, nec inclinaverunt aurem ſuam. Et converſi eſtis vos hodie, & feciſtis quod rectum eſt in oculis meis, ut prædicaretis libertatem unuſquiſque ad amicum ſuum. Et iniſtis pactum in conſpectu meo, in domo in quâ invocatum eſt nomen meum ſuper eam. Et reverſi eſtis, & commaculaſtis nomen meum: & reduxiſtis unuſquiſque ſervum ſuum, & unuſquiſque ancillam ſuam, quos dimiſeratis ut eſſent liberi & ſuæ poteſtatis: & ſubjugaſtis eos, ut ſint vobis ſervi & ancillæ. Propterea hæc dicit Dominus: Vos non audiſtis me, ut prædicaretis libertatem unuſquiſque fratri ſuo, & unuſquiſque amico ſuo: ecce ego prædico vobis libertatem, ait Dominus, ad gladium, ad peſtem, & ad famem: & dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ.

Verè obedire debet homo Deo, & ejus præceptis, in quantum ille poſſibilitatem dederit, obedire. Et inter alia præcepta ſalutaria, & opera recta, propter nimiam illius charitatem unuſquiſque liberos debet dimittere ſervos, conſiderans quia non illi eos naturæ ſubegit, ſed culpa; conditione enim æqualiter creati ſumus, ſed alius alii culpâ ſubacti. Simul & conſiderantes quia ſi dimiſeritis, dimittetur vobis. Nam & vos, Domine, conditionale opprimit jugum. Honorifica ergo, Juſtiſſime ac Piiſſime Rex, pro omnibus Deum tuum, quia ut ſcriptum eſt: *Pro omnibus honorificavit te*, ſive in ſervis tibi ſubactis, ſive in divitiis tibi conceſſis, ex illis liberos faciendo, & ex illis eleemoſynas tribuendo, præceptis illius obedire non ceſſes. Eſto pauperum pater, pupillorum nutritor, orphanorum amator, viduarumque defenſor, peregrinorum educator, omniumque ſecundùm regulæ miniſterium defenſor & rector. Eſto, Chriſto donante, illius gratiâ largiente, ſapientiâ plenus, eſto prudentiâ præditus, eſto ſimplicitate ditatus, eſto patientiâ fundatus; zelo tamen rectitudinis erectus. Omnibus eſto mitis atque pacificus, ſed tamen zelo rectitudinis accenſus. In perquirendo juſtitiam eſto ſollicitus indagator, in dijudicando cautiſſimus exequutor, ita tamen ut miſericordia ſemper judicio præponatur. Memento quia à Domino miſericordiam accipiet, qui fratri miſericorditer indulſerit.

Hæc ſi diligenter agens impleveris, Rex, roborabit Dominus regnum tuum, exaltabit ſolium, & brachium confirmabit, quoniam cujus vult Dominus brachium confirmat, & ad faciendam victoriam ſuum gladium cum auxilio præſtat. Sic enim per Ezechielem Prophetam ait:
Ezech. 30. 24.
Et confortabo brachia Regis Babylonis, daboque gladium meum in manu ejus: & confringam brachia Pharaonis, & gement gemitibus interfecti coram facie ejus, & confortabo brachia Regis Babylonis, & brachia Pharaonis concident, & ſcient quia ego Dominus, cum dedero gladium meum in manu Regis Babylonis, & extenderit eum ſuper terram Ægypti.

Nam cujus vult Dominus brachium debilitat & frangit: ipſe enim & hoc ad Ezechielem dicit:
Ibid. v. 21.
Fili hominis, brachium Pharaonis Regis confregi: & ecce non eſt obvolutum ut reſtitueretur ei ſanitas, ut ligaretur pannis, & faſciaretur linteolis, ut recepto robore poſſet tenere gladium. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad Pharaonem Regem Ægypti, & comminuam brachium ejus forte, ſed confractum; dejiciam brachium de manu ejus: & diſpergam Ægyptum in gentibus, & ventilabo eos in terris. Et in Pſalmo ſcriptum eſt:
Pſal. 88. 44.
Avertiſti adjutorium gladii ejus, & non es ei auxiliatus in bello.

Quòd autem & victoriam, antequàm fiat; Dominus cognoſcit, ipſe per Ezechielem ait:
Ezech. 39.
Tu ergo, fili hominis, hæc dicit Dominus Deus, dic omni volucri & univerſis avibus cunctiſque beſtiis agri: Convenite, properate, concurrite undique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem ſuper montes Iſrael ut comedatis carnem, & bibatis ſanguinem; carnes fortium comedetis, & ſanguinem Principum terræ bibetis: arietum & agnorum, & hircorum, taurorumque, & altilium & pinguium omnium. Et comedetis adipem in ſaturitate, & bibetis ſanguinem in ebrietatem, de victimâ, quam ego immolabo vobis: & ſaturabimini ſuper menſam meam de equo & equite forti, & de univerſis viris bellatoribus, ait Dominus Deus.

CAPUT XXXI.

De præſidio Domini requirendo.

TU ergo, Clariſſime Rex, ut tibi Dominus, & in brachio fortitudinem, & in bello victoriam

donet, ipſius ſemper require ſolatium, & ad ejus
Prov. 18 10. confuge præſidium. Sic enim ſcriptum eſt: *Turris fortiſſima nomen Domini: ad ipſum curris juſtus, & exaltabitur.* Ergo ſalus non conſiſtit in multitudine populi, nec in armaturâ multiplici, ſed in invocatione nominis Domini. Stabilis enim & inconcuſſa tutela eſt cœleſte præſidium; quod quia à Regibus ſollicitè ſit quærendum, David Rex eſt dulciter imitandus, qui Domino humiliter ſupplicans ait.:
Pſal. 60. 2. *Exaudi, Deus, deprecationem meam: intende orationi meæ. A finibus terræ ad te clamavi: dum anxiaretur cor meum, in petrâ exaltaſti me. Deduxiſti me, quia factus es ſpes mea: turris fortitudinis à facie inimici.* Petra enim hic & turris Chriſtum ſignificant: in hâc enim petrâ rectè ſe exaltatum pronuntiat, qui in fide illius ſe fundatum non dubitat. Et in hac turre ille defenditur, qui in auxilio ejus confideos virtutibus armatur. Turris enim iſta virtutibus eſt plena, non gladiis, pugnat verbo non prælio, nec localiter defendit, ſed univerſaliter invictâ fortitudine electos ſuos protegit & cuſtodit.

CAPUT XXXII.

De Oratione.

NAm & hoc intuendum eſt, quia ad hoc cœleſte præſidium Rex David orando pervenit;
Ibid. 63. 2. ſic enim inchoans cœpit: *Exaudi Deus orationem meam cum deprecor: à timore inimici eripe animam meam. Protexiſti me à conventu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem,* &c. Et tu ergo, Fideliſſime Rex, ut Domini poſſis auxilio fultus tuum defendere regnum, ejus jugiter orans require præſidium. Ipſius enim David Regis innumerabilia de oratione in Pſalmis habes exempla. De Salomone quoque & hîc perpauca ponimus exempla: Ait enim:
Longè eſt Dominus ab impiis; & orationes juſtorum exaudiet. Prov. 15. 2.
Qui conſervat legem, multiplicat orationem. Eccli. 35. 2.
Item ipſe: *Oratio in humilitate penetrabit ſuper montes.* Ibid. 21.
Dominus in Evangelio ait: *Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Matt. 21. 22.
Vigilate itaque omni tempore, orantes ut digni habeamini fugere quæ futura ſunt, & ſtare ante filium hominis. Luc. 21. 36.
Paulus quoque ait: *Orationi inſtantes, orantes omni tempore, in ſpiritu vigilantes in omni inſtantiâ.* Rom. 12. 12. Epheſ. 6. 18.
Jacobus autem dicit: *Orate pro invicem ut ſalvemini: multum enim valet deprecatio juſti aſſidua.* Jac. 5. 16.
Nam & nos oramus ſemper cum Apoſtolo pro vobis, ut dignetur vos vocatione ſuâ Deus, & impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute, ut clarificetur nomen Domini noſtri JESU-CHRISTI in vobis, & vos in illo, ſecundùm gratiam Dei noſtri & Domini JESUS-CHRISTI.
Confidimus autem de vobis in Domino, quoniam quæ præcipimus, & facitis, & facietis. Dominus autem dirigat corda veſtra in charitate Dei, & patientiâ Chriſti. Amen. Epheſ. 3. 4.

Explicit Liber Smaragdi Abbatis, qui dicitur
VIA REGIA.

MONITUM.

BINOS ſermones, ait Acherius, ſeu veriùs pericopas ſermonum quos habuit Theodulfus Aurelianenſis, cùm ad Clerum, tùm ad populum, reperit Romæ in Codice Vaticano, deſcripſitque V. C. Emericus Bigot. Et iſta certè fragmenta nequaquàm à genio aut eruditione, ſcriptiſque illius Epiſcopi abhorrere mihi videntur; continent enim parænesſes ad mores Chriſtianos inſtituendos perutiles, & quæ Theodulfi ſtilum redolent omninò. Hæc Acherius, qui præter duorum ſermonum fragmenta, monere debuit hic etiam eſſe fragmentum operis cujuſdam de ſacris Interpretibus, quod ab his verbis incipit, Vis nunc, Chariſſime: *ac præterea initium Capitularis Theodulfi, quod in tomo I. Conciliorum Spelmanni editum eſt pag. 584. Hæc fragmenta contulit Baluzius cum vetuſtiſſimo codice S. Galli in Helvetia, qui non mediocri nobis adjumento fuit ad perpurgandum textum.*

THEODULFI
AURELIANENSIS EPISCOPI
FRAGMENTA SERMONUM ALIQUOT.

Anno circ 814.

HÆC ET QUÆ SEQUUNTUR Capitula

THEODULFUS *Epiſcopus edidit.*

AD virtutes difficilè conſurgimus, ad vitia ſine labore dilabimur. Iſta enim prona, illa ardua ſunt. Grandes enim ſudores perpetimur ut ad cœlum conſcendere valeamus. Quemadmodum ad virtutum tendentes culmen non à ſummis inchoant, ſed à modicis, ut ſenſim ad altiora pertingant; ita & qui dilabuntur ad vitia, non ſtatim à magnis criminibus incipiunt, ſed à modicis aſſueſcunt, & ſic in maximis proruunt.

Nihil prodeſt admiato malo agere bonum, ſed priùs eſt cohibendum à malo, deinde exercendum bonum. Hoc enim indicat Propheta, cum dicit:
Quieſcite agere perverſè, diſcite benefacere. Priùs Iſai. 1. 16.
vitia exſtirpanda ſunt in homine, deinde inſerendæ virtutes. Nam cohærere & conjungi non poteſt veritas cum mendacio, pudor cum petulantiâ, fides cum perfidiâ, caſtitas cum luxuriâ; luxuria verò

carnis ideo notabilis omnibus eſt, quoniam ſtatim per ſe turpis eſt, & tamen penſante Deo, ſuperbiâ minor eſt: ſed qui detinetur ſuperbiâ & non ſentit, labitur carnis luxuriâ, ut pro hac humiliatus[a], & à confuſione ſurgat & à ſuperbiâ.

a Quantum malum ſuperbia.

Omnis peccans ſuperbus eſt, eo quod faciendo vetita, contemptui habeat divina præcepta. Rectè ergo initium omnis peccati, ſuperbia, quia niſi præceſſerit mandatorum Dei inobedientia, tranſgreſſionis non ſequitur culpa.

Eſt origo omnium criminum.

Superbia ſicut origo eſt omnium criminum, ita ruina cunctarum virtutum. Ipſa eſt enim in peccato prima, ipſa in conflictu poſtrema. Hæc enim aut in exordio mentem per peccatum proſternit, aut noviſſimè de virtutibus dejicit. Inde & omnium peccatorum eſt maxima, quia tam per virtutes, quàm per vitia, humanam mentem exterminat. Ex culpâ ſuperbiæ plerumquè in abominandam carnis immunditiam itur; nam alterum pendet ex altero: ſed ſicut per ſuperbiam mentis itur in proſtitutionem libidinis, ita per humilitatem mentis ſalva fit caſtitas carnis.

Ex humilitate caſtitas.

Deus autem nonnunquam dejicit occultam mentis ſuperbiam per carnis manifeſtam ruinam. Libidinis naſci immunditiam de animi occultâ ſuperbiâ, exemplo primi hominis aperitur; qui mox ut per ſuperbiam contrà Deum tumuit, ſtatim carnis libidinem ſenſit, & pudenda operuit.

Nonnunquam gemino vitio Chriſtianus à diabolo appetitur, & occulto per elationem, & publico per libidinem; ſed Dei ſervus diſcretè utrumque penſans, ſic cavet libidinem, ut non incurrat elationem, & ſic premit elationem[b], ut non reſolvat animum ad libidinem. Luxurioſis atque ſuperbis dæmones plus fautores exiſtunt, dumque in cæteris vitiis ſpiritus maligni deſerviunt, his tamen majori familiaritate junguntur, eiſque ampliùs juxtà deſiderium famulantur. Principaliter his duobus vitiis diabolus humano generi dominatur, id eſt, per ſuperbiam mentis & luxuriam carnis. Unde & Dominus ad Job loquitur de diabolo dicens: *Sub umbrâ dormit, in ſecreto calami, in locis humentibus*: (Job 40. 16.) per calamum enim inanis ſuperbia, per loca humentia carnis demonſtratur luxuria: per hæc enim duo vitia diabolus humanum poſſidet genus, vel dum mentem in ſuperbiam erigit, vel dum per luxuriam carnem corrumpit. Ex corde enim primùm fornicationes ſunt auferendæ, & non prorumpunt in opere. Hinc eſt quod per Prophetam dicitur: *Accingite lumbos veſtros ſuper ubera veſtra*; (Iſai. 32. 11.) hoc eſt in corde libidines reſecate. Quando ergo impulſu dæmonum mens ad delectationem fornicationis impellitur, divini judicii metus[c], & æterni tormenta incendii ante oculos proponantur, quia nimirum omnis pœna tentationis gravioris ſupplicii formidine coercetur, recordatio ardoris gehennæ ardorem excludit luxuriæ.

Caſtitas à Deo tribuitur.

A Deo datur continentia, ſed petite & accipietis. Tunc autem tribuitur, quando Deus gemitu interno pulſatur. Amanda eſt pulcritudo caſtitatis, cujus guſtata delectatio dulcior invenitur quàm carnis. Caſtitas enim fructus ſuavitatis eſt, pulcritudo inviolata ſanctorum, ſanitas corporis, ſecuritas mentis. Nam qui ſe continentiam habere confidit, & ab aliis terrenis deſideriis ſe non ſubtrahit, quamvis hunc luxuria carnis non polluat, diverſa tamen mundanæ converſationis operatio maculat. Omne tamen peccatum per pœnitentiam recipit vulneris ſanitatem. Non poteſt quiſpiam ſpiritalia bella tranſigere, niſi priùs edomaverit ardorem cupiditatis. Non poteſt ad contemplandum Deum mens eſſe libera, quæ cupiditatibus hujus mundi incumbit. Omni peccato pejor eſt avaritia, & amor pecuniarum. Unde & per Salomonem dicitur: *Nihil eſt ſceleſtius quàm amare pecuniam*. (Eccli. 10 10.) Cupiditas omnium criminum materia eſt: unde & Apoſtolus ait: *Radix omnium malorum eſt cupiditas*. (1. Tim. 6. 10.) Si ergo ſucciditur radix criminum, non pullulant cæteræ ſoboles peccatorum. Cupiditas enim Chriſtum vendidit, vendidit vitam, comparavit mortem; nec mirum, quòd morientes inferni ignibus deputantur, qui viventes flammam cupiditatis ſuæ non exſtinxerunt.

Ciborum abſtinentiæ ſtudendum.

Utile eſt cavere gulam, ciborumque concupiſcentiam. Quid enim tam noxium, quàm ut animus ſerviat ventri & eſcis, quæ ſunt deſtruenda, teſtante Apoſtolo: *Deus autem & hunc & hæc deſtruet*. (1. Cor. 6. 13.)

Luxuria eſt refrænanda.

Non ad luxuriam, nec ad ſatietatem, ſed tantummodo ut corpus ſuſtentetur ad opus Dei, epulis eſt utendum. Sicut enim omnes carnales cupiditates abſtinentiâ reſecantur, ita omnes animæ virtutes edacitatis vitio deſtruuntur. Neque enim poteſt quiſpiam virtutum perfectionem attingere, niſi priùs edomaverit ventris ingluviem. Nemo poteſt dominari cæteris vitiis, niſi priùs reſtrinxerit vitium gulæ: nec poteſt quiſquam à ſemetipſo facilè ſpiritus immundos expellere, niſi per abſtinentiam gulæ. Tunc enim hoſtes, qui extrà nos ſunt, à nobis fortiùs ſuperantur, cum priùs quæ intrà nos ſunt vitia exſtinguuntur. Nam fruſtrà foris agit bellum, qui intùs habet periculum; eſcæ crapulam, potus ebrietatem generant.

Quæ vitia gignit ebrietas.

Ebrietas autem perturbationem gignit mentis, furorem cordis, flammam libidinis. Ebrietas ita mentem alienat, ut ubi ſit neſciat. Unde & in Proverbiis: *Potentes*, inquit, *iracundi ſunt; vinum non bibant, ne cum biberint, obliviſcantur ſapientiam*. (Prov. 31. 5.) Pleriſque laus eſt multum bibere & non inebriari. Audiant hi adverſùm ſe Prophetam dicentem: *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem*. (Iſai. 5. 22.) Vino multo debitos, & luxurioſè viventes, Eſaias ſic arguit dicens: *Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperam, ut vino æſtuetis*. (Ibid. 11.) De talibus alio in loco dicitur: *Væ tibi civitas, cujus Rex juvenis eſt, & cujus Principes manè comedunt*. Multi enim à mane uſque ad ſolis occubitum ebrietati & gulæ voluptatibus ſerviunt, nec intelligunt cur nati ſunt, ſed conſuetudine belluinâ detenti, luxuriæ tantum totâ die epuliſque inſerviunt. Clamat Joël Propheta his qui ebrietati deſerviunt, dicens: *Expergiſcimini ebrii & flete, & ululate omnes qui bibitis vinum in dulcedine*. (Joel. 1. 5.)

Sollicitè igitur cum diſcretione moderanda eſt carnis cura, ne quid nimis: nam quidquid nimis & ultrà modum eſt, pernicioſum eſt; quidquid autem cum modo & temperamento fit, ſalutare eſt. In omni ergo opere modum & temperamentum oportet habere.

Alia præcepta laicis, alia iis qui ſæculo renuntiavere.

Ideo alia ſunt præcepta quæ dantur fidelibus communem in ſæculo vitam degentibus, atque alia ſæculi hujus renuntiatoribus. Illis enim dicitur, ut ſua omnia benè gerant, iſtis ut ſua omnia derelinquant: ad perfectum enim non ſufficit abnegatis omnibus ſuis, niſi & ſeipſum abneget, ſecundùm Evangelium; id eſt, niſi voluntates proprias derelinquat, ac moribus pravis renuntiet, ut

a *humiliatus*] Sic codex S. Galli ex quo etiam infrà edidimus *contemptui*: antea legebatur *humilietur.... contemptum*.

b *ſic premit elationem*] Optima lectio, quam ſubminiſtravit laudatus codex: prior editio *ſic tremit*, ineptè.

c *judicii metus*] Antea *judicii etiam*, quo nihil erat intolerabilius; nec tamen ex conjecturâ reſtituimus *metus*, ſed quòd in laudato codice S. Galli ſic legeretur. Alia ſunt leviora quæ prætermiſimus.

qui erat ſuperbus, ſit humilis; qui erat adulter, ſit caſtus; qui erat iracundus, eſſe ſtudeat manſuetus; qui erat animoſus, patiens eſſe contendat; qui avarus, ſit largus; qui contrà proximum ſuum odio vel invidiâ rabeſcit, dilectionem Dei & proximi puram in corde retineat. Sicque ſingulis vitiis ſingulas virtutes contrarias opponat, & bonis ſe moribus adornare ſtudeat, ut de vitiis veniam, & de bonis actibus præmium mereatur. Nam hoc eſt quod [d] Dominus ait: *Qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum*. Ergo qui non rigidâ intentione profeſſionem Monachi ſectantur, quanto superni amoris propoſitum diſſolutè appetunt, tanto proclivius ad mundi amorem denuò reducuntur. Nam profeſſio non perfecta præſentis vitæ repetit deſideria, ut quamvis etſi nonnullum ſe opere jam alligat, tamen cogitationis amore. Ideo malis eſt bonum cogitationibus fortiter repugnare. Qui enim ad hoc profeſſionem ſanctitatis prætendit, ut aliis quandoque præeſſe deſideret, iſte non diſcipulus Chriſti, ſed pravitatis ſectator exiſtit, quia non pro Deo, ſed pro ſæculi amore portare ſtudet crucis Chriſti laborem. Qui mundum deſerunt, ſed tamen virtutes præceptorum ſine cordis humilitate ſequuntur, iſti quaſi de excelſo graviter corruunt, quia deteriùs per virtutem elatione dejiciuntur, quàm per vitia prolabi potuiſſent. Omnis Dei ſervus de ſuis meritis non debet attolli, dum poſſe videat ex inferioribus ſibi prælatiores alios fieri; ſemper conſcientiâ ſervi Dei humilis eſſe debet & triſtis, ſcilicet, ut per humilitatem non ſuperbiat, & per utilem mærorem cor ad laſciviam non diſſolvat.

Exercitia veri Religioſi.

Dei ſervum ſine intermiſſione legere, orare, & operari oportet, ne forte mentem otio deditam ſpiritus fornicationis ſubripiat. Cedit enim labori voluptas, animum autem vacantem citò præoccupat. Conſidere Salomonem per otium multis fornicationibus involutum, & per fornicationis vitium uſque in idololatriam lapſum. Hi verò qui pro Dei timore ſæculo renuntiant, & tamen curis rerum ſæcularium implicantur, quanto ſe rerum ſtudiis implicant, tanto divinæ ſe ſubtrahunt charitati. Qui ſimul & terrenis parere curis & divinis ſe exercere ſtudent, utrumque complecti non valent, ſicut Chriſtus ait: *Nemo poteſt duobus dominis ſervire*: Mat. 6. 24. niſi enim priùs à ſecreto cordis expellatur importuna ſæcularium multitudo curarum, anima quæ intrinſecùs jacet, nequaquàm reſurgit.

Curis propinquorum vacare non debet.

Arguitur eorum tepor, qui Deo vacare volentes, mundóque renuntiant, & curas proprias aſpernantur, ſed dum propinquorum utilitates procurant, à Dei amore ſe ſeparant. Vir ſpiritalis prodeſſe debet ſuæ propinquitati, tamen cavere ne dum illis gratiam carnis præſtare ſtudet, ipſe à ſpiritali propoſito non declinet. Multi enim Monachorum amore parentum non ſolùm terrenis curis, ſed etiam forenſibus jurgiis involuti, & pro ſuorum temporali ſalute ſuas animas perdiderunt. Sicut noſtra nobis non odienda eſt anima, ſed ejus carnales affectus, ita nec parentes à nobis odiendi ſunt, ſed eorum impedimenta, quæ nos ab itinere recto præpediunt. Dum tamen Dominus ita præcepit à nobis parentes odiri, ſicut animas noſtras. Nemo enim perpendere poteſt, quanti ſit ponderis declinare à bono & facere malum, niſi qui priùs toto mentis annitu convertitur ad Deum.

Tripertitum uniuſcujuſque profectum.

Tripertitum deſcribitur eſſe uniuſcujuſque converſi profectum, id eſt, primum corrigendi à malo, ſecundum faciendi bonum, tertium conſequendi boni operis præmium. Ideoque feſtinare debet ad Deum pœnitendo unuſquiſque dum poteſt, ne ſi dum poteſt noluerit, cum tardè voluerit, omninò non poſſit. Proinde Propheta ait: *Quærite Dominum dum inveniri poteſt, invocate eum dum propè eſt.* Iſai. 55. 6. Et ubi inveniri poteſt, niſi in hac vitâ, in quâ etiam propè eſt omnibus invocantibus ſe in veritate JESUS-CHRISTUS Dominus noſter, qui omnibus in ſe veraciter fideliterque credentibus vitam & gloriam ſempiternam præparabit.

DE OMNIBUS [e] ORDINIBUS hujus ſæculi.

QUANDO * peccatum quodcumque delectat aut ſubripit, ſit nobis in memoriâ, quòd jam deleta ſunt peccata noſtra, non perdamus præmium ſanguinis Chriſti, nec maculemus ſtolam animæ per iniquitatem, aut rapinam, aut concupiſcentiam. Jacuimus, jam erecti ſumus; vulnerati fueramus, jam ſumus ſanati, non erit excuſatio. Qualeſcumque diabolus ad malum poteſt invitare, non poteſt trahere; delectationem infert, non poteſtatem; conſilium ingerit, non conflictum.

Laus virginitatis.

Nunc ergo propter partum Beatæ MARIÆ, ſit mihi ſermo ad virgines, ſive ad viros, ſive ad fœminas, ſive ad viduas, ſive pœnitentes, * ſive pauperes, ſive ſervos, non eſt apud Deum niſi meritorum diſcretio. Audite me itaque quicumque dono Chriſti in corpore virgines eſtis, generaliter loquor ad omnes. Audite me itaque: quicumque ſe agnoſcit eſſe quod dico, ſtudeat ut & corde ſit virgo; ſic gaudeat de lucro corporis, ut non habeat damnum animæ; gaudeat tamen de tam pretioſo dono Chriſti, gaudeat cum humilitate, fleat cum pietate, agat gratias quia tantam felicitatem in integritate portat, lætetur quia ſecuturus eſt Agnum quocumque ierit: ſi tamen in ore ejus, ſicut legimus in Apocalypſi, mendacium non inveniatur. Oret pro perſeverantiâ, ut non illi qualiſcumque delectatio ſæculi, aut invidia diaboli, tantum donum tollat, tantam claritatem innubilet, tantum nitorem infuſcet; teneat fortiter, non perdat rem irreparabilem, non uno momento delectationis amittat gratiam corporis, non contrahat turpitudinem animæ per pulcritudinem formæ corruptæ, non illum concupiſcentia vincat. Si me audierit, permanet; quod ſi non audierit, amiſſurus eſt quod nunquam reparaturus.

Nuptis loquitur.

Iterum ad vos mihi ſermo eſt. Qui conjuges habetis, moneo ut caſtè habeatis. Nam Eliſabeth, quæ longævis temporibus caſtè cum marito vixerat, & ambo fideles ante Deum fuerant, meruit jam de mortuo ſemine habere filium, qui & ſanctitate parentes [f] ornaret, & prædicatione multos infideles converteret.

Viduis.

Iterum vobis loquor quæ eſtis viduæ, cuſtodite viduitatem, non eſtote verboſæ, ſed cum ſilentio exſpectare Dominum, qui pupillum & viduam ſuſcipiet, ſed bonam viduam illam quæ in oratione eſt, in humilitate, in eleemoſynis promptam. Si certè unde faciat non habet, voluntatem bonam & ſin-

d *nam hoc eſt quod*] Hoc tantum in editis habebatur, *namque Dominus*: infrà minùs idonea lectio *per virtutem elationem* ablegata eſt, ac in ejus locum reſtituta verior *per virtutem elatione*.

e *de omnibus*] Titulum hunc in codice S. Galli non reperit Baluzius. Initio hujus fragmenti editum antea erat *Quoniam peccatum*: & infrà *ſive potentes*, ubi legis *pœnitentes*. Veram hanc eſſe lectionem ex ſequentibus apparet.

f *ſanctitate parentes*] In priori editione *ſanctitatem parentes*, malè, & contrà auctoris mentem.

certam

Mulieribus nuptis. teram cogitationem habeat. Mulieres non maledicite, non jurate, non eſtote promptæ ad loquendum. Forte dicitis importunum eſſe quod iſta dico: non mihi tacere licet, plus timeo illum qui jubet, quàm illum qui detrahit. Ego dico; qui agnoſcit, emendet; qui in ſe recognoſcit, gaudeat & teneat, ut aliis pro ſalute dicere poſſit.

Pœnitentes alloquitur. Nunc jam ad vos loquor pœnitentes, qui pœnitentiam in Eccleſiâ accepiſtis & agitis, perſeverate in fletu, in compunctione doctè plangite. Quid eſt, doctè plangite? non quærite in oratione temporalem rem, ſed æternam beatitudinem, remiſſionem peccatorum: qui ſic orat, ipſe doctè plangit. Non cadant ad terram inanes lacrymæ veſtræ, quia verax eſt ille qui per Prophetam dixit: *Poſui lacrymas meas in conſpectu tuo.* (Pſal. 55. 9.) Vos modo ſatis debetis Deum amare, & de timore jam ad dilectionem tranſire: quia legimus in Evangelio de peccatrice illâ, *cui multum dimittitur, multum dilexit*; (Luc. 7. 47.) & ideo multum debetis diligere Deum, qui vos exſpectando, & non puniendo, ad pœnitentiam perducere dignatus eſt.

Pauperes. Nunc iterum ad vos ſermo eſt, pauperes. Vos dico pauperes qui mendicatis, qui de eleemoſynis Chriſtianorum vivitis; conſolamini, tribulatio veſtra convertetur in lætitiam, & dolor veſter in gaudium. Non vobis ſit ingratum quod mendicatis, nec ideo in corde veſtro aliquid * contra Dominum dicatis. Quia ille juſtus & pius eſt in omnibus operibus ſuis, & ideo fecit pauperem, ut ſufferendo inopiam, æternam vitam acquireres; & divitem ideo fecit, ut dum tibi ſuperflua daret, remedium peccatis acquireret: & ideo patientes eſtote, exſpectate Dominum.

Servos. Etiam ad vos mihi ſermo eſt, ſervi, quicumque dominos carnales habetis, quicumque ſervitii conditionem habetis, obedite dominis veſtris, diligite ex corde, non ad oculum ſervientes, ſed miniſterium ex amore facientes. Quia & illos Deus conſtituit, ut vobis dominentur, & vos ut ſerviatis; benè ſervite, quia de bono ſervitio mercedem habebitis: ſi boni fueritis, meliores eritis dominis malis. Quia apud Dominum anima uniuſcujuſque non eſt de nobilitate diſcernenda, ſed opere; nec genere, ſed actione. Ideo nunc ad omnes mihi ſermo fuit, quia Chriſtus pro omnibus mortuus eſt [g], & ideo ſervate quæ dixi, ut de vobis fructum habeam, & vos omnes in cœleſtibus horreis, ubi frumenta congreganda ſunt, miſericors Dominus intromittat, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Fragmentum Operis de Sacris Interpretibus. Vis nunc, cariſſime frater Deſideri, ut tibi quaſi de luminaribus firmamenti, quæ toto mundo refulgent, * pauca de ſcriptoribus qui nobis multa de obſcuritatibus, quæ propter carnalem intelligentiam impediunt, ad ſplendorem conſiderationis ſpiritalem proferre potuerunt, manifeſtiſſimè dicam. * Et vereor Suſannæ Helciæ filiæ in me ſententiam, iniquo judicio Preſbyterorum dicentis ne implicatur: Anguſtiæ mihi ſunt undique: & mihi ſimiliter ſunt anguſtiæ; ſi enim voluero aliquem [h] ex his reprehendere, adverſarios atque inimicitias ubique concitabo. Si autem noluero, * quod poſtulaſti nunquam invenies, ſed unius tamen * voluntatem condemnari, quàm multorum conſilium tranſire, vel deſpicere eſſe videtur. Qui unuſquiſque eorum in Scripturis ſanctis diligenter laudare meruit. Sed omnes leniter leviterque cum omni amore tangam, * ut utrumque pacificè impleam. Auguſtinus Epiſcopus volans per montium culmina, quaſi aquila, ea quæ in montium radicibus fiunt, non conſiderans, multa cœlorum ſpatia, terrarumque ſitus, & aquarum circulum, claro ſermone pronuntiet. Qui enim in lignum fructuoſum aſcendere vult, paulatim ad ſuperiora & majora poma * carpere feſtinat, ramos autem proximos parvulis relinquunt. Nos autem parvuli ſumus.

Obſecro vos, fratres dilectiſſimi, ut erga ſubditarum plebium profectum & emendationem, vigilantiſſimâ curâ laboretis.

M O N I T U M.

AUREUM hoc Opus, non à Laicis modo, verùm ab ipſis potiſſimè qui Chriſti oves paſcunt perpetuâ manu verſandum eſt, ait Acherius. Eo enim unicus Jonæ ſcopus, eo tota collimavit induſtria, ut excerpta Divinæ Scripturæ, Sanctorumque Patrum amœnitate præcipua (margini ea videbis à me indigitata) doctrinæ inde Chriſtianæ mellitos ſuccos more argumentoſæ apis exprimeret: per ordinatas hujus Operis partes velut alvearis proprii totidem favos ac cellas diſtribueret; cordibus humanis medendis, fovendis, porrigeret. Unicum mihi apographum, à quingentis circiter annis exſcriptum, veteris Corbeiæ Bibliotheca ſuppeditavit. Porrò Antiſtes ille Epiſcopatum quàm religioſè, prudenter, ac doctè gerebat, præfulgebatque celebriores inter Galliæ Præſules, imperante Carolo Calvo. Opus hoc tribus Libris diſtinctum Matfredo Aurelianenſi Comiti conſecravit: quâ verò id mente præſtiterit, ad hunc ipſum Præfatione comperies. Plura reconditæ doctrinæ elucubravit Opera, quorum hic nomenclaturam recenſere inſtituti mei non eſt. Lege ſi lubet inter alia Annales Eccleſiæ Aurelian. ab Carolo Sauſſeyo Aureliano, pag. 313.

Varias deinde lectiones Acherio ſubminiſtravit D. Petrus Sauret ex codice Mſſ. Carmelitarum diſcalceatorum apud Clarummontem in Arvernia, qui olim fuit Laudunenſis Eccleſiæ Cathedralis. Iis verò uſi ſumus ad emendandum textum: perinde atque iis quas Baluzius annotavit ex veteri

g *pro omnibus mortuus eſt*] Sic laudatus S. Galli codex, qui unus ad omnia emendanda ſufficit: Acherius ediderat *pro nobis mortuus eſt*: eodem quidem ſenſu: ſed Theodulfum ſcripſiſſe *pro omnibus*, conſtat ex eo quod ſuperius dixerat *ad omnes* ſcil. ordines ſermonem ſibi fuiſſe. Statim ſequitur fragmentum operis de ſacris interpretibus, quod cujuſmodi eſſet è priori editione vix intelligi poterat; etſi enim initio pauca mutanda fuerunt, tamen ita interpunctione laborabat, ut nullus inde idoneus ſenſus erui poſſet. In illo initio editum erat *refulgeant*, ac deinde *ut vereor*.

h *voluero aliquem*] Vox hæc addita eſt è ſuperiùs laudato codice: in ſequentibus quid præſtitum ſit ut intelligas, quæ antea legebantur indicabimus: nam ſic Acherius ediderat: *ſi autem voluero .... ſed cujus tam voluntatem ..., omni amore tamquam .... Auguſtiſſimus Epiſcopus.* Haud ita multo poſt vox *poma* deſiderabatur.

Digitized by Google

editione hujus operis quæ Duaci prodiit anno 1645. ex Mſ. codice Mon. Elnonenſis; necnon iis quas ipſi deprehendimus cum conferremus aliquot libri primi capita, cum ejuſdem Jonæ opuſculo de Inſtitutione Regiâ, quòd infrà edimus.

ANNO CIↃC. 825.

JONÆ AURELIANENSIS EPISCOPI,

LIBRI TRES

DE INSTITUTIONE LAICALI.

PRÆFATIO.

DILECTO IN CHRISTO MATHFREDO JONAS

IN DOMINO PERPETUAM SALUTEM.

a TUæ nuper ſtrenuitatis litteras ſuſcepi, quibus meam extremitatem [a] commoneſeciſti, ut tibi citiſſime, & quàm breviſſimè ſcriberemus, qualiter te cæteroſque qui uxorio vinculo ligantur, vitam Deo placitam ducere oporteret. Opus nempe, mi cariſſime, quod à me omnium imperitiſſimo fieri tibi flagitas, magnum eſt, vireſque intelligentiæ meæ prorsùs excedunt, quod etiam non niſi à doctis, & eloquentiſſimis viris arripiendum eſt. Cùm itaque [in cunctis] [a] ad ſalutem animæ tuæ pertinentibus humillimæ petitioni tuæ [parere ſemper optaverim, ſolummodo huic ſpeciali petitioni tuæ] conſcius imbecillitatis & imperitiæ meæ, magis reniti, quàm obſequi priùs ſtatueram; quoniam me ad hoc conficiendum imparem minùſque idoneum ſentio: magnam namque petitio tua, & inertia mea in corde meo conflictationem generaverunt: illa ſcilicet ut [idem opus aggrederer perſuadendo, hæc autem] ne tanti ponderis diſcrimen ſubiretur abnuendo.

Igitur cum [in] hujuſcemodi conflictatione animus meus diutiſſimè alternaretur, trutinaque judicii ſui ſemetipſum ſubtiliſſimè præponderans, ad idem Opus ſubeundum modis omnibus impotens agnoſceretur; eouſque deliberando ventum eſt, ut idem Opus omitteretur: ſed charitas, quæ omnia ſuffert,
1. Cor. 13, 4. omnia ſperat, omnia credit, omnia tolerat, impatiens tantæ omiſſionis proſilivit in medium, propulſans
Sap. 10, 21. timoris infirmitatem, tribuens arripiendi audaciam, pollicens etiam per eum qui aperit ora mutorum, & linguas infantium facit diſertas, poſſibilitatis copiam; tandem idem Opus me aggredi compulit. Fretus quippe ad idem Opus ſubeundum, in eo magnâ ex parte exſtiti, quod non mei ſenſûs verba ſtilo eloquentiæ, quæ nulla mihi ineſt, exarata; ſed ſententias ex divinis oraculis promulgatas, & à Sanctis Patribus facetiſſimè expoſitas, huic forem innexurus operi. Quapropter ſtudii mei fuit pro captu ingenii eloquia Divina, ſanctorumque Patrum dicta ſcrutari; ac veluti ex diverſis pratis diverſos floſculos carpere, & quaſi in quodam cartallo congerere, tuæque piæ devotioni, necnon & eorum quibus id forte placuerit, hoc Commentariolum condere; ut in eo quaſi in quodam ſpeculo te aſſiduè contemplari, qualiterque conjugalem vitam honeſtè ducere debeas, ejus crebrâ lectione valeas inſtrui.

At ſi quiſpiam objicere voluerit, fruſtrà & ex ſuperfluo in hoc Opuſculo meam deſudaſſe parvitatem, præſertim cum modus vitæ chriſtianæ in Legalibus, Propheticis, Evangelicis, Apoſtolicis conſtet dictis; perfectèque in Sermone Domini in monte habito, ut beatus ait Auguſtinus, idem digeſtus ſit modus: noverit quòd priſci Patres ſylvam ſanctarum ſcripturarum penetrantes, diverſos atque innumeros ſanæ fidei ex eâ ramos præciderint, è quibus ob multorum utilitatem, & divinæ ſervitutis honorem ſalutiferas formulas ediderint: è quibus etiam conſiſtit Chriſto quæ devotè famulatur, canonica atque monaſtica Inſtitutio. Porrò laïcalis, licet in divinis eloquiis ſparſim ſit digeſta, propter eos tamen quibus aut cordi aut poſſe non eſt, latos divinarum Scripturarum campos percurrere, utile dignumque judicatum eſt, in hoc negotio tuæ benevolæ petitioni aſſenſum præbere, & ſententias, ut dictum eſt, veteris, novique Teſtamenti, & Sanctorum Patrum dicta excerpere, quibus ad petitionem tuam hoc Opus congeſſi, & tuæ devotioni dedicavi; imò pro te cæteriſque, quibus ſtudii fuerit, id cum charitate ſuſcipere, & piâ devotione amplecti.

b Et ne ob ſui prolixitatem tædio eſſet legentibus, id tribus libellis [b] diſtinxi: videlicet ut primus & ultimus omnibus generaliter fidelibus; medius autem magnâ ſui ex parte conjugalem vitam ducentibus ſpecialiter conveniret. Moneo interea tuam experientiſſimam ſagacitatem, & erga Chriſti famulatum devotionem humillimam, ut hoc crebrò legas, aut tibi legi facias: eiſque quibus animo eſt magis aliena carpere, quàm fraterno affectu diligere, non facilè prodas. Si quid verò in hoc Opere ſecus quam debui congeſſi, per Dominum mihi humiliter peto ignoſci. Si quid autem in eo legentes, ſive audientes, ſibi profuturum ineſſe cognoverint, non mihi, ſed Deo mecum gratias agere meminerint.

a *extremitatem*] Sic Acherius legi oportere conjectat, ſicque editum eſt Duaci, ſed hic in textu legebatur *extremitatem*. I. ita *cum itaque in cunctis* totum hoc reſtitutum eſt è codice Claromontano, ac ne eadem ſæpius repetamus, lectorem ſcire volumus quidquid ex eo codice adjectum eſt, nos uncis includi curaviſſe.

b *in tres ... libellis*] Sic codex Clar. & editio Duac. Pariſienſis habebat *in duos libellos*.

CAPITULA LIBRI PRIMI.

I. *QUòd generaliter omnes fideles noſſe oporteat, in quantum protoplaſti damnationem propter reatum primi hominis devenerint.*

II. *Quòd in Baptiſmate vetus homo exuatur, & novus induatur, & Chriſto commoriatur, & conſepeliatur.*

III. *Ut fideles ſemper meminiſſe debeant pacti, quod cum Domino in Baptiſmate fecerunt.*

IV. *Quòd in veteri Teſtamento diverſa fuerint Baptiſmata; in novo autem unum tribus modis conferat remiſſionem peccatorum.*

V. *De ſeptem remiſſionibus peccatorum.*

VI. *Quod patres ſpirituales, eos quos de ſacro fonte ſuſcipiunt, verbis & exemplis ad meliora provocare debeant.*

VII. *Ut ad accipiendum per manûs Pontificis impoſitionem Spiritus ſancti donum, ſollicitè & devotè concurratur.*

VIII. *Quòd parvuli inſtruendi ſint, cum ad intelligibilem ætatem venerint, & fidei Sacramento, & Baptiſmatis miniſterio, & ſeptiformis gratiæ ſpiritûs dono.*

IX. *Quòd quia Baptiſmus iterari non poteſt, neceſſariò pœnitentia ſecundus ſit Baptiſmus.*

X. *Quòd Pœnitentiæ modus in arbitrio ſit Sacerdotum conſtitutus.*

XI. *Quòd ad Eccleſiam orandi gratiâ frequenter conveniamus.*

XII. *De inſtantiâ orationis.*

XIII. *Quòd in Eccleſiâ Chriſti non ſit otioſis turpibuſque fabulis vacandum: & quòd qui hæc faciunt, non ſolùm ſibi peccata non minuant, ſed etiam majora accumulent.*

XIV. *Quòd & in aliis competentibus locis, ſi locus Baſilicæ procul fuerit, oratio ad Dominum, & confeſſio peccatorum fieri poſſit, & debeat.*

XV. *Quòd confeſſio peccatorum, exceptâ eâ quæ Sacerdotibus ad conſilium accipiendum, Deumque placandum fit, Deo in oratione ſit facienda.*

XVI. *De eo quod majora peccata Sacerdoti, quotidiana verò & levia alterutrum ſint manifeſtanda.*

XVII. *De cogitationibus immundis cavendis: & quot modis peccatum in corde, & quot perpetretur in opere.*

XVIII. *Quòd quorumdam peccatorum alienorum conſcii, niſi ea emendationis & ſalutis causâ prodiderint, delinquant.*

XIX. *Quòd graviùs puniantur qui fidem Chriſti perceperunt, & in malis vitam finierunt; quàm illi qui ſine fide mortui ſunt, & tamen bona opera egerunt.*

XX. *Quod multi profeſſionem Chriſtianam verbis teneant, ſed operibus negligant.*

CAPITULA LIBRI SECUNDI.

I. *QUòd conjugium à Deo ſit inſtitutum; & non ſit appetendum causâ luxuriæ, ſed liberorum procreatione.*

II. *Ut qui uxores ducere voluerint, ſicut eas caſtas & incorruptas cupiunt invenire, ſic ad eas caſti & incorruptè ſtudeant accedere.*

III. *Quòd conjugatis carnali copula indifferenter ſervire non conveniat.*

IV. *De conſervandâ fide inter virum & uxorem: & quòd non liceat [conjugatis neque pellicem neque] concubinam habere.*

V. *Quòd viri uxores ſuas in caſtitate diligere, eiſque utpote vaſis infirmioribus honorem debeant impendere.*

VI. *Quòd cum uxoribus carnis commixtio gratiâ fieri debeat prolis, non voluptatis.*

VII. *Contrà eos qui à coitu uxorum prægnantium ſe minimè abſtinere contendunt.*

VIII. *De Inceſtis.*

IX. *Contrà impudicos, qui dicunt, cum genitalia à ſapientiſſimo creatore ſint creata, cur mutuus adurat ardor, & non potiùs pro uniuſcujuſque libitu libido exerceatur.*

X. *Quòd tempore menſtruo omnino ab uxoribus ſit abſtinendum.*

XI. *Poſt quot dies* [c] *partûs mulier Eccleſiam ingredi, & poſt quantum temporis in carnis copulationem cum viro conjungi: & quòd vir ſua conjugi permixtus, non niſi priùs aquâ lotus, Eccleſiam debeat intrare.*

XII. *Quòd niſi causâ fornicationis, ut Dominus ait, non ſit uxor dimittenda, ſed potiùs ſuſtinenda.*

XIII. *Quòd hi, qui causâ fornicationis dimiſſis uxoribus ſuis, alias ducunt, Domini ſententia adulteri eſſe notentur.*

XIV. *Ut parentes liberos ſuos diligenter in timore Dei erudiant, docentes eos qualiter caſtè vivere, Deumque colere, & parentibus debeant impendere honorem: & quale periculum eis immineat, qui id facere negligunt.*

XV. *Quòd filii debitum honorem parentibus impendere debeant.*

XVI. *Ut conjugati in domibus ſuis paſtorale ſe noverint exercere debere munus.*

XVII. *Quòd peccata fratribus ſint remittenda; & tunc munus Deo offerendum.*

XVIII. *Quòd ad perceptionem Dominici Corporis & Sanguinis frequenter, & diſcretè ſit accedendum.*

XIX. *De Decimis.*

XX. *Quòd Sacerdotibus, per quos homines Deo reconciliantur, honor debitus ſit exhibendus.*

XXI. *Quòd noſſe oporteat laicos Sacerdotibus ligandi, atque ſolvendi poteſtatem à Domino eſſe collatam: & quòd eorum monitis libenter parere, atque excommunicationibus humiliter debeant ſuccumbere.*

XXII. *De his qui propter honores terrenos & caducos adeo extolluntur, ut pauperes naturâ ſibi ſimiles non recognoſcant.*

XXIII. *De his qui propter venationes & amorem canum, cauſam pauperum negligunt.*

XXIV. *Juſtè judicandum, & munerum acceptionem vitandam.*

XXV. *De vitandâ juratione.*

XXVI. *De falſo teſtimonio.*

XXVII. *De mendacio.*

XXVIII. *De curioſitate.*

XXIX. *De ſectanda hoſpitalitate.*

XXX. *De Principibus.*

CAPITULA LIBRI TERTII.

I. *DE charitate.*

II. *De humilitate.*

III. *De patientiâ.*

IV. *De ſuperbia.*

V. *De odio & invidia.*

VI. *De octo vitiis principalibus.*

[c] *poſt quot dies*] Hunc titulum ex codice Clar. reſtituimus in illius locum: *Qualiter mulier poſt partum, & vir poſt concubitum uxoris, Eccleſiam debeant ingredi.*

VII. *De detractione.*
VIII. *De convitiis, & otioſis ſermonibus, & maledictionibus cavendis.*
IX. *De turpiloquio, & ſcurrilitate.*
X. *De operibus miſericordiæ: & quòd unuſquiſque à ſeipſo eleemoſynam accipere debeat.*
XI. *De tenaciâ.*
XII. *Quòd mors ante oculos ſemper ſit conſtituenda.*
XIII. *Quòd de ſingulis temporibus quidquid boni loqui aut agere debuimus, fructum à nobis Dominus ſit exacturus: & quòd unicuique ob ſui cuſtodiam Angelus ſit deputatus.*
XIV. *De infirmis viſitandis, oleoque ſancto perungendis.*
XV. *De mortuis ſepeliendis, & curâ pro eorum animabus gerendâ.*
XVI. *Quòd de reſurrectione mortuorum fidelibus minimè ſit dubitandum.*
XVII. *De die Judicii.*
XVIII. *De quatuor ordinibus in die Judicii futuris.*
XIX. *De æternis ſuppliciis reproborum.*
XX. *De electorum ſempiternâ remuneratione.*

JONÆ
AURELIANENSIS EPISCOPI
DE INSTITUTIONE LAICALI.
LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Quòd generaliter omnes fideles noſſe oporteat, in quantam prolapſionis damnationem, propter reatum primi hominis devenerint.

PROTOPLASTUS totius humani generis parens mirabiliter à Deo de limo terræ creatus, & in paradiſi felicitate collocatus, quia malè ſuadente uxoris conſilio, acquievit, & interdictæ arboris fructum comedit, non ſolùm ipſe Divini præcepti prævaricator exſtitit, verùm etiam in nos, qui ex illius peccati traduce naſcimur, ſuæ prævaricationis noxam, & juſtæ damnationis pœnam transfudit. Liquet enim quia illo prævaricante, nos etiam cum illo pactum Domini prævaricati ſumus; unde ait Pſalmiſta: *Prævaricatores reputavi omnes peccatores terræ.* Et Apoſtolus: « *Per unum*, inquit, *hominem peccatum intravit in mundum; & per peccatum mors: ita & in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* » Ecce qualem hæreditatem idem parens noſter, cui peccanti dictum eſt: *Terra es, & in terram ibis;* nobis dimiſit; pro patriâ, ſcilicet, exilium, pro felicitate miſeriam, pro gloriâ ignobilitatem, & pro immortalitate inflixit nobis corporis & animæ mortem. Valde namque cum Diabolo miſerabile fecit commercium. Diabolus per ſuperbiam de angelicâ dignitate in apoſtaſiam lapſus, cujus invidiâ mors intravit in orbem terrarum, felicitati ejus invidens promiſit ei divinitatem, & ademit immortalitatem: & de habitatore paradiſi fecit exulem mundi: & non ſolùm eum, ſed etiam ſuam ſtirpem ſuo exitiabili ſubjugavit imperio; in quo catenùs miſerabiliter & exitiabiliter detentus eſt, donec ille Samaritanus Dominus videlicet noſter JESUS-CHRISTUS, iter faciens miſericordiâ motus, appropinquans, vulnera ejus alligans, vinum & oleum infundens, eumque in jumentum ſuum imponens, in ſtabulum duxerit, alterâ die ſtabulario duos denarios ad ſaucium ſanandum protulerit; & id quod ſuprà erogaſſet rediens ſe redditurum promiſerit. Scribit itaque Auguſtinus in libro Sermonum ad populum: « Lapſus invidit ſtanti, eumque dejecit, ſed Chriſtus deſcendens jacentem erexit. » Scribit etiam in libro Enchiridion. « Tenebatur autem juſtâ damnatione genus humanum, & omnes erant filii iræ. De quâ irâ ſcriptum eſt: *Quoniam omnes dies noſtri defecerunt, & in irâ tuâ defecimus. Anni noſtri ſicut aranea meditabũtur.* De quâ irâ dicit etiam Job: *Homo natus ex muliere, brevis vitæ, & plenus iræ.* De quâ irâ dicit Dominus JESUS-CHRISTUS: *Qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam; qui autem non credit in filio, non videt vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum;* non ait veniet, ſed manet; cum eâ quippe omnis homo naſcitur: propter quod dicit Apoſtolus: *Fuimus & nos naturâ filii iræ, ſicut & cæteri.* In hac quippe cum eſſent homines per originale peccatum, tantò gravius & pernicioſius, quãto majora vel plura inſuper addiderunt; neceſſarius erat mediator, hoc eſt reconciliator, qui hanc iram (cujus erant umbræ omnia ſacrificia Legis & Prophetarum) oblatione placaret. Unde dicit Apoſtolus: *Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus: multo magis nunc reconciliati in ſanguine ejus, ſalvi erimus ab irâ per ipſum.* »

Scribit etiam Proſper: « In Adam omnia bona quæ potuimus habere, perdidimus; in Chriſto etiam majora, & ſine fine habenda recepturi ſumus, ſi perſeverantes ejus veſtigia teneamus. Adam nos obnoxiavit malis omnibus per propriam culpam, à quibus nos liberavit adventus Chriſti per gratiam. Ille in nos culpam ſuam tranſmiſit ac pœnam; hic qui culpam noſtram ſuſcipere, utpote conceptus & natus ſine peccato non potuit, de ſuſceptione pœnæ[d] noſtræ culpam noſtram ſimul abolevit & pœnam; & ut totum dicam, Adam eripuit nobis paradiſum, Chriſtus donavit & cœlum. » Patet igitur quia idem originale peccatum, quo genus humanum damnabiliter obſtringebatur, non poterat ſolvi ac dilui, niſi per eumdem mediatorem Dei & hominum hominem JESUM-CHRISTUM: nec aliter per ipſum liberari oportebat, niſi ſicut verus homo, verus eſſet & Deus. Manifeſtum eſt ergo quòd per gratiam Redemptoris noſtri JESU-CHRISTI ſimus ſalvati; & per indebitam ejus mortem, quamvis à morte communi non immunes, à debitâ tamen & perpetuâ erepti morte, & de filiis tenebrarum filii lucis, & de vaſis iræ vaſa ſimus miſericordiæ effecti. Proinde oportet ut unuſquiſque fidelis agnoſcat ubi merito corruerit, & unde per gratuitam Chriſti pietatem erutus fuerit, & tantum ereptorem & liberatorem toto corde, totâ animâ, totâ virtute diligere ſatagat, & ab amore illius in nullo tepeſcat; ſed omne tempus vitæ ſuæ in ejus ſervitio inſumat.

Pſ. 118. 119. — Rom. 5. 12. — Geneſ. 3. 19. — Rom. 5. 12. — Luc. 10. 33. — Cap. 33. — Pſal. 89. 9. — Job 14. 1. — Joan. 3. 36. — Epheſ. 2. 3. — Hebr. 8. 6. & 9. 11. — Rom. 5. 10. — Imò Julianus Pomerius, de vitâ contemplat. lib. 2. c. 10.

CAPUT II.

Quòd in Baptiſmate vetus homo exuatur, & novus induatur, & Chriſto commoriatur, & conſepeliatur.

EXuendum veterem hominem cum actibus ſuis, & induendum novum Apoſtolus admonet dicens: *Exuite vos veterem hominem cum actibus ſuis;*

Coloſſ. 3. 9.

d *de ſuſceptione pœnæ*] In priori editione *de ſuſceptione culpæ*, quod ferri non poterat.

& induite novum qui renovatur in agnitionem Dei. Et idem alibi: Gal. 3. 27. *Quotquot autem in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Rom. 13. 14. Item: *Induite vos Dominum Jeſum Chriſtum.* Epheſ. 4. 23. Item: *Induite novum hominem qui ſecundum Deum creatus eſt.* Iſte quippe eſt novus homo, quo univerſi credentes debemus indui atque veſtiri: unde ſcribitur in Apocalypſi: Apoc. 16. 15. *Beatus qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & appareat turpitudo ejus.* Et in Eccleſiaſte: Eccleſ. 9. 8. *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.* Hujus nempe novi hominis indumentis veſtiti erant, de quibus in eâdem Apocalypſi legitur: Apoc. 3. 4. *Habeo pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt veſtimenta ſua: & ambulaverunt mecum in albis. Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro vitæ.* Hujus etiam novi hominis indumentis nequeunt veſtiri hypocritæ, & hujuſcemodi nequam homines. Nam qui ejus veſtimentis, id eſt virtutibus, veraciter fuerit indutus, meritò poterit dicere cum Apoſtolo: Galat. 2. 20. *Vivo autem jam non ego; vivit verò in me Chriſtus.*

Vetus quippe homo quid eſt, niſi vita prior quam duximus in peccatis? Novus homo quid eſt, niſi Chriſtus, qui eſt utique juſtitia, & veritas, & ſanctificatio: cui juxtà Apoſtolum commorimur & conſepelimur in baptiſmate, ſicut ipſe ait: Rom. 6. 3. *An ignoratis quoniam quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus?* Quæ verba Beatus Auguſtinus ita exponit: Enchirid. cap. 52. « Ut nihil aliud in Chriſto » baptiſmum intelligamus, niſi mortis Chriſti ſimili» tudinem: nihil autem aliud mortem Chriſti Cruci» fixi, niſi remiſſionis peccati ſimilitudinem: ut quem» admodum in illo vera mors facta eſt; ſic in nobis fiat » vera remiſſio peccatorum: & quemadmodum in illo » vera reſurrectio, ita in nobis vera juſtificatio. Et » idem poſt pauca: Mortem, inquit, Chriſti ſic inſi» nuavit Apoſtolus, ut etiam ipſum mortuum eſſe di» ceret peccato; cui peccato, niſi carnis in quâ erat, » non peccatum, ſed ſimilitudo carnis peccati: & ideo » nomine appellat peccati? Baptizatis itaque in morte » Chriſti, in quâ non ſoli majores, verùm etiam par» vuli baptizantur. Ait: Sic & vos, id eſt, quemad» modum Chriſtus, Ibid. 11. *Sic & vos exiſtimate vos mortuos » eſſe peccato: vivere autem Deo in Chriſto Jeſu.* « Scribit idem Apoſtolus ad Coloſſenſes: Coloſſ. 3. 3. *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Mortui ſcilicet, quia in morte ipſius baptizati eſtis: & quoniam Rom. 6. 6. *vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt cum eo,* oportet ut ſicut propter nos Chriſtus crucifixus, mortuus, & ſepultus eſt, & reſurrexit; nos quoque ad paſſionis ſuæ ſimilitudinem voluntates & cupiditates noſtras crucifigamus, & in baptiſmate myſterium mortis, ſepulturæ, & reſurrectionis ejus imitemur. Item idem: Ibid. 8. *Si enim mortui ſumus cum Chriſto, credimus quia ſimul vivemus cum eo.*

Elaborandum eſt itaque ut de ſordibus veteris hominis nihil remaneat in nobis. Chriſtus autem non ex parte ſed integer eſt crucifixus, ut nos ex toto moriamur peccato, & vivamus Deo. Ille verò vivit Deo, qui Chriſti veſtigia humilitate, ſanctificatione, & pietate ſectatus. Ille, inquam, vivit Deo, efficiturque templum ejus, qui præceptis cœleſtibus, quæ novi hominis efficiunt indumentum, fuerit veſtitus; quibus carebat ille qui cum veſte ſordidâ convivium intraverat nuptiale. Dicit autem beatus Hieronymus in commentariis: Comment. in Matt. cap. 22. verſ. 12. « Si quis igitur in » tempore judicii inventus fuerit ſub nomine Chriſtia» no non habere veſtimentum nuptiale, hoc eſt ve» ſtem ſupercœleſtis hominis; ſed veſtem pollutam, id eſt veteris hominis exuvias; hic ſtatim corripitur « & dicitur ei: Matt. 22. 12. *Amice quomodo huc intraſti?* amicum « vocat, quòd invitatus eſt ad nuptias: arguit impu- « dentiæ, quòd veſte ſordidâ munditias polluerit nu- « ptiales. Ibid. *At ille obtumuit.* In tempore illo non erit « locus impudentiæ, ᵃ nec negandi facultas, cum om- « nes angeli & mundus ipſe teſtis ſit peccatorum. « Proinde ſcire debet unuſquiſque fidelis quia niſi hoc novo homine, Domino videlicet CHRISTO JESU indutus fuerit, licet in præſenti purpurâ & byſſo, auro & gemmis ornatus incedat, miſerabiliter tamen atque flebiter in oculis divinæ majeſtatis nudus exiſtit: & ſi in hac nuditate diem clauſerit extremum, non ſolum à Rege Chriſto in futuro corripietur, ſed etiam à nuptiali, æternoque convivio excludetur.

At ſi quiſpiam quæ ſint hujus novi hominis indumenta ſcire voluerit; noverit ejus indumenta eſſe innocentiam, patientiam, benignitatem, manſuetudinem, fidem, humilitatem, charitatem, modeſtiam, caſtimoniam ſine quâ nemo videbit eum, & cæteras virtutes, quas dinumerare longum eſt. Provideat etiam neceſſe eſt ne ad peccatum, cui in baptiſmate mortuus eſt, redeat, quoniam nec baptiſmus iterari poteſt, nec Chriſtus pro eo ſemel mortuus rurſum ad paſſionem rediturus eſt. De quâ Apoſtolus ait: Rom. 6. 9. *Chriſtus reſurgens à mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.*

CAPUT III.

Ut fideles ſemper meminiſſe debeant pacti quod cum Deo in baptiſmate fecerunt.

DUarum pactionum nexibus unuſquiſque fidelis Deo in baptiſmate ſe obligavit; altera quâ abrenuntiare diabolo, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus; altera quâ ſe in Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum credere profeſſus eſt: unde & ſub ejuſdem Sanctæ Trinitatis invocationem baptiſmatis gratiam accipere promeruit. Si quis igitur poſt hujuſcemodi abrenuntiationem, quibuſlibet illecebris vitiorum illectus, ad ea quibus renuntiavit, redierit; nec non & poſt tantæ fidei perceptionem in apoſtaſiam, aut infidelitatis, aut hæreticæ pravitatis, aut fraterni ſchiſmatis prolapſus fuerit, procul dubio utriuſque pactionis tranſgreſſor exiſtit. Quarum altera, quia baptiſmi iteratione nequit, pœnitentiæ lamentis, eleemoſynarum largitionibus, cæteriſque bonorum operum exequutionibus dilui poteſt. Altera verò, quæ prædictæ contagionis leprâ commaculata fuerit, niſi hac primùm per Chriſti gratiam caruerit, & ad unitatem Eccleſiæ redierit, mandari, & priſtinæ fidei colorem, ſanitatiſque vigorem recuperare non poterit.

Quia ergo conſtat quòd propter peccatum primi hominis flammeus ille gladius, cujus obice janua paradiſi hominibus claudebatur, in ſacro-ſancto baptiſmatis fonte extinctus eſt, & eadem janua credentibus patefacta; oportet ut cuncti fideles pactionis & ſponſionis, quam cum Deo [in baptiſmate] fecerunt, ſint ſemper memores: caveantque ne quibuſlibet vitiorum ſordibus ſe maculantes, non ſolum eumdem ſibi reaccendant ignem, verum etiam immundum ſpiritum à ſe tempore baptiſmatis expulſum, cum ſeptenario dæmonum ſibi numero addito, ad ſe redire faciant, fiantque illis, ut Dominus ait, Matt. 12. 45. *noviſſima pejora prioribus*; & impleatur in eis quod ait beatus Petrus Apoſtolus: 2. Petr. 2. 21. *Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod tradi-*

ᵃ *locus impudentiæ*] Sic optimus codex Clar. quod antea egebatur *locus pœnitentiæ*, omninò erat ineptum.

1. Pet. 2. 22. *tum eſt illis, ſancta mandato.* Apteturque eis quod idem poſt pauca ait; *Canis reverſus ad vomitum ſuum, & ſus lota in volutabro luti.* Proinde omnibus Chriſtianis ſollicitè ſtudendum eſt, ut tantæ ſponſionis, tamque ſalutiferi pacti memores, idque indiſcuſsè inviolabiliterque ſervantes, hoſtemque antiquum, cui abrenuntiaverunt cum vitiis ſuis, ſpernentes, ad atria ſupernæ civitatis myſterio ſacri baptiſmatis, & Spiritûs ſancti dono, credentibus reſerata, infatigabiliter ſcandere contendant.

CAPUT IV.

Quòd in veteri Teſtamento diverſa fuerint baptiſmata; in novo autem unum tribus modis conferat remiſſionem peccatorum.

LEgimus in Exodo quòd Moyſes, qui typum Chriſti tenuit, in mari rubro, quod figuram baptiſmatis gerit, eo quod Chriſti ſanguine rubricatum ſit, populum Dei baptizaverit, Apoſtolo teſtante atque dicente: *Nolo enim vos ignorare,*
1. Cor. 10. 1. *fratres, quoniam omnes patres noſtri ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt, in nube, & in mari.* Mare, ut dictum eſt, Baptiſmi, nubes Spiritûs ſancti, manna panis vitæ formam gerebat. Fiebant & alia baptiſmata in veteri Teſtamento, quæ diſpenſatione temporum actitabantur; [f]ſed uſque ad Baptiſtam Joannem nuſquam baptiſmus in pœnitentiam legitur fuiſſe datus. Scribit namque Iſidorus
Lib. 2. cap. 24. in libro Officiorum: » Baptizavit & Joannes, ſed » non ex toto Judaïcè: Non enim ſolùm in aquâ, nec » tantum * in Spiritu; ſed hoc ſolùm addidit quod in » pœnitentiâ baptizavit; ſicut ait Paulus in Actibus
Act. 19. 4. » Apoſtolorum: *Joannes baptizavit baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens, in eum qui venturus eſt poſt ipſum, hoc eſt in* JESUM, *ut crederent in eum.* Cœpit ergo perfectum baptiſma à JESU: ipſe ergo baptizavit primùm in Spiritu ſancto, ſicut Joannes di-
Joan. 1. 26. » cit: *Ego quidem baptizo vos in aquâ; medius autem veſtrum ſtetit quem vos neſcitis, ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igni.* Hæc eſt perfectio » baptiſmi: Deus eſt enim qui baptizat, ut poſſint & » qui baptizantur fieri Filii Dei. « Hujus nempe unum exſtat baptiſmum ſalutare, de quo Apoſtolus ait:
Epheſ. 4. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma.* Quod etiam quamquàm tribus modis conferat remiſſionem peccatorum, unum tamen eſt, per quod mundantur peccata. Scribit namque præfatus Iſidorus
Ubi ſuprà. in eodem libello, tria eſſe baptiſmata. » Primum, » inquit, de quo Apoſtolus ait, quo ſordes peccatorum per regenerationis lavacrum abluuntur. » » In
2. Enchirid. cap. 44. » quo, ut beatus Auguſtinus ait, parvuli originali » tantum moriuntur peccato; majores etiam his omnibus [*moriuntur*] peccatis, quæcumque malè vivendo addiderunt ad illud quod naſcendo traxerunt. » » Secundus eſt baptiſmus, ut præfatus ait Iſi-
Iſidorus ibid. » dorus, quo quis ſanguine ſuo per martyrium baptizatur; quo baptiſmo etiam Chriſtus baptizatus » eſt, ut & in hoc ſicut in cæteris formam credentibus daret; ſicut dicebat ad diſcipulos ſuos filios
Matt. 20. 22. Marc. 10. 38. » Zebedæi: *Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum: & baptiſmo quo ego baptizor, baptizari?* Itaque aqua & ſanguis gemini * eſt figura baptiſmatis: » unum quo regeneramur ex [g] baptiſmo, & aliud quo » conſecramur in ſanguine. Eſt & tertium baptiſma » lacrymarum, quod laborioſiùs tranſigitur; ſicut & ille qui per ſingulas noctes ſtratum ſuum rigabat la- « Pſal. 6. 7.
crymis; vel qui imitantur confeſſionem * Manaſſæ, « & humilitatem Ninivitarum, per quam miſericordiam conſequuti ſunt; & orationem publicani illius in Templo ſtantis à longè, & percutientis pectus ſuum; quique nec auſus erat oculos levare ad « cœlum. « Quorum etiam oculi, juxtà Prophetam, *diviſiones deducunt aquarum*, &c. iſti proculdu- Thren. 3. 48.
bio peccata ſua baptiſmo lacrymarum mundare noſcuntur.

De his tribus baptiſmis, licet alio quo ſuperiùs dictum ſit ordine, Pſalmiſta ait: *Beati quorum re-* Pſal. 31. 1.
miſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Id eſt, in baptiſmate per confeſſionem peccatorum, & fluenta lacrymarum: *Beatus vir cui non impu-* Ibid. 2.
tavit Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu ejus dolus; per martyrii coronam. Quia ergo primum baptiſmum ob fidem Chriſti ſcienter petitur, ſalubriter percipitur. Secundum, Chriſto pacem Eccleſiæ ſuæ tribuente, per ſanguinem martyrii hodie non efficitur. Tertium valde neceſſarium non deſidiosè, nec cum aliquâ dejectione, ſicut à multis, quod periculoſum eſt, fieri aſſolet, ſed cum magnâ acceleratione, & animi devotiſſima intentione, dum tempus eſt acceptabile, & dies ſalutis, & Dominus inveniri poteſt, ab omnibus Chriſtianis eſt appetendum, & amplectendum.

CAPUT V.

De ſeptem remiſſionibus peccatorum.

IN præcedenti capitulo dictum eſt, quòd tria ſint baptiſmata, per quæ ablutio & purgatio ſit peccatorum. In hoc capitulo demonſtrandum eſt quibus modis fiat remiſſio peccatorum. Scribit namque Origenes in Homiliâ primâ libri Levitici ita: » Audi nunc quantæ ſint remiſſiones peccatorum. « Eſt ita quâ baptizamur in remiſſionem peccatorũ. « Secunda eſt in paſſione martyrii. Tertia eſt quæ » per eleemoſynam datur; dicit enim Salvator: *Ve-* « Luc. 11. 41.
rumtamen date eleemoſynam, ecce omnia munda ſunt « *vobis.* Quarta nobis ſit remiſſio peccatorum, per « hoc quod & nos remittimus peccata fratribus no- » ſtris; ſic enim dicit Dominus ipſe Salvator; quia « *ſi remiſeritis ex corde fratribus veſtris peccata ip-* « *ſorum, & vobis remittet Pater veſter peccata ve-* « *ſtra. Quod ſi non remiſeritis fratribus veſtris ex* « Matt. 18. 35.
corde, nec vobis remittet pater veſter peccata veſtra. « Et ſicut in oratione nos dicere docuit: *Dimitte no-* » Ibid. 6. 12.
bis debita noſtra. Quinta peccatorum remiſſio eſt « cum converterit quis peccatorem ab errore viæ « ſuæ; [ita enim dicit Scriptura divina: *Qui con-* » Jac. 5. 20.
verti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ,] *ſalvabit* « *animam ejus à morte, & cooperiet multitudinem* « *peccatorum.* Sexta quoque fit remiſſio peccatorum » per abundantiam charitatis, ſicut ipſe Dominus di- » cit: *Amen dico tibi, remittuntur ei peccata, quo-* « Luc. 7. 47.
niam dilexit multum. Et Apoſtolus ait: *Quoniam* » 1. Pet. 4. 8.
charitas cooperit multitudinem peccatorum. Eſt ad- « huc & ſeptima, licet laborioſa & dura per pœni- « tentiam, remiſſio peccatorum, cum lavat peccator « in lacrymis ſtratum ſuum, fiunt ei lacrymæ ſuæ pa- « Pſal. 41. 4.
nes die ac nocte. « Cum non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum, ut acquirat medicinam, ſecundùm eum qui ait: *Dixi: pronuntiabo adverſum* Ibid. 5.
me injuſtitiam meam; & tu remiſiſti impietatem pec-

f *ſed uſque ad*] Sic emendavi, cum ante legeretur *ſi uſque ad*. Infrà ubi editum *nec tantum in Spiritu*, Acherius rectè vidit legi oportere, *nec tamen*.

g *ex baptiſmo*] Hic etiam Acherius rectè emendat *ex aquæ lavacro*. Supra ex codice Clar. reſtitui *gemini eſt figura*, nam editum erat *gemina eſt*. An deinde reponendum ſit *confeſſionem Manaſſe* ut Acherio placuit, alii viderint: mihi *confeſſionis* vox non malè uſurpata videtur.

Pſal. 41. 4. *cati mei.* Et illud : *Converſus ſum in ærumnâ meâ, dum configitur ſpina.*

Harum itaque remiſſionum, quæ modo in Eccleſiâ fiunt, typus erant ſacrificia quæ fiebant in lege. Nec enim vacat à myſterio, quod ſeptem dicuntur eſſe remiſſiones, quoniam Spiritus ſanctus, per quem remiſſio peccatorum confertur, ſeptiformis gratiæ dicitur. Cujus dona cum de Chriſto, qui eſt virga virtutis [h] Domini, Iſaias prophetaret, ait : *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectûs, Spiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* (Iſai. 11. 2.) Non quòd diverſus ſit juxtà differentias nominum idem Spiritus ſanctus, ſed quòd unus atque idem cunctarum virtutum fons ſit atque principium. Sicut enim Apoſtolo teſtante, Chriſtus dicitur virtus, Deique ſapientia; & in Proverbiis legitur : *Deus in Sapientiâ ſuâ fundavit terram, & paravit cælos prudentiâ* (Prov. 3. 19.); & quomodo idem ſermo vocatur lux, & vita, & reſurrectio : ſic Spiritus ſanctus dicitur Spiritus ſapientiæ & intellectûs, Spiritus conſilii & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis, ac timoris Domini. Continet itaque in eiſdem ſeptenarius numerus ternarium & quaternarium numerum. In ternario myſterium ſanctæ Trinitatis, in quaternario Evangelii : ſive enim tres per quatuor, ſive quatuor per tres multiplicentur, ad duodenarium numerum pervenitur; quia myſterium ſanctæ Trinitatis, & doctrina Evangelii per duodecim Apoſtolos in quatuor mundi plagas porrigitur. Si quis autem pleniùs, & latiùs de ejuſdem ſeptenarii numeri myſterio noſſe deſiderat, legat librum primum Gregorii Papæ in moralibus, in quo copioſiſſimè de eo diſputatum inveniet.

CAPUT VI.

Quòd Patres ſpirituales eos quos de ſacro fonte ſuſcipiunt, verbis & exemplis ad meliora provocare debeant.

PRovocamur Danielis Prophetæ magiſterio, ut non modo nos ipſos ad doctrinam ſalutarem capeſſendam excitemus, verùm etiam alios ad juſtitiam erudiamus : ait enim : *Qui autem docti fuerint, fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti : & qui ad juſtitiam erudiunt alios, ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates.* (Dan. 12. 3.) Beatus quoque Auguſtinus in Sermone ad populum ait (Serm. 163. de tempore.) : « Quicumque igitur viri, vel quæcum-« que mulieres de ſacro fonte filios ſpiritualiter excepe-« rint, cognoſcant ſe pro ipſis fidejuſſores apud Deum « extitiſſe. Et ideo neceſſe eſt, ut ſemper illis ſollici-« tudinem veræ charitatis impendant, admoneant & « caſtigent, atque corripiant, ut caſtitatem cuſto-« diant, virginitatem uſque ad nuptias ſervent; à ma-« ledicto, vel à perjurio linguam refrænent; cantica « turpia vel luxurioſa ex ore non proferant; non ſu-« perbiant, non invideant, iracundiam vel odium in « corde non retineant; auguria non obſervent, phy-« lacteria vel characteres diabolicos nec ſibi, nec ſuis « aliquando ſuſpendant; præcantatores vel miniſtros « diaboli fugiant : fidem Catholicam veraciter teneant; « ad Eccleſiam frequentiùs conveniant; contemptâ « verboſitate, lectiones divinas attentiùs aure perci-« piant. Eſurientes paſcant, ſitientes potent; nudos « veſtiant, pauperes & peregrinos excipiant; infirmos « & in carcere poſitos viſitent, eiſque in neceſſitati-« bus ſuis adminiſtrare procurent, pacem teneant, & « diſcordes ad concordiam revocare contendant, ſa-« cerdotibus honorem impendant. Hæc ergo omnia & « his ſimilia ſi filios & filias veſtras admonere conten-« ditis, cum ipſis ad æternam beatitudinem feliciter « pervenietis. Nemo ſe circumveniat, fratres cariſſi-« mi, nullus homo ſibi moritur; ſed ſicut frequenter « ſuggeſſi, quantoſcumque quilibet exemplo ſanctæ « vitæ ædificaverit, cum tot, tantiſque, & pro tantis « mercedem beatæ retributionis accipiet. Et qui tan-« tiſcumque exemplum malæ converſationis, etiamſi « illi eum non ſequantur, præbuerit; pro tantis ſe « malis noverit rationem redditurum. Et ideo, ſicut « jam ſuprà ſuggeſſi, neophytis noſtris, auxiliante « Domino, exemplum bonæ converſationis quantum « poſſumus oſtendere debemus, ut non pro illorum « deſtructione pœnam recipere, ſed potiùs pro ædifi-« catione ad indulgentiam peccatorum mereamur per-« venire. « Et quia vobis [i] quid vitare, vel quid fugere debeatis, frequenter eſt oſtenſum; & quid agere, vel expetere debeatis, aſſiduâ prædicatione monſtratum; ſic Deo auxiliante agite, ut vobis admonitio noſtra magis ad præmium, quàm ad judicium, ante tribunal æterni Judicis proficiat.

[His & hujuſcemodi Doctoris tanti documentis apertè inſtruimur, quia cum omnes quos poſſumus, verbis & exemplis ad honeſtatem vitæ ſanctæ informare, boniſque operibus inſiſtendum provocare debeamus : potiſſimum tamen, vigilantiuſque erga eos quos de ſacro fonte ſuſcepimus, id nobis agendum ſit. Multi ſanè hanc ſalutiferam ſuſceptionem non illius ſalutis cauſâ qui ſuſcipitur, ſed magis mundi exercent amore. Hi autem utrum meritò patres ſpirituales appellari debeant, ipſi dijudicent. Quicumque igitur ſpiritalis quilibet in baptiſmate pater efficitur, elaborare neceſſe eſt quantum poteſt, ut idem quem ſuſcepit ſpiritualis filius permaneat, ne rurſùs malè vivendo ejus filius fiat, à cujus ſervitio per gratiam baptiſmatis ereptus, & per adoptionem filius Dei eſt effectus.]

CAPUT VII.

Ut ad accipiendum per manûs Pontificis impoſitionem, Spiritûs ſancti donum, ſollicitè & devotè concurratur.

PErceptio ſancti Spiritûs, quæ per manûs impoſitionem ab Epiſcopis tribuitur, à quibuſdam congruenter, à quibuſdam verò negligenter appetitur. Sunt enim quidam nobiles, quod eſt laudabile, qui hujuſcemodi dono ſe ſuoſque inſigniri accelerant ardenter : ſunt etiam quidam, quod emendatione dignum eſt, qui in longum id facere differunt. Porrò ignobiles partim incuriâ, partim ignorantiâ in tantum in hac re negligentes exiſtunt, ut etiam quidam illorum, non niſi jam in decrepitâ ætate, hujus doni conſecrationem percipiant.

Quòd verò ſolius Epiſcopi ſit per manûs impoſitionem fidelibus tradere Spiritum ſanctum, Acta docent Apoſtolorum, in quibus legitur : *Factum eſt autem cum Apollo eſſet Corinthi; & Paulus, peragratis ſuperioribus partibus, veniſſet Epheſum; ibique cum inveniſſet quoſdam diſcipulos, dixit ad illos; ſi Spiritum ſanctum accepiſtis credentes? At illi dixerunt ad eum, ſed neque ſi Spiritus ſanctus* (Act. 19. 1.)

h *virga virtutis*] Acherius edidit *virga & virtus* non quidem omninò malè, ſed magis placuit lectio codicis Clar. ſic enim ad illud Pſalmi 109. reſpexiſſe videtur Jonas : *Virgam virtutis tuæ emittet*, &c.

i *& quia vobis*] Hæc velut ex S. Auguſtino referri nemo non intelligit, quæ tamen laudato loco non extant. Quod deinde uncis incluſum eſt, totum deerat in priori editione.

eſt audivimus. Dixitque eis, in quo ergo baptizati eſtis? at illi dixerunt, in Joannis baptiſmate. Ait autem Paulus: Joannes baptizavit baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens, in eum qui venturus eſt poſt ipſum, hoc eſt in Jeſum, ut crederent in eum. Quod cum audiſſent, baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu. Et cum impoſuiſſet illis manum Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos; & loquebantur linguis, & prophetabant. Attende quòd poſt baptiſmatis perceptionem, illicò per impoſitionem manuum à beato Paulo acceperint Spiritum ſanctum. Item alio loco;

Act. 8. 16.

Cum audiſſent Apoſtoli qui erant Jeroſolymis, quia recepiſſet Samaria verbum Dei; miſerunt ad illos Petrum & Joannem. Qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat; ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu. Et imponebant illis manus, & accipiebant Spiritum ſanctum. Notandum eſt quòd in neminem baptizatorum venerit Spiritus ſanctus, niſi per impoſitionem manuum Apoſtolorum. Credendum verò eſt quia ſicut baptiſmatis, & corporis, & ſanguinis Domini Sacramenta, per Sacerdotum myſteria viſibilia fiunt, & per Dominum inviſibiliter conſecrantur; ita nimirum Spiritûs ſancti gratia per impoſitionem manuum, miniſterium adminiſtratum Epiſcoporum fidelibus inviſibiliter tribuatur. Cur autem non à Preſbyteris, ſed ab Epiſcopis, Apoſtolorum ſucceſſoribus, credentium frontes ob percipiendum ſancti Spiritûs donum ſacro-ſancto chriſmate ſignentur; ſanctus Papa Innocentius in Decretalibus ſuis, pleniſſimè ſcribit: ad quem locum curioſè diligenterque ſcire volentem mitto. Præmiſſis itaque documentis pleniſſimè prædocetur nequaquàm à fidelibus tanti doni perceptio negligenter differenda, ſed potiùs remoto torpore negligentiæ, cum magnâ animi aviditate & devotione petenda, & percipienda; ne [quod abſit,] ſine ipſius doni munere quis rebus humanis eximatur.

Innocent. I. Epiſt. 1. cap. 3.

CAPUT VIII.

Quòd parvuli inſtruendi ſunt, cum ad intelligibilem ætatem venerint & fides Sacramento, & baptiſmatis myſterio, & ſeptiformis gratia Spiritûs dono.

SAlutaris diſciplinæ domus eſt, ut beatus ait Auguſtinus, Eccleſia Chriſti, in quâ idcircò diſcitur benè vivere, ut perveniatur ad ſemper vivere. Ergo quicumque in ſcholâ hujus ſunt diſciplinæ, in quâ docet ſummus doctor, & magiſter Chriſtus; tanti Doctoris magiſterio humiliter colla ſubmittantur neceſſe eſt. In hac quippe multimoda ſanæ fidei diſcuntur præcepta; quæ cum multa ſint, & ab uno ſapientiæ fonte profluant, & parvulos in apertis, & magnos exerceant in obſcuris: oportet ut qui necdum profundiora Chriſti præcepta diſcere queunt, humiliora interim diſcere ſatagant: donec adjuvante divinâ miſericordiâ altiora percipere valeant; unde & Dominus in monte diſcipulos docet, in campeſtribus turbas paſcit.

Si quis autem fortè exiſtit, qui tarditatem & obtunſionem ſenſûs ſui obtendat, & dicat: Non poſſum diſcere, quia nec tantæ ſum capacitatis, ut tot tantaque Chriſti præcepta, quæ utique mirabilia & innumerabilia ſunt, diſcere valeam: audiat quid præfatus beatus Auguſtinus in libro de diſciplinâ Chriſtianorum ſcribat: » Præcepta, inquit, multa ſunt in lege, quibus ipſa vita bona continetur, imperatur, & diſcitur. Multa omninò præcepta ſunt, & innumerabilia ſunt. Præceptorum ipſorum paginas vix quiſque numerat, quanto magis ipſa? Voluit tamen Dominus propter eos qui ſe poſſent excuſare, vel quia eis non vacat legere, vel quia non norunt legere, vel quia non poſſunt facilè intelligere, ut excuſationem nemo habeat in die judicii; voluit, ſicut ſcriptum eſt, conſummare & breviare verbum ſuper terram, ſicut de illo Propheta prædixerat: *Verbū enim conſummans & brevians faciet Dominus ſuper terram.* Hoc ipſum verbum conſummatum & breviatum, non obſcurum eſſe Deus voluit. Ideo breve, ut vacaret legere. Ideo apertum, ne dicas, non mihi licuit intelligere. Theſaurus ergo eſt magnus divinarum ſcripturarū, habens in ſe mirabilia, & præcepta multa; tamquam multas gemmas, & pretioſa monilia, & vaſa ingentia & magni metalli. Sed quis poteſt ſcrutari theſaurum iſtum, & uti eo, & pervenire ad omnia quæ ibi ſunt? Quando hanc ſimilitudinem Dominus dedit in Evangelio ſuo, & dixit: *Simile eſt regnum cœlorum theſauro invento in agro:* ne quis ſe minùs idoneum diceret ad perſcrutandum theſaurum, continuò dedit aliam ſimilitudinem: *Simile eſt regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: qui invenit unam pretioſam margaritam; & vendidit omnia quæ habebat, & emit illam:* Ut ſi piger eras ad perſcrutandum theſaurum, non ſis piger unam margaritam ſub linguâ ferre, & quò vis ſecurus ambulare. Quod eſt ergo verbum conſummans & brevians? *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ mente tuâ.* Et, *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. In his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ.* Ecce quod diſcitur in domo diſciplinæ: diligere Deum, diligere proximum: Deum tamquàm Deum: proximum tamquàm te.

Serm. de diſciplinâ Chriſt. cap. 2.

Iſai. 10. 23. & Rom. 9. 28.

Matt. 13. 44.

Ibid. v. 45.

S. Aug. ubi ſuprà cap. 7. Matt. 22. 37.

Ibid. v. 39.

In primordio namque ſanctæ Dei Eccleſiæ non baptizabantur niſi primùm inſtructi fuiſſent, & fide ſanctæ Trinitatis, & myſterio ſacro-ſancti baptiſmatis. Nunc autem quia nomen Chriſti ubique pollet, & parvuli de Chriſtianis parentibus nati, ad percipiendam baptiſmatis gratiam necdum loquentes incunctanter deportantur: (Nec immeritò: quippe ut qui alienis peccatis obnoxii ſunt, aliorum deportatione, & reſponſione à prævaricatione originalis noxæ abſolvantur: quatenùs eruti de poteſtate tenebrarum, in regnum Domini ſui transferantur.) Summopere procurandum eſt, ſive parentibus, ſive his, qui eos de ſacro fontis lavacro ſuſceperint, ut cum ad intelligibilem ætatem pervenerint, & fidei, & baptiſmatis myſterio inſtruantur: ut ſi fortè latiùs, uberiùſque in ſenſu divinarum ſcripturarum proficere, aut noluerint, aut nequiverint, ſaltem fide Trinitatis ſanctæ, & myſterio ſacri baptiſmatis inexcuſabiliter exiſtant inſtructi.

CAPUT IX.

Quòd quia Baptiſmus iterari non poteſt, neceſſariò pœnitentia ſecundus ſit baptiſmus.

PRopitiatio divina nos per baptiſmi gratiam à primi hominis reatu abſolvit, & de filiis perditionis filios fecit ſalvationis, & de filiis alienis filios fecit adoptionis, unde etiam ſuperiùs dictum eſt. Sed quia poſt baptiſmum multa amiſimus, & in multis collapſi ſumus, & idem baptiſmus nullo pacto iterari poteſt; eadem propitia divinitas quoddam & ſaluberrimum pœnitentiæ nobis contulit remedium; ad quod nos per Propheticam & Evangelicam hortatur indifferenter currere admonitionem. Clamat enim Iſaias Propheta: *Quærite Dominum*

Iſai. 55. 6.

dum

Digitized by Google

dum inveniri poteſt; invocate eum dum propè eſt. Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus; & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum. Et per Ezechielem Dominus ait: *Nolo mortem impii; ſed ut convertatur impius à viâ ſuâ, & vivat.* Item: *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris: & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Item, *Peccator in quâcumque die converſus fuerit; omnes iniquitates ejus in oblivione erunt.* Et Salomon: *De perpetrato peccato noli eſſe ſine metu: neque adjicias peccatum ſuper peccatum.* Item, *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Item, *Altiſſimus odio habet peccatores: & miſertus eſt pœnitentibus.* Item, *Relinque peccata tua, & converte ad Dominum.* Item, *Fili peccaſti, ne adjicias iterum: ſed & de priſtinis deprecare, ut tibi remittantur.* Et Dominus in Evangelio: *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum.* Joannes Baptiſta: *Facite*, inquit, *fructus dignos pœnitentiæ.* Et Apoſtolus ait Paulus: *Ecce enim tempus acceptabile: ecce enim nunc dies ſalutis.* Et Petrus: *Pœnitemini igitur & convertimini, ut deleantur peccata veſtra.* Hieronymus in expoſitione Eccleſiaſtæ: *Ne impiè agas multum, & noli eſſe ſtultus, cum morieris in tempore non tuo;* Cum Dominus loquatur *nolo mortem morientis tantùm, ſed ut revertatur, & vivat.* Semel peccaſſe ſufficiat. Debemus ergo nos erigere poſt ruinam. Si enim juxtà eos qui de Phyſicis diſputant, novit hirundo pullos de ſucco oculare chelidoniæ, & dictamnum capræ expetunt vulneratæ, cur nos ignoramus medicinam propoſitam eſſe peccantibus? Auguſtinus in libro Sermonum. » Scio ego, inquit, & mecum omnis homo qui paulo attentiùs conſideraverit, neminem Dominum timentem ſub verbis ejus non ſe corrigere, niſi qui putat quia plus habet vivere. Ipſa res eſt quæ multos occidit, cum dicunt, Cras, cras; & ſubitò oſtium clauditur. Remanſit foris cum voce corvinâ; quia non habuit gemitum columbinum, ſed corvi vox eſt. Geme ut columbus, & tunde pectus; ſed plagas tibi dando, cæſus correctus eſto. « E paulo poſt: » Dic mihi rogo te. Ecce ego conſentio, concedo, & cognoſco, quia indulgentiam tibi promiſit Deus. Craſtinum enim diem quis tibi promiſit? Dic mihi ubi legis te indulgentiam accepturum, ſi te non correxeris? Lege mihi quantum victurus ſis. Non lego, inquit. Neſcis ergo quantum victurus ſis. Correctus eſto & ſemper paratus. Noli timere diem ultimum, tamquam furem, qui te dormiente effodiat parietem; ſed vigila, & corrige hodie quæ differs in craſtinum. «

[Margin: Ezech. 33. 11. — Ibid. 18. 30. — Ibid. 33. 12. — Eccli. 5. 5. — Ibid. v. 8. — Ibid. 12. 3. — Ibid. 17. 21. — Ibid. 21. 1. — Matt. 3. 2. — Luc. 3. 8. — 2. Cor. 6. 2. — Act. 3. 19. — De verbis Domini Serm. 16. cap. 11.]

Gregorius in Homiliâ de novem ordinibus Angelorum: » Sinum Dominus ſuæ pietatis aperit; noſque in ſe recipere per pœnitentiam quærit: ſed pœnitentiam dignè agere non poſſumus, niſi modum quoque ejuſdem pœnitentiæ cognoſcamus. Pœnitentiam quippe verè agere eſt, perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui ſic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere, aut diſſimulat, aut ignorat. Quid enim prodeſt ſi peccata quis luxuriæ defleat, & tamen adhuc avaritiæ æſtibus anhelat? Aut quid prodeſt ſi iræ culpas jam lugeat, & tamen adhuc invidiæ facibus tabeſcat? Sed minus eſt valde quod dicimus; ut qui peccata deplorat, ploranda minimè committat: & qui plangit vitia, perpetrare vitia timeat. Nam cogitandum ſummopere eſt, ut qui ſe illicita meminit commiſiſſe, à quibuſdam etiam licitis ſtudeat abſtinere: » Exemplo David nolentis aquam bibere cum periculo ſuorum allatam. Item idem: » (*Facite fructus dignos pœnitentiæ.*) In quibus verbis notandum eſt; quòd amicus ſponſi non ſolùm fructus pœnitentiæ, ſed dignos pœnitentiæ admonet [faciendos. Aliud namque eſt fructus facere, aliud dignos pœnitentiæ] facere: ut enim ſecundùm dignos pœnitentiæ fructus loquamur; ſciendum eſt, quia quiſquis illicita nulla commiſit, huic jure conceditur ut licitis utatur; ſicque pietatis opera faciat, ut tamen ſi noluerit, ea quæ mundi ſunt non relinquat. At ſi quis in fornicationis culpam, vel fortaſſe, quod gravius eſt, in adulterium lapſus eſt, tanto à ſe licita debet abſcindere, quanto ſe meminit & illicita perpetraſſe. Neque enim par fructus eſſe boni operis debet ejus qui minùs, & ejus qui ampliùs deliquit: aut ejus qui in nullis, & ejus qui in quibuſdam facinoribus cecidit: & ejus qui in multis eſt lapſus. Per hoc ergo quod dicitur: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*; uniuſcujuſque conſcientia convenitur, ut tanto majora creſcant bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto graviora ſibi intulit damna per culpam. « Item ipſe in Moralibus: » Omnis peccator in pœnitentiâ duplicem habere gemitum debet: nimirum quia & bonum quod potuit, non fecit; & malum quod non debuit, fecit. Cum in bona opera non aſſurgimus, neceſſe eſt ut noſmetipſos dupliciter defleamus: quia & recta non fecimus, & prava operati ſumus. «

[Margin: Homil. 34. poſt med. — Luc. 3. 8. — Homil. 20. ante med.]

Multa ſiquidem & alia divinæ ſcripturæ exiſtunt teſtimonia, quæ nos de perpetratis peccatis abſque dilatione converſionem ad Deum facere hortantur: & per pœnitentiam divinæ miſericordiæ indulgentiam nobis promereri poſſe pollicentur. Non eſt ergo parvipendenda pœnitentiæ medicina, quæ dum parvipenditur, morbus plùs invaleſcens [1] necem ægroto gignere comprobatur.

CAPUT X.

Quòd Pœnitentiæ modus in arbitrio Sacerdotum ſit conſtitutus.

QUia peccati vulnus, pœnitentiæ remedio ſanari valeat, ea quæ in præcedenti capitulo collecta ſunt, teſtantur; modus verò ejuſdem pœnitentiæ, tempuſque pœnitendi in arbitrio Sacerdotum, quibus ligandi atque ſolvendi poteſtas eſt à Chriſto collata, eſt conſtitutus. Unde ſcribit beatus Auguſtinus in libro Enchiridii: » Certa, inquit, conſtituuntur ab his qui præſunt in Eccleſiis tempora pœnitentiæ, ut fiat ſatis etiam Eccleſiæ, in qua remittuntur ipſa peccata: extrà eam quippe non remittuntur. Ipſa namque Spiritum ſanctum pignus accepit, ſine quo non remittuntur ulla peccata; ita ut quibus remittuntur, vitam conſequantur æternam. « Perrari namque ſunt hodie in Eccleſiâ, qui talem agant pœnitentiam, qualem antiquorum Patrum pœnitentium exempla, & auctoritas canonica ſancit. Quis namque criminis reus, qui utique pœnitentiâ publicâ debuit mulctari, cingulum militiæ deponit, & à liminibus Eccleſiæ cœtuque fidelium arcetur, & à Chriſti Corpore ſeparatur? Quis porrò in cinere, & cilicio, more pœnitentum antiquorum lamenta pœnitudinis ſuſcipit? Iſidorus quoque in libro ſententiarum: » Benè, inquit, in cilicio & cinere pœnitens deplorat peccatum: quoniam in cilicio aſperitas, & compunctio peccatorum; in cinere autem pulvis oſtenditur mortuorum. Et idcircò in utroque pœnitentiam agimus; ut & in punctione cili-

[Margin: Cap. 65. — Lib. 2. Offic. cap. 16.]

[1] *morbus plùs invaleſcens*] Sic emendavimus ex ingenio. Antea legebatur *parvipenditur moribus, plus inv.*

« cùm [m] agnoſcamus vitia quæ per culpam commiſimus, & per favillam cineris perpendamus mortis ſententiam, ad quam peccando pervenimus. »

Unde colligitur quia Religionis noſtræ priſcis temporibus, dum quis ſecundùm conſtitutum ſibi à Sacerdote uſque ad ſatisfactionem cilicio indutus, & cinere conſperſus, habitu incultus, humique proſtratus, lacrymiſque profuſus videbatur, ſtatum pœnitens agnoſcebatur, ut ei à Domino ignoſceretur, ab omnibus deprecabatur. Nunc autem in cœtu Chriſtiano idcircò vix pœnitens agnoſcitur, quia penè nihil horum erga pœnitentes agitur. Quapropter credibile eſt, ut ſicut alia multa in Religione Chriſtianâ viluerunt, ita quoque præmiſſus pœnitentiæ modus, ab uſu, quod formidoloſum eſt, receſſerit. Et idcircò à multis diverſa flagitia perpetrantur audacter. Verùm etiam ſi quiſpiam noſtri temporis Chriſtianus hodie aut homicidium, aut aliquid aliud admiſerit; quia hujuſcemodi pœnitentia non plectitur, ideo cras conventui fidelium irreverenter ſe adjungere non veretur. Et ideo Eccleſiam, cui pœnitendo ſatisfacere debuit, ſcandalizare convincitur. Solent enim aut publicè, aut tacitè intrà ſe adverſus hujuſmodi dicere: ô interfector! ô flagitioſe! heri illud & illud admiſiſti; & hodie collegio noſtro, ſanguine proximi [n] tui cruentatis manibus te impudenter inſeris: & quod majoris eſt impudentiæ, nobiſcum participare non trepidas Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jesu-Christi? Quod dico plùs uſu, quàm voto expertus ſum.

Cum igitur tempora pœnitentiæ idcircò ſint conſtituta, ut ſatisfaciat pœnitens Eccleſiæ, quam peccando læſit, neſcio utrum ille pœnitentiam dignè agat, qui Eccleſiam, quam primùm peccando læſit, poſtea tam impudenti conſortio in ſui murmuratione, & detractione devenire compellit. Hæc non de occultis, ſed de manifeſtis criminibus dicta ſunt, quæ dum publicè admittuntur, publicâ pœnitentiæ ſatisfactione diluantur neceſſe eſt.

[Qualiter autem in his Occidentalibus partibus antiquitùs ergà pœnitentes mos ſervabatur, in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ tripartitâ Sozomenus tranſcribit: « Quoniam omninò, inquit, non peccare divinum, & ſuprà humanam naturam eſſe cognoſcitur: peccantibus & pœnitentiam agentibus veniam Dominus præcepit: qui verò confiteri refugiunt, majus peccatum acquirunt. Propterea viſum eſt antiquis Pontificibus, ut velut in theatro ſub teſtimonio Eccleſiaſtico populi delicta pandantur; & ad hanc cauſam probum, bonæ converſationis, ſervanteque ſecretum, ac ſapientem virum ſtatuerunt; ad quem accedentes hi qui delinquebant, delicta propria fatebantur. At ille ſecundùm uniuſcujuſq; culpam dicebat & mulctam; quod etiam hactenùs diligenter in Occidentalibus ſervatur Eccleſiis, & maximè apud Romam, ubi etiam locus erectus eſt pœnitentum. Stant enim rei & velut in lamentationibus conſtituti: dum enim ſacra celebratio fuerit adimpleta, illi communionem non percipientes, cum gemitu & lamentatione ſemetipſos in terram proſternunt, ad quos concurrens Epiſcopus, & ipſe cum lacrymis & gemitu ſpiritali proſternitur, ut omnis Eccleſiæ plebs fletibus intendatur. Poſt hoc autem prior ſurgit Epiſcopus, & elevat jacentes à terrâ. Tunc competenter pro pœnitentibus factâ oratione, dimittit omnes: at illi afflictionibus ſponte vacantes, aut jejuniis, aut abſtinentiâ lavacri, aut ſuſpenſione ciborum, aut rebus aliis quæ jubentur, exſpectant commune tempus quod decernit Epiſcopus. Conſtituto verò tempore velut quoddam debitum exolventes afflictionem, peccato curati cum populo communionem participantur. » Hæc ergo antiquitùs Romani Pontifices uſque ad noſtrum conſervaverunt tempus. Qualiter autem & quomodo pœnitentes ad ſuſcipiendam Corporis & Sanguinis Domini gratiam accedere debeant, Innocentius Papa in Decretalibus ſuis pleniſſimè docet, tranſcribens: « De pœnitentibus autem, qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægritudo, quintâ feriâ ante Paſcha eis remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat. Cæterum de pondere æſtimando delictorum Sacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus & lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem. Sanè ſi quis in ægritudinem inciderit, atque uſque ad deſperationem devenerit, ei eſt ante tempus Paſchæ relaxandum, ne de ſæculo abſque communione diſcedat. »]

Illud etiam minimè prætereundum eſt, quod quidam peccatorum ſuorum conſcii, imperitos animarum ſuarum medicos expetunt, ut ſibi ad votum ſuum pœnitentiæ tempora imponant; & peritos idcircò declinant, ne auſteriùs pœnitentiæ eos addicant. Si enim peritus medicus ad morbos corporis pellendos quæritur, quanto magis medicus animæ peritiſſimus quærendus eſt? Ut ergo artis medicinæ neſcius, dum curare neſcit vulnus corporis, non illud minuit, ſed magis plerumque incrementum ei addit: ita & imperitus medicus animarum, dum eorum languoribus mederi videri vult, quia his congrua medicamenta neſcit adhibere, eoſdem languores creditur incrementare. De talibus inquit Dominus per Prophetam: *Vivificabant animas quæ non vivebant: & mortificabant animas quæ non moriebantur.* *Ezech. 13. 18.*

Sunt etiam plerique ſpiritales medici, qui medendi animarum vulnera habent ſcientiam, ſed aut amoris proprii, aut adulationis causâ errata, qui ſibi eorum confeſſionem peccatorum ſuorum faciunt, ſaluberrimæ pœnitentiæ rigore ferire refugiunt. De quibus rurſus Dominus per Prophetam: *Væ*, inquit, *his qui conſuunt pulvillos ſub omni cubitu manus: & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas.* *Ibid.* Hunc locum Papa Gregorius in libro Paſtorali ita exponit: « Pulvillus quippe ſub omni cubitu manûs eſt ponere, cadentes à ſuâ rectitudine animas, atque in hujuſmodi ſe delectatione reclinantes blandâ adulatione refovere: quaſi enim pulvillo cubitus, vel cervicalibus caput ponentis excipitur, cum correptionis duritia peccanti ſubtrahitur, eique mollities favoris adhibetur, ut in errore molliter jaceat, quem nulla aſperitas contradictionis pulſat. » Hi autem qui imperitos adulatores animarum ſuarum medicos quærunt, vanâ ſecuritate ſe ipſos decipiunt. Ad hoc nempe tales quærere ſolent, ut in pœnitendo penè nihil afflictionis corpus eorum ſentiat: præſertim cum præfatus Papa Gregorius dicat: « Caro læta nos traxit ad mortem, afflicta reducat ad veniam. »

Porrò de abſtinentiâ cui quidam pœnitentes diſcretè & laudabiliter, quidam verò indiſcretè & negligenter ſe ſubdere ſolent, Proſperi ſententia hæc eſt: « Membra, inquit, ſua, quæ ſunt ſuper terram, mortificant, quando inſolens corpus jejuniorum conti- *Lib. 2. de Vitâ contemp. cap. 12.*

m *in pœnitiens cilicio*] Quin melius ſit quod Acherius ad marginem annotavit *in compunctione cil. eis*, dubitare nemo poteſt.

n *ſanguine proximi*] Ita optimus codex Clar. Prior editio *cum manibus ſanguine .ſeis.* Quod ſequitur ex Sozomeno, & Innocentio PP. exſcriptum eſt è codice Clarom.

nuatione caſtigant; quando intrà neceſſarium modum ſuum temperant appetitum: quando non ſolùm à delicatioribus cibis moderatâ diſtrictione ſuſpendunt; ſed etiam in ipſis communibus nihil carni ſuæ pro deſiderio, ſed pro ſuſtentandæ vitæ neceſſitate permittunt: certi quòd nec deliciæ quælibet, ſi abſque deſiderio percipiantur, officiunt; & viles cibi plerumque abſtinentiæ profectū, ſi appetenter accipiantur, impediunt. Hinc eſt quòd ſanctus David aquæ viſæ [o] concupiſcentiam caſtigavit, & eam ſibi à ſuis oblatam, ne deſiderio ſuo ex eâ ſatisfacere videretur, effudit. Et ſancto Heliæ perceptio carnium, quoniam non concupivit, non nocuit. Unde datur intelligi, quòd veraciter abſtinentes eſcarum non naturas, ſed concupiſcentias damnent: ac voluptates ſuas deſiderati cibi, vel potiùs abuſione mortificent. Qui autem non ſolùm à qualitate, ſed etiam à quantitate ciborum cupiunt abſtinere, nihil aliud ſtudent, niſi ut quantum ſtomacho reficiendo ac fami eximendæ ſatis eſſe videtur, indulgeant; nec expleant ſuos appetitus aviditate percipiendi, ſed cōprimant; atque eis non ſaturitas edendi finem faciat, ſed voluntas; quia tam à cupiditate pretioſiorū ciborum animos, quàm à nimiâ perceptione * vilium continebunt, qui cibis nec lautioribus volunt, carne luxuriante diſſolvi, nec diſtentione ventris vilibus onerari; quando abſtinentes viri nec delicioſi ſoleant eſſe, nec avidi. Jam de vino abſtinendo vel percipiendo quid dicam? Unde ſanctus Apoſtolus certam fixit regulam dicens: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Quaſi diceret: Luxuriam facit & nutrit vini perceptio nimia, non natura; & propterea non vos uti vino, ſed inebriari prohibeo. Quandoquidem infirmum ſtomachum moderatus uſus vini confortat, ebrietas animum corpuſque debilitat. Denique Timotheo ſuo diſcipulo, qui ſe longâ abſtinentiæ diſtrictione jam fregerat, & ſtomachū ſuum aquæ perceptione corruperat, modico vino uti debere præcepit dicens: *Noli adhuc aquam bibere; ſed modico vino utere propter ſtomachum tuum, & frequentes infirmitates tuas.* Ac per hoc nihil contrà abſtinentiā faciūt, qui vinum non pro ebrietate, ſed tantum pro corporis ſalute percipiunt; nec hoc eis offert voluntas, ſed permittit infirmitas: quæ ſi defuerit, à vino abſtinendum, ne vini perceptio, quæ infirmum ſuſtentat, ſanum corpus incendat: quoniam quidem vino uti, & uſui habere oleum nullus dixerit eſſe peccatum: ſed hæc ideo non debemus carni deſideranti præſtare, ne cum illi licita cōcedere cœperimus, poſcat illicita: & ſibi obſequentes in minimis, in flagitia punienda compellat; ac naturali ordine perturbato, non ſpiritui corpus, ſed ſpiritus corpori dominanti deſerviat.» Et poſt pauca: «Cæterùm ii à quadrupedibus abſtinentes, phaſianis alitibus, capris, atque pavonibus, vel aliis avibus pretioſis, aut piſcibus perfruūtur; non mihi videntur reſecare delectationes ſui corporis, ſed mutare; nec pro abſtinentiâ, ſed velut pro neſcio quâ immunditiâ, vel certè, quod verius eſt, pro ſtomachi nauſeantis teneritudine delicias illas communes ac viles carnes abjicere, quo poſſint aliis non ſolùm carnibus, ſed etiam delicatioribus ac pretioſioribus ſuas voluptates explere, cum, ſicut ſuprà jam patuit, non aliquarum carnium quæ uſui humano conceſſæ ſunt, nobis naturæ damnandæ ſint, quas Deus inſtituit; ſed carnales concupiſcentiæ fugiendæ, quas ſenſui carnis diabolus introduxit. Illi autem qui parciores videri volunt, & gloriam ſibi velut de abſtinentiæ diſtrictione conquirunt, ſic ab omnibus animalibus judicant temperandum, ut peregrinis pomis, ac ſorbis poculis [p] delicatis, cæteriſque aliis immanem ſui corporis impleant appetitum: cum ſpiritalis abſtinentia, non aliquorum ciborum uſum, ſed deſiderium ſuadeat compeſcendum. Et illi magis parſimoniæ ſervire cenſendi ſunt, qui ſibi non aliquarum rerum perceptiones, ſed delectationes corporis interdicunt. Illi quoque qui negatâ ſibi vini perceptione, diverſorum poculorum potionibus inundantur, nequaquam mihi abſtinentiam videntur implere. Qui & ad hoc ſe fortaſſis à vino ſuſpendunt, ut mereantur ab hominibus laudem, & interdicti ſibi vini compenſant poculis ſuavioribus voluptatem.»

Ephes. 5. 18.

1. Timot. 5. 23.

Ibid. cap. 13. init.

Liquet igitur [q] quia ad vulnera peccatorum ſananda, non indocti, & peccatis faventes, ſed docti & ſpirituales medici ſint expetendi: & ad eorum arbitrium pœnitentiæ tempora humiliter ſubeunda: & de capitalibus, manifeſtiſque peccatis publica ſit irretractabiliter agenda pœnitentia. De menſurâ verò atque perceptione cibi & potûs, pœnitentibus, qui rigore abſtinentiæ corpora ſua diſcretè domare ſtatuunt, ſuprà notata Proſperi ſententia conſultò eſt ſequenda. Decet quippe ut cum quis pœnitentiæ mancipatur, ita corpus ſuum jejuniorum continuatione, vigiliarum & orationum aſſiduitate, cæterarumque ſanctarum virtutum exercitatione domare ſtudeat, ut meritò cum Pſalmiſta dicere valeat: *Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter & caro mea.* Pſal. 62. 2.

CAPUT XI.

Quòd ad Eccleſiam orandi gratiâ frequenter conveniri debeat.

QUIA moderno tempore Chriſtiani populi devotio à devotione plebium fidelium, quæ ſub Apoſtolis extitit, longè ſit impar, in ultimo Libelli hujus capitulo breviter commemorabitur. Procul nempe quorumdam Chriſtianorum devotio, ſicut & in nonnullis aliis, ita & in eo quod ad Eccleſiam tepidè conveniunt, ab illius plebis religioſa devotione diſtat. Verum ſicut ſunt plerique, qui pio religioſoque ſtudio orandi gratiâ Eccleſiam ſæpiſſimè frequentant, ita è contrario exiſtunt quidam, qui licet è vicino habeant Baſilicam, id tamen perrarò, quod emendatione dignum eſt, faciunt. Ut ergo templa divinis cultibus mancipata frequenter adiri, ibique Deum conſtanter & devotè oporteat invocari, divinæ Scripturæ teſtimonia ſubtùs collecta teſtantur. Legitur itaque in libro Paralipomenon: *Apparuit noctè Dominus Salomoni & ait: Audivi orationem tuam, & elegi locum iſtum mihi in domum ſacrificii, &c.* Et paulo poſt: *Oculi quoque mei erunt aperti,* 2. Paral. 12.

o *aquæ viſæ*] Acherius mavult *aquæ in ſe.* Infrà *quàm à nimiâ perceptione* &c. ſic optimus codex Clarom. Prior editio hoc in loco fœdum in modum corrupta erat; nam in eâ ſic legebatur *quàm à perceptione animi continebunt vilium.*

p *ſorbis poculis*] Aliàs, Acherius, *ſorbitiunculis.*

q *Liquet igitur*] Hæc reliqua capitis ab his verbis deſunt in codice Clarom. & horum loco habentur ſequentia verba, quæ quidem editis præfero: *Patet igitur quia cibi potûſque perceptio abſtinentibus non ad voluptatem, ſed ad neceſſarium corporis moderatè ſit utenda; (lego uſitanda) & quod non eorum perceptio, ſed potius immoderata delectatio ſit culpa. Quapropter cum quis vult agere pœnitentiam, oportet ut in cibo & potu ſumendo ſuprà comprehenſum teneat modum. Decet quippe ut qui illicita admiſit, licita etiam ſibi interdicat. Caſtiget etiam membra ſua quæ ſunt ſuper terram, jejuniis, vigiliis, & orationibus, & cæteris ſalutiferis afflictionibus; ut juxta Apoſtolum, hoſtia viva, ſancta, & Domino placens fiat, & cum Pſalmiſta dicere valeat:* Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter & caro mea.

& aures mea erecta ad orationem ejus qui in loco iſto oraverit : elegi enim & ſanctificavi locum iſtum, ut ſit nomen meum ibi in ſempiternum ; & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus : Et in E-

Luc. 24. 52. vangelio Lucæ : *Et factum eſt dum benediceret illis, receſſit ab eis & ferebatur in cælum. Et ipſi adorantes regreſſi ſunt in Jeruſalem cum gaudio magno. Et erant ſemper in Templo laudantes, & benedicentes Domi-*

Act. 2. 42. *num :* Et in actibus Apoſtolorum : *Erant autem*, inquit, *perſeverantes in doctrinâ Apoſtolorum, communicatione fractionis panis, & orationibus.* Et paulo

Ibid. 46. poſt : *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in Templo, & frangentes circà domos panem, ſumebant cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis ; collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.*

Ibid. 3. 1. Item ibi : *Petrus & Joannes aſcenderunt in Templum ad horam orationis nonam.* Origenes quoque in Homiliâ de Rebecca : » Vereor, inquit, ne ſitis matri » veſtræ Eccleſiæ adhuc in triſtitia & gemitu ; cum » non convenitis ad audiendum verbum Dei ; & vix » feſtis diebus ad Eccleſiam proceditis ; & hoc non » tam deſiderio verbi quàm ſtudio ſolemnitatis, & » publicæ quodammodo remiſſionis obtentu. Quid » igitur ego faciam, cui diſpenſatio verbi credita eſt ? » ubi vel quando veſtrum tempus inveniam ? pluri- » mum ex hoc, imò penè totum mundanis occupa- » tionibus teritis ; in foro aliud, & aliud in negotia- » tione conſumitis ; aliud litibus vacat, & ad au- » diendum verbum Dei nemo, aut pauci admodum » vacant. Sed quid vos de occupationibus culpo ? » quid de abſentibus conqueror ? præſentes etiam in » Eccleſiâ poſiti non eſtis intenti ; ſed communes & » ex uſu fabulas teritis, & verbo Dei vel lectionibus » divinis terga convertitis. Vereor ne & vobis dica-

Hier. 12. Homil. 10. in Gen. » tur à Domino : *Converterunt ad me dorſa, & non » facies ſuas.* » Et poſt aliqua, in eâdem : » Dicite » mihi vos qui tantummodo feſtis diebus ad Eccle- » ſiam convenitis ; cæteri dies non ſunt feſti ? non » ſunt dies Domini ? Judæorum eſt, dies certos & » raros obſervare ſolemnes, & ideo ad eos dicit Do-

Isai. 1. 13. » minus : *Quia neomenias veſtras, & ſabbata, & » diem magnum non ſuſtineo. Jejunium, & ferias, & » dies feſtos veſtros odit anima mea.* Odit ergo Deus » eos, qui unâ die putant eſſe feſtum Domini. » Quia ergo Chriſtiani inſtar Templi Jeroſolymitani, ubi ſanguis brutorum animalium effundebatur, baſilicas in honore & amore Dei conſtruunt, ubi non jam ſanguis taurorum effunditur, ſed corpus & ſanguis Chriſti conficitur, & à fidelibus percipitur : & Deus tam evidentibus oraculis loca nomini ſuo dicata inhabitare, ibique ſupplicum preces ſe exaudire polliceri dignatur : & Pontifices ſub tantâ invocatione eas Deo dedicant ; ut omnes qui illuc deprecaturi conveniunt, de quacumque tribulatione ad eum clamaverint, conſolationis ejus beneficia conſequantur : oportet ut fideles remotò negligentiæ tepore hujuſcemodi loca ad Deum exorandum, ſibique propitium faciendum frequenter ac devotè adeant ; dignoſque ſe aſpectibus Angelorum, quorum conventus ibi minimè adeſſe dubitatur, exhibeant.

Quod ſi etiam memoratum Templum, in quo pecudes mactabantur, tantæ venerationi habebatur, ut ad illud non ſolùm Judæi divinæ legis notitiam habentes, verùm etiam nationes à teſtamento Dei longè remotæ orandi gratiâ concurrerent ; ſicut habe-

Act. 8. 16. tur in Actibus Apoſtolorum de viro Æthiope Eunucho, qui venerat adorare in Jeruſalem, & revertebatur ; & à Philippo catechizatus, & baptizatus eſt : Quanto magis templa Chriſti, ubi ejus caro & ſanguis immolatur, à fidelibus ſunt religioſis obſequiis veneranda, & aſſiduis precibus inexcuſabiliter frequentanda ? Non igitur ſicut ſe habet quorumdam reprehendenda & emendanda conſuetudo, propter ædiculas quas ſibi ad votum ſuum conſtruunt, ibique Deo ſacrificium offerri poſſe & debere contendunt, templa per Sacerdotum miniſteria nomini divino dicata penitùs ſunt negligenda ac relinquenda : præſertim cum Dominus dicat in lege : *Ad locum* Deut. 12. 6.
quem elegerit Dominus Deus de cunctis tribubus veſtris, ut ponat nomen ſuum ibi, & habitet in eo, venietis, & offeretis illo loco holocauſta, ac victimas veſtras. Et poſt pauca : *Cave ne offeras holocauſta tua* Ibid. 13.
in omni loco quem videris ; ſed in eo quem elegerit Dominus in unâ tribuum tuarum offeres hoſtias. Et in Cap. 58.
ſacris Canonibus, in Concilio ſcilicet Laodicenſi ſit inſtitutum : Quòd non oporteat in domibus oblationes ab Epiſcopis, & Preſbyteris fieri.

CAPUT XII.

De inſtantiâ orationis.

Religioſæ devotioni orationis à multis ut oporteret, & ut exempla Sanctorum antiquorum Patrum docent, non inſiſtitur : quorumdam etiam orationis intentio terrenarum rerum curis, & illicitis cogitationibus miſerabiliter præpeditur. Quod cum ità ſit, quanto in oratione acriùs adverſitatibus mundi concutimur, & cogitationum carnalium graviores tumultus patimur, tanto ardentiùs orationi, & vehementiùs inſiſtere debemus. Inſtantia quippe orationis auxilium nobis tribuit in adverſis ; quoniam ubi non ſufficit humanum, neceſſe eſt ut imploretur orationibus divinum auxilium.

Quantum autem orationi inſiſtendum ſit, ſequentia docent. Ait enim Pſalmiſta : [*Memor fui nocte no-* Pſal. 118. 55.
minis tui, Domine. Item : *Media nocte ſurgebam ad* Ibid. 62.
confitendum tibi. Item : *In noctibus extollite manus* Pſal. 133. 2.
veſtras in ſancta, & benedicite Dominum. Item :] *La-* Pſal. 6. 7.
vabo per ſingulas noctes lectum meum : lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Exiſtunt & alia ejuſdem Pſalmographi de orationis uſu jugiter habendo plura documenta ; quæ hic prolixitatis causâ non ponuntur. Habes & in libro Eccleſiaſtico : *Ne impediaris*, in- Eccli. 18. 22.
quit, *orare ſemper : & ne verearis uſque ad mortem juſtificari : quia merces Domini manet in æternum.*
Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe Ibid. 23.
quaſi homo qui tentat Deum. Qui conſervat legem, Ibid. 35. 2.
multiplicat orationem. Precationem laſſi exaudiet
Dominus. Oratio cum humilitate, ſuper nubes pene- Ibid. 21.
trabit. Dominus quoque in Evangelio ait : *Oportet* Luc. 18. 1.
ſemper orare, & non deficere. Et alibi : *Petite &* Matt. 7. 7.
dabitur, quærite & invenietis. Pulſate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit ; & qui quærit invenit : & pulſanti aperietur. Item : *Vigilate ita-* Luc. 21. 36.
que omni tempore ; ut digni habeamini effugere iſta omnia quæ futura ſunt, & aſtare ante filium hominis. Et Apoſtolus : *Semper gaudete : ſine intermiſ-* 1. Theſ. 5. 17.
ſione orate : in omnibus gratias agite. Item idem : Coloſſ. 4. 2.
Orationi inſtate, vigilantes in ea. Item idem : *Do-* Philip. 4. 6.
minus in proximo eſt : nihil ſolliciti ſitis : ſed in omni oratione & obſecratione cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. Et Petrus : 1. Pet. 4. 7.
Eſtote, inquit, *prudentes & vigilate in orationibus.* Iſidorus in libro Sententiarum : » Orationibus mundamur, lectionibus inſtruimur ; utrumque bonum » eſt ſi liceat ; ſi non liceat, meliùs eſt orare, quàm » legere ; quia in lectionibus agnoſcimus quid facere » debeamus, & in orationibus eadem accipimus quæ » poſtulamus. » Hieronymus ad Euſtochium : » Quam- » Epiſt. 22.
quàm Apoſtolus ſemper orare nos jubeat, & Sanctis » etiam ipſe ſomnus oratio ſit, tamen diviſas orandi » horas habere debemus ; ut ſi fortè aliquo fuerimus » opere detenti, ipſum nos ad officium tempus » admoneat : horam tertiam, ſextam, nonam, di- »

luculum quoque & veſperam, nemo eſt qui neſciat. Nec cibus ante ſumatur niſi oratione præmiſſâ: nec recedatur à menſâ niſi referantur gratiæ Creatori. [Noctibus] bis, terque ſurgendum: revolvenda de ſcripturis quæ memoriter tenemus. « Item Iſidorus: « Sicut enim militi [r] ſine armis ad bellum exire non convenit; ita omni Chriſtiano procedere quolibet ſine oratione non expedit. Hoc eſt remedium ejus qui vitiorum temperamentis exæſtuat, ut quoties quolibet impugnatur vitio, toties in oratione ſubdatur; * quia frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit. Tam perſeveranter intendere oportet animum noſtrum urando atque pulſando, quouſque importunas deſideriorum carnalium ſuggeſtiones, quæ noſtris ſubrepunt ſenſibus, fortiſſimâ intentione ſuperemus: ac tamdiu inſiſtere, quamdiu exurgendo vincamus. » Et paulo poſt: » Oratio cordis eſt, non labiorum: neque enim verba deprecantis Deus intendit, ſed orantis cor aſpicit. Quod ſi tacitè cor oret, & voce ſileat, quamvis hominem lateat, Deum latere non poteſt, qui conſcientiæ præſens eſt. Meliùs eſt cum ſilentio orare corde ſine ſono vocis, quàm ſolis verbis, ſine intuitu mentis. Nunquam eſt ſine gemitu orandum, nam peccatorum recordatio mœrorem gignit: dum enim oramus, ad memoriam culpam reducimus; & magis reos tunc nos eſſe cognoſcimus. Ideoque cum Deo aſſiſtimus; gemere & flere debemus; reminiſcentes, quàm gravia ſint ſcelera quæ commiſimus, quamque dira inferni ſupplicia quæ timemus.

Iſidor. Sent. lib. 3. cap. 7.

Porrò ſunt nonnulli qui orationi frequenter inſiſtunt, & à cæteris bonis operibus vacant; quibus neceſſe eſt ut orationi cæterarum quoque virtutum adjungant operationem. Sunt è contrario qui aliis bonis operibus inſerviunt, & aſſiduæ orationis uſum negligunt: quibus etiam convenit ut bonis operibus orationem quoque aſſiduam annectant. Ait autem Jeremias Propheta: *Levemus corda noſtra cum manibus ad Dominum.* Quod Iſidorus ita exponit: » Cor, inquit, cum manibus levat, qui orationem cum opere ſublevat. Nam quiſquis orat, & non operatur, cor levat, & manus non levat. Quiſquis verò operatur, & non orat; manus levat, & cor non levat. Sed quia operari neceſſe eſt & orare, benè juxtà utrumque dictum eſt: *Levemus corda noſtra cum manibus ad Dominum.* «

Thren. 3. 41.

Ibid. ubi ſuprà.

Quia ergo Salvator noſter non ſolùm formam orationis, ſed inſtantiam, frequentiamque tradidit orandi; oportet ut importunitatem illius viduæ judicem iniquum crebris vocibus interpellantis, necnon & illius amici oſtium amici ſui conſtanter pulſantis, treſque ſibi panes commodari petentis, quos nobis exempli gratiâ ad inſtantiam orandi, ſeque jugiter humiliterque deprecandi exhibuit, imitantes; eumdem Dominum & Salvatorem noſtrum, remoto torpore deſidiæ, jugiter exoremus; ut ſcilicet à cunctis erratibus noſtris nos abſolvat, & æternæ patriæ participes efficiat.

Luc. 11. 5.

CAPUT XIII.

Quòd in Eccleſiâ Dei non ſit otioſis, turpibuſque fabulis vacandum. Et quod qui hæc faciunt, non ſolum ſibi peccatum non minuant, ſed etiam majora accumulent.

MULTI Eccleſiam ingreſſi, non ad Deum puram ſimplicemque orationem dirigunt: quoniam quod ore precantur, hoc etiam mente non meditantur. De talibus Beda in homiliâ 17. Evangelii. » Sunt, inquit, qui intrant in Eccleſiam, multis pſalmodiam, vel orationem ſermonibus prolongant, ſed alibi corde intendendo, nec ipſi quid dicant, recolunt: ore quidem orantes, ſed mente foris vagantes, omni ſe orationis fructu privant; putantes à Deo precem exaudiri, quam nec ipſi qui fundunt, audiunt. Quod antiqui hoſtis inſtinctu fieri nemo eſt qui animadvertere nequeat. Sciens enim utilitatem orandi, & hominibus invidens gratiam impetrandi, immittit orantibus multimoda cogitationum levium, & aliquando etiam turpium nocentiumque phantaſmata, quibus orationem impediat; adeo ut non nunquam tales tantoſque diſcurrentium cogitationum fluctus proſtrati in oratione toleremus. « Sunt itaque plerique, quibus potiùs cordi eſt vanis & obſcœnis confabulationibus vacare, quam lectionibus divinis aurem accommodare; quibus etiam nuſquàm tam delectabile videtur eſſe ſuſurrationes aliorum auribus ingerere, cachinnis ora diſſolvere, quàm in Eccleſiâ Dei, ubi eum humiliter devoteque debuerant invocare, & peccata ſua deflere: ſed & hoc ejuſdem hoſtis antiqui inſtinctu fieri dubium non eſt.

Dominicâ 1. in Quadrageſimâ.

Quòd autem domus Dei non ſit hujuſcemodi illicitarum actionum, ſed potiùs orationum, Dominus docet in Evangelio dicens: *Domus mea, domus orationis eſt, vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.* Origenes quoque ubi de velamine Moyſis ſcribit, ita dicit: » Dicendum nobis priùs eſt quid ſit homo averſus à Domino; ut ſcire poſſimus quid ſit converſus. Omnis qui, cum recitantur verba legis, communibus fabulis occupatur, averſus eſt. Omnis qui cum legitur Moyſes, de negotiis ſæculi, de pecuniis, de lucris ſollicitudinem gerit, averſus eſt. Omnis qui poſſeſſionum curis ſtringitur, & divitiarum cupiditate diſtenditur, qui gloriatur ſæculo, & mundi honoribus ſtudet, averſus eſt. Sed & alius qui ab his quidem videtur alienus, aſſiſtit autem & audit verba legis, & vultu atque oculis intentus, corde tamen & cogitationibus evagatur, averſus eſt. Quid ergo eſt converti? Si his omnibus terga vertitis, & ſtudio ac mentis ſollicitudine verbo Dei operam detis, in lege ejus die ac nocte meditemini: hoc eſt converſum eſſe ad Dominum. Aliqui veſtrûm, ut recitari audierint quæ leguntur, ſtatim diſcedunt; nulla ex his quæ lecta ſunt inquiſitio adinvicem, nulla collatio, nuſquàm memoria mandati illius, quo te divina lex commonet: *Interroga Patres tuos & dicent tibi, preſbyteros tuos & annuntiabunt tibi.* Alii ne hoc ipſum quidem patienter exſpectant, quòd lectiones in Eccleſiâ recitentur. Alii verò nec ſi recitentur ſciunt, ſed in remotioribus Dominicæ domûs locis, ſæcularibus fabulis occupantur. De quibus ego auſus ſum dicere, quia cum legitur Moyſes, jam non velamen ſuper cor eorum, ſed paries quidam & murus eſt poſitus. »

Luc. 19. 46.

In cap. 34. Exod. hom. 12.

Ibid. paulo poſt.

Deut. 32. 7.

Auguſtinus in homiliis ad populum: » Quando convenitis, inquit, ad Eccleſiam, pro peccatis veſtris orate; nolite [rixas committere, nolite lites &] ſcandala concitare, aut otioſas fabulas dicere. [Qui ad Eccleſiam veniens hæc fecerit, ibi ſe litigando vulnerat, ubi ſe orando ſanare potuerat] In Eccleſiâ ſtantes nolite verboſari, ſed ſacras ſcripturas patienter audite. Qui enim in Eccleſiâ verba vana loquutus fuerit, & pro [ſe & pro] aliis rationem redditurus eſt in die judicii, quia verbum Dei nec ipſe audit, nec alios audire per-

De tempore ſermo 214.

r *ſicut enim militi*] Hæc uſque ad, *Hoc eſt remedium*, in Iſidoro nunc non reperiuntur, ait Achertus. Idem ubi habetur *in oratione ſubdatur*, aliàs legi monet *ad orationem ſe convertat.*

mittit. « Item idem : » Plures ſunt de quorum perditione nimiùm contriſtor ; illos dico qui venientes ad Eccleſiam, magis litigare cupiunt quàm orare, & quando lectiones divinas debent in Eccleſiâ intentis auribus & totâ pietate ſuſcipere, tunc foris cauſas dicere, & diverſis [ſe] ſtudent calumniis impugnare. Aliquando etiam, quod pejus eſt, aliqui nimium iracundiâ ſuccenduntur, amariſſimè rixantur, & turpiter ſibi convitia, & crimina, & calcibus & pugnis invicem colliduntur. Melius enim fuerat talibus ad Eccleſiam non venire, quàm tot malis contrà ſe divinam iram provocare. Iſti enim etſi cum minoribus peccatis ad Eccleſiam veniunt, cum multis criminibus de Eccleſiâ revertuntur. « Item idem : » Sunt namque aliqui qui in natalitiis Sanctorum, aut in quâlibet feſtivitate, cauſas aut dicere, aut audire volunt ; &, quod pejus eſt, non pro veritate, ſed pro avaritia & cupiditate. Debent enim cauſas dicere, & cum juſtitiâ deliberare ; ſed aliis diebus, alio tempore, non in Sanctorum ſolemnitate, quando omnes homines magis debent Deo vacare, quàm ſe diverſis litibus impugnare. « Item idem : » Quando ad Eccleſiam convenitis, nolite vos talibus fabulis occupare, unde poſſitis peccata acquirere. Nolite vos occupare ad litigandum, ſed potiùs ad orandum, ut non rixando Deum offendere, ſed

Beda cap. 2. in Evang. Joan tom. 5. Joan. 2. 15. ſupplicando gratiam ipſius poſſitis acquirere. « Beda in homilia Evangelii vigeſimâ : *Cum feciſſet Dominus quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo.* Quid ergo, fratres mei, quid putatis faceret Dominus, ſi rixis diſſidentes, ſi fabulis vacantes, ſi riſu diſſolutos, vel alio quolibet ſcelere reperiret irretitos, qui hoſtias quæ ſibi immolarentur, ementes in Templo [vidit, &] eliminare feſtinavit ? Hæc propter illos diximus, qui Eccleſiam ingreſſi, non ſolùm intentionem orandi negligunt, verùm etiam ea pro quibus orare debuerant, augent. Inſuper & arguentes ſe pro hujuſmodi ſtultitiâ, convitiis, odiiſque vel detractionibus inſequuntur : addentes videlicet peccata peccatis, & quaſi funem ſibi longiſſimum inoniter eorum augmentationem texentes, nec timentes ex eo diſtricti judicis examinatione damnari. « Et paulo poſt : » Unde multum tremenda ſunt hæc, dilectiſſimi, & digno expaveſcenda timore, ſedulâque præcavendum induſtriâ, ne veniens improviſus perverſum quid immeritò, nobis, unde [meritò] flagellari, ac de Eccleſiâ ejici debeamus, inveniat ; & maximè in illâ quæ ſpecialiter domus orationis vocatur, obſervandum ne quid ineptum geramus, ne cum Corinthiis audiamus ab Apoſto-

1. Cor. 11. 22. lo : *Numquid domos non habetis ad agenda vel loquenda temporalia, aut Eccleſiam Dei contemnitis?*

Joan. 2. 18. Item idem in eâdem : *Zelus domus tua comedit me.* Zelemus & nos, fratres cariſſimi, domum Dei, quantum poſſumus, ne quid in eâ pravum geratur inſiſtamus : ſi viderimus fratrem, qui ad domum Dei pertinet, ſuperbiâ tumidum, ſi detractionibus aſſuetum, ſi ebrietati ſervientem, ſi luxuriâ enervatum, ſi iracundiâ turbidum, ſi alio cuiquam vitio ſubſtratum, ſtudeamus in quantum facultas ſuppetit, caſtigare, polluta ac perverſa corrigere : & ſi quid de talibus emendare nequimus, non ſine acerrimo mentis ſuſtinere dolore : & maximè in ipſa domo orationis, ubi corpus Domini conſecratur : ubi Angelorum præſentia ſemper adeſſe non dubitatur, ne quid ineptum, ne quid noſtram, ſive fraternam orationem impediat, totis viribus agamus. «

Apoſtolus namque omnibus Chriſtianis ſtultiloquium, & ſcurrilitatem penitùs cavendam eſſe decernit : quibus magis convenit lugere, quàm ridere, juxtà illud Evangelicum : *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Matt. 5. 5. Quapropter ſummopere omnibus fidelibus procurandum eſt, ut nihil in Eccleſiâ inhoneſtum, aut cogitatione, aut dicto, aut facto gerant ; ne forte peccatis, pro quibus abſolvendis confluxerant, peccata accumulantes, non abſolutionem peccatorum acquirant ; ſed magis funes, quibus quodammodo ligentur, ſibi accumulent.

CAPUT XIV.

Quòd & in aliis competentibus locis, ſi locus Baſilicæ procul fuerit, oratio ad Deum, & Confeſſio peccatorum fieri poſſit & debeat.

SIcut ſunt nonnulli qui orandi gratiâ Eccleſiæ limina frequentare negligunt, ita è contrario exiſtunt plerique, qui pro eo quod Baſilicas adire nequeunt, & Reliquias ſanctorum præſto non habent, idcircò vota precum ſuarum ad Dominum, ut oporteret, ſupplici devotione non fundunt : non animadvertentes, quòd Deus non ſit minùs in parte, quàm in toto ; ſed ubique totus, ubique præſens, ubique mirabilis. Unde ait Pſalmiſta : *Quo ibo à ſpiritu tuo ; & a facie tuâ quo fugiam ? Si aſcendero in cœlum, tu illic es : ſi deſcendero in infernum, ades.* Pſal. 138. 7. Item : *In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino.* Ibid. 102. 22. Legitur itaque in libro Regum : *Si egreſſus fuerit populus tuus ad bellum contrà inimicos ſuos per viam, quocumque miſeris eos, orabunt te contrà viam civitatis, quam elegiſti, & contrà domum quam ædificavi nomini tuo : & exaudies in cœlo orationem eorum, & preces eorum, & facies judicium eorum. Quòd ſi peccaverint : non eſt enim homo qui non peccet, & iratus tradideris eos inimicis ſuis, & captivi ducti fuerint in terram inimicorum ſuorum longè vel propè ; & egerint pœnitentiam in corde ſuo in loco captivitatis, & converſi deprecati te fuerint in captivitate ſuâ dicentes : peccavimus, iniquè egimus, impiè geſſimus. Et reverſi fuerint ad te in univerſo corde ſuo, & totâ animâ ſuâ in terrâ inimicorum ſuorum, ad quam captivi ducti ſunt, & adoraverint te contra viam terræ ſuæ, quam dediſti patribus eorum, & civitatis quam elegiſti, & templi quod ædificavi nomini tuo : exaudies in cœlo, in firmamento ſolii tui orationem eorum & preces ; & facies judicium eorum.* 3. Reg. 8. 44. Et in libro Danielis : *Quod cum Daniel comperiſſet, id eſt, conſtitutam legem, ingreſſus eſt domum ſuam, & feneſtris apertis in cœnaculo ſuo contrà Jeruſalem, tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat ; confitebaturque Deo ſuo, ſicut & ante facere conſueverat.* Dan. 6. 10. Apoſtolus quoque ait : *Volo igitur viros orare in omni loco, levantes puras manus ſine irâ & diſceptatione.* Hieronymus ad Euſtochium : « Egredientes hoſpitium armet oratio : regredientibus de plateâ oratio occurrat antequàm ſeſſio. Nec priùs corpuſculum requieſcat, quàm anima verbo Dei paſcatur. Ad omnem actum, ad omnem inceſſum, manus pingat crucem. » Epiſt. 22 ſub finem.

Joannes os aureum : « Quando, inquit, accubueris ſuper ſtratum tuum, & nemimem infeſtum pateris, antequàm veniat tibi ſomnus, profer in medio codicem conſcientiam tuam, reminiſcere peccata tua, ſi quid in verbo, ſeu in facto, vel in cogitatione peccaſti : Hæc enim dicit Propheta : *Iraſcimini, & nolite peccare ; quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.* Pſal. 4. 5. Per diem non habuiſti tempus, ſed obſervaſti judicia tua ; & injunctum negotium, & confabulatio amicorum, & domeſtica neceſſitas, & filiorum cura, & conjugis ſollicitudo, & militiæ

» timor, & mille circumdederunt cauſæ. Quando in » lectulum tuum veneris ut ſopori membra conce» das, ad tranquillum portum nemo tibi moleſtus » eſt, nemo pulſat : dicito in corde tuo & animæ » tuæ : Expendimus diem, ô anima, quid boni fe» cimus ? aut quid mali operati ſumus ? Et ſi quid » boni feciſti, gratias age Deo tuo ; ſi quid verò » mali, de cætero ne facias : & reminiſcens pecca» torum tuorum, effunde lacrymas, & poteris in » lectulo tuo poſitus ea delere. Roga Dominum » tuum, & ſic permitte animam tuam ſoporare. His & cæteris ſanctæ Scripturæ innumeris teſtimoniis apertè demonſtratur, ſi Baſilica propè fuerit, & poſſibilitas permiſerit, in Baſilicâ ; ſin autem procul fuerit, ubique Deum pro peccatis exorandum, eique confeſſionem peccatorum faciendam, ſupernorumque civium, quorum virtus apud Altiſſimum magna eſt, ſuffragia depoſcenda.

CAPUT XV.

Quòd confeſſio peccatorum, exceptâ eâ quæ ſacerdotibus ad conſilium accipiendum Deumque placandum fit, Deo in oratione ſit facienda.

FIdeles idcircò peccata ſua ſacerdotibus confitentur, quoniam illis poteſtas eſt à Domino collata ligandi atque ſolvendi. Ad quorum etiam judicium, pœnitentiæ tempora ſubeunt. Quod verò pœnitentia prolixitate temporis non ſit penſanda, ſed contritione cordis, pœnitentia David, & cæterorum ſanctorum pœnitentum in promptu eſt. Quamquàm autem peccata ſua quiſpiam ſacerdoti confiteatur, & ad ejus conſilium tempora pœnitentiæ peragat : in oratione tamen Deo, quem ſibi peccando iratum fecit, peccata ſua confiteri, & ab eo contrito corde, & lacrymoſis ſuſpiriis veniam ſibi depoſcere debet. Tunc enim peccator rectè Deo
Pſal. 50. 11.
dicere poteſt ; *Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele*, cum peccata ſua
Ibid. v. 5.
pœnitendo & deflendo coram ſe ponit, juxtà illud
Ibid. 31. 4.
Pſalmiſtæ : *Et peccatum meum contrà me eſt ſemper.* Et illud : *Converſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina. Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitias meas non abſcondi. Dixi : confitebor adverſùm me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti*
Ibid. 36. 5.
impietatem peccati mei. Et item : *Revela Domino viam tuam, & ſpera in eum, & ipſe faciet.* Et Sa-
Prov. 28. 13.
lomon quoque ait : *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur : qui autem converſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.* Joannes Apoſtolus
1. Joan. 1. 9.
ait : *Si autem confiteamur peccata noſtra, fidelis & juſtus eſt, ut remittat nobis peccata, & mundet nos*
Pſal. 50. 5.
ab omni peccato. Joannes os aureum : (*Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.*) » O mentis integritas ! Non » eſt oblitus peccati ſui, & iniquitatis ; quamvis » conceſſum ſibi fuerit, ille tamen in conſcientiâ » ſuâ tamquàm in imagine adulterium & homici» dium depictum habebat, & per ſingulos dies vi» debat putredinem, ideo dicebat ; *Et peccatum » meum contrà me eſt ſemper.* Ego illud video, tu » Domine conſideras. Ego illud ſcribo, tu quaſi » Dominus dele. Vide enim quid ſit : ſi tu memor » ſis, Deus non erit memor ; ſi tu ejus oblitus fue» ris, Deus ejus memorabitur. Nec enim, ſi non » dixeris, ignorat ea Deus. Numquid à te vult ea » cognoſcere ? cum faciebas ea, præſto erat : cum » admitteres, noverat. Peccare non erubuiſti, & » confiteri erubeſcis ? Dicito in hac vitâ, ut in illo » requiem habeas. Dicito ingemiſcens & lacrymans. » In codice ſcripta ſunt peccata tua : ſpongia peccatorum tuorum lacrymæ tuæ ſunt. Grandis enim « virtus. Dicam tibi quid valeant lacrymæ. Quid « martyribus majus, qui animam ſuam ponunt « pro amico ſuo ? Grandis gloria martyrum. Mar« tyres effundunt ſanguinem. Peccatores effundunt « lacrymas. Meretrix illa non fudit ſanguinem, ſed « fontes lacrymarum profudit, & delevit peccata « ſua. Et quid dicam de meretrice, & immundâ « muliere ? columna Eccleſiæ, & fundamentum fi« dei, primus Apoſtolus Petrus ad ancillulæ viliſ« ſimæ muliérculæ interrogationem tertiò negavit « Deum : numquid ſanguinem fudit ? Nonne amarè « profudit lacrymas, & abſtulit peccatum ſuum, « & recepit priſtinam dignitatem ? Habeto codi« cem conſcientiam tuam, & ſcribe peccata quo« tidiana. «

Præmiſſa igitur ſaluberrima teſtimonia indicant, quòd exceptâ confeſſione, quæ ſacerdotibus abſque cunctatione fieri debeat, unicuique in oratione Deo ſua jugiter ſint confitenda peccata, & gemitibus & lacrymis abluenda. Si quis autem curioſè ſcire voluerit, ubi in novo Teſtamento legatur, quòd peccatores ſacerdotibus confeſſionem peccatorum ſuorum facere debeant, audiant quod ſecundum Marci
Marc. 15.
Evangeliſtæ teſtimonium, qui à Joanne baptizabantur, peccata ſua confitebantur. Audiant autem, quòd prædicante Paulo Epheſiis, *Multi credentium*
Act. 19. 18.
veniebant, confitentes, & annuntiantes actus ſuos. Et in Epiſtolâ Joannis Apoſtoli : *Si autem confitea-*
1. Joan. 1. 9.
mur peccata noſtra, fidelis & juſtus eſt, ut remittat nobis peccata. Item in Epiſtolâ Jacobi Apoſtoli :
Jac. 5. 16.
Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem ut ſalvemini.

CAPUT XVI.

De eo quod majora peccata Sacerdoti, quotidiana verò & levia alterutrum ſint manifeſtanda.

MOris eſt Eccleſiæ de gravioribus peccatis ſacerdotibus, per quos homines Deo reconciliantur, confeſſionem facere ; de quotidianis verò & levibus quibuſque, perrari ſunt qui invicem confeſſionem faciant, exceptis Monachis, qui id quotidie faciunt. Quòd verò de levibus & quotidianis peccatis confeſſio mutua fieri debeat ; ſequentia manifeſtant. Jeſus filius Sirach dixit : *Non confundaris*
Eccli. 4. 31.
confiteri peccata tua. Et alibi : *Juſtus in principio ac-*
Prov. 18. 17.
cuſator eſt ſui. Et Dominus in Evangelio : *Arcta &*
Matt. 7. 14.
anguſta eſt via quæ ducit ad vitam : hoc eſt peccatorum confeſſio. Jacobus Apoſtolus ait : *Confite-*
Jac. 5. 16.
mini alterutrum peccata veſtra : & orate pro invicem, ut ſalvemini. Hunc locum Beda Venerabilis Presbyter ita exponit : « In hac ſententiâ illa de- «
In cap. 5 Jac. epiſt.
bet eſſe diſcretio, ut quotidiana leviàque peccata « alterutrum coæqualibus confiteamur, eorumque « quotidianâ credamus oratione ſalvari. Porrò gra« vioris lepræ immunditiam, juxtà legem, ſacer« doti pandamus ; atque ad ejus arbitrium quali« tate, & quanto tempore juſſerit, purificare cure« mus. « Hieronymus in expoſitione Eccleſiaſtæ : «
Idem ex commentar. in cap. 10 v. 11.
» Si quem ſiuè ſerpens diabolus occultè momor« derit, & eum, nullo conſcio, peccati veneno in« fecerit : ſi tacuerit qui percuſſus eſt, & non egerit « pœnitentiam, neque vulnus ſuum fratri, & ma« giſtro voluerit confiteri, magiſter & frater qui lin« guam habent ad curandum, facilè ei prodeſſe non « poterunt. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus me« dio confiteri, quod ignorat medicina non curat. «
Prov. 10. 11.
Item in expoſitione Proverbiorum : *Os impiorum* «
In expoſ. cap. 10.
operit iniquitatem. » Impii ſunt qui vulnera ſua « vel proximorum errata, ne ad ſanitatem perve- »

» niant, defendendo contegunt, quod execrans Propheta Dominum orat, ut non declinet cor ſuum in verbum malum ad excuſandas excuſationes in peccatis.

Pſal. 104. 4.

Habetur quid ſimile in 3 Pſ. pœnit. v. 4.

Gregorius in homiliis: » Humilitatis teſtimonia ſunt, & iniquitatem ſuam quemque cognoſcere, & cognitam voce confeſſionis aperire. Uſitatum humani generis vitium eſt, & labendo peccatum committere, & commiſſum non confitendo prodere; ſed negando defendere, atque convictum defendendo multiplicare. Ex illo quippe lapſu primi hominis hæc augmenta nequitiæ ducimus: ex quo ipſam radicem traximus culpæ. Ad hoc primus homo requiſitus fuerat, ut peccatum, quod tranſgrediendo commiſerat, confitendo deleret: & interrogatus ubi eſſet, ut perpetratam culpam confitendo cognoſceret, & quàm longè à conditoris ſui facie abeſſet. » Indicia veræ confeſſionis ſunt, ſi cùm quiſque ſe peccatorem dicit, id de ſe dicenti etiam alteri non contradicit. Scriptum eſt: *Juſtus in principio accuſator eſt ſui.* Non magis peccator, ſed juſtus videri appetit, cum peccatorem ſe quiſque nullo arguente confitetur. » Et poſt pauca: » Curandum ſummoperè eſt, ut mala quæ fecimus, & ſponte fateamur, & hæc aliis arguentibus non negemus. Superbiæ quippe vitium eſt, ut quod ſe fateri quiſque quaſi ſua ſponte dignatur, hoc ſibi dici ab aliis dedignetur. » Pignus debitoris eſt, confeſſio peccatoris. A debitore enim pignus accipitur, cum à peccatore jam confeſſio peccati tenetur. Origenes in Levitici libri expoſitione: » Si peccaverit, inquit, unum aliquid de iſtis, pronuntiet peccatum ſuum quod peccavit. Eſt aliquid in hoc mirabile ſecretum, quod jubet pronuntiare peccatum: etenim omni genere pronuntianda ſunt, & in publicum proferenda cuncta quæ gerimus, ſi quid in occulto gerimus, ſi quid in ſermone ſolo, vel etiam intra cogitationum ſecreta commiſimus, cuncta neceſſe eſt publicari: proferri autem ab illo, qui & accuſator peccati eſt & incentor. Ipſe enim & nos ut peccemus inſtigat; ipſe etiam cum peccaverimus accuſat. Si ergo in hac vitâ prævenimus eum, & ipſi noſtri accuſatores ſimus, nequitias diaboli inimici noſtri & accuſatoris effugimus: ſic enim & alibi Propheta dicit: *Dic tu*, inquit, *iniquitates tuas prior, ut juſtificeris.* Nonne evidenter myſterium quod tractamus oſtendit, cum dicit: *Dic tu prior?* Ut oſtendat tibi quia prævenire illum debeas, qui paratus eſt ad accuſandum. Tu ergo, inquit, dic prior; ne te ille præveniat. Quia ſi prior dixeris, & ſacrificium pœnitentiæ obtuleris, & tradideris carnem tuam in interitum, ut ſpiritus ſalvus fiat in diem Domini; dicetur & tibi, quia recepiſti in vitâ tuâ mala tua, nunc verò requieſce hìc. » Ille enim qui non ſponte compungitur, ſed alio arguente convincitur, difficiliùs remedium conſequitur.

Moral. lib. 22. cap. 10.

Prov. 18. 17.

Ibid.

Origen. in cap. 5 Levit. homil. 3.

Iſai. 43.

1. *Cor.* 5. 5.
Luc. 16. 25.

His documentis colligi poteſt, quòd ſicut quotidie in multis offendimus, ita quotidie de admiſſis confeſſionem alterutrum facere, & orationibus, & eleemoſynis, & humilitate, & contritione cordis & corporis ea debemus purgare.

CAPUT XVII.

De cogitationibus immundis cavendis: & quot modis peccatum in corde, & quot perpetretur in opere.

SICUT ſunt plerique qui in turpiloquiis, & ſcurrilitatibus, conviciiſque, atque otioſis ſermonibus vacando; ita exiſtunt quàm plures, quidam vanis & immundis cogitationibus delectantur, ſe minimè deliquiſſe credant. Illa quippe non ſolùm dicentibus, verùm etiam aurem libenter accommodantibus peccati maculam ingerunt. Porrò cogitationes immundæ plerumque ad prava pertrahunt, juxtà illud Evangelicum: *Ex corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, & reliqua.* Manifeſtum eſt autem quia ſicut cogitationes ſanctæ cuſtodiunt, ita è contrario immundæ dom delectant, inquinant: quæcumque autem (ut Beda Venerabilis Preſbyter ſcripſit) ſæpiùs agere, loqui, vel audire ſolemus, eadem neceſſe eſt ſæpiùs ad animum quaſi ſolitam propriamque recurrant ad ſedem. Et ſicut volutabra ſues paluſtria, columbæ limpida ſolent frequentare fluenta; ita cogitationes impuræ mentem immundæ perturbant, caſtam ſpiritales ſanctificant. Scribit etiam Iſidorus in libro Sententiarum: » Quamvis, inquit, & ſi ab opere malo quiſque vacet, pro ſolius tamen pravæ cogitationis malitiâ non erit innocens. » Unde Dominus per Iſaiam: » *Auferte*, inquit, *malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis.* Non enim ſolùm factis, ſed & cogitationibus delinquimus, ſi eis illicitè occurrentibus delectemur: ſicut vipera à filiis in utero poſitis lacerata perimitur; ita nos cogitationes noſtræ intrà nos [1] enutritæ occidunt, & conceptæ interiùs vipereo veneno conſumunt, animamque noſtram crudeli vulnere perimunt.

Matt. 15. 16

Iſai. 1. 16.

Noſtræ quippe voluntatis eſt cogitationes illicitas animo verſare, eiſque oblectari: dæmonum verò eſt eis incitamenta præbere. Non ergo Diabolus auctor, ſed incentor eſt immundarum cogitationum; ſicut beatus Hieronymus in Commentariis Matthæi Evangeliſtæ dicit: » Arguendi ſunt qui cogitationes à diabolo immitti putant, & non ex propria naſci voluntate. Diabolus adjutor eſſe & incentor malarum cogitationum poteſt, auctor eſſe non poteſt; ſin autem ſemper in inſidiis poſitus, [2] levem cogitationũ noſtrarum ſcintillam ſuis fomitibus inflammarit; non debemus opinari eum cordis quoque occulta rimari, ſed ex corporis habitu & geſtibus æſtimare quid verſemus intrinſecus. » Verbi gratiâ, ſi pulcram mulierem nos crebrò viderit reſpicere, intelligit cor amoris jaculo vulneratum. Sunt ſanè nonnulli qui dum corde peccatum concipiunt, faciendumque deliberant, id aut timore omittunt, aut difficultate adimplere nequeunt: hi profectò in domo, id eſt, in corde moriuntur, ideoque neceſſe eſt ut hujuſcemodi in talibus cogitationibus ſe deliquiſſe cognoſcant; & per confeſſionem ad pœnitentiæ lamenta confugiant, ſanctorumque interceſſiones & auxilia depoſcant; quatenus à Domino JESU-CHRISTO, cui omnia vivunt, inſtar illius filiæ archi-ſynagogæ in domo, id eſt, in corde, ad vitam reſuſcitari mereantur.

Ex Comment. in Matth. cap. 15.

Oportet itaque ut omnes à ſuis cordibus noxias cogitationes, veluti muſcas immundas, divinâ operâ ſuffragante propulſent: ut enim quis à veſte ſuâ, ſi quidpiam ſordium in eam ceciderit, protinùs id abjicit, ita unuſquiſque cogitationes immundas à corde ſuo abjicere debet: quoniam ſicut ignitus carbo cùm in aliquâ parte corporis lapſus fuerit, niſi illicò rejiciatur, exurit; ita & cogitationes ſordidæ, quæ ſe mentibus humanis importunè immergunt, niſi à mente citò repellantur, peccati quodammodo vulnus gignunt.

Noſſe etenim oportet, quot modis peccatum in corde, & quot perpetretur in opere. Unde beatus

[1] [*noſtra intrà nos*] Sic codex Clar. emendatè: prior editio *noſtra non* corruptè. Infrà ubi legitur *in inſidiis poſſit* Achetius rectè monuit legendum *in inſidiis poſitus*.

Gregorius

Lib. 4. cap. 25. in 3. cap. Job. Gregorius in Moralibus: « Quatuor, inquit, modis peccatum perpetratur in corde; quatuor conſummatur in opere. In corde namque ſuggeſtione, delectatione, conſenſu, & defenſionis audaciâ perpetratur. Fit enim ſuggeſtio per adverſarium; delectatio per carnem; conſenſus per ſpiritum; defenſionis audacia per elationem. Plerumque culpa quæ terrere mentem debuit, extollit, & dejiciendo elevat, ſed graviùs elevando ſupplantat. Unde & illam primi hominis rectitudinem antiquus hoſtis, his quatuor ictibus fregit. Nam ſerpens ſuaſit, Eva delectata eſt, Adam conſenſit, qui etiam requiſitus confiteri culpam per audaciam noluit. » Quatuor item modis peccatum conſummatur in opere: priùs namque intùs culpa agitur: poſtmodum verò etiam ante oculos hominum ſine confuſione reatus aperitur, dehinc & in conſuetudinem ducitur, ad extremum quoque vel falſæ ſpei ſeductionibus, vel obſtinatione miſeræ deſperationis enutritur. Hæc quatuor peccata non abs re poſſunt intelligi quadrigæ Pharaonis, id eſt, diaboli: proinde neceſſe eſt ut ab omnibus caveantur. Cum enim priùs ſuggeſtioni repugnatur, delectatio non ſequitur; ſi verò delectationi renîſum fuerit, conſenſioni malæ opus non perficitur. At ſi conſenſio non repellitur, miſerabiliter in defenſionis audaciam & deſperationis obſtinationem labitur: oſſaque, id eſt, virtutes animæ illius, quæ his vitiis mancipata fuerit, juxtà illud Pſal. 31. 3. Pſalmographi, inveteraſcunt; ait enim: *Quoniam tacui*, id eſt, non ſum peccata mea confeſſus, *inveteraverunt omnia oſſa mea*, id eſt, virtutes animæ meæ. Quod verò ſubjungit, *dum clamarem totâ die*, idem eſt ac ſi diceret: dum defenderem peccata mea: defenſio quippe & obſtinatio peccatorum in ſcripturis ſanctis clamor appellatur. Quapropter ſummopere perpendendum his eſt, qui noxiis cogitationibus delectantur, in qualem ab his culpam prolabi ſoleat.

CAPUT XVIII.

Quod quorumdam alienorum peccatorum conſcii, niſi ea emendationis causâ & ſalutis prodiderint, delinquant.

CONFITENTES ſecretâ confeſſione ſacerdotibus peccata ſua, & ea dignæ pœnitentiæ ſatisfactione delentes, nequaquàm ſunt prodendi. De peccatis verò quæ frater in fratrem admiſerit, Evangelicum documentum prorsùs eſt ſequendum. Quòd autem [t] conſcii quorumdam alienorum peccatorum, niſi ea aut correxerint, aut emendationis gratiâ manifeſtaverint, in diſcrimen adducuntur, ea quæ ſequuntur manifeſtant. Scribit itaque Origenes in homiliâ libri Levitici: Homil. 3. Levit. 5. 1. « Videamus, inquit, jam quid ait & iſta anima, quæ audit vocem juramenti, & teſtis eſt, vel quæ vidit aliquid, & conſcia, & non indicat: ex quo accepit etiam ipſa peccatum ejus ſine dubio, qui iniquè aut egit aliquid, aut juravit. Hoc etiam ſecundùm hiſtoriam nos ædificat, & docet, ne unquam in peccatis alterius polluamus conſcientias noſtras, nec conſenſum malè agentibus præbeamus. Conſenſum autem dico, non ſolùm pariter agendo; ſed etiam quæ illicitè geſta ſunt reticendo. Vis autem ſcire quia conſentiant hæc etiam evangelicis præceptis? Ipſe Dominus dicit: Matt. 18. 15. *Si videris fratrem tuum peccare, argue eum inter te & ipſum ſolum; ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum; quòd ſi te non audierit, adhibe tecum alios duos vel tres. Quòd ſi nec ipſos audierit, dic Eccleſiæ. Si verò Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Et paulo poſt: « Cum ergo Evangelii tale mandatum ſit, & lex præcipiat, quia ſi tacuerit, accipiet peccatum ejus: ſciendum eſt, quòd ſi quis ea quæ videt in delicto proximi ſui, vel non indicat ſecundùm regulam ſuperiùs dictam, vel in teſtimonium vocatus, non quæ vera ſunt, dixerit, peccatum quod commiſit ille, quem celat, ipſe ſuſcipiet; & pœna commiſſi revolvetur ad conſcium. » Ibid. Item idem in homiliâ de Achan furante linguam auream: *Si peccaverit*, inquit, *anima & audierit vocem jurantis, teſtiſque fuerit, quod aut ipſe vidit aut conſcius eſt, niſi indicaverit, portabit iniquitatem ſuam*. Levit. 5. 1.

Homil. 7. in Jeſu Nave. Item idem in eâdem: « Sed & illud non otiosè tranſcurrendum eſt; quòd uno peccante ira ſuper omnem populum venit. Hoc quomodo accidit? quando ſacerdotes qui populo præſunt, ergà delinquentes benigni volunt videri; & verentes peccantium linguas ne fortè malè de his loquantur, ſacerdotalis ſeveritatis immemores, nolunt implere quod ſcriptum eſt: *Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri metum habeant.* 1. Tim. 5. 20 Et iterum: *Auferte malum de vobis ipſis.* 1. Cor. 5. 13. Nec zelo Dei ſuccenſi imitantur Apoſtolum dicentem: *Tradidi hujuſmodi hominem in interitum carnis; ut ſpiritus ſalvus fiat.* Ibid. v. 5. Neque illud Evangelicum ſtudent, ut ſi viderint peccantem primò ſecretè conveniant; poſt etiam duobus vel tribus dicant arbitris: quòd ſi contempſerit, & poſt Eccleſiæ correptionem non fuerit emendatus de Eccleſiâ, velut gentilem habeat & publicanum. Et dum parcunt uni, univerſæ Eccleſiæ moliuntur interitum. Quæ eſt iſta bonitas? Quæ iſta miſericordia eſt? Uni parcere, & omnes in diſcrimen adducere? Polluitur enim ex uno peccatore populus: ſicut unâ ove morbidâ grex univerſus inficitur, ſic etiam uno vel fornicante, vel aliud quodcumque ſceleris committente, plebs univerſa polluitur. Et ideo obſervemus nos invicem, ut uniuſcujuſque converſatio nota ſit maximè ſacerdotibus & miniſtris. Nec putent ſecretè dicere: quid hoc ad me ſpectat, ſi alius malè agit? Hoc eſt dicere caput ad pedes; quid ad me pertinet, ſi dolent, ſi malè habent pedes mei? non meâ intereſt, dummodò caput in ſanitate perduret. Aut ſi dicat oculus manui, non indigeo operâ tuâ, quid ad me pertinet ſi doles, ſi vulnerata es? numquid ego oculus conturbor ex ægritudine tuâ? Tale ergo eſt quod agunt hi qui Eccleſiis præſunt, non cogitantes quia unum corpus ſumus omnes qui credimus, unum Deum habentes, qui nos in unitate conſtringit & continet. »

Et Apoſtolus: *Non ſolùm*, inquit, *qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte.* Rom. 1. 32. Item idem in Epiſtolâ ad Corinthios: *Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit; expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azymi.* 1. Cor. 5. 7. Gregorius in libro paſtorali: « Qui enim, inquit, proximorum mala reſpiciunt, & tamen in ſilentio linguam premunt, quaſi conſpectis vulneribus uſum medicaminis ſubtrahunt: & eo mortis auctores ſunt, quo virus, quod poterant curare, noluerunt. » Audiant hoc illi qui propter amorem, aut timorem, aut muneris acceptionem malorum letalia peccata detegere refugiunt: quod niſi ea correctionis & ſalutis causâ prodiderint, ſimiles peccanti fiant; & uno peccante, cæteris tacentibus, & non corripientibus, periculum immineat. Qui enim

t *quod autem conſcii*] Sic edidimus deleto verbulo *eſt* poſt adverbium *autem*. Acherius *qui autem ſunt conſcii*, quàm rectè, cuilibet patebit.

eſt audivimus. Dixitque eis, in quo ergo baptizati eſtis? at illi dixerunt, in Joannis baptiſmate. Ait autem Paulus: Joannes baptizavit baptiſmo pœnitentia populum, dicens, in eum qui venturus eſt poſt ipſum, hoc eſt in Jeſum, ut crederent in eum. Quod cum audiſſent, baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu. Et cum impoſuiſſet illis manum Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos; & loquebantur linguis, & prophetabant. Attende quòd poſt baptiſmatis perceptionem, illicò per impoſitionem manuum à beato Paulo acceperint Spiritum ſanctum. Item alio loco;

Act. 8. 16. *Cum audiſſent Apoſtoli qui erant Jeroſolymis, quia recepiſſet Samaria verbum Dei; miſerunt ad illos Petrum & Joannem. Qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat; ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu. Et imponebant illis manus, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Notandum eſt quòd in neminem baptizatorum venerit Spiritus ſanctus, niſi per impoſitionem manuum Apoſtolorum. Credendum verò eſt quia ſicut baptiſmatis, & corporis, & ſanguinis Domini Sacramenta, per Sacerdotum myſteria viſibilia fiunt, & per Dominum inviſibiliter conſecrantur; ita nimirum Spiritûs ſancti gratia per impoſitionem manuum, miniſterium adminiſtratum Epiſcoporum fidelibus inviſibiliter tribuatur. Cur autem non à Preſbyteris, ſed ab Epiſcopis, Apoſtolorum ſucceſſoribus, credentium frontes ob percipiendum ſancti Spiritûs donum ſacro-ſancto chriſmate ſignentur;

Innocent. I. Epiſt. 1. cap. 3. ſanctus Papa Innocentius in Decretalibus ſuis, pleniſſimè ſcribit: ad quem locum curioſè diligenterque ſcire volentem mitto. Præmiſſis itaque documentis pleniſſimè prædocetur nequaquàm à fidelibus tanti doni perceptio negligenter differenda, ſed potiùs remoto torpore negligentiæ, cum magnâ animi aviditate & devotione petenda, & percipienda; ne [quod abſit,] ſine ipſius doni munere quis rebus humanis eximatur.

CAPUT VIII.

Quòd parvuli inſtruendi ſunt, cum ad intelligibilem ætatem venerint & fidei Sacramento, & baptiſmatis myſterio, & ſeptiformis gratiæ Spiritûs dono.

SAlutaris diſciplinæ domus eſt, ut beatus ait Auguſtinus, Eccleſia Chriſti, in quâ idcircò dicitur benè vivere, ut perveniatur ad ſemper vivere. Ergo quicumque in ſcholâ hujus ſunt diſciplinæ, in quâ docet ſummus doctor, & magiſter Chriſtus; tanti Doctoris magiſterio humiliter colla ſubmittantur neceſſe eſt. In hac quippe multimoda ſanæ fidei diſcuntur præcepta; quæ cum multa ſint, & ab uno ſapientiæ fonte profluant, & parvulos in apertis, & magnos exerceant in obſcuris: oportet ut qui necdum profundiora Chriſti præcepta diſcere queunt, humiliora interim diſcere ſatagant: donec adjuvante divinâ miſericordiâ altiora percipere valeant; unde & Dominus in monte diſcipulos docet, in campeſtribus turbas paſcit.

Si quis autem fortè exiſtit, qui tarditatem & obtunſionem ſenſûs ſui obtendat, & dicat: Non poſſum diſcere, quia nec tantæ ſum capacitatis, ut tot tantaque Chriſti præcepta, quæ utique mirabilia & innumerabilia ſunt, diſcere valeam: audiat quid præfatus beatus Auguſtinus in libro de

Serm. de diſciplinâ Chriſt. cap. 2. diſciplinâ Chriſtianorum ſcribat: » Præcepta, in- » quit, multa ſunt in lege, quibus ipſa vita bona » continetur, imperatur, & diſcitur. Multa omninò » præcepta ſunt, & innumerabilia ſunt. Præcepto-
rum ipſorum paginas vix quiſque numerat, quanto «
magis ipſa? Voluit tamen Dominus propter eos qui «
ſe poſſent excuſare, vel quia eis non vacat legere, «
vel quia non norunt legere, vel quia non poſſunt «
faciliè intelligere, ut excuſationem nemo habeat in «
die judicii; voluit, ſicut ſcriptum eſt, conſummare «
& breviare verbum ſuper terram, ſicut de illo Pro- «
pheta prædixerat: *Verbũ enim conſummans & bre-* « *Iſai. 10. 23. & Rom. 9. 28.*
vians faciet Dominus ſuper terram. Hoc ipſum ver- «
bum conſummatum & breviatum, non obſcurum «
eſſe Deus voluit. Ideo breve, ut vacaret legere. Ideo «
apertum, ne dicas, non mihi licuit intelligere. The- «
ſaurus ergo eſt magnus divinarum ſcripturarũ, ha- «
bens in ſe mirabilia, & præcepta multa; tamquam «
multas gemmas, & pretioſa monilia, & vaſa in- «
gentia & magni metalli. Sed quis poteſt ſcrutari «
theſaurum iſtum, & uti eo, & pervenire ad omnia «
quæ ibi ſunt? Quando hanc ſimilitudinem Domi- «
nus dedit in Evangelio ſuo, & dixit: *Simile eſt re-* « *Matt. 13. 44.*
gnum cælorum theſauro invento in agro: ne quis «
ſe minùs idoneum diceret ad perſcrutandum the- «
ſaurum, continuò dedit aliam ſimilitudinem: *Si-* « *Ibid. v. 45.*
mile eſt regnum cælorum homini negotiatori quæ- «
renti bonas margaritas: qui invenit unam pretioſam «
margaritam; & vendidit omnia quæ habebat, & «
emit illam: Ut ſi piger eras ad perſcrutandum «
theſaurum, non ſis piger unam margaritam ſub «
linguâ ferre, & quò vis ſecurus ambulare. Quod « *S. Aug. ubi ſuprà cap. 7.*
eſt ergo verbum conſummans & brevians? *Di-* « *Matt. 22. 37.*
liges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & «
ex totâ animâ tuâ, & ex totâ mente tuâ. Et, *Di-* «
liges proximum tuum ſicut te ipſum. In his duobus « *Ibid. v. 39.*
præceptis tota lex pendet & Prophetæ. Ecce quod «
diſcitur in domo diſciplinæ: diligere Deum, dili- «
gere proximum: Deum tamquàm Deum: pro- «
ximum tamquàm te. «

In primordio namque ſanctæ Dei Eccleſiæ non baptizabantur niſi primùm inſtructi fuiſſent, & fide ſanctæ Trinitatis, & myſterio ſacro-ſancti baptiſmatis. Nunc autem quia nomen Chriſti ubique pollet, & parvuli de Chriſtianis parentibus nati, ad percipiendam baptiſmatis gratiam necdum loquentes incunctanter deportantur: (Nec immeritò: quippe ut qui alienis peccatis obnoxii ſunt, aliorum deportatione, & reſponſione à prævaricatione originalis noxæ abſolvantur: quatenùs eruti de poteſtate tenebrarum, in regnum Domini ſui transferantur.) Summopere procurandum eſt, ſive parentibus, ſive his, qui eos de ſacro fontis lavacro ſuſceperint, ut cum ad intelligibilem ætatem pervenerint, & fidei, & baptiſmatis myſterio inſtruantur: ut ſi fortè latiùs, ubertiùſque in ſenſu divinarum ſcripturarum proficere, aut noluerint, aut nequiverint, ſaltem fide Trinitatis ſanctæ, & myſterio ſacri baptiſmatis inexcuſabiliter exiſtant inſtructi.

CAPUT IX.

Quòd quia Baptiſmus iterari non poteſt, neceſſariò pœnitentia ſecundus ſit baptiſmus.

PRopitiatio divina nos per baptiſmi gratiam à primi hominis reatu abſolvit, & de filiis perditionis filios fecit ſalvationis, & de filiis alienis filios fecit adoptionis, unde etiam ſuperiùs dictum eſt. Sed quia poſt baptiſmum multa amiſimus, & in multis collapſi ſumus, & idem baptiſmus nullo pacto iterari poteſt; eadem propitia divinitas quoddam & ſaluberrimum pœnitentiæ nobis contulit remedium; ad quod nos per Propheticam & Evangelicam hortatur indifferenter currere admonitionem. Clamat enim Iſaïas Propheta: *Quærite Dominum dum* *Iſai. 55. 6.*

dum inveniri poteſt; invocate eum dum propè eſt. Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus; & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum. Et per Ezechielem Dominus ait: *Nolo mortem impii; ſed ut convertatur impius à via ſuâ, & vivat.* Item: *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris: & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Item, *Peccator in quâcumque die converſus fuerit; omnes iniquitates ejus in oblivione erunt.* Et Salomon: *De perpetrato peccato noli eſſe ſine metu: neque adjicias peccatum ſuper peccatum.* Item, *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Item, *Altiſſimus odio habet peccatores: & miſertus eſt pœnitentibus.* Item, *Relinque peccata tua, & converte ad Dominum.* Item, *Fili peccaſti, ne adjicias iterum: ſed & de priſtinis deprecare, ut tibi remittantur.* Et Dominus in Evangelio: *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum.* Joannes Baptiſta: *Facite*, inquit, *fructus dignos pœnitentiæ.* Et Apoſtolus ait Paulus: *Ecce enim tempus acceptabile: ecce enim nunc dies ſalutis.* Et Petrus: *Pœnitemini igitur & convertimini, ut deleantur peccata veſtra.* Hieronymus in expoſitione Eccleſiaſtæ: *Ne impiè agas multum, & noli eſſe ſtultus, cum morieris in tempore non tuo;* Cum Dominus loquatur *nolo mortem morientis tantùm, ſed ut revertatur, & vivat.* Semel peccaſſe ſufficiat. Debemus ergo nos erigere poſt ruinam. Si enim juxtà eos qui de Phyſicis diſputant, novit hirundo pullos de ſucco oculare chelidoniæ, & dictamnum capræ expetunt vulneratæ, cur nos ignoramus medicinam propoſitam eſſe peccantibus? Auguſtinus in libro Sermonum. « Scio ego, inquit, & mecum omnis homo qui paulo attentiùs conſideraverit, neminem Dominum timentem ſub verbis ejus non ſe corrigere, niſi qui putat quia plus habet vivere. Ipſa res eſt quæ multos occidit, cum dicunt, Cras, cras; & ſubitò oſtium clauditur. Remanſit foris cum voce corvinâ; quia non habuit gemitum columbinum, ſed corvi vox eſt. Geme ut columbus, & tunde pectus; ſed plagas tibi dando, cæſus correctus eſto. » E paulo poſt: « Dic mihi rogo te. Ecce ego conſentio, concedo, & cognoſco, quia indulgentiam tibi promiſit Deus. Craſtinum enim diem quis tibi promiſit? Dic mihi ubi legis te indulgentiam accepturum, ſi te non correxeris? Lege mihi quantum victurus ſis. Non lego, inquit. Neſcis ergo quantum victurus ſis. Correctus eſto & ſemper paratus. Noli timere diem ultimum, tamquam furem, qui te dormiente effodiat parietem; ſed vigila, & corrige hodie quæ differs in craſtinum. »

[Ezech. 33. 11.] [Ibid. 18. 30.] [Ibid. 33. 12.] [Eccli. 5. 5.] [Ibid. v. 8.] [Ibid. 12. 3.] [Ibid. 17. 21.] [Ibid. 21. 1.] [Matt. 3. 2.] [Luc. 3. 8.] [2. Cor. 6. 2.] [Act. 3. 19.] [De verbis Domini Serm. 16. cap. 11.]

Gregorius in Homiliâ de novem ordinibus Angelorum: « Sinum Dominus ſuæ pietatis aperit; noſque in ſe recipere per pœnitentiam quærit: ſed pœnitentiam dignè agere non poſſumus, niſi modũ quoque ejuſdem pœnitentiæ cognoſcamus. Pœnitentiam quippe verè agere eſt, perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui ſic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere, aut diſſimulat, aut ignorat. Quid enim prodeſt ſi peccata quis luxuriæ defleat, & tamen adhuc avaritiæ æſtibus anhelat? Aut quid prodeſt ſi iræ culpas jam lugeat, & tamen adhuc invidiæ facibus tabeſcat? Sed minus eſt valde quod dicimus; ut qui peccata deplorat, ploranda minimè committat: & qui plangit vitia, perpetrare vitia timeat. Nam cogitandum ſummopere eſt, ut qui ſe illicita meminit commiſiſſe, à quibuſdam etiam licitis ſtudeat abſtinere: « Exemplo David nolentis aquam bibere cum periculo ſuorum allatam. Item idem: « (*Facite fructus dignos pœnitentiæ.*) In quibus verbis notandum eſt; quòd amicus ſponſi non ſolùm fructus pœnitentiæ, ſed dignos pœnitentiæ admonet [faciendos. Aliud namque eſt fructus facere, aliud dignos pœnitentiæ] facere: ut enim ſecundùm dignos pœnitentiæ fructus loquamur; ſciendum eſt, quia quiſquis illicita nulla commiſit, huic jure conceditur ut licitis utatur; ſicque pietatis opera faciat, ut tamen ſi noluerit, ea quæ mundi ſunt non relinquat. At ſi quis in fornicationis culpam, vel fortaſſe, quod gravius eſt, in adulterium lapſus eſt, tanto à ſe licita debet abſcindere, quanto ſe meminit & illicita perpetraſſe. Neque enim par fructus eſſe boni operis debet ejus qui minùs, & ejus qui ampliùs deliquit: aut ejus qui in nullis, & ejus qui in quibuſdam facinoribus cecidit: & ejus qui in multis eſt lapſus. Per hoc ergo quod dicitur: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*; uniuſcujuſque conſcientia convenitur, ut tanto majora creſcant bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto graviora ſibi intulit damna per culpam. » Item ipſe in Moralibus: « Omnis peccator in pœnitentiâ duplicem habere gemitũ debet: nimirum quia & bonum quod potuit, non fecit; & malum quod non debuit, fecit. Cum in bona opera non aſſurgimus, neceſſe eſt ut noſmetipſos dupliciter defleamus: quia & recta non fecimus, & prava operati ſumus. »

[Homil. 14. poſt med.] [Luc. 3. 8.] [Homil. 20. ante med.]

Multa ſiquidem & alia divinæ ſcripturæ exiſtunt teſtimonia, quæ nos de perpetratis peccatis abſque dilatione converſionem ad Deum facere hortantur: & per pœnitentiam divinæ miſericordiæ indulgentiam nobis promereri poſſe pollicentur. Non eſt ergo parvipendenda pœnitentiæ medicina, quæ dum parvipenditur, morbus plùs invaleſcens [1] necem ægroto gignere comprobatur.

CAPUT X.

Quòd Pœnitentiæ modus in arbitrio Sacerdotum ſit conſtitutus.

QUia peccati vulnus, pœnitentiæ remedio ſanari valeat, ea quæ in præcedenti capitulò collecta ſunt, teſtantur; modus verò ejuſdem pœnitentiæ, tempuſque pœnitendi in arbitrio Sacerdotum, quibus ligandi atque ſolvendi poteſtas eſt à Chriſto collata, eſt conſtitutus. Unde ſcribit beatus Auguſtinus in libro Enchiridii: « Certa, inquit, conſtituuntur ab his qui præſunt in Eccleſiis tempora pœnitentiæ, ut fiat ſatis etiam Eccleſiæ, in quâ remittuntur ipſa peccata: extrà eam quippe non remittuntur. Ipſa namque Spiritum ſanctum pignus accepit, ſine quo non remittuntur ulla peccata; ita ut quibus remittuntur, vitam conſequantur æternam. » Perrari namque ſunt hodiè in Eccleſiâ, qui talem agant pœnitentiam, qualem antiquorum Patrum pœnitentium exempla, & auctoritas canonica ſancit. Quis namque criminis reus, qui utique pœnitentiâ publicâ debuit mulctari, cingulum militiæ deponit, & à liminibus Eccleſiæ cœtuque fidelium arcetur, & à Chriſti Corpore ſeparatur? Quis porrò in cinere, & cilicio, more pœnitentium antiquorum lamenta pœnitudinis ſuſcipit? Iſidorus quoque in libro ſententiarum: « Benè, inquit, in cilicio & cinere pœnitens deplorat peccatum: quoniam in cilicio aſperitas, & compunctio peccatorum; in cinere autem pulvis oſtenditur mortuorum. Et idcircò in utroque pœnitentiam agimus; ut & in punitione cili-

[Cap. 65.] [Lib. 2 Offic. cap. 16.]

[1] *morbus plùs invaleſcens*] Sic emendavimus ex ingenio. | Antea legebatur *parvipenditur morbus, plus inv.*

m » ci[m] agnoſcamus vitia quæ per culpam commiſimus, & per favillam cineris perpendamus mortis ſententiam, ad quam peccando pervenimus. «

Unde colligitur quia Religionis noſtræ priſcis temporibus, dum quis ſecundùm conſtitutum ſibi à Sacerdote uſque ad ſatisfactionem cilicio indutus, & cinere conſperſus, habitu incultus, humique proſtratus, lacrymiſque profuſus videbatur, ſtatim pœnitens agnoſcebatur, ut ei à Domino ignoſceretur, ab omnibus deprecabatur. Nunc autem in cœtu Chriſtiano idcircò vix pœnitens agnoſcitur, quia penè nihil horum erga pœnitentes agitur. Quapropter credibile eſt, ut ſicut alia multa in Religione Chriſtianâ viluerunt, ita quoque præmiſſus pœnitentiæ modus, ab uſu, quod formidoloſum eſt, receſſerit. Et idcircò à multis diverſa flagitia perpetrantur audacter. Verùm etiam ſi quiſpiam noſtri temporis Chriſtianus hodie aut homicidium, aut aliquid aliud admiſerit; quia hujuſcemodi pœnitentiâ non plectitur, ideo cras conventui fidelium irreverenter ſe adjungere non veretur. Et ideo Eccleſiam, cui pœnitendo ſatisfacere debuit, ſcandalizare convincitur. Solent enim aut publicè, aut tacitè intrà ſe adversùs hujuſmodi dicere: ô interfector! ô flagitioſe! heri illud & illud admiſiſti; & hodie collegio noſtro, ſanguine proximi[n] tui cruentatis manibus te impudenter inſeris: & quod majoris eſt impudentiæ, nobiſcum participare non trepidas Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jesu-Christi? Quod dicere plùs uſu, quàm voto expertus ſum.

Cum igitur tempora pœnitentiæ idcircò ſint conſtituta, ut ſatisfaciat pœnitens Eccleſiæ, quam peccando læſit, neſcio utrum ille pœnitentiam dignè agat, qui Eccleſiam, quam primùm peccando læſit, poſtea tam impudenti conſortio in ſui murmuratione, & detractione devenire compellit. Hæc non de occultis, ſed de manifeſtis criminibus dicta ſunt, quæ dum publicè admittuntur, publicâ pœnitentiæ ſatisfactione diluantur neceſſe eſt.

[Qualiter autem in his Occidentalibus partibus antiquitùs ergà pœnitentes mos ſervabatur, in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ tripartitâ Sozomenus tranſcribit: » Quoniam omninò, inquit, non peccare divinum, & ſuprà humanam naturam eſſe cognoſcitur: peccantibus & pœnitentiam agentibus veniam Dominus præcepit: qui verò confiteri refugiunt, majus peccatum acquirunt. Propterea viſum eſt antiquis Pontificibus, ut velut in theatro ſub teſtimonio Eccleſiaſtico populi delicta pandantur; & ad hanc cauſam probum, bonæ converſationis, ſervantemque ſecretum, ac ſapientem virum ſtatuerunt; ad quem accedentes hi qui delinquebant, delicta propria fatebantur. At ille ſecundùm uniuſcujuſq; culpam dicebat & mulctam; quod etiam hactenùs diligenter in Occidentalibus ſervatur Eccleſiis, & maximè apud Romam, ubi etiam locus erectus eſt pœnitentum. Stant enim rei & velut in lamentationibus conſtituti: dum enim ſacra celebratio fuerit adimpleta, illi communionem non percipientes, cum gemitu & lamentatione ſemetipſos in terram proſternunt, ad quos concurrens Epiſcopus, & ipſe cum lacrymis & gemitu ſpiritali proſternitur, ut omnis Eccleſiæ plebs fletibus intendatur. Poſt hoc autem prior ſurgit Epiſcopus, & elevat jacentes à terrâ. Tunc competenter pro pœnitentibus factâ oratione, dimittit omnes: at illi afflictionibus ſponte vacantes, aut jejuniis, aut abſtinentiâ lavacri, aut ſuſpenſione ciborum, aut rebus aliis quæ jubentur, exſpectant commune tempus quod decernit Epiſcopus. Conſtituto verò tempore velut quoddam debitum exolventes afflictionem, peccato curati cum populo communionem participantur. « Hæc ergo antiquitùs Romani Pontifices uſque ad noſtrum conſervaverunt tempus. Qualiter autem & quomodo pœnitentes ad ſuſcipiendam Corporis & Sanguinis Domini gratiam accedere debeant, Innocentius Papa in Decretalibus ſuis pleniſſimè docet, tranſcribens: » De pœnitentibus autem, qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægritudo, quintâ feriâ ante Paſcha eis remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat. Cæterum de pondere æſtimando delictorum Sacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus & lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem. Sanè ſi quis in ægritudinem inciderit, atque uſque ad deſperationem devenerit, ei eſt ante tempus Paſchæ relaxandum, ne de ſæculo abſque communione diſcedat.] «

Illud etiam minimè prætereundum eſt, quod quidam peccatorum ſuorum conſcii, imperitos animarum ſuarum medicos expetunt, ut ſibi ad votum ſuum pœnitentiæ tempora imponant; & peritos idcircò declinant, ne auſteriùs pœnitentiæ eos addicant. Si enim peritus medicus ad morbos corporis pellendos quæritur, quanto magis medicus animæ peritiſſimus quærendus eſt? Ut ergo artis medicinæ neſcius, dum curare neſcit vulnus corporis, non illud minuit, ſed magis plerumque incrementum ei addit: ita & imperitus medicus animarum, dum eorum languoribus mederi videri vult, quia his congrua medicamenta neſcit adhibere, eoſdem languores creditur incrementare. De talibus inquit Dominus per Prophetam: *Vivificabant animas quæ non vivebant: & mortificabant animas quæ non moriebantur.* Ezech. 13. 18.

Sunt etiam plerique ſpiritales medici, qui medendi animarum vulnera habent ſcientiam, ſed aut amoris proprii, aut adulationis cauſa errata, qui ſibi eorum confeſſionem peccatorum ſuorum faciunt, ſaluberrimæ pœnitentiæ rigore ferire refugiunt. De quibus rurſus Dominus per Prophetam: *Væ*, inquit, *his qui conſuunt pulvillos ſub omni cubitu manus: & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas.* Ibid. Hunc locum Papa Gregorius in libro Paſtorali ita exponit: » Pulvillus quippe ſub omni cubitu manûs eſt ponere, cadentes à ſuâ rectitudine animas, atque in hujuſmodi ſe delectatione reclinantes blandâ adulatione refovere: quaſi enim pulvillo cubitus, vel cervicalibus caput ponentis excipitur, cum correptionis duritia peccanti ſubtrahitur, eique mollities favoris adhibetur, ut in errore molliter jaceat, quem nulla aſperitas contradictionis pulſat. « Hi autem qui imperitos adulatores animarum ſuarum medicos quærunt, vanâ ſecuritate ſe ipſos decipiunt. Ad hoc nempe tales quærere ſolent, ut in pœnitendo penè nihil afflictionis corpus eorum ſentiat: præſertim cum prætatus Papa Gregorius dicat: » Caro læta nos traxit ad mortem, afflicta reducat ad veniam. «

Porrò de abſtinentiâ cui quidam pœnitentes diſcretè & laudabiliter, quidam verò indiſcretè & negligenter ſe ſubdere ſolent, Proſperi ſententia hæc eſt: » Membra, inquit, ſua, quæ ſunt ſuper terram, mortificant, quando inſolens corpus jejuniorum conti- « Lib. 2. de Vitâ contemp. cap 22.

m *in punitione cilicii*] Quia melius ſit quod Acherius ad marginem annotavit *in compunctione cilicii*, dubitare nemo poteſt.

n *ſanguine proximi*] Ita optimus codex Clar. Prior editio *cum manibus ſanguine, tuis*. Quod ſequitur ex Sozomeno, & Innocentio P P exſcriptum eſt è codice Claróm.

nuarione caſtigant; quando intrà neceſſarium modum ſuum temperant appetitum: quando non ſolùm à delicatioribus cibis moderatâ diſtrictione ſuſpendunt, ſed etiam in ipſis communibus nihil carni ſuæ pro deſiderio, ſed pro ſuſtentandæ vitæ neceſſitate permittunt: certiquòd nec deliciæ quælibet, ſi abſque deſiderio percipiantur, officiunt; & viles cibi plerumque abſtinentiæ profectû, ſi appetenter accipiantur, impediunt. Hinc eſt quòd ſanctus David aquæ viſæ [o] concupiſcentiam caſtigavit, & eam ſibi à ſuis oblatam, ne deſiderio ſuo ex eâ ſatisfacere videretur, effudit. Et ſancto Heliæ perceptio carnium, quoniam non concupivit, non nocuit. Unde datur intelligi, quòd veraciter abſtinentes eſcarum non naturas, ſed concupiſcentias damnent: ac voluptates ſuas deſiderati cibi, vel potùs abuſione mortificent. Qui autem non ſolùm à qualitate, ſed etiam à quantitate ciborum cupiunt abſtinere, nihil aliud ſtudent, niſi ut quantum ſtomacho reficiendo ac fami eximendæ ſatis eſſe videtur, indulgeant; nec expleant ſuos appetitus aviditate percipiendi, ſed comprimant; atque eis non ſaturitas edendi finem faciat, ſed voluntas; quia tam à cupiditate pretioſiorũ ciborum animos, quàm à nimiâ perceptione vilium continebunt, qui cibis nec lautioribus volunt, carne luxuriante diſſolvi, nec diſtentione ventris viribus onerari; quando abſtinentes viri nec delicioſi ſoleant eſſe, nec avidi. Jam de vino abſtinendo vel percipiendo quid dicam? Unde ſanctus Apoſtolus certam fixit regulam dicens: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Quaſi diceret: Luxuriam facit & nutrit vini perceptio nimia, non natura; & propterea non vos uti vino, ſed inebriari prohibeo. Quandoquidem infirmum ſtomachum moderatus uſus vini confortat, ebrietas animum corpuſque debilitat. Denique Timotheo ſuo diſcipulo, qui ſe longâ abſtinentiæ diſtrictione jam fregerat, & ſtomachũ ſuum aquæ perceptione corruperat, modico vino uti debere præcepit dicens: *Noli adhuc aquam bibere; ſed modico vino utere propter ſtomachum tuum, & frequentes infirmitates tuas.* Ac per hoc nihil contrà abſtinentiã faciũt, qui vinum non pro ebrietate, ſed tantum pro corporis ſalute percipiunt; nec hoc eis offert voluntas, ſed permittit infirmitas: quæ ſi defuerit, à vino abſtinendum, ne vini perceptio, quæ infirmum ſuſtentat, ſanum corpus incendat: quoniam quidem vino uti, & uſui habere oleum nullus dixerit eſſe peccatum: ſed hæc ideo non debemus carni deſideranti præſtare, ne cum illi licita cõcedere cœperimus, poſcat illicita: & ſibi obſequentes in minimis, in flagitia punienda compellat; ac naturali ordine perturbato, non ſpiritui corpus, ſed ſpiritus corpori dominanti deſerviat. « Et poſt pauca: » Cæterùm ſi à quadrupedibus abſtinentes, phaſianis altilibus, capris, atque pavonibus, vel aliis avibus pretioſis, aut piſcibus perfruuntur; non mihi videntur reſecare delectationes ſui corporis, ſed mutare; nec pro abſtinentiâ, ſed velut pro neſcio quâ immunditiâ, vel certè, quod verius eſt, pro ſtomachi nauſeantis teneritudine delicias illas communes ac viles carnes abjicere, quo poſſint aliis non ſolùm carnibus, ſed etiam delicatioribus ac pretioſioribus ſuas voluptates explere, cum, ſicut ſuprà jam patuit, non aliquarum carnium quæ uſui humano conceſſæ ſunt, nobis naturæ damnandæ ſint, quas Deus inſtituit; ſed carnales concupiſcentiæ fugiendæ, quas ſenſui carnis diabolus introduxit. Illi autem qui parciores videri volunt, & gloriam ſibi velut de abſtinentiæ diſtrictione conquirunt, ſic ab omnibus animalibus judicant temperandum, ut peregrinis pomis, ac ſurbis poculis [p] delicatis, cæteriſque aliis immanem ſui corporis impleant appetitum: cum ſpiritalis abſtinentia, non aliquorum ciborum uſum, ſed deſiderium ſuadeat compeſcendum. Et illi magis parſimoniæ ſervire cenſendi ſunt, qui ſibi non aliquarum rerum perceptiones, ſed delectationes corporis interdicunt. Illi quoque qui negatâ ſibi vini perceptione, diverſorum poculorum potionibus inundantur, nequaquam mihi abſtinentiam videntur implere. Qui & ad hoc ſe fortaſſis à vino ſuſpendunt, ut mereantur ab hominibus laudem, & interdicti ſibi vini compenſant poculis ſuavioribus voluptatem. »

Ephef. 5. 18.

1. Timot. 5. 23.

Ibid. cap. 23. init.

Liquet igitur [q] quia ad vulnera peccatorum ſananda, non indocti, & peccatis faventes, ſed docti & ſpirituales medici ſint expetendi: & ad eorum arbitrium pœnitentiæ tempora humiliter ſubeunda: & de capitalibus, manifeſtiſque peccatis publica ſit irretractabiliter agenda pœnitentia. De menſurâ verò atque perceptione cibi & potûs, pœnitentibus, qui rigore abſtinentiæ corpora ſua diſcretè domare ſtatuunt, ſuprà notata Proſperi ſententia conſultò eſt ſequenda. Decet quippe ut cum quis pœnitentiæ mancipatur, ita corpus ſuum jejuniorum continuatione, vigiliarum & orationum aſſiduitate, cæterarumque ſanctarum virtutum exercitatione domare ſtudeat, ut meritò cum Pſalmiſta dicere valeat: *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter & caro mea.*

Pſal. 62. 2.

CAPUT XI.

Quòd ad Eccleſiam orandi gratiâ frequenter conveniri debeat.

QUIA moderno tempore Chriſtiani populi devotio à devotione plebium fidelium, quæ ſub Apoſtolis extitit, longè ſit impar, in ultimo Libelli hujus capitulo breviter commemorabitur. Procul nempe quorumdam Chriſtianorum devotio, ſicut & in nonnullis aliis, ita & in eo quod ad Eccleſiam tepidè conveniunt, ab illius plebis religioſa devotione diſtat. Verum ſicut ſunt plerique, qui pio religioſoque ſtudio orandi gratiâ Eccleſiam ſæpiſſimè frequentant, ita è contrario exiſtunt quidam, qui licet è vicino habeant Baſilicam, id tamen perrarò, quod emendatione dignum eſt, faciunt. Ut ergo templa divinis cultibus mancipata frequenter adiri, ibique Deum conſtanter & devotè oporteat invocari, divinæ Scripturæ teſtimonia ſubtùs collecta teſtantur. Legitur itaque in libro Paralipomenon: *Apparuit nocte Dominus Salomoni & ait: Audivi orationem tuam, & elegi locum iſtum mihi in domum ſacrificii, &c.* Et paulo poſt: *Oculi quoque mei erunt aperti,*

2. Paral. 12.

o *aquæ viſæ*] Acherius mavult *aquæ in ſe.* Infrà *quàm à nimiâ perceptione* &c. ſic optimus codex Clarom. Prior editio hoc in loco fœdum in modum corrupta erat; nam in eâ ſic legebatur *quàm à perceptione animi continebunt vilium.*

p *ſurbis poculis*] Aliàs, Acherius, *ſorbitionibus.*

q *Liquet igitur*] Hæc reliqua capitis ab his verbis deſunt in codice Clarom. & horum loco habentur ſequentia verba, quæ quidem editis præfero: *Patet igitur quia cibi potûſque perceptio abſtinentibus non ad voluptatem, ſed ad neceſſarium corporis moderatè ſit vitanda,* (lego *aſſumenda*) *& quod non eorum perceptio, ſed potius immoderata delectatio ſit culpa. Quapropter cum quis vult agere pœnitentiam, oportet ut in cibo & potu ſumendo ſuprà comprehenſum teneat modum. Decet quippe ut qui illicita admiſit, licita etiam ſibi interdicat. Caſtiget etiam membra ſua quæ ſunt ſuper terram, jejuniis, vigiliis, & orationibus, & cæteris ſalutiferis afflictionibus; ut juxtà Apoſtolum, hoſtia viva, ſancta, & Domino placens fiat, & cum Pſalmiſta dicere valeat:* Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter & caro mea.

& aures meæ erectæ ad orationem ejus qui in loco iſto oraverit: elegi enim & ſanctificavi locum iſtum, ut ſit nomen meum ibi in ſempiternum; & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus: Et in E- Luc. 24. 52. vangelio Lucæ: *Et factum eſt dum benediceret illis, receſſit ab eis & ferebatur in cœlum. Et ipſi adorantes regreſſi ſunt in Jeruſalem cum gaudio magno. Et erant ſemper in Templo laudantes, & benedicentes Domi-* Act. 2. 42. *num:* Et in actibus Apoſtolorum: *Erant autem,* inquit, *perſeverantes in doctrinâ Apoſtolorum, communicatione fractionis panis, & orationibus.* Et paulo Ibid. 46. poſt: *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in Templo, & frangentes circà domos panem, ſumebant cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis; collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.* Ibid. 3. 1. Item ibi: *Petrus & Joannes aſcenderunt in Templum ad horam orationis nonam.* Origenes quoque in Homiliâ de Rebecca: » Vereor, inquit, ne ſitis matri » veſtræ Eccleſiæ adhuc in triſtitia & gemitu; cum » non convenitis ad audiendum verbum Dei; & vix » feſtis diebus ad Eccleſiam proceditis; & hoc non » tam deſiderio verbi quàm ſtudio ſolemnitatis, & » publicæ quodammodo remiſſionis obtentu. Quid » igitur ego faciam, cui diſpenſatio verbi credita eſt? » ubi vel quando veſtrum tempus inveniam? plurimum ex hoc, imò penè totum mundanis occupa- » tionibus teritis; in foro aliud, & aliud in negotia- » tione conſumitis; aliud litibus vacat, & ad au- » diendum verbum Dei nemo, aut pauci admodum » vacant. Sed quid vos de occupationibus culpo? » quid de abſentibus conqueror? præſentes etiam in » Eccleſiâ poſiti non eſtis intenti; ſed communes & » ex uſu fabulas teritis, & verbo Dei vel lectionibus » divinis terga convertitis. Vereor ne & vobis dica- Hier. 12. Homil. 10. in Gen. » tur à Domino: *Converterunt ad me dorſa, & non » faciem ſuam.* « Et poſt aliqua, in eâdem: » Dicite » mihi vos qui tantummodo feſtis diebus ad Eccle- » ſiam convenitis; cæteri dies non ſunt feſti? non » ſunt dies Domini? Judæorum eſt, dies certos & » raros obſervare ſolemnes, & ideo ad eos dicit Do- Iſai. 1. 13. » minus: *Quia neomenias veſtras, & ſabbata, & » diem magnum non ſuſtineo. Jejunium, & ferias, & » dies feſtos veſtros odit anima mea.* Odit ergo Deus » eos, qui unâ die putant eſſe feſtum Domini. « Quia ergo Chriſtiani inſtar Templi Jeroſolymitani, ubi ſanguis brutorum animalium effundebatur, Baſilicas in honore & amore Dei conſtruunt, ubi non jam ſanguis taurorum effunditur, ſed corpus & ſanguis Chriſti conficitur, & à fidelibus percipitur: & Deus tam evidentibus oraculis loca nomini ſuo dicata inhabitare, ibique ſupplicum preces ſe exaudire polliceri dignatur: & Pontifices ſub tantâ invocatione eas Deo dedicant; ut omnes qui illuc deprecaturi conveniunt, de quâcumque tribulatione ad eum clamaverint, conſolationis ejus beneficia conſequantur: oportet ut fideles remotò negligentiæ tepore hujuſcemodi loca ad Deum exorandum, ſibique propitium faciendum frequenter ac devotè adeant; dignoſque ſe aſpectibus Angelorum, quorum conventus ibi minimè adeſſe dubitatur, exhibeant.

Quod ſi etiam memoratum Templum, in quo pecudes mactabantur, tantæ venerationi habebatur, ut ad illud non ſolùm Judæi divinæ legis notitiam habentes, verùm etiam nationes à teſtamento Dei longè remotæ orandi gratiâ concurrerent; ſicut habe- Act. 8. 26. tur in Actibus Apoſtolorum de viro Æthiope Eunucho, qui venerat adorare in Jeruſalem, & revertebatur; & à Philippo catechizatus, & baptizatus eſt: Quanto magis templa Chriſti, ubi ejus caro & ſanguis immolatur, à fidelibus ſunt religioſis obſequiis veneranda, & aſſiduis precibus inexcuſabiliter frequentandæ? Non igitur ſicut ſe habet quorumdam reprehendenda & emendanda conſuetudo, propter ædiculas quas ſibi ad votum ſuum conſtruunt, ibique Deo ſacrificium offerri poſſe & debere contendunt, templa per Sacerdotum miniſteria nomini divino dicata penitùs ſunt negligenda ac relinquenda: præſertim cum Dominus dicat in lege: *Ad locum* Deut. 12. 6. *quem elegerit Dominus Deus de cunctis tribubus veſtris, ut ponat nomen ſuum ibi, & habitet in eo, venietis, & offeretis illo loco holocauſta, ac victimas veſtras.* Et poſt pauca: *Cave ne offeras holocauſta tua* Ibid. 13. *in omni loco quem videris; ſed in eo quem elegerit Dominus in unâ tribuum tuarum offeres hoſtias.* Et in Cap. 58. ſacris Canonibus, in Concilio ſcilicet Laodicenſi ſit inſtitutum: Quòd non oporteat in domibus oblationes ab Epiſcopis, & Preſbyteris fieri.

CAPUT XII.

De inſtantiâ orationis.

Religioſæ devotioni orationis à multis ut oportet, & ut exempla Sanctorum antiquorum Patrum docent, non inſiſtitur: quorumdam etiam orationis intentio terrenarum rerum curis, & illicitis cogitationibus miſerabiliter præpeditur. Quod cum ità ſit, quanto in oratione acriùs adverſitatibus mundi concutimur, & cogitationum carnalium graviores tumultus patimur, tanto ardentiùs orationi, & vehementiùs inſiſtere debemus. Inſtantia quippe orationis auxilium nobis tribuit in adverſis; quoniam ubi non ſufficit humanum, neceſſe eſt ut imploretur orationibus divinum auxilium.

Quantum autem orationi inſiſtendum ſit, ſequentia docent. Ait enim Pſalmiſta: [*Memor fui nocte no-* Pſal. 118. 55. *minis tui, Domine.* Item: *Media nocte ſurgebam ad* Ibid. 12. *confitendum tibi.* Item: *In noctibus extollite manus* Pſal. 133. 2. *veſtras in ſancta, & benedicite Dominum.* Item:] *La-* Pſal. 6. 7. *vabo per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Exiſtunt & alia ejuſdem Pſalmographi de orationis uſu jugiter habendo plura documenta; quæ hic prolixitatis causâ non ponuntur. Habes & in libro Eccleſiaſtico: *Ne impediaris,* in- Eccli. 18. 22. quit, *orare ſemper: & ne verearis uſque ad mortem juſtificari: quia merces Domini manet in æternum.* *Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe* Ibid. 23. *quaſi homo qui tentat Deum. Qui conſervat legem,* Ibid. 35. 1. *multiplicat orationem. Precationem læſi exaudiet Dominus. Oratio cum humilitate, ſuper nubes pene-* Ibid. 21. *trabit.* Dominus quoque in Evangelio ait: *Oportet* Luc. 18. 1. *ſemper orare, & non deficere.* Et alibi: *Petite &* Matt. 7. 7. *dabitur, quærite & invenietis. Pulſate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit; & qui quærit* Luc. 21. 36. *invenit: & pulſanti aperietur.* Item: *Vigilate itaque omni tempore; ut digni habeamini effugere iſta omnia quæ futura ſunt, & adſtare ante filium ho-* 1. Theſ. 5. 17. *minis.* Et Apoſtolus: *Semper gaudete: ſine intermiſ-* Coloſ. 4. 2. *ſione orate: in omnibus gratias agite.* Item idem: Philip. 4. 6. *Orationi inſtate, vigilantes in ea.* Item idem: *Dominus in proximo eſt: nihil ſolliciti ſitis: ſed in omni oratione & obſecratione cum gratiarum actione pe-* 1. Pet. 4. 7. *titiones veſtræ innoteſcant apud Deum.* Et Petrus: *Eſtote,* inquit, *prudentes & vigilate in orationibus.* Iſidorus in libro Sententiarum: » Orationibus mun- « damur, lectionibus inſtruimur; utrumque bonum « eſt ſi liceat; ſi non liceat, meliùs eſt orare, quàm « legere; quia in lectionibus agnoſcimus quid facere « debeamus, & in orationibus eadem accipimus quæ « poſtulamus. » Hieronymus ad Euſtochium: » Quam- « Epiſt. 22. quàm Apoſtolus ſemper orare nos jubeat, & Sanctis « etiam ipſe ſomnus oratio ſit, tamen diviſas oran- « di horas habere debemus; ut ſi fortè aliquo fueri- « mus opere detenti, ipſum nos ad officium tempus « admoneat: horam tertiam, ſextam, nonam, di- «

luculum quoque & veſperam, nemo eſt qui neſciat. Nec cibus ante ſumatur niſi oratione præmiſſâ: nec recedatur à menſâ niſi referantur gratiæ Creatori. [Noctibus] bis, terque ſurgendum: revolvenda de ſcripturis quæ memoriter tenemus.« Item Iſidorus: » Sicut enim militi [r] ſine armis ad bellum exire non convenit; ita omni Chriſtiano procedere quolibet ſine oratione non expedit. Hoc eſt remedium ejus qui vitiorum temperamentis exæſtuat, ut quoties quolibet impugnatur vitio, toties in oratione ſubdatur; * quia frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit. Tam perſeveranter intendere oportet animum noſtrum orando atque pulſando, quouſque importunas deſideriorum carnalium ſuggeſtiones, quæ noſtris ſubrepunt ſenſibus, fortiſſimâ intentione ſuperemus: ac tamdiù inſiſtere, quamdiù exurgendo vincamus. « Et paulo poſt: » Oratio cordis eſt, non labiorum: neque enim verba deprecantis Deus intendit, ſed orantis cor aſpicit. Quod ſi tacitè cor oret, & vox ſileat, quamvis hominem lateat, Deum latere non poteſt, qui conſcientiæ præſens eſt. Meliùs eſt cum ſilentio orare corde ſine ſono vocis, quàm ſolis verbis, ſine intuitu mentis. Nunquam eſt ſine gemitu orandum, nam peccatorum recordatio mœrorem gignit: dum enim oramus, ad memoriam culpam reducimus; & magis reos tunc nos eſſe cognoſcimus. Ideoque cum Deo aſſiſtimus; gemere & flere debemus; reminiſcentes, quàm gravia ſint ſcelera quæ commiſimus, quamque dira inferni ſupplicia quæ timemus.

Iſidor. Sent. lib. 3. cap. 7.

Porrò ſunt nonnulli qui orationi frequenter inſiſtunt, & à cæteris bonis operibus vacant; quibus neceſſe eſt ut orationi cæterarum quoque virtutum adjungant operationem. Sunt è contrario qui aliis bonis operibus inſerviunt, & aſſiduæ orationis uſum negligunt: quibus etiam convenit ut bonis operibus orationem quoque aſſiduam annectant. Ait autem Jeremias Propheta: *Levemus corda noſtra cum manibus ad Dominum.* Quod Iſidorus ita exponit: « Cor, inquit, cum manibus levat, qui orationem cum opere ſublevat. Nam quiſquis orat, & non operatur, cor levat, & manus non levat. Quiſquis verò operatur, & non orat; manus levat, & cor non levat. Sed quia operari neceſſe eſt & orare, benè juxtà utrumque dictum eſt: *Levemus corda noſtra cum manibus ad Dominum.* «

Thren. 3. 41.

Ibid. ubi ſuprà.

Quia ergo Salvator noſter non ſolùm formam orationis, ſed inſtantiam, frequentiamque tradidit orandi; oportet ut importunitatem illius viduæ judicem iniquum crebris vocibus interpellantis, necnon & illius amici oſtium amici ſui conſtanter pulſantis, treſque ſibi panes commodari petentis, quos nobis exempli gratiâ ad inſtantiam orandi, ſeque jugiter humiliterque deprecandi exhibuit, imitantes; eumdem Dominum & Salvatorem noſtrum, remoto torpore deſidiæ, jugiter exoremus; ut ſcilicet à cunctis erratibus noſtris nos abſolvat, & æternæ patriæ participes efficiat.

Luc. 11. 5.

CAPUT XIII.

Quòd in Eccleſiâ Dei non ſit otioſis, turpibuſque fabulis vacandum. Et quòd qui hæc faciunt, non ſolùm ſibi peccatum non minuant, ſed etiam majora accumulent.

MULTI Eccleſiam ingreſſi, non ad Deum puram ſimplicemque orationem dirigunt: quoniam quod ore precantur, hoc etiam mente non meditantur. De talibus Beda in homiliâ 17. Evangelii. » Sunt, inquit, qui intrant in Eccleſiam, multis pſalmodiam, vel orationem ſermonibus prolongant, ſed alibi corde intendendo, nec ipſi quid dicant, recolunt: ore quidem orantes, ſed mente foris vagantes, omni ſe orationis fructu privant; putantes à Deo precem exaudiri, quam nec ipſi qui fundunt, audiunt. Quod antiqui hoſtis inſtinctu fieri nemo eſt qui animadvertere nequeat. Sciens enim utilitatem orandi, & hominibus invidens gratiam impetrandi, immittit orantibus multimoda cogitationum levium, & aliquando etiam turpium nocentiumque phantaſmata, quibus orationem impediat; adeo ut non nunquam tales tantoſque diſcurrentium cogitationum fluctus proſtrati in oratione toleremus. « Sunt itaque plerique, quibus potiùs cordi eſt vanis & obſcænis confabulationibus vacare, quam lectionibus divinis aurem accommodare; quibus etiam nuſquàm tam delectabile videtur eſſe ſuſurrationes aliorum auribus ingerere, cachinnis ora diſſolvere, quàm in Eccleſiâ Dei, ubi eum humiliter devoteque debuerunt invocare, & peccata ſua deflere: ſed & hoc ejuſdem hoſtis antiqui inſtinctu fieri dubium non eſt.

Dominicâ 1. in Quadrageſimâ.

Quòd autem domus Dei non ſit hujuſcemodi illicitarum actionum, ſed potiùs orationum, Dominus docet in Evangelio dicens: *Domus mea, domus orationis eſt, vos autem fecistis eam ſpeluncam latronum.* Origenes quoque ubi de velamine Moyſis ſcribit, ita dicit: « Dicendum nobis priùs eſt quid ſit homo averſus à Domino; ut ſcire poſſimus quid ſit converſus. Omnis qui, cum recitantur verba legis, communibus fabulis occupatur, averſus eſt. Omnis qui cum legitur Moyſes, de negotiis ſæculi, de pecuniis, de lucris ſollicitudinem gerit, averſus eſt. Omnis qui poſſeſſionum curis ſtringitur, & divitiarum cupiditate diſtenditur, qui gloriatur ſæculo, & mundi honoribus ſtudet, averſus eſt. Sed & alius qui ab his quidem videtur alienus, aſſiſtit autem & audit verba legis, & vultu atque oculis intentus, corde tamen & cogitationibus evagatur, averſus eſt. Quid ergo eſt converti? Si his omnibus terga vertitis, & ſtudio ac mentis ſollicitudine verbo Dei operam detis, in lege ejus die ac nocte meditemini: hoc eſt converſum eſſe ad Dominum. Aliqui veſtrûm, ut recitari audierint quæ leguntur, ſtatim diſcedunt; nulla ex his quæ lecta ſunt inquiſitio adinvicem, nulla collatio, nuſquàm memoria mandati illius, quo te divina lex commonet: *Interroga Patres tuos & dicent tibi, presbyteros tuos & annuntiabunt tibi.* Alii ne hoc ipſum quidem patienter exſpectant, quòd lectiones in Eccleſiâ recitentur. Alii verò nec ſi recitentur ſciunt, ſed in remotioribus Dominicæ domûs locis, ſæcularibus fabulis occupantur. De quibus ego auſus ſum dicere, quia cum legitur Moyſes, jam non velamen ſuper cor eorum, ſed paries quidam & murus eſt poſitus. «

Luc. 19. 46.

In cap. 34. Exod. hom. 12.

Ibid. paulo poſt.

Deut. 32. 7.

Auguſtinus in homiliis ad populum: » Quando convenitis, inquit, ad Eccleſiam, pro peccatis veſtris orate; nolite [rixas committere, nolite lites &] ſcandala concitare, aut otioſas fabulas dicere. [Qui ad Eccleſiam veniens hæc fecerit, ibi ſe litigando vulnerat, ubi ſe orando ſanare potuerat] In Eccleſiâ ſtantes nolite verboſari, ſed ſacras ſcripturas patienter audite. Qui enim in Eccleſia verba vana loquutus fuerit, & pro [ſe & pro] aliis rationem redditurus eſt in die judicii, quia verbum Dei nec ipſe audit, nec alios audire per-

De tempore ſermo 214.

[r] *ſicut enim militi*] Hæc uſque ad, *Hoc eſt remedium*, in Iſidoro nunc non reperiuntur, ait Acherius. Idem ubi habetur *in oratione ſubdatur*, aliàs legi monet *ad orationem ſe convertat*.

» mittit. « Item idem : » Plures ſunt de quorum perditione nimiùm contriſtor; illos dico qui venientes ad Eccleſiam, magis litigare cupiunt quàm orare, & quando lectiones divinas debent in Eccleſiâ intentis auribus & totâ pietate ſuſcipere, tunc foris cauſas dicere, & diverſis [ſe] ſtudent calumniis impugnare. Aliquando etiam, quod pejus eſt, aliqui nimium iracundiâ ſuccenduntur, amariſſimè rixantur, & turpiter ſibi convitia, & crimina, & calcibus & pugnis invicem colliduntur. Melius enim fuerat talibus ad Eccleſiam non venire, quàm tot malis contrà ſe divinam iram provocare. Iſti enim etſi cum minoribus peccatis ad Eccleſiam veniunt, cum multis criminibus de Eccleſiâ revertuntur. « Item idem : » Sunt namque aliqui qui in natalitiis Sanctorum, aut in quâlibet feſtivitate, cauſas aut dicere, aut audire volunt; &, quod pejus eſt, non pro veritate, ſed pro avaritiâ & cupiditate. Debent enim cauſas dicere, & cum juſtitiâ deliberare; ſed aliis diebus, alio tempore, non in Sanctorum ſolemnitate, quando omnes homines magis debent Deo vacare, quàm ſe diverſis litibus impugnare. « Item idem : » Quando ad Eccleſiam convenitis, nolite vos talibus fabulis occupare, unde poſſitis peccata acquirere. Nolite vos occupare ad litigandum, ſed potiùs ad orandum, ut non rixando Deum offendere, ſed ſupplicando gratiam ipſius poſſitis acquirere. « Beda in homilia Evangelii vigeſimâ : *Cum feciſſet Dominus quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo.* Quid ergo, fratres mei, quid putatis faceret Dominus, ſi rixis diſſidentes, ſi fabulis vacantes, ſi riſu diſſolutos, vel alio quolibet ſcelere repèriret irretitos, qui hoſtias quæ ſibi immolarentur, ementes in Templo [vidit, &] eliminare feſtinavit? Hæc propter illos diximus, qui Eccleſiam ingreſſi, non ſolùm intentionem orandi negligunt, verùm etiam ea pro quibus orare debuerant, augent. Inſuper & arguentes ſe pro hujuſmodi ſtultitiâ, convitiis, odiiſque vel detractionibus inſequuntur: addentes videlicet peccata peccatis, & quaſi funem ſibi longiſſimum incautè eorum augmentationem texentes, nec timentes ex eo diſtricti judicis examinatione damnari. « Et paulo poſt : » Unde multum tremenda ſunt hæc, dilectiſſimi, & digno expaveſcenda timore, ſedulâque præcavendum induſtriâ, ne veniens improviſus perverſum quid immeritò, nobis, unde [meritò] flagellari, ac de Eccleſiâ ejici debeamus, inveniat; & maximè in illâ quæ ſpecialiter domus orationis vocatur, obſervandum ne quid ineptum geramus, ne cum Corinthiis audiamus ab Apoſtolo: *Numquid domos non habetis ad agenda vel loquenda temporalia, aut Eccleſiam Dei contemnitis?* Item idem in eâdem : *Zelus domus tuæ comedit me.* Zelemus & nos, fratres cariſſimi, domum Dei, quantum poſſumus, ne quid in eâ pravum geratur inſiſtamus: ſi viderimus fratrem, qui ad domum Dei pertinet, ſuperbiâ tumidum, ſi detractionibus aſſuetum, ſi ebrietati ſervientem, ſi luxuriâ enervatum, ſi iracundiâ turbidum, ſi alio cuiquam vitio ſubſtratum, ſtudeamus in quantum facultas ſuppetit, caſtigare, polluta ac perverſa corrigere: & ſi quid de talibus emendare nequimus, non ſine acerrimo mentis ſuſtinere dolore: & maximè in ipſâ domo orationis, ubi corpus Domini conſecratur: ubi Angelorum præſentia ſemper adeſſe non dubitatur, ne quid ineptum, ne quid noſtram, ſive fraternam orationem impediat, totis viribus agamus. «

Beda cap. 2. in Evang. Joan tom. 5.
Joan. 2. 15
1. Cor. 11. 22.
Joan. 2. 18.

Apoſtolus namque omnibus Chriſtianis ſtultiloquium, & ſcurrilitatem penitùs cavendam eſſe decernit: quibus magis convenit lugere, quàm ridere, juxtà illud Evangelicum : *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Quapropter ſummopere omnibus fidelibus procurandum eſt, ut nihil in Eccleſiâ inhoneſtum, aut cogitatione, aut dicto, aut facto gerant; ne forte peccatis, pro quibus abſolvendis confluxerant, peccata accumulantes, non abſolutionem peccatorum acquirant; ſed magis funes, quibus quodammodo ligentur, ſibi accumulent.

Matt. 5. 5.

CAPUT XIV.

Quòd & in aliis competentibus locis, ſi locus Baſilicæ procul fuerit, oratio ad Deum, & Confeſſio peccatorum fieri poſſit & debeat.

SIcut ſunt nonnulli qui orandi gratiâ Eccleſiæ limina frequentare negligunt, ita è contrario exiſtunt plerique, qui pro eo quod Baſilicas adire nequeunt, & Reliquias ſanctorum præſto non habent, idcircò vota precum ſuarum ad Dominum, ut oporteret, ſupplici devotione non fundunt: non animadvertentes, quòd Deus non ſit minùs in parte, quàm in toto; ſed ubique totus, ubique præſens, ubique mirabilis. Unde ait Pſalmiſta : *Quo ibo à ſpiritu tuo; & à facie tuâ quo fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es : ſi deſcendero in infernum, ades.* Item : *In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino.* Legitur itaque in libro Regum : *Si egreſſus fuerit populus tuus ad bellum contrà inimicos ſuos per viam, quocumque miſeris eos, orabunt te contrà viam civitatis, quam elegiſti, & contrà domum quam ædificavi nomini tuo: & exaudies in cœlo orationem eorum, & preces eorum, & facies judicium eorum. Quòd ſi peccaverint: non eſt enim homo qui non peccet, & iratus tradideris eos inimicis ſuis, & captivi ducti fuerint in terram inimicorum ſuorum longè vel propè; & egerint pœnitentiam in corde ſuo in loco captivitatis, & converſi deprecati te fuerint in captivitate ſuâ dicentes: peccavimus, iniquè egimus, impiè geſſimus. Et reverſi fuerint ad te in univerſo corde ſuo, & totâ animâ ſuâ in terrâ inimicorum ſuorum, ad quam captivi ducti ſunt, & adoraverint te contrà viam terræ ſuæ, quam dediſti patribus eorum, & civitatis quam elegiſti, & templi quod ædificavi nomini tuo: exaudies in cœlo, in firmamento ſolii tui orationem eorum & preces; & facies judicium eorum.* Et in libro Danielis : *Quod cum Daniel comperiſſet, id eſt, conſtitutam legem, ingreſſus eſt domum ſuam, & feneſtris apertis in cœnaculo ſuo contrà Jeruſalem, tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat; confitebaturque Deo ſuo, ſicut & ante facere conſueverat.* Apoſtolus quoque ait : *Volo igitur viros orare in omni loco, levantes puras manus ſine irâ & diſceptatione.* Hieronymus ad Euſtochium : » Egredientes hoſpitium armet oratio : regredientibus de plateâ oratio occurrat antequàm ſeſſio. Nec priùs corpuſculum requieſcat, quàm anima verbo Dei paſcatur. Ad omnem actum, ad omnem inceſſum, manus pingat crucem. «

Pſal. 138. 7.
Ibid. 102. 22.
3. Reg. 8. 44.
Dan. 6. 10.
Epiſt. 22. ſub finem.

Joannes os aureum : » Quando, inquit, accubueris ſuper ſtratum tuum, & neminem infeſtum pateris, antequàm veniat tibi ſomnus, profer in medio codicem conſcientiam tuam, reminiſcere peccata tua, ſi quid in verbo, ſeu in facto, vel in cogitatione peccaſti : Hæc enim dicit Propheta : *Iraſcimini, & nolite peccare; quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.* Per diem non habuiſti tempus, ſed obſervaſti judicia tua; & injunctum negotium, & confabulatio amicorum, & domeſtica neceſſitas, & filiorum cura, & conjugis ſollicitudo, & militiæ «

Pſal. 4. 5.

timor, & mille circumdederunt cauſæ. Quando in lectulum tuum veneris ut ſopori membra concedas, ad tranquillum portum nemo tibi moleſtus eſt, nemo pulſat: dicito in corde tuo & animæ tuæ: Expendimus diem, ô anima, quid boni fecimus? aut quid mali operati ſumus? Et ſi quid boni feciſti, gratias age Deo tuo; ſi quid verò mali, de cætero ne facias: & reminiſcens peccatorum tuorum, effunde lacrymas, & poteris in lectulo tuo poſitus ea delere. Roga Dominum tuum, & ſic permitte animam tuam ſoporare. His & cæteris ſanctæ Scripturæ innumeris teſtimoniis apertè demonſtratur, ſi Baſilica propè fuerit, & poſſibilitas permiſerit, in Baſilicâ; ſin autem procul fuerit, ubique Deum pro peccatis exorandum, eique confeſſionem peccatorum faciendam, ſupernorumque civium, quorum virtus apud Altiſſimum magna eſt, ſuffragia depoſcenda.

CAPUT XV.

Quòd confeſſio peccatorum, exceptâ eâ quæ ſacerdotibus ad conſilium accipiendum Deumque placandum fit, Deo in oratione ſit facienda.

FIdeles idcircò peccata ſua ſacerdotibus confitentur, quoniam illis poteſtas eſt à Domino collata ligandi atque ſolvendi. Ad quorum etiam judicium, pœnitentiæ tempora ſubeunt. Quod verò pœnitentis prolixitate temporis non ſit penſanda, ſed contritione cordis, pœnitentia David, & cæterorum ſanctorum pœnitentum in promptu eſt. Quamquàm autem peccata ſua quiſpiam ſacerdoti confiteatur, & ad ejus conſilium tempora pœnitentiæ peragat: in oratione tamen Deo, quem ſibi peccando iratum fecit, peccata ſua confiteri, & ab eo contrito corde, & lacrymoſis ſuſpiriis veniam ſibi depoſcere debet. Tunc enim peccator rectè Deo
[Pſal. 50. 11.] dicere poteſt; *Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele*, cum peccata ſua pœnitendo & deflendo coram ſe ponit, juxtà illud
[Ibid. v. 5.] Pſalmiſtæ: *Et peccatum meum contrà me eſt ſemper.*
[Ibid. 31. 4.] Et illud: *Converſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina. Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitias meas non abſcondi. Dixi: confitebor adverſùm me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti*
[Ibid. 36. 5.] *impietatem peccati mei.* Et item: *Revela Domino viam tuam, & ſpera in eum, & ipſe faciet.* Et Sa-
[Prov. 28. 13.] lomon quoque ait: *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem converſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.* Joannes Apoſtolus
[1. Joan. 1. 9.] ait: *Si autem confiteamur peccata noſtra, fidelis & juſtus eſt, ut remittat nobis peccata, & mundet nos*
[Pſal. 50. 5.] *ab omni peccato.* Joannes os aureum: (*Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.*) O mentis integritas! Non eſt oblitus peccati ſui, & iniquitatis; quamvis conceſſum ſibi fuerit, ille tamen in conſcientiâ ſuâ tamquàm in imagine adulterium & homicidium depictum habebat, & per ſingulos dies videbat putredinem, ideo dicebat; *Et peccatum meum contrà me eſt ſemper.* Ego illud video, tu Domine conſideras. Ego illud ſcribo, tu quaſi Dominus dele. Vide enim quid ſit: ſi tu memor ſis, Deus non erit memor; ſi tu ejus oblitus fueris, Deus ejus memorabitur. Nec enim, ſi non dixeris, ignorat ea Deus. Numquid à te vult ea cognoſcere? cum faciebas ea, præſto erat: cum admitteres, noverat. Peccare non erubuiſti, & confiteri erubeſcis? Dicito in hac vitâ, ut in illo requiem habeas. Dicito ingemiſcens & lacrymans. In codice ſcripta ſunt peccata tua: ſpongia peccatorum tuorum lacrymæ tuæ ſunt. Grandis enim virtus. Dicam tibi quid valeant lacrymæ. Quid martyribus majus, qui animam ſuam ponunt pro amico ſuo? Grandis gloria martyrum. Martyres effundunt ſanguinem. Peccatores effundunt lacrymas. Meretrix illa non fudit ſanguinem, ſed fontes lacrymarum profudit, & delevit peccata ſua. Et quid dicam de meretrice, & immundâ muliere? columna Eccleſiæ, & fundamentum fidei, primus Apoſtolus Petrus ad ancillulæ viliſſimæ mulierculæ interrogationem tertiò negavit Deum: numquid ſanguinem fudit? Nonne amarè profudit lacrymas, & abſtulit peccatum ſuum, & recepit priſtinam dignitatem? Habeto codicem conſcientiam tuam, & ſcribe peccata quotidiana.

Præmiſſa igitur ſaluberrima teſtimonia indicant, quòd exceptâ confeſſione, quæ ſacerdotibus abſque cunctatione fieri debeat, unicuique in oratione Deo ſua jugiter ſint confitenda peccata, & gemitibus & lacrymis abluenda. Si quis autem curioſè ſcire voluerit, ubi in novo Teſtamento legatur, quòd peccatores ſacerdotibus confeſſionem peccatorum ſuorum facere debeant, audiant quod ſecundum Marci
[Marc. 15.] Evangeliſtæ teſtimonium, qui à Joanne baptizabantur, peccata ſua confitebantur. Audiant autem,
[Act. 19. 18.] quòd prædicante Paulo Epheſiis, *Multi credentium veniebant, confitentes, & annuntiantes actus ſuos.*
[1. Joan. 1. 9.] Et in Epiſtolâ Joannis Apoſtoli: *Si autem confiteamur peccata noſtra, fidelis & juſtus eſt, ut remittat nobis peccata.* Item in Epiſtolâ Jacobi Apoſtoli:
[Jac. 5. 16.] *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem ut ſalvemini.*

CAPUT XVI.

De eo quod majora peccata Sacerdoti, quotidiana verò & levia alterutrum ſint manifeſtanda.

MOris eſt Eccleſiæ de gravioribus peccatis ſacerdotibus, per quos homines Deo reconciliantur, confeſſionem facere; de quotidianis verò & levibus quibuſque, pertrari ſunt qui invicem confeſſionem faciant, exceptis Monachis, qui id quotidie faciunt. Quòd verò de levibus & quotidianis peccatis confeſſio mutua fieri debeat; ſequentia ma-
[Eccli. 4. 31.] nifeſtant. Jeſus filius Sirach dixit: *Non confundaris*
[Prov. 18. 17.] *confiteri peccata tua.* Et alibi: *Juſtus in principio ac-*
[Matt. 7. 14.] *cuſator eſt ſui.* Et Dominus in Evangelio: *Arcta & anguſta eſt via quæ ducit ad vitam*: hoc eſt peccatorum confeſſio. Jacobus Apoſtolus ait: *Confite-*
[Jac. 5. 16.] *mini alterutrum peccata veſtra: & orate pro invicem, ut ſalvemini.* Hunc locum Beda Venerabilis
[In cap. 5. Jac. Epiſt.] Preſbyter ita exponit: In hac ſententiâ illa debet eſſe diſcretio, ut quotidiana leviaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur, eorumque quotidianâ credamus oratione ſalvari. Porrò gravioris lepræ immunditiam, juxtà legem, ſacerdoti pandamus; atque ad ejus arbitrium qualiter, & quanto tempore juſſerit, purificare curemus. Hieronymus in expoſitione Eccleſiaſtæ:
[Idem ex comment. in cap. 10 v. 11.] Si quem ſanè ſerpens diabolus occultè momorderit, & eum, nullo conſcio, peccati veneno infecerit: ſi tacuerit qui percuſſus eſt, & non egerit pœnitentiam, neque vulnus ſuum fratri, & magiſtro voluerit confiteri, magiſter & frater qui linguam habent ad curandum, facilè ei prodeſſe non poterunt. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina non curat.
[Prov. 10. 11.] Item in expoſitione Proverbiorum: *Os impiorum*
[In expoſ. cap. 10.] *operit iniquitatem.* Impii ſunt qui vulnera ſua vel proximorum errata, ne ad ſanitatem perve-

» niant, defendendo contegunt, quod execrans Propheta Dominum orat, ut non declinet cor ſuum in verbum malum ad excuſandas excuſationes in peccatis. *Pſal. 104. 4.*

Gregorius in homiliis: » Humilitatis teſtimonia ſunt, & iniquitatem ſuam quemque cognoſcere, & cognitam voce confeſſionis aperire. Uſitatum humani generis vitium eſt, & labendo peccatum committere, & commiſſum non confitendo prodere; ſed negando defendere, atque convictum defendendo multiplicare. Ex illo quippe lapſu primi hominis hæc augmenta nequitiæ ducimus: ex quo ipſam radicem traximus culpæ. Ad hoc primus homo requiſitus fuerat, ut peccatum, quod tranſgrediendo commiſerat, confitendo deleret: & interrogatus ubi eſſet, ut perpetratam culpam confitendo cognoſceret, & quàm longè à conditoris ſui facie abeſſet. » Indicia veræ confeſſionis ſunt, ſi cùm quiſque ſe peccatorem dicit, id de ſe dicenti etiam alteri non contradicit. Scriptum eſt: *Juſtus in principio accuſator eſt ſui*. Non magis peccator, ſed juſtus videri appetit, cum peccatorem ſe quiſque nullo arguente confitetur. « Et poſt pauca: » Curandum ſummopere eſt, ut mala quæ fecimus, & ſponte fateamur, & hæc aliis arguentibus non negemus. Superbiæ quippe vitium eſt, ut quod ſe fateri quiſque quaſi ſua ſponte dignatur, hoc ſibi dici ab aliis dedignetur. « Pignus debitoris eſt, confeſſio peccatoris. A debitore enim pignus accipitur, cum à peccatore jam confeſſio peccati tenetur.

Habetur quid ſimile in 3 Pſ. pœnit. v. 4.

Moral. lib. 22. cap. 10.

Prov. 18. 17.

Ibid.

Origenes in Levitici libri expoſitione: » Si peccaverit, inquit, unum aliquid de iſtis, pronuntiet peccatum ſuum quod peccavit. Eſt aliquid in hoc mirabile ſecretum, quod jubet pronuntiare peccatum: etenim omni genere pronuntianda ſunt, & in publicum proferenda cuncta quæ gerimus, ſi quid in occulto gerimus, ſi quid in ſermone ſolo, vel etiam intrà cogitationum ſecreta commiſimus, cuncta neceſſe eſt publicari: proferri autem ab illo, qui & accuſator peccati eſt & incentor. Ipſe enim & nos ut peccemus inſtigat; ipſe etiam cum peccaverimus accuſat. Si ergo in hac vitâ præveniamus eum, & ipſi noſtri accuſatores ſimus, nequitias diaboli inimici noſtri & accuſatoris effugimus: ſic enim & alibi Propheta dicit: *Dic tu*, inquit, *iniquitates tuas prior, ut juſtificeris*. Nonne evidenter myſterium quod tractamus oſtendit, cum dicit: *Dic tu prior?* Ut oſtendat tibi quia prævenire illum debeas, qui paratus eſt ad accuſandum. Tu ergo, inquit, dic prior; ne te ille præveniat. Quia ſi prior dixeris, & ſacrificium pœnitentiæ obtuleris, & tradideris carnem tuam in interitum, ut ſpiritus ſalvus fiat in diem Domini; dicetur & tibi, quia recepiſti in vitâ tuâ mala tua, nunc verò requieſce hic. « Ille enim qui non ſponte compungitur, ſed alio arguente convincitur, difficiliùs remedium conſequitur.

Origen. in cap. 5. Levit. homil. 3.

Iſai. 43.

1. Cor. 5. 5.

Luc. 16. 25.

His documentis colligi poteſt, quòd ſicut quotidie in multis offendimus, ita quotidie de admiſſis confeſſionem alterutrum facere, & orationibus, & eleemoſynis, & humilitate, & contritione cordis & corporis ea debemus purgare.

CAPUT XVII.

De cogitationibus immundis cavendis: & quot modis peccatum in corde, & quot perpetretur in opere.

SICUT ſunt plerique qui in turpiloquiis, & ſcurrilitatibus, conviviiſque, atque otioſis ſermonibus vacando; ita exiſtunt quàm plures, quidam vanis & immundis cogitationibus delectantur, ſe minimè deliquiſſe credant. Illa quippe non ſolùm dicentibus, verùm etiam aurem libenter accommodantibus peccati maculam ingerunt. Porrò cogitationes immundæ plerumque ad prava pertrahunt, juxtà illud Evangelicum: *Ex corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, & reliqua.* Manifeſtum eſt autem quia ſicut cogitationes ſanctæ cuſtodiunt, ita è contrario immundæ dum delectant, inquinant: quæcumque autem (ut Beda Venerabilis Preſbyter ſcripſit) ſæpiùs agere, loqui, vel audire ſolemus, eadem neceſſe eſt ſæpiùs ad animum quaſi ſolitam propriamque recurrant ad ſedem. Et ſicut volutabra ſues paluſtria, columbæ limpida ſolent frequentare fluenta; ita cogitationes impuram mentem immundæ perturbant, caſtam ſpiritales ſanctificant. Scribit etiam Iſidorus in libro Sententiarum: » Quamvis, inquit, & ſi ab opere malo quiſque vacet, pro ſolius tamen pravæ cogitationis malitiâ non erit innocens. » Unde Dominus per Iſaiam: *Auferte*, inquit, *malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis*. Non enim ſolùm factis, ſed & cogitationibus delinquimus, ſi eis illicitè occurrentibus delectemur: ſicut vipera à filiis in utero poſitis lacerata perimitur; ita nos cogitationes noſtræ[f] intrà nos enutritæ occidunt, & conceptæ interiùs vipereo veneno conſumunt, animamque noſtram crudeli vulnere periment.

Matt. 15. 16

Iſai. 1. 16.

Noſtræ quippe voluntatis eſt cogitationes illicitas animo verſare, eiſque oblectari: dæmonum verò eſt eis incitamenta præbere. Non ergo Diabolus auctor, ſed incentor eſt immundarum cogitationum; ſicut beatus Hieronymus in Commentariis Matthæi Evangeliſtæ dicit: » Arguendi ſunt qui cogitationes à diabolo immitti putant, & non ex propriâ naſci voluntate. Diabolus adjutor eſſe & incentor malarum cogitationum poteſt, auctor eſſe non poteſt; ſin autem ſemper in inſidiis poſitus, levem cogitationū noſtrarum ſcintillam ſuis fomitibus inflammarit, non debemus opinari eum cordis quoque occulta rimari, ſed ex corporis habitu & geſtibus æſtimare quid verſemus intrinſecus. Verbi gratiâ, ſi pulcram mulierem nos crebrò viderit reſpicere, intelligit cor amoris jaculo vulneratum. Sunt ſanè nonnulli qui dum corde peccatum concipiunt, faciendumque deliberant, id aut timore omittunt, aut difficultate adimplere nequeunt: hi profectò in dumo, id eſt, in corde moriuntur, ideoque neceſſe eſt ut hujuſcemodi in talibus cogitationibus ſe deliquiſſe cognoſcant; & per confeſſionem ad pœnitentiæ lamenta confugiant, ſanctorumque interceſſiones & auxilia depoſcant; quatenus à Domino JESU-CHRISTO, cui omnia vivunt, inſtar illius filiæ archi-ſynagogæ in dumo, id eſt, in corde, ad vitam reſuſcitari mereantur. «

Ex Comment. in Matth. cap. 15.

Oportet itaque ut omnes à ſuis cordibus noxias cogitationes, veluti muſcas immundas, divinâ operâ ſuffragante propulſent: ut enim quis à veſte ſuâ, ſi quidpiam ſordium in eam ceciderit, protinùs id abjicit, ita nihilominùs cogitationes immundas à corde ſuo abjicere debet: quoniam ſicut ignitus carbo cùm in aliquâ parte corporis lapſus fuerit, niſi illicò rejiciatur, exurit; ita & cogitationes ſordidæ, quæ ſe mentibus humanis importunè immergunt, niſi à mente citò repellantur, peccati quodammodo vulnus gignunt.

Noſſe etenim oportet, quot modis peccatum in corde, & quot perpetretur in opere. Unde beatus

[f] *noſtra intrà nos*] Sic codex Clar. emendatè: prior editio *noſtra non* corruptè. Infrà ubi legitur *in inſidiis poſſit* Acheriùs rectè monuit legendum *in inſidiis poſitus*.

Gregorius

Lib. 4. cap. 25. in 3. cap. Job.

Gregorius in Moralibus: « Quatuor, inquit, modis peccatum perpetratur in corde; quatuor conſummator in opere. In corde namque ſuggeſtione, delectatione, conſenſu, & defenſionis audaciâ perpetratur. Fit enim ſuggeſtio per adverſarium; delectatio per carnem; conſenſus per ſpiritum; defenſionis audacia per elationem. Plerumque culpa quæ terrere mentem debuit, extollit, & dejiciendo elevat, ſed graviùs elevando ſupplantat. Unde & illam primi hominis rectitudinem antiquus hoſtis, his quatuor ictibus fregit. Nam ſerpens ſuaſit, Eva delectata eſt, Adam conſenſit, qui etiam requiſitus confiteri culpam per audaciam noluit. » Quatuor item modis peccatum conſummatur in opere: priùs namque intùs culpa agitur: poſtmodum verò etiam ante oculos hominum ſine confuſione reatus aperitur, dehinc & in conſuetudinem ducitur, ad extremum quoque vel falſæ ſpei ſeductionibus, vel obſtinatione miſeræ deſperationis enutritur. Hæc quatuor peccata non abs re poſſunt intelligi quadrigæ Pharaonis, id eſt, diaboli: proinde neceſſe eſt ut ab omnibus caveantur. Cum enim priùs ſuggeſtioni repugnatur, delectatio non ſequitur; ſi verò delectationi renuſum fuerit, conſenſionis malæ opus non perficitur. At ſi conſenſio non repellitur, miſerabiliter in defenſionis audaciam & deſperationis obſtinationem labitur: oſſaque, id eſt, virtutes animæ illius, quæ his vitiis mancipata fuerit, juxtà illud Pſalmographi, inveteraſcunt; ait enim: *Quoniam tacui*, id eſt, non ſum peccata mea confeſſus, *inveteraverunt omnia oſſa mea*, id eſt, virtutes animæ meæ. Quod verò ſubjungit, *dum clamarem totâ die*, idem eſt ac ſi diceret: dum defenderem peccata mea: defenſio quippe & obſtinatio peccatorum in ſe ipturis ſanctis clamor appellatur. Quapropter ſummopere perpendendum his eſt, qui noxiis cogitationibus delectantur, in qualem ab his culpam prolabi ſoleat.

Pſal. 31. 3.

CAPUT XVIII.

Quod quorumdam alienorum peccatorum conſcii, niſi ea emendationis causâ & ſalutis prodiderint, delinquant.

CONFITENTES ſecretâ confeſſione ſacerdotibus peccata ſua, & ea dignæ pœnitentiæ ſatisfactione delentes, nequaquàm ſunt prodendi. De peccatis verò quæ frater in fratrem admiſerit, Evangelicum documentum prorsùs eſt ſequendum. Quòd autem [t] conſcii quorumdam alienorum peccatorum, niſi ea aut correxerint, aut emendationis gratiâ manifeſtaverint, in diſcrimen adducuntur, ea quæ ſequuntur manifeſtant. Scribit itaque Origenes in homiliâ libri Levitici: « Videamus, inquit, jam quid ait & iſta anima, quæ audit vocem juramenti, & teſtis eſt, vel quæ vidit aliquid, & conſcia, & non indicat: ex quo accepit etiam ipſa peccatum ejus ſine dubio, qui iniquè aut egit aliquid, aut juravit. Hoc etiam ſecundùm hiſtoriam nos ædificat, & docet, ne unquam in peccatis alterius polluamus conſcientias noſtras, nec conſenſum malè agentibus præbeamus. Conſenſum autem dico, non ſolùm pariter agendo; ſed etiam quæ illicitè geſta ſunt reticendo. Vis autem ſcire quia conſentiant hæc etiam evangelicis præceptis? Ipſe Dominus dicit: *Si videris fratrem tuum peccare, argue eum inter te & ipſum ſolum; ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum; quòd ſi te non audierit, adhibe tecum alios duos vel tres. Quòd ſi nec ipſos audierit, dic Eccleſiæ. Si verò Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* »

Homil. 3. Levit. 3. 2.

Matt. 18. 15.

Et paulo poſt: « Cum ergo Evangelii tale mandatum ſit, & lex præcipiat, quia ſi tacuerit, accipiet peccatum ejus: ſciendum eſt, quòd ſi quis ea quæ videt in delicto proximi ſui, vel non indicat ſecundùm regulam ſuperiùs dictam, vel in teſtimonium vocatus, non quæ vera ſunt, dixerit, peccatum quod commiſit ille, quem celat, ipſe ſuſcipiet; & pœna commiſſi revolvetur ad conſcium. » Item idem in homiliâ de Achan furante linguam auream: *Si peccaverit*, inquit, *anima & audierit vocem jurantis, teſtiſque fuerit, quod aut ipſe vidit aut conſcius eſt, niſi indicaverit, portabit iniquitatem ſuam.*

Ibid.

Levit. 5. 1.

Item idem in eâdem: « Sed & illud non otioſè tranſcurrendum eſt; quòd uno peccante ira ſuper omnem populum venit. Hoc quomodo accidit? quando ſacerdotes qui populo præſunt, ergà delinquentes benigni volunt videri; & verentes peccantium linguas ne forte malè de his loquantur, ſacerdotalis ſeveritatis immemores, nolunt implere quod ſcriptum eſt: *Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri metum habeant.* Et iterum: *Auferte malum de vobis ipſis.* Nec zelo Dei ſuccenſi imitantur Apoſtolum dicentem: *Tradidi hujuſmodi hominem in interitum carnis; ut ſpiritus ſalvus fiat.* Neque illud Evangelicum ſtudent, ut ſi viderint peccantem primò ſecretè conveniant; poſt etiam duobus vel tribus dicant arbitris: quòd ſi contempſerit, & poſt Eccleſiæ correptionem non fuerit emendatus de Eccleſiâ, velut gentilem habeat & publicanum. Et dum parcunt uni, univerſæ Eccleſiæ moliuntur interitum. Quæ eſt iſta bonitas? Quæ iſta miſericordia eſt? Uni parcere, & omnes in diſcrimen adducere? Polluitur enim ex uno peccatore populus: ſicut unâ ove morbidâ grex univerſus inficitur, ſic etiam uno vel fornicante, vel aliud quodcumque ſceleris committente, plebs univerſa polluitur. Et ideo obſervemus nos invicem, ut uniuſcujuſque converſatio nota ſit maximè ſacerdotibus & miniſtris. Nec putent ſecretè dicere: quid hoc ad me ſpectat, ſi alius malè agit? Hoc eſt dicere caput ad pedes; quid ad me pertinet, ſi dolent, ſi malè habent pedes mei? non meâ intereſt, dummodò caput in ſanitate perduret. Aut ſi dicat oculus manui, non indigeo operâ tuâ, quid ad me pertinet ſi doles, ſi vulnerata es? numquid ego oculus conturbor ex ægritudine tuâ? Tale ergo eſt quod agunt hi qui Eccleſiis præſunt, non cogitantes quia unum corpus ſumus omnes qui credimus, unum Deum habentes, qui nos in unitate conſtringit & continet. »

Homil. 7. in Jeſu Nave.

1. Tim. 5. 20

1. Cor. 5. 13.

Ibid. v. 5.

Et Apoſtolus: *Non ſolùm*, inquit, *qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte.* Item idem in Epiſtolâ ad Corinthios: *Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit; expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azymi.* Gregorius in libro paſtorali: « Qui enim, inquit, proximorum mala reſpiciunt, & tamen in ſilentio linguam premunt, quaſi conſpectis vulneribus uſum medicaminis ſubtrahunt: & eo mortis auctores ſunt, quo virus, quod poterant curare, noluerunt. » Audiant hoc illi qui propter amorem, aut timorem, aut muneris acceptionem malorum letalia peccata detegere refugiant: quod niſi ea correctionis & ſalutis causâ prodiderint, ſimiles peccanti fiant; & uno peccante, cæteris tacentibus, & non corripientibus, periculum immineat. Qui enim

Rom. 1. 32.

1. Cor. 5. 7.

[t] *quod autem conſcii*] Sic edidimus deleto verbulo *eſt* poſt adverbium *autem*. Acherius *qui autem ſunt conſcii*, quàm rectè, cuilibet patebit.

malum videt, & tacet, non ſolùm in illud Pſalmiſtæ labitur dicentis: (Pſal. 49. 18.) *Si videbas furem, currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas*: verùm etiam cum Iſaia, neceſſe eſt clamet, & dicat: (Iſai. 6. 5.) *Va mihi quia tacui: quia vir pollutus labiis ego ſum.* Quiſquis igitur mala videt, & tacet, procul dubio vir pollutus labiis exiſtit, & peccantis facinus in ſemetipſum retorquet.

CAPUT XIX.

Quòd graviùs puniantur qui fidem Chriſti perceperunt, & in malis vitam finiunt; quàm illi qui ſine fide mortui ſunt, & tamen bona opera egerunt.

Dici ſolet à nonnullis Chriſtianis, quòd hi qui in Chriſto renati ſunt, quamquàm ſcelerate vivant, & in malis operibus diem claudant extremum, diuturno atque purgatorio, non tamen perpetuo igni ſunt puniendi. Cum multi hoc aſſerant, & nullis ex [u] divinis oraculis id affirmare verum eſſe queāt, cavendum eſt illis, ut hoc non ſolùm non credant, verùm etiam nec ex ore proferant: ne forte hoc dicendo & ſe, & alios quodammodo vanâ ſecuritate deludant. Quòd ergo neminem ſola fides Chriſti ſine operibus ad regnum provehat æternum, in ſubſequenti demonſtrabitur capitulo. Quòd autem qui in flagitiis viventes, & hæc nec pœnitentiæ lamentis nec eleemoſynarum largitionibus redimentes, ſed in eis potiùs perſeverantes diem obeunt, atrociora ſint tormenta paſſuri, quàm illi qui licet lavacro Chriſti in Eccleſiâ nequaquàm ſunt baptizati, bona tamen opera fecerunt: ſubtùs teſtimonia collecta declarant.

Ait itaque Petrus: (1. Pet. 2. 21.) *Melius enim illis fuerat non agnoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem veritatis retrorſùm redire ab eo quod traditum eſt illis ſancto mandato. Contigit enim eis illud veri proverbii: Canis reverſus ad ſuum vomitum: & ſus lota in volutabro luti.* Et Dominus in Evangelio: (Luc. 12. 47. 48.) *Ille autem ſervus qui cognovit voluntatem domini ſui, & non præparavit, & non fecit ſecundum voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum eſt, multum quæritur ab eo: & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo.* Item: (Matt. 12. 44) *Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, vadit per loca arida, & quærit requiem, & non invenit: & tunc dicit, revertar in domum meam unde exivi.* (Luc. 11. 26.) *Et ſi veniens invenerit eam vacantem, mundatam, & ornatam, vadit, & adducit ſecum ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe: & intrant in domum illam, & habitare in eâ. Et erunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* Origenes quoque in homilia de (Homil. 8. in Exod.) initio Decalogi: « Habitavit enim in nobis immundus ſpiritus, antequàm crederemus, antequàm veniremus ad Chriſtum, cum adhuc fornicaretur anima noſtra à Deo, & eſſet cum amatoribus ſuis dæmonibus. Sed poſteaquàm dixit: Revertar ad virum meum priorem, & venit ad Chriſtum, qui eam ab initio ad imaginem ſuam creavit, neceſſariò locum dedit adulter ſpiritus, ubi vadit ad legitimum virum. Suſcepti ergo ſumus à Chriſto, & mundata eſt domus noſtra à peccatis prioribus, & ornata eſt ornamentis ſacramentorum fidelium, quæ norunt qui initiati ſunt. » Item poſt pauca: (Ibid.) « Non enim domus tantùm, ſed templum eſſe debet, in quo habitet Deus. Si ergo acceptam gratiam negligat, & implicet ſe negotiis ſæcularibus, continuò ille immundus ſpiritus redit, & vendicat ſibi domum vacantem. Et ne iterum poſſit expelli, alios ſecum ſeptem ſpiritus adhibet nequiores ſe, & fiunt noviſſima hominis pejora prioribus. » Et Beda in expoſitione Evangelii Lucæ: (In expoſit. cap. 11. v. 26.) « Quemcumque enim poſt baptiſma ſive pravitas hæretica, ſeu mundana cupiditas arripuerit, mox omnium proſternet in ima vitiorum. Unde rectè nequiores ſpiritus dicuntur ingreſſi; quia non ſolùm habebit illa ſeptem vitia, quæ ſeptem ſpiritalibus contraria ſunt virtutibus; ſed & per hypocriſim ipſas ſe virtutes habere ſimulabit, & ſunt noviſſima hominis illius pejora prioribus. *Melius* (2. Pet. 2. 21.) quippe *erat ei viam veritatis non cognoſcere; quàm poſt agnitionem retrorſum converti.* Quod in Juda traditore, vel Simone magno, cæteriſque talibus ſpecialiter legimus impletum. »

Auguſtinus quoque in libro Enchiridii: (Enchirid. cap. 67.) « Creduntur, inquit, à quibuſdam etiam ii qui nomen Chriſti non relinquunt, & ejus lavacro ſanctu initiantur, nec ab eo ullo ſchiſmate vel hæreſi præciduntur, in quantiſcumque ſceleribus vivant, quæ nec diluant pœnitendo, nec eleemoſynis redimant; ſed in eis uſque ad ultimum hujus vitæ diem pertinaciſſimè perſeverent, ſalvi futuri per ignem; licet pro magnitudine facinorum, flagitiorumque, diuturno, non tamen æterno igne puniri. Sed qui hoc credunt, & tamen Catholici ſunt, humanâ quadam benevolentiâ mihi falli videntur: nam ſcriptura divina aliud conſulta reſpondet. » Et paulo poſt: (Ibid.) « Porrò autem ſi homo ſceleratus propter ſolam fidem per ignem ſalvatur, & ſic eſt accipiendum quod ait beatus Paulus; (1. Cor. 3. 15.) *Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem*: poterit ergo ſalvare ſine operibus fides, & falſum erit quod dixit ejus coapoſtolus Jacobus: falſum erit & illud quod idem ipſe Paulus dixit: (Ibid. 6. 19.) *Nolite*, inquit, *errare; Neque fornicatores, neque idolis ſervientes, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.* Si enim in illis perſeverantes criminibus, tamen propter fidem Chriſti ſalvi erunt; quomodo in regno Dei non erunt? » Si igitur dum juxta Evangelicam ſententiam poſt agnitionem Chriſti quis nequam vivendo ſpiritum immundum, qui à ſe tempore baptiſmatis expulſus eſt, cum dæmonum ſeptenario ſibi numero addito ad ſe redire facit, priſtinamque domum in ſe quodammodo vindicare ſinit; fiunt illi noviſſima pejora prioribus: patet profectò, ſi in eiſdem nequitiis vitam finierit, graviùs illum, quàm eos, qui licet fidem Chriſti non perceperint, bonis tamen operibus operam dederunt, puniendum.

Proinde neceſſe eſt ut unuſquiſque fidem Chriſti quam perceperit, operibus exornet. Et ſicut nulli de miſericordia Dei deſperandum eſt, ita nemo poſt hanc vitam judicium Dei, quod niſi juſtum eſſe non poteſt, ſibi aliiſque favorabiliter molliendo temperet, & propter hoc in hac vitâ bonis operibus deditus eſſe negligat. Quapropter procurandum eſt ut dum in hac vita vivitur, bonis operibus inſiſtatur, Domino monente per Prophetam: (Jerem. 13. 16.) *Date Domino Deo veſtro gloriam, antequam contenebreſcat, & antequam offendant pedes veſtri ad montes caligmoſos.* Et alibi: (Iſai. 55. 6. 7.) *Quærite Dominum dum inveniri poteſt; invocate eum dum propè eſt. Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas*, &c. Et Dominus in Evangelio: (Matt. 26. 41.) *Vigilate, & orate: quia neſcitis diem, neque horam.* Item: (2. Pet. 3. 10.) *Dies Domini ſicut fur, ita in nocte veniet.* Item: (Joan. 12. 35.) *Ambulate dum lucem habetis; ne*

[u] *& nullis ex*] In cap. 21. Inſtit Reg. infrà: *& nullus id verum eſſe divinis oraculis adſtruere valeat*: quod mihi quidem melius videtur.

2. Cor. 6. 2. *tenebræ vos comprehendant.* Et Apoſtolus: *Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies ſalutis.* Quibus documentis perdocemur; quòd indulta tempora pœnitentiæ nequaquàm in vanum deducere, ſed potiùs bonis operibus indeſinenter debeamus inſiſtere.

[Huc uſque quid generaliter cunctis fidelibus conveniat, ex divinis oraculis, & ſanctorum Patrum ſententiis breviter conceſſiſſe [x] ſufficiat: ab hinc omiſſis ordinibus qui ſalutiferæ inſtitutionis ſuppoſito * congruentiſſimis formulis ad divinæ potentiæ famulatum conſtringunt,* qualis eſſe conjugatorum, qualiterque eis vivendum ſit, ex præfatis auctoritatibus oſtendetur. Primùm tamen de propoſito Chriſtianitatis, quod operibus à pleriſque, ut oportet, non exornetur, dicendum; poſtea quod pollicitum eſt, capitulatim proſequendum.]

CAPUT XX.

Quod multi Chriſtianam profeſſionem verbis teneant, ſed operibus negligant.

SI mundanarum legum jura ob jurgiorum forenſium negotia dirimenda à mortalibus edita, homines avidiſſimè diſcere, & intelligere acutiſſimè ſatagunt; ut his benè notis, quid verum, quid falſum, quid juſtum, quidve injuſtum ſit in hac terrâ morientium liquidò diſcernere queant; quanto magis jura cœleſtia à ſummo Opifice Deo omnium Creatore hominibus promulgata, ſalubriterque collata, quibus cavendum malum, faciendumque bonum perdocetur; quæ etiam ſectatores ſuos ad terram provehunt viventium, cunctis fidelibus diſcere, & intelligere intentioni eſſe debet.

Lex itaque Chriſti non ſpecialiter clericis, ſed generaliter cunctis fidelibus obſervanda, eſt à Domino attributa. Licet in Evangelio quædam ſint præcepta ſpecialia, quæ ſolummodo contemptoribus mundi & Apoſtolorum ſectatoribus conveniant; cætera tamen cunctis fidelibus, unicuique ſcilicet in ordine quo ſe Deo deſervire devovit, indiſſimulanter obſervanda cenſentur. Multi namque Laicorum exiſtunt, qui legem Evangelicam & Apoſtolicam ſibi datam credunt, & intelligere procurant, & ſecundùm eam vivere pro viribus invigilant. Sunt alii qui eam ſibi datam credunt, hanc tamen intelligere, & ſecundùm eam vivere detrectant. De talibus beatus Auguſtinus in libro Sermonum ad populum: « Homo, » inquit, nimiùm aliquando mente perversâ timet » intelligere, ne cogatur quod intellexerit facere. Unde ait Pſalmiſta: *Noluit intelligere, ut benè ageret.* » Tales verò niſi impræſentiarum ſe correxerint, » quid eis in futurum proveniat, ſi animadvertere » curaverint, & in Evangelio, & in Apoſtolo in » promptu habent.

De verbis Apoſt. ſerm. 13.

Pſal. 35. 4.

Porrò ſunt alii tantæ vecordiæ, qui eam non ad ſe, ſed ſolummodo ad Clericos pertinere contendant; glorantes ſe nomine Chriſti inſignitos, & putantes fide tenùs tantùm ſalvari poſſe; cum Dominus in Evangelio dicat: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum.* Et Apoſtolus Jacobus: *Fides*, inquit, *ſine operibus otioſa eſt.* Item: *Quid proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? numquid fides poterit ſalvare eum?* Et paulo poſt: *Fides*, inquit, *ſi non habuerit opera, mortua eſt in ſemetipſa.* Joannes Apoſtolus: *Qui dicit*, inquit, *ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt; & in eo veritas non eſt.* Paulus: *Confitentur*, inquit, *ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Item alibi: *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.*

Matt. 7. 21.

Jac. 2. 26.

Ibid. v. 14.

1. Joan. 2. 4.

Tit. 1. 16.

Galat. 5. 24.

Ait autem beatus Auguſtinus in præfato libro Sermonum: « Dico charitati veſtræ, fratres, omnes » mali Catholici confitentur Chriſtum in carne ve- » niſſe, factis autem negant. Nolite ergo eſſe tam- » quàm fide ſecuri; adjungite fidei rectæ vitam re- » ctam; ut Chriſtum confiteamini in carne veniſſe, » & verbis vera dicendo, & factis benè vivendo. » Nam ſi confitemini verbis, & factis negetis; fides » talium propè fides eſt dæmoniorum. Jacobus ita- » que Apoſtolus cum de fide & operibus loqueretur » adversùs eos, qui ſibi putabant fidem ſufficere, » & opera bona habere nolebant, ait: *Tu credis* » *quia unus eſt Deus, benè facis: & dæmones credunt,* » *& contremiſcunt.* Numquid ideo dæmones ab æter- » no igne liberabuntur; quia credunt, & contremiſ- » cunt? » Miſerabilis planè & valde lamentanda fides, quæ dæmonum fidei comparatur. Apoſtolus nempe fidem credentium à fide dæmonum diſtinguens, ait: *Fides quæ per dilectionem operatur.* Claret namque quia fides niſi dilexerit quod credit, ſeque bonis operibus exornaverit, meritum fidei amittit. Quàm multi hodie in Eccleſiâ exiſtunt, (quod non ſine magno animi mœrore proſequi poteſt) qui fidem Chriſti perceperunt, & opera habere contemnunt, vitiis inſerviunt, & Chriſtianitatis nomen ſibi ſufficere putant. Numquid ſola fides ſuperbos, invidos, avaros, adulteros, perjuros, raptores, fornicatores, homicidas, & cæteris innumeris vitiis mancipatos, provectura eſt ad regnum Dei, cum Dominus in Evangelio, & Apoſtolus dicat, quòd hujuſcemodi regnum Dei non poſſidebit? Quàm multi etiam qui propter mundi amorem, dilectionem ſui, parvipendunt Creatoris, cum mundus cadat & concupiſcentia ejus, & qui Chriſto adhæret, maneat in æternum; ſicut & Chriſtus manet in æternum, & qui, ipſo teſtante, ſuum *Sermonem ſervaverit, mortem non videbit in æternum?* Ait autem Dominus per Prophetam: *Attendite popule meus legem meam: inclinate aurem veſtram in verba oris mei.* Qui populus Domini eſt, ejus legem attendere, illiuſque verbis aurem accommodare procuret: qui autem facere negligit, populum ejus ſe non eſſe demonſtrat.

De verbis Apoſt. ſerm. 31. cap. 9.

Jac. 2. 19.

Galat. 5. 6.

Joan. 8. 51.

Pſal. 77. 1.

Verùm ſunt nonnulli qui legem divinam non ſolùm opere complere, ſed nec audire dignantur. Et quid rogo faciunt de eo quod ſcriptum eſt: *Qui obturat aurem ſuam ne audiat legem, oratio ejus execrabilis erit?* Quòd ſi oratio legem divinam audire nolentis, execratur, nihilominùs ejus cor deſpicitur; ſi ejus cor deſpicitur, Chriſtus in eo habitare dedignatur. Nequaquam igitur ad ejus cor venit qui ſuas leges odit; quoniam cor hujuſcemodi ſubditum peccato, tantum hoſpitem habere non meretur; ſcripturâ teſtante quæ ait: *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum: nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Audiant hoc illi qui dies ſuos in peccatis ducunt, quòd vitiis ſubſtrati nequaquàm ſpiritum ſanctum habitatorem habere poſſint, & quòd nemo peccato Chriſtoque pariter ſervire poſſit; Domino in Evangelio dicente: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire.* Et per Prophetam: *Coangustatum eſt ſtratum, breve eſt*

Prov. 28. 9.

Sap. 1. 5.

Matt. 6. 24.
Luc. 16. 13.
Iſai. 28. 20.

x *breviter conceſſiſſe*] Poteſt reſtitui *commonſtraſſe*, aut aliud quiddam ſimile; nec diſplicet *breviter contextis demonſtraſſe*. Statim lego *inſtitutioni propoſito .... conſtringuntur*: atque ita intelligo omiſſis quæ pertinent ad ordines clericorum, monachorum &c. qui ad Deo peculiari quodam modo ſerviendum ipſâ ſua conditione adſtringuntur. Addendum etiam verbum *debeat* poſt vocem *conjugatorum* cenſeo.

Digitized by Google

pallium : utrumque operire non poteſt. Ac ſi patenter dicat : Nemo me, auctoremque peccati in ſuæ mentis lecto pariter recipere poteſt : *Quæ enim*, ut Apoſtolus ait, *conventio Chriſti ad Belial ? Et quæ participatio lucis ad tenebras ?*

2. Cor. 6. 15.

Negligitur etiam profeſſio Chriſtiana à multis, & in multis, propter delectationes carnales & diverſiſſimas hujus ſæculi vanitates ; quibus quanto plus juſto, imo inaniter inſerviunt, tanto minùs operibus Chriſtianæ profeſſionis vacare inveniuntur. Quòd ſi acta Apoſtolorum relegamus & devotionem Chriſtianæ plebis, quæ ſub eiſdem Apoſtolis floruit, diligenter animadvertimus, multum noſtri ſæculi Chriſtiani populi devotionem ab illorũ diſtare reperiemus. Et quanto illi ardentiùs ac devotiùs eam ſunt ſectati, tanto nonnulli ab ejus operibus longè ſunt digreſſi. Proinde ſicut tunc in nationaſcentis Eccleſiæ eadem fides operibus floruit, ita nunc eiſdem neglectis apud quoſdam marceſcit. Ut enim verbis beati Auguſtini utar, „Chriſtus in nobis eſt idem, qui & in illis : „ eadem fides in nobis ; ſed non eadem devotio. In „ illis enim major erat fraternitas Chriſti, quàm „ ſanguinis. In illis ſicut una fides, ita erat & una „ ſubſtantia ; & quibus erat communis Chriſtus, „ communis fuit & ſumptus. N fas enim putabant „ eum ſibi participem non adſciſcere in ſubſtantiâ, „ qui particeps eſſet in gratiâ. Non ergo verebantur „ ne eſurirent, ſed potius timebant ne alii eſurirent. „ Nunc autem, ut idem beatus Auguſtinus ait, ita „ alter de alterius inopiâ non cogitat, ut illud ſit „ quod dicit Apoſtolus : *Alius quidem eſurit, alius „ autem ebrius eſt.* „ Et paulo poſt : „Nũc eſt illud tem„ pus, quod Dominus in Evangelio ait, *Abundabit „ iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Modo „ enim abundat avaritia & iniquitas, quæ ante largitatis bonitate ceſſabat, & refrigeſcit fraternitatis „ charitas, quæ priùs amore Chriſti fervebat. Tunc „ enim ſub Apoſtolis tanta fraternitatis dilectio fuit, „ ut in conventu ſuo non inveniretur indigentis. „ Tanta autem modo Chriſtianitatis diſſimulatio eſt, „ ut in cœtu noſtro vix invenias locupletem : locu„ pletem autem vix inveniri dico, non facultatibus, „ ſed operibus. Ait autem Apoſtolus : *Divites ſint „ in operibus bonis.* Locupletem enim intelligi voluit „ in Eccleſiâ, qui dives in Chriſto eſt. „ Et idem poſt „ pauca : „ Rarò igitur hoc tempore invenimus in „ Chriſtiano populo locupletem ; & ſi plerique in „ domibus auro ſunt divites, in Eccleſiâ tamen ſunt „ mendici. Dum enim circà pauperes non pro eo „ quod prævalent operantur, nec hoc eſt gratum „ quod afferunt, nec illud eſt ſatiabile quod reſer„ vant. Dixit autem Dominus ad Cain cum offerret „ munera : *Si autem rectè offeras, rectè autem non „ dividas, peccaſti. Quieſce*, ſic tu Chriſtiane rectè „ non dividis, qui de tanto auro tuo majorem par„ tem mammonæ ſervas, quàm Deo largiris. „

Sermo S. Maximi Epiſcop. de diverſ. inter Ambroſianos 9.

Ibid.

1. Cor. 11. 21.

Matt. 24. 12.

1. Tim 6. 18

Ibid.

In primordio igitur ſanctæ Dei Eccleſiæ circà credentes ardor fidei ita vigebat, ut perſeverarent in doctrinâ Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus, & haberent omnia communia ; & ſumerent cibum cum exultatione, & ſimplicitate cordis, collaudantes Deum. Nunc autem devotio Chriſtianitatis apud pleroſque longè aliter ſe habet : quoniam à quibuſdam [y] doctrinæ Apoſtolorum præponitur amor terrenorum negotiorum ; communicationi fractionis panis, tenacitas ; frigus charitatis, & cupiditas ambiendæ rei alienæ, potius quàm propriæ largiendæ ; orationibus delectatio carnis, curioſitas rerum, ſollicitudo mundi, & multimoda mentis in diverſa vagatio. Quæ autem illis erant communia, nunc quibuſdam ita ſunt propria, ut perrarò in alterius ex his quidquam retorqueatur uſum. Illi ſumebant cibum cum exultatione, & ſimplicitate cordis, collaudantes Deum ; nunc autem vix à quibuſdam ſumitur cibus ſine detractione, ſine ſimulatione, ſine inſultatione, ſine hiſtrionum ſaltatione, & obſcœnâ jocatione, & turpiloquiis, & ſcurrilitatibus, & cæteris innumeris vanitatibus, quæ animum Chriſtianum à vigore ſui ſtatûs emolliunt. Illi in ſimplicitate cordis ; iſti autem è contrario ſubdolo & duplici animo, cum ſcriptura dicat : *Sentite de Domino in bonitate : & in ſimplicitate cordis quærite illum.* Illi ſumentes cibum, Deum collaudabant ; iſti diverſorum ciborum genera ad ſuum libitum exigentes, ergà lautiſſimos ſibi cibos præparatos artem collaudant cocorum : & ideo in comedendo, & bibendo nimii exiſtunt ; ut Nabuzardan princeps cocorum muros Jeruſalem, id eſt virtutes animarum ſuarum, ſubruere videntur. Nec non & illius Evangelici ita ſunt immemores, quo præcipitur : *Videte ne graventur corda veſtra in ebrietate, & crapulâ, & curis hujus vitæ* : ut delicioſis cibis ventribus diſtentis, & diverſiſſimis potionibus irrigatis, non ad laudes Dei, ſed ad cachinnationes ora diſſolvant : non attendentes illud quod Dominus in Evangelio ait : *Væ vobis qui ridetis nunc ; quia lugebitis, & flebitis.* Et alibi ſcriptura dicit : *Riſus dolore miſcebitur : & extrema gaudii luctus occupat :* Et è contrario de juſtis : *Beati igitur qui lugent : quoniam ipſi conſolabuntur.* Non enim à magno myſterio vacat, quòd Dominus noſter Jesus-Christus flevisse non riſiſſe in Evangelio legitur : ſcilicet ut in hoc, ſicut & in cæteris membris ſuis exemplum daret, quòd in hac convalle lacrymarum non propter fumea & fugitiva gaudia ridendum, ſed magis propter amiſſam noſtram æternæ patriæ hereditatem, à quâ diù exulamus, nobis eſſet deflendum.

Sap. 1. 1.

Luc. 21. 34.

Ibid. 6. 25.

Prov. 14 13.

Matt. 5. 5.

Terrendi ſunt ergo epulis multiloquioque vacantes damnatione illius purpurati divitis, qui micas Lazaro indigenti dare noluit ; & ideo (ut beatus Gregorius ait) uſque ad minima petenda pervenit ; qui idcircò linguam ſibi refrigerari popoſcit, quia loquacitati, quæ inter epulas maximè fieri ſolet, inſolenter inſervivit. Mulcendi ſunt verò, atque ad opus miſericordiæ provocandi, exemplo beati Job dicentis : *Si negavi, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ exſpectare feci : ſi comedi buccellam meam ſolus, & non comedit ex ea pupillus.* Igitur ne multiloquio impunè ſe vacare poſſe quis putet, audiat quod Pſalmiſta canit : *Quis eſt homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos ? Coerceat linguam ſuam à malo, & labia ejus ne loquantur dolum. Divertat à malo & faciat bonum.* Multi nempe propter dies malos, quos fallente mundi amore putant eſſe bonos, perdunt dies bonos æternos, ubi eſt ſumma felicitas, & perpetui gaudii inenarrabilis beatitudo.

Luc. 16. 24.

Job 31. 16.

Pſal. 33. 13.

Eſt & aliud in Chriſtianâ Religione magnâ admiratione dignum, eo quod leges humanæ, quæ plerumque peccare volentibus terrorem potiùs quàm Chriſti præcepta, incutiunt, majorem vim quàm divinæ habere videantur, cum utique illæ ſibi parentes, à temporali, hæ quoque ab æternâ liberent pœnâ. Cum enim quiſpiam regiæ aut imperialis dignitatis apicem tenens, mortalibus temporaliter imperans, aliquod edictum proponit, quod à ſibi ſubditis & audiri diligenter, & impleri fideliter ſagaciterque velit, quis, rogo, ſubditorum non inhianter id audire, illiuſque juſſionibus fideliter accelerat ob-

y *quoniam à quibuſdam*] Hunc locum fœdis mendis antea ſcatentem emendavimus conferendo cum capite 11. opuſculi quod infrà edimus de Inſtitutione Regiâ.

temperare ? Quis in tantam verò audaciam prorumpere audeat ? Quis id niſi ad ſui diſcrimen contemnere præſumat ? Cum hæc quippe dico, ſtupor & ineffabilis admiratio gignitur in animo meo : homines condunt leges, & à ſubditis cuſtodiuntur : Deus creator omnium æternaliter imperans, qui noſtro augmento non creſcit, nec noſtro detrimento decreſcit, in cujus manu ita ſumus, quaſi lutum in manu figuli, dedit ob ſalutem animarum capeſcendam legem, & audire contemnitur ; & ſi aure corporis auditur, aure cordis non percipitur, opere non adimpletur. Quid autem excuſationis Chriſtiani Domino afferre poterunt, qui mundanæ legis cenſuram ob mundialem metum ſuſcipiunt ; & jugo Chriſti, quod leve & ſuave eſt, & ad vitam ducit æternam, colla ſubmittere renuunt. Dominus dicit :
Matt. 11. 28. 29. & 30. *Venite ad me qui laboratis & onerati eſtis : & ego reficiam vos.* Et idem alibi : *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris : jugum enim meum ſuave eſt & onus meum leve.* Et venire ad talem tantumque vocantem, & ab eo humilitatem, & manſuetudinem diſcere, ejuſque jugum ſuſcipere recuſatur. Hoc qui faciunt, quid aliud faciunt, niſi à ſalute propriâ deficiunt ? quod quàm miſerabile & exitiabile ſit, explicari non poteſt.

Providendum eſt ergo omnibus fidelibus, ut divinis legibus humanas, & divino amori mundi non præponant amorem. Amatoribus namque mundi lata & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad mortem : amatoribus verò Chriſti, arcta & anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam. Majoris quippe numeri ſunt hodie in Eccleſiâ, quod valde lugubre eſt, qui per latam & ſpatioſam viam, quæ ducit ad mortem, ambulare, quàm qui per arctam & anguſtam viam, quæ ducit ad vitam, contendant intrare. Et hoc idcircò fit, quia videtur illud impletum eſſe quod Apoſtolus
2. Tim. 3. 2. ad Timotheum ſcribit : *Hoc autem ſcio*, inquit, *quòd in diebus noviſſimis inſtabunt tempora periculoſa ; & erunt homines ſeipſos amantes* : & cætera quæ in eâdem proſequitur epiſtolâ. Et idem alibi : *Omnes enim*
Phil. 2. 21. *ſua quærunt, non quæ* Jesu-Christi. Perſpicuè ſanè animadverti, quòd profeſſio Chriſtiana modernis temporibus à pleriſque non ſic devotè ac religioſè colitur, ſicut à priſcis colebatur Chriſtianis.

Hanc itaque fidei regulam (de quâ ſuperiùs breviter, & in memoratis actibus Apoſtolorum pleniſſimè dictum eſt) Apoſtoli, imò per Apoſtolos Chriſtus tenendam fidelibus cenſuit. Si igitur hanc Chriſtus docuit, imò quia docuit, ut quid tot tantiſque conſuetudinibus ad votum quorumdam repertis contemnitur ? Quæ quamvis Deo annuente veraciter percipiatur, operibus tamen à nonnullis diverſiſſimis negligitur modis. Et hoc idcircò accidiſſe reor, quia irrepſit inter quoſdam laicos nimium deploranda conſuetudo ; qui utique legibus divinis, quibus ſe per fidem ſubdiderunt, non ut oportet animadverſis, non ſolùm quod libet & licitum non eſt, ſed & id quod licet, non tamen expedit, legem ſibi faciunt ; & ſecundùm id quod tamen libitum fuerit, vivere ſe poſſe inculpabiliter credunt : quod quia hic per ſingula ex oraculis divinis, & ſanctorum Patrum ſententiis oſtendere magnæ eſt prolixitatis, in ſequentibus, prout Deus poſſe dederit, demonſtrabitur capitulis.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Quòd conjugium à Deo ſit inſtitutum ; & non ſit appetendum causâ luxuriæ, ſed liberorum procreatione. [a]

Cum Deus ſummè bonus, cuncta quæ fecit, bona ſint valde, dicente ſcripturâ : *Et vidit Deus cuncta quæ fecit, & erant valde bona* : Geneſ. 1. 31. plerique quibuſdam bonis à Deo bono creatis, quibus malè utuntur, in malum ſibi eadem bona convertere noſcuntur. Innumerabilia quippe ſunt, & ineffabilia ejus bona ; inter quæ bonum eſſe conjugium, & in exordio creationis humanæ à Deo eſſe inſtitutum, cum liber demonſtrat Geneſeos, in quo legitur : *Propter hoc relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ ; & erunt duo in carne unâ.* Ibid. 2. 25. Item ibi : Et *fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum : maſculum & fœminam creavit eos,* Ibid. 1. 27. *& benedixit eis dicens : Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Ibid. v. 28. Et Salomon : *A Deo*, inquit, *præparatur viro uxor.* Prov. 19. 14. Et in Evangelio : *Non legiſtis, quia qui creavit ab initio, maſculum & fœminam* Matt. 19. 6. *creavit eos ? Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Marc. 10. 8. Et Paulus ad Corinthios : *Si autem acceperis uxorem, non peccaſti : & ſi nupſerit virgo, non peccavit.* 1. Cor. 7. 28. Item idem ad Hebræos : *Honorabiles*, inquit, *nuptiæ, & cubile immaculatum.* Hebr. 13. 4. Quòd autem ſi causâ libidinis, & non potiùs fructu propaginis appetatur, tantum bonum in culpam convertatur, habes in libro beati Auguſtini de bono conjugali : « Bonum Cap. 19. ergo, inquit, ſunt nuptiæ, in quibus tanto meliores ſunt conjugati, quanto caſtiores ac fideliores, ſi Deum timent, maximè ſi filios, quos carnaliter deſiderant, etiam ſpiritaliter nutriant. » Item idem in eodem : « Sanè videndum eſt alia bona Ibid. cap. 9. nobis Deum dare, quæ propter ſeipſa expetenda ſunt ; ſicut ſapientia, ſalus, amicitia ; alia quæ propter aliquid ſunt neceſſaria, ſicut doctrina, cibus, potus, ſomnus, conjugium, concubitus : horum enim quædam ſunt neceſſaria propter ſapientiam, ſicut doctrina ; quædam propter ſalutem, ſicut cibus, potus, ſomnus ; quædam propter amicitiam, ſicut nuptiæ, vel concubitus. Hinc enim ſubſiſtit propagatio generis humani, in quo ſocietas amicalis magnum bonum eſt. His itaque bonis, quæ propter alia neceſſaria ſunt, qui non ad hoc utitur, propter quod inſtituta ſunt, peccat aliàs venialiter, aliàs damnabiliter. Quiſquis verò eis propter hoc utitur, propter quod data ſunt, benè facit. Cui ergo non ſunt neceſſaria, ſi non eis utitur, meliùs facit. » Item idem in eodem : « Illud nunc dicimus ſecundùm Cap. 3. iſtam conditionem naſcendi & moriendi quam novimus, & in quâ creati ſumus, aliquid boni eſſe conjugium maſculi & fœminæ : cujus ſe detractionem [b] ita divina ſcriptura commendat, ut nec dimiſſæ à viro nubere liceat alteri, quamdiu vir ejus vivit, nec dimiſſo ab uxore liceat alteram ducere, niſi mortua fuerit quæ receſſit. Bonum ergo conjugium, quod etiam Dominus in Evangelio »

a *liberorum procreatione*] Ut in indice capitum, ita hic in codice Clar. additur, *& quòd bonorum conjugatorum vita per Job ſit ſignificata*, quod in priori editione haud mirum eſt defuiſſe ; quippe quæ adornata eſt ad fidem codicis, in quo deſiderabatur quidquid de Jobo excripturi ſumus ex codice Clarom.

b *cujus ſe detractionem*] Achetius hoc loco legi oportere cenſet, *cujus confœderationem* : quod quidem non diſplicet modo ſcribatur *quorum*

confirmavit, non ſolùm quia prohibuit dimittere uxorem, niſi exceptâ causâ fornicationis, ſed etiam quia invitatus ad nuptias venit. » Item idem Ibid. in eodem: » Cur ſit bonum conjugium meritò quæritur. Quod mihi non videtur propter ſolam filiorum procreationem, ſed propter ipſam etiam naturalem in diverſo ſexu ſocietatem. Alioquin non jam diceretur conjugium in ſenibus, præſertim ſi vel amiſiſſent filios, vel minimè genuiſſent. Nunc verò in bono, licet annoſo conjugio, etſi emarcuit ardor caſtitatis inter maſculum & fœminam, viget tamen ordo charitatis inter virum & uxorem: quia quanto meliores ſunt, tanto maturiùs à commixtione carnis ſuæ pari conſenſu ſe continere cœperunt; non ut neceſſitatis eſſet poſtea non poſſe quod vellent, ſed ut laudis eſſet priùs noluiſſe quod poſſent. « Scribit etiam idem De nupt. & concup. c. 4. B. Auguſtinus ad Valerium Comitem: » Copulatio maris & fœminæ, generandi causâ, bonum eſt naturale nuptiarum: ſed iſto bono malè utitur, qui beſtialiter utitur, ut ſit ejus intentio in voluptate libidinis, non in voluntate propaginis. « Et Ibid. paulo poſt. » Verùm quod dixi ad naturam pertinere nuptiarum, ut maſculus & fœmina generandi ſocietate jungantur, & ita invicem non fraudent, ſicut omnis ſocietas fraudulentum ſocium naturaliter pati non vult: hoc tam evidens bonum, cum infideles habent, quia infideliter utuntur, in malum peccatumque convertunt. « Idem Ibid. cap. 7. poſt pauca: » Proinde nuptiæ quia etiam de illo malo aliquid boni faciunt, gloriantur: quia verò ſine illo fieri non poteſt, erubeſcunt; tamquàm ſi quiſpiam pede vitiato ad aliquod bonum etiam claudicando perveniat; nec propter claudicationis malum mala eſt illa perventio, nec propter perventionis bonum, bona eſt claudicatio. Ita nec propter libidinis malum, nuptias condemnare; nec propter nuptiarum bonum, libidinem laudare debemus. «

Lib. 2. c. 19. Iſidorus in libro officiorum: » Illæſæ ſunt, inquit, certæ nuptiæ, quæ in conjugio non libidinem, ſed prolem requirunt; neque enim ſic inſtitutæ ſunt, ut carnis voluptatibus ſerviant, ſed tantum ut fructum propaginis quærant. Nam ut ipſæ dotales tabulæ indicant, causâ procreandorum liberorum ducitur uxor. Quando ergo quiſque luxurioſè vivit ampliùs, quàm neceſſitas procreandorum liberorum cogit, jam peccatum eſt. « Bona igitur ſunt conjugia, ſed bono virginali & continentiæ viduali non ſunt coæquanda. Ait autem Iſidorus in eodem libello: » Conjugia tantùm per ſe bona ſunt, per ea verò quæ circa ea ſunt, mala ſiunt. Per id namque mala ſiunt, per 1. Cor. 7. 34 id quod dicit Apoſtolus: *Qui autem cum uxore* Ibid. *eſt, cogitat ea quæ ſunt mundi.* Et iterum: *Propter fornicationem autem unuſquiſque uxorem ſuam habeat.* Quod autem non unus & multæ, ſed unus & una copulantur, ipſa primùm divinitùs facta conjunctio in exemplum eſt. Nam cum Dominus hominem figuraſſet, eique parem neceſſariam proſpexiſſet, unam de coſtis ejus mutuatus, unam illi fœminam finxit. Sicque Adam & mulier Eva inter ſe nuptiis functi, formam hominibus de originis auctoritate, & primâ Dei voluntate ſanxerunt. «

De verbis Domini, ſerm. 13. cap. 4. Præfatus quoque Auguſtinus in libro ſermonum ita ſcribit de laude conjugatorum: » Eſt, inquit, conjugalis vita laudabilis, & habet in corpore Ibid. Chriſti locum ſuum. « Et paulo poſt. » Novimus membra Chriſti eſſe quæ conjugalem agunt vitam; ſi membra Chriſti ſunt, id eſt, ſi fideles ſunt. « Item Ibid. idem: » Audeo, inquit, dicere conjugalem agentes vitam, ſi teneant humilitatem, ſuperbis caſtis meliores eſſe. «

His & cæteris innumeris documentis manifeſtatur conjugium, de quo ſancta & humilis naſcitur virginitas, bonum eſſe & honeſtum, ſi tamen caſtè utatur. Et quiſquis illud pro eo quod inſtitutum eſt, appetit, bono benè utitur: quiſquis eo malè utitur, procul dubio bonum ſibi in peccatum convertere probatur. Ac per hoc oportet ut conjugati hujuſcemodi admiſſum intelligant, caveantque ne id quod licitum eſt, causâ libidinis ſibi in peccatum convertant. Qui autem thori conjugalis pudicitiam hujuſcemodi incontinentiæ nævis fuſcaverint, id neceſſe eſt quotidianis eleemoſynarum largitionibus, orationum jugibus precibus, pœnitentiæ lacrymis, & cæteris bonis operibus diluere ſatagant.

[Illud namque non incongruè in hoc capitulo ſubjungendum fuit, quòd Ezechiel Propheta tres liberatos viros ſe audiſſe aſſerit, Noë ſcilicet, Danielem & Job. Et cum per Noë .... præpoſitorum ordo, per Job quoque bonorum conjugum vita ſignatur; reſtat ut conjugati tantæ probitatis, tot tantiſque ſacrarum virtutum præconiis à Domino laudati viri vitam actuſque pro viribus, ſuffragante divinâ gratiâ, imitentur, ut ejus collegio meritò adſciſci mereantur. Nam ut in domo nuptiarum, quæ eſt Eccleſia Chriſti, triclinium eſſe deſcribitur, quia nimirum tres ſunt in Eccleſiâ ordines fidelium, Doctorum, abſtinentium, & conjugatorum. Et alibi in Evangelio iidem tres ordines fidelium ita diſtinguuntur, ut in duobus in lecto continentium, in duobus in agro præpoſitorum, in duabus verò molentibus in unum conjugatorum vita demonſtratur. De tertio itaque ordine ita Venerabilis Beda Presbyter ſcribit: » Erunt, inquit, duæ molentes in unum: molentes appellat eos, qui in plebibus conſtituti reguntur à Doctoribus, agentes ea quæ ſunt ſæculi: quos & fœminarum nomine ſignificavit, quia conſiliis, ut dixi, peritorum regi eos expedit; & molentes dixit propter temporalium negotiorum orbem atque circuitum; quas tamen in unum molentes dixit, in quantum de ipſis rebus & negotiis ſuis præbetur uſibus Eccleſiæ. Unaquæque enim hujus mundi actio mola eſt, quæ dum multas curas congerit, humanas mentes quaſi per gyrum vertit, atque ex ſe velut farinas projicit, quia inquieto cordi ſemper minutiſſimas cogitationes gignit. *Una aſſumetur, & altera relinquetur.* Aſſumitur ea pars quæ connubia tantum propter amorem generis exercuerit, terrenamque ſubſtantiam ob acquirenda cœleſtia diſpenſaverit: relinquetur autem quæ ... conjugii ob illecebras carnis ſervierit: terrena verò ſi qua Eccleſiæ vel pauperibus tribuerit, ideo fecerit quaſi redempto Domino his ampliùs abundat. « Liquet igitur quia juxta Ezechielis Prophetæ vaticinium, & Evangelicum documentum tres ſunt in Eccleſiâ ordines ac diſtinctiones fidelium. Unde, quia de ordine conjugatorum hic agitur, ſummopere eis prævidendum eſt, ut ſic ea quæ mundi ſunt agant, quatenùs conditori ſuo minimè diſpliceant. Caveant ergo relictionem, quæ à Domino terribiliter interminatur, & amplectantur aſſumptionem, quæ ab eodem Domino pronuntiando feliciter promittitur, ut ab eorum conſortio qui relinquendi ſunt (non) adnumerentur. Ut ergo dictis beati Gregorii utar in Homilia Ezechielis Prophetæ octavâ, » ita bonorum conjugatorum vita in caſtris Domini moderanda eſt, quatenùs viventes concorditer in amore omnipotentis Domini, ſic viciſſim ſibi carnis debitum ſolvant, ut tamen quid Domino de bonis operibus debeant, nullatenùs obliviſcantur, ſed

» & ſi qua ut homines delinquant, hæc inceſſanter » piis actibus redimant.

CAPUT II.

Ut qui uxores ducere voluerint, ſicut eas caſtas & incorruptas cupiunt invenire, ſic ad eas caſti & incorrupti ſtudeant accedere.

QUidam Laïcorum amore libidinis ſuperati, quidam verò ambiendi honoris terreni cupiditate ducti, imò præſtolandi tempus, quo honores mundi nanciſci valeant, interim in cœno luxuriæ ſe volutantes, antequàm ad copulam connubii accedant, diverſiſſimis modis ſe corrumpunt, & virginale decus, quod uſque ad tempus legitimæ uxoris accipiendæ conſervare debuerant, amittunt, nec non & benedictione, quâ Deus copulæ primorum hominum benedixit, & eâ quæ nunc in Eccleſiâ per ſacerdotum miniſteria [c] ſecundùm Canonicam auctoritatem, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ morem nuptiis exhibetur, ſe privant. Unde etenim damnanda conſuetudo inolevit, ut perrarò ſponſus & ſponſa in Miſſarum celebratione, ſecundùm præmiſſum ordinem, benedicantur. Nam & filii, qui ex tali concubitu generati ſunt, licet uterque parens liberæ ſit conditionis, in hereditate tamen cum fratribus ex legitimo matrimonio natis, quod dolendum eſt, minimè juxtà mundanæ legis cenſuram, ſuccedere valent. De quâ re beatus Ambroſius in libro primo, cujus titulus eſt, de Abraham, ita ſcribit: » Diſ» cant ergo homines conjugia non ſpernere, nec » ſibi ſociare impares, ne hujuſmodi ſuſcipiant li» beros, quos heredes habere non poſſint; ut vel » transfundendæ hereditatis contemplatione, ſi nullo » contuitu pudoris moventur, digno ſtudeant ma» trimonio. » Audiant igitur qui uxores ducere cupiunt, qualiter Angelus Raphaël Tobiam de uxore ſibi conjungendâ inſtruxerit: *Hi namque*, inquit, *qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum a ſuâ mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem dæmon ſuper eos. Tu autem cum acceperis eam, ingreſſus cubiculum, per tres dies continens eſto ab eâ: nihil aliud niſi orationi vacabis, cum eâ. Ipsâ autem nocte, incenſo jecore piſcis, fugabitur dæmon. Secundâ verò nocte in copulatione ſanctorum Patriarcharum admitteris. Tertiâ autem nocte benedictionem conſequeris, ut filii ex vobis incolumes procreentur. Tranſactâ autem tertiâ nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidinis ductus, ut in ſemine Abrahæ benedictionem in filiis conſequaris.* Si qui forte ſunt qui in accipiendis caſtè uxoribus ſacerdotalem parvipendere voluerint admonitionem, prorsùs neceſſe eſt ut Angelicam magnipendant inſtructionem. Tob. 6. 16.

Qui autem impuri & non caſti, caſtas & puras volunt ducere uxores, audiant quid beatus Auguſtinus in libro Sermonum dicat: » Vos qui ducturi » eſtis uxores, ſervate vos uxoribus veſtris. Quales » eas vultis invenire, tales vos debent & ipſæ inve» nire. Quis juvenis eſt, qui non caſtam velit du» cere uxorem? Et ſi accepturus eſt virginem, quis » non intactam deſideat? Intactam quæris, inta» ctus eſto. Puram quæris, noli eſſe impurus. Non » enim illa poteſt, & tu non potes. Si fieri non poſ» ſit, nec illa poſſet. Quia verò illa poteſt, doceat » te quia fieri poteſt. Et ut illa poſſit, Deus regit. » Sed tu glorioſior eris, ſi feceris. Quare glorioſior? » Illam premit parentum cuſtodia, refrænat infirmioris ſexûs ipſa verecundia. Poſtremò leges ti- » met, quas tu non times. Ideo glorioſior eris ſi fe- » ceris; quia tu ſi feceris, Deum times. Habet illa » multa quæ timet præter Deum, tu ſolum Deum » times. Sed tu quem times, major eſt omnibus. » Ipſe timendus eſt in publico, ipſe in ſecreto. Pro- » cedis, videris; intras, videris: lucerna ardet, vi- » det te: lucerna exſtincta eſt, videt te: in cubi- » culum intras, videt te: in corde verſaris, videt te. » Ipſum time, illum cui cura eſt ut videat te, & » vel timendo caſtus eſto. Aut ſi peccare vis, quære » ubi te non videat, & fac quod vis. » Item idem » in ſermone ad populum, cujus titulus eſt de decem chordis: » Noli, inquit, dicere tibi, quando forte » luxurianter aliquid vis agere: adhuc uxorem non » habeo, facio quod volo: non enim poſt uxorem » meam pecco. Jam noſti pretium tuum; jam noſti » quo accedis, quid manduces, quid bibas. Abſtine » te à fornicationibus: ne forte dicas mihi, ad fornicem vado, ad meretricem pergo, ad proſtitutam » eo; nec illud præceptum violo quo dictum eſt: » *Non mœchaberis*, quia uxorem nondum habeo, » nec poſt illam aliquid facio: nec illud præceptum » violo, ubi dictum eſt: *Non concupiſces uxorem* » *proximi tui*: quia ad publicum vado: in quod » præceptum incurro? Non invenimus chordam » quam tangamus. Quo nervo ligemus fugitivum » iſtum? Non fugiat, habet unde ligetur. Decem » enim præcepta ad duo illa referuntur, ſicut audi- » vimus, ut diligamus Deum, & proximum. Et » duo illa, ad unum illud. Unum eſt autem: *Quod* » *tibi fieri non vis, alii ne feceris.* Intelligat ſancti- » tas veſtra. Etenim quod fieri tibi non vis, alii ne » feceris, ad duo præcepta pertinet. Si homini non » feceris quod pati non vis ab homine, ad proximi » præceptum pertinet. Si autem quod non vis pati » ab homine, ipſi Deo vis facere, nonne facis alteri » quod pati non vis? Charior tibi factus eſt homo, » quàm Deus. Ergo quomodo ipſi facio, inquis, » Deo? Corrumpis teipſum. Et unde injuriam Deo » facio, quia corrumpo meipſum? Apoſtolum audi: » *Neſcitis quia templum Dei eſtis: & ſpiritus Dei* » *habitat in vobis?* Hoc dicit Chriſtianis, hoc dicit » fidelibus. *Si quis templum Dei corrumpit, corrumpet illum Deus.* Videtis quomodo minatur? Non » vis corrumpi domum tuam, quare corrumpis do- » mum Dei? Certè facis alicui quod pati non vis. » Non eſt ergo quo evadatur. Tenetur ille qui ſe te- » neri non putabat. »

De verbis Dom. ſerm. 46. cap. 2.

Ibid. cap 3.

Cap. 10.

Exod. 20. 14

Ibid. v. 17.

Matt. 7. 14.

1. Cor. 3 16.

Ibid. v. 17.

His igitur quæ prælibata ſunt diligenter perſpectis, ſummopere ſtudendum eſt conjugii copulam adeuntibus, ut nec clanculo cum meretricibus, nec palam cum ancillulis, antequàm uxorio vinculo ſe innectant, corrumpantur: ut ſcilicet quia centeſimum virginitatis nequeunt, ſaltim caſtè copulati triceſimum fructum à Domino percipere valeant.

CAPUT III.

Quòd conjugatis carnali copulæ indifferenter ſervire non conveniat.

SUnt plerique conjugalem ducentes vitam, qui tempora coeundi & non coeundi cum uxoribus pudiciſſimè diſcernere ſtudent: ſunt etiam qui hujus diſcretionis modum non ſolùm habere renuunt, quin potiùs ſe caſtigantibus & redarguentibus impudenter objicere ſolent: Uxores, inquiunt, noſtræ nobis lege conjunctæ ſunt; ſi pro libitu noſtro eis quando & qualiter volumus, utimur, non

c *Sacerdotum miniſteria*] Ita emendavimus: ex conjecturâ quidem, ſed quæ fallere nequeat: antea legebatur *myſteria*.

peccamus. Majoris autem criminis rei efficimur, ſi
ab uxorum amplexibus abſtinemus, & filios, quos
generare debuimus, non generamus. Quod dico,
ſæpiſſimè mihi objectum eſt: quorum impudentiſſi-
mæ aſſertioni, imò libidinoſæ voluntati, quam ſibi
hujuſcemodi facere legem geſtiunt, renititur Eccle-
Eccleſ. 3. 5. ſiaſtes dicens: *Tempus amplexandi, & tempus longè*
1. Cor. 7. 30. *fieri à complexibus.* Et Apoſtolus: *Tempus*, inquit,
*breve eſt; reliquum eſt, ut qui habent uxores, tam-
quàm non habentes ſint: & qui utuntur hoc mundo,
tamquam non utantur, & qui gaudent, tamquam
non gaudentes, & qui emunt tamquam non poſſiden-
tes. Præterit enim figura hujus mundi.*

[Scribit itaque Hieronymus in expoſitione Eze-
chielis Prophetæ: « Præcipitur ergo, inquit, viris,
» ut non ſolùm in alienis mulieribus, ſed in ſuis
» quoque, quibus videntur lege conjugii ſcripturâ
Geneſ. 1. 28. » dicente: *Creſcite, & multiplicamini, & replete*
» *terram*, certa concubitûs norint tempora, quando
» coëundum, quandoque ab uxoribus ſit abſtinen-
Eccleſ. 3. 5. » dum. Quod quidem & Eccleſiaſtes ſonat: *Tempus*,
» inquit, *amplexandi, & tempus longè fieri ab am-
» plexibus.* Caveat ergo uxor ne fortè victa deſiderio
d » coëundi, celet virum [d], & maritus ne vim faciat
» uxori, putans omni tempore ſubjectam ſibi de-
» bere eſſe conjugii voluptatem. «]

Papa enim Gregorius in libro Paſtorali: « Admo-
Part. 3. cap. 28. » nendi namque ſunt conjugiis obligati; ut cum vi-
» ciſſim quæ ſunt alterius cogitant, ſic eorum quiſ-
» que ſtudeat placere conjugi, ut non diſpliceat con-
» ditori: ſic ea quæ hujus mundi ſunt, agant, ut
» tamen appetere quæ Dei ſunt, non omittant. Sic
» de bonis præſentibus gaudeant, ut tamen inten-
» tione ſollicitâ mala æterna pertimeſcant. Sic de
» malis temporalibus lugeant, ut tamen conſolatione
e » integrâ ſpem in bonis futuris [e] figant: quatenùs
» dum in tranſitu cognoſcunt * eſſe quod agunt, in
» manſione quod appetunt, nec mala mundi cor
» confringant, cum ſpes bonorum cœleſtium robo-
» rat: nec bona præſentis vitæ decipiant, cum ſuſ-
» pecta ſubſequentis judicii mala contriſtant. Itaque
» animus Chriſtianorum conjugum & infirmus &
» fidelis, qui & plenè temporalia deſpicere non va-
» let, & tamen ſe coniungere * per deſiderium valet,
» quamvis in delectatione carnis interim jaceat, ſu-
» pernæ ſpei refectione convaleſcat. Et ſi habet quæ
» mundi ſunt in uſu itineris, ſtrenet * quæ Dei ſunt
» in fructu perventionis. Nec totum ſe in hoc quod
» agit inferat, nec ab eo quod robuſtè ſperare debuit,
» funditùs cadat: quod benè ac breviter Paulus ex-
1. Cor. 7. 30. » primit, dicens: *Qui habent uxores, tamquàm non
» habentes ſint: & qui flent, tamquam non flentes,
» & qui gaudent, tamquam non gaudentes.* Uxorem
» quippe quaſi non habendo habet, qui ſic per illam
» carnali conſolatione utitur, ut tamen nunquam
» in prava opera à melioris intentionis rectitudine
» ejus amore flectatur. Uxorem quaſi non habendo
» habet, qui tranſitoria cuncta eſſe conſpiciens, cu-
» ram carnis ex neceſſitate tolerat, ſed æterna gau-
» dia ſpiritûs ex deſiderio exſpectat. Non flendo flere
» eſt, ſic exteriora adverſa plangere, ut tamen no-
» verit æternæ ſpei conſolatione gaudere. Et rur-
ſùm, non gaudendo gaudere eſt, ſic de infimis ani- «
mum attollere, ut tamen nunquàm deſinat ſum- «
ma formidare. Ubi aptè quoque paulo poſt ſub- «
didit. *Præterit enim figura hujus mundi:* Ac ſi « Ibid. v. 31.
apertè diceret: Nolite conſtanter mundum dilige- «
re, quando & ipſe non poteſt, quem diligitis, ſtare. «
In caſſum ergo cor quaſi manens figitis, dum fu- «
git ipſe quem amatis. Admonendi ſunt conjuges, «
ut ea in quibus ſibi aliquando diſplicent, & pa- «
tienter invicem tolerent, & exhortantes invicem «
ſalvent. Scriptum namque eſt: *Invicem onera* « Gal. 6. 2.
veſtra portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. «
Lex quippe Chriſti, charitas eſt: quia ex illo nobis «
& largiente ſua bona contulit, & æquanimiter «
mala noſtra portavit. Tunc ergo legem Chriſti «
& ejus mandata imitando complemus, quando & «
noſtra bona benignè conferimus, & noſtrorum «
mala piè ſuſtinemus. «

His ergo quæ ſuprà memorata ſunt auditis, dili-
genterque perſpectis, omittant impudici conjugati
voluptuoſum libitum ſuum ſibi facere legem; &
diſcant ex præmiſſis auctoritatibus, quòd eos non
oporteat ſuis immoderatè uti debere uxoribus.

CAPUT IV.

De conſervanda fide inter virum & uxorem: & quòd non liceat [neque pellicem, neque] concubinam habere.

NON convenit Chriſtianæ Religioni, ut unus
multas, aut una diverſos in uno corpore ſo-
ciet. Apud Judæos nempe, & quoſdam alios incre-
dulos, hæc impudica conſuetudo perdurat. Non
enim fas eſt, neque decet Chriſtianum, relictâ con-
jugalis thori fide, per diverſa ſcorta vagari. Quod
etiam ea quæ ſequuntur, fieri non debere demon-
ſtrant. Ait autem Dominus per Malachiam: *Hoc* Malac. 2. 13.
*rursùs feciſtis. Operiebatis lacrymis altare Domini,
fletu & gemitu; ita ut non reſpiciam ad ſacrificium,
nec accipiam placabile quid de manu veſtrâ. Et di-
xiſtis: quam ob cauſam? Quia Dominus teſtificatus
eſt inter te & uxorem pubertatis tuæ, quam tu deſpe-
xiſti. Et hæc particeps tua, & uxor fœderis tui.
Nonne unus fecit, & reſiduum ejus ſpiritus? Et
quid unuſquiſque quærit, niſi ſemen Dei? Cuſtodite
ſpiritum veſtrum, & uxorem adoleſcentiæ tuæ noli
deſpicere.* Et Apoſtolus: *Uxori*, inquit, *vir debi-* 1. Cor. 7. 3.
tum reddat: ſimiliter & uxor viro. Et paulo poſt:
Nolite, inquit, *fraudare invicem: niſi forte ex con-* Ibid. v. 5.
*ſenſu ad tempus, ut vacetis orationi. Et iterum re-
vertimini in idipſum, ne tentet vos ſatanas, propter
incontinentiam veſtram.* Item idem: *Mulier*, in- Ibid. v. 4.
quit, *non habet ſui corporis poteſtatem, ſed vir. Et
vir non habet ſui corporis poteſtatem, ſed mulier.*

Auguſtinus in libro de bono conjugali: « Decus « Cap. 11.
ergo conjugale eſt caſtitas procreandi, & reddendi «
carnalis debiti fidem; hoc eſt opus nuptiarum, hoc «
ab omni crimine defendit Apoſtolus dicendo: *Et* « 1. Cor. 7. 28.
ſi acceperis uxorem, non peccaſti: & ſi nupſerit «
virgo, non peccat; & quod vult faciat, non peccat «
ſi nubat. Exigendi autem debiti ab alterutro ſexu «

c *celet virum*] In his emendandis etſi haud admodum utilem operam noſtram intelligimus, propterea quod inter lectores pauciſſimi erunt qui talia tangant; quia tamen nihil, cui quidem medelam afferre poſſimus, corruptum relinquere animus eſt, ex ineptiſſimâ ſententiâ idoneam effici poſſe monemus unius verbi mutatione: nam ſi legatur *cogat virum*, apparet ex mente ſcriptoris patem eſſe mariti & uxoris conditionem quantum ad id quod Paulo auctore matrimonii debitum vocant: ac neutri licere id ab altero, certis quidem temporibus, importunitate, vel per vim corpori illatam exigere. Infrà cap. 10. ubi idem eloquium exſcribitur, monet Acherius alias legi, *illiciat virum*, quod non diſplicet.

d *in bonis futuris*] Aliàs, ait Acherius, *in bonis perennibus*, quod magis placet. Statim voculam *ſe* expunximus poſt verbum *cognoſcunt*. Haud ita multo poſt, ubi *ſe contingere* habetur, haud paulo melior lectio erat in margine *æternis ſe conjungere*: item infrà, quo loco *ſternet quæ Dei ſunt*: nam illic verbum *ſperet*, quod alias reperi monet Acherius, tam optimum eſt, quàm hoc *ſternet* ineptum.

immoderatio,

» immoderatior progreſſio, propter illa quæ ſuprà
Cap. 13. » diximus, ſecundùm veniam conceditur. « Item idem
» in eodem : » Ad caſtitatem namque pertinet, non
» fornicari, non mœchari, nullo illicito concubitu
» maculari : quæ qui non obſervant, contrà præce-
» ptum Domini faciunt : & ob hoc exterres ſunt à
Cap. 6. » virtute obedientiæ. « Item » : Debent ergo ſibi con-
» jugati, non ſolùm ipſius ſexûs ſui commiſcendi fi-
» dem liberorum procreandorum causâ, quæ prima
» eſt humani generis in iſtâ mortalitate ſocietas, ve-
» rùm etiam infirmitatis invicem excipiendæ, ad il-
» licitos concubitus vitandos, mutuam quodammo-
» do ſervitutem ; ut & ſi alteri eorum perpetua con-
» tinentia placeat, niſi ex alterius conſenſu non poſ-
» ſit. Et ad hoc enim uxor non habet poteſtatem
Cap. 3. » corporis ſui, ſed vir. « Item idem in eodem : » Si ergo
» ſervatur fides honoris, & obſequiorum invicem
» debitorum ab alterutro ſexu, etiam ſi langueſcen-
» tibus, & propè cadaverinis utriuſque membris,
» animorum tamen ritè conjugatorum, tanto ſin-
» cerior quanto potentior, & tanto ſecurior, quanto
Cap. 9. » placidior caſtitas perſeveret. « Item idem in libro
Exod. 20. 14. » de decem chordis. » Intuemini ſermonem Dei. *Non*
» *mœchaberis*. Nolite mœchari poſt uxores veſtras ;
» quia non vultis ut mœchentur poſt vos uxores ve-
» ſtræ. Nolite ire vos quo ſequi non vultis : fine
» causâ vos excuſare conamini, quando dicitis :
» Numquid eo ad uxorem alienam ? Ad ancillam
» meam eo. Vis ut dicat uxor tua tibi, numquid eo
» ad virum alienum, ad ſervum meum eo ? Dicis,
» non eſt uxor aliena, ad quam vado. Abſit ut di-
» cat hoc illa : melius enim ut doleat de te, quàm
» imitetur te. Illa enim caſta & ſancta fœmina, &
» verè Chriſtiana eſt, quæ dolet fornicantem virum,
» & non dolet propter carnem, ſed propter chari-
» tatem dolet. Non ideo non vult ut facias, quia
» & ipſa non facit, ſed quia tibi non expedit : nam
» ſi propterea non facit, ut non facias ; ſi feceris,
» faciet. Si autem Deo illud debeat, ſi Chriſto illud
» debeat, quod tu exigis, & ideo reddit, quia jubet
» ille, etſi fornicatur vir, caſtitatem illa Deo exhi-
» bet. Chriſtus enim loquitur in cordibus bonarum
» fœminarum ; loquitur intùs hujuſmodi verbis : De
» injuriis viri tui torqueris : quod tibi enim facit,
» dole, ſed ipſum noli imitari, ut malè facias ; ſed
» ipſe te imitetur in bono. Nam in eo quod malè
» facit, noli eum putare caput tuum, ſed me. Nam
» ſi in eo quod malè facit ; caput eſt, ſequuturum
» eſt corpus caput ſuum ; eunt ambo in præceps. Ut
» autem non ſequatur malum caput ſuum, teneat
» ſe ad caput Eccleſiæ Chriſtum. Huic debet cha-
» ritatem ſuam : huic defert honorem ſuum. Ab-
» ſens ſit vir, præſens ſit vir, non peccat illa,
» quia nunquam eſt abſens, cui debet ut non
» peccet.

Item idem in libro de adulterinis conjugiis : » Illi,
Lib. 2. cap. 8. » inquit, quibus diſplicet, ut inter virum & uxo-
» rem par pudicitiæ forma ſervetur, & potiùs eli-
» gunt, maximèque in hac causâ ; mundi legibus
» ſubditi eſſe, quàm Chriſti : legant quid Imperator
» Antoninus, non utique Chriſtianus, de hac re
Ibid. paulo poſt. » conſtituerit. Ait enim inter reliqua : *Periniquum*
» *enim mihi videtur eſſe, ut pudicitiam vir ab uxore*
» *exigat, quam ipſe non exhibet ; quæ res poteſt &*
» *virum damnare, & ob confeſſionem mutui criminis*
» *rem inter utrumque componere, vel cauſam facti*
» *tollere.* Si hæc obſervanda ſunt propter decus ter-
» renæ civitatis, quanto caſtiores quærit cœleſtis pa-
» tria, & ſocietas Angelorum. «

Prov. 5. 19. Beda in expoſitione Proverbiorum : (*Cerva cha-*
riſſima, & gratiſſimus hinnulus.) » Illa, inquit, «
ſit tibi ſemper chariſſima conjux, quæ ſicut cerva «
ſerpentes, ita perſequatur ſcorta, & ſuis effuget «
ab ædibus. « Hieronymus in Epiſtolâ de morte Fa- «
biolæ : » Quidquid, inquit, viris jubetur, hoc con- « Epiſt. 30.
ſequenter redundat ad fœminas. Neque enim adul-
tera uxor dimittenda eſt ; & vir mœchus tenendus. «
Si quis meretrici jungitur, unum corpus facit. «
Ergo quæ ſcortatori, impuroque ſociatur, unum «
cum eo corpus efficitur. Aliæ ſunt leges Cæſa- «
rum, aliæ ſunt Chriſti. Aliud Papinianus, aliud «
Paulus noſter præcipit. Apud illos viris pudicitiæ «
fræna laxantur : & ſolo ſtupro atque adulterio con- «
demnato, paſſim per lupanaria, & ancillulas libi- «
do permittitur : quaſi culpam dignitas faciat, non «
voluptas. Apud nos quod non licet fœminis, «
æque non licet viris : eadem ſervitus pari conditio- «
ne cenſetur. «

Scribit autem & Lactantius : f Cum quis habet uxorem, neque ſervam, neque liberam habere poterit, ut matrimonio fidem ſervet. Neque enim, ut viris publicatio eſt, ſola mulier adultera eſt, quæ virum habens ab altero polluitur : dum divina lex ita duos in unius matrimonii corpore conjunxerit, ut adulter ſit quiſquis compagem corporis in diverſa detraxerit. Iniquum eſt enim ut vir id exigat ab uxore, quod præſtare non poſſit. (f De vero cultu lib. 6. cap. 23)

Ambroſius in libro de Abraham : » Imitemur ergo Abraham, ut « Lib. 1. c. 3. in fine.
heredes ſimus terræ per juſtitiam fidei, per quam «
ille mundi heres factus eſt. Sed fortaſſe dicat ali- « Ibid. c. 4. init.
quis : Quomodo Abraham nobis imitandum pro- «
ponis, cum de ancillâ ſuſceperit filium ? Aut quid «
ſibi hoc vult, ut tantus vir huic errori fuerit obno- «
xius, cujus tanta opera miramur ? Sed conſidere- « Ibid. poſt pauca.
mus primùm, quia Abraham ante legem Moyſi, «
& ante Evangelium fuit ; nondum interdictum «
adulterium videbatur. Pœna criminis ex tempo- «
re legis eſt, quæ crimen inhibuit ; nec ante «
legem ulla eſt rei damnatio, ſed ex lege. Deus «
in Paradiſo licet conjugium laudaverit, non adul- «
terium damnaverat. Habes unam Abrahæ de- « Ibid. paulo poſt.
fenſionem. Secunda illa eſt ; quòd non ardore ali- «
quo vagæ ſuccenſus libidinis ; non petulantis «
formæ captus decore, ancillæ contubernio con- «
jugalem poſthabuit thorum, ſed ſtudio poſteri- «
tatis, & propagandæ ſobolis. Adhuc poſt dilu- «
vium raritas erat generis humani. Erat etiam «
religionis, ne quis non reddidiſſe videretur debi- «
tum naturæ. «

Vos ergo moneo, viri maximè, qui ad gratiam Domini tenditis, non conjungi adulterino corpori ; qui enim ſe meretrici conjungit, unum corpus eſt. Nec dare hanc occaſionem divortii mulieribus. Nemo ſibi blandiatur de legibus hominum ; omne ſtuprum adulterium eſt : nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem à viro quæ ab uxore, debetur caſtimonia. Quidquid in eâ quæ non ſit legitima uxor commiſſum fuerit, adulterii damnatur crimine. Ergo advertiſtis quid debeatis cavere ; ne quis ſacramentis ſe indignum præbeat. Accipite etiam illud : quia hujuſmodi intemperantia ſolvit charitatem conjugii ; ſuperbas ancillas facit, iracundas matronas, diſcordes, contumaces concubinas procaces, inverecundos maritos. Simul ut de domino conceperit ancilla, ſpernit dominam ſuam tamquàm ditior partu : domina ſe deſpici dolet : maritum auctorem injuriarum ſuarum arguit. Patet nempe quod inter virum & uxorem par pudicitiæ forma, & conjugalis thori fides ſit conſervanda : neque fas ſit viro, aut causâ prolis, aut causâ luxuriæ cum alterâ, ne-

f *& Lactantius*] Hæc ſanè Lactantius laudato loco, ſed non iiſdem verbis

que mulieri cum altero vinculum conjugale diſſolvere.

CAPUT V.

Quod viri in caſtitate uxores ſuas diligere, eiſque ut potè vaſi infirmiori honorem debeant impendere.

IN præcedenti capitulo de ſide conſervandâ inter virum & uxorem breviter collectum; in hoc quoque ſequenti de diligendis à viris uxoribus amore

Prov. 5. 18. 19.

caſto reſtat colligendum. Legitur in Proverbiis: *Sit vena tua benedicta: & latare cum muliere adoleſcentia tua. Cerva chariſſima, & gratiſſimus hinnulus; ubera ejus inebrient te omni tempore: & in amore illius delectare jugiter.* Et in Eccleſiaſte: *Perfruere vitâ*

Eccleſ. 9. 9.

cum uxore quam diligis, cunctis diebus vitæ inſtabilitatis tuæ, qui dati ſunt tibi ſub ſole, omni tempore vanitatis tuæ. Petrus verò Apoſtolus ait: *Viri ſimiliter*

1. Pet. 3. 7.

cohabitantes ſecundùm ſcientiam, quaſi infirmiori vaſi muliebri impertientes honorem; tamquàm coheredibus gratiæ vitæ, ut non impediantur orationes veſtræ. Paulus quoque: *Viri*, inquit, *diligite uxores veſ-*

Coloſſ. 3. 19.

tras; ſicut & Chriſtus Eccleſiam. Item idem: *Nemo*

Epheſ. 5. 28

enim unquàm carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam: ita & viri debent diligere uxores ſuas,

Ibid. v. 13.

ſicut corpora ſua. Auguſtinus quoque in libro ad Valerium contrà Pelagium: » Dubitari non poteſt,

De nupt. & concup. c. 9.

» naturali ordine viros potiùs fœminis, quàm viris » fœminas principari. Quod ſervans Apoſtolus ait: » *Caput mulieris vir.* Et, *mulieres ſubditæ eſtote viris*

Coloſſ. 1. 18. 1. Pet. 3. 6.

» *veſtris.* Et Apoſtolus Petrus: *Quomodo*, inquit, » *Sara obſequebatur Abrahæ, dominum eum vocans.* » Quod licet ita ſe habeat, ut natura principiorum » amet ſingularitatem, faciliùs tamen pluralitatem » videmus in ſubditis; tamen plures fœminæ uni viro » nunquam licitè jungerentur, niſi ex hoc plures filii » naſcerentur. Unde ſi una concubat cum pluribus, » quia non eſt ei hinc multiplicatio prolis, ſed frequentatio libidinis, conjunx non poteſt eſſe, ſed » meretrix. Quoniam ſanè non tantum fecunditas,

Cap. 10.

» cujus fructus in prole eſt, nec tantum pudicitia, » cujus vinculum eſt fides; verùm etiam quoddam » ſacramentum nuptiarum commendatur fidelibus » conjugatis. Unde dicit Apoſtolus: *Viri diligite*

Coloſſ. 3. 19.

» *uxores veſtras, ſicut & Chriſtus Eccleſiam.* Hujus » procul dubio ſacramenti res eſt, ut maſculus & » fœmina connubio copulati, quamdiù vivunt, inſeparabiliter perſeverent, nec liceat, exceptâ causâ » fornicationis, à conjuge conjugem dirimi. « Hieronymus in libro contrà Jovinianum: » Si, in-

Lib. 1.

» quit, Chriſtus ſanctè, ſi caſtè, ſi abſque ullâ ma» culâ Eccleſiam diligit, viri quoque in caſtitate uxo» res ſuas diligant; & ſciat unuſquiſque ſuum vas

1. Theſſ. 4

» poſſidere in ſanctificatione & honore. « Ambroſius in libro primo, cujus titulus eſt, De Abraham: ubi

Geneſ. 18. 6.

ejuſdem Abrahæ hoſpitalitatem, quam Angelis exhibuit, deſcribit, ita dicit: » Et dixit Saræ, feſti-

Lib. 1. c. 5.

» na, & conſperge tres menſuras ſimilaginis, & fac » ſubcinericia. Bonus maritus exortem religioſi mu» neris eſſe non patitur uxorem; nec avarè ſibi to» tum munus uſurpat. Rectè igitur & pietatis & ve» recundiæ cauſa ſervatur. Quod pietatis eſt, vult » eſſe commune: quod pudoris eſt, integrum manet » Saræ. Ante tabernaculum vir hoſpitum explorat » adventum: intrà tabernaculum Sara tuetur fœmi» næ verecundiam, & opera muliebria toto exercet » pudore. Foris maritus invitat, intùs Sara adornat » convivium: nec ſolùm ipſe feſtinat Abraham; ſed » etiam feſtinandum dicit uxori, ſociam devotionis » oſtendens, nec fide diſparem. «

Qui ergo magis pulcritudinem corporis, & deſiderium voluptatis, quàm decorem mentis in uxoribus diligunt, audiant quid præfatus Ambroſius in memorato primo libro dicat: » Docetur quiſque non « Lib. 1. c. 5.
magnopere decorem quærendum conjugis, qui viro « plerumque necem gignere ſolet. Non enim tam « pulcritudo mulieris, quàm virtus ejus & gravitas « delectat virum. Qui ſuavitatem quærit conjugii, « non ſuperiorem cenſu ambiat, quàm neceſſitates « non teneant maritales: non monilibus ornatam, « ſed moribus. « Auguſtinus in libro de ſermone « Domini in monte: » Invenitur, inquit, bonus « Ibid. cap. 15.
Chriſtianus diligere in una fœminâ creaturam Dei, « quam renovari & reformari deſiderat: odiſſe autem « conjunctionem, copulationemque corruptibilem, « atque mortalem, hoc eſt diligere in eâ quod homo « eſt, odiſſe quod uxor eſt. « Et paulo poſt: » Poteſt « igitur Chriſtianus cum conjuge concorditer vivere: « ſive indulgentiam carnalem cum eâ ſupplens, quod « ſecundùm veniam, non ſecundùm debitum, dicit « Apoſtolus; ſive filiorum propagationem, quod jam « nonnullo gradu poteſt eſſe laudabile: ſive fraternam « ſocietatem ſine ullâ corporum commixtione, habens « uxorem tamquàm non habens, quod eſt in conjugio Chriſtianorum excellentiſſimum atque ſublime: ut tamen oderit in eâ nomen temporalis neceſſitatis, & diligat ſempiternæ beatitudinis. « Scribit « etiam idem ad Valerium Comitem: » Abſit ergo « De nupt. & concup. c. 18.
ut fidelis homo, cum audit ab Apoſtolo, *Diligite* « *uxores veſtras*, concupiſcentiam carnis diligat in « Coloſſ. 3. 19.
uxore, quam nec in ſeipſo debet diligere, audiens « alterum Apoſtolum: *Nolite diligere mundum*, « 1. Joan. 2. 15.
nec ea quæ in mundo ſunt. «

Perpendant itaque conjugati, quòd ſicut præmiſſa documenta declarant, exterior pulcritudo, & carnalis uxorum delectatio, earum interiori caſto amori nullatenùs ſit præferenda. Non ſunt igitur in uxoribus divitiæ tantùm & pulcritudo, ſed potiùs pudicitia, & morum probitas quærenda.

CAPUT VI.

Quòd cum uxoribus carnis commixtio, gratiâ fieri debeat prolis, non voluptatis.

AUDIANT hoc fideles conjugati, apud quos in explendâ cum uxoribus carnali voluptate, penè quidquid libitum eſt, licitum putatur: quòd non expediat eis ſecundùm ritum gentium quæ ignorant Deum, in morbo deſiderii vaſa ſua, id eſt conjuges ſuas, ſed in ſanctificatione & honore poſſidere, ſicut pleniſſimè ſanctorum Patrum documenta ſubnexa declarant. Hieron. in expoſitione Eccleſiaſtæ: » *Nolite fraudare*, inquit, *invicem, niſi forſè ex* « In expoſ. cap. 3. v. 5.
conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi: Liberis ſci- « 1. Cor. 7. 5.
licet dandam operam, & rursùm continentiæ. « Item idem in expoſitione Epiſtolæ ad Galatas; immunditiam & luxuriam tractans, ita dicit: « Sequitur « enim immunditiam comes luxuria. Quomodo enim « In expoſ. ad Gal. c. 5. v. 19.
in veteri lege de nefandis criminibus, quæ in occul- « to fiunt, & ea nominare turpiſſimum eſt, ne & « dicentis os, & aures audientium polluerentur, « generaliter ſcriptura complexa eſt dicens: *Verecun-* « Levit. 15.
dos, vel reverentes facite filios Iſrael ab omni im- « *munditia*; ſic in hoc loco cæteras extraordinarias « voluptates, ipſarum quoque opera nuptiarum, ſi « non verecundè & cum honeſtate quaſi ſub oculis Dei fiant, ut tantùm liberis ſerviatur, immunditiam, & luxuriam nominavit. « Notandum quòd coitus cum uxore, niſi causâ prolis fiat, immunditia, & luxuria ab Apoſtolo nominetur. Beatus quo-

1. Theſſ. 4. 3.

que Auguſtinus in libro, quem ad Valerium Comitem ſcribit, exponens ſententiam Pauli: *Hac eſt enim voluntas Dei ſanctificatio veſtra, abſtinere vos à fornicatione, ut ſciat unuſquiſque veſtrûm ſuum vas poſſidere in ſanctificatione & honore, non in morbo deſiderii; ſicut & gentes quæ ignorant Deum* ita dicit:

De nupt. & concup. c. 8.

« Non ſolùm igitur conjugatus fidelis vaſe non utitur alieno, quod faciunt à quibus uxores appetuntur alienæ; ſed nec ipſum proprium in concupiſcentiæ carnalis morbo poſſidendum ſciat. Quod non ſic accipiendum eſt, tamquàm prohibuerit Apoſtolus conjugalem, hoc eſt licitum honeſtumque concubitum; ſed ut iſte concubitus, qui nihil morbidæ libidinis haberet adjunctum, ſi non præcedente peccato in eo periiſſet libertatis arbitrium; quod nunc ideo habet adjunctum, ut non ſit cauſa voluptatis, ſed neceſſitatis; ſine quâ tamen in procreandis filiis ad fructum perveniri non poteſt ipſius voluntatis: quæ voluptas g in connubiis fidelium, non eo fine determinatur, ut tranſituri filii naſcantur in ſæculo iſto; ſed ut permanſuri renaſcantur in Chriſto. Quod ſi provenerit, merces erit de conjugio plenæ fidelitatis; ſi autem non provenerit, pax erit conjugibus bonæ voluntatis. Hac intentione cordis qui ſuum vas poſſidet, id eſt conjugem ſuam, procul dubio non poſſidet in morbo deſiderii ſicut gentes, quæ ignorant Deum: ſed in ſanctificatione & honore, ſicut fideles, qui ſperant in Deum. Illo quippe concupiſcentiæ malo, utitur homo, non vincitur, quando eam inordinatis atque indecoris motibus æſtuantem frænat & cohibet; nec niſi propagini conſulens relaxat atque adhibet: ut ſpiritaliter generandos carnaliter gignat, non ut ſpiritum carni ſordidâ ſervitute ſubjiciat. »

Cap. 10.

Item idem in libro de bono conjugali: « Concubitus enim neceſſarius causâ generandi, inculpabilis, & ſolus ipſe nuptialis. Ille autem qui ultra iſtam neceſſitatem progreditur, jam non rationi, ſed libidini obſequitur. » Item idem in eodem: « Nuptiarum quippe uſus ita ſe habet: ut ſi quid in eis per carnis commixtionem quod excedat generandi neceſſitatem, quamvis venialiter factum fuerit, contaminatio ſit. » Et paulo poſt:

Cap. 6.

« Conjugalis enim concubitus generandi gratiâ non habet culpam; concupiſcentiæ verò ſatiandæ, ſed cum conjuge propter thori fidem, venialem habet culpam: adulterium verò, ſive fornicatio letalem habet culpam. Ac per hoc melior quidem ab omni concubitu continentia, quàm vel ipſe matrimonialis concubitus, qui fit causâ gignendi. Sed quia

Cap. 7.

illa continentia meriti amplioris eſt, reddere verò debitum conjugale, nullius eſt criminis; exigere autem ultrà generandi neceſſitatem, culpæ venialis: fornicari porrò, vel mœchari, puniendi criminis; cavere debet chara caſtitas, ne dum ſibi quærit unde ampliùs honoretur, conjugi faciat unde damnetur. » Item idem in eodem:

Cap. 16.

« Quod enim eſt cibus ad ſalutem hominis, hoc eſt concubitus ad ſalutem generis: & utrumque non eſt ſine delectatione carnali. Quæ tamen modificata, & temperantiâ refrenante in uſum naturalem redacta, libido eſſe non poteſt. Quod eſt autem in ſuſtentando victu illicitus cibus, hoc eſt in quærendâ prole fornicarius vel adulterinus concubitus. Et quod eſt in luxuriâ ventris & gutturis illicitus cibus, hoc eſt in libidine nullam prolem quærente illicitus concubitus. Et quod eſt in cibo licito immoderatior appetitus, hoc eſt in conjugibus venialis ille concubitus. Sicut ergo ſatius eſt mori fame, quàm idolothytis veſci; ita ſatius eſt defungi ſine liberis, quàm ex illicito concubitu ſtirpem quærere. Undecumque autem naſcantur homines, ſi parentum vitia non ſectentur, & Deum rectè colant, honeſti & ſalvi erunt: ſemen enim hominis ex qualicumque homine, Dei creatura eſt; & eo malè utentibus, malè erit, non ipſum aliquando malum erit. Sicut autem filii boni adulterorum nulla defenſio eſt adulteriorum; ſic mali filii conjugatorum, nullum crimen eſt nuptiarum. » Item idem in libro de doctrinâ Chriſtianâ:

Lib. 3. c. 12.

« Nam ſi multis uxoribus caſtè uti quiſquam pro tempore potuit, poteſt alius unâ libidinosè. Magis enim probo multarum fecunditate utentem propter aliud, quàm unius carne fruentem propter ipſam. Ibi enim quæritur utilitas temporum oportunitatibus congrua, hic ſatiatur cupiditas temporalibus voluptatibus implicata; inferioriſque gradus ad Deum ſunt, quibus ſecundùm veniam concedit Apoſtolus carnalem cum ſingulis conjugibus conſuetudinem propter intemperantiam eorum; quàm illi qui plures ſinguli cum haberent, ſicut ſapiens in cibo & potu non niſi ſalutem corporis, ſic in concubitu non niſi procreationem filiorum intuebantur. »

Part. 3. c. 28.

Gregorius in libro Paſtorali: « Admonendi ſunt conjuges, ut ſuſcipiendæ prolis ſe meminerint causâ conjunctos, & cum immoderatè admixtioni ſervientes, propagationis articulum in uſum transferunt voluptatis, perpendant, ut per hoc, quod licet extrà non exeant, in ipſo tamen conjugio & conjugii jura tranſcendant. Unde neceſſe eſt, ut crebris exorationibus defleant, quòd pulcram copulæ ſpeciem admixtis voluptatibus fœdant; hinc eſt enim quòd peritus medicinæ cœleſtis Apoſtolus, non tam ſanos inſtituit, quàm infirmis medicamenta monſtravit, dicens:

1. Cor. 7. 1.

De quibus ſcripſiſtis mihi, bonum eſt homini mulierem non tangere. Propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat; & unaquaque ſuum virum habeat. Qui enim fornicationis metum permiſit h, profectò non ſtantibus præceptum contulit; ſed, ne fortaſſe in terram ruerent, lectum cadentibus oſtendit. Undè adhuc infirmantibus ſubdit:

Ibid. v. 3.

Uxori vir debitum reddat: ſimiliter autem & uxor viro. Quibus dum in magnâ honeſtate conjugii aliquid de voluptate largiretur, paulo poſt adjungit:

Ibid. v. 6.

Hoc autem dico ſecundum indulgentiam: non ſecundùm imperium. Culpa quippe eſſe innuitur, quod indulgere prohibetur. Sed quæ tanto citius relaxetur, quanto non per hanc illicitum quid agatur; ſed hoc quod eſt licitum, ſub moderamine non tenetur. » Exemplum Loth, qui ne cum Sodomis quaſi in incendio libidinis deperiret, non ad montem caſtitatis conſcendit, ſed in Segor manſit conjugii.

Geneſ. 19.

Legitur etiam in hiſtoriâ Anglorum, ita beatum Gregorium ad conſulta Auguſtini ſcripſiſſe:

Bedæ hiſt. Angl. lib. 1. cap. 27 & Gregor. Epiſt. 31. lib. 12.

« Oportet itaque legitima carnis copula ut cauſa ſit prolis, non voluptatis; & carnis commixtio, procreandorum liberorum ſit gratiâ, non ſatisfactio vitiorum. Cum verò non amor procreandæ ſobolis, ſed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent conjuges etiam de ſuâ commixtione quod defleant. »

Quod quia deflendum eſſe tot tantaque documenta perhibent, caveri prorsùs oportet. Quapropter attendant conjugati; quòd ipſe coitus cum uxore, ſi non amore ſuſcipiendæ prolis,

g *quæ voluptas*] Lege ut in margine prioris editionis legendum monuerat Acherius, *qua voluntas.*

h *metum permiſit*] Acherius in margine monet aliàs legi *premiſit*, quæ quidem tam bona eſt, quàm hæc mala.

ſed cauſâ libidinis exiſtit, fletu opus habeat.

quando non prolis, ſed cauſâ exercetur libidinis.

CAPUT VII.

Contrà eos, qui à coïtu uxorum prægnantium ſe minimè abſtinere debere contendunt.

SI cauſâ prolis uxor ducitur, & commixtio maris & fœminæ amore filiorum, non ardore libidinis debet exerceri, poſtquàm fructum oriundæ prolis tumefactus uxoris venter indicaverit, quid coïtus cum uxore, jam niſi æſtum libidinis demonſtrat? Nonne ab hujuſcemodi coïtu abſtinere nolenti quodammodo dicit Dominus: Si cauſâ liberorum uxorem duxiſti, jam me operante adeptus es quod voluiſti; ut quid operi meo morbidæ libidinis quidquam ſuperaddere præſumſiſti? Hi autem qui cum prægnantibus uxoribus licenter coïre poſſe contendunt, legant beatum [Ambroſium in Expoſitione Lucæ Evangeliſtæ ita ſcribentem: « Quid mirum, inquit, de hominibus, ſi pecudes quoque muto quodam opere loquuntur, generandi ſibi ſtudium, non deſiderium eſſe coeundi. Siquidem ubi ſemel gravem alvum ſibi ſenſerint, & genitali alvu ſemen perceptum, jam nec concubitui indulgent, nec laſciviam amant, ſed curam parentis aſſumunt. At verò homines nec conceptis, nec Domino parcunt: illos contaminant, hunc exaſperant. *Priuſquàm*, inquit, *te formarem in utero, novi te, & in vulvâ ſanctificavi te.* Ad cohibendam petulantiam tuam manus quondam tui auctoris in utero hominem formantis advertis? Ille operatur, & tu uteri ſecretum inceſtas libidine: vel pecudes imitare, vel Dominum (reverere.) Quid de pecudibus loquar? terra ipſa à generandi opere ſæpe requieſcit, & ſi impatienti hominum deſiderio jactatis frequenter ſeminibus occupetur, imprudentiam mulctat agricolæ, fecunditatem ſterilitate commutat. Ita quidam in ipſis elementis ac pecodibus ab uſu non ceſſare generandi naturæ pudor eſt. » Legant etiam beatum] Auguſtinum in libro de bono conjugali ita ſcribentem: « Sunt item viri uſque adeo incontinentes, ut conjugibus nec gravidis parcant. Quidquid ergo inter ſe conjugati, immodeſtum, inverecundum, ſordidumque gerunt, vitium eſt hominum, non culpa nuptiarum. Eſt etiam & cujuſdam ſapientis ſententia à beato Hieronymo approbata, hunc habens modum: « Adulter eſt, inquit, in ſuam uxorem amator ardentior. In alienâ quippe uxore omnis amor turpis, in ſuâ nimius. Sapiens vir judicio debet amare conjugem, non affectu: regit impetus voluptatis, nec præceps fertur in coïtum. Nihil eſt fœdius, quàm uxorem amare quaſi adulteram. Certè qui dicunt ſe cauſâ Reipublicæ, & generis humani uxoribus jungi, & liberos tollere, imitentur ſaltem pecudes. Et poſtquàm uxorum venter intumuerit, non perdant filios, nec amatores ſe uxoribus exhibeant, ſed maritos.

Jerem. 1.

In comment. Ezech. c. 18. 6.

Ex X'ſti Pythagorici ſent. in Bibliot. Pat. tom. 2.

Liquidò igitur[1] patet, quoniam ſicut clariſſimorum Doctorum dicta ſanciunt, & antiqui conjugati Patres in exemplum ſunt, prorſus à coïtu uxorum prægnantium ſit abſtinendum. At ſi quiſpiam contendere voluerit, ſe aut nolle, aut non poſſe, aut certè non debere hujuſcemodi coïtu abſtinere; noverit quòd culpa non careat concubitus cum uxore,

CAPUT VIII.

De Inceſtis.

CUm omnis illicitus concubitus inceſtus ſit; multo magis concubitus cum propinquis, Deoque dicatis fœminis, habetur inceſtus: qui enim vel cum virginibus Deo ſacratis, vel ſanguine propinquis miſcetur, inceſti, id eſt, incaſti judicantur. Tamdiù verò, ut Chriſtiana Religio, & auctoritas ſanctæ Eccleſiæ ſanxit, conjugia inter propinquos vitanda ſunt, quamdiù neceſſitudinum nomina perſeverant. Quoniam nunquam Chriſtianis convenit, ut duæ aut tres neceſſitudines, ut beatus ait Auguſtinus, in homine uno fiant. Auctoritate quippe ſanctæ Dei Eccleſiæ, quam Apoſtolis ſibi traditam creditur obſervare, cui refragari fas non eſt; & mundanæ legis cenſurâ, nec non & ipſius naturæ honeſtiſſimo ordine perdocetur, propinquitatis conjugia uſque in ſeptimum gradum differenda: & tunc (ut idem beatus Auguſtinus in libro de civitate Dei dicit) ne ipſa propinquitas longiùs abeat, & eſſe deſiſtat, hanc matrimonii vinculo rursùm colligari, & quodammodo fugientem revocari.

De Civit. Dei lib. 15. c. 16.

Ibidem.

[Iſidorus itaque de conſanguinitate ſic loquitur: Cujus ſeries ſeptem gradibus dirimitur hoc modo: « filius & filia, nepos & neptis, pronepos & proneptis, abnepos & abneptis, adnepos & adneptis, trinepos & trineptis, trinepotis filius & trineptis filia. Hæc conſanguinitas dum ſe paulatim propaginum ordinibus dirimens, uſque ad ultimum gradum ſeſe ſubtraxerit, & propinquitas eſſe deſierit, eam rursùs lex matrimonii repetit, & quodammodo revocat fugientem. Ideo autem uſque ad ſextum gradum generis conſanguinitas conſtituta eſt, ut propinquitas generis tot gradibus terminaretur. »]

Item Papa Gregorius[1] Junior in decretalibus ſuis, inter cætera eos, qui de propriâ cognatione uxores ducunt, Apoſtolico anathemate percellit, dicens: « Si quis fratris uxorem duxerit in conjugio, anathema ſit: & reſponderunt omnes ter, anathema ſit. Si quis nuptam duxerit in conjugio, anathema ſit: & reſponderunt omnes, anathema ſit. Si quis novercam aut nurum ſuam duxerit in conjugio, anathema ſit: & reſponderunt omnes ter, anathema ſit. Si quis conſobrinam duxerit in conjugio, anathema ſit, & reſponderunt ter omnes, anathema ſit. Si quis de propriâ cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema ſit: & reſponderunt ter omnes, anathema ſit. » At ſi quis objicere voluerit aliter beatum Papam Gregorium de gradibus propinquitatis Auguſtino Anglorum Epiſcopo ſcripſiſſe, noverit illum non ut auctoritati Eccleſiæ contrairet, ſed potiùs ut eidem rudi populo conſuleret, id feciſſe.

Greg. II Concil. Rom. 1. c. 5. & ſeq.

Lib. 12. epiſt. 31. Reſp. 7.

Quia ergo Chriſtianis inceſta conjugia omninò ſint vitanda, apertè demonſtratur. Ut quid igitur appetitur tale conjugium, ubi & culpa innuitur, & mundanæ dignitatis nobilitas infamiæ denotatur? Denotatur dico; quia qui tali conjugio innectitur, denobilitatur, & filii qui ex tali conjugio naſcuntur, in hereditatem ſecundùm humanæ legis cenſuram non admittuntur. Porrò inde neceſſe eſt, ut

1 *liquidò igitur*] Horum verborum loco ſequentia leguntur in codice Clarom. quæ magis placent: *Perpendant igitur conjugati, quod juxtà dignitatis humanæ rationem, tantorumque clariſſimorum Patrum ſaluberrimam inſtructionem, à coïtu prægnantium uxorum uſquequaque eis conveniat abſtinere. Et quòd cum ſuper hujuſcemodi concubitu admonentur, non ad cachinnationem ora diſſolvere, ſed magis ad correctionem, & ad contritionem & pœnitudinem cordis ſe debeant convertere.*

1 *Item Papa, &c.*] Sic codex Clarom. In priori editione: *Beatus quoque Papa Gregor. &c.* quaſi hæc Magni Greg. eſſent.

unuſquiſque fidelis hujuſcemodi inceſta conjugia caveat; ne id quod licitè, & inculpabiliter poteſt cum aliis, id illicitè, & culpabiliter gerendo cum propinquis, & peccati lapſum incurrat, & Apoſtolico anathemate percellatur.

CAPUT IX.

Contrà impudicos qui dicunt, cum genitalia à ſapientiſſimo Creatore Domino ſint creata, cur mutuus patiatur ardor, & non potiùs pro uniuſcujuſque libitu libido exerceatur.

NOn deſunt ſuæ libidini vacare volentes, qui dicant: Genitalia membra ideo à ſummo Opifice Deo in utroque ſexu creata ſunt, ut pariter commiſceantur: quid ergo delinquimus, ſi pro libitu noſtro concubitus exercemus? Quod qui dicunt, perpendant neceſſe eſt, quòd non ſolùm genitalia, verùm etiam & cætera corporis membra ideo Deus creaverit, ut his licita, non illicita agantur: [membris igitur ſuis quamdiù quis ordinabiliter, & ſuâ lege utitur, procul dubio bonis benè utitur: at ſi] ea in illicitos, & extraordinarios uſus converterit, bona quibus benè uti debuit, in ſui perniciem retorquet. Scribit itaque beatus Hieronymus contrà objecta Joviniani dicentis: » Cur, inquit, creata » ſunt genitalia, & ſic à Conditore ſapientiſſimo » creati ſumus, ut mutuum noſtri patiamur ardo- » rem, & geſtiamus in naturalem copulam? Ita pe- » riclitamur reſponſionis verecundiâ, & quaſi inter » duos ſcopulos, & quaſdam neceſſitates & pudi- » citiæ [illegible] hinc atque inde, vel pudoris vel » cauſæ naufragium ſuſtinemus. Poteram quidem » dicere, quomodo poſterior pars corporis & mea- » tus, per quem alvi ſtercora egeruntur, relegatus » eſt ab oculis, & quaſi poſt tergum poſitus: [ita » & hic qui ſub ventre eſt, ad digerendos humores » poſitus] quibus venæ corporis irrigantur, à Deo » conditus eſt. Compellor aliquid loqui, & inſipiens » fieri, ſed vos me ut loqui audeam coëgiſtis. Do- » minus noſter atque Salvator, cum in formâ Dei » eſſet, formam ſervi dignatus eſt accipere; factus » obediens uſque ad mortem, & mortem crucis; » quid neceſſe erat ut cum his membris naſceretur, » quibus uſurus non erat, qui certè ut ſexum oſten- » deret etiam circumciſus eſt? Cur Joannem Apo- » ſtolum, & Baptiſtam ſua dilectio caſtravit, quos » viros naſci fecerat? Qui in Chriſtum credimus, » Chriſti ſectemur exempla. Et ſi noveramus eum » ſecundum carnem; ſed jam nunc non novimus » eum. « Item idem in expoſitione libri Eccleſiaſtæ: » Univerſa enim bona fecit Dominus in tempore ſuo: » bonum eſt vigilare atque dormire; nec tamen ſem- » per vigilare atque dormire bonum eſt; quia viciſ- » ſim juxtà diſpoſitionem Dei, bonum eſt unum » quodque, cum opus eſt.

Lib. 1. contra Jovin. poſt med.

Paulo poſt. Phil. 2.

In expoſ. cap. 3. v. 11.

Ex quibus non ut quidam æſtimant, ad luxuriam & ad delicias inſtar animalium provocamur. Ait & Pſalmographus: *Nolite fieri ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus.* Item: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* In libro quoque Tobiæ: *Hi namque, inquit, qui conjugium ita ſuſcipiunt ut Deum à ſuâ mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent ſicut equus & mulus, habet poteſtatem dæmon ſuper eos.* His enim teſtimoniis tantæ impudentiæ adſertores convicti, intelligant, quòd membris genitalibus à Deo bono creatis, non liceat ad uniuſcujuſque libitum, ſed ad ea pro quibus à Deo ordinabiliter inſtituta ſunt, ſecundùm ejus voluntatem, tempore, & ordine ſuo uti.

Pſal. 31. 11. & 48. 13.

Tob. 6. 16.

CAPUT X.

Quòd tempore menſtruo omninò ab uxoribus ſit abſtinendum.

[CUm dignitas humanæ conditionis poſt primi parentis lapſum propter Chriſti gratiam meruerit, ut per munditiam bonorum operum ad ſocietatem valeat pervenire ſupernorum civium; cavendum ſummopere conjugatis eſt, ne quibuſlibet immunditiis mancipando, eorum conſortio ſe quodammodo indignos faciant: quoniam ſicut ad eorum ſocietatem per munditiam pervenitur, ita ab eâ per immunditiam receditur. Sunt enim plerique, qui, ut ait beatus Hieronymus, putant omni tempore ſubjectam ſibi debere eſſe conjugii voluptatem, & non diſcernunt certa concubitûs tempora, quando coëundum, quandoque ab uxoribus ſit abſtinendum; & idcircò ſicut prægnantibus non parcunt, ita etiam ab his quæ menſtrua patiuntur, minimè ſe abſtinent. Sunt enim qui id nec ſcienter, & ſunt qui ſcienter agunt; quod quantum ſit obnoxiè Domino præcipiente cavendum, ſubter oracula divina collecta declarant.]

Ezechiel Propheta cum bona viri juſtificata enumeraret, ſexto loco ita intulit: *Ad mulierem menſtruatam non acceſſerit.* Quem locum ita beatus Hieronymus exponit: » Per ſingulos, inquit, menſes « gravia atque torpentia mulierum corpora, immundi ſanguinis effuſione relevantur. Quo tem- « pore ſi vir coïerit cum muliere, dicuntur concepti « fœtus vitium ſeminis trahere; ita ut leproſi & ele- « phantioſi ex hac conceptione naſcantur: & fœda « in utroque ſexu corpora parvitate vel enormitate « membrorum ſanies corrupta degeneret. Præcipi- « tur ergo viris ut non ſolùm in alienis uxoribus, ſed « in ſuis quoque, quibus videntur lege conjungi, « ſcripturâ dicente: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram:* certa concubitus norint tempora, « quando coëundum, quandoque ab uxoribus ſit « abſtinendum. Quod quidem & Apoſtolus & Ec- « cleſiaſtes ſonant: *Tempus*, inquit, *amplexandi;* « *& tempus longè fieri à complexibus.* Caveat ergo « & uxor ne fortè victa deſiderio coëundi celet vi- « rum: m & maritus ne vim faciat uxori, putans « omni tempore ſubjectam ſibi debere eſſe conjugii « voluptatem. « Unde & Paulus: *Ut noverit*, in- « quit, *unuſquiſque vas ſuum poſſidere, in ſanctificatione & juſtitia.* Auguſtinus in libro ſermonum ad populum. » Quotieſcumque, inquit, dies Do- « minicus venerit, aut feſtivitatis, nullus uxorem « ſuam cognoſcat. Quoties ſanguinis fluxum pa- « tiuntur mulieres, ſimiliter obſervandum eſt; quia « qui tunc concepti fuerint, aut dæmoniaci, aut « curvi, aut epileptici erunt. Et ſi animalia ſine in- « tellectu non ſe conjungunt, niſi certo & legitimo « tempore, quanto magis homines, qui ad imagi- « nem & ſimilitudinem Dei creati ſunt, debent ſe « obſervare? «

Ezech. 18. 6

In commen. in Ezech. ad eumdem ver.

Gen. 1. 28

1. Cor. 7. Eccleſ. 3. 5.

m

1. Theſ. 4. 4

De temp. ſer. 3. poſt med.

Scribitur etiam in Levitico: *Mulier quæ redeunte menſe patitur fluxum ſeminis, ſeptem diebus ſeparabitur. Omnis qui tetigerit eam, immundus erit uſque ad veſperam: & in quo dormierit, vel ſederit in diebus ſeparationis ſuæ, polluetur. Qui tetigerit lectum ejus, lavabit veſtimenta ſua: & ipſe lotus aquâ immundus erit uſque ad veſperam. Omne vas ſuper*

Levit. 15. 19.

m *celet virum*] Suprà monuimus legi oportere *rogat*, vel *illiciat*.

quod illa ſederit, quiſquis tetigerit, lavabit veſtimenta ſua; & lotus aquâ pollutus erit uſque ad veſperam. Si coierit vir cum eâ tempore menſtruali, immundus erit ſeptem diebus: & omne ſtratum in quo dormierit, polluetur. Mulier quæ patitur multis diebus fluxum ſanguinis non in tempore menſtruali, vel quæ poſt menſtruum ſanguinem fluere non ceſſat, quamdiu huic ſubjacet paſſioni, immunda erit quaſi in tempore menſtruo; omne ſtratum in quo dormierit, & vas in quo ſederit, pollutum erit. Quicumque tetigerit eam, lavabit veſtimenta ſua; & ipſe lotus aquâ immundus erit uſque ad veſperam. Docebitis ergo filios Iſraël ut caveant immunditias, & non moriantur in ſordibus ſuis, cum polluerint tabernaculum meum quod eſt inter eos. Item ibi: *Ad mulierem quæ menſtrua patitur, non accedes: nec revelabis fœditatem ejus.* Item ibi: *Qui coierit cum muliere in fluxu menſtruo, & revelaverit turpitudinem ejus, ipſa aperuit fontem ſanguinis ſui, interficientur ambo de medio populi ſui.*

Rom. 15. 4. Cum enim Apoſtolus dicat: *Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt:* & lex ſpiritalis ſit, & ſpiritaliter intelligi debeat, in hoc loco ſicut præmiſſa ſanctorum Patrum documenta declarant, & ſuperficies litteræ demonſtrat, ſalvo ſpiritali intellectu, viris omninò ab uxoribus menſtruum patientibus eſt abſtinendum.

CAPUT XI.

n *Poſt quot dies [n] partûs mulier Eccleſiam ingredi, & poſt quantum temporis in carnis copulationem cum viro ſuo conjungi; & quod vir conjugi ſuæ permixtus, nonniſi primò aquâ lotus Eccleſiam debeat intrare.*

QUamquàm populus fidelis ab oneribus legis, quibus adhuc propter incredulitatem ſuam Judaicus deprimitur populus, per gratiam Chriſti ſit immunis, quoniam ſpiritualis eſt, & ſpiritualiter legem intelligit & dijudicat: ſunt tamen quædam quæ mos Chriſtianus ſalvo myſtico intellectu, ob honeſtatem munditiamque corporis juxtà legem hactenùs ſervat. Sicut eſt de mulieribus parturientibus ab ingreſſu templi ſe cohibentibus, ſimiliter & de his quæ menſtruum fluxumque ſanguinis patiuntur, apud pleraſque provincias propter immunditiam carnis ab ædibus ſe nihilominùs baſilicæ arcentibus. Et licet hæc, ut beatus Papa Gregorius docet, ſpiritaliter ſint intelligenda, non eſt tamen indecens, nec inhoneſtum, nec ſpirituali intellectui contrarium, ſi juxtà priſcorum Chriſtianorum uſum ad litteram, o propter id quod præmiſſum eſt, [o] obſerventur.

L b. 12. epiſt. 12. & Beda hiſt. Angl. liv. 1. cap. 27. Scribit ergo idem Papa Gregorius conſulenti Auguſtino Anglorum Epiſcopo: „ Cum enixa fuerit „ mulier, poſt quot dies Eccleſiam intrare debeat, „ Teſtamenti veteris præceptione didiciſti; ut pro „ maſculo diebus triginta tribus, pro fœmina au„ tem diebus ſexaginta ſex, debeat abſtinere. „ [p] Et p „ paulo poſt: „ Prava autem, inquit, in conjugato„ rum moribus conſuetudo obrepſit, ut contem„ nant eos lactare quos gignunt, aliiſque mulieribus „ ad nutriendum tradant: quod videlicet ex ſolâ cau„ ſâ incontinentiæ videtur inventum; quia dum con„ tinere ſe nolunt, deſpiciunt lactare quos gignunt. „ Vir autem cum propriâ conjuge dormiens, niſi „ lotus aquâ intrare Eccleſiam non debet; ſed neque „ lotus intrare ſtatim debet: lex autem veteri populo „ præcepit; ut mixtus vir mulieri, & lavari aquâ „ debeat, & ante ſolis occaſum Eccleſiam non in„ trare. Quod tamen intelligi ſpiritaliter poteſt; „ quia mulieri vir miſcetur, quando illiciæ concu„ piſcentiæ animus in cogitatione per delectationem „ conjungitur: quia niſi priùs ignis concupiſcentiæ „ à mente deferveat, dignum ſe congregationi fra„ trum æſtimare non debet, qui ſe gravari per nequi„ tiam pravæ voluptatis videt. Quamvis de hac re „ diverſæ hominum nationes diverſa ſentiant, atque „ alia cuſtodire videantur: Romanorum tamen ſem„ per ab antiquioribus uſus fuit, poſt admixtionem „ propriæ conjugis, & lavacri purificationem quæ„ rere, & ab ingreſſu Eccleſiæ paululum reverenterq; „ abſtinere. „ Hic contra illos [q] agitur, qui à coitu q uxorum ſurgentes, irreverenter Eccleſiam ingreſſi, non ſolùm ad ſacroſanctum altare indiſcretè accedunt, verùm etiam Corpus & ſanguinem Domini indifferenter ſumunt. Intelligant ergo, quòd Eccleſiam Chriſti ingreſſi, Corpus & ſanguinem ejus non niſi mundo corpore, puroque corde percipere debeant.

Ibid. paulo poſt.

CAPUT XII.

Quòd niſi cauſâ fornicationis, ut Dominus ait, non ſit uxor dimittenda, ſed potiùs ſuſtinenda.

VArias ob cauſas quidam ſuas dimittere ſolent uxores. Quatuor quippe ſunt, quibus fœminæ viris appetibiles fiunt, genus, prudentia, divitiæ, & pulcritudo. Sunt namque nonnulli, quidum liberæ conditionis ſortitos ſe putant eſſe uxores, ſi aliquâ occaſione poſtea ſervituti ſubactæ fuerint, illicò eas à jure conjugii ſcindunt: & hoc lege mundi faciunt, non lege Chriſti. Sunt etiam alii qui dum prudentes, & formoſas, & divites ſortiuntur in conjugium, ſi poſtea aut mente captæ, aut aliquâ alia incommoditate corporis correptæ, aut earum patrimonio prodigâ effuſione conſumpto in paupertatem fuerint redactæ, impudenter eas dimittunt, prudentioribus, & pulcrioribus ac ditioribus delectantes. Quod ne fiat Domini ſententiâ prohibetur, dicentis in Evangelio, quòd qui uxorem ſuam, exceptâ cauſâ fornicationis dimiſerit, mœchatur: & qui dimiſſam duxerit, ſimili modo mœchatur. Sunt enim plerique laicorum, qui huic ſententiæ, imò legi Chriſti reſultantes, libitum carni ſuæ ſibi legem facere non verentur. Quod quantum nefas ſit, & à Religione Chriſtianâ remotum, ea quæ ſequuntur indicant. Matt. 19.

Scribitur enim in Geneſi: *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne unâ.* Et in Evangelio: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Et Apoſtolus: *His autem*, inquit, *qui matrimonio jun-*

Gen. 2. 24. Mat. 19. 6. Marc. 10. 9.

n *Poſt quot dies*] Titulum hunc è codice Clarom. repoſitum loco ejus quem Acherius ediderat, ſuprà monuimus in Indice capitum.

o *quod præmiſſum eſt*] Ita edidi, cum in priori editione legeretur *quod permiſſum eſt.*

p *debeat abſtinere*] In codice Clarom. hoc loco deſcribitur continenter quod ſequitur in Gregorii epiſtolâ ad hæc verba. *Prava autem.*

q *hic contra illos*] Hæc & pluribus verbis, & meliùs deſcripta habentur in cod. Cl. *Si qui forte incontinentes exiſtant, qui ante ablactationem illorum qui gignuntur, ad concubitum uxoris accedere, & poſt admixtionem propriæ conjugis ante lavacri purificationem irreverenter Eccleſiam intrare poſſe & debere contendant, ſollicitè perpendant quantum hujuſcemodi incontinentiam oracula divina, & tanti egregii Doctoris documenta inhibeant. Sunt igitur nonnulli, quod emendatione dignum eſt, qui à coitu uxorum ſurgentes, poſtpoſita lavacri purificatione, irreverenter Eccleſiam ingrediuntur, & non ſolùm ad ſacroſanctum altare accedunt indiſcretè, verum etiam corpus & Sanguinem Domini indifferenter accipiunt. Quapropter intelligant neceſſe eſt, quod in Eccleſiam Chriſti reverenter oporteat ingredi, ejuſque corpus & ſanguis nonniſi mundo corpore puroque corde ſalubriter debeat percipi.*

1. Cor. 7. 10. Ibid. v. 17.

eli ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere; quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari; & vir uxorem non dimittat. Et paulo poſt: *Unumquemque ſicut vocavit Deus, ita ambulet: ſicut in omnibus Eccleſiis doceo. Circumciſus aliquis vocatus eſt; non inducat præputium. In præputio aliquis vocatus eſt; non circumcidatur. Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum Dei. Unuſquiſque enim in quâ vocatione vocatus eſt, in eâ permaneat.*

Lib. 1. c. 14. Matt. 5. 31. Ibid. 19. 7. Ibid.

Auguſtinus in libro de ſermone Domini in monte: « Dictum eſt autem: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, det illi libellum repudii.* Hæc juſtitia minor eſt Phariſæorum, cui non eſt contrarium quod dicit Dominus: *Ego autem dico vobis, quicumque dimiſerit uxorem ſuam, exceptâ causâ fornicationis, mœchatur, & qui ſolutam à viro duxerit, mœchatur.* Non enim qui præcepit dari libellum repudii, hoc præcepit, ut uxor dimittatur; ſed, *qui dimiſerit*, inquit, *det illi libellum repudii*: ut iracundiam temerariam projicientis uxorem, libelli cogitatio temperaret. Qui ergo dimittendi moram quæſivit, ſignificavit quantum potuit duris hominibus, ſe nolle diſcidium. Et ideo ipſe Dominus alio loco interrogatus, ita reſpondit: *Hoc Moyſes propter duritiam cordis veſtri fecit.*

Ibid.

Quantumvis enim durus eſſet qui vellet dimittere uxorem, cùm cogitaret libello repudii dato jam ſine periculo eam poſſe alteri nubere, facilè placaretur. Dominus ergo ad illud confirmandum, ut non facilè uxor dimittatur, ſolam cauſam fornicationis excepit: cæteras verò univerſas moleſtias, ſi quæ extiterint, jubet pro fide conjugali, & pro caſtitate fortiter ſuſtineri; & mœchum dicit etiam virum, qui eam duxerit, quæ ſoluta eſt à viro. » Et paulo poſt: « Nihil enim iniquius quàm fornicationis causâ dimittere uxorem, ſi & ipſe convincatur fornicari.

Ibid. cap. 16. Rom. 2. 1.

Occurrit enim illud: *In quo enim alterum judicas, teipſum condemnas; eadem enim agis qui judicas.* Quapropter quiſquis fornicationis causâ vult abjicere uxorem, prior debet eſſe à fornicatione purgatus; quod ſimiliter etiam de fœminâ dixerim.

Ex comment. in Matt. cap. 19. v. 4.

Hieronymus in commentariis Matthæi Evangeliſtæ: « Interrogatus Dominus dixit: *Non legiſtis quia qui fecit, ab initio maſculum & fœminam fecit eos?* Hoc in exordio Geneſeos ſcriptum eſt. Dicendo autem maſculum & fœminam, oſtendit ſecunda vitanda conjugia. Non enim ait maſculum & fœminas fecit, quod ex priorum repudio quærebatur; ſed *maſculum & fœminam*, ut unius conjugis conſortio necteretur.

Matt. 19. 5.

Propter hoc dimittet homo patrem ſuum & matrem; & adhærebit uxori ſuæ. Similiter ait: *& adhærebit uxori ſuæ*, non uxoribus. *Et erunt duo in carne unâ.* Præmium nuptiarum eſt è duabus unam carnem fieri. Caſtitas juncta ſpiritui, unus efficitur ſpiritus. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Deus conjunxit unam faciendo carnem viri & fœminæ, hanc homo non poteſt ſeparare, niſi forſitan Deus ſolus. Homo ſeparat, quando propter deſiderium ſecundæ uxoris primam dimittit. Deus ſeparat, qui & conjunxerat, quando ex conſenſu propter ſervitutem Dei, eo quod tempus in arcto ſit, ſic habemus uxores quaſi non habentes.

Ibid. v. 7. Ibid. v. 8.

Dicunt illi, quid ergo mandavit Moyſes dari libellum repudii, & dimittere? Aperiunt calumniam quam paraverant. Et certè Dominus non propriam ſententiam protulerat, ſed veteris hiſtoriæ, & mandatorum fuerat recordatus Dei: *Ait illis: Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras; ab initio autem non fuit ſic.* Quod dicit iſtius modi eſt. Numquid poteſt Dominus ſibi eſſe contrarius, ut aliud ante juſſerit, & ſententiam ſuam novo frangat imperio? Non ita ſentiendum eſt: ſed Moyſes cum videret propter deſiderium ſecundarum conjugum, quæ vel ditiores vel juniores, vel pulcriores eſſent, alibi indulgere primas uxores, aut interfici, aut malam vitam ducere: maluit intercedere diſcordiam, quàm odia & homicidia perſeverare. » Et paulo poſt: « (*Dicunt ei diſcipuli: ſi ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere.*) Grave pondus eſt uxorum, ſi exceptâ causâ fornicationis eas non licet dimittere. Quid enim ſi temulenta fuerit, ſi iracunda, ſi malis moribus, ſi luxurioſa, ſi guloſa, ſi vaga, ſi jurgatrix, & maledica; iſtiuſmodi tenenda erit? velimus nolimus, ſuſtinenda eſt. »

Ex evidentiſſimis indiciis comprobatum eſt, uxores niſi causâ fornicationis interveniente, penitùs dimitti nec poſſe, nec debere. Sicut enim viri nullâ adverſitate fracti, nullâ adverſitate corporis corrupti, ab uxoribus ſuis ſe patiuntur dimitti, aut negligi; ita nihilominùs propter quaſdam adverſitates & calamitates, niſi, ut præmiſſum eſt, causâ fornicationis, viri uxores ſuas dimittere, aut negligere ſine periculo animæ ſuæ non poſſunt. Et ſicut pudicis & honeſtis fœminis moris eſt, virorum ſuorum infirmantium, & longâ ægritudine tabeſcentium lectulis jugiter aſſidere, eiſque famulari, & pro viribus opitulari, & in nullo à conjugalis thori fide deficere; ita prorsùs decet, & Chriſtianæ profeſſioni congruit, ut viri eamdem vicem uxoribus ſuis rependant.

CAPUT XIII.

Quòd hi qui causâ fornicationis, dimiſſis uxoribus ſuis, alias ducunt, Domini ſententiâ adulteri eſſe notantur.

QUòd is qui uxorem ſuam, exceptâ causâ fornicationis, dimiſerit, & aliam duxerit, mœchus ſit: & qui dimiſſam duxerit, ſimili modo mœchus ſit, & ſuperiùs ex Domini ſententiâ declaratum, & in hoc capitulo non ex ſuperfluo eſt replicandum.

1. Cor. 7. In expoſ. in cap. 19. Matt.

Apoſtolus quoque ait: « *Quod ſi diſceſſerit mulier, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Hieronymus etiam in Commentariis Matthæi Evangeliſtæ. » Quia poterat, inquit, accidere ut aliquis calumniam faceret innocenti, & ob ſecundam copulam nuptiarũ veteri crimen impingeret; ſic priorem dimittere jubetur uxorem, ut ſecundam primâ vivente non habeat. Quod enim dicit, tale eſt: ſi non propter libidinem, ſed propter injuriam dimittis uxorem, quare expertus infelices priores nuptias, novarum te immittis periculo? Nec non quia poterat evenire, ut juxtà eamdem legem uxor quoque marito daret repudium: eâdem cautelâ præcipitur, ne ſecundum accipiat virum. Et quia meretrix, & quæ ſemel fuerat adulterata, opprobrium non timebat, ſecundo præcipitur viro, quòd ſi talem duxerit, ſub adulterii crimine ſit. »

De nupt. & concup. c. 10.

Auguſtinus in libro ad Valerium contrà Pelagium. « Hoc enim cuſtoditur in Chriſto & in Eccleſiâ, ut vivens cum vivente in æternum nullo divortio ſeparetur: cujus ſacramenti tanta obſervatio eſt in civitate Dei noſtri in monte ſancto ejus, hoc eſt in Eccleſiâ Chriſti, quibuſque fidelibus conjugatis, qui ſine dubio membra ſunt Chriſti, ut cum filiorum procreandorum causâ vel nubant fœminæ, vel ducantur uxores; nec ſterilem conjugem fas ſit relinquere, ut alia fecunda ducatur. Quod ſi quiſquam fecerit, non lege hujus

» ſæculi, ubi interveniente repudio ſine crimine conceditur cum aliis alia copulare connubia: quod etiam ſecundùm Moyſen Dominus propter duritiam cordis illorum Iſraëlitis permiſiſſe teſtatur: ſed lege Evangelii reus eſt adulterii; ſicut etiam ipſa, ſi alteri nupſerit; & uſque adeo manent inter viventes ſemel inita jura nuptiarum, ut potiùs ſint inter ſe conjuges, qui ab alterutro ſeparati ſunt, quàm cum his, quibus aliis adhæſerunt. Cum aliis quippe adulteri non eſſent, niſi ad alterutrum conjuges permanerent. Denique mortuo viro, cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium poteſt cum quo priùs adulterium fuit. Ita manet inter viventes quoddam vinculum conjugale, quod nec ſeparatio, nec cum altero copulatio poſſit auferre. « Item idem de ſermone

Lib. 1. c. 14. med. » Domini in monte: » Mœchum dicit virum, qui eam duxerit, quæ ſoluta eſt à viro. Cui rei Apoſtolus terminum oſtendit, quia tamdiù dicit obſervandum, quamdiu vir ejus vivit: illo autem mortuo, dat nubendi licentiam.

Hoc igitur tantum nefas contrà præceptum Domini & ſalvatoris noſtri Jesu-Christi, de dimittendis uxoribus, & aliis ducendis, ideo inoleviſſe dubium non eſt; quoniam nefandi tanti criminis operatores ſeveriſſimâ canonicâ cenſurâ, ut oportet, non percelluntur. De quâ re ita Innocentius Papa in decretalibus ſcribit: » De his etiam, inquit, requi-

Innocent. I. epiſt. 3. c. 6. » ſivit dilectio tua, qui interveniente repudio aliis ſe matrimonio copularunt; quos in utrâque parte adulteros eſſe manifeſtum eſt. Qui verò vel vivente uxore, quamvis diſſociatum videatur eſſe conjugium, ad aliam copulam feſtinarunt, neque poſſunt adulteri non videri; in tantum ut etiam hæ perſonæ, quibus tales conjuncti ſunt, etiam ipſæ adulterium commiſiſſe videantur, ſecundùm illud

Matt. 5. 32. » quod legitur in Evangelio: *Et qui dimiſerit uxorem ſuam, & duxerit aliam, mœchatur: ſimiliter qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Et ideo omnes à communione fidelium abſtinendos.

CAPUT XIV.

Ut parentes liberos ſuos diligenter in timore Dei erudiant, docentes eos qualiter caſtè vivere, Deumque colere, & parentibus honorem debeant impendere. Et quale periculum eis immineat, qui id facere negligunt.

SUNT multi qui liberos ſuos plus ſpiritu, quàm carne; & ſunt qui plus carne, quàm ſpiritu diligunt. Sunt item alii qui plus eos legem cœli, quàm mundi; & ſunt è contrario qui plus leges mundi, quàm cœli diſcere ſuadent. Sunt etiam qui plus cœleſtibus, quàm terrenis, & ſunt è contrario qui plus terrenis, quàm cœleſtibus eos inhiare docent. Audiant igitur qui carnaliter filios ſuos diligunt, & legibus mundi potius quàm cœleſtibus eos inſtruere ſatagunt, quid Dominus in Deuteronomio dicat:

Deut. 6. 6. *Erunt*, inquit, *verba mea hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo; & docebis ea filios tuos, & meditaberis ea ſedens in domo tuâ.* Item poſt pauca: *Ponite hæc verba mea in cordibus, & in animis veſtris, & ſuſpendite ea pro ſigno in manibus, & inter veſtros oculos collocate. Docete filios veſtros ut illa meditentur.* Imitentur ergo beatum Job, cujus ſtudium circà filios erudiendos tale extitit, ut non ſolùm eos exteriùs perfectos opere & ſermone efficeret; verùm eorum etiam corda ſacrificii oblatione mundaret. Scri-

Job 1. 5. Lib. 1. cap. 4. in fine. bit enim beatus Gregorius in moralibus. (*Cumque in orbem tranſiſſent dies convivii: mittebat Job, & ſanctificabat illos, ſurgenſque diluculo, offerebat holocauſta per ſingulos.*) « Cum dicitur mittebat, & ſanctificabat illos, apertè monſtratur quid diſtrictè ergà illos præſens ageret, quibus abſens ſollicitudine non deerat. » Item idem poſt pauca: « Sed quia beati Job filii tantâ fuerant diſciplinâ bonæ accincti inſtitutionis, ut neque per facta in conviviis, neque per verba delinquerent, apertè monſtratur cùm ſubditur: *Ne forte peccaverint filii* Job. 1. 5.

mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis. Perfectos quippe in opere eſſe & ſermone docuerat; pro quibus de ſolâ pariter cogitatione metuebat. » Et poſt pauca. « Sed in hac re ſolerter intuendum eſt, » Ibid. c. 5

quantâ pater potuit ſeveritate filiorum opera corrigere, & quantâ ſollicitudine ſtuduit corda mundare. »

Attendant etiam & David inſtruentem Salomonem filium ſuum. De quo ita in primo libro Malachiæ legitur: *Ego ingredior viam univerſæ terræ.* 3. Reg. 2. 2.

Confortare & eſto vir fortis, & obſerva cuſtodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, & cuſtodias cæremonias ejus, & judicia ejus, & præcepta & teſtimonia: ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi, & in libro Paralipomenon: *Tu autem Salomon fili mi, ſcito* 1. Paral. 28. 9.

Deum patris tui, & ſervi ei corde perfecto, & animo voluntario. Omnia enim corda ſcrutatur, & univerſas mentium cogitationes intelligit. Si quæſieris eum, invenies: ſi autem dereliqueris illum, projiciet te in æternum.

Attendant & Tobiæ; de quo ita legitur, *quòd cum* Tob. 1. 9.

factus eſſet vir, accepit uxorem Annam ex tribu ſuâ; & genuit ex eâ filium, nomen ſuum imponens ei. Quem ab infantiâ ſuâ timere Deum docuit, & abſtinere ab omni peccato. Item idem poſt pauca filium ſuum Tobiam alloquens ait: *Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo quaſi fundamentum conſtrue. Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum ſepeli; & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus. Memor enim eſſe debes, quæ & quanta pericula paſſa ſit propter te in utero ſuo. Cum autem ipſa compleverit tempus vitæ ſuæ, ſepelies eam circa me. Omnibus autem diebus vitæ tuæ habeto Deum in mente: & cave ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Dei noſtri. Ex ſubſtantiâ tuâ fac eleemoſynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. Ita enim fiet ut nec à te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita eſto miſericors: ſi multum tibi fuerit, abundanter tribue; ſi exiguum fuerit, etiam exiguum libenter impertire ſtude. Præmium enim tibi bonum theſaurizas in die neceſſitatis: quoniam eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat; & non patitur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus qui faciunt eam. Attende tibi fili ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen ſcire. Superbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas, in ipſa enim initium ſumſit omnis perditio. Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue, & merces mercenarii apud te omninò non maneat. Quod ab alio odis fieri tibi, vide ne aliquando tu alteri facias. Panem tuum cum eſurientibus & egenis comede, & de veſtimentis tuis nudos tege. Panem tuum & vinum tuum ſuper ſepulturam juſti conſtitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus. Conſilium ſemper à ſapiente perquire. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo ut vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant.* Item idem. *Audite* Ibid. 14. 10.

ergo filii mei patrem veſtrum: ſervite Domino in veritate, & inquirite ut faciatis quæ ſunt placita ejus. Et filiis veſtris mandate ut faciant juſtitias & eleemoſynas, ut ſint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore in veritate, & in totâ virtute ſuâ.

Legitur & in Proverbiis: *Erude filium tuum, ne deſperes.* Prov. 19. 18.

deſperes: ad interfectionem autem ejus ne ponas animam tuam. Prov. 23. 13. 14. *Ne ſubtrahas à puero diſciplinam; ſi enim percuſſeris eum virgâ, non morietur. Tu virgâ percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.* Ibid. 29. 17. *Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ.* Ibid. 13. 24. *Qui parcit virgæ, odit filium ſuum: qui autem diligit illum, inſtanter erudit.* Eccli. 7. 25. 26. Jeſus filius Sirach: *Filii, inquit, tibi ſunt, erudi illos; & curva illos à pueritiâ illorum. Filiæ tibi ſunt, ſerva corpus illarum, & non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas.* Epheſ. 6. 4. Apoſtolus quoque ait: *Patres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros, ſed educate illos in doctrinâ & correptione Domini.* Coloſſ. 3. 21. Item idem: *Patres nolite ad indignationem provocare filios veſtros, ut non puſillo animo fiant.* Epiſt. 7. Hieronymus ad Lætam: » Si perfecta » ætas & ſui juris imputatur parentibus, quanto » magis lactans, & fragilis, & quæ juxtà ſententiam » Domini ignorat dexteram & ſiniſtram, id eſt boni » & mali neſcit differentiam? Joan. 4. Si ſollicita provides, » ne filia percutiatur à viperâ; cur non eâdem curâ » provideas ne feriatur à malleo univerſæ terræ; ne » bibat de aureo calice Babylonis; Hier. 50. 51. ne egrediatur cum » Dinâ, Geneſ. 34. & velit videre filias regionis alienæ; ne ludat » pedibus; ne trahat tunicas? Venena non dantur » niſi melle circumlita. Et vitia non decipiunt niſi » ſub ſpecie umbrâque virtutum. « Et infrà: » Qui » autem parvulus eſt, & ſapit ut parvulus, donec ad » annos ſapientiæ veniat, & Pythagoræ Y littera » eum perducat ad bivium, tam bona ejus, quàm » mala parentibus imputantur: niſi forte exiſtimes » Chriſtianorum filios, ſi baptiſma non receperint, » ipſos tantùm reos eſſe peccati; & non etiam ſcelus » referri ad eos qui dare noluerint, maximè eo tem» pore quo contradicere non poterant, quæ accep« turi erant: ſicut è regione ſalus infantium, majo» rum lucrum eſt. «

Cap. 2. Ambroſius in libro de Joſeph: » Inſtruimur » igitur qualis eſſe debeat affectus parentum, filio» rumque gratia: ſed frequenter amor ipſe patrius » niſi moderationem teneat, nocet liberis: ſi aut ni» mia indulgentia delictum reſolvat; aut prælatio » unius cæteros ab affectu germanitatis avertat. Plus » acquiritur filio, cui fratrum acquiritur amor. Hæc » præclarior munificentia patrum, hæc ditior here» ditas filiorum. Jungat filios æqualis gratia, quos » junxit æqualis natura. Lucrum pietas neſcit pe» cuniæ, in quo pietatis diſpendium eſt. Quid mi» raris ſi propter fundum aut domum oriuntur inter » fratres jurgia, quando propter tunicam inter Ja» cob ſancti filios exarſit invidia? Quid ergo? re» prehendendus eſt Jacob; quia præferebat unum » cæteris? Sed nec libertatem poſſumus auferre pa» rentibus, ne eos plus diligant quos plus cre» dant mereri, nec filiis reſecare ſtudium debe» mus plus placendi. Denique & Jacob plus illum » amabat, in quo majora virtutum inſignia prævi» debat. «

Quidam autem ſunt qui filios ſuos blandis tantùm hortantur ſermonibus, & non deterrentur exemplo Heli ſacerdotis, 1. Reg. 2. qui filios ſuos verbis tantùm coercuit, & ſeveriſſimâ diſtrictione ferire detrectavit. Porrò ſunt plerique parentes, qui filios ſuos dum lubricæ ætatis exiſtunt, verberibus ad bene agendum corrigere negligunt: qui cum ad intelligibilem ætatem pervenerint, & malis operibus deſervire cœperint, non facilè à malo cohiberi parentum caſtigatione poſſunt; quorum peccata parentibus, qui eos in tenerâ ætate caſtigare noluerunt, imputari dubium non eſt.

CAPUT XV.

Quòd filii debitum honorem parentibus impendere debeant.

[Sicut ſunt qui parentibus honorem dignè reverenterque impendunt; ita ſunt è contrario qui id facere negligunt; non animadvertentes, aut certè animadvertere nolentes, quòd qui parentes dehonorant, Deo qui omnium creator veruſque pater eſt, injuriam faciant, & quòd Dominus injurias parentum, niſi digna pœnitentia ſubſequuta fuerit, minimè impunè remanere patitur. Quantæ igitur ſit damnationis, quantumque ab humana dignitate remotum parentes venerabiliter non agnoſcere, quantæque ſit remunerationis eis debitum honorem obedienter impendere, ſubter teſtimonia breviter collecta demonſtrant.]

Ait Deus in lege: *Honora patrem tuum & matrem tuam: ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi.* Exod. 20. 12. Item ibi: *Qui maledixerit patri & matri, morte moriatur.* Ibid. 21. 17. Salomon: *Oculus, inquit, qui ſubſannat patrem, & deſpicit partum matris ſuæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant illum filii aquilæ.* Prov. 30. 17. Item: *Stultus irridet diſciplinam patris ſui: qui autem cuſtodit increpationes, aſtutior fiet.* Ibid. 15. 5. Item: *Filius ſapiens lætificat Patrem: & ſtultus deſpicit matrem ſuam.* Ibid. 15. 20. Item: *Qui affligit patrem & fugit matrem, ignominioſus eſt, & infelix.* Item: *Qui maledixerit patri ſuo & matri: extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris.* Et Apoſtolus: *Filii obedite parentibus veſtris in Domino: hoc enim eſt juſtum: honora patrem tuum, & matrem tuam (quod eſt mandatum primum in promiſſione) ut benè ſit tibi, & longævus ſis ſuper terram.* Epheſ. 6. 1. Et Tobias filium ſuum inſtruens ait: *Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum ſepeli: & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus. Memor enim eſſe debes quæ & quanta pericula paſſa ſit propter te in utero ſuo. Cum autem & ipſa compleverit tempus vitæ ſuæ, ſepelies eam circà me.* Tob. 4. 3.

Auguſtinus in decem præceptorum expoſitione ita ſcribit: » Quartum præceptum eſt: *Honora* « *patrem tuum, & matrem tuam.* Huic contraria in « quintâ Ægyptiorum plagâ cynomia eſt: Quid eſt « cynomia? Muſca canina, græcum vocabulum eſt. « Caninum eſt parentes non agnoſcere. Nihil tam ca« ninum, quàm cum illi qui genuerunt, non agnoſ« cuntur. Meritò ergo & catuli canum cæci naſcun« tur. « Epiſt. 10. Hieronymus [r] in Epiſtolâ ad Furiam: Bonum eſt quidem poſt Deum amari parentes à filiis; ſed ſi neceſſitas venerit, ut amor parentum & filiorum Dei amore comparetur, & non poſſit utrumque ſervari, tunc odium in propinquis, pietas in Deo eſt. *Honora patrem tuum:* Exod. 20. ſed ſi te à vero patre non ſeparat. Tamdiù ſcito ſanguinis copulam, quamdiù ille ſuum noverit Creatorem. Ambroſius in libro, cujus titulus eſt: de Joſeph. De benedict. Patriarch. cap. 1. » Primùm omnium « quantam diſcimus parentibus deferre reverentiam, « cum legimus, quoniam qui benedicebatur à patre, « benedictus erat; & qui maledicebatur, maledictus « erat? Ideo hanc parentibus gratiam donavit Deus, « ut filiorum pietas provocaretur. Prærogativa pa« rentum, diſciplina eſt filiorum. Honora ergo pa« trem, ut benedicat te: honoret patrem pius pro« pter gratiam, ingratus propter timorem. Etſi pau« per eſt pater, & non habet divitiarum copias, quas « relinquat filiis, habet tamen ultimæ benedictionis « hereditatem, quas ſanctificationis opes ſucceſſo«

r *Hieronymus*] Hæc ille quidem ſcripſit laudato loco, ſed non iiſdem planè verbis.

» ribus largiatur. Et merito plus eſt beatum, quàm » divitem fieri. « Sunt nempe perverſæ voluntatis filii, qui honorem parentibus impendendum malè intelligentes, eum in eo ſolo conſtare diſſimulant, quòd parentes recognoſcunt, eiſque ſe corpore non animo humiliant; & ea quibus indigent, eis adminiſtrare refugiunt. Animadvertant ergo, quod honor in ſcripturis, ut beatus Hieronymus ait, non tantum in ſalutationum officiis deferendis, quantum in eleemoſynis, ac munerum oblatione ſentitur. Et idem poſt pauca : » Præcepit, inquit, Dominus vel imbecillitates, vel ætates, vel penurias parentum conſiderans, ut filii honorarent, etiam in vitæ neceſſariis miniſtrandis parentes ſuos. »

Ex comment. in Matt. cap. 4. v. 4.

Reſtat igitur tunc filios dignè honorem impendere debitum parentibus, cum eos ſuos generatores humiliter veneranterque recognoſcere, eiſque neceſſaria procuraverint adminiſtrare.

CAPUT XVI.

Ut conjugati in domibus ſuis Paſtorale ſe noverint exercere debere miniſterium.

EXISTUNT in utroque ſexu, qui in ſibi ſubjectis plus animarum lucrum, quàm commodum terrenum quærunt : ſunt etiam è contrario nonnulli potentes, & quædam nobiles matronæ, qui ab eis quæſtum tantùm terrenum avare exigunt; & ſalvationem animarum illorum aut diſſimulant, aut certè penitùs parvipendunt; putantes ſe nullum in illorum lapſibus periculum ſubituros, nullamque pro eis Deo rationem reddituros : quibus ne illud propheticum quoquo modo aptari poſſit, verendum eſt, in quo legitur : *Lac comedebatis, & lanis operiebamini : & quod craſſum erat, occidebatis; gregem autem meum non paſcebatis*, & cætera quæ de paſtoribus propheticus ſermo exſequitur. Si languente capite, ut beatus ait Gregorius, membra incaſſum vigent, languentibus utique membris, caput aut languidum, aut languori vicinum ſit, neceſſe eſt.

Ezech. 34. 3.

Paſtor. curæ part. 2. c. 7. init.

Qualem autem ſollicitudinem & curam ergà ſubjectam ſibi domum hujuſcemodi exhibere doceant, ſequentia docent. Ait Salomon in Proverbiis : *Diligenter attende vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera.* Item : *Ubi non eſt gubernator, populus corruit. In doctrinâ noſcitur vir : cor ſapientis quærit doctrinam.* Beda in homiliis de paſtoribus : » Non ſolùm, inquit, Paſtores Epiſcopi & Presbyteri, & Diaconi, vel etiam Rectores Monaſteriorum; ſed & omnes fideles, qui parvulæ ſuæ domûs cuſtodiam gerunt, paſtores rectè vocantur, in quantum eidem ſuæ domui ſollicitâ vigilantiâ præſunt. Et quicumque veſtrûm ſaltem uni aut duobus fratribus quotidiano regimine præeſt, paſtoris eidem debet officium implere; quia in quantum ſufficit, paſcere hos verbi dapibus jubetur. Imò unuſquiſque veſtrum, fratres, qui etiam privatus vivere creditur, paſtoris officium tenet, & ſpiritalem paſcit gregem, vigiliaſque noctis cuſtodit ſuper illum, ſi bonorum actuum, cogitationumque mundarum ſibi aggregans multitudinem, hunc juſto moderamine gubernare, cœleſtibus ſcripturarum paſcuis nutrire, & vigili ſolertiâ contrà immundorum ſpirituum inſidias ſervare contendit. « Gregorius in homiliâ Evangelii. « Utinam, fratres cariſſimi, non ad judicium noſtrum dicamus, quia omnes qui ſacerdotii nomine cenſentur, Angeli vocantur : Propheta atteſtante, qui ait : *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Sed ejus altitudinem nominis etiam vos, ſi vultis, poteſtis mereri : nam unuſquiſque veſtrum in tantum ſufficit, in quantum gratiam ſupernæ aſpirationis accepit, ſi à ſuâ pravitate proximum revocat, ſi exhortari ad benè operandum curat, ſi æternum regnum vel ſupplicium erranti denuntiat. Cum verba ſanctæ annuntiationis impendit, profectò Angelus exiſtit. Et nemo dicat : admonere non ſufficio, exhortari idoneus non ſum. Quantum potes exhibe, ne malè ſervatum, quod acceperas, in tormentis exigaris. Neque enim plus quàm unum talentum acceperat, qui hoc abſcondere magis ſtuduit, quàm erogare. Et ſcimus quòd in tabernaculo Dei non ſolùm phialæ, ſed præcipiente Domino etiam cyathi facti ſunt. Per phialas quippe doctrina exuberans; per cyathos verò parva atque anguſta ſcientia deſignatur. Alius doctrinâ veritatis plenus, audientium mentes inebriat. Per hoc ergo quod dicit, profectò phialam porrigit. Alius explere quod ſentit, non valet; ſed quia hoc utcumque denuntiat, profectò per cyathum guſtum præbet. In Dei ergo tabernaculo, id eſt, in ſanctâ Eccleſiâ poſiti, ſi per doctrinæ ſapientiam miniſtrare phialas minimè poteſtis, in quantum pro divinâ largitate ſufficitis, proximis veſtris boni verbi cyathos date. In quantum vos perfeciſſe exiſtimatis, etiam alios trahite, in viâ Dei habere ſocios deſiderate. Si quis veſtrûm, fratres, ad forum aut fortaſſe ad balneum pergit, quem otioſum eſſe conſiderat, ut ſecum veniat, invitat. Ipſa ergo terrena actio vos veſtra conveniat, & ſi ad Deum tenditis, curate ne ad eum ſoli veniatis. Hinc enim ſcriptum : *Qui audit, dicat veni.* » Item idem in homiliâ de novem ordinibus Angelorum : » Nam ſunt plerique qui parva capiunt, ſed tamen hæc eadem parva piè annuntiare fratribus non deſiſtunt. Iſti itaque in Angelorum numero diſcurrunt. »

Homil. 6.

Malac. 2. 7.

Apoc. 22. 17.

Homil. 34.

Auguſtinus in ſermone ad populum : « Filios, inquit, & omnes familias veſtras admonete, ut caſtè, & juſtè, & ſobriè vivant, & ad bonum exemplum, & bona opera provocate. » Item idem in libro ſermonum : » A malis corde ſemper disjungimini; ad tempus cautè corpore copulamini : nec tamen negligentes ſitis in corrigendis veſtris, ad curam ſcilicet veſtram quoquomodo pertinentibus, monendo, hortando, docendo, terrendo : quibuſcumque modis poteſtis, agite. Nec cum invenitis in ſcripturis, & in exemplis ſanctorum, ſive qui ante, ſive qui poſt Domini adventum in hac vitâ fuerunt, quòd mali bonos in unitate non maculant, efficiamini pigri ad corrigendos malos. « Clamat enim Iſaias Propheta : *Recedite, exite inde, pollutum nolite tangere.* Quod idem beatus Auguſtinus ita exponit : « Quid eſt enim, inquit, tangere immundum, niſi conſentire peccatis? Quid eſt autem, exire inde, niſi facere quod pertinet ad correctionem malorum, quantum pro uniuſcujuſque gradu atque perſonâ, ſalvâ pace, fieri poteſt? Diſplicuit tibi, quod quiſque peccavit, non tetigiſti immundum. Redarguiſti, corripuiſti, monuiſti, adhibuiſti etiam, ſi res exigit, congruam, & quæ unitatem non violet diſciplinam, exiſti inde. « Multi nempe ſunt, qui hanc receſſionem, & hunc exitum facere, & hoc immundum non tangere parvipendunt. Dum enim in domibus ſuis rapinas, oppreſſiones pauperum, furta, adulteria, & cætera innumera mala fieri ſinunt, & talium obſequiis deliniti, ſocietate delectati, eis corde junguntur; procul dubio non inde recedere comprobantur. Cum verò talibus peccantibus conſentiunt, ab eorum conſortio non exeunt. Cum igitur ergà

De verbis Domini ſerm. 18. cap. 18.

Iſai. 52. 11. Ibid. cap. 20

Prov. 27. 23.

Ibid. 11. 14. Ibid. 12. 8. Ibid. 11. 14.

Ex homil. in aurora natalis Domini, Luc. 2. inter hom. hyemales de ſanct.

Digitized by Google

hujuſcemodi delinquentes congruam diſciplinam non exhibent, pollutum, & immundum minimè tangere cavent. Videant itaque hujuſcemodi Prælati, qualem erga malè agentes rigorem diſciplinæ, & ergà oppreſſos opera miſericordiæ beatus Job impende-
Job 29. 11. & ſeqq. bat. Ait namque: *Auris audiens beatificabat me: & oculus videns teſtimonium reddebat mihi, quòd liberaſſem pauperem vociferantem, & pupillum cui non eſſet adjutor. Benedictio perituri ſuprà me veniebat; & cor viduæ conſolatus ſum. Juſtitia indutus ſum, & veſtivi me ſicut veſtimento & diademate judicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo: pater eram pauperum; & cauſam quam neſciebam, diligentiſſimè inveſtigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Item idem poſt
Ibid. 25. pauca: *Cumque ſederem quaſi Rex circumſtante exercitu; eram tamen mœrentium conſolator.*

Videant etiam qualem ſollicitudinem domûs ſuæ beatus Tobias cæcus corpore, videns corde, gerebat, qui cum hœdi balantis vocem audiſſet, ait:
Tob. 2. 21. *Videte ne forte furtivus ſit: reddite eum dominis ſuis: quia non licet nobis ex furto aliquid aut edere aut contingere.* Quibus verbis innuitur, quòd ſicut à furto, ita quoque à cæteris vitiis domum ſuam pervigili ſollicitudine immunem efficiebat. Summopere igitur his qui præſunt procurandum eſt, ut providam ſollicitudinem domui ſuæ indeſinenter gerant, ne, quod abſit, quiſpiam ſubjectorum ſuorum inſtinctu hoſtis antiqui decipiatur; & eis diſſimulantibus, aut conſentientibus, aut non redarguentibus, in peccatum convertatur.

CAPUT XVII.

Quòd peccata priùs fratribus ſint remittenda; & tunc munus Deo offerendum.

SUNT quàm plures qui frigido corde, nullo ſcilicet charitatis ardore ſucceſo, Deo & munus ad altare offerunt, & orationes & eleemoſynas frequentare non ceſſant, putantes iſta ſine charitate Deo placere; præſertim cum nulla bona ſine charitate, cum charitate autem ei omnia placeant. Tunc enim Deo exteriora gratis dari, & offerri poſſunt, cum interior homo charitatis ardore ſuccenditur, & templum ſancti Spiritus efficitur.

Qualiter verò munus Deo offerri debeat, Domi-
Matt. 5. 23. nus docet in Evangelio dicens: *Si offers munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ante altare; & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.* Et alibi in Evan-
Ibid. 18. 21. gelio: *Accedens*, inquit, *Petrus ad Jeſum dixit: Domine quoties peccaverit in me frater meus, dimittam uſque ſepties? Cui reſpondit Dominus: non uſque ſepties; ſed uſque ſeptuagies ſepties.* Et poſt ali-
Ibid. 35. qua: *Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.*
Lib. 3. in Matth. c. 18. Quod ita beatus edliſerit Hieronymus: » Formidoloſa, inquit, ſententia, ſi juxtà noſtram mentem ſententia Dei flectitur, atque mutatur. Si « parva fratribus non dimittimus, majora nobis à « Deo non dimittuntur. Et quia poteſt unuſquiſque « dicere, nihil habeo contrà eum, ipſe novit: ha- » bet Deum judicem, non eſt mihi curæ quid velit « agere, ego ignovi ei: confirmat ſententiam ſuam « & omnem ſimulationem fictæ pacis evertit, di-
Ibid. 35. « cens: *Si non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de » cordibus veſtris.* «

Auguſtinus in libro de ſermone Domini in monte:
Lib. 1. c. 10. « Jubemur ergo illaturi munus in altare, ſi recor- « dati fuerimus aliquid adversùm nos habere fratrem, munus ante altare relinquere, & pergere, « ac reconciliari fratri; deinde venire, & munus of- « ferre. Quod ſi accipiatur ad litteram, fortaſſis ali- « quis credit ita fieri oportere, ſi præſens ſit frater: « non enim diutiùs differri poteſt, cum munus tuum « relinquere ante altare jubearis. Si ergo de abſente, « & quod fieri poteſt etiam trans mare conſtituto, « aliquid tale veniat in mentem, abſurdum eſt credere ante altare munus tuum relinquendum, quòd « poſt terras, & maria pererrata offeras Deo. Et « ideo proſùs intrò ad ſpiritalia refugere cogimur, « ut hoc quod dictum eſt, ſine abſurditate poſſit intelligi. Altare itaque ſpiritaliter, in interiore Dei « Templo ipſam fidem accipere poſſumus, cujus ſignum eſt altare viſibile. Quodlibet enim munus « offerimus Deo, ſive Prophetiam, ſive doctrinam, « ſive orationem, ſive hymnum, ſive pſalmum, & « ſi quid tale aliud ſpiritalium donorum animo occurrit, acceptum eſſe non poteſt Deo, niſi fidei « ſinceritate fulciatur. «

Lib. 22. c. 8. Gregorius in moralibus: » Ab omnipotente, « inquit, Deo munus ex manu non accipitur, quòd « corde obligato in malitiâ perfertur. Mundari etenim debet priùs animus, qui munus offerre vult « Deo; quia omne quod datur Deo, ex dantis mente « penſatur. Omnis malitiæ macula ab interiore noſtro homine, cogitationis immutatione tergenda « eſt: quia iram judicis placare neſcit oblatio, niſi « ex munditiâ placeat offerentis, ſicut in libro Ge-
Gen. 4. 4. neſis ſcriptum eſt: *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus; ad Cain autem, & ad munera « ejus non reſpexit.* Neque etenim ſacrum eloquium « dicit; *Reſpexit ad munera Abel, & ad Cain munera non reſpexit:* ſed priùs ait: *quia reſpexit Dominus ad Abel*, deinde ſubjunxit: *& ad munera « ejus.* Et rursùm dicit: *quia non reſpexit ad Cain:* « ac deinde ſubdidit: *nec ad munera ejus.* Ex dantis « namque corde id quod fit, accipitur: idcircò non « Abel ex muneribus, ſed ex Abel munera oblata « placuerunt. Priùs namque ad eum legitur Dominum reſpexiſſe, qui dabat, quàm ad illa, quæ « dabat. « Ut audito ſcilicet hujus ordine narrationis, diſcamus quia exteriora munera ex internâ cordis munditiâ condiuntur, ut virtus hujus diſcretionis unumquemque noſtrum doceat, qualis apud ſe eſſe debeat, cum exteriora bona non ſolùm Deo per oblationis votum, ſed etiam proximis ſubminiſtrat. A diſcordantibus Deus accipere non vult ſacrificium, holocauſtum ſuſcipere recuſat. Hinc ergo perpendi debet, quantum ſit malum diſcordiæ, propter quod illud abjicitur, per quod culpa laxatur. In libro Ec-
Eccli. 34. 24. cleſiaſtico ſcriptum eſt: *Qui offert ſacrificium ex ſubſtantiâ pauperis, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui.* Quid namque eſſe intolerabilius poteſt, quàm mors filii ante oculos Patris? Hoc itaque ſacrificium, quantâ irâ aſpiciatur, oſtenditur, cum orbati patris dolori comparatur. Aliud eſt pro peccatis miſericordiam facere; aliud pro miſericordiâ facienda peccare; quæ jam nec miſericordia nuncupari poteſt: quia ad dulcem fructum non proficit, quæ per virus peſtiferæ radicis amareſcit.

Improborum hominum ſacrificia per Prophetam
Iſai. 61. 8. Dominus reprobat dicens: *Ego Dominus diligens judicium; & odio habens rapinam in holocauſto.* Plerique etenim indigentibus ſubtrahunt, quæ Deo largiuntur. Sed quantâ eos animadverſione renuat
Prov. 21. 27. Dominus, demonſtrat, dicens: *Hoſtiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex ſcelere.* Plerumque homines peſſimi quanta per oblationem Deo tribuant, penſant, quanta autem rapiant, diſſimulant conſiderare: quaſi mercedem operum numerant, & perpendere ſcelerum culpas recuſant. Item

Matt. 5, 23. S. Greg. ubi ſuprà c. 23.

idem in libro paſtorali: *Si offers munus tuum ad altare*, & cætera. » Ex quâ ſcilicet perceptione penſandum eſt, quorum hoſtia repellitur, quam intolerabilis culpa monſtratur. Nam cum mala cunĉta bonis ſequentibus diluantur, penſemus quanta ſint mala diſcordiæ, quæ niſi exſtincta fuerint funditùs, bonum ſubſequi non permittunt.

Rom. 12, 1.

His itaque prælibatis ſententiis, affatim inſtruimur, tunc nos exteriùs hoſtiam mundam Deo offerre poſſe, cum à corde noſtro omne nubilum diſcordiæ deterſerimus: &, juxtà Apoſtolum, *hoſtiam vivam, ſanctam, Deo placentem*, ante divinæ majeſtatis oculos nos exhibuerimus.

CAPUT XVIII.

Quòd ad perceptionem Dominici Corporis & Sanguinis frequenter, & diſcrete ſit accedendum.

SACRO-SANCTUM Corpus & Sanguinem Domini noſtri JESU-CHRISTI, ubi & redemptio totius ſalutis, & myſterium fidei noſtræ conſiſtit, quidam reverenter & ſalubriter, quidam indiſcretè & indignè percipiunt. Sunt etiam nonnulli, qui tanti ſacramenti participatione ob reatuum ſuorum obligationem, ſacerdotis judicio, meritò privantur. Sunt item plerique (quod valde periculoſum, & congruà emendatione dignum eſt) qui ab hoc ſacramento partim incuriâ, partim deſidiâ adeo ſe ſubtrahunt, ut vix in anno, niſi ſub tribus tantum feſtis præclaris [ex conſuetudine [f]] potiùs quàm ex devotione faciant; neſcientes, aut ſcire nolentes, quòd ſicut corpus ſine cibo & potu, ita & anima ſine ſpiritali cibo moritur.

Quanti autem ſit diſcriminis, niſi accipiatur, & quanti, ſi indiſcretè ſumatur, ſubitò breviter collecta Evangelicâ & Apoſtolica teſtimonia, & ſanctorum Patrum dicta demonſtrant. Ait autem Dominus in Evangelio: *Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* Et alibi: *Amen dico vobis: niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, habet vitam æternam: & ego reſſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Paulus ad Corinthios: *Calix*, inquit, *cui benedicimus: nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt?* Item: *Itaque quicumque manducaverit panem, & biberit calicem Domini indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non diſcernens corpus Domini.*

Joan. 6, 57.
Ibid. 54. 55.
1. Cor. 10, 16.
Ibid. 11, 27. ibid. 20.
Lib. 1.
1. Reg. 21, 4.

Hieronymus in libro adversùs Jovinianum: « Omnis populus acceſſurus ad montem Sina, & Dei auditurus eloquium, tribus diebus ſanctificari juſſus eſt, & ſe ab uxoribus abſtinere. Quod quidem ſcimus etiam & ad David fugientem ab Abimelec ſacerdote dictum: *Si mundi ſunt pueri ab uxoribus? Et ille reſpondit: ab heri & nudius tertius.* Panes enim propoſitionis, quaſi corpus Chriſti, de uxorum cubilibus conſurgentes edere non poterant. Et in tranſitu contemplandum quod dixerat: *ſi mundi ſunt pueri ab uxoribus?* videlicet quòd ad munditias corporis Chriſti omnis coitus ſit immundus. » Gregorius in libro Moralium: « Quis namque ſit Sanguis Chriſti non jam audiendo, ſed bibendo diſcimus: qui Sanguis ſuper utrumque poſtem juxtà exemplum antiqui populi ponitur, quando non ſolum ore corporis, ſed etiam ore cordis hauritur: in utroque etenim poſte agni ſanguis eſt poſitus, quando ſacramentum paſſionis Chriſti, cum ore ad redemptionem ſumitur; ad imitationem quoque intentâ mente cogitatur. Quaſi in nocte agni carnes comedimus, cum in ſacramento modò dominicum corpus accipimus, quando adhuc ad invicem noſtras conſcientias non videmus. Nam nihil prodeſt Corpus & Sanguinem Chriſti Jeſu ore percipere, & ei perverſis moribus contraire. Qui ſceleratè vivunt in Eccleſia, & communicare non deſinunt; & putant ſe tali communione mundari, diſcant nihil ad emundationem proficere ſibi, dicente Propheta: *Quid eſt quod dilectus meus in domo meâ fecit ſcelera multa? Numquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas?* Et Apoſtolus: *Qui enim hoc accipit indigne, judicium ſibi manducat & bibit.* »

Jerem. 11, 15.
1. Cor. 11, 29.

Iſidorus in libro officiorum: » Dicunt, inquit, aliqui, niſi aliquo interveniente peccato, Euchariſtiam quotidie nobis, jubente Domino, poſtulamus, dicentes: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*; quod quidem benè dicunt, ſi hoc cum religione, & devotione, & humilitate ſuſcipiunt; ne confidendo de juſtitiâ, ſuperbâ præſumptione id faciant. Cæterum ſi talia ſunt peccata, quæ quaſi mortuum ab altari removeant, priùs agenda pœnitentia eſt, ac ſic deinde ſalutiferum medicamentum ſuſcipiendum; quia dicit Apoſtolus: *Qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit.* Hoc eſt enim indignè accipere, ſi eo tempore quis accipiat, quo debeat agere pœnitentiam. Cæterùm ſi tanta non ſunt peccata, ut non excommunicatus quiſque judicetur, non ſe debet à medicinâ Dominici corporis ſeparare; ne dum forte diù abſtinere prohibetur, à Chriſti corpore ſeparetur. Manifeſtum eſt enim, eos vivere, qui corpus ejus attingunt. Unde timendum eſt, ne dum diù quiſque ſeparatur à Chriſti corpore, alienus remaneat à ſalute, ipſo docente: *Niſi comederitis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem; non habebitis vitam in vobis.* Qui enim jam peccare quievit, communicare non deſinat. Conjugatis autem abſtinendum eſt à coïtu, pluribuſque diebus orationi vacare, & ſic deinde ad Chriſti corpus accedere. » Et paulo poſt: « Quapropter eligendi ſunt aliqui dies, quibus priùs homo continentiùs vivat, quo ad tantum ſacramentum dignus accedere poſſit. »

Lib. 1. c. 18.
Luc. 11. 3.
1. Cor. 11. 29
Joan. 6, 54.

» Item idem, in libello qui Synonyma inſcribitur: « Quotidie, inquit, Euchariſtiæ communionem percipere nec laudo nec vitupero: omnibus tamen dominicis diebus communicandum ſuadeo & hortor: ſi tamen mens in affectu peccandi non ſit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Euchariſtiæ perceptione, quàm purificari. Et ideo quamvis quis peccato mordeatur, peccandi de cætero non habeat voluntatem, & communicaturus ſatisfaciat lacrymis, & orationibus, & confidens de Domini miſeratione, qui peccata piæ confeſſioni donare conſuevit, accedat ad Euchariſtiam intrepidus & ſecurus. Sed hoc de illo dico, quem capitalia & mortalia peccata non gravant. Nam quem mortalia poſt baptiſmum crimina commiſſa premunt, hortor priùs publicâ pœnitentiâ ſatisfacere, & ita ſacerdotis judicio reconciliatum communioni ſociari, ſi vult non ad judicium, & condemnationem ſui Euchariſtiam accipere. »

Eſt S. Aug. c. 53. de Eccleſiaſt. dogmat.

Cum igitur conventus Chriſtianorum ad Eccleſiam ideo præcipuè inſtitutus ſit, ut inter hymnorum & laudum ſolemnia participatio Corporis & ſanguinis Domini celebretur, ſatis mirari non poteſt unde uſus

[f] [*ex conſuetudine*] Hæc quæ omninò neceſſaria erant adjecimus

valde reprehenſibilis irrepſerit, ut quidam tanto ſacramento ſe privari non pertimeſcant; & ſi contigerit ut aliquo interveniente peccato ab eo ſeparentur, nec dolore nec contritione cordis conterantur. Porrò idem reprehenſibilis uſus in tantum inolitus eſt, ut quaſi pro lege haberi, & tanto ſacramento non participantibus quamdam impunitatem promittere videatur. Proinde neceſſe eſt, ut unuſquiſque fidelis ſibi hinc inde pericula imminere cognoſcat; ſcilicet quia niſi manducaverit, & biberit, vitam in ſe non habebit: ſi indignè manducat & bibit, judicium ſibi manducat & bibit. Præparet ergo ſe, ut mundo pectore & corpore redemptionis ſuæ munus & frequenter & diſcretè accipere valeat; ut Chriſtum in præſenti ſecum habere, & ab eo in futuro ad vitam reſſuſcitari mereatur.

CAPUT XIX.

De Decimis fidelium.

CUM oblationes & decimæ fidelium, ſolius Dei causâ dari debeant, multifariâ diſtributione, emendatione valde indigente, à pleriſque dari ſolent; quoniam ſicut ſunt nonnulli qui Deo devotè, ita exiſtunt quàm plures, qui eas non honoris divini, ſed quæſtus ſui causâ, ſacerdotibus diſtribuunt, eoſque quibus præſunt, diſtribuere compellunt: ſcilicet ut id quod datum fuerit, aut totum, aut penè totum in ſuos ſuorumque retorqueatur uſus; hi namque licet ab hominibus honoratores Dei videri velint, dehonoratores tamen, imò divini dati ſubreptores, ad ſui perniciem exiſtunt.

Porrò ſunt plerique qui poſſeſſionum limitibus coangustati, & reditibus carentes, aut in jutis ſui proprio, aut certè ex munere alicujus potentis habent Baſilicas, ad quas religioſa devotio fidelium oblationum & decimarum magnam conferre ſolet copiam: ſuper quâ hujuſcemodi cupiditate ducti ſolent dicere: Ille Presbyter multa de meâ acquirit Eccleſiâ, quapropter volo, ut de eo quod de meo acquirit, ad votum meum mihi ſerviat, ſin alias, meam ultrà non habebit Eccleſiam. Sed & in talibus Baſilicis conſtitui non ſinunt presbyteros, niſi ab eis munus quod optant, accipiant.

Sunt etiam plerique potentes, qui obliti ordinis & miniſterii ſui, hujuſcemodi Baſilicas poſſidentes, rebus tenues, fidelium verò largiſſimis decimis abundantes, contrà fas ſuis aut Clericis aut Laïcis beneficiario munere conferunt, ut de hujuſcemodi oblationibus & decimis ſibi ſerviant: quod quàm ſit extraordinarium, & Religioni Chriſtianæ incongruum, nec non & facientibus periculoſum, qui animadvertit, intelligit. Non enim ad laïcorum, ſed ad Pontificum miniſterium, per quos Baſilicæ Deo dedicantur, pertinet, qualiter oblationes & decimæ fidelium Deo oblatæ diſpenſentur, ordinare. Pontificum ſanè miniſterium eſt, quantum ex eiſdem fidelium oblationibus in fabricis applicetur Eccleſiæ; quantum in luminaribus concinnandis, quantum in hoſpitibus colligendis, & pauperibus recreandis, quantumque in presbyterorum, eorumque qui ſecum militiam Chriſti gerunt, neceſſitatibus ſublevandis expenſetur, diſponere; non laïcorum, ut in ſuos ſuorumque ex his quidquam retorqueatur uſus, exigere. Hoc nempe genus avaritiæ in tantum quoſdam obligaverat laïcos, ut hoc ſe juſtè & rationabiliter, imò inculpabiliter ſectari poſſe putarent, donec gloriosus orthodoxus Domnus Ludovicus Imperator, *Ludov. Pius Capit. lib. 5. cap. 22.* inter cætera pietatis ſuæ beneficia, quæ honore & amore Domini noſtri JESU-CHRISTI ſanctæ contulit Eccleſiæ, ab hoc quoque eam immunem effecerit. Caveant ergo ſe laïci neceſſe eſt, ab appetitu decimarum & oblationum fidelium; nec quidquam ſibi ex his per vim, niſi ad periculum ſuum, vendicare poſſe ſciant, ſuoque contenti ſint miniſterio; ne dum alterius uſurpant, ſuo, quo contenti eſſe debent, miniſterio, quodammodo ſe indignos faciant; & aliorum quoque pia vota ſibi in peccatum convertant, & ſacrilegii notam incurrant. Ozias itaque Rex quia temerario auſu ſacerdotale miniſterium arripuit, illicò immunditiâ lepræ mulctatus eſt. Balthazar quoque Rex quia vaſa divinis uſibus conſecrata, in ſuos uſus contrà fas convertit, vitâ cum regno caruit.

Quiſquis ergo de hoc genere avaritiæ ſibi impunitatem promittit, audiat quid ſacri Canones in Concilio Gangrenſi de hac re decernant: » Si quis oblationes Eccleſiæ extrà Eccleſiam accipere vel dare « *Cap. 7. ex interp. Dionyſii Exigui* voluerit, præter conſenſum Epiſcopi, vel ejus cui « hujuſcemodi officia commiſſa ſunt, nec cum ejus « voluerit agere conſilio, anathema ſit. « Scribit « quoque Hieronymus in epiſtolâ ad Nepotianum: « *Epiſt. 5.* » Eccleſiam fraudare ſacrilegium eſt. « Et infrà: « » Aut quod apertiſſimi ſceleris eſt, exinde aliquid « ſubtrahere, omnium prædonum crudelitatem ſuperat. « Scribit etiam in Commentariis Matthæi « Evangeliſtæ: » Omnes igitur qui ſtipe templi, & « his quæ conferuntur ad uſus Eccleſiæ, abutuntur, « in aliis rebus quibus ſuam expleant voluntatem, « ſimiles ſunt ſcribis, & ſacerdotibus redimentibus « mendacium, & ſalvatoris ſanguinem. «

Quòd autem decimæ ſacerdotibus, imò in ſacerdotibus Deo dari debeant, ſubtùs teſtimonia collecta declarant: Scribitur in Geneſi: *Et dedit ei*, id eſt, *Geneſ. 14.* Abraham Melchiſedech, *decimas ex omnibus*. Item, *Ibid. 28. 20.* *Votum vovit Jacob dicens: Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in viâ per quam ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtem ad induendum, reverſuſque fuero proſperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte quem erexi, in titulum vocabitur domus Dei: cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Et in Exodo: *Decimas tuas & primitias non tardabis offerre.* In Le- *Exod. 22. 29.* vitico: *Omnes decimæ terræ, ſive de frugibus, ſive* *Lev. 27. 30. & ſeq.* *de pomis arborum, Domini ſunt: & illi ſanctificantur.* Item: *Omnes decimæ boum & ovium, & omne quodcumque tranſit ſub virgâ, in numerum decimum quodcumque evenerit, ſanctificatum erit Domino. Non mutabis illud bonum malo; neque malum bono.* In libro quoque Numer. *Separabitis primitias Domino* *Num. 15. 17.* *de cibis veſtris, ſive de areis primitias ſeparabitis; ita & de pulmentis dabitis primitias Domino.* Item: *Ibid. 18. 12.* *Omnem medullam vini, olei, ac frumenti, quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi.* Item: *Dixitque Dominus ad Aaron: In terrâ eorum nihil poſſidebis; nec habebis partem inter eos: Ego pars, & hereditas tua in medio filiorum Iſrael. Filiis autem Levi dedi omnes decimas Iſraelis in poſſeſſionem pro miniſterio quo ſerviunt mihi in tabernaculo fœderis.* In Deuteronomio: *In loco quem elegerit Dominus* *Deut. 12. 11.* *Deus veſter, ut ſit nomen ejus in eo: illuc omnia quæ præcipio conferetis holocauſta, & hoſtias, ac victimas; decimas, ac primitias manuum veſtrarum, & quidquid præcipuum eſt in muneribus quæ voviſtis Domino.* Item: *Decimam partem ſeparabis de cunctis* *Ibid. 14. 22.* *frugibus tuis, quæ naſcuntur in terrâ per annos ſingulos: & comedes eam in conſpectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit; ut in eo nomen illius invocetur. Decimam frumenti tui, & vini, & olei, & primogenita de armentis, & ovibus tuis; ut diſcas timere Dominum Deum tuum omni tempore.* In libro Tobiæ: *Hic ſolus fugiebat conſortia omnium; & pergebat ad* *Tob. 1. 6* *Jeruſalem, ad templum Domini, & ibi adorabat Do-*

verum Deum ſuum Iſrael: omnia primitiva ſua, & decimas ſuas fideliter offerens. In Malachia: (Malac. 3. 10.) *Inferte omnem decimam in horreum meum, & ſit cibus in domo meâ, & probate me ſuper hoc, dicit Dominus. Si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem uſque ad abundantiam: & increpabo pro vobis devorantem, & non corrumpet fructum terræ veſtræ: nec erit ſterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. Et beatos vos dicent omnes gentes.* Jeſus filius Sirach: (Eccli. 35. 11.) *In omni dato hilarem fac vultum tuum: in exultatione ſanctifica decimas tuas.* (Hebr. 7. 5.) Paulus: *Equidem de filiis Levi ſacerdotium accipientes, mandatum habent decimas ſumere à populo ſecundùm legem, id eſt, à fratribus ſuis.*

(De temp. ſer. 219.) Auguſtinus in ſermone ad populum: » Propitio Chriſto gratias agite, fratres cariſſimi: jam propè ſunt dies in quibus fructum telluris, & meſſes colligere debemus: & ideo gratias agentes Deo qui dedit, de offerendis, imò de reddendis decimis cogitemus. Deus enim noſter qui dignatus eſt totum dare, decimam à nobis dignatur repetere, non ſibi, ſed nobis ſine dubio profuturam. Sic enim ipſe per Prophetam promittit, dicens: (Malac. 3. 10.) *Inferte*, inquit, *omnem decimam in horrea mea: & ſit cibus in domo meâ; & probate me in his, dicit Dominus, ſi non aperuero vobis cataractas cœli, & dedero vobis fructus uſque ad abundantiam.* Ecce probavimus quomodo decimæ magis nobis quàm Deo proficiant. O homines ſtulti, quid mali imperat Deus, ut non mereatur audiri? Sic enim dicit: (Num. 18. 30.) *Primitias areæ tuæ & torcularis tui offerre mihi non tardabis.* Si tardiùs dare peccatum eſt, quanto pejus eſt non dediſſe? Et iterum dicit: (Prov 3. 10.) *Honora Dominum Deum tuum de tuis juſtis laboribus, deliba ei de fructibus juſtitiæ tuæ, ut repleantur horrea tua frumento, vinoque torcularia redundabunt.* Non præſtas hoc gratis, quod citò recipies cum magno fœnore. Quæris forte cui proficiat quod Deus accipiat redditurus? Quæris iterum cui proficiat, quod pauperibus datur? Si credis, tibi proficit: ſi dubitas, perdidiſti. Decimæ enim, fratres cariſſimi, tributa ſunt egentium animarum. Redde ergo tributa pauperibus, offer libamina ſacerdotibus. Quòd ſi decimas non habes fructuum terrenorum, ut agricola; quodcumque te paſcit ingenium Dei eſt, inde decimas expetit, unde vivis: de militiâ, de negotio, de artificio tuo redde decimas. Aliud enim pro terrâ dej edimus: aliud pro uſu vitæ penſamus. Redde ergo homo, quia poſſides: redde, quia naſci meruiſti: ſic enim dicit Dominus: Dabunt ſinguli redemptionem animarum ſuarum; & non erunt in eis morbus neque caſus. Ecce habes in ſcripturis ſanctis cautionem Domini tui, per quam tibi promiſit, quòd ſi decimas dederis, non ſolùm abundantiam fructuum recipies; ſed etiam ſanitatem corporis conſequeris. (Ibid. v. 3.) *Replebuntur*, inquit, *areæ tuæ frumento: vino quoque torcularia redundabunt: & non erunt in eis morbi neque caſus.* Cum enim decimas dando, terrena & cœleſtia poſſis munera promereri, quare per avaritiam duplici te benedictione defraudas? Audi ergo indevota mortalitas: Noſti, quia Dei ſunt cuncta quæ percipis, & de ſuo non commodas rerum omnium Creatori? Non eget Dominus, non præmium poſtulat, ſed honorem, de tuo aliquid exigit, quod refundat. Primitias rerum & decimas petit, & negas avare. Quid faceres, ſi novem partibus tibi ſumptis, tibi decimam reliquiſſet? Quod certè jam factum eſt, cum meſſis tua, pluviarum benedictione ſubtractâ, jejuna defecit, & vindemiam tuam aut grando percuſſit, aut pruina decoxit. Quid eſt, avide quod ſupputatur? Novem tibi partes retractæ ſunt, quia decimam dare noluiſti. Conſtat quidem, quòd ipſe non dederis, ſed tamen Deus exegit. Hæc eſt enim Domini juſtiſſima conſuetudo, ut ſi tu illi decimam non dederis, tu ad decimam revoceris. Scriptum eſt enim, quia decimæ agri tui, & primitiæ terræ vobiſcum ſunt. Video vos, & fallere me exiſtimaſtis: intus in theſauris veſtris, & in domibus veſtris erit direptio. Dabis impio militi quod non vis dare ſacerdoti. Quid diceret Dominus? Nempe, meus eſt homo quem feci, mea eſt terra quam colis, mea ſunt ſemina quæ ſpargis, mea animalia quæ fatigas, meæ ſunt pluviæ & imbres, ventorum flamina mea ſunt, meus ſolis calor, & cum omnia mea ſint elementa, tu qui manus tantùm accommodas, ſolam decimam mereberis. Qui ergo aut præmium comparare, aut peccatorum deſiderat indulgentiam promereri, reddat decimas, etiam de novem partibus, ſtudeat eleemoſynam dare; ita tamen ut quidquid, excepto victu mediocri, & veſtitu rationabili, ſuperfuerit, non luxuriæ reſervetur, ſed in theſauro cœleſti per eleemoſynam pauperum reponatur. Quidquid enim nobis Deus pluſquàm opus eſt, dederit, non nobis ſpecialiter dedit, ſed per nos aliis erogandum tranſmiſit; ſi non dederimus, res alienas invaſimus. «

Evidentibus itaque indiciis declaratum eſt, qualiter decimæ Deo dari debeant. Si igitur ſcripturâ monente, decimis, & primitiis, & cæteris terrenorum fructibus Deus honoratur, utique quia honoratur; [t] procul dubio qui hæc Deo dare negligit; & ſi ille in non dando Deum dehonorat, multo magis ille Deum dehonorat, qui ſuis militibus Deo oblata * contrà fas uſurpat. Propter hanc nempe avaritiam quæ ſacerdotes Domini exinanivit, & ad paupertatem perduxit, exſtant hodie nonnullæ Baſilicæ ita carioſæ, culminibuſque egentes, &, quod majus eſt, paupertate præpediente penè ad ſolum uſque collapſæ, ut in his Chriſto famulari, ejuſque Corpus & ſanguis confici dignè nequeat. Quas etiam dum pagani, & increduli conſpiciunt, nomen Chriſtianorum blaſphemant, dicentes: Ecce qualia Templa Chriſtiani Chriſto Deo ſuo fabricant; & impletur illud Apoſtoli: *Nomen Domini per vos blaſphematur in Gentibus.* (Rom. 2. 24.) Sicut enim priſcorum Chriſtianorum devotio circà Baſilicas Chriſti fabricandas, & diverſis donariis cumulandas, earumque ſacerdotes venerandos flagrabat, ita nunc perverſis, & inordinatis conſuetudinibus emergentibus, multorum, quod emendatione dignum eſt, in his exſpoliandis & dehonorandis avaritia æſtuat. Quiſquis verò in eorumdem Chriſtianorum numero à Chriſto Domino connumerari deſiderat, eorum exempla ſequi non negligat, ac ſeipſum filium, non prædonem Eccleſiæ efficiat.

CAPUT XX.

Quòd ſacerdotibus, per quos homines Deo reconciliantur, honor debitus ſit exhibendus.

CUm igitur ſacerdotes, mediatores videlicet inter Dominum & populum, ob amorem & honorem illius cujus miniſterium gerunt, congruo honore, remotâ perſonarum & divitiarum acceptione,

[t] *utique quia honoratur*] Ex hoc loco nullus idoneus ſenſus elici poteſt, niſi legatur, *utique ab eo dehonoratur*, aut aliud quiddam ſimile: malo tamen hæc verba ſervari, & addi, *Deum dehonorat.* Infra ineptè editum eſt *ſuis militibus Deo oblata*: non diſpliceret *ſuis miniſtris à Deo data.*

ſint venerandi; multi in eis non miniſterium Chriſti, ſed quod fas non eſt, divitias, & honores venerantur mundi. Et quanto potentiores, & ditiores exiſtunt, tanto majoris honoris & venerationis ab eis habentur. Sunt etiam quidam ſacerdotes divitiis & honoribus mundi carentes, qui adeo contemptui à quibuſdam laïcis habentur, ut eos non ſolum adminiſtratores, & procuratores rerum ſuarum faciant; ſed etiam ſibi more laïcorum ſervire compellant, eoſque convivas menſæ ſuæ habere dedignentur: qui videlicet habere ſacerdotes nomine tenùs ſibi videri geſtiunt, re autem ipſa propter quam habendi ſunt, nolunt, taleſque interceſſores apud Deum habere volunt, quales eſſe prorsùs deſpiciunt. Hoc quàm ſit periculoſum, ac reprehenſibile, & Religioni Chriſtianæ incongruum, & inhoneſtum, verbis explicari fas non eſt: hoc nempe non ſolùm propter quorumdam negligentiam ſacerdotum, verùm etiam propter quorumdam ſuperbiam & ignorantiam laïcorum accidere dubium non eſt.

Quantæ autem ſint venerationi habendi, & legalia, & Evangelica, & Apoſtolica inſtituta, & ſanctorum Patrum dicta breviter ſubtùs collecta ſanciunt: ſcribitur enim in Deuteronomio: *Diis non detrahes; & Principi populi tui non maledices.* Item: *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & non lepram; & judices intrà portas tuas videris variari verba; ſurge, & aſcende in locum quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad ſacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit in illo tempore, quæreſque ab eis: qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te: juxta legem ejus ſequeris ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram vel ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtraverit Domino Deo tuo, ex decreto judicis morietur homo ille: & auferes malum de medio Iſrael, cunctuſque populus audiens pertimeſcat, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbiâ.* Et in Eccleſiaſte: *In totâ animâ tua time Dominum: & ſacerdotes illius ſanctifica. In omni virtute dilige eum qui fecit te: & miniſtros ejus non derelinquas. Honora Deum ex totâ animâ tuâ; & honorifica ſacerdotes ejus.* Item: *Ne deſpicias narrationem Presbyterorum ſapientium: & in proverbiis illorum converſare. Ab ipſis enim diſces doctrinam & intellectum, & ſervire magnatis ſine querela.* Et in Evangelio: *Qui vos recipit, me recipit.* Item idem: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. Et qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet.* Item: *In quamcumque autem civitatem, aut caſtellum intraveritis, interrogate quis in eâ dignus ſit; & ibi manete donec exeatis.* Et infrà: *Quicumque enim non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo vel de civitate, excutite pulverem de pedibus veſtris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii, quàm illi civitati.* Paulus: *Obedite*, inquit, *Præpoſitis veſtris; & obtemperate eis. Ipſi enim pervigilant quaſi pro animabus veſtris rationem reddituri; ut cum gaudio hoc faciant & non gementes.* Paulus iterum: *Qui benè præſunt Presbyteri*, inquit, *duplici honore habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrinâ.* Hieronymus ad Heliodorum: » Abſit, inquit, ut quidquam de his ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes Chriſti Corpus ſacro ore conficiunt: per quos & nos Chriſtiani ſumus: qui claves regni cœlorum habentes, quodammodo ante judicii diem judicant, qui ſponſam Domini ſobria caſtitate conſervant. Clerici oves paſcunt, ego paſcor. « Joannes Conſtantinopolitanus: » Sicut corpus cohærere neceſſarium eſt capiti, ita & Eccleſiam ſacerdoti, & Principi populi; utque virgulta radicibus, & fontibus fluvii, ita & filii patri, & magiſtro diſcipuli. Obedientia diſcipulorum clareſcat in vobis, & quantum affectum patri defertis appareat. Adornate me filii, & imponite mihi obedientiæ veſtræ coronam; facite me apud omnes beatum judicari, & doctrinam meam magnificate per obedientiam veſtram, ſecundùm Apoſtoli verba dicentis: *Obedite præpoſitis veſtris, & obtemperate eis: quia ipſi pervigilant pro vobis, quaſi pro animabus veſtris rationem reddituri.* Hoc ergo præmoneo, ne quis pro parvo habeat commonitionem noſtram. Pater enim ſum, & neceſſe eſt me filiis conſilium ſuadere: quod enim in carnalibus patribus natura carnis, hoc in nobis gratia ſpiritûs agit.

Ex hiſtoriâ Eccleſiaſticâ Euſebii alloquutio Conſtantini ad Epiſcopos: » Deus vos conſtituit ſacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque judicandi: & ideo nos à vobis rectè judicamur. Vos autem non poteſtis ab hominibus judicari: propter quod Dei ſolius inter vos exſpectate judicium, ut veſtra jurgia quæcumque ſunt, ad illud divinum reſerventur examen. Vos etenim nobis à Deo dati eſtis dii, & conveniens non eſt ut homo judicet Deos, ſed ille ſolus, de quo ſcriptum eſt: *Deus ſtetit in ſynagogâ Deorum: in medio autem Deos dijudicat.* « Sicut in nonnullis aliis, ita & in eo forma vitæ Chriſtianæ fuſcatur: eo quod quidam laïcorum Sacerdotes Domini debito honore non venerantur. Gregorius quippe ait in libro Paſtorali: » Facta quippe Præpoſitorum oris gladio ferienda non ſunt, etiam cum rectè reprehendenda judicantur. Si quando verò contrà eos vel in minimis lingua labitur, neceſſe eſt ut per afflictionem pœnitentiæ cor prematur, quatenùs ad ſemetipſum redeat, & cum præpoſitæ poteſtati deliquerit, ejus contrà ſe judicium, à quo ſibi prælata eſt poteſtas, perhorreſcat. Nam cum præpoſitis delinquimus, ejus ordinationi, qui eos nobis prætulit, obviamus. « Scribit & Iſidorus in libro Sententiarum: » Rectores itaque à Deo judicandi ſunt, à ſuis autem ſubditis nequaquàm ſunt judicandi. « Et paulo poſt: » Quòd ſi à fide exorbitaverit rector, tunc erit arguendus à ſubditis. Pro minoribus verò reprobis, tolerandus magis, quàm diſtringendus à plebe eſt. « Non ergo propter quoſdam ſacerdotes negligenter viventes, rectè agentes contemptui habendi ſunt. Benè itaque agentes non ſolùm venerandi, ſed etiam imitandi ſunt: male verò agentes venerandi quidem ſunt propter miniſterium Chriſti, non tamen imitandi. Unde Dominus ait in Evangelio: *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſervate, & facite: ſecundum opera verò eorum nolite facere.*

Quapropter cavendum eſt quibuſdam laïcis, ne ſacerdotes Domini tanto deſpectui habeant, ne eos opprimentes exſpolient, nec jure fori conſtringant, atque diverſiſſimis injuriis, ſicuti facere ſolent, afficiant: quoniam cum eos quibuſlibet modis dehonorant, Chriſtum, cujus miniſtri ſunt, dehonorant, dicentem in Evangelio: *Qui vos ſpernit, me ſpernit: & qui vos recipit, me recipit.* Quod beatus Auguſtinus ita in libro ſermonum edixerit: » Si ſolis, inquit, Apoſtolis dixit, *qui vos ſpernit, me ſpernit*, ſpernite & nos. Si autem ſermo ejus pervenit ad nos, & vocavit nos, & in eorum loco nos conſtituit, videte ne ſpernatis nos, & ad illum perveniat injuria, quam nobis feceritis. Si enim nos non timetis, timete illum qui dixit: *Qui vos ſpernit, me ſpernit.* « Imitentur ergo in venerandis &

Exod. 22. 28.

Deut. 17. 8. & ſeq.

Eccleſ. 7. 30. & ſeq.

Matt. 10. 40. & ſeq.

Hebr. 13. 17.

1. Tim. 5. 17

Epiſt. 1.

Matt. 16. 18.

Homil. de recip. Severiano.

Hebr. 13. 17.

Rufini lib. 9. cap. 2.

Pſal. 81. 1.

Lib. 3. c. 39.

Matt. 23. 3.

Luc. 10. 16.

De verbis Domini, ſerm. 24. cap. 2.

obtemperandis ſacerdotibus potentiâ, & copioſiſſimis honoribus ſublimatum Theodoſium orthodoxum Imperatorem, quàm humiliter reverenterque beati Ambroſii memorabilis viri monitis, & increpationibus, atque excommunicationibus paruerit. Sciebat nempe poteſtatem Imperialem, quâ inſignitus erat, ab illius pendere poteſtate, cujus famulus & miniſter Ambroſius erat. Hoc qui pleniùs noſſe voluerit, librum hiſtoriæ tripertitæ nonum, ſub titulo triceſimo legat.

Lib. 9. c. 30.

CAPUT XXI.

Quòd noſſe oporteat Laïcos, ſacerdotibus ligandi atque ſolvendi poteſtatem à Domino eſſe collatam. Et quòd eorum monitis libenter parere, atque excommunicationibus humiliter debeant ſuccumbere.

QUidam laïcorum tantæ temeritatis exiſtunt, ut monita, & objurgationes, atque excommunicationes ſacerdotum nihili ducant: quod quantum à Chriſtianâ profeſſione abhorreat, qui animadvertit, intelligit. Is namque uſus valde reprehenſibilis & execrabilis, adeo apud quoſdam excrevit, & ut ita dixerim, in legem devenit, ut juſſionem ſacerdotis, & excommunicationem æquè ut cujuſdam laïci ducant; quos ſuadeo ut paulo perpendant ea quæ ſubjecta ſunt.

Matt. 16. 19.

Ait autem Dominus in Evangelio ſpecialiter Eccleſiæ Principi beato Petro Apoſtolo: *Tibi dabo claves regni cœlorum; & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Ait etiam generaliter omnibus diſcipulis: *Amen dico vobis: quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Hunc locum ita beatus Hieronymus in Commentariis exponit: »Quia dixerat, inquit, *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*: & poterat contemptoris fratris hæc occulta eſſe reſponſio, vel tacita cogitatio: ſi me deſpicis, & ego te deſpicio: ſi tu me condemnas, & meâ ſententiâ condemnaris: poteſtatem tribuit Apoſtolis, ut ſciant qui à talibus condemnantur divinâ ſententiâ roborari, & quodcumque ligatum fuerit in terrâ, ligari pariter in cœlo.« Item Dominus in Evangelio: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quæ verba ita beatus Gregorius exponit: »Libet intueri, illi diſcipuli ad onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriæ ſint perducti. Ecce non ſolùm de ſemetipſis ſecuri fiunt, ſed etiam alienæ obligationis poteſtatem relaxationis accipiunt; principatum ſuperni judicii ſortiuntur, ut vice Dei quibuſdam peccata retineant, quibuſdam relaxent. Sic eos à Deo decebat erigi, qui tantùm pro Deo conſenſerant humiliari. Ecce qui diſtrictum Dei judicium metuunt, animarum judices fiunt; & alios damnant, vel liberant, qui ſemetipſos damnari metuebant. Horum profectò nunc in Eccleſiâ Epiſcopi locum tenent: ligandi ac ſolvendi auctoritatem ſuſcipiunt, qui gradum regiminis ſortiuntur. Sub magno ergo moderamine paſtores Eccleſiæ vel ſolvere ſtudeant, vel ligare. Sed utrum juſtè, vel injuſtè obliget Paſtor, Paſtoris tamen ſententia gregi timenda eſt: ne is qui ſubeſt, & cum injuſtè forſitan ligatur, ipſam obligationis ſuæ ſententiam ex aliâ culpâ mereatur. Paſtor ergo vel abſolvere indiſcretè timeat, vel ligare; is autem, qui ſub manu paſtoris eſt, ligari timeat vel juſtè, vel injuſtè, nec Paſtoris ſui judicium temerè reprehendat: ne etſi injuſtè ligatus eſt, ex ipſius tumidæ reprehenſionis ſuperbiâ, culpa, quæ non erat, fiat.« Hieronymus ad Heliodorum: »Clerici, inquit, de altari vivunt: mihi quaſi infructuoſæ arbori ſecuris ponitur ad radicem. Si munus ad altare non defero, nec poſſum obtendere paupertatem, cum in Evangelio viduam duo quæ ſola ſibi ſupererant æra mittentem laudet Dominus. Mihi ante Preſbyterum ſedere non licet. Illi, ſi peccavero, licet tradere me Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in diem Domini Jeſu. Et in veteri quidem lege, quicumque ſacerdotibus non obtemperaſſet, aut extrà caſtra poſitus, lapidabatur à populo, aut gladio cervice ſubjectâ, contemptum expiabat cruore. Nunc verò inobediens ſpiritali mucrone truncatur, aut ejectus de Eccleſiâ rabido dæmonum ore diſcerpitur.«

Ex Comment. Matt. c. 18.

Joan. 20. 23.

Homil. 26.

Et poſt multa ibid.

Epiſt. 1.

De multis quædam breviter, de poteſtate Sacerdotibus à Domino collatâ teſtimonia collecta ſunt: ſciant ergo laïci huic poteſtati ſe ſubjectos eſſe debere: & quoniam qui huic ſuperbit, aut in aliquo pertinax exiſtit, ejus ordinationi, à quo attributa eſt, ſuperbiſſimè, imò periculoſiſſimè reniti convincitur.

CAPUT XXII.

De his qui propter honores terrenos & caducos adeo extolluntur, ut pauperes, naturâ ſibi ſimiles, non recognoſcant.

CAvendum his qui præſunt, ne ſibi ſubjectos, ſicut ordine, ita naturâ inferiores ſe eſſe putent: providâ namque diſpenſatione divinâ actum eſt, ut mortalis à mortali, non naturâ, ſed quadam mundanâ dignitate inferior, ut pote imbecillis à valido piâ prælatione & gubernatione tueretur; ita tamen ut natura ſemper æqualis agnoſceretur. Quod cum ita ſit, multi rebus perituris, & citò præterlabentibus tumentes, tam eos, quibus præſunt, quàm etiam eos, quos potentiâ & honoribus, & divitiis præcedunt, ſibi naturâ æquales non recognoſcunt; & ſi verbis agnoſcunt, affectione tamen non agnoſcunt. Quod vitium ex fonte ſuperbiæ emanare manifeſtum eſt. Cur enim dominus & ſervus, dives & pauper, naturâ non ſunt æquales, qui unum Deum non acceptorem perſonarum habent in cœlis?

Quòd ergo Domini id quod æquum & juſtum eſt ſervis præſtare debeant, Paulus docet dicens: *Domini quod juſtum eſt & æquum ſervis præſtate; ſcientes quòd veſter & illorum Dominus ſit in cœlo.* De quâ etiam re ita ait beatus Gregorius: »Potentibus viris magna eſt virtus humilitatis, conſiderata æqualitas conditionis. Omnes namque homines naturâ æquales ſumus; ſed acceſſit diſpenſatorio ordine, ut quibuſdam prælati videamur. Si igitur hoc à mente deprimimus quod temporaliter acceſſit, invenimus citiùs quod naturaliter ſumus. Plerumque enim ſe animo accepta poteſtas objicit, eumque tumidis cogitationibus fallit. Manu ergo humillimæ conſiderationis deprimendus eſt tumor elationis. Si enim apud ſemetipſam mens deſcendit de vertice culminis, citiùs planitiem invenit naturalis æqualitatis. Nam, ut præfati ſumus, omnes homines natura æquales genuit, ſed variante meritorum ordine, alios aliis diſpenſatio occulta poſtponit. Ipſa autem diverſitas, quæ acceſſit ex vitio, rectè eſt divinis judiciis ordinata; ut quia omnis homo iter vitæ æquè non graditur, alter ab altero regatur. Sancti autem viri cum præſunt, non in ſe poteſtatem ordinis, ſed æqualitatem

Coloſſ. 4. 1.

Moral. in Job lib. 21. c. 10.

litatem conditionis attendunt ; nec præeſſe gaudent hominibus, ſed prodeſſe : ſciunt enim quòd antiqui Patres noſtri, non tam hominum Reges, quàm paſtores pecorum fuiſſe memorantur. Et cum Noë Dominus filiuſque ejus diceret : *Creſcite & multiplicamini, & replete terram*; ſubdidit : *Et terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ*. Non enim ait, ſit ſuper homines qui futuri ſunt ; ſed, *ſit ſuper cuncta animalia terræ* : homo quippe animalibus irrationabilibus, non autem cæteris hominibus naturâ prælatus eſt, & idcircò ei dicitur, ut ab animalibus, non ab homine timeatur : quia contrà naturam ſuperbire eſt, ab æquali velle timeri.

Genef. 9. 2.

Auguſtinus in ſermone ad populum : Nonnulli autem divinorum præceptorum immemores, ita circà ſervos ſuos & ſubditos ſibi poteſtatem dominationis exercent, ut in diebus jejunii non dubitent flagellis eos cædere, pœnis afficere, compedibus præpedire. Et ſi forte cum ad reficiendum veniunt, tardiùs miniſter adfuerit, ſtatim eum verberibus laniare, & priùs ſe ſatiare ſervuli ſanguine, quàm convivii voluptate. Horum tale jejunium eſt ; quod ideo jejunatum eſt, non ut divinitatis miſericordiam provocaret, ſed ut clamorem familiæ ingemiſcentis effunderet. Quiſquis autem cupit Dei miſericordiam promereri, ipſe debet eſſe prior miſericors : ſcriptum eſt enim : *In quâ menſurâ menſi fueritis, eadem menſura remetietur vobis*. Et quod magis dolendum eſt, Chriſtianus dominus Chriſtiano in his diebus ſervo non parcit, minimè reſpiciens, quòd ſi ſervus eſt conditione, gratiâ tamen frater eſt. Etenim ſimiliter Chriſtum induit, iiſdem participat ſacramentis, eodem quo & tu utitur Deo Patre, cur te non utatur ut fratre. Item idem in libro ſermonum : Mendici Dei ſumus : ut agnoſcat ille mendicos ſuos, agnoſcamus nos noſtros. Sed & etiam ibi cogitemus, quando petitur à nobis, qui petunt, à quibus petunt, quid petunt : Qui petunt ? homines. A quibus petunt ? ab hominibus. Qui petunt ? mortales. A quibus petunt ? à mortalibus. Qui petunt ? fragiles. A quibus petunt ? à fragilibus. Qui petunt ? miſeri. A quibus ? à miſeris. Exceptâ ſubſtantiâ facultatum, tales ſunt qui petunt, quales ſunt à quibus petunt. Quam frontem habes petendo ad Dominum tuum, qui non agnoſcis fratrem tuum ? Non ſum, inquit, talis: abſit à me ut talis ſim. Inflatus, obſericatus iſta loquitur de pannoſo. Sed ego nudos interrogo : non interrogo in veſtibus quales ſitis, ſed quales nati fueritis. Ambo nudi, ambo infirmi, ambo miſeram vitam inchoantes, ideo ambo plorantes. Ecce recole dives primordia tua, vide utrum hoc aliquid attuleris. Jam veniſti, & tanta inveniſti. Dic, rogo te, quid attuliſti ? Dic quid attuleris ? Aut ſi dicere erubeſcis, Apoſtolum audi : *Nihil intulimus in hunc mundum*. Sed forte quia nihil attuliſti, & hic multa inveniſti, aliquid hinc tecum ablaturus es ? Et hoc fortaſſe amore divitiarum trepidas confiteri. Audi, & hoc Apoſtolus dicat, qui te non palpat : *Nihil intulimus in hunc mundum* : utique quando nati ſumus, ſed nec auferre aliquid poſſumus, utique quando de corpore eximus. Nihil attuliſti, nihil hinc auferes : quid te inflas contrà pauperem ? Quando naſcuntur infantes, recedant de medio parentes, ſervi, clientes, recedant de medio turbæ obſequentes, & agnoſcātur pueri divites flentes. Pariāt ſimul dives, & pauper: pariant ſimul mulier dives, & mulier pauper : non attendant quod pariunt : diſcedant paululum, redeant & cognoſcant. Ecce dives, nihil attuliſti in hunc mundum ; ſed nec auferre hinc aliquid potes. Item in ſermone ad populum : Quare pauper tecum non accipit cibum, qui tecum accepturus eſt regnum. Quare pauper non accipit veterem tunicam tuam, qui tecum accepturus eſt immortalitatis ſtolam ? Quare pauper non meretur accipere panem tuum, qui tecum meruit accipere Baptiſmi ſacramentum ? Cur indignus eſt accipere vel reliquias ciborum tuorum, qui tecum venturus eſt ad convivia Angelorum ?

Matt. 7. 2.

De verbis Dom. ſerm. 5. cap. 7.

Cap. 8. 1. Timot. 6. 7.

Ibid.

His & cæterorum divinorum eloquiorum ſententiis, potentes & divites edocti, agnoſcant & ſervos ſuos, & pauperes ſibi naturâ æquales. Si igitur ſervi Dominis naturâ æquales ſunt, utique quia ſunt, non ſe putent impunè domini laturos ; dum turbidâ indignatione, & concitanti animi furore adversùs errata ſervorum inflammati, circà eos aut in ſæviſſimis verberibus cædendo, aut in membrorum amputatione debilitando, nimii exiſtunt, quoniam unum Deum habent in cœlis. Eos verò quos in hoc ſæculo infirmos abjectoſque cultu, & cute, & opibus ſe impares conſpiciunt, naturâ pares, & æquales ſibi eſſe prorsùs agnoſcant.

CAPUT XXIII.

De his qui propter venationes, & amorem canum, cauſam pauperum negligunt.

CUM cauſam pauperum Chriſti, quidam faſtu potentiæ tumefacti, quidam diuturnâ requie delectati, quidam etiam corporales delicias, in quibus nimium metas diſcretionis excedentes reſolvuntur, amplexati, non magnopere ducere ſoleant, exiſtunt nihilominùs quàm plures qui ob amorem canum & diverſiſſimas venationes, quibus miſerabiliter inſiſtunt, & ſe, & pauperum curam quodammodo negligunt. Miſerabilis planè & valde deflenda res eſt, quando pro feris, quas cura hominum non aluit, ſed Deus in commune mortalibus ad utendum conceſſit, pauperes à potentioribus ſpoliantur, flagellantur, ergaſtulis detruduntur, & multa alia patiuntur. Hoc enim qui faciunt, lege mundi ſe id facere juſtè poſſe contendunt : quos convenio ut juſto libramine decernant, utrum lex mundi legem evacuare Chriſti debeat, nec ne ; qui profectò, ſicut fideles reſpondere oportet, legi Chriſti legem mundi præponi nequaquàm debere reſpondebunt. Chriſtus enim docet in Evangelio, ut ſi quis noſtra abſtulerit, non repetamus ea. Et Apoſtolus : *Jam quidem omnino delictum eſt quia judicia habetis vobiſcum ; quare non magis iniquitatem patimini ? Quare non potius fraudamini ?* Si enim ille qui ſua ablata repetit, contrà Evangelium facit, multo magis ille in auctorem Evangelii delinquit, qui ea quæ ſua non fuerunt, violenter exigit. Quis igitur neget contrà regulam Chriſtianitatis fieri, cum propter unius hominis delicias, tot pauperes Chriſti diverſiſſimis injuriis afficiuntur ; quod ita multifariè fit, ut vix explicari queat. Palpent verò & promittant talia facientibus impunitatem, qui volunt, & audent : Ego verò neminem palpare, imò ſecurum ſuper hac re reddere audeo, quod hæc impunè ullo pacto facere poſſit. Quiſquis verò in hoc facto ſibi impunitatem promittit, perpendat moneo, quid in tremendi judicii die legem Chriſti ſectantes mercedis, quidve à lege Chriſti propter legem mundi exorbitantes damnationis percepturi ſint. Nam & hoc ſummæ eſt dementiæ, cum propter venationes quis dominicis & aliis feſtis diebus à ſolemnibus Miſſarum celebrationibus, & divinis laudibus vacat : & propter hujuſcemodi venationes ſalutem animæ ſuæ, eorumque

1. Cor. 6. 7.

quibus præeſt, & prodeſſe debuit, negligit: hi namque plùs delectantur latratibus canum, quàm melodiis intereſſe hymnorum cœleſtium.

Beatus itaque Auguſtinus in homiliis ad populum, venationi immoderatæ incumbentes ita alloquitur: An putatis illum jejunare, fratres, qui primo diluculo non ad Eccleſiam vigilat, non beatorum Martyrum loca perquirit, ſed ſurgens congregat ſervulos, diſponit retia, canes producit, ſilvaſque perluſtrat. Servulos, inquam, ſecum pertrahit (fortaſſe magis ad Eccleſiam feſtinantes) & voluptatibus ſuis peccata accumulat aliena, neſciens reum ſe futurum tam de ſuo delicto, quàm de perditione ſervorum. Totâ igitur die venatibus immoratur, tunc clamorem immoderatum offerens, tunc ſilentium latenter indicens; lætus ſi aliquid ceperit, iratus ſi id quod non habebat, dimiſit, & tanto ſtudio gerit, ut venetur. In his ergo luxuriis, fratres, dicite, quis cultus ſit Dei, quæ mentis poſſit eſſe devotio. Qui propterea jejunat, non ut Deo aut orationibus vacet, ſed ut totâ die otioſus & liber propriam exerceat voluntatem. Quamvis igitur qui hujuſmodi es, frater, veſpere ad domum redeas; quamvis declinante jam ſolemandnces, potes videri voluptatem tuam exercens, feciſſe Domini voluntatem? Hæc enim voluntas eſt Domini, ut jejunemus à cibis pariter & à peccatis: abſtinentiam indicamus corpori, ut à vitiis magis animæ abſtinere poſſimus: frænum enim quoddam eſt luxuriantis animæ; corpus exhauſtum; quiſquis autem jejunat & peccat, lucrum eſcarum feciſſe videtur, non ſalutis; & parcendo copiis repleſſe cellarium, non mentem ſaginaſſe virtutibus. Sunt enim plerique qui de venatibus redeuntes, magis canum quàm ſervorum curam gerunt, & faciunt eos juxtà ſe vel dormire vel recumbere, quotidianum illis cibum in ſui præſentiâ miniſtrantes: qui utrum ſervus ejus fame moriatur, ignorant: & quod gravius eſt, ſi diligenter his præparatum non fuerit, pro cane ſervus occiditur. Vides enim in nonnullorum domibus nitidos, & craſſos canes diſcurrere; homines autem pallentes, & titubantes incedere. Iſti ergò non miſerebuntur aliquando pauperibus, qui minimè ſuis famulis miſerentur.

Sub med.

Item idem in expoſitione Pſalmi centeſimi ſecundi: « Paululum, inquit, attendat charitas veſtra, donec evolvatur res etiam exemplis, multùm utilis ad intelligendum. Hoc dixit cum eſurierit neſcio quis, ſi habes unde des, da: ſi vides dandum eſſe ad ſubveniendum, da. Ne pigreſcant in te viſcera miſericordiæ, quia tibi peccator occurrit. Occurrit enim tibi peccator homo: cùm dico occurrit tibi peccator homo, duo nomina dixi: hæc nomina non ſuperflua ſunt. Duo nomina, aliud quod homo, aliud quod peccator: quod homo, opus eſt Dei: quod peccator, opus hominis eſt. Da operi Dei; noli operi hominis. Et quomodo, inquis, me prohibes dare operi hominis? Quid eſt dare operi hominis? Peccatori dare propter peccatum, placenti tibi propter peccatum. Et quis hoc faciet, inquis? Quis hoc faciet? Utinam nemo, utinam pauci, utinam non publicè. Qui venatoribus donant, quare donant? Dicant mihi, quare donant venatoribus? Hoc in illo amat; in quo nequiſſimus eſt; hoc in illo parcit, hoc in illo veſtit, ipſam nequitiam publicam ſpectaculis omnium. Qui donat hiſtrionibus, qui donat auguribus, qui donat meretricibus; quare donat? Non tamen ibi attendit naturam operis Dei, ſed nequitiam operis humani. Vis videre quid honoras in venatore, quando illum veſtis? Dicatur tibi, ſis talis; amas illum, gaudes ad illum, vis quodammodo ſpoliare te, & illum veſtire. Noli cum injuriâ accipere, ſi tibi dicatur de meretricibus: tales ſunt filiæ tuæ. Injuria eſt, inquit: quare injuria eſt, niſi quia illa iniquitas? Quare injuria eſt, niſi quia illa turpitudo? Non ergo donas cum donas fortitudini, ſed turpitudini. Quomodo ergo qui venatori donat, non homini donat, ſed arti nequiſſimæ. Nam ſi homo tantùm eſſet, & venator non eſſet, non donares. Honoras in eo vitium, non naturam. Sic contrà, ſi des juſto, ſi des Prophetæ, ſi des diſcipulo Chriſti aliquid cujus indiget, & non ibi cogites quia diſcipulus Chriſti eſt, quia miniſter eſt Dei. « Perpendant itaque qui venationibus inſiſtunt, quòd magis ſibi debeant conſulere, quàm his inſervire; magiſque debeant pauperum, ſuorumque ſervorum curam, quàm canum gerere. Nequaquàm igitur fidelibus Chriſti cura canum curæ hominis ad imaginem Dei conditi ullo pacto anteponenda eſt.

De Aleatoribus.

His ita dictis, reſtat de aleatoribus neceſſariò dicendum. Sciant præterea aleatores, quia, ut beatus Cyprianus eximius Martyr ſcribit, dum aliis inſerviunt, delinquunt: qui adeo illud opus execratur, & deteſtatur, ut laqueum diaboli eſſe proteſtetur; quod etiam ab omnibus fidelibus, modis omnibus vitandum eſſe denuntiat: cum enim multa de aleatoribus granditer ſcriberet, ad extremum hoc intulit: » Aleâ ne luſeris; ubi luſus nocivus eſt, & crimen mortale; ubi dementia ſine conſideratione; ubi nulla veritas, ſed mendaciorum mandra. Abſcinde inde manum tuam, & averte inde cor tuum. Abſtrahe caliginem inimici ab oculis tuis. » Et infrà: » Eſto tibi, & vitæ tuæ in operationibus juſtus & providus. Fuge diabolum perſequentem te, & fuge aleam inimicam rerum tuarum: ſtudium ſit tibi ſapientiæ: Evangelicis monitis erudire; puras manus ad Chriſtum extende, ut promereri Dominum poſſis, aleam noli aſpicere. « De hac re qui pleniùs noſſe vult, legat ejuſdem ſancti viri ex aſſe alloquutionem, quam inde fecit: ubi profectò inveniet, quantum illud opus unicuique Chriſtiano reſpuendum ſit.

Ibid.

Scio namque quid amatores aleæ dicant. Quid mali facimus: quid-ve delinquimus, ſi aleis ludimus? Quibus reſpondendum eſt, quòd multis modis in eodem luſu delinquitur. Primò quia vix ſine mendatio, aut perjurio, aut irâ, aut diſcordiâ peragitur: quòd ſi fortè in nullo horum delinquatur, in eo ſolo proculdubio peccatur, quia otioſitati, quæ inimica eſt animæ, inſervitur. Noveris ergo quicumque es, ô aleator, quia de ſingulis diebus & horis, quas aleis inſerviendo inſumis, Deo es rationem redditurus. Ad hoc etiam ſcio multos turbidâ indignatione reſponſuros. Quid, inquient, ſæculari homini prodeſt mundus iſte, ſi his & aliis diverſiſſimis jocis ad votum ſuum repertis non perfruitur? Cui verbis Domini reſpondeo: *Quid prodeſt homini ſi totum mundum lucretur; animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Manifeſtum eſt autem quia dum aleis inſervitur, nullum exinde animæ lucrum acquiritur. Audiant etiam hujuſcemodi Joannem Apoſtolum monentem atque dicentem: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt: ſi quis dilexerit mundum, non eſt charitas Patris in eo: quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum eſt, & ſuperbia vitæ, quæ non ex Patre ſed ex mundo eſt: & mundus tranſit & concupiſcentia ejus: qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum.* Audiant & Jacobum: *Quicumque*, inquit, *voluerit amicus eſſe ſæculi hujus, inimicus Dei conſtuuetur.* Cum ergo dilectio mundi ita

Matt. 16. 26.

1. Joan. 2. 15. 16. 17. & 18.

Jac. 4. 4.

ab Apoſtolis inhibeatur, ut quid caduca & fumea tam caſſo amore diliguntur? Ut quid mundus tantum diligitur, qui diu non tenebitur? Ut quid ejus tranſitoria dilectio æterni regni dilectioni præponitur? Sic igitur à Chriſtiano diligendus eſt mundus, ut eo cadente non cadat Chriſtianus.

CAPUT XXIV.

Juſtè judicandum, & munerum acceptionem vitandam.

SUNT qui bonis benè: & ſunt è contrario qui bonis malè utuntur. Quiſquis Dei donis non ad Dei voluntatem, ſed ad ſuam cupiditatem utitur, Deo ingratus exiſtens bonis malè uti probatur. Scientiam porrò rectè judicandi à Deo mortalibus conferri dubium non eſt, Apoſtolo Jacobo teſtante, & di-
Jac. 1, 17. cente: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Ac per hoc qui à tramite juſtitiæ, quæ ſua unicuique tribuit, aut timore, aut cupiditate, aut odio, aut amore reflectitur, Chriſtum utique, qui juſtitia eſt, dehonorare convincitur. Sicut enim æquum eſt ut qui rectè ſapit, rectè agat, ita iniquum eſt rectè ſapere, & non rectè agere. Per juſtitiam quippe ſtabilitur regnum, & per injuſtiam evertitur: unde & multa Regna jam per injuſtitiam everſa, in exemplum ſunt. Cum igitur & legalia, & Evangelica doceant documenta Deum inter illos habitare, qui ejus monitis parentes à calle juſtitiæ non deviant; cur homines, quos ipſe ad ſuam imaginem creavit, & nobilitate ditavit, & ſcientiâ rectè judicandi ſublimavit, in non rectè judicando à medio ſui eum expellunt? Quem procuIdubio qui à ſe pravè judicando repellunt, inimicum ſuæ ſalutis in medio ſui conſtituunt; quoniam ſicut illi qui juſtitiæ & veritati ſtudent, Chriſto adhærent; ita illi qui pro juſto injuſtè, & pro vero falsò judicant, illi abſque dubio qui mendax eſt, & pater ejus, ſe quodammodo mancipant. Quid, inquam, iniquius, Deoque odibilius poteſt eſſe, quando in foro plus ſectatur amor nummi, quàm Chriſti? Qui enim pro rectè judicando nummos accipiunt, more Judæ Chriſtum, qui utique juſtitia eſt, acceptâ pecuniâ vendunt. Nam & ille qui alicujus rei gratiâ falsò judicat, & qui veritatem occultat, utique abominabilis eſt apud Deum, & penè æquali crimine apud eum detinetur. Quapropter his qui judiciariâ poteſtate præditi ſunt, magna circumſpectio, & vigilantia neceſſaria eſt; ne ab eis, vel coram eis judicium rectum in aliquo pervertatur. Quoniam ſi propter ſuam incuriam, & diuturnam quietem, diverſaſque delicias, quibus dum plus juſto incumbunt, pauperum cauſa contemnitur, & ſæpe æquitas judicii violatur, pravum, iniquumque quid geſtum fuerit, in eos procuIdubio id retorquebitur.

Quòd autem remotâ perſonarum, & munerum acceptione rectè judicandum ſit, ſequentia indicant.
Exod. 23. 3. Legitur in Exodo: *Non declinabis in judicio pauperis. Mendacium fugies. Inſontem & juſtum non occides: quia averſor impium; nec accipies munera quæ excæcant etiam prudentes, & ſubvertunt verba juſtorum.* Item idem in eodem: *Non contemnas pau-*
Levit. 19. 15. *perem in judicio.* In Levitico: *Non facias quod iniquum eſt: nec injuſtè judicabis; nec conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis: juſte judica proximo tuo.* Item ibi: *Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regulâ, in pondere, in menſurâ: ſtatera juſta, & æqua ſint pondera: juſtus modius, æquuſque ſextarius; Ego Dominus Deus tuus.*
Deut. 1. 17. In Deuteronomio: *Dixit itaque Moyſes. Præcipe eis* (haud dubium quin judicibus) *dicens: Audite illos, & quod juſtum eſt judicate, ſive civis ſit ille, ſive peregrinus. nulla erit diſtantia perſonarum: ita parvum audietis, ut magnum; nec accipietis cujuſquam perſonam, quia judicium Dei eſt.* Item: *Judices & magiſtros conſtitue in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per ſingulas tribus tuas: ut judicent populum juſto judicio, nec in alteram partem declinent. Non accipient perſonam, nec munera: quia munera obcæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum. Juſte quod juſtum eſt perſequeris.* Item idem in eodem: *Maledictus qui per-* Ibid. 27. 19
vertit judicium advenæ. In Paralipomenon libro ſecundo: *Conſtituitque judices Joſaphat terræ in cun-* 2. Paral. 19. 17.
ctis civitatibus munitis, per loca ſingula, & præcipiens judicibus: Videte, ait, quid faciatis. Non enim hominis judicium exercetis, ſed Domini: & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiſcum; & cum diligentiâ cuncta facite. Non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum. In Pſalmo: *Si verè utique juſtitiam loqui-* Pſal 57. 2.
mini, rectè judicate filii hominum. Item: *Judicate* Ibid. 81, 3.
egeno & pupillo: humilem & pauperem juſtificate.
In Proverbiis: *Miſericordia, & veritas non te de-* Prov. 3. 3. & ſeq.
ſerant. Item in eodem: *Munera de ſinu impius accipit, ut pervertat ſemitas judicii.* Item ibi: *Qui cognoſcit in judicio faciem, non facit bene.* Item ibi: *Facere miſericordiam, & judicium, magis placent Domino, quàm victima.* Item ibi: *Accipere perſonam impii, non eſt bonum in judicio.* Item: *Qui juſtificat impium, & qui condemnat juſtum, abominabilis eſt uterque apud Deum.* Item: *Novit juſtus cauſam pauperis: impius ignorat ſcientiam.* In Iſaia:
Væ qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſti- Iſai. 5. 23. & ſeq.
tiam juſti aufertis ab eo: væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes injuſtitias ſcripſerunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei: ut eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Quid facietis in die viſitationis, & calamitatis! Item: *Hæc dicit Dominus: Cuſtodite judicium, & facite juſtitiam: quia juxtà eſt ſalus mea, ut veniat; & juſtitia mea, ut reveletur. Beatus vir qui facit hoc, & filius hominis qui apprehendet iſtud: cuſtodiens ſabbatum, ne polluat illud: cuſtodiens manus ſuas ne faciat omne ma-*
lum. In Zacharia: *Hæc ſunt,* inquit, *verba quæ* Zac. 8. 16.
facietis, loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo. veritatem & judicium pacis judicate in portis veſtris. Et unuſquiſque malum contra amicum ſuum ne cogitetis in cordibus veſtris; & juramentum mendax ne diligatis: omnia enim hæc ſunt quæ odi, dicit Dominus. Scribit itaque in Job: *Congre-* Job 15. 34.
gatio hypocritæ ſterilis, & ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. In E-
vangelio: *Nolite judicare, & non judicabimini: no-* Matt. 7. 2.
lite condemnare, & non condemnabimini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini. Joannes in
Epiſtolâ ſuâ: *Nolite,* inquit, *judicare ſecundum* S. Joan. 7. 24
faciem; ſed juſtum judicium judicate.

Gregorius in Moralibus: « Judices ſæculi hujus « pro terrenis lucris multas injurias tolerant, & pro « cœleſti mercede vel tenuiſſimi verbi ferre contume- « lias recuſant. Terreno judicio totâ etiam die inſiſ- « tere judices fortes ſunt, in oratione verò coram « Domino ad unius horæ momentum laſſantur. Ple- « rumque nonnulli judices terrena præmia appetunt, « & juſtitiam defendunt, ſeque innocentes æſti- « mant, & eſſe defenſores rectitudinis exultant; qui- « bus ſi ſpes nummi ſubtrahitur, à defenſione pro- « tinùs juſtitiæ ceſſatur; & tamen defenſores ſe juſ- « titiæ cogitant, ſibique rectores aſſerunt, qui ne- « quaquàm rectitudinem, ſed nummos quærunt. «

Lib. 3. c. 34.

Iſidorus in libro ſententiarum: » Ad delictum, inquit, pertinet Principum, qui pravos judices contrà voluntatem Dei populis fidelibus præferunt. Nam ſicut populi delictum eſt, quando Principes mali ſunt, ſic Principis eſt peccatum, quando judices iniqui exiſtunt. » Item idem:

Ibid. cap. 35.

» Graviùs lacerantur pauperes à pravis judicibus, quàm à cruentiſſimis hoſtibus. Nullus enim prædo tam cupidus eſt in alienis, quàm judex iniquus in ſuis. « Et paulo poſt: »

Ibid.

Sæpe judices ipſam juſtitiam, quam ad obtinendam ſalutem æternam ſuſcipiunt, muneribus acceptis deſtruunt; & cum de juſto judicio temporalia lucra conquirunt, præmio æterno privantur. » Item idem: »

Ibid. cap. 38.

Qui rectè judicat, & præmium inde remunerationis exſpectat, fraudem in Deo perpetrat: quia juſtitiam, quam gratis impertire debuit, acceptione pecuniæ vendit. « Et paulo poſt: » Tres ſunt, inquit, munerum acceptiones, quibus contrà juſtitiam humana vanitas militat, id eſt, favor amicitiarum, adulatio laudis, & corporalis acceptio muneris. « Item idem poſt pauca: » Quatuor modis judicium humanum pervertitur; timore, cupiditate, odio, amore. Timore, dum metu poteſtatis alicujus veritatem loqui paveſcimus. Cupiditate, dum præmio muneris alicujus corrumpimur. Odio, dum contrà quemlibet adverſa molimur. Amore, dum amico & propinquis præſtare contendimus. His enim quatuor modis ſæpe æquitas violatur, ſæpe innocentia læditur.

Plura quidem & alia exſtant divinæ auctoritatis præcepta de ſectandâ juſtitiâ, & munerum acceptione cavenda, quæ neceſſe eſt ut unuſquiſque, qui officium rectè judicandi ſuſcepit, diligenter perpendat, & tractet: & ſecundùm ea & rectè vivere, & rectè judicare ſatagat. Caveat ergo ne acceptâ pecuniâ Chriſtum vendat: ne pro lucro terreno æterna remuneratione ſe privet: Deique judicia ante oculos ſemper præponat; timens, tremenſque ne de juſtitiæ tramite devians cadat, & unde juſtificari debuit, inde condemnetur.

CAPUT XXV.

De Vitandâ Juratione.

CUM in multis omnes, Apoſtolo Jacobo teſte, offendamus, apud utrumque ordinem, Clericalem videlicet & Laïcalem, imò apud utrumque ſexum, in incautâ juratione valde & miſerabiliter delinquitur. Putatur enim à quibuſdam quòd ſolummodo ille qui falſitatem ſuper oſſa alicujus ſancti viri, aut ſuper reliquias, aut ſuper altare, aut Evangelia jurat, perjurii crimine teneatur obnoxius: ille verò qui pro qualibet re magnâ, aut parvâ Deum teſtem invocat, & per ſanctam Trinitatem, ſupernoſque cives jurare non trepidat, immunis habeatur à perjorio; præſertim cum omnis qui teſtem adhibet Deum, jurare comprobetur, ſicut beatus Auguſtinus in libro ſermonum ait.

Sermo de decollat. S. Joan. cap. 3.

Dominus quoque ait in lege:

Exod. 20. 7.

Non aſſumas nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim Dominus tuum habebit inſontem, qui aſſumſerit nomen Dei ſui fruſtrà. Et Zacharias Propheta:

Zac. 8. 17.

Juramentum mendax ne diligatis. Et Salomon:

Eccli. 23. 9. & 4 v. 12.

Jurationi non aſſueſcat os tuum. Item: *Qui multum jurat, non effugiet peccatum.* Item: *Vir multum jurans, replebitur iniquitate, & non diſcedit de domo illius plaga.* Et in Evangelio:

Matt. 5. 33. Ibid. v. 34.

Audiſtis quia dictum eſt antiquis, redde Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omninò, neque per cœlum, quia ſedes Dei eſt: neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus: neque per caput tuum, quia non potes facere unum capillum album, aut nigrum. Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt; non, non: quod autem ampliùs eſt, à malo eſt.

Lib. 1. c. 17.

Auguſtinus de ſermone Domini in monte: » Ita, inquit, intelligitur præcepiſſe Dominum ne juretur, ne quiſquam ſicut bonum appetat jusjurandum; & aſſiduitate jurandi ad perjurium per conſuetudinem dilabatur. Quapropter qui intelligit, non in bonis, ſed in neceſſariis jurationem habendam, refrænet ſe quantum poteſt, ut non eâ utatur, niſi neceſſitate, cum videt pigros eſſe homines ad credendum, quod eis utile eſt credere, niſi juratione firmetur. Ad hoc itaque pertinet quod ſic dicitur:

Matt. 5. 37.

Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt; non, non, hoc bonum eſt & appetendum: Quod autem amplius eſt, à malo eſt: Id eſt, ſi jurare cogeris, ſcias de neceſſitate venire infirmitatis eorum, quibus aliquid ſuades. Quæ infirmitas utique malum eſt: unde nos quotidie liberari deprecamur, cum dicimus:

Ibid. 6. 13. Luc. 11. 4.

Libera nos à malo. Itaque dixit: *quod autem amplius eſt, à malo eſt.* Tu autem non malum facis, qui benè uteris juratione: quæ etſi non bona, tamen neceſſaria eſt, ut alteri perſuadeas, quod utiliter ſuadeas: ſed à malo eſt illius, cujus infirmitate jurare cogeris. Sed nemo novit, niſi qui expertus eſt, quàm ſit difficile & conſuetudinem jurandi exſtinguere, & nunquam temerè facere, quod nonnunquam facere neceſſitas cogit.

Matt. 5. 34.

Quæri autem poteſt cum diceretur: *Ego autem dico vobis non jurare omninò:* cur additum ſit: *neque per cœlum, quia thronus Dei eſt,* & cætera uſque ad id quod dictum eſt, *neque per caput tuum.* Credo propterea, quia non putabant ſe Judæi teneri jurejurando, ſi per iſta juraviſſent: & quoniam audierant:

Ibid. v. 33.

Reddes autem Domino juſjurandum tuum, non ſe putabant Domino debere jusjurandum, ſi per cœlum, aut terram, aut Jeroſolymam, aut per caput ſuum jurarent: quod non vitio præcipientis, ſed malè intelligentis eſt factum. Itaque Dominus docet, nihil eſſe tam vile in creaturis Dei, ut per hoc quiſque perjurandum arbitretur: quando à ſummis ad infima divinâ providentiâ creata regerentur, incipiens à throno Dei uſque ad capillum album, aut nigrum.

Ibid. v. 36.

Neque per cœlum, inquit, *quia thronus Dei eſt: neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus.*

De verbis Apoſt ſerm. 28. cap. 1.

Item idem in libro ſermonum: » Plura ſunt, inquit, plerumque juramenta, quàm verba. Si diſcutiat homo quoties juret per totum diem, quoties ſe vulneret, quoties gladio linguam feriat, & transfigat, quis in illo locus invenitur ſanus? Quia ergo grave peccatum eſt perjurare, compendium tibi dedit ſcriptura: Noli Jurare. » Item: « Vis ergo longè eſſe à perjurio? Jurare noli: qui enim jurat, aliquando verum jurare poteſt: qui autem non jurat, mendacium jurare nunquam poteſt.

Jac. 5. 12. Ibidem.

Juret ergo Deus, qui jurat ſecurus, quem nihil fallit, quem nihil latet, qui omninò fallere ignorat; quia nec falli poteſt. Cum enim jurat, ſe adhibet teſtem. Quomodo tu cum juras Deum adhibes teſtem: ſic ipſe cum jurat, ſe teſtem adhibet. Tu quando illum adhibes teſtem, forte ſuprà mendacium tuum accipis in vanum nomen Domini Dei tui. Ne mendacium jures, ergo jurare noli. Ipſa eſt anguſtia: perjurium præcipitium eſt: qui jurat, juxtà eſt: qui non jurat, longè eſt. Peccat & graviter, qui falſum jurat: non peccat, qui verum jurat; ſed nec ille peccat qui omninò non jurat; ſed qui non jurat, & non peccat, & longè eſt à peccato; qui autem verum jurat, non peccat; ſed propè eſt à peccato ad peccatum. « Item:

Ibid. cap 6.

» Intendite quæſo, & advertite : Non vos fallant, qui neſcio quomodo volentes ipſas jurationes diſcernere, vel potiùs non intelligere, dicunt non eſſe jurationem, quando dicit homo ; ſcit Deus : teſtis eſt Deus. Invoco Deum ſuprà animam meam verum me dicere. Invocavit, inquit, Deum, teſtem fecit Deum : Numquid juravit ? Qui hæc dicunt, nihil aliud volunt, niſi invocato Deo teſtem mentiri. Itane verò quis es pravi & perverſi cordis, ſi dicas, per Deum, juras ; ſi dicas, teſtis eſt Deus, non juras ? Quid eſt enim per Deum, niſi teſtis eſt Deus ? Aut quid eſt, teſtis eſt Deus, niſi per Deum ? » Item : » Sed ſi aliquid teſte filio tuo faceres, & amico vel proximo tuo, vel cuilibet homini diceres : Non feci, & tangeres filio tuo caput, quo teſte feciſti, & diceres ; per hujus ſalutem quia non feci ; exclamaret forte filius tuus ſub paternâ manu tremens, nec tamen paternam manum, ſed divinam tremens. Noli pater, non tibi ſit vilis ſalus mea : Deum ſuper me invocaſti, ego te vidi, feciſti, noli perjurare : te quidem habeo genitorem, ſed plus & meum & tuum timeo Creatorem.

Ibidem.

Ibid. cap 7.

Sed quia Deus, quando per eum juras, non tibi dicit : Ego te vidi, feciſti, noli jurare : ſed times ne te iſte occidat, tu te ante occidis : quia ergo non dicit, ego te vidi, putas quia non vidit. Et ubi eſt quando dicit : *Tacui, tacui, numquid ſemper tacebo ?* » Item : » Breviter audite, fratres mei, concludam ſermonem, figens in cordibus veſtris curam ſalobrem, ante omnia nolite jurare. » Item : » Tene ergo linguam & conſuetudinem, quantum potes : non quomodo quidam, quando illis dicitur, verum dicis, non credo, non feciſti, non credo, Deus judicet, jura mihi. Et ipſe qui exigit jurationem, multum intereſt, ſi neſcit illum falſum juraturum, an ſcit : ſi enim neſcit, & ideo dicit, jura mihi, ut fides ei fiat, non audeo dicere non eſſe peccatum, tamen humana tentatio eſt. Si autem ſcit eum feciſſe, novit feciſſe, vidit feciſſe, & cogit jurare, homicida eſt. Ille enim perjurio ſuo ſe perimit : ſed iſte manum interficientis & expreſſit & preſſit. « Item : Nam tantum mali habet juratio, ut qui lapides colunt, timeant falſum jurare per lapides ; tu non times Deum præſentem, Deum viventem, Deum ſcientem, Deum manentem, Deum in contemptore vindicantem ? Claudit ille templum ſuper lapidem, & vadit ad domum ſuam ipſe ; ſuper domum ſuam claudit, & tamen quando illi dicitur, jura per Jovem, præſentis oculos timet. Et ecce dico charitati veſtræ, & qui per lapidem falſum jurat, perjurus eſt. Unde hoc dico ? quia multi & in hoc falluntur, & putant quia nihil eſt per quod jurant, non ſe crimine teneri perjurii. Prorsùs perjurus es, qui per id quod ſanctum putas, falſum juras. Sed ego illud ſanctum non puto. Sanctum putas cui juras. Non enim quando juras, tibi juras, aut lapidi juras, non, ſed proximo juras. Homini juras ante lapidem ; ſed numquid ante Deum ? Non te audit lapis loquentem : ſed punit te Deus fallentem.

Ibid. cap. 8.

Ibid. cap. 10.

Ibid. cap. 11.

Cap. 12.

In expoſ. Epiſt. Jac. c. 5. v. 12. to. 5.

Beda in expoſitione Epiſtolarum Canonicarum : » Qui detrahere, inquit, ad alterum, qui judicare proximum interdixit, qui in adverſitatibus ad alterutrum ingemiſcere prohibuit, quæ ſunt aperta peccata, addidit etiam hoc, quod quibuſdam leve videtur, ut juris quoque jurandi conſuetudinem tollat. Nam hoc quoque illis parvipendendum nequaquàm patenter apparet, qui illam Domini ſententiam ſollicitè conſiderant, qua dicitur : *Omne verbum otioſum, quod loquuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii* : ut non ſub judicio incidatis. Ideo, inquit, vos à jurationis culpâ compeſco, ne frequenter vera jurando etiam in perjurium decidatis, ſed eo longiùs à perjurandi vitio ſtetis, quo nec verum jurare niſi proximâ neceſſitate velitis. « Iſidorus in libro Sententiarum : » Cavendam igitur eſſe jurationem dicimus, nec eâ utendum, niſi in ſolâ neceſſitate : non eſt contra Dei præceptum facere ; ſed dum uſum jurandi facimus, perjurii crimen incurrimus. Nunquam ergo juret, qui perjurare timet. Multi dum loquuntur, jurare ſemper delectantur, dum oporteat hoc tantum eſſe in ore : *Eſt, eſt ; non, non : Amplius enim quam eſt, & non, a malo eſt*. Multi enim ut fallant, perjurant ; ut per fidem ſacramenti, fidem faciant verbi : ſicque fallendo dum perjurant, & mentiuntur, hominem incautum decipiunt. Interdum & falſis lacrymis decipimur, & creditur dum plorant, quibus credendum non erat. Plerumque ſine juramento loqui diſponimus ; ſed incredulitate eorum, qui non credunt quod dicimus, jurare compellimur, talique jurandi neceſſitate, conſuetudinem facimus. Sunt multi ad credendum pigri, qui non moventur ad fidem verbi. Graviter autem delinquunt, qui ſibi loquentes jurare cogunt. Quacumque arte verborum quiſque juret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille cui juratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit, qui & Dei nomen in vanum aſſumit, & proximum dolo capit. Non eſt conſervandum ſacramentum quod malum incautè promittit, veluti ſi quiſpiam adulteræ perpetuam cum eâ permanendi fidem polliceatur. Tolerabilius eſt enim non implere ſacramentum, quàm permanere in ſtupri flagitio. «

Matt. 12. 36.

Lib 2 c 31

Matt. 5. 37.

Perſpicuis itaque teſtimoniis adſtruitur nequaquàm paſſim, ut à multis fieri ſolet, acquieſcere debere jurationi : nec eâ etiam, quæ peccato caret, utendum niſi in ſolâ neceſſitate ; ne ſcilicet dum nimium in uſu habetur, in perjurii crimen labatur.

CAPUT XXVI.

De falſo teſtimonio.

INTER decem præcepta quæ Dominus in monte Sina per famulum ſuum Moyſem Iſraelitico populo dedit, falſum teſtimonium ſpecialiter prohibuit : *Non falſum*, inquiens, *teſtimonium dices*. Juſtus itaque Dominus juſtitiam diligendam monuit, & falſitatem promendam inhibuit. Attende quis, quale edictum mortalibus ſervandum propoſuerit, Rex ſcilicet Regum, & Dominus dominantium, omniumque creator, inter flammas ignium, & fulgura micantia, fragorem quoque tonitruorum, & clangorem buccinæ, hanc legem terribiliter promulgavit, quâ malum vetatur, & bonum jubetur, quâ etiam veritas ſectanda, & falſitas cavenda cenſetur ; & quod valde tremendum, & expaveſcendum eſt, contemnitur : quoniam in tantum tranſgreſſio hujus Dominici præcepti in uſum quibuſdam devenit, ut penè illud, ut pote legem frequentent, & cum illud proferunt, aut nihil, aut penè nihil ſe delinquere credant, niſi id quod falsò protulerint, verum eſſe jurejurando confirment. Hi certè vanâ ſpe ſemetipſos decipiunt. Videant ergo quòd Dominus in ſanctâ ſuâ lege ſpecialiter falſum teſtimonium, ſpecialiter perjurium, ſpecialiter quoque mendacium prohibuerit : quicumque igitur unum ex his tranſgreſſus fuerit, Domini præcepti prævaricator ſine dubio exiſtit. Hi namque qui contrà juſtitiam falſitatem opponunt, ſimiles ſunt falſis teſtibus, qui

Luc. 18. 20.

in paſſione Chriſti falſum contrà eum dixerunt teſtimonium.

Luctuoſa nempe nimium res eſt, eo quod nonnulli nihil vilius, imò nihil venalius in hac mortalitate ducunt, quàm animas ſuas: cum enim diverſas pecunias accipiunt, & crapulâ, & ebrietate uſque ad vomitum ſe ingurgitant ut falſitatem proferant, quid aliud niſi animas ſuas venales faciunt? Hi namque vili pretio magnam rem vendunt; quod accipiunt, fumeum & momentaneum; quod amittunt, æternum, & ſine fine manſurum eſt. Miſerabilis planè mercatio; quando quis pro alterius nummis, & cibo, & potu, animam ſuam tradidit diabolo; ſed & ille, qui ne juſtè ſuperetur, & id quod injuſtè retinet amittat, & pudorem publicum incurrat, parvamque legis jacturam ſubeat, diverſis munuſculis hujuſcemodi teſtes corrumpit, inſuper etiam ſicuti fieri adſolet, in perjurium impellit, nullatenùs de eorum perditione ſecurus exiſtat, ſed pro certo ſciat, quòd omnium animarum, quos aut in falſitatem, aut perjurium perduxit, reus apud Dominum tenebitur. Proinde Cenſoribus diligens ac ſubtiliſſima indagatio neceſſaria eſt, ut falſos teſtes, more Danielis prophetæ, ſeparatim examinent, ut quid jus, quid verum, quid falſum ſit agnoſcere valeant.

Dent 19. 18. Falſi quoque teſtes diligentiſſimè perſcrutari in libro Deuteronomii jubentur: *Si ſteterit teſtis mendax contrà hominem, accuſans eum prævaricationis, ſtabunt ambo, quorum cauſa eſt, ante Dominum in conſpectu ſacerdotum, & judicum qui fuerint in diebus illis. Cumque diligentiſſimè perſcrutantes invenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium, reddant ei ſicut fratri ſuo facere cogitavit, & auferes malum de medio tui; ut audientes cæteri timorem habeant, & nequaquàm talia audeant facere, & non miſereberis ei.* De falſis quoque teſtibus Salomon ait:
Prov. 19. 5 9 *Teſtis falſus non erit impunitus.* Et alibi ſe Deus odiſſe
Ibid. 6. 19. dicit teſtem fallacem, & proferentem mendacium ad munera.[u] Beda quoque in expoſitione Lucæ:
In expoſit. cap. 22. v. 5. » Multi, inquit, hodie Judæ ſcelus, quòd Dominum ac magiſtrum Deumque ſuum vendiderit, veluti immane & nefarium exhorrent, nec tamen cavent; nam cum pro muneribus falſum contrà quemlibet teſtimonium dicunt, profectò quia veritatem pro juſtitiâ negant, Deum pecuniâ ven-
Joan. 14. 6. dunt. Ipſe enim dixit: *Ego ſum veritas.* Qui etiam ſi nullus pecuniam det, Dominum argenteis vendunt. quia principis ſæculi imaginem, id eſt, exempla hoſtis antiqui, neglectâ conditoris, ad quam creati ſunt, imagine, ſumunt. Nam ſicut Joannes Baptiſta, qui non pro Chriſti confeſſione, ſed pro defenſione veritatis occubuit, ideo tamen pro Chriſto, quia pro veritate, martyrium ſuſcepit; ita è contrario qui charitatis & veritatis jura ſpernit, Chriſtum utique, qui eſt veritas & charitas, prodit: maximè cum non infirmitatis cauſâ, vel ignorantiâ ſubripiente peccat, ſed in ſimilitudinem Judæ quærit oportunitatem: ut arbitris abſentibus veritatem mendacio, virtutem crimine mu-
Lib. 3 c 59. tet. « Iſidorus in libro ſententiarum: » Teſtis fallidicus tribus eſt perſonis obnoxius. Primùm Deo, quem perjurando contemnit; ſequenter judici, quem mentiendo fallit: poſtremò innocenti, quem falſo teſtimonio lædit. Teſtibus falſis convictis, tardè mendacii falſitas reperitur: quòd ſi ſeparati fuerint, examine judicantis citò manifeſtatur.

Ecce quàm abominabile, Deoque odibile falſum ſit teſtimonium, breviter collectum eſt. Sollicitè itaque vigilanterque ſtudendum eſt judicibus, ut judicii cauſas patienter audiant, diligenterque examinent, & juſto libramine decernant; ne ab eis, vel coram eis quiſpiam aut libertate, aut quibuſlibet rebus injuſtè privetur. Hi autem qui munerum acceptione, aut cujuſlibet alterius rei gratiâ, injuſtè judicando, & falſum teſtimonium proferendo, quoſlibet ad ſervitutem addicunt, aut rebus injuſtè carere faciunt, magnum ſibi damnationis cumulum acquirunt: quoniam non ſolùm præſentibus obſunt; ſed etiam in futuram eorum poſteritatem eamdem injuriam tranſmittunt.

CAPUT XXVII.

De Mendacio.

OMne mendacium veteris novique Teſtamenti ſeries demonſtrat eſſe vitandum. Cui plerique coactè, multi verò ſponte flebiliter implicantur, & ſe delinquere non ſuſpicantur, cum ſcriptura dicat: *Os qui mentitur, occidit animam.* Et alibi: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Et in lege Dominus vetat: *Non mentiemini*, inquit, *nec decipiet unuſquiſque proximum ſuum.* Et Salomon: *Qui autem mentitur, teſtis eſt fraudulentus: qui autem teſtis eſt repentinus, concinnat linguam mendacii. Abominatio eſt lingua mendacii. Liberat animas teſtis fidelis: profert mendacium verſipellis. Teſtis fidelis non mentitur: profert mendacium teſtis doloſus.* Jeſus filius Sirach: *Nolite mentiri omne mendacium: aſſiduitas enim illius non bona.* In Evangelio: *Omne mendacium a diabolo eſt.* Et Apoſtolus: *Deponentes*, inquit, *mendacium, loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo.* Item: *Nolite mentiri invicem.*

Sap. 1. 11. Pſal. 5. 7. Levit. 19. 11. Prov. 12. 17. Ibid. 19. Prov. 14 15. Ibid. v. 5. Eccl. 7. 14. Epheſ. 4. 25. Coloſſ. 3. 9.

Auguſtinus in libro contrà mendacium: » Primum eſt capitale mendacium longèque fugiendum, quod fit in doctrinâ religionis; ad quod mendacium nullâ conditione quiſquam debet adduci. Secundum, ut aliquem lædat injuſtè, quod tale eſt, ut & nulli proſit, & obſit alicui. Tertium, quod ita prodeſt alteri, ut obſit alteri, quamvis non ad immunditiam obſit corporalem. Quartum, ſolâ mentiendi faciendique libidine; quod verum mendacium eſt. Quintum, quod fit placendi cupiditate, de ſuavi eloquio. His omnibus penitùs evitatis, atque rejectis, ſequitur ſextum genus, quod & nulli obeſt, & prodeſt alicui; velut ſi quiſpiam pecuniam alicujus injuſtè tollendam, ſciens ubi ſit, neſcire ſe mentiatur. Septimum, quod & nulli obeſt, & prodeſt alicui, velut ſi nolens hominem ad mortem quæſitum prodere, mentiatur, non ſolùm juſtum atque innocentem, ſed & reum, quia Chriſtianæ diſciplinæ eſt, ut neque de cujuſdam correctione deſperetur, neque cuiquam pœnitendi aditus intercludatur. De quibus duobus generibus, quæ ſolent habere magnam controverſiam, ſatis tractavimus, & quid nobis placeret oſtendimus, ut ſuſcipiendis incommoditatibus, quæ honeſtè ac fortiter tolerentur, hæc quoque genera devitentur, à fortibus, & fidelibus, & veracibus viris & fœminis. « Non ergo mentiendum quærenti ubi ſit, qui ſe fidei cujuſpiam commiſerit: ſed potiùs reſpondendum: » Nec prodam, nec mentiar: fecit hoc Epiſcopus quondam Tagaſtenſis Eccleſiæ, Firmus nomine, firmior voluntate. Nam cum ab eo quæreretur homo juſſu Imperatoris per apparitores ab eo miſſos, quem ad ſe confugientem diligentiâ quantâ poterat, occultabat, reſpondit quærentibus, nec mentiri ſe poſſe, nec hominem prodere; paſſuſque eſt tam

Lib. de Mendacio ad Conſent. c. 14.

Hæc ubi ſuprà, ſed c. 13.

u *mendacium ad munera*] Sic emendare libuit; nam quod antea legebatur *admunerat* omninò erat ineptum.

multa tormenta corporis (nondum enim erant Imperatores Chriſtiani) permanſit in ſententiâ. Deinde ad Imperatorem ductus, uſque adeo mirabilis apparuit, ut ipſe homini quem ſervabat, indulgentiam ſine ullâ difficultate impetraret. Quid hoc fieri poteſt fortius atque conſtantius ? Octavum eſt genus mendacii, quod & nulli obeſt, &

Ex. c. 14.

ad hoc prodeſt ut ab immunditiâ corporali quempiam tueatur. Non igitur eſt mentiendum in doctrinâ pietatis. Magnum enim ſcelus eſt, & primum genus deteſtabilis mendacii. Non mentiendum ſecundo genere, quia nulli eſt facienda injuria. Non eſt mentiendum tertio genere, quia nulli cum alterius injuriâ conſulendum eſt. Non eſt mentiendum quarto genere, propter mendacii libidinem, quæ per ſemetipſam vitioſa eſt. Non eſt mentiendum quinto genere, quia nec ipſa veritas ſine placendi hominibus enuntianda eſt; quanto magis mendacium, quod per ſemetipſum quia mendacium eſt, utique turpe eſt ? Non eſt mentiendum ſexto genere : neque enim rectè etiam teſtimonii veritas, pro cujuſquam temporali commodo ac ſalute corrumpitur. Ad ſempiternam verò ſalutem nullus ducendus eſt, opitulante mendacio : nemo enim malis convertentium moribus ad bonos mores convertendus eſt; quia quod erga illum faciendum eſt, debet etiam ipſe converſus facere erga alios. Atque ita non ad bonos, ſed malos mores convertetur; cum hoc ei præbetur imitandum converſo, quod ei præſtitum eſt convertendo. Neque ſeptimo genere mentiendum eſt: non enim cujuſquam commoditas, aut ſalus temporalis perficiendæ fidei præferenda eſt. Nec ſi quiſquam pro rectè factis noſtris tam malè movetur, ut fiat etiam animo deterior, longèque à pietate remotior, propterea recta facta deſerenda ſunt; cum id nobis præcipuè referendum ſit, quo vocare atque invitare debemus, quos ſicut noſmetipſos diligamus; fortiſſimoque animo bibenda

Ibid. c. 21.

2. Cor. 2. 2.

eſt illa ſententia Apoſtolica : *Aliis quidem ſumus odor vitæ in vitam : aliis odor mortis in mortem.* Et ad hæc quis idoneus ? Nec octavo genere mentiendum eſt; quia & in bonis caſtitas animi pudicitia corporis; & in malis id quod ipſi facimus, eo quod fieri ſinimus, majus eſt. In his autem octo generibus, tanto quiſque minus peccat cum mentitur, quanto emergit ad octavum : tanto amplius, quanto emergit ad primum. Quiſquis autem eſſe aliquid genus mendacii, quod peccatum non ſit, putaverit, decipiet ſeipſum turpiter, cum honeſtum ſe deceptorem arbitratur aliorum.

Lib 2. c. 3.

Iſidorus in libro Sententiarum : » Mendaces faciunt, ut nec vera dicentibus credatur : reddit enim ſæpe hominem multa falſitas, etiam in veritate ſuſpectum. Sæpe vera præmittit, qui falſa dicturus eſt; ut cum primùm acquiſierit fidem, ad reliqua mendacia audientes credulos faciat. Multis videntur vera eſſe, quæ falſa ſunt ; & ideo non ex Deo, ſed ex ſuo mendacio loquuntur. Nonnunquam falſitas veriloquio adjungitur, & plerumque à veritate incipit, qui falſa confingit. « Idem poſt

Ibid.

pauca : » Summopere cavendum eſt omne mendacium ; quamvis nunquam ſit aliquid mendacii genus culpæ levioris, ſi quiſquam pro ſalute hominum mentiatur ; ſed quia ſcriptum eſt : *Os qui mentitur, occidit animam.* Et, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* : hoc quoque mendacii genus perfecti viri ſummopere fugiunt, ut nec vita cujuſlibet per eorum fallaciam defendatur ; nec

Sap. 1. 11.
Pſal. 5. 7.

ſuæ animæ noceant, dum præſtare alienæ carni nituntur : quamquàm hoc ipſum peccati genus facillimè credamus relaxari. Nam ſi quælibet culpa ſequenti mercede purgatur, quanto magis hæc facilè abſtergitur, quam merces ipſa comitatur ? «

Quòd ergo mendacium omninò cavendum ſit, latè patet : proinde neceſſe eſt, ut unuſquiſque hoc vitium cavere ſtudeat : quiſquis huic mancipatur, hoc penitùs relinquens, ad pœnitentiæ lamenta recurrat, & de eo inter cætera alia peccata quæ admiſit, Deo & Sacerdoti confeſſionem facere non negligat.

CAPUT XXVIII.

De Curioſitate.

MUlti ſcienter, multi neſcienter in curioſitatis labuntur vitium : cui dum quis inſervit, ſemetipſum flebiliter negligit. Noſtra quippe quæ malè geſſimus, ſunt deflenda, non aliorum errata (quæ nec emendare nolumus, nec poſſumus) curiosè inquirenda, morſuque detractionis carpenda. Sunt itaque quorumdam pia facta, quæ nobis diligenter ſunt ſcrutanda, & ad exemplum bonæ actionis ſumenda. Sunt item quorumdam quædam facta, quæ nobis neſcientibus nihil periculi, ſcientibus nihil momenti afferunt : ſed dum curiosè in his ſcrutandis dies inſumimus, proculdubio delinquimus; quo vitio multi Canonicorum, & Monachorum ſuum negligentes propoſitum, laborant. Nam & ſunt plerique laici, qui in hujuſcemodi curioſitate penè à mane uſque ad veſperam delectabiliter verſantur, & ſe delinquere, aut non intelligunt, aut intelligere recuſant : hi neceſſe eſt ut perpendant factum Dinæ filiæ Jacob, quæ dum curioſitate ducta egreditur, ut mulieres extraneæ regionis videat, à Sichem filio Emmor adamatur, & rapitur, & vi oppreſſa violatur, ejuſque deteſtabili x ſociatur. » Dina quippe, « ut beatus Gregorius in libro Paſtorali ſcribit, » ut mulieres videat extraneæ regionis, egreditur, quando unaquæque mens ſua ſtudia negligens, actiones alienas curans, extrà ambitum, atque extrà ordinem proprium vagatur. Quam Sichem Princeps terræ opprimit ; quia videlicet inventam in curis exterioribus diabolus corrumpit. «

Geneſ. 34. 1.

Part. 3. c. 30.

Plura ſiquidem & alia exſtant divinarum ſcripturarum documenta, quæ vitium curioſitatis vitandum eſſe demonſtrant, è quibus quædam breviter ſubnectuntur. Ait enim Jeſus filius Sirach : *In ſupervacuis rebus noli ſcrutari, ne multiplicemur. Non est tibi neceſſarium ea quæ abſcondita ſunt videre oculis tuis. De re autem quæ te non moleſtat, ne certes.* In libro autem Eccl. *Sed & cunctis*, inquit, *ſermonibus qui dicuntur ne accommodes cor tuum, ne forte audias ſervum tuum maledicentem tibi : ſcit enim tua conſcientia quia crebrò maledixiſti aliis.* Et Proſp. Tamdiù enim quis peccata ſua, quæ noſſe & deflere debet, ignorat, quamdiù curiosè aliena conſiderat. Quòd ſi mores ſuos ad ſeipſum reverſus aſpiciat, non requirat quid in aliis ſpecialiter reprehendat, ſed in ſeipſo quod lugeat. Proinde fratrum noſtrorum vitia non facilè debemus accuſare, ſed gemere : ut invicem onera noſtra portantes, legem Chriſti poſſimus implere. « Gregorius in expoſitione Evangelii (*Alter dixit : juga boum emi quinque, & eo probare. illa rogo te, habe me excuſatum.*) » Quid in quinque jugis boum, niſi quinque ſenſus corporis accipimus ? qui rectè quoque juga vocati ſunt ; quia in utroque ſexu ge-

Eccl. 3. 24
Eccli. 3. 23.

Eccl. 11. 9.
Eccl. 7. 22.

S. in Julian. de vit. contemplat. c. 6.

Homil. 36.
Luc. 14. 19

x *ejus deteſtabili*] Deeſt, ait Acherius, aut *copulâ*, aut *commercio* : prius præfero.

minantur: qui videlicet corporales ſenſus, quia interna comprehendere neſciunt, ſed ſola exteriora cognoſcunt, & deſerentes intima, ea quæ extrà ſunt, tangunt, rectè per eos curioſitas deſignatur, quæ dum alienam quærit vitam diſcutere, ſemper ſua intima neſciens, ſtudet exteriora cogitare. Grave namqoe curioſitatis eſt vitium, quæ dum cujuſlibet mentem ad inveſtigandam vitam proximi exteriùs ducit, ſemper ei ſua intima abſcondit, ut aliena ſciens, ſe neſciat. Et curioſi animus quanto peritus fuerit alieni meriti, tanto fit ignarus ſui. Propter hoc namque de eiſdem quinque jugis boum dicitur; *ro probare illa, rogo te habe me excuſatum*. Ipſa enim excuſantis verba à vitii ſui ſignificatione non diſcrepant, dum dicitur, *eo probare illa*; quia videlicet aliquando pertinere probatio ad curioſitatem ſolet. “ Habes & in libello qui dicitur ſynonyma: » Quod ad te quoqoe non pertinet, noli quærere: quod inter ſe loquuntur homines, cognoſcere nunquam deſideres. Noli quærere quod quiſque dicat, vel faciat: evita curioſitatem: omitte curam quæ ad cauſam tuam non pertinet. Curioſitas periculoſa præſumptio eſt. Multi aliorum vitia diſcernunt, ſua non aſpiciunt.

Lib. 2. Synon. cap. 15. de curioſitate, ſed verbis diverſis.

Patet igitur quòd curioſitatis vitium omnibus Chriſtianis ſummoperè ſit cavendum. Quia ergo de ſingulis temporibus, quæ loqui & agere debuimus, fructum bonæ operationis Dominus à nobis eſt exacturus, oportet ut unuſquiſque fidelis ab hujuſcemodi curioſitatibus, & ſupervacuis rebus ſcrutandis, prorsùs ſe alienum efficiat.

CAPUT XXIX.

De ſectandâ hoſpitalitate.

QUamquàm hoſpitalitas intrà ſex opera miſericordiæ breviter in Evangelio commemorata ſit, neceſſariò tamen in hoc capitulo propter quoſdam qui eam negligunt, prolixiora teſtimonia colligenda reſtant. Inter cætera quippe Chriſtianæ Religioni contraria, quorumdam libitu in conſuetudinem uſque deducta, ut his pro lege videantur inſiſtere: hoſpitalitas quoque, quæ eſt apud Chriſtianos inſigne atque excellentiſſimum opus miſericordiæ, ita à plurimis negligitur, ut & in hoc, ſicut & in nonnullis aliis, Chriſtianitatis decus magna ex parte fuſcetur; quoniam in tantum à quibuſdam parvipenditur, ut cum amplas & ſpatioſas domos habeant, vix dignentur ſub tectum ſuum recipere peregrinum, imò in peregrino Chriſtum, dicentem in Evang. *Hoſpes fui, & collegiſtis me*. Sed neqoe advenientes hoſpitio carentes, in domos ſuas aliter recipiunt, niſi priùs pari conventione ſtatuatur, quid pro ſolo, quid pro ſingulis vaſis, quid pro igne accenſo, & cæteris innumeris rebus, quibus uſi fuerint, dare debeant. Verùm ſi contigerit ut ſine hac pactione eos primùm blandè, ac ſimulatæ charitatis officio ſuſcipere videantur, tanto tædio poſtea eos afficiunt, ut nullatenùs quieſcant, donec id quod avarè ab eis exigunt, eos dare compellant. Quod factum à Chriſtiana Religione ita abhorret, ut quiſquis huic vitio incumbit, licet nomine, non tamen opere diſcipulus Chriſti exiſtat. Hic autem ab eodem Chriſto in tremendi examinis die (niſi ſe antequàm diem claudat extremum, correxerit) benedictus vocari non merebitur, eodem dicente in Evangelio: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum: quia hoſpes fui, & collegiſtis me*, & cætera. Cum quâ ergo fiduciâ diem exſpectat judicii, qui Chriſtum in hoſpitibus renuit ſuſcipere? Inhumani itaque circà hoſpitalitatem audituri ſunt: *Recedite in ignem æternum*. Humani verò & benevoli: *Venite benedicti Patris mei percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi*. Ecce qualem benedictionem hoſpitalitatem ſectantes percepturi ſunt: ad hoc nempe Chriſtiani vocati ſumus, *Ut*, teſtante beato Petro Apoſtolo, *eandem benedictionem hereditate poſſideamus*.

Matt. 25. 35.

Ibid. 34.

Ibid. 41.

Ibid. 34.

1. Pet. 3. 9.

Quiſquis illâ ſe privari timet, neceſſe eſt ut in hac peregrinatione hoſpitalitati ſtudeat. Qualiter autem ſectanda ſit, ea quæ ſequuntur breviter inſinuant. Ait enim Iſaias Propheta: *Peregrinos vagoſque induc in domum tuam*. Job: *Foris non manſit peregrinus: oſtium meum viatori patuit*. Et in Evangelio: *Hoſpes fui, & collegiſtis me*. Petrus: *Hoſpitalitatem*, inquit, *ſectamer*. Paulus: *Charitas fraternitatis maneat in vobis*. Et, *hoſpitalitatem nolite oblivіſci*. Ambroſius in libro de Abraham primo: » Diſce quàm impiger eſſe debeas ut poſſis prævenire hoſpitalitatem, ne quis præveniat, & te boni muneris defraudet copiâ: quia non ſatis eſt rectè facere, niſi etiam maturè quid facias: uberiores enim fructus habet celerata devotio. Bona eſt hoſpitalitas: habet mercedem ſuam primùm humanæ gratiæ, deinde quod magis eſt, remunerationis divinæ. Omnes in hoc incolatu hoſpites ſumus: ad tempus enim habitandi habemus hoſpitium. Emigramus properè; caveamus ne ſi nos duri aut negligentes in recipiendis fuerimus hoſpitibus, etiã nobis poſt vitæ ipſius curſum ſanctorum hoſpitia denegentur. Sed pauperiem prætendis, non opes à te hoſpes requirit, ſed gratiam: non ornatum convivium, ſed cibum obvium. Hæc grata hominibus, accepta Deo. Unde Dominus Jeſus in Evangelio, eum quicumque dederit hoſpiti potum aquæ frigidæ, cœleſtium aſſerit præmiorum non exſortem futurum. « Aug in lib. ſermonum: » Cogimur, inquit, loqui vobis quod non debuimus: invenire enim in vobis debuimus quod laudaremus, non quærere quod admoneremus. Ecce tamen breviter dico, non immoror. Agnoſcite hoſpitalitatem, per hanc perventum eſt ad Deum; ſuſpicis hoſpitem, cujus & tu es comes in viâ: quia omnes peregrini ſumus. Ipſe eſt Chriſtianus, qui & in domo ſuâ & in patriâ ſuâ peregrinum ſe eſſe cognoſcit. Patria noſtra ſursùm eſt, ibi hoſpites non erimus: nam unuſquiſque hic & in domo ſuâ hoſpes eſt, ſed dimittet illam domum filiis ſuis, hoſpes hoſpitibus. Quare? Et in ſtabulo ſi eſſes, nonne alio veniente diſcederes? Hoc facis & in domo tuâ. Ceſſit tibi locum pater tuus, ceſſurus es filiis tuis, nec manſurus manes, nec manſurus relinques. Si omnes tranſimus, aliquid quod tranſire non poteſt, operemur, ut cum tranſierimus, & illuc venerimus, unde non tranſeamus, opera noſtra bona ibi inveniamus. Cuſtos eſt Chriſtus, quid times ne perdas quod erogas? «

Iſai. 58. 7.

Job 31. 32.

Matt. 2. 35.

Rom. 12. 13.

Hebr. 13. 2.

Lib. 5.

Matt 10. 42.

De verbis Domin. ſerm 32.

Gregorius in Moralibus: Hoſpitalitatem fraternitatis amore, charitatis opera diligere, nobis valdè neceſſarium eſt; unde egregius Prædicator nobis utraque commendans ait: *Charitas fraternitatis maneat in vobis*. Et, *hoſpitalitatem nolite oblivіſci*. Beatus Princeps Apoſtolorum hujus hoſpitalitatis gratiam cum benignitate fratribus habendam nobis commendat dicens: *Hoſpitales invicem ſint murmuratione*. Hinc ipſa veritas dicit: *Hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me*. Mirâ pietate Redemptor noſter loquitur ex ſuorum compaſſione membrorum, dicens: *Quodcumque uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*. Ipſe igitur nos per hoc [qui] caput noſtrum eſt, adjuvat, qui per noſtra bona opera in ſuis membris adjuvatur. Penſandum eſt nobis quantum hoſpitalitas fraternæ compaſſionis valeat: quantum nos

Heb. 13. 1.

1. Petr. 4. 9.

Matt. 25. 35.

Ibid. 40.

omnipotenti

omnipotenti Domino miſericordiæ viſcera conjungant? Inde enim ei qui eſt ſuper omnia appropinquamus, unde nos per compaſſionem proximi etiam ſub noſmetipſos deponimus. In rebus corporalibus nemo alta tangit, niſi qui tenditur. In rebus verò ſpiritalibus, certum eſt quia quanto plus per compaſſionem attrahimur, tanto altiùs & veriùs propinquamus.

Plura itaque ſanctorum Patrum exſtant documenta; quæ hic ob brevitatem non ponuntur. Oportet ergo ut unuſquiſque fidelis regulam Chriſtianitatis in ſectanda hoſpitalitate cuſtodiat, eamque Chriſti amore, non mercedis temporalis retributione ſectetur. Nemo quidem paupertatem obtendat, dicendo: Non poſſum hoſpites ſuſcipere, quoniam non habeo unde illis neceſſaria miniſtrem: quia Dominus JESUS-CHRISTUS ut hanc occaſionem tolleret, etiam de calice aquæ frigidæ ſitienti porrecto, ſe mercedem pollicitus eſt redditurum.

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

De Charitate.

Matt. 22. 40. ILLE charitatem habet, qui & Deum pluſquàm ſe, & proximum tamquàm ſe diligit: *In his duobus præceptis tota lex pendet, & prophetæ.* Porrò Chriſtianorum proprium eſt & amicum diligere in Deo, & inimicum propter Deum. Unde dicitur in

Pſal. 118. 96 Pſalmo: *Latum mandatum tuum nimis.* Ideo latum dicitur mandatum, quia & amicum & inimicum pari dilectione complectitur. Judæis nempe moris eſt amicum diligere; & inimicum odiis execrabilibus inſectari. Chriſtianis verò uterque, Domino præcipiente in Evangelio, æquè diligendus eſt:

Matt. 5. 43. & ſeq. *Audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros: benefacite his qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri qui in cælis eſt; qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos*, & cætera.

Joan. 13. 34. Et alibi: *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis. In hoc cognoſcent omnes quòd mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* In hac quippe præceptione non ſolùm amici, verùm etiam inimici continetur dilectio: nec quiſpiam gloriari poteſt veraciter ſi Deum diligere, ſe ab inimici [a] exorbitaverit dilectione. Dominus enim in

Matt. 6. 14. Evangelio ait: *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater veſter cæleſtis peccata veſtra. Si non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Ad tam magnum tonitruum, ut beatus Auguſtinus ait, quis non expergiſcitur? qui non dormit, ſed mortuus eſt: ſed tamen potens eſt Dominus etiam mortuos ſuſcitare.

Prov. 10. 12 De charitate autem Salomon ita dicit: *Odium ſuſcitat rixas: & univerſa delicta operit charitas.* Pe-

1. Pet. 4. 8. trus: *Ante omnia*, inquit, *in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Paulus: *Charitas patiens eſt,*

1. Cor. 13. 4 / 1. Joan. 4. 8. *benigna eſt*, & reliqua. Joannes: *Deus*, inquit, *charitas eſt: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Homil. 35. Gregorius in libro Paſtorali: » Virtus itaque eſt » coram hominibus, adverſarios tolerare; ſed virtus » coram Deo, diligere: quia hoc ſolum Deus ſacrificium accipit, quod ante ejus oculos in altari » boni operis flamma charitatis incendit. « Item idem: «

Ibid. Cum cuncta ſacra eloquia dominicis plena ſunt « præceptis: quid eſt quod de dilectione, quaſi de «

Ibid. 15. 12. ſingulari mandato Dominus dicit: *Hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem?* Niſi quia omne « mandatum de ſola dilectione eſt, & omnia unum « præceptum ſunt. Quia quidquid præcipitur, in « ſolâ charitate ſolidatur. Ut enim multi arboris « rami ex unâ radice prodeunt, ſic multæ virtutes « ex unâ charitate generantur: nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non remaneat in radice charitatis. Præcepta ergo dominica & multa « ſunt, & unum: multa per diverſitatem operis; « unum in radice dilectionis. Qualiter autem iſta dilectio ſit tenenda ipſe inſinuat, qui in pleriſque « ſcripturæ ſuæ ſententiis & amicum jubet diligi in « ſe, & inimicos propter ſe. Ille enim veraciter charitatem habet, qui & amicum diligit in Deo, & « inimicum diligit propter Deum. « Item idem: «

Matt. 25. 29. *Omnis enim habenti dabitur & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo:* habenti namque dabitur & abundabit; » quia » quiſquis charitatem habet etiam dona alia percipit; quia quiſquis charitatem non habet, etiam « dona quæ percepiſſe videbatur, amittit. «

[Cum enim Apoſtolo teſtante, plenitudo legis ſit dilectio, ſciendum eſt, quia nemo proximum ſine Dei, nec Deum ſine proximi dilectione diligere valet. Unde quia] de charitate, quæ Deus eſt, pauca hic collecta ſunt, quiſquis ad eum pervenire deſiderat, qui charitas eſt, oportet ut Dei & proximi dilectione veraciter ignitus exiſtat.

CAPUT II.

De Humilitate.

SICUT ſuperbia de Angelis dæmones, ita humilitas de hominibus Angelorum efficit cives. Diabolus itaque per ſuperbiam corruens de cœlo, hominem primum ſtravit, & de paradiſo expulit. Chriſtus autem Dei filius ad redimendum genus humanum humilis venit in mundum. Unde ait Apoſtolus:

Phil. 2. 6. *Qui cum in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit*

Ibid. v. 8. *formam ſervi accipiens.* Et infrà: *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* De humilitate autem ait Dominus per Pro-

Iſai. 66. 2. phetam: *Super quem requieſcet ſpiritus meus niſi ſuper humilem; & quietum, & trementem ſermones*

Prov. 11. 2. / Ibid. 20. 23. / Ibid. 29. 23. / Ibid. 18. 12. *meos?* Salomon: *Ubi erit ſuperbia, ibi & contumelia. Ubi autem humilitas, ibi & ſapientia. Superbum ſequitur humilitas, & humilem ſpiritum ſuſcipiet gloria. Priuſquam conteratur, exaltatur cor*

Matt. 18. 14. *hominis: & antequam glorificetur, humiliatur.* Et in Evangelio: *Quicumque ergo humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic major eſt in regno cælorum.* Pe-

1. Pet. 5. 5. trus in Epiſtolâ primâ: *Omnes autem invicem humilitatem inſinuate: quia Deus ſuperbis reſiſtit; hu-*

Jac. 4. 10. *milibus autem dat gratiam.* Et, *Humiliamini in conſpectu Domini, & exaltabit vos.* Jeſus filius Sirach:

Eccl. 3. 20. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.*

Lib. 34. in c. 42. Job c. 18. Gregorius in moralibus: » Ad hoc ergo unigenitus Dei filius formam humilitatis ſuſcepit: ad « hoc inviſibilis, non ſolùm viſibilis, ſed etiam deſpectus apparuit, ad hoc contumeliarum ludibria, « irriſionum probra, paſſionumque tormenta tole- »

a *ab inimici*] Ita ſanè ſcripſit Jonas; nihilque erat ab ejus mente alienum magis, quàm quod Acherius ediderat *ab amici*.

» ravit, ut ſuperbum hominem non eſſe doceret humilis Deus. Quanta ergo humilitatis virtus eſt, quamque ſublimis celſitudo, propter quam ſolam veraciter edocendam is, qui ſine æſtimatione magnus eſt, veniens ad paſſionem factus eſt parvus. Quia originem perditionis noſtræ ſe præbuit ſuperbia diaboli; inſtrumentum redemptionis noſtræ inventa eſt humilitas Dei. Hoſtis noſter magnus inter omnia conditus, videri ſuper omnia voluit elatus. Redemptor autem noſter magnus manens ſuper omnia, fieri inter omnia dignatus eſt parvus. « Et humilitas magiſtra eſt omnium, materque virtutum, ſicut veritas ait: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris.* (Matt. 11. 29.) Quia dum ſe humiles dejiciunt, ad Dei ſimilitudinem aſcendunt. Quid igitur humilitate ſublimius? Quæ dum ſe in ima deprimit, auctori ſuo manenti ſuper ſumma ſe conjungit.

(Homil. 18.) Cæſarius Epiſcopus in homiliis: » Humilitatem ergo, fratres dilectiſſimi, ante omnia teneamus; non illam quæ aliquoties foris tantùm oſtenditur, ſed illam quæ in conſcientiâ retinetur. Sunt enim aliqui, qui quando aliqua tranquillitas fuerit, humilitatem & in ore & in corpore ſolent oſtendere: & ſi aliqua, ut aſſolet, tribulatio, vel ſcandali procella ſurrexerit, effrenato ore, erectâ cervice, ſuperbia, quæ in corde tegebatur, multis convitiis profertur ex ore. Quare hoc factum eſt, fratres? quia fundamentum veræ humilitatis non habuit; quia humilitatem, quam priùs promittebat in corpore, non habebat in corde. (Ibid. poſt pauca.) Et humiles ergo ſimus fratres chariſſimi, non ſolùm ſenioribus, ſed etiam coæqualibus, & junioribus noſtris, ne Deus ſuperbis reſiſtat, ne ſe exaltantes humiliet, ne inflati per viam anguſtam tranſire non poſſimus.

Ecce quantum humilitati ſtudendum eſt, breviter demonſtratur. Proinde neceſſe eſt, ut ſuperbia cum auctore ſuo diabolo vigilanter caveatur, & humilitas Chriſti obedienter amplectatur, quoniam ſicut illa ſe imitantes ad ima proſternit, ita iſta ſe amplectentes ad ſumma erigit.

CAPUT III.

De Patientiâ.

PATIENTIA quæ Chriſti amore ſuffertur, laudanda & prædicanda eſt: quando autem amore terrenorum fit, non eſt virtus patientiæ dicenda, quæ nulla eſt, ſed ut beatus Auguſtinus ſcribit, (De Patientia cap. 2.) miranda duritia, neganda patientia. Patientia ergo tunc eſt laudanda & virtus prædicanda, cum ob Chriſti amorem non ſolùm in accidentibus exteriorum rerum adverſitatibus habetur, ſed etiam in corde potiſſimum retinetur. Nec enim prodeſt exteriùs demonſtrari patientiam, & interiùs bella diſſenſionum, & exterorum fomenta retineri vitiorum. Quando igitur foris prætenditur ſapientia, & interiùs regnant bella vitiorum, non eſt hujuſcemodi patientiæ virtus, ſed virtutis ſimulatio æſtimanda. Exſtat igitur beatus Job exterioris interiorisque exemplum patientiæ: qui non ſolùm exteriorum damna rerum, & orbitates filiorum, & injurias illatas amicorum, verùm etiam flagellum ſui corporis patienter ſuſtinuit, & inter tot adverſa non ad murmurationem ſed ad Dei laudem erupit dicens: (Job 2. 10.) *Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala autem quare non ſuſtineamus?* Item: (Ibid. 1. 21.) *Dominus dedit. Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum.* De patientia autem ait Salomon: (Prov. 14. 29.) *Qui patiens eſt, multâ gubernat prudentiâ: qui autem impatiens, exaltat ſtultitiam ſuam.* Item: (Ibid. 16. 32.) *Melior eſt patiens, viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium.* Item: (Ibid. 19. 11.) *Doctrina viri per patientiam noſcitur.* Dominus in Evangelio: (Matt. 5. 9.) *Beati*, inquit, *pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur.* Item: (Luc. 21. 19.) *In patientiâ veſtrâ poſſidebitis animas veſtras.* Paulus: (Rom. 12. 18.) *Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habete.* Item: (Hebr. 10. 36.) *Patientia vobis neceſſaria eſt; ut voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem.* Item: (Ibid. 12. 14.) *Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine quâ nemo videbit Deum.* De his autem qui propter honores terrenos nanciſcendos, & diverſas cupiditates explendas, jocoſque & multimodas delectationes, & vanitates inſectandas, multa dura & acerba patientiſſimè, & moleſtiſſimè, ac periculoſiſſimè tolerant, cum loqueretur beatus Auguſtinus in libro de bono patientiæ, (Lib. de Patientiâ c. 5.) ita ad extremum intulit: « In his, inquit, hominibus miranda eſt potiùs quàm laudanda patientia, imò nec miranda nec laudanda, quæ nulla eſt, ſed miranda duritia, neganda patientia. Nihil autem illic jure laudandum, nihil utiliter admirandum. Tantoque rectiùs majore ſupplicio dignum judicabis animū, quanto magis vitiis ſubdit inſtrumenta virtutum. Patientia comes eſt ſapientiæ, non famula concupiſcentiæ. Patientia amica eſt conſcientiæ bonæ, non inimica innocentiæ. (Ibid. cap. 6.) Cum ergo videris quempiam patienter aliquid pati, noli continuò laudare patientiam, quam non oſtendit niſi cauſa patiendi. Quando illa bona eſt, tunc iſta vera eſt: quando illa non polluitur cupiditate, tunc à falſitate diſtinguitur. Cum verò illa tenetur in crimine, tunc hujus multum erratur in nomine. Non enim ſicut homines qui ſciunt, ſunt participes ſcientiæ, ita omnes qui patiuntur ſunt participes patientiæ: ſed qui paſſione rectè utuntur, in patientiæ veritate laudantur, hi patientiæ munere coronantur. (Ibid. c. 7.) Verumtamen cum pro libidinibus, vel etiam ſceleribus; cum denique pro iſtâ temporali vitâ ac ſalute multa homines horrenda mirabiliter ſufferunt, ſatis nos admonent quanta ſufferenda ſunt pro vitâ bonâ, ut & poſſit eſſe æterna, & ſine ullo temporis termino, ſine utilitatis ullius detrimento, verâ felicitate ſecura. Unde Dominus ait: (Luc. 21. 19.) *In patientiâ veſtrâ poſſidebitis animas veſtras.* Non ait villas veſtras, laudes veſtras, luxurias veſtras, ſed animas veſtras. Si ergo tanta ſuffere anima ut poſſideat, unde pereat; quanta debet ſufferre ne pereat? « Et paulo poſt: (Ibid. cap. 8.) » Quamvis autem patientia virtus ſit animi, partim tamen eâ utitur animus in ſeipſo, partim verò in corpore ſuo. In ſeipſo utitur patientiâ, quando illæſo & intacto corpore aliquid quod non expediat, vel quod non deceat, facere aut dicere, quibuſlibet adverſitatibus aut fœditatibus rerum, ſeu verborum ſtimulis incitatus, & patienter mala omnia tolerat, nec ipſe mali aliquid opere vel ore committit. (Ibid. cap. 9.) Per hanc patientiam ſuſtinemus etiam cum corpore ſani ſumus, quòd inter hujus ſæculi ſcandala beatitudo noſtra differtur. « Item poſt quædam: (Ibid.) « Hæc omnia, & ſi qua ſunt alia, quæ commemorare longum eſt, ad eum patientiæ modum pertinent, quo animus non ſua peccata, ſed quæcumque extrinſecùs mala patienter ſuſtinet in ſeipſo, ſuo prorsùs corpore illæſo. (Ibid. c. 10.) Alius autem patientiæ modus eſt, quo idem ipſe animus quæcumque moleſta & gravia in ſui corporis paſſionibus perfert, non ſicut ſtulti vel maligni homines propter adipiſcenda vana, vel ſcelera perpetranda, ſed ſicut à Domino deffinitum eſt propter juſtitiam. (Matt. 5. 10.) Utroque ſancti Martyres modo certaverunt. Nam & impiorum . . . . ſaturati ſunt, ubi animus corpore intacto quaſdam veluti plagas

» ſitas integer ſuſtinet, & in corporibus vincti ſunt, incluſi ſunt, fame ac ſiti affecti ſunt, torti ſunt, ſecti ſunt, dilaniati ſunt, incenſi ſunt, trucidati ſunt, & pietate immobili ſubdiderunt Deo mentem, cùm paterentur in carne, quidquid exquirenti crudelitati venit in mente.

Homil. 35.

Gregorius in homiliis Evangelii: » Sciendum præterea eſt, quòd tribus modis patientia exerceri ſolet. Alia namque ſunt quæ à Deo, alia quæ ab adverſario, alio quæ à proximo ſuſtinemus. A proximo namque perſequutiones, damna, & contumelias: ab adverſario tentamenta: à Deo autem flagella toleramus. Sed in omnibus tribus his modis vigilanti oculo ſemetipſam debet mens circumſpicere; ne contrà mala proximi pertrahatur ad retributionem mali; ne contrà tentamenta adverſarii ſeducatur ad delectationem, vel conſenſum delicti; ne contrà flagella Opificia ad exceſſum proruat murmurationis. Perfectè enim adverſarius vincitur, quando mens noſtra & inter tentamenta ejus à delectatione, atque conſenſu omnimodis refrænatur, & inter contumelias proximi cuſtoditur ab odio; & inter flagella Dei compeſcitur à murmuratione. Nec hæc agentes, retribui nobis præſentia bona requiramus. Nam pro labore patientiæ bona ſperanda ſunt ſequentis vitæ, ut præmium noſtri laboris incipiat, quando jam omnis labor funditùs ceſſat. « Item idem: *In patientiâ veſtrâ poſſidebitis animas veſtras.* » Idcircò poſſeſſio animæ in virtute patientiæ ponitur; quia radix omnium, cuſtoſque virtutum patientia eſt. Per patientiam verò poſſidemus animas noſtras; quia dum nobis ipſis dominari diſcimus, hoc ipſum incipimus poſſidere quod ſumus. Patientia vera eſt, aliena mala æquanimiter perpeti, contrà eum quoque qui mala irrogat, nullo dolore morderi. Nam qui ſic mala proximi portat, ut tamen tacitus doleat, & tempus dignæ retributionis quærat, patientiam non exhibet, ſed oſtentat. Scriptum quippe eſt: *Charitas benigna eſt, patiens eſt.* Patiens namque eſt, ut aliena mala toleret, benigna verò eſt, ut ipſos etiam quos portat, amet. Hinc namque per ſemetipſam veritas dicit: *Diligite inimicos veſtros: benefacite his qui oderunt vos. Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* Virtus itaque eſt coram hominibus adverſarios tolerare, ſed virtus coram Deo diligere: quia hoc ſolum Deus ſacrificium accipit, quod ante ejus oculos in altari boni operis flamma charitatis incendit. Sciendum verò eſt, quòd plerumque patientes videmur, quia retribuere mala non poſſumus; ſed qui idcircò malum non retribuit, quia nequaquàm valet, proculdubio, ut diximus, patiens non eſt: quia patientia non in oſtenſione acquiritur, ſed in corde.

Luc. 21. 19.
Ibid.
1. Cor. 13. 24
Matt. 5. 44.

Hæc quippe & his ſimilia eximia ac ſaluberrima teſtimonia nos ad patientiæ virtutem informant. Et quia ſine charitate in nobis non poteſt vera eſſe patientia, imitemur ejus exemplum, qui propter nos flagella, & ludibria, & crucis patibulum patienter ſuſtinuit; ut exteriùs interiùſque ejus amore virtutem patientiæ exhibentes, illo quo ille præceſſit, poſt mortem pervenire valeamus.

CAPUT IV.

De Superbiâ.

ALIQUANDO propter donum alicujus virtutis, aliquando propter mundi honores, aliquando verò propter carnis fragilitatem labitur in ſuperbiam, quæ totius peccati initium eſt. Unde ſcriptum eſt: *Initium omnis peccati, ſuperbia.* Hæc

Eccli. 10. 15.

de Angelis dæmones fecit, humilitas autem homines æquales Angelis reddit. De ſuperbiâ namque ait Pſalmiſta: *Populum humilem ſalvum facies: & oculos ſuperborum humiliabis.* Item: *Superbi inique agebant uſquequaque: à lege autem tuâ non declinavi.* Item: *Increpaſti ſuperbos, maledicti qui declinant à mandatis tuis.* Item: *Non habitabit in medio domûs meæ qui facit ſuperbiam.* In Proverbiis: *Domum ſuperborum demolitur Dominus.* In Eccleſiaſte: *Quid ſuperbis terra & cinis?* In Amos: *Juravit Dominus in animâ ſuâ, dicit Dominus exercituum: Deteſtor ego ſuperbiam Jacob, & domos ejus odi.* Tobias alloquens filium ſuum: *Superbiam*, inquit, *nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipſa enim initium ſumſit omnis perditio.* Et Salomon: *Ubi*, inquit, *fuerit ſuperbia, ibi erit & contumelia.* Item: *Melius eſt humiliari cum mitibus, quam dividere ſpolia cum ſuperbis.* Jeſus filius Sirach: *Odibilis coram Deo & hominibus ſuperbia. Initium ſuperbia hominis, apoſtatare à Deo. Initium peccati eſt omnis ſuperbia. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ: & qui communicabit ſuperbo, induetur ſuperbiâ.* Et Dominus in Evangelio: *Omnis*, inquit, *qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Petrus: *Deus ſuperbis reſiſtit: humilibus autem dat gratiam.* Paulus: *Noli altum ſapere, ſed time.*

Pſal. 17. 18
Ibid. 118. 51.
Ibid. v. 21.
Ibid. 100. 7.
Prov. 15. 25.
Eccl. 10. 9.
Amos 6. 8.
Tob. 4. 14.
Prov. 11. 2.
Ibid. 16. 19.
Eccli. 10. 7. & ſeq.
Ibid. 13. 1.
Luc. 14. 11.
1. Pet. 5. 5.
Rom. 11. 20.

Auguſtinus in libro ſermonum: « Sola, inquit, diaboli ſuperbia, & invidia mittit in ignem æternum. Non poteſt ſuperbus eſſe non invidus: invidia ſuperbiæ filia eſt. Sed iſta mater ſuperbia, neſcit eſſe ſterilis, ubi fuerit, continuò parit. » Et paulo poſt: « Prior eſt in vitiis ſuperbia, deinde invidia. Non enim invidia peperit ſuperbiam, ſed ſuperbia invidiam. Non enim invidet, niſi amor excellentiæ. Amor excellentiæ, ſuperbia vocatur.

De verbis Dom. ſerm. 53. c. 4. & 5.

Gregorius in moralibus: » Occaſio perditionis noſtræ facta eſt ſuperbia diaboli: & argumentum redemptionis noſtræ inventa eſt humilitas Dei. Quid elatione dejectius? quæ dum ſuprà ſe tenditur, ab altitudine veræ celſitudinis elongatur? Initium omnis peccati, ſuperbia eſt. Quid eſt autem ſuperbia, niſi perverſæ celſitudinis appetitus? Perverſa etenim eſt celſitudo, cum deſerto, cui debet animus inhærere, principio, ſibi quodammodo fieri vult, atque eſſe principium. Multis ſæpe ſuperbia luxuriæ ſeminarium fuit; quia dum eos ſpiritus quaſi in altum erexit, caro in infimis merſit. Qui ſuperbiâ in ſecreto cordis priùs elevantur, poſtea publicè corruunt: quia dum occultis intumeſcunt motibus cordis, apertis cadunt lapſibus corporis. Unde per Oſee Prophetam contrà Iſraëlitas dicitur: *Spiritus fornicationis in medio eorum: & Dominum non cognoverunt.* Qui ut oſtenderet, quòd cauſa libidinis ex culpâ proruperit elationis, mox ſubdidit dicens: *Et reſpondebit arrogantia Iſrael in faciem ejus.* Si auctorem ſuum homo ſuperbiendo contemnit, jure & à ſubjectâ carne prælium ſuſcipit: unde & ille primus inobediens mox ut ſuperbiendo peccavit, pudenda contexit: quia enim calumniam ſpiritûs Deo intulit, mox calumniam carnis invenit. « Et paulo poſt: » Superbi quippe eo ipſo quo videri alti appetunt, à verâ eſſentiâ Dei longè per elationem fiunt: ſubſiſtere etenim nequeunt qui ab æternæ eſſentiæ ſoliditate dividuntur; ſicut per Pſalmiſtam dicitur: *Dejeciſti eos dum allevarentur.* Qui eo intrinſecùs corruunt, quo malè intrinſecùs ſurgunt. Sic aurarum flatu in altum ſtipula rapitur, ſed caſu concito ad ima revocatur. Sic ad nubila fumus tollitur, ſed repente in nihilum tumeſcendo diſſipatur. Sic ab infimis nebula denſando ſe erigit, ſed

Lib. 34. c. 18.
Oſee 5. 4.
Ibid. 5.
Pſal. 72. 18

exortus ſolis radius ac ſi non fuerit, abſtergit: ſic in herbarũ ſuperficie nocturnis horis humor aſpergitur, ſed diuturni luminis ſubito calore ſiccatur: ſic ſpumoſæ aquarum bullæ inchoantibus pluviis excitatæ ab intimis certatim prodeunt, ſed eo celeriùs diſruptæ depereunt, quo inflatæ altiùs extenduntur: cumque excreſcunt ut appareant, creſcendo peragunt, ne ſubſiſtant. Scriptum eſt: cunctis diebus ſuis impius ſuperbit. Solent etiam electi in quibuſdam ſuis cogitationibus atque actibus ſuperbire, ſed quia electi ſunt, cunctis diebus ſuperbire non poſſunt; quia priùs quàm vitam finiant, ad humilitatis metum ab elatione corda commutant.« Cæſarius Maſſilienſis Epiſcopus [b]

b Homil. 18. in homiliis: »Duo, inquit, ædificia, & duæ civitates à mundi initio conſtruuntur: unam ædificat Chriſtus, alteram diabolus: unam humilis; alteram ſuperbus. Attendat ergo unuſquiſque conſcientiam ſuam, & ſi in ſe viderit dominari ſuperbiam, in civitate diaboli ſe infeliciter ædificare, imò præcipitare non dubitet ad ruinam. Non enim diſcernuntur filii Dei, & filii diaboli, niſi humilitate, atque ſuperbiâ. Quemcumque eſſe ſuperbum videris, diaboli eſſe filium non dubites. Quemcumque eſſe humilem conſpexeris, Dei filium eſſe veraciter credere debeas. Et ut hoc verum eſſe co-

Eccl. 10. 14. gnoſcas, audi ſcripturam dicentem: *Initium apoſtatare à Deo, initium ſuperbia.* De ſuperbiâ namque naſcitur contemptus mandatorum Dei, & de bonis quæ aguntur vanæ laudis appetitus.« Hæc Cæſarius dixerit.

En verò & in eo ſuperbia, quando quis aut pro virtutibus, aut pro divitiis mundi aliis meliorem ſe æſtimat; cum utique in eo pejor ſit [c], quo ſe meliorem aliis arbitratur. Naſcitur etiam ex ſuperbiâ contumacia, inobedientia, contentiones, hæreſes, & cætera innumera vitia, quæ omnia humilitate perfacilè famulus Dei ſuperare poteſt. Putantur autem nonnulli propter cultum & ſplendorem veſtium, ſuperbiâ tumeſcere; quod dum plerumque ex fonte ſuperbiæ ſoleat emanare, plures tamen ſunt qui exteriùs his ornantur, & interiùs humilitate pollent. De talibus erat ille purpuratus, & regio diademate in-

Pſ. 118. 153. ſignitus, qui dicebat: *Vide humilitatem meam & eri-*

Ibid. 24. 18. *pe me: quia legem tuam non ſum oblitus.* Item: *Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte univerſa delicta mea.* Quia igitur per ſuperbiam parentis noſtri Adæ cecidimus, & per humilitatem Chriſti reſurreximus, operæ pretium nobis procurandum eſt, ut ſuperbiam, utpote venenum diabo-

Matt. 11. 29. li, caveamus: & humilitati Chriſti ſemper adhæreamus, qui dicit in Evangelio: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris.* Quiſquis igitur ſuperbiæ vitio inſervivit, neceſſe eſt, ut de eo, ſicut & de cæteris vitiis, ſacerdoti confeſſionem faciat, Deumque ſupplicet, ut ſibi ignoſcere dignetur.

CAPUT V.

De odio & invidiâ.

Sicut per concordiam parvæ res creſcunt, ita e contrario per odium & livorem magnæ decreſcunt. Odium enim & invidia multos miſerabiliter ac letaliter afficit. Hæc quoque duo peſtifera peccata quanto occultiora, tanto pernicioſiora, atque pericolosiora. Eorum nempe morbus cum multorum mentes tabefaciat, nonnulli tamen per quædam exteriora indicia ſe interiùs eodem morbo laborare produnt, quia videlicet hujuſcemodi ſectator cum de odio cavendo admonetur, reſpondere ſolet; non poſſum hoc malum à corde meo vellere, quia hic, pro quo admones, multas injurias & diverſa mihi mala intulit. Faciat Deus quod vult, non quieſcam donec ex eo ultionem capiam. De invidiâ autem cavendâ & charitate amplectendâ, cum admonitio fit, ita ab hujuſcemodi reſponderi ſolet: illum & illum non decuerat habere quod adeptus eſt, quia non eſt tam nobiliter natus, ut hoc nanciſci meruerit. Solet etiam ſubjungere: Ego qui inſerviendo plurimos multo labore conſumſi annos, non perveni ad honorem; & ille qui parvo aut penè nullo ſervivit tempore, me in honore accipiendo præcedit. Hoc nempe vitium invidentiæ & in majoribus, & in minoribus fit rebus. Verùm ſi de cujuſlibet invidioſi ſanctitate, & honeſtate vitæ agatur; & id quod dicitur verum eſſe aſſeratur, hujuſcemodi invidiâ tabeſcentes cuncta falſa eſſe quæ dicuntur, contendunt. Fiunt & alia multa indicia, quibus odientes, & invidi ſe prodere ſolent; & forſitan quantum in hac re delinquant, ignorant. Cum ſint itaque capitalia crimina, perrari ſunt, quod valde periculoſum eſt, qui inde Deo & ſacerdoti confeſſionem faciant, & per pœnitentiæ ſatisfactionem hæc diluere procurent. Sed dum ſecundùm legem mundi, non ſecundùm legem Chriſti, malum pro malo reddunt; eoſque quibus invident deſpicientes, conviciis, & diverſiſſimis contumeliis fatigant, & crimen letale in promptu ſit, potiùs viri fortis, quàm erubeſcentis, & pœnitentis nomen habere diligunt.

Hæc igitur vitia quàm vigilanter ſint cavenda, oracula divina ſubtiùs collecta docent. Habes in ve-

teri lege: *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo: ſed* Levit. 19. 17.

publice argue illum, ne habeas ſuper illo peccatum.

In Salomone: *Vita carnium ſanitas cordis: putredo* Prov. 14. 30.

oſſium invidia. Item: *Virum ſtultum interficit ira-* Job 5. 2.

cundia: & parvulum occidit invidia. Jeſus filius

Sirach: *Per invidiam diaboli mors introivit in orbem* Sap. 2. 2.

terrarum. Joannes Apoſtolus: *Qui odit fratrem ſuum,* 1. Joan. 3. 15.

homicida eſt. Item idem: *Qui dicit ſe in luce eſſe, &* Ibid. 2. 9.

fratrem ſuum oderit, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quo eat: quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. De invidia autem ita ſcribit

Auguſtinus in libro de diſciplinâ Chriſtianorum: Lib 2. ſeu ſerm. de diſciplinâ Chriſtianâ, c. 7.

»Avertat enim Deus peſtem invidiæ ab omnium hominum animis, nedum Chriſtianorum: vitium eſt diaboli, quo ſolùm diabolus reus eſt, & irremediabiliter reus. Non enim dicitur diabolo ut damnetur, adulterium commiſiſti, furtum feciſti, villam alienam rapuiſti, ſed homini ſtanti lapſus invidiſti. Invidia diabolicum vitium eſt; ſed habet matrem ſuam. Superbia vocatur mater invidiæ. Superbia invidos facit. Suffoca matrem, & non erit filia. Ideò humilitatem docuit Chriſtus. Nam non ego loquor invidis, benè optantibus loquor. Illis loquor qui optant benè amicis, ut habeant tantum, quantum habeant & ipſi.«

Scribit etiam & Proſperus: »Invidus eſt certè, De vitâ contemp. c. 5.

qui alienum bonum, ſuum facit invidendo ſupplicium; nulla videtur ad invidendum concupiſcentiâ provocari, ſed tantùm ſuperbiæ morbo vexari. Sed ſi animi ejus peſtem, qua præcipitatur incenſus, ſubtiliter altèque rimemini, invenietis eum & perditionis cupidum, cujus cupit interitum, & ſuperbiæ malo teneri, quòd ſibi jugiter ingemiſcit meliorem cui invidet meliori. Quis facilè poteſt quale ſit hoc malum verbis exprimere, quo invi-«

b *Maſſilienſis Epiſcopus*] Arelatenſem dicere voluit, quod Acherius rectè monuit.

c *in eo pejor ſit*] Antea legebatur *in eo prior ſit*, falsò, & contra mentem auctoris.

» dus odio hominis perſequitur divinum munus in » homine, cum potius amari homo debeat, etiam » pro ſui meriti ſanctitate? Tantos invidus habec » pœnâ juſtâ tortores, quantos invidioſus habuerit » laudatores. Siquidem invidioſum facit excellen- » tia meriti, invidum pœna peccati; nec ei ab ho- » mine poteſt adhiberi remedium, cujus eſt vulnus » occultum.

Lib. 5. c. 31. Gregorius in Moralibus: » Invidere non poſſu- » mus, niſi eis, quos nobis in aliquo meliores puta- » mus. Parvulus ergo eſt, qui livore occiditur, quia » ipſe ſibi teſtimonium perhibet, quòd eo minor ſit, » cujus invidiâ torquetur. Hinc eſt, quòd hoſtis » callidus primo homini invidendo ſubripuit, quia » amiſſa beatitudine, minorem ſe immortalitatis il- » lius agnovit. Cain ad perpetrandum fratricidium » corruit, quia deſpecto ſuo ſacrificio, prælatum ſibi » infremuit, cujus Deus hoſtiam accepit, & quem » meliorem ſe eſſe exhorruit, ne utcumque eſſet, » amputavit. Eſau ad perſequutionem hac de re fra- » tris exarſit; quia primogenitorum benedictione per- » ditâ, quam tamen Eſau lenticulâ ipſe vendiderat, » minorem ſe eo, quem naſcendo præibat, ingemuit. » Joſeph ſanctum fratres ſui Iſmaelitis tranſeunti- » bus ideo vendiderunt; quia cognito revelationis » myſterio, ne eis melior fieret, ejus profectibus ob- » viare conati ſunt. « Sciendum ſummopere eſt, quia quamvis per omne vitium, quod perpetratur, humano cordi antiqui hoſtis virus infundatur, in hac tamen nequitia tota ſua viſcera ſerpens concutit, & imprimendæ malitiæ peſtem vomit. Per invidiam color pallore afficitur, & oculi deprimuntur, mens accenditur, membra frigeſcunt, fit in cogitatione tabies, in dentibus ſtridor.

Lib. 3. c. 25. poſt init. Iſidorus in libro Sententiarum: » Invidus mem- » brum eſt diaboli, cujus invidiâ mors introivit in » orbem terrarum. Nulla eſt virtus, quæ non ha- » beat contrarium invidiæ malum: ſed ſola miſeria » caret invidiâ: quia nemo invidet miſero. « Et poſt

Ibid. » pauca: » Hoc omnis invidus alienis virtutibus præ- » ſtat, quod beato Job Satan præſtitit. Nam dum » æmulatur proſperitatibus, commovet adverſa. » Non homines, ſed vitia odia habenda ſunt. Flebi- liter deplorandi ſunt qui odio in fratrem tabeſcunt, & contrà alios pernicioſum animæ dolum ſervant; à regno enim Dei ſe ſeparant, qui ſemetipſos à cha- ritate diſſociant. Beda in expoſitione Joannis Epi-

In expoſit. Joan. Epiſt. cap. 2. v. 9. ſtolæ: » Dominus, inquit, præcipit in Evangelio » diligere inimicos. Qui ergo dicit ſe eſſe Chriſtia- » num, & fratrem ſuum odit, in peccatis eſt uſque » adhuc, benè addidit uſque adhuc: quia nimirum » omnes homines in tenebris naſcuntur vitiorum. » In tenebris manent homines, donec gratiâ baptiſ- » mi per Chriſtum illuminentur. Sed is qui cum odio » fratris accedit ad fontem vitæ, quo renaſcatur, ad » potum ſanguinis pretioſi, quo redimatur, etſi ſe » illuminatum à Domino æſtimet, in tenebris eſt uſ- » que adhuc: neque ullâ ratione peccatorum um- » bras exuere potuit, qui viſcera charitatis induere

In expoſ. cap. 3. v. 15. » non curavit. « Item idem: *Omnis*, inquit, *qui odit* » *fratrem ſuum, homicida eſt.* » Si contemnebat » quiſque odium fraternum, numquid & homici- » dium in corde ſuo contempturus eſt. Non movit » manus ad occidendum hominem; homicida jam » tenetur à Deo. Vivit ille, & ille jam interfector » judicatur: *Et ſcitis quoniam omnis homicida non* » *habet vitam æternam in ſe manentem.* Et ſi hic per » fidem inter ſanctos vivere cernitur, non habet in » ſe perpetuam vitam manentem. Nam ubi retri- » butionis tempus advenerit, cum Cain, qui ex ma- » ligno erat, damnabitur: etiam qui hoc homicidii » genere tenetur, ut diſcordet, & diſſideat, & pa- cem cum fratribus non habeat. Notandum eſt » quod non ait abſolutè, *homicida non habet vitam* » *in ſe manentem*, ſed, *omnis*, inquit, *homicida*, « ſcilicet non ſolùm ille qui ferro, verùm & ille qui » odio fratrem inſequitur. »

His & his ſimilibus divinæ ſcripturæ auctoritatibus percenſetur & odium, quod ſectatores ſuos ſpiritaliter necat, cavendum, & invidiam, quæ rubigine ſuâ invidorum mentes conſumit, vitandam. Cujuſlibet enim mens his malis infecta fuerit, templum ſancti Spiritûs eſſe non merebitur, niſi his caruerit.

CAPUT VI.

De octo vitiis principalibus.

QUia longum eſt octo vitia principalia capitulatim enumerare, utile judicatum eſt ea ſub unius capituli adnotationem congerere. Horum primum eſt ſuperbia, de quâ ſuperiùs dictum eſt. Secundum gula, in quod vitium cum multi labuntur, impunitatem ſibi promittunt dicentes: Quid delinquimus ſi potum & cibum, quæ Deus ad utendum hominibus tribuit, ad libitum noſtrum percipimus? Quæ dum aut ante tempus, aut in tempore ultrà menſuræ modum indiſcretè percipiunt, proculdubio delinquunt. Quibus perpendendum illud eſt, quod Deus in Evangelio ait: *Videte ne graventur corda veſtra in* Luc. 21. 34. *ebrietate, & crapula, & curis hujus vitæ.* Et Apoſtolus: *Eſca & potus nos non commendant Deo.* Et 1. Cor 8. 8. Iſaias: *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, &* Iſai. 5. 22. *viri fortes ad miſcendum ebrietatem.* Item: *Ecce gau-* Ibid. 22. 13. *dium & lætitia occidere vitulos, jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Vivo ego dicit Dominus, ſi remittetur vobis iniquitas hæc, donec moriamini.* Et Salomon: *Luxurioſa res vinum, &* Prov. 20. 1. *tumultuoſa ebrietas: quicumque enim his delectatur, non erit ſapiens.* Item: *Ne intuearis vinum quando* Ibid. 23. 31. *flaveſcit, cum ſplenduerit in vitro color ejus: ingreditur blandè, ſed in noviſſimo mordebit ut coluber; & ſicut regulus venena diffundet. Nullum ſecretum eſt ubi regnat ebrietas.* Item: *Potentes iracundi ſi* Ibid. 31. 4. *ſunt, vinum non bibant, ne cum biberint obliviſcantur ſapientiam.* Joël Propheta: *Expergiſcimini ebrii,* Joel. 1. 5. *& flete, ululate omnes qui bibitis vinum in dulcedine.* Job: *Cum ſaturatus fuerit, arctabitur, &* Job 20. 22. *omnis dolor irruet in eum.* Jeſus filius Sirach: *Ope-* Eccl. 19. 1. *rarius ebrioſus non locupletabitur. Vinum & mulie-* Ibid. 31. 38 *res apoſtatare faciunt ſapientes, & arguunt ſenſatos. Vinum potatum multum irritationem, & iram, & ruinas multas facit.* Ex gulâ quippe naſcitur inepta lætitia, ſcurrilitas, levitas, vaniloquium, immunditia corporis, inſtabilitas mentis, ebrietas, libido; ut enim beatus Hieronymus ait, ventrem cibo diſtentum & diverſis potionibus irrigatum ſtatim voluptas genitalis ſequitur.

Tertium vitium fornicatio dicitur; quæ non ſolùm per corpus, ſed etiam per mentem fieri ſolet. Per corpus quidem fit, per commixtionem carnis cum fœminâ quâlibet, vel etiam aliâ quâcumque immunditiâ ad explendum libidinis ardorem. Per mentem verò, cum anima rejecto connubio legitimi viri ſui, id eſt Chriſti, aut per idololatriam, aut per quodlibet aliud peccatum connubio adulterino, unò exitiabili, antiqui hoſtis ſe copulat. De hac quippe fornicatione dicit Pſalmiſta: *Perdes omnes qui fornicantur abs te.* Naſcitur verò ex fornicatione cæcitas Pſal 72. 27. mentis, inconſtantia oculorum, vel totius corporis, amor immoderatus, ſæpe periculum vitæ, laſcivia, joca, petulantia, & omnis incontinentia; odium mandatorum Dei, mentis enervatio, & injuſtæ cu-

piditates, negligentia vitæ futuræ, & præſentis delectatio.

Quartum vitium eſt avaritia, de quâ ſcribit Salomon: *Avarus non implebitur pecunia.* [Eccleſ. 5. 9.] Quæ à Deo in Evangelio hydropici morbo comparatur, qui quanto plus bibit, tanto amplius ſitit; ſic & avarus quanto plus habet, tanto amplius habere deſiderat, & dum modum diſcretionis in habendo non tenet, eum in nimium concupiſcendo amittit. De avaris autem tremenda ſententia à Domino in Evangelio, & ab Apoſtolo deprompta eſt, quòd avari regnum Dei non poſſidebunt. De arbore autem avaritiæ prodeunt peſtiferi ramuſculi, invidiæ ſcilicet, furta, latrocinia, homicidia, mendacia, perjuria, rapinæ, violentiæ, inquietudo, injuſta judicia, contemptus veritatis, futuræ beatitudinis oblivio, obduratio cordis, quæ contraria eſt operibus miſericordiæ.

Quintum vitium eſt ira: de quâ ait Salomon: [Prov. 5. 18.] *Vir iracundus provocat rixas: qui patiens eſt, mitigat ſuſcitatas.* Item: [Eccli. 7. 10.] *Ne velox ſis ad iraſcendum, quia ira in ſinu ſtulti requieſcit.* [Prov. 17. 11.] *Semper jurgia quærit malus: Angelus autem crudelis mittetur contra eum.* [Ibid. 18. 14.] *Spiritum verò ad iraſcendum facilem quis poterit ſuſtinere?* Item: [Ibid. 27. 4.] *Ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati ferre quis poterit?* Jeſus filius Sirach: [Eccli. 8. 19] *Cum iracundo non facias rixas.* Item: [Ibid. 28. 11.] *Homo iracundus incendit ignem.* [Ibid. 30 16.] *Zelus & ira minuent dies, & ante tempus ad ſenectutem perducent.* Et in Evangelio: [Matt. 5. 22.] *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio.* Paulus: [Epheſ. 4. 26.] *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Jacobus: [Jac. 1. 20.] *Ira enim viri juſtitiam non operatur.* Quiſquis namque motum animi ſui ratione non regit, facilè in furorem incidit, & cuncta quæ agit, præcipitantee agere comprobatur: quoniam hujuſcemodi vitio captus, & maturitatem conſilii, & modum rectæ diſcretionis, & honeſtatem piæ actionis facilè amittit. Nam & de irâ pullulat tumor mentis, rixæ, contumeliæ, clamor, indignatio, præſumptio, blaſphemiæ, ſanguinis effuſio, homicidia, ulciſcendi cupiditas, injuriarum memoria, & alia quamplurima.

Sextum vitium acedia, id eſt otioſitas, de quâ ait Salomon: *Otioſitas inimica eſt animæ.* Item: [Prov. 20. 4.] *Propter frigus piger arare noluit: mendicabit æſtate, & non dabitur ei.* Otioſos verò Dominus arguit in Evangelio dicens: [Matt. 20. 7.] *Quid hic ſtatis totâ die otioſi? ite in vineam meam.* Quâ peſte multi Clericorum & laïcorum laborant, & ſe delinquere minimè intelligunt. Sicut enim exercitium boni operis animum hilareſcit, & ad melius ſemper agendum igneſcit ..... De quâ naſcitur ſomnolentia, pigritia operis boni, inſtabilitas loci, pervagatio de loco in locum, tepiditas laborandi, tædium cordis, murmuratio, & vaniloquia.

Septimum vitium eſt triſtitia. Triſtitia itaque cum duobus modis fiat, id eſt aliquando ſalubriter, aliquando letaliter: quando ſalubriter fit, non eſt vitium computanda, ſed virtus: ſalubriter quippe fit, quando quis longâ inediâ, & aliâ qualibet caſtigatione corporali decoctus, multis ſanctarum virtutum certaminibus exercitatus, à dulcedine æternæ patriæ ſe diù exulari triſtatur. De talibus dicit in Evangelio Dominus: [Joan. 16. 20.] *Triſtitia veſtra convertetur in gaudium.* Letaliter autem triſtitia fit, quando quis de amiſſione terrenarum rerum, illatiſque ſibi ab aliis injuriis ita triſtatur, ut nihil boni operis eum agere delectet; quoniam dum hæc ei accidunt, ita animum ejus perturbare ſolent, ut non ſolùm à bonis eum retrahant, verùm etiam in præcipitium deſperationis ire compellant. Quiſquis igitur tali abſorbetur triſtitiâ, patet quòd in fundamento mentis ſuæ amorem terrenum amori præpoſuit Chriſti. Quòd autem triſtantes non ad murmurationem, ſed potiùs ad orationem, & ad Dei laudationem ſe convertere debeant, Jacobus Apoſtolus docet, dicens: [Jac. 5. 13.] *Triſtatur aliquis veſtrum, oret æquo animo & pſallat.* Quæ verba ita venerabilis Beda Preſbyter exponit. » Si quis, inquit, veſtrûm aliqua triſtitia deprimitur, vel ab aliis hominibus illata forte injuria ingruerit, vel culpâ accedente, vel domeſtico damno præoccupante, vel aliâ qualibet vos ratione contriſtari contigerit, nequaquàm illâ horâ ad invicem murmuraturi, & de Dei judiciis querelaturi conveniatis, ſed potiùs ad Eccleſiam concurrentes flexis genibus Dominum orate, ut conſolationis ſuæ gratiam mittat, ne vos triſtitia ſæculi, quæ mortem operatur, abſorbeat. Ipſi quoque crebra pſalmodiæ dulcedine nocivam mœſtitiæ peſtem veſtro de corde pellite. «

Octavum eſt Cenodoxia, id eſt vana gloria, quod propriè arrogantium, & vanæ laudis amatorum eſt. De hac enim ait Dominus in Evangelio: [Matt. 23. 5.] *Omnia opera ſua faciunt, ut videantur ab hominibus.* Item: *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.* Arrogantium quippe quatuor ſunt ſpecies, cum bonum aut à ſemetipſis habere æſtimant, aut ſibi datum deſuper pro ſuis ſe accepiſſe meritis putant; aut certè cum jactant ſe habere quod non habent, aut deſpectis cæteris, ſingulariter videri appetunt habere quod non habent. Docet namque Apoſtolus, [1. Cor. 1. 31.] *ut qui gloriatur, in Domino glorietur.* Et Dominus in Evangelio Diſcipulis ſuis ait: [Joan. 15. 5.] *Sine me nihil poteſtis facere.* Cum igitur bona quis agit, nequaquàm laudem ab hominibus captare, ſed retributionem æternam à Deo debet exſpectare. » Hi ſunt ut venerabilis Magiſter Alcuinus ſcribit, [Alcuin lib de virtut. & vitiis c. 34.] octo totius impietatis duces cum exercitibus ſuis, & fortiſſimi contrà humanum genus diabolicæ fraudis bellatores, qui, Deo auxiliante, facillimè vincuntur à bellatoribus Chriſti per virtutes ſanctas. Prima, ſcilicet ſuperbia, per humilitatem; gula per abſtinentiam; fornicatio per caſtitatem; avaritia per largitatem; ira per patientiam; acedia per inſtantiam boni operis; triſtitia mala per lætitiam ſpiritalem; vana gloria per charitatem Dei. «

His planè octo vitiis principalibus multi intelligendo, multi non intelligendo ſubſternuntur. Quæ adeo in uſum devenerunt, ut à quibuſdam aut nulla, aut penè nulla peccata eſſe arbitrentur. De quibus multa hîc ſanctorum Patrum dicta aggregari poterant, quæ ob prolixitatem vitandam prætermiſſa ſunt. Cæterùm oportet unumquemque, ut hæc, divinâ ope ſuffragante, caveat: & ſi forte his tandem mancipatus fuit, Deo, & ſacerdoti inde puram humilemque confeſſionem facere non negligat.

CAPUT VII.

De Detractione.

DETRACTIONIBUS inſervire non debere patenter divina indicat ſcriptura. Legitur itaque in libro Numeri: [Num. 16. 5.] *Deſcendit Dominus in columnâ nubis, & ſtetit in introitu tabernaculi vocans Aaron & Mariam.* Et infrà: *Quare igitur non timuiſtis detrahere ſervo meo Moyſi? iratuſque contrà eos abiit, nubes quoque receſſit, quæ erat ſuper tabernaculum; & ecce Maria apparuit candens lepra quaſi nix.* Habes & in Pſalmo: [Pſal. 100. 5.] *Detrahentem ſecreto proximo ſuo, perſequebar.* Et Salomon: [Prov. 4. 24.] *Remove ab iniquitate os pravum: & detrahentia labia ſint procul à te.* [Ibid. 13. 13.] *Qui detrahit alicui rei, ipſe ſe in futurum obligat: qui autem timet præceptum, in pace verſatur.* [Ibid. 14. 21.] *Cum detractoribus ne commiſcearis, quoniam repente conſur-*

get perditio eorum, & ruinam utriuſque quis novit? Jacobus Apoſtolus: *Si quis putat ſe religioſum eſſe non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt religio.* Jac. 1. 26. Hunc locum Beda venerabilis Presbyter ita exponit: Monuerat, inquit, ſuprà verbum Dei non ſolùm audire, ſed & facere. Nunc addit, quia & ſi mandata quis Domini, quæ didicit, factis exercere videtur, ſi non etiam linguam à detractionibus, mendaciis, blaſphemiis, ſtultiloquiis, ab ipſo etiam multiloquio, cæteriſque quibus peccari ſolet, refrænaverit, fruſtrà ſe de operum juſtitia jactat: Item: *Nolite detrahere in alterutrum fratres mei. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem ſuum, detrahit legi, & judicat legem.*

Beda ad hunc locum.
Jac. 4. 11.

Epiſt. 2.

Hieronymus ad Nepotianum: Cave ne aut linguam, aut aures habeas prurientes, id eſt, ne aut ipſe aliis detrahas, aut alios detrahentes audias. *Sedens*, inquit, *adverſus fratrem tuum loquebaris, & adverſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum. Hæc feciſti, & tacui. Exiſtimaſti inique quòd ero tui ſimilis: arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam*, ſubauditur ſermones tuos, & cuncta quæ de aliis es loquutus, ut tuâ ſententiâ judiceris, in his ipſis deprehenſus, quæ in aliis arguebas. Neque verò illa juſta excuſatio: referentibus aliis injuriam facere non poſſum. Nemo invito auditori libenter refert. Sagitta in lapide nonnunquam figitur, interdum reſiliens percutit dirigentem. Diſcat detractor dum te videt non libenter audire, non facilè detrahere: *Cum detractoribus*, ait Salomon, *ne commiſcearis: quoniam repente veniet perditio eorum: & ruinam utriuſque quis novit?* Tam videlicet ejus qui detrahit, quàm illius qui aurem accommodat detrahenti. Gregorius in Moralibus: Qui alienâ vitâ detractione paſcuntur, alienis proculdubio carnibus ſatiantur, ſicut ſcriptum eſt: *Ne comedas cum eis qui carnes ad veſcendum conferunt.* Carnes quippe ad veſcendum conferre, eſt in loquutione derogationis viciſſim proximorum vitia dicere. De detractoribus rectè per Salomonem dicitur: *Quia vacantes potibus & dantes ſymbola conſumentur, & veſtietur pannis dormitatio.* Potibus vacant, qui de opprobrio alienæ vitæ ſe inebriant. Symbola verò dare eſt, ſicut unuſquiſque ſolet de parte ſuâ cibos ad veſcendum, ita in confabulatione detractionis verba conferre. *Vacantes*, inquit, *potibus & dantes ſymbola, conſumentur*: quia (ſicut ſcriptum eſt) *Omnis detractor eradicabitur.* Multi nempe in populo Chriſtiano dum hoc vitio laborant, quantum à propriâ ſalute deficiant, ignorant. Sæpe enim detractores pia acta proximorum perversâ voluntate mala eſſe proteſtantur: ſæpe etiam eorum errata non ſtudio corrigendi, aut amore compatiendi, ſed ſolâ curioſitate noſſe deſiderant, ut ſcilicet eorum detractionibus paſcantur. Hi proculdubio aliena peccata per detractionem ſua faciunt, quoniam qui hoc faciunt charitatis viſcera ſe non habere demonſtrant. Et congratulandum quippe eſt proximis rectè viventibus, & rectè agentibus non detrahendum. Condolendum eſt etiam his & compatiendum, qui à ſemitis rectitudinis exorbitant, non inſultandum.

Pſal. 49. 20.
Prov. 24. 21.
Ibid. 23. 20.
Ibid. v. 21.

CAPUT VIII.

De Convitiis, & otioſis ſermonibus, & maledictionibus cavendis.

QUÆDAM ſunt peccata, ut beatus ait Gregorius, quæ dum in uſum venerint, aut levia aut nulla eſſe putantur: è quibus ſunt convitia, & otioſi ſermones, & maledictiones. Convitia enim in aliis gerere, & otioſos ſermones proferre, necnon maledictionibus execrabilibus aliorum vitam inſectari, inolitus uſus jam pene culpa carere falſo promittit. Hæc enim vitia perfecti viri ſummopere ſtudent cavere. Porrò nonnulli imbecilles & infirmi ſenſu & actu, periculoſiſſimè his inſiſtunt, & ſe, quod pejus eſt, in his peccare non recognoſcunt. Ait enim Salomon: *Propter peccata labiorum ruina proximat malorum.* Prov. 12. 13. Et Dominus in Evangelio: *Dico autem vobis, quia de omni verbo otioſo quod loquuti fuerint homines, rationem reddent de eo in die judicii.* Matt. 12. 36. Unuſquiſque enim aut ex verbis ſuis juſtificabitur, aut ex verbis ſuis condemnabitur. Paulus Apoſtolus: *Ineptas & inanes fabulas devita.* 1. Tim. 4. 7. Item in Evangelio: *Qui autem dixerit fratri ſuo, Racha, reus erit gehenna ignis.* Matt. 5. 22. Hieronymus in commentariis Matthæi: Lib. 1. in c. 5. Racha enim dicitur inanis & vacuus, quem nos poſſumus vulgatâ injuriâ abſque cerebro nuncupare. Si de otioſo ſermone reddituri ſumus rationem, quanto magis de contumeliâ? Sed & ſignanter additur: *Qui dixerit fratri ſuo Racha.* Frater enim noſter nullus eſt, niſi ille qui eumdem nobiſcum habet & patrem. Cum ergo ſimiliter credat in Deum, & Chriſtum Dei noverit ſapientiam, qua ratione ſtultitiæ elogio denotari poteſt?

Auguſtinus in libro de ſermone Domini in monte: Gradus itaque ſunt in iſtis peccatis, ut primò quiſque iraſcatur, & eum motum retineat corde, mente conceptum. Lib. 1. c. 9. Jam ſi extorſerit vocem indignantis ipſa commotio non ſignificantem aliquid, ſed illum animi motum ipſâ eruptione teſtantem, quâ feriatur ille, cui iraſcitur, plus eſt utique, quàm ſi ſurgens ira ſilentio premeretur. Si verò non ſolum vox indignantis audiatur, ſed etiam verbum quod jam certam ejus vituperationem, in quem profertur, deſignet & notet, quis dubitet amplius hoc eſſe, quàm ſi ſolus indignationis ſonus ederetur? Itaque in primo unum eſt, id eſt ira ſola: in ſecundo duo, & ira & vox quæ iram ſignificat: in tertio tria, & ira & vox quæ iram ſignificat, & in voce ipſâ certa vituperationis expreſſio. Unde nunc etiã tres reatus judicii, concilii, & gehennæ ignis. Gregorius in homiliis Evangelii: Mecum vos admoneo. Ab otioſo ſermone parcamus, inutiliter loqui declinemus, in quantum refrænare linguam prævaleamus; in ventum verba non defluant, cum judex dicat: *Omne verbum otioſum quod loquuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii.* Matt. 12. 36. Otioſum verbum quippe eſt, quod aut utilitate rectitudinis, aut ratione juſtæ neceſſitatis caret. Moral. in Job lib. 7. cap. 17

De maledictione autem vitandâ ait Dominus in lege: *Non maledicet ſurdo, nec coram cæco pones offendiculum.* Levit. 19. 14. Et Salomon: *Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio matris eradicat fundamenta.* Eccleſ. 27. 16. Uterque igitur ſexus, qui maledictionibus inſervire ſolet, attendat quid beatus Auguſtinus in libro de Civitate Dei, de quâdam fœminâ dicat, quæ inſtinctu hoſtis antiqui liberis ſuis maledixit, quam pœnam eadem maledictione ſubierint, vel quid poſtremò illa perpeſſa fuerit. Nam dum & illi totis membrorum compagibus quaterentur, illa pro eiſdem cruciatibus dolore commota laqueo ſe ſuſpendit. Qui verò id pleniùs noſſe deſiderat, legat ſermonem beati Auguſtini de hac re habitum ad populum. Quapropter neceſſe eſt, ut omnes ab hujuſcemodi maledictionibus ſe compeſcant, attendentes Beatum Paulum Apoſtolum dicentem: *Neque maledici regnum Dei poſſidebunt.* 1. Cor 6. 10. Ait autem & Jacobus Apoſtolus: *Linguam autem hominum nullus domare poteſt; inquietum malum, plena veneno mortifero.* In ipſâ Jac. 3. 8. 9. 10. & 11.

benedicimus Dominum & patrem, & in ipſa maledicimus homines qui ad imaginem & ſimilitudinem Dei facti ſunt. Ex ipſo ore procedit benedictio & maledictio. Non oportet fratres mei, hæc ita fieri. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam? Quod ita Beda exponit: « Sicut dulcis &
Cap. 3. in Ep. B. Jac.
« amara aqua non poſſunt ſimul de unâ venâ fontis
« ebullire, ſed & ſi miſceantur in vaſe vel ciſterna,
» dulcis quidem mox amareſcit ab amarâ, amara au-
» tem & admixtione dulcedinis in dulcedinem neſcit
» immutari; ita benedictio & maledictio, in uno ore
» nullatenùs poſſunt convenire; ſed quicumque ſic
» Deum benedicere orando, vel verbum ejus prædi-
» cando conſuevit, ut etiam maledicere homines non
» omiſerit, conſtat, quia dulcedinem benedictionis
« ejus amaritudo maledictionis conſumit, quoniam
» juxtà Apoſtolum modicum fermentum totam
» maſſam corrumpit, & non eſt pulcra in ore pec-
» catoris laudatio.

CAPUT IX.

De turpiloquio, & ſcurrilitate.

NON ſolùm qui turpiloquio, & ſcurrilitati, verùm etiam in his quæ neceſſaria eſſe videmus, ſuperfluè vacat, delinquere comprobatur. Turpiloquium quippe & ſcurrilitas ab Apoſtolo inhibentur.
Prov. 10. 19. De multiloquio namque Salomon ait: *In multiloquio non deerit peccatum.* Porrò Jacobus ait: *Si*
Jac. 3. 2. *quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* Illo videlicet verbo, ut Beda exponit, cujus offenſionem humana poteſt vitare fragilitas, ut eſt verbum doli, detractionis, maledictionis, ſuperbiæ, jactantiæ, excuſationis in peccatis, æmulationis, diſſenſionis, hæreſis, mendacii, perjurii, ſed & otioſæ loquutiones, necnon etiam ſuperfluæ loquutiones in his quæ neceſſaria videntur. In quo nimirum verbo, quiſquis
Prov. 21. 23. ſe ſine offenſione cuſtodit, hic perfectus eſt vir; *Qui* enim *cuſtodit os ſuum & linguam ſuam, cuſtodit ab*
Ephes. 5. 3. *anguſtiis animam ſuam.* Paulus: *Fornicatio*, inquit, *& omnis immunditia aut avaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas quæ ad rem non pertinet, ſed magis gratiarum actio.* Hieronymus in expoſitione
In cap. citat. » Epiſtolæ ad Epheſios. » Stultiloquium eſſe æſtimo
» non ſolùm eorum qui aliqua narrant turpia, ut
» riſum moveant, & fatuitate ſimulatâ magis illu-
» dant eis quibus placere deſiderant; ſed etiam eo-
» rum qui ſapientes ſæculi putantur, & de rebus
» phyſicis diſputantes dicunt ſe arenas littorum,
» guttas oceani, cœlorum ſpatia, terræque pun-
» ctum liquidò comprehendiſſe. Inter ſtultiloquium
« & ſcurrilitatem hoc intereſt, quòd ſtultiloquium
« in ſe nihil ſapientiæ habet, ſcurrilitas verò de pru-
» denti mente deſcendit, & conſultò appetit quæ-
» dam urbana verba, vel ruſtica, vel faceta, quam
» nos jocularitatem poſſemus alio verbo appellare,
» ut riſum moveat audientibus. Verùm & hæc à ſan-
» ctis viris penitùs propellenda, quibus magis con-
Matt. 5. 5. « venit lugere: » *Beati* enim *qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.*

Auguſtinus in libro ſermonum ad populum:
De temp. ſer. 215. « Ante omnia ubicumque fueritis ſive in domo,
« ſive in itinere, ſive in convivio, ſive in con-
» ſeſſu, verba turpia & luxurioſa nolite ex ore
« proferre, ſed ſemper quod bonum eſt, & ho-
« neſtum loqui ſtudete. » Animadverti ſanè & evidenter poteſt, quòd nec in domo interioris, nec aliquo membro exterioris hominis aliquem locum peccato Deus eſſe, ſed potiùs cuncta & interiora ejus, & exteriora ſibi, non peccato, famulari voluerit.

CAPUT X.

De operibus miſericordiæ: & quòd unuſquiſque à ſeipſo eleemoſynam incipere debeat.

QUISQUIS in tremendi examinis die auditum malum exhorreſcit, & ſe benedictum Patris à Chriſto optat vocari, operibus miſericordiæ in Evangelio ab eodem Domino noſtro JESU-CHRISTO promulgatis ſtudeat deditus eſſe. Iſte quippe dignè his valet inſiſtere, qui à ſe ipſo primùm eleemoſynam incipit facere. De miſericordiâ namque ait Dominus
per Prophetam: *Miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Et Job: *Ab infantiâ*, inquit, *crevit mecum* Matt. 9. 13. Job 31. 18.
miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum.
Salomon: *Miſericordia, & veritas non te deſerant.* Prov. 3. 3.
Item idem: *Benefecit animæ ſuæ vir miſericors: qui* Ibid. 11. 17.
autem crudelis eſt, etiam propinquos abjicit. Facere Ibid. 21. 3.
miſericordiam & judicium magis placent Deo, quàm
victima. Jeſus filius Sirach: *Fili, miſerere animæ* Eccli. 30. 24.
tuæ, placens Deo. Et Dominus in Evangelio: *Eſtote* Luc. 6. 36.
ergo miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt.
Item: *Beati miſericordes, quoniam ipſorum miſerebitur Deus.* Paulus: *Eſtote*, inquit, *in invicem be-* Matt. 5. 7. Ephes. 4. 32.
nigni, & miſericordes. Induite vos ſicut electi Dei, Coloſſ. 3. 12.
viſcera miſericordiæ.

Auguſtinus in libro de ſermone Domini in monte: » Beatos, inquit, eſſe dicit qui ſubveniunt mi- « Cap. 2.
ſeris, quoniam ita eis rependitur, ut de miſeriâ li- «
berentur. « Et paulo poſt: » Miſericordibus, mi- « Cap. 4.
ſericordiâ tamquam vero & optimo conſilio uten- «
tibus, ut hoc eis exhibeatur à potentiore quod in- «
validioribus exhibent. « Cyprianus in expoſitione «
orationis dominicæ: » Neque, inquit, mereri Dei « In libro de opere & eleemoſynis.
miſericordiam poterit, qui miſericors ipſe non fue- «
rit, neque enim impetrabit à divinâ pietate aliquid «
in precibus, qui ad precem pauperis non fuerit «
humanus. « Iſidorus in libro ſententiarum: « Ve- « Lib. 3. c. 64.
rum eſt quòd peccata omnia miſericordiæ operi- «
bus expurgentur, ſed ſi jam caveat peccare qui «
miſericordiam impertit. Cæterùm nulla eſt delicti «
venia, quando ſic præcedit miſericordia, ut eam «
ſequantur peccata. Dum enim causâ jactantiæ «
pauper paſcitur, etiam ipſum miſericordiæ opus «
in peccatum convertitur. In tantum miſericordiæ «
opera peccata extinguunt, ut etiam judex cœle- «
ſtis in futuro judicio veniens in dexteram conſiſten- «
tibus dicat: *Venite benedicti patris mei, poſſidete* « Matt. 25. 34.
paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſu- «
rivi enim & dediſtis mihi manducare; ſitivi & «
dediſtis mihi bibere: hoſpes eram & collegiſtis me; «
nudus, & cooperuiſtis me: Infirmus, & viſitaſtis «
me: In carcere eram, & veniſtis ad me. «

Quòd autem nemo eadem opera miſericordiæ aliis, ſi ſibi crudelis eſt, dignè exhibere poſſit, Dominus docet in Evangelio; qui cum increpaſſet Phariſæos, quòd forinſecùs ſe lavabant, intùs autem rapinâ, & iniquitate pleni erant, admonens quâdam eleemoſyna, quam ſibi homo debet primitùs dare, interiora mundari: *Verumtamen*, inquit, *quod ſupereſt,* Luc. 11. 41.
date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.
Quod etiam poſt paulo apertiùs exequitur dicens: *Mundate quæ intùs ſunt, & quæ foris ſunt munda erunt.* Ait itaque beatus Auguſtinus in libro Enchiridii: « Qui ſceleratiſſimè vivunt, nec curant ta- « Cap. 75.
lem vitam moreſque corrigere, & inter ipſa faci- «
nora & flagitia ſua, eleemoſynas frequentare non «
ceſſant; fruſtra ideo ſibi blandiuntur, quoniam «
Dominus ait: *Date eleemoſynam, & ecce omnia* «
munda

Cap. 76.

» *immundaſunt vobis.* « Et paulo poſt : » Qui enim vult ordinatè dare eleemoſynam, à ſeipſo debet incipere, & eam ſibi primùm dare. Eſt enim eleemoſyna opus miſericordiæ, veriſſimeque dictum eſt :

Eccl. 30. 24.

Miſerere animæ tuæ placens Deo. « In eodem poſt

Cap. 77.

pauca : » Non ergo ſe fallant, qui per eleemoſynas quaſlibet largiſſimas fructuum ſuorum, vel cujoſcumque pecuniæ, impunitatem ſe emere exiſtimant, in facinorum ſuorum immanitate, ac flagitiorum nequitiâ permanendi ; nec ſolum hæc faciunt, ſed ita diligunt, ut in eis ſemper optent,

Pſal. 10. 6.

tantum ſi poſſint, impunè, verſari. *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam* : & qui odit animam ſuam, non eſt miſericors, ſed crudelis. Diligendo eam quippe ſecundùm ſæculum, odit eam ſecundùm Deum : ſi ergo vellet ei dare eleemoſynam, per quam illi eſſent munda omnia, odiſſet eam ſecundùm ſæculum & diligeret ſecundùm Deum. « Item idem in eodem : » Sanè cavendum

Cap. 70.

eſt, ne quiſquam exiſtimet nefanda illa crimina, qualia qui agunt, regnum Dei non poſſidebunt, quotidie perpetranda, & eleemoſynis quotidie redimenda. In melius quippe eſt vita mutanda, & per eleemoſynas de peccatis præteritis eſt propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodammodo, ut ſemper liceat impunè committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamvis miſerando deleat jam facta peccata, ſi non ſa-

Cap. 71. & 72.

tisfactio congrua negligatur. « Et poſt pauca : » Eleemoſyna eſt, inquit, veniam petenti ignoſcere. Ac per hoc ad omnia quæ utili miſericordia fiunt, va-

Luc. 11. 41.

let quod Dominus ait : *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Non ſolùm ergo qui dat eſurienti cibum, ſitienti potum, nudo veſtimentum, peregrinanti hoſpitium, fugienti latibulum, ægro vel incluſo viſitationem, captivo redemptionem, debili ſubvectionem, cæco deductionem, triſti conſolationem, non ſano medelam, erranti viam, deliberanti conſilium, & quodcumque neceſſarium indigenti ; verùm etiam qui dat veniam peccanti, eleemoſynam dat, & qui emendat verbere, in quem poteſtas datur, vel coercet aliquâ diſciplinâ, & tamen peccatū ſuum, quo ab illo læſus aut offenſus eſt, dimittit ex corde, vel orat ut ei dimittatur, non ſolùm etiam in eo quod dimittit atque orat, verùm etiam in eo quod corripit, & aliâ emendatoriâ pœnâ plectit, eleemoſynam dat, quia miſericordiam præſtat.

Lib 19. c. 14.

Greg. in libro Moralium : » Qui indigenti proximo exteriorem ſubſtantiam præbet, ſed vitam ſuam à nequitiâ non cuſtodit, rem ſuam Deo tribuit, & ſe peccato. Hoc quod minus eſt, obtulit auctori, &

Lib. 12. c. 23.

quod majus eſt, ſervavit iniquitati. « Et paulo poſt : » Nam, qui & ſemper peccare vult, & quaſi ſemper eleemoſynam largiri, fruſtrà pretium tribuit, quia non redimit animam, quam à vitiis non compeſcit.

Paſt. part. 3. cap. 21.

» Item idem : « Qui verò eſcam atque veſtimentum pauperibus largitur, ſed tamen animæ vel corporis iniquitate polluitur, quod minus eſt, juſtitiæ obtulit, & quod majus eſt, præbuit culpis : ſua enim Deo dedit, & ſe diabolo præparavit.

Ecce ſicut oracula divina & clariſſimorum doctorum eximia documenta oſtendunt, nemo & flagitiis inſervire, & operibus miſericordiæ valet rectè incumbere. Multi nempe ſunt, ſicut ſuperiùs dictum eſt, qui ſceleratè vivunt, & id quod admittunt, profuſis eleemoſynarum largitionibus ſe redimere poſſe putant. Unde etiam quamplures vanâ, imò perverſâ fiduciâ decepti, adulteria, homicidia, falſa teſtimonia, perjuria, & cætera alia multa audacter admittunt. Solet enim quilibet hujuſmodi, cum arguitur, objicere : ſi me de injuriis mihi illatis ultus fuero ; & illud, vel illud quod animo mihi ſedet, perpetravero ; laudo Deum : habeo multa quibus tale admiſſum facillimè redimere poſſum ; quaſi Deum mercede conducere poſſit, ut ſibi libitu ſuo liceat, quod Dei ſanctâ lege inhibetur ne fiat. Non eſt itaque Deus ut peccemus mercede conducendus, ſed ne peccemus, & à peccatis præteritis abſolvamur, rogandus. Quiſquis verò faſtu potentiæ elatus, divitiarumque copus confiſus, tale quid admiſerit, non facilè hujuſcemodi divitiis illud expiari poſſe credat. Sed potius neceſſe eſt, & ad pœnitentiæ lamenta ſe toto corde convertat, & contritione corporis id quod nequiter admiſit, diluere ſatagat.

CAPUT XI.

De tenaciâ.

PLERAQUE ſunt quæ levia putantur, & non ſunt, ſicut eſt tenacia, & prodiga effuſio, & multa his ſimilia. Sicut enim rapina Deo eſt abominabilis, ita & tenacia reprobabilis. De quâ cavendâ

Deut. 15. 7. & ſeq.

ait Dominus in lege : *Si unus de fratribus tuis qui morantur intra portas civitatis tuæ, in terrâ, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi, ad paupertatem venerit ; non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, ſed aperies eam pauperi, & dabis mutuum quo eum indigere perſpexeris. Cave ne forte ſubripiat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo, appropinquat ſeptimus annus remiſſionis : & avertas oculos à paupere fratre tuo, nolens ei quod poſtulat mutuum commodare, ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum, ſed dabis ei, nec agas quidpiam callidè in ejus neceſſitatibus ſublevandis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, & in cunctis ad quæ manum miſeris. Non deerunt pauperes in terrâ habitationis tuæ. Idcircò ego præcipio tibi ut aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum verſatur in terrâ.* Et Dominus ait in Evange-

Luc. 12. 15.

lio : *Videte, & cavete ab omni avaritiâ, quia non in abundantiâ cujuſquam vita ejus eſt ex his quæ poſſidet.* Et cum præmiſiſſet ſimilitudinem de quodam divite, cujus ager uberes fructus attulerat, ad

Ibid. 20.

extremum intulit à Deo eidem diviti dictum : *Stulte, hac nocte animam tuam repetemus à te : quæ autem præparaſti, cujus erunt? Sic eſt*, inquit, *qui ſibi theſauriſat, & non eſt in Deo dives.*

De cujuſdem namque divitis tenacitate beatus Au-

De verbis Apoſt. ſerm. 19 cap. 2.

guſtinus in libro ſermonum ait : » Quando mihi audet dicere Chriſtianus, bonum eſſe rapere res alienas ? quandoquidem non audet dicere bonum eſſe ſervare tenaciter res ſuas. Numquid dives ille, cui ſucceſſerat regio, & non inveniebat ubi poneret fructus ſuos, & ſe conſilium inveniſſe gaudebat deſtruendi veteres apothecas, & conſtruendi novas ampliores, ut impleret eas, & diceret animæ ſuæ. Anima, habes multa bona in multum tempus, lætare, jucundare, ſatiare. Numquid & iſte dives aliena quærebat ? Non de cujuſdam vicini agri limite perturbato, non ſpoliato paupere, non circumvento ſimplice, tantummodo de ſuis colligendis cogitabat. Audite quid audierit, qui tenaciter ſua ſervabat ; & hinc intelligite quid expectant qui rapiunt aliena. Cum ergo ſe prudentiſſimum conſilium inveniſſe arbitraretur de apothecis veteribus anguſtis dejiciendis, & amplioribus novis ædificandis, & in iis omnibus fructibus colligendis & recondendis, non alienis concupiſcendis atque rapiendis ; ait illi Dominus : ſtulte, ubi tibi ſapiens videris, ibi ſtultus es.

Luc 12. 12.

Stulte, inquit, *hac nocte repetent à te animam tuam, ea quæ præparaſti, cujus erunt?* Si ſervaveris, tua non erunt ; «

ſi erogaveris, tua erunt. » Item idem in homiliâ in die judicii: « Attendite, fratres, & videte quia non dicit Dominus, diſcedite à me maledicti quia furtum feciſtis, quia falſum teſtimonium dixiſtis, quia homicidium & adulterium commiſiſtis, quod gravius eſt, non hoc dixit, ſed ait: *Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare.* Non dixit: Diſcedite à me quia res alienas tuliſtis, quod magis iniquum eſt; ſed ait, quia de ſubſtantiâ veſtra pauperibus non dediſtis. Non quia mala opera feciſtis, ſed quia bona facere noluiſtis. At ſicut illos qui in dextrâ ſunt, ſola miſericordia liberabit; ita & illos qui in ſiniſtrâ ſunt, ſola tenacia condemnabit. In iſtâ enim ſententiâ Domini, quâ dixit, quia qui eſurientem non pavit, & nudum non veſtivit, mittetur in ignem æternum, poſſumus evidenter agnoſcere, fratres, quali tormento, vel quali pœna damnandi ſunt illi, qui mala faciunt, quando illi in ignem mittuntur qui bona non faciunt. Si enim cum diabolo condemnatur, qui pauperibus non dedit panem ſuum, ubi damnandus eſt ille qui tulit alienum? ſi in ignem mittitur, qui nudum non veſtivit, putas ubi damnandus eſt ille, qui exſpoliavit? »

De Sanctis. ſerm. 38. div. verbis.

Matt. 25. 35

Gregorius in homiliâ de divite & Lazaro: « Non enim dicitur quod dives quempiam vi oppreſſit, ſed quia in acceptis rebus ſe extulit. Hinc ergo ſummopere colligendum eſt, quâ pœnâ mulctandus ſit, qui aliena diripit; ſi inferni damnatione percutitur, qui propria non largitur. Nemo itaque ſecurum ſe exiſtimet, dicens: Ecce aliena non rapio, ſed conceſſis licitè rebus fruor; quia dives ille non idcircò punitus eſt, quoniam aliena abſtulit, ſed quia in acceptis rebus ſemetipſum malè dereliquit. Hucque fuit quod hunc in inferno tradidit, quia in ſua felicitate timidus non fuit; quia percepta dona ad uſum arrogantiæ inflexit, quia viſcera pietatis ignoravit, quia peccata ſua redimere, etiam dum ſibi abundaret pretium, noluit. »

Homil. 40.

Vitium ergo tenacitatis quàm ſit peſtiferum & deteſtabile patenter innuitur, quod valde omnibus convenit fidelibus cavere, ne, quod abſit, illud ſectantes aut cum divite ſua tenaciter recondere cogitante, ſtultitiæ elogio denotari, aut cum altero divite, qui aliena non rapuit, ſed ſua erogare neglexit, damnari contingat. Tribuant ergo pauperi, ſi nolunt flammis exuri; dent in terrâ Chriſto, quod eis reddat in cœlo.

CAPUT XII.

Quòd mors ante oculos ſemper ſit conſtituenda.

QUi ultimam vitæ ſuæ horam, quâ ex hoc luteo habitaculo eximendus eſt, ante oculos ponit, ſeque vas fragile, citoque conterendum, & in pulvere redigendum geſtare meminit, pœnaſque impiorum, & gloriam ſanctorum, ſedula meditatione tractat, aut vix aut rarò peccat. Quia ergo nos horum, ut oportet, non reminiſcimur, idcircò in multa offenſionum abrupta labimur. Paratos autem nos eſſe debere in occurſum Domini, utriuſque Teſtamenti paginæ copioſiſſimè inſtruunt. Oportet ergo ut tot tantiſque ſaluberrimis admonitionibus & exhortationibus obtemperantes, mortem quotidie ante oculos noſtros conſtituamus; taleſque nos præparemus, ut cum Dominus venerit, & pulſaverit, confeſtim ei aperiamus, & impleatur in nobis illud Evangelium: *Beati ſervi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes:* & accipere mereamur illud quod ſequitur: *Vere dico vobis, quia ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.* Quòd verò in omnibus actibus noſtris noviſſimorum noſtrorum memores eſſe debeamus, proteſtatur Salomon dicens: *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.*

Luc. 12. 37.

Ibid. 44.

Eccli. 7. 40.

Et Dominus in Evangelio: *Vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam.* Quod beatus Gregorius in Homiliis ſuis ita exponit: « Quia, inquit, poſt peccata Dominus pœnitentiam ſuſcipit, ſi ſciret quiſque de præſenti ſæculo quo tempore exiret, aliud tempus voluptatibus, atque aliud pœnitentiæ aptare potuiſſet, ſed qui pœnitenti veniam ſpondit, peccanti diem craſtinum non promiſit. Semper ergo diem extremum debemus metuere, quem nunquam poſſumus prævidere. Ecce nunc ipſum diem, in quo loquimur, ad inducias converſionis accepimus, & tamen mala quæ fecimus, flere recuſamus. Nos omiſſa non ſolùm non plangimus, ſed etiam quæ defleantur, augemus. At ſi aliqua nos ægritudo corripiat, ſi ſigna ægritudinis vicinam mortem denuntient, inducias vivendi quærimus, ut peccata noſtra defleamus, & eas cum magno æſtu deſiderii petimus, quas acceptas modo pro nihilo habemus. » Et poſt paulo: « Nos ergo, fratres, nos ſollicitè iſta cogitemus, ne nobis in vacuum tempora pereant, & tunc quæramus ad benè agendum vivere, cum jam compellimur de corpore exire. Mementote quid veritas dicat: *Orate ne fiat fuga veſtra hyeme vel Sabbato.* Per legis quippe mandatum ambulare longiùs in ſabbato non licet. Hyems quippe ad ambulandum impedimento eſt, quia greſſus ambulantium torpor frigoris adſtringit. Ait ergo, *Orate ne fiat fuga veſtra hyeme vel ſabbato.* Ac ſi apertè dicat: Videte ne tunc quæratis peccata veſtra fugere, quando jam non licet ambulare. Illud ergo tempus quo fugere non licet, modò debet cogitari dum licet. Illa hora eſt noſtri exitûs ſemper intuenda; illa Redemptoris admonitio ante mentis oculos ſemper ponenda, qui ait: *Vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam.* » Item idem: « Horam verò, inquit, ultimam Dominus noſter idcircò nobis voluit eſſe incognitam, ut ſemper poſſit eſſe ſuſpecta, ut dum illam prævidere non poſſumus, ad illam ſine intermiſſione præparemur. Proinde, fratres mei, in conditione mortalitatis veſtræ mentis oculos figite, venienti vos judici per fletus quotidie & lamenta præparate. Et cum certa mors maneat omnibus, nolite de temporalis vitæ providentiâ incerta cogitare. Terrenarum rerum vos cura non aggravet; quantiſlibet enim argenti & auri molibus circumdetur, quibuſlibet pretioſis veſtibus induatur caro; quid eſt aliud quàm caro? Nolite ergo attendere, quid habetis, ſed quid eſtis. Vultis audire quid eſtis? Propheta indicat dicens: *Verè fœnum eſt populus:* ſi enim fœnum populus non eſt, ubi ſunt illi, qui ea, quæ hodie colimus nobiſcum, tranſacto anno beatæ felicitatis natalitia celebraverunt? O quanta & qualia de præſentis vitæ providentiâ cogitabant! ſed ſubripiente mortis articulo repente in his, quæ providere nolebant, inventi ſunt; & cuncta ſimul temporalia, quæ tractita quaſi ſtabiliter habere videbantur, amiſerunt. Si ergo tranſacta multitudo generis humani per nativitatem viruit in carne, per mortem aruit in pulvere; videlicet fœnum fuit. Quia igitur morientis ſuis horæ fugiunt, agite ergo, fratres chariſſimi, ut in boni operis mercede teneantur. Audite quid ſapiens Salomon dicat: *Quodcumque poteſt manus tua facere, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſcientia, nec ſapientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Quia ergo adventuræ mortis tempus igno-

Matt. 25. 13.

Homil. 13.

Matt. 24. 20.

Ibid. 25. 13.
Homil. 13.

Iſai. 40. 7.

Eccl. 9. 10.

» tamus, & poſt mortem operari non poſſumus, ſupereſt, ut ante mortem tempora indulta rapiamus. Sic enim mors ipſa cum venerit, vincetur, ſi priùs quàm veniat, timeatur.

De vitâ contemp. lib. 3. c. 11. in med. » Proſper: » Si eo, inquit, tempore, quo quis peccare deliberat, ſanâ mente conſideret, quæ pœna exſpectet in ſuis facinoribus ac flagitiis deprehenſos, quod ſupplicium convictos excruciet; qui tremor quatiat, pallor ora perfundat; quantum denique humiliet, & execrabiles omnibus reddat, etiam ipſum ſordidæ opinionis opprobrium, neſcio an poſſit quibuſlibet vitiis accommodare conſenſum.

Exſtant & alia innumerabilia documenta de horâ diei ultimæ jugiter cogitandâ, & ante oculos ponendâ. His igitur diligenter animadverſis, dum poſſumus, & tempus habemus, bona indeficienter operemur, juxtà illud Apoſtoli: *Bonum*, inquit, *facientes non deficiamus: tempore enim ſuo metemus non deficientes.* In præſenti enim vitâ eſt tempus ſeminandi, id eſt, bonæ operationis... fructum recipiendi. Quam ſegetem nemo poteſt metere deficiens: *Qui* enim *perſeveraverit*, dicit Dominus, *uſque in finem, hic ſalvus erit.*

Galat. 9. 6.

CAPUT XIII.

Quòd de ſingulis temporibus quidquid boni loqui aut agere debuimus, fructum à nobis Dominus ſit exacturus: & quod unicuique ob ſui cuſtodiam Angelus ſit deputatus.

VINEAM (quæ tropologicè animam noſtram ſignificat, quam Dominus de tenebroſâ hujus mundi Ægypto liberavit, & per mare rubrum, id eſt baptiſmum tranſvexit, ſuæque fidei annulo ſubarravit, & in ſpeculâ ſuæ cognitionis & viſionis conſtituit) ſanctorum operum continuis cultionibus neceſſe eſt excolamus, ut cum venerit ejus Dominus, de ſingulis temporibus dignos ei fructus bonorum operum reddere valeamus; ſicut beatus Hieronymus in Commentariis Matthæi Evangeliſtæ ſcribit: *Cum ergo venerit*, inquit, *Dominus vineæ, quid faciet colonis illis*, & reliqua. » Interrogat, inquit, eos Dominus non quòd ignoret quid reſponſuri ſint: ſed ut propria reſponſione damnentur. Locata eſt autem nobis vinea, & locata eſt eâ conditione, ut reddamus Domino fructum temporibus ſuis; & ſciamus unoquoque tempore quid oporteat nos loqui vel facere. « Nota quòd de ſingulis temporibus Domino fructus bonæ loquutionis, vel bonæ actionis reddendi ſunt. Excluduntur ergo tempora detrahendi, perjurandi, mentiendi, falſum teſtimonium proferendi, turpiloquio, & ſcurrilitati, & convitiis, & otioſis ſermonibus, & cæteris quampluribus vanitatibus vacandi, & jubentur nobis tempora vitæ noſtræ in benè loquendo, & faciendo, abſque interruptione malarum dictionum, & actionum deduci.

Matt. 21. 40. Luc. 21. 16. Ex Comment. in Matthæum.

Quod autem unicuique ob ſui cuſtodiam Angelus ſit deputatus, præfatus Hieronymus in eodem Commentario ſcribit: *Amen dico vobis quia Angelicorum ſemper vident faciem patris.* » Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum. Unde legimus in Apocalypſi Joannis, Angelo Epheſi, Thyatiræ, & Angelo Philadelphiæ, & Angelis quatuor reliquarum Eccleſiarum ſcribe hæc. « Beda igitur in expoſitione Actuum Apoſtolorum ita ſcribit. (*Nunc ſcio verè quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis*, & reliqua.) » Quòd unuſquiſque noſtrum habeat Angelos & in libro Paſtoris, & in multis ſanctæ ſcripturæ locis invenitur. Nam & Dominus de parvulis: *Angeli*, inquit, *eorum ſemper vident faciem Patris mei.* Et Jacob de ſe loquitur, *Angelus qui eruit me de cunctis malis.* Et hi diſcipuli Angelum Apoſtoli Petri venire credebant. «

Act. 12. 15. Cap. 12. Matt. 18. 10. Geneſ. 48. 16.

Quia ergo conſtat nos Angelorum præſidio muniri, dignum & neceſſarium eſt, ut eorum aſpectu neque in cogitatione, neque in loquutione, neque in opere nos quodammodo indignos faciamus. Quanto autem magis illicitis cogitationibus, & loquutionibus, & pravis operibus inſiſtimus, tanto à nobis longiùs recedunt, & hoſtes animarum noſtrarum appropinquant. Cum verò benè loquendo, & benè operando, nos feſtivos mundoſque efficimus, non ſolùm eorum præſidio... verùm etiam eorum conſpectui grati exiſtimus, ut meritò cum Pſalmiſta dicere valeamus: *In conſpectu Angelorum pſallam tibi Deus meus.* Si verò tales exſtiterimus, ut in conſpectu Angelorum pſallere Deo noſtro dignè poſſimus, & in hac vitâ eorum cuſtodiâ muniri, & cum ex hac migraverimus, ſpretis inimicorum noſtrorum irriſionibus (de quibus Pſalmiſta ait: *Deus meus in te confido, non erubeſcam: neque irrideant me inimici mei*) ad eorum conſortium feliciter tranſire merebimur.

Pſal. 137. 2. Ibid. 24. 2.

CAPUT XIV.

De infirmis viſitandis, oleoque ſancto perungendis.

SICUT tuba Evangelica terribiliter pronuntiat: *Cum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ*: idcircò malos ad ſiniſtram poſiturus eſt, quia in ſex operibus miſericordiæ ſteriles fuerunt: idcircò bonos ad dexteram, quia his dediti fuerunt; è quibus unum eſt, *infirmos viſitare*, ſicut ipſe in eodem pavendi examinis die dicturus eſt: *Infirmus fui, & viſitaſtis me.* Cum ille ergo non ſit perſonarum acceptor, qui in infirmis viſitari ſe voluit, quidam, quod Chriſtianis non convenit, hoc præceptum perſonaliter & favorabiliter adimplere videntur. Potentes quippe & divites cum infirmantur, non à pauperibus, quorum perſona ad tales viſitandos non admittitur, ſed à ſuis ſimilibus viſitantur; ut ſcilicet ſibi in talibus vicem rependant: pauperes verò vix à potentibus viſitari ſolent. Sicut enim omnes conditione naturæ æquales exiſtunt, ita æqualiter cum infirmantur, poſtpoſitâ perſonarum acceptione, viſitandi ſunt. Non ſolùm autem infirmus cum viſitatur, ut in flagellis Dei nequaquàm murmuret, ſed potiùs propter peccata ſua ſe flagellari recognoſcat, Creatorique ſuo gratias referat, eſt admonendus: verùm etiam his quibus indiget, adminiculandus.

Matt. 19. 28. Ibid. 25. 35.

Ut autem ſuperbia eorum confunderetur, qui faſtu potentiæ & divitiis tumefacti, potentes ſolommodo & divites viſitant, & ad pauperes ire deſpiciunt, idcircò Dominus ad filium reguli ire noluit, & ad ſervum centurionis ſe iturum promiſit, ſicut beatus Papa Gregorius in homiliâ ejuſdem Evangelii: » Quid eſt, inquit, quòd cum Regulus rogat, ut ad ejus filium veniat, & tamen ire corporaliter recuſat; ad ſervum Centurionis non invitatur, & tamen ſe corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem præſentiam non dignatur adeſſe, Centurionis ſervo non dedignatur occurrere. Quid eſt hoc? niſi quod ſuperbia noſtra retunditur, qui in hominibus non naturam, quâ ad imaginem Dei facti ſumus, ſed honores & divitias veneramur: cumque penſamus quæ circà eos ſunt, profectò interiora minimè perpendimus, «

Homil. 28.

» dum ea conſideramus quæ in corporibus deſpecta » ſunt. Redemptor verò noſter, ut oſtenderet, quia » quæ alta ſunt hominibus, ſanctis deſpicienda ſunt, » & quæ deſpecta ſunt hominibus, deſpicienda non » ſunt; ad filium Reguli ire noluit filius Dei, ad ſer- » vum Centurionis ire paratus fuit. Increpata eſt » ergo ſuperbia noſtra, quæ neſcit penſare homines » propter homines, ſola, ut diximus, quæ circum- » ſtant hominibus, penſat, naturam non aſpicit, » honorem Dei in hominibus non agnoſcit. Ecce » ire non vult Filius Dei ad filium Reguli, & tamen » venire paratus eſt ad ſalutem ſervi. Certè ſi nos » cujuſpiam ſervus rogaret ut ad eum ire deberemus, » protinùs nobis noſtra ſuperbia in cogitatione taci- » tâ reſponderet dicens: Non eas, quia temetipſum » degeneras, honor tuus deſpicitur, locus vileſcit. » Ecce de cœlo venit, qui ſervo occurrere in terrâ » non deſpicit; & tamen humiliari in terrâ contem- » nimus, qui de terrâ ſumus. Quid verò apud Deum » vilius, quid eſſe deſpectius poteſt, quàm ſervare » honorem apud homines, & interni teſtis oculos » non timere?

Sunt etiam plerique & ſublimioris & inferioris ordinis homines, qui infirmitate mentis præpediente infirmos viſitare refugiunt, verentes ne aliquid contagium ex ipſâ viſitatione trahant, quaſi mors non poſſit eos invenire, niſi in infirmorum viſitatione, & ipſi mortem poſſint ſubterfugere, quam nullatenùs ullus mortalium poteſt vitare. Unde ait quidam:

Quis non è timidis ægri contagia vitat,
Vicinum metuens ne trahat inde malum?

Sunt item plerique qui dum infirmantur aut ipſi, aut eorum parentes & propinqui, non ſibi Preſbyteros Eccleſiæ induci, ſéque ſanctificato oleo ſecundùm traditionem Apoſtolicam, & ſanctæ Eccleſiæ morem perungi; ſed magis divinos & divinatrices, imò in illis diabolum conſulere expetunt, ſibique divinari quo caſu morbum infirmitatis incurrerint, & utrum eamdem infirmitatem evadere poſſint, necne. Quod qui faciunt, exemplum Ochoziæ profani Regis imitantur, qui pro eo quod Deum Iſraël dereliquit, & Beelzebub Deum Acharon per nuntios conſuluit, meritò à Domino per Heliam Pro-
4. Reg. 1. 4. phetam audivit: *De lectulo ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.* Saul quoque Rex propter inobedientiam derelictus à Domino, quia divinari ſibi à Pythoniſſa poſtulavit, idcircò audire pro-
1. Reg. 28. 19. meruit: *Dabit Deus etiam tecum Iſraël in manus Philiſtinorum. Cras autem*, inquit, *tu & filii tui mecum eritis.*

Quòd verò hujuſcemodi divinationes ab omnibus prorsùs vitandæ ſint, & unctio ſanctificati olei ex-
Marc. 6. 13. petenda, Marcus Evangeliſta indicat: *Et exeuntes*, inquit, *prædicabant ut pœnitentiam agerent, & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægrotos, & ſanabant.* Unde patet, ut Beda ſcribit, hunc
In Epiſt. B. Jac. c. 5. ſanctæ Eccleſiæ morem eſſe traditum, ut energumeni, vel alii quilibet ægroti, ungantur oleo, pontificali benedictione conſecrato. Docet quoque Jaco-
Jac. 5. 14. bus Apoſtolus dicens: *Infirmatur quis in vobis? inducat Preſbyteros Eccleſiæ, ut orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.* Quod etiam præ-
Ibid. fatus Beda ita exponit: » Sicut dederat, inquit, » contriſtato, ſic dat & infirmanti conſilium, qua- » liter ſe à murmurationis ſtultitiâ tuetur, juxtà- » que modum vulneris, modum ponit & mede- » læ, triſtatu præcipiens, ut ipſe pro ſe oret & » pſallat; infirmanti autem vel corpore, vel fide » mandans, ut qui majorem ſuſtinuit plagam, plurimorum ſe adjutorio, & hoc ſeniorum, curari » meminerit: neque ad juniores minuſque doctos » curam ſuæ imbecillitatis referat, ne forte quid per » eos alloquutionis aut conſilii nocentis accipiat. *Et* » Ibid. v. 14.
orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini. Hoc & Apoſtoli in Evangelio leguntur feciſſe, » & nunc Eccleſiæ conſuetudo tenet, ut infirmi oleo » conſecrato ungantur à Preſbyteris, & oratione co- » mitante ſanentur. »

Non ſolùm Preſbyteris, ſed, ut Innocentius Papa Epiſt. 1. c. 8. Et Beda ubi ſuprà.
ſcripſit, etiam omnibus Chriſtianis uti licitum eſt in eodem loco, in ſuâ aut ſuorum neceſſitate ungendi. Quod tamen oleum non niſi ab Epiſcopis licet confici. Nam quod ait, oleo in nomine Domini conſecrato, vel certè quia etiam cum ungunt infirmum, nomen Domini ſuper eum invocare pariter debent, *& ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.* Multi propter peccata in animo facta, infirmitate, aut etiam morte plectuntur corporis. Unde & Apoſtolus Corinthiis, quia corpus Domini indignè percipere erant ſoliti:
ideo, inquit, *inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Si ergo infirmi in peccatis ſint, 1. Cor. 11. 30.
& hæc Preſbyteris Eccleſiæ confeſſi fuerint, ac perfecto corde ea relinquere atque emendare ſategerint, dimittentur eis. Neque enim ſine confeſſione emendationis, peccata queunt dimitti. Multis namque propter ignorantiam, multis propter incuriam, hæc olei unctio ab uſu receſſit. Quibus autem in uſu non eſt, neceſſe eſt ut in uſum veniat. Unde oportet, ut quando quis infirmatur, non à divinis & divinatricibus, quæ utique habitationes ſunt dæmonum, ſed ab Eccleſiâ, ejuſque ſacerdotibus, & unctione ſanctificati olei, ibi remedium non ſolùm in corpore, ſed etiam in animâ à Domino JESU-CHRISTO poſtulet adfuturum.

CAPUT XV.

De mortuis ſepeliendis; & curâ pro eorum animabus gerenda.

IN ſepeliendis cadaveribus humanis, non ſolùm affectus circà caros, ſed etiam humanitas generaliter impendenda eſt circà omnes defunctos. In vetere quippe & in novo Teſtamento magnis laudibus prædicantur illi, qui erga mortuos ſepeliendos devotiſſimam exhibuerint humanitatem. In vetere
namque ſicut habes de Tobia: *Eſurientes*, inquit, Tob. 1. 20.
alebam, nudis veſtimenta præbebam. Et poſt pauca:
Cumque abiiſſet, reverſus nuntiavit unum ex filiis Ibid. 2. 3.
Iſraël jugulatum jacere in plateâ, ſtatimque exiliens de accubitu ſuo, relinquens prandium jejunus pervenit ad corpus, & tollens illud, portavit in domum ſuam occultè, ut dum ſol occubuiſſet, cautè ſepeliret
eum. Et poſt quædam, Angelus ad Tobiam: *Quando*, Ibid. 12. 12.
inquit, *orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tuâ, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Habes etiam & alia multa exempla in eodem Teſtamento de his qui circà ſepulturam Regum, & Prophetarum, & cæterorum ſanctorum virorum liberaliſſimi ac devotiſſimi extiterunt. In novo autem Teſtamento, non ſolùm Joſeph, qui corpus Chriſti involvit in ſindone, & in monumento ſuo novo ſepelivit; verùm etiam alii innumerabiles ſunt ſancti viri tibi in exemplum, qui non ſolùm in ſanctorum Martyrum, ſed etiam in aliorum quorumlibet cadaveribus ſepeliendis devotam humanitatem præbuerunt.

Quæ cum ita ſint, multi hodie ſunt Chriſtianorum, qui hujus muneris ſolatium pauperum funeri-

Google

hus ſubtrahunt, & ſolummodo divitum, potentum, ſuorumque carorum, id ſpectabiliter atque ambitioſè, cum omnis ambitio, ut beatus ait Hieronymus, in morte ceſſare debeat, impendunt. Ut enim dives & pauper æquè ab omnibus Chriſtianis ſunt viſitandi, ita nihilominùs ab omnibus ſunt ſepeliendi; quoniam quicumque ex oriſſa peccati Adæ naſcuntur, neceſſe eſt moriantur. Hoc nempe debitum ita eſt inevitabile, atque ineluctabile, ut nullus filiorum Adam ab eo immunis eſſe poſſit; Chriſti enim ſanguis à perpetuâ, non à communi nos morte liberat. In Adam juxtà Apoſtolum, omnes morimur; ſed in Chriſto vivificamur. In Adam igitur ruimus, ſed in Chriſto reſurreximus. Ergo meliùs poſt ruinam crevimus. Sed quia terra ſumus, & in terram redigendi, reſurrectioniſque tempore in melius reparandi, debet Chriſtiana pietas ſpe reſurrectionis erecta in ſepeliendis mortuis, curâque pro animabus eorum gerendâ, devotiſſimam habere miſericordiæ diligentiam. Unde ait beatus Auguſtinus in libro Sermonum:

De verbis Apoſt. ſerm. 32. cap. 2.

« Sit pro viribus cura ſepeliendi, & ſepulcra conſtruendi, quia & hæc in ſcripturis ſanctis inter bona opera deputata ſunt. Nec ſolùm in corporibus Patriarcharum, aliorumque ſanctorum & humanis cadaveribus quorumque jacentium, verùm etiam in ipſius Domini corpore prædicati, atque laudati ſunt qui iſta fecerunt. Impleant hæc homines erga ſuos officia poſtremi muneris, & ſui humani lamenta mœroris. » Contriſtamur itaque amiſſione carorum noſtrorum, & erigimur ſpe futuræ immortalitatis, donoque reſurrectionis hilareſcimus, & conſolamur.

1. Theſſ. 4. 12.

Admonet quippe nos Apoſtolus, *ut de dormientibus*, hoc eſt mortuis, *non contriſtemur, ſicut cæteri qui ſpem non habent*. Spem ſcilicet reſurrectionis & incorruptionis æternæ. Quos autem dormientes appellat, & vigilaturos tandem demonſtrat.

Ibid. cap. 1.

Item Auguſtinus in eodem libro: « Contriſtamur, inquit, nos in noſtrorum mortibus neceſſitate amittendi, ſed cum ſpe recipiendi. Inde angimur, hinc conſolamur. Inde infirmitas afficit, hinc fides reficit. Inde dolet humana conditio, hinc ſanat divina promiſſio. Proinde pompa funeris, agmina exequiarum, ſumptuoſa diligentia ſepulturæ, monumentorum opulenta conſtructio, vivorum ſunt qualiacumque ſolatia, non adjutoria mortuorum.

Ibid. cap. 2.

Orationibus verò ſanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleemoſynis, quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adjuvari: ſed talibus qui ita vixerunt ante mortem, ut poſſint eis hæc utilia eſſe poſt mortem.

Ibid. paulo poſt.

Non ergo mortuis nova merita comparantur, cum pro eis boni aliquid agitur, ſed eorum præcedentibus meritis conſequentia iſta redduntur. »

Ibid. paucis interjectis.

Patet namque quia in humandis corporibus humanis opus miſericordiæ exercendum eſt. Quòd ſi illis hæc humanitas ad animæ remedium naneiſcendum non proficit, nobis utique proficit; & ſi facientibus proficit, nec facientibus officit. Igitur ſi pium eſt mortuos ſepelire, impium & inhumanum eſt non ſepelire.

Quid porrò de illis putandum eſt, qui mortuos in agris ſuis nec ſepeliunt, nec ſepelire ſinunt, ſine & alicujus muneris pecunia? Imitantur quippe hi, qui gratis in agris ſuis mortuos ſepeliunt, Joſeph, qui corpus Domini in ſepulcro ſuo ſepelivit. Illi verò qui æſtuantes avaritiâ mortuos in agris ſuis abſque pecuniæ pretio ſepelire non ſinunt, videntur imitari Ephron, qui à famulo Dei Abraham pecuniam poſtulavit & accepit, & agrum ubi mortuum ſuum ſepeliret, vendidit.

B. Gregor.

Hi verò qui cadavera mortuorum in Baſilicis ſepeliri, & ſepultis fructuoſum eſſe dijudicant, legant librum Dialogorum, & invenient quibus proſit ſepeliri in Eccleſiâ, & quibus obſit.

Dialog. lib. 4. c. 50. & ſeq.

Sunt namque nonnulli qui propter domos ſibi pulchras ædificandas, ſepulcra mortuorum effodere non trepidant, oſſaque & cineres eorum ad ſolem projiciunt: & hæc conſuetudo in tantum quibuſdam irrepſit, ut ſe in hoc facto peccare non intelligant, dicentes nihil obeſſe illis, quorum oſſa impiant; cum utique ſi illis non obſit, plurimùm ſibi tamen noceat. Nihil enim nocuit Martyribus cum eorum corpora beſtiis & avibus dilanianda projecta fuerunt; illis qui projecerunt plurimùm obfuiſſe dubium non eſt. Inhumanum nempe eſt mortuorum corpora effodere, & ad ſolem projicere, & humanum piumque ea terræ mandare. Quicumque igitur ſepulcra mortuorum abſque inevitabili neceſſitate pietatiſque honore violant & effodiunt, meritò Aſſyriis comparantur, qui juxtà olim præmiſſam Domini comminationem, projecerunt oſſa regum, & Prophetarum, & eorum qui habitaverunt in Hieruſalem, de ſepulcris ſuis, & ad ſolem projecerunt. Quæ impietas inter cætera quæ populo Dei, ob eorum peccata intulerunt, quantum Aſſyriis obfuerit, rei eventus probavit. Deſinant ergo homines impiare oſſa mortuorum, & ſinant ea in urnis ſuis diem reſurrectionis exſpectare: exhibeantque potiùs pietatis opus erga mortuos ſepeliendos.

De quâ re ita Lactantius in libro de Opificio Dei ſcribit:

De vero cultu lib. 6. c. 12.

« Non ergo, inquit, patiamur figuram & figmentum Dei feris ac volucribus in prædam jacere, ſed reddamus id terræ unde ortum eſt. Et quamvis in homine ignoto neceſſariorum munus implevimus; in quorum locum, quia deſunt, ſuccedat humanitas, & ubicumque homo deſiderabitur, ibi exigi officium noſtrum putabimus. In quo autem magis juſtitiæ ratio conſiſtit, quàm in eo, ut quod præſtamus noſtris per affectum, præſtemus alienis per humanitatem, quæ eſt certior multo, juſtiorque; cum jam non homini præſtamus, qui nihil ſentit, ſed Deo ſoli; cui cariſſimum ſacrificium eſt, opus juſtum. »

Oportet nempe ut cum cœleſtis origo materiam carnis, quam eatenùs inhabitavit & rexit, reliquerit, pietas humana eamdem non à feris & avibus dilacerari ſinat, ſed terræ mandare vigilanti curâ ſtudeat. Officium namque Chriſtianorum eſt, ut non ſolùm defunctorum corpora ſollicitè, ac devotè ſepeliant, quin potiùs eorum ſpiritibus, orationibus & eleemoſynis opem ferant. Verùm licet deſint parentes, propinqui, & amici, qui ſpecialiter iſta gerant pro mortuis, generaliter tamen hæc pro illis facere non ceſſat mater Eccleſia, quæ eos ſpiritaliter genuit: unde ſicut in libro ſermonum beatus ait Auguſtinus: A ſanctis Patribus traditum univerſa obſervat Eccleſia, ut pro eis, qui in corporis & ſanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, cum ad ipſum ſacrificium loco ſuo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Nullatenus itaque audiendi ſunt illi, qui dicunt quòd nullæ aliæ eleemoſynæ opitulari poſſint defunctis, niſi ſolummodo quæ ſacerdotibus dantur, & ſacrificia quæ per eos Deo offeruntur. Hoc qui credunt & dicunt, aut ignorantiâ, aut certè aliorum perſuaſione falluntur. Credibile ſanè eſt quòd hæc perſuaſio, quâ ſimplices id credere, & dicere videntur, ex fonte avaritiæ proceſſerit: ſancta quippe & mater Eccleſia pro defunctis ſuis non ſolùm ſacrificia altaris, ſed etiam quaſcumque alias eleemoſynas offerre conſuevit. Unde & quotidie pro eorum ſpiritibus, qui res ſuas Deo obtulerunt, offeruntur Deo ſacrificia, & multifariæ ſupplicationes atque orationes,

corpus redeant, unde dilapſa ſunt, ad eaſdem quoque corporis partes, ubi fuerunt, redire neceſſe ſit. Alioquin ſi in capillis redit quod tam crebrò tonſura detraxit, ſi unguibus quod toties demſit exſectio, immoderata & indecens cogitantibus, & ideo reſurrectionem carnis non credentibus occurrit informitas. Sed quemadmodum ſi ſtatua cujuſlibet ſolubilis metalli, aut igne liqueſceret, aut contereretur in pulverem, aut confunderetur in maſſam, & eam vellet artifex rurſùm ex illius materiæ quantitate reparari, nihil intereſſet ad ejus integritatem, quæ particula materiæ cuique membro ſtatuæ redderetur, dum tamen totum, ex quo conſtituta fuerat, reſumeretur: ita Deus mirabiliter atque ineffabiliter artifex, de toto quo caro noſtra conſtiterat, eam mirabili atque ineffabili celeritate reſtituet. Nec aliquid attinebit ad ejus redintegrationem, utrum capilli ad capillos redeant, & ungues ad ungues, an quidquid eorum perierat mutetur in carne, &

Cap. 90. ad partes alias corporis revocetur, curante artificis prudentia, ne quid indecens fiat. Nec illud eſt conſequens, ut ideo diverſa ſtatura ſit reviviſcentium ſingulorum, quia fuerat diverſa viventium, aut macri cum eadem macie, aut pingues cum eadem pinguedine reviviſcant. Sed ſi hoc eſt in conſilio creatoris, ut in effigie ſuâ cujuſque proprietas, & diſcernibilis ſimilitudo ſervetur, in cæteris autem corporibus bonis æqualia cuncta reddantur, ita mundificabitur in illa in unoquoque materies, ut nec aliquid ex eâ pereat, & quod alicui defuerit, ille ſuppleat, qui etiam de nihilo potuit quod voluit operari. Si autem in corporibus reſurgentium rationabilis inæqualitas erit, ſicut eſt vocum eum quibus impletur cantus: hoc fiet unicuique de materiâ corporis ſui, quod & hominem reddat Angelicis cœtibus, & nihil inconveniens eorum ingerat ſenſibus. Indecorum quippe aliquid ibi non erit, ſed quidquid futurum eſt, hoc decebit, quia nec futurum eſt, ſi non decebat. Reſurgent ergo ſanctorum corpora ſine ullo vitio, ſine ullâ deformitate, ſicut ſine ullâ corruptione, onere, difficultate. In quibus tanta

Cap. 91. facilitas, quanta felicitas erit. Propter quod & ſpiritualia dicta ſunt, cum proculdubio corpora ſint futura, non ſpiritus. Sed ſicut tunc corpus animale dicitur, quod tamen corpus, non anima eſt; ita nunc ſpiritale corpus, tamen non ſpiritus erit. Proinde quantum attinet ad corruptionem, quæ nunc aggravat animam, & vitia quibus caro adversùs ſpiritum concupiſcit, tunc non erit caro, ſed corpus; quia & cœleſtia corpora perhibentur.

Ex diverſis tract. ſumpta ſunt quæ ſequuntur. Moral. in Job lib. 14. c. 28. Item lib. 2. in Ezech homil. 9. Ex homil. 27. in Evang.

Gregorius in Moralibus: » Sunt nonnulli qui de reſurrectione carnis incerti ſunt, & dum carnem in putredinem, oſſaque in pulverem redigi per ſepulcra, conſpiciunt, reparari ex pulvere carnem, & oſſa diffidunt; ſicque apud ſe quaſi ratiocinantes dicunt: Quando ex pulvere homo reducitur, quando agitur, ut cinis animetur, longè minus eſt Deo reparare quod fuit, quam creaſſe quod non fuerit. Aut quid mirum ſi hominem ex pulvere reſſuſcitet, qui ſimul omnia ex nihilo creavit? Mirabilius eſt Deo cœlum ac terram ex nullis exiſtentibus condidiſſe, quàm ipſum hominem ex terrâ reparare. Quid mirum eſt, ſi oſſa, nervos, carnem, capilloſque Deus reducat ex pulvere, qui lignum, fructus, folia in magnâ mole arboris ex parvo quotidie ſemine reſtauret? Cum ergo dubitans animus de reſurrectionis potentiâ rationem quærit, earumdem ei rerum quæſtiones inferendæ ſunt, quæ & inceſſanter fiunt, & tamen ratione exprimi nequaquam poſſunt; ut dum non valet ex viſione rei penetrare quod conſpicit, de promiſſione divinæ potentiæ credat quod audit. Sæpe infidi homines dum pulverem putreſcentis carnis adſpiciunt, dicunt; unde oſſa & medullæ? Unde caro, & capilli poterunt in reſurrectione reparari? Hæc itaque requirentes parva ſemina ingentium arborum videant, atque ſi poſſunt, dicant ubi in eis latet tanta moles roboris, tanta diverſitas ramorum, tanta multitudo ac viriditas foliorum, tanta ſpecies florum, tanta ubertas ſaporum, atque odor fructuum? Numquidnam ſemina arborum odorem, vel ſaporem habent quem ipſæ poſt arbores in ſuis fructibus proferunt? Si non potes reſurrectionis effectum ratione comprehendere, perpende quàm multa ſunt, quæ non intelligis, qualiter ſint, & tamen eſſe non dubitas. Reſurrectio planè mortuorum his & aliis quamplurimis exemplis, & potiſſimùm ipſius capitis noſtri Domini noſtri Jesu Christi reſurrectione, in quo omnes reſurreximus, & conviviſicamur, adſtrui veraciter fideliterque poteſt. Quid enim congruentius ſanæ fidei, quidve credibilius, quàm ut membra caput ſequantur? Quo illud igitur præceſſit, membra ſequantur neceſſe eſt.

Quod verò reſurrectio aliis ad vitam, aliis ſit ad pœnam, teſtatur Daniel Propheta: *Multi*, inquit, Dan. 12. 2.
qui dormiunt in terra pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium. In libro ſecundo Machabæorum: *Tu quidem ſceleſtiſſime in præ-* 2. Mac. 7. 9
ſenti vitâ nos perdis: ſed rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus in æterna vitæ reſurrectione ſuſcitabit. Item: *Potius eſt ab hominibus morti datos ſpem exſpectare Dei, iterum ab ipſo reſſuſcitandos, tibi enim reſurrectio ad vitam non erit.* Et Dominus in Evangelio: *Nolite mirari quia venit hora, in quâ om-* Joan. 5. 28.
nes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei, & procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in reſurrectionem judicii. Item: *Ibunt hi in ſupplicium æternum: juſti autem in vitam æternam.* Et Apoſtolus Paulus: *Omnes qui-* 1. Cor. 15. 51.
dem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. Reſurgent quidem omnes & juſti & injuſti, ſed juſti ut immutentur, id eſt, de corruptione ad incorruptionem: injuſti autem de corruptione ad perpetuam & ineffabilem corruptionem. De quibus per Prophetam dicitur: *Vermis eorum non morietur, &* Iſai. 66. 24.
ignis eorum non extinguetur. Proinde omnibus ſatagendum eſt, ut reſurrectio nobis ad gloriam, non ad opprobrium: ad incorruptionem, non ad corruptionem proveniat.

CAPUT XVII.

De die Judicii.

IN tremendi Judicii die nullius ferè conſcientia ſecura eſſe poteſt, præſertim cum non ſolùm de opere, verùm etiam de otioſo ſermone ibi Deo rationes ſint reddendæ. A nobis autem quibus delectatur mundus,[d] & concupiſcentia ejus, qui in ſtadio illius currentes, & in agone certantes de percipiendâ coronâ immortalitatis adhuc incerti inſiſtimus, qui etiam in multis offendimus, & quotidianis peccatorum remiſſionibus indigemus, meritò eadem dies tremenda timetur & expaveſcitur. Cum enim juxta Apoſtolum, *Omnes ante tribunal Chriſti* Rom. 14. 10.

d *delectatur mundus*] Delectatur? imò *luctatur*, atque ita Jonam ſcripſiſſe cenſeo. Infra *ille pertimeſcatur* typorum, ubi *id eſt pertimeſcitur* antea editum erat.

adſtabimus reddituri rationem de his quæ per corpus geſſimus, ſive bonum, ſive malum, patet profectò quòd nemo mortalium in tranſitoriis, & citò perlabentibus rebus, amorem intentionis ſuæ, ſed potius in cœleſtibus, totis niſibus debeat figere, & ita ſe ad conventum talem tantumque præparet, & coram Chriſto Deo judice taliter rationes valeat deducere, ut non de malis damnari, ſed magis de bonis mereatur remunerari. Ab illis autem quibus carcer iſte mundus, & non pro patriâ, ſed pro peregrinatione habeatur, quibus autem ipſum vivere tædio eſt; quorum ſcilicet converſatio in cœlis eſt; de quibus erat ille qui dicebat: *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* Et idem alibi: *Bonum*, inquit, *certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. De reliquo repoſita eſt corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illâ juſtus judex: non ſolùm autem mihi, ſed & his qui diligunt adventum ejus:* Non tantum quantum à nobis, qui longè inferioris meriti ſumus, ille * pertimeſcitur dies. Credibile eſt igitur, quòd à ſanctorum ſpiritibus, quibus eſt ſabbatum perpetuæ requietionis, exſpectantibus corporum futurum reſurrectionem quæritur vera circumciſio, veruſque jubilæus, quando reverteutur ad antiquam poſſeſſionem, accepturi, juxtà Apocalypſim, binas ſtolas, & implebitur in eis illud Propheticum: *Sancti in terrâ ſuâ duplicia poſſidebunt:* memorata nobis tremenda dies inexplicabiliter diligitur, & ut veniat deſideratur.

Phil. 1. 23.
2. Tim. 4. 7.
Iſai. 61. 7.

Quòd autem eadem dies cunctis mortalibus ante oculos ſit ponenda, & die noctuque tractanda, & timenda, atque expaveſcenda, teſtimonia ſubter collecta innuunt. De hac quippe die ait Dominus per Prophetam: *Juxta eſt*, inquit, *dies Domini magna & amara nimis. Vox diei Domini amara valde, tribulabitur ibi fortis: Dies iræ dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris.* De hac enim die iterum per Prophetam dicitur. *Adhuc ſemel & ego movebo, non ſolùm terram, ſed etiam cœlum.* Item: *Ululate quia propè eſt dies Domini.* Et Dominus in Evangelio: *Filius enim*, inquit, *hominis venturus eſt in gloriâ patris cum Angelis ſuis; & tunc reddet unicuique ſecundùm opus ejus.* Et alibi: *Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret uſque in occidentem, ita erit & adventus filii hominis. Ubicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ. Statim autem poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum; & ſtellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur; & tunc parebit ſignum filii hominis in cœlo, & tunc plangent ſe omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute magnâ, & majeſtate: & mittet Angelos ſuos cum tubâ & voce magnâ; & congregabunt electos ejus à quatuor ventis à ſummis cœlorum uſque ad terminos eorum.*

Sophon. 1. 14
Hebr. 12. 26.
Iſai. 13. 6.
Matth. 24. 44
Ibid. v. 27.

Et Apoſtolus: *Gratias agere debemus ſemper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum eſt, quoniam ſemper creſcit fides veſtra, & abundat charitas uniuſcujuſque veſtrûm in invicem, ita ut & nos ipſi in vobis gloriemur in Eccleſiis Dei pro patientiâ veſtrâ, & fide, in omnibus perſequutionibus veſtris, & tribulationibus, quas ſuſtinetis in exemplum juſti judicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini: ſi tamen juſtum eſt apud Dominum retribuere retributionem his qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini requiem vobiſcum, in revelationem Domini noſtri Jeſu-Chriſti de cœlo, cum Angelis virtutis ejus, in flammâ ignis dantis vindictam de his qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini noſtri Jeſu-Chriſti. Qui pœnas dabunt in interitum æternum à facie Domini, & à gloriâ virtutis ejus, cum venerit glorificare in ſanctis ejus, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.* Petrus: *Adveniet dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu tranſient; elementa verò calore ſolventur.* Io Apocalypſi: *Timidis autem & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.*

2. Theſſ. 1. 3.
2. Pet. 3. 10.
Apoc. 21. 8.

Proſper: « Age jam, inquit, cùm ad illud ultimum judicium venerimus ab eo judice judicandi, « qui nec falli occultatione criminum poteſt, nec ad « impunitatem promerendam alicujus oblatione corrumpi, cum cœperint omnium ſecreta revelari, & « non ſolùm actus ac verba, ſed etiam ipſæ cogitationes oſtendi. Quid faciemus ſub tanti judicis « majeſtate? Quid excuſationis obtendere poterimus? Quâ nos defenſionis arte purgabimus? Quæ « nobis ſubventura eſt pœnitentia, quam in hac carne contempſimus? Quæ nos defenſura ſunt opera « bona, quæ in hac vita non fecimus? Ad quos Apoſtolos, aut ad quos alios ſanctos confugituri ſumus, quorum exempla ſimul ac verba deſpeximus? An forte aliquos ibi fragilitas corporis excuſabit? ſed excuſationi eorum reclamabunt omnium exempla ſanctorum, qui cum fragilitate carnis in carne viventes, fragilitatem carnis in carne vincentes, quod fecerunt, utique fieri poſſe docuerunt: maximè quia nec ipſi peccato ſuâ virtute, ſed Domini miſerantis auxilio reſtiterunt; qui « ſe non quærentibus ut quærant, atque in eum ut « credatur, oſtendit; & credentes in ſe, ne à peccato vincantur, invictâ protectione defendit. Quid « ergo reſponſuri ſunt, ſi eis Dominus dicat: Si potuiſtis, quare non reſtitiſtis deſideriis peccatorum? « Si non potuiſtis, quare meum contra peccata non « quæſiſtis auxilium? Aut vulnerati quare pœnitendo non adhibuiſtis vulneri veſtro remedium? Nonne ad hæc obmuteſcentes, & quid excuſationis « referant non habentes, dicet; Ligate eos manibus « & pedibus, & mittite in tenebras exteriores, ibi « erit fletus & ſtridor dentium, ubi vermis eorum « non morietur, & ignis eorum non exſtinguetur? «

De vitâ contemp. lib. 3. cap. 12.
Matt. 22. 13.
Iſai. 66.
Marc. 9.

Quia ergo tot evidentiſſimis teſtimoniis dies judicii terribiliter denuntiatur, & nobis nullus ſubterfugiendi patebit aditus, quia ad eum reddituri rationes venimus, nulluſque ibi erit pœnitentiæ fructuoſæ locus, nullæque induciæ pœnitendi, nullum effugium ad ſanctorum ſuffragia poſcenda: reſtat, ut dum vivimus, indulta tempora pœnitentiæ in vacuum non deducamus; ſed dum poſſumus, & Dominum propè habemus, ad eum, à quo peccando fugâ lapſi ſumus, pœnitendo, vitamque in melius commutando, moreſque corrigendo confugium faciamus; quatenus in eodem die eum judicem mitiſſimum ſentire mereamur.

CAPUT XVIII.

De quatuor Ordinibus in die judicii futuris.

QUATUOR eſſe ordines in pavendi examinis die futuros in Evangelio perſpicuè demonſtratur: duorum ſcilicet electorum, & duorum reproborum. De quibus in homiliâ Evangelii: « Notandum, inquit, quòd duo ſunt ordines electorum « in judicio futuro, unus judicantium cum Domino, de quibus hoc loco memoratur, qui reliquerunt omnia, & ſequuti ſunt illum. Alius judicandus

In homil. ſuper Evang. Ecce nos. &c. in feſt. S. Benedicti, nempe Biſcopi.

» dus à Domino, qui non quidem omnia ſua pariter reliquerunt, ſed de his tamen quæ habebant quotidianas dare eleemoſynas pauperibus Chriſti curabant. Unde audituri ſumus in judicio :

Matt. 25. 34.

» *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis præparatum eſt à conſtitutione*, &c.

Paulo poſt.

» Sed & reproborum quoque duos ibi futuros ordines, Domino narrante, comperimus : unum eorum qui fidei Chriſtianæ myſteriis initiati opera fidei exercere contemnunt, quibus dicendum in judicio teſtatur : *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & ſociis Angelis ejus. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare*, &c. Alterum eorum qui fidem & myſteria Chriſti, vel nunquam ſuſcepêre, vel ſuſcepta per apoſtaſiam rejecere; de quibus dicit :

Joan. 3. 18.

Qui autem non credit, jam judicatus eſt; quia non credit in nomine unigeniti filii ejus. qui quoniam non verbo tenus colere Chriſtum voluerunt, nec verba ſaltem ejus, quibus coarguantur in judicio, merentur audire; ſed ad hoc tantùm venient in judicium, ut cum eis qui judicantur peccatoribus, in damnationem mittantur æternam.

Lib. 3. c. 30.

Iſidorus in libro Sententiarum : » Duæ ſunt, inquit, differentiæ, vel ordines hominum in judicio, hoc eſt electorum, & reproborum, qui tamen dividuntur in quatuor. Perfectorum ordo unus eſt, qui cum Domino judicat, & alius qui judicatur, utrique tamen cum Chriſto regnabunt. Similiter ordo reproborum partitur in duobus, dum hi qui intrà Eccleſiam ſunt mali, judicandi ſunt & damnandi : Qui verò extrà Eccleſiam inveniendi ſunt, non ſunt judicandi, ſed tantùm damnandi. Primus ergo ordo eorum qui judicantur & pereunt, opponitur illi ordini bonorum, de quo ſunt qui judicantur & regnant. Secundus ordo eorum, qui non judicantur & pereunt, opponitur illi ordini perfectorum, in quo ſunt ii, qui non judicantur & regnant. Tertius ordo eorum, qui judicantur & regnant, illi ordini eſt contrarius; de quo ſunt qui judicantur & pereunt. Quartus eorum qui non judicantur & regnant, opponitur illi contrario ordini, in quo illi ſunt, qui non judicantur & pereunt.

Hi quatuor ordines, duo metuendi, & duo pro viribus ſunt imitandi. Quiſquis in eorum numero de quibus dictum eſt :

Joan. 3. 18.

Qui non credit jam judicatus eſt : timet adſciſci, veraciter percipere debeat fidem Chriſti, caveatque ne ab eâ per Apoſtaſiam penitùs aberret. Quiſquis verò ab eorum numero optat ſecerni, quibus dicitur :

Matt. 24. 34.

Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, &c. rectæ fidei recta opera adjungat neceſſe eſt, ſcilicet ut non ſterilis, ſed liberalis atque hilaris in omnibus operibus miſericordiæ fiat. Ecce qualiter à duobus ordinibus reproborum valde metuendis & pavendis, omnis Catholicus divinâ miſericordiâ præcedente, & ſubſequente expers fieri poteſt : reſtant duo, alter perfectorum, unù paucorum, alter generaliter cæterorum juſtorum.

Quiſquis autem ad culmen perfectionis divinâ ope ſuffragatus aſcendere valet, ut ſcilicet amore Apoſtolicæ vitæ omnia ſua relinquat, & pauper pauperem Chriſtum ſequatur, hic proculdubio cum Deo in judicio, non judicabitur, ſed ut judicet, ſedebit. Is igitur qui ad arcem ſpeculativæ vitæ conſcendere nequit, ſi in actuali vita operibus miſericordiæ deditus fuerit, in eodem judicii die à reproborum numero ſecerni, & in eorum admitti merebitur, quibus dicetur : *Percipite regnum Dei, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.*

CAPUT XIX.

De æternis ſuppliciis reproborum.

1. Cor. 2. 9.

QUOD præmia juſtorum ſint ineffabilia, teſtatur Evangeliſta dicens : *Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparavit Deus diligentibus ſe.* Unde etiam credibile eſt, quòd ſicut præmia juſtorum ſunt mortalibus incomprehenſibilia, ita etiam tormenta impiorum ſint ineffabilia. Quia igitur utraque exiſtunt incomprehenſibilia, neceſſe eſt ut ferventer ad juſtorum præmia capienda tendamus; & reproborum ſupplicia, dum poſſumus, & tempus habemus, benè agendo caveamus. De ſuppliciis autem reproborum ait Iſaias Propheta :

Iſai. 66. 24.

Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Et Dominus in Evangelio :

Matt. 22. 3.

Mittite eum, inquit, *in tenebras exteriores : ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Item : *Sicut ergo colliguntur zizania & igni comburuntur, ſic erit in conſummatione ſæculi. Mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno ejus omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis : ibi erit fletus & ſtridor dentium.*

Moral. in Job lib. 15. c. 17.

Gregorius : » Omnipotentis Dei juſtitia futurorum præſcia ab ipſa mundi origine gehennæ ignem creavit, qui in pœnâ reproborum eſſe ſemel inciperet; ſed ardorem ſuum etiam ſine lignis nunquam finiret. Sciendum eſt, quòd omnes reprobi, quia ex animâ ſimul & carne peccaverunt, in æterno ſupplicio in animâ pariter & carne cruciabuntur. Unde per Danielem Prophetam rectè dicitur :

Pſal. 20. 10.

Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultûs tui. Clibanus namque intrinſecùs ardet, is verò qui ab igne devoratur, ab exteriore parte incipit concremari : ut ſacra eloquia ardere & exteriùs & interiùs reprobos demonſtrent, eos & ab igne devorari, & ſicut clibanus poni teſtantur, ut per ignem crucientur in corpore, & per dolorem ardeant in mente. « In tempore vultûs Domini injuſti omnes ut clibanus ponuntur, & ab igne devorantur; quia apparente judice cum viſione illius eorum multitudo repellitur, & intùs per deſiderium ardet in conſcientiâ, & foris carnem cruciat gehenna. Iſaias Propheta ait :

Iſai. 5. 14.

Propterea dilatavit animam ſuam infernus, & aperuit os ſuum abſque ullo termino. Sicut enim infernus dilatatus dicitur ſine termino, quia ad ſe plurimos trahit, ita ſine fundo altus non incongruè vocatur, quia eos quos in ſe ſuſcipit, quaſi in quâdam abyſſo ſuæ immenſitatis abſorbet. Infernus namque rectè fundum non habere creditur, quia quiſquis ab illo rapitur, quaſi in immenſo devoratur. Quæ ſcilicet gehenna quamvis cunctis una ſit, non tamen unâ eâdemque qualitate ſuccenditur; ſicut plerumque uno ſole omnes tangimur, nec tamen ſub eo uno ordine omnes æſtuamur, quia juxtà qualitatem corporis ſentitur etiam pondus caloris. Sic damnatos & una eſt gehenna quæ afficit, & tamen non unâ omnes qualitate comburit, quia quod hîc agit diſpar valetudo corporum, hoc illic exhibet diſpar cauſa meritorum.

S. Greg. lib. 4. c. 43. & 44.

In libro Dialogorum, *Petrus* : » Numquid nam, quæſo te, dicimus eos, qui illic ſemel merſi fuerint, ſemper arſuros? *Gregorius* : Conſtat nimirum, & incunctanter verum eſt, quia ſicut finis non eſt gaudiorum bonorum, ita finis non erit tormentorum malorum. *Petrus* : Scire velim quomodo juſtum ſit, ut culpa, quæ cum fine perpetrata eſt, ſine fine puniatur. *Gregorius* : Hoc rectè diceretur, ſi diſtrictus Judex non corda hominum, ſed facta penſaret. Iniqui enim ideò cum fine de-

» liquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluiſſent utique ſi potuiſſent ſine fine vivere, ut potuiſſent ſine fine peccare. Oſtendunt enim quia in » peccato ſemper vivere cupiunt, qui nunquam deſinunt peccare dum vivunt. Ad magnam ergo juſtitiam vindicantis pertinet, ut nunquam careant ſupplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato.

De vitâ contemp. l. 3. c. 12. Proſper: » Fletus, inquit, & ſtridor dentium » acerrimos eorum dolores oſtendunt, qui ſupplicio » æternæ mortis addicti, non videndi ſenſum habituri ſunt, ſed dolendi. Quorum continuus gemitus, » cruciatus æternus, dolor ſummus, pœnalis ſenſus » torquent animos, nec extorquent, puniunt corpora damnata, nec finiunt. Quos ideò ſibi deputatos ignis inexſtinguibilis non exſtinguitur, ut permanente ſentiendi vitâ, pœna permaneat, & ad » dolendum magis, quàm ad videndum æternis corporibus compeditos habeat, quòd in flammis vivacibus immortalitatis ſecundæ mortis occidat.
Iſai. 66. Marc. 9. » Jam verò quod dicit: *Vermis eorum non morietur & ignis eorum non exſtinguetur*, ad totam refertur damnati hominis pœnam, quem inefficacis » pœnitentiæ ignis exurit, & conſumentis conſcientiæ vermis immortaliter rodit. Proindeque omnes » qui in gehennâ dicuntur occidi, non id cum illis » agitur, ut maximis conſumpti doloribus aliquando deficiant, ſed ut in illis pœnaliter vivant. »

Hæc & his ſimilia libenter audire vel legere, jugiter ante oculos mentis adducere, futura credere, ſine ullâ perturbatione, & verè cogitare quale malum ſit ab illo gaudio divinæ contemplationis excludi, beatiſſimâ ſanctorum omnium ſocietate privari, fieri patriæ cœleſtis extorres, mori vitæ beatæ, morte vivere ſempiternæ, in æternum ignem cum diabolo & Angelis ejus expelli: ubi ſit mors ſecunda damnatis, exitium, vita, ſupplicium; non ſentire in illo igne quod illuminat, ſentire quod cruciat: exundantis incendii terribiles ſtrepitus pati, barathri fumantis amarâ caligine oculos cæcari, profundo gehennæ fluctuantis immergi, edaciſſimis in æternum dilaniari vermibus, nec finiri. Hæc & multa his ſimilia cogitare, nihil eſt aliud quàm vitiis omnibus repudium dare, omnia blandimenta carnalia refrænare. Quis tam ſtolidæ mentis, tamque ferrei pectoris exiſtit, quem iſta non terreant? Miſerabilis planè, & valde lugubris humana conditio, quæ in hac mortalitate nunquam ſine labore vivit. Quid, inquam, miſerabilius & infelicius eſſe poteſt, ſi de labore præſenti ad laborem æternum, & nullum finem habiturum pervenitur? Nonne ſatius fuerat eum non naſci, quàm natum, & fidei ſacramentis imbutum, & periculis hujus vitæ exutum, propter ſcelerum immanitatem æternis mancipari ſuppliciis? Proinde neceſſe eſt, ut hoc parvo temporis ſpatio ſic ab omnibus vivere ſtudeatur, ut quando ex hoc exitum fuerit, æterna ſupplicia evadantur, & perpetuæ vitæ præmia nanciſcantur.

CAPUT XX.

De electorum ſempiternâ retributione.

QUID majoris remunerationis poſt reſurrectionem conſequi poterunt ſancti, quàm perpetim eſſe cum Domino ſuo? Unde Chriſtus ad Patrem:
Joan. 17. 24. *Volo*, inquit, *ut ubi ego ſum, & ipſi ſint mecum.* Ipſe quippe caput noſtrum eſt, & quo ille aſcendit, nos proculdubio aſcenſuri ſumus, & percepturi illud.
Pſal. 30. 20. Unde Pſalmiſta inhianter aiebat: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te*: &c.
Ibid. 22. 1. Item: *Dominus regit me & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocavit.* Item: *Ego autem ſicut oliva fructifera in domo Dei:* Ibid. 51. 10. *ſperavi in miſericordiâ Dei in æternum & in ſæculum ſæculi.* Item: *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Ibid. 26. 13. In libro Sapientiæ: *Juſtus quâcumque* Sap. 4. 7. *morte præoccupatus fuerit, anima illius in refrigerio erit.* Item: *Beatus vir qui ſuffert tentationem; quo-* Jac. 1. 12. *niam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Dominus diligentibus ſe.* Item: *Ju-* Sap. 5. 16. *ſti autem in perpetuum vivent; & apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio eorum apud Altiſſimum; ideo accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini.* Daniel Propheta: *Qui au-* Dan. 12. 3. *tem docti fuerint, fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti; & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* In Evangelio: *Venite bene-* Matt. 24. 34. *dicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Item: *Tunc juſti fulge-* Ibid. 13. 43. *bunt ſicut ſol in regno patris eorum.* Paulus: *Cum* Coloſſ. 3. 4. *Chriſtus*, inquit, *apparuerit vita veſtra, tunc & apparebitis cum ipſo in gloriâ.* Item: *De reliquo re-* 2. Tim. 4. 7. *poſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die juſtus judex, non ſolum autem mihi, ſed & his qui diligunt adventum ejus.* In Apocalypſi: *Hi ſunt qui venerunt ex magnâ tribulatio-* Apoc. 7. 14. *ne, & laverunt ſtolas ſuas in ſanguine agni; ideo ſunt ante thronum Dei, & ſerviunt ei die ac nocte in templo ejus, & qui ſedet in throno habitabit ſuper eos. Non eſurient, neque ſitient ampliùs, neque cadet ſuper illos ſol, neque ullus æſtus; quoniam agnus, qui in medio throni eſt, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum: & abſterget Dominus omnem lacrymam ab oculis eorum.*

In libro Enchiridii: » Remanentibus itaque An- « Cap. 94. gelis & hominibus reprobis in æternâ pœnâ, tunc « ſancti ſcient plenius quid bonis eis contulerit gratia. « Tunc rebus ipſis evidentibus apparebit quod in « pſalmo ſcriptum eſt: *Miſericordiam & judicium* « Pſal. 100. 1. *cantabo tibi Domine.* « Gregorius in Moralibus: Lib. 31. c. 9. imt. aliis verbis. Sancta Eccleſia poſt finem hujus ſæculi duplicia recipit. Unde bene per Prophetam dicitur: *In terrâ* Iſai. 61. 7. *ſua duplicia poſſidebunt.* Sancti quippe in terra viventium duplicia poſſident, qui nimirum beatitudinem mentis ſimul & corporis gaudent. Joannes in Apocalypſi, qui reſurrectionem corporum clamantes ſanctorum animas vidit, accepiſſe eas ſtolas ſingulas aſpexit, dicens: *Et datæ ſunt eis ſtolæ ſingulæ albæ,* Apoc. 6. 11. *& dictum eſt illis, ut requieſcerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conſervorum & fratrum eorum.* Ante reſurrectionem ſancti ſtolas ſingulas accepiſſe dicti ſunt, quia ſola adhuc mentis beatitudine perfruuntur. Binas ergo accepturi ſunt, quando cum animarum perfecto gaudio, etiam corporum incorruptione veſtientur; tunc enim vera in nobis libertas erit, cum ad gloriam filiorum Dei adoptio noſtra pervenerit. Multitudo electorum nunc ad fidem per ſanctos doctores trahitur, ſed quandoque ad cœleſtem patriam congregatur, ut ibi omnes electi ſine fine laudent, cum viderint ſine fine quem laudent. In æternâ vitâ perfectè corpus Redemptoris efficitur omnis multitudo ſanctorum, eique ita tunc inhærent, ut eis de corruptione, quæ per reſurrectionem vincitur, jam nihil in ſuo ſancto amore contradicat, ſed unita gloriæ ſui Redemptoris fiat. Egregius prædicator ait: *Et ipſa creatura* Rom. 8. 21. *liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Electos enim nunc pœna corruptionis Gregor. Moral. lib. 8. c. 6. aggravat, ſed tunc incorruptionis gloria exultat. Et quantum ad præſentis neceſſitatis pondera, nunc in Dei filiis de libertate nihil oſtenditur, tantùm ad ſubſequentis libertatis gloriam, tunc in Dei famulis de ſervitute nihil apparebit. Creatura ergo à ſervitute

corruptionis exuta, & libertatis dignitate acceptâ, in filiorum Dei gloriam veſtitur; quia unita Deo per ſpiritum, quaſi hanc ipſam, quòd creatura eſt, tranſiiſſe, ac ſubegiſſe declaratur. Hinc Pſalmiſta
Pſal. 22. 2. ait: *In loco paſcuæ ibi me collocavit.* Paſcua etenim ſcriptura ſacra, illa viriditatis æternæ pabula vocat, ubi jam noſtra refectio nullius defectûs ariditate marceſcit. De quo paſtore rursùs ait: *Nos autem populus ejus, & oves paſcuæ ejus.* Unde per ſemetipſam
Joan. 10. veritas ait: *Per me ſi quis introierit, ſalvabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet.* Juſti cum iniquos omnes extremâ ultione percuti conſpiciunt, ipſi de gloriâ dignæ retributionis hilareſcunt, nec damnatis jam tunc ex humanitate compatiuntur, quia divinæ juſtitiæ per ſpeciem inhærentes, inconcuſſo diſtrictionis intimæ vigore ſolidantur. Erectas in claritate ſupremâ rectitudinis electorum mentes nulla miſeria afficit, quia eas à miſeriis altitudo beatitudinis alienas reddit. Benè
Pſal. 51. 8. per Pſalmiſtam dicitur: *Videbunt juſti & timebunt, & ſuper eum ridebunt, & dicent: Ecce homo qui non poſuit Deum adjutorem ſuum.* Iniquos enim juſti nunc vident & metuunt; tunc viſuri ſunt & ridebunt: quia enim modo ad eorum labi imitationem poſſunt, hi habent formidinem: quia verò damnatis tunc prodeſſe nequeunt, illic ne habeant paſſionem, æternis ſuppliciis deditis non eſſe miſerendum, in ipſâ quâ beati ſunt juſtitiâ judicantis legunt.

De vitâ contemp. lib. 1. cap. 4. Proſper: » Hæc eſt, inquit, vita beata, ad » quam qui bonorum operum conſummatione per» venerint, beatis Angelis ſimiles erunt, & ſimul » cum Deo ſuo ſine fine regnabunt. Quod hîc cre» diderant, ibi videbunt, ſui creatoris ſubſtantiam » mundis cordibus contemplantes, æternâ exulta» tione gaudebunt, divinâ ac mutuâ dilectione poſſeſſi, Deo ſuo in æternum & invicem ſibi feliciter » adhærebunt. Receptis cum incorruptione atque » immortalitate corporibus, municiparum patriæ » cœleſtis accipient, atque ejus in æternum cives » effecti, promiſſa præmia reportabunt. Ibi eis ex» uberabit tanta lætitia, tanta cœleſtium gratia gau» diorum, ut & remuneratori ſuo pro tantis mune» ribus gratias agant, & nullum faſtidium ex ipsâ » affluentium bonorum perceptione ſuſtineant. Ibi » ita patebunt ſingulorum ſingulis mentes, ſicut » corporalibus oculis ſubjacent facies corporales; » quia humanorum peccatorum tanta ibi erit, & » tam perfecta munditia, ut habeant unde munda» tori ſuo Deo gratias agant, non unde offenſi ali» quibus ſordibus erubeſcant; quia ibi nulla pec» cata, nec peccatores erunt, & qui ibi fuerint, » jam peccare non poterunt. Nec latebit jam per» fectè beatos aliquid ſecretorum, qui, quod eſt » longè præſtantius, ipſum viſuri ſunt mundis cor» dibus Deum. »

Ecce qualis gloria nobis promittitur; ad quam ut infatigabiliter tendamus à Domino hortamur, atque ut eam tandem conſequi mereamur, ab eodem hortatore adjuvamur. Ut quid pigri ſumus? Ut quid bona operari negligimus? Ut quid tantæ gloriæ, tantæque remunerationis datorem audire contemnimus? Non enim debemus cunctari quin talem vocantem ſequamur, ejuſque monitis obtemperemus, ut ab eo tantam gloriam adipiſci valeamus. Ad hoc nempe naſcimur, ut Chriſto renaſcamur. Ad hoc etiam renaſcimur, ut cum eodem Chriſto Domino ſine fine in æternum vivamus.

Explicit Liber Domni Jonæ, quomodo Laïci vivere debeant. [e]

M O N I T U M.

HOC Opuſculum conſcripſit JONAS Aurelianenſis Epiſcopus eodem ſtylo, eâdemque methodo quibus laïcalem inſtitutionem, imò verò quinque capita repetit ejuſdem Inſtitutionis. Unde ſi Jonas hujus auctor aſſeratur, illius quoque aſſeri neceſſum eſt. Cui Opuſculo, cum nullam præ ſe ferret inſcriptionem, nos de Inſtitutione Regiâ *titulum adſcripſimus; ut ſecundæ partis inſtar fieret inſtitutionis moralis ſive laïcalis.*

Cæterùm eo pluris faciendum eſt hoc Jonæ Opuſculum; quòd integrum, præter Præfationem, & duo extrema capita, in Concilio Pariſienſi VI. quod anno Chriſti DCCCXXIX. *celebratum eſt, habeatur. Aut enim Patres Concilii Ludovico Pio & Lothario Imperatoribus admonitiones, quas iſti poſtularant, ſubminiſtrare cupientes, conſultum fore cenſuerunt Aurelianenſis Opus ſuis innectere decretis: aut ſanè dixerim Jonæ, qui Concilio interfuit, ab iiſmet Patribus fuiſſe demandatum, ut acta Concilii in ordinem redigeret: atque ea propter cum lucubrationes, quas paulo ante produxerat, ad propoſitum accederent Concilii, duxiſſe pretium operæ ſi eas Regiis adhortationibus insereret. Utrumlibet elegeris, Lector, ſentias tamen oportet, antequàm Concilium celebraretur, Jonam ſuum Pipino nuncupaſſe Opuſculum.*

En itaque, opinor, vera ſententia: Conſcriptum eſt illud Opuſculum priuſquàm haberetur Concilium illud Pariſienſe, & necdum adverſus Ludovicum Imperatorem Pipinus quidquam unà cum Fratribus & aliis molitus fuiſſet, quin potiùs cum adhuc perſeveraret Parenti piè obſecundare: id eſt, poſt clandeſtinas factiones, tumultus, Barbarorum irruptiones, cladeſque diverſas, Regno victoris pacato; videlicet an. 828. *Nec longè mihi quærenda eſt ſententiæ hujuſce probatio, cum ex ipſis Jonæ verbis in Præfatione Pipinum ſic alloquentis ad manum habeatur:* Quia igitur quantum Orthodoxum virum, &c. *Ac præterea ex illis quibus calamitates ante annum* 828. *exhauſtas deſcribit:* Quid enim diſpendii, &c.

e *vivere debeant*] In codice quo Acherius uſus eſt, hoc additur: *Obſecro te lector, memento Heberti Durſenſis, qui pro amore Dei, & utilitate legentium librum iſtum renovari fecit.*

Concilio Pariſienſi VI. præfixa eſt.

Iis porrò Jonæ verbis ſuffragatur epiſtola Ludovici & Lotharii Imperatorum, quâ jubent apud Moguntiam, Lutetiam, Lugdunum, & Toloſam Concilia celebrari. Iſta inter alia advertere eſt: Volueramus ſiquidem tempore congruo placitum noſtrum generale habere, & in eo de communi correctione agere. Et ita Deo miſerante fieret, niſi commotio inimicorum, ſicut noſtis, præpediſſet. *Infrà:* Nec illud etiam dubitamus ea juſtâ vindictâ illius evenire, quòd ſæpe ſcandala per Tyrannos in hoc Regno exurgunt, qui pacem populi, & unitatem Imperii ſuâ pravitate nituntur ſcindere: nam & illud nihilominùs peccatis noſtris deputandum eſt, quòd inimici Chriſtiani nominis præterito anno in hoc Regnum ingreſſi, deprædationes, & incendia Eccleſiarum, & captivitates Chriſtianorum, & interfectiones ſervorum Dei, evidenter & impunè, imò & crudeliter fecerunt.

Vis, Lector, advocem Scriptores, qui non ante, neque multo poſt an. DCCCXXVIII. *commonſtrent Pipinum ſeſe abalienato animo fœdè ſubduxiſſe à paternâ reverentiâ, atque omnium quæ Auguſto inflictæ ſunt injuriarum, miſeriarumque, ac præcipuè captivitatis & abdicationis conſcium exſtitiſſe? Adſunt Eginardus, Theganus, Scriptor vitæ Ludovici Pii, Annales Fuldenſes, San-Bertiniani, & Metenſes. Annos hic non attexo, verba non refero; ſcribo eruditis. Conſulent vel qui non legère, vel qui fidem non adhibent.*

Porrò adverti'n, Lector erudite, rationes & argumenta ſuperiùs à me prolata evidentiſſimè convincere voces illas, Ejuſque dehonorationem ægrè tuleritis, *dum Pipinum Jonas alloquitur, haudquaquàm de exauctoratione Cæſaris eſſe intelligendas, ſed de probris ac dedecore ante An.* DCCCXXVIII *Imperatori illatis cum Pipinus ipſi fidele obſequium præſtaret, impensè diligeret:* Ei in omnibus fideliter & humiliter ſubjecti fueritis, *aiebat Jonas. A vero enim prorsùs alienum eſt ex omnibus quæ ſuprà memoravimus, ſcribuntque Auctores tum pares, tum ſuppares, poſt Imperatoris abdicationem, Aquitanicum Regem exhibuiſſe fidem & obedientiam. At contrà exauctorationi ſemel & iterum ſua ob privata commoda conſenſit. Neque alio poſtea ductus ſpiritu Pii ſtetit partibus; ut perſpicuè docet Nithardus, ea quæ acta ſunt annis 829 830. 831. &c. deſcribens.*

His ex abundanti accedant aliæ rationes ad epocham Opuſculi de Inſtitutione Regiâ altiùs figendam: 1. Si jam id editum à Synodo Pariſienſi Jonas Pipino poſt aliquot annos obtuliſſet, quâ fronte auſus eſt initio cap. ultimi Regem ita conteſtari: Hoc Opuſculum, Optime Rex, ob amorem ſalutis veſtræ digeſſimus, humiliter deprecantes, ut illud libenter legere & audire dignemini. *Nonne actum egiſſe Jonam Pipinus objicere potuiſſet, ea quæ præſcripta fuerant tribus abhinc annis in Concilio Pariſ. ac Patri & Fratri dicata, iterum ſibi offerendo? 2. Solet ipſe indigitare locos unde ſuam mutuatus eſt doctrinam, ita ut auctoribus accuratè citandis, ſibi placere videatur, ſicut evolventi planum fiet. Audiamus illum ingenuè iſta profitentem in Præfatione ad inſtitutionem laicalem:* Fretus quippe ad idem Opus ſubeundum, in eo magnâ ex parte exſtiti, quòd non mei ſensûs verba ſtilo eloquentiæ, quæ nulla mihi ineſt, exarata, ſed ſententias ex divinis oraculis promulgatas, & à ſanctis Patribus facetiſſimè expolitas, huic forem innexurus Operi, &c. *Qui amabo fieri potiſt, ſi Epiſcopus Aurelianenſis hoc Opuſculum ſumſit ex Concilio Pariſ. ut ne verbulo quidem id indicaverit, qui tam religioſè cætera annotavit? Facilè mihi id perſuaſerit nemo. Stet igitur iſthæc ſententia, Regium Jonæ Opuſculum fuiſſe conſcriptum an.* DCCCXXVIII. *Quâ de re plus ſatis: diſcutiant oculatiores; ipſis relinquo judicium.*

Hæc Acherius doctiſſimè. Idem prætereà monet hoc Opuſculum erutum eſſe ab uno è ſodalibus ſuis D. Arnaldo Boiſſerie è tabulario Canonicorum Eccleſiæ S. Petri Romæ. Alterum deinde codicem Aureliæ reperit Baluzius, ex quo cùm varias lectiones nec paucas, nec contemnendas deſcripſiſſet, eæ nobis ad purgandum textum adjumento fuere non mediocri.

Anno 828.

JONÆ AURELIANENSIS EPISCOPI,

OPUSCULUM DE INSTITUTIONE REGIA.

EPISTOLA EJUSDEM AD PIPINUM REGEM.

DOMINO *Nobiliſſimo proſapiâ, pulcritudine, atque ſapientiâ præſtantiſſimo,* PIPINO *Regi glorioſiſſimo,* JONAS *minimus famulorum, Chriſti famulus, præſentis futuræque vitæ optans beatitudinem.*

QUOD tantum temporis effluxit, ex quo ignarus exſtiti tantæ prudentiæ veſtræ ergà regium honorem, tantæ devotionis ergà divinum cultum, tantæ voluntatis ergà divinum timorem & amorem, tantæ etiam humilitatis ergà ſacerdotale miniſterium, quam vobis nuper gratiâ adminiſtrante ineſſe didici, alii niſi meæ adſcribo hebetudini. Nec immeritò; quippe cùm veſtræ poteſtati, in cujus regno ortus & altus, litteriſque admodum imbutus, comâque capitis depoſita Chriſti militiæ ſum mancipatus, jure fideliterque debui obſecundare ei quoquo modo; ut pote

verendo & deliteſcendo potiuſque ſubterfugiendo propter blaſphemias, & opprobria, atque mendacia quorumdam pravorum hominum, qui meam extremitatem apud Serenitatem veſtram aſtu diabolico, odio & invidiâ pleno perſæpè diffamaverunt; me corpore, non animo ſubſtraxerim, non attendens illud quod Dominus in conſolatione eorum, quorum vita malevolorum ore diſcerpitur, per Iſaiam prophetam lo- [*Iſai. 51. 7.*] quitur, dicens: *Ne timeatis opprobria hominum, & blaſphemias eorum ne timeamini; quoniam ſicut ignis, ſic devorabit eos vermis; & ſicut veſtimentum, ſic comedet eos tinea. Salus autem mea in ſempiternum erit, & juſtitia mea in generationes generationum.* Non igitur præſumerem veſtræ quidpiam Celſitudini admonitionis gratiâ ſcribere, niſi fretus extitiſſem de veſtrâ cernuâ ſublimitate, & experimento didiciſſem ea quæ ad amorem & timorem Dei animarumque ſalutem pertinent, vos ferventer velle diſcere, & li- [*Prov. 21. 13.*] benter audire. Quoniam memores illius ſententiæ, qua dicitur: *Qui obturat aurem ſuam ne audiat legem, oratio ejus execrabilis erit*, Regium faſtum deponitis, Creatorique noſtro famulatum exhibetis, & ad ejus ſalutifera præcepta aurem cordis & corporis ſupponitis. Licet enim donante à quo eſt omne datum optimum & omne donum perfectum, quid vobis agendum, quidve cavendum ſit apprimè noveritis, & ad id exequendum plurimos famulatores Chriſti conſultores in promptu habeatis; tamen quia pars illorum fideliſſima ex iſto & illorum collegio me adſciſco, & deinceps totis niſibus adſciſci exopto, non abſurdum debet videri, nec ſubſicivum haberi exiguum admonitionis munuſculum, quod ex modico pectoris mei theſauro vobis Domino meo porrigere præſumo. Proinde, mi Domine Rex Sereniſſime, officii memor, & ſalutis veſtræ, quam plurimùm cupio, fidelis atque indiſſimulatus debitor exiſtens, moneo humiliter Celſitudinem veſtram, ut ſeduiò perpendatis, qualiter tempora mundi perpete curſu præterlabantur; & quòd ejus gaudia omnibus mortalibus luctu finiantur, ſeu quòd honor, & amor, illius pompa atque dulcedo, omnibus amaritudinem generet: necnon & illud, quòd omnis filius Adam vermis ſit & putredo: & quòd ſecundùm illud quod voce Dominicâ primo parenti noſtro dicitur, quòd pulvis ſit & in pulverem citò redigatur. Unde ſcribit quidam:

Brachia non retrahunt fortes, nec purpura Reges:
Sed quicumque venit pulvere, pulvis erit.

Quia ergo conſtat tam labilem, tam fragilem exiſtere hanc vitam, morborum diverſorum generibus, & multifariarum calamitatum miſeriis plenam mortalibus attributam, debet unuſquiſque, dum ei vivere conceditur, attendere, ne aliquo torpore depreſſus, aut quâlibet incuriâ, aut ſecuritate illectus, tempora indulta pœnitentiæ in vacuum deducat, ſed magis Propheticis, & Evangelicis, atque Apoſtolicis ſalutariter provocatus eloquiis, Creatorem ſuum, à quo peccando receſſit, pœnitendo requirere ſtudeat, eumque per dignam pœnitentiæ ſatisfactionem, & eleemoſynarum largitionem, ſibi propitium facere ſa- [*Iſai. 55. 6.*] tagat, juxtà illud Propheticum: *Quærite Deum dum inveniri poteſt, invocate eum dum propè eſt. Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur* [*Jerem. 13. 16.*] *ejus, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum.* Et illud: *Date Domino veſtro gloriam, antequam contenebreſcat, & antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos.* Et illud Evangelicum: [*Joan. 12. 35.*] *Ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant.* Et illud: [*Matt. 25. 13.*] *Vigilate, quia neſcitis diem neque* [*2. Cor. 6.*] *horam.* Et illud: *Ecce nunc tempus acceptabile: Ecce nunc dies ſalutis.* Et multa his ſimilia quæ latiùs Propheticus & Evangelicus & Apoſtolicus exequitur ſtilus.

His itaque ſalutiferis exhortamentis quiſque fidelis admonitus, & de imis ad ſuperna erectus, totâque fiduciâ & ſpe in Creatorem ſuum ſuſpenſus, proculdubio cavet ne non modo mente ruat, ſed potiùs Chriſto Redemptori ſuo, qui ruere neſcit, totis niſibus adhæret, dicens gratulabundus cum Pſalmogra- [*Pſal. 72. 28.*] pho: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt: ponere in Domino Deo ſpem meam.* Sed & hoc nihilominùs unicuique vitandum eſt ne terram diligat pluſquàm cœlum; ſed neque hanc peregrinationem ærumnis oppletam pro patriâ diligat, ſciatque ſe hîc peregrinum & advenam, alibi civem & domeſticum futurum [*Ibid. 8. 13.*] eſſe debere. Unde Propheta David: *Quoniam advena ego ſum apud te, & peregrinus ſicut omnes patres* [*2. Cor. 5. 1.*] *mei.* Et Apoſtolus: *Scimus enim quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quòd ædificationem habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.* Igitur quia uniuſcujuſque fragile luteumque habitaculum, quo peregrinatur, citò eſt diſſolvendum, ſummopere cavendum eſt ne propter illius amorem & incentiva deſideria, vanaſque ac noxias delectationes, anima, quæ eſt cœleſtis origo, pereat in æternum; ſed ita exterior homo obnoxius corruptioni ſubjiciatur ſervituti, ut interior de die in diem renovatus ad æternam gloriam feliciter capeſcendam præparetur. Satius quippe unicuique mortalium fuerat non ſubſiſtere, quàm propter delectationes carnales, & fumea caducaque gaudia mundi, à felicitate paradiſi ſanctorum Angelorum & hominum conſortio extorrem fieri. Verùm quia conditio humana, & curſus iſtius mundi ita ſe habet, oportet ut idem mundus, ejuſque divitiæ non in deſiderio, [*1. Cor. 7. 31.*] ſed in uſu teneantur, juxtà illud Apoſtoli: *Qui utuntur hoc modo, tamquam non utantur*: ſciaturque quod [*Jac. 4. 4.*] amicitia illius, teſte Apoſtolo Jacobo, inimica ſit Dei, dicente: *Quicumque voluerit amicus eſſe ſæculi hujus, inimicus Dei conſtituitur.* Quibus verbis, liquidò colligitur, quòd nulli amico Dei amicitia hujus mundi amplectenda ſit, & quòd ſemper amicis Dei inimicus fuerit. Miſerabilis planè & valde dolorores eſt, quando quis inimici ſui amicitiæ jungitur, & pro noxiâ mortiferâque amicitiâ, æternum & immortalem amicum, Creatorem videlicet ſuum amittit.

Quapropter ſummopere omnibus qui Chriſtianâ profeſſione cenſentur, vigilandum & procurandum eſt, ne differant de die in diem ad Deum converſionem facere; neque vanâ ſe ſpe deludant, promittentes ſibi aut propter juventutem, aut propter ſanitatem corporis longinquam vitam, ſcientes quòd mors nulli ætati parcat, & quòd omnibus finis diei ſui incerta ſit. Ergo ſpreto antiquo hoſte, ſpretoque mundo, qui in maligno poſitus eſt, ſpretiſque ejus divitiis atque calcatis, quotidie de vitiis ad virtutes, de viſibilibus ad inviſibilia, de tranſitoriis ad æterna ſalutiferum tranſitum faciant, quatenùs finito labentis hujus vitæ excurſu ad eum perveniant, à quo cum non eſſent, ſunt creati, cum periiſſent ſunt recreati, ejuſque fide ſalutariter inſigniti, & ab eo percipiant ea, [*1. Cor. 2. 9.*] *Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus ſe.*

His ita per anteceſſum exequutis, ad te, Rex bone, Rex pulcherrime, ſpecialiter ſermo mediocritatis meæ rurſùs dirigitur. Obſecro itaque & per Dominum ſupplico, ut ea quæ paulo ſuprà generaliter dicta ſunt, veſtra Excellentia ſpecialiter ſibi aſſumere dignetur. Humiliter etiam veſtræ manſuetudi-

Deut. 6. 5. ſuggero, ut Dominum Deum tuum, ſicut ſe diligendum cultoribus ſuis præcepit, ex toto videlicet corde, ex totâ animâ & ex totâ virtute ſemper diligas, ejuſque amori nihil præponas. Porrò quòd proximum veſtrum ſicut voſmetipſos diligere debeatis, admonitione meâ non indigetis. Quia igitur quantum orthodoxum virum, piumque Cæſarem, Dominum noſtrum, genitorem veſtrum dilexeritis, eique in omnibus fideliter & humiliter ſubjecti fueritis, dehonorationem ægrè tuleritis, omnibus nobiliter imò memorabiliter manifeſtaſtis: internis eum precibus Dominum exoro, voſque humiliter admoneo, ut ſemper in eâdem dilectione ſinceriſſimè, Domino vobis opem ferente, permaneatis, & nullatenùs vos quâlibet occaſione, aut cujuſlibet hortatu, ab ejus amore disjungatis, neque eum in aliquo contriſtetis; quia teſtante Scripturâ divinâ, inter cætera, quibus de patre diligendo & amando filium inſtruit, hoc jubet, ut filius non contriſtet patrem in vitâ ſua. Quantum denique pater à filio diligi & honorari debeat, Dominus ſpecialiter demonſtrat, cum in primâ tabula de cultu & dilectione ſuâ mandata dediſſet, in ſecundâ primum præceptum de patre honorando dedit, ita inquiens:
Ibid. *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi.* Multa quidem ſunt legalia, & Evangelica, atque Apoſtolica à Domino promulgata præcepta, quibus pater à filio diligi & honorari præcipitur; quæ quia veſtræ ſapientiæ nota ſunt, idcircò omittuntur hic. Pro certo autem ſciendum eſt, quia quiſquis patrem honorat, Deum, qui omnium pater eſt, honorat; & qui eum dehonorat, illi procul dubio injuriam ingerit; quia omnium pater eſt, & à filiis patrem honorandum ſancit. Quid enim diſpendii, quid malorum, quid mœroris, quid oppreſſionis, quidve miſeriarum ſimultates & diſcordiæ, quæ præterito anno, ſicut veſtra Excellentia novit, emerſerunt, populo Dei inflixerunt, regnum hoc miſerabiliter expertum eſt, & tripudium diabolo ſuiſque membris magnum factum eſt. Sed quia, ut credo, Dominus ſervorum ſuorum precibus pulſatus, & patri veſtro propter ſua pia religioſaque facta, vobiſque & fratribus veſtris Dominis noſtris propter mutuam dilectionem firmandam evidenter propitius factus, ne ſanguis populi Chriſtiani vobis commiſſi, quem diabolus plurimum ſitiebat, civiliter, & pluſquàm civiliter funderetur, bellum quod aſtu diabolico intentabatur avertit; oportet, imò neceſſe eſt, ut vos & fratres veſtri, heriles noſtri, in mutuâ dilectione indiſſolubiliter conſiſtatis, patrique veſtro juxtà paternam reverentiam, & divinam ordinationem atque præceptionem, unanimiter congruam ſubjectionem impendatis, & debitum honorem conſervetis, & indiſſimulatum honorem exhibeatis; qualiter illo temporaliter principante, vobiſque ei parentibus, & populus vobis commiſſus quietè & pacificè vivere, & vos pro officio vobis à Deo commiſſo ſtrenuè fideliterque adminiſtrato, cum Chriſto in perpetuum feliciter mereamini regnare.

Quatuor à Rege obſervanda. Quatuor itaque exſtant, Domine mi Rex, quæ dictu brevia, actu verò, Chriſti gratiâ adjuvante, facilia, & obſervantibus valde proficua, quæ à veſtrâ ſolertiâ, & libenter audiri, & inhianter cupio adimpleri. Primùm, ut quotidie unuſquiſque potiùs animæ quàm corpori conſulat, animæ ſuæ quiddam magnum peculiare acquirat, quod in æternum poſſideat: quoniam ſicut Evangelico inſtruimur oraculo, de omnibus vitæ noſtræ temporibus, annis videlicet, menſibus, diebus atque horis, ex quo Deus diſcretionem boni & mali nobis tribuit, bonæ operationis fructum à vitâ noſtra, id eſt animâ exacturus eſt.

Secundum, ut quotidie exceptâ illâ, quam ſacerdotibus ad conſilium ſalutis ſuæ capiendum, Deumque ſibi propitiandum facit, de omnibus peccatis ſuis Creatori ſuo confeſſionem faciat, & peccata ſua ante ſe
Pſal. 50. 4. conſtituat, dicens cum Propheta: *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Cum nunc quis peccata ſua Deo confitendo coram ſe ponit, tunc ſalubriter atque veraciter
Ibid. v. 11. illum verſiculum Deo decantat, quo dicitur: *Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* Et multa quæ de hac confeſſione in divinis eloquiis continentur.

Tertium, ut diem mortis ſuæ quotidie ante oculos ſibi ponat, ut anima ſua irriſionem inimicorum ſuorum, quando pulſata fuerit ut à corpore egrediatur, non erubeſcat; ſed bonis operibus ditata, illud in
Ibid. 126. 5. eâ adimpleatur, quod dicitur: *Non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in portâ.* Quantum nunc illa dies, & illa hora tremenda ſit, die ac nocte vigilanter perpendendum eſt. Propter hoc monet Scriptura:
Eccli. 7. 40. *Fili, in omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Verùm ſi eamdem horam ſedulâ meditatione ſtuduiſſemus, & quia inevitabilis & ineluctabilis eſt, quantum ſit tremenda perpendere curaſſemus, aut rarò aut nunquam peccare præſumeremus.

Sophon. 1. 16 Quartum, ut diem tremendi examinis, quæ à Propheta dicitur: *Dies iræ, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris,* & cætera quæ de eâ prolixiùs in divinis eloquiis ſcribuntur; quando adſtabimus ante tribunal Chriſti, & reddituri ſumus rationem de his quæ per corpus geſſimus ſive bona, ſive mala; remotâ omni mortiferâ ſecuritate, & corporis quâlibet delectatione, ſemper præ oculis habeamus, & mente tractemus, & ita nos Domino adjuvante præparemus, ut cum illo ventum fuerit, non cum reprobis damnari in æternum, ſed potiùs cum electis benedicti in perpetuum, regnum cum eis mereamur ſortiri.

Reſtant prætereà plura quæ veſtræ Celſitudini charitate dictante ſcribenda forent, ni veritus fuiſſem & modum epiſtolarem excedere, & veſtræ dignationi quoquo modo oneri eſſe: quæ quia hic prætermittuntur, in ſequentibus ex oraculis divinis, & Sanctorum Patrum dictis congeſta capitulatim ponuntur. Quæ ſi legere, aut ab alio vobis adminiculante, quàm profutura ſint ſatis dici non poteſt. Sancta & individua Trinitas, te Bone Rex, interiùs exteriùſque cuſtodiat, & ab hoſtium viſibilium & inviſibilium inſidiis muniat atque defendat, & poſt hanc peregrinationem ſanctorum Regum conſortem efficiat.

INCIPIUNT VERSUS BREVITER DIGESTI, ET AD DOMINUM PIPINUM REGEM FIDELITER DIRECTI.

REX pie, ſumme precor munus quod defero parvum,
Ut tibi ſit e libens munera grata feram.
Verùm ſi veſtris fuerit conſpectibus aptum,
Aptius & propere noſtra Thalia dabit.
Nam potiora ferunt docti ſatis arte Maronis,
His quia cura manet, ars quibus ampla cluit.
Qui quondam metricis ludebam promptus in Odis,
Corpore nunc quaſſo nihil niſi flere lubet.
Sit Deus ipſe tibi tutor, fautorque per ævum;
Per quem regnare te tuus omnis amat.
Culmina regnandi teneat ſic cautus in arcis,
Ut ſis poſt mortem manſor in arce poli.

INCIPIUNT CAPITULA SEQUENTIS OPUSCULI.

CAP. I. *Quòd Eccleſia corpus Chriſti ſit, & in eâ duæ ſint principaliter eximiæ perſonæ: & quòd pro Regibus Sacerdotes Deo ſint rationem reddituri.*

CAP. II. *De poteſtate & authoritate ſacerdotali.*

CAP. III. *Quid ſit Rex, quid eſſe, quidve debeat cavere.*

CAP. IV. *Quid ſit propriè miniſterium Regis.*

CAP. V. *De periculo Regis, & quòd benè agentes remunerare, malè vero agentes ſuâ authoritate comprimere, cauſamque pauperum ad ſe ingredi debeat facere.*

CAP. VI. *Quòd æquitas judicii ſtabilimentum regni, & injuſtitia ſit ejus everſio.*

CAP. VII. *Quòd regnum non ab hominibus, ſed à Deo, in cujus manu omnia regna conſiſtunt, detur.*

CAP. VIII. *Quòd poteſtati regali, quæ nonniſi à Deo ordinata eſt, humiliter atque fideliter cuncti parere debeant ſubjecti.*

CAP. IX. *Quòd ubi charitas non eſt, nulla bona ineſſe poſſint.*

CAP. X. *De tranſgreſſoribus præceptorum Dei.*

CAP. XI. *Quòd multi profeſſionem Chriſtianam verbis tantum teneant, ſed operibus negligant.*

CAP. XII. *Quòd graviùs puniantur qui fidem Chriſti perceperunt, & in malis vitam finierunt, quàm illi qui ſine fide mortui ſunt.*

CAP. XIII. *Quòd ad Eccleſiam orandi gratiâ frequenter conveniri debeat, &c.*

CAP. XIV. *Quòd in Eccleſia non ſit otioſis turpibuſque fabulis vacandum; & quòd qui hæc faciunt, non ſolum ſibi peccata non minuant, ſed etiam majora accumulent.*

CAP. XV. *Quòd & in aliis competentibus locis, ſi locus baſilicæ procul fuerit, oratio ad Deum, & confeſſio peccatorum fieri poſſit & debeat.*

CAP. XVI. *De obſervatione diei Dominici, & perceptione Corporis & Sanguinis Domini noſtri* JESU-CHRISTI.

CAP. XVII. *Qui Imperatorum vel Regum veraciter felices dici poſſint & debeant.*

SEQUITUR OPUSCULUM SCRIPTIS

Permodicum, oraculis tamen divinis pergravidum; ſuiſque ſectatoribus profuturum.

CAPUT PRIMUM.

Quòd Eccleſia corpus Chriſti ſit, & in ea duæ ſint principaliter eximiæ perſonæ; & quòd pro Regibus Sacerdotes Deo ſint rationem reddituri.

SCIENDUM omnibus fidelibus eſt, quia univerſalis Eccleſia corpus eſt Chriſti, & ejus caput idem eſt Chriſtus, & in eâ duæ principaliter exſtant eximiæ perſonæ, Sacerdotalis videlicet[a] & Regalis, tantoque eſt præſtantior Sacerdotalis, quanto pro ipſis Regibus Deo eſt rationem reddituræ. Unde Gelaſius Romanæ Eccleſiæ venerabilis Pontifex ad Anaſtaſium Imperatorem ſcribens: » Duo quippe ſunt, Imperator Auguſte, quibus principaliter hic regitur mundus; Auctoritas ſacra Pontificum, & Regalis poteſtas: in quibus tanto eſt gravius pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipſis Regibus hominum in divino ſunt examine rationem redditu- turi. « Fulgentius quoque in libro de veritate prædeſtinationis & gratiæ ita ſcribit. » Quantum attinet ad hujus temporis vitâ, in Eccleſiâ nemo Pontifice potior, & in ſæculo Chriſtiano Imperatore nemo celſior invenitur. « Ergo quia tantæ auctoritatis, imò tanti diſcriminis eſt miniſterium Sacerdotum, ut de ipſis etiam Regibus Deo ſint rationem reddituri, oportet & valde neceſſe eſt*, ut de veſtrâ ſalute ſemper ſimus ſolliciti, voſque ne à voluntate Dei, quod abſit, aut à* miniſterio quod vobis commiſit, erretis, vigilanter admoneamus, & ſi, quod abſit, ab eo aliquo modo exorbitaveritis, . . ontificali ſtudio humiliter admonendo, & ſalubriter procurando, oportunum conſultum ſaluti veſtræ conferamus, ut non de ſilentio taciturnitatis noſtræ damnemur, ſed magis de ſolertiſſima curâ & admonitione ſalutiferâ remunerari à Chriſto mereamur.

Gelaſ. ep. 8.

Fulgent. lib. 2.

CAPUT II.

De poteſtate & auctoritate ſacerdotali.

QUòd poteſtas & auctoritas abſolvendi & ligandi Sacerdotibus, id eſt, ſucceſſoribus Apoſtolorum, à Chriſto ſit attributa, Evangelica patenter declarat lectio, quod & veſtræ ſapientiæ non ignorat plenitudo. Unde Excellentiam veſtram ſuppliciter convenimus, ut per vos Proceres, cæterique fideles veſtri, nomen, poteſtatem, vigorem, & auctoritatem, atque dignitatem ſacerdotalem cognoſcant; ne eam ignorantes animarum quoquo modo ſuarum periculum ſubeant. Qualis igitur ſit poteſtas & auctoritas ſacerdotalis ex verbis Domini facilè animadvertitur, quibus Beato Petro, cujus vicem indignè gerimus, ait: *Quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Et alibi Diſcipulis generaliter dicitur: « *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis*: Et alibi: *Accipite Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Et multa his ſimilia quæ textus Evangelicus ubi rius evidenter depromit. Illud quoque ad memoriam, imò ad exemplum eis reducendum eſt, quòd in Eccleſiaſticâ hiſtoriâ Conſtantinus Imperator Epiſcopis ait: » Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem dedit de nobis quoque judicandi, & ideo nos à vobis rectè judicamur: Vos autem non poteſtis ab hominibus judicari; propter quod Dei ſolius inter vos expectate judicium, ut veſtra jurgia quæcumque ſunt, ad illud divinum reſerventur examen. Vos enim nobis à Deo dati eſtis Dii, & conveniens non eſt, ut homo judicet Deos, ſed ille ſolus de quo ſcriptum eſt: « *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum; in medio autem Deos dijudicat.*

Matt. 16. 19.

Ibid. 18. 18.

Joan. 20. 23.

Pſal. 81. 1.

Licet enim Sacerdotes moderno tempore in mul-

a *Sacerdotalis videlicet*] Totum hoc uſque dum repetitor vox *Sacerdotalis*, cum in priori editione deeſſet, reſtitutum eſt ex codice Aurelianenſi, ex quo etiam infra edidimus *& valde neceſſe*, ubi erat *imò neceſſe*; moxque *aut à miniſterio*, ubi legebatur *in miniſterio*.

tis ſint negligentes, non ſunt tamen vituperandi ac deſpiciendi, ſed propter illum cujus miniſterium [b] gerunt, audiendi & congruo honore venerandi. Poſt Apoſtolos enim ad ipſos hæc Domini ſententia dirigitur: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* (Luc. 10. 16.) Attendendum quòd Chriſti Sacerdotum ſpretio ad injuriam Chriſti pertinet: plura ſunt quippe legalia & evangelica præcepta, quibus Sacerdotibus obtemperari debere præcipitur. Qualis porrò vita & actio Sacerdotum eſſe debeat; quales ipſi eſſe, qualiter ad culmen regiminis venire, qualiter vivere, qualiter ſubjectos dictis & exemplis debeant docere; alibi à ſanctis & venerabilibus Doctoribus ſatis expreſſum eſt. Hic autem de Regibus quorum ſaluti miniſterium Sacerdotum ſolerter proſpicere, quorumque armis & protectione Eccleſia Chriſti debet tueri, proſequendum eſt.

CAPUT III.

Quid ſit Rex, quid eſſe, quidve cavere debeat.

REx à rectè regendo vocatur; ſi enim piè, & juſtè, & miſericorditer regit, meritò Rex appellatur: ſi his caruerit, nomen Regis amittit. Antiqui autem omnes Reges Tyrannos vocabant; ſed poſtea piè, & juſte, & miſericorditer regentes Regis nomen ſunt adepti: impie vel injuſtè, crudeliterque principantibus, non Regis ſed tyrannicum aptatum eſt nomen. Quia ergo Rex à rectè agendo dicitur, primò eſtudendum eſt, ut ſemetipſum ſuamque domum, Chriſti adjuvante gratiâ, ab operibus nequam emaculet, boniſque operibus exuberare faciat, ut ab eâ cæteri ſubjecti bonum exemplum ſemper capiant; ipſe etiam ſalutiferis Chriſti præceptis fideliter atque obedienter obſecundet, & rectè agendo eos, quibus temporaliter imperat, in pace & concordiâ atque caritate, cæterorumque bonorum operum exhibitione, quantum ſibi divinitùs datur, conſiſtere faciat, & dictis atque exemplis ad opus pietatis & juſtitiæ & miſericordiæ ſolerter excitet, attendens quòd pro iis Deo rationem redditurus ſit: quatenùs ita agendo ſanctorum Regum, qui Deo ſincerè ſerviendo placuerunt, poſt hanc peregrinationem conſors efficiatur.

De Rege autem qualis eſſe, vel quid cavere debeat, ita in Deuteronomio legitur: (Deut. 17. 14. & ſeq.) *Cum ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam, habitaveriſque in illâ, & dixeris: Conſtituam ſuper me Regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes; eum conſtitues quem Dominus Deus tuus elegerit, de numero fratrum tuorum: non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus. Cumque conſtitutus fuerit, non multiplicabit ſibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatûs numero ſublevatus; præſertim cum Dominus præceperit vobis, ut nequaquam amplius per eamdem viam revertamini. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus, neque argenti & auri immenſa pondera. Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus leviticæ tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & cæremonias ejus, quæ in lege præcepta ſunt. Nec elevetur cor ejus in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dexteram, vel ſiniſtram, ut longo tempore regnet ipſe & filii ejus ſuper Iſrael.* Attende quòd timor Dei, & cuſtodia præceptorum ejus, & humilitas, quæ non patitur eum extolli ſuper fratres ſuos, & juſtitiæ rectitudo, non ſolum Regem, ſed & hæredes ejus longo faciat regnare tempore. Ut ergo Princeps extollentiam cavere debeat, Eccleſiaſticus admonens ait: *Principem te poſuerunt, noli extolli, ſed eſto in illis quaſi unus ex ipſis.* (Eccli. 32. 1.) In Proverbiis: *Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur.* (Prov. 29. 14.) Item: *Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur clementiâ thronus ejus.* (Ibid. 20. 28.)

Verùm quia Sanctorum qui cum Domino regnant, documenta ſancti Spiritûs munere prolata, in cordibus auditorum plus valere, quàm noſtræ exiguitatis verba non dubitamus, idcircò pauca de verbis beati CYPRIANI Martyris Chriſti huic Opuſculo parvitatis noſtræ quædam inſerimus, quæ veſtræ Serenitati præ manibus habenda, & ſæpe legenda atque tractanda offerimus; quatenùs in ejus verbis quaſi in quodam ſpeculo, quid eſſe, quid agere, quidve cavere debeatis, jugiter vos contemplemini; cujus verba ſunt hæc: » Nonus, inquiens, abuſionis gradus eſt Rex iniquus: etenim Regem non iniquum ſed iniquorum correctorem eſſe oportet: unde in ſemetipſo nominis ſui dignitatem cuſtodire debet: nomen enim Regis intellectualiter hoc retinet, ut ſubjectis omnibus rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores, ne iniqui ſint, non corrigit? Quoniam juſtitiâ Regis exaltatur ſolium ejus, & veritate ſolidantur gubernacula populorum. Juſtitia vero Regis eſt neminem injuſte per potentiam opprimere, ſine acceptione perſonarum inter virum & proximum ſuum judicare, advenis & pupillis & viduis defenſorem eſſe; furta cohibere, adulteria punire; iniquos non exaltare, impudicos & hiſtriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas & perjurantes vivere non ſinere: Eccleſias defendere, pauperes eleemoſynis alere, juſtos ſuper negotia regni conſtituere; ſenes & ſapientes, & ſobrios conſiliarios habere, Magorum & Hariolorum, Pythoniſſarumque ſuperſtitionibus non intendere, iracundiam differre, patriam fortiter & juſte contrà adverſarios defendere; per omnia in Deo vivere; proſperitatibus non elevare animum, cuncta adverſa patienter ferre: fidem Catholicam in Deo habere; filios ſuos non ſinere impiè agere, certis horis orationibus inſiſtere, ante horas congruas non guſtare cibum. (Cyprian. ſive auct. Cap. de 12. abuſ. ſæculi.) *Væ enim terræ cujus Rex eſt puer, & cujus Principes mane comedunt.* (Eccle. 10. 16.) Hæc regni proſperitatem in præſenti faciunt, & Regem ad cœleſtia regna meliora perducunt. Qui vero ſecundùm hanc legem non diſpenſat, multas nimirum adverſitates Imperii tolerat. Idcircò enim ſæpe pax populorum rumpitur, & offendicula etiam de regno ſuſcitantur, terrarum quoque fructus diminuuntur, & ſervitia populorum præpediuntur. Multi etiam dolores proſperitatem regni inficiunt, carorum & liberorum mortes triſtitiam conferunt: hoſtium incurſus provincias undique vaſtant, beſtiæ armentorum & pecorum greges dilacerant, tempeſtates veris & hyemis terrarum fecunditatem, & maris miniſteria prohibent, & aliquando fulminum ictus ſegetes, & arborum flores & pampinos exurunt. Super omnia verò Regis injuſtitia non ſolùm præſentis Imperii faciem fuſcat, ſed etiam filios ſuos & nepotes, ne poſt ſe regni hereditatem teneant, obſcurat. Propter piaculum enim Salomonis regnum

[b] *cujus miniſterium*] Sic codex Aurel. emendatè: prior editio *cujus myſterium*, corruptè. Alia ſunt, quæ emendavimus ex eodem Codice Aurel. ſed leviora.

domûs

» domûs Iſraël Dominus de manibus filiorum ejus diſpertit, & propter meritum David Regis lucernam de ſemine ejus ſemper in Hieruſalem reliquit. Ecce quantum juſtitia Regis ſæculo valeat intuentibus perſpicuè patet: pax populorum eſt, tutamentum patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aëris, ſerenitas maris, terræ fœcunditas, ſolatium pauperum, hereditas filiorum, & ſibimetipſi ſpes futuræ beatitudinis. Attamen ſciat, quòd ſicut in throno hominum primus conſtitutus eſt, ſic & in pœnis, ſi juſtitiam non fecerit, primatum habiturus eſt. Omnes namque quoſcumque peccatores ſub ſe in præſenti habuit, ſupra ſe in illâ futurâ pœnâ habebit. «

Fulgent. l. 2. FULGENTIUS in libro de veritate prædeſtinationis & gratiæ: » Clementiſſimus, inquit, Imperator, non ideo eſt vas miſericordiæ præparatum in gloriam, quia apicem terreni principatûs accepit; ſed ſi imperiali culmine rectâ fide vivat, & verâ cordis humilitate præditus, culmen regiæ dignitatis ſanctæ religioni ſubjiciat: ſi magis in timore ſervire Deo, quàm in timore dominari populo delectetur: ſi in eo lenitas iracundiam mitiget, ornet benignitas poteſtatem; ſi ſe magis diligendum quàm metuendum cunctis exhibeat; ſi ſubjectis ſalubriter conſulat; ſi juſtitiam ſic teneat, ut miſericordiam non relinquat; ſi præ omnibus ita ſe ſanctæ matris Eccleſiæ Catholicæ meminerit filium, ut ejus paci atque tranquillitati per univerſum mundum prodeſſe ſuum faciat principatum. Magis enim Chriſtianum regitur ac propagatur Imperium dum Eccleſiaſtico ſtatui per omnem terram conſulitur, quàm cum in parte quâcumque terrarum pro temporali ſecuritate [c] pugnatur.

Iſidor. lib. 3. Sentent. cap. 49. ISIDORUS: » Qui rectè utitur regni poteſtate, ita ſe præſtare omnibus debet, ut quanto magis honoris celſitudine claret, tanto ſemetipſum mente humiliet, proponens ſibi exemplum humilitatis David, qui de ſuis meritis non tumuit, ſed humiliter ſe dejiciens dicit: *Vilis incedam, & vilis apparebo ante Dominum qui elegit me.* « (2. Reg. 6. 22.) Item ISIDORUS: (Ibid. cap. 48.) » Qui intrà ſæculum benè temporaliter imperat, ſine fine in perpetuum regnat, & de gloriâ hujus ſæculi ad æternam tranſmeat gloriam. Qui verò pravè regnum exercent, poſt veſtem fulgentem & lumina lapillorum, nudi & miſeri ad inferna torquendi deſcendent. Reges à rectè agendo vocati ſunt, ideò quia rectè faciendo Regis nomen tenetur, peccando amittitur. « GREGORIUS (Sive Iſidor. lib. 3. ſentent. cap. 48) in Moralibus: » Nam & viros ſanctos proinde Reges vocari in ſacris eloquiis novimus, eo quòd rectè agant, ſenſuſque proprios benè regant, & motus reſiſtentes ſibi rationabili diſcretione componant. Rectè igitur illi Reges vocantur, qui tam ſemetipſos quàm ſubjectos, benè regendo pacificare [d] noverunt. Quidam ipſum nomen regiminis ad immanitatem * tranſvertunt crudelitatis, dumque ad culmen poteſtatis venerunt, in apoſtaſiam confeſtim labuntur, tantoque ſe tumore cordis extollunt, ut cunctos ſubditos in ſui comparatione deſpiciant, eoſque quibus præeſſe contigit, non agnoſcant. « Et paulo poſt: » Dum mundi Reges ſublimiores ſe cæteris ſentiunt, mortales tamen ſe eſſe agnoſcant, nec regni gloriam, quâ in ſæculo ſublimantur, aſpiciant, ſed opus quod ſecum deportant, intendant. « Item non poſt multa: » Reges quando boni ſunt, muneris eſt Dei; quando verò mali, ſceleris eſt populi. Secundùm enim plebium meritum diſponitur vita Rectorum, teſtante Job: *Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi.* (Job 34. 30.) Iraſcente enim Deo talem Rectorem populi ſuſcipiunt, qualem pro peccato merentur. Nonnunquam pro malitiâ plebis etiam Reges mutantur; & qui ante videbantur eſſe boni, accepto regno fiunt iniqui. «

His ita præmiſſis, ſtudendum eſt Regi, ut non ſolùm in ſe, verumetiam in ſibi ſubjectis Regis nomen impleat, provideatque ut populus ſibi ſubjectus, pietate, pace, caritate, juſtitiâ, & miſericordiâ atque concordiâ & unanimitate, cæteriſque bonis exuberet operibus; ut hæc habentes Deum ſecum habere mereantur; ſciatque certiſſimè, quòd non ſolùm de ſe, verùm etiam de ipſis Dominus ab eo fructum bonum bonæ operationis exacturus eſt.

CAPUT IV.

Quid ſit proprie miniſterium Regis.

REgale miniſterium ſpecialiter eſt, populum Dei gubernare, & regere cum æquitate & juſtitiâ, & ut pacem & concordiam habeant ſtudere. Ipſe enim debet primò defenſor eſſe Eccleſiarum, & ſervorum Dei. Ipſorum etiam [e] officium eſt ſaluti & miniſterio ſacerdotum ſolerter proſpicere, eorumque armis & protectione Eccleſia Chriſti debet tueri: viduarum, orphanorum, cæterorumque pauperum, necnon & omnium indigentium inopia defendi. * Ipſius enim terror ac ſtudium hujuſcemodi, in quantum poſſibile eſt, eſſe debet: primò ut nulla injuſtitia fiat; * deinde ſi evenerit, ut nullo modo eam ſubſiſtere permittat, nec ſpem deliteſcendi, ſive audaciam malè agendi cuiquam relinquat; ſed ſciant omnes, quoniam ſi ad ipſius notitiam pervenerit quidpiam mali, quod admiſerint, nequaquàm incorreptum [f] aut inultum remanebit; ſed juxtà facti qualitatem erit & modus juſtæ correptionis. * Quapropter hoc in throno regiminis poſitus eſt ad judicia recta peragenda, ut ipſe per ſe provideat & perquirat, ne in judicio aliquis à veritate & æquitate declinet. Scire etiam debet quòd cauſa, quam juxtà miniſterium ſibi commiſſum adminiſtrat, non hominum ſed Dei cauſa exiſtit, cui pro miniſterio quod ſuſcepit, in examinis tremendi die rationem redditurus eſt. Et ideo oportet, ut ipſe, qui judex eſt judicum, cauſam pauperum ad ſe ingredi faciat, & diligenter inquirat, ne forte illi qui ab eo conſtituti ſunt, & vicem ejus agere debent in populo, injuſtè aut negligenter pauperes oppreſſiones [g] pati permittant.

De miniſterio autem Regis ita Job loquitur: (Ibid. 29. 25.) *Cumque ſederem quaſi Rex, circumſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator.* * *Auris audiens beatificabat me, & oculus videns teſtimonium reddebat mihi, quod liberaſſem pauperem vociferantem, & pupillum cui non erat adjutor. Benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ conſolatus ſum. Juſ-*

c *temporali ſecuritate*] Optima lectio codicis Aurelian. Acherius ediderat *templi ſecuritate*, qui error ortus erat ex compendio ſcribendi.

d *pacificare*] In priori editione *modificare*; eadem ſtatim habebat *immanitatem*.

e *Ipſorum etiam*] Hæc uſque ad verbum *tueri*; adjecta ſunt è codice Aurelian. ex quo etiam infrà addidimus *inopia defendi*. Statim ille codex habet *ut nullam injuſtitiam faciat*, quod non diſplicet.

f *nequaquàm incorreptum*] Hic etiam codice Aurelian. uſi priorem editionem emendavimus; nam antea legebatur, *neque incorrectum*: idem error infra *juſtæ correctionis*, eadem ope ſublatus eſt.

g *pauperes oppreſſiones*] Antea editum erat *pauperum*: infra quod ex libro Job hic videſ, deſinebat in illis verbis *mœrentium conſolator*.

ſtitiâ indutus ſum, & veſtivit me ſicut veſtimento & diademate judicium meum. Oculus fui cæco & pes claudo. Pater eram pauperum, & cauſam quam neſciebam diligentiſſime inveſtigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. (Prov. 20. 8. & 26.) Salomon: *Rex qui ſedes in ſolio judicii, diſſipat omne malum in intuitu ſuo.* (Eccli. 10. 1.) Item: *Diſſipat impios Rex ſapiens, & curvat ſuper eos fornicem.* (h) Item: *Judex ſapiens judicabit*[h] *populum ſuum, & principatus ſenſati ſtabilis erit.* (Prov. 29. 4.) Item: *Rex juſtus erigit terram, & vir avarus deſtruit eam.* In libro Sapientiæ: (Sap. 1. 1.) *Diligite juſtitiam qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum.* Item ibi: (Ibid. 6. 2. & ſeq.) *Audite ergo Reges, & intelligite; diſcite judices finium terræ. Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur. Quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non rectè judicaſtis, nec cuſtodiſtis legem juſtitiæ, neque ſecundùm voluntatem Dei ambulaſtis. Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam judicium duriſſimum his qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim ſubtrahet perſonam cujuſquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujuſquam: quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus: fortioribus autem fortior inſtat cruciatio.*

(Iſidor. lib. 3. ſentent. c. 51.) Isidorus: » Principes ſæculi nonnunquàm intrà Eccleſiam poteſtatis adeptæ culmina tenent, » ut per eamdem poteſtatem diſciplinam Eccleſiaſticam muniant. Cæterùm intrà Eccleſiam poteſtates neceſſariæ non eſſent, niſi ut quod non » prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ ſermonem, » poteſtas hoc imperet per diſciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum cœleſte regnum proficit; » ut qui intrà Eccleſiam poſiti contrà fidem & diſciplinam Eccleſiæ agunt, rigore Principum conterantur; ipſamque diſciplinam quam Eccleſiæ » utilitas exercere non prævalet, cervicibus ſuperborum poteſtas principalis imponat; & ut venerationem mereatur, virtutem poteſtas impertiat. » Cognoſcant Principes ſæculi Deo ſe debere reddere rationem, propter Eccleſiam quam à Chriſto » tuendam ſuſcipiunt. Nam ſive augeatur pax & » diſciplina Eccleſiæ per fideles Principes, ſive ſolvatur; ille ab eis rationem exiget, qui eorum poteſtati ſuam Eccleſiam credidit.

(i) Sunt & alia utriuſque teſtamenti oracula copioſa, quibus affatim adſtruitur[i], quòd Rex miniſterium ſuum ſibi commiſſum ſecundùm voluntatem Dei exercere & adimplere debet, quæ hîc ob prolixitatem vitandam prætermittuntur.

CAPUT V.

De periculo Regis, & quod benè agentes renumerare, malè verò agentes ſuâ auctoritate comprimere, cauſamque pauperum ad ſe ingredi debeat facere.

AD peccatum Regis pertinet, quando judicibus miniſtriſque iniquis miniſterium ſuum implendum committit, neque enim miniſterium ſuum per alios tantùm adminiſtrare, & ſe ab eo debet alienare. Non ergo dicimus, ut ſolus jurgia & querimonias populi audiat & inveſtiget, & definiat, quoniam nequaquàm ad hæc ſufficere poteſt; ſed magis ut tales ſub ſe timentes, & avaritiam odientes conſtituat, per quos Regem Regum non offendat. Quales autem conſtituendi ſint, Liber Deuteronomii manifeſtè demonſtrat, in quo legitur: (Deut. 16. 18.) *Judices & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per ſingulas tribus tuas; ut judicent populum juſto judicio, nec in alteram partem declinent.* (Ibid. 1. 9.) Item idem: *Dixique vobis illo in tempore: Non poſſum ſolus ſuſtinere vos; quia Dominus Deus veſter multiplicavit vos, & eſtis hodie ſicut ſtella cœli, plurimi. (Dominus Deus patrum veſtrorum addat ad hunc numerum multa millia, & benedicat vobis ſicut locutus eſt) non valeo ſolus negotia veſtra ſuſtinere & pondus ac jurgia. Date ex vobis viros ſapientes & gnaros, & quorum converſatio ſit probata in tribubus veſtris.* Job: (Job 29. 7.) *Quando procedebam ad portam civitatis, & in plateâ parabant cathedram mihi. Videbant me juvenes, & abſcondebantur; & ſenes aſſurgentes ſtabant. Principes ceſſabant loqui, & ſuperponebant digitum ori ſuo.*

Cum quibus etiam Rex pondus regiminis ſui partiri debeat, Liber Exodi demonſtrat, in quo legitur: (Exod. 18, 21.) *Provide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderunt avaritiam, & conſtitue ex eis Tribunos & Centuriones, & Quinquagenarios & Decanos, qui judicent populum omni tempore: quidquid autem majus fuerit referant ad te, & ipſi minora tantummodo judicent: leviuſque ſit tibi partito in alios onere. Si hoc feceris, implebis imperium Dei, & præcepta ejus poteris ſuſtentare: & omnis hic populus revertetur ad loca ſua cum pace.* Quibus auditis, Moyſes fecit omnia quæ ille ſuggeſſerat: & electis viris ſtrenuis de cuncto Iſraël, conſtituit eos Principes populi, Tribunos & Centuriones, & Quinquagenarios & Decanos, qui judicabant plebem omni tempore: quidquid autem gravius erat, referebant ad eum.

Quòd verò Rex cauſam pauperum ad ſe ingredi facere, & diligenter debeat inquirere, dat intelligi illud quod legimus, antiquitùs Judices idcircò in portâ ad judicandum ſediſſe, ut nullus accedendi difficultatem, aut quiſpiam civium vim aut calumniam neceſſe haberet ſuſtinere. Ideò & Hieruſalem civitas juſti vocata eſt, quamdiù in eâ exercebantur judicia, quod non permittebatur in eâ Rectoribus permanere. Quòd verò Rex bonos ſublimare, quòd malos debeat comprimere, Apoſtolus Petrus docet dicens: (1. Pet. 2. 13.) *Subditi igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Dominum, ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Quæ verba ita Beda exponit: (Beda in expoſ. ejuſdem epiſt.) » Non quòd omnes qui à Regibus « mittuntur Duces, vel malefacientes punire, vel « benefacientes laudare noverint: ſed quæ debeat « eſſe actio boni Ducis ſimpliciter narratur, hoc eſt « ut malefacientes coërceat, & bene agentes remu- « neret. Hinc in hiſtoriâ Gentili refertur moris fuiſſe « Romanis, «

Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos. (Virgil. 6. Æneid.)

Quòd quando pravi judices populo Dei præferuntur, ad delictum illius pertineat à quo conſtituuntur, dicta Iſidori manifeſtant, quibus ait: (Iſidor. lib. 3. cap. 52.) » Ad delic- « tum pertinet Principum, qui pravos judices con- « trà voluntatem Dei populis fidelibus præferunt. «

h *ſapiens judicabit*] In codice Aurelian. *vindicabit*, quod eo minùs eſt commendandum, quo magis conſtat ex mente auctoris ita eum ſcribere debuiſſe.

i *affatim adſtruitur*] In codice Aurelian. *affatim inſtruimur*: utrum legas, perinde eſt. Sequens caput in laudato codice non exſtat.

» Nam ſicut populi delictum eſt, quando Principes » mali ſunt; ſic Principis eſt peccatum, quando ju- » dices iniqui exiſtunt. Bonus judex ſicut civibus no- » cere neſcit, ita prodeſſe omnibus novit. Alios » verò præſtat cenſurâ juſtitiæ, alios bonitate judi- » cii ſine perſonarum acceptione ſuſcipit. Non infir- » mat juſtitiam avaritiæ flamma, nec ſtudet auferre » alteri quod cupiat ſibi. Boni judices juſtitiam ad » ſolam obtinendam ſalutem æternam ſuſcipiunt, » nec eam muneribus acceptis diſtribuunt; ut dum » de juſto judicio temporalia lucra non appetunt, » præmio æterno ditentur. « His quæ præmiſſa ſunt declaratur, quòd hi qui poſt Regem populum Dei regere debent, id eſt Duces & Comites, neceſſe eſt ut tales ad conſtituendum provideantur, qui ſine periculo ejus, à quo conſtituuntur, conſtitui poſſint, ſcientes ſe ad hoc poſitos eſſe, ut plebem Chriſti ſibi naturâ æqualem recognoſcant, eamque clementer ſalvent, & juſtè regant, non ut dominentur & affligant, neque ut populum ſuum æſtiment, aut ad ſuam gloriam ſibi illum ſubjiciant; quod non pertinet ad juſtitiam, ſed potiùs ad tyrannidem & iniquam poteſtatem. Valde enim exigit neceſſitas, ut quia ipſe procul dubio Rex æquiſſimo judici de commiſſo ſibi miniſterio rationem redditurus eſt, ut etiam ſinguli qui ſub eo conſtituti ſunt miniſtri diligentiſſimè ab eo inquirantur, ne ipſe pro eis judicium incurrat divinum. Ipſis etiam miniſtris denuntiandum eſt, quod quidquid judicaverint in eos redundabit, juxtà illud quod in libro Paralipomenon legitur. *2. Paral. 19. 4* *Habitabat ergo Joſaphat in Hieruſalem; rurſùſque egreſſus eſt ad populum de Berſabee uſque ad montem Ephraim, & revocavit eos ad Dominum Deum Patrum ſuorum. Conſtituitque judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis per ſingula loca, & præcipiens judicibus: Videte, ait, quid faciatis, non enim hominis exercetis judicium ſed Domini, & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentiâ cuncta facite: non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum.* Hæc, & his ſimilia quæ prælibata ſunt, Rex ejuſque miniſtri non deſidiosè, ſed diligenter debent perpendere, & ſtudium de miniſterio ſibi commiſſo tale adhibere, ut non pro eo æternaliter damnari, ſed potiùs à Domino mereantur feliciter remunerari.

CAPUT VI.

Quòd æquitas judicii, ſtabilimentum regni, & injuſtitia ſit ejus everſio.

Prov. 14. 34. QUòd per juſtitiam ſtet regnum, Salomon in Proverbiis aſtruit, ita inquiens: *Juſtitia elevat gentem: miſeros autem populos facit peccatum.* *Ibid. 25. 5.* Item: *Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem,* *Ibid. 20. 28.* *& roboratur juſtitiâ thronus ejus.* Item: *Aufer impietatem de vultu Regis, & firmabitur juſtitiâ thronus ejus.* *Ibid. 21. 3.* Item: *Facere miſericordiam & judicium magis placet Domino, quàm victima.* Et *Ibid. 7.* infra: *Rapinæ impiorum detrahent eos, quia noluerunt facere judicium.* Item ibidem: *Qui ſequitur juſtitiam & miſericordiam, inveniet vitam, juſtitiam, & gloriam.*

Iſai. 14. 20. Quòd verò per injuſtitiam cadat, Iſaïas demonſtrat: *Tu enim*, inquit, *terram tuam diſperdidiſti, tu populum tuum occidiſti: non vocabitur in æternum ſemen peſſimorum. Præparate filios ejus occiſioni in iniquitate Patrum ſuorum: non conſurgent nec hereditabunt terram, neque implebunt faciem orbis civitatum.* In Amos: *Ecce oculi Domini ſuper regnum peccans, & conteram illud à facie terræ: dicit Dominus.* *Amos 9. 8.* Daniel loquitur ad Balthaſar: *O Rex, Deus altiſſimus regnum & magnificentiam & gloriam & honorem dedit Nabuchodonoſor patri tuo: & propter magnificentiam quam dederat ei, univerſi populi, tribus & linguæ tremebant, & metuebant eum; quos volebat, interficiebat; & quos volebat, percutiebat; quos volebat, exaltabat; & quos volebat, humiliabat. Quando autem elevatum eſt cor ejus, & ſpiritus ejus obfirmatus eſt ad ſuperbiam, depoſitus eſt de ſolio regni ſui, & gloria ejus ablata eſt: & à filiis hominum ejectus, ſed & cor ejus cum beſtiis poſitum eſt.* *Dan. 5. 18.* In libro Sapientiæ: *Sedes Ducum ſuperborum detraxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis.* *Eccli. 10. 17* Item: *Radices gentium ſuperbarum areſecit Deus, & plantavit humiles ex ipſis gentibus.* *Ibid. 18.* Item: *Regnum à gente in gentem transfertur propter injuſtitias & contumelias & diverſos dolos.*

Quibus verbis liquidò claret, quòd pietas, juſtitia & miſericordia ſtabiliant regnum; & læſiones viduarum & pupillorum, calumniæque miſerorum, violentaque judicia, & perverſio juſtitiæ evidenter illud evertant. Unde & multorum regnorum collapſio, quia pietatis, juſtitiæ & miſericordiæ non habuerunt ſtabilimentum, his quæ præmiſſa ſunt patenter fidem attribuit.[1]

CAPUT VII.

Quòd regnum non ab hominibus: ſed à Deo in cujus manu omnia regna conſiſtunt, detur.

NEmo Regum à progenitoribus regnum ſibi adminiſtrari, ſed à Deo veraciter atque humiliter credere debet dari, qui dicit: *Meum eſt conſilium & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo. Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.* *Prov. 8. 14.* Quòd non ab hominibus, ſed à Deo regnum terrenum tribuatur, Daniel Propheta teſtatur, dicens: *In ſententiâ vigilum decretum eſt, & ſermo Sanctorum, & petitio, donec cognoſcant viventes, quoniam dominatur Excelſus in regno hominum, & cuicumque voluerit, dabit illud, & humillimum hominem conſtituet ſuper illud.* *Dan. 4. 14.* Item loquens de Nabuchodonoſor ad Balthaſar: *Donec cognoſceret*, inquit, *quòd poteſtatem haberet Altiſſimus in regno hominum: & quemcumque voluerit, ſuſcitabit ſuper illud.* *Idem 5. 21.* Et per Hieremiam: *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Hæc dicetis ad Dominos veſtros: Ego feci terram & homines, & jumenta quæ ſunt ſuper faciem terræ, in fortitudine meâ magnâ, & in brachio meo extento: & dedi eam ei qui placuit in oculis meis.* *Hier. 27. 5.* Hi verò qui à progenitoribus ſibi ſuccedere regnum terrenum, & non potiùs à Domino dari putant, illis aptantur, quæ Dominus per Prophetam improbat, dicens: *Ipſi regnaverunt, & non ex me; Principes extiterunt, & non cognovi.* *Oſee 8. 4.* Ignorare quippe Dei, procul dubio reprobare eſt.

Quapropter quiſquis cæteris mortalibus temporaliter imperat, non ab hominibus, ſed à Deo ſibi regnum commiſſum credas. Multi namque munere divino, multi etiam Dei permiſſu regnant. Qui piè & juſtè & miſericorditer regnant, ſine dubio per Deum regnant: qui verò ſecùs, non ejus munere, ſed permiſſu tantùm regnant. De talibus Dominus per Pro-

[1] *fidem attribuit*] Quæ ſequuntur non exſtant in codice Aurelian. ſed horum loco, ut quidem ſcribit Baluzius habentur *Capitula diverſarum ſententiarum pro negotiis rei publicæ conſulendis.*

Oſee 13. 10. Job. 34. 30. Iſidor. lib. 3. ſent. c. 48. phetam: *Dabo, inquit, tibi Regem in furore meo.* Et Job: *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Ut enim Iſidorus exponit: « Iraſ- « cente Deo talem Rectorem populi ſuſcipiunt, qua- « lem pro peccato merentur. » Conſtat ergo quia non aſtu, non voto, neque brachio fortitudinis humanæ, ſed virtute, imò occulto judicio diſpenſationis divinæ regnum confertur terrenum, & idcircò cuicumque ab eo committitur, ita illud ſecundùm ejus voluntatem diſponere & gubernare procuret, quatenùs cum eo, à quo illud ſuſcepit, feliciter in perpetuum regnare valeat, quoniam nihil prodeſt cuiquam terreno regno principari, ſi (quod abſit) contigerit eum æterno extorrem fieri.

CAPUT VIII.

Quòd poteſtati Regali, quæ nonniſi à Deo ordinata eſt, humiliter atque fideliter cuncti parere debeant.

CONſtat regalem poteſtatem omnibus ſibi ſubjectis ſecundum æquitatis ordinem conſultum ferre debere; & idcircò oportet ut omnes ſubjecti fideliter, & utiliter, atque obedienter eidem pareant poteſtati; quoniam qui poteſtati à Deo ordinatæ reſiſtit, Dei utique ordinationi, juxtà Apoſtoli documentum, reſiſtit. Sicut enim ſubjectis à Rege ſibi volunt piè & juſtè opitulari, ita ſpecialiter et primùm ad ſalutem animæ ſuæ procurandam; deinde generaliter ad honeſtatem, & utilitatem regni ſecundùm Dei voluntatem diſponendam, atque adminiſtrandam, indiſſimulanter atque irretractabiliter ſolatium opportunum debent exhibere. Quod cum faciunt, & divinum præceptum adimplere, & fidem Regi debitam evidenter probantur conſervare. Hujuſcemodi ergo obſequium à ſubjectis regiæ poteſtati impendi debere, & legalia præcepta apertè teſtantur, & Dominus in Evangelio admonet, di-

Matt. 22. 21. cens: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt*

1. Petr. 2. 13. *Dei, Deo.* Petrus quoque ait: *Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus tamquàm ab eo miſ-*

Ibid. 17. *ſis.* Et non poſt multa: *Deum timete, Regem honorificate.* Paulus etiam Apoſtolus in idipſum concor-

Rom. 13. 1. dans ait: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*, & cætera, quæ de hujuſmodi poteſtate Apoſtolicus ſermo exequitur.

Tit. 3. 1. Idem etiam ſcribit ad Titum: *Admone illos Principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe.* Item ad Timotheum, quanti pendat cauſam & ſalutem Regis,

1. Tim. 2. 1. demonſtrat ita ſcribendo: *Obſecro igitur primò omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & caſtitate. Hoc enim bonum eſt & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Si enim Hieremias Propheta Dei pro vita idololatræ Regis Nabuchodonoſor orare admonet, quanto magis pro ſalute Chriſtianorum Regum ab omnibus ordinibus Deo eſt humiliter ſupplicandum. Qualiter igitur regiæ poteſtati parendum, qualiter ejus ſaluti conſulendum eſt, breviter eſt auctoritatibus divinis dictum ſit. Quapropter neceſſe eſt, ut unuſquiſque fidelis tantæ poteſtati ad ſalutem propriam, & ad honorem regni ſecundùm Dei voluntatem, ut pote membrum capiti, opem congruam ferat; pluſque in illo generalem profectum, & utilitatem atque honorem regni, quàm lucra quærat mundi; quatenùs his ſaluberrimis opitulationibus ſibi viciſſim ſuffragantes, æterno regno pariter mereantur perfrui felices.

CAPUT IX.

Quòd ubi charitas non eſt, nulla bona ineſſe poſſunt.

MAgnum in utroque ordine, Clericali videlicet & Laicali, periculum eſſe cognoſcimus, quòd charitas, quæ Deus eſt ac decus Chriſtianitatis, & in quâ ſumma totius fidei noſtræ conſiſtit, in multis utriuſque ordinis (quod non ſine magno animi dolore dicimus) non regnare convincitur. Quæ virtus charitas ſit, & Evangelica & Apoſtolica lectio, & ſanctorum Patrum expoſitiones pleniſſimè docent. Expreſſiſſimè namque Joannes Apoſtolus ait, quòd Deus charitas eſt: *In hoc apparuit charitas Dei in* 1. Joan. 4. 6. & ſeqq.
nobis: quoniam Filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc eſt charitas: non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos; & miſit Filium ſuum propitiatorem pro peccatis noſtris. Chariſſimi, ſi ſic Deus dilexit nos: & nos debemus alterutrum diligere; Deum nemo vidit unquam. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta eſt. In hoc cognoſcimus quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis, & nos vidimus & teſtificamur, quoniam Pater miſit Filium ſuum Salvatorem mundi. Quiſquis confeſſus fuerit quoniam JESUS *eſt Filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo. Et nos cognovimus & credidimus charitati, quam habet Deus in nobis. Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Perpendat quiſque ſi in charitate manet, Deum manere in ſe, ſi charitatem non habet, non Deum, ſed hoſtem animæ ſuæ habitare in ſe. Cum charitate quippe cuncta bona, ſine charitate verò nulla haberi poſſunt, neque etiam dignè Angelicum hymnum charitate carens Domino decantare valet. Sed quæritur quare? Attende quare: quia non eſt bonæ voluntatis; definitio quippe charitatis eſt (ut Doctores noſtri tradunt) bona voluntas. Ergo quicumque bonam voluntatem non habet, charitatem non habere comprobatur: & ideò pacem qui Chriſtus eſt, qui bonæ voluntatis non eſt habere non meretur. *Gloria*, inquit multitudo cœleſtis exercitûs, Luc. 2. 14.
in excelſis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.

Miſerabiliter planè decipiuntur plerique, qui ſine charitate aut Deo placere, aut ad eum ſine illâ ſe putant pervenire. Verùm ſi in nobis charitas non eſt, ſed odium, & invidia, & avaritia, & diſcordia, & ſimulatio, & luxuria, & cætera mala regnant, quæ omnia à Chriſtianitatis propoſito abhorrent; mirum non eſt, ſi animadverſiones divinæ nos interius exteriuſque diverſiſſimis malis feriant, & impetum inimicorum adversùm nos commoveant. Quapropter ſi pacis tempora quietè & tranquillè ducere volumus, pacis & charitatis amatorem diligamus & timeamus, ejuſque præceptis humiliter colla ſubmittamus. Hi autem, qui palatinis honoribus fulciuntur, ſive Clerici ſint, ſive Laici, dignum eſt ut vinculo charitatis connectantur; nec alterutrius injuriam aut dehonorationem contrà fas meditentur; ne dei des aut doloſi ad invicem exiſtant, ne fortè qui doloſi ſunt incidant in illud Pſalmiſtæ dicentis:
Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem Pſal. 27. 3.
in cordibus eorum. Da illis, Domine, ſecundùm opera eorum, & ſecundùm nequitiam adinventionum eorum.

m &c. Qui verò deſides [m] exiſtunt, patenter ab unanimitate, quam in Chriſto Paulus habitare docet, ſcinduntur: caveantque hypocriſin Judæ proditoris Domini. Sunt & alia huic rei convenientia, quæ longum eſt numerare. Certè cum dignitatis palatinæ hujuſmodi homines honoribus ſuffulti, morſibus invidiæ ſe viciſſim lacerant, & in proximi ruinam & dehonorationem æſtuant; & Deo cujus muneribus utuntur, in proximi adverſitatibus injuriam inferunt; & Regi, cui familiariter inhærent, & adjutores ſecundùm Deum eſſe debuerunt, debitam fidem non ſervant; & honorem palatinum, malum exemplum aliis dantes, commaculant; & quod iis indecentius eſt, ad inimicos nominis Chriſti magnum tripudium tranſmittunt.

CAPUT X.

De tranſgreſſoribus mandatorum Dei.

MAla quibus Deus offenditur, vel periclitatur regnum, ſi quis liquidò vult cognoſcere, divinam, id eſt, legalem, propheticam & evangelicam, atque apoſtolicam perſpiciat auctoritatem, ubi plene inveniet omnia mandata atque præcepta, quibus Dei adimpletur voluntas: ibi etiam inveniet quæ Deus fieri prohibuit; pro quibus ad omnem ordinem divinæ comminationes multæ ſunt, & in quibuſdam qui audire contemſerunt, ultio divina completa eſt. Primus quippe homo propter tranſgreſſionem divini præcepti de paradiſo ejectus, & exilio damnatus, & morte mulctatus eſt; quod malum adhuc hodie genus humanum quaſi naturâ ſibi inſertum experitur. Inde fac[illegible] alia generalis damnatio in diluvio, quæ multip[illegible]tis vitiis & diverſis malis, naturali lege corruptâ, eveniſſe manifeſtè probatur. Quàm ſit etiam præſumptio gravis & periculoſa quæ ex contemptu præceptorum Dei naſcitur, ædificatio turris, & confuſio linguarum prodit. Sodoma autem & Gomorrha & finitimæ civitates, quibus flagitiis deletæ, & quomodo æternâ damnatione in exemplum humani generis ſint perditæ manifeſtum eſt; & tamen in comparatione earum Hieruſalem duplum malum feciſſe legitur, eo quod notitiam & præceptum Dei habuerit, & ſervare contemſerit, ſequutâ propriâ voluntate. Nam iniquitas ſodomitica juxtà Prophetam fuit ſuperbia, ſaturitas & abundantia, & otium, & quòd egeno & pauperi manum non porrigebant: unde receſſit oblivio Dei, & operati ſunt adhuc abominationes. Obduratio quoque Ægyptiorum, qui nullis ſignis nec prodigiis, ſed neque flagellis corrigi potuerunt, ad quem finem pervenerit notum eſt: nam Dathan & Abiron atque Core cum ſociis eorum, qui cum iis perierunt, quàm horribili terræ hiatu, propter contemptum & inobedientiam contrà Deum conſumpti ſunt, manifeſtum eſt. Quomodo etiam multitudo populi Dei perierit in deſerto propter concupiſcentiam & contemptum & perverſas conſuetudines à Deo illis prohibitas, donec diverſis cladibus conſumerentur, ita ut nullus eorum ad terram pervenerit repromiſſionis præter duos tantùm obedientes voci Domini, omnibus perſpicuum eſt.

Quoties autem acciderit populum corruiſſe, vel regnum interiiſſe propter unius peccatum vel inobedientiam, ſive prælati, ſive ſubjecti, longum eſt enumerare: ſicuti contigit in Saul, pro cujus inobedientiâ regnum ab eo ablatum, alterique datum legimus. Nam & Filius ejus Jonathas, in cujus fidei fortitudine victoria data eſt de adverſariis, poſtea ſanctificationis votum tranſgreſſus, licet ignarus concupivit, & victoriam totius populi perturbavit. Sed & Heli de ordine ſacerdotali, quia filios ſuos non ſatis correxit, decidit; imò filiis ſuis merito ſuæ iniquitatis corruentibus corruit, ſacerdotiumque de progenie ejus ſublatum eſt; quorum negligentiâ & iniquitate populus in bello fugatus ac cæſus eſt, & gloria cum Arcâ Dei de Iſrael tranſlata eſt, ſimul & locus eorum diſſipatus eſt. Achan verò propter concupiſcentiam inobediens factus, totum populum perturbavit. Pauca quippe de multis proſequuti ſumus, ut diligenter animadvertatur, ſi tot divinis ultionibus, totque periculis, tot etiam damnationibus ſubjacuerunt contemptores mandatorum Dei, quorum infinitus eſt numerus, & non ſolùm illi qui præcepta ſuſceperunt, verùm etiam qui naturalem legem corruperunt, quanto putas reatui ſubjacebunt gratiâ Chriſti redempti, & ab eodem Domino in viam juſtitiæ edocti & inſtructi, ſi præceptis ejus obedire contemſerint. Proinde neceſſe eſt ut unuſquiſque in ordine ſuo pro viribus ſtudeat, & quantum Deum amaverit, quæ juſſit adimpleat, & quæ vetuit caveat: ut non cum contemptoribus damnari, ſed potiùs cum exequutoribus divinorum præceptorum valeat remunerari, quoniam non eſt dubium, quin propter inobedientiam & contemptum præceptorum Dei, regni periclitatio, & animarum proveniat damnatio.

CAPUT XI.

Quòd multi profeſſionem Chriſtianam verbis tantùm teneant, ſed operibus negligant.

SI mundanarum legum jura ob jurgiorum forenſium negotia dirimenda à mortalibus edita, homines avidiſſimè diſcere & intelligere acutiſſimè ſatagunt, *& cætera ut cap. 20. libri 1. de Inſt. Laic. uſque ad* indiſſimulanter obſervanda cenſentur.

Quòd verò fides ſola neminem ad regnum provehat cœlorum, jam in ſuperioribus capitulis demonſtratum eſt. Verùm profeſſio Chriſtiana à multis & in multis propter delectationes carnales, & propter diverſiſſimas hujus ſæculi vanitates, & perverſiſſimas conſuetudines miſerabiliter negligitur; quibus quanto plus inaniter inſerviunt, tanto minùs operibus Chriſtianæ profeſſionis vacant. Quòd ſi Acta, *& cætera ut in eodem cap. 20. libri 1. uſque ad* erga lautiſſimos ſibi cibos præparatos artem collaudant coquorum.

Eſt & aliud [n] in Chriſtianâ religione magnâ admiratione dignum; eo quod leges humanæ, quæ plerumque peccare volentibus terrorem potiùs quàm Chriſti præcepta incutiunt, majorem vim quàm divinæ habere videantur cum utique illæ ſibi parentes à temporali, hæ quoque ab æternâ liberent pœnâ. Cum nunc quiſpiam regiæ aut imperialis dignitatis apicem tenens, cæteris mortalibus temporaliter imperans, aliquod edictum proponit, quod à ſibi ſubditis & audiri diligenter, & impleri fideliter ſagaciterque velit; quis, rogo, ſubditorum non inhianter obaudit, illiuſque juſſionibus obtemperare ſatagit? Quis verò in tantam audaciam prorumpere audet, qui id niſi ad ſuum diſcrimen contemnere præſumat? Unde ſatis mirari non poteſt, cur homines tantâ cæcitate percuſſi exiſtunt, ut Crea- n

[m] *qui verò deſides*] Hæc profectò cum præcedentibus non cohærent. An legendum *qui verò diſſidet auctores?* Sanè quiddam hujuſmodi requiritur.

[n] *eſt & aliud*] Hæc quidem etiam habentur laudato capite 20. ſed aliis plerumque verbis.

torij ſui legem tam temerario auſu poſtponant. Homines condunt leges, & à ſubditis cuſtodiuntur; Deus Creator omnium æternaliter imperans, qui noſtro augmento non creſcit, in cujus manu ita ſumus, ſicut lutum in manu figuli, dedit legem ob ſalutem animarum capeſſendam, & audita contemnitur: & ſi aure corporis auditur, aure cordis non percipitur, & ſi aure cordis percipitur, opere non impletur. Quid autem excuſationis Chriſtiani Domino afferre poterunt, qui mundanæ legis cenſuram ob mundialem metum ſuſcipiunt, & jugo Chriſti, quod ſoave & leve eſt, & ad vitam ducit æternam, colla ſubmittere renuunt? Dominus dicit: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos: tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde; & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Et venire ad talem tantumque vocantem, & ab eo humilitatem & manſuetudinem diſcere, ejuſque jugum ſuſcipere recuſatur. Hoc qui faciunt, quid aliud faciunt, niſi à ſalute propria deficiunt? Quod quàm miſerabile & exitiale ſit, explicari non poteſt. Perſpicuè ſanè animadverti poteſt, quòd profeſſio Chriſtiana modernis temporibus à pleriſque non ſic devotè ac religioſè colitur, ſicut à priſcis colebatur Chriſtianis.

Matt. 11. 28.

Hanc itaque fidei regulam, de quâ ſuperiùs breviter, & in memoratis Actis Apoſtolorum pleniſſimè dictum eſt, Apoſtoli, imò per Apoſtolos Chriſtus tenendam fidelibus cenſuit. Si igitur hanc Chriſtus docuit, ut quid tot tantiſque perverſis conſuetudinibus ad votum quorumdam repertis contemnitur? Quæ quamvis Deo annuente veraciter percipiatur, operibus tamen à nonnullis diverſis negligitur modis, & idcircò accidiſſe cognoſcimus, quia irrepſit inter quoſdam nimium deflenda conſuetudo, qui utique, legibus divinis quibus ſe per fidem ſubdiderunt non ut oportet animadverſis, quod libet & licitum non eſt, ſed & quod licet, non tamen expedit, legem ſibi faciunt, & ſecundùm id quod libitum fuerit, vivere ſe poſſe inculpabiliter credunt. His ita præmiſſis neceſſe eſt, ut unuſquiſque fidelis penetralia cordis ſui rimetur, & ſi fidem Chriſti, quam percepit, operibus non exornat, pacti quod cum Deo in baptiſmate fecit, ſe prævaricatorem eſſe cognoſcat. Dum ergo tempus habet, Chriſti adjuvante gratiâ, viam ſalutis non verbis tantùm, ſed operibus repetat. Non ergo mirum eſt ſi mucro divinus graſſatur, ubi fides Chriſti non veraciter, ſed ſimulanter tenetur. Semper enim dicimus nos Deum velle quærere, & de præteritis admiſſis ab eo veniam poſtulare, & mentimur; quia quod dicimus, adimplere differimus. Quotidie etiam dicimus viam Dei à quâ peccando exorbitavimus, nos quærere velle, per quam ad Deum revertamur, & Deus ſtravit eam in conſpectu oculorum noſtrorum, & per eam ingredi contemnimus. Quis ratione utens ignorat nos debere ſemper potiora eligere, & viliora contemnere? Diverſis divinæ ultionis cladibus merito noſtræ iniquitatis atterimur, & ad eum à quo percutimur, reverti contemnimus, adimplentes illud Propheticum: *Et populus non eſt reverſus ad percutientem ſe, & Dominum exercituum non exquiſierunt.* Verendum porrò ſatis eſt, ne nobis toties à Domino per legales & Propheticas, atque evangelicas & apoſtolicas denuntiationes ſive commmationes, admonitis & flagellatis, & ad Deum veraciter redire contemnentibus, illud tandem proveniat, quod Iſraelitico populo Prophetis Domini inſultanti, & ad Deum reverti contemnenti provenit; quorum iniquitates Dominus diù patienter pertulit, & ad extremum iis propitiari nolens, eos in Aſſyriorum captivitatem migrare permiſit. Aſſyrii namque ſignificant, [o] & interpretantur captivantes. Unde ſatis vigilanter providendum eſt, ne ſicut illi corporaliter, ita nos, quod abſit, ſpiritualiter in eorum deveniamus captivitatem.

Iſai. 9. 13.

CAPUT XII.

Quòd graviùs puniantur qui fidem Chriſti perceperunt, & in malis vitam finierunt, quàm illi qui ſine fide mortui ſunt, & tamen bona opera egerunt.

DIci ſolet à nonnullis Chriſtianis, quòd hi qui in Chriſto renati ſunt, quamquam ſceleratè vivant, & in malis operibus diem extremum claudant, diuturno, *& cætera ut in lib. 2. cap. 19. de Inſtit. Laic. uſque ad, quàm poſt agnitionem retrorſùm converti.*

Quapropter procurandum eſt, ut dum in hac vitâ vivitur, bonis operibus inſiſtatur. Admonet quippe Dominus in Evangelio: *Vigilate & orate, quia neſcitis diem neque horam.* Matt. 25. 13.
Item: *Dies Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet.* Item: *Ambulate dum* 2. Pet. 3. 10.
lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant. Et Joan. 12. 35.
Apoſtolus: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc* 2. Cor. 6.
dies ſalutis. His documentis perdocemur, quòd indulta tempora pœnitentiæ in vanum non ſint deducenda; & quòd fid[illegible] Chriſti bonis ſemper operibus ſit exornanda.

CAPUT XIII.

Quòd ad Eccleſiam orandi gratiâ frequenter conveniri debeat.

QUia moderno tempore Chriſtiani populi devotio à devotione plebium fidelium, quæ ſub Apoſtolis exſtitit, longè ſit impar, in præcedentibus jam commemoratum eſt, *& cætera ut in lib. 2. cap. 11. de Inſtit. Laic.*

CAPUT XIV.

Quòd in Eccleſiâ Chriſti non ſit otioſis turpibuſque fabulis vacandum; & quòd qui hæc faciunt, non ſolùm ſibi peccata non minuant, ſed & majora accumulent.

MUlti Eccleſiam ingreſſi, non ad Deum puram ſimplicemque orationem dirigunt: quoniam quod ore precantur, hoc etiam mente non meditantur, *& cætera in lib. 1. cap. 13. Inſtit. Laic.*

CAPUT XV.

Quòd & in aliis competentibus locis, ſi locus Baſilicæ procul fuerit, oratio ad Deum, & confeſſio peccatorum fieri poſſit & debeat.

SIcut ſunt nonnulli, [p] qui orandi gratiâ Eccleſiæ limina frequentare negligunt, ita è contrario exi-

o *namque ſignificant*] Editum erat *namque Dominum ſignificant.*

p *ſicut ſunt nonnulli*] Hoc quidem caput integrum reperitur ſuprà, in cap. 14 libri de Inſtit. Laic. ſed ideircò iterum edi oportere arbitrati ſumus, quod in iis quæ hic exſcribit Jonas ex libro tertio Regum, occurrunt variæ lectiones non paucæ.

ſtunt plerique, qui pro eo quod Baſilicas adire nequeunt, & Reliquias Sanctorum præſtò non habent, idcircò vota precum ſuarum ad Dominum, ut oportet, ſupplici devotione non ſundunt, non animadvertentes quòd Deus non ſit minùs in parte quàm in toto, ſed ubique totus, ubique præſens, ubique mirabilis. Unde ait Pſalmiſta: *Quo ibo à ſpiritu tuo: & quo à facie tuâ fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades. In omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino.* Legitur itaque in libro Regum: *Si egreſſus fuerit populus tuus ad bellum contrà adverſarios ſuos, per viam in quâ miſeris eos, adorabunt te contrà viam in quâ civitas hæc eſt quam elegiſti, & domus quam ædificavi nomini tuo, tu exaudies de cœlo preces eorum, & obſecrationem, & ulciſceris. Si autem peccaverint tibi (neque enim eſt homo qui non peccet) & iratus fueris eis, & tradideris hoſtibus, & captivos duxerint eos in terram longinquam, vel certè quæ juxtà eſt, & converſi in corde ſuo in terrâ ad quam captivi ducti fuerint, egerint pœnitentiam, & deprecati te fuerint in terrâ captivitatis ſuæ, dicentes: Peccavimus, iniquè fecimus, injuſtè egimus, & reverſi fuerint ad te in toto corde ſuo, & in totâ animâ ſuâ, in terrâ captivitatis ſuæ, ad quam ducti ſunt, adorabunt te contrà viam terræ ſuæ, quam dediſti patribus eorum, & urbis quam elegiſti, & domûs quam ædificavi nomini tuo, tu exaudies de cœlo, hoc eſt, de firmo habitaculo tuo preces eorum, & facies judicium eorum.* Et in libro Daniel: *Quod cum Daniel comperiſſet, id eſt, conſtitutam legem, ingreſſus in domum ſuam, & feneſtris apertis in cœnaculo contrà Hieruſalem, tribus temporibus in die flectebat genua, & adorabat, confitebaturque coram Deo ſuo, ſicut & ante facere conſueverat.* Apoſtolus quoque ait: *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus ſine irâ & diſceptatione.* Hieronymus ad Euſtochium: » Egredientes hoſpitium armet oratio: regredientibus de plateâ oratio occurrat antequàm ſeſſio; nec priùs corpuſculum requieſcat, quàm anima paſcatur: ad omnem actum, ad omnem inceſſum manus pingat crucem.

Pſal. 138. 7.
Ibid. 102. 22.
3. Reg. 8. 44. & 2. Paralip. 6. 34. & ſeqq.
Daniel. 6. 10.
1. Tim. 2. 8.
Hieron. epiſt. 22. ſub finem.

CAPUT XVI.

De obſervatione diei Dominici, & perceptione Corporis & Sanguinis Domini noſtri JESU-CHRISTI.

NAm & in hoc obnixè deprecamur, ut in obſervatione diei Dominici, quo Deus lucem mundi condidit, & quo Auctor vitæ à mortuis reſurrexit, quo etiam Spiritum ſanctum paracletum de cœlis Apoſtolis miſit, ſicuti dudum genitorem veſtrum admonendo deprecati ſumus, debitam adhibeatis curam, & tanto diei debitum impendatis honorem; ſcilicet ut ipsâ die, quantum poteſtis, à curis & ſollicitudinibus mundanis vos exuatis, & quod tanti diei venerationem competit, & vos faciatis, & veſtros exemplo veſtro ad id faciendum erudiatis & agere doceatis. Ad perceptionem verò ſacri Corporis & Sanguinis Domini noſtri JESU-CHRISTI, nihilominùs monemus, ut ſicut Chriſtianæ religioni expedit, congruis temporibus ſalubriter [vos] præparetis; attendentes illud Evangelicum: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego reſſuſcitabo eum in noviſſimo die. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Quatenùs id exequentes, veſtro exemplo vobis famulantes ut hoc faciant inſtruatis.

Joan. 6. 55.

CAPUT XVII.

Qui Imperatorum vel Regum veraciter felices dici poſſint & debeant.

HOc Opuſculum, Optime Rex, ob amorem ſalutis veſtræ digeſſimus, humiliter deprecantes, ut illud, ſicut jam in præcedentibus dictum eſt, libenter legere & audire dignemini, quatenùs libentiùs atque frequentiùs deinceps Serenitati veſtræ ea, quæ ad ſalutem animæ veſtræ, & honorem regni pertinere cognovero, alacri animo ſcribam. Quod tamen Opuſculum non meis, ſed beati Auguſtini Doctoris eximii verbis finiendum ratum dignumque duxi, ut in eis perſpicuè cognoſcatis, qui Imperatores, quive Reges felices dici poſſint & debeant. Scribit autem in libro v. de Civitate Dei inter cætera, ita: « Neque nunc nos Chriſtianos quoſdam Imperatores ideò felices dicimus, quia vel diutiùs imperarunt, vel Imperatores filios morte placidâ reliquerunt, vel hoſtes Reipublicæ domuerunt, vel inimicos cives adversùs ſe inſurgentes, & cavere, & opprimere potuerunt. Hæc enim & alia vitæ hujus ærumnoſæ vel munera vel ſolatia quidam etiam cultores dæmonum accipere meruerunt; qui non pertinent ad regnum Dei, quo pertinent iſti, & hoc ipſius miſericordiâ factum eſt, ne ab illo iſta, qui in eum crederent, velut ſumma bona deſiderarent: ſed felices eos dicimus, ſi juſtè imperant, ſi inter linguas ſublimiter honorantium, & obſequia nimis humiliter ſalutantium non extolluntur, ſed ſe homines eſſe meminerunt: ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maximè dilatandum, Majeſtati ejus famulam faciunt: ſi Deum timent, diligunt, colunt: ſi plus amant illud regnum, ubi non timent habere conſortes: ſi tardiùs vindicant, facilè ignoſcunt: ſi eamdem vindictam pro neceſſitate regendæ, tuendæque Reipublicæ, non pro ſaturandis inimicitiarum odiis exerunt: ſi eamdem veniam non ad impunitatem iniquitatis, ſed ad ſpem correctionis indulgent: ſi quod aſperè plerumque coguntur decernere, miſericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compenſant: ſi luxuria tantò eis eſt caſtigatior, quantò poſſit eſſe liberior: ſi malunt cupiditatibus pravis, quàm quibuſlibet gentibus imperare: & ſi hæc omnia faciunt non propter ardorem inanis gloriæ, ſed propter caritatem felicitatis æternæ: ſi pro ſuis peccatis, humilitatis, & miſerationis, & orationis ſacrificium Deo ſuo vero immolare non negligunt. Tales Chriſtianos Imperatores dicimus eſſe felices, interim ſpe, poſtea re ipsâ futuros, cum id quod exſpectamus advenerit. « Deo gratias.

Auguſt. lib. 5. de Civit. Dei cap. 24.

MONITUM.

ABBONIS *Monaſterii Pratenſis Cœnobitæ ac Presbyteri ſermones ſuppeditavit ſcriptus codex ejuſdem Abbatiæ, quos inter plures haud luce indignos judicavimus. Quinque itaque deſcripſimus, qui potiſſimùm Eccleſiaſticam diſciplinam eo tempore obſervatam oſtentant, docentque præ cæteris modum Eccleſiæ reconciliandorum publicè pœnitentium, atque iiſdem Euchariſtiæ conferendæ tempus: reliquos aliàs fortean edituri cùm opportuna dabitur occaſio, mittimus interim.*

Cur vero Sermones iſtos conſcripſerit vulgaveritque ABBO, cauſam affert in Argumento ſive præfatiuncula Sermonibus præfixâ, his verbis ad Lectorem: Hoc Opuſculum tibi nudo, *&c. Elucubravit ABBO & libros duos verſibus de obſidione Lutetiæ Pariſiorum à Normannis factâ an.* 886. *&* 887. *quo tempore vivebat. Vir fuit Scripturæ divinæ, Conciliorum, ac Sanctorum Patrum non ignarus, atque ut ea ferebant tempora, ſatis diſertus.*

Anno circ. 940.

SERMONES .V. SELECTI

ABBONIS.

MONACHI S. GERMANI A PRATIS.

Incipit argumentum Libri ſequentis.

NOVERIS, Lector ſive Auditor, quicumque es mediocris loquacitatis dives, ſed latinitatis indiges; hoc Opuſculum tibi nudo nuditer factum, ut qui per obſcura Doctorum commenta & homilias non intelligis Evangelia, ſaltem huic libello ab illis mutuato intendas vel legendo, vel audiendo. In hoc quippe codicillo omnia quæcumque legeris invenies patefacta tuæ ſaluti, aliorumque hominum quibus revelabitur; Evangelicas videlicet expoſitiones, ſimulque ſermunculos rebus temporibuſque aptiſſimos. Me reverà, ABBONEM ſcilicet Monachum, & miſerabiliorem cunctis mortalibus, coegerunt Epiſcopi FROTERIUS videlicet Pictavæ ſedis, & maximè FULRADUS Pariſiacæ, illud tenui ſtilo cudere negotium, ad utilitatem ſimplicium Clericorum; quatenùs hinc omni tempore ſumant auſum [a], & hauriant potum [*] prædicandi ſubjectis. Igitur memores eſtote, Lectores, Abbonis in veſtris ſacris, vernaculi Beatiſſimi Germani tutoris Parriſii ab obſeſſione hoſtili. Dignum eſt ſiquidem, ut qui penè indicibili ſudore expleveram juſſa Præſulum, quodlibet adminiculum mente ſentiam orationibus.

SERMO I.

IN COENA DOMINI.

Quæ hac die in Eccleſiâ geruntur Paſcha celebratur: & pedes diſcipulis lavantur à Chriſto.

HÆc igitur dies, Fratres cariſſimi, à fidelibus Chriſti longè lateque per orbem diffuſis congrua devotione, tota in celeberrimæ ſolemnitatis laude expenditur. Hodie digniſſimum Paſchæ à Domino & à Diſcipulis celebratur, & ab ipſo in exemplum imitandæ humilitatis, pedes eorum lavantur, atque ſancta myſteria Corporis ac Sanguinis ſui traduntur. Hodie ad colligendos novos populos ſanctum Chriſma ab Epiſcopis conficitur; templi pavimenta, & altaria, ſacra quoque vaſa purificantur.

Chriſma conficitur.

Hodie pia mater Eccleſia ſuper filios adoptivos, quos in fide genuit, quoſque olim pro quibuſdam erratuum ſuorum piaculis corrigendos amiſit [b], dum iterum ad ſe reverti per reconciliationem conſpicit, ovanter congratulatur. In quâ videlicet die omnes vos ad eamdem reconciliationem, ut abſolvi poſſitis à delictis, promptiſſima voluntate confluere dinoſcimus: quam largiflua ſupernæ pietatis gratiâ annuente, ſicuti devotis expoſcimus animis, ut debitores adſumus, & pro vobis rationem reddituri, totis præcordiorum niſibus ejus fiduciâ freti, qui dixit: *Quodcumque ſolveritis ſuper terram, erit ſolutum & in cælo*; vobis adminiſtrare cupimus. Matt. 18. 18.

Pœnitentes reconciliantur.

Sed cum Paſtoralis curæ ſarcinam nos ſcelerum gravedine refeſſos immeritò ſubeſſe comperimus, quam [*] imprudenter arripuimus quod non debuimus, ad hoc aſſurgere formidamus; timentes ne illud Propheticum in nos retorqueri videatur, quod de reprobis paſtoribus dicitur: *Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt.* Ezech. 13. 19 Unde adeo neceſſe eſt, ut proprias primùm continuis fletibus mundemus maculas criminis, deinde unumquemque veſtrûm paſtorali ſollicitudine ad-

a *ſumant auſum*] Forte *hauſtum*, ait Baluzius, mihi verò longè aliter videtur, nam in voce *auſum*, nihil video quod cuiquam diſplicere debeat: ſed vox *potum* quæ ſequitur, niſi fallor, vitioſa eſt; nec valde admodum dubito quin ejus loco reponendum ſit *potatum*, aut aliud ſimile.

b *corrigendos amiſit*] Ut ſuperiùs Baluzii, ſic hoc loco Acherii conjecturam refellere cogor: nam quod monet ut legendum eſt: *admiſit*, fruſtrà eſt; nec dubium cuiquam eſſe debet quin multo aptius ſit, *amiſit*. Infrà reſtituendum mihi videtur, *quoniam imprudenter arripuimus*.

moneamus,

moneamus, ut qui hanc abſolutionem adipiſci deſiderat, introrſùs redeat, oculos cordis ad conſcientiam revolvat, & ſi illicita quæque, à quibus nemo liber ſit, admiſit, ſinceræ confeſſionis recordatione, & ſpiritu contribulato in arâ cordis Domino hoſtiam immolet, & ſe ſe in omnibus corrigere ſatagat. Non enim cogitationum noſtrarum intentiones, niſi qui *omnia ſcrutatur corda, & univerſas mentium cogitationes intelligit*, quiſlibet poteſt intueri. Omnes quidem ad captandæ abſolutionis effectum veniunt, ſed non æquanimiter: alii namque in ſordes peccatorum illapſi obſtinato animo perſeverant: alii quoque ea quæ iniquè aliquando geſſerunt, non ſolùm perpetrare erubeſcunt, verùm etiam fletibus amariſſimis punire ſollicitant. De iſtis verò legitur: *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus*: de illis quippe ſtatim ſubſequitur: *Qui autem mentis eſt duræ, corruet in malum.*

Paral. 28. 9.

Veri & falſi pœnitentes.

Prov. 28. 14.

Proinde paternâ admonitione jubemus, ne quiſlibet converti ad Deum differat, cum ille dicat: *Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat.* Et, *In quâcumque horâ peccator converſus fuerit & ingemuerit, omnia peccata ejus oblivioni tradentur.* Hinc etiam ipſe in Evangelio ait: *Gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta juſtis, qui non indigent pœnitentiâ.* Cum autem, Fratres cariſſimi, tot ſanctarum Scripturarum exempla, pluraque alia mentis noſtræ in intellectu tantam inſerant conſolationem, & converti ad Deum nolumus, quomodo ex peccatis veniam quærimus? Hinc enim Dominus per Prophetam dicit: *Pluam ſuper unam civitatem, ſuper aliam non pluam.* Super unam quidem civitatem Dominus pluit, dum ſuper quorumdam corda fidelium ad ſe convertentia ſalutiferum ſancti Spiritûs imbrem infundit. Sed ſuper aliam civitatem idem Dominus non pluit, dum pleriſque animo obduratis gratiam ſuæ viſitationis ſubtrahit. Sic namque in hac Eccleſiâ timeri poteſt, ut quibuſdam pro meritorum ſuorum qualitate concedatur abſolutionis gratia, & quibuſdam, quod abſit, ſubtrahatur. Audiſtis enim quid Dominus cum ad prædicandum mitteret diſcipulos præceperit eis, dicens: *In quamcumque domum intraveritis, ibi manete: ſi autem ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper eum pax veſtra; ſin autem, revertetur ad vos.* Ideoque, fratres, omni conſtantia procurate ne diſpar, ſed ſicut in omnibus communis eſt gratia baptiſmatis, ita exſtet & abſolutionis; quia hodie, ut præmiſſum eſt, Paſcha celebravit cum diſcipulis, & in craſtinum glorioſam ſubiit mortem: & de hoſte reſurgendo à mortuis nos eripuit Jesus-Christus Dominus noſter.

Ezech. 18. 31.
Ibid. 24.
Luc. 15. 7.
Amos 4. 17.
Luc. 9. 4.
Ibid. 10. 5.

SERMO II.

De Cœnâ Domini, & de multis Sacramentis ejuſdem diei.

FRatres Cariſſimi, hodie in iſtâ die gaudent & ſunt læti omnes fideles Chriſti, qui ſunt per totum iſtum mundum. Hoc debetis ſcire pro quali causâ debent hodie læti eſſe toti Chriſtiani pluſquàm in alia die. Propterea debetis vos eſſe læti, quia in iſtâ die fecit Dominus Paſcha cum diſcipulis ſuis, & in iſtâ die lavavit Dominus pedes diſcipulorum ſuorum, & oſtendit omnibus hominibus exemplum de humilitate; ut omnes homines illi ſe humiliarent, & lavarent pedes pauperum. Et in iſtâ die fecit Dominus cœnam cum diſcipulis ſuis, hoc eſt manducavit & bibit cum ſuis diſcipulis. Et in iſtâ die conſecravit Dominus primâ vice de pane ſuum Corpus, & de vino ſuum ſanguinem. Et in iſtâ die ceſſavit vetus Teſtamentum, & accepit finem lex Judæorum. Et in iſtâ die incipit novum Teſtamentum, hoc eſt Evangelium. Et hodie incœpit Religio Chriſtianorum in ipſa cœnâ Domini. Et hodie in iſtâ die debent omnes Epiſcopi conſecrare, hoc eſt benedicere chriſma, unde nos facimus novellos Chriſtianos. Et hodie debent lavari Eccleſiæ, & altaria, & illa ſancta vaſa quæ ſunt in Eccleſiâ. Hodie gaudet ſancta mater Eccleſia recipere, & reconciliare ſibi ſuos filios, hoc eſt, Chriſtianos, quos emiſit foras pro illorum culpis. Et in iſtâ die, Fratres, videmus nos, quia propterea veniſtis ad iſtam Matrem Eccleſiam, ut poſſitis habere ipſam reconciliationem quam perdidiſtis propter veſtra peccata, & quo vos poſſitis abſolvi ab omnibus veſtris peccatis.

Verè, Fratres cariſſimi, hoc debetis ſcire unde fuit incœptum hoc exemplum, ut Epiſcopi peccatores homines ejicerent de Eccleſiâ in capite jejunii, & iterum poſt completam dignam pœnitentiam reciperent ipſos peccatores in Eccleſia. Nam quando noſter Dominus, qui eſt Deus omnipotens, fecit primum hominem Adam, totum illum fecit ſanctum, & juſtum & immortalem. Sanctitas autem & juſtitia, & immortalitas fecerunt ipſum Adam habere imaginem & ſimilitudinem Dei. Et propterea dixit Deus antequàm crearet Adam: *Faciamus hominem ad ſimilitudinem noſtram*, hoc eſt faciamus hominem ſanctum, & juſtum, & immortalem. Et iſtam ſuam imaginem nos commendat Dominus habere, quando dicit in Evangelio: *Eſtote ſancti, quia & ego ſanctus ſum.* Et in alio loco dicit: *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt.* Ergo quia Deus tam bonum & tam ſanctum fecit Adam, propterea legimus, *quia miſit eum in Paradiſum ut operaretur, & cuſtodiret illum.* In ipſo autem Paradiſo dedit ei Dominus omnem gloriam. Ibi videbat Angelos, & loquebatur cum illis; & nunquàm moreretur ſi non peccaſſet. Ibi audiebat Dominum ſecum loquentem, & talem obedientiam ſibi commendantem, ut nunquàm comederet de ligno ſcientiæ boni & mali. In ipſâ verò horâ qua peccavit Adam, ejecit eum Dominus, qui eſt Epiſcopus Epiſcoporum, foras de Paradiſo; & dixit illi: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Et poſtquàm fuit Adam ejectus de Paradiſo, quid fecit? Certè longam pœnitentiam fecit per ſexcentos annos, & eo ampliùs. Ad ultimum verò poſt ſuam mortem miſſus eſt in carcerem infernalem, ubi longo tempore planxit & doluit, quia propter ſuum peccatum perdiderat Paradiſum: & tam grandi tempore fuit ibi dolens & pœnitens, donec Dominus noſter Jesus-Christus, qui eſt Pontifex Pontificum, abſolvit eum per ſuam paſſionem, & liberavit eum de pœnis tenebrarum, & reddidit ei Paradiſum.

Geneſ. 1. 26.
Levit. 11. 44.
Luc. 6. 36.
Geneſ. 2. 15.
Ibid. 3. 19.

Igitur, Fratres; nos Epiſcopi ſumus vicarii Domini noſtri Jesu-Christi in hoc mundo, & ſumus miſſi, & ordinati in loco ejus: & propterea poſt Apoſtolos dedit nobis Dominus poteſtatem ligandi animas atque ſolvendi, & præcepit nobis ædificare, & plantare bonos homines in domo Domini, & evellere [de eâ] hoc eſt de Eccleſiâ. Sic enim dicit Dominus per Jeremiam Prophetam: *Ecce conſtitui te ſuper gentes, & ſuper regna, ut evellas, & diſſipes, & ædifices, & plantes in domo Domini.* Attendite, Fratres, de bono animo hoc quod nos vobis volumus dicere. Propterea miſit Dominus Adam in Paradiſum, ut in ipſo Paradiſo naſcerentur omnes electi, & operarentur voluntatem Dei uſque ad plenam ſenectutem, & de illo tranſirent ad cœleſtem patriam. Et certè ſic facerent, ſi Adam non peccaſſet.

Epiſcopi locum tenent Jeſu-Chriſti

Jerem. 1. 10.

Adam figura & exemplum verè pœnitentium.

Fratres, iſtud exemplum Domini noſtri Jesu Christi tenemus nos Epiſcopi in Eccleſiâ, peccatores verò tenent exemplum Adam: verbi gratiâ, ſicut filius Dei miſit Adam ſanctum & juſtum in Paradiſum, ſimiliter nos & omnes Sacerdotes mittimus in Eccleſiam homines ſanctificatos, & juſtificatos in baptiſmo. Cur mittimus eos homines in Eccleſiam, qui jam facti ſunt ſancti per baptiſmum? Et propter ipſam cauſam pro quâ Dominus miſit Adam in Paradiſum, hoc eſt ut operaretur & cuſtodiret illum Paradiſum. Similiter & nos Sacerdotes propterea mittimus homines baptizatos in Eccleſiam, ut omni tempore operentur in eâ voluntatem Dei, & cuſtodiant illam Eccleſiam, hoc eſt Chriſtianitatem. Deus omnipotens donavit Adam legem quam debuit obſervare per obedientiam. Qualem legem? Ut non manducaret de arbore ſcientiæ boni & mali. Similiter & Dominus per nos donat vobis legem quam debetis ſervare in Eccleſiâ. Qualem legem vobis donat Dominus per nos, id eſt, per noſtram admonitionem?

Exod. 20. 13.

Non occides, non mœchaberis; non adulterabis; non furtum facies; non falſum teſtimonium dices; non perjurabis; diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; & diliges proximum tuum ſicut temetipſum. Fratres, iſta omnia præcepta vobis donat Dominus per nos, ut cuſtodiatis illa, & operemini illa per obedientiam.

Sed quid fecit Dominus de Adam pro eo quod non cuſtodivit obedientiam? Certè ejecit eum foras de Paradiſo plorantem, & lugentem, & nimis contriſtantem. Similiter & nos Epiſcopi propterea quia vos non cuſtodiſtis obedientiam præceptorum Dei, quæ nos ſuprà nominavimus, propterea ejecimus vos foras de Eccleſiâ, & cantavimus poſt vos hoc quod Dominus poſt Adam cantavit, quando expulit eum de Paradiſo:

Geneſ. 3. 19.

In ſudore vultûs tui veſceris pane tuo, & reliqua. Sed quid fecit Adam poſtquàm fuit ejectus de Paradiſo? Certè multam & dignam pœnitentiam fecit Adam, ut dignus eſſet quòd Deus reciperet eum in Paradiſum. Et vos ſimiliter fecitis dignam pœnitentiam in iſtâ Quadrageſimâ, quo vos ſitis digni intrare in Eccleſiam, & communicare Corpori & Sanguini Domini. Et propterea vos gaudenter recipit ſancta mater Eccleſia inter filios ſuos, qui ſunt filii Dei adoptivi, hoc eſt electi. Hoc tamen debetis ſcire, quia ſicut beatus Ambroſius dixit, nullus Epiſcopus poteſt abſolvere pœnitentes, niſi ipſa pœnitentia eorum fuerit digna de abſolutione. Pœnitentiâ de pœnâ accepit nomen, ut homo peccator habeat pœnam in corpore, jejunando & affligendo carnem ſuam per abſtinentiam, & per vigilias in orationibus. Unde ait beatus Hieronymus, Grandia jejunia expellunt fortia vitia de homine; & longa parcitas cibi & potûs occidit luxuriam. Et propterea vobis dicimus hoc, ut ſi non habetis adhuc illam pœnitentiam factam, quæ Deo placeat, ex veſtrâ voluntate perficite illam: & ſi non poteſtis jejunare, vel eleemoſynas facere, quæ liberent veſtras animas de inferno, non debetis hoc attendere ut vos unquam non faciatis plus de pœnitentiâ niſi quantum vobis fuerit commendatum: ſed de veſtrâ voluntate debetis plus facere, ſicut faciebant Sancti, qui portabant cilicia, & abſtinebant à carne & à vino, & jejunabant uſque ad veſperam propter deſiderium vitæ æternæ; & unquam non fuit illis Sanctis de Sacerdotibus talis pœnitentia commendata.

Fratres, jam modo eſt Adam receptus in cœleſti Paradiſo; propter multam laborioſam pœnitentiam meruit accipere ſocietatem cum Dei fidelibus redemptis de ſanguine Chriſti. Et vos, Deo gratias, hodie propter veſtram pœnitentiam eſtis recepti in Eccleſiam quaſi in Paradiſum. Et quia vos conveniſtis in iſtâ die ad recipiendam ſocietatem ſanctæ Eccleſiæ & abſolutionem de veſtris peccatis, & ideo veniſtis cum toto deſiderio, quo vos poſſitis recipere tam magnum gaudium de Paſchali ſolemnitate, & quo poſſitis communicare de Corpore & Sanguine Domini: propterea non debet remanere in vobis ſuperbia, per quam cecidit Lucifer angelus de cœleſti gloria in infernum.

Quæ peccata fugere debent pœnitentes qui Euchariſtiam volunt recipere.

De ipſa ſuperbiâ inquit ſcriptum: *Deus ſuperbis hominibus reſiſtit, humilibus autem donat ſuam gratiam.*

Jac. 4. 6.

Si ille angelus Lucifer per ſuperbiam perdidit æternam gloriam, nos qui homines ſumus non poterimus unquàm habere illam gloriam, ſi non per humilitatem. Debet ceſſare in vobis omnis iracundia, de qua dicit Joannes Apoſtolus:

1. Joan. 3. 15.

Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Et Dominus dicit in Evangelio:

Matt. 6. 14.

Si non dimiſeritis peccata hominibus, nec Pater veſter cœleſtis dimittet vobis peccata veſtra. Debetis etiam dimittere, ut non decipiatis alios homines per veſtra vitioſa mendacia, & per veſtra ingenioſiſſima juramenta. Verè illos tales homines qui hoc faciunt maledicit omnis Eccleſia, orans cum Propheta:

Pſal. 11. 4.

Diſperdat Dominus univerſa labia doloſa. Et:

Ibid. 27. 3.

Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum. Da illis, Deus, ſecundùm ipſorum opera. De ventris ingluvie admonet vos Dominus temperare dicens:

Luc. 21. 34.

Attendite ne graventur corda veſtra in crapulâ & ebrietate. Crapula & ebrietas eſt nimium manducare, & nimium bibere. Satis ſcitis vos quia propter ingluviem ventris cruciatur dives in inferno. Illi homines qui ſemper manducant & bibunt uſque ad ſaturitatem, & uſque ad ebrietatem, illi de ſuo ventre faciunt ſuum Deum. Unde ait Apoſtolus:

Philip. 3. 19.

Quorum Deus venter eſt, & gloria eorum in confuſione: hoc eſt in verecundiâ ipſorum erit, qui terrena ſapiunt. Et iterum dicit Apoſtolus:

1. Cor. 6. 13.

Eſca, hoc eſt cibus, *ventri eſt Deus, & venter eſcis*, hoc eſt cibis. *Deus autem hunc* ventrem, & *hac*, id eſt, eſcas, *deſtruet* in fine mundi. Hoc etiam nos commonet ut fugiamus fœtores luxuriæ, & omne genus fornicationis. Unde dicit Apoſtolus:

Ibid. 6. 9.

Neque fornicatores, neque adulteri regnum Dei poſſidebunt. Et beatus Hieronymus ait, Qui autem luxuriatur, vivens mortuus eſt. Præterea grandis bonitas eſt, ut dimittamus avaritiam, de quâ dicit Apoſtolus:

Epheſ. 5. 5.

Avaritia eſt idolorum ſervitus: hoc eſt, ille homo qui avarus eſt, ille adorat idola, & ſervit diabolis. Et iterum ait Apoſtolus:

1. Timot. 6. 9.

Illi homines, *qui volunt eſſe divites, cadunt in tentationem & in laqueum diaboli:* hoc eſt in catenam diaboli, & cadunt *in deſideria multa & nociva, quæ mergunt homines in perditionem.* Unde ait Jacobus Apoſtolus ad ipſos divites:

Jac. 5. 2.

Veſtræ divitiæ putrefactæ ſunt: veſtimenta veſtra tineæ comederunt; aurum & argentum veſtrum æruginavit, & ærugo eorum erit vobis in teſtimonium; & ipſa ærugo devorabit veſtras carnes ſicut ignis. Omnis homo qui divitias habet, & veſtimenta ſatis habet, & aurum vel argentum poſſidet, & videt ante ſe pauperes mori de fame, aut de frigore, homicida eſt. De diſcordiâ verò admonere vos debemus ut non ſit unquàm in vobis diſcordia, quia non eſt ſub cœlo ulla peſtilentia, quæ ſic devaſtet regna, & civitates & villas, & ipſos homines, quomodo diſcordia facit, teſte Salvatore in Evangelio:

Luc. 11. 17.

Omne regnum in ſe ipſum diviſum, id eſt diſcordans, *deſolabitur:* hoc eſt in deſertum veniet.

De iſtis omnibus peccatis ſupradictis debetis Deum deprecari, ut donet vos facere talem pœnitentiam, & talem emendationem, quæ Deo placeat, & vobis proficiat ad vitam æternam, ipſo adjuvante qui nunc vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Digitized by Google

SERMO III.

In portâ Eccleſiæ ad Pœnitentes nondum adeptos reconciliationem.

VObis quoque, Fratres, quos nunc mater Eccleſia non recipit, quia non eſt adhuc tempus completæ pœnitentiæ veſtræ: Vobis, inquam, convenit exhortatio atque conſolatio; ſcilicet ut non contriſtemini de hoc, quod non modo vos recipit mater Eccleſia. Non enim audemus, nec debemus decipere animas veſtras, quæ nobis commiſſæ ſunt ad vitam æternam perducere. Nullus eſt certè Epiſcopus qui poſſit abſolutionem dare, niſi poſt pœnitentiam factam & dignam ſatisfactionem. Ac propterea volumus vos confortari, & conſolari & exhortari, ut non habeatis triſtitiam, ſed cum omni curâ obſervare veſtram pœnitentiam. Nam veſtra pœnitentia ſi benè fuerit facta, eſt magnum gaudium Angelorum in cœlo. Quia ſicut ipſe Salvator ait, *Gaudium eſt Angelis Dei in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta novem juſtis qui non indigent pœnitentiâ.* Ergo cum omni humilitate & puritate cordis, ſine irâ & ſine aliquo ſcandalo pœnitemini, & deprecamini pium Deum ut reſpiciat vos, atque dignanter recipiat veſtram humilitatem.

Luc. 15. 7.

Quæ vera pœnitentia.

Providete etiam, ut pœnitendo & jejonando non cadatis in aliquod criminale peccatum, quia ille homo qui jejunat & peccat, ſimilis eſt diabolo ſemper jejunanti & ſemper peccanti. Hoc quoque debetis obſervare in veſtrâ pœnitentiâ, ut illud faciatis jejunium, quod ſit ſanctificatum ex duabus cauſis, hoc eſt, de orationibus atque eleemoſynis. Unde commonet nos Propheta: *Sanctificate jejunium.* Concedat Omnipotens nobis & vobis hujuſmodi jejunium omni tempore perficere, quod nobis aperiat Paradiſum. De ebrietate verò caſtigo vos, Fratres noſtri Concives, ut declinetis ab eâ, & non teneatis eam in uſu. Quia ebrietas nullum vitium excuſat, ſed omnia peccata generat, & eſt magnum & criminale peccatum. Nam iſta ebrietas quam tenetis à mane uſque ad noctem profundam, eſt perditio animarum veſtrarum. Verè nunquàm habebitis vitam æternam, niſi per abſtinentiam à crapulâ & ebrietate, hoc eſt, à nimiâ comeſtione & potatione. Vos etiam non obſervatis jejunium, per quod debetis vincere diabolum, ſed infringitis omne jejunium, & à Deo commendatum, & à noſtra auctoritate juſſum. Et non cogitatis quòd ille homo qui infringit unum diem in Quadrageſimâ, totam Quadrageſimam infringit. Et propterea præcipiunt ſancti Canones, ut qui infringit unum diem in Quadrageſimâ, quadraginta dies pro uno die ſolvat auctori Deo ſuo. Propter ingluviem & guloſitatem fuit ejectus Adam de Paradiſo. Et nos ſi volumus noſtram recipere hereditatem, id eſt, Paradiſum, neceſſe eſt ut per aliam viam, hoc eſt, per jejunium & abſtinentiam revertamur ad Paradiſum. Quod ipſe præſtare dignetur, qui in Trinitate & Unitate perfecta vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Joel. 2. 14.

SERMO IV.

IN COENA DOMINI.

Ad Pœnitentes reconciliatos.

HOdie, Fratres, eſt Cœna Domini, in quâ Dominus noſter cum diſcipulis ſuis manducavit, & lavit pedes eorum, dans nobis exemplum quo ſimiliter faciamus nos noſtris famulis & pauperibus. Hodie conſecratur Chriſma, unde omnes fiunt Chriſtiani. In hac die pœnitentes ſocietatem Eccleſiæ recipiunt, & ſancti Angeli gaudent de reconciliatione eorum hominum, qui veraciter pœnituerunt ſe peccaſſe, & tribulationem in ſuis corporibus jejunando, & vigilando, & Oratoria circumeundo, patienter ſuſtinuerunt, ut Deum ſibi placabilem obtinerent. Vobis itaque, fratres, quos hodie recipit ſancta Eccleſia, vobis dico, convenit admonitio & exhortatio. Illa ſcilicet vobis convenit commonitio, ut omni tempore recordemini quales eratis ante confeſſionem & pœnitentiam, & indulgentiam, quæ nunc conſequuti eſtis, vobis Deo inſpirante: ipſe enim Deus dixit: *Sine me nihil poteſtis facere.* *Joan. 15. 5.*

Igitur ante confeſſionem & pœnitentiam peccatorum veſtrorum eratis filii diaboli, & ſervi peccati, quia *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Nunc verò quia fugiſtis diabolum, & veniſtis ad pium Chriſtum per pœnitentiam, liberati eſtis à peccato, & ſervi facti eſtis Deo. Ergo neceſſe eſt vobis cum omni ſollicitudine, & omni curâ ut laboretis in omnibus operibus bonis, videlicet & non manducetis nimium, & non bibatis uſque ad ebrietatem, neque ante horam, neque poſt horam; & ſtudeatis vivere de veſtrâ juſtitiâ, non de rapinâ, quoniam ſicut ait Apoſtolus, *Raptores regnum Dei non poſſidebunt.* Memores etiam eſſe debetis terribilis ſententiæ, quam dixit Apoſtolus: *Qui in uno offendit, omnium reus eſt*; hoc eſt qui unum peccatum facit, offendit Deum, qui omnia peccata prohibuit nobis facere. Propterea vobis dico talia, ut ſi non facitis peccata quæ pœnituiſtis, nec alia committatis. Nam nihil adjuvat pœnitere, ſi poſt pœnitentiam revertitur homo ad peccatum. Et ille talis homo qui hoc facit, ſimilis eſt cani revertenti ad vomitum ſuum. Et de talibus hominibus repetentibus peccata ſua quæ jam fecerunt, dicit Spiritus ſanctus per Prophetam David, *Quia juſtificationes Domini non exquiſierunt*; id eſt, non permanſerunt in promiſſionibus ſuis, quas promiſerunt in baptiſmo & in confeſſione iniquitatum ſuarum; quam per omnia tempora vitare tribuat vobis Deus, qui vos hodie recipit in ſocietatem plebis ſuæ.

Ibid. 8. 34.

Piis operibus ſeriò incumbant pœnitentes reconciliati.

1. Cor. 6. 10.

Jac. 2. 10.

Pſ. 118. 155.

SERMO V.

De fundamento & incremento Chriſtianitatis.

PENSATE, Fratres cariſſimi, & conſiderate toto corde veſtro, & totâ animâ veſtrâ, quàm magnum nomen ſit CHRISTIANITAS, & quomodo crevit & diffuſa eſt per omnes gentes totum habitantes mundum. Nulla ſiquidem cauſa fuit unquam, nullum quippe regnum, nulla prorsùs ædificatio urbium cum toto labore conſtructa, quemadmodum Chriſtianitas, quam noſtra quotidie prava deſtruit vita. Et quamvis creviſſet Chriſtianitas, ejuſdemque ſacra Religio cum moleſtiâ dictu ineffabili, tamen omnem utique ſuperſtitionem & mortiferam gentilitatis Idolatriam glorioſè vicit, & ad pulverem uſque proſtravit. Suos denique obſervatores ſancta Chriſtianitas, quæ eſt civitas Dei, ad perfectionem conduxit. Nec mirum eſt, ſi res perfecta perfectos facit. Unde eſt ergo Chriſtiana Religio profecta? Ex fundamento videlicet immobili, omniumque firmiſſimo rerum fundatarum. Super hoc quidem fundamento veraci aſſertione loquitur Apoſtolus, dicens: *Nemo poteſt aliud fundamentum ponere, præter id* *1. Cor. 3. 11.*

fundamentum Chriſtianitatis, *quod jam poſitum eſt.* Ipſum etiam appellat Vates David pavimentum,
Pſal. 118. 25. dicens; *Adhæſit pavimento anima mea.* Hoc igitur fundamentum, ſive pavimentum eſt Jesus-Christus Dominus noſter, ſuper cujus mortem fundata eſt Chriſtiana Religio. O quantus labor ædificandæ Chriſtianitatis! Animadvertite vos Deicolæ, quàm inenarrabili tormento mortis ſtabilivit noſter Dominus Eccleſiam Chriſtianitatis, quam exoſi juſtitiam malè diſſipant: ac pro eâ fundandâ, ſed & ſtabilienda per diverſa mundi climata ſuſtinuit Dominus Jesus zabuli tentamenta, hominum opprobria, ſputa, ſpineam coronam, tandem verò terribilem Crucis necem, inque manibus ac pedibus clavos formidoloſæ molis; ſimulque ſanctus in ſancto Christus latere ultrò lanceam ſuſcepit.

Præter id tamen Sacramentum Catholici cultûs, omnia quæ operatio divina creavit ſæcula & gubernat, ſine ulla quidem moleſtiâ plenè condidit & moderatur. Siquidem in ipſo formationis mundi principio creavit cœlum & terram, Angelos, aerem, & aquam de nihilo abſque ullâ oneroſitate. In primo etiam die mundi fecit lucem de nihilo: ſecundo autem die ſtatuit firmamentum in medio aquarum ſine quolibet ſudore: tertio edidit ſpecies maris & humi, cum ſurculis radicitùs terræ inhærentibus: quarto luminaria cœli de luce, quæ in primo die patuit facta omni procul gravedine: quinto creavit natatilia & volatilia de aquis ullo ſine dolore: ſexto quidem die plaſmavit cætera animantia, hominemque partim de humo, partim ex nihilo. Et hæc omnia quidem ſuaviter, & ſine quàvis amaritudine Dominus noſter patravit Jesus-Christus, Dei ſcilicet Filius manens ſemper cum Patre, & Spiritu ſancto perſonaliter Trinitas, ſubſtantialiter Unitas. Verùm non ſic leviter primo & noviſſimo collibuit omnipotenti qui fuit mortuus, & ecce eſt vivens in ſæcula ſæculorum, habens claves mortis, & erebi: illi, inquam, non placuit tam leviter cultum orthodoxæ religionis pullulare. Quomodo igitur libuit illi? Eſtote, Fratres, vehementer intenti, ut auditu cordis percipere queatis. Nam crucis aram ſubiit, ubi & ſeipſum jecit fundamentum Chriſtianitatis, & ſuis ſequacibus prætendit exemplum ejuſdem perficiendæ religioſitatis.

Hujus autem & pavimenti memor & exempli beatus iuſſit Apoſtolus Petrus: *Chriſtus*, inquiens,
1. Pet. 2. 21. *paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Chriſtus Dominus ideo vitam carnis amiſit, quo ſtabiliret Eccleſiam Chriſtianitatis, quam judices iniquitatis cæcâ cupidine inceſſanter evertunt. Chriſtus Deus idcircò ſuum corpus ſalutiferum ſepulturæ tradidit, quo omnis ſacrilegæ cupiditas in æternum ſepulta jaceret, ſicque muta jugiter quieſceret. Chriſtus Deus pro eo mortem carnis mortem animæ occidit, quo humanæ carnis aviditas in homine ſimili Deo mortua ſemper exiſteret. Cæterum omnipotens vita Chriſtus à mortuis reſurrexit, Apoſtolos firmavit, in vaſtum orbem contrà lupos ut oves deſtinavit. Illos quoque primos armis veræ Chriſtianitatis veſtivit, ſuaque prælia quo fortiter pugnarent cum benedictione præcepit.

Ita perpendite, Fratres, quanto labore, quantiſque tribulationibus propagaverunt Apoſtoli, id eſt, arbores Paradiſi & columbæ, Chriſtianitatem cœli & regnum cœlorum in terris, & ſedem Dei ædificaverunt invitis Principibus orbis, qui appellantur lupi, & ſunt titiones inferni. Igitur ſinguli ſingulas, quibus Chriſtianitatis ovilia cuderent, elegerunt Apoſtoli provincias, quidam verò ampliores. Andreas videlicet Chriſtianitatem in Achaiâ ædificavit emptam crucis patibulo, Ægea Proconſule inferni titione facto. Thomas quoque in Indiâ citeriore quatuor lanceis perforatus, ex totidem corporis partibus aulam Chriſtianitatis ſtabilivit, Rege Meſdeo reſiſtente, & ob id in ſtipulam erebi verſo. Bartholomæus æquè in finali Indiâ truncatione capitali clauſtra Chriſticolæ fidelitatis viriliter fundavit, Rege expugnabili Aſtyage. Matthæus etiam Chriſtum Æthiopiæ indidit in Hyrcanum Regem, martyrioque ibidem ſolidavit. Chriſtianitatem Simon quoque & Judas Apoſtoli in Regno Perſidis ſui dumtaxat fundamenti imitatores Chriſti, dogmata Deicolæ Religionis cordibus innumeris prophanorum infuderunt: ob quod itaque pretioſiſſimum facinus à ſacerdotibus Idolorum interfecti, & ſibi, omnique Perſidis Regni Eccleſiæ obtinuère polum, redactis eiſdem ſacerdotibus in fomitem ignis averni. Siccine propagata eſt Chriſtianitas, quæ eſt civitas Dei, ſævis mortibus fundata propagatorum. Jacobus quoque beatiſſimi Joannis Evangeliſtæ germanus, quin etiam ſui homonymus Domini noſtri Jesu-Cristi frater, ob eadem ſanctam in Samariâ atque Judæa ſtabiliendam ſimiliter occubuerunt: alter quidem gladio Herodis, alter verò letifero ictu cujuſdam fullonis lapidibuſque Judæorum velociter obrutus. Johannes nihilominus ſuorum condiſcipulorum Chriſto cariſſimus, fluenta ſophiæ ab herili pectore hauſta Aſiæ propinavit, Chriſtique Chriſtianitatem ſponſam ibidem honeſtiſſimè conſtituit. Philippus ſic etiam nihilominùs cœleſtem docens vitam, hoc eſt Chriſtianitatem, clauſtra ejuſdem Religionis potiſſimùm Illicinæ fixit. [e] Itaque non voluptates carnis, nec deliciæ, neque hujus ſæculi divitiæ, nec honores plantaverunt Chriſtianitatem per orbem, ſed triſtes mortes Apoſtolorum eorumque doctrinis obtemperantium: primùm tamen ſalutiferam, & Chriſti ſemper multiplicantis genimina totius ſacro-ſanctæ Religionis à ſuo nomine ubique Regnorum ſole clariùs effulgentis.

Beatiſſimi quoque Principes Apoſtolorum Petrus & Paulus incipientes à Judæâ Chriſtum prædicare, Chriſtianitatem quoque plantare cum multis tribulationibus per diverſas urbes, earumque regiones, Romam tandem pervenerunt, ubi & caput orbis erat, & primates mundi manebant, ac proinde omnium conventus nationum illuc confluebat. Attendite, Fratres, Romam ubi conſiſtebat Nero Imperator dumtaxat ſubterioris mundi, (alter enim eſt ſuperior & ſydereus) necnon & Simon Magus infinitæ peritus malitiæ: illuc convenerunt Apoſtoli Principes à Deo conſtituti ſuper omnem terram, quatenùs ſcilicet diabolo, & membris ejus Neroni & Simoni auferrent principatum mundi, ac Regi ſuperno, cui jure debetur, reſtituerent: quod quidem ita, gratias Deo, factum eſt. Siquidem tantam tamque ſpatioſam ibidem cœleſtes legati plantaverunt Chriſtianitatem, ut eadem totum penè repleret mundum, quin etiam omne in eo collideret Idolum. Hoc tamen opus divinæ Religionis omni laude digniſſimum pollere & creſcere intuens, ac indolens boſtis antiquus poſſeſſor Neronis, Magique Simonis, ſuaſit eis qui erant titiones erebi, occidere legatos Chriſti, qui erant arbores Paradiſi; pro eo quod ipſi verbis atque miraculis Chriſtum, ejuſque cultum totis viribus ſatagebant plantare: è contra verò Simon & Nero explantare certatim contendebant

e *Illicinæ fixit*] Num aliqua ſit hujus nominis urbs aut regio alii viderint, equidem nullam novi, & ſuſpicor non emendatiorem hic eſſe quàm in iis quæ ſequuntur, codicem quo Acherius uſus eſt.

quantum valebant. Talis nimirum labor ædificandi bonum, illudque evellendi ardebat inter athletas Dei & ſtipulas averni. Verum ne diuturnitatem pateretur hujuſmodi certamen, quatenùs Nero Simonem Magum crederet eſſe Deum, immundis ſpiritibus ſe vehentibus cœpit idem volare; Paulus orare, Petrus Satanæ imperare, Magum volantem præcipitare; cujus itaque perditi ob ultionem cives Dei Nero reddidit aſtris, Petrum videlicet cruce, Paulum verò capitis amiſſione.

Sic igitur pretioſis mortibus Apoſtolorum, Sanctorumque cunctorum, præcipuè Martyrum diverſis interitionibus plantata eſt Chriſtianitas & ſtabilita, & fundamento ejus Chriſto per orbem incrementata. Beatorum quoque Confeſſorum ſanis tam exemplis, quàm dogmatibus eſt deinceps illuminata. Deinde Chriſtianitatis Monaſteria & Clauſtra pii Reges, eorumque religioſi proceres ubique fundaverunt, ſuiſque rebus cum donis ditaverunt. Quin etiam Principes, qui erant inclyti urbium poſſeſſores, dimiſerunt eas, Chriſtique aulas in eiſdem urbibus condiderunt, ſtatuentes ibidem Epiſcoporum Cathedras, quibus corda & animæ fidelium credentium indeſinenter in Deo firmarentur. Se quoque, ſuaque omnia, villas ſcilicet & fiſcos tam his Sedibus, quàm Monaſteriis tradiderunt, ſatiſque adjecerunt ibidem die ac nocte Chriſto ſervientibus tam Canonicis quàm Monachis. Siquidem pro certo ſciebant ipſi primates nullo melius alio modo dies conſtare, ac fine tenùs mundi perſeverare ſtabilitam cœlitùs Chriſtianitatem.

Ergo hanc Religionem tam Deo caram, tamque humanis animabus ſalubrem, proh dolor! quotidie diſſipant illi qui nunc ſunt Principes mundi; Reges videlicet, Comites, Vicecomites, Conſules, Proconſules, eorumque Vicarii, Vaſſi Dominici, horum ſatellites, omneſque mali Judices. Auferunt namque perverſâ calliditate urbalibus Eccleſiis, necnon Monaſticis res, & villas, quibus debent Epiſcopi, Monachi, & Canonici vivere. Diverſis planè dolis & fraudibus prædicti invaſores Eccleſiæ deſtruunt præſidia Chriſtianitatis, hoc eſt, Sedes Epiſcopales & Monaſteria, prædis ſcilicet, rapinis, precariis falſidicis, manufirmitatibus iniquis. Habentes enim eas, inſcriptum contemnunt reddere cenſum. Sic autem res Chriſti transferunt ſibi in prædium & alodium poſſeſſores ſacrilegi: interdum verò violenter eaſdem res Eccleſiæ diripiunt, ſibique illicitè poſſident. Quamobrem multa jam ſcimus & videmus Monaſteria à Clericis derelicta; propter res quippe unde vivere deberent illis ablatas. Ergo quidnam ſunt aliud tales ſacrilegi, prædones, violenti raptores, niſi titiones inferni, & eſcæ diaboli, & explantatores Paradiſi, qui eſt Eccleſia Chriſti? Prorsùs nullum alium comedunt cibum diaboli in inferno, niſi animas eorum, qui res Eccleſiarum Dei devorant, depopulantes, vel injuſtè poſſidentes. Certè animas eorum omnibus horis poſt terminum præſentis vitæ devorant dæmones, & devorabunt in æternum. Væ vobis prædones, raptores Eccleſiarum & pauperum earum. Revera quotidie veniunt illi pauperes ad tumulos Sanctorum, clamantes ſe occidi à prædonibus fame & nuditate. Sed quid erit illis talia facientibus mala Eccleſiis, earumque Miniſtris Dei, atque Vernaculis? Vera & perpetua pœna. Deinde quidnam proveniet Miniſtris Dei, eorumque pauperibus famulis hujuſmodi mala innumera patientibus? Verè æterna gloria, ſi tamen patienter tolerant adverſa.

Ergo, Fratres, qui veri eſtis Chriſtiani, nolite pſeudochriſtianos timere graviter vos quotidie opprimentes. Nempe ſi illi vos devaſtant, Deus & Dominus noſter Jesus-Christus, cujus nomen habetis, ipſe vos honorat, ſuiſque facultatibus quotidie ditat, ut non tam ab hoſtibus efficiamini pauperes, quàm ab ipſo Deo divites. Sic nempe nos hortatur Scriptura: *Timentibus Deum nunquam deficient bona.* (Pſal. 33. 11.) Et rursùs inquit Propheta: *Nunquam* (Ibid. 36. 25.) *vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem.* Et, *Spera in Domino, & fac bonitatem, & paſceris in divitiis ejus.* Scitote igitur, Fratres, quia nullam rem ita ſe nunquam diligere Deus oſtendit, quomodo Chriſtianitatem. Etenim ipſam appellat in Scripturis ſuam civitatem, in quâ ſibi complacet continuò habitare. De quâ civitate ſic ait Propheta: *Glorioſa dicta ſunt de te, civitas Dei.* (Ibid. 86. 3.) Planè hæc eadem civitas, id eſt Chriſtianitas, vocatur ſponſa Agni, hoc eſt filii Dei, unde profectò teſtimonium perhibet beatus Johannes in Apocalypſi, dicens: *Loquutus eſt ad me unus ex ſeptem Angelis dicens:* (Apoc. 21. 9.) *Veni oſtendam tibi novam nuptam ſponſam Agni.* Gaudeat ergo omnis plebs Chriſtiana, quia vocata eſt & facta eſt ſponſa Agni, hoc eſt Filii Dei. Cœleſtis nihilominùs Jeruſalem nuncupatur Chriſtianitas, probante eodem Johanne in eâdem Apocalypſi: *Vidi*, inquit, *Jeruſalem deſcendentem de cœlo, ornatam auro mundo, & lapidibus pretioſis intextam.* (Ibid. v. 10.)

Lætetur itaque omnis Chriſtianitas per univerſum Orbem dilatata, pro eo quod meruit vocari ſponſa Chriſti, & civitas Dei, quam de cœlo deſcendentem aſſerit Apocalypſis Evangeliſtæ. Reverà quidquid de terrâ cœpit, terrenum eſt; omne autem terrenum tranſitorium eſt; id verò quod tranſitorium eſt, vile eſt. Igitur Chriſtianitas quæ eſt Dei civitas, quæ eſt ſedes Dei, unde legitur, *Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam*, (Pſal. 46. 9.) non cœpit de terra, ſed de cœlo deſcendit in ſuo glorioſiſſimo auctore Chriſto: quapropter Chriſtianum nomen non eſt terrenum, Catholica Religio non eſt tranſitoria, ſed perpetua: nec vilis eſt, ſed cariſſima Chriſto tamquam ſua caro, tamquam ſua anima, quam morti tradidit pro Chriſtianitate quæ eſt thronus ejus, Eccleſia ejus, Templum ejus eſt: *Templum*, inquit Apoſtolus, *ſanctum* (1. Cor. 3. 17.) *eſt quod eſtis vos* Chriſtiani. Oſtium autem & janua & porta hujus civitatis & Templi eſt Chriſtus Dominus & Deus noſter. Huic etiam puto Jacob Patriarcham dixiſſe: *Verè locus iſte ſanctus eſt, & nihil* (Geneſ. 28. 16) *aliud eſt, niſi domus Dei*, quæ eſt Chriſtianitas, *& porta cœli*, quæ eſt Chriſtus. Sic ipſe approbans: *Ego*, inquit, *ſum oſtium. Per me ſi quis introierit,* (Joan. 10. 9.) *ſalvabitur.*

Ergo, Fratres, certemus cunctis niſibus, celſis quoque deſideriis, denique orando ſine intermiſſione, uti docemur Apoſtolicâ voce, quatenùs immenſâ Dei miſeratione digni mereamur fieri magis ac magis intrare per illud oſtium, ac quotidie idonei cooperatores exiſtere civitatis Chriſti, & creſcere in iſtâ valle lacrymarum de virtute in virtutem, donec videamus Deum Deorum in cœleſti Sion. Jam ſiquidem in illâ congratulatur ſuo auctori Chriſto, ſuoque congaudet fundamento maxima pars Chriſtianitatis, ſummi ſcilicet Apoſtoli, ſanctique Martyres, venerandi Confeſſores, ſacratæ Virgines; ſemper orantes, qui ſumus ejuſdem religionis reliqua ſpecies, & adhuc terreni mole corporis vexamur & gravamur, illis ſociemur charitate indeſinenti, contemplatione perenni, lætitiâ inenarrabili.

Quâ de re, Fratres, ſicut portamus nomen Chriſti, nomeoque civium jam cœleſtium, ita oremus, ut ſectemur & imitemur ſacra eorum veſtigia & exempla, quatenùs & nomine & vitâ dignemur eorum collegio. Enimverò omnem terram in quâ exivit ſonus eorum; omnes quoque partes orbis ad quas pervenerunt verba eorum, comprehendit & complecti-

tur noſtra fraternitas, quæ eſt Dei civitas & Chriſtianitas Chriſtum habens fundamentum. Tali quippe modo exiſtimus omnes Chriſtiani fratres; ubique Regnorum degentes, cœleſtis quoque Hieruſalem ſumus concives; è quibus nimirum jam plurimi ſpiritaliter ultra ſidera poſſident aulas diverſo meritorum nitore coruſcas, reliqui verò adhuc luteâ in carne manentes, terrea quoque inhabitant Cœnobia. Omnia autem hæc agmina tam in ſuperis exultantia, quàm in imis peregrinantia, ſunt civitas Dei, quam Johannes vidit Evangeliſta deſcendentem de cœlo ornatam, & omni decore compoſitam. Pro hujuſmodi omninò civitatis proſperitate oramus quotidie pſallentes: *Pſal. 27. 9.* *Salvum fac populum tuum, Domine*, id eſt, univerſam Chriſtianitatem, *& benedic hereditati tuæ*; ſcilicet eidem Chriſtianitati, *& rege eos* Chriſtianos, *& exalta eos in æternum.* Hæc procul dubio Chriſtianitas eſt, Eccleſia Dei ſancta Catholica, id eſt univerſalis & recta, in toto orbe terrarum diffuſa. Hæc eſt domus Dei, & templum Domini, & ſacrariom Spiritûs ſancti.

Porro hæc eſt illa vinea, in quam introduxit nos Dominus ſuam operari voluntatem. Operariis autem unum promiſit denarium, utpote unam vitam æternam. Iſta quippe eſt illa domus, & civitas Dei, de quâ per Prophetam eniturunt Spiritûs ſancti hæccine verba: *Ibid. 126. 1.* *Niſi Dominus ædificaverit domum, & cuſtodierit civitatem*, id eſt Chriſtianitatem, *in vanum laborant & vigilant*, qui volunt ædificare & cuſtodire illam. De quâ prorsùs civitate, hoc eſt de Chriſtianitate, prælibatua teſtatur Evangeliſta: *Apoc. 21. 2.* *Vidi civitatem ſanctam Hieruſalem novam à Deo paratam.* *Ibid.* *Et audivi vocem de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis.*

Iſtam profectò civitatem Dei quotidie certant penitùs deſtruere hujus ſæculi amatores injuſti & ſacrilegi, prædando, omnibuſque flagellis affligendo. Quidnam ſunt iſti rapaces lupi, qui ſine ceſſatione perſequentes devorant & depannant Chriſtianitatem? In Orientis mundi partibus, & auſtralibus Idumæi & Iſmaelitæ, Moabitæ, & Agareni, Ammonitæ, & Amalecitæ, ſimulque illis pejores Pſeudochriſtiani. In climate verò Septemtrionali & Occidentali gens Normanica, pariterque Danica, ſed & impiiſſima Tungrorum natio; necnon crudeliores his omnibus gentibus noſtri qui ſunt falſo nomine Chriſtiani, non ceſſant omnibua horis plebem Chriſti occidere fame & frigore, ſcilicet manducando eſcas, & bibendo veſtes pauperum. Curnam id agunt? Quoniam ampliùs ſunt mundi amici quàm Dei, magis amant arva quàm ſidera, potiùs diligunt equos caneſque ſuos, quàm ſanguine Chriſti pauperes emptos.

Hujuſmodi planè prædones & rapaces propriâ ſponte deſtruunt Chriſtianitatem & deſerunt, contemnentes habitare divini Imperatoris civitatem: & propterea minùs fiunt cives & domeſtici Dei, ſed diaboli, & titiones inferni. Itaque, ô Eccleſia Dei! ô civitas Dei, patienter hos fer lupos, devorantes vos Chriſti agnos. Siquidem hoc malum quod vobis æſtimant noſtri facere adverſarii, multo magis ſibi illud ingerunt. Nemo enim alteri priùs quàm ſibi nocere poteſt. De quibus lupis compatiens vobis, ſic inquit Dominus per Prophetam: *Omnes qui operantur iniquitatem, ſic devorant plebem, ut cibum panis.* *Pſal. 52. 5.* Unde & pius idem Paſtor noſter Chriſtus Dominus benignâ conſolatione nos confortat dicens: *Noli metuere puſillus grex, quia complacuit Patri noſtro dare vobis regnum.* *Luc. 12. 32.* Ergo, Fratres, unanimiter ſimus patientes ad omnes tam hoſpites, quàm hoſtes. Nam vir habens patientiam omnia ſuperare vitia poteſt facilè, agiâ teſte Scriptora. Sic reverà civitatem Dei quæ eſt in nobis, hoc eſt Chriſtianitatem cruore noſtri Redemptoris fundatam valebimua omni tempore excolere, ſacriſque excubiis cuſtodire, piiſque moribus ornare, auxiliante nobis eodem Domino noſtro JESU-CHRISTO, qui eſt principiom & finis omnium, cum Patre & Spiritu ſancto regnans per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

MONITUM.

RATHERIUM *virtutibus clarum, acerrimum Eccleſiaſticæ diſciplinæ propugnatorem, omni ſcientiarum genere excultum, vetuſtioris ævi ſcriptores prædicavère.* ERACLIUS, *ſive Everaclus Epiſcopus Leodienſis Epiſtolâ ad Ratherium, ſic loquitur*: *Exſtat tom. 1 geſt. Pontif. Leodienſium in Eraclio.* Quis eſt vobis aut ſapientiâ, aut probitate, aut optimatum artium ſtudio, aut innocentiâ, aut ullæ landis genere præſtantior? Patientia ſi memoratur, ſi fas eſt dicere, fide ſalvâ, ne Deum offendam, tu es ipſa, &c. Non modò non rapuiſti, ſed nec quidem appetiiſti aliena, largitus es propria, aliorum condolens miſeriis, non felicitatibus invidens alienis. Omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceres. Nativa vobis ſupplex tendit manus patria, & ut redeatis invitat. Omnes quotquot ſunt ordinis Clericalis, ſeu militaris, mente, voluntate, ſtudio, geſtu, voce, ut veniatis clamant, vos videre deſiderant; ſervitio vobis impendendo, nec numerum, nec modum præfigimus ullum. Omnia noſtra erunt in manu veſtra ſecundùm quod animo veſtro inſederit, ô dilecte Ratheri. Cuncta prævidete, diſponite, conſtituite, & ut libuerit in omnibus agite, ſub veſtro pollice docto & artifice manum ferulæ non erubeſcam ſubducere, &c.

LUITPRANDUS *Ratherii ſynchronus, Rerum geſtarum ab Europæ Imperatoribus & Regibus lib.* 3. *cap.* 12. Venerat autem cum præfato Hilduino Monacho (*ſcil. in Italiam*) quidam Ratherius nomine; qui ob religionem, ſeptemque liberalium artium peritiam Veronæ Epiſcopus conſtituitur. *Iterum capite* 4. Quo diſcedente) *Milone*) Hugoni Regi mox civitas redditur, & Ratherius ejuſdem civitatis Epiſcopus ab eo captus Papiæ exilio relegatur, in quo facetâ urbanitate de exilii ſui ærumnâ Librum componere cœpit. Quem

ſi quis legerit, nonnullas ibi hac ſub occaſione res expoſitas inveniet, quæ legentium intellectui non minùs placere poſſunt, quàm prodeſſe.

Comi etiam exulaſſe innuit ipſe Ratherius Præfatione ad vitam ſancti Urſmari: Apud venerabilem nuper ſanctæ Cumanæ Eccleſiæ juſto Dei judicio exulans Epiſcopum, reperi libellum pauca de virtutibus continentem Domini ac ſpecialis Patroni noſtri, ſancti videlicet Urſmari Epiſcopi, continentiâ rerum quidem auro obrizo, topazioque præferenda loquutionis verò ſolœciſmis ita pro ſuo modulo refertiſſima, ut noſſe difficile fuerit, utrum ſcriptoris negligentiâ, aut dictatoris inſipientiâ. *Et in conſequentibus eamdem vitam ſe juxta grammaticæ leges expoliviſſe profitetur.*

Audiendus iterum Ratherius in hunc modum de ſe quaſi de alio loquens: Hic Ratherius adhuc Veronæ Epiſcopus dicat, qui pertæſus civium inſolentiæ, eorumque ſuſpectam habens peculiarem ſibi & innatam perfidiam, de reditu jam cogitabat: proponens quòd in alienâ patriâ benè quidem ſæpe vivitur, ſed malè moritur: quapropter miſit ad Abbatem, Fulcuinum ſcilicet, qui tum Lobienſi Eccleſiæ præerat, librum, quem prætitulavit: Conflictum duorum; ob id quod diſputabat in eo, reverteretur necne anxius fluctuans, ſimul & obſecrans, ut mitterentur ei equi, & comites, quo citiùs & expeditiùs iter accelerare poſſet, &c. *Et hanc pericopen ex MS. excerptam miſit ad me C. V. Carolus Boeſman Leodienſis, Juris utriuſque Doctor.*

Rogerius Benedictini Ordinis Monachus, Ratherio ſuppar, in vitæ Sancti Brunonis Colon. Epiſc. cap. 37. *&* 38. Libet meminiſſe quoddam hujus pii Patris (*Brunonis*) pium & laudabile factum, quod in ipſis ſacerdotii ſui primordiis effeciſſe cognoſcitur. Siquidem Ratherius Veronæ, quæ civitas eſt Italiæ, ordinatus Præſul, cum ex quâdam levi ſuſpicione, ut mos eſt gentis illius, ab honore propriæ Sedis eſſet expulſus, Leodienſi Cathedræ vacanti, magnâ ejus induſtriâ, ſecundùm ſtatuta Canonum incardinatus eſt. Quod quidem propter abundantem doctrinam, & eloquentiam copioſam, quâ inter ſapientiſſimos florere viſus eſt, non eidem ſolùm Eccleſiæ cui præfuit, ſed & multis aliis circumquaque valde proficuum fore putatum eſt. Simul quia in illis partibus per zelum & contentionem, unde fieri ſolet inconſtantia, & omne opus pravum, quidam etiam Sacerdotes Domini plerumque (quod dictu nefas eſt) terrenæ plus juſto confiſi potentiæ, populum imperitum ſcandalizabant: ſæpedictus, ſæpeque dicendus Dominus Bruno, cui jam totius regni diſpenſandi cura imminebat, ratus id quod verum fuit, hunc ejectum antehac & neglectum hoc tanto beneficio ad illud fidei & veritatis fœdus adduci, ut à nemine poſſet ſeduci, ita demum os loquentium iniquâ obſtruere poſſe credidit, ſi nulla occaſio ſcandali poſſet in eorum Epiſcopo reperiri, ſed ad ſui perniciem pars ſiniſtra prævaluit: quidquid enim pro ſalute eorum geſtum eſt, hoc ſibi peſtiferum æſtimabant. Quid multa? Erratum eſt, ſævitum eſt, nec ceſſatum eſt, donec expulſione ejus crudelitati ſuæ & nequitiæ ſatisfacerent. Ablata eſt omnis ſpes reſtitutionis ejus: conſpiratio enim graviſſima facta eſt, quæ niſi & hic penitùs amoveretur, & in ejuſdem locum Baldricus, qui erat de Magnatum terræ illius proſapiâ oriundus, ſubrogaretur, ſedari non poſſe viſa eſt. Ad hanc ſententiam tempeſtates undique innumeræ confluxerunt. Navis Eccleſiæ, laborante remige, fluctuavit: gubernator ipſe procelloſæ tempeſtatis impetum ferre non potuit. Ceſſit igitur, ceſſit ne vinceretur à malo, ſed vinceret in bono malum. Ceſſit adverſantium voluntati, ut ſuo eos gladio jugularet, ſibi obſtricti ſunt ſacramentorum fide ſpontanei, ut ſi accipere mererentur Epiſcopum quem petebant, invictâ exinde firmitate auctoritatem Eccleſiæ, & jus Imperatorium tuerentur. At ne quid in ejuſmodi negotio imperfectum reſtaret, quod curioſis alienarum rerum inveſtigationibus ſcrupulum commoveret, cum Imperatore germano ſuo id effecit, ut Ratherio Epiſcopo bis jam deſtituto antiqua ſedes Veronenſis Eccleſiæ redderetur. *Hactenùs Rogerius.*

SIGIBERTUS in Chronico ad an. 928. Ratherius Lobienſis Monachus, vir nimiæ ſimplicitatis, ſed experientiâ liberalium artium nominatus, cum Hilduino, qui in Lotharingiâ Epiſcopatum Leodienſem olim ambierat, in Italiam ad Hugonem Regem profectus Veronæ Epiſcopus conſtituitur, Hilduino Mediolani Archiep. ordinato. *Ad an.* 932 Ratherius Epiſcopus à Rege Hugone Epiſcopatu pulſus, quia Bajoariis faverat, Papiæ exilia tur, Ubi & Librum de ſuis ærumnis edidit. Scripſit & alia multa legentibus utilia. *Denique ad annum* 954. Ratherius bis Epiſcopatu depulſus, Leodienſis Epiſcopus per Brunonem Archiepiſcopum ordinatur poſt Farabertum. *Non modo bis depulſum eſſe, ſed & tertio, ex ſepulcralibus hiſce verſibus intelligitur:*

Veronæ Præſul, ſed ter Ratherius exul,
Ante cucullatus, Lobia, poſtque tuus
Nobilis, urbanus, pro tempore morigeratus,
Qui inſcribi proprio hæc petiit tumulo:

CONCULCATE PEDES HOMINUM SAL INFATUATUM.
Lector propitius ſubveniat precibus. Amen.

Exſtat hoc Epitaphium in fine Opuſculi ipſius Ratherii, cui titulus: Meditationes cordis, &c.

Itemque in Itinerario infrà lamentatur ad hunc modum: Omittam ter me contrà Canones exulatum, millies injuriatum, Epiſcopium mihi inlegaliter ademptum, alium ſuper me adulterè adductum & receptum, &c.

Ejus Operum texuit elenchum idem Sigibertus cap. 127. *de Scriptoribus Eccleſ.* Ratherius, *&c.* Scripſit vitam S. Urſmari Lobienſis, *&c.* Ordinatus Epiſcopus Leodienſis Eccleſiæ, & ab eâ pulſus, ſcripſit librum quem attitulavit Phreneſim. Scripſit librum, quem prætitulavit, Inefficax, ut ſibi viſum eſt, garritus. Scripſit librum de Corpore & Sanguine Domini, & de Prædeſtinatione Dei. Scripſit contrà hæreſim Anthropomorphitarum, id eſt, dicentium quòd Deus habebat corpoream & humanam formam, quæ hæreſis tunc graviter vexabat Italiam. Scripſit Agoniſticon, id eſt, Proloquiorum lib. ſex. Confeſſionum Librum unum, & alia.

TRITHEMIUS de Viris Illuſtr Ordinis S. Bened. lib. 2. cap. 57. repetit Sigiberti verba. Et lib. 3. cap. 203. Ratherius, *&c.* fuit doctus, licet à mundi ſapientibus ſimplex putaretur. Moritur apud Lobias An. Dom. 974. Indict. 2. *Miræus verò in Scholio ad præfatum cap. 127. Sigiberti de Viris Illuſt. Trithemio refragatur:* Reverſus, *ait*, in Belgium in Alnenſi Monaſterio quod reliquum fuit vitæ egit, & Namurci an. 974. deceſſit. Corpus Lobium eſt delatum, & in templo S. Urſmari conditum. *At contrà Scriptores tum æquales, tum ſuppares, ac inferi, Ratherium diem obiiſſe in ſuo Lobienſi Cœnobio conſtanter affirmant.*

Tom. 1. geſt. Pontif. Leod. cap. 45. Legenda eſt Epiſt. 3. Ratherii.

ÆGIDIUS à Leodio: Quinto verò anno ordinationis ipſius (*Ratherii*) Arnoldus Dux Bajoariorum in Italiam contra Hugonem veniens, à Veronenſibus hortatu Ratherii Epiſc. & Milonis Comitis ſuſpicitur. Qui Arnoldus cum Hugone confligens vincitur. Sicque Ratherius à Rege Hugone Epiſcopatu pulſus, quia Bajoariis faverat, Papiæ exulatur, &c. Reverſus verò in partibus noſtris idem Ratherius, in verbis & ſcriptis clarus habebatur. Interea Furberto Leodienſium Epiſcopo mortuo, Ratherius bis ab Epiſcopatu Veronenſium depulſus, per Brunonem Archiepiſcopum Colonienſem anno Dom. 953. ordinatur Leodienſium Epiſcopus, &c. Rexit autem Leodienſem Eccleſiam ferè tribus annis ſub Papa Benedicto, qui & Agapitus dictus eſt, ſub Ottone Imperatore, ſub Francorum Regibus Ludovico & Lothario filio ejus.

IN SYNODO Gallicanâ Remis habitâ anno reparatæ ſalutis 991. quæ adverſus Ratherium olim fuerant acta, penitùs abrogantur, cap. 43. Item quæ circà Ratherium Veronenſem Epiſcopum, vel circà Petrum Ravennæ Archiep. uſu vel conſuetudine provenerunt, ab omnibus abrogata ſunt. Uterque enim nec abdicationis porrecto libello, nec ſacerdotalibus depoſitis inſignibus ſucceſſorem acceperat. Ratherius quidem Milonem, Petrus verò Honeſtum B. Apollinaris Abbatem, &c. *Sat ſuperque de Ratherii encomiis: alios prætereo ſcriptores, utpote recentiores.*

Cæterum de Codice Ratherianorum Operum, Anſelmi Decani tempeſtate eleganter exarato, ſed mendis plurimis fœdato, qui olim è Bibliothecâ B. MARIÆ Laudunenſis fuerat ſubreptus, ac tandem reſtitutus, gratias habeo C. V. Antonio Bellotte, in quo rerum Eccleſiaſticarum ſcientia, & pietas, religioniſque amor certare videntur. Addidit Acherius: Præter à me edita, ſunt & alia penes me Ratherii Opuſcula, Caroli Boëſman ſumptibus deſcripta, ſtudioque ejuſdem ad autographum, ab Reverendiſſimo Abbate Cœnobii Lobienſis ultrò ipſi tranſmiſſum, collata; quæ quidem publicanda venient Tom. 3. Spicilegii noſtri, cum jam è prælo cætera Ratherii Opuſcula emerſerint: ſed fidem non liberavit; ac neſcio an ſpes ſit unquam preditura ſimul omnia Ratherii opuſcula. Nos in iis quæ exſtant emendandis quàm utilem operam poſuerimus, Lector facilè perſpiciet.

RATHERII

Anno circ 930.

RATHERII,

EX MONACHO LOBIENSI ORDINIS S. BENEDICTI, VERONENSIS EPISCOPI, OPERA.

VOLUMEN PERPENDICULORUM

Ratherii Veronenſis, vel vitus cujuſdam appenſi cum aliis multis in ligno latronis.

Ad Hubertum Parmenſem Epiſcopum: de contemptu Canonum,

PARS PRIMA.

DOMINO *venerabili in Chriſto* HUBERTO *Comprœſuli, Ratherius peccator.*

Fruſtrà Oratoris, Urbanitati, reor, non incogniti veſtræ, juxtà ſententiam illius niti; neque aliud fatigando niſi odium quærere, extremæ dementiæ, ipſe quoque, quid agere non deſino, licet conſentiam eſſe; inſurgente contrà me olim rebellium Clericorum veſania, nec aliquid illius mihi, ſuper quo cuidam dictum eſt; *Paſce oves meas*, officii, uſque ad expulſionem publicam relinquente, præter Chriſmatis confectionem, & chriſmandi quidlibet poteſtatem: ſubjecta pro copia recordationis dedi operam, pauca licet, quantum ad rem, ex ſanctis Canonibus hic, inaniter quamvis alibi etiam deplorata congerere. (Joan. 21, 17.) Quæ poſtquàm, Domine, creveritis, intentionem pariter, pro quâ tantum aggreſſus fuerim laborem, par erit agnoſcere, & quo uſque protuerit, cenſuite. Eſt autem Næniarum hujuſmodi iſtarum exordium.

(In edit. cap. 40. ſeu 41.) *In Canonibus Apoſtolorum cap.* XXXIX. » Omnium Eccleſiaſticorum negotiorum curam Epiſcopus habeat; & ea velut Deo contemplante diſpenſet. « Item: » Præcipimus ut in poteſtate ſuâ Epiſcopus res Eccleſiæ habeat. Si enim animæ hominum pretioſæ illi ſunt creditæ, multo magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita ut poteſtate ejus indigentibus omnia diſpenſentur per Preſbyteros & Diaconos; & cum timore, omnique ſollicitudine miniſtrentur. Ex his autem, quæ indiget ad ſuas neceſſitates, & ad peregrinorum fratrum uſus & ipſe percipiat, ut nihil ei poſſit omninò deeſſe. Lex enim Dei præcipit, ut qui altario ſerviunt, de altario paſcantur, quia nec miles ſtipendiis propriis contrà hoſtes arma ſuſtollit. « (1. Cor. 9. 13.) Item: » Nihil abſque licentiâ Epiſcopi agendum: « (Cap 38. ſeu 40. Epiſt. 3. ſub med.) » *Ex epiſtolâ Clementis Papæ:* » Cunctis fidelibus, & ſummopere omnibus Preſbyteris & Diaconibus, ac reliquis Clericis attendendû eſt, ut nihil abſque licentiâ proprii Epiſcopi agant. Non utique Miſſas ſine ejus juſſu quiſque Preſbyterorum in ſuâ Parochiâ agat, non baptizet, nec quidquam abſque ejus permiſſo agat. Similiter & reliqui populi, majores ſcilicet ac minores, per ejus licentiam quidquid agendum eſt agant: nec ſine ejus permiſſo à ſuâ Parochiâ abſcedant, nec in eâ adventantes morari præſumant. Animæ verò eorum ei creditæ ſunt: ideo ejus conſilio omnia agere debent, & eo inconſulto nihil. « Item *Concil. Antioc. titul.* IX. » Unuſquiſque enim Epiſcopus habeat ſuæ Parochiæ poteſtatem, ut regat juxtà reverentiam ſingulis competentem, & providentiam gerat omnis poſſeſſionis, quæ ſub ejus eſt poteſtate. « *Item cap.* XXIV. » Quæ ſunt Eccleſiæ, ſub omni ſollicitudine & conſtantia bonâ, [a] & fide, quæ in Deum eſt, qui cuncta conſiderat judicatque, ſerventur. Quæ etiam diſpenſanda ſunt judicio & poteſtate Pontificis, cui commiſſus eſt populus, & animæ quæ intrà Eccleſiam congregantur. « *Item cap.* XXV. » Epiſcopus Eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem, ad diſpenſandum ergà omnes qui indigent, cum ſummâ reverentiâ, & timore Dei. Participet autem & ipſe, quibus indiget, ſi tamen indiget, tam ſuis, quàm Fratrum qui ab eo ſuſcipiuntur, neceſſariis uſibus profuturus, ita ut in nullo quâlibet occaſione fraudentur juxtà ſanctum Apoſtolum dicentem: *Habentes victum & tegumentum, his contenti ſimus.* (1. Tim. 6. 8.)

(In edit cap. 29.) *Item decretis Papæ Gelaſii tit.* XXVII. » Sicut Sacerdotis intererit, integram miniſtris Eccleſiæ memoratam dependere quantitatem, ſic Clerus ultrà delegatam ſibi ſummam nihil inſolenter noverit expetendum. « *Item in Can. Gangrenſi, cap.* VII. *vel* VIII. » Si quis oblationes Eccleſiæ baptiſmalis extrà eam accipere vel dare voluerit, præter conſcientiam Epiſcopi, vel ejus cui hæc officia commiſſa ſunt, nec cum ejus hoc ſic conſilio, anathema ſit. « *Item:* » Si quis dederit oblata Eccleſiæ præter Epiſcopum, vel eum qui conſtitutus eſt ab eo ad diſpenſandum, & qui dat, & qui accipit anathema ſit. « (Variat lectio in editis.) *Item in Canone Calchedon. cap.* XXVI. » Quoniam quidam præter diſpenſatores Epiſcoporum facultates Eccleſiaſticas tractant, qui hoc fecerint canonicis correptionibus caſtigentur. « *Item cap.* VIII. *De Clericis qui ſunt in Ptochiis, Monaſteriis, atque Martyriis, quæ ſub poteſtate Epiſcoporum uniuſcujuſque civitatis exiſtunt.* » Clerici qui præficiuntur Ptochiis, vel qui ordinantur in Monaſteriis, & Baſilicis Martyrum, ſub Epiſcoporum, qui in unâquâque civitate ſunt, ſecundum ſanctorum Patrum traditiones, poteſtate permaneant, nec per contumaciam ab Epiſcopo ſuo diſſiliant. Qui verò audent evertere hujuſcemodi formam quocumque modo, nec proprio ſubjiciuntur Epiſcopo; ſi quidem Clerici ſunt, Canonum correptionibus ſubjacebunt, ſi verò Laici vel Monachi fuerint, communione priventur. « *Item ex epiſtola Papæ Urbani, cap.* II. » Res Eccleſiæ collatæ in ditione erant antiquitus Epiſcoporum, qui locum tenent in Eccleſiâ Apoſtolorum, & ſunt uſque adhuc, & futuris debent eſſe temporibus. « *Item de Xenodochiis & Monaſteriis tam Monachorum, quam Sanctimonialium ex Decretis Concilii Eugenii Papæ cap.* XXIV. *Itemque ejuſdem verbis quarti Leonis Papæ, cap. ſimiliter* XXIII.

a *& conſtantiâ bonâ*] Aliàs legimoner Acherius, *& conſcientiâ bonâ*; quæ lectio ſanè melior eſt.

» Per ſollicitudinem Epiſcoporum hæc quorum Diœ- » ceſeos exiſtunt, ad eaſdem utilitates quibus con- » ſtituta ſunt, ordinentur; ut debiti panes, atque » cætera petentibus revertantur, qualiter Deo va- » cantes inopiâ, vel neceſſitatibus nullatenùs occu- » pentur, ſed omni expulſâ curâ, puris in Dei ſer- » vitio valeant mentibus permare.

Hæc dum inconſultiùs, ut pote inutiliter garriens delatrarem, mecum ita cœpi rurſus rixari. Sed quid ritu ſtultiſſimorum quorumdam mille hoc aſtruere teſtimoniis, cum ſufficiat unum, laboro. Interroga enim quemlibet, unde mos inoleverit ille, ut Paſtores vocentur Eccleſiæ Præſules? Nonne poſt typicam illam Patriarcharum paſcendi greges conſuetudinem, & Prophetarum ad noſtrum id ſæculum ſpiritaliter retorquentium vocem, ſummus ille Paſtorum
Joan. 10. 11. Princeps occurrit, & ait: *Ego ſum Paſtor bonus*. Et ut qui Paſtor eſt gregis dominici, conſequenter eumdem Epiſcopum noveris eſſe, audi ex voce dicentis:
1. Pet. 2. 25. *Eratis ſicut oves errantes, ſed converſi eſtis nunc ad Paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum.* Eum
b in ordine [b] ſequitur idem quem Epiſcopum inſtituere, dicam ut ita, geſtiens, an ſe plus cæteris diligat, ſolerter interrogat: nimirum ut adſtruat, quia præcipua paſcendi rationabilem gregem norma, vis eſt charitatis, dilectio videlicet Dei, & ejuſdem ſibi à Deo commiſſi dilectio proximi. Qui cum ter interroganti, ter ſe illum diligere ipſo profiteretur ſciente, ait ter illi Dominus quoque: *Paſce oves meas.* Quod fuit utique dicere: Eſto Paſtor ovium intellectualium, id eſt, Epiſcopus credentium populorum. Paſtio ſanè illa utrum uniformis an ſit multiformis, corporalis an animalis, ſive utrumque, non à me quilibet præſtoletur audire; interroget Doctores illos præcipuos qui ſuper Evangelia ſanctos ediderunt ſine mendacio libros. Si verò corporum aliquam ad eos curam, qui illius, cui primum hoc dictum eſt, tenent in Eccleſiis vicem, conſentiunt pertinere; monſtrent qualiter corporaliter ſibi commiſſos quis valeat paſcere, ſi unde eos debeat paſcere, non permittitur ſaltem cognoſcere. Et cum de oblationibus & decimis fidelium vivere tabernaculi cuſtodes debeant Domini, hoc eſt Eccleſiæ Clerici; ſi neſcit Epiſcopus quot decimani, quot manſi, quot modia tritici, quot congia vini, tantis, vel tantis ſufficiant Clericis ad victum utique & tegumentum, nonne convincitur aut non eſſe Paſtor, aut certè inſipiens exiſtere Paſtor, qui neſcit & utique ubi illa ſint paſcua, ubi pecora conducere debeat ſuæ proviſioni commiſſa, & ut ad noſtra, id eſt, pro nefas: ſæcularia redeam, cum rariſſimè videas gratis aliquos aut timore, aut confœderari amore, unde te verebitur, cui nihil vales auferre? Unde amabit, cui nihil potes conferre? Si ergo ad Epiſcopum nihil de rebus pertinet, quibus Clerici vivere debent, aut ipſe eis non debet, ut animalem, ita & corporalem dare in tempore tritici menſuram, & ſicut Actus continent Apoſtolorum, non dividuntur ſingulis ab Epiſcopo, vel quolibet alio ab eodem ad id officium inſtituto, prout cuique opus eſt, ſed ipſi Clerici dividunt inter ſe prout quilibet eorum potentior eſt; & non juxtà conſuetudinem aliarum Eccleſiarum, omnibus Eccleſiæ Clericis, ſed juxtà propriam voluntatem ſolis Diaconibus & Presbyteris debent, quæ Veronenſi Eccleſiæ collata ſunt, cedere; ut ditati videlicet habeant unde contrà Epiſcopum ſuum valeant rebellare, & ut dominentur cæteris, & ad ſui auxilium per potestatem poſſint eos cum volunt compellere, & juramentum alteri, quem illi ſcilicet attraxerint, Epiſcopo fidelitatis feciſſe jubere, & ſi non obedierint, de Eccleſiâ eos ejicere poſſe; ut habeant quoque unde filiis uxores, filiabus acquirant maritos, vineas & campos, poſtremò unde mammonæ iniquitatis valeant deſervire: Subdiaconi, Acolythi, & cæteri in ordine Clerici, quid debent agere unde vivere, pro quâ re militare Eccleſiæ, excubias cuſtodire, flagella pro diſcendis litteris ſaltem perferre; cum interroganti Apoſtolo atque di-
centi: *Quis enim militavit ſuis ſtipendiis unquam?* 1. Cor. 9. 7.
Adhuc nemo reſponderit, ille, vel ille. Quamquam & illis, pro quibus litigo, non omninò iſta mea placeat contrà contemptores in hoc Canonum rixa,
quòd duabus [c] agunt tamen pro cauſis: unâ ſcilicet, c
ut hac occaſione ſe poſſint à ſervitio Dei retrahere: alterâ, quâ ſe quilibet illorum ſperat tantùm victurum, ut quod modo patitur ab iſtis, hoc ipſe inferat aliis? quâ utique ſpe mille illorum decepti, & in hoc ſæculo maximam pertulere indigentiam, & in alio verendum ne forte gehennam. Nam cum totius fraudis & perfidiæ illorum hinc ſumat ſcaturiginem inſania, qui non diſſimiles videlicet illis, de quibus
dictum eſt; *Qui relinquentes mandata Dei tenerent* Marc. 7. 8.
traditiones hominum. Lege penitus canonicâ flocci-penſâ, conſuetudines teneant anteceſſorum ſuorum, Reges utique aut interficientium, aut excæcantium; Epiſcopos aut ignominioſè vivere compellentium, aut ſi hoc perpeti, ut noſter iſte, quivis illorum pa-
tienter nequivit, ſcariotico jure [d] ut ab aliis pateretur, quod ipſi intulerant, fraudulentiſſimè facientium. Quis eorum conſuetudines ſacris præferat legibus, niſi quem Joſaphat Regi non terret illata hu- d
juſmodi ſententia, dicentis: *Impio præbes auxilium,* 2. Paral. 19. 2.
& his qui oderunt Deum, amicitiâ con ungeris, &c.
Illud quoque Apoſtoli: *Non ſolùm qui faciunt, ſed* Rom. 1. 32.
etiam qui conſentiunt.

Hieronymi quoque: » Defendens iniquum « deſtruatur; & pœnâ ſimili damnetur convenit de- « fenſus & defenſor. Item: Ne defendas injuſtè ut « ſias alligatus juſtè, & ſubjectus pœnæ alienæ; « qui enim percutit malos in eo quòd mali ſunt, mi- « niſter Domini eſt. « Item: » Homicidas & ſacrilegos « punire non eſt effuſio ſanguinis, ſed miniſterium « legum. « Nota verò quòd non dixerit interficere, ſed punire, vigilanti utique uſus ſermone; ſic enim
alter: *Tunde*, ait, *latera filii tui dum infans eſt: ad* Eccli. 30. 12.
interfectionem autem illius ne ponas animam tuam.
Dimitte, ait cuidam Dominus, *mortuos ſepelire* Matt. 8. 22.
mortuos ſuos: quod enucleare geſtiens ait veriloquus expoſitor: Mortuus mortuum ſepelit, cum peccator peccatorem defendit, & ne ad emendationem revi-
viſcat, falſitatis congerie obruit. *Væ*, ait per Pro- Ezech. 13. 18.
phetam his etiam Dominus, *qui conſuunt pulvillos*

b *eum in ordine*] Hic legatur *eum quem*: profectò malè. Librarium fefelliſſe videtur, quòd in codice quem exſcribebat, utraque vox ſeperſcribatur, ſed una ſuo loco, altera inter lineas, ut vel *eum* vel *quem* legere liceret. Totus hic locus interpunctionis vitio laborabat in priori editione, in quâ legebatur *paſcenae*; ubi repoſuimus *paſcendi*.

c *quod duabus*] Ex ipſo orationis contextu patet ita ſcripſiſſe Ratherium: in priori editione *quid duabus* .... *cauſis*?

d *ſcariotico jure*] Eâ lege, ait Acherius, quâ è numero militum expungitur quis, ſive exauctoratur. Verùm ut id eſſe ſcariotocum jus agnoſco, ita ejuſmodi interpretationem huic loco accommodari poſſe nego: nam hoc ſcarioticum jus appellat Ratherius, quo quis efficit, ut quod ipſe malum infert, ab alio quodam illatum videatur. Ut igitur dicam quod ſentio, clericos ſuos in ſe eâdem perfidiâ uſos ſcribit quâ Judam Iſcariotem in Chriſtum: ſicut enim ille dominum ſuum ac noſtrum prodidit, ac deinde id fecit quo videri poterat non conſenſiſſe iis quæ proditionem erant conſequuta; ita propemodum illos ſe apud Imperatorem calumniatos eſſe, ac deindè teſtatos non à ſe, ſed ab Imperatore Epiſcopum ſuum in exilium eſſe ejectum. Hæc ſi lectoribus probantur, ut ſpero, legendum eſt *Iſcariotico*. Scripſimus *quod ipſi*, ubi erat *quid ipſi*.

ſub omni cubito manûs. Qui ſunt verò illi, niſi de quibus alibi dicitur: *Va qui dicitis bonum malum; & malum bonum.* Cavillator è contrà: *Quamdiu Apoſtolus gentium ſum*, ait Doctor egregius, *miniſterium meum honorificabo.* Tu è diverſo quàm egregiè miniſterium tui iſtius honorifices conſidera Præſulis, qui cum menſurare triticum & vinum, nummos Clericis dividere, & reliqua ritu Sardanapali illius debere contendis, qui cum Rex maximi ac famoſiſſimi illius imperii foret, imò eſſe deberet, penſa inventus eſt ancillis dividere. Cui è contrà ipſe reſpondeo: Quia ſi interiori percepiſſes quæ adſtruendi ſunt cauſæ iſthìc præmiſſa, [e] intuitu, perpendere utique valuiſſes integro ſtatu Pontificalis honoris paſcendi gregem Dominicum depictum hîc decentiſſimè modum. Per Preſbyteros enim & Diaconos, ſi tamen fideles inveniri poterunt, hæc ab Epiſcopo fieri oportere, non per ipſum Epiſcopum, monſtrata ſunt: quamquam & ſi neceſſitas hæc eum exequi per ſeipſum compelleret, ſuperbia non prohiberet *; nequaquam hujuſmodi in facto illum qui dixit, offenderet: *Qui voluerit inter vos major fieri, ſit omnium ſervus.* Sed non dedignetur talium quis actus Apoſtolorum, & Doctoris gentium Epiſtolas relegere. Illic poſitum nempe inveniet apertiſſimè, qui hoc præcipere, qui debeant facere. Paſſionem quoque Beatorum Sixti atque Laurentii reviſere Martyrum. In quâ utique unus eorum introducitur alteri dixiſſe: » Accipe & diſtribue facultates Ec- » cleſiæ. « Alter diſtributis fideliter eiſdem, canta- » tur donaſſe. » Noli me derelinquere Pater Sancte, » quia theſauros tuos jam expendi. « Nota igitur & cape ſi vales,* quòd unus eorum dixerit facultates Eccleſiæ, alter theſauros tuos. Ille ſcilicet, theſauros eoſdem aſſeverans Eccleſiæ fuiſſe, Pontificis iſte, ut verbi gratiâ quod uxoris mariti, quod mariti uxoris. Quòd ſi te hujuſmodi vocabulorum ſcandalizat prælatio, audi ex Epiſtolâ [f] Evariſti Papæ aliquid

f Epiſt. 1. ſub init.

ſimile. » Eccleſiæ, inquit, non licet dimittere » Epiſcopum ſuum, ut alterum, vivente eo, acci- » piat, ne fornicationis vel adulterii crimen incur- » rat. Nam ſi adulterata fuerit, id eſt, ſi ſe alteri » Epiſcopo junxerit, aut ſuper ſe alterum Epiſco- » pum adduxerit, aut eſſe fecerit, vel deſiderave- » rit; aut per acerrimam pœnitentiam ſuo reconci- » lietur Epiſcopo, aut innupta permaneat. « Nupta verò quid eſt, niſi maritata? Innupta quid, niſi marito non data? Ex his ergo in hoc veraciſſimi Papæ verbo, virum & uxorem, ſpiritalis tamen non carnalis connubii lege, Epiſcopum fore, & ſibi delegatam Eccleſiam, ſi cætera non attendiſti, vales agnoſcere; & quæ ſunt iſtius, illius & eſſe, ſi tibi non deſunt illæ quas Dominus requirebat aures ſpiritalitatis, ejuſdem jure perpenſo, notare. Quod & ſæculi promulgatæ antiquitùs leges, niſi fallor, videntur adſtruere. Quid enim ad Epiſcopum immunitatum compoſitio pertineret, niſi ſuum illud contrà quod injuſtè quid actum eſt, ſive, ut illic legitur, aliquid mali factum eſt, foret. Reſipiſce ergo, ceſſa tandem aliquando contrà juſ faſque nitens veſana loquacitas, & quod juſtè reſpondeas minimè invento, digitum ori appone ſacrilego.

Iſta dum alter ut Chremes tumido iratiſſimus ore delitigo, cœpi intrà ſecreta cordis conari, ſi fortè invenire valerem, generalis unde contigerit canonum iſte divinitùs promulgatorum adeò ſolibus iſtis contemptus, ut neminem invenire eorum valeam curatorem, à viliſſimo utique Eccleſiæ uſque ad præſtantiſſimum, à ſtultiſſimo uſque ad illum qui ſapientiſſimus affectat vocari, à laico uſque ad Pontificem, prò nefas! Summum. Quæ dum gemebundus deplango, neque cauſam aliam prorſùs invento, conſideratis uſque ad defectum animi omnibus, illa occurrunt, quæ poſt Evangelica, in quibus ſpecialiter ipſe contemnitur Chriſtus, præcepta, interminationes, & opera. Ut videlicet illud eſt quod ſuprà intuli, conquerens mihi à Clericis præcipuè contradici: id eſt, *ſi diligis me, paſce oves meas.* Cum utique non probatur Paſtor animarum exiſtere, qui Chriſtum convincitur non amare. Amare verò eum negatur, qui præcepta illius non ſequitur, cùm in Evangelio dixiſſe idem legatur: *Qui audit verba mea, & facit ea, ille eſt qui diligit me.* Interminationes verò malorum ſi referre univerſas contendo, totum neceſſe eſt Evangeliorum volumen revolvam, illum præcipuè locum, ubi in Scribas & Phariſæos, atque hypocritas invehitur; quorum dum ſcelera carpit, omnibus Pſeudopræſulibus (iſtius quoque temporis, miniſterium fateor imitari eos niſi deſinant) contradicit. Opera verò illa ſunt, quæ & præſens facto de reſticulis monſtravit flagello, & cùm nuptias filii intraturus Rex per ſignificationem aſſeritur; & eum quem non indutum veſte nuptiali invenerit, poſt redargutionem ligatis pedibus & manibus mittendum in tenebras exteriores, id eſt gehennam, teſtatur. Omnem catalogum falſorum Pontificum maximè damnaturus probatur, qui ſcilicet ſine charitate, id eſt dilectione Dei, & amore ſibi ad regendum commiſſi populi putaverunt ad ſe pertinere, quod illi primo propter eamdem charitatem fuit conceſſum, hoc *Paſce oves meas*: qui cum illic præmiſſum fuerit, *Si diligis me*; quod utique convincuntur iſti non feciſſe, ac per hoc non Paſtores, ſed lupi & hypocritæ potius extitiſſe.

Joan. 21. 17.

Ibid. 14. 21.

Ibid 2. 15. Matt. 22.

Ibid.

Poſt iſta igitur tam ardua, tam facere nolenti contraria & impoſſibilia, prætermiſſis quæ in lege Moyſi & Prophetis & Pſalmis habentur, & permutiliter ab eiſdem leguntur; quale eſt utique illud *Va! Quid cogitatis inutile?* & Væ & Væ multoties Paſtoribus Iſrael; & illis atque illis. Et, *Maledicti qui declinant à mandatis tuis.* Et, *Maledictus qui opus Domini fecerit negligenter.* Et illis atque illis, quæ omnia ſui offerent, ſed nolentibus impoſſibilitatem adeſt Apoſtolus, Cato veluti rigidus alter, & quaſi omnigenam adimere geſtiat affectandi Epiſcopatum audaciam, proclamat: *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe.* Et quod ampliùs impoſſibile: *Irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum &c.* Quæ hodie aure leguntur ab iiſdem ſurdiſſimâ & obduratiſſimâ. Quam auſteram indicibiliter eligendi Epiſcopum regulam illi nullo modo levigare curarunt, qui non ſemel ſanxerunt: *Ne bigami eligantur vel recipiantur ad Clerum.* Si non verò ad Clerum, quomodo ad Sacerdotium? O verò utinam nec natus, nec viſus, nec auditus, nec dictus, ex iiſdem fuiſſet Centigamus, proh pudor! imò in finitimo ..... & hoc ullus. Quorum multitudo, id eſt, trecentorum decem & octo in eâ congregatorum caterva, ipſo quaſi ſtatu loquendi perterre tacere videatur uti audientium univerſitatem; ipſo Deo decrevit, ut Hiſtoria prodit, præſente: » Interdicit per « omnia magna Synodus, non Epiſcopo, non Preſ- « bytero, non Decano, non alicui omninò, qui in « Clero eſt, licere, ſubintroductam habere mulie- «

Mic. 2. 1.

Matt. 23. 13 & ſeq.

Pſal. 118. 21

Jerem. 48. 10.

Tit. 1. 7.

1. Tim 3. 2.

Nicæn. cap. 3

e *cauſa iſthìc præmiſſa*] Hic nobis nonnihil indulſimus, ſed non invito, ut ſperamus lectore; ſic enim ut edidimus, omnia plana: priori editione contrà nihil obſcurius; ſic enim in eâ legebatur, *ſunt, cauſâ iſthìc præmiſſâ.* Haud ità multo poſt ſcripſimus *prohiberet*, ubi erat *perhiberet*.

f *audi ex Epiſtola*] Non levem ex hocce loco errorem ſuſtulimus; nam editum erat *aut is exempla*. Amanuenſem fefellit hoc ſcribendi compendium *ex eplâ*.

» rem, niſi forte matrem aut ſororem, aut amitam, vel eas tantùm perſonas quæ ſuſpiciones effugiunt. » Rigidus vero Auguſtinus: » Nolo, ait, » ſoror mea mecum ſit; quoniam illa quæ cum ſorore meâ eſt, ſoror mea non eſt. » Dicente igitur

In vitâ c. 26.

ſcriptura; *Quia impius cum venerit in profundum malorum, contemnit*; in profundo tranſgreſſionis tantorum jacens, & Pſalmiſtam audiens clamantem: *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis*; ſe autem ſentiens cuſtodire nec parùm, ſi deſperatione obduratur, mirumne tibi videtur? præſertim ſi Jacobi moderari neſciat ſententiam dicentis: *Qui in uno offenderit, erit omnium reus.*

Prov. 18. 3.
Pſal. 118. 4.
Jac. 2. 10.

Ecce cauſa, ecce occaſio, quam ſæculi prætendunt amatores, Canonum tranſgreſſores, impoſſibile fore dicentes, ut omnia quæ in Canonibus leguntur, obſerventur, atque adeo plerique deſperationis Dæmone acti inſanientes. Ut nuperrimè hiſce auribus hauſerim quemdam Epiſcopalis ordinis, refellendi omnes ſcripturas gehennam promittentes intuitu, de ipſo Evangelio dixiſſe quod in pelle ovinâ ſcribitur idem & legitur; quaſi ut veritas, ita poſſit in Evangelio & mendacium contineri. Nam & ego ipſe quondam cum Imperiali præcepto urgeremur Gardam obſidere Caſtrum, & Epiſcopi, & Clerici iſtius Provinciæ, non quidem religionis amore, ſed laboris obtenderent odio, ſui hoc ordinis minimè fore, petulanti, ut ſæpe, reſpondi ſermone: Ut non permittunt Canones Clerico pugnare, ita nec ſtuprare. *Væ* enim, ait quidam mentiri neſcius, *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia decimatis mentham, & anetum, & cyminum, & reliquiſtis quæ graviora ſunt Legis, judicium, & miſericordiam & fidem.*

Matt. 23. 23.

Cum quodam etiam de inthronizatione Leodici dum contenderem meâ, conanti mihi auctoritate illam tueri ANTHERI Papæ; ille inſtabat, Capitula iſta duo Sardicenſis Concilii opponendo 1. » » OSIUS Epiſcopus dixit: Non minùs mala conſuetudo, quàm pernicioſa corruptela, funditùs » eradicanda eſt. Ne cui itaque liceat Epiſcopo de » civitate ſuâ ad aliam tranſire civitatem. Manifeſta » eſt enim cauſa quâ hoc facere tentant, cum nullus in hac re inventus ſit Epiſcopus qui de majore » civitate ad minorem tranſiret. Unde apparet avaritiæ ardore eos inflammari, & ambitioni ſervire, » & ut dominationem agant, ambire. Si omnibus » placet, hujuſmodi perniciès ſeveriùs & auſteriùs » vindicetur, ut nec laïcam communionem habeat » qui talis eſt. Reſponderunt univerſi, Placet. » 11. Item de iiſdem Epiſcopis, ut ſi per ambitionem ſedem mutaverint, nec in exitu communionem laïcam conſequantur. » OSIUS Epiſcopus dixit: Etiamſi » talia aliquis extiterit temerarius, ut fortaſſis excuſationem aſſerens, aſſeveret, quòd populi literas acceperit; cum manifeſtum ſit potuiſſe paucorum præmio & mercede corrumpi eos, qui ſinceram fidem non habent, ut clamarent in Eccleſiâ & ipſum petere viderentur Epiſcopum: omninò has fraudes damnandas eſſe arbitror, ita ut nec » laïcam in fine communionem talis accipiat. Et ſi » vobis omnibus placet, ſtatuite. Synodus reſpondit: Placet. » Anxiari ego, nec avaritiæ causâ vel ſuperbiæ me inthronizatum fateri, ſed pulſum à propriâ ſede, neceſſitate coactum adiiſſe tunc temporis piiſſimum nunc Cæſarem, glorioſiſſimum illum ſuper hoc conſuluiſſe Præſulum Concilium; illos verò miſericorditer me elegiſſe, & populi aſſenſu conjunctu fraternaliter inthronizaſſe; utilitatis etiam occaſione quod illorum ſit prætenderam. Cumque nec talibus illi ſilentium [g] imponere valuiſſem, audito quodam * comperiens, ignarus utrum veraciter licet, eum fore uxorium, ampullatus poteſtate, licet non actu, hunc ei reddidi anapæſtum. In Canonibus Apoſtolorum (ſi tamen eos ut apocryphos non reſpuis.) Tit. Legitur XVII. & Concil. Laodicenſi, Tit. I. In Decretis Papæ Syricii, Tit. XI. In Decretis Innocentii Papæ, Tit. XI. & XII. & XIII. necnon & XXXVIII. in Decretis quoque Papæ Leonis, Tit. II. præcipitur ut bigami non admittantur ad Clerum: & miſerum me, ſi non ad Clerum, quomodo ad Sacerdotium? cum non oporteat in nuptiis bigami ſaltem prandere Presbyteros, Concilio ſic Neocæſarienſi dicente, Cap. VII. *Presbyterum in nuptiis bigami prandere non convenit; quia cum pœnitentia bigamus egeat, quis erit Presbyter, qui propter convivium talibus nuptiis poſſit præbere conſenſum?* De multinubis verò, quid in Canone eodem legatur, inquire Tit. III.

Ex interpret. Dionyſii Exigui.

Cum alia atque alia reſpondere geſtiens ritu garriret lymphatico, & inflatus heſterno venas, ut ſemper, joco, [h] ad tabulas inſuper luderet alearias; ſtomachatus iterum ego; Ni Canones Apoſtolorum cum ipſis reſpueres Apoſtolis, dicerem tibi in Canonibus contineri eiſdem, Tit. XLII. & XLIV. Quod Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus, aleator & ebrioſus, ut tu, eſſe non debeat; & ſi fuerit, aut deſinat, aut deponatur. Quòd non licuerit quoque tibi à tuâ Eccleſiâ plùs tribus hebdomadibus deeſſe, Conc. Sardicenſi Tit. XV. qq. Utrum liceat * etiam tibi, ut à majoribus ad minora veniam, canes ad venandum, vel accipitres ad aucupium, quibus utique abundas, habere, pariter vide. Et ſi liceat tibi ſæcularia negotia, id eſt, cauſas aliquas ſæcularibus ſolummodo exercendas, conſidera, tam in Apoſtolo, quàm in Canonibus, exercere: & ſapientiorum te fraternalem clementiam reprehendere deſine. Et iſta quidem à me dicta, ſeu potiùs cogitata ſufficiant.

Audita verò ut referam, comperi ipſe ejuſdem Ordinis duos, unum loricâ, alterum amicâ pro tempore utentem, alterutrum verò ſe reprehendentem. Sed uni Canon reſpondebat Apoſtolicus: » Epiſco- » pus, Presbyter, & Diaconus, qui in quâcumque » ſeditione arma tulerit, ab omni cœtu Chriſtiano- » rum deponatur. « Alteri vero Canon: » Epiſco- » pus, Presbyter & Diaconus ſi uxorem duxerit, » pellatur. « Expertus ſum talem qui ante ordinationem adulterium perpetravit, poſtea quaſi continenter vixit; alterum qui poſt ordinationem uxorem duxit: & iſte illum, ille iſtum carpebat. Quibus tamen ambobus Doctor Gentium, quaſi uni licet, clamabat: (iſti utique propter inanem continentiæ ſuæ jactantiam; alteri propter ductum uxoris illicitum) *Ignoras, quia patientia Dei ad pœnitentiam te exſpectat. Tu verò thezaurizas tibi iram in die iræ & retributionis juſti judicii Dei.* Iſti: *Noli altum ſapere*, propter præſentem utique continentiam, [i] nec aliquâ ſatisfactione probabiliter deletam, quamvis omiſſam. Alteri vero: *Neque adulteri Regnum Dei poſſidebunt.* Et potuit fieri, ut iſtiuſmodi ambo ſimul educati, pariter edocti, in pubertate extiterint alterutrâ cognitione laſcivi, ac ſine examinatione ad Præſulatum cum fuiſſent provecti, unus eo-

Concil. Tolet. 4. c. 44.
Concil. Neocæſ. c. 1.
Rom. 2. 4.
Ibid. v. 5.
Rom. 11. 20.
1. Cor. 6. 9.

g *illi ſilentium*] Ita edendum curavi, cum antea legeretur *illi ſimilitudinem*: & ſtatim *audito quodam* ſic, ut Achetius conjecerat, quo loco erat *auditu quoddam*. Quæ mox ſequuntur ita corrupta ſunt, ut ex conjectura ſanari non poſſe videantur.

h *ut ſemper joco*] Imò vino.

i *continentiam*] Hic nemo non intelligit deeſſe quiddam; quod quidem ejuſmodi eſt, *continentiam*; ſed tamen, *propter præteriti temporis incontinentiam, nec aliquâ.*

rum affectaverit mulieroſitatem, alter belligerationem. Nemo illorum nec nominandi. Forſitan uſus abdicaverit turpiſſimam fœditatem. Quibus Canon uno Capitulo diſtinctim propria tribuit, cum iſti dicit: » Preſbyter qui poſt ordinationem uxorem » duxerit, deponatur. « Alteri verò: » Ampliùs » autem pelli debet, ſi adulterium perpetraverit. « Ambos verò condemnat uno capite, id eſt, IX. ex Nicæno Concilio ita: » Si qui ſine examine ſunt » provecti, vel cum diſcuterentur, peccata ſua con» feſſi ſunt, & homines contrà Canones commoti » manus confeſſis imponere tentaverunt, tales Re» gula non admittit: quia quod irreprehenſibile eſt, » Catholica defendit Eccleſia. « Item Concil. Neo» cæſarienſi, Cap. IX. » Preſbyter ſi confeſſus fuerit » quòd ante ordinationem corporali peccato deli» querit, oblata non conſecret, manens in reliquis » officiis propter ſtudium bonum. » Maxima, fateor, legis auſteritas. Miſerum enim me. Quid, ſi poſt ordinationem continenter vixerit, non poterit ſaltem propter ſtudium bonum, placendi utique Deo, oblata ſacrare?

Concil. Neocæſ. c. 1.
Ibid.

Secundus tamen dupliciter convenitur, cum præter ſuperius hoc ſe ſentit condemnari capite. » Epi» ſcopus, Preſbyter, & Diaconus, qui in quâcum» que ſeditione arma ſumſerit, ab omni cœtu Chri» ſtianorum deponatur. « Iſtud autem quod ex omnibus levioribus, ut videlicet illud eſt, de aleâ, ebrioſitate, aucupio, atque venatu, ducitur hodie leviſſimum, ut quam propter fidelitatem ſui Senioris malit Preſbyter loricatus præliari, quàm perjurus vocari; cum tamen perjurium graviſſimâ pœnitentiâ, iſtud verò nullâ expiari dicatur. Forte verò ex iſto hìc prælibatorum numero, id eſt, horum alicui [l] ſcilicet dixiſſe, cum non dixerit, viſus eſt Dominus: *Si diligis me, paſce oves meas*; cum utique illum minimè probentur diligere. Quos repellere potiùs, quàm eligere videtur Apoſtolus à Sacerdotio, cum dicit: *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe.* Vel expreſſiùs: *Irreprehenſibilem, unius uxoris virum.* Quem cohors illa Chriſti militum veluti quemdam ſequens ſigniferum, præcipit, ut non bigami admittantur ad Clerum. Si non bigami verò, qualiter multigami? Si non ad Clerum, quomodo ad Sacerdotium? Pone tamen quemlibet eorum forte bigamum ante Clericatum, forte in Clericatu extitiſſe laſcivum; inde poſt Sacerdotium multinubum, bellicoſum, perjurum, venatibus, aucupiis, aleæ, vel ebrioſitati obnoxium, expeti quâlibet occaſione ad Apoſtolicatum Romanæ illius Sedis, ubi ſcilicet ſolet conſuetudinaliter ordinandus moneri: *Vide ne aliquam promiſſionem tui Electoribus feceris. Scito quia Simoniacum & contrà Canones eſt.* Iſte igitur ſi inlegalitate publicâ (Oſio illo ſuprà taxato, cum omnibus ſibi ex eodem Concil. *Placet, Placet*, condemnantibus viriliter reſiſtente) forte fuerit in Apoſtolicâ ſede locatus, quod utique patienter, ut plurima, permittere valet [m] longanimis Deus. Quem ſi ego adiero, veluti injuriatus ad juris miniſtrum, & ille niſus injurias vindicare meas, imò talia prohibentis Dei & ſanctorum Evangeliorum, Apoſtolorum, Apoſtolicorumque virorum, Canonum, & Decretorum, ei Apoſtolicæ auctoritatis miſerit litteras; nonne ille [n], qui me tam ſacrilegè injuriavit, ſed non adeo ut iſte Deum, & omnia jura tam divina quàm humana? Si quidem ille me homunculum unum, iſte totum penitùs mundum; ille unam adulteravit Eccleſiam, iſte eamdem, & omnes per univerſum orbem diffuſas. Ut dixi verò, ſi mei cauſâ aliquid ei durius ſaltem mandaverit, nonne illicò ille poterit ei reſcribere illud de Evangelio: *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras?* Et quod pirata quidam ſuper Gangem fluvium Alexandro Magno reſpondiſſe narratur; quem captum cum Rex torvo reſpiciens vultu ita fuiſſet alloquutus: Latro peſſime quid nos non ſinis quieſcere? Ille magnum cœpit cachinnum emittere. Miratus oppidò Rex cum ſibi adſtantibus: Rides, ait. Ille: Et equidem juſtè. Rex item. Quare? Quia tu cum ſis, ait, fur furum, prædo maximus, omnium latro atrociſſimus, ab ipſo oceano in fines Orientis qui omnia depopulaſti Regna, latronum univerſorum conditor, me latronem appellas, qui cum unâ monoxyllulâ dorſo meo advectâ, & in flumen immiſſâ, parum quid ab iſto littore rapio, id eſt, aut chlamydem alicujus, aut tantummodo frenum. Riſu Rex cum omnibus emoriri, & ſapientiſſimè loquutum fateri. Sed non faciet, non mittet ei litteras, quidlibet durius continentes; non damnabit, non excommunicabit pro tali facto aliquem; pares enim animos diſparilitas non dividit voluntatum, cum ſimilitudo deſideriorum æqualitatem gignat ſemper effectuum, & humanæ amicitiæ pares animos, & non diſſimiles exſpectant voluntates. Scriptum eſt enim de talibus in deſcriptione membrorum capitis Diaboli, vel vaſis illius Antichriſti: *Membra carnium ejus adhærentia ſibi.* Sub ſquammarum quoque ſpecie de ſatellitibus ejus. *Una uni conjungitur, & ne ſpiraculum* [o] *incedit per eas.* Univerſorum quippe nequitia quo ſibi congruentiùs jungitur, eo contra Dei juſtitiam fortiùs armatur: » Nam, ut beatus ait Gregorius, « ſicut multum nocet, ſi unitas deſit bonis, ita valde « eſt noxium ſi non deſit malis. « Quod probatum « eſt in cauſâ Pauli Apoſtoli; quem cum unanimiter tam Phariſæi quàm Saducæi fuiſſent aggreſſi; ille diviſione in eis miſsâ, dicendo: *Viri fratres, ego Phariſæus ſum*: & à Phariſæis eſt adjutus, & à Saducæorum impugnatione defenſus: diviſâ utique turbâ, quæ eum premebat unita, illæſa Pauli exiit innocentia.

Conc. Tolet. 4. c. 44.
l
Joan. 21. 17.
Tit. 1. 7.
1. Tim. 3. 2.
Can. Apoſt. 16. ſeu 17.
Innocent. I. epiſt. 2. ad Victricium c. 6. & epiſt. 3. ad Felicem c. 2.
Concil. Gerund. c. 8.
m
n
Matt. 7. 3.
Job 41. 14.
o
Moral. in Job lib. 34. c. 4.
Act. 23. 6.

Eſt & alia in hac re auxilii mei diffidentia, Domini utique ubi habetur ſententia: *Fur non venit, niſi ut furetur, & mactet, & perdat.* Quis verò ille eſt fur, niſi ille de quo idem ait: *Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille eſt fur & latro.* Quod eſt verò oſtium, niſi de quo canit Pſalmiſta: *Etenim benedictionem dabit Legiſlator*: qui de ſe utique profitetur: *Ego ſum Oſtium.* Qui tunc benedictionem ſolummodo Pontifici ordinando largitur, cum per legem à ſe latam eligitur. Ovile verò ipſam Congregationem Fidelium eſſe; *Paſce oves meas*, Petro innuit dictum. Aliunde verò eſt aſcendere, non legaliter introire. Aſcendiſſe verò potiùs, quàm intraſſe convincitur ille, de quo in Canonibus dicitur: Si quis Poteſtatibus ſæcularibus uſus per eas Eccleſiam obtinuerit, deponatur; & ſegregentur qui ei communicant.

Joan. 10. 10
Ibid. v. 1.
Pſal. 83. 8.
Joan. 10. 9.
Ibid. 21. 17.

Conſideret igitur prudentia illa veſtra, Domine, quæ, ut fertur, univerſali eſt digna præferri viſa Ec-

l *horum alicui*] Hoc ſcriptore cùm vix ullus ſit obſcurior, tùm ſi quid vitii ſit in ſcripturâ, obſcuriſſimus eſt, quod hic accidit: nam cum antea legeretur *quorum alicui*, quid ſibi vellet non ſine magno labore intelleximus.

m *permittere valet*] Sic edendum curavi: antea *permitteret, valet.*

n *nonne ille*] Hic nonnihil deeſt, ſed ejuſmodi, ut divinari facilè poſſit quid ſenſerit Ratherius: hoc enim dicere voluit, cum de quo conqueſtus fuerit reclamaturum, nec admodum curaturum quid juſſerit ejuſmodi Papa.

o *& ne ſpiraculum*] Cum hæc *una uni* &c. ex libro Job deſcripta eſſe non percepiſſet Acherius, voluit hoc loco legi *Etna ſpiraculum.*

cleſiæ: Conſideret, inquam, anne ſit iſte evidens
aſcenſus, cum dicitur talis ſæcularibus poteſtatibus
uſus, ſed deponi illius judicatur judicio, qui ait in
Luc. 14. 11. Evangelio: *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur.*
Nota verò quòd non dicitur, omnis qui exaltatur,
humiliandus, ſed is qui ſe ipſum exaltaverit, id eſt,
extulerit, vel dignum æſtimaverit ipſe. Aliunde verò
eſt aut ritu ſimoniaco, aut quâvis aliâ illegalitate,
aſcendere. Fur verò vocatur ob ingenium; latro
propter vim atque rapinam. Quid verò jure quilibet
talium idem naturaliter debeat agere, promptum
cuilibet eſt iterum eâdem auctoritate dignoſcere. Ait
Joan. 10. 10. enim: *Fur non venit, niſi ut furetur, & mactet, & perdat.* Quid verò furatur? Verba legis primitùs Dei,
occultando utique, nec decretaliter proferendo. Inde
res Eccleſiæ alterius debitas juri. Mactat verò ani-
mas, diabolico ventre condendas; ut è contrario
Act. 10. 13. alteri dicitur: *Surge Petre, macta, & manduca*, id
eſt, à Paganitatis vitâ exime, & in Chriſtianitatis
ventre reconde. Perdit verò, quem potiùs quàm ſe-
ipſum primò, hinc demum ſequaces? Talem ergo,
qui ut adjuvetur, adierit, ne ab ipſo ei potiùs no-
ceretur ſuadeo, viderit. Manſuetioris enim hujuſ-
modi ſi forte eſt animi, ſi apud illum Eccleſiæ ali-
p cujus [p], ut uxoris accuſatur invaſor; idem & ſe re-
Joan. 8. 7. miniſcens feciſſe, timet audire: *Qui ſine peccato eſt
veſtrûm, primus in illam lapidem mittat.* O quàm
verò non eſt ſine peccato, qui Gieziacâ eſt leprâ per-
cuſſus; qui, cum Simone Mago damnatus; qui mul-
tigamus; qui, cum omnes mulieres Diœceſis ſuæ ip-
ſius ſpiritales ſint filiæ, cujuſlibet forte earum cor-
ruptione pollutus; qui multimodè à ſanctis Cano-
nibus redargutus, nec ullo modo correctus. Is verò
ſi veretur corripere minuſcolè aliquem criminoſum,
cenſeſne eum reprehendendum? *O major tandem*
perlepidè Flaccus cantitat noſter:

O major tandem parcas inſane minori.

Quale eſt autem illud, quod talis nec Deum ip-
ſum Dominum vocare ipſius adſtipulatione permit-
Luc. 6. 46. titur, ipſo dicente: *Quid autem vocatis me Domine,
Domine, & non facitis quæ dico?* Vel Deum, eodem
Malac. 1. 6. per Prophetam ita conquerente: *Si Deus ego, ubi
Ibid. timor meus?* Neque *patrem*, proſequente: *Si pater
ego, ubi amator meus?* Ejus præcepta vel annun-
Pſal. 49. 16. tiare cum Pſalmiſta compeſcatur monſtrante: *Quare
tu enarras juſtitias meas?* Nihil quoque ſanctificare
Num. 19. 22. valere ſcripturâ ita teſtante: *Quod tetigerit immun-
dus, immundum erit.* Cum verò Sacerdos à ſacro &
dato compoſitum geſtare videatur vocabulum, mi-
ſerum me! factum quomodo fieri, vel ſaltem valet
putari, quod eſt immundum; mundum verò quod
tetigerit immundus, contrà aſſertum illius qui eſt
ſingulariter mundus, & ſine quo nemo eſt mundus,
quomodo valet ſaltem putari? Hic tamen ſuffra-
gari [q] videtur quod Baptiſta Domini ſibi teſtatur di- q
vinitùs intimatum, id eſt; *Super quem videris Spi-* Joan. 1. 33.
*ritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt
qui baptizat in Spiritu ſancto*; id eſt, qui baptizatis
tribuit Spiritum ſanctum. Quid tamen faciemus, ſi
de illo ſingulariter hoc eſt dictum myſterio, fac ta-
men [r] de omnibus hoc, & dicatur, qualiter conce- r
ditur hoc cuilibet alteri miniſtrare, qui non ceditur
inde guſtare. Habes enim Apoſtolum ita dicentem:
Qui manducat & bibit corpus & ſanguinem Domini 1. Cor. 11. 29.
indignè, judicium ſibi manducat. Indignè verò illum
ſanctè definiunt Doctores Euchariſtiam accipere, qui
eo tempore præſumſerit communicare, quo debe-
ret pœnitentiam agere; quod ſcilicet convincitur
parvipendere, qui quod ſequitur ſurdâ percipit aure,
id eſt, *Si noſmetipſos judicaremus, non utique judica-* Ibid. v. 31.
remur. Dum enim in præſenti nobis nimiùm parcimus,
ne nobis in futuro vel parùm parcatur, efficimus.

Ecce unde contemptus iſte generalis emerſerit ho-
dierni ſæculi Canonum, imò Evangeliorum, & om-
nium Domini præceptorum, cum videlicet quis au-
tumat nil ſibi prodeſſe ſi obſervet minora, qui ſe no-
vit contemſiſſe majora. Quid enim hac lege aſſeret [ſ], ſ
ſi non habeat quis canes ad venandum, & abundet
meretricibus ad ſtuprandum? Si ad ſui & aliorum
defenſionem non capiat arma; & ad ſui multorum-
que perditionem criminoſa committere non deſinat
facta? Si non percutiat fideles delinquentes (quod
& Canonibus interdicitur) pugno vel baculo, &
adulterinæ abſolutionis, largitionis, vel certè bene-
dictionis flagello, aut peſſimorum actuum interficiat
illos exemplo? Cum verò Scripturarum ubique ta-
citurnitas vituperetur aſſerto [*] ad id ordinatorum
officii, prædicatio verò in tantum jubeatur & laude-
tur, ut etiam omnibus, id eſt, nec ſæcularibus ex-
ceptis, per Prophetam dicatur: *Qui audit, dicat,* Apoc. 22. 17.
veni. Et per Jacobum Apoſtolum: *Si quis errave-* Jac. 5. 19.
*rit à veritate, & converterit, quis eum ſcire debet
quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ
ſuæ, ſalvat animam ejus à morte, & operit multi-
tudinem peccatorum ſuorum.* Ubi ſcilicet nullus ex-
cipitur, ſed qui hoc fecerit, tali remuneratione di-
tandus aſſeritur [t], ut & animæ fratris ſalutem ope-
ratus, & ſuæ conſequutus, dicatur. Et alia atque
alia probent exempla, Dominum non modo jubere
verba & juſtitias ſuas enuntiari, ſed & facientibus
præmia polliceri: non facientes verò vehementer re-
darguere, & ab eis illorum ſanguinem, id eſt, pec-
cata, vel animas requirendas, quos non mo-
nendo correxerunt, minari. Quale illius exſtere,

p *ſi Eccleſiæ alicujus*] Totum hunc locum ex conjecturâ reſtituimus: Acherius ediderat: *ſi Eccleſia eſt alicujus, aut uxoris accuſator, invaſor.*

q *hic tamen ſuffragari*] An hiſce verbis idoneus quidam ſenſus tribui poſſit, alii viderint; mihi legere placet *hic tandem*, ſic, ut Ratherius dixiſſe videatur, cùm aliunde conſtare videri, nihil eſſe mundum eorum quæ preſbyteri & epiſcopi quales deſcripſit, contrectaverint; tùm ex Joannis-Baptiſtæ verbis apparere, ab iis dari non poſſe Spiritum ſanctum, quem non acceperint.

r *myſterio, fac tamen*] Locum hunc ita, ut editus eſt à nemine intelligi poſſe, certus affirmo; nec cujuſvis eſt eum emendare; nam quotuſquiſque eſt qui ſuſpicetur ſub his vocibus *fac tamen* latere vocem *ſacramento*, quam ille amanuenſis deſcripſerit, ut vocem *myſterio* interpretaretur? Mihi ſanè dubium non eſt quin vera ſit lectio *myſterio? De omnibus hoc & dicatur*, &c. Ut ſenſus ſit: Objiciet fortaſſe aliquis verba Joannis-Baptiſtæ ad unum confirmationis ſacramentum pertinere; ſed ut idem de omnibus ſacramentis dici poſſe probemus, ſufficiet alterum exemplum in Altaris ſacramento exhibere: quamobrem eum, quiſquis eſt qui hæc Joannis verba ita reſtringit, rogabimus dicat, num eam rem cujus particeps non ſit cum alteris participare quis poſſit, &c.

ſ *hac lege aſſeret*] In hac ultimâ voce latet quiddam, quod cujuſmodi ſit divinaſſe mihi videor; nam cum in primarios Præſules, adeoque in Romanos Epiſcopos ſuæ ætatis Ratherius hoc loco potiſſimum invehatur, probabile eſt amanuenſem veritum eſſe ne quid exſcriberet paulo ſpurcius de iis quibus ſua dignitas ſanctitatis prærogativam conferret, & ut pietati ſuæ ſimul ac fidei ſatisfaceret, cætera quidem ſervaſſe omnia, ſed nomen dignitatis quâ inſignes erant de quibus hæc dicebantur diſſimulaſſe, ſcriptâ in ejus locum inani hac voce *aſſeret*. Cujus conjectura, ne vana eſſe videatur, hoc habemus argumentum, quod non ita multo poſt vocem propè ſimilem illi *aſſerto*, cum de Eccleſiæ paſtoribus ageretur, uſurpavit. Nam quod eo loco legitur *aſſerto ad id ordinatorum*, manifeſtè apparet idoneo ſenſu carere; nec quidquam erit, ut quidem arbitror, qui illi conſultum cenſeat, ſi ſcribatur *aſſertio ad id*, &c. ut placuit Acherio. Si verò ſub voce *aſſerto* latere agnoſcamus vocem *paſtorum*, aut *prælatorum*, aut aliam quamdam ejuſmodi, nihil erit intellectu facilius.

t *ditandus aſſeritur*] Priùs *aſſerit*. Inſtà ſcripſi *quod unnam nunquam*, ubi erat *quod utique nunquam*.

vel quantum poſſit penſemus delictum, quem ad enuntiandas juſtitias ſuas computat tam eſſe, ut increpatione compeſcatur, indignum? Ne igitur ſuſpenſi tremus, quæ ſequuntur cernamus, & cauſam illicò invenimus: *Tu vero*, ait, *odiſti diſciplinam*, quam non obſtat legem intellexiſſe canonicam, *& projeciſti ſermones meos poſt te*, id eſt, tuum arbitrium, conſuetudinem, vel arbitrium præpoſuiſti legi meæ; & quomodo? *Si videbas*, inquit, *furem, currebas cum eo*, id eſt, non obſervabas quod per Apoſtolum mandaveram, id eſt, *manus nemini citò impoſueris*, neque communices peccatis alienis. *Et cum adulteris portionem tuam ponebas*, & videlicet defendendo, & privilegium eis, (quod utinam * numquam expertus fuiſſem) ut in adulterio eodem firmiter valerent durare, præbendo. *Os tuum abundavit malitiâ*: auctoritates ad hoc falſiſſimas, quod utique tibi liceret, quod nunquam alicui licuit, congerendo. *Et lingua tua*, hoc adſtruendo, *commiſcuit dolos. Sedens adverſus fratrem tuum loquebaris*, utique Coëpiſcopum legaliter inſtitutum; aut quemlibet Chriſtianum; *filium* ſcilicet *matris tuæ*, id eſt, Catholicæ Eccleſiæ, cui utique nullum majus poni valet ſcandalum, quàm ut adulterum ſortiatur Epiſcopum, & loco Paſtoris accipiat lupum.

Pſal. 49. 17. — Ibid. v. 18. — Ibid. — Ibid. v. 19. — Ibid.

Hæc cum faciunt homines, non ad utilitatem audientium annuntiant juſtitias Dei, ſed ad perditionem, verba Domini ſiniſtrâ ſcilicet interpretatione corrumpentes, & renitentem ad ſe ſcripturam trahentes; faciunt illi, & tacet Deus, id eſt nullum eis contradictorem adverſari permittit. Sed audiant quod ſequitur, & poſtea talibus relictis ſacrificio laudis honorificent Deum: verba ſcilicet legis Dei amplectenda, tremenda, atque ſequenda, primùm exemplis, deinde verbis, annuntiantes. *Illic* enim, id eſt, in ſacrificio laudis Dei *iter eſt ad ſalutare Dei*, id eſt, Jesum Chriſtum Dominum noſtrum perveniendi, ac nimirum in laudibus Dei, quas paginæ continent Scripturarum, invenimus quid ſequi, quid agere, quid debeamus cavere ac ſperare. Securus ergo quilibet, quamvis peccator, Dei juſtitias enarret, ſi non diſciplinam Dei, quæ eſt utique promulgatio Canonum, odit; ſi ſuam conſtitutionem præceptis non anteponit illius; ſi furem ipſo intuens demonſtrante, non currit cum eo, id eſt, non conſentit ei, vel defendit eum; ſi cum adulterantibus verbum Dei, & Canonum ſcita contemnentibus, partem ſuam non ponit; ſi os ejus non abundat malitiâ contra rectitudinem legis loquendi, & lingua ipſius non miſcet dolos quemlibet decipiendi; ſi ſedens in cathedrâ judicandi adverſùs fratrem non loquitur ſuum, nec aliquod ei apponit in viâ Domini offendiculum. Nam ſi fecerit talia quivis, taceat illi quamquam Dominus, id eſt, tacere, contradicere aut neſcientes, aut non valentes, aut non oſos permittat, ne æſtimet propterea quòd ei ſit ſimilis in voluntate, id eſt, ipſius facta approbet Dominus. Arguetur enim quandoque, & ſtatuentur opera & intentiones illius contrà faciem ejus. His tamen, tam in nutantem, præter alia & alia quæ hinc dici poſſunt, conſtantibus, ſciendum neminem iden abenarrandis juſtitiis Dei compeſci, ut ſileantur; ſed ut & ſincerè dicantur, & ab eo narrentur, qui eas diligit, & cuſtodire pro poſſe contendit. Cum enim quotidie audiamus: *Dixit* Jesus *diſcipulis ſuis*, ille veraciter eſt diſcipulus Jesu, & illi loquitur Jesus, qui diligit diſciplinam Jesu. Nam cum de talibus ipſe dicat: *Qui eſt ex Deo, verba Dei audit*, de cæteris quid ſentiat, ſubdit: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Joan. 8. 47.

Quàm verò iſta de Pſalmo hîc prælibato, longè ſint ab eo qui nullâ ſuffultus eſt poteſtate; vel quàm propria illi qui plurimâ præeminet auctoritate, lector prudens valet advertere; qualis eſt utique ille, qui reus forſitan talium, Apoſtolicæ dignitatis occupare non formidat, ut jam contigit, pro nefas! editum [locum.] Cui enim nec ordinationis legalitas, nec converſationis ſuffragatur honeſtas, & illi magis congruens mentis & corporis deeſt integritas, ſi prædicationis illi interdicitur, non mireris, auctoritas, cum & miniſtrandi Domino interdicatur illi poteſtas. *Loquere enim* (ait Dominus Moyſi) *ad Aaron fratrem tuum; & dices ei: Homo Sacerdos de ſemine Aaron qui habuerit maculam, non offeret panes Domino Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium ejus.* Subjungenſque: *Si cæcus fuerit, ſi claudus, ſi parvo vel grandi aut torto naſo, ſi fracto pede, ſi manu, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi jugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore, ſi ponderoſus.* Cujuſmodi igitur ſtuporis inſenſibilitate, vel amentiâ, illius obdurentur præcordia, conſideret prudentiſſima Urbanitas veſtra, qui intelligens, iſta omnia moraliter Gregorio ac ſpiritualiter exponente, non viſceratim compungitur, ſibi præcipuè ſi aliquid horum in animâ cernit ineſſe. Cui verò omnes hæ peſtes dominantur, à Sacerdotio, aut affectando aut retinendo, ſi non compeſcitur, quid de eo veſtræ Dominationi videtur? Si enim cæcus mente quilibet eſt, ſi per imbecillitatem animi claudicat, & viam vitæ ambulare greſſu non valet æquali, quamvis videat illam: ſi parvo naſo, id eſt, diſcretione modicâ, bona malis coæquat, aut forſitan præfert: ſi grandi quidem ſed torto eſt naſo, id eſt ſi diſcernendi [u] ſubtilitate nullatenùs pollet, ut fraudulentus adeo ſit, ut bauſiator * vulgo dicatur: ſi fracto pede vel manu, de virtute in virtutem, ut illi qui viſuri ſunt Deum Deorum in Sion, ambulare, vel bonæ operationis nil efficere valet: ſi gibbo terrenæ ſollicitudinis nimiùm preſſus, his ſolummodo quæ calcantur, intendit incurvare; ut tranſeamus [x] Dæmones, cujus animæ dicere non deſiſtant miſerrimè, ab his utique, quæ agenda fuerant, mente cernendis: ſi albugine obcæcatur ſuperbiæ, ſapientem ſe utiquè aut juſtum æſtimans fore: ſi carnalis petulantiæ ſcabies illi jugiter dominatur: ſi impetigini avaritia eum poſſidet ſimilis, quia cum animam immaniter dehoneſtet, ſi adipiſcitur in terrâ quod cupit, nullum de eo ſentit, quod in cœlo perdit, dolorem: ſi genitalium adeo devaſtetur laſciviâ, ut etiam cum non exercet illam opere, ab hac nôn recedens cogitatione, ponderoſi nunquam ritu quieſcat; offerre panes Domino qualiter præſumit, qui prohiberi ſe ab eo, cui debent offerri, quotidie audit?

Lev. 21. 17. — Ibid. v. 18. — Paſtoral. curæ part. 1. cap. ult. ſub init.

Omiſſis enim cæteris, tres tantùm de iſtis reprobationum cauſis, hîc uti ponere non ſit oneroſum. Si albuginem ſaltem habet in oculo, ſi jugem in corpore ſcabiem, vel ſi eſt ponderoſus, nonne ſatis eſt reprobatus? Iſta enim tria, cum utrumque, id eſt, & ſpiritalem cui reſiſtit Deus ſuperbiam, & corpo-

u *ſi diſcernendi*] Graviſſimus error loco huic incubuiſſe videtur; nam cum ſcriptor brevi naſo eum eſſe dixiſſet qui eſſet diſcretione modicâ, apparet ex ejus mente eum eſſe grandi quidem ſed torto naſo, qui *diſcernendi ſubtilitate plurimum quidem pollet, ſed fraudulentus*, &c. atque ita Ratherium ſcripſiſſe cenſeo. Voce *bauſiator*, ait Acherius, intelligi puto virum duplici animo.

x *ut tranſeamus*] Cum aliquoties in emendando Ratherii textu non inutilem eſſe operam noſtram videamus, libet lectorem monere, locum hunc quidem non niſi codicis ope omninò expurgari poſſe, ſed utcumque tamen poſſe intelligi, quod ex loco Levitici ſuprà laudato apparet ſcriptorem hoc loco docere debuiſſe quænam eſſet mentis lippitudo.

ralem, cujus ignis ſuccenſus eſſe in furore Domini dicitur, ſignificent corruptelam, quem non conturbent in ſeſe recognita, quem non perterreſaciant audita? De his enim duobus beato Job de Diabolo dicitur: *Sub umbrâ dormit in ſecreto calami, & locis humentibus.* [Job 40. 16.] Uni eorum reſiſtere, ut diximus, dicitur Deus, alterius ignis in ipſius aſſeritur furore ſuccenſus. Unum illorum ex Archangelo fecit diabolum, alterum ex eo, quem filius per gratiam exiſtendo, patrem ipſius præcepto appellare promptiſſimè debuerat Deum, ob vitæ immunditiam filius appellatur Diaboli. Utar ut hic auctoritate Zenonis beati, in ſermone videlicet quem de Juda Patriarcha, & Thamar nuru ipſius, more ſuo luculentiſſimè fecit, dicentis: *Omnium corrupte viventium Diabolus Pater eſt.* Et ſi quàm non manducat verendam carnem Domini, nec bibit ejus ſanguinem, in quo Diabolus per tria iſta vitia, hoc eſt, ſuperbiam, hypocriſim, atque luxuriam requieſcit, licet communicare cum fidelibus videatur; Domino dicente: *Qui manducat meam carnem, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* Cum & per converſionem ita hoc poſſit reſolvi: Qui in me manet & ego in eo, ipſe manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum. In quo enim Deus manet, & ipſe in Deo, quomodo in eo Diabolus dormire poſſit, non video. Dormit verò in eo, qui per hypocriſim vel elationem umbroſus & vacuus, per luxuriam exiſtit humectus. Quid ergo manducat, quandiu communicat? Judicium, ſi reſpondes, Apoſtolo connives, & intelligere me pariter commones, quia pro eo judicabitur, id eſt, damnabitur, quia cum indignus exiſteret, Chriſti eſt auſus carnem manducare, & ſanguinem bibere; ac propterea quod debuerat illi fore ſalvatio, eſt factum damnatio. De ſubſtantiâ verò corporali quam ſumit, cum ſit mea nunc quæſtio, mihi nunc quoque ipſi loquar, ita ſuccumbo. Cum ſit enim dignè ſumenti vera caro, panis licet quod olim fuerat, videatur, & ſanguis, quod vinum; indignè ſumenti, id eſt, non in Deo manenti, quid ſit, nedum dicibile, incogitabile fateor mihi, & *Altiora te ne quæſieris, & profundiora te ne ſcrutatus fueris*; [Eccli. 3. 22.] dictum putare hinc quoque mihi.

Sed audiamus quid inde quidam, id eſt, Joannes dicat Chryſoſtomus: Forſitan enim conjectare hinc aliquid poterimus: » Nemo, inquit, ſit Judas in » menſa. Hoc ſacrificium cibus eſt ſpiritalis: nam » ſicut corporalis cibus cum ventrem invenerit ad» verſis humoribus occupatum, ampliùs lædit, ma» gis nocet; nullum præſtat auxilium; ita & iſte ſpi» ritalis cibus, ſi aliquem repererit malignitate pollu» tum, magis eum perdet, non ſuâ naturâ, ſed vi» tio accipientis. Pura igitur mens in omnibus, pu» ra cogitatio, quia & ſacrificium purum eſt. San» ctam igitur animam tali ſacrificio præparemus. « [Tract. 61. in Joan.] » Auguſtinus quoque: » Quod accepit Judas bo» num fuit, ſed malo ſuo bonum accepit. Non ergo [Tract. 62 ſub init.] » mirum ſi datus Judæ Panis Chriſti, per quem man» ciparetur Diabolo; cum videas è contrario datum » Paulo Angelum Diaboli, per quem proficeret in Chriſto? « Hoc itaque mihi ſenſu videtur idem eſſe hoc ſacrificium bono, quod malo, digno, quod indigno; ſed non idem præſtare. Digno videlicet, quia vitam, indigno quod tribuit mortem: digno quod gratiam, indigno quod iram; ita enim & continet pſalmus: *Adhuc*, inquiens, *eſca eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* [Joan. 6. 57.] De manna utique referens faſtidito; quod intelligi minimè obſtat de Sacrificio Domini indignè accepto, cum & Judæ hoc demonſtret perditio, & in ſermone Domini aliquid ſuo intelligi oportere: hoc eſt, *Qui manducat carnem meam*, dignè, *& bibit meum ſanguinem* dignè, *in me manet & ego in eo.* Quòd ſi ita eſt, videndum quibus dicatur: *Venite ad Bethel*, id eſt, domum Dei, *& impiè agite, & ſacrificate de fermentato laudem*: nam de dignè oblato ſacrificio, quòd caro ſit, nihil hæſito. Chriſti Apoſtolus attamen cum & de eo dixiſſet: *Itaque epulemur*, ſubjunxit, *non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ.* [1. Cor. 5. 8.] In quibus nimirum verbis omnis malivola extruditur, tam à ſumpturis, quàm à porrecturis corpus & ſanguinem Domini, intentio. Cum verò illa ſpecialiſſimè oratione conſecretur oblatio populo porrigenda, ubi Deo dicitur: *Pater noſter qui es in cœlis*; [Matt. 6. 9.] qui filius corruptè vivendo exſtat Diaboli, ut Zeno ſanctus affirmat, quid cogitet, quantum ſe mentiatur, aliis committo perpendere; nam non ſufficio ipſe. Conſiderari ſanè in Pſalmo valet facillimè, quàm in his duobus, id eſt, ſuperbiâ atque luxuria, alterum ex altero pendeat, cum Pſalmiſta expoſtulat: *Non veniat*, inquiens, *mihi pes ſuperbiæ*: [Pſal. 35. 12.] hoc eſt, non conculcet in terrâ vitam meam jactantiæ Dæmon, terrena me ſolùm ambire ſuadens: ubi & ſequitur: *Et manus peccatoris non moveat me*: [Ibid.] Spiritus utique fornicationis, qui, ubi cenodoxiæ ſpiritus cor religioſi cujuſlibet occupaverit, ſtatim corpus illius libidinis agitat motu. Commotus igitur cur operetur iniquitatem, monſtratur, dum ſubditur: *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem*: [Ibid. v. 13.] ubi? In ſuperbiam primùm, hinc demum in luxuriæ voraginem. Et quare? *Quia expulſi ſunt*, inquit; unde? à gratia Dei; & ideo *non potuerunt ſtare*, [Ibid.] indigniſſimi Euchariſtiam facti guſtare, Domino taliter intercedente: *Quicumque manducaverit de carne ſacrificii*, quod eſt Domini, *& immunditia ejus ſuper ipſum eſt, peribit anima illa de populo ſuo.* [Levit. 7. 20. & 21.]

Sed cum ſcriptum ſit, *Quia nihil in terrâ ſine cauſa fit*, [Job. 5. 6.] cauſam ipſam non diffiteor; videre videor plerumque ita poſſe contingere. Pone quemlibet Nobilium ſcholis tradi (quod utique hodie magis fieri ambitu videtur epiſcopandi, quàm cupiditate Domino militandi:) ecce pes unus ſuperbiæ, parentum ſcilicet elata voluntas. Is cum adoleſcere cœperit, aut de ipſâ nobilitate, aut de quovis intellectûs acumine, aut fortaſſis pulcritudine corporis, aut quia ſit ei (ut de quâdam refert Hieronymus) cygneo canore vox forſitan dulcior, incipit inſoleſcere. His igitur Dæmonicis ſuperbiæ pedibus conculcatus enervatur, & propter jactantiam, ut ille primus in aërem craſſiorem, ita iſte in laſciviam proſternitur turpiorem. Hinc demum non tam bigamus, quàm multigamus effectus, ſine examinatione provehitur ad Sacerdotium, quod occaſio ſequentium omnium uſque ad perditionem animarum eſt profectò malorum. Cum enim hi ex ſæcularibus, qui non penitùs ſunt litterarum expertes, ſecundâ in Pentecoſte feriâ audiunt dixiſſe JESUM Diſcipulis ſuis; (utique & illis qui tunc erant, & iſtis qui modo non ejus diſciplinam, doctrinam ſcilicet, correctionem, necnon & interdicta odio habent) *Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro*: [Joan. 10. 1.] nec mentiri non potuiſſe non ignorant Veritatem; non conſequi quoque, ut qui fur eſt, eſſe poſſit pariter Paſtor: ovile verò intelligunt eſſe Eccleſiam, quæ utique oves continet illas, quæ erunt in judicio ad dexteram ſtatuendæ, quamvis & illic mixti ſint iis qui ad ſiniſtram erunt locandi, quibus & perpetuum nunquam deerit væ: Paſtorem legalem, Epiſcopum furem, Pſeudopræſulem [vident;] quid de ejus curant proviſione, quem cognoſcunt non patremfamilias poſuiſſe, ſed ipſum latrocinaliter ſe impoſuiſſe? Quid de ejus benedictione, quem ſciunt maledictum eſſe, Gregorio teſtante, quia be-

nedictio

ordictio illi in maledictionem vertitur, qui ad hoc ut fiat hæreticus, promovetur. Cujuſmodi verò ſectæ Hæreticus? Illius utique, illius, [de] cujus aucto- Act. 8. 20. re legimus Petrum dixiſſe; *Pecunia tua tecum ſit in perditione, eo quod æſtimaſti donum Dei pecunia poſſideri.* Cum verò communicans hæretico, fit & ille hæreticos, quid rogo faciendum, quid cogitandum, quid æſtimandum de talibus? Excommunicatio verò illorum quàm poteſt ab illo timeri, qui excommunicatos eos non ſemel, ſed millies canonicis non neſcit legibus? Conſecratio quantum amplecti, Levit. 5. 2. dicente Domino: *Quod tetigerit immundum, immundum erit?* Damnatio quantum vereri, ſuadente Chriſto: *Qui ſine peccato eſt veſtrùm, primus* Joan. 8. 7. *in illam*, hoc eſt, meretricem, *lapidem mittat?* Nam iſti ſunt præcipuè, qui meretriculas jubent ad ſtipites excoriandas ligare.

Memini me in Rheno bicorni tantum pertuliſſe quondam pavorem, cumulis utique ad inſtar collium ebullientibus fluctuum, ut Euxino freto majus habuiſſe putaverim nullum, ſed [cum] nautas fiducià peritiæ navigandi jocari vidiſſem, metu amiſſo, audaciam ſumſiſſe non modicam. Hoc itaque ut uti hìc non incongruum judicetur exemplo, ſi ſæculares ad tanta divini terroris quæ iſthìc depinxi tonitrua, quæ legentes intelligere nos negare non poſſumus, validiùs expergiſci, utcumque nihilominùs & illi timerent. At cùm nos videant ridendo ea quoque legere ſæpe, & tam obſtinatè adversùm talia, tamque audacter reſiſtere, & rebellione contrà Deum publicà obdurari, ſi illi talia non curant mirumne alicui poteſt videri? Illi nempe quid dicatur, nedum intelligant, utrum verè dicatur ignorant. Unde & excommunicationes noſtras cum abſolutionibus parvi ducunt, quia quantum intelligere poſſunt, & nos à ſanctis Canonibus excommunicatos cognoſcunt, & ligatum neminem ligare vel abſolvere poſſe arbitrio proprio comprehendunt. Ad prædicandum ſanè cum maniter pervenitur: quam- Matt. 23. 3. vis dixiſſe Dominus recolatur: *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, nolite facere*, Apoſtoli tamen exaggerando ſermonem quid dicere poſſint, non ſibi Rom. 2. 21. credunt deeſſe: *Qui prædicas non furandum*, ſpoliando pauperes, ut locupleteris, pejùs omninò fu- Ibid. v. 22. raris. *Qui dicis non mœchandum* ullo modo, mille modis id actitando pejùs mœcharis, moltinubus dum quoque non eſſe vereris. Quid tamen inde proveniat, non à me diſcere quivis expoſtulet. Gregorium 1. Reg. cap. 5. audiat: *Cauſa*, inquit, *ruina populi Sacerdotes mali*. v. 23. Qui utique, niſi eos contemnerent Canones, imò niſi Prophetica, Evangelica, & Apoſtolica pro nihilo ducerent dicta, nullus ſæcularium tam ea parvi duceret veſaniâ, ſed omnes à nobis tam ſtudioſè venerata omninò cognoſcerent veneranda. Venerarentur verò à nobis utcumque, ſi diligerentur. Diligerentur autem, ſi non illa tam ſancita fuiſſent auſterè, quæ contraria ſunt libidini ac luxoriæ maledictæ, cujus deteſtationem nemo litteratus, etiamſi velit, permittitur ignorare. Omnes verò eam y odiſſe, voluptatem verò ipſos diligere, quamvis gehennæ ſuſpectu multi eam cavere; ac per hoc adverſarium nobis ſermonem divinum in via præſentis temporis, Chriſto teſtante, exiſtere. Sed velimus nolimus, ipſos legis Dei, quos modo tam obdurantet odimus, atque contemnimus, libros * habebimus Judices, ipſos accuſatores, quos haberi oportuerat Dan. 7. 10. defenſores. Scriptum eſt enim: *Judicium ſedit, & libri aperti ſunt*: quod quamvis & de conſcientiis ſingulorum valeat intelligi, ſciendum ex eo * quod in libris continetur, omnes judicandos. Monſtrat Propheta alius, dicens: *Converſus ſum & levavi* Zachar. 5. 1. *oculos meos, & vidi; & ecce volumen volans, & dixit ad me: Quid tu vides? Et ego dixi: Ego video volumen volans; longitudo ejus viginti cubitorum, & latitudo ejus decem cubitorum. Et dixit ad me: Hæc eſt maledictio quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ; quia omnis fur, ſicut ibi ſcriptum eſt, judicabitur: & omnis jurans, ex hoc ſimiliter judicabitur. Et educam illum, dicit Dominus exercituum, & veniet ad domum furis, & ad domum jurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus ejus, & conſumet eum, & ligna ejus, & lapides ejus. Audite* (ait alius, ut ad alia tranſeam) *Audite hoc Sacerdotes, & attendite, quia vobis ju-* Oſee 5. 1. *dicium eſt, quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi.* Quid intelligi lucidius, quid quæſo apertius poteſt? Speculatorem quippe eſſe oportere Pontificem, qui dicit, innuit: *Speculatorem te poſui, ait Dominus* Ezech. 3. 17. *exercituum, domui Iſrael.* Unde & Epiſcopus græcè, Superintendens dicitur latinè. Qui ſi hoc agere aut neſcit, aut negligit, aut, quod eſt gravius non juſſus præſumit, laqueus ſpeculationi, id eſt Epiſcopali Ordini, & cauſa perditionis dubio procul efficitur, maximè ſi non inſcius ſed conſcius id operatur. Ait enim de talibus Apoſtolorum præcipuus: *Melius illis fuerat non cognoſcere viam veritatis,* 2 Pet. 2. 21. *quam poſt cognitionem retrorſum converti ab eo quod traditum eſt illis ſancto mandato.* Quod adſtipulans ego, viſceratim (quid alii de ſe ſentiant illorum intereſſe dimittens) cum eo, qui ante me idem depromſit, exclamo: *Utinam non fuiſſem vir ha-* Mich. 2. 11. *bens ſpiritum, nec ad me ſermo factus fuiſſet Domini.* Quid enim mihi aptè viventi ſermo Domini, niſi perſpicuè contrà illum rebellionis indicium, & perditionis eſt cumulus meæ. Cum enim ille bonis præmia, à malo verò recedentibus veniam promittat, neminem decipit, omnibus dicit: *Filius hominis ven-* Matt. 16. 27. *turus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis, & tunc reddet unicuique ſecundùm opera ejus.* Quem ſequutus Apoſtolus ait: *Omnes enim adſtabimus ante* Rom. 14. 10. *Tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Quidam quoque nec minus verè, cujus tamen dicta Veronenſes Cleronomi nolunt cantare: « Ad cujus ad- « Symbolum ventum, inquit, omnes reſurgere habent cum cor- « S. Athanaſii poribus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriis ra- « tionem: & qui bona egerunt, ibunt in vitam æ- « ternam; qui verò mala, in ignem æternum. « Subveniat, ſed rogandum tunc illi, Chriſtus, qui illic poteſt vereri, *De ore tuo & ſcriptis tuis te judico,* Luc. 19. 22. *ſerve nequam*, audire, & ad ſe ipſum talpæ, ad cæteros caprearum uſus viſu increpari fuiſſe. Amen.

PARS SECUNDA.

Ut prioribus ſanè poſteriora reſpondeant, Lectoris hìc advertat perpenſio, nullam me meæ admirationi, ac ſtudioſiſſimæ indagationi aliam invenire cauſam quiviſſe, niſi Pſeudopontificum culpam tam generalis, prò dolor! Canonum divinorum contemptûs: ipſam verò manu peccatoris ad eſt, Diaboli, ob ſuperbiæ vindictam, per enervitatem luxuriæ commutam, quæ in furoris Dei igne ſuccenſa ardet hodie in ſæculo, arſura uſque ad infernum

y *omnes verò eam*] An hic deeſt quoddam verbum, quod regere debeat omnia illa infiniti temporis, *odiſſe, diligere, cavere*, &c? Infrà edidimus *libros*, ubi ſtat *liberos*. Mox *ſciendum, ex eo quod*, quo loco Acherius ediderat *ſciendum vero quia*.

viſſima, devorans terram, ubi eſt plantata vinea Domini Sabaoth, cum germine bonorum operum, quem debuerat ferre; vel certè cujuſlibet miſeri, dum illud ſcilicet comburendo temporaliter, æternaliter ut comburi cum animâ non ceſſet, ſibi redditam facit: vel certè terram cum germine devorat, dum, ut alius dicit, ad perditionem omnia quæcumque egit bona ita perducit, ut nihil ei proſit ſi quid boni aliquando fecit; quod tamen de illâ dictum libidinis arbitror perſeverantiâ, de quâ

Joel. 1. 17.

computruerunt jumenta in ſtercore ſuo, propheticâ conquerendo fatetur Deus ipſe loquelâ. Et montium, id eſt, Præſulum, fundamenta, id eſt, ipſa initia diſcendi legem Dei per peſtiferam, comburens adeo laſciviam, ut cum opus fuerit, nemo ferè inveniri poſſit ad eligendum idoneus, nemo, qui legaliter electo, prô nefas! manus imponat omnimodis dignus. Cumque ſe ita res habeat, & quod Canones ſancti præcipuè deteſtantur, iſti maximè amplectantur; dum nolunt iſta cavere, cætera non verentur pro nihilo ducere. Hoc omnes Eccleſiæ filii contemplantes, parvipendunt & ipſi omnia quæ in ſcripturis continentur, exemplis talium ſolummodo innitentes, pietatique Dei ultrà quàm ipſe promiſit, ſeſe credentes; juſtitiam verò illius poſt dorſum ponentes. Ideoque ſine formidine ſuis voluptatibus, & mortiferis voluntatibus paſſim deſerviunt omnes. Cum verò lex Eccleſiaſtica tam nulliponderatur, lex mundana cur tam timeatur, levis reſponſio eſt. Quia videlicet magis timent homines amittere pecuniam, quàm perdere animam; plùs verentur pœnam temporalem, quàm perpetuam damnationem.

Quærat & aliquis, cur præ cæteris gentibus baptiſmo renatis, contemptores canonicæ legis, & vilipenſores Clericorum ſint magis Italici. Hoc fateor cauſâ ſuperiùs relatâ. Quoniam quidem libidinoſiores eos, & pigmentorum venerem nutrientium frequentior uſus, & vini continua potatio, & negligentior diſciplina facit doctorum: unde ad tantam conſuetudo, & majorum eos exempla jam olim impulerunt impudentiam, ut ſolummodo barbitaſio, & verticis cum aliquantulâ veſtium diſſimilitudine nudo, & quod in Eccleſiâ cum negligentiâ agunt non parva, unde tamen affectant magis placere mundo quàm Deo, à ritu diſtare eos videas laico. Inde præ ſe, fateor, illi eos contemnunt, & execrationi, ut dignum eſt, habent. Sic enim eis promiſit in perſonâ ſui ordinis, Heli utique filiorum deteſtans inſolentiam, qui dixit:

1. Reg. 2. 30.

Quicumque honorificaverit me, honorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Per Malachiam quoque cum de probis præmiſiſſet:

Malac. 2. 7.

Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus exercituum Domini eſt; de reprobis quid dicat videndum:

Ibid. v. 8.

Vos autem, ait, *receſſiſtis de viâ, & ſcandalizaſtis plurimos in lege. Irritum feciſtis pactum Levi: propter quod & ego dedi vos contemptibiles omnibus populis.* Et per alium:

Deut. 32. 21.

Ipſi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, & irritaverunt in vanitatibus ſuis. Et ego provocabo eos in eo qui non eſt populus. & in gente ſtultâ irritabo illos. Subditque illam peſſimam, hîc tactam non ſemel, unde omnia iſta prodire jam diximus mala, ſcilicet ſortem:

Ibid. v. 22.

Ignis (qui utique libidinis eſſe non ignoratur) *ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima; devorabitque terram cum germine ſuo; & montium fundamenta*, id eſt, Chriſtianitatis initia, apoſtaſiâ ſequente, *comburet.* Nunc enim evidens talis eſt à Deo & fide percepta receſſio, cum quis præſente ipſo non timet talia contrà illum committere, quæ ille minatur inextinguibili combuſtione vindicaturû ſe ſtatuiſſe fore, ut nihil ei boni quod geſſit uſque ad ipſum quod percepit baptiſma, poſſit prodeſſe, maximè ſi non inſcius, ſed certiſſimus id actitat quiſque.

Didici tuam, prô dolor! quemdam (aliis eodem ipſiſſimo referente) quòd ferè ipſâ eademque quâ miſerrimus idem cantaverat horâ, cum recoleret quoque in Job Hiſtoriâ: *Ignis eſt uſque ad perditionem devorans*, neque ignarus expoſitionis foret; prolatum

Job 31. 12.

reminiſcens etiam dixiſſe de Deo Apoſtolum: *Quod omnia nuda & aperta ſint oculis ejus, ad quem nobis ſermo*, id eſt; cui loquuntur ipſa etiam quæ cogitamus, nedum lateant quæ perpetramus: hoc ipſo letifero igne ita ſuccenſum, ut illecebroſo libidinoſiſſimus tactu pruritui ſubſcalpentem concitari in ſuimet interitum fecerit, vice reciprocâ voluptatem obſcæni fluxûs ad unguem; minùs quidem turpiter quàm alii, ſi tamen in turpitudine tali aliquid poſſit, quod non ſit turpiſſimum, dici. Quid tali ſuit quæſo matutinis illis laudibus interfuiſſe, niſi publicatio rebellionis contrà Deum, perſpicuè ſervitio quod fecerat Domini incaſſum vadente? Melius incomparabiliter ſanè fuerat ei Matutinis neglectis dormiſſe, quàm tantum malum eiſdem peractis feciſſe. In tantum enim, teſte Gregorio, diſplicent Deo mala,

Moral. in Job lib. 1. cap. 3. Et in 7. Pſal. 1. verſ. 7.

ut nulla placeant ei mixta malis bona. Nedum nos putemus ſeductiſſima placere ea illi bona, quæ malorum ſequentium viciſſitudine fuerint compenſata:

Iſai. 9. 5. Oſee 4. 7.

Veſtimentum enim, ait, *mixtum ſanguine erit in combuſtionem, & cibus ignis.* Alius item: *Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* Et ne de quibus dicat, hæſites, ſubdit,

Ibid. v. 8.

Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum ſublevabunt animas eorum. Et erit ſicut populus, ſic Sacerdos. Et viſitabo ſuper eum vias ejus, & cogitationes ejus reddam ei. Et comedent, & non ſaturabuntur; fornicati ſunt & non ceſſaverunt; quoniam Dominum reliquerunt in non cuſtodiendo. Fornicatio enim, *& vinum, & ebrietas, auferunt cor*, id eſt, perimunt rationem. Itemque:

Ibid. 9. 4.

Non libabunt Domino vinum, & non placebunt ei. Sacrificia eorum quaſi panes lugentium; omnes qui comedent eum, contaminabuntur; quia panis eorum anima ipſorum. Formidoloſa nimium ſententia! Sed ſi quis contendat Judæorum Sacerdotibus hæc ſolummodo convenire, audiat ſibi repugnantem Apoſtolum ita:

Rom. 15. 4.

Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Dicente verò de talibus eodem Apoſtolo:

Ibid. 10. 15.

Quomodo prædicabunt, niſi mittantur? Si miſſi fuiſſent, & non potiùs permiſſi, id eſt, ſi legaliter aſſumpti, electi, ordinati, & quod ſibi competeret agerent, non ſolùm pro ſui, ſed etiam innumerabilium ſalute coronam perpetuam mererentur: ut è contra nunc ignominiam ſempiternam, cum uſurâ quoque indeficientium lugendi pœnarum.

Mich. 4. 10.

Venient ad Babylonem ibi liberaberis, & illic redimam te, dicit, qui per alium loquitur Dominus, dicens:

Jerem. 3. 3.

Frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere. Quæ utinam duo nos infeliciſſimos commonitacerent, & cum Joſia Rege ſciſſis veſtibus dicere quemlibet noſtrum ad reliquos facerent:

4. Reg. 22. 13.

Ite, conſulite Dominum ſuper me, & ſuper populum meum & ſuper omnem Judam; quem intelligere poſſumus conſilione Dei inſignem Catholicam Eccleſiam, de verbis voluminum illorum, Canonum ſcilicet & Decretorum, quæ continentur in Archivis Eccleſiarum.

Ibid.

Magna enim, ait ille, *ira Domini ſuccenſa eſt contra nos, quia non audierunt Patres noſtri verba librorum iſtorum, ut facerent omne quod ſcriptum eſt in eis.* Ut Patres intelligas Eccleſiarum Pontifices. Quatenùs ille ſaltem cuilibet noſtrûm reſpondere dignaretur:

Ibid. v. 18.

Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Pro eo quod audiſti verba voluminis, & perterritum eſt cor tuum, & humiliatus es coram Domino, auditis ſermonibus contra locum iſtum & habitatores ejus: quod videli-

eet fierent in ſtuporem & maledictum. & ſciſſiſti veſtimenta tua, & flevíſti coram me: & ego audivi, dicit Dominus. Ideircò colligam te ad Patres tuos, & colligeris ad ſepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus ſum ſuper locum iſtum.

Quorſum tamen hæc, detrahendi avida æmulorum ſi requirat invidia? Nimirum ut quod innoteſcere nequiverunt præmiſſa, demonſtrent termino proxima: nempe ut pateſieret quærenti, unde iſte, id eſt, hodiernus prævaluerit Canonum Sanctorum tam univerſalis contemptus. Ad hoc perventum noſtrâ eſt inquiſitione, atque indagatum eorum contigiſſe ſine dubio culpâ, qui cum eos legant atque intelligant, pro nihilo ducunt. Tum quare hoc faciant pariter eſt indagatum: quia videlicet cum illa quæ illi magnopere interdicunt, iſti libentiùs agant; quæ præcipiunt [a] enixiùs, exequi omnimodis nolunt. Quæ ſunt utique illa? Duo: Doctorum ſcilicet Eccleſiæ prohibita millies mulieroſitas, ſive illecebroſa non uniformis, Deoque magis deteſtanda voluptas, & neglecta ipſorum Chriſto amabilis caſtitas. Quæ tria [b] cum cætera quæ in libris continentur divinis faciant omninò contemni, contemptores ipſos jure vicario [c] à Deo monſtratum eſt reprobari, reprobationem verò ipſam pœnam ſubſequi ſempiternam. Non verò pro ſuo tantùm peccato; ſed etiam pro malo, quo alios perdunt, exemplo. Hujus peſtilentiæ cum nullum poſuerim remedium, fateor me defeciſſe, niſi tria ſuccurriſſent hic præmiſſa memoriæ. Quæ ſunt vero iſta?

Oſee 4. 10. *Fornicati ſunt*, inquit Propheta, *& non ceſſaverunt.*
Eccli. 21. 1. Quod dum cum illo confero, ubi dicitur; *Peccaſti, quieſce*: & cum illo, ubi legitur: *Qui furabatur,*
Epheſ. 4. 28. *jam non furetur.* Videretur mihi aliquid fornicatoribus profuiſſe, ſi à fornicando ſtuderent ceſſare. *Re-*
Pſal. 75. 11. *liquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi*, dum Pſalmiſta Deo loquitur quoque, videtur mihi innuere, ut cogitatione nequam derelictâ, quòd ſit enitendum, ne virus mortiferæ delectationis in effectum ſceleratæ prodeat actionis, ſcabies uti peſſima ſcilicet ab interioribus cutis: cumque diem fore de nobis Deo ſolemnem, ſi pravum opus noſtram non
Mich. 4. 10. ſequitur voluntatem. *Venient quoque ad Babylonem, ibi liberaberis*, dum lego, cum quis de criminibus ante actis confunditur, prodeſſe ei multum mihi videtur. Joïæ quoque Regis me multum oblectat exemplum, dum illud cum eo confero quod
Exod. 9. 20. legitur in Pentateucho: *Qui timuerit*, inquit, *verbum Domini de ſervis Pharaonis, fecerunt confugere jumenta & pecora ſua in domo; & non cecidit ſuper*
Prov. 28. 14. *ea grando.* Illud quoque dicens: *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus: qui verò mentis eſt duræ, corruet in malum: Vidiſti*, inquiens Dominus Achab,
3. *Reg.* 21. 29. *quomodo humiliatus eſt coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus ejus.*

Quæ utique meam relevare quantulumcumque non diffiteor deſperationem, quamvis nullam præbeant ſecuritatem. Non modicè nam me terret dum alibi lego, quia ſicut non proficit plagato medicinæ alicujus impenſio, ſi adhuc ferrum in eo ſit; ita non prodeſt pœnitentia illius, qui peccatum, quod plangit, non deſerit, ut Balaam utique compunctio, & Eſau conſternatio prodit. Hoc idem quoque adſtipulante Domino, dum dicit: *Quàm vilis facta es iterans vias tuas.* *Jerem.* 2. 36. Gregorium quoque dixiſſe dum *Homil.* 37. *in Evangel.* lego, vel audio, quòd ad magna præmia perveniri non poſſit, niſi per magnos labores: & meos conſidero mores, ſi non perterreor, inſanire me fateor. Si enim ad magna præmia non pervenitur, ad maxima ſupplicia quòd ſine dubio perveniatur, intelligi datur. Quid enim in cœlo, quod non ſit præmium magnum? Quid in inferno, quod non ſit maximum damnum, tribuitur? Quàm verò me dulciſſonâ oblectet illa Domini, quâ dicitur, vox: *Gau-* *Luc.* 15. 7. *dium eſt in cœlo ſuper uno peccatore*: quàm illicò terreat dum ſubjungit: *Pœnitentiam agente*; nequeo dicere. Dum enim quid ſit pœnitentia vel in Canonibus ſanctis, vel in eorum qui tam dignè fecerunt exemplis, conſidero, & ignaviam pariter meam attendo, væ, væ, væ, tantum clamare compellor. Nam derelictis ſceleribus veriſſimum atque piiſſimum tenemus promiſſum dicentis: *Convertimini ad me,* *Zachar.* 1. 3. *& ego revertar ad vos.* De his verò quæ relinqui non valent, quid cogitem, nedum dicam, dubius exſto. Scriptum enim cognoſco de Deo: *Si concluſerit hominem, quis ei dicere poteſt; Cur ita facis?* De quovis etiam talium: *Immiſit enim in rete pedes ſuos, &* *Job* 18. 8. *in ejus maculis ambulat.* Quem utique utrum abſolvere dignetur ille (de quo canitur; *Qui aperit,* *Apoc.* 3. 7. *& nemo claudit; claudit & nemo aperit*) necne, non eſt hominum in hoc ſæculo judicare. Scriptum eſt enim: *Neſcit homo utrum odio, an amore dignus* *Eccleſ.* 9. 1. *ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta.* Quæ tamen ſententia, ut peccatori deſperationem adimit, ita juſto ſollicitudinem adjicit, ſi quod competit, agere non deſiſtit. Ut ſcilicet nemo in hac vitâ ſit ſine curâ, ſed qui ſperat in Domino, ſperet, ita tamen ut quod ipſe promiſit, non aliud quidlibet inaniter ſperet; & qui gloriatur, non in ſe, id eſt opere ſuo, atque virtute, ſed ſi gloriatur, in Domino glorietur.

Sed jam nunc, ſufficiant iſta, ſcaturigine contemptûs canonicæ ſanctionis abundè monſtrata. Nam ſtulti proprium eſſe, ſenſum totum effundere ſuum, aſſerto monſtratur ſcripturæ; ſimulque cavendum in ſylvam ne ligna ferre, hortiſque irrientibus in flumine vecors aquam mittere; jure vituperer ipſe. Quia verò meam inertiam urbanitas quondam, ſi recolitis, quomodo orarem eſt dignata conſulere, veſtra; quid mihi ſit inſtanter orandum in veſtri libro amici æquinomi, atque ad me perſequendum ſocu, inveniſſe confiteor meam modicitatem, Huberti, quod & iſthic ponere operæ pretium duxi.

Collecta.

CONſpirantes Domine contrà tuæ rectitudinis firmamentum, dexterâ virtutis tuæ proſterne: ut juſtitiæ non dominetur iniquitas, ſed ſubdatur ſemper falſitas veritati. Per Dominum, &c.

Secreta.

OBlatis quæſumus, Domine, placare muneribus; & nos ab inimicis clementer libera noſtris. Per Dominum.

Poſtcommunio.

HÆc nos Communio, Domine, & à cunctis exuat delictis, & ab inimicorum defendat potenter inſidiis. Per Dominum.

a *quæ præcipiunt*] Baluzius ſic legi oportere monuit: editum erat *quo perierunt.*

b *quæ tria*] Imò *duo*, ut ſuprà: nam duo dumtaxat luxuriæ genera notat, primum illud quidem, quo libido deſpumatur in mulieres, alterum, ut ipſe ait, non uniforme, illud ſcilicet, cujus ſpeciem cum ſuperiùs recuſiſſet, turpiſſimum quidem id eſſe monet, quod clerico illi accideraț, ſed ita ut aliud quiddam ſit longè turpius.

c *jure vicario*] Quid ſit illud jus vicarium ignoro, niſi hoc Ratherius dicere voluit, à ſe monſtratum eſſe Epiſcopos, qui ad eam dignitatem illegaliter ſunt provecti, non eſſe legitimos Epiſcopos, eoſque à Deo pro vicariis ſuis non agnoſci: quod profectò pluribus exequutus eſt in parte primâ.

Concluſio deliberativa Leodici acta, ſive Climax Syrmatis ejuſdem, qui cætera non adeo parui.

I. QUia reſponſi commoditate omnibus ſatisfeciſſe, inexplicabilis labor cernitur eſſe, circuitione omni poſthabitâ, merè, & quo apertiùs potero, deliberatum irrefragabiliter quod habeo, noſſe dignantibus maniſeſto. Rogaſſe, rogare, rogaturum me ſemper Deum univerſi noverint, ne unquam peccatis meis merentibus mihi contingat, aliquo ut mei commodo illectus, aut incommodo territus, præſente & collaudante univerſâ, cujus intererat, Eccleſiâ, publicè mihi commiſſum ovile ore proprio, lupo exponam.

II. Ne Dei ipſius ore damnatum furem & latronem; furem quia furto abſtulit mihi ſedem; latronem, vi & poteſtate quia publicâ; maledictionem & lepram, quâ eos mortiferè decipit qui putant eum eſſe Epiſcopum, ſibique communicantes commaculat; ... ab ordinandis manu extorſit, mei ceſſione atque ſilentio, in ovium mihi creditarum perniciem intrà idem ovile cedendo iniquitati utique contegam.

III. Ne Mercenarii ipſe mihi nomen, eumdem fugiens importem.

IV. Ne furi cavendo, furis nomen jure mihi vendicem ipſe.

V. Ne compaſtores atque conſamulos ciere:

VI. Ne canes domeſticos, latratu ut eum canonico perturbent, deſinam inſtigare.

VII. Ne cum tam perſpicuæ atque ſacrilegæ invaſionis adultero portionem poſuiſſe meam, proſtituta eidem mihi commiſſa convincat Eccleſia.

VIII. Ne ſedens adversùs fratrem, id eſt, viciniſtatis affinitate conjunctum, Paſtoralitatis officio delegatum, nativæ patriæ populum, cum perverſo perverſus ſuadendo ut fiat, loquar.

IX. Ne adversùs filium Matris meæ, illius utique, cujus & ego baptiſmate ſum filius, Eccleſiæ, plebem tam immane, infantes ipſos latet quod minimè, ſcandalum ponam. Mei enim ipſius oblitus ſi fecero, taceat licet ſurdo; ſed mihi in præſentiarum, ut multis, proh dolor! hodie, Deus non tacebit, vereor, cum venerit manifeſtus, cum utique ignis in conſpectu ejus ardebit, & in conſpectu ejus tempeſtas valida erit.

X. Ne Nicolaitarum Sectam, odiſſe quam ſeipſe profitetur Deus, incurram.

XI. Ne Strudo-Camelontis exemplo, quos debueram ipſe fovere, conculcantibus judicer expoſuiſſe.

XII. Ne quibus abeſſe trimeſtri ſaltem non eſt conceſſum canonicè termino, eos abſentatu decepiſſe arguar continuo.

XIII. Ne ſputum meritò in faciem ab eâdem Eccleſiâ accipiam, libellum prior ſi ei dedero repudii, repulſionis legitimæ.

1. Reg. 2. 36. XIV. Ne *dimitte me ad unam partem Sacerdotalem ut comedam bucellam panis*, eſt Prophetatum quod olim, dixiſſe prior ipſe diffamer.

XV. Ne mille perjurûm veſanus nulli æſtimem caſum.

XVI. Ne excommunicationis letifera peſtis, univerſam quoque ſi occupet patriam, nullius, aut forte minimi defendens fore periculi, nomen Dei in vanum convincat aſſumere, vel, quod pejus eſt, ut à multis aſſumatur, efficere.

XVII. Ne quod miſericorditer, fraternaliter, & charitativè, communi utilitate, aut neceſſitate, (quæ utique in dies majus tanto capiet augmentum, mundus in maligno poſitus propinquitate quo ampliùs deteriorabitur fine), fieri non modò licere, ſed etiam oportere, ab his eſt canonicè conceſſum, in quorum cordibus Deus, in quorum labiis ſemper quia veritas [a] fuerat Chriſti, mei, infelix ſi ceſſero, deſtruam exemplo.

XVIII. Ne hoc unum miſeris, qui ſimiliter erunt, invaleſcentibus, utique Antichriſti ipſius præconibus deſtituendi, ſuiſque ſedibus extrudendi, * patens taliter divinitùs aſylum, in mei ipſius interclùdam miſer ipſe primitùs periculum: *Si vos perſequuti fuerint in unâ civitate, fugite in aliam.* Quamvis & Babylon, quos inſequitur, confuſionis mundanæ, Hieruſalem cœleſtis hoc præcepto ſuffugium haud ignorem petendum præcipuè.

XIX. Ne conceſſum quoque eis eodem præcepto canonicè recuperandi in aliis, ſed vacantibus, qui minimè valeot in ſuis Eccleſiis, aditum crudeliter obſtruam.

XX. Ne contradictor miſer ipſe, malle Deum miſericordiam, quàm ſacrificium, venìam.

XXI. Ne judicio Præſulum, teſtimonio Decretorum, ſanctione Canonum, ſub præſentiâ totius Eccleſiæ, à legitimo Archipræſule, conſenſu, qui utique & requiritur, legibus Clericorum, publicè facta infirmari ullatenùs poſſe decernam.

XXII. Ne clementiſſimum atque veraciſſimum piiſſimi Regis conceſſum aſſeram, aut ſaltem credere videar aut inconſtantem, aut quod eſt indecentius, fraudulentum fuiſſe.

XXIII. Ne benignitatis, quæ obtinuit, ingratitudinis obfuſcem caligine dignitatem.

XXIV. Ne inſtabilitatis ipſe eam cauterio notem.

XXV. Ne manum tantæ, quæ patravit, auctoritatis condemnem.

XXVI. Ne mei ordinatorem tam infauſto aſſeram ordinatum, impropriè ut ita loquar, auſpicio, ut ipſo eodemque die, quo ordinatus poſt profeſſionem à ſe, moris ut eſt, factam, fuerat, canonicis quòd ſemper obediens foret præceptis, ſtatuiſſe eum aliquid canonicis contrarium legibus, accuſem; favens utique eorum veſaniæ, qui meam ſtultiſſimè reprehendentes, eodem die, ejuſdem & manu actam incardinationem, quibus potiùs obloquantur, ignorant.

XXVII. Ne conceſſum noſtris diebus illi ſuo atque nepoti, Primatum ſcilicet digniſſimo, divinitùs ſolùm neque fortuitò tam prædicabile ſæculis omnibus privilegium, quo ſcilicet uter eorum die ordinationis propriæ alterum meruit ordinare, quod utique in noſtro tanto eſt prædicabilius, quanto miſericordius, non laudando ipſe videar extenuare.

XXVIII. Ne Deum ipſum hominum ſuppoſuiſſe perſonis, eumdem ſibi, & longè inferiorum, ceſſiſſe illorum inconvertibiliter nequitiæ eum conſitendo; quodque conſultu canonicæ legis ipſe fecerat, penitùs diſſipaſſe, roborari, ſi verò perperam eſt, quòd patratum accuſem.

XXIX. Ne tantæ ſedis, acta ubi hæc ſunt, nulli faciam dignitatem.

XXX. Ne ſancti Petri, Apoſtolorum utique Principis, ante cujus ſacratiſſimum altare Paſtoralem

a *quia veritas*] An *pura veritas*? Aut quiddam ejuſmodi repoſendum eſt, aut expungenda vox *quia*. Infrà edidi *extrudendi*, ubi erat *exſtruendi*.

accipere meriti virgam, vilipendam orbi colendam univerſo infeliciſſimus reverentiam.

XXXI. Ne pulpitum venerabile, cujus eodem die edito, ſpectanti aſſignatiſſimum populo, ignarus veluti eſſe cujus debeat honoris, contemnam.

XXXII. Ne concionantis, Archiepiſcopus quoque cum fuerit, dignitatem:

XXXIII. Ne populi tam nobilis clamorem:

XXXIV. Ne præſtantiſſimi Cleri hymnodicam, ſignorum cum ſtrepitu, laudem:

XXXV. Ne ipſius hymni inconſideratum linquam, ſacratiſſimum quod ſonuit atque dulciſſimum melos.

XXXVI. Ne ſubſcriptionem ſeptem tam venerabilium Antiſtitum, duo quorum & Archipræſules fuerant, damnare cedens ipſe convincar.

XXXVII. Ne perſonas, cum Epiſcopi fuerint quoque, commiſſo qui me præfecerunt populo, unus è quibus & Metropolita, vilipendere videar legatorum.

b XXXVIII. Ne cum vulgatâ omnibus ſententiâ, verba Epiſcopi aut vera ſint, aut ſacrilega: relationem ipſorum, conſenſum quæ [b] priſtini præferebat in mei negotio Regis, appellare, aut credere audeam fal ſidicam.

XXXIX. Ne ſuſceptionem tam ſpontaneam, tam hilarem, tam devotam, tam populoſam, tam clamoſam, laudibus tot (quia datus ei fueram) Chriſti refertam, plebis ergà me devotiſſimæ, accepiſſe calumnier ingratè.

XXXX. Ne, quod his quæ præmittuntur omnibus præſtare tantum ſapiens quiſque cenſebit, cœlum à terrà, ortus ab occaſu quantum diſtare videtur, tam prophanæ impietatis admittere audeam piaculum, ut inlegaliter cedens reſiſtere ſi datur, quos ſalva impari meritis qualitate, ab eâdem, quâ me, conſtat antiquitùs auctoritate à ſuis in alias ſedes certis pro cauſis tranſlatos, cum his qui mei inordinationem accuſant, damnaſſe convincar; qui tot probabiles, noſtratibus quoque exceptis, (nulla quoniam quidem ubi factum eſt eorum extitit mentio) Dionyſio licèt rutilent antelignano clariſſimo in Martyribus, Caſſiano Eduorum ſanctiſſimo, cum innumeris, quos aut ignorantia nobis occulunt, aut oblivio abſtulit, librorum noſcuntur teſtimonio fore.

c Joan. 21. 17. Petrus non qualiſcumque, [c] ſed cui ore proprio noſcitur, *Paſce oves meas*, ipſe Deus dixiſſe, invictiſſimum ejuſmodi præceſſit agmen: ſequuntur è veſtigio Felix, Euſebius, Perigenes, Gregorius Nazianzenus, Meletius, Doſitheus, Alexander, Reverentius, Joannes, Palladius. Item, Alexander, Theoſebius, Polycarpus, Hierophilus, Obtimus, Silvanus, Martinus Corticæ, Joannes Squillacenus quidam Terracinenſis. Fautores quorum exiſtunt, Calixtus Papa, Antherus Papa, Theologus atque noſter opinatiſſimus, ſi tamen de teſtimonio tantæ non dubitatur auctoritatis, Gregorius; damnari, ſi damnantur, cum quibus feliciſſimum judico. At ſi parvipensâ tantorum taliumque auctoritate, vi publicâ expellor, interſit illatoris. Ego cuilibet, mihi indigentiſſimo vim * fieri malo, quàm pepigiſſe fœdus cum morte: & cum inferno pacem judicer feciſſe; eleemoſynæ aliquod ſuffragium porrigenti alicui, latrone illo exceptiſſimo, manum ingratus non retraho. Et, ô percæca filiorum veteris Adæ præcordia! O tam denſæ adhuc Ægypti palpari ut valeant tenebræ! Inter mille enim facinus qui quaſi videntur agnoſcere, conquerentium atque dicentium: Quàm grave peccatum eſt, quòd Epiſcopus ille deſtitutus ita videtur injuſtè: vix unus invenitur qui rectiùs diceret: Quàm grave ſcelus, quòd tam copioſus Chriſtiani nominis ita deceptus eſt populus. Cum utique mea deſtitutio levari pane ſufficiat quotidiano; illius verò nemo advertere valeat quàm irrecuperabilis perditio. Poterat verò adverti utcumque, ſi cogitare aliquis, refert cujus ſcilicet, dignaretur, utrumne alicujus mortalis incantatione, vel, ut ita dicam, benedictione, aliquis Eccleſiæ fieri valeat Paſtor, quem ille Paſtorum Princeps & Auctor, Paſtor ipſe Deus & Creator, damnando & reprobando furem vocitat & latronem. Aut quem valet benedicere, anathematis maledicto jure damnatus qui fuerit ipſe: Rugare hæc qui volet, ſi valet, ſatagat mihi non graviſſima fore.

Quadraginta igitur adverbialibus his quondam, ni me ſupputatio fallit, cum pro Epiſcopio Leodicenſi importuniſſimis ſuaſoribus obſiſterim Ratherius ego, remiſſiùs ſex & decem illis prioribus pro Veronenſi, pravigeris reſpondere Lector me noverit compulſoribus; ſic præterea cum Juda Scariote illo (niſi pœnitentia ſubvenerit illi) damnatus, qui me hinc fatigaverit ampliùs, canonicæ ſanctionis cenſurâ, necnon & Imperiali Cæſaris piiſſimi poteſtate, prorsùs exceptâ.

QUALITATIS CONJECTURA cujuſdam.

COgor per omnes actus, ſermones, intentiones inſuper meas, oſorum cavillationibus reſpondere, quaſi ego ſim utique ſolus qui non debeam ad illud ſupremum judicium, ubi omnia hic incorrecta ſunt ventilanda, venire, ſed de omnibus in hoc ſæculo rationem hominibus reddere. Cui ſcilicet non liceat ſoli niſi præfixo loqui, de uno ſaltem in alterum tranſire ſine ratione reddendâ cubiculum, cum Dei miſericordiâ, & illius eleemoſynâ, qui mihi contulit ipſa, habeam multa, nec interdicta mihi ſit eis fruendi licentia. Et utique ſi inter ſe talia collatrarent, non mirum fuerat tales; mirum haud modicè, de talibus fatigare Imperiales ſi auſi ſint aures. Quid enim ad illum, cui de totâ climatis noſtri eſt cogitandum opus referre Monarchiâ, de uno in alterum ſe ſi collocat pauperculus aliquis lectum, de uno in aliud ſi ſe vertit quilibet latus. Cavillatoribus igitur materia eſt; ad id inſtant, cui agendo ipſe uti miniſtrem, falſa veris, opinabilia certis atque conjungam, rumuſculos hîc congerens pro valentiâ veſtros, quo vos utique exaciem cunctos; quæ dicatis, quæve de me, quali quoque ſenſu dicere valeatis, per quamdam præveniens anticipationem hujuſcemodi, ſimilem cui ante me, credo, de ſe nullus fecit, de me promere tento ipſe relatum. Legat ergo qui volet, & de me proferat pejus quiddam ſi valet.

Famulos, inquiunt, quos non audet flagellare, malos ſervos non ceſſat vocare. Dicit, quia pro eo quod eſt animoſus atque pauperrimus, nolit Miniſtrum vel Capellanum habere, quem fillonem non audet appellare. Milites non opitulari ſibi in- Queritis Rath . us ca- umniis ſ[illegible] ri ſque laceſſitus.

b *conſe ſum quæ*] Ita reſtitui ex conjecturâ; nam antea legebatur *o neceſſumque*

c *non quam ſcumque*] Hic etiam nobis, ſed non invito, ut confidimus Ratherio indulſimus; nam editum erat *non quamcumque*. Hoc loco memorat Ratherius Epiſcopos qui ab aliâ ſede ad aliam tranſlati ſunt: ac primum quidem inter *noſtrates*, h. e. inter Gallos Dionyſium numerat, quem ſcil. opinabatur antea Athenarum Eccleſiæ præfuiſſe, inter exteros verò Petrum ipſum, qui Antiochiæ primum, deinde Romæ ſedem fixit. Haud ita multo poſt *vero* edidi ubi erat *ut*.

ſtanter cauſari, quodve capi ſciviſſentque illum abduci. Mores, lectionem, & cantum carpere Clericorum. Inlegale conjugium nominat adulterium; legem, quam conſuetudinem dogmatizat, tenendam. Opus ſervile interdicit dominica die. Non modo inuſitato, ſed & inaudito commiſſos Deo jubet modo ſervire. » Ad magna præmia perveniri non poſſe niſi » per magnos labores, « non quieſcit clamare: ubi ergo Reges, ubi omnes diviciis affluentes, inde qui voluptuosè vadunt viventes? Calamitoſis nam iſte ſolùm Regnum Dei hoc dicto promittit. Naſum ſemper tenet in libro, inde garrire non ceſſat. Omnino, redarguit omnes, contingens nulli cujus mores placeant illi. Quem verò laudat, qui ſeipſum ſemper vituperat? Illa ſed fortè deceptus Apoſtoli veriſſimâ ſententiâ, malè utique intellectâ: *Si noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Quaſi peccatorem ſe confiteri alicui ſufficiat, ſi peccatum quod confitetur non deſerat, cum utique ſi alter hoc ei diceret, moleſtiſſimè ferret. Quæ dicit, ſcribit; legendaque poſteris, præſentibus ut derogent, linquere geſtit. Chronographiam, græcizando vanus, cum non ſit ſaltem latinus, hujuſmodi ſui temporis vocat ſcripturam, quæ utique contemporaneum ſibi contineat vitam; ſe primùm, ſe medialtinò, ſe rodens ipſum poſtremò: inde omnes ſuopte more viventes, genuinum in eis figere non deſinit dentem, intactum deſerens neminem. Unde quia contrà omnes lingua ejus, lingua meritò eſt omnium contrà eum. Ferri verò utcunique poterat linguæ procacitas ejus; digitos jure aliquis frangeret contumaces illius, venturis talia ſcriptitantes. Quid plura? Diſſimilis omnibus honorem curantibus eſt ejus vita. Veſtibus non comitur, ᵃ calceamentis turpator, ſcamnalia ᵃ non quærit, menſalibus indiget; lectiſterniis mediocribus, cæteráque ſupellectile delectatur, pretioſa non ambit. Nil quod gloriæ pertineat in eo videtur, nil quod honori. Manus tantum & labia cibum lavat ſumpturus, necnon & ſumpto; faciem rarò. Forſitan in patriâ ſuâ fuerat bacularii, ideo illi tam honor omnis eſt vilis: longè aliter ſæpe licet dictum ſit frequentiùs nobis, filius Carpentarii, ideo tam gnarus, tamque voluntarius eſt baſilicas ſtruendi vel reſtruendi; lapides ſemper verſat & reverſat; ipſe eos ſæpe connectit.

Quæ ſunt ſervorum agere non dedignatur; Dominorum adeo negligit uſum, ut poſthabito curule Pontificali ᵇ frequentiùs decubet humi; Epicurus ac veluti alter, ſummum in voluptate bonum qui cenſeat eſſe, ſi ventri benè eſt, ſi lateri, ſi pedibus, ſi ſibi eſt ſuiſque ſufficiens ſolt, contentus. Non curat ſibi manducanti utrum quilibet aſſideat cœtus: menſa quippe illius expers divitum, ſodalitatem haud reſpuit nec incongruè viliom, pauperem aſſerens menſam, locupletes dedignari convivas. Inter nobilem & ignobilem ad ſuum commodum nullam facit diſtantiam peragendum, multos aſſeverans nobiles ignobilia, multos ignobiles nobilia ſæpe feciſſe, nobilitatemque ex potentiâ & proprio actu quàm ex alieno, Saluſtio teſte, pendere; fugere ſic quem ſe ſimulat, tali forſitan modo mercari conatur honorem. Oſtentatione ſolummodo, ut cernitur, captat veram gloriam, vanâ commutat: Labeo, remur, ob talia factus, incidit in eos forſitan actus, quos penè ſemper in ſuis deplangit ſermonibus, manu peccatoris commotus, pede ſuperbiæ calcitratus, halitu Behemot inflammatus, à gratiâ Dei expulſus, non valens conſiſtere rectus, immundum quid, indeque iniquum forſitan operatus. Viſitans enim ſpeciem ſuam tam ſæpe delinquit, ut ſicut ille quondam in Threnis de aliis, ita iſte de ſe dicere veraciter poſſit: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.* Thren. 3. 51.
Eumverò niſi ita proculdubio eſſet, & ſe talia vel feciſſe, vel facere, unde infernales luere debeat pœnas, non agnoviſſet; ad illam quâ prandent cæteri horam, cum ſit edaciſſimus, ipſe pranſiſſet; carnem ut aliquoties, ſemper ut alii, comediſſet; tot millia vicibus, ut ſolus exiſtens agere narratur, Væ mihi, væ, non quoque clamaſſet. Non deſunt enim qui ſæpiſſimè audiant eum ſolum quaſi cum altero rixari, & aliquando dicere: Quid vis iterum diabole? Nonne jam conſenuiſti in talibus mecum; effœta membra, & enerves cur adbuc laceras artus? Nonne tibi ſatis ſum traditus? Nonne ſatis gehennam habeo emptam? Quid amplius pretii quæris? *Minoris potuit viſa perennis emi:* ſi non ſufficiunt verò quæ ſunt in libro confeſſionis meæ deſcripta, recurre, maligne, ad tuum, ubi utique ſcio nihil malorum meorum omiſſum. Sufficere, ſed fateor, poterant tantummodo illa quæ Italia, Francia cantat & Norica, quæ non ignorat Burgundia, recolit Provincia, meminit Septimania, Saxonia loquitur, Suevia recordatur. Inveteratum dierum malorum me nominari valere, ſufficere tibi, maligne, poterat jure. Scio tamen verſute, ſcio, quòd me quem, proh dolor! tenes, non quæris, ſed per me acquirere ᶜ alios ſatagis. c

Hæc cum audimus, quanti eum habere valemus? Deo diſplicere illum agnovimus; placabilem nobis eum quomodo facimus? Deſperationis enim cum verba ſint iſta, quid de eo cenſere valet noſtra cum eo æſtimatio, ita ut vituperet ſua. Et cum, auctore Apoſtolo, irreprehenſibilem oporteat Epiſcopum eſſe, tanta, tam reprehenſibilia inveniri in uno valere, quis valet ferre? Inter omnia verò ejus eſt maximè miranda loquacitas, cum diſertitudinis nulla ei ſuffragetur facultas, nec magiſtrorum auctoritas vel lectorum immenſitas. Si mirabilis itaque Deus in ſanctis & operibus ſuis, mirabilior, ut ita dicamus, in talibus tali taliterque conceſſis. Aſinæ Balaam, vel eidem idololatræ ſacrilego eum poſſumus comparare; prophetanti utique & decipienti, benedicenti & maledicenti, compuncto & obdurato; Eliu, cum tamen idem eſſe qui & Balaam credatur, aſſimilare; quem miratur Dominus ipſe ſententias ſermonibus imperitis involvere, quod agere non deſinit iſte: lucernæ alios illuminanti, & ſeipſam urenti aptare. Bonitas itaque ei ineſſe ſi cernitur aliqua, hypocriſis magis putanda, quàm bonitas vera. Quòd & ſi reſtruit, inquiunt, vel conſtruit Baſilicas, cenodoxiæ hoc vitio facit. 1. Tim. 3. 2.

Utinam mentirentur, vel potiùs fallerentur! Iſtud tamen eſt, iſtud, quod Apoſtolus prohibet dicens: *Nolite ante tempus judicare, quoad uſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Quamvis me non ab eis tamen in hoc penitùs diſſentire fatear ipſe. Quid tali igitur, inquiunt, Epiſcopatus? Imperatori non ſervit, Duci nequaquam, in exercitum nunquam, ad cortem rariſſimè, & ſi forte, non ſponte. Id tamen ſi facit, ad Palatium quatriduo pergit ſaltem tranſacto, quo citiùs valet diverſorium repetit, librum receptat. De nullâ re Cæſarem appellat, nil ab eo quærit, nulli ſuorum apud ejus clementiam ſuffragat; 1. Cor. 4. 5.

Gregor. homil. 17. in Evangel.

a *non comitur*] Priùs *non comiter*, corruptè. Statim ubi *ſcamnalia*, Acherius conjicit legi oportere *ſcamella*, mihi nihil mutandum viſum eſt.

b *curule pontificali*] Fortè *dignitate pontificali*, ait Acherius; ſed profectò aliud tum cogitabat, nam *curulis* hoc loco ſedes eſt, quaſi utebantur Magiſtratus, & qui dignitate quâdam publicâ pollebant.

c *per me acquirere*] In priori editione, *pro me acquirere.*

Eccleſiæ ſuæ nihil acquirit, perdere plurima ſinit. Cum primoribus nihil actitat regni, hoſpitia illorum non adit, colloquia parvipendet, ad ſuum eorum nullum invitat. Nulli illorum quidquam largitur, vel ab eo petit, domum ſemper vacuus redit; jusjurandū nemini offert, neque à quoquam requirit. De nullâ hujus ſæculi gloriâ aliorum ſe infrà mittit exemplo. Dicit ſe gloriam ideo deteſtari, quia cum voluit eam, nequiverit adipiſci; modo dum non dabitur frui, ſtultiſſimum eam ſit affectari. Pedem ſi vult aliquis oſculari illius, cum magno eum repellit clamore. Solus, ſi liceret, totâ die ſederet, libros verſaret vel reverſaret. Frequentiam odit, ſolitudinem diligit, trocho non ludit, aleam fugit, de canibus nil curat, de accipitribus nihil. Interdum loquaciſſimus, interdum eſt quaſi mutus; riſu diſſolutus, ſubindeque triſtiſſimus, rixarique actutùm paratus: ſcurrilitatem verò, vel verba otioſa, riſumque moventia, omni proferre, ſive ſit lætus, ſive iratus, paratiſſimus horâ. Det autem, non det, rogari nullo modo volet, impatiens ſemper, patientiſſimus ſæpe; quòd & ſi dat alieni, promittere patitur nulli. Fallaciſſimus, ſi non dedignaretur mentiri; verſutus, ſi non exoſos & ipſe haberet, & Deum crederet habere verſutos. Omnibus ambiguus, indeque nulli concinnus. Ex liberaliſſimo præterea, & ut veraciùs dicamus, dilapidatore pro prodigio quondam, tam eſt tenax nuper effectus, quaſi in alium ſit virum mutatus: ex quo perſpicuè inſtabilitas valet conjici ejus. Dicit, manduca; ſi nolis, ſit tibi compulſio nulla. Bibe ſaltem, ait, nolente verò minimè cogit. Sede non tibi dicit, non ſedentem verò exultare nequaquàm omittit. Si quæris ab eo importuniùs aliquid, iraſcitur; ſi quod neceſſe, tacet: inde acriùs irritatur; ſi ingenioſè, incipit inſanire. Si vult facias, ne facias dicit; ſi non fieri optat, facito profert. Fallax, & ſi nonnunquam in relationibus veracem ſe, ſemper parere conatu promiſſis aſſerit velle. Nil unquam boni inchoavit quod ad finem perduxerit.

Caudam hoſtiæ indeſinenter Domino detrahit, *Matt. 24. 13.* indeque ſalutem ſibi ipſe miſerrimus adimit. *Qui* enim *perſeveraverit* in bono *uſque in finem, hic*, teſte Domino, *ſalvus*, exceptis procul aliis, *erit*. Cum & cætera qui perſeverat, ut iſte videtur facturus, in malis, perditus abſque dubio erit. Et heu miſer atque infelix! quare ſaltem in iſto quo nunc ſtat, non convertitur termino vitæ. Sed videtur nobis quòd ideo ſit deſperatus, quòd immiſerit in tali rete pedem ſuum, in cujus maculis ambulans, expediri nullo modo poſſit. Dum enim Monachus fuerit, & nunc Epiſcopus ſit, ſi relictis ovibus monaſterium reperit, timet audire: O Paſtor & Idolum derelinquens gregem; ſin, Apoſtolum de ſe timet dixiſſe: *1. Tim. 5. 12.* *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam* *Luc. 9. 62.* *fecerunt*. Dominum quoque: *Nemo mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retrò, aptus eſt regno cælorum*. Unde cum fuiſſet captus, cœpit cantare ſtultiſſimus: *Ecce quod cupivi jam video*. Putabat enim, fatetur, quòd eſſet tunc penitùs expellendus, & gaudebat quòd ipſe non dimiſerit Epiſcopatum, ſed Epiſcopatus eum; & hac arte volebat, ut dicit, repetere Monaſterium, promittens ſibi propter hoc dixiſſe *Zachar. 1. 3.* Dominum ipſum: *Convertimini ad me, & ego revertar ad vos*. Quod cum minimè proceſſerit, putat de ſe deſperatiſſimus illud prolatum: *Si concluſerit Deus hominem, quis ei dicere poteſt: Cur ita facis?* Nedum enim de tranſactis agere pœnitentiam, de malis perpetrandis nullam nos ſinere eum dicit habere penitùs abſtinentiam, cum & pro noſtris, ſi ſua non haberet, poſſet omninò damnationem perpetuam metuere ſceleribus; quæ utique nec comprimit dictis, nec emendat exemplis, nec diluit meritis. Quâ ſcilicet incommoditate triplici interceptus, in quodam ſuo Opere alio, ſic Deo clamare compulſus: *Si meos Domine mortiferos conatus proſperari permittis, quam mihi fiduciam evadendi relinquis? & ſi à præſentibus malis non ceſſo, quam veniam de præteritis ſpero?* Iſtam igitur iſtam dicit concluſionem illam exiſtere: *In quam ſi quis inciderit, æternaliter Deo concludente, dum non aperiente, peribit*. Peribit verò juſtè: Juſtitia enim nil facere poteſt, ut iſte declarat, injuſtè, ponens exemplum de Apoſtolo tale: *Qui factus eſt nobis à Deo juſtitia*. Quâ utique ejus mæſtitudine quidam noſtrorum decepti, putant eum præſulatum velle dimittere, ipſo proſequente, & non negante, quòd vellet & nolit. Vellet ſcilicet, ſi liceret; nolit, quia non licet.

Nos præterea tanta de eo mendaciter dicit confingere, ut ipſa ſolummodo abominabilia cum omnibus facere; & cum ſit animoſiſſimus, acerrimè cruciare. In tantum verò non curat ſi quis de eo malè loquatur plerumque, ut duodecim nummos nuperrimè cuidam dederit, qui ei totâ die convitiaretur, præmii loco. Dicit ſe ita præoccupatum timore gehennæ, ut nihil ampliùs ſit ei opus timere. Unum etiam verbum otioſum, & ut nobis credere cogit, turpiſſimum, tali loco ſe fatetur dixiſſe, quod dum recolit, & de eo rationem redditurum ſe in die judicii audit, omnem verecundiam hujus ſæculi in comparatione ipſius pro nihilo ducit, aſſeverans non poſſe ullo modo fieri, ut qui de tali verbo, tali loco prolato, occaſione quoque pro tali, rationem in die judicii contigerit reddere, *Venite benedicti Patris* *Matt. 25 34.* *mei percipite regnum*, cum cœtu audire valeat Beatorum ſibi prolatum. Beatitudo enim cum omni careat miſeriâ, verecundia verò de talibus ad maximam pertineat miſeriam, qui de tali ſermone in conſpectu totius rationalis creaturæ, Angelicæ utique atque humanæ, rationem reddiderit, beatus eſſe unquam quomodo poterit?

Quid amplius? Qui vult eum cognoſcere, ſtudeat librum confeſſionis illius totum perlegere: nam ſi talis, ut illic recitat, eſt, pejor illo nemo in ſæculo eſt. Si verò mentitur ſe talem eſſe, mendaciſſimus convincitur fore. Nullus præterea liber, nullus ſermo, nulla ipſius hiſtoria, nil poſtremò eſt, quod poſteritati legendum dictaverit unquam, quod ejus non accuſet, ſi benè intelligatur, malitiam. Pſalmos ſe dicit non ideo cantare, quod noverit exaudibiles eos, cum ſemper aliud cogitet eſſe; ſed quia cum ſentiat ſe illos perinvitum canere, ipſam vim quam, contrà voluntatem eos recitans, ſibi ingerit, putet ad hoc aliquid valere quod contrà Deum volens actitat ipſe, ſive ut labia ſaltem ipſa compellat Deo ſervire, & ſi corde vagante, cæteriſque Deo rebellantibus membris; cum & in nullo eorum magis ſit ad irritandum Deum, quàm in exceſſibus linguæ proclivis. Idem & de jejunio, & omnibus quæ benè videtur agere, dicit; inter enim omnia mala deſidioſus tam eſt, ut niſi ſemper operetur, torpore obdormiat, nec tamen in dormiendo valeat durare, quod tamen aut in ſcamno aut humi libentiùs agit. Pœnitentiam pro aliorum ſe dicit agere, dum uſque ad nonam jejunat, cum poſtea ſaturetur, peccatis, cum veraciter agat pro ſuis inſufficientiſſimè quamvis. Quibuſdam verò uno tempore tam eſt benevolus, tam alio malivolus, ut omnes mirentur. Mirum verò quod mirantibus referre, cur hoc faciat, audet. Dicit enim quòd nemo ſit in terrâ, qui in illa re quæ ad illum pertinet, aliquam ſuper ſe poteſtatem, cui non audeat reniti, aut etiam nolit, attrahat. Ampliùs, cum habeat amicum, facturum quidem ſe dicit quod inevitabilis præcipit poteſtas; omnibus tamen diebus, quibus quod taliter dedit Deo, cui

dedit, tenuerit, ſemper ei invidiam portabit.

Hoc Duci inclitæ dixit in fronte, hoc monſtravit in Sixero atque Lanzone. Primò enim poſt infinita mala, quæ ei tribus iiſdem Sixerus intulerat vicibus, [cum] eſſet amiciſſimus, & ei tale quatuor annis ſiviſſet tenere caſtellum, unde, excepto alio ſervitio, ſex libras denariorum Veneticorum omni habere poterat anno, inſuper in voluntate haberet, quòd omnem terram, quæ trans lacum de Eccleſiâ Veronenſi eſt, inter illum partiretur & genetum ejus, pro eo ſolùm quod eo die quo Milo putaverat Epiſcopium ſuper eum evincere, miſit ei in breviculo jam bis factus Sixerus omnia quæ ipſe illi amicaliter contulerat, aſſerens ſe illa non dediſſe pro ullâ compoſitione, ſed pro terrâ acquirendâ. Cumque illi Epiſcopus, ut eſt utique Scardus, remandaſſet non ſe illi ampliùs daturum aliquid, niſi de Archiepiſcopatu Mediolanenſi, quia de Veronenſi nec dimidium, ut nec faciebat, teneret utique[d] manſum, ſufficeret ei quod ipſe dederat Caſtrum, & ille remandaſſet ei, quòd ſic vellet eum tenere pro ſuo gratu, ſicut pro uno fellone, quia per donum Imperatoris & Imperatricis illud, cum mentiretur, teneret; in tantam iram exarſit ille ſanctus Epiſcopus, ille prædicator, abſtemius ille, veraciter verò hypocrita, ipſe ut ei ſtatim illam tolleret terram. Lanzo verò, cum Arnoſtus & Bucco cum maximo labore & promiſſis quod apud Imperatorem longè optimum ei acquirerent, vix, utpote apud tam ferocem adverſarium, obtinuiſſent, ut beneficium maximum filio ejus largiretur: Lanzo utique poſt hæc, omne illud maximum beneficium cum ſibi retinens, nihil inde filio, cum ſit miles bonus, & Epiſcopo cariſſimus, ſinat tenere, ſed pauperrimum indecentiſſimè compellat ſuo Seniori ſervire: pro hoc tantillo commiſſo, furibundus ille Diabolus ita eum habet exoſum, ut nec recto viſu intueri valeat illum. Quod cum & Grimaldo & Conrado, qui contrà ipſum terram illius volebant tenere, feciſſet, omnibuſque ſit infeſtiſſimus, qui per poteſtatem alicujus abſque jure tenere conantur aliquid quod ad jus pertinet ipſius, mirum qualiter ſaltem vivere talis ſinitur Diabolus. Quis ergo talem amare queat adverſarium? Qui tamen ſi forte placet alicui, magis pro ſcurrilitate, quàm pro ſuâ illi placet aliqua bonitate; quâ utique ſcurrilitate gratus probatur ipſis etiam inimicis exiſtere.

Munera viciſſitudinem exigentia non adeo diligit: ſi pauper verò ei quidlibet affert, eum ſtultum appellat, qui utique aut ſibi illud non retinuerit, aut meliori non detulerit. Mavult ſufficiens quàm dives eſſe; indigere quàm abundantiùs aliquid cogatur tribuere; in hoc ſæculo omnia dilapidare, quàm poſt mortem ſuam abundanti alicui de ejus contingat bonis gaudere. Loricam Galiverti Medici recordari omnibus ſuadere non ceſſat; fraudem atque perfidiam rogatariorum, divitias Epiſcoporum in jus redactas meritò Regum. Audiant igitur Reges, cogitent cujuſmodi tali referant grates. Tam ſe velle dicit mori mendicum, ut alterius eleemoſynâ ejus contegatur cadaver; ita enim præ utilitate corpus nominat ſuum. Acquirendi nunc avidus, ſubindeque profuſus: continenter enervis, enerviter continens; monſtrat nullum ſibi fore voluntarium bonum pati, quàm amplecti dominica à peccatis cohibentia dicta. Affectando terrenam fugit prodigioſo genere gloriam, fugiendo captatur, pompoſus ipſe, vanam hujus ſæculi non ceſſat carpere pompam, ſceleſtiſſimus ſcelera
Pſal. 51. 4. reprobare. Decipiendos ſuo ingenio non negat minimè multos, ſi non, quod non parum veretur, juramentum ab eo exacturos noſceret illos, vel *ſicut novacula acuta feciſti dolum* in fine ſibi non timeret dictorum Diabolum. Cum omnibus verò ſit malus, Judæis eſt peſſimus; non quia eos flagellet, quia non audet; non quòd bona eorum diripiat, ſed indeſinenter eis convitiari non ceſſat. Superſtitiones illorum vituperat. Reprehendit omnes qui ſuper Chriſtianos eos extollunt, qui Dominum JESUM Chriſtum, & ipſius ſanctam Genitricem eos blaſphemare permittunt. Dat exemplum de Regibus, utrumne velint eum pro fideli tenere, qui patienter tolerat ſi audit quod aliquis de illis malum, aut exhonorationem aliquam dicat. Reprehendit eum qui eos ſaltem ſalutat, aut ſalutantibus reſpondet, nedum eis oſculum donet, vel cum eis manducet: dat auctoritatem de Apoſtolo dicente: *Si quis non amat Domi-* 1. Cor. 16. 22.
num JESUM *Chriſtum, cum ejuſmodi nec cibum ſu-* Ibid. 5. 11.
mere; & qui dicit Ave, communicat operibus ejus 2. Joan. 11.
malignis. Reprehendit omnes qui libentiùs cum eis negotiantur, quàm cum Chriſtianis. Dat teſtimonium de maledictionibus in Pentateucho ſuper eos prolatis, ubi etiam maledicta dicitur negotiatio eorum. Non reprehendit verò, ſi defendantur à Regibus & Principibus Chriſtianis. Dicit ſub perſonâ illorum Eſaïam Chriſto dixiſſe: *Sub umbra tuâ vivemus in Gentibus*. Et Pſalmiſtam: *Et dedit eos in mi-* Pſal. 105. 46.
ſericordias in conſpectu omnium qui ceperant eos. Tantummodo reprehendit quod ſinuntur vituperare nomen Domini JESU Chriſti, & adſtruere quòd non ſit Deus, & ſancta ejus genitrix non fuerit Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo poſt partum, neque genuerit Deum. Quis enim, ait, patienter hoc ferat, niſi ipſe Diabolus? Cum nemo poſſit ferre ut malum audiat aliquem dicere de ſuo Seniore, niſi qui maximus fello convincitur eſſe, filius Diaboli dicit, quòd Dominus JESUS Chriſtus qui me creavit, qui me redemit, qui me continet, paſcit, defendit, vitam æternam poſtremò mihi promittit, non ſit Filius Dei, & ego non iraſcar ei? Quòd Mater ejus non peperit Filium de Spiritu ſancto, cui, *Domine adjutor meus, & Redemptor meus* clamare non ceſſo, dicit maligniſſimus fello; non indigner imò inſaniam ego? Dicit quòd anima ſancti Petri illic ſit ubi anima patris ſui; & ego qui ſum ſervus ſancti Petri, amicus ſim ei? Idola me dicit adorare; & ego illi non dedignor oſculum porrigere, etſi non audeam colaphum dare? Pejor ipſo Judæo, conſimilis ipſe eſt Diabolo, qui propriè non iraſcatur tali. Negat Deum, qui negantem Deum amat Judæum. Non eſt Chriſtianus, cui blaſphemator Chriſti placet Judæus. Non eſt Dei amicus, cui Dei complacet inimicus. Non eſt Regi fidelis, cui Regi non diſplicet infidelis. Si ſic judicant Reges de ſeipſis & infidelibus ſuis, quare idem de Chriſto & ipſius non judicant inimicis? Cum ipſe ſit Rex Regum, & ipſe eis dederit quod ipſi ſub ſe poſſidere & regere debeant regnum; quare genus Deo inimicum intrà ſibi commiſſum regnum contrà eum latrare permittunt? Suffecerat ſi eos vivere ſinerent utcumque, non permitterent eos Dominum JESUM Chriſtum Thren. 4. 20.
tam publicè blaſphemare: *Sub umbrâ enim tuâ vi-* Pſal. 105. 46.
vemus, dicit de eis Propheta. *Vivemus*, inquit, non oblectabimur, *& dedit eos in miſericordias*: non in extollentias, non in amicitiam, non in ullum honorem. Quale eſt autem quòd Clerico contendente pro Chriſto, Judæo blaſphemante Chriſtum, pugnâ conſertâ Clericus Judæum, Judæus ſi percutit Clericum, imò in cœlo Chriſtum, (ſic enim Saulo eſt dictum) Erimbertus noſter verborum contortor, legum dicit diſtortor, triplam compoſitionem de Judæi percuſſione Regi cedere, de Clerici nullam alicui? O ſancte Joſaphat, Rex in cæteris optime, utinam hîc fuiſſes; diceres quid tibi mandaverit per

d *teneret utique*] Priùs *tenere utique*.

ſuum Dominus quondam Prophetam : *Impio*, ait, *prabes auxilium, & qui oderunt Dominum amicitiâ jungeris*. Quid eſt hoc ? Hoc enim iiſdemque verbis ſolent Reges dicere de ſe, & illis qui amici ſunt infidelibus ſuis. Quid, rogo, tunc de Chriſto, de ſe, & de Judæis Chriſti Regis cogitant inimicis ? Cum verò veraciſſimè ſciant quòd Judæi ſemper malè de Domino dicant, & eos ſaltem non prohibent, quid
Rom. 1. 32. de eo quod dicit Apoſtolus cenſent ? *Non ſolùm qui faciunt, ſed & qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte*, legimus illum dixiſſe. Et hæc quidem de Judæis rata atque juſta, Deoque placens illi dum videatur ſententia, cum ſit imò garritio caſſa.

Ad ipſius ut iterum mores redeam carpendos, ſpecialiter ſe dicit neminem in ſæculo, niſi ſolummodo Imperatorem, ſeque ipſum, diligere, generaliter neminem odiſſe. Hoc verò quid ſit nequiſſima advertere. Conſanguineorum nulla eum afficit cura, ſive quia nil eos in tantum cogitat indigere, ut ſe ſolùm & fratrem ex eis noverit pauperes fore; ſive quia interdictum ſibi eis aliquid dare noverit canonicâ lege, ſive quia decrepito ſibi nullos cogitat eſſe, cum & qui ſunt, jam in ſextâ ſint illi ætate, & loco fratrum ſeries ſucceſſerit abnepotum. Hoc licet, ut eſt utique garrolus, garruliter ac mendaciſſimè dicat. Salutantem non reſalutat, ſed magis iraſcitur ei, dicens, quia ſi inimico ſuo obviaſſet, ſimiliter eum ſalutaſſet. Ejulare eum dum ſæpe audias, imò potiùs ululare, raró videas flere, obduratione mentis, paritergue formidine, illum vexari vales advertere. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*, ſed dum cantat ſæpe, idem, remur, triſtitiam cordis putat conferre quod fletum. Auguſtinum quoque dixiſſe dum recolit, quòd nunquam ſit ſine gemitu orandum, aliud eſſe gemitum credit, putamus, aliud fletum, & gemitum fieri ſine lacrymis poſſe, fletum
Matt. 26. 75. verò nequaquàm: loco enim ubi dicitur: *Et egreſſus foras Petrus flevit amare*. Felices quidem, ait, Petre, lacrymæ tuæ.

Si ei aliquis dicit : Vade ad Imperatorem, roga reſtitui tibi quæ ſunt Eccleſiæ tuis diebus ablata, reſpondet : Quid mihi ampliùs iſto triennio morituro neceſſe ? An ut modo ulicernius exercitum incipiam ad procinctua bellorum conducere, prædas exercere, excubias Regibus miniſtrare; divitias illis, me in inferno retruſo, poſſidendas congerere, milites poſt me venturo acquire, & quaſi filio quod illi ſuccedat parare : Stultiſſimus ſi [e] talia facerem gentium; intrà ſufficientiæ terminos nam degenti quid deeſt, niſi probitas, mihi ? Meliore uti non quæro veſtitu : quotidianus meæ congruens utilitati non deficit victus. Quòd & ſi ampliùs haberem, non finerent * divites ea mihi pro animâ dare, cogerent potiùs in vanitate conſumere. Non inficior tamen affluentiſſimus ut eſſem percupidè optaviſſe, ſi tempus fruendi ſenſiſſem mihi adeſſe, vel ſicut vellem daretur mihi quod haberem expendere. Quadraginta jam fere ſunt anni ex quo ambire potentiam cœpi; nunquam valui illam adipiſci, aut ſi ſum eam adeptus, permanere mecum nequivit diutiùs morituro, nunc mihi ſi daretur, quid * rogo conferret, cum eâ mihi frui nec anno liceret ? Propter hanc ſolùm, *fili recordare quia recepiſti bona in vitâ tuâ*, in inferno me audire ſi præſertim contingeret, & præmia perdere, ad quæ, auctore Gregorio, nemo poteſt pervenire ſine magno labore. Cum verò in hac patriâ ſumptum quem requirunt pompaticum aliquis adipiſci non valeat ſine peccato maximo tantùm, nedum opes poſſit maximas, quod & conſequenter requiritur, invenire : nonne eſſem dementiſſimus, ait, ſi de animæ perditione aliis divitias acquirerem meæ ? Accerſientem me ſanè jam olim, ait, dum conſiderem miſſum [f] ad rationem reddendam de adminiſtrato nequiter diutino potentatu, exaggerare mihi ipſe rationis reddendæ vecora non timeam cauſas ?
Luc. 16. 2. *Jam non poteris villicare*; ætatem ipſam intelligo clamare, & villarum adminiſtrationem plurium mihi committi deſiderem ipſe ? Hoc ſufficere, ſimulque invidioſiſſimus divitibus cunctis, ſibi fatetur, ſi illi ſaltem redderentur quæ ſic de jure Eccleſiæ in jus ſunt Regum injuſtè redacta, ut ampliùs ea non poſſit recuperare, niſi modo reddantur Eccleſiæ. Quærerem quoque, ait, ut quod anteceſſores illius præceptis ſuis Eccleſiæ noſtræ contulerunt, vel firmaverunt, defendere nobis contrà Comites, Vicecomites & Scoldaſcios * dignaretur. Si quid etiam vel ab invaſoribus illis duobus, vel à me, aut neceſſitate, aut per fraudis alicujus ſubreptionem, vel commutationis, vel libellarii nomine, vel quod precariam vocant, contrà Deum & rectitudinem, eſt actum, omnem præciperet per poteſtatem reſcindi; neque rogarem ut mihi redderentur, ſed cuicumque ei placuiſſet uſufructuario concederentur, tantùm ab Eccleſiâ non alienarentur. De me nil aliud flagitarem, niſi ut tantummodo dignaretur meæ puſillitati dominatio piiſſimi Cæſaris reſpondere, quis debeat deſtructas diœceſis noſtræ Eccleſias reſtituere, vel unde, quid ego habere, unde mihi à Deo & ab ipſo commiſſum paſcerem gregem, ſanctæ Dei Genitrici collata quæ debet adminiſtrare, & ubi vel qualiter diſpenſare perſona : de me enim ſcio quòd debeam terrena deſpicere, & amare cœleſtia. Numquid verò non ſatis haberem ad meum vivere, terram ſi eam ſaltem, quam parochiani mei, & etiam inimiciſſimi ſine gratu meo tenent, tenerem. Quæ tamen omnis ſaltem non dicturum ſe fatetur fuiſſe, niſi pro fidelitate quam ei juravit perſanctè, cogeretur de animo Cæſaris non parum curare. Dicere dementiſſimus nullomodo ceſſat, ſpem ſe nullam habere quòd in diebus Imperatoris ſibi ſit benè : ſi verò peccato ſuo illi contingat eum defunctum, quod abſit, audire, interficiendum ſe illicò fore, non ſe deſperare, neque tamen curare; [g] amicum ſe nullum nam in hoc ſæculo utilem niſi ipſum habere, quamvis & ipſe inimicis ſuis contrà eum non deſinat juvamen præbere, & ſibi ablata illis conferre. Talis itaque, talis cum, ut non denegat, nullum amet, nec ametur ab ullo, quid, aiunt, ſæculo valet ? Nil, inquam, nil.

Quid enim ſi tales interiora mea pernoſſent, & cur hujuſmodi ſim animi ſciſſent ? Suſpectos verò eoſdem de iſtius montis ne linguam [h] conſcenſu, diutinoque in eo moratu, unde ſcilicet modo ampliùs cruciari veriſono eos percepi relatu, adſint rogo, & dico. Hujuſcemodi in me Dux inclyta comperiens mores, indeque mihi inimicos perplures, deſtitutumque amicorum præſidio, utpote advenam, omnium : verita ne pejus etiam mihi quàm con-

e *Stultiſſimus ſi*] Libet hoc loco lectorem docere, quot mendis textum hoc loco purgaverimus; nam ut ſingulæ erant leves, ita omnes ſimul quominùs Ratherius intelligeretur obſtabant. Sic igitur erat in priori editione *Aultiſſimus ſi . . . non finerem divites . . . quod rogo conferret . . . in infernum audire*. His acceſſerant vitia interpunctionum, vulgare prioris editionis malum.

f *conſiderem miſſum*] Nihil hîc mutare auſus, affirmo tamen audacter corruptum eſſe textum; nam quid de voce facias *miſſum* ? Igitur lego *dum conſidero me miſerum*; ut ſenſus ſit ſanè dum conſidero à Deo me accerſi miſerum, &c. Infrà ubi legitur *ſtola ſtiios* conjicit Acherius legi oportere *ſoldarios*.

g *neque tamen curare*] Priùs, *neque tam curare*.

h *montis, ne linguam*] Hic profectò latet montis cujuſdam agri Veronenſis nomen.

tigit, eveniret, commendavit me tuitioni Comitis non ignoti. Quid magis? Neminem accuſo, neminem excuſo; vitupero neminem, etiam laudo non aliquem; captus ſum, abductus, reductus. Dixit Comes jam tactus, meâ mihi id improvidentiâ contigiſſe. Siquidem illum, præſidium quod Palatium vocatur, conſcenderem mandaviſſe, me noluiſſe. Monuit ne domui ulteriùs me crederem illi, in quâ alia pertuli, ſed curtem altam quæ munitior eſſet utique inhabitarem: credidi, egi, & ex munitâ munitiſſimam feci. Mandavit iterum ſi eâ relictâ Palatium aſcenderem, tutius fore; obtemperavi: vaſtiſſimum erat; recuperari illud ociùs feci. Peracto, mandavit rursùm ut uxorem ſuam cum infantibus mecum habitare ſinerem ibi; ipſe in circum, quod arena dicitur, ob cuſtodiam manſitaret. Ut & incœpit facere urbem, viſum eſt perabſurdum, uti & nemo ignorabat, niſi ſtultiſſimos quivis illorum. Nullius iſtic iterum vel accuſo, vel excuſo ingenium; deſcendi tamen, domumque, formidoloſam licet, repetii. Non auſus in eâ diù morari, Gardam pergere inchoavi, conſilium ſed demutavi reverentiâ quæ imminebat paſchali. Elegi quemdam civitatis angulum, petii ipſius conſenſum, dedit etiam auxilium. Conſtruxi in eo ædificium, fuit illicò concrematum: quis verò fecerit, eſt à nullo quæſitum. Reſtruxi meliùs; ſum ne facerem ab eo prohibitus. Eſt iterum reſtruendi data licentia, proſperiore ſcilicet lyrâ, laudes canente poſt probra. Suſpectum me incipiunt reddere talia. Meditatur iterum Gardam confugere timiditas mea; interque meditandum, venit domnus Joannes Diaconus, cœpit coram me deplangere porticum ſancti Petri, quòd ruinam utique minaretur ſui, niſi ſubveniretur ociùs illi. [i] Promiſit auxilium, quod & impendere non diſtulit. * Aſcendi, conſideravi, humeros ad ſuccurrendum paravi. Prævaleſcente deſiderio juvandi, conſpexi multa magis inibi eſſe ad emendandum neceſſaria, quæ non confido impleri poſſe in vitâ meâ. Non habeo fidum cui hoc committam miniſtrum: ſiquidem illum cui unam libram argenti, pro trabibus emendandis * commiſeram anno præterito, immaniter mihi inde bauſiaſſe percepi. Facio pro me ipſe quod poſſum, cum habuero factum, revereor, ſi præcipis, inimiciſſime, qui ſollicitaris exinde, domum: tu ſi libet & quando libet intra in tuum, non prohibeo, furium.

Eſt iſta hic aliquantiſper morandi rationabilis occaſio una ex octo. Tuæ verò malignitatis ne ſileatur intentio, maluiſſe te optimè ſcio, tali quòd verſarer in loco, ex quo inimicis eſſem adibilis meis. Neque te dolere quod domum ſuſpectam reliquerim, ſed quòd me in tutiore locaverim, atque ob hoc te excuſari non poſſe fore de me homicidam, quamvis adhuc meam ſervet Dei providentia vitam. Neque me credideris quòd quotidie non interſicias tuis machinationibus ipſe, quamquam me nolens videas vivere, dum audis Deum ſcelere de alio dixiſſe: Matt. 5. 28. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Hieronymum quoque: *Væ nobis miſeris qui quoties concupiſcimus, toties fornicamur.* Ita enim & tu poteras dicere: Væ mihi miſero, qui quoties iſti captivo moriendi decipulas tendo, toties eum occido. Mentiri me poteras dicere, ſi de minore culpâ non legeretur dilectus ille Chriſtus dixiſſe: 1. Joan. 3. 15. *Omnis qui odit fratrem ſuum*, id eſt, quemlibet Chriſtianum, *homicida eſt.* Sed vindicabor, vindicabor, inquam, certiſſimè noveris, vindicabor. *Mihi*, enim, ait Dominus, *vindictam*, ſubaudire valemus, reſervò, dum reum flagellari permitto. Rom. 12. 19. *Ego tamen retribuam*, dicit Dominus. Si enim de nobis cantitat Pſalmus: Pſal. 88. 31. *Si autem*, inquiens, *dereliquerint filii ejus legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint. Si juſtitias meas profanaverint, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virgâ iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo, neque nocebo in veritate meâ.* Iſto igitur ſenſu feliciſſimos dixerim pulſos ab Epiſcopatibus propter ſua facinora Præſules, in comparatione illorum, de quibus per quemdam dicitur veriloquium: Job 21. 13. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* De flagellatoribus verò, pace, quem intueor, tuâ, quid per alium Dominus dicat depromam illorum: *Iratus ſum ait Dominus* (Babylonem redarguens impiam:) Iſai. 47. 6. *Iratus ſum ſuper populum meum, & tradidi eum in manus tuas: non poſuiſti ei miſericordiam, nec memorata es finis tui. Venient quoque ſuper te mala, de quibus non poteris exire. Irruet ſuper te calamitas, & neſcies ortum ejus.* Talem ergo me, ut protuli, eſſe ſibi libet tibi, non prohibeo dicere, ſi placet, pejùs etiam quidlibet, ſi vales attamen, fare. Me tamen arbitror nil vituperabilius tibi, nil turpius quod de me dicere valeat, reliquiſſe. Non ignoro tamen quod mihi nunc poſſis opponere: Matt. 12. 37. *Ex verbis tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*, dicente ſcripturâ: damnabilem te ipſa probat confeſſio tua. Neque confiteor, neque diffiteor, aio. Damnatorem verò procul abeſſe, ille non deſinit mihi promittere, qui digito ſcribens in terrâ, quibuſdam narratur: Joan. 8. 7. *Qui ſine peccato eſt veſtrùm, primus in illam lapidem mittat*, clementer dixiſſe. Hujus at proh nefas! anapæſti ſuſpecto, multa inemendata linquuntur in ſæculo, igni reſervata perpetuo; dum ſcilicet quilibet conſcius ſibi, parcit alteri. Quid de ſubſtantiâ hujuſmodi ſacrificii poſſit cenſeri, adhuc exſtat, fateor, pernicognitum mihi. Inde à plantâ pedis uſque ad verticem ſanitatem nobis deeſſe poſſumus, fateor, deplorare; qui faciat bonum hodie quoque uſque ad unum deeſſe. Quem unum cum ipſum caput bonorum cum membris aliquibus ſuis Deum intelligere promptum ſit eſſe, pro raritate tamen noſtratum ad illum pertinentium unum, ſpecialiter unum hìc expreſſum ſaltem æſtimare valeremus utinam, Imperatorem hodierni temporis glorioſiſſimum, qui cum præ omnibus qui per hoc trecentorum annorum curriculum Romanum gubernaverunt, diviſione licet Regnorum, Imperium, nobilitate, potentiâ, ſtrenuitate, induſtriâ, virtute, prudentiâ, ſapientiâ, benignitate, conſtantiâ, fortitudine, clementiâ, æquitate, opulentiâ, largitate, cæteráque commodorum ad hoc omnium ſingulariter affluat copiâ peragendum; hoc ei unicè divina concedere dignaretur omnipotens ô utinam gratia, ut ſe primum, inde ſub ſe ſibi commiſſum vertere ſatageret Imperium ad bonum omnimodis omiſſum. Corruptis enim & abominabilibus factis Chriſtiani, proh dolor! hominibus univerſis, præcipuè Rectoribus, ita divinus omnimodis periit olim, fateor, cultus, ut nihil magis videamus diſcordare, quàm quod Dominus præcipit, & univerſitas, proh nefas! agit. Ex quo cum, Deo annuente, unum illum, hoc eſt, Imperatorem excipere geſtiamus piiſſimum, ſuggerere illi ſi auſi fuiſſemus, omnimodis ſtuderemus, ut ad cætera quibus pollet ſingulariter illud adderet bo-

i *ociùs illi*] Hic etiam locus medicâ manu indiget; ex totâ enim narratione apparet non Joannem Diaconum, ſed Ratherium reparando porticui ſancti Petri incubuiſſe; quamobrem ſic lego, *ociùs. Illi promiſi . . . non diſtuli.* An u.f.à *pro trabibus emendis?*

num, quod illod ſibi aptaret Job ſanctiſſimi utique dictum; *Cauſam quam neſciebam diligentiſſimè inveſtigabam.* (Job 29. 16.) Dicente enim Gregorio: *Quid enim mirum ſi aliquando fallimur, qui homines ſumus*; nil magis officit illis hominibus, qui ſuper alios conſtituti ſunt homines, quàm fraus & perfidia conſiliariorum; ſi illud eis applicatur poſtremò propheticum: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* (Iſai. 5. 20.) Delatores verò quidam ſapiens dicit nunquam defore, ſi quis illis credulus voluerit eſſe. *Percontatorem*, ait, *fugito*, alter; *nam garrulus idem eſt.* Quibus cum ſuper omnia regna miſera ſit referta Italia, & interpretum ad hæc peragenda ſit nimium prompta perfidia: adhibenda illis tanto ſollicitior cautela, quanto ingenioſior illis ineſt ad id factitandum, promptiorque malitia. Ut enim unum ex innumerabilibus proferam: Cum inſtaret HUBERTUS Parmienſis, ut accepto animarum pretio rivali illi cederem meo; affuit unus ex amiciſſimis meis, neque tamen adeo gratis, qui cum mihi auxilium ad hoc maximum habuiſſet promiſſum, noſtram adiens Ducem intimare ſtuduit ei, Imperatorem juſtiſſimum totidem velle, neſcio tamen ſi adjecerit, mandaviſſe. Miraculum, inquam, miraculum! Tantus Imperator, tam juſtus, tam Dei amator, tam illius reveritor, hoc ſe velle, quod tam Deo eſſet contrarium, teſtaretur! Potuit hic ſanè contingere alicujus mendacio Cæſarem tantum deceptum fuiſſe, qui me diceret utique itidem velle. Cumque comprehenſio mei, expulſio, ſpoliatio, abductio, retruſio, Eccleſiæ direptio, domûs Epiſcopalis deſtructio; eleemoſynæ Imperatoris deletio, facti illius diffactio, urbis irruptio, reverentiæ Imperialis vilipenſio, & alia multa his cohærentia adhuc eſſent, ut & exiſtunt, in cauſâ, meliorâtione relictâ, de ſolâ pejeratione homicidalis peragerentur ſolummodo cauſa. Cavendum præſertim etiam à talibus ideo eſt, quòd conſuetudo certiſſimè deprehenditur eſſe noſtratium, ut culpabiles de qualicumque re antea ſe ad poteſtatem quamlibet reclament, quàm is cui injuria exſtat ab eiſdem illata; ut nuperrimè noſcitur ille feciſſe, qui conductor præcipuus exiſtens omnium qui me quondam ceperunt, & innumera mihi & meis mala ſemper ſtruens & faciens; inſuper ab invaſore Præſulatus mei ad Diaconatum poſt furta & ſacrilegia, quæ illi impingunt qui noſſe ſe dicunt, cum fuiſſet contrà jus faſque provectus, terram juris noſtri per poteſtatem tenens, atque diripiens, ad pedes nemine perſequente confugiens Domini Imperatoris, mentitus eſt quòd ſuum ei beneficium abſtuliſſem. Quanta hujuſmodi tales faciunt? Quis eos valet vitare, niſi qui cauſam quam neſcit, ſtudet diligentiſſimè inveſtigare? Quis verò Rex aliter Regi Regum valet concordare, niſi ſtudeat hoc ſollicitè agere? Quis Judex ſine iſto juſtum valet decernere? Quod Domino noſtro piiſſimo ipſe Rex Regum, ut agat, dignetur rogamus concedere, agentique hoc viciſſitudinis loco referre, ut & in hoc ſæculo longævo ductu imperet feliciter, & in futuro regnet cum Chriſto perenniter. Amen.

Diſcordia inter ipſum Ratherium & Clericos.

MAximam aiunt inter Epiſcopum & Clericos Veronæ conflatam his diebus diſcordiam. Sed qui aiunt? Nimirum illi qui ex quo cœperint conſtari, ſunt prorſus ignari. Ut verbi gratiâ utique illi qui putant Judam tunc primùm periiſſe quando miſer Dominum vendidit, cum jam olim cum Apoſtolis corpore conſtitutus perierit, quando ſcilicet avaritiæ inebriatus veneno, tamdiù non deſtitit lucrum ſitire, donec miſerrimo ad laqueum contingeret pervenire. Dicbus, inquiunt, iſtis; non per omnia falſum, ſed oſtenſione quàm actione potiùs verum. Monſtrato quippe quid ſit diſcordia, nunquam inter me & illos probabitur fuiſſe concordia, pendente præſertim hoc traditione, quam hinc jam [a] pepulerunt, triſaria. Eadem namque velle atque nolle, ea demum amicitia, ſi juxtà illum, qui hoc primitùs dixit, eſt firma; vel ſi juxtà alium humanæ amicitiæ pares animos & non diſſimiles expetunt adeo voluntates, ut nunquam diverſitas morum ad firmam poſſit pervenire concordiam; nunquam vel apud me vel apud illos ſtabilitatem amicitia ſemper contraria cupiens obtinere, ut non valuit noſtra, ita quoque nequibit, cum illi ſemper conſuetudinem antecesſorum, Pontificibus ſuis inceſſanter rebellium, ſanctis & à Deo decretis prætulerint Canonibus; ego ſanctos & à Deo decretos Canones à Diabolo inventis præferendos putaverim uſibus. Prohibitas enim in Nicænâ Synodo mulieres tam conſuetudinaliter, tamque publicè habere, tam parvipensâ Dei & hominum reverentiâ, ipſo quoque timore gehennæ in tantum poſthabito, ut putent adeo fieri, non modo licere, ſed etiam oportere, ut nemo hoc facere devitans videatur eis peſſimo illo quod Apoſtolus in Epiſtolâ ad Romanos memorat, ſcelere poſſe carere, non tibi videtur Diabolum inveniſſe? (Cap. 3.) Et, ô ſancta & immaculata virginum pudicitia, quàm tu nuſquam, ſi hoc verum eſt, apud perditos verò ſine infamiâ es. Quàm perdita conſiratorum univerſitas tota, ſi nemo in eis qui non aut adulter aut ſit arſenoquita. [b] Adulter enim nobis eſt, qui contrà Canones uxorius eſt. Quis ergò Clericus eſt? Adulter enim Clericus nullo modo, ille alter multo minus eſt. Si enim Clericus ideo dicitur, quòd de ſorte ſit Domini, quod rogo conſortium aliquis poteſt habere cum Domino, in unoquovis iſtorum permanens flagitio? Væ inſuper Chriſtianorum generalitati, ſi juxtà æſtimationem iſtorum nemo poſſit inter eos inveniri qui non ſit aut hypocrita cum Phariſæis, aut Publicanus cum Ethnicis. Publicanus enim eſt, qui adulter publicè eſt; hypocrita eſt qui ſub pallio religionis irreligioſiſſimus; ſub chlamyde caſtitatis inceſtus, ſub prætextu juſtitiæ iniquiſſimus eſt. Ideo verò ſuperlativo contrà illum comparationis invehor gradu, quia non ſemel recolo lectum: *Simulatores & callidi provocant iram Dei.* (Job 36. 13.) Hoc ita ſe habente cum hypocriſis & inceſtuoſitas longè præcellant alia in ſcelere crimina, eo cætera ſunt graviora, quo magis publica: illa enim ſolos interficiunt operatores, iſta & operatores necant, & conſideratoribus nocent. Quia enim non habent latentia peccata judicium, de manifeſtis loqui omnibus conceditur, de abſconditis nulli. Si enim ut jam contingere potuit, quis cum pecude quolibet in angulo ſolo Deo coeat cernente, tu per ſuſpicionem tantum indè eum vituperas, ut facere poteras utique ſi vidiſſes, quid agis, niſi quod ſolius Dei eſt tibi uſurpas? Quis autem non valet de aliquo quod volet confingere? Et ô quàm ex ſe alios conatur metiri, qui non putat alios alterius modi poſſe exiſtere, niſi cujus eſt ipſe, ruſtico illo non ei diſconveniente nimirum proverbio: „Qui fuit in „ furno, pares ſuos ibi quærit. „

Et iſta quidem omnia facere vel loqui per uſum;

a *quam hinc jam*] Lego, *quâ me hinc jam*.

b *arſenoquita*] [illegible]

contrà Paſtores rebellare per uſum; quod generaliter omnibus eſt Clericis delegatum, ita inæqualiter & per maſſaritias [c] dividere, ut quidam illorum inde fiant ex pauperrimis locupletiſſimi, quidam mediocriter, quidam penè nihil ex eo accipiant omninò, per uſum & conſuetudinem illorum, quos jamdiù detinet barathrum; ad poſtremum omnia jura tam divina quàm [humana] prævaricari per uſum, non tibi à diabolo videtur inventum? Quod verò ſcriptum invenitur in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis; quod in Evangelio, Actibus & prædicationibus Apoſtolorum, Decretalibus Pontificum, & Conſtitutionibus Canonum, non rurſùm à Deo tibi elucet inſpiratum? Nihil verò in iſtis, quod eorum jam nominatis congruat conſuetudinibus, dum nequeas invenire, quà eos judicas vivere lege? Inter prohibentem igitur talia, & ſi prohibere non audet, ſaltem reprehendentem ac vituperantem, & facientes talia, quæ poteſt eſſe concordia, præſertim cùm Dominus ſub appellatione gladii, ipſam ut mitteret veniſſe ſe aſſerat diſcordiam? Ait enim, notum eſt, apertum eſt, ait: *Nolite arbitrari quia venerim mittere pacem in terrâ; non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem adverſus patrem ſuum, & filiam adverſus matrem ſuam, & nurum adverſus ſocrum ſuam.* Et quod jam per Prophetam dixerat: *Inimici hominis domeſtici ejus.* Quare autem inimici hominis ejus ſunt maximè domeſtici, eſt ratio evidens, quia videlicet cum quidam unis claudantur parietibus, contrariis [&] à ſe diverſis ſunt moribus; evenit enim ſæpe ut maritus ſobrius, uxor ſit ebrioſa; ille manſuetus, illa iracunda; ſed iſte Dei timore, illa propriâ voluntate; iſte Deo inſpirante, illa Diabolo inſtigante. Quæ ergo inter tales concordia, quæ pax, quæ eſſe poteſt amicitia, nolente iſto quod deſiderat illa; cum ab ipſo Deo hujuſmodi proceſſerit rixa? Ipſe enim manſuetudinem præcepit, iracundiam prohibuit, nulli alteri aſſenſum in malum præbere, per Apoſtolum ita docendo, conceſſit: *Non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte.*

Matt. 10. 34.

Mich. 7. 6.

Rom. 1. 32.

Te ergo contrà legem Dei faciente, ego qui ad te corrigendum à Deo ſum inſtitutus, non debeo ſaltem latrare? Te conſuetudinem illorum, quos infernus ſine dubio detinet, ſtatutis illorum qui cum Deo in cœlis conſiſtunt, præferente, ego neque auſus ſim ſaltem mutire? Quid ergo faciam dum cum quibuſdam miſeris mihi te quoque dicentur præſente: *Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſraël, ut ſtaretis in prælio in die Domini; & probavi te ad aquas contradictionis?* Poteritne mihi amicitia tua illic aliquid prodeſſe, qui nunc tecum mihi ſuades pacem habere, ut cum aliis valeam dicere: *Pepigimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum?* cùm juxta illius Doctoris ſanctiſſimi dictum, tutius ſit homini inimicitias Diaboli meruiſſe, quàm pacem; cum non deſinat per te iniquitas juſtitiæ repugnare, cœcitas luci, mendacium veritati reſiſtere? Te contrà Dominum ita dum videam rebellare, ut ne quod tibi mandavit digneris ſaltem audire, ſed Judaico ritu mandata Dei relinquere, hominum traditiones & uſum tam obſtinanter tenere; ut de te poſſit dictum haberi; Peccatum Judæ ſcriptum eſt in ungue adamantino? Obliviſcene me ſuades unquam dictum audiſſe: *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem ſuam, ſanguinem ejus de manu tuâ requiram.* Et, *Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum.* Et, *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Et, *impio præbes auxilium, & his qui oderunt Deum amicitiâ jungeris.* Et infinita inde divinæ comminationis tonitrua. Legi in quodam B. Columbani libro, idem Officium habere in Eccleſiâ Sacerdotem, quod poſſidet in corpore hominis ſtomachus, qui ſcilicet acceptum excoquens cibum, miniſtrat cum omnibus membris, quorum unumquodque ita in ſuam convertit illud naturam, ut quod ſuſcipit jecur fiat ſanguis, quod ſuſcipit fel fiat bilis, quod deſcendit in pulmones efficiat flegmata. Hoc igitur exemplo ſi forte contingat ut quibuſdam audientibus proſit ad vitam quod alicubi loquor, pluribus ſuſcitet iracundiam, ut verbi gratiâ ſenſerat ille qui dixit: *Sicut acetum in nitro, ſic qui cantat carmina cordi peſſimo:* debueratne propter illorum formidinem ſaltem unus eorum negligi, cui quod dicitur ad ſalutem proficere poſſet? Et ubi eſſet quod Ezechiel à Domino dicitur ita: *Fili hominis verba illorum ne timeas, & vultus illorum ne formides, quia domus exaſperans eſt:* Ubi dicentis: *Qui me erubuerit & meos ſermones; & hunc filius hominis erubeſcet cum venerit in gloriâ ſuâ, & Patris, & ſanctorum Angelorum?*

Ezech. 13. 5.

Ibid. 3, 18.

Iſai. 5. 20.

Matt. 8. 22.

2. Paral. 19. 2.

Prov. 25. 20.

Ezech. 2. 6.

Luc. 9. 26.

Quod ſi mihi opponas ſcandalum Eccleſiæ debere vitari; non contradico; oppono tibi tamen duo Evangelii loca; unum ſcilicet ubi Dominus Petro dixiſſe refertur: *Simon, Reges terræ à quibus accipiunt tributum, ab alienis, an à filiis?* Illo reſpondente, *ab alienis: Ergo liberi ſunt, ait, filii: ſed ne forſe ſcandalizemus eos, vade ad mare & mitte hamum: & eum piſcem qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore illius invenies ſtaterem; illum ſumens da eis pro me & te.* Alium, ubi dicente eodem cum cæteris Petro ad Dominum: *Scis quia Phariſæi audito verbo ſcandalizati ſunt?* non curandum de hujuſmodi monſtrans ſcandalo, dixit: *Sinite illos,* ſubaudi ſcandalizari: Quare? Subjungit cauſam, & ait: *Cœci ſunt & duces cœcorum. Cœcus autem ſi cœco ducatum præſtet, ambo in foveam cadent.* Quaſi utique dixiſſet: Quia & ipſi cœci ſunt, & aliis cœcis in perditionis foveam cadendi præſtant ducatum; non curandum de illorum ſcandalo. Melius eſt enim juxtà quemdam, ut ſcandalum oriatur, quàm veritas relinquatur. Quia etiam ſi propter illos veritatis relinquatur aſſertio, non propterea meliorabuntur, ſed ut cœperunt, in perditionis præſcito illis ab initio ruituri deteriorabuntur miſeri barathro. Et iſta quidem ut ſufficiant, quærendum unde iſta tamen exorta ſit inter nos modo diſcordia. Sed ſi quis advertat quod ſuperiùs prolatum de Juda, non modo exortam hanc videbit diſcordiam, ſed à tempore ordinationis meæ nunquam inter nos extitiſſe concordiam: quod mille probabunt indicia, ſi quis meminiſſe valebit, qualia mihi jam acciderunt; quanta, licet nunc fiducia Imperialis præſentiæ, & Synodi adunandæ in propatulo ſit deſignata, eſt tamen occaſio hujuſmodi rixandi nobis, quòd ſcilicet eis manifeſtaverim quædam hic [d] ideo ſuppreſſa, quia in Huberto Epiſcopo directâ continetur Epiſtolâ, iſtâ non vi tamen eos ad ea ſequenda compellens, ſed ratione perpendenda ſuadens.

Matt. 17. 24.

Ibid. 15. 12.

Ibid. v. 14.

In Canonibus Apoſtolorum. Cap. 39.

» Omnium Eccleſiaſticorum negotiorum curam «

c *per maſſaritias*] A maſſâ, villâ, ait Acherius, deducti videtur maſſaritia, ſæpe lex. Ego nihil hic video quod impellere Acherium potuerit ut de ſupellectile agi arbitraretur; Ratherius enim de bonis Eccleſiarum loquitur, quæ Clerici inter ſe dividebant, ita, ut ex iis pauci maximam partem ſibi retinerent; quo fiebat ut cæteri minorum ordinum vix ad victum neceſſaria ſubſidia inde haberent.

d *quædam hic*] Editum erat *quodam hic*, & Acherius conjecerat legi oportere *quendam hic*. quid cogitans neſcio. Idem rectè monuit, Epiſtolam cujus Ratherius meminit velut Huberto ſcriptæ, id eſſe opuſculum ejus quod primum omnium editum eſt.

» Epiſcopus habeat, & ea velut Deo contemplante » diſpenſet, &c. «

Eat igitur qui volet ac judicet, quid horum melius fuerat, vel pejus; quòd ſcilicet iſtâ formidine Deum exaſperantium jam per triginta quinque ferè annos quaſi patienter tulerim; an quòd modo, tam ſerò licet, hæc contra illos protulerim, cum veraciſſimè Gregorio docente didicerim, quòd inimicum tolerare, ſed odiſſe, non ſit virtus amoris, ſed velamentum furoris: & Auguſtino credentiſſimus exſtem dicenti, » quia recuſat in Chriſti eſſe corpore, qui » odiū mundi non vult ſuſtinere cum capite. « Nam præter hoc quod contrà Canonum ſanctorum iſta fieri reprehendebam decreta, & jam illud me maximè nuper commovit, quoniam quidem cum de dimittendâ mulieroſitate Auguſtalis intonuiſſet adversùm illos voluntas, omnium penè excuſatio exſtitit, non poſſe propter inopiam hoc ullo modo fieri, potuiſſe verò utcumque ſi ſtipendium debitum ex rebus habuiſſent Eccleſiæ. Viſum autem mihi fuit eos habere potuiſſe, ſi aut unuſquiſque illorum mercedem juxta Apoſtolum in Eccleſia propriam ſecundùm ſuum laborem acciperet, aut ut in Actibus legitur Apoſtolorum, dividerentur Clericis delegata prout cuique opus eſſet. Hujus rei gratiâ volui agnoſcere omnia quæ ſive ab anteceſſoribus meis conceſſa, ſive [ab] admodum timentibus viris fuiſſent eis collata, & ſufficerent optimè, ſi non vellem [c] eiſdem his, quæ quibuſdam ingratis & inimicis contuleram ſtulte, providenter ſupplere. Hoc tam fortiter recuſaverunt, ut mori ſe antea malle proferrent, quàm hoc factum viderent. Nec inaniter. Cauſa enim illorum cum, Deo gratias non mediocris ſit, ita per maſſaritias & alia hujuſmodi exſtat diviſa, ut quidam illorum inde valde diteſcant, multitudo verò paupertate langueſcat, & proh nefas! qui majus Deo in Eccleſiâ exhibent ſervitium, aut nihil, aut modicum accipiant; qui penè nihil de famulitio unquam actitant domini, locupletes de rebus Eccleſiaſticis fiant. Quòd ſi quis eorum contrà talia conatur ſaltem mutire, dicitur ei: Ut ego mortem exſpectavi meorum qui me præceſſerant, magiſtrorum, ita tu meam exſpecta, & bonis quæ ipſe præſencialiter fruor, & tu frui poſt obitum meum ſtudeto. Hoc quaſi ſit dicere: me illuc conſtituto ubi ſunt quos imitari decerto, tu me ſequi conari, & in eâdem quâ cecidi barathri foveâ rue; ut hoc ſit veraciter cæcum cæco cadendi ducatum præſtare.

[1. Cor. 3. 8.]

[Act. 4. 35.]

Tu ergo, inquis, quid feciſti ad iſta? Monſtravi illis auctoritatem Canonicam, illi contrà conſuetudinem uſitatam. Miſi eis vicinorum quoſdam; mandavi eis adjurando per fidelitatem quam mihi non ſemel juraverant, ut ſi aliquam authenticam rationem unde haberent, non mihi celarent; ne cum in Synodum veniremus verecundiam mihi facerent, ſi me injuſtum exigere aliquid probaviſſent. Et ut in illorum Sacramentis nullam mihi monſtrarent habere potuiſſe unquam fiduciam, dixerunt, proh nefas! ſe ſatis ſcire multis multa juraſſe, quæ nullatenùs valerent implere: adjicientes ſtultum eſſe, ut me conarentur docere. Mandavi rursùm illorum quibuſdam, quòd in utroque delinquerent, ſi aut me contrà ſe, aut ſe contrà me permitterent ſcienter contendere. Reſpondit cujus maximè intererat, quòd ſtultiſſimè faceret, ſi vel me toto ſæculo prædicatum, vel magiſtros ſuos docere præſumeret. Hoc nihil juvante, conatus alio eos modo ad pacem, non quidem mundi, ſed Chriſti compellere, cum quidam illorum de me haberent beneficia, interminatus ſum, quòd ſi mihi interdicerent quod mihi competeret, ego quod illis conceſſeram, tollerem. Reſponderunt in tantum ſe non curare, ut ſi quod alicui illorum dedi auferrem, non mihi inde minùs fideles erent tantùm de iſtis illos nullatenùs inquietarem. Et veraciſſimè: nunquam enim mihi pro dato fideles, nunquam pro ablato infideliores, quia non potuerunt, fuerunt. Infideliſſimi nam mihi exſtitere, nullo unquam tempore (parcat illis Dominus) ceſſaverunt. Sed quare? Apoſtolus dicat. Me etenim hoc toties replicare nimium, fateor, tædet: *Erit*, ait, *tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt; ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus; & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Ut illegalitates apertiſſimas fabulas nuncupaſſe illum intelligas: res enim ficta propriè dicitur fabula. Per omnes ſanè ſermones quos populo iſtâ Quadrageſimâ feci, monere mecum omnes non deſtiti, ut redire non differremus ad pacem, ſed quam, proh dolor! nunquam tenuimus, Chriſti: qui aliquos utique læſerunt, præceptum illud Domini recordantes; quod ego paratus agere omnimodis fui: *Si offers munus tuum ad altare*, & reliqua. Læſi verò, dicentis: *Cum ſtatis ad orandum, dimittite ſi quid habetis adverſus aliquem.* Quod & facere paratiſſimum me, ſi dignati fuiſſent rogari, non ceſſavi eis promittere, tantùm in verâ pace hoc vellent efficere. Quod tamen potiùs eorum in tantum augebat ſuperbiam, & accendebat uſque ad criminationem quoque me imaliciam, ut pejus etiam mihi ipſi de me compellerent credere, quàm hoc ſit quod tibi, Ambroſi caſtiſſime, ſcriptum reliqueram nuperrimè, neduum alios permittant de me boni aliquid æſtimare.

[2. Tim. 4. 3.]

[Matt. 5. 23.]

[Marc. 11. 25.]

Quia verò perfidi ſemper de beneficio pejores fiunt, & qui aliquid eis confert, nil aliud agit, niſi contrà ſe pugnandi vires illis miniſtrat, & ut perfidiâ propagetur, laborat, quod causâ protuleram comminationis, in effectum vertere non diſtuli actionis, & præcepto uſus dicentis: *Da bono; & ne ſuſcepertis peccatorem*; illis ablata, bonis duobus, id eſt, Beatæ Genitrici, ſanctoque Stephano Protomartyri contuli, vel potiùs reddidi; faciens de quibuſdam inſuper ſcriptum quoddam quod nominant judicatum, id eſt decretum, pauperioribus Clericis (quorum causâ ſcilicet tantum pertuleram laborem) ejuſdem Eccleſiæ, hoc eſt, Presbyteris, Capellanis, ſubdiaconibus de Secretario ſeptem, Cantoribus ſeptem, Acolythis de Secretario ſeptem, Cantoribus quinque, Oſtiariis ſex, non ut mihi fideliores tamen, ſed in ſervitio Domini fierent promptiores, & ceſſante paupertatis occaſione, ſtudioſiores in Domini diebus ac noctibus fierent ſervitute. Inveteratâ itaque hac jam per aliquot annos, nunc non quidem ut ferunt actâ, ſed quòd melius eſt pace ficta, [f] diſcordiâ, peſſima non ceſſant mihi tendere ut ſemper inſidiarum, me tamen non ignorante, molimina, & qui dicebant ſe non curare, ſi quod de meo habebant ab eis auferrem, neque ob hoc mihi minùs fideles exiſterent, tantùm eos de his quibus eos interpellaveram inquietare ceſſarem; ſecuri nunc de meâ ceſſatione, de meo ab eis ob ingratitudinem illorum recepto me ſatagunt poteſtatum quorumdam patrociniis inquietare. Me autem ad flagella pro peccatis meis ſubeunda paratum Dominus dignetur miſericorditer reſpicere, & ab illorum inſidiis clementer defendere; illis veniam largiendo, & pacem veram illorum cordibus ingerendo, ut ſimul pacificari

[Eccli. 12. 5.]

c *ſi non vellem*] Quin legendum ſit *ſi modo vellem*, haud valde admodum dubito.

f *pace ficta*] In priori editione legebatur *pace facta*.

Job. 29. 16. omnes mereamur cum Chriſto. Quod ſi parvipenſo quod Job quondam dixit beatus, id eſt; *Cauſam quam neſciebam diligentiſſimè inveſtigabam*; mihi miſerrimo contingat, quod miſeris contigit, de quibus legitur illis, quia etiam ſi apud Scythas cauſam dixiſſent, inculpati abſque dubio dimiſſi fuiſſent, conveniat facienti mihi. Nam ad flagella, ut dixi, in tantum parato, quantum dolor meus in conſpectu eſt meo ſemper, ille utique quo & doleo quòd peccato talia patior meo, & ne pejora in futuro patiar metuo, mihi, inquam, aliud non pertinet agere, niſi velle optare, & indeſinenter Deum rogare, ut cui fidelitatem juraſſe me recolo, nunquam id facere contingat, unde gratiam ipſius irrecuperabiliter perdat, ſed illud potiùs ei divina concedat pietas agere, quod & hic diutiùs feliciter imperare, & in futuro perenniter cum Chriſto faciat exultare. Amen.

APOLOGETICUS LIBER.

CAVILLATORI non modo actuum atque ſermonum, ſed & intentionum ſuarum indeficuo, fautori ac defenſori adverſariorum cuidam præcipuo, Ratherius hæc univerſa, timoris JESU jugulo modicum tactus, perferre, quàm his cedere promptus.

a Tantâ me veſtra illa urbanitas, quam de Martiano, cæteriſque hujuſmodi trahitis, quorum me tantò fore haud diffiteor ſecurum, atque ineptdum, quanto in me illud cadere vereor poſſe nonnihil elogium; quod jam olim de quibuſdam; *Semper* *2. Tim. 3. 7.* *dicentes, & nunquam ad cognitionem veritatis venientes*, eſt veraciſſimè, ut & de vobis valet, prolatum, Tantâ, inquam, me afficit hæc eadem ineptiſſima, imò pernulla * philocompiæ urbanitas veſtræ, anguſtiâ, ut dum colloquimur, gravatuſimus; dum apiculos, vel inepciunculas quaſdam plus aloes, quam mellis, plus veneni certiſſimi, quàm ſalutaris antidoti geſtantes mihi mittitis: (ut utique modo pernequam * famulum, ne vobis loqueretur ſaltem, ne dum aliquod juvaminis à vobis exigeret, optarem prohibitum) confectiſſimus adeo reddar cum Pſalte illo, ut libeat uti de multis, de vobis ſpecialiùs quoque vociferari notiſſimo: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua* *Pſal. 118. 85.* *Domine*. Verùm à vobis compulſus, cùm pro temporis congruentiâ geſtum nunc ſaltem exulere feriatus, quantulumcumque apologeticum dictitare. Cum glorioſiſſimus hinc abiiſſe diſpoſuiſſet Auguſtus, credidit fidei meæ quiddam argenti, ex quo perficere deberem Baſilicam ſancti Zenonis, peculiaris, ut ſcitur, noſtri Patroni; poſtquàm ſcilicet omnia, de quibus habueram victitare (ne dum ſuperfuiſſet unde, ut ſuadetis, quas, iſto relicto qui commiſſus meæ eſt fidei, opere, poſſem eleemoſynas facere) ejus abliguriérat non dico potentia, nego violentia, ſed certè præſentia. Et ô quàm vera Aurelii illa ſententia, quâ fatur temerarius judiciis fore omnia plena. Cum enim ſanctus & non diſpar illi aſſerat Gregorius, quòd nunquam propter obedientiam malum ſit *Moral. in Job lib. 35. c. 10.* faciendum, nonnunquam verò bonum intermittendum; quis valeat credere, ut pecunia ab illo credita cui eſt tam ſanctè juratum, alio debuerit expendi, quàm præcepiſſe placuit illi? Pauperibus, inquit ſuſurrator, ut ille quondam Chriſti cenſum proditor. Sed vellem ſcire ubinam illi ſint pauperes. Nam cenſu itatenùs pauperes, ut pro eis reſtructio deberet Eccleſiarum (etiam ſi ex meo ut debuerat, fieret) remanere, nullos, gratias Deo, hic eſſe comperio, niſi (mirabile dictu, incredibileque auditu) me, & quos alere ut domeſticos debueram ipſe. Sed puto quòd apud vos non alantur niſi ab Epiſcopo pauperes. Sed hoc illic neceſſe non eſſe clamat liberalitas qui illam incolunt patriam omnium, ne eligas cui miſerearis præceptum communiter obſervantium, & uſque ad crapulam & ebrietatem eos contrà Dei compellentium ante horam quoque præceptum, cum deberent & ipſi ſolemne cuſtodire, ut cæteri fideles, jejunium.

O verò utinam qui non ampliùs, ſaltem ut ego, modos à beato Gregorio præfixos erogandi cognoſceret, approbaret, diligeret illos; inveniret proculdubio & talibus, quos Domini noſtri baſilicam reſtruendi neceſſitati præfertis, eleemoſynam divinitùs omninò negari. *Da enim*, ait, *juſto; & ne ſuſcipias* *Eccli. 12. 6.* *peccatorem*. Quo utique præcepto, & quibus cenſum Imperialem tribui ſuadetis, repelluntur peculiari pro culpâ: & beatus Zeno, quem fraudari ſibi conceſſo contenditis pretio, ad recipiendum pro juſtitiâ aſſumitur propriâ. Fratrem enim in ſede Majeſtatis b ſedentem * appellandum credi competit ipſum, quàm aliquem talium, quibus inſuper, ne audiant, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum,* *Matt. 25. 41.* *qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus*, non nihil eſt formidandum. Non fratribus enim, ſed magis per extraneis intentari maledictio cernitur talis. Cum verò de Mammona iniquitatis ob hoc amici ſint faciendi, *ut nos in æterna recipiant tabernacula*, cum non dictum ſit *mittant*, ſed *recipiant*, penſandum qui nos, ſi ex noſtro quoque fecerimus, potiùs quirent in ea recipere, ſanctus utique qui cum Judice auditùros judicabit, *Venite*; an illi quibus dicetur, *Diſcedite*. Pauperes ergo ſpiritu hac auctoritate ſunt eligendi; *Ipſorum eſt enim Regnum cælorum*: quod *Ibid. 5. 3.* nobis videlicet ſi volunt præſtare, credimus, poſſunt, ut utique ſuum. Quis enim quod non habet alicui confert? Quis quod ſuum eſt, non cui volet eſt potis largiri? Nec hoc dicimus, ut naturæ communionem negligi in aliquo, ſive juſtus, ſive injuſtus ille ſit, ſuadeamus, ſed ut genuinum veſtrum nos ita rodentem piſtillo hujuſmodi conteramus. Omnibus enim cum noverimus benevolentiam ob naturæ ſimilitudinem impendendam; domeſticis tamen fidei, per quos derivatur ad domeſticos etiam Dei, ſpecialiùs perpendimus exhibendam. ac per hoc nihil valeo, etiam ipſi, ſuadeat ſi, Angelo credere, acceptabiliùs Deo exiſtere propria noſtra ſubſtantia ut eis probabiliter tribuatur, quibus dicetur: *Ite maledicti in ignem æternum*: neglectis qui *Ibid. 25. 41.* ſunt audituri: *Venite benedicti Patris mei, percipite* *Ibid. v. 34.* *Regnum*: nedum quod ab alio quolibet eis eſt delegatum, nobis commiſſum, ipſis auferatur, & illis conferatur; cum perſpicaciſſimè de eis ſapientiæ liber, *Prohibe panem illis dare*, contineat dictum: *Eccli. 12. 6.*

a *Tantâ me veſtra*] Periodum hanc, ut mihi, ita etiam aliis negotium facturam certò ſcio; quamobrem eam interpretari libuit. Hoc igitur Ratherius ſcribit, ita ſe affectum ex colloquiis & ex ſcriptis ejus cui nunc reſpondet, ut ejus quidem colloquiis gravatus ſit admodum, ejus verò ſcriptis aloë potius quam melle referus ita confectus, ut poſſit ſcriptis illis hoc Davidis accommodare, *Narraverunt mihi*, &c. Ludit vero in verbo *confic*, quod vel de eo qui gravi quodam malo ſit affectus, vel de iis rebus quæ melle vel ſacchato condiuntur, uſurpari vulgo ſolet. Nihil hoc loco mutavimus, niſi quod ſcripſimus *quod jam olim* ubi erat *quo jam olim*, & voces *pernulla* & *pernequam* conjunximus, quæ ita editæ erant *per nulla*, *per nequam*: ac præterea interpunctionem, quæ ut fere ubique, ita hoc loco vitioſiſſima erat, reſtituimus.

b *majeſtatis ſedentem* Acherius ediderat *ſedentis*.

& Apoſtolus de hujuſmodi domos, cum manibus victûs aliquid ſcilicet valerent acquirere, circuientibus
2. Theſſ. 3. 10. cenſuerit: *Qui non operatur*, inquiens, *nec manducet.*

Quid magis? Maximum inſtare mihi cerno undique prælium; non oſcitando, fateor, eſt ad Deum
Pſal. 85. 17. clamandum: *Fac mecum* Domine, *ſignum in bonum, ut videant qui me oderunt, & confundantur: quoniam tu Domine adjuviſti me, & conſolatus es me.* Quidam enim ſive putatis, ſive à ſe magis confictis, ne jaculant criminibus. Quidam bona, ſi qua videor agere, ſiniſtris interpretationibus non deſinunt obfuſcare. Tolerabiliores at judico eos, qui mali cum innegabiliter exſtent, mala malè ſeu ficta ſeu certa proferunt, quàm qui bona, boni dum affectant videri, ſi qua mihi cernuntur ineſſe, malè proferentes, candidum nigro deturpant colore. Sed prudentiſſimè, rogo, edicas amice, impenſæ quæ conſtruendis vel reſtruendis, ne dico ornandis conferuntur Eccleſiis, non tibi videntur erogari pauperibus? Quorumnam enim commodis proſunt? Nonne eorum qui ſtarent ſub divo, ſole torrerentur, imbre madeſcerent, gelu frigerent? Quorum verò major pars intrat Eccleſiam, divitumne, an egenorum? Millibus ergo domum ab his tribus incommodis tuentem providere utriuſque hominum qualitatis quod eſſe melius reris; an ſi alicui concedatur viliſſima veſtis? Imbrices ſæculo conſeneſcentes, lapides mundo ipſi condurabiles, univerſitati, quàm panes in ſtercus
Ibid. 30. 19. illicò convertibiles præſtare alicui? *Muta fiant labia doloſa, quæ loquuntur adverſus juſtum iniquitatem,* ut non me putetis hîc juſtum appellatum, ſed qui
Iſai. 5. 20. dixit: *Væ, qui dicitis bonum malum.* Ut ab amicitiâ ceterùm quod ſuum eſt exigam, quam vos ſemper meliùs dando, quàm conſiliando mihi haud inficior monſtraviſſe, recognoſcibile quid proferens, ſiquidem proferenda vos optimè non dubito noſſe. Cum quidquid Eccleſiæ confertur, ſanctum Sanctorum ſit Domini, & ad jus pertineat Sacerdotum: quod utique ſic reſolvendo intelligere me profiteor, ut quidquid domino offertur ſanctum eſſe dicam, & ad uſus delegatum, non verò quorumlibet, ſed ſanctorum, qui utique in noſtris domiciliis aut requieſcunt, aut ſpecialiùs venerantur. Uſus verò eorum, uſus eis ſit famulantium. Et quia illis Sacerdotes ſpecialiùs debitores ſunt famulari, in jure ipſorum quod eſt collatum convenienter debere conſiſtere; quod tamen in quatuor partes dividi ſancti præcipiunt Canones: quarum ſcilicet una victui eſt Præſulis delegata: altera prævilioni ipſius ad Baſilicas utique ſtruendas vel reſtituendas commiſſa: tertia ad uſus pauperum ſimiliter commendata: quarta Clericorum neceſſariis deſtinata? cui verò vos cenſeatis, quæſo, commiſſa? Connivere ceterùm ut Canonicus ipſe Canonicæ ſi non dedignamini regulæ, [quòd] omnium Eccleſiaſticarum rerum diſponendi Epiſcopus habeat poteſtatem, haud dubito habeatis quin reſpondere. Ubi verò ad Ptochia, Xenodochia, cæterorum vel hujuſmodi officiorum erit perventum; Eugenii vobis, reor quòd ſatis pateat in Decretis ita dicentis
Hæc in edit. non exſtant. ſententia: » Per ſollicitudinem Epiſcoporum diſ» penſentur omnia hæc per Preſbyteros & Diaco» nos. « Verùm hæc aliàs.

Ad propoſitum ſanè quia juvat redire, portione Clericorum victuque Pontificibus delegato exceptis, de illis quæ reſtant duabus partibus conſilium à vobis expeto: prorſus totum nam cum paſcere ille debeat gregem, & animaliter ſcilicet &, opus ſi fue-
Joan. 21. 17. rit, corporaliter, cui dictum eſt: *Si diligis me, paſce oves meas*: ad idque illa tertia pars ſit delegata. Cumque, Deo gratias, nec fames patriam opprimat, & plures ſint qui alere valeant, quàm qui eleemoſynaliter ali indigeant[c]: Eccleſiæ verò iſtius patriæ paſſim aut incendio paganorum, aut incuriâ Pſeudoepiſcoporum, ſint univerſæ aut penitùs dirutæ, aut magnâ ex parte deſtructæ. Cumque ex primâ & ſecundâ parte, tertiâ & quartâ, ſi neceſſitas inſtaret, debuiſſent fulciri, ſecundâ cum maximè indigeat relevari, mihique neceſſitas inculcat hujuſmodi, quid quæſo decernitis fieri? Ad illam enim tertiam adjutores habeo innumeros: ad quartum eoſdem ſibi providentes ſuprà rectum etiam ac ſufficientiam Clericos, ad iſtam ſecundam cum voce uti illius poſſim Marthæ dicentis: *Domine, non eſt tibi cura*, quòd vicini omnes relinquunt me ſolum, & inſufficientiſſimum Baſilicas Diœceſis noſtræ vel levare, vel relevare, &, ſi non datur, ornare. Inſuper ſi quid facio, illos etiam, amici qui affectant putari, vituperare, & profligaſſe meliùs judicare, quod eſt utique, vanus eſt qui ſervit Domino, dicere; incertitudinem certitudini prætuliſſe, peccatores ſanctiſſimis antetuliſſe, & quòd illorum crapulam quàm iſtorum gloriam pluris Deus habeat, adſtruxiſſe; ut vos utique agitis, meliùs dicentes fuiſſe, ut illis duobus, egenis ſcilicet atque Clero, nobis partim ſuâ proviſione, partim aliorum largitione non adeo indigentibus, quod habeo eleemoſynaliter diſpenſarem; & iſtam ſecundam, id eſt ſtruendarum, vel reſtruendarum neceſſariò partem omnino negligerem; hocque exſtitiſſe non ſolum cogitatis, ſed & loquimini, melius. Quis ferre tantum nefas queat auditus? Non eſt amici, ſed inimiciſſimi perſuaſio, fateor, talis.

Fautorem ceterùm te, ô amiciſſime, omnium inimicorum meorum præcipuum licet veriſſimè dixerim, cum non ſint alii niſi rebelles ipſi Domino, qui me ita lacerant Clerici, non adeo forte ſuccenſeo. Siquidem hoc non mei, ſed veſtri Epiſcopi odio vos agere procuidubio ſcio. Exceptis enim qui ad Epiſcopatûs adſpirant faſtigium, is conſenſus omnium penè eſt Clericorum, ut libentiùs audiant Apoſtolum dicentem; *Non dominantes in Clero*: quàm: *Præcipe hæc & doce*: vel ad alium: *Hæc loquere & exhortare cum omni imperio; nemo te contemnat*, Et, *Increpa illos durè*: & alia hujuſmodi ſimilia quæ ſi profero, *Stultus totum profert ſenſum ſuum*, opponi mihi valere non neſcio. Nulli enim niſi potentiſſimo, ditiſſimo, ferociſſimo, ac per hoc ſecundùm ſe nec Epiſcopo, ſed, ut muſſant, tyranno alicui, à Clericis hodie ſuis privilegium Epiſcopalis defertur honoris. Omnes ſuos ſibi ſubjectos ambiunt habere Pontifices, omnes durè audiunt dicentem, cum Epiſcopos cogitant, Dominum: *Non eſt diſcipulus ſuprà Magiſtrum.* Omnibus tamen idem fit dum pervolupe, cum ſuos ſibi ſubjectos compellunt honorem etiam, qui non debet hoc exemplo, deferre: *Quæ vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Similiter propinatum non haurientes, amanter audiunt dum legitur: *Patres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros*; & hoc à nobis minimè obſervari, cum ab eis quod Dei aut noſtrum eſt exigimus, conqueruntur. Surdeſcunt cum audiunt: *Filii obedite parentibus per omnia.* Tolerantiùs audiunt *Obſecra*, quàm *Argue*, vel *Increpa.* Parvipendunt, cum maledictio Cham patris verenda prodentis ſuper eos intenditur: magni ducunt dum aliqua infamia, vera ſit aut falſa, nobis impingitur. O enim iſtic, ut me ſpecialius ipſe diſſignem, ô miſerum me verbum diebus meis factum in Iſrael: *Quodcumque audierit, tinniant ambæ aures meæ illius.*

1. Pet. 5. 3.
Tim. 2. 15.
Prov. 29. 11.
Matt. 10. 24
Luc. 6. 31.
Epheſ. 6. 4.
Coloſſ. 3. 20.
4. Reg. 21. 12.

c *ali indigeant*] Editum erat, *alii indigeant.*

d *Poſt tanta enim, talia, tam fœda, tam turpia, tam incredibilia, & ipſi etiam ætati meæ contraria, quæ balſama dihorno [d], & puto quod non adeo illibenter audiſtis; ad quam veſaniam veſtri illius Martianiſtæ proceſſerit temeritas nuperrimè borret edicere, ne peſtifera cohors hoc veſtra inficiatur fœtore, quod futurū non diſcredo certiſſimè. Nam poſt omnia illa, cum ſaltem ad comitatū ſine licentiā mei ire auſum Canones decernerent deponendum, inauditā unqnam temeritate, venalem illam, ut ait Saluſtius, adiens urbem, pretio, ut omnia antiquitùs, ibi emptas quaſi Apoſtolicas deferens litteras, anathematis tam me, quàm ſucceſſores omnimodis meos eo mulctavit mucrone, ut quivis abhinc Epiſcoporum, ſi de Clericorum ſe inframitteret rebus, perpetuo, ut aiunt, anathemate foret damnatus. Res verò cum propriè inviſibiles dicantur ſubſtantiæ; illo utique innuente, qui nomen partem orationis corpus aut rem ſignificantem definivit quambreviter eſſe; quæ ſpecialiùs res ſunt Clericorum, quàm animæ illorum? Dum tamen & hinc haud ambigam me non irreprehenſum abire, quòd ſcilicet dubio religionis hoc loco adhibuerim teſtimonium Auctoris Ethnici, quo tamen Apoſtoli ſuffragio nitor, ad Titum contrà vaniloquos & ſeductores dicto utentis inremorſi, ſic ut non eatis. Clerici at verò ipſi cum ſint corporales, Clericatus dum ipſe incorporalis, ab omnibus rebus eorum ſi abſtinen, ut corpora, ut ſubſtantias eorum ſumptui delegatas, ita & animas ipſorum, ipſum inſuper Clericatum, dum res utique ſint, æquè negligenda inuutantiſſimè colligo. Ipſæ, inquam, res, perſonæ ſcilicet ipſorum, cum in animabus maximè, ut protuli, conſtent eorum, cæteris ſpecialiùs rebus dum hoc anathemate mihi ſint interdictæ, ademptam mihi eſſe omnimò eorum cum rebus omnibus abſque dubio curam perpendo. Hic ſi poteſtis igitur, aliquid conſilii date. Si enim anathema Sedis Apoſtolicæ parvipendo, præter aliud quid haud parvi ducendum, peſſimi exempli pontem omnibus ſterno. Si non: Miſſam ſaltem eis (cum res ſint ipſæ, Miſſæque cantatio ad maximam de rebus ipſorum inframiſſionem pertineat) nullatenùs canto. Si Miſſam eis non celebro, quòd eorum non ſim ſaltem Sacerdos, nedum Epiſcopus, perſpicuè pando. Epiſcopus ſanè (ut in Synodo eſt Papienſi quondam clamatum) Veronenſium ego ipſe ſi ſum, cum Epiſcopus ſuperintendens interpretari dicatur, quibus ſuperintendo, qui ſuppoſitum omnibus me video? Hiſne, qui, dum monogamos fore adulterium publicum, dum illegale utique conjugium ſit, trigami eſſe, & proh pudor! quadrigami, & hoc Presbyteri & Diaconi, cum bigami ex laicis nequeant ſaltem fieri Clerici, pro nihilo ducunt? qui dum negotiandi legant ſibi interdictum omnimodis uſum, uſurarii temeranter exiſtunt? qui fidem adeo abjuraverunt, ut perjuros ſe eſſe multoties nec negare dignentur? qui collata Eccleſiæ generaliter, tam ſpecialiter ſibi uſurpant, ut illis exceptis qui Scribarum & Phariſæorum ritu aliis præeminent, cæteri, me ab imo cernente, nec ſuffragari quiddam valente, inediæ peſte vehementer laborant? qui pugnis, vel potiùs ceſtibus, ut hoc ita pro Virgilianis dictum ſit entellinis, in gremio Eccleſiæ inter ſe dimicantes, violare eatenùs (uti modo Marcianiſta inſtigante veſtro eſt factum) non verentur Templum Dei viventis; ut niſi præſentaliter reconcilietur, Miſſarum ſolemnia, in ipſo etiam præſentiſſimo Paſcha, celebrari legibus in eā interdicatur? Quorum aliquis Diaconorum colaphizari Presbyterum ordinarium coram ſe [per] ſervum fecit ante fores ipſas Eccleſiæ ſuperbiſſime ſuum. Ad ſummam eine [e], qui ſine licentiā mei Romam profectus, egit ut anathemate ſuper me jaculato talium mihi interdiceretur cuoctimodis quæſtio? e

Hujuſmodi & alia innumera, neque minora inemendata, dum facultas non ſequitur utique, omninò relinquere, eſtne quæſo ſuperintendere? Superintendere verò nequaquam valere, eſtne Epiſcopum fore? Non Epiſcopum autem in Cathedra Epiſcopali ſedere, eſtne, rogo, approbabile atque legale? Ad iſtud ſanè antehac inauditum ſi aliquid refero inſpiratum, non me à vobis irreprehenſum cum certus ſim habiturum, noveritis tamen me hoc incunctanter, Deus averterit niſi, facturum, licet vobis videatur homini utpote carnali, qui non percipit * quæ ſunt Spiritûs Dei, ſtultiſſimè, cùm non erit tamen, ſi Deus dederit, factum. Victum ſanè cum ſic gratulari valeatis Ratherium, ne taliter vinci poſſe putantes tripudietis multùm ſuadeo Antonium, cum ſi fieri poſſet jam fuiſſet abſque dubio factum; diſtare quid inter hominem & homululum ſit omnibus dum non ignotum. Invectio cæterùm ò in vos amiciſſime credi ut cupitis mea, ne in infinitum contendat procedere, terminum hîc ei volo ſtatuere, expedire non inſcius, multiloquii quantociùs quo vitare ſatagam uſum, cum ipſo peccatum obloqui ne incurriſſe mihi contingat, eſt quod omninò pejus reatum, veritatis maximè quis ſi tranſilieus metas, charitatis inveniabiliter jure neglecto, incerta certis connectens, veras cum nequit, falſas undecumque comportans calumnias; & ſi fingere quaſi probabiles ſibi ingenii prohibet parvitas, candida nigris, nigra candidis atque commutaos, perſequatur quod ob hoc ſe væ illi, Pſalmus ut prodit, pro tali commutatione imprecans Deus ipſe, miſerrimus cogitans, ſeque alterius felicitate ignito veluti cauterio irremediabiliter urens: quod à nobis utriſque dignetur avertere Chriſti ineffabilis pietas, cujus cum Patre & Spiritu ſancto eſt una eademque agendi ut poſſibilitas, ita regnandi una eadem ſæcula per infinita Majeſtas, Amen.

RATHERIUS *Veronenſis Epiſcopus de Clericis ſibi rebellibus.*

NOcturnali dum intenderem lectioni, hujuſmodi nobis non diſconvenientia, & utinam ventaliter contigit audiviſſe. *Populus ad iracundiam provocans eſt, & filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus: Nolite videre, & aſpicientibus, nolite aſpicere, nobis ea quæ recta ſunt loquimini, nobis placentia. Videte nobis errores. Auferte à me viam, declinate à me ſemitam, ceſſet à facie noſtrâ Sanctus Iſrael.* Quod dum cum his contuliſſem quæ cæteris, & in eodem audieram, Prophetis, Pſalmis, Hymnis, & Canticis ſpiritualibus, quæ vos jactatis aliis Italiæ Eccleſiis frequentare meliùs. Cumque ſermone Domini, quo Prophetæ à ſe conſonans meis auctoribus, in hoc ita loquitur veſtra: *Populus hic labiis me honorat; cor autem illorum longe eſt a me. Invanum me colunt, tenentes doctrinas & præcepta hominum.* Cum Apoſtolo quo-

Iſai. 30. 10.

Matt. 15. 8.

d *balſ. ma dihorno*] Nihil hoc loco fœdius: apparet cujuſdam maledici nomen hîc latere.

e *ad ſummam eine*] Sic edi curavimus, cum antea legeretur *adſumam ejuſne*. Infrà editum erat *qui non percipis quæ ſunt.*

que

2. Tim. 4. 3. que dicente: *Erit tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi Magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Compulſus ſum miſerrimus heu dolor! nos populum Dominum ad iracundiam provocantem intelligere, non ignarus Apoſtolum, Rom. 15. 4. *Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta*, veraciſſimè teſtatum fuiſſe. Filii enim nolentes audire legem Dei, qui aptiùs, pace quod dixerim veſtrâ, valent intelligi, quàm illi, qui cum Canonici affectent vocari, & de ſtipe Canonicis delegatâ inceſſanter conquerantur, in tantum recuſant eſſe Canonici, ut conſuetudinibus malignorum ſolummodo innitentes, nil quod Canones ſanciunt ſancti, nedum legere, vel facere, tolerent ſaltem audire, eiſdem verbis dicentes videntibus eorum utique periculum animarum cernentibus: Iſai. 30. 10. *Nolite videre; & aſpicientibus pravitatem ipſorum, nolite aſpicere. Nobis quæ recta ſunt loquimini*, id eſt, non quæ vera ſunt, ſed quæ nobis recta videntur, nobis, non Deo placentia dicite. Videte nobis errores hoc eſt ſinite nos noſtris inveſtitionibus, atque anteceſſorum noſtrorum malignis conſuetudinibus decipi. Ibid. v. 11. *Auferte à me viam*, utique illum qui dixit: 1. Joan. 14. 6. *Ego ſum via. Declinate ſemitam* anguſtam ſcilicet atque arctam viam ducentem ad vitam. Iſai. 30. 11. *Ceſſet à facie noſtrâ ſanctus Iſrael*, id eſt, deſinat nos inquietare ſanctitatem ſuam nobis ſequendam proponens ſanctus, viſionem veræ ac ſempiternæ pacis demonſtrans, & dominicus quem nobis ingeris ſermo.

Quid verè, filii, ſuper quibus monemur divinitùs non lætari, ſi multiplicemini? quid, inquam, erit, ſi audito miſericordiſſimi Dei promiſſo, dicentis: Ibid. v. 15. *Si reverteamini & quieſcatis, ſalvi eritis. In ſilentio & in ſpe erit fortitudo veſtra.* Atque poſt pauca: Ibid. v. 18. *Expectat Dominus ut miſereatur veſtri*: parvipenditis illud; moribus utique & ſi non verbis, reſpondentes, Ibid. v. 16. *nequaquam ſed ad equos fugimus*, quos utique potentes quoslibet, quorum patrocinio ſic Eccleſiaſticam tam nulli penditis diſciplinam, nil obſtat intelligi auctoritate Papæ Gregorii etiam ad litteram vobis Dominum reſpondere contigerit, ideo fugietis, & ſuper veloces aſcendemus ideo, veloces erunt qui ſequentur vos: vindicans immanitatem rebellionis utique veſtræ temporaliter, ne damnet vos, ut formidare non deſinimus, æternaliter? Quid, inquam, miſericordiſſimi Dei evidens magnitudo, & juſtæ retributionis maxima levigatio? Hac itaque de cauſâ Apoſtolo conveniens, dicenti: Epheſ. 5. 1. *Eſtote imitatores Dei, ſicut filii cariſſimi.* Quos ille miſericorditer, ut puto, exſpectat, non auſus crudeliter inſequi, ſpe forſitan licet inani converſionem mihi pollicens veſtram, cum propoſuiſſem vos uti rebelles non modo viliſſimo mihi, ſed & incomparabilis potentiæ Cæſari, imò formidabilis omnipotentiæ Deo, ut & legaliter & imperialiter ſancitum eſt ab Eccleſiâ (ex quâ me jam quater extruſiſtis) extrudere; pepercit animus diploide vos confuſionis induere. Quod feciſſem utique, ſi vos excommunicando damnaſſem, ut meremini, æternaliter; & excuſando apud aures tremendiſſimi Imperatoris, ut facere minimè, miſſo ex parte mea legato, neglexi, illud vobis curaſſem præparare, quod ſi contigerit, promptum erit vidiſſe. Senſu igitur illo, quo dictum eſt; Apoc. 22. 11. *Qui nocet, noceat adhuc*; quidquid providentia Dei mihi vobis inferre vel voluerit, vel permiſerit, ejus majeſtati committens, do vobis licentiam, in quâcumque hujus Diœceſis Eccleſiâ vobis placuerit Domino ſerviendi, donec annuente Deo Miſſus piiſſimi Cæſaris veniat, & quæ mandavi audiens, cumque his, quæ vos de me ipſius Imperialibus innotuiſtis auribus, collatis, ei ut fuerit libitum referat, & quod mihi ſit agendum decernat. Quòd verò cum veſtri quibuſdam id agere devito, non contemptu fraternitatis facio, ſed ruſtico illo monitus exemplo, quo dicitur: Quod oculus non videt, cor non dolet: videtur quædam & pernecceſſaria doloris fore levigatio, ſi eis non viſis qui mihi tanta mala fecerunt, & facere non deſinunt, abſit aliquantiſper malorum ipſorum recordatio, dum auctores eorumdem quantulacumque obnubit oblivio.

Ex Abbatiolâ amandatis Monachis ſubrogantur Clerici.

DUm adſtipulante peranguſtæ recordationis Aurelio temerariis judiciis adeo plena ſunt omnia, ut ipſe quoque malevolorum cavillationibus acerrimè hoc tempore inſectatus, mihi ipſi ſim ita incredulus, ut quid quâ intentione actitem ſim ſæpiſſimè dubius; dum ſcilicet falſa verave illorum de me teſtimonia, cum his quæ mihi ſint plus quàm neceſſe ſit cognita confero; quid de Abbatiolâ, quæ Magonzianus vocatur, nuperrimè ſtatuerim, decretali hoc ſcripto enucleare, & venturis præſentibusque ut utrique dijudicent, deſtinare contendo. Ipſa igitur eadem quantulacumque ſit, cum ex prædiolis quorumdam diſpoſitioni Eccleſiæ noſtræ ita obvenerit, ut aut obeunte, aut perperam inemendabiliter quid perpetrante Abbate, alter ab Epiſcopo illic ſufficeretur noſtræ Diœceſis, qui militantes in ea Monachicâ vivere faceret lege, cum, uti res [a]eſt perdifficilis, hoc non ut Conſtructor voluerat, proceſſiſſet, incenſo ab Ungariis Cœnobiolo, ad hoc miſerabiliter eſt perventum, ut ipſe, qui Abbatis falſo vocabulo ſolus geſtabat cucullam, uxore ſaltem nequiret ullatenùs abſtinere, nedum alii propriis quoque poſſent voluntatibus (ut Regula Monachorum præcipit) renuntiare. Quemdam igitur ex talibus cum omnigeno conatu ad id quod ſecundùm ſaltem congruentiam temporis eſſet agendum, non valuiſſem adducere; ſed fugâ ter lapſus ipſe, Geziacâ me inſuper leprâ per internuntios conaretur inficere, hoc eſt, ut acceptâ ab eo pecuniâ ſinerem cum quod oblatum Domino fuerat, Diabolo ut ante fecerat, tradere, me quod ille volebat nolente, illo quod ego Dei reſpectu vitabam rogante: utrimque cum fuiſſet diſceſſum, hæſit animus quid agere poſſem. Si enim ego poſſeſſiunculam Dei Genitrici collatam meliùs quaſi diſpenſaturus mihi retinerem, aut meorum alicui darem, ne ſucceſſorum aliquis meorum meo ſimiliter faciens exemplo eleemoſynam illorum bonorum deſtrueret, non nihil verebar. Si verò propter unum falſum cucullum, Abbatem appellatum, id eſt patrem falſiſſimum, re autem vitricum veriſſimum, hoc in uxorem & filios carnales, fratres, atque nepotes permitterem expendere, imprudentis diſpenſatoris non minùs pœnam quàm infidelis verebar incurrere. Cum enim perarduum ſit Monachorum propoſitum, & talibus inconvenien-

a *cum uti res*] Ita Acherius ediderat, *cum uti res eſt, perdifficilis hoc, nonne Conſtructor, &c.* Atque infinita ſunt loca in univerſa editione, in quibus edendis non major adhibita eſt diligentia; ex quo factum eſt, ut ſi quæ acciderit vel unius litterulæ immutatio, quod vitari vix poteſt, auctoris ſententiam nonniſi magno labore lector aſſequi poſſe videatur.

tiſſimum: ſicut enim Monacho nil ſanctius, ita nihil eſt hypocrita ſceleratius: relicto impoſſibili ad poſſibile me conferre operam dedi.

Ordinavi igitur, ut ſi plures inhiberet facultas, illic tres Officium ſuum non neſcientes omni tempore ſaltem Preſbyteri militarent, ut inibi nullo die Miſſa deeſſet, unus Diaconus, unus Subdiaconus, Clericuli aliqui. Quiſque Preſbyterorum annuatim acciperet inter frumentum & ſegallum [b] modia decem, inter legumina & milium modia decem, de furico modia decem, de vino modia duodecim. Diaconus de his omnibus modia quinque, vinum, modia ſex. Subdiaconus modia tres; vinum modia quatuor. Ad veſtimenta Preſbyteri ſolidos quinque: Diaconus ſolidos duos: Subdiaconus ſolidum unum. Cocullum nemo illorum portet. Hymnos tamen in memoriam antiquæ conſuetudinis in Laudibus, Matutinis, Primâ, Tertia, Sextâ, Nonâ, Veſperâ, & Completorio, quæ omnia ad horam debitam exhiberi decrevi, cantarent. Et quia ſine aliquo id fieri magiſterio poſſe deſperavi, unum inibi præfici Preſbyterum honorabilem, nec miniſterii ſui expertem, præter illos tres: ita decrevi, ut aut obeunte illo, aut decreta facere contemnente, alter ab Epiſcopo Veronenſi loco ſubrogaretur illius. Quique his omnibus, ut continetur ſuperiùs, non per vineas & campos, ſed per menſuras diſpenſatis, quod remaneret, haberet. In præclaris verò feſtivitatibus illos quinque ſecum faceret comedere, eiſdem cibis & potibus quo ſeipſum abundanter & pro poſſe eoſdem reficiens. Quibus tamen diebus lectionem decernimus ad menſam habeant, & poſt cibum quod Monachi cantent. Summopere verò....

DE NUPTU CUJUSDAM ILLICITO

Psal. 128. 3. SUPRA *dorſum meum fabricaverunt peccatores* cum Pſalmiſta proclamet: Apoſtolus quoque:
Rom. 1. 32. *Non ſolùm qui faciunt, ſed & qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte*: mea mihi oneratiſſimo cum ſuperabundent, alienis ſuprà modum ponderibus infeliciſſimus gravor. Hac itaque duplici anxietate conſtrictus, Joannem noſtræ Eccleſiæ doleo filium, quamdam, ut [a] fertur, in Quadrageſimâ ſuo deſponſari feciſſe filio puellam, nocte duxiſſe dominica: illegalitate ſcilicet, ut & Pedrevertus noſter antea fecerat, duplici. Cum quilibet filium ſuum ad Clericatum adducit, videtur quòd, uti & facit, illum ſæculo auferat, & Domino tradat. Unde cum antea lege ipſâ deberet vivere quâ vivit Reſpublica, poſtea vivere lege incipit canonica. Et ut primitùs ad Reipublicæ pertinebat Præfectum, ita poſt ad Eccleſiæ attinet Prælatum, hoc eſt Epiſcopum, legaliter inſtitutum. Quod cum ita ſit, qui filium ſuum Eccleſiæ mancipat canonicè Domino militaturum, & poſtea ſæculare illi acquirit conjugium, perſpicuè cernitur, quòd eâdem manu cum Domino auferat, quâ illum Deo ipſe tradiderat, & ablatum Eccleſiæ, reddat, proh nefas! Curiæ. Non ſuccenſeat igitur qui hoc facit, ſuggero, Deo, ſi ille ei ex his quæ miſericorditer illi conceſſit, aut vi tempeſtatis, aut importunitate cujuſlibet poteſtatis, vel in hoc ſæculo, vel in futuro aliquid aufert; cum ſi aliter, loquar ut ita, Deus hoc facere neſciret, exemplo ipſius diſcere poſſet; quaſi utique diceret: Tu

Qui clericatu initiatur, ſæculo renuntiat, ſeque Deo conſecrat.

mihi abſtuliſti quod dederas, ego tuo exemplo tibi quod dederam tollo.

O verò inſatiabilis, quanta tibi non pudet, quàm illegalia, quàm turpia, quàm inhoneſta, contrà Deum quoque committere, generis humani cupiditas! Cum enim Clericus quilibet ideo vocetur, quòd de ſorte ſit Domini, id eſt, ad partem pertineat Dei, quàm bonus ille pater eſt, quàm filii dilector, qui pro tribus vineæ campis cum de ſorte auferens Dei, reddit hujus ſæculi poteſtati; conſequenter & Diaboli: ille enim à Domino *Princeps hujus mundi* vocatur; non verò cœli & terræ, maris, & omnium quæ in eis ſunt, ſed malignorum hominum, qui diligentes utique mundum magis quàm Deum, fruuntur temporaliter eo, perdituri quod æternaliter debuerant poſſidere in cœlo, ſervientes utique Diabolo, magis quàm Chriſto. Eſto verò uterque illorum hoc ideo fecerit, quòd in comparatione mali melius fore percenſuit, ut uni conjungeretur, quàm per plures magis mortiferè vagaretur. Sed in hoc iſte, de quo lugubris noſter eſt ſermo, alterum præcedit in ſcelere, quòd hoc in diebus ſanctæ inchoavit Quadrageſimæ, perfecit in dominicâ nocte. Quod ille hoc elaboravit ut illud patraret occultè, iſte verò quod tam manifeſtè hoc, proh nefas! fecit, ut neminem iſtius civitatis latere valuerit. Ideo igitur hoc nobis ſilentio ſupprimi non debere videtur, quia ſi irreprehenſum relinquitur, jure factum omninò videbitur. Nullus enim non dubitabit exemplum inde capere, quod compererit neminem vituperaſſe.

Clerici etymon.

Joan. 16. 11.

Feciſſe hoc, mirum dictu! & alius quidam, qui in alio noſtro Opere, ſuppreſſo vocabulo, verborum contortor, legum vocatur diſtortor, narratur; dum cum cæteris utique legumlatoribus ſibi dictum audire potuerit ſæpe: *Diligite juſtitiam qui judicatis terram*. Et lex, ut reor, contineat nulla, quòd res ſemel alicui legaliter data, auferri ab eo debeat aliqua, ſine juſtâ querelâ. Querelam verò ipſam cum aut culpam fore, aut neceſſitatem, ratio innuat aliquam, verſantibus & reverſantibus omnia nobis, Deus eſſe probatur illata cui injuria cernitur iſta: in quo utique nec culpa inveniri, nec valet neceſſitas comprobari. Patent enim omnia, nedum ſors ſibi ſpecialius delegata perire poſſit mediâ. Melius profectò feciſſet, ſi ad Domino famulandum de ſua facultatula opem illi, ut filio pater debitor erat, tuliſſet. Pepuliſſe tamen poſt fertur idem, eamdem nolens ei tribuere ſtipem. Et heu! quàm grave crimen, quod etiam criminoſo moriente non poteſt finem accipere. Verbi gratiâ, ſi alterius agrum quiſlibet invadit injuſtè, ſicut ſæpe ſolet, illum eâdem injuſtitiâ relinquat filio ſuo, ſuus iterum [b] qui ſequitur ſuo, ita uſque in finem ſæculi omnes faciant qui ab illo primo invaſore fuerint per ſucceſſionem alterutram deducti; quando finem accipit illius, qui priùs agrum illum ſeminavit injuſtitia, niſi tunc primùm quando finem omnis accipiet creatura? Hoc eodem modo cum omnes noverint, quia omnis qui præter uxorem legitimam cogit, aut fornicationem, aut adulterium facit: Preſbyter verò aut Diaconus uxorem legitimam non poſſit habere, ſi filium de ipſa fornicatione, vel, quod pejus eſt, adulterio, genitum facit Preſbyterum, ille alterum de ſe ſimiliter genitum facit Preſbyterum, ille iterum ſuum, ſuum alter iterum; pullulans illud uſque in finem ſæculi taliter adulterium, cujus eſt, niſi illius qui illud primitùs ſeminavit? Quocircà monendi & obſecrandi

Sap. 1. 1.

b *ſegallum*] Fortè *ſiliginem*, ait Acherius: mihi nihil mutandum videtur: *ſegalum* gallicè *ſeigle*.
a *quamdam, ut*] Prior editio, *quamquam, ut*.

b *ſuus iterum*] Ita edendum curavi; nam legebatur *ſuo iterum*.

Fratres, ut quia prohiberi, proh dolor! à mulieribus valetis nullo modo, filios de vobis generatos dimitteretis ſaltem eſſe laïcos, filias laïcis jungeretis, ut vel in fine ſaltem veſtro terminaretur, & nuſquam in finem ſæculi duraret adulterium veſtrum.

Ezech. 18. 20. *Exod.* 20. 5. Quomodo filius portat iniquitatem patris.

Dices è contra: *Filius non portabit iniquitatem patris &c.* Nos è diverſo: *Ego ſum*, ait, *Deus fortis, zelotes qui viſito iniquitatem patrum in filios*, & reliqua. Duas enim has quaſi diſcordantes Domini ſententias tractans beatus Gregorius, in quarum unâ continetur: *Filius non portabit iniquitatem patris; nec pater filii.* alteram ubi habetur: *Ego ſum fortis Deus zelotes, qui viſito iniquitatem patrum in filios uſque in quartam & quintam generationem.* Ex hoc quod ſequitur, id eſt, *In his qui me oderunt*, ita eas ad concordiam ducit; aſſerens utique quia ſi non concordat mala voluntas filiorum malæ voluntati patrum ſuorum, ſicut non concordavit utique voluntas Apoſtolorum voluntati parentum ſuorum, nihil obeſt malignitas malorum patrum benignæ voluntati bonorum filiorum. Si verò eadem faciunt filii, quæ patres Deum odio habentes fecerunt, non ſolùm pro ſuâ, ſed etiam pro patrum nequitiâ damnabuntur: & patres ipſorum non ſolùm pro ſuo peccato, ſed etiam pro filiorum, qui patrum ſequuti exemplû eadem quæ patres fecerunt, agere non deſtiterunt, habent, reor, juſtè puniri. O utinam itaque tu Domina, cui tam bonus frater tanta bona dimiſit, hoc antea cogitaſſes, & filiam ipſius, illius bona benedicta [c] tamen uni bono dediſſes Laïco, & finem ipſius impoſuiſſes peccato; quod quo uſque durabit infinitiſſimis eleemoſynis vix poterit, ſapias, expiari. Dicente autem quibuſdam Domino: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia decimatis mentham, & anetum, & cyminum, & reliquiſtis quæ graviora ſunt legis, judicium, & miſericordiam & fidem.* Utinam ſuper corpus fratris tui die noctuque pluvia caderet, quod tu ſtudioſiſſimè procuraſti ne fieret, & iſte humor tam noxius, tam ſordidus, tam fœdus animam illius non tam graviter aſſligeret, ſordidaret, inquinaret, atque torqueret.

Gregor. Moral. lib. 15. *c.* 31.

Matt. 23. 23.

Pœnitentiam prohibiti matrimonii reis ac ſibi ipſi quòd non citiùs eos reprehenderit, imponit.

Præſcriptos igitur, & omnes qui in tali ſcelere aut Quadrageſimam, aut jejunium præcipuum aliquod, aut noctem dominicam, aut feſtivitatem ullam præclaram ſe recognoſcunt violaſſe, mecum, qui utique hactenùs dum non reſtiti conſentiens fui, quadraginta diebus moneo pœnitentiam agere; ita videlicet, ut ſi cæteri fideles reficiuntur tertia horâ, nos ſextâ; ſi illi ſextâ, nos nonâ; ſi illi nonâ, nos uſque ad veſperam jejunemos. Ab eleemoſynis verò ſecundùm poſſe facienda minimè ceſſemus. Nec tamen propter hoc nos juſtificatos inde ſaltem credamus. Non eſt enim tale facinus, quod leviter poſſit emendari. De Dei tamen miſericordiâ minimè deſperemus. *Neſcit enim*, ait quidem, *homo utrum odio an amore dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta.* Quòd ſi hoc, ut ſuſpicor, imò certificor, reſpuitis, & mecum jejunare non vultis, & aut ego vos excommunico temporaliter, aut Deus vos damnat æternaliter, interſit veſtrâ, nec ulla mea ſit culpa. Inde ſimiliter ad pœnitentiam te paulò ſuperiùs alloquutam invito; expedit enim tibi, & forſitan proderit fratri.

[c] *illius bonis benedicta*] Mihi nonnihil hîc deeſſe videtur; quod quidem eſt hujuſmodi: conſultius futurum fuiſſe, ſi illam (clerici filiam) amita ſua nubere non ſiviſſet; ſi tamen nuptui danda erat, alteri collocari debuiſſe, nempe ei qui laicus eſſet, & laici filius.

EPISTOLULA PRIMA.

Martino Ferrarienſi directa.

DOmino MARTINO *Venerabili Coëpiſcopo Ratherius peccator.*

Dum Apoſtolus præcipiat ſeniorem obſecrari, prohibeat increpari, compellente quâ vos diligo charitate, celare vobis homicidale computo, quantum vobis Eccleſiæ veſtræ filii detrahant, præcipuè verò de ordinationibus puerorum illicitis; adjicientes quòd etiam pro pretio eas, quod ſimoniacum, & à ſanctis Canonibus anathemate eſt damnatum, perpetuò faciatis. Unde ut filius patrem, ſervus dominum, ſiliçernium ſenex obſecro, ut reminiſcentes quod hodie ſpecialiùs mihi & vobis eſt lectum, hoc eſt: *Scientes quia hora eſt jam nos de ſomno ſurgere;* *Rom.* 13. 11. Apoſtolici illius ad Timotheum recordari non negligatis præcepti: *Manus nemini citò impoſueris.* 1. *Tim.* 5. 22. Petri quoque Simoni dicentis: *Pecunia tua tecum ſit in perditione;* *Act.* 8. 20. multorumque dicentium, *& qui dat & qui accipit, anathema ſit.* Exurgatis à ſomno contemptûs tam publici Canonum tandem aliquando, & à talibus ceſſetis ordinationibus, quæſo. Forſitan ille qui dixit: *Peccaſti, quieſce.* Et, *Convertimini ad me; & ego revertar ad vos:* ſerotinam hanc veſtram non deſpiciet reverſionem, cum ſit pius & miſericors, & nolit *mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat.* Noveritis ſanè nullos ſuos exinde ampliùs vituperare, quàm illos quos taliter ordinaſtis, vel quorum rogatibus hoc idem feciſtis.

Concil. Aurel. 2. *cap.* 3. *Conſtanc.* 3. *cap.* 22.

EPISTOLA II.

Romanæ Eccleſiæ directa.

DOmino ſanctæ Romanæ Sedis, quicumque eſt, Apoſtolico, & univerſo Senatui, ſanctæque & canonicæ legis latoribus univerſis, hinc demum ſancto cœtui omnium ſub Catholica fide degentium, Clerus omnis ſanctæ Veronenſis Eccleſiæ, debitæ ſubjectionis obſequium.

Non ignotam veſtræ novimus Paternitati invaſionem hîc olim Diabolo inſtigante, Patres ſanctiſſimi, factam, in quâ cum contigerit illegalitate, ut aſſeritur, publicâ plurimos noſtrum ad diverſa non provectos quidem ſed conſtitutos officia, petimus flexis, hîc, quod egimus, poplitibus conſilium, quod ſequi debeamus, à veſtrâ ſupplices ſanctitate, cui de talibus judicandi ſingularitas conceſſa noſcitur eſſe. Obſtacula enim quibus in officio impedimur ſtare conceſſo, hæc Dominus Epiſcopus noſter recitat cum numeris eſſe: *Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta* cum Apoſtolo aſſerens pariter fore. *Rom.* 15. 4.

Ex Concilio Antiocheno. Cap. XIII.

Antioch. 1.

Si quis nullo rogante, inordinato more depropereet ſuper aliquibus ordinationibus Eccleſiaſticis negotiis, ad eum non pertinentibus, componendis; irrita quidem quæ ab eo geruntur exiſtant. Ipſe verò incompoſiti motûs ſui, & irrationabilis audaciæ ſubeat ultionem, ex hoc jam damnatus à ſancto Concilio.

Conſtant. 1.

Ex Concilio Conſtantinopolitano. Cap. III.

De Maximo Cynico & ejus inordinatâ Conſtitutione quæ Conſtantinopoli facta eſt, placuit, neque Maximum Epiſcopum eſſe vel fuiſſe, nec eos qui ab ipſo in quolibet gradu Clerici ſunt ordinati; cum omnia quæ ab eodem perpetrata ſunt, in irritum deducta eſſe videantur.

Innocent. I. Epiſt. 22. c. 3.

Ex Epiſtolis Innocentii Papæ. Cap. XIII. & XIV.

Atqui ſcimus, & verum eſt certe: Qui quod non habuit dare non potuit, damnationem utique, quam habuit, per pravam manûs impoſitionem dedit, & qui particeps factus eſt damnato, quomodo debeat honorem accipere invenire non poſſumus. Sed dicitur vera ac juſta legitimi ſacerdotis benedictio auferre omne vitium quod à vitioſo fuerit injectum. Ergo ſi ita eſt, applicentur ad ordinationem ſacrilegi, adulteri, atque omnium criminum rei, quia per benedictionem ordinationis crimina vel vitia putantur auferri. Nullus ſit pœnitentiæ locus, quia id poteſt præſtare ordinatio, quod longa ſatisfactio præſtare conſuevit.

Eadem cap. 4.

Nicolai I. Epiſt. 10.

Ex Epiſtolâ Nicolai Papæ Conſtantinopolitanæ Sedi directâ.

Hæc in editâ epiſt. non habentur.

Amorem Principatus, ut pote quamdam malam radicem exordinandorum in Eccleſiâ ſcandalorum radicitùs excidentes, eum qui temerè & prævaricatoriè ac inregularitatem veluti quidam gravis lupus, in Chriſti Ovile inſilut, Photium ſcilicet, qui mille tumultibus & turbationibus orbem terræ replevit juſto decreto damnantes, promulgamus nunquam fuiſſe priùs aut nunc eſſe Epiſcopum, nec eos qui in aliquo Sacerdotali gradu ab eo conſecrati vel promoti ſunt, manere poſſe in eo ad quod provecti ſunt gradu, inſuper & eos qui ab illo conſuetas orationes ad præpoſituræ promotionem ſuſceperunt, ab hujuſmodi patrocinio coercemus, ſed & Eccleſias quas, ut putatur, tam Photius, quam hi qui ab ipſo conſecrati ſunt dedicaverunt, vel ſi commotas menſas ſtabilierunt, rurſus redicari & inthronizari, atque ſtabiliri decernimus, omnibus maximè quæ in ad Sacerdotalis gradûs acceptionem vel damnationem acta ſunt irritum ductis. *Ex eâdem:* Eos verò quos Photius Neophytus, & Conſtantinopolitanæ ſedis invaſor in quolibet Eccleſiaſtico ordine provexit, quoniam manifeſtum eſt eos in omnibus Conſecratoris ſui pravitatibus conſenſiſſe, atque ei poſt invaſionem communicaſſe, omni Clericali officio privamus; & Apoſtolicâ atque Canonicâ auctoritate, & Synodali Decreto eos ſequeſtramus.

Cap. 3.

Adjutorium verò ſi veſtræ dominationi placeret, hoc tantùm ſe Pontifex noſter dicit, non amplius, inveniſſe.

Actum eſt id Concilium an. 769. cujus acta non extant integra. Eorum quæ hic citantur meminit Anaſtaſ. in Stephano.

Ex Concilio Domini Stephani III. Papæ Actione tertiâ.

Poſt hæc vero ſanctiſſimi Epiſcopi dixerunt. Quoniam hæc omnia Deo annuente, quæ ad ſalutem omnium errantium pertinent tractata noſcuntur atque decreta; nunc reſtat ut de Ordinatione Epiſcoporum, Presbyterorum vel Diaconorum quam prædictus Conſtantinus Apoſtolicæ Sedis invaſor peregit, id quod communi conſenſu tractavimus coram omnibus declaremus. Primum omnium decernimus ut Epiſcopi quos conſecravit, ſiquidem Presbyteri priùs fuerunt aut Diaconi, in eodem priſtino honore revertantur, & poſtmodum facto more ſolito decreto electionis eorum, ad Sedem Apoſtolicam cum plebe atque decreto ad conſecrandum eveniant, & conſecrationem à noſtro Apoſtolico ſuſcipiant, ac ſi priùs fuiſſent minimè ordinati; ſed & quæ alia in ſacris officiis iſdem Conſtantinus peregit, præter tantummodo baptiſmum, omnia iterentur. At vero Presbyteri illi vel Diaconi quos in hac ſanctâ Romanâ Eccleſiâ ordinavit, in priſtino Subdiaconatûs ordine, vel alio quo fungebantur officio revertantur; cum & poſtmodum in veſtræ Sanctiſſimæ Almitatis poteſtate ſit, ſive eos ordinandi, ſive ut vobis placuerit diſponendi. Laici verò illi qui ab eo tonſorati ſunt atque conſecrati, decernentes ſtatuimus, ut aut in Monaſterio retrudantur, aut in propriis domibus reſidentes ſpiritalem atque religioſam vitam degant.

Adjiciens ſuprà ſcriptus noſtræ Eccleſiæ Præſul quoque fatetur, quia, dicente Domino: *Non eſt diſcipulus ſuprà magiſtrum:* quidquid vos hinc decreveritis pro rato ſe habiturum. Optaret verò ut veſtrum quod in hoc ſequendum cenſet arbitrium, ab auctoritate non diſcreparet penitùs Canonum. Intereſſe tamen veſtrâ dimittit arbitrium in hoc proprium, an ſequi vobis Anteceſſorum libeat judicium, ſanctiſſimi Patres, veſtrorum. Quòd ſi nobis in tanto animarum ſuccurrere dignamini periculo, quem inde remuneratorem ſperare debeatis doceri nullatenùs indigetis. Cum vero plurimi ſimus, non defuturum promittimus qui ad veſtram redeat ſanctitatem, dans in vobis gloriam Deo; veſtræque Paternitati condignam, Quirites, quos hinc ſpecialiùs precamur, venerandi, mercedem. Dat. Kal. Aug.

EPISTOLA III.

RATHERII *Epiſcopi ad* JOANNEM *Summum Pontificem.*

SUmmo primæ, hoc eſt, Romanæ Sedis Pontifici, Domino Patriarchæ Reverendiſſimo JOANNI RATHERIUS peccator & exul. Joanni XIII.

Parvitatis meæ qualitatulam, omnigeno calamitatum genere per annos jam viginti fatigatam, & à pueritiæ oris in oras ſenectutis per innumeros ærumnarum ſcopulos, infeliciſſimè devolutam, veſtræ Paternitatis provolvens veſtigiis, Domine Reverendiſſime, Archipræſulum Archiepiſcope, &, ſi de ullo mortalium jure dici poſſit, univerſalis Papa nominande, precor in Omnipotentis amore, ut querelam miſeriarum mearum patienter ac benignè ſuſcipiatis, ejuſque vice mihi, vel ſerò ſuccurratis, cujus ideo ſedem obtinetis, ut portas inferi prævalere adversùs Eccleſiam non ſinatis, in quantum ſcilicet reniti, cum Dei ipſiuſque adjutorio, valeatis. Quòd ſi de perſonâ conquerentis, vociferantis, & præ anguſtia clamantis requiritis, ego, ego ſum, Domine, miſerrimus ille, qui Veronenſibus datus Epiſcopus, ipſo, ut ita neque abſurdè loquar, die deſtinatus ſum quam hîc deploro, perditioni. In cujus perſequutione ita omnis penè quaſi conjuravit mundus, ut miſerrimo, omniumque, etiam conſanguineorum auxilio deſtitutiſſimo mihi viſum ſæpiſſimè ſit, quòd nullus fuerit tam juſtus, qui in me non extiterit iniquiſſimus; tam munificus, qui non tenaciſſimus; tam pius, qui mihi non alter viſus ſit Tarquinius; tam verax, qui in promiſſo vel ullum veritatis verbum mihi dicere ſit dignatus, è ſummo ſcilicet nobilitatis uſque ad infimum ſervitutis.

Quòd ſi aliquis excipi valet, excipiantur Germani, ac ſolummodo & difficillimè, abundante videlicet iniquitate, & refrigeſcente charitate, Epiſcopi, qui, ut reor, ſi quid commodi mihi contulerunt, metu illius in Decretalibus Alexandri Papæ egerunt; qui ait: » Quicumque ex veſtro collegio fuerit, & » ab auxilio eorum Epiſcoporum, utique & deſtitu- » Epiſt. 5.

» torum ſe ſubtraxerit, non Sacerdos, ſed ſchiſma-
» ticus judicabitur.

a Narrat quomodo ad ſedem Veronenſem fuerit evectus.

Ego ſum, Domine, ego, quem Græcia Orienti, Hiſpania valet nuntiare Occidenti, ſe vidiſſe [a] aut pallere triſtitiâ, aut rubere præ verecundiâ; quem jam ubique videri, atque ab omnibus gyrovagum pudet vocari. Mittitur quis, quo modo quod cunctis erat canticum, veſtro apoſtolatui quiverat eſſe celatum. Hoc ad meæ quoque, peccatis merentibus, damnationis cumulum, quòd nec apud veſtram ſacratiſſimam ſedem, neque apud aliquem Principum vel Potentum, intercesſorem invenire nunquam valui ullum. Ut autem quondam Paulus Cæſarem, ita ego appellabam Romanam Sedem. Verùm, ut ſtrictim tacta dilucidem, & quo valeo ſuccinctiùs; Notgero fauſtæ recordationis Epiſcopo, meliora, ut remur, petente, datum epiſcopium eſt meo Domino HILDUINO, jure ſtipendiario, promiſſo Regis, qui me tunc oppidò, ut credebatur, diligebat, manente quòd ubi illum aliàs promovendi locus emergeret, ego petentibus darer Epiſcopus. Inthronizato Mediolani eo, ut ſe inſtabilitas mundanæ ſæpe continet volubilitatis, longè aliter atque promiſerat Regi placuit, cupienti potiùs, ut fama erat, unum è tribus, aut quemdam Aquitanum, aut quemdam GARAFRIDUM, aut MANASSEM Arelatenſem Archiepiſcopum, citrà jus licet Canonum. Inter agendum revertor à Romana Sede, peractâ legatione, ferens privilegium pro jam dicto Domino meo actum, cum Archiepiſcopali pallio. Allatæ cum his ſunt & litteræ Domini Papæ, tunc temporis JOANNIS glorioſæ memoriæ, quibus continebantur preces ejuſdem, totiuſque Romanæ Eccleſiæ, uti ego Veronenſibus darer Epiſcopus. Diſplicuit hoc non parum Regi contraria molienti; ſed obtinuit deprecatio Apoſtolica, inſtante rogando meo jam dicto, cum primoribus regni, Domino. Ego ſemivivus penè jacebam infirmus: perſuaſum eſt Regi, puto, à me diligentibus, quòd non evaderem. Hac ſpe pellectus conſenſit, ſatiſfacere geſtiens tam Domino Papæ, quam cæteris, quos inconveniens videbatur offendere rogantes. Evaſi, ordinatus ſum ego: iratiſſimus redditur ille, juravit per Deum (nec eſt mentitus) quòd diebus vitæ ſuæ de ipſa ordinatione non eſſem gaviſurus. Miſit ergo in pitaciolo certam quantitatem ſtipendii, quod tenerem de rebus Eccleſiæ; de cæteris exigens jusjurandum, ut diebus illius filiique ſui ampliùs non requirerem. Ego intelligens quanta abſurditas hoc conſequeretur, non conſenſi. Quid magis? Adhibuit undique perſequutores & adverſarios, qui aut deterrerent me, ut effugerem, aut irritarent, ut in illum excederem, & ut expellendi me inveniret occaſionem. Nactus eſt, cepit me, retruſit in cuſtodiam in quâdam Papiæ turriculâ; non dico ſine mei culpâ, ſed citrà legem, ita hæc egit, & ſine audientiâ. Dicat hic quiſque quod volet: temerariis enim judiciis, juxtà Auguſtinum, plena ſunt omnia. Confiteor verò ex quo eum primitùs vidi, uſque dum hominem exuit, ſemper me Theodoſii felicitatem Imperatoris illi optaſſe, & adhuc ejus recordatione me graviter affici dolore. Duobus annis & dimidio, niſi fallit recordatio, priorem pertuli perſequutionem, & totidem carcerale ſupplicium; hinc emiſſus ſubii totidem quoque exilium. Sed cum per Dei miſericordiam ego quidem eo invito fuiſſem liberatus, ille verò per Dei juſtitiam regnandi honore privatus, ſedit animo illum adire, ejuſque calamitatem omnibus diebus obſequio ſolari: nam nec defuerat qui intimaret, ſerò licet, ut timeo, quod Deus ab illo avertat poſtulo, quòd pœnitens ſæpe optaſſet, ut

Hilduinus ex Abbate Lobienſi Mediolani Epiſcopus.

Deſcribit perſequutiones cùm à Rege, tùm ab aliis ſibi illatas.

daret Deus quo ad eum venirem, & ſi valeret, reſtitutionem mihi impetraret: ſin aliàs, daret pecuniæ tantum, ut ampliùs non egerem.

Veniebam, comprehendit me BERENGARIUS, inſtinctu Manaſſæ ſanctiſſimi Archiepiſcopi, & qui jure locum obtineat Ambroſii. Tribus & ſemis menſibus ſub cuſtodiâ retentus: indeque emiſſus, Veronamque perductus, & à MILONE dolo receptus, ut ſcilicet Manaſſem expelleret, ne pœnitentiâ ductus juvaret, quem plurimùm, ut ferunt, nocuerat avunculum Regem. Quod martyrium verſutiis ejuſdem Milonis, per biennium pertulerim, ſatagam ſi referre, hiſtoriam putetis. Summam tantummodo ut breviſſimè comprehendam, omnes Clericos, milites, colonos, & famulos, ipſo contrà me patrocinante, non Synodum agere, non Capitulo Clericorum intereſſe, non aliquid quod emendandum eſſet, audebam ſolummodo commemorare, ſtatuere quidlibet, vel deſtituere: nuſquam aliquid quod ſcire vellet, loqui poteram, quod non continuò ſciret: ſacramento enim ab omnibus id, credo, extorſerat. Et cum omnes ſui coram illo mihi detraherent, ille ſolus contrà omnes quaſi pro me faciebat, ut ſcilicet provocati ampliora derogando referrent, ita ut alterum credere poſſetis Antipatrum Herodis impii filium: nam boni aliquid malive agere, poteſtatis vel licentiæ erat meæ. Idipſum etiam quod ipſo imperante aiebam, neque enim contraire ejus præceptis audebam, vertebat in culpam, Clericorum occultè ſtruens contrà me calumniam, mihi verò de eis promittens doloſè ſatis vindictam. Hoc adeo proceſſit, ut quâdam die dum Ordines Eccleſiaſticos agerem, Archidiaconus cum omni Clero exiens, me ſolum in Eccleſiâ relinqueret, & alteram ſibi contrà me vendicaret. Et, ô tempora! ô mores! ô legis canonicæ publica conjuratio! ô (ut ita dicam) abominatio deſolationis. O verbum factum in Iſraël, quod quicumque audierit tinniant meritò ambæ aures ejus!

Arelatenſis Archiepiſcopus, tendens inſidias Veronenſi Epiſcopo, conſecravit Epiſcopum quemdam ſuæ Diœceſis, in titulo Eccleſiæ Veronenſis. Quis non miretur? quis non obſtupeſcat? Ubi enim fas? ubi lex? ubi ſæcularis unicuique provinciæ certos diſtribuens inconvertibiliter limites? ubi conſideratio cuncta cernentis? ubi, *Non transgredieris terminos, quos conſtituerunt tibi patres tui?* Non intelligunt ad hoc pertinere, qui neſciunt quàm longè Verona ab Arelatenſi abſit patriâ. Ubi erat quod lex ait: » Si quis Metropolitanus, niſi quòd ad ſuam quodammodo pertinet Parochiam, agere tentave- »
rit, gradus ſui periculo ſubjacebit? « Et ubi: » Ar- »
chidiaconus ſuum præfixum canonibus non exce- »
dens, teneat cum humilitate locum? « Sed hæc ad illos qui unius ſedis ſunt Archiepiſcopi. Cui verò quinque licet Epiſcopis præeſſe, nuliique prodeſſe, quid poterit non licere? Horum verò omnium cum incentor Milo eſſet & auctor, mei tamen & videri & dici ambiebat advocatus & tutor. Itaque calidiſſimè me affligebat, ut rariſſimus eſſet in regno, qui non æſtimaret amiciſſimum eum eſſe mihi omninò. Ego verò miſer eram diebus noctibuſque ita confectus & anxius, ut tæderet me vitæ meæ, & mallem in Walberti, ut quondam, turricula, quàm ſedere in Veronenſi cathedrâ; eſurire ſub Hugone, quàm epulari cum Milone.

Biennio & hoc tolerato, graviſſimo omnium quas antea, & poſt, pertuli miſeriarum, carcere, dum ad veſpertinalem perſolvendam pergerem ſynaxim, affuit miſſus Domini Regis Lotharii præcipientis, ut

a *ſe vidiſſe*] In priori editione *ſed vidiſſe*.

urbe decedens darem locum Manaſſæ ſedem meam invadendi, adjiciens amicale ſatis conſilium, melius ſcilicet eſſe, ut ſecederem, quàm Milonis dolo aut exmembrarer, aut interficerer, aut, quod levius his multo, ſed graviſſimum mihi eſſet futurum, comprehenſus, quo minimè vellem abducerer. Calamitoſum hîc accuſare, cum poſſum, devito aliquem, nec adjiciam ſuper vulnerum ejus aliquod, quod Propheta conquerendo prohibet, dolorem. Quid plura? Feci juſſus quod antea libentiſſimè feciſſem injuſſus, niſi interdixiſſet, quod ait in Evangelio de mercenario Dominus; ſed non potui agere impunè. Lupi illi gregem non quærebant invadere, ſed Paſtorem, perſequutuſque in unà civitate, fugere venialiter potui in aliam. Interjecto dehinc tempore, cum glorioſiſſimus atque piiſſimus, cunctoque celebratiſſimus orbe Rex noſter Italiam introiiſſet, affui cum ejus clariſſimo filio, tentans ſi daretur optio ut meo reſtituerer loco. Sed impedivit, quòd alterum illic inſtitutum Rex invenit, Milonis ſcilicet Nepotulum, ne difficile ſit conjectare cujuſce rei causâ tanta mihi intulerit mala. Cui quidem Manaſſes ſedem vendiderat, ſed fautores hujuſmodi ordinationis licentiam ſe accepiſſe gloriantur ab apoſtolatu veſtræ dominationis.

Cedere igitur tam Apoſtolicæ veſtræ auctoritati, quàm illius Regali Majeſtati, quam reprehendere ſi quid decreviſſetis, tutius fore credens, ſtatueram carceribus & exiliis per Dei miſericordiam exemptus, & latitudinem liberi arbitrii eductus, [b] ſolitudinem Monaſterii petere, & ibi exſpectare Deum, qui ſalvum me faceret à puſillanimitate ſpiritûs & tempeſtate perſequentium, cauſaſque expulſionis meæ à memetipſo pœnitendo exigere, neque ipſe, ut non judicarer, judicare, quod ſtatuiſſetis à Deo decretum, credere: Summus enim Pontifex à nemine debet reprehendi, & cor Regis in manu Dei.

Quæ duo utrumque commonefaciunt, credo, illum, ne reprehendenda agat; iſtum, ne cor ſuum à manu Dei, id eſt, à gubernaculo, ſi Rex jure malit eſſe, quàm vocari, in diſponendis regni neceſſariis auferat. Veſtram credo paternitatem, neque voluiſſe, neque auſam fuiſſe contrà legem canonicam alicui quidlibet agendi dare licentiam: illum non aliâ neceſſitate regnum ambiiſſe Italicum, niſi ut diſtortum per multimoda injuſtitiarum hujuſmodi ſcilicet, & aliarum irrectitudinum volumina, ad rectitudinem Chriſtianæ legis, poteſtate imperiali, cogeret regnum.

Decreveram igitur, ut dicere cœpi, monaſterium ita expeditus petere; ſed rursùm cogitans in quali ordine illic quoque deberem eſſe, Epiſcopi ſcilicet an Preſbyteri, an alterius, an nullius ordinis (dicturus eſt enim forſitan aliquis eorum, qui ſibi arrogantes ſolent in corde, velut etiam hic publicanus, dicere, quod nec cum [c] bonis laïcis in Eccleſiæ publicâ admittendus ſim ſtatione: è diverſo forſitan alius, tanto dignior, inquit, quanto flagello attritior:) fluctuans inter hæc animus, cui potiùs aſſenſum præbeat, ignorat. Veridicoque poſt, & hoc inſperato percipiens relatu, mihi ab æmulis quædam objici, pro quibus non vi, ſed jure, miniſterio Sacerdotali me aſſerant privari: verens ne hæc mei ceſſio vel patientia, alicujus alterius, præſentis ſcilicet aut futuri, fiat depoſitio à dignitate propriâ: proclivis enim ſemper eſt in deteriora veteris Adæ poſteritas, nulloque exiſtente qui opponat ſe murum pro domo Iſraël, ſtans in prælium in die Domini; verendum ne ſerpens per licentiam vulnus in futurum multo fiat deterius, more ignis, qui modicas delambens palcas, dum per incuriam non extinguitur, comburit ſæpe civitates maximas. Præcavens etiam, ne juxtà illius in Decretalibus dictum, qui ait: « Manifeſtum eſt confiteri illum de crimine, qui canonicè vocatus, judicium ſubterfugit: » æſtimer non vocatus quidem, ſed provocatus judicium me velle deliteſcendo effugere, ad pedes Apoſtolatûs veſtri me proſterno, & quis è nobis duobus, cum una Eccleſiæ Sedes duos non admittat ſedentes, Epiſcopus ſit, audire cupio. Si ego, Veronenſis ergo: ſi ille, repulſio mea non furtiva eſſe debet, ſed publica, ne ob falſum contrariæ ſuſpicionis rumorem, contrà nos clamet Eccleſiæ terra, & ſulci (juxtà Gregorium) ejus cum eâ. Adimi quoque Epiſcopo Epiſcopatum antequàm cauſæ ejus exitus appareat, utrum ulli Chriſtiano videri jure poſſit à veſtrâ Paternitate volo diſcere; nam miſer ego & imperitiſſimus multa mei cauſâ perquirens & relegens, nuſquàm hoc potui invenire. Quòd ſi talis eſt culpa, convenientius videtur, ut degradatus priùs careat officio, poſt Epiſcopio, ne non juſte, ſed inimicè videatur actum.

Ne igitur criminoſus videar criminatus, aut fugax provocatus, audientiam rogo, audientiam flagito, invaſoremque Eccleſiæ meæ, cum ipſo Paſtorum omnium Paſtore audacter furem vocitans & latronem, quia aliunde aſcendit, non per oſtium introivit, (etenim vivente viro non dimittitur mulier legitimè) coram Apoſtolatu veſtræ Sedis ad certamen canonicum provoco, eo etiam, ſi veſtræ dominationi placet, tenore, ut ſive pro me, ſive pro illo lex obtinuerit, Epiſcopium, cui vobis viſum fuerit tribuatis, tantùm in Domino: præeſſe enim ulteriùs non concupiſco, ſi prodeſſe, ut antea, nulli valeo.

Offenderit ſanè, timeo, veſtræ Paternitatis ſinceriſſimum auditum, paulo quàm decuit ſeverior, & quaſi invectiva in adverſarios oratio; ſed peto veniam dari afflictiſſimæ puſillanimitati. Nam ſi compatientis & non dedignantis ergà meam utamini miſeriam affectu, advertere prudentiſſimæ veſtræ pietatis poterit dignatio, me iſtîc nullum aliud illorum tetigiſſe vitium, niſi quod ad meum illis famulatum eſt detrimentum. Teſtor verò & promptiſſimè Deum, maluiſſe me in uno Probi, in altero mores Ambroſii, quàm aliquid invenire quod caperem ſiniſtri, eorum maximè quæ pertuli. Verùm ut in breviloquio comprehendam quod opto, aut Veronenſium eſſe convincar, aut nequaquam Epiſcopos; univerſalem namque me Præſulem eſſe non conſequitur ullatenùs, & tædet me in hoc vel errare, vel errandi aliis cauſas præbere diutiùs. Non Pontificem quoque pontificalia præſumere, quanti ſit periculi tanto minùs valeo ignorare, quanto frequentiùs Miſſas aliquem laïcorum celebrare nullatenùs præſumere perſpicio quotidie.

Unum verò è nobis duobus Epiſcopum *non* eſſe, cum etiam infantum, ſi qua eis ineſt, ſatis evidenter valeat comprehendere ratio; quis autem noſtrûm ſit veſtræ paſtoralitatis decernere debeat proviſio, abſq; maximo veſtri, ſi dicere audeam, periculo, quandoquidem controverſia inde orta eſt, indiſcuſſum relinquere non valetis omninò.

EPISTOLA IV.

RATHERII *Epiſcopi.*

DOminis Patribus, & Reverendiſſimis Compræſulibus per univerſam Italiam, Galliam,

b *eductus*] Lego *adeptus*.

c *quòd nec cum*] Priùs *quo nec cum*.

atque Germaniam in Domino conſtitutis, RATHERIUS peccator & exul.

Auxilium petit ab Epiſcopis.

Decreveram quidem, Patres Sanctiſſimi, Sede propriâ, hoc eſt, Veronenſi pulſus, livori perſequentium cedere, quod nonnullos probatiſſimorum legimus feciſſe, ſolitudinemque monaſterii petere, & ibi exſpectare Dominum, qui me ſalvum faceret à puſillanimitate ſpiritûs & tempeſtate contrà jus faſque impiè garrientium. Sed veridico percipiens relatu, quædam mihi ab inſidiatoribus objici, pro quibus non vi, ſed jure me aſſerant Epiſcopio privari, dicenteque Apoſtolo: *Omnia licent, ſed non omnia expediunt*: verens ne hæc mei licentia, in alicujus alterius, præſentis ſcilicet aut futuri redundet damnum, vel calumniam, aut juxtà quod Julius Papa Athanaſii dicit accuſatoribus: » Quia ſi in » verâ, inquiens, fideretis innocentiâ, nullomo» do vos ſubtraheretis à vocatione canonicâ. « Æſtimet tantopere quærere [otium] quòd judicio audeam nullatenùs adeſſe, licet me canonicè evocet, veſtrum ſacratiſſimum cœtum conſtantiſſimè appello. Conſilium atque auxilium pro veritatis, quæ Chriſtus eſt, amore, deprecor. Non aliud nunc tamen, quàm Synodicam conventionem, & promulgatam à ſanctis patribus legem.

Adimi namque Epiſcopo Epiſcopatum antequàm cauſæ ejus appareat exitus, utrum illi Chriſtiano videri jure poſſit, veſtræ paternitati dimitto judicare. Conſpirationum quoque crimina, plebiſque contrà Epiſcopum diſſenſionem, utrum cum ſancto Calixto Papa, anteceſſorumque ejus turbâ quamplurimâ Epiſcoporum, ut verbis ipſius utar, ſpirituali gladio placeat ferire, an in præjudicium totius ordinis noſtri patienter ſinatis creſcere & multiplicari, veſtri erit arbitrii, non mei ſilentii. Itaque ne aut criminoſus videar criminatus aut fugax provocatus, Concilium appello, invaſoremque Eccleſiæ meæ, cum ipſo Paſtorum Paſtore furem vocitans & latronem, quia ſcilicet aliunde aſcendit, non per oſtium introivit, ad certamen canonicum provoco, & ſi diſſimulaverit, anathemate perpetuo cum ſacratiſſimis legibus juſtè, ut omnibus ſanum ſapientibus liquet, niſi pœnitendo reſipuerit, Amen, reſpondeo. Nec incommemoratum veſtræ Paternitatis pro me faciens illud B. Alexandri Papæ capitulum omitto, » Quicumque, ait, ex veſtro collegio fuerit, & ab au» xilio eorum Epiſcoporum « utique & injuſtè deſti» tuturum » ſe ſubtraxerit, non Sacerdos, ſed ſchi» ſmaticus judicabitur. « Et illud Prophetæ pariter non omitto improperantis: *Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, ut ſtaretis in prælio in die Domini.* Et, *Canes non valentes latrare.* Illud quoque Domini: *Qui me erubuerit, & meos ſermones, & hunc filius hominis erubeſcet, cum venerit in gloriâ ſuâ, & Patris, & ſanctorum Angelorum.* Quod ſagaciſſimè, ut opto, flagito, & deſidero, veſtræ Paternitatis generalitate cavente, Deus pacis conterat ſatanam ſub pedibus veſtris velociter. Gratia Domini noſtri JESU Chriſti ſit ſemper vobiſcum.

EPISTOLA V.

RATHERII *Epiſcopi.*

DOmino ſervulus decentiſſimo indigniſſimus RATHERIUS, ſervitium fideliſſimo fidelius, cum continuis orationibus.

Nihil dignius, inſignius claritudine, ingenio acutius, ſani dico intellectûs, in noſtri ordinis valens invenire hominibus. Opuſculum hoc, ex minimoque veſtri dirigo dominatûs, ſtudens & illud correctius recipere, & notitiam noſtri, per hoc, veſtræ generoſitati ingerere. Præfixum ergo quodammodo meæ qualitatis in eo cernentes teuorem, quid, barbarus vobis licet, in veſtro ſervitio nequeam valeamve agere, optimè poteſtis perpendere. Si itaque placet opus, placeat & operis exequutor ſervitus. Nec dedignemini ſuggerere, tantillum cognoſcere, forſitan enim inter millia præſtantiorum, & iſte ſuum obtinebit locum. Poteſtis autem, ſi libet, eumdem & ad ſervitium adipiſci, abeſſe enim vobis tenaciam remotiſſimè, vobis audivi, cum & adſint decentiæ mores illi, quos in ſæculi hujus divitibus divinitas meritò ſemper [illegible] agitur difficultate, ultimi poteſtate, ſcientes me hoc inhianter ambire.

Præſaga enim mens quaſi divinare videtur, meam per veſtram claritudinem relevandam deſtitutionem; tantum condignam congruamque veſtro dominatui impendere valeam ſervitutem................. veſtri per omnia clientulus, commendat ſeque per cuncta fidiſſimus. Cujus & optatu, noſtroque precamur contingat rogatu, ut qui............ veſtræ decentiæ indolem regali conceſſit proſapiâ pollere, eo uſque dignetur & provehere, ut in hodierni temporis [illegible] non minùs ſint vobis omnia penitùs intrà, in futuro nil inter eos inveniri valeat ſuprà.

Carmina iſtic ſubnexui, ut quidam aſſolent, nulla; non ſum enim, mihi credite, Poeta quamquam nec lateat me poëtriæ penitùs [illegible]. Diffuſiorem namque ſum ſemper amplexus ſermonem, obſcuritatis odio diffugiens contractiorem.

EPISTOLA VI.

De Corpore [a] *& Sanguine Domini.*

PAtrico Ratherius, miſero miſerrimus V. S. Interrogaſti quemdam nuper, quando ſcilicet Dominus noſter Conradus ordines exercuit Eccleſiaſticos loco qui dicitur Hornon, tu aptè, ſed more, hoc eſt explorativè, non charitative, utrum [illegible] cantaſſem ipſius hebdomadæ tempore. Reſpondeo ipſe utinam, neque ego, neque tu in Dominicâ [illegible]tivitate; ego enim ruor, & hoc proh dolor, indigniſſimè; tu quotidie & in candidâ veſte, quam ut reor, Deus nulli in corpore pluris pendit [illegible] mente quàm tibi, ut mihi nigriorem fuligine non mihi timeo, mihi crede. Septimo enim [illegible] quod ſuis deteſtatur anima te ſervire cognoſco; & [illegible] ſolus inſtantiſſimè. Unde quis ex nobis duobus, [illegible]ratiſſimè, altero quotidie Euchariſtiam indignè ſumentibus, periculoſiùs eamdem accipiat, A[illegible] dimittamus judicare; Johannis verò [illegible] ſuper ejuſdem ad Hebræos Epiſtolam ſi ſtudioſè legerimus uterque ſermones, & me ab omni noxa & te, credo, à quotidianâ compeſcerent Miſſarum celebratione. Scandalizatum te quoque mihi [illegible] in vigiliâ Circumciſionis Domini dum audio, mirari ſatis mundiſſimam corporis tui munditiam non valeo, inexpertem ſcilicet legi peccati ſubacta carne, quid nolente etiam patiatur animo, niſi fortè [illegible] tum ſancta tractare abſque duplici lavacri purgamine tuâ licet auctoritate. Sed *Ab mundamini, ait, qui ferris vaſa Domini.* Et, *ſanctificamini*, ſæpe dicitur, dum quidlibet ſanctum in veteri atque umbratico etiam Teſtamento agendum decernitur: & ad ba-

Iſai. 52. 11.

a *De corpore*] Hæc Epiſtola ab Acherio edita erat tom. II. Spicilegii: nos eam ſuo loco reſtituimus. Deſcripta eſt è codice MS. Monaſterii Lobienſis.

vis de panibus propoſitionis propter neceſſitatem ſumendis : *Si mundi ſunt*, inquit, *pueri*.

Sed forte tranſitoriè accipis, aut etiam figuratè te dicere ipſe putas, dum accipienti loqueris : *Corpus Domini noſtri* JESU-CHRISTI *propitietur tibi in vitam æternam*. Quod ſi ita eſt, cæcitas tui intellectûs magis eſt dolenda & inſtruenda, quàm miranda & irridenda, quà ſcilicet præſumptionis foveam declinare neſciens, frequentare quod ignoras cujus virtutis ſit, minimè ceſſas : ſed crede, Frater, quia ſicut in Canâ Galilææ vinum Dei imperio verum & non figurativum fuit ex aquâ factum ; ita iſtud Dei benedictione vinum, verus, & non figurativus efficitur ſanguis, & caro panis. Quòd ſi ſapor idem manet, & color ita ſe haberi diſſuadent tibi aliud, credis auctoritati Scripturæ quæ dicit hominem de limo terræ formatum ? Non dubito credere te reſponſurum. Noſti præterea dictum ? (Geneſ. 3. 19.) *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. Novi, reor ais, & credo ita eſſe. Ergo pulvis eſt homo quem coram vides, & cinis. Eſt utique, inquis, quia de limo eſt factus. Quæ igitur hæc figura limi ? Nulla : terram potius vocitem. Terræ aliqua ? Non aliqua, & tamen terra eſt. Quid de limi figurâ ? transfigurata eſt operantis ſapientiâ, manet tamen ſubſtantia ? Manet. Ita ergo & hìc manente colore, atque ſapore, eâdem ſapientiâ operante, veram carnem & ſanguinem quod percipis eſſe crede ; ſicut e contrà mutatâ hominis ſpecie hominis creatione, limi tamen ſubſtantiam manere non diffiteris. Sed cujus corporis ſit iſta, rogas, importunè forſan ut ſeſe vanitas habet humanæ curioſitatis, & unde, & à quo ſueciſa, & ſi deleta ipſa, & panis forſitan inviſibiliter ſublatus, aut ipſe panis in carnem mutatus. Iſti etenim ſunt, ut reor, lapides quibus beſtia, id eſt carnale cor, & animalis homo, qui non percipit ea quæ ſunt Spiritûs Dei, lapidatur ſi montem myſteriorum Dei tangere præſumſerit. Evangelium itaque interrogemus : (Matt 26. 26.) *Accipiens*, inquit, *panem* JESUS, (1. Cor. 11. 24.) *gratias egit, & dedit eis dicens : Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. Similiter & calicem poſtquam cœnavit, dicens : hic eſt calix Sanguinis mei & novi & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Habes cujus ſit corporis caro iſta & ſanguis, tanto certius, quanto veritatis ejuſdem, quæ loquitur, voce inſtructus. De cæteris, quæſo, ne ſollicitetis, quandoquidem myſterium eſſe audis, & hoc fidei : nam ſi myſterium eſt, non valet comprehendi : ſi fidei, debet credi, non diſcuti.

SYNODICA AD PRESBYTEROS, & Ordines cæteros forinſecùs, id eſt, per univerſam Diæceſim conſtitutos.

QUIA mirari vos ſcio, imò murmurare, quod eſt pejus, non neſcio, quod tertiò jam vos vocavi, & quaſi vobiſcum egi ; ne fruſtrà hoc me feciſſe putetis, fateor quia explorandi vos cauſa hoc feci, & quales vos me inventurum æſtimavi, tales, proh nefas ! inveni. Congruere mihi infeliciſſimo (Eccli. 16. 1.) illud ſtatim de ſapientiâ viſum eſt libro : *Ne jucunderis in filiis ſtultis ſi multiplicentur : ne oblecteris in eis, ſi non eſt timor Dei cum illis*.

Moneo igitur paternaliter, & præcipio paſtoraliter, ut dicentis Apoſtoli reminiſcentes, (Hebr. 11. 6.) quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo* ; hoc eſt, ſine credulitate, quæ nobis per Apoſtolos, eorumque eſt ſucceſſores tradita. Et quia *Juſtus ex fide*, id eſt, credulitate ſuâ *vivit*. (Rom. 1. 17.) Et, *Quidquid ſine fide*, hoc eſt, credulitate Dei *eſt*, *peccatum eſt*. (Ibid.) *Fides* autem, id eſt, credulitas Dei, *ſi non habeat opera bona, mortua eſt in ſemetipſa*. (Jac. 2. 17.) Ipſam fidem, id eſt, credulitatem Dei trifariè parare memoriter feſtinetis, hoc eſt, ſecundum ſymbolum, id eſt, collationem Apoſtolorum, ſicut in Pſalteriis correctis invenitur ; & illam quæ ad Miſſam canitur ; & illam ſancti Athanaſii quæ ita incipit : « Quicumque vult ſalvus eſſe. » Quicumque vult ergo Sacerdos in noſtrâ parochiâ eſſe, aut fieri, aut permanere, illa, Fratres, memoriter nobis recitet, cum proximò à nobis huc vocatus fuerit.

Moneo & jam vos de die dominico, ut cogitetis, aut ſi cogitare neſcitis, interrogetis quare ita vocetur : uſu enim quotidiano illas res dominicas dicimus, quæ propriè ad dominos pertinent illarum. Eo itaque ſenſu Dominica dicitur dies, quòd propriè ad Dominum, id eſt, JESUM Chriſtum pertineat. (Quare Dominica dies ſic vocatur.) Cum verò omnes dies ipſius ſint, ſicut & omnia quæ ſunt in cœlo, & in terra, & in mari, & in omnibus abyſſis ; inquirendum quare iſta ſolùm dicatur illius eſſe. Nimirum quia ipſe in eo reſurrexit ; ſed in quibus Kalendis ? Non cures, de die ſolummodo cogita. Quintâ feriâ poſt veſperum eſt traditus, ſextâ crucifixus, ſeptimâ quievit in ſepulcro, octavâ reſurrexit à mortuis, & inter duorum dierum partem, ſive trium integritatem noctium, vel triduo, ut promiſerat, facto à corde, id eſt, interioribus terræ ad Apoſtolos redit. Hinc ipſa octava, ſive prima feria dies vocatur Dominica : & in quocumque Kalendarum die evenerit, ſemper eſt paſcha, id eſt tranſitus Domini de morte ad vitam, & uno modo quidquid manduces, vel bibas eſt obſervanda. Unde autem obſervanda ? Ab opere ſervili. Quod autem eſt opus ſervile ? Peccatum : qui enim peccat, diabolo ſervit. Si ergo omni die dominico eſt Paſcha, quærendum quid nobis faciendum ineà, Apoſtolus dicat : *Paſcha*, inquit, *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus* ; (1. Cor. 5. 7.) quare Paſcha eſt Chriſtus ? Quia pro nobis immolatus. Cur immolatus ? ut pro nobis moreretur. Sicut utique antea ille immolabatur, cujus ſanguine liberandus ab Ægypto populus purgabatur. Ita ergo & iſte propterea eſt immolatus, ut moreretur, propterea occiſus, ut nos per ſanguinem ipſius à vaſtatore mundi Angelo, id eſt, diabolo, liberati, de Ægypto, id eſt, inferno erueremur ; & per mare rubrum, hoc eſt, Baptiſmum, ſanguine Domini rubeum, per deſertum præſentis vitæ educti, ad terram repromiſſionis, id eſt, vitam æternam pervenire poſſemus. Habes Paſcha, id eſt, tranſitum bonum ; habes agnum pro te occiſum ; tranſiſti mare rubrum ; graderis per deſertum. Vide quo graderis ? ſtude pervenias quo venire tibi expedit. Labora cum Dei adjutorio ne aut in Ægyptum redeas, aut in deſerto pereas, ſed ad Patriam cœleſtem pervenias. In Ægyptum verò te redire cognoſce, ſi peccatum quod deſeruiſti præſumis repetere. Peris verò in deſerto, ſi non perſeveras in labore & opere bono.

Sed redeamus ad Apoſtolum : *Paſcha*, inquit, (Ibid. v. 8.) *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*. Poſtea : *Itaque epulemur* : (Dies Dominica qui obſervanda.) Putas quòd dicat, crapulæ & ebrietati vacemus ? Nequaquam ; ſequitur enim : *Non in fermento veteri*, id eſt inflatione ventris, vel timore anterioris peccati, aut affectu ad tranſacta ſcelera redeundi, vel alia perpetrandi. *Neque in fermento malitiæ & nequitiæ ; ſed in azymis ſinceritatis & veritatis*. Id eſt, ut in opere juſti, in cogitatione ſimplices, in ſermone ſimus veraces. Quando ? Omni tempore. Præcipuè verò in Paſchali ſolemnitate,

tate, hoc eſt, omni Dominicâ anni integri die; ſi enim Dominica eſt Domini, utique non noſtra dies eſt: ſi Domini eſt, reverentiâ Domini eſt honoranda. Sed cujus Domini? Reverà, qui nos cum non eſſemus fecit; qui nos cum perditi fuiſſemus refecit; qui nos gubernat, alit, nutrit, defendit, qui vitam noſtram quouſque illi placuerit hîc continet, cum voluerit, eam hinc mutabit, & aut meliorem, pro meritis, aut reddet pejorem: poſtremò qui nos judicabit, & aut in inferno ſine fine damnabit, aut in cœlo æternaliter coronabit. Talis igitur ac tantæ poteſtatis Domini cum hæc ſit proprie dies, honoretur ut eam pro decentiâ tanti Domini decet. Honorari verò nullo modo niſi ordinabiliter valet. Niſi enim Paraſceve ſabbatum antecedat, ſabbatum diem Dominicam, dies non eſt ullatenùs Dominica.

Paraſceve moraliter explicatur. Quid eſt autem Paraſceve? Apoſtolus dicat: *Probet autem*, ait, *ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* Quo pane? Qui ait: *Ego ſum panis vivus qui de cœlo deſcendi.* De quo calice? *Calix tuus inebrians quàm præclarus eſt!* id eſt, Chriſtus ſuo nos ſanguine ſatians, quàm pulcher, id eſt, ſpecioſus formâ præ filiis hominum! Qui ergo panis, ipſe eſt agnus; qui agnus, ipſe Chriſtus; qui Chriſtus, ipſe eſt Paſcha; qui Paſcha, ipſe pro nobis immolatus. Ipſe eſt dies quam non operando, ſed gignendo coæternaliter fecit Dominus, exultemus & lætemur in eâ. Ipſe eſt, inquam, dies, ipſe Dominus, cujus iſta eſt dies. De Sabbato illius quid facimus? *Vacate*, ait per Pſalmiſtam Dominus, *& videte, quia ego ſum Deus.* Sabbatum verò vacatio dicitur, vel requies, id eſt, ut quieſcamus ab operibus malis, & vacemus divinis obſequiis. Paraſceve autem præparatio dicitur, hoc eſt, ut præparemus cordium noſtrorum habitacula venturo ad nos per Corporis & Sanguinis ſui ſubſtantiam Chriſto. Si ergo omnis octava dies eſt Dominica, Dominica verò pro reſurrectione Domini dicta: vel, ſicut perlepidè quidam invenitur dixiſſe, omnes quia dies Dominus fecit imperio ſuo, Dominicum fecit ſanguine ſuo, & ædificavit pretio ſuo; omnes dies Dominici Paraſceve vel Sabbato indigent, Paraſceve autem, id eſt præparatio, non eſt aliud niſi quod protulimus, hoc eſt ut probet ſeipſum homo, id eſt diſquirat, cujus affectûs ſit, hoc eſt, ſi in voluntate cum Dei gratiâ meliorationis, aut in duritiâ pejorationis conſiſtit. Si illud primum jos in conſcientiâ ſuâ invenit, præſumens de miſericordiâ Dei, cum lactucis agreſtibus, id eſt, contritione cordis, & amaritudine gemitûs, accinctis renibus comedat agnum. Si non: ſuadere non audeo ut faciat, viderit quiſque quid agat. Omnis ergo dies Dominicus ideo eſt Paſchalis, quia reſurrectione Domini decoratus: Paſcha verò noſtrum ideo eſt Chriſtus, quia pro nobis immolatus.

1. Cor. 11, 28. Joan. 6. 41. Pſal. 22, 5. Ibid. 45. 11.

1. Cor. 5. 8. Omni ergo Dominicâ nobis clamat Apoſtolus: *Itaque epulemur*, id eſt, carnem Domini manducemus, & ſanguinem ipſius bibamus. Ubi ſunt autem qui quotidie Miſſam celebrant, quotidie Paſcha faciunt, id eſt, carnem Agni comedunt, & ſanguinem ejus bibunt, & ut cætera ſileam, de coitu adulterino filios & filias generant? Ubi qui heſternam ebrietatem, vel crapulam, ante altare Domini ſuper ipſam carnem vel ſanguinem ructant agni? Qui litibus continuis occupantur, qui cupiditia æſtuant, qui invidiâ vel odio tabeſcunt, qui his quos ut ſe diligere debuerant, deceptionum laqueos tendere nullatenùs ceſſant? Quando talium quis Paraſceve jam dictum, vel Sabbatum fecit? Timeo de talibus, & utinam non mei ſimilibus, ne dum putant ſe comedere agnum, comedant potiùs hircum; & utinam non illum, qui abductus eſt in deſertum, qui latinè emiſſarius, hebraicè hazazel, id eſt, crudelis Dei interpretatur; quem qui in deſertum emiſit, caſtra ſolummodo Dei non eſt ingredi dignus, niſi loto priùs corpore, & veſtibus omnibus; ſed hœdum potiùs quartâ decimâ qui die ad veſperam ab omni eſt populo immolatus. Væ enim illis quibus tantum bonum in tam magnum vertitur malum, hoc eſt, manſuetudo Dei in crudelitatem, dum comedentes utique carnem, & ſanguinem ejus bibentes indignè, judicium ſibi manducant & bibunt. Væ, inquam, nobis miſeris, & millies væ. Cum enim ſacerdotes non ob aliud vocemur, niſi quia ſacrum conficere, & dare populo debemus: Scriptura verò ſancta dicat è contra: *Quidquid tetigerit immundus, immundum erit*: quomodo ſaltem dici valet aliquid ſacrum immundiſſimis manibus noſtris tractatum? Num. 19. 22. Et cum ſpecialis noſter Doctor atque proviſor beatus utique Zeno dicat, in ſermone utique quem de Juda filio Jacob, & Thamar nuru ipſius elegantiſſimè compoſuit, quòd omnium corruptè viventium Diabolus pater ſit; quid valet quod in conſpectu omnium qui nos ſciunt corruptè vivere, id eſt luxuriæ deſervire, clamamus Deo: *Pater noſter qui es in cœlis*: cum ille nobis per Prophetam ſtatim reſpondeat: *Si pater ego, ubi eſt amor meus?* Quid enim facis pro amore meo? Quid infectum relinquis pro timore meo? Iſta, & illis ſimilia quia vos penitùs neſcire doleo, imò de talibus nil curare gemiſco, paſtoraliter ut addiſcere feſtinetis præcipio, & quia ſermone ignoratis, bono exemplo Dei populum erudire quæſo ſtudeatis. Admonemus [a] etiam & obſecramus, ſicut alibi ſcriptum invenimus, fraternitatem veſtram, ut de communi ſalute veſtrâ cogitantes attentiùs audiatis admonitionem noſtram, & quæ vobis ſuggerimus memoriæ commendetis, & opere exercere ſtudeatis. In primis admonemus ut vita & converſatio veſtra irreprehenſibilis ſit, ſcilicet ut cella veſtra ſit juxtà Eccleſiam, & in ea fœminas non habeatis. Omni nocte ad nocturnos ſurgite, curſum veſtrum certis horis decantate. Miſſarum celebrationes religioſè peragite. Corpus & ſanguinem Domini cum timore & reverentiâ ſumite. Vaſa ſancta propriis manibus abluite, & extergite. Nullus cantet Miſſam niſi jejunus, nullus cantet qui non communicet; nullus cantet ſine amicto, albâ, ſtolâ, fanone, & planetâ; & hæc veſtimenta nitida, & ad nullos uſus alios ſint. Nullus cum albâ quâ in ſuos uſus utitur, præſumat Miſſam cantare. Nullus cum cultellis foris pendentibus, nullus cum calcaribus. Nulla fœmina ad altare accedat, nec calicem Domini tangat. Corporale mundiſſimum ſit. Altare coopertum de mundis linteis; ſuper altare nihil ponatur niſi capſæ & Reliquiæ, aut forte quatuor Evangelia, & pyxida [b] cum corpore Domini ad viaticum infirmis; cætera in nitido loco recondantur. Miſſalem plenarium, Lectionarium, & Antiphonarium unaquæque Eccleſia habeat. Locus in ſecretario aut juxta altare ſit præparatus, ubi aqua effundi poſſit quando vaſa ſacra abluuntur: & ibi vas nitidum cum aquâ pendeat, ibique manus lavet poſt communionem.

Matt. 6. 9. Malac. 1. 6.

Nullus extrà Eccleſiam per domos, aut in locis non conſecratis Miſſam cantet; nullus ſolus Miſſam cantet. Calicem & oblatam rectâ cruce ſigna-

a *Admonemus*] Hæc uſque ad *Volumus autem ſit ?e*, edita ſunt inter Concilia, in Homilia Leoni IV. Papæ adſcripta: eadem edidit Hugo Mathoud in Obſervationibus ad Robertum Pullum, pag. 403.

b *& pyxida*] Editum erat *& buxida*. Achetius in margine monuerat legendum fortaſſe *& pyxi*.

te, id eſt, non in circulo & varicatione digitorum ut plurimi faciunt, ſed ſtrictis duobus digitis & pollice intùs incluſo, per quos Trinitas innuitur, iſtud ſignum † rectè facere ſtudete. Non enim aliter quidquam poteſtis benedicere. Infirmos viſitate, & eos reconciliate; & juxtà Apoſtolum oleo ſancto ungite, & propriâ manu communicate. Et nullus præſumat tradere communionem laico aut fœminæ, ad deferendum infirmo. Nullus veſtrûm pro baptizandis infantibus, aut infirmis reconciliandis, aut mortuis ſepeliendis, præmium vel munus exigat. Videte ne per negligentiam veſtram nullus infans ſine baptiſmo moriatur.

Jac. 5. 14.

Nullus veſtrûm ſit ebrioſus & litigioſus, quia ſervum Domini non oportet litigare. Nullus veſtrûm arma ferat in ſeditione, quia arma noſtra debent eſſe ſpiritalia. Nullus canum aut avium jocis inſerviat. Nolite in tabernis bibere: Curam pauperum & orphanorum, ac peregrinorum habete, & eos ad prandiola veſtra invitate. Eſtote hoſpitales, ut alii à vobis exemplum capiant bonum. Omni die Dominicâ ante Miſſam aquam benedictam facite, unde populus aſpergatur, & ad hoc ſolum vas habete. Sacra vaſa & veſtimenta ſacerdotalia nolite in pignore dare negociato aut tabernario. Nullus veſtrûm minùs dignè pœnitentem cujuſcumque rei gratiâ ad reconciliationem adducat, & ei teſtimonium reconciliationis ferat. Nullus veſtrûm uſuras exigat, & conductor fœnoris exiſtat. Res & facultates [c] quas poſt diem ordinationis veſtræ acquiritis, ſciatis ad Eccleſiam pertinere. Nullus ſine ſcientiâ, & conſenſo noſtro Eccleſiam acquirat. Nullus per poteſtatem ſæcularium Eccleſiam obtineat. Nullus per pecuniam alterius Eccleſiam ſupplantet. Nullus Eccleſiam ad quam titulatus eſt relinquat, & aliam quæſtûs cauſa migret. In alterius parochiâ Miſſam nullus cantet abſque Parochiani Preſbyteri, ſi præſens eſt, voluntate & rogatu. Nullus decimam ad alium pertinentem recipiat. Nullus pœnitentem invitet carnem manducare & bibere vinum, niſi pro eo ad præſens eleemoſynam fecerit.

Nullus præſumat baptizare niſi in vigiliâ Paſchæ & Pentecoſtes, niſi propter periculum mortis. Unuſquiſque fontes habeat, & ſi non poteſt habere lapideos, habeat aliud vas ad hoc præparatum, in quo nil aliud fiat. Videte ut omnibus parochianis veſtris ſymbolum & orationem Dominicam inſinuetis. Jejunium quatuor temporum, & Rogationum, & Litaniæ majoris plebibus veſtris omnimodis obſervandum inſinuate. Feriâ quartâ ante Quadrageſimam plenam ad Confeſſionem invitate, & ei juxtà qualitatem delicti pœnitentiam injungite, non ex corde veſtro, ſed ſicut in pœnitentiali ſcriptum eſt. Quater in anno, id eſt Natali Domini, & Cœnâ Domini, Paſcha, & Pentecoſte, omnes fideles ad Communionem Corporis & Sanguinis Domini accedere admonete. Certis temporibus conjugatos ab uxoribus abſtinere exhortamini; Eulogias poſt Miſſam in diebus feſtis plebi tribuite.

Nullus ſine ſtolâ in itinere incedat. Nullus induatur veſtimentis laicalibus. Nullus rem, aut poſſeſſionem, aut mancipium Eccleſiæ vendere, aut commutare, aut quocumque ingenio alienare præſumat. Diem Dominicum & alias feſtivitates abſque opere ſervili à veſperâ in veſperam celebrare docete. Carmina diabolica quæ ſuper mortuos nocturnis horis vulgus cantare ſolet, & cachinnos quos exercent ſub conteſtatione Dei Omnipotentis, vetate. Cum excommunicatis nolite communicare. Nullus illis præſumat Miſſam cantare, ſed & plebibus vobis commiſſis hoc annuntiate. Ad nuptias nullus veſtrûm eat. Omnibus denuntiate ut nullus uxorem accipiat, niſi publicè celebratis nuptiis. Raptum omnimodis prohibete; & ut nullus ad proximam ſanguinis ſui accedat; & ut alterius ſponſam nullus ducat. Porcarios, & alios Paſtores, vel Dominico die ad Miſſam venire facite. Patrini [d] filiis ſuis ſymbolum & orationem Dominicam inſinuent, aut inſinuari faciant. Chriſma ſemper ſub cerâ ſit aut ſub ſigillo propter quoſdam infideles.

Volumus autem ſcire de quolibet Presbytero ſi ex ingenuis parentibus ſit natus, aut ex conditione ſervili, aut ſi de noſtrâ Parochiâ natus eſt, aut ordinatus, vel ad quem locum prætitulatus. Si ſervus fuit, oſtendat chartam libertatis: ſi de aliâ Parochiâ, oſtendat litteras commendatitias, quas formatas vocant. De miniſterio etiam vobis commiſſo vos admonere curamus, ut unuſquiſque veſtrûm, ſi fieri poteſt, expoſitionem Symboli & Orationis Dominicæ juxtà traditionem Orthodoxorum penes ſe ſcriptas habeat, & eam pleniter intelligat, & inde ſi novit prædicando populum ſibi commiſſum ſedulò inſtruat; ſi non, ſaltem teneat, vel credat. Orationes Miſſæ & Canonem benè intelligat, & ſi non, ſaltem memoriter ac diſtinctè proferre valeat, Epiſtolam & Evangelium benè legere poſſit, & utinam ſaltem ad litteram ejus ſenſum poſſet manifeſtare. Pſalmorum verba, & diſtinctiones regulariter ex corde cum canticis conſuetudinariis pronuntiare ſciat. Sermonem, ut ſuperiùs dixi, Athanaſii Epiſcopi de fide Trinitatis, cujus initium eſt: *Quicumque vult*, memoriter teneat. Exorciſmos, & orationes ad Catechumenum faciendum, ad fontem quoque conſecrandum, & reliquas preces ſuper maſculum & fœminam pluraliter, ac ſingulariter, diſtinctèque proferre valeat, ſimiliter ordinem baptizandi, ad ſuccurrendum infirmis, ordinem quoque reconciliandi, juxtà modum ſibi canonicè reſervatum, atq; ungendi infirmos; orationes quoque eidem neceſſitati competentes, benè ſaltem ſciat legere. Similiter ordinem & preces in exequiis agendis defunctorum. Similiter exorciſmos & benedictiones ſalis & aquæ memoriter teneat. Canticum nocturnum atque diurnum noverit. Compoſtum minorem, id eſt, Epactas, Concurrentes, Regulares, terminum Paſchalem & reliquos ſi eſt poſſibile, ſapiat. Martyrologium, & Pœnitentialem habeat, & cætera. De ordinandis pro certo ſcitote quòd à nobis nullo modo promovebuntur, niſi aut in civitate noſtra, aut in aliquo Monaſterio, vel apud quemlibet ſapientem ad tempus converſati fuerint, & litteris aliquantulum eruditi, ut idonei videantur Eccleſiaſticæ dignitati.

Caſus, ut vocant, reſervati.

Cum auctoritas quoque contineat Eccleſiaſtica, ut de rebus Eccleſiaſticis quatuor fieri debeant partes, è quibus una Epiſcopi, altera fabricæ Eccleſiæ, tertia Clericorum, quarta debeat eſſe pauperum & hoſpitum: ſi veſtram pleniter habetis, de illis quæ ad Epiſcopum, fabricam, vel pauperes pertinent nullam invidiam habeatis: reminiſcentes Dominum præcepiſſe: *Non concupiſces rem proximi tui. Et de re quæ ad te pertinet, ne ſollicitus fueris.* De ipſa verò quæ ad vos pertinet fidem inter vos habetote, & communiter eam dividite, ſive ſit magna, ſive ſit modica, ſcientes Apoſtolum dixiſſe: *Nemo circumveniat in negotio*, id eſt, cauſa aliquâ, *fratrem ſuum.*

Bona Eccleſiaſtica in 4 partes dividenda.

Exod. 20. 17.

1. Theſſ. 4, 6.

c *res & facultates*] Ex diſciplinâ illorum temporum, quæ ſæculo duodecimo adhuc ſervabatur. Vide ordinationem Philippi I. Francorum Regis de bonis Epiſcoporum Carnotenſium infrà tom. 3. anno 1105.

d *patrini*] Sic in margine reſtituerat Acherius; nam in ſuo codice legerat *patroni*.

quoniam vindex eſt Dominus de omnibus his, ſicut prædiximus vobis & teſtificati ſumus. Noveritis etiam quòd melius ſit omni Chriſtiano fraudem pati, quàm inferre.

Laicos alloquitur.

Quadrageſimam, exceptis diebus Dominicis, æqualiter facite; ſi enim uno die jejunas, altero crapularis, non Quadrageſimam, ſed vigeſimam feciſti. In Adventu Domini, niſi feſtivitas intercedat, quatuor hebdomadibus à carne noveritis abſtinendum, & coitu. In Natale Domini viginti diebus ac noctibus à coitu etiam licito omninò ceſſandum. Similiter in octavis Paſchæ & Pentecoſtes, Litaniarum, & omnium feſtivitatum vigiliis, ſextis etiam feriis, præcipuè autem omnibus diebus vel noctibus Dominicis. Auctoritate etiam Paſchalis feſtivitatis compellente monemus veſtram dilectionem, in Chriſto fratres ſinceriter diligendi, ut ſecundâ, tertiâ, quartâ, & quintâ feriâ hebdomadæ majoris jejunetis uſque ad Nonam, exceptis parvulis, & ſenio gravi confectis, atque infirmis. Quintâ feriâ, horâ nonâ ad Eccleſiam matrem omnes reconciliandi venite. Sextâ feriâ uſque ad nonam jejunate, & cui placet ampliùs. Septimâ feriâ ante horam decimam nullus præſumat Miſſam cantare, nec baptiſmum generale agere. Quòd ſi pro infirmitate aliquis jejunare non poteſt, proficiat ei jejunium quod generalis facit Eccleſia; omnes enim in Chriſto unum corpus ſumus, tantùm nullus ſuâ importunitate univerſitatem Eccleſiæ noſtræ contrà Dominum compellat delinquere, & tam glorioſam feſtivitatem in aliquo violare. De occultis peccatis pœnitentiam vos dare poſſe ſcitote, de publicis ad nos referendum agnoſcite. Clericum nemo veſtrûm ſine licentiâ faciat noſtrâ; nullus balbum, vel ultrà menſuram blæſum; nullus eum qui de litteris durum habet ſenſum. Si feſtivitas, quæ non ſit ſanctæ Dei Genitricis MARIÆ, aut Apoſtolorum, evenerit in Quadrageſimâ, vel Quatuor temporum jejuniis, magis jejunium tenendum, quàm feſtivitatem celebrandam ſcitote; niſi forte illius Sancti ſit feſtivitas, qui in eâdem parochiâ jacet: quia nullâ ſolemnitate ampliùs delectatur Deus, quàm illo jejunio, quo à cibis abſtinetur & vitiis. « Otioſitas quoque inimica eſt animæ. « Videte ſi abſque horum quæ præſumimus ſcientiâ, miniſterium veſtrum facere poſſitis, & plebes vobis commiſſas ad vitam ducere, & Chriſto repræſentare.

S. Benedict. Reg. cap. 48.

Itinerarium RATHERII *Romam euntis.*

Quid Romæ acturus ſit ſuis Clericis aperit.

NOſſe fraternitatem non ignoro, Filii, veſtram, me pergere cupere præſentialiter Romam, ſed cujus rei gratiâ eſſe prorsùs ignaram. Non enim orationis cauſâ illuc vado, cum in Evangelio legam: *Mulier crede mihi quia venit hora, cum neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis Patrem.* Subjuncto: *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum in ſpiritu, & veritate oportet adorare.* Quod utique domi poteſt quiſque peragere. Non imperiali, quia imperatum eſt minimè, juſſu: milites ſolùm ut mitterem meos ab eo cum hoc ſit imperatum. Non bonum quid ſit, Deoque placitum ibidem [ut] addiſcam, cum ſæpiùs hoc tempore cantatum agnoſcam: *Indicabo tibi homo quid ſit bonum, aut quid Dominus requirat à te: facere judicium & juſtitiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo,* non ſolùm utique cum Romam vadimus, ſed & ubicumque conſiſtimus. Cum Deo namque ſemper ambulat, qui à præceptis ipſius nuſquam deviando diſcordat. Quod ſollicitos agere quilibet monetur; hoc eſt, ut ſerviat illi in timore, & exultet ei cum tremore. In peccatoris namque (ut ait Gregorius) pectore in-

Joan. 4. 21.

Ibid. v. 24.

Mich. 6. 8.

ceſſanter debet ſpes & formido manere. Judicium verò quid eſt facere, niſi quod lex præcipit obſervare? Quod fuit utique, quod modo ex Evangelio Petro & Andreæ audiſtis ita ſuaſum: *Venite poſt me.* Hæc eſt enim lex & Prophetæ, ut poſt Chriſtum omni tempore debeamus cogitando, loquendo, operando venire. Juſtitia verò quam facere ſuademur, quæ eſt, niſi juris, hoc eſt Legis ſtatus? ſed cujus legis? Chriſti utique. Factam verò quomodo implemus? *Alter alterius,* ait qui noverat, *onera portate; & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Quod eſt autem onus unicuique gravius, quàm cum quis ignorantiâ premitur eorum quæ illum ſcire oportuerat ampliùs? Eam igitur cum non implere niſi inchoatam, inchoare verò niſi agnitam valeamus, quaſi diſcordare verò in pluribus, dum non intelligitur, videamus; ut & me eodem faſce levare, & vobis inde utcumque concurrere, quod portare dicit Apoſtolus, valeam, Concilium tantorum qui conductu piiſſimi Cæſaris illuc ad Apoſtolicam ſunt ſedem venturi, adire diſpono; indagare primitùs illa ſtudens, quæ quaſi diſponere ſunt prolata, ad quam perduci valeant concordiam. Ut cum verbi gratiâ in Apoſtolorum legatur Canonibus: » Ut Epiſcopus aut « Preſbyter uxorem ſuam, quam debet caſtam regere, « non relinquat. « In Nicæno tam rigidè prolatum « cernamus Concilio: » Interdicit per omnia magna « Synodus, non Epiſcopo, non Preſbytero, non « Diacono, nec alicui omninò qui in Clero eſt, li- « cere ſubintroductam habere mulierem; niſi forte « matrem, aut ſororem, aut amitam, aut eas tan- « tùm perſonas quæ ſuſpiciones effugiunt. « Et cum « Canones dicant » quod ſi quis excommunicatis « communicat, ſit excommunicatus pariter ipſe. « Auguſtinus verò quiddam quaſi contrarium Claſſiciano cuidam excommunicato mandaverit, cum neminem noſtratium de excommunicatione cujuſlibet noſtrûm videam curare juſta ſit an injuſta; non ignarus tamen penitùs quid inde beatus dicat Gregorius, cum illo ſancto agere cupio libenter inde Concilio.

Matt. 4. 19.

Galat. 6. 2.

Cap. 6. ex interpret. Dionyſii Exigui. Cap. 3. ex eâd. interpret.

Concil. Cæſaraug. c. 5. Carthag 2. cap. 7. Epiſt. 75. Auxilio.

De ſubjunctis hîc quoque Capitulis penè ubique, pauciſſimis niſi, poſthabitis quid ipſe ſacer Conventus cenſeat, indagare percupio: quæ utique dum interdicto dicentis: *Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat:* Et, *Hypocrita ejice primùm trabem de oculo tuo:* quilibet quod in ſe recognoſcit, in alio timet corrigere; Canones verò tantâ auctoritate præcipiant, non inemendata relinqui; me, qui falsò à quibuſdam prædicor litteratus, ignarum quid de illis valeam ſaltem cogitare, nedum proferre, efficiunt prorſus. Qua ignorantiâ quo meliùs exui, quo aptiùs poſſum, quàm Romæ doceri? Quid enim de Eccleſiaſticis dogmatibus alicubi ſcitur, quod Romæ ignoretur? Illîc ſummi illi totius orbis Doctores: illic præſtantiores extiterunt Univerſalis Eccleſiæ Principes. Illic Decretalia Pontificum, univerſorum Congregatio, examinatio Canonum, approbatio recipiendorum, reprobatio ſpernendorum. Poſtremò nuſquam ratum quod illic irritum, nuſquam irritum quod illic ratum fuerit viſum. Ubinam ergo melius inſipientiæ conſulitur meæ, quàm ubi fons ſapientiæ cernitur eſſe? Accedit ad cumulum commoditatis, quòd miſericordia Conditoris Imperatorē nobis conceſſit æquiſſimum, piiſſimum, ſapientiſſimum, Dominum ſcilicet noſtrum Cæſarem glorioſiſſimum, qui cum præ omnibus qui ſub cœlo ſunt jam, dictis, cæteriſque Regalium prærogativarum inſignus inæſtimabiliter polleat; Sanctiſſimum Papam, Dominum utique JOANNEM Epiſcopum, ſecundùm proprietatem ſui vocabuli, *gratia Dei,* ad idem opus electum, Romuleæ quidem Urbi Papam inſtituit digniſſimum;

Joan. 8. 7.

Luc. 6. 42.

Doctrinâ cæteris præcellit Eccleſia Romana.

Orbi verò univerſo Patrem & Proviſorem induſtrium; quos convocaturos Synodum autumo univerſalem, concedat Deus ſanctæ ſuæ Eccleſiæ, ut expedit, utilem.

Adero itaque ſi Deo annuente valuero, digitoque compeſcens labellum, tanto eos qui aderunt audire curabo humiliùs, quanto mihi neceſſarium conſidero ampliùs. Sapientiſſimos enim tam de iſto Regno, quàm & de his qui cum Domino noſtro venerunt ſemper Auguſto, illic affuturos cognoſco; quorum doceri magiſterio cupio de his ſaltem quæ hic capitulatim congeſta ideo habeo, quòd plenitudinem eorum in illorum codicibus contineri confido. Sunt verò hæc quæ ab omnibus obſervari valerent, ſi obedientes Deo exiſtere vellent, nec contraria utique tempori, nec patriæ incongrua, ipſis utique omiſſis quæ antiquis ſolummodo, vel tranſmarinis congruentia ſunt viſa, non nobis. Cum igitur quaſi in quibuſdam Medicinalibus libris carnalia, hæc animarum ſint congeſta in Canonibus ſanctis remedia: ut videlicet, qui illa quæ in libris Medicorum leguntur perceperit, ab ægritudine liberetur, qui neglexerit, ſuo merito moriatur: ſic animarum qui deſpicit remedia, occaſione aliâ mortem evadere qualiter poſſit æternam diſcere cupio. Ignarus adhuc nempe ſtultus exiſto. Dicente quoque Apoſtolo: *ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur*: judicari verò ſicut ſæculariter lege mundanâ, ita Eccleſiaſtice ſanctione debeamus Canonicâ; qui judicari eâ deſpicit temporaliter, utrum judicium illud evadere ullo modo poſſit, quo damnatus quiſque in æternum peribit, dicat quilibet alius: nam ego hinc ſum penitus mutus. Judicium ſanè quomodo facimus, ſi jus nobis à Deo per ſanctiſſimos Patres indictum negligimus? Juſtitiam quam, ſi legem non ſervamus canonicam? Cum Deo qualiter ambulamus, ſi ab his quæ ſequenda præcipit, deviamus? Noxia cæterùm ſollicitudo, quam gerendorum non efficit rectitudo, cum recepturum quemque ſecundùm quod geſſit, ſive bonum, ſive malum, evidens eſſe valeat certitudo. Extrà canonicæ igitur rectitudinis diverſans lineam, quam ſalutis habere poteſt, quæſo, fiduciam, cum ſcriptum ſit: *Atrium quod eſt foris non metieris, quia datum eſt Gentibus*? Quibus verò Gentibus, niſi de quibus Pſalmiſta dixiſſe intelligitur Domino: *Liberator meus de gentibus iracundis*? Ut enim homo malus alibi vocatur diabolus, ſic Legio Dæmonum nomen hic poſſidet non incongruè gentium. Dæmonibus ergo traditur, qui in forinſeco atrio invenitur, quia qui extrà normam Eccleſiaſticæ rectitudinis, etiam in Eccleſiâ corpore poſitus, converſatur, intùs quidem eſſe corporaliter conſpicitur, ſed animaliter in atrio exteriori ſtare probatur. Vel certè gentibus datur, qui Ethnicis ſociatur; Chriſtianus enim licet dicatur, nequaquam eſt, qui Chriſto contrarius eſt, Canonibus verò ſanctis qui non obtemperat, Chriſto rebellat. Gentibus verò, niſi ſe infrà menſuram lineæ recollexerit, dabitur, quoniam quidem non poterit eorum contubernio ſociari, quorum nec lege teneri, nec diſciplinâ corrigi, nec mores voluit imitari. Væ autem noſtrûm alicui, extrà menſuram canonicam cui contigerit inveniri, cum Electorum populus cœperit recenſeri. Electus enim nemo, qui non canonicus, qui non electus.

1. Cor. 11. 31.

Apoc. 11. 2.

Pſal. 17. 48.

Dicat ſanè aliquis veſtrûm, tuâ quid refert, talia cæteris, & utique te præſtantioribus, hinc minimè curantibus, agere? Refert, inquam, refert omnimodis, & in tantum expedit, ut, *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus*, edicere poſſem, niſi inſenſibilitatis ſtupore languerem. Omittam quippe ter me contrà Canones exulatum, millies injuriatum, Epiſcopium mihi inlegaliter ademptum, alium ſuper me adulterè adductum, receptum. Iterum eo miſericordiâ piiſſimi Cæſaris, præcepto Apoſtolici qui tunc Romanæ præerat Sedi, judicio Epiſcoporum ſynodaliter reſtitutum, ab eodem invaſore (vobis non penitùs in tantùm ignaris, neque eidem contrariis, ut mille non defuerint qui vos penè omnes, ne dum conſenſiſſe, hoc crediderint machinaſſe) poſtea comprehenſum, pulſum, injuriatum, exſpoliatum, cuſtodiæ mancipatum. Omnibus verò his, licet tam inducuſſis, rebeſtis, quaſi in eis nil inveniri valeret, quod reprehendi legibus vel leviter poſſet: miſericordiâ iterum Creatoris, clementiâ Imperatoris, ſubventu excellentiſſimæ Ducis ereptum, reductum, à vobis verò tam inhumanè receptum, ut non difficile fuerit in vultibus veſtris conjecturari, quàm non libenter me videritis reverti, cum & exinde tot me non deſinatis injuriis laceſſere, ut omni me prærogativâ ordinis Epiſcopalis adeo, ſicuti ante, ita & poſt, non dimittatis privare, ut nihil ex eâ mihi relinquatis præter Chriſmatis confectionem, & chriſmandi quidlibet cum ſubſcriptionibus poteſtatem. Adeo quoque de vobis ſim inhonorus, ut omnes Coepiſcopi illuc venturi de Clericis ſuis parere mihi habeant honoratis; ego de vobis nec unum ſum habiturus; cum de meâ paupertaculâ non ſim vobis adeo inhumanus, ut militari beneficio habeam, & hoc gratis, decem ex vobis ditatos.

Ter ab Epiſcopatu expulſus.

Reſtitutus carceri ab invaſore mancipatur.

Iterum revocatur.

Omittam tamen, ut dixi, illius omnia iſta reſpectu, qui dixit: *Nolite reſiſtere malo*. De Synodo à nobis quid agendum nuperrimè acto. Scitis enim, ſcitis, me ſemper hoc agere ideo diſtuliſſe, cum bis in anno idem præceptum ſit facere, quòd dicerem me unde ſynodare deberem omninò neſcire. Solet enim in Synodis ſi quid contrà Canones actum eſt, emendari. Sed ſi hoc agere tentaviſſem, omnibus quæ in Canonibus ſunt ſcripta regyratis, de nullo eorum vos curare viderem omnimodo. E quibus ſi vel aliqua proferam, ſi legeretur quod ſuperiùs tetigi, hoc eſt, » ſubintroductam habere perſonam, « niſi ſororem, « & cætera quæ ſunt inibi notata, « quem veſtrûm ab hujus neglecto præcepti potuiſſem excipere? Rurſùm ſi lectum impleretur, » ſi quis « Presbyter uxorem duxerit, deponatur, « magis « autem pelli debet ſi adulterium perpetraverit, quis ex vobis inde poſitus, ſtet? Rurſùm ſi recitaretur: » Præcipimus ut bigami non admittantur ad Cle- « rum, « quem ex vobis conſiderem legaliter ad Sa- « cerdotium fuiſſe provectum? Et, ut ad minora, vobiſque pernulla veniam, ſi legeretur contemptores Canonum acriùs arguendos: de conſpirationibus etiam & conſpiratoribus, de perjuris, de ebrioſis, & qui in tabernis bibunt, & qui uſuris inſerviunt ſi legaliter ſynodarem, quem ex vobis indemnatum relinquerem? Si perjuris ſaltem pœnitentiam legibus indictam ipſe dicerem, quem de vobis Miſſam celebrare permitterem? Si multinubos à Clericatu repellerem, quem, niſi puerulos, in Eccleſiâ relinquerem? Si manzares abjicerem, quem ex eiſdem puerulis ſtare in Choro permitterem? *Exſpectavi*, inquit, *ut faceres judicium, & ecce iniquitas, & juſtitiam, & ecce clamor*. Quis clamor? Peſſima fama, malum exemplum. *Clamor*, inquit, *Sodomorum venit ad me*. Breviter dixerim: cauſa perditionis totius mihi populi commiſſi, commanentes illi ſunt Clerici. Quem enim Laïcorum de adulterio convenire auſus fuiſſem in Synodo, quem de perjurio, quem de quovis flagitio, Clericorum fruſtratus judicio? Quis enim ille eſſet, cui non continuò ille, & ſi labiis non auderet, corde diceret: *Hypocrita*,

Matt. 5. 39.

Concil. Nic. ubi ſuprà.

Concil. Rom. cap. 19.

Innocent. I. epiſt. 4. c. 2. Gelaſ. I. epiſt 9. ſub med. Concil. Hiſpal. 2. c. 4.

Quam perverſi Clericorum Veron. mores.

Iſa. 5. 7.

Geneſ. 18. 18.

Matt. 7. 5.

id eſt, *Pſeudoclerice, ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc proſpicies, ut educas feſtucam de oculo meo.*

De talibus igitur cum nulla penes nos omninò ſit quæſtio, unde Synodus agi deberet, unde, rogo, Concilium? Recolitis namque, cognoſco, me præcepiſſe, ut duobus diebus Archipreſbyter, & Archidiaconus, me abſente, adventantes cum ordinariis omnibus pariter reſidentibus diſcuterent, die tertiâ emendanda mihi omnia recitarent. Factum eſt, reſidens interrogavi quid actum fuiſſet. Reſpondit cujus intererat vos inquiſiſſe de pſalmis, & hujuſmodi, &, Deo gratias, non malum adeo inveniſſe. Quid haberem ergo de tot ſanctis, niſi Deo gratias dicere? Pſalmos non malè adeo ſcirent, immunes à cæteris culpis exiſterent; unde quæſo Synodus agi deberet? Deceptionem igitur animarum hoc eſſe intelligens maximam, unum in corde dixi, aliud labiis protuli. Corde enim mihi ipſi ſum ita conqueſtus: Quis tu hic, aut quaſi quis hic. Labiis verò ita dicenti reſpondi: Si de Pſalmis, & non de alio in iſto Concilio debet eſſe conqueſtio, me primum ad examen producite, convinci nam poſſum me illos non ut competeret ſcire. Unde igitur Synodus ageretur, nil ampliùs quod emendaretur invento?

Ob ſummam Clericorum Veronenſ. ignorantiam Synodicam orationem edidit Ratherius.

Sciſcitatus itaque de fide illorum, inveni plurimos neque ipſum ſapere ſymbolum, qui fuiſſe creditur Apoſtolorum. Hac occaſione Synodicam ſcribere omnibus Presbyteris ſum compulſus, in quâ continetur primitùs ita ſuaſum. Moneo igitur paternaliter, & præcipio paſtoraliter, ut dicentis Apoſtoli reminiſcentes, quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, hoc eſt, ſine credulitate quæ nobis per Apoſtolos, eorumque ſucceſſores tradita. Et, quia *juſtus ex fide*, id eſt, credulitate ſuâ *vivit*. Et, *Quidquid ſine fide*, hoc eſt, ſine credulitate Dei *eſt*, *peccatum eſt*, *fides* autem, id eſt, credulitas Dei, *ſi non habeat opera* bona, *mortua eſt in ſemetipsâ*. Ipſam fidem, id eſt credulitatem Dei, trifariè præparare memoriter feſtinetis, hoc eſt, ſecundum ſymbolum, id eſt, collationem Apoſtolorum, ſicut in pſalteriis correctis invenitur, & illam quæ ad Miſſam cantitur, & illam S. Athanaſii, quæ ita incipit: *Quicumque vult ſalvus eſſe*. Quicumque vult ergo ſacerdos in noſtrâ Parochiâ eſſe, aut fieri, aut permanere, illas tres memoriter nobis recitet, cum proximè à nobis huc vocatus fuerit. Iſtud cum & mediantem Quadrageſimam illis ſcribenda, atque memoriæ mandanda dediſſem, & inobedientes extitiſſe vidiſſem, dum quid inde canonicè agere poſſem inquirerem, metus illorum quoſdam tantus invaſit, ut promiſſo mihi ad iter carpendum auxilio, pollicerentur ſe deinceps deſcriptionem beati Athanaſii cantaturos, & reliqua inibi deſcripta juxtà poſſibilitatem ſuam facturos. Ad quod cum titularios omnes, & illos de plebibus paratos, Deo gratias, inveniſſem, vos Cardinales, qui ut quondam Scribæ & Phariſæi populares, ita iſtos in perditionem mittitis omnes, ita hinc manere adhuc cerno rebelles, ut religatis cum inimico ejuſdem fidei Arrio in æternum damnari, quàm hoc publicè, ut aliarum Eccleſiarum Clerici, cantando ſalubriter vinci.

Hebr. 11. 6.

Ibid. 10. 38.
Jac. 2. 17.

Tali namque me infeliciſſimum neceſſitate urgente, non haberem illuc pergere, ubi poſſem ex hoc conſilium aliquod invenire? O Chronologia Ratherii peſſima, ò veritas eidem peroſa! Quàm enim optabilius fuiſſet ut ſolus ipſe mendax exiſterem, quàm talia de vobis penè omnibus veraciter dicere poſſem, nec ipſe valeo æſtimare, qui talia compellor infelix proferre. Clamandum igitur, clamandum, & ſine intermiſſione dicendum: *Converte nos Deus ſalutaris noſter, & averte iram tuam à nobis.*

Pſal. 84. 5.

Anguſtiat nam neque immeritò non immemorem ſui propenſio nimiùm talis: » Non minus enim mala « conſuetudo, quàm pernicioſa corruptela funditùs « eradicanda « eſt, Oſio rigidiſſimo illo in Sardicenſi « ſi clamante Concilio; alibi etiam alio: » Cedat « conſuetudo auctoritati; pravum uſum lex & ratio « vincat, « dum contemptâ penitùs auctoritate Canonum, conſuetudini prædeceſſorum veſtrorum, Deo ipſo ſimiliter qui eoſdem inſtituiſſe noſcitur Canones rebellium, vos tam obſtinatè inniti conſidero, mecum vos indeſinentiſſimè tam pro illis, quàm pro vobis, Deo clamandum invenio: *Peccavimus cum patribus noſtris: injuſtè egimus, iniquitatem fecimus.* Cum Joſia quoque Rege ſanctiſſimo, nobis alterutrum: *Ite conſulite . eum ſuper me, & ſuper populum meum; & ſuper omnem n dam.* (Quem intelligere poſſumus conteſſione D i inſignem Catholicam Eccleſiam) *de verbis voluminum iſtorum*, Canonum ſcilicet & Decretorum, quæ continentur in archivis Eccleſiarum: *Magna enim*, ait ille, *ira Domini ſuccenſa eſt contra nos; quia non audierunt patres noſtri verba librorum iſtorum, ut facerent omne quod ſcriptum eſt in eis.* Ut patres intelligas non ſolùm Eccleſiarum Pontifices, ſed & illarum majores; quatenùs illi ſaltem cuiuſvis noſtrum reſpondere dignaretur: *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Pro eo quod audiſti verba voluminis, & perterritum eſt cor tuum, & humiliatus es coram Domino, auditis ſermonibus contra locum iſtum, & habitatores ejus: quòd videlicet fierent in ſtuporem & maledictum, & ſcidiſti veſtimenta tua, & flevi ſti coram me, & ego audivi, dicit Dominus. Ideircò colligam te ad patres tuos, & colligeris ad ſepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus ſum ſuper locum iſtum. Circuite*, inquit Dominus alibi, *circuite vias Hieruſalem, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem; & propitius ero ei. Quod ſi etiam, vivit Dominus, dixerint, & hoc falſò jurabunt, Domine oculi tui reſpiciunt fidem: percuſſiſti eos & non doluerunt: attriviſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam, induraverunt facies ſuas ſuprà petram, & noluerunt reverti. Ego autem dixi: Forſitan pauperes ſunt & ſtulti ignorantes viam Domini, & judicium Dei ſui; ibo igitur ad optimates, & loquar eis: ipſi enim cognoverunt viam Domini, & judicium Dei; & ecce magis hi ſimul confregerunt jugum, ruperunt vincula. Idcircò percuſſit eos leo de ſylvâ, lupus ad veſperam vaſtabit eos.* Leo ſcilicet rugiens quærendo quem devoret, id eſt Diabolus; Lupus & iidem, qui ob negligentiam mercenariorum Paſtorum vocabulò, non jure poſſidentium, ſed illegaliter uſurpantium, rapit & diſpergit oves; non ſolum per ſe, ſed & per membra ſibi cooperantia, ſua, vineamque Domini Sabaoth à primore vaſtantia.

Can. 1.

Judith 7. 19

4. Reg. 23. & ſeq.

Ibid. 22. 13.

Ibid. v. 18. & ſeq.

Jerem. 5. 1 & ſeq.

Et heu! quàm non diſconveniunt miſeris talia nobis. Nos enim ipſi ſumus æſtimatione, quamvis non re, optimates: nos inquam, quos, relictis pauperibus legiſque Dei penitus ignaris, alloquitur ſermo Dominicus; nos legendo viam Dei cognoſcimus quam pergere declinamus, nos judicium Dei noſtri, ſed nos magis, contemnendo, jugum ipſius ſuave, ſed volentibus, & onus leve, dignantibus attamen ferre, quaſi confregimus illud; rupimus vincula legis canonicæ nihil de illâ curando. Idcircò verendum ne pejora nobis contingant, quàm illis, de quibus hæc tunc præſentaliter dicebantur, utpote qui non ſolùm illos, qui tunc loquebantur, ſed ipſum contemnimus, qui non tantùm per ipſos, eorumque ſequaces, ſed & per ſeipſum nunc nobis lo-

quitur, Deum. Pejor autem multùm eſt leo animas devorans, quàm leo pecora lanians; lupus interimens ſpiritaliter homines, quàm lupus devorans corporaliter oves. Maximè ſi hoc nobis contingat ad veſperam, hoc eſt, quando præſentem terminabimus vitam. Cujus periculi metu iter compellor arripere, iſtud aliorum quæſiturus conſilium, quia in me non invenio ullum.

Catholicus non eſt qui Canones contemnit.
Symbolum S. Athanaſii.

Cruciant me nam non parum, fateor, iſta quærentem, iſtis utrumnam contemptis reſtet ſalutis alia, quod neque ſuſpicor, via. Si enim quod Canonicum eſt Catholica defendit Eccleſia; Catholicum ſe uſurpativè, reor, pronuntiat, qui Canonibus ſanctis præſumptivè repugnat. » Fidem autem, » ut cantamus, Catholicam niſi quiſque integram, » inviolatamque ſervaverit, abſque dubio in æter» num peribit. « O autem confeſſio firma [e], quòd Catholicus non ſit qui legem canonicam reſpuit, quodque vitam æternam conſequi nemo niſi Catholicus poſſit. Quòd cùm ita inmutanter atque certiſſimè conſtet, quid cogitare, quid poſſumus æſtimare de illo tam publico Canonicæ legis, qui inter nos verſatur contemptu, quo non ſolum illa quæ tam ſeveriter ſunt prohibita miniſtris Eccleſiæ de cohabitatione mulierum in Nicæno ſancita Concilio; & illud quod alibi tam auſtere fertur, ut ſuprà habetur; in Neocæſarienſi quoque non levius tale quid

Can. 9

continetur Concilio: » Preſbyter ſi confeſſus fuerit, quòd ante ordinationem corporali peccato de» liquerit, oblata non conſecret, manens in reliquis » officiis propter ſtudium bonum. « Quæ utique in ſe recognita quemlibet in deſperationis voraginem

Eccl. 1. 9.

poterant emergere, niſi fuiſſet prædictum: *Neſcit homo utrum odio an amore dignus ſit; ſed omnia in futurum ſervantur incerta.* Si enim qui ante ordinationem corporaliter ſe peccaſſe confitetur, tam auſtere feritur, quid de eo qui poſt ordinationem mœchatus millies fuiſſe cognoſcitur? De quibus utique quidam, licet perrari, dum videantur immunes, de levioribus quaſi & uſualiter adeo uſurpatis, ut neque jam trahantur in culpam, quid dicendum,

Concil. Tolet. 4 can. 45.
Can. Apoſt. 41.
Concil. Conſtant. 3. c. 5.

quid cogitandum, ut ſunt verbi gratia iſta: » Epi» ſcopus aut Diaconus qui in ſeditione aliquà arma » ſumſerit, ab omni cœtu Chriſtianorum deponatur. « Et, » Epiſcopus Preſbyter & Diaconus aleæ » & ebrietati deſerviens, aut deſinat, aut deponatur, « & alia hujuſmodi innumera, quæ non leviùs quàm cohabitatio mulierum & fornicatio vel adulterium, inceſtuoſitas naturæ ipſi quoque adverſa, canonicà feriuntur machærà.

His igitur ſuperbè neglectis, Catholicus qualiter quis nedum appellari, ſaltem valeat non video æſtimari; cum, ut ſuprà protuli, in Nicæno dictum legatur Concilio. Quod Canonicum eſt defendit Ec-

Matt. 8. 22.

cleſia. Quamvis enim, dicente Domino: *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*, criminoſis ſibi conſimiles vel defendentibus, vel occulentibus, deponendos legaliter nemo deponat, damnandos non aliquis damnet; non ideo damnationem per Spiritum ſanctum illis illatam poterit evadere, & quos ipſe Dominus fures vocat & latrones, Paſtores ovium ipſius exiſtere. Simoniacum enim quis quid perpetrans dãnationem Simonis non poterit evadere, nec Gieſiacà leprà carere, qui quod fecit Giezi, fecerit ipſe.

Ibid. 23. 35.

Ut inquiratur, inquit Dominus (quaſi de Judæis ſolummodo dicens:) *ſanguis omnium Prophetarum, qui effuſus eſt ſuper terram* à generatione iſtâ *à ſanguine Abel juſti uſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidiſtis inter Templum & Altare.* Cum utique illi, quibus hoc dicebat, neque Abel, neque Zachariam, nec quemlibet Prophetarum interfecerint; ſed quia eis qui hoc fecerant, in malitiâ ſimiles fuerint; & idcircò vindictâ conſimili plecti debuerint. *Colligite*, inquit etiam alibi Dominus quandoque dicendum. *Colligite primùm ziza-*

Ibid. v. 30.

nia, & alligate ea in faſciculos ad comburendum: hoc eſt, pares in ſcelere in damnatione ſimili jungite. Si ergo ita eſt, uti damnatus eſt Maximus Cynicus, ita damnantur ſocii in eodem ſcelere ipſius; uti Photius, ita & imitatores illius; uti Conſtantinus Romanæ ſedis invaſor, ita ipſius quilibet imitator: & ſicuti eorum irrita ordinatio, ita & iſtorum neque diſſimilis condemnatio. Et heu! fides Catholicæ integritas, antiqua ſanctitas, & vera quo evaſiſti Chriſtianitas. Rogas? Faciamus nam eam reſpondere quaſi præſentem. Præſens eſt enim, licet præ paucitate nimiâ lateat. Neque enim adhuc tempus illud præterit, quod ipſe Dominus eidem ita loquens impoſuit: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.*

Ibid. 28. 20.

Taceat ergo de ſe, loquatur de illâ falsò Chriſtianitate vocata: *A ſollicitudinibus*, ait Dominus,

Luc. 8. 14.

& divitiis, & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, & non referunt fructum. Quem verò fructum? Quo paſcerentur utique Chriſtianitates, in regno cœlorum, incurrentes pariter Altiſſimi odium; ita enim teſtatur & Apoſtolus: *Quicumque*, inquiens, *vo-*

Jac. 4. 4.

luerit amicus eſſe ſæculi hujus, inimicus Dei conſtituitur. Quod tamen niſi eâ figurâ prolatum intelligatur, quâ per id quod continet hoc quod continetur monſtratur, quamdam quaſi ingratitudinem eorum quæ nobis contulit Deus, ſuadere monſtratur. Si enim ſæculum, quod noſtri causâ fecit Deus, minimè diligimus, quaſi ingrati Conditori atque largitori illius exiſtimus. *Vidit Deus*, inquit Scri-

Geneſ. 1. 31.

ptura, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Quod igitur Deo ipſi valde bonum eſt, viſum nobis quomodo eſſe debet inviſum? Intelligamus ergo non illud ſæculum, quod mundus vocatur, hoc eſt, cœlum, terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt, vel illas revolutiones temporum, propter quas noſtra iſta vocatur ſæculum vita, odio habere quemvis debere, ſed quod perperam in hoc agitur ſæculo, hoc eſt, ſuperfluitatis primùm illorum ambitum, quæ uſui noſtro iſtud miniſtrat ſæculum, inde voluptatem, poſt omnimodam vitioſitatem. Quidquid ergo bonum Deo ipſi videtur, ut utile diligamus; quod malum, ut noxium odio habeamus, ut inimicitiam Dei evadere, & inter illos qui verè ſunt Chriſtiani, computari quoquomodo valeamus. Quod tamen facere nullo modo poſſumus, niſi quod Canones ſancti præcipiunt, faciamus.

Sed ut ad me meique revertar conſimiles, hoc eſt, Canonibus ſanctis uſque modo rebelles, qualiter hoc facere valemus, cum omnibus generaliter pœnitentiæ poſt lapſum ſint indulta remedia, nobis

Luc. 14. 34.

verò miſerrimis ipſe Dominus dicat; *Quod ſi ſal*, quod nos eſſe debuimus, *evanuerit, ad nihil utile ſit: neque in ſterquilinium* ſaltem, quo [f] pœnitentiam ſignari alibi ita habemus: *Domine dimitte il-*

f
Ibid. 13. 8.
Qui ad Clerum non admittendi.

lam & hoc anno, uſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora, id eſt, fœtorem criminum illius ad memoriam ipſius reducens, pœnitentiam agere illam compellam; quæ utique nobis quoque infeliciſſimis denegatur, cum poſt pœnitentiam quis nec Cleri-

e *confeſſio firma*] Acherius ediderat *conceſſio*.

f *ſaltem quo*] Hic intrà breve ſpatium quatuor fortaſſe typographi σφάλματα ſuſtulimus; primùm enim hoc loco ſcriptum erat *ſaltem quod*, deinde, *non accedet ad miniſtrum Num vero, proh nefas*, poſtremo *quis menſam cantat.*

cus eſſe lege Canonicâ finitur. Quid ergo miſeri, quid undique facimus concluſi? Nobis inceſſanter clamatur: *Levit. 7. 30.* *Quicumque comederit de carne ſacrificii, quod eſt Domini, & immunditia ipſius ſuper ipſum eſt, peribit anima illa de populo ſuo.* Itemque: *Ibid. 21. 17.* *Homo ſacerdos de ſemine Aaron qui habuerit maculam, non offeret panes Domino, nec accedet ad miniſterium* * *ejus.* Qualiter igitur miſerrimi, qualiter ab illâ immunditiâ lavari, qualiter his valemus maculis ablui, qui poſt lavatricem criminum pœnitentiam nedum ſacerdotio fungi, in Clericatu ſaltem non permittamur linqui? Eſto, iſtud ſolommodo miſeris obſtaret immaniter nobis, quid de nobis æſtimandum commiſſis? Quid de his quæ lavari, mundari, & à nobis debuerant benedici, quæ conſequenter immunda noſter effecit, proh dolor! tactus Domino dicente: *Num. 19. 22.* *Quod tetigerit immundus, immundum erit?* Si verò pauci fuiſſemus, quod utinam fuiſſemus, indignis atque repulſis Dei gratiâ, qui nobis valerent ſuffici inveniri forſitan poſſent, non tale fuerat periculum. Nunc* verò, proh nefas! cum conquerens clamet Dominus, dicens: *Jerem. 5. 5.* *Attamen hi ſimul omnes confregerunt jugum, ruperunt vincula*; quod remedium invenit decepta quam regere debuimus Eccleſia, cum omnes nos ſimul confregiſſe jugum, vincula rupiſſe, vox conqueratur Dominica? Dicente enim Jacobo: *Jac. 5. 16.* *Confitemini alterutrum peccata, ut ſalvemini, veſtra.* Neocæſarienſi verò continente ſuperiùs ſcripto capitulo eſt: *Can. 9.* » Preſbyter ſi confeſſus » fuerit quod ante ordinationem corporali peccato » deliquerit, oblata non conſecret, manens in reli» quis officiis propter ſtudium bonum; « Quis Miſſam cantet, * cum ſententia iſta penè omnibus oblata non conſecrare prohibeat? Et vide quanta hîc continetur adverſitas. Oblata enim non permitteris conſecrare, ſi te peccaſſe confiteris; ſalutem non conſequeris, ſi te peccaſſe [non] confitearis. Quid igitur de vobis faciam fratres & Compreſbyteri mei? Si peccata veſtra non confitemini, timeo ne non ſalvemini: ſi confitemini, oblata contrà niſi vetitum conſecratis; ſi contrà vetitum conſecratis, ignem alienum accenditis. Verendum igitur ne quorum exemplum tenetis, eorum ſimilitudine pereatis.

Deſperare itaque vos mecum compellerer, niſi iterum lectum ſæpiùs recordarer: *Eccleſ. 9. 1.* *Neſcit homo utrum odio an amore ſit dignus.* Quis enim novit ſi cui noſtrum ſit conceſſum antea converti, quàm mori? Felices enim hac lege depoſiti, felices expulſi, felices ſuis rebus ſpoliati, & Epiſcopiis viduati. Si tamen eis aliquid huic eveniat ſimile, quod Scottigenis duobus audivimus eveniſſe. *Hiſtoria cujuſdam, qui invaſerat Epiſcopatum, pœnitentiam agentis.* Quidam enim potentior ſuper impotentiorem inſiliens, ſede illum propria pepulit, eique præſedit. Erat illi quidam pauper omnibus membris contractus, abeuntem qui ita eſt alloquutus. Cui me deſeris Pater? Deo inquit. Eſne unquam reverſurus? Non, niſi tu me reduxeris, infit. Seceſſit igitur ſepulcrum adiens Domini: interjecto tandem tempore, tanta lues totam unde ſanctus vir ille fuerat pulſus, invaſit provinciam, ut vix uſque ad decimam hominum pervenerit. Suſcitatus jejuniorum, litaniarum & eleemoſynarum inſtantiâ, reſpondit modo quo ei placuit Dominus, ejuſque invaſoris confeſſione monſtravit, ſtragem illam hominum illius ſcelere contigiſſe. Reatûs igitur ſui conſideratione permotus, relicto quem invaſerat Epiſcopio, abſceſſit, inſulamque quamdam, pœnitentiam finetenùs acturus, introiit; ſolitarius quidem manere voluerat, ſed vicinorum benevolentia hunc ſæpiùs viſitabat; cum repente incolis deficientibus maxima invaſit patriam fames, quæ compulit liberalitatem illum ſanctum virum alentium aliquantulum repigrari. Trieris magna in littore caſu reſtiterat, eam ingreſſi quos educabat pueruli fame cogente, poſt ludum quemcumque obdormierunt. Remigio itaque Angelico illis dormientibus ad aliud littus patriæ perignotæ venitur. Cui Rex ejuſdem patriæ circumequitans, præſtolatus cum admiratione maximâ navim ſine hominibus rectiſſimè adventantem, puerulos ſolùm in eâ reperit dormientes. Expergefactos unde eſſent, interrogat. Ut ſivit ergo illa ætas, cum de fame quam vir Domini patiebatur ab eis fuiſſet edoctus, eis primùm cibo refectis, cubam frumento onerari præcepit: ſicque puerulis intùs remiſſis, & ſtatim ſomno nutu Dei correptis, ad aliam ripam nemine remigante perducitur, & Dei famulus cum totâ inſulâ ab inediæ periculo liberatur, ſed quo miſſet nullum contigerat noſſe. Quærentibus conſilium affuit qui diceret, ſe audiſſe illum dicentem, quòd nunquam reverteretur, niſi eum ille clinicus reduxiſſet. Inito itaque inter ſe conſilio clementiâ ſui conſiſi Pontificis, præceperunt in nomine Domini ut ſurgeret, & poſt eum quantociùs feſtinaret. Mirum dictu, ſurrexit, perrexit, Hieroſolymis eum invenit, reduxit, receptus eſt, & in ſede propriâ relocatus.

Æſtimet qui valet expulſoris & expulſi quæ potiora fuerint merita. Ille pœnitentiâ ſuâ Angelos ad ſibi auxiliandum, imò loquar ut ita, famulandum coegerunt. Iſte paralyticum medium fecit tranſcurrere mundum; ſed cum tantùm valeat pœnitentiæ perfectio, mirum quod Clericatum, forſitan ut iſte effectus fuerat, ſancto decretum g interdicat Canonicum, cum nemo dignius fieri Clericus poſſit videri, quàm is cui per pœnitentiam ſanctam contigerit fieri. Cui tale igitur aliquid, vel quiddam aliud ad vindictam tanti pertinens ſceleris evenit, aut ſponte ſuâ ipſe ſuorum eſt ultor facinorum, de eo nil poſt ejus dubito finem. Cui verò nihil in hoc ſæculo incommodi contigiſſe conſidero, ſentiat alter de illo quod valet, ego ſententiæ illi performidoloſæ innuius, quâ de talibus dicitur: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt*, *Job 21. 13.* illud Joannis Apoſtoli convenire formido: *Eſt peccatum ad mortem*, *I. Joan. 5. 16.* ſubaudi, uſque perdurans, *non pro eo dico, ut quis roget*: *vel 1. 17.* Quare? Quia, ut beatus exponit Gregorius, *Lib. 4 Mor. cap 16.* » Jumenta in ſtercore ſuo computreſcere eſt, car» nales quoſque in fœtore luxuriæ vitam finire, « quod & de cæteris nil obſtat ſentiri ſceleribus; quia dicente Domino, quòd *qui perſeveraverit in bono, hic ſalvus erit*: *Matt. 24. 13.* ita è contrà, qui perſeverat in malis, abſque dubio perditus erit. Et miſerum me! quomodo poteſt eſſe non perditus, de quo clamat Apoſtolus: *Hoc autem ſcitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt Idolorum ſervitus, non habet hereditatem in regno Chriſti & Dei.* *Epheſ. 5. 5.* Væ ergo, væ miſeris nobis: qui enim alii in iſta ſunt multitudine nili, proh dolor! hujuſmodi? Liquet enim quòd omnis coitus illegalis, aut fornicatio, aut adulterium ſit. Lex autem nulla altaris Miniſtris indulget conjugia; fornicatores verò iſti immundi, vel avari, num ſunt alii, niſi quibus evenit in iiſdem flagitiis mori. Domino miſericorditer promittante: *Quacumque horâ peccator converſus fuerit, & ingemuerit, ſalvus erit.* *Ezech. 18. 21* Ecce conſilium, ecce remedium veſtrum. Utinam, tam facile exiſteret noſtrum. De nobis enim Ezechielem Prophetam quaſi requirendo Dominus alloquitur, dicens: *Fili hominis quid fiet de ligno vitis?* *Ibid. 15. 2.* & cætera, quibus nil terribilius æſtimare valet, qui quod Gregorius indeſinenter ſentiat, novit. Quid igitur facimus? Oratiunculam quamdam in

g *ſancto decretum*] Acherius ediderat *decreto .... canonico*

Pſalteriis inveni quibuſdam, quam ſi quotidie Domino funderemus, & cooptando impetrare, ut exaudiri mereremur pro viribus ſtuderemus, profuiſſe nobis aliquid ſideremus. Eſt autem hujuſmodi: Salva nos omnipotens Deus, & per merita & intercesſionem Sanctæ Dei genitricis MARIÆ, omniumque Sanctorum, eſto nobis propitius & clemens; conceſſáque veniâ præteritorum, da nobis deinceps velle, poſſe, & perficere quæ tibi placent, & nobis expediunt. Da nobis in tribulatione ſolatium, in perſequutione auxilium, in omni tentatione virtutem. Da nobis de præteritis veniam, de præſentibus quoque malis emendationem, atque de futuris largiri nobis dignare cuſtodiam. Per, &c. Sed quid iterum agimus, Fratres? Ecce nam contrarietas
Prov. 28. 9. maxima rursùm: clamatur enim nobis: *Qui avertit aurem ſuam ut audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Quanta autem hic ſit inter nos hinc paret adverſio legis, ut cum exprobando quondam Dominus: *Et erit ſicut populus, ſic ſacerdos*; nunc pejores multùm ſunt ſacerdotes noſtri, proh dolor! quàm populares.

Tantâ ergo intercepţus conſilii difficultate, conſultores coactus requirere, nuſquàm dum nullum inveniam, pergere, ut dixi, ſatago Romam. Proſperet Dei pietas intentionem in hoc miſericorditer meam: plurimos verò veſtrûm comperetim dum inde lætari, quaſi non debeam iſthuc unquam reverti, monere vos neceſſarium duco, ut mihi & vobis communem hanc noveritis fore omnimodis ſortem, videlicet ut ſi iſthîc præfingum mihi eſt mori, non poſſim illuc omninò defungi. Si vos illîc verò debetis tempus conceſſum finire, hîc nullo modo terminum vitæ poſſitis habere. Cujuſcumque modi ergà me verò animi ſitis, commendo vos cuſtodiæ divinæ, diſcendi amore coactus hinc abiens pietatis.

SERMO VALDE PROLIXUS

DE QUADRAGESIMA

Ratherii Veronenſis; vel inefficax ſi viventè, ut eſt ſibi viſum, garritus.

I. CUm neminem divinis lateat imbutum dogmatibus, hos quadraginta dies, quos parſimoniæ ritu excolendos præ manibus tenemus, hoc ideo numero inſtitutos, quòd præter id quod cataclyſmo præfiguratı fuerint, cum primitùs etiam ipſi à Moyſe & Helia, legis utique & Prophetiæ Miniſtris, ipſiuſq; Domini Prophetarum inſpiratoris, legis conditoris & impletoris, gratiæ largitoris, Evangelii fundatoris continuo ſunt jejunio adimpleti, myſticum quid etiam, nec omninò contemnendum deſignent; mirari non ſufficimus illorum ſuperſtitioſam obſervantiam, qui non quadraginta, ſed viginti diebus diſtinctim licet omninò guſtantes, viginti verò reliquis ante horam uſque ad crapulam & ebrietatem prandiis ſolemnibus incubantes, quadrageſimam non verentur hujuſcemodi nugacitatis obſervantiam vocitare, cum vigeſimam deberent eam potiùs appellare. Nec putetis, audientes, quòd hujuſmodi loquutionis exordium facientes, eorum reprehendere conemur religioſam devotionem, qui ſuper hoc, quod omnibus legaliter eſt inſtitutum Chriſticolis, aut duobus, aut tribus, aut uno ſaltem in hebdomada die, ſibi fortius aliquid abſtinentiæ indicunt, reminiſcentes ſcilicet illius dicentis: „Qui illicita commiſit
Gregorius. „debet à licitis abſtinere?“ Et, *Hæc oportuit facere,*
Matt. 23. 23. *& illa non omittere.* Et, *Quodcumque ſupererogaveris, ego cum rediero reddam tibi*, non oblitı
Luc. 10. 35. prolatum. Non reprehendimus, inquam, ſed laudamus & approbamus; tantùm viderint, ne de illis quoque dicatur: *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.*
Matt. 6. 2.

II. Illorum potiùs dolenda veſania, qui uno die nihil guſtant, altero (ut vidiſſe nos ſemel adeo meminimus) ut etiam in ſabbato illo ſanctiſſimo, quo Miſſam ſaltem canere ante veſpertinam nulli noſtratium conceditur horam, cum niſi jejunium uſque ad ſancti illius ſabbati protrahamus veſperam, peragere nullomodo occidentalium ritu valeamus Quadrageſimam; tertiâ, proh dolor! horâ diei nutare inſtabilitate greſſuum quoſdam præ crapulâ & ebrietate viderimus. Quid illi aliud dicendi fecisſe, niſi Paraſceve quaſi Domino jejunaſſe, ſabbato compenſationem jejunii à diabolo ipſam utique crapulam recepiſſe? Niſi forſitan ita quis deſipiat, ut putet Quadrageſimam hanc meruiſſe prærogativam, ut contrà Conſtitutionem aliorum temporum aliqua in eâ ſit dies, quæ non mane incipiat, veſperâ terminetur.

III. Subſimilis verò quia & de Cœnâ Domini violatorum quadrageſimæ profectò eſt delinquendi occaſio; cum in ſanctis legatur Canonibus: „Si quis in quintâ feriâ majoris hebdomadæ dicit ſolvendum eſſe jejunium, anathema ſit:“ & rite ejuſdem ſolemnitatis diem colentium maximum, poſt horam diei nonam ſit rectiſſimè gaudium, non ſolviſſe defenditur jejunium, qui uſque ad eamdem jejunans, diebus ut cæteris, horam, venit ad Eccleſiam, cœnat cum Domino, id eſt, corporis & ſanguinis ejus ipſo die initiata percipit Sacramenta, poſtea in magnâ lætitia ſobriè prandet, pedes pauperum lavat, reſidens in Dei nomine non ſuperfluè bibit, Deo gratias agit, cubitum benedicens Domino, ſeque ipſius communiens ſignaculo, pergit. Ante verò nonam horam cum nullius unquam gentis conſuetudo nominaverit aliquod prandium, cœnam, mirari non deſinimus, qualiter aliquis ſaltem eamdem celebrare audeat ullo modo miſſam, quæ non aliud, niſi ipſam continet Domini celebratam ad veſperam cœnam, ſicut & Sabbati officium Reſurrectionem Dominicam. Quæ nimirum utraque illam inanem faciunt occaſionem, quam quidam deſuper adjectis duobus ad quadraginta prætendunt diebus.

IV. Addimus præterea, quia decimam dierum, ſecundùm beati ſuaſionem Gregorii, Deo non poſſumus dare, niſi uſque ad veſperam Sabbati ſancti quadrageſimam ſtudeamus extendere.

V. Sciendum ſanè, quòd cum ſub unâ fide ſint conſuetudines Eccleſiarum diverſæ; Orientales & longiorem, & auſteriorem, quàm nos, faciunt Quadrageſimam: & idcircò Paſchale gaudium ad horam Sabbati ſancti inchoant, ut dicitur, (quod nobis licet minimè) tertiam. Baptiſmum enim ut nos, non eo die, ſed in Epiphaniâ & Pentecoſte dicuntur ſolummodo, contrà inſtituta licet noſtrorum Canonum, celebrare.

VI. Vituperamus, & illorum ridiculoſam nimiùm ſtultitiam, qui contrà conceſſam nonâ horâ diei omnibus ſumendi quidlibet licentiam, uſque ad noctem quotidie jejunium eligunt protelare, ut nocte quaſi cum licentiâ ventrem valeant ingurgitare. Cum enim de Domino ſacra Evangelii proferat lectio: quia *cum jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit*, nec tamen manducare ſua-
Matt. 4. 2.
denti conſenſerit, non exemplo Domini jejunare convincitur, qui poſt jejunium eſuriens, gulæ appetitum, ut ille tentatorem, non ſuperat, Diabolum.

VII.

VII. Malè jejunant & illi, qui quod corpori ſuo ſubtrahunt, non pauperibus tribuunt; ſed aut ſuo ventri, aut, quod eſt nequius, Mammonæ, id eſt, cupiditiæ Dæmoni, abſtinendo reſervant.

VIII. Illorum quoque Deus non approbat jejunium, qui abſtinentiæ diebus, detractionibus; litibus, & criminoſis inſerviunt actibus. Abſtinent vino, livoris ebrii ſemper veneno; non comedunt carnes, & rodendo aliorum inceſſanter lacerant mores; deeſt eis potionum dulcedo, & cogitationum eos nequam vexat pernoxior amaritudo. Contrà illorum igitur & iſtorum clementiam, [a] hoc potiùs approbamus quod ſapientiſſimus ait Hieronymus: » Melius quotidiæ parum, quàm raro ſumere ſatis. « Verè, verè, & melius, & contrà inanem gloriam tutius. Quis enim horâ diei licitâ cum cæteris te conſiderans parum edentem æſtimare poteſt, utrum hoc facias Dei timore, an, ut multi, edendi impoſſibilitate? Biduana ſanè vel triduana ſæpe, ut ait jam dictus, jejunia, non Deo, ſed vanæ gloriæ certum eſt militare.

IX. At contrà gluttonum iſta ſolet eſſe defenſio, licet non per omnia falſa: Melius eſt, aiunt, abſtinere à vitiis, quàm à cibis. Sed quomodo abſtinet à vitiis, quæſo, qui gulæ deſervit? Nonne ex octo principalibus vitiis unum triformis eſt gula; & cum manducando vetitum homo perdiderit Paradiſum, non aliquando jejunando, ſemperque peccando, qualiter quis lucrabitur cœlum? Quid, aiunt, nocet, ſi ante nonam comedam, cum non niſi ſemel in die manducans, jejunium faciam? Ad quod reſpondemus: Quid profuit Adæ quòd non niſi ſemel de fructu ligni vetiti manducavit, poſtea ab eodem abſtinuit? Nonne ipſa inobedientia divini præcepti reum illum in perpetuum fecit? Qui autem illum de ligno eodem comedere prohibuit, ipſe tibi jejuniorum diebus uſque ad horam nonam abſtinere præcepit. Quod ſi inobediens auſus fueris præterire, quod jejunium te putas feciſſe?

X. Quare autem triformis dicitur gula, niſi quia primum ejus vitium eſt, ante horam manducare; ſecundum in horâ plurimùm manducare? Spernitur enimverò, ut ait quidam, à Deo totius diei jure jejunium, quod in veſperam, aut certè in craſtinum, ventris ingluvie, vel pretioſorum compenſatur multiplicitate, vel ſaltem ſuavitate ciborum. Fac, inquiunt, eleemoſynam, & quod Deus concedit manduca.

XI. Meliùs dicerent, fac eleemoſynam jejuna, & ora. His enim niſi duabus aliis jejunia noſtra vehantur, cœlum non valent conſcendere: orationum videlicet, & eleemoſynarum juvamine. Hæc enim tria mutuo ſibi ſuffragantur ita ſolamine, ut jejunium, eleemoſynæ & oratio; eleemoſynas, oratio & jejunium; orationem, eleemoſynæ & jejunium perferant ad remuneratorem facientium (ſi tamen ſinceriter peragantur) abſque dubio Deum: hoc verò niſi ſe invicem adjuvent inceſſanter ſuffragio, unum quodlibet eorum duobus aliis deſtitutum, placare, ut veremur, tria omnia requirentem juſtum omninò non valent judicem, ac perfectæ bonitatis amantiſſimum Deum.

XII. Cum verò ita ſit, ut & de orationibus quæ noſtrum movent animum minimè ſileamus, nobiſcum reprehendere non ceſſamus pariter eoſdem, quibus Jacobus ait Apoſtolus: *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis.* (Jac. 4. 3.) Malè namque petit, qui non petit quod Dominus præcipit, ſed quod potiùs interdicit. Ille namque deſiderare & petere nos jubet cœleſtia, nos contrà & deſideramus & optamus terrena: ille orare pro perſequentibus & calumniantibus, nos è diverſo contrà perſequentes & calumniantes execrabiles fundimus preces. Quale autem eſt illud, quod quidam noctibus pſalmodiis & orationibus inſtant, diebus verò detractionibus, praviloquiis, otioſitati, & deſidiæ vacant, cùm nox potiùs quieti, dies ſit conceſſa labori; quod, reor, optimè noverat ille, qui poſtquàm dixerat: *Media noctis ſurgebam ad confitendum tibi.* (Pſal. 118. 62.) Et, *in matutinis meditabor in te:* (Ibid. 62. 7.) duas videlicet tantùm nocti conſecrans horas, *Septies*, ait, *in die laudem dixi tibi.* Nos verò, Fratres, quidquid perperam agitur, cum Dei adjutorio devitantes, atque Apoſtolici illius non immemores: *Sive vigilemus, ſive dormiamus, ſimul cum Chriſto vivamus*, (1. Theſſ. 5. 10.) in noctibus extollamus manus, id eſt, opera noſtra, in ſancta, & benedicamus Domino: (Pſal. 133. 2.) poſt quietem verò ſurgentes, ut juxtà eumdem Apoſtolum, & jam ſilentes ſine intermiſſione nos orare debere credamus, (1. Theſſ. 5. 17.) illius dicentis omnimodis recordemur: *Qui avertit aurem ſuam ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* (Prov. 28. 9.) At contrà veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate, Dominicâ nobis dicitur voce. Petamus quoque à Deo non quod nos prohibet capere, ſed quod imperat deſiderare, ut nobis reſpondere dignetur quod Salomoni ſapientiam poſtulanti reſpondit. Cui nimirum reſponſo illud Evangelicum concinit: *Quærite primùm Regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia*, id eſt corpori neceſſaria, *adjicientur vobis.* (Luc. 12. 31.)

XIII. Quales autem, quàm exaudibiles illorum ſunt preces, qui tempore orationis, ut ita dicamus, omnia peragrantes, furtum etiam plerumque, latrocinia, homicidia, adulteria, fornicationum etiam multimoda genera, & his ſimilia meditantes quamplurima, neque Dei, quem rogare videntur, neque illius rei pro quâ rogant, ullo modo recordantur: quid quæſo rogant? quem rogant? pro quo rogant?

XIV. Verum quia Dæmonum hoc agitur inſidiis, invidentium utique profectui orationis, cum & curæ ſæculares, & quæ ſæpiùs videmus, loquimur, audimus, ad hoc nimium impediant faciendum; præter alia [b] nobis quod cæcus ille in Evangelio legitur feciſſe: quem cum prætereuntes increparent ut taceret, *multo magis clamabat: Fili David miſerere mei.* (Marc. 10. 48.) Os ſanè noſtrum (veriſſimè veraciſſimi in hoc utamur ſermone) tantominùs exauditur in prece, quantu magis inquinatur turpi loquutione.

XV. De orationibus itaque quoniam quidem ſatis pro tempore diximus, ad eleemoſynas veniamus. Eleemoſyna cum à miſeriâ vocabulum trahere videatur, nulla congruentius principatum in ordine, ut nobis videtur, poteſt habere, quàm illa, de quâ Sapiens admonet ita: *Fili miſerere animæ tuæ placens Deo:* (Eccli. 30. 24.) ut videlicet illud nobiſmetipſis primitùs miſericordiæ [a] impendamus, ut quæ Deo placent agere ſatagamus: & quia proximum ſicut noſmetipſos diligere jubemur, eumdem recto conſilio, ubi commodum viſum fuerit, ſive arguendo, ſive obſecrando, ſive increpando, in viam Domini dirigamus; corporis ſi indiget neceſſariis, de juſtis laboribus noſtris illi ſecundùm quod poſſumus præbeamus. Scriptum quippe tenemus: *Qui offert ſacrificium ex* (Ibid. 34. 24.)

a *& iſtorum dementiam*] Veriſſima, ni fallor, lectio, quam reſtitui ex conjectura. Antea *& juſtorum clementiam*, corruptè.

b *præter alia*] Hic quidem nonnihil deeſt, ſed ejuſmodi ut ab omnibus ſuppleri facilè poſſit, nimirum *præter alia nobis ſic audiendum eſt*. Infrà ſcripſimus *miſericordiæ*, ubi erat *miſeriæ*.

ſubſtantiâ pauperis, ſic eſt quaſi qui victimat filium
in conſpectu patris ſui. Hoc verò facientes, illius
Luc. 14. 12. Domini recordemur: *Cum facis prandium aut cœ-*
nam, noli vocare divites, quia habent retribuere tibi;
ſed voca pauperes, & retribuetur tibi in reſurrectione
juſtorum. Quamvis nemo in eâ re ſit dives, in quâ
ſolatio indiget, ac per hoc quod illi largimur non
diviti, ſed conferimus indigenti, tantùm pro Dei
reverentiâ, & pro Chriſti hoc faciamus amore; illius
Matt. 7. 12. utique ducti auctoritate præcepti: *Quæ vultis ut*
faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter.
Quod enim de Mammona iniquitatis amicos nobis
facere ſuademur, non propterea dicitur, ut uni au-
feramus quod alteri tribuamus, cum, juxtà Augu-
ſtinum, melius ſit nulli dare, quàm alicui tollere;
ſed ut noverimus, quia divitiæ cum omni ſint ſæ-
culo communiter datæ, à nullo congregari ſine ava-
ritiæ malo valent ullo modo. Omnis enim, ait Hie-
ronymus, dives, aut iniquus, aut iniqui eſt heres.
Pſal. 40. 2. Et quia Pſalmiſtæ dicitur voce: *Beatus qui intelligit*
ſuper egenum & pauperem, demus operam ut qui
plùs indiget, plus utique accipiat; qui minùs, ſi-
militer minus. Et quia hoc quoque nobis præcipitur,
tribuamus potiùs bono quàm malo, ſi tamen eos va-
lemus diſcernere; ſi non, ſequamur dicentem, *Ne*
eligas cui miſerearis.

Caveamus etiam ne quem exaſperemus importu-
1. Cor. 9. 7. nitis fieri rogantem: *Hilarem enim datorem diligit*
Deus. Et quia, beatus ut ait Ambroſius, bonorum
exhibitio ſæpe per moram contraxit offenſam, præ-
Prov. 3. 28. beamus ſollicitè aurem dicenti: *Ne dicas amico tuo,*
vade, & revertere, & cras dabo tibi, cum ſtatim
poſſis dare. In his verò omnibus hoc attendamus, ut
non pro inani gloriâ, ſed pro Dei juſſione, & com-
munis naturæ conſideratione, bonum quod faci-
Matt. 6. 3. mus, agere ſtudeamus, Domino ita jubente: *Te au-*
tem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid fa-
ciat dextera tua. Quamquam & hoc dicto præcipi
poſſit videri, ut in noſtrâ eleemoſynâ nil poſſit inve-
niri, quod de ſiniſtro opere, id eſt, de injuſto ſit
acquiſitum labore, ſequitur [c] magis oſtentationem
Ibid. v. 4. innuat hoc dicto notari. *Ut ſit*, inquiens, *eleemo-*
ſyna tua in abſcondito. & Pater tuus qui videt in abſ-
2. Cor. 9. 6. *condito reddet tibi.* Dicente quoque Apoſtolo: *Qui*
Eccli. 3. 33. *parcè ſeminat, parcè & metet.* Et quia *ſicut aqua ex-*
ſtinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum;
conſideremus maximo igni injecta modica quid fa-
ciat aqua. Ad quam conſiderationem non modicè
valet conſilium, quod Tobias æquivoco præbuit
Tob. 4. 9. filio: *Fili*, inquiens, *ſi multum tibi fuerit, abun-*
danter tribue, ſi parum, etiam ipſum libenter imper-
tiri ſtude. Nihil enim Deo carius bonâ voluntate,
cum & calix aquæ frigidæ cum bona voluntate lar-
gitus, remunerationis mercede non careat; ut ipſe
ait in Evangelio Dominus. Cui canit Pſalmiſta devo-
Pſal. 55. 13. tus: *In me ſunt Deus vota tua*, id eſt voluntas,
quam tibi cuncta cernenti offero bona: quocircà ſi
tam pauper eſt quis, ut nihil penitùs quod tribuat
habeat, ſemetipſum ſi tribuat, ſibi ſufficere credat.
Luc. 6. 30. Dictum eſt enim: *Omni petenti te tribue*, id eſt; &
cui tribuis, & cui non tribuis, te tribue: verbi
gratiâ: Rogat aliquis ſibi tribui panem, & non ha-
bes quem tribuas panem, tribue te, id eſt, tuam
bonam voluntatem, quâ utique tribueres illi, ſi ha-
Eccli. 18. 17. buiſſes, libentiſſimè panem; & quia *ſermo bonus ſu-*
per datum optimum, curtere pro viribus, ut ſi deſit
manui quem porrigas cibus, ſermo linguæ non deſit,
quem reſpondeas, bonus.

XVI. Quia verò omnia hæc ſine charitate, mira-
bile dictu, exhibita, nihil teſte proderunt Apoſtolo,
qui ait: *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facul-* 1. Cor. 13. 3.
tates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ar-
deat; charitatem autem non habuero, nihil mihi
prodeſt. Ut ejuſdem charitatis jura ſervare queamus
illæſa, præbeamus cordis aurem dicenti: *Si offers* Matt. 5. 23.
munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris quia
frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi
munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari
fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum. Quòd
ſi ille qui lædendo fratrem in aliquo contriſtavit eum-
dem, ſuaſit agre [d] non dedignatus Domini, ille
qui læſus adverſùs fratrem aliquid habet, taliter ſe
quoque monenti ſurdam mentis non præbeat aurem:
Cum ſtatis ad orandum, dimittite ſi quid habetis ad- Marc. 11. 25.
verſùs aliquem, ut & Pater veſter cœleſtis dimittat
vobis peccata veſtra. Quòd ſi vos non dimiſeritis, nec
ipſe dimittet vobis peccata veſtra.

XVII. Sunt verò contrà noſtri conſimiles, ad
dimittendum quod in Deum committitur perfaciles,
quod contrà illos agitur odiis ſi poſſent perpetuis in-
ſectantes; cum magis charitas expoſceret, ut con-
trà ſe acta faciliè dimitterent, contrà Deum verò per-
petrata rigidiſſimè vindicarent, non immemores ta-
men dicentis: *Qui ſine peccato eſt veſtrùm, primus* Joan. 8. 7.
in illam lapidem mittat. Nullum præterea bonum
compenſatione mali fieri debere credamus; ut vide-
licet ideo jejunes, ideo eleemoſynas facias, ideo
orationibus aerem iſtum fatiges, ideo quod contrà
te eſt perpetratum dimittas, ut aut adulterium, aut
fornicationem, aut aliquid ſimile quaſi impunitè
facere credas, cum nulli promittitur peccatorum ve-
nia, niſi qui converſus reliquerit ea.

XVIII. Talia igitur cum noſtra tamquam con-
temptibilia ſint, proh dolor! jejunia, orationes
quoque & eleemoſynæ, de nobis deploratum per Je-
remiam valemus timere: *Viderunt eam hoſtes, &* Thren. 1. 7.
deriſerunt Sabbata ejus. Et, per alium nobis Domi-
num præcepiſſe: *Nolite jejunare ſicut uſque ad hanc* Iſai. 58. 4.
diem.

XIX. Teſte verò Apoſtolo cum quod ſine fide
agitur peccatum ſit: ipſa verò ſine operibus fides
cum otioſa, vel mortua ſit, deceptores illos præ-
terire nullatenus animarum debemus, qui contrà
confirmationem Catholicæ fidei, in qua continetur,
quòd *venturus* ſit Dominus judicare vivos & mor-
tuos, & ſæculum per ignem; &, *qui bona egerunt* S. Athanaſii
ibunt in vitam æternam; qui verò mala, in ignem in Symbolo.
æternum: impunitatem omnibus baptizatis promit-
tunt miſerrimi ſcelerum; ita, inquiunt, pius eſt
Deus & miſericors, ut neminem Chriſtianum per-
mittat intrare in infernum. Quamquam verum di-
cerent, ſi Chriſtianum fore illum ſolummodo qui
Chriſti voluntatem facit, credere poſſent. Cùm verò
Petrum audiant dicentem Apoſtolum: *Melius fue-* 2. Pet. 2. 21.
rat eis non cognoſcere viam veritatis, quam poſt co-
gnitionem retrorſum converti; de quibus quæſo di-
ctum conjiciunt?

XX. Et cum ordines quatuor ſacra teneat aucto-
ritas in judicio extremo futuros: unum ſcilicet, qui
judicet cum Domino; alterum, qui per judicium
remuneretur; tertium, qui per judicium damnetur;
quartum, qui neque per judicium illum remunere-
tur, neque damnetur. Cum ſcriptum in Evangelio
ſit: *Qui autem non credit, jam judicatus eſt.* Et Joan. 3. 18.
Pſalmiſtæ verbum dicatur: *Ideo non reſurgunt impii* Pſal. 1. 5.
in judicio, quaſi apertiùs dicat: & ſi quidem reſur-
gunt, non ideo reſurgunt ut judicentur, quia jam
ſunt judicati, ſed ideo reſurgunt, ut receptis cor-

c *ſequitur*] Ita legerem, ſi res mei arbitrii eſſet, *quod ſequitur .... innuit.*

d *ſuaſit agre*] Lectio corrupta; vera meo quidem judicio, ita reſtitui poteſt, *ſuaſum .... dedignatur.*

poribus, illuc eant ubi ante ſæcula ſunt deſtinati. Impios autem iſtos intelligere ſolummodo debemus incredulos, & minimè baptizatos; quis ergo damnatus tertius ordo tibi videtur, niſi credentium, id eſt baptizatorum exiſtere, qui pro eo quod fidem habuerunt, ſed operibus fidei, quæ illic requiruntur, caruerunt, juſtè damnati in ignem ſunt æternum, qui abſque dubio infernus erit, ituri.

XXI. Conſtat ergo certiſſimè Dominum quemdam ideo monuiſſe: [*Joan. 5. 14*] *Ecce ſanus factus es, vade, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*; & alio loco dixiſſe: [*Matt. 12. 45.*] *Fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus*, ut intelligas tantâ humiliatione Dei de cœlo ad terram pro hominibus deſcendentis, tot indignitatibus, tot opprobriis ab eo perlatis, fame, ſiti, laſſitudine, ſputis, genuflexionibus irriſoriis, falſis teſtimoniis, aceto, felle, ſpineâ coronâ, ad poſtremum crucis patibulo, lateris perfoſſione, effuſione ſanguinis & aquæ, manuum pedumque confixione, ignominioſæ mortis opprobrio redemptos, ſacro baptiſmate lotos, Spiritûs ſancti illuminatione ditatos, cognitione voluntatis Dei locupletatos, malè agentes diutiſſimè toleratos, flagellis paternaliter eruditos, promiſſionibus dulciſſimis attractos, honoribus variis tam ſæcularibus quàm Eccleſiaſticis infulatos, commodorum inæſtimabilium blanditiis invitatos, infinitiſſimis aliis beneficiorum prærogativis ditatos, majora mereri juſtè tormenta, quàm illos quibus talia conceſſa ſunt nulla: [*S. Benedict. Regulæ c. 2.*] »Cui »enim plus committitur, plus ab eo exigitur,« ut ait quidam benedictorum non infimus: &, [*Luc. 12. 47.*] *Servus qui ſcit voluntatem domini ſui, & non facit, dignè plagis multis vapulabit.*

XXII. Sed quia omnipotens eſt Deus, & ejus pietas nihil aliud, quàm ipſe eſt Deus, omnipotens verò pietas ejus, uti & juſtitia ejus, de quo ſaltem dubitare Apoſtaticum credimus eſſe, ad illam dum vivimus nos conferamus. Mortui enim nihil omninò faciemus, ſed quod fecimus recipiemus: quòd & ſi aliquis pro nobis aliquid fecerit boni, etſi non proderit nobis, proderit illi. De illis verò Purgatoriis poſt obitum pœnis, nemo ſibi blandiatur, monemus; quia non ſunt ſtatutæ criminibus, ſed peccatis levioribus, quæ utique per ligna, fœnum, & ſtipulam deſignantur. Sed quid agimus his ita pro certo conſtantibus, qui novimus quoſdam pravâ conſuetudine, quoſdam ſacramento, quoſdam etiam maleficiis, aut quibuſdam aliis, ut prætendunt, inevitabilibus cauſis, ita obligatos, ut erigi ad emendationem nullo modo valeant, quid eis dicere valeamus? quod conſilium dare? Quidquid enim eis dixerimus, hoc proculdubio reſpondebunt, etſi non verbum, effectu attamen operis, quod illi de Evangelio ad cœnam vocati; & verendum ne ſimiliter ab invitante relicti, pereant, ut Pharao, indurati.

XXIII. Hi nimirum ſunt enim, qui cum liberi eſſe valerent, immiſerunt ſponte ſuâ in rete pedes miſeri ſuos, & in ejus maculis ambulantes, dum expediunt ſe ab uno, in aliud incidunt periculum, & metuendum ne inevadibiliter à Domino concluſi. Sed enitamur, dicamus aliquid; ſuademus illis ne in deſperationis ſe præcipitent ullo modo barathrum, ignari quid eis ſit deſtinatum. [*Eccleſ. 9. 1.*] *Neſcit* enim, ait, *homo*, ſcriptura, *utrum odio an amore dignus ſit; ſed omnia in futurum ſervantur incerta.* Quatriduanum recogitent Lazarum ſuſcitatum, clament cum cœco illo importuniùs; jejunando utique, orando, eleemoſynis inſiſtendo, non ut peccare eis tamen liceat, ſed ut à peccato eos per miſericordiam liberari contingat, vociferentur cum Chananæâ dicentes: [*Matt. 15. 22.*] *Miſerere mei fili David*; anima mea *malè à dæmonio vexatur.* Et, *Noli* Domine *noli vinci à malo* meo, *ſed vince in bono* tuo *malum* meum. [*Rom. 12. 21.*] Et, *Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo libera me*, [*Pſal. 139. 2.*] utique me, & tibi factori ac Redemptori meo piiſſimo reſtitue me: quod utique miſericors agis, ſi quod contrà te meditor, me velim nolim omittere facis. Si autem meos mortiferos conatus proſperari permittis, quam mihi fiduciam evadendi relinquis? & ſi à præſentibus malis non ceſſo, quam veniam de præteritis ſpero? Gemenſque talium quis inſtanter quaſi conquerendo donec exaudiri mereatur, proclamet: *Uſquequo exaltabitur inimicus meus?* [*Ibid. 12. 3.*] *Reſpice & exaudi me Domine Deus meus.* Et, *Fac* [*Ibid. 85. 17.*] *mecum, Domine, ſignum in bono, ut videant qui oderunt me, & confundantur, quoniam tu Domine adjuviſti me, & conſolatus es me.* His & hujuſmodi clamoribus aures exaudire cupientiſſimi Domini, corde, ore, manuque fatigans, niſi ante terminum vitæ quieſcat, forſitan pietas illius (qui cum vult, *potens eſt de lapidibus filios Abrahæ ſuſcitare: Qui* [*Matt. 3. 9.*] *non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat.*) [*Ezech. 33. 11.*] Sanctorum precibus pulſata reſpondebit & illi, quod eidem inſtanter clamanti: *O mulier*, inquiens, [*Matt. 15. 28.*] nuſquam huc ſcilicet viriliter agens, ſed mollitiâ muliebri vitiis enerviter ſuccumbens, *magna eſt* nunc *fides*, id eſt orandi perſeverantia *tua*; *fiat tibi ſicut vis*: & ſanabitur anima illius in illâ horâ: quod nobis omnibus præſtare dignetur Redemptoris noſtri clementia.

XXIV. Eſt & alia pereuntium in perpetuum evidens approbatio, quod cum tres in Evangelio legamus mortuos à Domino ſuſcitatos, quartum ſibi nuntiatum noluerit ſuſcitare, ſed è contrario dixerit: *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Tres verò iſti mortui tria ſignificent morientium animæ genera: unum ſcilicet in occulto, aliud in publico, tertium in conſuetudine, quod & fœtere dicitur, id eſt deſperatione recuperandi vicinos inficere; ſed quia Deo nil eſt impoſſibile, & tales ab initio omnes fuerint in oculis ejus, quales in fine futuros illos prævidit, dilexiſſe eos comprobatur, cum inſperata eorum emendatio cernitur. Quartum verò illud genus eſt mortis, de quo Pſalmiſtæ dicitur voce: *Quoniam* [*Pſal. 10. 3.*] *laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ; & iniquus benedicitur.* Et de quibus Propheta: *Popule meus,* [*Iſai. 3. 12.*] *qui beatum te dicunt, ipſi te decipiunt.* Cum enim quis & malum quod facit ipſe defendit, & adulantium attollitur inſuper laudibus, nunquam ad ſui cognitionem rediens, ut ſepulturæ mortuus aggere, ita ille adulantium falsâ premitur infeliciſſimus laude. Nunquam utique reviviſcit, qui ſe mortuum fore nunquam cognoſcit: nec ad ſalutem redit, qui ſalute ſe indigere minimè credit. In perpetuum ergo periiſſe non dubitatur, qui tali fine defungitur. Quod genus mortis ſummopere cavere cum Dei auxilio laboremus, nec adulantium mendaciis de nobis credamus, ſed peccata noſtra & ipſi accuſemus, & accuſantibus non iraſcamur. Non ergo leve putet quis ſe committere peccatum, cum aliquem malè agentem falſis laudibus attollit, cum Dominicâ voce de ſe dici, quòd mortuus mortuum ſepeliat, audit; irrecuperabiliter enim eum interficit, qui fortaſſis ad emendationis vitam reſurgeret, niſi eum ille ſuis adulationibus inceſſanter obrueret.

XXV. Cum verò octo, ut beatus fatetur Auguſtinus, ſint mendacii genera, adulatorum eſt inter omnia, fateor, peſſimum. Illi enim præcipuè & interfectores & ſepultores ſunt animarum, Regum maximè, Ducum, Comitum, Epiſcoporum, Abbatum, ac ſæculi hujus potentium, non veriti terribile illud per Prophetam Domini maledictum: *Væ qui dicitis malum, bonum, & bonum malum*, &c. Quorum [*Ibid. 5. 20.*]

mortifera præconia ita Job, ita poſt Jeremias ty-
Job 3. 3. picè maledixiſſe leguntur: *Pereat*, inquit, *prior*
dies in quo natus ſum, & nox in quâ dictum eſt, con-
Jerem. 20. 15. *ceptus eſt homo:* alter verò: *Maledictus*, ait, *qui*
annuntiavit patri meo, dicens, natus eſt tibi puer
maſculus. Pſalmiſta contrà illos auxilium Domini im-
Pſal. 69. 4. precando: *Avertantur ſtatim erubeſcentes, qui di-*
cunt mihi, Euge, euge.

XXVI. Abſtinere verò tanto magis nos oportet ab
omni mendacio, quanto certiùs illud à diabolo pro-
cedere valemus advertere, Domino ita de eo te-
Joan. 8. 44. ſtante: *Cum loquitur mendacium, ex propriis lo-*
quitur, quia mendax eſt, & pater ejus, utique
Pſal. 5. 7. mendacii. Et Pſalmographus Domino dicat: *Per-*
des eos qui loquuntur mendacium. Quod tamen ſi de
omni mendacio intelligamus, nullum à perditione
liberum judicamus, dicit enim alibi idem: *Omnis*
homo mendax. Ergo tu ipſe hæc dicens mendax Pro-
pheta? Abſit, nam & illic certum quoddam, quod
perditionis filii ſolummodo loquuntur dixi menda-
cium, & omnem hominem in exſtaſi, id eſt in con-
templatione veracitatis Dei, vocavi mendacem; ſi-
cut & Eccleſiaſtes meus, & poſt illum Apoſtolos,
vanitati ſubjectum. Quàm præterea noxium ſit omne
Sap. 1. 11. mendacium, alius nos admonet dicens: *Os quod*
Prov. 19. 5. *mentitur, occidit animam.* Et, *falſus teſtis non erit*
impunitus.

XXVII. Mendacium ſanè quàm longè à Præſulibus
Eccleſiæ debeat eſſe, invectivâ cujuſdam ſententiâ
hujuſmodi, ac populorum conſuetudine tritâ, va-
lemus advertere: Verba, inquiunt, ſacerdotis aut
vera, aut ſacrilega. Quàm è contrario autem ve-
ritas ſit Deo dilecta, ipſe de ſe loquens Deus homo
Joan. 14. 6. demonſtrat, cum ait: *Ego ſum via, veritas, & vita.*
Zach. 8. 19. Et per Prophetam: *Pacem & veritatem diligite,*
ait Dominus Deus, Paſcha cujus celebrare *in azy-*
1. Cor. 5. 8. *mis ſinceritatis & veritatis* nos monet Apoſtolus.
Et cùm quædam populi ſui acta reprobaſſet, ſub-
Zach. 8. 16. jecit: *Hæc ſunt ergo verba, quæ facietis: loquimini*
veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo. Et replicans:
Ibid. *veritatem & juſtitiam judicate in portis veſtris.*

XXVIII. Ecce, fratres & filii (Deus concedat ab
ipſo clementer reſpecti) ecce quanta commemo-
ravimus vera mala, quanta falſa bona, quanta
etiam mixta bonis mala. Quid nobis agendum ad
iſta, niſi, ut prædiximus Dominum præcepiſſe, non
ita jejunemus, non ita oremus, non ita eleemoſy-
nas faciamus, ſicut uſque ad hanc diem jejunavi-
mus, oravimus, eleemoſynas fecimus, ne hoſtibus
noſtris, malignis utique ſpiritibus, occaſionem nos
ampliùs deridendi præſtemus. Sed rationabiliter in
ſimplicitate cordis Domino ſervientes, curemus pri-
mitùs ne bona noſtra falſa ſint. Curemus ne nulla,
dehinc ne pauca, poſt ne inordinata, illiuſque nun-
quam obliti conſilii, quod datum, infructuosè li-
cet, cuidam legimus ita, *Peccaſti, quieſce.* Noſtro-
rum cujuſdam perlepidam ei concinentem recola-
mus pariter illiuſmodi ſententiam: *Noli eſſe malo-*
rum factor, & eris occiſor, utique malorum facto-
Eccli. 5. 5. rum; illiuſque non immemores: *Fili*, inquit, *ne*
adjicias peccatum ſuper peccatum, dicens: Miſeri-
cordia Dei magna eſt, & quod ſequitur, cogitantes
non adeo deſpiciamus, ut precibus ad placandum
illum compoſitis, & tam pravis ut uſque nunc je-
juniis, orationibus, eleemoſynis, & rationi con-
trariis vigiliis, nos eum, qui inviſibilis omnibus pe-
netrat ſuo univerſa intuitu, deludere poſſe creda-
mus. Sed ſi volumus ei placere ſicut præcepit, ſtu-
deamus illi ſervire, ut peccatorum remiſſionem ac-
cipere, & gratiam ipſius mereamur recuperare ip-
ſius ſolummodo pietate, quam perdidimus arbitrii
noſtri meritò libertate.

XXIX. Finem ſanè loquendi cum hîc nobis [e] pu- e
taviſſemus occurrere, occurrit è contrario non ſi-
lere valendi omnimodis ratio. Hæreſis namque ex
antiquis quoſdam hîc apud nos, cum exhauſta ubi-
que crederetur, conſopita potiùs apparuit, quam
mutuato à græcitate vocabulo Anthropomorphita-
rum etiam latinitas appellare conſuevit. Nudius
enim tertius quidam noſtratium retulit nobis Preſby-
teros Vicentinæ Diœceſis, noſtros utique vicinos,
putare corporeum Deum eſſe: hac ſiquidem occa-
ſione inductos, quòd in ſcripturis legatur: *Oculi* Pſal. 33. 16.
Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum.
Et, *Manus tuæ fecerunt me.* Et, *Faciamus homi-* Job 10. 8.
nem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Cum uti- Geneſ. 1. 26.
que hæc ſimilitudo, vel diſſimilitudo, non ad cor-
pus, ſed ad ſolam pertineat animam, quæ eſt uti-
que ſpiritus, quamquam circumſcriptus & com-
prehenſibilis ſpiritus, & hujuſcemodi in ſcripturis
alia non intelligentes ſtultiſſimi, quod tam inexco-
gitabilis, tam inſcrutabilis, tam ineffabilis, tam in-
comprehenſibilis eſt Deus, ut nihil proprium effari
de eo humanæ loquutionis valeat uſus.

XXIX. Quis enim audeat ſolummodo cogitare, ut
hoc unum proferamus de multis, quòd per naturam
Chriſtus fuerit vermis, aut ſcarabæus? Et tamen
per quamdam ſimilitudinem ipſe de ſe, quamvis fi-
guraliter loquens, veraciter dicit: *Ego autem ſum* Pſal. 21. 7.
vermis, & non homo. Et per Prophetam: *Scarabæus*
de ligno clamabit. Quod cum nos non modicè per-
moviſſet [f], proh nefas! nobis commiſſo gregi eam- f
dem adeo comperimus perfidiam inhæſiſſe, ut facto
de periculo in populo ſermone, & Spiritum eſſe
Deum, incorporeum, inviſibilem, intractabilem,
& inæſtimabilem, ſcripturarum teſtimoniis appro-
bato, quidam, heu dolor! noſtrorum murmurando
dicerent etiam ſacerdotum: Quid modo faciemus?
Uſque nunc aliquid viſum eſt nobis de Deo ſcire,
modo videtur nobis quod nihil omninò ſit Deus, ſi
caput non habet, oculos non habet, aures non ha-
bet, manus non habet, pedes non habet. Ad quod
uni eorum iſtud præbemus reſponſum: Stolidiſſime,
ergone anima tua vel mea nil tibi eſſe videtur pro eo
quod eam videre non vales? Quale verò caput ha-
bet anima tua, quas manus, quos pedes, quæ alia
membra? monſtra mihi ſaltem ſi vales colorem ejus;
ſi non vales, ego ejus tibi demonſtro valentiam. Sta-
tue mihi hîc duo corpora, unum cum animâ, aliud
ſine animâ. Quod ex illis duobus videbit, audiet,
loquetur, ambulabit? illud quod eſt cum animâ, an
illud in quo non eſt anima? Non dubium quin illud
quod habeat animam, reſpondebis. Ego è contra:
Quare non illud quod animam non habet? nimi-
rum quia deeſt illi ipſa vis, ipſa poteſtas, ipſum inæ-
ſtimabiliter melius atque validius, quod illud rege-
bat, ut aliquid faceret, ſine quo nihil omninò fa-
cere poterat: nihil enim eſſe viſibilium, quod non
ab inviſibili regatur, ratio docet.

XXXI. Ecce inviſibilis anima quàm potentior ſit,
quàm viſibile corpus. De ipſâ vitâ animæ quid tibi
videtur? Nonne ipſa inviſibilior multum, quàm
ipſa eſt anima? Quid autem ipſa valeret anima, imò
quid ipſa eſſet anima ſine vita? Abſque dubio nihil:
Legitur enim ita: *Factus eſt primus Adam in animâ* 1. Cor. 15. 45.
viventem, ſecundus in ſpiritu vivificantem. Si ergo ani-
ma, quæ utique ſpiritus eſt, tantum valentior eſt
corpore, ut ſine illâ ſe ſaltem non poſſit movere; vita
verò animæ quæ utique inviſibilior eſt, tantum po-
tentior anima, ut ſine illa ſaltem poſſit nec eſſe ſpi-

e *cum hic nobis*] Antea editum erat *cum hic non.*

f *permoviſſet*] Acherius ediderat *promoviſſet.*

ritus vivificans, qui utique Deus eſt; & quo Deus inviſibilior, eo omnibus interior adeo Spiritus, (ſi regulariter ita dici valeret) inviſibiliſſimus omnium ſpirituum ſpiritus, & ſpiritus ſpiritiſſimus omnium appellari poſſit ſpirituum: & quo omnibus ſpiritibus inviſibilior, eo omnibus interior; & quo interior, eo magis credendus omnium rector, inſpirator; motor, vivificator, ſpirituum, ſicut anima omnium corporum, imò ſicut vita omnium viventium, & tanto præſtantiùs, quanto ineffabiliùs atque potentiùs.

XXXII. Sicut enim anima nihil eſſet ſi non eſſet vita, ita omnis creatura ſive viſibilis, ſive inviſibilis, ſive corporea, ſive incorporea, nihil omninò eſſet, ſi non eſſet Deus omnia utique, ut ita dicatur, animans, ſicut vivificans Spiritus, qui quo omnibus interior, eo eſt inviſibilior: ſicut & ſpiritus in corporibus eo interior, quo inviſibilior, eo inviſibilior, quo uſque ad ineffabilitatem interior, ac per hoc uſque ad omnipotentiam ita potentior, ut quidquid [eſt,] per ipſum ſit, quidquid vivit, per ipſum vivat; quidquid movetur, per ipſum uſque ad ineffabilitatem iterum moveatur. Uſque ad ineffabilitatem verò protulimus, quia recolimus motus homicidarum, furum, adulterorum, qui utique niſi à Deo ipſum habent, quo peſſimè abutuntur miſeri, motum, cum à ſeipſis malæ motionis habeant vitium.

XXXIII. Tanta igitur vis, tanta poteſtas, tam inæſtimabilis, tam impenetrabilis natura, tam inſcrutabilis ſubſtantia, tam incomprehenſibilis Deitas, tam immenſurabilis magnitudo, tanta de ſe ipſâ univerſa irradians pulcritudo, tam cuncta viſu intimo penetrans adſpectus, tam omnia continens inviſibilis manus, tam univerſa illuminans claritas, tam omnia ſupereminens proceritas, tam cuncta concludens profunditas, tam omnia faciens operatio, tam nihil inacceſſibiliter inacceſſum relinquens immobilis motio, tam omnia nutriens ſapida dulcedo, tam cuncta diſcernendi non impotens flatus, tam ſubtilis univerſorum non modo voces, ſed intentiones à longè cognoſcens, cui tacendo Moyſes utique clamaſſe refertur auditus. Et ne in infinitum ducamus, quem finire omnium qui fuerunt, ſunt, aut erunt, non valuerunt, valent, valebunt loquendo ſermones; [g] illud ineffabile, illud inexcogitabile omnibus eſſe; ille ad poſtremum incircumſcriptus, ubique totus, nuſquam minor, nuſquam major, qui cœlorum continet thronos, & abyſſos intuetur, montes ponderat, terram palmo concludit, cui cœleſtia, terreſtria, & inferna genuflectunt omnia. Spiritus, qui eſt utique Pater & Filius & Spiritus ſanctus unus Deus, ſingillatim Spiritus, indiviſibiliter Spiritus, qui eſt ſuper omnia & per omnia, & in omnibus benedictus in ſæcula Deus; nil tibi videtur, eo quod non habeat quod videre valeas corpus; nec legendo diſcere, aut à legentibus ſciſcitari curaſti, qui ſint illi *ſuper juſtos* *Pſal. 33. 16.*
oculi Domini: quæ aures ejus in preces eorum; quis *Ibid.*
vultus ipſius ſuper facientes mala, ut perdat de terrâ memoriam eorum: quæ manus, qui pedes; ſed omnia hæc fabrili revolvens inſipientiſſime cogitatu dixiſti, non in corde ſolùm, ſed multo veſaniùs in ore, *non eſt Deus*, imò turpiùs, nihil eſt Deus, ſi non habet pedes & manus, cum potius eo ipſo, quo rationalis es conditus, deberes ex ratione colligere eum qui te condidit, eo magis Deum eſſe, quo minùs eum vales conſpicere; quem nimirum, ut beatus ait Gregorius, jam videre eſt, jam rationem illius ratiocinando conſpicere, cujus tunc aliquid quaſi ex parte cognoſcimus, quando eum nos dignè cognoſcere non poſſe ſentimus; tunc eum quaſi ex parte videmus, cum à nemine videri eum poſſe non ignoramus.

XXXIV. *Conſideravimus*, inquiunt, *& non erat* *Iſai. 53. 3.*
aſpectus, unde nec reputavimus eum. Quod quidem illi tui complices de incarnatâ pro nobis Dei ſapientiâ leguntur dixiſſe: tu verò inſaniùs de totâ Trinitate, imitatus utique eos, qui dum Moyſes tardaret
in Sinai monte dixerunt ad Aaron fratrem ejus; *Fac* *Exod. 32. 1.*
nobis Deos qui præcedant nos. Moyſi enim neſcimus quid contigerit. Ita & tu cum te faſtidiiſſet de Ægypto, id eſt, de tenebris ignorantiæ ad lumen cognitionis inviſibilis Dei adduci, quoquomodo idola tibi in corde cœpiſti ſtultiſſime fabricare, immenſitatiſque Dei oblitus, magnum quemdam quaſi Regem in throno aureo videlicet ſedentem depingere, militiam Angelorum quaſi quoſdam homines alatos, ut in parietibus ſoles videre, veſtibus albis indutos ei aſſiſtere; cum & illi ſpiritus ſint, & pro ſuâ naturâ inviſibiles, & cum hominibus apparent, non in ſuâ naturâ, ſed in ſpecie quam illis Deus aut ex iſto aëre corporeo licet tenuiſſimo, dare vult, aut unde vult, aut ſi ei, ut in primordio omnigenæ creationis placet ex nihilo, uti videri corporalibus oculis poſſint, apparent, vocemque ex aëre eodem aëreis, ut ita dicatur, ipſi labiis & faucibus ac gutture nobis incomprehenſibiliter, ſed tamen his quibus divinitùs hoc videre, vel audire conceditur, cognoſcibiliter reddunt.

XXXV. Secundâ, inquiunt, feriâ Michaël Archangelus Deo Miſſam celebrat. O cæca dementia! [h] Quæ tibi enim videtur cauſa apud nos primam vel ſecundam facit feriam, nonne ſolis ortus & ejus occubitus? & quis eſt ſol alius in cœlo, niſi Sol juſtitiæ, cum Patre & Spiritu ſancto Chriſtus? An adeo inſanis, * ut putes noctem eſſe in cœlo, cujus illuminatio craſtinam faciat diem? Quomodo ergo lux illic æterna, ſi obſcuritas eam interpolat ulla? In quali templo canit ſanctus Michaël Miſſam,
cum Joannes in Apocalypſi dicat, *Templum non* *Apoc. 21. 22.*
vidi in eâ. Dominus, ait, *in Templo ſancto ſuo: Do-* *Pſal. 10. 15.*
minus in cœlo? Vis de illo templo tibi quod nunc cordi occurrit, reſpondeam? Dominus in utero Matris Virginis non relicto Patre in cœlo, uno utique eodemque momento & in cœlo, & in Virginis utero: ſed in cœlo intemporaliter, in matre ex tem-
pore. *Sedes ſuper Thronum*, ais, dicit Pſalmiſta, *Ibid. 9. 6.*
qui judicas æquitatem. Nos quoque *qui ſedes ſuper* *Ibid. 79. 2.*
Cherubim, ſæpe cantavimus & intelleximus Cherubim plenitudinem ſcientiæ interpretari, & quod thronum hoc, hoc idem Cherubim appellari, hoc eſt Angelicum ſpiritum, imò legiones utraque hæc Angelorum: ſuper quem autem Angelorum non ſedet Dominus, cum & de animâ juſti legatur, quòd ſedes ſit ſapientiæ, ſapientia verò Dei Patris Deus filius ſit? quo verò ſedet ſapientia ſine eo cujus eſt ſapientia?

XXXVI. Verùm quia hæreticorum hoc proprium eſt, ut confutari oppidò, vinci verò non leviter valeant, totâ iſtâ allegatione, non quid ſit Deus, ſed quid non ſit, ſi poſſimus perſuadere; id eſt quod nec corporeus, nec viſibilis, nec æſtimabilis ſit, utpote ſpiritus ſpirituum, inviſibiliſſimus omnium ſpirituum, confutatos veritatis inimicos gaudeamus. Vos autem, ô Filii, quibus loquimur, hoc admonemus, ut abjectis hujuſmodi nugis, atque mendacis, illius monentis non immemores; *Altiora te ne* *Eccli. 3. 22.*

g *ſermones*] Prior editio *ſermonem*.

h *O cæca dementia*] In priore editione hoc loco legitur *clementia*, & iſtâ *an adeo inſanis*. Hic monere juvat de prolixâ hac diſputatione adversùs Anthropomorphitas cogitaſſe Sigibertum, cum in Elencho operum Ratherii ita monuit cap. 127. *ſcripſit contra hæreſim Anthropomorphitarum*, *&c.*

quaſieris, & profundiora te ne ſcrutatus fueris. (Multi enim ſunt qui dum diſcipuli fieri dedignantur veritatis, magiſtri fiunt erroris, non intelligentes ſcilicet, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant) ad illum magni Conſilii Angelum vos conferatis, qui ait: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Et, *Nemo venit ad Patrem, niſi per me*: conſequenter enim nec ad Spiritum ſanctum. Ipſe enim cum Philippo reſpondiſſet, roganti ut oſtenderet illis Patrem, reſpondit: *Qui me vidit*, utique interioribus illis oculis, quibus Deus poteſt utcumque videri, (*Beati* enim *mundo corde; quoniam ipſi Deum videbunt*) *vidit & Patrem.* Et adjecit: *Non credis quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Quod totum niſi ad inviſibilem Deitatem Patris & Filii referas, ſtare non poteſt. Non enim qui vidit in carne, quam pro nobis aſſumſit, filium, conſequenter vidit & Patrem. Alioquin & Judæi perſequentes illum vidiſſent, quibus voce Dominicâ dicitur: *Neque me ſcitis, neque Patrem meum; ſi me sciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis.* Id eſt, ſi inviſibilem & incorpoream divinitatem meam in me latentem agnoviſſetis, & cor mundum ad hanc contemplandam habuiſſetis, conſequenter & Patrem meum in me manentem, & me in Patre ſciretis. Ipſe ergo qui hujuſmodi introductione nos cognoſcere fecit, quòd Pater ipſe, idemque, qui hoc dicebat Filius, & Spiritus ſanctus unus eſſet Deus: *Euntes*, ait, *baptizate omnes gentes, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti.* Ipſe inquam, qui carneis labiis ab interiore Deo motis hoc diſcipulis præcepit, ipſe nobis dicit quid ſit Deus: *Spiritus*, inquit, *eſt Deus*, & poſt reſurrectionem dubitantibus Apoſtolis ait: *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.*

Joan. 14. 6. Ibid. Ibid. v. 10. Matt. 5. 8. Joan. 14. 10. Ibid. 8. 19. Matt. 28. 19. Joan. 4. 24. Luc. 24. 39.

XXXVII. Si ergo carnem & oſſa non habet ſpiritus, unde caput habet, quod utique ex carne & oſſibus conſtat? Unde manus, unde brachia, poſtremò unde labia; unde linguam, unde guttur, unde pulmones, unde illi ſont arteriæ, unde palati concavitas, unde quatuor anteriores dentes, quibus procul dubio omnibus & vox formatur, & loquutio agitur, quibus Michaël Miſſam canere dicitur? Tu è contra qui ſuprà: *Gloria in excelſis Deo*, quis primus cecinit? Angeli reſpondemus: Quomodo? ut Deo placuit illis hoc quod Paſtores audire, vel intelligere poſſent, præſtare; quia in ſpirituali naturâ hoc nullo modo poterant facere. Et hoc in aëre, qui percuſſus vocem facit, utique & cœlum appellatur, unde & volucres cœli dicuntur, non in æthere, non in cœlo, ubi nullus indiget ſtrepitu aliquid vocis, nedum Deus qui omnia novit cognoſcere. Vox enim in cœlo Angelorum nihil eſt aliud, niſi admiratio perpetua claritatis & ineffabilitatis Dei ſine motu linguæ, ſine ſtrepitu vocis. Nam & in terrâ hoc magis delectat Deum, qui, ut paulo ſuperiùs protulimus, ait: *Spiritus eſt Deus; & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* Et quia Miſſa dum canitur, corporis & ſanguinis Domini participatione ipſe qui canit, reficitur; monſtra mihi panem & vinum unde hoc agitur: *Panem cœli dedit eis*, ſcriptum eſt. Reſpondes: *Panem Angelorum manducavit homo.* Quis eſt alter panis cœli, niſi Dominus Chriſtus, unde cœleſtia ſpiritalem eſcam accipiunt, & delectatione inæſtimabili perfruuntur. Et panis Angelorum rectè dicitur Chriſtus, quia reverâ illius laude paſcuntur. Neque enim corporalem panem manducare Angeli credendi ſunt. De vino quid facies: *Non bibam*, reſpondes, *amodo de genimine vitis uſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum novum in Regno Dei.* Nihil te juvat ad hoc: Regnum enim Dei dicit Eccleſiam, in quâ cum cœpiſſet, ut Pſalmiſta canit, à ligno regnare, & novo vino, id eſt, ſanguine ſuo cum pane carnis ſuæ ejuſdem incolas Regni potare, Apoſtolis poſt reſurrectionem ſuam per quadraginta dies apparens, loquenſque de Regno Dei, & conveſcens, conſequenter & bibiſſe cum eis non eſt penitùs dubitandus. Ecce tu miſer, qui de mediâ lente tuum illum corporeum Deum uno anno, Belis ſacerdotibus ſtultior æſtimande, paſcebas. Noſter Deus verus, inviſibilis, incorporeus, intractabilis, immenſus, incircumſcriptus, omnium creator quæ fuerunt, quæ ſunt, quæ erunt, omnium rector, diſpoſitor; oculi omnia contuentes, aures interiora etiam cordium penetrantes, brachia omnia continentes, manus omnium operatrices, pedes immobiliter per omnia diſcurrentes, quæ utique omnia *Spiritus eſt Deus*, Pater utique & Filius & Spiritus ſanctus, unitas cujus in Deitate, Trinitas in perſonis conſiſtit. Noſter, inquam, Deus cum magno tremore & reverentiâ recolendus, cum maximâ dilectione amplectendus: noſter, inquam, hujuſmodi Deus. Unde ſuos Angelos æternaliter paſcat, tandem aliquando, & ſi non à nobis, ſaltem ab Auguſtino convictus, & utinam converſus adverte. Nam de loquutione Dei ad Angelos, & illorum ad Deum, abundè te docet, ſi requiras in Moralibus, Gregorius.

Pſal. 77. 25. Marc. 14. 25. Pſal. 95. 10. Act. 1. 3.

XXXVIII. Et quia, ut cernitur, nullatenùs à carnali vales intellectu divelli, tenete ſaltem ad illam quam pro nobis Dei ſapientia ſuſcipere dignatus eſt carnem. Illa enim in cœlis ad dexteram, id eſt, æqualitatem Patris, qui ubique dexter, nuſquam ſiniſter, utpote incircumſcriptus Spiritus, Deus cum oſſibus, quæ ſpiritus omninò non habet, abſque dubio ſedit; ejus divinitati incorporaliter adſtant incorporei Spiritus, Angeli utique ſancti, animæ quoque felices, ſanctorum corpora quoque, ut nonnullis viſum eſt, quæ cum Domino ſurrexerunt cum animabus juſtorum. Neque enim hujuſmodi es meriti, ut dicere cum Apoſtolo poſſis: *Et ſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum; ſed jam nunc non novimus.* Ejus tamen ſi divinam indagare utcumque cupis ſubſtantiam, ab eodem intentiſſimè audi: *Philippe*, inquit, *qui me vidit, vidit & Patrem*: id eſt, neque me ullus in divinitate (quam ſi cerneres, hoc nullatenùs diceres: *Ego enim & Pater unum ſumus*) neque illum vidit. Vides me in carne, quam ſumſi pro te; non vides in divinitate, quâ ſum unum cum Patre; & ideo ſi vis Patrem videre, munda illum oculum cordis, qui conſiderare quoquo modo valeat inviſibilem Deum, & me conſpiciens videbis, & illum, non lumine attingendo corporali, ſed contemplando pro modulo ſpiritali. De ejus cibo ſi ſollicitaris, audi eumdem: *Meus cibus eſt ut faciam voluntatem ejus qui miſit me.* Et, *Non in pane ſolo vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei*: Et, *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare*, de pauperibus utique dicens.

2. Cor. 5. 16. Joan. 14. 9. Ibid. 10. 30. Ibid. 4. 34. Matt. 4. 4.

XXXIX. Verùm quia de ſacerdotibus noſtris conqueſti talia protulimus, ſuggerendo eoſdem nobiſcum monemus, ut in lege Dei die noctuque meditantes, ſcrutentur ſcripturas meliùs quàm uſque modo feciſſent: *Cæcus enim ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam*, ut ait Dominus, *cadent.* Quæ præcepit Deus, illa cogitent ſemper, hoc ſuper omnia præ oculis præceptum, quoniam quidem magnopere expedit, inceſſanter habentes. Non enim ſemel in anno, ſed quotidie eos neceſſitas cogit Paſcha Domini celebrare. *Renes veſtros accingetis*, id eſt caſtitati operam dare ſtudebitis. Et, *Mundamini qui fertis vaſa Domini: Omne enim quod tetigerit immundus, immundum erit*, dicit non mentiens

Ibid. 15. 14. Exod. 12. 11. Iſai. 52. 11.

Digitized by Google

1. Reg. 21. 4. Dominus : *Si mundi ſunt*, ait quidam, *pueri*, maximè à mulieribus, de panibus propoſitionis, qui noſtrum figurabant ſacrificium, utique ageis ; & cum ita ſit, quid miſeri cogitare valemus de nobis, quid æſtimare, quare ſcilicet Sacerdotes vocemur, qui tam immunda præcordia gerimus ? poteſtne quod damus vocari vel ſanctum pollutiſſimis manibus noſtris tractatum ? Eſtne benedictio, quam illecebroſo ſaltem oſculo, præter alia, fundimus ore polluto. Væ nobis miſeris, pro talibus ſcilicet, ac millies væ fuerat quidem olim prædictum : Et, *eris*
Iſai. 24. 2. *ſicut populus, ſic ſacerdos*, ſed utinam ut honeſtiores quilibet in populo Dei, ſic ſaltem ſacerdotes eſſent hujuſmodi.

Suademus præterea eis ne adeo ſint à Deo extranei, ut ſe ipſos primitùs, dehinc alios mortifere decipientes, mentiri potuiſſe putent Spiritum ſanctum
Galat. 5. 21. per os Apoſtoli dicentem : *Neque adulteri, neque fornicatores, neque ebrioſi regnum Dei conſequentur.*
Epheſ. 5. 5. Et ; *Hoc autem ſcitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut adulter, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hereditatem in Regno Chriſti & Dei.* Sed ne ad deſperationem eos ſermo iſte veriſſimus trahat ; noverint non de his dici qui olim fuerant adulteri, fornicatores, & avari, ſed illos notari, qui uſque in finem in talibus durantes, neglexerunt ad Deum converti, qui utique ſi concederentur eis in æternum vivere, non deſinerent in æternum peccare ; & ideo juſtè in æternum pœnas debent, quia digni ſunt luere. Comperimus namque noſtri temporis quemdam, talem perfungi ſi eſt deſtinatum, quem cognoviſſet hominum utinam nullus, hiſque his [i] deplanximus adeo inſolubiliter irretitum, ad ipſum ferè cum proximaret * miſerrimus ſenium, ut conſcientiâ remordente, nec ipſum Evangelii librum, nec eum oſculari auderet, qui communicaturus eſſet, Preſbyterum, contaminari ſuo miſer oſculo penſitans illum, ad mentem
Num. 19. 22. utique, *quod tetigerit immundum, immundum erit*, recolligens dictum, ita utique ſe judicans indignum, pro eo ſcilicet maximè, quod os illecebroſo cum manibus & brachiis haberet complexu pollutum, ut * formidaret ſaltem attingere ipſum vas quod tantæ dignitatis tetigiſſet myſterium ; & tamen emendationis nullum in ejus erat obduriſſimo corde veſtigium. Pro quo duplex nobis viſa eſt non ſilendi occaſio, id eſt, ut ejus primùm cavere ſtudeamus exemplum ; dehinc ut pro eo Dei miſericordiam eo amplius ſupplicemus, quo ampliùs eum indigere cognoſcimus.

XL. Nam talis amare nullatenùs [l], licet eum irrationabiliter metuat, convincitur Deum, quem tam moribus ſuis ſentit adverſum.

XLI. Nec contraria iſthic illa eſt Domini promiſ-
Marc. 16. 16. ſio, quâ dicitur : *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Quia * videlicet etiamſi credat in Deum, talem quis non credit Deo, qui * præcepta ejus non cuſtodit, nec ſacramentum vivendo tenet, quod fide percepit, ſed eamdem fidem, quàm verbum ad-
Matt. 6. 9. ſtruit, moribus deſtruit : *Pater noſter qui es in cœlis* cum cæteris fidelibus, conceſſo Domini, dicit, ſed *omnium corruptè viventium Diabolus pater eſt*, Zeno beatus ille è contrario ait. Quod à nobis avertere pietas dignetur illius, qui in hunc mundum venit peccatores ſalvos facere, JESUS Chriſtus Dominus noſter, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

CONTRA REPREHENSORES *Sermonis ejuſdem.*

NOn dicit RATHERIUS Veronenſis Epiſcopus, quòd Deus Dei Filius, Dominus noſter JESUS Chriſtus, hoc eſt incarnata pro nobis Dei ſapientia, non habeat caput, oculos, manus, & pedes, cæteraque humani corporis membra, cum animâ rationali, Deo, cum corpore plena ; dum veraciter eum cum corpore & animâ in cœlum aſcendiſſe, quo nunquam defuerat divinitate, & in eodem corpore, Angelis docentibus, didicerit eum venturum ad judicandos vivos & mortuos. Sed dicit Ratherius Epiſcopus, quòd Deus, id eſt, divinitatis ſubſtantia, non habet corpus quod palpari poſſit & videri, quia *Spiritus eſt Deus*, ſicut dixit Dominus JESUS Chri- Joan. 4. 24.
ſtus. Et, *Spiritus carnem & oſſa non habet*, ſicut Luc. 24. 39.
idem dicit in Evangelio Chriſtus.

Non dicit Ratherius Epiſcopus, quòd malum faciat qui vadit ad Eccleſiam ſancti Michaëlis, aut audit Miſſam ſancti Michaëlis ; ſed dicit Ratherius Epiſcopus, quòd mentitur ille qui dicit, quòd conveniat alicui meliùs in ſecundâ feriâ ire ad Eccleſiam ſancti Michaëlis, vel Miſſam ſancti Michaëlis audire, quàm in alio die. Dicit Ratherius Epiſcopus quòd mentitur ille qui dicit quòd ſanctus Michaël Miſſam cantet, cum nulla alia creatura Miſſam poſſit cantare, niſi homo ſolùm ; quia ille cum ſit rationalis, habet carnem & oſſa, ſine quibus Miſſa non valet cantari. *Spiritus* autem (ſicut Dominus dicit) *carnem & oſſa non habet*, licet valentiore quàm homo, polleat ille qui eſt Angelicus & non Apoſtaticus ſpiritus, ratione. Michaël verò ſpiritus eſt & Angelicus ſpiritus, & in conſpectu Dei ſemper aſſiſtit, ſine carne & oſſibus ; & illum inceſſabiliter laudat ſine libro, cum quo ſolet Miſſa cantari, ſine pane & vino, de quibus ſolet in Miſſâ corpus & ſanguis Domini confici.

Si autem quæris quid ſanctus Michaël cantet ? Labora, dicit Ratherius Epiſcopus, cum Dei adjutorio, ut poſt mortem cœlum conſcendas, illic audies quid cantet. Quòd ſi vis ad Eccleſiam ſancti Michaëlis ire, ſapias, dicit Ratherius Epiſcopus, quòd non libentiùs te recipit in ſecundâ feriâ ſanctus Michaël, quàm in aliâ. Si vis eum rogare ; ſapias, dicit Ratherius Epiſcopus, quia non clementiùs te exaudit ſanctus Michaël in ſecundâ feriâ, quàm in primâ, quàm in tertiâ, quàm in quartâ, quàm in quintâ, quàm in ſextâ, quàm in ſeptimâ feriâ. Hoc cum ita ſentiat, dicat, atque adſtruat Ratherius, qui volet, valet, & audet, cum non prohibet, imò poſtulat nam ipſe, refellat.

SERMO II.

DE QUADRAGESIMA.

HOrtor & admoneo vos mecum, ſi qui in hac mihi eſtis plebe conſimiles, ut aurem cordis prophetico adhibentes conſilio, dicentis : *Redite præ-* Iſai. 46. 8.
varicatores ad cor, cogitet unuſquiſque noſtrum, quare creatus, quare natus, quare renatus, quo pretio, & quare redemptus. Utrumnam debitas gratias retulerit creatori, factori, & redemptori ſuo, & ejus, ut dignum fuerat, ſaluberrimis obedierit præ-

i *hiſque his*] An *hiſque oculis* ? Inſrà legebatur *proximarit*, nec ita multo poſt, *&* *formidaret*.

l *amare nullatenus*] Nihil poterat eſſe corruptius, quàm quod Acherius ediderat *amare nullatenùs licet eum in rationabiliter, metuat, eum vincitur, Deum.* Infra editum erat *qui videlicet .... quia præcepta.*

ceptis. Quòd ſi in hoc ſe non invenit, ſit optarem, culpabilem, factori, redemptori, & Protectori gratias referens ſuo, non ſibi illud ſuperbè attribuens, humiliter gaudeat, & ab ipſo finem in talibus bonum indeſinenter exoptet, & ne prævaricator unquam juſte vocetur indeſinenter expoſcat.

Qui verò ſecùs egerunt, ne ſeſe deſperent admoneo, ſed reminiſcentes miſericordiæ Dei ſuper peccatores innumerabilium exemplorum, converti à ſuis pravitatibus dum ſani ſunt & incolumes velociſſimè feſtinent; ne ſi dum poſſunt, non volunt, dum voluerint, non poſſint. Quod tamen ſi fecerint, antiquum illum adverſarium abſque dubio contra ſe concitabunt, qui totis contrà eos ſeſe ſtatim exerens viribus conabitur eos vitiis implicare prioribus. [1. Cor. 9. 25.] *Omnis autem* (ſicut ait Apoſtolus) *qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.* Luctaturi igitur contrà tam atrocem, crudelem, callidumque tyrannum, quoniam quidem illi nobis ad hoc cum Dei adjutorio acttandum generaliter ac ſpecialiter delegati ſunt potiſſimùm dies, abſtineamus ab omnibus quæ illum fortiorem, nos imbecilliores omninò efficiunt. Quæ ſint autem ipſa Apoſtolus meliùs dicat: [1. Pet. 2. 11.] *Obſecro vos*, inquit, *tamquam advenas & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſideriis, quæ militant adverſùs animam.* Ecce quid nos imbecilles, quid illum efficient fortem. Carnalia utique deſideria, à quibus dum non abſtinemus, animas noſtras expugnabiles facimus. Cum enim nemo niſi alicui militet, & hic expreſſiùs, cui carnalia militent deſideria, minimè dicitur; dum adverſùs animam militare dicuntur, manifeſte diabolo militare monſtrantur. Nullus enim animarum noſtrarum alter eſt adverſarius, niſi ille, qui eas ſtatim invadit, ubi Deus eas juſto judicio deſerit. Juſto autem eas Deus judicio deſerit, ſi eum priùs deſeruerint ipſæ: quamvis & innumeras ſe deſerentes ipſe minimè deſeruerit, ſed hoc magis ex miſericordiâ, quàm ex juſtitiâ.

Quia igitur carnalia deſideria Diabolo adverſùs animas militant noſtras, ne dux de nobis triumphet illorum, opponamus illis abſtinentiam, & habebimus Deo adjuvante victoriam. Convertamur itaque ad Dominum, Fratres, in toto corde noſtro in jejunio, & fletu, & planctu, ſed à quo, ad quem converti vos putatis, monemus? Ab inimicis utique animarum noſtrarum carnalibus deſideriis, ad amicam illarum abſtinentiam: à Diabolo, cui militant ipſæ, ad Dominum qui contrà illum, ſi volumus, pugnat pro nobis die noctuque. Sed ſi volumus contrà illum pugnare, ſtudeamus eum à nobis longiùs propulſare, & à cordibus noſtris ejicere, neque eum intrà nos ipſi fovere. [Job 40. 16.] *Sub umbrâ enim dormit*, ut ait Dominus, *in ſecreto calami, & locis humentibus.* Umbra verò ſunt callidi; calamus ſimulatores, foris utique placidi, interius vacui: humecta verò loca, luxurioſorum ſunt membra, & libidinoſa illorum præcordia. Veruntamen noverimus, Domino teſte, quia hoc genus nullus neque de ſe, neque de alio valet ejicere, niſi in oratione & jejunio. Sed quomodo in oratione à ſe ejicere Diabolum valet, de [Prov. 28. 9.] quo dicitur: *Qui avertit aurem ſuam ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis?* O utinam enim ſi non exaudiremus, ſaltem non eſſet execrabilis oratio [Ibid. 21. 13.] noſtra! Itemque alibi: *Qui avertit aurem ſuam à clamore pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur.* Hic profectò præter quid etiam profundius innuitus, quia niſi clamantem ad te adjuves pauperem, non te exaudiet Deus orantem. Jejunas verò quomodo, niſi à vitiis abſtinendo, cum Dominus [Iſai. 58. 4.] dicat: *Nolite jejunare ſic ut uſque ad hunc diem*, & cætera quæ ſequuntur? Ut igitur à cordibus noſtris expellamus Diabolum, jejunemus, oremus, eleemoſynam ſecundùm poſſibilitatem faciamus, ſed ultrà poſſibilitatem nos voluiſſe teſtem Dominum habeamus. Ita enim carnalia deſideria, quæ adverſùs animas militant noſtras, ipſius adjutorio ſuperare valebimus.

Sed dicit aliquis: ſi ab omnibus quæ caro deſiderat abſtinemus, quomodo vivimus? Nonne eſuriens deſiderat edere, ſitiens biberè, etiamſi non ſuperfluè, neque ſumptuoſè? Somnum patiens (ut hæc tantùm de innumeris honeſtè atque neceſſariò requiſitis proferantur) nonne optat dormire? Ad quod reſpondendum; quia non interdicuntur hoc præcepto neceſſaria, ſed ſuperflua, ſed noxia, ſed inhoneſta, & à Deo prohibita. Unde & alter Apoſtolus: *Carnis*, ait, *curam ne feceritis in concupiſcentiis:* [Rom. 13.] ubi profectò nobis præcipitur, ut ſic corpori neceſſaria miniſtremus, ut nulli animum voluptati ſubdamus, ne dum ratio domina, caro debeat eſſe ancilla, propter ancillam, dominam conteramus, & imperet quæ obtemperare, obtemperet quæ imperare debuerat. Abſtinentia cæterùm noſtra niſi ſit triformis, eſt per omnia ad perfectionem inutilis; hoc eſt, ut primùm à meditatione pravâ, ſecundò à loquutione noxia, tertiò ab operatione ceſſemus, pro Dei timore vel amore, perverſâ; ut mundati, Deo miſericorditer largiente, ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, his ſanctis ſaltem diebus ſanctiſſimum Paſcha poſt ipſos venturum cum gaudio & lætitiâ celebrare poſſimus: ipſo adjuvante, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO I.

DE PASCHA.

PAſchales, Fratres Cariſſimi, hodie dapes ſumpturi, vobiſque pro debito miniſtraturi, hoc eſt, Agni illius ſacroſanctam refectionem, quam digito ejuſdem Præcurſor demonſtrans clamavit: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* [Joan. 1.] Nimirum quia typicus ille iſtum tantummodo figurare, non verò peccata poterat relaxare, quod ſolus iſte in Deitate, quæ illi unà cum Patre & Spiritu ſancto individua eſt, valet ſingulariter agere. Hujus itaque Agni corpus & ſanguinem ſolemniùs hodie tractaturi, veſtræque dilectioni propinaturi, poſtulamus ne moleſtè veſtrûm aliquis ferat, ſi lactucarum agreſtium aliquantulum interponimus partem, cum & hoc per ipſius facimus Domini juſſionem. Eorumdem ſanè ulcrum cum nemini noceat adeo ſpeciem corpoream ignorare, non parum ſufficit ſi non ſpiritalem intelligentiam quis agnoſcere ac mente valeat retinere illorum. Natura equidem uleris iſtius ſumentis fertur oculos in lacrymas fluere facere, dente, purgare, ſed natura illius quid ſignificat? Facit corporis & cordis intuitum in planctum ſalubrem excitari. Dicunt quoque qui de Phyſicâ quaſi videntur tractare, quòd aquila acumen, quo plurimùm pollet, ſi perdiderit occaſione quâlibet viſûs, guſtu illud recuperet herbæ iſtius. Percongrua, Fratres, ſimilitudo conſilii, ut qui videlicet caliginem interioris viſûs contraxit aſſiduitate culparum, guſtu eumdem recuperare ſtudeat talium lactucarum.

Sed jam nunc ornemus quam promiſimus menſam. *Hæc dies*, Fratres Cariſſimi, *quam fecit Dominus*, (ait Propheta ſanctiſſimus) *exultemus & lætemur in eâ.* [Pſal. 117] Numquid, Fratres, non & heſternam diem ſimiliter Dominus fecit? Planè, ſed illam jejunio, iſtam lætitiæ conſecravit: illa diſcipulis luctum, hæc maximum intulit gaudium. Quid ergo,

Fratres, agendum ? Nimirum ut ratio docet, ſi heri luximus cum Apoſtolis, gaudeamus hodie cum illis, & omnibus ſanctis. Neque vereamur ne nobis dicatur : (*Luc. 6. 25.*) *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis ac flebitis* : cum propter præteritam abſtinentiam atque triſtitiam, ejuſdem reſoveamur conſolatione dicentis : (ut Apoſtolis verò ante paſſionem, ita nobis ante reſurrectionis Dominicæ diem) (*Joan. 16. 22.*) *Et vos igitur nunc quidem triſtitiam habetis ; iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Hoc dictum eſt Apoſtolis, hoc dicit & nobis ; luxerunt Apoſtoli pro morte, quamquam illis nimiùm neceſſaria, Chriſti, de cujus reſurrectione gaudio inæſtimabili, & immenſâ ſunt gratulatione lætati : imitati ſumus heſterno luctum illorum, imitemur hodie gaudium. Sed ſi eos volumus imitari, ab eiſdem normam ſumamus moneo gaudii. Dic igitur ſancte Apoſtole, poſt omnes quidem vocate, ſed uſque ad tertium cœlum modo quem ipſe meliùs noſti divinitùs rapte ; dic, inquam, ſatisfac interrogantibus, unde debeamus gaudere : (*1. Cor 5. 7.*) *Paſcha*, inquit, *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Non ob aliud ? Immolationem nam nos ipſam intelleximus eamdem, quam Apoſtoli luxerant mortem, quorum & heſterno ſumus imitati mœrorem. Rogamus igitur, proſequere quid debeamus hodie vel qualiter agere, ſubjungit atque ait : *Itaque epulemur*, id eſt, Carnem Domini manducemus, & ſanguinem ipſius bibamus : (*Ibid. v. 8.*) *Non in fermento* tamen *veteri, neque in fermento maliti(æ) & nequitiæ ; ſed in azymis ſinceritatis & veritatis* : & veritatis, inquam. Quare hoc ? Quia & alibi idem dicit Apoſtolus : (*Rom 6. 4.*) *Conſepulti ſumus Chriſto per baptiſmum in mortem ; ut quomodo ſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus.* Hoc igitur ſenſu, Fratres Cariſſimi, ſi ſervamus operando quod credimus in Chriſto renati, in Chriſto paſſi, in Chriſto mortui ; in Chriſto ſumus à mortuis ſuſcitati, ac per hoc maxima nobis eſt ratio gaudii. Hanc ergo diem non ſibi ſolùm, ſed & nobis quia fecit Dominus, Fratres, exultemus & lætemur in eâ.

Ecce hæc ſunt Paſchalis feſti decentiſſimæ quas vobis promiſimus dapes, nunc nobis monſtratæ a, poſt modicum monſtrandæ ; de lactucarum agreſtium, ſed quid facimus, Filii, promiſſo ? Veniant & ipſæ, purgent rheumata dentium, hoc eſt, impedimenta de facinorum congerie, mentium, comedere qui veniunt agnum, fluere ex oculis rivulos cogant aquarum. *Non in fermento*, inquit, *veteri*, hoc eſt, inflatione anterioris peccati, vel affectu idem vel aliud perpetrandi ; id eſt, ut ne ejuſdem vitii hodie ſitis quod heri fuiſtis. *Neque in fermento malitiæ & nequitiæ* ; quaſi utique dicat : Malitiam præteritam bonitate mutate ; nequitiam relinquite, ſi Agni Dei carnem vultis comedere, & ejus ſanguinem bibere. Sequitur : *ſed in azymis ſinceritatis & veritatis*. Intelligite, Fratres, imò intelligite ſi qui hic forſitan mei eſtis conſimiles, malitioſi utique nequitiâ pleni ; ſi vultis ſalubriter gaudere, in Domino gaudete, non in jocis ſuperfluis, non in fabulis otioſis, non in turpiloquiis noxiis, non in tactibus illecebroſis, non in crapulâ & ebrietate non in cantuum vanitate. Si cupitis exultare, (*Pſal. 2. 11.*) *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Si deſideratis Paſcha legitimum celebrare, in azymis celebrate. Quæ ſunt verò ſi requiratis azymæ ; ſinceritas reſpondeo, & veritas. Fermentum enim peſſimum eſt ſimulationis duplicitas ; fermentum noxium eſt falſitatis voluntas. Fermentum enim cum à fervore ſit nominatum, ipſam malitiam, ipſam nequitiam, ipſam veteris Adæ cum univerſam nominari valeamus intelligere conſuetudinem, nullam magis valemus conjicere, quàm contrariam ſinceritati & veritati magiſtram decipiendi proximum fallaciam ; quâ utique inexſtinguibiliter fraudulentorum æſtuat animus. Ipſâ itaque cum maximè utatur malum quodlibet perpetrandi voluntas, abſtineat tanto ab eâ, id eſt, fallaciâ, veſtra, ſuggerimus, fraternitas, quanto hac magis offenditur divina majeſtas, & deturpatur Paſchalis honeſtas. Niſi enim ita eſſet, nequaquam Apoſtolus & contrariorum prohibitione, & ipſarum præceptione eaſdem duas inſolubiles virtutes, id eſt, ſinceritatem & veritatem, in Paſchalis feſti epulis tantopere commendaſſet ; diverſis vocabulis eadem repetendo atque dicendo : *Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.* (*1. Cor. 5. 7.*) Nedum enim Paſchalem nullam celebrat feſtivitatem, qui in corde malam habet voluntatem, cum nec gloriam in excelſis cum Deo, nec veram in terrâ cum hominibus quis habeat pacem, niſi qui bonam poſſidet voluntatem.

Hanc, Fratres Cariſſimi, mordaciſſimam veracitatem, & veraciſſimam mordacitatem, lactucam appello agreſtem, quæ utique, flagito, cordium & corporum noſtrorum, ſpiritali guſtu percepta, qualitatem commutet. Cor videlicet ad ſuſpiria, corpus dum provocat ad lamenta, utraque hæc ad malæ voluntatis relinquenda molimina. Quod abſque dubio credimus proventurum, ſi etiam quod Dominus per Decalogi nobis mandat de Paſcha celebrando Miniſtrum, ad naturam earumdem referre ſatagimus lactucarum. *Sic autem*, inquit, *comedetis eum. Renes veſtros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinantes.* (*Exod. 12. 11.*) Quid auſterius, Fratres, quid acrius dici potuit illi, qui iſta intelligens, Paſcha præteritum ſe meminit eiſdem obſervatis nullo modo celebraſſe ? Qui enim non obaudivit Pſalmiſtæ dicenti : *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſimè* : (*Pſal. 44. 4.*) id eſt, fortiter ; ſed enerviter ſeſe luxuriæ dedens, ad Agni Dei ſumendum corpus & ſanguinem eſt auſus accedere ; qui non ſequutus eſt exempla ſanctorum qui jam in Chriſto obierunt patrum ; qui non ſe baculo regiminis defendit contrà rugientem leonem, id eſt, quærentem ſe devorare diabolum ; qui pio deſiderio non feſtinavit, id eſt, non optavit diſſolvi & eſſe cum Chriſto : qualiter hodie ſine gemitu atque ſuſpirio corpus & ſanguinem Domini præſumat accipere, non video, niſi quia aut deſperatione mortiferâ induratum, aut falſâ ſpe deceptum hujuſmodi credo. Sed ne faciat ſuggero ; ne ſe deſperet moneo, ne falſâ ſpe ſeſe decipiat ampliùs rogo. Intendat quod ſequitur, ſuſpiret & gemat : *Eſt enim Phaſe*, id eſt, *tranſitus Domini.* Quaſi dixiſſet : Tranſit à diabolo ad Chriſtum, qui renes à luxuriâ reſtringit, qui ſanctorum exemplis greſſus operum munit ; qui baculo regiminis à diabolo ſeſe defendit ; qui deſiderando feſtinat ad Patriam cœleſtem pertingere. Huic itaque ſoli conceditur Paſcha Domini celebrare, & tamen nec huic ſine lactucis agreſtibus, id eſt, memoriâ præteritorum facinorum, & effuſione utiliſſimâ lacrymarum.

Sed jam nunc ad Apoſtolum redeundum tantum qui conficiat quod propoſuimus, obliti impoſſibili-

a *nobis monſtrata*] Corruptus locus ; lego *nunc vobis monſtrata, poſt modicum manducanda.* Iſtâ reſtituo *imò intelligitis.*

tatis noſtræ, qui valet utique negotium: *Paſcha*, inquit, *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Quod ſuu utique, ut remur, dixiſſe: Ideo pro nobis immolatus eſt Chriſtus, ut ipſe noſter eſſet tranſitus ad ſeipſum, & ipſe noſtrum eſſet ſolummodo gaudium. Sic ergo ſic unuſquiſque noſtrum poſtulet ſuggero: *Exultemus & lætemur in eo.* Ipſe eſt enim pax noſtra, ipſe lux, ipſe dux, ipſe dies, ipſe ſol, ipſe ſalus, ipſe vita, ipſe reſurrectio, ipſe gaudium verum, ipſe beatitudo perpetua, ipſe felicitas æterna, ipſe lætitia indeficiens, poſtremò ipſe dies, quem gignendo non operando fecit Dominus, & hoc ineffabiliter verò, *exultemus & lætemur in eo.* Lætitia quoque menſæ noſtræ pertinet ad pauperes Chriſti, noſtrâ abundantiâ illorum ſuppleatur inopia. Ipſi quoque pauperes ſeſe invicem adjuvent, quod uni deeſt det alter ſi habet; ſi non habet, optet ſaltem dediſſe, ut per omnia & in omnibus de nobis gaudeat qui Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Et hæc ſit dies noſtra quam fecit Dominus, ut & exultare & lætari in eâ nunc & ſine fine poſſimus. Corpus quoque & ſanguinem ipſius ita percipere, ut non ad Judicium, proh nefas! multis, ſed ad remedium ſempiternum, nobis ut felicibus evenit, hoc provenire contingat. Adjuvet ad hoc deſiderium noſtrum, & ſanctificet actum qui pro nobis in morte dedit unicum filium ſuum, qui cum ipſo & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO II.

DE PASCHA.

Psal. 117, 24. CUm omnes in hac die Propheta exultare præcipiat atque lætari, reprehenſionis non parùm metuo notam, ſi more meo triſtitiæ aliquam ſermoni meo interpono particulam. Sed abſit reprehenſor; nam me non triſtari conſiliarius vetat interior; ut enim Tobias Angelo, ita cuilibet me lætari ſuadenti, Tob. 5. 12. reſpondere ipſe nec incongruè valeo: *Quale mihi*, ait enim ille, *gaudium erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video:* ut enim lumen cœli ipſam noſtram appellare non diſconveniat feſtivitatem, de quâ ſcilicet dicitur: Psal. 95. 11. *Lætentur cœli, & exultet terra:* non illa verò terra de quâ ſerpenti illi, malitiæ ſuaſori, eſt dictum: Genes. 3. 14. *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*, ſed illa potiùs, de quâ dictum antea Ibid. 1. 11. fuerat: *Germinet terra herbam virentem*, &c. quæ ſecundùm litteram ſatis ſunt bona, ſecundùm verò myſticum intellectum, oppidò meliora. Hujus diei gaudium quâ temeritate me frui jure pronuntio, qui tamen cœli, id eſt, ipſum qui cœlum illuminat, peccatorum nebulâ circumvallatus videre non valeo? Nam dum ad hoc inſtitutus illos qui jam præceſſerunt quadraginta noverimus dies, ut in eis purgatis per pœnitentiam mentibus, ſanctum ipſum diem novorum videre & cum gaudio celebrare poſſemus, cum hoc minimè fecerimus, quale gaudium, quam exultationem, quam lætitiam habere valemus? Ait enim in commendationem ejuſdem gaudii ſanctus, 1. Cor. 5. 7. ut legi audiſtis, Apoſtolus: *Itaque epulemur.* Quid dixit? Itaque corpus & ſanguinem ipſius, qui pro nobis immolatus eſt, Chriſti cum exultatione ſumamus. Faciamus ergo. Sed quid erit ſi facere dignè ac juſtè nequimus? ſubjungit namque[a] & ait: *Non in fermento veteri*, id eſt, tumore[a] anterioris peccati; *neque in fermento malitiæ*, malitiæ utique alicui Chriſtiano malum inferre cupiendi, nequitiæ hoc facere etiam injuſtè conandi. Sed qualiter? *In azymis ſinceritatis & veritatis:* Sinceritas verò puritas eſt, hoc eſt, quod nihil habet, niſi quod monſtrat. Veritas verò quid eſſet cum Pilatus interrogaſſet, non exſpectavit audire, ideo de illâ non meruit exultare. Qui ergo nec in ore veritatem, nec in corde poſſidet puritatem,[b] Chriſti quomodo auſus ſit penè indum comedere carnem, cum præſertim Apoſtolus apertiùs hoc interdicat, nullâ ſcilicet circuitione uſus, dicendo: *Quicumque manducat corpus Domini indignè, judicium ſibi manducat.* Ibi Et, ô quàm valet hodie exultare, & lætari, loco ſalutis judicium ſumpturus, loco vitæ interitum. Iſtud, iſtud, inquam eſt, iſtud, quod totâ iſtâ penè Quadrageſimâ me compulit clamare, ut *deponentes omnem malitiam,* 1.. *omnem dolum, & ſimulationem, & invidiam*, omnes ad Chriſti, id eſt, veram ſtuderemus nos convertere pacem: & quia hoc facere plurimi neſciunt, quaſi normam quamdam vobis præfigens ſuadebam, ut qui aliquem ſe læſiſſe meminerunt, recordarentur dicentis: *Si offeres munus tuum ad Altare, & ibi* M *recordatus fueris quòd frater tuus habeat aliquid adverſum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Qui verò ab aliquo læſi fuiſſent, & ille veniam veraciter poſtulaſſet, non obliviſcerentur dicentis: *Cum ſtatis ad orandum, dimittite ſi* Ma *quid habetis adverſus aliquem, ut & Pater veſter cœleſtis dimittat vobis peccata veſtra: quòd ſi vos non dimiſeritis, nec Pater veſter cœleſtis dimittet peccata veſtra.* Hujus, ſed proh dolor! conſilii in tantum contemptores quoſdam conſpexi, & utinam non illos præcipuè qui debuerant aliis bonum exemplum præbere, ut etiam ipſi qui panem ſanctum eis mittebat in ore dicendo: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti proſit tibi in vitam æternam:* non ceſſarent perditionis laqueos tendere, & quaſi Pilato diebus eiſdem *Crucifige, Crucifige*, clamare: non recordati dicentis: Jon *væ impio proditori*, væ complicibus hodieque in Eccleſiâ ejus. Quorum quibuſdam hodie per vicem Domini noſtri mandavi, ut hoc facere quieſcerent; & ſi fecerint, ſibimetipſis faciunt. Dicit enim ſapientiſſimus perlepidè Hieronymus: *ſemel erraſſe ſit caſus: cur prudenter erratur & crebro?* Nam niſi caverint, verendum ne illis contingat, quod illis, de quibus dictum eſt, contigit: *Adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum, & ira* Psa *Dei aſcendit ſuper eos.* Et quod pridie de Juda lectum Domini eſt traditore; cujus imitatores adhuc in Eccleſia eſſe ſanctus ille, cujus verba modo meminimus, non dubitavit proferre: *Et poſt buccellam* Jon *tunc introivit in eum Satanas*, utique per pravi operis effectum, qui jam in eo per malignæ voluntatis erat affectum. Cum utique ſi Apoſtolo credidiſſent dicenti: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane* 1. C *illo edat, & de calice bibat*, hoc eſt, diſcutiat in quâ ſit voluntate, peccandi utique, an emendandi, nocendi aliquem, an adjuvandi, in odio, an in amore fraterno. Si, inquam, talia ſalubriter cogitaſſent, de manu ſaltem illius quem oderant, ſacra ſumere devitaſſent, ne Judæ ſcilicet tam publici imitatores exiſterent. Sed quia apud Deum non eſt difficilis aut tarda converſio, non ſe deſperet talis, moneo, hominum portio: quoniam quidem Judæorum Paſcha certo tempore, Chriſtianorum omni eſt tempore. Præcipuè verò in Dominicâ, communicationis atque

a *ſubjungit namque*] In priori editione *ſibi jungit namque*, & infrà *timore anterioris*, quod librarii an typographi incuriâ acciderit haud ſatis ſcio, niſi quòd in omnibus Ratherii operibus indiligentiâ editoris, infinita propè menda occurrere.
b *poſſidet puritatem*] Acherius ediderat *veritatem*.

converſionis ad meliora de pejoribus die. Paſcha enim cum tranſitus interpretetur, quocumque tempore, quàcumque die, quàcumque horâ, quocumque ad poſtremum momento quis tranſit à Diabolo ad Chriſtum, à vitiis ad virtutes, de tenebris ad lucem, Paſchalem agit veraciter ſolemnitatem. Dicente enim Pſalmiſta Domino: *Reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi*, ſolemne Domino Paſcha quilibet agit, qui relinquens quod malè cogitavit, illud agere ſatagit, quod Deus ipſe præcepit.

Pſal. 75. 11.

SERMO III.

DE OCTAVIS PASCHÆ.

Job 3. 24.

Agit contrà eos qui eum à domo Epiſcopali expulerant

ANtequam *comedam ſuſpiro*. Job legitur beatus dixiſſe. Cauſa ſubjuncta: *Quia timor*, inquiens, *quem timebam evenit mihi*, *&* *quod verebar accidit*. Quod ut ad me referam, tantum ab illo, quantum aereum ab æthereo diſtat cœlo, diſtantem, doleo veſtrûm nonnullis fateor accidiſſe quod timens Dominicâ protuli die. Quibuſdam enim proh dolor! contigiſſe nonnihil formido quod Pſalmiſta de Judæis olim cantaverat, dicens: *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos*. Quia videlicet eum poſt buccellam introiſſet in eos Satanas per operationem malignam, qui ante in eis jamdiù per intentionem fuerat peſſimam, quaſi audiſſent ab eo, qui eis eamdem porrexerat buccellam: *Quod facis fac citiùs*: ab hinc non ceſſaverunt quantociùs exequi, quod jam antea, præcipuè totâ iſtâ Quadrageſimâ, fuerant machinati. Quando ſcilicet Deo & læſis fratribus reconciliari, & reconciliari veraciter optantes non aſpernari, verbo atque exemplo inſtanter fuerant moniti, illos ſaltem qui *non in die feſto* quondam dixerant non imitari dignati, contrà eumdem ſcilicet, quem me fore nemo utinam ſciret, omnia inſidiarum molimina, omnes falſiſſimas concinnationes, in palam per quoſcumque valuerunt mittentes, taliaque de eo fingentes, qualia nemo poſſet credere, niſi cui aut eadem, aut ſimilia multa contigiſſet feciſſe: corruptis quoque pecuniâ duabus patriæ dominantibus, ut fertur, perſonis (quarum una nobilitate, & nomine utinam eſſet illa, de quâ jam dixeram ſæpe, ut jam me illum qui talia patior apertiùs proferam eſſe: *Qui liberavit Hieruſalem de manu Pharaonis*, &c. ſatis ideo cognoſcibilia, quòd ſub ejuſdem terminatione declinationis illorum cadant vocabula) per totam Eccleſiæ domum eas circumducentes, mutatâ ſignificatione verborum, de paſſivo genere activum, non erubeſcentes miſeri & mendaciſſimè agere, quod ego ſcilicet dolentiſſimus patior, fingentes me perpetrare, quaſi propter hoc neceſſarium illis fuerit ſæpe, Crucifige; Crucifige, aliis licet verbis, clamaſſe. Nam dum quadraginta ferè libras in reſtauratione ejuſdem domus Epiſcopalis, ut ferunt qui ad hoc miniſtri fuerunt, hoc triennio expenderim, me ab eâdem ab eiſdem fugato, cum ſine habitatore remanſiſſet, idem qui hoc mihi ingerit, ut congruentia innuit, furto. Hoſpitantes verò inibi vi & poteſtate non ceſſant illam deſtruere; me non valente ſcilicet illorum alicui reſiſtere: furibus quidem, quia longinquus, hoſpitantibus, quia longè impar viribus videor eſſe, Imperiali cum conſtet eos de exercitu præſertim redire, vel ad illum venire, me mendaciſſimi conductis conſideratoribus accuſant eamdem deſtruere; quaſi poſſit eſſe credibile, ut quod ego tanto mei conſtruxi diſpendio, aut deſtruam ipſe, aut deſtrui patiar ſponte. In tantum verò illam hoſpitantes in eâ deſtruunt poteſtativè, ut ſi aliquis, cujus ſcilicet referre, illuc conſideratum veniat famulorum, ſtatim eum comprehendant, & graviſſimè flagellatum loris conſtringant.

Pſal. 77. 30.

Joan. 13. 27.

Matt. 14. 2.

Exod. 18. 10.

Iſta omnia cum dolentiſſimus patiar, verſâ verborum, ut dixi, naturâ, agere me quod potiùs ſuffero iſti maledici, cum omnibus quæ fingere de aliquo ullus mendaciſſimorum valuit unquam, fatentur. Sed ô veſana perfidiſſimorum dementia! ô falſitas inconvenientiſſima! ô diaboli per ſerpentes & jam loqui non ignorans aſtutia! Si enim Imperator non meus dominus eſſet, & ego illi in potentiâ ſimilis eſſem, defendere contrà ejus fideles domum meam & opus utcumque valerem. Niſi quoque iſti me de domo eâdem ſuâ perfidiâ pepuliſſent, præſentiſſimus eum eſſem, eam cuſtodire die noctuque ab eorum furtis valerem. Nunc verò cum & ille meus dominus ſit, & pugnare contrà domini mei fideles, etiam ſi valerem, non ſolùm perfidum, ſed & ut ita loquar, apoſtaticum ſit: recedit namque à Deo, qui dato ſibi ab eo terreno rebellis eſt domino. Dictum eſt enim, quòd *Qui poteſtati*, utique à Deo ſibi prælatæ, *reſiſtit*, *Dei ordinationi reſiſtit*. Quod cum ita ſit, iſti verò exemplo Diaboli non ceſſent elaborare, ut etiam abſque ſui aliquo commodo aliquid quod me noceat, meque conturbet, poſſint efficere; quid contrà hæc duo tam impoſſibilia valeo agere? ô verò utinam eum ſacram talibus manu quam exciſam optabant, præbebam buccellam dicendo: *Corpus Domini noſtri* JESU *Chriſti proſit tibi in vitam æternam*; clamaſſet cæteris quod ille quondam lapidatoribus ſancti clamaverat Jacobi Apoſtoli, qui frater dictus eſt Domini, ut fratres hodieque dicuntur conſanguinitate propinqui. *Parcite*, inquiens, *quid facitis? pro vobis orat juſtus hic quem lapidatis*. Juſtus enim eram quantum ad illos reatus, licet illis incognitos Deus cognoſceret meos: cum bona ego illis pro malis, mala illi contrà mihi meditarentur referre pro talibus & innumeris bonis, abſque debito utique illis perſæpe impenſis. Quòd ſi de injuriâ quam eis intuli aliqua dicerent, non erat multum mirandum, quamquam & ex hoc conveniri humiliter ante ſecundùm judicium debueram Canonum.

Vide Ratherii manſuetudinem.

Rom. 13. 2.

De illis verò quæ ad eos nil pertinent cauſari, taliaque de me dicere quæ non inoffenſo quis poſſet Deo credere, omnibus mihi derogare facere; bona in me ſi qua ſunt ſignificatione malâ corrumpere; mala ſive ſint, ſive fuerint, indagatione ſtudioſa diſquirere, & aliis ſtudioſiſſimè demonſtrare: quid eſt aliud niſi apertiſſimè teſtari, quòd non ſolùm mihi, ſed & qui me illuc eleemoſynaliter inſtituit piiſſimo Cæſari ſint omnimò perjuri? Et heu, ait quidam, heu dira furoris conditio! Qui vim patitur, magis ille ligatur. Fluvius enim malignæ operationis illorum ab eis ad me decurrit, & ego illum turbare agni illius exemplo fabularis accuſor. Quidam Rex juvenis cum haberet exercitum, & multitudinem ſapientum, dumque nequirent quod juvenibus competebat, ſapientibus ſtultitiam eorum reprimentibus, agere, inierunt conſilium, ut quiſque illorum patrem interficeret proprium. Actum eſt; unus ſed illorum non tolerans tantum admittere ſcelus, dixit uxori ſuæ. Si patrem meum interficio, ne conſilio pereamus perdito non modicè metuo. Conſenſit uxor ad ſervandam ſoceri vitam, atque alendum in ſuo eum cellario ſecretiùs locant. Imperat ſanè filio pater, ut interrogatus à Rege de quovis conſilio, non antea reſponderet donec ad ſe illud referret. Obtemperans igitur tam induſtrius Regis eſt conſiliarius factus, ut inviderent illi omnes ſocii ejus. Adeuntes itaque Regem, interminati ſunt quòd niſi eum interficeret, eos omnes abſque dubio perderet.

Triſtiſſimus Rex conſenſit, quæſivit tamen ab eis quâ occaſione id facere poſſet. Præcipe, aiunt, illi, ut cras veniens non ſecum ducat niſi unum ſervum, unum amicum & unum inimicum. Territus hoc dicto ille, patrem ex hoc ſciſcitaturus adivit. Pater verò; ne contriſteris, inquit, ſed valde bonum præpara nobis obſonium, optimum de me accepturus conſilium. Poſt prandium igitur dixit illi ſecretiùs pater: habes optimum aſinum, illum pane, vino & carne duc tecum onuſtum; habes caniculam ad tua defendenda pervalde paratam, illam tecum habeto; uxorem quoque adhibens tecum, aſinum pro ſervo, canem pro amico, uxorem offerens pro inimico. Egit, aſinum aſſumſit, canem ſecum pariter duxit, uxorem nec liquit. Regem adiit triſtiſſimum, conſiderare quæ detulerat flagitans illum: Iſte, inquiens, qui adſtat onuſtus, meus eſt ſervus, ille alter meus amicus, tertia meus eſt, quo infeſtiorem habere me ſpero neminem, inimicus. Audiens illa ſuper ignem, ait, accenſa: Inimicumne me tuum eſſe pronuntias? Meritò, inquam, quæ contrà Regis præceptum tuo ſervavi patri, tibi obediens, vitam. Adoleſcens ad Regem converſus: Videturne veſtræ majeſtati inimicā hanc eſſe mihi? Valde reſpondit ille, ſed utrum verum ſit volo diſcere. Verum eſt, ait. Gratias Deo lætiſſimus ille reſpondit. Curre igitur, curre, & mihi feſtina eum reducere. Actum eſt. Conſiliarius Regi optimus redditur, adoleſcens à mortis inſtante periculo liberatur; uxor eſt non amare juvenem, ut videbatur, detecta, quæ fore utique amiciſſima putaretur, niſi taliter probaretur. Hoc ipſe exemplo ſi non iſtos aliquantulum commoviſſem, non tam probabiliter eos cognuſcere valuiſſem, licet iſtam in eis ſemper fiduciam habuiſſem: adhuc tamen eos Deus, quæſo, dignetur convertere, & viam eis veræ pacis & charitatis oſtendere, & ambulare præſtare, ne ſimul nobis pro talibus contingat, quod abſit, periiſſe, vindictâ nos ſubitò occupante, milvus ſcilicet ut ranam cum mure fabuloſè legitur rapuiſſe.

Tota verò iſta allegatio cum non prædicatio, ſed magis contrà inſidiantes vitæ & commodis meis videri poſſit invectio, ſubſidenda eſt, credo, & ad omnes communiter monendos, tam amicos ſcilicet quàm inimicos, paſtoralis jam nunc dirigenda intentio. Primùm ſanè competit, quamquam non ſemel jam actum ſit, demonſtrare, unde diſcordia inter nos & ex quo iſta contigerit. Ad ultimum verò breviandi causâ, primùm reſpondeam, non modo exortam, ſed à die ordinationis meæ inter nos fuiſſe certum eſt ortam. Eſt verò nunc ideo in palam deducta, quòd fiducia imperialis nil aliud quàm quod juſtum eſt decernentis præſentiæ, & Synodi congregandæ. Unde diſſentiamus [a] crebrò non ſolùm verbis, ſed & ſcriptis, hac vice monſtratum: ſumma verò ipſius, cum verba ſint plura, ipſa eſſe monſtratur, quòd ego legem Dei, illi traditiones hominum & conſuetudinem iniquorum ſequenda decernant. An non ille eſt enim verè iniquus, qui quod mihi & illi eſt datum communiter, ita partitur, ut ego inde pauperrimus, ille locupletiſſimus fiat? Hoc ego ſi tacendo, imò laudando conſentiam, niſi propter eam quam mecum habere optarent amicitiam, veritatem relinquens, Deus negaſſe convincar; qui mihi nam ſuadet metuere, inimicus animæ meæ convincitur eſſe, nedum ego is debeam fore.

Hoc ergo ſuccinctè monſtrato meum vos admoneo, Fratres, ut diſquirat unuſquiſque noſtrûm à ſeipſo qualiter Paſcha illud ſanctum, id eſt, octo iſtas dies exegerit, & utrum ita exegerit, ut tutò *Amen* reſponderit cum Preſbyter dixit: [Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut qui Paſchalia feſta venerando peregimus, hæc te largiente moribus & vita teneamus.] Interroget ergo ſe quiſque ſi de illo verum dixit Sacerdos, hoc eſt, ſi in azymis ſinceritatis & veritatis Corpus & ſanguinem Domini ſumſit, id eſt, ſi in corde nulli aliquod in Paſcha machinatus eſt malum, ſi non de operibus alicujus ſe ſciente niſi quod eſſet verum protulerit, ſi non dum adhuc eſca Chriſti Corporis in ore eſſet ipſius, aut per odii, aut invidiæ, aut per cupiditatis, vel avaritiæ, aut per luxuriæ vitium, iram Dei ſuper ſe aſcendere fecit: ſi poſt buccellam introire Satanam in ſuam animam minimè ſivit, id eſt, ſi malum quod ante cogitavit, ad effectum ducere non maturavit: poſtremò ſi in die feſto, hoc eſt, in iſtis Octavis, & quo uſque cantatum eſt: *Hæc dies quam fecit Dominus*, aut per adulterium, aut per immunditiam aliquam non ſe polluit, vel fratrum aliquem nequiter læſit: & ſi nil horum in ſe invenit, Paſchæ Domini feſta ſe venerando egiſſe gratulatus, humiliter *Amen* reſpondeat, & ut moribus & vitâ hæc illum tenere Dei pietas dignetur concedere, manu, linguâ, & corde non ceſſet rogare. Quòd ſi aliter in ſe, ut metuo, invenit, quod non ſaltem illos ſtuduerit imitari, qui *non in die feſto* dixerunt, triſtetur, id eſt, ut ſicut illi tumultum veriti ſunt, ſi Dominum comprehenderent, populi, ita iſte iram veritus, ſi feſtivitatem violaret ſanctiſſimam, Domini, vel his ſaltem octo diebus ſe cum Dei adjutorio ab hujuſmodi illecebrâ continere, & à læſione fraternâ reprimere, conari ſtuderet. Hinc demum quòd Judæ traditoris exemplum ſequutus, & damnationem adeptus ſit, doleat, ſed non ut Judas ad laqueum deſperando, imò ut Petrus ad lacrymas pœnitendo ſeſe convertat; & relictis quæ malè cogitavit, diem feſtum Domino agere, dum vacat, feſtinet. Ita enim & Paſcha perditum, tranſitum utique faciens bonum, recuperare, & iram poterit Dei placare, ipſo adjuvante, qui cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum non ceſſat Deus regnare.

Oratio Dominicæ in Albis.

SERMO IV.

POST PASCHA:

DE *ore tuo te judico*, ſe ait Dominus in ſupremo dicturum, *ſerve nequam*, judicio: Sed cui? Demonſtrat ſubjungens: *Sciebas quòd homo auſterus eſſem*, &c. Scienti hac ergo ſententiâ, quàm neſcienti, certum eſſe valet majus inſtare judicium. Luc. 19. Verendum ergo bona ſcientibus, & mala patrantibus valde: verendum, inquam, verendum, bona præſertim eadem ſi quoque dicunt. Quidam enim bona dum dicunt, quid dicant nedum verò dicant ignorant: ut ſunt verbi gratiâ plurimi qui Evangelia, Apoſtolos pro officio ſibi credito recitant. Qui dum quod ſibi injunctum eſt quomodocumque actitant, non Doctoris ſed obeditoris miniſterium implent: *nec* ex ore ſuo, cum quid dicant ignorent, judicantur, ſed niſi faciant arguuntur. Miſeri ergo utrimque ſæculo dati Doctores; miſeri, inquam, & infelices, ſi aut neſciunt docere, aut quod non agunt docentes, ſuo tantùm judicantur ex ore: ſi enim gehennæ pœnas agnoſcunt, & aliis non innoteſcunt, rei omnium, quos docere debuerant, ſi per ignorantiam in eis inciderint, erunt. Si verò aliis eas innotuerint, & ipſi eas non caverint, quid eis miſerius, quid rogo eſt ſtultius? Et ſi monſtrato aliis vitæ fon-

a *unde diſſentiamus*] Hic nonnulla deſunt.

te ipſi pereunt ſiccitate, quis eos debet dolere? Clamavimus cum Apoſtolo nuper, clamavimus, & utinam non & pro eo ut pro multis ore proprio potiùs judicandi, quàm, ut Propheta quondam promiſerat, liberandi. Clamavimus nobis & vobis, ſed non inutiliter clamaſſe nos Dei pietas tribuat omnibus nobis. Clamavimus attamen, clamavimus cum Apoſtolo Fratres, clamavimus:
1. Cor. 5. 7. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Sed utinam ut pro eo, ita pro nobis fuerit immolatus. Pro eo enim, ut condignas ei gratias referenti; cavendum ne à nobis beneficio, quod abſit, tanto ingratis. Hoc enim innuit, qui
Ibid. 11. 27. dicit: *Quicumque manducaverit corpus Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini*, id eſt, imputabitur ei culpa effuſionis ſanguinis JESU Chriſti, ſi auſus fuerit bibere ſanguinem, quem Judæi fuderunt, indignè: hoc eſt, ſi quales illi fuerunt ad fidem, talis ipſe exſtiterit ad operationem.

Ibid. v. 8. Subjunximus demum atque protulimus: *Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.* Adeo iſta omnia ſed enucleavimus, ut puerulis ipſis nos ſatisfeciſſe putaviſſemus: ſed utinam quod alios monuimus, ipſi feciſſemus, & malæ voluntatis, vel noxiæ operationis fermentum, quod ante habebamus, per reconciliationem non fictam, & fructuoſam pœnitentiam abjeciſſemus. Diximus ironicè: Quàm optimè valeat exultare hodie atque lætari, loco ſalutis judicium, loco vitæ ſumpturus interitum, Pſalmiſtæ adhibentes ad hoc teſtimonium, de Judæis quidem tunc, ſed utinam non modo de
Pſal. 77. 30. nobis, prolatum: *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper illos:* Quia cum
Joan. 13. 27. poſt buccellam introierit in Judam, ut Evangelium utique loquitur, Satanas, per operationem verò malignam, qui ante buccellam in eo per voluntatem jam fuerat peſſimam, timendum ne ſimile nobis quiddam contigerit. Videlicet ut ſcelus aliquod omiſſum, propter ſanctum quod ſumere in Paſcha debebamus ſacrificium, ſumpto ſacrificio, ante diem maturaviſſemus quoque perpetrare octavum, *non in die feſto* ab ipſis etiam comprehendere Dominum conantibus obliti clamatum. Et ô impatientia perimbecillis, nimiumque inſana, nec injurias utique inimicorum, nec ſtimulos tolerare valida vitiorum! In quolibet enim horum ſi nos excidere coëgiſti, Paſcha Domini nos, dolor! violare peſtifera compuliſti. Sed inſtaurati contrà nos teſtes Dei debuerant conſiderari, qui & ab adverſariis graviſſima ſupplicia, & à carne propriâ longiſſima fortiſſimè pertulerunt ſexu in utroque tentamina. Quos ſequi, non nos deſerere anticipans Dei gratia, ſed propria inhibuit ignavia, & illecebra corpori laxiùs miniſtrata, commovens inſuper nos manus peccatoris per ſuperbiam ventilata; ibique cecidimus, iniquitatem hujuſmodi operati, ob inanem gloriam à gratiâ Dei expulſi, nec potuimus in bono perſiſtere miſeri, ut hoc etiam confiteri ſit nobis à Deo ore nos proprio judicari. Cum & hoc certiſſimè noviſſemus, & vitare infeliciſſimi, præponderante timorem Dei ſuperbo noſtro contemptu, dedignati eſſemus, ut perditioni utique noſtro merito, non Dei neglecto, traditi, & à nobis ipſis damnati, in æternum niſi nobis ociùs Dei pietas ſuccurrat, damnandi.

Sed quid agimus ſi ita eſt, Fratres? Eſt verò, eſt, proh dolor! eſt. Reddite vicem nobis, quæſumus, ſi poteſtis, conſilii, reddite. Dicite ſaltem quod diximus, proferte quod protulimus, ſuadete quod ſuaſimus, aliud enim quod faciamus minimè invenimus: videlicet ut quia in talibus Judæ ſimiles exſtitimus; exemplum deinceps caveamus illius, non feſtinantes utique cum illo ad deſperationis mortiferum laqueum, ſed magis cum Petro ad converſionis vitale lamentum. Rogantes ſcilicet Domini clementiam, ut meritis ejus adjuti, faciamus quod fecit, obtineamus quod obtinuit, converſione utique ad nos Domini ab eo clementer reſpecti, ad illum flendo ut valeamus converti, quatenùs gratiam ipſius recuperare utcumque, & Paſcha Domini veriùs quàm unquam fecerimus, celebrare quandoque poſſimus; tranſireque à diabolo ad ipſum inconvertibiliter deinceps auxilio valeamus illius. Quod nobis indigniſſimis dignetur præſtare qui Paſcha noſtrum ideo dignatus eſt eſſe, ut reconciliaret nos Deo Patri per ſanguinem ſuum, & erutos de poteſtate tenebrarum faceret ſibi acceptabilem populum, ſectatorem bonorum operum. Qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu ſancto Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO I.

DE ASCENSIONE DOMINI.

CUm penè in omnibus ab antiquorum ſtudiis Patrum tam vitæ noſtræ diſcrepet qualitas, quàm doctrinæ, in hoc quoque, fateor, non parum diſcordat, quòd in talibus, ut eſt iſta, ſolemnitatibus illi primitùs de Evangelii tractatu ſermonem cudentes, ad conſiderationem ejuſdem ſolemnitatis auditorum poſt animos incitabant, hinc demum admonitiunculâ quo magis valebant ſuccinctim apertâ in fine prolatâ, ut à malis ſe cohiberent, & beneplacitis Deo inſiſterent, ſollicitiùs eoſdem quos alloquuti fuerant, commonebant: nobis contrà in ipſis loquendi primordiis obſervare conveniat quod Pſalmiſta ſuadet: *Præoccupemus*, inquiens, *faciem Domini in confeſſione*, ſubaudiri ut liceat peccatorum Pſal. 94. 2.
noſtrorum: & quod alter: *Dic tu*, inquit, *prior iniquitates tuas, ut juſtificeris:* ut juſtificeris, inquam, non judiceris. *Si noſmetipſos enim dijudicaremus*, ait Apoſtolus, *non utique judicaremur*, id eſt, ſi nos ipſi veraciter accuſaremus, non à Domino damnaremur. Veraciter nam ſe accuſat, qui non de ſe aliud dicit, quàm quod egiſſe ſe meminit, & qui de eo quod ſe accuſat nulli alii, ſi de ſe hoc idem dicat, ſuccenſet. Si malum quod confitetur execratur, & emendare pro viribus nititur: ſi repetere ultrò veretur; ſi de eo ſalubriter confunditur. Nam ſi aliter, voce Dominicâ ejus animæ dicitur: *Quàm vilis facta es iterans vias tuas.* Quod facere utique taliter ei interdicitur quoque: *Ne iteres verbum in oratione tuâ*, id eſt, ne confeſſum iteres, ut ſit neceſſe tibi iterum confiteri illud peccatum. Cum enim peccaſſe nos graviter & recognoſcimus & dicimus; pœnas etiam quas ſubire propter hoc debitores ſumus, inſuper referimus, ſi earum ſaltem metu à malis non compeſcimur perpetrandis, clamari ex obliquo ipſi compellimus nobis: *De ore tuo te judico ſerve nequam:* de corporali verò ſi hoc facimus maximè delicto, oblata conſecrare interdicimus ipſi nobis omninò, noſſe nos niſi diſſimulamus quod Neocæſarienſi continetur Concilio cap. 9.

Iſai. 43. 26. 1. Cor. 11. 31. Jerem. 3. 36. Eccleſ. 19. 7. Luc. 19. 22.

Quod cum ita ſit, quid de nobis dicere, quid ſaltem poſſumus cogitare? Si loquuturi enim vobis in confeſſione faciem Domini prævenimus, hoc eſt ſi antequàm ad ejus judicium veniamus narrandum, ipſi nos veraciter accuſamus, panem vobis porrigendum quâ licentiâ conſecramus? Si hoc non facimus, quod loquendi exordium facimus, imò quid vobis unquam pro debito dicimus? De gaudendo quippe nobis non aliud dicere poſſimus, niſi quod Tobiam Angelo reſpondiſſe comperimus: *Quale* Tob. 5. 12.

enim, ait ille, *quale mihi erit gaudium, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video?* In tenebris enim quòd ſedeamus ipſi nobis teſtes ſumus, qui obſcoratis mentis obtutibus ad ignem nos pergere, non, ut opus fuerat, cernimus. Lumen verò cœli eſt claritas Chriſti, quâ ſcilicet ſuprà Angeli, infrà illuminantur homines ſancti, illi ad tenendum, iſti ad deſiderandum, uterque ad ſocialiter quandoque fruendum. Qui ergo non illuminatur nunc ad deſiderandum, putas eum illuminari poſſe tunc ad tenendum? Quale verò hujuſmodi in quâlibet ſolemnitate gaudium valet habere, niſi omninò inane?

Maxima iſta ſed hodie eſt, Fratres, Feſtivitas maxima, ſed lumen cœli conſiderare neque valentibus, neque volentibus, nulla, nulla, inquam, nulla. Sit tamen cum veraciter Aſcenſionis Domini feſtivitas hodie, maximè Epiſcopalis vocabuli quomodo ſilere finitur, & ſi deſit facundia, ſaltem garritio pauxillum perita? Sed cujus eſt Domini iſta, rogo feſtivitas? Chriſti utique, & ex eo utique Chriſti, quod Chriſtus pro nobis dignatus eſt effici: *Dilexiſti* enim *juſtitiam, & odiſti iniquitatem* (canit de eo Pſalmiſta) *Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* Quam juſtitiam? ſcilicet illam, quâ juſtum cenſuit eſſe, ut creatura ei qui ſe creaverat, deſerviret. Quam iniquitatem? Quâ videlicet homo ſerviebat diabolo, qui ad ſerviendum conditus fuerat Deo. Propterea igitur unxit eum Deus oleo lætitiæ, id eſt, miſericordiâ ipſâ induit eum, quæ lætificaret Angelos de reconciliatione generis humani à ſuo conſortio diabolicâ fraude ſeclusi. Et quia eâdem miſericordiâ ex filiis diaboli quidam filii Dei erant per adoptionem futuri, qui utique participes exiſterent ei, qui non per adoptionem, ſed per naturam erat Filius Dei; præ participibus ſuis dicitur unctus, quia cæteris ad menſuram eſt data eadem Spiritûs ſancti gratia, in ipſo autem habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, id eſt pleniter, dum utique ipſum quod pro nobis corpus aſſumſit Deus adeo totus replevit, ut ſicut mente ejus, [a] ita & carne Deo repletâ, ex duabus & in duabus naturis non duo ſed unus ſit Dominus Jesus Chriſtus, verus ut Pater & Spiritus per omnia Deus; cumque illis * non tres, ſed unus vivens in ſæcula Deus. Niſi igitur Deus carnem noſtram miſericorditer induiſſet, eam in cœlum minimè levaſſet: niſi eam in cœlum levaſſet, hanc diem nobis minimè dedicaſſet. Chriſti ergo eſt iſta, Fratres, ſolemnitas, ſed non ſine participibus ſuis; hos enim ſecum vexit in cœlum, mirum dictu! etiam necdum natos in terrâ.

Omnes ergo feſtivitatum decurſiones cum pro Chriſto & participibus inſtitutæ ſint Chriſti, qui vult in quâvis illarum partem habere, ſtudeat quod fecit & ipſe facere; ſed heu dolor! neglexinus agere. Exhortati enim eum vos fuiſſemus non ſemel in præcedentibus feſtivitates iſtas diebus, ut ſolliciti ſervare unitatem ſpiritûs in vinculo pacis, donaremus nobis invicem ſi quis adversùs aliquem haberet querelam, ut Agni Dei carnes comeſſuri, non in fermento malitiæ & nequitiæ Paſcha Domini, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis celebraſſe probaremur: hoc ipſi qui monuimus non eo ſtudio quo diximus, fecimus. Ventum eſt ad Cœnæ Dominicæ ſacratiſſimam diem, lectum eſt quod Apoſtolus dixit: ſuggeſſimus obſervandum quod monuit, videlicet ut non in judicium corpus Domini ſumeremus. Non defuerunt, ſed proh nefas! qui de eâ manu quam troncatam optarent, buccellam ſanctam perciperent: non defuit, qui defuiſſe quibus daret, optarit. Et heu! quàm letifero otrique tumebant fermento. Cumque ab ipſo legitimo quoſdam hortati fuiſſemus cootinere in Quadrageſimâ iſtâ concubitu, ut ſacrificium Domini in Paſcha purificati mererentur accipere; væ illis qui ſumpto ſacrificio ab adulterino nequiverunt uſque ſaltem in Octavas Domini abſtinere. His enim certificamur congruere quod in Pſalmo cantavimus ſæpe: (quia videlicet cum poſt buccellam, ut in Juda, introierit in eis Satanas, id eſt ſpiritus immundus, ſepteno ſed capite, qui ſolus per jejunium credebatur expulſus) *Adhuc eſca eorum cum eſſent in ore ipſorum, ira Dei aſcendit ſuper eos*, violatores tantæ feſtivitatis, non cultores dum fuiſſe ſint miſerrimi deprehenſi. *Pſal.* Eligant ergo quid faciant: ſi enim deſperantes ſeſe obdurantur, idem utique frequentando, Judæ à ſe ipſis laqueo ſtrangulantur; ſi Petri lacrymas imitantur, veniam conſequuntur: ſi veniam conſequuntur, Chriſtum in cœlis uti nunc affectu, ita poſt effectu ipſo ſequuntur. Si neutrum ex his duobus merentur, feſtivitatem iſtam Deo & Angelis, bonæque voluntatis, ut cantatum eſt, hominibus, noverint eſſe, ſe verò ab illâ omninò expertes exiſtere.

Sed ne lenocinentur ſibi ſententiæ prolatione illius Dominicæ, quâ dictum eſt: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.*, *Mar.* noverint, quia cum ſit veriſſimum, utpote Veritatis ore prolatum, illis tantùm eſt quibus congruit verum, *Signa enim*, ait, *eos qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo Dæmonia ejicient, &c.* *Ibid.* Quæ nimirum ſi quis frogaliter intellecta in ſe recognoſcit, de ſalvatione ſuâ ſecurus gaudeat: qui minimè, ſuggero contremiſcat: & ut credere non ſolùm in Deum, ſed & Deo niſi ſtudeat, non ſibi ſufficere ſciat. *De ore tuo te judico ſerve nequam.* *Luc.* At ne matures, rogo, Chriſte, proferre, differ ictum, precor, miſericors, ſuſpende vindictam piiſſime, dimitte illam, & hoc anno *Ibid* uſque dum fodiam circà illam, & mittam ſtercora, ſucciſoribus vitæ, ſopplico, miſericors dicito meæ, fortaſſis enim meliorari tuâ quandoque gratiâ valebo. Qui adhuc ingratitudine mortiferâ incorrigibilis exſto, dum non oculos utique converſionis lacrymis imbuo, ſed guttur mentis mortiferæ dilationis, peſſimæque in dies deteriorationis criniculis ſtringo, in infernum vivens id non ignarus, ut multi, ſed ſciens, inſuperque nec celans, deſcendo. Indeque mihi, *De ore tuo te judico ſerve nequam*, cum his qui bona dicunt, & peſſima gerunt, non inaniter clamari formido. Auſteritatem quippe tuæ animadverſionis aliis innoteſco, præſentiſſimum te ubique non neſcio, & dicere, vel facere quæ tuam conſiderationem dedecent, non horreſco. Sed quid Domine facio? fugerem ſi quovis valerem: quod quia nequeo, à te, Auguſtini veriloqui tui ſuaſu, ad te, id eſt, à juſtitiâ ad miſericordiam tuam pavens confugio. Ut conſideras itaque indecentia tibi, ita Domine, conſidera neceſſaria, deprecor, mihi, me ab impatientia liberans mortiferâ, quæ tranſgredi me tam immaniter toa compellit præcepta. Niſi enim ab eâ citiùs eruor, perditionem æternam præſtolor, ignarus licet diſpoſitionis de me, Domine, tuæ. Non ſunt enim hominis viæ illius, ſed tuæ poteſtatis ſolius; qui non damnas impiè quos creaſti benignè. Vos autem, Fratres, quod de nobis per nos auditis, de vobis quoque metuite; mala quæ uſualiter facitis quantociùs relinquite, ad inoſitata vos bona, dum vacat, conferte: infernum cavete, cœlum deſiderio ſcandite, ubi Chriſtus eſt in dexterâ Dei ſedens, ipſius adjutorio niſi feſtinare contendite; inſtare horam vobis aut illuc conſcendendi, aut deorſum ruen-

a *mente ejus*] In priori Editione *mente cujus*, & infrà *cumque illi non tres.*

di, hîc verò non diutiùs morandi ſedulò cogitate, ne ex improviſo, quod abſit, vos rapi contingat, & illuc pertrahi, ubi nemo vobis valeat auxiliari. Quod à nobis omnibus dignetur avertere, qui in hunc mundum peccatores venit ſalvos facere, Jesus Chriſtus Dominus noſter, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO II.

DE ASCENSIONE DOMINI.

MEminiſſe optaremus dilectionem veſtram percupidè, Fratres, laborare hoc tempore noſtrum hujuſmodi ad terminum deveniſſe, ut conducta ex orthodoxorum teſtimoniis Patrum copiâ fandi, inſinuaremus Collegiò veſtro, quid, cur, qualiter in præcedente Reſurrectionem Domini Quadrageſimâ nobis eſſet agendum, qualiter in Paſcha exultandum atque lætandum; poſt Paſcha, imò in Quadrageſimâ Paſchæ, quod à jejuniis quidem ceſſandum, *Allelnia* die noctuque canendum. Ad vitia verò jejuniis, orationibus, & eleemoſynis, cooperante gratiâ Dei, ut deſperare nullatenùs debuiſſemus, exhauſta minimè redeundum: ne hoc utiq; foret Ægypto relictâ, agno comeſo, mare rubro tranſito, manna cœleſti guſtato, carnium taphniticarum, peponum atque ceparum deſideria Ægyptum relictam repetere, promiſſo patriæ lacte & melle manantis fraudari; cumque his quorum in deſerto plurima perierunt millia, perditionis æternæ damnationem ſubiſſe. Ad quod ſuadendum nil aptius valuimus invenire quàm ut *Allelúia* cantaremus die noctuque, id eſt, ut *Laudate Dominum* alter alteri clamaremus, omneſque hoc ſine intermiſſione agere ſtuderemus. Re enim verâ, quis peccato eſt locus, ubi laudis Dei eſt nullus defectus? Quòd & ſi B. Gregorio primùm, poſtea Mamerto Viennenſium Archiepiſcopo, pro conſimili neceſſitate quaſdam Litanias infrà hanc Quinquageſimam viſum eſt inſtituere, quid obeſt ad Dominicum illud quod continetur ſuaſum: *Numquid poſſunt filii ſponſi lugere quamdiu cum illis eſt ſponſus*, cum Letanias, Rogationes nnui Latinitas æſtimet? Quo verò tempore rogatur ſolemniùs Deus, quàm feſtivitatis diebus? *Matt. 9. 15.* Soprié verò, juſtè & piè ſi vivitur in Paſcha, quid nocet ad hoc quod ſuadet Apoſtolus, cum Paſcha noſtrum ipſum dixiſſet eſſe Chriſtum, ſubjungens atque dicens: *Itaque epulemur* cum crapulæ & ebrietati, cæteriſque vitiis famulantes deuutans, adjungat: *Non in fermento vetori*; id eſt, tumore non abdicati delicti, & voluntate tranſacta crimina repetendi, vel alia committendi. *Neque in fermento malitia & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.* *1. Cor. 5. 8.* Si igitur à crapulâ & ebrietate ceſſamus, ſi à coitu etiam licito conſenſu parili hoc triduo, dilecto abſtinemus divino, ſi à jocis atque laſciviâ, ſi à cantuum vanitate atque ludorum, poſtremò ab omni opere ſervili, id eſt, famulatu Diaboli, ceſſantes, ut in Quadrageſimæ Dominicis jure fecimus diebus, Deo ſervire his tribus diebus curamus: Paſchali gaudio quale damnum ingerimus, cum & in his Reſurrectionis Dominicæ cultum non omnimodis omiſerimus, ſi tamen fecimus quod debuimus? Cum verò, ut non ſemel diximus, corpore & ſanguine Domini reficiendis neceſſe ſit Paraſceve, id eſt, præparationem aliquam facere, ne tanti ſacramenti munus ſumant indignè, & ob hoc inventas putare poſſumus præclaras, quæ præcedunt ſolemnitates, vigilias, quid nocet, ſi in tantâ feſtivitate vigiliarum loco hoc triduo uſi, ſi quid in his Paſchalibus commiſimus gaudiis, diluamus, ab *Allelnia* verò canendo, ſemperque in Domino exultando atque lætando nequaquam ceſſemus? Dicente ſanè Jacobo Apoſtolo: *Quia in multis offendimus omnes*, *Jac. 3. 2.* quis auſus ſit gloriari in tot diebus ac noctibus ſe nihil commiſiſſe quod egeat ſatisfactione diluere, ut tantam feſtivitatem dignè poſſit excolere?

Huc uſque, Fratres cariſſimi, cum noſtra proceſſerit communis cauſâ noſtræ ſalutis enſio, adeſt infrà hanc *Allelnia* ſine intermiſſione cantandi, exultandi quoque atque lætandi Quinquageſimam; ipſaque nos ſilere non patitur glorioſiſſimæ Aſcenſionis Dominicæ dies. Silere quomodo poſſumus, remuniſcentes omnium miraculorum, ſi ad hominem ſolùm intendas mirabilioris miraculi, quòd videlicet homo, non Angelico, ut Helias quondam ſubvectus, non pennigero ut ●ecticus ille noſter volatu, ſed corporali ipſâ mole perfecti, id eſt annorum triginta circiter trium, hominis, ut Apoſtolus nobis ſpondet proventurum quandoque: *Donec occurramus*, inquiens, *omnes in virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti* Domini noſtri, videntibus idoneis teſtibus loquens elevatur, nubeque ſuſcipitur, Angelis adſtipulantibus quòd ita ſit reverſurus ad judicandos hîc relictos ab initio uſque in finem ſæculi vivos & mortuos omnes? *Epheſ. 4. 13.* Quis hoc effari laudabiliter, quis laudare ſatis effabiliter valet? Admirari enim omittimus, ſi Deum intùs manentem, hominem quem de nobis pro nobis aſſumſit geſtantem penſamus: gratias ſi poſſemus ſolummodo ipſius miſericordiæ referre deberemus condignas. Cætera enim meliùs ſilendo quàm loquendo, ut ineffabilia ſunt quæ, depromimus. Ad promiſſum tantùm inenarrabilis ipſius clementiæ oris noſtri obſequium deflectamus, quomodo ex Evangelio audivimus: *Qui crediderit*, inquit, *& baptizatus fuerit ſalvus erit*. *Marc. 16. 16.* Deo gratias, univerſitas clamat, credimus enim, & baptizati ſumus in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti. Omnes hoc dicimus: omnes per hoc nos ſalvandos ſperamus: ſine iſto nullum ſalvari poſſe veraciter credimus & confitemur. Sed de quibus dicit qui hoc audierat Petrus? (Petrus inquam, cui fuerat ſpecialiùs cum cæteris dictum: *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.*) *Melius fuerat eis non cognoſcere viam veritatis, quàm poſt agnitionem retrorſùm converti.* *2. Pet. 2. 21.* De illis, ut conjici veracíſſimè valet, de illis, de quorum creatura te Jacobus Apoſtolus quid ſentiat audiamus: *Fides*, inquiens, *ſi non habet opera, mortua eſt in ſemetipſa.* *Jac. 20. 25.* Itemque: *Qui confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Hi nimirum ſunt, qui fidem quam verbis adſtruunt, moribus deſtruunt. Verendum enim omninò ne de talibus quoque dicatur à Domino: *Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem & non inveniens, dicit: Revertar in domum meam unde exivi. Tunc vadit, & aſſumit ſecum ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi; & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* *Luc 11. 24.* Hæc tam veracia, ſi in nullo caderent illorum qui ſe credere profitentur, & ſunt baptizati, ubi eſſet ſententia Domini illa quâ continetur: *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.* *Matt. 20. 16.* Et, *Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum?* Qui enim ſunt vocati, niſi per Baptiſmum Eccleſiam ingreſſi? Quid pauci electi, niſi qui ſacramentum vivendo tenuerunt, quod fide perceperunt? Qui non electi, niſi qui non ſervaverunt quod promiſerunt? Quid autem promiſerunt? Recurrat quis cogitando ad id quod aut promiſit, aut eſt vice illius promiſſum antequàm baptizaretur. Modicum eſt, recordari levi-

Digitized by Google

ter valet. Si illud obſervat, ſecurus de ſalute ſuâ gaudeat. Si non, peccavit, quieſcat primùm, id eſt,
Ezech. 30, 3.
deſinat peccare, hinc demum pœnitentiam agat. *Appropinquat* enim, & huic dicendum, *Regnum cœlorum*; id eſt tranſeuntibus, imò fugientibus terrenis omnibus, propinquant cœleſtia, illis tamen qui cooperante gratia Dei, operatione ſedulâ illa meruerint adipiſci.

Qui verò ſint iſti, ſubjungens piiſſimus idem promiſſor demonſtrat. Cum enim dixiſſet: *Qui verò non crediderit condemnabitur*, ut indiciis quibuſlibet credentes à non credentibus ſecerneret, ſubjecit: *Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit; ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt.* Quid hoc eſt, Fratres, quis enim corporaliter iſta hodie efficit ſigna? Nemo, dilectiſſimi, nemo. Nullus ergo credit? Abſit. Credunt enim, Deo gratias, tanti, ut illis illud congruat Pſalmographi: *Annuntiavi & locutus ſum: multiplicati ſunt ſuper numerum.* Quomodo itaque credunt, cum qui hæc ſigna faciunt, illi tantummodo credere dicantur; iſti verò ea non faciunt? faciunt planè, faciunt quidam, ſed non corporaliter faciunt, ſed tanto utiliùs, quanto à corpore diſcernitur ſpiritus. In nomine enim Chriſti Dæmonia ejiciunt, qui in virtute ipſius vitia, quæ Dæmones ingerunt, à cordibus ſuis repellunt: linguis loquuntur novis, cum praviloquio rejecto, laudem Dei lingua reſonat ipſorum, utilia ſermo depromit: ſerpentes tollunt cum quod ſuggerit ſerpens ille antiquus minimè agunt; cumque ſuggeſtionem Diabolicam interiùs ſentiunt, ſed quod ſuggerit minimè faciunt, mortiferum quidem eſt quod bibunt, ſed non eis nocebit. *Omnes* enim, ait Apoſtolus, *adſtabimus ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Super ægros manus imponunt ut benè habeant, qui peccata quæ commiſerunt bonæ operationis ſtudiis, ut ad meliora proficiant, compenſare feſtinant. Ecce apodixis, ecce conjectura, ecce indicium credentium, & non credentium, Fratres. Qui ex his ergo in ſe cognoſcit aliquid ſignis, credere ſe dicat: qui non, ad credendum ſe potiùs ſuadeo præparet, quàm ſemet credere jactet.

Marc. 16, 16.
Ibid. v. 17.
Pſal. 39. 6.
Qui verè credant.
Rom. 14. 10

Ubi quoque à Domino dicitur cæco: *Tu credis in Filium Dei?* cum præpoſitione utique. Et Samaritanæ: *Mulier crede mihi*, ſine præpoſitione: cum hic abſolutò dicatur, qui crediderit, neque ſcilicet addito in Deum, neque Deo, conjici valet duo expoſci, id eſt, ut credamus in Deum, & credamus Deo. In Deum verò credit, qui catholicè credit, Deo credit, qui hortamentis illius obtemperat. Qui utrumque ita agit, & orthodoxo eſt baptiſmate lotus, maximam nobis affert, Deo gratias, ſecuritatem. Salvus enim abſque dubio talis, ſi tamen perſeveraverit, erit. O verò nullus in hac noſtrâ plebe inveniretur, qui non crederet verum eſſe quod Joannis in Evangelio audit; hoc eſt: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Increduli enim ad cætera, dum illud unum non credunt, fatentur tempeſtatem ab homine fieri poſſe, cum evidentiſſimè Pſalmiſta proclamet: *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus*, id eſt Domini. Et in alio Pſalmo de Deo: *Qui dat nivem ſicut lanam, nebulam ſicut cinerem ſpargit. Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas, ante faciem frigoris ejus quis ſuſtinebit?* &c. Quomodo ergo in Deum credit, qui Deum omnium creatorem eſſe non credit? Quomodo Deo credit, qui ipſi clamanti atque dicenti, ſurdiſſimum auditum apponit. Videte, *videte quòd ego ſum ſolus, & non ſit alius Deus præter me. Ego occidam, & ego vivere faciam; percutiam & ego ſanabo; & non eſt qui de manu meâ poſſit eruere.* Intendat Caritas veſtra: contrà enim eos qui dicunt, quòd homo malus, vel Diabolus tempeſtatem faciat, lapides grandinum ſpargat, vineta atque campos devaſtet, fulgura mittat, jumenta & pecora, ipſoſque homines interficiat; contrà illos, inquam, valet quod dicit: *Ego occidam, & vivere faciam.* Contrà illos verò qui dicunt, quòd ipſi per incantationes ſuas ipſas tempeſtates avertant, valet quod dicit: *Non eſt qui de manu meâ poſſit eruere.* Quod & ſi Helias triennio oratione pluviam avertiſſe, oratione rurſùm legatur eam cum voluit, reddidiſſe; ignem de cœlo ſuper impios impii Regis Miniſtros miſiſſe; Samuel æſtivo tempore tonitrua contrà naturam mugire feciſſe; plerique etiam alii Sanctorum ſive in veteri, ſive in novo Teſtamento quædam leguntur ſigna de cœlo, de terrâ, de mari monſtraſſe; non fecerunt ea ipſi, ſed Deus per ipſos; fecit hoc fides ipſâ, de quâ ipſe Dominus loquitur ad Apoſtolos, ita: *Si haberetis fidem ſicut granum ſinapis, diceretis huic monti, tollere, & mittere in mare, & obediret vobis.* Non poteſt hoc facere Diabolus, non membrum ejus quilibet malevolus; facit hoc per ſervos ſuos cum ei placuerit Deus, & cum ſit ſummè bonus, benignè ut bonus.

Joan. 9. 35.
Ibid. 4. 21.
Credere in Deum, & Deo, quid diſtent.
Joan. 1. 3.
Pſal. 148. 8.
Ibid. 147. 16.
Deut.
Matt.

Sed redeamus ad Aſcenſionis Dominicæ feſtum. *Cum hæc dixiſſet*, ait operis tanti relator egregius, *Videntibus illis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri adſtiterunt juxtà illos in veſtibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum? hic* JESUS *qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.* Hic pauxillùm, auditor, rogo, attende. In Galilæâ reſurgens Chriſtus primùm videtur, viris Galilæis aſcendens Chriſtus tantum monſtratur, illis reverſurus promittitur. Galilæi verò qui ſunt, fuerunt, vel erunt, niſi qui Galilæam incoluerunt, incolunt, id eſt, incolentes futuris temporibus erunt? Galilæa verò, ut à majoribus accepimus, tranſmigratio facta interpretatur, & hoc quare agnovimus. Bis hoc factum eſt, imò ter actum eſt ſubdendum, & quia vetus de primo, de duobus tertio juncto dicamus: Tranſmigraverunt filii Zebedæi de patre ſuo ad Chriſtum, Chriſtus reſurgens à ſepulcro ad ipſos; ipſi demum de Galilæâ ad montem ubi conſtituerat illis, eiſque videntibus inde eſt elevatus in cœlum. Illuc eum qui deſiderat ſequi, tranſeat de Diabolo ad ipſum, conſideret eum pro ſe mortuum, ac ſepultum, gaudeat ejus reſurrectione ſe reſuſcitatum, Aſcenſione in cœlum evectum, ſi tamen in hoc figat ſuum firmiſſimè deſiderium. Elaboret ergo unuſquiſque noſtrûm, Cariſſimi, ut quomodo hodie Chriſtus cum corpore noſtro cœlum conſcendit; ita quomodocumque valet ſpe conſcendat, deſiderio migret, operatione illuc pervenire nitatur. Mirum enim dictu, etiam per vitia noſtra cœlum poſſumus conſcendere, ſi videlicet ſtudeamus ea calcare: ſcalam quippe de illis quodammodo nobis facimus, ſi emendatione illa deprimimus. Elevant nos ſi fuerint ſubtùs nos, deprimunt nos ſi fuerint ſuprà nos. Caro noſtra in Chriſto cœlum conſcendit, ſequatur eam deſiderio anima noſtra. Anima Chriſti illo transferri cupit animas noſtras, cooperemur deſiderio ejus. Deus eſt qui geſtat eam; Omnipotens miſericordiâ viget & gratia; non diffidamus de poſſibilitate, ſi non deficimus voluntate. Virtutes vult tantùm loco ſumptuum nobiſcum portemus. Vitia ut egeſtatem mortiferam famemque perpetuam, contrarietatem utique aſcenſûs noſtri pernoxiam, hic relinquamus:

Act.

hic

hîc etiam demorantes à feſtinando illic nunquam ceſſemus: abſque dubio enim ubi Chriſtus cum carne noſtrâ eſt perveniemus, ſi à deſiderando ipſo minimè ceſſaverimus, ipſius adjuvante clementiâ, qui cum Patre, &c.

MONITUM.

ATTO *hoc nomine II.* Aldegarii filius (*inquit Ferdinand. Ughellus in Ital. Sacrâ*) Epiſcopus Vercel. fuit an. 945. doctiſſimus Theologus & Canoniſta, plura ſui ingenii doctrinæque monimenta reliquit, quæ continentur in antiquo Codice manuſcripto, in Vaticanâ Bibliothecâ, ac Vercellenſi Archivio, *&c.* Canones rursùs, Statutaque Vercel. Eccleſiæ, eruta è Conciliis Epiſtoliſque Decretalibus, quod opus in 100. Capita aptè diſtinxit. Item de Preſſuris Eccleſiaſticis Opus in tres partes diviſum, quarum prima eſt. *De Judiciis Epiſcoporum: 2. De Ordinationibus eorumdem: 3. De Facultatibus Eccleſiarum.* Hujus temporibus UGO & LOTHARIUS Reges Vercelleoſem Eccleſiam exornarunt, *&c.*

ATTONIS Opera, V. Clariſſimus JOANNES BONA Abbas Generalis Reformatæ Congregationis S. BERNARDI, ex MS. codice Vaticano, num. 4322. eruit, deſcribi curavit Romæ an. 1664. atque ad me tranſmiſit. Sed dolendum maximopere eſt, quòd lacunis codex ipſe pluribus in locis fœdatus, nempe in ſuperiori parte totâ, vel pluviâ infectus, ſeu carie corroſus, fuerit repertus, ut in unâquâque paginâ deſit linea. Spem tamen mihi ſuis litteris laus erudítiſſ. Abbas integrum habendi codicem aſſeruit, quod jam apud doctiſſ. Ughellum in Italiâ Sacrâ legeram, exſtare in Tabulario Vercellenſis Eccleſiæ, rogavitque eâ de re Epiſcopum Vercelleuſem ageret cum Canonicis, ut illa Opera exſcribi ſinerent. At is repulſam paſſus eſt. Unde iſthoc negotium cùm indicaſſem Illuſtriſſimo domino CAROCCIO tunc in Galliâ Sereniſſimi Ducis Sabaudiæ Legato, viro religione, prudentiâ, & eruditione præſtantiſſimo, actutùm ipſe, qui ſuâ me, dum in vivis eſſet, familiari dignabatur amicitiâ, omnem curam & induſtriam adhibuit, tùm per ſeipſum, tùm per amicos Vercellis agentes obtinendo hujuſce monumenti apographo, aut ſaltem eppleudis Romani codicis lacunis. Mira primò polliciti ſunt Canonici: ſed poſt Epiſtolas ultrò citròque datas, demùm fatentur (ingenuè an fictè, judicent alii) in ſuâ Eccleſiâ eſſe neminem rei antiquariæ peritum. Non hic ſtetit Illuſtriſſimi Caroccii diligentia & benignitas. Nam cum legatione feliciter peractâ rediiſſet in Sabaudiam, inſtat iterum, expoſcitque ab illis Canonicis Taurinum ad ſe autographum tranſmittant, bonâ fide iſtud ſe reſtituturum, poſtquàm ſuis expenſis exſcribi curaſſet.

In tom. 4. col. 2. pag. 1060.

Ecquid agerem omni ſpe abjectâ integrè tanto potiendi theſauro? Ederem Opera hiatibus ſenſum ſæpè interrumpentibus labefactata, an aliis edendis operam darem meam? Anxio mihi adſunt eruditione præſtantes amici; aiunt ſatius in lucem proferre rebus Eccleſiaſticis præclara Opuſcula, etſi nonnullis fœdata lacunis, quàm tenebris forſitan perpetuis ſinere involvi; aut ne incendio pereant, quam ſortem pleriſque in locis ſuſtinuère multa anterioris ævi monumenta. Poſtremo adjecerunt rerum antiquarum etiam fragmenta in pretio haberi. Itaque hiſce rationibus adductus, illa typis mandari curavi.

Et quandoquidem ATTO in rebus Divinis & Eccleſiaſt. verſatiſſimus ſuas lucubrationes teſtimoniis quaſi margaritis è S. Script. è Conc. & Eccl. Patribus deſumptis adornavit, haudque loca indigitavit, potiſſimùm in collectione Canonum, quam Capitulare inſcripſimus, nos haud levem impendimus operam locis quæ deſignata non erant margini apponendis: eoque labore quamplures ſupplevimus hiatus.

Sunt & præter ea quæ proferimus, ut ſcias Lector, ATTONIS Opuſcula cùm in Vercellenſi, tùm in Vaticano codice: videlicet Sermones XVII. *ad populum; & Polyptychum*, quod perpendiculum appellat, quo noxia redarguere, & honeſta ſancire docet, *cum ſcholiis.*

Porrò codicem Vaticanum tranſcribi curarunt Bibliothecæ Cuſtodes, ne totus periret: Continet primò Sermones, qui vix legi poſſunt, & ideo non ſunt tranſcripti, *&c. Ita clariſſ. JOHANNES BONA in epiſtolâ mihi an. 1664 ſcripta.*

In ATTONIS Capitulari animadvertenda ſunt: 1. Hæc verba Fides Catholica *ſignans Symbolum Athanaſii, quæ in eo ſenſu bis ab Auctore uſurpantur cap. IV. &c. & à Ratherio Veronenſi, vel ut aliis placet Udalrico, perperam tamen, in Synodicâ ad Presbyteros:* Sermonem ut ſuperiùs dixi, Athanaſii Epiſcopi de fide Trinitatis, cujus initium eſt, Quicumque vult, *&c. Riculfus quoque eadem propè habet in Cap. 5. Conſtitut.* Ut unuſquiſque veſtrûm pſalmos, & ſermonem fidei Catholicæ, cujus initium: Quicumque, *&c.*

2. *Circà ſæculum IX. Conventus ſeu Collationes Presbyterorum memoratæ in cap. 19. inſtitutæ fuiſſe videntur ex cap. 20. Riculfi Sueſſ.* Rationi quoque proximum eſſe ſanximus, ut in uno.

quoque menſe, ſtatutâ die, id eſt in Kalendis uniuſcujuſque menſis, per ſingulas Decanias Presbyteri ſimul conveniant, non paſtis vel potationibus vacent, ſed de ſuo miniſterio, & religioſâ converſatione, atque de his, quæ in eorum parochiâ accidunt ſermonem habeant, & qualiter pro Rege, vel Rectoribus Eccleſiæ, atque pro ſuis familiaribus tam vivis quàm defunctis orare debeant, conſiderent. *Huc facit Capitul.* 15. *Hincmari ad Presbyteros:* Ut quando Presbyteri per Kalendas ſimul convenerint, poſt peractum divinum miniſterium, & neceſſariam Collationem, non quaſi ad prandium ibi ad tabulam reſideant, &c.

Sub finem tom. 1. operum.

3. *Caput XC. elucidare poteſt Beda in Præfat. de Remediis peccatorum, ſive Pœnitentialis:* Solerter admonentes doctum quemque Sacerdotem Chriſti, ut in univerſis quæ hîc annotata reperit, ſexum, ætatem, conditionem, ſtatum, perſonam cujuſque pœnitentiam agere volentis, ipſum quoque cor pœnitentis curioſè diſcernat, & ſecundùm ut ſibi viſum fuerit, ſingula quæque judicet. Quibuſdam namque à cibis abſtinendo, nonnullis ſæpiùs genua flectendo, ſive in cruce ſtando, aut aliud aliquid hujuſmodi quod ad purgationem peccatorum pertineat, faciendo. *Ipſiſſima repetit verba Heriveus Remenſ. in Epiſtolâ ad Vuitonem Rotomag. Cap. 23. Hæc Acherius, quibus hoc unum addemus, haud paucas lacunas à nobis reparatas eſſe in libro de Preſſuris Eccleſiaſticis, ope Ms. cujuſdam codicis Monaſterii Resbacenſis, quem cum conſuluiſſet olim. R. P. D. Edm. Martene, quæcumque ex illo excerpſerat, nobiſcum humaniſſimè communicavit.*

ATTONIS II. VERCELENSIS EPISCOPI
CAPITULARE.

INCIPIUNT CANONES.

CAPUT PRIMUM.

Admonitio Pontificis ad Preſbyteros, qualiter erga Subditos agant.

Theodulfi caput 1. Capitularis.

OBSECRO vos, Fratres dilectiſſimi, ut erga ſubditarum plebium profectum & emendationem vigilantiſſimâ curâ laboretis, quatenùs illis viam ſalutis oſtendentes, & eos verbis & exemplis inſtruentes, & vos de eorum profectu, & nos de veſtro, Domino JESU-CHRISTO auxiliante, fructuoſos illi manipulos reportemus. Obſecro etiam fraternitatem veſtram, ut hæc Capitula, quæ ad emendationem vitæ breviter digeſſi, aſſiduè legatis, & memoriæ commendetis; & eorum, ſive cæterarum ſanctarum Scripturarum lectione mores componatis, vitam emendetis, ut cum ſubditis plebibus, opitulante Domino, ad regna cœleſtia pergere certetis.

CAPUT II.

Retractatio ejuſdem, & de Ordinis diſcretione bonaque vitæ exhortatione.

Ibid.

VEraciter noſſe debetis, & ſemper meminiſſe, quia nos quibus regendarum animarum cura commiſſa eſt, pro his qui noſtrâ negligentiâ pereunt, rationem reddituri ſumus. Pro his verò quos verbis & exemplis lucrari fuerimus, præmium æternæ vitæ percipiemus. Quòd ſi populus fidelis cibus eſt Dei, ejuſdem cibi condimentum nos ſumus. Scitote veſtrum gradum noſtro gradui ſecundum, & penè conjunctum eſſe. Sicut enim Epiſcopi Apoſtolorum in Eccleſiâ, ita nimirum Presbyteri cæterorum Diſcipulorum Domini vicem tenent. Et illi tenent gradum Summi Pontificis Aaron, iſti verò filiorum ejus. Unde oportet vos ſemper memores eſſe tantæ dignitatis, memores veſtræ conſecrationis, memores ſacræ quam in manibus ſuſcepiſtis unctionis, ut nec ab eâdem dignitate degeneretis, nec veſtram conſecrationem irritam faciatis, nec manus ſacro ſanguine delibutas peccando polluatis: ſed cordis & corporis munditiam conſervantes, plebibus exemplum bene vivendi præbentes, his quibus præeſtis ducatum ad cœleſtia regna præbeatis.

CAPUT III.

De ignorantiâ evitandâ, & doctrinâ ſervandâ.

IGnorantia mater cunctorum errorum, maximè Sacerdotibus Dei vitanda eſt, qui docendi officium in populis ſuſceperunt. Sacerdotes enim legere ſanctas Scripturas frequenter admonet Apoſtolus, dicens ad Timotheum: *Attende lectioni, exhortationi & doctrinæ. Semper permane his.* Sciant igitur Sacerdotes Scripturas, & Canones, ut omne opus eorum in prædicatione & doctrinâ conſiſtat; atque ædificent cunctos tam fidei, ſcientiâ quàm operum diſciplinâ.*

Con 4. c

s. 7

CAPUT IV.

Ut omnes fidem Catholicam memoriter teneant.

PRimò omnium fidem Catholicam [a] omnes Preſbyteri & Diaconi, ſeu Subdiaconi memoriter teneant. Ut ſi quis hoc faciendum prætermittat, quadraginta diebus à vino ſe abſtineat. Et ſi poſt abſtinentiam neglexerit, condemnandum dupliciter in eo ſententiâ.

a *fidem Catholicam*] Acherius jam monuit de Symbolo Athanaſii hîc agi. In fine pro *ſententiâ* lego *ſtatuo*.

CAPUT V.

De negligentiâ cavendâ, juſtitiâ amplectendâ, & vitâ emendandâ.

NEmo Clericorum ultrà hæc quæ juſſa ſunt diſſimulet, aut ullatenùs negligere audeat, ſed libenter expleat: & ſacramenta divina nequaquam negligenter contrectet. Ideo tam juvenes quàm ſenes de his, & de omni converſione ſuà, ac converſatione & pœnitentià valde eſſe ſollicitos, ſatiſque agere oportet, ut hæc condignè agant, & de reliquo orneut tam Clerici quàm ſæculares, animas ſuas ornamentis digniſſimis, dogmatibus ſcilicet veritatis, decore pudicitiæ, ſplendore juſtitiæ, candore pietatis, aliiſque omnibus, quibus comptam decet eſſe rationabilem mentem. Tum præterea declinare à conſortiis inhoneſtis, & infidelibus, & ſocietatem habere fidelium, atque illos frequentare conventus, in quibus de pudicitià, de juſtitià, de pietate tractatur. Orare ſemper Deum ex toto corde, & ab ipſo petere quæ decet, ipſi gratias agere, & veram pœnitudinem præteritorum geſtorum. Aliquantulum etiam, ſi poſſibile eſt, per miſericordiam pauperum juvare pœnitentiam.

CAPUT VI.

Quibus armis diabolus, & vitia expugnentur.

Theodulf. cap. 2.

OPortet vos aſſiduitatem habere legendi, & inſtantiam orandi. Quia vità viri juſti lectione nutruitur, oratione ornatur, & aſſiduitate lectionis munitur homo à peccato, juxtà illum qui dicebat:

Pſal 118. 11.

In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Hæc ſunt enim arma, videlicet lectio & oratio, quibus diabolus expugnatur. Hæc ſunt inſtrumenta quibus æterna beatitudo acquiritur. His armis vitia comprimuntur. His alimentis virtutes nutriuntur.

CAPUT VII.

Quòd Sacerdos Miſſam ſolus nequaquam celebret.

Idem Theodulf. cap. 7.

SAcerdos ſolus Miſſam nequaqoam celebret, quia ſicut illa celebrari non poteſt ſine ſalutatione Sacerdotis, reſponſione plebis, admonitione Sacerdotis, reſponſione nihilominùs plebis; ita nimirum nequaquam ab uno debet celebrari. Eſſe enim debent qui ei circumſtant, quos ille ſalutet, à quibus ei reſpondeatur; & ad memoriam illi reducendum eſt illud Dominicum:

Matt. 18 20

Ubicumque fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, & ego in medio eorum ſum.

CAPUT VIII.

Quòd Sacerdos Miſſas niſi in ſacratis ab Epiſcopo locis non præſumat celebrare.

Concil Rom. ſub Sylveſtro in epiſ. Refertur apud Anſelm. lib. 7. c. 157 & 158. & apud Grat. cap. *Nullus Preſbyter.* De conſecr. diſt. 1.

HIc in Romanâ Synodo conſtitutom eſt omnium cum conſenſu Synodi, ut nullus Preſbyter Miſſas niſi ſacratis ab Epiſcopo locis celebrare præſumat, qui particeps de cætero ſui voluerit eſſe ſacerdotii.

CAPUT IX.

Quod divina myſteria ſtudiosè celebrentur.

Theodulf. cap. 5.

IN ſacrificiis, dilectiſſimi, ante omnia diligenter obſervetur, ut panis & vinum & aqua, ſine quibus Miſſæ nequeunt celebrari, mundiſſimè atque ſtudioſiſſimè tractentur. Et nihil in his vile, nihil non probatum inveniatur, juxtà illud quod ait Scriptura: *Sit timor Domini vobiſcum: cum diligentiâ cuncta facite.*

CAPUT X.

Item ex eiſdem.

COrpus Domini nullo modo conſecretur niſi ex integrà oblatione. Neque enim Dominus ſui corporis aliquam ſuſtinuit diminutionem; ſicut ſcriptum eſt: *Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Et alibi: *Os non comminuetis ex eo.* Miſſæ etiam niſi à jejunis Sacerdotibus non celebrentur.

Pſal. 15. 10. Joan. 19. 36.

CAPUT XI.

Ut feminæ ad altare non accedant.

FEminæ Miſſam Sacerdote celebrante nequaquam ad altare accedant, ſed locis ſuis ſtent, & ibi Sacerdos earum oblationes Deo oblaturus accipiat. Memores eſſe debent feminæ infirmitatis ſuæ, & ſexûs imbecillitatis. Et idcircò quælibet ſancta in miniſterio divino contingere pertimeſcant. Quæ etiam laïci viri pertimeſcere debent, ne Ozæ pœnam ſubeant, qui dum Arcam Domini extraordinariè contingere voluit, Domino percutiente interiit.

Theodulf. cap. 6.

2. Reg. 6.

CAPUT XII.

Ut feminæ ſacrata vaſa, vel pallas non contingant.

SAcratas Deo feminas, vel Monachas ſacrata vaſa, vel ſacratas pallas penes nos contingere, & circà altaria incenſum deferre perlatum eſt ad Apoſtolicam ſedem. Quæ omnia reprehenſione & vituperatione plena eſſe nulli rectè ſapientium dubium eſt. Quapropter hujus ſanctæ Sedis auctoritate hæc omnia reſecare funditùs quantociùs poteritis, cenſemus: & ne peſtis hæc latiùs divulgetur, per omnes provincias abſtergi citiſſimè mandamus.

Soteris quæ fertur epiſt 2 Epiſcop. Ital Exſtat diſt. 23 cap. *Sacratas* Et apud Yvonem Carnot. Decret. p. 2. c. 72 & p. 3. cap. 265.

CAPUT XIII.

Ut nullus præſumat qualibet ex ſacris illicitè uſurpare.

NUllus præſumat aut calicem, aut patenam, aut quælibet vaſa ſacra, & divino ſervitio mancipata, ad alios uſus retorqoere, nec calice ſacro aliud bibat præter ſanguinem Chriſti, qui in Sacramento accipitur; nec patenam ad aliud officium admittere audeat, quàm ad altaris miniſterium. Et altaria non cooperiantur niſi nitidis & novis pannis. Corpora verò mortuorum in ipſis nullo modo involvantur.

Theodulf. cap. 18.

CAPUT XIV.

Ut veſtimenta eccleſiaſtica ſacrata & honeſta ſint.

VEſtimenta igitur eccleſiaſtica quibus Domino miniſtratur, ſacrata debent eſſe & honeſta. Quibus aliis uſibus nemo debet uti, quàm eccleſiaſticis & Deo dignis officiis, quæ nec ab aliis debent contingi, aut ferri, niſi à ſacratis hominibus, ne ultio quæ Balthaſar Regem percuſſit, ſuper hæc tranſgredientes, & alia præſumentes, veniat divina;

Steph Papa Hilario ep. 1 c. 3 Refertur de Conſecr. diſtinct. 1. c. *Veſtimenta.* Et apud Yvonem Car. ot p. 2. c. 74.

qui dum vaſa Domini in uſus communes aſſumſit, vitam cum regno pariter amiſit.

CAPUT XV.

Ut Clerici ſæcularibus indumentis non utantur.

Zacharias Papa, & refertur 21. q. 4. cap. *Epiſcopi.* PReſbyteri, & Diaconi ſæcularibus indumentis minimè utantur, niſi ut condecet, tunicâ ſacerdotali: ſed neque dum ambulaverint in civitatem, aut in viam, aut in plateas, ſine operimento præſumant ambulare, præter ſi in itinera longa ambulaverint. Quia ſicut *mulier orans in eccleſiis non* (1. *Cor.* 11. 4.) *velato capite deturpat caput ſuum*, juxtà Apoſtolicam vocem; ita Sacerdos ſine operimento deturpat ſacerdotium ſuum. Nam ſi temerè præſumſerit contrà ſtatuta agere, communione privetur, donec quæ ſtatuta ſunt adimplere maturet.

CAPUT XVI.

Quando Symbolum competentibus tradatur.

Concil. Agathenſ. c. 13. SYmbolum etiam placuit ab omnibus Eccleſiis unâ die, id eſt ante octo dies Dominicæ Reſurrectionis publicè in Eccleſiâ Competentibus tradi.

CAPUT XVII.

De tempore Baptiſmi.

Gelaſius epiſt. ad Epiſcop. Lucaniæ c. 12. BAptizandi ſibi quiſpiam paſſim quocumque tempore nullam credat ineſſe fiduciam; præter Paſchale feſtum, & Pentecoſtes venerabile ſacramentum: excepto dumtaxat graviſſimi languoris incurſu, in quo verendum eſt ne morbi creſcente periculo, ſine remedio ſalutari fortaſſis ægrotans, exitio præventus abſcedat.

CAPUT XVIII.

Qualiter Baptiſmi ſacramenta celebrari oportet.

CAthecumeni antequàm baptizentur, inſtruantur qualiter credant, ut Sacerdotibus cum baptizantur . . . . fraudes loquendi . . . . imminente periculo obmutuerint, per chriſtianiſſimos teſtes eorum fides examinetur, qui illis antequàm obmutuerint, adfuiſſent. Et ſi eorum teſtimoniis digni inventi fuerint, baptizentur. Hi verò qui ab infantiâ muti fuerunt, ſi aliquibus nutibus, aut indiciis Chriſtianos ſe eſſe velle, vel baptiſmum petere videantur, non eſt illis vetandum. Pro infantibus verò quibus ætas adhuc loquendi non eſt, aliis non abnuimus reſpondendum, Catholicis tamen. Sed qui pro eis fidem promittunt, curam & ſollicitudinem habere debent, ut illi hoc impleant quod ipſi pro eis promiſerunt. Si autem religioſi & docti talibus parentes fuerint, quòd ſic cum hac proteſtatione committendi ſunt. Qui ſi defuerint[b], iſti eos frequentiùs inſtruant, ſuiſque beneficiis ſæpiùs ſtudeant confortare.

CAPUT XIX.

Item de parvulis ægrotantibus.

Theodulf. cap. 17. SI parvulus ægrotans ad quemlibet Preſbyterorum baptiſmi gratiâ de cujuſlibet parochia allatus fuerit, baptiſmi ſacramentum nullo modo negetur. Si quis hoc munus petenti concedere detrectaverit, & ille parvulus abſque baptiſmi gratiâ mortuus fuerit, noverit ſe ille qui eum non baptizavit, pro ejus animâ rationem redditurum.

CAPUT XX.

Ut Preſbyteri abſque Diaconis Baptiſma non celebrent.

UT in nullâ[c] Eccleſiâ cujuſlibet diœceſeos ubi baptiſmus celebratur, Preſbyter abſque Diacono eſſe reperiatur. Undè omnis Preſbyter non habens Diaconum, eligat ſibi perſonam, & plebi ſuæ innoteſcat: tunc ad Pontificem ſuum conſignans deducat, cujus vitam probatam habeat, & Diaconus conſecretur. Quòd ſi diſtulerit Preſbyter, dicens eo quod non habeat talem Clericum, Epiſcopus ſuus provideat ex Eccleſiâ ſuâ, aut unde voluerit bonam perſonam. Tantùm eſt ut ſine Diacono non ſit.

CAPUT XXI.

Quæ in Eccleſiis recondi liceat.

VIdemus crebrò in Eccleſiis meſſes & fœnum congeri; unde volumus ut hoc penitùs obſervetur, ut nihil in Eccleſiâ, præter veſtimenta eccleſiaſtica, & vaſa ſancta & libros, recondatur. Si autem[d] tempore perſequutionis propter improbitatem prædonum ſua pauperes alimenta inibi ſervanda reponunt, non ſunt ejicienda: ita ſanè ut de eâdem Eccleſiâ pace receptâ illicò tranſportentur. Vendendi enim vel emendi ibi nulla detur licentia. Ne forte ſi alia ibi quàm oportet negotia exerceantur, à Domino audiamus: *Domus mea domus orationis eſt, vos autem ſpeluncam latronum feciſtis.* Luc

The c. 8.

CAPUT XXII.

Quòd in Eccleſiâ convivia & accumbitus non fiant.

QUòd non oporteat in Domini Eccleſiis convivia quæ vocantur agapæ, fieri, nec intrà domum Dei comedere, vel accumbitus ſternere. Laod Trul Aqui

CAPUT XXIII.

Quòd in Eccleſiis ſepultura non fiant.

ANtiquus in his regionibus in Eccleſiâ ſepeliendorum mortuorum uſus fuit, & pleraque loca divino cultui mancipata, & ad offerendas Deo hoſtias præparata, cœmeteria ſive polyandria facta ſunt. Unde volumus ut ab hac re deinceps abſtineatur, & nemo in Eccleſiâ ſepeliatur, niſi forte talis ſit perſona Sacerdotis, aut cujuſlibet juſti hominis, qui per vitæ meritum talem vivendo ſuo corpori defuncto locum acquiſivit. Corpora verò quæ antiquitùs in Eccleſiis ſepulta ſunt, nequaquam projiciantur, ſed tumuli qui apparent profundiùs in terrâ mittantur, & pavimento deſuper facto, nullo tumulorum veſtigio apparente, Eccleſiæ reverentia conſervetur. Ubi verò tanta eſt multitudo cadaverum, ut hoc facere difficile ſit, locus ille pro cœmeterio habeatur. The c. 9.

b *ſi defuerint*] Sic reſtitui ex conjecturâ ſatè non improbabili. Anteà legebatur, *ſide fuerint*, quod cum Acherius non intelligeret monuerat hoc loco verbum aliquod, ut *infirmi*, deeſſe.

c *in nullâ*] Præpoſitionem quæ deerat, adjeci.

d *ſi autem*] Hæc uſque ad *Ne forte*, non leguntur apud Theodulfum.

ablato inde altari, & in eo loco conſtituto, ubi religioſè & purè Deo ſacrificium offerri valeat.

CAPUT XXIV.

Ut ſepultura non vendantur.

Greg. lib. 7. Ep. 55.

QUeſta nobis eſt Nereida clariſſima femina, quòd ab eâ centum ſolidos pro filiæ ſuæ ſepulturâ fraternitas veſtra velit exigere, atque ei ſuper doloris gemitum majorem diſpendii ſtudeat inferre moleſtiam. Quòd ſi ita ſe veritas habet, quia grave nimis, & procul nimis eſt à Sacerdotis officio, pretium de terrâ conceſſâ putredini quærere, & de alieno velle facere luctu compendium; ab hac ſe patratione fraternitas veſtra contineat, & moleſta ei de cætero non exiſtat. Hoc autem vitium & nos, poſtquàm Deo auctore ad Epiſcopatûs honorem acceſſimus, de Eccleſiâ noſtra omninò vetuimus, & pravam denuò conſuetudinem nequaquam uſurpari permiſimus; memores quia dum Abraham à filiis Emor, hoc eſt Efron filio Segor ſepulcri terram pretio ad humandum corpus conjugis poſtularet, pretium accipere renuit, ne commodum videretur de cadavere conſequutus. Si ergo tantæ conſiderationis paganus vir fuit, quanto magis nos, qui Sacerdotes dicimur, hoc facere non debemus. Unde ne hoc avaritiæ vitium, vel in alienis denuò tentari præſumatur, admoneo; ſed ſi quando aliquem in Eccleſiâ veſtrâ ſepeliri conceditis, ſi quidem parentes ipſius, proximive heredes, pro luminaribus ſponte quid offerre voluerint, accipi non vetamus; peti verò aut aliquid exigi, omninò prohibemus. Quod valde irreligioſum eſt, ne aut venalis fortaſſe, quod abſit, dicatur Eccleſia, aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, ſi ex eorum cadaveribus ſtudetis quærere quolibet modo compendium.

CAPUT XXV.

Ut diœceſes ſingulis annis viſitentur.

Concil. Tarracon. ſub Hormiſda, c. 8.

MUltorum experientiâ caſuum magiſtrante reperimus nonnullas Diœceſes Eccleſiis deſtitutas. Pro quâ re id conſtitutione decrevimus, ut antiquæ conſuetudinis ordo ſervetur, & annis ſingulis ab Epiſcopis Diœceſes viſitentur. Et ſi qua forte Baſilica deſtituta reperta fuerit, ordinatione ipſius reparetur.

CAPUT XXVI.

Qui Preſbyteri Chriſma petant.

Conc. Carth. 4. c. 36.

PReſbyteri qui per Diœceſes Eccleſias regunt, non à quibuſlibet Epiſcopis, ſed à ſuo, nec per juniorem Clericum, ſed per ſe ipſos, aut per illum qui ſacrarium tenet, ante Paſchæ ſolemnitatem Chriſma petant.

CAPUT XXVII.

Quod ſingulis annis Synodus celebretur.

Tolet. 4. c. 3.

NUlla pene res diſciplinæ mores ab Eccleſiâ Chriſti magis depulit, quàm Sacerdotum negligentia, qui contemptis Canonibus ad corrigendos Eccleſiaſticos mores Synodum facere negligunt. Ob hoc à nobis univerſaliter definitum eſt, ut quia juxtà antiqua Patrum decreta bis in anno difficultas temporis fieri Concilium non ſinit, ſaltem vel ſemel à nobis celebretur.

CAPUT XXVIII.

Qualiter Majores Preſbyteri ad Synodum veniant.

Theodulf. c. 4.

QUando more ſolito ad Synodum convenitis, veſtimenta, & libros, & vaſa ſancta cum quibus veſtrum miniſterium & injunctum officium peragatis, vobiſcum deferte; nec non duos, vel tres Clericos ſive Laïcos, cum quibus Miſſarum ſolemnia celebratis, vobiſcum adducite, ut probetur quàm diligenter, quàm ſtudioſè Dei ſervitium peragatis.

CAPUT XXIX.

Quòd ſingulis Kalendis collatio in plebibus fiat.

EXperimento didicimus, non minùs bonam collationem, quàm etiam lectionem prodeſſe. Unde à præſenti ſtatuimus, ut per ſingulas plebes ſingulis Kalendis omnes Preſbyteri ſeu Clerici ſimul conveniant, ut de fide ac Sacramentis divinis, ſeu de vitâ & converſatione, & ſingulis officiis ad eos pertinentibus communiter tractent. Et ſi fortè aliquis inter eos negligens aut reprehenſibilis inveniatur, à cæteris corrigatur. Quòd ſi corrigi omninò non ſtuduerit, mox ſuo nuntient Epiſcopo, ut hæc acriùs emendare quantociùs ſtudeat. Ne cum eadem Diœceſi . . . . tentur. Si autem Kalendæ in feſtivis fuerint, ſub . . . .

CAPUT XXX.

Quòd nullus abſolutè Clericus ordinetur.

Concil. Chalced. c. 6.

NUllum abſolutè ordinari debere Preſbyterum, aut Diaconum, vel quemlibet in gradu eccleſiaſtico, niſi ſpecialiter in Eccleſiâ Civitatis, aut poſſeſſionis, aut Martyrii, aut Monaſterii qui ordinandus eſt, pronuntietur. Qui verò abſolutè ordinatur, decrevit ſancta Synodus irritam haberi hujuſcemodi manûs impoſitionem, & nuſquam poſſe miniſtrare ad ordinantis injuriam.

CAPUT XXXI.

Ut ſingulis Eccleſiis Sacerdotes ordinentur.

Clementis, quæ dicitur epiſt. 2. ad Jacobum.

ECcleſias per congrua, & utilia facite loca, quas divinis precibus ſacrare oportet, & in ſingulis Sacerdotes divinis orationibus Deo dicatos poni, quos ab omnibus venerari oportet, & non à quoquam gravari.

CAPUT XXXII.

De Clericis qui loca in quibus ordinati ſunt derelinquunt.

Concil. Arel. 1. c. 21.

DE Preſbyteris, aut Diaconis qui ſolent dimittere loca ſua, in quibus ordinati ſunt, & ad alia loca ſe transferunt, placuit ut eiſdem locis miniſtrent quibus præfixi ſunt. Quòd ſi derelictis locis ſuis ad alium ſe locum transferri voluerint, deponantur.

CAPUT XXXIII.

De Preſbyteris qui pro alterius Eccleſiâ munera promittunt.

Theodulf. c. 16

SI quis Preſbyter, vel quiſlibet in Clero inventus fuerit alicui Clerico aut Laïco deinceps munera dare, aut promittere, ut Eccleſiam alterius Preſbyteri ſubripiat; ſciat ſe pro hac rapinâ, & ſævâ cupiditate, aut gradum amiſſurum, aut in carceris ærumnâ longo tempore pœnitentiam agendo detinendum. Illi verò [e] quem fatigare præſumſerit, omne damnum quod ei pro hac acciderit querelâ, ipſoſque actionis ſumptus inſuper reſtaurare cogatur. Nulluſque Preſbyter fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ de alterius Preſbyteri parochiâ, ut ad ſuam Eccleſiam concurrant relictâ propriâ Eccleſiâ, & ſuas decimas ſibi dent; ſed unuſquiſque ſuâ Eccleſiâ, & populo contentus, quæ ſibi non vult fieri alteri nequaquam faciat, juxtà illud Evangelii: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hæc eadem facite illis.*

CAPUUT XXXIV.

Ut nullus oblationes Eccleſiæ præter conſcientiam Epiſcopi aut det, aut accipiat.

Concil. Gangrenſe c. 7.

SI quis oblationes Eccleſiæ extrà Eccleſiam accipere vel dare voluerit, præter conſcientiam Epiſcopi, vel ejus cui hujuſcemodi officia commiſſa ſunt, nec cum ejus voluerit agere conſilio, anathema ſit.

CAPUT XXXV.

Ut nullus Preſbyter abſque permiſſu Epiſcopi aliquid in ejus Parochiâ agat.

Epiſt. 1. quæ Clemen. Romani nomine circumfertur.

NUllum Preſbyterum in alicujus Epiſcopi Parochiâ aliquid agere debere abſque permiſſu docebat, ſed & cunctos Preſbyteros propriis Epiſcopis in omnibus abſque mora obedientes (inſtituente Domino) eſſe debere docebat. Nullum item aliena concupiſcere, aut præſumere quæ eorum erant, ſed unumquemque ſuis ſibique commiſſis contentum eſſe docebat. Neminem etiam alicui aliquid facere, niſi quòd ſibi fieri velit inſtruebat.

CAPUT XXXVI.

Ut nullus Clericus mulierem in conſortio familiaritatis habeat.

Concil. Tolet. 2. c. 3.

ILlud præterea ſpeciali ordinatione decernimus, quod nec antiqua Concilia in univerſis penè canonibus ſiluère, ut nullus Clericorum à gradu Subdiaconatûs, & ſuprà, in conſortio familiaritatis habeat mulierem, vel ingenuam, vel libertam, aut ancillam: ſed ſi ſunt ei hujuſcemodi ſervitia, matri, vel ſorori, aliæque cujuſlibet propinquitatis contradat, & quidquid ſuis manibus profecerint, proprio Domino deferatur. Aut ſi propinquitas memorata deeſt, alia domus longè ad earum habitaculum requiratur, eo modo, ut nullâ occaſione introeundi domum Clericorum feminæ permittantur, unde aut laqueum poſſit incurrere, aut noxialis fama innocenti fortaſſis poſſit inuri. Sanè deinceps poſt datam hanc admonitionem quiſquis harum conſortio frui voluerit, noverit ſe non ſolùm à Clericatûs officio retrahi, vel Eccleſiæ foribus pelli, ſed etiam omnium Catholicorum, Clericorum, vel Laïcorum communione privari, nullâ prorſus colloquii conſolatione relictâ.

CAPUT XXXVII.

Ut Clericus nullam converſationem cum muliere poſt denominationem habeat.

UT ſi cui Sacerdoti ex quâlibet muliere denuntiatum fuerit, ut exinde ſuſpicio malæ opinionis efficiatur, nullam cum ipſâ habeat converſationem, neque ſecretam, neque patentem. Si deinceps inventus fuerit, poſt ſecundam & tertiam conteſtationem ut contemptor gradûs ſui periculum ſuſtineat. V... tun...

CAPUT XXXVIII.

Qualem profeſſionem Preſbyteri & Diaconi faciant, quando ordinantur.

QUando Preſbyteri & Diaconi per Parochias conſtituuntur, oportet eos primùm profeſſionem Epiſcopo ſuo facere, ut caſtè & purè vivant ſub Dei timore, & ut eos talis profeſſio alligatos ſanctæ diſciplinæ retineat. Co... 4. c...

CAPUT XXXIX.

Item qualem Epiſcopus Diaconum faciat.

A Præſenti die Epiſcopis omnibus dicatur, ut nullum facere Diaconum præſumant, niſi qui ſe caſtè victurum promiſerit.

CAPUT XL.

Ut Clerici Epiſcopis ſuis obtemperent.

ITem placuit, ut quicumque Clerici vel Diaconi pro neceſſitatibus Eccleſiaſticarum rerum non obtemperaverint Epiſcopis ſuis, volentibus eos ad honorem ampliorem in ſuâ Eccleſiâ promovere, nec illic miniſtrent in ſuo gradu unde noluerunt recedere. Co... tha...

CAPUT XLI.

Quòd nullus Clericus die Dominico aliquod ſæculare negotium audeat vindicare.

UT nullus Preſbyterorum vel Clericorum die Dominico propoſitum cujuſcumque cauſæ negotium audeat vindicare, niſi hoc tantùm, ut Deo ſtatuta ſolemnia peragant. Cæteris verò diebus, cohibentibus perſonis, illa quæ juſta ſunt habeat licentiam judicandi, exceptis criminalibus negotiis. Co... tac...

CAPUT XLII.

Ut Clericis ludicris ſpectaculis non interſint.

NOn oportet Miniſtros altaris, vel quoſlibet Clericos ſpectaculis aliquibus, quæ aut in nu- Co... dio...

e *Illi verò*] Prior editio, *Ille verò* corruptè. Hæc uſque ad, *Nulluſque* non leguntur apud Theodulfum.

ptiis, aut in ſcenis exhibentur, intereſſe, ſed antequàm thymelici ingrediantur, ſurgere eos de convivio, & abire debere.

CAPUT XLIII.

Ut Clerici per plateas, vel andronas, vel nundinas non ambulent.

Concil. Carthag. 4. c. 47. 48. Carth. 3. c. 27.

CLerici per plateas, vel andronas, aut nundinas non ambulent, & ad forum, vel tabernas non accedant abſque certâ corporis vel officii ſui neceſſitate, vel ſi fuerint peregrinatione compulſi; nec ibi comedere aut bibere præſumant.

CAPUT XLIV.

Item Clericum ſcurrilem puniendum.

Concil. Carthag. 4. c. 60.

CLericum ſcurrilem, & verbis turpibus joculatorem, ab officio retrahendum cenſemus.

CAPUT XLV.

Item Clericus adulator & proditor degradetur.

Ibid. c. 56.

CLericus qui adulationibus & proditionibus vacare deprehenditur, degradetur ab officio.

CAPUT XLVI.

Clericus inter epulas cantans ſimiliter.

Ibid. c. 61.

CLericus inter epulas cantans, ſupradictæ ſententiæ ſeveritate coërcendus.

CAPUT XLVII.

Quibus negotiis ſe miſcere debeant.

Refertur tamquàm Melchiad. diſtinct. 88. c. *Decrevit.*

DEcrevit Nicæna Synodus nullum Clericum aut poſſeſſiones conducere, aut negotiis ſæcularibus ſe miſcere, niſi forte Epiſcopus civitatis eccleſiaſticarum rerum ſollicitudinem habere præcipiat, aut pupillorum & orphanorum, aut viduarum. Ubi liquidò patet, quia alia ſunt negotia ſæcularia, & alia eccleſiaſtica.

CAPUT XLVIII.

Ut Clerici auguria non credant, nec divinationes exquirant.

Concil. Tolet. 4. c. 29.

SI quis Epiſcopus aut Preſbyter ſive Diaconus, vel quilibet ex ordine Clericorum magos aut aruſpices, aut ariolos, aut certè augures vel ſortilegos, vel eos qui profitentur artem magicam, aut aliquos eorum ſimilia exercentes, conſuluiſſe fuerit deprehenſus, ab honore dignitatis ſuæ depoſitus, monaſterium ingreſſus pœnam excipiat, ibique perpetuæ pœnitentiæ deditus, ſcelus admiſſum ſacrilegii ſolvat[f]. Item, Si quis poſt hanc cognitionem, eccleſiaſticam contemnens doctrinam, ad . . . . Prophetas, aut Angelos, vel aliquos ſanctorum defunctorum, quos æquivocos falsò vocant, abierit, eorumque pravis doctrinis inhæſerit, anathema ſit; nullíſque myſteriis eccleſiaſticis communicet, donec ad Pontificis venerit ſatisfactionem. Nam ipſe Dominus in Evangelio docet: *Surgent enim Pſeudo-Chriſti & Pſeudo-Prophetæ, & ſe ducent multos.* Et Paulus Apoſtolus: *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Similiter etiam de illis qui arbores colunt, aut ad fontes hujuſcemodi religioſe accedunt, deliberare curavimus. Inſuper nullus talibus communicare præſumat.

f Burchard. lib. 10. c. 48. Yvo par. 11. c. 5. & 73. Vide Concil. Laodic. c. 34. 35. *Matt.* 24. 24. *Hebr.* 13. 9.

CAPUT XLIX.

Ut Clerici uſuras non accipiant, nec laïci quoque.

Concil. Carthag. 3. c. 16.

ITem placuit, ut Clericus ſi commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat; ſi ſpeciem, eamdem ſpeciem quantum dederit accipiat. Similiter quoque laïci ab uſuris ſe abſtineant; quod ſi non fecerint, excommunicentur.

CAPUT L.

Ut Clerici viliùs emendi & cariùs vendendi uſum non habeant.

Concil. Tarracon. c. 2.

SIcut per Canonum ſtatuta firmatum eſt, quicumque in Clero eſſe voluerit, emendi viliùs, vel vendendi cariùs ſtudio non utatur. Certè ſi voluerit exercere, cohibeatur à Clero.

CAPUT LI.

Ut Clerici ſæcularem defenſionem adverſùs Eccleſiaſticam diſciplinam non requirant.

Agath. Concil. c. 8.

ID etiam placuit, ut Clericus ſi relicto officio ſuo propter diſtrictionem ad ſæcularem fortaſſe defenſionem tranſierit, & ei ad quem recurrerit ſolatium defenſionis impenderit, cum eodem de Eccleſiæ communione pellatur.

CAPUT LII.

Ut Clerici Eccleſiaſtico judicio contenti ſint.

Pſeudo-Clemens Epiſt. 1 ad Jacob.

SI qui ex fratribus negotia habent inter ſe, apud cognitores ſæculi non judicentur, ſed apud Preſbyteros Eccleſiæ quidquid illud eſt, dirimatur.

CAPUT LIII.

Ut Clerici vigiliis non deſint.

Concil. Carthag. 4. c. 49.

CLericus qui abſque corpuſculi ſui inæqualitate Vigiliis deeſt, ſtipendio privetur.

CAPUT LIV.

Ut Preſbyter in nuptiis bigami non prandeat.

Concil. Neocæſ. c. 7.

PReſbyterum in nuptiis bigami prandere non convenit, quia cum pœnitentiâ bigamus egeat, quis erit Preſbyter, qui propter convivium talibus nuptiis poſſit præbere conſenſum?

CAPUT LV.

Quòd ex collatis convivia non celebrentur.

Concil. Laodic. c. 55.

QUòd non oporteat Sacerdotes, aut Clericos ex collatis, vel commeſſalibus convivia celebrare. Hoc autem nec laïcis poſſe congruere.

f *ſolvat*] Quæ ſequuntur non ſunt ex Concil. Tolet. deſumpta.

CAPUT LVI.

Quòd ad agapen vocati, ciborum partes non accipiant.

Leo licenſ. c. 27.

QUòd non oporteat ſacro miniſterio deditos Clericos ad agapen vocatos, ciborum partes accipere: propterea quòd hinc eccleſiaſtico ordini fiat injuria.

CAPUT LVII.

Quòd Clericos orare, & legere, ac manibus laborare inſtanter conveniat.

Concil. Carthag. 4. c. 50. 51. 52. 53. Ex cap. 3. Capitul. Theoduif. Aurel.

CLericus victum & veſtimentum ſibi artificio vel agriculturâ, abſque officii dumtaxat ſui detrimento præparet: & ii quando à lectione ceſſatur, debet manuum operatio ſubſequi, quia otioſitas inimica eſt animæ, & antiquus hoſtis quem à lectione ſive ab oratione vacantem invenerit, facilè ad vitia rapit. Per uſum namque lectionis diſcetis, qualiter & vos vivatis, & alios doceatis. Per uſum orationis & vobis, & his quibus in charitate conjuncti eſtis, prodeſſe valebitis. Per manuum operationem, & corporis macerationem, & vitiis alimenta negabitis, & veſtris neceſſitatibus ſubvenietis, & habebitis quod neceſſitatem patientibus porrigatis.

CAPUT LVIII.

Qui Pſalmi in Eccleſiâ cantentur, vel Libri legantur.

Mart. Brac. Collect. Orient. Can. c. 67. Carth. 3. c. 47.

QUòd non oporteat plebeos pſalmos in Eccleſiâ cantari, nec libros præter canonem legi, ſola ſacra volumina novi Teſtamenti, vel veteris. Licet etiam legi paſſiones Martyrum, cum anniverſaria eorum celebrantur.

CAPUT LIX.

Ut oratio Dominica quotidie proferatur.

Ex c. 10. Concil. Tolet. 4.

ORatio quæ Dominica dicitur, quam Dominus proprio ore compoſuit, ſuoſque Diſcipulos per eam orare docuit, non tantùm diebus Dominicis, ſed quotidie in omni operatione frequentanda eſt. Conſideret tamen unuſquiſque conſcientiam ſuam, quia ſi ex puro corde omnibus à quibus læſus fuerit, non dimiſerit, hæc oratio magis ad occaſionem, quàm ad veniam illi eſſe videtur.

CAPUT LX.

Quòd profundiores quæſtiones penitùs non adſtruantur.

Cæleſtinus I. ad Epiſc. Galliæ c. 13.

PRofundiores verò difficilioreſque partes incurrentium quæſtionum, quas latiùs pertractarunt qui Hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere: quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitùs ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus, quidquid ſecundùm prædictas regulas Apoſtolicæ Sedis nos Scriptura docuerit, ut prorsùs non opinemur catholicum, quod apparuit præfixis ſententiis eſſe contrarium.

CAPUT LXI.

Ubi & qualiter Scholæ habeantur.

Theodulf. 20.

PReſbyteri etiam per villas & vicos ſcholas habeant, & ſi quilibet fidelium ſuos parvulos ad diſcendas litteras eis committere vult, eos ſuſcipere & docere non renuant, ſed cum ſummâ eos charitate doceant. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* (Dan. 12.) Cum ergo eos docent, nihil ab eis pretii pro hac re exigant, nec aliquid ab eis accipiant, excepto quod eis parentes charitatis ſtudio ſuâ voluntate obtulerint.

CAPUT LXII.

Quibus Libertis manumittatur.

Concil. T 4. cap. 7

QUicumque libertatem à dominis ſuis ita percipiunt, ut nullum ſibimet in eis obſequium patronus retentet; iſti ſi ſine crimine ſunt, ad Clericatûs ordinem liberè ſuſcipiantur; quia directâ manumiſſione abſoluti noſcuntur. Qui verò retento obſequio manumiſſi ſunt, pro eo quod adhuc à patrono ſervituti tenentur obnoxii, nullatenùs ſunt ad eccleſiaſticum ordinem promovendi, ne quando voluerint eorum domini, fiant ex Clericis ſervi.

CAPUT LXIII.

Quales ad miniſterium Clerici eligantur.

Clementi piſt. 2. a pta.

TAles ad miniſterium Clerici eligantur, qui dignè poſſint Dominica Sacramenta tractare: melius eſt enim Domini Sacerdoti paucos habere miniſtros, qui poſſint dignè exercere opus Dei, quàm multos inutiles, qui onus grave ordinatori adducant.

CAPUT LXIV.

De jejunio Quadrageſimali Clericorum.

Teleſpho tributa E

COgnoſcite à nobis, & cunctis Epiſcopis in hac ſanctâ & Apoſtolicâ ſede congregatis ſtatutum eſſe, ut ſeptem hebdomadas plenas ante ſanctum Paſcha omnes Clerici in ſortem Domini vocati à carne jejunent. Quia ſicut diſcreta debet eſſe vita Clericorum à laicorum converſatione, ita & in jejunio debet fieri diſcretio. Has ergo ſeptem hebdomadas omnes Clerici à carne & deliciis jejunent, & hymnis, ac vigiliis, atque orationibus Domino inhærere diu noctuque ſtudeant.

CAPUT LXV.

Quòd nulli Sacerdotum liceat canones ignorare.

Cæleſtin. ſcopis per lab. conſ tis Epiſt.

NUlli Sacerdotum ſuos liceat canones ignorare, nec quidquam facere quod poſſit Patrum regulis obviare: quæ enim à nobis res dignè ſervabitur, ſi decretalium norma conſtitutorum pro aliquorum libitu, licentiâ populis permiſſâ, frangatur?

CAPUT LXVI.

Quomodo adverſa pro Chriſto patienter tolerare oporteat.

Anacleti, dicitur E

NOlite mirari, Chariſſimi, qui perſequutiones patimini, quaſi vobis aliquid novi contingat,

ſed

ſed communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis. Nec pro aliquâ cupiditate*, vel ſegnitie, aut metu, hæc quæ vobis facienda, vel dicenda ſunt, dimittatis. Nec à populi increpatione, ſi deviaverit, ullo modo ceſſetis. Nemo autem veſtrûm patiatur quaſi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: ſi autem ut Chriſtianus, non erubeſcat: glorificet autem Deum in iſto nomine, quia ſcriptum

Matt. 5. 16

eſt: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Cavete, quia *propter juſtitiam* dixit. Nam qui pro aliquo crimine patitur, ob hoc non erit beatus.

CAPUT LXVII.

Quod cum excommunicato non ſit orandum.

Canon. 11. Apoſt.

SI quis cum excommunicato ſaltem in domo ſimul oraverit, iſte communione privetur.

CAPUT LXVIII.

Quod oblationes diſcordantium, vel pauperes opprimentium refutanda ſint.

Concil. Carthag. 4. cap. 93. & 94.

OBlationes diſcordantium fratrum, neque in ſacrario, neque in gazophylacio recipiantur. Eorum etiam qui pauperes opprimunt, donaria à Sacerdotibus refutanda ſunt.

CAPUT LXIX.

Ut ebrietas vetetur.

Concil. Agatheſ. c. 41.

ANte omnia Clericis vetetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix eſt. Itaque eum quem ebrium fuiſſe conſtiterit, ut ordo patet, aut trium dierum ſpatio à vino ſtatuimus ſubmovendum, aut corporali ſubdendum ſupplicio. Quòd ſi hoc in uſum aſſumſerit, excommunicatio protelетur: ſi verò corrigi non potuerit, à ſacerdotali ordine repellatur.

CAPUT LXX.

Qualiter ſingulis Feriis agendum ſit.

Concil. Carthag. 4. c. 74. *Huc uſque.*

QUi die Dominico ſtudioſè jejunat, non credatur Catholicus. Et nullum negotium, nullumque opus ſervile eodem die fiat. Quintâ feriâ quiſquis non eſt jejunandus, ut inter jejunium Chriſtianorum & Gentium, Catholicorum, atque hæreticorum diſcretio ſit . . . . Die Dominico Dominus Jesu-Christus . . . . reſurrexit à mortuis, ſive quia eo die gratia Spiritûs ſancti poſt aſcenſionem ad cœlos, inflammavit diſcipulos, eis mittens tradidit chariſmatum dona. Quinta feriâ autem cum eiſdem diſcipulis ultimæ cœnæ myſteria celebravit. Nec multo poſt eodem die revolvente illis videntibus ad cœlos aſcendit; ipſo etiam die chriſma conficitur; eodem quoque die pœnitentes reconciliantur. Quartâ verò, ſextâ & ſeptimâ feriâ præ cæteris jejunandum eſt, quia quarta feria Judas de proditione Salvatoris cum Judæis ſtatuit, ſextâ autem Chriſtus crucifixus eſt; ſabbato quidem inter metum & ſpem Apoſtoli triſtem duxêre diem, dubii aliquantulum de Reſurrectionis gloriâ permanentes. Qui ergo illis

Melchiad. ut fertur Epiſt. ad Epiſcop. Hiſpan. refert. de conſecr. diſt. 14. *Jejunium.*

Innocent. I. Epiſt. 1. c. 4.

tribus diebus in crapulâ, vel epulis abſque magnâ interveniente feſtivitate, vel neceſſitate fuerit, videtur aut cum tradente tradere, vel cum crucifigentibus crucifigere, aut Apoſtolorum injurias deridere. Nam qui vult de Domini cum ipſis Reſurrectione gaudere, triſtari quodammodo cum ipſis debet de Paſſione.

CAPUT LXXI.

Quòd die Dominico ſtantes oremus.

Nicænum Concil. 1 c. 20.

QUoniam ſunt quidam in die dominico ad orationem genu flectentes, & in diebus Pentecoſtes, ut omnia in univerſis locis conſonanter obſerventur, placuit ſancto Concilio, ſtantes in his diebus Domino vota perſolvere.

CAPUT LXXII.

Ut Sacerdotes admoneant populum, qualiter feſtis diebus ſe habeant.

SAcerdotes admoneant populum ut in diebus feſtis non vacent conviviis malis, & jocis turpibus, ſed orationibus.

CAPUT LXXIII.

Quibus feſtis populus communicet.

Conc. Agath. c. 18.

SÆculares verò qui Natalem Domini, Paſcha & Pentecoſten non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.

CAPUT LXXIV.

Si ſacrificium per negligentiam ceciderit.

Ex Decreto quod Pii Papæ nomine circumfertur, referturq; de Conſecr. diſt. 2. c. *Si per negligentiam*, verbis nonnullis immutatis.

SI cui ſacrificium per negligentiam ceciderit; aut linguâ lambat, ut nihil inde remaneat, aut diebus quadraginta jejunet. Si autem per negligentiam alterius hoc factum fuerit, pœniteat ipſe cujus eſt negligentia. Locus autem in quo ceciderit, aut igne ſuccendatur, aut penitùs extergatur, & quod exterſum fuerit, comburatur.

CAPUT LXXV.

Si vomitus infrà tres dies poſt communionem negligenter evenerit.

SI quis poſt accepta ſacroſancta Myſteria infrà tres dies g vomitum per negligentiam fecerit . . . . & quidquid rejectum fuerit, comburatur. g

CAPUT LXXVI.

Ut Energumeni non communicent, & balnea in ſacratis aquis non faciant.

NUlli liceat porrigere Corpus, vel Sanguinem Domini noſtri Jesu-Christi energumenis, donec in eadem paſſione ſunt, niſi forte diſcrimen mortis incurrerint; nam cum criminoſis talia ſacramenta vetentur, quanto magis illis quos ipſe auctor criminis invadit? Si autem divinâ miſericordiâ liberati fuerint, longo tempore in abſtinentiâ & oratione permaneant ſecundùm arbitrium Sacerdotum, & ſic

g *tres dies*] An potius *tres horas*, ut Acherio placuit?

demùm communicent inter cæteros Chriſtianos. Quod ſi baptizati vel conſignati non fuerint, licet eos omni tempore baptizare, vel conſignare. In aquâ verò ſanctificatâ nullius balneum facere audeat pro aliquâ infirmitate vel neceſſitate, quæ ſpargi tantummodo conceſſa eſt. Hujuſcemodi enim lavacra nec in ſacris invenimus, nec à Patribus acta audivimus, nec nobis utilia videntur.

CAPUT LXXVII.

Qualiter myſteria baptiſmatis vel Chriſmatis cuſtodienda ſint.

QUi ſacri baptiſmatis myſterium, vel donum Spiritûs ſancti in Chriſmate ſuſceperint, ante nonum diem cum mulieribus nullo modo coëant: ſimiliter hujuſcemodi mulieres omni modo à viris ſe abſtineant, nec ullo turpi ludo, vel negotio ullo modo miſceant; à carnium uſurâ diù abſtineant, donec Epiſcopus loci pro qualitate perſonæ, vel temporis præviderit. Nec de ſacro fonte aliquem levare, aut ad conſignandum ante Epiſcopum tenere aliquis audeat: nec Clericus ullum ſacrum ordinem aſſumere præſumet, niſi priùs hæc eadem prædicta Sacramenta in ſe celebraverit. Si quis autem in aliquo ſupradictorum prævaricator extiterit, judicio Epiſcopi pœniteat.

CAPUT LXXVIII.

Ut ſpectacula ludorum diebus feſtis non celebrentur.

Concil. Afrì-can. 61.

NEcnon & illud petendum, ut ſpectacula theatrorum, cæterorumque ludorum die Dominicâ, vel cæteris Religionis Chriſtianæ diebus celeberrimis amoveantur. Maximè quia ſancti Paſchæ octavarum die populi ad circum, magis quàm ad Eccleſiam conveniunt, deberent transferri præfinitis ipſorum dies quando evenerint, nec debet ullus Chriſtianus cogi ad ſpectacula.

CAPUT LXXIX.

Ut nullus Kalendas Januarii colere, aut choros ducere præſumat.

Zachar. in Concil. Rom. c. 9. refertur. quæſt. 27. quæſt. 7. c. *Si quis.*

UT nullus Kalendas Januarii & brumas ritu Paganorum colere præſumat: ſi quis Kalendas Januarii & brumas colere præſumſerit, aut menſas cum lampadibus in domibus præparare, aut per vicos & plateas cantiones & choros ducere præſumſerit, quod magna iniquitas eſt, coram Deo anathema ſit.

CAPUT LXXX.

Ut quod ad Eccleſiam conveniendum ſit.

Theodulf. c. 10.

NOn debetis ad Eccleſiam ob aliam cauſam convenire, niſi ad laudandum Deum, & ejus ſervitium faciendum: diſceptationes verò & tumultus, & vaniloquia, & cæteræ actiones, ab eodem loco ſancto penitùs prohibendæ ſunt. Ubi enim Dei nomen invocatur, Deo ſacrificium offertur, Angelorum frequentia ineſſe non dubitatur, periculoſum eſt tale aliquid dicere, vel agere quod loco non convenit: ſi enim Dominus illos de templo ejecit, qui victimas quæ ſibi offerrentur, emebant vel vendebant; quanto magis illos iratus inde abjiciet, qui mendacus, vaniloquiis, riſibus, & hujuſcemodi nugis locum divino cultui mancipatum fœdant?

CAPUT LXXXI.

De doctrinâ virorum & mulierum.

LAïcus præſentibus Clericis, niſi ipſis probantibus docere non audeat. Et mulier quamvis docta & ſancta, viros in conventu docere non audeat vel præſumat. Conci[l.] Carthag. Ibid.

CAPUT LXXXII.

Item de indumentis eorum.

SI quis virorum propter continentiam, quæ putatur, amictu pallii utitur, quaſi per hoc habere ſe juſtitiam credens, & deſpicit eos qui cum reverentiâ birris, & aliis communibus ſolitis utuntur veſtibus, anathema ſit. Concil. cap. 2 Similiter & mulier quæ propter continentiam, quæ putatur, hâbitum mutat, & pro ſolito muliebri amictu virilem ſumit, anathema ſit. Ibid.

CAPUT LXXXIII.

Ut natalitia ſeu nuptiæ in Quadrageſimâ non fiant.

QUòd non oportead in Quadrageſimâ Martyrum natalitia celebrare, ſed eorum in ſabbato, & Dominico die tantùm memoria fieri. Nuptiæ verò aut natalitia iiſdem diebus nullo modo celebrentur. Concil. car. c.

CAPUT LXXXIV.

De jejunio Quadrageſimali.

PLacuit etiam ut omnes Eccleſiæ, exceptis diebus Dominicis, in Quadrageſimâ, etiam die ſabbati, ſacerdotali ordinatione, & diſcretione [h] communicationis debeant jejunare. Concil. cap. 11

CAPUT LXXXV.

Item de obſervatione ejuſdem.

QUòd non oporteat in Quadrageſimâ in ultimâ ſeptimanâ, quintæ feriæ jejunium ſolvere, totamque Quadrageſimam ſine veneratione tranſire, magiſque convenit omnem Quadrageſimam diſtricto venerari jejunio. Concil. cap. 5

CAPUT LXXXVI.

Item unde ſuprà.

QUidam in die ejuſdem dominicæ paſſionis ad horam nonam jejunium ſolvunt, conviviis abſtinent. [i] Et dum ſol ipſe eodem die tenebris palliatus lumen ſubduxerit, ipſaque elementa turbata mœſtitiam totius mundi oſtenderint, illi jejunium tanti diei polluunt, epuliſque inſerviunt. Et quia totum eumdem diem univerſalis Eccleſia propter paſſionem Domini in mœrore, & abſtinentiâ peragit, quicumque in eo jejunium, præter parvulos, ſenes, & languidos, ante peractas indulgentiæ preces re- Toler.

h *& diſcretione*] In editis Concilii legitur, *& diſtrictionis communicatione.*
i *abſtinent*] Hic omnes facilè vident nonnihil deeſſe; ſed Concilii ſententia adeo perſpicua eſt, ut in verbis immotari neceſſarium non videatur.

ſolverit, à paſchali gaudio depellatur, nec in eo ſacramentum corporis, & ſanguinis Domini percipiat, qui diem paſſionis ipſius per abſtinentiam non honorat.

CAPUT LXXXVII.

De jejunio Quatuor-temporum.

Calixti Papæ quæ dicitur Epiſt. 1.

JEjunium quod ter in anno apud nos celebrare didiciſtis, convenientiùs nunc per quatuor tempora fieri dicimus; ut ſicut annus per quatuor volvitur tempora, ſic & nos quaternum agamus ſolemne jejunium per quatuor tempora, juxtà Prophetæ Zachariæ vocem, qui ait: *Hæc dicit Dominus exercituum: jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium ſeptimi, & jejunium decimi erit domui Judæ in gaudium & lætitiam, & ſolemnitates præclaras: veritatem tamen & pacem diligite, dicit Dominus exercituum.* In hoc ergo omnes nos unanimes oportet eſſe, ut ſecundùm Apoſtolicam doctrinam, *Idipſum dicamus omnes, & non ſint in nobis ſchiſmata.*

Zachar. 8. 19.

CAPUT LXXXVIII.

Jejunium Eccleſiaſticum non diſſolvendum.

Gang. Concil. c. 19.

SI quis eorum qui continentiæ ſtudent, abſque neceſſitate corporeâ tradita in commune jejunia, & ab Eccleſiâ cuſtodita ſuperbiendo diſſolvit, ſtimulo ſuæ cogitationis impulſus, anathema ſit.

CAPUT LXXXIX.

Ut pœnitentibus infirmis oleum ſanctificatum non infundatur.

Innocent. I. Epiſt ad Decentium c. 8.

POenitentibus iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt ſacramenti. Nam quibus reliqua ſacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi?

CAPUT XC.

Qualiter Preſbyteri erga pœnitentes agant.

NOn debet Preſbyter injungere pœnitentiæ leges ſine aliquo reſpectu perſonæ, aut cauſæ: ſed tempora pœnitentiæ aut reconciliationis Epiſcopi arbitrio concedat. Et ut Preſbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet pœnitentem, niſi Epiſcopo permittente; ſed potiùs Preſbyteri qui in plebibus ordinantur, providentiam magnam habeant, ne eorum parochiani in criminalia incidant delicta. Quod ſi evenerit, tam ab ipſis, quàm ab omnibus vicinis diligenter qualiter acta ſunt, inquirant, & ſcriptis notare non differant, eoſque admonere frequenter

. . . .

. . . .

fuerit, veniat, idemque quòd ſcripſerat, ſecum afferat. Quòd ſi iidem pœnitentes venire diſtulerint, ipſe in capite jejunii ad primam ejuſdem Epiſcopi ſedem eſſe nullo modo cum eodem diſſimulet ſcripto, ſicque ſuggerat Epiſcopo, ut quod ei exinde agendum ſit, conſideret. Si autem etiam pœnitentes adfuerint, leges, quæ illis pœnitentiæ imponuntur, rursùs deſcribat, curamque & ſollicitudinem erga eos maximam gerat, ut eorum converſationem pleniſſimè cognoſcere poſſit. Quòd ſi obnixè aliquem pœnitentiæ viderit incumbere, aut debilitate incurrente periculum ſperet, aut ſi infirmitas quemquam oppreſſerit, ad ſuum Preſbyter recurrat Epiſcopum, ut illi per ipſum remedia concedantur. Quòd ſi defuerit, Cardinalibus primæ ſedis interim ſuggeratur. Ad diem namque reconciliationis, id eſt Cœnæ Domini ipſe quoque cum ipſis pariter adeſſe feſtinet, ut rursùs quæ illis juſſa fuerint, cognoſcere & deſcribere poſſit.

CAPUT XCI.

Ut pœnitentes quotidie genua flectant.

POenitentes etiam diebus remiſſionis genua flectant.

Concil. Carthag. c. 8.

CAPUT XCII.

Ut mortuos pœnitentes ſepeliant.

MOrtuos pœnitentes offerant Eccleſiæ, & ſepeliant.

Ibid. cap. 83.

CAPUT XCIII.

Pœnitentes negotiis ſecularibus ſe abſtineant.

Leo M. Epiſt. 9. c. 9.

QUalitas lucri negotiantem aut excuſat, aut arguit, quia eſt honeſtus quæſtus, & turpis: verumtamen pœnitenti utilius eſt diſpendia pati, quàm periculis negotiationis obſtringi; quia difficile eſt inter ementis vendentiſque commercium non intervenire peccatum. Unde monemus [1] ne pœnitens aliquo negotio, ſeu venatione ſe obſtringat, ſed ſub cuſtodiâ Sacerdotis, qui loco præfuerit; orationi, atque jejuniis vacet. Victum autem ſuum ſi egenus eſt, tali artificio quærat, cui nulla inhæreat macula peccati, quatenùs ita teſtimonio Sacerdotis fultus, ad Pontificis ſui ſecuriùs recurrat ſententiam. Sed neque poſt pœnitentiæ actionem pergat ad militiam ſæcularem, cum Apoſtolus dicat: *Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus.* Quapropter on eſt liberà laqueis diabo,liqui ſe militiæ mundanæ voluerit implicare. Ergo illicitorum veniam poſtulantem, oportet etiam à multis licitis abſtinere, dicente Apoſtolo: *Omnia licent, ſed non omnia expediunt*: unde ſi pœnitens habet cauſam, quam negligere forte non debeat, meliùs expetit Eccleſiaſticum quàm forenſe judicium.

Ejuſdem Epiſt c. 10.

2. Tim. 4.

Ejuſdem Leonis c. 8.
1. Cor. 6. 12.

CAPUT XCIV.

Qualiter ſponſus & ſponſa à Sacerdote benedicantur.

SPonſus & ſponſa cum benedicendi ſunt à Sacerdote, à parentibus ſuis, vel paranymphis offerantur. Qui cum benedictionem acceperint, eâdem nocte pro reverentiâ ipſius benedictionis in virginitate permaneant.

Carth. 4. c. 13.

CAPUT XCV.

Quæ nuptiæ vitandæ ſint.

UT nullus præſumat Deo dicatam fœminam, aut commatrem ſuam, vel novercam, ſeu matrem, aut ſororem, aut filiam ſpiritualem, vel de propriâ cognatione, vel quam cognatus habuit, ſibi in conjugio copulare. Et virginem aut viduam

Conc. Rom. [illegible] ſub Gr[illegible]. II. Rom. ſub Eu[illegible]gen. II. & Leone III.

1 *Unde monemus*] Hæc uſque ad *Sed neque* in Leonis Epiſtolis non leguntur.

nullus rapere præſumat, aut furari in uxorem, niſi deſponſatam habuerit à propriis parentibus, vel à tutoribus ejus, etiamſi ipſa voluerit. Si quis verò, vel ſi qua in aliquo prædictorum nefario conjugio convenerit, & in eo permanſerit, ſciat ſe auctoritate canonicâ anathematis vinculo eſſe innodatum. Conſentientes verò atque conſiliantes, etiam anathematis vinculo implicentur. Si autem ii, qui conjuncti ſunt, ad . . . . declinaverunt, & ab alterutro fuerint diviſi, pœnitentiæ ſubmittantur, ut Epiſcopus loci præviderit. Similiter illi qui in hoc conſiliati fuerint, vel aliquam habuerint portionem. Quicumque verò Sacerdotum vel Clericorum in talibus aſſenſum præbuerit, aut communicaverit eorum conſortio, condemnatus, ſacerdotii, vel miniſterii ſui honore privetur.

CAPUT XCVI.

Qualiter unuſquiſque docendus ſit.

Theodulf. c. 21. CUm ergo omnium ſanctarum Scripturarum paginæ inſtrumentis bonorum operum refertæ ſint, & per ſanctarum Scripturarum campos poſſint inveniri arma quibus vitia comprimantur, & virtutes nutriantur; licuit nobis huic noſtro Capitulari inſerere ſententiam cujuſdam Patris de inſtrumentis bonorum operum, in quâ magnâ brevitate quid agi quidve vitari debeat continetur. S. Benedict. Reg. cap. 4. In primis Dominum Deum diligere ex toto corde, totâ animâ, totâ virtute, deinde proximum tamquam ſeipſum. Deinde non occidere: non adulterare: non facere furtum: non concupiſcere: non falſum teſtimonium dicere: honorare omnes homines; & quod ſibi quis fieri non vult, alteri non faciat. Abnegare ſemetipſum ſibi, ut Chriſtum ſequatur, corpus caſtigare: delicias non amplecti. Jejunium amare; & pauperes recreare: nudum veſtire; infirmum viſitare, mortuum ſepelire, dolentem conſolari. A ſæculi actibus ſe facere alienum; nihil amori Chriſti præponere. Iram non perficere, iracundiæ tempus non reſervare. Dolum in corde non tenere. Pacem falſam non dare, charitatem non derelinquere. Non jurare, ne forte perjuret. Veritatem ex corde & ore proferre: malum pro malo non reddere, injuriam non facere, ſed & factam patienter ſufferre: inimicos diligere, maledicentes non maledicere, ſed magis benedicere: perſequutionem pro juſtitiâ ſuſtinere. Non eſſe ſuperbum, non vinolentum, non multum edacem, non ſomnolentum, non pigrum, non murmuroſum, non detractorem. Spem ſuam Deo committere; bonum aliquid in ſe cum viderit, Deo applicet, non ſibi; malum verò ſemper à ſe factum ſciat, & ſibi reputet. Diem judicii timere: gehennam expaveſcere, vitam æternam omni concupiſcentiâ ſpiritali deſiderare; mortem ante oculos quotidie ſuſpectam habere: actus vitæ ſuæ omni hora cuſtodire. In omni loco Deum proſpicere. Cogitationes malas cordis ſui advenientes mox ad Chriſtum allidere, & ſeniori ſpiritali patefacere. Os ſuum à malo vel à pravo eloquio cuſtodire. In omni loco Deum proſpicere. Multum loqui non amare; verba vana aut riſui apta non loqui: riſum multum aut excuſſum non amare; lectiones ſanctas libenter audire, orationi frequenter incumbere. Mala ſua præterita cum lacrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri, & de ipſis malis emendare: deſideria carnis non perficere: voluntatem propriam odire: præceptis Sacerdotis & præceptoris in omnibus obedire, etiamſi ipſe aliter, quod abſit, agat; memores illius Dominici præcepti, Matt. 23. 3. *Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite.* Non velle dici ſanctum antequàm ſit; ſed priùs eſſe, quod veriùs dicatur: præcepta Dei factis quotidie ſtudeat adimplere; caſtitatem amare; nullum odire, zelum & invidiam non habere; contentionem non amare: elationem fugere; ſeniores venerari, juniores diligere: in Chriſti amore pro inimicis orare; cum diſcordantibus ante Solis occaſum in pacem redire, & de Dei miſericordiâ nunquam deſperare.

Ecce hæc ſunt inſtrumenta artis ſpiritalis, quæ cum fuerint à nobis diu noctuque inceſſabiliter adimpleta, & in die judicii reconſignata, illa retribuentur nobis à Domino recompenſabiliter, quæ ipſe promiſit: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit quæ preparavit Deus his qui diligunt eum.* 1. Cor. 2.

CAPUT XCVII.

Ut orationem Dominicam & Symbolum memoriter teneant.

Theodulf. c. 22. COmmonendi ſunt omnes fideles, ut generaliter à minimo uſque ad maximum orationem Dominicam, & Symbolum memoriter teneant; & dicendum eis quòd in his duabus ſententiis omne fidei Chriſtianæ fundamentum incumbit, & niſi qui has duas ſententias memoriter tenuerit, & ex toto corde crediderit, & in oratione ſæpiſſimè frequentaverit, Catholicus eſſe non poterit. Conſtitutum namque eſt, ut nullus chriſmetur, neque baptizetur, neque a lavacro fontis alium ſuſcipiat, neque coram Epiſcopo ad confirmandum quemlibet teneat, niſi ſymbulum & orationem Dominicam memoriter tenuerit, exceptis his quos ad loquendum ætas minimè perduxit.

CAPUT XCVIII.

Ut hos Canones nullus refutare præſumat.

Gelaſius Epiſt. 9 CUmque nobis contrà ſalutarium reverentiam regularum cupiamus temerè nihil licere, & cùm ſedes Apoſtolica ſuperior his omnibus, favente Domino, quæ paternis canonibus ſunt præfixa, pio devotoque ſtudeat tenere propoſito, ſatis indignum eſt quemquam vel Pontificum, vel ordinum ſubſequentium hanc obſervantiam refutare, quam beati Petri ſedem & ſequi videat, & docere. Ex Julii Epiſt. 1. ea Gelaſ mutuatur. Satiſque conveniens ſit, ut totum corpus Eccleſiæ in hanc ſibimet obſervationem concordet, quam illic vigere conſpiciat, ubi Dominus Eccleſiæ totius poſuit principatum.

CAPUT XCIX.

Ut quæ ſtatuta ſunt, nullo modo immutentur.

HÆc verò ſtatuta nullâ debent improbitate convelli, nullâ novitate mutari, quia alia ratio eſt ſæcularium, alia divinorum.

CAPUT C.

Quòd ſcire etiam nos oporteat quæ in ſacris ſcripturis recipienda ſint, quæve refutanda.

Gelaſius Conc. Ro. *QUamvis aliud firmamentum nemo poſſit ponere, præter id quod poſitum eſt* CHRISTUS JESUS, tamen ad ædificationem ſanctæ Eccleſiæ poſt illas veteris, & novi Teſtamenti, quas regulariter ſuſcipimus, etiam has ſuſcipi non prohibet ſcripturas.

id eſt, ſanctam Synodum Nicænam trecentorum decem & octo Patrum, mediante maximo Conſtantino Auguſto: ſanctam Synodum Epheſinam, in quâ Neſtorius damnatus eſt, conſenſu beatiſſimi Cæleſtini Papæ, mediante Cyrillo ſanctæ ſedis Alexandrinæ Antiſtite, & Arcadio ab Italiâ deſtinato: ſanctam Synodum Calchedonenſem, mediante Martiano Auguſto, & Anatolio Conſtantinopolitano Epiſcopo, in quâ Neſtoriana & Eutychiana hæreſes ſimul cum Dioſcoro ejuſque complicibus damnatæ ſunt. Item Opuſcula beati Cæcilii Cypriani Martyris, Carthaginenſis Epiſcopi: Opuſcula beati Gregorii Nazianzeni Epiſcopi: Opuſcula beati Baſilii Cappadociæ Epiſcopi: Opuſcula beati Athanaſii Alexandrini Epiſcopi: Opuſcula beati Johannis Conſtantinopolitani Epiſcopi: Opuſcula beati Theophili Alexandrini Epiſcopi: Opuſcula beati Proterii Alexandrini Epiſcopi: Opuſcula beati Hilarii Pictavienſis Epiſcopi: Opuſcula beati Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi: Opuſcula beati Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi: Opuſcula beati Hieronymi Preſbyteri: Opuſcula beati Proſperi viri religioſi: Epiſtola beati Leonis Papæ ad Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum deſtinata, cujus textum quiſpiam ſi uſque ad unum iota diſputaverit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema ſit. Item, Opuſcula atque Tractatus omnes diverſorum Patrum Orthodoxorum, qui in nullo à ſanctæ Eccleſiæ conſortio deviarunt, nec ab ejus fidei prædicatione disjuncti ſunt, ſed ipſius communicationis per gratiam Dei uſque in ultimum diem vitæ ſuæ fuerunt participes, legenda decernimus. Item, Decretales Epiſtolas quas beatiſſimi Papæ diverſis temporibus ab urbe Romanâ, pro diverſorum Patrum conſultatione dederunt, venerabiliter ſuſcipiendas.

Item, geſta ſanctorum Martyrum, quæ multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confeſſionum triumphis irradiant. Quis ita eſſe Catholicorum dubitet, & majora eos in agonibus perpeſſos, nec ſuis viribus, ſed Dei gratiâ & adjutorio univerſa toleraſſe? Sed ideo ſecundùm antiquam conſuetudinem ſingulari cautelâ in ſanctâ Romanâ Eccleſiâ non leguntur, quia & eorum qui conſcripſerunt nomina penitùs ignorantur, & ab infidelibus vel idiotis ſuperflua, aut minus apta, quàm ordo fuerit, ſcripta eſſe putantur; ſicut cujuſdam Cyrici & Julittæ, ſicut Georgii aliorumque ejuſmodi paſſiones, quæ ab Hæreticis perhibentur compoſita. Propter quod, ut dictum eſt, ne vel levior ſubſannandi oriatur occaſio, non leguntur in ſanctâ Eccleſiâ. Nos tamen cum prædicta Eccleſiâ omnes Martyres, & eorum glorioſos agones, qui Deo magis, quàm hominibus noti ſunt, omni devotione veneramur.

Item, vitas Patrum Pauli, Antonii, Hilarionis, & omnium Heremitarum, quas tamen vir beatiſſimus Hieronymus conſcripſit, cum omni honore ſuſcipimus. Item, actus beati Sylveſtri Epiſcopi Apoſtolicæ ſedis, licet ejus qui conſcripſit nomen ignoretur, à multis tamen in urbe Româ Catholicis legi cognovimus, & pro antiquo uſu multæ hoc imitantur Eccleſiæ. Item, ſcripta de inventione ſanctæ Crucis, & alia de capite Johannis Baptiſtæ, novellæ quædam relationes ſunt, & nonnulli eas Catholici regunt; ſed cum hæc ad Catholicorum manus pervenerint, beati Pauli procedat ſententia: *Omnia probate, quod bonum eſt, tenete.* Item, Rufinus vir religioſus plurimos Eccleſiaſtici operis edidit libros, nonnullas etiam ſcripturas interpretatus eſt. Sed quoniam beatus Hieronymus eum in aliquibus de arbitrii libertate notavit, illa ſentimus quæ prædictum beatum Hieronymum ſentire cognovimus. Et non ſolùm de Rufino, ſed etiam de univerſis, quos vir ſæpiùs memoratus, zelo Dei ac fidei religione reprehendit. Item, Origenis nonnulla Opuſcula, quæ vir beatiſſimus Hieronymus non repudiat, legenda ſuſcipimus. Reliqua autem omnia cum ſuo auctore renuenda.

Item, Chronica Euſebii Cæſarienſis, atque ejuſdem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libros, quamvis in primo narrationis ſuæ libro tepuerit [m], & poſtea in laudibus, atque excuſatione Origenis Schiſmatici unum conſcripſit librum: propter tamen ſingularem notitiam, quæ ad inſtructionem pertinent, uſquequaque non dicimus renuendos. Oroſium virum eruditiſſimum collaudamus, quia valde nobis neceſſariam adversùs Paganorum calumnias ordinavit hiſtoriam, miràque brevitate contexuit. Venerabilis viri Sedulii paſchale opus quod heroïcis deſcripſit verſibus, inſigni laude proferimus. Juvenci nihilominùs laborioſum opus non ſpernimus, ſed miramur.

Cætera quæ ab Hereticis, ſive Schiſmaticis conſcripta vel prædicata ſunt, nullatenùs recipit Catholica & Apoſtolica Eccleſia: è quibus pauca quæ ad memoriam venerunt, & à Catholicis vitanda ſunt, credimus eſſe ſubdenda. In primis Ariminenſem Synodum à Conſtantio Cæſare Conſtantini Auguſti filio congregatam, mediante Tauro Præfecto, ex tunc & nunc in æternum confitemur eſſe damnatam. Itinerarium nomine Petri Apoſtoli, quod appellatur ſancti Clementis, libri numero octo, apocryphum eſſe ſcimus. Actus nomine Andreæ Apoſtoli, apocryphi. Actus nomine Thomæ Apoſtoli, libri numero decem, apocryphi. Actus nomine Petri Apoſtoli, apocryphi. Actus nomine Philippi Apoſtoli, apochyphi. Thaddæi, apocryphi. Evangelium nominé Matthæi Apoſtoli, apocryph. Evangelium nomine Barnabæ, apocryph. Evangelium nomine Jacobi Minoris, apocryph. Evangelium nomine Petri Apoſtoli, apocryph. Evangelium nomine Bartholomæi Apoſtoli, apocryph. Evangelium nomine Andreæ Apoſtoli, apocryph. Evangelium nomine Thomæ, quibus Manichæi utuntur, apocryph. Evangelia quæ falſavit Lucianus, apocryph. Liber de Infantiâ Salvatoris, apocryph. Liber de Nativitate Salvatoris, & de Mariа, & obſtetrice, apocryphus. Liber qui appellatur Paſtoris, apocryphus. Libri omnes quos fecit Seleucius diſcipulus Diaboli, apocryph. Liber qui appellatur fundamentum, apocryphus. Liber qui appellatur Theſaurus, apocryphus. Liber de filiabus Adæ geneſeos, apocryphus. Centimetrum de Chriſto Virgilianis compaginatum verſibus, apocryphum. Liber qui appellatur Theclæ & Pauli, apocryphus. Liber qui appellatur Nepotis, apocryphus. Liber Proverbiorum qui ab Hæreticis conſcriptus, & ſancti Xiſti nomine prænotatus eſt, apocryphus. Revelatio quæ appellatur Pauli Apoſtoli, apocrypha. Revelatio quæ appellatur Thomæ Apoſtoli, apocrypha. Revelatio quæ appellatur Stephani, apocrypha. Revelatio quæ appellatur Tranſitus, id eſt, Aſſumptio ſanctæ

m *tepuerit*] Hic Euſebium lenius tractat Gelaſius: nam cæcum eſſe oportet, qui non videat in primo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro ſermonem de Verbo ita inſtitui, non ſolùm ut nuſquàm æqualis Patri agnoſcatur Filius, ſed ut inferior Patre dicatur, ac propè negetur Deus. Quod cum offendiſſet Rufinum, qui ejus Hiſtoriæ in Latinam linguam vertendæ laborem ſuſceperat, pleraque mutavit, & quidem tanto ſucceſſu, ut unde argumenta ſumſerat Euſebius, quibus Chriſtum Deum non eſſe deblatteraret, inde ejus interpres alia mutuatus eſt ad probandam Chriſti divinitatem. Quod deinde Euſebio vitio vertitur Origenem ab eo fuiſſe laudatum, cujuſmodi ſit nemo non videt.

Mariæ, apocrypha. Liber qui appellatur Pœnitentia Adæ, apocryphus. Liber de Ogiæ nomine Gigantis, qui ab hæreticis cum Dracone poſt diluvium pugnaſſe perhibetur, apocryphus. Liber qui appellatur teſtamentum Job, apocryphus. Liber qui appellatur Pœnitentia Origenis, apocryphus. Liber qui appellatur Pœnitentia ſancti Cypriani, apocryphus. Liber qui appellatur Pœnitentia Jamnis & Mambræ, apocryphus. Liber qui appellatur Sortes Apoſtolorum, apocryphus. Liber qui appellatur Laus Apoſtolorum, apocryphus. Liber qui appellatur Canones Apoſtolorum, apocryphus. Liber Phyſiologus, qui ab Hæreticis conſcriptus, & beati Ambroſii nomine ſignatus, apocryphus. Hiſtoria Euſebii Pamphili, apocrypha. Opuſcula Tertulliani, apocrypha. Opuſcula Lactantii, apocrypha. Opuſcula Africani, apocrypha. Opuſcula Poſtumiani & Galli, apocrypha. Opuſcula Montani & Priſcillæ, & Maximillæ, apocrypha. Opuſcula omnia Fauſti Manichæi, apocrypha. Opuſcula Commodiani, apocrypha. Opuſcula alterius Clementis Alexandrini, apocrypha. Opuſcula Tatii Cypriani, apocrypha. Opuſcula Arnobii, apocrypha. Opuſcula Tyconii, apocrypha. Opuſcula Caſſiani Presbyteri Galliarum, apocrypha. Opuſcula Victorini Pictavienſis, apocrypha. Opuſcula Fauſti Regienſis Galliarum, apocrypha. Opuſcula Frumenti cæci, apocrypha. Epiſtola Jeſu ad Abagarum, apocrypha. Epiſtola Abagari ad Jeſum, apocrypha. Paſſio Quirici & Julittæ, apocrypha. Paſſio Georgii, apocrypha. Scriptura quæ appellatur contradictio Salomonis, apocrypha. Phylacteria omnia, quæ non Angelorum, ut illi confingunt, ſed Dæmonum magis arte conſcripta ſunt, apocryph. Hæc & his ſimilia quæ Simon Magus, Nicolaus, Cerinthus, Marcion, Baſilides, Ebion, Paulus etiam Samoſatenus, Photinus & Bonoſius, qui & ſimili errore defecerunt, Montanus quoque cum ſuis obſcœniſſimis ſequacibus, Apollinaris, Valentinus, ſive Manichæus, Fauſtus Africanus, Arrius, Sabellius, Macedonius, Eunomius, Novatus, Sabbatius, Cœleſtius, Donatus, Euſtathius, Jovinianus, Pelagius, Julianus Celanenſis, Cæleſtinus, Maximinus, Priſcillianus ab Hiſpania, Neſtorius Conſtantinopolitanus, Maximus Cynicus, Lampetius, Dioſcorus, Eutyches, Petrus, & alius Petrus, è quibus unus Alexandriam, alius Antiochiam maculavit: Acacius Conſtantinopolitanus cum conſortibus ſuis: nec non & omnes Hæretici eorumque diſcipuli, ſive Schiſmatici docuerunt, vel conſcripſerunt, quorum nomina minimè retinentur, non ſolùm repudiata, ſed etiam ab omni ſanctâ Catholicâ & Apoſtolicâ Eccleſiâ eliminata, atque cum ſuis auctoribus, auctorumque ſequacibus ſub anathematis inſolubili vinculo in æternum confitemur eſſe damnata.

LIBELLUS
DE PRESSURIS ECCLESIASTICIS.

PARS PRIMA.

De judiciis Epiſcoporum.

Evangelica nobis narrat Hiſtoria, quòd cum Dominus diſcipulos ſuos docturus relictâ turbâ montem aſcendiſſet, ibique poſtquàm eos de omnibus præceptis, quibus Chriſtiana religio informari convenit, perfectiſſimè inſtruxiſſet, in fine ipſius ſermonis dixerit: *Omnis qui audit verba mea hæc & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram. Deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſupra petram.* Matt. 7. Vir enim ille ſapiens, ipſe proculdubio eſt de quo & beatus Paulus ait Apoſtolus: *Chriſtus Dei virtus, & Dei ſapientia*; 1. Cor. 1. qui benè domum ſuam, id eſt Eccleſiam ſanctam, de quâ ipſe alibi ait: *Domus mea domus orationis vocabitur*, Luc. 19. ſuper petram ædificavit, ſcilicet ſuprà ſemetipſum, ſicut & idem dicit Apoſtolus; *Petra autem erat Chriſtus.* 1. Cor. 10 Et alibi: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter illud quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus* Jesus. Ibid. 3. 11 Hujus domûs preſſuras idem Dominus prænuntians, mox adjecit: *Deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſuprà petram.* Matt. 7. Cujus ventura mala ideò ipſe prædicere dignatus eſt, ut quando acciderent, tanto leviùs ea ſancta Eccleſia ferret, quantò ampliùs ea præcognita haberet. Armavit quippe eam clypeo patientiæ; quoniam leviùs poſſunt ferri mala præſcita, quàm ea quæ ſubitò, & improviſa eveniunt; unde & Dominus alibi: *Hæc locutus ſum vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis.* Joan. 16. Hæc itaque domus non ex parietibus manufactis, ſed ex vivis & electis lapidibus, id eſt, Sanctorum cœtibus elegantiſſimè conſtat. Ejus verò ſtructuræ ſunt quique fideles variis . . . virtutibus coruſcantur: ſtructores autem ipſi Doctores . . . . quorum per fidem & operationem . . . . cujus inſtitutionis exordium in Beatiſſimi Petri fideli confeſſione credimus fundatum, cum ait ad Dominum: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Pro quâ etiam remuneratione audire inter cætera meruit: *Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Matt. 16. 18. Ædificata eſt ergo ſancta Eccleſia ſuprà petram in ſoliditate Apoſtolicæ fidei, per fidem & dilectionem Chriſti, & perceptionem ſacramentorum, & obſervantiam mandatorum ejus. Felix quidem domus, quæ pluviis irruentibus non læditur, fluminibus inundantibus non eruitur, ventis impellentibus non dejicitur. Adverſùs quam nec portæ inferi prævalent, quamvis vario luctamine jugiter eam laceſſant; quæ nec occultis tentationibus, nec apertis perſequutionibus, nec ipſorum etiam malignorum ſpirituum inſtigationibus, nec vitiorum, aut criminum ponderibus ullo modo cedit.

Deſinant ergo ſactam Eccleſiam perſequentes contumaciam, ſumant fideles in perſequutione conſtantiam. Audiant illi, quia non prævalebunt: præparent ſe iſti, quia reverà perſequentur, & perſeverantes in fine feliciter coronabuntur. Nullo ergo in tempore ſanctæ Eccleſiæ deficiet fundamentum, quotidie, Deo gratias, accipit incrementum. Nec deerunt ei perſequutores, fidelium videlicet ſæviſſimi laceratores, qui eos poſt multas tribulationes ad æternam pervenire faciant feliciſſimam remunerationem. Hujuſmodi etiam verba Dominus explanare videtur, cum ait Apoſtolis: *Ecce mitto vos ſicut oves in medio luporum: Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. &c.* Matt. 10. Uſque ad illud: *Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Ibid. 24 Is procul dubio erant domus illa, Eccleſia quidem, quæ variis fluctuationibus concuſ-

ſa, ſuprà petram tamen ædificata, non eſt repulſa, ſed in fidei perdurat conſtantiâ. Hoc quoque ipſi ſancti Apoſtoli, cæterique ſanctarum Eccleſiarum Doctores Dominicum intendentes præceptum, & ſe ad paſſionum tolerantiam præparabant, & alios conſtantiſſimè invitabant. Ipſos etiam perſequutores modeſtè arguebant, inſipientes docebant, & duritiam cordis eorum vehementer exprobrabant: Unde & quoſdam ipſorum aliquando à perverſitatibus mirabiliter corrigebant, quoſdam verò adverſùm ſe potiùs irritabant. Quod & hodie agitur in ſanctâ Eccleſiâ, ut dum malorum à Rectoribus corripiuntur mores, ipſi quoque ſuos perſequuntur Doctores, & ut eccleſiaſticam valeant effugere diſciplinam [paſtorum non metuunt infamare vitam. Sed hoc ſancti Patres ſagaciſſimè] conſiderantes, ideo inviolabile Paſtorum ſanxerunt privilegium [permanere, ne ſuperbientes & vecordes] eos ullo modo auderent deſpicere, vel ipſorum præcepta contemnere. Quomodo enim Præſules cæterorum poſſunt culpas arguere, ſi illi eos audent infeſtare? Et ideo illos non leviter accuſandos, vel calumniandos, ſanctorum ſtatuta Patrum pleniter interdicunt; nec aliquem ad eorum accuſationem ſancti canones admittunt, niſi qui vitâ & moribus fideli examinatione dignis Sacerdotibus coæquandus inveniatur. Sed nec ideo ipſos impunè tranſire ſanxerunt, ſi crimina quæ Sacerdotibus objicere non metuunt, approbare non poſſunt: eamdem accuſatoribus reprobatis imponentes jacturam, quam convicti pati debuerant accuſati; nullumque accuſationem contrà ſe prolatam ſuſcipere, vel defendere debere, niſi datâ ad invicem cautione; neque judicari niſi ſcriptis, prudentiſſimè ſtatuerunt. Ipſamque cautionem, ſi vi, aut metu, vel dolo exorta fuerit, nullum dicunt robur habere.

Judicandi quoque pariter, & accuſandi in uno eodemque negotio, cujuſcumque auctoritatis perſona ſit, omnimodis excluſerunt licentiam. Locum etiam & tempus in quo hæc debeant ventilari, inſuper & perſonam ad cujus pertineant audientiam, ſagaciſſimè indixerunt. Nec Judicum valere ſententiam aſſerunt, niſi illorum qui ab ipſis electi fuerint accuſatis. Induciam quoque ſuum pertractandi reſponſum propter innocentium ſimplicitatem, & improborum argumentoſa machinamenta non modicam conceſſerunt. Damnari etiam eos abſque ſanctæ Romanæ Sedis auctoritate interdixerunt omninò; quamvis audire, vel diſcutere Metropolitanis unà cum conſenſu omnium comprovincialium Epiſcoporum ſit licentia attributa.

Sed ne aliquid enormiter loqui videamur, ſanctorum Patrum inſtitutionibus ea quæ jam diximus interim aſfirmemus. Sanctiſſimus quippe Martyr Alexander, ac Romanus Papa ait: « Si quis Epiſt. 1.
ergà Epiſcopum vel actores Eccleſiæ quamlibet querelam juſtam ſe habere crediderit, non priùs Primates aut alios Judices, quàm ipſos à quibus ſe læſum exiſtimat, conveniat familiariter, & non tantum ſemel, ſed ſæpiſſimè, ut ab eis aut ſuam juſtitiam, aut juſtam accipiat excuſationem. » Item Anacletus: « Si enim ſine crimine Sa- Epiſt. 2.
cerdos eligi præcipitur, nullatenùs ab hominibus criminibus irretitis accuſari aut calumniari permittitur, nec ab aliis quàm ab his qui ſine crimine ſunt, & juxtà electionem, ſi neceſſitas fuerit, aut ipſi volendo Domino ſervire elegerint, Sacerdoteſque ſine crimine fieri, & ordinari poſſint, & tales per omnia fuerint, quales eligi Sacerdotes jubentur. » Eutychianus: « Quiquis Epiſt. 5.
ille eſt qui crimen intendit, in judicium veniat, nomen rei indicet, vinculum inſcriptionis arripiat, cuſtodiæ ſimilitudinem, habitâ tamen dignitatis æſtimatione, patiatur, ne forte noverit ſibi attributam licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poſcat ſimilitudo ſupplicii. » Rurſùs iſdem Alexander: « Similiter ſi hujuſmodi Epiſt. 1
perſonis quædam ſcripturæ quoquo modo per metum, aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint, vel ut ſe liberare poſſent, quocumque ab eis conſcriptæ, vel roboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præjudicium aut nocumentum provenire cenſemus. » Fabianus: « Nec ullus unquam Epiſt. 1
præſumat accuſator ſimul eſſe, & judex & teſtis, quoniam in omni judicio quatuor perſonas neceſſe eſt ſemper adeſſe, id eſt, judices electos, & accuſatores, ac defenſores, atque teſtes. » Fe- Epiſt. 5.
lix quippe ait: « Si quis Epiſcopus ab illis accuſatoribus qui recipiendi ſunt, fuerit accuſatus, poſtquàm ipſe ab eis charitativè conventus fuerit, ut ipſam cauſam emendare debeat, & eam corrigere noluerit; non olim, ſed tunc ad ſummos Primates cauſa ejus canonicè deferatur, qui in congruo loco infrà ipſam provinciam tempore congruo, id eſt autumnali, vel æſtivo, Concilium regulariter convocare debebunt, ita ut ab omnibus ejuſdem provinciæ Epiſcopis ibi audiatur. Quo ipſe & regulariter convocatus, ſi eum infirmitas, aut alia gravis neceſſitas non detinuerit, adeſſe debebit; quia ultrà provinciæ terminos accuſandi ante licentia non eſt, quàm audientia rogetur. » Item Gaius: « Nemo unquam Epi- Epiſt. unica.
ſcopum apud judices ſæculares aut alios clericos accuſare præſumat. » Zephyrinus: « Nul- Epiſt. 1.
lum eorum ſententia non à ſuo judice dicta conſtringat. » Et idem: « Duodecim judices quilibet Epiſcopus accuſatus, ſi neceſſe fuerit, eligat, à quibus ejus cauſa juſtè judicetur; nec priùs audiatur aut excommunicetur vel judicetur, quàm ipſi per ſe eligant. » Et Felix: « De induciis verò Epiſcoporum ſuper quibus conſuluiſtis, diverſas à Patribus regulas invenimus inſtitutas. Quidam enim ad repellenda imperitorum machinamenta, & ſuas præparandas reſponſiones, & teſtes confirmandos, & conſilia Epiſcoporum, atque amicorum quærenda, annum & ſex menſes
. . . .
. . . . dant. Minus verò quàm ſex menſes non reperi. » Rurſùs Zephyrinus: « Pa- Ibid.
triarchæ verò vel Primates accuſatum diſcutientes Epiſcopum, non ante ſententiam proferant finitivam, quàm Apoſtolicâ fulti auctoritate, aut reum ſeipſum confiteatur, aut per innocentes & regulariter examinatos convincatur teſtes, qui minori non ſint numero quàm illi diſcipuli fuerunt, quos Dominus adjumentum Apoſtolorum eligere præcepit. » Id eſt, ſeptuaginta duo.

Multos etiam & alios ſanctæ Eccleſiæ Doctores in his omnibus aſſentire, Canonum edicta patenter oſtendunt; ſed nunc quod abſque injuriâ ſanctæ Dei Eccleſiæ dicere non poſſumus, heu! in tantum hoc aboletur, ut in ordinatâ etiam accuſatione vix locus maneat legitimæ defenſionis. Nec approbanda judicant quæ iniquè objiciunt ſed tantummodo vindicare quæque illata quærunt. Quòd ſi de defenſione apud eos quæritur, omni ſynodali cenſurâ poſtpoſitâ, ſuis adinventionibus talem fieri dijudicant, quam accuſati implere minimè valeant, vel quæ illos jure officii omninò impediant, ut in Sacerdotes Dei liberiùs ſæviant. Quippe cum ſecundùm Beatum Paulum Apoſtolum ipſi ſibi ſint lex, accuſatores, Rom. 2. 14.
judices & teſtes non ratione, ſed vi ipſi [ſimul] exiſtunt. Satisfactionem igitur accuſati Sacerdotis [ſub jurejurando minimè dicunt valere, niſi plures etiam

Sacerdotes ſecum] compellat jurare, iniquè hoc aſſumentes in teſtimonium, quod factum ſe legiſſe jactant in actibus Romanorum Pontificum. Nam quod de Damaſo & Sixto, atque Symmacho venerabilibus Pontificibus invenitur, eo quod dum à quibuſdam perverſis de criminibus accuſarentur, collectis Epiſcoporum conciliis ſynodicè purgati ſunt, hoc ſe his verbis penitùs intelligere fatentur, quòd omnes prædicti Epiſcopi cum ipſis Pontificibus, pro illatis juraſſent criminibus, quaſi non eos propria tantummodo abſolveret ſatisfactio, niſi hoc etiam prædictorum Confratrum firmaret juratio. Nobis tamen quod ſic intelligendum ſit, reverâ non patet. Planè enim à prædictis Epiſcopis prædictos Pontifices purgatos accipimus, ſi ipſorum ſuggeſtione, propria tantummodo ſatisfactione ipſis etiam faventibus, eos alienos à criminibus fuiſſe firmatum eſt. Sed ſi pro alicujus juſti innocentiâ alicui placuit ſacramentum præbere charitatis cauſâ, ut eum vel ſic à perſequentibus liberaret, omnimodis [placet. Verumtamen licet perverſorum infeſtatione in primitiva] Eccleſiâ hoc fieri potuiſſet; [nullum tamen exemplum] in poſterum relinqui debuit. Quo etenim ſancto Concilio, vel cujus Catholici & Apoſtolici viri decreto ſancitum ſit, Sacerdotes Dei à criminibus abſolvi non poſſe, niſi Confratrum ſatisfactione, penitùs ignoramus. Cum enim ſacramenta omnibus interdicta ſint Chriſtianis, valde perniciosum eſt Sacerdotes ad hæc etiam alios cogere, unde tam ſe cuſtodire, quàm & alios debuerant arguere. Ait Dominus in Evangelio: *Ego autem dico vobis, non jurare omninò.* Et Jacobus Apoſtolus ſacramentum perhibens dicit: *Ante omnia, fratres mei, nolite jurare.* Et Cornelius Papa ait: »Sacramentum hactenùs à Summis Sacerdotibus exigi, »niſi pro fide rectâ minimè cognovimus, nec ſponte »eos juraſſe reperimus.« Sed & quis adverſo Principe, Judicibus quoque infeſtis, teſtes ſecum conducere valet ad cauſam? Numquid Joſeph mentienti dominæ teſtes opponere potuit, ne carceris ſentiret injuriam? & tamen juſtus inventus eſt. Carceri quidem potuit mancipari, ſed tamen crimini nullo modo ſubjugari. Valueruntne Nabutheo teſtes ſuccurrere, cùm ei regali avaritiâ doloſè objectum ſit, quòd maledixiſſet Deo & Regi? An Beatus Papa Silverius teſtes conducere poterat, qui Principum factione, eo quod nollet eorum pravis obedire mandatis, falſè de proditione ſuorum concivium, inſuper & ipſorum Principum accuſatus infidelitate, mox exilii pœnâ damnatus eſt, ſed iniquè. Exilii quidem pœnam ideo ſubiit, quia à juſtitiæ ſe lineâ non retorſit. Tamen ſi cui hoc ignotum fuerit, ipſius actûs lectio pleniter indicare valebit.

(Matt. 5. 34. — Jac. 5. 12. — Epiſt. 2.)

Multi etiam alii ſancti Patres tam veteris quàm novi Teſtamenti falſitate damnati, ab infidelibus diverſa pertulerunt tormenta, quibus nec teſtes, nec defenſores adfuerant, qui illis aliquod defendendi præſtare viderentur ſuffragium. Sed quid plura? Ipſi namque ſancti Apoſtoli imminente preſſurâ, relicto Domino fugerunt. Numquid ideo excuſandus eſt Pilatus, vel populus Judæorum, quia eo accuſato teſtes à quibus abſolveretur omninò defuerant, ſed accuſatus, ſed judicatus, ſed condemnatus, juſtus & ſine dolo inventus eſt? Plerumque enim ſecundùm Beatum Gregorium, quieti atque indiſcuſſi relinquimur, ſi obviare pravis pro juſtitiâ non curamus. Quòd ſi illorum redarguere nequitiam cœperimus, illicò ab ipſis perſequimur, & etiam infamamur, ut vel ſic vitam reprobando Doctoris, valeant compeſcere ſermonem correptionis.

(L. 31. Moral. cap 23)

Sed ut ad incepta redeamus, nullum ſanctorum Patrum [pro ſe ad ſacramentum alios protraxiſſe vel invitaſſe aliquando legimus. Nam Domnus] Papa Pelagius quamvis non ſolùm invidè, verùm & ſuſpicioſè [quibuſdam eminentibus cauſis in morte] Prædeceſſoris ſui ſe immiſcuiſſe accuſaretur, propriâ ſolùm manu præſtito ſacramento omnibus ſatisfecit. Similiter & venerabilis Papa Leo, cum à quibuſdam falſidicis de crimine etiam fatigaretur; ſuo tantùm purgatus eſt ſacramento. Beatus quoque Gregorius, univerſalis Paſtor Eccleſiæ, & in diſcutiendis Sacerdotum criminibus ſagaciſſimus perſcrutator, quibuſcumque accuſatos criminibus poſt actam ſatisfactionem omni honore habendos conſtantiſſimè prædicabat. Quod etiam de Leone venerabili Epiſcopo, & Menna, nec non & Maximo Salonitano Epiſcopo multis criminibus apud eum accuſato, cæteriſque compluribus Sacerdotibus, in paginis ſui regiſtri lucidiſſimè conſpeximus. Verumtamen ſi ſacerdotalis ſtatus juxtà pravorum exquireretur [a] voluntatem, aut vix, aut nullus inveniretur Sacerdos.

Addunt inſuper, quoniam ſi aliquis Militum Sacerdotes Dei in crimine pulſaverit, per pugnam hoc ſingulari certamine eſſe diſcernendum. [b] Sed iſtud judicium quorumdam laïcorum ſolummodo eſt, quod nec ipſis etiam omninò approbatur. Nam ſæpè innocentes victi, nocentes verò victores in tali judicio eſſe videntur. Dicit enim Beatus Gregorius: Quis intelligat quæ eſſe ratio ſecretorũ poteſt, quòd « ſæpe vir juſtus à judicio non ſolùm vindicatus, ſed « etiam punitus redeat; & iniquus ejus adverſarius « non ſolum non punitur, ſed etiam victor abſcedat. « Et Dominus in Evangelio, Diabolo ſibi ſuadenti, ut Dei filium ſe eſſe de templi præcipitando pinnâ oſtenderet, ait: *Scriptum eſt, non tentabis Dominum Deum tuum.* In quo tam exemplo, quàm verbis docuit, ne alicujus periculi diſcrimina nobis eligamus; quamvis ab ejuſdem ſatanæ filiis multùm etiam afflicti, hoc agere hodieque compellamur, eo quod ea quæ dicimus ſe minimè credere aliter poſſe teſtentur. Simile verò eo in cruce poſito Judæi dicebant: *Si filius Dei eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei. Confidit in Deo, liberet eum ſi vult.* Quod Dominus quamvis non impleverit, nunquam tamen filius Dei eſſe deſiit: non enim Dominus omnia ſuo præſenti judicio declarat, ſed exſpectat etiam plurima in futurum, ubi illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. Occulto namque Dei judicio Jacobus ab Herode comprehenſus, illicò occiditur; & Petrus poſt Paſcha producendus, & in carcere ſervatus mirabiliter interea . . . .
. . . . evangelizaſſe noſcantur
. . . . Hieremias in Hieruſalem prophetans, poſt fugam ex Ægypto inſuper retractus interficitur, & Hieremias inibi etiam perſiſtens conſervatur. Beatus quoque Laurentius igne exuſtus, Chriſto reddidit ſpiritum; cum noverimus etiam mulieres, & parvulos ipſius confeſſionis, & fidei multo majori igni immiſſos, non tantùm ab incendio illæſos permanſiſſe, ſed etiam flammæ impetum penitùs exſtinxiſſe. Præcurſor etenim Domini Johannes Baptiſta miſſo ſpiculatore illicò decollatus eſt, cum legerimus de aliquibus Sanctos percutere volentibus, quòd eorum brachia adeo obriguerint, ut niſi ipſis Sanctis intervenientibus, ea illi nullatenùs movere ultrà valuerint. Sicut & in Dialogorum libris reperimus, de quodam Sanctulo, qui cum à Longobardis occidendus teneretur, tandem

(Matt. 4 — Ibid. 27 — S. Greg. lib. 3.)

a *exquireretur*] Codex R.ſb. *exquereretur.*

b *diſcernendum*] Idem codex, *diſcutiendum.*

ad

ad decollandum ductus eſt. Et quia priùs eum habebant notiſſimum, undique convenerant ad ſpectandum mortem ejus. Circumſteterunt itaque acies, vir autem Domini deductus in medio eſt, atque ex omnibus ſortibus electus eſt unus, de quo dubium non eſſet, quòd uno ictu caput ejus abſcinderet. Venerandus igitur vir inter armatos ductus, ad ſua arma ſtatim concurrit. Nam petiit ut ſibi daretur paululum orandi licentia. Cui dum conceſſum fuiſſet, in terrâ ſe ſtravit, & oravit. Qui dum diutiùs oraret, hunc interfector calce pulſavit, dicens, ſurge & genu flexo tende cervicem. Surrexit autem vir Dei, & genu flexo cervicem tetendit, ſed tenſo collo eductam contrà ſe ſpadam intuens, hoc unum fertur publicè dixiſſe: Sancte Johannes Baptiſta, ſuſcipe illam. Tunc electus carnifex evaginatum gladium tenens, admiſi forti, in altum brachium percuſſurus levavit, ſed deponere nullo modo potuit: nam repente diriguit, & erecto in cœlum gladio brachium inflexibile remanſit. Tunc omnis Longobardorum turba quæ ad illud mortis ſpectaculum aderat, in laudis pavorem converſa mirari cœpit, virumque Dei cum timore venerari, quia profectò claruerat cujus ſanctitatis eſſet, qui carnificis ſui brachium in aëre ligaſſet. Itaque poſtulatus ut ſurgeret, ſurrexit: poſtulatus ergo ut brachium ſui carnificis ſanaret, negavit dicens: Ego pro eo nullo modo orabo, niſi antea mihi juramentum dederit, quia cum manu iſtâ Chriſtianum hominem non occidat. Sed Longobardus idem qui, ut ita dicam, brachium contrà Deum tendendo perdiderat, pœnâ ſuâ exigente compulſus eſt jurare ſe Chriſtianum hominem nunquam ſua manu occidere. Tunc vir Dei dixit ei: depone manum deorſum: qui ſtatim depoſuit; atque illicò adjunxit, & mitte evaginatum gladium in vaginam, & ſtatim remiſit. Miroque modo ſic actum eſt, ut & ipſe Beatus à pere . . . . tore caput incunctanter amitteret, & iſte ejus invocato nomine non tantùm ſuum ſervaret, ſed etiam ferire volentem adeo in membris debilitaret.

Ibid. c. 18. Ibi etiam & legitur de juvene Benedicto nomine, cujus cellulam cum Gothi nullo modo incendere potuiſſent, inde eum extrahentes, ſuccenſo in clibano clauſerunt; die verò alterâ illæſum eum invenerunt, ſed nec veſtimenta ejus ullo modo ſunt exuſta. Unde ait Beatus Gregorius in eodem Dialogorum libro: Petrus in mari pedibus ambulavit, Paulus naufragium pertulit, & in uno eodemque elemento ubi Paulus cum navi ire non potuit, ibi Petrus pedibus iter fecit. Cum Petrus adhuc dubitaret in fide, Paulus verò fide & opere jam perfectus, conſtantiſſimè pro Chriſto ad martyrium eo tempore properaret. Quos enim vult Dominus, mirabiliter ab imminenti eripit periculo, quoſdam verò hîc etiam innocentes pati permittit, qui ab ipſo quoque multo digniùs in futuro coronantur. Unde nec illi ſanctiores habendi, nec iſti inferiores nullatenùs à nobis ſunt judicandi. Sed & hoc cavendum eſt, ut nec juſti mala patientes ſe quaſi victi deſperent, nec inferentes ſupplicia, quaſi de victoriâ ſibi aſſumant fiduciam: ait enim Dominus ad Job, de iniquâ Leviathan loquens

Job 8. 25. potentia: *Dolus in manu ejus dirigitur.* Quod exponens Beatus Gregorius ait: Dolus quippe in manu eſt, fraus in virtute, quia omne quod nequiter volet, hoc ad tempus exequi etiam fortiter poteſt. Dolus verò ejus dirigi dicitur, quia fraudis ejus malitia nullâ difficultate præpeditur. Hoc enim Leviathan iſte, vel vaſa ejus habere crebrò proprium ſolent, quòd ad iniquitatis ſuæ cumulum, ea quæ nequiter appetunt, explere nequiùs poſſunt.

Ergo, fratres cariſſimi, nolite judicare ſecundùm faciem, ſed juſtum judicium judicate, conſiderantes quòd perverſis, imò & iniquiſſimis judicibus Evangelica loquatur ſententia, quæ ait: *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?* Dominus enim dicit: *Si quis te* Matt. 15. 3.

percuſſerit in dexterâ maxillâ tuâ, præbe ei & alteram, & qui tecum voluerit judicio contendere & tunicam tuam tollere, remitte ei & pallium . . . Id. 5. 39

. . . .

. . . . . . & alibi: *In patientiâ veſtrâ poſſidebitis* Luc. 21. 19.

animas veſtras . . . . Et illi dicunt: Si aliquid adverſùs Sacerdotes Dei fuerit prolatum, pugna eſſe vincendum. Unde & prædictæ ſententiæ mox

ſubduntur: *Hypocritæ, benè de vobis prophetavit* Matt. 15 7.

Iſaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me: ſine causâ autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Hinc

Iſaïas: *Væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes* Iſai. 10. 1.

injuſtitiam ſcripſerunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium. Et fortaſſe

audierint Paulum Apoſtolum dicentem: *Accipite* Epheſ. 6. 13.

vos armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo. Quòd ſi vel audierint, utinam intelligant, & quæ

ſequuntur: *Induite loricam juſtitiæ, ſumentes ſcu-* Ibid. 6 15

tum fidei, & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritûs, quod eſt verbum Dei. Quod & Salomon

quoque de juſtis loquens, ait: *Induent pro thorace* Sap. 5. 19.

juſtitiam, & aſſument pro galeâ judicium certum, ſument ſcutum inexpugnabile æquitatis. Hujuſmodi armis iſti noſtri anteſignani nos inſtruunt dimicare. Nam ſæcularibus armis pugnare, ipſe Paulus nos

probibet dicens: *Non voſmetipſos defendentes, cariſ-* Rom. 12. 12.

ſimi, ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim: Mihi vindictam, ego retribuam dicit Dominus. Et Petrus

Apoſtolus: *Eſtote non reddentes malum pro malo,* 1. Petr. 3. 9.

vel maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicentes; quia in hoc vocati eſtis, ut benedictionem hereditate poſſideatis.

Hæc tamen omnia & alia ſanctarum Scripturarum documenta maligni & improbi parvipendentes, ad pugnam Sacerdotes impingere quærunt, nullam ampliùs reverentiam ipſis obſervantes, niſi quod non propriis manibus, ſed per ſubmiſſos illis in tali

diſcrimine judicant [c] dimicare: & quibus probibitum c

eſt armatorum cuneis, vel etiam publicis ſpectaculis intereſſe, ad pugnam producere, heu! noſtros compellimur vicarios, ut vel iſtorum cæde victi, vel illorum quaſi abſoluti eſſe videamur: nec purgari à crimine, niſi perpetrato crimine valeamus. Cum enim præceptum ſit David non ædificare viſibile tem-

plum, quia ſanguinum vir belli frequentiâ [d] eſſet; d

quomodo poterunt Sacerdotes bellum, aut pugnam ſuâ etiam pro juſtitiâ inire, qui templum debent ædificare, id eſt Eccleſiam Dei docere? Ait Beatus

Paulus Apoſtolus: *Templum enim Dei eſt, quod eſtis* 1. Cor. 3. 17.

vos. Et alibi: *Vos enim eſtis templum Dei vivi, ſicut* 2. Cor. 6. 16.

dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi

populus. Quapropter ait Beatus Ambroſius: « Bel- S. Ambroſ.

licarum rerum ſtudium à noſtro officio jam alie- « lib. 1. de offic.

num videtur, quia animæ magis quàm corporis « officio intendimus; nec ad arma jam noſter ſpectat « uſus. Nam uſus citò inflectit naturam. « Et paulo « poſt: « Fortitudo enim ſine juſtitiâ iniquitatis ma- « teria eſt. David quoque confirmatus in Regno, « nunquam niſi conſulto Domino bellum adortus « eſt. Et alibi: « Videtur mihi, quòd vir Chriſtianus «

c *judicant*] Sic reſtituimus è codice Reſb. in editis, *indicant.*

d *frequentiâ*] Ita laudatus codex Reſb. editi, *frequenti*

» juſtus & ſapiens, quærere ſibi vitam alienâ morte » non debeat, ut pote qui etiamſi in latronem arma» tum incidat, ferientem referire non poſſit, ne dum » ſalutem defendit, pietatem contaminet. « De quo in Evangeliorum libris aperta & evidens ſententia eſt: *Recondе gladium tuum in locum ſuum: omnis enim qui gladio percuſſerit, gladio ferietur.* (*Matt. 26. 52.*) Quis latro deteſtabilior, quàm perſequutor qui venerat, ut Chriſtum occideret? Sed noluit ſe Chriſtus perſequutorum defendi vulnere, nec ſuum uſque ad homicidium quamvis religione pervenire taliter conſenſit Apoſtolum; unde & quem ille percuſſerat, mox ipſe ſanare dignatus eſt. Nullâ ergo pro innocentiâ ſæcularibus armis pugnare, aut alios ad hoc pro nobis compellere convenit. Nam ſi facientes & conſentientes pari pœnâ conſtringuntur, quanto magis ad pugnam perſuadentes, vel etiam alios pro ſe opponentes, pugnæ implicantur periculo? Inſenſati & perfidi, certè ſi nobis armis certare competeret, liberius pro fratribus bellare, quàm pro nobis alios objicere crederemus: nam ait Dominus in Evangelio: (*Joan. 10. 11.*) *Bonus paſtor ponit animam ſuam pro ovibus ſuis.* Non enim ait, bonus paſtor oves ſibi commiſſas pro animâ ſuâ ponit, ſed animam ſuam ponit pro ovibus. (*Ibid. v. 12.*) Rurſus: *Mercenarius, cujus non ſunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves & fugit.* Si illi mercenarii dicuntur qui tantùm relinquunt oves, & fugiunt, quali cenſentur vocabulo qui eas morti objiciunt? aut quomodo contrà eos armis dimicare poſſumus, quos omninò diligere, & pro quibus etiam orare ab ipſo Domino jubemur? Ait enim (*Matt. 5. 44.*) Dominus in Evangelio: *Diligite inimicos veſtros: (Luc. 23. 34.) benefacite his qui oderunt vos.* Et, *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Quod etiam in cruce (*Act. 7. 59.*) poſitus ipſe edocuit, dicens: *Pater, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Quo & exemplo Beatum Levitam, & Protomartyrem ſuum Stephanum adeò informare dignatus eſt, ut ipſe quoque noverit ſuis pro interfectoribus exorare . . . .
(*Rom. 12. 20.*) . . . . *Si eſurierit inimicus tuus, ciba* (S. Ambroſ. lib. 1. offic. c. 48.) *illum, ſi ſitit, potum da illi.* Item Ambroſius: » Si perfectus ſim, benedico maledicentem, ſicut » & benedicebat Paulus qui ait: (*1. Cor. 4. 12.*) *Maledicimur & » benedicimus, perſequutionem patimur & ſuſtine» mus.* » Tamen & ſanctum David in hoc quoque genere virtutis imparem Paulo non fuiſſe edocere poſſumus; qui primò quidem, cum malediceret ei filius Semei, & crimina objiceret, tacebat, & humiliabat ſe, & ſilebat à bonis ſuis, hoc eſt bonum operum conſcientiâ: deinde exſpectabat maledici ſibi, quia maledicto illo divinam acquirebat miſericordiam. (*Pſal. 53. 7.*) Qui etiam & in Pſalmis ait: *Averte mala inimicis meis, & in veritate tuâ diſperde illos.* Quid ergo præſtat, ſi ſecundùm quorumdam judicium corpus hoc moriturum malè de infamiâ vel ſupplicio liberemus, animam autem in perpetuum damnemus; (*Matt. 16. 26.*) dicente Domino: *Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Sed illa infelix anima hoc ad perficiendum [e] obedier, de quâ ſcriptum eſt: (*Job 39. 7.*) *Privavit eam Deus ſapientiâ, nec dedit illi intelligentiam.*

Nobis verò divinum jugiter convenit implorare auxilium, & omnimodis ſatagere, ut quia [f] abſque peccato eſſe non poſſumus, vel à criminibus alieni exiſtere valeamus, quia ſecundùm Beatum Paulum Apoſtolum ſine crimine Sacerdotes eſſe debent. Et quamvis perverſorum ora omninò obſtruere nequeamus, de purâ ſecuri conſcientiâ, interiùs fiducialiter gaudeamus. Nam quid mirum ſi homines perditi, & ſubverſi bonorum vitam infamare non metuunt? Ait enim beatus Gregorius. » Habet hoc « proprium antiqui hoſtis invidia, ut quos in pra- « vorum actuum perpetratione, Deo ſibi reſiſtente, « decipere non valet, opiniones eorum falſa ad præ- « ſens ſimulando, dilaceret. « Sed illorum malitioſæ « detractiones quamvis multum impedire videantur, non nobis tamen aliter excuſandas eſſe perpendimus, niſi quemadmodum ſanctorum Patrum ſaluberrimis inſtitutionibus admonemur, quia ſcriptum eſt: *Ne tranſgrediaris fines, quos poſuerunt patres tui.* (*Prov. 22. 28.*) Si quis tamen canonico in his contentus [g] eſſe noluerit judicio, ſed ſuâ adinventione Sacerdotes Dei prægravare, vexare, vel exſpoliare, inſuper etiam & ſi occidere præſumſerit, oportet nos Sanctorum cenſuram ſervando puniri, quàm ejus pravæ ſatisfacere voluntati, quamvis & hoc agere pernicioſum ſit, & talis pœna, vel mors ſatis aſpera videatur. Quæ enim mors in [hoc præſenti ſæculo crudelior eſſe poterit, quàm cum Paſtores Eccleſiæ ab ovibus ſeparantur; & aut carceri] includuntur, vel exilio pelluntur, [eorumque corpora penuriis atteruntur, mentes autem mœrore] afficiuntur? De ſe ſuſpirant, de ſibi commiſſis ejulant, præſentia patiuntur ſupplicia, futuraque à carnificibus promittuntur, expavent majora, conſolatores ab ipſis tolluntur, exprobrantes, vel terrentes jugiter aſſiſtunt? Nonne leviùs præciſâ cervice occumberent? Aut fortaſſe hoc agentes ideo homicidæ non ſunt, quia iſti abſque ſanguine necantur. Certè Julianus ideo crudelior præ cæteris tyrannis dictus eſt, quia Martyres Chriſti ſanguinem fundere non ſinebat, ſed diverſis ſuppliciis torquens, poſt longam macerationem vitam finire cogebat. Hinc Iſaïas ait: *Omne caput languidum, & omne cor mœrens, à plantâ pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.* (*Iſai. 1. 5.*)

Veruntamen licet hæc duriſſima eſſe videantur, divinam ſed enim habeamus conſolationem, quæ ait: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potiùs eum timete, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam.* (*Matt. 10. 28*) Nam ſecundùm beatum Ambroſium ſanctus Nabuthæus in eo perfectus exſtitit, (S. Ambroſ. l. 3. Offic. c. 9) quia ſanguine proprio defenderat jura majorum, & honeſtatis contemplatione mortem incurrere non formidavit. Cum enim ab eo vineam Rex poſceret pecuniam ſe daturum pollicens, indecorum pretium pro paternâ recuſavit hereditate, maluitque morte declinare hujuſmodi turpitudinem: *Non mihi*, inquit, *fiat à Deo, ut dem tibi hereditatem patrum meorum:* (*3. Reg. 21. 3.*) hoc eſt tantum mihi opprobrium non fiat, non permittat Deus tantum extorqueri flagitium. Non utique pro vitibus hoc dicit; neque enim de vitibus cura eſt Deo, neque de terreno ſpatio, ſed de jure loquitur patrum. Potuit utique & alteram vineam de vineis Regis accipere, & amicus Regis eſſe, in quo non mediocris ſæculi hujus utilitas æſtimari ſolet: ſed quod turpe erat judicavit non videri utile, maluitque periculum cum honeſtate ſubire, quàm utilitatem cum opprobrio. Animadvertimus igitur quia id quod turpe eſt, non poſſit eſſe utile, neque rurſùs id quod honeſtum eſt, inutile, quia complexa honeſtati eſt ſemper utilitas, & utilitati honeſtas. Sed qui ſanctorum Patrum parvipendunt edicta, magnum non eſt ſi noſtra etiam redarguant & opera, nempe qui illorum non metuunt ſtatuta temerare, nec noſtræ metuunt vitæ detrahere, verumetiam & judicium prægravare. Quamvis igitur ab Eccleſiaſticâ recedamus cenſurâ, quibuſdam ex ipſis [faventi-

e *perficiendum*] Codex Reſb. *proficiendum.*
f *ut quia*] Sic laudatus codex: editi, *ut qui jam.*

g *canonico . . . contentus*] Sic codex Reſb. emendatè: prior editio, *canonicè . . . contemptus*, corruptè.

bus, illorum etiam judicio, ſatisfaciendi locum reperire apud ſæculares in hujuſmodi potuiſſemus, incommodum arbitramur, ne aliis hoc aliſ qui volentibus, vel etiam] valentibus, in exemplum
h produceretur [h], & fratribus eveniret in ſcandalum, quod à nobis quoquomodo fuiſſet extortum. * Non enim eſt ſapiens qui nocet. Aliud eſt verò communiter ſapere, aliud eſt ſapere perfectè. Qui communiter ſapit, pro temporalibus ſapit, qui autem perfectè ſapit, non quærit tantùm quod ſibi utile eſt, ſed quod omnibus. Ait quidem beatus Gregorius: » Sæpe ab hominibus timor debilis cauta diſpenſatio » vocatur, & quaſi prudenter impetum ſe declinaſſe
i » aſſerunt, cum fugientes [i] turpiter in terga feriun» tur. « Congruentius ergo eligimus noſtram portare injuriam, quàm aliis inferre calumniã, & ab aliis injuſte pati, quàm à nobis injuſtè defendi: non enim in perpetuũ damnamur, cum injuſtè judicamur, dicen-
Pſal. 36. 33. te Pſalmiſta: *Nec damnabit eum cum judicabitur illi.*

Multi denique Sacerdotum culpam zelo Dei perſequi ſe profitentur, ſed dum indiſcretè hoc agunt, ſacrilegũ facinus incurrunt, & dum præcipites quaſi ad emendandum ruunt, ipſi quoque deteriùs multo magis cadunt: unde & in libro Regum de Arcâ Domini legitur, quia *poſtquàm venerunt ad aream Na-*
2. Reg. 6. 6. *chor, extendit manum Oza ad arcam Domini, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boves, & declinaverant eam; & iratus indignatione Dominus contrà Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritatem; qui mortuus eſt ibi juxta arcam Domini.* Quid enim per arcam melius quàm ſancta Eccleſia deſignatur? Quid per boves, quam diſſidentes Sacerdotes? Quid per Ozam, niſi aliquem temerarium intelligimus? Saul etiam ab ipſo Domino in Regno electus, quia Sacerdotis uſurpare auſus eſt miniſterium, meritò à
1. Reg. 13. 13. Propheta audivit: *Stultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quæ ſi non feciſſes, jam nunc præparaſſet Dominus Regnum tuum ſuper Iſrael in ſempiternum, ſed nequaquam Regnum tuum ultrà conſurget. Quæſivit Dominus ſibi virum juxtà cor ſuum, & præcepit ei Dominus, ut eſſet Dux ſuper populum ſuum, eo quod non ſervaveris quæ præcepit Dominus.* Ozias quoque Rex, cum per aliquot annos Deo favente, cui devotè famulari videbatur, feliciter regnaſſet in populo, nefandâ tandem præſumptione Sacerdotium inſuper contrà jus arripere voluit. Pro quâ etiam illicitâ temeritate leprâ percuſſus, Regnum quo legitimè uti poterat, & ſalutem amiſit. Per viam ergo regiam unumquemque ambulare oportet, ſicut . . . .
via Domini eſt & recta, ne . . . .
. . . .
. . . . dexteram declinavit, qui pluſquàm opus eſt agit, ad ſiniſtram . . . .
Pſal. 35. 11. . . . . Pſalmiſta ait: *Deduc me Domine in via tua.* Beatus quoque Paulus Apoſto-
1. Cor. 4. 20 lus ait: *Unuſquiſque in vocatione, in quâ vocatus eſt, in eâ permaneat:* ne dum ambit illicita, juſtè perdat acquiſita, & dum aliena miniſteria uſurpare gaudet, jure in ſibi debitis torpeat. Unde evenire ſolet, ut ſæculares, qui Eccleſiaſticam præſumunt invadere diſpoſitionem, nec Eccleſiæ orationibus mereantur acquirere pacem, nec ſuis valeant armis adipiſci victoriam.

Sed dicit aliquis: numquid omnia mala quæ fecerint Sacerdotes, portanda ſunt? Quibus congruenter reſpondetur, quòd à pluribus portanda ſunt, à quibuſdam verò ſecundum creditam ſibi diſpenſationem cum maximâ cautelâ ſunt arguenda. Temerè enim ab hominibus non ſunt illi diſcutiendi, * qui [à Deo] poteſtatem acceperunt etiam de Angelis judicandi. Nam ut ait beatus Auguſtinus:
» Pleruimque nihil nocet ei de quo temerè judicatur, ei autem qui temerè judicat, ipſa temeritas « eſt neceſſe ut noceat. « Et item: » Qui enim nocet, ait Apoſtolus, recipit id quod novit. « Et Do- « S. Auguſt. l. 1. de Ser. Dom. in monte c. 12
minus in Evangelio: *In quo judicio judicaveritis, judicabimini: & in quâ menſurâ menſi fueritis, remetietur vobis.* Oporter ergo eos quibus alios judi- Matt. 7. 2.
candi attributa eſt poteſtas, tam modeſtè hoc agere, ut redeuntem ad ſe talionem minimè perhorreſcant. Caveant etiam ne odio aut invidiâ, ſeu pro aliquâ inimicitiâ contrà proximos pluſquàm præſens poſtulet actio, invehantur. Prævidendum quoque ne fraudibus, vel mandatis accuſantium ullo modo decipiantur, ne adulatio, ſeu oblectatio locum obtineant, ne perſonarum inibi ſit acceptio, aut affinitatis, aut alicujus clientelæ reſpectus, neve exardeſcant in irâ, quæ procul à judicio omninò debet expelli. Ait enim Dominus in Evangelio: *Om-* Ibid. 5. 22.
nis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Et beatus Jacobus Apoſtolus: *Ira enim viri juſtitiam Dei* Jac. 1. 20.
non operatur. Et item: *Homo homini ſervat iram,* Eccli. 28. 3.
& à Deo quærit medelam. Salomon quippe ait: *Ira* Ibid. 7. 10
in ſinu ſtulti requieſcit. Unde & Beatus Gregorius ad Leontium Exconſulem ſcribens ait: » Quoties « S. Gregor. l. 8. Epiſt. 31.
ira animum invadit, mentem edoma, vince teipſum, differ tempus furoris. Cum tranquilla mens « fuerit, quod placet judica. « Et paulo poſt: » Quan- « do enim in exequutione juſtitiæ placatâ mente « iraſcimur, iracundiam & non ſequimur, & exhi- « bemus. « Ira enim quæ juſtitiam perturbat, quantâ « conſideratione cavenda eſt, monſtratur, de quâ ſcriptum eſt: *Sit homo velox ad audiendum, &* Jac. 1. 19. 20.
tardus ad iram: Ira enim juſtitiam Dei non operatur. Hinc rurſus ſcriptum eſt: *Quis poteſt habitare cum* Prov. 18. 14.
homine, cujus ſpiritus facilis eſt ad iraſcendum. Hoc iterum dicitur: *Noli eſſe cum homine iracundo: ne-* Ibid. 22. 24.
que ambules cum homine furioſo, ne forte diſcas ſemitas ejus, & ſumas ſcandalum animæ tuæ. Contrà hanc in laude patientiæ ſcriptum eſt: *Melior eſt vir qui vincit iram, quam qui capit civitatem magnam.* Hinc David perſonam in ſe infirmorum aſſumens, ait: *Turbatus eſt præ irâ oculus meus.* At- Pſal. 6. 8.
que ex ipſâ turbatione quid ſequatur adjunxit: *Inveteravi inter omnes inimicos meos.* Ex irâ quippe cum turbatus fuerit oculus cordis, inter inimicos noſtros ad vetuſtatem reducimur, quia inter malignos ſpiritus ad vetuſti hominis ſimilitudinem revocamur. Cum igitur iram quæ cor permovet, ſacra eloquia tot teſtimoniis deteſtentur, perpendamus quâ intentione debemus hoc vitium fugere, quod Deo judice in teſtimonio illius toties reprobatur. Item ad Godeſcalcum Ducem Campaniæ: » Illa « Idem S. Greg. l. 8. Epiſt. 12
Præpoſitorum ſollicitudo utilis, illa eſt cautela « laudabilis, in quâ totum ratio agit, & furor ſibi « nihil vindicat. Reſtringenda ergo ſub ratione po- « teſtas eſt, & nec quidquam agendum, priuſquàm « concitata ad tranquillitatem mens redeat. Nam « commotionis tempore juſtum putat ira omne « quod fecerit, ſed & ſi oramus ut in irâ à Domino « non corripiamur, expedit ut alios cum irâ non « judicemus. Scriptum quippe eſt: *Memorare ti-* « Eccli. 28. 8.
morem Domini, & non iraſcaris proximo. « Et beatus Auguſtinus ait: » Qui iraſcendo ſe terribilem « oſtendit fratri, terrorem divini judicii ſuſtinebit. «

h *producerctur*] Sic ex codex Rib. prior editio, *procuretur.* Statim ubi ex eodem codice edi curavimus *extortum*, Acherius ediderat, *exortum*.

i *eum fugientes*] Ita legere placuit, nam antea editum erat, *aſſerunt, Confugientes.*

Sed hoc non tantùm à Chriſtianis & Catholicis, verùm etiam à Paganis obſervatum in multis invenimus, ſcilicet ut irati neminem diſcutere, aut punire præſumerent. Ait enim Terentianus Philoſophus ad villicum ſuum: O te inſe icem, quem affli-ctarem, niſi iratus eſſem.

Jul. in Epiſt. contr. Orient. pro Athanaſ. c. 19.

Præterea quòd incerta judicare non debeamus, plurimis ſententiis edocemur. Unde beatiſſimus Papa Julius ait: » Incerta unquam nullus Pontificum » judicare præſumat; quia quamvis vera ſint, non » tamen credenda ſunt, niſi quæ manifeſtis indi» ciis comprobantur, niſi quæ manifeſto judicio » convincuntur, niſi quæ judiciario ordine publi» cantur.

Geneſ. 18. 27.

Deus quoque omnipotens, ut nos à præcipitantis ſententiæ prolatione compeſceret, cui omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus, mala tamen Sodomæ noluit præcipitanter judicare. Qui ait: *Deſcendam, & videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint: an non eſt ita, ut ſciam.* Omnipotens itaque Dominus omnia ſciens, cur ante probationem quaſi dubitat . . . . quam probare. Hinc &

1. Tim. 5. 9.

Beatus Apoſtolus ad Timotheum: *Adversùs Preſbyterum accuſationem ne recipias.* Et paulo poſt: *Delinquentes autem coram omnibus argue, ut cæteri metum habeant.* Non enim facile credi debet de Epiſcopo, vel Preſbytero, quorum ordo adhuc diviſus non erat, quamvis eis crimen objiciatur, niſi probetur; quia Sacerdotem nemini damnare licet, niſi aut ſponte confeſſum, aut legitimis teſtibus canonicè comprobatum. Tamen ſi legitimè probatum vel manifeſtum fuerit quod objectum eſt, publicè eſt arguendus, ut cæteri terreantur. Cum enim vident tantum virum erroris causâ corripi, neceſſe eſt ut reliqui ſibi caveant. Illud etiam planè attendendum

1. Cor. 4. 5.

eſt quod Dominus ait in Evangelio: *Nolite ante tempus judicare, quoad uſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Non enim poteſt humano condemnari examine, quem Deus ſuo reſervavit judicio. Conſtantinus etiam ſanctiſſimus Imperator, cum in Nicænâ Synodo querelam quorumdam Epiſcoporum coram ſe delatam conſpiceret, ait; » Vos » à nemine judicari poteſtis, quia ſolius Dei judicio » reſervamini. Dii enim vocati eſtis, idcircò non po» teſtis ab hominibus judicari. « Quod & Dominus

Exod. 22. 28.

in Exodo oſtendens ait: *Diis ne detrahas, & Principi populi tui ne maledicas.* Et Beatus Gregorius

S. Greg. lib 11. Epiſt. 56.

Imperatorem Mauricium in hoc laudans ait, » quia » ſereniſſimi Domini Imperatoris animum non igno» ramus, quod ſe in cauſis Sacerdotum miſcere non » ſoleat, ne noſtris in aliquo peccatis gravetur. Item » ad Joannem Defenſorem: De perſonâ Preſbyteri » hoc attendendum eſt, quia ſi quam cauſam habuit, » non ab alio teneri, ſed Epiſcopum ipſius adiri de» buit. » Beatiſſimus etiam Silveſter ſummus Pontifex,

S. Sylveſt. in Epilog & cap. 3. Conc. Rom.

& univerſalis Apoſtolus collectâ Synodo in ſanctâ & venerabili Romanâ Eccleſiâ per omnia interdixit, ut nullus laicus crimen Clerico audeat inferre, & ut Preſbyter non adversùs Epiſcopum, nec Diaconus adversùs Preſbyterum, non Subdiaconus adversùs Diaconum, non Acolythus adversùs Subdiaconum, non Exorciſta adversùs Acolythum, non Lector adversùs Exorciſtam, non Oſtiarius adversùs Lectorem, det accuſationem aliquam. Et non damnetur Præſul, niſi in ſeptuaginta duobus, neque Præſul ſummus à quoquam judicetur: quoniam ſcriptum

Matt. 10. 24. 1. Tim. 5. 1.

eſt: *Non eſt diſcipulus ſuprà magiſtrum.* Beatus quoque Paulus Apoſtolus ait ad Timotheum: *Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut Patrem.* Ergo non eſt mirum [quod de Epiſcopis ſuperiùs dictum eſt, ad quorum cognitionem judicia omnium ſpecialiter pertinent Clericorum;] cum etiam [cæteros Domini] Sacerdotes, Levitas & Subdiacones, ac ſequentis ordinis uſque ad ultimi gradûs Clericos omnimodis excluſa ſit laïcis licentia accuſandi vel judicandi, excepto ſi aliquis eorum, quod abſit, tumore ſuperbiæ elatus, eccleſiaſticam deſerens diſciplinam, ad ſæcularem ſe contulerit poteſtatem, ut adversùs auctoritatem proprii Epiſcopi contrà jus [1] defendatur. Tunc Epiſcopali ſuggeſtione, ſi neceſſe fuerit, Principis vel Judicis auxilio tamdiù talis perſequendus erit, donec Eccleſiaſticis vel invitus diſcat regulis obedire.

Accuſationes autem eorum non aliter inquirere, vel judicare laïcis præſumendum eſt, niſi ab Epiſcopis invitentur, ad quorum hæc parochiam pertinere

Rom. 14. 4.

videntur. Ait enim Beatus Paulus Apoſtolus: *Et tu quis es, qui judicas alienum ſervum? ſuo Domino ſtat aut cadit.* Sæcularis tamen è contra poteſtas, quod lamentabile, multimodis eccleſiaſticam interdum ſupprimit auctoritatem; & cujus ſubſidiis debuerat elevari, ejus ſolet adverſitatibus affligi. Et ſicut in electione Prælulum ſua potiùs vota, quàm ſanctorum Patrum inſtituta Principes firmare contendunt, ita & in audiendo, vel judicando, ſeu etiam ejiciendo tam ipſos quàm illis commiſſos, contrà jus Canonum ſuæ per omnia quærunt ſatisfacere voluntati. Et ſecundùm perverſorum Judicum ſententiam nec culpa retrahit aliquem à culmine regiminis, nec regimen ullum excuſat ab accuſatione alicujus criminis. Quod viriliter Beatus Anacletus Papa contradicens ait: » Electionem Summorum « Sacerdotum ſibi Dominus reſervavit, licet electio« nem eorum bonis Sacerdotibus & ſpiritualibus po« pulis conceſſerit. « Cui ergo ſimilis eſſe videbitur, « qui quod Deus ſibi tantummodò reſervavit, ſurripe-

Iſai. 14. 14.

re præſumit. Reſtat utique ut illi, qui ait: *Ponam ſedem meam ad Aquilonem, & ero ſimilis Altiſſimo.*

Explicit pars prima de Judiciis Epiſcoporum.

INCIPIT PARS SECUNDA.

De Ordinationibus eorumdem.

Illud planè diligenti obſervatione cavendum eſt, ut quod Deus bonis Sacerdotibus, & ſpiritualibus populis conceſſit, nullus ad proprium audeat privilegium retorquere. Cum enim Epiſcopali electione generalis, & non ſpecialis quærenda ſit utilitas, & Eccleſiaſticæ rei inquirendus ſit diſpenſator, non publicè, vel privatè aliquis procurator: quis unquam aliquem ad id idoneum reperire poterit, niſi ipſe qui occultorum eſt cognitor? . . . . custodiam? Qui meritò hoc etiam bonis Sacerdotibus, & ſpiritualibus cognoſcere ſæpe concedit populis, quia ip-

Matt. 18. 20.

ſe quoque alibi promiſerat: *Ubi fuerint congregati in nomine meo duo vel tres, in medio eorum ſum.*

Pſal. 81. 1.

Et in Pſalmis: *Dominus ſtetit in Synagogâ Deorum, in medio autem eos dijudicat.* Planè ergo ipſe facit quod ipſi faciunt, qui in nomine ejus congregantur, quia reverà patet quòd ipſi abſque eo eſſe ibi non poſſint. Ipſe quidem eſt qui tam in veteri, quàm in novo Teſtamento Sacerdotes per ſemetipſum eligere dignatus eſt. Ait enim in veteri Teſta-

1 *contrà jus*] Optima lectio codicis Reſb at lectio prioris editionis, *contrarius*, peſſima.

mento de Levitis, ſcilicet Levi filiis, de quorum tantummodo ſtirpe Sacerdotes illi in Iſraël conſtituere tunc placuit : *Ecce eligo Levitas de medio filiorum Iſrael pro omni primogenito quod aperit vulvam in filiis Iſraël, redemptiones eorum erunt iſti, & erunt mihi Levitæ; mihi enim ſanctificavi primogenitum in terrâ Ægypti.* (*Num. 3. 12.*) Ubi ait ſanctus Ambroſius : » Non mediocre officium eſt Levitarum. » Cognovimus enim, quia inter cæteros Levitæ » computantur, ſed omnibus præferuntur, qui eli» guntur ex hominibus, & ſanctificantur, ut pri» mogenita fructuum atque primitiæ, quæ Domino » deputantur, in quibus eſt votorum ſolutio, & » redemptio peccatorum. « Unde & ſubditur : (*Ibid. 1. 49.*) *Non accipies*, inquit, *eos inter filios Iſraël, & conſtitues Levitas ſuper tabernaculum teſtimonii, & ſuper omnia vaſa ejus adſtare, & ſuper quæcumque ſunt in ipſo. Ipſi tollant tabernaculum, & omnia vaſa ejus, & ipſi miniſtrent ex eo, & in circuitu tabernaculi caſtra ipſi conſtituant, & promovendo tabernaculum ipſi ſtatuant : alienigena quicumque acceſſerit, morte morietur.* Similiter & ad Apoſtolos, quos reverà fundamentum Eccleſiæ, & primitias Præſulum eſſe conſtat, in Evangelio ait : (*Joan. 15. 19.*) *Vos de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo.* Quod enim illis ait, & hoc ſucceſſoribus eorum dixiſſe manifeſtum eſt. Et Paulus Apoſtolus : (*Hebr. 5. 1.*) *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur.* Ex quâ re apparet, quia Epiſcopi dignè eligi, & juſtè judicari, niſi à Deo nullatenùs poſſunt. Hoc verò notandum eſt, quia cùm ab ipſis quibus ab eo conceſſum eſt, legitimè ordinantur, vel judicantur, ab ipſo proculdubio, ſicut jam ſuprà dictum eſt, hoc agitur. Expedit ergo ut tales de mundo ad hoc officium eligantur, qui, ſicut ipſe ait, jam de mundo non ſint, (*Joan. 8. 23. Rom. 8. 1.*) & ſecundùm carnem non ambulent. Qui etiam . .

. . . .

(*Joan. 12. 3.*) . . . . fieri poteſt; verùm *Princeps hujus mundi non inveniat quidquam.* Irreligioſi tamen Principes hæc omnia parvipendentes, ſuum tantummodo in his parant prævalere edictum. Solent etiam admodum indignari, ſi vel ab aliis aliquis cujuſcumque meriti ſit, Epiſcopus eligatur, vel ſi à ſe electus cujuſcumque pravitatis ſit, ab aliquo reprobetur. Illorum ſanè quos ipſi eligunt vitia, quamvis multa & magna ſint, velut nulla tamen reputantur. Quorum quidem in examinatione non charitas & fides, vel ſpes inquiruntur, ſed divitiæ, affinitas, & obſequium conſiderantur. Quæ tria, vel quod potiùs minus eſſe videatur, ſi duo ex his in unam eamdemque perſonam convertant [a], hîc jam reverâ inter Cœlicolas computabitur ; & ...um etiam ex his ſatis ſufficere credunt, ad Epiſcopalis ſcilicet cathedræ dignitatem. Sed quid talibus loquatur Dominus, ſollicitè perſcrutemur. Videamus ergo, chariſſimi, quemadmodum amatoribus pecuniæ ipſe minetur in Evangelio : (*Luc. 16. 13.*) *Non poteſtis ſervire Deo, & Mammonæ.* Et iterum : (*Matt. 19. 24.*) *Facilius eſt camelum per foramen acûs intrare, quàm divitem intrare in regnum Dei.* Et rursùs ad divitem : (*Luc. 12. 20.*) *Stulte, hâc nocte repetent animam tuam, & ea quæ paraſti, cujus erunt?* Et alibi : (*Matt. 6. 19.*) *Nolite theſaurizare vobis theſauros ſuper terram, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlis, ubi neque ærugo, nec tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt nec furantur. Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum.* Ait enim Beatus Ambroſius : » Nullum adminiculum præſtant divitiæ ad vitam beatam. « Quod evidenter Dominus monſtrat in Evangelio dicens : *Beati pauperes, quoniam veſtrum eſt regnum Dei. Beati qui nunc eſuriunt & ſitiunt, quia ſaturabuntur. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* (*Luc. 6. 2.*) Et ad divites : *Væ vobis divitibus, qui habetis conſolationem veſtram. Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis; & illis qui rident, quia lugebunt.* (*Id. ibid. 24.*) Et Paulus Apoſtolus : *Cupiditas radix eſt omnium malorum.* (*1. Tim. 6. 10.*) Et Jacobus ait : *Exortus eſt ſol cum ardore, & areſecit fœnum, & flos ejus decidit; & decor vultûs ejus deperiit : ita & dives in itineribus ſuis marceſcit.* (*Jac. 1. 11.*) Et iterum : *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & heredes Regni quod repromiſit diligentibus ſe?* (*Idem 2. 5.*) Et paulo poſt : *Nonne divites per potentiam opprimunt vos?* (*Ibid. v. 6.*) Item Ambroſius ait : » Joachim qui aurum in obſidione ſer- « vabat, nec diſpenſabat alimoniæ comparandæ, « & aurum vidit diripi, & ſe in captivitatem de- « duci. « Et paulo poſt : » Illud . . . . . . quo « utimur : quod autem . . . . . . non habet « poſſeſſionis fructum, ſed cuſtodiæ periculum. « Iſaias quoque prævaricationem populi . . . . ait : *Omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones.* (*Iſai. 1. 23.*) Et rursùs : *Væ qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo.* (*Ibid. 5. 23.*) Etenim ſi iniqui in ſtadio currunt, ita referuntur præceptis informari atque inſtrui, ut unuſquiſque celeritate non fraude contendat, curſuque quantum poteſt ad victoriam properet : ſupplantare autem alterum, aut manu dejicere non auſit : quanto magis in curſu vitæ iſtius ſine fraude alterius, & circumſpectione repetenda nobis victoria eſt. Hieremias namque ait : *Væ habitantibus terra, quoniam à minore uſque ad majorem ſtudent avaritiæ.* (*Jerem. 6. 13.*) Et iterum : *Perdix fovet quæ non peperit inſipiens.* (*Ibid. 17. 11.*) Et item : *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum ad agrum copulatis uſque ad terminum loci. Numquid vos ſoli habitabitis ſuper terram?* (*Iſai. 5. 8.*) Salomon quippe ait : *Munera excæcant corda potentum.* Non enim divinum ſimul obſequium, & pecuniarum poteſt acquiri lucrum. Et Pſalmiſta : *Melius modicum juſto, ſuper divitias peccatorum multas.* (*Pſal. 39. 16.*) Et alibi : *Quoniam non cognovi negotiationem, introibo in potentias Domini.* (*Ibid. 70. 15.*) Quæ enim negotiatio pejor eſſe poterit, quàm ſanctam Eccleſiam, immaculatam ſponſam Chriſti, & omnium Dominam, quam Dominus pretioſo ſuo redemit ſanguine, indignis Sacerdotibus pecuniâ venumdare. Unde & Dominus in Evangelio : *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* (*Joan. 2. 16.*) Beatus quoque Petrus Paſtor Eccleſiæ ait ad Simonem Magum, cum ei pecuniam promitteret, ut donum Spiritus ſancti acciperet : *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam exiſtimaſti donum Spiritûs ſancti pecuniâ obtinere.* (*Act. 8. 20.*) Unde & hæc hæreſis ſimoniaca appellata eſt, quæ tam vendenti quàm etiam ementi noxia eſſe conſpicitur. Quam & Beatus Gregorius conſtantiſſimè redarguens, viriliter contrà plurimos expugnavit. Unde ad Brunichildim Reginam Francorum ſcribens, inter alia ait : » Nec il- « lud præterimus, ſed omninò execrabile & graviſ- « ſimum eſſe deteſtamur, eo quod ſacri Ordines per « ſimoniacam hæreſim, quæ prima contrà Eccleſiam « orta, & diſtrictâ maledictione damnata eſt, apud « vos conferantur. Hinc ergo agitur ut Sacerdotii « dignitas in deſpectu, & ſanctus ſit honor in crimi- « ne. Perit utique reverentia, adimitur diſciplina, « quia qui culpas debuit emendare, committit, & « nefariâ ambitione honorabilis Sacerdotii ducitur « in depravatione cenſura. Nam quis denuo venere- « tur quod venditur, aut quis non vile putet eſſe « quod emitur? Unde valde contriſtor & terræ illi « (*S. Greg. lib. 7. Epiſt. 115.*)

[a] *convertant*] Lego, *conveniant*, hic.

condoleo, quia dùm Spiritum ſanctum, quem per manûs impoſitionem omnipotens Deus hominibus largiri dignatur, divino munere habere deſpiciunt, ſed præmiis aſſequuntur, Sacerdotum illic ſubſiſtere dici non arbitror. Ubi enim dona ſupernæ gratiæ venalia judicantur, ad Dei ſervitium non vita quæritur, ſed magis contrà Deum pecuniæ venerantur. Item ejuſdem Theodorico & Tehedemperto Regibus Francorum poſt aliqua :

Idem in eod lib. Epiſt. 116.

Fertur ſimoniacam hæreſim, quæ prima contrà Dei Eccleſiam Diabolicâ plantatione ſubrepſit, & in ipſo ortu ſuo telo Apoſtolicæ ultionis percuſſa, atque damnata eſt, in Regni veſtri finibus dominari. Quæ enim eſſe opera valeant Sacerdotis, qui honores tanti Sacramenti convincitur habere per præmium ? Ex qua re agitur, ut ipſi quoque qui ſacros ordines appetunt, non vitam corrigere, non mores componere ſtudeant, ſed divitias, quibus ſacer honor emitur, congregare. Hinc fit etiam, ut inſontes & pauperes à ſacris Ordinibus prohibiti, deſpectique reſiliant, & dum innocentia pauperis diſplicet, dubium non eſt quod præmium illic delicta commendet; quia ibi aurum placet & vitium. Hinc igitur non ſolùm in Ordinatoris & ordinati animam lethale vulnus infligitur, verùm etiam excellentiæ veſtræ Regnum Epiſcoporum culpâ, quorum magis interceſſionibus juvari debuerat, prægravatur. Si enim is dignus Sacerdotio creditur, cui non actionis merita, ſed præmiorum copiæ ſuffragantur, reſtat ut nihil ſibi in honores Eccleſiaſticos gravitas, nihil defendat induſtria, ſed totum profanus auri amor obtineat. Qualem de ſe fructum producturus eſt, cujus gravi peſte radix infecta eſt ? Major ergo metuenda locis illis foret calamitas, ubi tales interceſſores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei in ſe magis iracundiam provocent, quam per ſemetipſos populis placare debuerant.

Idem in eodem lib. Epiſt. 110.

Item Syagrio Epiſcopo Auguſtudunenſi : Nuntio apud nos olim diſcurrente vulgatum eſt, quòd in Galliarum partibus ſacri ordines per ſimoniacam hæreſim conferantur. Et vehementi tædio mœroris afficimur, ſi in Eccleſiaſticis officiis quemquam habet locum pecunia, & fit ſæculare quod ſacrum eſt. Quicumque ergo hoc pretii ſtudeat datione percipere, Sacerdos non eſſe, ſed dici tantummodò inaniter concupiſcit. Quid ſcilicet ? quid per hoc aliud agitur, niſi ut nulla de actu probatio, nulla ſollicitudo de moribus, nulla ſit de vitâ diſcuſſio : ſed ille ſolummodo dignus, qui dare pretium ſufficerit, æſtimetur ? Ex quâ re ſi recti libraminis examen penſetur, dum improbè quis ad inanem gloriam locum feſtinat utilitatis arripere, eo ipſo magis, quòd honorem quærit, indignus eſt. Sicut autem is qui invitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris eſt altaribus admovendus : ſic qui ultrò ambit vel importunè ſe ingerit, eſt proculdubio repellendus. Nam qui ſic nititur ad altiora conſcendere, quid agit, niſi ut creſcendo decreſcat, & aſcendendo exteriùs, interiùs ad profunda deſcendat. Itaque, fratres cariſſimi, in Sacerdotibus ordinandis ſinceritas vigeat, ſit ſimplex ſine venalitate conſenſus, pura præferatur electio, ut ad ſumma ſacerdotii non ſuffragio vendentium provectus, ſed Dei credatur eſſe judicio. Nam quia omnino grave facinus ſit Dei donum pretio comparare, vel vendere, Evangelica teſtis eſt auctoritas. Templum enim Dominus & Redemptor noſter ingreſſus, cathedras vendentium columbas evertit. Quid aliud eſt columbas vendere, niſi pretium de manûs impoſitione percipere, & Spiritum ſanctum, quem omnipotens Deus hominibus tribui miſericorditer voluit, venumdare ? quorum ſacerdotium ante Dei oculos cadere, cathedrarum utique patenter everſione ſignatum eſt. Et tamen exerit adhuc nequitiæ pravitas vires ſuas ; nam cogit vendere, quos decepit ut emerent : & dum non attenditur quod divinâ voce præcipitur, *Gratis accepiſtis, gratis date* : agitur ut creſcat, & geminata fiat in uno eodemque delicti contagio, ementis ſcilicet & vendentis. Et cum liqueat hanc hæreſim ante omnes radice peſtiferâ ſurrepſiſſe, atque in ipsâ ſuâ origine Apoſtolicâ eſſe deteſtatione damnatam, cur non cavetur ? Cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem convertitur, qui ad hoc ut fiat hæreticus promovetur ?

Matt. 10. 8.

Plerumque igitur adverſarius animarum, dum non poteſt in his quæ ad faciem ſunt prava ſubripere, callidè ſpecie quaſi pietatis injectâ nititur ſupplantare, ſuadetque forſitan debere ab habentibus accipi, ut ſit quod poſſit non habentibus erogari, dummodo vel ſic venena mortifera eleemoſynæ celata obumbratione transfundat. Neque enim eleemoſyna reputanda eſt, ſi pauperibus diſpenſetur quod ex illicitis rebus accipitur : quia qui hac intentione malè accipit, ut quaſi benè diſpenſet, gravatur potiùs quàm juvetur. Quoniam liquet ea eſſe perpetua, ac ſolida, quæ vera ſunt, & quæ ſincerè potiùs quàm dolo congregantur. Eleemoſyna Redemptoris noſtri oculis illa placet, quæ non de illicitis, & iniquitate congeritur. Unde etiam illud certum eſt, quia & ſi Monaſteria, aut xenodochia, vel quid aliud conſtruatur, mercedi non proficit : quoniam dum perverſus emptor honoris in locum tranſmittitur, & alios ad ſui ſimilitudinem ſub commodi datione conſtituit, plura malè ordinando deſtruit, quàm ille poteſt ædificare, qui ab eo pecuniam pro ordinatione accepit. Ne ergo ſub obtentu eleemoſynæ cum peccato aliquid ſtudeamus accipere, apertè ſacra Scriptura nos prohibet, dicens : *Hoſtiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex ſcelere.* Quidquid enim in Dei ſacrificio ex ſcelere offertur, omnipotentis Dei non placat iracundiam, ſed irritat. Hinc rursùs ſcriptum eſt : *Honora Dominum de tuis juſtis laboribus.* Qui ergo malè tollit, ut quaſi benè præbeat, conſtat procul dubio quòd Dominum non honorat. Hinc quoque per Salomonem dicitur : *Qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperis, ac ſi victimet filium in conſpectu patris.* Quantus autem dolor patris ſit perpendamus, ſi in ejus conſpectu filius victimetur. Et hinc facilè cognoſcimus, quanto Deus omnipotens dolore exaſperatur, quando ei ſacrificium de rapinâ tribuitur. Nimis ergo declinandum eſt, dilectiſſimi Fratres, ſub obtentu eleemoſynæ peccata ſimoniacæ hæreſeos perpetrare. Nam aliud eſt propter peccata eleemoſynas facere, aliud peccata propter eleemoſynas committere.

Prov. 21. 27.

Eccleſ. 34. 24.

Hæ ſunt Gregorii ſanctiſſimi & doctiſſimi Papæ pro ſimoniacis & illicitis ordinationibus ſaluberrimæ admonitiones ; nec acquievit omninò donec collectâ generali Synodo hæc ſub anathemate damnata penitùs impetraret ; ſed aſtuta turpiſſimæ cupiditatis iniquitas non ſufferens ſe commodis licet turpiſſimis, imò periculoſiſſimis, anguſtari, commentum ſatis artificioſum reperit, quo ſcilicet illos Sacerdotio ſublimaret, qui ſibi poſt conſecrationem tanto ſubjectiores eſſe debuiſſent, quanto non divino, quin potiùs humano judicio ſe fuiſſe promotos, ipſi procul dubio reputarent. Quapropter omnipotentis Dei præco Gregorius in Evangeliorum tractatibus, ut ſcilicet frequentiùs legi vel audiri potuiſſet, diſputat in-

S. Greg. hom. 4. in Evang.

quiens. » Sunt nonnulli qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen ſacros ordines per humanam gloriam largiuntur, atque de largitate eâdem laudis ſolummodò retributionem quærunt. Ii nimirum quod gratis acceperunt, gratis non tribuunt, quia de impenſo officio ſanctitatis nummum expetunt favoris. Unde bene cùm juſtum virum deſcriberet Propheta ait: *Qui excutit manus ſuas ab omni munere.* Neque enim dixit, qui excutit manus ſuas à munere, ſed adjunxit *ab omni*, quia aliud eſt munus ab obſequio, aliud munus à manu, aliud munus à linguâ. Munus quippe ab obſequio eſt ſubjectio indebitè impenſa: munus à manu, pecunia. munus à linguâ, favor. Qui ergo ſacros honores tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non ſolùm nullam pecuniam, ſed etiam humanam gratiam non requirit. « Unde & Johanni Epiſcopo Corinthiorum idem Gregorius poſt multa ſcribens ait: » Oportet ut nec per commodum, neque per gratiam, aut quorumdam ſupplicationem aliquos ad ſacros ordines conſentiatis vel permittatis adduci. Nam & peccatum ſicut diximus, grave eſt, & ſine correptione hoc non patimur remanere. « Quare nullatenus voluit Gregorius . . . .

Iſai. 33. 15.
S. Gregorius l. 4. Epiſt. 55.

Joan. 8. 47.
Ibid. 14. 23.
Pſal. 35. 4.

Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Et alibi: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit.* Et Pſalmiſta de viro injuſto ait: *Noluit intelligere ut bene ageret.* Quamvis igitur ab avaritiâ pecuniæ in ordinandis Epiſcopis aliquantulum ii tales videantur quoquomodo manum retrahere, non ideo ad legitimam liberalitatem Eccleſiaſtica electio pertinebit; ſed aut conſanguinitatis affectio, vel amicorum dilectio, ſeu etiam familiarium obſequia prævalebunt. Et quid prodeſt declinare à laqueo, ſi in foveam incidamus? Ait enim Beatus Hieronymus: » Electio Sacerdotum non jam juxtà ſanguinem, ſed juxtà merita & virtutes deferenda eſt. « Cum enim aliquis digniſſimus Sacerdos diu in Eccleſia militans, ab Epiſcopali electione ipſius cui ſervierat Eccleſiæ, à Principibus reprobatur, numquid non Dei filius deſpicitur, ut illud: *Ego dixi Dii eſtis, & filii excelſi omnes?* Cum verò alicujus potentis filius impar meritis, & injuſtè præponitur, quid aliud quàm Barabbas eligitur, qui filius patris interpretatur, ut meritò eveniat quod ſcriptum eſt: *Ego ſum Deus omnipotens, reddens iniquitatem patrum in filios ac nepotibus.* Quidam autem adeo mente & corpore obcæcantur, ut ipſos etiam parvulos ad paſtoralem promovere curam non dubitent, quos nec mente nec corpore idoneos eſſe conſtet. Et qui adhuc nec ipſa rudimenta humanæ naturæ ſuffecerint diſcere, hos ad magiſterium elevare non formidant, judiceſque conſtituunt animarum, qui adhuc quid anima ſit intelligere penitùs nequeunt. Et qui docere populum inſtanter debuerant de divinis, doceri de ſæcularibus & etiam vilibus, præceptorum verberibus incipiunt. Et qui vereri ab omnibus debuerant, ipſos etiam ſcholaſticos timent. Nam quemadmodum olim ſancti Præſules à paganorum ritibus recedentes, injurias, & verbera ab infidelibus illata ſuſtinuerunt, ſic & iſti rurſùs eadem patiuntur, ut paganorum regulis poſſint erudiri. Et nec indoctos elevare metuunt ad cathedram, & rurſùs elevatos diſciplinæ Philoſophorum ſubmittere non formidant.

Pſal. 81. 6.
Exod. 34. 7.

S. Greg. l. 9. Epiſt. 48.

Beatus quippe Gregorius omnes Pontificês à lectione librorum Gentilium inhibebat: quapropter Deſiderio Galliarum Epiſcopo ſcribens ait: » Pervenit ad nos quod ſine verecundiâ memorare non poſſumus, fraternitatem tuam grammaticam quibuſdam exponere: quam rem ita moleſtè ſuſcepimus, ac ſumus vehementiùs aſpernati, ut ea quæ prius de te nobis bona dicta fuerant, in gemitum & triſtitiam verteremus: quia in uno ſe ore cum Jovis laudibus Chriſti laudes non capiunt: & quàm grave nefandumque ſit Epiſcopis canere, quod nec laico religioſo conveniat ipſe conſidera. « [Legimus quoque de B. Hieronymo, quoniam cum librum legeret Ciceronis, ab Angelo correptus ſit, quòd vir Chriſtianus] paganorum intenderet [figmentis.] Rudes adhuc ſcholaſtici operam dant ſtudiis, quibus cum nulla ſuffragantur merita, à ſolâ tantummodo caſtitate laudantur: & quomodo dici caſtus poterit, qui adhuc incentiva [b] ſentire non valeat? ſtatuitur puerulus in medium, interrogatur populus qualis ſit, qui ordinandus ſit: cui tamen perhibet teſtimonium non volens, ſed invitus. Quid ſupervacuè quæritur ut laudetur, cum ab omnibus inutilis videatur? Vota omnium inquiruntur, quæ etiam oſtendere publicè metuunt, ea tamen quæ proferunt metu extorta, & ipſi inquirentes non ambiunt. Rident plurimi, alii quaſi de infantis honore gaudentes, alii tamen clarum & manifeſtum præſtigium deridentes. Ipſe quoque parvulus de aliquibus interrogatus capitulis, quæ ſi præparare poterit memoriter reddet, vel in aliquo tremens leget pitatio, non epiſcopalem timens perdere gratiam, ſed magiſtri incurrere virgam. Non enim quæ recitat intelligit, cujus nec id corculum diſcere ſufficit, ſed verba tantùm percurrere quærit. Interrogatur, ſed unde eum neſcire qui interrogant non dubitant, reſpondere tamen eamde quoquomodo didiciſſe confidunt. Nec quæritur ut ſenſum exponat, ſed ut verba tantùm aliquo modo promat; non enim inquiritur ut examinetur, ſed quaſi ut canonicus ordo ſervetur, & ut mendacium & fraus validior ſit, ſi veritate obumbretur, & à compluribus firmetur: ſed quis firmare poterit quod Deus infirmat? Quid enim dicere poſſumus cùm talis in Eccleſiâ præponitur, niſi quòd Idolum ſtatuatur? Oculos enim habet, & non videt, ſicut Dominus ait in Evangelio: *Sinite illos: cæci ſunt & duces cæcorum.* Aures habet & non audit, ut alibi: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Et ut ad diſcipulos: *Veſtri autem beati oculi, quia vident: & aures veſtræ, quia audiunt.* Ubi valde timendum eſt quod Pſalmiſta de ſimulacris ait: *Similes illis fiant qui faciunt ea; & omnes qui confidunt in eis.* Ait quippe Beatus Hieronymus: » Idolum hodieque ponitur, quando novum dogma in Eccleſiâ conſtituitur. « Sanè hîc etiam inſerendum duximus, quod in Ezechiele Propheta legiſſe meminimus: *Et factum eſt in anno trigeſimo Ezechielis Prophetæ: Cœli aperti ſunt & vidit viſiones Domini: & facta eſt ſuper eum ibi manus Domini.* Quod Beatus Gregorius prudentiſſimus in divinis dogmatibus diſputator ita diſſeruit, dicens: » Hoc autem quod dicitur, quia trigeſimo anno ſpiritum prophetiæ acceperit, indicat nobis aliquid conſiderandum, videlicet quia juxtà rationis uſum doctrinæ ſermo non ſuppetit, niſi in ætate perfectâ. Unde & ipſe Dominus anno duodecimo ætatis ſuæ in medio Doctorum in templo ſedens, non docens ſed interrogans voluit inveniri. Ut enim non auderent homines in infirmitate prædicare, ille anno duodecimo ætatis ſuæ interrogare homines eſt dignatus in terrâ, qui per divinitatem ſuam ſemper Angelos docet in cœlo. Quia enim ipſe eſt Dei ſapientia, de ipſo Angeli videndo vivunt, hoc quod beatitudo æterna, lætantur. Quod Moyſes quo-

Matt. 15. 14.
Ibid. 11. 15.
Ibid. 13. 16.
Pſal. 113. 8.
S. Hieron. l. 6. in Jerem. c. 12.
Ezech. 1. 1.
S. Greg. lib. 1. ſuper Ezech. homil. 2.
Luc. 2.

b *incentiva*] Sic edere libuit, at Acherius ediderat, *incitamina.*

Deut. 15. 19. quę per allegoriæ myſterium admonet dicens: *Non arabis in primogenito bovis.* Primogenitum autem bovis accipimus, in infirmâ ætate primi noſtri temporis bonam operationem. In quâ tamen arandum non eſt, quia cum prima ſint adoleſcentiæ, vel juventutis noſtra tempora, nobis adhuc à prædicatione ceſſandum eſt, ut vomer linguæ noſtræ proſcindere non audeat terram cordis alieni. Quòadufque etenim infirmi ſumus, continere nos intrà noſmetipſos debemus, ne dum tenera bona citiùs oſtendimus: quia & arbuſta plantata, ſi priùs in terra radicata non fuerint, manu tacta citiùs areſcunt; at ſi ſemel radicem fixerint, manus tangit & nihil obſtat, venti impellunt, nec tamen impellentes lædunt. Et conſtructi parietes ſi impelluntur, eruuntur, niſi priùs fuerint ab humore ſuo ſiccati. Mens itaque quouſque ab humore pravitatis ſuæ perfectè non fuerit exſiccata, alienæ linguæ manu tangi non debet, ne priuſquàm plenè percipiat, perdat ſoliditatem ſuam, ne impulſa ruat, ne velut arbuſtum ſine radicibus, dum plus quàm tolerare valet, concutitur, flatibus areſcat. Ad exemplum ergo non ſunt oſtendenda, niſi quæ firma ſunt. Priùs etenim convaleſcere debet mens, atque ad utilitatem proximorum poſtmodum demonſtrari, cum jam nec per laudem elevata corruat, nec per vituperationem percuſſa contabeſcat. Nam & ſi Timotheo dicitur: *Præcipe hæc,* *1. Tim. 4. 11.* *& doce; nemo adoleſcentiam tuam contemnat:* ſciendum eſt quòd in ſacro eloquio nonnunquam adoleſcentia juventus vocatur; unde ſcriptum eſt: *Fccli. 11. 9.* *Lætare juvenis in adoleſcentia tua.* Profectò igitur, ut oſtendatur cujus auctoritatis ſit in prædicatione ætatis ſolidæ eſſe, deſcribitur quatenùs etcum vitâ & ſpiritu omnia quæ ad prædicandum congruunt, concordare videantur. Nec contrà hæc movere quempiam debet, quod Hieremias atque Daniel prophetiæ ſpiritum pueri perceperint, quia miracula in exempla operationis non ſunt trahenda. Omnipotens enim Dominus & linguas infantium fecit diſertas, & ex ore infantium perfecit laudem: ſed aliud eſt quod nos de doctrinæ uſu atque diſciplinæ dicimus, aliud quod de miraculo ſcimus. Jam verò ſi quæritur ut in ipſa quoque ætatis illius expreſſione myſticum aliquid deſignetur, abſurdum non eſt quod Propheta Dominum quem verbis denuntiat, ipſo quoque ætatis ſuæ tempore oſtendat cum dicitur, *Anno trigeſimo Ezechielis Prophetæ cœli aperti ſunt, & vidit viſiones Domini, & facta eſt ibi ſuper eum manus Domini.* JESUS-CHRISTUS ante trigeſimum ætatis ſuæ annum nunquam legitur populum prædicaſſe . . . . Et omnes ſancti Patres aſſequentes exemplum, nulli unquam paſtorale miniſterium ante triginta annos concedere voluerunt. Quâ etenim temeritate in membris illius ullo modo fieri poſſe credimus, quod in ipſo ſummo capite non præſumptum oſtendimus. Unde valde timendum, ne dum gratiam ſancti ſpiritûs aliis ineptè tribuere præſumimus, ipſam à nobis expellamus, & nudi efficiamur, dum incommodè alios veſtire conamur; noſtramque ſalutem indignum eſt negligere, cum aliis non poſſimus proficere. Ait enim Beatus Petrus Apoſtolus *Act. 5. 9.* Ananiæ & Saphiræ: *Quare convenit vobis mentiri Spiritui ſancto? non eſtis hominibus mentiti, ſed Deo.* Si enim illi morte puniti ſunt, qui tantummodo de pretio proprii agri mentiti ſunt, quid illis reſtat qui falſis aſſertionibus fictè ſibi in tali negotio ad invicem reſpondent, ut hereditatem Chriſti ſanctam Dei Eccleſiam, inſuper & donum Spiritûs ſancti cuidam ſtulto quaſi legitimè concedere videantur? quod aliquibus ridiculum, nobis verò luctuoſum eſſe videtur. *Pſal. 93. 9.* *Inſipientes, qui plantavit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum non conſiderat?* Salomon quippe ait: *Sap. 1. 5.* *Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet dolum, & recedit à cogitationibus ſtultis.*

Ait verò Beatus Ambroſius: « Liquet igitur ea eſſe perpetua, atque ſolida quæ vera ſunt, & quæ ſincerè potiùs quàm dolo congregantur. Ea verò quæ ſimulatione, atque aſſentatione parata ſunt, non poſſunt diù perſeverare. Quis igitur fideles putet quos vel pecuniâ, vel adulatione ſibi obligandos crediderit? » Et paulo poſt: « Ergo bonis artibus, & ſincero propoſito mittendum ad honorem arbitror, & maximè Eccleſiaſticum. Denique ſi ſacramento ſe pro eo fraudulenter conſtrinxerint, vel conſcriptionis vinculo per aliquam vim, aut metum, vel dolum obligaverint, nullum debet obtinere vigorem. » Unde & idem Beatus Ambroſius ait: Eſt etiam contrà officium nonnunquam promiſſum ſolvere, ſacramentum cuſtodire, quia ea quæ ſimulatione, atque aſſentatione parata ſunt, manifeſtum eſt non poſſe diù perſeverare. Et paulo poſt: « Regula autem juſtitiæ manifeſta eſt, quia à vero declinare virum non decet bonum, nec damno juſtum afficere quemquam, nec doli aliquid ad . . . . promiſſum non facere quàm facere quòd . . . . & cum ipſi cognoverint promittendum non fuiſſe, ſacramenta tamen contemplatione . . . . pependerint, ſicut de Herode legimus qui ſaltatrici præmium turpiter promiſit, crudeliter ſolvit. Turpe, quod regnum pro ſaltatione promittitur, crudele, quod morte Prophetæ pro jusjurandi religione donatur. Quanto tolerabilius fuiſſet tale perjurium, ſi tamen perjurium poſſet dici, quod ebrius inter vina juraverit, quod ejuratus inter ſaltantium choros promiſerit, infertur diſco Prophetæ caput; & hoc æſtimatum eſt fidei eſſe, quod amentiæ fuit. Neque unquam adducar, ut credam non incautè promiſiſſe principem Jephte, ut immolaret Deo quidquid ſibi revertenti intrà limen domus ſuæ occurreret, cum & ipſum voti pœnituerit ſui, poſtquàm filia occurrerit ſibi. Denique ſcidit veſtimenta ſua, & dixit: *Judic. 11. 35.* *Heu me filia! impedis me; in ſtimulum doloris facta es mihi.* Melius enim fuerat nihil tale promittere, quàm promiſſum ſolvere parricidæ. Quid etiam de fraude Gabaonitarum dicendum eſt, qui metuentes venerunt cum verſutiâ, ſimulantes ſe de terrâ longinquâ eſſe, diùque peregrinatos, & cœperunt ab Jeſu Nave poſcere, ut ſecum firmaret ſocietatem; & quia erat adhuc ignarus locorum, atque incolarum inſcius, non cognovit fraudes eorum, neque Dominum interrogavit, ſed citò credidit, teſtamentum diſpoſuit, pacem dedit, confirmavit ſocietatem, ſed ubi in terras eorum ventum eſt, deprehenſâ fraude, quòd cum eſſent finitimi, advenas ſe eſſe ſimulaverant, circumſcriptum ſe populus Patrum indignari cœpit. Jeſus tamen pacem, quam dederat, revocandam non cenſuit, quia firmata erat ſacramenti religione, [ne] dum alienam perfidiam argueret, ſuam fidem ſolveret, ſed tantâ uſus eſt prudentiâ, ut nec ipſe ſacramentum ſolveret, nec illi libertate dolo acquiſitâ omnino gauderent. Mulctavit eos propterea vilioris obſequio miniſterii; clementior ſententia, ſed diuturnior, & manet pœna veteris aſtutiæ in hunc diem hereditario miniſterio deputata. Qui enim ſic poteſt promiſſum ſolvere, ut juſtitiam valeat cuſtodire, expedit ut quod pollicitum fuerit, omnimodis impleatur: alioquin melius eſt promiſſum quoquomodo violare, quàm ad graviores culpas promiſſionis intuitu declinare. Nam de

de illo quid loquar, qui de eo . . . . falſo utitur tamquam reum facinoris . . . . quapropter eſt, quàm terribile de ipſis reſtet judicium, qui ſacerdotium mendacio, vel fraude contrectant, quando, ut dictum eſt, in ſingularibus adeo fallitas perſequitur. Et quis ergo dolus poteſt eſſe mitior, quàm ſi his præponatur in ſpeculum, qui veniens non poſſit ſentire periculum? Aut quis ei ſe committat, quem non putet plus ſapere, quàm ipſe ſapiat qui quærit conſilium? Neceſſe eſt igitur, ut præſtantior ſit à quo conſilium petitur, quàm ille eſt qui petit. Quid enim conſulas hominem quem non arbitreris poſſe melius aliquid reperire, quàm ipſe intelligis? Nam quamvis etiam in ſubſtantiis pauper aliquis eſſe videatur, ſed ſi ſapiens fuerit, magnum ſibi credentibus valet conferre ſolatium: ſunt enim plérique etiam viri boni qui tenues ſunt cenſu, contenti quidem exiguo ad ſui uſum, ſed non idonei ad ſubſidium levandæ paupertatis alienæ: tamen ſoppetit aliud beneficentiæ genus, quo juvare poſſint inferiorem. Eſt enim duplex liberalitas, una quæ ſubſidio rei adjuvat, id eſt uſu pecuniæ, altera quæ operarum collatione impenditur, multùm frequenter ſplendidior, multùmque præclarior. Quanto illuſtriùs Abraham captum armis victoribus recepit nepotem, quàm ſi redemiſſet? Quanto utiliùs Regem Pharaonem ſanctus Joſeph conſilii providentiâ juvit, quàm ſi contuliſſet pecuniam? facile autem pecunia conſumitur, conſilia exhauriri neſciunt. Affabilitatem quoque ſermonis dicimus ad conciliandam gratiam valere plurimùm. Ex quâ re apparet, quia melior eſt ſapientia negotiatione argenti & auri primi & puriſſimi; & qui tenuerit eam, beatus.

Sanè ſciendum eſt quia niſi paſtor Eccleſiæ ſapientiæ fuerit ſale conditus, ſalutare pabulum Dominicis ovibus miniſtrare minimè valebit, dicente Domino: *Si ſal evanuerit, in quo ſalietur?* Et Paulus Apoſtolus ad Romanos: *Sicut non probaverunt Deum habere in notitiam, tradidit eos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.* Item ad Timotheum: *Si quis domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* Unde manifeſtum eſt, quia tunc poteſt idoneus Rector futurus probari, ſi priùs domum ſuam rectè gubernavit. Et mox ſubditur: *Teſtor coram Deo & CHRISTO JESU electis Angelis, ut hæc cuſtodias, ſine præjudicio nihil faciens in partem alteram declinans. Manus citò non impoſueris, neque communica.* [Sub teſtificatione ea quæ] ordinationem Eccleſiæ mandat, [cuſtodiri] præcipit [nihilque fieri ſine præjudicio: & non facilè aliquis] accipiat Eccleſiaſticam dignitatem, niſi priùs de vitâ ejus, & moribus fuerit diſputatum, [ut dignus approbatus] miniſter aut Sacerdos conſtituatur, ne poſtea ſi reprehenſibilis videatur, pœniteat forte principem populi non ad liquidum præjudicaſſe, ſibique metuat imputandum quod meretur, ſi eum [c] improbabiliter ordinavit. Peccat enim ſi non probat, & ſic ordinat: nam melior cæteris debet probari qui ordinandus eſt. Non enim ſufficit ſi ſine crimine ſit, quia merita ejus debent præire viam bonorum operum, ut dignus habeatur ad ordinationem, ſicut ait Beatus Ambroſius. Decet igitur Sacerdotem hoſpitalem eſſe, benignum, juſtum, non alieni cupidum, imò de ſuo jure cedentem potiùs aliqua ſi fuerit laceſſitus, quàm aliena jura pulſantem, & cætera. Unde ait Beatus Hieronymus: « Non eſt enim peccatum leve mittere margaritas ante porcos, & dare ſanctum canibus, & ordinationem Clericatûs nequaquam ſanctis & in lege Dei doctiſſimis, ſed affeclis ſuis tribuere, & vilium officiorum miniſtris, quodque indecorius eſt mulierculaŕum etiam precibus: in quo conſideranda eſt loquentis in ſe Chriſti Apoſtoli ſapientia, qui ut ordinationis periculum demonſtraret adjunxit tormenta peccantium. Cum enim dixiſſet, *Manus citò non impoſueris*: illicò ſubjunxit; *Neque communicaveris peccatis alienis.* »

Rom. 1. 28
1. Tim. 3. 5.
Ibid. 5. 21.
S. Hieronym. libro 16. in Eſaiam c. 58.
1 Tim. 5. 22.

Sicut ergo in ordinationibus malorum particeps eſt & peccatorum qui tales conſtituit, ſic in ordinatione ſanctorum particeps eſt eorum juſtitiæ qui bonos eligit. Inſipientes verò & indignos ordinare, quid eſt aliud quàm ſacerdotium deturpare, Eccleſiam impedire, populum depravare? Hinc Propheta ait: *Omnis qui non didicerit juſtitiam ſuper terram, veritatem non faciet.* Iſaias quoque Iſraëli comminatur dicens: *Ecce dominator Dominus auferet ab Hieruſalem validum & fortem, & honorabilem vultum, & conſiliarium, & ſapientem architectum, & prudentem eloquii myſtici: & dabo pueros principes eorum.* Et paulo poſt: *Speculatores ejus cæci; omnes neſcierunt, univerſi canes iſti non valentes latrare.* Et rurſùs: *Ipſi paſtores ignoraverunt intelligentiam.* Et alibi: *Diſcite bonum facere, quærite judicium.* Et de populo: *Facti ſunt in rapinam, & non eſt qui eruat; in direptionem, & non eſt qui dicat, redde* . . . . ipſe poſtmodum. Iſraël de inſipientiâ. . . . . ait. *Sacerdotes non dixerunt: ubi eſt Dominus? Et tenentes legem meam, neſcierunt me.* Et item: *Novate vobis novale, & nolite ſerere ſuper ſpinas.* Et rurſùs: *Aſpexi terram, & ecce vacua erat, & nihili; & cælos, & non erat lux in eis.* Et de ſermonibus ſiccitatis: *Cerva in agro peperit, & reliquit, & onagri defecerunt, quia non erat herba.* Unde ait Beatus Hieronymus: « Siccitas hæc ſæpe accidit in Eccleſiis, quando cervi, & onagri inveniuntur in populis, qui magiſtrorum penuriâ contabeſcunt. Sunt qui poſſint diſcere; & non ſunt qui poſſint docere. » Quomodo enim Paſtor eſſe poterit, qui non noverit de paſcuis judicare; nec diſcernat inter pecus mundum & immundum, & lepram & lepram, uvamque maturam & acerbam minimè intelligat? Unde reverà cognoſcere poſſumus, irato Domino ſtultos paſtores in Eccleſiis conſtitui, rurſumque placato, ſapientes eo præſtante ordinari. Quod ipſe quoque poſt illata [d] flagella indulgentiam Iſraël per eumdem Hieremiam repromittens, ait: *Dabo vobis paſtores juxtà cor meum, & paſcent vos ſcientiâ & doctrinâ.* Stulti enim Epiſcopi non Paſtores, ſed Incubones dici poſſunt, eo quod ſanctam incubent Eccleſiam; non errantes requirunt oves, ſed collectas etiam errare permittunt, ut unaquæque per viam quam voluerit gradiatur, & in his reverà impleatur quod in Judicum volumine legitur: *In diebus illis non erat Rex in Iſraël, ſed unuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat.* De talibus quidem legitur in Evangelio: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Gregorius: « Paſtorum imperitia voce veritatis increpatur, cum per Prophetam dicitur: *Ipſi Paſtores ignoraverunt ſcientiam.* Quos & rurſùs Dominus deteſtatur dicens: *Et tenentes legem neſcierunt me.* Et neſciri ſe ergo ab eis veritas conqueritur, & neſcire ſe principatum neſcientium ſe proteſtatur: quia profectò hi qui ea »

Iſai. 5. 1.
Ibid. 56. 10
Ibid. v. 11.
Ibid. 1. 17.
Idem 42. 22.
Jerem. 2. 8.
Ibid. 4. 3.
Ibid. 23.
Id. 14. 5. 6.
S. Hieronym. in idem c. 14
Jerem. 3. 15.
Judic. 21. 24.
S. Gregor. in parte 1. l. 1. curæ Paſt. cap. 1.
Iſai. 56. 11.
Jerem. 2. 8.

c *ſi eum*] Audacter, at verè emendavimus: nam quod legebatur *eum*, ita ineptum erat, ut ferri non poſſet.

d *poſt illata*] Hic etiam nobis, nec fortaſſe nimium, induliſimus. Nam hoc loco legebatur *poſtulata*.

» quæ ſunt Domini neſciunt, à Domino neſciuntur, » Paulo atteſtante qui ait: *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* [1 Cor. 14. 38.] Plerumque Paſtorum imperitia meritis congruit ſubjectorum, quia quamvis lumen ſcientiæ ſuâ culpa exigente non habeant, diſtricto tamen Dei judicio agitur, ut per eorum ignorantiam hi etiam qui ſequuntur offendant. Hinc namque in Evangelio per ſemetipſam veritas dicit: *Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt.* [Matt. 15. 14] Hinc Pſalmiſta non optantis animo, ſed prophetantis miniſterio denuntiat dicens: *Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva.* [Pſal. 68.] Oculi quippe ſunt, qui in ipſâ honoris ſummi facie poſiti, providendi itineris officium ſuſcipiunt, quibus nimirum qui ſubſequenter inhærent, dorſa nominantur. Obſcuritatis ergo oculis dorſum flectitur; quia cum lumen ſcientiæ perdunt qui præeunt, profectò concti ad portanda peccatorum onera curvantur qui ſequuntur. « Item: » Sunt plerique Paſtorum, qui dum meutiri ſe neſciunt, quæ non didicerunt docere concupiſcunt: qui pondus magiſterii tanto levius æſtimant, quanto vim magnitudinis illius ignorant. [Greg. ubi ſuprà, in prolog. part. 1.] Ut qui indocti ac præcipites doctrinæ arcem tenere appetunt, à præcipitationis ſuæ aditibus in ipſâ loquutionis januâ repelluntur. Nulla ars doceri præſumitur, niſi intentâ [e] priùs meditatione diſcatur. Ab imperitis ergo paſtorale magiſterium quâ temeritate ſuſcipitur? Quòniam eſt ars artium, regimen animarum. Quis autem cogitationum vulnera altiora eſſe neſciat vulneribus viſcerum? Et tamen ſæpe qui nequaquam ſpiritualia præcepta cognoverunt, cordis ſe medicos profiteri non metuunt; dum qui pigmentorum vim neſciunt, videri medici cæteris erubeſcunt. Sunt etiam nonnulli qui intrà ſanctam Eccleſiam per ſpeciem regiminis gloriam affectant honoris: videri Doctores appetunt, tranſcendere cæteros concupiſcunt, atteſtante veritate primas ſalutationes, primos recubitus in cœnis, primas in conventibus cathedras quærunt: [Matt. 23. 6.] qui ſuſceptæ curæ paſtoralis officii miniſtrare dignè tanto magis nequeunt, quanto ad humilitatis magiſterium ex ſola elatione pervenerunt. Ipſa quippe in magiſterio lingua confunditur, quando aliud dicitur, & aliud docetur. « Hinc Jacobus: *Nolite plures magiſtri fieri, fratres mei, ſcientes quoniam majus judicium ſumitis.* [Jac. 3. 1.]

Item Gregorius: » Qui ſacris neſcit obedire Canonibus, nec ſacris ſit dignus adminiſtrare altaribus. Non debet honoris ducatum ſuſcipere, qui neſcit ſubjectos tramite vitæ melioris præire. Et rurſus: ſicut iniqui & peccatores miniſterium ſacerdotale aſſequi prohibentur, ita indocti & imperiti à tali officio retrahuntur. Illi enim exemplis ſuis vitam bonorum corrumpunt, iſti ſuâ ignaviâ iniquos corrigere neſciunt. Quid enim docere poterunt quod non didicerunt? Deſinat locum docendi ſuſcipere qui neſcit docere. Ignorantia quippe Præſulum vitæ non congruit ſubjectorum: « Et alibi. » Sit Rector diſcretus ſilentio, humilis in verbo, ne aut tacenda proferat, aut proferenda taceat. [S. Gregor. part. 2. lib. Paſt. cap. 3.] Nam ſicut incauta loquutio in errorem pertrahit, ita indiſcretum ſilentium hos qui erudiri poterant in errore derelinquit. Sæpe namque rectores improvidi humanam amittere gratiam . . . . Cæcus paſtor eſt, qui ſupernæ lumen conſ. . . . . præſcotis vitæ tenebris preſſus, dum venturam lucem nequaquam diligendo conſpicit . . . . ait: Parvo autem naſo eſt qui ad tenendam menſuram diſcretionis idoneus non eſt. Noſque quippe odores fœtoreſque diſcernimus. Rectè ergo per naſum diſcretio exprimitur, per quam virtutes eligimus, delicta reprobamus. « Et rurſus. » Durum quippe eſt, ut qui neſcit tenere moderamina vitæ ſuæ, judex vitæ fiat alienæ. Unde rectè per Prophetam « dicitur: *Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt.* [Ezec.] Non morientes quippe mortificat, qui juſtum damnat, & non victurum vivificare nititur, qui reum à ſupplicio ſolvere conatur. « Iſidorus: » Tam doctrinâ quàm vitâ clarere debet Eccleſiaſticus Doctor: [S. I Sent.] nam doctrina ſine vitâ arrogantem reddit, vita ſine doctrinâ inutilem facit. « Item: » Sacerdotes populorum iniquitate damnantur, ſi eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant. [Idem cap.] « Teſtante Domino ad Prophetam: *Speculatorem te dedi domui Iſrael. Si non fueris loquutus ut ſe cuſtodiat impius à viâ ſuâ, ille in iniquitate ſuâ morietur: ſanguinem verò ejus de manu tuâ requiram.* [Eze.] « Proſper: » Quod verò dicit Apoſtolus, ut nos formam debeamus exhibere fidelibus, quid valebit, ſi is cui vel exhortandi bonos, vel caſtigandi malos cura commiſſa eſt, bene vivendo ſe imitandum bonis non exhibeat, & malos tacendo non arguat? [S. P. Julianus Con. vita] « Miror ergo quâ inani deludantur intentione, qui Dominicam parvipendentes cenſuram, qualeſcumque ad Epiſcopalem dignitatem eligere quærunt, quos ſibi magis utiles, quàm Eccleſiæ profuturos ſuſpicantur. Unde ſæpe evenire ſolet, ut nec Eccleſiæ congruos, nec ſibi proficuos ſentiant: & dum pro amore hominis Deum offendere non metuunt, ab ipſis ſolent etiam perpeti injuriam, quos contrà Dei nutum provehunt ad Cathedram; ut meritò ſe errare doleant, qui Dei honorem ſuo non præpoſuerant. Unde Beatus Ambroſius ait: » Non poteſt homini amicus eſſe, qui Deo fuerit infidus. « [S. A lib. c. 11 Rom] Si enim ſecundùm beatum Apoſtolum, *Quid oremus, ut oportet neſcimus,* quomodo ſcire poſſumus . . . . quæ evadeant, ita fuerunt . . . . ſi noſtræ ſolius curæ committamus. Hinc rarò omninò eveniet, quod pro . . . . *Primùm quærite regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* [Ma] Si quis . . . . ſari tentaverit, ut ſibi profutura abſque juſtitiâ quærant, ſeipſum deſtruere . . . . ſtabilire valebit. Ait enim ipſe de divite plurima ſibi in futuro promittente: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam, quæ autem paraſti, cujus erunt?* [Luc.] Et alibi: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœleſtis, eradicabitur.* Et rurſus: *Qui mecum non eſt, contrà me eſt; & qui non colligit mecum, ſpargit.* [Ma] Et Johannes Baptiſta: *Nemo poteſt habere, niſi quod ei fuerit datum deſuper.* [Luc] Et beatus Petrus Apoſtolus: *Humiliamini ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore tribulationis. Omnem ſollicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis.* [1 P] Johannes quoque Evangeliſta ait: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum.* [Jac.] Et Jacobus Apoſtolus: *Ecce nunc qui dicitis: hodie aut craſtinâ ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi annum, & mercabimur, & lucrum faciemus. Quæ enim vita veſtra? Vapor eſt ad modicum apparens, deinceps exterminabitur.* [Ibid.] Pſalmiſta quoque ait: *Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe enutriet.* [Pſal.] Et item: *Dominus ſcit cogitationes ho-* [Ibid.]

e *intentâ*] Edni, *in lantâ*, quod cum non placeret, ſic emendavimus, ut vides.

minum quoniam vana ſunt. Et alibi : *Niſi Dominus* *Ibid. 126. 1.* *ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* Et Iſaïas ait : *Væ filii deſertores, dicit* *Iſai. 30. 1.* *Dominus, ut faceretis conſilium & non ex me, ut & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum.* Et iterum : *Feciſtis malum in oculis meis, & quæ nolui* *Ibid. 65. 12.* *elegiſtis.* Et rursùs : *Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ, neque viæ meæ, viæ veſtræ, dicit Dominus.* *Iſai. 55. 8.* Et alibi : *Non mittebam Prophetas, &* *Jerem. 23. 21.* *ipſi currebant.* Hieremias quoque ait : *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum.* *Idem 17. 5.* Et : *Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus.* *Id. ibid. 7.* Et item : *Scio Domine, quia non ſunt hominis viæ ejus, nec viri eſt ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos.* *Id. 10. 23.* Et rursùs : *State ſuper vias, & videte & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona; & ambulate in eâ, & invenietis refrigerium.* *Id. 6. 16.* Maximæ quidem temeritatis eſt, gratiam ſancti Spiritûs injuſtè offerre, quam novimus eumdem ſpiritum minimè [confirmare; nec ſecurus poteſt eſſe de munere, qui hujuſmodi officium ſuſcipit indignè.] . . . . tamquam Aaron. Sed ne aliquis . . . . odis Dominus ſua nobis conceſſit perquirere mandata. Interrogemus . . . . teſtamentum, quàm etiam & per Evangelium, interrogemus Prophetas, interrogemus Apoſtolos, interrogemus ſacrorum Canonum edicta, atque cæterorum ſanctorum Patrum ſtatuta, & quod ab eis didicerimus . . . . certiſſimè teneamus. Nullis novis conſiliis decipiamur, ut ea quæ ipſi ſanxerunt, violari aliquo modo conemur : quoniam qui illorum contendit regulis impugnare, reſtat ut eorum non mereatur conſortium obtinere. Ait enim ipſe Dominus, ut dictum eſt : *Qui mecum non eſt, contra me eſt, & qui non colligit, ſpargit.* *Luc. 11. 23.* Et iterum : *Qui non intrat per oſtium in ovile, ſed aliunde aſcendit, ille fur eſt & latro.* *Joan. 10. 1.* Unde & mox ſequitur : *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſalvabitur.* *Id. ibid. 9.* Et contrà indignos Paſtores ipſe per Prophetam queritur, dicens : *Ipſi regnaverunt & non ex me; principes extiterunt, & non cognovi.* *Oſee 8. 4.* Unde ait beatus Gregorius : » Ex ſe » namque, & non ex arbitrio ſummi Rectoris re- » gnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam di- » vinitùs vocati, ſed ſuâ accenſi cupidine, culmen » regiminis rapiunt potiùs, quàm aſſequuntur. « *S. Gregor. in parte 1. curæ Paſt. c. 1.* Inutiles namque Sacerdotes internus Judex & provehit, & non cognoſcit, quia quos permittendo tolerat, profectò in eis judicium approbationis ignorat. Unde ad ſe quibuſdam per miracula venientibus dicit : *Recedite à me operarii iniquitatis, neſcio qui eſtis.* *Matt. 7. 23.* Sanè ſciendum, quia tunc poterit Epiſcopalis reverentia manere ſincera & illibata, ſi ordinationis fuerint competentia in omnibus jura ſervata. Nam qui diligenti examinatione regulariter fuerit electus, pro Chriſti miſericordiâ credimus, quia ſuis exiſtentibus culpis vix unquam erit dejectus. Sed quia irreligiosè eliguntur, inaniter ordinantur, indifferenter accuſantur, injuſtè opprimuntur, perfidè dejiciuntur, crudeliter etiam aliquando & necantur. Omnia tamen quæ pro tali illicita ordinatione mala eveniunt, ad Ordinantis pertinere periculum manifeſtum eſt. Denique tamdiù inquirendus, vel examinandus [f] eſt qui ad Pontificalem provehatur gratiam, quamdiù talis inveniatur qui pro ſuis meritis dignè ab omnibus veneretur, & à nemine jam in poſterum accuſetur; nullamque ejus ſancta converſatio turpem ultrà oriri permittat vel ſuſpicionem. Ait enim beatus Auguſtinus. » Qui Paſtorum « nomen audire volunt . . . . [Non debet ordinari qui legitimè poſſit accuſari. Si verò ut in talibus quod pejus evenire ſolet, falsâ ab aliquibus vaniloquii poſtmodum opinione ventiletur, ipſi] . . . . dignam iniquitatis ſuæ pœnam patiantur. De illo tamen nil indecorum atque [ſiniſtrum ullo modo jam ultrà credatur.] Quomodo enim liberè poterit Epiſcopus ſtultorum errores redarguere, ſi ſe timeat . . . . impediri. Saniori quapropter uti convenit conſilio, & ſic omnipotentis ſequuta non eſt [g] voluntas, ut ei pia Majeſtas * acta noſtra dirigat univerſa. Ejus ſi ritè aſſequamur ſervitium, noſtræ quoque ſalutis ipſe perficiet ſtatum. Decet ergo ut nec indigni ordinentur, nec ordinati vexentur. Taliſque [h] ordinandus, qui jam in perpetuum non ſit vexandus, ſed cum ingenti honore habendus, & ſummâ diligentiâ obſervandus. Gratia abſit, cauſam merita decernant. Qui enim quem diligit injuſtè viderit prælatum, tunc jam lugeat neceſſe eſt ut dejectum. Sic eſt enim qui indignè aliquem ſublimare laborat, quaſi qui ad altius protrahit præcipitium, ut inde deteriùs demergatur. Unde & Dominus ad Ezechielem loquitur, dicens : *Fili hominis propheta de Paſtoribus Iſraël, propheta & dices Paſtoribus : Hæc dicit Dominus Deus : Væ Paſtoribus Iſrael qui paſcebant ſemetipſos. Nonne greges paſcuntur à paſtoribus? lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis; gregem autem non paſcebatis. Quod infirmum fuerat, non conſolidaſtis, & quod ægrotum, non ſanaſtis; quod fractum eſt, non alligaſtis; & quod abjectum eſt, non reduxiſtis : quod perierat non quæſiſtis, ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia; & diſperſæ ſunt oves meæ, eo quod non eſſet paſtor, & factæ ſunt in devorationem omnium beſtiarum agri, & diſperſæ ſunt. Erraverunt greges mei in cunctis montibus, & in univerſo colle excelſo : & ſuper omnem faciem terræ diſperſi ſunt omnes greges mei, & non erat qui requireret, non erat, inquam, qui requireret. Propterea Paſtores audite verbum Domini. Vivo ego, dicit Dominus, quia pro eo quod facti ſunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium beſtiarum agri, eo quod non eſſet Paſtor : neque enim quæſierunt paſtores gregem meum; ſed paſcebant paſtores ſemetipſos, & greges meos non paſcebant. Propterea Paſtores audite verbum Domini; Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare eos faciam, ut ultrà non paſcant gregem, nec paſcant ampliùs paſtores ſemetipſos : & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit eis ultrà in eſcam. Quia hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ipſe requiram oves meas, & viſitabo eas. Sicut viſitat paſtor gregem ſuum in die, quando fuerit in medio ovium ſuarum diſſipatarum : ſic viſitabo oves meas, & liberabo eas de omnibus locis in quibus diſperſæ fuerant in die nubis & caliginis. Et educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram ſuam : & paſcam eas in montibus Iſraël, in rivis, & in cunctis ſedibus terræ. In paſcuis uberrimis paſcam eas, & in montibus excelſis Iſraël ſunt paſcua earum : ibi requieſcent in herbis virentibus, & in paſcuis pinguibus paſcentur ſuper montes Iſraël. Ego paſcam oves meas, & ego eas accubare faciam, dicit Do-* *Ezech. 34. 1.*

[f] *examinandus*] Sic codex Reſb. emendatè : prior editio, *excommunicandus*, corruptè.

[g] *ſequuta non eſt*] Locus hic ſanè corruptus eſt : conjicio legi oportere, *ſequenda nobis eſt*, & pro *pia majeſtas*, lego *pietas*.

[h] *taliſque*] Sic codex Reſb. edit. *talis quæratur*.

minus Deus. Quod perierat, requiram: & quod abjectum erat, reducam: & quod confractum fuerat, alligabo: & quod infirmum erat, conſolidabo: & quod pingue & fortius, cuſtodiam: & paſcam illas in judicio. Quid rogo eſt Deus, ut ea, quæ ad ipſum ſpecialiter pertinent, noſtris audeamus uſibus retorquere, & quæ ſuis jubet committere affectis, noſtris ne timeamus tribuere affectis? Numquid nos pariter & ipſos cum voluerit perpetuis poterit implicare ruinis? Non enim quæ nobis delectant hæc agere, ſed quæ à Deo jubentur cuſtodire oportet. Nec conſideremus quòd ſint aſpera, ſed potiùs intendamus, quòd omninò ſint obſervanda. Nam
Geneſ. 12. 1. cum diceret Dominus ad Abraham: *Exi de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ; & vade in terram quam monſtravero tibi.* Mulcebat Abraham ſuorum ſuavitas, ſed imperii cœleſtis, & remunerationis æternæ conſideratio eum ampliùs movebat: immutari quapropter in melius malas convenit conſuetudines, & unuſquiſque ſuum miniſterium ſolliciè cuſtodiat, nec alienum uſurpare intendat. Clerici militiam non exerceant, nec publica vectigalia exigant, & fœnus nullo modo exequantur. Laïci quoque cujuſcumque ſint ordinis vel dignitatis, eccleſiaſticarum rerum dominationem vel diſpenſationem arripere non præſumant: nec aliquem in Clericorum gradu conſtitutum judicare aut vexare conentur, niſi ab Epiſcopis, ad quos, ut jam ſuprà dictum eſt, pertinent, pro aliquâ utilitate invitentur. Ait verò beatus Papa Cornelius: » Laïcis quamvis religioſi » ſint, nulla tamen de eccleſiaſticis facultatibus ali» quid diſponendi legitur unquam attributa facultas. Beatus quoque Johannes Baptiſta Publicanis & Mi-
Luc 3. 13. litibus ad ſuum baptiſma venientibus, & quod facerent interrogantibus dixit: *Nihil ampliùs quàm quod conſtitutum eſt vobis, faciatis; & neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* Stipendiis quidem ſuis contenti ſunt, qui illicita non apponunt, nec aliena concupiſcunt. In electione verò Pontificum [ſanctorum in omnibus Canonum ordo ſervetur, nullus Clerus vel populus præjudicium patiatur; ſed libera ſit eis abſque alicujus controverſiâ facultas tranquillè quem meliùs præviderint, eligendi. Electus quoque tam à Metropolitano, quàm à cæteris comprovincialibus Epiſcopis diligentiſſimè examinandus erit. Quòd ſi quis contrà eum] juſtè aliqua poterit objicere, licentiam habeat in omnibus tunc [ventilare, quem ſi convincere poterit de culpâ,] à benedictionis removeantur gratiâ. Si verò dignus inventus fuerit, tunc cum [conſenſu & notitiâ Principis] ad cujus ditionem eadem parochia pertinere videtur, ſolemniter & devotiſſimè [conſecretur. Poſt cujus ordinationem] omnium adverſariorum linguæ refrænentur, nec ſibi jam licere putent contrà Prælatum quod dudum licuit [in Collegâ]: nulluſque eum accuſare vel judicare ulteriùs præſumat, niſi quemadmodum Canonum docent edicta. De quibus, ne à nobis omninò viderentur omiſſa, quædam quamvis pauca in principio hujuſce noſtræ annotationis commemorare curavimus. Sed & ſi cui fortaſſe & illa non ſufficiunt, ſanctorum Patrum ſtatuta diligentiſſimè perquirat, ut pleniùs inde inſtrui valeat.

Explicit Pars ſecunda de Ordinationibus Epiſcoporum.

PARS TERTIA.

De Facultatibus Eccleſiarum.

PRÆTERIRE non poſſumus, quòd res eccleſiaſticæ poſt mortem vel expulſionem Epiſcopi in direptionem & rapinam ſæcularibus tradantur: cum dignum ſit quòd ea in epiſcopio remaneant, per œconomum, & cæteros diſpenſatores Eccleſiæ uſque ad ordinationem futuri Epiſcopi intemeratè ſerventur, ne ab aliis per quodvis ingenium ullo modo ſubripiantur. Quid enim intereſt ſi vivente Epiſcopo, aut poſt mortem ejus res eccleſiaſticæ ab exteris diripiantur? aut quid prodeſt ſi ſimilia conſerventur, horrea autem & cellaria, clerus & familia, & cætera quæ ad Eccleſiam pertinent deprædentur? Tali-
bus enim ait Dominus in Evangelio: *Vos dicitis; Matt. 23. 17.*
qui jurat in altari non debet; qui autem jurat in auro quod ſuper altare eſt, debet. Stulti & cæci, quid eſt plus aurum, an altare quod ſanctificat aurum?
Et iterum: *Culicem liquantes, & camelum glutien- Ibid. 24.*
tes. Denique ſi neceſſe fuerit, omnis Eccleſiæ theſaurus laudabiliter in prædictis expenderetur; nihil tamen horum pro theſauro commutandum eſt: verùm omnia quæ ad uſus Eccleſiæ pertinent, ornamenta Eccleſiæ ſunt, præcipuè Sacerdotes, Clerus & familia, nec poſſunt abſque periculo abuti. Hujuſcemodi ergo ſanctarum Eccleſiarum perſequutores Beatus Pius Romanus Pontifex increpans, ait:
» Ad Sedem Apoſtolicam perlatum eſt, quòd ſint « Pius Papa I
inter vos contentiones & æmulationes, & prædia « Epiſt. 2.
divinis uſibus tradita quidam humanis applicant « uſibus, & Domino Deo, cui tradita ſunt, ea ſubtrahunt, ut ſuis uſibus inſerviant. Quapropter ab « omnibus illius uſurpationis contumelia depellenda « eſt, ne prædia uſibus ſecretorum cœleſtium dicata, « à quibuſdam irruentibus vexentur. Quod ſi quiſ- « quam præſumſerit, ſacrilegus habeatur, & ſicut « ſacrilegus judicetur. Ipſos autem qui hoc agunt, « Clericos & Domini Sacerdotes perſequi, eoſque « infamare audivimus, ut malum ſuprà malum ad- « dant, & deteriores fiant; non intelligentes quòd « Eccleſia Domini in Sacerdotibus conſiſtit, & cre- « ſcit in templum Dei. Et ſicut qui Eccleſiam Dei « vaſtat, & ejus prædia & donaria exſpoliat, & in- « vadit, ſit ſacrilegus: ſic ille qui ejus Sacerdotes in- « ſequitur, ſacrilegii reus exiſtit, & ſacrilegus judi- « catur. Numquid ſi aliquis monilia ſponſarum ve- « ſtrarum detraxiſſet, injuriam eis, & potius vobis « factam conquereremini? Ait enim Beatus Grego- « rius: Omnis qui noſtra tollit inimicus eſt. Cum « enim omnia quæ ſponſa habere videtur, ad ejus « ſponſi conſtet reſpicere dominium, & ſanctam Eccleſiam Chriſti ſponſam eſſe nullus abneget Catho- « licus, omnia quæ Eccleſiæ ſunt, Chriſti eſſe pro- « bantur; & quæ ab ea auferuntur, ipſi proculdubio « tolluntur. «

Reverâ ergo inimicus Chriſti efficitur, qui eccleſiaſticas res uſurpare conatur, nec immeritò eâdem decidet ſententiâ, quam beatus David proclamans
ait: *Inimici verò Domini mox ut honorificati fuerint Pſal. 36. 20.*
& exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient. Quis enim Deo creatori ſuo, & omnium beneficiorum datori inimicus eſſe probatur; homini, per quem hæc tantummodo miniſtrari aliquo modo poſſunt, fidelem ſe eſſe reverà mentitur. Quid ergo juvat eos eſſe Chriſtianos, & Chriſti deprædari Eccleſiam? Quod Beatus Paulus Apoſtolus increpans ait:
Qui abominaris idola, ſacrilegium facis. Divinæ Rom. 2. 22.

enim res non hominum poſſeſſiones eſſe noſcuntur, nec licet ſæcularium dignitatum inde fieri additamentum: quoniam Eccleſiaſticorum vel pauperum ſunt præparata ad oſum. Decet namque ut ſancta Eccleſia inconcuſſa atque inoffenſa ab omnibus obſervetur Chriſticolis, nec in aliquo dehoneſtetur ab ipſis. Sponſa enim, ut jam diximus, Chriſti eſt, & omnium domina, qui ſe de Domini confitentur eſſe familiâ. Quis ergo tam inſipiens Chriſtianus ejus ſe dominum audeat nominari, vel ejus rebus præſumptivè perfrui? Scriptum quippe eſt: *Non eſt ſervus ſuper Dominum ſuum.* (Matt. 10. 24.) Dignum enim procuratorem ei inter homines invenire vix poſſumos, Dominum autem ejos penitus ignoramus præter illum, de quo Johannes Baptiſta ait: *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt.* (Joan. 3. 29.) An ſancta Eccleſia ſponſa Chriſti . . . . ſumma itaque Salomone ipſam . . . . . rurſus devotiſſimè imploremus, ut ipſam pro nobis ad eum interced . . . . . . auferre, ſed devotiſſimè, quæ neceſſaria ſunt inibi poſtulare . . . . re, nam & David eſuriens propoſitionis panes de templo arripere vi non præſumſit . . . . donis verò, quamvis à Rege miſſos, qoia de templo Dei aliquid auferre voluit, ab Angelo percuſſus eſt. Sed quid mirum, ſi fidelis Princeps rem Deo dicatam in maximâ quamvis conſtitutus neceſſitate, arripere timuit, cum etiam ab ipſis paganis & barbaris tam in veteri Teſtamento quàm in novo hoc ipſom obſervatum legamus. Nam Pompeius vir gentilis & bellicoſus, eum rebellantem Hieruſalem expugnaſſet, infinitam theſauri copiam in templo Domini audierat eongregatam, ad quam cum modo videndi ſolùm causâ acceſſiſſet, cuncta quæ aderant ſibi ſigillatim juſſit exponi. Quarum multitudinem admirans, nihil penitùs exinde contingere præſumſit. Item Alericus vir infidelis & barbarus, eum bello Romanam eepiſſet urbem, omnia quæ ad Eccleſiam confugerant ſalva eſſe permiſit. Et hoc illi divina myſteria ignorantes. Catholici verò Principes manifeſtum eſt quia Eccleſiæ Dei non præſumſerant dominari, ſed elegerant ſedulè famulari. Idolis quoque ſervientes terram Saeerdotum, vel templorom ſuorum à publicâ functione removebant. Quod & de Pharaone Rege Ægypti legimus, qui cum omnem terram Ægypti ſuæ redegiſſet ditioni, terram Sacerdotalem excepit, & indemnem permiſit.

Quid ergo de illis, qui ea quæ ad præſens inveniunt deprædantur, & quæ in futuro congregari poſſe eredunt, exactori quaſi ſub paſtoris nomine vendunt, & qoanto majora fuerint patrimonia, tanto prolixius Epiſcopalis ordinatio propalatur; ut nihil remaneat indiſcuſſom, quod utile videatur ad uſum? Ut ſic pariter luat Eccleſia animarom diſpendium, amiſſionem & rerum. Et tunc tandem noviſſimè ſequitur Epiſcopalis ordinatio, quam parcorum præcedit electio: neque inquiruntur merita, ſed potiùs eliguntur munera. Cujus unquam prædia toties deprædata & poſtmodum venumdata, quemadmodom ſanctæ Eccleſiæ inveniuntur? Aut quibus ſacrificiis tales poterunt expiari prædones? Denique ſcriptum eſt: (1. Reg. 2. 25.) *Si peccaverit vir in virum, placare ei poteſt Deus: ſi autem in Deum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Quidam & ab ipſis Epiſcopis fuerint cautione firma . . . . *Omnes Principes* (Pſal 82. 15.) *eorum qui dixerunt: Hereditate poſſideamus ſanctuarium Dei. Deus meus, pone illos ut rotam: & ſicut ſtipulam ante faciem venti.* (Jerem. 12. 14.) Et Hieremias: *Hæc dicit Dominus: Adverſum omnes vicinos meos peſſimos, qui tangunt hereditatem, quam tribui populo meo Iſraël. Ecce ego evellam eos de terrâ ſuâ.* Dignom [eſt ut] qui Eecleſiaſticas res, Dei liquidem hereditatem, contaminare præſumunt, à propriâ quâ juſtè perfrui poterunt, exeludantur.

Hoc verò diligentiſſime iotuendom eſt, quia Deus omnipotens, quamvis noſtris exigentibus culpis Eccleſiam ſuam flagellare voluerit per deprædationem, vel aliquam contritionem, non ſuis dilectis, ſed illis hoc agere permittit, quibus diram exinde in poſterum reddat viciſſitudinem. Ut in Iſaïa legimos, de Hieruſalem dicente Domino ad Babyloniam: *Sede tacens intrà tenebras filia Chaldæorum; quia non vocaberis ultrà domina Regnorum. Iratus ſum ſuper populum meum, & contaminavi hereditatem meam, & dedi eos in manu tuâ, non poſuiſti eis miſericordias.* (Iſai. 47. 5.) Quamvis enim Chaldæos Dominus ad eapiendum Iſraël miſerit, ſed qoia crudelitate in eis propriâ abuſi ſunt, & majores illis impoſuerant plagas quàm Dei ultio efflagitabat, iratum ſe adversùs eos manifeſtiſſimè clamat. Et paulo poſt rurſùs ad Hieruſalem: *Eos vero qui judicaverunt te, ego judicabo, & omnem linguam reſiſtentem tibi, judicio judicabis.* (Ibid. 49. 25.) Et item: *Non in ſempiternum litigabor, neque uſque ad finem iraſcar.* (Id. 54. 17. / 57. 16.) Et iterum: *In indignatione mea percuſſi te, & in reconciliatione meâ miſertus ſum tui.* (Id. 60. 10.) Et Hieremias: *Sanctus Iſrael Domino primitiæ frugum ejus, omnes qui devorant eum delinquunt, mala venient ſuper eos, dicit Dominus.* (Jerem. 2. 3.) Et David in Pſalmis: *Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt; nos autem ſurreximus & erecti ſumus.* (Pſal. 19. 9) Et item: *Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt.* (Ibid 26 2) Et Dominus de Iſrael rurſùs: *Viſitabo in virgâ iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eis; neque nocebo in veritate meâ.* (Ibid. 88. 33.) Et item Hieremias ad Dominum: *Tradidiſti enim nos, ut emendaremur; illi autem aggravaverunt jugum ſuum ſuper nos.* Et Dominus in Evangelio: *Si quis ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* (Matt. 18. 6) Sed dicet aliquis: Quamvis enim res eccleſiaſticæ à me detineantur, liquet quia plura beneficia [ex ipſis per me adversùs eamdem Eccleſiam miniſtrantur, quàm ii ab iiſdem Eccleſiaſticis detineantur: ſed errant.] Quæ ergo opera [miſericordiæ de hujuſmodi frugibus à talibus poterunt legitimè præparari? Numquid eleemoſynas] largiri? vel forcaſſe potiùs [ipſius Eccleſiæ cujus beneficiis vi potiuntur, altaria eooperiri, vel luminaria] ſuccendi, architecta reparari? Clamat Dominus per Oſee: *Miſericordiam volui & non ſacrificium, & ſcientiam Dei pluſquam holocauſta.* (Oſe. 6. 6.) Et item: *Ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam in holocauſto.* (Iſai. 61. 8.) Deus juſtorum diligit paopertatem, quàm divitum muoera, quæ de rapinis ſunt. . . . . Deos ad munera Cain; quia quamvis rectè offerret, tamen non rectè dividebat eum fratre. Ait enim Beatus Ambroſius: » Non probatur largitas, ſi qood alteri largitur, alteri quis extorqueat ſi injuſtè acquirat, ac juſtè diſpendendum putet. « (S. Ambroſ. lib. 1. Offic. c. 30.) Et item: » Fundamentum igitur babeat liberalitas tua. Hoc primum quæritur ut cum fide conferens, fraudem non facias oblatis. « Et paulo poſt: » Si non poteſt alteri ſubveniri, niſi alter lædatur, commodius eſt neutrum juvari, quàm gravari alterum. Qoamvis quidam perversè intelligentes aſſumant ſibi in teſtimonium, quod Dominus ait in Evangelio: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* (Luc. 16. 9.) Mammona enim divitiæ ſunt, quæ benè iniquitates dicuntur, quòd ſæculares divitiæ vix creſcunt niſi abſque rapinâ. Omnis enim rapina iniquitas eſt, ſed non omnis iniquitas ra-

» pina : iniquitas enim dicitur quidquid plus vel minus æquo fit ; rapina autem eſt præda, dicta à rapiendo, id eſt à violenter càpiendo. Non ergo jubemur amicos de rapinâ facere, ſed de mammona iniquitatis. De rapinâ autem eleemoſynam dare nullatenùs poſſumus. Quod Zachæus ille publicanus prudenter conſiderans, ait ad Dominum: *Luc. 19. 8.* *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus ; & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Totum enim daret pauperibus, ſi ſe innocenter ante converſionem vixiſſe cognoſceret ; ſed quia aliquid per fraudem ſe abſtuliſſe conſideraverat, dignum cenſuit priùs ablata juxtà legem reddere, & ſic poſtmodum quæ remanſerant pauperibus erogare. Antiqua enim lex in quadruplum reſtitui jubebat ablata. Et quia dimidiam bonorum ſuorum partem, ad hoc ſufficere credidit, competenter & dimidiam egenis diſtribuit, ſibique nihil in poſterum reſervavit. Igitur ſi evenerit ut quibus reddantur, quæ injuſtè ablata ſunt, vel heredes ipſorum inveniri non poſſint, melius eſt ut ipſorum, cujus [fuerant nomine in eleemoſynis diſtribuantur, quàm à raptoribus capiantur. Sed ſi fieri poteſt, magis reddenda ſunt, quàm aliter quoquomodo diſpenſanda. »] . . . . fecerit Domino . . . . exemplum, ut ſpe eleemoſynæ faciendæ, l . . . . laudatus eſt, ſed de prudentiâ. Nam ſi de bonitate . . . . non vocaretur, ſed in eo ejus laudatur prudentia, quia proſpexit . . . . . à nobis imitandum eſt. Villici ſanè omnes ſumus, quia diſpenſationem dominicarum rerum omnes accepimus. Nam ſecundùm Beatum Paulum Apoſtolum : *1. Tim. 6. 8.* *Nihil habemus quod non accepimus, & nihil intulimus in mundum : nec efferre quid poſſumus.* Tempus faciendæ villicationis & reddendæ rationis, fini intentæ prope eſt. Ergo proſpiciamus nobis in futurum, & dum tempus habemus operemur bona ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei. Quoniam ſicut ait Beatus Ambroſius : *S. Ambroſ. 1. Offic. c. 30 ante med.* » Omnibus debemus miſericordiam ; ſed quod plerique eam fraude quærunt, & affingunt ærumnam ; ideò ubi cauſa manifeſtatur, perſona cognoſcitur, tempus urget, largiùs ſe debet profundere miſericordia. » Unde Beatus Johannes Apoſtolus ait : *1. Joan. 4. 1.* *Nolite credere omni ſpiritui, ſed probate utrum ex Deo ſit.* Talibus ergo opem inferre non deſiſtamus, ut ipſorum meritis & interceſſionibus introduci mereamur in æterna tabernacula.

Sed quia aſperum quod denuntiamus obſervare volentibus omninò videtur, dum penitùs blaſphemare ſanctarum ſcripturarum non audent auctores, ipſos perſequi non omittunt relatores, ut quaſi ſecuriùs de ignorantiâ ſe excuſari poſſint, ſi hæc minime audierint. E contra nos Dominus admonet Ezechieli Prophetæ dicens : *Ezech. 3. 17.* *Tu fili hominis ſpeculatorem te poſui domui Iſrael, audiens de ore meo verbum, annuntiabis eis ex me. Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaveris ei, neque loquutus fueris, ut avertatur à viâ ſuâ impiâ, & vivat : ipſe impius in iniquitate ſuâ morietur : ſanguinem autem ejus de manu tuâ requiram. Si autem tu annuntiaveris impio, & ille non fuerit converſus ab impietate & viâ ſuâ malâ ; ipſe quidem in iniquitate ſuâ morietur, tu autem animam tuam liberaſti.* Et Jacobus Apoſtolus : *Jac. 5. 20.* *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ſuam ; & operiet multitudinem peccatorum.* Iſaïas quoque ait : *Iſai. 58. 1.* *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Iſrael peccata eorum. Me etenim de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt : quaſi gens quæ juſtitiam fecerit, & judicium Dei ſui non reliquerit : rogant me judicia juſtitiæ, appropinquare Deo volunt* . . . . ſ. . . . . Et rursùs : *Sed & ſi quid patimini propter juſtitiam, beati eritis.* *1. Pet. Ibid.* Et iterum : *Timorem non timueritis, & non conturbemini.* Cum enim ſubjectionem nobis imperaret, ait propter Deum ; quia præter eum nil nobis intend . . . . arte compellamur. Et rurſus : *Deum timete, Regem honorificate.* *Id. 2. 1* Quia ſic Rex honorificandus eſt, ut Dei timor præcedere videatur. Unde & remunerationem promittens mox adjecit : *Sed & ſi quid patimini propter juſtitiam, beati eritis.* *Unde 3 Ibid* Et item : *Timorem autem ne timueritis, & non conturbemini.* Et Beatus Paulus Apoſtolus ad Titum : *Tit. 3.* *Admone illos Principibus & poteſtatibus ſubjectos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe.* Unde ait Beatus Hieronymus : » Si bonum eſt quod præcipit Imperator & Præſes, jubentis obſequere voluntati : ſin verò malum, & contrà Deum ſapit, reſponde illud ei de actibus Apoſtolorum : *Act. 5.* *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* » Beatus quoque Ambroſius ait : » Licet tibi ſilere in negotio dumtaxat pecuniario, quamquam ſit conſtantiæ adeſſe æquitati. In causâ autem Dei ubi commune periculum eſt, etiam diſſimulare peccatum eſt non leve. » Et item : » Epiſcopus neque adulantem ſe, neque adulandum cuique exhibeat. *S. Amb 1. Offic.* Alterum enim calliditatis eſt, vanitatis alterum. » Unde valdè metuendum eſt, ne humanam obſervando gratiam, divinam adversùs nos concitemus iram ; & dum à momentaneis adverſariorum nos præcavere quærimus inſidiis, æternis mancipemur periculis, & illud eveniat quod in Salomone legitur : *Job 6. 1*[illegible] *Qui timet pruinam, irruet ſuper eum nix.* Ait enim Dominus in Evangelio : *Luc. 9. 2*[illegible] *Qui me erubuerit & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet cum venerit in majeſtate ſuâ, & Patris, & ſanctorum Angelorum.* Et beatus Sixtus Papa ait : » Meritò namque cauſa nos reſpicit, ſi ſilentio faveamus errori. » Et Iſidorus : *Iſidor. li Sent. c.* » Qui corrigere poteſt & diſſimulat, verum eſt quia conſenſum erroris alieni habeat. » Et Beatus Hieronymus. » Omnis correctio quæ proficit ad ſalutem, ad præſens videtur eſſe triſtitiæ, ſed poſtea fructus habet pacificos. » Sed quod abſque gravi dici non poteſt gemitu, [quidam ex noſtris in tantum ſe pravis ſubjiciunt poteſtatibus, ut etiam divina verba, ſanctorumque Patrum edicta ad redarguendum vitia prolata, adeo falſis nitantur vituperationibus obumbrare, ut etiam ſacris videantur confirmare doctrinis, quæ omnimodis dudum deſtructa ſunt in ipſis. Hi ergo tales meritò pſeudo-Prophetæ, & pſeudo-Chriſti dicuntur.] . . modò vel gloriâ vitæ temporalis per adulationis lapſum ſe terrenis poteſtatibus . . . . ſubjiciunt. Et hoc certè quidam ideo facere videntur, ut ipſorum delicta potentium auctoritate indiſcuſſa relinquantur ; ſibique conſcii de proprio timent facinore argui, ſi illorum defendere pravitates non decertaverint. Quos & congruenter admonet idem dicens : » Conſideret namque homo cum quo adverſario bellum gerat, in ſuam ſe mali, quo deliquiſſe perpendit, ſaltem ad culpam protrahi, ex culpâ pertimeſcat. Talibus quidem Dominus etiam per Iſaiam comminatur dicens : *Iſai. 5. 2*[illegible] *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Et ſuprà ad Hieruſalem : *Ibid. 1. 22* *Caupones tui miſcuerunt vinum aquâ.* Hieronymus : *S. Hieron lib. 4. in Jerem. c. 23* » Sæpe imitatur mendacium veritatem, & niſi habuerit aliquam rectè ſimilitudinem, decipere non poteſt innocentes. » Et iterum : » Si aliquando nobis pro neceſſitatibus & anguſtiis hu- »

» militas opus eſt, ſic eam ſumamus, ne veritatem » & conſtantiam deſeramus. » Quibuſdam etiam nec ſe tantummodo erraſſe ſufficit, ſed ad ſui detrimenti cumulum quoſque in errorem proprium deducere quærunt. Reſiſtentes quoque ſibi in hujuſmodi in tantum protervè increpant, quantum ſe in perverſorum potentiâ gratioſiùs confidunt. Nam ſemper mendaces vera dicentibus adverſantur, & iniqui fideles perſequi non omittunt: quia ſecundùm Beatum Ambroſium: » Plerumque etiam ex doctrinâ » arrogantia naſcitur.« Hinc & legimus in Hieremia, quòd Semei Pſeudo-propheta iratus ſit contrà mendacium ſuum vera ſcripſiſſe Hieremiam. Unde & Dominus: *Ecce ego viſitabo ſuper Semeiam.* Et Iſaias: *In quo percutiam vos ultra addentes prævaricationes?* Item in Pſalmis: *Declinantes autem in obligationem, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Et Petrus Apoſtolus: *Omnis prophetia vel ſcriptura propriâ interpretatione non fit.* Et Johannes: *Omnis qui præcedit, & non manet in doctrinâ Chriſti, Deum non habet.* Et Jacobus: *Si zelum amarum habetis, & contentiones in cordibus veſtris, nolite gloriari.* Hi etenim injuſtè damnari nihil metuunt proximum, ubi favorem ſperant acquirere Principum, de quibus etiam & B. Papa Alexander

Jerem. 29. 32. *Iſai. 1. 5.* *Pſal. 124. 5.* *1. Pet. 1. 20.* *2. Joan. 9.* *Jac. 3. 14.*

. . . .

ATTONIS EPISCOPI VERCEL. EPISTOLÆ.

DOMNO VALDONI Reverendo Epiſcopo.

ATTO gratiâ Dei humilis Epiſcopus fidele ſervitium cum devotis orationibus.

MULTAS veſtræ charitati mercedes referimus pro tam benevolâ legatione gratiâ fraternitatis ſuſceptâ. Quod autem vos nobiſcum colloquium habere velle indicaſtis, vel cum noſtro Miſſo, Deus ſcit, quia ſi debita inter nos unitas permaneret, libenter in veſtrum & veniremus & dirigeremus ſervitium. Sed quod pejus eſt, tanta inter noſtrum Seniorem & vos excrevit diſſenſio, ut nec loquendi, nec noſtrum Miſſum dirigendi in veſtrum ſervitium abſque ejus licentiâ nobis nunc tempus conveniat. Verumtamen quod magis in commune neceſſarium eſſe cognovimus, debitæ charitatis vinculo conſtricti, celare vobis minimè valemus. Humiliter veſtram rogantes Celſitudinem, ut quæ à me veſtro fideli, quin & infimo confratri humiliter dicenda ſunt, depoſito ſupercilio pacificè audire dignemini. Non te, Domine, lædat, quòd aliquid quaſi magiſtrando tibi inſinuare præſumam, qui ut familiaris vernaculus ſuggerere veſtræ magnificentiæ oportuna deſidero. Unde, Domine mi, tanta veſtro cordi ſubripere potuit temeritas? unde tanta exquiri potuit occaſio? unde veſtra mens tam citò potuit concitari, ut Sacerdotalis immemores reverentiæ, ex improviſo à veſtro diſcederetis Seniore, veſtriſque benevolis Confratribus, & gratis in ipſos inſurgere non veremini? Non leve eſt regalem impugnare Majeſtatem, etſi injuſta in aliquo videatur. Dei enim ordinatio eſt. Dei eſt diſpenſatio. Profanum eſt enim violare quod Deus ordinat. Ait enim Dominus per Moyſen: *Principem populi tui ne maledicas.* Namque cui nec maledicere licet, liquidò patet quia & perſequi non licet. Et per Beatum David: *Nolite tangere Chriſtos meos.* Quod quantâ manſuetudine ipſe obſervaverit, manifeſtum eſt. Certè jam Saul ſuâ proterviâ ab ipſo Deo fuerat reprobatus; jam & ipſe David divinâ gratiâ in Regem fuerat unctus, & tamen cum in ſpeluncâ in manus ipſius Saül incidiſſet, dixerunt ſervi David ad eum: *Ecce dies de qua Dominus locutus eſt ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei ſicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo David, & præcidit oram chlamydis Saül ſilenter. Poſt hæc percuſſit cor ſuum David eo quod abſcidiſſet oram: dixitque ad viros ſuos: propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Chriſto Domini, ut mittam manum meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt. Vivit Dominus, quia niſi Dominus percuſſerit eum, aut dies ejus venerit ut moriatur, aut deſcendens in prælium perierit; propitius ſit mihi Dominus, ut mittam manum meam in Chriſtum Domini. Et confregit David viros ſuos ſermonibus, & non permiſit eos, ut conſurgerent in Saül.* Quamvis enim de illius abjectione, ſuâque electione minimè dubitaret, eoque perſequente uſque ad interna coarctaretur ſpeluncæ, tamen manum in eum extendere noluit, ſed divinum judicium exſpectavit. Et quòd oram tantummodo chlamydis ipſius abſciderit, poſtea eum pœnituit, eo quod Principis indumentum vel in aliquo dehoneſtaverit. Sic Rex electus reprobato pepercit, quamvis ab ipſo innocens perſequeretur, nimiſque anguſtaretur injuſtè.

Exod. 22. 28. *Pſal. 104. 15.* *1. Reg. 24. 5.*

Samuel quoque cum jubente Domino hunc jam Regem ſuper Iſraël unxerit, vocatus à Saule ire non diſtulit, quin & pro eo ſe oraturum ſpopondit, dicens: *Abſit à me ut ceſſem orare pro te.* Sed nunc rebelles milites reſiſtere Domino ſuo manu armatâ non formidant, eumque expellere à Regni ſolio omnimodis laborant. De talibus enim ait Dominus: *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum. Cæcus enim ſi cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt.* Sacerdotes verò Dei, quibus divina ſunt perſcrutanda mandata, non tantùm ſe cuſtodire à talibus, ſed etiam alios quos valent, retrahere convenit. Certè ipſe Dominus tributum jubente Cæſare, dare nullo modo prohibuit, dicens: *Reddite quæ Cæſaris ſunt, Cæſari.* In quo non tantùm tributi redditio, ſed totius debiti honoris reverentia intelligendum eſt. Quod etiam ipſe cum ab exactoribus ut redderet, urgeretur, non dedignatus eſt perſolvere; ſed ait Petro: *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies ſtaterem; illum ſumens, da eis pro me, & pro te.* Unde & ipſe tanta Magiſtri eruditus doctrinâ, admonet Eccleſiam omnimodè Regibus ſervare obedientiam. Ait enim: *Deum timete, Regem honorificate.* Nam poſt timorem Dei, qui ſapientiæ initium eſt, Regium ſtatim præcepit ſervandum eſſe honorem. Et item: *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Sic enim nos Regi ſubjectos eſſe docet ſicut præcellenti: ſic Ducibus tamquam ab eo miſſis. Multum namque eſt inter Principem, & miſſum ab eo. Sed hæc Princeps docet Eccleſiæ. Videamus quid & ejus ſocius: *Non eſt poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati,*

Ibid. 15. 23. *Matt. 15. 14.* *Ibid. 22. 21.* *Ibid. 17. 26.* *1. Pet. 2. 14.* *Ibid. 2. 13.* *Rom. 13. 2.*

Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Nam Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem; bonum fac, & habebis laudem ex illâ. Dei miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malè feceris, time. Non enim ſine causâ gladium portat, Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malè agit. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote: non ſolùm propter iram, ſed & propter conſcientiam: ideo enim & tributa præſtatis: miniſtri enim ſunt Dei in hoc ipſum ſervientes. Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Item ad Timotheum:
1. Tim. 2. 1. *Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui ſunt in ſublimitate conſtituti.*

Nam & Beatus David cùm peccatum ſuum Do-
Pſal. 50. 6. mino confiteretur, ait: *Tibi ſoli peccavi.* Quam ſententiam diligentiſſimè exponens Caſſiodorus dicit: » De populo ſi quis erraverit, & Deo peccat » & Regi: nam quando Rex delinquit, ſoli Deo reus » eſt, quia hominem non habet qui ejus facta diju» dicet. Meritò ergo Rex Deo tantùm dicit ſe pec» caſſe, quia ſolus erat, qui ejus potuiſſet admiſſa » diſcutere. « Sed quid dicendum eſt de omnibus aliis ſanctis Doctoribus in hoc conſentientibus? Qui verò contrà hos omnes calcitrare voluerit, liquidò patet quia ex Dominicis ovibus non erit, vocem Domini non audit, bonum paſtorem non cognoſcit, paſcentem oves non intelligit, magiſtrum ſpernit. Supereſt ut fur ſit & latro, mactet & perdat. Et ſi in ovili Dominico ſe conſpicit, conſideret unde vel quomodo intravit. Ait enim Dominus: *Qui mecum*
Luc. 11. 23. *non eſt, adverſùm me eſt: & qui mecum non colligit, ſpargit.* Sanè ſciendum, quia cum Deus omnipotens, utilem populo Principem donare dignatur, juſtum eſt ut ejus hoc pietati adſcribant, & grates exinde dignas perſolvant: ſi autem adverſus fuerit, ſuis hoc imputent peccatis, ipſumque flagitare non deſinant, ut hoc ſecundùm multitudinem miſericordiæ ſuæ propitius diſponat. Nam dejiciendus vel impugnandus nullo modo eſt à populo, qui jam ordinatus eſt à Deo. Equidem ſcriptum eſt in
Dan. 4. 14. Daniele: *Quia dominatur excelſus in regno hominum, & cui voluerit, ipſe dat illud.* Nullus de alicujus dejecti Regis injuriâ ſibi aſſumat fiduciam. Quoniam quamvis mul . . . . tanti facinoris miſerabile pertuliſſe exitium. Quòd ſi cui enumerare liceat, ab ipſius gentis exordio diligentiſſimè perquirat, & tunc cognoſcere poterit populi hujus deſtructionem maximè propter hanc eveniſſe occaſionem. Quia donec Regibus repugnare quærunt, & à Paganis undique opprimuntur, & à finitimis Gentibus ideò conculcantur. Et dum præſumunt illicita, à debitis nihilominùs privantur honoribus.

Sed quid de Regiâ fidelitate & beatus Gregorius dicat, audiamus: Ait enim ad Mauritium ſcribens
S. Gregor. l. 2. Epiſt. 61. Imperatorem: » Omnipotenti Deo reus eſt, qui » ſereniſſimis Dominis in omne quod agit & loqui» tur, purus non eſt. Ego autem indignus pietatis » veſtræ famulus in hac ſuggeſtione meâ neque ut » Epiſcopus, neque ut ſervus jure reipublicæ, ſed » jure privato loquor, quia, ſereniſſime Domine, » ex illo jam tempore Dominus meus fuiſti, quan» do adhuc Dominus omnium non eras. « Quamvis enim Mauritius in quibuſdam inclementer ageret, & maximè contrà ipſum, ſicut ipſius ſcriptis declaratur, tamen Domino hoc committebat, eique fidem ſervabat, & pro eo orare non differebat. Denique enumeratis injuriis ad eo ſibi inflictis, ait rurſùs: » Inter hæc omnia incerta ad ſolas lacrymas « Idem lib. Epiſt. 31. fine.
redeo, petens ut idem omnipotens Deus piiſſimum « dominum noſtrum & ſuâ hic manu regat, & in « illo terribili judicio liberum ad omnibus delictis « inveniat. « Sed quia Dominus ſibi commiſſam vindictam non differat, eidem Mauritio poſtea apertè demonſtratum eſt. Beatus quoque Ambroſius cum injuſtè perſequeretur à Principe, totum ſe Domino commendabat, nec defendendo reſiſtere quærebat. Taliter Sacerdotes Dei ſe contrà iniquos Principes munire debent. Sicut ait beatus Paulus Apoſtolus:
Non voſmetipſos defendentes, Cariſſimi, ſed date locum Rom. 12.
iræ. Scriptum eſt: Mihi vindictam, ego retribuam dicit Dominus. Nam armis defendi, deprædatione vel devaſtatione vindicari, prædâ ditari, vel homicidio vel detruncatione timeri, non Sacerdotum, ſed Dæmonum eſt. Ait namque beatus David: *Nolite ſpe-* Pſal. 61.
rare in iniquitate: & in rapinis nolite concupiſcere. Talia etenim perpetrantes mercenarii dici poſſunt, paſtores autem nullatenùs eſſe poſſunt. Aut quomodo Deo ſacrificium offerre præſument, cum audiant ipſum Dominum dicentem: *Si offers munus* Matt. 5. 24.
tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſùm te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. . . . . adverſùm nos habere ſentimus, ſacrificium Deo nullatenùs offerre debemus.

Igitur quæ de perverſis Regibus ſervandâ fidelitate huc uſque diximus, ideo annotare curavimus, ut exinde intelligere valeamus, quantâ diligentiâ quantâque cautelâ bonis obedire debeamus, quando nec etiam malos à ſubditis vexandos eſſe monemur. Quòd ſi ira Principis in tantum deſæviat, vel ſi tam gravis fuerit culpa, ut ad ejus gratiam redeundi aditus nullo modo reperiatur, neque Sacerdotali interventu, neque Magnatum precibus, verùm etiam nec familiarium conſiliis vel ſupplicationibus, nullâque ſatisfactione ipſius animus placari poſſit, tunc fugiendum eſſe conſulimus, dicente Domino: *Si vos* Ibid. 10.
perſequuti fuerint in unâ civitate, fugite in aliam, donec mittat Dominus auxilium de ſancto, & de excelſo miſereatur omnipotens. Congruentiùs itaque fieri poteſt, ut aliquis Procerum furorem Regis ſui fugiendo declinet, quàm Rex infrà ſui regni fines rebellantem adverſùm ſe perſequi omittat. Audivimus etenim quoſdam ſic evadentes, ad priſtinos poſtmodum feliciſſimè remeaſſe honores. Quoſdam verò pertinaciter intrantes, uſque etiam ad contemptibilem exitum perveniſſe. Eſt etenim naturale remedium, ut qui pro diverſitate morum ſimul permanere non poterint, majores minores expellant, minores ipſos majores fugiant. Nam ut à ſubditis præpoſiti violentiam diù patiantur, ignominioſum eſt. Ait enim Dominus: *Non eſt diſcipulus ſuper* Id. ibid.
magiſtrum, neque ſervus ſuper dominum ſuum. Venerabilis etiam Johannes Chryſoſtomus in quâdam Homiliâ ſic ait: » Sicut enim videmus in iſtis mun- « dialibus regnis quomodo in primis quidem nemo « poteſt facere ſeipſum Regem, ſed populus eligit « ſibi Regem, quem vult: ſed cum Rex ille fuerit « factus & confirmatus in Regno, jam habet po- « teſtatem in hominibus, & non poteſt populus ju- « gum ejus de cervice ſuâ repellere. Nam primùm « quidem in poteſtate populi eſt facere ſibi Regem « quem vult; factum autem de Regno repellere, « jam non eſt in poteſtate ejus, & ſic voluntas po- « puli poſtea in neceſſitatem convertitur. « Sancti quoque Patres ſacra celebrantes Concilia, pro robore Regum & ſtabilitate regni ſagaciſſima protulerunt decreta. Ex Concilio Toletano cap. 75. poſt inſti- Concil. T. 4. cap. 7

tuta quædam Eccleſiaſtici ordinis, vel decreta quæ ad quorumdam pertinent diſciplinam. » Poſtrema nobis cunctis Sacerdotibus ſententia eſt, pro robore noſtrorum Regum, & ſtabilitate gentis Gothorum pontificale ultimum ſub Deo judice ferre decretum. Multarum quippe gentium, ut fama eſt, tanta exſtat perfidia animorum, ut fidem juramento promiſſam Regibus ſuis ſervare contemnant, & ore ſimulent juramenti profeſſionem, dum retineant mente perfidiæ impietatem. Jurant enim Regibus ſuis, & fidem quam pollicentur prævaricantur, nec metuunt volumen illud judicii Dei, per quod inducitur maledictio. Multaque eſt pœnarum comminatio ſuper eos, qui jurant in nomine Dei mendaciter. Quæ igitur ſpes talibus populis contrà hoſtes laborantibus? Eritne fides ultra cum aliis gentibus in pace credenda? Quod fœdus non violandum? Quæ in hoſtibus jurata ſponſio permanebit, quando nec ipſis propriis Regibus juratam fidem conſervant? Quis enim adeo furioſus eſt, qui caput ſuum manu propriâ deſecet? Et illi, ut notum eſt, immemores ſalutis ſuæ propriâ manu ſeipſos interimunt, in ſemetipſos propriosque Reges ſuas convertendo vires. Et dum Dominus dicat: *Nolite tangere Christos meos.* Et David: *Quis*, inquit, *extendet manum ſuam in Christum Domini, & innocens erit?* Illis nec vitare metus eſt perjurium, nec Regibus ſuis inferre exitium. Hoſtibus quippe fides pacti datur, nec violatur. Quòd ſi in bello fides valet, quanto magis in ſuis ſervanda eſt? Sacrilegium quippe eſt ſi violetur à gentibus Regum ſuorum promiſſa fides, quia non ſolùm in eos fit peccati tranſgreſſio, ſed & in Deum quidem, in cujus nomine pollicetur ipſa promiſſio. Inde eſt, quòd multa regna terrarum cœleſtis iracundia iſta permutavit, ut impietate fidei & morum alterum ab altero ſolveretur. Unde & nos cavere oportet caſum hujuſmodi gentium, ne ſimiliter plagâ feriamor præcipiti, & pœnâ puniamur crudeli. Si enim Deus Angelis in ſe prævaricantibus non pepercit, qui per inobedientiam cæleſte habitaculum perdiderunt: unde & per Iſaïam dicit; *Inebriatus eſt gladius meus in cœlo*: quanto magis noſtræ ſalutis interitum timere debemus, ne per infidelitatem eamdem ſævientis Dei gladio pereamus? Quòd ſi divinam iracundiam vitare volumus, & ſeveritatem ejus ad clementiam revocare cupimus [a], ne unà cum eis qui eâdem conjuratione nituntur par pœna perditionis conſtringat, quos in pernicie prava ſocietas copulat. Si placet omnibus qui adeſtis hæc tertiò reiterata ſententia, veſtræ vocis eam conſenſu firmate. Ab univerſo Clero & populo dictum eſt: Qui contrà hanc veſtram definitionem præſumſerit, anathema, maranatha, hoc eſt perditio in adventu Domini ſit, & cum Juda Iſcarioth partem habeat, & ipſe, & ſocii eorum. Amen. « Et nunc . . . . » Quamquam in Concilio anteriori quòd anno primo glorioſiſſimi Principis noſtri de hujuſmodi re fuerit promulgata ſententia, tamen placet iterare quod convenit cuſtodire. Itaque Regis vitâ conſtante nullus ſibi aliquo opere vel deliberatione, ſeu cujuſcumque dignitatis laïcus, ſeu gradu Epiſcopatûs, Presbyterii, aut Diaconii conſecratus, cæterique Clericatûs officiis deditus, Regem provideat contrà viventis Regis utilitatem, nullo blandimento vel ſuaſione per eamdem ſpem aut alios in ſe trahat, aut ipſe in alium acquieſcat. « Iniquum enim & valde execrabile à Chriſtianis debet haberi, futuris temporibus illicita proſpicere, & vitæ ſuæ ignaros ventura diſponere. « Et rurſùs: » [b] Conſinitimi hoſtium Sacerdotes, præter eos qui Regiâ poteſtate licentiam accepêre, quodlibet mandatum ad gentem extraneam occultè accipere vel dirigere non præſumant: qui autem deprehenditur atque convincitur, denuntietur Principibus apud Concilium condignâ animadverſione mulctabitur. Qui enim jam dictis Dei & Domini noſtri Jesu-Christi, beatiſſimorumque Apoſtolorum Petri & Pauli, & cæterorum ſanctorum Patrum monitis contraire tentaverit, ſciat ſe procul dubio diabolum habere ductorem; & quia Jesum habere noluit, profectò Barabbam habebit. «

Pſal. 104. 5. 1. Reg. 26. 9. — Iſai. 34. 5. — Concil. Tolet. 6. c. 17.

Quapropter, Reverendiſſime Domine, hæc & hujuſmodi conſiderantes, ad gratiam ſereniſſimi Regis & Domini noſtri reverti non dedignemini, recolentes qualem ei jurejurando polliciti eſtis fidelitatem. Scriptum quidem eſt dicente Domino: *Non aſſumas nomen Dei tui in vanum: quoniam non habebit Dominus inſontem eum, qui nomen ejus in vanum aſſumſerit.* Memores eſtote Regiæ dignitatis, memores eſtote & veſtri Ordinis. Erimus enim in quantum poſſumus, ſi jubetis, in his fautores. Erimus & fideliſſimi adjutores. Nihil dubites, Pater mi, non expedit quidem: diligimus enim, Deo teſte, bonum pacis, & ad fructum feſtinamus pervenire charitatis. Non etenim omnis pax eadem pax eſt; eſt namque ſalutaris pax, invenitur & noxia: ſalutaris quidem pax eſt de quâ Dominus ait in Evangelio: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Et quia diſſimilem agnoverat, ſubdidit: *Non quomodo hic mundus dat ego do vobis.* Item bona pax eſt quam Angeli paſtoribus nuntiavêre, dicentes: *Gloria in excelſis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Et de quâ ait Beatus Paulus Apoſtolus: *Chriſtus eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum.* Rursùs iniqua pax eſt, de quâ . . . . *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ ipſe poſſidet.* An non ipſe diabolus quem per fortem intelligimus armatum, pacem Domino quærebat, cum procidens ante eum, ſcilicet fortiorem, diceret: Jesu *fili Dei altiſſimi, adjuro te per Deum ne me torqueas?* Sed quia eam injuſtè quæſivit, impetrare apud eum minimè meruit. Beatus quoque David noxiam putans pacem impiorum ait: *Quia zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.* Sicut enim Angeli bonorum pacem utilem judicabunt, ſic iſte impiorum inutilem judicabat. Unde cum magnâ diſcretione pax eſt inquirenda, ut & ſalutarem omnimodis firmare laboremus, & inutilem vitare valeamus. Melius itaque eſt nobis adverſarios utcumque tolerare, quàm cum ipſis iniquè paciſci, dicente Domino: *Cavete à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis.* Dicit enim beatus Paulus Apoſtolus: *Si fieri poteſt quod ex vobis eſt*, id eſt ex veſtrâ parte: ac ſi diceret: quidquid mali homines faciant, vos ſemper illorum ſalutem quærite, oportuna docete, inutilia quamvis ingrati arguite, & ſi fieri poteſt, corrigere ſtudete. Hæc eſt enim utilis pax, quam ſi deſpexerint, non ideo nobis à rectitudine convenit deviare: nam à bono recedere, & alienis erroribus implicari inutile conſpicitur. Scriptum quippe eſt: *Qui tetigerit picem, coinquinabitur ab eâ: & qui communicaverit ſuperbo, induetur ſuperbiâ.*

Exod. 20. 7. — Joan. 14. 27. — Luc. 2, 14. — Epheſ. 2. 14. — Luc. 11. 21. — Matt. 5. 7. — Pſal. 72. 3. — Matt. 8, 15. — Rom. 12, 18. — Eccli. 13. 1.

Ad tramitem ergo veræ pacis, id eſt Domini noſtri Jesu-Christi, ſanctorumque Patrum exempla, vel documenta, ſincerâ mente conveniamus;

a *cupimus*] Multâ hîc omitti monet Acherius.

b *Conſinitimi*] Hæc in edito Concilio deſunt.

mum eſt, ſubvertere à viâ veritatis multos ſtudebunt, ita ut eos in perniciem perducant, qui illis crediderint. Unde quia non ſolùm prodigia diverſaque ſigna tunc temporis facientibus ſeu philoſophicis dogmatibus falſa defendentibus, [a] verumetiam non tam facilè juſtum habetur cor, ut etiam quibuſdam ſimplicia atque bruta referentibus tantummodo verba credere omninò feſtinetis, eoſque, heu miſerrimi! diabolico errore decepti, Prophetas nominetis, relinquentes ſanctam matrem veſtram Eccleſiam, ſeu Sacerdotes per quos ad æternam pervenire debetis ſalutem. Quocircà his viſis litteris, auditis vel cognitis, ſi quis veſtrûm forte, quod abſit, deinceps hujuſcemodi nefas perpetraverit, ſciat ſe omnimodis damnandum, & non habeat licentiam manducandi quid coctum, niſi panem, nec bibendi vinum, quouſque ad ſuam ſanctam matrem, ſcilicet Vercellenſem Eccleſiam, noſtramque præſentiam, ad ſatisfactionem, veramque pœnitentiæ humilitatem judicandus adveniat. Si quis autem ſuperbiâ inflatus contrà hoc agere tentaverit, ſciat ſe ab Eccleſiæ liminibus pellendum, & à ſanctâ communione extraneum; omnibuſque fidelibus abominandum, donec ſanctæ Eccleſiæ ſuſceperit correptionem, tam ipſe quàm omnes qui ipſi communicant, poſtquàm eum talem cognoverint: Sacerdotum verò ſi quis fortaſſe, quod Deus avertat, tali abominatione pollutus fuerit, nullum divinum audeat uſurpare myſterium, donec dignam Deo, noſtro judicio perſolvat ſatisfactionem.

EJUSDEM.

IV. ATto gratià Dei humilis Epiſcopus, Univerſis fidelibus noſtræ Eccleſiæ, noſtriſque dilectiſſimis filiis pax ſit & gaudium. Si enim ſincero corde quæ à ſanctis Patribus tradita cognoſcuntur, à vobis inviolata ſervantur, magnam nobis in hoc præparatis lætitiam. Si autem, quod abſit, diverſis erroribus vos cognoverimus depravatos, grandis inde mœror noſtro cordi accumulabitur. Nam ſi abjectio diſcipuli, magiſtri eſt detrimentum, quanto magis prævaricatio filiorum patris, valet eſſe periculum? Sic nos omnipotens pater degere concedat, ut utrique de utroque remuneremur, ne damnandi judicemur. Igitur audivimus inter vos novum quemdam ſurrexiſſe errorem, ut dicatis ſextâ feriâ otio eſſe vacandum, & . . . . omnium Redemptor eumdem diem triſtiorem præ cunctis duxerit, & tanta pro nobis opprobria ſuſtinuerit . . . . vos jocis incumbere, & otia ſectari ſtudeatis. Apoſtoli etiam cæterique fideles tam triſtem eumdem duxerunt diem, ut per diverſas latebras fugitantes vix duo ſimul reperirentur. Nec epularum poterat fieri mentio, quibus vitæ jam penè adhæſerat deſperatio. Eâdem quoque die ſol tenebris amictus lumen obduxit, & ipſa elementa turbata turbationem totius oſtenderunt mundi. Nam ſi diem Dominicum ob venerabilem Reſurrectionem Domini noſtri Jesu-Christi, ſeu Apoſtolorum cæterorumque fidelium lætitiam non ſolùm in Paſchâ celebramus, verùm etiam per ſingulos circulos hebdomadarum ipſius diei imaginem frequentamus; demens eſt, qui ſextam feriam, quâ Dominus crucifixus eſt, per omnes hebdomadas ob illius imaginem cum abſtinentiâ & compunctione mœroris abnegat celebrandum. Labor denique impedimentum dicitur. In magno ergo eo die Chriſtus fuerat labore, qui tanta ab impiis tormenta pertulerat. Similiter etiam omnes ejus fideles, quos fugientes intùs dolor, à foris premebat anguſtia, nec leriandi dabantur induciæ, quibus talis parabatur injuria. Fugite ergo, Fratres, ab hac ſtultitiâ: ſufficit enim vobis diem Dominicum, & alias celeberrimas & à Sacerdotibus approbatas feſtivitates obſervare. In quibus ideo feriare debetis, ut à ſæcularibus negotiis expediti, liberiùs Dominum ejuſque Sanctos collaudare vel prædicare, eiſque deſervire poſſitis. Nam ſextâ feriâ melius eſt laborare panem, unde & tuam & alienam reficere poſſis eſuriem, quàm otioſis manibus ſedens inanes fabulas garrulo ore jactare . . . .

EJUSDEM.

V. SUmmâ devotione colendo Domno Azoni reverendiſſimo & ſanctiſſimo Præſuli Atto gratiâ Dei humilis Epiſcopus, veſterque fideliſſimus, orationum inſtantiam cum devoto famulatu. Deus omnipotens, qui vos in paſtorali throno locare dignatus eſt, ipſe vos jugi upuulatione adeo cuſtodire dignetur, ut Sacerdotalis honor cunctos veſtros dirigat actus, rurſumque veſtris ſacris actibus ſacerdotalis ordo præfulgeat. Quòd autem veſtra prudentia noſtram hebetem dignata eſt [a] parvitatem, quare quemdam noſtræ Eccleſiæ filium à filiæ ſuſcipientis ſe de ſacro fonte prohiberemus nuptiis. Inſuper ſi aliquod capitulum repertum haberemus . . . . qui in carnalibus nuptiis non tantùm ſpiritualis, ſed etiam . . . . inquirenda. Igitur Luitprandus Catholicus Rex hujus in quâ degimus patriæ, tale cum conſenſu illius temporis Procerum vel Judicum Capitulum promulgavit: » Hoc cenſuimus atque præcepimus, ut nullus præſumat commatrem ſuam uxorem ducere, ſed nec filiam quam de ſacro fonte levavit; neque filius ejus præſumat filiam illius uxorem ducere, qui cum de fonte ſuſcepit: quia ſpirituales germani eſſe noſcuntur: & qui hoc malum facere tentaverit, perdat omnem ſubſtantiam ſuam. Et filii qui de tali illicito matrimonio naſcuntur, heredes eſſe non debent, ſed propinqui parentes. Ubi autem inventi fuerint, qui ſuprà ſcripta illicita conjugia contraxerint, in præſenti ſeparentur, & pœnæ ſupraſcriptæ ſubjaceant. «

Luitprand. Rex. Leg. Long. lib. 5. tit. 8 l. 3.

Lex etiam, quæ Salica dicitur, hoc continet. » Uxorem patris ſi quis acceperit, mortis periculum incurrat, & de præteritis conjunctionibus, quæ inceſtæ eſſe videntur, per prædicationem Epiſcoporum juſſimus emendare. Qui verò Epiſcopum ſuum noluerit audire, & excommunicatus fuerit, perennem conditionem [b] apud Deum ſuſtineat, & de palatio noſtro omninò ſit extraneus, & omnes res ſuas parentibus legitimis amittat. « Romani quoque Principes totius penè Monarchiæ dominantes, quorum legem etiam nobis Sacerdotibus in multis convenit obſervare, talia inſtituta de conjugiis loquentes dedêre: » Sed ſi qua per adoptionem ſoror tibi eſſe cœperit, quamdiù quidem conſtat adoptio, ſanè inter te & eam nuptiæ conſiſtere non poſſunt. « Et item » Si adversùs ea quæ diximus aliqui coïerint, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligitur. Itaque qui ex tali coitu naſcuntur, in poteſtate

a *defendentibus*] Hìc nonnulla deſunt.
a *dignata eſt*] Vidit Acherius vocem aliquam, fortaſſe *interrogare*, deeſſe hoc loco.

b *conditionem*] Perſpicuum eſt hìc legi oportere *condemnationem*.

patris non ſunt, ſed tales ſunt, quantum ad patriam poteſtatem pertinet, quales ſunt ii quos mater vulgò concepit. Sequitur ergo ut & diſſoluto coïtu, nec dotis exactioni locus ſit, & alias pœnas patiantur, quæ ſacris Conſtitutionibus continentur. « Nulla denique adoptio talis eſſe poterit, quàm hæc per quam homines filii Dei efficiuntur. Hæc eſt enim adoptio, quæ emancipari non poteſt. Unde beatus Paulus ait Apoſtolus: *Qui prædeſtinavit in adoptionem filiorum per Chriſtum* JESUM, *in ipſum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ in laudem gloriæ gratiæ ſuæ.* Cujus adoptionis participem nemo ambigit eum qui ſecundùm ſacramentorum . . . . jam illorum conjunctus eſt ſpiritus. Rurſumque ex ſacro fonte . . . . . qualem ex ma . . . . . . Sacerdotibus ipſis ad inſerviendum committuntur. Nam ſicut carnales noſtri parentes noſtræ generationis miniſtri ſunt, ſecundùm quod beatus Clemens in ſuis Decretalibus aſſerit, ſic hujuſmodi miniſtri ſunt ſacræ regenerationis. Deus auctor in utriſque conſiſtit; ſicut ſcriptum eſt: *Unicuique ſicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit.* Illi namque, qui ut ſuperiùs diximus, erga pueros agunt, ſpiritualiter plantant, & patres ſunt. Qui autem rigant, miniſtri Eccleſiarum ſunt, ſacramenta conferentes baptiſmatis. *Dominus autem incrementum* dat in omnibus, ſive in ſpiritalibus, ſive in carnalibus profectibus.

Epheſ. 1. 5.
1. Cor. 3. 6.

Legitur etiam in libro Codicum, quod eſt Romanæ Legis, ita: » Nihil aliud ſic inducere poteſt paternam affectionem, & juſtam nuptiarum prohibitionem, quàm hujuſmodi nexus, per quem Deo animæ eorum copulatæ ſunt. » Item ex Novellâ: » Si qui nefarium atque damnatum matrimonium contraxerint, & ex priori matrimonio liberos non habuerint, ſtatim ſuis facultatibus careant, & dos fiſci juribus vindicetur. Poſt publicationem autem, & cinguli ſui patiantur amiſſionem, & in exilio puniantur. Quòd ſi vilior ſit perſona, corporali quæſtioni ſubſiſtat, & uxor ejus contrà leges nupta eaſdem pœnas patiatur. Hæc poſt biennium valeant: nam biennii indulgentia illis præſtita eſt, qui jam contraxerunt contrà leges matrimonia, ut infrà biennium ſeparentur. Quòd ſi non fuerint ſeparati, ſed perſeveraverint in toto biennio, pœnis in primo capite dictis ſubjiciantur. « Valde enim turpe eſt, ut quod religionis causâ ſæculares leges cuſtodire contendunt, hoc Sacerdotes Dei infringere quærant. Sed neque ſummi Pontifices ſæculares leges aden reſpuendo contrivere, cum noſter atque ipſorum Dominus ac Magiſter dicat: *Non veni legem ſolvere, ſed adimplere.* Item ſanctiſſimus Papa Calixtus: » Nec eos viros, quos leges ſæculi rejiciunt, ſuſcipere debemus. Ipſam quoque infamiam, quâ aſperſi ſunt, delere non poſſumus, ſed animas eorum per pœnitentiam publicam & Eccleſiæ ſatisfactionem ſanare cupimus. « . . . . ſanctiſſimus Julius Papa confirmat: Beatiſſimus etiam Gregorius multa Romanæ legis capitula confirmans, ſuo inſeruit regiſtro. Ergo, Domine mi, abſonum eſſe videtur, ut ſpiritalis affinitas carnalibus amplexibus deſervire cogatur: ait enim Beatus Paulus Apoſtolus: *Vos enim in libertate vocati eſtis, Fratres; tantùm ne libertatem in occaſione detis carnis.* Et iterum: *Qui ſeminat in carne ſuâ, de carne metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.* Et rursùs: *Ubi ſpiritus, ibi libertas.* Et in Levitico: *Omnis conſecratio quæ offertur, ab homine non redimetur*, ne noſtris uſibus ſuccumbendo, ſacratum execrabile fiat.

Novella 12. c. 1.
Matt. 5. 17.
Calixtus Papa I. Epiſt. 2. ad omnes Galliarum Epiſc.
Galat. 5. 13.
Ibid. 6. 8.
2. Cor 3. 17.
Levit. 27. 29.

Sed & ſi hæc cuncta quæ ſuperiùs tale reprehendentes conjugium diximus, deficerent; ſatis ad id reprimendum etiam remanerent. Nam adeo hujus religionis causâ hactenùs eſt abolitum, ut non tantùm literatis, vel prudentibus, ſed etiam ipſis ruſticis moris causâ profanum jam videatur, ut ſicubi peccatis exigentibus aliquid tale audierint, ideò ſcandalizentur. Unde grave committentibus peccatum exuritur. Ait enim Dominus: *Væ homini illi per quem ſcandalum venit.* Et Beatus Paulus: *Providemus enim bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus.* Et item: *Sine offenſione eſtote Judæis, & Gentibus, & Eccleſiæ Dei.* Et rursùs: *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ut fratrem meum ſcandalizem.* Et iterum: *Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius.* Plures nempe offendit, qui antiquas conſuetudines à religioſiſſimis & prudentibus obſervatas immutare vel abradere præſumit: cum beatus dicat Iſidorus: « Conſuetudo eſt jus quoddam moribus inſtitutum, quod per legem ſuſcipitur cùm deficit lex. Non differt utrum ſcripturâ an ratione conſiſtat, quando & legem ratio commendat. Porro ſi ratione lex conſtat, lex erit omne jam quod ratione conſtiterit, dumtaxat quod religioni congruat, quod diſciplinæ conveniat, quod ſaluti proficiat. « Beatus quoque Papa Gregorius, cujus inſtitutionibus penè totus regulatur orbis, ait Regiſtri parte prima: » Et nos juxtà ſeriem relationis veſtræ conſuetudinem, quæ tamen contrà fidem catholicam nihil uſurpare dignoſcitur, immotam permanere concedimus, ſive de Primatibus conſtituendis cæteriſque capitulis, exceptis his qui ex Donatiſtis ad Epiſcopatum perveniunt. . . . . Januarii. Ipſa quoque mutatio conſuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. « Quapropter quæ utilis non eſt, perturbatione infructuoſa, conſequenter noxia eſt. Apparet ergo quòd conſuetudo quæ fidei Catholicæ, vel ſæcularibus legibus non obeſt, omnimodis ſervanda ſit, quod Theodoſiano confirmatur edicto. Sed hæc de quâ nunc agitur conſuetudo, nec Catholicæ fidei, nec ulli Chriſtianorum legi penitùs impugnat. Licet tamen quædam leges ſint in quibus hæc ſpecialiter non contineantur, ſed nulla eſt quæ huic impugnare videatur. Quapropter ideo de hac multos tacuiſſe antiquitùs credimus, quia in novâ quaſi religione baptiſmatis, nullus Chriſtianus talia præſumere conabatur; nec judicavêre interdicendum, quod non credebant præſumendum. *Nam juſto lex non eſt poſita, ſed injuſtis.* Attamen nobis, quibus licet indignis diſcernendi impoſita eſt conditio, ut dividamus inter mundum & immundum, & lepram, talia convenit declamare, ne tacentes à Domino per Prophetam arguamur, dicente: *Canes muti non valentes latrare*: ne populi conſentire flagitiis videamur, & reprehenſibiles efficiamur, dum aliorum reprehendere nequitiam diſſimulamus. *Sed in omnibus exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros*: quia ſcriptum eſt: *Ne communicaveris peccatis alienis.* Et rursùs: *Et immundum ne tetigeritis.*

Ma
1. C
1. C
Ibid.
Ibid.
S. I
1. or
S. Gr
Epiſt
Aug
118 a
1. Ti
Iſai.
2. Co
1. Ti
2. Co

Quòd autem ex Domini ſententiâ dicitis: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, hæc religio modis omnibus cuſtodienda videtur; ſed non omnes qui conjuncti ſunt Dominus conjunxit. Eorum tamen quos ipſe conjunxit bona eſt copula, quippe nec legibus obeſt, nec Catholicorum uſus conturbat. Sed eſt *honorabile connubium & torus immaculatus*, ſicut Beatus Paulus ait Apoſtolus: *His namque qui matrimonio juncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem à viro ſuo non diſcedere: &*

Mat
Heb
1. C

vir uxorem ſuam non dimittat. Videte quod dicit *his qui matrimonio juncti ſunt.* Matrimonium enim eſt conjugum juſta conventio & conditio: eos verò qui nefario & execrabili coitu contrà leges & mores permiſcentur, omninò ſeparari oportet, quoniam nec vir nec uxor poterit eſſe in hujuſmodi. Ait enim
[Matt. 5. 30.] Dominus in Evangelio: *Si dextera manus tua ſcandalizat te, abſcide eam & projice abs te.* Quid enim melius per ſcandalizantem . . . .
. . . . Paulus Apoſtolus:
[1. Cor. 7. 15.] *Non eſt enim ſervituti ſubjectus frater aut ſoror in ejuſmodi: in pace autem vocavit nos Dominus.* Dominus etiam divortium prohibens, fornicationis
[Matt. 5. 32.] cauſam excepit, dicens: *Exceptâ fornicationis cauſâ.* Cujus ut ſcitis duo ſunt genera, de quibus nobis per omnia modo non convenit diſputare. Veſtrum unde fidelem, noſtrum ſcilicet filium, ô Domine mi, verbis affabilibus & mellifluis, ſicut benè noſtis, conſulere non dedignemini: quatenùs relictis prioribus ad meliora pertingere queat. Benè nam-
[Hebr. 12. 11.] que ſcitis quia *omnis diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii, ſed mœroris: poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet ju-*
[Jac. 5. 20.] *ſtitiæ.* Et Jacobus Apoſtolus: *Scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvavit animam ejus à morte, & operit multitudinem peccatorum.*

Quod autem veſtra nobis innotuit magnificentia, quia multi majores & inferiores in hoc Regno ſint, qui tales uxores habent, quos etiam nobis intimare polliciti eſtis, Deo teſte, hoc incognitum manet apud nos, & valde novum videtur. Sed ſi qui ſint qui talia agunt, aut raritate nobis obſcurum eſt, aut diſſimulatione contectum. Verumtamen in iſtis partibus nullum præter hunc aliquando audivimus: tamen & ſi multi eſſent qui hoc agerent, Domini-
[Exod. 23. 2.] ca debuerat præcellere ſententia: *Non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut à vero devies.* Et Pau-
[Galat. 1. 10.] lus: *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non*
[Jac. 4. 4.] *eſſem.* Et Jacobus Apoſtolus ait: *Quicumque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi hujus, inimicus Dei conſtituitur.* Et Moyſes negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati [illegible] jocunditatem, majores
[Hebr. 4. 24.] divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum *improperium Chriſti.* Secundùm decretum autem Cæleſtini Papæ, docendus eſt populus, non ſequendus. Sed & ſi nec lex valet, nec conſuetudo proficit, ſaltem ipſa ratio procedat.

Inter Compatres & Commatres interdicta eſſe conjugia evidenter omnes teſtificant. Cum hujus ſacramenti myſterium non ſpecialiter in ipſis, ſed in eorum filiis celebratur. Nam & ipſi ſequeſtratim eſſe poſſunt. Quis ergo hoc dicere audeat, quòd abſentes hoc ſacramentum conſtringat? . . . . .
. . . .
. . . . enim compater vel commater ſonat, niſi ſimul pater, aut mater . . . .
. . . . . . cui ſimul patres, vel matres ſunt, omnes eorum filii vel filiæ fratres vel ſorores ipſius . . . . .
. . . . enim Dominus Scribas, & Phari-
[Matt. 3. 17.] ſæos ait: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi, ſtulti, & cæci, qui dicitis. Quicumque juraverit in altari nihil eſt, quicumque autem juraverit in dono, quod eſt ſuper illud, debet. Cæci, quid enim majus eſt; donum, an altare quod ſanctificat donum? Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, & in omnibus quæ ſuper illud ſunt. Et qui juraverit in templo, jurat in illo, & in eo qui habitat in ipſo.* Videtur ergo nobis, quòd hujuſmodi adoptio, ſi pertinet ad parentes, magis pertineat & ad filios, & ſi nec ad filios, profectò nec ad parentes pertinere videtur. Hæc itaque intendentes, prædictum Theodericum à tali toro ſuſpendimus, non tamen conjugium penitùs interdiximus, nec aliter excommunicavimus, donec in Domini Archiepiſcopi & veſtram, cæterorumque noſtrorum venerabilium Confratrum audientiam veniamus. Non quòd de rectitudinis dubitemus modo, ſed ut majori auctoritate firmetur aſſertio plurimorum. Sæpe etenim delinquentibus, dum vulnus facinoris premitur, reproba videtur ſententia medicantis: & dum perverſi criminis nævum diluere nolunt, ad diluentis injurias currunt. Quorum detractiones à nobis extorquemus, cùm plurimorum ſententiam interim exſpectamus, ſicut beatus Paulus ait ad Timotheum: *Irreprehenſibilem te exhibe, ut is qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* [Tit. 2. 8.] Dum enim, Domine, cum iſto agitur, non ſolùm cum ipſo, ſed pro omnibus hujuſmodi laboratur. Lex enim non admittit perſonam; ſi enim huic licet, evidenter omnibus licet: & ſi huic prohibitum ſic erit, nullus ſe in poſtmodum de ignorantiâ excuſabit.

Innotuiſtis etiam nobis eſſe aliquos talibus nuptiis perplexos, qui pro nullius excommunicatione ſuas deſerant copulas. Utinam, Domine, nos injunctum officium implere valeamus. Illi quidquid faciant, nos ſaltem noſmetipſos liberare curemus. De talibus quippe Johannes clamat Apoſtolus: *Qui* [1. Joan. 4. 6.]
autem non eſt ex Deo, non audit nos. In hoc ergo cognoſcimus ſpiritum veritatis & ſpiritum erroris. Deus pacis & charitatis ita vos ſibi copulare . . . .
. . . . fulgere, ſic in præſenti valeatis vineâ laborare, ut in futurâ . . . .
. . . . audire . . . .
. . . .

GUNZONIS *Levitæ Novarienſis.*

VI. DOMNO ATTONI Pontificali reverentiâ colendo, GUNZO Novarienſis Eccleſiæ Levitarum extimus, debitæ venerationis ſervitium. De eo quod celſitudo veſtra parvitatem meam conſulere dignata eſt, ideo hactenus reſpondere diſtuli, ut diutina meditatio firmiora daret reſponſa. Et quamvis dignitati veſtræ omnimodo pateat, clariſſimum reſcriptum ab Apoſtolicâ ſede THEODORO Ticinenſi Epiſcopo in medium proferri placuit. ZACHARIAS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Fratri THEODORO Epiſcopo Eccleſiæ Ticinenſis. Pittacium, quod nobis tua veneranda Fraternitas obtulit, per quod nos ſciſcitari curaſti, ſi licet filium, cujus pater alterius filiam ex ſacro baptiſmate ſuſceptam, id eſt, ſpiritualem [a] ejuſdem patris filiam, quod dici crudele eſt, in matrimonio accipere, quod apud te enormiter aſſeruiſti [b] contigiſſe. Sed benè tua ſancta Fraternitas compertum habet, quòd Dominus per Moyſen præcepit, * dicens: *Turpitudinem patris tui non revelabis. Turpitudinem matris tuæ non revelabis. Turpitudinem ſororis tuæ, & turpitudinem filiæ patris tui non revelabis. Turpitudo enim tua eſt.* [Levit. 18. 7.] Turpitudinem enim revelare dicitur, dum à propria

a *Id eſt, ſpiritualem*] Sic legitur in vetuſto codice Bibliothecæ Regiæ, in quo epiſtolam Zachariæ integram Baluzius repetit: in priori editione legebatur *idem ſpiritualem.*

b *enormiter aſſeruiſti*] Sic idem codex emendatè: editio Acheriana *ermum aſſeruiſti*, corruptè. Ex eodem codice repoſui *præcepit*, ubi erat *præcipiat.*

conſanguinitate præcipimur abſtinere: multo magis à ſpiritali patris noſtri filiâ, omni occaſione aut argumento ſepoſito [c], ſub nimiâ diſtrictione nos cavere convenit: ne in iram divini examinis incidat, ſi quis tali facinori [a] mixtus, minimè reſtrinxerit fræna luxuriæ. Unde & omnes omninò cavere debent talis ſceleris commixtionem, ne in æternum pereant. Sed hos qui hujus pernicioſæ temeritatis, animæ ſuæ ſalutem deſpicientes, impiiſſimo ſe miſcuere matrimonio, per omnia tua Fraternitas ſtudeat ſeparare, & pœnitentiæ dignæ ſubmittere, quatenùs ab æternâ erutas damnatione animas eorum lucreris, præſtante Domino, & [d] Deu Salvatore noſtro Jasu-Christo.

Non igitur latet prudentiam tuam non ſolùm illos Eccleſiaſticâ cenſurâ feriendos qui nefarie ſe conjugio polluêre, ſed illos quoque qui hujus ſceleris auctores fuerunt . . . . tanto majori pœnitentiæ debet ſubmitti quanto . . . . probatur. De filiis autem horum iſdem venerabilis Pater eidem Theodoro Epiſcopo reſcribit, non teneri eos crimine parentum.

Ambrosii *Mediolanenſis Presbyteri*

Attoni *Vercellenſi Epiſcopo.*

VII. INvitiſſimo Curiæ cœleſtis athletæ, ac ſupernorum civium cœtibus aggregato, Attoni ter beatiſſimo Pontifici, humilis Christi famulus, veſterque fideliſſimus Ambrosius Preſbyter licet indignè ſanctus honore in ſanctâ Mediolanenſi Eccleſiâ, continuum debitæ ſervitutis obſequium cum felicitate perenni.

A veſtrâ ſanctitate nuper delegati apices, quibus veſtra ſanctitas noſtrique memoria in ſacris veſtris orationibus ſignabatur, ineffabili nos jocunditate undique munitos reddidêre; cum nos videlicet abjecti [a] & repudiati [a] ſanctorum pedum veſtris nec ſimus [a] æquandi calciamentis; quomodo ergo tam religioſi & tam potentis Domini ac Patris digni ſumus memorari orationibus? Sed vos illius credimus memores ſententiæ quæ dicit: *Deus non laborat in magnis, nec faſtidit in minimis.* Cæterùm nulli dubium eſt, quòd divinus Spiritus in pectore veſtro habitans, ad cuncta ſancta opera vos reddat promptiſſimos.

Conjugium denique illud, ſuper quo noſtram puſillitatem conſuluiſtis, à noſtris Doctoribus & Sacerdotibus ſcitote omninò prohiberi, quia ſpiritales fratres, quod vos quoque aſſeruiſtis, vocantur: ſæcularis quoque lex, veluti à quodam legiſlatore audivi, hoc interdicit. In decreto nihilominùs Zachariæ Papæ capitulo 3. continetur.: » Ut neque » Preſbyteram neque Diaconam, nec Commatrem » ſpiritalem quis in conjugium ducat. « Ubi datur intelligi, quòd neque ſpiritalis patris filiam cuilibet in matrimonium liceat ſortiri. Verùm ſi placet Dominationi veſtræ, veſtris reſcriptis pandite nobis quas debemus intelligere eas, quas prædictum capitulum Preſbyteram aut Diaconam appellat, quia nos omnimodo latet. Aſſiduis orationibus veſtris ſibi commendatos vos longo Christus tempore ſalvet.

Zachar Papa.

ATTONIS EPISCOPI

Ambrosio *Sacerdoti.*

VIII. ATTo gratiâ Dei humilis Epiſcopus, Domno Ambrosio reverendiſſimo & ſanctiſſimo Sacerdoti, devotas in Christo orationes cum vinculo charitatis. Veſtræ ſanctitati, quoniam pro noſtrâ imbecillitate Omnipotentem novimus exorare, immenſas coram Deo . . . . ſi virtutibus, hoc etiam pro vobis omnimodis agere non omittimus. Crebræ namque veſtri corporis, cum audivimus, infirmitates quaſi proprios terebrant artus. Sed Beatum Paulum vos intendere credimus, ubi ait: *Cum enim infirmor, tunc fortior ſum.* Deus Pater Domini noſtri Jesu-Christi ſic vos ſuſtentet & verberet, ut nec adverſa dejiciant, nec proſpera reddant elatum. Plures denique iterum grates referimus, quia de his omnibus quæ vobis mandavimus, abundè nos inſtruere curaſtis. Præterea miramur omninò, cur ingens fons inter tantos profluentes conſtitutus, vicinum alicujus vix deſudantis venæ perquirat liquorem. Nam & ſi inibi aliquis reperiatur humor, à potiore diſtillatus liquidò comprobatur. Igitur quod veſtra prudentia conſulere judicavit, quid in Canonibus Preſbyteram, quidve Diaconam intelligere debeamus: videtur nobis quoniam in primitivâ Eccleſiâ, quia ſecundùm Dominicam vocem, *Meſſis multa, operarii pauci* videbantur, ad adjumentum virorum etiam religioſæ mulieres in ſanctâ Eccleſiâ cultrices ordinabantur. Quod oſtendit Beatus Paulus in Epiſtolâ ad Romanos, cum ait: *Commendo vobis Phœbem ſororem meam, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt Cenchris.* Ubi intelligitur quia tunc non ſolùm viri, ſed etiam feminæ præerant Eccleſiis, magnæ ſcilicet utilitatis causâ. Nam mulieres diù Paganorum ritibus aſſuetæ, philoſophicis etiam dogmatibus inſtructæ, benè per has familiariùs convertebantur, & de religionis cultu liberiùs edocebantur. Quod Laodicenſe poſtmodum prohibet Concilium cap. xi. cum dicitur: Quòd non oportet eas quæ dicuntur Presbyteræ vel Præſidentes, in Eccleſiis ordinari. Diaconas vero talium credimus fuiſſe miniſtras. Nam Diaconum miniſtrum dicimus, à quo derivatam Diaconam perſpicimus. Denique legimus in Concilio Chalcedonenſi cap. 15. Diaconam non ordinandam ante annum quadrageſimum, & hanc cum ſummo libramine. Talibus etiam credimus baptizandi mulieres injunctum eſſe officium, ut abſque ullâ penitùs verecundiâ aliarum corpora ab his tractarentur. Nam in ſtatutis Orientalium ſcriptum eſt: Viduæ vel Sanctimoniales quæ ad miniſterium mulierum baptizandarum eliguntur, tam inſtructæ ſint ad officium ut poſſint apto & ſano ſermone docere imperitas & ruſticas mulieres tempore quo ſunt baptizandæ, qualiter ad interrogata reſpondeant, & qualiter accepto baptiſmate vivant: ſicut enim hæ quæ Presbyteræ dicebantur, prædicandi, jubendi vel edocendi, ita ſanè Diaconæ miniſtrandi vel baptizandi officium ſumſerant: quod nunc jam minimè expedit. Nam in tantâ parvitate ob parentum religionem infantulæ baptizantur, ut nulla eis

c *ſepoſito*] Hic etiam codicem Regium ſequor: prior editio *repoſito*, & mox *facinore*.

d *& Deo ſalvatore*] In codice Regio, *præſtante Domino. De filiis autem qui ex eis nati probantur, retuliſti ſi liceat eos conjugio copulari. Sed hi cur prohibeantur à conjugio, aut pro hujuſmodi pœnitentiam agere compellantur, dum ex hoc abſque condemnatione eſſe perhibentur, quia nec pater pro filio, neque filius pro patre ſuſtinebit tormenta, dicente Domino per Prophetam:* Anima patris eſt mea, & anima filii eſt mea; anima quæ peccaverit, ipſa morietur. *Sed & de his, frater Cariſſime, dixiſſe ſufficiet. Cave autem ne aliter agere ſubjectos concedas, ne à recto tramite inveniaris diſtare.* Hæc eſt altera Epiſtolæ pars, cujus Gunzo in fine hujuſce epiſtolæ meminit.

a *abjecti*] Prior editio *abjectis & repudiatis . . . . ſimus* perſpicuè male.

verecundia, nullus baptizantibus voluptatis poſſit ſtimulus impedire. Unde jam ſtatutum eſt, ut mulier baptizandi uſum aſſumere non præſumat.

Sunt etiam, qui eas priſcis temporibus Diaconas aſſeruère appellatas, quas nunc Abbatiſſas nominamus, quod nobis minimè congruere videtur. Abbas namque pater dicitur; unde ſecundùm normam aliorum nominum in genere feminino derivatum Abbatiſſa eâdem ſignificatione manente. Cujus vocabuli vis, timoris pariter & amoris, reverentiæ & affectionis explicat qualitatem. Diaconam verò nihil aliud quàm miniſtram intelligimus. Quapropter ſi hujus officii nomen nunc etiam quoquomodo perduraret, in his quæ per mulieres adhuc diſpenſari videntur, illas Diaconas putaremus, quæ ætate ſenili devictæ, religioſam vitam cum caſtitate ſervantes, oblationes Sacerdotibus offerendas fideliter præparant, ad Eccleſiarum limina excubant, pavimenta detergunt.

Poſſumus quoque Preſbyteras vel Diaconas illas exiſtimare, quæ Preſbyteris vel Diaconis ante ordinationem conjugio copulatæ ſunt: quas poſtea caſtè regere debent, ſicut in Canonibus promulgatum eſt, qui Apoſtolorum titulo annotantur, cap. VI. Can. Apoſt. cap. 6.
» Epiſcopus aut Presbyter aut Diaconus uxorem » propriam nequaquam ſub obtentu religiónis abjiciat: ſi verò rejecerit, excommunicetur. Sed ſi » perſeveraverit, dejiciatur. » Item ex Decretis Leo-
Leonis Papæ. » nis Papæ cap. XVII. » Lex continentiæ eadem eſt » altaris miniſtris, quæ Epiſcopis atque Presbyteris, qui cum eſſent laici ſive Lectores, licite & » uxores ducere & filios procreare potuère, ſed cum » ad prædictos pervenêre gradus, cœpit eis non licere quod licuit. » Unde ut de carnali . . . . nuptiarum, libentiùs tamen, cariſſime Doctor, ſecundùm ſuperiorem ſenſum quæ explicata ſunt accipimus, donec à vobis mereamur certiùs informari. Omnibus verò iſtis, ſicut mandaſtis, denegata ſunt conjugia, ut Eccleſiaſticus honor ſervetur in omnibus.

Prætereà ſinceram caritatem veſtram humiliter expoſcimus, de epiſtola quæ in Canonibus reperitur, quæ etiam canonica dicitur, cujus capitula XL. eſſe noſcuntur, quæ nobis utiliſſima eſſe videntur, quorum initium eſt: » Primum omnium fidem Catholicam omnes Presbyteri & Diaconi ſeu Subdiaconi memoriter teneant, ut ſi quis hoc faciendum prætermittat, XL. diebus à vino ſe abſtineat: » & ſi poſt abſtinentiam neglexerit commendandam, » duplicetur in eo ſententia: « ſive de ſtatutis antiquis Orientalium, quorum Capitula centum dinumerantur. Ex quibus primum apud nos in omni Epiſcoporum conſecratione perquiritur, cujus initium eſt: Qui Epiſcopus eſſe debet, neceſſe eſt ut antea examinetur &c. Ut de his omnibus nos certificare dignemini, quo tempore vel loco conſtituta, ſub quo Principe vel à quibus Patribus, quomodo habenda, vel ſi penitus recipienda, aut in aliquo refutanda dijudicentur. Omnipotens Dominus veſtram prudentiam nobis conſervare dignetur, ut ab eâ regulati, recto tramite incedere valeamus.

EJUSDEM.

IX. ATTO Dei gratiâ humilis Epiſcopus, cunctis Sacerdotibus eorumque miniſtris in noſtra Vercellenſi Diœceſi commorantibus æternæ felicitatis coronam. Incontinentiæ, dilectiſſimi, multæ ſunt ſpecies. Quoties enim aliquod facinus perpetramus, ad id per incontinentiam labimur. Specialis tamen incontinentia, luxuria eſt, quæ corpus ſimul corrumpit & animam. Nam cum multa ſint vitia, quæ licet unum offendant, fovent tamen ſed alterum, hæc eſt quâ corpus diſſolvitur, mens fatigatur, anima affligitur. Hæc eſt quæ David appetiit, Salomonem proſtravit. Hæc eſt quæ Martyribus palmam, Confeſſoribus inſuper diuturnæ macerationis coronam auferre conatur. Igitur cum cætera vitia per miniſtros quoque perfici poſſint, huic nullo modo niſi cum proprii corporis pollutione famulatur. Sunt etiam multa quæ incerta ſunt quo animo fiant: & licet cooperatores ſuos per propriam conſcientiam . . . . nec excuſandi poteſt aditum reperire . . . . continet locum. Unde omnibus Chriſtianis, præcipuè tamen Sacerdotibus, qui prædicandi ſerviunt officio, eorumque miniſtris ſummopere cavendum eſt. In quod lapſi ſi fuerint, ſit eis nihilominùs in ſupplicium, continentibus in lamentum, conjugatis in ſcandalum, ſtultis in exemplum, ſanctæ Dei Eccleſiæ in detrimentum. Nam ſecundùm beatum Gregorium, cujus vita deſpicitur, reſtat ut ejus prædicatio contemnatur. Noſtri denique officii nomina à talibus abſtinendum eſſe nobis inſinuant. Sacerdos namque quaſi ſacrum dans dicitur: miniſter autem à miniſterio. Quâ ergo nefandâ præſumptione ſacrum corporis vel ſanguinis Domini JESU-CHRISTI conficere vel dare cæteris audet, qui ſemetipſum in hujuſmodi ſpurcitiis permanere cognoſcit? Aut quomodo in talibus miniſtrare in Eccleſiâ præſumat, qui libidini jugiter domi deſervit? Itaque Sacerdotibus verbis ſimul & exemplis populum convenit regulare: & ideo cavendum eſt, ne forte cùm aliis prædicaverint, ipſi reprobi inveniantur: & audiant quod Dominus hypocriſim redarguens ait: *Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc perſpicies ut educas feſtucam de oculo fratris tui.* Luc. 6. 41. Licet ſint, quod pejus, qui nec trabem de ſuo ejiciunt, nec feſtucam fratris repellere præſumunt, ſed confuſi obmuteſcunt, dum ſeipſos reprobos cognoſcunt. Hi dum ſuis peccatis aliena nutriunt, meritò utrorumque portabunt. Ait enim Dominus: *Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris ut avertatur à via ſuâ impiâ, & vivat: ipſe in iniquitate ſuâ morietur, ſanguinem autem ejus de manu tuâ requiram.* Ezech. 3. 18. Prætereà quod dicere pudet, tacere autem periculum, quidam in tantum libidini mancipantur, ut obſcœnas meretriculas ſuâ ſimul in domo ſecum habitare, unà cibum ſumere ac publicè degere permittant. Quarum illecebris illecti, ſuæ domui, cunctæque familiæ ac ſupellectili eas præeſſe dijudicant, ſuumque poſt obitum ſcortum heredem conſtituunt, & quidquid de facultatibus Eccleſiæ, vel eleemoſynis, ſeu undecumque acquirere poſſunt, hujuſmodi manibus diſtrahendum relinquunt. Sicque fit, ut dum ſanctæ Dei Eccleſiæ matri & ſponſæ pellicem ſuperinducunt, Deo patri, & fideli viro animam . . . . inopiæ causâ continentiam fingunt, & poſtmodum . . . . aſciſcant. Qui dum penuriâ laborarent, ab eis deſpecti, ſanctæ Eccleſiæ gremio ſunt recepti. Inde quidquid poſtmodum ſubtrahere valent, ipſis non deſinunt erogare. Et unde meretrices ornantur, Eccleſiæ vaſtantur, pauperes tribulantur. Hac occaſione Publicani [a] Clericorum domos irrumpunt, non ipſos, ſed commanentes mulieres cum ipſis quos

a *Publicani*] Vocem hanc Acherius non immeritò monuit novo intellectu uſurpatam eſſe ab Attone, eaque intelligi debere aut Judices publicos, aut potius eorum miniſtros.

genuerant ſpurtis, quaſi ubi commiſſos extrahere ſimulantes. Id trepidant miſeri, & munera quæque promittunt, & qui adorari poterant, cunctos adorare coguntur. Et qui omnium viriliter vitia declamare debuerant, de ſuis apud judicem quærunt licentiam. Sic ſacræ ædes publicantur, & à vulgo deridentur, & nomen Domini blaſphematur, ſicut

Rom. 2. 24. ſcriptum eſt: *Vos eſtis per quos nomen Domini blaſphematur inter gentes.* Solent etiam tali pro ſcelere vicinorum vicinarumque odium incurrere. Quoties namque hujuſcemodi mulieres vel earum ſpurii cum aliquibus litigant, ipſi abjectâ omni ſacerdotali reverentiâ ſeſe opponunt; injurias & contumelias quas

b poſſunt, inferre, b & deteriora minantur. Inſuper ut talis ditetur familia, ipſi cupidi, rapaces, uſurarii, avari, & invidi, ac fraudulenti efficiuntur. Unde non modicum Chriſti Eccleſia patitur detrimentum. Nam populus hoc conſiderans, decimas & primitias ipſis exigentibus reddere Deo contemnunt, nullumque obſequium ſanctæ Dei Eccleſiæ perſolvere volunt, unde ipſi Sacerdotes aliquod conſequi poſſint emolumentum. Et inde populus ſacrilegus efficitur. Ipſi autem in tantam plerumque deveniunt paupertatem, ut vix ſufficere poſſint. Rurſùs inveniuntur, qui cum ab Epiſcopis ſuis tali pro crimine arguantur, paternam caritatem reſpuunt, & obedire contemnunt, ipſamque fidelitatem, quam jurejurando promiſerant, temerare non metuunt, ſed mundanâ adversùs eum aggrediuntur defendi potentiâ, ſe quoque ſuamque ſimul familiam ejus adverſariis committunt, & ſic demùm his. . . . .
. . . .
. . . . . contrà jus Canonum ſine aliquâ diſcretione præſumunt, & qui . . . . arma hoſtium efficiuntur, ſeque in exitium, populum in errorem deducunt. Et inde ſæpe maximum adversùs ſanctam Eccleſiam oritur ſcandalum: quia quos vult habere filios, cernit inimicos, & quos conſiliarios, duros adverſarios.

Iterum ſunt, qui de feminarum contubernio ſe excuſare quærunt, dum ſuam quaſi neceſſitatem exponunt. Aiunt enim, quia niſi ipſarum manibus ſuſtentaremur, jam fame, vel nuditate deficeremus. Quod falſum eſſe cognoſcimus, dum illarum naturas conſideramus. Perſequutionis igitur preſſuras Dominus in . nuans ait: *Væ autem prægnantibus*

Matt. 13. 17. *& nutrientibus in illis diebus.* Quod ideo dixiſſe intendimus, quia ipſæ impeditæ & graviores præ cæteris neceſſitatibus ſuis minùs poterant ſubvenire. Quomodo ergo alium poterit ſublevare, qui ſemetipſum non valet erigere? Certè talibus niſi ab aliis miniſtretur, ſuis laboribus nec ipſæ ſubſiſtunt. Sed facinus quod voluptate perpetratur, utilitate excuſari quæritur: utilitas tamen non eſt ſervanda, quam ratio non commendat. Verùm & ſi aliquis, ut aſſeritur, in hujuſmodi commercio inveniretur quæſtus, quia noſtro miniſterio contrarium videtur, omnimodis eſt aſpernandus. Qui enim aliquando Apoſtolorum, aut cæterorum Eccleſiæ Doctorum cum mulieribus ad prædicandum profecti ſunt? Nempe ab ipſarum connubio, quas ante vocationem legitimè duxère, poſtmodum ſe ſubtraxère. Quod etiam

Clement. Pap. beatus Clemens in Apoſtolicis Decretalibus præcipiens ait: » Miniſtri altaris ad Dominica tales eli» gantur officia, qui ante ordinationem conjuges » ſuas reliquerunt. « Item Concilii Carthag. cap. 25.

Conc. Carth. 1. c. 2. ſive 4. » Placuit quod & in diverſis Conciliis confirmatum » eſt, ut Subdiaconi, qui ſacra myſteria contractant, » Diaconi & Presbyteri; ſed & Epiſcopi ſecundùm » propria ſtatuta etiam ab uxoribus ſe contineant. « Sic Innocentius & Leo Romani Pontifices; ſic cæteri quoque proteſtantur auctores. Quanto magis etenim carnalibus concupiſcentiis & mundanis negotiis ſubtrahimur, tanto expeditiores divini operis cultores efficimur. Boëtio illuſtri viro teſtante, qui ait: Tu ſi in hanc mundi ſcenam nudus intraſſes
. . . .
perverſitates exponendo, & futuras miſerias liberè prædicando, ...
canonibus de canticulis David proclamando: *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium. Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.* Pſ.

Cuſtodite ergo vos, Fratres cariſſimi, à contubernio mulierum, *ne membra Chriſti membra faciatis meretricum:* 1. C unde difficile evadere poteſtis, niſi ab earum conſortio declinetis. Quem enim compti crines, venuſta facies, nictatio palpebrarum, cilio oculorum, affabilitas ſermonum, garrula modulatio, viſus facilis, blanda ſuaſio, præclara monilia, ſchemata veſtium, olfactio unguentorum, mollis inceſſus, ac totius corporis luxus non reſolveret ad flagitium? Quod intuens Beatus Paulus exclamat Apoſtolus: *Fugite fornicationem:* Ibi. nam cum cætera vitia reſiſtendo vitare poſſimus, huic pedibus ſuccurrendum eſt: & ne deficiamus, divinum auxilium imploremus.

Sanctarum Scripturarum paginas, dilectiſſimi, perſcrutate, & in his diligentiùs meditemini, unde hæc quæ à nobis dicta ſunt, non quaſi noſtra vileſcent: quia quæ à ſanctis Patribus accepimus, hæc Fratribus expoſuimus. Quorum exempla, quia cuncta non poſſumus explicare, pauca de multis quædam propoſuimus: quædam autem ſubſcribenda prævidimus. In primis Nicæna Synodus trecentorum decem & octo ſanctorum Patrum, in quâ divino Spiritu fides catholica roborata, Arianorum eſt perfidia deſtructa, quæ ab hominibus quemadmodum evangelica verba ſervatur, cap. tert. » Interdixit per omnia magna Synodus non Epiſcopo, « Nic. cil. non Presbytero, non Diacono, nec alicui omninò « qui in Clero eſt licere ſubintroductam habere mu- « lierem, niſi forte matrem, aut ſororem, aut ami- « tam, vel eas tantùm perſonas quæ ſuſpiciones effu- « giunt. « Item ex Decretis Clementis Papæ: « Nemo cum extranea habitet feminâ, niſi ſoror « aut proxima fuerit, & hoc cum magnâ ſollicitu- « dine fiat. Non enim ignoramus malitias ſatanæ. « « Item Siricii: » Feminas verò non alias eſſe pati- « Siric. Epiſ. mur in domibus Clericorum, niſi eas tantùm quas « propter ſolas neceſſitudinum cauſas habitare cum « eiſdem Synodus Nicæna permiſit. « Hoc multa Concilia, hoc multorum Doctorum non tacuêre ſententiæ . . . .
. . . . rubigo abſtergitur. Sic ſancta Eccleſia maniſeſtiſſimè . . . .
. . . . ſervare poſſitis, adjuvet Trinus & unus Deus, qui vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

. *EJUSDEM.*

X. ATTO gratiâ Dei humilis Epiſcopus, cunctis Sacerdotibus eorumque miniſtris in noſtrâ Vercellenſi diœceſi commorantibus æternæ felicitatis coronam. Quæ ſæpiùs uſurpantur, cariſſimi, ſæpiùs deteſtando reprimenda ſunt, donec exinanita & penitùs abolita deficiant: ſi autem poſt interdictum neglecta fuerint, & ſilentio contecta permanſerint, magis armari quàm abdicari videntur. Væ enim nobis erit, qui hujus miniſterii onus ſuſ-

b *inferre*] Lego *inferunt*.

cepimus, ſi veritatem prædicare negleæcrimus. Væ nobis erit, ſi ſilentio oppreſſerimus, quæ erogare nummulariis jubemur. Quid in futuro dicturi ſumus examine, ſi veritatem confundimur prædicare? negligere enim qui poteſt deturbare perverſos, nihil aliud eſt quàm fovere. Nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſtè facinori deſinit obviare.

De caſtitatis etenim bono, Fratres mei, jamdudum vobis aliqua verbis intimavimus; quædam verò ſcriptis ſuggerere non omiſimus. In quibus quædam incentiva deſcripſimus, ejuſque calamitates partim enumerare curavimus. A meretricibus vos cavere docuimus, & extranearum penitùs interdiximus contubernia feminarum; quæ etiam ſanctorum Patrum confirmavimus teſtimoniis, ne impunè tranſgredi putaſſetis; ſed quia aliquibus profeciſſe cognoſcimus, Deo Patri devotas primùm laudes perſolvimus: vobis etiam immenſas per eum grates referimus; exorantes, ut de virtute in virtutem conſcendere, & Deum Deorum in Sion mereamini proſpicere. Quapropter, cariſſimi, ſi aliqui adhuc tantæ nequitiæ cœno demerſi involvuntur, lacrymoſis gemitibus Dominum exorare non differant; manus elevare non omittant, ut de tantâ voragine citiùs

Matt. 7. 8.

liberari valeant; ſcriptum eſt enim: *Omnis qui petit accipit, & qui quærit invenit; & pulſanti aperietur.* Tantâ ergo Domini promiſſione, Fratres, nihil hæſitantes, caſtitatis tramitem incunctanter arripite. Dabit nempe perſeverantiæ profectum, qui continentiæ dedit mandatum. Si quis autem ſuperbiæ ſtimulis elatus, vel deſperationis tabe profligatus aſſurgere neglexerit, non hoc abſque ſui periculo gradùs omnino tranſibit, quod nullorum Doctorum . . . . malis actibus divino examini occurrant, quem infelicem propriæ nimiùm iniquitates gravant, ſed potiùs de veſtrâ bonâ converſatione nobiſcum gratulari, & ab innumerabilibus delictis merear excuſari, Jacobo dicente Apo-

Jac. 5. 20.

ſtolo: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvavit animam ejus à morte; & operiet multitudinem peccatorum.* Vobis verò fratres, quos oculus Domini miſericorditer jam reſpexit, & à talibus eruit, pro aliis jugiter Omnipotentem expedit exorare, ipſoſque ſalutaribus monitis ad meliora convenit exhortari, ut eos quoquo modo vobiſcum pariter valeatis ſublimare, dicente Domino: *Si frater fratrem adjuverit, ambo exaltabuntur.* Et Paulus

Galat. 6. 2.
Jac. 5. 16.

Apoſtolus: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Et Jacobus ait: *Orate pro invicem ut ſalvemini.* Per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, qui cum Patre ſanctoque Spiritu vivit & gloriatur Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

EJUSDEM.

XI. SAnctiſſimis & dilectiſſimis confratribus Ill. venerabilibus Epiſcopis, ATTO gratiâ Dei humilis Epiſcopus, fideles in Chriſto orationes cum devoto famulatu. Novit caritas veſtra, quia noſtri Principes & Domini, glorioſiſſimi ſcilicet Reges, dum hoſtilem ſe dicunt ſuſpicari impetum, noſtra, ſcilicet Epiſcoporum contrà hæc quærunt ſuffragia, nec noſtris contenti pollicitationibus, nec de fidelitate juramento firmatâ confiſi, obſides inſuper à nobis pro eo accipere ut nuper audiſtis omnino laborant. Quid veſtræ ſanctitati ſuper hoc viſum fuerit, nobis exponere veſtris ſacris apicibus, quia ſimul nunc aptè loqui non poſſumus, non dedignemini. Si præfati obſides à nobis dandi ſunt, vel ſi denominati ſe pro nobis obligari noverint, quid agendum ſit: aut ſi conſenſerint, quo pacto, aut cum quâ ſecuritate hoc fieri oporteat. Si ſcriptis hæc conventio annotari conveniat, vel ſi verbis tantummodo credatur communibus, ſi terminus ſit imponendus, vel in quantum, aut ſi ſubreptum in aliquo Principibus de nobis fuerit, quod violaverimus propoſitam ſponſionem, pro quâ præfati obſides dari jubentur, qualiter convinci vel defendi debeat, aut quæ lex vigorem in talibus obtineat . . . . diverſæ partes diſſenſerint manifeſtiſſimè propalari . . . . Plurimum etenim & nunc & in futuro valebit, ſi tam grandis ſeu inaudita cauſa in ipſo exordio ſaluberrimis fuerit pertractata conſiliis, ejuſque definitio paginis commendata, nullam ulteriùs ambiguitatem admittat. Me quoque tam deſidem & imperitum, confiteor hactenùs non reperiſſe ab eccleſiaſticis Doctoribus tale quid auctoritate firmatum, vel exemplo propoſitum. Sed ſi quis ſtudioſiſſimus hoc invenire potuerit perſcrutator, ego quod à ſanctis Patribus ſtatutum eſt, inviolabiliter aſſero obſervandum. Fidelitatem quoque noſtrorum Dominorum & Regum pleniter in omnibus judico obſervandam. Nullo modo enim ante oculos divinæ majeſtatis puri inveniri poſſumus, ſi eis infideles ullatenùs exiſtimus. Ait enim Dominus in Evangelio: *Si hominem*

S. Joan. in Epiſt. 1. c. 4. 17.

quem vides non diligis, Deum quem non vides quomodo potes diligere? Et ideo pro illorum fidelitate Regnique ſtatu & pace nobis ſatagere convenit, quemadmodum ſanctiſſimos Præſules, noſtros liquidem prædeceſſores, pro religioſorum Principum novimus laboraſſe ſalute. Alioquin nil ultrà novum adjicere cenſeo, niſi maximâ utilitate vel neceſſitate cogente, ſummi Pontificis ſententiâ, vel prudentium fuerit Epiſcoporum deliberatum conſilio. Novimus enim quia, ut ait Dominus per Prophe-

Ezech. 18. 2.

tam: *Quid eſt hoc, quod vertitis in proverbium dicentes: Patres comederunt uvas acerbas: & dentes filiorum obſtupeſcunt. Vivo ego, dicit Dominus, quia non erit ultra hoc proverbium in Iſrael: ut anima patris, ita & anima filii mea eſt. Anima quæ pecca-*

Ibid. v. 20.

verit, ipſa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris; & pater non portabit iniquitatem filii. Quis ergo religioſus contrà dominicam ſententiam dicere audeat, quod aliquis fidelis pro patris damnetur iniquitate, aut pro filii, cum audiat ipſum Dominum dicentem: *Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater filii?* Quamvis enim filii à parentibus noxam primi hominis trahant, ſacri fontis baptiſmate expiandam, tamen quidquid poſtea peccati parentes admittunt, ubi filii participes non ſunt, ad eos non pertinere quis ambigit? Sed & ſi fieri etiam poteſt, ut patres comedant uvas acerbas, & dentes filiorum obſtupeſcant, tamen non inter nos, non in Iſrael. Ait enim Dominus . . . . qui hanc poſtponit ſententiam, & filium patris, vel pro alicujus parentis culpâ damnaverit, reus erit, & non in Iſraëlitico populo computabitur.

Et fortaſſe dicit aliquis: Quidquid in hujuſmodi hominem fecero, ad eum pertinet, qui eum mihi tradidit. Certè reverâ quia ad eum pertinet, ſed nec tu ideo excuſaberis. Non enim ſuo peccato tuum evacuare poteris, ſed ſi ille malè dedit, & tu malè accepiſti, ambos tenebit iniquitas. Ille Chriſtianum tuo ſupponit gladio, tibi Chriſtiano non ideo eum ferire licebit. Quid ut percuteretur peccavit? Quid malè fecit? Nempe ſi charitatis cauſa ſe objecit, ut alterum liberaret, honorandus eſt, non perimendus. Ait enim Beatus Petrus Apoſtolus: *Ante omnia*

1. Pet. 4. 8.

mutuam in voſmetipſos charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum.

Joan. 15. 17. Et Dominus in Evangelio: *Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Moyſes autem ſemetipſum pro populo Iſraël Exod. 32. 32. opponens, ait ad Dominum: *Aut dimitte illis, Domine, hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Ibid. 33. Cui ait Dominus: *Qui peccaverit in me, delebo eum de libro meo.* Ac ſi diceret: Tu benè poſtulas, quia piè poſtulas: ego autem non ita faciam, ſed rectum judicium judicabo. Si verò pro alterius gratiâ aliquis ſe taliter oppoſuerit, ut alter exinde lucrum acquirat, vel gloriam, hoc minimè laudo. In iſto jam ſi venerit, reverà triplicabitur homicidium, nec alieni erunt à crimine tam ipſe qui homicidium perpetraverit, quàm ille qui hominem ſub tali conventione tradidit, ſeu & ipſe, qui hoc de ſe fieri permiſit, ſi ad intelligibilem jam pervenit ætatem. Nam de parvulis quid aliud dicendum eſt, niſi quod innocentes pereunt, & inſontes exiſtunt? Audi quid de ipſo Domino actum ſit. Vinctum illum Judæi Pilato obtulerunt, ut cru- Joan. 19. 7. cifigeretur, dicentes: *Crucifige eum. Nos legem ha-* Matt. 27. 25. *bemus, & ſecundum legem debet mori.* Et iterum: *Sanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros.* Sed Ibid v. 24. quamvis ipſe dixerit: *Mundus ſum à ſanguine hujus*; & quamvis manus laverit, tamen quia homicidium improbè perpetravit, nullatenùs poterit à crimine excuſari. Nam Dominici effuſio ſanguinis & illos maculavit, & hunc in perpetuum damnavit. Sed & hoc de omnibus innocentibus . . . . vel etiam pro commodo, ut pro tali adulatione ditari valeant . . . . ea quidem promittunt, quæ ſuæ non ſunt poteſtatis, & pro tali pollicitatione obſides ponunt, quam illis vix adimplere permittitur. Quis enim de ſe præſumere audeat, vel quis de ſe poterit eſſe ſecurus? Quis promptior de alicujus unquam poterit eſſe fidelitate beato Petro, Matt 26. 35 qui ait ad Dominum: *Et ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo?* Et tamen Domino prædicente, antequàm gallus cantaret, ter eum negavit. Chriſtus enim ut Deus cognovit Petri fragilitatem: Petrus autem conſiderat ſuæ fidei ardorem. Quod autem Dominus dicit prævidendo, iſte denegat amando. Ubi moraliter inſtruimur, ut quantum confidimus de ardore fidei, tantum timeamus de carnis fragilitate, quia ſi noſtrum ſit velle, Dei autem eſt perficere. Neque nos ſecundùm beatum Augu- S. Auguſt. in Joann. tract 66. ſtinum cum iſta dicimus, primum Apoſtolorum accuſare delectat, ſed hunc intuendo admoneri nos oportet, ne homo quiſquam de humanis viribus confidat. Nam quid aliud pertinuit ad Doctorem Salvatoremque noſtrum, niſi ut nobis nequaquam de ſe quemquam debere præſumere in ipſo primo Apoſtolorum demonſtraret exemplo? In animâ itaque contigit Petri, quod ille timebat in corpore. Ille enim mortem corporis offerebat, ſed mortem animæ incurrit: quia ſicut vivere eſt confiteri Chriſtum, ſic & mori eſt negare eum. Quid Joan. 11. 16. etiam & beatus Thomas dixerit novimus: *Eamus & nos & moriamur cum eo, ſimiliter autem & cæ-* Matt. 27. 59. *teri omnes dixerunt*: Et tamen *omnes relicto eo fugerunt.*

Et certum eſt Apoſtolos eo jam tempore pluſ eos diligere Dominum, quàm vos omnes propinquos. Et ideo qui pro illius tunc non ſunt retenti amore, pro nullis utique ſtarent obſidibus. Multos quoque audivimus & vidimus poſt datos obſides irritam feciſſe ſponſionem. Quoſdam verò etiam abſque datis obſidibus uſque ad mortem fidem ſervaſſe. Verumtamen ſi talis expetenda eſt obligatio, à ſtolidis & perverſis Deumque non curantibus tantummodo exigenda eſt. Vir autem prudens & Catholicus, quæ pro Dei omnipotentis timore ſuæque animæ periculo non cuſtodit, pro nullis poterit ſervare obſidibus. Cavendum eſt ergo hoc omnibus Chriſtianis, ſed Pontificibus nullo modo æſtimo præſumendum. Sicut enim Apoſtatæ dicuntur, qui poſt baptiſmum Chriſti ſuſceptum . . . . cenſuram, ad militarem ſe conferunt actionem. Quomodo enim pro ſe alios objicere periculo poterunt, qui ſe pro illis opponere debent? Legimus namque de beato Paulino Epiſcopo, quia cum ſe pro uno tantùm viduæ filio captivitati, imò & ſervituti tradidiſſet, multos in hoc liberaſſe captivos. Quo etiam in facto tam à beato Gregorio, quàm & à multis aliis ſanctiſſimis laudatus eſt Patribus.

Unum tamen ſcio procul dubio, quòd ubique dicetur, quia illud fidei vinculum, quod olim inter Principes noſtroſque valuit prædeceſſores, minimè apud nos ſervari creditur, aut Principes deteriores, aut nos nequiores eſſe probamur. Quia aut illi ſuâ ſævitiâ adeo exoſi videntur, ut ad popularem jam non poſſint redire amorem, aut nos adeo perfidi ſuſpicamur, ut nullum in nobis fidei robur conſiſtat, aut utrumque. Quæque tamen pars hoc meruiſſe convincitur, oporteret ei magis ſubſiſtere, quàm ad tale diù protrahi dedecus, quod abſit.

Quapropter, dilectiſſimi, oremus Dominum omnipotentem, ut noſtros glorioſiſſimos Reges ubique conſervet, noſque illis commiſſos dignetur tueri, in omnibus nobis adverſitatibus propitiari. Illis de noſtra fidelitate donet fiduciam, & nobis in eorum obſequio perſeverandi præſtet conſtantiam. Tribuat illos nobis tranquillos, noſque eis faciat eſſe devotos. Et ſi fragilitatis causâ, aut ipſi in nobis, aut nos contrà illos aliquid iniquum commiſimus, ſic ejus clementiâ deleatur, ut nulla jam in poſterum ultio exinde præparetur. Dimittamus debita, ut dimittantur, non vindicemus omnia, ne omnia vindicentur. Non vindicentur maxima pro minimis, ſed ſervetur modeſtia & in magnis. Nullus quod alteri debetur, præſumat concupiſcere, quia hinc ſolent jurgia ſemper creſcere. Sufficiat unicuique quod ſuum eſt, nec invadere aliquem delectet quod non eſt. Qui enim injuſtè gaudet acquirere, ſolet etiam quod juſtè tenet amittere. Nam licèt judicium poterit voces inficere, divinum non valebit judicium effugere. Det nobis Dominus ab externis pacem, & inter nos ſuam conferat charitatem. Sit unum cor omnium, ut diligamus Deum & proximum. Dignè ſemper laudemus Dominum, & benedicamus nomen ejus in ſæculum. Amen.

SERMO ſive Sententiæ LANFRANCI *Archiepiſcopi.*

Ann. I

OCto ſunt quæ ſi diligenter à Religioſis obſerventur; per horum obſervantiam non eſſe ſegnes ſui Ordinis cuſtodes, ab iis qui ſanum ſapiunt facilè judicabuntur. Primum eſt, ut clauſtrum ſuum teneant, neque de illo ullo modo ſine licentia exeant, neque etiam tunc, niſi rationabilem cauſam habeant. Secundum eſt, ut ſilentium ſuum diſtrictè teneant, nec illud pro ullâ omninò re, niſi rationabilis occaſio, & inevitabilis eveniat, facilè rumpant. Tertium eſt, ut nullam proprietatem habeant, nec etiam per licentiam plus habere quàm neceſſitas poſtulat, expetant. Quartum eſt, ut Prælatis ſuis in omnibus obediant, niſi forte (quòd abſit) iis aliquid contrà voluntatem Dei præcipiant;

Ex Ms. Iceniensi

tunc enim nullo modo eis in hac re obediendum eſt; quia, ſicut beatus Gregorius ait, malum propter obedientiam nunquam fieri debet: bonum verò aliquando intermitti poteſt. Quintum eſt, ut pro nullâ causâ, etiamſi eis juſta videatur, murmurare, vel detractionem facere audeant, ne omne bonum, ſi quod facere videntur, per hanc nequitiam perdant. Sextum eſt, ut invicem ſecundùm Deum ſe diligant, & omne bonum quod ſinguli ſibi ab aliis impendi deſiderant, ipſi aliis hilariter & cum gaudio impendant. Septimum eſt, ut conſtitutum ſervitium ſecundùm morem Eccleſiæ ſuæ, ſi poſſint reddere, non negligant; & in hoc agendo intenti, & non vagi, aſſiſtant, ne vagando oculos divinæ Majeſtatis, ante cujus conſpectum videntur aſſiſtere, offendant. Octavum eſt, ut puram confeſſionem de omnibus peccatis ſuis faciant: quam tamen confeſſionem non paſſim omnibus prout cuilibuerit, niſi tantummodò ſuis Prælatis, vel quibus iidem Prælati poteſtatem tribuunt, faciant. Regnum Dei & juſtitiam ejus quærere, eſt cœleſtis patriæ bona deſiderare; & quibus juſtitiæ meritis ad hoc perveniri debeat indeſinenter inquirere. Docere & non convitiari ignorantes debemus, ſicut cæcus non convitiamur, ſed manu ducimus. Quanto graviori tumultu cogitationum carnalium premimur, tanto orationi ardentiùs inſiſtere debemus. Deo noſtro jucunda ſit laudatio, ſi quod ore canimus, opere non impugnamus. Cum Pſalmum dicis, cujus verba loqueris agnoſce, & in compunctione magis animi, quam in tremulæ vocis dulcedine delectare; lacrymas enim pſallentis Deus magis quàm garritum comprobat. Non vacet mens tua in variis perturbationibus; quòd ſi pectori tuo inſederint, dominabuntur tui, & deducent te ad delictum maximum.

Dixit . . . . . . , verum Chriſti templum eſt anima credentis. Etiam in minimis cautè age; non enim minimum in vitâ homini negligere minima. Otioſæ menti maligni ſpiritus pravas cogitationes inſerunt, ut ſi quieſcat ab opere, non quieſcat à malorum operum delectatione. Omnia quæ blandimento, quæ occultâ voluptate animum trahunt, rejice. Ede citrà ſaturitatem, bibe citrà ebrietatem; nec præſentibus deliciis inhærebis, nec abſentes deſiderabis. Victus tibi ex facili ſit, nec ad voluptatem, ſed ad cibum accede: deſideria tua parvo redime, quia hoc tantùm curare debes ut deſinant. Gravior appetitus ex indignatione nimiâ naſcitur, quem acceptæ plerumque accendit injuriæ dolor. Nulli eſt aliquatenùs ambigendum unumquemque Fidelium Corporis & Sanguinis Dominici tunc eſſe participem, cum in baptiſmate membrum efficitur Corporis Chriſti; nec alienari ab illius Panis Caliciſque conſortio, etſi antequàm Panem illum comedat, Calicemque bibat, de hoc ſæculo migraverit, in unitate Corporis Chriſti conſtitutus; Sacramenti quoque illius participatione ac beneficio non privatur, cum in ſe hoc quod illud Sacramentum ſignificat, invenitur habere.

M O N I T U M

B. *ANSELMO Cantuarienſi Archiepiſcopo Tractatum aſceticum attribui potiùs conjectura quàm certâ fide; nimirum in codicem MS. Cœnobii S. Ebrulfi varia ejuſdem S. Doctoris Opuſcula complectentem cum incidiſſem, inſertus his ipſis Tractatus ille aſceticus occurrit. Quod verò Opuſculum iſtud Anſelmi eſſe dubius ego aſſeram, cogit Edmerus in ejus vita, cogit item Beccenſis Chronologus, qui accuratè ac minutatim Anſelmi ſcripta recenſentes, Tractatus hujus aſcetici meminere haudquaquam. Deinde Anſelmi ſtilum non ſpirat, nec genium. Sit verò Anſelmi, necne, parum refert, quandoquidem eruditione ac pietate ſit conditus, atque ad aſceticæ vitæ inſtitutionem aptiſſimus. Nec tamen diſſimulandum eſſe puto, Tractatum illum maximâ parte è Collationibus Patrum apud Caſſianum fuiſſe ab ipſomet Anſelmo, ſeu alio quolibet Scriptore mutuatum, collectumve: quamquam non inficior in Anſelmo me nonnulla legiſſe quæ in hoc Tractatu reperiuntur, præcipuè cap. 2 molarum ſimilitudinem eidem Patri familiariſſimam.*

SANCTI ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
TRACTATUS ASCETICUS.

CAPUT PRIMUM.

De Monachi deſtinatione vel fine.

Anno ciↄc. 1100.

OMNES artes ac diſciplinæ *Scopon* quemdam, id eſt, deſtinationem; & *Telos*, id eſt, finem proprium, habent. Ad quem reſpiciens uniuſcujuſque artis induſtrius appetitor, cunctos labores & pericula atque diſpendia æquanimiter libenterque ſuſtentat. Nam & agricola nunc torridos ſolis radios, nunc pruinas & glaciem non declinans, indomitas agri glebas frequenti ſubigit vomere, dum ſcopon ſervat, ut eam cunctis ſentibus expurgatam exercendo comminuat: finem, id eſt, perceptionem copioſarum frugum inde adepturum ſe eſſe confidens. Referta etiam horrea frugibus libenter exhaurit, ſulciſque commendat, præſentem diminutionem futurarum meſſium contemplatione non ſentiens. Negotiatores non incertos pelagi caſus, non

ulla diſcrimina perhorreſcunt : milites peregrinationum exilia ac bellorum pericula non ſentiunt, dum illi ad finem quæſtûs, & iſti ad propoſitum ſibi honorem, ſpe percepti provocantur. Ita ergo & noſtri

Rom. 6, 22.

propoſiti finis quidem ſecundùm Apoſtolum *Vita æterna eſt*; ita eodem pronuntiante : *Habemus quidem fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.* Scopos verò eſt puritas cordis, quam ſanctificationem non immeritò nuncupavit, ſine quâ prædictus finis non poterit apprehendi. Ac ſi dixiſſet aliis verbis : Habentes quidem ſcopon veſtrum in puritate cordis, finem verò, id eſt telos, vitam æternam. Quidquid ergo nos ad hunc ſcopon, id eſt, puritatem cordis, poteſt dirigere, totâ virtute ſectandum eſt. Pro hac enim univerſa agimus atque toleramus; pro hac parentes, patria, dignitates, divitiæ, & voluptas univerſa contemnuntur, ut ſcilicet puritas cordis perpetua retentetur. Hac igitur nobis deſtinatione propoſitâ, ſemper actus noſtri & cogitationes ad eam obtinendam, velut ad certam lineam rectiſſimè dirigantur. Quæ ſi præ oculis noſtris jugiter ſtatuta non fuerit, non ſolùm cunctos labores noſtros varios pariter atque inſtabiles reddens, incaſſum eos ac ſine fructu compellet effundi : ſed etiam cogitationes omnes diverſas ſibique contrarias ſuſcitabit. Neceſſe eſt enim mentem quò recurrat cuive principaliter inhæreat non habentem, per ſingulas horas atque momenta pro incurſuum varietate mutari, atque ex his quæ extrinſecùs accidunt, in illum ſtatum continuò transformari, qui ſibi primus occurrerit. Hinc namque eſt, quòd nonnullos mundi hujus maximas facultates contemnentes, poſt hæc videmus pro graphio vel acu commoveri, priſtinum ſcilicet affectum in rebus minimis retentantes. Qui ſi contemptionem mundi corde fixam tenerent, nunquam utique pro parvis rebus admitterent, quod ne pro magnis incurrerent opibus, eaſdem penitùs abjicere maluerunt.

Quod Religioſorum ſtudium.

Hic ergo nobis principalis debet eſſe conatus, ut divinis rebus ac Deo mens ſemper inhæreat, fornicationem judicans vel momentaneum à Chriſti contemplatione diſceſſum. Totum namque in animæ conſiſtit receſſu; unde expulſo diabolo, ac nequaquam in eâ jam regnantibus vitiis, conſequenter regnum Dei fundatur in nobis, dicente Evangeliſta :

Luc. 17, 21.

Regnum Dei intra vos eſt. Intrà nos verò nihil aliud poteſt eſſe, quàm ſcientia aut ignoratio veritatis, & vel vitiorum amicitia vel virtutum, per quam aut diabolo aut Chriſto præparamus regnum in corde. Cujus etiam regni qualitatem deſcribit Apoſtolus,

Rom. 14, 17.
Joan. 16, 20.
Ibidem.
Regnum Dei, & Diaboli qui differunt.

ita dicens : *Non eſt enim regnum Dei eſca & potus; ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto.* De aliquo namque dicitur : *Mundus iſte gaudebit.* Et *Væ vobis qui ridetis, quia plorabitis!* Itaque ſi regnum Dei intrà nos eſt : & ipſum regnum Dei juſtitia, & pax, & gaudium eſt; ergo qui in iſtis commoratur, ſine dubio in regno Dei eſt. Et è contra, qui in injuſtitiâ, diſcordiâ, & triſtitiâ mortem operante verſantur, in regno Diaboli, & in inferno, ac morte ſunt conſtituti : in quo qui fuerit, nec laudare Deum poteſt ſecundùm Prophetæ ſententiam dicentis :

Pſal. 113, 17.

Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum, ſine dubio peccati. *Sed nos*, inquit, *qui vivimus*, non vitiis

Ibid. 66.

ſcilicet, nec mundo huic, ſed Deo, *benedicimus Dominum ex hoc nunc & uſque in ſæculum. Non enim eſt in morte qui memor ſit Dei. In inferno autem quis confitebitur* Domino? id eſt nemo. Nullus enim tametſi millies ſemetipſum vel Chriſtianum eſſe profiteatur vel Monachum, cum peccat, confitetur Deo; nec ſervum ſe veraciter illius profitetur, cujus præcepta contumaci temeritate contemnit. Regnum ſanè cœlorum tripliciter accipiendum eſt : aut quòd regnaturi ſint cœli, id eſt ſancti, in aliis ſubditis, ſecundùm illud : *Eſto tu ſuper quinque civitates, & tu ſuper decem* : illudque quod dicitur ad Diſcipulos : *Sedebitis ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael* : aut quòd ipſi cœli incipiant à Chriſto regnari, cum ſcilicet omnibus ei ſubjectis, cœperit eſſe omnia in omnibus Deus : vel certè quòd ſancti in cœlis ſint cum Domino regnaturi.

Luc. 19, 1[illegible]
Matt. 19

Quamobrem in hoc corpore conſtitutus jam noverit unuſquiſque illi ſe regioni vel miniſterio deputandum, cujus in hac vitâ participem ſemetipſum cultoremque præbuerit; illiuſque ſe etiam in illo perenni ſæculo conſortem futurum eſſe non ambigat, cui nunc miniſtrum ſe ſociumque maluerit exſiſtere, ſecundùm ſententiam Domini dicentis : *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur; & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit.*

Joan. 12.

CAPUT II.

De cogitatione.

MEntem quidem non interpellari cogitationibus, impoſſibile eſt; ſuſcipere verò eas ſive reſpuere, omni ſtudenti per gratiam Dei poſſibile eſt. Quod exercitium cordis non incongruè molarum ſimilitudini comparatur, quas meatus aquarum præceps impetu rotante provolvit. Quæ nullatenùs quidem ceſſare poſſunt ab opere ſuo, aquarum impulſibus circumactæ. In ejus verò qui præeſt ſitum eſt poteſtate, utrumnam triticum malit an hordeum, loliumve comminui. Illud quippe eſt commolendum, quod ingeſtum ab illo fuerit, cui operis illius cura commiſſa eſt. Ita igitur etiam mens per vitæ præſentis incurſus undique ingruentibus tentationum torrentibus circumacta, vacua quidem cogitationum æſtibus eſſe non poterit; quales verò vel admittere vel parare ſibi debeat, ſtudii ſui providebit induſtriâ. Si enim ad ſanctarum ſcripturarum meditationem jugiter recurramus, ac memoriam noſtram ad recordationem ſpiritualium rerum, & deſiderium perfectionis, ſpemque futuræ beatitudinis erigamus : neceſſe eſt, ut ortæ cogitationes exinde ſpirituales in his quæ meditati ſumus mentem faciant immorari. Sin verò deſidia ſeu negligentia ſuperati, vitiis & otioſis confabulationibus occupemur, ſeu curis mundanis & ſuperfluis ſollicitudinibus implicemur : conſequenter exinde velut quædam zizaniorum ſpecies generata operationem quoque noſtro cordi noxiam miniſtrabit, & ſecundùm ſententiam Domini Salvatoris *Ubi fuerit theſaurus* operum & intentionis noſtræ, *ibi & cor noſtrum* neceſſariò permanebit.

Sacris Scripturis imbuendus eſt animus.

Matt. 6, [illegible]

Illud ſanè præ omnibus noſſe debemus, tria cogitationum noſtrarum eſſe principia, id eſt, ex Deo, ex diabolo, & ex nobis. Ex Deo quidem ſunt, cum Spiritûs ſancti illuſtratio nos viſitare dignatur, erigens nos ad ſublimiorem profectum, & in quibus vel minùs acquiſivimus vel deſidioſè agentes ſuperati ſumus, ſaluberrimâ compunctione caſtigat : vel cum reſerat nobis cœleſtia ſacramenta, & propoſitum noſtrum ad meliores actus voluntatemque convertit; ut ibi, cum Rex Aſſuerus caſtigatus à Domino libros Annales inſtigatur inquirere, quibus Mardochæi beneficia recordatur : ſummi eum gradu honoris exaltat, ac protinùs crudeliſſimam ſuper nece Judææ gentis ſententiam revocat. Ex diabolo verò cogitationum naſcitur ſeries, cum ſubvertere nos tam vitiorum oblectatione, quàm etiam occultis conatur inſidiis, ſubtiliſſimâ calliditate mala pro

Tria cogitationum principia.

Digitized by Google

bonis fraudulenter oſtentans, & transfigurans ſe in Angelum lucis. Vel cum Evangeliſta refert: (*Joan. 13. 2.*) *Et cœnâ facta, cum diabolus jam miſiſſet in corde Simonis Iſcariothis ut traderet Dominum.* Et iterum: (*Ibidem.*) *Poſt buccellam*, inquit, *tunc introivit in illum Satanas.* Petrus quoque ad Ananiam. (*Act. 5. 3.*) *Quare*, ait, *Satanas tentavit cor tuum mentiri te Spiritui ſancto?* Et Salomon: (*Eccleſ. 10. 4.*) *Si Spiritus poteſtatem habens aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimittas.* Ex nobis autem oriuntur, cum eorum quæ gerimus vel geſſimus, vel audivimus, naturaliter recordamur: de quibus beatus David: (*Pſal. 76. 6.*) *Cogitavi*, inquit, *dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Et meditatus ſum nocte corde meo, & exercitabar & ventilabam ſpiritum meum.* Et iterum: (*Ibid. 93. 11.*) *Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt.* Et, (*Prov. 12. 15.*) *Cogitationes juſtorum judicia.* Hanc ergo tripertitam rationem oportet nos jugiter obſervare, & univerſas cogitationes quæ emergunt in corde noſtro ſagaci diſcretione diſcutere, origines earum vel cauſas auctoreſque primitùs indagantes, ut quales nos eis præbere debeamus, ex illorum merito qui eas ſuggerunt, conſiderare poſſimus; ne qua forte intellectualis ibidem beſtia, vel leo, vel draco pertranſiens, pernicioſa veſtigia latenter impreſſerit, quibos acceſſus etiam cæteris in abdita pectoris noſtri per cogitationum negligentiam præbeatur. Et ita per ſingulas horas atque momenta terram cordis noſtri Evangelico aratro, hoc eſt, jugi Dominicæ crucis recordatione ſulcantes, vel noxiarum ex nobis ferarum cubilia, vel virulentorum ſerpentium exterminare latibula poterimus. Hujus ergo perfectæ mentis figura, per illum Evangelicum Centurionem pulcherrimè deſignatur. Cujus virtus atque conſtantia, quâ non quibuſlibet ingruentibus cogitationibus abducebatur, ſed pro ſuo judicio vel admittebat bonos, vel contrarias abſque ullâ difficultate pellebat, hac tropicâ ſignificatione deſcripta eſt: (*Matt. 8. 9.*) *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate habens ſub me milites, & dico huic vade; & vadit; & alio veni, & venit; & ſervo meo, fac hoc, & facit.* (*Luc. 7. 8.*) Si igitur nos quoque viriliter adversùs perturbationes & vitia dimicantes, potuerimus ea ditioni noſtræ diſcretionique ſubjicere; vel inſtabilem cogitationum noſtrarum cohortem rationis imperio ſubjugare, ad ſpiritualis hujus Centurionis ordinem provehemur, quem in Exodo quoque per Moyſen legimus deſignatum: (*Exod. 18. 21.*) *Conſtitue tibi Chiliarchas, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos.* Et ita nos quoque hujus dignitatis apice ſublimati, habebimus hanc imperandi poteſtatem, ut malis quidem ſuggeſtionibus præcipiamus, Abite, & abibunt: bonis verò, Venite, & venient. Servo quoque noſtro, id eſt corpori, ea quæ caſtitatis vel continentiæ ſunt, ſimiliter injungemus, & ſine ullâ contradictione deſerviet, non jam ſuſcitans nobis adverſos concupiſcentiæ ſtimulos, ſed omnem exhibens ſpiritui famulatum.

Hujus Centurionis qualia arma ſint, vel ad quæ præliorum exercitia præparentur, audi Apoſtolum prædicantem: (*2. Cor. 10. 4*) *Arma*, inquit, *potentia noſtra non ſunt carnalia, ſed potentia Deo.* Quibus nos quoque ſi volumus bella Domini præliari, & inter Centuriones Evangelicos militare, accincti jugiter debemus incedere: (*Epheſ. 6. 16.*) *Sumite*, inquit, *ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea exſtinguere.* Ergo fides eſt quæ excipiens ardentiſſima libidinum tela, metu futuri judicii & cœleſtis regni credulitate mortificat: (*Ibid. v. 14.*) *Et loricam*, inquit, *charitatis.* Ipſa nempe eſt quæ vitalia pectoris noſtri circumdans atque communiens, ad interiorem hominem noſtrum jacula diaboli penetrare non permittit. Omnia enim ſuffert, omnia patitur, omnia ſuſtinet. (*Ibid. v. 17.*) *Et Galeā ſpem ſalutis.* Galea capitis eſt munimen. Quia ergo caput noſtrum Chriſtus eſt, debemus iſtud ſemper ſpe bonorum futurorum velut inexpugnabili galeâ in cunctis tentationibus ac perſequutionibus communire, & principaliter fidem ejus illæſam atque integram cuſtodire. Aliis enim membris truncatum quempiam licet debilem, poſſibile tamen eſt utcumque ſupereſſe: ſine capite verò nemini vel brevis vitæ ſpatium prærogatur. *Et gladium Spiritûs, quod eſt verbum Dei.* (*Ibid.*) *Penetrabilior* namque eſt *omni gladio ancipiti, & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritûs, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis*; (*Hebr. 4. 12.*) dividens ſcilicet & abſcindens quidquid in nobis carnale terrenumque repererit. Quibus armis quiſque fuerit communitus, ab hoſtium ſemper telis ac populatione defenſus, non ut captivus ac ſubditus ad hoſtilem cogitationum terram, deprædantium conſtrictus vinculis abducetur, nec audiet per Prophetam: *Quare inveteratus es in terrâ alienâ?* (*Baruch 3. 11.*) Sed tamquam triumphator in illâ quâ voluerit, cogitationum regione conſiſtet. Vis autem ipſum robur ac fortitudinem Centurionis hujus, quibus hæc arma quæ prædiximus non carnalia ſed potentia Deo geſtet, agnoſcere? Audi ipſum Regem viros fortes ad ſpiritualem militiam congregantem, quo eos delectos ſignet ac probet: *Infirmus*, inquit, *dicat quia fortior ſum ego*: (*Joel. 3. 10.*) & qui patiens eſt, ſit pugnator. Videtis ergo bella Domini præliari non poſſe niſi patientes infirmoſque, illâ proculdubio infirmitate, quâ fundatus ille noſter Evangelicus Centurio cum fiduciâ loquebatur: *Cum enim infirmer, tunc fortior ſum.* (*2. Cor. 12. 10*) Et iterum: *Virtus in infirmitate perficitur.* (*Ibid. v. 9.*) De quâ infirmitate unus Prophetarum: *Et erit*, inquit, *qui infirmatur inter eos, ſicut domus David.* Patiens etiam hæc bella prælabitur, nempe illâ patientiâ, de quâ dicitur: *Patientia vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes recipiatis remunerationem.* (*Hebr. 10. 36.*)

(Virtus confeſſionis.) De malignâ cogitatione illud noſſe debemus, quia illicò ut per confeſſionem patefacta fuerit, marceſcit; & antequam diſcretionis judicium proferatur, ſerpens teterrimus velut tenebroſo ac ſubterraneo ſpecu virtute confeſſionis protractus ad lucem, & traductus quodammodo ac dehoneſtatus, abſcedit. Tamdiù namque ſuggeſtiones ejus noxiæ dominātur in nobis, quamdiu celantur in corde. Quem ſenſum in Eccleſiaſte quoque legimus figuratum: *Si momorderis*, inquit, *ſerpens non in ſibilo, non eſt abundantia incantatori*; (*Eccleſ. 10. 11.*) taciti ſerpentis morſum pernicioſum eſſe deſignans. Id eſt, ſi per confeſſionem ſuggeſtio ſeu cogitatio diabolica incantatori cuiquam, ſpirituali ſcilicet viro qui carminibus ſcripturarum mederi protinùs vulneri, & extrahere de corde conſuevit noxia venena ſerpentis, patefacta non fuerit, ſuccurrere periclitanti periturove non poterit. Nam bonarum rerum non tantùm ſuggeſtor, ſed etiam fautor atque impulſor eſt Deus, ita ut nonnunquam nos etiam invitos & ignorantes attrahat ad ſalutem. Conſtat ergo neminem poſſe à diabolo decipi, niſi eum qui præbere ei maluerit ſuæ voluntatis aſſenſum.

CAPUT III.

De concupiſcentiâ carnis ac ſpiritus.

SPiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſùs carnem. Hæc autem invicem adverſantur ſibi; ut non quæcumque vultis, illa faciatis. (*Galat. 5. 16.*) Tres res hoc loco ab Apoſtolo nominari videntur: concupiſcentia carnis adversùs ſpiritum,

& ſpiritus adverſùs carnem. Quorum adverſùs ſe invicem pugna hanc videtur habere cauſam atque rationem, ut ea quæ volumus, inquit, facere nequeamus. Quarta igitur ſupereſt cauſa, ut illud ſcilicet quod nolumus, faciamus. Nunc ergo de ſingulis videamus. Carnem hoc loco non hominem, id eſt hominis ſubſtantiam, ſed ejus deſideria peſſima debemus accipere, ſicut ne ſpiritum quidem aliquam rem ſubſtantialem, ſed animæ deſideria bona

Cōflictus carnis & animæ.

& ſpiritualia deſignari. Quæ cum utraque, id eſt, deſideria carnis & ſpiritûs, in uno eodemque ſint homine, inteſtinum quotidie intrà nos geritur bellum: dum concupiſcentia carnis, quæ præcipitanter fertur ad vitia, his quæ ad præſentem requiem pertinent deliciis gaudet, luxuriis delectatur: quibus è contra concupiſcentia ſpiritûs adverſata ita deſiderat tota ſpiritualibus ſtudiis inhærere, ut etiam neceſſarios carnis uſus optet excludere. Illa ſatiari ſomno, repleri cibo; univerſiſque exuberare copiis concupiſcit: hic vigiliis & jejuniis ſaginatur, ac paupertate gloriatur. Lavacris illa nitreſcere, & quotidianis adulantium cuneis appetit conſtipari: hic ſqualore ſordium congaudet, cunctorumque mortalium præſentiam perhorreſcit. Honoribus illa & laudibus hominum confovetur: hic irrogatis ſibi injuriis ac perſequutionibus gloriatur.

Carnis concupiſcentia.

Inter has igitur utraſque concupiſcentias animæ voluntas in meditullio quodam vituperabiliore conſiſtens, nec vitiorum flagitiis oblectatur, nec virtutum doloribus acquieſcit; ſic quærens à paſſionibus temperari carnalibus, ut nequaquam velit dolores neceſſarios ſuſtinere, ſine quibus deſideria ſpiritûs nequeunt poſſideri. Abſque caſtigatione carnis caſtimoniam corporis, ſine vigiliarum labore cordis deſiderans acquirere puritatem, abſque ullius exaſperatione convitii patientiæ gratiam poſſidere, humilitatem Chriſti ſine honoris mundani exercere jacturâ, religionis ſimplicitatem cum ſæculari ambitione ſectari, Chriſto cum hominum laude ac favore ſervire, diſtrictionem veritatis ſine cujuſpiam vel tenui offenſione proferre, poſtremò ſic vult conſequi futura bona, ut præſentia non amittat. Quæ voluntas nunquam nos ad perfectionem veram faceret pervenire; ſed in tepore quodam teterrimo collocaret, taleſque faceret quales ſunt illi qui in Apo-

Apoc. 3. 15.

calypſi increpatione Domini caſtigantur: *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus: utinam frigidus eſſes, aut calidus: nunc autem tepidus es, & incipiam te evomere ex ore meo*; niſi hunc tepidiſſimum ſtatum altrinſecùs hæc inſurgentia bella dirumperent. Nam cum famulantes huic voluntati noſtræ ad hanc remiſſionem voluerimus noſmetipſos paulatim relaxare, confeſtim aculei carnis inſurgunt, ſuiſque nos vitiis & paſſionibus ſauciantes, nequaquam in illâ quâ delectamur puritatis qualitate ſtare permittunt, atque ad illam quam horremus frigidam voluptatum plenamque ſentibus pertrahunt viam.

Rursùs ſi ſpiritûs fervore ſuccenſi opera carnis volentes extinguere ſine ullo reſpectu fragilitatis humanæ, totos noſmetipſos tentaverimus ad immoderata virtutum ſtudia cordis elatione conferre: interpellans imbecillitas carnis, ab illâ repreſenſibili nimietate ſpiritûs revocat ac retardat. Et ita fit, ut

Anima temperat carnis concupiſcentiam.

utraque concupiſcentia tali collucatione alternâ ſibimet repugnante, animæ voluntas, quæ nec totam ſe carnalibus deſideriis dedere, nec virtutum vult laboribus deſudare, quodam juſto moderamine temperetur: dum hæc inter utraque contentio illam perniciosiorem excludens animæ voluntatem, ut quamdam æquitatis libram in staterâ noſtri corporis collocat, quæ ſpiritûs carniſque confinia juſto diſcernit examine: nec à dexteris mentem ſpiritûs ardore ſuccenſam, nec à lævâ carnem vitiorum aculeis præponderare permittens. Dumque hæc pugna quotidianis diebus utiliter exagitatur in nobis, ad illud quartum quod nolumus ſalubriter venire compellimur, ut puritatem cordis non ocio nec ſecuritate, ſed jugi ſudore & contritione ſpiritûs acquiramus, caſtitatemque carnis diſtrictis jejuniis, fame, ſiti ac vigilantiâ retentemus. Eſſemus itaque penitùs ſine remedio tepidi, utpote non habentes indicem negligentiæ noſtræ vel in corpore noſtro, vel in conſcientiis propriis indeſinentem: nec ſtuderemus ad perfectionis unquam pervenire fervorem, ſed ne frugalitatis quidem diſtrictionem teneremus, niſi ſaltem nos titillatio carnis fluxuſque mereſcens humiliaret atque retunderet, & adverſùs ſpiritualium quoque vitiorum purgationem ſollicitos redderet & intentos. Qui ſtatus, id eſt tepidus, à carnali qualitate deſcendens efficitur animalis, qui eſt deterior gradus. Ipſe eſt enim qui de frigido ad tepidum tranſiens, deteſtabilior voce Domini ſignatur.

Tres namque ſunt animarum ſtatus: primus carnalis; ſecundus animalis; tertius ſpiritualis. Quos in Apoſtolo ita legimus deſignari. Nam de carnali ita dicitur: *Lac vobis potum dedi, non eſcam. Necdum enim poteratis ſed nec adhuc quidem poteſtis. Adhuc enim carnales eſtis.* Et iterum: *Ubi enim eſt inter vos zelus & contentio, nonne carnales eſtis?* De animali quoque taliter commemoratur: *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritûs Dei: ſtultitia enim eſt illi.* De ſpirituali verò: *Spiritualis autem examinat omnia: ipſe autem à nemine dijudicatur.* Et iterum: *Vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite eos qui ejuſmodi ſunt, in ſpiritu lenitatis.* Itaque feſtinandum eſt nobis, ut cum renuntiantes deſierimus eſſe carnales, id eſt, à ſæcularium cœperimus converſatione ſejungi, & ab illa manifeſta carnis pollutione ceſſare, ſpiritualem ſtatum protinùs apprehendere nitamur, nequaquam exiſtimantes quam ſuprà diximus exterioris hominis converſionem ad perfectionem nobis ſufficere, ſi ergà emundationem cæterarum paſſionum lentiores reddamur. Ne forte inventi in illo tepido ſtatu, qui teterrimus judicatur, evomendos nos ex ore Domini ſecundùm ejus ſententiam noverimus, ita dicentis: *Utinam calidus eſſes, aut frigidus: nunc autem quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Nec immeritò eos Dominus, quos jam in viſceribus receperat charitatis, noxiè tepefactos cum quâdam convulſione pectoris ſui evomendos eſſe pronuntiat, qui cum ſalutarem quodammodo eidem potuiſſent præbere ſubſtantiam, avelli ab illius viſceribus maluerunt: tanto deteriores effecti illis qui nunquam ori Dominico illati ſunt cibis, quanto id, quod nauſeâ compellente projicimus, odibilius deteſtamur. Quidquid enim frigidum eſt, etiam ore noſtro ſuſceptum vertitur in calorem, & ſalutiferâ ſuavitate percipitur; quod autem vitio ſemel pernicioſi teporis objectum eſt, non dicam labiis admovere, ſed etiam eminùs intueri ſine ingenti horrore non poſſumus. Rectiſſimè ergo pronuntiatur eſſe deterior: quia facilius ad ſalutarem converſionem ac perfectionis faſtigium carnalis quis, id eſt, ſæcularis, vel gentilis accedit, quàm is qui profeſſus Monachum, nec tamen viam perfectionis arripiens ſecundùm regulam diſciplinæ, ab illo ſemel ſpiritualis fervoris igne diſceſſit. Ille namque corporalibus ſaltem vitiis humiliatus, & horreſcens illum in quo eſt infidelitatis gelidiſſimum ſtatum, ſpiritûs ardore ſuccenſus ad perfectionem faciliùs convolabit. Hic autem dicit in corde ſuo: *Quia dives ſum & nullius egeo.* Cui illud quoque quod ſubſequitur conſequenter aptabi-

Tres ſunt [margin, cut off]

1. C [margin, cut off]

Ibid [margin, cut off]

1. C [margin, cut off]

Ibid [margin, cut off]

Gal [margin, cut off]

Apo [margin, cut off]

Ibi. [margin, cut off]

Apoc. 3. 17. tur : *Tu autem es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* In eo factus etiam ſæculari deterior, quòd nec miſerum ſe nec cœcum aut nudum, aut emundatione dignum, vel egere monitis alicujus aut inſtitutione cognoſcit : non intelligens ipſo Monachi nomine prægravari, ac deprimi opinione multorum ; quia dum creditur ab omnibus ſanctus, & velut Dei famulus colitur, neceſſe eſt ut in futuro, vehementiori judicio pœnæque ſubdatur.

CAPUT IV.

De Caſtitate.

Caſtitatis gradus.

SEx ſunt caſtimoniæ gradus. Primus gradus eſt, ne vigilans impugnatione carnali Monachus elidatur. Secundus, ne mens illius voluptariis cogitationibus immoretur. Tertius, ne fœmineo vel tenuiter ad concupiſcentiam moveatur aſpectu. Quartus, ne vigilans vel ſimplicem carnis perferat motum. Quintus, ne cum memoriam generationis humanæ vel tractatûs ratio vel neceſſitas lectionis ingeſſerit, ſubtiliſſimus mentem voluptariæ actionis præſtringat aſſenſus ; ſed velut opus quoddam ſimplex ac miniſterium humano generi neceſſariò contributum, tranquillo ac puro cordis contempletur intuitu, nihilque ampliùs de ejus recordatione concipiat, quàm ſi operationem laterum, vel cujuſlibet alterius officinæ mente pertractet. Sextus caſtimoniæ gradus eſt, ne illecebroſis phantaſmatibus fœminarum vel dormiens illudatur. Licet enim hanc ludificationem peccato eſſe obnoxiam non credamus, concupiſcentiæ tamen adhuc medullitùs latitantis indicium eſt ; donec paulatim ſecundùm menſuram caſtitatis ad quam unuſquiſque contendit, in odium illius rei quam voluptariam antea ſentiebat, mens etiam ſomno ſopita vertatur, illudque ei, quod fortibus viris pro ſummo laborum ſtipendio repromittitur per Prophetam, concedatur à Domino :

Oſee 2. 18. *Arcum, gladium, & bellum conteram de terra veſtrâ, & dormire vos faciam fiducialiter.* Et ita demùm ad illum perveniet ſtatum : ut talis inveniatur in nocte, qualis in die ; talis in lecto, qualis in oratione ; talis ſolus, qualis turbis hominum circumſeptus. Poſtremò ut nunquam in eo tale aliquid inevitabilis ille oculus deprehendat, quod ab humanis aſpectibus velit eſſe celatum. Hoc autem fiet quando jam deſinens caro adversùs ſpiritum concupiſcere, deſideriis ejus virtutique conſenſerit, cœperitque ſibi invicem pace firmiſſimâ fœderari, & ſecundum

Pſal. 132. 2. Pſalmographi ſententiam : *Habitaverint fratres in unum*, illam repromiſſam à Domino beatitudinem

Matt. 18. 19. poſſidentes, de quâ ait : *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis eſt.* Quiſquis ergo intellectualis illius Jacob, id eſt ſupplantatoris, tranſcenderit gradum, ab illâ continentiæ colluctatione ac ſupplantatione vitiorum obſtupefacto femoris nervo, ad Iſraëlis meritum perpetuâ cordis directione conſcendet. Quem ordinem etiam beatus David ita Spiritûs ſancti vaticinatione diſtinxit, imprimis in-

Pſal. 75. 1. quiens : *Notus in Judæâ Deus*, id eſt, in animâ, quæ adhuc ſub peccatorum confeſſione retinetur ; Judæa enim confeſſio interpretatur. *In Iſrael* autem, id eſt, in eo qui videns Deum, ſive, ut quidam interpretatur, rectiſſimus Dei eſt, non ſolùm notus, ſed & *magnum* eſt *nomen ejus*. Deindè ad ſublimiora nos

ibid. provocans, & volens etiam locum ipſum, quo Dominus delectatur, oſtendere : *Et factus eſt*, inquit, *in pace locus ejus*. Id eſt, non in conflictu certaminis & colluctatione vitiorum ; ſed in caſtimoniæ pace, & cordis tranquillitate perpetuâ. Hunc igitur pacis locum extinctione carnalium paſſionum ſi quis meruerit obtinere, ex hoc quoque proficiens gradu, ac *Sion* ſpiritualis, id eſt ſpecula Dei conſequenter effectus, erit etiam *habitatio* ejus. Non enim in conflictu continentiæ, ſed jugi virtutum ſpeculâ Dominus commoratur : ubi jam non retundit, non comprimit, ſed in perpetuum confregit potentias arcuum ; ex quibus videlicet adversùm nos libidinum quondam jacula dirigebantur ignita. Videtis ergo quia ſicut non eſt in colluctatione continentiæ, ſed in caſtitatis pace locus Domini ; ita etiam habitatio ejus in ſpeculâ ſit & contemplatione virtutum. Unde non immeritò portæ Sion cunctis tabernaculis Jacob præferuntur : *Diligit enim Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob.* ibid. 86. 2.

Mortificatio corporis caſtitatem conſervat.

Ut igitur cum lege animi lex quoque congruat corporalis, etiam in ipſius aquæ potu ita eſt nimietas caſtiganda, ut humoris quotidiani illa collectio pigriùs arefactis influens membris, illum corporis motum non ſolùm rariſſimum, verùm etiam lentum reddat, ac tepidum, frigidumque, ut ita dixerim, ignem, & abſque ullius adultionis ardore rorantem ſuſcitet flammam, inſtar admirabilis illius Moſaicæ viſionis, ut carnis noſtræ rubus innoxio igne circumdatus non uratur : vel ſicut illorum trium juvenum, quibus ita rorante ſpiritu fornacis Chaldaicæ flamma diſcuſſa eſt, ut ne capillos eorum aut fimbrias odor ignis attigeret ; ut illud quodammodo, quod ſanctis repromittitur per Prophetam, incipiamus jam in hoc corpore poſſidere : *Cum ambulaveris per ignem non combureris, & flamma non ardebit in te.* Pſal. 43. 2.
De hac caſtimoniæ puritate quid beatus Apoſtolus ſenſerit, diligentiùs inquiramus. *Mortificate*, inquit, *membra veſtra quæ ſunt ſuper terram.* Non utique membra corporis noſtri : ſed corpus peccati, quod conſtat ex membris, quantociùs deſtrui zelo perfectæ deſiderans ſanctuatis. De quo corpore alibi : *Ut deſtruatur*, inquit, *corpus peccati.* Et quæ ſit Rom. 6. 6.
ejus deſtructio conſequenter exponit : *Et jam*, inquit, *non ſerviamus peccato.* A quo etiam liberari ibid.
cum ejulatu poſtulat, dicens : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ?* Hoc itaque Ibid. 7. 24.
peccati corpus multis vitiorum membris probatur extructum, & ad ejus attinere portionem, quidquid vel facto, vel dicto, vel cogitatione peccatur : cujus membra ſuper terram rectiſſimè eſſe dicuntur. Non enim poſſunt ii qui eorum utuntur miniſterio veridicè profiteri, *Noſtra autem converſatio in cœlis eſt.* Hujus igitur corporis in hoc loco Philip. 3. 20.
Apoſtolus membra deſcribens : *Mortificate*, inquit *membra veſtra quæ ſunt ſuper terram : fornicationem,* Coloſ. 3. 5.
immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus. Primo itaque loco *fornicationem* credidit inferendam, quæ carnali commixtione perficitur. Secundum etiam membrum *immunditiam* nuncupavit, quæ nonnunquam abſque mulieris tactu vel dormientibus vel vigilantibus per incuriam incircumſpectæ mentis obrepit. Et ideo notatur ac prohibetur in lege, quæ immundos quoſque non ſolùm ſacrarum carnium participatione privavit, verùm etiam ne contactu ſuo ſancta polluerent, à caſtrorum juſſit congregatione ſecerni, dicens : *Anima quæcumque comederit de carnibus ſacrificii ſalutaris quod eſt Domini, in qua eſt immunditia, peribit coram Domino. Et quidquid tetigerit immundus, immundum erit.* In Deuteronomio quoque : *Si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus eſt ſomnio, egredietur extrà caſtra ; & non revertetur priuſquàm ad veſperam lavetur aquâ ; & poſt ſolis occaſum regredietur in caſtra.* Deinde tertium peccati membrum *libidinem* poſuit, quæ in

Quæ caſtitatem labefactant.

Lev. 7. 20.
ibid. 22. 5.
Deut. 23.

receſſibus animæ coaleſcens, accidere cuſpiam etiam ſine paſſione corporis poteſt. Libidinem enim ab eo quod libeat dictam eſſe, non dubium eſt. Poſt hæc de majoribus peccatis ad minora deſcendens, quartum intulit membrum *concupiſcentiam malam*, quæ non ſolùm ad prædictam impudicitiæ paſſionem, verùm etiam ad omnes noxias cupiditates generaliter referri poteſt, quæ corruptæ tantummodo voluntatis eſt ægritudo, de quâ Dominus in Evangelio: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.*

Matt. 5. 28.

Multo enim majus eſt etiam tunc mentis lubricæ deſiderium continere, cùm ei illecebroſi aſpectûs offertur occaſio. Quibus manifeſtiſſimè comprobatur, ad perfectionem puritatis caſtimoniam continentiæ corporalis ſolam non poſſe ſufficere, niſi ei etiam mentis addatur integritas.

Non ſola corporalis, ſed potiſſimè mentis continentia requiritur.

Poſt quæ omnia noviſſimum illius corporis membrum, *& avaritiam* inquit, proculdubio oſtendens non ſolùm ab appetitu rerum alienarum animum continendum, verùm etiam propria magnanimiter contemnenda: hoc enim & in Actibus Apoſtolorum feciſſe legitur credentium multitudo, de quâ dicitur:

Act. 4. 32.

Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una, &c. uſque *dividebantur autem ſingulis prout cuique opus erat.* Et ne ad paucos pertinere videretur iſta perfectio, avaritiam ſimulacrorum ſervitutem eſſe teſtatus eſt. Nec immeritò. Quiſquis enim non communicat neceſſitatibus egenorum, & pecuniæ ſuæ quam infideli tenacitate conſervat, Chriſti præcepta poſtponit, idololatriæ crimen incurrit, amorem ſcilicet materiæ mundialis divinæ præferens charitati.

Qui egenos non ſublevat, idololatriæ reus eſt.

In tantum autem Beatus Apoſtolus fornicationem ſive immunditiam de noſtris membris extirpari poſſe confidit, ut non ſolùm mortificare ea, ſed ne nominari quidem in nobis debere pronuntiet: *Fornicatio*, inquiens, *& omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas quæ ad rem non pertinet.*

Ephes. 5. 3. 4.

Quæ etiam pari modo perniciosa eſſe, & æquali nos à regno Dei excluſione depellere edocet, dicens: *Illud autem ſcitote quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hereditatem in regno Chriſti & Dei.*

Ibid. v. 5.

Et iterum: *Nolite errare; neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.*

1. Cor. 6. 9.

Certos autem eſſe nos convenit, quòd licet omnem continentiæ diſtrictionem, famem ſcilicet ac ſitim, vigilias quoque & operis jugitatem, atque inceſſabilis ſubeamus ſtudium lectionis: perpetuam tamen caſtimoniæ puritatem horum laborum merito contingere nequeamus, niſi in his jugiter deſudantes, experientiæ magiſterio doceamur incorruptionem ejus divinæ gratiæ largitate concedi.

Largitate gratiæ caſtitas conceditur.

Sciendum quoque quia quantum quis in lenitate ac patientiâ cordis, tantum in corporis puritate proficiet. Unde Dominus: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.*

Matt. 5. 4.

Non ergo aliter noſtram poſſidebimus terram, id eſt, non aliàs ditioni noſtræ rebellis hujus corporis terra ſubdetur, niſi mens noſtra priùs fuerit patientiæ lenitate fundata. *Manſueti* enim *poſſidebunt terram.*

Pſal. 36. 11.

Et non ſolum poſſidebunt eam; ſed etiam *delectabuntur in multitudine pacis*; quâ nemo in cujus carne adhuc bella concupiſcentiæ ſuſcitantur, ſtabiliter perfruetur. Neceſſe eſt enim infeſtari eum diriſſimis dæmonum præliis, & ignitis luxuriæ jaculis ſauciatum à terræ ſuæ poſſeſſione devolvi; donec Dominus *auferat bella uſque ad fines terræ ejus, arcum conterat, & confringat arma, & ſcuta comburat igni*: illa ſcilicet quem

Ibid. 45. 9.

Dominus venit mittere ſuper terram. Et ita cum eum Dominus conterens bella ab omnium incentivorum æſtibus liberaverit, ad illum puritatis perveniet ſtatum, ut depoſitâ confuſione, quâ ſemetipſum, id eſt, carnem ſuam, dum impugnaretur, horrebat, incipiet eâ velut puriſſimo tabernaculo delectari: non enim accedent ad eum mala, & flagellum non appropinquabit tabernaculo ejus. Hanc igitur pacem donec bemam atque perpetuam obtinere mereamur, multis neceſſe eſt nos impugnationibus attentari, frequenterque nobis eſt verſiculus iſte cum gemitu lacrymiſque repetendus: *Miſer factus ſum uſquequaque, totâ die contriſtatus ingrediebar: quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne meâ.*

Pſal.

Hoc autem tamdiu, quoad uſque per Dei gratiam confirmatus in illâ quam appetit puritate, efficaciter dicere mereatur: *Exſpectans exſpectavi Dominum, & intendit mihi.*

Ibid.

CAPUT V.

De ſpirituali ſcientia.

IMpoſſibile eſt animam, quæ mundanis vel tenuiter diſtentionibus occupatur, vel quæ propoſito acquirendæ laudis humanæ ſtudio lectionis inſiſtit, donum veræ ſcientiæ promereri, vel generatricem ſpiritualium ſenſuum, aut tenacem ſacrarum fieri lectionum.

Quam … conc…

Aliud namque eſt facilitatem oris, & nitorem habere ſermonis, & aliud venas ac medullas cœleſtium intrare dictorum; ac profunda & abſcondita ſacramenta puriſſimo cordis oculo contemplari. Quod nullatenùs humana doctrina, nec eruditio ſæcularis, ſed ſola puritas mentis per illuminationem ſancti Spiritûs obtinebit: *Beati*, ait Dominus, *mundo corde; quoniam ipſi Deum videbunt.*

Ma…

Feſtinandum igitur tibi eſt, quiſquis ad veram ſcripturarum vis ſcientiam pervenire, ut humilitatem cordis immobilem primitùs conſequaris, quæ te non ad illam quæ inflat, ſed ad eam quæ illuminat, ſcientiam charitatis conſummatione perducat. Deinde hoc tibi eſt omnimodo enitendum, ut expulsâ omni ſollicitudine & cogitatione terrenâ, aſſiduum te, ac potiùs jugem ſacræ præbeas lectioni, donec continuâ meditatione imbuat mentem tuam, & quaſi in ſimilitudinem ſui formet, arcam quodammodo ex eâ faciens teſtamenti, habentem ſcilicet in ſe duas tabulas lapideas, id eſt, duplicis inſtrumenti perpetuam firmitatem. Urnam quoque auream, hoc eſt memoriam puram atque ſinceram, quæ reconditum in ſe manna perpetua tenacitate cuſtodiet, ſpiritualium ſcilicet ſenſuum, & Angelici illius panis perennem cœleſtemque dulcedinem. Nec non etiam virgam Aaron, id eſt ſummi verique Pontificis noſtri JESU-CHRISTI ſalutare vexillum immortalis memoriæ ſemper viriditate frondeſcens. Hæc namque eſt virga quæ poſtea quàm de Jeſſe radice ſucciſa eſt, vivaciùs mortificata revireſcit. Hæc autem omnia duobus Cherubim, id eſt hiſtoricæ & ſpiritualis ſcientiæ plenitudine protegentur. Cherubim enim interpretatur ſcientiæ multitudo, quæ propitiatorium Dei, id eſt placiditatem pectoris tui jugiter protegent, & à cunctis ſpiritualium nequitiarum incurſibus obumbrabunt. Et ita mens tua non ſolùm in arcam divini Teſtamenti, verùm etiam in regnum ſacerdotale provecta, per indiſſolubilem puritatis affectum quodammodo abſorpta ſpiritualibus diſciplinis, illud implebit pontificale mandatum quod à legiſlatore ita præcipitur: *Et de ſanctis non egredietur, ne polluat ſanctuarium Dei*; id eſt cor ſuum, in quo jugiter habitaturum ſe Dominus

Levit.

repromittit,

2. Cor. 6, 16. repromittit, dicens: *Inhabitabo in iis, & inter illos ambulabo.* Impoſſibile quippe eſt immundam animam ſcientiam ſpiritualem adipiſci. Nemo enim in vas fœtidum atque corruptum unguentum aliquod nobile, aut mel optimum, aut pretioſi quidquam liquoris infundit. Faciliùs enim quamvis odoratiſſimam myrrham ſemel horrendis imbuta fœtoribus teſta contaminat, quàm aliquid ex eâ ſuavitatis gratiæ ipſa concipiat. Quia multo citiùs munda corrumpuntur, quàm corrupta mundantur. Ita igitur & vas pectoris noſtri, niſi priùs fuerit ab omni ſordiſſimâ vitiorum contagione purgatum, non merebitur ſuſcipere illud benedictionis unguentum, de quo

Pſal. 132. 2. dicitur per Prophetam: *Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron; quod deſcendit in oram veſtimenti ejus*; nec illam ſcientiam ſpiritualem, & eloquia ſcripturarum, quæ dulciora ſunt ſuper mel & favum, impolluta ſervabit. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci cum tenebris? quæ autem conventio Chriſto ad Belial? In corde bono requieſcit ſapientia.

Anno 1111. Ex codice Abbatiæ Corbeienſis.

ISAACI
ABBATIS STELLÆ
DE CANONE MISSÆ
EPISTOLA.

Domino & Patri in Chriſto ſemper Venerabili, & dignè amando, JOANNI *Dei gratiâ Pictavorum Epiſcopo, Iſaac Salutem, Obſequium, & Obedientiam.*

ECce quòd diù multùmque poſtulando impetrare non potuit veſtra humilitas, imperando [a] citò extorſit authoritas; cogit enim nos & ex occaſione cullationis, quam utique pœnitet nos ſic leviter effudiſſe, ſtilo alligare; quomodo in ſacrum Canonem, dum ſacro-ſancta celebramus, intendimus: rem quidem difficilem & fortaſſe inexplicabilem. Nihil humano corde fugacius, vel curioſius: unde & id tam moroſè in uno tenere, nimis arduum, & in unum uniformiter ſæpe intendere, nimis devotum: identitas enim mater eſt ſatietatis, ſed hoc ex vitio curioſitatis. Unde conſulens infirmitati noſtræ divina gratia, antiqua capitula tota ſenſuum novitate ſæpe perfundit; qui cum ſubitò effulſerint, ſuper omnem humanum modum miramur ubi nunc uſque latitarint; unde tam inopinatè & abſque ſtudio emerſerint: ex ipſâ verò admiratione dilatatum

Iſai. 60. 5. eſt cor, ſicut ſcriptum eſt: *Mirabitur & dilatabitur cor tuum.* Et ob ipſam dilatationem adimpletur devotione, dilectione, delectatione, juxtà Pſalmi-

Pſal 80, 11. ſtam: *Dilata os tuum, & implebo illud.*

Nonnunquam verò clariùs luce viſâ, & ſuper mel & favum dulciùs guſtatâ, dum per eamdem tranſi-

Ibid. 30. 20. mus, abſcondit, juxtà illud: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* Ipſa verò abſcontio timorem gignit horribilem, horror dolorem, dolor gemitus, ſuſpiria, & intrà nos animi conqueſtus inenarrabiles; ita ut nihil minùs lugeamus amiſiſſe vetera, quàm gaudeamus inveniſſe nova. Sicque utràque viciſſitudine, ac ſi in utràque molà confracti, comminuti, permoliti, in ſimilaginem ſacrificii Dei tranſimus: ipſam utroque genere lacrymarum, id eſt, compunctionis, & devotionis, commiſcentes, & in clibanò cordis contriti, humiliati, coquentes noſmetipſos, panes propoſitionis efficimur, quos primo omnium offeramus.

Quoniam ergo, Sertniſſime Pater, nos nobiſipſis minimè conſtamus, ſed ſpiritus ubi vult, & quod vult, & quando vult ſpirat, & neſcimus unde veniat, & quo vadat: & non poteſt homo à ſemetipſo accipere quidquam, nec pro voto ab alio, niſi ſicut fuerit datum deſuper, humiliari, poſtulationis veſtræ ſapientiùs [b] huc uſque ſilumus, quàm imperio auctoritatis veſtræ adhuc loqui poſſimus. Sed fortaſſe non quod nobis rorent cœli deſuper, aut quomodo nubes pluant, quæratur; ſed quomodo aperiatur terra, & germinet Salvatorem, quæſtio eſt: non quomodo proſpiciat juſtitia de cœlo, ſed quomodo oriatur veritas de terra: non quomodo intendat in nos Deus, ſed quomodo intendamus in ipſum.

Nos itaque (ut ſimpliciter fateamur) ſingulis capitulis ſigillatim prout gratia nobis datur intendimus; & dum ea quaſi ubera de cœlo plena per labia ſumimus, intentè lactemus ex ore infantis & lactantis, perficientes laudes quas valemus. Verumtamen licet ibi plurima in diverſo modo dicantur & fiant, nos tamen ſub trinâ actione ferè univerſa concludimus: tres etenim diſtioguuntur in ſacro Canone principales actiones, quibus quaſi tria deſerviunt altaria, quibus quaſi trinus aſſiſtit ſacrifex cum quodammodo tribus ſacrificiis: & eſt fortaſſe hoc exemplar quod oſtenſum eſt Moyſi in monte, quod umbram conderet futurorum, id eſt, tabernaculum in deſerto. Vidit in alto quod faceret in imo; in monte didicit quod faceret in plano; ſursùm tandem didicit, quod faceret deorsùm: didicit à Deo quod doceret homines. Juxtà hanc formam & Apoſtolus Tres in Canone præcipuæ actiones.

loquitur: *Ego*, inquit, *quod accepi, tradidi vobis.* 1. Cor. 11. 23.

O bone Pater, attende tibi ipſi, quanti hodie tradunt quod nec à Deo, nec ab Apoſtolo acceperunt. Contra pravos Epiſcop.

Traditiones verò hodiernæ ferè omnes turpi lucro deſerviunt: pœna quæ pro commiſſo irrogatur, ferè omnis pecuniaria eſt: beneficium quod quaſi gratis impenditur, ferè omne & ſi pretium ante non taxat, obſequium poſtea ſperat. Gravidæ ſunt hodie gratiæ noſtræ, ſub prætextu Virginis prægnantem nuptui tradimus. Hanc ſimulationem non didicit Moyſes, nec didicit Apoſtolus. Non eſt igitur hæc figura de monte.

Tabernaculum igitur de monte, id eſt, tabernaculum Dei cum hominibus, ſic compoſitum eſt, ut in atrio exteriùs altare habeat æneum, ubi animalia ſacrificantur; intùs aut in tabernaculo aliud, & aureum, quod dicitur altare incenſi, ubi thymiama ponitur, & thus, & cætera quæ cremata odoriferum fumum redoleant. Poſt quod quaſi interno & ſupremo poſitum propitiatorium, & altari [c] aureum quoddam velum oppanditur, quod in paſſione Chriſti ſciſſum eſt, ut pateret propitiatorium, id eſt, corpus Chriſti: quod etiam ſub hoc myſterio nudum cruci affixum eſt. Intrà altare aureum & æ- Altaria legis antiquæ moraliter.

a *imperando*] Acherius ediderat *impetrando*.
b *ſapientius*] Hic nonnihil decſt: rectè monuit Acherius.
c *& altari*] Nonnihil hoc loco immutavimus; ita enim editum erat, *propitiatorium & altare aureum, quoddam*, &c.

neum, paries quidem tabernaculi in eremo & murus dividit in templo, de quo peccator per pœnitentiam tendens ad juſtitiam, ſic loquitur: *Et in Deo meo tranſgrediar murum.* Primum enim altare cor contritum & humiliatum ſignificat, in quo dum quale jumentum viximus & irrationabiles actus per pœnitentiam mactamus, quid niſi animalia diverſorum generum Deo ſacrificamus? Talia etenim Deo animalia in converſioue peccatoris, qui per peccatum quidem foris eſt, & niſi per condignam pœnitentiam non intrat ad juſtitiam, mactat cordis compunctio, excoriat oris confeſſio, in fruſta concidit dinumeratio, comburit autem condigna afflictio. Æneum quidem eſt, obſcurum videlicet atque ſonorum, quia collocatur pœnitens in ſemetipſo in obſcuris, dum anxiatur in ipſo ſpiritus ejus, & cor conturbatur, & de profundis fortiter clamat, opus eſt ut vox ejus audiatur in excelſis: ſic enim in Deo ſuo tranſgredi poterit murum, qui inter culpam & juſtitiam dividit, quoniam ſacrificium acceptum Deo ſpiritus contribulatus & cor contritum & humiliatum Deus non deſpicit. Secundum verò altare quod intùs & aureum eſt, cor ſignificat per pœnitentiam purgatum, teſtimonio conſcientiæ bonæ rutilans, & clarum, ſuprà quod devotio offert ſacrificium juſtitiæ, oblationes & holocauſta, dum non adhuc ſua commiſſa deplorat, ſed jam in divinis exultat; non jam de commiſſione criminum gemit, ſed de collatione virtutum gratias agit. Tertium verò quod meliùs propitiatorium quàm altare dicitur, ubi non Angeli quinque & quibuſdam & quicumque apparent, ſed ſemper alis expanſis, & ipſum propitiatorium obumbrantibus, ipſa etiam Cherubim manens, cor ſignificat ſuper nubila phantaſmatum altum, ſicut dicitur: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Cujus converſatio in cœlis eſt, non ſolùm deſiderio, ſed ſpiritu, ſed jugi, quantum homini fas eſt, contemplatione, niſi quæ retrò ſunt ſive bona ſive mala oblitus in anteriora ſemper extendit ad bravium ſupernæ vocationis, quam deſiderat & delectatur cum Angelis proſpicere.

Pſal. 17. 30. Primum altare.
Pſal. 50. 18. Secundum.
Tertium.
Pſal. 67. 7.

Primum igitur ſacrificium pœnitentiæ, quam ſuper cor contritum ſpiritus rectus offert, id eſt, compunctio. Secundum juſtitiæ, quam ſuper cor mundum Spiritus ſanctus offert, id eſt, devotio. Tertium verò intelligentiæ, quam ſuper cor altum offert Spiritus principalis, id eſt, contemplatio. Compunctio enim perverſos corrigit; devotio correctos dirigit; contemplatio directos erigit, & cum Angelis converſari facit. Cor contritum in præteritis malis cruciatur; cor mundum in præſentibus bonis delectatur, cor autem altum præmia æterna contemplatur. Pœnitentia ſeparat à diabolo; juſtitia conjungit Deo; intelligentia delectatur in ipſo. Hæc eſt compoſitio Tabernaculi Dei, non tam cum hominibus, quàm in hominibus. Cujus imago quomodo in ſacro Canone fulgeat, in promptu eſt, ubi diſtinctè priùs ſacrificium offertur ſervitutis, poſtmodum verò libertatis, tertiò unitatis; ad hoc enim per divina ſacramenta à ſervitute diaboli liberamur per Filium, ut ipſi Patri cum Filio uniamur: ſic nempe pro ſervis Filius loquitur Patri: *Volo Pater, ut ſicut ego & tu unum ſumus, ita & iſti ſint unum in nobis.* Omnis ergo actio ſacramentorum cœleſtium huic fini deſervire dignoſcitur, ut ſine fine uni Deo per Chriſtum uniti, ut Chriſto delectemur: *Ideo unus panis, unum corpus multi ſumus*, ſed non multa capita habemus, ſed unum, & cujus caput Deus; quatenùs multi per unum, & in uno uni uniti, unus

Primum ſacrificium pœnitentiæ, ſeu compunctionis.
2 Juſtitiæ, ſeu devotionis.
3 Intelligentiæ, ſive contemplationis.

Miſſæ Canon explicatur. Actio I.
Joan. 17. 22.
Ad quid Sacramenta.
1. Cor. 10. 17

cum eo ſpiritus efficiamur, cum ſapientiâ de ſapientiâ ſapientes, cum vitâ de vitâ viventes, cum virtute de virtute potentes, cum charitate de charitate ferventes, cum juſtitiâ de juſtitiâ recti, cum lætitiâ ſemper de lætitia læti. Sed præproperè de extremâ actione hæc geſtiens prælibavit nimiùm avida devotio.

Cunctis ergo ritè diſpoſitis quæ ad primam actionem pertinent, præmiſſis quibuſdam orationibus ſeu poſtulationibus, cum incenſo arietum, id eſt, ſuffragiis Apoſtolorum ac Martyrum, accedit viſibilis Sacerdos, & adhuc qui natus eſt de carne caro, ad offerendas viſibiles hoſtias, & de terrâ terrenas, & hoc ſuper altare viſibile & materiale materiali oleo viſibiliter conſecratum, & hæc omnia quaſi foris aguntur, dumque fiunt, & quomodo fiunt, foris conſpiciuntur: unde & ad ſervum, qui non manet in domo in æternum, pertinere noſcuntur: quamobrem & ſervitutis oblatio dicuntur, ſicut dicitur: *Hanc oblationem ſervitutis noſtræ, &c.* Oblationem ſervitutis panem rectè nominat & vinum: nam cum homo de terrâ ſumptus per naturam, ſuper terram dominus conſtitueretur per gratiam, & ab auctore naturæ & datore gratiæ recedens per culpam, infrà terram damnatus eſt per juſtitiam. Unde cum terra famularetur ferculis ad ſuavitatem, nunc & multis & miris obſequiis delinita, laboribus plurimùm miſeris ac miſerandis exculta, vix largitur ad neceſſitatem, ſicut ſcriptum eſt: *In ſudore vultûs tui veſceris pane tuo.* Quoniam ergo in victualibus ſine quibus vita animalis non tranſigitur, principalia ſunt panis & vinum, aptè per ea omnis victus vitæ animalis dum offeruntur, offertur: præcipua quippe illius portio ſunt, & totum figurant. Itaque quid ampliùs poteſt ſervus qui reconciliari appetit Domino ſuo, quàm de penuriâ ſuâ totum victum ſuum offerre, & ſic totam vitam ſuam mactare? Sic ergo dum in primâ actione in pane & vino totum victum ſuum offert, totum quod animaliter vivit, occidit. Vitam enim occidit, qui victum ei ſubtrahit: hinc eſt quod à ſapiente dicitur: *Ad menſam magnam ſediſti, diligenter attende quæ apponuntur. Fige cultrum in gutture tuo, ſciens quoniam talia oportet te præparare.* Menſa magna eſt altare Domini, ille nobis ibi apponitur ad refectionem, qui corpus & animam ſuam poſuit ad redemptionem. Attendendum eſt quòd talia oportet etiam illi præparare, id eſt, pro illo noſtrum ſimiliter corpus ſimul & animam ponere: ſic enim per Spiritum conſilii ſibi ipſi reſpondet Propheta: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Formam verò attende, quam ſubtiliter & eleganter expreſſit, dicens: *Fige cultrum in gutture tuo.* Cultrum quippe abſtinentiæ & modiæ quaſi in gutture figimus, dum qui totum victum noſtrum obtulimus, de eo poſtmodum parcè & timide quaſi de altario Dei ad neceſſitatem ſumimus: nam qui altari deſervivit, ordinavit Dominus de altario vivere: alioquin ſi poſt oblationem talem iterum delicioſè & luxurioſè quaſi de noſtro abſumimus, totum quod offerimus, auferimus; & de rapinâ jam pejus vivimus: nam ſic jam non Domino ſed nobis vivimus & morimur; & ſive ſic vivimus, ſive morimur, jam verò non Domini ſed noſtri, imò non noſtri, ſed diaboli ſumus. Ideo vir bone & prudens, diligenter attende, noſtrum eſſe altare, de quo non licet edere qui tabernaculo corporis ſui & ſi[d] corpus polluitur voluptate, ita anima vanitate, &

Geneſ. 3. Panis & vinum quæ offerantur.
Prov. 23.
Quod Ch[...] in altari ſacrificio et ſe debeat
Pſal. 115.
d

d *ſui & ſi*] Achetius monet legendum eſſe *ſui deſerviunt: & ſicut*; ſed poſt *ſui* ſuſpicor non pauca deeſſe, quippe ſequentia non cohærent, nec ſatis video cur illi diſplicuerit, *& ſi*.

ſpiritus ambitione fœdatur. Iſta nimirum ſunt capita draconis, quem dedit Dominus eſcam populis Æthiopum. Iſte calix dæmoniorum, quem ſimul bibere cum calice Domini non convenit; nulla enim conventio Chriſti ad Belial. Numquid ſi mundus es corpore, ſtatim mundus? imò mundus corpore, mundior ſit animâ, & ſpiritu mundiſſimus, quatenùs caſtitate, puritate, humilitate, totus mundus non indigeat, niſi ut pedes lavet. Ecce in quid tendimus dum primam oblationem offerimus; ecce quid eſſe contendimus, dum in iſta intendimus, iſta cogitamus, iſta tractamus; foris verbo & linguâ, intus opere & veritate quantum poſſumus. Verumtamen altioris eſt opus conſilii: totum quod poteſt hac in oratione ſervus facit, ſed in toto non ſatisfacit; non poteſt ampliùs aliquid, ſed hoc totum non ſufficit, occidere ſe poteſt, vivificare non poteſt.

Actio II. Divinâ virtute in altari fit corpus Chriſti.

Itaque oratione ſe erigit, & ad eum qui omnia poteſt, ſe convertit, dicens: *Quam oblationem tu Deus*, uſque, *Corpus & Sanguis nobis fiat.* Ac ſi dicat: Domine feci quod potui, ſupple quod non potui: & in fide nil hæſitans accedit ad actionem ſecundam, dicens: *Qui pridie quàm pateretur, &c.* Et ad verba potentia & efficientia, ſicut ſcriptum eſt, *Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis.* Dicit enim & facit verbum & virtus: *Hoc eſt corpus meum.* Fit igitur ſuprà omnem rationem humanam divinâ virtute, humanâ ſollicitudine, de vetere cibo veteris hominis, novus cibus homini novo. Habens ergo novus Sacerdos, non vetus Melchiſedech, neque natus caro de carne, non de ſudore ſuo, neque de terrâ, cui miſerè & multipliciter ſervitur, ſed novus Jeſus natus de ſpiritu, ſpiritûs de donis ac datis divinis, de cœlo cœleſtis hoſtia inviſibiliter effectus, ſuper inviſibile altare fidei inviſibilem hoſtiam carnis & ſanguinis offert, dicens: non ut priùs timidè, neque hoſtiam ſervitutis, ſed cum exultatione, atque lætitia, *Præclaræ majeſtati tuæ hoſtiam puram*, & purificantem, *ſanctam*, & ſanctificantem; *Immaculatam*, & immaculatos efficientem; id eſt, *Panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem*, qui in æternum ſalvare & ſatiare poteſt; & ideo *ſalutis perpetuæ.* Ampliùs etiam, quia caro Chriſti & ſanguis non prodeſt quidquam ſine verbis, quæ ſpiritus & vita ſunt, altius aliquid adhuc expetit, cui per corpus Chriſti in cœlis Deo uniatur, & per humanitatem divinitati conjungatur. Nil ſufficit, quippe qui ſcalam ſibi erigit, niſi aſcendere [e] utique ſatagit. Unde poſt hanc oblationem accingit ſe ad orationem, dicens: *Supra quæ propitio, &c.* Et quaſi per gradus ipſius ſcalæ aſcendens, commemorat munus Abel pueri, ſacrificium Abrahæ Patriarchæ, oblationem Melchiſedech Sacerdotis, qui eleganter ſpeciem expreſſit in pane & vino, ſicut Abraham veritatem in filio, & Abel innocentiæ munus in agno.

Pſal. 64. 14.

Actio III.

Hac, inquam, oratione fretus, cum fiduciâ aſcendit ad actionem tertiam: ſed quoniam ad illud ſublime altare in conſpectu divinæ majeſtatis, ubi ſummus & perpetuus Sacerdos aſſiſtit, vultu ! aetris nondum ut vult valet aſcendere: (nam & hoc dum viſibilis ſe Sacerdos intrà viſibile altare ſe inclinat, & ſuegens oſculatur, ſignat) rogat per manus Angeli, inviſibilis ſcilicet ſui miniſtri [f], ſuum ei ſacrificium perferri, & corpori Chriſti in cœlo uniri; quatenus ſicut per ipſum quod hic in ſpecie panis & vini de primo altari ſumimus, & in veritate carnis & ſanguinis, de ſecundo ultrà velum in cœlo benedictione olim ſemini Abrahæ promiſsâ; & gratiæ Mariæ allatâ, virtuti ipſius ſacramenti communicet, id eſt ſummo capiti per Chriſtum uniatur, caput enim Chriſti Deus.

Trium actionum tropologica expoſitio

Ecce Pater Sereniſſime, quomodo, ſicut in Præfatione monemur, ſursùm corda, ſursùm verba, ſursùm & opera. Prima namque actio ſeparat à mundo, ſecunda conjungit Chriſto, & tertia unit Deo. Prima mortificat, ſecunda vivificat, tertia deificat. In primâ actione paſſio, in ſecundâ reſurrectio, in tertiâ glorificatio. Unde & dicitur: *Memores beatæ paſſionis, necnon & ab inferis reſurrectionis, ſed & glorioſæ in cœlis aſcenſionis: offerimus præclaræ Majeſtati tuæ de tuis donis ac datis hoſtiam, &c.* Primus igitur Sacerdos mactat, & quaſi foris in atrio, vitam animalem; ſecundus intus & in templo ſenſum rationalem; tertius ultrà velum & in cœlo jam ipſam fidem: ſicut enim ſuper animalem ſenſum ratio, & ſuper rationem fides, ita ſuper fidem viſio: *Quod enim videt quis quid ſperat?* Ubi autem quis videt, non eſt fides: ut carnalis fit ſpiritualis, cœleſtis autem divinus, ſervus fit liber, & regnat cum Patre filius, inimicus, amicus, & heres. O Sacerdos Chriſti, iſtis inſiſte dum aſſiſtis, iſta dum facis ſias noſtri ſervi tui memor, qui veſtræ Paternitatis in omni oratione & ſacrificio fideliter & ferventer reminiſcimur. Sequi nos oportet victuale noſtrum, ne jejuni deficiamus in viâ. Quid confert cibum noſtrum de animali facere ſpiritualem, ſi ſine cibo remanemus animales? Angelorum manibus cibus noſter in cœlum defertur, & nos in terrâ quid facimus? Talis eſca nos non ſolùm commendat, ſed unit Deo: niſi eam faſtiditi ex irâ Dei mereamur volatilia malè pennata, quæ in ſublime volare non poſſunt, imò in medio caſtrorum, & circà tabernacula cadunt: quod à nobis avertat & vobis, ad quem converſi ſumus, Jeſus Chriſtus, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

Rom. 8. 24.

MONITUM.

TRACTATUM de Diſciplinâ Clauſtrali Auctore Petro Cellenſi, tunc S. Remigii Remenſis Abbate, ac poſtmodum Carnotenſi Præſule, mihi olim, anno videlicet 1642. edendum ultrò conceſſerat (manu ſuâ priùs deſcriptum ex MS. Abbatiæ Claravellenſis) Nicolaus Camuzatius, cum in vivis eſſet, Canonicus Eccleſiæ Trecenſis. Elegantiſſimum ſanè Opus atque eruditione refertum; non iis tantummodo qui procul à ſæculi corruptela vitam agunt, ſed omni viro Eccleſiaſtico, imo & cuilibet Chriſtiano perutile atque ad veram pietatem plurimum conducens, quiſquis revolverit haud dubiè judicabit. Meminit hujuſce Tractatûs ipſemet Abbas R. Canonico

e *niſi aſcendere*] Vocem *niſi* quæ deerat, adjeci.

f *ſui miniſtri*] Acherius ediderat *ſui miniſterii.*

ſcribens lib. 8. epiſt. 3. De vaſe ſiquidem bono & optimo eructavit ſtylus tuus verba bona, quæ me &c. provocant, & de Clauſtrali Diſciplinâ non ſolùm cogitare, ſed & ſcribere exorant. (*Is eſt forſitan Ricardus, cui ſuum de Diſciplinâ Opus inſcribit, atque initio Præfationis alterius :* Amicus diſciplinæ, Ricarde cariſſime, tamquam expertus ſim illam, non ſemel inquietas ſenem elementarium, ut inde aliqoo ſcripto tibi quod ſentio decerpam.) *Epiſtola quoque ſexta ejus libri tota eſt de hoc Diſciplinæ Tractatu :* Unum quaternionem, *inquit*, jam impleveram de Diſciplinâ Clauſtrali, & mittere per præſentium latorem plurimùm feſtinabam, ſed diſſuaſum eſt ab amicis, ne Opus imperfectom amico mittere propter rapaces curioſorum manus & oculos &c. *Illâ ætate apud Epiſcopos tantæ erat authoritatis Petrus Abbas, ut ejus Sermones ſæpiùs expeterent, quo ſibi commiſſis populis cibum æternæ ſalutis porrigerent : atque inter alios Theobaldus Pariſienſis ; ad quem ſic idem Petrus lib. 1. epiſt. 21.* Sermones de Adventu Redemptoris ut componerem vobis in mandato acceperam, ſed malitiæ ſollicitudinis ſuæ etiam raritatem lucis adjunxit, &c. *Finem autem imponens epiſtolæ hæc effatur :* Tres Sermones de Adventu Domini, & unum de Nativitate orditus ſum vobis.

PETRI ABBATIS SANCTI REMIGII,

CELLENSIS VULGO NUNCUPATI,

TRACTATUS

DE DISCIPLINA CLAUSTRALI.

Domino & amico ſuo HENRICO *viro illuſtri, Frater* PETRUS *humilis Abbas ſancti Remigii. Salutem, & omnem proſperitatem.*

Clauſtralis diſciplinæ effectus

LIBERTAS animi niſi ex proprio arbitrio & adjuncto limoſi corporis conſortio infatuata fuiſſet, nequaquam pœnali diſciplinâ quæ plicat, planat, & ligat, indiguiſſet. Plicat erecta, planat aſpera, & ligat laſciva. Plicat indomita, planat inæqualia, ligat diſſoluta. Plicat animum, corpus planat, utrumque ligat. Plicat humilitate, planat æquitate, ligat religione. Plicat converſione, planat confeſſione, ligat profeſſione. Plicat palmitem in vite, planat tabulas cordis ad mandata vitæ, ligat pullum ſuum ad vineam, id eſt, animum ad gratiam. Plicat denique taurum de ſæculo cervicoſum, planat camelum gibboſum, ligat bubalum ſive onagrum. Utroque autem, animo ſcilicet & corpore, in genere ſuo naturali bonitate privato, cœpit vias explere pietas Creatoris, quibus reſarciret damna tantæ temeritatis. Et quia cauſa tanti morbi inventa eſt privilegium inſitæ libertatis, ſalubri artificio, regulari diſciplinâ colligavit pennas depravatæ libertatis, & depreſſit collum temerariæ præſumptionis. Quod itaque generali cenſurâ in univerſo genere humano Deus diſpoſuit, hoc in me factum benigniſſima pietate expertus ſum. Nam huc illucque poſtpoſitâ ordinis noſtri maturitate vagabundus diſcurrebam, & ſæcularia negotia, atque terrenas occupationes tamquam fures & latrones penè omnem religionis ſuppellectilem à me aſportare negligebam : ſed ecce manus Dei filias pharetræ ſuæ miſit in renibus meis, & guttâ arctiſſimâ renes meos congelavit, & domi conſiſtere coegit. Sentiens itaque diſciplinam, de diſciplinâ cœpi cogitare, cogitata deſcribere. Quàm patienter verò paſſus ſum diſciplinam, tam libenter & diligenter, & ſi non eleganter ſcripſi de diſciplinâ. Scripſit ſanctus Auguſtinus ut Auguſtinus & ut Epiſcopus de diſciplinâ Chriſtianâ : ſcripſi ego Abbas & Monachus de Clauſtrali diſciplinâ. Ille ut gigas literatiſſimus montes cervorum & mentes humilium humeris ſuis geſtat : Ego ut formica tenuiſſima grana non integra ſed inciſa traho ad tractatûs noſtri deſpectum tuguriolum, & præparo futuræ fami & hyemi quantulumcumque viaticum.

Quare auctor id operis confecerit

Opuſculum itaque noſtrum de CLAUSTRALI DISCIPLINA nec ſtylo nec titulo ſolemni irradiatum, argumentoſa Philoſophiæ non ingreditur palatia, ſed humili vultu formatur. Quâ igitur fronte, Princeps Nobiliſſime, quin imò & ingenii ſubtilitate vivaciſſime, tibi ad legendum tranſmitto tractatum ſqualli-dum & pannoſum ? ſed verbis oris mei illaqueatus malo argui de indocto, quàm de mendaci verbo. Legat itaque pius, & intelligens animus, attendens non formam verborum, ſed virtutem ſenſuum : ſicut enim plus eſt animi quàm decor corporis, ſic in ſcriptura potiùs ſpiritus requirendus eſt qui vivificat, quàm littera quæ inflat : magis fructus placet in arbore, quàm folia : utrumque tamen bonum eſt, ſi utrumque adeſt, ſed pulchra ſine fructu folia potiùs ſunt oculorum lenocinia, quàm ſtomachi ſubſidia.

1. Cor. 13.

Apoſtolus reprobat ſpeciem pietatis, ubi deeſt virtus charitatis. Dominus quoque veniens ad arborem fici quæ fructum non habebat, ſed tamen folia, maledicit ei, & in æternum illam condemnat. Imploro Nobilitatem veſtram ne in lectione iſta attendatis quales ſumus, ſed quales eſſe debemus ; nec lateat prudentiam veſtram lucernam noſtri ordinis in Iſraël prorsùs eſſe extinctam ; ſed Iſaac oculos, quia ſenuit, caligaſſe.

3. Reg. 19.

Conquerenti Heliæ adverſus Achab & Jezabel, ac dicenti : *Domine altaria tua ſuffoderunt, Prophetas tuos occiderunt, & relictus ſum ego ſolus : & quærunt animam meam.* Reſponſum eſt ei : *Reliqui mihi ſeptem millia virorum qui non curvaverunt genua ſua ante Baal.* Sic certè, ſic Domine & amice cariſſime, etſi magna antiquorum Patrum virtus regularis noſtris temporibus elanguit, non exſpi-

Digitized by Google

ravit; etſi abiit, non obiit; etſi refriguit, non periit; qui quaſi nihil ſunt apud homines, plerumque tamquam locerna deſpecta pluris ſunt apud Dominum, quàm qui aliquid eſſe videntur. Non excuſo malos, ſed prædico bonos. Præjudicium tollo, quia judicium Dei exſpecto. Noſtrum eſt honorare nomen Dei, non ſolùm in ſanctis, ſed in perverſis. Nam quæcumque perſona etiam viliſſima, ſi ſigillum veſtrum portaverit, auctoritate nominis veſtri ſuſcipienda eſt & honoranda; non quia digna ſit, ſed quia digni ſit. Sic plerumque dignus facit indignum, dignum; indignum utique propriè, dignum impropriè; indignum ex ſe, dignum ex officii perfunctione. Nolo ut mihi in aliquo parcatis, ubi exceſſi: rogo etiam ut non legatis cum faſtidio, ſed ſtatim ut cœperit onerare mentem, de manu veſtrâ projicite; & ſi placuerit, alias reſumite; aut ſi diſplicuerit, recluſum perpetuis tenebris condemnate. Pauperes & glorioſi homines paupertatem veraciter ſuſtinentes, & inutiliter gloriam affectantes, ad contegendam paupertatem, & gloriam comparandam, ſolent oras chlamydis ſuæ aut precioſis, aut ſpecioſis pelliculis ſuperveſtire, non ad utilitatem, ſed ad curioſitatem intuentium reſpondentes. Sic ego ipſe, quia huic noſtro operi præ inopiâ noſtrâ deerat pretium ſententiarum, & decus verborum: titulum nominis veſtri anteponens; ingreſſum ejus decentiſſimè adornavi; ut lector ſperans non niſi optima vobis offerri, currat ad perlegendum, non ex ſapore conditi poculi, ſed in ſplendore tituli tanti Principis.

Non boni tantum, ſed mali ſunt honorandi.

Humilitas auctoris.

P R Æ F A T I O.

AUT periti eſt aut experti judicare de re cognitâ; imperiti verò & inexperti tractare de re incognitâ, potiùs eſt præſumere quàm diffinire. Me peritum in Clauſtrali Diſciplinâ aut expertum ſi fateor, mentior. Non nego me vidiſſe regulares & religioſus homines, quorum conſortio etſi aliquando interfui, virtutem non retinui. Quomodo ergo poſcis à me audire de diſciplinâ clauſtrali, cum jam ferè à triginta annis vix ſummo labello illam deguſtaverim? Tamen quia charitas omnia credit, & te ſcio ex devotione noo ex tentatione id quærere, poſtpoſitâ negandi difficultate audeo ſcribere quæ nequeo tenere; nec multum erubeſco, ſi me talem in hoc Opuſculo recognoveris, qualem ab infantiâ tuâ didiciſti: niſi forte quia ætas noſtra jam adveſperaſcens parum habet de meridie, plus de veſperâ.

Auctor a triginta annis vitam religioſam profeſſus.

1. Cor. 13.

Prolixum me fecit in hoc Tractatu de diſciplinâ Clauſtrali & tua toties repetita poſtulatio, & ſciatica gutta quæ renes meos diutiſſimè ſub asperâ diſciplinâ detinuit. In hoc Opuſculo tamquam confectione de conſuetis & notis in boreis noſtris naſcentibus herbis, non de precioſis & remotarum regionum ſpeciebus comparato: plus de melle gregis, quàm de ſcammoniâ Hieronymi appoſui, timens ne inventum projiceretur, ſi ſcammonia morderet, & operis utilitas tam pro artificio, quàm pro artifice ſorderet. In hujus autem laboris recompenſatione mercedem hanc peto à te, ut diligenter legas, & quidquid ei diſplicuerit, confidenter detrahas, & corrigenda corrigas.

Ichiadi affectus cum id operis eſt aggreſſus.

Reddo cum uſuris debitum non à me tibi promiſſum, ſed à te frequenter poſtulatum; ſufficit mihi ratio debendi, ubi præceſſit in amico voluntas poſtulandi: uſuras ſuperaddo, quia in ſolvendo interceſſit longa dilatio. Age gratias Deo qui dedit oportunitatem, ſine quâ nondum me à debito illo abſolviſſem. Quam? dolorem in renibus, qui me ſub diſciplinâ asperâ diù religavit, & vagandi huc illucque facultatem negavit. Congratulor itaque & ego infirmitati meæ, & dico: Patiamur mala, ut faciamus bona: imò patiamur mala, ne faciamus mala. Hoc ad noſtram clauſtralem pertinet diſciplinam: pati & non facere mala: ſed potiùs pro malis reddere bona. Hanc docuit ille qui adinvenit omnem viam diſciplinæ, & docuit eam Jacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſibi. Paſſus eſt autem mala à malis & pro malis, ſed retribuit bona pro malis, & fecit bonos de malis. Non mireris amice cariſſime, ſi ſtylum claudicantem deprehenderis, quia cum toto corpore ſuo ſimul & manus claudicat. Manus enim vacillans rectas lineas non ſervat; & quid mirum, ſi claudus claudum generat? Plus mirandum ſi curvus generet rectum. Tu tamen quia rectè ſentis, & rectè incedis, excuſa Iſboſeth debilem pedibus apud David, & omnem ſermonem claudicantem aut corrige, aut ſuccide: *Melius enim eſt cum uno pede intrare in vitam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam.* Eſt autem gehenna legentium invidia: meritò autem ſuccumbit invidia, ubi ſuccincta veritate, expedita conſtructione, armata ratione, labia mordentium evadit materia: vel ubi adeo extincta eſt hebetudine, deſpecta habitudine, macra verborom craſſitudine, exanguis ſenſuum exilitate, quod dens invidiæ non habeat ubi mordeat. Non reputo aſpectu publico digna mea Opuſcula, ſed ſecretum meum mihi, ſimplex devotio, non phalerata eloquentia legat ſcripta mea, non ad plauſum, ſed ad planctum. Plangit enim columba mea in foraminibus ſuis; corvus crocitat in cadaveribus & morticinis; clamat corvus cras, cras, vel appellans ſibi quod craſſum eſt. Sicut in paſſione Domini leguntur quidam dixiſſe: *Ecce Heliam vocat iſte*, cum Dominus diceret; *Hely, Hely*: vel promittens ſibi longos dies & annos, vel fruſtratoriam pœnitentiam ſpondens; cras, cras, id eſt nunquam; ſicut dicitur, hodie cum pretio, cras ſine pretio. Ego quoque pretium precum & orationum pro opere illo die & cras poſtulo.

Matt. 18.

P R Æ F A T I O   A L T E R A.

AMICUS diſciplinæ, RICARDE cariſſime, tamquam expertus ſim illam non ſemel inquietas, ſenem elementarium ut inde aliquo ſcripto, tibi quod ſentio decerpam: & ſi non propter amicitiam, tamen propter improbitatem Evangelici amici non poſſum non ſurgere de lectulo, in quo clauſo oſtio cum pueris cæterorum ſenſuum decumbebam, & dare non quantum requirit affectus tuus, ſed quantum caput pugillus meus. Timeo ne occurrat avidus, & non inveniens fructum, ſed tantùm folia in arbore fici, maledicat ſpei falſæ, ſive promiſſioni. Rurſum nauſeans, qui ſingula curioſè carpit, & odioſè contemnit, ſi acceſſerit, potiùs ſpero vomitum quàm guſtum. Sed quia *charitas omnia credit*, & nemo cogitur munus habere meum, tibi ſoli, qui pro multo amore medullæ etiam cortices noſtros inſipidos rodis, quod ex voluntate Dei occurrerit excipiam, & Matri Rebeccæ, ut unde eſcas præparet, tradam.

1. Cor. 13.

CAPUT PRIMUM.

De actoribus Diſciplinarum.

IGitur Auctores hujus diſciplinæ in ſcriniis authenticæ ſcripturæ revolvens, præcipuos & ſummos invenio Moyſen in eremo, Jeſum in mundo, Paulum in delegato ſibi docendæ Gentis officio. Duo quoque rivuli ex his emanantes, Monachos & Canonicos Regulares incluſerunt in clauſtro tamquam cervos & capreas in incluſo, ut ita dicam, parco, Benedictus & Auguſtinus. In Exodo, in Levitico, in Numeris, in Deuteronomio, populi Domini peculiaris clauſtralem diſciplinam lege, & nudo intellectu mores informantia mandata retine. Cerimonialia verò tamquam veſtita veſtibus Eſau valde bonis diſcinde, & intrinſecùs latentem ſpiritualem nucleum comede. Certè diſciplina illa ſeveriſſima fuit; & ſi noſtra illi comparetur, tolerabilior invenitur. Adeo enim illa importabilis fuit, ut non ſolùm quilibet infirmus & plebeius legis mandata implere non poſſet, ſed nec etiam quilibet juſtos & ſanctus. Unde Petrus : *Quid nobis jugum imponere tentatis, quod neque nos, neque Patres noſtri portare potuerunt?* Noſtra verò diſciplina ſatis tolerabilis eſt, ut in Epiſtola Joannis dicitur : *Charitas hæc eſt, ut mandata ejus cuſtodiamus, & mandata ejus gravia non ſunt.* Quid eſt autem noſtra diſciplina, niſi vivere ſecundum mandata Dei? Jeſus verò Magiſter magnus & bonus, cujus cathedra eſt in cœlo, & ſchola in mundo, in Evangelio quaſi in antidotario, quæ fecit & docuit, deſcripſit; & duodecim Apoſtolos clauſtrales ſuos cum ſeptuaginta duobus Diſcipulis clauſtralem diſciplinam docuit. Nec de clauſtro illo Evangelico exivit, niſi is qui filius perditionis erat; vel illi qui dixerunt : *Durus eſt hic ſermo: & abierunt retrò : & jam non cum illo ambulabant.*

Act. 15. 10.

1. Joan. 5. 3.

Joan. 6. 61

CAPUT II.

De Apoſtolicâ diſciplinâ.

NOta diſciplinam Apoſtolicam ubique & in omnibus reverendam, præcipuè ubi Petrus innuit Joanni, qui in cœna ſuper pectus Domini recumbebat, ut interrogaret quis eſſet eum traditurus. Tanta enim erat ad Magiſtrum reverentia, tanta obedientia, tanta ſubjectio, tanta ad invicem fraterna dilectio, ut ne ſpiraculum ſuſurri per eos tranſiret, niſi forte quando facta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur major, vel cum indignati ſunt de duobus, qui quærebant ſedere ad dexteram & ad ſiniſtram. Quidquid tamen humana fragilitas in vaſis fictilibus, necdum igne ſancti Spiritûs ſufficienter decoctis, committebat, manus figuli ſtatim reſarciendo ſolidabat. Modò ſiquidem arguebat, eis dicens : *Modicæ fidei, quid turbati eſtis?* Modò conſolabatur, *Confidite*, inquiens, *Ego vici mundum.* Et, *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Modò in parabolis, modò ſine parabolis loquebatur. Modò ſubtrahebat ſe pernoctans in oratione; modò celabat ſe ambulans ſuper mare, & putabant phantaſma eſſe; modò ad congregationem ſuam revertebatur, & cum omni familiaritate converſabatur. Modò præ nimiâ fame ſpicas poſt ipſum confringebant, & manducabant: modò duodecim cophinos fragmentorum ex his quæ ſuperaverant de quinque panibus colligebant. Nihil proprietatis habebant, qui dicebant : *Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te.* Ab eo nunquam ſeparari volebant, cum diceret : *Vado in Judæam : Et Thomas ait ad condiſcipulos, eamus & nos, & moriamur cum illo.* Joa

Matt. 8. 26.

Joan. 16. 33

Matt. 27. 20

Ibid. 19. 27.

Quid dicam de Monachis iſtis, videlicet Apoſtolis? Angelicis ſpiritibus illos confero, niſi nondum exſpoliatâ mortalitate illi miniſtrabant *qui modico minoratus eſt ab Angelis* : ſed cum gloriâ & honore coronatus à Patre, ſuper omnem principatum & poteſtatem ſederit in ſede majeſtatis ſuæ, in ſede magnitudinis, ſedebunt & hi ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël, forte & Angelos; de quibus Apoſtolus : *Nonne & Angelos judicabimus?* Spes iſta in ſinu Clauſtralium eſt repoſita, quia res pro conſimili diſciplinâ eſt repromiſſa, non ab illo, ſed ab eodem JESU CHRISTO. Succeſſit Petrus in Apoſtolatum circumciſionis, & Paulus inter gentes : ſicut idem Paulus ait : *Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes.* Docet Apoſtolus in Regulâ, id eſt, in Epiſtolâ ſuâ : *Qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur.* Et, *Nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Et, *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis.* Et, *Alter alterius onera portate.* Et, *Nemo quærat quod ſibi utile eſt, ſed quod alii.* Et, *Honore invicem prævenientes.* Et, *Turpis ſermo de ore veſtro non procedat, & turpitudo, & ſtultiloquium nec nominetur in vobis.* Hujuſmodi floribus totus vernat codex Apoſtolicus, vaſtum & amplum regit clauſtrum, ab Hieruſalem ſcilicet ad Illyricum habens virgam in manu, ſicut quibuſdam ſcribit : *Quid vultis? in virgâ veniam ad vos, an in ſpiritu manſuetudinis?* Tradit & quoſdam Satanæ, ut diſcant non blaſphemare. Hic gaudet cum gaudentibus in Hoſpitio; hic flet cum flentibus in Oratorio; hic infirmatur cum infirmantibus in Infirmaria; hic uritur cum ſcandalizatis in Capitulo; hic in Cella Novitiorum loquitur ad Novitios : *Filioli mei, quos per Evangelium genui, & quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in vobis.* Hic in Refectorio *Caſtigat corpus ſuum; ut aliis prædicans ipſe reprobus efficiatur;* Hic denique ſemper & ubique, *In vigiliis invenitur, & jejuniis, in fame & ſiti, in frigore & nuditate; in plagis ſuprà modum, in mortibus frequenter.* Hic hoſpitariis dicit, *Hoſpitales invicem ſine murmuratione.* His qui ſunt in Oratorio : *Pſallam ſpiritu cum fratribus, pſallam & mente; orabo & ſpiritu, orabo & mente* : Infirmariis : *Alter alterius onera portate. Infirmum ſuſcipite in fide*; ſedenti verò in Capitulo : *Argue, obſecra, increpa*; his qui in Refectorio : *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria*; Eleemoſynariis autem : *Qui parcè ſeminat, parcè & metet; & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam.* Denique omnibus Clauſtralibus clamat : *Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini.* Et in hunc modum quidquid regulare, quidquid honeſtatis & fidei informabile, quidquid de veſtigiis JESU eſt imitabile, non eſt alienum à Paulo : una tamen clauſulâ concludit univerſam clauſtralem diſciplinam : *Omnia*, inquit, *veſtra in charitate fiant.*

Jam inflectamus ſtylum ad noſtros ſpeciales eruditores, beatum Benedictum, & ſanctum Auguſtinum. Alter Abbas & Monachus; alter Epiſcopus & Canonicus; uterque ſanctus, uterque Dominici gregis Doctor, & doctor egregius. Convenit in quibuſdam noſtra & veſtra clauſtralis diſciplina; differt in quibuſdam. Sunt enim quædam quaſi ſubſtantialia in Religione, quædam accidentalia. Subſtantiale eſt Religioni, ſine quo Religio non eſt Religio : accidentale quod adeſt & abeſt pro loco, pro tempore, pro causâ, pro perſonâ, pro cæteris circumſtantiis præter Religionis corruptionem. Hæc in arbitrio Pro-

He
M.
1. C
Ga
1. C
2. C
He
Ga
1. C
Ro
Ep
1. C
Ga
1. C
2.
&
5. 2
1. T
1. C
Ro
1. T
Ep
1. C
1. C
Ibid

SS. Ben ſcip ſtra res.

curatoris eatenùs relinquuntur, ut ſalvâ pace & unitate vel intendantur, vel remittantur: non tamen nimis intendantur, ne rumpatur fragilitas; neque nimis remittantur, ne lædatur regula. Sunt autem ſubſtantiva Religionis, ſilentium, de quo dicitur: *Jac. 1. 19. 1. Tit. 1. 13.* *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus verò ad loquendum, & tardus ad iram*; item lectio, de quâ dicitur: *Dum venio, attende lectioni*: *Pſal. 117. 1.* item peccati Confeſſio, de quâ dicitur: *Confitemini Domino quoniam bonus*: & omnia in confeſſione lavantur, unde: *Ibid. 31. 5.* *Dixi confitebor, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*; item oratio, de quâ dicitur: *Joan. 16. 23.* *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*: *Eccl. 7. 40.* item meditatio mortis, de quâ dicitur: *Fili, memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Sed de his infrà largiùs tractabimus.

CAPUT III.

Comparatio inter Judaïcam & noſtram clauſtralem diſciplinam.

SIcut mandata legalia in duabus tabulis conſcripta Judaïcam diſciplinam continent; ſic omnis regularis tam Monachus, quàm Canonicus, *Pſal. 67. 14.* *Inter medios cleros*, regularis videlicet inſtitutionis, & traditæ à ſenioribus bonæ conſuetudinis, vivere debet. In altero admittitur diſpenſatio: in altero ligatur: non enim Judex judicat legem, ſed ſecundùm legem. Conſuetudo autem & uſus, ſicut voluntate utentium introducuntur, ſic contrariâ voluntate mutantur. In his ſi quid neceſſitate mutandum, corrigendum, ſupplendumque fuerit, non uſquequaque interdicitur diſpenſationis alteratio. His ergo quaſi fortiſſimis ligamentis vita clauſtralis ita conſtringitur, ut nec manus, nec pedes extrà licita moveantur.

Profeſſio itaque ſecundùm regulam & loci conſuetudinem coërcens in compedibus ſuis vinctum, Jesu Christi jugum ſuave & onus leve humeris imponens renuntiantis ſæculo, ante præſepe, & ad cunabula Emanuelis ligans aſinam & pullum, in quibus ſedens Jesus horam ſequitur glorificationis. Præcedunt tamen ſicut in capite, ſic & in membris paſſiones, poſteriores gloriæ. Ducitur Jesus, quia ligatus ante Præſidem ſtetit: & quia non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum, voluntarius & libens appetat verus Religioſus, diſciplinâ regulari tamquam faſciolis ab appetitu carnis religari. *Quæ Religioſæ diſciplinæ exercitia.* Vincula autem Religionis, ſtatuta ſunt regularia: verbi gratiâ, ſilentium, jejunium, reclusio clauſtralis, inceſſus in nullo notabilis, compaſſio & dilectio fraterna, paterna reverentia, lectio & oratio aſſidua, recordatio præteritorum malorum; timor mortis, ignis purgatorii, ignis æterni. Vix tam vaga, tam petulans poterit eſſe cogitatio, quæ non coërceatur tam forti & multiplici funiculo. Verbum otioſum, verbum ſuperfluum, verbum inordinatum ſepelit ſilentium. Titillationes & incentiva ſuccenſa in ſpinis malorum deſideriorum ſoporat continuum jejunium. Diſcurſus vagos & vanos per plateas & vicos civitatis ſanguinum, retardat reclusio clauſtralis: motus ſtimulantes in malam ſuſpectionem, aſpectus intuentium elidit inceſſus tam modeſtus quàm maturus. Inhumanitatem recludit compaſſio; diſcordiam dilectio: paterna reverentia contumaciam; lectio ignorantiam; oratio immunditiam & malitiam; meditatio torporem & ſomnolentiam; recordatio præteritorum affert malorum cautelam de futuris, dolorem de præteritis, & de futuris ſollicitudinem; muſcas morientes & vermes qui non moriuntur, comedentes miſeram animam, timor mortis tamquam myrrha occidit; ignis purgatorius revocat à venialibus; ignis æternus à criminalibus. Nulla obſervationum iſtarum ſterilis in Iſraël, qui cum Angelo colluctans non Jacob ſed Iſraël appellatur. *Omnis* tamen *gloria filiæ Regis*, non in his quæ in facie ſunt, ſed *ab intùs, in fimbriis aureis*, quæ intrà velum Sanctum Sanctorum verſis vultibus cum Cherubim in propitiatorium tantùm reſpiciunt. Cardinales virtutes fimbriæ aureæ ſunt, quia *Domini ſunt cardines orbis terræ.* Sunt etiam columnæ argenteæ ſuper baſes aureas, ſalubres virtutes de corde puro & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ. De quibus dicitur: *Ego confirmavi columnas ejus.* Hæ portant templum Salomonis; cum vera religio fundata in mente bonâ, regularibus diſciplinis Evangelium Dei non erubeſcit, ſed Evangelica mandata tamquam ſuperpoſitam fabricam humeris voluntariæ obſervationis conſervat. Sicut Maria *conſervabat omnia verba hæc.* *Luc. 2. 19.* Ad clauſtralem itaque diſciplinam ſtylum teneamus, & velut in uno corpore ſpecioſæ puellæ formam non denegare [a] Amalech, ſed de ſemine Abrahæ definiamus.

CAPUT IV.

De diſciplina clauſtralis obſervantiis.

CLauſtralis diſciplina ſpectaculum eſt Deò, & Angelis, & hominibus: Deo in medullâ intentionis; Angelis in gemitibus & ſuſpiriis; hominibus in factis & dictis. *Homo videt in facie, Deus in corde*; Angelus medios fines cogitationis & operis. Ad Deum reſpicit *charitas de corde puro, & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ*; ad Angelos ſimplicitas ſancta cum bonâ ſpecie, de quâ dicitur: *Specie tuâ, & pulchritudine tuâ, intende, proſperè procede, & regna.* (Grata eſt enim, ut ait Auguſtinus, ſanctis Angelis ſacrata & pia ſignificatio. *Exod 12. 22 23.* Unde & Dominus in Exodo percutiens Ægyptios, percuſſorem non ſinit ingredi domos, in quarum ſuperliminario, & utroque poſte viderit ſanguinem agni.) Ad homines dilectio ſine ſimulatione, converſatio ſine querelâ. Circumamicta itaque diſciplina clauſtralis hujuſmodi ornamentis ſpiritualibus, nequaquam cervicem erigit, & ambulat extento collo; ſed cum Rebeccâ operit ante conſpectum Dei vultum ſuum pallio pudoris & humilitatis.

Cum ambulaverit, dicit: *Job 31. 37.* *Per ſingulos gradus meos pronuntiabo Dominum.* Item: *Circuivi, & immolavi in tabernaculo ejus hoſtiam jubilationis.* Non enim ſicut impii in circuitu vanitatis & curioſitatis ambulat, ſed cum Angelis aſcendit ſcalam Jacob exceſſu mentis; & deſcendit contemplatione ſuæ fragilitatis. Cum ſederit, cogitat de ſede majeſtatis, de ſede æternitatis quid dictura ſit, vel actura à facie fortitudinis Dei, in die iræ & revelationis juſti judicii Dei. Si ſteterit, dicat, *4. Rg. 3.* *Vivit Dominus in cujus conſpectu ſto.* Et, *Manè adſtabo tibi.* Et, *Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Jeruſalem.* Et, *Locus in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Si caput levaverit, dicat: *Ad te levavi oculos meos in montes, qui habitas in cœlis.* Et, *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Et, *Sicut oculi ſervorum in manibus dominorum ſuorum: & ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ.* Si os & labia aperiat, dicat: *Os meum loquetur ſapientiam.* Et, *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.* Et, *Prohibe linguam tuam*

a *non denegare*] Procul dubio legendum, *non de genere.*

Digitized by Google

à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Et, *Omnis ſermo malus de ore veſtro non procedat.* Si aures præbuerit loquenti, non audiat ſanguinem, *Non accipiat opprobrium adverſus proximos ſuos.* Si comedat, antequàm comedat, cum Job ſuſpiret de neceſſitate pro pomo inflictâ; & quia vocem exactoris ſtomachus importunè exaudit, mixturam faciens confuſibilem & fallacem neceſſitatis & delectationis. Rarus namque eſt, qui ſemper interponat maceriam diſcretionis inter appetitum neceſſarium & ſuperfluum. Si biberit vinum, non venenum ſumat. Unde Apoſtolus: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Et, *Modico vino utere propter ſtomachum tuum, & frequentes infirmitates.* Si dormierit, dicat: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Et, *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam.* Et, *Caro mea requieſcet in ſpe.* Surgens itaque ad vigilias, ſi oraverit, oret ſpiritu & mente. Intret in cubiculum, & clauſo oſtio oret patrem ſuum plùs corde, quàm voce; plùs fide, quàm modulatione. Si ad Confeſſionem venerit, lagenam aquæ bajulans, ſub balteo contritionis paxillum portet redargutionis, quo operiat terram cordis, & deponat onera mentis, delens reliquias Amalech, & in ſeipſo interficiat omnes operantes iniquitatem: fundat ſanguinem hoſtiæ confeſſionis juxtà baſim altaris; quatenùs puro ſanguine de latere Chriſti ſua expurget menſtrua; & ſub terebintho crucis abſcondat idola peccatorum ſuorum. Non ſe palpet, non declinet ad dexteram bona ſua laudando, neque ad ſiniſtram vera tacendo, aut quod non eſt, malum fingendo. Si fratris culpam accuſaverit, caveat ne ferrum cadat de manubrio, plus juſto ſæviens, ne mentum Amaſæ Joab tenens, blandimento in inguine feriat ſeducendo.

Eph. 5. 18.
1. Tim. 5. 23.

Si de manifeſto arguit, manſuetudinis verba agni manſueti teneat; *Juda*, inquit Dominus, *oſculo filium hominis tradis?* Si de occulto, utatur correptione privatâ, non proditione publicâ. Si potentem aut Prælatum, Nathan ad David, & duos filios Noe videat. Ille cautè ex obliquo circumdans, leonem in agnum, utique Regem potentiſſimum plus arte quàm ſeveritate ſuis injecit vinculis. Hi verenda Patris licet nuda, videre noluerunt, ſi adverſo [b] dorſo texerit. Si legerit, ſimplicitatem amicam legi divinæ afferat, & botros in vineâ comedens extrà non efferat, aliter interpretando, & ſenſus perverſos adjiciendo. Non deſudet ad quæſtiones quæ non ſunt ad ædificationem, ſed ad contentionem, & audientium ſubverſionem. Legat, ut intelligat; intelligat, ut mandata Dei faciat: compunctionem ibi quærat, non ſuperfluam occupationem: mandet medullam legis medullis cordis, quibus impinguatus holocauſta medullata, offerat cum incenſo arietum, id eſt ſincerâ veritate, & verâ charitate Apoſtolorum & Prophetarum. Et quia calix in manu Domini, ſcriptura ſancta, & inclinat ex hoc in hoc, aliquando legenda ſunt mandata divina, aliquando Sanctorum exempla; quia unus eſt ſermo Dei in paſſionibus Martyrum, & in ſanctis converſationibus Confeſſorum. Quod enim quaſi mortuum jacet in pelli morticinâ deformatum in litterâ, vitâ vivit, cum agitur quod legitur. Si ad publicum aliquâ neceſſitate venerit, redeat cum feſtinatione tamquam de carcere, tamquam de laqueo, tamquam de camino, tamquam de inferno inferiori. Vidit David iniquitatem in civitate. Vidit Dina mulieres regionis, & periit inde Hemor filius Sichem cum patre & populo ſuo. Sic venter diſciplinæ clauſtralis eburneus de caſtitate, diſtinctus eſt ſapphiris hac pulcherrimâ varietate. Æſtimo clauſtralem diſciplinam ad hoc conſtitutam, ut ſicut in Eſther legitur, de univerſis regnis eligerentur puellæ ad opus Regis, quæ ſub cuſtodiâ traderentur, ſummo ſtudio imbuerentur, & ungerentur oleo myrtino, & aliis pretioſiſſimis unguentis; denique longâ, & exactiſſimâ diligentiâ probatis, & vultu ornatiſſimo ornatis, quæ Regi placebat, cum Rege pernoctabat, ad nutum ejus intrabat, & exibat. Sic Rex magnus, Rex Regum, Rex ſæculorum, de cunctis gentibus, tribubus, linguis, populis, & ex omni natione quæ ſub cœlo eſt, à ſolis ortu & occaſu, ab aquilone & mari, prædeſtinatos ſuos vocat, & ad clauſtralem diſciplinam congregat, & mores incompoſitos limâ regulari complanat, vitiorum fœtorem unguento piæ converſationis exterminat, regiis amplexibus dignas mentes, & corpora præparat, & die conſtitutâ ab æterno, ad thorum & thalamum gloriæ, & beatæ vitæ vocat.

Eſt.

CAPUT V.

Quòd per diſciplinam clauſtralem, prima reparatur tranſgreſſio.

NAtura humana, ſive libertas arbitrii, in prævaricatione originali viribus, bonitate naturali, ſummoperè debilitata, ex quo de ventre matris homo egreditur, indiget diſciplinâ pedetentim tamquam remedialibus ſuffragiis reparari. Primi ſiquidem & novi mandati ſolidiſſimas confringens valvas, principio dati liberi arbitrii nobilitatem compedivit, & robur corporalis ſanitatis infirmavit. Occaſio autem tanti mali fuit, quòd cœleſtem diſciplinam non ſervavit; nec erat diſciplina illa ad tenendum difficilior, quàm ad mandandum. Voluptas appetitum non trahebat, neceſſitas non urgebat, fames non mordebat, ſapor ligni vetiti conceſſis pomis non præjudicabat dulcedine, licet ſcriptum ſit; *Quia vidit mulier lignum pulchrum ad videndum, & ad guſtandum ſuave.* Nequaquam certè excludit hoc pulchrum, & hoc ſuave, pulchritudinem & ſuavitatem omnium lignorum paradiſi: ſed ſuggeſtione ſerpentis mens muliebris perforata demonſtratur. Pulſata namque ſive abſorpta à tentatione anima, rem concupitam æſtimatione non appendit, ſed delectatione. Facillimâ igitur diſciplinâ, & nullo onere preſſâ, Dei manu plaſmata tota in circuitu natura humana potuit in ſuâ ſuavitate ſervari; quæ malè ſauciata, nullis ad plenum remediis uſque ad ſanguinem agni valuit liberari. Gen

Quot prætentavit medicinarum adhibere magnus Medicus remedia humanis vulneribus, teſtis eſt Abraham in circumciſione; teſtis eſt Moyſes in hoſtiarum immolatione, & aliarum ſpecierum oblatione; teſtes omnes Prophetæ in increpatione, & aſſiduâ prædicatione. Indurerat nimiâ veteratione, & inſufficienti curatione morbus; nec curatio ſuperna liberabat ægrotantem, qui exſpectabat Dominum ſalvatorem, quatenùs Dominus liberaret ſervum, & ſalvator ægrum. Præmiſit ſalvator iſte diſciplinam tamquam virgam Moyſi, ſed ſibi retinuit virgam virtutis ſuæ in cruce, in quâ fuſo ſanguine tela ignea nequiſſimi diaboli exſtinxit, & ab omni febre infirmum ſuum ſanavit.

b *ſi adverſo*] Acherius rectè monet legi oportere, *Sed adverſo dorſo texerunt.*

CAPUT VI.

Quòd Clauſtrum ſit Vicarium crucis.

VIcarium itaque ſuæ Crucis clauſtrum conſtituit, ut ſicut diſciplina pacis noſtræ in corpore ſuo ſuper lignum crucis fuit, ſic nos extrà ſæcularia caſtra exeuntes ad clauſtrum improperium ejus portemus, & tamquam filii juxtà ſapientiſſimi Salomonis conſilium, diſciplinam ejus apprehendamus. *Fili*, inquit Salomon, *apprehende diſciplinam patris, & ne dimittas legem matris tuæ*. Et Pſalmiſta: *Apprehende diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus*. Et Apoſtolus: *Quòd ſi extrà diſciplinam eſtis: ergo adulteri, & non filii eſtis*. Et alibi: *Omnis diſciplina in præſenti quidem non videtur eſſe gaudii, ſed mœroris; poſtea verò per eam exercitatis fructum pacatiſſimum reddet juſtitiæ*. Eſt autem Clauſtrum in confinio Angelicæ puritatis, & mundanæ colluvionis. Si quas arenulas honeſtatis de mundo tamquam de Ægypto Hebræus tranſiliens, à vicinis artibus, quæ appellantur liberales, mutuans, ad clauſtrum detulerit; utiquè remoto indicio furti poterit: *Omnis enim ſapientia à Domino Deo eſt*. Propter ſapientiam carnis, quæ inimica eſt Deo, hanc non amat diſciplina clauſtralis: quia potiùs eſt ad ſubverſionem ſimplicitatis (quæ eſt unica Deo, Clauſtri filia) quàm ad ædificationem. Raſis itaque ſuperciliis pompoſæ vanitatis; unde ait Apoſtolus: *Ne quis decipiat vos per Philoſophiam, & inanem fallaciam*: & unguibus [c] avaræ rapacitatis ſubſtractis, ſecurè matrimonium, cum omni doctrinâ, quæ contrà fidem non eſt, contrahat incola clauſtri. Quicumque enim alterius ſaporis eſt extrà clauſtrum, etiamſi oleaſter, etiamſi ramus inſertus in bonam olivam, pinguedine radicis dulcoratur: & gremio divinæ ſapientiæ fotus, ab immobilitate commutatur. Sic Grammatica, ſic Dialectica, ſic Geometria, ſic Aſtronomia divinæ ſcripturæ ſapidiſſimo ſale conditæ, quæ guſtatæ ſolebant afferre mortem: ſicut filii Prophetarum clamant ad Eliſeum Prophetam: *Mors in olla vir Dei*: admixtione farinæ, id eſt, gratiæ, præſtant ſalubrem refectionem, & tamquam Gabaonitæ, comportant ligna & aquas ad diſciplinam clauſtralem. Hæc jure belli Iſraelitæ ad clauſtrum ſuum deferunt à caſtris Philiſtinorum, cum edoctis ſæcularibus literis divinas ſtudioſiùs legant, acutiùs intelligant, hæreticorum deceptiones cautiùs deprehendunt, fidei ſimplicitatem & veritatem fortiùs & firmiùs defendunt. His clauſtralis noſter vacans non vacat; his intentus otioſa, vana, & ſuperflua cordis phantaſmata effugat; his conſepultus dormiens vigilat. Iſtæ ſunt veſtes mutatoriæ, quas ſecum Naaman leproſus ad Regem Iſraël detulit.

Pſal. 2. — *Hebr. 12. 18.* — *Ibid. v. 11.* — *Eccl. 1. 1.* — *Coloſſ. 2. 8.* — *4. Reg. 4. 40.*

Quid juvant Clauſtrales ſcientiæ ſeculares.

Si autem de mundo tantas extrahimus mentes, quid de cœlo? quid à Deo, à quo *omne datum optimum, & omne donum perfectum eſt*? Qui igitur rigat montes de ſuperioribus ſuis, & paradiſum fluvio qui egreditur de loco voluptatis, & inde dividitur in quatuor capita, ut habeat quadriforme clauſtrum rigationes diſtinctas. Dicitur in Evangelio: *Qui biberit aquam quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Hoc autem dicebat de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum*. Nota ſunt quatuor flumina paradiſi his qui cum Paulo Apoſtolo rapiuntur ad tertium cœlum, ſive ad ipſum paradiſum, & inebriantur ab ubertate domûs Dei, & torrente voluptatis. Notæ ſunt & aquæ de fontibus ſalvatoris, quæ ſeptiformi impetu lætificant civitatem Dei. De quibus dicitur: *Deriventur fontes tui in plateis*: de quibus non bibit alienus. Job vocat fontes iſtos rivos olei, dicens: *Petra ſundebat mihi rivos olei*. Iſaias, qui vidit Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum, enumerat & nominat fontes Salvatoris, five rivos olei: fontes; quia ipſe Apoſtolis promiſit, & miſit ſeptiformem ſpiritum: rivos olei; quia licet ſit per omnia æqualis Patri & Filio, non eſt tamen à ſeipſo, ſed à Patre & Filio. Ideirco dona gratiæ dicuntur rivi olei. Secundum humanitatem ſuam, filius unctus eſt oleo lætitiæ præ participibus ſuis. Unde Iſaias: *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis; & replebit eum ſpiritus timoris Domini*. Lucerna Evangelica ſic perfuſâ & infuſâ, non ſolùm lucerna eſt, ſed *lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Et nos de plenitudine ejus accepimus, & in effuſione illa quando latus ejus miles aperuit, & exivit ſanguis & aqua; & oliva in torculari miſit ſpiritum tamquam oleum.

Jac. 1. 17. — *Joan. 4. 14. & 7. 39.* — *Prov. 5. 16.* — *Job 29. 6.* — *Iſai. 11. 2.* — *Joan. 1. 9.*

Sed quid hæc ad clauſtralem diſciplinam? Planè tota forma clauſtralis diſciplinæ emanavit de Cruce. Sic enim Chriſtus exaltatus à terrâ, ſuſpenſus eſt in cruce, exſpoliatus veſtimentis ſuis, & ſic diſtenſus, ut numerarentur omnia oſſa ejus; ligno ſic affixus, ut nullum membrum ejus moveret præter linguam, quam retinuerat ad orandum, & matrem dilecto diſcipulo commendandam. Sic Clauſtralis, qui verè clauſtralis eſt, debet ſe totum crucifigere cum vitiis & concupiſcentiis. Debet ſe à terrâ ſuſtollere, ſicut ſcriptum eſt: *Suſtollam te ſuper altitudines terræ*. Et, *Cibabo te hereditatem Jacob patris tui*. Debet ſe exſpoliare, ſicut in Canticis dicitur: *Exſpoliavi me tunicâ meâ*, id eſt, carnis concupiſcentiâ. Debet extendi ad anteriora, non ſimulatè, ſed uſque ad disjunctionem compagum & medullarum, ut anima liqueſiat poſt dilectum: debet ligno affigi, ut hoc corpus mortale cum omnibus membris ſuis timore divino ſit impotens ad omne malum, potens verò ad omne bonum. Solam autem linguam retineat ad confitendum & orandum. Quid ampliùs? Surdâ aure irriſores & illuſores cum Propheta tamquam ſurdus tranſeat. Suggeſtiones & tentationes, quæ de clauſtro exire tamquam de cruce deſcendere cornicantur, non audiat. Ad extremum reddat ſpiritum Deo, qui dedit illum, dicens: *In manus tuas commendo ſpiritum meum*, uſque ad reſurrectionem; ne tormentum malitiæ tangat illum; quia *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum malitiæ*.

Clauſtralis Chriſtû Cruci affixum imitari debet. — *Iſai. 58. 14.* — *Cant. 5. 3.* — *Pſal. 30.* — *Sap. 3. 1.*

CAPUT VII.

Qualiter Clauſtrum inſtitutum ſit.

EX quo Lucifer, ſive Satan, ſicut fulgur de cœlo cecidit, ad ipſum non redit: quia clauſtralem diſciplinam non tenuit: eſt enim diſciplina clauſtralis lugere ſua, & aliorum peccata: Prælato ſuo ſubjici, obedire per omnia: cavere ab inſidiis; nullis inſidiari (quia juxtà Hieronymum, non multum diſtat in vitio decipere, aut decipi poſſe) primum & ſecundum legis mandatum de dilectione Dei & proximi adimplere, & innocentiam & ſanctimoniam ſervare: Deo ſemper adhærere, & ad ſupernam patriam totis deſideriis inhiare. Rupto ſemel fœdere debitæ ſubjectionis, dorsùm ruens dia-

In quibus ſtat diſciplina Clauſtralis. — Quare diabolo miſericor-

[c] *& unguibus*] Alludit ad verſus 11 & 12 Deuteronomii, ait Acherius.

Veniam Dei non conſequutus. bolus, ex tunc fremens dentibus & frendens, diſciplinam omnem potiùs ſubvertit, quàm tenuit; ideo miſericordiam non eſt conſequutus, quia nec veniam eſt ſequutus, nec culpam confeſſus. Homo autem de limo plaſmatus, propter culpam de clauſtro paradiſi ejectus, ad orientalem plagam plangens plagas ſuas, & dicens Deo: *Amove a me plagas tuas*: *Pſal. 38, 11.* tempore accepto, & ab æterno prædeſtinato, in fine ſæculorum propagatâ ſanctorum viâ in Jesu & cum Jesu ad clauſtrum redit, & regulari diſciplinæ ſubjectus, non ſolùm veniam, ſed & primam ſtolam, imò ampliorem gloriam recepit. Sequentes filii hominum & habentes oculos in capite, ex his quæ facta ſunt didicerunt ſapientiam, quà vitarent irreparabilem diaboli caſum, & cum anteceſſoribus ſuis regulariter vivendo, ex indulgentiâ miſericordiæ Dei ad hæreditatem paternam habeirent ingreſſum.

Hanc principalem cauſam æſtimo quare homines egrediantur de ſæculo, & ingrediantur Clauſtrum. Qui enim ſunt in diluvio aquarum multarum, vitiorum & divitiarum, nec ad clauſtrum, nec ad Dominum approximabunt, niſi imbre ſiccato. Qui in clauſtro eſt cum Noë, qui [d] interpretatur requieſcere in arcâ; extrà arcam verò eſt, qui extrà diſciplinam eſt. Paucæ autem, id eſt octo animæ in arcâ ſalvantur, quia *Multi vocati, pauci electi*; *Matt. 24. 24.* qui reſurgent in octavâ in reſurrectione vitæ. In Clauſtro habitat Jacob cum Rebeccâ, quæ eſt patria. In Clauſtro eſt Benjamin cum patre ſuo, ne quid ei mali contingat in via peccatorum; ubi leo, ubi fera beſtia luxuria, quæ devorat Joſeph, ſæpe infamiâ, aliquando re ipſâ. In clauſtro Jonas in ventre ceti: *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: & filius hominis in corde terræ.* *Matt. 12. 40.* Sic Clauſtralis conſepultus Chriſto, cogitatione, & operatione moritur peccato, & vivit Deo. In Clauſtro Jeremias ſanctificatus in utero, qui ſedet ſolitarius & tacet, & levat ſe ſuper ſe, non elatione ſed contemplatione: qui tollit jugum ſuave & onus leve, ut ſit mitis corde. In Clauſtro Joannes Baptiſta, qui

Paul. Diac.

> *Antra deſerti teneris ſub annis,*
> *Civium turmas fugiens petivit:*
> *Ne levi ſaltem maculare vitam*
> *Famine poſſet.*

In Clauſtro Maria, cum ingreſſus Angelus ad eam dixit: *Ave gratiâ plenâ, Dominus tecum.* In Clauſtro Jesus, cum factus eſſet duodecim annorum in templo ſedens, reſpondit matri dicenti: *Ego & pater tuus quærebamus te: Neſciebatis*, inquiens, *quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* *Luc. 2. 48.* In Clauſtro Apoſtoli; *Cum eſſet ſero die illo unâ Sabbatorum, & fores eſſent clauſæ, ubi erant Diſcipuli congregati: venit* Jesus *januis clauſis, & ſtetit in medio eorum, & dixit; Pax Vobis.* *Joan. 20. 19.* Et, *Cum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes Diſcipuli pariter in eodem loco, &c.* *Act. 2. 1.* Ecce qualea prævios habet clauſtralis converſatio. Quàm pium igitur, quàm bonum, quàm jucundum, & quàm tutum habitare in Clauſtro! *Frater enim fratrem adjuvans, civitas eſt munita*, de quâ dicitur, *Quis deducet me in civitatem munitam?* *Pſal. 59. 11.* Clauſtrum civitas eſt; quia ad benè vivendum Clauſtrales conveniunt: munita, quia ſub protectione Dei cœli vivunt. Diſciplina clauſtri porta ferrea eſt, quæ ducit ad civitatem; cujus viam non inveniunt qui errant in ſolitudine, & ſemper errant corde. Diſciplina Clauſtri, petra eſt ſcandali, & lapis offenſionis, his qui non credunt verbo in quo & poſiti ſunt. Diſciplina clauſtri petra eſt, quæ bis percuſſa renuntiatione ſæculi, & profeſſione Religionis, dat aquas ut bibant homines & jumenta; prudentes & ſimplices, quibus dicitur: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes; & ſimplices ſicut columbæ.* *Matt. 10.* Diſciplina clauſtralis eſt crux Chriſti; de quâ non deponitur, niſi mortuus. Eſt enim obediens clauſtralis Patri uſque ad mortem, mortem autem crucis. Pedes pendentis ſic defixi ſunt, ut non moveantur veſtigia ejus de Clauſtro: manus tornatiles ad obedientiam; aureæ ad munditiam; plenæ hyacinthis ad eleemoſynam; diſtillantes myrrham primam ad mortificandam carnem, & non accipiendam pecuniam.

Oculi ad patrem, ad diſcipulum, & matrem id eſt, ad Deum ſemper, & ad Mariam Virginē, & ad Joannem Evangeliſtam. Deus poſſidet cœlum, Mater implorat filium, Joannea tenet Evangelium. Bonum eſt ex his in his vultus demutare; & modò invocare Dominum, modò exorare matrem Domini Jaau; modò legere Evangelium Joannis caput inclinatum: Nam *inclinato capite tradidit ſpiritum.* *Joan. 19* Semper habet Clauſtralis caput in terrâ defixum cum venerit in publicum; cum autem clauſo oſtio intraverit cubiculum, tunc levet oculos ad cœlum, & caput ſursùm; dorſum flagellis cæſum, ſive pro peccato, ſive pro delicto, ſive gratiarum actione, & paſſionis Chriſti recompenſatione: latus perforatum ſeu apertum, unde proferat & offerat holocauſta medullata cum incenſo, arietum, & unde ſanguis profluat ad baſim altaris, Prælato confitendo peccata ſua: & etiam aqua exeat compunctionis ad abluendas maculas criminis. Venter diſtentus non ſuperfluâ cibi & potûs refectione, ſed continuâ jejuniorum exinanitione, ut dicat: *Pelli meæ, conſumptis carnibus, adhæſit os meum.* *Job. 19* Et, *Dinumerata ſunt omnia oſſa mea.* *Pſal. 21* Sic etiam venter diſtinctus ſapphiris, ne non coccinea ſanguine, ſed hyacinthina appareat pellis in mortificatione: nec conſtruatur ibi horreum vermibus, ſed ſicut uter in pruinâ aſſiduis decoquatur afflictionibus. Hunc crucifixum deponat Joſeph & Nicodemus (Angelus & Prælatus) & condiant mixturam myrrhæ & aloes, quatinùs non amavit corruptionem in clauſtro; ſic non ſentiat vermes qui non moriuntur in inferno. Procul dubio hic habebit Angelos ad caput & ad pedes, qui cuſtodiunt introitum ejus & exitum, ſuſcipientes animam exeuntem de corpore, & perducentes ad requiem.

CAPUT VIII.

Comparatio inter diſciplinam Philoſophi, Judæi, Chriſtiani, & cujuſlibet Religioſi.

SCintilla naturalis boni, quæ remanſit in homine extincto primordiali manûs Dei ſeminario, decurrens per gratiam Dei in arundineto omnium artium, multiplices adinvenit diſciplinas, ſecundùm quas vivendo, etſi non prorſus prima creatio repararetur, ſaltem uſque ad cineres non deficiendo, non extingueretur. Unaquæque igitur gens ſub ſole & regio pro capacitate rationis diſciplinam ſibi confinxit; ad quam ſtultorum enormitas, & prudentium æquitas regulariter viveret. Philoſophi itaque ſuam ſtatuerunt diſciplinam. Judæi acceperunt ſuā: Chriſtiani ſuam; ad ultimum Eremitæ & Clauſtrales ſuam. Diverſa intencio dividit inter diſciplinam & diſciplinam. Intendit Philoſophua gloriam humanam & favorem ſibi acquirere: Judæua bona terræ: Chriſtianus ſpem veniæ & gratiæ: & Clauſtralis cumulum gratiæ & gloriæ. Philoſophus timatur ſe-

d cum Noe, qui] Lego, cum Noë, hic.

creta naturæ: Judæus craſſitudinem terræ: Chriſtianus promiſſionem vitæ quæ nunc eſt, & futuræ: Clauſtralis partim activæ fructum, partim contemplativæ. Philoſophus abjicit impedimenta carnis, & onera ſæculi: Judæus hoſtiis & muneribus ſtudet ad emundationem carnis: Chriſtianus ſacramentis Eccleſiaſticis emundatur ab operibus mortuis: Clauſtralis non ſolùm abſtinet ab illicitis, ſed etiam à licitis. Philoſophus ſeminat in ſpiritu non Dei, ſed ſuo & vano: Judæus in carne: Chriſtianus in fide, ſpe, & charitate: Clauſtralis in filiali adoptione. Præſumptio juvat Philoſophum: temporalitas Judæum: fides relevat Chriſtianum: prægustatio futuræ ſpei confortat Clauſtralem religioſum. Ingenium acuit Philoſophus: quærit literam Judæus: implorat bonum Chriſtianus: coronam auream ſperat Religioſus. Novitate verborum & ſententiarum gaudet Philoſophus: litterà & carnalitate Judæus: ſpiritali intelligentià Chriſtianus: auſteritate vitæ Religioſus. Farinam comedit de molendino ingenii Philoſophus: inſipidum corticem de lege Judæus: ſimilam de Evangelio Chriſtianus: medullam de bono propoſito Religioſus. Spargit Philoſophus: congregat Judæus: erogat Chriſtianus: renuntiat omnibus Religioſus. Docet in ſcholis Philoſophus: in Synagoga Judæus: in Eccleſià Chriſtianus: in Clauſtro Religioſus. Plauſum amat Philoſophus: nummum Judæus: Deum Chriſtianus: planctum Religioſus. Ut cervus in ſylvis, Philoſophus: ut taurus in campis, Judæus: ut columba in foraminibus petræ, Chriſtianus: ut aquila in contemplatione, Religioſus. Philoſophus vivit arte: Judæus carne: Chriſtianus fide: Religioſus carnis mortificatione. Diſputat Philoſophus: ſomniat Judæus: legit & intelligit Chriſtianus: orat Religioſus. Capit cyniphes Philoſophus: muſcas morantes Judæus: aves Chriſtianus: apes Religioſus. Telas araneæ orditur Philoſophus: fovet ova ſua Judæus: rete Petri reficit Chriſtianus: rationale & ſuperhumerale texit Religioſus.

Si fidei coagulum interveniſſet, clauſtralis & Philoſophica diſciplina mutuis ſe ſe brachiis amplexarentur, & in remotione à turbis oſcularentur. Impedit namque vires ingenii, & ſenſus animæ retardat ſæcularis occupatio, & vana colloquutio. Ut itaque totum ſenſum ſibi vindicaret, quieta & ſecreta quærebat loca, ubi extolleret animum, & ſenſu purgato proferret infermentatum fermento Evangelico fidelem ſenſum. Sed cum Jacob [e] in virgis artium decorticatis, non unius, ſed diverſi coloris commentatum veri ſimile verum, ſenſus carnis tranſiens, & ad ſenſus animæ pertingens, ſi ad ſenſum Dei & fidei perer anſiiſſet, ſalvus eſſet: ſed qui offendit in uno factus eſt omnium reus. Utinam tantâ ſeveritate & aſſiduitate cum fide & regulari obſervatione noſtram carnem affligeremus, & paupertatem amaremus, quantâ plurimi Philoſophorum vitia carnis à ſe extirpaverunt. Sed quia fides mundat corda, & vera pœnitentia per confeſſionem omnia exterminat peccata, ſi quid minus habet extrinſeca politica, totum reſarcit intrinſeca novæ creaturæ forma. *Omnis enim gloria filiæ Regis ab intùs*: nec eſt remunerabilis religio, aut diſciplina, quam non commendat gratia cum conſcientià bonà. Teneat itaque noſtra diſciplina fecundum [f] ſilentium; cum Judæo juge ſacrificium; cum Chriſtiano commune charitatis ſolatium; cum ſuà profeſſione ſingulare divinæ voluntatis obſequium. Excludat mundanarum ſollicitudinum curam cum Philoſopho; obſervet unius Dei cultum cum Judæo; gratiæ ſe commendet cum Chriſtiano; ſeipſum ſuperet interno ad Deum deſiderio. Adimpleat quæ prima ſunt in voto cum Philoſopho; quæ media cum Judæo; quæ extrema cum Chriſtiano; quæ ſuprema ex gratià cum libero arbitrio. Metat quod viride eſt cum Philoſopho; quod fecundum cum Judæo; quod maturum cum Chriſtiano; quod fructuoſum cum ſuo voto.

CAPUT IX.

De Angelicâ diſciplinâ.

Reſtat Angelica diſciplina, quæ tota eſt voluntaria, & totum habet ex dilectione, & nihil ex difficultate ſive labore. Cum Deo miniſtrat, reficitur: cum aſſiſtit, ſatiatur; cum mittitur, currit cum exultatione; cum revertitur, excipitur cum jubilatione; ſemper infrà Deum currit, nunquam extrà. Nihil in diſciplinà illà confuſum, nihil moleſtum, nihil exordinarium; omnes illos ſpiritus liquefactos in amorem Dei & ſui ad invicem coagulat; & uno ſpiritu conglobati, tantà ligantur compagine, quantà ſi unus tantùm ſpiritus eſſet in totâ illa multitudine. In ordine illo ſunt novem ordines Angelorum; quibus adjungitur decimus hominum; ut Pſalmiſta canat in medio clauſtri, in decachordo pſalterio cum cantico, in citharâ crucis & crucifixi. De quâ conſonantià loquitur Apoſtolus: *Si linguis hominum loquar & Angelorum*, id eſt, in decachordo pſalterio: *Charitatem autem non habeam*, id eſt, citharam crucis & unitatis; *nihil ſum*. Eſt enim participatio ejus in idipſum, donec formetur Chriſtus in vobis, illà formatione quà omnia membra ſuo capiti juncta, divinæ conſortes efficientur fideles naturæ. In cellà clauſtrali tamquam in utero clauſi, lineamenta contrahimus, quibus ſolutâ mortalitate Angelis aſſimilabimur, *Cum ſimiles Deo erimus*; ut ait Apoſtolus; *Quoniam videbimus eum ſicuti eſt*. Quæ ergo ſunt illa lineamenta? Puritas Angelica, munditia, caſtitas, charitas, pax & veritas, & omnes illæ virtutes, de quibus dicitur: *Benedicite Domino omnes virtutes ejus*. Orandum eſt, ut qui illas creavit in cœlo, nobis informet in Clauſtro; ne vultus diſſimiles ſeparent manſiones. Si enim Angelus in te aſpexerit vultum ſuum, diliget te tamquam ſeipſum.

CAPUT X.

De formâ Clauſtralis diſciplinæ.

Forma clauſtralis diſciplinæ ſpeciem retinet Angeli nuntiantis Dominicâ reſurrectionem: *Erat ſiquidem aſpectus ejus ſicut fulgur, & veſtimentum ejus ſicut nix*. Timida namque corda carnalium qui ad bella non procedunt, & venire ad nuptias contemnunt, primo religionis aſpectu expaveſcunt; & conſuetis carere ſe non poſſe voluptatibus, phantaſticis illuſionibus confingunt. Occupantur enim in quinque jugis boum Evangelicis; & in villâ emptâ; & in uxore ductâ; ſumptus qui neceſſarii ſunt, cauſantur non habere; patientiam, auſteritatem cibi & potûs, vilitatem indumentorum, juge ſilentium, obedientiæ jugum, recluſionem continuam, continentiam perpetuam, & his ſimilia: viros ſe nominant, ſed inter effœminatos ſe moribus collocant. De hujuſmodi ait Gregorius: Quid inter hæc bar-

e *Sed cum Jacob*] Totus hic locus fœdè corruptus eſt, & non nulla deſunt, quæ ſine ope manuſcripti codicis reſtitui non poſſunt

f *ſecundum*] Maio, *facundum*, aut *ſecundùm Philoſophos*.

bati dicimus, qui ire per ferrum ad regnum puellas videmus? Non negamus aſperitatem hujus noſtræ diſciplinæ, ſed cum Pſalmiſta dicimus: *Propter verba labiorum tuorum* (id eſt, *Qui non odit patrem ſuum & matrem ſuam.* Et, *Qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt eſſe meus diſcipulus*) *ego cuſtodivi vias duras. Vaſa quoque figuli probat fornax.* Et, *Non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit.* Fugiunt à ſonitu folii nemine perſequente. Tactus & guſtus veriores ſunt in judicio, quàm ſolus aſpectus. Tangenda eſſet & guſtanda diſciplina Clauſtri, & ſic dijudicanda eſſet, utrum bona eſſet, an mala. Veſtimenta ſunt ut nix; veſtimenta clauſtralis diſciplinæ, ſunt regulares obſervantiæ. Quare nix? quia extinguunt deſideria, & incentiva carnis; quia caſtigant afflictione, ſed dealbant remuneratione. *Si fuerint*, inquit Iſaias, *peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur.* Quando? dum diſcernet Deus Reges, nive dealbabuntur boni clauſtrales: quia erunt ſicut Angeli Dei in cœlo, relucentes ut ſol in perpetuas æternitates. Non incongruè autem clauſtrum aliis reputatur ſtadium; aliis interius atrium; aliis gazophylacium; aliis ſanctum ſæculare; aliis regale cubiculum; aliis patibulum; aliis forum venale.

CAPUT XI.

Clauſtrum eſſe ſtadium oſtenditur.

STadium dicitur à ſtando, quia qui in Clauſtro eſt, ſtare debet in virtute cum omni ſollicitudine non in vitiis cadere: unde Apoſtolus: *Qui ſtat videat ne cadat.* Stadium autem eſt, in quo omnes currunt, ſed unus accipit bravium. Licet enim ſtadium à ſtando dicatur, tamen per ſtadium curritur, ubi ad bravium venitur, & ibi curſus conſummatur; ſicut Apoſtolus ait: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi &c.* Omnes ergo qui comam capitis propter Chriſtum depoſuerunt, & habitum Religionis ſuſceperunt, currunt dum ad finem tendunt; ſed unus accipit bravium, qui non mutatur ut luna, non recedit ab unitate fidei & profeſſæ Religionis. *Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.* (Pſal. 23. 5.) Hujus ſtadii lex eſt, ut ab omnibus abſtineat qui ad bravium feſtinat. Mitius non ligat lex noſtra, quæ pauca tollit, & plura concedit. Tollit fornicationem, adulterium, omnem immunditiam, ipſum quoque matrimonium: quia *Qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt.* (1 Cor 7. 33.) Tollit crapulam, tollit pecuniam, tollit ſuperflua, concedit neceſſaria. Sic mandat Moyſes Sehon Regi Amorrhæorum: *Via regia gradiemur, aquas tuas non bibemus, nec aliquid tui accipiemus; ſed pretio ememus neceſſaria.* (Num. 21. 22. Paulo aliter in Vulgatis.) Peregrinus & advena, qui quotidie tranſit ex hoc mundo ad Patrem, de ſubſtantiâ Principis hujus mundi uſque ad ſiium ſubtegminis non accipit, quatenus ſua repententi exitu animæ confidenter dicat: *Nihil in me, funeſte, reperies.* (S. Martinus in vitâ.) En iſte eſt curſor levis explicans vias ſuas, currens velociter in odore unguentorum ſponſi. De hoc ſtadio ait Dominus filiis Iſrael: *Omnis locus quem calcaverit pes veſter, veſter erit, à Deſerto, & Libano, & flumine magno Euphrate, uſque ad mare occidentale erunt termini veſtri.* (Deut. 11. 24.) Qui deſerit mundum & venit ad clauſtrum, jam incipit calcare ſæculum & corpus ſuum. Et eſt hoc deſertum, terra deſerta, invia & inaquoſa: deſerta propter aſperitatem, inaquoſa propter diſciplinæ ſeveritatem, invia propter viatorum raritatem. Sed hic in ſancto, ait Pſalmiſta, apparuit tibi Deus, ut videamus virtutem tuam, propter durum laborem, & gloriam tuam, perpetuam conſolationem. Inchoandum ergo eſt à deſerto renuntiationis ſæculi, & currendum per Libanum caſtitatis, & dealbationis, ſeu aſperſionis ſanguinis Jesu-Christi, ut dicatur: *Abſit mihi gloriari niſi in cruce Domini noſtri* Jesu Christi. (Galat.) Ubi ſancti dealbaverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni. Rursùs enavigandum per magnum flumen Euphratem: primò per baptiſmum; ſecundò per aſſiduam compunctionem. Terminabitur autem curſus noſter ad mare occidentale, ne deficiamus in viâ, donec per mortem finiatur vita. Omnem itaque locum quem calcavimus, poſſidemus; ſicut ille qui ait: *Nihil habentes, & omnia poſſidentes.* (2. Cor. 1)

CAPUT XII.

De Clauſtri atrio interiori.

ATrium mentis dicitur Clauſtrum, ubi pelles hoſtiarum detrahebantur, membra per fruſta ſecabantur, cineres effundebantur, abluebantur inteſtina, & quæque laborioſa officia exercebantur. Sic ingrediens Clauſtrum, pellem pro pelle, & omnia quæ habet dat pro anima ſua, dum exuit veterem hominem, & induit novum, ambulans in novitate vitæ, & in confeſſione detegens vitia prioris conſuetudinis. Priùs itaque immolando ſacrificium Deo, mortificat membra ſua quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, & cætera alia. Deinde detractâ pelle totius perverſitatis in confeſſione, artus in fruſta concidit, nihil de omnibus peccati circumſtantiis retinens, ſed per ſingula titulos accuſationis & conqueſtionis ſubjiciens, vorat hæc omnia ignis contritionis & pœnitentiæ quouſque ad cineres quos ſuper caput aſpergat, dicens: *Peccatum meum contra me eſt ſemper.* (Pſal 50.) Et, *Putredini dixi: Pater meus es, mater & ſoror mea vermibus.* (Job 17. 7) Compunctio his addatur, quæ ſicut aqua de latere Chriſti emundat inteſtinorum conſcientiam ab operibus mortuis. Juxtà ſanctuarii introitum atrium interius collocatur, extrà ſe habens atrium exterius, & intrà primum tabernaculum quod dicitur ſancta. Novitius igitur ad Religionem veniens in confinio orationis & ſenſualitatis poſitus, jam quidem non eſt in carne, ſed nec in ſpiritu. Audit interim inter terminos habitos ſibilos gregum carnis inter ſe diſſidentium, mente conſentiens legi Dei, carne autem legi peccati. Audit ſibilos gregum cœleſtium cantantium de canticis Sion, & ad ſomnos contemplationis provocantes, & carnalium motuum moleſtias tranquillantes.

CAPUT XIII.

Clauſtrum Gazophylacium.

ESt & Gazophylacium Clauſtrum, ubi aurum, argentum, & lapides pretioſi reconduntur; & ubi theſaurum noſtrum in vaſis fictilibus, id eſt, conſcientiam bonam in obſervantiis regularibus habemus. In Clauſtro theſauri ſunt ſibi vitam æternam negotiantes Religioſi, quibus homo nobilis peregrè proficiſcens tradidit bona ſua: ſinguli pſalmi, ſingulæ orationes, ſingulæ confeſſiones, ſingulæ lacrymæ, ſingula jejunia, ſingulæ eleemoſynæ, ſingulæ immemorabilium laborum afflictiones, nonne acervum faciunt gratiarum, quæ eſt theſaurus deſiderabilis in congregatione clauſtrali? Super gazas iſtas Eunuchus Candacis Reginæ conſtituitur. *Candidus* ille qui ſe caſtravit propter regna cœlorum, in officio prælationis præficitur: ſiquidem pudicitiæ & ca-

ſticatis titulo inſignitus, tamquam renibus accinctus cuſtos ſponſæ Chriſti non immeritò conſtituitur. Talis inventus eſt Joſeph in domo Putipharis ſacerdotis Heliopoleos: talis Joannes Evangeliſta, cui matrem ſuam in Cruce commendans commendavit: talem elegit Apoſtolus: talem deſcribit beatus Benedictus. Zelotes Dominus quâ ratione crederet ſponſam, quam pretioſo ſanguine redemit, & matrimonio indiſſolubili ſibi copulavit, niſi ut amicus ſive vicarius ille ſponſi fideliter ſerviret, & caſtè commiſſam conſervaret?

CAPUT XIV.

Clauſtrum eſt ſanctum ſæculare.

INgrediamur jam ſanctuarium, quod dicitur ſanctum ſæculare, ubi ſemper introibant Sacerdotes ſacrificiorum officia conſummantes. Peregrinans in terris juſtitia, grata ſibi interim clauſtralem diſciplinam determinat hoſpitia. Pulſat itaque ad januam clauſtri, dicens: [Cant. 5. 2.] *Aperi ſoror mea: caput meum plenum eſt rore*; quem ſuperfundam in areâ clauſtrali, ut moretur ros in meſſione meâ, *& cincinni mei guttis noctium*, quas furatur in abſcondito vultus Dei, & in ſecreto ſilentii pia conſcientia. Currendum & occurrendum tam benignis pollicitationibus impigro pede ſancti deſiderii, & tollendum peſſulum oſtii, quod eſt difficultas & tarditas humanæ fragilitatis ad vota ſolvenda. Sanctum itaque ſæculare eſt velle, & vix bona facere. Sanctum verò cœleſte, velle & perficere. Unde Apoſtolus: [Philip. 2. 13.] *Deus eſt qui dat nobis velle & perficere pro bonâ voluntate.* De ſancto ſæculari idem: [Rom. 7. 18.] *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio.* Meritò igitur Clauſtrum dicitur ſanctum ſæculare, ubi nec quod volumus, facimus; nec quod facimus, perficimus.

CAPUT XV.

Clauſtrum Regale cubiculum.

DIcitur etiam clauſtrum Regale cubiculum: unde in Canticis loquitur clauſtralis diſciplina: [Cant. 1. 11.] *Dum eſſet in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* Accumbere eſt ad quieſcendum ſe inclinare. In Iſaia loquitur Dominus: [Iſai. 1. 14.] *Laboravi ſuſtinens.* In Hieremia: [Jerem. 15. 6.] *Laboro rogans.* Et in Evangelio: [Joan. 4. 6.] *Jeſus fatigatus ex itinere ſedebat ſuper fontem.* Non ſolùm ſcelera Jacob & peccata noſtra vexant illum qui idem ipſe eſt, & cum tranquillitate omnia judicat; ſed etiam hoſtia pacifica & incruſa, & cantica illorum Sacerdotum, quorum manus ſanguine, avaritiâ, & luxuriâ plenæ ſunt. Prophanis itaque & malis hominibus ad laſſitudinem laceſſitus ſabbatizare volens, loca ſilentii, pacis, unitatis, & honeſtatis requirit, & ibi cubiculum ſtatuit. [Pſal. 131. 13.] *Hac*, inquit, clauſtralis diſciplina, *requies mea; hic habitabo quoniam elegi eam.* Et, [Prov. 8. 31.] *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* Quorum converſio non animalis, ſed rationalis, & ſpiritalis eſt in cœlis. Liquefacta quodam amore humili cervorum, qui tranſilit ſuper montes aromatum, loquitur ad ipſum: [Cant. 1. 6.] *Indica mihi*, inquit, *quem diligit anima mea ubi paſcis, ubi cubas in meridie*: quando ſpiritus fervet, quando mens tota incandeſcit, quando ignis exæſtuat in oſſibus amantis, & ferre non ſuſtinentis. Planè inter acervos novarum frugum, in liliis, in campis ſylvæ, à mundanis artibus remotarum mentium paſcit & cubat in meridie. Adoleſcentuli & adoleſcentulæ regale cubiculum obſervant tenentes gladios, qui devorant carnes ſuper femur mali deſiderii, ambientes Regem Salomonem propter timores nocturnos, ne forte ululatus luporum, & gannitus vulpium rumpant medium noctis ſilentium, quando moriuntur primogenita Ægyptiorum.

CAPUT XVI.

Clauſtrum eſſe patibulum oſtenditur.

PAtibulum dicitur Clauſtrum, ubi JESUS cum latronibus ſuſpenditur; ſed JESUS non quia meruit, ſed quia voluit; illi non quia voluerunt, ſed quia meruerunt. Unde ait latro ad latronem: *Nos quidem digna factis recipimus; hic autem nihil mali geſſit.* [Luc. 23. 41.] Quicumque autem Clauſtrum ingreditur cum JESU de voluntate, cum latronibus eligat ſuſpendium pro malorum ſuorum merito & ſatisfactione. Triplici diſtinctione omnium Clauſtralium multitudo aſſignatur. Eſt in Clauſtro innocens & ſine querelâ apud Deum & homines cum JESU. Eſt nocens, ſed pœnitens cum dextro latrone: eſt nocens & impœnitens cum ſiniſtro. Patitur innocens ad augmentum coronæ: patitur pœnitens ad meritum veniæ: patitur impœnitens ad cumulum pœnæ. JESUS in patibulo orat; latronum alter veniam poſtulat; alter JESU inſultat: qui bonus ſuſtinet patibulum, bona ejus conſcientia levem facit pœnam; & atrocem; qui malus ſuſtinet: ſed in flagello non murmurat, veniam meretur; qui malus flagellatur, & ſicut ignis in ſpinis deſperando crepitat, damnatur.

Notanda in patibulo triplex clauſtralis diſciplinæ diſtinctio: [Diſciplina filii ſive Magiſtri] eſt namque filii diſciplina ibi, cui Pater unigenito non pepercit, *ſed pro nobis omnibus tradidit illum*: [Rom. 8. 32.] De quo Eſaias: [Iſai. 53. 5.] *Diſciplina pacis noſtræ ſuper illum.* Et, [Ibid. v. 4.] *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.* Hunc unicum & dilectiſſimum filium, in quo ſibi benè complacuit, flagellis, imò duriſſimis ſcorpionibus abſque ullâ retractatione velut inimicum pro reconciliatione inimicorum miſericors pater & Deus miſericordiarum cecidit. Inde Filius: [Ibid. 50. 6.] *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus & conſpuentibus in me.* O dura, imò pia pietas! dura, quoad humanum judicium; pia quoad divinum ſecretum: dura quoad patientis meritum; pia quoad paſſionis cauſam & effectum. Unus agit cauſam omnium; bonus malorum, juſtus peccatorum, filius ſervorum. Diſciplina igitur pacis noſtræ ſuper eum, qui totum debitum noſtrum ſolvit cum uſuris, non ſolùm centeſimis, ſed & infinitis, ut plus appenderet ſtatera crucis donum, quàm delictum; & ſuperabundans gratia remiſſionis indulgeret culpas non ſolùm originales, ſed actuales. Grandis & gravis diſciplina ſub quâ mitiſſimus Agnus voce blandâ & manſuetâ ſuſpirat dicens: [Matt. 26. 39. 42.] *Mi Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: & ſi non poteſt tranſire niſi bibam illum, fiat voluntas tua.* Si filius es in Clauſtro, ſic habeas cor pacatum & paratum ad patiendum, & etiam ad congratulandum, dicens: [Pſal. 37. 18.] *Quoniam ego in flagella paratus ſum.* Lupus Judas, unanimis forte tuus, ſi levaverit contrà te calcaneum ſuum, nec pellem manſueti vultûs detrahat, nec carnem patientiæ deglutiat, nec inteſtina intentionis mordeat. Si Satan manifeſtus à plantâ pedis uſque ad verticem famam tuam exulcerare voluerit, ſedens in ſterquilinio humilitatis, teſtâ ſaniem rade, imputando culpæ tuæ non alterius malitiæ: ſicut David Semei maledictiones non imputabat, ſed divinæ ultioni adſcribebat.

Item alia eſt diſciplina diſcipuli, & alia ſervi. [Diſciplina diſcipuli & ſervi.] Diſcipulus audit doctrinam magiſtri; ſervus qui non

manet in domo in æternum, & præſtolatur finem operis ſui, piger eſt ad audiendum, negligens ad operandum: ad oculum enim omnia facit, nec quæris gratiam, ſed pecuniam. Diſcipulus ſanctus eſt, qui à dextris Domini pependit latro; ſervus, qui à ſiniſtris. *Luc. 23. 42.* Clamat diſcipulus: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Patientiam & pœnitentiam jam diſcebat in tempore parviſſimo, conſummatuſque in brevi explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima ejus. *Ibid. v. 43.* Unde; *Hodie mecum eris in paradiſo.* Itaque & tu Clauſtralis, qui forte ab oriente veniſti, ab ineunte ætate peccatis involutus; vel ab occidente uſque ad ſenectutem in peccatis converſatus, converſus ad Religionem, ſpera in Domino & fac bonum. *Ibid.* Dic: *Domine, memento mei dum veneris in regnum tuum.* Item: *Adhæſit anima mea poſt te*, ſequendo te & obediendo tibi: *ſuſcepit me dextera tua*; quia licet peccaverim, licet mortem meruerim, tamen ſpero de miſericordiâ tuâ, quæ eſt dextera tua. Non eſt extrà diſciplinam qui ſedet ad dexteram, vel etiam qui pendet: ſed cum delectatione tenet diſciplinam Clauſtri. Pendet, qui vitulos habet mugientes, ſed recluſos appetitus ſæculi, & impetus carnis audiens, ſed non vadens poſt concupiſcentias ſuas. Movetur carnalis ſuggeſtio, ſed non egreditur conſenſus aut delectatio: concipit caro dolorem: ſed non parit. Quare? quia non eſt extrà diſciplinam, nec extrà dexteram. Semper enim dicit: *Psal 15 8.* *Dominus à dextris eſt mihi, ne commovear.* Diſcipulus non moritur. Servus autem qui ſervus eſt peccati, & pœna peccati, quid? *Genes 21. 10* *Ejice ancillam, & filium ejus: non enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ* MARIÆ. Hic eſt clauſtralis, qui quærit quæ ſua ſunt, non quæ JESU-CHRISTI. Quærit obedientiam, non JESU-CHRISTI, ſed proprii arbitrii: quærit pecuniam, quærit voluntatem propriam, quærit duobus dominis ſervire; Deo & Mammonæ. Hic labiis Deum honorat, cor autem ejus longè eſt ab eo. Hic in veſtibus ovium venit, ſed intùs eſt lupus rapax, cujus Deus venter eſt. Hic habet ſpeciem pietatis, ſed virtutem ejus abnegat. Hic non eſt ex nobis, licet inter multos ſit nobiſcum. Hic magis eligit porcos immundi deſiderii paſcere, quàm in paternis poſſeſſionibus ſobriè vivendo remanere. Deſcendamus jam ad forum & emamus nobis neceſſaria.

CAPUT XVII.

Forum venale Clauſtrum: quod & Tyro civitati moraliter aſſimilatur.

CLauſtrum eſt venale forum, ubi exponuntur merces omnes ad utilitatem animæ, ſive quæ ad decorum, ſive quæ ad neceſſitatem pertinent. *Cap. 27.* Lege Tyrum in Ezechiele ſingulis rebus & ſpeciebus à diverſis hominibus & regionibus juxtà ſingulorum poſſibilitates, & peregrinas merces, ſufficienter conſtructam & ornatam. Myſticas horum ſignificationes nec hujus operis, nec noſtræ facultatis eſt de ſacculis hiſtoricis & marſupiis evolvere & explanare. Humeris Hieronymi & Gregorii, atque aliis Expoſitoribus relinquimus, qui falces habent acutas ad metendum, ubi alii laboraverunt; ad noſtram tamen diſciplinam & Clauſtrum noſtrum ſumptu ſoluto, exinde reporto, quòd ſicut opulentiſſimam illam urbem vicinæ & remotæ provinciæ repleverunt, ſic Clauſtrum Religionis illi qui ab initio mundi Deo placuerunt uſque ad hæc noſtra tempora, omnia enim ſua tam dicta quàm facta ad uſus noſtros præparaverunt. Cedros imputribiles, ſi fortia caſtitatis quæris exempla, abſque numero reperies. Si patientiæ, ſi conſtantiæ, ſi fidei, ſi veritatis, ſi manſuetudinis, ſi religionis, ſi obedientiæ, ſi juſtitiæ, ſi fortitudinis, ſi prudentiæ, ſi temperantiæ, ſi omnium virtutum poſſeſſores quæritis: occurrent tibi innumerabiles ſuper arenam maris, & ſtellas cœli: Unde: *Mihi autem amici tui Deus honorabiles facti ſunt: dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur.* Emat itaque à bonis & legitimis Dei mercatoribus quod ſicut [g] placet quiſque, & quod ad diem feſtum neceſſe eſt. Tunc enim in foro nihil invenitur, cum clauſa erit janua, & fatuis virginibus dicetur: *Ite ad vendentes, & emite vobis.* Quod dicetur, non ad conſultationem, ſed ad ſubſannationem. *Subſannabo*, inquit ſapientia, *cum vobis quod timebatis advenerit.* Benè autem Tyrus, qui interpretatur anguſtia, clauſtralem diſciplinam figurat; quia malum, malum eſt, dicit omnis emptor; ſed cum venerit domum gaudet: *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſuprà modum æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Nec minor apparatus animarum in Clauſtro, quàm terrenarum opum in Tyro. Vix eſt colligere opes Tyri, vix eſt enumerare labores Clauſtri. Quidquid congregat ad peritutam gloriam ſæculi Tyrus, hoc pro acquirenda beatâ vita bonâ patientiâ ſuffert religioſus Conventus.

Primò conſiderandum quod in corde maris eſt ſita, ubi quidem major eſt timor, durior eſt labor. Finitimi ſunt Elias, Joannes Baptiſta, beatus Benedictus, & ſanctus Auguſtinus, qui ædificaverunt verbo & exemplo clauſtralem Religionem, & impleverunt illam ſanctitate, & decore incomparabili. Abietes & cedros animi puritate & incorruptione imputribiles, & contemplatione ſublimes, *De Sanir*, id eſt vià lucernæ, ſeu dentibus [h] vigiliarum, vel etiam de Libano extruunt clauſtrum, cum tales perficiuntur, quorum vita via eſt aliis, & lucerna, ſive redargutio errantium ſollicita & mordaciſſima, atque dealbatio invitantium candidiſſima. *Quercus quoque de Baſan* recipit Clauſtrum, id eſt, ignominioſos peccatores, & facit remos, ſicut Joſue Gabaonitas, aquarios in templo & lignarios. Unde Apoſtolus: *Eos qui contemptibiles in Eccleſiâ ſunt, conſtituite ad judicia. Tranſtra*, quorum pedes portant pacem; *& prætoriola*, quorum anima adhæret pavimento. *De ebore Indica* propter mortificationem. Et de *Inſulis Italiæ* ſive Cethim, id eſt, percuſſa Dei timore dolent. *Byſſus varia de Ægypto*, id eſt, ſæculo, *texitur in velum*: quando de ſæcularibus converſi, difficultatibus & objectionibus adverſariorum tamquam murus ſe opponunt pro domo Iſrael. Similiter *hyacinthus* de nobilitate; *purpura* de obſcuro & ignobili gente, tamen valde laborioſo, fiunt operimentum in ſecuritatem & abſconſionem infirmorum à turbine, & à pluviâ. *Habitatores Sidonis, & Aradii*, quondam venatores Rhetorici, deponentes per potentiam, ſicut Nabuchodonoſor quos volebat exaltabat, & quos volebat humiliabat, modò ſunt remiges noſtri gubernantes navem, & trahentes ad portum. *Sapientes tui, Tyre, ſunt gubernatores tui*, à quibus cum reſpublica regitur, benè agitur. *Senes Giblii, & prudentes ejus*, in ordine ab infantiâ nutriti, *habuerunt nautas ad miniſterium variæ ſupellectilis tuæ*; quia conſuetudo & uſus Clauſtri ab his quærendus eſt. *Omnes naves maris, & nautæ earum, fuerunt in populo negociationis tuæ*: quia Clauſtrales de labore ſæcularium vivunt, ſecundùm Apoſtolum: Qui ſpi-

g *quod ſicut*] Imò, *quod ſibi.*

h *ſeu dentibus*] An potiùs, *ſeu frontibus?*

Ezech. 27. 10.

ritalia ſeminant, carnalia metant. Perſæ, id eſt tentati, à concupiſcentiâ ſuâ abſtracti & illecti, & generati à diabolo; unde, *A patre diabolo eſtis. Et Lybies*, quorum os maledictione plenum eſt, converſi ſunt in exercitu clauſtrali, vel perſeverando in malitiâ ad exercendum Abel, vel immutati ad ſerviendum Deo viventi. *Viri bellatores tui clypeum & galeam ſuſpenderunt in ornatu tuo*, induentes ſe armaturam Dei tempore belli, & reſiſtentes Diabolo, & vitiis carnis; & tranſactâ malitiâ, quæ eſt vita hominis ſuper terram, fortia virtutum exempla ſequacibus relinquentes; ſicut Eleazarus, qui noluit ſimulaſſe carnem porcinam contrà leges ſanctas manducaſſe.

Ibid. v. 11.

Filii Aradii cum exercitu tuo ſuper muros tuos & in circuitu tuo. Aradii deponentes veterem hominem cum actibus ſuis, ſuper muros ſunt cuſtodes totâ die & totâ nocte in perpetuo non tacentes; ſed contrà aëreas poteſtates debellantes.

Ibid.

Sed & Pygmæi, qui erant in turribus pharetras ſuas ſuſpenderunt in muris per gyrum: ipſi compleverunt pulchritudinem tuam. Nota quòd Pygmæi, qui ſunt cubitales homines, dicuntur complere pulchritudinem noſtram. Planè qui ſe humiliat ſicut parvulus Evangelicus, hic in turribus pacis cum ſecuritate complet cumulum Religionis.

Ibid. v. 13.

Græcia, Thubal, & Moſoch, ipſi inſtitores tui. Ad ſummam dicendum de cunctis gentibus ad Religionem jam converſos, & adhuc plures convertendos, qui ſinguli de moribus, de regionibus, de conſuetudinibus ſuis, multas manſiones in domo Dei faciunt; ut ex multis facierum perſonis corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia magna, ædificetur.

Clauſtralis diſciplinæ variæ obſervationes.

Forte ſub his integumentis parum tibi arridet modeſtiſſima clauſtralis diſciplinæ facies. Nudam & ſuperborum foliis exſpoliatam, ſuccinctamque conſuetudine ſæculari magis appetis. Ne lector offendiculo obumbratæ locutionis tardatus, faſtidio ſenſum amittat, & in hoc quoque ſatisfacere poſſum, & tuæ voluntati & aliorum utilitati. Sunt itaque nervi & compagines clauſtralis diſciplinæ ſilentii cenſura; verborum rara & rationabilis licentia; aſpectus in terram defixus; inceſſus neque multum tardus, neque multum feſtinus; ſeſſio in clauſtro aſſidua, in choro interciſa; ſtatio quaſi ante Deum tremula & timida; cibus & potus caſtra infrà metas ſufficientiæ ponens; ſomnus digeſtioni ſufficiens; caſtitas utriuſque omnes fines hominis poſſidens; timor Dei fundamenta omnium actionum jaciens; amor Dei cœlum ſuperextendens; conſtantia & perſeverantia in bono parietes fulciens; puritas & munditia Clauſtrum ſcopando omnia ſuperflua projiciens; humilitas ſtramenta pedibus ſubſternens; obedientia introitum & exitum cuſtodiens; charitas conventum totum per ordinem diſponens; fides animans; ſpes recreans. Ubi diſciplina iſta tenetur, & ordo non diſſipatur, crede mihi, ſtat Jesus in medio Diſcipulorum ſuorum; & dans pacem cum eis ingreditur, & egreditur; & eſt pax ingredienti diſciplinam, & egredienti ad vitam æternam, in ſuperliminaribus clauſtralium domorum, ſanguine Agni ſcribantur hæc in generatione alterâ.

CAPUT XVIII.

De ſilentio.

ADhuc repeto ampliùs commendare quæ religioni æſtimo magis amabilia, vel etiam neceſſaria; ut ſunt, ſilentium, lectio, confeſſio, & oratio. Silentium clauſtrale, nec mutum ſit nec loquax: non mutum ſit in auribus Domini ſabaoth, ſed ſemper dicat: *Auribus percipe vocem orationis meæ.* Et, *Voce meâ ad Dominum clamavi.* Quia tacenti Moy-

Pſal. 16. 1.
Ibid. 141. 1.

Exod. 14. 15.

ſi dictum eſt: *Quid clamas ad me?* Illa enim vox penetrat viſcera miſericordiæ Dei noſtri, quam ſolus & totus ſpiritus in imis viſceribus ingemiſcens, jactu validiſſimo ad tertium emittit cœlum. Unde Apoſtolus de Domino:

Hebr. 5. 7.

Qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus pro ſuâ reverentiâ. Tale ſilentium habet tintinnabula in extremitate ſacerdotalis indumenti cum malis punicis; quia ſollicitus de exitu vitæ hujus, orat refectionem & rotunditatem vitæ æternæ. Rurſùm non ſit loquax; quia

Prov. 10. 19.

In multiloquio non deerit peccatum. Et lingua in udo conſtituta, ſi movetur ſine ſuſtentaculo timoris Dei, via evadit lubricum, via non incurrit lapſum. Non ergo valvas labiorum aperiat, niſi forte in ſabbato aut in calendis, de requie futurâ & gaudiis ſanctorum commemorans. Sub tali ſilentio creſcite & multiplicamini ſancta deſideria, pax cordis & tranquillitas cum verâ munditiâ; quia ventoſa & vana loquacitas mixta cum gelu & pruinâ verborum ſeminantium diſcordias, ficum, & vineam, & teneras arbores ſcandaliſando, citò & frequenter exurit. Sigillum autem ſilentii ſi ſub ſignaculi obumbratione ſit, nutrit ſemen bonum, & ad proventum facit venire. Inde eſt quod in Apocalypſi liber, qui eſt in dexterâ ſedentis ſuper thronum, ſcriptus intùs & foris, ſeptem ſigillis ſignatur. In manu Dei ſumus & nos, & ſermones noſtri, clauſi ſeptem ſignaculis quouſque aperiat os noſtrum Agnus qui occiſus eſt; & habet clavem quæ aperit, & nemo claudit: unde Paulus vinctus,

Apoc. 10. 3.

Sed verbum Dei non eſt alligatum. Claudit & nemo aperit; unde in eâdem Apocalypſi:

Dan. 12. 4.

Signa quæ loquuta ſunt ſeptem tonitrua, noli ea ſcribere. Et in Daniele, *clauſi ſunt ſermones.* Liber iſte ſcriptus eſt intùs & foris, ne labiis tacitis iniquitatem mediteris in cubili tuo, id eſt, in cordis ſecreto: ſignatus eſt ſeptem ſignaculis, ne egrediatur verbum otioſum, quia de omni verbo otioſo reddituri ſumus rationem.

Pſal. 11. 2.

Ne vanum, ſicut illi qui *Vana loquuti ſunt unuſquiſque ad proximum ſuum*: ne dolo-

Iſai. 32. 7.

lum; quia *fraudulenti vaſa peſſima ſunt.* Ne men-

Pſal. 5. 7.

dax; quia *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.*

Epheſ. 4. 29

Ne malum: unde, *Omnis ſermo malus de ore veſtro non procedat.* Ne ſchiſmaticum aut hæreticum aut murmuroſum; quia Dathan & Abiron vivi abſorpti ſunt, & murmurantes perierunt ab exterminatore. Ad ultimum, ne blaſphemum, quod non remittetur nec in hoc ſæculo, neque in futuro.

Sunt quoque ſeptem ſigilla, quibus ſignatur liber ſilentii clauſtralis. Ratio tranquillitatis; ratio profeſſionis; ratio tenendæ pacis; ratio componendi affectus & motus cordis; ratio ſubtrahendi à ſæcularibus negotiis; ratio ſcrutandæ legis Dei; ratio contemplationis. Ubi enim ſilentii repagula infringuntur, turbatur tranquillitas; profeſſio ſolvitur; pax confunditur; affectus & motus cordis tamquam mari moto undis contunduntur. Qui ſæcularibus implicatur, æternis & cœleſtibus exuitur; qui Sophiſticis & Rhetoricis deceptionibus occupatur, legem Dei non meditatur; qui garrulitate & vanâ loquacitate detinetur, ad Deum mente non erigitur. Salva igitur ſint ſignacula iſta donec Agnus ſolvat, & labia noſtra aperiat. His ſignaculis liber ſilentii clauſus non ſolvitur, niſi Agnus ſolverit qui occiſus eſt; quod eſt, ut uſque ad mortem ſervetur illa ſilentii cenſura. Solvetur autem ab Agno,

Apoc. 5. 12.

Qui dignus eſt accipere virtutem, ut ſit Rex virtutum; *& divinitatem*, ut ſit Patri conſubſtantialis ſecundùm æternam generationem & ſapientiam, quæ loquitur:

Eccli. 24. 5.

Ego ex ore Altiſſimi prodivi. Et fortitudinem, ut ſit fortis & potens in prælio; *& gloriam & hono-*

rem; quia eum qui modico ab Angelis minoratus eſt, gloriâ & honore coronavit Pater; *& benedictionem*, qui accepit benedictionem à Domino, & eſt ſuper omnia benedictus Deus. Ad hæc Agnus aperit ora mutorum, & reſolvit ſignacula, ut ſapientiam in myſterio abſconditam loquamur, ut dicamus de Chriſto: *Benè omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.* In libro itaque ſignato, id eſt, in ſilentio legamus, & quod ſub ſigillo clauditur, tamquam ſublato lapide ab ore putei ab Jacob, vel à Domini ſepulcro ab Angelis, inſpiciamus, & de aquis iſtis bibamus. Bonum eſt ergo clauſtrale ſilentium.

CAPUT XIX.

De lectione.

HUic ſilentio concatenata eſt lectio, & quaſi debent annuli inſigi in anſulis cortinarum in templo Dei. Lectio autem eſt paſcua uberrima, in quâ animalia puſilla cum magnis aſſiduè paſcendo, præparant holocauſta Domini medullata, cum intrà ſe ruminantes dulciſſimos divinæ ſcripturæ flores, nihil aliud corde & ore continent. Purgat ſiquidem interiora noſtra oſſibus mortuorum, & morticiniis amputandarum cogitationum aſſidua & intenta cum devotione lectio. Etiamſi non ſequeretur fructus intelligentiæ & ſcientiæ ex lectione, tamen ad hoc eſſet utile ſemper legere, ut mens noſtra occupata excuſaretur à ſuperveniente & contumaciter

1. Tim. 4. 13. ſe ingerente vanâ & ſuperfluâ cogitatione. *Dum venio*, ait Apoſtolus ad Timotheum, *attende lectioni.* Et, *Beatus vir qui meditatur in lege Domini*

Pſal. 1. *die ac nocte.* Et, *Semper ſint vectes arcæ in annulis.* Et ſemper inveniat te Diabolus occupatum: non enim ſpiritus immundus intrat domum, niſi quam invenerit vacantem. Ne verò lectio ſit vana & garrula, ſed quieta & ſigillo meditationis impreſſa, dicitur in Apocalypſi: *Et cum aperuiſſet Agnus unum*

Apoc. 6. 1. *ex ſeptem ſigillis; audivi unum de quatuor animalibus tamquam vocem tonitrui dicens: Veni & vide:* id eſt lege Evangelium Matthæi, qui eſt unum de quatuor animalibus; ſic incipit: *Liber generationis* Jesu Christi. Quid eſt ergo ſic inchoare Evangelium, niſi dicere, veni & vide in hoc libro myſterium à ſæculis abſconditum, per generationem Chriſti oſtenſum & revelatum? Veni & vide verbum incarnatum, quod ſub ſigillo divinitatis hactenùs

Ibid. v. 2. apud Patrem latuerat clauſum. *Et ecce equus albus*, Chriſtus de Spiritu ſancto conceptus, & ſine peccato de Virgine natus. *Et qui ſedebat ſuper illum habebat arcum*, ex divinâ & humanâ naturâ intenſum contrà diabolum. *Et data eſt ei corona*, ut ſit Rex Angelorum qui fuerat Rex Judæorum. *Et exivit* in locum Calvariæ, *vincens* per patientiam, *ut vinceret* per potentiam. Huic incumbens lectioni efficitur equus albus, dum ſicut columba volitat ſuper rivos aquarum, & quaſi grex tonſarum aſcendit de lavacro, induens novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitiâ & ſanctitate veritatis. Intellectus quoque qui ſedet ſuper equum album, & præeſt omnibus ſenſibus, habet arcum, ſanctam ſcripturam, quæ modò intenditur, modò diſtenditur: intenditur, dum minatur pœnam, diſtenditur, dum promittit veniam. *Et data eſt ei corona.* Non raſam coronam geſtamus in capite, ſed gloriam & bonam conſcientiam quæramus in mente: & corona eſt in capite aſſidua lectio cum intentâ devotione. Unde Salomon: *Liga eam in corde tuo jugi-*

Prov. 6. 21. *ter, & circumda eam gutturi tuo.* Et ſit *torques*

Ibid. 1. 9. *collo tuo.* Qui meditatur in lege, coronam habet in capite. Qui loquitur de lege, *Exaltationes Dei in gutture.* Qui ſubjicitur legi, *torques in collo.*

CAPUT XX.

De Confeſſione.

SUrgendum autem de lectione ad Confeſſionem, ubi te accuſes de prævaricatione mandatorum Dei, vel de negligentia, vel de ignorantiâ, vel de infirmitate: non autem debet eſſe craſſa & ſupina Confeſſio clauſtralium, ſicut ſæcularium hominum. Confeſſio eſt aqua non turbida, non virulenta, non bituminoſa; ſed clara, pura & munda, purificans tamquam ſecunda baptiſmatis regeneratione illos qui non cuſtodierunt veſtimenta ſua alba ſicut nix, de lavacro ſanctificationis. Eſt itaque Confeſſio alia ante judicem, alia ad dominum, alia ad patrem. Ante judicem reus; ad dominum ſervus; Ad patrem filius. Reus quærat advocatum, ſervus flagellum, filius amicum. Reus agat de reconciliatione, ſervus de propitiatione, filius de pace. Munera offerat reus, obſequia ſervus, ſeipſum filius. Reus macerationem, ſervus correptionem, filius ſalutarem oblationem. Reus proſternat ſe ante januam, ſervus ante oſtium, filius intret cubiculum. Grandia & enormia ſcelera confiteatur reus, ſervus peccata, filius delicta. Dicat reus; *Noli me condemnare:* dicat ſervus; *Miſerere mei Deus:* dicat filius; *Pater peccavi: ſed parce mihi.* Qui recedendo de filio factus fuerat ſervus, de ſervo reus; fiat redeundo de reo ſervus, & de ſervo filius: ut quibus paſſibus abierat in regionem diſſimilitudinis, eiſdem revertatur ad ſimilitudinem Patris. Et quia deformata peccando fuerat imago & ſimilitudo Dei in animâ, per Confeſſionem ſigillum quærat reformationis. Unde jam ſecundum ſigillum aperiat Agnus in Confeſſione: *Audivi ſecundum animal dicens: veni, & vide.* Secundum animal eſt Marcus, qui tamquam Leo rugit in deſerto; præcipuè agens de Domini prædicatione, & reſurrectione. Et benè Confeſſio comparatur deſerto, quia non ſolùm à ſæcularibus, ſed etiam à regularibus potiùs deſeritur quàm frequentetur. In hoc deſerto rugiebat peccator ille qui dicebat: *Rugiebam nimis à gemitu cordis mei. Et exivit alius equus rufus:* allegoricè Chriſtus, qui albus eſt in nativitate, & rufus in paſſione. Moraliter verò rubore confunditur, quia ſua enormia ſcelera confitetur, & efficitur rufus ſanguinis conſperſione, qui erubeſcit de ſuâ corruptione. Unde Apoſtolus: *Quem fructum habuiſtis*, inquit, *tunc in illis in quibus nunc erubeſcitis?* Equus rufus eſt qui portat ſuam confuſionem, dicens: *Non ſum dignus ego peccator, levare oculos meos ad cœlum.* Et, *Non ſum dignus ut intres ſub tectum meum.* Et, *Exi à me Domine quia homo peccator ſum.* Et, *Qui ſedebat ſuper illum* (ſcilicet timor Domini) *datum eſt illi ut ſumeret pacem de terra*; unde Dominus: *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Unde & huic *datus eſt gladius magnus.* Gladius ille magnus devorat carnes; & inebriatus eſt in cœlo. Et, *Maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine*, id eſt, qui non amputat per Confeſſionem peccata quæ fiunt ex carne & ſanguine: de quibus dicitur: *Caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt.*

CAPUT XXI.

De verâ Confeſſione, & ejus efficacia.

GLadius confeſſionis *vivus eſt & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus, compagum quoque*

Digitized by Google

que & medullarum; & diſcretor cogitationum & intentionum cordis. Et quis vim Confeſſionis exprimere ſic potuit? Quis naturam ejus & formam ſic depinxit? *Vivus*, inquit, *eſt ſermo.* Ubi eſt morticinum Confeſſionis? Ubi ſimulacrum mortuum, quod os habet, & non loquitur, manus habet non Jacob, ſed Eſau, videlicet piloſas, ſed & non planas[i]? Pedes, & non ambulat? Sicut homo mortuus non eſt homo, & fides mortua non eſt fides: ſic Confeſſio ſimulata, non eſt Confeſſio. Vivus ergo ſit Confeſſionis ſermo, ut de corde vitali, & labiis veracibus procedat, non de ſepulcro cadaveris mortui, quod putet & fœtet. Addit, *Et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Grammatica, Dialectica, & Rhetorica gladii ſunt, quibus inter ſe pugnant Clerici, & ſatis ſunt penetrativi in doctrinis & regulis ſuis: ſed ſermo Dei, & ſermo Confeſſionis penetrabilior eſt omni gladio ancipiti, qui quærit vitare damnum, & acquirere lucrum, cum non ſolùm penetrat in interiora hominis, ſed etiam perforat inteſtina ſuggeſtionum diaboli, & portas confringit inferni. Et quomodo? *pertingens uſque ad finem animæ & ſpiritûs*; id eſt, ſenſualitatis, & rationis. Nihil namque omittit vera Confeſſio, quin accuſet omnes exceſſus & ſenſualitatis, & ſuperioris rationis. Nam aliud eſt peccare ex ſenſualitate, quam habemus communem cum peccato; aliud ex ratione, quam habemus ſpecialem ex humanitate, & forte communem cum Angelo ex divinâ diſpenſatione. Peccata ex ſenſualitate ſunt illa, quæ fiunt ex fragilitate & ſurreptione; quibus minor debetur pœna & pœnitentia: ex ratione, quæ fiunt ex deliberatione, vel ex ambitione, quibus acrior imminet vindicta. Subjungit: *Compagum quoque & medullarum.* Compago quædam eſt animæ & ſpiritûs illud confinium rationis & ſenſualitatis, in quo via diſcernitur cujus ſorti cedat, rationis, an ſenſualitatis: unde Apoſtolus: *Non intelligo quod operor:* quia in confinio illo *caro concupiſcit adverſùs ſpiritum, & ſpiritus adverſùs carnem:* id eſt, adverſùs ſenſualitatem. Hoc quoque confinium vivus ſermo debet determinare, & uſque ad interiores medullas peccata inſequi & explorare. Ad extremum ſubdit: *Diſcretor cogitationum & intentionum cordis.* Evolvendæ ſunt cogitationes, & rimandæ intentiones in Confeſſione; ut nec minima peccati ungula evadat, quin in Dei ſacrificium veniat. Fit enim in Confeſſione criminale, veniale. Sed paucorum eſt diſcernere noctem & noctem, id eſt, inter veniale & criminale: quia multa reputantur venialia, quæ ſunt criminalia ſecundùm intentionem peccatoris. Exprimenda eſt in Confeſſione, non ſolùm actio, nec ſolùm cogitatio, ſed etiam ipſa intentio quæ totum opus facit lucidum aut tenebroſum. Et hic gladius magnus qui datus eſt ſedenti ſuper equum rufum, cujus etiam acies diſſecat penitùs, & diſcindit ſquammas antiqui Leviathan; quarum una uni ſic jungitur, ut nec ſpiraculum incedat per eas.

Rom. 7. 15.
Galat. 5. 17.

CAPUT XXII.

De oratione.

SErpentinis igitur exuviis in Confeſſione exutus, & aquis Jordanis cum Naaman leproſo lotus, & cum puero David ſecundò unctus, in oratione ad Dominum manus & oculos levet, ut præterita deleantur & à futuris caveatur. His quaſi duabus columnis fulcitur domus Orationis, ſi ira Dei deleatur, & gratia concedatur. Utrumque facit oratio, & extinguit iram, & implorat gratiam. Eſt enim oratio alia laborioſa, alia devota. Laborioſa extinguit iram; devota provocat gratiam. Neutra tamen ſine alterâ veniat ad thronum gratiæ, ſed Jacob utramque ducat, & contubernio ſuo conſtringat Liam & Rachel, id eſt, laborioſam orationem & devotam. Unâ nocte cubat cum Lia; alterâ forte cum Rachel. Ex utrâque naſcitur ſuboles; plures ex Lia,[l] cariores ex Rachel: & iſti & illi reputantur in ſemine & numero Patriarcharum: quia ſecundùm Liam qui plus laborat plus mercedis accipiet: & ſecundùm Rachel, *Ei qui non operatur merces imputatur, non ſecundùm meritum*, vel debitum, *ſed ſecundùm gratiam.* Cum itaque meritum[m] prævenit gratia, grata & devota dicitur oratio; & eſt imber matutinus. Laborioſa eſt, quando cor longè eſt ab homine, & Deus à corde. Longè verò cor ab homine, ſive occupatum ſit in curis ſuperfluis, ſive tepefactum à fervore Religionis, ſive immerſum carnalibus deſideriis. Deus quoque longè eſt à corde, cum ſubtrahit gratiam, cum differt præſentiam, cum exercet poſtulantis patientiam. Laborioſa eſt de quâ Petrus ait: *Præceptor, per totam noctem laboravimus, & nihil cepimus.* Et de quâ Job: *Effodiunt ſibi mortem quaſi theſauros, & cum invenerint, gaudent.* Et iterum Job: *Clamo, & non exaudis me.* Et Sponſa in Canticis: *In lectulo meo quæſivi per noctem, quem diligit anima mea, &c.* Et in Pſalmo: *Diſtuliſti Chriſtum tuum.* Devota eſt cum citò occurrit gratia, cum mentem præoccupat, cum adeſt antequàm invocetur, cum præſtat ſupra quàm petimus aut intelligimus. Cum autem homo pulſaverit ad januam gratiæ, dicens: *Oratio mea præveniet te. Prævenerunt oculi mei ad te diluculo*; tunc appellatur laborioſa, & imber ſerotinus: *Faciam*, inquit Dominus, *deſcendere ad vos imbrem matutinum & ſerotinum, ut cuſtodiam introitum, & exitum veſtrum.* Aliquando cum oraret JESUS in paſſione, factus eſt ſudor ejus tamquam guttæ ſanguinis: frequenter etiam oravit cum omni tranquillitate, ut ibi: *Pater clarifica filium tuum: & venit vox de cœlo dicens; & clarificavi, & iterum clarificabo.* Et Dominus ad turbam: *Non propter me vox hæc venit, ſed propter vos.* Et ad Patrem: *Ego enim ſciebam ab initio quia ſemper me audis.* Quiſquis huic Dominico ſe impreſſerit orationis ſigillo, ejuſdem boni Magiſtri, ſicut in aliis, ſic etiam in hoc intuetur exemplum: nam de eodem ſic ſequitur in Apocalypſi.

Et cum aperuiſſet ſigillum tertium, audivi tertium animal dicens: Veni & vide; & vidi. Et ecce equus niger; & qui ſedebat ſuper eum habebat ſtateram in manu ſua. Tertium animal eſt Lucas Medicus & Evangeliſta, qui conficit animæ potiones, ad ſanandos omnes ejus languores. Incipit autem ab oratione ſic: *Fuit in diebus Herodis Regis Judæ, ſacerdos quidam nomine Zacharias, &c.* Et quia in viſione Ezechielis in figurâ vituli repræſentatur; & vitulus Deo immolatur, benè equus niger dicitur propter crucis mortificationem, quam voce prædicavit, & opere adimplevit. Chriſtus autem qui albus fuit in nativitate, rufus in paſſione, niger eſt in morte. Sed ſtateram crucis habet in manu, quia poteſtatem habet ponere animam ſuam, & poteſtatem

Duplex oratio, laborioſa, & devota.
Rom. 4. 5.
Laborioſa.
Luc. 5. 5.
Job 3. 21. 22.
Devota.
Pſal. 87. 14.
Ibid. 118. 148.
Joel. 2. 23.
Joan. 12. 28.
Ibid. v. 30.
Ibid. 11. 42.
Apoc. 6. 5.

[i] *ſed & non planas*] Nemo non videt hîc legendum eſſe, *& non palpat.* Sed alludit ad illud Pſalmi 113. *Manus habent, & non palpabunt; pedes habent, & non ambulabunt.*

[l] *plures ex Lia*] Sic emendavi; nam editum erat, *proles ex Lia.*

[m] *meritum*] Hîc etiam manu medicâ egebat prior editio, in quâ legebatur *merces.*

habet ſumere eam. Et appenſâ in ſtaterâ iſtâ culpâ humani generis cum pœnâ Dominici corporis, pluris inventa eſt pœna ſua, quam culpa noſtra: unde ipſa pœna paſſionis Chriſti delevit reatum prævaricationis primi parentis noſtri, & totius mundi. Ipſa quoque paſſio, quid aliud fuit quàm ejus oratio & noſtra reconciliatio? Equitat ergo Chriſtus in equo nigro; nam exaltatus à terrâ ſuſpenditur in crucis patibulo. Et nos Clauſtrales, ſive ſacerdotes, imitemur in cruce orantem, levantes puras manus & oculos columbinos ad Deum, peccatorum noſtrorum nigredinem confitentes, & pœnitendo mortem
Pſal. 67. 32. prævenientes. Unde Pſalmiſta: *Æthiopia præveniet manus ejus Deo.* Æthiopiſſa decolorata à ſole, & ſuper carbones denigrata carnis afflictione, & membrorum ſuorum mortificatione, orat dicens:
Ibid. 50. 10. *Averte faciem tuam à peccatis meis.* Et, *Oſſa mea*
Ibid. 101. 4. 5. *ſicut cremium aruerunt.* Et, *Percuſſus ſum ut fœnum, & aruit cor meum.* Animæ ſic oranti loquitur
Cant. 1. 8. ſponſus in Canticis: *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilavi te, amica mea.* Quaſi equitabat Deus ante filios Iſraël ſuper equum nigrum, columnam nubis per diem; & equum rufum, columnam ignis per noctem. Currus autem Pharaonis, ſunt fallaces equi ad ſalutem, qui diſcurrunt per univerſum orbem; ſuperbia, fallacia, gula, luxuria, ſuos equites deferentes in infernum. Sed equitatio Jesu
Pſal. 67. 18. ſalus, de quo dicitur: *Currus Dei decem millibus*
Ibid. 28. 1. *multiplex.* Et quibus loquitur Pſalmiſta: *Afferte Domino filii Dei*, id eſt, Angeli, *Afferte Domino filios arietum*, id eſt Chriſtianos imitatores Apoſtolorum & Prophetarum. Qui ſedet ſuper equum nigrum habet ſtateram in manu ſua, in quâ appendet quid debeat poſtulare de temporalibus, & quid de æternis; quàm aſſiduè pro æternis, quàm mo-
Apoc. 6. 6. deratè pro tranſitoriis. Inde eſt quod ſequitur: *Et audivi tamquam vocem in medio quatuor animalium dicentium: Bilibris tritici denario; & tres bilibres hordei denario uno.* Triticum æterna deſignat; hordeum temporalia: ſimplex & una oratio, id eſt,
Pſal. 16. 7. bilibris tritici, pro vitâ æternâ; unde, *Unam petii à Domino*: multiplex & diverſa, id eſt, tres bilibres
Ibid. 24. 17. hordei pro neceſſitatibus terreni ſubſidii: unde, *De*
Apoc. 6. 6. *neceſſitatibus eripe me Domine. Vinum & oleum ne læſeris*, id eſt in Chriſto baptizatos & ſancto Chriſmate perunctos, quod eſt oleum, & ſanguine Agni redemptos, quod eſt vinum, ne læſeris ad damnationem. Etſi præcipio ne læſeris animam, ſicut de
Job 2. 6. Job dictum eſt: *Tu autem animam ejus ſerva*; tamen in preſſurâ torcularis nolo ut parcat calcator uvæ. In hac enim preſſurâ Deus non parcens parcit fidelibus ſuis. Hæc de oratione: dicendum eſt de meditatione mortis.

CAPUT XXIII.

De meditatione mortis.

MOrte nihil certius, nihil incertius, nihil bonis appetibilius, nihil malis odioſius. Certus occaſus eſt, incertus eventus. His qui non ſunt de mundo, converſationem habentibus in cœlis gratus exitus de carcere ad regnum, de confuſione ad gloriam. Morte namque interveniente nuda veritas manifeſtabit gloriam ſummæ & individuæ Trinitatis, gloriam Beatæ Virginis, gloriam cœleſtium virtutum, gloriam denique omnium Sanctorum; in quâ nova certâ menſurâ, & mira & amabilia erunt omnia. Velum quoque ſacramentorum præſentium, quod eſt de hyacintho ſecundùm ſpem regni; de purpurâ propter ſanguinem Agni; de cocco bis tincto propter charitatem Mediatoris Dei & hominum, de byſſo retortâ, propter ſinceritatem Catholicæ fidei, & indiſſolubilem veritatem, tunc aut tolletur, aut ſcindetur. Tolletur juxtà illud: *Cum au-* 1. C
tem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt. Scindetur, ſicut in paſſione Domini: *Ve-* Ma
lum templi ſciſſum eſt à ſummo uſque deorſum: ut judicium magni Dei ſit ſicut meridies, quando manifeſtabuntur conſilia cordium, &, *Nihil opertum* Ma
quod non revelabitur. Non ergo expaveſcat ſolvere debitum mortis, qui exſpectat ſoluto debito dotes tantæ remunerationis. Debitum tamen eſt, quod omnibus & ab omnibus debetur & ſolvitur. Tempus autem ſolutionis, & hora, non in poteſtate & ſcientiâ eſt debitoris, ſed in voluntate eſt Creatoris.
Conſtituit ille terminos, qui præteriri non poterunt. Job
De ſolvendâ morte nec creditor & exactor poteſt diem anticipare & præripere; aut debitor differre & prolongare. Nemini autem hoc debitum ſeu vectigal indultum eſt à Deo, ut nec ipſi Filio Dei, quia filius hominis eſt, remiſſum ſit; licet originaliter emancipato per immunitatem peccati: Nam *Domi-* Pſa
ni Domini eſt exitus mortis.

Cogitandum itaque, & ſemper excogitandum eſt, quatenùs per mortem tranſeamus, non in morte remaneamus: ſit mors hoſpitium viatoris, non manſio morientis: ſit abſolutio oneris, non depreſſio calamitatis: ſit pœnæ interruptio, non continuatio: ſit via ad Patrem, non deviatio ad hoſpitem: ſit progreſſio ad patriam, non detrectio ad gehennam: ſit potio ſalutaris, non aſſumptio infernalis: ſit denique finis non conſumptionis, ſed conſummationis. Ante mortem culpa mortalis eſt cavenda, vel ſaltem confeſſione & pœnitentiâ delenda. Citrà mortem præparandum, unde poſt mortem ſit feliciter vivendum. Mors non abſcribet merita bona, repræſentat autem mala etiam oblita. Mors coacervat omnia præterita opera, religata opera, deſignat manſionum æterna tabernacula, & collocat animas, non ubi voluerint, ſed ubi meruerint. Ut certus ſis de incertis, tene certa, ne ſequaris incerta: currit enim Apoſtolus non in incerto, ſed certus quia neque mors, neque vita poterit eum ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jesu. Certum te facient certa fides, certa ſpes, certa charitas, certa obedientia, certa humilitas, certa caſtitas, certa obſervatio Chriſtianæ Religionis, & tuæ profeſſionis. Depinge mortem ante oculos tuos, quàm horrenda facies ejus, vultus quàm obſcurus & torvus, ſingula ſingulorum membrorum ejus officia quid operentur in ſingulis hominis membris. Devorant namque & depaſcunt tamquam teneram herbam quidquid in homine eſt roboris & virtutis, tam in animâ quàm in corpore damnatorum, unde in Pſalmo: *Mors depaſcet eos.* Ut ergo de ventre hujus ceti Dominus nos extrahat, præoccupemus faciem ejus in confeſſione, ut qui perforavit maxillam ejus, armillâ liberet nos à morte æternâ. Latens in carne Jesu divinitas molares noxios dentes in ore ipſius contrigit, cum carnem Verbi morſu temerario momordit. Etſi itaque nos mordeat ut coluber & ut ceraſtes, ſi crucis cornua præ manibus habemus, ſi ſanguinem Agni ſuper utrumque poſtem & in ſuperliminaribus geſtamus, tota illa Leviathan horribilis armatura, quæ in Job deſcribitur, deſtruetur, & inteſtina ejus hoc jaculo tenebrata [a] rimabuntur. O puteus ſulphureus! ô fœtor intolerabilis! ô anguſtia! ô tenebræ! ô calor! ô ſtridor dentium! ô confuſio! ô dolor! ô

[a] *tenebrata*] Mihi videtur legendum *terebrata*.

deſperatio ! ô deſolatio ſine conſolatione ! malum ſine fine ; exitum ſine reparatione ! Utinam ſub conſpectu haberem compenſationem, quam mors malis delectationibus reponit. Longâ præmeditatione & præparatione comparandum eſt quod minuat acerbitatem mortis, & faciat tolerabile, quod eſt inevitabile.

Mortis remedia.

Sunt autem mortis mitigatoria remedia ; Confeſſio peccatorum, & pœnitentia, contrà aëreas poteſtates propugnaculum ſanctæ crucis ; viaticum Corporis & Sanguinis Domini ad ſolatium tanti & tam ignoti itineris ; oleum inunctionis ad fovendam lampadem conſcientiæ, & removendas condenſas mortis tenebras ; patrocinium Dei ; auxilium omnium Sanctorum, & oratio Fratrum. His remediis aut ſuccumbit mors ſecunda, aut cedit : & prima quidem more ſuo in hominem mortalem efferatur ; ſed enervatur, nec retiaculis ſuis retinet animam, quam tantis vallatam copiis videt. Virtutem crucis expaveſcit ; viatorem tranſeuntem cum viatico nequaquam poſſe deficere non ignorat ; veram pœnitentiam, & confeſſionem de utero ſuo & ventre infernali animas infinitas fortiter extraxiſſe meminit, & ſe nunquam potuiſſe reſiſtere voluntati Dei ; nec corporibus humanis, nec animabus nocere ſe poſſe experimento novit, ſi ſanctorum auxilium ſubvenerit. Orationes fratrum tamquam ſagittas igneas fugit. Ex his omnibus offas dirumpentes interiora diaboli, mortis & inferni conficiamus, & in ore draconis cum Daniele projiciamus. In clauſtro præparatur hæc confectio ab his qui ſe cogitant ſemper morituros, & tamquam palma multiplicant dies ſuſpicientes in excelſo, & in ſe vitia mortificantes. In his mors non habet poteſtatem, qui habent poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, qui in eremo interficiebant filios Iſraël, & ſcorpiones qui inſidiantur calcaneo noſtro. O anima ſoluta à corpore ubi habitas ? an in cœlo, an in paradiſo, an in igne purgatorio, an in inferno ? Si in cœlo, beata cum Angelis ; ſi in Paradiſo, ſecura à miſeriis iſtis ; ſi in igne purgatorio, anxia de pœnis, tamen exſpectas liberationem ; ſi in inferno, deſperans non exſpectas miſeriam, ſed veritatem & ſeveritatem. O anima ſine corpore, ubi eſt modo corpus tuum ? ubi eſt Abel frater tuus ? Ecce vermes, ecce tinea, ecce putredo quondam in oſſibus tuis. Tu autem quid ? Petis ne ab Abraham ut mittat Lazarum, & intinguat extremum digiti ſui in aquâ, & refrigeret linguam tuam ? habeſne flammam ſupplicii in parte vel in toto ? eſt ne ſpes evadendi ? O anima ſi in inferno es, non revertetur oculus tuus ut videat bona. Si in igne purgatorio, minùs ardet fornax Babylonis, cujus flamma evaporabat cubitis quadraginta novem. Æthiopes crudeliſſimi ligna, fœnum, ſtipulam, nec non & picem, atque malleolos, quos de ſylvâ malorum noſtrorum collegerunt ſtudiosè, & repoſuerunt maliciosè, iniiſtum in igne purgatorio ſubminiſtrare, & donec vox de throno gratiæ veniat, miſeram animam non ceſſant flagellare.

O anima ſive beata ſive miſera, quàm utile eſſet animæ peregrinanti adhuc in corpore te videre & audire, quæ & ſortis noſtræ non es oblita, & tuæ jam es experta. Ecce habes ſtateram in manu tuâ, appendens in eâ quod in corpore meruiſti, & quod extrà corpus recepiſti. Hîc, hic mendaces ſunt homines in juſtitiâ, non attendentes ſtateram paratam quæ rectâ lineâ librat pœnam & culpam, non declinans neque ad dexteram neque ſiniſtram. In præſenti quidem mixta eſt miſericordia cum juſtitiâ, & juſtitia cum miſericordiâ : quando Deus inclinat de calice qui eſt in manu ejus, ex hoc miſericordiæ in hoc juſtitiæ, & ex hoc juſtitiæ in hoc miſericordiæ. In futuro autem judicio erit juſtitia ſine miſericordiâ illi qui non fecit miſericordiam : non enim tunc invenietur oleum ad emendum. Nunc dicitur, *Vinum & oleum ne læſeris*, quia correptio & compaſſio neceſſaria eſt ad curandum ſemivivum à latronibus relictum. In judicio ſæva erit correptio ; quia non erit tempus ſeminandi, ſed metendi. Vana etiam erit compaſſio, ubi nulla quæ non præceſſerit miſeratio. Anima in corpore odorat iſta, non guſtat, ſicut naves poma portantes, ſed illa quæ ad portum applicuit, jam deguſtat cujus ſaporis ſint futura ſæcula. De mortis quoque meditatione dicitur : *In meditatione meâ exardeſcet ignis.* Ignis utique de quo dicitur : *Vermes eorum non morientur, & ignis non exſtinguetur.* Sed mirum quomodo mors exardeſcet meditata, quæ frigida omnem vitalem tollit & exſtinguit calorem. Quando tamen accenditur ignis, niſi tempore hyemis ? Ita enim contrarium contrario repellitur, & quæritur ignis dum viget torpor frigoris. Quid ergo facit exardeſcens ignis in meditatione mortis ? Ligna, fœnum, ſtipulam, paleaſque comburit, mundanas delectationes in cineres redigens. Mors namque mentem totam occupans, temporalia omnia parvipendere facit. Quis enim aquis merſus aquas ſe mergentes diligit ? Et nonne concupiſcentia oculorum, concupiſcentia carnis, ſuperbia vitæ, in profundiſſimum infernum poſſeſſorem ſuum demergunt ? In his aquis Leviathan natat & latet in inſidiis : ut incautè ſibi appropinquantes aut ſubmergat, aut de naribus fumum projiciens, ſicut ollæ incenſæ & ferventis exurat. Unde Job, *De naribus ejus procedit fumus ſicut ollæ ſuccenſæ & ferventis.* Halitus ejus prunas ardere facit, & flamma de ore ejus egreditur : fumus de quo dicitur, *Aſcendet fumus in irâ ejus*, oculorum caliginem generat, ſed caligo ſub pedibus Dei. Flamma de ore draconis, eſt, de quâ dicitur : *Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem :* concupiſcentia videlicet mala, quæ prunas ardere facit, dum hîc animam ſeducit, vel in morte ad pœnam trahit. Adversùs hæc naſus ſponſæ, ſicut turris quæ reſpicit contrà Damaſcum, meditatur de morte contrà mortem, quia jacula quæ prævidentur, minùs feriunt : & non eſt fera tam ſæva, quæ magiſterii aſſiduitate non caſtigetur & mitigetur. Sic mors nec incognita meditatione, nec improviſa exſpectatione, veniens, non ſuperveniens : valvas noſtras apertas penetrans, non perforans : intrans, non irruens : excitans, non feriens latus dormientis, ſatis modeſtè à nobis, non cum horrore excipitur. Venit enim ut bonus nuntius, non ut infeſtus adverſarius : mandatum refert, non infert ſupplicium ; fines enim mandati non excedit : à ſe non poteſt facere quidquam. *In chamo & fræno maxillas eorum conſtringe* Deus Judex juſtus, ut nucleus gloriæ quam abſcondit Deus timentibus ſe, teſtâ cum cortice fractâ, Beatorum repleat viſcera.

Apoc. 6. 6.
Pſal. 38. 4.
Iſai. 66. 24
Job 41. 11.
Pſal. 57. 9.
Ibid.
Greg. homil. 27. in Evang.
Pſal. 31. 12.

CAPUT XXIV.

De meditatione mortis Chriſti hominis, & diaboli.

Apoc. 6. 7.

E*T cum aperuiſſet ſigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentis : Veni & vide, & vidi. Et ecce equus pallidus.* Nota in tribus ſuperioribus, unum animal, ſecundum animal, tertium animal dixiſſe : in quarto verò non quartum animal, ſed vocem quarti animalis ſcribit ſe audiſſe. Joannes enim Evangeliſta eſt vox Verbi, qui ſic inchoat Evangelium ſuum : *In principio*, inquiens, *erat*

Verbum: &c. Equus autem pallidus eſt, qui ante *Matt. 26. 38.* paſſionem cœpit pavere & tædere, dicens: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem. Et nomen illi mors*, qui nunc mortuus eſt propter delicta noſtra: Et in *Oſee 13. 14.* Oſee dicens: *Ero mors tua ô mors.* Et juxtà illos *Jerem. 11. 19.* qui dicunt: *Nomen ejus non morietur amplius.* Et *Pſal. 87. 7.* inferiùs ſequebatur eum, ſecundùm illud: *Poſuerunt me* opinione *in lacu inferiori, in tenebris, & in umbrâ mortis.* Ad meditationem itaque mortis pertinet mors Chriſti, mors diaboli, & mors hominis. Mors Chriſti occidit mortem, in diabolo ne ultrà viveret: in homine ne remaneret; in diabolo ut periret: in homine ne periret; in diabolo ne regnaret: in homine ne ſerviret; in diabolo ne ſæviret: in homine ne timeret; in diabolo ne falleret: in homine ne illi crederet; in diabolo ut de vitâ deſperaret: in homine ut per mortem ad vitam aſpiraret. Meditatio mortis Chriſti viſitat ægrum, meditatio mortis diaboli confortat infirmum; meditatio ſuæ mortis humiliat ſuperbum: meditatio mortis Chriſti potio eſt ſalutaris; meditatio mortis diaboli purgatio eſt inflationis; meditatio ſuæ mortis reſtitutio ſive conſervatio ſanitatis. Meditatio mortis Chriſti venena exſtinguit; meditatio mortis diaboli apoſtema ſolvit; meditatio ſuæ mortis emplaſtrum morbo apponit. Equus pallidus eſt, qui ſe mortificat in meditationibus iſtis, ut morte mortem puniat, & interim collum ſuum morti ſubjiciat; & in morte deſub jugo venientis exſultat.

De meditatione mortis ait Dominus ad Job: *Job 38. 17.* *Numquid apertæ ſunt tibi portæ mortis, & oſtia tenebroſa vidiſti?* Deo, cui nuda ſunt omnia & aperta, qui palmo metitur terram, & pugillo continet omnia à ſupremo cœli cardine uſque ad profundiſſimum inferni, nihil eſt clauſum. Poteſtas ejus æterna ingreditur & egreditur, nullo reſiſtente, *Pſal. 134. 6.* omnes regni ſui provincias: quia *Quæcumque vult facit in cœlo, & in terrâ, & in omnibus abyſſis.* Illi proculdubio apertæ ſunt portæ mortis, ut cum vellet, intraret, & exiret; quem vellet introduceret, & quem vellet revocaret. Nulli autem Sanctorum niſi per JESUM apertæ ſunt portæ mortis, ut inde exiret; quæ tamen per peccatum apertæ ſunt, ut de mundo exiens inevitabiliter omnis homo, per eas ad futurum ſæculum, ad pœnam vel gloriam intret. *Portæ diverſæ per quas vel ad vitam vel ad pœnam.* Sunt vero portæ mortis, ſunt portæ inferni, ſunt portæ ſæculi, ſunt portæ clauſtri, ſunt denique portæ cœli. De portis mortis dicitur *Pſal. 9. 15.* in pſalmo: *Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.* *Matt. 16. 18.* De portis inferni dicitur in Evangelio: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Et, *Iſai. 38. 10.* *Vadam ad portas inferi.* Portæ ſæculi ſunt introitus ad vitam, & exitus de vitâ. Portæ clauſtri ſunt profeſſio regularis cum obſervantiâ, & ſpe renuntiationis.° Portæ cœli ſunt ſancti Angeli & miniſtratorii ſpiritus, qui mittuntur propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis Pœnales ſunt portæ mortis; abominabiles portæ inferni; periculoſæ portæ ſæculi; religioſæ portæ clauſtri; glorioſæ portæ cœli. Portas mortis pertranſivit Dominus; portas inferni confregit; portas ſæculi ſine peſſulo intravit & exivit; portas clauſtri converſatione ſuâ in terris, & morte dolavit; portas cœli in Aſcenſione ſuâ aperuit. In cardine vexatorio volvitur porta mortis; in cardine punitorio porta inferni; in cardine mutatorio porta ſæculi; in cardine meritorio porta clauſtri; in cardine remuneratorio porta cœli. Angelus ſanctus cuſtodit portam cœli; bonus Prælatus portam clauſtri; quotidianus defectus portam ſæculi; diabolus damnatus portam inferni; princeps mundi portas mortis. Clavis cœli eſt gloria, clavis clauſtri eſt regula, clavis ſæculi eſt vanitas, clavis inferni eſt pœna perpetua, clavis mortis eſt divina ſententia. In portâ cœli de fine laborum exultatio, in portâ clauſtri peccatorum purgatio, in portâ ſæculi anceps occupatio, in portâ inferni deſperatio, in portâ mortis trepidatio. Meridies ad portam cœli, aurora ad portam clauſtri, crepuſculum ad portam ſæculi, veſpera ſive nox ad portam mortis, media nox ad portam inferni. In reſurrectione mortuorum apertæ erunt portæ mortis, quia omnes reſurgemus, ſed non portæ inferni, quia non omnes immutabimur. In exitu aperiuntur portæ clauſtri & portæ ſæculi; poſt judicium portæ cœli. Ait ergo: *Numquid apertæ tibi ſunt portæ mortis, & oſtia tenebroſa vidiſti?* quaſi diceret; Eſt ne tibi jam pura conſcientia, & de gratiâ meâ tam ſecura vita, ut intrepidus exſpectes mortem? & cum venerit, tamquam abſynthium deglutias illam, intrans portas ejus ſine labore, & exiens abſque difficultate? An & oſtia tenebroſa vidiſti? Si habes oleum in lampade tuâ, ad tenebroſa oſtia non offendes pedem tuum, quia greſtus tuos diriges ſecundùm eloquium Dei, in quo lux, & tenebræ nullæ ſunt.

CAPUT XXV.

De communicatione corporis & ſanguinis Domini.

IN diſciplinâ Clauſtri non eſt omittendum quod præcipuè eſt neceſſarium, altiſſimè quoque commendandum memoriæ. Euchariſtia ſiquidem locum tenet in corpore Eccleſiæ, quem humanum cor in homine; integro & ſano corde vivitur, & corrupto & vulnerato, homo moritur. Unde Salomon: *Omni* *Pro* *cuſtodiâ ſerva cor tuum; quoniam ex ipſo vita procedit.* Et Dominus de corpore ſuo in Evangelio: *Qui* *Joa* *manducat me, & ipſe vivet propter me.* Vita eſt Angeli in quem deſiderant Angeli proſpicere: vita eſt Chriſtiani per quam poſſit proficere. Hanc vitam aliter accipit qui in carne & ſecundùm carnem vivit; aliter ille qui ſeminat in ſpiritu, ut de ſpiritu metat vitam æternam. Alter illi: *Quorum os male-* *Pſa* *dictione & amaritudine plenum eſt*: Alter illi: *Qui* *Mo* *eſuriunt & ſitiunt juſtitiam*: & quibus dicitur: *Vos* *Rom* *in carne non eſtis, ſed in ſpiritu: ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis.* Et ille qui dicit: *Vivo autem,* *Gal* *jam non ego; vivit verò in me Chriſtus*; quem diligo ex toto corde, ex totâ animâ, ex totâ virtute. Cor tale Deum ſolum cogitat, amat, & deſiderat; anima ſingulis ſpiraculis Deum annuntiat, & ſemper ad Deum ſpirat & ſuſpirat. Virtus omnis poteſt in eo qui ſe confortat, & nihil ſine eo qui dicit: *Sine me nihil poteſtis facere.* Qui ſic Deo & à Deo *Joa* occupatur, horis matutinalibus fame ſanctâ urgente, Dominici corporis & ſanguinis communione quotidie reficitur. Sed ſecundum Apoſtolum dijudicandum inter hunc ſpiritalem cibum, & corporalem quotidianum: nam ſummâ diſcretione attendendum, quando ad corpus Chriſti ſit accedendum, quando cedendum, & quando recedendum. Accedere ad Chriſtum, accedere eſt ad Dominum, accedere ad Regem, accedere ad lucem, ad ignem, ad panem, ad vitem, imò ad vitam. Quæris libertatem? accede ad Dominum. Quæris ſecuritatem? accede ad Regem. Quæris claritatem? accede ad lucem. Quæris calorem? accede ad ignem Quæris refectionem? accede ad panem. Quæris potum? accede ad vitem. Quæris reſurrectionem? accede ad

Quando accedendum, cedendum, recedendum, quando ... [margin note partly cut off: "Qu / cede / corp / ſti, / cede / qua / dene"]

° *renuntiationis*] Forte, *remuneratio.is*, ait Acherius; | mihi quin ita legendum ſit dubium non eſt.

vitam. Offendiſti Dominum? cede: feciſti contrà Regem? cede: cœcus aut lippus es? cede à luce: portas in lumbis aut in manibus tuis ignem alienum? cede ne exorat te ignis de altari. Eſne plenus murmorio, & ſaturatus de contradictionibus? cede, & noli accedere ad panem Angelorum. Eſne inebriatus de vineâ Sodomorum & Gomorræ? cede, & noli accedere ad vinum de vineâ Sorech. Eſne mortuus criminalibus, & ſepoltus in inferno? cede. Diſtat autem plurimùm inter cedere, & recedere: nam cedere, reverentiæ eſt; recedere, irreverentiæ. Cedit qui dicit: *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum*: recedit qui dicit: *Ecce ejicis me à facie tuâ*. Et, *Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear*. Jonas quoque fugiens & recedens à facie Domini, abſorptus eſt in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus. Et Pſalmiſta: *Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem*. Quis autem finis recedentibus à Deo? *Omnes qui elongant ſe à te peribunt*. Cedo itaque cum peccavero, non recedo ſi confeſſus errorem fuero, & emendavero.

Luc. 7. 6.
Geneſ. 4. 14.
Pſal. 6. 8.
Ibid. 72. 27.

Modus & tempus accedendi ad Communionem.

Sed adhuc diligentiùs advertendum quando, quomodo, & quare ad Communionem ſit accedendum: habet enim utilitas hujus refectionis temporis diſcretionem, modi determinationem, cauſæ etiam rationem. In tempore conſiderantur tria, opportunitas, conſuetudo, & ſolemnitas. In modo, purgatio, intentio, & devotio. In cauſâ inſtitutio, utilitas, & neceſſitas. Breviter replicanda ſunt & explananda quæ hîc enumerantur. Oportunitas fugit & fugat occupationem: liberis enim mentibus hoc exequendum officium, & Deo obſequendum. Conſuetudo removet laïcam negligentiam, & erga ſalutem ſuam omnium torporem. Sufficit enim laico ſemel in anno communicare; ſed pia & ſollicita Maria ſedens ad pedes Dominicum noſtris clauſtralibus, ſic non ſatiatur oculus ejus viſu, nec auris auditu; ſic panem Angelicum, ſcilicet Dominicum Sacramentum quotidie ſumit, & quotidie nihilominùs eſurit; juxtà illud: *Qui edunt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient*. Inſtana quoque ſolemnitas admonet nos accedere ad Communionem. Quæ enim ſolemnitas, ubi fames & egeſtas? ubi autem non eſt cibus qui non perit, ſed qui permanet in vitam æternam, egeſtas eſt, & exitialis inopia. Solemnem itaque habeat, & adhibeat cibum ſolemnitas Sanctorum. Dictum eſt de tempore, videamus de modo qui habet purgationem, intentionem, & devotionem. De quodam ſancto dicitur: Quia Chriſtus *purgavit peccata ipſius*. Et ad Hebræos de Chriſto ait Apoſtolus: *Portans omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram majeſtatis in excelſis*. O cor meum, anima mea, os meum, labia mea, fauces meæ, lingua mea, ſtomachus meus! Quid eſt in altari? nonne corpus quod ſumptum eſt de Virgine Maria, corpus conceptum de Spiritu ſancto, corpus paſſum in cruce, ſepultum in monumento novo? corpus quod tertiâ die reſurrexit à mortuis; corpus quod aſcendit ſuper omnes cœlos; corpus quod ſedet ad dexteram Patris in excelſis, in quo Judex vivorum & mortuorum Jesus judicaturus eſt vivos & mortuos, & ſæculum per ignem? Quid ergo vos omnia interiora & exteriora mea? Quomodo ſuſcipietis tam caſtiſſimum, tam ſanctiſſimum, tam mundiſſimum, quæ ſordetis tam impuris menſtrualibus immunditiis, tam damnabilibus, aſſiduis & inenarrabilibus culpis? Purgandæ itaque priùs ſunt ſordes noſtræ aquâ compunctionis, igne fraternæ compaſſionis, hyſſopo fidei & humillimæ confeſſionis, cinere ſaluberrimæ ſubjectionis & mortificationis. De hac purgatione Apoſtolus ad Hebræos: *Habentes*, inquit, *fiduciam in introitu ſanctorum, in ſanguine* Agni immaculati Jesu Christi; *quoniam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, id eſt, carnem ſuam, & ſacerdotem magnum ſuper domum Dei: accedamus cum vero corde in plenitudine fidei. Aſperſi corda a conſcientia malâ, & abluti corpus aquâ, teneamus ſpei noſtræ indeclinabilem confeſſionem*. Securus introeat ad altare Dei, certus accedat ad Communionem Dominici corporis, qui habet cor aſperſum, id eſt mundatum à conſcientiâ malâ, & corpus ablutum tam ſanctificatione baptiſmatis, quàm compunctione devotionis; & qui tenet indeclinabilem ſpei confeſſionem. Nota indeclinabilem confeſſionem, ut ſint pedes ejus pedes recti, ſe accuſando de ſe, non de Creatore, vel diabolo conquerendo: *Deus enim intentator malorum eſt*: & diabolus tentat, ſed non ſine licentiâ, nec ultrà licentiam. *Unuſquiſque autem tentatur à concupiſcentiâ ſuâ abſtractus & illectus*.

Ibid. v. 47.
Hebr. 1. 3.

In altari ſumitur corpus natum de Mariâ Virgine, &c.

Hebr. 10. 19.
Jac. 1. 13.

Intentio triplex.

Jam de intentione dicamus, quæ triplex eſt. Alia enim bona, alia mala, alia peſſima. Bona eſt, ſi corpus Chriſti cum fide verâ, & purâ ab omni crimine conſcientiâ ſumitur: ut ſanguis Chriſti juſtum juſtificet ampliùs; hic accipit ut bonus fiat. Mala eſt enim, cum in vaſe per odium arido, per luxuriam immundo, & per malitiam corrupto mittitur, non ut qui eſt malus fiat bonus, ſed ut qui eſt malus appareat bonus: hic eſt hypocrita. Peſſima eſt, quando irreverenter quaſi canis rabidus, corde peſſimo accedit aliquis ad Sacramentum Dominicum, non ut fiat bonus, ſed ut ſub Chriſto lateat antichriſtus. Hic eſt lupus rapax, qui ſub pelle ovinâ devorat agnum, turpitudinem ſuam foliis ficus tegens, non ad remiſſionem, ſicut ille cujus tecta ſunt peccata & remiſſæ ſunt iniquitates, ſed ſicut Adam & Eva in Paradiſo conſuerunt folia ficûs non ſe accuſando, ſed excuſando. Sit itaque intentio percipiendæ Euchariſtiæ, ut ſit bono ad ſanctificationem, ſit malo ad correptionem, ſit peſſimo ad compunctionem. Mittit enim Deus cryſtallum caſtiſſimi corporis ſui ſicut buccellas, ut infirmus ſanetur, famelicus ſatietur, ſanus impinguetur & confortetur. Exprimitur intentio in oratione, ubi dicitur: *Non ſit nobis reatus ad pœnam, ſed interceſſio ſalutaris ad veniam, ſit ablutio ſcelerum, ſit fortitudo fragilium, ſit contra mundi pericula firmamentum, ſit fidelium vivorum & mortuorum remiſſio omnium peccatorum*. Dicamus de devotione.

Triplex quoque devotio.

Triplex ſit devotio: alia compunctiva, alia ſuſpirioſa, alia lacrymoſa. Compunctiva eſt fons ſcaturiens, ſuſpirioſa eſt fons ſaliens, lacrymoſa fons ſuperebulliens. Pungit compunctiva, elicit ſuſpirioſa, fundit & pluit lacrymoſa. Timor pungit, ſpes elicit, amor pluit. Venam ſtringit timor, ſpes aperit, amor humorem cum impetu ſpiritûs educit. Sic minutus ſanguine peccati, ligamento, ferro & motu cordis voluntario, dicat Domino: *Voluntariè ſacrificabo tibi*, qui ante præſidem ligatus adſtitiſti, qui clavis confixus in ligno pependiſti, qui lanceâ percuſſus ſanguinem & aquam dediſti; oblatus es quaſi non coactus, quaſi qui nolueris, ſed devotus & ſpontaneus, quia voluiſti. Jam de causâ dicendum eſt, in quâ tria notavimus; Inſtitutionem, Utilitatem, & Neceſſitatem. Conſiderandum eſt ergo in inſtitutione, quis, quibus, quando, & quomodo hoc Sacramentum inſtitutum ſit. Quis? Chriſtus. Quibus? Apoſtolis. Quando? In Cœnâ ultimâ. Quomodo? *Accipiens panem benedixit & fregit, & dedit Diſcipulis ſuis dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes, Hoc eſt Corpus meum. Simili modo & calicem poſtquàm cœnavit dicens:*

Cauſæ accedendi ad Communionem: Inſtitutio.

Matt. 26. 26.
Marc. 14. 22.
Luc. 22. 17.

NN a iij

Digitized by Google

1. Cor. 11. 25. *Accipite & bibite ex hoc omnes: Hic eſt calix Sanguinis mei, qui pro vobis & pro multis effundetur. Hoc facite in meam commemorationem.* In auctore agnoſco bonitatem, ſcientiam, & poteſtatem. Bonitatem, quia voluit; ſcientiam, quia futuris morbis antidotum ſufficiens, & quod de facili poſſet haberi, in receſſu ſuo ad conſolandam abſentiam præparavit. Poteſtatem, quia potuit & poteſt facere quod vix homo poteſt credere, nullatenùs verò definire. In Apoſtolis contemplor amicitiam, obedientiam, & reverentiam: amicitiam tunc quidem quaſi in herbâ teneram, ſed poſt acceptum Spiritum tamquam ardorem ſolidiſſimam. Obedientiam uſque ad diviſionem animæ & ſpiritûs, uſque ad mortem, uſque ad crucem, uſque ad decollationem. Reverentiam tamquam Magiſtro, tamquam Domino, tamquam patri, imò tamquam Deo. Unde:
Joan. 11. 27. *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* In tempore firmiſſimum coagulum, fortiſſimum argumentum, excellentiſſimum donum quod hactenùs repoſuerat, & in corporali ſeparatione dandum ab æterno amicis ſuis prædeſtinaverat, recogito. Coagulum eſt corpus Chriſti, compingens ſumptum Deum, & ſumentem Chriſtianum in unum, juxtà Apoſtolum,
1. Cor. 10. 16. qui ait: *Panis cui benedicimus, nonne communicatio corporis Domini eſt? Et calix cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Domini eſt?* Argumentum quoque probabile & neceſſarium eſt divinæ dilectionis, quia nunquam ſe nobis dediſſet, ſi non ſpecialiter dilexiſſet. Jesu autem quid melius in cœlo & in terrâ, quid carius, quid pretioſius? Hic enim eſt datum optimum & donum perfectum, de ſurſum deſcendens à patre luminũ. Dederat quidem Pater Jesum filium ſuum incarnatum generi humano, conditione ſed eâ quòd reciperet illum in aſſumptâ humanitate expleto legationis officio: addidit deinde gratiam gratiæ, ut ſub aliâ ſpecie in eâdem veritate, eumdem filium ſuum Jesum non ſolùm daret ut ſocium itineris, ſed ut viaticum totius peregrinationis, ut qui viſibili paſſione ſemel nos redemerat, ſemper inviſibili refectione confortaret. Quomodo autem corpus ſuum Dominus Apoſtolis tradidit, Apoſtolus ad Corinthios docet, & Evangeliſtæ pleniùs oſtendunt. Accepit enim panem qui creaverat ipſum panem, & eâdem potentiâ, quâ priùs creaverat ad corporalem hominum refectionem, gratiarum actione ad Patrem & benedictione cum Patre convertit in ſubſtantiam corporis ſui, ad animarum & corporum redemptionem. Similiter & calicem.

Utilitas. Jam videamus de utilitate. Reprobatio quidem præcedentis mandati fit propter inutilitatem & infirmitatem ſuam. Nihil enim ad perfectum adduxit lex, & ſi priùs illud culpâ vacaſſet, non utique ſecundi locus inquireretur.
Hebr. 9. 28. *Chriſtus* autem *ſemel oblatus ad multorum exhaurienda peccata.* Et,
Ibid. 10. 12. *Unam pro peccatis offerens hoſtiam ſedet in dexterâ Dei.* Quærenda eſt virtus contrà infirmitatem, utilitas contrà inutilitatem, ſuccedit Evangelium legi tamquam virtus. Audi Apoſtolum:
Rom. 1. 16. *Non*, inquit, *erubeſco Evangelium; virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti.* De corpore Chriſti quid?
Pſal 39. 7. *Oblationes*, inquit, *& hoſtiam noluiſti, corpus autem aptaſti mihi.* An eſt virtus corpus Chriſti? Item Apoſtolus: *Quod infirmum eſt Dei*, utique corpus aſſumptum, *fortius eſt hominibus.* Helias ad caput ſuum invenit panem ſubcinericium, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus. Et dubitas te in fortitudine panis, qui de cœlo deſcendit, poſſe ambulare non uſque ad montem Dei Oreb, ſed uſque ad montem in quo beneplacitum Deo habitare in eo? Eſt itaque virtus & ſanitas in corpore Chriſti. Itaque virtus Euchariſtiæ ſicut ſanitas excludit infirmitatem. Unde eſt iſtud? *Sanitas ſub pennis ejus.* Mal. Sub pennis itaque viſibilium ſpecierum panis & vini, quaſi ſub pannis fidei in præſepio altaris. Unde Angelus ad paſtores ait: *Invenietis infantem in veſtris*, Luc. qui æternus eſt in ſuis, *pannis involutum*: videlicet ſecundùm Adam in tunicis pelliceis. Sed quid latet ſub his ſive tunicis ſive pellibus, ſeu pennis, ſeu pannis? Virtus ſine dubio: nam *virtus Dei erat in illo.* Sic excluſâ infirmitate per virtutem, excluditur inutilitas per utilitatem. Stringe ſenſum Apoſtolicum: ad æmulationem carnis aſpergebatur ſanguis vitulæ, ad perfectum nihil adducebat, ad dexteram Dei neminem collocabat: hæc autem omnia implet hoſtia viva, hoſtia ſancta, hoſtia immaculata, quæ ſuo triplici effectu præſtat emundationem, ſanctificationem, & ſocietatem non ſolùm Angelicam, ſed & Divinam. Communicatio enim Dominici corporis, & aſperſi ſanguinis Jesu Christi, agni videlicet immaculati, emundat nos à delicto maximo, & ab omni peccato. Unde Joannes Baptiſta: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Joan. Et in Apocalypſi Joannes Evangeliſta: *Qui lavit nos in* Apoc. *ſanguine ſuo.* De ſanctificatione quoque dicit in Evangelio: *Et pro eis ſanctifico meipſum, ut & ipſi ſancti* Joan. *ſint.* Et Apoſtolus ad Hebræos: *Qui ſanctificat, &* Hebr. *qui ſanctificantur in ipſo omnes:* Et de paſſione: *Ego vado immolari pro vobis.* Emundat igitur conſcientiam noſtram ab operibus mortuis Euchariſtia, nihilominùs & ſanctificat in juſtificationibus Domini, ut *qui ſedet ad menſam divitis, diligenter attendat* Prov. *quæ apponuntur; ſciens quia talia oportet præparare*, ut caſto caſtum exhibeat hoſpitium, pio pium, juſto juſtum, mundo mundum, ſancto ſanctum. Unde Petrus Apoſtolus: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis,* 1. P. *vobis relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia ejus*, &c. Sic emundati, ſic ſanctificati, ſic ſocii ſumus ſanctificationis, ſic etiam glorificationis ſive conſolationis erimus. Unde Joannes in Epiſtolâ ſuâ: *Quod vidimus, & audivimus, annuntiamus vobis,* 1. Jo. *ut & vos ſocietatem habeatis nobiſcum; & ſocietas veſtra ſit cum Patre & Filio ejus* Jesu Christo. O ſocietas non leonina quæ ſocium devorat, non canina quæ intrà fauces ſtridet & murmurat, & in aperto latrat, & in animam juſti captat, non corvina quæ ſemper mordet & ergà cadavera crocitat; ſed ovina quæ de velleribus ſuis fœdum tegit, & frigidum calefacit; ſed agnina quæ ſe ipſam ut amicos paſcat in mortem tradit, ſed columbina quæ ſimplici oculo omnia conſpicit, & omnem amaritudinem, & iram, & indignationem tollit. O ſocietas quæ mala noſtra ſuſfert & aufert, & ſua bona confert, quæ nihil à nobis petit niſi quod dederit, nihil accipit quod noſtris uſibus ſervaverit; quæ nunquam circumvenit in negotio, ſed ſemper ſubvenit æterno ſubſidio; quæ exponit omnia ſua & diſponit omnia noſtra.

Ecce de utilitate Euchariſtiæ, quæ emundat, quæ Nec. ſanctificat, quæ ſocietatem Dei donat, pauca diximus. Ad extremum de Neceſſitate videamus. Proinde & ipſa triplex eſt. Nam alia neceſſitas ex auctoritate decreti; alia ex obligatione promiſſi voti; alia ex impoſſibilitate vel difficultate rei; rationis, & facti. Ex auctoritate decreti; ut, *In quâcumque* Gen. *die comederis, morte morieris.* Ex hoc decreto, eſt omnis homo mortalis. Item ex obligatione voti in promiſſione baptiſmatis tenetur omnis Chriſtianus; in profeſſione Religionis Monachus & Canonicus; in conſecratione ſacri ordinis Sacerdos & omnis ordinatus. Eâ itaque neceſſitate quâ homo moritur, quia vetitum guſtavit, damnatur qui pactum voti ſui prævaricatus fuerit. Unde propheta: *Qui pa-* Ezech.

ctum ſolvit, nunquid effugies? Non effugiet: Et, Eccleſ. 5. 4. *Melius non vovere, quàm vovere, & vota non reddere.* Rursùm neceſſitas quædam eſt ex difficultate ſeu impoſſibilitate rei; ut, quod eſt album neceſſariò non eſt nigrum, quia nullum album eſt ſimul & nigrum. Ex impoſſibilitate rationis; ut, Lapis non eſt homo, quia lapis eſt inſenſibilis, homo ſenſibilis. Ex impoſſibilitate facti; ut, Homo digito ſuo non tangit cœlum. Sed ad propoſitum redeamus. Omni Chriſtiano neceſſe eſt Euchariſtiam ſu- Joan. 6. 54. mere ex auctoritate decreti, quod eſt: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ex obligatione voti tenemur diabolo & pompis ejus renuntiare, & ſic communicare. Quòd ſi votum frangimus & 1. Cor. 11. 29. communicamus, quid ait Apoſtolus? *Qui*, inquit, *indignè ſumit, judicium ſibi manducat & bibit.* Neceſſariò igitur debemus communicare, & dignè. Res verò ſacramento viſibili, virtute inviſibili; res aliud oſtendit, aliud reponit. Sacramentum viſibile exterius objicit, virtutem inviſibilem intrinſecùs continet, mundis cordibus exhibet. Rem ſi totus acceſſeris, totam habebis, ſi dimidius, dimidiam: id eſt, ſacramentum, non rem ſacramenti, ut ſis palmes in vite, qui non fert fructum, ſed qui excidetur, & in ignem mittetur. Dignus itaque ad rem tam dignam dignè accede; & non deerit qui digno nulli unquam deficit, & ſi cui defuit, dignus non fuit. Dignè autem accedit, qui nulli peccato mortali ſuccumbit, de venialibus humiliter quotidie ſatisfacit. Ratio deinde noſtra in tanto ſolis radio aut minùs videt, aut cœca eſt. Minùs videt propter lippitudinem ignorantiæ naturalis; aut cœca eſt propter intolerabilem fulgorem divini operis. Si ſuis & conſuetis graditur veſtigiis, non apprehendet ſapientiam hujus myſterii, quæ abſcondita eſt ab oculis omnium viventium. Si verò innixa fuerit ſuper dilectum ſuum, qui illuminat tenebras ejuſdem rationis vero lumine interim fidei, poſtea rei: ſatiata ab uberibus ejus quæ ſunt ſuper omnia aromata, dicet: Teneo illum fide & dilectione, nec dimittam donec introducat me in domum matris ſuæ MARIÆ, & in cubiculum genitricis ſuæ gratiæ, de quâ conceptus & natus eſt JESUS, Creator & Illuſtrator totius rationis. Veni ergo ratio ad altare, non ſuperbo oculo, & extento collo, ſed genu curvato, & vultu in terram demiſſo, adorans ſcabellum Euchariſtiæ, non diſputans aut judicans quare aut quomodo id fiat. Ait enim Dominus Petro; Tu neſcis modo, ſcies poſtea. An tu melior Petro? An tu Deo familiarior? Petrus neſcit cariſſimus diſcipulus, cui Pater revelaverat, quòd Chriſtus eſſet filius Dei vivi, nondum didicit, & tu diſputando, diſcutiendo, definiendo vis exoſſare uſque ad cinerem oſſa Regis, quæ occultantur uſque ad tempus & tempora? Orando expecta donec creſcat Sela, qui interpretatur umbra ejus; donec oriatur lucifer in cordibus noſtris, qui dicat nobis omnia quæ audivit à Patre ſuo, & faciat omnes docibiles Dei.

Reſtat de facto. Factum hoc admirabile, factum Pſal. 91. 4. delectabile: unde Pſalmiſta: *Delectaſti me Domine in factura tuâ.* Factum hoc apud homines impoſſibile, ut Deus moreretur, ut Dominus gloriæ crucifigeretur, ut panis fieret caro Chriſti, & vinum ſanguis; apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt, nullus in Deo labor grandia & gravia atque impoſſibilia facere; tam facile eſt ei omnia facere, quàm promptum velle. Omni quidem homini aliud eſt velle, aliud pati, aliud facere: nulla mora, nulla differentia inter Dei velle & Dei facere. Sed hoc de noſtro, non de ſuo; niſi forte dicas noſtrum ſuum, quia ab eo aſſumptum, & quod noſtrum tantùm erat proprietate naturæ, jam ſuum factum eſt dignatione & aſſumptione. In illo ergo noſtro ſuo aliquid voluit ſecundùm nos, aliquid ſecundùm ſe, ſed ſubjecit quod ſecundùm nos voluit ei quod ſecundùm ſe voluit, dicens Patri: *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Fecit quoque aliquid ſecundùm nos, fecit & ſecundùm ſe: conceptus eſt, natus eſt, fatigatus eſt, paſſus eſt, mortuus eſt, ſecundùm nos. Adoratus eſt, cœcos illuminavit, leproſos mundavit, mortuos ſuſcitavit, & hujuſmodi, ſecundùm ſe. Tamen unus idemque & ſecundùm nos & ſecundùm ſe Deus & homo, & homo Deus. Denique paſſus eſt non ſecundùm ſe, ſed ſecundùm nos tantùm, quia in noſtro ſuo, non in ſuo ſuo. Quod itaque paſſus eſt in cruce, & quod facit in calice, ſi ad nos reſpicimus, impoſſibile videtur, ſi ad ipſum, facile & poſſibile. Factum hoc ſuprà quàm dici poſſit noſtræ redemptioni neceſſarium, ſuprà quàm attingat ullum meritum, pium & ſanctum. Et hæc de neceſſitate dicta ſufficiant.

EPILOGUS.

GRandis labor manum ad hæc fortia mittere, & cum Joſue bellum adversùs inimicos continuare; ſed ad magna præmia non pervenitur, niſi per multos labores. De jure quidem æquis paſſibus ambularent meritum & præmium, ſed de gratiâ ſupercreſcit præmium. Nihil mirum includi antro clauſtri brevi tempore, & poſt infinita cœli ſpatia poſſidere cum æternitate; limoſam carnem abſtinentiâ exſiccare, & ſpiritale corpus abſque ullâ ſarcinâ cum Angelis in reſurrectione recipere, tumultus mundanos propter Angelicas modulationes commutare, conſolationem pro deſolatione, divitias pro paupertate, gloriam pro ſubjectione, Deum Patrem pro patre, Deum Filium pro filiis, Deum Spiritum ſanctum pro omni cognatione & carnali affectione percipere. Nullus venditor ſic vendidit, nullus emptor ſic emit, nullus negotiator ſic commutavit. Tamen *ſic oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.* Luc. 24. 26. Sic commutans, & commutare docuit qui inſtauravit & quæ in cœlis, & quæ in terris ſunt: ille, qui ex his quæ paſſus eſt, didicit obedientiam, id eſt, obedientiæ virtutem & gloriam. Hæc ſpes in ſinu Clauſtralium eſt repoſita, nec hyemalibus frigoribus tepeſcit, nec æſtivis caloribus areſcit: non contemplatur quæ currunt temporaliter, ſed quæ permanent æternaliter. Intelligit finem habere laborioſam diſciplinam, & ſequi perpetuam gloriam. Jam prægustat arrhas, & dulceſcit quæ ſine ſpe amara eſſet patientia; tædium vertetur in deſiderium, vexatio in delectationem, dilatio in appetibilem ſuſtentationem, ſicut Jacob pro amore Rachelis videbantur dies pauci. E diverſo qui in Clauſtro, qui murmurans ſtridet ſicut rota plauſtri onuſti fœno, qui dicit: *Durus eſt hic ſermo.* Qui ſicut Jordanis convertitur retrorsùm, qui murmurat pro carnibus, qui eſt in ſeditione Chore contrà Moyſem, id eſt, Abbatem, qui in exercitu Gedeonis poplite flexo bibit aquas, & non lambit ſicut canis, naturæ non neceſſaria, ſed delicias quærens, audiat: *Melius eſſet viam veritatis non agnoviſſe, quàm poſt agnitionem retrorsùm converti.* Jean. 6. 91. Arguendi ſunt, corripiendi ſunt, flendi ſunt qui rumpunt rete Petri, & obſcurant lunam, & ponunt dulce amarum, & amarum dulce; *Multiplicati ſunt* tamen *ſuper numerum.* Pſal. 39. 6.

TABULA CAPITULORORUM.

Epiſtola dedicatoria.
Præfationes duæ.
De auctoribus diſciplinarum. Cap. 1.
De Apoſtolicâ diſciplinâ. Cap. 2.
Comparatio inter Judaicam & noſtram clauſtralem diſciplinam. Cap. 3.
De obſervantiis clauſtralis diſciplinæ. Cap. 4.
Quod per diſciplinam regularem prima reparatur transgreſſio. Cap. 5.
Quod clauſtrum ſit vicarium Crucis. Cap. 6.
Item de clauſtro, qualiter inſtitutum ſit. Cap. 7.
Comparatio inter diſciplinam Philoſophi, Judæi, Chriſtiani, & cujuſlibet Religioſi. Cap. 8.
De Angelicâ diſciplinâ. Cap. 9.
De formâ clauſtralis diſciplinæ. Cap. 10.
Clauſtrum ſtadium eſſe oſtenditur. Cap. 11.
De clauſtri atrio interiori. Cap. 12.
Clauſtrum, Gazophylacium. Cap. 13.
Eſt Sanctum ſæculare. Cap. 14.
Regale cubiculum. Cap. 15.
Patibulum. Cap. 16.
Forum venale clauſtrum; quod & moraliter Tyro aſſimilatur. Cap. 17.
De ſilentio. Cap. 18.
De lectione. Cap. 19.
De Confeſſione. Cap. 20.
De vera confeſſione. Cap. 21.
De Oratione. Cap. 22.
De Meditatione mortis. Cap. 23.
De meditatione mortis Chriſti, hominis, & diaboli. Cap. 24.
Item de meditatione mortis. Cap. 25.
De Communicatione corporis & ſanguinis Chriſti. Cap. 26.

EXHORTATIO AD CLAUSTRALES.

Epheſ. 6. 11. *INduite vos armaturâ Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare.* Unde:
Cant. 6. 3. *pulcra es & decora, terribilis ut caſtrorum acies ordinata.* Eſtote acies, eſtote terribiles. Omnis acies quæ ordinata non eſt, terribilis non eſt: & ſi terribilis non fuerit, acies Domini eſſe non poterit. Quæ enim à Deo ſunt, ordinata ſunt. Scitis, qui de rebus militaribus agunt, funditores, ſagittarios in ſuis locis diſponunt, ſigniferos in ſibi competentibus, robur belli in ſubſidiis, debiliores in locis tutioribus, quia impetum adverſantium ferre non valent; & propter hoc ipſa acies ita ordinata, terribilis erit hoſtibus, quia ingrediendi ei aditum in ſe non relinquit. Sic acies caſtrorum Dei per plana & aſpera hujus mundi ordinata incedere debet, ne aditum hoſti incurſare cupienti nullatenùs relinquat; quem ſi relinquat, captiva victori manus præſtabit. Hæc cura aciem inſtruendi ad Prælatos pertinet, qui omnium poſſibilitates cognoſcere, benignè paternæ affectionis inſtinctu, non ſuperbæ dominationis obtentu, unumquemque in ſuo competenti loco diſponere: quos validos, & bona converſatione probatos viderint, ad exteriora mittere debent, non rudes, non cupidos, non vagos, non iracundos; ſed manſuetos & humiles. Debiles quoſque, & ſæcularium æſtu ſuccenſos, in ſinu Clauſtri fovere: ſi quis tentationum jaculo ſauciatus fuerit, ſalutaribus monitis curare. Sic ordinata erit terribilis illi qui circuit quærens quem devoret. Sed & unuſquiſque noſtrûm ordinare ſe debet, ut ipſe ſit pulcher in interiori, ut ſit gloria ejus ab intùs, decorus & ordinatus in moribus, pius, pudicus, patiens, humilis, affabilis, compatiens, & charitativus: quos enim diabolus charitate compactos & unitos videt, vehementer abhorret, quaque carentes ſecurè invadet. Unde Gregorius: Quælibet bona in nobis fuerint, ſi charitas deſit per malum diſcordiæ, locus reperitur in acie, ubi hoſtis valeat intrare. Ipſe caſtitatem ſine charitate non timet, quia ipſe carne non præſumitur; abſtinentiam non timet, quia cibo non utitur: diſtributionem rerum non timet, quia divitiis non eget. Veram autem charitatis unitatem ſi in nobis invenerit, hanc timet, & nimis concordiæ invidet; quia hanc videt teneri in terrâ quam ipſe perdidit in cœlo. Benè ergo dicitur: *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata:* quia numerum electorum ſpiritus nequam pertimeſcunt, quem concordiâ munitum aſpiciunt.

M O N I T U M.

HIC habes eruditiſſimum, ſolidè pium, ac doctrinam antiquorum Patrum redolentem LIBRUM DE STUDIO THEOLOGICO NICOLAI DE CLEMANGIS, *ſive Clamengiis, Theologi Pariſienſis è Navarræ domo. Aureum iſthoc Opuſculum complectitur ſcriptus codex, mecum communicatus à doctiſſimo Theologo Pariſienſi & Canonico Eccleſiæ Aurelianenſis Raimundo Fromentino. Habet & plures epiſtolas nomine Pariſienſis Academiæ conſcriptas, quas infra reperies inter acta, quæ ad ſchiſma pertinent quod Concilium Piſanum præceſſit, nempe Carolo Regi Francorum: ad Clementem VII Romanum Pontificem: Reſponſionem, &c. ad litteras Studii Colonienſis: Cardinalibus mortuo Clemente VII domino Clementi: & Benedicto Papæ. Sunt & aliæ quatuor ineditæ epiſtolæ in Præfato M S. pro Academiâ Pariſienſi miſſæ: 1 ad Clementem Papam: 2. ad Capitula Cathedralium Eccleſiarum: 3. ad Joannem regem Aragoniæ: 4. ad Petrum de Luna, Benedictum nuncupatum: quæ quoniam ad Acta præfata attinebant dumtaxat, à me hic omiſſæ ſunt, ſicut & nonnulla levioris momenti Opuſcula. Qui Clemangis Opera omnia editurus eſt, ea colligere poterit: ſat mihi indigitaſſe.*

At verò menda quam plurima lacunaſque cum in Fromentineo codice offendiſſem, anxio mihi ſuppetias dedit amicus, vir antiquæ rei peritus, atque alium codicem membranaceum obtulit, unde menda exterſi correxique, & lacunas ſupplevi.

LIBER

Anno circ. 1410.

LIBER DE STUDIO THEOLOGICO NICOLAI DE CLAMENGIIS,

Ad JOHANNEM de PEDEMONTIO Baccalaurium in Theologiâ, eruditum ac diſcretum virum.

NOn fuit animus, Vir Diſcrete, quandu ad tuam ante aliquanta tempora caritatem, quæ me ſuis prioribus litteris ad calami invitaverat officium, reſcripſi, te à Libri, quem Sententiarum dicunt, publicâ lectione graduumve aſpiratione deterrere. Neque enim noveram eâ de re aut tecum amicos aut te cum amicis egiſſe, teque eatenùs jam provectum quod tibi feliciter cedat, ignorabam: abſit enim ut homines generoſæ indolis, ingenio acutos, politos eloquio, ſpiritu ferventes, affectu ſinceros, bonam de futuro in Eccleſiâ Dei profectu ſpem præferentes, qualem te fore primâ ſpecie ex tuis ipſe conjicio ſcriptis, à labore velim ſtudii revocare. Scio in illo tyrocinio futuros Chriſti milites probari, exerceri, armis inſtrui. Ibi boni coloni agrum Dominicum colere diſcunt; inde ſemina accipiunt, quæ poſtea uberiùs ſpargant. Illic operarii vineæ Dominicæ putare, fodere, propagare docentur: illos tantummodu perſunctoriè ac tranſeunter, tunc meus ſermo nota aliquantulâ perſtrinxit, qui titulos magis affectant quàm ſcientiam, florem quàm frugem; nomen vanum, quàm dogma ſanum; non ipſos quidem gradus arguens, ſed inanem oſtentationem, ſed otium, ſed inertiam, ſed pompam, ſed ambitionem. Non enim in culpâ eſt gradus, ſed mens vitioſa quæ illo non rectè utitur: quemadmodum nec in culpâ eſt Epiſcopatus, ſi quis illum adeptus illo abutitur, quem *ſi quis*, ut ait Apoſtolus, *deſiderat, bonum opus deſiderat*. Ubi attende quòd Epiſcopatum non dignitatem, non auctoritatem, non primatum, aut præſidentiam vocavit, ſed opus bonum; ut ſciat qui ad Epiſcopatum aſſumitur, non tam ſe ad præſidentiæ dignitatem, quàm ad benè operandum vocari.

1. Tim. 3. 1.

De gradu Magiſterii vel Doctoratûs eâdem licet ratione ſentire. Audimus Apoſtolum dicentem quoſdam Dominum in Eccleſiâ dediſſe Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios Evangeliſtas, alios Paſtores & Doctores. Quis audent malum dicere, quod Dominus in Eccleſiâ ſuâ Apoſtolicu teſtimonio inſtituit. Et vide quòd duo noviſſima ſignanter invicem conjunxit, cum ſuperiora ſingula poſuiſſet, ut intelligant qui Paſtores ſunt, Doctores ſe eſſe debere; quoniam quidem & paſcere nihil aliud eſt niſi vitâ, verbo, exemplo benè ad ſalutem docere. Non ſunt ergo Paſtores niſi qui Doctores, nec Doctores viciſſim habendi, niſi iidem Paſtores ſint. Ad quid autem inſtituti ſunt in Chriſti Eccleſiâ Paſtores & Doctores, niſi ad paſcendum & docendum? Quis tam ignarus, ut neſciat verbalia iſta, Paſtor & Doctor nomina eſſe officiorum & actuum? Nec ſolùm ut Paſtor aliquis ſit aut doctor, verbi actus exigitur, ſed ars ſimul, uſus & habitus. Neque enim continuò textor eſt qui ſemel texuit, nec confeſtim pictor qui ſemel pinxit, Dicunt Grammatici, & propriè dicunt, verbalia iſta activis à verbis exorta actum ſignificare in habitum converſum; quod, meâ quidem opinione, nihil aliud eſt, niſi quòd illi qui tales dicuntur, frequentiâ & aſſiduitate operandi habitum debent illius actionis quæ ſuo nomini congruit induiſſe, ut aptè, promptè, faciliter ubi & quoties opus eſt, illam exequi poſſint: quemadmodum in omni artificio facilè operatur, qui ea habitu operatur. Eſt itaque Paſtor qui paſcendi arte peritus, habitu exercitatus, uſu aſſuetus, affectu voluntarius, facilè, paratè, congruè, delectabiliter paſcit. Et ad eumdem modum de Doctore & Oratore cæteriſque ſimilibus poſſumus dicere.

Epheſ. 4. 11.

Qui verè Paſtores in Eccleſia dici debent.

Quæ ſi vera ſunt, quâ impudentiâ Paſtorum nomina ſibi vendicant, qui nec prima quidem rudimenta paſturæ artis audierunt, nec ullum unquam ejus actum exercere ſtuduerunt, qui artem ipſam oderunt, vilemque & indigniſſimam judicant, qui loca paſcuorum, quæ ſunt amæniſſima vireta Scripturarum, nec viſu habent, nec auditu comperta, qui denique ſalutaria gramina à noxiis ac venenatis diſcernere neſciunt. Quale ergo eſt quàm abſurdum ſi textorem ſe dicat qui nunquam texuit, nunquam texere didicit, nunquam ſtuduit, nunquam tentavit nec tentare proponit, qui nunquam ad textrinum ſedit, nec ſtaminis & ſubtegminis diſtantiam novit? Quid magis à rerum naturâ alienum, quàm de cœco ſpeculatorem facere, de muto & elingui Doctorem, de lupo vel fure Paſtorem? Quomodo illos Paſtores poſſumus appellare, qui non oves quidem ipſas, ſed de ovium ſucco ac ſanguine ſe ipſos lupino more lautè paſcunt: qui nihil ſuâ intereſſe putant, utrum oves fame vel macie, morbo vel peſte pereant, dum vel pellem habeant; qui non foras ab ovili arcent, non lupos cornibus, ſed gregem ventilant, & quaſi pacto cum lupis inito hunc ipſum [a] gregem lacerant, inde lupos pro arbitrio lacerare permittunt? Quis illos Paſtores dixerit, qui nec ſaltem mercenariorum nomen merentur, cum nec pro temporali etiam mercede gregem paſcant? Lupos nimirum vel fures non paſtores dixerim, qui luporum vel furum non Paſtorum opera ſectantur. Quid agit lupus in ovili? Non noſtra ſed Salvatoris verba reſpondeant: *Lupus*, inquit, *rapit & diſpergit oves*. Si luporum eſt diſpergere, quid aliud quàm lupi erant de quibus Dominus per Jeremiam imprecandu loquitur: *Væ Paſtoribus qui diſpergunt & dilacerant gregem paſcuæ meæ*. Porrò quæ ſint furis opera idem quoque Salvator exprimere curavit, cum de eo ait: *Fur non venit niſi ut furetur, & mactet, & perdat*. Quales erant quos per Ezechielem Dominus increpat: *Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos: lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis*. Quales præterea ſingulos eſſe qui aliunde quàm per oſtium, quod eſt Chriſtus, ingrediuntur, teſte rurſus Evangelio didicimus. Pauca iſta non tam ea propoſito quàm ex oblatâ occaſione de Paſtoribus breviter dixerim, quæ uberiorem longè poſcunt tractatum, & quæ mihi tamen in reſponſione ad tua poſtulata ſuffragari poterunt.

Joan. 10. 12.

Jerem. 23. 1.

Joan. 10. 10.

Ezech. 34. 2.

Quæris enim per me patefieri, quid tibi ad ſalutem congruentius exiſtimem, ad gradumne tendere, an ſine gradu agere; magiſterium amplecti, an reſpuere. Legiſti, ut credo, apud Terentium, quæ eſſe in homine bona dicuntur, parentes, patriam in-

a *hunc ipſum*] Haud paulo aptius, *hinc ipſi*, nec aliter ſcripſit Clamengius.

columem, amicos, genus, cognatos, divitias perinde eſſe, ut illius animus eſt qui ea poſſidet. Qui uti ſcit, ei bona; illi qui non utitur rectè, mala. Quæ ſententia veritatis certitudine pulcherrima non ſolùm illa complectitur, quæ ille exempli gratiâ enumeravit, ſed juxtà formam verborum ſuorum cuncta propemodum quæ in homine dicuntur eſſe bona. Inter bona autem hominis unum ex præcipuis & maximè commendabilibus, eſt ſalubriter docere, quoniam ad Chriſti imitationem illâ potiſſimùm re acceditur, cujus tota vita in docendo acta eſt. Modò namque diſcipulos docuit, modò turbas, modò Phariſæos: interdum in Synagoga, aliquando in templo, nunc in terrà, nunc in mari, nunc in monte, nunc in planitie: ſæpè plurimos, nonnunquam ſingulos, plerumque verbis, ſemper autem factis laudabiliumque operum exemplis. Quis ergo illud non fateatur eſſe optimum, quod Chriſtus omnis boni forma in mortali carne vivens inceſſabiliter operari curavit? Quid autem eſt Doctorem eſſe, niſi arte, uſu, exercitio, ſalutis æternæ affectu alios docere? Non cappa quippe Doctorem facit, non birreti magiſtralis impoſitio, non cathedra ſublimior aut locus ſuperior. Signa iſta extrinſecùs adhibita, quòd quis vitâ, moribus, fidei integritate, copiâ eruditionis alios docere idoneus ſit demonſtrant; ſed nemo verè Doctor cenſendus eſt (ſicut licet ex ſuperioribus agnoſcere) niſi ad artem docendi arctus pariter & habitus acceſſerint.

Quis Doctor cenſendus eſt.

Quare ſi quæris utrum te Doctorem eſſe expediat, facilè & incunctanter reſpondeo omninò expedire, nec ullum poſſe tibi ſtatum perfectiorem inter mortales contingere. Si verò quæris utrum ad apicem vel gradum magiſterii ſignis illis exterioribus deſignari ſoliti te provehi tibi conducat, non me ſuper eâ re debes interrogare, ſed teipſum. Id enim eſt ex bonis mediis, quibus & benè uti licet & abuti, quæ unicuique juxtà Comicum talia ſunt qualis eſt animus. Tuum itaque ſuper hoc conſule animum, tuam mentem, tuum propoſitum tecum ipſe diligentius inveſtiga. Quibus ex cauſis ad hoc impellaris, quibus motibus attraharis, latebras ac penetralia tui cordis evolvendo tecum ſpecta ac conſidera. In qua tuâ conſideratione ſi affectum ad mundanam pompam & vanos ſæculi honores, ad ambitionem prætereà amplificandæ rei familiaris tibi vehementiores ad hoc ſtimulos ingerere ſenſeris, tu tibi potes teſtis eſſe, quia non tam docere quæris, quàm ditari & honorari in ſæculo: ſicque non tam ſpiritualem tuæ & aliorum ſalutis, quàm temporalis abundantiæ aut excellentiæ tibi finem præſtituis. Si verò ratio vel exuta tali affectu, vel quia illum prorſùs exuere perdifficile eſt, non illo magnopere vel principaliter adducta, ſe illo potiſſimum gradu ad propriam & proximorum ſalutem per ſollicitæ prædicationis officium uti velle reſponderit, eâque de cauſâ ad id conari atque aſpirare; quis hanc ſanctam & cælitus immiſſam voluntatem non jure debeat laudibus attollere?

Quo animo quis Doctor effici debeat.

Et quia tu ſacræ Theologiæ ſtudium ſæcularibus & quæſtuoſis omiſſis profeſſionibus, ad quas hodiernâ tempeſtate omnes penè convolant, cœleſti, ut credo, ductu expetendum duxiſti, ſatis, ni fallor, intelligis quàm turpe, quamque indignum ſit hanc ſpiritualem & ſacro-ſanctam ſapientiam non humanitùs inventam, ſed ad Dei cognitionem æternamque beatitudinem capeſſendam divinitùs ordinatam ac revelatam, ad quæſtum vel ad vanitatem convertere, & non aliter quàm de manuali aliquo artificio inde lucrum quærere, opes cumulare, inſatiabilique cupiditatis æſtu temporalia aucupari. Magnâ ſanè ſpiritualis intentionis ſinceritate debet hujus nobiliſſimæ ſcientiæ ſtudium ſuſcipi, quæ tanto cæteris præſtat ſcientiis, quanto Creator creaturis, cœlum terris, æterna & incommutabilia caducis ac mutabilibus. Non ad illam debent cupidi accedere aut ambitioſi, ut illam ſuarum ambitionum miniſtram faciant; ſed potiùs ut per illam edocti, mundum & omnia quæ in eo ſunt contemnere diſcant, æternæque felicitatis deſiderium amplecti. Ex cæteris licet ſcientiis, quæ circà terrena verſantur, quantum æquitas & recta conſcientia permittunt, terrena emolumenta adipiſci; ex iſtâ autem talia captare, tam abſurdum eſt, tam vile ac fœdum, quàm Deum propter ſtercora diligere: ſic enim temporalia commoda appellat Apoſtolus. Nec debet hujus ſalutiferæ doctrinæ profeſſor timere, ne dum ad patriam ſe ac cæteros per illam dirigit, terrena ſibi ſubſidia in viâ deficiant: *Primùm*, inquit, *quærite regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Non temporalia quæri mandat viatica, ſed de eſcâ & tegumento, cæteriſque vitæ mortali neceſſariis ſollicitudinem adimit, in Dominicique agri culturâ diligenter laborantibus hæc ultrò adjicienda promittit. Ergo ne ille qui ſuper injuſtos & peccatores, & ſuis contumaciter mandatis obſiſtentes tantam bonorum copiam ſæpè pluit, ſuper juſtos & obedientes nubes ſuſpendet, operarioſque vineæ ſuæ pondus diei & æſtus ſufferentes nullo imbre gratiæ ſuæ irrigabit? Audi verba Pſalmi: *Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordiâ ejus, ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.* Quare ſint de vitæ neceſſariis ſolliciti, ſuper quos indeclinato aſpectu ne fame pereant Deus aſſiduè reſpicit? Tantùm firmam in ipſum fidem habeamus, ſpemque concuſſam in eo figamus, & ſuperflua non deſideremus, & tunc certi eſſe poterimus, quòd nobis neceſſaria non deerunt.

Sed nos ſub prætextu neceſſariorum ſinum noſtræ cupiditatis ad ambienda ſuperflua nimium laxamus, quibus inflati & ſuffarcinati, nec jam ad Deum ipſi contendimus, nec alios trahere curamus; verùm deſidioſo potiùs otio corrupti recedimus: levem ſiquidem & valde expeditum illum eſſe oportet qui ad Deum properat, quoniam & arcta eſt via quæ ducit ad vitam, & porta anguſta quâ ad eam intratur. Quis autem ingentibus ſarcinis onuſtus aut per arctam viam tranſire, aut per anguſtam poteſt portam, niſi onera depoſuerit, intrare? Hinc eſt quod præconibus verbi cæleſtis in prædicationem miſſis Salvator præcipit, ut nihil in viâ ſecum ferant. Sciebat quippe vitæ neceſſaria illis nequaquam defutura, ſed ab his quos erudirent, quoſque ad fidem adducerent ſtatim præbenda; unde & propter expeditum levemque diſcurſum nubes illos Propheta vocat: *Qui ſunt iſti qui ut nubes volant?* Si autem apud Ethnicos & infideles prædicaturi, de alimentorum penuriâ non timere jubentur, quo pacto fidelis Prædicator fidelibus prædicaturus, debet de neceſſariorum miniſtratione diffidere? Quæ res majorem homini gratiam, majorem amorem apud populum conciliat, quàm bona vita, bona doctrina, & zelus fervens ſalutis animarum? quæ ſi in aliquo eſſe cernantur, ita colitur & diligitur ut felicem ſe is exiſtimet, de cujus ille dignatur bonis accipere. Invitatur ille, undique trahitur, undique urgetur, undique fortunata indicatur domus quæ talem meretur hoſpitem excipere, numquid tali magnum imminet periculum ne fame laboret?

Ad Theologum igitur ſive Prædicatorem (hæc enim pro eodem habeo) in primis pertinet benè ſecundùm Deum vivere, in mandatorumque ejus obſervatione, morumque compoſitione formam cæte-

Ps

M

Mt. Lu 10.

Isa

Qu… cet vit ſibi affe mes

ris ac ſpeculum ſe præbere, ut ad Chriſti imitationem: *Act. 1. 1.* qui, ut legimus, *cœpit facere & docere*, non à doctrinâ ſed ab opere incipit, quæque alios agere monet, prior ipſe agat, ne dum recta docet, & perverſa facit, operum exempla, quæ plus verbis eaclamant, vim ſuæ prædicationis evacuent. Si quis claudicans formam doceat rectè ambulandi, nonne riſum omnibus movet potiùs quàm attentionem? Quis fornicatorem aut adulterum de caſtitate prædicantem non contemnat? Quis ſui tenacem, alieni rapacem, ſi ad dandas liberaliter eleemoſynas exhortetur non rideat? Nequit animis audientium contemptum vanitatis homo vanus & pompaticus ingerere. Si ad pacem contentioſus ac diſcordioſus admoneat, ad manſuetudinem iracundus, ignavus ad ſtrennitatem, nonne quiſque eorum meritò audiat, *Luc. 4. 23.* *Medice cura teipſum?* Non magnam poteſt efficaciam perſuaſionis illa oratio habere, quam ipſe etiam auctor rebus impugnat. Poſſet aliquis auditorum audacior frontem talis Prædicatoris magno his verbis rubore perfundere: te qui nobis in viâ morum & laudabiliter agendæ vitæ ducem profiteris, in ipſâ quam doces & noſtri viâ præcedere oportuerat, nos ſequi qui neſcimus: quid tanta nobis de pudicitiâ præceptor impudicus verba facis? Si ea ad paradiſum via eſt quam prædicas, cur illam non tenes, ſed per contrariam incedis? Non boni ductoris eſt ad Orientem quos ducendos ſuſcepit mittere, & ipſum ad Occidentem proficiſci: pedes ducis non linguam attendere convenit, greſſus non verba ſequi. Quid nobis prodeſt ductorem habere egregiè de rectâ viâ diſputantem, & ſuo erroneo ducatu non nos ad patriam, ſed ad hoſtilia potiùs regna ducentem? Quis ejus verbis credat quem re videt fallere? Quis fidem de viâ illi habeat quem videt errare? Aut igitur per viam ambula quam monſtras, ſi bonam noſti, aut nos circumvenire deſine, ſi ut malam abhorres.

Vide quid ad hæc ille confuſus poſſet reſpondere. Ergo repre[ink blot]ſorem vitiorum maximè à vitiis decet alienum eſſe, ne Apoſtolicam illam ſuſtineat exprobrationem: *Rom. 2. 21.* *Qui ergo alium doces, teipſum non doces. Qui prædicas non furandum, furaris. Qui dicis non mœchandum, mœcharis.* Quid turpius quàm contrà ſemetipſum teſtimonium de aliquo gravi crimine in publico dicere? Qui autem id committit quod palam arguit, quid aliud quàm publicum contrà ſe perhibet teſtimonium? Quanto meliora dixerit, tanto gravior ſui ipſius accuſator erit. Sicut maximum pondus habet illa doctrina, quam virtus & vita confirmant; ita illa quæ horum caret commendatione, perdit fidem, perdit pretium, perdit pondus & auctoritatem: levis quippe ſolet & parvi momenti haberi oratio, quæ non ea loquentis animo procedere creditur. Quis autem illam credat ex animo venire, cui apertè videt opera repugnare? Signa ſunt animorum verba, ſigna ſunt & opera; ſed iſta illis longè certiora minuſque fallacia. Propterea Chriſtus ad Phariſæos verba ſua calumniantes: *Joan. 5. 36.* *Opera quæ ego facio, ipſa teſtimonium perhibent de me.* Et iterum: *Ibid. 10. 38.* *Si verbis non creditis, ſaltem operibus credite.* Utinam omnes prædicatores ſuum poſſent hoc Chriſti argumento confirmare ſermonem; ſed infinitos hodie videmus quibus illud aptari poteſt: *Geneſ. 27. 22.* *Vox quidem vox Jacob eſt, ſed manus manus ſunt Eſau.* Illud quoque Evangelicum de Phariſæis: *Matt. 23. 3.* *Omnia quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite. Secundum vero opera illorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt.* Plenus eſt mundus Sacerdotibus, plenus eſt Doctoribus & Prædicatoribus, & quare tantam abundantiam iniquitatis ubique cernimus, niſi quia inanis eſt prædicatio, quam charitas quæ neſcit

eſſe otioſa, non adjuvat? Quomodo corda accendet qui ſine igne eſt? Quomodo ſurſum ducet qui in imis jacet? Quo pacto vocem virtutis habebit, qui ſine ſpiritu & virtute eſt? Virtutem voci Prædicatoris Spiritus ſanctus tribuit, cor ejus zelo charitatis inflammans. Illa eſt quæ corda penetrat & transfigit, intimiſque facit hærere verba præcordiis, ſine quâ etiam ſi linguis hominum loquatur quis & Angelorum, factus eſt velut æs ſonans aut cymbalum tinniens.

Quibus ſtudere debeant Doctor ac Prædicator.

Quæris forſan teſtimonium? Audi abundè ex verbis Pſalmi qui de Spiritu ſancto canitur: *Pſal. 67. 10.* *Pluviam voluntariam ſegregabit Deus hereditati ſuæ, & infirmata eſt; tu vero perfeciſti eam.* Quid ſunt nubes niſi prædicatores, de quibus in eodem Pſalmo: *Ibid. v. 35.* *Magnificentia ejus & virtus ejus in nubibus?* Quid pluvia voluntaria quam ſegregat Deus hereditati ſuæ, niſi ſancta & ſibi placita ſpiritualium prædicatio, quam per eos populo ſuo miniſtrat? Quid enim quod ait, *Infirmata eſt; & tu perfeciſti eam*, niſi quod hominum prædicatio ad fructum ſpiritualem ex ſeipſis invalida & infirma, ſed adſpiratione Spiritûs ſancti perficitur & fecundatur? Plantet Paulus, *1. Cor. 3. 7.* riget Apollo, ſpargat ſator, pluant nubes, *neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat: ſed qui incrementum dat Deus.* Quod apertè ejuſdem Pſalmi ſequentia manifeſtant: uno enim interjecto verſiculo apertiùs ſubditur: *Pſal. 67. 12.* *Dominus dabit verbum Evangelizantibus virtute multâ.* Et in fine Pſalmi: *Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis.* Dat Spiritus voci ſuæ vocem virtutis, quia illi voci aſpirat, & virtutem quæ ex charitate procedit, non ex pulvere cupiditatis vel vento inanis gloriæ, illamque ſuam non loquentis vocem deputat, quam charitas emittit, non terrenæ ambitionis alicujus occaſio elicit, juxtà verbum Chriſti: *Matt. 10. 20.* *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.*

Summopere igitur ſtudeat Prædicator quando ad verbum Dei diſpenſandum accedit, ut in charitate & gratiâ ſit, quatinùs ex radice charitatis ſua ſurgat prædicatio; & non tam ipſe quàm Spiritus ſanctus ſuo ore loquatur, ſuam verbis ejus flammatis virtutem largiter influens, ad transfigenda velut igneis quibuſdam ſagittis corda audientium, ut poſſit quilibet auditorum illis ſagittis ardentibus ad cordis intima percuſſus, dicere: *Pſal. 38. 4.* *Concaluit cor meum intrà me, & in meditatione meâ exardeſcit ignis.* Illæ enim ſagittæ potentis acutæ ſunt, & valido nimiùm feriunt ictu, quæ ſunt cum carbonibus deſolatoriis, id eſt, quæ ex igne & cum igne veniunt charitatis, deſolationem in peccatore conſolabiliter agentes juxtà vocem Pſalmi: *Ibid. 93. 19.* *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Nec tantâ debet vigilantiâ verbi ſeminator ad cultum aut ad formam ſermonis curioſumve artificium attendere, quàm, ut ſana & incorrupta ſit radix illa. Quem enim poſſunt radice vitiatâ rami fructum producere? Non ante Iſaias *Iſai. 6. 7.* ad prædicandum ſe ingeſſit, quàm Seraphim, qui interpretatur incendium, calculo de altari ſublato os ejus & labia tetigit ac mundavit. Suprà quippe cauſam taciturnitatis oſtendens, dixerat: *Ibid. v. 5.* *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum.* Jeremias ex matris utero ſanctificatus ad increpanda populi vitia directus, trepidus atque cunctabundus ſe excuſat, & antequàm onus aggrediatur hæc verba præmittit: *Jerem. 1. 9.* *Et miſit Dominus manum ſuam, & tetigit os meum, & dixit ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Quid eſt autem os Prædicatoris à Domino tangi, niſi cor mundari, rubiginemque ab eo non ſinceræ intentionis igne charitatis excoqui &

abſtergi? os nempe in Scripturis ſacris ſæpe non pro organo exteriori, ſed pro corde ponitur, ſicut etiam verbum frequenter non pro linguæ ſermone, ſed pro mentis accipitur conceptu. Inde eſt illud de
Pſal. 36. 30. Pſalmo: *Os juſti meditabitur ſapientiam.* Conſtat autem non vocalis organi, ſed cordis eſſe meditari. Cor autem eſt quod in homine purificari opus habet, quia illud eſt quod verè polluitur & hominem polluit.
Matt. 15. 18. *De corde ſiquidem*, ut ait Salvator, *exeunt cogitationes malæ*, & cuncta quæ coinquinant hominem; quo mundo omnia munda ſunt, & quo polluto nihil eſt mundum, quantumcumque foris nitidum aut cultum appareat. Denique ad Iſaïam
Iſai. 6. 7. miſſus ait Seraphin: *Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Certum eſt autem non labiorum tactu ſed cordis peccata mundari.

Concinnantem ſæpiùs meditari in lege Dei oportet.

Ut autem charitas Dei copioſiùs in corde Doctoris per Spiritum ſanctum diffundatur, & per ejus vocem, quæ verbi ejus & charitatis velut quoddam vehiculum eſt, in cordibus etiam figatur auditoris, neceſſe eſt ut in lege Dei vigilanter & aſſiduè meditetur. Illa etenim lex ſancta & ſpiritualis & immaculata convertens animas, ſi attentâ inveſtigatione ac meditatione ruminetur, munda animalia facit, & digna Domino offerri, ſpirituales quoque in omnibus maximè parit affectus, ut pote à Spiritu ſancto inſtituta. Hos autem inducendo carnales educit, mundanos expellit, vagos & curioſos exturbat. Gaudet admodum Spiritus ſanctus dum ex ore Prædicatoris ſua audit verba ſonare, illis adeſt, illa dirigit, illa ſequitur & comitatur, & in cordibus impreſſa audientium fructificare facit. Aliena verò non ita fovet & complectitur, nec ſpiritualis incrementi tantam illis largitur virtutem, quare illa
Matt. 15. 13. faciliùs tollit atque eradicat inimicus. *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœleſtis, eradicabitur.* Quæ autem doctrina ita eſt Patris plantatio, ſicut Scriptura quam Pater ſanctificavit & miſit in mundum! Audimus in parabolâ ſeminantis ſemen quod ſecùs viam cecidit conculcatum eſſe à viatoribus, à volucribuſque cœli comeſtum, quod
Ibid. 13. 19. interpretans Chriſtus ita dicit: *Qui ſecùs viam, hi ſunt qui audiunt, deinde venit Diabolus & tollit verbum de ore eorum, ne credentes ſalvi fiant.* Totum itaque Theologi viri ſtudium Canonis ſacri debet invigilare lectioni, & in illius intelligentiâ non de viribus ingenii quantumlibet acutus fuerit, præſumere, ſed ut profunda ejus myſteria poſſit agnoſcere, ex illuſtratione Spiritus ſibi tribui oportere perſuaſum habeat, qui teſtimonio Apoſtoli, *Omnia*

Sacræ Scripturæ intelligentiam non ex ingenii ſubtilitate, ſed à Spiritu ſancto aſſiduè expoſcat.

1 Cor. 2. 10. *ſcrutatur, etiam profunda Dei.* Unde & poſt verba
Ibid. v. 11. iſta protinus adjungit idem Apoſtolus: *Quis enim ſcit hominum quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis qui in ipſo eſt; ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit niſi Spiritus Dei?* Si autem nemo cognovit niſi Spiritus Dei, quis alius poteſt nota facere niſi ille, vel cui ille revelaverit? Proinde legat diligenter Theologus ſanctorum Patrum libros ac commentarios, qui Spiritu ſancto illuſtrante edocti conſcripſerunt, cœleſtiumque illarum ſacramenta litterarum enodaverunt. Illi fuerunt viri verè ſpirituales, ſpiritu humiles, virtute ſublimes, ſenſu fœcundi, affectu fervidi, ſermone clari, fructu copioſi. Illi ſunt velut rivuli quidam ex fonte ſacrorum eloquiorum decurrentes, & ſicut rivus ad fontis notitiam atque conſpectum retrorsùm, aſcendendo perducit, ita aquâ, id eſt, doctrinâ horum rivulorum homines potati, paulatim mundanorum contemptu aſcenſiones in corde ſuo diſponunt, & ad hauſtum cœleſtis ſapientiæ, cujus fons in excelſis manat, per Scripturarum intelligentiam perveniunt; de quo fonte le-

Legat SS. Patrum libros.

Eccli. gimus dictum: *Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis.*

Quocirca miror Theologos noſtri temporis paginas divinorum Teſtamentorum ita negligenter legere; & neſcio quarum ſatis ſterilium ſubtilitatum indagine ſua ingenia conterere, utque verbis utar
1. Tim. Apoſtolicis, *Languere circà quæſtiones & pugnas verborum*, quod Sophiſtarum eſt non Theologorum. Quid eſt autem languere circà quæſtiones ac pugnas verborum; & quid ſibi volunt illa verba Apoſtolica? Illos procul dubio reprehendere volunt, qui omiſſa fertili & fructuosâ arbore ſacrarum Scripturarum, in ſilvaticis & ſterilibus pabulum doctrinæ requirunt, inter quas languere dicuntur, id eſt, fame & jejunio, nullo ibi reperto fructu, tabeſcere; & ſi quem fortè illis fructum invenire contingat, ſimilis eſt pomis Sodomorum, quæ exteriori quidem ſpecie pulchra & decora videntur, ubi verò ea manu carpes, in pulverem ac fumum ſolvuntur. Pulchra namque primo conſpectu videntur ſophiſmata, ingenioſa, acuta, ſubtilia, ſed ſi verborum ſoluta intricatione fructum ibi requiras, velut fumus evaneſcunt, quia intùs inania fuerunt.
Eccli. Propterea ſcriptum eſt: *Qui ſophiſticè loquitur, odibilis eſt; omni enim ſapientiâ defraudatus eſt.* Non tam ſubtilia vult nos Deus quàm utilia & diſcere ſimul & docere, qui per Iſaïam dicit: *Ego ſum Deus*
Iſai. *tuus docens te utilia.* Et iterum per eumdem: *Confundantur plectentes & texentes ſubtilia, & erunt irrigua ejus ſlaccentia. Omnes qui faciebant lacunas ad capiendos piſces.* Solebant antiqui Patres & Theologi, quorum per Eccleſiam ſunt approbata ſcripta, nihil dicere vel adſtruere, niſi quod Scripturarum teſtimonio poſſet confirmari. Unde & Hieronymus ait: » Quod de Scripturis ſacris non habet aucto- »
ritatem, eadem facilitate contemnitur qua pro- »
batur. » Rectiſſimè planè ille quidem, quoniam in his quæ divina ſunt nihil debemus temerè definire, niſi ex cœleſtibus poſſit oraculis approbari: quæ divinitus enuntiata de his quæ ſcitu de Deo ſunt neceſſaria, aut ad ſalutem opportuna, ſi diligenter inveſtigarentur nos ſufficienter inſtruunt. *Om-*
Joan. *nia*, inquit Chriſtus ad diſcipulos, *quæ audivi à Patre meo nota feci vobis*: ſubaudi ad ſalutem veſtram & illorum quos docturi eſtis expedientia, aut de meâ cum eodem Patre ſempiternâ divinitate per vos ſciri neceſſaria. Neque enim omnia divinitatis arcana quæ à Patre & cum Patre æternaliter cognoſcebat, nota illis fecerat, cum de tempore adventûs ſui & die Judicii, quod utique compertum habebat, vehementer rogatus indicare recuſaverat, ſciens non ad ſalutem conferre id aperiri.

Nunc autem pleroſque videmus ſcholaſticos ſacrarum inconcuſſa teſtimonia litterarum tam tenuis *Erro logo Scho* æſtimare momenti, ut ratiocinationem ab auctoritate ductam velut inertem & minimè acutam ſibilo ac ſubſannatione irrideant, quaſi ſint majoris ponderis quæ phantaſia humanæ imaginationis adinvenit, quàm quæ divinitas cœlitùs aperuit, cum, teſte
2 Ti. Apoſtolo: *Omnis Scriptura divinitùs inſpirata utilis ſit ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum & erudiendum in juſtitiâ: Ut perfectus ſit homo Dei ad omne bonum inſtructus*; ad quæ illa ſunt parum utilia in quibus hodie plurimi exercentur, quæ licet intellectum utcumque acuant, nullo tamen igne ſuccendunt affectum, nullo motu excitant, nullo alimento paſcunt, ſed frigidum, torpentem, aridum relinquunt. Inde eſt quod ad prædicandum tardi adeo & ignavi ſunt, quia ſcientiam ad hoc utilem minimè didicerunt, ſupervacuiſque occupati utilia & neceſſaria omiſerunt. Illa eſt vera ſcientia quæ Theologum decet, quamque omnis debet Theologus expetere, quæ non modo intellectum inſtruat, ſed

infundat ſimul atque imbuat affectum. Per hanc & ſibi homo proficit, & aliis per hanc placrre Deo

Eccli. 30. 24.

in primis ſtudet, & illud opere exequi: *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* Et cum Deo placere animam ſuam benè vivendo docuerit, cæteros certat ex charitate ad illum benè prædicando attrahere, juxtà

Prov 9. 12.

illud viri ſapientis: *Si ſapiens fueris, tibi & aliis eris, ſi vero ſtultus, ſolus portabis malum.* Ad quod per-

Apoc. 22. 17.

tinet illud Joannis in Apocalypſi: *Qui audit, dicat veni:* hoc eſt qui cœleſtibus obedire didicit præceptis, proximum ad viam Domini vocando ſecum venire hortatur. Paulus quoque ad Timothæum loquens, hunc ordinem ſervandum præſcribit:

1. Tim. 10.

Attende, inquit, *tibi, & doctrinæ, inſta in illis.*

Iſti ſunt fines quorum gratiâ omnis debet Theologus ſtudere, & ad quos ſuum totum conferre ſtudium. In his aſſiduè verſari, jugiter exerceri: quoniam in his tota legis pendet perfectio, totaque ſumma Scripturarum, imò vitæ humanæ ad hæc

Rom. 13. 10.

referenda eſt. *Plenitudo namque legis*, ſicut Apoſtolica nos docet auctoritas, *eſt dilectio.* Quomodo autem diligit Deum, qui fratris ſalutem negligit?

1. Joan. 3. 10.

Qui non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum quem non videt quomodo poteſt diligere? Verba ſunt beati Joannis in epiſtola. Quomodo autem fratrem diligit, qui illius pro viribus ſaluti ſubvenire negligit, maximè ſi artem docendi habet, locum & officium tenet. Neque enim illa cenſenda eſt vera dilectio nobis illo præcepto divino indicta, ſi hominem ad temporales divitias, aut mundanos honores, aut ſæculi auctoritatem diligamus, cum noſmetipſos magis ad ſalutem quàm ad talia debeamus diligere, qui proximum tamquam nos ipſos diligere jubemur. Quid aliud eſt ſcientia, quæ omni pio exota affectu ſolam intelligentiam inſtruit, niſi fomentum vanæ gloriæ, & lampas ſine oleo, quâ à regni cœlorum ingreſſu fatuæ virgines laudibus hominum delectatæ excluduntur? Illa Luciferum luce cognitionis adeo ſublimiter inſignitum in illam inſaniſſimam extulit ſuperbiam, quâ à ſummis cœlorum ad ima inferorum præcipitatus eſt. Il-

1. Cor. 8. 2.

lam ſignavit Apoſtolus quando dixit: *Scientia inflat.* A quo hydropico tumore ſanari non poteſt, niſi per

Ibidem.

charitatem, de quâ ſubdit: *Charitas verò ædificat.* Iſta eſt oleum quod lampadem cognitionis extingui non ſinit; quodque omnes ſapientes virgines, id eſt, omnes doctæ animæ veràque & cœleſti ſapientiâ inſtitutæ ſecum in vaſis ſuis ſemper portare debent; quo lampas, ſeu lucerna doctrinæ vacuata quanto ante conſpectum Sponſi interno conſcientiæ ſplendore minus lucere poteſt, tanto magis exteriùs ante homines, quibuſdam quaſi crebris ſcintillis cum atrâ quâdam fumi caligine foras emicantibus, lucere videri affectat; ſed lux illa ſolido pabulo quo alatur & conſervetur deſtituta, facilè cum fumo ipſo evaneſcit.

Quis ſcopus illius qui Theologiæ ſtudium impendit.

Summa igitur illius qui theologicum rectâ intentione amplectitur ſtudium ea ſit, ut formam ſe virtutis ad imitandum cæteris præbeat: niſi enim amicus Dei ſit, ſua ſibi ſecreta non manifeſtabit; niſi foris luce virtutis effulgeat, alios opportunè ad virtutem ædificare non poterit. Ut præterea ad intelligentiam Scripturarum totis virium conatibus elaboret, aſſiduâ lectione, ſedulâ meditatione, frequenti oratione, quæ illam maximè impetrat intelligentiam, ut ad illas totum ſuum conferat ſtudium, & quæcumque extrà illas viderit aut legerit, illarum gratiâ videat; ut doctrinas ſupervacuas, pluſque curioſitatis quàm utilitatis habentes effugiat, quæ contemptum & faſtidium ſacrarum litterarum in animis pariunt, coramque vanæ oſtentationis, & conſequenter ambitionis ſolent immittere: ut diligenter, libenter, frequenter prædicet, quæque de cœleſti ſapientiâ ſibi fuerint communicata aliis etiam impertiendo communicet, quo ad majora & ampliora capeſſenda magis idoneus ſit; ut virtutes doceat, vitia dedoceat, à malis ſuppliciorum comminatione deterreat, ad bona ſpe mercedis ac præmiorum alliciat: nunc arguat, increpet, objurget, & quaſi duro verbi gladio aſperè vulneret, nunc erigat & conſoletur, fomentiſque ſuavioribus ſocios animos recreet; ut non tam ſubtilia quàm utilia dicat (quem enim fructum afferre poterunt, quæ capacitatem audientium non intellecta tranſgrediuntur?) ut non palpet, oon aſſentetur, non placere ſed prodeſſe contendat.

Galat. 1. 10.

Si hominibus placerem, inquit Apoſtolus, *Chriſti ſervus non eſſem.*

Pſal. 10. 3.

Sic quippe *laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ*, & in majoris erroris præcipitium inducitur. Unde cùm in perſonâ quorumdam dixiſſet Iſaïas,

Iſai. 30. 10.

Dicite nobis placentia, protinùs addidit: *Videte nobis errores.*

Non ergo Theologico det eo fine operam ſtudio, ut Theologiam ſciat, hoc enim quædam curioſitas eſt; non ut vulgi favorem aut plauſum populi ſibi per hoc acquirat, quia ventus inanis eſt; non ut famâ celeber & clarus habeatur, quia caſſa & ſterilis gloriatio eſt; non ut opes & divitias per eam aſſequatur, quia cupiditas eſt; non ut ad honores & dignitates perinde promoveatur, quia ambitio eſt; non ut Rabbi vocetur, cæteris præcellat, primus honoretur, quia ſuperbia eſt; non ut in quiete & otio ſtudii ſpeculetur, quia torpor & remiſſio quædam animi eſt, de quâ ſervus piger reprehenditur, quòd pecuniam Domini ſui in ſudario repoſitam apud ſe ſervaverit, nec de illâ negotiando lucrum fecerit, ſed eâ mente ac propoſito Theologiæ aggrediatur ſtudium, ut de talento doctrinæ ſibi divinitùs commiſſo, fideliter Deo ſerviendo, ſecum ad ſalutem æternam quoſcumque poterit perducat ac lucrifaciat. Hoc enim vera charitas eſt, quæ ut definit Apoſto-

1. Tim. 1. 5.

lus, *Finis eſt præcepti, de corde puro, & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ.* Illi namque ſuperiores fines temporales ſunt vani & vitioſi. Cœleſtem autem ſapientiam tales ſibi fines conſtituere, taliumque fieri inſtrumentum valde abſurdum eſt atque iniquiſſimum, quæ toto penè ſuo decurſu vana ſuadet & vitioſa tantâ inſtantiâ contemni, ad ſupernæque felicitatis gaudia immarceſſibilia ſuſpirare.

Pravorum Doctorum vitia deſcribuntur.

Quam ob cauſam ſummopere caveat Theologus (qui quanto gradu & doctrina meritiſque ſublimior eſt, tanto majori debet humilitate cæteris præſtare) ne gradum magiſterii cæcæ faciat ambitionis occaſionem, quales licet hodie permultos cernere, qui ad alta titulorum nomina feſtinant, non ut doceant, ſed ut habeant & ampliùs habeant; qui poſtea quàm magiſterium aſſequuti fuerint, ejuſque adeptione non ſuum modò patrimonium conſumſerunt, ſed amicorum quoque loculos ſumptuoſo conviviorum apparatu exhauſerint, maximoque obſtrinxerint ære alieno, totam reliquam vitam in anguſtiis degunt. Magiſtralem cupiunt magnificentiam in cultu, victu, veſtitu ne aliis inferiores ſint oſtentare. Creſcit cum ſtatu & gradu impenſa, domi egeſtas eſt atque inopia, urgentur à creditoribus, non eſt unde ulteriùs argentum tantis jam debitis onerati mutuentur. Vide quantis inter hæc curis, quantis ærumnis ac miſeriis afficiuntur. Vide quantum ſibi cumulum ſollicitudinem, quantum aggerem ambitionum ſtruxerunt. Coguntur mendicare, coguntur ſervire; coguntur potentiorum limina frequentare, illorumque quomodolibet gratiam captare. Blandiuntur Prælatis & Pontificibus, ad Eccleſiaſticas promotiones mirâ importunitate, mirâ atque inexplicabili aviditate ardeſcunt, & nihil eſt quod non

pro illis exturquendis agant; quas poſtquàm tandem obtinuerint, quomodo his utantur mea meritò debet oratio ubi res loquitur, ſilere. Talibuſne, quæſo, utilius fuerat titulum nunquam ambiiſſe magiſterii, quàm ex illâ ambitione in tot tantaſque alias ambitiones, tantos angores & cruciatus incidiſſe, à quibus vix & tarò illi evadunt, qui non purâ & ſincerâ mente ad gradus accedunt, & qui ex gradibus, præſertim theologicis, temporalem ſibi pro fine quæſtum, non fructum ſpiritualem conſtituunt? Una enim inordinata affectio alias innumerabiles parit, quibus nunquam ſatisfieri poſſit. Inde eſt illa inexplebilis ſitis beneficiorum, quâ hodie ita incredibiliter homines æſtuant. Ad honores quippe & opulentiam & magnificos ſtatus omnes propemodum aſpirant, eoque velut ad ſignum ſagittæ ſuas curas, ſua ſtudia, ſuos conatus & opera dirigunt. Quid autem ita inſatiabile, ſicut ignis cupiditatis, in quem quo plura congeſſeris, eo ſemper vehementiùs accenditur.

a præſtadius ſit in cholis doce-, quàm ſa-rem anima-conciona-us procura-

Cum itaque finis theologici ſtudii ſecundùm præmiſſa, ſit, ſe atque alios ad vitam æternam convenienter inſtruere, videamus quid præſtabilius ſalubriuſque exiſtimandum ſit, utrumne zelo ſalutis animarum, officium ſedulæ prædicationis apud populum exercere, an jugiter in loco ſtudii poſt gradum magiſterii adeptum legendo diſputandoque, & ſcholaſticos inſtruendo reſidere. In quâ quidem quæſtione, ſicuti in tuis ſcriptis commemoraſti, Doctor quidam, quem vulgato nomine ſchola Solemnem nuncupat, aſſerit perfectius eſſe & ſalubrius hominem bonæ ſpei in ſtudio remanere, quàm ſe ad prædicationis officium ingerendo ſalutem animarum procurare. Quibus autem ex cauſis ad ita ſentiendum inducatur, nec in tuis ipſe expreſſiſti ſcriptis, nec me aliàs aut legiſſe aut audiſſe memini, ut ſuis poſſim rationibus ad ſecum opinandum trahi. Pace autem tanti Doctoris mihi primâ facie videtur contraria probabilior opinio. Nam primùm quæro cujus rei gratiâ in ſtudio reſidere optimum contendat. Si ut legat quis & diſputet, & Theologiam doceat, quæro rurſum quare hæc facere optimum judicet; & meâ quidem ſententiâ nullam poteſt veriſimilem aſſignare cauſam, niſi quia Theologiam alios docendo, illos homo erudit, quorum poſſit eruditio ad ſalutem & vitam æternam alios erudire. Cum ergo finis gratiâ cujus cætera aguntur in uno quoque genere rationem optimi perfectiſſimique ſortiatur; ſi bonum eſt Theologiam propter ſalutem animarum alios docere, nonne melius eſt ſalutem ipſam prædicando & ædificando procurare, quàm illos inſtruere qui hæc facere valeant, & forſitan nunquam faciant. Sicut enim fini congruit eſſe optimum, ita quanto aliquid eorum per quæ finis habetur finem ipſum magis è proximo immediatoque attingit, tanto melius cenſendum eſt. Id quoque irrefragabiliter melius eſſe neceſſe eſt, cujus cauſâ aliud bonum exiſtit. Conſtat præterea ubi ſimili æqualitate cætera conſtant, bonum certum incerto jure præferendum atque fortuito.

Porro quid attinet me gloriari, mihique laudem vendicare de alienis laboribus ac meritis, meque de ſummâ perfectione extollere, quòd illos ego auditores diſcipuloſque habuerim, qui alios noverint & poſſint ad ſalutis æternæ iter, me quieta otia agente, adducere? Coronam in ſtadio non meretur, qui agoniſtam in arte certandi inſtruxit, ſed qui ſuperatis aliis in certamine victor evaſit. *Non coronabitur*, inquit Paulus, *niſi qui legitimè certaverit*. (Tim. 2. 5.) Non palmæ gloriam reportat qui pugillatorem armavit, ſed qui hoſtem in arena proſtravit. Si peritus aliquis medicus ac fidelis ſuâ me diligenti operâ ex acerbâ aliquâ ægritudine liberaverit, cui mercedem reddere debeo, aut grates agere, illine ſuo præceptori qui Hippocratis eum docuit aphoriſmos, aut Avicennæ antidota, an illi qui meo corpori opem, curam, medicamenta adhibuit? Quid quod plerumque in ſtudiis non tam ſpiritualis animarum ſcientia diſcitur, quàm ſuperba & curioſa plena oſtentationis, quæ illam humilem doctrinam quæ ſauciatis medetur animabus, quamque Deus, ſcientiarum Dominus parvulis ſuis largitur non alta ſapientibus, alta & rugosâ fronte dedignatur. Denique de quo licet homini ſpem ampliorem ac meliorem concipere, quàm de illo qui fervore accenſus charitatis alios per exemplarem vitam, ſollicitæque prædicationis inſtantiam ad Deum attrahere ſatagit? Nonne anteponenda eſt charitas ſcientiæ, cum hac abuti multis modis homines cernamus, illâ verò unquam abuti nemini liceat: cum præterea ſecundùm Apoſtolum *charitas nunquam excidat*, (1. Cor. 1) ſcientia autem magna ex parte velut bonum imperfectum ſit evacuanda: quæ ſi ſine charitate comite obvenerit, plurium ſolet eſſe malorum quàm bonorum alumna, non ex ſe quidem, ſed ex perverſitate malè utentium. Quæ enim major ad nocendum pernicies, quàm ingenio, ſcientiâ, eloquentiâ armata iniquitas; ſtudii autem finis ferè eſt ſcientia, charitas vero prædicationis. Hortatur Paulus Epheſios ſcire ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti: quo apertè præeminentia charitatis ad ſcientiam oſtenditur: quoniam, ut ait Hugo, ubi charitas intrat, ſcientia etiam foris ſtat: neque enim eo ſolent homines notos quoſque ſuos admittere, quo charos atque dilectos introducunt. Porrò Chriſti atteſtatione inſtruimur non Theologiam noſſe beatum efficere, ſed ſecundùm Theologiam operari. Cum enim multa ſalutaria veræ perfectionis inſtituta diſcipulis dediſſet, ad ultimum adjecit: *Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea*. (Joan. 13) Sicut enim *intellectus bonus eſt omnibus facientibus eum*, (Pſal. 10.) ita ſcientia aut intelligentia operis exequutione deſtituta, gravior & culpæ & pœnæ ſarcina eſt. *Scienti enim bonum, & non facienti, peccatum eſt illi*. (Jac. 4) *Servus quoque ſciens voluntatem Domini ſui & non faciens, vapulabit multis; neſciens autem vapulabit paucis*: (Luc. 12.) quia ſua enim ignorantia, niſi deſidioſa aut voluntaria fuerit, aliquatenùs excuſabit.

Fruſtrà igitur inertes homines otio in ſtudiis marcentes, ſibi de ſtudii reſidentiâ blandiuntur, tanquam illa ſuam excuſet ignaviam, & hi præſertim qui regendarum animarum curam ſuſceperunt, qui niſi ſuper gregem ſuum diligenter vigilaverint, de ſanguine pereuntium ovium ſuarum rationem tandem exactiſſimam redditu ri ſunt. (Pravos I... res inſe...) Quot enim Paſtorum negligentiâ perire putamus animas, aut quæ temporalia poſſunt commoda pereuntis animæ jacturam compenſare? Conterunt infiniti ovium Rectores totam in ſtudiis ætatem; *ſemper diſcentes*, ut de quibuſdam ait Apoſtolus, *& nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes*. (2. Tim. Contrà ſictorem multiplicitas appetens) Quæ eſt autem ſcientia veritatis, niſi ſcientia quâ ad Chriſtum qui veritas eſt, pervenitur? Nec tam procul dubio diſcere cupiunt, quàm ſub titulo & umbra ſtudii multiplicandis Eccleſiaſticis beneficiis atque promotionibus ſine ullâ unquam ſatietate inhiare. Quem mihi dabis qui ſuâ ſit ſorte aut vocatione contentus, cui non protinùs habita viloſcant, qui non inſanâ cupiditate ampliorum beneficiorum jugiter ardeat? Jejunant interea oves impaſtæ, & lupis fortaſſis aut furibus pro curâ atque regimine commendatæ. Didiciſſe debent & doctè eſſe qui metuendam illam ſarcinam humeris ſubeunt, non tunc præpoſterâ rerum converſione ſtudia ſectari. Sed, ô ſors iniqua tem-

porum, imò rerum! cum ſuis quiſque pecudibus paſtorem peritum & diligentem magnâ curet attentione providere, Chriſti ovibus abſque delectu, abſque curâ & proſpectu homines ignari & inutiles, moribuſque corruptiſſimi temerè & paſſim præficiuntur, qui non oves verbo paſcant, exemplo doceant, ſubſidio foveant, ſed vitus potiùs ſuis inficiant, rapinis opprimant, lacte exhauriant, lanâ diſpolient, qui abſentiâ an præſentiâ plus noceant non facile judicaverim; & quam poterunt infeliciſſimi in diſtricti judicis examine de perdito grege reddere rationem? an ſe putant excuſandos eſſe quòd ſtudio & litteris operam dederunt, qui non eâ re ſtuduerunt ut ovibus prodeſſent, ſed ut titulo gradus & doctrinæ rem ſuam augerent, armaque uberioris promotionis litteras haberent. Si enim ut ovibus prodeſſent ſtudia ſequuti eſſent, ſaltem poſt graduum adeptionem ad illas deberent paſcendas accedere, quas tamdiù eſurientes, macieque confectas omiſerunt; ſed tunc nimirum illas ex toto à ſe abdicare ſatagunt, pinguioraque ovilia quæ nihilo magis paſcant, ſuſcipere.

Qualis igitur erit excuſatio abſentiæ, hauriendis in ſtudio litteris propter ſuas explendas concupiſcentias inſudaſſe? Non fictis tunc licet verbis judicem fallere, dolis eludere, mendaciis circumvenire, quibus ſæpe ſolent artibus judices humani decipi. Nihil illic palliatus ſermo, nihil fraudibus adoperta proderit duplicitas. Omni ſublato velamine nudæ erunt conſcientiæ, patebunt cordium latebræ, cuncta animorum revelabuntur occulta, quæ tantâ nunc arte ac ſtudio teguntur hominibus.

Sed fortè dicent ſecum fuiſſe ne cum ovibus reſiderent, per Pontificem ſuperiorem diſpenſatum. Cur diſpenſationem petebas, inquiet Judex? Quare importunè licentiam non id agendi, ad quod te teneri ſciebas, extorquebas? Quam obcauſam nomen tenebas officii, ſi officiari nolebas? Ad hoc Rector eras factus ut regeres, ideo Paſtor ut paſceres: tantine erant tua ſtudia, ut propter illa meas perire oves oporteret, pro quarum volui redemptione meum ſanguinem fundere? Quare idonei locum paſtoris occupare voluiſti, & opus minimè exequi? Paviſſet alius gregem meum, ſervaſſet, curaſſet, minaſſet, aſſiduus cum eo fuiſſet, lucrum mihi de illo profectumque retuliſſet. Idcircone te paſtorem factum arbitrabare, ut, grege meo neglecto in deſertoque derelicto, per oppida, urbes & compita cum laſcivis & otioſis, dum lupi meum gregem diſſipant, vagareris? Numquid ſolent opiliones, qui greges divitum paſcendos ſuſcipiunt, in agris abſque cuſtodiâ oves deſerere, aut alienis mercenariis illas committere? An neſciebas te meum ſervum eſſe qui ex denario diurno mecum conveneras? Quare ergo calce abjeciſti ſervitium meum ad quod te vocaveram, alienumque quæſiſti diſpenſatione non ſerviendi famulatum? Neſciebas in perſonâ Petri tibi dictum: *Si diligis me, paſce oves meas?* (Joan. 21, 15, 17.) Quid tibi apud me defuit? Numquid cibo eguiſti aut veſtimento? Numquid pactâ mercede fraudatus es? Mulſiſti, totondiſti, lac habuiſti, lanam cepiſti, peculium omne in tuam ſortem cedere permiſi, lautus & pinguis ovium ſucco vixiſti. Quare ergo, perfidiſſime, non paviſti? Neſciebas lege communi periculo paſtorum fieri, ſi una eorum negligentiâ periret ovicula, totumque reddere debere quidquid contingeret illorum culpâ interire? Aut igitur meum mihi numerum reſtitue, aut tot ovium tuâ abſentiâ incuriâque perditarum tuo ſanguine ſanguinem lue, acerbiſſimoque compenſa cruciatu. Dura nimium & graviſſima hæc erit ſententia, quæ tam levi imò nullo metu formidatur, à quâ tamen nulla poterit relevare provocatio.

Sed ad rem redeamus. Quæ poteſt vita perfectior eſſe quàm Apoſtolorum: & numquid in publico ſtudio legere juſſi ſunt? Nuſquàm prorsùs hoc legimus, ſed in omnibus Evangeliis illos ad prædicandum miſſos invenimus. Quis niſi inſanus dixerit tantum fructum Doctorem Gentium in aliquo Studio legendo facere potuiſſe, quantum in tot orbis partibus evangelizando profuit; qui ab Jeruſalem per circuitum uſque ad Illyricum Chriſti Evangelium replevit? Non Dialectici argumentatores in acutis Syllogiſmis, non ſuaviloqui oratores in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, non tumidi Philoſophi in ſectarum atque opinionum varietatibus fidem Chriſti Gentium pectoribus infuderunt; ne ſapientiâ verbi evacuaretur crux Chriſti; ſed ſimplices & illiterati piſcatores propter ſuam humilitatem & ſimplicitatem cælitùs edocti. Dominus enim ſua ſecreta mundi ſapientibus & prudentibus magna de ſe præſumentibus plerumque abſcondit, & revelat ea parvulis: *Cum ſimplicibus* quoque, ut ſcriptum eſt, *graditur ac ſermocinatur.* (Prov 3. 32.)

Sed, inquies, propter hæreſes exſtirpandas, erroreſque eliminandos neceſſarios eſſe Magiſtros ac Doctores, qui talia ſuis ſcriptis ac diſputationibus impugnent. Non inficior utiles eſſe & neceſſarios, non tantùm ad mala & falſa dedocenda, ſed primùm quidem ac principaliter ad vera & utilia docenda, ne ex defectu atque inopiâ fructuoſæ prædicationis homines ignari in errorem labantur. Bonum quidem eſt inſurgentes errores falce argumentationum reſecare, ſed melius & ſalubrius eſſet non eſſe errores quos refellere oporteret, qui ex negligentiâ fructuoſæ prædicationis ſæpe ſolent oriri: neceſſarii ſunt medici in republicâ, ſed melius eſſet homini benè valere, quàm propter plagam aut febrem neceſſarium habere medicum. Acutè adversùs hæreticos, erroſumque ſeminatores in ſcholis diſputatur, ſed de ſimplicium cordibus populorum negligenter errores ipſi perniciosiſſimi evelluntur. Quis non intelligat utilius eſſe errores de cordibus expelli, quàm de codicibus? Malè & perfidè penè ubique in pleriſque rebus ſentit hodie vulgus, magicis utitur artibus, ſuperſtitionibus variis implicatur, divinos & pythones conſulit, ſortilegiis delectatur, in principalibus præterea graviter claudicat fidei articulis. Si contrà hæc ſubtiliter in ſcholâ diſſeritur, quid ad illos qui longè poſiti non audiunt nec noverunt, ad quos nulli accedunt Theologi, qui eos inſtruant? Nonne utilior eſt medicus, qui poſtquàm artem didicerit ægrotos viſitat, & medendo ſanat, quàm qui de morbis ac vulneribus, nunquam artem experiendo, ſemper in ſcholâ diſputat? Scripſit contrà quoſdam hæreticos Johannes Apoſtolus ſuum Evangelium, ab Aſianis efflagitatus Epiſcopis, de Verbique æternitate ſubtiliſſimè diſſeruit. Scripſit contrà Pſeudoapoſtolos diverſas ad diverſos Paulus epiſtolas, numquid idcircò cum aliis Apoſtolis & Diſcipulis ad prædicandum non miſſi ſunt? Imò qui alii ad hoc officium ſecundùm antiquum ritum Eccleſiæ ſunt deſtinandi, quàm qui inſigni eruditione pollentes ad alios ſunt inſtituendos idonei? Qui alii celſiorem gradum perfectionis in Eccleſiâ obtinent, quàm Pontifices, quorum maximè eſt creditos ſibi greges doctrinâ paſcere, quod ut facere valeant, ex doctiſſimis ſunt hominibus aſſumendi?

Itaque nihil eſt aliud ſtudium Theologicum, niſi quædam, ut ita dicam, Paſtorum ac Prædicatorum officina, ex quâ evocandi ſunt atque eligendi qui artem norunt paſtoriam, ut vacuis per ſcientiam præficiantur ovilibus. (Quid ſtudium Theologicum.)

At Doctoribus, inquies, pro labore & ſollicitudine docendi in juſtorum retributione ſingulari prærogativâ dabitur aureola. Vide ne non tam de illis hoc intelligendum ſit qui in locis ſtudiorum torpuerint, quàm de his qui de ſuo talento plebem Chriſtianam erudiendo vigilanter & ſtrenuè negotiati fuerint (Negotioſis quippe illa dabitur non otioſis) qui animas ſuâ doctrinâ, & prædicatione plurimas Deo acquiſierint, ſecumque ad cœleſtem Jeruſalem Angelorumque conſortium pariter adduxerint; qui denique illi mandato obedierint, *Negotiamini dum venio*. Quis enim ita deſipiat, ut gradui & bireto, non profectui atque operibus illam deberi exiſtimet? Quòd ſi qui pertinaciter certare voluerint de ſcholaſticis id intelligendum eſſe Doctoribus, non de his qui in Eccleſiâ epulis ſacri eloquii populos paſcunt, audiant tamen Apoſtolum ſpirituales plebium ædificatores talibus anteferentem: *Quoſdam*, inquit, *poſuit Deus in Eccleſiâ, primùm Apoſtolos; ſecundò Prophetas; tertiò Doctores*: ubi apertè liquet Prophetas prælatos eſſe Doctoribus, ſicut Prophetis Apoſtolos. Qui autem ſint Prophetæ paulo poſt exponit inferens: *Qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem & conſolationem.* Nullis potuit verbis manifeſtiùs ſpirituales ſanctæ Eccleſiæ Prædicatores explicare; quos idcircò, ut puto, Prophetas appellat, quia per divinas Scripturas, quas inſatiabili aviditate diſcutiunt edocti, ingruentia ſolent populo pericula pronuntiare, flagellaque Dei & judicia ex peccatis hominum ſurgere ſolita, Spiritu intùs illuſtrante prædicere.

Quibus aureola dabitur in cœlo.

Luc. 19. 13.

Epheſ. 4. 11.

1 Cor. 14. 3.

Sed ne ſcholas videar omni modo velle vacuare, poſſunt illi in ſtudio legere, libereque reſidere, qui non ad majus aliquod officium erudiendarum vocati ſunt animarum; qui verò oneri illi cervices ſuppoſuerunt, non auſim leviter credere mentem fuiſſe hujus Doctoris, quòd ſalubrius in ſtudio præſertim convenienter imbuti demorentur, quàm in ſuâ conſiſtendo Eccleſiâ ſuum gregem paſcerent. Et utinam tales opiniones non dederint occaſionem permultis ſuas caulas & ovilia relinquendi, in ſtudiiſque exiguo fructu ætatem conterendi. Prona ſatis eſt ad negligentiam natura humana, opuſque debitum ſegniter exequendum, nec indiget ad id induci aut armari; quoniam paucos hodie conſpicimus ad magiſtrales in ſtudiis gradus provectos, in ſuis Eccleſiis aut parochiis, quarum paſtoralem ſunt curam ſortiti, reſidere. Cuncti propè in ſtudiis verſantur quanto tempore vivunt, ſuaſque idiotis mercenariis regendas oviculas committunt; qui utinam verba Chriſti de hujuſmodi mercenariis ſtudioſâ ſecum meditatione revolverent, ſuaque & gregum ſuorum ex Propheticis pariter & Evangelicis ſententiis vellent conſiderare pericula. Et quid mirum ſi errores pullulent in laïcorum ſæculariumque hominum pectoribus, pabulo & doctrinâ carentium, quibus exſtirpandis quid utilitatis afferre poſſunt Rectorum in ſtudiis agentium determinationes, quorum nunquam ſit ad illos aura famæ tenuiſſima perventura? Sanè non modò illos qui doctorale jam ſunt faſtigium aſſequuti, plebes ſuas gubernare debere, verùm eos quoque qui ad illum gradum necdum pervenerunt, ſi modò competenter ad prædicandum imbuti ſunt, paſtoraleque ſunt officium adepti, probabilius eſſe crediderim, quàm quod Doctor ille, quod cum ipſius bonâ veniâ dictum velim, agendum opinatur atque perſuadet. Si autem paſcere & docere non ſint habiles, viderint ipſi quâ audaci ad animarum ſe gubernacula ingeſſerūt. Viderint præterea Prælati qui hanc curam ſibi mandarunt, quare onus illud graviſſimum periculique pleniſſimum, invalidis illorum humeris imponendum putaverint. Ex his ſatis te puto poſſe colligere, quæ mea ſit de tuis quæſitis ſententia; quæ ſi votis animi tui nequaquam valeant ſatisfacere, veniam meæ dabis ignorantiæ, à peritioribuſque exquires quod per me tenuiter doctum minùs fuerit explicatum.

MONITUM.

QUA ratione Concilium hoc ad Acherium pervenerit, ac quid in eo præſtitum ſit, lectorem docebit ſequens Baluzii ad Acherium Epiſtola.

„ Clariſſimo doctiſſimoque D. LUCÆ DACHERIO, &c. STEPHANUS BALUZIUS
„ Tutelenſis, Canonicus Remenſis.

S. P. D.

„ *MITTO ad te, Vir Clariſſime, præclarum antiquitatis monumentum, Concilium vide-*
„ *licet Carthagine habitum ſub Bonifacio Epiſcopo, è vetuſtiſſimis Bibliothecæ Vaticanæ*
„ *codicibus deſcriptum ab eruditiſſimo viro Luca Holſtenio, ab eoque olim miſſum ad Illuſtriſſi-*
„ *mum* PETRUM MARCAM *Archiepiſcopum Toloſanum, quo tunc ègo Mæcenate fruebar, qui-*
„ *que nuper è Cathedra Toloſana ad Pariſienſem tranſlatus, paucis poſt diebus è vita excedens,*
„ *documentum reliquit Magnos viros non eſſe immortales. Inſtituerat nimirum vir ſummus edere*
„ *ſpecialem Tractatum de Exemptionibus Monachorum, eaſque à principio repetere, atque ob eam*
„ *cauſam Concilium iſtud, cujus notitiam habuerat ex relatione Illuſtriſſimi viri* FRANCISCI
„ BOSQUETI *Epiſcopi Monſpelienſis, ad ſe mitti petierat ab Eminentiſſ.* Cardinale Barberino,
„ *in cujus Bibliothecâ repertum eſſe rebatur: verùm ex ipſo brevi intellexit, id haud quaquam*
„ *eſſe, Synodumque illam exſtare in codice Vaticano, unde deſcripta erat ab Holſtenio, ab eoque*
„ *petendum illius exemplum. Is autem illud paulo poſt miſit ad Mæcenatem meum, à quo rece*
„ *ptum eſt Anno* MDCLX. *apud Perpinianum, quo ſe contulerat ex præcepto Regis, ut limite.*

Regnorum

Regnorum in eâ Pyrenæorum montium parte conſtitueret. Lætatus eſt ſuprà modum, poſtquàm hanc ſecundam Concilii Carthaginenſis Actionem legit, quòd antiquitatem prorsùs ſpirare intelligeret; eâque, ut dixi, decreverat uti in Diſſertatione quàm moliebatur de Exemptionibus Monaſteriorum. Et cum eo mortuo ſchedæ illæ Holſtenianæ mei juris factæ eſſent, ac recordarer deſideris tui, quod optimo viro olim patefeceras, lubens conceſſi ut in Tomum VI. tui Spicilegii Synodus illa conjiciatur, publicæ utilitatis causâ.

Huic autem Concilio præterea fidem facit etiam vir eruditus Petrus Franciſcus Chifflitius Presbyter è Societate JESU, *qui ſic ſcribit in Notis ad vitam S. Fulgentii Epiſcopi Ruſpenſis à Ferrando deſcriptam:* Ad hæc Hilderici fauſta exordia pertinet Conc. Carthaginenſe nondum editum, nuper in Vaticanâ Bibliothecâ repertum, quod optant eruditi omnes, ut ad Africanæ hiſtoriæ lucem quamprimùm prodeat.

• *Sed quòd in his Actis legis, epiſtolam è Concilio Jucenſi ſive Juncenſi miſſam ad Bonifacium Epiſcopum Carthaginenſem, adnotat Holſtenius Concilio illi interfuiſſe S. Fulgentium Epiſcopum Ruſpenſem, ut habetur in ejus vitâ cap.* XXIX. *ubi malè ſcribitur Vincenſi pro Juncenſi. In eodem Juncenſi Concilio, ut admonet idem Holſtenius, repreſſa eſt uſurpatio Vincentij Epiſcopi Girvitani: decretumque adversùs illum in Synodo latum memoratur à Ferrando in Breviario Canonum cap.* XXVI.

Mitto præterea, Vir Clariſſ. Excerptum ex Concilio Carthaginenſi ſub Reparato Epiſcopo, anno Chriſti DXXXV. *habito, ex pervetuſto Codice Vaticano Longobardico ad Illuſtriſſ. virum ab Holſtenio item miſſum, ejuſque manu deſcriptum. Qui hic primo loco nominatur Felicianus Epiſcopus Ruſpenſis, jam ipſis Kalendis Januariis anni* DXXXIV. *B. Fulgentio ſucceſſerat, ut apparet ex Ferrandi extremo capite de vitâ S. Fulgentii, quam Feliciano huic inſcripſit. Felix verò Epiſcopus Eccleſiæ Zactarenſis, Legatus provinciæ Numidiæ, ut manu Holſtenii in calce hujus Excerpti adnotatum eſt, actis primæ diei inter LX. Epiſcopos ſe primo loco ſubſcripſit. Exſtat autem (ſubdit Holſtenius) Synodica poſterioris hujus Concilii ſub Reparato, ſcripta quidem ad Johannem PP. II. accepta autem ab ejus Succeſſore Agapeto, cujus reſponſum habetur in tomis Conciliorum. Ex eâdem Synodo miſſus fuit Theodorus Diaconus ad Imperat. Juſtinianum, ut peteret reſtitutionem ac confirmationem privilegiorum Eccleſiarum Africæ; quam Conſtitutionem Pithœus edidit.*

Habes hic bona fide exemplum actorum ab Holſtenio miſſorum, cum brevibus aliquot ejus Notis paſſim in margine poſitis. Reliquum eſt, ut me amare pergas nominis tui ſtudioſiſſimum, remque literariam ornare perſeveres. Data apud ſanctum Germanum in Laïâ V. *Kalendas Septembris anni* MDCLXII.

ANNO 525. *Ex codice Vaticano.*

SYNODI CARTHAGINENSIS
BONIFATII EPISCOPI.

Habitæ Anno Chriſti DXXV.

SESSIO SECUNDA.

In quâ agitur de Libertate Monaſteriorum.

INCIPIT DIES SECUNDA.

ANNO ſecundo glorioſiſſimi Regis HILDERICI, die nonâ Idus Februarias, Carthagine in ſecretario Baſilicæ S. Martyris Agileii, cum BONIFACIUS Epiſcopus Eccleſiæ Carthaginenſis cum Coëpiſcopis ſuis diverſarum provinciarum Africanarum, quorum nomina ſubſcriptiones oſtendunt, conſediſſet, adſtantibus Diaconis, Bonifatius Epiſcopus dixit: Poſt heſterni diei diſputationem, quæ nos penè uſque ad veſperum detinuit occupatos, quia jam nihil arbitror ſupereſſe quod de generali Eccleſiarum utilitate tractemus, ſi quæ ſunt ſpecialiter diſcutienda ſingulorum ſuggeſtio manifeſtet; ne vel privata commoditas videatur omiſſa.

GAUDIOSUS Diaconus regionis quintæ dixit: PETRUS Abbas cum aliquantis Senioribus Monaſterii ſui pro foribus obſervans, rogat ſe tuæ Beatitudinis & ſanctiſſimi Cœtûs præſentari judicio. BONIFATIUS Epiſcopus dixit: Ingrediantur. Quibus ingreſſis, Bonifatius Epiſcopus dixit: Quæ vos cauſa ad Conciliũ compulit convenire? PETRUS Abbas cum præſentibus Monachis fratribus ſuis dixit: Offerimus libellum, cujus ſeries recitata vim doloris noſtri meliùs prosequitur. BONIFATIUS Epiſcopus dixit: Suſceptũ quod ingeritur percurratur. Et cum tradidiſſet, REDEMPTIOLUS Notarius recitavit.

DATA A PETRO ABBATE, ET AB univerſa Congregatione ejus.

ROgamus, Beatiſſime, & Apoſtolicâ dignitate prædite, Chriſti venerande Pontifex, Bonifati Epiſcope, & omnes ſancti Sacerdotes qui nunc adeſſe videmini, ut ſuggeſtionem noſtram intentè

adverti præcipias. Diù ad ſtrepitus publicos interruptâ quiete pervenire noluimus. Diù infrà Monaſterii latebras ſolis fletibus occupari voluimus; & amica pœnitentibus ſtuduimus ſervare ſilentia. Vicit modo verecundiam dolor, ac privata neceſſitas generale propoſitum conturbavit. Ex quo enim deſiderii paginam voluntariâ devotione conſcribentes, huic venerabili Sedi libertatem Monaſterii noſtri commiſimus vindicandam, nova ſubitò, ſanctiſſimi Sacerdotes, adversùm nos exurrexit tempeſtas invidiæ. Sanctus quippe Liberatus Epiſcopus primæ Sedis provinciæ Byzacenæ, Congregationibus Sacerdotum ſæpe collectis, in perniciem noſtram multa & multipliciter machinatur; dum in nobis quaſi quamdam materiam ſuæ aſſumptionis inveniens, poſt audientiæ præfixum diem, poſt pacificæ diſputationis facultatem datam atque conceſſam, Monaſterium noſtrum gravi excommunicatione percutere voluiſſet. Abſit enim ut percuſſiſſe dicamus, ſcientes nos ſub veſtro velamine conſtitutos, nullis poſſe jaculis quorumlibet conſiliorum penetrabiles deſeri. Succurrite igitur tandem aliquando; & à noſtris cervicibus jugum, quod neque nobis, neque Patribus noſtris quiſquã ſuperponere aliquando tentavit, excutite. Nihil contrà fidem, neque contrà bonos admiſimus mores. Quia ſi diſcutiatur ratio, licet liberis quocumque voluerint pertinere: ſi conſideretur auctoritas, nulla adversùm nos antiquorum Patrum definitio profertur: ſi quærantur exempla, multos ante feciſſe irreprehenſibiliter docemus, quidquid modo feciſſe culpamur.

Cæterùm quòd à proprio Subdiacono Monaſterium, ſicut audivimus, dicunt eſſe fundatum, quid præjudicat olim mortui perſona viventibus? Quandoetiamſi conditionem clericatûs alicui debuit, conditio cum perſonâ defecit. An fortaſſe dominus fuit? Aut ſic Congregationi Fratrum præfuit, ut aliquid ſibi proprium vindicaret? quem cœnobialis Regulæ non ignorari diſpenſationem tantummodo dicimus habuiſſe. Nec ideo nos eum, quia Subdiaconus, ſed propterea quia Monachus fuit, Abbatem habuimus. Unde & ſi forſitan alicui Epiſcopo aliquando Subdiaconus, [a] nobis tamen Monachus fuit: nec nos heredes honoris Eccleſiaſtici, quem eum habuiſſe neſcimus, ſed ſanctiſſimæ profeſſionis extitimus. Proinde lacrymabiliter obſecramus, nihil novum fiat in nobis; quia nihil novum factum docetur à nobis. Illuc ne opprimeremur, confugimus, ubi ſolent etiam Clerici, ſi ſe opprimi viderint, appellare. Cur per dies ſingulos inauditis minis ab ſpiritali intentione deponimur? Cur Eccleſiæ ſimplex prohibetur acceſſus? Cur etiam in Eccleſiis poſiti impudenter jubemur foras à Sacerdotibus pelli? Cur etiam hoſpitalitas, quam ſemper exhibuimus, denegatur? Timent ſalutare qui diligunt: mutus Dei ſervus viator occurrit, benedictionem nobis tranſeuntibus nemo dare, nemo audet accipere. Satisfiat tandem aliquando pietati. Nos de conſcientiâ noſtrâ ſecuritatem pleniſſimam gerimus. Vos ſciatis qualem de tribulationibus noſtris rationem Deo noſtro reddatis, aut nos qualiter priori ſecuritate confirmatâ noſtræ libertati reſtituatis; quam conſequuti, Deo & veſtræ Beatitudini uberes referamus gratias. Et ſubſcripſerunt:

Ego Petrus Abbas hunc libellum noſtrum ſubſcripſi.

Ego Octavianus Diaconus hunc libellum noſtrum ſubſcripſi.

Ego Fortunatus Preſbyter hunc libellum noſtrum ſubſcripſi.

Ego Felix Diaconus hunc libellum noſtrum ſubſcripſi.

Ego Renatus hunc libellum noſtrum ſubſcripſi, & cæteri.

Quo recitato Bonifatius Epiſcopus dixit: Recitatum libellum acta ſuſcipient. Proinde cognovit ſinceritas veſtra, Fratrem Conſacerdotemque noſtrum Liberatum de leviſſimis rebus grave jurgium ſuſcitare; captâque unius injuſtiſſimæ querelæ occaſione, privilegia hujus ſanctæ Eccleſiæ moliri ſubtrahere: dum procaci contentione turbans ordinem charitatis, putat publicis contentionibus ſtudendum: nec invidiæ flammam timens accendere adversùm ſervos Dei, quibus nihil commune eſt cum ſæculo, congregationes Pontificum, ſicut pariter audivimus, frequenter adducens, & quotidianis minis Chriſti Famulos inquietans; ut mutatâ vice, quos nec generalis Eccleſiarum gravatio moleſtavit, pax Eccleſiaſtica videatur affligere. Releganturitaque ſingula, quæ in hoc negotio per alternas epiſtolas acta ſunt; quo faciliùs univerſa Fraternitas, revelante intrinſecùs Domino, quid pacificè definire oporteat, cum auctoritate & veritate diſponat.

Januarius Epiſcopus Eccleſiæ Vegeſelitanæ provinciæ Numidiæ dixit: Dolemus ſatis audientes quia reverentiam ſanctæ huic Sedi debitam Frater, Conſacerdoſque noſter Liberatus audet in aliquo denegare. Miramur quæ ſic tanta pernicies repente ſurrexerit, quæ compelleret Monaſteriorum turbari ſilentia. Poſcimus igitur, ut ſecundùm Beatitudinis tuæ præceptum cuncta nobis legi cenſeas: quibus diligenter conſideratis, cauſa tanti jurgii penitùs abſcindatur: & hoc omnes tuæ gloriæ exhibeamus, quod antiquitas Prædeceſſoribus tuis detuliſſe evidenter oſtenditur. Epiſcopi dixerunt: Hæc etiam noſtra poſtulatio: fiat omnibus notum quidquid in hac cauſa dignoſcitur geſtum, ne remanere aliquid permittatur incertum. Bonifatius Epiſcopus dixit: Fiat quod hæc Congregatio Sacerdotum juſtiſſimè flagitat. Proferantur ex archivo hujus Eccleſiæ ſcripta quæ direximus, & reſcripta quæ ſumſimus, vel quæcumque ad præſentis negotii pertinent firmitatem. Redemptiolus Notarius ex volumine chartarum recitavit.

DATA A PETRO ABBATE, ET ab univerſa Congregatione ejus.

Rogamus, Domine beatiſſime, & Apoſtolicâ dignitate prædite, Chriſti venerande Pontifex Bonifati, nobis aurem placidam inclinare digneris: quoniam vos & in tribulationibus adjutores, & in ſollicitudinibus noſtris conſolatores nobis Deus præpoſuit, ut non ſolùm veſtro ſuffragio in tentationibus adjuvemur, verùm etiam veſtro conſilio in quibuſque dubiis confirmemur. Propterea tui Apoſtolatûs orationibus nos commendantes, poſcimus ut noſtrum Monaſterium facias tuæ Beatitudinis regimini ſubjacere. In abſentiâ enim Sacerdotis Carthaginenſis Eccleſiæ, de proximo Bonifatium Gratianenſem ſanctum Epiſcopum primæ Sedis provinciæ Byzacenæ petimus, ut quamdiù huic ſanctæ Eccleſiæ Carthaginenſi Rectorem Dominus conceſſiſſet, nobis qui divina miniſteria [b] celebrarent, or-

a *Subdiaconus*] Hunc in locum ita ſcripſit Baluzius: Hinc patet eum, qui Subdiaconus erat, potuiſſe cum temporis gradui ſuo renunciare, pro arbitrio. Quod idem licuiſſe Diaconis diſcimus ex Fragmentis Philoſtorgii.

b *miniſteria*] Non pauca quidem in hocce Concilio minus accuratè edita, ab Acherio notavit Baluzius; ſed ea quæ levioris momenti ſunt, lectorem cur moneamus? Hoc tamen non omittendum erat, hic in priori editione legi *myſteria*, invito codice Vaticano.

dinaret. Quod & factum eſt, ita tamen, ut defuncto Primate, non ſucceſſor plebis illius aliquam in nobis haberet licentiam, ſicut eſt moris in ſubditis; ſed neque plebi nos vicinæ aliquando ſubjecimus, aut Epiſcopis vicinis, aut interventori Eccleſiæ quæ proxima eſt nobis; exſpectantes, ut diximus, ſanctæ hujus Eccleſiæ Carthaginenſis libertatem. Nunc autem quoniam divina miſericordia dignum te nobis donavit Epiſcopum, ſupplices exoramus, ut vota vel ſubſcriptiones noſtras ſuſcipi jubeas, atque Congregationem noſtram, ſicut credimus & ſperamus, fovere & conſolari digneris: ut, tantæ Sedis, quæ Primatum totius Africanæ Eccleſiæ tenere cognoſcitur, defenſione muniti, Creatori noſtro Domino laudes debitas referamus. Hunc enim libellum, ſive à me, ſive ab omni Congregatione ſubſcriptum, Reverentiæ tuæ offerimus, petentes ut eum à nobis ſuſcipere jubeas, & chartis Eccleſiæ ſociare, acturi Deo, & Apoſtolatui tuo uberes gratias. Et ſubſcripſerunt:

Ego Petrus Abbas huic libello noſtro in omnibus quæ ſuperiùs continentur, relegi, conſenſi, & ſubſcripſi.

Ego Fortunatus Preſbyter Monaſterii, huic libello noſtro in omnibus quæ ſuperiùs continentur relegi, conſenſi, & ſubſcripſi: & Fratribus ſubſcribendum tradidi.

Ego Victor ſenior Monaſterii ſubſcripſi.
Ego Vincentius ſenior Monaſterii ſubſcripſi.
Ego Gentius ſenior Monaſterii ſubſcripſi.

ET ITEM RECITAVIT.

An. Chriſti 523. Domino Sancto, ac Beatiſſimo, nimiumque ſuſpiciendo, meritò venerabili Fratri ac Conſacerdoti Bonifatio, Liberatus cum omnibus ſanctis Fratribus & Conſacerdotibus meis, qui in Jucenſi Concilio adſumus, in Domino æternam ſalutem.

Veneranter excepi tuæ ſanctitatis epiſtolam quæ mihi eo gratior facta eſt, quo veſtræ præferebat judicium ſoſpitatis; quam neceſſe habui ſancto Concilio allegare. Ea verò quæ merito Maximianenſium tua Sanctitas ſcribere dignata eſt, advertimus, ideoque cum omnibus ſanctis Fratribus, & Conſacerdotibus meis, qui in ſanctâ Synodo Jucenſi adfuimus debito ſalutans venerationis obſequio, noſque omnes tuæ ſanctæ orationi commendans, inſinuo, famulis ſuis, divinâ miſericordiâ inſtigante, in omnibus pacem eſſe firmatam. Quæſo autem, ut quæ ſanctis Fratribus, & Coëpiſcopis noſtris Ponticano & Reſtituto Sanctitati tuæ mandavimus alleganda, & clementer audire, & ſapienter ordinare tua Beatitudo dignetur. Novimus enim ſapientiam tibi divinitùs infuſam, quâ præcipuè hoc ſtudeas, ut nullus permittatur Eccleſiaſticorum Canonum aliquat..ùs convellere firmitatem, teque cunctis formam præbere virtutum, ut terminos paternis definitionibus conſtitutos non negligat ſervare poſteritas. *Et ſubſcriptio:* Orantem pro nobis Beatitudinem tuam ſumma tueatur Divinitas quod optamus. *Accepta Idib. Decemb. anno primo.*

Poſt recitationem hujus epiſtolæ, memorati Epiſcopi verbo quæ mandata ſunt dixerunt, id eſt, de Saſiſenſe plebe, Umbrianenſe, & Villaminorenſe; & ut Vincentius Epiſcopus Girvitanus provinciæ Tripolitanæ plebes, quas Tamallumenſibus invaſiſſe videtur, admoneatur ut reſtituat; & ut in proœmio epiſtolarum aliquid honorificentiæ addatur; & de Monaſterio Petri Abbatis. Ad quæ omnia ſic reſcriptum eſt.

Dilectiſſimis & deſiderabilibus ſanctis Fratribus & Conſacerdotibus, Seni Liberato, & cæteris qui in Concilio Juncenſi adfuiſtis, Bonifatius.

Advenientibus Fratribus, Conſacerdotibuſque noſtris Ponticano & Reſtituto optatam gratulationem ſuſcepi; dum relectâ paginâ Fraternitatis veſtræ, de pace & concordiâ eorum, de quibus antehac ſcripſiſſe cognoſcimur, lætari promerui. Proinde iiſdem Fratribus repedantibus, neceſſe habui officioſitatis meæ paginam dare portandam, ſalutans plurimùm, & me cum affectu Sanctitatis veſtræ orationibus commendans. Creatorem noſtrum & Dominum deprecor, ut hæc legentes, addatis precibus, ut diebus noſtris ſublatis his quæ communes animos offendere poſſunt, quieta nobis omnia præſtentur. Illud autem, dilectiſſimi & deſiderabiles ſancti Fratres, quod ſinceritas veſtra per memoratos Coëpiſcopos noſtros verbo mandare dignata eſt, fateor valde mihi difficillimum. Neque enim poterimus ſtatuta mutare, quæ per tot Sacerdotes inſtinctu divino ſervata noſcuntur. Si enim admiſerimus ea quæ antea conſtituta ſunt in retractionem vocari, nihil in divinis humaniſque actibus, nihil in ſacris publiciſque rebus obtinere ullam poterit firmitatem: dum poſt annorum ſpatia, tamquam in emendationem Patrum velut inſtructior noſtra videatur mutare poſteritas. Sed potiùs exoremus, ut manentibus his, quæ cum omni affectu à prioribus noſtris cuſtodita ſunt, vel ex conſuetudine deſcendunt, pius Dominus quæ pacis ſunt votis noſtris & precibus concedere jubeat, ſanctorum Canonum ſtatuta ſervantes.

Et quia conſtitutum eſt, ut ab hac ſanctâ Carthaginenſi Sede, diverſis provinciis Africanis petentibus, Paſchæ dies intimetur; intimamus Reſurrectionis Dominicæ ſacramentum VII. Iduum Aprilium ad futurum fore, quam feſtivitatem ut cum quiete Domûs Dei celebrare mereamur, aſſiduis precibus Fraternitas tota, & omnis anima Chriſtiana de Domini clementiâ expetere non prætermittat. *Et ſubſcriptio:* Opto te, Frater, in Domino benè valere, & mei memorem eſſe. An. Chr. 524.

Data die XVII. Cal. Januarias, anno primo.

ITEM RECITAVIT.

Quæ autem per memoratos Epiſcopos remandata ſunt, ſequentia monſtrant. *Ad ea quæ ſanctum Concilium Byzacenæ provinciæ per Fratres noſtros verbo mandavit, decuit reſpondere, id eſt, de Saſiſenſe plebe, Umbrianenſe & Villaminorenſe, quia ſunt documenta quid in tempore fuerit geſtum, atque reſervatis his quæ Canonum judicia continent, tempore quo oportet neceſſe eſt oſtendantur. De locis autem de quibus Frater noſter Vincentius Girvitanus provinciæ Tripolitanæ impetitur, dum ad petitum eorum qui adverſùs eum agunt, nobis à memorato Concilio fuerit ſcriptum, neceſſe eſt ut illa ordinentur, quæ Patrum noſtrorum conſtitutio terminavit. De proœmio autem mutando, illa nos poſſe facere profitemur, quæ à vobis directis literis intimata ſunt. De Monaſterio autem Petri Abbatis juſtè nos feciſſe, ut à nobis ordinatio fieret, ipſa res quæ prolata eſt in medium præſentibus ſanctis Fratribus noſtris diverſarum provinciarum oſtendit; ut etiam Fratres noſtri qui directi ſunt audierunt, & proprio ore ſenſum Fratrum noſtrorum inſtruere poſſunt.

ITEM RECITAVIT:

DATA A PETRO ABBATE, ET AB *univerſa Congregatione ejus.*

ROgamus, Beatiſſime, & Apoſtolicâ dignitate prædite, Chriſti venerande Pontifex BONIFATI Epiſcope, ut ſuggeſtionem noſtram intentè advertere jubeas. Perlatum ad nos, quòd ſanctus LIBERATUS Epiſcopus primæ Sedis provinciæ Byzacenæ, Beatitudini veſtræ de nomine noſtro querelam moviſſe videatur. Et ſatis mirati ſumus ejus Sanctitatis prudentiam de nobis, qui contemptis facultatibus noſtris, ut à conditione liberi efficeremur, Deo noſtro ſervire decrevimus, mentionem facere juberet, diceretque quòd conditione Byzacenæ provinciæ teneamur obſtricti; cum conſtet nos de diverſis locis Africanis, vel de transmarinis, ad hunc noſtrum locum, in quo eſſe videmur, congregatos fuiſſe, & nunquam alicui obnoxios fuiſſe. Et cum in libertate vocati ſumus, ſicut Apoſtolus dicit, cur de nobis, qui ad Deum fletibus & orationibus exclamamos, cauſatio fuerit facta, ignoramus. Monaſterium enim in quo, Domino protegente, eſſe videmur, ſomptu parentum noſtrorum, vel aliorum Religioſorum fundatum eſſe firmamus; à ſancto REPARATO Epiſcopo Puppianenſi provinciæ Proconſularis dedicatum eſſe non ſilemus. Et quouſque proprium Epiſcopum, concedente Domino, hæc ſancta Eccleſia Carthaginenſis haberet, ſuſtinuimus: à quo non ſolùm nos, verùm etiam & omnes in Africâ conſtituti, fomenta quotidie accipimus; ad quam ſalvâ libertate arbitrii noſtri, quam ſemper, Deo protegente, habemus defendendam, confugium fecimus, deſiderium noſtrum propriis ſubſcriptionibus roboravimus. Ideoque humiles ſupplicamus, ut inanes querelas Beatitudo veſtra repellere dignetur, & currente juſtitiâ, in qua ſemper deget veſtra Beatitudo, à jugo nos Clericorum, quod neque nobis, neque Patribus noſtris quiſquam ſuperponere aliquando tentavit, eruere digneris.

Nam docemus, Monaſterium de *Præciſa*, quod in medium plebium Leptimmenſis Eccleſiæ ponitur, prætermiſſo eodem Epiſcopo vicino, Vico-Aterienſis Eccleſiæ Epiſcopi conſolationem habere, qui in longinquo poſitus eſt. Et Baccenſe Monaſterium, quod Maximianenſi Eccleſiæ vicinum eſt, ad conſolationem Primatis Byzacenæ provinciæ ſe conferre. Nam & de Adrumetino Monaſterio nullo modo ſilere poſſumus, qui prætermiſſo ejuſdem civitatis Epiſcopo, de transmarinis partibus ſibi ſemper Presbyteros ordinaverunt, id eſt, VALENTINUM, EPIPHANIUM, VICTORIANUM, & PAULUM. Et cum ſibi diverſa Monaſteria, ut oſtenderent libertatem ſuam unicuique prout viſum eſt, à diverſis Epiſcopis conſolationem quæſierint, quomodo nobis denegari poterit, qui de hac Sede ſanctâ Carthaginenſis Eccleſiæ, quæ Primatum totius Africanæ Eccleſiæ habere videtur, auxilium quæſivimus? Ob hoc obſecramus, iterumque ſupplices poſcimus, ut deſideriũ noſtrũ nullius ſuggeſtione perturbari permittatur; ut poſſimus auxilio hujus ſãctæ Eccleſiæ muniti, in Congregatione quâ ſumus cum quiete manere. Exſtant enim venerabilium ſanctorum Patrum dicta, libertatem Monaſteriorum defendentium; quæ ſi veſtra juſſerit recenſere Beatitudo, præ manibus habentur. Ex quorum lectione cognoſcant hi, qui de nomine noſtro apud Beatitudinem veſtram talem videntur facere invidiam, quæ Congregationibus Monachorum fuerint à Domino conceſſa. Acturi Domino, & veſtræ Sanctitati maximas gratias. *Et ſubſcripſerunt.*

Ego PETRUS Abbas hunc libellum noſtrum ſubſcripſi.

Ego FORTONATUS Preſbyter hunc libellum noſtrum ſubſcripſi.

Ego OCTAVIANUS Diaconus hunc libellum noſtrum ſubſcripſi.

Ego FELIX Diaconus hunc libellum noſtrum ſubſcripſi.

Ego RENATUS hunc libellum noſtrum ſubſcripſi, & cæteri.

SANCTI AUGUSTINI DE MORIBUS *Clericorum in ſecundo libro, ad locum:*

VObis dico, qui forte neſcitis, nam veſtrûm plurimi ſciunt, Preſbyterum LEPORIUM, quamvis ſæculi natalibus clarum, & apud ſuos honeſtiſſimo loco natum, tamen jam Deo ſervientem, cunctis quæ habebat relictis, inopem ſuſcepi; non quia nihil habuit, ſed quia jam fecerat quod iſta lectio perſuadet. Hîc non fecit, ſed nos ſcimus ubi fecit. Unitas Chriſti & Eccleſiæ una eſt. Ubicumque fit opus bonum, pertinet & ad nos, ſi congaudeamus. Hortus eſt unus ubi noſtis; ibi Monaſterium [ſuis] conſtituit, quia & ipſi Deo ſerviunt. Ille hortus ad Eccleſiam non pertinet, ſed nec ad ipſum. Et ad quem, dixerit aliquis? Ad illud quod ibi eſt Monaſterium. Sed quod verum hoc eſt, uſque ad hoc tempus curam pro illis ita gerebat, ut ſumpticulos, quibus ſuſtentabantur, apud ſe haberet, & ipſe, ut videbatur, impenderet. Sed ne propter hoc locus daretur hominibus ſuſpiciones ſuas rodentibus, & ventrem non implentibus; hoc placuit & mihi & ipſi, ut ſic ſe illi tranſigant, quaſi iſte jam de ſæculo exierit. Numquid enim cum obierit ipſe, illis diſpenſaturus eſt aliquid? Melius eſt ut videat illos benè verſantes regente Deo, in diſciplinâ Chriſti, ſic viventes, ut de illis tantummodo gaudeat, non eorum neceſſitatibus occupetur.

Sen com Cle Eli tat

ITEM IN LIBRO II. DE MORIBUS *Clericorum.*

LOcus etiam ipſe, ubi Monaſterium conſtitutum eſt à memorato honorabili filio meo Eleuſinio, ipſi Preſbytero Barnabæ donatus eſt: antequàm ordinaretur Preſbyter, in ipſo loco Monaſterium inſtituit: ſed tamen quia nomine ipſius donatus erat locus, mutavit inſtrumenta, ut nomine Monaſterii poſſideatur.

Ibid nem

ET ALIA EXEMPLARIA AUCTO- *ritatis ſancti Bonifacii Epiſcopi, Primatis provinciæ Byzacenæ.*

Dilectiſſimis, atque in Chriſti gratiâ nominandis Filiabus meis, univerſis Dei Ancillis Monaſterii Bivagilianenſis, BONIFACIUS primæ Sedis Epiſcopus, in Domino ſalutem.

Priv con gm Mo deg

VEſtræ Sanctimoniæ libellum recipiens dum intente percurrerem, attentiùs auſcultavi quid in ſe contineret. Quapropter reciprocum præmittens ſalutationis obſequium inſinuo, ſemper ſervorum Dei, vel ancillarum monaſteria liberum habere arbitrium à conditione omnium Clericorum: quorum priſcorum Patrum ſequentes ritum, etiam veſtrum Monaſterium hoc habere, & in vobis manere uſque in ævum. Unde per hanc vos Auctoritatem duximus commonendas, ut licentiam habeatis unde volueritis ſpiritalem ſumere cibum, liberam in omnibus facultatem habentes. Si quis autem contrà hoc ſalubre venire voluerit Præceptum, rigorem illicò ſentiat Eccleſiaſticum. Ergo, ut ſuperiùs con-

neavimus, hanc vobis attribuimus licentiam, ut quem velitis vobis corrogetis Preſbyterum, qui vobis Monaſterio peragat ſacro-ſancta, & illa quæ ad normam pertinent unitatis celebranda uſque in perpetuum. Et ſi quis Preſbyterorum ibidem in Monaſterio divina celebraverit myſteria, ipſius Primatis altario Domini nomen recenſeatur, ut jurgiorum ſemina in omnibus careant. *Et ſubſcriptio:* Deus vos in timore ſuo conſervet; quod oramus.

An. Chr. 517. Data ſub die Kal. Maii, anno XXI. glorioſiſſimi Regis TRASAMUNDI.

ITEM RECITAVIT

Extat tom. 1. Concil. Gal. à Sirmondo pag. 120.

EXEMPLAR EPISTOLÆ GENERALIS, quæ ad Epiſcopos invitandos in cauſa inſulæ Lerinenſis Miſſa eſt.

QUoties membrum aliquod quolibet infirmitatis genere laborat, fieri non poteſt, quin ejuſdem corporis etiam cætera membra condoleant. Et ideo cauſa quæ inter ſanctum Epiſcopum THEONORUM, & VALERIANUM, vel MAXIMUM item Epiſcopos, atque Abbatem FAUSTUM, necnon & re-
c liquos [c] Fratres Inſulæ Lerinenſis acciderat, abſque dubio omnes nos, qui in Chriſto unum ſumus, differre non poſſumus, niſi id agamus, qualiter curetur & abſtergatur. Ad hoc itaque remediandum ſcandalum orationibus veſtris tertio Kalendas Januarias audientiæ dies eſt conſtitutus. Rogamus ergo ut Sanctitas veſtra ſe uſque Arelate fatigare dignetur: quatenùs tantum malum, quod dilatione plus creſcit, Beatitudinis veſtræ præſentia terminetur. Talis enim cauſa, quæ tam grande ſcandalum genuerit, ſicut atrocitate ſui multos involvit, ita plures qui in Chriſto medeantur expoſcit.

d *AD [d] EOS QUI IN IPSA INSULA SUNT.*

Beatitudinem verò veſtram præcipuè adeſſe convenit, quos Inſula ipſa velut ſinu quodam genetricis fovens, ad eam gratiam, quæ nunc in vobis eſt, Domino inſtigante produxit.

AD SANCTUM RUSTICUM

Ac præcipuè Beatitudo veſtra ut adſit primùm deprecamur, quia major infirmitas neceſſario medicos peritiſſimos inquirit.

INCIPIT INSTITUTIO SANCTORUM Epiſcoporum, Ravennii, Ruſtici, Nectarii, Flori, Conſtantii, Aſclepii, Maximi, Juſti, Salonii, Ingenui, Enantii, Zotici, Chryſanthi, in cauſa Inſulæ Lerinenſis.

CUm Arelate in ſecretario Eccleſiæ conveniſſemus, præmiſſâ prece ad Dominum, nullo extrinſecùs arbitro interveniente reſedimus, de remedio ſcandali, quod in Monaſterio in Inſulâ Lerinenſi obortum fuerat, pertractantes. Placuit ergo nobis, ſancto, ut credimus, Spiritu gubernante, ut omnibus quæ in querelam venerant, ſollicitè ventilatis atque diſcuſſis, ſanctus & beatiſſimus frater THEODORUS Epiſcopus primùm exoraretur à nobis, ut ſcandalum, quod & ipſe, ſicut & nos, graviter dolebat exortum, differendo in tempora manere diutiùs non pateretur: ſed potiùs ad recipienda ſatisfactionum remedia feſtinaret; & ſanctum Preſbyterum FAUSTUM Abbatem ſupradicti Monaſterii, indultâ ſi qua illa eſſet culpæ veniâ, in priſtinâ pace toto charitatis affectu reciperet; & ad Inſulam, ac Congregationem ipſi Deo diſpenſante commiſſam, cum ſuâ gratiâ & charitate remitteret. Nec quidquam deinceps ex his, quæ ſibi fratrem FAUSTUM arguebat feciſſe, aut verbis repeteret, aut animo retineret: quin potiùs collationem, ut pote antiquus Abbas & Epiſcopus, ei ut piam & neceſſariam perpetuò exhiberet; & ſolatia ſequutura, quæ verbis dignabatur promittere, rebus ipſis, prout uſus exegerit, pleniſſimè exhiberet. Hoc tamen tantummodo ſibi vindicaturus, quod deceſſor ſuus ſanctæ memoriæ LEONTIUS Epiſcopus vindicaverat; id eſt, ut Clerici & altaris miniſtri à nullo, niſi ab ipſo, vel cui ipſe injunxerit ordinentur: chriſma nonniſi ab ipſo ſperetur: Neophyti ſi fuerint, ab ipſo confirmentur: peregrini Clerici abſque ipſius præcepto in communionem, vel ad miniſterium non admittantur. Monaſterii verò omnis laïca multitudo ad curam Abbatis pertineat: neque ex eâ ſibi Epiſcopus quidquam vindicet, aut aliquem ex illâ Clericum, niſi Abbate petente, præſumat. Hoc enim & rationis & religionis plenum eſt, ut Clerici ad ordinationem Epiſcopi debitâ ſubjectione reſpiciant; Laïca verò omnis Monaſterii Congregatio ad ſolam ac liberam Abbatis proprii, quem ſibi ipſa elegerit, ordinationem diſpoſitionemque pertineat; regulâ, quæ à Fundatore ipſius Monaſterii dudum conſtituta eſt, in omnibus cuſtoditâ.

Cætera in manuſcripto deſiderantur.

DECRETUM *autem hujus Concilii exſtat in alio codice Longabardico vetuſtiſſimo Bibliothecæ Vaticanæ, numero* VMDCCXLV.

IN CONCILIO SUB SANCTO BONIfatio Epiſcopo apud Carthaginem.

ERunt igitur omnia omninò Monaſteria, ſicut ſemper fuerunt, à conditione Clericorum modis omnibus libera, ſibi tantùm & Deo placentia.

EXCERPTUM

EX CONCILIO CARTHAGINENSI SUB REPARATO EPISCOPO, — Anno 535.

Anno Chriſti DXXXV. habito.

Ex vetuſtiſſ. Cod. Longobardico Bibliothecæ Vaticanæ, numero 5745

FELICIANUS Epiſcopus Eccleſiæ Ruſpenſis dixit: Apud Ruſpen Monaſterium eſt à Domno FULGENTIO præceſſore meo conſtitutum. Peto Sanctitatem veſtram, ut aliquid de Monaſteriis ordinetur. Scire enim volo quid debeam cuſtodire. FELIX Epiſcopus Zactarenſis Eccleſiæ provinciæ Numidiæ dixit: De Monaſterio Abbatis PETRI, ubi nunc FORTUNATUS Abbas conſtitutus eſt, quæ temporibus ſanctæ memoriæ BONIFATII in univerſali Concilio nobis etiam præſentibus acta ſunt, inconvulſa permaneant. Cætera verò Monaſteria etiam ipſa libertate pleniſſimâ perfruantur, ſervatis liminibus Conciliorum ſuorum in hæc dumtaxat, ut quandoque voluerint ſibi clericos ordinare, vel Oratoria Monaſteriis dedicare, Epiſcopus in cujus plebe vel civitate locus Monaſterii conſiſtit, ipſe hujus muneris gratiam compleat, ſalvâ libertate Monachorum, nihil ſibi in eis præter hanc ordinationem vindicans neque Eccleſiaſticis eos conditionibus aut angariis

---

c *reliquos Fratres*] Hic etiam incuriam Acherii indicare cogimur, qui ediderat *Patres*.

d *Ad eos*] Titulus falſus: nam quod ſequitur, apparet Epiſtolæ Generali additum fuiſſe ad quemdam Arelatenſis Provinciæ Epiſcopum, qui in Lerinenſi Inſulâ Monaſticen profeſſus olim fuerat.

ſubdens. Oportet enim in nullo Monaſterio quemlibet Epiſcopum cathedram collocare, aut qui fortè habuerint, habere: nec aliquando ordinationem quamvis leviſſimam facere, niſi Clericorum, ſi voluerint habere. Eſſe enim debent Monachi in Abbatum ſuorum poteſtate. Et quando ipſi Abbates de corpore exierint, qui in loco eorum ordinandi ſunt, judicio Congregationis eligantur: nec officium ſibi hujus electionis vindicet aut præſumat Epiſcopus. Si qua verò contentio, quod non optamus, exorta fuerit, ut iſta Abbatum aliorum conſilio ſive judicio finiatur.

MONITUM.

CAPITULA quæ ſequuntur ab Atherio edita ſunt ex MS. codice Corbeienſi, ſed pluribus in locis ita imperfecta, quamquam ad ea emendanda codice quodam Sangermanenſi uſus eſſet, ut D. Edmundo Martene non parum debeamus, quod eadem integra deſcripſit è vetuſto codice annorum fermè ſeptingentorum, qui fuit olim Emerici Bigotii. Fuit Theodorus, cui Capitula illa tribuuntur, natione quidem Græcus, ſed Saxonum in Inſulâ Britanniâ Epiſcopus; ejus Acta ſi lubet, vide inter Acta Sanctorum Ordinis ſanctis Benedicti. Idem, ut Beda monet lib. 4. Hiſt. Angl. & lib. 5. cap. 8. Librum Pœnitentialem compoſuerat, quem cum Spelmannus reperiſſet in codice S. Benedicti Cantabrigiæ, nec ei liceret per cuſtodes eum exſcribere, notum tamen eſſe voluit ut potuit, deſcriptis ſcil. capitulorum titulis tomo 1. Conciliorum Angl.

CAPITULA THEODORI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI.

I. IN ordinatione [a] Epiſcopi vel Preſbyteri, ſive Diaconi vel Subdiaconi, oportet Epiſcopum Miſſam agere; ſimiliter Græci faciunt, quando Abbatem eligunt, vel Abbatiſſam.

II. In Monachi ordinatione Abbas debet Miſſam agere, & tres orationes complere ſuper caput ejus: & ſeptem dies [b] velat caput ſuum cocollo ſuo, & ſeptimo die Abbas tollat velamen id de capite Monachi, ſicut in Baptiſmo Preſbyter ſeptimo die velamen infantium abſtulit, ita & Abbas debet Monacho quia ſecundũ baptiſmum eſt juxtà judicium Patrum, & omnia peccata dimittuntur ſicut in Baptiſmo.

III. Preſbyter poteſt Abbatiſſam conſecrare cum Miſſæ celebratione.

IV. In Abbatis [c] ordinatione Epiſcopus debet Miſſam agere, & eum benedicere inclinato capite cum duobus vel tribus teſtibus de fratribus, & dat baculum & pedules.

V. Sanctæmoniales & Baſilicæ cum Miſſâ ſemper debent conſecrari. Græci ſimul benedicunt viduam & virginem, & utramque Abbatiſſam eligunt. Romani autem [d] non velant viduam, ſed virginem tantùm.

VI. Nullum perfectum credimus in baptiſmo eſſe ſine confirmatione Epiſcopi; tamen ne deſperemus [e], in Synodo Nicænâ Chriſma fuit inſtitutum.

VII. Sacrificium [f] non accipiendum de manu Sacerdotis, qui orationes vel lectiones ſecundùm ritum implere non poteſt.

VIII. Cum Græcis Diacones non frangunt panem ſanctum; nec Collectionem dicunt, vel *Dominus vobiſcum*, nec *Completa*.

IX. Qui bis [g] baptizati ſunt ignorantes, non indigent pœnitentiâ, niſi quod ſecundùm Canones non poſſunt ordinari, niſi pro magnâ neceſſitate. Qui verò non ignorant, quaſi iterum Chriſtum crucifixerunt, pœniteant ſeptem annis, quartâ feriâ & ſextâ feria, & tribus Quadrageſimis.

De operibus diei Dominici.

X. Græci & Romani in die Dominicâ navigant, & equitant; [h] panem non faciunt, nec in curru ambulant, niſi ad Eccleſiam tantùm, nec balneant ſe. Græci non ſcribunt publicè, tamen pro neceſſitate ſeorsùm in domu ſcribunt.

XI. Qui operatur in die Dominico, Græci primâ vice arguunt, ſecundâ tollunt aliquid ante eum *, tertiâ vice tertiam partem de rebus, & vapulant, vel ſeptem diebus pœniteant.

XII. Græci & Romani dant ſervis ſuis veſtimenta, & liberant, excepto Dominico die.

XIII Græcorum Monachi ſervos non habent, Romani habent.

XIV. Ligna Eccleſiæ non debent [i] ad aliquod opus, niſi ad Eccleſiam aliam, ſi neceſſe eſt, vel igni comburenda, vel ad profectum in Monaſterio

a *In ordinatione*] Hoc caput in MS. codice S. Germani, à Burchardo lib. 1. cap. 25. & ab Ivone parte V. Decreti cap. 338. refertur ex Theodoro.

b *Septem dies*] In Galliis tres tantùm. Vide Capitulare 35 Caroli Mag. addit. 1.

c *In Abbatis*] Ordo Romanus refert ex Theodoro, tit. *Ordin. Abbatis.*

d *Romani autem*] Vide Gelaſium epiſt. 9. ad Epiſcopos Lucaniæ, & Gratianum 27. q. 1.

e *ne deſperemus*] In editis hoc tantùm legebatur, *tamen non deſperamus*, cætera deerant.

f *ſacrificium*] MS. codex S. Germ. Theodoro tribuit; at Ivo p. 2. c. 44. Fabiano.

g *Qui bis*] Theodori eſt apud Ivonem p. 1. c. 145 & apud Gratianum de Conſecrat. diſt. 4. c. *quibus.*

h *navigant & equitant*] Prior editio *non navigant, nec equitant.* Haud ita multo poſt hæ voces *ante eum* deerant in editis.

i *non debent*] Acherius ediderat, *non habeat.* Hæc apud Burchardum lib. 3. cap. 39. Ivonem p. 3. c. 44 Gratianum de Conſecr. diſt. 1. c. *ligna*, tribuunt Hygino Papæ.

Fratribus ; in laicalia verò opera non debent procedere.

xv. Eccleſiam licet ponere in alium locum ſi neceſſe ſit, & non debet [l] iterum ſanctificari, niſi tantùm aquâ aſpergi.

xvi. Græci carnem [m] morticinam non dant porcis ſuis : pelles autem eorum ad calciamentum, & lana, & cornua licent accipi, ſed non in ſanctum aliquid. Tamen ſi caſu porci comederint carnem morticinorum, aut ſanguinem hominis, non abjiciendos credimus : nec Gallinas ſimili modo.

xvii. Animalia quæ à lupis vel canibus conſummantur, non ſunt comedenda niſi porcis & canibus ; nec cervus aut aprus, ſi mortui inventi ſunt. Piſces autem licent, quia alterius naturæ ſunt. Equum non prohibent : tamen conſuetudo eſt non comedere.

xviii. Porci qui ſanguinem guſtantes tetigerint, manducentur : ſed qui cadavera mortuorum lacerantes manducent, carnes eorum non licet comedere uſque macerentur.

De peſte mortali.

xix. Græci & Romani dicunt ipſos infirmos viſitari debere ſicut cæteros infirmos, ſicut Dominus præcipit.

xx. Græci omni [n] Dominico die communicant ſive Clerici ſive Laïci, & qui tribus Dominicis non communicaverit, excommunicetur.

Romani ſimiliter communicant qui volunt, qui autem noluerint, non excommunicentur.

xxi. Pœnitentes ſecundùm Canones non debent communicare ante conſummationem pœnitentiæ. THEODORUS *dicit* : Nos autem pro miſericordiâ poſt annum vel ſex menſes licentiam damus.

xxii. Una pœnitentia eſt viduæ & puellæ ; majorem meruit, quæ virum habet, ſi fornicationis crimen commiſerit.

xxiii. Si quis gentilis dimiſerit uxorem ſuam, poſt baptiſmum in poteſtate ejus erit habere eam, vel non habere.

xxiv. In tertiâ [o] propinquâ ſecundùm Græcos licet nubere, ſicut in Lege ſcriptum eſt : in quintâ ſecundùm Romanos ; tamen in quartâ non ſolvunt, poſtquàm factum fuerit.

xxv. In tertiâ propinquâ tantùm non licet uxorem alterius poſt obitum ejus habere.

xxvi. Bigamus pœniteat primo anno, quartâ feriâ, & ſextâ feriâ ; & tribus Quadrageſimis abſtineat à vino & [p] à carnibus ; non dimittat [q] tamen uxorem.

xxvii. Bigamus, ut ſuprà, id eſt, in sv. & vs. vel plus, ſeptem annis pœniteat, quartâ feriâ, & ſextâ feriâ, & in tribus Quadrageſimis abſtineat ſe à vino & à carnibus ; non tamen dimittat uxorem.

xxviii. Monachus fornicationem faciens ſeptem annis pœniteat.

xxix. In primo conjugio debet Preſbyter Miſſam agere, & benedicere ambos : & poſtea abſtineant ſe ab Eccleſiâ triginta diebus ; quibus peractis pœniteant xl. diebus, & vacent orationi ; & poſtea communicent cum oblatione.

xxx. Ingenuus cum ingenuâ conjungi debet.

xxxi. Cui uxorem [r] hoſtis abſtulerit, & non poteſt repetere eam, licet ei aliam accipere : melius eſt quàm fornicari. Nam ſi poſtea redeat uxor, non debet recipere eam ſi aliam habeat. Ipſa accipiet alterum virum, ſi unum ante habuit.

xxxii. Si quis maritus, aut ſi qua mulier [ſ] votum habet virginitatis, adjungitur uxori, poſtea non dimittat uxorem, ſed pœniteat tribus annis. Vota ſtulta frangenda ſunt & importabilia.

xxxiii. Mulier non debet vovere votum ſine licentiâ viri ſui : ſi voverit, dimitti poteſt.

xxxiv. Pro defuncto [t] Monacho Miſſa agatur in die ſepulturæ ejus, & tertiâ die, & poſtea quantum voluerit Abbas : pro laico bono, tertia die, vel ſextâ, [u] poſt jejunium ; pro pœnitente trigeſimâ die vel ſeptimâ, & propinqui ejus jejunare debent quinque dies, [x] & oblationem offerre ad altare : ſicut in Jeſu filio Sirach legitur, & pro Saul filii Iſraël jejunaverunt : poſtea quantum voluerit Preſbyter.

xxxv. Secundùm Græcos Preſbytero licet virginem ſancto velamine conſecrare, & reconciliare pœnitentem, & facere oleum exorcizatum, & infirmis chriſma ſi neceſſe ſit : ſecundùm Romanos nonniſi Epiſcopis ſolis.

xxxvi. Mulieres [y] menſtruo tempore non intrent Eccleſiam, neque communicent, nec Sanctæmoniales, nec laïcæ : ſi præſumant, tribus hebdomadibus pœniteant. Similiter pœniteant quæ intrant Eccleſiam ante mundum ſanguinem poſt partum, id eſt, xl. diebus.

xxxvii. Infans [z] pro infante poteſt dari ad Monaſterium Deo, quamvis alium voviſſet ; & tamen melius eſt votum implere. Similiter pecora cætera [a], ſi neceſſe eſt, pro coæquali [a].

xxxviii. Lavacrum capitis poteſt eſſe in Dominico, & in lixâ [b] pedes lavare.

xxxix. Preſbyter decimas dare non cogatur.

xl. Reliquiæ Sanctorum venerandæ ſunt ; ſi poteſt fieri, candela ardeat per ſingulas noctes ; ſi verò paupertas loci non ſinit, non nocet eis.

xli. Incenſum [c] Domini incenditur in natali Sanctorum pro reverentiâ diei, quia ipſi ſicut lilia dederunt odorem ſuavitatis, & aſperſerunt Eccleſiam Dei : ſic incenſo aſpergitur Eccleſia primitùs juxtà altare.

xlii. Inventa in viâ accipienda eſt : ſi invenit

l *& non debet*] Hæc in priori editione ſic legebantur, *& tunc debet iterum ſacrificari, nec tantum aquâ ſanctâ aſpergi.*

m *Græci carnem*] Ex Pœnitentiali Theodori laudat Ivo p. 15. c. 97. 99. 104.

n *Græci omni*] Legitur in Pœnitentiali Theodori tit. 50.

o *In tertiâ*] Hoc caput & ſequens ſic legebantur : *In tertiâ pro unanimitate provincia conjux ſecundùm Græcos . . . . non ſolvunt conjugium, poſt factum fuerit. In tertia provinciâ non licet uxorem*, &c. Videri poſſunt hunc in locum Regino lib. 2. cap. 200. & Concilium Compendienſe ſub Pippino can. 1.

p *à vino &*] Hæc in editis deerant, ac legebatur dumtaxat *abſtineat ſe à carnibus.*

q *non dimittat*] Horum loco Acherius ediderat, *& ſeparetur* : ex quo liquet codice eum uſum eſſe corruptiſſimo. Caput quod ſequitur in priori editione deerat.

r *Cui uxorem*] Hæc etiam deſiderabantur in editione Acherii.

ſ *aut ſi qua mulier*] Quatuor hæ voces additæ ſunt. Hoc caput Theodori eſſe dicitur apud Gratianum diſt. 27. c. *Si vir*, & in Pœnit. Rom. tit 8

t *pro defuncto*] Hoc etiam caput ſub Theodori nomine deſcriptum eſt in codice S. Germani.

u *tertiâ die vel ſextâ*] Acherius, *tres vel ſeptem*, malè.

x *quinque dies*] Prior editio *quintâ die* ; quod ſi ſequamur, dicendum erit Theodoro placuiſſe non magis jejunari pro pœnitente, quàm pro laico bono.

y *Mulieres*] Hoc caput Theodoro tribuit Ivo p. 15. c. 150. & 151. Aliter ac Theodorus ſentiebat Gregorius Mag. Vide ejus Reſp. ad interrog. 10. Auguſtini.

z *Infans*] Ex Pœnitentiali Theodori laudat Gratianus 20. qu. 1. c. *Infans.*

a *pecora cætera*] Poſterior vox addita eſt. Statim *pro coæquali* ediderat Acherius.

b *in lixa*] Prior editio *in lixivâ.*

c *Incenſum*] Acherius ediderat *in omnî verò.*

Digitized by Google

poſtſſorem, reddet ei.

XLIII. Laïcus in Eccleſiâ non debet recitare lectionem, nec *alleluya* dicere, ſed Pſalmos tantùm & reſponſoria ſine *alleluya*.

XLIV. Mulieres poſſunt oblationes facere ſecundùm Græcos, non ſecundùm Romanos.

XLV. In illâ die ante Natale Domini horâ nonâ expletâ, id eſt, vigilia Domini: manducant Romani, Græci dicto Veſpere & Miſſâ cœnant[d].

XLVI. Tributum Eccleſiæ ſit ſicut conſuetudo eſt provinciæ; tamen ne pauperes in decimis vim patiantur.

XLVII. Animalia coïtu hominibus commixta occidantur, & carnes canibus projiciantur; & ubi dubium eſt, non comedenda, occidenda[e].

XLVIII. In uno altari duas facere Miſſas conceditur[f] ſecundùm Græcos: ſecundùm Romanos quinque, propter quinque cruces quæ imponit Epiſcopus, quando conſecrantur. Et ille qui priùs manducare probatur, ad oſculum non permittitur.

XLIX. Vir abſtineat[g] ſe ab uxore ſuâ XL. dies ante Paſcha, & primâ hebdomadâ poſt Paſcha, & poſt Pentecoſten unâ hebdomadâ.

L. Infantes in Monaſteriis quatuordecim annorum carnem manducent.

LI. Confeſſio[h] Deo ſoli, ſi neceſſe eſt, agi licet.

LII. Gentiles mortui de locis Sanctorum ejiciendi ſunt.

LIII. Miſſas[i] ſæcularium mortuorum ter in annum: tertiâ die, & nonâ die, & trigeſimâ die: quia ſurrexit Dominus tertiâ die, & nonâ horâ emiſit ſpiritum, & triginta diebus Moyſen filii Iſraël planxerunt.

LIV. *De libertate*[l] lavandi pedes laïcorum niſi in Cœnâ Domini.

LV. De indulgentiâ malarum cogitationum, ſi non opere impleantur.

LVI. Promiſſio citò implenda eſt, quia mors non tardat.

LVII. Qui cum ſorore fornicatur, quatuordecim annis pœniteat.

LVIII. Sacerdos tangendo mulierem coinquinatus, XL. diebus pœniteat.

LIX. Servus Dei[m] non debet ullatenùs pugnare, niſi in multorum ſit conſilio ſervorum Dei.

LX. Non licet Diacono laïco judicare pœnitentiam, ſed Epiſcopo aut Preſbytero.

LXI. Maritus non debet habere[n] uxorem ſuam nudam.

LXII. Infirmis liceat omni horâ cibum & potum quandocumque deſiderant, ſumere.

LXIII. Cujus uxor eſt infidelis & gentilis, & non poteſt eam convertere, dimittat eam.

LXIV. Abbati[o] ſcilicet Monaſterium ſuum alii dare in poteſtate non eſt, nec poſt obitum ejus, nec eo vivente ſine voluntate Monachorum, nec propinquo nec alieno, ſed ipſi eligant ſibi Abbatem. Si Prior obierit, aut diſceſſerit, ſimili modo. Abbas poteſt pro humilitate, cum permiſſione Epiſcopi, locum ſuum derelinquere. Tamen Fratres eligant ſibi Abbatem de ipſis, ſi habent; ſin autem, de extraneis. Nec Epiſcopus debet violenter in loco ſuo. Congregatio debet ſibi eligere Abbatem poſt mortem ejus, aut eo vivente, ſi diſceſſerit, vel peccaverit. Ipſe non debet ordinare de ſuis propinquis, neque de alienis, nec alio Abbate dare, ſi non voluerint Fratres.

LXV. Si peccaverit Abbas, nec Epiſcopo licet tollere poſſeſſionem Monaſterii, quamvis peccaverit Abbas, ſed mittat eum in aliud Monaſterium in poteſtatem alterius.

LXVI. Abbati non licet neque Epiſcopo terram Eccleſiæ vendere ad aliam, quamvis in poteſtate ejus ſint ambæ. Si mutare vult terram Eccleſiæ, cum conſenſu amborum faciat.

LXVII. Si quis vult Monaſterium ſuum in alio loco ponere, faciat cum conſenſu[p] Epiſcopi & fratrum ſuorum, & dimittat in priore loco Preſbyterum ad miniſterium Eccleſiæ.

LXVIII. Preſbytero licet ſoli Miſſam facere, ſi neceſſe eſt, & populum benedicere in Paraſceve, & crucem ſanctificare.

LXIX. Qui accipit ſacrificium poſt cibum, ſeptem diebus pœniteat in judicium Epiſcopi.

LXX. Qui occiderit Monachum vel Clericum, arma relinquat, & Deo ſerviat, vel ſeptem annis pœniteat.

LXXI. Qui Epiſcopum vel Preſbyterum occiderit, Regi dimittendus eſt ad judicandum.

LXXII. Si laïcus alterum odii meditatione occiderit, ſi non vult arma relinquere, pœniteat ſeptem annis ſine carne: ſi per iram ſubitam, tribus annis: ſi autem caſu vel eventu, uno anno.

LXXIII. Pecunia Eccleſiaſtica[q] furata ſive rapta, reddatur quadruplum, popularia dupliceter.

LXXIV. Si quis fornicaverit cum virgine, uno anno: ſi cum maritata, tribus annis; unum integrum, duos alios quadrageſimis diebus pœniteat.

LXXV. Blaſphemias Deo agit qui Miſſas Deo offert pro homine malo. Auguſtinus dicit pro omnibus Chriſtianis eſſe faciendum, quod vel ei proficit, aut offerenti, aut viventes conſoletur.

LXXVI. Mulier quæ ſe amore fornicationis ad alteram conjunxerit, ſeptem annis pœniteat. Sic & illa quæ ſemen viri ſui miſcens cibo, ut deinde plus ejus amorem ſuſcipiat.

LXXVII. Sacrata virgo fornicans, ſeptem annis pœniteat.

LXXVIII. Qui homicidium vel furtum commiſerit, & non compoſuit illis quibus nocuit, quando confeſſus fuerit Epiſcopo vel Preſbytero peccata ſua, debet illis aut propria reddere, vel componere; ſi verò non habuerit ſubſtantiam unde componere poteſt, vel neſcierit quibus nocuit, pœnitentia plus augeatur.

LXXIX. Qui cibum immolatum comederit, deinde confeſſus fuerit, Sacerdos conſideret perſonam, in quâ ætate[r] ſit, aut quantum deductus, vel qualiter contigit, ita auctoritas Sacerdotalis circà infirmum moderetur.

LXXX. Mulier quæ ſobolem necaverit, ſeptem annis pœniteat.

d *& Miſſâ cœnant*] Longè aliter prior editio, quippe in quâ legebatur, *Miſſam cantant.*

e *occidenda*] Hoc additum eſt.

f *conceditur*] Quæ ſequuntur uſque ad, *Et ille qui priùs*, addita ſunt.

g *Vir abſtineat*] Hoc caput Theodori eſſe dicitur in codice S. Germani.

h *Confeſſio*] Ex Theodoro refert Ivo p. 15. c. 133. & Burchardus lib. 9. cap. 146.

i *Miſſas*] Hoc caput eſt 51. Pœnit. Theodori.

l *de libertate*] Hæ duæ voces additæ ſunt, perinde atque caput ſequens.

m *Servus Dei*] Hoc caput ſic legitur in priori editione: *Clericis nullatenùs pugnare licet, niſi in multitudine, aut conſilio ſervorum Dei.* Quod quidem mihi magis placet.

n *non debet habere*] Acherius *videre.*

o *Abbati*] Theodori eſſe dicitur in codice S. Germani, perinde atque duo quæ ſequuntur.

p *cum conſenſu*] Acherius *cum conſilio.*

q *eccleſiaſtica*] Prior editio, *Eccleſiæ . . . . populari dupliciter.*

r *in quâ ætate*] Quæ ſequuntur uſque ad *contigit*, addita ſunt.

LXXXI. Laïcus ſi de Monaſterio Monachi faciens [f] furtim diſceſſerit, aut intret Monaſterium Domino ſervire, aut humanum [t] ſubeat:

LXXXII. Qui ſeipſum occiderit propriâ voluntate, Miſſas pro eo facere non licet; ſed tantùm [u] orare, & eleemoſynas largiri.

LXXXIII. Si quis chriſtianus ſubitâ tentatione mente ſuâ exceſſerit, vel per inſaniam ſeipſum occiderit, quidam Miſſas faciunt.

LXXXIV. Presbyter fornicans, ſi poſtquam compertum fuerit baptizaverit, iterum baptizentur.

LXXXV. Qui per juſſionem domini ſui occiderit hominem, dies XL. jejunet.

LXXXVI. Ante Natalem Domini noſtri JESU-CHRISTI, Græci ſero, Latini nonâ horâ Miſſas celebrant.

LXXXVII. Quicumque dubitaverit de baptiſmo ſuo, baptizetur.

LXXXVIII. In Eccleſiâ ſanctificatâ nulli mortui ſepelientur: ſi autem ibi mortui antequàm fuerit ſanctificata ſepulti ſunt, non ſanctificetur. Si inde mutata fuerit in altero loco, vel laventur tabulæ; quæcumque enim Eccleſia mutata fuerit in alio loco, iterum ſanctificetur. Si verò [x] in ipſo loco & ei mutata fuerit, aquâ aſpergetur ſanctâ.

LXXXIX. Multi dicunt, non licet pro infantibus ante ſeptem annos Miſſam agere. Sed tamen licet.

XC. Qui pecuniam in prædam duxerit, tertiam partem eroget, & XL. dies jejunet.

XCI. Si ſervus, [y] ſi & ancilla domini ſervum illum liberum non vult cum illa nubere, dimitte accipere, ſi illa non potuerit ad eum.

XCII. Si polluta [z] fuerit mulier, vir ejus habet poteſtatem utrum vult, nubere cum eâ aut dimittere.

XCIII. Maritus ſi ſeipſum ſervum fecerit in furto, aut in fornicatione, mulier habet poteſtatem accipere virum.

XCIV. Muliere mortuâ, licet viro poſt menſem alteram accipere; mortuo verò viro, poſt annum licet mulieri virum tollere.

XCV. Qui dimiſerit uxorem ſuam alteri conjungens, ſeptem annis pœniteat.

XCVI. Si prægnantem mulierem comparat aliquis priùs liberam; liber eſt, qui generatus eſt.

XCVII. Qui ancillam [a] prægnantem liberat; qui generatus eſt, ſervus eſt.

XCVIII. Patri & filio matrem & filiam licet in matrimonio habere. Similiter [b] duobus fratribus duas habere licet ſorores.

XCIX. Vir & mulier in matrimonio, ſi ille voluerit ſervire Deo, & illa noluerit, aut illa voluerit, & ille noluerit, vel ille infirmatus, [c] ſive illa infirmata: tamen omninò conſenſu amborum ſeparentur.

C. Qui pro homine mortuo jejunat, ſeipſum [d] adjuvat: hæc Dei ſolius notitia.

CI. Mulier ſponte perdens partum ſuum, ſi ante XL. dies conceptionis, annum unum pœniteat, ſi verò poſt, tres annos pœniteat.

CII. Pater filium [e] neceſſitate coactus in ſervitium ſine voluntate filii tradet.

CIII. Si quis in ſæculari habitu votum voverit, ſine conſenſu Epiſcopi, ipſe habet poteſtatem ſolvendi, ſi voluerit.

CIV. Qui ordinati [f] ſunt à Scotorum aut Britonum Epiſcopis, qui in Paſcha & in tonſurâ adunati Eccleſiæ Catholicæ non ſunt, iterum ab Epiſcopo Catholico manûs impoſitione confirmentur, & aliquâ collectione. Similiter & Eccleſiæ quæ ab ipſis Epiſcopis ſupradictis conſecrantur, aquâ exorcizatâ aſpergantur, & aliquâ collectione confirmentur.

CV. Deſponſata mulier viro, deinde non vult habitare cum eâ: reddat pecuniam quæ ipſi datur, & tertiam partem [g] addat.

CVI. Pater filiam ſuam uſque quindecim annos poteſtatem habet dare cui voluerit, poſt verò quindecim annos ſine voluntate ſuâ non licet.

CVII. Qui manducat [h] morticinum, XL. diebus jejunet; ſi ejus neceſſitas egerit, nihil eſt.

CVIII. In quintâ generatione cōjungantur; quartâ ſi inventi fuerint conjuncti, non ſeparentur; tertiâ ſeparentur.

CIX. Mulier [i] poſt partum in purgatione ſit XL. dies, ſive maſculum, ſive fœminam genuit.

CX. Non licet baptizatis cum Catechumenis manducare communiter.

CXI. Licentiam non habemus Britonibus petentibus chriſma vel Euchariſtiam dare, niſi ante confeſſi fuerint ſe nobiſcum eſſe in unitate Eccleſiæ: cum compertus fuerit non eſſe baptizatus, & ordinetur iterum, & [l] baptizetur, & confirmetur.

CXII. Presbyter ſi viam ambulaverit, & occurrens mulier rogans eum filium ſuum infirmum baptizari, & ipſe pro itineris ſui feſtinatione neglexerit; quicumque Presbyter [m] in provinciâ ſuâ propriâ, aut in alienâ, vel ubicumque inventus fuerit, qui commendatum ſibi infirmum non vult baptizare, & ſic ſine baptiſmo morietur, deponatur.

CXIII. Similiter ſi hominem occiderit, aut fornicationem fecerit, deponatur.

CXIV. Epiſcopus [n] & Abbas hominem ſceleratum ſervum poſſunt habere, ſi pretium redimendi non habet.

f *Monachi faciens*] Acherius harum vocum loco habet *Monachorum*.

t *aut humanum*] Codex Bigot. *annum humanum aut ſub vitium*. Quæ quidem non minùs vitioſa ſunt. Mens ſcriptoris hæc eſt, ut quidem videtur Acherio: Clerici, Monachi, & ſervi fugitivi ad ſua loca redire debent. At de eo ſermo eſt qui Monachum corrupit, hoc eſt impulit ut Monaſterio excederet: quænam ejus pœna? Aut intrà Monaſterium Deo annum unum ſerviet, aut humanum ſubibit judicium: ſcribe igitur *ſervire annum, aut humanum ſubeat judicium*.

u *ſed tantum*, &c.] Hæc Acherius addidit ex codice S. Germani.

x *ſi verò*] Hæc in ſchedis D. Edm. Martene, ſic leguntur: *ſi verò non ipſo loco emendata fuerit*.

y *ſi ſervus*] Hoc caput non legitur in ſchedis D. Edm. Martene, nec facilè intelligi poteſt. Illuſtrari ſcribit Acherius Exceptione 124. Ecberti, quæ ejuſmodi eſt: *Si ſervum & ancillam dominorum amborum in matrimonio conjunxerit, poſtea liberato ſervo vel ancillâ, ſi non poteſt redimi qui in ſervitio eſt, libero licet (ſicut quibuſdam placet) ingenuo conjungere; ſed tamen juxta ſententiam Domini, mœchus probatur.*

z *ſi polluta*] Hoc caput, & ſequens deerant in priori editione.

a *Qui ancillam*] Ex hoc capite duo dumtaxat poſtrema verba ediderat Acherius in fine cap. 96.

b *ſimiliter*, &c.] Hæc etiam deerant in priori editione.

c *infirmatus*] Pro *infirmatus* & *infirmata*, Acherius legi vult *innuptus* & *innupta*, ut in Capitul. 206. lib. 6. nihil tamen mutandum.

d *ſeipſum*] Acherius ſic edidit *ipſum adj. in Dei*, &c. Lege *ſi ipſum adjuvat, in Dei*, &c.

e *Pater filium*] Hoc caput in Schedis D. Edm. Martene deeſt; at ſequens in priori editione.

f *Qui ordinati*] Lege Bedam lib. 2. cap. 19. lib. 3. cap. 25. lib. 5. cap. 22.

g *tertiam partem*] In priori editione additū erat *ſubſtantiæ*.

h *Qui manducat*] Ex Theodoro laudat Ivo p. 15. cap. 100.

i *Mulier*] Aliter Ivo ex Pœnitent. Theodori p. 15. cap. 151. & Burchardus lib. 9. cap. 141.

l *ordinetur iterum, &*] Hæc deerant in priori editione.

m *quicumque presbyter*] Acherius edidit *quicumque etiam præſumſerit*, & mox *inventa fuerit*.

n *Epiſcopus*] Hoc caput & ſequens Theodoro tribuuntur in codice S. Germani.

cxv. Mos eſt apud Romanam Eccleſiam Monachos vel homines religioſos defunctos in Eccleſiam portare & cum chriſmate ungere pectora, ibique Miſſas pro eis celebrare; deinde cum cantatione ad ſepulturas: & cum politi fuerint in ſepulcro, tunc pro eis fiunt orationes; deinde humo vel petrâ operiuntur corpora. Primâ, & tertiâ, & nonâ, & trigeſimâ die pro eis Miſſa celebratur; inde poſt annum, ſi voluerint, obſervatur.

cxvi. Qui duxerit viduam in uxorem ſibi, ſive ante baptiſmum, vel poſt baptiſmum, non poteſt eſſe Presbyter.

cxvii. Non communicet vir cum muliere adulterâ, ſimiliter & uxor cum adultero viro non ineat pacem communem.

cxviii. Si quis Epiſcopus vel Presbyter ſanctam Paſchæ diem ante æquinoctium celebraverit, deponatur.

cxix. Si quis Epiſcopus vel Presbyter factâ oblatione non communicaverit, dicat rationabilem cauſam; ſin aliud, deponatur.

cxx. Omnes fideles qui ingrediuntur Eccleſiam, ad ſanctam oblationem non perſeveraverint, [o] nec percipiunt ſacrificium, convenit privari eos communione.

cxxi. Epiſcopus non exeat ad aliam parochiam, & ſuam relinquat, niſi multorum Epiſcoporum judicio & maxima ſupplicatione perficiat.

cxxii. Eunuchus ſi per inſidias hominum factus eſt, vel ſi in perſequutione ejus amputata ſunt virilia, vel ſi ita natus eſt, dignus fiat Epiſcopus, ſi poſtea probatus fuerit. Si quis amputaverit ſibimetipſi virilia, omninò non poteſt eſſe Clericus.

cxxiii. Si quis poſt gradum amputaverit virilia, omninò damnetur.

cxxiv. Si quis ſemetipſum abſciderit [p], vii. vel xv. annos pœniteat.

cxxv. Epiſcopus ſive Presbyter, vel Diaconus, qui in fornicatione, aut in perjurio, aut in furto captus fuerit deponatur, non tamen communione privetur. Dicit ſcriptura: *Non vindicat Deus bis in unum.*

cxxvi. Nullus per pecuniam obtineat gradum: ſin autem, & ipſe & ordinator ejus omnibus modis à communione priventur. [q]

cxxvii. Bis in uno anno Concilia Epiſcopi faciant, id eſt quartâ [r] ſeptimanâ poſt Pentecoſten, ſecundò duodecimo menſis Hyperbetethæi, id eſt iv. Idus Octobris juxtà Romanos.

cxxviii. Qui carnes immundas manducaverint, & olera quæ cum carne coquuntur, ceſſare debent à miniſterio.

cxxix. Deſponſatam puellam non licet parentibus tradere alicui, ſi illa omninò reſiſtat [ſ]; tamen ad Monaſterium licet.

cxxx. Ex aquâ benedictâ domus aſpergendæ ſunt.

cxxxi. Mulier incantationes cantans, vel anno vel tribus Quadrageſimis pœniteat.

cxxxii. Sanguinem ſine voluntate ſugere è [t] dentibus non eſt peccatum.

cxxxiii. Epiſcopus, Presbyter, Diaconus confiteri debent peccatum ſuum. Confeſſio Deo ſoli, ſi neceſſe eſt, agi licet.

cxxxiv. Dæmonium [u] ſuſtinenti licet petras & olera ſine incantatione habere.

cxxxv. Perjures [x] tribus annis pœniteant. Sodomitæ ſeptem annis; molles uno anno.

cxxxvi. Jejunia legitima ſunt tria in Quadrageſimis: in primo decimæ reddendæ ſunt.

cxxxvii. Qui Evangelium tantùm legit, culopam [y] ſuper humerum ponit; non ſic in cæteris lectionibus.

cxxxviii. Ulciſcendo [z] homicida quatuor annis pœniteat.

cxxxix. In generatione tertiâ, ſecundùm Græcos, vel quartâ [a] licet nubere: non licet ſeparari ſine conſilio amborum, ſed alter alteri poteſt licentiam dare.

cxl. Laïcus à quo receſſit mulier, cum conſenſu Epiſcopi, poſt duos [b] annos aliam accipiat, ſi in captivitatem per vim ducta eſt, poſt annum aliam accipere poteſt.

cxli. Stando orandum eſt pro reverentiâ Dei.

cxlii. Pueros [c] Monaſterii ante viginti quinque annos non licet ordinari.

cxliii. Cujus uxor [d] fornicata, licet eam dimittere, & aliam accipere. Mulieri non licet fornicantem alium accipere.

cxliv. Pecunia ſervi propter laborem, nulli licet ab eo auferre.

cxlv. Puer quindecim annorum poteſt ſe Monachum facere; puella ſexdecim vel ſeptemdecim, quæ in poteſtate parentum eſt.

cxlvi. Monacho non licet votum vovere ſine licentiâ Abbatis ſui; ſi voverit, dimittat, niſi juſſerit Abbas.

cxlvi. Aves [e] & animalia cætera ſi in retibus ſtrangulentur, non ſunt comedenda; ſimiliter ab accipitre mortua. Apoſtolus etiam ait: *Similiter abſtinete vos à ſuffocato ſanguine, & ab idololatriâ.* Leporem licet comedere, & eſt bonum pro ſenteria. Et fel ejus miſcendum pipro pro dolore jecoris.

cxlvii. Presbytero non licet peccatum Epiſcopi prodere: quia ſuper eum eſt.

cxlviii. Baſilius judicavit pueris licentiam nubere uſque [f] ſexdecim annos, ſi abſtinere non potuerint.

cxlix. Marina animalia ad littora delata, quo-

o *perſeveraverint*] In priori editione *præſumunt.*

p *abſciderit*] In priori editione ſequitur, *tribus annis. communione privetur.*

q *priventur*] Acherius edidit *projiciantur.*

r *id eſt quarta*] Prior editio *quintâ.* Et infrà *duodecimo menſis, id eſt octava Idus, &c.*

ſ *ſi illa omninò reſiſtat*] Hæc in editis deerant.

t *ſugere è*] Hoc etiam deerat in priori editione.

u *Dæmonium*] Ivo ex Hieronymo laudat p. 15. cap. 75.

x *perjures*] Hoc etiam Ivo p. 15. c. 8. laudat ex Pœnitentiali Theodori, & ex Pœnitentiali Romano, ſed in iis ſeptem annorum pœnitentia injungitur perjuris.

y *culopam*] Sic reſtitui è ſchedis D. Martene: in priori editione legebatur *culpam*, quod cum Acherio, nec ſanè injuria diſpliceret, ad oram edi curavit *ſtolam.*

z *ulciſcendo*] Hoc capitulum in editis ſic legebatur: *Ulciſcendo qui occidit, ita pœniteat ut homicida ſponte commiſſa.*

a *vel quarta*] Additum hoc eſt è laudatis ſchedis.

b *poſt duos*] Editum erat *poſt ſeptem.*

c *pueros*] Acherius monet hoc loco non agi de profeſſione monaſticâ, aut legendum eſſe *quindecim*; ut infrà cap. 145.

d *Cujus uxor*] In hunc locum ita ſcripſit Acherius: Econtra definitio Concilii Milevitani c. 17. Innocent. I. Epiſt. ad Exuper. c. 6 Verùm hæc definitio ſeriùs, maximè in Galliis recepta eſt, ut conſtat ex Concil. Venet. c. 11. & Alcimi Aviti epiſtola 49 Quæ tamen definitio à Theodoro approbata videtur in Concil. Herutfordienſi c. 10. apud Bedam lib. 4. Hiſt. c. 5. unde Capitulum hoc Theodori non eſſe videtur. Certè Concilii Milevit. decretum in Angliâ viguiſſe Egberti temporibus docet Excerptus ex Auguſtini verbis: *Si mulier fornicata fuerit, relinquenda eſt; ſed illâ vivente, altera non eſt ducenda.* Rem porro iſtam obſcuram eſſe, aſſerit idem lib. de fide & oper. cap. 19.

e *Aves*] Laudant Burchardus lib. 19. c. 85. & Ivo part. 15. c. 97. ex Pœnit. Theodori. Quod ſequitur ab hac voce *Leporem*, additum eſt è laudatis ſchedis.

f *nubere uſque*] Sic ſæpiùs memoratæ ſchedæ: prior editio, *nubere ante.* In eadem poſt *potuerint* legebatur, *quamvis monachi fuiſſent.* In quem locum ita ſcripſit Acherius.

Digitized by Google

rum mortes neſcimus ſumenda ſunt ſanâ fide, niſi ſint putrida.

CL. Pecora de rupe cadentia, ſi ſanguines eorum effuſi ſunt, ſumenda ſunt: ſin verò, ſed fracta ſunt oſſa eorum, & ſanguis foras fluxerit, refutanda ut morticina eſſent.

CLI. In aquis exſtincta morticina ſunt, quorum ſanguis intrinſecùs latet.

CLII. A beſtiis capta & ſemiviva, beſtialibus hominibus ſumenda.

CLIII. Animal ſemivivum, ſobitâ morte præparatum, abſciſsâ aure vel aliâ parte, morticinium eſt.

CLIV. Caro ſuilla morticinis craſſa vel pinguis, ut morticinum quo pingueſcit refutanda eſt. Cum verò decreverit, & in priſtinam maciem reverſa, ſumenda eſt. Si verò in unâ vice vel ſecundâ morticinam manducaverit, poſt hujus ſeceſſum de ventre earum, ſanâ fide ſumenda eſt.

CLV. Sues carnem hominis vel ſanguinem guſtantes, illiciti ſunt. In lege namque animal cornupetum ſi hominem occiderit, illicitum: quanto magis qui manducat hominem? Fœtus tamen eorum obſervandi ſunt licitè, quos matrum immunditia non polluit.

CLVI. Gallinæ carnem hominis, vel ſanguinem ejus guſtantes, multum immundæ ſunt: & ova earum immunda ſunt. Pulli tamen conſervandi ſunt.

CLVII. Puteus in quo invenitur morticinum, ſive hominis, ſive canis, ſive animalis cujuſlibet, primò evacuandus eſt, & humus ejus, quia aqua putei madefecerat, foras projicienda: & mundus eſt.

CLVIII. Intinctum à vacca ſanâ conſcientiâ ſumendum: ut quid enim intinctionem vaccæ excommunicemus? Et à vitulo præmulgenti guſtatum lac non reſpuemus. Sed tamen propter infirmas fratrum conſcientias propter immunditias coquendum eſt, & tunc ab hominibus ſuſcipiendum eſt.

CLIX. Intinctum verò à ſuibus coquendum eſt, & immundis hominibus tribuendum eſt. Sues namque munda & immunda comedunt: vaccæ verò non niſi herbis & arborum frondibus paſcuntur.

CLX. Intinctum à corvo nullâ coctione mundari poteſt, propter noſtram conſcientiam dubiam. Quis enim noſtrûm ſcit quas illicitas carnes priùs comederat, quàm noſtrum lac intinxerit?

CLXI. Intinctum à duellâ vel aquilâ, nec ſine coctione, nec poſt coctionem ullo modo ſuſcipiendum.

CLXII. In aquis ſuffocata non manducanda ſunt; unde Dominus carnem cum ſanguine manducari prohibuit. In carne enim animalis ſuffocati in aquis ſanguis coagulatus perdurat. Hoc Dominus prohibet, non quòd in illis temporibus homines crudam carnem manducarent; quia non eſſet dulcior; ſed quia carnem ſuffocatam & morticinam mandocaſſent. Et Lex metricâ ratione ſcripta dicit, *Carnem morticinam non manducetis.*

CLXIII. Prædarum pecunia à Chriſtianis ſive per commercia, ſive per donationes non eſt ſumenda. Quod enim reprobat Deus, ut quid miles Chriſti ſuſcipiet? Eleemoſynam namque prædonis fletus invaſi exſtinguit.

CLXIV. De meretrice conjuge ſic idem interpretatus eſt: quia meretrix erit decuſſo proprii mariti jugo, & ſecundi mariti juncta vel tertii. Cujus maritus illâ vivente alteram non ſuſcipiet, quia noſcimus illam auctoritatem quam legimus in Quæſtionibus Romanorum, *Utrum idoneis an falſis teſtibus*, &c. ornatam fuiſſe.

CLXV. Carnem à beſtiis comeſſam immundam eſſe idem confirmat, non tamen morticinam: quia ſanguis illius carnis illicitæ effuſus eſt per beſtias.

CLXVI. Lethali verò morſu tamen captum pecus, nec in totum mortificatum, à peccatoribus, & à beſtialibus hominibus comedendum; abſciſsâ tamen parte, & canibus datâ, quam beſtia dentibus intinxerit. Aptum namque ſibi videtur, ut carnem beſtiis adminiſtratam humanæ beſtiæ comedant.

CLXVII. Simili modo prohibet medullas oſſium cervorum manducari, quos lupi comederunt.

CLXVIII. Similiter cervos quorum ſanguinem quamvis per venas cernimus fluxiſſe, vetat manducari, per fracta in pedicis crura morticinam eſſe affirmans, eo quod non fluxerat ſanguis ſuperior, qui cuſtos & ſedes animæ erat, ſed coagulatus eſt intrà carnem. Quia licet extremitas ſanguinis per extremum quodlibet membrum ſit effuſa; ſanguis tamen craſſior & ſolidior, in quo anima ſederat, intrà carnem coagulatus manet. Itaque quòd ſi non causâ vulneris illæſi ſedem animæ laverit, non eſt effuſio ſanguinis, ſed tantùm extremæ partis effuſio: ita ut qui eam carnem comederit, ſciat carnem cum ſanguine comediſſe. Cum autem Dominus prohibuit, nec & coctio, ſed ſanguinis effuſio dederat. Et hoc prædictum intelligi & de pecoribus, quæ poſt abſciſſam aurem in extremâ infirmitate mortua ſunt. Adipem tamen & pelles in uſus varios habebimus.

MONITUM.

CANONES *Hibernenſes qui ſequuntur, ante ſæculum VIII. confecti ſunt, & à nobis ex magna ac vetuſta Canonum collectione MS. delecti. Et hæc quidem Collectio conſtans 65. Libris in plura capitula diſtributis, docet & conſtituit quæ ſpectant ad ordinationes ſacras, ad miniſtrorum Eccleſiæ diverſa munia, ad adminiſtrandorum Sacramentorum modum, ad Eccleſiaſticam diſciplinam probè obſervandam, & ad Laïcos Chriſtianis moribus religioſè imbuendos: denique remedia adhibenda, pœnitentiaſve lapſis imponendas præſcribit.*

2. *At enim cum ſpernenda minimè ſit iſta Collectio, ut pote continuata ſerie locis S. Scripturæ,*

Id de pueris à parentibus in monaſterio oblatis intelligendum, quibus facultatem revertendi in ſæculum S. Baſilius non denegat, ut ex Regulæ Interrogat. 7. intelligitur. Vel quòd tunc firma tantùm erat virginitatis profeſſio cum adulta ætas foret, ut pote à proprio conſilio judicioque profecta. Idem Regul. fuſius tractat. interrogat. 15. Capitula ſequentia in priori editione non habebantur.

Conciliorum & SS. Patrum ſcitè admodum ac prudenter inſertis adornata, quæret fortean, Lector, cur integram in lucem haud emiſimus. Duæ præſertim nos ad hoc cauſæ impulerunt. Animo cum revolveremus tot & tam variat hujuſcemodi Canonum Collectiones tum editas tum ineditas eadem propè repetentes, illam quâ de agitur perſuaſum habuimus ingratam fore viris eruditis, in quorum gratiam potiſſimùm inſtituimus Spicilegium, ſi quæ communia & obvia ſunt eis offerremus. Deinde, ut ingenuè fatear, ſummum refugi laborem, qui corrigendis nævis fermè innumeris erat neceſſariò impendendus. Adverti enim eam Collectionem paſſim reſperſam ſolœciſmis, ut poſe oſcitanter atque imperitè ab homine linguæ latinæ ignaro ſcriptam; & verba non ſolùm inverſa & barbara, ſed ultimam ſyllabam cum ſequenti identidem conjunctam; litteram, aliquando etiam verbum alterius loco ſuppoſitum; incompletas denique complures ſententias; adeo ut vix ac ne vix quidem ſenſum conjicere, nedum intelligere liceret. Itaque ſeligere operæ pretium duximus dumtaxat inſigniora, noſtrâ quidem ſententiâ, & antiquiora, quæque potiſſimùm in Synodis Hibernenſibus decreta ſunt.

3. *Obſcura non diffitemur multa occurrere, vel quod ab homine ignaro deſcripta ſint, vel quòd maximè Hibernenſibus obſcuritas ſit velut innata, uti Opuſcula & Canones S. Patricii, quoſdamque alios inter Concilia Britanniæ legenti patebit. Nonnulla nos ope Conciliorum Britanniæ à Spelmanno, & Opuſculorum S. Patricii à Waræo editorum, atque ſcripti codicis Sangermanenſis emendavimus; quædam notatiunculis utcumque elucidavimus. Sunt in his Capitulis Selectis Canones non pauci SS. Patricii & Gildæ, qui hactenùs tenebris fuerunt obſiti, quique Spelmanno & Waræo latuere. Non ſumus neſcii tamen eſſe Canones ſive Capitula, quæ ſenſum eumdem atque in aliis tum generalibus tum etiam provincialibus Synodis referunt, aliquando verba ipſiſſima.*

4. *Porro duobus uſi ſumus codicibus ſcriptis, altero Corbeienſi, ex quo omnia illa Canonum Capitula decerpſimus; altero hujuſce Bibliothecæ Sangermanenſis, qui aliam diverſorum Canonum Collectionem continebat. Sed hærebamus, an Canones ſub hac vagâ epigraphe* Synodus dicit, *aliis adjungeremus Hibernenſibus: verùm codicem poſteriorem perſcrutantes, pluribus in locis reperimus verbum* Hibeenenſis *adjectum: unde ſtatim evanuit ſcrupulus iſte noſter.*

5. *De auctoris autem nomine, certi quod ſtatuamus nunc nihil occurrit, præter conjectiunculam Præfationi Collectionis à nobis ſubjectam. Et huic conjectiunculæ Waræus ſavere videtur in annotationibus ad Patricii Synodum, agens de quodam Canone:* Canon. 15. *inquit*, de toro fratris defuncti habetur etiam in Excerptis MSS. è Jure Sacerdotali Ecgbeeti Archiepiſcopi Eborac. per Hucarium Levitam ſub titulo, &c. *His enim verbis indicatur Hucarius ipſe in Canonum ſtudio verſatus, & ſubobſcurè licet, excerptor ſive Collector. Idemne verò ſit Haëlucar Abbas*, quo diſpenſante, &c. *Arbedoc Clericus codicem Collectionum ſe conſcripſiſſe aſſerit, ac Hucarius Diaconus, non facilè nobis eſt judicare; niſi fortè dicamus* Hael *additum eſſe* Hucar *ſive* Hucario: *Aſt Hael quid denotet verè nobis latet.*

CAPITULA SELECTA
EX ANTIQUA CANONUM COLLECTIONE
Facta in Hibernia ſæculo circiter VIII.

PROLOGUS COLLECTORIS.

Synodorum exemplariorum innumeroſitatem conſpiciens, ac plurimorum ex ipſis obſcuritate rudibus minùs utilem providens, nec non cæterorum diverſitatem inconſonam, deſtruentem magis quàm ædificantem proſpiciens, brevem plananque ac conſonam de ingenti ſylvâ Scriptorum in unius voluminis textum expoſitionem digeſſi; plura addens, plura minuens, plura eodem tramite degens [a], plura ſenſu ad ſenſum neglecto verborum tramite aſſerens. Hoc ergo ſolum in omnibus contendens, ne meo judicio quæ videbantur velut commendatitiis deſcriberentur, ſingulorum nominis, ſingulis teſtimoniis præſcripta poſui; ne velut incertum quis quodque dicat, minùs luceat: ſed hoc Lectorem non fallat, ut cum ad generales titulos quos neceſſariò præpoſuimus recurrat, numeros diligenter obſervet: è quibus obſervatis, quæſtionem quam voluerit ſine ullâ cunctatione reperiet.

Finit Prologus.

Collectoris verò illius nomen haud obſcurè indicare videtur amanuenſis in fine codicis, ad hunc modum.
Arbedoc Clericus ipſe has Collectiones conſcripſi laciniosæ conſcriptionis, Hailhucar Abbate diſpenſante, quæ de ſanctis Scripturis, vel divinis fontibus hîc in hoc codice glomeratæ ſunt: ſive etiam Decreta, quæ Sancti Patres & Synodi in diverſis gentibus vel linguis conſtruxerunt.

a *tramite degens*] Acherius legere jubet, *degerens*.

CAPITULA EX LIBRO PRIMO.

DE EPISCOPO.

Caput Quintum.

De eo quòd non unus unum ordinet.

Ex can. 2. Conc. Carth.

Synodus ait : Cum conſenſu Clericorum & Laïcorum & totius provinciæ Epiſcoporum, maximeque Metropolitani, vel epiſtolâ, vel auctoritate, vel præſentiâ ordinetur Epiſcopus.

Cap. VII. *De eo qui ordinandus eſt.*

Ex eodem.

Synodus dicit : Qui Epiſcopus ordinandus eſt, ante examinetur, ſi naturâ prudens, ſi docilis, ſi moribus temperatus, ſi ſobrius, ſi caſtus, ſi humilibus affabilis, ſi miſericors, ſi litteratus, ſi in lege Domini inſtructus, ſi Scripturarum ſenſibus cautus.

Cap. VIII. *De moribus Epiſcoporum.*

Synodus dicit : Epiſcopus non invadat alienam Parochiam ; non ordinet alium Clericum alicujus Eccleſiæ ; non præſumat pretium ordinationis ; non præſumat dona iniquorum, quæ reprobat Altiſſimus ; non ambulet ſine Preſbytero.

Cap. IX. *De ætatibus quibus provehitur quis ad Epiſcopatum.*

Synodus. Puer verò ab infantiâ Eccleſiaſticis miniſteriis deditus uſque ad vigeſimum ætatis ſuæ annum Lector ſive Exorciſta ſtet : Oſtiarius & Subdiaconus quatuor annis : Diaconus, quinque : Preſbyter trigeſimo : Epiſcopus vel trigeſimo, vel quadrageſimo, vel quinquageſimo : Sacerdos [b] efficiatur, quia in eâ ætate Chriſtus prædicare orſus eſt.

b

Secundo de uniùs uxoris viro juvene. Synodus *eadem.* Qui verò acceſſo adoleſcentiæ uſque ad trigeſimum annum ætatis ſuæ probabiliter vixerit, unâ tantùm uxore virgine ſumptâ contentus, quinque annis Subdiaconus, & quinque annis Diaconus, quadrageſimo anno Preſbyter, quinquageſimo Epiſcopus ſtet.

Tertiò de grandævo Laïco. Synodus *eadem.* Si verò grandis ætatis ſit Laïcus, & neceſſe ſit ut Epiſcopus fiat ; biennio ſit Lector, quinque Subdiaconus ; poſt duodecim annos Preſbyter ſive Epiſcopus ſubrogetur.

Cap. XVI. *De eo quod nullus debet judicare Epiſcopos.*

c

Gildas ait : [c] Habent quippe Sacerdotes & Epiſcopi terribilem judicem, cui pertinet & non nobis de illis utroque ſæculo judicare. Item, Coëpiſcopos, & Coabbates, necnon conſubjectos non judicare melius eſt.

Cap. XVII. *De eo quòd debet electio bonorum poſt obitum obſervari, & exitus vitæ deceſſoris Epiſcopi.*

d

Synodus [d] ait : Nullus Epiſcopus ſucceſſorem in vitâ ſuâ faciat, ſed poſt obitum ejus boni bonum eligant. Item Synodus definivit Epiſcopum ordinare ſucceſſorem in exitu vitæ conſenſu Synodi, & regionis ipſius ſententiâ, ne irritum fiat.

Cap. XXII. *De Epiſcopo excommunicando qui aliena rapit.*

Ex Concil. Arvern. c. 9. & 2. Syn. Patricii c. 4.

Synodus : Epiſcopus qui alterius Epiſcopi Parochiam rapit, excommunicandus eſt (niſi legitimo ordine pœniteat) à pace, & Miſſa, & menſâ.

EX LIBRO II.

De Preſbytero vel Sacerdote.

Cap. IX. *De modis quibus nunc Eccleſia immolat.*

Synodus : Nunc Eccleſia multis modis offert Domino : primò pro ſeipſa : ſecundò pro commemoratione Jesu-Christi qui dixit : *Hoc facite in meam commemorationem* : tertiò pro animabus defunctorum. 1. Cor. 11. 24.

Cap. XIV. *De eo quod donanda pars ſubſtantiæ omnis mortui Sacerdotibus.*

Synodus Hibernenſis decrevit, ut unoquoque mortuo, de ſubſtantiâ ejus pars detur Sacerdotibus, quia Aaron ſumebat partem uniuſcujuſque oblationis, ſive Principis ſive famuli ; & ſedatium commune de ſubſtantiâ omnis mortui dandum.

Cap. XV. *De Sedatione communi.*

Synodus Kartaginienſis ait : Sedatium commune, ſi modicum fuerit, reſpui non debet, ſi magnum, accipiendum uſque precium vaccæ. Hoc Sedatium aufugit Regem, & Epiſcopum qui Monachus eſt, & Fratres. Synodus Hibernenſis in hoc Sedatium ovem, aut precium ejus ſtatutâ dementione cenſuit.

b *Sacerdos*] Hic quiddam inverſum eſſe perſpicuè patet; nec enim unquam accidit ut vulgo exiſtimaretur, Chriſtum anno ætatis vel trigeſimo, vel quadrageſimo, vel etiam quinquageſimo prædicare uſum eſſe. Quamobrem ita mihi primitùs videtur ſcriptum : *Preſbyter trigeſimo efficiatur, quia in eâ ætate Ch. pr. orſ. e. Epiſcopus vel . . . . quinquageſimo, Sacerdos.*

c *Gildas ait*] Nempe in libro Canonum quem Uſſerius in Bibliothecâ Cottonianâ ſe vidiſſe teſtatur Britann. Antiquit. pag. 597. Hujuſce libri Canonum Gildam vulgo Sapientem ſive Badonicum appellatum cenſent Scriptores eruditiores. Illos porrò canones edidiſſe videtur Gildas ab Ainmerico Rege rogatus ut *Eccleſiaſticum ordinem in ſuo regno* (Hiberniæ) *reſtauraret*, ſicut in ejus Vitâ refertur n. 11. inter Acta SS Ord. S. Benedict primi ſæculi pag. 140. & alibi. An plures extiterint Gildæ, quod volunt nonnulli, non eſt hic diſcutiendi locus. Lege obſervationes prævias ad Gildæ vitam modo citatam, pag. 138. Hæc Acherius.

d *Synodus*] Hujus capitis, uti Acherius, pars prima conſonat cum canone 23. Concilii Antiocheni. Poſterior verò mendo non caret, ſicque reſtitui poteſt ex ipſomet canone : *Servetur autem ritus Eccleſiaſticus, qui continet non aliter debere fieri quam Synodo & judicio Epiſcoporum, qui poſt defuncti dormitionem poteſtatem habent dignum provehendi.* Hæc autem emendatio, an aliis placeat, neſcio ; mihi ut ingenuè fatear, non placet. Nam hoc capite duo conferri canones videntur à ſe invicem ita diſcrepantes, ut aliqua tamen ratione conciliari queant ; ac priori quidem, qui generalior eſt, Epiſcopis ſucceſſorem ſibi eligere, interdicitur, altero verò permittitur cum conſenſu Synodi, hoc eſt Epiſcoporum ejuſdem Provinciæ, & ex regionis ipſius, hoc eſt plebis ſententiâ eligere ; ita ut non ipſe ſolus eligere videatur, ſed cum iis omnibus qui poteſtatem eligendi habent.

Cap. XVI. *De Communione.*

Synodus eadem : Communionis nomen hoc eſt, viaticum habet, id eſt, viæ cuſtodiam ; cuſtodit enim animam uſquedum ſteterit ante tribunal, cui refert ſua prout geſſerit propria. Nec Archangelus poteſt ducere ad vitam, uſquedum judicaverit eam Deus : nec Zabulus ad pœnam traducere, niſi Dominus damnaverit eam.

Cap. XX. *De ſuperfluis Sacerdotum ad Eccleſias dandis.*

Synodus decrevit, ut Sacerdos omne quod ſuperfluum habet det in Eccleſiâ, & ut quantum Eccleſiæ dimiſerit, tantum Eccleſia demat de ſuperfluis ejus.

Cap. XXII. *De Sacerdotibus ut non accipiant munera iniquorum.*

Synodus definivit, ut Sacerdos non accipiat munera ejus cujos conſcientiam non noverit : quantum enim illi hoſtia non prodeſt, tantum huic dona iniqui noceut.

Cap. XXV. *De tempore quo debent Sacerdotes ab Eccleſiâ deeſſe, & de pœnitentia eorum ſi ultrà defuerint.*

Synodus Hibernenſis decrevit, ut Sacerdos una tantùm die ab Eccleſiâ defuerit. Si duobus, pœniteat ſeptem diebus cum pane & aquâ. Si verò mortuos ad Eccleſiam allatus fuerit, & ille abſens ; pœniteri debet, quia pœnæ reus illius eſt. Item, ſi uno Dominico ab Eccleſiâ defuerit, agat pœnitentiam xx. dierum cum pane & aquâ : ſi verò duobus aut tribus, ſubmovendus honore gradûs ſui.

Cap. XXVI. *De eo quod non debet Sacerdos exiſtimare dona oblata, ſua eſſe, ſed Eccleſiæ.*

Synodus dicit : Sacerdotes quibus ab aliis aliquid ſive cum Eccleſiâ ſive ſequeſtratim donatur, quia hoc ille qui donat pro redemptione animæ non pro commodo Sacerdotis probatur offerre, non quaſi ſuum proprium, ſed quaſi dimiſſum Eccleſiæ computabunt : quia juſtum eſt, ut ſicut Sacerdos habet Eccleſiæ dimiſſum, ita Eccleſia habeat quod Sacerdoti relinquitor.

EX LIBRO III.

De Diacono.

Cap. III. *De ordinatione Diaconi.*

4. Cas- Synodus. Cum Diaconus ordinatur, ſolos Epiſcopus qui eum benedicit manum ſuper caput ejus ponat, quia non ad Sacerdotium ſed ad miniſterium conſecratur.

Cap. VII. *De ſubjectione Diaconi.*

Synodus : Diaconi[e] ita ſe Preſbyteri miniſtrom, ut Epiſcopi Presbyteros honorent. e

Cap. VIII. *De Diſtributione Euchariſtiæ à Diacono.*

Synodus : Diaconus præſtante Presbytero Euchariſtiam populo, ſi neceſſitas cogit erogct.

Cap. IX. *De prædicatione Diaconi coram Preſbyteris.*

Synodus : Diaconus in conſpectu Presbyterorum interrogatus loquatur.

Cap. XIII. *De ordinatione Subdiaconi.*

Synodus : Subdiaconus cum ordinatur, quia manûs impoſitionem non accipit, patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam, & Calicem vacuum ; de manu verò Archidiaconi accipiat urceolum cum aqua-manile, id eſt, ſcyphum cum aquâ, & manu tergium. Lib. Sac. S. Greg. Hug. M. edit. pag

EX LIBRO XI.

De peccantibus ſub gradu.

Cap. III. *De conſultu Synodi de lapſis gradibus.*

Synodus Hibernenſis decrevit, Ut in[f] peregrinationem exierint, & ibi miniſtrare ſub manu Abbatis. Humanius verò Hibernenſes interpretantur causâ paucitatis Sacerdotum, ut poſt pœnitentiam conſecreutur per manûs impoſitionem, & in ſilentio miniſtrent ſub ſigno pœnitentiæ uſque ad mortem, nihil ſuâ voluntate facientes. f

EX LIBRO XII.

De Jejunio.

Cap. V. *De Jejunio inutili ſine charitate.*

Gildas ait : Abſtinentia corporalium ciborum ſine charitate inutilis eſt. Meliores ergo ſunt qui non magnopere jejunant, nec ſuprà modum à creaturâ Dei ſe abſtinent, cor intrinſecùs nitidum coram Domino ſollicitè ſervantes, à quo ſciunt exitum vitæ ; quàm illi qui carnem non edunt, nec prandiis ſæcularibus delectantur, neque vehiculis & equis vehuntur, pro his quaſi ſuperiores cæteris ſe putantes ; quibus mors intravit per feneſtras elationis. Tom. 1 Concil. Angl.

Cap. XIV. *De ſolvendo jejunio.*

Synodus dicit : Humanitatis causâ melius eſt advenientibus fratribus, dilectionis offerre virtutem,

---

e *Diaconi*] Caput hoc ſic reſtitui oportere cenſet Acherius ex cap. 37. Concilii Carthaginenſis quarti : *Diaconus ita ſe Preſbyteri, ut Epiſcopi miniſtrum noverit* : verum emendatio hujuſmodi longiùs acceſſita eſſe videtur, nec ſatis iis quæ ſequuntur convenire. Ideo Acherius monet ad capita duo proximè ſequentia legendum eſſe idem Concilium Carthaginenſe IV. capp. 38 & 40.

f *decrevit, ut in*] Acherius cum videret locum hunc corruptum eſſe, reſtitui ſic poſſe conjecit, *ut qui in peregrinationem exierint, iſti . . . Abbati teneantur*. Adjecitque : Parti alteri adverſantur Concilium Nicænum c. 10. Carthagin. IV. c. 68. Toletanum I. cap. 4. 13. & alia. Forte Synodus illa Hibernenſis id indulget ſervandi alicujus diſcriminis causâ pœnitentes inter & cæteros qui promovebuntur, ſtatuens *ut poſt pœnitentiam conſecrentur per manûs impoſitionem, & in ſilentio miniſtrent.*

& abſtinentiæ diſtrictionem & quotidiani propoſiti rigorem diſſolvere: etenim tunc Domino gratum jejunium eſt, cum hoc fructibus charitatis fuerit conſumptum.

EADEM dicit: De abſtinentiâ inſolubili à cibis ſtatuunt Romani, ut Chriſti adventûs ſponſi nullas noſtri g jejunii leges inveniat. Quid eſt inter Chriſtianum & Novatianum*) niſi quia Novatianus* indeſinenter abſtineat, Chriſtianus verò per tempora jejunat, ut locus, & tempus, & perſona per omnia obſervetur.

EX LIBRO XIII.

De Eleemoſynâ.

CAP. VII. *De Eleemoſynâ de furto aut rapinâ.*

SYNODUS: Eleemoſynæ à ſpoliis aut à pretio mendacii non tam proſunt quàm ſi non eſſent; ſed tunc melius eſt dari quàm inter propria his uti, ne & propria illicita.

EX LIBRO XV.

De curâ pro mortuis.

CAP. II. *De his pro quibus offerri debet.*

SYNODUS ait: Quatuor modis offert Eccleſia pro animabus defunctorum. Pro valde bonis gratiarum actiones ſunt, in quibus nihil oblatio habet quod deleat: pro valde malis, conſolationes vivorum: pro non valde bonis ut plena remiſſio fiat: pro non valde malis ut tolerabilior fiat damnatio iſta.

EX LIBRO XVI.

De Teſtimonio.

CAP. III. *De his qui ad teſtimonium non admittendi ſunt.*

SYNODUS Hibernenſis: Teſtimonium peccatoris non recipitur, qui quotidie ſuper ſe teſtimonium teſtetur; ſi non impleverit quæ in Baptiſmo confeſſus eſt, quomodo alius teſtis verus habebitur? Quomodo mundialis mundum iſtum contendentis erga mundiales res teſtimonium credibile erit, qui ſe mortuum mundo non effecerit? Teſtimonium fœminæ non accipitur, ſicut Apoſtoli teſtimonium fœminarum non acceperunt de Reſurrectione Chriſti.

CAP. IV. *De eo quòd conſpicienda ſunt perſona teſtamium.*

Ex Concil. Carthag. 4. cap. 96. SYNODUS ait: Quærendum eſt cujus ſit converſationis is qui accuſat, & is qui accuſatur: vir namque ſanctus valde excellentior eſt horum juramento.

CAP. VI. *De Catholicis temerè teſtantibus.*

SYNODUS Hibernenſis: Si verò cæteri jurare auſi fuerint quod ignorant, & quod dubitatur à multis, utrum ſit verum an non, ſequentes eos qui mundiales ſunt; pœniteant jejunium eorum qui perjurium jurant, qui audaciter animas ſuas in manus reproborum tradiderunt.

CAP. IX. *De teſtimonio timendo etiam à pluribus.*

SYNODUS: Timendum eſt etiam teſtimonium plurimorum, ſi amici, aut audaces, aut pretio præveniantur. Inde dicitur: *Munera excæcant oculos ſapientum:* hinc & teſtes Reſurrectionis pretio corrupti, falſum teſtimonium dixerunt.

CAP. XIII. *De duobus viris contradicentibus.*

SYNODUS: Qui falsò accuſant fratres, uſque ad exitum vitæ non communicent.

EX LIBRO XVII.

De Oblationibus.

CAP. III. *De his tribus cauſis qui retrahunt ſanctificata Deo.*

SYNODUS: Qui ſubtrahit boſtias catholicas ſanctificatas, excommunicetur. Item: Quodcumque datum fuerit in Eccleſiâ Dei, quocumque modo non patimur ab Eccleſiâ alienari.

CAP. V. *De Eccleſiâ humanius agente cum his qui retrahunt oblationes.*

SYNODUS: Omnis qui audet oblationes Deo ſanctificatas auferre, confitetur Domino quod retraxit, aut ſatisfactionem per pœnitentiam recipiat.

EX LIBRO XVIII.

De jure Sepulturæ.

CAP. II. *De eo quod in ſepulcro paterno ſepeliendum eſt.*

SYNODUS decrevit: Vir ſive mulier in ſuo paterno ſepulcro ſepeliatur. Dicitur enim: *Maledictus omnis homo qui non ſepelitur in ſepulcro patrum ſuorum.* Deut. 9. 6.

CAP. III. *De eo quod debet homo ſepeliri in Eccleſiâ cui Monachus eſt.*

SYNODUS ſtatuit: Si quis in Eccleſiâ conjunctus fuerit, in eâ ſepelietur.

SYNODUS Hibernenſis: Monachus cum in vitâ ſuâ libertatem propter juſſionem Abbatis non habuerit, quanto magis in morte?

CAP. VI. *De ſepulturâ ejus qui ſe duobus Abbatibus conjunxit.*

SYNODUS Hibernenſis: Si quis commendaverit animam ſuam & corpus, & omnia quæ habet Deo, & Principi, id eſt Abbati ſancto: & ſi poſtea exierit ad alterum Abbatem, & commendaverit illi animam ſuam, & omnia quæ poſſidet; cujus erunt

g *nullas noſtri*] An *nullas novi....inveniant*? Acherius monet Novatiani loco legendum eſſe *Tatianus*, quia Auguſtinus ait lib. de Hæreſ. cap. 25. Tatianos ſive Encraticos carnibus veſci non licere, imò eſſe abominabiles aſſeruiſſe.

hæc omnia ? prioris utique Abbatis omnia ſua, ſi tamen votum ejus illo vivente non tacuit. Noviſſimo verò Abbati relinquitur & corpus ejus, & veſtimentum, & equus, & vacca: vel ſi tanti honoris fuerit, duo equi cum curru, & ornamentum ſui lectuli, & vas de quo biberat: tamen prior Abbas offerre pro animâ Monachi ſui diſcedentis ab eo debet.

Eadem Synodus: Omne corpus ſepultum habet in jure ſuo vaccam, & equum, & veſtimentum, & ornamentum lecti ſui: nec quidquam horum redditur in alia debita; quia corpori ejus tamquam vernacula debentur.

Cap. VII. *De mortuo retinendo.*

Synodus eadem: Quicumque diſceſſerit de ſuâ Eccleſiâ, & in aliâ Eccleſiâ ſepultus fuerit, cujus propinquus veniens corpus mortui mutare volens, dabit pretium ſepulcri prioris; hoc eſt vaccam, & veſtimentum ejus commune; & rogabit Principem loci, ut Baſilicam ejus foderit. Si verò eadem familia miſerationem animæ ejus in die VII. fecerit, reddet amicus pretium ejus, & ſedatum commune. Si Sacerdos poſtulaverit, ſic erit etſi Monachus fuerit: ſi verò peregrinus, veſtimentum dimittet. In vitâ Monachorum: Quidam Clericus in alienâ Eccleſiâ mortuus illic ſepultus eſt, propinquis verò ejus corpus petentibus non eſt dimiſſum, ſed obnixè retentum eſt. Inde ad ovium Epiſcopum cuntibus dixit: nec retinendus, nec dimittendus vacuus.

EX LIBRO XX.

De Provinciâ.

Cap. V. *De alienis Provinciis adeundis ad judicandum.*

Opuſc. Patric. 6. PATRICIUS ait: Si quæſtiones in hac Inſulâ oriantur, ad Sedem Apoſtolicam referantur.

EX LIBRO XXI.

De Judicio.

Cap. XII. *De judicibus Eccleſiæ quales fieri debent.*

PATRICIUS ait: Non oportet Judices Eccleſiæ habere timorem hominum ſed timorem Dei:
Verba S. Patric. in Opuſcul. Prov. 1. 7. 1 Cor. 3. 19. quia *timor Dei principium ſapientiæ eſt*. Non oportet Judices Eccleſiæ Dei habere ſapientiam mundi: quia *ſapientia mundi ſtultitia eſt apud Deum*; ſed ſapientiam Dei habere. Non oportet Judices Eccleſiæ munera ſuſcipere: quia *munera excæcant oculos ſapientium*, *& mutant verba juſtorum*. Non oportet Judices Eccleſiæ habere perſonam in judicio; quia *non eſt acceptio perſonarum apud Deum*.
... 19. 6. Non oportet Judices Eccleſiæ cautelam ſæcularem habere, ſed exempla divina: quoniam *non oportet ſervum Dei cautum eſſe, vel aſtutum*.
...ſ. 6. 10. Non oportet Judices Eccleſiæ tam veloces eſſe in judicio, donec ſciant quod probum fiat; quia ſcriptum eſt: *Noli judex eſſe cito*.
...ſ 7. 6. Non oportet Judices Eccleſiæ volubiles eſſe. Non oportet Judices Eccleſiæ mendacium dicere: quia magnum crimen eſt mendacii; ſed oportet Judices Eccleſiæ rectum judicium judicare: quia in quocumque judicio judicaverint, judicabitur de eis.

Cap. XXVI. *De judicio Clericorum, utrum fiat apud iniquos aut apud fideles.*

PATRICIUS ait: Omnis mundialis ſapiens, ſi ſapiens ſit, non judicet judicia Eccleſiæ. Inter Op... Patricii

Synodus dicit: Clericus qui cauſam ſuam ſive juſtam ſive injuſtam ad judicium alterius fidei judicis provocat, excommunicetur.

Cap. XXVII. *De eo quod licet Clerico appetere cauſam ſuam ſine lite.*

Synodus: Ne quiſquam præſumat Clericum apud ſæcularem judicem Epiſcopo non permittente pulſare: ſed ſi pulſatus fuerit, non reſpondeat: non proponat, nec adeat criminale negotium in judicio ſæculari.

EX LIBRO XXII.

De Veritate.

Cap. I. *De veritate indicandâ quocumque ore prolata ſit.*

GILDAS: Veritas ſapienti nitet, cujuſcumque ore prolata fuerit.

EX LIBRO XXIV.

De Regno.

Cap. III. *De eo quod malorum Regum opera deſtruant.*

PATRICIUS. Nonus abuſionis gradus eſt Rex iniquus. Cum Rector eſſe vule in ſemetipſo, Patricii lib. de A... ...bus fa... falsò ol... ſcripto Cypri... Auguſt... Variat in edit. nominis ſui dignitatem non cuſtodit: nomen enim Regis hoc retinet, ut ſubjectis omnibus rectoris officium procuret: ſed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores, ne iniqui ſint, non corrigit? Terrarum fructus demit, ſervitia populi impedit, carorum mortes præparat, hoſtium incurſus in provincias concitat, undique beſtias quadrupedum dilaceratione inquietat poteſtates aerias ſuſcitat, terrarum fecunditatem, mariſque miniſteria prohibet, fulmina ſuccendit, arborum exurit flores, fructus immaturos dejicit; non ſolùm præſentis imperii faciem ſuffuſcat, ſed etiam filios & nepotes, ne Regni hereditatem obtineant, obſcurat. Propter piacula Regum, Saul, & Jeroboam, Achab & cæterorum, ſemina eorum ne regnarent extinxit Deus.

Cap. III. *De eo quod bonorum Regum opera ædificent.*

PATRICIUS: Juſtitia verò Regis juſti hæc eſt. Neminem injuſtè judicare, advenis & viduis, & pupillis defenſorem eſſe, furta cohibere, adulteria punire, impudicos & hiſtriones non nutrire; iniquos non exaltare, impios de terrâ perdere, parricidas & perjurantes vivere non ſinere, defendere pauperes, eleemoſynis alere, juſtos ſuper Regni negotia conſtituere, ſenes ſapientes & ſobrios conſiliarios habere, magorum & pythoniſſarum & auguriorum ſuperſtitionibus non intendere, patriam fortiter & juſtè contrà adverſarios defendere, per omnia in Deo confidere. Ibid.

Cap. VII.

Digitized by Google

Cap. VII. *De Rege non habente uxores plurimas.*

Synodus : Quantam dignitatem acceperit Rex, tantum timôrem habere debet ; multæ enim mulieres animam ejus depravant, & animus ejus multitudine uxorum diviſus maximè in peccatum labitur.

EX LIBRO XXV.

De Sorte.

Cap. V. *De eo quod inter dubia ſors mitti debet.*

Synodus Hibernenſis : Sors aut inter duo dubia, aut inter duo æqualia, aut inter duo concatholica mitti debet.

EX LIBRO XXVII.

De Civitatibus refugii.

Cap. XI. *De diverſâ pœnitentiâ homicidarum ſponte occidentium.*

Hibernansis Synodus dicit : Omnes homicidæ ſi toto corde converſi fuerint, vii. annorum pœnitentiam diſtrictè ſub regulâ Monaſterii pœniteant.

Synod. Patricii to. 1. Concil. Ang. p. 52. Patricius : Qui occiderit, aut fornicationem fecerit, aut more gentilium Aruſpicem interrogat ; per ſingula crimina annum pœnitentiæ agat : & illo impleto, cum teſtibus poſtea reſolvetur à Sacerdote.

EX LIBRO XXVIII.

De Furto.

Cap. VI. *De furto in Eccleſiâ peracto.*

h De hoc cap. nonnihil reperies tom. 1. Concil. Angl. p. 54. Patricius ait : Qui furatus [h] fuerit pecuniam aut in ſanctâ Eccleſiâ, aut in civitate intùs ubi Martyres & corpora Sanctorum dormiunt ; ſors mittatur ſuper tribus ; aut illius manus, vel pes circumcidatur, aut in carcerem mittatur, jejunans tempus quod judicaverint Seniores, & reddat integrum quod abſtulit ; aut in peregrinationem ejiciatur, & reſtituat duplum, & jurabit quòd non revertetur donec impleverit pœnitentiam, & poſt pœnitentiam erit Monachus.

Cap. VII. *De pœnitentiâ furantis, ſi non de Eccleſia.*

Synod. Patricii tom. 1. Concil. Angl. p. 54. Patricius : Qui furtum fecerit, dimidium annum pœniteat, xx. diebus cum pane & aquâ vivat, & rapta reſtituat, ſi fieri poteſt, & ſic in Eccleſiâ recipiatur. Vinniavus dicit : Clericus ſi furtum fecerit, quadruplum reddat, & annum integrum pœniteat.

EX LIBRO XXIX.

De Commendatis.

Cap. V. *De Commendatis ad Eccleſiam non reddendis.*

Synodus Hibernenſis : Omne depoſitum reddatur, niſi depoſitum Eccleſiæ matris omnium baptizatorum : ſicut enim omnis mater vicem depoſiti perditi filio ſuo non reddit ; ita omnis Eccleſia filiorum ſuorum depoſita, quamvis ſint perdita, reddere non debet.

Item eadem Synodus : Si quis cuſtodierit clavim domûs, & fur ſuffoderit eam, & furatus fuerit depoſitum alicujus, non reddet is qui accepit, ſed jurabit omnis domus illius : quanto magis, ſi cum pecuniâ ſuâ furatum eſt ?

EX LIBRO XXX.

De patribus & filiis.

Cap. XV. *De eo quod non negligendi ſunt parentes etiam cultûs Divini gratiâ.*

Synodus : Quicumque filii à parentibus causâ Divini cultûs abſcedunt, nec debitum reverentiæ dependunt, anathema ſint. Can. 5. Conc. Gang.

Item. Qui patrem & matrem in neceſſitate relinquit, eum excommunicandum eſſe cenſuimus.

Cap. XIX. *De his qui deſpiciunt filios ſuos causâ religionis.*

Synodus ſancta dicit : Si quis filios reliquerit, & eos non enutrierit, & non facit quod pertinet eis causâ Divini cultûs, ſine contentione anathema ſit. Can. 6. ejuſd. Concil.

Item. Quicumque filios procreaverit causâ poſteritatis, nutrire debet, ne ſuæ carnis homicida ſive diſperſor exiſtat ; dicit enim ſcriptura : *Carnem tuam ne deſpexeris.* *Iſai. 58. 7.*

Cap. XX. *De eo quod præponendus Deus ſit filiis.*

Synodus : Definimus ut omnis pœnitens non omnia ſua reliquerit filiis ſuis, & liber exſpectet Chriſtum, qui omnia dabit neceſſaria.

EX LIBRO XXXI.

De parentibus & eorum heredibus & filiis.

Cap. X. *De hereditate ſervandâ filiis legitimis.*

Synodus dicit : Non debet fraudare pater filium ſuum, ſed largiri dona, & hereditatem dare debet.

Cap. XIV. *De eo quod debet Eccleſia partem ſuam dare cognatis defuncti.*

Synodus definivit : Cum quis moritur, omnia

h *qui furatus*] Duplex hæc reſtitutio, ait Acherius, videtur aliena à ſententiâ Gregorii Mag. in Reſponſis ad interrog. Auguſtini : *Abſit ut Eccleſia augmento recipiat quod de terrenis rebus videtur amittere, & lucra de vanis quærat.* Et tomo 1. Concil. Angl. ubi Canon iſte refertur, ne verbum quidem de ipſâ reſtitutione.

quæ habet commendet Deo, & partem Cæſari tribuat, & Deus per manus hominum tribuat filus ejus aut propinquis.

Cap. XX. *De his qui addunt auctores Eccleſiæ in feminis heredibus.*

Synodus Hibernenſis: Auctores Eccleſiæ hîc multa addunt ut feminæ heredes dent ratas & ſtipulationes; ne transferatur vera hereditas ad alienos: Dominus etiam: *Tranſibit hereditas earum fratribus patris ſui*, inde *propinquis*. Sciendum utrum dabunt partem Domino: ſi tacuerint propinqui earum, Domini erit quod dabunt: ſi non verò, irritum erit. Sciendum eſt quid dabunt in teſtamentum, hoc eſt, vaccas, veſtes & vaſa. Sciendum eſt quid dabunt Miniſtris, hoc eſt, partem de ovibus & lanam. Si verò de propinquis fuerint Miniſtri, dabunt eis aliquid de hereditate; & ſi Eccleſiæ habuerint paternam [i], dabunt ei de ſuâ hereditate; & ſi genuerint filios, viris ſuæ cogitationis dabunt hereditatem.

Cap. XXII. *De Teſtamento infirmi.*

Synodus Hibernenſis: Teſtamentum infirmi ut ſuo miniſtro de mobili partem ſubſtantiæ, & aliam partem heredibus, aliamque Eccleſiæ tribuat in pretium ſepulcri. Hereditas verò dividitur inter Regnum, & Eccleſiam, & heredes. Si verò non habuerit Regnum, tertia pars miniſtrorum erit, ſi autem non habuerit [l], divident propinqui & miniſtri.

Cap. XXIII. *De duobus coheredibus duorum mortuorum patrum contradicentibus.*

Synodus: Coheredes duorum patrum contradicentes, ubi invenitur ætas & prudentia, ac dignitas morum, & bona conſcientia, eligatur & credatur quod dicat; aut ſorte, quod diſcernit omnem dubietatem à judicibus idoneis interpretentur. Item: Heredes mortuorum ſic judicentur: Si alter habuerit teſtes, adhibeat; ſi non habuerit, ætas videnda, & nobilitas, & ordinatio, & ratio: ſi verò titubaverint, à ſorte aut veritate quæ ſuperat omnia, aut judicibus veris in alteram partem non declinantibus une pretentur.

EX LIBRO XXXII.

De debitis & pignoribus & uſuris.

Cap. VI. *De mercede mercenariorum citò reddendâ.*

Synodus: Conſiderandum eſt opus mercenariorum, & tunc merces reddenda eſt.

Item: Omnis mercenarius opus ſuum citò conſumit, ut citò accipiat.

Item: Omnis mercenarius ad oculum ſervit, ideo exactor præponendus ei.

Item: Mercenarius deſerit oves in quantum mercenarius, & non congregat diſperſum, & quod fractum non fovet.

Cap. IX. *De quantitate pignoris & ratione ejus.*

Synodus Hibernenſis ſtatuit quintam partem debiti in pignus tribui, ut in lege dicitur: *Reddet quintam partem; & ſi non ſolverit pignus ſuum*, uſque ad certum tempus, non ſolvet in æternum; & reddet totum debitum niſi miſerearis illius.

EX LIBRO XXXIII.

De fidejuſſoribus & ratis & Stipulatoribus.

Cap. II. *De eo quod non debet Clericus eſſe fidejuſſor.*

> Can poſt Syn cu Con P ſ

Synodus: Clericus fidejuſſoribus ſerviens deponatur.

Patricius: Clericus ſi pro gentili homine fidejuſſor fuerit in quâcumque quantitate, ſi contigerit (quod mirum non eſt) ut per aſtutiam aliquam gentilis ille fallat, de rebus ſuis ſolvat debitum; nam ſi armis compugnaverit, computetur extrà Eccleſiam.

Cap. III. *De perſonis indignis ad fidejuſſionem.*

Synodus Hibernenſis: Non eſt dignus fidejuſſor fieri nec peregrinus, nec robuſtus, nec Monachus niſi imperante Abbate, nec filius niſi imperante patre, nec femina niſi domina, virgo & ſancta.

Cap. IV. *De tempore quo debet rata ſolvere.*

Synodus Hibernenſis dicit, ut rata reddat debita pro quibus fixerat manus, ita ut primâ vice xv. diebus exſpecter debitor; ſecundâ vice xx. diebus; tertiâ vice xxx. diebus; quartâ vice xl. diebus. Poſtea ſine reputatione reddat debitum.

Item alii aliter dicunt: ut ſi pro vivo, primâ vice x. diebus exſpecter; ſecundâ vice v. Si verò pro mortuo, xxx. diebus.

Cap. V. *De modo quo reddet debitor ſalutem rata.* [m]

In definitione ejuſdem Synodi, debitor reddat quantum rata ſolvit & quantum fatigatus fuerit; ſi verò humanus fuerit, ratæ non quæret uſuram, niſi quod tantum ſolvit, & quantum fatigatus fuerit; ſi verò inhumanus fuerit, uno anno creſcet uſura, & omne debitum reddat, & quintam partem debiti in omni menſe.

Cap. VI. *De eo quod aliquis non debet emere aut vendere ſine ratis & ſtipulationibus.*

Synodus ſancta decrevit ut omnis venditio tribus confirmetur; id eſt ratis, & ſtipulationibus & teſtibus, & ſcriptione in quâ fiunt.

Cap. VII. *De ratione ſtipulationum & teſtium.*

Synodus Hibernenſis: Si una ſtipulatio fuerit, ſortientur creditor [n] & debitor, & jurabit alter ſuper alterum. Si verò alter duos vel tres menſes ha-

i *habuerint paternam*] Forte *partem*, ait Acherius, mihi longe aliter videtur, nam hoc loco lego, *& ſi Eccleſiam habuerint paternam.*

l *non habuerit*] Hoc loco *non* redundat, ut Acherius monet. Idem addit: Quod hic de pretio ſepulcri ſtatuitur, damnant Concil. Oruhamenſe can. 16. & Leges Eccleſ. Canuti Regis cap. 20. Damnant quoque Gregorius Mag. lib. 7 epiſt. 51. Ind. 2. Concil. Meldenſe can. 63. Triburienſe can. 16 Claromontanum ſub Urbano II. can. 8 Romanum ſub Alexandro III. can. 7. item Lateranenſe ſub Innocentio III. can. 66.

m *ſalutem rata*] Acherius conjicit legi oportere *ſolutionem*.

n *creditor*] Vox addita.

buerit, aut pluribus erit juramentum, & debitor reddet. Si verò ſtipulationes inter ſe diſſentiant, ſortientur, niſi fuerint teſtes; & ſi mendax ſit altera pars, aut ſolvet debitum, aut pœnitebit quantum valet debitum.

CAP. VIII. *De debitore reſiſtente.*

EADAM SYNODUS: omnis debitor qui reſiſtit teſtibus, & ſtipulationibus, ejiciatur, donec ſecundùm judices pœniteat.

PATRICIUS dicit: Nam ſi armis compugnaverit, extrà Eccleſiam ejiciatur.

EX LIBRO XXXIV.

De Juramento.

CAP. V. *De Juramento ſolvendo.*

SYNODUS: Definitio incauta ſolvenda, nec prævaricatio ſed temeritatis emendatio. In Regum libro Saul juravit Jonathan occidere nec occiſus eſt; nec in hoc juramento culpatur; quia juxtà voluntatem ſuam non Dei voluntatem juravit.

SYNODUS Hibernenſis: Juramentum filii aut filiæ neſciente patre, juramentum Monachi neſciente Abbate, juramentum pueri, irrita ſunt.

EX LIBRO XXXV.

De Jubileo.

CAP. VII. *De tempore quo neglecta cadunt in jus antiquum.*

SYNODUS Hibernenſis: Quidquid per L. annos remanſerit, hoc eſt annum jubileum, in unius jure tranſgrediens, ſine murmuratione, aut excommunicatione in perpetuo non revertetur.

o CAP. VIII. *De eo quod obſervandæ ſunt leges Jubilei etiam in Novo o.*

SYNODUS ait: De vendentis, * adſuetis licet, verum nunquam veteratur: obſervandæ ſunt tamen leges Jubilei, id eſt anni quinquageſimi, ut non affirmentur incerta tempore veterato; & ideo omnis negotiatio ſubſcriptione affirmanda eſt.

* CAP. X. *De his quos non concludit Jubileus.*

Inter Opuſc. S. Patricii, in Notis ad Synod. p. 118.

SYNODUS Hibernenſis: Aliis tibi opponentibus Jubileum, reſpondebis: Annus Jubileus de rebus venditis & commutatis ex coheredibus proprio ad homines Catholicos eſt. Non de antiquis commendatio; non de his quæ per vim rapta ſunt; non de his quæ ſine pretio fiunt; non de his quæ venduntur ex alienis hereditatibus; non de his quæ inter Regem & Eccleſiam fiunt: quia Rex proprium Eccleſiæ quanto tempore non ſubtrahet, ita Eccleſia jus Regis non ſubtrahet: non de his quæ fiunt inter fratres; quia frater fratrem fraudat.

EX LIBRO XXXVI.

De Principatu.

CAP. III. *De bonis Principibus.*

SYNODUS Hibernenſis: Oportet omnem Principem p, ut terra ſit ad ſuſtinendum, gubernator ſit ad corrigendum, anchora ſit ad ſuſtentandum, malleus ſit ad percutiendum, forceps ſit ad tenendum, ſol ſit ad illuminandum, ros ſit ad madefaciendum, pugillarius ad ſcribendum, liber ſit ad legendum, ſpeculum ſit ad conſpiciendum, terror ſit ad terrendum, imago ſit in omnibus bonis, ut ſit *omnia in omnibus.* Coloſſ. 3. 11.

P In annot. ad Can. Patricii p. 120.

CAP. V. *De eo quod Principes non culpandi ſunt parvo crimine.*

q GILDAS: Aaron q in culpando Moyſe propter uxorem Æthiopiſſam leprâ Maria damnatur: quod nobis timendum, qui nobis * Principibus detrahimus propter mediocres culpas.

CAP. VII. *De eo quod non petitur Principatus, niſi qui priùs ſubjectus.*

SYNODUS: Oportet eum qui vult principari, priùs Monachum eſſe: & eum qui vult hereditare, priùs pium eſſe, qui vult docere, priùs diſcipulum eſſe.

CAP. XIV. *De eo quod debet Princeps habere miniſtrum.*

SYNODUS: Oportet Principem omnia penſare per manus miniſtrorum in uſus Parochiæ, & ſubjectorum & pauperum.

CAP. XV. *De eo quod non debet Princeps niſi parva donare ſine conſilio ſubjectorum.*

SYNODUS dicit: Non debet facere quidquam ſine conſilio ſubjectorum, niſi pauca in liberationem vinctorum, & in conſolationem pauperum & viduarum; & ſi Clerici abſentes ſint, tunc faciet. Ex Concil. Carth. 4. c. 31.

CAP. XX. *De conſenſu populi cum Principe in ordinando ſucceſſore.*

SYNODUS dicit: Definimus omnes Principem non ordinandum, niſi vocatis Clericis & Parochiâ in unum conſentientibus.

CAP. XXIII. *De aliis deſiderantibus Principatum indignè, hoc eſt incipientibus, aut nuper à mundo converſis.*

SYNODUS: Decernimus ut diſcat quod doceat, reformetur quod teneat, & ſicut lucerna ſuper candelabrum poſita luceat, ut adverſa vis ventorum irruens conceptam eruditionis flammam non extinguat, ſed augeat.

CAP. XXVII. *De pœnitentiâ blaſphemantis Principem bonum.*

PATRICIUS ait: Qui murmurat verba blaſphe- Inter Opuſc. Patricii p. 46.

o *In Novo*] Scil. Teſtamento. Statim ubi *de vendentis* legitur, Acherius vult legi *de venditis*; mihi videtur quiddam alterius generis latere.

p *omnem principem*] Si quidem Acherio credas, hic addendum eſt *conſilium*, vel aliud quiddam ejuſmodi: verùm longè aliter ſentio; non enim ea mens eſt Synodi Hibernenſis Principem aliquem eſſe oportere, ſed ſi ſit aliquis, eum oportere eſſe ejuſmodi, ut, &c.

q *Aaron*] Nonnihil deeſſe hoc loco quis non videt? Lego, *qui noſtris Principibus.*

miæ contrà Principem bonum per odium, vel invidiam, cum pane & aquâ pœniteat VII. diebus, exemplo Mariæ contrà Moyſen murmurantis.

CAP. XXIX. *De eo quod incipientes præeſſe debent.*

SYNODUS totius mundi, & Patricius decrevit: Qui incipiens eſt, nullo modo præeſſe liceat, ſed ſub manu Abbatis Catholici opus ſuum exerceat.

CAP. XXXI. *De manendo in omni vocatione.*

GILDAS: Unuſquiſque in quo vocatus eſt in eo permaneat, ut nec primarius niſi voluntate mutetur ſubjectorum, nec ſubjectus niſi ſenioris conſilio locum prioris obtineat.

CAP. XXXIII. *De peſſimis Principibus ejiciendis.*

SUPERBUS Angelus de cœlo ejectus eſt, Adam poſt peccatum de paradiſo in terrâ ejectus eſt, Hieroboam Rex iniquus à decem tribubus deſeritur. Omnes hæretici quamvis magnarum urbium Principes ſint, denudatâ eorum hæreſi, à Cathedris ſuis conſenſu Synodi ejecti ſint.

CAP. XXXV. *De eo quod non diſperſa eſſe debet Eccleſia per contumaciam, ſed congreganda eſt ne oves in ovile.*

SYNODUS Hibernenſis: Si qua contumacia inter principem & nomon ejus per diſcordiam aliquam orta ſit: non rejiciat paſtor gregem ſuum in diſperſionem, nec oves paſtorem fugiant, ſed invicem pacificentur, dicentes: *Introibo ad altare Dei mei.* Gregorius Nazianzenus tractat hoc dicens: Ab altario non quiſlibet poteſtatem habet me repellere. Nec fraudetis unquam ovile veſtrum: non inſurgant pedes adversùm caput, neque caput à ſe eſſe alienos deputet pedes.

CAP. XXXVII. *De eo quod non debet Princeps putare proprium quod ſibi deponitur, ſed Eccleſiæ.*

SYNODUS: Pontifices verò quibus aut cum Eccleſiâ aut ſequeſtratim donatur aliquid, hoc non quaſi proprium, ſed inter facultates Eccleſiæ computabunt.

EX LIBRO XXXVII.

De Doctoribus.

CAP. XVI. *De emendatione Doctorum, quod ab ipſis hæreſis orta eſt.*

SYNODUS: Notandum quòd à ſapientibus hæreſis per mundum delata eſt.

EX LIBRO XXXVIII.

De Monachis.

CAP. I. *De nomine Monachorum.*

SYNODUS Hibernenſis: Monachus græcè, latinè unalis, ſive quòd ſolus in eremo vitam ſolitariam ducit; ſive quòd ſine impedimento mundiali mundum habitet; ſive quòd in hac vitâ ſolus, etſi inter multos habitet, verſetur.

CAP. IV. *De eo quod non oportet Monachum fieri ſine Abbate.*

SYNODUS: Non oportet Monachos fieri ſine gubernatione, niſi tantùm unâ horâ, ne ventus diſcordiæ & diſſenſionis diſperdat Eccleſiam.

CAP. V. *De eo quod non oportet Monachum habere proprium.*

GILDAS dicit: Quidquid Monacho de rebus ſæcularibus ſuperabundaverit, ad luxurias & divitias debet referri: & quod neceſſitate non voluntate habere compellitur, ut non penuriâ cadat, non illi ad malum reputabitur.

CAP. VI. *De Monacho non retinendo ab Abbate ſuo.*

GILDAS dicit: Abbas remiſſus non retineat Monachum ſuum ad diſtrictiora ſe tendentem.

CAP. VII. *De Monachis fugientibus ſuſceptis, vel non ſuſceptis.*

GILDAS ait: Qui veniunt ad vos de viliore loco ad perfectionem, quorum Abbas ita degeneravit ab opere Dei ut mereatur ad menſam non recipi Sanctorum, & fornicationis crimine non ſuſpectionis, ſed malè videntis onerari, ſuſcipite etiam ſine ullo ſcrupulo Monachos tales ad vos de flammâ inferni confugientes, nequaquam illorum conſulto Abbate: illos verò quorum Abbatem de menſâ Sanctorum propter infamiam non arcemus, non debemus illo nolente ſuſcipere; quanto magis venientes de Sanctis Abbatibus & nullo alio modo ſuſpectis, niſi quòd habet pecora & vehicula, vel pro conſuetudine patriæ, vel ſuâ infirmitate, quæ minùs lædunt habentes, ſi cum humilitate & patientiâ, quàm aratra trahentes & ſoſoſoria figentes terræ cum præſumptione & ſuperbiâ. Item, navi fractâ qui poteſt natare natet.

CAP. VIII. *De eo quod debet Monachus dare Abbati acquiſita.*

SYNODUS dicit: Monachus qui per contumaciam per deſerta loca vagari cœperit ut habere aliquid præſumſerit proprium, omnia quæ acquiſiverit Abbati deferantur ſecundùm Monaſterii regulam: ipſe verò tamquam fugax ſub cuſtodiâ revocetur.

CAP. X. *De eo quod ambo excommunicandi ſunt Monachus fugitivus & ſuſceptor illius.*

PATRICIUS: Quicumque excommunicatus fuerit à quolibet Clericus, & ab alio ſuſceptus fuerit; coæquali pœnitentiâ corripiantur. Syno en to Conci p. 52

CAP. XI. *De vago Monacho excommunicando.*

PATRICIUS ait: Monachus inconſulto Abbate vagus ambulans in plebe, debet excommunicari.

CAP. XV. *De eo quod non oportet Monachos à Congregatione ſecedere.*

SYNODUS Agathenſis: Monachis ad ſolitarias Cellulas non liceat à Congregatione ſecedere, niſi forte proba is poſt meritos labores ab Abbatibus Cap. diſt

Digitized by Google

permittatur : ita tamen, ut intrà eadem Monaſteru ſepta manentes, ſeparatas habeaot Cellulas.

Cap. XVI. *De eo quod non oportet Monacho Cellam conſtruere ſine Abbatis permiſſu.*

Concil. Aurel. cap. 722.

Synodos Aurelienſis : Nullus Monachus ambitionis & vanitatis impulſu Cellam ſine Abbatis ſui permiſſione conſtruere præſumat.

EX LIBRO XXXIX.

De Excommunicatione.

Cap. I. *De Ordinatione excommunicationis.*

In notis ad Can. Patricii pag. 116.

SYnoous Hibernenſis vi. modos dicit, à celebratione, à communicatione Miſſæ, à cohabitatione, à benedictione, à colloquio pacifico, à commeatu.

Cap. IV. *De eo quod non citò quis excommunicandus ſit.*

Vide tom. 1. Concil. Angl. pag. 55.

Gildas ait : Non Noë Cham filium ſuum Magicæ artis Scribam ab arcà, aut menſæ commonione voluit arcere. Non Abraham Aner & Heſchol in debellatione v. Regum exhorruit. Non Loth Sodomorum convivia execratus eſt. Nou Iſaac participationem menſæ Abimelech, & Ochaz, & Phicol ducis militum negat; ſed poſt cibum & potum juraverunt ſibi mutuò. Non Jacob extimuit communicare filiis, quos novit venerari Idola. Non Joſeph renuit Pharaonis menſæ & ſcypho participari. Non Aaron Sacerdotis Idolorum Madian menſam repulit. Necnon Moyſes ſimul cum Jethro hoſpitium & convivium pacificum inivit. Non Chriſtus convivia paganorum devitabat; ut omnes peccatores, & meretrices ſalvaret.

Cap. VII. *De eo quod ſuſcipienda non ſit eleemoſyna excommunicati.*

Synod. Patricii tom. 1. Concil. Angl. p. 52.

Patricius : Quicomque Clericus excommunicatus fuerit, nec ejus eleemoſyna in Eccleſià recipiatur.

Cap. VIII. *De eo quod non debet excommunicatus offerre, vel baptizare, ſed ſolùm orare.*

Patricius : Si quis excommunicatus fuerit, ſolus ex eàdem horà orationem faciat, nec offerre, nec baptizare liceat ei, donec ſe faciat emendatum.

Cap. XI. *De eo quod non tam eſca & potus, quàm cogitatio & opus pravum hominem maculant.*

Synoous : Non tam eſca & potus nocent, quàm mala cogitatio & opus pravum hominem maculant : ſine alio enim potes eſſe, ſine verò teipſo nunquam.

Cap. XIV. *De eo quod melius eſt ſecedere à malis, ne ſimul quis cum illis pereat.*

Synodus : Omnis Clericus qui ludum ſpectare deſiderat, degradetur.

Item. Quicumque Clericos in bello aut io rixà mortalium & gentium ludis mortuus fuerit, neque oblatione, neque oratione poſtuletur pro eo, ſed in manus incidat judicis; ſepulturâ tamen non privetur.

EX LIBRO XL.

De commendationibus mortuorum.

Cap. II. *De Principe aut Epiſcopo ſua propria commendante.*

SYnodus : Omnis Princeps poteſt commendare ſua propria poſt mortem.

Cap. III. *De eo quod non liceat Principi commendare res Eccleſiæ.*

Synodus : Omnis Princeps Chriſtianus ut invenerit Eccleſiam, ſic derelinquat, niſi conſenſu Clericorum nihil in morte commendet, ne maledictionibus poſt mortem gravetur.

Cap. IV. *De eo quod poteſt Princeps commendare aliqua de rebus Eccleſiæ.*

Synodus Hibernenſis : Princeps in ſuâ morte etiam de rebus Eccleſiæ commendare poteſt, hoc eſt, pretium ancillæ, ſive de mobili ſubſtantiâ, ſive de agro. In notis ad Can. Patricii p. 110.

Item. Teſtamentum Epiſcopi, ſive Principis eſt x. ſcriptuli Sacerdoti danti ſibi ſacrificium, ſagum pauperi, viaticum cibi viduæ, commune veſtimentum miniſtro; & hæc tamen firmentur à Clericis.

Cap. VIII. *De degente ſub cenſu nihil commendante.*

Synodus Hibernenſis : Sicut ſine permiſſu Abbatis Monachus nihil commendare audebit; ita degens ſub cenſu poteſtatem non habebit donare aliquid in morte ſua, niſi jubente domino ſuo.

Cap. IX. *De degente ſub cenſu ſua commendante.*

Synodus Hibernenſis : Si quis fuerit ſub cenſu Regali, Abbate & commendaverit aliquid; ſi audierit & tacuerit dominus diebus, non poteſt retrahere; ſin verò, irritum erit.

Cap. X. *De Commendatione mulieris degentis in conjugio.*

Synodus Hibernenſis : Si vir ejus tacuerit diebus, non retrahet quodcumque dedit : ſi verò non tacuerit, irritum erit ejus teſtamentum præter corporis ſui rationem, & ſagum & vaccam cum corpore ſuo ſi habuerit : Eccleſiæ, cui ſervierit, quamdiu cum viro ſuo fuerit, ex conſenſo viri tertiam partem ſubſtantiæ ſuæ dabit, ſed vir ejus diſtribuet [r] : cætera verò viri ſui & filiorum ejus erunt.

EX LIBRO XLI.

De Eccleſiâ & mundo.

Cap. III. *De Eccleſiâ non denudandâ à mundo.*

SYnouus : Fures & latrones & raptores de Eccleſiâ ejiciendi ſunt.

r *diſtribuet*] In codice S. Germani additur : *& aliam partem patri & matri tantùm dabit.*

Item : Si fraudaveris amicum, furtum eſt, Eccleſiam verò fraudare ſacrilegium.

Cap. VI. *De Eccleſiâ, ut totum non rapiat.*

Synodus : Nullum oportet fraudare filios, aut fratres, aut propinquos.

Item : Eccleſia nonniſi partem Dei accipiat : cum enim heres mundi venerit, retrahet ea quæ mundi ſunt.

Cap. VII. *De duabus Eccleſiis contendentibus agrum unum.*

Synodus : Ager inquiratur in ſcriptione duarum Eccleſiarum : ſi in ſcriptione non inveniatur, requiratur à ſenioribus & propinquis quantum temporis fuit cum alterâ, & ſi ſub jubileo certo manſit, ſine vituperatione maneat in æternum. Si verò ſenes non inventi fuerint, inter ſe dividant ; & altera cui propinquior det pretium quantum judices judicaverint.

Cap. VIII. *De jure Eccleſiæ non pereunte, licet multa tempora tranſierint.*

Synodus : Si Epiſcopus humanitatis obtentu villulas Clericu vel Monachis præſtiterit excolendas, vel pro tempore tenendas, etiam ſi longa temporum ſpatia tranſire comprobantur, ad Eccleſiam revertentur.

Cap. XV. *De Eccleſiâ non retinente aliquem per vim.*

Synodus : Si quis ſuà voluntate diſceſſerit, notetur coram teſtibus, & relinquatur Deo.

Cap. XIX. *De eo quod melior diviſio quàm diſcordia.*

Synodus : Melius eſt dividere, quàm ſemper diſcordare : diviſio enim præſtat pacem, diſcordia verò deſtruit.

Cap. XXI. *De quanto malo merentur projectores infantum in Eccleſiâ Dei.*

Synodus Hibernenſis : Quicomque infantes in Eccleſiâ Dei projiciunt ignorante Abbate ; ſi in eâ Epiſcopi ſunt ſepulti, aut præſentes ſint, III. annis & dimidio pœniteant. Si verò homicidium in eâ fecerint, VII. annis pœniteant. Unde hoc ſumptum eſt, quòd Epiſcopus VII. gradus habet, & Eccleſia ſeptiformis eſt : ſi verò non habuerint Epiſcupos, ſed parva ſit Eccleſia, anno & dimidio pœniteant.

Cap. XXII. *De infantibus in Eccleſiâ projectis.*

Eadem ait : Filius allatus ſervus eſt ejuſdem, niſi depretiatur, nec noxa ejus maculabit Eccleſiam ſi protervus ſit, ſi tamen inquantum valet corripuerit filius allatus Eccleſiæ : ſi intrà C. dies ab eà diſceſſerit, nullam poteſtatem habebit, ſed ad nutrientium jus pertinebit : ſi Eccleſia pecuniam ſumſerit à parentibus inquantumcumque nutrientium more parentum erit filius : ſi infans mortuus fuerit per negligentiam, VII. annis pœniteant, quia Chriſtum necaverunt. Hinc alii judicant, ut VII. annis pœniteant qui infantes projiciunt ; ut quantum malum infixerint in Eccleſiâ Dei, tantum accipiant.

Cap. XXIII. *De quærentibus pecunias vituperandis.*

Synodus : Qui facultates Eccleſiaſticas ſubſidio vitæ congregant ſub nomine miſericordiæ, tollat ab eis auctoritas, ſi neminem captivorum redemiſſe comperiuntur : & qood acquiſierint, in redemptionem captivorum diſtribuatur ; & alieni à Chriſtianis fiant, donec pœnitentiam trium anoorum agant.

Patricius : Si quis redemptionem captivi inquiſiverit in plebe, ſuo jure, ſine permiſſione Abbatis, meruit excommunicari.

Cap. XXIV. *De collecturâ pecuniæ non vituperandâ neceſſitate cogente.*

Patricius : Si quis acceperit permioſſinem Pontificis, & collectum ſit pretium captivi, non plus exigens quàm neceſſitas poſcit, ſi quid ſuprà remanſerit, ponat ſuper altare, & indigentibus detur & captivis.

Item : Si quis colligit pecuniam ſub nomine miſericordiæ, non audeat ſpoliare Eccleſiam Dei, ſed Reges & plebes, quibus melius eſt dare, quàm recondere.

Cap. XXV. *De Eccleſiâ ligatum ſolvente.*

Synodus Hibernenſis : Si Eccleſia ſolverit vinctum de vinculo, det vincula pretiū pœnitentiæ ſuper eum : ſi verò ille non impleverit pœnitentiam, & fecerit aliquod malum, non veniet maledictum ſuper Eccleſiam Dei : Eccleſia enim haber poteſtatem ligandi & ſolvendi, & libera eſt, & unoſquiſque in eam debitor eſt.

Cap. XXVI. *De Eccleſiâ degente ſub cenſu non ſolvente vinctum.*

Eadem Synodus : Si Eccleſia ſub cenſu Regis deguerit, & mundialibus quibuſdam funibus conſtricta ſit, non eſt digna ſolvere vinctum ; nam ſi ſolverit, reddet debita delicturum ejus.

Cap. XXVII. *De libertate Eccleſiæ Catholicæ non reddente debita malorum.*

Eadem Synodus : Non reddet Eccleſia in tribulatione delicta aliorum. Sicut non venient delicta Dæmonum ſuper Deum aut Angelos ejus ; ſic non venient delicta membrorum Diaboli ſuper membra Chriſti, id eſt ſuper Sanctos, nec Monachorum fugientium ab Eccleſiâ ; neque peregrinorum peſſimorum, neque eorum qui jaciuntur ſuper Eccleſiâ, id eſt collectorum malorum, nec cognationum mundialium ; ſed mundiales delicta aliorum mundialium, quæ commiſerunt in Eccleſiâ, Eccleſiæ reddent : ſimiliter mali fratris delictum non maculabit fratrem religioſum ſive ſpiritualiter, ſive mundialiter in delicto ejus reddendo.

Cap. XXVIII. *De ordine delicti fratris peccantis.*

Eadem Synodus : Primum delictum uniuſcujuſque mali hominis veniet ſuper ſubſtantiam ſuam & pecora ſua : ſecundum ſi non habuerit ſubſtantiam aut pecora veniet ſuper regiones ſuas ; ſi non habuerit regionem, veniet ſuper Regem ſuum : ſi non habuerit Regem, veniet ſuper eum qui arma dedit, & veſtimenta illius qui delictum fecit ; ſin verò, poſtremò veniet ſuper illum qui cibavit illum, & lectum dedit. Si verò nihil de his omnibus inveniatur.

Digitized by Google

& delinquat in Eccleſiâ, quæratur à Rege maximo provinciæ in quâ eſt Eccleſia iſta.

CAP. XXIX. *De culpâ peccatorum non veniente ſuper Eccleſiam, etiamſi paſcat eos.*

SYNODUS eadem: Si Eccleſia dederit cibum illi qui delictum fecerit, non veniet delictum mali hominis ſuper Eccleſiam propter cibum datum ab Eccleſiâ malo homini, quia columba vera eſt; columba autem non ſuis tantùm pullis miniſtrat, ſed omnibus avibus aperientibus os ſuum: ita omnibus ſervit Eccleſia, Domino dicente: *Matt. 5. 45.* *Eſtotè perfecti ſicut pater veſter cœleſtis perfectus eſt: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos; ſuper juſtos & injuſtos.*

CAP. XXX. *De Mundialibus non jurantibus ſuper diſceſſorem Eccleſia.*

SYNODUS eadem: Defendit ſe Eccleſia etiam poſt obitum Principum ſuorum, & non juratur ſuper illam, id eſt ſuper diſceſſores, quia viva ſunt verba illorum. Hoc exemplo ſanctæ Scripturæ: *Pſal. 77. 4.* *Et patres noſtri narraverunt nobis; non ſunt occultata à filiis eorum.* Et illa jurat ſuper mortuos mundiales, & ideo non juratur ſuper illam, quia libera eſt, & non ergaſtulum.

EX LIBRO XLII.

De Locis.

CAP. I. *De Eccleſiâ ab infidelibus non fundandâ.*

SYNODUS: Si quis ingreſſus fuerit locum, non ab infidelibus aut à laicis, ſed ab Eccleſiâ fundatur Eccleſia.

CAP. III. *De fundamento Eccleſia ab infidelibus accepto.*

SYNODUS ait: Quicumque ædificat Eccleſiam, ſi ab infidelibus accipiat fundamentum, convocet Epiſcopum & Seniores, & firmetur Epiſcopo, & firmet Epiſcopus in oblationem Deo & advenis.

CAP. IV. *De converſatione advena accipientis locum.*

Inter Opuſc. Patricii pag. 45. & 124. SYNODUS Patricii dicit: Si quis advena ingreſſus fuerit in plebem, non ante baptizet, nec offerat, nec conſecret, nec ædificet Eccleſiam, donec permiſſionem accipit ab Epiſcopo illius provinciæ; quod exemplum humilitatis eſt: nam qui ſperat ab infidelibus, à laicis & non ab Epiſcopo permiſſionem accipit, alienus eſt.

CAP. V. *De advena non valente tenere locum ſuum.*

SYNODUS Hibernenſis ait: Placuit ut advena accipiat locum inter Monaſteria; cum verò datum ei locum obtinere non potuerit, ad ſuum Monaſterium revertetur unde venerat. Si ab infidelibus accipit, & non potuit obtinere, accipiat pretium ejus ab heredibus; aliis verò vendi non poterit. Si in eo plantaverit Reliquias Sanctorum, poteſt dare aliis Clericis, ſed tantùm perfectis.

CAP. VI. *De eo qui dat locum alieni, ſi ſeparati fuerint, hoc modo ſeparabuntur.*

HIBERNENSIS Synodus: Oportet ut Princeps qui ſeipſum non dedit, aut ſua, ſed tantùm ſervabit Eccleſiæ, ſi ejectus fuerit, aut voluerit abſcedere, dimittat dimidium ſeminis in pecoribus Eccleſiæ, & quod ei datum relinquat intactum, niſi quòd neceſſitas loci illius exegerit ab eo, & quod ſecum intulit tollat. Si ipſe dominatricem aut miniſtros conduxit, in ſuâ parte erunt: ſi verò causâ loci conduxit, cum parte loci exibunt: & omnes oblationes alienorum inter Principem & Eccleſiam dividentur in ſeparatione: ſed ſi Princeps Sacerdos Catholicus ſit, omnes hos labores quos ille fecit, & omnia loci ornamenta, loci erunt; & quidquid ipſe laborantibus impenderit de ſubſtantiâ loci non reddet, exceptis rebus maximis & propriis, id eſt, ſpecialibus Eccleſiæ vaſis. Aliis verò placuit, quod in primo anno ſparſit, in ſeparatione non reddet, quia egenus fuit.

CAP. XI. *De termino ſancti loci ignoto, terminatoque tribus perſonis.*

SYNODUS Hibernenſis: Terminus ſancti loci habeat ſigna circà ſe.

SYNODUS dicit: Ubicumque inveneritis ſignum Crucis Chriſti, ne læſeritis.

ITEM: Tres perſonæ conſecrant terminum loci ſancti; Rex, Epiſcopus, populus.

CAP. XII. *De numero terminorum ſancti loci.*

SYNODUS eadem quatuor terminos circà locum ſanctum poſuit: Primum in quem laïci & mulieres intrant: alterum in quem Clerici tantùm veniunt. Primus vocatur ſanctus: ſecundus ſanctior: tertius ſanctiſſimus. Nota nomen quarto defeciſſe.

CAP. XV. *De decreto Hibernenſium in violandis Reliquiis.*

SYNODUS Hibernenſis: Quicumque Reliquias Epiſcoporum vel Martyrum homicidio violaverit, VII. annis peregrinus pœniteat: ſi verò furto, III. annis. Si autem in termino loci ſancti occiderit in quo laïci hoſpitantur, anno uno: indulgemus verò poſteriora tempora L. dies; quia non locus ſanctus dicendus eſt in quem homicidæ cum ſpoliis, fures cum furtis, adulteri & perjuri, & præcones, & magi intrant. Et non ſolùm omnis locus ſanctus debet intùs mundari, ſed & ejus termini qui conſecrati ſunt, mundi eſſe debent.

CAP. XVI. *De tanto graviore pollutione ſancti loci, quanto plures in eo Sancti.*

PATRICIUS ait: Quicumque Dii, hoc eſt Martyribus detrahit, Deo detrahit; quanti enim cumque Martyres in eo humati ſunt loco, tantum Deo detrahit.

CAP. XXV. *De prophanatione, cur carior ſanctus ſanguis quam ſanctus locus?*

SYNODUS: Sanguis Martyrum conſecrat locum, non locus ſanguinem. Si aliquis dixerit: mea eſt Eccleſia; dices ei quod in Cantico legitur: *Cant. 6. 8.* *Una eſt columba mea, & unus eſt dilectus meus.* Et dices

illi : aptom eſt filium occidi in ſinu matris & nutricis ſuæ ; tameo ſcias nutricem tantùm pollutam, & pro hac pollutione conſecratur, filium verò mortuum eſſe.

Itsm Ouvius Epiſcopus dicit : Reliquias nemo poteſt polluere, quorum animæ viſione Dei ſatiatæ mondialia oblivioni tradunt ; animæ verò Martyrum ſub arâ Dei clamant dicentes, *Vindica ſanguinem noſtrum*, &c.

Cap. XXVI. *De nomine Baſilica & ejus ſciſſura.*

Synodus Hibernenſis : Baſilion græcè, Rex latinè : hinc & Baſilica, Regalis, quia in primis temporibus Reges tantùm ſepeliebantur in eâ, nomen ſortita eſt : nam cæteri homines ſive igni, ſive acervo lapidum conditi ſunt.

Itsm : Nemo alienus [f] fuerit in libertatem ſcindendi Baſilicam ſine Principis permiſſione habet ; & ſi hoc auſus fuerit, reddet ſecundùm dignitatem ejuſdem loci.

EX LIBRO XLIII.

De quæſtionibus mulierum.

Cap. II. *De eo quod cavenda ſit elatio in continentiâ.*

Synodus : Si quis ex his qui virginitatem propter Dominum ſervant extollitur adversùs conjugatos, anathema ſit.

Item : Unuſquiſque qui virginitatem cuſtodit, propter Dominum faciat, non propter execrationem conjugii ; qui enim virum fidelem & religioſam fœminam deteſtatur, aut culpabiles æſtimat, anathema ſit.

Cap. VII. *De veris viduis.*

Synodus : Vidoæ quæ Eccleſiæ ſtipendio ſuſtentantur, tam aſſiduè in opere Dei eſſe debent, ut orationibus & meritis Eccleſiam adjuvent.

Cap. VIII. *De eo quod debet Eccleſia viduas ſuas debiles alere.*

Synodus dicit : Viduæ adoleſcentes quæ corpore debiles ſunt, ſumptu Eccleſiæ cujus viduæ ſunt, ſuſtenentur.

Cap. X. *De Palliatarum nomine*

Synodus Hibernenſis : Pallium à pallidirate dictum : hinc & palliata ſive Pallas Dea, quæ & Minerva, cujus templum pallidum eſt, cujus Sacerdotes virgines erant palliatæ, hoc eſt velatæ : hinc in Novo transfertur ad Palliatas, hoc eſt velatas.

Cap. XI. *De ætate qua debent virgines velari.*

Synodus : Sanctimoniales, quælibet, vita [t] earum & mores probati ſint, ante annum ætatis ſuæ * duodecimum non velentur.

EX LIBRO XLIV.

De ratione Matrimonii.

Cap. XI. *De temporibus in quibus continere ſe debent conjugati.*

Synodus Hibernenſis : In tribus [u] Quadrageſimis anni, & in Dominicâ die, & in feriis quartis, & in ſextis feriis conjuges continere ſe debent.

Itam : In omnibus ſolemnitatibus, & in illis diebus quibus uxor prægnans, hoc eſt, à die quo filius in utero ejus motum fecerit, uſque ad partùs ſui diem.

Item : A partu per xxxvi. dies ſi maſculus, ſi verò filia xlvi. dies.

Item : Habitantibus illis in habitu religioſo copulari non permittitur.

Cap. XXXI. *De editis filiis de vivorum virorum uxoribus adulterantibus.*

Synodus Hibernenſis : Si quis legitimam conjugem alicujus corrumpit, & ſuperſeminaverit ſemen, ut prægnans ſit mulier, filius ille erit corporis [x] à quo genitus eſt : ſed tamen pretium filii dabit quantum judices judicaverint. Si verò adulterium ſuperſeminaverit, nihil reddet corruptor ; nec adulter dabit aliquid adultero, niſi forte confeſſo filio pretium educandi.

*Cap. XXXII. *De omni adultero excommunicando.*

Synodus Hibernenſis : Omnis adulter ſive à concelebratione, ſive à communicatione menſæ, ſive à cohabitatione, ſive à benedictione, ſive à colloquio, ſive à commeatione, donec pœniteat excludendus eſt.

Cap. XXXIII. *De recipiendâ adulterâ poſt pœnitentiam : & de quantitate pœnitentiæ.*

Synodus : Ut mulier juncta alii viro causâ adulterii, excommunicata fiat definimus, donec pœnitentiam agat ; & poſt pœnitentiam reconcilietur viro ſuo.

Patricius : Si alicujus uxor fornicata fuerit cum alio viro, non ducat aliam uxorem quamdiù viva fuerit uxor prima. Si forte converſa fuerit, & agat pœnitentiam ; & ſuſcipiet eam, & ſerviet ei quamdiù viva fuerit in vicem ancillæ, & annum integrum in pane & aquâ per menſuram pœniteat, nec in uno lecto permaneant.

Synodus : Septem annis pœniteat ; tribos qoidem diſtrictè, quatuor verò remiſsè. Similiter de viro intelligenda, ſi & ipſe adulteraverit.

Cap. XXXVII. *De deſponſatis puellis, & ab aliis corruptis.*

Synodus : Deſponſatas puellas, & poſt ab aliis corruptas,

[f] *nemo alienus*] Acherius hunc locum ſic emendari oportere conjecit : *Nemo auſus fuerit, vel libertatem . . . . permiſſione habeat.*

[t] *qualibet. vita*] Baluzius rectè monuit legendum, *quamlibet vita.* Acherius hoc etiam obſervavit, canonem hunc eſſe 19 Concilii Agathenſis, in quo pro *duodecimum*, legitur *quadrageſimum*, quod quidem ratio ipſa ſuadet eſſe reponendum.

[u] *in tribus*] Hic, ait Acherius, intelliguntur quadraginta dies ante Chriſti Nativitatem, item 40 ante Paſcha, & 40 poſt Pentecoſten : quarum quidem Quadrageſimarum trium meminit Capitulare Caroli Mag. 154. lib. 6.

[x] *corporis*] Acherius emendat *corruptoris.*

corruptas, placuit erui, & aliis reddi quibus ante fuerant deſponſatæ.

Cap. XXXIX. *De eo quod non poteſt mulier accuſare virum ſuum de incerto adulterio.*

Synodus ait: Latente commiſſo virorum non facilè aliquis ex ſuſpicionibus ſeparandus, qui utique ſubmovebitur ſi ejus flagitium detegatur.

EX LIBRO XLV.

De pœnitentiâ.

Cap. XI. *De pœnitentiâ agendâ etiam in ultimo ſpiritu.*

Opuſc. S. Patricii pag. 41. Patricius: Si quis infirmatur, agat pœnitentiam, etiam ex neceſſitate, quia miſericors eſt Deus.

Cap. XIII. *De loco pœnitentiæ.*

Synodus dicit: Corrigendi & pœnitendi locus conſiderandus eſt.

EX LIBRO XLVI.

De Regionibus cenſûs.

Cap. I. *De diviſione regionis cenſûs in tres partes.*

Synodus: Omnis hereditas ſub cenſu Regis & Eccleſiæ illigata, in tres partes dividatur. Prima pars heredibus ſine ſorte datur. Secunda Regi-
Matt. 17. 27. bus. Chriſtus enim dicit: *Pro me & te*, Petro. Tertia verò Deo, ut *Domini eſt terra & plenitudo ejus*, &c. Tertiam partem Deo dant; tertiam partem Regi qui regit & fulcit Eccleſiam cum Deo & hominibus. Et tres ordines columnarum in Templo leguntur, primus lignorum ſine tegmine, hoc eſt ſubjecti: ſecundus cum argento, ſignificans Reges: tertius cum auro, ſignificans Principes Catholicos.

Cap. V. *De eo quod Regis & Epiſcopi æqualis ſit cenſus.*

Synodus Hibernenſis ait: Omnis qui auſus fuerit ea quæ ſunt Regis aut Epiſcopi furari, aut rapere, aut aliquid in eos committere, parvipendens diſplicere, VII. ancillarum pretium reddat, aut VII. annos pœniteat cum Epiſcopis.

EX LIBRO L.

De Tonſura.

Cap. VI. *De tonſurâ Britonum.*

Gildas ait: Britones toto mundo contrarii, moribus Romanis inimici, non ſolùm in Miſsâ, ſed etiam in tonſurâ cum Judæis umbræ futurorum ſervientes, quæ veritati, [y] Romani dicunt, quorum tonſura aure ad aurem tantùm contingebat, pro excellentiâ ipſa Magorum tonſura, quâ ſola frons anterior tegi ſolebat, priorum. Auctorem verò hujus tonſuræ in Hiberniâ ſubulcum Regis Loigairi filii, illis exſtitiſſe Patricii ſermo teſtatur, ex quo Hibernenſes penè omnes hanc tonſuram ſumſerunt.

Cap. VII. *De excommunicandis Clericis qui non tondentur tonſurâ Romanâ.*

Patricius: Si quis Clericus, cujus capilli non ſunt tonſi Romano more, debet excommunicari.

EX LIBRO LI.

De Beſtiis mitibus.

Cap. V. *De Canibus.*

Hibernenses dicunt: Canis catenatus quidquid mali fecerit in nocte, non reddetur à domino ſuo: ſi verò in die violaverit aliquem, reddet dominus ejus. Canis verò pecurum quidquid mali fecerit in bovello aut in paſcuis ſuorum pecorum, non reddetur à domino ſuo: ſi verò extrà fines exierit, reddetur pro eo quidquid mali fecerit.

Cap. VIII. *De Pilacibus.*

Hibernenses dicunt: Pilax [z] ſi quid mali fecerit nocte, non reddet dominus ejus: in die verò nocens, reddet.

Cap. IX. *De Gallinis.*

Hibernenses dicunt: Gallinæ ſi devaſtaverint meſſem, aut vineam, aut hortulum in civitate ſepe circumdatum, quæ altitudinem habet uſque ad mentum viri, & coronam ſpinarum habuerit, reddet dominus earum; ſin verò, non reddet. Si verò foras exierint ultrà ſiccatorium, [a] dominus reddet ſi aliquid mali fecerint.

EX LIBRO LII.

De Carnibus.

Cap. X. *De eſu ferarum maximè cervorum licito.*

Hibernenses dicunt: Caro ferarum, ut multi putant, ad eſum licita: quia magis ægritudinem vitalium, quàm ſaturitatem gignit. Quidam eam ſimilem carni reliquæ dicunt; quia ſaturitatem ventris, ut alia caro, præſtat: tamen Eccleſia has III. carnes [b] eſui conſecravit.

Cap. XII. *De ſuibus manducantibus homines.*

Theodorus ait: Porci qui ſanguinem guſtantes tetigerint, manducentur: ſed ſi cadavera mortuorum lacerantes manducent, carnes eorum non licet comedi uſquequo macerentur.

y *quæ veritati*] An, *potiùs quàm veritati*, ut placuit Acherio? In hoc caput vide Synodum S. Patricii, & Bedam lib. 3. Hiſtor. Angl. cap. 25. ac lib. 1 cap 22.

z *Pilax*] Pilacem Acherius accipit pro fele.

a *ſiccatorium*] An *Gallinarium*, ut conjicit Acherius? Mihi quidem non ita videtur, ſed *ſiccatorium* accipio pro curte.

b *has tres carnes*] Quæ ſint tria carnium genera didicerat Acherius ex capp 8 & 9. quæ idcircò omittere non debuit. Ea ſunt piſcium, avium, ac ferarum.

Item, Si porcus ſanguinem biberit, licet, ſi tantùm guſtaverit, nihil eſt.

Cap. XIV. *De morticinis ſuibus, & de animalibus ſanguinem humanum ſumentibus, & de carnibus comeſtis a lupis, de piſcibus & ſtrangulatis animalibus, de comeſtis ab accipitre, & de equo.*

Theodorus Epiſcopus dicit: Græci carnem morticinam non dant porcis ſuis. Pelles verò morticinorum ad calciamenta & lanam & cornua licent accipi; ſed non in ſanctum aliquid: tamen ſi caſu porci comedant carnem morticinorum, aut ſanguinem hominis, non abjiciendos credimus: nec gallinas æquali modo. Animalia quæ à lupis, ſive canibus conſumuntur, non comedenda, niſi porcis projiciantur & canibus: nec cervus, nec aper, ſi mortui inventi fuerint. Piſces autem licent, quia alterius naturæ ſunt. Aves & animalia cætera, ſi in retibus ſtrangulentur, non ſunt comedenda:
Act. 21. 25. Paulus enim ait: *Abſtinete vos à ſuffocato ſanguine, & ab idololatriâ.* Similiter ab accipitre mortuâ. Equum non prohibent: tamen conſuetudo non eſt comedere.

EX LIBRO LVI.

De Subſtantiis hominum.

Cap. III. *De tribus liberis à peccato alieno.*

Synodus Hibernenſis: Tria ſunt quæ peccata aliena non ſuſtinent. Largus homo, ſi domum ſuam cum omnibus communem habet: pecora, quorum fructus & labor communia ſunt omnium, nihil quærentia niſi victum, & victus quo vivunt non hominis, ſed Dei; ſervus domino ſuo fideliter ſerviens. Inde Hieronymus dicit. Peccatum domini in ſervum non cadet: peccatum verò ſervi tranſit in dominum. Inde Balaam occiſioni paratus fuit, niſi per aſinam emendatus eſſet, & aſina libera fuit.

Cap. IV. *De pecore non ſumendo ob alicujus peccatum niſi ſuum.*

Synodus Hibernenſis dicit: Ut nihil aliud pecus damnetur niſi in ſuum peccatum, ſive hominem occidendo, ſive infirmando, ſive aliud pecus occidendo, ſive fœnum, ſive meſſem devaſtando.

EX LIBRO LVII.

De ducatu Barbarorum

Cap. II. *De pœnitentiâ ducentium Barbaros.*

Synodus Hibernenſis ait: Qui præbet ducatum Barbaris, xiv. annis pœniteat. Barbarus, id eſt, alienus: quis eſt alienus, niſi qui more crudeli & immani cunctos proſternit:

Cap. III. *De jure quo judicant Senatores xiv. annos pœnitentia ductorum.*

Synodus Hibernenſis ait: xiv. annos hac de causâ nancti ſunt Senatores, ſi Baſilicas Epiſcoporum incenderint, vel ſi hominem Religioſum ſive Sanctimonialem occiderint, vel proſtraverint, ſive innocentes de Eccleſia ſubtraxerint: ductor vi. annos ſui causâ, vii. annos alios causâ ductorum pœniteat.

Cap. IV. *De ductore qui non implet animi effectum.*

Synodus: Judas reatum trium accepit, qui dolum elegit, & induxit alienos, & pretium doli aſſumſit. Pſalmus dicit: *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* Pſ

EX LIBRO LXI.

De artificio artificum.

Caput Primum.

Hibernenses dicunt: Si quis artifex opus inertis faciat, & ferramenta uſque ad dimidium quæſiverit, dimidium precium habebit; ſin verò, tertiam partem ædificii ſui accipiet, ut ſit tertia pars operariis, tertia cibo & ferramentis unde Judices habebunt, hoc eſt Judex ab artificibus, & Judex à præſidentibus Eccleſiæ, vel Caſtuli, & quantùcumque voluerit pro operatione judicabunt, non ſecundùm utilitatem: poſtea artifex habebit precium benedictionis. Sic judicabuntur & alia dona. Qui verò noluerit ſecundùm hoc Concilium facere, ſiat excommunicatus, & nemo eum accipiat, & in morte carebit communione.

EX LIBRO LXIV.

De variis cauſis.

Cap. V. *De iii. petitionibus Patricii.*

Hibernenses dicunt: Tres petitiones Patricii ſunt: quarum prima eſt, ut bipartitæ, vel tripartitæ regionis pars Eccleſiæ propinquorum detur ei. Secunda, ut non per juramentum ab aliquo firmetur ſuper Eccleſiam infirmam. Tertia, ut Clericus ſimilis quæratur à laïco.

Cap. VIII. *De his qui ſe putant eſſe juſtos, & non ſunt.*

Gildas in epiſtolis ſuis: Hi dum pane in menſurâ veſcuntur; pro hoc ipſo ſine menſurâ gloriantur: dum aquâ utuntur, ſimul odii poculo potantur: dum ſanctis ferculis veſcuntur, detractionibus utuntur: dum vigiliis expendunt, aliquos ſomno preſſos vituperant. Jejunium charitati, vigilias juſtitiæ, propriam adinventionem concordiæ, clauſulam Eccleſiæ, ſeveritatem humilitati, poſtremò hominem Deo anteponunt. Hi jejunant, quod niſi per aliquas virtutes aſſeratur, nihil prodeſt. Qui verò charitatem perficiunt, cum cithara Spiritus ſancti dicunt: *Quaſi pannus menſtruata, omnes juſtitia noſtra.* Iſa

Cap. XVII. *De eo quod monere melius eſt.*

Patricius dicit: Satius eſt nobis negligentes præmonere ne delicta abundent, quàm culpare quæ ſunt facta. Salomone dicente: *Melius eſt arguere, quàm iraſci.*

EX LIBRO LXV.

De contrariis.

CAP. II. *De tarditate conductionum & ejus brevitate.*

Opuſc. S. Patricii p. 49. Eccli. 7. 6. Iſai. 6. 5.

PATRICIUS : Non oportet Judices tam veloces eſſe in judicio ; donec ſciant quod probum fiat ; quia dictum eſt : *Noli Judex eſſe cito.* Iſaïas è contra : *Væ mihi qui tacui.*

Adnotatio de Synodis.

a *Ex antiquâ collectione ante annos 800. exaratâ in MS. cod. Remigiano.*

ADNOTATIO[a] libelli de Synodis XXIV. quæ antea vel infrà ſeu poſt ſex Synodos leguntur eſſe conſcriptæ.

[a] Prima adnotatio Ancyranæ, quæ ante Nicænam fertur fuiſſe, ſed propter auctoritatem majorem poſtponitur : in quâ Patres XVIII. ſtatuerunt Canones XXIV. quorum Auctor maximè VITALIS Antiochenus[b] Epiſcopus exiſtit.

b Secunda Neocæſarienſis, quæ poſt Ancyranam & ante Nicænam legitur fuiſſe, in quâ Patres

c XIII.[c] ſtatuerunt Canones XIV. quorum auctor maximè VITALIS Salaminus exſtitit.

Tertia Gangrenſis, quæ poſt Nicænam legitur fuiſſe, in quâ Patres XVI. ſtatuerunt Canones XX. propter quaſdam neceſſitates Eccleſiaſticas, maximè contrà EUSTASIUM, qui dicebat, quòd nullus in conjugali gradu poſitus, nec ullus Fidelis qui non omnibus renuntiaret quæ poſſideret, ſpem apud Deum haberet ; & multa alia venenoſa, quæ enumerare longum eſt.

Quarta Sardicenſis, in quâ Patres LX. ſtatuerunt Canones XXI. quorum auctor maximè OSIUS Cordubenſis Epiſcopus, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Legatarius exſtiterunt.

Quinta Antiochenæ Synodi, in quâ Patres XXX. ſtatuerunt Canones XXV. quorum auctor maximè EUSEBIUS Palæſtinenſis Epiſcopus exſtitit.

Sexta Laodicenſis, in quâ Patres XXII. ſtatuerunt Canones LVIII. quorum auctor maximè THEODOSIUS Epiſcopus exſtitit.

Septima Carthaginenſis ; in quâ Patres CCXVII. ſtatuerunt Canones XXXIII. quorum auctor maximè AURELIUS Carthaginenſis Epiſcopus exſtitit, etiam S. AUGUSTINUS Hiponenſis Epiſcopus in eàdem Synodo legitur fuiſſe temporibus Honorii Auguſti.

Octava Africanæ ſub THEODOSIO minore Auguſto, in quâ Patres CCXIV. recitaverunt & firmaverunt Canones CV. qui per diverſa Concilia Africanæ provinciæ temporibus AURELII Carthaginenſis Epiſcopi leguntur eſſe conſcripti.

Nona Arelatenſis, in quâ Patres DC. ſtatuerunt Canones, quorum auctores maximè SILVESTER urbis Romæ Epiſcopus, & S. Marinus Arelatenſis Epiſcopus exſtiterunt temporibus Conſtantini Auguſti, ſicut quidam aſſerunt.

Decima item Arelatenſis, in quâ Patres XIX. ſtatuerunt Canones, quorum auctor maximè CÆSARIUS Arelatenſis Epiſcopus exſtitit.

Undecima item Arelatenſis, in quâ Patres XVIII. ſtatuerunt Canones.

Duodecima item Arelatenſis, in quâ Patres XL. ſtatuerunt Canones, quorum auctor maximè S. CÆSARIUS Arelatenſis Epiſcopus exſtitit.

Tertia-decima item Arelatenſis, in quâ Patres XIX. ſtatuerunt Canones, quorum auctor maximè SAPARDUS Arelatenſis Epiſcopus exſtitit.

Quarta-decima Arauſicenſis, in quâ Patres XVI. ſtatuerunt Canones, quorum auctor maximè HILARIUS Epiſcopus exſtitit.

Quinta-decima Epaunenſis, in quâ Patres XXVII. ſtatuerunt Canones XL. quorum auctor maximè CÆSARIUS Epiſcopus exſtitit.

Sexta-decima Agathenſis, in quâ Patres XXXIV. ſtatuerunt Canones, quorum auctor maximè CÆSARIUS Epiſcopus exſtitit.

Septima-decima Aurelianenſis, in quâ Patres LXXII. ſtatuerunt Canones, quorum auctor maximè AURELIANUS Arelatenſis Epiſcopus exſtitit,[d] d
temporibus Chlodovei Regis.

Octava-decima item Aurelianenſis, in quâ Patres XXXI. ſtatuerunt Canones, quorum auctor maximè MELANIUS Redonenſis Epiſcopus exſtitit.

Nona-decima item Aurelianenſis, in quâ Patres XXV. ſtatuerunt Canones, quorum auctor maximè S. ALBINUS Andegavenſis Epiſcopus exſtitit.

Vigeſima Arvernenſis, in quâ Patres XV. ſtatuerunt Canones, quorum auctor maximè HONORATUS Brevitenſis[e] Epiſcopus exſtitit. e

Vigeſima-prima Matiſcenſis, in quâ Patres XXI. ſtatuerunt Canones, quorum auctor maximè PRISCUS Lugdunenſis Epiſcopus exſtitit.

Vigeſima-ſecunda[f] item Matiſcenſis, in quâ Patres LXIV. ſtatuerunt Canones, quorum auctor maximè item PRISCUS Lugdunenſis Epiſcopus exſtitit. f

Vigeſima-tertia Lugdunenſis, in quâ Patres XIV. ſtatuerunt Canones, quorum auctor maximè PHILIPPUS Viennenſis Epiſcopus exſtitit.

Vigeſima-quarta item Lugdunenſis, in quâ Patres XX. ſtatuerunt Canones, quorum auctor maximè item PRISCUS Lugdunenſis Epiſcopus exſtitit.

Explicit.

STATUTA QUÆDAM
S. BONIFACII ARCHIEPISCOPI MAGUNTINI ET MARTYRIS.

Ex vetuſtâ Canonum Collectione Mſ. Corbetenſis Monaſterii.

SANCTUS BONIFACIUS ARCHIEPISCOPUS. Anno circ. 745.

COMPELLIMUR quoque Statuta Canonum in hoc obſervare :

a *Adnotatio*] Opuſculum hoc Stephanus Baluzius contulit cum MS. Codice Eccleſiæ Pictavienſis, qui in Bibliothecâ Regiâ nunc aſſervatur, & cum altero codice Bibliothecæ Thuaneæ.

b *Antiochenus*] In codice Thuaneo dicitur *Salaminus* Epiſcopus, ut ſit idem qui Neocæſarienſis Synodi proximè ſequentis maxima pars fuit. In codice Regio non XXIV. ſed XXIII. Canones dicuntur ſtatuti eſſe Ancyræ.

c *Patres* XIII.] Codex Thuaneus, *Patres* XVI.

d *exſtitit*] Quod ſequitur de tempore quo habita eſt Synodus Aurelianenſis, adſcriptum eſt è codd. Reg. & Thuan.

e *Brevitenſis*] Acherius monet legi oportere *Bitaricenſis*; ſed in laudatis codd. legitur *Brevidenſis*

f *Vigeſima ſecunda*] Deerat in priori editione, & adjecta eſt è codd. Regio & Thuaneo. Monet Baluzius Adnotationem hanc fragmentum eſſe majoris cujuſdam operis, quod à ſe deſcriptum eſt è laudatis codicibus.

a I. Ut nullus [a] Preſbyter creditam ſibi Eccleſiam ſine conſenſu Epiſcopi dereliquat, & laicorum ſuaſione ad aliam transferat.

b II. Ut nullus [b] Preſbyter ſacra myſteria niſi in locis conſecratis pro contemptu Eccleſiæ agere præſumat.

c III. Ut nullus [c] Preſbyter in Eccleſiâ conſecratâ aliud altare erigat, niſi quod ab Epiſcopo ſanctificatum eſt: ut ſit diſcretio inter ſacratum & non ſacratum.

IV. Ut Preſbyteri ſine ſacro chriſmate, & oleo benedicto, & ſalubri Euchariſtiâ alicubi non proficiſcantur. Sed ubicumque vel fortuitu requiſiti fuerint, ad officium ſuum ſtatim inveniantur parati in reddendo debito.

d V. Ut Preſbyteri [d] ſub ſigillo cuſtodiant chriſma, & nulli ſub prætextu medicinæ vel cujuſlibet rei donare præſumant. Genus enim ſacramenti eſt, non ab aliis niſi à Sacerdotibus contingi debet: quod ſi fecerint, honore priventur.

e VI. Ut Laici [e] Preſbyteros non ejiciant de Eccleſiis, nec mittere præſumant ſine conſenſu Epiſcoporum ſuorum.

VII. Ut Laici omninò non audeant munera exigere à Preſbyteris propter commendationem Eccleſiæ cuique Preſbytero.

VIII. Ut Preſbyteri benè vivere ſtudeant, & ita populum doceant.

f IX. Ut unuſquiſque [f] Epiſcopus in ſuâ parochiâ Preſbyteros diligenter inquirat unde ſint: & ſi quem fugitivum invenerit, ad ſuum Epiſcopum redire faciat.

g X. Qui relicto [g] ſuo Epiſcopo ad alium convolat, degradetur.

XI. Ut Abbates vel Abbatiſſæ ſic caſtè vivant, ut ſubjectos ſui ſubjectaſque illorum vel illarum exemplum oſtendant ſanctæ converſationis. Quòd ſi non fecerint, ab Epiſcopo corrigantur. Si autem Epiſcopum minimè audierint, Epiſcopus Imperatori indicare faciat.

h XII. Ut diligenter [h] unuſquiſque Epiſcopus in ſuâ Parochiâ prævideat, ut ubi Monaſterium Monachorum fuerit, ſi regulariter vivant & monachicè: ubi autem canonica vita fuerit, benè & canonicè vivant.

XIII. Ut Epiſcopi Puellarum Monaſteria diligentiſſimè perſcrutentur: quomodo primùm ipſa Abbatiſſa ſe contineat, aut caſtè vivat: deinde ſeu diligenter diſcutiantur Nonanes, ne adulterium & fornicationes faciant. Et hoc à præpoſitis Monaſteriorum ſummoperè inquiratur.

XIV. *De Monaſteriis Puellarum.* Ut Preſbyteris opportuno tempore ad Miſſarum ſolemnia liceat illic advenire, & iterum ad proprias Eccleſias redire.

XV. Ut plus non mittantur in Monaſterio Canonicorum atque Monachorum, ſeu Puellarum, quàm ſufficere poſſunt.

XVI. Ut unuſquiſque [i] Epiſcopus in ſuâ Parochiâ diligenter diſcutiat ſuos Preſbyteros, & faciat ut illorum ſignacula, & baptiſteria benè faciant, & edoceant Preſbyteros, quid in illo baptiſterio unumquodque verbum vel ſententia per ſe ſignificet.

XVII. Ut unuſquiſque Preſbyter à ſuo Epiſcopo diſcutiatur diligenter de ſua vita, & converſatione, ne omninò feminas ſecum habeat in domo ſuâ habitantes.

XVIII. Si quis [l] egredietur è corpore, ultimo & neceſſario viatico minimè privetur.

XIX. Non licet mortuum ſuper mortuum mitti.

XX. Non licet mortuis Euchariſtiam nec oſculum tradi; nec de velis vel palliis corpora eorum involvi.

XXI. Non licet in Eccleſiâ choros ſæcularium, vel puellarum cantica exercere, nec convivia in Eccleſiâ præparare: quia ſcriptum eſt: *Domus mea domus orationis vocabitur.*

XXII. Ut viri [m] cum mulieribus balneum non celebrent.

XXIII. Non licet in illo altario ubi Epiſcopus Miſſam dixerit, ut Preſbyter poſtea illâ die Miſſam dicat.

XXIV. Non licet vigiliâ Paſchæ ante horam ſecundam noctis vigilias perexpedire (quia in ipſâ nocte non licet poſt mediam noctem bibere) nec Natale Domini, nec in reliquis ſolemnitatibus.

XXV. Adnuntient etiam Preſbyteri omnibus fidelibus ſibi ſubjectis Symbolum, & orationem Dominicam memoriæ commendare, ut fide & oratione ſancto-Spiritu illuſtrante ſalventur.

XXVI. Adnuntient Preſbyteri ut neque viri neque feminæ de ſacro fonte filiolos, vel filiolas ſuſcipiant, ſi non memoriter Symbolum & orationem Dominicam tenuerint.

XXVII. Nullus ſit Preſbyter qui in ipſa linguâ quâ nati ſunt baptizandos, abrenuntiationes vel confeſſiones apertè interrogare non ſtudiant, ut intelligant quibus abrenuntiant, vel quæ confitentur; & qui taliter agere dedignantur, ſed cedat in [n] Parochiâ.

XXVIII. Si de aliquibus dubium eſt utrum ſint baptizati, abſque ullo ſcrupulo baptizentur: his tamen verbis præmiſſis: *Non te rebaptizo: ſed ſi nondum es baptizatus, baptizo te in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti.*

XXIX. Omnes Preſbyteri oleum infirmorum ab Epiſcopo expetant, ſecumque habeant: & admoneant fideles infirmos illud exquirere, ut eodem oleo peruncti à Preſbyteris ſanentur; quia oratio fidei ſalvabit infirmos.

XXX. Doceant etiam Preſbyteri populum quatuor legitima temporum jejunia obſervare, hoc eſt in menſe Martio, Junio, Septembrio, & Decembrio, quando ſacri Ordines juxtà Statuta Canonũ aguntur.

XXXI. Et quia varia neceſſitate præpedimur Ca-

a *Ut nullus*] Deſcriptum eſt è can. 21. Conc. Arelatenſis.

b *Ut nullus*] Eadem habentur in Capit. 198. l. 6. niſi quod illic legitur *in locis ab Epiſcopo conſecratis*, plenius & meliùs.

c *ut nullus*] Idem etiam legitur in Capit. 199. lib. 6. ſequens verò capitulum in 171 & 75 ejuſdem libri.

d *ut Preſbyteri*] Hæc quoque habentur in Conc. Arelat. VI. c. 18 in Capit. 80 lib. 5. in Addit. 3. c. 99. & in Conc. Moguntino can. 27.

e *ut Laici*] Ivo part. 3. c. 87. laudat ex Conc. Moguntino II. c. 29. Sequens verò capitulum idem ex eodem Concilio laudat paucis immutatis verbis: Sic enim incipit: *Ut nullus omninò munera exigat;* & duæ voces unicuique Preſbytero apud eum deſunt.

f *ut unuſquiſque*] Ita etiam legitur in Conc. Moguntino c. 31. & in Conc. Arelatenſi VI. c. 24.

g *qui relicto*] Huc ſpectant Canon 15. Apoſtolorum, & can. 3. Concilii Antiocheni, necnon Capit. 207 lib. 6.

h *ut diligenter*] Hic quoque eadem largit Bonifacius, quæ in Conc. Arelatenſi VI. c. 6. & in Conc. Moguntinenſi c. 13. ſtatuta ſunt.

i *ut unuſquiſque*] Hæc etiam leguntur in Capitulis datis Preſbyteris anno 804 c. 3.

l *ſi quis*] E Conc. Nicæno can. 13. ſequentia verò tria capitula è Conc. Autiſiodorenſi can. 15. 12. 9.

m *ut viri*] Honeſtiſſima lex, quæ in Concilio Laodiceno ſancita jam antea fuerat: ſequentia duo capitula leguntur in Conc. Autiſiodorenſi c. 10. & 11.

n *ſed cedat in*] Locus corruptus: nec medetur Acherius dum legit *ſecedat è Parochiâ.*

nonum Statuta de reconciliandis pœnitentibus pleniter obſervare; propterea omninò non dimittatur. [o] Curet unuſquiſque Preſbyter ſtatim poſt acceptam Confeſſionem pœnitentium, ſingulos datâ oratione reconciliari. Morientibus verò ſine cunctamine communio & reconciliatio præbeatur.

XXXII. Qui pœnitentiam in infirmitate petit, & caſu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit; dent teſtimonium qui eum audierunt; & accipiat pœnitentiam; & ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manûs impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia. Si ſupervixerit, admoneatur à ſupradictis teſtibus petitioni ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ, quamdiù Sacerdos qui pœnitentiam dedit, probaverit.

XXXIII. Si quis Preſbyter aut Clericus auguria vel divinationes, aut ſomnia, ſive ſortes, ſeu phylacteria, id eſt, ſcripturas obſervaverit, ſciat ſe Canonum ſubjacere vindictis.

XXXIV. Et hoc notum facient Preſbyteri omni populo, ut Sabbato Pentecoſtes, ſicut Sabbato ſancto Paſchæ, omnes jejunent, & ad Eccleſiam horâ nonâ conveniant quando ſicut veſperaſcente Sabbato ſancto Paſchæ celebratur: & ipſum diem Pentecoſtes ſimiliter celeberrimum habeant ut ſanctum Paſchæ.

XXXV. Admoneant etiam unuſquiſque Preſbyterorum publicè plebem ab illicitis connubiis abſtinere: & ſecundùm Domini mandatum legitimum conjugium nequaquam poſſe ullâ occaſione ſeparari, exceptâ cauſâ fornicationis, niſi cum conſenſu amborum; & hoc propter ſervitium Dei.

XXXVI. Adnuntient Preſbyteri diebus Dominicis per annum ſabbatizandum.

PRIMO MODO.

In Natale Domini VIII. Kalend. Januarias dies IV.

In Circumciſione Domini Kalendis Januarias diem unum.

In Epiphaniâ VIII. Id. Jan. diem unum.

In Purificatione Sanctæ Mariæ IV. Non Feb. diem unum.

In Paſcha Domini poſt Dominicam dies tres.

In Aſcenſione [p] Domini diem unum.

In Natale ſancti Johannis Baptiſtæ VIII. Kal. Julias diem unum.

In Paſſione ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli III. Kal. Julias diem unum.

In Aſſumptione ſanctæ Mariæ XVIII. Kal. Sept. diem unum.

In Nativitate ſanctæ Mariæ VI. Idus Septembris diem unum.

In Paſſione ſancti Andreæ Apoſtoli pridie Kal. Decembris diem unum.

MONITUM.

COLLECTIO CANONUM POENITENTIALIUM, *in tres libros diſtincta eſt ab Auctore anonymo, qui ante ſæculum nonum vixit. Quid utilitatis Reip. Chriſtianæ proveniat ex ejuſmodi antiquis monumentis nemo neſcit, quibus non ſolùm genuini Conciliorum Canones probantur emendanturve, verùm etiam priſca diſciplina Eccleſiaſtica quaſi ob oculos ponitur. Hanc verò Collectionem duo potiſſimè commendant, antiquitas, & ſinceritas; de quibus adnotabo nonnulla, cum de Collectionis inſcriptione dixero. Inſcribitur, ut jam præmiſſum eſt,* COLLECTIO CANONUM POENTIENTIALIUM, *rectiùs appellanda ſimpliciter* COLLECTIO CANONUM, *niſi Auctor* PŒNITENTIALIUM *nomen appoſuiſſet. Certè ex Præfatione apparet, ipſius mentem fuiſſe, ut modum pœnitentiæ ſacris Canonibus præſcriptum traderet, & liber primus ferè peccatorum pœnas definit: at reliqui duo potiùs ſpectant diſciplinam judiciorum Eccleſiaſticorum. Siquidem ſecundus* maximè de accuſatis & accuſatoribus, de judiciis ac teſtibus, *ut loquitur Auctor; tertius* de ſacris Ordinibus, ſeu de iis qui promovendi ſunt ad Clerum aut ab eo removendi; ac de regulis ac privilegiis omnium Clericorum & Præſulum *tractat.*

Antiquitatem hujuſce Collectionis probant tùm veteres codices, in quibus continetur, tùm Halitgarius in libro ſuo Pœnitentiali. Duobus codicibus Mſſ. uſus ſum, uno Bibliothecæ Thuaneæ, altero muſæi V. C. Stephani Baluzii, Bibliothecæ Colbertinæ moderatoris eruditiſſimi, qui mihi Collectionem iſtam indicavit. Uterque codex ſuperat annos ſeptingentos, uti & Agobardinus, quem recens Lugduno huc advehi curavit Stephanus Baluzius, & ille quem vidit Joannes Morinus, qui de ipſâmet Collectione quædam obſervat in lib. 5 de Pœnitentia cap. 1. §. 13.

Hinc mihi perſuadeo, Halitgarium dum Pœnitentialem ſuum conderet, ob oculos habuiſſe hancce Collectionem, ex cujus Præfatione ſuam mutuatur, ſicut ipſe fatetur his verbis: Hanc autem epiſtolam nemo quidem exiſtimet meam, ne illi pro parvitate nominis mei vileſcat: ſed ſciat à Majoribus noſtris ex Sanctorum ſententiis eſſe collectam, à me quidem excerptam, ne nimiâ prolixitate negligentibus Lectoribus faſtidium generaret. *Et quidem Collectoris noſtri Præfatio prolixior eſt quàm Halitgarii, ac ſententiis maximè S. Auguſtini conſtat, nonnullis etiam Gregorii Magni.*

Alterum quo iſtud Opus commendatur, eſt, quòd Auctor è puris fontibus ſuos derivat Cano-

o *non dimittatur*] In Capitul. 101. lib. 6 *non dimittatur, ut unuſquiſque Preſbyter juſſione Epiſcopi de occultis tantùm, quia de manifeſtis Epiſcopus ſemper convenit, & ſtatim poſt acceptam confeſſionem pœnitentium, ſinguli datâ oratione reconcilientur.*

p *in Aſcenſione*] Pentecoſten, ac proximos duos dies idcircò prætermiſit, quòd ſupra dixerat *diem Pentecoſtes celeberrimum haberi ut ſanctum Paſcha.*

nes, non verò è turbidis illis librorum ſuppoſititiorum lacunis. Ut autem Lectoris ſuarum quantum in me fuis relevarem, curavi quo ex Concilio Auctoreve ſinguli Canones decerpti eſſent, ad marginem indigitare.

Porro in fine Præfationis hujuſce Collectionis notanda ſunt Auctoris verba, queis plenariam Synodum, *de quâ noſtro tempore tam multiplices exortæ ſunt controverſiæ, dicit eam* eſſe, ubi cum ſuis Diœceſaneis Metropolitanus fuerit Epiſcopus. *Quibus verbis explicatur canon.* XVI. *Antiochenus, in quo ita ſcriptum eſt:* Perfectum verò Concilium illud eſt, ubi interfuerit Metropolitanus Antiſtes. *Legeſis Notas V. C. Stephani Baluzii in Agobardi librum de Diſpenſatione cap.* 20.

Animadvertas etiam velim, Lector, ſummaria capitum indicata initio iſtius Collectionis, non omnino ad verbum reſpondere ſummariis in operis ſerie ad ſingula capita præfixis. Id accidit, quod in duobus Mſſ. ejuſmodi ſummaria ſæpiùs variant, cum in uno prioris libri dumtaxat, in alio poſteriorum librorum capita indicentur.

COLLECTIO ANTIQUA
CANONUM POENITENTIALIUM.

INCIPIT DE UTILITATE POENITENTIÆ, & quomodo credendum ſit de remiſſione peccatorum per pœnitentiam, cum præfatione Operis ſubſequentis.

S. Auguſtin. Enchirid. ad Laur. c. 64. EXCEPTO Baptiſmatis munere, quod contrà peccatum originale donatum eſt, unde incipit hominis renovatio, in quâ ſolvitur omnis reatus & ingeneratus & additus, etiam cætera vita jam ratione utentis ætatis, quantâlibet præpolleat fecunditate juſtitiæ, ſine remiſſione peccatorum non agitur: quoniam filii Dei quamdiù moraliter vivunt, cum morte confligunt; & ſic Spiritu Dei excitantur, & tamquam Filii Dei proficiunt ad Deum, ut etiam ſpiritu ſuo aggravante corruptili corpore tamquam filii hominis in quibuſdam hominis mutibus deficiunt ad ſe ipſos, & ideo peccant.

Intereſt quidem quantum; neque enim quia peccatum eſt omne crimen, ideo crimen etiam omne peccatum. Itaque ſanctorum hominum vitam, quamdiù in hac morte vivitur, inveniri poſſe dicimus
1. Joan. 1. 8. ſine crimine; unde Apoſtolus eligendum dicit Epiſcopum, ſi quis ſine crimine eſt. *Peccatum autem ſi dixerimus quia non habemus*, ait alius Apoſtolus, *nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Sed neque de ipſis criminibus quamlibet magnis in ſanctâ Eccleſiâ remittendis Dei miſericordia deſperanda eſt agentibus pœnitentiam ſecundùm modum cujuſcumque peccati. In actione autem pœnitentiæ, ubi tale commiſſum eſt peccatum ut is qui commiſit à Chriſti etiam corpore ſeparetur, non tam conſideranda eſt menſura temporis quàm doloris. Cor enim contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Verùm quia plerumque dolor alterius cordis occultus eſt alteri, nec in aliorum notitiam per verba vel
Pſal. 37. 10. quæcumque alia ſigna procedit, cum ſit coram illo cui dicitur: *Gemitus meus à te non eſt abſconditus:* rectè conſtituuntur ab his qui Eccleſiis præſunt tempora pœnitentiæ, ut ſatisfiat etiam Eccleſiæ, in qua remittuntur ipſa peccata. Extrà eam quippe non remittuntur.

Ergo cum tanta eſt plaga peccati atque impetus morbi, ut medicamenta corporis & ſanguinis Domini differenda ſint auctoritate Antiſtitis, debet ſe quiſque ab altario removere ad agendam pœnitentiam, & eâdem auctoritate reconciliari. Hoc eſt enim indignè accipere corpus & ſanguinem Domini,
S. Aug. ibid. ut ſuprà, c. 82. ſi eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam. Nam & ipſa pœnitentia quando cauſa digna eſt, ut ſecundùm morem Eccleſiæ agatur, plerumque infirmitate non agitur, quia & pudor eſt timor diſplicendi, dum plus delectat hominum exiſtimatio quàm juſtitia, quâ ſe quiſque humiliat pœnitendo. Unde non ſolùm cum agitur pœnitentia, verùm etiam ut agatur, Dei miſericordia neceſſaria eſt; alio-
2. Tim. 2. 25. quin non diceret Apoſtolus de quibuſdam: *Ne forte det illis Deus pœnitentiam.* Et ut Petrus amarè
Luc. 22. 61. fleret, præmiſit Evangeliſta, & ait: *Reſpexit eum Dominus.*

Judicet ergo ſeipſum homo voluntariè dum poteſt, & mores convertat in melius, ne cum jam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino judicetur, & cum in ſe protulerit ſeveriſſimæ medicinæ, ſed tamen medicinæ ſententiam, veniat ad Antiſtites per quos illi in Eccleſiâ claves miniſtrantur, & tamquam bonus jam incipiens eſſe filius, maternorum membrorum ordine cuſtodito, à præpoſitis Sacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum, & in offerendo ſacrificio contribulati cordis devotus & ſupplex: id tamen agat quod non ſolùm ipſi proſit ad recipiendam ſalutem, ſed etiam cæteris ad exemplum; ut ſi peccatum ejus non ſolùm in gravi ejus malo, ſed etiam in tanto ſcandalo aliorum eſt, atque hoc expedire utilitati Eccleſiæ videtur Antiſtiti, in notitiâ multorum, vel etiam totius plebis, agere pœnitentiam non recuſet, non reſiſtat, non letali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tu-
Jac. 4. 6. morem. Meminerit ſemper quia *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Quid enim eſt infelicius, quid perverſius quàm de ipſo vulnere quod latere non poteſt, non erubeſcere, & de ligaturâ plus erubeſcere?

Nemo arbitretur propterea ſe conſilium ſalubre hujus pœnitentiæ debere contemnere, quia multos forte advertit, & novit ad Sacramenta Altaris accedere, quorum talia crimina non ignorat. Multi

Digitized by Google

enim corriguntur, ut Petrus, multi tolerantur ut Judas, multi neſciuntur donec veniat Dominus, & illuminet abſcondita tenebrarum, & manifeſtet cogitationes cordis. Nam plerique propterea volunt alios accuſare, quia ſe per illos cupiunt excuſare. Plerique autem boni Chriſtiani propterea tacent & ſufferunt aliorum peccata quæ noverunt, quia documentis ſæpe deſeruntur, ut ea quæ ipſi ſciunt judicibus Eccleſiaſticis probare poſſint; quamvis enim vera ſint quædam, non tamen judici facilè credenda ſunt, niſi certis indiciis demonſtrentur. Nos verò à communione quemdam prohibere non poſſumus quamvis hæc prohibitio nondum ſit mortalis, ſed medicinalis, niſi aut ſponte confeſſum, aut aliquo ſæculari ſive Eccleſiaſtico judicio accuſatum atque convictum. Quis enim ſibi utrumque audet aſſumere, ut cuiquam ipſe ſit & accuſator & judex? Non enim temerè & quomodolibet, ſed per judicium ab Eccleſiæ communione ſeparandi ſunt mali, ut ſi per judicium auferri non poſſunt, tolerentur potiùs velut palea cum tritico uſque ad ultimum ventilabrum; velut piſces mali cum bonis uſque ad ſegregationem quæ futura eſt in littore, hoc eſt, in finem ſæculi.

Plerique autem attendunt multos etiam in ipſis honoribus Eccleſiaſticis Præpoſitorum & Miniſtrorum non congruenter vivere ſermonibus & Sacramentis, quæ per eos populis miniſtrantur. O miſeros homines! qui hos intuendo Chriſtum obliviſcuntur, qui & tanto ante prædixit, ut legi Dei potiùs obtemperetur, quàm imitandi videantur illi, qui ea quæ dicunt non faciunt, & traditorem ſuum tolerans uſque in finem, etiam ad evangelizandum cum cæteris miſit. Quiſnam hominum erit, qui ſibi manendum exiſtimet in itinere, cum viderit milliaria lapidea litteris plena viam docere, & non ambulare?

Fortaſſe alius dicat: Ego jam baptizatus in Chriſto, à quo mihi omnia peccata præterita dimiſſa ſunt, vilis factus ſum nimis iterans vias meas, & canis horribilis oculis Domini converſus ad vomitum ſuum: quo abibo à Spiritu ejus, & à facie ejus quo fugiam? Quo, frater, niſi ad ejus miſericordiam pœnitendo, cujus poteſtatem peccando contemſeras? Nemo enim rectè fugit ab illo niſi ad illum, ab ejus ſeveritate ad ejus bonitatem. Quis enim locus te excipiet fugientem, ubi ejus præſentia te non inveniat? Si aſcenderis in cœlum, ibi eſt; ſi deſcenderis in infernum, adeſt. Recipe ergo pennas tuas in directum, & habita in ſpe in extrema hujus ſæculi. Etenim illuc manus ſua deducet te, & perducet te dextera ſua. Quidquid enim feceris, quæcumque peccaveris, adhuc in hac vità es, unde te omninò ſi ſanare nollet, auferret. Cur ergo ignoras quia *patientia Dei ad pœnitentiam te adducit*? Qui enim clamando non tibi perſuaſit ut non recederes, parcendo clamat ut redeas. Sed non ſufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere; niſi etiam de his quæ facta ſunt ſatisfiat Domino per pœnitentiæ dolorem, per
Luc. 6. 36. humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis: *Beati miſericordes, quoniam ipſis miſerebitur Deus.* Non enim dictum eſt ut tantùm abſtineamus à peccatis, ſed & *de præ-*
Eccli, 21. 1. *teritis*, inquit, *deprecare Dominum ut tibi dimittantur.*

Oportet igitur ad pœnitentiam accedere cum omni fiduciâ, & ex fide credere indubitanter pœnitentiâ aboleri poſſe peccata, etiam ſi ultimo vitæ ſpiritu admiſſorum pœniteat, & publicâ lamentatione peccata prodantur; quia propoſitum Dei, qui decrevit ſalvare quod perierat, ſtat immobile; & ideo quia voluntas ejus non mutatur, ſive emendatione vitæ ſi tempus conceditur, ſive ſupplici confeſſione ſi continuò vitâ exceditur, venia peccatorum fideliter præſumatur ab illo, qui *non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur* à perditione pœnitendo, & ſalvatus miſeratione Domini vivat. Sed fac incertum eſſe utrum ignoſcat Deus, quid perdit homo cum ſupplicat Deo, qui ſalutem perdere non dubitavit cum offenderet Deum? Quis enim certus eſt etiam quòd Imperator ignoſcat? Et tamen pecunia funditur, maria tranſeuntur, procellarum incerta ſubeuntur, & ut mors vitetur, penè mors ipſa ſuſcipitur. Supplicatur dein per homines homini. Sine dubitatione fiunt iſta, cum ſit dubium quo fine proveniant: & tamen certiores ſunt claves Eccleſiæ quàm corda Regum; quibus clavibus quodcumque in terrâ ſolvitur, etiam in cœlo ſolutum promittitur, & multo eſt honeſtior humilitas quâ ſe quiſque humiliat Eccleſiæ Dei, & labor minor imponitur, & nullo temporalis mortis periculo mors æterna vitatur.

Hæc dicta ſunt de publicâ ſatisfactione, quâ quiſque humiliando ſe non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram Eccleſiâ, quæ habet claves regni cœlorum, in quâ fit remiſſio peccatorum ad Arbitrium Antiſtitis, ſatisfacere debet. Sed & ſecretâ ſatisfactione ſolvi mortalia crimina non negamus, ſed mutato priùs ſæculari habitu, & indefeſſo Religionis ſtudio per vitæ correctionem, & jugi imò perpetuo luctu miſerante Deo, ita dumtaxat, ut contraria pro his quæ pœnitet agat.

De quotidianis autem levibuſque peccatis, ſine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio ſatisfacit. Eorum eſt enim dicere: *Pater noſter qui es in cœlis*, qui jam tali Patre regenerati ſunt ex aquâ & ſpiritu: delet omninò hæc oratio Dominica quotidiana peccata, delet & illa à quibus vita fidelium etiam ſceleratè geſta, ſed pœnitendo in melius mutata diſcedit. Si quemadmodum veraciter dicitur: *Dimitte nobis debita noſtra*, quoniam non deſunt quæ dimittantur; ita veraciter dicatur: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, id eſt fiat quod dicitur, quia & ipſa eleemoſyna eſt veniam homini petenti ignoſcere, ac per hoc ad omnia quæ utili miſericordiâ fiunt, valet quod Dominus ait: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Non ſolùm ergo qui dat eſurienti cibum, ſitienti potum, nudo veſtimentum, peregrinanti hoſpitium, fugienti latibulum, ægro vel incluſo viſitationem, captivo redemptionem, debili ſubvectionem, cæco deductionem, triſti conſolationem, non ſano medelam, erranti viam, deliberanti conſilium, & quodcumque neceſſarium eſt indigenti; verùm etiam qui dat veniam peccanti, eleemoſynam dat, & qui emendat verbere in quem poteſtas datur, vel coërcet aliquâ diſciplinâ, & tamen peccatum ejus, quo ab illo læſus aut offenſus eſt dimittit ex corde, vel orat ut ei dimittatur, non ſolùm in eo quod dimittit atque orat, verùm etiam in eo quod corripit, & aliqua emendatoria pœnâ plectit, eleemoſynam dat, quia miſericordiam præſtat. Multa enim bona præſtantur invitis, quando eorum conſulitur utilitati, non voluntati.

Multa itaque ſunt genera eleemoſynarum, quæ cum facimus, adjuvamur, ut dimittantur noſtra peccata. Sed eâ nihil eſt majus, quâ ex corde dimittimus, quod in nos quiſque peccavit. Quiſquis autem roganti & peccanti, ſive pœnitenti ex corde non dimittit, nullo modo æſtimet à Domino ſua peccata dimitti. Quæ ſint autem levia, quæ gravia peccata, non humano ſed divino ſunt penſanda judicio. Videmus enim quædam ab ipſis quoque Apoſtolis ignoſcendo fuiſſe conceſſa, quale illud eſt quod ve-
1. Cor. 7. 5. nerabilis Paulus conjugibus ait: *Nolite fraudare invicem, niſi ex conſenſu ad tempus, ut vacetis oratio-*

us, & iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram. Quod putari poſſet non eſſe peccatum, miſceri ſcilicet conjugi, non filiorum procreandorum cauſâ, quod bonum eſt nuptiale, ſed carnalis etiam voluptatis, ut fornicationis ſive adulterii, ſive cujuſquam alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe eſt etiam dicere, quo poteſt tentante Satana libido pertrahere incontinentem, devitet infirmitas. Poſſet ergo, ut dixi, hoc putari non eſſe peccatum, niſi ad-
1. Cor. 7. 5. didiſſet: *Hoc autem dico ſecundum veniam, non ſecundum imperium.* Quis autem jam neget eſſe pecca-
Ibid. tum, cum dari veniam facientibus Apoſtolica auctoritas fateatur. Tale quiddam eſt, ut dicit: *Jam quidem omninò delictum eſt, quia judicia habetis vobiſcum. Quare non magis iniquitatem patimini:*
Matt. 5. 40. *quare non potiùs fraudamini?* Ut ad illud redeatur quod Dominus ait: *Si quis voluerit tunicam tuam*
Luc. 6. 30. *tollere, & in judicio tecum contendere, dimitte illi & pallium.* Et alio loco: *Qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas.* Prohibuit itaque ſuos Apoſtolos de ſecularibus rebus cum aliis habere judicium, quod dicit eſſe delictum; & tamen cum ſinit in Eccleſiâ talia judicia finiri inter fratres fratribus judicantibus, extrà Eccleſiam verò terribiliter vetat, manifeſtum eſt etiam hic, quòd ſecundùm veniam concedatur infirmis.

S. August. ubi ſuprà c. 79. Sunt autem quædam quæ leviſſima putarentur, niſi in Scripturis demonſtrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri ſuo fatue, reum gehennæ putaret, niſi Veritas diceret? Aut quis æſtimaret quàm magnum peccatum ſit dies obſervare & menſes & annos & tempora, ſicut obſervant qui certis diebus, ſive menſibus, ſive annis volunt vel nolunt aliquid inchoare, eo quod ſecundùm vanas doctrinas hominum fauſta vel infauſta æſtiment tempora, niſi magnitudinem ex timore Apoſtoli penſaremus, qui
Galat. 4. 11. talibus ait: *Timeo vos ne fortè ſine cauſâ laboraverim in vobis?* Quàm multa ſunt alia peccata, ſive in loquendo de rebus & negotiis alienis, quæ non ad te pertinent, ſive in vanis cachinnationibus, cum ſcri-
Eccli. 21. 23. ptum ſit: *Stultus in riſu exaltat vocem ſuam; ſapiens autem vix tacitè ridebit:* ſive in ipſis eſcis, quæ ad neceſſitatem ſuſtendandæ hujus vitæ præparantur, avidior atque immoderatior appetitus; ſive in emendis & vendendis rebus caritatis & vilitatis vota perverſa. Propter hæc atque hujuſcemodi peccata, & alia licet minora his quæ fiunt, verborum & cogitationum offenſionibus, Apoſtolo Jacobo confitente ac
Jac. 3. 2. dicente: *In multis enim offendimus omnes;* oportet quotidie crebroque oremus ad Dominum atque dicamus: *Dimitte nobis debita noſtra;* nec in eo quod ſequitur mentiamur: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Pro quibus etiam ſacrificia eleemoſynarum & jejuniorum quiſque pro ſuis viribus offerre non ceſſet.

1. Cor. 6. 9. Cæterum pro illis peccatis quæ legis decalogus continet, & de quibus Apoſtolus ait: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt;* illa actio pœnitentiæ ſubeunda eſt, in quâ majorem in ſe quiſque ſeveritatem debeat exercere, ut à ſe ipſo judicatus non judicetur à Domino. Quæ actio pœnitentiæ tunc erit perfecta & Deo acceptabilis, ſi aſcenderit homo adverſum ſe tribunal mentis ſuæ, & conſtituerit ſe ante faciem ſuam, ne hoc ei poſtea fiat ſicut comminatur Deus peccatori. Atque ita conſtituto in corde judicio adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, carnifex timor, deinde ſanguis animæ confitentis per lacrymas profluat. Poſtremò ab ipsâ mente talis ſententia proferatur, ut ſe indignum homo judicet participatione corporis & ſanguinis Domini. Verſetur ante oculos imago futuri judicii, ut cum alii accedunt ad altare Dei, quo ipſe non accedit, cogitet quàm ſit contremiſcenda illa pœna, quâ percipientibus aliis vitam æternam, alii in mortem præcipitantur æternam.

Menſuram autem temporis in agendâ pœnitentiâ, idcirco non ſatis attentè præfigunt Canones pro uno quoque crimine, ſed magis in arbitrio Antiſtitis relinquendum ſtatuunt, quia apud Deum non tam valet menſura temporis quàm doloris, nec abſtinentia tantùm ciborum, ſed mortificatio potiùs vitiorum. Propter quod tempora pœnitentiæ fide & converſatione pœnitentum abbrevianda præcipiunt, & negligentiâ protelanda. Extant tamen pro quibuſdam culpis modi pœnitentiæ impoſiti, juxtà quos cæteræ perpendendæ ſunt culpæ, cum ſit facile per eoſdem modos vindictam & cenſuram Canonum æſtimare.

Diviſio totius Operis. Librum autem quem de corpore Canonum excerpſimus, cuique hoc opus quaſi præfationem præponimus, in tribus libellis dividi placuit, quo faciliùs lector quod quærit inveniat. Et primus quidem libellus continet ea quæ ſunt de pœnitentia & pœnitentibus, criminibus atque judiciis. Secundus maximè de accuſatis & accuſatoribus, judicibus ac teſtibus, cum cæteris ad hæc pertinentibus Eccleſiaſticis regulis. Tertius de ſacris ordinibus, vel qui promovendi ſunt ad Clerum, quive removendi à Clero, & de regulis ac privilegiis omnium Clericorum & Præſulum. In quibus ſi quiſquam aliquid invenit de talibus Conciliis, quæ aut deſpicienda, aut non recipienda judicat, ignoſcat paupertati ſenſûs noſtri. Nos tamen dignum putamus plurimorum ſententiam ſingulorum ſuſpicionibus præferendam, & in quibuſcumque rebus generalium Conciliorum auctoritatem non habemus, magis earum Synodorum quæ per ſingulas provincias factæ ſunt, quàm proprium noſtrum ſequendum ſenſum. Denique ipſa ſacra & generalia Canonum decreta præcipiunt, ut bis in anno per ſingulas provincias Epiſcoporum celebretur Concilium, & plenariam Synodum dicunt eſſe ubi cum ſuis diœceſanis Metropolitanus fuerit Epiſcopus. Cum ergo ita ſpecialia Concilia ex generalium auctoritate fiant, conſtat nullum poſſe de eorum aliquid improbare ſtatutis, niſi eum qui apertis indiciis potuerit convincere eos aliqua contrà fidem aut mores bonos conſtituiſſe.

Explicit Præfatio.

INCIPIUNT CAPITULA
Libri primi.

I. *QUòd nulli ſit ultima pœnitentia deneganda.*

II. *De his qui neceſſitate mortis urgente pœnitentiam ſimul & Viaticum petunt: & de his qui obmuteſcunt antequam ad eos Sacerdos daturus pœnitentiam accedat.*

III. *Quòd oporteat eum qui pro illicitis veniam poſtulat, etiam à multis licitis abſtinere.*

IV. *Quod pœnitentes nulla lucra negotiationis exercere conveniat.*

V. *Quòd ad militiam ſæcularem poſt pœnitentiam redire non liceat.*

VI. *Quòd adoleſcens ſi urgente quocumque periculo pœnitentiam geſſit, & non ſe continet, uxoris poteſt remedio ſuſtineri, quouſque poſſit adipiſci continentiæ ſtatum per temporis maturitatem. Cæteris*

tame

tamen pœnitentes à conjugiis debeant continere.

VII. *De his qui poſt pœnitentiam habitum ſæcularem præſumunt.*

VIII. *Quod quibuſdam pœnitentibus priſtina reddantur conjugia propter juvenilem ætatem, quibuſdam verò interdicantur conjugia; & quòd hæc à viris vel à feminis uniformiter obſervari debeant.*

IX. *De his qui pœnitentiam minime ſervaverint.*

X. *Qualiter majores pœnitentiam accipiant, quæ minoribus facilè non committenda eſt.*

XV. *Ut pœnitentiæ tempora juxtà qualitatem peccati decernantur.*

XII. *Item in eodem ex Concilio Affricano c.* LXXIV.

XIII. *Ut pœnitentia conjugatis ex conſenſu detur.*

XIV. *De remedio pœnitentiæ; & quòd abſolutio pœnitentium per manuum impoſitionem Epiſcoporum ſupplicationibus fiat; propter quod neceſſe eſt ut reatus peccatorum ante ultimum diem Sacerdotali ſupplicatione ſolvatur, etiam ſi periculo mortis urgente ſtatim poſt acceptionem pœnitentia & reconciliatio ſubſequatur.*

XI. *De his qui pro diverſis erratis pœnitentiam ferventer exegerunt.*

XVI. *Ex Concilio Carthaginis.*

XVII. *Item ex eodem Concilio cap.* LXXXVIII.

XVIII. *De his qui communionem tempore mortis expoſcunt, aut ſi deſperatus & conſequutus communionem iterum convaluerit.*

XIX. *De pœnitentibus, ut à Presbyteris non reconcilientur niſi præcipiente Epiſcopo.*

XX. *Item ex Concilio Carthaginis de eâdem re.*

XXI. *De tempore remiſſionis pœnitentium.*

XXII. *Ut pœnitentes ab aliis Epiſcopis vel Presbyteris non recipiantur, nec alibi communicentur, niſi in ipſis locis ubi fuerint excluſi.*

XXIII. *De pœnitentibus ſubitò mortuis, ut oblationes eorum recipiantur.*

XXIV. *De pœnitentibus tranſgreſſoribus. Ex Concilio Toletano, cap.* VII.

XXV. *Ut Presbyteri & Diaconi in graviore culpâ convicti, manûs impoſitionem tamquam Laici nequaquàm ſuſcipiant.*

XXVI. *Ex Concilio Arelatenſi, cap.* XXVI.

XXVII. *Quòd Presbyteri aut Diaconi ſi in aliquo crimine prolapſi fuerint, non poſſint per manûs impoſitionem pœnitentiæ remedium conſequi.*

XXVIII. *De his qui in diverſis cauſis gentilitatis ritûs aliquid peregerunt.*

XXIX. *De Lapſis. Ex Concilio Niceno, cap.* XI.

XXX. *De his qui abrenuntiaverunt, & iterum ad ſæculum ſunt reverſi.*

XXXI. *De Catholicis in hæreſim tranſeuntibus, ſi revertantur.*

XXXII. *Item ex Concilio Agathenſi de eadem re.*

XXXIII. *Quòd hi qui ad iterationem baptiſmi vel vi, vel timore coacti animos inclinaverint, pœnitentiæ ſint ſublevandi remedio, ita ut ſenilis ætatis, periculorum quoque, ægritudinum, cæterarumque neceſſitatum habeatur ſollicitâ conſideratione reſpectus.*

XXXIV. *Quòd Arianorum Clerici non ſint ſuſcipiendi in ſuis officiis, quamvis eorum baptiſmum, quod Catholicum conſtat, confirmet Eccleſia.*

XXXV. *Item de eâdem re. Ex epiſtolâ ad Rufum & ad Euſebium Epiſcopos, cap.* LIV.

XXXVI. *De Epiſcopis qui hæreticos vel paganos heredes inſtituunt.*

XXXVII. *Non debere in hæreſi permanentes Eccleſiam ingredi.*

XXXVIII. *De hæreticis ſi in mortis diſcrimine converſantur.*

XXXIX. *De his qui compulſi ſunt terrore ut hæreticis communicarent, ſi ſe ab hæreticis ſeparare voluerint, ut ab Eccleſia Catholica ſuſcipiantur.*

XL. *Quòd omnis cujuſlibet ordinis Clericus, qui Catholicam deſerens hæretico ſe communioni miſcuerit, ſi ad Eccleſiam reverſus fuerit, in eo gradu quo erat ſine promotione permaneat.*

XLI. *De his qui cum hæreticis nuptiarum copulam jungunt.*

XLII. *Ab hæreticis eulogias accipere non debere.*

XLIII. *De Epiſcopis, vel ſequentibus ordinibus, qui ſacroſancta myſteria contrectant, placuit ab uxoribus abſtinere.*

XLIV. *De his qui ad honorem Presbyterii ſine examinatione provecti ſunt.*

XLV. *De Presbyteris qui uxores acceperunt, vel fornicati ſunt.*

XLVI. *De Diaconibus.*

XLVII. *De Diaconibus, ſi ante honorem peccare probantur.*

XLVIII. *De Monachis & Virginibus propoſitum non ſervantibus.*

XLIX. *De ſubintroductis mulieribus.*

L. *De Clericis & Monachis non manentibus in ſuo propoſito.*

LI. *De Clericis qui ſunt in ptochiis, Monaſteriis atque Martyriis, quæ ſub poteſtate Epiſcoporum uniuſcujuſque civitatis exiſtunt.*

LII. *De Virginibus vel Monachis.*

LIII. *De his qui fornicantur irrationabiliter, id eſt, qui miſcentur pecoribus; vel ſi qui cum propinquis junguntur, aut cum maſculis polluuntur.*

LIV. *De his qui in pecudes, vel in maſculos, vel olim polluti ſunt, aut hactenus hoc vitio tabeſcunt.*

LV. *De his qui adulteras habent uxores, vel ſi qui adulteri comprobantur.*

LVI. *De his qui partus ſuos ex fornicatione diverſis modis interimunt.*

LVII. *De his qui Virginum corruptionibus conſcii ſunt.*

LVIII. *Ut natalitia vel nuptiæ in Quadrageſimâ non fiant.*

LIX. *Ut in Chriſtianorum non ſaltetur nuptiis.*

LX. *De parentibus qui fidem ſponſaliorum frangunt.*

LXI. *Qualiter ſponſus & ſponſa benedicantur, & de caſtimoniâ eorum tempore nuptiarum.*

LXII. *Quòd aliud ſit uxor, aliud concubina; nec erret quiſquis filiam ſuam in matrimonium concubinam habenti tradiderit.*

LXIII. *Quod non ſit conjugii duplicatio, quando ancillâ relictâ uxor aſſumitur.*

LXIV. *Quòd debeant feminæ, quæ captis viris nupſeram aliis, regreſſis de captivitate viris prioribus copulari, ut quod ſuum eſt unuſquiſque recipiat.*

LXV. *Quòd non probetur eſſe culpabilis, qui uxorem capti in matrimonium videtur eſſe ſortitus.*

LXVI. *Ut ſi viri de captivitate reverſi intemperantiâ uxorum offenſi non fuerint, & voluerint eas in conjugium recipere, liberam habeant facultatem.*

LXVII. *Ut ſi mulieres ad priores maritos redire noluerint, velut impiæ Eccleſiaſticâ communione privandæ ſint.*

LXVIII. *Quòd non liceat alterius ſponſam ad matrimonii jura ſortiri.*

LXIX. *De Raptoribus.*

LXX. *De his qui rapiunt puellas.*

LXXI. *De deſponſatis puellis & ab aliis raptis.*

LXXII. *De raptoribus ſi ad Eccleſiam confugerint.*

LXXIII. *Quod hi qui intercedente repudio divortium perpulerunt, ſi ſe aliis junxerint nuptiis, adulteri ſint.*

LXXIV. *De his qui uxores, aut quæ viros dimittunt, ut ſic maneant.*
LXXV. *De feminis quæ relictis viris ſuis aliis nubunt.*
LXXVI. *De feminis quæ adulteros relinquunt, & aliis nubunt.*
LXXVII. *De ſæcularibus, ut ſine judicio Epiſcopi culpabiles conjuges non relinquant.*
LXXVIII. *De mulierībus.*
LXXIX. *De Virginibus ſæcularibus, ſi mœchaverint.*
LXXX. *D bigamis.*
LXXXI. *De eo qui uxorem habet, ſi concubinam habuerit, ut non communicet.*
LXXXII. *De eo qui uxorem habens ſæpius mœchatur.*
LXXXIII. *De viris conjugatis poſtea in adulterio lapſis.*
LXXIV. *Quæ viri cum adulteris uxoribus non conveniant.*
LXXXV. *De mulieribus quæ lenocinium fecerint.*
LXXXVI. *De feminis quæ conſciis maritis adulterant.*
LXXXVII. *De fidelibus conjugatis, ſi cum Judæâ vel gentili mœchaverint.*
LXXXVIII. *Ex Concilio Bracarenſe, vel Lucenſis, cap. LXXV.*
LXXXIX. *De his quæ duobus fratribus nupſerint, vel qui duas ſorores uxores acceperint.*
XC. *De inceſtis, ut quamdiu in ſcelere ſunt, inter Catechumenos habeantur.*
XCI. *De his qui proximis ſuis ſe copulant, ut à communione Chriſti ſeparentur.*
XCII. *De inceſtis conjugiis.*
XCIII. *Gregorius ſanctiſſimus ac Beatiſſimus Papa, dixit, cap. XXIII.*
XCIV. *De his qui divinationes expetunt.*
XCV. *De divinis & ſortilegis.*
XCVI. *De eo quod non liceat Chriſtianis obſervationes diverſas attendere.*
XCVII. *Ex Concilio quo ſuprà.*
XCVIII. *Ex Concilio quo ſuprà.*
XCIX. *Ex Concilio Carthaginenſi.*
C. *De his qui partus ſuos ex fornicatione diverſis modis interimunt.*
CI. *De homicidiis.*
CII. *De his qui non ſponte homicidium commiſerunt.*
CIII. *Si Domina per zelum ancillam occiderit.*
CIV. *Si quicumque per maleficium hominem interfecerit.*
CV. *Ex Concilio Bracarenſi, cap. VI.*
CVI. *Ex Concilio Agathenſi, cap. XXXV.*
CVII. *Ex Concilio quo ſuprà.*
CVIII. *De ſervis qui ad Eccleſiam confugerint, ut poſt juramentum exire nolentes liceat occupare.*
CIX. *Diſſidentes Epiſcopos, ſi non timor Dei, Synodus reconciliet.*
CX. *De his qui per odium ad pacem non revertuntur.*
CXI. *De his qui ſacramento ſe obligant, ne ad pacem redeant.*
CXII. *Ut oblationes fratrum diſcordantium non recipiantur.*
CXIII. *Caput tondere mulieri non licere.*
CXIV. *Ne femina in cœmeteriis pervigilet.*
CXV. *De ultione nequiter judicantium.*
CXI. *Ut nullus civium feſtivitates majores in villâ celebret.*
CXVII. *De his qui ad Eccleſiam tardiùs accedunt.*
CXVIII. *De Laicis, quibus temporibus communicare debeant.*
CXIX. *De Laicis qui in ſolemnibus ad civitatem non occurrunt.*
CXX. *De his qui intrant in Eccleſiam, & propter nimiam luxuriam ſuam a Sacramento ſe abſtinent.*
CXXI. *De non permittendum imperare Religioſis.*
CXXII. *Quod uſuram non ſolùm Clerici exigere non debeant, ſed nec Laici Chriſtiani.*

INCIPIUNT CAPITULA Libri ſecundi.

I. D*E conjuratione vel conſpiratione.*
II. *De delatoribus.*
III. *De accuſatis & accuſatoribus.*
IV. *Quod excommunicati ad accuſationem admitti non debeant.*
V. *Quod ſervi & liberti, omneſque infames perſonæ non debeant accuſare.*
VI. *Ut qui unum crimen non probaverit, ad alterum admitti non debeat.*
VII. *Qui ad teſtimonium admittendi ſunt.*
VIII. *De Epiſcopo qui excommunicat eum, qui ſibi ſoli crimen dicit eſſe confeſſum.*
IX. *Ut non temerè quemquam communione privet Epiſcopus.*
X. *De his qui in accuſationem majoris natu veniunt; & ut Epiſcopum nulli crimino ſo liceat accuſare.*
XI. *De his qui merito facinorum ſuorum ab Eccleſia congregatione pelluntur.*
XII. *De Presbyteris qui à propriis corripiuntur Epiſcopis.*
XIII. *Si quis Epiſcopus abſque tempore Synodi in crimine detentus fuerit, a duodecim Epiſcopis audiatur.*
XIV. *De diverſis ordinibus Eccleſiæ ſervientibus, ut ſi quis in cauſam criminis incurrerit, & abnuerit judicium Eccleſiaſticum, debeat periclitari: & ut filii Sacerdotum ſpectacula ſæcularia non adeant.*
XV. *Ut ſi quis Epiſcopus accuſatur, ad Primatem ipſius provinciæ cauſa deferatur.*
XVI. *De Presbyteris vel Clericis accuſatis.*
XVII. *De accuſato, vel accuſatore.*
XVIII. *Qui cauſam ſuam ad tranſmarina putaverit appellandam, in communione minimè ſuſcipiatur.*
XIX. *Ut accuſatores de levibus cauſis non audiantur; de criminalibus verò diſcutiantur, in quo Epiſcopum accuſatoris vice ſe diſcutiendum ſciat.*
XX. *De accuſatoribus fratrum.*
XXI. *Clerici accuſatores fratrum ad communionem recipiantur, non ad Clerum.*
XXII. *Ne ſine accuſatore legitimo quiſpiam condemnetur.*
XXIII. *Ejus, qui frequenter litigat, & ad accuſandum facilis eſt, teſtimonium nemo abſque gravi examine recipiat.*
XXIV. *De Epiſcoporum aut Clericorum accuſatoribus.*
XXV. *De falſis teſtibus.*
XXVI. *Ut nullus Epiſcopus, vel infrà poſitus, die Dominico cauſas audire præſumat.*
XXVII. *Ut nullus Epiſcopus pro judiciis munera accipiat.*
XXVIII. *Ut Epiſcopus nullius cauſam audiat abſque præſentiâ Clericorum ſuorum.*
XXIX. *De diſcretione cauſarum, in quibus Sacerdotes judices fieri poſſunt.*
XXX. *De contemptu judicii.*
XXXI. *Ut inter diſcordes Epiſcopos comprovinciales Aneſtites audiant; quòd ſi damnatus appellaverit Romanum Pontificem, id obſervandum quod ipſe cenſuerit.*
XXXII. *Ut nullus accuſati ſedem uſurpet Epiſcopi.*

Digitized by Google

XXXIII. *De Clericis a communione ſubmotis ab aliis non recipiendis Epiſcopis.*

XXXIV. *De excommunicatis apud vicinos Epiſcopos audiendis.*

XXXV. *Quòd non oporteat Clericos habentes adversùs invicem negotia proprium Epiſcopum relinquere, & ad ſæcularia judicia convolare.*

XXXVI. *Si quis excommunicatus ante audientiam communicare præſumſerit, ipſe in ſe damnationem protulit.*

XXXVII. *Ut Clerici de judiciis ſui cognitione non cogantur in publico dicere teſtimonium.*

XXXVIII. *De Clericis damnatis.*

XXXIX. *De Clericis qui intrà annum cauſam ſuam agere non procurarint.*

XL. *Quòd electorum judicum ſententia ſperni non debeat.*

XLI. *De Preſbyteris & Clericis, ut non appellent niſi ad Africanum Concilium.*

XLII. *Ut Clericus ſine Pontificis ſui miſſo nullum ad ſæculare judicium præſumat trahere.*

XLIII. *De damnatis & miniſtrare tentantibus.*

XLIV. *De Clericis excommunicatis & laicis.*

XLV. *De Epiſcopis & Clericos adeuntibus Imperatorem.*

XLVI. *De damnatis Epiſcopis nunc Clericis, & adeuntibus Imperatorem.*

XLVII. *De Epiſcopis ab ejuſdem provinciæ Sacerdotibus conſonanter excluſis.*

XLVIII. *De Synodis quæ ab Epiſcopis ſuis debent temporibus in provincia celebrari.*

XLIV. *De Epiſcopis qui ad Concilia non occurrunt.*

L. *Ut de alieno Monaſterio ſuſceptos nec Præpoſitos monaſterii, nec Clericos liceat ordinare.*

LI. *De ordine quo depoſiti iterum ordinentur.*

LII. *Ut Epiſcopus diœceſanos Preſbyteros, & quoſdam ex laicis conveniat litteris.*

LIII. *Ut ad Metropolitani arbitrium Synodus congregetur.*

LIV. *De defenſoribus Eccleſiarum ab Imperatore poſcendis.*

LV. *De his qui Eccleſiaſtica miniſteria præter Eccleſiam faciunt.*

LVI. *De fructuum oblationibus quæ miniſtris Eccleſiæ conferuntur.*

LVII. *De his quæ in uſum pauperum conferuntur.*

LVIII. *De his qui agapas, id eſt paſtiones pauperum uſui deputant.*

LIX. *Ut qui oblationes defunctorum retinent, excommunicentur.*

LX. *De his qui ſuas, vel propinquorum oblationes Eccleſiæ fraudant.*

LXI. *Si quis pœnitentium quemlibet exſpoliaverit, & admonente Epiſcopo non reddiderit, excommunicetur.*

LXII. *Si Epiſcopus à Metropolitano admonitus pro Synodo, vel ordinatione Epiſcopali, venire diſtulerit.*

LXIII. *Ut Epiſcopus qui contrà profeſſionem in Concilio habitam venerit, deponatur.*

LXIV. *De communione privatis & ita defunctis.*

LXV. *De terminis minimè tranſferendis.*

LXVI. *De Epiſcopis qui quod repetere poterant, prætermiſſâ Synodo invaſerint.*

LXVII. *Ut baſilica in cujus territorio ſunt, in ejus Epiſcopi maneant poteſtate.*

LXVIII. *De parochiis.*

LXIX. *Quòd Eccleſiarum omnium dotes ad Epiſcopi ordinationem debeant pertinere.*

LXX. *De triennali præſcriptione, ut poſt XXX. annos nulli liceat pro eo appellare quod legum tempus excluſit.*

LXXI. *Ut Epiſcopus ambulet per diœceſim ſuam.*

LXXII. *Ut Epiſcopus duos ſolidos tantùm accipiat, neque tertiam partem de oblationibus quærat: & ut Clerici non cogantur more ſervili.*

LXXIII. *De exactione Eccleſiarum.*

LXXIV. *De diſpenſatoribus ſingularum Eccleſiarum.*

LXXV. *Ut ab Imperatoribus poſtuletur advocatorum defenſio pro cauſis Eccleſiæ.*

LXXVI. *De his quæ à fidelibus in parochitanis Eccleſiis offeruntur.*

LXXVII. *De ſacris locis noviter inſtitutis, quamvis ſuperiùs dictum ſit, hoc nunc tamen adjicitur, ut nulla baſilica ſub defunctorum nomine conſtructa dedicetur.*

LXXVIII. *Quòd in unâ quâque Eccleſiâ cui Epiſcopus præeſt, quatuor tam de redditibus, quàm de oblatione fidelium fieri debeant portiones.*

LXXIX. *Contrà eum qui illicitè ordinat Clericos: & de redditibus Eccleſiæ.*

LXXX. *Ut nulli Apoſtolicæ ſedis Præſuli poſſeſſionem Eccleſiæ magnam vel parvam in perpetuum liceat alienare.*

LXXXI. *Ut non liceat Preſbyteris titulorum ſuorum prædia, ſeu quidquid juris eorum fuerit quolibet alienare commento.*

LXXXII. *Ut qui petierit prædium Eccleſiæ & acceperit, aut ſi quis Preſbyterorum & Diaconorum vel defenſorum dantis ſubſcripſerit, anathemate feriatur.*

LXXXIII. *Ut ſi quis anathematis pœnam parvi duxerit, etiam documento quo ſe putat prædium poſſidere fruſtretur, liceatque cuilibet Eccleſiaſticæ perſonæ vocē cōtradictionis afferre, & cum fructibus præteriti temporis eadem prædia alienata repoſcere.*

LXXXIV. *Si quis Clericorum pauper in ordine promotus poſtea habuit aliquid, Eccleſiæ poteſtati ſubjiciat.*

LXXXV. *Ut Preſbyteri rem Eccleſiæ in quâ ſunt conſtituti non vendant; & nulli Epiſcopo liceat rem tituli matricis Eccleſiæ uſurpare.*

LXXXVI. *Ut res Eccleſiæ nemo diſtrahat.*

LXXXVII. *De rebus ad Eccleſiam pertinentibus; & de his quæ propria Epiſcopi eſſe noſcuntur.*

LXXXVIII. *Ut Epiſcopi diſpenſandi res Eccleſiaſticas habeant poteſtatem.*

LXXXIX. *Ut de rebus Eccleſiæ nihil Epiſcopi auferant; & qualiter proximi fundatoris Eccleſiarum ſollicitudinem gerant.*

XC. *Ut Epiſcopus exiguum aliquod ſine Clericorum cohibentia diſtrahat.*

XCI. *Ut ſervos Eccleſiæ fugitivos liceat vendere Epiſcopo.*

XCII. *De Epiſcopis qui per teſtamentum de rebus Eccleſiæ aliquid contulerint.*

XCIII. *De venditionibus quas Abbates facere præſumunt.*

XCIV. *De libertis ex familiâ Eccleſiæ factis.*

XCV. *De diſcretione manumiſſorum ex familia Eccleſiæ, qualiter manumittantur; & ne adverſus teſtificent vel accuſent.*

XCV.. *De libertis patrocinio Eccleſiæ commendatis.*

XCVII. *Ut laici contemptores Canonum excommunicentur, Clerici honore priventur.*

XCVIII. *Ut ſi quis Sacerdotum contrà interdicta fecerit, à ſuo ſit officio ſubmovendus.*

XCIX. *De flectendo genua.*

C. *Ut populus ante completam Miſſam & benedictionem acceptam egredi non præſumat.*

CI. *Quòd debeat manere firmum ſi ſervi fiſci Eccleſias fecerint, eaſque de peculio ſuo ditaverint.*

CII. *Ut ballematia & turpia cantica prohibeantur.*

CIII. *De his qui Eccleſiaſtica jejunia abſque neceſſitate diſſolvunt.*

CIV. *Non debere in diebus jejuniorum commemora-*

Digitized by Google

tiones Martyrum fieri.

CV. *Oblationes in domibus offerri non oportere.*

CVI. *Ut Sacramentum Catechumenis non præbeatur.*

CVII. *Quòd Paſcha & Pentecoſte ſit baptizandum.*

CVIII. *Quòd omni tempore hi qui in neceſſitate mortis, aut ægritudinis, vel obſidionis, ſive perſecutionis, aut naufragii urgentur, debeant baptizari.*

CIX. *De Catechumenâ prægnante.*

CX. *De infantibus baptizandis, quoties dubitatur utrum fuerint baptizati.*

CXI. *De baptizatis qui nondum confirmati moriuntur.*

CXII. *De his qui rebaptizati ſunt, quantum pœniteant.*

CXIII. *Quòd non debeant baptizati niſi ab Epiſcopis conſignari.*

CXIV. *De energumenis baptizatis.*

CXV. *De epiſtolâ ſancti Jacobi Apoſtoli, in quâ pro infirmis orare præcipitur.*

CXVI. *Ut nulla pretia de baptizandis conſignandiſque fidelibus exigantur.*

CXVII. *De energumenis.*

INCIPIUNT CAPITULA in Libro tertio.

I. P*Resbyterorum & Diaconorum ordinationes certis celebrare temporibus.*

II. *Ut nemo litteras neſciens, vel aliquâ parte corporis imminutus promoveatur ad clerum.*

III. *De his qui ſeipſos abſcindunt.*

IV. *Quòd ad clerum criminoſi nequeant promoveri, & in clero poſiti, ſi in aliquibus fuerint inventi criminibus, à ſuis officiis arceantur.*

V. *Quòd dæmoniis aliiſque paſſionibus irretitis miniſteria ſacra tractare non liceat.*

VI. *De his qui viduas aut dimiſſas ducunt, vel in malis conſiliis mixti ſunt.*

VII. *Item de eadem re.*

VIII. *Item de eâdem re.*

IX. *De his qui virginitatem profeſſi ſunt, & de his quæ ſub ſororis habitu cum aliquibus commorantur.*

X. *Ut ex curialibus Clericus non fiat, propter voluptates quas à diabolo inventas exhibere compellitur.*

XI. *De adminiſtratoribus.*

XII. *Quòd qui preces vel criminales dictant, habeantur immunes.*

XIII. *Si quis volens partem ſibi corporis amputaverit, clericus eſſe non poteſt; nolens autem poteſt.*

XIV. *Quòd digami ad clerum admitti non poſſunt.*

XV. *Qui de laicis ad clerum non debeant promoveri.*

XVI. *Qui de laicis poſſunt Clerici fieri.*

XVII. *De temporibus morandi in clero.*

XVIII. *Quæ in ſingulis Clerici gradibus tempora ſint præfixa.*

XIX. *Quòd non debeant Sacerdotes aut Clerici amicti palliis & præcincti lumbis in Eccleſiâ miniſtrare.*

XX. *De Clericis, quales debeant promoveri.*

XXI. *Quòd extrà conſcientiam Metropolitani non ordinetur Epiſcopus.*

XXII. *Quòd nolentibus Clericis vel populis nemo debeat Epiſcopus ordinari.*

XXIII. *Quòd ab illicitis ſit ordinationibus abſtinendum.*

XXIV. *Ut nullus Epiſcoporum ſervum alterius ad clericatûs officium promovere præſumat.*

XXV. *Ut quicumque ad Sacerdotium vel viduarum mariti, vel habentes numeroſa conjugia promoti fuerint, ab omnibus Eccleſiaſticis officiis arceantur.*

XXVI. *Ut ſi quis Sacerdotum contrà hæc interdicta fecerit, à ſuo ſit officio ſubmovendus.*

XXVII. *Quòd non habeantur Epiſcopi quos nec clerus elegit, nec populus exquiſivit, nec Provinciales Epiſcopi conſecraverint: ſi qui tamen Clerici ab his Pſeudoepiſcopis ordinantur, rata poteſt ordinatio talis exiſtere.*

XXVIII. *Ut nullus invitus ordinetur Antiſtes.*

XXIX. *Ut nullus alienum Clericum ſollicitare vel tenere præſumat, ſuo Epiſcopo non præbente conſenſum.*

XXX. *Ut implicati negotiis alienis, ante redditam rationem Clerici non ordinentur.*

XXXI. *Rebaptizati ad nullum clericatûs gradum promovendi.*

XXXII. *De his qui in peregre baptizantur, ad clerum non veniant.*

XXXIII. *De diſcretione pœnitentium, qui poſſint ad Eccleſiaſticos ordines provehi, vel qui non poſſint.*

XXXIV. *De diſcretione libertorum, qui ad Eccleſiaſticos ordines pervenire poſſunt, vel qui provehi non poſſunt.*

XXXV. *De Clericis ſcurrilibus.*

XXXVI. *Non tranſmigrandum de civitate in civitatem.*

XXXVII. *Quòd non oporteat abſolutè quoſlibet ordinari.*

XXXVIII. *De ſingulis gradibus ſacri ordinis, qualiter ordinentur.*

XXXIX. *Qualiter Oſtiarii ordinentur.*

XL. *Qualiter Lectores ordinentur.*

XLI. *Qualiter Exorciſtæ ordinentur.*

XLII. *De Exorciſtis qui non ſunt ab Epiſcopis ordinati.*

XLIII. *Qualiter Acolythi ordinentur.*

XLIV. *Qualiter Subdiaconi fiant.*

XLV. *Ut Clerici nullas negotiationes inhoneſtas & turpia lucra ſectentur.*

XLVI. *De eadem re.*

XLVII. *Ut clericus nec ſuo nec alieno nomine fœnus exerceat.*

XLVIII. *De contumacibus Clericis & ad officium tardis.*

XLIX. *Si Clericus furtum Eccleſiæ fecerit.*

L. *Ut cujuslibet ordinis Clericus ſi tardiùs ad Eccleſiam venerit, deponatur.*

LI. *Quòd nullus Eccleſiaſticorum in tabernis comedere debeat.*

LII. *De Clericis qui in mutuam cædem prorumpunt.*

LIII. *De Clericis qui ad ſæcularium defenſionem confugiunt propter diſtrictionem Epiſcopi.*

LIV. *De Clericis negotia & nundinas ſectantibus.*

LV. *Ut ſi voluntariè Clericus damnum Eccleſiæ fecerit, & ſatisfaciat, & excommunicetur.*

LVI. *De converſatione Clericorum, ut in uno conclavi ſint.*

LVII. *Ut Clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix eſt.*

LVIII. *Cujuſcumque ordinis Clerici nuptialia convivia vitent.*

LIX. *De Clericis qui magos aut ſortilegos conſuluerunt.*

LX. *Clerici tabernas non ingrediantur abſque peregrinationis neceſſitate.*

LXI. *De Clericis qui in ſeditione arma ſumſerint.*

LXII. *De Clericis per plateas & andronas ambulantibus.*
LXIII. *De Clericis in nundinis & foro deambulantibus.*
LXIV. *Clerici qui vigiliis deſunt, ſtipendiis privandi.*
LXV. *Clerici maledici degradentur.*
LXVI. *De Clericis ſepulcra demolientibus.*
LXVII. *Ut Clerici invidi non provehantur.*
LXVIII. *Clerici adulatores & proditores degradentur.*
LXIX. *Clerici nec veſtimenti nec calceamenti quærant decorem.*
LXX. *De Clericis ſcurrilibus vel inter epulas cantantibus.*
LXXI. *De Clericis per creaturas jurantibus.*
LXXII. *Ne amebo horam tertiam convivia ineantur.*
LXXIII. *De his qui in parvâ ætate coram parentibus religionis habitum tenuerunt.*
LXXIV. *Pœnitens ſi uſus exegerit, inter Oſtiarios deputetur.*
LXXV. *Ex Concilio Carthaginenſi.*
LXXVI. *Si Lector bigamus aut viduam ducit, non ampliùs quàm Subdiaconus fiat.*
LXXVII. *Lectores Cantoreſque cum orariis agere ſuum officium non debere.*
LXXVIII. *De Diaconis.*
LXXIX. *Ut levitæ & virgines ante XXV. annos non conſecrentur.*
LXXX. *De honore quem Preſbyteris Diaconi, & Diaconis qui ſub ipſis ſunt debeant exhibere.*
LXXXI. *De obedientiâ Diaconorum erga Preſbyteros.*
LXXXII. *Ne Diaconus præſente Preſbytero Euchariſtiam det.*
LXXXIII. *Ut Diaconus jubente Preſbytero ſedeat.*
LXXXIV. *Ut Diaconus in conventu Preſbyterorum non loquatur, niſi interrogatus.*
LXXXV. *Ut Diaconus tempore tantùm oblationis albâ utatur.*
LXXXVI. *Quòd præter Epiſcopum Clericus proficiſci non debeat.*
LXXXVII. *Ut Sacerdos & Levita canes ad venandum & accipitres non habeant.*
LXXXVIII. *De his qui in ægritudine ſunt baptizati.*
LXXXIX. *Quòd non oporteat peregrinos Clericos ſine commendatitiis miniſtrare.*
XC. *Ut nullus miniſter ſine chriſmate proficiſcatur.*
XCI. *Ut ab alterius Epiſcopo chriſma nullus accipiat.*
XCII. *Presbyter Diaconum aut Presbyterum non ordinabit.*
XCIII. *De his quæ prohibentur Presbyteris in eccleſiaſticis Sacramentis agere.*
XCIV. *Ut ſi Presbyter inconſulto Epiſcopo agendam celebraverit, honore privetur.*
XCV. *Ne Presbytero alterius regionis præſente Epiſcopo vel Presbyteris civitatis liceat miniſtrare, & quo ordine panem ſive calicem dent, & quod Coepiſcopi ad exemplum ſeptuaginta ſeniorum ordinati ſunt.*
XCVI. *De his qui ex vaſis miniſterii Eccleſiæ aliquid vendiderunt.*
XCVII. *Ne Presbyter benedictionem vel pœnitentiam in Eccleſiâ dare præſumat.*
XCVIII. *De his qui in Eccleſiis in quibus provecti ſunt, minimè perdurarunt.*
XCIX. *Qualiter Diaconi ordinentur.*
C. *De numero certo Diaconorum.*
CI. *Quo tempore Presbyterum conveniat ordinari.*
CII. *Qualiter Presbyter ordinetur.*
CIII. *De non contemnendo oblationes Presbyteri conjugati.*
CIV. *Quòd non liceat Clerico in duarum civitatum Eccleſiis miniſtrare.*
CV. *De his qui vocantur Coëpiſcopi.*
CVI. *Judicio multitudinis ordinationes fieri non debere.*
CVII. *De Epiſcopalibus ordinationibus.*
CVIII. *De electione Epiſcopi.*
CIX. *De his qui ad Epiſcopatum in provinciis provehuntur.*
CX. *Quòd addi debeant Epiſcopi numero ordinatorum, ſi de ordinando Epiſcopo fuerit contradictum.*
CXI. *Non accipiendum præmium pro Epiſcoporum honore de communione peccati.*
CXII. *Quòd non oporteat Epiſcopos aut quemlibet ex clero per pecunias ordinari.*
CXIII. *De his qui cum ſint ex aliâ provinciâ, in aliis audent ordinationes efficere.*
CXIV. *De his qui cum ad Epiſcopatum vocantur, evitant.*
CXV. *De Epiſcopalibus in provinciis ordinationibus.*
CXVI. *Ut nullo modo de parochiâ ad aliam parochiam Epiſcopus tranſeat.*
CXVII. *Ut in alterâ parochiâ Clericos alterius parochiæ Epiſcopus non ordinet.*
CXVIII. *Ut nullus Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum conductor exiſtat: & ut Lectores uxores accipiant, & Clerici abſtineant ab uſuris; & quo tempore vel ipſi vel virgines conſecrentur.*
CXIX. *Si qui Clerici ab Epiſcopis ſuis promoti contempſerint, nec illic maneant unde recedere noluerunt.*
CXX. *De his qui plebes proprias derelinquunt.*
CXXI. *Ut Epiſcopi qui ordinantur, ab ordinatoribus ſuis epiſtolas accipiant, quæ diem & Conſulem præferant.*
CXXII. *De his qui ſemel in Eccleſiâ legerint, ab aliis non poſſe promoveri.*
CXXIII. *De rebaptizationibus & reordinationibus, vel tranſlationibus Epiſcoporum.*
CXXIV. *Quòd non oporteat ordinationes Epiſcoporum diu differre.*
CXXV. *Quales, vel quàm docti debeant ordinari Epiſcopi.*
CXXVI. *Qualiter conſecrentur Epiſcopi.*
CXXVII. *De ordinatione miniſtrorum Sacerdotum, quando fiat.*
CXXVIII. *Ut Epiſcopus juxtà Eccleſiam habeat hoſpitium.*
CXXIX. *Ut Epiſcopus pauperes & infirmos tueatur.*
CXXX. *Ut Epiſcopus ſupellectilem & menſam vilem habeat.*
CXXXI. *Ut Epiſcopus libros gentilium non legat.*
CXXXII. *Ut Epiſcopus gubernationes pauperum per miniſtros agat.*
CXXXIII. *Ut Epiſcopus teſtamenta non tueatur.*
CXXXIV. *Ut Epiſcopus non litiget.*
CXXXV. *Ut Epiſcopus Canones agnoſcat antequàm ordinetur.*
CXXXVI. *Ut Epiſcopus die Dominico ab Eccleſiâ deeſſe non debeat.*
CXXXVII. *Ut Epiſcopus nullam curam rei familiaris ad ſe revocans, tantùm orationi & doctrinæ vacet.*
CXXXVIII. *Ut Epiſcopus ſedens ſtare Presbyterum non patiatur.*
CXXXIX. *Ut Epiſcopus collegam ſe Presbyterorum cognoſcat.*
CXL. *Quamdiu Epiſcopus in alienâ civitate remoretur.*

CXLI. *Non liceat Epiſcopo à ſuâ Eccleſiâ plus tribus hebdomadibus abeſſe.*
CXLII. *De laicis non temerè faciendis Epiſcopis.*
CXLIII. *Quando & in quibus cauſis Epiſcopi ad Comitatum ire debeant.*
CXLIV. *De Diaconis ad Comitatum dirigendis.*
CXLV. *Quod ad Comitatum pro pupillis & viduis ac neceſſitatem patientibus ſit eundum.*
CXLVI. *Quòd non oporteat Epiſcopos, Clericos & Monachos prædia aliena conducere.*
CXLVII. *De honore Monachis competente; & ut nullus eorum tentet Eccleſiaſtica aut ſæcularia inquietare negotia, nec alienum ſervum præter conſcientiam Domini ejus ſuſcipere.*
CXLVIII. *De pacificis peregrinorum, id eſt commendatitiis litteris.*
CXLIX. *De Metropolitanis ſingularum provinciarum.*
CL. *De vacantibus Epiſcopis.*
CLI. *Ut Metropolitanis ſua jura ſerventur.*
CLII. *Ut Epiſcopus abſque Metropolitani conſcientia nihil agat in cauſis generalibus.*
CLIII. *De Præſidibus, vel cæteris rempublicam agere volentibus, ne ſine litteris Epiſcopi ſui communicent, & cum contrà diſciplinam egerint, excommunicentur.*
CLIV. *Ut Clerici vel Laici in alienâ Eccleſiâ non communicent ſine litteris Epiſcopi ſui.*
CLV. *Quòd oporteat egenis epiſtolam tribui, honeſtiores autem commendatitiis litteris approbari.*
CLVI. *De Clericis qui ſine epiſtolis ſui Pontificis proficiſcuntur.*
CLVII. *Ut ſine epiſtola Epiſcopi ſui non liceat Clericum vel Monachum proficiſci, & de Monachis vel Abbatibus.*
CLVIII. *De epiſtolâ formatâ.*

CANONUM POENITENTIALIUM

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Quòd nulli ſit in morte ultima pœnitentia denegandа.

Ex Epiſtolâ * Papæ Cœleſtini ad Epiſcopos Galliarum, capitulo II.

* *Cœleſtini Papæ I. Epiſt. 2. ad Epiſcopos provinciæ Viennenſis & Narbonenſis, cap. 2.*

AGNOVIMUS enim pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum deſideriis annui, qui obitûs ſui tempore hoc animæ ſuæ cupiunt remedio ſubveniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate deſperet, quaſi non poſſit ad ſe quovis tempore concurrenti ſuccurrere, & periclitantem ſub onere [a] peccatorum hominem redimere, quo ſe ille expedire deſiderat & liberari. Quid hoc rogo aliud eſt quàm morienti mortem addere, ejuſque animam ſuâ credulitate ne abſoluta eſſe poſſit, occidere? cum Deus ad ſubveniendum ſit paratiſſimus, & invitans ad pœnitentiam ſic promittat: *Peccator*, inquit, *quacumque die converſus fuerit, peccata ejus non reputabuntur ei.* Et iterum: *Nolo mortem peccatoris, ſed tantum ut convertatur & vivat.* Salutem ergo homini adimit, quiſquis ei mortis tempore pœnitentiam [b] denegaverit; & deſperavit de clementiâ Dei, qui eum ad ſubveniendum morienti ſufficere vel in momento poſſe non credidit. Perdidiſſet latro in cruce præmium ad Chriſti dexteram pendens, ſi illum unius horæ pœnitentia non juviſſet; cum eſſet in pœnâ pœnituit, & per unius ſermonis profeſſionem [c], habitaculum Paradiſi Deo promittente promeruit. Vera ergo ad Deum converſio in ultimis poſitorum mente potiùs eſt æſtimanda quàm tempore, Propheta hoc taliter aſſerente; *Cum converſus ingemueris, tunc ſalvus eris.* Cum ergo Dominus ſit cordis inſpector, quovis tempore non eſt deneganda pœnitentia poſtulanti, cum illi ſe obliget judici, cui occulta omnia noverit revelari.

Ezech. 18. & 33.

Iſai.

CAPUT II.

De his qui neceſſitate mortis urgente pœnitentiam ſimul & Viaticum petunt. Et de his qui obmuteſcunt antequàm ad eos Sacerdos daturus pœnitentiam accedat.

Ex Epiſtolâ * Papæ Leonis ad Theodorum Forojulienſem Epiſcopum.

* Ex xci. Pap nem ...

ITa ergo talium neceſſitati auxiliandum eſt, ut nec actio illis pœnitentiæ, nec Communionis gratia denegetur, ſi eam etiam amiſſo vocis officio per indicium integri ſenſûs quærere comprobentur. Quòd ſi ita aliqua ægritudine fuerint aggravati, ut quod paulo ante poſcebant, ſub præſentiâ ſignificare non valeant, teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt, ut ſimul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficia conſequantur. Servatâ tamen regulâ Canonum circà eorum perſonas quæ in dominicâ fide [d] diſcedendo peccaverunt.

CAPUT III.

Quòd oporteat eum qui pro illicitis veniam poſcit, etiam a multis licitis abſtinere.

Ex Epiſtolâ * Papæ Leonis ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, cap. XXVI.

* Ep Ingo

ALiud quidem eſt debita juſtè [e] repoſcere, aliud propria perfectionis amore contemnere. Sed illicitorum veniam poſtulantem oportet etiam à licitis abſtinere, dicente Apoſtolo: *Omnia licent, ſed non omnia expediunt.* Unde ſi pœnitentes habent cauſam quam negligere forte non debeant, melius expetit quis Eccleſiaſticum quàm forenſe judicium.

CAPUT IV.

Quòd pœnitenti nullo lucro negotiationis exercere conveniat.

Ex eâdem Epiſtolâ * XXXII.

* In reſp.

QUalitas lucri negotiantem aut excuſat aut arguit, quia eſt & honeſtus quæſtus & turpis. Verumtamen pœnitenti utilius eſt diſpendia pati, quàm periculis negotiationis adſtringi, quia difficile eſt inter ementis vendentiſque commercium non intervenire peccatum.

a *ſub onere*] Aliter, *periclitantem hominem pondere quo ſe expediri deſiderat. Quid hoc ergo.*
b *pœnitentiam*] in alio codice, *ſperatam pœnitentiam .... & deſperat.*
c *profeſſionem*] Lectionem marginis in textum tranſtuli, ubi editum erat *promiſſionem.*
d *in dominicâ fide*] Alii codices, *qui in Deum à fide*, quod magis placet.
e *debita juſtè*] Marginis lectionem ſequimur: In textu, *debita juſta .... aliud proprio.*

CAPUT V.

Quòd ad militiam ſæcularem poſt pœnitentiam redire non liceat.

Ex eâdem Epiſtolâ. *

* Inquiſit. & reſp. XII.

CONtrarium eſt omninò eccleſiaſticis regulis poſt pœnitentiæ actionem redire ad militiam ſæcularem, cum Apoſtolus dicat: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus.* Unde non eſt liber à laqueis diaboli, qui ſe militiæ mundanæ voluerit implicare.

CAPUT VI.

Quòd adoleſcens ſi urgente quocumque periculo pœnitentiam geſſit, & non ſe continet, [f] uxoris poteſt remedio ſuſtineri, quouſque poſſit adipiſci continentiæ ſtatum per temporis maturitatem: cæteri tamen pœnitentes à conjugiis debeant continere.

Ex eâdem Epiſtolâ. *

* Inquiſit. XIII.

IN adoleſcentiâ conſtitutus ſi urgente aut metu mortis, aut captivitatis periculo pœnitentiam geſſit, & poſtea timens lapſum incontinentiæ juvenilis copulam uxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret; rem videtur feciſſe venialem, ſi præter conjugem nullam omninò cognoverit. In quo tamen non regulam conſtituimus, ſed quid ſit tolerabilius æſtimamus; nam ſecundùm veram cognitionem nihil magis ei congruit qui pœnitentiam geſſit, quàm caſtitas perſeverans mentis & corporis.

CAPUT VII.

De his qui poſt pœnitentiam habitum ſæcularem præſumunt.

Ex Concilio Arelatenſe *, capitulo XXV.

* ſecundo ſub Liberio.

HI qui poſt ſanctam religionis profeſſionem apoſtatant, & ad ſæculum redeunt, & poſtmodum pœnitentiæ remedia non requirunt, ſine pœnitentiâ communionem penitùs non accipiant: quos etiam jubemus ad clericatûs officium non admitti. Et quicumque ille ſit, poſt pœnitentiam habitum ſæcularem non præſumat: quod ſi præſumſerit, ab Eccleſiâ alienus efficiatur.

CAPUT VIII.

Quòd quibuſdam pœnitentibus priſtina reddantur conjugia propter juvenilem ætatem; quibuſdam verò interdicantur conjugia; & quòd hæc à viris & à feminis uniformiter obſervari debeant.

Ex Concilio Toletano *, capitulo VIII.

* VI. ſub Honorio an. 638.

ANtiqui & ſanctiſſimi eſt patris ſententia Papæ Leonis, ut is qui ætate adoleſcentiæ poſitus dum mortis formidat caſum pervenerit ad pœnitentiæ remedium, ſi conjugatus & forte fuerit incontinens, ne poſtea adulterii incurrat lapſum, redeat ad priſtinum conjugium, quouſque poſſit adipiſci temporis maturitate continentiæ ſtatum. Quod nos ſicut de viris, ita & de feminis æquo modo cenſemus. Non quidem hoc generaliter & legitimè præceptum; ſed conſtat à nobis pro humanâ fragilitate indultum: eâ dumtaxat ratione, ut ſi is qui pœnitentiæ non eſt legibus ſubditus [g] ante ab hac vitâ diſceſſerit, quàm ex conſenſu ad continentiam eorum fuerit regreſſus, ſuperſtiti non liceat denuò ad uxorios tranſire amplexus. Si autem illius vita extiterit ſuperſtes qui non accepit benedictionem pœnitentis, nubat ſi ſe continere non poteſt, & alterius fruatur conſortio uxoris. Quod de utroque ſexu pari modo à nobis manifeſtum eſt decreviſſe: ita videlicet ut in his omnibus Sacerdotis ordinatio exſpectetur, ut juxtà quod ætatem aptam proſpexerit continentiæ, abſolutionis vel diſtrictionis tribuat legem.

CAPUT IX.

De his qui pœnitentiam minimè ſervaverunt.

Ex Epiſtolâ Papæ Siricii ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem, cap. V.

DE his verò non incongruè dilectio tua Apoſtolicam ſedem credidit conſulendam, qui actâ pœnitentiâ tamquam canes & ſues ad vomitus priſtinos & volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuò appetivere concubitus: quorum profeſſam incontinentiam generati poſt abſolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia jam ſuffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut ſolâ intrà Eccleſiam fidelibus oratione jungantur, ſacræ myſteriorum celebrati, quamvis non mereantur, interſint: à Dominicæ autem menſæ convivio ſegregentur, ut hac ſaltem diſtrictione correcti, & ipſi in ſe ſua errata caſtigent, & aliis exemplum tribuant quatenùs ab obſcœnis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere cum ad Dominum cœperint proficiſci per communionis gratiam volumus ſubveniri: quam formam & circà mulieres, quæ ſe poſt pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, ſervandam eſſe cenſemus.

CAPUT X.

Qualiter majores pœnitentiam accipiant, quæ minoribus non facilè committenda eſt.

Ex Concilio Agathenſe *, cap. XVII.

* ſub Symmacho.

POenitentes tempore quo pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum & cilicium ſuper capita à Sacerdote, ſicut ubique conſtitutum eſt, conſequantur. Si autem comas non depoſuerint, aut veſtimenta non mutaverint, abjiciantur: & niſi dignè pœnituerint, non recipiantur. Juvenibus etiam pœnitentia non facilè committenda eſt propter ætatis fragilitatem: Viaticum tamen omnibus in morte poſitis non negandum.

CAPUT XI.

Ut pœnitentiæ tempora juxtà qualitatem peccati decernantur.

Ex Concilio Africano *, cap. X.

* Ex Concilio Africano vulgo dicto, ſeu collectione variorum canonum Africanæ provinciæ.

POenitentibus ſecundùm differentiam peccatorum Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.

CAPUT XII.

Ex Concilio Carthaginenſe *, cap. LXXXV.

* IV. ſub Anaſtaſio I.

UT Sacerdos pœnitentiam implorāti abſque perſonæ acceptione pœnitentiæ leges injungat.

f *non continet*] codex unus, *non ſe contineat, ab uxoris amplexu poteſt remedium ſuſtinere*, minùs rectè.

g *legibus ſubditus*] Lect onem hanc in margine reperimus; in textu, *legibus deditus.*

CAPUT XIII.

Ut pœnitentia conjugatis ex conſenſu detur.

* Ex Arelat. 2.

Ex Concilio Arelatenſe *, cap. XXII.

POenitentiam conjugatis non niſi ex conſenſu dandam.

CAPUT XIV.

De remedio pœnitentiæ; & quòd abſolutio pœnitentum per manuum impoſitionem Epiſcoporum ſupplicationibus fiat: propter quod neceſſe eſt ut reatus peccatorum ante ultimum diem Sacerdotali ſupplicatione ſolvatur, etiam ſi periculo mortis urgente ſtatim poſt acceptionem pœnitentia & reconciliatio ſubſequatur.

* Leonis I. epiſt. XCI.

Ex Epiſtolâ Papæ Leonis * ad Theodorum Forojulianenſem Epiſcopum.

MUltiplex miſericordia Dei ita lapſibus humanis ſubvenit, ut non ſolùm per baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ: & qui regenerationis dona violaſſent, proprio ſe judicio condemnantes ad remiſſionem criminum pervenirent. Sic divinæ bonitatis præſidiis ordinatis, ut indulgentiam Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeant obtinere. Mediator enim Dei & hominum Dominus CHRISTUS JESUS hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus ſanctificationem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent: cui utique operi inceſſabiliter ipſe Salvator intervenit, nec unquam ab his abeſt quæ miniſtris ſuis exequenda committit dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* (Matt. 28. 20.) Quâ de re innuitur, ut ſi quid per ſervitutem noſtram bono ordine & gratulando impletur affectu, non ambigamus per Spiritum ſanctum nobis donatum fuiſſe. Si autem aliquis eorum, pro quibus Domino ſupplicamus, quocumque intercepτus obſtaculo à munere præſentis indulgentiæ exciderit, & priuſquàm ad conſtituta remedia perveniat, temporalem vitam humanâ conditione finierit, quod manens in corpore non recepit, conſequi exutus carne non poterit. Idcircò nec neceſſe eſt nos eorum qui ſic obierint, merita actuſque diſcutere: cum Dominus noſter, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale implere miniſterium non potuit, ſuæ juſtitiæ reſervarit: ita poteſtatem ſuam timeri volens, ut hic terror omnibus proſit, & quod quibuſdam tepidis aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Multum enim utile ac neceſſarium eſt, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali ſupplicatione ſolvatur. His autem qui in tempore neceſſitatis, & periculi urgentis inſtantiâ præſidium pœnitentiæ & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda: quia miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera converſio, dicente Dei ſpiritu per Prophetam: *Cum converſus ingemueris, tunc ſalvus eris:* (Iſai. 30. & 43) & alibi: *Dic iniquitates tuas prior, ut juſtificeris.* Item: *Quia apud Dominum miſericordia eſt, & copioſa apud eum redemptio.* (Pſal. 129. 7.) In diſpenſandis itaque Dei donis non debemus eſſe difficiles, nec accuſantium ſe gemitus lacrymaſque negligere, cum ipſam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inſpiratione conceptam, dicente Apoſtolo: *Ne forte det illis Deus pœnitentiam, ut reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.*

CAPUT XV.

De his qui pro diverſis erratibus pœnitudinem ferventiùs exegerunt.

Ex Concilio Laodicenſe *, cap. II.

DE his qui diverſis facinoribus peccaverunt, & perſeverantes in oratione confeſſionis & pœnitentiæ, converſionem à malis habuere perfectam, pro qualitate delicti talibus pœnitentiæ tempus impenſum, propter clementiam & bonitatem Dei communio concedatur.

CAPUT XVI.

Ex Concilio Carthaginis IV. cap. LXXV.

UT negligentiores pœnitentes tardiùs recipiantur.

CAPUT XVII.

Item ex eodem Concilio, cap. LXXVIII.

POenitentes qui in infirmitate Viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manûs impoſitione ſi ſupervixerint.

CAPUT XVIII.

De his qui communionem tempore mortis expoſcunt; aut ſi deſperatus & conſequutus communionem iterum convaluerit.

Ex Concilio Nicæno *, cap. XIII.

DE his qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regulariſque ſervabitur; ita ut ſi quis egreditur è corpore, ultimo & neceſſario viatico minimè privetur: quòd ſi deſperatus, & conſequutus communionem, oblationiſque particeps factus, iterum convaluerit, ſit inter eos qui communionem orationis tantummodo conſequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi communionis gratiam tribui, Epiſcopus probabiliter ex oblatione dare debebit.

CAPUT XIX.

De pœnitentibus, ut à Presbyteris non reconcilientur, niſi præcipiente Epiſcopo.

Ex Concilio Carthaginis tertio, cap. XXXI.

UT pœnitentibus ſecundùm differentiam peccatorum Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur: & ut Presbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet pœnitentem, niſi abſentiâ Epiſcopi neceſſitate cogente. Cujuſcumque autem pœnitentis publicum & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſam Eccleſiam commoverit; ante abſidem manus ei imponatur.

CAPUT XX.

Item ex Concilio Carthaginenſi II. de eâdem re, cap. IV.

AUrelius Epiſcopus dixit: ſi quiſquam in periculo fuerit conſtitutus, & ſe reconciliari di-

h *quod univerſam*] Aliter, *quod univerſa Eccleſia noverit.*

vinis altaribus petierit, ſi Epiſcopus abſens fuerit, debet utique Preſbyter conſulere Epiſcopum, & ſic periclitantem ejus præcepto reconciliare: quam rem debemos ſalubri conſilio roborare. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: placet quod ſanctitas veſtra neceſſariò nos inſtruere dignata eſt.

CAPUT XXI.

De tempore remiſſionis pœnitentium.

* Papæ I.

Ex Epiſtolâ Papæ Innocentii * ad Decentiam Epiſcopum, cap. VII.

DE pœnitentibus autem qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægritudo, quintâ feriâ ante Paſcha eis remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat. Cæterum de pondere æſtimando delictorum Sacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti cum viderit cougruam ſatiſfactionem. Sanè ſi qois in ægritudinem inciderit, atque uſque ad deſperationem devenerit, ei eſt ante tempus Paſchæ relaxandum, ne de ſæculo abſque communione diſcedat.

CAPUT XXII.

Ut pœnitentes ab aliis Epiſcopis vel Preſbyteris non recipiantur, nec alibi communicent, niſi in ipſis locis ubi fuerint excluſi.

* Epiſtola Feecis Papæ III. 7. quæ alibi inſcribitur ad univerſos Epiſcopos.

Ex Epiſtolâ Papæ Felicis * ad Epiſcopos per Siciliam.

CUrandom verò maximè, & omni cautelâ eſt providendum, ne quis fratrum Coëpiſcoporumque noſtrorom, aut etiam Preſbyterorum in alterius civitate vel diœceſi pœnitentem, vel ſub manu poſitom ſacerdotis, aut eum qui reconciliatum ſe eſſe dixerit, ſine Epiſcopi vel Preſbyteri teſtimonio & litteris ad cujus pertinet parochiam, ſuſcipiat: quod ſi aliquâ diſſimulatione negligitur, culpa tangit etiam clerum, qui in locis in quibus hoc minus curatum fuerit, commorator. His itaque rite diſpoſitis, & ad Eccleſiarum veſtrarum [i] notitiam noſtrâ deliberatione * perlatis, parere vos convenit. De his ſimiliter & in Concilio Arelatenſe, cap. XVI.

i

CAPUT XXIII.

De pœnitentibus ſubitò mortuis, ut oblationes eorum recipiantur.

* Ex Vaſenſi I.

Ex Concilio Vaſenſi *, cap. II.

PRo his qui pœnitentiâ acceptâ in bono vitæ curſu ſatisfactoriâ compunctione viventes, ſine communione inopinato nonnunquam tranſitu, in agris, aut in itineribus præveniuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera ac deinceps memoriam Eccleſiaſtico affecto proſequendam; quia nefas eſt eorum commemorationem excludi à ſalutaribus ſacris, qui ad eadem ſacra fideli affectu contendentes, dum ſe diutiùs reos ſtatuunt, indignos ſalutiferis miniſteriis judicant, ac dum purgatiores reſtitui deſiderant, abſque ſacramentorum Viatico intercipiuntur; quibus forte non abſolutiſſimam reconciliationem Sacerdos denegandam putaſſet.

CAPUT XXIV.

De pœnitentibus tranſgreſſoribus.

Ex Concilio Toletano VI. cap. VII.

QUamvis priora nunqoam ſiluerint de tanto facinore Concilia, ratio tamen poſcit ut ea quæ frequenti prævaricatione iterantur, frequenti etiam ſententiâ condemnentur. Et ideo quando tanta exiſtit perverſitas hominom, ot hos quos ſub religioſo habitu pœnitentiæ profeſſio pro peccatorum veniâ ad manum Sacerdotis deduxit, vel adduxit, iterum rediviva malitia ad vitæ priſtinæ ſordes revocet; hujos rei causâ, ſancta Synodus decrevit, ut ſi qui ingenoorum utriuſque ſexûs, ſub nomine pœnitentiæ in habitu religioſo ſunt converſati, poſtea autem comam nutrientes, vel veſtimenta ſæcularia ſumentes, ad id quod reliquerant redierunt, aut redierint, ab Epiſcopo civitatis, in cujus territorio ſunt converſati, comprehenſi rurſùs legibus pœnitentiæ in Monaſteriis ſubdantur inviti. Quod ſi facere propter aliquem poteſtatis vigorem difficile fuerit, tunc ſicut priſcorum canonum ſtatoerunt decreta, quouſque ad dimiſſum ordinem revertantur, excommunicati & anathemate condemnati habeantor: ſed & hi qui poſt excommunicationem vel interdictum cum ipſis communicaverint. Sacerdos autem ad quem pertinere noſcuntur, ſi eos quolibet munere vel favore aut negligentiâ admonere noluerit, ut aut revertentes ſuſcipiat, aut contemnentes de Eccleſiâ rejiciat, ſimili ſententiâ plectatur, quouſque emendationis vel damnationis eorum ab eo ſententia promulgetor.

CAPUT XXV.

Ut Preſbyteri & Diaconi in graviori culpâ convicti, manûs impoſitionem tamquam laïci nequaquam ſuſcipiant.

Ex Concilio Carthaginenſi V. cap. XI.

ITem confirmatum eſt, ut ſi quando Preſbyteri vel Diaconi in aliquâ graviore culpâ convicti fuerint, pro quâ eos à miniſterio neceſſe ſit removeri, non eis manus tamquam pœnitentibus vel tamquam fidelibus laïcis imponatur, neque permittendum ut rebaptizati ad Clericatus gradum promoveantur. De hac * Papa quoque Siricius ita decrevit dicens: Illud quoque vos par fuit providere, ut ſicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum, ita & poſt pœnitudinem ac reconciliationem nulli unquam laïco liceat honorem Clericatûs adipiſci.

CAPUT XXVI.

Ex Concilio [l] Arauſicano *, cap. IV.

l

* Arauſ. I.

POenitentiam deſiderantibus Clericis non negandam.

CAPUT XXVII.

Quòd Preſbyteri aut Diaconi, ſi in aliquo crimine prolapſi fuerint, non poſſint per manûs impoſitionem pœnitentiæ remedium conſequi.

Ex Epiſtolâ Papæ Leonis * ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, cap. XVI.

* Leonis I. Epiſt. XCII. Inquiſit. & reſp. II.

ALienum eſt à conſuetudine Eccleſiaſticâ, ut qui in Preſbyteralem [m] honore aut Diaconii gra-

m

i *veſtrarum*] Ita in margine: in textu *noſtrarum*; ſtatim pro *deliberatione*, cenſeo legendum *relatione*.

l *ex Concilio*] In Indice ſcriptor ſe canonem quemdam ex Concilio Arelatenſi excerptum ſpondet.

m *in Preſbyterali*] Aliter, *Preſbyteralem honorem aut Diaconii gradum fuerint conſequuti*. Intrà particulam negationis quæ omninò neceſſaria erat, adjeci.

n

Digitized by Google

du fuerint conſecrati, hi pro crimine aliquo ſuo per manûs impoſitionem remedium [non] * accipiant pœnitendi, quod ſine dubio ex Apoſtolicâ traditione deſcendit, ſecundùm quod ſcriptum eſt: *Sacerdos ſi peccaverit, quis orabit pro illo?* Unde hujuſmodi lapſis ad promerendam miſericordiam
n Dei privata eſt expetenda ſeceſſio [n], ubi illis ſatisfactio ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa.

CAPUT XXVIII.

De his qui diverſis cauſis gentilitatis ritûs aliquid peregerunt.

Ex Concilio Ancyrano *, cap. IV. * Ancyr. I.

DE his qui ſacrificare coacti ſunt, inſuper & cœnaverunt in idolio, quicumque eorum cum ducerentur lætiore habitu fuerunt, & veſtimentis pretioſioribus uſi ſunt, & præparatæ cœnæ indifferenter participes extiterunt: placuit eos inter audientes uno anno conſtitui, ſuccumbere verò tribus annis, in oratione autem communicare biennio, & tunc ad perfectionis gratiam pervenire. Quotquot autem aſcenderunt templa veſte lugubri, & recumbentes per omne tempus flevere diſcubitûs, ſi compleverunt pœnitentiam triennii temporis, ſine oblatione ſuſcipiantur. Si autem non manducaverint, biennio ſubjecti pœnitentiæ, tertio anno ſine oblatione communicent, ut perfectionem quadriennio conſequantur. Penes autem Epiſcopos erit poteſtas, modum converſionis eorum probantes, vel humaniùs ergà eos agere, vel amplius tempus adjicere. Ante omnia verò præcedens eorum vita & poſterior inquiratur, & ita eis impertiatur humanitas.

CAPUT XXIX.

De lapſis.

Ex Concilio Nicæno *, cap. XI. * ſub Sylveſtro I.

DE his qui præter neceſſitatem prævaricati ſunt, aut præter ablationem facultatum, aut præter periculum, vel aliquid hujuſmodi quod factum eſt ſub tyrannide Licinii; placuit Synodo quamvis humanitate probentur indigni, tamen eis benevolentiam commodari. Quicumque ergo veraciter pœnitudinem gerunt, tribus annis fideles inter audien-
o tes habeantur, & ſex annis [o] omni ſe contritione dejiciant, duobus autem annis ſine oblatione populo in oratione communicent.

CAPUT XXX.

De his qui abrenuntiaverunt, & iterum ad ſæculum ſunt regreſſi.

Ex eodem Concilio, cap. XII.

QUicumque vocati per gratiam, primùm quidem impetum monſtraverunt deponentes militiæ cingulum, poſtmodum verò ad proprium vomitum ſunt relapſi, ita ut quidam & pecunias tribuerent & beneficiis militiam repeterent: hi decem annis poſt triennii tempus quo inter audientes erunt, in afflictione permaneant. Sed in his omnibus propoſitum & ſpeciem pœnitentiæ convenit explorare: quotquot enim metu & lacrymis atque pœnitentia, vel bonis operibus, rebus ipſis converſionem [p] ſuam non ſimulatione demonſtrant; hi definitum tempus auditionis implentes, tum demùm fidelibus in oratione communicent, poſtmodum verò licebit Epiſcopo de his aliquid humanius cogitare. Quicumque verò indifferenter tulerunt, & habitum introeundi [q] Eccleſiam ſibi arbitrati ſunt ad converſionem poſſe ſufficere, hi definitum modis omnibus tempus impleant.

CAPUT XXXI.

De Catholicis in hæreſim tranſeuntibus, ſi revertantur.

Ex Concilio Heliberitano *, cap. XXII. * Sub Sylveſtro I.

SI quis de Eccleſiâ Catholicâ ad hæreſim tranſitum fecerit, rurſuſque ad Eccleſiam recurrerit, placuit huic pœnitentiam non eſſe negandam, eo quod cognoverit peccatum ſuum: qui etiam decem annis agat pœnitentiam, cui poſt decem annos præſtari communio debet. Si verò infantes fuerint tranſducti, quòd non ſuo vitio peccaverint, incunctanter recipi debent.

CAPUT XXXII.

Item ex Concilio Agathenſi * de eâdem re, cap. XXI. * Anno 506.

LApſis, id eſt qui in Catholicâ fide baptizati ſunt, ſi prævaricatione damnabili poſt in hæreſim tranſierint, grandem redeundi difficultatem ſanxit antiquitas; quibus nos annorum multitudine breviatâ pœnitentiam biennii conditione infrà ſcriptæ obſervationis imponimus, ut præſcripto biennio tertiâ die ſine relaxatione jejunent, & eccleſiam ſtudeant frequentare, atque in pœnitentum loco, ſtando & orando humilitatem ita noverint obſervandam, ut etiam ipſi, cum catechumeni egredi commonentur, abſcedant. Hoc ſi obſervare voluerint, conſtituto tempore admittendis ad altarium obſervatio relaxetur: quod ſi arduum vel durum forte putaverint, ſtatuta præteritorum canonum implere debebunt.

CAPUT XXXIII.

Quòd hi qui ad iterationem baptiſmi vel vi vel timore coacti animos inclinarunt, pœnitentiæ ſint ſublevandi remedio, ita ut ſenilis ætatis, periculorum quoque, & ægritudinum, cæterarumque neceſſitatum habeatur ſollicitâ conſideratione reſpectus.

Ex Epiſtolâ Papæ Leonis * ad Nicetam Aquileienſem Epiſcopum, cap. XLVII. * Leon Epiſt. I. cap. V

HI verò de quibus ſimiliter dilectio tua nos credidit conſulendos, qui ad iterandum baptiſmum vel vi [r] coacti vel terrore tranſducti ſunt, &
nunc ſe contrà fidei Catholicæ Sacramentum egiſſe cognoſcunt, ea eſt cuſtodienda moderatio, quâ in ſocietatem noſtram non niſi per pœnitentiæ remedium, & per impoſitionem Epiſcopalis manûs communionis recipiant unitatem. Tempora pœnitudinis habitâ moderatione, tuo conſtituenda judicio, prout converſorum animos inſpexeris eſſe devotos; pariter etiam habens ætatis ſenilis intuitum, & periculorum quorumque aut ægritudinum reſpiciens s

n *ſeceſſio*] Alius codex, *confeſſio*, neſcio an melius.
o *ſex an.* *ii*] In alio codice *ſeptem annis*.
p *converſionem*] Lectionem hanc è margine in textum tranſtulimus, ubi erat *converſationem*. . . . *ſimulationem*.
q *habitum introeundi*] In uno codice *aditum introeundi*, in alio *habitum non introeundi*, ſed hæc poſtrema lectio non eſt nauci.
r *vel vi*] Ita in margine, & quidem aptiùs quàm quod in textu legebatur, *vel metu coacti*, *vel errore*.

neceſſitates: in quibus ſi quis ita graviter urgeatur, ut dum adhuc pœnitet de ſalute ipſius deſperetur, oportet ei per Sacerdotalem ſollicitudinem communionis gratiâ ſubveniri.

CAPUT XXXIV.

Quod Arrianorum Clerici non ſint ſuſcipiendi in ſuis officiis, quamvis eorum baptiſma, quod Catholicum conſtat, confirmet Eccleſia.

* Epiſt. XVIII. cap. 3.

Ex Epiſtolâ * Papæ Innocentii ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum, cap. XLVII.

ARrianos præterea cæteraſque ejuſmodi peſtes, quia eorum laicos converſos ad Dominum ſub imagine pœnitentiæ ac ſancti Spiritûs ſanctificatione per manûs impoſitionem ſuſcipimus, non videtur Clericos eorum Sacerdotii aut miniſterii cujuſpiam ſuſcipere debere dignitatem; quoniam quibus ſolum baptiſma ratum eſſe permittimus, quod utique in nomine Patris & Filii & Spiritûs ſancti perficitur, nec ſanctum Spiritum eos habere ex illo baptiſmate, illiſque myſteriis arbitramur; quoniam cum à Catholicâ fide eorum auctores deſciſcerent, perfectionem Spiritûs quam acceperant, amiſerunt: nec dare ejus plenitudinem poſſunt, quæ maximè in ordinationibus operatur, quam per impietatis ſuæ perfidiam potiùs quàm fidem dixerim, perdiderunt. Quomodo fieri poteſt, ut eorum profanos Sacerdotes dignos Chriſti honoribus arbitremur, quorum laicos imperfectos, ut dixi, ad ſancti Spiritûs gratiam percipiendam cum pœnitentiæ imagine recipiamus?

CAPUT XXXV.

Item de eâdem re.

* Epiſt. XXII. ad Epiſcopos Macedonia.

Ex Epiſtolâ * ad Rufum & Euſebium Epiſcopos, cap. III.

VEntum eſt ad tertiam quæſtionem, quæ pro ſui difficultate longiorem exigit diſputationem, cum nos dicamus ab hæreticis ordinatos vulneratum per illam manûs impoſitionem habere caput, & ubi vulnus infixum eſt, medicina eſt adhibenda, quo poſſit recipere ſanitatem; quæ ſanitas poſt vulnus ſequuta ſine cicatrice eſſe non poterit; atque ubi pœnitentiæ remedium neceſſarium eſt, illic ordinationis honorem locum habere non poſſe decernimus: nam ſi, ut legitur, *quod tetigerit immundus, immundum erit*, quomodo id ei tribuetur quod munditia ac puritas conſuevit accipere?

Num. 19.

CAPUT XXXVI.

De Epiſcopis qui hæreticos vel paganos heredes inſtituunt.

* Vulgo dicto ſub de collectione variorum canonum ex Conciliis Africana provinciæ.

Ex Concilio Africano *, cap. XLVIII.

ITem conſtitutum eſt: ſi quis Epiſcopus heredes extraneos à conſanguinitate ſuâ, vel hæreticos etiam conſanguineos, aut paganos Eccleſiæ prætulerit, ſaltem poſt mortem anathema ei dicatur, atque ejus nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur, nec excuſari poſſit ſi inteſtatus deceſſerit, [f] quia utique debuit factus Epiſcopus rei ſuæ ordinationem congruam ſuæ profeſſioni nequaquam differre.

CAPUT XXXVII.

Non debere hæreticos in hæreſi permanentes Eccleſiam ingredi.

Ex Concilio Laodiciæ, cap. VI.

NOn concedendum hæreticis ingreſſum domûs Dei in hæreſi permanentibus.

CAPUT XXXVIII.

De hæreticis, ſi in mortis diſcrimine convertantur.

* Arauſ. I.

Ex Concilio Arauſico *, cap. II.

HÆreticos in mortis diſcrimine poſitos, ſi Catholici eſſe deſiderant, ſi deſit Epiſcopus, à Presbyteris cum chriſmate & benedictione conſignari placet.

CAPUT XXXIX.

De his qui terrore compulſi ſunt ut hæreticis communicarent, ſi ſe ab hæreticis ſeparare voluerint, ut ab Eccleſiâ catholicâ ſuſcipiantur.

* Epiſt. XI. cap. II. circà medium.

Ex Epiſtolâ * Papæ Leonis ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum.

HI qui plenis ſatisfactionibus malè geſta condemnant, & accuſare magis ſe eligunt, quàm tueri, pacis & communionis noſtræ unitate lætentur, ita ut digno priùs anathemate quæ contrà fidem Catholicam ſunt præcepta damnentur. Aliter enim in Eccleſiâ Dei, quæ corpus eſt Chriſti, nec rata ſunt Sacerdotia, nec vera ſacrificia, niſi in noſtræ proprietate naturæ verus nos Pontifex reconciliat, verus immaculati agni ſanguis emundat. Nec asperè igitur communionis noſtræ gratia deneganda eſt, nec temerè largienda.

CAPUT XL.

Quòd omnis cujuſlibet ordinis Clericus, qui catholicam deſerens hæreticæ ſe communioni miſcuerit, ſi ad Eccleſiam reverſus fuerit, in eo gradu quo erat ſine promotione permaneat.

* Leonis I. Epiſtolâ 3. [e]

Ex Epiſtolâ Papæ Leonis * ad Januarium [s] Aquileienſem Epiſcopum, cap. XIV.

AD animæ periculum pertinet, ſi quiſquam de his qui à nobis in hæreticorum atque ſchiſmaticorum ſectam delapſus eſt, ſe utcumque hæreticæ communionis contagione macularit, reſipiſcens in communione Catholicâ ſine profeſſione legitimæ ſatisfactionis habeatur. Saluberrimum enim & ſpiritalis medicinæ utilitate pleniſſimum eſt, ut ſive Presbyteri, ſive Diaconi, ſive Subdiaconi, aut cujuſlibet ordinis Clerici, qui ſe correctos videri volunt, atque ad Catholicam fidem, quam jampridem amiſerant, rurſum revertere ambiunt, priùs errores ſuos, & ipſos auctores errorum damnari à ſe ſine ambiguitate fateantur. Ut ſenſibus pravis etiam peremptis nulla ſperanda [u] ſuperſit occaſio nec ullum membrum talium poſſit ſocietate violari, cum per omnia illis profeſſio propria cœperit obviare. Circà quos etiam illam Canonū conſtitutionem præcipimus cuſtodiri, ut in magno habeant beneficio, ſi ademptâ ſibi omni ſpe promotionis, in quo inveniuntur ordine, ſtabilitate maneant perpetuâ: ſi tamen iteratâ tinctione non fuerint maculati: non levem

[f] *deceſſerit*] Alius codex, *decreverit*, qui
[s] *ad Januarium*] Aliter *ad Julianum*.

[u] *nulla ſperanda*] Sic in margine: in texto, *ſperanda*... *nec ullum membrum*.

apud Dominum noxam incurrit, qui de talibus ad ſacros promovendos ordines judicarit. Quòd ſi cum grandi examinatione promotio conceditur inculpatis, multo magis non debet licere ſuſpectis.

CAPUT XLI.

De his qui cum hæreticis nuptiarum copulam jungunt.

Ex Concilio Laodiciæ * cap. x. & xxx.

* ſub Sylveſtro, ſeu Liberio.

QUòd non oporteat indifferenter Eccleſiaſticos fœdere nuptiarum hæreticis ſuos filios filiaſque conjungere, ſed magis accipere, ſi tamen Catholicos ſe fieri promittant.

CAPUT XLII.

Ab hæreticis eulogias accipere non debere.

Ex eodem Concilio, cap. xxxii.

NOn oportet ab hæreticis eulogias accipere, quæ ſunt maledictiones potiùs quàm benedictiones: neque cum hæreticis aut ſchiſmaticis pariter orare.

CAPUT XLIII.

De Epiſcopis vel ſequentibus ordinibus, qui ſacroſancta myſteria contrectant, placuit ab uxoribus abſtinere.

Ex Concilio Carthaginenſi *, cap. xxv.

* Carthag. v cap. 3.

AURELIUS Epiſcopus dixit: Addimus, fratres cariſſimi, præterea cum de quorumdam Clericorum, quamvis Lectorum ergà uxores proprias incontinentia referretur, placuit quod & in diverſis Conciliis firmatum eſt, ut Subdiaconi qui ſacra myſteria contrectant, & Diaconi & Preſbyteri, ſed & Epiſcopi ſecundùm propria ſtatuta etiam ab uxoribus ſe contineant, ut tamquam non habentes videantur eſſe. Quod niſi fecerint, ab Eccleſiaſtico removeantur officio. Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi niſi maturiori ætate. Ab univerſo concilio dictum eſt: Quæ veſtra ſanctitas eſt juſtè moderata, & ſancta, & Deo placita ſunt, confirmamus.

CAPUT XLIV.

De his qui ad honorem Preſbyterii ſine examine provecti ſunt.

Ex Concilio Nicæno *, cap. ix.

* ſub Sylveſtro I.

SI qui Preſbyteri ſine examine ſunt provecti, vel cum diſcuterentur peccata ſua confeſſi ſunt, & homines contrà Canones commoti manus confeſſis imponere tentaverint, tales regula non admittit, quia quod irreprehenſibile eſt Catholica deffendit Eccleſia.

CAPUT XLV.

De Preſbyteris qui uxores acceperunt, vel fornicati ſunt.

Ex Concilio Neocæſarienſi *, cap. 1.

* ſub Sylveſtro I.

PReſbyter ſi uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si verò fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, ampliùs pelli debet, & ad pœnitentiam redigi.

CAPUT XLVI.

De Diaconis ſimiliter.

Ex eodem Concilio, cap. x.

SImili modo etiam Diaconus ſi eodem peccato ſuccubuerit, ab ordine miniſterii ſubtrahatur.

Ex Fiz Ma cap.

CAPUT XLVII.

De Diaconis, ſi ante honorem peccare probantur.

QUiſquis Diaconus ſe permiſerit ordinari, & poſtea fuerit detectus in crimine mortis, quod aliquando commiſerit, ſi ſponte fuerit confeſſus, placuit eum actâ legitimâ pœnitentia poſt triennium accipere communionem. Quòd ſi alius eum detexerit, poſt quinquennium acceptâ pœnitentiâ accipere communionem laïcam debere.

CAPUT XLVIII.

De Monachis & Virginibus propoſitum non ſervantibus.

Ex Epiſtolâ Papæ Siricii ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem, cap vi.

PRæterea Monachorum quoſdam atque Monialium abjecto propoſito ſanctitatis in tantam proteſtatis demerſos eſſe laſciviam, ut priùs clanculo velut ſub monaſteriorum prætextu illicitâ ac ſacrilega ſe contagione miſcuerint: poſtea verò in abruptum conſcientiæ deſperatione perducti, de illicitis complexibus liberè filios procrearint, quod & publicæ leges & Eccleſiaſtica jura condemnant. Has igitur impudicas deteſtabileſque perſonas à Monaſteriorum cœtu Eccleſiarumque conventibus eliminandas eſſe mandamus, quatenùs retruſæ in ſuis ergaſtulis tantum facinus continuâ lamentatione deflentes, purificatorio poſſint pœnitudinis igne decoquere, ut eis vel ad mortem ſaltem ſolius miſericordiæ intuitu per communionis gratiam poſſit indulgentia ſubvenire.

CAPUT XLIX.

De ſubintroductis mulieribus.

Ex Concilio Nicæno *, cap. iii.

* ſ

INterdixit per omnia magna Synodus, non Epiſcopo, non Preſbytero, non Diacono, nec alicui omninò qui in clero eſt licere ſubintroductam habere mulierem; niſi forte matrem, aut ſororem, aut amitam, vel eas tantùm perſonas quæ ſuſpiciones effugiunt.

CAPUT L.

De Clericis & Monachis non manentibus in ſuo propoſito.

Ex Concilio Calchedonenſi *, cap. vii.

* ſ

QUi ſemel in clero deputati ſunt, aut Monachorum vitam expetiverunt, ſtatuimus neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam, aut hoc tentantes & non agentes pœnitentiam quominus redeant ad hoc quod propter Deum primitùs elegerunt, anathematizari.

CAPUT LI.

De clericis qui ſunt in ptochiis, Monaſteriis atque Martyriis, quæ ſub poteſtate Epiſcoporum uniuſcujuſque civitatis exiſtunt.

Ex eodem Concilio, cap. VIII

CLerici qui præficiuntur ptochiis, vel qui ordinantur in monaſteriis & baſilicis martyrum, ſub Epiſcoporum qui in unâquâque civitate ſunt, ſecundùm ſanctorum Patrum traditiones poteſtate permaneant; nec per contumaciam ab Epiſcopo ſuo diſſiliant. Qui verò audent evertere hujuſcemodi formam quocumque modo, nec proprio ſubjiciuntur Epiſcopo; ſi quidem Clerici ſunt, Canonum correptionibus ſubjaceant, ſi verò laici, vel monachi fuerint, communione priventur.

CAPUT LII.

De virginibus vel monachis.

Ex eodem Concilio, cap. XVI.

VIrginem quæ ſe Domino Deo conſecravit, ſimiliter & monachum, non licere nuptialia jura contrahere: quòd ſi hoc inventi fuerint perpetrantes, excommunicentur. Confitentibus autem decrevimus ut habeat auctoritatem ejuſdem loci Epiſcopus miſericordiam humanitatemque largiri.

CAPUT LIII.

De his qui fornicantur irrationabiliter, id eſt qui miſcentur pecoribus, vel ſi qui cum propinquis junguntur, aut cum maſculis polluuntur.

Ex Concilio Anchirano*, cap. XV.

* Ex Ancyrano I.

DE his qui irrationabiliter verſati ſunt, ſive verſantur, quotquot ante viceſimum annum tale crimen commiſerint, quindecim annis exactis in pœnitentiâ communionem mereantur orationum, deinde quinquennio in hac communione durantes, tunc demùm oblationis ſacramenta contingant. Diſcutiatur autem & vita eorum qualis tempore pœnitudinis extiterit, & ita miſericordiam conſequantur. Quòd ſi inexplebiliter his hæſere criminibus, ad agendam pœnitentiam prolixius tempus inſumant. Quotquot autem peractâ viginti annorum ætate, & uxores habentes hoc peccato prolapſi ſunt, viginti quinque annis pœnitudinem gerentes in communionem ſuſcipiantur orationum, in quâ quinquennio perdurantes, tunc demùm oblationis ſacramenta percipiant. Quod ſi qui & uxores habentes & tranſcendentes quinquageſimum annum ætatis, ita deliquerint, ad exitum vitæ communionis gratiam conſequantur.

CAPUT LIV.

De his qui in pecudes, vel maſculos, vel olim polluti ſunt, vel hactenus hoc vitio tabeſcunt.

Ex eodem Concilio, cap. XVI.

EOs qui irrationabiliter vixerint, & leprâ injuſti [x] criminis alios polluerint, præcepit ſancta Synodus inter eos orare qui ſpiritu periclitantur immundo.

CAPUT LV.

De his qui adulteras habent uxores, vel ſi ipſi adulteri comprobantur.

Ex eodem Concilio, cap. XIX.

SI cujus uxor adulterata fuerit, vel ſi ipſe adulterium commiſerit, ſeptem annorum pœnitentiâ oportet eum perfectionem conſequi ſecundùm priſtinos gradus.

CAPUT LVI.

De his qui partus ſuos ex fornicatione diverſis modis interimunt.

Ex eodem Concilio, cap. XX.

DE mulieribus quæ fornicantur & partus ſuos necant, vel quæ agunt ſecum ut utero conceptos excutiant, antiqua quidem diffinitio uſque ad exitum vitæ eas ab Eccleſiâ removet: humanius autem nunc diffinimus, ut eis decem annorum tempus ſecundùm præfixos gradus pœnitentiæ largiamur.

CAPUT LVII.

De his qui virginum corruptionibus conſcii ſunt.

Ex eodem Concilio, cap. XXIV.

QUidam ſponſam habens ſororem ejus violavit, & gravidam reddidit; poſtmodum deſponſatam ſibi duxit uxorem; illa verò quæ corrupta eſt, laqueo ſe peremit: hi qui fuerunt conſcii, poſt decennem ſatisfactionem juſſi ſunt ſuſcipi ſecundùm gradus pœnitentiæ conſtitutos.

CAPUT LVIII.

Ut natalitia vel nuptiæ in Quadrageſima non fiant.

Ex Concilio Laodiceæ,* cap. LII.

* ſub Sylveſtro, vel, ut aliis placet, ſub Liberio circà 364.

QUòd non oporteat in Quadrageſimâ aut nuptias, aut natalitia celebrari.

CAPUT LIX.

Ut in Chriſtianorum non ſaltetur nuptiis.

Ex eodem Concilio, cap. LIII.

QUòd non oporteat Chriſtianos euntes ad nuptias plaudere, vel ſaltare, ſed venerabiliter cœnare vel prandere, ſicut Chriſtianos decet.

CAPUT LX.

De parentibus qui fidem ſponſaliorum frangunt.

Ex Concilio Heliberitano*, cap. LIV.

* Anno 305. ſub Marcello I.

SI qui parentes fidem fregerint ſponſaliorum, triennii tempore abſtineant ſe à communione; ſi tamen iidem ſponſus vel ſponſa in gravi crimine fuerint deprehenſi; excuſati erunt parentes.

CAPUT LXI.

Qualiter ſponſus & ſponſa benedicantur, & de caſtimonia eorum tempore nuptiarum.

Ex Concilio Carthaginenſi*, cap. XIII.

* Carthag. IV.

SPonſus & ſponſa cum benedicendi ſunt à Sacerdote, à parentibus ſuis vel à paranymphis offerantur; qui cum benedictionem acceperint, eâdem nocte pro reverentiâ ipſius benedictionis in virginitate permaneant.

CAPUT LXII.

Quòd aliud ſit uxor, aliud concubina, nec erret

x *leprâ injuſti*] Aliter *injuſti*.

quiſquis filiam ſuam in matrimonium concubinam habenti tradiderit.

* Epiſt. XCII. Inquiſit. & reſp. XV. Ex Epiſtolâ * Papæ Leonis ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, cap. XVIII.

NOn omnis mulier viro juncta uxor eſt viri, quia nec omnis filius heres eſt patris: nuptiarum autem fœdera inter ingenuos ſunt legitima, & inter æquales: multo prius hoc ipſum Domino conſtituente, quàm initium Romani juris exiſteret. Itaque aliud eſt uxor, aliud concubina, ſicut aliud ancilla, aliud libera: propter quod etiam Apoſtolus ad manifeſtandam harum perſonarum diſcretionem teſtimonium ponit ex geneſi, ubi dicitur Abrahæ: *Ejice ancillam & filium ejus; non enim heres erit filius ancillæ cum filio meo Iſaac.* Unde cum ſocietas nuptiarum ita ab initio conſtituta ſit, ut præter ſexuum conjunctionem haberet in ſe Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum, dubium non eſt eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuiſſe myſterium. Igitur cujuſlibet loci Clericus ſi filiam ſuam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum eſt quaſi eam conjugato dederit, niſi forte ille mulier & ingenua facta, & dotata legitimè, & publicis nuptiis honeſtata videatur. Paterno arbitrio viris junctæ carent culpâ, ſi mulieres quæ à viris habebantur in matrimonio non fuerunt, quia aliud eſt nupta, aliud concubina.

CAPUT LXIII.

Quòd non ſit conjugii duplicatio, quando ancillâ relicta uxor aſſumitur.

* Inquiſit. & reſp. VI. Ex eâdem Epiſtola *, cap. XIX.

ANcillam à thoro abjicere, & uxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio conjugii, ſed profectus eſt honeſtatis. Culpanda eſt ſanè talium negligentia, ſed non penitùs deſperanda, ut crebris exhortationibus incitati, quod neceſſariè expetierint fideliter exequantur. Nemo enim deſperandus eſt, dum in hoc corpore conſtitutus eſt, quia nonnunquam quod diffidentiâ ætatis differtur, conſilio maturiori perficitur.

CAPUT LXIV.

Quòd debeant feminæ, quæ captis viris nupſerant aliis, regreſſis de captivitate viris prioribus copulari, ut quod ſuum eſt unuſquiſque recipiat.

* Leonis I. Epiſt. LXXIX. Ex Epiſtolâ Papæ Leonis * ad Nicetam Aquileienſem Epiſcopum, cap. I. II.

CUm ergo per bellicam cladem, & per graviſſimos hoſtilitatis incurſus, ita quædam dicatis diviſa eſſe conjugia, ut abductis in captivitatem viris feminæ eorum remanſerint deſtitutæ, quæ viros proprios aut interemptos putarent, aut nunquam à dominatione crediderint liberandos, & in aliorum conjugium ſolitudine cogente tranſierint. Cumque nunc ſtatu rerum auxiliante Domino in meliora converſo, nonnulli eorum qui putabantur periiſſe remearint, meritò charitas tua videtur ambigere, quid de mulieribus, quæ aliis junctæ ſunt viris, à nobis debeat ordinari. Sed quia novimus
Prov. 19. ſcriptum quòd à Domino jungitur mulier viro; &
Matt. 19. it eum præceptum agnovimus: *ut quod Deus junxit, homo non ſeparet.* Neceſſe eſt ut legitimarum fœdera nuptiarum redintegranda credamus, & remotis malis quæ hoſtilitas intulit, unicuique id quod legitimè habuit reformetur, omnique ſtudio procurandum eſt ut recipiat unuſquiſque quod proprium eſt.

CAPUT LXV.

Quòd non probetur eſſe culpabilis, qui uxorem capti in matrimonio videtur eſſe ſortitus.

Ex eâdem Epiſtolâ, cap. * XLIII.

NEc tamen culpabilis judicetur & tamquam alieni juris pervaſor habeatur, qui perſonam ejus mariti, qui jam non eſſe æſtimabatur, aſſumſit. Sic enim multa quæ ad eos, qui in captivitatem ducti ſunt, pertinebant, in jus alienum tranſire potuerint, & tamen plenum juſtitiæ eſt, ut iiſdem reverſis propria reformentur. Quod ſi in mancipiis, vel in agris, aut etiam in domibus ac poſſeſſionibus rite ſervatur, quanto magis in conjugiorum redintegratione faciendum ſit, ut quod bellicà neceſſitate turbatum eſt, pacis remedio reformetur?

CAPUT LXVI.

Ut ſi viri de captivitate regreſſi intemperantiâ uxorum offenſi non fuerint, & voluerint eas in conjugium recipere, liberam habeant facultatem.

Ex eâdem Epiſtolâ, cap. XLIV.

ET ideo ſi viri poſt longam captivitatem reverſi ita in dilectione ſuarum conjugum perſeverant, ut eas cupiant in ſuum redire conſortium; omittendum eſt & inculpabile judicandum quod neceſſitas intulit, & reſtituendum quod fides poſcit.

CAPUT LXVII.

Ut ſi mulieres ad priores maritos redire noluerint, velut impiæ eccleſiaſticâ communione privandæ ſunt.

Ex eâdem Epiſtolâ, cap. * XLV.

SI autem aliquæ mulieres ita poſteriorum virorum amore ſunt captæ, ut malint his cohærere, quàm ad legitimum redire conſortium, meritò ſunt notandæ, ita ut etiam Eccleſiaſticâ communione priventur, quæ de re excuſabili y contaminationem criminis elegerunt, oſtendentes ſibimet pro ſuâ incontinentiâ placuiſſe, quod juſta remiſſio poterat expiare. Redeant ergo in ſuum ſtatum voluntariâ redintegratione conjugia, neque ullo modo ad opprobrium malæ voluntatis trahatur, quod conditio neceſſitatis extorſit; quia ſicut hæ mulieres, quæ revertere ad viros ſuos nolunt, impiæ ſunt habendæ, ita illæ quæ in affectum ex Deo initum redeunt, meritò ſunt laudandæ.

CAPUT LXVIII.

Quòd non liceat alterius ſponſam ad matrimonii jura ſortiri.

Ex Epiſtolâ Papæ Siricii ad Himerium Terraconenſem Epiſcopum, cap. IV.

DE conjugali autem violatione requiſiſti, ſi deſponſatam alii puellam alter in matrimonium poſſit accipere. Hoc ne fiat modis omnibus inhibemus, quia illa benedictio quam nupturæ Sacer-

y *quæ de re excuſabili*] Alias codex *quia inexcuſabiliter*, non malè quidem, ſed illud meliùs.

dos imponit; apud fideles cujuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ullâ tranſgreſſione violetur.

CAPUT LXIX.

De raptoribus.

* *Arelatenſium Epiſc. cap. IV.* Ex Epiſtolâ Papæ Symmachi ad Cæſarium*, cap. III.

RAptores igitur viduarum, vel virginum, ob immanitatem tanti facinoris deteſtamur, illos vehementiùs perſequendo, qui ſacras virgines vel volentes vel invitas matrimonio ſuo ſociare tentaverint, quos pro tam nefandiſſimi criminis atrocitate à communione ſuſpendi præcipimus.

CAPUT LXX.

De his qui rapiunt puellas.

* *ſub Leone I.* Ex Concilio Calcedonenſi*, cap. XXVII.

EOs qui rapiunt mulieres ſub nomine ſimul habitandi, cooperantes aut conniventes raptoribus decrevit ſancta Synodus, ut ſi quidem Clerici ſunt decidant gradu proprio, ſi verò laici, anathematizentur.

CAPUT LXXI.

De deſponſatis puellis & aliis raptis.

* *Ex Ancyr. I. ſub Sylveſtro I.* Ex Concilio Ancyrano,* cap. X.

DEſponſatas puellas, & poſt ab aliis raptas, placuit erui & eis reddi quibus antè fuerant deſponſatæ, etiam ſi eis à raptoribus vis illata conſtiterit.

CAPUT LXXII.

De raptoribus ſi ad Eccleſiam confugerint.

* *Aurelian. I.* Ex Concilio Aurelianenſi,* cap. II.

DE raptoribus autem id conſtituendum eſſe cenſuimus, ut ſi ad Eccleſiam raptor cum raptâ convenerit, & feminam ipſam violentiam pertuliſſe conſtiterit, ſtatim liberetur de poteſtate raptoris, & raptor mortis vel pœnarum impunitate conceſſâ, aut ſerviendi conditioni ſubjectus ſit, aut redimendi ſe liberam habeat facultatem. Si verò quæ rapitur patrem habere conſtiterit, & puella raptori conſenſerit, poteſtate patris excuſata reddatur, & raptor à patre ſuperioris conditionis ſatisfactione teneatur obnoxius.

CAPUT LXXIII.

Quòd hi qui intercedente repudio divortium pertulerunt, aliiſque ſe junxerint nuptiis, adulteri eſſe monſtrentur.

* *Innocent. I. Epiſt. 3.* Ex Epiſtolâ Papæ Innocentii* ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum, cap. VI.

DE his etiam requiſivit dilectio tua, qui interveniente repudio alii ſe matrimonio copularunt; quos in utrâque parte adulteros eſſe manifeſtum eſt. Qui ergo [z], vel quæ, viro vel uxore vivente, quamvis diſſociatum eſſe videatur conjugium, ad aliam tamen copulam feſtinarunt, neque poſſunt adulteri non videri; in tantum ut etiam hæ perſonæ, quibus tales conjuncti ſunt, etiam ipſæ adulterium commiſiſſe videantur; ſecundùm illud quod legimus in Evangelio: *Qui dimiſerit uxorem ſuam, & duxerit aliam, mœchatur: ſimiliter & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Et ideo omnes à communione fidelium abſtinendos. De parentibus autem aut de propinquis eorum nihil tale ſtatui poteſt, niſi ſi incentores illiciti conſortii fuiſſe detegantur. *Matt. 19.*

CAPUT LXXIV.

De his qui uxores, aut quæ viros dimittunt, ut ſic maneant.

Ex Concilio Africano,* cap. LXIX. * *vulgo dicto ſeu collectione variorum canon è Conciliis Africanæ provinciæ.*

PLacuit ut ſecundùm Evangelicam & Apoſtolicam diſciplinam neque dimiſſus ab uxore, neque dimiſſa à marito alteri conjungantur, ſed ita maneant aut ſibimet reconcilientur. Quod ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur; in quâ causâ legem Imperialem petendam promulgavi.

CAPUT LXXV.

De feminis quæ relictis viris ſuis aliis nubunt.

Ex Concilio Heliberitano*, cap. VIII. * *ſub Marcello I.*

ITem feminæ quæ nullâ præcedente causâ reliquerint viros ſuos, & alteri ſe copulaverint [a], nec in fine accipiant communionem.

CAPUT LXXVI.

De feminis quæ adulteros relinquunt, & aliis nubunt.

Ex Concilio quo ſuprà, cap. IX.

ITem femina fidelis, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum ducit, prohibeatur ne ducat; ſi autem duxerit, non priùs accipiat communionem, quàm is quem reliquit de ſæculo exierit, niſi forte neceſſitas infirmitatis dare compulerit.

CAPUT LXXVII.

De ſæcularibus, ut ſine judicio Epiſcopi culpabiles conjuges non relinquant.

Ex Concilio Agathenſi,* cap. XXV. * *Circiter annum 506. cap. XXV.*

HI verò ſæculares qui conjugale conſortium nullâ culpâ graviore dimittunt, vel etiam dimiſerunt, & nullas cauſas diſcidii probabiliter proponentes, propterea ſua matrimonia dimittunt, ut aut aliena aut illicita præſumant: ſi antequàm apud Epiſcopum comprovincialem diſcidii cauſam dixerint, & priùs uxores quàm judicio damnentur, abjecerint, à communione Eccleſiæ, ac ſancti populi cœtu pro eo quod fidem conjugii maculant, excludantur.

CAPUT LXXVIII.

De multinubis.

Ex Concilio Neocæſarienſi,* cap. III. * *ſub Sylveſtro, an. 314.*

DE his qui in plurimas nuptias inciderant, tempus quidem præfinitum manifeſtum eſt, ſed

z *qui ergo*] Lectionem marginis transferre libuit in textum, in quo legebatur, *qui verò & uxor*, mutilè.

a *ſi copulaverint*] In Concilio ipſo additur, *& in hoc permanere voluerint*, quod neſcio an obmitti debuerit.

converſatio eorum & fides tempus abbreviat.

CAPUT LXXIX.

De virginibus ſecularibus ſi mœchaverint.

Ex Concilio Heliberitano, * cap. XIV.

* ſub Marcello I.

VIrgines quæ virginitatem ſuam non cuſtodierint, ſi eoſdem qui eas violaverint maritos acceperint; eo quod ſolas nuptias violaverint, poſt anni unius pœnitentiam reconciliari debebunt; vel ſi alios cognoverint viros, eo quod mœchatæ ſunt, placuit per quinquennii tempora actâ legitimâ pœnitentiâ, admitti eas ad communionem oportere.

CAPUT LXXX.

De bigamis.

Ex Concilio Laodiciæ, * cap. I.

* ſub Sylveſtro vel potiùs Liberio.

DE his qui ſecundùm Eccleſiaſticam regulam liberè ac legitimè ſecundis nuptiis juncti ſunt, nec occultè nuptiarum copulam fecerunt, oportet ut parvo tempore tranſacto vacent orationibus & jejuniis, quibus etiam juxtà indulgentiam communionem reddi decrevimus.

CAPUT LXXXI.

De eo qui uxòrem habet, ſi concubinam habuerit, ut non communicet.

Ex Concilio Toletano, * cap. XLVII.

* Ex Toletano primo.

CÆterum is qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur; tantùm ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ, ut ei placuerit, ſit conjunctione contentus. Aliàs verò vivens abjiciatur, donec deſinat, & ad pœnitentiam revertatur.

CAPUT LXXXII.

De eo qui uxorem habens ſapiùs mœchatur.

Ex Concilio Heliberitano, cap. XLVII.

SI quis fidelis habens uxorem, non ſemel ſed ſæpe fuerit mœchatus, in fine mortis eſt conveniendus; quòd ſi ſe promiſerit ceſſaturum, detur ei communio; ſi reſuſcitatus rursùs fuerit mœchatus, placuit ulteriùs non ludere eum de communione pacis.

CAPUT LXXXIII.

De viris conjugatis poſtea in adulterium lapſis.

Ex Concilio quo ſuprà, cap. LXIX.

SI quis forte habens uxorem ſemel fuerit lapſus, placuit eum quinquennium agere de eâ re pœnitentiam, & ſic reconciliari; niſi neceſſitas infirmitatis coëgerit ante tempus dare communionem. Hoc & circà feminas obſervandum.

CAPUT LXXXIV.

Quòd viri cum adulteris uxoribus non conveniant.

Ex Epiſtolâ Papæ Innocentii * ad Exuperium, cap IV.

* Epiſtola 3. Innocent. I.

ET illud deſiderandum eſt ſciri, cur communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniant, cum contrà uxores in conſortium adulterorum virorum manere videantur. Super hoc chriſtiana religio adulterium in utroque ſexu pari ratione condemnat, ſed viros ſuos mulieres non facilè de adulterio accuſant, & non habent latentia peccata vindictam: viri autem liberiùs uxores adulteras apud Sacerdotes deferre conſueverunt: & ideò mulieribus prodito earum crimine communio denegatur; virorum autem latente commiſſo, non facilè quiſquam ex ſuſpicionibus abſtinetur: qui utique ſubmovebitur, ſi ejus flagitium detegatur. Cum ergo par cauſa ſit, interdum probatione ceſſante vindictæ ratio conquieſcit.

CAPUT LXXXV.

De mulieribus quæ lenocinium fecerint.

Ex Concilio Heliberitano, cap. XII.

MAter vel parens, vel quælibet fidelis, ſi lenocinium exercuerit; eo quod alienum vendiderit corpus vel potiùs ſuum, placuit eam nec in fine accipere communionem.

CAPUT LXXXVI.

De feminis quæ conſciis maritis adulterant.

Ex Concilio quo ſuprà, cap. LXX

SI conſcio marito uxor fuerit mœchata, placuit nec in fine dandam ei eſſe communionem: ſi verò eam reliquerit, poſt decem annos accipiat communionem.

CAPUT LXXXVII.

De fidelibus conjugatis, ſi cum Judæâ vel Gentili mœchaverint.

Ex Concilio quo ſuprà, cap LXXVIII.

SI quis fidelis habens uxorem, cum Judæâ vel Gentili fuerit mœchatus, à communione arceatur: quòd ſi alius eum detexerit, poſt quinquennium actâ legitimâ pœnitentiâ poterit dominicæ ſociari communioni.

CAPUT LXXXVIII.

Ex Concilio Bracarenſi, * cap. LXXIV.

* A... ce... pr... ſi... te... co... I.

SI cujus uxor adulterium fecerit, aut vir in alienam uxorem irruerit, ſeptem annis pœnitentiam agat.

CAPUT LXXXIX.

De his quæ duobus fratribus nupſerint, vel qui duas ſorores acceperint.

Ex Concilio Neocæſarienſi, * cap. II.

* ...

MUlier ſi duobus fratribus nupſerit, abjiciatur uſque ad mortem: verumtamen in exitu propter miſericordiam ſi promiſerit quòd facta incolumis hujus conjunctionis vincla diſſolvat, fructum pœnitentiæ conſequatur: quòd ſi defecerit mulier, aut vir in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vitâ permanenti.

CAPUT XC.

De inceſtis, ut quamdiu in ſcelere ſunt, inter catechumenos habeantur.

Ex

Digitized by Google

* Ilerdenſi tempore Joannis Papæ, circiter 524.

Ex Concilio Hilardenſi, * cap. IV.

DE his qui ſe inceſti pollutione commaculant, placuit, ut quouſque in ipſo deteſtando & illicito carnis contubernio perſeverant, uſque ad Miſſam tantùm catechumenorum in Eccleſiâ admittantur; cum quibus etiam nec cibum ſumere ullum Chriſtianorum, ſicut Apoſtolus juſſit, oportet.

CAPUT XCI.

De his qui proximis ſe copulant, ut à communione Chriſti ſeparentur.

* Ex Tolet. I.

Ex Concilio Toletano, * cap. V.

Levit. 18.

NAm & hæc ſalubriter præcavenda ſancimus, ne quis fidelium propinquam ſanguinis ſui uſqueqoo affinitatis lineamenta generis ſucceſſione cognoſcit, in matrimonio ſibi deſideret copulari: quoniam ſcriptum eſt: *Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus.* Nec ſine denuntiatione fit ſententiæ. Nam paulo poſt infert & dicit: *Anima quæ fecerit de abominationibus iſtis quidpiam, peribit de medio populi ſui.* Si quis ergo hujus decreti temerator exſtiterit, ac vetitum violare præſumſerit, tanto graviori ſe mulctandum ſententiâ recognoſcat, quanto & propinquiorem cui ſe copulari maluit, ſuæ originis eſſe non ambigat; tantoque annoſioris excommunicationis tempore à Chriſti corpore ac fraternitatis conſortio ſequeſtretur, quanto fuerit propinquioris ſanguinis contagione pollutus. Hujus inſtitutionis regulam, cui ſubſcribimus, irrefragabili auctoritate nos ſpondemus ſervaturos. Si quis autem tam noſtrûm vel eorum qui nunc ſanctæ Synodo ex hac provinciâ defuerunt, huic tam ſalubri ordinationi obviare præſumſerit, vel ſolerter adimplere neglexerit, convictus totius fraternæ charitatis aliquando habeatur extraneus.

CAPUT XCII.

De inceſtis conjunctionibus; & viduâ vel virgine in uxore furatâ: & de ariolis & aruſpicibus.

* An. 506.

Ex Concilio Agathenſi, * cap. LXI.

DE inceſtis conjunctionibus nihil prorſus veniæ reſervamus, niſi cum adulterium ſeparatione ſanaverint: inceſtos verò nullo conjugii nomine deputandos, quos etiam deſignare funeſtum eſt, hos eſſe cenſemus. Si quis relictam fratris, quæ penè prius ſoror exſtiterat, carnali conjunctione violaverit: Si quis frater germanam uxorem accipiat. Si quis novercam duxerit: Si quis conſobrinæ ſe ſociet: quod ita præſenti tempore prohibemus, ut ita ea quæ ſunt ante nos inſtituta non diſſolvamus. Si quis relictæ vel filiæ avunculi miſceatur, aut patrui filiæ, vel privignæ ſuæ conjugio polluatur [b]. Sanè quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem.

CAPUT XCIII.

Gregorius ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa dixit.

DEo verò favente ſollicitudine nimiâ freti animæquiori mente divino juvamine pro ſalute omnium ſtudere debemus, ut inconfuſo vultu non de fraude cujuſquam perculſi aſſiſtere æterno judici mereamur, & vocem audire inquientem: *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuprà multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Hinc namque eſt, quod ingemiſcens dico, quia populi Chriſtiani aliquos per provinciam Italiam hanc commorantes audio temerè contrà Catholicam fidem & Patrum ſtatuta agere; ita ut Deo ſacratas feminas ducere præſumant mulieres, & propinquas conjugio ſocient: quod oportunum eſt ſpiritali amputari mucrone, atque ſi veſtræ placet ſanctitati radicitùs evelli, ne ſeges boni agricolæ zizaniorum mixta horrentibus fructetis ſordeſcat. Et infrà:

I. Si quis Preſbyteram duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit.

II. Si quis Diaconum [c] duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit.

III. Si quis Monacham, quam Dei ancillam appellant, in conjugio duxerit, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit.

IV. Si quis commatrem ſpiritalem duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit.

V. Si quis fratris uxorem duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit.

VI. Si quis neptem duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit.

VII. Si quis novercam aut nurum ſuam duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit.

VIII. Si quis conſobrinam duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit.

IX. Si quis de propriâ cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit.

X. Si quis viduam furatus fuerit in uxorem, vel conſentiens ei, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit.

XI. Si quis virginem, niſi deſponſaverit, furatus fuerit in uxorem, vel conſentiens ei, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit.

XII. Si quis ariolos, aruſpices, vel incantatores obſervaverit, aut phylacteriis uſus fuerit, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit.

CAPUT XCIV.

De his qui divinationes expetunt.

Ex Concilio Ancyrano, * cap. XXIII.

* Ancyr. I.

QUi divinationes expetunt, & morem gentilium ſubſequuntur, aut in domos ſuas hujuſcemodi homines introducunt exquirendi aliquid arte maleficâ, aut expiandi cauſâ, ſub regulâ quinquennii jaceant ſecundùm gradus pœnitentiæ definitos.

CAPUT XCV.

De divinis & ſortilegis.

Ex Concilio Bracarenſi, * cap. XX.

* Ex Capitulis Martini Bracarenſis, cap. LXXI.

SI quis paganorum conſuetudinem ſequens divinos & ſortilegos in domum ſuam introduxerit,

[b] *conjugio polluatur*] In ipſo Concilio ſequitur, *Aut qui ex propria conſanguinitate aliquam, aut quam conſanguineus habuit concubitu polluat, aut duxerit uxorem. Quos omnes olim, atque ſub hac conſtitutione inceſtos eſſe non dubitamus, & inter catechumenos uſque ad legitimam ſatisfactionem manere & orare præcipimus: quod ita præſenti tempore prohibemus, ut ea quæ ſunt hactenus inſtituta non diſſolvamus.*

[c] *ſi quis Diaconum*] Imò *Diaconiſſam.*

quaſi ut malum foras mittant, aut maleficia inveniant, vel luſtrationes paganorum faciant; quinque annis pœnitentiam agant.

CAPUT XCVI.

De eo quod non liceat Chriſtianis obſervationes diverſas attendere.

* cap. LXXII. Ex Concilio quo ſuprà, cap. XXI.*

NOn liceat Chriſtianis traditiones gentilium obſervare, vel colere elementa, aut lunæ aut ſtellarum curſum; aut manem ſignorum fallaciam pro domo faciendâ, vel propter ſegetes vel arbores plantandas, vel conjugia ſocianda. Scriptum eſt enim: *Omnia quæ facitis aut in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri* JESU-CHRISTI *facite, gratias agentes Deo.* (Coloſſ. 3.)

CAPUT XCVII.

* cap. LXXIV. Ex Concilio quo ſuprà, cap. XXII *.

NOn liceat in collectione herbarum, quæ medicinales ſunt, aliquas obſervationes aut incantationes attendere, niſi tantùm cum Symbolo divino & oratione Dominicâ, ut tantùm Deus & Dominus honoretur.

CAPUT XCVIII.

* cap. LXXV. Ex Concilio quo ſuprà, cap. XXIII.*

NOn liceat mulieres Chriſtianas vanitatem in ſuis lanificiis obſervare, ſed Deum invocent adjutorem, qui eis ſapientiam texendi donavit.

CAPUT XCIX.

* Carthag. IV. Ex Concilio Carthaginenſi *, cap. LXXXIX

AUguriis vel incantationibus ſervientem à conventu Eccleſiæ ſeparandum. Similiter & Judaicis ſuperſtitionibus, vel feriis inhærentem.

CAPUT C.

De his qui partus ſuos ex fornicatione diverſis modis interimunt.

Ex Concilio Ancyrano *, cap. XX.

* Ex Ancyr. hoc idem cap. ſuprà num. LVI.

DE mulieribus quæ fornicantur & partus ſuos necant, vel quæ agunt ſecum ut utero conceptos excutiant: antiqua quidem diffinitio uſque ad exitum vitæ eas ab Eccleſiâ removet; humanius autem nunc diffinimus, ut eis decem annorum tempus ſecundùm præfixos gradus pœnitentiæ largiamur.

CAPUT CI.

De homicidis.

Ex Concilio quo ſuprà, cap. XXI.

QUi voluntariè homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem jugiter ſe ſubmittant, perfectionem verò circà vitæ exitum conſequantur.

CAPUT CII.

De his qui non ſponte homicidium commiſerunt.

Ex Concilio quo ſuprà, cap. XXII.

DE homicidiis non ſponte commiſſis, prior quidem diffinitio poſt ſeptennem pœnitentiam perfectionem conſequi præcepit, ſecunda vero quinquennii tempus explere.

CAPUT CIII.

Si domina per zelum ancillam occiderit.

Ex Concilio Heliberitano, cap. V.

SI quæ femina furore zeli accenſa, flagellis verberaverit ancillam ſuam, ita ut infrà tertium diem animam cum cruciatu effundat: & quòd incertum ſit voluntate an caſu occiderit; ſi voluntate, poſt ſeptem annos, ſi caſu, per quinquennii tempora actâ legitimâ pœnitentiâ ad communionem [d] placuit admitti: quòd ſi infrà tempora conſtituta fuerit infirmata, accipiat communionem.

CAPUT CIV.

Si quicumque per maleficium hominem interfecerit.

Ex Concilio quo ſuprà, cap. VI.

SI quis verò maleficio interficiat alterum, eo quod ſine idololatriâ perficere ſcelus non potuit, nec in fine [e] impertiendam illi communionem.

CAPUT CV.

De his qui ſibi quâcumque negligentiâ mortem inferunt, eorum commemoratio in oblatione non fiat. Similiter & de his qui pro ſuis ſceleribus puniuntur.

Ex Concilio Bracarenſi *, cap. XVI.

PLacuit ut hi qui ſibi ipſis aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut ſuſpendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat; neque cum pſalmis ad ſepulturam eorum cadavera deducantur: multi enim ſibi hoc per ignorantiam uſurparunt. Similiter & de his placuit fieri, qui pro ſuis ſceleribus puniuntur.

CAPUT CVI.

De homicidis vel falſis teſtibus.

Ex Concilio Agathenſi, cap. XXXV. *

ITaque cenſuimus homicidas & falſos teſtes à communione Eccleſiaſticâ ſubmovendos, niſi pœnitentiæ ſatisfactione crimina admiſſa diluerint.

CAPUT CVII.

De his qui ſervos ſuos extrà judicem necant.

Ex Concilio Agathenſi, cap. LXIII.*

SI quis ſervum proprium ſine conſcientiâ judicis occiderit, excommunicatione, vel pœnitentiâ biennii reatum ſanguinis emendabit.

CAPUT CVIII.

De ſervis qui ad Eccleſiam confugerint, ut poſt ju-

[d] *ad communionem .... admitti*] Sic editum erat in margine: in textu, *à communione placuit abſtinere.*

[e] *nec in fine*] In Concilio edito, *niſi in fine impertiendam non eſſe.*

ramentum exire nolentes liceat occupari.

* *Aurel. 1.*

Ex Concilio Aurelianenſi *, cap. III.

SErvus qui ad Eccleſiam pro quâlibet culpâ confugerit, ſi à domino pro admiſsâ culpâ ſacramentum ſuſceperit, ſtatim ad ſervitium domini ſui redire cogatur: & poſtea quàm dato ſacramento domino ſuo fuerit conſignatus, ſi aliquid pœnæ pro eâdem culpâ, quâ excuſatur, probatus fuerit pertuliſſe, pro contemptu Eccleſiæ & prævaricatione fidei à communione & convivio Catholicorum extraneus habeatur. Si verò ſervus pro culpâ ſuâ ab Eccleſiâ defenſatus, ſacramenta domini Clericis exigentibus de impunitate perceperit, exire nolentem à domino liceat occupari.

CAPUT CIX.

De diſcordantibus Epiſcopis.

* *Ex Carthag. IV.*

Ex Concilio Carthaginenſi *, cap. XXV.

DIſſidentes Epiſcopos, ſi non timor Dei, Synodus reconciliet.

Epiſcopus diſſidentes Clericos ſive laicos concordare compellat.

Ex Concilio Carthaginenſi, cap. XXVI.

STudendum Epiſcopo ut diſſidentes fratres, ſive Clericos, ſive laicos, ad pacem magis quàm ad judicium hortetur.

CAPUT CX.

De his qui per odium ad pacem non revertuntur.

* *Anno 506. ut ſuprà.*

Ex Concilio Agathenſi *, cap. XXXI.

PLacuit etiam ut ſicut plerumque fit, quicumque odio aut longinquâ inter ſe lite diſſenſerint, & ad pacem revocari diuturnâ intentione nequiverint, à civitatis primitùs Sacerdotibus arguantur; qui ſi inimicitias deponere perniciosâ intentione noluerint, de Eccleſiæ cœtu juſtiſſimâ excommunicatione pellantur.

CAPUT CXI.

De his qui ſacramento ſe obligant, ne ad pacem redeant.

* *Circiter 524.*

Ex Concilio Ilerdenſi *, cap. VII.

QUi ſacramento ſe obligaverit ut litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat, pro perjurio uno anno à communione corporis & ſanguinis Domini ſegregetur: reatum ſuum eleemoſynis & fletibus, ac quantis potuerit jejuniis abſolvat: ad charitatem verò, *quæ operit multitudinem peccatorum*, celeriter redire feſtinet.

CAPUT CXII.

Ut oblationes fratrum diſcordantium non recipiantur.

* *Carthag. IV.*

Ex Concilio Carthaginenſi *, cap. XCIX.

OBlationes diſſidentium fratrum neque in gazophylacio, neque in ſacrario recipiantur.

CAPUT CXIII.

Caput tondere mulieri non licere.

* *Ex Concil. Gangrenſi ſub Sylveſtro I.*

Ex Concilio Agathenſi *.

QUæcumque mulier religioni judicans convenire, comam ſibi amputaverit, quam Deus ad velamen ejus & ad memoriam ſubjectionis illi dedit, tamquam reſolvens jura ſubjectionis anathema ſit.

CAPUT CXIV.

Ne feminæ in cœmeteriis pervigilent.

Ex Concilio Heliberitano, cap. XXXV.

PLacuit prohiberi ne feminæ in cœmeterio pervigilent, eo quod ſæpe ſub obtentu orationis latenter ſcelera committant.

CAPUT CXV.

De ultione nequiter judicantium.

* *Toletano IV.*

Ex Concilio Toletano *, cap. XXXII.

EPiſcopi in protegendis populis ac defendendis impoſitam à Deo ſibi curam non ambigant, ideoque dum conſpiciant judices ac potentes pauperum oppreſſores exiſtere, priùs eos Sacerdotali commonitione redarguant; & ſi contempſerint, emendari eorum inſolentiam regiis auribus intiment, ut quos Sacerdotalis admonitio non flectit ad juſtitiam, regalis poteſtas ab improbitate coërceat.

CAPUT CXVI.

Ut nullus civium feſtivitates majores in villâ celebret.

* *Aurel. I. can. XXV.*

Ex Concilio Aurelianenſi *, cap. XX.

UT nulli civium Paſchæ [g], Natalis Domini, vel Quinquageſimæ ſolemnitatem in villâ liceat celebrare, niſi quem infirmitas probabitur tenuiſſe.

CAPUT CXVII.

De his qui tardius ad Eccleſiam accedunt.

Ex Concilio Heliberitano, cap. XXI.

SI quis in civitate poſitus tres Dominicas ad Eccleſiam non acceſſerit, pauco tempore abſtineatur, ut correptus eſſe videatur.

CAPUT CXVIII.

De laicis, quibus temporibus communicare debeant.

* *Anno 506. cap. XVIII.*

Ex Concilio Agathenſi. *

SÆculares verò qui Natalem Domini, Paſcha, Pentecoſten non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.

CAPUT CXIX.

De laicis qui in ſolemnitatibus ad civitatem non occurrunt.

* *cap. LXIII.*

Ex Concilio, quo ſuprà. *

UT cives qui ſuperiorum ſolemnitatum, id eſt, Paſchæ aut Natalis Domini [g] feſtivita-

g *Natalis Domini*] Locus corruptus: ſed qui ex Concilio ipſo facilè poſſit emendari; ſic enim in eo legitur: *Natalis Domini vel Pentecoſtes feſtivitatibus cum Epiſcopis intereſſe neglexerint (cum in civitatibus communionis vel benedictionis accipiendæ cauſâ poſitos ſe noſſe debeant, triennio*, &c. Hic monere juvat, inter antiquas Burgenſium leges hanc fuiſſe, Burgenſi quidem licuiſſe menſes ſex in villâ ſuâ degere, ſed ita ut niſi in præcipuis quibuſque ſolemnitatibus ipſe aut uxor ſua in civitate adeſſet, civitatis jure mulctaretur.

tibus cum Epiſcopis intereſſe neglexerint, in quibus civitatibus poſitus accipiendæ communioni ſuæ benedictionis deſiderio noverint; qui hoc facere neglexerint, triennio communione priventur Eccleſiæ.

CAPUT CXX.

De his qui intrantes in Eccleſiam, per nimiam luxuriam ſuam Sacramento ſe abſtinent.

* Ex Capitulis Martini Epiſ. Bracar. cap. LXXXIII.

Ex Concilio Bracarenſi. *

SI quis intrat in Eccleſiam Dei, & ſacras ſcripturas non audit, & pro luxuriâ ſuâ avertit ſe à communione Sacramenti, & in obſervandis myſteriis declinat conſtitutam regulam diſciplinæ, iſtum talem projiciendum de Eccleſiâ Catholicâ eſſe decernimus, donec pœnitentiam agat, & oſtendat fructum pœnitentiæ ſuæ, ut poſſit communionem perceptâ indulgentiâ promereri.

CAPUT CXXI.

De non permittendum imperare Religioſis.

* Toletano x. cap. III.

Ex Concilio Toletano. *

REverentiæ totius auditu percipiatur, quia res adeo dura, non fruſtra cogimur hanc doctori exſtirpare cenſurâ: agnovimus enim quoſdam Pontifices præcepti Principis Apoſtolorum, qui ait: *Paſcite qui in vobis eſt gregem non coacti, ſed ſpontanee, neque ut dominantes in clero, ſed forma facti gregis*, ita eſſe immemores, ut quibuſdam Monaſteriis, parochialibuſque Eccleſiis, aut ſuæ conſanguinitatis perſonas, aut ſui favoris participes iniquum ſæpe ſtatuant in Prælatum, ita illis providentes commoda inhoneſta, ut eiſdem deferantur, aut quæ proprio Epiſcopo dare juſtus ordo popoſcerit, aut quæ rapere deputati exactoris violentia potuerit: proinde decenter omnibus placet & in præſenti tale reſcindi factum, & non eſſe de cætero faciendum. Nam quiſquis Pontificum deinceps aut ſanguine propinquis, aut favore ſibi perſonis quibuſcumque devinctis, talia commodare lucra tentaverit auſu nefandæ præſumptionis, & quod viſum fuerit devocetur in irritum, & qui ordinabit, annuæ excommunicationis ferat excidium. Quæ verò ablata fortaſſe fuerint, ab eo qui tulit reddantur in duplum.

1. Pet. 5.

CAPUT CXXII.

Quòd uſuram non ſolùm Clerici exigere non debeant, ſed nec laici Chriſtiani.

* Leonis I. Epiſt. I.

Ex Epiſtolâ Leonis * ad Epiſcopos per Campaniam & diverſas provincias.

NEc hoc quoque prætereundum duximus, quoſdam lucri turpis cupiditate captos uſurariam exercere pecuniam, & fœnore velle diteſcere: quod nos non dicam in eos qui ſunt in clericali officio conſtituti, ſed in laicos cadere qui Chriſtianos ſe dici cupiunt, condolemus. Quod vindicari acriùs in eos qui fuerint confutati decernimus, ut omnis peccandi opportunitas adimatur.

Explicit Liber primus.

a *nec in fine*] In altero codice, non niſi in fine.

INCIPIT LIBER II.

CAPITULUM PRIMUM.

De Conjuratione vel conſpiratione.

Ex Concilio Calchedonenſi *, cap. XVIII.

* Sub

COnjurationis vel conſpirationis crimen & ab exteris legibus eſt omninò prohibitum; multo magis hoc in Dei Eccleſiâ ne fiat admonere conveniet. Si qui ergo Clerici vel Monachi reperti fuerint conjurantes, aut conſpirantes, aut inſidias ponentes Epiſcopis vel Clericis, gradu proprio penitùs abjiciantur.

CAPUT II.

De delatoribus.

Ex Concilio Heliberitano, cap. LXXIII.

DElator ſi quis exſtiterit fidelis, & per delationem ejus aliquis fuerit proſcriptus vel interfectus, placuit eum nec a in fine accipere communionem: ſi levior cauſa fuerit, intrà quinquennium accipere poterit communionem. Si catechumenus fuerit, poſt quinquennii tempora admittatur ad baptiſmum.

CAPUT III.

De accuſatis & accuſatoribus.

Ex Concilio Carthaginis *, cap. XCVI.

* Ca

QUærendum in judicio cujus ſit converſationis & fidei is qui accuſas, & is qui accuſatur.

CAPUT IV.

Quòd excommunicati ad accuſationem admitti non debeant.

Ex Concilio Africano *, cap. XCV.

* Vi ſeu vari nom alit. prov Cart cap.

PLacuitque omnibus, quoniam ſuperioribus Conciliorum decretis de perſonis quæ admittendæ ſunt ad accuſationem Clericorum jam conſtitutum eſt, & quæ perſonæ non admittentur non expreſſum eſt; idcirco diffinimus competentè ad accuſationem non admitti, qui poſtea quàm excommunicatus fuerit, in ipſâ adhuc excommunicatione conſtitutus, ſive ſit Clericus, ſive laicus, accuſare voluerit.

CAPUT V.

Quòd ſervi & liberti, omneſque infames perſonæ non debeant accuſare.

Ex eodem Concilio, cap. XCVI.

ITem placuit ut omnes ſervi vel proprii liberti ad accuſationem non admittantur, & omnes quos ad accuſanda publica crimina leges publicæ non admittunt. Omnes etiam infamiæ maculis aſperſi, id eſt hiſtriones ac turpitudinibus ſubjectæ perſonæ, hæretici etiam, ſive pagani, ſive Judæi. Sed tamen omnibus quibus accuſatio denegatur, in cauſis propriis accuſandi licentia non neganda.

CAPUT VI.

Ut qui unum crimen non probaverit, ad alterum admitti non debeat.

Ex eodem Concilio, cap. xcvii.

ITem placuit ut quotieſcumque Clericis ab accuſatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex ipſis, de quo priùs egerint, probare non valuerint, ad cætera jam non admittantur.

CAPUT VII.

Qui ad teſtimonium admittendi ſunt.

Ex eodem Concilio, cap. xcviii.

TEſtes autem ad teſtimonium non admittendos, qui nec ad accuſationem admitti præcepti ſunt, vel etiam quos ipſe accuſator de ſuâ domo produxerit; ad teſtimonium autem infrà annos quatuordecim ætatis ſuæ non admittantur.

CAPUT VIII.

De Epiſcopo qui excommunicat eum, qui ſibi ſoli crimen dicit eſſe confeſſum.

Ex eodem Concilio, cap. xcix.

ITem placuit, ut ſi quando Epiſcopus dicit aliquem ſibi ſoli proprium crimen fuiſſe confeſſum, atque ille neget, [b] non putet ad injuriam ſuam Epiſcopus pertinere, quòd illi ſoli non creditur. Et ſi ſcrupulo propriæ conſcientiæ ſe dicit neganti nolle communicare,

CAPUT IX.

Ut non temerè quemquam communione privet Epiſcopus.

Ex Concilio quo ſuprà, cap. c.

QUamdiù excommunicato non communicaverit ſuus Epiſcopus, eidem Epiſcopo ab aliis non communicetur Epiſcopis, ut magis caveat Epiſcopus, ne dicat in quemquam quod aliis documentis convincere non poteſt.

CAPUT X.

De his qui in accuſationem majoris natu veniunt, & ut Epiſcopum nulli criminoſo liceat accuſare.

Ex Concilio Carthaginenſi *, cap. vi.

* Carthag. 51. In codice can. Afric. Eccleſ. cap. VIII.

NUmidius Epiſcopus Aſſulitanus [c] dixit; Præterea ſunt quamplurimi non bonæ converſationis, qui exiſtimant majores natu vel Epiſcopos paſſim vageque in accuſationem pulſandos: debent tam facilè admitti nec ne? Aurelius Epiſcopus dixit: Placet igitur charitati veſtræ, ut is qui aliquibus ſceleribus irretitus eſt, vocem adversus majorem natu non habeat accuſandi? Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt; ſi criminoſus eſt, non admittatur, placet.

CAPUT XI.

De his qui merito facinorum ſuorum ab Eccleſia congregatione pelluntur.

Ex eodem Concilio [d], cap. ix.

AUguſtinus Epiſcopus legatus provinciæ Numidiæ dixit: Hoc ſtatuere dignamini, ut ſi qui fortè merito facinorum ſuorum ab Eccleſiâ pulſi ſunt, & ſive ab aliquo Epiſcopo vel Preſbytero fuerint in communione ſuſcepti, etiam ipſe cum eis pari crimine teneatur obnoxius, refugientes ſui Epiſcopi regulare judicium. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt; Omnibus placet.

CAPUT XII.

De Preſbyteris qui à propriis corripiuntur Epiſcopis.

Ex eodem Concilio *, cap. x.

* In eod. conc. cap. x. & in Carthag. II. cap. 8.

ALippius Epiſcopus legatus Provinciæ Numidiæ dixit: Nec illud prætermittendum eſt, ut ſi quis fortè Preſbyter ab Epiſcopo ſuo correptus, tumore vel ſuperbiâ inflatus putaverit ſeparatim ſacrificia Deo offerenda, vel aliud erigendum altare contrà Eccleſiaſticam fidem diſciplinamque crediderit; non exeat impunitus. Valentinus primæ ſedis provinciæ Numidiæ dixit: Neceſſariò diſciplinæ Eccleſiaſticæ & fidei congrua ſunt, quæ frater noſter Alippius proſequutus eſt, proinde quid videatur veſtræ dilectioni edicite.

CAPUT XIII.

Si quis Epiſcopus abſque tempore Synodi in crimine detentus fuerit, à duodecim Epiſcopis audiatur.

Ex eodem Concilio *, cap. xii.

* In eod. can. cap. xii. & in Carthag. II. cap. 10.

FElix Epiſcopus dixit: Suggero ſecundùm ſtatuta veterum Conciliorum, ut ſi quis Epiſcopus, quod non optamus, in reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia neceſſitas non poſſe plurimos congregare, ne in crimine remaneat, à duodecim Epiſcopis, & Preſbyter à ſex Epiſcopis cum proprio ſuo Epiſcopo audiatur; & Diaconus à tribus.

CAPUT XIV.

De diverſis ordinibus Eccleſiæ ſervientibus; ut ſi quis in cauſam criminis incurrerit, & abnuerit judicium Eccleſiaſticum, debeat periclitari: & ut filii Sacerdotum ſpectacula ſæcularia non exhibeant.

capitulo xv. *

* In eod. can. at 9. in Concil. Carth. III.

ITem placuit, quiſquis Epiſcoporum, Preſbyterorum, & Diaconorum, ſeu Clericorum, cum in Eccleſiâ ei fuerit crimen inſtitutum, vel civilis cauſa fuerit commota, ſi relicto eccleſiaſtico judicio publicis judiciis purgari voluerit, etiam ſi pro ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſuum amittat. Et hoc in criminali actione, in civili verò perdat quod evicit, ſi locum ſuum obtinere maluerit. * Hoc etiam placuit, ut à quibuſcumque judicibus Eccleſiaſticis ad alios judices Eccleſiaſticos, ubi eſt major auctoritas, fuerit provocatum, non eis obſit quorum fuerit ſoluta ſententia, ſi convicti non fuerint, vel inimico animo judicaſſe, vel aliquâ cupiditate aut gratiâ depravati. Sanè ſi ex conſenſu partium electi fuerint judices, etiam à pauciore numero quàm conſtitutum eſt, non liceat provocari *. Et ut filii Sacerdotum ſpectacula ſæcularia non exhibeant; ſed nec ſpectent, licet hoc ſemper Chriſtianis omnibus interdictum ſit, & ubi blaſphemiæ ſunt non accedant.

* Carth. Conc. III. cap. 2.

* Cap. 9. Carthag. I.

b *ille neget*] In editis additur, *& pœnitere noluerit*. Monendus eſt lector ſequens capitulum cum hoc legi conjunctum debere: ideoque à nobis in hujus fine virgulam duntaxat editam.

c *Aſſulitanus*] Hoc loco variant libri: in aliis enim legitur *Maſſilitanus*, in aliis *Maſſilianitanus*, in aliis *Maxulitanus*.

d *Concilio*] Non extat quidem in illo concilio, ſed ſumptus eſt in codice Canonum Eccleſiæ Africanæ.

Ex eodem Concilio, cap. xv.

GAUDENTIUS Epiſcopus dixit: Addendum eſt ſi placet huic ſententiæ, quam plenam ſanctitate protuliſti, ut cum aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit, eorum Epiſcoporum judicio qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum ſibi negotium in urbe Româ, alter Epiſcopus in ejus cathedrâ poſt appellationem ejus qui videtur eſſe depoſitus, omninò non ordinetur, niſi fuerit cauſa in judicio Epiſcopi Romani determinata.

CAPUT XXXIII.

De Clericis à communione ſummotis, ab aliis non recipiendis Epiſcopis.

Ex eodem Concilio, cap. xvi.

OSIUS Epiſcopus dixit: Si hoc quoque omnibus placet, ut ſive Diaconus, ſive Preſbyter, ſive quis Clericorum ab Epiſcopo ſuo communione fuerit privatus, & ad alterum perrexerit Epiſcopum, & ſcierit ille ad quem confugit eum ab Epiſcopo ſuo fuiſſe abjectum, non oportet ut ei communionem indulgeat: quod ſi fecerit, ſciat ſe convocatis Epiſcopis cauſas eſſe dicturum. Univerſi dixerunt: Hoc ſtatutum & pacem ſervabit, & concordiam cuſtodiet.

CAPUT XXXIV.

De excommunicatis apud vicinos Epiſcopos audiendis.

Ex eodem Concilio, cap. xvii.

OSIUS Epiſcopus dixit: Quod me adhuc movet reticere non debeo. Si Epiſcopus quis fortè iracundus, quod non eſſe debet, citò aut aſperè commoveatur adversùs Preſbyterum, ſive Diaconum ſuum, & exterminare eum de Eccleſiâ voluerit, providendum eſt ne innocens damnetur, aut perdat communionem: & ideo habeat poteſtatem is qui abjectus eſt, ut Epiſcopos finitimos interpellet, & cauſa ejus audiatur, ac diligentiùs tractetur: quia non oportet ei negari audientiam roganti. Et ille Epiſcopus, qui juſtè aut injuſtè eum abjecit, patienter accipiat ut negotium diſcutiatur, ut vel probetur ſententia ejus à plurimis, vel emendetur. Tamen priùs quàm omnia diligenter & fideliter examinentur, eum qui fuerat à communione ſeparatus, ante cognitionem nullus debet præſumere ut eum recipiat & communioni ſociet. Hi verò qui conveniunt ad audiendum, ſi viderint Clericorum eſſe faſtigium & ſuperbiam, quia jam non decet ut Epiſcopus injuriam vel contumeliam patiatur, ſeverioribus eos verbis caſtigent, ut obediant honeſta præcipienti Epiſcopo: quia ſicut ille Clericis ſincerum exhibere debet amorem charitatis, ita quoque viciſſim miniſtri infucata debent Epiſcopo ſuo exhibere obſequia.

CAPUT XXXV.

Quòd non oporteat Clericos habentes adversùs ſe invicem negotia proprium Epiſcopum relinquere, & ad ſæcularia judicia convolare.

Ex Concilio Calchedonenſi *, cap. ix.

* ſub Leone I. an. 451.

SI quis Clericus adversùs Clericum habet negotium, non deſerat Epiſcopum proprium, & ad ſæcularia percurrat judicia; ſed priùs actio ventiletur apud Epiſcopum proprium, vel certè conſilio ejuſdem Epiſcopi apud quos utræque partes voluerint judicium continebunt. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis correctionibus ſubjacebit. Quòd ſi Clericus habet cauſam adversùs Epiſcopum proprium, vel adversùs alterum, apud Synodum provinciæ judicetur: quòd ſi adverſus ejuſdem provinciæ Metropolitanum Epiſcopus vel Clericus habet querelam, petat Primatem Diœceſeos, aut ſedem Regiæ urbis Conſtantinopolitanæ, & apud ipſum judicetur.

CAPUT XXXVI.

Si quis excommunicatus ante audientiam communicare præſumſerit, ipſe in ſe damnationem protulit.

Ex Concilio Carthaginenſi, cap. xxviii *

* Ex c... Eccleſ. cap. x...

ITem placuit univerſo Concilio, ut qui excommunicatus fuerit pro ſuo neglectu, ſive Epiſcopus, ſive quilibet Clericus, & tempore excommunicationis ſuæ ante audientiam communionem præſumſerit, ipſe in ſe damnationis judicetur protuliſſe ſententiam.

CAPUT XXXVII.

Ut Clerici de judicii ſui cognitione non cogantur in publico dicere teſtimonium.

Ex Concilio Africano, cap. xxvi *.

* Sen... ne vo... canon, cilus A... provinc...

PEtendum etiam ut ſtatuere dignentur, ut ſi qui fortè in Eccleſiâ quamlibet cauſam jure Apoſtolico Eccleſiis impoſito agere voluerint, & fortè deciſio Clericorum uni parti diſplicuerit; non liceat Clericum in judicium ad teſtimonium devocari, eum qui cognitor vel præſens fuit, & nulla ad teſtimonium dicendum Eccleſiaſtici cujuſlibet perſona pulſetur.

CAPUT XXXVIII.

De Clericis damnatis.

Ex Concilio Africano, cap xxix

Ibid.

ET illud petendum ut ſtatuere dignentur, ut ſi quis cujuſlibet honoris Clericus judicio Epiſcoporum quorumque crimine fuerit damnatus, non liceat eum ſive ab Eccleſiis quibus præfuit, ſive à quolibet homine defenſari, interpoſitâ pœnâ damni pecuniæ atque honoris, quo nec ætatem, nec ſexum excuſare præcipiant.

CAPUT XXXIX.

De Clericis qui intrà annum cauſam ſuam agere non procuraverint.

Ex Concilio Africano, cap xlvi.

Ibid.

RUrſum conſtitutum eſt, ut quoties Clericis convictis & confeſſis in aliquo crimine, vel propter eorum quorum verecundiæ parcitur, vel propter Eccleſiæ opprobrium, aut inſolentem inſultationem hæreticorum atque gentilium, ſi fortè cauſæ ſuæ adeſſe voluerint, & innocentiam ſuam aſſerere, intrà annum excommunicationis hoc faciant: ſi verò intrà annum cauſam ſuam purgare contemſerint [f], nulla eorum vox poſtea penitùs audiatur.

[f] *contemſerint*] Legibus noſtris, antiquis quidem, ſed quas antiquatas dicere nolim, ſi laicus excommunicatus ſe intra annum purgare neglexerit, graviter mulctatur. V. ordinationes Regias à D. De Lauriere editas.

CAPUT

CAPUT XL.

Quòd electorum judicum ſententia ſperni non debeat.

Ibid. Ex Concilio Africano, cap. LXXXIX.

A judicibus autem quos communis conſenſus elegerit, non liceat provocare; & quiſquis probatus fuerit pro contumaciâ nolle obtemperare judicibus, cum hoc primæ ſedis Epiſcopo fuerit probatum, det litteras, ut nullus ei communicet Epiſcoporum donec obtemperet.

CAPUT XLI.

De Presbyteris & Clericis, ut non appellent niſi ad Africanum Concilium.

Ex eodem Concilio, cap. XCII.

ITem placuit, ut Presbyteri, Diaconi vel cæteri inferiores Clerici in cauſis quas habuerint, ſi de judiciis Epiſcoporum ſuorum queſti fuerint, vicini Epiſcopi eos audiant, & inter eos quidquid eſt finiant, adhibiti ab eis ex conſenſu Epiſcoporum ſuorum: quòd ſi & ab eis provocandum putaverint, non provocent niſi ad Africanum Concilium, vel ad Primates provinciarum ſuarum. Ad tranſmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intrà Africam in communionem ſuſcipiatur.

CAPUT XLII.

Ut Clericus ſine Pontificis ſui miſſo nullum ad ſæculare judicium præſumat trahere.

Ex Concilio Aurelianenſi*, cap. XXXII.

* Aurel. 3.

CLericus in cujuſlibet gradu poſitus, ſine Pontificis ſui permiſſu nullum ad ſæculare judicium præſumat attrahere; neque laico, inconſulto Sacerdote Clericum in ſæculare judicium liceat exhibere.

CAPUT XLIII.

De damnatis & miniſtrare tentantibus.

Ex Concilio Antiocheno*, cap. IV.

* ſub Julio I. an. 341.

SI quis Epiſcopus damnatus à Synodo, Presbyter aut Diaconus à ſuo Epiſcopo, auſi fuerint aliquid de miniſterio ſacro contingere, ſive Epiſcopus juxtà præcedentem conſuetudinem, ſive Presbyter aut Diaconus, nullo modo liceat ei nec in aliâ Synodo reſtitutionis ſpem, aut locum habere ſatisfactionis: ſed & communicantes ei omnes abjici de Eccleſiâ, & maximè ſi poſtea quàm didicerint adversùm memoratos prolatam fuiſſe ſententiam eiſdem communicare tentaverint.

CAPUT XLIV.

De Clericis excommunicatis, & laicis.

Ex Concilio Antiocheno, cap. VI.

SI quis à proprio Epiſcopo communione privatus eſt, non ante ſuſcipiatur ab aliis, quàm ſuo reconcilietur Epiſcopo; aut certè ad Synodum, quæ congregatur occurrens, pro ſe ſatisfaciat, & perſuadens Concilio ſententiam ſuſcipiat alteram. Hæc autem definitio maneat circà laïcos, & Presbyteros, & Diaconos, omneſque qui ſub regulâ eſſe monſtrantur.

CAPUT XLV.

De Epiſcopis & Clericis adeuntibus Imperatorem.

Ex Concilio Antiocheno, cap. XI.

SI quis Epiſcopus aut Presbyter, aut quilibet regulæ ſubjectus Eccleſiæ, præter conſilium & litteras Epiſcoporum provinciæ, & præcipuè Metropolitani adierit Imperatorem; hunc reprobari & abjici oportet, non ſolùm à communione, verùm & ab honore cujus particeps videtur exiſtere; quia venerandi Principis auribus moleſtiam tentavit inferre contrà leges Eccleſiæ. Si igitur adire Principem neceſſaria cauſa depoſcit, hoc agatur cum tractatu & conſilio Metropolitani & cæterorum Epiſcoporum, qui in eâdem provincia commorantur: qui etiam proficiſcentem ſuis proſequantur epiſtolis.

CAPUT XLVI.

De damnatis Epiſcopis aut Clericis, & adeuntibus Imperatorem.

Ex eodem Concilio, cap. XII.

SI quis à proprio Epiſcopo, Presbyter, aut Diaconus, aut à Synodo fuerit Epiſcopus forte damnatus, & Imperatoris auribus moleſtus extiterit, oportet ad majus Epiſcoporum converti Concilium, & quæ putaverint habere juſta plurimis Epiſcopis ſuggerant, eorumque diſcuſſiones ac judicia præſtolentur. Si vero hæc parvi pendentes moleſti fuerint Imperatori, hos nullâ veniâ dignos eſſe, nec locum ſatisfactionis habere, nec ſpem futuræ reſtitutionis penitùs opperiri dijudicamus.

CAPUT XLVII.

De Epiſcopis ab ejuſdem provincia Sacerdotibus conſonanter excluſis.

Ex Concilio Antiocheno, cap. XV.

SI quis Epiſcopus de certis criminibus accuſatus, condemnetur ab omnibus Epiſcopis ejuſdem provinciæ, cunctique conſonanter eamdem contrà eum formam decreti protulerint, hunc apud alios nullo modo judicari, ſed firmam concordantium Epiſcoporum provinciæ manere ſententiam.

CAPUT XLVIII.

De Synodis quæ ab Epiſcopis, ſuis debent temporibus in provinciâ celebrari.

Ex Concilio Antiocheno, cap. XX.

PRopter utilitates Eccleſiaſticas, & abſolutiones earum rerum, quæ dubitationem controverſiamque recipiunt, optime placuit ut per ſingulas quaſque provincias bis in anno Epiſcoporum Concilia celebrentur. Semel quidem poſt tertiam ſeptimanam feſti Paſchalis, ita ut quartâ ſeptimanâ quæ conſequitur, id eſt medio Pentecoſtes conveniat Synodus, Metropolitano provinciales Epiſcopos admonente. Secunda verò Synodus fiat Idibus Octobris, id eſt decimo quinto die menſis Octobris, quem hyperberetæon Græci cognominant. In ipſis autem Conciliis adſint Presbyteri, & Diaconi, & omnes qui ſe læſos exiſtimant, & Synodi experiantur examen. Nullis verò liceat apud ſe celebrare Concilia, præter eos quibus Metropolitana jura videntur eſſe commiſſa.

CAPUT XLIX.

De Epiſcopis qui ad Concilia non occurrunt.

Ex Concilio Africano [a], cap. XLIII.

[a] *vulgo dicto, ſeu collectione variorum canonum Conciliis Africanæ provinciæ.*

ITem placuit, ut quotieſcumque Concilium congregandum eſt, Epiſcopi qui neque ætate, neque ægritudine, neque aliqua graviori neceſſitate impediuntur, competenter occurrant; & Primatibus ſuarum quarumque provinciarum intimentur, ut de univerſis Epiſcopis, vel duæ vel tres turmæ fiant, ac de ſingulis turmis viciſſim quotquot electi fuerint ad diem Concilii inſtantiſſimè occurrant: quòd ſi non potuerint occurrere, excuſationes ſuas in tractoriâ ſubſcribant, vel ſi poſt adventum tractoriæ aliquæ neceſſitates repente forſitan ortæ fuerint, niſi rationem impedimenti ſui apud ſuum Primatem reddiderint, Eccleſiæ ſuæ communionem debere eſſe contentos.

CAPUT L.

Ut de alieno Monaſterio ſuſceptos, nec Præpoſitos Monaſterii, nec Clericos liceat ordinare.

Ex Concilio Africano [b], cap. XLVII.

[b] *Idem.*

ITem placuit, ut ſi quis de alterius Monaſterio repertum, vel ad Clericatum promovere voluerit, vel in ſuo Monaſterio majorem Monaſterii conſtituerit, Epiſcopus qui hoc fecerit à cæterorum communione ſejunctus, ſuæ tantum plebis communione contentus ſit: & ille neque Clericus neque præpoſitus perſeveret.

CAPUT LI.

De ordine quo depoſiti iterum ordinentur.

Ex Concilio Toletano, [c] cap. XXVIII.

[c] *Tolet. IV.*

EPiſcopus, Preſbyter, aut Diaconus ſi à gradu ſuo injuſtè dejectus, in ſecunda Synodo innocens reperiatur, non poteſt eſſe quod fuerat, niſi gradus amiſſos recipiat coram altario de manu Epiſcoporum, ſi Epiſcopus eſt, orarium, annulum, & baculum recipiat, ſi Preſbyter, orarium, & planetam; ſi Diaconus orarium & albam; ſi Subdiaconus patenam & calicem, ſic & reliqui gradus ea in reparationem ſui recipiant, quæ cum ordinarentur perceperunt.

CAPUT LII.

Ut Epiſcopus diœceſanos Preſbyteros, & quoſdam ex laicis convenire litteris ad Synodum moneat.

Ex Concilio Terraconenſi [d], cap. XIII.

[d] *Tempore Hormiſdæ circa 516.*

EPiſtolæ tales per fratres à Metropolitano ſunt dirigendæ, ut non ſolum de cathedralis Eccleſiæ Preſbyteris, verùm etiam de diœceſanis ad Concilium trahant, & aliquos de filiis Eccleſiæ ſæcularibus ſecum adducere debeant.

CAPUT LIII.

Ut ad Metropolitani arbitrium Synodus congregetur.

Ex Concilio Arelatenſi, [e] cap. XVIII.

[e] *Arelat. II.*

AD Arelatenſis Epiſcopi arbitrium Synodus congreganda, ad quam urbem ex omnibus mundi partibus præcipuè Gallicanis ſub ſancti Martini tempore legimus celebratum fuiſſe Concilium atque Conventum. Si quis commonitus infirmitatis causâ defuerit, perſonam vice ſuâ dirigat.

CAPUT LIV.

De defenſoribus Eccleſiarum ab Imperatore poſcendis.

Ex Concilio Carthaginenſi [f], cap. XIV

[f] *C. dicto*

AB Imperatoribus, univerſis viſum eſt poſtulandum, propter afflictionem pauperum, quorum moleſtiis ſine intermiſſione fatigatur Eccleſia, ut defenſores eis adverſus potentias divitum cum Epiſcoporum proviſione delegentur.

CAPUT LV.

De his qui Eccleſiaſtica miniſteria præter Eccleſiam faciunt.

Ex Concilio Gangrenſi, [g] cap. VI.

[g] *Tem veſte 324.*

SI quis extrà Eccleſiam ſeorſum conventus celebrat, & deſpiciens Eccleſiam ea quæ ſunt Eccleſiæ voluerit uſurpare, non conveniente Preſbytero juxtà decretum Epiſcopi, anathema ſit.

CAPUT LVI.

De fructuum oblationibus, quæ miniſtris Eccleſiæ conferuntur.

Ex eodem Concilio, cap. VII.

SI quis oblationes Eccleſiæ extrà Eccleſiam accipere vel dare voluerit præter conſcientiam Epiſcopi, vel ejus cui hujuſcemodi officia commiſſa ſunt, nec cum ejus voluerit agere conſilio, anathema ſit.

CAPUT LVII.

De his quæ in uſus pauperum conferuntur.

Ex eodem Concilio, cap. VIII.

SI quis dederit aut acceperit oblata præter Epiſcopum, vel eum qui conſtitutus eſt ab eo, ad diſpenſandam miſericordiam pauperibus, & qui dat & qui accipit, anathema ſit.

CAPUT LVIII.

De his qui agapas, id eſt paſtiones pauperum viſui deputant.

Ex eodem Concilio, cap. XI.

SI quis deſpicit eos qui fideliter agapas, id eſt convivia pauperibus exhibent, & propter honorem Domini convocant fratres, & noluerit communicare hujuſcemodi vocationibus parvipendens quod geritur, anathema ſit.

CAPUT LIX.

Ut qui oblationes defunctorum retinent, excommunicentur.

Ex Concilio Vaſenſi, [h] cap. IV

[h] *V.*

QUi oblationes defunctorum retinent, & Eccleſiis tradere demorantur, ut infideles ſunt ab Eccleſiâ abjiciendi, quia uſque ad exſtinctionem fidei pervenire certum eſt hanc pietatis divinæ exacerbationem; quia & fideles de corpore recedentes

Digitized by Google

votorum ſuorum plenitudine, & pauperes collata alimoniæ & neceſſariâ ſuſtentatione fraudantur. Hi enim tales quaſi egentium necatores, nec credentes judicium Dei habendi ſunt. Unde & quidam Patrum hoc ſcriptis ſuis inſeruit congruente ſententiâ, quâ ait: » Amico quidpiam rapere, furtum « eſt; Eccleſiam fraudare, ſacrilegium. « Auguſtinus in ſermone Evangelii Joannis: » Ecce inter » ſanctos eſt Judas: ecce fur eſt Judas: & ne contemnas, fur ſacrilegus, non qualiſcumque fur » loculorum, ſed dominicorum: loculorum, ſed ſacrorum: ſi crimina diſcernuntur in foro, qualiſcumque fur & peculatus; peculatus enim dicitur » furtum de Republicâ, & non ſic judicatur furtum » rei privatæ, quomodo publicæ: quanto vehementiùs judicandus eſt fur ſacrilegus, qui auſus fuerit non undecumque tollere, hoc eſt de Eccleſia » tollere? Qui aliquid de Eccleſia furatur, rapit & » tollit, Judæ perditu comparatur ».

Hieron. epiſt. 2. ad Nepotianum. Expoſit. in Evang. Joan. tract. 50.

CAPUT LX.

De his qui ſuas, vel propinquorum oblationes Eccleſiæ fraudant.

Ex Concilio Agathenſi, * cap. IV.

** Anno Chriſti 506.*

CLerici etiam vel ſæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut teſtamento relictas retinere præſumſerint, aut id quod ipſi donaverunt Eccleſiis, vel Monaſteriis crediderint auferendum, ſicut Synodus ſancta conſtituit, velut necatores pauperum quouſque reddant, ab Eccleſiis excludantur.

CAPUT LXI.

Si quis potentium quemlibet exſpoliaverit, & admonente Epiſcopo non reddiderit, excommunicetur.

Ex Concilio Toletano, * cap. XI.

** Tolet. 2.*

SI quis de potentibus Clericum aut quemlibet pauperiorem aut religioſum exſpoliaverit & mandaverit eum ad ſe venire Epiſcopus ut audiatur, & contemſerit; invicem mox ſcripta percurrant per omnes provinciæ Epiſcopos, & quoſcumque adire potuerint, ut excommunicatus habeatur, donec audiatur & reddat aliena.

CAPUT LXII.

Si Epiſcopus à Metropolitano admonitus pro Synodo, vel ordinatione Epiſcopali, venire diſtulerit.

Ex Concilio Agathenſi, * cap. XXXVI.

** Anno 506. cap. XXXV.*

SI Metropolitanus Epiſcopus ad Comprovinciales Epiſcopos epiſtolas direxerit, in quibus eos aut ad ordinationem ſummi Pontificis, aut ad Synodum invitet; poſtpoſitis omnibus, exceptâ gravi infirmitate corporis, aut præceptione regiâ, ad conſtitutam diem adeſſe non differant: quod ſi defuerint, ſicut priſca Canonum præcepit auctoritas, uſque ad proximam Synodum charitate fratrum & Eccleſiæ communione priventur.

Symmachus * Cæſario Epiſcopo: Igitur quemadmodum ſuprà diximus, per ſingulas Eccleſias beneficia quæ ſunt data cuſtodita ſerventur, & ſi tamen Eccleſiæ Aquenſis Antiſtes, vel alius quilibet Metropolitano Pontifici juxtà Canonum diffinitionem vocatus obtemperare noluerit, noverit ſe ſuccidendum, quod non optamus, Eccleſiaſticâ diſciplinâ.

** Ex epiſt. 2.*

CAPUT LXIII.

Ut Epiſcopus, qui contrà ſuam poſſeſſionem in Concilio habitam venerit, deponatur.

Ex Concilio Carthaginenſi, * cap. XIII.

** Carthag. nomine ſecundo.*

SI quis contrà ſuam poſſeſſionem & ſubſcriptionem venerit in aliquo, ipſe ſe honore privabit. Genedius Epiſcopus dixit: Omnia ergo quæ à cœtu glorioſiſſimo ſtatuta ſunt, placet ab omnibus cuſtodiri. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt, placet, placet ut cuſtodiantur ab omnibus.

CAPUT LXIV.

De communione privatis, & ita defunctis.

Ex Epiſtolâ Leonis * Papæ ad Ruſticum.

** Leonis I. ep 92. inquiſit. 8.*

HOrum cauſa Dei judicio reſervanda eſt, in cujus manu fuit, ut talium obitus uſque ad communionis remedium non differretur: nos autem quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non poſſumus.

CAPUT LXV.

De terminis minimè transferendis.

Ex Epiſtolâ * Papæ Innocentii ad Florentium, cap. XXXI.

** Epiſt. VIII. Innoc. I. ad Florentium Epiſc. Tiburtinum.*

INnocentius Florentino Epiſcopo Tiburtinenſi. Non ſemel ſed aliquoties clamat ſcriptura divina transferri non oportere terminos à Patribus conſtitutos, quia nefas eſt, ſi quod alter ſemper poſſederit, alter invadat. Quod tuam bonitatem frater & Coëpiſcopus noſter Urſus aſſerit perpetraſſe: nam Nomentanam ſive Felicienſem parochiam ad ſuam dioceſim à majoribus pertinentem invaſiſſe te, atque illic divina celebraſſe myſteria inconſulto eodem ac neſciente, non ſine dolore conqueſtus eſt. Quod ſi verum eſt, non leviter te culpam incurriſſe cognoſcas: unde ſi declinare cupis tantæ uſurpationis inviſiam, noſtris litteris admonitum te convenit abſtinere. Certè ſi aliquid tibi credis juſtitiæ ſuffragari, integris omnibus & in priſtino ſtatu manentibus poſt dies venerabiles Paſchæ adeſſe debebis; ut memoratis poſſis intentionibus reſpondere, partibuſque in medio collocatis quid antiquitas aut veritas habeant requiramus.

CAPUT LXVI.

De Epiſcopis qui quod repetere potuerint, prætermiſſâ Synodo invaſerint.

Ex Concilio Carthaginis *.

** Ex cod. can. cap. 120. Ex Conc. Afric. cap. 87.*

PLacuit, ut Epiſcopi quaſcumque Eccleſias vel plebes, quas ad ſuam cathedram exiſtimant pertinere, non ita repetierint, ut cauſas ſuas, Epiſcopis judicantibus, agant, ſed alio renitente irruerint, ſive volentibus ſive nolentibus plebibus, cauſæ ſuæ detrimentum patiantur. Et quicumque jam hoc fecerunt, ſi nondum eſt inter Epiſcopos finita contentio, ſed adhuc inde contendunt; ille inde diſcedat quem conſtiterit, prætermiſſis judicibus Eccleſiaſticis, irruiſſe. Nec ſibi quiſque blandiatur, ſi à Primate, ut retineat, litteras impetrarit: ſed ſive habeat litteras, ſive non habeat, conveniat eum qui tenet, & ejus litteras accipiat, ut eum appareat pacificè tenuiſſe Eccleſiam ad ſe pertinentem. Si autem ille aliquam quæſtionem retulerit, per Epiſcopos judices cauſa finiatur, ſive quos eis Primates dede-

rint, ſive quos ipſi vicinos cum conſultu Primatis delegerint.

CAPUT LXVII.

Ut baſilicæ, in cujus territorio ſunt, in ejus Epiſcopi maneant poteſtate.

Ex Concilio Aurelianenſi, * cap. xxxvii.

* Aurel. I. cap. XVII.

OMnes autem baſilicæ, quæ per diverſa loca conſtructæ ſunt, vel quotidie conſtruuntur, placuit ſecundùm priorum Canonum regulam, ut in ejus Epiſcopi, in cujus territorio poſitæ ſunt, poteſtate conſiſtant.

CAPUT LXVIII.

De parochiis.

Ex Concilio Calchedonenſi, * cap xvii.

* ſub Leone I.

SIngularum Eccleſiarum ruſticas parochias vel in poſſeſſionibus manere debere inconcuſſas illis Epiſcopis, qui eas retinere noſcuntur, & maximè ſi per tricennium eas abſque vi obtinentes ſub diſpenſatione rexerunt. Quòd ſi intrà tricennium facta fuerit vel fiat altercatio, licere eis qui ſe læſos aſſerunt apud ſanctam Synodum provinciæ certare. Quòd ſi quiſquam à Metropolitano læditur, apud Primatem Diœceſeos, aut apud ſanctam Conſtantinopolitanam ſedem judicetur, ſicut ſuperiùs dictum eſt. Si quæ verò civitas poteſtate imperiali novata eſt, g aut ſi protinùs innovetur, civiles diſpoſitiones & publicas Eccleſiaſticarum parochiarum quoque ordines ſubſequantur.

g

CAPUT LXIX.

Quòd eccleſiarum omnium dotes ad Epiſ… ordinationem debeant pertinere.

Ex Concilio Toletano *, cap. xix.

* Tolet. 3.

MUlti contrà Canonum conſtituta ſic Eccleſias, quas ædificaverint, poſtulant conſecrari, ut dotem quam ei Eccleſiæ contulerint cenſeant ad Epiſcopi ordinationem non pertinere, quod factum & in præteritum diſplicet, & in futuro prohibetur: ſed omnia ſecundùm conſtitutionem antiquam ad Epiſcopi ordinationem & poteſtatem pertineant.

CAPUT LXX.

De tricennali præſcriptione, ut poſt triginta annos nulli liceat pro eo appellare quod legum tempus excluſit.

Ex Epiſtolâ Papæ Gelaſii. *

a

Epiſt. 2 Gelaſii I. ad Epiſcopos Siculos, ſub finem.

ILlud etiam adnecti placuit, ut ſi, quod abſit, facultates Eccleſiæ, nec non & diœceſes quæ ab aliquibus poſſidentur Epiſcopis jure ibi vindicent quod tricennalis lex concluſit, quia & filiorum noſtrorum Principum ita emanavit auctoritas, ut ultrà triginta annos nulli liceat pro eo appellare, quos legum tempus excludit. Datum Idibus Maii Aſterio & Præſidio Coſſ.

CAPUT LXXI.

Ut Epiſcopus ambulet per diœceſim ſuam.

Ex Concilio Bracarenſi *, cap. I.

* Con car. a nno.

PLacuit omnibus Epiſcopis atque convenit, ut per ſingulas Eccleſias Epiſcopi per diœceſes ambulantes, primùm diſcutiant Clericos quomodo ordinem baptiſmi teneant, vel Miſſarum, & qualiter quæcumque officia in Eccleſiâ peragant: & ſi rectè quidem invenerint, Deo gratias, ſin autem minimè, docere debent, ignaros, & hoc modis omnibus præcipere, ut ſicut antiqui Canones jubent, ante dies viginti baptiſmi ad purgationem exorciſmi catechumeni currant, in quos viginti dies omninò catechumeni Symbolum quod eſt, *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, ſpecialiter doceantur. Poſtquàm ergo hæc ſuos Clericos diſcuſſerint vel docuerint Epiſcopi, aliâ die convocatâ plebe ipſius Eccleſiæ, doceant illos ut errorem fugiant idolorum, vel diverſa crimina, id eſt homicidium, adulterium, perjurium, falſum teſtimonium, & reliqua peccata mortifera; & quod nolunt ſibi fieri, non faciant alteri: & ut credant reſurrectionem omnium hominum, & diem judicii in quo unuſquiſque ſecundùm ſua opera recepturus ſit. Et ſic poſtea Epiſcopus de Eccleſiâ illâ proficiſcatur ad aliam.

CAPUT LXXII.

Ut Epiſcopus duos ſolidos tantùm accipiat, neque tertiam partem de oblationibus quærat, & ut Clerici non cogantur more ſervili.

Ex Concilio quo ſuprà, cap. II.

PLacuit ut nullus Epiſcoporum cum ſuas diœceſes perambulant, præter honorem cathedræ ſuæ, id eſt duos ſolidos, aliquid aliud per Eccleſias tollat; neque tertiam partem ex quâcumque oblatione populi in Eccleſiis parochialibus requirat; ſed illa tertia pars pro luminaribus Eccleſiæ vel recuperatione ſervetur: & ſingulis annis Epiſcopo exinde ratio fiat: nam ſi tertiam partem illam Epiſcopus tollat, lumen & ſarta tecta abſtulit Eccleſiæ. Similiter & ut parochiales Clerici ſervili more in aliquibus operibus Epiſcopo ſervire non cogantur, quia ſcriptum eſt: *Neque ut dominantes in clero.* 1. Pe

CAPUT LXXIII.

De exactione Eccleſiarum Galliciæ provinciæ.

Ex Concilio Toletano VII. cap. IV.

INter cætera denique quæ communi conſenſu nos conferre competenter oportuit, querimonias etiam parochialium Preſbyterorum Galliciæ provinciæ ſolertiſſimè diſcernere decuit, quas contrà Pontificum ſuorum rapacitates neceſſitas, ut comperimus, tandem compulit in publicum examen deferre. Hi enim Pontifices, ut evidens inquiſitio patefecit, indiſcreto moderamine parochianas Eccleſias prægravantes, dum in exactionibus ſuperfluis frequenter exiſtunt, penè uſque ad exinanitionem extremæ virtutis quaſdam baſilicas perduxiſſe probantur. Ne ergo fiat de cætero quod conſtat hactenùs inordinatè præſumptum, non ampliùs quàm duos

g. *novata eſt*] Alter codex non aliis ſolum verbis, ſed etiam è contrario: *nova conſtituta eſt, aut certè cauſi imaque in poſterum, civilibus & publicis formulis etiam eccleſiaſticarum parochiarum ordo celebretur.* Utra vero lectio potior ſibi videretur, Acherius ſatis oſtendit cum unam in textu ſervavit, alteram collocavit in margine; nec ſanè aliter atque ille ſentimus.

ſolidos unuſquiſque Epiſcoporum præfatæ provinciæ per ſingulas diœceſes, vel baſilicas juxtà Synodum Bracarenſem annuâ illatione ſibi expetent conferri, Monaſteriorum autem baſilicis ab hac ſolutionis impenſione ſejunctis. Cum verò Epiſcopus diœceſim viſitat, nulli præ multitudine oneroſus exiſtat; nec unquam quinquagenarium numerum evectionis excedat, aut amplius quàm unâ die per unamquamque baſilicam remorandi licentiam habeat. Quicunique verò Pontificum eorumdem aliter quàm decernimus agendum præſumſerit, correptioni procul dubio Canonum ſubjacebit tamquam conſtitutionum Synodalium tranſgreſſor, & priſcorum Patrum edicti corruptor, ſicut oportet. Quòd ſi Epiſcopus aut languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus id explere nequiverit, Preſbyteros probabiles aut Diaconos mittat, qui & redita baſilicarum, & reparationes, & miniſtrantium vitam inquirant.

CAPUT LXXIV.

De diſpenſatoribus ſingularum Eccleſiarum.

Ex Concilio Calchedonenſi, * cap. xxvi.

* *ſub Leone I.*

QUoniam in quibuſdam Eccleſiis, ut rumore comperimus, præter œconomos Epiſcopi facultates Eccleſiaſticas tractant, placuit omnem Eccleſiam habentem Epiſcopum habere œconomum de clero proprio, qui diſpenſet res Eccleſiaſticas ſecundùm ſententiam Epiſcopi proprii, ita ut Eccleſiæ diſpenſatio præter teſtimonium non ſit, & ex hoc diſpergantur Eccleſiaſticæ facultates, & Sacerdotio maledictionis derogatio procuretur. Quòd ſi hoc minimè fecerit, divinis conſtitutionibus ſubjacebit.

CAPUT LXXV.

Ut ab Imperatoribus poſtuletur Advocatorum defenſio pro cauſis Eccleſiæ.

Ex Concilio Africano, * lxiv.

* *Vulgò dicto, ſeu collectione canon Africæ provinciæ.*

PLacuit etiam, ut petant ex nomine provinciarum omnium legati perrecturi Vincentius & Fortunatianus à glorioſiſſimis Imperatoribus, ut dent facultatem Defenſores conſtituendi Scholaſticos, qui in actu ſunt vel in munere defenſionis cauſarum, ut more Sacerdotum provinciæ, iidem ipſi, qui defenſionem Eccleſiarum ſuſceperint, habeant facultatem pro negotiis Eccleſiarum quoties neceſſitas flagitaverit, vel ad obſiſtendum obrepentibus, vel ad neceſſaria ſuggerenda; ingredi judicum ſecretaria.

CAPUT LXXVI.

De his quæ à fidelibus in parochitanis Baſilicis offeruntur.

Ex Concilio Aurelianenſe, * cap. xi.

* *Aurel. I.*

DE his quæ parochiis, in terris, vineis, mancipiis, atque peculiis quicumque fideles obtulerint, antiquorum Canonum inſtituta ſerventur, ut omnia in Epiſcopi poteſtate conſiſtant. De his tamen quæ in altario acceſſerint, tertia fideliter Epiſcopis deferatur.

CAPUT. LXXVII.

De ſacris locis noviter inſtitutis, quamvis ſuperiùs dictum ſit, hoc nunc tamen adjicitur, ut nulla baſilica ſub defunctorum conſtructa nomine dedicetur.

Ex Epiſtolâ Papæ Gelaſii, * cap. xxv.

* *Epiſt. 9 Gelaſii Papæ I. ad Epiſcopos Lucaniæ.*

DE locorum conſecratione Sanctorum quamvis ſuperiùs ſcriptum fuerit comprehenſum, nobis quoque patefactum eſt, quòd abſque præcepto Sedis Apoſtolicæ nonnulli factas Eccleſias vel oratoria ſacrare præſumant; hoc ſumus tamen indicio deteſtabiliore permoti, quòd in quocumque nomine defunctorum & quantum dicitur nec omninò fidelium conſtructiones ædificatas ſacris præceſſionibus audacter inſtituere memorantur: quæ quoniam tam acerba, tam dura ſunt, ut eadem vix noſter ferre poſſit auditus: ſi re verâ Chriſtianitatis affectus in illis regionibus certus & fixus eſt, & diſtrictiùs iſta quærantur, & à quibus fuerint geſta prodantur: quoniam ſicut latentibus in hac atrocitate nominibus non exſtat in quem ſententia debita proferatur, ita cum manifeſtus fuerit documentis expoſitus, quem ſceleris tanti poſcit immanitas non vitabit ullatenùs ultionem.

CAPUT LXXVIII.

Quod in unâquâque Eccleſiâ, cui Epiſcopus præeſt, quatuor tam de reditibus quàm de oblatione fidelium fieri debeant portiones, ut una ſit Epiſcopi, alia Clericorum, tertia pauperum, & quarta fabricis Eccleſiaſticis applicetur.

Ex Epiſtolâ Papæ Gelaſii, * cap xxviii.

* *Eadem epiſt. cap. 27.*

QUatuor autem tam de reditu quàm de oblatione fidelium, prout cujuſlibet Eccleſiæ facultas admittit, ſicut dudum rationabiliter eſt decretum, convenit fieri portiones, quarum una ſit Pontificis, altera Clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda. De qui ſicut Sacerdotis intererit integram miniſtris Eccleſiæ memoratam dependere quantitatem, ſic Clerus ultrà delegatam ſibi ſummam nihil inſolenter noverit expetendum. Ea verò quæ Eccleſiaſticis ædificiis attributa ſunt, huic operi veraciter prærogata locorum doceat inſtauratio manifeſta ſanctorum; quia nefas eſt ſi ſacris ædibus deſtitutis, in lucrum ſuum Præſul impendia his deſignata convertat. Ipſam nihilominùs adſcriptam pauperibus portionem, quamvis divinis rationibus ſe diſpenſaſſe monſtraturus eſſe videatur, tamen juxtà quod ſcriptum eſt, *Ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt*, oportet etiam præſcuti teſtificatione prædicari, & bonæ famæ præconiis non taceri.

* *Matt. 5.*

CAPUT LXXIX.

Contrà eum qui illicitè ordinat Clericos, & de redditibus Eccleſiæ.

Ex Epiſtolâ * Simplicii Papæ ad Epiſcopos.

* *Epiſt. 3. ad Florentium, Equitium & Severum Epiſcopos.*

RElatio nos veſtræ dilectionis inſtruxit, & geſtorum ſeries pleniùs intimavit, Gaudentium Auſinienſis Eccleſiæ Sacerdotem contrà ſtatuta Canonum ac noſtra præcepta ordinationes illicitas perpetraſſe, quarum illi totam penitùs auferri præcipimus poteſtatem. Scripſimus enim ad Severum fratrem & Coëpiſcopum noſtrum, ut ſi neceſſe fuerit ipſe in ſupradicta Eccleſiâ, conſideratis Patrum regulis hoc fungatur officio, quo ille abuſus eſſe convictus eſt, ita ut hi qui illicitè ab eodem ſunt provecti, ab Eccleſiaſticis miniſteriis ſint remoti. Simul

etiam de redῑbus Eccleſiæ vel oblatione fidelium quid deceat neſcienti, nihil licere permittat, ſed ſola ei ex his una portio remittatur; duæ Eccleſiaſticis fabricis & erogationi peregrinorum & pauperum profuturæ, ab Onagro Preſbytero ſub periculo ſui ordinis miniſtrentur: ultima Clericis pro ſingulorum meritis dividatur. At verò miniſteria Eccleſiæ quæ alienata comperimus, reparare præſumptor prædicti fratris compellatur inſtantiâ: cui etiam in hoc ſpecialiter præcipimus imminere, ut tres illas portiones, quas triennio dicitur ſibi tantummodò vindicaſſe, reſtituat. Datum decimâ quartâ Calendarum Decembrium poſt conſulatum Leonis Auguſti.

CAPUT LXXX.

Ut nulli Apoſtolicæ ſedis Præſuli poſſeſſionem Eccleſiæ magnam vel parvam in perpetuum liceat alienare, vel commutationis obtentu ad cujuſlibet jura transferre: & de domibus Eccleſiaſticis quæ ſunt in urbibus, commutandis.

Ex inſtitutis Papæ Symmachi, * cap. IV.

* *Ex Synodo Romana 4. alias Palmari appellata.*

HIs ergo perpenſis, manſuri cum Dei noſtri conſideratione decreto ſancimus, ut nulli Apoſtolicæ ſedis Præſuli à præſenti die, donec diſponente Domino catholicæ fidei manſerit doctrina ſalvatoris, liceat prædium ruſticum quantæcumque fuerit vel magnitudinis vel exiguitatis, ſub perpetuâ alienatione, vel commutatione ad cujuſlibet jura transferre, nec cujuſquam excuſentur neceſſitatis obtentu; quippe cum non ſit perſonale quod loquimur: nec aliquis Clericorum vel Laïcorum ſub hac occaſione accepta tueatur: ſed nec in uſumfructum rura aliquibus dari liceat, nec data retineri præter Clericos & captivos atque peregrinos, ne malæ tractationis miniſtretur occaſio, cum liberalitatis illi alia munera reſerventur. * Sanè tantùm domus in quibuſlibet urbibus conſtitutæ, quarum ſtatim neceſſe eſt expenſa non modicâ ſuſtentari, acceptis ſi offerri contigerit ſub juſtâ exiſtimatione reditibus, & divini timore judicii commutentur.

* *Hic incipit cap. v. in ed. 1.*

CAPUT LXXXI.

Ut non liceat Preſbyteris titulorum ſuorum prædia, ſeu quidquid juris eorum fuerit quolibet alienare commercio: qui vero hoc agere tentaverit, ordinis ſui amiſſione plectatur.

capitulo v. *

* *Ibid cap. vi. in edit.*

PAri etiam Eccleſiarum per omnes Romanæ civitatis titulos, qui ſunt Preſbyteri, vel quicumque fuerint, adſtringi volumus lege cuſtodes, quia nefas dictu eſt obligatione, quâ ſe per charitatem Chriſti connectit ſummus Pontifex, eâ hominem ſecundi in Eccleſia ordinis non teneri. Quicumque tamen oblitus Dei, & decreti hujus immemor, cujus Romanæ civitatis Sacerdotes volumus religioſis nexibus devinciri, in conſtitutum præſens committens, quidquam de jure titulorum, vel Eccleſias ſuperiùs præfatas, quolibet modo præter aurum, argentum vel gemmas, veſtes quoque ſi ſint, vel ſi acceſſerint aliqua mobilia ad ornamenta divina minimè pertinentia, perpetuo jure, exceptis dumtaxat ſub præfatâ conditione domibus, alienare tentaverit, donator, alienator, ac venditor honoris ſui amiſſione mulctetur.

CAPUT LXXXII.

Ut qui petierit prædium & acceperit, aut ſi quis Preſbyterorum aut Diaconorum, necnon defenſorum danti ſubſcripſerit, anathemate feriatur.

Cap. VI *.

* *Ibi*

PRæterea qui petierit aut acceperit, vel qui Preſbyterorum aut Diaconorum ſeu defenſorum danti ſubſcripſerit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur: ſitque accipienti vel ſubſcribenti de perſonis ſuperiùs comprehenſis, id eſt, quas anathemate feriri cenſuimus, in ſtatuta pœna contubernalium ſervata, quam præmiſimus, in alienatore vindicta: niſi fortè & alienator ſibi dum repetit, & qui acceperit celeri reſtitutione proſpexerit.

CAPUT LXXXIII.

Ut ſi quis anathematis pœnam parvi duxerit, etiam documento quo ſe putat Eccleſiæ prædium poſſidere, fruſtretur, liceatque cuilibet Eccleſiaſticæ perſonæ vocem contradictionis afferre, & cum fructibus præteriti temporis eadem prædia alienata repoſcere.

capitulo II *.

* *Ibi... in e.*

QUòd ſi minore animæ ſuæ curâ ſibi quiſquam remedium oblatum fortè neglexerit, ſuper ea pœnarum genera, quæ ſuperiùs tenentur adſcripta, contrà nefas, ſi quod conceptum fuerit documentum, univerſis viribus, quamvis ab initio nullas habuerint, efficietur. Sed etiam liceat quibuſcumque Eccleſiaſticis perſonis vocem contradictionis afferre, & Eccleſiaſtica auctoritate fulciri, ita ut cum fructibus poſſit alienata repoſcere, nec aliquis ſe ante tribunal Chriſti obſtaculo muniat, qui à religioſis animabus ad ſubſtantiam pauperum derelicta contrà fas ſine aliquâ pietatis conſideratione diſpergit. Hujus autem conſtitutionis legem in Apoſtolicâ tantùm volumus ſede ſervari, univerſis Eccleſiis per provincias ſecundùm animarum conſiderationem, quem propoſito religionis convenire Rectores earum viderint more ſervato.

CAPUT LXXXIV.

Si quis Clericorum pauper in ordine promotus poſtea habuerit aliquid, Eccleſiæ poteſtati ſubjiciat.

Ex Concilio Carthaginenſi, * cap. XXXII.

* *Ex Afric. cap. Carth. 3. ca...*

ITem placuit ut Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, vel quicumque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Epiſcopatûs vel Clericatûs ſui agros vel quæcumque prædia nomine ſuo comparant, tamquam rerum dominicarum invaſionis crimine teneantur, niſi admoniti in Eccleſiâ eadem ipſa contulerint. Si autem ipſis propriè aliquid liberalitate alicujus vel ſucceſſione cognationis obvenerit, faciant inde quod eorum propoſito congruit: quòd ſi à ſuo propoſito retrorsùm exorbitaverint, honore Eccleſiaſtico indigni & tamquam reprobi judicentur.

CAPUT LXXXV.

Ut Preſbyteri rem Eccleſiæ in quâ ſunt conſtituti, non vendant: nulli Epiſcopo liceat rem tituli matricis Eccleſiæ uſurpare.

Ex eodem Concilio *, cap XXXVIII.

* *Ex Afric...*

ITem placuit ut Preſbyteri non vendant rem Eccleſiæ ubi ſunt conſtituti, neſcientibus Epiſcopis ſuis; quomodo & Epiſcopis non liceat vendere prædia Eccleſiæ ignorante Concilio vel Preſbyteris ſuis. Non habente ergo neceſſitatem, nec Epiſcopo li-

ceat matricis Eccleſiæ rem tituli ſui uſurpare.

CAPUT LXXXVI.

Ut res Eccleſiæ nemo diſtrahat.

Ex eodem Concilio *, cap. xxvi.

* Ex eodem codice, & ex Carthag. 5. cap. 4.

ITem placuit ut rem Eccleſiæ nemo vendat : quòd ſi reditus non habet, & reliqua nimia neceſſitas cogit, hoc inſinuandum eſſe Primati provinciæ ipſius, ut cum ſtatuto numero Epiſcoporum utrùm faciendum ſit arbitretur. Quòd ſi tanta urget neceſſitas Eccleſiæ, ut non poſſit ante conſulere, ſaltem vicinos teſtes convocet Epiſcopus, curans ad Concilium omnes referre ſuæ Eccleſiæ neceſſitates. Quod ſi non fecerit, reus Deo & Concilio venditor honore amiſſo teneatur.

CAPUT LXXXVII.

De rebus ad Eccleſiam pertinentibus ; & de his quæ propria Epiſcopi eſſe noſcuntur.

Ex Concilio Antiocheno *, cap. xxiv.

* ſub Julio I. an. 341.

QUæ ſunt Eccleſiæ ſub omni ſollicitudine & conſcientiâ bonâ, & fide quæ in Deum eſt, qui cuncta conſiderat judicatque, ſerventur. Quæ etiam diſpenſanda ſunt judicio & poteſtate Pontificis, cui commiſſus eſt populus, & animæ quæ intrà Eccleſiam congregantur. Manifeſta verò ſint quæ pertinere videntur Eccleſiæ, cum notitiâ Preſbyterorum & Diaconorum, qui circà ipſum ſunt, ita ut agnoſcant nec ignorent quæ ſint Eccleſiæ propria, nec eos aliquid lateat : ut ſi contigerit Epiſcopum migrare de ſæculo, certis exiſtentibus rebus, quæ ſunt Eccleſiæ, nec ipſæ collapſæ depereant, nec propria probantur Epiſcopi, ſub occaſione rerum pervadantur Eccleſiæ. Juſtum namque & acceptum eſt coram Deo & hominibus, ut ſua Epiſcopus quibus voluerit derelinquat, & quæ Eccleſiæ ſunt eidem conſerventur Eccleſiæ, ut nec Eccleſia aliquod patiatur incommodum, nec Epiſcopus ſub occaſione proſcribatur Eccleſiæ, & in cauſas incidant qui ad eum pertinent, & ipſe poſt obitum maledictionibus ingravetur.

CAPUT LXXXVIII.

Ut Epiſcopus diſpenſandi res Eccleſiaſticas habeat poteſtatem.

Ex eodem Concilio, cap. xxv.

EPiſcopus Eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem ad diſpenſandum erga omnes qui indigent cum ſummâ reverentiâ & timore Dei : participet autem & ipſe quibus indiget, ſi tamen indiget, tam ſuis quàm fratrum qui ab eo ſuſcipiuntur neceſſariis uſibus profuturis, ita ut in nullo quâlibet occaſione fraudentur juxtà ſanctum Apoſtolum ſic dicentem : *Habentes victum & tegumentum, his contenti ſimus.* Quòd ſi contentus illis minimè fuerit, convertat autem res Eccleſiæ in ſuos uſus domeſticos & ejus commoda, vel agrorum fructus non cum Preſbyterorum conſcientiâ Diaconorumque pertractet, ſed horum poteſtatem domeſticis ſuis, aut propinquis, aut fratribus filiiſque committat, ut per hujuſmodi perſonas occultè cæteræ

1. Tim. 6.

lædantur Eccleſiæ, Synodo provinciæ pœnas iſte perſolvat. Si autem aliter accuſetur Epiſcopus aut Preſbyteri, qui cum ipſo ſunt, quòd ea quæ pertinent ad Eccleſiam vel ex agris, vel ex aliâ quâlibet Eccleſiaſticâ facultate ſibimet uſurpent, ita ut ex hoc affligantur quidem pauperes, criminationi verò & blaſphemiis tam ſermo prædicationis, quàm hi qui diſpenſant, taliter exponantur ; & hos oportet corrigi, ſanctâ Synodo id quod condecet approbante.

CAPUT LXXXIX.

Ut de rebus Eccleſiæ nihil Epiſcopi auferant, & qualiter proximi fundatoris Eccleſiarum ſollicitudinem gerant.

Ex Concilio Toletano *, cap. i.

* Tolet. IX. an. 655.

OMnis itaque rei Eccleſiaſticæ quantitas, ſicut remedium veniæ tribuit conferenti, ita damnum ritè præparat fraudatori ; & ideo nullus Sacerdotum vel miniſtrorum ex rebus Eccleſiæ, quæ in quibuſcumque locis à fidelibus largiuntur, aliquid auferat, vel juri ſuo aut cathedræ propriæ civitatis connectat. Devotio enim uniuſcujuſque ſicut gratanter votum contulit Deo, ita definivit quòd plenitudo votorum conſervaretur in loco, in quo velut ſi collata tenentur, manet gratia offerentis, ita ſi fruſtrantur, imminet pernicies defraudantis. Verùm ut rei hujus potior ſoliditas habeatur, condignis filiis vel nepotibus honeſtioribuſque propinquis ejus, qui conſtruxit vel ditavit Eccleſiam, licitum ſit hanc bonæ intentionis habere ſolertiam : ut ſi Sacerdotem ſeu miniſtrum aliquid ex collatis rebus providerint defraudare, aut commonitionis honeſtâ conventione compeſcant, aut Epiſcopo vel judici corrigenda denuntient. Quòd ſi talia Epiſcopus agere tentet, Metropolitano ejus hæc inſinuare procurent. Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auditibus intimare non differant. Ipſis tamen heredibus in eiſdem rebus non liceat quaſi juris proprii poteſtatem præferre, non rapinam, non fraudem gerere, non violentiam quamcumque præſumere, ſed hoc ſolùm in ſalutarem ſollicitudinem adhibere, quòd aut in nullam noxam operatio nocens attingat, vel in multam vel in aliquam partem ſalutaris merces aſſumat. Si quis verò deinceps hæc monita temerare voluerit, & malè rapta cum confuſione reſtituet, & excommunicationis annuæ ſententiam ſuſtinebit . . . . . nam ſententiam * metuant, & liberos ex familiis Eccleſiæ ad condemnationem ſuam facere non præſumant. Impium eſt enim ut qui res ſuas Eccleſiæ Chriſti non contulit, damnum inferat, & ejus Eccleſiæ rem alienare intendat. Tales igitur libertos ſucceſſor Epiſcopus abſque aliquâ oppoſitione ad jus Eccleſiæ revocabit, quia eos non æquitas ſed improbitas abſolvit. [h]

* Tolet. IV. cap. LXVII.

CAPUT XC.

De diſcretione manumiſſorum ex familiâ Eccleſiæ, qualiter manumittantur ; & ne adverſa teſtificent vel accuſent.

Ex Concilio quo ſuprà *, cap. LXVIII.

* Ex Tolet. VI.

EPiſcopus qui mancipium juris Eccleſiæ non retento Eccleſiaſtico patrocinio manumitti deſi-

h *abſolvit*] In indice deinde leguntur tituli V. capitum, quæ omninò deſiderantur, niſi quod ad ultimum, quod eſt *a liberis ex familiis Eccleſiarum factis*, pertinet hujus capitis pars poſtrema, quæ incipit ab his verbis, *nam ſententiam metuant*. Quod in cauſa fuit, cur punctis quædam illo loco deeſſe moneremus.

tibus cum Epiſcopis intereſſe neglexerint, in quibus civitatibus poſitus accipiendæ communioni ſuæ benedictionis deſiderio noverint; qui hoc facere neglexerint, triennio communione priventur Eccleſiæ.

CAPUT CXX.

De his qui intrantes in Eccleſiam, per nimiam luxuriam ſuam Sacramento ſe abſtinent.

Ex Concilio Bracarenſi. *

Ex Capitulis Martini Epiſ. Bracar. cap. XXXIII.

SI quis intrat in Eccleſiam Dei, & ſacras ſcripturas non audit, & pro luxuriâ ſuâ avertit ſe à communione Sacramenti, & in obſervandis myſteriis declinat conſtitutam regulam diſciplinæ, iſtum talem projiciendum de Eccleſiâ Catholicâ eſſe decernimus, donec pœnitentiam agat, & oſtendat fructum pœnitentiæ ſuæ, ut poſſit communionem perceptâ indulgentiâ promereri.

CAPUT CXXI.

De non permittendum imperare Religioſis.

Ex Concilio Toletano. *

* Toletano x. cap. III.

REverentiæ totius auditu percipiatur, quia res adeo dura, non fruſtra cogimur hanc duriori exſtirpare cenſurâ: agnovimus enim quoſdam Pontifices præcepti Principis Apoſtolorum, qui ait: *Paſcite qui in vobis eſt gregem non coactè, ſed ſpontanee, neque ut dominantes in clero, ſed forma facti gregis*, ita eſſe immemores, ut quibuſdam Monaſteriis, parochialibuſque Eccleſiis, aut ſuæ conſanguinitatis perſonas, aut ſui favoris participes iniquum ſæpe ſtatuant in Prælatum, ita illis providentes commoda inhoneſta, ut eiſdem deferantur, aut quæ proprio Epiſcopo dare juſtus ordo popoſcerit, aut quæ rapere deputati exactoris violentia potuerit: proinde decenter omnibus placet & in præſenti tale reſcindi factum, & non eſſe de cætero faciendum. Nam quiſquis Pontificum deinceps aut ſanguine propinquis, aut favore ſibi perſonis quibuſcumque devinctis, talia commodare lucra tentaverit auſu nefandæ præſumptionis, & quod viſum fuerit devocetur in irritum, & qui ordinabit, annuæ excommunicationis ferat excidium. Quæ verò ablata fortaſſe fuerint, ab eo qui tulit reddantur in duplum.

1. Pet. 5.

CAPUT CXXII.

Quòd uſuram non ſolùm Clerici exigere non debeant, ſed nec laici Chriſtiani.

Ex Epiſtolâ Leonis * ad Epiſcopos per Campaniam & diverſas provincias.

* Leonis I. Epiſt. I.

NEc hoc quoque prætereundum duximus, quoſdam lucri turpis cupiditate captos uſurariam exercere pecuniam, & fœnore velle diteſcere: quod nos non dicam in eos qui ſunt in clericali officio conſtituti, ſed in laicos cadere qui Chriſtianos ſe dici cupiunt, condolemus. Quod vindicari acriùs in eos qui fuerint confutati decernimus, ut omnis peccandi opportunitas adimatur.

Explicit Liber primus.

INCIPIT LIBER II.

CAPITULUM PRIMUM.

De Conjuratione vel conſpiratione.

Ex Concilio Calchedonenſi *, cap. XVIII.

* ſub I

COnjurationis vel conſpirationis crimen & ab exteris legibus eſt omninò prohibitum; multò magis hoc in Dei Eccleſiâ ne fiat admonere convenict. Si qui ergo Clerici vel Monachi reperti fuerint conjurantes, aut conſpirantes, aut inſidias ponentes Epiſcopis vel Clericis, gradu proprio penitùs abjiciantur.

CAPUT II.

De delatoribus.

Ex Concilio Heliberitano, cap. LXXIII.

DElator ſi quis exſtiterit fidelis, & per delationem ejus aliquis fuerit proſcriptus vel interfectus, placuit eum nec [a] in fine accipere communionem: ſi levior cauſa fuerit, intrà quinquennium accipere poterit communionem. Si catechumenus fuerit, poſt quinquennii tempora admittatur ad baptiſmum.

CAPUT III.

De accuſatis & accuſatoribus.

Ex Concilio Carthaginis *, cap. XCVI.

* Cart

QUærendum in judicio cujus ſit converſationis & fidei is qui accuſat, & is qui accuſatur.

CAPUT IV.

Quòd excommunicati ad accuſationem admitti non debeant.

Ex Concilio Africano *, cap. XCV.

* Vulg. ſeu ex variorum... conciliorum... provinc. Carth. cap. I

PLacuitque omnibus, quoniam ſuperioribus Conciliorum decretis de perſonis quæ admittendæ ſunt ad accuſationem Clericorum jam conſtitutum eſt, & quæ perſonæ non admittentur non expreſſum eſt; idcircò diffinimus eum ritè ad accuſationem non admitti, qui poſtea quàm excommunicatus fuerit, in ipsâ adhuc excommunicatione conſtitutus, ſive ſit Clericus, ſive laicus, accuſare voluerit.

CAPUT V.

Quòd ſervi & liberti, omneſque infames perſonæ non debeant accuſare.

Ex eodem Concilio, cap. XCVI.

ITem placuit ut omnes ſervi vel proprii liberti ad accuſationem non admittantur, & omnes quos ad accuſanda publica crimina leges publicæ non admittunt. Omnes etiam infamiæ maculis aſperſi, id eſt hiſtriones ac turpitudinibus ſubjectæ perſonæ, hæretici etiam, ſive pagani, ſive Judæi. Sed tamen omnibus quibus accuſatio denegatur, in cauſis propriis accuſandi licentia non neganda.

CAPUT VI.

Ut qui unum crimen non probaverit, ad alteram admitti non debeat.

a *nec in fine*] In altero codice, *non niſi in fine.*

Ex eodem Concilio, cap. xcvii.

Item placuit ut quotieſcumque Clericis ab accuſatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex ipſis, de quo priùs egerint, probare non valuerint, ad cætera jam non admittantur.

CAPUT VII.

Qui ad teſtimonium admittendi ſunt.

Ex eodem Concilio, cap. xcviii.

Teſtes autem ad teſtimonium non admittendos, qui nec ad accuſationem admitti præcepti ſunt, vel etiam quos ipſe accuſator de ſuâ domo produxerit; ad teſtimonium autem infrà annos quatuordecim ætatis ſuæ non admittantur.

CAPUT VIII.

De Epiſcopo qui excommunicat eum, qui ſibi ſoli crimen dicit eſſe confeſſum.

Ex eodem Concilio, cap. xcix.

b Item placuit, ut ſi quando Epiſcopus dicit aliquem ſibi ſoli proprium crimen fuiſſe confeſſum, atque ille neget, [b] non putet ad injuriam ſuam Epiſcopus pertinere, quòd illi ſoli non creditur. Et ſi ſcrupulo propriæ conſcientiæ ſe dicit neganti nolle communicare,

CAPUT IX.

Ut non temerè quemquam communione privet Epiſcopus.

Ex Concilio quo ſuprà, cap. c.

Quamdiù excommunicato non communicaverit ſuus Epiſcopus, eidem Epiſcopo ab aliis non communicetur Epiſcopis, ut magis caveat Epiſcopus, ne dicat in quemquam quod aliis documentis convincere non poteſt.

CAPUT X.

De his qui in accuſationem majoris natu veniunt, & ut Epiſcopum nulli criminoſo liceat accuſare.

Ex Concilio Carthaginenſi *, cap. vi.

* Carthag. II. In codice can. Afric. Eccleſ. cap. VIII.

c Numidius Epiſcopus Aſſulitanus [c] dixit; Præterea ſunt quamplurimi non bonæ converſationis, qui exiſtimant majores natu vel Epiſcopos paſſim vageque in accuſationem pulſandos: debent tam facilè admitti nec ne? Aurelius Epiſcopus dixit: Placet igitur charitati veſtræ, ut is qui aliquibus ſceleribus irretitus eſt, vocem adverſus majorem natu non habeat accuſandi? Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt; ſi criminoſus eſt, non admittatur, placet.

CAPUT XI.

De his qui merito facinorum ſuorum ab Eccleſia congregatione pelluntur.

Ex eodem Concilio [d], cap. ix.

d Auguſtinus Epiſcopus legatus provinciæ Numidiæ dixit: Hoc ſtatuere dignamini, ut ſi qui fortè merito facinorum ſuorum ab Eccleſiâ pulſi ſunt, & ſive ab aliquo Epiſcopo vel Preſbytero fuerint in communione ſuſcepti, etiam ipſe cum eis pari crimine teneatur obnoxius, refugientes ſui Epiſcopi regulare judicium. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt; Omnibus placet.

CAPUT XII.

De Preſbyteris qui à propriis corripiuntur Epiſcopis.

Ex eodem Concilio *, cap. x.

* In cod. can. cap. 2. & in Carthag. 11. cap. 8.

Alippius Epiſcopus legatus Provinciæ Numidiæ dixit: Nec illud prætermittendum eſt, ut ſi quis fortè Preſbyter ab Epiſcopo ſuo correptus, tumore vel ſuperbiâ inflatus putaverit ſeparatim ſacrificia Deo offerenda, vel aliud erigendum altare contrà Eccleſiaſticam fidem diſciplinamque crediderit; non exeat impunitus. Valentinus primæ ſedis provinciæ Numidiæ dixit: Neceſſariò diſciplinæ Eccleſiaſticæ & fidei congrua ſunt, quæ frater noſter Alippius proſequutus eſt, proinde quid videatur veſtræ dilectioni edicite.

CAPUT XIII.

Si quis Epiſcopus abſque tempore Synodi in crimine detentus fuerit, à duodecim Epiſcopis audiatur.

Ex eodem Concilio *, cap. xii.

* In cod. can. cap. 12. & in Carthag. 11. cap. 10.

Felix Epiſcopus dixit: Suggero ſecundùm ſtatuta veterum Conciliorum, ut ſi quis Epiſcopus, quod non optamus, in reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia neceſſitas non poſſe plurimos congregare, ne in crimine remaneat, à duodecim Epiſcopis, & Preſbyter à ſex Epiſcopis cum proprio ſuo Epiſcopo audiatur; & Diaconus à tribus.

CAPUT XIV.

De diverſis ordinibus Eccleſiæ ſervientibus: ut ſi quis in cauſam criminis incurrerit, & abnuerit judicium Eccleſiaſticum, debeat periclitari: & ut filii Sacerdotum ſpectacula ſæcularia non exhibeant.

capitulo xv. *

* In cod. can. at 9. in Concil. Carth. III.

Item placuit, quiſquis Epiſcoporum, Preſbyterorum, & Diaconorum, ſeu Clericorum, cum in Eccleſiâ ei fuerit crimen inſtitutum, vel civilis cauſa fuerit commota, ſi relicto eccleſiaſtico judicio publicis judiciis purgari voluerit, etiam ſi pro ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſuum amittat. Et hoc in criminali actione, in civili verò perdat quod evicit, ſi locum ſuum obtinere maluerit. * Hoc etiam placuit, ut à quibuſcumque judicibus Eccleſiaſticis ad alios judices Eccleſiaſticos, ubi eſt major auctoritas, fuerit provocatum, non eis obſit quorum fuerit ſoluta ſententia, ſi convicti non fuerint, vel inimico animo judicaſſe, vel aliquâ cupiditate aut gratiâ depravati. Sanè ſi ex conſenſu partium electi fuerint judices, etiam à pauciore numero quàm conſtitutum eſt, non liceat provocari *. Et ut filii Sacerdotum ſpectacula ſæcularia non exhibeant; ſed nec ſpectent, licet hoc ſemper Chriſtianis omnibus interdictum ſit, & ubi blaſphemiæ ſunt non accedant.

* Carth. Conc. III. cap. x.

* Cap. 9. Carthag. 3.

b *ille neget*] In editis additur, *& pœnitere noluerit*. Monendus eſt lector ſequens capitulum cum hoc legi conjunctim debere, ideoque à nobis in hujus fine virgulam duntaxat editam.

c *Aſſulitanus*] Hoc loco variant libri: in aliis enim legitur *Maſſylitanus*, in aliis *Maſſilinuitanus*, in aliis *Manuliaus*.

d *Concilio*] Non extat quidem in illo concilio, ſed nonus eſt in codice Canonum Eccleſiæ Africanæ.

Ex Concilio Carthaginenſi *, cap. VII. & Africano, cap. I.

* Carth. V. cap. I.

De Clericis placuit, ut nullius Eccleſiaſtici ad teſtimonium dicendum perſona pulſetur[c].

CAPUT XXIV.

De Epiſcoporum aut Clericorum accuſatoribus.

Ex Concilio Calchedonenſi *, cap. XXI.

* ſub Leone I. an. 451.

Clericos aut laïcos accuſantes Epiſcopos aut Clericos, paſſim & ſine probatione ad accuſationem recipi non debere, niſi priùs eorum diſcutiatur exiſtimationis opinio.

CAPUT XXV.

De falſis teſtibus.

Ex Concilio Heliberitano, cap. LXIV.

Falſus teſtis prout crimen eſt, abſtinebitur; ſi tamen non fuerit cauſa mortis quod objecit & probaverit, quod diù tacuit, biennii tempore abſtinebitur: ſi autem non probaverit, conventu Clericorum placuit per quinquennium abſtineri.

CAPUT XXVI.

Ut nullus Epiſcopus vel infrà poſitus die Dominico cauſas audire præſumat.

Ex Concilio Terraconenſi, * cap. IV.

* Tempore Hormiſdæ circà 516.

Nullus Epiſcoporum, aut Preſbyterorum, vel Clericorum die Dominico propoſitum cujuſcumque cauſæ negotium audeat judicare, niſi hoc tantùm ut Deo ſtatuta ſolemnia peragant: cæteris verò diebus convenientibus perſonis, illa quæ juſta ſunt habeant licentiam judicandi, excepto criminali negotio.

CAPUT XXVII.

Ut nullus Epiſcopus pro judiciis munera accipiat.

Ex Concilio quo ſuprà, cap. X.

Obſervandum quoque decrevimus, ne quis Sacerdotum vel Clericorum more ſæcularium judicum audeat accipere pro impenſis patrociniis munera, niſi forte in Eccleſiâ oblata gratuita, quæ non favore muneris videantur accepta, ſed collatione devotionis illata. Quòd ſi quæſita probantur accipere, veluti exactores fœnoris, aut uſurarum poſſeſſores ſecundùm ſtatuta Patrum ſe noverint degradandos.

CAPUT XXVIII.

Ut Epiſcopus nullius cauſam audiat abſque præſentiâ Clericorum ſuorum.

Ex Concilio Carthaginenſi *, cap. XXIII.

* Carthag. IV. ſub finem cap.

Irrita erit ſententia Epiſcopi, niſi Clericorum ſuorum præſentiâ confirmetur.

CAPUT XXIX.

De diſcretione cauſarum, in quibus Sacerdotes judices fieri poſſunt.

Ex Concilio Toletano *, cap. XXXI.

* Tolet. IV. Honor. I.

Sæpe Principes contrà quoſlibet majeſtatis obnoxios Sacerdotibus negotia ſua committunt; & quia Sacerdotes à Chriſto ad miniſterium ſalutis electi ſunt, ibi conſentiant Regibus fieri judices, ubi jurejurando ſupplicii indulgentia permittitur, non ubi diſcriminis ſententia præparatur. Si quis etiam Sacerdotum contrà hoc commune conſultum diſcuſſor in alienis periculis exſtiterit, ſit reus effuſi ſanguinis apud Chriſtum, & apud Eccleſiam perdat proprium gradum.

CAPUT XXX.

De contemptu judicii.

Ex Epiſtolâ Papæ Bonifacii. *

* Bonifacii Papæ I. Epiſt. 2. ad Epiſcop. Galliæ, an. 419.

Probat vera eſſe illa quæ adversùm ſe dicta ſunt, qui ad ea confutanda adeſſe minimè vult; & nullus dubitat quòd ita judicium nocens ſubterfugit, quemadmodum ut abſolvatur qui eſt innocens quærit, ſed aſtuta cavillatio eorum qui verſutias eorum arguendas credunt eſſe conſiliis, nunquam innocentiæ nomen accipiet. Confitetur enim de omnibus, quiſquis ſe ſubterfugere judicium dilationibus putat: veniet tamen aliquando ille qui talis perhibetur in medium, nec proderit illi toties latuiſſe, toties ſubterfugiſſe, quem ſui actus & commiſſa quocumque fugerit, ea quæ objiciuntur illi ſi vera ſunt crimina, perſequuntur; ut ſi adeſſe voluerit præſens, ſi confidit, ad objecta reſpondeat: quòd ſi adeſſe neglexerit, dilationem ſententiæ de abſentiâ non lucretur. Nam manifeſtum eſt confiteri eum de crimine, qui indulto & toties delegato judicio, purgandi ſe occaſione non utitur: nihil enim intereſt utrum in præſenti examine omnia quæ dicta ſunt comprobentur, cum ipſa quoque pro confeſſione procurata toties conſtet abſentia.

CAPUT XXXI.

Ut inter diſcordes Epiſcopos comprovinciales Antiſtites audiant: quòd ſi damnatus appellaverit ad Romanum Pontificem, id obſervandum quod ipſe cenſuerit.

Ex Concilio Sardicenſi *, cap. III.

* ſub Julio I. an. 347.

Osius Epiſcopus dixit: Illud quoque neceſſario adjiciendum eſt, ut Epiſcopi de ſuâ provinciâ ad aliam provinciam in quâ ſunt Epiſcopi non tranſeant, niſi fortè à fratribus ſuis invitati, ne videamur januam claudere charitatis. Quòd ſi in aliquâ provinciâ aliquis Epiſcopus contrà fratrem ſuum Epiſcopum litem habuerit, ne unus è duobus ex aliâ provinciâ advocet Epiſcopum cognitorem. Quòd ſi aliquis Epiſcopus judicatus fuerit in aliquâ cauſâ, & putat ſe bonam cauſam habere ut iterum Concilium renovetur; ſi vobis placet, ſancti Petri Apoſtoli memoriam honoremus, ut ſcribatur vel ab his qui cauſam examinarunt Julio Romano Epiſcopo, & ſi judicaverit renovandum eſſe judicium, renovetur, & det judices: ſi autem probaverit talem cauſam eſſe ut non refricentur ea quæ acta ſunt, quæ decreverit confirmata erunt. Si hoc omnibus placet? Synodus reſpondit: Placet.

CAPUT XXXII.

Ut nullus accuſati ſedem uſurpet Epiſcopi.

c *pulſetur*] ſequebatur in priori editione cap. I. Conc. Carthaginenſis VII. quod ſuprà editum eſt capite IV.

Ex eodem Concilio, cap. IV.

GAudentius Epiſcopus dixit : Addendum eſt ſi placet huic ſententiæ, quam plenam ſanctitate protuliſtis, ut cum aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit, eorum Epiſcoporum judicio qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum ſibi negotium in urbe Româ, alter Epiſcopus in ejus cathedrâ poſt appellationem ejus qui videtur eſſe depoſitus, omninò non ordinetur, niſi fuerit cauſa in judicio Epiſcopi Romani determinata.

CAPUT XXXIII.

De Clericis à communione ſummotis, ab aliis non recipiendis Epiſcopis.

Ex eodem Concilio, cap. XVI.

OSius Epiſcopus dixit : Si hoc quoque omnibus placet, ut ſive Diaconus, ſive Preſbyter, ſive quis Clericorum ab Epiſcopo ſuo communione fuerit privatus, & ad alterum perrexerit Epiſcopum, & ſcierit ille ad quem confugit eum ab Epiſcopo ſuo fuiſſe abjectum, non oportet ut ei communionem indulgeat : quod ſi fecerit, ſciat ſe convocatis Epiſcopis cauſas eſſe dicturum. Univerſi dixerunt : Hoc ſtatutum & pacem ſervabit, & concordiam cuſtodiet.

CAPUT XXXIV.

De excommunicatis apud vicinos Epiſcopos audiendis.

Ex eodem Concilio, cap. XVII.

OSius Epiſcopus dixit : Quod me adhuc movet reticere non debeo. Si Epiſcopus quis fortè iracundus, quod non eſſe debet, citò aut aſperè commoveatur adversùs Preſbyterum, ſive Diaconum ſuum, & exterminare eum de Eccleſiâ voluerit, providendum eſt ne innocens damnetur, aut perdat communionem : & ideo habeat poteſtatem is qui abjectus eſt, ut Epiſcopos finitimus interpellet, & cauſa ejus audiatur, ac diligentiùs tractetur : quia non oportet ei negari audientiam roganti. Et ille Epiſcopus, qui juſtè aut injuſtè eum abjecit, patienter accipiat ut negotium diſcutiatur, ut vel probetur ſententia ejus à plurimis, vel emendetur. Tamen priùs quàm omnia diligenter & fideliter examinentur, eum qui fuerat à communione ſeparatus, ante cognitionem nullus debet præſumere ut eum recipiat & communioni ſociet. Hi verò qui conveniunt ad audiendum, ſi viderint Clericorum eſſe faſtigium & ſuperbiam, quia jam non decet ut Epiſcopus injuriam vel contumeliam patiatur, ſeverioribus eos verbis caſtigent, ut obediant honeſta præcipienti Epiſcopo : quia ſicut ille Clericis ſincerum exhibere debet amorem charitatis, ita quoque viciſſim miniſtri infucata debent Epiſcopo ſuo exhibere obſequia.

CAPUT XXXV.

Quòd non oporteat Clericos habentes adversùs ſe invicem negotia proprium Epiſcopum relinquere, & ad ſæcularia judicia convolare.

Ex Concilio Calchedonenſi *, cap. IX.

* ſub Leone I. an. 451.

SI quis Clericus adversùs Clericum habet negotium, non deſerat Epiſcopum proprium, & ad ſæcularia percurrat judicia ; ſed priùs actio ventiletur apud Epiſcopum proprium, vel certè conſilio ejuſdem Epiſcopi apud quos utræque partes voluerint judicium continebunt. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis correctionibus ſubjacebit. Quòd ſi Clericus habet cauſam adversùs Epiſcopum proprium, vel adverſùs alterum, apud Synodum provinciæ judicetur : quòd ſi adverſus ejuſdem provinciæ Metropolitanum Epiſcopus vel Clericus habet querelam, petat Primatem Diœceſeos, aut ſedem Regiæ urbis Conſtantinopolitanæ, & apud ipſum judicetur.

CAPUT XXXVI.

Si quis excommunicatus ante audientiam communicare præſumſerit, ipſe in ſe damnationem protulit.

Ex Concilio Carthaginis, cap. XXVIII *.

* E... Ecc... cap...

ITem placuit univerſo Concilio, ut qui excommunicatus fuerit pro ſuo neglectu, ſive Epiſcopus, ſive quilibet Clericus, & tempore excommunicationis ſuæ ante audientiam communionem præſumſerit, ipſe in ſe damnationis judicetur protuliſſe ſententiam.

CAPUT XXXVII.

Ut Clerici de judicii ſui cognitione non rogantur in publico dicere teſtimonium.

Ex Concilio Africano, cap. XXVI *.

* Se... ne... can... cilus... prov...

PEtendum etiam ut ſtatuere dignentur, ut ſi qui fortè in Eccleſiâ quamlibet cauſam jure Apoſtolico Eccleſiis impoſito agere voluerint, & fortè deciſio Clericorum uni parti diſplicuerit ; non liceat Clericum in judicium ad teſtimonium devocari, eum qui cognitor vel præſens fuit, & nulla ad teſtimonium dicendum Eccleſiaſtici cujuſlibet perſona pulſetur.

CAPUT XXXVIII.

De Clericis damnatis.

Ex Concilio Africano, cap. XXIX.

Ibid...

ET illud petendum ut ſtatuere dignentur, ut ſi quis cujuſlibet honoris Clericus judicio Epiſcoporum quorumque crimine fuerit damnatus, non liceat eum ſive ab Eccleſiis quibus præfuit, ſive à quolibet homine defenſari, interpoſitâ pœnâ damni pecuniæ atque honoris, quo nec ætatem, nec ſexum excuſare præcipiant.

CAPUT XXXIX.

De Clericis qui intrà annum cauſam ſuam agere non procurarint.

Ex Concilio Africano, cap. XLVI.

Ibid...

RUrſum conſtitutum eſt, ut quoties Clericis convictis & confeſſis in aliquo crimine, vel propter eorum quorum verecundiæ parcitur, vel propter Eccleſiæ opprobrium, aut inſolentem inſultationem hæreticorum atque gentilium, ſi fortè cauſæ ſuæ adeſſe voluerint, & innocentiam ſuam aſſerere, intrà annum excommunicationis hoc faciant : ſi verò intrà annum cauſam ſuam purgare contemſerint [f], nulla eorum vox poſtea penitùs audiatur.

[f] *contemſerint*] Legibus noſtris, antiquis quidem, ſed quas antiquatas dicere nolim, ſi laicus excommunicatus ſe intra annum purgare neglexerit, graviter mulctatur. V. ordinationes Regias à D. De Lauriere editas.

CAPUT XL.

Quòd electorum judicum ſententia ſperni non debeat.

Ibid. Ex Concilio Africano, cap. LXXXIX.

A Judicibus autem quos communis conſenſus elegerit, non liceat provocare; & quiſquis probatus fuerit pro contumaciâ nolle obtemperare judicibus, cum hoc primæ ſedis Epiſcopo fuerit probatum, det litteras, ut nullus ei communicet Epiſcoporum donec obtemperet.

CAPUT XLI.

De Preſbyteris & Clericis, ut non appellent niſi ad Africanum Concilium.

Ex eodem Concilio, cap. XCII.

ITem placuit, ut Preſbyteri, Diaconi vel cæteri inferiores Clerici in cauſis quas habuerint, ſi de judiciis Epiſcoporum ſuorum queſti fuerint, vicini Epiſcopi eos audiant, & inter eos quidquid eſt finiant, adhibiti ab eis ex conſenſu Epiſcoporum ſuorum: quòd ſi & ab eis provocandum putaverint, non provocent niſi ad Africanum Concilium, vel ad Primates provinciarum ſuarum. Ad tranſmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intrà Africam in communionem ſuſcipiatur.

CAPUT XLII.

Ut Clericus ſine Pontificis ſui miſſo nullum ad ſæculare judicium præſumat trahere.

Ex Concilio Aurelianenſi *, cap. XXXII.

* Aurel. 3.

CLericus in cujuſlibet gradu poſitus, ſine Pontificis ſui permiſſu nullum ad ſæculare judicium præſumat attrahere; neque laico, inconſulto Sacerdote Clericum in ſæculare judicium liceat exhibere.

CAPUT XLIII.

De damnatis & miniſtrare tentantibus.

Ex Concilio Antiocheno *, cap. IV.

* ſub Julio I. an. 341.

SI quis Epiſcopus damnatus à Synodo, Preſbyter aut Diaconus à ſuo Epiſcopo, auſi fuerint aliquid de miniſterio ſacro contingere, ſive Epiſcopus juxtà præcedentem conſuetudinem, ſive Preſbyter aut Diaconus, nullo modo liceat ei nec in aliâ Synodo reſtitutionis ſpem, aut locum habere ſatisfactionis: ſed & communicantes ei omnes abjici de Eccleſiâ, & maximè ſi poſtea quàm didicerint adverſùm memoratos prolatam fuiſſe ſententiam eiſdem communicare tentaverint.

CAPUT XLIV.

De Clericis excommunicatis, & laicis.

Ex Concilio Antiocheno, cap. VI.

SI quis à proprio Epiſcopo communione privatus eſt, non ante ſuſcipiatur ab aliis, quàm ſuo reconcilietur Epiſcopo; aut certè ad Synodum, quæ congregatur occurrens, pro ſe ſatisfaciat, & perſuadens Concilio ſententiam ſuſcipiat alteram. Hæc autem definitio maneat circà laicos, & Preſbyteros, & Diaconos, omneſque qui ſub regulâ eſſe monſtrantur.

CAPUT XLV.

De Epiſcopis & Clericis adeuntibus Imperatorem.

Ex Concilio Antiocheno, cap. XI.

SI quis Epiſcopus aut Preſbyter, aut quilibet regulæ ſubjectus Eccleſiæ, præter conſilium & litteras Epiſcoporum provinciæ, & præcipuè Metropolitani adierit Imperatorem; hunc reprobari & abjici oportet, non ſolùm à communione, verùm & ab honore cujus particeps videtur exiſtere; quia venerandi Principis auribus moleſtiam tentavit inferre contrà leges Eccleſiæ. Si igitur adire Principem neceſſaria cauſa depoſcit, hoc agatur cum tractatu & conſilio Metropolitani & cæterorum Epiſcoporum, qui in eâdem provincia commorantur: qui etiam proficiſcentem ſuis proſequantur epiſtolis.

CAPUT XLVI.

De damnatis Epiſcopis aut Clericis, & adeuntibus Imperatorem.

Ex eodem Concilio, cap. XII.

SI quis à proprio Epiſcopo, Preſbyter, aut Diaconus, aut à Synodo fuerit Epiſcopus forte damnatus, & Imperatoris auribus moleſtus extiterit, oportet ad majus Epiſcoporum converti Concilium, & quæ putaverint habere juſta plurimis Epiſcopis ſuggerant, eorumque diſcuſſiones ac judicia præſtolentur. Si vero hæc parvi pendentes moleſti fuerint Imperatori, hos nullâ veniâ dignos eſſe, nec locum ſatisfactionis habere, nec ſpem futuræ reſtitutionis penitus opperiri dijudicamus.

CAPUT XLVII.

De Epiſcopis ab ejuſdem provincia Sacerdotibus conſonanter excluſis.

Ex Concilio Antiocheno, cap. XV.

SI quis Epiſcopus de certis criminibus accuſatus, condemnetur ab omnibus Epiſcopis ejuſdem provinciæ, cunctique conſonanter eamdem contrà eum formam decreti protulerint, hunc apud alios nullo modo judicari, ſed firmam concordantium Epiſcoporum provinciæ manere ſententiam.

CAPUT XLVIII.

De Synodis quæ ab Epiſcopis, ſuis debent temporibus in provinciâ celebrari.

Ex Concilio Antiocheno, cap. XX.

PRopter utilitates Eccleſiaſticas, & abſolutiones earum rerum, quæ dubitationem controverſiamque recipiunt, optime placuit ut per ſingulas quaſque provincias bis in anno Epiſcoporum Concilia celebrentur. Semel quidem poſt tertiam ſeptimanam feſti Paſchalis, ita ut quartâ ſeptimanâ quæ conſequitur, id eſt medio Pentecoſtes conveniat Synodus, Metropolitano provinciales Epiſcopos admonente. Secunda verò Synodus fiat Idibus Octobris, id eſt decimo quinto die menſis Octobris, quem hyperberetæon Græci cognominant. In ipſis autem Conciliis adſint Preſbyteri, & Diaconi, & omnes qui ſe læſos exiſtimant, & Synodi experiantur examen. Nullis verò liceat apud ſe celebrare Concilia, præter eos quibus Metropolitana jura videntur eſſe commiſſa.

CAPUT XLIX.

De Epiſcopis qui ad Concilia non occurrunt.

Ex Concilio Africano *, cap. XLIII.

* vulgo dicto, ſeu collectione variorum canon. e Conciliis Africanæ provinciæ.

ITem placuit, ut quotieſcumque Concilium congregandum eſt, Epiſcopi qui neque ætate, neque ægritudine, neque aliquâ graviori neceſſitate impediuntur, competenter occurrant; & Primatibus ſuarum quarumque provinciarum intimentur, ut de univerſis Epiſcopis, vel duæ vel tres turmæ fiant, ac de ſingulis turmis viciſſim quotquot electi fuerint ad diem Concilii inſtantiſſimè occurrant: quòd ſi non potuerint occurrere, excuſationes ſuas in tractoriâ ſubſcribant, vel ſi poſt adventum tractoriæ aliquæ neceſſitates repente forſitan ortæ fuerint, niſi rationem impedimenti ſui apud ſuum Primatem reddiderint, Eccleſiæ ſuæ communionem debere eſſe contentos.

CAPUT L.

Ut de alieno Monaſterio ſuſceptos, nec Præpoſitos Monaſterii, nec Clericos liceat ordinare.

Ex Concilio Africano, cap. XLVII.

Ibidem.

ITem placuit, ut ſi quis de alterius Monaſterio repertum, vel ad Clericatum promovere voluerit, vel in ſuo Monaſterio majorem Monaſterii conſtituerit, Epiſcopus qui hoc fecerit à cæterorum communione ſejunctus, ſuæ tantùm plebis communione contentus ſit: & ille neque Clericus neque præpoſitus perſeveret.

CAPUT LI.

De ordine quo depoſiti iterum ordinentur.

Ex Concilio Toletano, * cap. XXVIII.

* Tolet. IV.

EPiſcopus, Preſbyter, aut Diaconus ſi à gradu ſuo injuſtè dejectus, in ſecunda Synodo innocens reperiatur, non poteſt eſſe quod fuerat, niſi gradus amiſſos recipiat coram altario de manu Epiſcoporum, ſi Epiſcopus eſt, orarium, annulum, & baculum recipiat, ſi Preſbyter, orarium, & planetam; ſi Diaconus orarium & albam; ſi Subdiaconus patenam & calicem, ſic & reliqui gradus ea in reparationem ſui recipiant, quæ cum ordinarentur perceperunt.

CAPUT LII.

Ut Epiſcopus diœceſanos Preſbyteros, & quoſdam ex laicis convenire litteris ad Synodum moneat.

Ex Concilio Terraconenſi *, cap. XIII.

* Tempore Hormiſdæ circa 516.

EPiſtolæ tales per fratres à Metropolitano ſunt dirigendæ, ut non ſolùm de cathedralis Eccleſiæ Preſbyteris, verùm etiam de diœceſanis ad Concilium trahant, & aliquos de filiis Eccleſiæ ſæcularibus ſecum adducere debeant.

CAPUT LIII.

Ut ad Metropolitani arbitrium Synodus congregetur.

Ex Concilio Arelatenſi, * cap. XVIII.

* Arelat. II.

AD Arelatenſis Epiſcopi arbitrium Synodus congreganda, ad quam urbem e x omnibus mundi partibus præcipuè Gallicanis ſub ſancti Martini tempore legimus celebratum fuiſſe Concilium atque Conventum. Si quis commonitus infirmitatis causâ defuerit, perſonam vice ſuâ dirigat.

CAPUT LIV.

De defenſoribus Eccleſiarum ab Imperatore poſcendis.

Ex Concilio Carthaginenſi *, cap. XIV.

* C dicto

AB Imperatoribus, univerſis viſum eſt poſtulandum propter afflictionem pauperum, quorum moleſtiis ſine intermiſſione fatigatur Eccleſia, ut defenſores eis adversùs potentias divitum cum Epiſcoporum proviſione delegentur.

CAPUT LV.

De his qui Eccleſiaſtica miniſteria præter Eccleſiam faciunt.

Ex Concilio Gangrenſi, * cap. VI.

* Te veſtr 324.

SI quis extrà Eccleſiam ſeorſum conventus celebrat, & deſpiciens Eccleſiam ea quæ ſunt Eccleſiæ voluerit uſurpare, non conveniente Preſbytero juxtà decretum Epiſcopi, anathema ſit.

CAPUT LVI.

De fructuum oblationibus, quæ miniſtris Eccleſiæ conferuntur.

Ex eodem Concilio, cap. VII.

SI quis oblationes Eccleſiæ extrà Eccleſiam accipere vel dare voluerit præter conſcientiam Epiſcopi, vel ejus cui hujuſcemodi officia commiſſa ſunt, nec cum ejus voluerit agere conſilio, anathema ſit.

CAPUT LVII.

De his quæ in uſus pauperum conferuntur.

Ex eodem Concilio, cap. VIII.

SI quis dederit aut acceperit oblata præter Epiſcopum, vel eum qui conſtitutus eſt ab eo, ad diſpenſandam miſericordiam pauperibus, & qui dat & qui accipit, anathema ſit.

CAPUT LVIII.

De his qui agapas, id eſt paſtiones pauperum tiſui deputant.

Ex eodem Concilio, cap. XI.

SI quis deſpicit eos qui fideliter agapas, id eſt convivia pauperibus exhibent, & propter honorem Domini convocant fratres, & noluerit communicare hujuſcemodi vocationibus parvipendens quod geritur, anathema ſit.

CAPUT LIX.

Ut qui oblationes defunctorum retinent, excommunicentur.

Ex Concilio Vaſenſi, * cap. IV.

* p

QUi oblationes defunctorum retinent, & Eccleſiis tradere demorantur, ut infideles ſunt ab Eccleſiâ abjiciendi, quia uſque ad exſtinctionem fidei pervenire certum eſt hanc pietatis divinæ exacerbationem; quia & fideles de corpore recedentes

votorum ſuorum plenitudine, & pauperes collatæ eleemoſynæ & neceſſariâ ſuſtentatione fraudantur. Hi enim tales quaſi egentium necatores, nec credentes judicium Dei habendi ſunt. Unde & quidam Patrum hoc ſcriptis ſuis inſeruit congruente ſententiâ, quâ ait: « Amico quidpiam rapere, furtum « eſt; Eccleſiam fraudare, ſacrilegium. » Auguſtinus in ſermone Evangelii Joannis: « Ecce inter « ſanctos eſt Judas: ecce fur eſt Judas: & ne contemnas, fur ſacrilegus, non qualiſcumque fur « loculorum, ſed dominicorum: loculorum, ſed ſacrorum: ſi crimina diſcernuntur in foro, qualiſcumque fur & peculatus; peculatus enim dicitur « furtum de Republicâ, & non ſic judicatur furtum « rei privatæ, quomodo publicæ: quanto vehementiùs judicandus eſt fur ſacrilegus, qui auſus fuerit non undecumque tollere, hoc eſt de Eccleſia « tollere? Qui aliquid de Eccleſia furatur; rapit & « tollit, Judæ perdito comparatur ».

Hieron. epiſt. 2, ad Nepotianum. Expoſit. in Evang. Joan. tract. 50.

CAPUT LX.

De his qui ſuas, vel propinquorum oblationes Eccleſiæ fraudant.

Ex Concilio Agathenſi, * cap. IV.

** Anno Chriſti 506.*

CLerici etiam vel ſæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut teſtamento relictas retinere præſumſerint, aut id quod ipſi donaverunt Eccleſiis, vel Monaſteriis crediderint auferendum, ſicut Synodus ſancta conſtituit, velut necatores pauperum quouſque reddant, ab Eccleſiis excludantur.

CAPUT LXI.

Si quis potentium quemlibet exſpoliaverit, & admonente Epiſcopo non reddiderit, excommunicetur.

Ex Concilio Toletano, * cap. XI.

** Tolet. 1.*

SI quis de potentibus Clericum aut quemlibet pauperiorem aut religioſum exſpoliaverit & mandaverit eum ad ſe venire Epiſcopus ut audiatur, & contemſerit; invicem mox ſcripta percurrant per omnes provinciæ Epiſcopos, & quoſcumque adire potuerint, ut excommunicatus habeatur, donec audiatur & reddat aliena.

CAPUT LXII.

Si Epiſcopus à Metropolitano admonitus pro Synodo, vel ordinatione Epiſcopali, venire diſtulerit.

Ex Concilio Agathenſi, * cap. XXXVI.

** Anno 506 cap. XXXV.*

SI Metropolitanus Epiſcopus ad Comprovinciales Epiſcopos epiſtolas direxerit, in quibus eos aut ad ordinationem ſummi Pontificis, aut ad Synodum invitet; poſtpoſitis omnibus, exceptâ gravi infirmitate corporis, aut præceptione regiâ, ad conſtitutam diem adeſſe non differant: quod ſi defuerint, ſicut priſca Canonum præcepit auctoritas, uſque ad proximam Synodum charitate fratrum & Eccleſiæ communione priventur.

** Ex epiſt. 2.*

Symmachus * Cæſario Epiſcopo: Igitur quemadmodum ſuprà diximus, per ſingulas Eccleſias beneficia quæ ſunt diù cuſtodita ſerventur, & ſi tamen Eccleſiæ Aquenſis Antiſtes, vel alius quilibet Metropolitano Pontifici juxtà Canonum diffinitionem vocatus obtemperare noluerit, noverit ſe ſuccidendum, quod ooo optamus, Eccleſiaſticâ diſciplinâ.

CAPUT LXIII.

Ut Epiſcopus, qui contrà ſuam poſſeſſionem in Concilio habitam venerit, deponatur.

Ex Concilio Carthaginenſi, * cap. XIII.

** Carthag nomine ſecundo.*

SI quis contrà ſuam poſſeſſionem & ſubſcriptionem venerit in aliquo, ipſe ſe honore privabit. Genedius Epiſcopus dixit: Omnia ergo quæ à cœtu glorioſiſſimo ſtatuta ſunt, placet ab omnibus cuſtodiri. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt, placet, placet ut cuſtodiantur ab omnibus.

CAPUT LXIV.

De communione privatis, & ita defunctis.

Ex Epiſtolâ Leonis * Papæ ad Ruſticum.

** Leonis I. ep 92, inquiſit. 8.*

HOrum cauſa Dei judicio reſervanda eſt, in cujus manu fuit, ut talium obitus uſque ad communionis remedium non differretur: nos autem quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non poſſumus.

CAPUT LXV.

De terminis minimè transferendis.

Ex Epiſtolâ * Papæ Innocentii ad Florentinum, cap. XXXI.

** Epiſt. VIII. Innoc. I. ad Florentinum Epiſc. Tiburtinum.*

INnocentius Florentino Epiſcopo Tiburtinenſi. Non ſemel ſed aliquoties clamat ſcriptura divina transferri non oportere terminos à Patribus conſtitutos, quia nefas eſt, ſi quod alter ſemper poſſederit, alter invadat. Quod tuam bonitatem frater & Coëpiſcopus noſter Urſus aſſerit perpetraſſe: nam Nomentanam ſive Felicienſem parochiam ad ſuam dicecſim à majoribus pertinentem invaſiſſe te, atque illic divina celebraſſe myſteria inconſulto eodem ac neſciente, non ſine dolore conqueſtus eſt. Quod ſi verum eſt, non leviter te culpam incurriſſe cognoſcas: unde ſi declinare cupis tantæ uſurpationis invidiam, noſtris litteris admonitum te convenit abſtinere. Certè ſi aliquid tibi credis juſtitiæ ſuffragari, integris omnibus & in priſtino ſtatu manentibus poſt dies venerabiles Paſchæ adeſſe debebis; ut memoratis poſſis intentionibus reſpondere, partibuſque in medio collocatis quid antiquitas aut veritas habeant requiramus.

CAPUT LXVI.

De Epiſcopis qui quod repetere potuerint, prætermiſsâ Synodo invaſerint.

Ex Concilio Carthaginis *.

** Ex cod. can. cap. 120. Ex Conc Afric. cap. 87.*

PLacuit, ut Epiſcopi quaſcumque Eccleſias vel plebes, quas ad ſuam cathedram exiſtimant pertinere, non ita repetierint, ut cauſas ſuas, Epiſcopis judicantibus, agant, ſed alio renitente irruerint, ſive volentibus ſive nolentibus plebibus, cauſæ ſuæ detrimentum patiantur. Et quicumque jam hoc fecerunt, ſi nondum eſt inter Epiſcopos finita contentio, ſed adhuc inde contendunt; ille inde diſcedat quem conſtiterit, prætermiſſis judicibus Eccleſiaſticis, irruiſſe. Nec ſibi quiſque blandiatur, ſi à Primate, ut retineat, litteras impetrarit: ſed ſive habeat litteras, ſive non habeat, conveniat eum qui tenet, & ejus litteras accipiat, ut eum appareat pacificè tenuiſſe Eccleſiam ad ſe pertinentem. Si autem ille aliquam quæſtionem retulerit, per Epiſcopos judices cauſa finiatur, ſive quos eis Primates dede-

rint, ſive quos ipſi vicinos cum conſultu Primatis delegerint.

CAPUT LXVII.

Ut baſilicæ, in cujus territorio ſunt, in ejus Epiſcopi maneant poteſtate.

* Aurel. 1, cap. XVII.

Ex Concilio Aurelianenſi, * cap XXXIII.

OMnes autem baſilicæ, quæ per diverſa loca conſtructæ ſunt, vel quotidie conſtruuntur, placuit ſecundùm priorum Canonum regulam, ut in ejus Epiſcopi, in cujus territorio poſitæ ſunt, poteſtate conſiſtant.

CAPUT LXVIII.

De parochiis.

* ſub Leone I.

Ex Concilio Calchedonenſi, * cap XVII.

SIngularum Eccleſiarum ruſticas parochias vel in poſſeſſionibus manere debere inconcuſſas illis Epiſcopis, qui eas retinere noſcuntur, & maximè ſi per tricennium eas abſque vi obtinentes ſub diſpenſatione rexeruot. Quòd ſi intrà tricennium facta fuerit vel fiat altercatio, licere eis qui ſe læſos aſſerunt apud ſanctam Synodum provinciæ certare. Quòd ſi quiſquam à Metropolitano læditur, apud Primatem Diœceſeos, aut apud ſanctam Conſtantinopolitanam ſedem judicetor, ſicut ſuperiùs dictum eſt. Si quæ verò civitas poteſtate imperiali novata eſt, g aut ſi protinùs innovetur, civiles diſpoſitiones & publicas Eccleſiaſticarum parochiarum quoque ordines ſubſequantur.

CAPUT LXIX.

Quòd eccleſiarum omnium dotes ad Epiſ[illegible] ordinationem debeant pertinere.

* Tolet. 3.

Ex Concilio Toletano *, cap. XIX.

MUlti contrà Canonum conſtituta ſic Eccleſias, quas ædificaverint, poſtulant conſecrari, ut dotem quam ei Eccleſiæ contuler[illegible] cenſeant ad Epiſcopi ordinationem non pertinere, qood factum & in præteritum diſplicet, & in futuro prohibetur: ſed omnia ſecundùm conſtitutionem antiquam ad Epiſcopi ordinationem & poteſtatem pertineant.

CAPUT LXX.

De tricennali præſcriptione, ut poſt triginta annos nulli liceat pro eo appellare quod legum tempus excluſit.

Epiſt. 2 Gelaſii I. ad Epiſcopos Siciliæ, ſub finem.

Ex Epiſtolâ Papæ Gelaſii. *

ILlud etiam adnecti placuit, ut ſi, quod abſit, facultates Eccleſiæ, nec non & diœceſes quæ ab aliquibus poſſidentur Epiſcopis jure ubi vindiceot quod tricennalis lex concluſit, quia & filiorum noſtrorum Principum ita emanavit auctoritas, ut ultrà triginta annos nulli liceat pro eo appellare, quos legum tempus excludit. Datum Idibus Maii Aſterio & Præſidio Coſſ.

CAPUT LXXI.

Ut Epiſcopus ambulet per diœceſim ſuam.

Ex Concilio Bracarenſi *, cap. 1.

* Co car. 110.

PLacuit omnibus Epiſcopis atqoe coovenit, ut per ſingulas Eccleſias Epiſcopi per diœceſes ambulaotes, primùm diſcutiant clericos quomodo ordinem baptiſmi teneant, vel Miſſarum, & qualiter quæcumque officia in Eccleſiâ peragaot: & ſi rectè qoidem invenerint, Deo gratias, ſin autem minimè, docere debent, ignaros, & hoc modis omnibus præcipere, ut ſicut antiqui Canones jubent, ante dies viginti baptiſmi ad purgationem exorciſmi catechumeni currant, in quos viginti dies omninò catechumeni Symbolum quod eſt, *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, ſpecialiter doceantur. Poſtquàm ergo hæc ſuos Clericos diſcuſſerint vel docuerint Epiſcopi, aliâ die convocatâ plebe ipſius Eccleſiæ, doceant illos ut errorem fugiant idolorum, vel diverſa crimina, id eſt homicidium, adulterium, perjurium, falſum teſtimonium, & reliqua peccata mortifera; & quod nolunt ſibi fieri, non faciant alteri: & ut credant reſurrectionem omnium hominum, & diem judicii in quo unuſqoiſque ſecundùm ſua opera recepturus ſit. Et ſic poſtea Epiſcopus de Eccleſiâ illâ proficiſcatur ad aliam.

CAPUT LXXII.

Ut Epiſcopus duos ſolidos tantùm accipiat, neque tertiam partem de oblationibus quærat, & ut Clerici non cogantur more ſervili.

Ex Concilio quo ſuprà, cap. II.

PLacuit ut nullus Epiſcoporum cum ſuas diœceſes perambulant, præter honorem cathedræ ſuæ, id eſt duos ſolidos, aliquid aliud per Eccleſias tollat; neque tertiam partem ex quâcumque oblatiooe populi in Eccleſiis parochialibus requirat; ſed illa tertia pars pro luminaribus Eccleſiæ vel recuperatione ſervetur: & ſingulis annis Epiſcopo exinde ratio fiat: nam ſi tertiam partem illam Epiſcopus tollat, lumen & ſarta tecta abſtulit Eccleſiæ. Similiter & ut parochiales Clerici ſervili more in aliquibus operibus Epiſcopo ſervire non cogantur, quia ſcriptum eſt: *Neque ut dominantes in clero.* r.

CAPUT LXXIII.

De exactione Eccleſiarum Gallitiæ provinciæ.

* Ex Concilio Toletano VII. cap. IV.

INter cætera denique quæ communi conſenſu nos conferre competenter oportuit, querimonias etiam parochialium Preſbyterorum Gallitiæ provinciæ ſolertiſſimè diſcernere decuit, quas contrà Pontificum ſuorum rapacitates neceſſitas, ut comperimus, tandem compulit in publicum examen deferre. Hi enim Pontifices, ut evidens inquiſitio patefecit, indiſcreto moderamine parochianas Eccleſias prægravantes, dum in exactionibus ſuperfluis frequenter exiſtunt, penè uſque ad exinanitionem extremæ virtutis quaſdam baſilicas perduxiſſe probantur. Ne ergo fiat de cætero quod conſtat hactenùs inordinatè præſumptum, non ampliùs quàm duos

g. *novata eſt*] Alter codex non aliis ſolùm verbis, ſed etiam è contrario: *nova conſtituta eſt, aut certè conſtituatur in poſterum, civilibus & publicis formulis etiam eccleſiaſticarum parochiarum ordo celebretur.* Utra vero lectio potior ſibi videretur, Acherius ſatis oſtendit cum unam in textu ſervavit, alteram collocavit in margine; nec ſanè aliter atque ille ſentimus.

ſolidos unuſquiſque Epiſcoporum præfatæ provinciæ per ſingulas diœceſes, vel baſilicas juxtà Synodum Bracarenſem annuâ illatione ſibi expetent conferri, Monaſteriorum autem baſilicis ab hac ſolutionis impenſione ſejunctis. Cum verò Epiſcopus diœceſim viſitat, nulli præ multitudine oneroſus exiſtat; nec unquam quinquagenarium numerum evectionis excedat, aut ampliùs quàm unâ die per unamquamque baſilicam remorandi licentiam habeat. Quicumque verò Pontificum eorumdem aliter quàm decernimus agendum præſumſerit, correptioni procul dubio Canonum ſubjacebit tamquam conſtitutionum Synodalium tranſgreſſor, & priſcorum Patrum edicti corruptor, ſicut oportet. Quòd ſi Epiſcopus aut languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus id explere nequiverit, Preſbyteros probabiles aut Diaconos mittat, qui & redita baſilicarum, & reparationes, & miniſtrantium vitam inquirant.

CAPUT LXXIV.

De diſpenſatoribus ſingularum Eccleſiarum.

Ex Concilio Calchedonenſi, * cap. xxv.

* *ſub Leone I.*

QUoniam in quibuſdam Eccleſiis, ut rumore comperimus, præter œconomos Epiſcopi facultates Eccleſiaſticas tractant, placuit omnem Eccleſiam habentem Epiſcopum habere œconomum de clero proprio, qui diſpenſet res Eccleſiaſticas ſecundùm ſententiam Epiſcopi proprii, ita ut Eccleſiæ diſpenſatio præter teſtimonium non ſit, & ex hoc diſpergantur Eccleſiaſticæ facultates, & Sacerdotio maledictionis derogatio procuretur. Quòd ſi hoc minimè fecerit, divinis conſtitutionibus ſubjacebit.

CAPUT LXXV.

Ut ab Imperatoribus poſtuletur Advocatorum defenſio pro cauſis Eccleſiæ.

Ex Concilio Africano, * LXIV.

* *Vulgò dicto, ſeu collectione canon Afric. provinciæ.*

PLacuit etiam, ut petant ex nomine provinciarum omnium legati perrecturi Vincentius & Fortunatianus à glorioſiſſimis Imperatoribus, ut dent facultatem Defenſores conſtituendi Scholaſticos, qui in actu ſunt vel in munere defenſionis cauſarum, ut more Sacerdotum provinciæ, iidem ipſi, qui defenſionem Eccleſiarum ſuſceperint, habeant facultatem pro negotiis Eccleſiarum quoties neceſſitas flagitaverit, vel ad obſiſtendum obrepentibus, vel ad neceſſaria ſuggerenda; ingredi judicum ſecretaria.

CAPUT LXXVI.

De his quæ à fidelibus in parochitanis Baſilicis offeruntur.

Ex Concilio Aurelianenſe, * cap. XI.

* *Aurel. I.*

DE his quæ parochiis, in terris, vineis, mancipiis, atque peculiis quicumque fideles obtulerint, antiquorum Canonum inſtituta ſerventur, ut omnia in Epiſcopi poteſtate conſiſtant. De his tamen quæ in altario acceſſerint, tertia fideliter Epiſcopis deferatur.

CAPUT LXXVII.

De ſacris locis noviter inſtitutis, quamvis ſuperiùs dictum ſit, hoc nunc tamen adjicitur, ut nulla baſilica ſub defunctorum conſtructa nomine dedicetur.

Ex Epiſtolâ Papæ Gelaſii, * cap. xxv.

* *Epiſt. 9 Gelaſii Papæ I. ad Epiſcopos Lucaniæ.*

DE locorum conſecratione Sanctorum quamvis ſuperiùs ſcriptum fuerit comprehenſum, nobis quoque patefactum eſt, quòd abſque præcepto Sedis Apoſtolicæ nonnulli factas Eccleſias vel oratoria ſacrare præſumant; hoc ſumus tamen indicio deteſtabiliore permoti, quòd in quocumque nomine defunctorum & quantum dicitur nec omninò fidelium conſtructiones ædificatas ſacris præceſſionibus audacter inſtituere memorantur: quæ quoniam tam acerba, tam dura ſunt, ut eadem vix noſter ferre poſſit auditus: ſi re verâ Chriſtianitatis affectus in illis regionibus certus & fixus eſt, & diſtrictiùs iſta quærantur, & à quibus fuerint geſta prodantur: quoniam ſicut latentibus in hac atrocitate nominibus non exſtat in quem ſententia debita proferatur; ita cum manifeſtis fuerit documentis expoſitus, quem ſceleris tanti poſcit immanitas non vitabit ullatenùs ultionem.

CAPUT LXXVIII.

Quòd in unâquâque Eccleſiâ, cui Epiſcopus præeſt, quatuor tam de reditibus quàm de oblatione fidelium fieri debeant portiones, ut una ſit Epiſcopi, alia Clericorum, tertia pauperum, & quarta fabricis Eccleſiaſticis applicetur.

Ex Epiſtolâ Papæ Gelaſii, * cap. xxvii.

* *Eadem epiſt. cap. 27.*

QUatuor autem tam de reditu quàm de oblatione fidelium, prout cujuſlibet Eccleſiæ facultas admittit, ſicut dudum rationabiliter eſt decretum, convenit fieri portiones, quarum una ſit Pontificis, altera Clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda. De qui ſicut Sacerdotis intererit integram miniſtris Eccleſiæ memoratam dependere quantitatem, ſic Clerus ultrà delegatam ſibi ſummam nihil inſolenter noverit expetendum. Ea verò quæ Eccleſiaſticis ædificiis attributa ſunt, huic operi veraciter prærogata locorum doceat inſtauratio manifeſta ſanctorum; quia nefas eſt ſi ſacris ædibus deſtitutis, in lucrum ſuum Præſul impendia his deſignata convertat. Ipſam nihilominùs adſcriptam pauperibus portionem, quamvis divinis rationibus ſe diſpenſaſſe monſtraturus eſſe videatur, tamen juxtà quod ſcriptum eſt, *Ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt*, oportet etiam præſenti teſtificatione prædicari, & bonæ famæ præconiis non taceri. *Matt. 5.*

CAPUT LXXIX.

Contrà eum qui illicitè ordinat Clericos, & de redditibus Eccleſiæ.

Ex Epiſtolâ * Simplicii Papæ ad Epiſcopos.

* *Epiſt. 3. ad Florentium, Equitium & Severum Epiſcopos.*

REl atio nos veſtræ dilectionis inſtruxit, & geſtorum ſeries pleniùs intimavit, Gaudentium Auſinienſis Eccleſiæ Sacerdotem contrà ſtatuta Canonum ac noſtra præcepta ordinationes illicitas perpetraſſe, quarum illi totam penitùs auferri præcipimus poteſtatem. Scripſimus enim ad Severum fratrem & Coëpiſcopum noſtrum, ut ſi neceſſe fuerit ipſe in ſupradicta Eccleſiâ, conſideratis Patrum regulis hoc fungatur officio, quo ille abuſus eſſe convictus eſt, ita ut hi qui illicitè ab eodem ſunt provecti, ab Eccleſiaſticis miniſteriis ſint remoti. Simul

etiam de reditibus Eccleſiæ vel oblatione fidelium quid deceat neſcienti, nihil licere permittat, ſed ſola ei ex his una portio remittatur; duæ Eccleſiaſticis fabricis & erogationi peregrinorum & pauperum profuturæ, ab Onagro Preſbytero ſub periculo ſui ordinis miniſtrentur: ultima Clericis pro ſingulorum meritis dividatur. At verò miniſteria Eccleſiæ quæ alienata comperimus, reparare præſumptor prædicti fratris compellatur inſtantiâ: cui etiam in hoc ſpecialiter præcipimus imminere, ut tres illas portiones, quas triennio dicitur ſibi tantummodò vindicaſſe, reſtituat. Datum decimâ quartâ Calendarum Decembrium poſt conſulatum Leonis Auguſti.

CAPUT LXXX.

Ut nulli Apoſtolicæ ſedis Præſuli poſſeſſionem Eccleſiæ magnam vel parvam in perpetuum liceat alienare, vel commutationis obtentu ad cujuſlibet jura transferre: & de domibus Eccleſiaſticis quæ ſunt in urbibus, commutandis.

* Ex Synodo Romana 4. alias Palmori appellata.

Ex inſtitutis Papæ Symmachi, * cap. IV.

HIs ergo perpenſis, manſuro cum Dei noſtri conſideratione decreto ſancimus, ut nulli Apoſtolicæ ſedis Præſuli à præſenti die, donec diſponente Domino catholicæ fidei manſerit doctrina ſalvatoris, liceat prædium ruſticum quantæcumque fuerit vel magnitudinis vel exiguitatis, ſub perpetuâ alienatione, vel commutatione ad cujuſlibet jura transferre, nec cujuſquam excuſentur neceſſitatis obtentu; quippe cum non ſit perſonale quod loquimur: nec aliquis Clericorum vel Laïcorum ſub hac occaſione accepta tueatur: ſed nec in uſumfructum rura aliquibus dari liceat, nec data retineri præter Clericos & captivos atque peregrinos, ne malæ tractationis miniſtretur occaſio, cum liberalitatis illi alia itinera reſerventur. * Sanè tantùm domus in quibuſlibet urbibus conſtitutæ, quarum ſtatum neceſſe eſt expenſa non modicâ ſuſtentari, acceptis ſi offerri contigerit ſub juſtâ exiſtimatione reditibus, & divini timore judicii commutentur.

* Hic incipit cap. v. in edit.

CAPUT LXXXI.

Ut non liceat Preſbyteris titulorum ſuorum prædia, ſeu quidquid juris eorum fuerit quolibet alienare commento: qui verò hoc agere tentaverit, ordinis ſui amiſſione plectatur.

* Ibid cap. VI. in edit.

capitulo v. *

PAri etiam Eccleſiarum per omnes Romanæ civitatis titulos, qui ſunt Preſbyteri, vel quicumque fuerint, adſtringi volumus lege cuſtodes, quia nefas dictu eſt obligatione, quâ ſe per charitatem Chriſti connectit ſummus Pontifex, eâ hominem ſecundi in Eccleſia ordinis non teneri. Quicumque tamen oblitus Dei, & decreti hujus immemor, cujus Romanæ civitatis Sacerdotes volumus religioſis nexibus devinciri, in conſtitutum præſens committens, quidquam de jure titulorum, vel Eccleſias ſuperiùs præfatas, quolibet modo præter aurum, argentum vel gemmas, veſtes quoque ſi ſint, vel ſi acceſſerint aliqua mobilia ad ornamenta divina minimè pertinentia, perpetuo jure, exceptis dumtaxat ſub præfatâ conditione domibus, alienare tentaverit, donator, alienator, ac venditor honoris ſui amiſſione mulctetur.

CAPUT LXXXII.

Ut qui petierit prædium & acceperit, aut ſi quis Preſbyterorum aut Diaconorum, nec non defenſorum danti ſubſcripſerit, anathemate feriatur.

* Ibid. cap

Cap. VI *.

PRæterea qui petierit aut acceperit, vel qui Preſbyterorum aut Diaconorum ſeu defenſorum danti ſubſcripſerit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur: ſitque accipienti vel ſubſcribenti de perſonis ſuperiùs comprehenſis, id eſt, quas anathemate feriri cenſuimus, in ſtatuta pœna contubernalium ſervata, quam præmiſimus, in alienatore vindicta: niſi fortè & alienator ſibi dum repetit, & qui acceperit celeri reſtitutione proſpexerit.

CAPUT LXXXIII.

Ut ſi quis anathematis pœnam parvi duxerit, etiam documento quo ſe putat Eccleſiæ prædium poſſidere, fruſtretur, liceatque cuilibet Eccleſiaſticæ perſonæ vocem contradictionis afferre, & cum fructibus præteriti temporis eadem prædia alienata repoſcere.

* Ibid. cap in edit.

capitulo IX *.

QUòd ſi minore animæ ſuæ curâ ſibi quiſquam remedium oblatum fortè neglexerit, ſuper ea pœnarum genera, quæ ſuperiùs tenentur adſcripta, contrà nefas, ſi quod conceptum fuerit documentum, univerſis viribus, quamvis ab initio nullas habuerint, effectetur. Sed etiam liceat quibuſcumque Eccleſiaſticis perſonis vocem contradictionis afferre, & Eccleſiaſtica auctoritate fulciri, ita ut cum fructibus poſſit alienata repoſcere, nec aliquis ſe ante tribunal Chriſti obſtaculo muniat, qui à religioſis animabus ad ſubſtantiam pauperum derelicta contrà fas ſine aliquâ pietatis conſideratione diſpergit. Hujus autem conſtitutionis legem in Apoſtolicâ tantùm volumus ſede ſervari, univerſis Eccleſiis per provincias ſecundùm animarum conſiderationem, quem propoſito religionis convenire Rectores earum viderint more ſervato.

CAPUT LXXXIV.

Si quis Clericorum pauper in ordine promotus poſtea habuerit aliquid, Eccleſiæ poteſtati ſubjiciat.

* Ex cod. Afric. Ec cap. 32. Carth. Co 3. cap. 49

Ex Concilio Carthaginenſi, * cap. XXXII.

ITem placuit ut Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, vel quicumque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Epiſcopatûs vel Clericatûs ſui agros vel quæcumque prædia nomine ſuo comparant, tamquam rerum dominici earum invaſionis crimine teneantur, niſi admoniti in Eccleſiâ eadem ipſa contulerint. Si autem ipſis propriè aliquid liberalitate alicujus vel ſucceſſione cognationis obvenerit, faciant inde quod eorum propoſito congruit: quòd ſi à ſuo propoſito retrorſùm exorbitaverint, honore Eccleſiaſtico indigni & tamquam reprobi judicentur.

CAPUT LXXXV.

Ut Preſbyteri rem Eccleſiæ in quâ ſunt conſtituti, non vendant: nulli Epiſcopo liceat rem tituli matricis Eccleſiæ uſurpare.

* Ex cod. Afric. cap

Ex eodem Concilio *, cap XXXVIII.

ITem placuit ut Preſbyteri non vendant rem Eccleſiæ ubi ſunt conſtituti, neſcientibus Epiſcopis ſuis; quomodo & Epiſcopis non liceat vendere prædia Eccleſiæ ignorante Concilio vel Preſbyteris ſuis. Non habente ergo neceſſitatem, nec Epiſcopo li-

ceat matricis Eccleſiæ rem tituli ſui uſurpare.

CAPUT LXXXVI.

Ut res Eccleſiæ nemo detrahat.

Ex eodem Concilio *, cap. XXVI.

* Ex eodem codice, & ex Carthag. 5. cap. 4.

ITem placuit ut rem Eccleſiæ nemo vendat : quòd ſi reditus non habet, & reliqua nimia neceſſitas cogit, hoc inſinuandum eſſe Primati provinciæ ipſius, ut cum ſtatuto numero Epiſcoporum utrùm faciendum ſit arbitretur. Quòd ſi tanta urget neceſſitas Eccleſiæ, ut non poſſit ante conſulere, ſaltem vicinos teſtes convocet Epiſcopus, curans ad Concilium omnes referre ſuæ Eccleſiæ neceſſitates. Quod ſi non fecerit, reus Deo & Concilii venditor honore amiſſo teneatur.

CAPUT LXXXVII.

De rebus ad Eccleſiam pertinentibus; & de his quæ propria Epiſcopi eſſe noſcuntur.

Ex Concilio Antiocheno *, cap. XXIV.

* ſub Julio I. an. 341.

QUæ ſunt Eccleſiæ ſub omni ſollicitudine & conſcientiâ bonâ, & fide quæ in Deum eſt, qui cuncta conſiderat judicatque, ſerventur. Quæ etiam diſpenſanda ſunt judicio & poteſtate Pontificis, cui commiſſus eſt populus, & animæ quæ intrà Eccleſiam congregantur. Manifeſta verò ſint quæ pertinere videntur Eccleſiæ, cum notitiâ Preſbyterorum & Diaconorum, qui circà ipſum ſunt, ita ut agnoſcant nec ignorent quæ ſint Eccleſiæ propria, nec eos aliquid lateat : ut ſi contigerit Epiſcopum migrare de ſæculo, certis exiſtentibus rebus, quæ ſunt Eccleſiæ, nec ipſæ collapſæ depereant, nec propria probantur Epiſcopi, ſub occaſione rerum pervadantur Eccleſiæ. Juſtum namque & acceptum eſt coram Deo & hominibus, ut ſua Epiſcopus quibus voluerit derelinquat, & quæ Eccleſiæ ſunt eidem conſerventur Eccleſiæ, ut nec Eccleſia aliquod patiatur incommodum, nec Epiſcopus ſub occaſione proſcribatur Eccleſiæ, & in cauſas incidant qui ad eum pertinent, & ipſe poſt obitum maledictionibus ingravetur.

CAPUT LXXXVIII.

Ut Epiſcopus diſpenſandi res Eccleſiaſticas habeat poteſtatem.

Ex eodem Concilio, cap. XXV.

EPiſcopus Eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem ad diſpenſandum erga omnes qui indigent cum ſummâ reverentiâ & timore Dei : participet autem & ipſe quibus indiget, ſi tamen indiget, tam ſuis quàm fratrum qui ab eo ſuſcipiuntur neceſſariis uſibus profuturis, ita ut in nullo quâlibet occaſione fraudentur juxtà ſanctum Apoſtolum ſic dicentem : *Habentes victum & tegumentum, his contenti ſimus.* Quòd ſi contentus iſtis minimè fuerit, convertat autem res Eccleſiæ in ſuos uſus domeſticos & ejus commoda, vel agrorum fructus non cum Preſbyterorum conſcientia Diaconorumque pertractet, ſed horum poteſtatem domeſticis ſuis, aut propinquis, aut fratribus filiiſque committat, ut per hujuſmodi perſonas occultè cæteræ lædantur Eccleſiæ, Synodo provinciæ pœnas iſte perſolvat. Si autem aliter accuſetur Epiſcopus aut Preſbyteri, qui cum ipſo ſunt, quòd ea quæ pertinent ad Eccleſiam vel ex agris, vel ex aliâ quâlibet Eccleſiaſticâ facultate ſibimet uſurpent, ita ut ex hoc affligantur quidem pauperes, criminationi verò & blaſphemiis tam ſermo prædicationis, quàm hi qui diſpenſant, taliter exponantur; & hos oportet corrigi, ſanctâ Synodo id quod condecet approbante.

1. Tim. 6.

CAPUT LXXXIX.

Ut de rebus Eccleſiæ nihil Epiſcopi auferant, & qualiter proximi fundatoris Eccleſiarum ſollicitudinem gerant.

Ex Concilio Toletano *, cap. I.

* Tolet. IX. an. 655.

OMnis itaque rei Eccleſiaſticæ quantitas, ſicut remedium veniæ tribuit conferenti, ita damnum ritè præparat fraudatori; & ideo nullus Sacerdotum vel miniſtrorum ex rebus Eccleſiæ, quæ in quibuſcumque locis à fidelibus largiuntur, aliquid auferat, vel juri ſuo aut cathedræ propriæ civitatis connectat. Devotio enim uniuſcujuſque ſicut gratanter votum contulit Deo, ita definivit quòd plenitudo votorum conſervaretur in loco, in quo velut ſi collata tenentur, manet gratia offerentis, ita ſi fruſtrantur, imminet pernicies defraudantis. Verùm ut rei hujus potior ſoliditas habeatur, condignis filiis vel nepotibus honeſtioribuſque propinquis ejus, qui conſtruxit vel ditavit Eccleſiam, licitum ſit hanc bonæ intentionis habere ſolertiam : ut ſi Sacerdotem ſeu miniſtrum aliquid ex collatis rebus providerint defraudare, aut commonitionis honeſtâ conventione compeſcant, aut Epiſcopo vel judici corrigenda denuntient. Quòd ſi talia Epiſcopus agere tentet, Metropolitano ejus hæc inſinuare procurent. Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auditibus intimare non differant. Ipſis tamen heredibus in eiſdem rebus nôn liceat quaſi juris proprii poteſtatem præferre, non rapinam, non fraudem gerere, non violentiam quamcumque præſumere, ſed hoc ſolùm in ſalutarem ſollicitudinem adhibere, quòd aut in nullam noxam operatio nocens attingat, vel in multam vel in aliquam partem ſalutaris merces aſſumat. Si quis verò deinceps hæc monita temerare voluerit, & malè rapta cum confuſione reſtituet, & excommunicationis annuæ ſententiam ſuſtinebit . . . . . nam ſententiam * metuant, & liberos ex familiis Eccleſiæ ad condemnationem ſuam facere non præſumant. Impium eſt enim ut qui res ſuas Eccleſiæ Chriſti non contulit, damnum inferat, & ejus Eccleſiæ rem alienare intendat. Tales igitur libertos ſucceſſor Epiſcopus abſque aliquâ oppoſitione ad jus Eccleſiæ revocabit, quia eos non æquitas ſed improbitas abſolvit. [h]

* Tolet. IV. cap. LXVII.

h

CAPUT XC.

De diſcretione manumiſſorum ex familiâ Eccleſiæ, qualiter manumittantur; & ne adverſa teſtificent vel accuſent.

Ex Concilio quo ſuprà *, cap. XXVIII.

* Ex Tolet. VI.

EPiſcopus qui mancipium juris Eccleſiæ non retento Eccleſiaſtico patrocinio manumitti deſi-

h *abſolvit*] In indice deindè leguntur tituli V. capitum, quæ omninò deſiderantur, niſi quod ad ultimum, quod eſt *a libertis ex familiis Eccleſiarum factis*, pertinet hujus capitis pars poſtrema, quæ incipit ab his verbis, *nam ſententiam metuant.* Quod in cauſa fuit, cur punctis quædam illo loco deeſſe moneremus.

derat, duo meriti ejuſdem & peculii coram Concilio Eccleſiæ, cui præeminet, & per commutationem ſubſcribentibus Sacerdotibus offerat, ut vera & juſta inveniatur definitio commutantis. Tunc enim liberâ manumiſſione ſine patrocinio Eccleſiæ concedere poterit, quia eum, quem libertati tradere diſponit, jam juri proprio acquiſivit. Hujuſmodi autem liberto adverſùs Eccleſiam, cujus juris extitit, accuſandi vel teſtificandi denegetur licentia: quòd ſi præſumſerit, placet ut ſtante commutatione in ſervitutem propriæ Eccleſiæ revocetur, cui nocere conatur.

CAPUT XCI.

De libertis patrocinio Eccleſiæ commendatis.

Ibidem. Ex Concilio Toletano, cap. LXXII.

LIberti qui à quibuſcumque manumiſſi ſunt, atque Eccleſiæ patrocinio commendati exiſtunt, ſicut & regulæ antiquorum Patrum conſtituerunt, Sacerdotali defenſione à cujuſlibet inſolentiâ protegantur, ſive in ſtatu libertatis eorum, ſeu in peculio quod habere noſcuntur.

CAPUT XCII.

Ut laïci contemptores Canonum excommunicentur, Clerici honore priventur.

* Carth primo. Ex Concilio Carthaginenſi *, cap. XIV.

GRatus Epiſcopus dixit: Juxtà ſtatuta Concilii & mediocritatis meæ ſententiam, placet facere rerum omnium concluſionem. Univerſi tituli deſignati & digeſti teneant ſententias ſuas. Sanè credo vos tenere multis Conciliis à Patribus noſtris & traditionem temerariam eſſe damnatam, & rebaptizationis impietatem eſſe puniendam. Quas res etiam noſtro Concilio credo jam terminum accepiſſe. Reliqua verò quæ facta vel dicta ſuperiùs comprehenſa ſunt, vel ab aliis Conciliis conſcripta, quæ ſecundùm legem inveniuntur, cuſtodire nos oportet. Si quis verò ſtatuta ſupergreſſus corruperit, vel pro nihilo babenda putaverit, ſi laïcus eſt, communione, ſi Clericus, honore privetur. Univerſi dixerunt, placet, placet.

CAPUT XCIII.

Ut ſi quis Sacerdotum contrà hæc interdicta fecerit, à ſuo ſit officio ſubmovendus.

* Leonis I. epiſt. II. Ex Epiſtolâ Papæ Leonis * ad Epiſcopos per Campaniam, Picenum, & Tuſciam, cap. V.

HOc itaque admonitio noſtra denuntiat, quòd ſi quis fratrum contrà hæc ſtatuta venire tentaverit, & probibita fuerit auſus admittere, à ſuo ſe noverit officio ſubmovendum: nec communionis noſtræ futurum eſſe conſortem, qui ſocius eſſe noluit diſciplinæ.

CAPUT XCIV.

De flectendo genua.

* ſub Sylveſtro I. an 325. Ex Concilio Nicæno *, cap. XX

QUoniam ſunt quidam in die Dominico genua flectentes, & in diebus Pentecoſtes; ut omnia in univerſis locis conſonanter obſerventur, placuit ſancto Concilio ſtantes Domino vota perſolvere.

i *vallematia*] Alius codex *Allemandea*, vel *Gallomanelia*.

CAPUT XCV.

Ut populus ante completam Miſſam, & benedictionem acceptam, egredi non præſumat.

Ex Concilio Aurelianenſi *, cap. XXII. * cap

CUm ad celebrandas Miſſas in Dei nomine convenitur, populus non ante diſcedat quàm Miſſæ ſolemnitas compleatur, & ubi Epiſcopus fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis. *Ex Concilio Carthagini.* Sacerdote verbum in Eccleſiâ faciente qui egreſſus de auditorio fuerit, excommunicetur.

CAPUT XCVI.

Quòd manere debeat firmum ſi ſervi fiſci Eccleſias fecerint, eaſque de peculio ſuo ditaverint.

Ex Concilio Toletano *, cap. XV. * 7

SI qui ex ſervis fiſcalibus fortaſſe Eccleſias conſtruxerint, eaſque de ſuâ paupertate ditaverint, hoc procuret Epiſcopus prece ſuâ auctoritate Regiâ confirmari.

CAPUT XCVII.

Ut vallematia[i] *& turpia cantica prohibeantur.*

Ex eodem Concilio, cap. XXIII.

EXterminanda omninò eſt irreligioſa conſuetudo, quam vulgus per ſanctorum ſolemnitates agere conſuevit; ut populi qui debent officia divina attendere, ſaltationibus & turpibus invigilent canticis; non ſolùm ſibi nocentes, ſed & religioſorum officiis perſtrepentes: hoc etenim ut ab omni Hiſpaniâ depellatur, Sacerdotum & judicum à Concilio ſancto curæ committatur.

CAPUT XCVIII.

De his qui Eccleſiaſtica jejunia abſque neceſſitate diſſolvunt.

Ex Concilio Gangrenſi *, cap. XIX * ſi ſtro

SI quis eorum qui continentiæ ſtudent, abſque neceſſitate corporeâ tradita in commune jejunia, & ab Eccleſiâ cuſtodita; ſuperbiendo diſſolvit, ſtimulis ſuæ cogitationis impulſus, anathema ſit.

CAPUT XCIX.

Non debere in diebus jejuniorum commemorationes Martyrum fieri.

Ex Concilio Laodicenſi *, cap. LI. * ſu ſtro, Lib. 364

QUòd non oporteat in Quadrageſimâ Martyrum natalitia celebrari, ſed eorum ſancta commemoratio in diebus Sabbatorum & Dominicarum fieri conveniat.

CAPUT C.

Oblationes offerri in domibus non oportere.

Ex Concilio quo ſuprà, cap. LVIII.

QUòd non oporteat in domibus oblationes celebrari ab Epiſcopis vel Preſbyteris.

CAPUT

CAPUT CI.

Ut Sacramentum catechumenis non præbeatur.

Ex Epiſtolâ Papæ Leonis *.

* Ex Carthag. tertio cap. 5.

ITem placuit ut etiam per ſolemniſſimos Paſchales dies ſacramentum catechumenis non detur, niſi ſolitum ſalis: quia ſi fideles per illos dies ſacramenta non mutant, nec catechumenos oportet mutare.

CAPUT CII.

Quòd Paſcha & Pentecoſte ſit baptizandum.

Ex eâdem Epiſtolâ * ad Epiſcopos per Siciliam.

* Epiſtola IV. cap. 5.

UNde quia maniſeſtiſſimè patet baptizandis in Eccleſiâ electis hæc duo tempora, de quibus loquuti ſumus, eſſe legitima, dilectionem veſtram monemus ut nullos alios dies hujus obſervantiæ miſceatis.

CAPUT CIII.

Quòd omni tempore hi qui in neceſſitate mortis, aut ægritudinis, vel obſidionis, ſive perſequutionis, aut naufragii urgentur, debeant baptizari. De reddita etiam Chriſti baptiſmi ratione.

Ex eâdem Epiſtolâ *.

* cap. VI.

QUia etſi ſunt alia quoque feſta, quibus multa in honorem Dei reverentia debeatur, principalis tamen & maximi ſacramenti cuſtodienda nobis eſt myſticæ rationis exceptio, non interdictâ licentiâ, quâ in baptiſmo tribuendo quolibet tempore periclitantibus ſubvenitur. Ita enim ad has duas feſtivitates connexas ſibimet atque cognatas incolumium, & in pacis ſecuritate degentium libera vota differimus; ut in mortis periculo, in obſidionis diſcrimine, in perſequutionis anguſtiis, in timore naufragii nullo tempore hoc veræ ſalutis ſingulare præſidium cuiquam denegemus.

CAPUT CIV.

De catechumenâ prægnante.

Ex Concilio Neocæſarienſi *, cap. VI.

* ſub Sylveſtro I.

GRavidam oportet baptizari quando voluerit, nihil enim in hoc quæ parit naſcenti communicat, propterea quòd unuſcujuſque ſuum propoſitum in confeſſione declaretur.

CAPUT CV.

De infantibus baptizandis, quoties dubitatur utrum fuerint baptizati.

Ex Concilio Carthaginenſi *, cap. XXXIX.

* Carthag. nomine quinto, cap. IV. & ex cod. can. Africana Eccleſia.

ITem placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe ſine dubitatione teſtentur, neque ipſi ſunt per ætatem de traditis ſibi ſacramentis idonei reſpondere, abſque ullo ſcrupulo eos eſſe baptizandos, ne iſta trepidatio eos faciat ſacramentorum purgatione privari. Hinc enim legati Maurorum fratres noſtri conſuluerunt, quia multos tales à barbaris redimunt.

CAPUT CVI.

De baptizatis qui nondum confirmati moriuntur.

Ex Concilio Helibertano *, cap. XXXVII.

* ſub Marcello I.

SI quis Diaconus regens plebem, ſine Epiſcopo vel Preſbytero aliquos baptizaverit, Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit: quòd ſi ante de ſæculo receſſerint, ſub fide quâ quiſque credidit poterit eſſe juſtus.

CAPUT CVII.

De his qui rebaptizati ſunt, quantum pœniteant.

Ex Concilio Hilerdenſi *, cap. IX.

* Tempore Joan. Papæ circiter an. 524.

DE his qui in prævaricationem rebaptizati, ſine aliquâ neceſſitate vel tormento dilapſi ſunt, placuit ut circà eos illa Nicænæ Synodi ſtatuta ſerventur, quæ de prævaricatoribus conſtituta eſſe noſcuntur; id eſt ut ſeptem annis inter catechumenos orent, & duobus inter Catholicos, & poſtea moderatione & clementiâ Epiſcopi fidelibus in oblatione & Euchariſtiâ communicent.

CAPUT CVIII.

Quòd non debeant baptizati, niſi ab Epiſcopis conſignari.

Ex Epiſtolâ Papæ Innocentii * ad Decentium, cap. III.

* Innocent. I. epiſt. 1.

DE conſignandis verò infantibus manifeſtum eſt non ab alio quàm ab Epiſcopo fieri licere: nam Preſbyteri licet ſint Sacerdotes, Pontificatûs tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus ſolis deberi ut vel conſignent, vel Paraclitum Spiritum tradant, non ſolum conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verùm & illa lectio actuum Apoſtolorum, quæ aſſerit Petrum & Joannem eſſe directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum ſanctum. Nam Preſbyteris ſeu extrà Epiſcopum ſeu præſente Epiſcopo cum baptizant, chriſmate baptizatos ungere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum, non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis cum tradunt Spiritum Paraclitum. Verba verò dicere non poſſum, ne magis prodere videar, quàm ad conſultationem reſpondere.

CAPUT CIX.

De energumenis baptizatis.

Ex eâdem Epiſtolâ, cap. VI.

DE his verò baptizatis qui poſtea dæmonio, aut vitio aliquo, aut peccato interveniente arripiuntur, quæſivit dilectio tua, ſi à Preſbytero vel Diacono poſſint aut debeant conſignari; quod hoc niſi Epiſcopus præcepit, non licet; nam ei manus imponenda omninò non eſt, niſi Epiſcopus auctoritatem dederit id efficiendi. Ut autem fiat, Epiſcopi eſt imperare, ut manus ei vel à Preſbytero vel à cæteris Clericis imponatur: nam quomodo id fieri ſine magno labore poterit, ut longè conſtitutus energumenus ad Epiſcopum deducatur, cum ſi talis caſus ei in itinere acciderit, nec perferri ad Epiſcopum, nec referri ad ſua facile poſſit.

CAPUT CX.

De epiſtolâ ſancti Jacobi, in quâ pro infirmis orari præcipitur.

Ex eâdem Epiſtolâ, cap. VIII.

SAne quoniam de hoc ſicuti de cæteris conſulere voluit dilectio tua, adjecit etiam filius meus Cœleſtinus Diaconus in epiſtolâ ſuâ eſſe à tuâ dilec-

ctione poſitum illud, quod in beati Apoſtoli Jacobi epiſtolâ conſcriptum eſt: *Infirmatur quis in vobis, inducat Preſbyteros, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & ſuſcitabit eum Dominus: & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.* Quod non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui ſancto oleo chriſmatis perungi poſſunt, quo ab Epiſcopo confecto non ſolùm Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet in ſuâ, aut ſuorum neceſſitate mungendo. Cæterum illud ſuperfluum videmus adjectum, ut de Epiſcopo ambigatur quod Preſbyteris licere non dubium eſt: nam idcirco de Preſbyteris dictum eſt, quia Epiſcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non poſſunt. Cæterum ſi Epiſcopus aut poteſt, aut dignum ducit aliquem à ſe viſitandum, & benedicere, & tangere chriſmate ſine cunctatione poteſt, cujus eſt ipſum chriſma conficere; nam pœnitentibus iſtud fundi non poteſt, quia genus eſt ſacramenti; nam quibus reliqua ſacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi?

CAPUT CXI.

Ut nulla pretia de baptizandis conſignandiſque fidelibus exigantur; quod ſi quis perpetrare fuerint deprehenſi, honoris ſui ſint periculum ſubituri.

Ex Epiſtolâ Papæ Gelaſii *, cap. v.

* Epiſt. Gelaſ. primo ad Epiſc. Lucaniæ.

BAptizandis conſignandiſque fidelibus pretia nulla præfigant, nec illationibus quibuſlibet impoſitis exagitare cupiant renaſcentes; quoniam quod gratis accepimus, gratis dare mandamur, & ideò nihil à prædictis prorsùs exigere moliantur, quo vel paupertate cogente deterriti, vel indignatione revocati, redemptionis ſuæ cauſas adire deſpiciant; certum habentes quòd qui prohibita deprehenſi fuerint admiſiſſe, vel commiſſa non potiùs ſuâ ſponte correxerint, periculum ſubituri proprii ſint honoris.

CAPUT CXII.

De Energumenis.

Ex Concilio Arauſico *, cap. xiv

* Ex Arauſicano 1.

ENergumeni jam baptizati ſi de purgatione ſuâ curant, & ſe ſollicitudini Clericorum tradunt, monitiſque obtemperant, omnimodis communicent, ſacramenti ipſius virtute vel muniendi ab incurſu dæmonum quo infeſtantur, vel purgandi quorum jam oſtenditur vita purgatior.

Ex Concilio Carthaginis *, cap. xc

* Carth. IV.

OMni die Exorciſtæ energumenis manus imponant.

Ex Concilio quo ſuprà, cap. xci.

PAvimenta domorum Dei energumeni verrant.

Ex Concilio quo ſuprà, cap. xcii.

ENergumenis in domo Dei adſidentibus victus quotidianus per Exorciſtas oportuno tempore miniſtretur.

Explicit Liber ſecundus.

INCIPIT LIBER III.

CAPITULUM PRIMUM.

Preſbyterorum & Diaconorum ordinationes certis celebrari poſſe temporibus.

Ex decreto Papæ Gelaſii *, cap. xi

* E... pri... Luc...

ORdinationes etiam Petſbyterorum Diaconorumque niſi certis temporibus & diebus exerceri non debeant, id eſt quarti menſis jejunio, ſeptimi & decimi, ſed etiam Quadrageſimalis initii, ac medianâ Quadrageſimæ die ſabbati jejunio circà veſperam noverint celebrandas. Nec cujuſlibet utilitatis ſeu Preſbyterum ſeu Diaconum his præferre, qui ante ipſos fuerint ordinati.

CAPUT II.

Ut nemo litteras neſciens, vel aliquâ parte corporis imminutus promoveatur ad Clerum.

Ex quo ſuprà, cap. xvi.

ILlitteratos quoque, & nonnullâ parte corporis imminutos ſine ullo reſpectu ad Eccleſiaſticum didicimus venire ſecvitium; quod ſimul antiqua traditio, & Apoſtolicæ ſedis vetus forma non recipit; quia nec litteris carens ſacris eſſe poteſt aptus officiis, & vitioſum nihil Deo prorsùs offerri legalia præcepta ſanxerunt. Itaque de cætero modis omnibus hæc vitentur, nec quiſquam talis ſuſcipiatur in Clerum. Si qui verò vel temeritate propriâ vel incuriâ præſidentum tales ante ſuſcepti ſunt, in his quibus conſtituti ſunt locis catenùs perſeverent, ut nihil unquam promotionis arripiant, ſatiſque habeant hoc ipſum ſibi pro nimiâ miſeratione permiſſum.

CAPUT III.

De his qui ſe ipſos abſcindunt.

Ex quo ſuprà, cap. xvii.

DE his autem qui ſemetipſos abſciderint, paterni Canones evidenter ſequenda poſuerunt, quorum tenorem ſufficiat indidiſſe. Dicunt enim talis perpetrantes mox ut agniti fuerint, à munere Clericali debere ſecludi. Quod modis omnibus cuſtodire nos convenit, quia fas eſſe nullus ſuppeditat, præter illa quidquam quæ memorabilis decrevit forma cenſuræ.

CAPUT IV.

Quod ad clerum criminoſi nequeant promoveri, & in clero poſiti ſi in aliquibus fuerint inventi criminibus, à ſuis officiis arceantur.

Ex quo ſuprà, cap. xviii.

COmperimus etiam horrendis quibuſdam criminibus implicatos totâ diſcretione ſummotâ, non ſolùm de factis atrocibus neceſſariam pœnitudinem non habere, ſed nec aliquâ correptione penitùs ſuccedente ad divinum miniſterium honoremque conſcendere. Nonnullos autem etiam in ipſis ordinibus conſtitutos graviùs delinquentes facinoribus non repelli, cum & Apoſtolus clamet: *Nemini cito manus imponendas*, neque communicandum peccatis alienis, majorum veneranda conſtituta pronuntient. Hujuſmodi etiam ſi fortè ſubrepſerint, tam qui ante peccaverunt detectos oportere depel- 1. T

li, quàm ſacræ profeſſionis oblitos prævaricatoreſque ſancti propoſiti procul dubio ſubmovendos.

CAPUT V.

Quòd dæmoniis aliiſque paſſionibus irretitis miniſteria ſacra tractare non liceat.

Ex quo ſuprà, cap. XIX.

USque adeo ſanè comperimus illicita quæque prorumpere, ut dæmoniis ſimilibuſque paſſionibus irretitis miniſteria ſacroſancta tractare tribuatur: quibus ſi in hoc opere poſitis aliquid propriæ neceſſitatis occurrat, quis de ſuâ fidelium ſalute confidet, ubi miniſtros ipſos curationis humanæ tantâ perſpexerit calamitate vexari? Atque ideo neceſſario removendi ſunt, ne quibuſlibet, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, ſcandalum generetur infirmis. Poſtremò ſi corpore ſauciatum fortaſſis aut debilem nequaquam ſancta contingere lex divina permittit; quanto magis doni cœleſtis diſpenſatores eſſe non convenit, quod eſt deterius, mente perculſos?

CAPUT VI.

De his qui viduas aut dimiſſas ducunt, vel in malis conſiliis mixti ſunt.

In excerptis Martini *.

SI quis viduam aut ab alio dimiſſam duxerit, non admittatur ad clerum; aut ſi obrepſit, dejiciatur. Similiter ſi homicidii aut facto, aut præcepto, aut conſilio, aut aſſenſione poſt baptiſmum conſcius fuerit, & per aliquam ſubreptionem ad Clericatum venerit, dejiciatur, & in finem vitæ ſuæ communionem recipiat.

* Ex Capitulis Martini Bracarenſis Epiſc. cap. XXVI.

CAPUT VII.

Ex decreto Papæ Hilarii, qui non debeant ad clericatum admitti.

cap. I *.

CAvendum ergo imprimis ne ad ſacratos gradus, ſicut geſtis prioribus ante præſcriptum eſt, quiſquam qui uxorem non virginem duxit, adſpiret: repellendus eſt etiam quiſque qui in ſecundæ uxoris nuptias contrà Apoſtolica præcepta convenerit. Quod inſcii litterarum, nec non & aliqua membrorum damna perpeſſi, & hi qui ex pœnitentibus ſunt, ad ſacros ordines adſpirare non audeant. Quiſquis talium conſecrator exſtiterit, factum ſuum ipſe diſſolvet; & quod commiſit illicitè, aut à deceſſoribus invenit admiſſum, ſi proprium periculum vult vitare, damnabit. Nos enim in nullo volumus ſeveritatem ultionis exercere, ſed qui in cauſis Dei vel contumacia vel in aliquo exceſſu deliquerit, aut ipſe quod perperam fecit abolere noluerit, in ſe quidquid in alium non reſecarit, inveniet. Quod ut deinceps poſſit tenaciùs cuſtodiri, ſi placet omnes cauſas & ſubſcriptiones proprias commodate, ut Synodali judicio aditus claudatur illicitus. Ab univerſis Epiſcopis & Preſbyteris acclamatum eſt, hæc confirmamus & hæc docemus.

* Ex Conc. Romano circ. 465.

CAPUT VIII.

Item ejuſdem de eâdem re, cap. II *.

NOnnulli Epiſcopatum, qui nonniſi meritis præcedentibus datur, non divinum munus, ſed hereditarium putant eſſe compendium, & credunt ſicut res caducas atque mortales, ita Sacerdotium velut legali aut teſtamentario jure poſſe dimitti. Nam plerique Sacerdotes in mortis confinio conſtituti, in locum ſuum feruntur alios deſignatis nominibus ſubrogare, ut ſcilicet non legitima exſpectetur electio, ſed defuncti gratificatio pro populi habeatur aſſenſu: quod quàm grave ſit æſtimate: atque ideò ſi placet etiam hanc licentiam generaliter de Eccleſiis auferamus, ne quod turpe dictu eſt, homini ſe putet debere quod Dei eſt.

* Ibid. cap. 5.

CAPUT IX.

De his qui virginitatem profeſſi ſunt: & de his quæ ſub ſororis habitu cum aliquibus commorantur.

capitulo XIX *.

QUotquot virginitatem promittentes irritam faciunt ſponſionem, inter bigamos cenſeantur. Virgines autem quæ conveniunt cum aliquibus tamquam ſorores habitare prohibemus.

* Ex Concil. Ancyrano, ſub Sylveſt. an. 314. cap. 18.

CAPUT X.

Ut ex curialibus Clericus non fiat, propter voluptates quas à diabolo inventas exhibere compellitur.

Ex Epiſtolâ Papæ Innocentii * ad Victricium Epiſc. cap. XI.

PRæterea frequenter quidam è fratribus noſtris curiales vel quibuſlibet publicis functionibus occupatos Clericos facere contendunt, quibus poſtea major triſtitia cum de revocandis eis aliquid ab Imperatore præcipitur, quàm gratia de adſcito naſcitur: conſtat enim eos in ipſis muniis voluptates etiam exhibere, quæ à diabolo inventæ eſſe noſcuntur, & ludorum vel munerum apparatibus aut præeſſe aut forſitan intereſſe. Sit certè in exemplum ſollicitudo & triſtitia fratrum quam ſæpe pertulimus Imperatore præſente, cum pro his ſæpiùs rogaremus, quam ipſe nobiſcum poſitus cognoviſti: quibus non ſolùm inferiores Clerici ex curialibus, verùm etiam jam in Sacerdotio conſtituti, ingens moleſtia ut redderentur inſtabat.

* Ex epiſt. 2. Innoc. I ad Victric. Rothomag. Epiſcop.

CAPUT XI.

De miniſtratoribus.

Ex ejuſdem Epiſtolâ * ad Exuperium, cap. III.

QUæſitum etiam eſt ſuper his qui poſt baptiſmum adminiſtraverunt, & aut tormenta ſola exercuerunt, aut etiam capitalem protulere ſententiam. De his nihil legimus à majoribus diffinitum: meminerant enim à Deo poteſtates has fuiſſe conceſſas, & propter vindictam noxiorum gladium fuiſſe permiſſum, & Dei miniſtrum eſſe, datum in hujuſmodi vindicem. Quomodo igitur reprehenderent factum, quod auctore Domino viderent eſſe conceſſum? De his ergo ita ut hactenùs ſervatum eſt, ſic habemus, ne aut diſciplinam evertere, aut contrà auctoritatem Domini venire videamur. Ipſis autem in ratione reddendâ geſta ſua omnia ſervabuntur.

* Epiſtola 3.

CAPUT XII.

Quòd qui preces vel criminales dictant, habentur immunes.

Ex eâdem Epiſtolâ, cap. V.

ILlud etiam ſciſcitari voluiſti, an preces dictantibus liberum concedatur, utique poſt baptiſmi

regenerationem, à Principibus poſcere mortem alicujus vel ſanguinem de reatu : quam rem Principes nunquam ſine cognitione concedunt, ſed ad judices commiſſa ipſa vel crimina ſemper remittunt, ut cauſâ cognitâ vindicentur ; quæ cum quæſitori fuerint delegata, aut abſolutio, aut damnatio pro negotii qualitate profertur ; & dum legum in improbos exercetur auctoritas, erit dictator immunis.

CAPUT XIII.

Si quis volens partem ſui corporis amputaverit, Clericus eſſe non poteſt, nolens autem, poteſt.

Ex Epiſtolâ Papæ Innocentii ad Felicem Epiſcopum *, cap. XXVIII.

* *Epiſt. 4. ad Felicem Nuceriarum Epiſt. cap. 1.*

QUi igitur partem cujuſlibet digiti ſibi ipſi volens abſcidit, hunc ad Clerum Canones non admittunt : cui verò caſu aliquo contigit, dum aut operi ruſtico curam impendit, aut aliquid faciens ſe non ſponte percuſſit, hos Canones præcipiunt, & Clericos fieri, & ſi in clero fuerint reperti, non abjici : in illis enim voluntas eſt judicata, quæ ſibi auſa fuit ferrum injicere, quòd ſcilicet & alii id facere dubitari non poſſit, in iſtis verò caſu veniam meruit.

CAPUT XIV.

Quòd digami ad Clerum admitti non poſſunt.

Ex eâdem Epiſtolâ, cap. XXIX.

* *cap. 2.*

DE digamis autem nec conſuli debuit, quòd manifeſta ſit lectio Apoſtoli : *Unius uxoris virum*, ad Sacerdotium ſive ad Clericatum admitti debere, & hanc ipſam tamen ſi virginem accepit : nam ea quæ habuerit antea virum, licet defunctus ſit, tamen ſi poſtea Clerico fuerit copulata, Clericus qui eam acceperit eſſe non poterit : quia in lege cautum eſt : Non viduam, non abjectam habere poſſe in conjugem Sacerdotem.

1 Tim. 3. Tit. 1.

CAPUT XV.

Qui de laicis ad clerum non debeant promoveri.

Ex eâdem Epiſtolâ, cap. III.

DE laicis verò conſuluit tua religio, quod Canones ordinare prohibeant. Certum eſt quidem hoc regulas Eccleſiaſticas continere, ſed non ita diſſinitum eſt, ut de omnibus ſit laicis conſtitutum : neque enim Clerici naſci & non fieri poſſunt : ſed deſignata ſunt genera de quibus ad Clericatum pervenire non poſſunt, id eſt ſi quis fidelis militaverit, ſi quis fidelis cauſas egerit, hoc eſt poſtulaverit, ſi quis fidelis adminiſtraverit. De curialibus autem manifeſta ratio eſt, quoniam & ſi inveniantur hujuſmodi viri qui debeant Clerici fieri, tamen quoniam ſæpiùs ad curiam repetuntur, cavendum ab his eſt propter tribulationem quæ ſæpe de his Eccleſiæ provenit.

CAPUT XVI.

Qui de laicis poſſunt Clerici fieri : hic apertè concuba prohibetur.

Ex eâdem Epiſtolâ, cap. IV.

LAici verò qui habentes uxores baptizati ſunt, ac ſic ſe inſtituerunt, ut opinio eorum in nullo vacillet, ut aut Clericis juncti ſint, aut monaſteriis ex quo baptizati ſunt, hæſerint. Si non concubinam, non pellicem noverint, ſi in omnibus bonis operibus vigilarint, non prohibentur hujuſmodi ad Clericatus ſortem aſſumi.

CAPUT XVII.

De temporibus morandi in clero.

Ex eâdem Epiſtolâ, cap. V.

ITa ſanè ut in eos tempora à majoribus conſtituta ſerventur, nec citò quilibet Lector, citò Acolythus, citò Diaconus, citò Sacerdos fiat : quia in minoribus officiis ſi diù perdurent, & vita eorum pariter & obſequia comprobantur, ut ad Sacerdotium poſtea emenſis ſtipendiorum meritis veniant, nec præripiant quod vita probata meretur accipere. Quoniam ergo certâ diffinitione monſtratum eſt qui debeant admitti, quive reprobari, ex his omnibus, quos videt dignatio tua non poſſe reprobari, eligere debebis quos Clericos facias : ſi enim nullam gratiam hominibus aut beneficium præſtare velimus, tales invenire poſſumus, de quorum aſſumptione nec incurrere ſcandalum, nec erubeſcere valeamus.

CAPUT XVIII.

Quæ in ſingulis Clerici gradibus tempora ſint præfixa.

Ex Epiſtola Zozimi Papæ *, cap. III.

* *Data 418.*

HÆc ſunt autem in ſingulis gradibus obſervanda tempora. Si ab infantiâ Eccleſiaſticis miniſteriis nomen dederit, inter Lectores uſque ad viceſimum ætatis annum continuatâ obſervatione perduret : ſi major jam & grandævus acceſſerit, ita tamen ut poſt baptiſmum ſtatim ſe divinæ militiæ deſideret mancipari, ſive inter Lectores, ſive inter Exorciſtas quinquennio teneatur ; exinde Acolythus vel Subdiaconus quatuor annis : & ſic ad benedictionem Diaconatûs ſi meretur, accedat, in quo ordine quinque annis, ſi inculpatè ſe geſſerit, hærere debebit : exinde ſuffragantibus ſtipendiis per tot gradus datis propriæ fidei documentis, Preſbyterii Sacerdotium poterit promereri ; de quo loco, ſi eum exactior ad bonos mores vita perduxerit, ſummum Pontificatum ſperare debebit. Hac tamen lege ſervatâ, ut neque digamus, neque pœnitens, neque viduæ maritus ad hos gradus poſſit admitti. Sanè ut etiam defenſores Eccleſiæ, qui ex laicis fiunt, ſupradictâ obſervatione teneantur, ſi meruerint eſſe in ordine Clericatûs.

CAPUT XIX.

Quòd non debeant Sacerdotes aut Clerici amicti palliis, & præcincti lumbis in Eccleſiâ miniſtrare.

Ex Epiſtolâ Papæ Cœleſtini *, cap. IV.

* *Cœleſti Epiſt. 2 Epiſcop. Viennenſis & Narbonenſis.*

DIdicimus enim Domini Sacerdotes ſuperſtitioſo potiùs cultui inſervire, quàm mentis vel fidei puritati. Sed non mirum ſi contrà Eccleſiaſticum morem faciunt, qui in Eccleſiâ non creverunt, ſed alio venientes itinere ſecum hæc in Eccleſiam quæ in aliâ converſatione habuerant, intulerunt : amicti pallio & lumbis præcincti credunt ſe ſanctæ ſcripturæ fidem non per ſpiritum, ſed per litteram impleturos : nam ſi ad hoc iſta præcepta ſunt, ut taliter ſervarentur, cur non fiunt pariter quæ ſequuntur ut lucernæ ardentes unà cum baculo teneantur? Habent ſuum iſta myſterium, & intelligentibus ita clara ſunt, ut ea magis quâ decet ſignificatione ſerventur. Nam in lumborum præcinctione caſtitas,

Matt. 5.

in baculo regimen paſtorale, in lucernis ardentibus boni fulgor operis, de quo dicitur; *Sic opera veſtra luceant*, indicatur. Habent tamen iſtum forſitan cultum, morem potiùs quàm rationem ſequentes, qui remotioribus habitant locis, & procul à cæteris degunt, unde hic habuus in Eccleſiis Gallicanis, ut tot annorum tantorumque Pontificum in alterum habitum conſuetudo vertatur. Diſcernendi à plebe vel cæteris ſumus doctrinâ non veſte, converſatione non habitu, mentis puritate non cultu. Nam ſi ſtudere incipiamus novitati, traditum nobis à Patribus ordinem calcabimus, ut locum ſupervacuis ſuperſtitionibus faciamus. Rudes ergo fidelium mentes ad talia non debemus inducere: docendi enim ſunt potiùs quàm illudendi; nec imponendum eſt eorum oculis, ſed mentibus infundenda præcepta ſunt. Erant quidem multa quæ pro diſciplinâ Eccleſiaſticâ, vel ipſius rei dicere ratione poſſemus: ſed ab his ad alia devocamur.

CAPUT XX.

De Clericis, quales debeant promoveri.

Ex Decretis Papæ Siricii, cap. VIII.*

* Epiſtola ad Himerium Terraconen Epiſcop.

DIdicimus etiam licenter ac liberè inexploratæ vitæ homines, quibus etiam fuerint numeroſa conjugia, ad præfatas dignitates prout cuicumque libuerit adſpirare, quod non tantùm illis qui ad hæc immoderata ambitione perveniunt, quantum Metropolitanis ſpecialiter Pontificibus imputamus, qui dum inhibitis auribus connivent, Dei noſtri quantum in ſe eſt præcepta contemnunt. Et ut taceamus quod altiùs ſuſpicamur, ubi illud eſt quod Dominus noſter datâ per Moyſen lege conſtituit dicens: *Sacerdotes mei ſemel nubant.* Et alio loco: *Sacerdos uxorem virginem accipiat, non viduam, non repudiatam, non meretricem.* Quod ſequutus Apoſtolus ex perſequutore prædicator: *Unius uxoris virum* tam Sacerdotem quàm Diaconum fieri debere mandavit. Quæ omnia ita veſtrarum regionum deſpiciuntur Epiſcopis, quaſi in contrarium magis fuerint conſtituta: & quia non eſt nobis de hujuſmodi uſurpationibus negligendum, ne nos indignantis Domini vox juſta corripiat quæ dicit: *Videbas furem & currebas cum eo; & ponebas tuam portionem cum adulteris*: quid ab univerſis poſt hæc Eccleſiis ſequendum ſit, quid vitandum generali pronuntiatione decernimus.

Levit. 21. Ezech. 44. 1. Tim. 3. Pſal. 49.

CAPUT XXI.

Quòd extrà conſcientiam Metropolitani non ordinandus ſit Epiſcopus.

Ex Decretis Papæ Innocentii, cap. IX.*

* Epiſtolâ 2. ad Victricium Rothomag. Epiſcop. cap. 1.

PRimùm ut extrà conſcientiam Metropolitani Epiſcopum nullus audeat ordinare: integrum enim judicium eſt; quod plurimorum ſententiis confirmatur. Nec unus Epiſcopus ordinare præſumat Epiſcopum, ne furtivum beneficium præſtitum videatur. Hoc enim & à Synodo Nicænâ conſtitutum atque diffinitum.

CAPUT XXII.

Quòd nolentibus Clericis, vel populis, nemo debeat Epiſcopus ordinari.

Ex Epiſtolâ Papæ Cœleſtini* ad univerſos Epiſcopos per Viennenſem & Narbonenſem provinciam conſtitutos, cap. XVIII.

* Epiſt. 2. Cœleſtini I. cap. v.

NUllus invitis detur Epiſcopus: Cleri, plebis & ordinis conſenſus & deſiderium requiratur. Tunc alter de alterâ eligatur Eccleſiâ, ſi de civitatis ipſius Clericis, cui eſt Epiſcopus ordinandus, nullus dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri. Primùm enim illi reprobandi ſunt, ut aliqui de alienis Eccleſiis meritò præferantur. Habeat unuſquiſque ſuæ fructum militiæ in Eccleſiâ, in quâ ſuam per omnia officia tranſegit ætatem: in aliena ſtipendia minimè alter obrepat nec alii debitam alter ſibi audeat vindicare mercedem. Sit facultas Clericis renitendi ſi ſe viderint prægravari: & quos ſibi ingeri ex tranſverſo cognoverint, non timeant refutare: quia ſi non debitum præmium, vel liberum de eo qui eos recturus eſt debent habere judicium.

CAPUT XXIII.

Quòd ab illicitis ſit ordinationibus abſtinendum.

Ex eâdem Epiſtolâ cap. XIX.*

* cap. vii

ABſtineatur etiam ab illicitis ordinationibus. Nullus ex laicis, nullus digamus, nullus qui ſit viduæ maritus aut fuerit, ordinetur; ſed irreprehenſibilis, & qualem elegit Apoſtolus, fiat. Per Moyſen Dominus præcepit: *Virginem accipiat Sacerdos uxorem.* Subſequitur & ſupplet Apoſtolus eodem loquutus Spiritu, *unius uxoris virum* debere Epiſcopum conſecrari. Ad hanc ergo eligantur formulam Sacerdotes: & ſi quæ factæ ſunt ordinationes illicitæ, removeantur, quoniam ſtare non poſſunt: nec diſcuſſionem noſtram ſubterfugere poterunt, quamvis latere ſe æſtiment qualiter pervenerunt. Ut nullâ religionis reverentia obſcuritate fuſcetur, non ſit vana gloriatio palliatis, Epiſcopalem morem qui Epiſcopi ſunt, ſequantur. Daniel,* ut diximus, qui accuſationem Pontificali honore ſubterfugere ſe poſſe credidit, & ad faſtigium tantum accuſatores ſuos latendo pervenit, à ſanctitatis veſtræ cœtu interim ſe noverit ſegregatum, qui ſe noſtro judicio debet objicere, ſi conſcientiæ ſuæ novit confidentiam obtinere. Maſſilienſis* verò Eccleſiæ Sacerdotem, qui dicitur, quod dictu nefas eſt, in necem fratris ſui taliter gratulatus, ut hoic qui ejus ſanguine cruentatus advenerat, portionem cum eodem habiturus occurreret; veſtro eum audiendum collegio delegamus.

Levit. 2. 1. Tim. 3.

* Hic incipit cap. 7.

* Hic cap 8. incipit Maſſilienſis, &c.

CAPUT XXIV.

Ut nullus Epiſcoporum ſervum alterius ad Clericatûs officium promovere præſumat.

Ex Decretis Papæ Leonis in Epiſtolâ ad Epiſcopos per Campaniam.*

* Leonis I. epiſt. 1. cap. 1.

ADmittuntur paſſim ad ordinem ſacrum, quibus nulla natalium, nulla morum dignitas ſuffragatur; & qui à dominis ſuis libertatem conſequi minimè potuerunt, ad faſtigium Sacerdotii, tamquam ſervilis vilitas hunc honorem capiat, provehuntur: & probari Deo ſe poſſe creditur, qui domino ſuo necdum probare ſe potuit. Duplex itaque in hac parte reatus eſt, quod & ſacrum miniſterium talis conſortii vilitate polluitur, & dominorum quantum ad illicitæ uſurpationis temeritatem pertinet, jura ſolvuntur. Ab his itaque, fratres cariſſimi, omnes veſtræ provinciæ abſtineant Sacerdotes, & non tantùm ab his, ſed ab aliis etiam qui originali aut alicui conditioni obligati ſunt, volumus temperari; niſi fortè eorum petitio aut voluntas acceſſerit, qui aliquid ſibi in eos vindicant poteſtatis; debet enim eſſe immunis ab aliis, qui divinæ militiæ fuerit aggregandus, ut à caſtris dominicis, quibus nomen ejus adſcribitur, nullis neceſſitatis vinculis abſtrahatur.

CAPUT XXV.

Ut quicumque ad Sacerdotium vel viduarum maritis, vel habentes numeroſa conjugia promoti fuerint, ab omnibus Eccleſiaſticis officiis arceantur.

Ejuſdem cap. II.

QUalis verò unicuique natalium honeſtas & morum eſſe debeat, qui ſacri altaris miniſterio eſt ſociandus, & Apoſtolo nos docente, & divinâ præceptione didicimus, & Canonum regulis, à quibus pleroſque fratrum declinaſſe & penitùs deviaſſe reperimus: nam conſtat ad Sacerdotium perveniſſe viduarum maritos quoſdam, etiam quibus fuerint numeroſa conjugia, & ad omnem licentiam vita liberior, ad ſacrum ordinem paſſim patefactis aditibus fuiſſe promotos, contrà illam beati Apoſtoli vocem quâ talibus exclamat dicens: *Unius uxoris virum*: & contrà illud antiquæ legis præceptum quo dicitur & cavetur: *Sacerdos virginem uxorem accipiat, non viduam, non repudiatam.* Hos ergo quicumque tales admiſſi ſunt, ab Eccleſiaſticis officiis & à Sacerdotali nomine Apoſtolicæ ſedis auctoritate jubemus arceri. Nec hoc enim ſibi poterunt pro arbitrio vindicare, cujus capaces per hoc quod illis obſtiterat, non fuerunt: hujus diſcuſſionis curam nobis ſpecialiter vindicantes, ut ſi qua forſitan de his commiſſa ſunt, corrigantur, ne liceat ultrà committi; & ne qua excuſatio de ignoratione naſcatur, (quamquam ignorare nunquam licuerit Sacerdotem, quid Canonum regulis fuerit diffinitum) hæc ergo ad provincias veſtras per Innocentium, Legitimum & Segetium fratres & Coëpiſcopos noſtros ſcripta direximus, ut quæ malè pullulaſſe noſcuntur, radicitùs evellantur, & meſſem Dominicam zizania nulla corrumpat. Ita enim fructum uberem quæ ſunt ſincera præſtabunt, ſi ea quæ natam ſegetem enecare conſueverunt, diligentiùs amputentur.

1. Tim. 3.

Levit. 21.

CAPUT XXVI.

Ut ſi quis Sacerdotum contra hæc interdicta fecerit, à ſuo ſit officio ſubmovendus.

Ejuſdem cap. V.

HOc itaque admonitio noſtra denuntiat, quòd ſi quis fratrum contrà hæc ſtatuta venerit vel venire tentaverit, & prohibita fuerit auſus admittere, à ſuo ſe noverit officio ſubmovendum, nec communionis noſtræ futurum eſſe conſortem, qui ſocius eſſe noluit diſciplinæ. Ne quid verò ſit quod prætermiſſum à nobis fortè credatur, omnia decretalia conſtituta tam beatæ recordationis Innocentii, quàm omnium deceſſorum noſtrorum, quæ de Eccleſiaſticis ordinibus & Canonum promulgata ſunt diſciplinis, ita à veſtrâ dilectione cuſtodiri debere mandamus, ut ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari.

CAPUT XXVII.

Quòd non habeantur Epiſcopi, quos nec Clerus elegit, nec populus exquiſivit, nec provinciales Epiſcopi conſecraverunt: ſi qui tamen Clerici ab his pſeudo-Epiſcopis ordinantur, rata poteſt ordinatio talis exiſtere.

Ejuſdem cap. XV.*

* *Leonis ejuſd. Epiſtola, ſeu reſponſ. Inquiſ. ad Ruſticum Narbon. Epiſcopi, hac eſt XCII. reſponſ. 1.*

NUlla ratio ſinit ut inter Epiſcopos habeantur, qui nec à Clericis ſunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à provincialibus Epiſcopis cum Metropolitani judicio conſecrati: unde cum ſæpe quæſtio de malè accepto honore naſcatur, quis ambigat nequaquam iſtis eſſe tribuendum quod non docetur eis fuiſſe collatum? ſi qui autem Clerici ab ipſis pſeudo-Epiſcopis in eis Eccleſiis ordinati ſunt, quæ ad proprios Epiſcopos pertinebant, & ordinatio eorum cum conſenſu & judicio præſidentium facta eſt, poteſt rata haberi, ita ut in ipſis Eccleſiis perſeverent: aliter autem vana habenda eſt conſecratio, quæ nec in loco fundata eſt, nec auctoritate munita.

CAPUT XXVIII.

Ut nullus invitis ordinetur Antiſtes.

Ejuſdem cap. XXXV.*

* *A ... ſium ... epiſt.*

CUm ergo de ſummi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Clerici plebiſque conſenſus concorditer poſtulaverint; ita ut ſi in aliam fortè perſonam partium ſe vota diviſerint, Metropolitani judicio is alteri præponatur, qui majoribus & ſtudiis juvatur & meritis, tantùm ut nullus invitis & non petentibus ordinetur; ne civitas Epiſcopum non optatum aut contemnat, aut oderit, & fiat minùs religioſa quàm convenit, cui non licuerit habere quem voluit.

CAPUT XXIX.

Ut nullus alienum Clericum ſollicitare vel tenere præſumat, ſuo Epiſcopo non præbente conſenſum.

Ejuſdem cap. XXXIX.

cap.

ALienum Clericum invito Epiſcopo ipſius nemo ſuſcipiat, nemo ſollicitet; niſi fortè ex placito charitatis id inter dantem accipientemque conveniat: nam gravis injuriæ reus eſt, qui de fratris Eccleſiâ id quod eſt utilius aut pretioſius audet vel allicere vel tenere. Itaque ſi intrà provinciam res agitur, transfugam Clericum de Eccleſiâ ſuâ Metropolitanus redire compellat. Si autem longiùs receſſit, tui præcepti auctoritate revocabitur, ut nec cupiditati nec ambitioni occaſio relinquatur.

CAPUT XXX.

Ut implicati negotiis alienis, ante redditam rationem Clerici non ordinentur.

Ex Concilio Carthaginenſi*, cap. IV.

* *T... ſule ... VIII*

MAgnus Epiſcopus Aſtitagenſis[1] dixit: Quid dilectioni veſtræ videtur, procuratores & actores, tutores etiam ſeu curatores pupillorum ſi debeant ordinari. Gratus Epiſcopus dixit: Si poſt depoſita univerſa & reddita ratiocinia, ſi actus vitæ ipſorum fuerint comprobati, in omnibus debent & cum laude Clerici, ſi poſtulati fuerint, honore munerari. Si enim quis ante libertatem negotiorum vel officiorum ab aliquo ſine conſideratione fuerit ordinatus, Eccleſia infamatur. Univerſi dixerunt: Rectè omnia ſtatuit ſanctitas tua, ideoque tua noſtra eſt quoque ſententia.

CAPUT XXXI.

Rebaptizati ad nullum Clericatûs gradum promovendi.

Ex Concilio quo ſuprà, cap. XXVII.*

* *Fa... Afri... cap. ex nomu... cap.*

ITem confirmatum eſt, ut ſi quando Presbyteri vel Diaconi in aliquâ graviori culpâ convicti fuerint, quâ eos à miniſterio neceſſe ſit removeri, non eis manus vel tamquam pœnitentibus, vel tam-

1 [*Aſtuogenſis*] Alius codex *Aptungenſis*.

quam fidelibus laïcis imponatur ; neque unquam permittendum ot rebaptizati ad Clericatûs gradum promoveantur.

CAPUT XXXII.

De his qui peregrè baptizantur, ut ad Clerum non veniant.

Ex Concilio Hellbesitano*, cap. XXIV.

* ſub Marcello Papa I. anno 305.

OMnes qui peregrè fuerint baptizati, eo quod eorum minimè ſit cognita vita, ad Clerum non eſſe promovendos in alienis provinciis.

CAPUT XXXIII.

De diſcretione pœnitentium, qui poſſint ad Eccleſiaſticos ordines provehi, vel qui non poſſint.

Ex Concilio Toletano v. cap. LIV.

HI qoi in diſcrimine conſtituti pœnitentiam accipiunt, nulla manifeſta ſcelera confitentes, ſed tantùm peccatores ſe prædicantes, hujuſmodi ſi revaluerint, poſſunt etiam per morum probitatem ad gradus Eccleſiaſticos pervenire. Qui verò ita pœnitentiam accipiunt, ut aliquod mortale peccatum perpetraſſe publicè fateaotur, ad Clerum vel honores Eccleſiaſticos pervenire nullatenùs poſſunt, quia ſe confeſſione propriâ notaverunt.

CAPUT XXXIV.

De diſcretione libertorum, qui ad Eccleſiaſticos ordines pervenire poſſunt, vel qui provehi non poſſunt.

Ex eodem, cap. X.

QUicumque libertatem ab omnibus ſuis ita percipiunt, ut nullum ſibimet in eis obſequium patronus retentet, iſti ſi ſine crimine ſunt, ad Clericatûs ordinem liberi ſuſcipiuntur ; quia directâ manumiſſione abſoluti noſcuntur. Qui verò redempto obſequio manumiſſi ſuot, pro eo quod adhuc à patrono ſervituti tenentur obnoxii, nullatenùs ſunt ad Eccleſiaſticum ordinem promovendi, ne quando voluerint eorum domini, fiant ex Clericis ſervi.

CAPUT XXXV.

De Clericis ſcurrilibus.

Ex Concilio Carthaginenſi*, cap. LX.

* Carth. IV. ſub Anaſtaſ. I. an. 398.

CLericom ſcorrilem, & verbis turpibus joculatorem, ab officio detrahendum.

CAPUT XXXVI.

Non tranſmigrantium de civitate in civitatem.

Ex Concilio Calchedonenſi*, cap. V.

* ſub Leone I. an. 451.

DE his qui tranſmigrant de civitate in civitatem Epiſcopis aut Clericis, placuit ut Canones, qui de hac re à ſanctis Patribus ſtatuti ſunt, habeant propriam firmitatem.

CAPUT XXXVII.

Quòd non oporteat abſolutè quoſlibet ordinari.

Ex eodem Concilio, cap. VI.

NUllum abſolutè ordinari debere Presbyterum aut Diaconum, nec quemlibet in gradu Eccleſiaſtico, niſi ſpecialiter Eccleſiæ civitatis aut poſſeſſionis, aut Martyrii, aut Monaſterii qui ordinaodus eſt, pronuntietur. Qui verò abſolutè ordinaotur, decrevit ſancta Synodus irritam haberi hujuſmodi manûs impoſitionem, & nuſquam poſſe miniſtrare ad ordinantis injuriam.

CAPUT XXXVIII.

De ſingulis gradibus ſacri ordinis, qualiter ordinentur.

Ex Concilio Carthaginenſi* de pſalmiſtis, cap. X

* Ex Carth. IV an. 398.

PSalmiſta, id eſt Cantor, poteſt abſque ſcientiâ Epiſcopi ſolâ juſſione Presbyteri officium ſuſcipere cantandi, dicente ſibi Presbytero : Vide ut quod ore cantas corde credas, & quod corde credis, operibus comprobes.

CAPUT XXXIX.

Qualiter Oſtiarii ordinentur.

Ex Concilio Carthaginenſi*, cap. IX.

* ut ſuprà.

OStiarius cum ordinatur, poſtquàm ab Archidiacono inſtructus fuerit qualiter in domo Dei debeat converſari, ad ſuggeſtionem Archidiaconi tradat ei Epiſcopus Eccleſiæ claves de altario, dicens ei : Sic age quaſi redditurus Deo rationem pro his rebus quæ iſtis clavibus recluduotur.

CAPUT XL.

Qualiter Lectores ordinentur.

Ex Concilio eodem, cap. VIII.

LEctor cum ordinatur, faciat de illo verbum Epiſcopus ad plebem, indicans ejus fidem ac vitam atque ingenium : poſt hæc ſpectante plebe tradat ei codicem de quo lecturus eſt, dicens ad eum : Accipe, & eſto verbi Dei relator, habiturus ſi fideliter & utiliter impleveris officium, partem cum eis qui verbum Dei miniſtraverunt.

CAPUT XLI.

Qualiter Exorciſta ordinentur.

Ex eodem Concilio, cap. VII.

EXorciſta cum ordinatur, accipiat de manu Epiſcopi libellum in quo ſcripti ſunt exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo : Accipe & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manus ſuprà energumenos, ſive baptizatos, ſive catechumenos.

CAPUT XLII.

De Exorciſtis qui non ſunt ab Epiſcopis ordinati.

Ex Concilio Laodicenſi*, cap. XXVI.

* ſub Sylveſtro, vel Liberio potius, circa 364.

QUòd hi qui non ſont ab Epiſcopis ordinati, tam in Eccleſiis, quàm in domibus exorcizare non poſſint.

CAPUT XLIII.

Qualiter Acolythi ordinentur.

Ex Concilio Carthaginenſi*, cap. VI.

* Carth. IV. ut ſuprà.

ACoIythus cum ordinatur, ab Epiſcopo quidem doceatur qualiter in officio ſuo agere debeat, ſed ab Archidiacono accipiat ceroferarium

cum cereo, ut ſciat ſe ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari; accipiat & urceolum vacuum ad ſuggerendum vinum in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti.

CAPUT XLIV.

Qualiter Subdiaconi fiant.

Ex eodem Concilio, cap. 1.*

* cap. v.

SUbdiaconus cum ordinatur, quia manûs impoſitionem non accipit, patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum; de manu verò Archidiaconi accipiat urceolum cum aquamanile ac manutergium.

CAPUT XLV.

Incipit de regulis omnium Clericorum. Ut Clerici nullas negotiationes inhoneſtas & turpia lucra ſectentur.

Ex Decreto Papæ Gelaſii*, cap. xv.

* Epiſt. 9. Gelaſ. I. ad Epiſcop. Lucaniæ.

COnſequens fuit ut illa quoque, quæ de Piceni partibus nuper ad nos miſſa relatio nuntiavit, non prætereunda putaremus, id eſt plurimos Clericorum negotiationibus inhoneſtis & lucris turpibus imminere, nullo pudore cernentes Evangelicam lectionem, quâ ipſe Dominus noſter negotiatores è templo verberatos flagellis aſſeritur expuliſſe; nec Apoſtoli verba recolentes quibus ait: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus*: Pſalmiſtam quoque David ſurdâ diſſimulantes aure cantantem: *Quoniam non cognovi negotiationes, introibo in potentias Domini.* Proinde hujuſmodi aut ab indignis poſt hæc quæſtibus noverint abſtinendum, & ab omnibus quibuſlibet negotiationis ingeniis cupiditateque ceſſandum, aut in quocumque gradu ſint poſiti, mox à Clericalibus officiis abſtinere cogantur: quoniam domus Dei domus orationis & eſſe debet & dici, ne officina negotiationis & ſpelunca potiùs ſit latronum.

2. Tim. 2.

Pſal. 70.

CAPUT XLVI.

Ex Concilio Terraconenſi*, cap. 11.

* Tempore Hormiſdæ circà 516.

QUicumque in Clero eſſe voluerit, emendi viliùs vel vendendi cariùs ſtudio non utatur. Certè ſi hoc voluerit exercere, cohibeatur à Clero.

CAPUT XLVII.

Ut Clericus nec ſuo nec alieno nomine fœnus exerceat.

Ex Decretis Papæ Leonis*, cap. iv.

* Leonis I. Epiſt. ad Epiſc. per Campaniam, &c.

ILlud etiam duximus præmonendum, ut ſicut non ſuo, ita non alieno nomine aliquis Clericorum exercere fœnus attentet: indecens enim eſt crimen ſuum commodis alienis impendere. Fœnus autem hoc ſolum aſpicere & exercere debemus, ut quòd hîc miſericorditer tribuimus, ab eo Domino, qui multipliciter & in perpetuum manſura retribuet, recipere valeamus.

CAPUT XLVIII.

De contumacibus Clericis, & ad officium tardis.

Ex Concilio Agathenſi*, cap. 11.

* An. 506.

COntumaces verò Clerici prout dignitatis ordo permiſerit, ab Epiſcopis corrigantur, & ſi qui prioris gradûs elati ſuperbiâ excommunicationem fortaſſe contempſerint, aut Eccleſiam frequentare vel officium ſuum implere præſumſerint, peregrina eis communio tribuatur; ita ut cum eos pœnitentia correxerit, reſcripti in matriculâ gradum ſuum dignitatemque recipiant.

CAPUT XLIX.

Si Clericus furtum Eccleſiæ fecerit.

Ex Concilio quo ſuprà, cap. v.

SI quis Clericus furtum Eccleſiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur.

CAPUT L.

Ut ſi cujuſlibet ordinis Clericus tardiùs ad Eccleſiam venerit, deponatur.

Ex Concilio Toletano*, cap. v.

* Tolet. I.

PReſbyter, Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Eccleſiæ deputatus Clericus, ſi intra civitatem fuerit, vel in loco in quo Eccleſia eſt, aut caſtello, aut vico, aut villâ, & ad Eccleſiam ad ſacrificium quotidianum non venerit, Clericus non habeatur, ſi caſtigatus per ſatisfactionem veniam ab Epiſcopo noluerit promereri.

CAPUT LI.

Quòd nullus Eccleſiaſticorum in tabernis comedere debeat.

Ex Concilio Laodicenſi*, cap. xxiv.

* ſub Sylve aut potiùs berio circà 3

QUòd non oporteat ſacro miniſterio deditos, à Preſbyteris uſque ad Diaconos, & reliquum Eccleſiaſticum ordinem, id eſt uſque ad Subdiaconos, Lectores, Cantores, Exorciſtas, & Oſtiarios, & ex numero continentium & Monachorum, ingredi tabernas.

CAPUT LII.

De Clericis qui in mutuam cædem prorumpunt.

Ex Concilio Ilerdenſi*, cap. 1.

* Tempore Joan. Pap. circiter ann 524.

SI qui Clerici in mutuam cædem proruperint, prout dignitas officiorum in tali exceſſu contumeliam pertulerit, à Pontifice diſtrictiùs judicentur.

CAPUT LIII.

De Clericis qui ad ſæcularium defenſionem confugiunt propter diſtrictionem Epiſcopi.

Ex Concilio Agathenſi*, cap. viii.

* Anno 50

ID etiam placuit, ut Clericus ſi relicto officio ſuo propter diſtrictionem ad ſæcularem judicem fortè confugerit, & ei is ad quem recurrit ſolatium ei defenſionis impenderit, cum eodem de Eccleſiæ communione pellatur.

CAPUT LIV.

De Clericis negotia & nundinas ſectantibus.

Ex Concilio Helibertitano*, cap. xvi.

* ſub Marce I. cap. xviii

EPiſcopi, Preſbyteri & Diaconi de locis ſuis negotiandi cauſâ non diſcedant, nec circumeuntes provincias, quæſtuoſas nundinas ſectentur. Sanè ad victum ſibi conquirendum, aut filium, aut libertum,

ſum, aut mercenarium, aut amicum, aut quemlibet mittant; & ſi voluerint negotiari, intrà provinciam negotientur.

CAPUT LV.

Ut ſi voluntariè Clericus damnum Eccleſiæ fecerit, ſatisfaciat, & excommunicetur.

Ex Concilio Agathenſi *, cap. XXVII.

* ut ſuprà cap. XXVI.

SI quis verò de Clericis documenta quibus Eccleſiæ poſſeſſio firmatur, aut ſupprimere, aut negare, aut adverſarus fortaſſe tradere damnabili & puniendâ obſtinatione præſumſerit, quidquid per abſentiam documentorum damni Eccleſiæ illatum eſt, de propriis facultatibus reddat, & communione privetur. Hi autem qui in damno Eccleſiæ inſtrumenta Eccleſiæ impiè ſollicitatis traditoribus ſuſceperint, pari ſententiâ feriantur.

CAPUT LVI.

De converſatione Clericorum, ut in uno conclavi ſint.

Ex Concilio Toletano *, cap. XXIV.

* Tolet. IV. an. 633. Prov. 30.

PRona *eſt omnis ætas ab adoleſcentiâ in malum*: nihil enim incertius quàm vita adoleſcentiæ. Ob hoc conſtituendum oportuit, ut ſi qui in Clero pueri aut adoleſcentes exiſtunt, omnes in uno conclavi atrii commorentur, ut lubricitatis annos non in luxuriâ, ſed in diſciplinis Eccleſiaſticis agant, deputati probatiſſimo ſeniori; quem & magiſtrum doctrinæ & teſtem vitæ habeant. Quòd ſi aliqui ex his pupilli exiſtunt, Sacerdotali tutelâ foveantur, ut & vita eorum à criminibus intacta ſit, & res ab injuriâ improborum. Qui autem his præceptis reſultaverint, monaſteriis deputentur, ut vagantes animi & ſuperbi ſeveriori regulâ diſtringantur.

CAPUT LVII.

Ut Clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix eſt.

Ex Concilio Agathenſi, cap. XLII. *

* In edit. XLI.

ITaque eum quem ebrium fuiſſe conſtiterit, ut ordo patitur, aut triginta dierum ſpatio à communione ſtatuimus ſubmovendum, aut corporali dandum ſupplicio.

CAPUT LVIII.

Cujuſcumque ordinis Clerici nuptialia convivia vitent, ne ſacer auditus aut obtutus pollui poſſit.

Ex Concilio quo ſuprà, cap. XL. *

* cap. XXXIX.

PReſbyteri, Diaconi, Subdiaconi, vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia non eſt, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia, neque his cœtibus admiſceantur ubi amatoria cantantur & turpia, aut obſcœni motus corporum choris & ſaltationibus efferuntur; ne auditus & obtutus ſacris myſteriis deputati, turpium ſpectaculorum atque verborum contagione polluantur.

CAPUT LIX.

De Clericis qui magos aut ſortilegos conſuluerunt.

Ex Concilio Toletano *, cap. XXIX.

* Tolet. IV. an. 633.

SI Epiſcopus quis, aut Preſbyter, ſive Diaconus, vel quilibet ex ordine Clericorum, magos aut aruſpices, aut ariolos, aut certè augures, vel ſortilegos, vel eos qui profitentur ſortem aliquam, aut aliquos eorum ſimilia exercentes conſulere fuerit deprehenſus, ab honore dignitatis ſuæ depoſitus, Monaſterii cenſuram excipiat, ibique perpetuæ pœnitentiæ deditus ſcelus admiſſum ſacrilegii luat.

CAPUT LX.

Clerici tabernas non ingrediantur abſque peregrinationis neceſſitate.

Ex Concilio Carthaginenſi *, cap. XXVI.

* Carth. nomine tertio, ſub Siricio an. 397

UT Clerici edendi vel bibendi causâ tabernas non ingrediantur, niſi peregrinationis neceſſitate compulſi.

CAPUT LXI.

De Clericis qui in ſeditione arma ſumſerint.

Ex Concilio Toletano *, cap. XLV.

* Tolet. IV.

CLerici qui in quâcumque ſeditione arma volentes ſumſerint vel ſumſerunt, reperti amiſſo ordinis ſui gradu in Monaſterium pœnitentiæ retrudantur.

CAPUT LXII.

De Clericis per plateas & andronas ambulantibus.

Ex Concilio Carthaginenſi *, cap. XLVII.

* Carthag. IV & ſequentia Capitula.

CLericus per plateas & andronas, niſi certâ & maximâ officii ſui neceſſitate non ambulet.

CAPUT LXIII.

De Clericis in nundinis & foro deambulantibus.

Ex Concilio quo ſuprà, cap. XLVIII.

CLericus qui non pro emendo aliquid in nundinis vel in foro deambulat, ab officio ſuo degradetur.

CAPUT LXIV.

Clerici qui vigiliis deſunt, ſtipendiis privandi.

Ex Concilio Carthaginenſi, cap. XLIX.

CLericus qui abſque corpuſculi ſui inæqualitate vigiliis deeſt, ſtipendio privatus excommunicetur.

CAPUT LXV.

Clerici maledici degradentur.

Ex Concilio Carthaginenſi, cap. LVII.

CLericus maledicus, maximeque in Sacerdotibus, cogatur ad poſtulandam veniam; ſi noluerit, degradetur, nec unquam ad officium abſque ſatisfactione revocetur.

CAPUT LXVI.

De Clericis ſepulcra demolientibus.

Ex Concilio Toletano *, cap. XLVI.

Tolet. IV.

SI quis Clericus in demoliendis ſepulcris fuerit deprehenſus, quia facinus hoc pro ſacrilegio legibus publicis ſanguine vindicatur, oportet Canonibus in tali ſcelere proditum à Clericatûs ordine ſubmoveri, & pœnitentiæ triennio deputari.

CAPUT LXVII.

Ut Clerici invidi non promoveantur.

Ex Concilio Carthaginenſi *, cap. LIV.

* Carthag. IV. ſicut & ſequentia capp.

CLericus invidens fratrum profectibus, donec in vitio eſt non promoveatur.

CAPUT LXVIII.

Clerici adulatores & proditores degradentur.

Ex Concilio quo ſuprà, cap. LVI.

CLericus qui adulationibus & proditionibus vacare deprehenditur, degradetur ab officio.

CAPUT LXIX.

Clerici nec veſtimentis nec calceamentis quærant decorem.

Ex Concilio Carthaginenſi, cap. XLV.

CLericus profeſſionem ſuam etiam habitu & inceſſu probet, & ideo nec veſtibus nec calceamentis decorem quærat.

CAPUT LXX.

De Clericis ſcurrilibus vel inter epulas cantantibus.

Ex Concilio Carthaginenſi, cap. LX

CLericos ſcurriles & verbis turpibus joculatores ab officio detrahendos. Clerici inter epulas cantantes ſupradictæ ſententiæ ſeveritate feriantur.

CAPUT LXXI.

De Clericis per creaturas jurantibus.

Ex Concilio quo ſuprà, cap. LXI.

CLericum per creaturas jurantem acerrimè objurgandum; ſi perſtiterit in vitio, excommunicandum.

CAPUT LXXII.

Ne ante horam tertiam convivia ineantur.

Ex Concilio Bracarenſi *, cap. LXIV.

* Ex Capitulis Martini Bracarenſis Epiſc. cap. LXV.

NOn oportet Clericos vel laicos religioſos ante ſacram horam diei tertiam inire convivia, neque aliquando Clericos niſi hymno dicto edere panem, & poſt cibos gratias auctori Deo deferre.

CAPUT LXXIII.

De his qui in parvâ ætate coram parentibus religionis habitum tenuerunt.

Ex Concilio Toletano *, cap. VI.

* Tolet. X. an. Chriſti 656.

CUm hucuſque diſſolutæ operationis effectus interdum nutare fecit honeſtum conſtitutionis edictum, dum incognitè reſolvi putatur, quod indiſſolubili ſanctionis auctoritate tenetur: ideo quidquid obvium ex incerto occurrit, evidenter abjici decet, ut de cætero nihil ſuperſit, quod in dubium nutetur: ideoque ſi in quâlibet minori ætate vel religionis tonſuram, vel religione debitam veſtem in utroque ſexu filiis aut unus aut ambo parentes dederint, certè aut nolentibus, aut neſcientibus ſe, ſuſceptam non mox viſam in filiis abdicaverint, ſed vel coram ſe, vel coram Eccleſiâ palamque in conventu eoſdem filios talia habere permiſerint, ad ſæcularem reverti habitum ipſis filiis quandoque penitùs non licebit; ſed convicti quòd tonſuram aut religioſam veſtem aliquando habuerint, mox ad religionis cultum habitumque revocentur, & ſub ſtrenua diſtrictione hujuſcemodi ſanctæ obſervantiæ inſervire cogantur. Parentibus ſanè filios ſuos religioni contradere non ampliùs, quàm uſque ad decimum ætatis eorum annum licentia poterit eſſe, poſtea verò an cum voluntate parentum an ſuæ devotionis ſit ſolitarium votum, erit filiis licitum religionis aſſumere cultum. Quiſquis autem vel abolitione tonſuræ, vel ſæcularis veſtis aſſumptione detectus fuerit attigiſſe tranſgreſſionem, & excommunicationis cenſuram accipiat, & religioni ſemper inhæreat.

CAPUT LXXIV.

Pænitens ſi uſus exegerit, inter Oſtiarios deputetur, vel de quibus pœnitentibus dicitur.

Ex Excerptis Martini *, cap. XXIII.

* Ex Capitul. Martini Bracarenſis Epiſc.

POenitens tantùm ſi neceſſitas aut uſus exegerit, inter Oſtiarios præis deputetur, vel inter Lectores, ita ut Evangelium vel Epiſtolam non legat. Si qui autem ordinati ſunt, inter Subdiaconos habeantur, ita ut manum non imponant, aut ſacra non contingant. Ex pœnitente enim dicimus de eo, qui poſt baptiſmum pro homicidio, aut pro diverſis criminibus, aut graviſſimis peccatis publicam pœnitentiam ſub cilicio gerens, divino fuerit altario reconciliatus.

CAPUT LXXV.

Ex Concilio Carthaginenſi *

* Carthag. II. cap. XL. ſub finem.

QUòd Clericorum nomen etiam Lectores, Pſalmiſtæ & Oſtiarii retineant.

CAPUT LXXVI.

Si Lector bigamus, aut viduam ducat, non ampliùs quam Subdiaconus fiat.

Ex Epiſtolâ Martini *, cap. XXIII.

* Ex Capitul. Martini Bracarenſis Epiſc.

LEctor ſi viduam uxorem acceperit, in lectoratu permaneat: aut ſi fortè neceſſitas ſit, Subdiaconus fiat: nihil autem ſuprà: ſimiliter & ſi bigamus fuerit.

CAPUT LXXVII.

Lectores Cantoreſque cum orariis agere ſuum officium non debere.

Ex Concilio Laodicenſi. *

* ſub Sylveſtro vel, ut alii volunt, ſub Liberio circà 3.. cap. XXIII.

QUòd non oporteat Lectores aut Cantores orariis uti, & ita legere vel pſallere.

CAPUT LXXVIII.

De Diaconibus.

Ex Concilio Ancyrano *, cap. VIII.

* Ancyr. I.

DIaconi quicumque ordinantur, ſi in ipsâ ordinatione proteſtati ſunt dicentes velle ſe habere uxores, nec poſſe ſe continere; hi poſtea ſi ad nuptias venerint, maneant in miniſterio, propterea quòd his Epiſcopus licentiam dederit. Quicumque ſanè tacuerint, & ſuſceperint manûs impoſitionem

profeſſi continentiam, & poſtea ad nuptias venerint, à miniſterio vel clero ceſſare debebunt.

CAPUT LXXIX.

Ut levitæ & virgines ante xxv. annos non conſecrentur.

Ex Concilio Carthaginenſi *, cap. IV.

** Carthag. numero tertio, an. 397.*

ITem placuit ut ante xxv. annos ætatis nec Diaconus ordinetur, nec virgines conſecrentur.

CAPUT LXXX.

De honore quem Presbyteris & Diaconis, qui ſub ipſis ſunt, debeant exhibere.

Ex Concilio Laodicenſi *, cap. XX.

** ſub Sylveſtro, &c. ut ſuprà.*

QUòd non oporteat Diaconum coram Presbytero ſedere, ſed juſſione Presbyteri ſedeat. Similiter autem & Diaconi honorem habeant ab obſequentibus, id eſt Subdiaconibus & omnibus Clericis.

CAPUT LXXXI.

De obedientiâ Diaconorum erga Presbyteros.

Ex Concilio Carthaginenſi *, cap. XXXVII.

** Carthag. IV. an. 398.*

DIaconi ita ſe Presbyteris ut Epiſcopis miniſtros eſſe cognoſcant.

CAPUT LXXXII.

Ex Concilio quo ſuprà. *

** Ibid. cap. 37*

UT Diaconus præſente Presbytero Eucharistiam corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogit, juſſus eroget.

CAPUT LXXXIII.

Ex Concilio cujus ſupraſcriptum, cap. IX.

** cap. 39.*

UT Diaconus jubente Presbytero ſedeat quolibet loco.

CAPUT LXXXIV.

Ex Concilio Carthaginenſi. *

** cap. 40.*

UT Diaconus in conventu Presbyterorum interrogatus loquatur.

CAPUT LXXXV.

** cap. 41.*

UT Diaconus tempore tantùm oblationis & lectionis albâ utatur.

CAPUT LXXXVI.

Quòd præter Epiſcopum clericus proficiſci non debeat.

Ex Concilio Laodicenſi, cap. XLII.

QUòd non oporteat Sacerdotem vel Clericum præter juſſionem ſui Pontificis proficiſci.

CAPUT LXXXVII.

Ut Sacerdotes & Levitæ canes ad venandum & accipitres non habeant.

Ex Concilio Agathenſi, cap. LV.

EPiſcopis, Presbyteris, Diaconis canes ad venandum aut accipitres habere non liceat. Quòd ſi quis talium perſonarum in hac voluntate detectus fuerit, ſi Epiſcopus, tribus menſibus ſe à communione ſuſpendat, Presbyter duobus menſibus abſtineat, Diaconus verò uno ab omni officio ſuo vel communione ceſſabit.

CAPUT LXXXVIII.

De his qui in ægritudine ſunt baptizati.

Ex Concilio Neocæſarienſi *, cap. XII.

** ſub Sylveſtro I. an. 314*

SI quis in ægritudine conſtitutus fuerit baptizatus, Presbyter ordinari non debet: non enim fides illius voluntaria, ſed ex neceſſitate eſt; niſi fortè poſtea ipſius ſtudium & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas cogat.

CAPUT LXXXIX.

Quòd non oporteat peregrinos clericos ſine commendatitiis litteris miniſtrare.

Ex Concilio Calchedonenſi *, cap. XIII.

** ſub Leone I. an. 451.*

PEregrinos Clericos & Lectores in aliâ civitate præter commendatitias litteras ſui Epiſcopi nuſquam penitùs miniſtrare debere.

CAPUT XC.

Ut nullus miniſter proficiſcatur ſine chriſmate, ubi & Presbyter miniſter oſtenditur.

Ex Concilio Arauſico. *

** Arauſic I. ſub Leone I. an 441.*

NUllum miniſtrorum qui baptizandi recepit officium, ſine chriſmate uſquam debere progredi, quia inter nos placuit ſemel in baptiſmate chriſmari: de eo autem qui in baptiſmate quâcumque neceſſitate faciente non chriſmatus fuerit in confirmatione, Sacerdos commonebitur: nam inter nos chriſmatis ipſius nonniſi una benedictio eſt; non ut præjudicans quidquam dico, ſed ut non neceſſaria habeatur repetita chriſmatio.

CAPUT XCI.

Ut ab alterius Epiſcopo chriſma nullus accipiat.

Ex Concilio Vaſenſi *, cap. III.

** Vaſenſi I. ſub Leone I. an. 442.*

PEr ſingula territoria Presbyteri vel miniſtri ab Epiſcopis non prout libitum fuerit à vicinioribus, ſed à ſuis propriis per annos ſingulos petant chriſma appropinquante ſolemnitate Paſchali; nec per quemcumque Eccleſiaſticum, ſed ſi qua neceſſitas aut miniſtrorum occupatio eſt, per Subdiaconum, quia inhonorum eſt inferioribus ſumma committi. Optimum autem eſt ut ipſe ſuſcipiat, qui in tradendo uſurus eſt: ſi quid autem obſtat, ſaltem is cujus officii eſt ſacrarium diſponere, & ſacramenta ſuſcipere.

CAPUT XCII.

Presbyter Diaconum aut Presbyterum non ordinabit.

Ex Concilio Hiſpalenſi *, cap. V.

** Hiſpalenſi II. ſub Bonifac. V. an. 619.*

QUinto judicio ad cognitionem noſtri examinis Gabrenſis Diaconi relatu deductum eſt de quibuſdam ipſius Eccleſiæ Clericis, quorum dum

unos ad Preſbyterium, duo ad Levitarum miniſterium ſacrarentur, Epiſcopus eorum oculorum dolore detentus, fertur manum ſuam ſuper eos tantùm poſuiſſe, & Preſbyter quidam illis contrà Eccleſiaſticum ordinem benedictionem dediſſe, qui licet propter tantam præſumptionis audaciam poterat accuſatus judicio præſenti damnari, ſi adhuc in corpore poſitus, noo fuiſſet mortis vocatione præventus: ſed quia jam ille examini divino relictus, humano jodicio accuſari non poteſt, hi qui ſuperſunt, & ab eo non conſecrationis titulum, ſed ignominiæ potiùs elogium perceperunt, ne ſibi licentiam talis ultrà uſurpatio faciat, decrevimus ut à gradu Sacerdotalis, vel Levitici ordinis, quem perversè adepti ſunt, depoſiti æquo judicio abjiciantur. Tales enim meritò judicati ſunt removendi, quia pravè inventi ſunt conſtituti.

CAPUT XCIII.

De his quæ prohibentur Preſbyteris in Eccleſiaſticis ſacramentis agere.

Ex Concilio quo * ſuprà, cap. VII.

SEptimo examine relatum eſt nobis venerantiſſimum quondam Agapium Cordouenſis urbis Epiſcopum freqoenter Chorepiſcopos, vel Preſbyteros deſtinaſſe, qui tameo juxtà Canones unum ſunt, qui abſente Pontifice altaria erigerent, baſilicas conſecrarent: quod quidem non eſt mirum id præcepiſſe, virum Eccleſiaſticis diſciplinis ignarum, & ſtatim à ſæculari militiâ in Sacerdotale miniſterium delegatum. Ergo ne ultrà talis à nobis licentia uſurpetur, communi ſententiâ ſtatuendum oportuit: ſcientes quia ſicut Preſbytero vel Chorepiſcopo illicita conſecratio eſt altaris, ita & conſtitutio: in divinis enim litteris præcipiente Domino ſolus Moyſes in tabernaculo Dei erexit altare, ſolus ipſe onxit, utique quia ſummus Sacerdos Dei erat, ſicut ſcriptum eſt de eo: *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus ejus.* Pſal 98.

CAPUT XCIV.

Ut ſi Preſbyter inconſulto Epiſcopo agendam celebraverit, honore privetur.

Ex Concilio Carthaginenſi *, cap. VIII.

* Carth. 2. ſub Siricio, an. 397. cap. 9.

NUmidius Epiſcopus Maxilitanus dixit: In quibuſdam locis ſunt Preſbyteri, qui aut ignorantes ſimpliciter, aut diſſimulantes audaciter præſente & inconſulto Epiſcopo cum plurimis in domiciliis agant agendam, quod diſciplinæ incongruum eſſe cognoſcit ſanctitas veſtra. Genedius Epiſcopus dixit: Fratres & Coepiſcopi noſtri dignæ ſuggeſtioni tuæ reſpondere non morentur. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Quiſqois Preſbyter inconſulto Epiſcopo agendam in quolibet loco voluerit celebrare, ipſe honori ſuo contrarius exiſtit.

CAPUT XCV.

Preſbytero alterius regionis præſente Epiſcopo, vel Preſbyteris civitatis non liceat miniſtrare: & quo ordine panem ſive calicem dent.

Ex Concilio Neocæſarienſi *, cap. XIII.

* ſub Sylveſtro, an. 314.

PReſbyteri qui conregionales non ſunt, in Eccleſiâ præſentibus Epiſcopis vel Preſbyteris civitatis offerre oon poſſunt, nec panem dare ſanctificatum, nec calicem porrigere. *Quòd ſi abſentes ſint civitatis Sacerdotes, & fuerint invitati ad dandam orationem, ſoli poterunt dare. Vicarii autem Epiſcoporum, qoos Græci Chorepiſcopos vocant, conſtituti ſunt quidem ad exemplum ſeptuaginta ſeniorom, ſed tamquam Conſacerdotes propter ſollicitudinem & ſtudium quod in pauperes agunt, offerant, & honorabiles habeantur.

CAPUT XCVI.

De his qui ex vaſis miniſterii Eccleſiæ aliquid vendiderint.

Ex Concilio Bracarenſi *, cap. XVI.

Ex Capit. Martini B Epiſc. cap. XVII.

SI quis Preſbyter aut Diaconos inventos fuerit de miniſteriis Eccleſiæ aliquid venumdaſſe, quia ſacrilegium commiſit, placuit eum in ordinatione Eccleſiaſticâ oon haberi; in jodicio tameo Epiſcopi dimittendom eſſe ſive dignus ſit, ſive indignus, in ſuo debet recipi gradu: quia multoties hoc ipſum quod de ſacroſancto altario intaminaverint, id cum Epiſcopi poteſtate dimiſſum eſt.

CAPUT XCVII.

Ne Preſbyter benedictionem vel pænitentiam in Eccleſiâ dare præſumat.

Ex Concilio Carthaginenſi *, XLVI.

* Ex Conc. Agathenſi, cap. 44.

BEnedictionem ſuper plebem in Eccleſiâ fundere, aut pœnitentem in Eccleſiâ benedicere, Preſbytero penitùs non licebit.

CAPUT XCVIII.

De his qui in Eccleſiis in quibus provecti ſunt, minimè perdurant.

Ex Concilio Nicæno *, cap. XVI.

* Nicæno an. 325.

QUicumque temerè ac periculosè, neque timorem Dei præ oculis habentes, nec agnoſcentes Eccleſiaſticam regulam diſcedunt ab Eccleſiâ, Preſbyteri, vel Diaconi, vel quicumque ſub regulâ prorſus exiſtunt: hi nequaquam debent in aliam Eccleſiam recipi, ſed omnem neceſſitatem coovenit illis imponi, ut ad ſuas parochias revertantur: quòd ſi non fecerint, oportet eos communione privari. Si qois autem ad alium pertinentem audaciter invadere, & in ſuâ Eccleſiâ ordinare tentaverit, non conſentiente Epiſcopo à quo diſceſſit is qui regulæ mancipatur, ordinatio hujuſcemodi irrita comprobetur.

CAPUT XCIX.

Qualiter Diaconi ordinentur.

Ex Concilio Carthaginenſi *, cap. IV.

* Ex Cart IV. anno

SOlus Epiſcopus, qui eum benedicit, manus ſuper caput illius imponat: quia non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur.

CAPUT C.

De numero certo Diaconorum.

Ex Concilio Neocæſarienſi *, cap. XIV.

* ſub Sylveſtro I.

DIaconi ſeptem debent eſſe juxtà regulam, licet & valde magna ſit civitas: idipſum autem & actuum Apoſtolorum liber inſinuat.

CAPUT CI.

Quo tempore Preſbyterum conveniat ordinari.

Ex eodem Concilio, cap. XXI.

PReſbyter ante triceſimum ætatis ſuæ annum nullatenùs ordinetur, licet valde ſit dignus, ſed hoc tempus obſervet. Nam Dominus noſter triceſimo ætatis ſuæ anno baptizatus eſt.

CAPUT CII.

Qualiter Presbyter ordinetur.

Ex Concilio Carthaginenſi *, cap. III.

* Carth. IV. an. 398.

PReſbyter cum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente & manus ſuper caput ejus tenente, etiam omnes Preſbyteri qui præſentes ſunt, manus ſuas juxtà manus Epiſcopi ſuper caput illius teneant.

CAPUT CIII.

De non contemnendo oblationes Presbyteri conjugati.

Ex Concilio Agathenſi. *

* Ex Concilio Gangrenſi, ſub Sylveſtro I. cap. 4.

SI quis decernit, Presbyterum conjugatum tamquam occaſione nuptiarum quòd offerre non debet, & ab ejus oblatione ideo ſe abſtinet, anathema ſit.

CAPUT CIV.

Quòd non liceat Clericum in duarum civitatum Eccleſiis miniſtrare.

Ex Concilio Calchedonenſi *, cap. X.

* ſub Leone I. an. 451.

NOn liceat Clericum in duarum civitatum conſcribi ſimul Eccleſiis, in quâ ab initio ordinatus eſt, & ad quam confugit quaſi ad potiorem ob inanis gloriæ cupiditatem: hoc autem facientes revocari debere ad ſuam Eccleſiam in quâ primitùs ordinati ſunt, & ibi tantummodo miniſtrare. Si verò jam qui tranſlatus eſt ex aliâ in aliam Eccleſiam; prioris Eccleſiæ vel martyriorum, quæ ſub eâ ſunt, aut ptochiorum, aut xenodochiorum rebus in nullo communicet. Eos verò qui auſi fuerint poſt diffinitionem magnæ & univerſalis hujus Synodi quidquam ex his quæ ſunt prohibita perpetrare, decrevit ſancta Synodus à proprio hujuſmodi gradu excidere.

CAPUT CV.

De his qui vocantur Chorepiſcopi.

Ex Concilio Antiocheno *, cap. X

* ſub Julio, an. 341.

QUi in vicis vel poſſeſſionibus Chorepiſcopi nominantur, quamvis manûs impoſitionem Epiſcoporum perceperint, & ut Epiſcopi conſecrati ſint, tamen ſanctæ Synodo placuit ut modum proprium recognoſcant, & gubernent ſibi ſubjectas Eccleſias, earumque moderamine curâque contenti ſint. Ordinent etiam Lectores, & Subdiaconos atque Exorciſtas, quibus promotiones iſtæ ſufficiant. Nec Presbyterum verò, nec Diaconum audeant ordinare, præter civitatis Epiſcopum, cui ipſe cum poſſeſſione ſubjectus eſt. Si quis autem tranſgredi ſtatuta tentaverit, depoſitus quo utebatur honore privetur. Chorepiſcopum verò civitatis Epiſcopus ordinet, cui ille ſubjectus eſt.

CAPUT CVI.

Judicio multitudinis ordinationes fieri non debere.

Ex Concilio Laodicenſi *, cap. XIII.

* ſub Sylveſtro, ſeu potiùs Liberio.

QUòd non ſit permittendum turbis electiones eorum facere, qui ſunt ad Sacerdotium provehendi.

CAPUT CVII.

De Epiſcopalibus ordinationibus.

Ex eodem Concilio, cap. XII

UT Epiſcopi judicio Metropolitanorum, & eorum Epiſcoporum qui circum circà ſunt provehantur ad Eccleſiaſticam poteſtatem; hi videlicet qui plurimo tempore probantur tam verbo fidei; quàm rectæ converſationis exemplo.

CAPUT CVIII.

De electione Epiſcopi.

Ex Concilio Bracarenſi *, cap. I.

* Ex Capitulis Martini Brac. Epiſcop.

NOn liceat populo electionem facere eorum qui ad Sacerdotium promoventur; ſed judicium ſit Epiſcoporum, ut ipſi eum qui ordinandus eſt probent, ſi in ſermone, & in fide & in ſpiritali vitâ edoctus ſit.

CAPUT CIX.

De his qui ad Epiſcopatum in provinciis provehuntur.

Ex Concilio Nicæno *, cap. IV.

* Nican. I. An. 325.

EPiſcopum convenit maximè quidem ab omnibus qui ſunt in provinciâ Epiſcopis ordinari: ſi autem hoc difficile fuerit aut propter inſtantem neceſſitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in idipſum convenientibus, & abſentibus quoque pari modo decernentibus, & per ſcripta conſentientibus, tunc ordinatio celebretur: firmitas autem eorum quæ geruntur, per unamquamque provinciam Metropolitano tribuatur Epiſcopo.

CAPUT CX.

Quòd addi debeant Epiſcopi numero ordinatorum, ſi de ordinando Epiſcopo fuerit contradictum.

Ex Concilio Africano *, cap. XVII.

* Vulgo dicto, ſeu collectione canonum è variis Conciliis Africanæ provinciæ.

SEd & illud eſt ſtatuendum, ut quando ad eligendum Epiſcopum convenerimus, ſi qua contradictio fuerit oborta, (quia talia tractata ſunt apud nos) non præſumant ad purgandum eum, qui ordinandus eſt, tres jam, ſed poſtulentur ad numerum unus vel duo: & in eàdem plebe qui ordinandus eſt, diſcutiantur primò perſonæ contradicentium; poſtremò etiam illa, quæ objiciuntur, pertractentur: & cùm purgatus fuerit, ſub conſpectu publico ita demum ordinetur. Si hoc cum veſtræ ſanctitatis animo concordat, roboretur veſtræ dignationis reſponſione. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: ſatis placet.

CAPUT CXI.

Non accipiendum præmium pro Epiſcoporum honore de communione peccati.

Epiſt. xxv.

Ex Epiſtolâ * Hormiſdæ ad Epiſcopos per Hiſpaniam, cap. 11.

HOc quoque ad priora conjungimus, ne benedictio per impoſitionem manûs, quæ à Deo eſſe creditur, pretio comparetur: quia ante oculos eſſe convenit, quia Simon Spiritum ſanctum volens redemptione mercari, Apoſtoli fuerit deteſtatione percuſſus. Tunc deinde cui non vile poteſt eſſe quod vendidit? iſtam Sacerdotibus ordinandis reverentiam ſervet electio, ut in gravi munere populorum divinum credatur eſſe judicium: ibi enim Deus, ubi ſimplex ſine pravitate conſenſus. Verùm nec ab hac quidem parte ſollicitudinis & admonitionis omittimus, ne vel ille ſe à culpâ æſtimet alienum, qui etſi ipſe quidem à redemptione liber initiaverit benedictione myſticâ Sacerdotem, & tamen ad alterius redempti voluntatem vel ſponte in hoc, vel neceſſitate conſenſerit; quid prodeſt illi ſuo errore non pollui, qui conſenſum præſtat erranti? Procul dubio contrà mandata committit, & qui habet peccatum proprium, & qui ſequitur alienum; incaſſum animus reſiſtit cupiditati, ſi non reſtiterit & timori. Adverſùm hæc faciliùs Deo adjuvante providebitur, ſi circà Metropolitanos privilegia à ſanctis Patribus conſtituta permaneant; ſi Metropolitani circà parochias ſuas ordinem ſuum eâ quæ decet veneratione cuſtodiant, ut nec electio Præſules, nec contemptus depretiet obſequentes, quæ ſi in operibus ita fixa habeantur in cordibus, quemadmodum relegantur in ſcripturis: ſi nulla ſint in templis emptionum ſemina, nulla erunt fomenta diſcordiæ; ſed regnante charitate, ſub illâ quam nobis Deus promiſit & retribuet, pace vivetur.

CAPUT CXII.

Quòd non oporteat Epiſcopos aut quemlibet ex clero per pecunias ordinari.

* ſub Leone I. an. 451.

Ex Concilio Calchedonenſi, * cap. 11.

SI quis Epiſcopus per pecuniam fecerit ordinationem, & ſub pretio redegerit gratiam quæ non poteſt vendi, ordinaveritque per pecunias Epiſcopum, aut Chorepiſcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, vel quemlibet ex his qui connumerantur in clero, aut promoverit per pecunias diſpenſatorem, aut defenſorem, aut manſionarium, vel quemquam qui ſubjectus eſt regulæ, pro ſuo turpiſſimi lucri commodo; is qui hoc attentaſſe probatus fuerit, proprii gradûs periculo ſubjacebit: & qui ordinatus eſt, nihil ex hac ordinatione vel promotione, quæ eſt per negotiationem facta, proficiat, ſed ſit alienus eâ dignitate, vel ſollicitudine, quam pecuniis quæſivit. Si quis verò mediator tam turpibus & nefandis datis vel acceptis exſtiterit, & ipſe ſi quidem Clericus fuerit, proprio gradu decidat: ſi verò laicus aut monachus, anathematizetur.

CAPUT CXIII.

De his qui cum ſint ex aliâ provinciâ, in aliis audent ordinationes efficere.

* ſub Julio, an. 341.

Ex Concilio Antiocheno *, cap. XIII.

NUllus Epiſcopus ex aliâ provinciâ audeat ad aliam tranſgredi, & ad promotionem miniſterii aliquos in Eccleſiâ ordinare, licet conſenſum videantur præbere nonnulli, niſi litteris tam Metropolitani quàm cæterorum qui cum eo ſunt Epiſcoporum rogatus adveniat, & ſic ad actionem ordinationis accedat. Si verò nullo vocante, inordinato more deproperet ſuper aliquibus ordinationibus & Eccleſiaſticis negotiis ad eum non pertinentibus componendis, irrita quidem quæ ab eo geruntur exiſtant; ipſe verò incompoſiti motûs ſui & irrationabilis audaciæ ſubeat ultionem, ex hoc jam damnatus à ſanctâ Synodo.

CAPUT CXIV.

De his qui cum ad Epiſcopatum convocantur, evitant.

Ex eodem Concilio, cap. XVII.

SI quis Epiſcopus per manûs impoſitionem Epiſcopatum acceperit, & præeſſe populo conſtitutus miniſterium ſubire neglexerit, nec acquieverit ire ad Eccleſiam ſibi commiſſam, hunc oportet communione privari donec ſuſceperit coactus officium, aut certè de eo aliquid integra decreverit ejuſdem provinciæ Synodus Sacerdotum.

CAPUT CXV.

De Epiſcopalibus in provinciis ordinationibus.

Ex eodem Concilio, cap. XIX.

EPiſcopus præter Synodum & præſentiam Metropolitani nullatenùs ordinetur: hoc autem modis omnibus coram poſito, melius quidem eſt ut omnes ſimul adſint ejuſdem provinciæ Sacerdotes, quos Metropolitanus Epiſcopus advocare debebit: & ſi quidem omnes occurrerint, optimè: quod ſi hoc difficile fuerit, ſaltem plures adeſſe omni modo convenit, aut certè ſcriptis ejuſdem ſententiæ comprobari: & ita ſub plurimorum vel præſentiâ vel decreto ordinatio celebretur. Quòd ſi ſecùs contrà definita factum fuerit, nullas ordinatio vires habeat: ſi verò juxtà definitam regulam fiat, & nonnulli pro contentione propriâ contradicant, obtineat ſententia plurimorum.

CAPUT CXVI.

Ut nullo modo de parochiâ ad aliam parochiam Epiſcopus tranſeat.

Ex eodem Concilio, cap. XXI.

EPiſcopus ab aliâ parochiâ nequaquam migret ad aliam, nec ſponte ſuâ prorſùs inſiliens, nec vi coactus à populis, nec ab Epiſcopis neceſſitate compulſus; maneat autem in Eccleſiâ quam primitùs à Deo ſortitus eſt, nec inde tranſmigret ſecundùm priſtinum de hac re terminum conſtitutum.

CAPUT CXVII.

Ut in alterâ Parochiâ Clericos alterius parochiæ Epiſcopus nullatenùs ordinet.

Ex eodem Concilio, cap. XXII.

EPiſcopus alienam civitatem quæ non eſt illi ſubjecta, non adeat; nec ad poſſeſſionem accedat quæ ad eum non pertinet ſuper ordinationem cujuſquam, nec conſtituat Presbyteros aut Diaconos alteri ſubjectos Epiſcopo, niſi fortè cum conſilio & voluntate regionis Epiſcopi. Si quis autem tale aliquid facere tentaverit, irrita ſit ejus ordinatio, & ipſe coërceatur à Synodo: nam ſi ordinare non potuerit, nullatenùs judicabit.

CAPUT CXVIII.

Ut nullus Epiſcopus, Presbyter & Diaconus condu-

ctor exiſtat : & ut Lectores uxores accipiant, & Clerici abſtineant ab uſuris : & quo tempore vel ipſi vel virgines conſecrentur.

Ex Concilio Carthaginenſi *, cap. XVI.

* *Ex cod. can. Eccleſ. Afric. Carth. 3. cap. 11.*

2. Tim. 2.

* *Carth. 3. cap. 19*

* *Carth. 3. cap. 16.*

* *Ibid. cap. 4.*

ITem placuit ut Epiſcopi, Preſbyteri & Diaconi non ſint conductores aut procuratores, neque ullo turpi negotio & inhoneſto victum quærant, quia reſpicere debent ſcriptum eſſe : *Nullus militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus.* Item placuit * ut Lectores cum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri. Item * placuit ut Clericus ſi commendaverit pecuniam, pecuniam accipiat, ſi ſpeciem, eamdem ſpeciem quantam dederit accipiat. Et * ut ante viginti quinque annos ætatis nec Diaconi ordinentur, nec virgines conſecrentur : & ut Lectores popolum non ſalutent.

CAPUT CXIX.

Si qui Clerici ab Epiſcopis ſuis promoti contempſerint, nec illic maneant unde recedere noluerunt.

Ex eodem Concilio, cap. XXXI. *

* *Ex cod. can. Afric. Eccleſ.*

ITem placuit ut quicumque Clerici vel Diaconi pro neceſſitatibus Eccleſiarum non obtemperaverint Epiſcopis ſuis, volentibus eos ad honorem ampliorem in ſuâ Eccleſiâ promovere, nec illic miniſtrent in gradu ſuo unde recedere noluerunt.

CAPUT CXX.

De his qui plebes proprias derelinquunt.

Ex Concilio Africano *, cap. XXXVIII.

* *vulgo dicto, ſeu collectione veterum canonum Africanæ provinciæ.*

RUrſum placuit ut nemini ſit facultas, relictâ principali cathedrâ ad aliquam Eccleſiam in Diœceſi conſtitutam ſe conferre, vel in re propriâ diutiùs, quàm oportet, conſtitutam curam vel frequentationem propriæ cathedræ negligere.

CAPUT CXXI.

Ut Epiſcopi qui ordinantur, ab ordinatoribus ſuis epiſtolam accipiant, qui diem & Conſulem præferant.

Ex eodem Concilio, cap. LVI.

DEinde placuit ut quicumque deinceps ordinantur per provincias Africanas, litteras accipiant ab ordinatoribus ſuis manu eorum ſubſcriptas, continentes Conſulem & diem, ut nulla altercatio de poſterioribus vel anterioribus oriatur.

CAPUT CXXII.

De his qui vel ſemel in Eccleſiâ legerint, ab aliis non poſſe promoveri.

Ex eodem Concilio, cap. LVII.

ITem placuit ut quicumque in Eccleſiâ vel ſemel legerit, ab aliâ Eccleſiâ ad clericatum non teneatur. Et ſubſcripſerunt. Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Carthaginenſis huic decreto conſenſi, & prælecto ſubſcripſi. Similiter & cæteri Epiſcopi ſubſcripſerunt.

CAPUT CXXIII.

De rebaptizationibus & reordinationibus, vel tranſlationibus Epiſcoporum.

Ex eodem Concilio, cap. XV.

ILlud autem ſuggerimus mandatum vobis, quòd etiam in Capſenſi [m] plenariâ Synodo videtur ſtatutum, ut non liceat fieri rebaptizationes, reordinationes, vel tranſlationes Epiſcoporum. Nam Creſconius Villaregenſis Epiſcopus, plebe ſuâ derelictâ Tubunenſem [n] invaſit Eccleſiam ; & uſque in hodie commonitus (ſecundùm quod ſtatutum fuerat) relinquere eamdem quam invaſerat plebem, contempſit : adversùs iſtum quæ pronuntiata fuerant, confirmata quidem audivimus ; ſed petimus ſecundùm quod nobis mandatum eſt, ut dignemini dare fiduciam quâ jam, neceſſitate ipsâ cogente, liberum nobis ſit Rectorem provinciæ ſecundùm ſtatuta glorioſiſſimorum Principum adversùs illum adire, ut qui miti admonitioni ſanctitatis veſtræ acquieſcere noluit, & emendare illicitum, auctoritate judiciariâ protinùs excludatur. Aurelius Epiſcopus dixit : Servatâ formâ diſciplinæ non æſtimabitur appetitus, ſi à veſtrâ charitate modeſtè conventus recedere detrectaverit, cum fuerit ſuo contemptu & contumaciâ faciente, etiam auctoritate judiciariâ conventus. Honoratus & Urbanus Epiſcopi dixerunt : hoc enim omnibus placet. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt : Juſtum eſt, placet.

m

n

CAPUT CXXIV.

Quòd non oporteat ordinationes Epiſcoporum diù differre.

Ex Concilio Calchedonenſi *, cap. XXV.

* *ſub Leone I. an. 451.*

QUoniam quidam Metropolitanorum quantum comperimus negligunt commiſſos ſibi greges, & ordinationes Epiſcoporum facere differunt, placuit ſanctæ Synodo intrà tres menſes ordinationes Epiſcoporum celebrare, niſi fortè neceſſitas inevitabilis coëgerit tempus dilationis extendi. Quòd ſi hoc minimè fecerit, correptioni Eccleſiaſticæ ſubjacebit : verumtamen redditus Eccleſiæ viduatæ penes œconomum ejuſdem Eccleſiæ integri reſerventur.

CAPUT CXXV.

Quales vel quàm docti debeant ordinari Epiſcopi.

Ex Concilio Carthaginenſi *, cap. I.

* *Carth. IV*

QUi Epiſcopus ordinandus eſt, antea examinetur : ſi naturâ prudens eſt, ſi docibilis, ſi moribus temperatus, ſi vitâ caſtus, ſi ſobrius, ſi miſericors, ſi litteratus, ſi in lege Domini inſtructus, ſi in ſcripturarum ſenſibus cautus, ſi in dogmatibus Eccleſiaſticis exercitatus, & ante omnia ſi fidei documenta verbis ſimplicibus aſſerat, id eſt, Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum unum Deum eſſe confirmans, totamque in Trinitate Deitatem coeſſentialem & conſubſtantialem & coæternalem, & coomnipotentem prædicans, ſi ſingulam quamque in Trinitate perſonam plenum Deum, & totas tres perſonas unum Deum : ſi Incarnationem divinam non in Patre, neque in Spiritu ſancto factam, ſed in Filio tantùm credat, ut qui erat in Divinitate Dei Patris Filius, ipſe fieret in homine hominis matris filius, Deus verus ex Patre, homo verus ex-

m *Capſenſi*] Alius codex *Capuenſi*, alius verò *Carpenſi*.

n *Tobunenſem*] In alio codice legitur *Tibunenſem*.

matre, carnem ex matris viſceribus habens & animam humanam rationalem, ſimul in utriuſque naturâ, id eſt, homo & Deus, una perſona, unus filius, unus Chriſtus, unus Dominus creaturarum omnium, quæ ſunt, & auctor & Dominus & Creator, cum Patre & Spiritu ſancto omnium creaturarum; qui paſſus eſt verâ carnis paſſione, mortuus verâ corporis ſui morte, reſurrexit verâ carnis ſuæ receptione, & verâ animæ reſumptione in quâ veniet judicare vivos & mortuos. Quærendum etiam ab eo ſi Novi & Veteris Teſtamenti, id eſt, legis & Prophetarum & Apoſtolorum unum eumdemque credat auctorem & Dominum, ſi diabolus non per conditionem, ſed per arbitrium factus ſit malus. Quærendum etiam ab eo, ſi credat hujus quam geſtamus, & non alterius carnis reſurrectionem; ſi credat judicium futurum, & recepturos ſingulos pro his quæ in hac carne geſſerunt, vel pœnas, vel præmia. Si nuptias non improbet; ſi ſecundum matrimonium non damnet: ſi carnium perceptionem non culpet; ſi pœnitentibus reconciliatis communicet. Si in Baptiſmo omnia peccata, id eſt tam illud originale contractum, quàm illa quæ voluntariè admiſſa ſunt, dimittantur: ſi extrà Eccleſiam Catholicam nullus ſalvetur.

Cum in his omnibus examinatus inventus fuerit plenè inſtructus, tunc conſenſu Clericorum & laïcorum & conventu totius provinciæ Epiſcoporum, maximeque Metropolitani vel auctoritate, vel præſentiâ ordinetur Epiſcopus: ſuſcepto in nomine Chriſti Epiſcopatu, non ſuæ delectationi, nec ſuis motibus, ſed his Patrum definitionibus acquieſcens. In cujus ordinatione etiam ætas requiratur, quam ſancti Patres exemplo Salvatoris in prælegendis Epiſcopis conſtituerunt. Dehinc diſponitur qualiter Eccleſiaſtica officia ordinentue.

CAPUT CXXVI.

Qualiter conſecrentur Epiſcopi.

Ex Concilio quo ſuprà, cap. II.

EPiſcopus cum ordinatur, duo Epiſcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem ſuper caput & cervicem ejus, & uno ſupee eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi qui adſunt, manibus ſuis caput ejus tangant.

CAPUT CXXVII.

De ordinatione miniſtrorum Sacerdotum quando fiat.

Ex Epiſtolâ Papæ Leonis ad Dioſcorum, * cap. I.

Leonis I. Epiſt. 81. ad Dioſcorum Alexand. Epiſc.

QUod ergo à Patribus noſtris propenſiore curâ novimus eſſe ſervatum, à vobis quoque volumus cuſtodiri, ut non paſſim diebus omnibus Sacerdotalis vel Levitica ordinatio celebretur, ſed poſt diem Sabbati, ejuſque noctis quæ in primâ Sabbati luceſcit exordia diligantur, in quibus his qui conſecrandi ſunt jejunis, & à jejunantibus ſacra benedictio conferatur; quod ejuſdem obſervantiæ erit, ſi mane ipſo Dominico die continuato Sabbati jejunio celebretur, à quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quem ad diem Reſurrectionis, ſicut etiam in Paſcha Domini declaratur, pertinere non dubium eſt. Nam præter auctoritatem conſuetudinis, quam ex Apoſtolicâ novimus venire doctrinâ, etiam ſacra ſcriptura manifeſtat, quòd cum Apoſtoli Paulum & Barnabam ex præcepto Spiritûs ſancti ad Evangelium gentibus mitterent prædicandum, jejunantes & orantes impoſuerunt eis manus; ut intelligamus quantâ & dantium & accipientium devotione curandum ſit, ne tantæ benedictionis ſacramentum negligenter videatur impletum. Et ideo piè & laudabiliter Apoſtolicis morem geſſeris inſtitutis, ſi hanc ordinandorum Sacerdotum formam per Eccleſias, quibus Dominus præeſſe te voluit, etiam ipſe ſervaveris; ut his qui conſecrandi ſunt nunquam benedictio niſi in die Dominico Reſurrectionis tribuatur, cui à veſpere Sabbati initium conſtat adſcribi, & tantis divinarū diſpenſationum miniſteriis conſecrata. Quidquid à Domino eſt inſignius conſtitutum in hujus diei dignitate eſt geſtum; in hac mundus ſumſit exordium; in hac per reſurrectionem Chriſti & mors interitum, & vita accepit principium; in hac Apoſtoli à Domino prædicandi omnibus gentibus Evangelii tub--ri ſumunt, & ad inferendum univerſo mundo ſacramentum regenerationis accipiunt; in hac ſicut beatus Joannes Evangeliſta teſtatur, cum congregatis in unum diſcipulis clauſis januis ad eos Dominus introiſſet, inſufflavit & dixit: *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum detinueritis, detenta ſunt.* *Joan.* In hac denique promiſſus à Domino Apoſtolis Spiritus ſanctus advenit; ut cœleſti quâdam regulâ inſinuatum & traditum noverimus, in illâ die celebranda nobis eſſe myſteria Sacerdotalium benedictionum, in quâ collata ſunt omnia dona gratiarum.

CAPUT CXXVIII.

Ex Concilio Carthaginenſi, * cap. XIII. * Ca

UT Epiſcopus non longè ab Eccleſiâ hoſpiciolum habeat.

CAPUT CXXIX.

Ut Epiſcopus & pauperes & infirmos tueatur.

Ex Concilio Aurelianenſi, * cap. XII. * A cap.

EPiſcopus pauperibus vel infirmis, qui debilitate faciente non poſſunt ſuis manibus laborare, victum & veſtimentum in quantum poſſibilitas habuerit, largiatur.

CAPUT CXXX.

Ut Epiſcopus ſuppellectilem & menſam vilem habeat.

Ex Concilio Carthaginenſi, * cap. XV. * Ca

EPiſcopus vilem ſuppellectilem & menſam ac victum pauperem habeat. & dignitatis ſuæ auctoritatem fidei & vitæ meritis quærat.

CAPUT CXXXI.

Ex Concilio quo ſuprà, cap. XVI.

UT Epiſcopus libros gentilium non legat, hæreticorum autem pro neceſſitate temporis.

CAPUT CXXXII.

Ex Concilio quo ſuprà, cap. XIX. * * cap

UT Epiſcopus gubernationem viduarum & pupillorum ac peregrinorum non per ſemetipſum, ſed per Archipreſbyterum, aut per Archidiaconum gerat.

CAPUT CXXXIII.

Ex Concilio quo ſuprà, cap. XVII. * * ca

UT Epiſcopus cuitionem teſtamentorum non ſuſcipiat.

CAPUT

CAPUT CXXXIV.

Ex Concilio quo ſuprà, *cap.* XIX.

UT Epiſcopus nec provocatus pro rebus tranſitoriis litiget.

CAPUT CXXXV.

Ut Epiſcopus antequàm ordinetur, Canones agnoſcat.

* Ex Carth. III. cap. III. & ex cod. can. Afric. Eccleſ. cap. 18.

Ex Concilio ſuprà ſcripto.*

ITem placuit ordinandis Epiſcopis vel Clericis, prius ab ordinatoribus ſuis decreta Conciliorum auribus eorum inculcentur, ne ſe aliquid contrà ſtatuta Concilii feciſſe pœniteant.

CAPUT CXXXVI.

Ut Epiſcopus die Dominico ab Eccleſiâ abeſſe non debeat.

* Aurel. I. cap. XXXI.

Ex Concilio Aurelianenſi, cap. XXVI.*

EPiſcopus ſi in infirmitate non fuerit impeditus, Eccleſiæ cui proximus fuerit die Dominico deeſſe non debet.

CAPUT CXXXVII.

Ut Epiſcopus nullam curam rei familiaris ad ſe revocans, tantùm orationi & doctrinæ vacet.

*Concil. Carth. IV.

Ex Concilio quo ſuprà, cap. XX.*

EPiſcopus nullàm rei familiaris curam ad ſe revocet, ſed ut lectioni & orationi & verbi Dei prædicationi tantummodo vacet.

CAPUT CXXXVIII.

* Carthag. IV.

Ex Concilio Carthaginenſi, *cap. XXXIV.

UT Epiſcopus quolibet loco ſedens, ſtare Preſbyterum non patiatur.

CAPUT CXXXIX.

De conſeſſu Presbyteri cum Epiſcopo in Eccleſiâ.

Ex Concilio quo ſuprà, cap. XXXV.

UT Epiſcopus in Eccleſiâ in conſeſſu Preſbyterorum ſublimior ſedeat, intrà domum verò collegam ſe Preſbyterorum eſſe cognoſcat.

CAPUT CXL.

Quamdiù Epiſcopus in alienâ civitate remoretur.

* Anno 347. ſub Julio I.

Ex Concilio Sardicenſi, *cap. XIV.

OSius Epiſcopus dixit: Et hoc quoque ſtatuere debetis, ut Epiſcopus ex aliâ civitate cum venerit ad aliam civitatem, vel ex provinciâ ſuâ ad aliam provinciam, & ambitioni magis quàm devotioni ſerviens, voluerit in aliena civitate multo tempore reſidere: fortè enim evenit Epiſcopum loci non eſſe tam inſtructum, neque tam doctum; is verò qui advenit incipiat contemnere eum, & frequenter facere ſermonem ut dehoneſtet & infirmet illius perſonam; ita ut ex hac occaſione non dubitet relinquere aſſignatam ſibi Eccleſiam, & tranſeat ad alienam. Definite ergo tempus, quia & non recipi Epiſcopum inhumanum eſt, & ſi diutiùs reſidet, perniciosum eſt. Hoc ergo ne fiat providendum eſt. Memini autem ſuperiori Concilio Fratres noſtros conſtituiſſe, ut ſi quis laicus in ea in quâ commoratur civitate tres Dominicos dies, id eſt per tres ſeptimanas non celebraſſet conventum, communione privaretur. Si hæc circà laicos conſtituta ſunt, multo magis Epiſcopus non licet nec decet, ſi nulla ſit tam gravis neceſſitas quæ detineat, ut ampliùs à ſuprà ſcripto tempore abſens ſit ab Eccleſiâ ſuâ. Univerſi Epiſcopi dixerunt placere ſibi.

CAPUT CXLI.

Non liceat Epiſcopo à ſuâ Eccleſiâ plus tribus hebdomadibus abeſſe.

Ex eodem Concilio, cap. XV.

OSius Epiſcopus dixit: Quia nihil prætermitti oportet, ſunt quidam fratres & Coëpiſcopi noſtri, qui non in eâ civitate poſſident in quâ videntur Epiſcopi eſſe conſtituti, vel certè parvam rem illic habeant; alibi autem idonea prædia habere cognoſcuntur, vel affectionem proximorum quibus indulgeant, hactenùs permitti eis oportet ut accedant ad poſſeſſiones ſuas, & diſponant vel ordinent fructum laboris ſui, ut poſt tres dies Dominicos, id eſt, poſt tres hebdomadas ſi morari neceſſe eſt, in ſuis potiùs fundis morentur: aut ſi eſt proxima civitas in quâ eſt Preſbyter, ne ſine Eccleſiâ videantur facere diem Dominicum, illuc accedat; ut neque res ejus domeſticæ per abſentiam ejus detrimentum ſuſtineant, & non frequenter veniendo ad aliam civitatem, in quâ Epiſcopus moratur, ſuſpicionem jactantiæ & ambitionis evadat. Univerſi dixerunt placere ſibi.

CAPUT CXLII.

De laicis non temerè faciendis Epiſcopis.

Ex eodem Concilio, cap. XIII.

OSius Epiſcopus dixit: Et hoc neceſſarium arbitror, ut diligentiſſimè tractetis, ſi fortè aut dives aut ſcholaſticus de foro aut ex miniſtratore Epiſcopus fuerit poſtulatus, ut non priùs ordinetur niſi ante & Lectoris munere, & officio Diaconi aut Preſbyterii fuerit perfunctus; & ita per ſingulos gradus ſi dignus fuerit, aſcendat ad culmen Epiſcopatus. Poteſt enim per has promotiones, quæ habebunt utique prolixum tempus, probari quâ fide ſit, quâ modeſtiâ, quâ gravitate & verecundiâ; & ſi dignus fuerit probatus, divino Sacerdotio illuſtretur: quia conveniens non eſt, nec ratio nec diſciplina patitur, ut temerè & leviter ordinetur aut Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus, qui neophytus eſt: maximè cum & magiſter gentium beatus Apoſtolus ne hoc fieret denuntiaſſe & prohibuiſſe videatur: ſed hi quorum per longum tempus examinata ſit vita, & merita fuerint comprobata. Univerſi dixerunt placere ſibi hæc. 1. Tim. 3.

CAPUT CXLIII.

Quando & in quibus cauſis Epiſcopi ad comitatum ire debeant.

Ex eodem Concilio, cap. VIII.

OSius Epiſcopus dixit: Importunitates & nimia frequentia & injuſtæ petitiones fecerunt nos non tantam habere vel gratiam vel fiduciam, dum quidam non ceſſant ad comitatum ire Epiſcopi, & maximè Afri, qui ſicut cognovimus ſanctiſſimi fra-

tris & Coëpiſcopi noſtri Grati ſalutaria conſilia ſpernunt atque contemnunt, & non ſolùm ad comitatum multas & diverſas Eccleſiæ non profuturas perferunt cauſas, ut fieri ſolet aut oportet, ut aut pauperibus, aut viduis aut pupillis ſubveniatur, ſed & dignitates ſæculares & adminiſtrationes quibuſdam poſtulant. Hæc itaque pravitas olim non ſolùm murmurationes, ſed & ſcandala excitat; honeſtum eſt autem ut Epiſcopi interceſſionem ſuam his præſtent, qui aliquâ iniquâ vi opprimuntur, aut ſi vidua affligatur, aut pupillus exſpolietur, ſi tamen iſta omnia juſtam habeant cauſam aut petitionem. Si vobis ergo, fratres cariſſimi, placet decernite, ne Epiſcopi ad comitatum accedant, niſi fortè hi qui religioſiſſimi Imperatoris litteris vel invitati vel vocati fuerint. Sed quoniam ſæpè contingit ut ad miſericordiam Eccleſiæ confugiant qui injuriam patiuntur, aut qui peccantes in exilio vel inſulis damnantur, aut certè quamcumque ſententiam ſuſcipiunt, ideo ſubveniendum eſt his, & ſine dubitatione eis petenda per Eccleſiam indulgentia. Hoc ergo ſi vobis placet. Univerſi dixerunt, placet & conſtituatur.

CAPUT CXLIV.

De Diaconibus ad comitatum dirigendis.

Ex eodem Concilio, cap. XII.*

OSius Epiſcopus dixit: Hæc quoque providentia veſtra tractare debet, qui decreviſtis ne Epiſcoporum improbitas noſcetur, ut ad comitatum pergant: quicumque ergo, quales ſuperiùs memoravimus, preces habuerint vel acceperint, per Diaconum ſuum mittant, quia perſona miniſtri invidioſa non erit, & quæ impetraverit celeriùs poteris referre. Et hoc conſequens eſſe videtur, ut de quâlibet provinciâ Epiſcopi ad eum fratrem & Coëpiſcopum noſtrum preces mittant, qui in Metropoli conſiſtit, ut ille & Diaconum ejus & ſupplicationes deſtinet, tribuens commendatitias litteras pari ratione ad fratres & Coëpiſcopos noſtros, qui illo tempore his regionibus & urbibus morantur, in quibus felix beatus Auguſtus rempublicam gubernat. Si verò habet Epiſcopus amicos in palatio, qui cupit aliquid quod tamen honeſtum eſt impetrare, non prohibeatur per Diaconum ſuum rogare ac ſignificare his, quos ſcit benignam interceſſionem ſibi abſenti poſſe præſtare.

CAPUT CXLV.

Quòd ad comitatum pro pupillis & viduis, ac neceſſitatem patientibus ſit eundum.

Ex eodem Concilio, cap. X.

QUi verò Romam venerint, ſicut dictum eſt, ſanctiſſimo fratri & Coëpiſcopo noſtro Romanæ Eccleſiæ preces quas habent, tradant, ut & ipſe priùs examinet ſi honeſtæ & juſtæ ſunt, & præſtet diligentiam atque ſollicitudinem ut ad comitatum perferantur. Univerſi dixerunt placere ſibi, & honeſtum eſſe conſilium. Alypius Epiſcopus dixit: Si propter pupillos & viduas, vel laborantes, qui cauſas non iniquas habent, ſuſceperint peregrinationis incommoda, habebunt aliquid juſtæ rationis; nunc verò cùm ea poſtulent præcipuè quæ ſine invidiâ omnium & ſine reprehenſione eſſe non poſſunt, non neceſſe eſt eos ire ad comitatum.

* Hic incipit cap. X. ſuperiorum autem ad IX. pertinent in editis.

CAPUT CXLVI.

Quòd non oporteat Epiſcopos, Clericos & Monachos prædia aliena conducere.

Ex Concilio Calchedonenſi,* cap. III.

* ſub [...] an. 45[...]

PErvenit ad ſanctam Synodum, quòd quidam qui in clero videntur allecti, propter lucra turpia conductores alienarum poſſeſſionum fiant, & ſæcularia negotia ſub curâ ſuâ ſuſcipiant; Dei quidem miniſterium parvipendentes, ſæcularium verò diſcurrentes domos, & propter avaritiam patrimoniorum ſollicitudinem ſumentes. Decrevit itaque ſanctum hoc magnumque Concilium, nullum deinceps, non Epiſcopum, non Clericum, non Monachum aut poſſeſſiones conducere, aut negotiis ſæcularibus ſe miſcere, præter pupillorum (ſi fortè leges imponant) inexcuſabilem curam, aut civitatis Epiſcopus Eccleſiaſticarum rerum ſollicitudinem habere præcipiat, aut orphanorum & viduarum, earumque quæ ſine ullâ proviſione ſunt perſonarum, quæ maximè Eccleſiaſtico indigent adjutorio, & propter timorem Domini cauſa depoſcat. Si quis autem tranſgredi de cætero hæc ſtatuta tentaverit, qui eſt hujuſmodi Eccleſiaſticis increpationibus ſubjacebit.

CAPUT CXLVII.

De honore Monachis competente, & ut nullus eorum tentet Eccleſiaſtica aut ſæcularia inquietare negotia; nec alienum ſervum præter conſcientiam domini ejus ſuſcipere.

Ex eodem Concilio, cap. IV.

QUi verè & ſincerè ſingularem ſectantur vitam, competenter honorentur: quoniam verò quidam utentes habitu monachi, Eccleſiaſtica negotia civiliaque conturbant, circumeuntes indifferenter urbes, nec non & Monaſteria ſibi inſtituere tentantes: placuit nullum quidem uſquam ædificare aut conſtituere Monaſterium vel Oratorii domum præter conſcientiam civitatis Epiſcopi: Monachos verò per unamquamque civitatem aut regionem ſubjectos eſſe Epiſcopo, & quietem diligere, & intentos eſſe tantummodo jejunio & orationi, in locis in quibus renuntiaverunt ſæculo permanentes: nec Eccleſiaſticis verò nec ſæcularibus negotiis communicent, vel in aliquo ſint moleſti propria monaſteria deſerentes, niſi fortè his præcipiatur propter opus neceſſarium ab Epiſcopo civitatis. Nullum verò recipere in monaſteriis ſervum ut ſit Monachus cum eis obtentu monachi, præter ſui domini conſcientiam. Tranſgredientem verò hanc definitionem noſtram excommunicatum eſſe decernimus, ne nomen Dei blaſphemetur. Verumtamen Epiſcopum convenit civitatis competentem monaſteriorum providentiam agere.

CAPUT CXLVIII.

De pacificis peregrinorum, id eſt commendatitiis litteris.

Ex Concilio Antiocheno,* cap. VIII.

* ſub [...] po[...]

PReſbyteri autem qui ſunt in agris, Canonicas epiſtolas dare non poſſunt, ad ſolos tantùm vicinos Epiſcopos litteras deſtinabunt. Chorepiſcopi autem qui ſunt irreprehenſibiles, dare poſſunt pacificas, id eſt generales epiſtolas.

CAPUT CXLIX.

De Metropolitanis ſingularum provinciarum.

Ex Concilio Antiocheno, cap. IX.

PEr ſingulas regiones Epiſcopos convenit noſſe, Metropolitanum Epiſcopum ſollicitudinem totius provinciæ gerere: propter quod ad Metropolim omnes undique qui negotia videntur habere, concurrant: unde placuit eum & honore præcellere, & nihil ampliùs præter eum cæteros Epiſcopos agere ſecundùm antiquam à Patribus noſtris regulam conſtitutam, niſi ea tantùm quæ ad ſuam Diœceſim pertinent, poſſeſſioneſque ſubjectas. Unuſquiſque enim Epiſcopus habeat ſuæ parochiæ poteſtatem, ut regat juxtà reverentiam ſingulis competentem, & providentiam gerat omnis poſſeſſionis quæ ſub ejus eſt poteſtate: ita ut Presbyteros & Diaconos ordinet, & ſingula ſuo judicio comprehendat. Ampliùs autem nihil agere tentet præter Antiſtitem Metropolitanum, nec Metropolitanus ſine cæterorum gerat conſilio Sacerdotum.

CAPUT CL.

De vacantibus Epiſcopis.

Ex eodem Concilio, cap. XVI.

SI quis Epiſcopus vacans in Eccleſiam vacantem proſiliat, ſedemque pervadat abſque integro perfectoque concilio, hic abjiciatur neceſſe eſt, etſi cunctus populus, quem diripuit, eum habere delegerit. Perfectum verò Concilium illud eſt, ubi interfuerit Metropolitanus Antiſtes cum ſuffraganeis ſuis.

CAPUT CLI.

Ut Metropolitanis ſua jura ſerventur.

Ex Decreto Leonis Papæ, cap. XXXII. in Epiſt. ad Anaſtaſium.*

* Ex Epiſtolâ Leonis Pap. I. cap. 2.

IGitur ſecundùm ſanctorum Patrum Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ conſecratos, Metropolitanos ſingularum provinciarum Epiſcopos, quibus ex delegatione noſtrâ fraternitatis tuæ cura prætenditur, jus traditæ ſibi antiquitùs dignitatis intemeratum habere decernimus, ita ut à regulis præſtitutis nulla aut negligentia aut præſumptione diſcedant.

CAPUT CLII.

Leotedoro Epiſcopo Forojulienſi ſalutem.*

* Ejuſdem Leonis Epiſtola, ad Theodorum Epiſt. Forojulienſem circa 452. ſcripta.

SOllicitudinis quidem tuæ iſte ordo eſſe debuerat, ut cum Metropolitano tuo primitùs de eo quod quærendum eſſe videbatur, conferres, ac ſi id quod ignorabat dilectio tua, etiam ipſe neſciſſet, inſtrui vos pariter poſceretis, quia in cauſis quæ ad generalem obſervantiam pertinent, nihil ſine Primatibus oportet inquiri.

CAPUT CLIII.

De Præſidibus, vel cæteris rem publicam agere volentibus, ne ſine litteris Epiſcopi ſui communicent; & cum contrà diſciplinam egerint, excommunicentur.

Ex Concilio Arelatenſi,* cap. VII.

* Arelat. I.

DE Præſidibus qui fideles ad præſidatum proſiliunt, ita placuit, ut cum promoti fuerint litteras accipiant Eccleſiaſticas communicatorias; ita tamen ut in quibuſcumque locis geſſerint, ab Epiſcopo ejuſdem loci cura de illis agatur, ut cum cœperint contra diſciplinam publicam agere, tum demùm à communione excludantur: ſimiliter & de his fiat qui rem publicam agere volunt.

CAPUT CLIV.

Ut Clerici vel laici in alienâ Eccleſiâ non communicent ſine litteris Epiſcopi ſui.

Ex Concilio Carthaginenſi,* cap. VII.

* Carthag. I. ſub Julio I.

CAſianus Velenenſis Epiſcopus dixit: Statuat gratuitas veſtra, ut unuſquiſque Clericus vel laicus non communicet in aliâ plebe ſine litteris Epiſcopi ſui.

CAPUT CLV.

Quòd oporteat egenis epiſtolas tribui, honeſtiores autem commendatitiis litteris approbari.

Ex Concilio Calchedonenſi,* cap. XI.

* ſub Leone I.

OMnes pauperes & indigentes Eccleſiaſtico auxilio cum proficiſcuntur ſub probatione epiſtolis, vel Eccleſiaſticis pacificis tantummodò commendare decrevimus, & non commendatitiis litteris: propter quod commendatitias litteras honoratioribus tantummodò præſtari perſonis conveniat.

CAPUT CLVI.

De Clericis qui ſine epiſtolis ſui Pontificis proficiſcuntur.

Ex Concilio Agathenſi,* cap. LIII.

* Anno 506. cap. LII.

PReſbyter, aut Diaconus, vel Clericus ſine Antiſtitis ſui epiſtolis ambulans, communionem ei nullus impendat.

CAPUT CLVII.

Ut ſine epiſtolâ Epiſcopi ſui non liceat Clericum vel Monachum proficiſci; & de Monachis vel Abbatibus.

Ex eodem Concilio, cap. XXXVIII.

CLericis ſine commendatitiis epiſtolis Epiſcopi ſui licentia non pateat evagandi: in Monachis quoque præſentis ſententiæ forma ſervetur. Quòd ſi verborum increpatione non emendaverint, etiam verberibus ſtatuimus coërceri. Servandum quoque de Monachis, ne eis ad ſolitarias cellulas liceat à congregatione diſcedere, niſi fortè probatis poſt emeritos labores, aut propter infirmitatis neceſſitatem aſperior Abbatibus regula remittatur: quod ita demùm fiet, ut intrà eadem monaſterii ſepta manentes, tamen ſub Abbatis poteſtate ſeparatas habere cellulas permittantur. Abbatibus quoque ſingulis diverſas cellulas aut plurima monaſteria habere non liceat, niſi tantùm propter incurſum hoſtilitatis intrà muros receptacula collocare.

CAPUT CLVIII.

Incipit Epiſtola Formata Attici Epiſcopi Conſtantinopolitani.

GRæca elementa litterarum, numeros etiam exprimere nullus, qui vel tenuiter græci ſermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis epiſtolis Canonicis, quas mos latinus Formatas appel-

lat, aliqua fraus falſitatis temerè præſumeretur, hoc à Patribus trecentis decem & octo Nicææ congregatis ſaluberrimè inventum eſt & conſtitutum; ut Formatæ epiſtolæ hanc calculationis ſeu ſupputationis habeant rationem, id eſt, ut aſſumantur in ſupputationem prima græca elementa Patris & Filii & Spiritûs ſancti; hoc eſt ΠΥΑ. Πατὴρ, j: Pater, Υἱὸς, j. Filius, Ἅγιον πνεῦμα, j. Spiritus ſanctus: quæ elementa LXXX. octogenarium & CCCC. quadringenteſimum &, I. primum ſignificant numeros. Petri quoque Apoſtoli prima littera j. Π qui numerum octoginta ſignificat. Ejus quoque qui ſcripſit epiſtolam, prima littera; cui ſcribitur, ſecunda; accipientis, tertia littera; civitatis quoque, de quâ ſcribitur, quarta; & indictionis (quæcumque eſt) temporis idem qui fuerit numerus aſſumatur. Atque ita his omnibus græcis litteris, quæ, ut diximus, numeros exprimunt in unum ductis unam, quæcumquæ collecta fuerit, ſummam epiſtola teneat. Hanc qui ſuſcipit omni cum cautela requirat expreſſe: addat præterea ſeparatim in epiſtolâ etiam nonagenarium & nonum numerum, qui ſecundùm græca elementa ſignificat AMHN.

EXPLICIUNT CANONES.

Deo gratias, Amen.

MONITUM.

TANTI fecère hanc Crodogangi ſive Codegrandi Regulam Patres Concilii Aquiſgranenſis annò partûs ſalutiferi DCCCXVI. *celebrati, ut quidquid ad Clericorum mores canonicè efformandos conduceret, ad ſua (ſuppreſſo licet nomine) decreta tranſtulerint: quod equidem innuere in annotatiunculis haud à me eſt prætermiſſum.*

S. Greg. lib. 4 Reg. cap. 9.

Adeo ipſi Codegrando altè menti ac memoriæ inſita fuerat Regula S. Benedicti Arctiſſimæ, *hoc eſt Evangelicæ*, vitæ Magiſtri *(verbis loquor Magni Gregorii)* ſummæ Veritatis diſcipuli, *ut verba illius, ſententias, periodos, quin etiam capitula identidem, Canonicis condendo leges ſua effecerit, tacito dumtaxat Monachi (Clericis genio indulgentioribus ne moram afferret) Canonici nomen ſuppoſuit. Nec ſanè mirum, quippe quæ olim Divino Numine inſpirata (ſed hominum vecordiâ ſuſque deque poſtmodum habita) Authoris tempeſtate impenſiùs colebatur, longè lateque propagabatur. Quò venerabilis Epiſcopus innuere videtur, ſic* Juſtorum *omnium* Spiritu plenum *Benedictum, uti Norma ipſius ceu* Parvus *ille* fons qui crevit in fluvium, *univerſam poſt Occidentalem Eccleſiam variè aſperſerit, irrigaritque. Unde & Divinæ theoriæ, & muniis Eccleſiaſticis, & ſæcularibus negotiis addicti*, Aquam ſapientiæ ſalutaris, ſalientem in vitam æternam, *affatim queant haurire. Lectori erudito notiora profero: ſonant iſthæc Concilia, ſonant Patres, ſonant Hiſtorici propè innumeri.*

Idem Dialog. lib. 2. cap. 8. Eſther 10. 6. Baron. an. 529. Eccli. 15. 3. Joan. 4. 14.

Exinde verò, quòd ita in promptu ſanctam Regulam habuerit Codegrandus, conjici datur vel eam ſæpiſſimè triviſſe, tenuiſſeque memoriæ, vel etiam ſodalitio Benedictino (cujus ſententiæ calculum album quidam addunt Scriptores) nomen dediſſe. Argumentum hoc etſi ignaros Regulæ fortè non moveat, apud nos tamen eàdem imbutos, magni ponderis eſt. Gallus vel Hiſpanus linguæ ſuæ idiotiſmum facilè ſentit, quem exterus non advertit, non penetrat: ita nos S. Benedicti ſtilus ac verba fallere non poſſunt. Ut ut ſit, eximiis eum laudibus compendio attollentem, deque Regulâ Canonicorum verba facientem, optimæ notæ authorem ac ſupparem, Paulum VVarneſridum, audiamus:

„ *Jam hinc, vir Egregius (inquit ille) & omnibus præconiis efferendus Chrodegangus Antiſtes*
„ *eligitur, ex pago Haſbanienſi oriundus, patre Sigrammo, matre Landradâ Francorum ex ge-*
„ *nere primæ nobilitatis progenitus. Hic in palatio Majoris Caroli ab ipſo enutritus, ejuſdemque*
„ *Referendarius exſtitit: ac demùm Pippini Regis temporibus Pontificale decus promeruit. Fuit*
„ *autem omninò clariſſimus, omnique nobilitate coruſcus: formâ decorus, eloquio facundiſſimus, tam*
„ *patrio quàm etiam Latino ſermone imbutus. Servorum Dei nutritor, orphanorum viduarumque*
„ *non ſolùm alter, ſed & clementiſſimus tutor. Cumque eſſet in omnibus locuples, à Pipino Rege*
„ *omnique Francorum cœtu ſingulariter electus, Romam directus eſt: Stephanumque venerabilem*
„ *Papam, ut cunctorum vota anhelabant, ad Gallias evocavit. Hic Clerum adunavit, & ad*
„ *inſtar Cœnobii intrà clauſtrorum ſepta converſari fecit;* NORMAMQUE EIS INSTI-
„ TUIT, *qualiter in Eccleſiâ militare deberent: quibus annonas vitæque ſubſidia ſufficienter lar-*
„ *gitus eſt, ut perituris vacare negotiis non indigentes, divinis ſolummodò officiis excubarent. Ipſum-*
„ *que Clerum abundanter lege divinâ, Romanâque imbutum cantilenâ, morem atque ordinem Ro-*
„ *manæ Eccleſiæ ſervare præcepit. Quod uſque ad id tempus in Metenſi Eccleſiâ factum minimè*
„ *fuit. Hic fabricare juſſit, unà cum adjutorio Pipini Regis, ſedem ſancti Stephani Protomar-*
„ *tyris, & altare ipſius atque Cancellos, Presbyterium, arcuſque per gyrum. Similiter & in Ec-*
„ *cleſiâ Beati Petri majore Presbyterium fieri juſſit. Conſtruxit etiam ambonem auro argentoque*
„ *decoratum, & arcus per gyrum throni ante ipſum Altare. Ædificavit præterea Monaſterium*
„ *in Parochiâ Beati Stephani in pago Moſellenſi in honore Beatiſſimi Petri Apoſtoli, & ditavit*

illud opibus magnit, Monachoſque ibi conſtituit, atque ſub Regulâ Sancti Patris Benedicti in "
unâ charitatê conjunxit. Conſtruxit etiam alterum Monaſterium quod Gorzia vocitatur, ubi pari "
modo non modicam multitudinem adunavit Monachorum. Expetiit denique à Paulo Romano "
Pontifice tria corpora Sanctorum Martyrum, id eſt, beati Gorgonii, quod in Gorziâ requieſcit; "
& beati Naboris, quod in Hiſariaco monaſterio conditum eſt; & beati Nazarii, quod ultrà "
fluvium Rhenum in Monaſterio quod vocatur Loriſhaim, ædificatâ in honorem ipſius Martyris "
miri decoris Baſilicâ, collocavit. Hoc ſiquidem prædium Chilliſuvindis quondam Religioſa fœ- "
mina, & Cancro ejus filius, eidem Chrodegango Antiſtiti ad partem beati Stephani tradide- "
rant. Fuit ſiquidem beatus iſte vir in eleemoſynis largus, in charitate piiſſimus, ſuſceptor hoſpi- "
tum atque peregrinorum. Sed quoniam longum eſt bona quæ geſſit, ex ordine retexere, ſatis ſit "
hæc pauca prælibaſſe de plurimis. Hic conſecravit Epiſcopos quàmplurimos per diverſas civita- "
tes, Presbyteros nihilominùs ac Diaconos, cæteroſque Eccleſiaſticos ordines, ſicut moris eſt Ro- "
manæ Eccleſiæ, in diebus Sabbatorum quaternis temporibus anni. Rexit Eccleſiam Metenſem "
annis viginti tribus, menſibus quinque, diebus quinque. Obiit pridie nonas Martias in diebus "
Pippini Regis. Requieſcit in Gprzia Monaſterio, quod ipſe à fundamentis exſtruxit. "

Huc uſque Paulus Diaconus, Fragmento de Epiſcopis Metenſis Eccleſiæ, Hiſt. Franc. Scriptorum Andreæ Ducheſne, to. 2. pag. 204.

CHRODOGANGI

SIVE

CRODEGANDI

METENSIS EPISCOPI

REGULA CANONICORUM.

Anno circ. 750.

PRÆFATIO.

TEMPORIBUS piiſſimi ac ſereniſſimi PIPINI CHRODOGANGUS ſervus ſervorum Dei, Metenſis urbis Epiſcopus.

Si trecentorum decem & octo, reliquorumque Sanctorum Patrum Canonum auctoritas inviolata perduraret, & Epiſcopus atque Clerus ſecundùm eorum rectitudinis normam viverent, ſuperfluum videretur, à nobis exiguis minimiſque, ſuper hac re tam ordinatè diſpoſitâ aliquid novi retractare ant dicere: ſed dum paſtorum ſubditorumque negligentia ex his temporibus nimium crevit, quid aliud agendum nobis eſt, qui in tam gravi diſcrimine venimus, niſi ut quantum poſſumus, ſi non quantum debemus, ad rectitudinis lineam, Deo inſpirante, Clerum noſtrum reducamus.

Igitur quamvis adeptâ hujus Sedis Pontificalis Cathedrâ, cumque officii mei paſtoràlis curam invigilare cœpiſſem, & in tantam negligentiam Clerum plebemque deveniſſe conſpicerem, cœpi mœſtus conquirere quid agere deberem, ſed divino fultus auxilio, fratrumque ſpiritualium conſolatione adjutus, atque recuperatione provocatus, volui neceſſitate compulſus parvum decretulum facere, per quod ſe Clerus ab illicitis coerceat, vitioſa deponat, mala diù longeque uſurpata derelinquat; ut dum meis ab aſſuetis vitiis vacuatur, faciliùs bona & optima quæque ſunt, inſerantur.

Scripturis enim ſacris intenti decernimus, ut omnes ſint unanimes officiis divinis, lectionibuſque ſacris aſſidui, atque ad obedientiam Epiſcopi ſui, Præpoſitique, ut ordo canonicus depoſcit, parati, charitate connexi, zelo bono, ferventiſſimoque amore conjuncti, à litibus, vel ſcandalis, ſeu odiis ſemoti. Paſtor eorum quilibet fuerit, non ſolùm de carnalibus, ſed etiam de ſpiritalibus curam gerat, & in utràque parte ſagaciſſimam ſollicitudinem, in quo facultatis fuerit, habeat; ut & vitia reprimat, & ea radicitùs ut oriri cœperint, ut prævalet, amputare feſtinet: & quæ uſibus humanis juxtà formam ſubter diſpoſitam neceſſaria fuerint, eis præbere ſtudeat, ut cum paſtor paſtorum, judexque vivorum & mortuorum Chriſtus in ultimo tremendoque die, in ſede majeſtatis ſuæ diſceptaturus cum omnibus gentibus, ſederit, & omnis Clerus eum revelatâ facie conſpexerit, etſi non cum ſummis paſtoribus, & gregibus ſibi commiſſis, pro diſpenſatis talentis, multiplicatiſque ſpiritalibus lucris, audire merebimur: *Euge ſerve bone & fidelis:* ſaltem hoc concedatur, ut delictorum venia ad integrum tribuatur; quia manifeſtum eſt quibus peccatorum venia ad integrum tribuitur, quia nec infelix poteſt judicari, cui contigerit qualemcumque partem in paradiſo habere; ſed aliis ibidem ſors datur, qui in quantum poſſunt per vitæ meritum ad hoc in hujus temporis curriculo, dum licet currere, feſtinent.

B. Benedict. Reg. cap. 2.

Matt. 25. 21.

Intendamus ergo ad hoc animum, quantum poſſumus, quia non poſſumus quantum debemus, & noſtra vita amareſcat in pœnitentiâ, ne ultio divina, quæ nunc mitis eſt, & exſpectat, poſt ſæviat ad vindictam.

CAPUT PRIMUM.

De Humilitate.

S. Benedict. Reg. c. 7. Luc. 14. 11. Prov. 29. 23. Jac. 4. 6. Prov. 16. 5.

CLAMAT nobis divina ſcriptura, dicens: *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.* Quantum enim humilior fueris, tantum te ſequitur gloriæ altitudo: & quia *ſuperbis Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*: omniſque arrogans immundus eſt coram Domino. Nam quemcumque ſuperbum videris, filium diaboli eſſe non dubites; & quemcumque humilem proſpexeris, Dei filium eſſe credere debes. De multis enim pauca prælibagimus, ut omnes homines ad amorem humilitatis provocemus, & deteſtabilem, inimicamque Dei ſuperbiam ab eis retrahamus: nam dum omne genus humanum humilitatem habere convenit, nimis iniquum, peſſimumque, ac deteſtabile eſt, ut qui ſervitio Dei peculiariùs ſe junxerunt, humilitatem derelinquant, & ſuperbiæ diabolicæ ſe ſocient. Chriſtus in humilitate, diabolus in ſuperbiâ ſedet.

Idcircò neceſſe eſt, ut qui ſuadente diabolo uſque nunc ſuperbus atque elatus, & vultu rigidus vixit, Deo auxiliante, per humilitatem, atque charitatem, aut obedientiam, ſeu per reliqua bona Dei præcepta reſurgat; quia multum meliùs eſt per humilitatem cum Chriſto in regna cœleſtia regnare, quàm cum diabolo per ſuperbiam in infernum demergere.

CAPUT II.

De ordine congregationis Canonicorum.

Ex cap. 63. Regulæ S. Bened.

ORdines ſuos Canonici ita conſervent, ut ordinati ſunt in gradibus ſuis, ſecundùm legitimam inſtitutionem Romanæ Eccleſiæ, in omnibus omninò locis, id eſt, in Eccleſiâ, vel ubicumque ſimul ſe conjunxerint, & ratio præſtat; exceptis his, quos Epiſcopus in altiore gradu conſtituerit, aut degradaverit, certis de cauſis, reliqui omnes, ut diximus, ita ut ordinati ſunt, ordines ſuos cuſtodiant.

Juniores igitur priores ſuos honorent, priores minores ſuos in Deum diligant. In ipſorum autem appellatione nominum, nulli liceat alium puro nomine appellare, ſed ſecundùm conſtitutionem ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, vocet eum nomen ſuum, priùs addito & miniſterii ſui gradu, qualiſcumque fuerit. Ubicumque ſe obviaverit clerus, junior inclinetur, & à priore benedictionem petat: & ſi ſedentem invenerit, tranſeunte majore minor ſurgat, & det ei locum ſedendi, nec præſumat junior conſedere niſi ei præcipiat ſenior ſuus; ut fiat quod

Rom. 12.

ſcriptum eſt: *Honore invicem prævenientes.* Pueri parvi & adoleſcentes, in oratorio, aut ad miſſas cum diſciplinâ ſuos ordines cuſtodiant, & ubicumque fuerint, cuſtodiam habeant & diſciplinam.

CAPUT III.

De eo quod in congregandis Canonicis modus diſcretionis tenendus ſit.

Cap. iſtud affert. Concil. Aquiſgran. an. 816. c. 118.

CAvendum ſummopere Præpoſitis & Prælatis Eccleſiæ eſt, ut in Eccleſiis ſibi commiſſis non plures admittant Clericos, quàm ratio ſinit, & facultas Eccleſiæ ſuppetit; ne ſi plures indiſcretè aggregaverint, nec ipſos gubernare, nec ut oportet valeant adminiculari. Sunt namque nonnulli vanam gloriam ab hominibus captantes, qui innumeroſam Cleri congregationem volunt habere, cui nec animæ, nec corporis curant ſolatia exhibere. Hi namque qualiter aggregati, dum à Prælatis ſtipendia neceſſaria non accipiunt, neque canonicum ſervant ordinem, nec divinis officiis inſiſtunt, clauſtra ſocietatemque cæterorum relinquentes, efficiuntur vagi & laſcivi, gulæ & ebrietati, & cæteris ſuis voluptatibus dediti, quidquid ſibi inhibitum eſt, licitum faciunt.

Proinde Præpoſitis ſolerter providendum eſt, ut in hoc negotio modum diſcretionis teneant, ſcilicet, ut nec plus quàm oportet, & poſſibilitas Eccleſiæ ſuppetit, in congregatione admittant; nec eos, quos rationabiliter gubernare poſſunt, cauſâ avaritiæ abjiciant.

CAPUT IV.

De eo quod non debent Clerici in congregatione canonicâ conſiſtentes, ſtipendia ſuperflua accipere, aut exigere, ſed neceſſaria.

SAnctorum Patrum ſententiæ docent, Clericos non divitiarum ſectatores eſſe, nec res Eccleſiarum inofficiosè accipere debere. Inde dicit Proſper: Concil. Pro com. c. 5
» Qui Eccleſiæ ſerviunt, & ea quibus opus non »
habent, aut libenter accipiunt, aut exigunt, ni- »
mis carnaliter ſapiunt: indignum quippe eſt, ſi fi- »
delis & operoſa devotio Clericorum, propter ſtipen- »
dium ſæculare præmia ſempiterna contemnat. » Ut quid accipit unde rationem reddat? Ut quid peccatis alienis ſua multiplicat? Unde neceſſe, imò utile eſt, Clericis in Eccleſiaſticis ſumptibus accipiendis ſuum vitare periculum. Proinde tam de ſuis, quàm de Eccleſiæ facultatibus, non plus accipiant aut exigant, quàm oportet: id accipient, cibum, potum, atque veſtimentum, & his contenti ſint; ne plus accipientes, pauperes gravare videantur.
» Sine grandi peccato non accipiunt, unde pau- » Pro c. 1
per victurus erat. »

His verò qui nec ſuis rebus abundant, nec Eccleſiæ habent poſſeſſiones, & magnam utilitatem Eccleſiæ conferunt, accipient in canonicâ congregatione victum & veſtimentum, & eleemoſynarum partes: quia de talibus in libro Proſperi dicitur.
» Clerici, quos voluntas, aut nativitas pauperes » Ibi
fecit, in congregatione viventes, neceſſaria vitæ »
accipiunt: quia ad ea accipienda non eos habendi »
ducit cupiditas, ſed cogit vivendi neceſſitas. » Porrò ſi tales fuerint, qui nec ſuas, nec Eccleſiæ velint habere poſſeſſiones, horum neceſſitatibus providentiſſimâ gubernatione de facultatibus Eccleſiæ debent ſubvenire Prælati, attendentes illud Proſperi:
» Quod habet, inquit, de facultatibus Eccleſiæ, cum Ibi var.
omnibus nihil habentibus commune habeat. » Sed & illorum curam gerere debent, quos aut infirmitas, aut ſenectus aggravat, quos etiam conſtat olim in utilitatibus Eccleſiæ deſudaſſe.

CAPUT V.

De his qui in congregatione ſibi commiſſâ, ſolummodò ex familiâ Eccleſiæ Clericos aggregant.

SUnt nonnulli qui tantùm ex familiâ Eccleſiaſticâ Clericos, in ſibi commiſſis congregant Eccleſiis: & hoc ideo facere videntur, ut ſi quando eis aliquid incommodum fecerint, aut ſtipendia opportuna ſubtraxerint, nihil querimoniæ contrà ſe objicere præſumant, timentes ſcilicet, ne aut ſeveriſſimis verberibus afficiantur, aut humanæ ſervituti denuò crudeliter addicantur. Con gra.

Hoc autem non ideò dicitur, ut ex familiâ Eccleſiæ probabiles vitæ in congregatione non ſint admittendi, præſertim cum apud Deum non ſit perſonarum acceptio, ſed potiùs, ut propter quam intulimus occaſionem, nullus Prælatorum, ſecluſis nobilibus, viles tantùm in ſuâ congregatione admittant perſonas.

CAPUT VI.

Qui Clerici in congregatione canonicâ conſtituti; Eccleſiaſtica accipere debeant ſtipendia.

Ibid. c. 116. QUia Sanctorum Patrum ſuprà notatæ ſententiæ docent, Clericos non divitiarum ſectatores eſſe, nec res Eccleſiarum inofficioſè accipere debere, non abs re putavimus, nonnulla capitula libri Proſperi ad medium exempli cauſâ deducere, in quibus

Proſp. lib. 2. c. 10, ita legitur: » Qui Eccleſiæ ſerviunt, & ea quibus » opus non habent, aut libenter accipiunt, aut » exigunt, nimis carnaliter ſapiunt. « Item ibi: » Satis quippe indignum eſt, ſi fidelis & operoſa devotio Clericorum, propter ſtipendium ſæculare præmia ſempiterna contemnat. « Item ibi: » Si propter » hoc non vult ſua quiſque relinquere, ut habeat » unde vivat: ut quid accipit unde rationem reddat?

CAPUT VII.

De eo quòd in congregatione canonicâ æqualiter cibus & potus accipiatur.

Concil. Aquiſgran. c. 121. SOlet in pleriſque Canonicorum congregationibus irrationabiliter atque indiſcretè fieri, ut nonnulli Clerici, qui & divitiis affluant, & aut parum aut nihil utilitatis Eccleſiæ conferunt, majorem cæteris divinum ſtrenuè peragentibus officium annonam accipiunt, cum hoc ita fieri debere nuſquam nec in authoritate ſcripturarum, nec in traditionibus Sanctorum Patrum poſſit [quoquo modo ſancitum reperiri.] Eſt nempe rationabile juſtumque coram Deo & hominibus, ut in unâquâque canonicâ congregatione à minimo uſque ad maximum cibum & potum æqualiter accipiant; hi videlicet qui propter aliquam utilitatem in numero Canonicorum fuerint admiſſi. Quamquam enim plerique ſubditorum à Prælatis, rebus quibuſlibet aliis plus cæteris meritò ſolent honorari, in hac tamen ſocietate, recluſâ perſonarum acceptione, una debet cibi & potûs æqualitas eſſe.

CAPUT VIII.

De menſurâ cibi & potûs:

Hujuſce cap. nonnulla in præfato Concil. c. 122. QUando Clerus unâ aut binâ vice in die reficit, accipiat à minore uſque ad maximum quatuor libras panis; & quando bis in die reficit, pulmentum verò ad ſextam, unam miniſtrationem de carne inter duos: & ſi cibaria alia unà accipient, & cibaria non habeant, tunc duas miniſtrationes de carne habeant. Ad cœnam autem aut unam miniſtrationem inter duos; aut cibaria alia habeant. Illo tempore, quando quadrageſimalem vitam debent ducere, tunc ad ſextam inter duos Clericos portionem de formatico, & cibaria alia accipient; & ſi piſces habuerint, aut legumen, aut aliud aliquid, addatur & tertium: & ad cœnam cibaria inter duos, & portionem de formatico accipient: & ſi Deus ampliùs dederit, cum gratiarum actione accipient. Quando autem in die una refectio fuerit, tunc cibaria una inter duos, & portionem de formatico, & miniſtrationem de legumine, aut aliud pulmentum accipient. Et ſi contigerit quòd illo anno glandis vel fagina non ſit, & non habeant unde hanc menſuram de carne impleant, prævideat Epiſcopus, vel qui ſub eo eſt, juxtà quod Deus poſſibilitatem dederit, aut de quadrageſimali alimento, aut alio, unde conſolationem habeant.

Et ſi eadem regio vinifera fuerit, accipiant per ſingulos dies quinque libras vini (ſi tamen ſterilitas impedimentum non fecerit temporis) ſi verò vinifera plena non fuerit: tres libras vini, & tres cerviſiæ; & caveant ebrietatem. Si verò contigerit, quòd vinum minus fuerit, & iſtam menſuram Epiſcopus, vel qui ſub eo eſt, implere non poteſt: juxtà quod prævalet, impleat de cerviſiâ, & eis conſolationem faciant: & illis qui ſe à vino abſtinent, prævideat Epiſcopus, vel qui ſub eo eſt, ut tantùm habeant de cerviſiâ, quantum de vino habere debuerant. Quando verò Eccleſiæ facultas non ſuppetit, aut ſterilitas terræ extiterit, ſicut crebrò peccatis noſtris præpedientibus evenire ſolet, & prælati quantum debent dare vinum, aut ſiceram ſeu cerviſiam, Canonicis nequiverint, prævideant eis potum ex diverſis materiis confectum; non autem murmurent, ſed magis cum gratiarum actione quod dari ſibi poteſt, accipiant; animadvertentes Joannem Baptiſtam, qui nec vinum, nec ſiceram, nec quid aliud quod poteſt inebriari, bibit: quia ubi ebrietas ſit, ibi flagitium atque peccatum eſt: & hoc admonemus, ut Clerus ſobriam ſemper ducat vitam. Et quia perſuadere non poſſumus, ut vinum non bibant, vel hoc conſentiamus ut ſaltem in illis ebrietas non dominetur; quia omnes ebrioſos Apoſtolus à regno Dei extraneos eſſe denuntiat, niſi per dignam pœnitentiam emendaverint. Habeant itaque Canonici hortos olerum, unde cum cæteris additamentis aliquod pulmentum quotidie ſibi viciſſim miniſtrent. Ex cap. 40. Reg. S. Bened.

CAPUT IX.

De ſeptimanariis coquinæ.

CLerici Canonici ſic ſibi invicem ſervient, ut nullus excuſetur à coquinæ officio, niſi ægritudine, aut cauſâ gravis utilitatis præoccupatus fuerit: quia exinde major merces & charitas acquiritur. Imbecillibus autem procurentur ſolatia, ut non cum triſtitiâ hoc faciant, ſed habeant omnes ſolatia ſecundum modum congregationis, aut poſitionem loci. Ex c. 35. ejuſdem Regulæ.

Archidiaconus, aut Præpoſitus, vel Cellarius, & qui in majoribus utilitatibus occupati ſunt, iſti excuſentur à coquinâ. Cæteri autem ſibi ſub charitate invicem ſervient. Egreſſurus de ſeptimanâ ſabbato munditias vaſorum faciat, & vaſa miniſterii ſui, quæ ad miniſtrandum accepit, ſana & munda Cellario reconſignet; & ſi aliquid ex illis minuatim fuerit, ad capitulum die ſabbati veniam petat: & vaſa, vel quod minuatum eſt in loco reſtituat.

CAPUT X.

De Archidiacono, vel Præpoſito.

OPortet enim eos eſſe prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ, id eſt, ut ſint ſapientes in bonum, & ſimplices in malum; & docti in Evangelica præcepta, & ſanctorum Patrum inſtituta canonum, ut poſſint docere Clerum in lege divinâ, & ſic ſe conforment Clero, ut non tantùm verbis capacibus, ſed etiam exemplis ſimplicioribus Ex c. 2. Reg. S. Bened.

divina præcepta demonſtrent: quia Apoſtoli debent ſemper ſervare formam, in quâ dicit: *Argue, obſecra, increpa*: immiſcens temporibus tempora, terroribus blandimenta. Indiſciplinatos & inquietos debent duriùs arguere, obedientes autem & mites & patientes ut in melius proficiant, obſervare: negligentes, & contemnentes, & ſuperbos, increpent & corripiant. Neque diſſimulent peccata delinquentium, ſed mox ut cœperint oriri, radicitùs ut prævalent, amputent; memores periculi Heli ſacerdotis de filiis ſuis. Honeſtiores quidem atque intelligibiles primâ & ſecundâ admonitione corripiant; improbos ac duros corde, ac ſuperbos, vel inobedientes, verbere & caſtigatione in ipſo initio peccati coërceant; ſcientes ſcriptum: *Stultus verbis non corrigitur*. Et iterum: *Percute filium tuum virgâ, & liberabis animam ejus à morte.*

[1 Tim. 4.] [1. Reg. 2.] [Prov. 18. 2.] [Ibid. 23. 14.]

Et quidquid per ſe juſtè & rationabiliter ſecundum canonicam inſtitutionem non potuerint definire, Epiſcopo patefaciant, & ipſe ſecundùm Dei voluntatem quod caſtigandum eſt caſtiget, & quod corrigendum eſt corrigat. Qui Archidiaconus, vel Primicerius, in omnibus omninò actibus vel operibus ſuis, ſint Deo & Epiſcopo fideles & obedientes: & non ſint ſuperbi, neque rebelles, vel contemptores, ſed caſti, & ſobrii, patientes, benigni, & miſericordes: diligant Clerum, oderint vitia, & non permittant ea nutriri, ſed prudentes amputare feſtinent. Caveant ne dum aliis prædicaverint, ipſi reprobi efficiantur.

[S. Bened. cap. 65. ſub med.]

Qui Archidiaconus, vel Præpoſitus, ſi reperti fuerint, quod abſit, ſuperbi aut elati, aut contradictores vel contemptores canonicæ inſtitutionis, ſecundùm Domini præceptum admoneantur ſemel & iterum, & ſi non emendaverint, ab Epiſcopo ſecundùm modum culpæ judicentur. Quòd ſi neque ſic correxerint, de ordinibus ſuis ejiciantur, & alii qui digni ſunt, & voluntatem Dei, vel Epiſcopi ſui, ſecundùm divinum præceptum impleverint, in locis illorum ſubrogentur.

CAPUT XI.

De Cellario.

[Ibid. c. 31.]

CEllarius verò debet eſſe timens Deum, ſobrius, non vinolentus, non contentioſus, non iracundus, ſed modeſtus, moribus cautus, & fidelis, non ſuperbus, non tardus, non prodigus, non ſuperfluus diſſipator ſine ordine, non remiſſus, & quidquid acceperit ſub cura ſuâ ad opus Clericorum, cuſtodiat, ne miniſtri ibidem deputati annonam fratrum aut furtim ſubripiendo, aut aliquolibet modo negligenter vivendo diſſipent. Hi verò famuli eligantur de fideliſſimâ Eccleſiæ familiâ, & his officiis diligenter erudiantur, ut ſcilicet & arte piſtoriâ, & fidei puritate, neceſſitatibus fratrum oportuniſſimè valeant ſuffragari. Eadem quoque forma de Coccis ſervanda eſt.

CAPUT XII.

De Portario.

[S. Benedict cap. 3. Ex hoc c. Conc. Aquiſgran. c. 14]

POrtarius unus cum ſuo juniore annum aut ampliùs, ſi Epiſcopo, vel ei qui ſub eo eſt, placuerit, portas clauſtræ, vel oſtia cuſtodiat. Qui portarius ſit frater probabilis vitæ, ſobrius, patiens, & ſapiens, qui ſciat reſponſum accipere & reddere: cui officium ſit portam Canonicorum cum ſummâ obedientiâ & humilitate competenti tempore claudere, ac reſerare, ut nulli per eam niſi per licentiam aditus pateat intrandi aut exeundi. Cui etiam obſervandum eſt, ne eis, quibus cura eſt, plus otiis vacare, quàm divinis obſequiis incubare, foras evagandi locum præbeat, & eorum nugarum (quod nefas eſt) particeps fiat.

Debet præterea advenientes quoque cum charitate ſuſcipere, & Priori adventum eorum cauſamque nuntiare. Expleto namque veſpertino & completorio officio, obſeratiſque portis, claves earum idem portarius ei qui vicem Prælati tenet, ferat; ut nulli horis incompetentibus intrandi aut exeundi maneat facultas. Si verò inobediens aut protervus idem repertus fuerit portarius, ſicut alii miniſtri negligentes, judicetur.

CAPUT XIII.

De eo quod diligenter munienda ſunt clauſtra Canonicorum, in quibus dormiunt Canonici.

[Cap. ea- dem C...]

PRæpoſitorum cura ſit, ut ſubditorum mentes ſanctarum Scripturarum lectionibus aſſiduè muniant, ne lupus inviſibilis aditum inveniat, quo ovile Domini ingredi, & aliquam ovium ſubripere valeat. Et præterea neceſſe eſt, ut clauſtra, quo Clero ſibi commiſſo canonicè vivendum eſt, firmis undique circumdent munitionibus, ut nulli omninò intrandi, aut exeundi, niſi per portam pateat aditus.

[S. Ben. c. 22.]

Sint etiam interiùs dormitoria, refectoria, cellaria, & cæteræ habitationes uſibus fratrum in unâ ſocietate viventium neceſſariæ. Omnes in uno dormiant dormitorio, præter illos, quibus Epiſcopus licentiam dederit, ſecundùm quod ei rationabiliter viſum fuerit. Et in ipſâ clauſtrâ per diſpoſitas manſiones dormiant ſeparatim per ſingula lecta, mixti cum ſenioribus propter prævidentiam bonam, ut ſeniores prævideant quid juniores ſecundùm Deum agant. Et in ipſâ clauſtrâ nulla fœmina introeat, nec Laïcus homo, præter tantùm ſi Epiſcopus, aut Archidiaconus, vel Præpoſitus juſſerint, ut in refectorio refectionis causâ veniant, relictis armis ante refectorium. Et ſi neceſſe fuerit ad opera facienda ibi Laïci homines . . . at ubi perfectum habuerint opus ſuum, cum ſummâ feſtinatione egrediantur foras. Et ſi cocci Clerici deſunt, & opus fuerit ut Laïci cocci, ad coccinandum tantùm ingrediantur, & expleto miniſterio ſuo cum celeritate exeant foras.

CAPUT XIV.

De his quæ à Clero in nocte de lecto ſurgente primum dicenda, atque operanda ſunt.

NOcturnis horis cum ad opus divinum de lecto ſurrexerit Clerus, primum ſignum ſibi ſanctæ crucis imprimat per invocationem ſanctæ Trinitatis: deinde dicat verſum: *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam*: deinde Pſalmum: *Deus in adjutorium meum intende*, totum cum gloria: & tunc provideat ſibi corpoream neceſſitatem naturæ, & ſic ad Oratorium feſtinet pſallendo Pſalmum: *Ad te Domine levavi animam meam*, cum ſummâ reverentiâ & cautelâ intrans, ut aliis orantibus non impediat; & tunc proſtratus in loco congruo effundat preces in conſpectu Domini, magis corde, quàm ore, ita ut illius vox vicinior ſit Deo, quàm ſibi, ita dicendo: Gratias tibi ago omnipotens Pater, qui me dignatus es in hac nocte cuſtodire, & deprecor clementiam tuam, miſericors

[Pſal. ead.] [Ibid.]

Domine,

Domine, ut mihi concedas diem venturom ſic peragere io tuo ſancto ſervitio, cum humilitate, & diſcretione, qualiter tibi complaceat ſervitus noſtra. Amen.

Et tunc omnes ſint præparati ſtantes in loco ſuo in choro per ordinem, ut cum noviſſimum ſignum ceſſaverit, cum ſumniâ humilitate & boneſtate referant laudes Deo, in conſpectu Angelorum ejus. Et ſi alicui frequens tuſſis, aut phlegma ex pectore aut naribus exereſcat, poſt dorſum projiciat, aut juxtà latus, cautè tamen & curioſè, ut infirmis mentibus non vertatur in nauſeam; & ſemper quod projicitur pede conculcetur, ut cum ad orationem curvantur, veſtimenta eorum non ſordidentur: & infrà Eccleſiam, & io omni conventu, ſeu & in portico, hoc obſervandum eſt, ut quod ſpuitur ſemper pedibos conculcetur.

CAPUT XV.

De officiis divinis in noctibus.

S. Bened. c. 8.

HYemis verò temporibus, id eſt à Calendis Novembris uſque in Paſcha juxtà conſiderationem rationis, octavâ horâ noctis ſurgendum eſt, ut modice ampliùs de mediâ nocte pauſentur, & jam digeſti ad vigilias ſurgant. Poſt finitas nocturnas dicant verſum: *Exultabunt ſancti in gloriâ.* Aut, *Exultent juſti in conſpectu Dei.* Deinde *Kyrie eleiſon*, & orationem Dominicam: & faciant intervallum, excepto diebus Dominicis & feſtivitatibus Sanctorum, juxtà conſiderationem Epiſcopi, vel qui ſub eo eſt, id eſt, ut quadraginta aut quinquaginta pſalmos poſſint cantare, ſecundùm quod viſum fuerit, & hora permiſerit; & qui pſalterii vel lectionum aliquid indigent, meditationi inſerantur.

Pſal. 149. 5.
Pſal. 67. 4.

Et non præſumat aliquis in ipſo intervallo dormire, (niſi quem infirmitas cogat, & hoc per commeatum fiat) & qui aliter fecerit excommunicetur. Reliqui omnes ordinem vigiliarum tenentes uſque ad Matutinas dictas. Et in ipſo intervallo ſummum ſilentium fiat tam in voce, quàm in actu, vel inceſſo, ſeu ſono alicujus rei, ut liceat unicuique abſque alterius inquietudine peccata ſua cum gemitu & ſuſpirio & lacrymis Domino confiteri, & veniam vel remiſſionem pro ipſis ab omnipotente Domino orando & petendo poſtulare.

CAPUT XVI.

De vigiliarum antiquitate.

Iſidor. Offic. lib. 1. c. 22. Et Concil. Aquiſgran. c. 129.
Iſai. 26.
Pſal. 118.

ANtiqua eſt vigiliarum devotio, familiare bonum omnibus ſanctis. Iſaias dicit: *De nocte vigilat ſpiritus meus ad te Deus:* Item David: *Mediâ nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper judicia juſtitiæ tuæ.* Hoc namque tempore vaſtator Angelus tranſiens primogenita Ægyptiorum percuſſit: unde & nos vigilare oportet, ne periculis Ægyptiorum admiſceamur. Iiſdem etiam horis venturum ſe eſſe in Evangelio Salvator aſſerit, unde ad vigilandum auditores ſuos exſuſcitans, dicit: *Beati ſervi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes. Et ſi veſpertinâ horâ*, inquit, *venerit, & ſi mediâ nocte, & ſi galli cantu, & invenerit vos vigilantes, beati ſunt quidem ſervi illi. Itaque & vos eſtote parati, quia neſcitis quâ horâ filius hominis venturus eſt.* Siquidem nec verbis ſolùm docuit vigilias, ſed etiam confirmavit exemplo. Nam teſtatur Evangelium, quia *erat* JESUS *pernoctans in oratione Dei.* Paulus quoque & Silas in cuſtodiâ publicâ, circà medium noctis orantes, hymnum audientibus cunctis vincti dixiſſe memorantur: ubi repente terræ motu facto, & concuſſis carceris fundamentis, & januis ſponte apertis, omnium vincula ſunt ſoluta.

Matt. 24.
Luc. 12.
Luc. 6.
Act. 16.

Unde oportet his horis pſallendi orandique frequentiam nos in ſanctis habere officiis, finemque noſtrum vel ſi advenerit, ſub tali actu exſpectare ſecuri. Eſt autem quoddam genus hæreticorum ſuperfluas æſtimantium ſacras vigilias, dicentium noctem eſſe factam ad requiem, ſicut diem ad laborem. Hi hæretici græco ſermone Nyctages, hoc eſt, ſomniculoſi vocantur.

CAPUT XVII.

De Matutinis.

Ibid. Iſidor. cap. 23. Et Concil. Aquiſgr. c. 130.
Pſal. 62.
Ibid. 118.

DE Matutinorum antiquitate & authoritate David dicit: *In matutinis meditabor in te, quia fuiſti adjutor meus.* Et alibi: *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.* In novo teſtamento, ex illo tempore quo Dominus noſter JESUS CHRISTUS in Bethleem naſci dignatus eſt, matutinæ ſolemnitatis officium per univerſum mundum celebrari invaluit. Matutinâ autem luce radiante Dominus & ſalvator noſter ab inferis reſurrexit: ſiquidem & eodem tempore cunctis ſpes futuræ reſurrectionis creditur, cum juſti quaſi à ſopore ſomni reſurgentes vigilabunt.

CAPUT XVIII.

De Horâ primâ.

COnvenientes Cleri ad Primam canendam in Eccleſiâ, completo officio ipſo, ante pſalmum quinquageſimum, donent confeſſiones ſuas viciſſim, dicentes: Confiteor Domino, & tibi, frater, quod peccavi, in cogitatione, & loquutione, & opere; propterea precor te ora pro me. Et ille reſpondet: Miſereatur tui omnipotens Deus, & indulgeat tibi omnia peccata tua; liberet te ab omni malo, conſervet te in omni bono, & perducat te ad vitam æternam. Et ille dicit, Amen. Supplici corde certatim pro ſe orantes, hoc ſibi faciunt. Hoc expleto conveniant ad Capitulum quotidie. Et ex iſtâ inſtitutione, quam propter illorum utilitatem, Deo auxiliante, fecimus, in unoquoque die aliquod capitulum, præter diem Dominicam, quartam, & ſextam feriam, & ſolemnitates Sanctorum, in quibus tractatos, & alias homilias, vel quod ædificet audientes, relegant. Et ideo quotidie ad Capitulum omnes Cleros venire conſtituimus, ut anima verbum Dei audiat; & Epiſcopus, vel Archidiaconus, vel qui in loco illorum præeſſe videtur, ibidem quod jubere habet, jubeat, & quod corrigere, corrigat, & quod faciendum ſit, ordinare ſtudeat.

Poſt lectionem recitantur ætas menſis & lunæ, & nomina Sanctorum, quorum feſta craſtinus excipiet dies: & poſtea pariter dicunt verſum: *Pretioſa eſt in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Quem ſequatur oratio à Priore, ita: *Ipſi & omnes ſancti Dei intercedant pro nobis peccatoribus ad Dominum, ut mereamur poſſidere vitam æternam. Amen.* Deinde dicatur verſus: *Deus in adjutorium meum intende*, tribus vicibus, Priore incipiente, & cæteris reſpondentibus; ſubjungentes, *Gloria Patri, &c.* Et poſtea, *Kyrie eleiſon*, & oratio Dominica. Deinde, *Et ne nos inducas in tentationem*, &c. *Et veniat ſuper nos*, &c. *Reſpice in ſervos tuos*, pariter uſque in finem pſalmi: ſubjungentes *Gloria.* Deinde Prior dicit: *Dirigere, & ſanctificare, & re-*

Ibid. 115. 15.
Ibid. 89. 16.

ſtodire digneris, Domine Jeſu Chriſte fili Dei vivi, hodie corda, & corpora noſtra, & ſenſus noſtros, in via, & in lege tuâ, & in operibus mandatorum tuorum; & pedes noſtros dirige in viam pacis, in viam ſalutis, in viam juſtitiæ tuæ, ut hic & in perpetuum, te adjuvante, ſalvi eſſe mereamur, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas Deus per infinita ſæcula ſæculorum, Amen. Deinde, *Adjutorium noſtrum*, &c. Reſpondent alii: *In nomine Domini, qui fecit cælum & terram.* Poſt hæc, qui culpabilis eſt, poſtulet veniam, & ſecundùm modum culpæ judicium recipiat. Quiſquis verò veniam poſtulat pro culpâ, quantùm plus ſe humiliat, & ſe culpabilem aſſerit, tantùm miſericorditer ac leviùs à Priore judicetur: neceſſe eſt enim ut omnes noſtræ negligentiæ, id eſt cogitationum, linguæ, vel operis, in præſenti vitâ per veram confeſſionem & humilitatem ſemper judicentur, & non poſt mortem reos nos faciant.

CAPUT XIX.

De opere manuum quotidiano.

SUrgentes à Capitulo vadant aut ſimul aut ſeparatim ad opus ſibi injunctum, ut ratio præſtat, cuſtodientes ſilentium, decantent pſalmos ſuos aut bini aut ſinguli, juxtà quod congruum eſt, nihil aliud loquentes, niſi fortè de ipſâ arte neceſſe fuerit dicere cautè. Et quando incœperint opus ſuum

B Benedict. Reg. c. 35.

dicant: *Benedictus es Domine Deus qui adjuviſti me & conſolatus es me, Amen. Miſereatur noſtri omnipotens Deus, Amen.* Et quando opera communia non eſt neceſſe facere, unuſquiſque quod

Ibid. c. 48.

opus habet, faciat: quia Otioſitas inimica eſt animæ.

CAPUT XX.

De Horis diei.

Conc. Aquiſgran. c. 126. Ex Iſidor. l. 1. c. 19. Offic.

HOram tertiam, & ſextam, & nonam, Daniel & tres pueri ſupplicationibus Domini devoverunt. Scilicet ut ab eo ortu diei in tempus ſupplicationis tres horæ porrectæ, Trinitatis nobis reverentiam declararent. In horâ tertiâ Spiritus ſanctus deſcendit ſuper Apoſtolos. In ſextâ horâ Chriſtus paſſus eſt. In nonâ horâ emiſit Spiritum.

CAPUT XXI.

De Horâ Veſpertinâ.

Ibid. c. 127. Ex eodem c. 20. Pſal. 140.

VEſpertinum diurni finis officium, ſequitur & diurnæ lucis occaſus: cujus ex veteri Teſtamento ſolemnis eſt celebratio. Teſtis eſt David, qui dicit: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* In novo Teſtamento, eodem tempore Dominus & Salvator noſter cœnantibus Apoſtolis myſterium corporis & ſanguinis ſui tradidit. His temporibus in honore ac memoriâ tantorum ſacramentorum adeſſe nos decet Dei conſpectibus, & perſonare in ejus cultibus & laudibus.

CAPUT XXII.

De Completis.

Ibid. 131. 3. & ſeq. Ibid. c. 128

DE Completis celebrandis in Patrum invenitur exemplis, David dicente: *Si aſcendero in lectum ſtrati mei. Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.* Nos autem ſi locus Domini eſſe volumus, & tabernaculum & templum ejus cupimus haberi, exempla Sanctorum imitemur: ne de nobis dicatur quod legitur: *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.*

Ex eod. c. Pſal. 131.

Ibid. 75.

CAPUT XXIII.

De recepto ſilentio poſt Completum.

EXpleto Completo ſummum ſilentium fiat, & orationes ſecretè fiant cum recordatione peccatorum: & poſtea gratias agant Deo, dicendo: Gratias ago tibi, Domine, ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui me dignatus es in hac die cuſtodire: per tuam ſanctam miſericordiam concede mihi hanc noctem mundo corde & corpore ſic pertranſire, qualiter mane ſurgens, gratum tibi ſervitium exolvere poſſim, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Et cum magnâ cautelâ ambulent in Eccleſiâ & in dormitorio; & cum ad proprium ſtratum venerint, dum ſe collocaverit Clerus, dicat pſalmum: *Deus in adjutorium meum intende*, totum cum *gloria*: & poſt Ibid. 69.
dicat verſum: *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.* Sicut mane ſur- Ibid. 140.
gens poſtulavit ſibi labia à Domino aperiri, ſic requieſcens roget poni ori ſuo à Domino cuſtodiam.

CAPUT XXIV.

De eo quod horas Canonicas Canonici religioſè obſervare debent.

STudeant ſummopere Canonici prædictas horas vigilantiſſimâ curâ cuſtodire, & in his divinum Conc. Aquiſgran. c. 131
officium humiliter ac devotè perſolvere: mox enim ut auditum fuerit ſignum, feſtinanter ad Eccleſiam conveniant, relictis omnibus quælibet fuerint in manibus, ſic tamen ut non pereant; & ſi longè ab Eccleſiâ aliquis fuerit, ut ad opus Dei per horas canonicas occurrere non poſſit, agat opus Dei cum tremore divino ubi tunc fuerit. Et prævideat cuſtos Eccleſiæ, ut illa ſigna horis competentibus ſonentur. Et caveant Canonici, ut non pompaticè, aut inhoneſtè, aut incompoſitè, aut ſuperbè intrent, aut Ut in Reg. Bened. c. 50
ſtent aut ſedeant, in Eccleſiam.

CAPUT XXV.

De diligentiâ pſallendi.

UBique credimus divinam eſſe præſentiam, & S. Bened. Regul. c. 19.
oculos Domini ſpeculari bonos & malos, maximè tamen hoc ſine aliquâ dubitatione credamus, cum ad opus divinum aſſiſtimus: ideo ſemper memores ſimus quod ait Propheta: *Servite Domino in* Pſal. 2.
timore, & exultate ei cum tremore. Et iterum: *Pſal-* Ibid. 46.
lite ſapienter. Et, *In conſpectu Angelorum pſallam* Ibid. 137.
tibi. Ergo conſideremus qualiter oporteat in conſpectu divinitatis & Angelorum ejus eſſe, & orare; & ſic ſtemus ad pſallendum, ut mens noſtra concordet voci noſtræ. Nam ſi cum bonis hominibus, S. Bened. ibi
vel potentibus, volumus aliqua ſuggerere, non præ- c. 20
ſumimus niſi cum humilitate & reverentiâ; quanto magis Dominus univerſorum à nobis cum humilitate & puritate ſupplicandus eſt:

Digitized by Google

CAPUT XXVI.

De eo quod non pompaticè ſtandum eſt in Eccleſiâ.

Conc. Aquiſgran. c. 131.

MOx autem audito ſigno omnes Canonici feſtinent ad Eccleſiam ; & non pompaticè, aut inhoneſtè, vel incompoſitè, ſed cum Dei timore ingrediantur eam. Nec cum baculis, aut campulis, aut fuſtibus in choro, exceptis debilibus, ſed religiosè illis ſtandum & pſallendum eſt. Sunt enim quidam Clericorum, qui in ſæcularibus negotiis & diſceptationibus penè totum infatigabiliter deducunt diem, & mox ut Eccleſiam ad divinum officium peragendum intraverint, ita fatigati videntur, ut nec orationi vacare, nec ad pſallendum ſtare queant, ſed potiùs ſedentes, non divinis, ſed vanis ſolent inſtare loquelis, & ſæcularia verba, & (quod dictu nefas eſt) turpia & obſcœna invicem proferunt. Oportet namque ut ab his qui id faciunt, & ab illis qui eos fortè imitari volunt, iſte execrabilis uſus radicitùs evellatur, ſecundùm ſententiam Domini dicentis : *Domus mea domus orationis vocabitur.*

Matt. 21.

CAPUT XXVII.

De proficiſcentibus in itinere.

S. Ben. Reg. c. 50.

QUicumque ex Clero in itinere cum Epiſcopo, vel cum alio, proficiſcuntur, ordinem ſuum, in quantum iter vel ratio permiſerit, non negligant. Et non eos debeat præterire horæ conſtitutæ, tam de officiis divinis, quàm aliunde.

CAPUT XXVIII.

De his qui in quibuſdam levioribus culpis delinquunt.

Ex c. 46. ejuſdem.

SI quis ex Clero ad opus Dei vel ad menſam tardè occurrerit, aut pro aliquâ causâ ſenior ſuus pſalmodiam vel Miſſas cantare ordinaverit, & hoc minimè impleverit : & ſi fregerit quidpiam, aut perdiderit, vel aliquid exceſſerit, & non veniens continuò ante Epiſcopum, aut ante eos qui ſub eo ſunt, ipſe ultrò ſatisfecerit, vel celaverit delictum ſuum, dum per alium cognitum fuerit, majori ſubjaceat emendationi : nam ſi ipſe ſponte confeſſus fuerit, leviori ſubjaceat emendationi, ſecundùm modum culpæ : qui modus correptionis in Epiſcopi, aut in illius judicio qui ſub eo eſt, pendeat.

Ex c. 24

Qui in levioribus culpis deprehenſus fuerit, in illâ die privetur à menſæ participatione, & in oratorio pſalmum, aut antiphonam non imponat, nec lectionem recitet. Refectionem cibi poſt Clerorum refectionem accipiat ; ut ſi verbi gratia Cleri reficiunt horâ ſextâ, ille nonâ, ſi Cleri nonâ, ille veſperâ.

CAPUT XXIX.

De gravioribus culpis.

SI quis Clericus de ordine Canonico gravioris culpæ crimen commiſerit, id eſt, homicidium, fornicationem, adulterium, furtum, vel his ſimilia ex principalibus vitiis, corporali caſtigationi ſubjaceat primitùs. Deinde quanto tempore voluerit Epiſcopus, vel qui ſub eo ſunt, carcere, vel exilio puniatur, ſciens illam terribilem ſententiam Apoſtoli Domini dicentis : *Tradere hujuſmodi hominem in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini.* Et dum

1. Cor. 5.

in ipſo carcere fuerit, nullus ei ex Clero in ullo jungatur conſortio, neque in colloquio, niſi cui Prior juſſerit : & hic ſolus perſiſtet in pœnitentiâ luctuum, quàmdiù Priori viſum fuerit.

Egreſſus de carcere, ſi Epiſcopo, vel his qui ſub eo ſunt, viſum fuerit, agat adhuc publicam pœnitentiam, id eſt, ſuſpendatur ab oratorio, ſimul & à menſâ ; & omnibus horis Canonicis veniat ante oſtium Eccleſiæ, ubi Prior juſſerit, jacens proſtrato omni corpore ſuo, ante ipſum limitem Eccleſiæ uſque dum ingrediuntur omnes, & poſtea erigit ſe, ſtet foras Eccleſiæ ante ipſum oſtium, & impleat ibi officium ſuum, in quantum poteſt ; & jacens, vel ſtans ante ipſum limitem, cum nullo homine. Egredientibus de Eccleſiâ, ſimiliter proſtratus jaceat, uſque dum omnes fuerint egreſſi foras.

De abſtinentiâ quamdiu vel qualiter Epiſcopo, vel his qui ſub eo ſunt, viſum fuerit, menſurâ, vel horâ, quâ ei viderint competere, neque à quoquam benedicatur, uſque dum reconcilietur.

CAPUT XXX.

De reconciliatione pœnitentis capitale crimen.

ORdo pœnitentiam agentis publicam hic eſt : ſuſcipies eum quartâ feriâ mane in capite Quadrageſimæ, id eſt in capite jejuniorum, & cooperies eum cilicio, & orabis pro eo ; & includes eum uſque in Cœnam Domini : qui eodem die præſentetur in gremio Eccleſiæ ; qui dum vocatus venerit ad reconciliandum ante Epiſcopum, vel Clerum, cum omni humilitate proſtrato omni corpore ſuper terram ante abſidam, petat ab omnibus veniam ; & Epiſcopus, vel qui ſub eo eſt det orationes ſuper eum ad reconciliandum in quintâ feriâ Cœnæ Domini.

CAPUT XXXI.

De Confeſſionibus.

HOrtatur nos ſcriptura dicens : *Revela Domino viam tuam, & ſpera in eum.* Item dicit : *Confitemini Domino, quoniam in ſæculum miſericordia ejus.* Item : *Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitias meas non abſcondi.* Item : *Confitebor adversùs me injuſtitias meas Domino ; & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Et iterum : *Confitemini alterutrum peccata veſtra*, & delcantur. Et alibi : *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur : qui autem ea confeſſus fuerit, ſalvabit animam ejus à morte.* Et Dominus in Evangelio ait : *Agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Neceſſe eſt, ut dum modo ſuadente diabolo multa contrà voluntatem & præceptum Dei committimus, per veram humilitatem & confeſſionem emendemus pœnitentes, ſicut ſancti Patres conſtituerunt : & deinceps cum aliqua cogitatio mala in cor, ſuadente diabolo, venerit, citò Epiſcopo, vel Priori confiteatur ; ut per veram confeſſionem & pœnitentiam, regnum Dei habere mereamur. Nimis enim improbus eſt, qui ante Dei oculos peccat, & homini confiteri erubeſcit.

Pſal. 36. 5.
ibid. 105. 1.
ibid. 31. 5.
ibid. v. 6.
Jac. 5. 16.
Prov. 28. 13.
Matt. 3. 2.

CAPUT XXXII.

Ordo ad Pœnitentiam accipiendam, & Confeſſionem faciendam.

HÆc eſt oratio pœnitentiæ & confeſſionis noſtræ, quæ coram Deo & Sacerdotibus ejus à nobis pariter agendæ ſunt, id eſt, in uno quoqu

anno tribus vicibus, id eſt in tribus Quadrageſimis populus fidelis ſuam confeſſionem ſuo ſacerdoti faciat, & qui plus fecerit, meliùs facit. Monachi in unoquoque ſabbato confeſſionem faciant, cum bonâ voluntate, Epiſcopo aut Priori ſuo. Quando volueris confeſſionem facere peccatorum tuorum, viriliter age, & noli erubeſcere, quia inde venit indulgentia; & ſine confeſſione non eſt indulgentia.

Imprimis proſterne te humiliter in conſpectu Dei in terrâ ad orationem, & roga Beatam Mariam cum ſanctis Apoſtolis, & Martyribus, & Confeſſoribus, ut ipſi intercedant pro te ad Dominum, & Deus omnipotens dignetur tibi dare ſapientiam perfectam, & ſcientiam, & intelligentiam veram, ad confitendum peccata tua. Et poſtea ſurge cum fiduciâ, & vera credulitate, & dic illi: Serve Dei, credis in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ?

Reſpond. Credo.

Interrog. Credis in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum?

Reſpond. Credo.

Int. Credis quòd iſtæ tres perſonæ, quomodo diximus, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, tres perſonæ ſint, & unus Deus?

Reſpond. Credo.

Int. Credis quòd in ipsâ carne in quâ nunc es, recipere habes quod egiſti, & quod egeris ſive bonum, ſive malum?

Reſpond. Credo.

Int. Credis reſurrectionem & vitam æternam eſſe tibi poſt mortem?

Reſpond. Credo.

Int. Vis dimittere omnia mala illis omnibus qui in te peccaverunt, ut Deus dimittat tibi omnia peccata tua? dicente eodem Domino in Evangelio: *Si remiſeritis hominibus peccata eorum, remittentur vobis peccata veſtra.* *Matt. 18. 35.*

Reſpond. Volo.

Et poſtea require eum diligenter, ſi ſunt ſecum opera mala, quæ ſeparant hominem (ut ait Apoſtolus) à regno Dei. Hæc ſunt mala cogitatio, malus ſermo & otioſus, odium, invidia, detractio, maledictio, convitium, turpiloquium, ſcurrilitas, diſſimulatio, adulatio, murmuratio, cupiditas carnalis, elatio, deſidia, pigritia, inhonoratio, bonorum inhonoratio, cognatorum inhonoratio, dierum Dominicorum & Sanctorum ſolemnitatum ignorantia, iracundia, avaritia, falſa teſtificatio, ſomnolentia, intemperantia in cibis, rapina, gula, ebrietas, comeſſatio, fornicatio, adulterium, ſacrilegium, ſuperbia, perjurium, furtum, homicidium, & his ſimilia. Et poſtquàm confeſſus fuerit ſua peccata, ſi vult dimittere ea, da ei pœnitentiam, & ſi non vult, non da ei pœnitentiam, quia non potes: & ſi vult dimittere ipſa peccata, fac ei confiteri ea, & ad ultimum dicere: Multa ſunt peccata mea in factis, in verbis, in cogitationibus; tunc da illi pœnitentiam canonicè menſuratam; & poſtea effunde ſuper eum orationes & preces.

Cavendum eſt utique ne hi qui in gravibus peccatis incidunt, & hi qui in levioribus quibuſdam delinquunt, æqualiter judicentur, ſed ſecundùm morbum adhibenda eſt medicina.

CAPUT XXXIII.

De excommunicatione culparum.

SI quis Clericus contumax, aut inobediens, aut ſuperbus, aut ebrioſus, aut detractor, aut rebellis, aut bilinguis, aut fornicator, aut contradictor, aut contentioſus, aut raptor, aut fur, aut murmurator, aut increpator, aut indicti jejunii tranſgreſſor, aut juxtà crucem ſtandi & adorandi contemptor, aut in aliquod contrarium conſiſtens, aut præceptis Epiſcopi, vel eorum qui ſub eo ſunt, contemptor fuerit, ſuâ voluntate veniam non petierit, hic ſecundùm Domini præceptum admoneatur, ſemel, & bis, & ter ſecretò à ſenioribus ſuis; & ſi ſe non emendaverit, objurgetur publicè coram omnibus. Si verò neque ſic ſe correxerit, excommunicationi ſubjaceat. Si autem improbus eſt, aut minùs intelligens, aut incorrigibilis, vindictæ corporali ſubdatur.

CAPUT XXXIV.

De Quadrageſimæ obſervationibus.

LIcet omni tempore vita Chriſtianorum ſimplex debeat eſſe & ſobria, maximè tamen religioſis mentibus convenit, ut his diebus continentiùs vivant, & ſedulâ ſervitute adhærere Deo contendant. Ideoque decernimus, ut in illis quadraginta diebus ante Paſcha, cum omni puritate mentis & corporis noſter Clerus, Deo jubente, in quantum poterit, ſe cuſtodiat. De cibi autem & potûs perceptiône, in quantum Deus auxilium dederit, parcitatem habeat, id eſt, ut quotidie, exceptis diebus Dominicis, à capite Quadrageſimæ, uſque ad Paſcha ſanctum, poſt dictam veſperam in refectorio reficiat, & ab illis cibis ſe abſtineat vel potu, ſicut Epiſcopus vel qui ſub eo ſunt cum ratione conſtituerint. Et alibi neque in ipſâ civitate, neque in Monaſteriis, neque in quibuſlibet locis, neque in domibus propriis, his quadraginta diebus reficiant, niſi ubi horâ competente ad cibum ſuum accipiendum pro utilitatis cauſâ longè fuerint, & adeſſe cum fratribus non potuerint.

Lectioni verò Clerici in his quadraginta diebus, exceptis diebus Dominicis ſuis, à prima dicta uſque ad tertiam plenam vacent, & foras clauſtra, niſi neceſſe fuerit, non egrediantur, niſi epiſcopus, aut qui ſub eo eſt, judicaverit ut fiat, quod faciendum eſt. Et poſt tertiam tunc temporis Capitulum habeant, & poſtea faciant quod congruum fuerit, ſive in legendo, ſive in operando.

CAPUT XXXV.

De temporibus in quibus ſemel aut bis in die Clericis reficiendum eſt.

A Paſcha autem uſque ad Pentecoſten bis in die Canonici reficiant, & carnem manducandi licentiam habeant (niſi pœnitentes) præter tantùm quartam ſextamque feriam. A Pentecoſte verò uſque ad nativitatem ſancti Joannis Baptiſtæ, ſimiliter bis in die reficiant, & carne abſtineant. A nativitate vero ſancti Joannis uſque ad tranſitum ſancti Martini, ſicut antea bis in die reficiant, quartâ & ſextâ feriâ à carne abſtineant.

Ab ipſo tranſitu ſancti Martini uſque ad natalem Domini à carne omnes abſtineant, & uſque ad nonam jejunent: & omnibus his diebus in refectorio reficiant. Et poſt natalem Domini uſque ad caput Quadrageſimæ ſecundâ & quartâ, & ſextâ feriâ, in refectorio ad nonam reficiant. Reliquis his diebus duabus vicibus in refectorio reficiant. A carne verò quartâ, & ſextâ feriâ his temporibus abſtineant. Et ſi dies feſtus in his diebus feriis talis venerit, ſi permiſerit Prior, carnem manducent pro infirmitate.

CAPUT XXXVI.

De feſtivitatibus Sanctorum.

ILlud intimare complacuit, ut nos & Clerus noſter, feſtivitatibus Domini, & ſanctæ Mariæ, vel duodecim Apoſtolorum, ſeu reliquorum Sanctorum, quorum uſus eſt in iſtâ provinciâ, annis ſingulis celebrare, (in quantum Deus poſſibilitatem dederit) officium divinum die noctuque procuremus. Et Epiſcopus, vel qui ſub eo eſt, in Nativitate & Epiphaniâ Domini, & Paſcha, & clauſo Paſchæ, & Aſcenſione Domini, & Pentecoſte, & feſtivitatibus Sanctorum provinciæ ſuæ, in domo ſuâ ad ipſos Cleros refectionem faciat, ſi præſens eſt, & ſi abſens eſt, bis diebus tunc in refectorio habeant refectionem ſufficienter, ſicut ſuperiùs ſcriptum eſt. Et poſtquàm de refectorio exierint, in caminadâ bibant duabus vicibus aut tribus, qualiter conſolatio ſit, & ebrietas non dominetur.

Aliis verò diebus feſtis, ſicut moris eſt Eccleſiæ, juxtà quod melius Prælati poſſunt, Clericis ſuis cibum potumque miniſtrent. Et illud interea caveant Prælati, ne id quod dare debent, aut poſſunt, quâlibet diſſimulatione, aut tenacitate, ſubditis ſubtrahant, ne paupertatis occaſione compulſi per diverſa vagari, ac ſe turpibus implicari negotiis cogantur; relictoque Eccleſiaſtico officio, incipiant indiſciplinatè vivere, & propriis voluptatibus deſervire: & Prælati qui eis neceſſaris largiendo à Domino remunerari poterant, diſtrictè & ſeverè judicentur.

CAPUT XXXVII.

Ut non præſumat aliquis alterum cædere aut excommunicare.

Ex Regul. S. Bened. c. 70. VItetur in hoc ordine Canonico omnis præſumptionis occaſio, id eſt, ut nulli liceat quemquam parem ſuum excommunicare, aut cædere, quamvis aliquis ſuâ præſumptione ipſum ad hoc incitet: non eſt ſuum advindicare, aut in verbis, aut in factis, ſed ad Priorem veniat, & ille ſecundùm ordinem ipſam cauſam definiat. Et qui hoc facere præſumſerit, ab Epiſcopo, vel ab eo qui ſub eo eſt, judicetur.

CAPUT XXXVIII.

Ut in congregatione Canonicorum nulli liceat alterum defendere.

Ibid. c. 69. OMnibus modis cavendum eſt, ut pro nullâ occaſione alter præſumat alium defendere, nec quaſi parentelæ obtentu, aut aliquâ amicitiâ, aut familiaritate, id à Canonicis præſumatur: quia gravis occaſio ſcandalorum in congregatione ex hac cauſâ ſolet oriri. Quod ſi quis tranſgreſſus fuerit, à Priore acriùs coërceatur, ut cæteri timorem habeant.

CAPUT XXXIX.

De zelo bono quem debent ſervi Dei habere invicem.

Ibid. c. 72. SIcut eſt zelus amaritudinis malus, qui ſeparat à Deo, & deducit ad infernum, ita eſt zelus bonus, qui ſeparat à vitiis, & ducit ad Deum, & ad vitam æternam. Hunc ergo zelum ferventiſſimo amore exerceant ſervi Dei: id eſt, ut honore ſe præveniant invicem, & infirmitates ſuas ſive corporum, ſive morum, patientiſſimè tolerent. Et ſi qua vitia reperta fuerint, reprimenda ſunt, & caſtigatio adhibenda eſt, cum his à quibus hoc eſt commiſſum (ut ait Apoſtolus) ... exiſtant, qualiter vitia ſi orta fuerint poſſunt deſtruere, & ad meliorem ſtatum unumquemque provocare: quia ſcriptum eſt: *Qui diligitis Dominum, odite malum. Nam qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.* Pſal. 96. 10. Nam ille animam ſuam benè diligit, qui ſe cuſtodit, & alios ad exemplum bonæ converſationis, & verbis, & operibus trahit.

CAPUT XL.

De infirmis Canonicis.

SI aliquis ex Clero infirmatur, Epiſcopus, vel qui ſub eo eſt, habeat maximam curam de illo; & caveat ne negligatur infirmus; ſed ſicut reverâ Chriſto, ita ei ſerviatur. Quibus infirmis ſint manſiones deputatæ, rationabiliter diſpoſitæ, condignæ, aptæ, ubi eſſe poſſint: & ſit unus ex Clero deputatus timens Deum, qui circà infirmum maximam curam gerat de omnibus neceſſitatibus ejus: & habeat ſolatium ſi opus eſt, juxtà quod conſtituerit Prior: & ſciat ſi benè miniſtraverit, gradum bonum ſibi à Deo acquiri. S. Bened. c. 36

Sed & ipſe infirmus conſideret in honore Dei ſibi ſerviri, & non ſuperfluitate ſuâ contriſtet ſervientem ſibi. Et hoc indicendum eſt, quòd infirmo licet omni horâ cibum & potum ſumere, quando deſideraverit, vel poſſit, ſi oportunè non poſſit.

CAPUT XLI.

De veſtimentis & calceamentis Clericorum.

ILla dimidia pars cleri, qui ſeniores fuerint, annis ſingulis accipient cappas novas, & veſtes laneas novas, & veteres, quas præterito acceperunt, ſemper reddant, dum accipiunt novas. Et alia pars dimidia Cleri, illas cappas & veſtes veteres, quas illis ſeniores ſui ſingulis annis reddunt, accipiant. Et illi ſeniores illas cappas & veſtes, quas reddere debent, non commutent. Et unuſquiſque Cleri ſenioris annis ſingulis tres campſiles accipiunt: & unuſquiſque Cleri junioris annis ſingulis duas campſiles accipiunt. Calceamenta verò omnis Clerus annis ſingulis, pelles buccinas, & ſolas, paria quatuor accipiunt. Et veſtimenta in tranſitu ſancti Martini, & campſiles in Paſcha, & calceamenta in Calendis Septembribus habeant.

CAPUT XLII.

De eleemoſynis accipiendis.

SI aliquis uni ſacerdoti pro Miſſâ ſuâ, vel pro Confeſſione, aut Clerico pro pſalmis, & hymnis, ſeu pro ſeipſo, vel pro quolibet caro ſuo, aut vivente, aut mortuo, aliquid in eleemoſynâ dare voluerit, hoc Sacerdos, vel Clericus à tribuente accipiat, & exinde quod voluerit faciat. Si autem à tribuente ad omnes ſacerdotes aliquid in eleemoſynâ datum fuerit, hanc eleemoſynam communem habeant, & pſalmodiam, vel Miſſas pro illo miſericorde faciant.

CAPUT XLIII.

De menſurâ Sacerdotibus de eleemoſynis accipiendâ, faciendâ.

NImis grave eis eſſe exiſtimamus, ſi tam ingentium onera peccantium ſolis illis Sacerdotibus contigerit portare, quia faciliùs Dei miſericordiam plures impetrant, quàm unus, quia unuſquiſque de propriâ conſcientiâ ſuâ debet metuere, quanto magis de alienis peccatis ſuprà vires non debet ſibi ſarcinam peccatorum cumulare.

CAPUT XLIV.

De curâ quam in populo ſibi commiſſo debent habere Clerici.

CAvendum nobis eſt, ne in periculum per noſtram negligentiam, ut ita dixerim, abſque Baptiſmo, & Confirmatione, & Confeſſione, & prædicatione, in quâdam ſecuritate poſitus incurrat noſter populus. Unde conſtituimus, ut bis in menſe per totum annum, de quinto decimo, in quinto decimo, verbum ſalutis ei prædicetur, qualiter ad vitam æternam, Deo auxiliante, perveniat. Et ſi omnibus feſtis & Dominicis diebus aſſidua fuerit prædicatio, utilior eſt: & juxtà quod intelligere vulgus poſſit, ita prædicandum eſt.

CAPUT XLV.

Cui committi debeant ſtipendia pauperum.

Conc. Aquiſgran. c. 141. EVangelicis atque Apoſtolicis inſtruimur documentis, in colligendis hoſpitibus: & ideo ante omnia operam debere dare, ut meritò de nobis à Domino dicatur: *Hoſpes fui, & collegiſtis me.* Mat. 25. 35. Proinde oportet ut Prælati Eccleſiæ præcedentium Patrum exempla ſectantes, aliquod præparent receptaculum, ubi pauperes colligantur, & de rebus Eccleſiæ tantum ibidem deputent, unde ſumptus neceſſarios juxtà poſſibilitatem rerum habere valeant, exceptis decimis, quæ de Eccleſiæ villis ibidem conferuntur. Sed & Canonici tam de frugibus, quàm etiam de omnibus eleemoſynarum oblationibus, in uſus pauperum decimas libentiſſimè ad ipſum conferant hoſpitale. Et boni teſtimonii frater conſtituatur, qui hoſpites, & peregrinos mendicantes, ut pote Chriſtum in illis ſuſcipiat; eiſque neceſſaria libenter pro viribus adminiſtret: qui etiam ea quæ in uſus pauperum cedere debent, nequaquam in ſuos uſus reflectat, ne cum Juda loculos Domini furante ſententiam damnationis excipiat.

Et Prælati cavere debent, ne curam pauperum parvipendant. Et Clerici, ſi aliis temporibus nequeunt, ſaltem quadrageſimali tempore, pedes pauperum in competenti lavare debent hoſpitali, juxtà illud Evangelicum: *Si ergo Dominus & Magiſter lavi vobis pedes, quanto magis vos debetis alter alterius lavare pedes*, & cætera. Joan. 13. 14. Quapropter expedit, ut in competenti loco hoſpitale ſit pauperum, ubi perfacilis ad illud veniendi conventus fieri poſſit fratrum. Quòd ſi is, cui hoſpitale commiſſum eſt, curam pauperum neglexerit, eorumque res in ſuos uſus retorſerit, quamquàm divinâ ultione dignus ſit, ſeveriùs tamen quàm cæteri delinquentes à Prælatis judicandus, & à miniſterio removendus: nec immeritò, quippe qui & pretia peccatorum, & alimenta pauperum, & theſaurum cœlo recondendum ſuis aptavit uſibus.

CAPUT XLVI.

De Præpoſitis.

QUamvis omnes qui præſunt Præpoſiti ritè dicantur, uſus tamen obtinuit eos vocari Præpoſitos, qui quamdam prioratûs curam ſub aliis Prælatis gerunt. Conc. Aq. c. 139. Hi tamen qui juxtà morem hunc Præpoſiti vocantur, tales & tam ſtrenui conſtituendi ſunt, qui vitæ probabilis ſint, & ea quæ ſibi injuncta ſunt, fideliter humiliterque expleant; & pro eo quod aliis prælati ſunt, nequaquam parvipendant canonica inſtituta, ſed quanto plus implicantur in fratrum curis, tanto magis ſtudeant cœleſtibus obtemperare monitis. Debent igitur cunctæ congregationi utiles eſſe, & de miniſterio ſibi commiſſo fideliter prodeſſe. Ea verò quæ fratribus darè debent, cum charitate tempore oportuno incunctanter præbeant, quatenùs à Domino de fideli adminiſtratione gradum bonum ſibi acquirant.

CAPUT XLVII.

Quales vice Prælatorum in Congregatione fungi debeant.

OPortet Eccleſiæ Prælatos, ut de Congregatione ſibi commiſſâ tales eligant boni teſtimonii fratres, in quibus onera regiminis ſecurè poſſint partiri. Ibid. c. 1 Ex Regul. Bened. c. 64. 65. Quibus etiam talem conferant dignitatem, ut vice illorum fungentes, & inobedientes canonicâ cenſurâ corripere, & obedientes hortando ad meliora valeant provocare. Non conſtituendi ſunt perſonaliter, aut eo ordine, quo in collegio fratrum admiſſi ſunt, ſed ſecundùm vitæ meritum, & ſpiritalium donorum prærogativam: qui & in congregatione aſſidui ſint, & fratrum curam pervigili ſtudio gerant; & ſicut alios præcedunt magiſterio, ita nimirum innocentis vitæ informent exemplo, ut juxtà Apoſtolum, exemplo ſint cæteris in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, & caſtitate, &c. 1. Tim. 4.

Qui etiam, ſi prioratûs ſui causâ intumeſcere cœperint, & curæ fratrum nihil propenderint, & ſi crebrò incorrigibiles exſtiterint, à miniſterio propellantur, aliique in loco illorum, qui ſtrenuè peragere poſſint, conſtituantur.

CAPUT XLVIII.

De pueris nutriendis cuſtodiendiſque.

SOlerter Rectores Eccleſiarum vigilare oportet, ut pueri & adoleſcentes, qui in congregatione ſibi commiſſa nutriuntur, vel erudiuntur, ita jugibus Eccleſiaſticis diſciplinis conſtringantur, ut eorum laſciva ætas, & ad peccandum valde proclivis, nullum poſſit reperire locum, quo in peccati facinus prorumpat. Conc. Aq. c. 135. Quapropter in hujuſcemodi cuſtodiendis, & ſpiritaliter erudiendis, talis à Prælatis conſtituendus eſt vitæ probabilis frater, qui eorum curam ſummâ gerat induſtriâ, eoſque ita arctiſſimè conſtringat, qualiter Eccleſiaſticis doctrinis imbuti, & armis ſpiritalibus induti, & Eccleſiæ utilitatibus decenter parere, & ad gradus Eccleſiaſticos quandoque dignè poſſint promoveri.

Libuit prætereà ob ædificationem congruam, & inſtructionem negotii, de quo agitur, quamdam ſanctorum Patrum ſententiam huic operi inſerere, quæ ita ſe habet: » Prona eſt enim omnis ætas ab « adoleſcentiâ in malum. Conc. Tol. 4. c. 23. Quiſquis autem in Clero « puberes, aut adoleſcentes exiſtunt, omnes in uno « conclavi atrii commorentur, ut lubricæ ætatis an- « nos, non in luxuriâ, ſed in diſciplinis Eccleſiaſti- «

» cia agant, deputati probatiſſimo ſeniori, quem & » Magiſtrum doctrinæ, & teſtem vitæ habeant, & » cætera. « His ita præmiſſis, oportet ut probatiſſimo ſeniori pueri ad cuſtodiendum, licet ab alio erudiantur, deputentur. Frater verò, cui hæc cura committitur, ſi eorum curam parvipenderit, & aliud quàm oportet docuerit, aut his aliquam cujuſlibet læſionis maculam ingeſſerit, ſeveriſſimè correptus ab officio amoveatur; & fratri alii bi committantur, qui eos & innocentis vitæ exemplis informet, & ad opus bonum peragendum excitet.

CAPUT XLIX.

Ut omnes Canonici ad Completorium conveniant.

Reg. S. Bened. c. 22.

EXpletis religioſiſſimo obſequio horis competentibus diurnis officiis ab omnibus Canonicis, dato ſigno devotiſſimè ad Completorium veniendum eſt, incipiente nocte: quo completo, non oportet ut epulis & potationibus, vaniſque inſerviant loquelis, ſed his penitùs poſtpoſitis, humiliter & honeſtè dormitorium petant, & nequaquam duo in uno lecto, ſed ſinguli in ſingulis lectis quieſcant. Lucerna quoque in eodem dormitorio noctis tempore jugiter ardeat. Nihil denique inhoneſtum, aut indecens in dormitorio geratur ab aliquo: nec quiſpiam aliquem inquietare præſumat, nec ad verba inutilia & otioſa prorumpere cogat. Hujus capituli contemptor, ſpecialiter à Prælatis & Magiſtris ſeveriſſimè corripiatur.

CAPUT L.

De Cantoribus.

Conc. Aquiſg. c. 137.

STudendum ſummopere Cantoribus eſt, ne donum ſibi divinitùs collatum vitiis fœdent, ſed potiùs illud humilitate, & ſobrietate, & caſtitate, & cæteris ſanctarum virtutum ornamentis exornent: quorum melodia animos populi circumſtantis ad memoriam amoremque cœleſtium non ſolùm ſublimitate verborum, ſed etiam ſuavitate ſonorum, quæ dicantur, erigat. Cantorem autem, ſicut traditum eſt à ſanctis Patribus, & voce & arte præclarum illuſtremque eſſe oportet, ita ut oblectamento dulcedinis animos incitet audientium, &c. Cantores itaque non propter donum ſibi collatum ſe cæteris ſuperbiendo præferant, ſed humiliter ſocios exhibeant. Et providendum eſt illis quando temperatè, quando ſubmiſſè divinum agatur officium; ſcilicet ut ſecundum numerum Clericorum, & officii qualitatem, & temporis prolixitatem, tantùm protendant, & voces moderentur cæterorum. Sonum etiam vocalium literarum benè & ornatè proferant.

Hi verò qui hujus artis minùs capaces ſunt, donec erudiantur meliùs, convenit ut ſileant, quàm cantare volendo quod neſciunt, aliorum voces diſſonare compellant. Pſalmi namque in Eccleſiâ non curſim, aut in excelſis atque inordinatis, ſeu intemperatis vocibus, ſed planè & lucidè cum compunctione cordis recitentur, ut & recitantium mens illorum dulcedine paſcatur, & audientium aures illorum pronuntiatione demulceantur: quoniam quamvis cantilenæ ſonus in aliis officiis excelsâ ſoleat fieri voce, in recitandis tamen pſalmis hujuſcemodi vitanda eſt vox.

Conſtituantur interea ſeniores fratres, probabilioris ſcilicet vitæ, qui tempore ſtatuto viciſſim cum Cantorum ſcholâ ſint, ne hi qui diſcere debent, aut otio vacent, aut inanibus, & ſupervacuis fabulis inſtent. Si verò Cantores ſuperbi extiterint, & artem quam divinitùs adjuti didicerint, aliis inſinuare renuerint, graviter ac ſeverè judicentur, ut emendati atque correcti, talentum ſibi à Deo quidem collatum, aliis erogare procurent.

CAPUT LI.

Quales ad legendum & cantandum in Eccleſiâ conſtituendi ſint.

TAles ad legendum, & cantandum, & pſallendum in Eccleſiâ conſtituantur, qui non ſuperbè, ſed humiliter, debitas Domino laudes perſolvant, & ſuavitate lectionis ac melodiæ doctos demulceant, & minùs doctos erudiant; pluſque velint in lectione vel cantu populi ædificationem, quàm popularem vaniſſimam adulationem. Qui verò hæc doctè peragere nequeunt, erudiantur priùs à Magiſtris, & inſtructi hæc adimplere ſtudeant, ut audientes ædificent. Ibid. c. 133.

CAPUT LII.

Modus correptionis.

QUamquam contemptores canonicarum inſtitutionum Epiſcopali præcipuè judicio plectendi ſint, juxta modum culparum, ut ſuprà retulimus menſura extendenda eſt correptionum. Et hæc omnia jure in Prælatorum pendent judicio, quo diſcretiſſimè temperanda ſunt: neceſſe eſt enim, ut iidem Prælati circà delinquentes medici peritiſſimi imitentur factum, ſcilicet ut adhibitâ magnæ diſcretionis curâ, quid cuique congruat, quidve conveniat, adhibeant: ſummopere perpendentes, ut juxtà quantitatem vulnerum, exhibeant fomenta curationum; quatenùs nec alteri dent, quod noceat, nec alteri ſubtrahant, quod juvet. Ibid. c. 134.

Omiſſis igitur his, quorum ætati delinquenti parcitum non eſt, ſed potiùs eorum latera ne indureſcant virgis aſſiduè tundenda ſunt: qualiter erga cæteros delinquentes juxtà authoritatem divinam, & ſanctorum Patrum exemplum, traditioneſque id fieri oporteat, ſtrictim breviterque oſtendatur. *Eccleſ.* 30 11

Si quis frater in congregatione canonicâ conſtitutus, horas canonicas frequentare neglexerit, Eccleſiamque non religiosè, ſed pompaticè, vel incompoſitè intraverit, & opus Dei negligenter exequutus fuerit, ad collationem venire diſtulerit, obedientiam à Magiſtris ſibi injunctam agere recuſaverit, in legendo & cantando, vel in cæteris Eccleſiaſticis diſciplinis, juxtà vires ſtudium non exhibuerit, ad menſam non neceſſitate, ſed vitio tardè occurrerit, è clauſtris ſine licentia exierit, per licentiam verò egreſſus extrà conſtitutum ſibi placitum moras fecerit, in plateis ire, aut in biviis reſidere tentaverit, in dormitorio aliquid indecens, aut inhoneſtum, verbis, aut actibus perpetraverit, alicubi niſi in dormitorio cum cæteris abſque causâ inevitabili dormire præſumſerit, fratribus charitatis officio obedienter ſervire neglexerit, diſcordiam quàm ſcriptura Dei deteſtatur, inter fratres ſeminaverit, & huic inſtitutioni contumax, aut ſuperbus, aut murmurans extiterit, & cætera hujuſcemodi agere tentaverit: hic primò ſecundùm Domini præceptum non ſolùm & ſecundò, & tertiò, quinimò crebriùs admoneatur: & ſi his admonitionibus non ceſſerit, publicâ objurgatione corripiatur. Quòd & ſi his renifus fuerit, cæteris ſibi alimentis interdictis, pane tantùm uſque ad dignam ſatisfactionem utatur & aquâ. Si verò nec ſic correxerit, ſeparetur à menſâ, & à ſocietate fratrum, & à choro pſallentium removeatur,

& ſeorſim in loco hujuſcemodi negligentibus à Prælatis conſtituto ſtare cogatur, ut ſaltem rubore ſequeſtrationis emendetur.

Prov. 18. 2.

Deinde ſi his modis incorrigibilis exſtiterit, & ætas permiſerit, ut ait Salomon: *Stultus verbis non corrigitur*, congrua ei verberum adhibeatur caſtigatio, ſecundùm beati Gregorii ſententiam: » Qui » jubentis verba non audit, verberibus admoneatur; » ut ad bona deſideria pœnæ trahant, quem præmia » non invitant. « Cæterùm ſi talis fuerit, quem aut ætas, aut qualitas perſonæ verberari non ſiverit, publicâ objurgatione, & jejuniorum continuâ afflictione, & ſequeſtrationis rubore hujuſmodi corripiatur, uſque dum dignâ pœnitentiæ ſatisfactione veniam conſequatur. Si verò uterque, & qui flagellatur, & quem flagellari ætas aut qualitas perſonæ prohibet, adhuc incorrigibiles extiterint, ſit locus intrà clauſtra Canonicorum, ſicut multis in locis noſcitur eſſe, quo ad tempus retrudantur; & ſecundùm modum culpæ caſtigentur, ſecundùm

1. Cor. 5. 5.

Apoſtolum: *Tradite Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini.* Quòd ſi etiam tot ſaluberrimis admonitionibus & caſtigationibus

S. Bened. Reg. c. 28.

necdum paruerint, fiat pro eis ab omni congregatione communis oratio, ut poſtremò ſanentur à Domino. Si prorsùs inemendabiles & incorrigibiles apparuerint, ne per plures eorum dira ſerpant contagia, neceſſe eſt ut à cæterorum ſocietate, ut pote oves morbidæ, ſeparati, ante præſentiam deducantur Epiſcopi. Si verò quis in collegio Canonicorum criminalem culpam admiſerit, huic nulla eſt danda dilatio, quin aut ſponte pœnitentiam pro admiſſo crimine gerat, aut ſi id agere reſultaverit, coram Epiſcopo deducatur, ut ab eo publicâ multetur pœnitentiâ. Meminiſſe enim oportet Rectores, quòd columba in divinis ſcripturis Eccleſia appellata eſt, quæ non unguibus lacerat, ſed alis piè percutit. Unde etiam illis ſummopere obſervandum eſt, ut ſicut præmiſſum eſt, juxtà modum culparum, & perſonarum, & ætatum, omninò ipſa correptio ſit temperata, ut nec vitium deſidiæ inoleſcat, nec correptio manſuetudinis modum excedat; ne (ut ait B. Maximus) aut ſolutior lenitas cohibentium licentiam præbeat peccanti, aut immoderata ſeveritas à lapſis non revocet delinquentem.

Sed & hoc illis nihilominùs cavendum eſt, ne errata delinquentium alicujus rei livore feriant, ſed potiùs (ut ait B. Auguſtinus) ſint criminum perſequutores, & hominum liberatores. Oderint vitia, diligant homines. Oderint quod inſtinctu diaboli ingeſtum eſt, diligant quod Dei bonitate creatum eſt. Teneant in manu baculum, & virgam: baculum videlicet, quo aliorum virorum imbecillitates ſpiritaliter ſuſtentent; virgam verò quâ vitia delinquentium zelo rectitudinis feriant. Interea delinquentibus excommunicatis fratribus, nequaquam debent cæteri fratres favere, aut eos ſuis adulationibus decipere, aut eorum errata defendere, ſed potiùs opem ferre, ut æquitatis cenſurâ diſtrictè corrigantur.

CAPUT LIII.

Ut Canonici cucullas Monachorum non induant.

Conc. Aquiſg. c. 125.

REprehenſibilem apud pleroſque Canonicos inoleviſſe comperimus uſum, eo quòd contrà morem Eccleſiaſticum cucullas, quibus ſolis Monachis utendum eſt, induant, cum utique illorum habitum penitùs uſurpare non debent, à quorum propoſito quodammodo diſtant; quia ſicut indecens eſt, ut arma militaria more Laicorum geſtent, ità nimirum inhoneſtum, & valde indecoroſum eſt, ut alterius propoſiti indumenta ſibi imponant. Habitus namque ſingulorum ordinum idcircò in Eccleſiâ ab invicem diſcreti ſunt, ut his viſis cujus propoſiti ſit g[illegible]us, vel in quâ profeſſione Domino militet, liquidè cognoſcatur: nam & Domini lege vir muliebrem, & mulier virilem, prohibetur induere veſtem, ſcilicet ut uterque ſexus ſibi convenientc veſte indutus incedat: ſicut enim turpe eſt virum veſtem muliebrem, & mulierem veſtem virilem induere, ita valde indecorum eſt, Canonicum veſtem Monaſticam induere; niſi tamen cum veſte etiam propoſitum voluerit aſſumere. Et quia hujuſcemodi uſus nullâ autoritate approbatur, ſed potiùs ab his qui ſanum ſapiunt, meritò reprehenditur & repudiatur, oportet ut ab hinc ne fiat, penitùs inhibitum ſit.

CAPUT LIV.

Ut in cultu veſtium diſcretionem teneant.

Concil. Aquiſgran. c.

QUærere potiùs Deum cultu cordis, quàm corporis, evidentibus ſcripturæ ſanctæ patet indiciis. Proinde caveant Canonici, ne per immoderatum cultum veſtium dehoneſtent Religionis dignitatem. Hieronymus dicit: » Sunt quidam, quibus « omnis cura de veſtibus eſt, ſi benè oleant; ſi pes « laxâ pelle non fluat. Crines calamiſtri veſtigio ro- « tantur; digiti de annulis radiant; & ne plantas « humidior via ſpargat, vix imprimunt ſumma ve- « ſtigia. Tales cum videris, ſponſos magis æſtimato, « quàm Clericos. « Inde dicit Gregorius. » Nemo « æſtimet in fluxu atque ſtudio veſtium peccatum « deeſſe: quia ſi hoc culpa non eſſet, nullo modo « Joannem Dominus de veſtimenti ſui aſperitate lau- « daſſet. Si cultus veſtium culpa non eſſet; nequa- « quam Paulus Apoſtolus per Epiſtolam fœminas à « pretioſarum veſtium appetitu compeſceret, di- « cens: *Non in veſte pretioſa.* « Unde oportet Ca- « nonicos ſanctæ authoritati parere, & humilitatem corde, mente, actu, habitu, inceſſu, æquitate religioſiſſimè demonſtrare; pluſque velint ſanctâ converſatione, eximiuſque moribus, quàm ornatu veſtium fulgere.

Epiſt. ad Euſtoch.

Homil. Evang.

1. Tim. 2.

Decet porrò, ut eorum talis ſit veſtium cultus, qui vanitatis occaſione careat: non enim ſpecialiter præſumi debet ab aliquo, quod non generaliter teneatur ab omnibus. Veſtes enim & calceramenta, vel lectualia Clericorum, ex moderato & habitu competenti ſint nec nimiùm nitida, nec plurimùm abjecta: nam ſicut inter ignem & aquam tenenda eſt via, ut nec exuratur homo, nec demergatur; ſic inter apicem ſuperbiæ, & voraginem deſidiæ, iter noſtrum temperare debemus.

CAPUT LV.

Quòd à Prælatis gemina paſtio ſit ſubditis impendenda.

Concil. Aquiſgran. c.

SOlerter Prælatis ſatagendum eſt, ne eos quibus præſunt, verbis & exemplis ad benè vivendum informent; fixoque corde tenendum, ne eos quaſi proprios, ſed ut Domini ſui gregem tractare meminerint, juxtà illud quod Petro dicitur: *Si diligis me, paſce oves meas*, inquit, non tuas. Et hoc ideo dicimus, quia ſunt nonnulli, qui oves Chriſti non amore Chriſti, ſed ſuæ gloriæ, vel dominationis, vel quæſtûs gratiâ paſcunt. Etenim terrena ſubſidia diligenter illis præbere, exempla virtutis ſimul verbo prædicationis debent ſollicitè impendere. Quapropter ſtudeat unuſquiſque Prælatus, ut familiæ Chriſti annonam ſpiritalem carnalemque ſubminiſtret; ut

effici

Matt. 24. 45. Luc. 12. 42. effici mereatur ille Evangelicus ſervus, de quo dicitur: *Fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis cibum in tempore.*

Ergo ſicut ſubditis neceſſaria corporis tribuunt, ita nihilominus ſtudere debent, ut iidem religioſiſſimè ordinem ſervent, & Prælatis ſuis, ac Magiſtris honorem debitum ſimiliter impendant. Ut horis Canonicis divinum officium impleant: non otio vacent, non vaniloquiis inſerviant, non detractionibus, & cæteris vitiorum illecebris incumbant; ſed potiùs aut orationi, aut lectioni, aut quibuſlibet Eccleſiæ, aut certè propriis utilitatibus vacent, aut etiam doctrinis ſacris, & diverſarum artium erudiantur diſciplinis: ita videlicet, ut nullus in congregatione inutilis aut otioſus exiſtens, ſtipendia Eccleſiæ inofficioſe accipiat.

Hanc igitur geminam paſtionem Prælati ſibi commiſſis ovibus impendere inſtanter procurent, ut pote pro animabus eorum Domino rationem reddituri.

CAPUT LVI.

De familiaritate à Clericis mulierum extranearum devitanda.

Concil. Aquiſgran. c. 98. PRima quidem tentamenta ſunt, fœminarum frequentes acceſſus, & reprehenſibiles exhibent Clericos. Quid tibi reverà cum fœminis, qui ad altare cum Domino fabularis? Te cuncti in publico, te in agro ruſtici, aratores, ac vinitores quotidie graviter lacerabunt, ſi contrà depoſitum fidei cum fœminis habitare contendis. Numquid in choro Apoſtolorum fœminæ affuerunt? Prohibe virgines commorari tecum, quæ de genere tuo non ſunt. Nemo inter ſerpentes & ſcorpiones ſecuros ingreditur. Non poteſt cum Domino toto corde habitare, qui frequentibus fœminarum acceſſibus copulatur. Cum approximat ſtipulam, incendit ignem: cum approximat fœminam, corrumpit mentem. Si cum viris fœminæ habitaverint, viſcarium diaboli non deerit. Janua diaboli, via iniquitatis, percuſſus ſcorpionis, nocuumque genus. Nemo miles cum uxore pergit ad bellum.

Inde mando atque remando, ut hoſpitiolum Canonicorum aut tardò, aut nunquam mulierum pedes terant. Vir autem ſive mulier, cum ad Dominum converſi fuerint, poſt peccatum ſuum, quod ad invicem commiſerunt, nec in unâ villâ unquam pœniteant, nec ſit inter eos ſalutatio, aut beneficium; nec viſus, nec colloquium (ſi non caſus intervenerit) nec de uno fonte (ut vulgo dicitur) potum bibant; nec alumnus inter utrumque concurrat; nec munuſculum quidem, nec colloquium (ut diximus) nec recordatio alterius in mente ſuâ requieſcat; ſed cum affuerit, citò veniam à Deo petat. Meminere debent Canonici, quòd nec Davide ſanctiores, nec Salomone ſapientiores poſſunt eſſe. Ex Hieron. epiſt. ad Nepot. Meminere debent quòd Paradiſi colonum de poſſeſſione ſuâ mulier ejecit.

CAPUT LVII.

De Clericis non manentibus in ſuo propoſito.

QUi ſemel in Clero deputati ſunt, aut Monachorum vitam expetierunt, ſtatuimus, neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam, & hoc tentantes, & non agentes pœnitentiam, quo minus redeant ad hoc quod propter Deum primitùs inegerunt, anathematizari.

CAPUT LVIII.

De humiliatione facienda propter Deum carni.

MUltitudines hominum, & officia, & placita, & convivia, & ſalutationes hominum, quaſi quædam catenæ voluptatum fugiendæ ſunt. Sit vilis & veſpertinus cibus. Panis cum olere & legumine, interdum piſciculus pro ſummis ducatur deliciis: qui cum Chriſto deſiderat regnare, non quæret magnopere, quàm de pretioſis cibis & potibus ſtercus conficiat & urinam. Ventre vacuo ſæpiùs dormiendum: crebræ vigiliæ carnem & ſenſum affligunt. Flexo corpore mens erigenda eſt ad Deum. Semper in manu ſacra lectio, & in ore frequenter oratio ſit. Pauperibus ſumptuum refrigeria manu propriâ ſunt diſtribuenda. Humilitas veſtium tumenti animo non appetenda. Sæcularium, maximè potentium, conſortium devitandum. Ex epiſt. Hieron. 19. ad Paulin.

Aliquid operis ſemper faciendum, ut diabolus inveniat hominem in opere occupatum. Ab otioſis ſermonibus auditus & lingua ſunt caſtigandi. Et in Eccleſiâ cum timore & veneratione ſtandum: & ſemper aut orandum, aut cantandum, aut legendum, aut audiendum. De juſtis laboribus eleemoſyna Deo juſto dandum. Melius non habere quod tribuatur, quàm impudenter petere quod detur. Negotiator Clericus, & ex inope dives, & ex ignobili glorioſus, quaſi quædam peſtis fugiendus. Ex epiſtol. Hieron. ad Nepot. med.

CAPUT LIX.

De iracundis doctoribus.

IRacundi doctores per rabiem furoris diſciplinæ modum ad immanitatem crudelitatis convertunt; & unde emendare ſubditos poterant, inde potiùs vulnerant. Ideo ſine menſurâ ulciſcitur culpas doctor iracundus, quia cor ejus diſperſum in rerum curis, non colligitur in amorem unius deitatis. Iſidor. ſent. l. 3. c. 40. Et Concil. Aquiſg. c. 33.

CAPUT LX.

De doctrinâ & exemplis doctorum.

TAm doctrinâ, quàm vitâ clarere debet Eccleſiaſticus Doctor: nam doctrina ſine vitâ arrogantem facit; vita ſine doctrinâ inutilem reddit. Doctoris prædicatio operibus bonis confirmanda eſt, ita ut quod docet verbo, inſtruat exemplo. Illa eſt vera doctrina, quam vivendi benè ſequitur forma: nam nihil turpius eſt, quàm ſi bonum quod quiſque prædicat, explere opere negligat: tunc enim prædicatio utiliter profertur, quando efficaciter à proferente adimpletur. Unuſquiſque Doctor & bonæ actionis & bonæ prædicationis habere debet ſtudium: nam una ſine alterâ non facit perfectum: ſed præcedat doctor benè agere, ut ſequenter poſſit benè docere. Et in illâ doctrinâ clara, & ſimilitudo patrum, & humilitas propter Deum habendæ ſunt. Iſidor. ibid. c. 36. Et Conc. c. 30.

CAPUT LXI.

De Taciturnitate.

OMni tempore in Eccleſiâ tam à populo, quàm à Clero, ſummum ſilentium fiat, excepto hoc quod ad laudes Dei pertineat. Videamus quod ait Propheta: *Dixi: cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in linguâ meâ.* Item: *Poſui ori meo cuſtodiam; obmutui & humiliatus ſum; & ſilui à bonis.* Hîc oſten- Pſal. 38.

Ex S. Bened. R. 5. c. 6

dit Propheta ſi à bonis eloquiis propter taciturnitatem debet interdum taceri, quanto magis à malis verbis propter pœnam peccati debet ceſſari? Inde ſancta ſcriptura dicit: » Qui enim in Eccleſia verboſari fecerit, & pro ſe & pro aliis malam redditorus eſt rationem in die judicii. « Ergo quamvis de bonis & ſanctis dumtaxat eloquiis propter taciturnitatem rara loquendi in Eccleſiâ concedatur licentia; quia ſcriptum eſt: *In multiloquio non deerit peccatum:* Et alibi: *Mors & vita in manibus linguæ.* Nam loqui & docere Magiſtro condecet, tacere & audire diſcipulo convenit.

S. Auguſtin. ſerm. 214 de temp.

S. Bened. ubi ſuprà.

Prov. 10. & 14.

Qui hanc taciturnitatem in Eccleſiâ minimè cuſtodierit, ſed fregerit, ſit in ipſo die pœnitens in aquâ & pane. Et ſi iterum, tribus diebus pœniteat in pane & aquâ. Et ſi tertiâ vice iteraverit, ſeptem diebus, ut ſuprà, pœniteat. Et ſi ampliùs hoc facere præſumſerit, corporali diſciplinæ ſubjiciatur, ut cæteri timeant.

CAPUT LXII.

De ebrietate à Clero devitandâ atque deteſtandâ.

Luc. 21. 34.

Epheſ. 5. 18.

Prov. 20. 1.

Eccl. 19. 1. & 2.

Ibid. 31. 30.

DOminus in Evang. dicit: *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda veſtra in crapulâ.* Et Apoſtolus dicit: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Salomon dicit: *Luxurioſa res eſt vinum, & tumultuoſa ebrietas: quicumque in his delectatur, non erit ſapiens. Nullum ſecretum eſt ubi regnat ebrietas.* Alibi dicitur: *Operarius ebrioſus non locupletabitur. Vinum & mulieres apoſtatare quidem faciunt ſapientes.* Et alibi: *Diligentes ſemper ſe inebriari vino, noli provocare in congregationem tuam.* Vinolentos ſacerdotes & Apoſtolus damnat, & vetus lex prohibet: qui altari ſerviunt, vinum & ſiceram non bibent. Sicera hebræo ſermone omnis potio nuncupatur, quæ inebriare poteſt: quidquid inebriat, & ſtatum mentis mutat, fuge ſimiliter ut vinum.

Levit. 10. 9.

Hier. epiſt. 2.

Qui cupis eſſe bonus, & vis dinoſcere verum,
Ut mortis ſuccum, ſic mordax effuge vinum.
Nulla febris hominum major, quam vitreus humor:
Pro eo ſurdeſcunt aures, balbutit denique lingua.
Dic mihi, dic ebrie, vivis, an morte gravaris?
Pallidus ecce jaces, & ſine mente quieſcis.
Non bona, non mala, non dura, non mollia ſentis.

Cavete, fratres, in omnibus ebrietatem; quia magna animi eſt ſubverſio. Nam ſicut ignis facilè incendit ſtupas, & leviores paleas, ita ebrietas corrumpit animam, & dejicit eam in grande peccatum. Dominus per Prophetam ait: *Væ illis qui mane ſurgunt ad ebrietatem ſectandam, & ad potandum vinum uſque ad veſperam.* Et in alio loco dicitur: *Væ his qui potentes ſunt ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem.* Baſilius dicit: Plurimi namque homines per vinum maximam debilitatem corporis contraxerunt, nec potuerunt conſequi priſtinam firmitatem. Ebrioſus putat ſe aliquid optimum agere, cum fuerit præcipitio devolutus. Fratres chariſſimi, nolite vos inebriare, nolite bibendo immoderatè nomina veſtra de cœlo delere. Sunt multi, quod pejus eſt, qui non ſolùm ſe inebriant, ſed etiam alios adjurant, ut ampliùs quod expedit bibant: ô infelix qui hoc facis, non tibi ſufficit quòd ipſe peris, niſi adhuc inſuper alios perdas: non tibi ſufficit, quòd ipſe in illâ ebrietate incurris, adhuc & alios tecum trahis. Non ſufficit miſero ebrioſo in ebrietate ſeipſum mergere, niſi & alios ſecum conetur involvere. Nolite, fratres, nolite hoc malum facere, audite Apoſtolum dicentem: *Neque ebrioſi regnum Dei poſſidebunt.* Ebrius enim nec patrem, nec matrem, nec amicum, nec inimicum agnoſcit; neque inter bona & mala diſcernit, nec ignem, nec gladium timet: ſic falſi fratres & perſequutores ſunt, qui Deum & Eccleſiam quidem contemnunt, nec bona nec mala diſcernunt, nec gladium præſentis vitæ, nec ignem gehennæ futuræ metuunt. Quando homo ebrius fuerit, cor ſuum & membra liberare non poteſt.

Iſai. 5. 11.

Ibid. v. 22.

1. Cor. 6.

CAPUT LXIII.

De Clericis.

Iſidor. C lib. 1. c. Refert C Aquiſ. c *Act. 1. 2*

ITaque omnes qui in Eccleſiaſtici miniſterii gradibus ordinati ſunt, Clerici generaliter nominantur. Cleros autem vel Clericos hinc appellatos Doctores noſtri dicunt, quia Mathias ſorte electus eſt, quem primùm per Apoſtolos legimus ordinatum. Sic & omnes, quos illis temporibus Eccleſiarum principes ordinabant, ſorte eligebant: Clerus autem ſors interpretatur, unde & hereditas græcè cleronomia appellatur, & heres cleronomus. Proinde ergo Clericos vocari aiunt, eo quòd in ſorte hereditas Domini dantur: vel pro eo quod ipſe Dominus ſors eorum ſit, ſicut de eis ſcriptum eſt, loquente Domino: *Ego hereditas eorum.* Unde oportet, ut qui Deum hereditate poſſident, abſque ullo impedimento ſæculi Deo ſervire ſtudeant, & pauperes ſpiritu eſſe contendant, ut congruè Pſalmiſtæ illud dicere poſſint: *Dominus pars hereditatis meæ.*

Deut 18

Pſal. 15.

CAPUT LXIV.

De Regulis Clericorum.

Iſidor. citato c Et Conc c. 100.

HIs igitur lege Patrum cavetur, ut à vulgari vitâ recluſi, mundi voluptatibus ſe abſtineant, non ſpectaculis, non pompis interſint: convivia publica fugiant, privata non tantum pudica, ſed & ſobria colant. Uſuris nequaquàm incumbant, neque turpium occupationes lucrorum, nec fraudis cujuſque ſtudium appetant. Amorem pecuniæ, quaſi materiam cunctorum criminum fugiant, ſæcularia officia negotiaque abjiciant. Honorum gradus per ambitiones non ſubeant. Pro beneficiis medicinæ Dei munera non accipiant. Dolos & conjurationes caveant: odium & æmulationem, atque detractionem, invidiamque fugiant: non vagis oculis, non infræni linguâ; aut petulanti tumidoque geſtu incedant, ſed pudorem ac verecundiam mentis ſimplici habitu, inceſſuque oſtendant. Obſcœnitatem etiam verborum, ſicut & operum, penitùs execrentur.

Viduarum ac virginum viſitationes frequentiſſimas fugiant: contubernia extranearum fœminarum nullatenùs appetant: caſtimoniam quoque inviolati corporis perpetuò conſervare ſtudeant, aut certè unius matrimonii vinculo fœderentur. Senioribus quoque debitam præbeant obedientiam, neque ullo jactantiæ ſtudio ſemetipſos attollant. Poſtremò in doctrinâ, in lectionibus, in pſalmis, in hymnis, in canticis, exercitio jugi incumbant: tales enim eſſe debent, qui divinis cultibus ſeſe mancipandos exhibere ſtudent; ſcilicet ut dum ſcientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populis adminiſtrent.

CAPUT LXV.

De generibus Clericorum.

DUo ſunt genera Clericorum. Unum Eccleſiaſticorum ſub regimine Epiſcopali degentium;

Iſ ib Et Con

Digitized by Google

alterum Acephalorum, id eſt ſine capite, quem ſequantur ignorantium. Hos neque inter Laicos ſæcularium officiorum ſtudia; neque inter Clericos religio retentat divina, ſed ſolutos atque oberrantes, ſola turpis vita & vaga complectitur. Qui quidem nullum metuentes, explendæ voluntatis ſuæ licentiam conſectantur; quaſi animalia bruta, libertate atque deſiderio ſuo fruuntur, habentes ſignum Religionis, non officium, Hippocentauris ſimiles, qui nec equi, nec homines, *mixtumque*, (ut ait Poeta) *genus, prolesque biformis*. Quorum quidem ſordidâ & infami numeroſitate, ſatis ſuperque noſtra pars occidua polluitor.

Æneid. 6.

CAPUT LXVI.

De Sacerdotibus peccantibus.

Concil. Neocæſar. c. 1. Nicæ. c. 78.

PResbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto, aut homicidio, captus eſt, deponatur: non tamen communione privetur: dicit enim ſcriptura: *Non judicabit Dominus bis in idipſum.*

CAPUT LXVII.

Ut Preſbyter habeat unam Eccleſiam.

Concil. Nannet. c. 8.

PResbyter non ampliùs quàm unam Eccleſiam habeat, ſicut & vir unam uxorem.

CAPUT LXVIII.

Ut Clerici nuptialia convivia vitent.

Concil. Venet. c. 11. Et Agat. c. 39.

PResbyteri, Diacones, Subdiacones vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia non eſt, alienarum nuptiarum evitent convivia: neque his cœtibus admiſceantur, ubi amatoria & turpia cantica cantantur; aut ubi obſcæni motus corporum choreis & ſaltationibus efferuntur: ne auditus, & obtutus ſacris myſteriis deputatus, torpium ſpectaculorum, atque verborum contagione polluatur.

CAPUT LXIX.

De eo quòd non per ambitionem Sacerdotium appetendum.

Greg. l. 6. ep. 169. init.

SIcut qui invitatus renuit, & quæſitus refugit, ſacris eſt altaribus offerendus: ſic qui ultrò ambit, vel importunus ſe ingerit, eſt proculdubio repellendus. Nam qui nititur ad altiora conſcendere, quid agit niſi creſcendo decreſcat: Cur non perpendit, quia benedictio illi in maledictum convertitur?

CAPUT LXX.

De eo quòd removentur Preſbyteri ab officio ſuo.

Concil. Neocæſar. c. 1.

HI Presbyteri, qui in Presbyterio ſuo filios genuerint, removeri ab officio ſuo debent.

CAPUT LXXI.

Pro infirmis orare, & ungere eos præcipitur.

Jac. 5. 14.

JAcobus Apoſtolus ſcripſit: *Infirmatur quis in vobis, inducat Preſbyteros in domum ſuam, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo, in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & ſuſcitabit illum Dominus. Et ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.* Quod non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui ſancto oleo perungi poſſunt, quo ab Epiſcopo confecto, non ſolùm ſacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet, in ſuâ, aut in ſuorum neceſſitate ungendis. Nam idcircò Presbyteris dictum eſt, quia Epiſcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non poſſunt. Cæterum ſi Epiſcopus poteſt, aut dignum ducit à ſe viſitandum, & benedicere, & tangere chriſmate, ſine cunctatione poteſt, cujus eſt chriſma conficere: nam pœnitentibus iſtud fundi non poteſt, quia genus eſt ſacramenti: quibus enim reliqua ſacramenta negantur, quomodo unum genus poſſe putatur concedi?

Innoc. I. ep. 1. Beda in Epiſt. Jac. c. 5. poſt med.

CAPUT LXXII.

Oblationes in domibus offerri non oportere.

Concil. Laodic. c. 58

NOn oportet in domibus oblationes celebrari ab Epiſcopis, vel à Presbyteris.

CAPUT LXXIII.

Quomodo benedicendi ſunt Sponſus & Sponſa.

Carthag. 4 c. 13.

SPonſus & Sponſa cum precibus & oblationibus à Sacerdote benedicentur; & legibus ſponſa docetur, & à paranymphis cuſtodiatur; & publicè ſolemniterque accipiatur. Biduo etiam ac triduo abſtineatur: & doceatur eis ut caſtitatem inter ſe cuſtodiant, certiſque temporibus nubant, ut filios non ſpurios, ſed hereditarios Deo & ſæculo generent.

CAPUT LXXIV.

De Solemnitatibus præcipuis colendis.

IN ſolemnitatibus præcipuis, id eſt in Natali, & in Octavâ; & in Epiphania Domini, & in Paſcha, & in Aſcenſione Domini, & in Pentecoſte, & in Sanctorum feſtivitatibus, id eſt, ſancti Stephani, & ſancti Joannis Evangeliſtæ, & in feſtivitate Infantium, & in Purificatione, & in Aſſomptione ſanctæ Mariæ: ſimiliter in Beatorum Apoſtolorum feſtis, & ſancti Joannis Baptiſtæ, & ſancti Laurentii, & ſancti Martini, ſive & in natali cujuſlibet Sancti, cujus honor in qualicumque Parochiâ ſpecialiter celebratur, plenarium officium celebretur, & bis reficiatur.

CAPUT LXXV.

De decimis dividendis.

Ecbert. Eborac. Archiep excerp. 5.

SAcerdotes populi ſuſcipient decimas, & nomina eorum, quicumque dederint, ſcripta habeant ſuper altare: & ipſas decimas ſecundùm authoritatem canonicam coram teſtibus divident; & ad ornamentum Eccleſiæ primam eligent partem; ſecundam autem per manus fidelium ad uſum pauperum, & peregrinorum, miſericorditer cum omni humilitate diſpenſent; tertiam verò partem ſibimetipſis ſoli Sacerdotes reſervent.

Digitized by Google

CAPUT LXXVI.

Ut Presbyteri per diverſa ab Epiſcopis, aut Laïcis indiſcretè non mittantur.

STatutum eſt, ut Preſbyteri, ſicut hactenùs factum eſt, indiſcretè per diverſa non mittantur, nec ab Epiſcopis, nec ab aliis Prælatis, nec eitiam à Laïcis, ne fortè propter eorum abſentiam, & animarum pericula, Eccleſiarum, in quibus conſtituti ſunt, negligantur officia.

CAPUT LXXVII.

De illis qui ſoli Miſſas contra canonicam authoritatem canere præſumunt.

De conſ. diſt. 1. Hoc quoque.

STatutum eſt, ut nullus Preſbyterorum ſolus Miſſam celebrare præſumat: quia nec verba Domini Salvatoris, quibus myſteria corporis & ſanguinis ſui diſcipulis celebranda tradidit, nec Apoſtoli Pauli documenta declarant, nec in ipſis Actibus Apoſtolorum, ſi enucleatim legantur, ita fieri debere ullo modo invenitur. Nam etſi interrogatus, aut contemptus, hujuſmodi corporis & ſanguinis Domini ſolitarius conſecrator fuerit, quid reſpondere poterit? Quibus enim dicit; *Dominus vobiſcum:* aut à quo illi reſpondetur; *Et cum ſpiritu tuo.* Vel pro quibus ſupplicat Deum, dum dicit: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum, & omnium circumſtantium:* cum nullus circumſtet? Quæ conſuetudo Apoſtolicæ & Eccleſiaſticæ authoritati contraria eradicanda, & funditus extirpanda eſt à Domini Sacerdotibus. Et ſi quis hoc deinceps facere præſumſerit, gradûs ſui periculo ſubjacebit.

Et Capitul. Theodul. c. 7.

CAPUT LXXVIII.

Ut Presbyteri inconſulto Epiſcopo non conſtituantur in Eccleſiis, vel de Eccleſiis expellantur ab aliquo.

Concil. Cabilon. 2. c. 42.

STatutum eſt, ut ſine authoritate vel conſenſu Epiſcoporum Preſbyteri in quibuſlibet Eccleſiis non conſtituantur, nec inde expellantur. Et ſi quis deinceps hoc facere tentaverit, Synodali ſententiâ diſtrictè feriatur.

CAPUT LXXIX.

De libris, quos unuſquiſque ſecum in Eccleſiâ habere debet.

HI ſunt libri, quos habere debet unuſquiſque Sacerdos in ſuâ Eccleſiâ, per quos Miſſas, & Epiſtolas, ſeu Evangelium, vel Baptiſterium, ſeu pœnitentiam, aut circulos annorum, ſive lectiones nocturnales, intelligi poteſt. Si quis tales non habuerit, ab Eccleſiâ degradetur; quia in illo completur quod in libris legitur: *Canes muti non poſſunt latrare.* Hi ſunt mali Preſbyteri, qui concupiſcunt accipere paſturale miniſterium Eccleſiæ, nec tamen poſſunt ad populum prædicare.

Iſai. 56. 10.

CAPUT LXXX.

De nonſuſcipiendis alterius Eccleſiæ Clericis: & de ſuſceptoribus eorum abſque litteris commendatitiis, vel teſtibus à Clericis in eâdem Eccleſiâ militantibus.

Concil. Antioch. c. 3.

JAm conſtitutum eſt non licere in alterius civitatis Eccleſiâ, vel in poteſtate Laïcorum Clericos militare; ſed ibidem permanere, in quâ à principio meruerunt miniſtrare: Extraneos, qui miſſi à patriâ, ad aliquam Eccleſiam pro neceſſitate venerint [abſque ſignatis apicibus non recipere.] Qui verò Epiſcoporum, aut Laïcorum, poſt hoc conſtitutum alterius Eccleſiæ Clericum ſuſceperit, niſi ad excuſandum rationabiliter, placuit à communione ſuſpendi, & eum qui ſuſcipit, & eum qui ſuſceptus eſt, quouſque Clericum ad ſuam fecerit reverti Eccleſiam.

Ac / Ep / &

CAPUT LXXXI.

Epiſtola cujuſdam Deicolæ, in Chriſti nomine miſſa ad Sacerdotes & Clericos; prædicationis atque inſtructionis causâ ipſis directa.

DIlectiſſimis ſacerdotibus Eccleſiarum Chriſti Prælatibus, & cunctis Cleris in eiſdem ubique famulantibus, & Deicolis omnibus in totum mundum degentibus, æternam in Domino Salvatore noſtro ſalutem. Noverit igitur dilectio veſtra, quòd ſemper ſollicitus ſum, & valde noſſe deſidero de ſalute, & ſanitate, & vitâ veſtrâ. Deus autem omnium noſtrum veſtrumque pium adimpleat deſiderium in gloriam, & vitæ ſanctæ diſciplinam. Ergo cum ſimus Dominicæ plebis ſupernâ miſeratione Rectores, ſtudioſiùs nos convenit Dei præſidium pro eorum ſæpe cogitare ſalute, qui nobis commiſſi eſſe videntur, ne de creditis, atque fruſtratis, quod abſit, animabus, inſidiis antiqui hoſtis ante omnium paſtorem, niſi ſuccedat præveniendo de offenſis correctio, diſtrictam cogamur ſolvere rationem. Unde rogamus vos, ut juſtè, & piè ſancteque viventes, cæteris fidelibus in exemplum ſitis, & caſto corde & corpore ſub regulâ canonicâ vivatis.

Et præterea peto, ut conſideretis, & ante mentis & corporis oculos ſemper habeatis, quid ſumus nos & vos; nonne homines ſumus; & unde homines, niſi de humo? Et quid eſt humus, niſi pulvis & cinis? Et quid erimus, niſi quod dictum eſt: *Chriſtus cum apparuerit*, ſi benè egerimus, *ei ſimiles erimus*, hoc eſt immortalitate & æternitate? Abnegemus quod ſumus, ut incipiamus eſſe quod non ſumus. Ergo omne bonum à ſummo Deo ſperandum eſt, quia *niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eam.* Et, *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtrà vigilant qui cuſtodiunt eam.* Nos ergo petamus, quæramus, pulſemus, *Qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur.* Cogitemus ſemper ultimum noſtri exitûs diem: ornemus finem noſtrum, & componamus diligenter vitam noſtram, & quantum incerti ſumus de obitûs noſtri die, tantum parati ſimus in actione noſtrâ bonâ, ut quandocumque venerit, nos ſemper paratus inveniat. Conſideremus & penſemus, quia diſtrictus venturus eſt Judex, qui non ſolùm operum, ſed cogitationum exactor apparebit. Laboremus in opere Dei quantum poſſumus, ſi non quantum debemus: *Quoniam*, ut ait Apoſtolus, *non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Quâ de re ſatagendum eſt nobis, & omnibus fidelibus, ut ad ipſam gloriam fideliter curramus.

Col.

Pſa. / Ibid.

Luc

Veſtram quoque, ô Sacerdotes, fratreſque dulciſſimi, moneo ſolertiam, ut reminiſcamini quàm magna ſuſcepta habetis onera animarum: nam qui curam ſuſcepiſtis, ideo ſecuritatis vitam deponite, quæ inutilis eſt animæ & corpori: quoniam qui animas ſuſceperunt ad regendum, parare ſe debent ad rationem reddendam in conſpectu Dei. Idcircò in quantum prævaletis tam verbo, quàm exemplo, ut

Digitized by Google

prædiximos, admonere non ceſſetis vobis commiſſas oves, ut in judicio cum Propheta abſoluti, dicere poſſitis: *Domine juſtitiam tuam non abſcondi in corde meo. Et, veritatem tuam & ſalutare tuum dixi.*

Pſal. 39. 11.

Diem ultimum cogitate, & regulam veſtram conſervate, villicationem veſtram compenſate; quia de omnibus qui negligentiâ veſtrâ perierint, rationem eritis reddituri in die judicii. Et ut de negotio lucrum reportetis & præmium, oportet vos magis prodeſſe quàm præeſſe.

S. Benedict. Reg. c. 2.

O ſpiritales ſacerdotes, diligite Clerum & populum veſtrum, & nullos vobis æſtimetis propinquiores eſſe parentes, quàm qui vobiſcom in domo, & opere Dei morantur: quia ubi amor & dilectio eſt ſpiritalis, ibi Deus mediator inhabitat, qui dixit: *In hoc cognoſcent omnes quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad invicem.*

Joan. 13. 35.

Veſtramque fragilitatem humiliter conſiderate, & infirmorum curam patienter portate. In imperio veſtro moderati ſitis, ut regula edocet. Similiter moneo, ut opera, quæ injungitis, diſcernatis & temperetis. Diſcretionem veſtram ſemper cogitate, ut quod fecerint ſubjecti veſtri, abſque murmure faciant, ut & animæ ſalveotur, & corpora ſuprà modum non graventur.

S. Benedict. c. 64. 48. & alibi.

Moneo & omnes Clericos vobis ſubjectus, ut vobis humiliter obediant, & regulam Canonicam pro viribus adimplere ſatagant, & abſque murmuratione imperio veſtro ſubjaceant, Dominoque dulciter ſerviant: quoniam omnis homo poteſtatibus ſublimioribus, ſuiſque præpoſitis ſubditus eſſe debet, quanto magis ſervi Dei obedire humiliter Præpoſitis ſuis debent?

Rom. 13. 1. Tit. 3. 1.

Moneo etiam ut regulæ Canonicæ memores ſint, ejuſque præcepta ante oculos ſemper habeant. Nam quis ſcit, quid ſibi contingat, vel alii in hac vitâ? aut quis unquam inobediens ad bonum finem pervenerit? Nobis verò pavor incutitur non modicus, dum legimus multorum Sanctorum finem fuiſſe periculum, & poſt tantos labores conquiſitos, etiam de ſummis ad ima eſſe præcipitatos, quorum caſus, noſter debet eſſe profectus: ſiquidem & primum hominem per inobedientiam cecidiſſe legimus. Multa ſiquidem atque innumerabilia de his colligi poſſunt, ſed nobis iſta modò ſufficiunt, ut in his caveatis, ne inobedientiam in aliquo Chriſto conferetis.

Non vobis delectentur deliciæ ſuperfluæ, niſi quantum corpus ſuſtentare videntur, & non quantum voluntas humana appetere tentatur. Nolite eſſe cultis veſtibus adornati, ſed ſimplici modo neceſſitatibus corporis contenti. Sic habeatis diſciplinam, ut non amittatis animam. Nolite eſſe oblivioni dediti, nec ullâ ſecuritate adhibiti, ſed tam corporis, quàm animæ alimenta præparate vobis [&] Clericis ſubjectis veſtris, ut læti ſemper vobiſcum cum Chriſto ſerviant ſub cujus ſervitio ſe tradiderunt; ut in futuro mercedem recipiatis, & vocem Domini audiatis, ubi dicitur: *Quia ſuper pauca fidelis fuiſti, ſuprà multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.*

Matt. 25. 21

Ad quod gaudium me peccatorem, & vos omnes, unà cum omnibus nobis commiſſis, Dominus & Salvator noſter, precibus omnium Sanctorum ſuorum, perducere illæſos in vitam æternam dignetur: qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

CAPUT LXXXII.

Alia epiſtola ad Epiſcopum.

Dulciſſimo Domino meo Epiſcopo in Chriſti nomine ſalutem perpetuam. Pater dulciſſime benè valeas in Chriſto, & illi ſemper placeas. Saluto te, & per te omnes Clericos tuos: conſolare, & conforta eos, in ſervitio Domini noſtri Jesu Christi in quantum prævales. Moneo prudentiam tuam, ut peccantes arguas coram omnibus, ut timorem cæteri habeant; qui enim proximorum mala reſpicit, & tamen ſilentio linguam premit, eo mortis author fit, quo viros [quos] poterat curare, noluerit.

S. Bened. r. 5. & 70.

Nos ergo qui in periculoſo ordine conſtituti ſumus, attendamus, ne ſimus inutiles ſervi. Illius ſemper memores ſimus mandati, qui dixit: *Hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem.*

Joan. 15. 12.

In hoc enim mandato omnium ſalus conſiſtit: hoc cunctis perneceſſarium eſſe conſtat, & maximè his qui gregem Chriſti ad regendum accipiunt.

Quapropter, Paſtor cariſſime, gregem quem accepiſti ad regendum diligenter erudire ſtudeto, & ſanctis admonitionibus eum per paſcua vitæ deducere ſatage. Habes in omni opere bono Chriſtum adjutorem, ſanctum quoque cui militas interceſſorem: ſicut gubernationem & diſpenſationem in domo Domini habere videris, ita tibi ſubjectos bonis moribus ornari contende, & eos in divinâ laude devotiſſimè fac conſiſtere; & quod Angeli ſemper agunt in cœlis, hoc tui Clerici jugiter faciant in Eccleſiis. Tuum eſt præcipere, illorum obedire: tuum præire, illorum ſubſequi. Omnium itaque in ſervitio Dei una debet eſſe voluntas, ut una fiat in regno Dei remuneratio.

Nullus horis Canonicis ſe divinis ſubtrahat laudibus; ne propter aliquam indiligentiam alicujus, locus in conſpectu Dei vacuus inveniatur, & verba Dei in Eccleſiis intimo cordis affectu proferantur, & cum magnâ reverentiâ Dei omnipotentis officia celebrentur. Omne verò miniſterium Chriſti humiliter & devotè impleatur. Omnis itaque obedienti ain ſæculi neceſſitatibus fideliter & ſtrenuè peragatur. Fiat equidem inter omnes concordiſſima pax, & ſanctiſſima charitas, & devotio vitæ regularis. Seniores bonis exemplis & ſedulâ admonitione erudiant juniores, illoſque diligant ut filios, & illi quaſi patres eos honorificent, illorumque omni alacritate obediant præceptis.

Tua verò, venerande Paſtor, converſatio, omnibus ſit exemplum ſalutis. Cave ne nimis quis in tua ſcandalizetur vitâ, ſed ædificetur, & roboretur in via veritatis; quia tibi ex illorum ſalute merces judicatur æterna: cani capilli extremum denuntiant properare diem: quapropter paratus eſto omni horâ in occurſum Domini Dei tui. Dilectio fraterna, & eleemoſynæ miſerorum, & vitæ caſtitas, præparent tibi gradum in cœlo.

Feſtivis diebus veniente ad Eccleſiam populo, fac eis prædicare verba Dei, & quocumque vadis, Clerici, qui ſervitium Dei pleniter peragant, tecum eant, ſobrietate ornati, non ebrietati aſſueti: quorum honeſtas vitæ aliis ſit doctrina ſalutis. Curamque ubique habeas, & maximè pauperum, viduarum, & orphanorum, ut audias in die tremendo à Domino cum aliis eleemoſynam facientibus: *Quamdiu feciſtis uni ex his minimis, mihi feciſtis.*

Matt. 25. 40.

Eſto miſeris ut pater; & cauſam ad te clamantium diligenter diſcute: & parce in te peccantibus, ut Deus tuis parcat peccatis. Eſto juſtus in judiciis, & miſericors in debitis: magiſter virtutum, moribus honeſtus, verbis jucundus, vitâ laudabilis, in omni opere Dei devotus.

Clericos quoque cohortare, ut ſanctas ſcripturas diligentiſſimè legant; non confidant in linguæ notitiâ, ut poſſint contradicentibus veritati reſiſtere: ſunt enim tempora periculoſa, ut Apoſtolus prædixit, quia multi pſeudodoctores ſurgent introducentes ſectas, qui catholicæ fidei impiis aſſertionibus maculare nitentur: ideo neceſſe eſt ad Eccleſiam plus habere defenſores, qui non ſolùm vitæ ſancti-

tate, ſed etiam doctrinâ veritatis caſtra Dei viriliter defendere valeant.

Has verò piæ admonitionis literulas, non quaſi neſcienti direxi, ſed ut veræ charitatis [quæ] eſt in meo pectore, fidem oſtenderem. Omnipotens Deus te, tuoſque chariſſimos Clericos, in omni bono proficere faciat, & ad beatitudinem æternæ gloriæ pervenire concedat; qui regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

CAPUT LXXXIII.

De doctrina diſcretione.

Iſidor. l. 3. ...nt. c. 43. Conc. Aquiſg. c. 83.

NOn omnibus una eademque doctrina eſt adhibenda, ſed pro qualitate morum diverſa exhortatio erit Doctorum. Nam quoſdam increpatio dura, quoſdam verò exhortatio corrigit blanda. Sicut periti medici ad varios corporis morbos diverſo medicamine ſerviunt, ita ut juxtà vulnerum varietatem medicina diverſa ſit; ſic & Doctor Eccleſiæ ſingulis quibuſque congruum doctrinæ remedium adhibebit; & quid cuique oporteat, pro ætate, pro ſexu, ac profeſſione annuntiabit. Non omnibus ea quæ ſunt clauſa, aperienda ſunt. Multi ſunt enim qui capere non poſſunt, quibus ſi indiſcretè manifeſtentur, ſtatim aut detrahunt, aut negligunt. Rudibus populis ſeu carnalibus plana atque communia, non ſumma atque ardua ſunt prædicanda, ne immenſitate doctrinæ opprimantur potiùs, quàm erudiantur. Unde & Paulus Apoſtolus ait: *Non potui vobis loqui quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus: tamquam parvulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam.* (. Cor. 3. 2.) Carnalibus quippe animis nec alta omnis de cœleſtibus, nec terrena convenit prædicare, ſed mediocriter, ut initia eorum, moreſque deſiderant edoceri. Corvus dum pullos ſuos viderit albi coloris, nullis eos cibis alit, ſed tantumdem attendit, donec paterno colore nigreſcant, & ſic illos frequenti cibo reficit. Ita & Eccleſiæ Doctor ſtrenuus, niſi eos quos docet, viderit ad ſuam ſimilitudinem pœnitentiæ confeſſione nigreſcere, & nitore ſæculari depoſito, lamentationis habitum de peccati recordatione induere, non aperit intelligentiæ ſpiritalis profundiora myſteria.

Iſidor. Et Concil. ibid. poſt pauca. Gregor. in prolog. l. 3. Paſtor.

Prius docendi ſunt ſeniores plebis, ut per eos infrà poſiti faciliùs doceantur.

Non una eademque cunctis exhortatio congruit; quia nec cunctos par morum qualitas adſtringit: ſæpe namque ea, quæ aliis nocent, aliis proſunt: quia & plerumque herbæ quæ hæc animalia nutriunt, alia occidunt: & lenis ſibilus equos mitigat, catulos inſtigat: & medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires jungit: & panis qui vitam fortium roborat, parvulorum necat. Pro qualitate igitur audientium, formari debet ſermo Doctorum. « Doctor ſemper vocem prædicationis habeat, ne ſuperni ſpectatoris judicium ex ſilentio offendat. Doctor in tabernaculum ingrediens, vel inde egrediens, moritur, ſi de eo ſonitus non auditur: quia iram Dei contrà ſe exigit, ſi ſine prædicationis ſonitu incedit. » Ranæ in aquâ ſine aquâ eſſe videntur, & tamen in putredine paludis commorantur, & procaces efferunt voces, & impatientes, & importunæ; ſic hypocritæ Doctores quaſi in aquâ ſapientiæ eſſe videntur, & in luto hæreſis tamen verſantur, & contrarias voces veritati emittunt, & inoportune bonis nocent, ſpiritu dæmonis agitati: procedunt ad Reges terræ congregare illos, id eſt, impios; inſpirant ad pugnam contrà ſanctos, qui ſunt Reges juſtitiæ: licet enim omnis falſitas ſimilitudinem veritatis uſurpet, differt ta- (Ex Greg. l. 2. Paſt c. 4. med.)

men dignitas veræ ſapientiæ à ſimilitudine doctrinæ.

CAPUT LXXXIV.

De Clerico derelinquente Clericatum ſuum.

SI quis Clericus relicto officii ſui ordine laïcam voluerit agere vitam, vel ſe militiæ ſæculari tradiderit, excommunicationis pœnâ feriatur. Con... a. c

CAPUT LXXXV.

De eo quod non facilè vincitur unus de ordine Canonico.

SIlveſter dicit: Non Acolythus adversùs Subdiaconum, non Exorciſta adversùs Acolythum, non Lector adversùs Exorciſtam, non Oſtiarius adversùs Lectorem det accuſationem aliquam. Et non damnabitur Subdiaconus, Exorciſta, Oſtiarius, Lector, Acolythus, filios habentes & uxorem, & omninò Chriſtum prædicantes; ſic datur myſtica veritas, niſi in ſeptem teſtimoniis; & non damnabitur Diaconus, niſi in triginta ſex, & non damnabitur Preſbyter, niſi in quadraginta quatuor. Con... a. c

CAPUT LXXXVI.

De eo quod debent Canonici ſe præcavere ante transformationes dæmonum.

ADmonendi ſunt Clerici Canonici, ut ſint cauti, ne à dæmonibus in cogitationum ſubtilitate ſeducantur. Propterea & forma diaboli inter Clericos obſervetur, ut ſi quis ad eos veniat, ſive vir, ſive mulier ſit, ſive ſenex, ſive juvenis, etiamſi notus, ſive ignotus ſit, ante omnia oratio fiat, ut nomen Domini primùm invocetur: quia ſi fuerit aliqua transformatio dæmonis, continuò oratione factâ defugiet. Et ſi verò in cogitatione eorum ſurrexerint dæmones, aliquid unde laudari, aut extolli debeant, non acquieſcant eis, ſed tunc magis ſemetipſos humilient in conſpectu Dei, & pro nihilo ducant, cum ſibi aliquid illicitum ſuggeſſerint.

Venerunt dæmones ad quemdam Monachum nomine *Or* in ſpecie cœleſtis militiæ, & habitu Angelorum, currus igneos agentes, plurimo apparatu, tamquam magnum aliquem Regem deducentes, iſque qui à cæteris ut Rex haberi videbatur, dicebat ad eum: Impleſti omnia, ô homo, tantum ſupereſt tibi, ut adores me: ſed ſi adoraveris me, transferam te ſicut Heliam. Et Monachus *Or* hæc audiens dicebat in corde ſuo: Quid eſt hoc? Quotidie ego ſalvatorem meum, qui eſt Rex meus adoro, hic ſi eſſet ille quem adoro, quomodo hoc à me depoſceret, quod indeſinenter me facere ſciret? Poſt hæc reſpondit ad ipſum: Ego habeo meum Regem, quem quotidie ſine intermiſſione adoro, tu autem non es Rex meus: & continuò ille inimicus ad hæc verba nuſquam comparuit.

Item Fortunatus Epiſcopus ex quodam homine ſpiritum immundum excuſſit: qui malignus ſpiritus cum veſperaſcente jam die ſecretam ab hominibus horam cerneret, peregrinum quempiam eſſe ſe ſimulans, circuire cœpit civitatis plateas, & clamare: O virum ſanctum Fortunatum Epiſcopum! ecce quid fecit, peregrinum hominem de hoſpitio expulit: quæro ubi requieſcere debeam, & in civitate ejus non invenio. Tunc quidam in hoſpitio cum uxore ſuâ, & parvulo filio, ad prunas ſedebat, qui vocem audiens, & quid ei Epiſcopus fecerit requi-

Digitized by Google

rens, hunc invitavit hoſpitio, & ſedere eum ſecum juxtà prunas fecit. Cumque viciſſim aliqua confabularentur, iſdem malignus ſpiritus parvulum ejus filium invaſit, atque in eaſdem prunas projecit; ibique mox ejus animam excuſſit. Qui orbatus miſer, vel quem ipſe ſuſceperit, vel quem Epiſcopus expuliſſet, agnovit.

MONITUM.

Nobiliſſimum AHYTONIS *(qui aliis Haito, Heito, Haido nuncupatur) Epiſcopi Baſilienſis fetum, poſt octingentos & ampliùs annos pulvere obſitum ac neglectum emittimus in lucem. Hocce monumentum primùm V. Cl. Emerici Bigotii indicio debeo, qui Romà cum Pariſiorum Lutetiam rediiſſet, ac mihi retuliſſet quid antiquitatis ibi reperiſſet, aſſeruiſſetque exſtare in urbe Ahytonis Baſileæ Epiſcopi Capitulare* XXIV. *conſtans Capitulis, veterrimâ manu exaratum, ego actutum fui ejus deſiderio vehementer inflammatus; atque haud multo poſt deſiderium meum epiſtolâ teſtatus ſum Reverendiſſ. Patri Joanni Bona, qui ſuæ pietatis ac doctrinæ ſplendore Eccleſiam illuſtrat Catholicam. Ipſe igitur operam dedit, ut mihi ſatisfaceret, ſicut ex ſubjectis diſcet ejus ad me literis:*

ADMODUM R. PATER.

Citiùs quàm credideram mitto tibi Capitulare Aytonis Epiſcopi Baſilienſis. Reperi illud præter ſpem in Bibliot. Eminentiſſ. Cardinalis Barberini, & lætatus ſum, ſicut qui invenit ſpolia multa. Tum nullâ interpoſitâ morâ petii, obtinui & amanuenſi tranſcribendum tradidi, quod fideliſſimè peractum eſt. Inſeres illud VI. aut VII. Tomo tui Spicilegii; diceſque te illud accepiſſe ex Bibliothecâ Eminentiſſ. Cardinalis Franciſci Barberini S. R. E. Vicecancellarii. "

Cap. XXI. genu poſitum reperies pro generatione ſive gradu generationis, obſoleto planè vocabulo, niſi quòd in uſibus feudorum geniculum eodem ſenſu uſurpatum reperitur. "

Multum laudat Summus Pontifex SPICILEGIUM *tuum, dixitque ſibi præ omnibus placere virorum illuſtrium epiſtolas, & ea quæ pertinent ad hiſtoriam, & antiquam Eccleſiæ diſciplinam: nam hæc, inquit, ſingularia ſunt, & hiſtoria epiſtolaris omnium certiſſima eſt. Tum ſubdidit, utiliorem præſtare operam reipublicæ literariæ qui eruendis è ſitu Bibliothecatum veterum lucubrationibus incumbunt, quàm qui novos cudunt libros: libri enim novi, ſi quid boni continent, ab antiquis mutuari ſolent. Hoc eſt judicium de ſtudiis, quod ab ore Sanctiſſimi Domini noſtri acceptum tibi ſincerè repræſento, nihil addens, nihil minuens. Deus tibi vires largiatur, ut plures hujuſmodi ſpicas colligere poſſis ad Ordinis Monaſtici decus, & totius Eccleſiæ utilitatem. Id voveo ex animo.* "

Romæ die 10. Septembris 1663. "

Tuus in Chriſto Servus obſequentiſſ. "
D. JOANNES BONA *Cong. Reform.* "
S. Bern. Abbas Generalis. "

Exſtat & id Capitulare in codicibus MSS. Bibliothecæ Vaticanæ notatis 1146. 1147. 1148.

AHYTONEM *vitæ ſanctitate, doctrinâ, rebus geſtis, & apud Imperatorem Græcorum obitâ legatione inſignem, laudibus multis extollunt ſcriptores quamplurimi.*

Annales Francorum veteres an. DCCCXI. Abſoluto atque dimiſſo Arſafio (hoc erat nomen Legato Nicephori Imp.) ejuſdem confirmandæ gratiâ Legati Conſtantinopolim ab Imperatore (*Carolo Magno*) mittuntur Haido Epiſcopus Baſlenſis, & Hug (*Hugo*) Comes Turonicus, &c. *Eadem Eginhardus in Annalibus an.* DCCCXI. *ubi* Hatto Baſilienſis Epiſcopus *dicitur pro Haito. Vita Caroli Magni incerto Auctore habet ipſiſſima verba. Monachus Engoliſmenſis in eâdem vitâ*: Abſoluto, &c. pacis confirmandæ gratiâ Legati ab Imperatore Conſtantinopolim mittuntur Haido Epiſcopus Baſlenſis, &c. *Annales Fuldenſes anno* DCCCXI. Imperator Legatos ſuos Conſtantinopolim miſit Haidonem Baſilienſem Epiſcopum, &c. *Hermannus Contractus in Chronico ad an.* DCCCVI. Augiæ Waldone Abbate ad regeodum S. Dionyſii Cœnobium tranſpoſito, Heito nonus Abbas præfuit annis 17. *Anno* DCCCXI. Heito Abbas Augiæ Epiſcopus Baſileæ cum Hugone & Atone Comitibus Conſtantinopolim miſſus hodœporicum ſuum ſcripſit. *Anno* DCCCXVI. Augiæ Baſilica S. Mariæ ab Heitone Abbate & Epiſcopo conſtructa, dedicata eſt. *Anno* DCCCXXII. Augiæ

Heitone Abbate & Epiſc. privatam & quietam vitam adoptante, Erlebaldus Abbas XIII. præfuit annis 13. *Anno demùm* DCCCXXIV. Augiæ Wetinus Monachus è corpore ductus & reductus, poſt triduum obiit; cujus viſiones Heito Epiſcopus proſâ, & Walachfridus heroïco metro ſcripſit. *Hepidannus Monachus S. Galli in Annal. quos ab an. Ch.* 709. *ad an.* 1044. *deduxit*: An. *inquit*, 801. Heito Epiſcopus in Concilio Karoli clarus habetur. *An.* 810. (811. *potiùs*) Heito ſuper mare tranſivit, *id eſt mari Conſtantinopolim Legatus petiit. Anno* 820. Heito Epiſcop. in Augiâ militat. *In Chronico Sanctigallenſi ab anno* 748. *ad an.* 926. *Hatto corrupto nomine appellatur pro Hatto vel Heito, & dicitur* anno 806. Waldoni *Augiæ Abbati* ſucceſſiſſe (*quod & Hermannus ſcribit*) *& anno* 811. Hatto ſuper mare tranſiviſſe. *Anno* 822. Hattoni Erlaboldus (*aliàs Erlebaldus in regimine Augiæ*) ſucceſſiſſe: *ac demùm an.* 836. Hatto Epiſcopus obiiſſe: *quæ pleraque Hermannus Contractus in Chronicon ſuum tranſtulit.*

AHYTHONIS EPISCOPI BASILIENSIS CAPITULARE.

ANNO CIRC. 810.

Hæc Capitula quæ ſequuntur Ahyto Baſilienſis Eccleſiæ antiſtes, & Abbas Cœnobii, quod Augia dicitur, Presbyteris ſuæ Diœceſeos ordinavit; quibus monerentur qualiter ſeipſos ac plebem ſibi commiſſam castè & juſtè regere, atque in Religione divina confirmare debeant.

PRIMÒ omnium diſcutienda eſt Sacerdotum fides, qualiter credant, & alios credere doceant: ubi & exempla proponenda ſunt, quatenùs à creaturâ Creator quantulumcumque poſſit intelligi.

SECUNDÒ jubendum eſt, ut Oratio Dominica, in quâ omnia neceſſaria humanæ vitæ comprehenduntur, & Symbolum Apoſtolorum, in quo fides Catholica ex integro comprehenditur, ab omnibus diſcatur tam latinè quàm barbaricè, ut quod ore profitemur, corde credatur, & intelligatur.

TERTIÒ intimandum eſt, ut ad ſalutationes Sacerdotales congruæ reſponſiones diſcantur, ubi non ſolùm Clerici, & Deo dicatæ Sacerdoti reſponſionem offerant, ſed omnis plebs devota conſonâ voce reſpondere debet.

QUARTÒ, ut fides ſancti Athanaſii à Sacerdotibus diſcatur, & ex corde [a] omni die Dominico ad horam primam recitetur.

QUINTÒ, ut ſciant quid ſit Sacramentum Baptiſmatis, & Confirmationis; & quale ſit myſterium Corporis & Sanguinis Domini, quomodo in eiſdem myſteriis viſibilis creatura videtur, & tamen inviſibilis ſalus ad æternitatem animæ ſubminiſtratur, quod in ſolâ fide continetur.

SEXTÒ, quæ ipſis Sacerdotibus neceſſaria ſunt ad diſcendum; id eſt, Sacramentarium, Lectionarium, Antiphonarium, Baptiſterium, Computus, Canon-pœnitentialis, Pſalterium, Homiliæ per anni circulum Dominicis diebus & ſingulis Feſtivitatibus aptæ. Ex quibus omnibus ſi unum defuerit, Sacerdotis nomen vix in eo conſtabit: quia valde periculoſæ ſunt Evangelicæ minæ, quibus dicitur: *Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.* M

SEPTIMÒ, ut ſciant tempora legitima ad baptizandum in anno; id eſt, ſabbato ſancto Paſchæ, ut illa trina merſio in Baptiſmate imitetur triduanam mortem Domini clarificatam reſurrectione. Et idcircò uſque ad octavum diem ipſa regeneratio ſancta ab omni populo Chriſtiano celebrabitur. Aliud verò tempus baptiſmatis ſabbato ſancto Pentecoſtes celebrandum eſt. Si verò neceſſitas contigerit, omni tempore in periculo [b] ſubveniendum eſt, quia neceſſitas vix habet legem: & ut vas ad fontem Baptiſmatis habeant, quod ad reliquos uſus nullatenùs aſſumatur.

OCTAVÒ pronuntiandum eſt, ut ſciant tempora feriandi per annum; id eſt, omnem Dominicam à mane uſque ad veſperam, [ob venerationem [c] dominicæ reſurrectionis; ſabbatum verò operandum à mane uſque ad veſperam, ne in] Judaïſmo capiantur. Feriandi verò per annum iſti ſunt dies, ut ſuprà orſi ſumus, Natalis Domini, ſancti Stephani, ſancti Joannis Evangeliſtæ, Innocentum, Octava Domini, Theophania, Purificatio ſanctæ MARIÆ, ſanctum Paſcha, ſicut in ſuperiori capitulo comprehenſum eſt: Rogationes tribus diebus, Aſcenſio Domini, Sabbatum ſanctum, Pentecoſtes: ſancti Joannis Baptiſtæ, duodecim Apoſtolorum, maximè tamen SS. Petri & Pauli, qui Europam ſuâ prædicatione illuminaverunt: Aſſumptio ſanctæ MARIÆ, Dedicatio Baſilicæ ſancti Archangeli Michaëlis, dedicatio cujuſcumque Oratorii, ſeu cujuſlibet Sancti, in cujus honore eadem Eccleſia fundata eſt; quod vicinis tantùm circum commorantibus indicendum eſt, non generaliter omnibus. Indictum verò jejunium quando à Palatio [d], vel à Domo [e] fuerit denuntiatum, ab omnibus generaliter obſervetur. Reliquæ verò feſtivitates per annum, ſicut

a *ex corde*] h. e. *memoriter*, gal. *par cœur*, ut rectè monet Acherius. Statim voculam *omni* addidimus ex codice quodam antiquiſſimo Sangallenſi, qui cum priorem editionem conſuluit Baluzius.

b *in periculo*] Addidimus è duobus codd. S. Galli.

c *ob venerationem*] Quod uncis includi curavimus, ex iiſdem codicibus adjecimus. In eorum altero *obſervationem* legitur.

d *à Palatio*] De jejuniis à Regibus noſtris indictis conſuli poſſunt Gregorius Turonenſis lib. 9 cap. 21. & Carolus M. epiſtolâ ad Faſtradam. Quod deinde legitur *à Domo* vitioſum eſſe Acherius rectè monet, & legendum eſſe *à Domno*, ſed idem non rectè explicat à Domno Apoſtolico, ſive Papa; verius eſt, à proprio Epiſcopo.

ſancti Remedii, ſancti Mauricii, ſancti Martini, non ſunt cogendæ ad feriandum, nec tamen probibendum, ſi plebes hoc caſtè & zelo Dei eupiunt exercere.

Nonò, jubendom eſt eiſdem Sacerdotibus, ut non permittant ſecum mulieres habitare extraneas juxtà Nicænum Concilium, niſi eas tantum, in quibus ſuſpicio nulla malæ famæ oboriri poteſt.

Decimò, ut tabernas non ingrediantur, nec ſedendo domi, nec in itinere occupati. Si verò neceſſe habent ibidem aliquid emendi, Miſſos ſuos dirigant, & oblata in aliam domum conferant, & eum gratiarum actione fideliter percipiant.

Undecimò, ut placità ſæcularia non obſervent, nec fidejuſſores exiſtant, nec canes ad venandum, nec accipitres, nec faleones, nec ſparavarios, nec ullius ludi aut ſpectaculi licentiam habeant. Suſſi-

Pſal. 1. 2. cit enim eis quod in primo pſalmo legitur: *In lege Domini eſſe eorum voluntatem, & in lege ejus meditari die ac nocte.* Et quod in Apoſtolo præcipi-

1. Tim. 2. 4. tur: *Nemo militans Deo implicet ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat cui ſe probavit.*

Duodecimò, ut ſciant quia nemo per peeuniaa ordinandus eſt, nec per munera Eeclesiam debet occupare, quia ſi factum fuerit, & ipſe, & ordinator ejus deponendi ſunt: quia manifeſtum eſt, eos qui talia agunt ſimoniacâ hæreſi ægrotare; & talem non per oſtium in ovile ovium juxtà Evangelii verba, ſed aſcendentem aliunde, furem eſſe & latronem. Et non ſolùm ipſi qui hoc faciunt, ſed & qui conſentiunt facientibus, excommunicandi ſunt.

Tertio-decimò, ut nullus vagaotem ex aliena parochiâ aodeat recipere, aut ſecum commorandi, aut Miſſam celebrandi, niſi permiſſione noſtrà: nec ullius Eccleſiæ aut plebis gubernacula ſuſcipiendi, niſi prævenienre conſcientiâ noſtrâ; qoi ſecus fecerit, excommunicabitur.

Quarto-decimò, ut in tuguriis, vel in Eccleſiis non conſecratis, vel in domibus, niſi fortè viſitandi gratiâ infirmitate detentis, Miſſarum myſteria nnn celebrent. Quòd ſi fecerint, propter inobedientiam degradandos ſe ſciant.

Quinto-decimò, quòd deeima, quæ à fidelibus datur, Dei cenſus [e] nuncupanda eſt, & ideo [e] ex integro eſt reddenda. Cujus tertia pars ſecundùm Ca-

Concil. Tolet. 9. nonem Toletanum, Epiſcoporum debet eſſe. Nos verò hac poteſtate uti nolumus, ſed tantùm quartam partem juxtà conſtituta [f] Romanorum Pontificum, & obſervantiam ſanctæ Eccleſiæ Romanæ, de eâdem habere volumus. Quòd ſi quis contentioſus inde repertus fuerit, ſive Clericus, ſive Laicus ille [g] ſit, communione privabitur, & ſynodali cenſurâ dijudicabitur.

Sexto-decimò, ut unuſquiſque hoc provideat, ut mulieres ad altare non accedant, nec ipſæ Deo dicatæ in nullo miniſterio altaris intermiſceantur. Quòd ſi pallæ altaris lavandæ ſunt, à Clericis abſtrahantur, & ad cancellos feminis tradantur, & ibidem repetantur. Similiter & Preſbyteri, eum oblata ab eiſdem mulieribus offeruntur, ibidem accipiantur, & ad altare deferantur.

Septimo-decimò, ut ipſi Sacerdotes verbo & exemplo omnibus prædicent, ut nullus uſuras accipiant, nec ſeſcupla, nec ſpeciem pro ſpecie. Quia valde infidelis, & rebellis Dei juſſionibus eſt qui hoc agit: quod omnibus Chriſtianis æquè dictum [h] dignoſcitur, maximè tamen Sacerdotibus, qui formam & exemplum fidei omnibus eſſe debent.

Decimo-octavo, ut nullus Ordinatus ſive Ordinandus migret de ſuâ Parochiâ ad aliam; nec ad limina Apoſtolorum cauſâ orationis, Eccleſiæ ſuæ curâ derelictâ; nec ad palatium cauſâ interpellandi; nec à communione ſuſpenſus, ab alio communionem recipiendi ſine permiſſione, & præſcientiâ Epiſcopi ſui. Quòd ſi fecerit, nihil valet hujuſmodi communio, aut ordinatio, aut demigratio. Et hoc omnibus fidelibus denuntiandum eſt, ut qui cauſâ orationis ad limina Beatorom Apoſtolorum pergere cupiunt, domi confiteantur peccata ſua, & ſic proficiſcantur: qoia à proprio Epiſcopo aut Sacerdote ligandi aut ſolvendi ſunt, non ab extraneo.

Nono-decimò, ut aliud in Eccleſiâ non legatur aut cantetur, niſi ea quæ auctoritatis divinæ ſunt, & Patrum Orthodoxorum ſanxit auctoritas. Nec falſa nomina Angelorum colant [i], ſed ea tantùm quæ Prophetica, & Evangelica docet ſcriptura: id eſt, Michaël, Gabriël, Raphaël. Nec diverſa ſentiant in judiciis pœnitentium, eum unus minùs, alter verò majus alteri adulando, alteri detrahendo placere velit: ſed conſideratâ qualitate perſonæ juxtà modom culpæ agatur cenſura vindictæ. Burchard. lib. 3. c. 198.

Vigesimo, admonendi ſunt, ut perpendant, quia quidquid à fidelibus datur, redemptio peccatorum eſt: & ideò non glorientor talibus ſumptibus uti, ſed magis timeant quod in veteri Teſtamento de Sacerdotibus dictom eſt; *Iniquitatem populi eos debere portare.* Et ideo cum magno timore ſuper eos [l] ſolliciti ſiot, quorum donis participantur, quia magnum periculum eſt judicem fieri vitæ alienæ, qui neſcit tenere moderamina vitæ ſuæ.

Vigesimo primò, ut ſciant & intelligant, quid ſit inceſti crimen, & hoc unuſquiſque in ſua parochia provideat ne fiat, & ſi factum fuerit, qoantum celerrimè potuerit emendetur; id eſt, ut nullus ſibi accipiat de propinquitate uſque in quinto genu [m]. Quòd ſi ignoranter factum fuerit, non facue credatur, ſed judicio Dei examinetur: & noo ſeparentur in quarto genu [n], ſed in pœnitentiâ [n] cunctis diebus conjunctionis ſuæ perſeverent. Similiter & vir duas uxores inter ſe ſimili ratione conjunctas, aut uxor duos viros inter ſeeodem modo conjunctos, aut compater, aut commater, filiolus aut filiola ſpiritualis de fonte, aut de confirmatione, aut Deo dicata, aut alterius uxor vivente marito, aut alterius maritus vivente uxore. His talibus nulla ratione in matrimonium licitum eſt conjungi. In primo verò genu vel ſecundo ſi inventi fuerint ſcelus perpetraſſe fornicationis, matrimonii jura alterius [o] ſciant ſe funditus perdidiſſe. In tertio verò genu ſi inventi fuerint tali crimine pollutos eſſe, digna pœnitentia eos ſubſequatur, & tamen matrimonii jura eis, non vieiſſim, ſed ad alios non negentur. Ubi verò mancipia non unius ſed diverſæ poteſtatis juncta fuerint, niſi conſentientibus utriſque Dominis, hujuſmodi copulatio rata non

e *Dei cenſus*] Sic laudati codices, rectè: prior editio, *Dei cenſo*: in eâdem *& Deo ex integro reddenda.*

f *juxtà conſtituta*] Uterque codex S. Galli; *ſecundùm uſum.*

g *laicus ille*] Prior editio *Diaconus*, quod cum vitioſum eſſet, codices duos ſæpe laudatos ſequuti ſumus. In fine legebatur, *judicabitur.*

h *æque dictum*] Prior editio, *æquè interdictum eſſe.*

i *nomina colant*] Ut Adalbertus Epiſcopus an. 744. in Concilio Sueſſionenſi damnatus, qui orationi cuidam ſuæ ſeptem Angelorum nomina ignota inſeruerat.

l *ſuper eos*] E duobus codicibus S. Galli addidimus.

m *in quinto genu*] Laudati codices *in quintum genus*, & infrà *in quartum genus*. In Conc. Vermer. anno 752. celebrato perinde atque in Legibus Ripuariorum tit. 58. §. 3. & in Legibus Longobardorum tit. 24. l. 1. *geniculum* pro generatione uſurpatur.

n *ſed in pœnitentiâ*] Totum hoc uſque ad *ſimiliter* in neutro S. Galli codice reperitur.

o *jura alterius*] ſic laudati codices, rectiùs quàm prior editio *jura alteriùs.*

erit. Quidquid verò p negligendo ſentitur, & virtute qua potuerit non emendetur; nam hujus copulæ auctor erit, qui huic negligendo conſentit. Plura ſunt quæ ad inceſti crimen ſcribi poterant, ſicut in matre, & filiâ, & novercâ, & penè innumera quæ menti ad ſcribendum non occurrunt: hujuſmodi tamen, & his ſimilibus perſonis copula maritalis in ſempiternum ſubtrahitur.

Vigesimo ſecundo, admonendi ſunt, ut ſciant populis denuntiare quæ ſint opera miſericordiæ cum fructibus ſuis, quæ Evangelica & Apoſtolica pagina complectitur, quibus pervenitur ad vitam: quæve opera iniquitatis cum fructibus ſuis multiplicibus, quibus calle ſiniſtro ad æternum tenditur interitum. Et ut perjurii crimen omnimodo devitent: quia non ſolùm in Evangelio vel Reliquiis Sanctorum crimen perjurii, ſed in veritate quæ Deus eſt (ſi mentitur) perpetrare dignoſcitur.

Vigesimo tertiò, admonendi ſunt, ut ſciant quia Eccleſiis quibus præſunt, ſponſi facti ſunt: & ideo omni vigilantiâ qualiter eas decorent, & inceſſanter deſerviant, totius vitæ ſuæ vigilantiam impendant.

Vigesimo quartò, ut horas Canonicas tam nocturnas, quàm diurnas nullatenùs prætermittant. Quia ſicut Romana Eccleſia pſallit, ita omnibus ejuſdem propoſiti viam tendentibus faciendum eſt. Et non ſolùm novi Teſtamenti ſuot documenta eadem formulam obſervandi, ſed etiam veteris Teſtamenti patet ratio: quia Propheta Spiritu ſancto inſtinctus profert: *Septies in die laudem dixi tibi*. Et, *Mediâ nocte ſurgebam ad confitendum tibi*. Pſal.

Vigesimo quintò, ut plebibus denuntient, quòd filios, & filias ſpirituales, quos in baptiſmate ſuſcipiunt, eis fidejuſſores & ſponſores fidei exiſtunt, & pro eis Diabolo, cui antè mancipati fuerant, abrenuntiant: & ideo uſque cùm adulti fuerint, & eis fidei ſuæ ſponſionem & abrenuntiationis expoſuerint, & reddiderint, in ſuâ providentiâ habeant. Et quod illi pro eis ſpoponderant, ab eis eadem reſponſa ex integro exigant.

Finiunt Capitula Ahytonii *Epiſcopi Baſilienſis*.

MONITUM.

Fragmenta Statutorum veteris Corbeïæ, *quæ nobiliſſimus* Adalardus, *Abbas Sanctiſſimus, olim ſuis Monachis cum ab exilio reverſus fuiſſet anno Chriſti 822. præſcripſit, è ſchedis membranaceis ejuſdem Abbatiæ chartarii eruimus, eâ quidem tempeſtate exaratis, ſed ſitu & mucore aliquantulum labefactatis, viſum ſubinde fugiebant characteres, adeo ut ferè mihi divinandum fuerit. Verba exoleta, & trivialia, quæ illa ferebat ætas, elucidare operæ-pretium putavi, ne quid lectorem moraretur. Cæterum Biographus S. Adalardi B. Gerardus in capite 8. illorum cum laude meminit Statutorum, ad hunc modum:* Quàm efficax fuerit (*Adalardus*) in diſpoſitionibus ordinationis ſuæ qui noſſe voluerit, in libro qui de his conſcriptus eſt, legere poterit non ſine grandi admiratione; ubi etiam proſpiciet quàm ſapienter à ſapiente diſpoſita fuerit domus Corbeïenſis Eccleſiæ. *Porrò præter ea quæ à tenebris ac ſitu vindicavi fragmenta, ſupereſt dumtaxat Index capitum numero 61. Edidit & alium Librum egregius ille Abbas ad Regis animum Chriſtianis moribus imbuendum, & Aulæ Miniſtros in ſuis quoſque officiis rectè ac prudenter inſtituendos, continendoſque; Hincmaro teſte oculato in Epiſtolæ 14. capite 12.* Adalardum ſenem & ſapientem, *ait ipſe*, Domni Caroli Magni Imperatoris propinquum, & Monaſterii Corbeïæ Abbatem, inter primos Conſiliarios primum in adoleſcentiâ meâ vidi. Cujus libellum de ordine Palatii legi & ſcripſi: in quo inter cætera continetur, duabus principaliter diviſionibus totius regni ſtatum conſtare, antepoſito ſemper & ubique omnipotentis Dei judicio, &c.

STATUTA ANTIQUA ABBATIÆ SANCTI PETRI CORBEIENSIS.

Brevis, quem Adalardus ad Corbeiam regreſſus anno Incarnationis Domini DCCC. XXII. *menſis Januarii, indictione* XV. *Imperii verò glorioſi* Chludvici Augusti VIII. *fieri juſſit.*

CAPUT PRIMUM.

Isti ſunt Provendarii [a] qui omni tempore æqualiter & pleniter in noſtris diebus eſſe debent. Et ſi unus ex eis mortuus fuerit, ſtatim alter reſtituendus eſt, ut ille numerus ſemper ſit plenus, & nullus ampliùs in illo numero addatur. Et quamvis modò ſint alii Clerici ſuperflui, ſicut eſt Savaricus, & aliquanti alii ad illam cellam; vel laïci aliqui, ſicut ibi ad ipſam cellam, & ſicut illi Winedi, & Geriola, & Bruningus Saxo, vel Germanus Bituradi, vel ſi alii adhuc mittantur Clerici, vel laïci; non tamen ad illum numerum CL. adjungendi ſunt; ſed ſemper ſeparatim habendi, & tunc liberandi ſunt ſecundùm quod temporis ille qui præeſt eis, ſingu-

p *Quidquid verò*] Locum hunc ita emendat Acherius. *Quidquid verò negl. conſentitur, ed virtute*, &c.

a *Provendarii*] Si Acherio credas, ita dicti ſunt à providendo, iique ſunt quos vernaculâ linguâ dicimus *Pourvoyeurs*; ſed multo rectiùs B[illegible] us, dum hic [illegible] contendit de certo Canonicorum numero, quos Præbendarios vocant

lis dare juſſerit. Iſti verò cl. uno ſemper tenore in noſtris diebus liberandi ſunt, ſicut hodie per ſingulas officinas liberantur; alii ſic, alii verò ſic, quod ideò hîc ſcribere neceſſe non fuit, quia ex uſu quotidiano tam dantibus, quàm accipientibus notiſſimum eſt; & ipſi Miniſteciales habent inde ſinguli breves ſuos; id eſt, Camerarius, Cellerarius, & Seneſcaleus.

DE CLERICIS. Pulſantes XII. Alii Clerici VII.
b Ex his ad Cellerarium II. ad Lavendariam [b] Fratrum unus: ad Curticulam Abbatis unus: ad domum infirmorum tres: Aliæ verò neceſſitates quas Clerici facere debent, per Pulſantes fiant. Et ideo neceſſe eſt, ut tales ibi ponantur, qui omnes neceſſitates interiores facere poſſint, & de familiâ noſtrâ ſint; nec contradicere quidquam audeant, & juxtà quod eſſe poteſt ut Officiales ſint, & de ipſo officio, vel religione ſuâ, poſt Præpoſitum & Decanum, ad Cuſtodem Sancti Joannis reſpiciant: nec omninò ſine cuſtodiâ relinquantur: ne propter aliquam turpitudinem illorum Religio Monaſterii blaſphemetur.

c ITEM DE LAICIS. Matricularii [c] duodecim. Laïci triginta. Ad primam Cameram ſex, Sutores tres; Cavalarii duo; Fullo unus. Ad ſecundam Cameram quatuordecim. Ex his ad Cameram unus; Fabri groſſarii, ſex; Aurifices duo; Sutores duo; Scutarii duo; Pergaminarius unus; Saminator unus; Fuſarii tres. Ad tertiam cameram, tres: ad Cellarium & Diſpenſam Portarii duo: ad domum infirmorum unus, Gararii duo; ad lignarium in piſtrino unus; ad portam medianam unus; Carpentarii quatuor; Mattiones quatuor; Medici duo; ad caſam vaſſallorum duo. Iſti ſunt infrà Monaſterium.

ISTI VERÒ EXTRA MONASTERIUM. Ad Molinum duodecim: ad piſcariam ſex; ad ſtabulum duo; ad
d hortos octo; ad Buriam [d] ſeptem; ad Arboretam novam duo; Berbicarii duo; ad Vivarium quinque.

CAPUT II.

ISti autem ſunt dies tredecim, in quibus eis propter amorem Dei, & honorem ſanctorum dierum, excepto provendâ ſuâ, ſi non ampliùs, vel talis conſolatio danda eſt: id eſt inter duos, panis unus vaſſallorum talis qui fiunt ex modio uno triginta; & unicuique cujuſlibet generis pulmenti media libra: & unicuique plenus calix, ſi fuerit unde, de vino, ſin autem de cerviſâ Fratrum. Nativitas Domini: Theophania: Miſſa Domnæ Balthildæ; & ipſo die de miniſterio Camerarii: Purificatio ſanctæ MARIÆ: die Dominicâ initium Quadrageſimæ; Cœna Domini: Paſcha; Aſcenſio Domini: Pentecoſte: Miſſa ſancti Joannis Baptiſtæ; ſancti Petri; ſancti Martini; ſancti Andreæ.

Similiter etiam iſti ſunt dies, quibus eis ab opere
e dominico [e] parcendum eſt (excepto illud ad victum præparandum pertinet) Nativitas Domini: S. Stephani: S. Joannis: Natale Innocentium: Octab. Domini: S. Theophaniæ: Miſſa Domnæ Balthildæ: Purificatio S. Mariæ: Primo die jejuniorum Quadrageſimæ; adeo ut ſpatium habeant Confeſſiones ſuas renovare; Cœna Domini: Paraſceve: Sabbato Sancto: Quarta feria in Paſcha. Rogationes, triduo; Aſcenſio Domini: S. Joannis Baptiſtæ: S. Petri. S. Marcellini: S. Firmini: S. Martini: S. Andreæ. Vigilia Natalis Domini. Et illi dies de quatuor temporibus.

CAPUT III.

HÆc ſunt quæ Clericis noſtris Canonicis ſuprà ſcriptis, qui ſpecialiter Pulſantes dicuntur, dari debent. De veſtimento; Tunicas duas albas & tertiam de alio colore: & caligas quatuor; femoralia
duo; ſoccos filtrinos [f] duos; Calcearios quatuor f
cum ſolis novis, exceptis denariis octo ad calceamentum; Vvantos duos; Mulſolas duas. Hæc omnia anno. Cappam verò de ſago; & pelliciam; Cottum aut lectarium, ſive ſagum, in tertio anno accipiant. Iſta omnia de illo veſtimento debent accipere, quod fratres reddunt dum accipiunt novum, & talia de his eligantur illis, qualia inveniri poſſunt utiliora. Cæterum capellæ, broccus, ſive cucula de ſago unde hroccus fieri poſſit, ad arbitrium Prioris erit.

CAPUT IV.

COnſtituimus ad Hoſpitalem pauperum quotidie
dare panes de mixturâ [g] factos, quadraginta g
quinque, librarum trium & dimidiæ, & de frumento vel ſpeltâ panes quinque, quales Vaſſalli accipiunt, ut fiant ſimul quinquaginta. Ipſi verò panes illo modo partiantur, ut duodecim pauperes, qui ſuprà noctem ibi manent, accipiant ſinguli unuſquiſque panem ſuum, & in craſtinum unuſquiſque ad viaticum dimidium. Hoſpitalarii autem duo, qui ibi deſerviunt, de ſuprà ſcripto numero unuſquiſque panem unum: nam panes quinque frumentacii debent partiri inter peregrinos Clericos qui in refectorium ducuntur ad viaticum, & infirmos qui ibi ſuſtentantur: ipſam tamen diſtributionem panum arbitrio committimus Hoſpitalarii; eâ videlicet ratione, ut ſi venerit major numerus pauperum, aut plùs aut minùs indigentes, ſicut ſunt inediâ defecti, aut pueruli parvuli, ipſe diſcernat, juxtà quod oportet. Quòd ſi contigerit aliquo tempore minùs venire pauperes, ipſe Hoſpitalarius, & Magiſter ejus ſenior Portarius, in memoriam omnimodis habeant, quanto de ſupra ſcripto numero propter paucitatem venientium minùs diſpenſatur, ut iterum cum plures venerint, quod remanſit, diſpenſetur.

Cæteris verò pauperibus venientibus, & eâdem die recedentibus, ſolet dari quartarius, vel, ſicut diximus, juxtà quod Hoſpitalarius prævideri in majori vel minori numero aut neceſſitate compedire,

b *lavendariam*] Lavacrum, *lavoir*, ait Acherius: corticula verò à cohorte derivatur, id eſt horto, Gal. *Courtil*.

c *matricularii*] Nomina obſcura explicare pergit Acherius; Matricolarii, *Marguillers*, eccleſiarum cuſtodes, aut adminiſtratores, ſive etiam qui curam gerunt pauperum. Cavalarii, equites aut aurigæ. Pergaminarius, qui pergamenum aptat. Saminator, aut Samiator, qui cote acuit. Fuſarii iidem qui fuſores. Gararii, quos dicimus *Gruyers*, qui nemoribus ſecandis præſunt. Mattiones, qui edulia præparant.

d *buriam*] Buria, pergit Acherius, locus ubi lintea dealbantur, ſeu lixivio ſordes abluuntur, Gal. *Buerie*. Arboreta, locus arboribus conſitus. Berbicarii, paſtores ovium, *Bergers*. Vivarium ubi piſces nutriuntur, *Vivier*.

e *opere dominico*] Obſequio dominis debito, ut vidit Acherius.

f *ſoccos filtrinos*] Quæ hoc capite obſcuriora nomina occurrunt, ita interpretatur Acherius. Socci, genus calceamenti, Gal. *Soques*: ii debent eſſe ex filtro, h. e. groſſiori panno, quem *feutre* vocant. Solæ, *pantoufles*. Vuanti, ſive Guanti, *Gants*. Iiſdem adjunguntur Mulſolæ, alias Mulſulæ, quas dicas *Mouffles*, aut *Mitaines*, & ſunt chirothecæ ampliores. Sequitur *pelliccia*, quæ videtur aut veſtis è pellibus, vulgò, *pelliſſon*, aut quæ dicitur *Aumuſſe*. Cottum verò, quod idem dicitur lectarium ſive ſagum, pallium eſt quadratum, ſive coopertorium lecti inſerviens. Capella, cappæ diminutivum, hroccus, ſive cuculla, veſtis eſt ſuprema, quæ totum à capite corpus tegit, atque inde factum eſt Rochetum.

g *de mixturâ*] Quos dicimus *de metail*, miſcellos panes. Spelta verò frumenti genus, quidam viciam appellant.

companaticus, aut ſecundum conſuetudinem, tribuatur.

De potu autem quotidie detur modius dimidius, id eſt ſextaria VIII. de quibus dividuntur ſextaria quatuor inter illos duodecim ſuprà ſcriptos, ita ut unuſquiſque accipiat calices duos. Ex aliis quoque quatuor ſex dantur Clericis, quibus pedes lavantur à Fratribus, unicuique calix unus; & Willeranno ſervitori calix unus: quod reſiduum fuerit, in arbitrio Hoſpitalarii relinquimus quomodo illud ſive infirmis, ſive aliis pauperibus dividat. De vino autem erit in arbitrio Prioris.[h] Infirmorum autem neceſſitatem ſenior Portarius debet juxtà poſſibilitatem providere, ſive in cibo, ſive in potu, in his rebus quæ Hoſpitalario deſunt ad opus infirmorum.

Si contigerit venire peregrinos de longinquis provinciis, qui ſuprà ſcriptum numerum excedant, portarius provideat eis quæ neceſſaria ſunt, ita ut non minuatur quidquam de his quæ quotidianis diebus deputata ſunt.

CAPUT V.

ADdimus etiam de companatico in cibos pauperum ad penſas XXX. quæ dantur inter caſeum & lardum, & modios XXX. de leguminibus, quintam partem de decimâ quam accipit Portarius à Cellerario de anguillis, vel caſeo recente, qui conſtitutus eſt dare de decem berbicariis, nec non & de illo qui de villis dominicis datur in decimam. Similiter omnem quintam decimæ de pecudibus, id eſt, in vitulis, in berbicibus, vel omnibus quæ dantur de gregibus Portario, etiam in caballis.

Inſuper diſpoſuimus dare ipſi ſuprà commemorato Hoſpitalario de omni argento quidquid ad portam venerit quintam partem, per manus Portarii ſenioris. De quo argento talem volumus fieri diſpoſitionem; ut non minùs quotidie quàm quatuor denarii dentur; & ſi minor fuerit numerus de ipſâ quintâ, quàm ſufficere poſſit ad hanc diſtributionem quotidianam faciendam, Abbas ſi vult ſuppleat aliunde; & ſi ultrà creverit, non ſubtrahatur. Ligna autem provideat Portarius pauperibus ſecundùm conſuetudinem, vel cætera, quæ hîc ſcripta non habentur: ſicut ſunt panni in lectulis, vel vaſa, & cætera quæque. Hæc omnia ſuprà ſcripta de his quæ ad portam veniunt, propter illud ſupplementum argenti, ſicut ſuprà commemoratum eſt, dentur. Inſuper accipiat Hoſpitalarius à Camerario veſtimenta, vel calciamenta Fratrum vetera, pauperibus tribuenda ſecùndùm conſuetudinem. Obſecramus igitur omnes quibus ordinatum fuerit officium in hoc monaſterio, ut in largitate ac diſtributione, Dei potiùs attendant voluntatem, quàm noſtræ parcitatis exemplum; quoniam unuſquiſque eſt pro ſe redditurus rationem.

CAPUT VI.

RAtio, vel numerus annonæ, ſeu, panis, qualiter, vel unde, vel quantum ad Monaſterium debeat annis ſingulis venire; vel qualiter Cuſtos panis illud debeat diſpenſare.

Volumus ut annis ſingulis veniant de ſpeltâ benè ventilatâ atque mundatâ corbi DCCL. unuſquiſque corbus habens modia XII. benè coagitata & raſa, ad iſtum novum modium quem Dominus Imperator poſuit. Et veniat ipſa annona de ipſis villis quas Præpoſitus ſpecialiter in miniſterio habet, & ſi neceſſe fuerit de omnibus, ſin autem de illis quibus ipſe cum Abbate conſideraverit. Iſtum numerum ideo taliter ordinavimus, ut per dies ſingulos anni, qui ſunt CCCLXV. ſemper duos corbos habeat; qui ſimul ſunt corbi DCCXXX. Ideo autem XX. addere fecimus, ut antea ſupercreſcat, quàm deficiat. Et quamvis ipſa annona interdum melior, interdum deterior, & aliquando ampliùs, aliquando minùs de farinâ reddere ſoleat; nos tamen mediocriter æſtimantes, ſperamus quòd de illis duobùs corbis ſemper decem haberi modii poſſint. Sic ergo ſingula modia XXX. panes CCC. Quia autem certi ſumus quòd omni tempore non minùs quàm trecenti, & aliquid ampliùs, ſemper intùs aſſiduè manentes, & ſupervenientes in Monaſterio erimus, cum tamen modò non magis quàm trecenti quinquaginta ſimus; nos tamen quia aliquando minùs, aliquando ampliùs quàm quadringenti fortaſſè ſumus, ita ordinare volumus, ac ſi omni tempore quadringenti ſimus, ut ex eo quando minùs quàm quadringenti ſumus, ſupercreſcit, habeat unde abundantes dari poſſit quando ampliùs ſumus. Rarò tamen fit, quòd ampliùs ſimus, cum hoc ſæpiſſimè fiat quòd multo minùs quàm quadringentiſumus.

Addamus ergo ex eo quod de molinis venit quotidie modia quatuor, & fiunt panes centum viginti, junge ſimul, & ſunt panes CCCCXX. Ecce habemus non ſolùm ad quadringentos qui rarò ſunt, ſed etiam quotidie ad viginti ſuprà qui rariſſimè fiunt. Sed quia omnis ſubſtantia noſtra, quæ per miniſtros noſtros diſpenſanda eſt, ſemper magis volumus ut ſupercreſcat, quàm deficiat: addimus adhuc ex eo quod de molinis venit modium unum, & fiunt quotidie panes CCCCL. de Molinis XV. Collecto igitur numero per ſingulos dies fiunt in totum in anno modia V. CCCCLXXV. addamus etiam XX. de illis molinis, & fiunt V. D. Ex quibus III. DCL. de ſpeltâ; reliqua verò I. DCCCL. de molinis venire debent. Quia ergo, ſicut ſuprà diximus, magis ut ſupercreſcat quàm deficiat, volumus: idcircò primò corbos XX & inſuper quotidie panes ſuprà illos CCCC. provendarios, & adhuc modia XXV. addere feeimus; cum tamen, ſicut ſuprà dictum eſt, ſæpiùs minùs quàm aut CCCC. aut certè ultrà CCCC. eſſe ſoleamus.

Et quia ad ipſum molinum, boves, porci, aves diverſæ, canes & interdum caballi paſcendi ſunt, addamus adhuc de ipſis molinis modia CL. & fiunt in totum quod de molinis venire debet, modia ducenta. Hæc interim ita dicta atque ſervata ſint, quouſque pariter conſiderare valeamus, utrum addere aut ſubtrahere aliquid neceſſe ſit. Verumtamen monemus atque obſecramus Cuſtodem panum, ut quidquid exinde per menſuram vel numerum dierum ſeptimanarum, vel totius anni menſium ſciri poteſt, cum omni diligentiâ ſcire non negligat, quemadmodum cum tempus mutationis venerit, nobis renuntiare ſciat qualiter præſentem annum adminiſtrando tranſeat. Et ut hoc leviùs ſcire poſſit, ſeparet inde primò illos Provendarios, qui per penſas ſemper æqualiter & habentur & liberantur, quorum numerus ſemper æqualis eſt, niſi fortè aliquando minor: nam nunquam fit major. Deinde perpendat panem Fratrum, quando ſemel vel quando bis in die manducant, & ponat ſemper ſemotim

h *Prioris*] In altero codice additur: *De laicis autem, qui pro beneficio aliquod tenent, Abbatis, aut Prioris, aut Præpoſitis vestes vel ſons, vel equitando, vel ſervitium faciendo ſerviant; conſuetudines ad Natale Domini & Paſcha habeant aut duo ſextaria cervisæ, aut unum ſextarium vini, non heredis ante jure, ſed pro charitate, vel loci honore. Hoc tamen ſit in voluntate Abbatis, & Prioris, & Præpoſitorum.*

illum qui ad illorum opus deputatus eſt, & conſideret quantum eo tempore, quando ſemper ſemel, quantum eo, quando ſemper bis in die manducant, & quantum in unâ ſeptimanâ, in utroque tempore quando minimè, & quantum in unâ, quando maximè impendit; & arbitremur propè eum invenire poſſe, de quanto valeat pane, vel modius ad eorum opus tranſire.

In iſto numero ponendi ſunt omnes qui panem Fratrum accipiunt, excepto hoſpites, qui hunc quotidie non accipiunt. Obſervet autem ne tantum pariter de pane Fratrum faciat, ut remanendi nimium obdureſcat; quòd ſi fecerit, eo tempore quando ille illum numerum probat, ipſe panis tollendus eſt, & alter pro eo ponendus. Quia verò, ut diximus, modò ſemel, modò bis in die manducamus, & nunc plures, nunc pauciores ſumus, & numerum noſtrum quanti eſſe debeamus definire nunquam poſſumus; ſi ipſe aliam rationem meliorem ad hoc probandum invenire poteſt, cum Dei gratiâ faciat.

Similiter de Vaſallis noſtris; ſimiliter etiam ad portam; quorum numerus certus eſſe non poteſt, ſi eodem ſenſu, quem ſuprà diximus, per dies, per ſeptimanas, per menſes, quando minimè, quando mediocriter, quando maximè dat, æſtimare cœperit, putamus eum omninò invenire poſſe, unde per totum annum valeat tranſire. Nam de Pulſantis, de Scolaris, de reliquis Clericis, ſeu laïcis noſtris, vel extraneis, facilè ſciri poteſt qualiter eos liberare poteſt.

Monemus etiam ut hoc conſiderare non negligat, quòd panis ille qui datur, non ad unam menſuram omnibus, ſed quibuſdam major, quibuſdam verò minor datur. Et ob hoc neceſſe eſt, ut de ſingulis menſuris panum conſideret, quanti de majoribus, mediocribus, vel minoribus, de uno modio fieri poſſunt. Et ſperamus quòd hoc facto ei cuncta apertè patebunt.

Ecce ut potuimus, non ut ita ſemper tenendo firmemus, ſed ut incipiendo probare valeamus qualiter inantea tenere debeamus hoc quod ad Monaſterium de annonâ venire debet, ſub has diviſiones, quas ſuprà poſuimus, hoc benè invenire poſſe ſperamus: id eſt, Prima famulorum noſtrorum, vel Matriculariorum, qui ſemper æqualiter habendi ſunt: Secunda Fratrum: Tertia Vaſſallorum: Quarta hoſpitum: Quinta Pulſantium, vel Scholariorum: Sexta ſingulorum huc illucque Provendariorum: ex quibus tamen, ut diximus, nullum qui ſemper æqualiter habeatur definire numerum poſſumus.

CAPUT VII.

DE molinis vel cambiis talis volumus ut ſit ratio. Primò ut unicuique Molinario manſus, & VI. bonuaria [1] de terrâ dentur: quia volumus ut habeat unde ea quæ ei jubentur perficere valeat, & illam molturam ſalvam faciat: id eſt, ut boves & reliquam pecuniam habeat cum quibus laborare poſſit, unde & ipſe, & omnis familia ejus poſſit vivere, porcos, aucas, & pullos nutrire, molinum componere, & omne matriamen, quod ad illud molinum emendandum pertinet adducere, ſcluſam emendare, molas adducere, & omnia quæ ibidem ad habendum vel faciendum neceſſaria ſunt, & habere poſſit & facere: & ideo volumus ut ullum alium ſervitium, nec cum carro, nec cum caballo, nec manibus operando, nec arando, nec ſeminando, nec meſſes vel prata colligendo, nec braces faciendo, nec humlonem, nec ligna ſolvendo, nec quidquam aliud ad opus dominicum faciat, ſed tantum ſibi & ſuo molino ſerviat. Porcos autem, aucas, & pullos quos de ſuo molino incraſſiare debet, de ſuo nutriat; & ova ſolvat, & ea, ut diximus, quæ vel molino neceſſe eſt facere, vel quæ de molino debet exire, illa tantùm ſtudeat procurare. Quod verò ſuprà diximus, ut II. modiorum ad opus noſtrum de molinis ad Monaſterium venire debuiſſent, non hoc ideò diximus, ut illam aliam molturam ab illo granario ſeparemus, ſed ut ipſe hoc anno probare ſtudeat, utrum addere, vel ſubtrahere neceſſe ſit, & ad tantos provendarios, & ad ea opera quæ omni anno in Monaſterio fiunt: ut ſunt vendemiæ, horti, prata, & his ſimilia, cum tanto numero per totum annum tranſire valeat. Volumus etiam ut illa modia anteriora coràm illis molinariis ad iſtum novum modium æſtimare faciat, cum omni æqualitate, quanta modia de illis faciant iſta, & ſecundùm hæc modia quantum eis convenit, ſic ſolvant inantea eorum cenſum, ſive de annonâ, ſive de brace. Volumus ut ipſi molinarii ſinguli integram cauſam habeant ad providendum cum rotis VI. Quòd ſi noluerint habere VI. ſi medietatem de illâ cauſâ, id ſunt rotæ III. non habeat niſi medietatem de illâ terrâ, quæ ad illum manſum pertinet, ideſt bonuaria III. & ſocius ejus alia III. & inter illos duos & integram molturam reddant, & integrum ſervitium faciant, quantum ad illum unum molinum pertinet de opere, vel de ſcluſâ, vel de ponto, vel de omnibus, quantum ſingulis molinis deputatum eſt.

LIBER II.

Hæc eſt ordinatio Hortorum.

CAPUT PRIMUM.

UT FRATRES, qui eos laborare debent, ſine moleſtiâ, vel aliquâ incommoditate inhoneſtâ poſſint in eis officium ſibi commiſſum ad communem explere utilitatem: Conſtituimus ut manſiones, quæ ibi neceſſariæ ſunt, & ſepes faciant quandocumque neceſſe fuerit, & emendent Majores de his villis: ad primum oſtium quod eſt juxtà vivarium, de Waniaco, & Cipiliaco: ad ſecundum de Villâ; ad tertium de Albiniaco & Ceriſiaco: ad quartum de Vernis, & Taziaco. Et idem ipſi dent, unuſquiſque ad hortum cui deſervit in tertio anno, Aratrum I. Jugum cum amblacio & conjunclis, quando neceſſe fuerit; & in quarto erptiam [1] in hortum excolendum ſemper ad Miſſam ſancti Marcellini: & poſtquàm tempus venerit quo neceſſarium fuerit hortos à noxiis purgare herbis, id eſt à medio Aprilis ad medium Octobrium, omnimodis abſque negligentiâ vel aliquâ ſubſtractione, ſemper finitis viginti diebus, veniat unuſquiſque de ipſis Majoribus ad illum Fratrem Hortolanum, cui ipſe adjutorium facere debet, videre, & interrogare, quando neceſſe fuerit ſarculatores in illo mittere.

Porricini autem & porri poſtquàm tranſplantati fuerint, aſcalonìæ quoque, alia atque cepe; hæc

1 *bonuaria*] Obſcura vox, quam non niſi ex conjecturâ quis intelligat. Acherius ſuſpicatur legendum ſex *bovaria*, h. e. ſpatia quæ boves ſex intrà diem arare poſſunt.

1 *erptiam*] Sive *erpicam*, inſtrumentum ad terendas glebas, Gal. *erſe*.

eſt, ut ipſe ac ſi propriâ devotione in præparandis pulmentis ſe ingerat, & præfatam ſollicitudinem ob hoc in aliquo poſtponat; ſed potiùs ſecundùm Regulæ auctoritatem aliud ſolatium, ſi opus fuerit, requirat, ut ipſe quidem ſuper hinc & inde ad ea quæ Dei ſunt providenda liber remaneat. Hæc non ideo dicimus, ut ejus devotioni quando abſque offendiculo præfatæ ſollicitudinis fieri poteſt, obſiſtamus; ſed ne dum ſe in his quæ ad eum tempore non pertinent, ac ſi devotiùs immergit, certam ſibi impoſitam providendi neceſſitatem poſtponere præſumat. Sed ne Cellerarius dicat neſcire ſe de quibus & in quibus præfati coci admonendi ſint, ut agant, vel non agant;

CAPUT IV.

HÆc inter cætera principaliter obſervanda ſunt. In primis de omni re, quæ ad hoc officium eo tempore non prodeſt, ut ſilentium teneatur. Deinde ut ipſum ſilentium cum fructu alterius mercedis ab omnibus illis ibi ſervari poſſit, pſalmi ſine intermiſſione cantandi ſunt: & quamdiù duo ex illis adſunt, nunquam idem pſalmi prætermittendi: & cum contigerit, ut aliqui ex ipſis propter quamlibet neceſſitatem adminiſtrandam longiùs diſceſſerit, & ob hoc ſolus fortaſſe inchoatum pſalmum cantare non poterit, mox ut reverſus fuerit in loco in quo cæteros pſallentes invenerit, ingrediatur, & cum eis, quamdiù cum ipſis eſt, cantare ſtudeat. Similiter quoque alter tertius, ſi inde deceſſerit, revertens pſallentibus ſe conjungat. Quòd ſi etiam talis evenerit cauſa, ſicut nonnunquam fieri ſolet, ut omnes quidem ita occupentur, ut nullus memoriâ cantando percurrere liceat, mox ut quilibet vacaverit intermiſſum pſalmum in loco quo eum dimiſerit, repetat, & cæteri omnes quibus vacat cum eo pariter in laude Domini ora permoveant. Sed & ſi ita fortè evenerit, ut nulli occurrat quo loco inchoatum pſalmum dimiſerit, ubi viciniùs retrò ceciniſſe memoriâ occurrit, ibi incipiat, & opus cœptum non negligant, quouſque conſummatis omnibus cum quibus & in quibus idem ſtudium ſervari potuit: & tunc ſinguli, prout ratio docet, ad ea quæ reſtant, ſervato ſemper quantum poſſibile fuerit ſilentio, redeant. Sed ne cui hæc propter priorem ſermonem à mente ceciderint; idcircò breviter repetimus tria eſſe, in quibus conſtant, id eſt, ut aut à neceſſariis tacere, aut neceſſaria dicere, aut pſalmos cantare. Sed & hoc nequaquam quaſi propter ſervandum ordinem negligendum eſt, cum fortaſſe idem ordo juniores omnes, aut etiam minùs ſapientes, vel conſtantes, in coquinâ mittere popoſcerit, ut prætermiſſo eodem loco aliquem junioribus, ſenior conſtans addatur, qui & ſe, & cæteros zelo Dei ductus cuſtodire ſtudeat; & tranſacto ſervitutis ſuæ tempore, iterùm ille, qui tunc propter talem rationem tranſitus eſt, mixtus cum ſenioribus ingrediatur, ac ſic omni tempore omnimodis obſervetur, ut nunquam tantummodò ſive propter defeſſam ætatem fatui, ſive propter juventutem minùs perfecti, illi ſolummodo mittantur, de quibus in nullo ejuſmodi conſervandi juſtitiam, fiducia habeatur, ſed ſemper ut præmiſſum eſt, unus, aut duo ita maturi hebdomadis ſingulis mittantur, ut & interiùs voluntas Dei, ut ſilu, & exteriùs condigna ſemper ſobrietas cuſtodiatur.

At ſi quis docere voluerit non ita oportere fieri, ſed ſecundùm ordinem quomodo per menſas ſedent, ita ſemper ordo tenendus eſt, nequaquam ille audiendus eſt, ſed fortiter cur aliter ſentiat objurgandus, & ſi non ab hac temeritate quieſcerit, & patienter obediens fuerit, acriùs coërceatur, quouſque ſaniori conſilio obediat. Hæc idcircò propter ſimpliciores, vel quod majus eſt ut ita dicam, ſtultiores, ſic apertè & multipliciter dicimus, ne quis ſe de ignorantiâ excuſet. Ut autem hæc ita ſervari poſſint, ſemper Decanus & Cellerarius per plures dies antea provideant, quomodo iſta diſpoſitio nullatenùs turbetur, neque per occaſionem infirmitatis alicujus, neque propter cauſam itineris, ſi evenerit, vel propter quamlibet novam ſurgentem neceſſitatem, vel etiam propter Domini Abbatis aut Præpoſiti quamcumque juſſionem. His ita propter perpetuam cuſtodiam præmiſſis, illud quoque poſtponendum non eſt, ut Cellerarius ſemper quando ei vacat, illas adminiſtrationes manu propria ſingulis anteponat; ne alter ei majus minuſve quàm debeat propter cujuſlibet gratiam dando excedat; & ipſe quæ ſingulorum infirmitates, vel neceſſitates, ſcire debet, prout certa & recta neceſſitas popoſcerit, diſtribuat. Si verò ei non vacaverit, tunc ille, cui ipſe juſſerit, vice ſuâ hoc faciat, cavens ſemper ne aliquod vitium ibi oriri incipiat.

CAPUT V.

DE laïcis autem hæc eſt una & definita ſententia, ut quamdiù ibi aut pulmentaria præparantur, aut præparata miniſtrantur, ſive quando Fratres priùs generaliter, ſive quando poſtmodum reficiuntur, nullus ingrediatur. Si verò talia aliqua, aut priùs præparanda, aut poſtmodum mundanda vel curanda fuerint, quæ Laïcis deputata ſint, feneſtra, aut oſtium aut locus extrà coquinam talis conſtitutus ſit, ubi Fratres vel præparanda ſuſcipiant, vel mundana referant, ubi ea illi vel ponere, vel poſita recipere poſſint, ut tamen nullam occaſionem, pro quâ coquinam ingrediantur, habeant. De quibus hæc interim memoriæ occurrit, ut ſunt herbæ cujuſlibet generis, unde pulmentarium fieri debeat, afferendæ, mundandæ, ordinandæ. Similiter piſces quando opus fuerit exenterandi, exquamandi; legumina diverſi generis lavanda vel præparanda, ſive cætera, vel his ſimilia, quæ tamen omnia extrà coquinam in locis ſibi deputatis pleniſſimè & honeſtiſſimè quoties neceſſe fuerit agere ſtudeant, & in loco apto ubi à Fratribus congruè ſuſcipi poſſint, ſtudioſiſſimè ponere vel componere ſtudeant: & tamen, ut dictum eſt, ab ingreſſu coquinæ prædictis temporibus funditùs abſtineant. Ligna quoque ſimiliter quæ comportanda, ſcindenda, vel congruè præparanda ſunt, per feneſtram, ut diximus, aut per oportunum introitum ita abũdãter immittantur, ut nec illis introire ad Fratres, nec Fratres ob hoc ad eos exire neceſſe ſit: forſitã enim nec hæc alicui tam multipliciter dicta increſcunt, ut ſi nos magis eligimus ſingula, prout neceſſaria videntur, ſingulariter ordinando dicere, quàm alicui, ac ſi neſciat quid facere debeat, occaſionem excedendi relinquere. Cellerarius autem hæc omnia prout ei vacaverit diebus ſingulis, ne quod ibi vitium naſcatur providere ſtudeat, quouſque Deo auctore, quidquid ibi rite & honeſtè agendum eſt, in conſuetudinem veniat, ut nullus quamlibet novitius propter ignorantiam excedat. Idcircò autem hæc omnia ad providentiam Cellerarii flectimus, quia et nullum in ipſo officio vel officinâ rebellem, aut contradicentem eſſe volumus, aut permittimus: ſed & ſi, quod abſit, contigerit, ut ipſe Cellerarius ſenior, aut junior, hæc & his ſimilia quæ ad hoc pertinent, cautè non ſervaverit, & ſecundò admonitus non ſe correxerit, ipſe quidem ſi ad permanendum dignus non fuerit cum condignâ invectione exeat: Ordo verò inconfuſus & imperturbatus permaneat.

Digitized by Google

CAPUT VI.

HÆc quoque breviter de his quæ infrà Eccleſiam horis qoibus opus Dei celebratur ſtrictim commemoratis, ſalvâ ut ſemper & antepoſitâ diligentiore, ſeu præſtantiore, cui Dominus dederit, ratione vel ordine, hæc non ab re adjungenda videntur. Si æſtivum tempus fuerit, peractis his horis, poſt quas continuò in refectorio generaliter eundum eſt, oportet ut omnes cum ſilentio in Eccleſiâ ſubſiſtant, quouſquo audito ſigno, cautè reverentiam Deo dantes exeant, & cum præfato ſileotio intrantes, & reſidentes, & exeuntes de refectorio, ſinguli ad ea quæ tunc ſecundùm tempus ratio docuerit, vel juſſum fuerit, attendant. Si autem hyems fuerit, & calefaciendi neceſſitas ingruerit, prout ei qui præeſt viſum fuerit, ſive ante, ſeu poſt peractum oſſicium aliquod intervallum fiat, quando ſe calefacere poſſint; ſin autem, in Eccleſiâ exſpectent, ut ſuprà. Hæc etiam de his.

De dormitorio, in hoc omnia apud eos, qui hoc dignè intelligere volunt, complecti poſſunt, quòd nullo tempore aliquid ibi inhoneſtum, vel inhoneſtè fieri debet: & ut aliqua ex his ad memoriam reducantur, per quæ cætera his ſimilia nequaquam obliviſcendo contemnantur. Quando loqui licet, quia loquutio ſemper ibi ſervanda eſt, ſive duo, ſeu tres, ſeu etiam plures, ſicuti fieri ſolet quando de Capitulo ſurgunt, conjungantur. Quando verò dormiendi tempus fuerit, ſive in die, ſive in nocte, ſicut ſilentium funditùs in ore, ita in inceſſu, ut nullus injuriam patiatur, ſummâ cautelâ eſſe debet. Nemo veſtimenta ſua excutere, nemo incautè aſcendere, vel deſcendere de lecto debet, vel cætera his ſimilia, quæ ſtrepitu, vel cujoſlibet incommodo ſonitum reddant, incautè agere debet; ſed & omni tempore, ut prædictum eſt, omnis ibi cautela ſervanda eſt, vel propter honeſtatem, vel propter infirmorum requiem, ne ſi fortè aliquis ibidem neceſſitate coactus requieſcere optat, alterius improbitate turbetur. Quòd ſi aliquis etiam ad legendum in lectulo ſuo reſederit, nequaquam alterum ſibi ibidem ad colloquium conjungat: ſed ſi neceſſitatem loquendi diutiùs habuerint, exeant foras, & ibi loquantur. Nam longè alterum ab altero poſitum propter ſonum, nec duos conſedentes vel ſtantes propter domûs ipſius honeſtatem vel conſuetudinem, colloquium habere nequaquam oportet. Hæc etiam inter plurima cætera quæ in dormitorio ſervanda ſunt breviter dicta, ne quaſi pro nihilo à quibuſlibet inſipientibus, vel ultrà quàm debent prementibus contemnantur, non ſolùm à Præpoſito, Decano, ſeu cæteris Decanis omni tempore non mediocriter, ſed ab ipſis etiam circinnatoribus, horis quibus vacant Fratres lectioni, obſervanda, & inventa arctiùs caſtiganda ſunt. In piſelo verò, tempore quando illo uti neceſſe eſt, eadem penè in omnibus, excepto quod ad dormiendum pertinet, cautela & honeſtas ſervanda eſt, quæ de dormitorio diximus, & ſi fortè quædam ad eamdem domum ſpecialiter pertinent, ut eſt de pannis infuſis qui ſuſpenduntur; de pigritantibus & ſomnolentis, & propter caloris ſuavitatem minùs attentè legentibus, & ſi qua his ſimilia, ex uſu quotidiano quid exinde faciendum ſit nullus ignorat, qui hujuſmodi ad providendum ſollicitudinem impoſitam quamtulamcumque portat. Cum verò horæ incompetentes tranſierint, & tam colloquendi quàm conjungendi tempus licitum advenerit, ſemper tamen ibi, ſicut & in cæteris omnibus locis, ſive pauciores ſive plures fuerint, in loquendo & agendo ſæpè commemorata honeſtas ſervanda eſt; nec unquam poſtponenda, aut contemnenda.

De Provendariis.

DE portâ autem Monaſterii, vel quæ ad eam pertinent, idcircò inter hæc quæ ſuperiùs complexa ſunt, nil inſerere volumus; quia quæcumque ad eam vel miniſtros ejus pertinent de decimis, Domino inſinuante per ſe ſemotim diſponendum judicavimus. Unde primo loco illud commemorandum eſt, ut de Provendariis, qui ibi ſervire debent, certa diſcretio ſervetur, ut & ſufficienter ſint, & ultrà quàm neceſſe eſt nullo modo ſint, quia ipſi de eâdem decimâ & paſcendi & veſtiendi ſunt eâ menſurâ quæ eis competit; ita ut nec penuriam patiantur, nec aliquâ ſuperfluitate diſtendantur. Viſum eſt igitur nobis in decem provendariis ad eos qui hoſpites ſuſcipere & eis ſervire debent ſufficere poſſe. Similiter ut ipſi provendarii eâdem qualitate & quantitate cibi & potûs, ſicut cæteri provendarii noſtri, ſuſtententur: id eſt, ut penſam ſecundùm cæterorum conſuetudinem per menſem; ſimiliter panem & potum ſecundùm eorumdem conſuetudinem accipiant: veſtimenta autem & calceamenta, ſicut ſuprà dictum eſt, menſuratè accipiant; ita ut nec nuditate, nec aliquâ turpitudine ſqualeant: nec tamen econtra ultrà menſuram ſuam exigere præſumant. Hæc de provendariis.

Videtur igitur nobis ſi omnis decima de omnibus & in omnibus, ſicut conſtitutum eſt, datur, ut omninò ad omnes hujuſmodi neceſſitates divitum vel pauperum ſufficere debeat: id eſt, vel de his quæ ad Monaſterium eleemoſynæ causâ Eccleſiis vel Fratribus in diverſis corporalibus ſpeciebus vel mobilibus rebus ſpontè condonantur. Similiter quidquid in diverſis laborationibus quolibet modo acquiritur, vel in variis peculum generibus enutritur, vel in ipſis peculiis Deo diſpenſante ſine humanâ providentiâ ſpontè producitur, ut eſt lac & lana. Similiter fœnum, vel quæ in arboribus gratis naſcuntur, ut eſt paſtio, vel diverſi generis fructus, quantum poſſibilitas admittit, data fuerint, ſecundùm qualitatem vel quantitatem ſingularum rerum, juxtà quod tempus permiſerit, ſufficere poſſint. Et ut manifeſtiùs quod dicimus eluceſcat, primò de noſtris villis quæ in Ambianenſe, Atrapatinſe, ſeu Belvacenſe ſitæ ſunt, pleniter omnia, ſicut ſuprà commemoratum eſt, dentur. Deinde ſi fortè propter longiorem viam poſſibilitas adducendi familiæ non fuerit, bonum exinde reſtat Domino inſinuante conſilium, ut propter hoc nec decima remaneat, nec ullum in pauperibus generetur peccatum.

Decima da pauperibus.

Anno circ. 834.

VARIA CONCILIA.

PRIVILEGIUM

In Concilio Senonenſi, præſidente ALDRICO *Senonenſi Archiepiſcopo conceſſum, de Abbatiâ S. Remigii Senonenſis ad Varellias*[a] *transferendâ: in quo omnia ejuſdem Monaſterii bona approbantur, Anno circiter* DCCCXXXIV.

DOMINIS Sanctiſſimis & Reverendiſſimis Fratribus & Coëpiſcopis, Religioſiſſimis quoque & venerabilibus Abbatibus in ditione Domini Imperatoris HLOTHARII ſereniſſimi Auguſti conſtitutis, ALDRICUS minimus ſervorum Chriſti famulus, ſanctæ Senonicæ Eccleſiæ Archiepiſcopus. Quod Epiſcoporum ſtudiū & officium. Optimè venerabilis & Deo devota ſanctitas veſtra novit, quantâ ſit curâ & ſollicitudine commiſſum nobis paſtorale regimen tuendum atque tractandum. Cum ſimus igitur in ſpeculâ Eccleſiæ conſtituti, & viam cæteris per quam ingredi ad vitam debeant, debeamus oſtendere, quantum poſſe & intelligere divina clementia dederit, ſatagendum eſt ea quæ nobis commiſſa ſunt ſecundùm Dei voluntatem providè prudenterque tractare, ut non ſolùm tantum quæ dum advivimus in præſenti tempore noſtris valeant prodeſſe ſubjectis, verùm etiam & in perpetuum illis proſpecta proficiant, qui in locis divino cultui mancipatis, noſtræque ſolertiæ ad regendum pro tempore commiſſis ſupernæ pietati ſervituri ſunt. Qui dum de corporis neceſſitatibus, victûs dico ac veſtimenti, ſolliciti non fuerint, animum liberè in divinæ contemplationis ſpecie figere valeant. Cui ſummo ac ſalutari bono inhærentes, eò ſemper ſuſpirant totâ ſpei libertate ſuſpenſi, quo ſe pervenire divinâ duce gratiâ æternæ vitæ præmium jam conſequuti gaudebunt. Res Eccleſiæ quanti faciendæ, & quâ adminiſtrandæ. Et tamen cum ſciamus res Eccleſiæ eſſe oblationes fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum; eaſque nobis adminiſtrandas, procurandas, atque ordinandas ſuſcepiſſe; harum rerum adminiſtratores nos eſſe meminiſſe debemus, & redditus, expenſaſque earum eis uſibus applicare, quorum gratiâ divinis altaribus allegatæ noſcuntur.

Proinde ad ſanctitatis veſtræ piiſſimam intentionem perducere ſtatui, qualiter Cellas Monachorum Eccleſiæ Epiſcopii parvitati meæ commiſſi, id eſt, Cella ſancti Remigii Confeſſoris Chriſti in ſuburbio civitatis conſtructa, quæ olim per diviſiones prædeceſſorum meorum tempore fuit diſrupta: & ob hanc negligentiam Monachi, qui ibidem Deo degere videbantur, propter inopiam & importunitatem loci Regulam beati Benedicti, ut debuerant, penitùs obſervare non poterant. Idcircò una cum conſilio Fratrum noſtrorum, Canonicorum videlicet & Monachorum, necnon & fidelium Laïcorum, viſum eſt nobis propter importunitatem loci, & Monachorum ibidem Deo degentium, præfatam Cellam ad Valliculas tranſmutare, & à fundamento ædificare, quam ROTHLAUS ob amorem Dei & remedium animæ viri ſui MEGINARII, ſive pro ſeipſâ, ſuorumque liberorum, ac parentum, ad ſupradictam Cellam beati Remigii per donationis titulum delegavit, vel tradidit: eâ videlicet ratione, ut divinus ibi ageretur cultus, & illis pro quorum ſalute traditum fuerat, augeretur merces. Volumus etiam ut loca ſuper quæ ædificatum fuit ſupradictum Monaſterium, id eſt, agros, vineas, prata, areas, vel omnia quæ infrà muros civitatis habuit, vel extrà, abſque alicujus diminutione ac impedimento habeant Rectores & Monachi, ad eorum uſus qui ibidem Deo ſub normâ beati Benedicti degerint.

Hujus itaque rei causâ hanc ſeriem libelli digeſtam ſanctiſſimo Cœtus veſtro relegendam, atque veſtris ſubſcriptionibus roborandam obtuli, quo ſtatuere per veſtram unanimitatem decrevi, ut nullus deinceps Epiſcoporum, quicumque per tempora divinâ præſtante ſucceſſerint gratiâ, quidquam de his rebus, quas præſenti tempore memorata Cella uſibus Monachorum attributas poſſidet, minuere, vel abſtrahere, vel aliis uſibus applicare, vel beneficii quidquam, vel ſuorum, vel extraneorum dare præſumat, ſed, ut intimatum eſt, quæcumque nunc temporis retinet per diverſa loca, & territoria, uſibus Monachorum deputata, & quæ à timentibus Deum eidem poſtmodum fuerint loco collata, abſque ullâ diminutione vel ſubſtractione Cellæ, & Monachis ibidem converſantibus maneant inconvulsè.

Hæc autem ſunt infrà ſcripta loca Monachorum ſtipendiis in memoratâ Cellâ degentium deſtinata. Primitùs Valliculas, ubi ædificare præfatum volumus Monaſterium: Staticus cum adjacentiis ſuis, id eſt, Vetus Ferrarias, & Petra Uriana cum territoriis & ſylvis: Chryniacus cum adjacente ſibi Hermentariâ, cum territoriis, & ſylvis: Fontanicula cum territoriis; Lauſa cum adjacentiis ſuis, hoc eſt vico ſancti Sidronii, cum territoriis, & ſylvis, & ſimul latione: Braceiacus cum territoriis. Columbarius cum adjacentiis ſuis, hoc eſt, Eſthiniacus, Silviacus, & territoria eorum cum ſylvis; Villa maneſca cum adjacente ſibi ponte, & territorio: Miſceriacus cum adjacente ſibi Ternantâ; Villa-nova cum adjacentiis ſuis, hoc eſt Cavanarias, & Capotenus: Noè rollis cum adjacente ſibi: Caprencus cum territoriis & ſylvis, & ſimul puteolis. In ſumma ſunt manſa centum nonaginta, & hoſpitia decem & novem. Quidquid itaque in ſupradictis locis, vel circà eamdem Cellulam præſenti tempore Monachi in eâdem divinæ gratiæ famulantes poſſidere noſcuntur, vel ſi qua ſunt alia quæ forte meam fugerunt memoriam, & tamen ea ſuis ſtipendiis aſſignata retinent cum territoriis, vineis, pratis, ſylvis, aquis aquarumve decurſibus, & cæteris adjacentiis, ipſis tantùm ex integro, ut præmiſſum eſt, eorumque uſibus jure perpetuo abſque ullâ diminutione ſub prætexto memorati Epiſcopii noſtri jure debito cedant.

De Abbatis electione. At verò Epiſcopus qui pro tempore auctore Deo

a *ad Varellias*] In ipſo privilegio locus ille *Vallicula*, in Diplomate Ludovici Pii, & in Privilegio Wenilonis *Vallilia* appellatur. Acherius hæc privilegia duo, ac Diploma Imperatoris ſe quidem ab uno è ſuis ſodalibus, cui Victori Cotrono nomen fuerit, ſe accepiſſe agnoſcit, ſed unde à Victore illo deſumpta ſint, non monet.

præfuerit, Abbatem de eodem Monaſterio, eum videlicet quem omnis Congregatio ſibi ordinandum popoſcerit, & ſinceritas morum, & bonorum actuũ probitas commendaverit, ſi inter eos talis inveniri quiverit, eis ordinandum procuret. Quòd ſi talis inter eos minimè inveniri potuerit, de eâdem Parochiâ, vel Diœceſi Senonicâ, conſentientibus ſanctis Coëpiſcopis ejuſdem Diœceſis [b], & circumpoſitis venerabilibus Abbatibus, eis præficiendum atque ordinandum provideat. In aggregandis quoque Monachis hunc modum Abbas qui præfuerit, teneat, ut tricenarium numerum quantitatis ſumma non excedat, donec rerum copia major ſuccreſcat. Epiſcopus quoque in exigendis muneribus Abbatem ejuſdem loci non gravet, ſed ſufficiat ei ad annua dona equus unus, & ſcutum cum lanceâ. Quòd ſi in expeditionem publicam ire juſſus fuerit, addantur ei de eodem loco, carra duo, unum vini, alterum farinæ, verveces decem: ſuprà quæ in exigendis muneribus, cupiditatis, avaritiæque cauſâ gravare eos nullatenùs præſumat, ne & Monachi ejuſdem Cellulæ hujuſcemodi negotio à ſuo propoſito exorbitare, & Epiſcopus cauſa eorum perditioni addictus, ſempiternas cogatur luere pœnas.

Epiſcopus quid à Monachis exigere poteſt.

Corpora etiam Sanctorum, quæ in noſtrâ Parochiâ jam dictâ exſpectant ſui beatam immutationem, à pravis & deſidioſis cuſtodibus permaximè negliguntur, ita ut officio luminaris, ac debitâ careant cuſtodia. Idcircò ob amorem Dei, cui viventes in carne ſervierunt, & emolumentum animæ noſtræ, per voluntatem & licentiam domini ac piiſſimi LUDOVICI ac CAROLI Regum, quia congruum ad hoc locum invenimus, illò deportandi volumus. Sed quia ſacra authoritas vetat, ne in talibus & ſimilibus Eccleſiis Chriſti per alicujus incuriam ſcandalum inferatur: multorum Epiſcoporũ expoſuit conſenſum, ad veſtræ Paternitatis notitiam hæc omnia perferri volumus, quatenùs veſtra deinceps cenſurâ & locus ipſe, quod favente Deo ordinandum ſtabilimus, & memoratis Sanctorum pignoribus à Dei ſervis ibidem Deo famulantibus dignè & laudabiliter ſerviatur; & pro Domini noſtri, ac totius ſanctæ Dei Eccleſiæ ſtatu indefeſsè vota debita perſolvantur. Quod opus Deo dicatum, ut per tempora labentia, omnibus ſanctiſſimis Patribus & Fratribus in Dei nomine conſentientibus, firmiorem obtineat rectitudinis ſtatum, & intactum permaneat, manu noſtræ parvitatis ſubter relegenda firmamus. Et ut rata deinceps manere poſſint, quæ ſcripta ſunt, manibus veſtræ ſanctitatis roboranda expoſtulamus.

Corpora Sanctorum in Monaſterium S. Remigii transferri jubentur.

In Chriſti nomine ALDRICUS Eccleſiæ Senonicæ indignus Archiepiſcopus hoc Privilegium fieri decrevi, & ſubſcripſi.

In Chriſti nomine LANDRAMNUS Turonicæ Eccleſiæ Archiepiſcopus recognovi, & ſubſcripſi.

In Chriſti nomine BARTHOLOMÆUS Narbonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus feci, & ſubſcripſi.

JONAS Aurelianenſis Eccleſiæ indignus Epiſcopus huic facto adſtipulator ſubſcripſi.

Ego RAYNARDUS Rothomagenſis Epiſc. ſubſc.

ROTVALDUS Sueſſionenſis Epiſcopus huic facto ſubſcripſi.

ALDRICUS Cœnomanicæ urbis Epiſcopus.

CARIVILTUS Baiocenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

In Dei nomine RADULFUS Lexovienſis Epiſcopus adſtipulator huic facto ſubſcripſi.

ACAMRADUS Pariſiorum indignus Epiſc. ſubſc.

STEPHANUS Bituricenſium indignus Epiſcopus ſubſcripſi.

ALTAUUS Genevenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

ADALHELINUS Cathalaunenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

RAGNERIUS Ambianenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

HELIAS Tricaſſinenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

HUBERTUS Meldenſium Epiſcopus ſubſcripſi.

ALDUINUS Virdunenſium Epiſcopus ſubſcripſi.

DALRICUS Baſilienſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego FULCONINUS Warmatienſis Epiſcopus indignus.

In Dei nomine TEUBRINUS Albenſis Epiſcopus.

ATTO Nanuetenſis Civitatis Epiſcopus.

GERFREDUS Nivernenſis Epiſcopus.

FACONA Epiſcopus.

BOSO Abbas ex Monaſterio S. Benedicti ſubſcripſi.

AUREVALDUS Abbas ex Monaſterio Noviacenſi.

DEIDONUS ex Remenſi Cœnobio Abbas.

CHRISTIANUS Abbas Monaſterii S. Germani.

In Dei nomine Ego BERNOINUS Carnotenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

RAGNEMUNDUS Abbas de Monaſterio ſancti Carilephi.

INGELNONUS Sagienſis Epiſcopus ſubſcripſi.

FOVA Cavilonenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

DIPLOMA

ANNO

LUDOVICI *Pii Imperatoris, ratum habentis præfatum Aldrici Archiepiſcopi Privilegium, datum anno* DCCCXXXV.

IN nomine Dei & Salvatoris noſtri JESU *Chriſti*. LUDOVICUS divinâ repropitiante clementia Imperator Auguſtus. Si enim quod ad ſervorum Dei quietem pertinet, devotiſſima ſollicitudine, & Imperiali providentiâ procuramus; ad emolumentum animæ noſtræ, vel æternam beatitudinem capeſſendam, hoc proculdubio pertinere non dubitamus. Idcircò notum fieri volumus omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus, noſtriſque præſentibus ſcilicet & futuris, quia ALDRICUS venerabilis Senonicæ urbis Archiepiſcopus noſtræ ſuggeſſit manſuetudini, de quodam Monaſterio memorati Epiſcopii ſui, quod juxtà muros ejuſdem Civitatis in honorem beati Remigii Confeſſoris Chriſti poſitum fuerat, & propter impedimenta quædam quæ ex propinquitate atque aſſiduitate præfatæ urbis Monachi illi Domino famulantes perpeti videbantur, ipſe in alterum locum, cujus vocabulum eſt Vallilias, octavo ſcilicet ab eâdem urbe milliario, eum fecerit tranſmutari. Quẽ etiam locum ROTHLAUM, quondam M ONERIS Comitis uxorem, ſupradicto ſancti Remigii Monaſterio ob ſuam virique ſui requiem atque remedium donationis titulo delegaviſſe teſtatus eſt. Sed ne quamlibet contrarietatem, aut inquietudinem à Præſulibus per tempora labentia in eâdem ſede ſibi ſuccedentibus Monachi, quos à memorato loco tranſmigrari fecerat, quolibet tempore perpeti cogerentur, Privilegium eis Eccleſiaſticâ auctoritate in urbe ſupradictâ unà cum venerabilibus Coëpiſcopis fidelibus noſtris, diverſarum Eccleſiarum conſtitutis ſe feciſſe profeſſus eſt, ſicut etiam eo perſpecto atque relecto maniſeſtiſſimè claruit. In quo firmiſſimè conſenſu omnium ſanxerunt, ut nullus Pontificum ſuccedentium quidpiam de rebus, quas in priori loco degentes poſſederant, imminuere, aut majora illis ſervitia, quæ ſub eo pertulerant, inferre præ-

b *ejuſdem Diœceſis*] Ergo Diœceſis illâ adhuc ætate pro Provinciâ uſurpabatur.

ſumeret, ſed liceret illis res ad memoratum Monaſterium religioſiſſimâ devotione fidelium delegatas quieto ordine poſſidere, nihilque ei oneris amplius imponere, quàm in memorato Privilegio cum eiſdem venerabilibus Coëpiſcopis confirmato conſtitutum eſſe conſtabat.

Verùm licet Eccleſiaſtica atque Pontificalis Conſtitutio ſuâ, imoque divinâ authoritate eſſe prævideat, tamen non indecens atque incongruum judicavit, ſi noſtrâ Imperiali authoritate ſua Conſtitutio firma eſſe perpetuò ſanciretur. Proinde hos noſtræ authoritatis Imperiales apices ſæpedicto Monaſterio fieri decrevimus, per quos decernentes præcipimus atque ſancimus, ut à memorato venerabili Aldrico Archiepiſcopo, conſentientibus digniſſimo honore Coëpiſcopis ſuis conſtitutum, ac privilegio eorumdem, aliorumque complurium Sacerdotum Chriſti, atque Abbatum manibus roborato confirmatum eſt, ita deinceps per hanc noſtram authoritatem fixum, atque ineoncuſſum inviolabiliter permaneat. Nec quiſpiam Epiſcoporum in memoratâ urbe per tempora labentia Chriſto propitio ſuccedentium quidquam minuere, immutare, aut quidpiam ſervitii amplius, quàm in ſæpedicto privilegio inſertum eſt, augere præſumat, ſed liceat [e] Monachis per tempora Domino inibi militantibus ſub conditionibus in jam dicto privilegio taxatis, quietè, regulariterque vivere; & pro nobis, conjuge, proleque noſtrâ, ac ſtabilitate Imperii à Deo nobis commiſſi, atque conſervandi jugiter Domini miſericordiam propenſiùs exorare. Et ut hæc noſtræ Cõfirmationis authoritas tam noſtris, quàm ſucceſſorum noſtrorum temporibus, inviolabilem atque inconvulſam obtineat firmitatem, de annulo noſtro ſubter eam juſſimus aſſignari.

Signum  Ludovici Sereniſſimi Auguſti.

Data ſextodecimo Kalendas Decembris, anno Chriſto propitio vigeſimo. ſecundo Imperii Domini Ludovici piiſſimi Auguſti, Indictione decimâ tertiâ. Actum Aquiſgrani Palatio Regio in Dei nomine feliciter. Amen.

Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi.

PRIVILEGIUM [d]

Anno 845.

Monaſterii S. Remigii ab Aldrico conceſſum confirmat Wenilo Archiepiſcopus Senonenſis in Concilio Senonis habito, Anno DCCCXLV.

Dominis Sanctis & Reverendiſſimis Fratribus & Coëpiſcopis, Religioſiſſimis quoque & venerabilibus Abbatibus, in ditione Regni Domini Karoli Sereniſſimi Regis; Wenilo minimus ſervorum Chriſti famulus, ſanctæ Senonicæ Eccleſiæ Archiepiſcopus. Optimè venerabilis & Deo devota ſanctitas veſtra novit, quanta ſit cura & ſollicitudine commiſſum nobis paſtorale regimen tuendum atque tractandum, &c. Idcirco unà cum Concilio fratrum noſtrorum, Canonicorum videlicet & Monachorum, necnon & fidelium Laïcorum, viſum eſt nobis propter oportunitatem loci, & Monachorum ibidem Deo degentium, præfatam Cellam ad locum qui dicitur Vallieulas tranſmutare; & à fundamentis ædificare, quem HRotlaus quondam nobiliſſima ob amorem Dei & remedium animæ viri ſui Meginerii, ſive pro ſeipsâ, ſuorumque liberorum ac parentum ad prædictam Cellulam beati Remigii, ex antiquitate memorati Epiſcopii noſtri, per donationis titulum delegavit vel tradidit, eâ videlicet ratione, ut divinus ibidem demum ageretur cultus, & illis pro quorum ſalute traditum fuerat augeretur merces, &c. Quod opus Deo dicatum ut per tempora labentia omnibus ſanctiſſimis Patribus & fratribus in Dei nomine conſentientibus firmiorem obtineat rectitudinis ſtatum, & intactum permaneat, manu noſtræ parvitatis ſubter relegenda firmavimus. Et ut rata deinceps manere poſſint, quæ ſcripta ſunt manibus veſtræ ſanctitatis roboranda expoſtulamus.

Wenilo ſanctæ Senonicæ ſedis munere divino Archiepiſcopus, hoc Privilegium fieri juſſi, & ſubſcripſi.

Hucbertus ſanctæ Meldenſis Eccleſiæ indignus Epiſcopus, hoc Privilegium ſubſcripſi.

Adalbertus Tricaſſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Helias Carnotenſis Eccleſiæ indignus Epiſcopus ſubſcripſi.

Ruricus Rothomagenſis vocatus Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Jursmarus Turonorum Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Freculfus Lexovienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Saxbodus Sagienſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Simeon Laudunenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

e *ſed liceat*] Editum erat *ſed licitè.*

d *Privilegium*] Hic inter ſe Acherius & Baluzius diſſident. Ille Synodum Senonis habitam eſſe à Wenilone anno 852. opinatur, hic anno ſaltem 845. Ac Baluzio quidem favent cùm Subſcriptiones Epiſcoporum, tum etiam Capitularia Caroli Calvi tit. v1. in Præfatione: ſed Acherius ſententiam ſuam ita tuetur, nomina Epiſcoporum quæ Aldrici privilegio adſcribi debuerant, Wenilonis privilegio eſſe adſcripta, v. g. Adalberti Tricaſſium, Juſſmari & Urſmari Turonenſis, & Simeonis Laudunenſis; idque probabiliter contigiſſe, quia in iis nominibus librarius ob ſimilitudinem utriuſque privilegii hallucinatus ſit. Atqui ſi licet errores ejuſmodi librariis adſcribere, nihil jàm erit in re diplomaticâ certum: nihil quod non in utramque partem tractari queat. Præterea ſi privilegium Aldrici conſulas, videbis in illo alium Epiſcopum Tricaſſinum, item alium Archiepiſcopum Turonenſem, quàm qui privilegio Wenilonis ſubſcripſere. Nam in priori Landramnus Turonicæ Eccleſiæ præeſt, & Helias Tricaſſinæ: in poſteriori verò Urſmarus Turonorum, Adalbertus Tricaſſium Epiſcopi ſubſcribunt. Quod ad Laudunenſem Epiſcopum ſpectat, in ſolo Wenilonis privilegio comparet: at in utroque Rotomagenſis Epiſcopi ſubſcriptio habetur; & in illo quidem Aldrici Raynardus dicitur, in hoc verò Ruricus, quod Baluzio non minùs quam Acherio diſplicuit, nam ille Paulum reponi voluit, hic Ragnoaldum, ſive Gundoldum. Mihi vel invitis doctiſſimis viris, Rurici nomen ſervandum videtur, nec huic expungendo ſufficere unam hanc rationem arbitror; quod nuſquàm alibi compareat.

Baltfridus Baiocenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Raginarius Ambianenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Altheus præveniente gratiâ Dei Auguſtodunenſis Epiſcopus relegi, & ſubſcripſi.
Ermenfredus Abba ſubſcripſi.
Abbo[e] Abba ſubſcripſi.
Lupus Cathalaunenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Anno circ. 865.

RESPONSA NICOLAI PAPÆ I.

Ad conſulta ARDUICI *Archiepiſcopi Veſontionenſis.*

Ex MS. cod. Autiſſiodorenſ.

NICOLAUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverentiſſimo & ſanctiſſimo Confratri noſtro ARDUICO Biſontionenſi Archiepiſcopo. Inter cætera virtutum tuarum inſignia, quæ plurimis ſunt gratiarum actionibus cumulanda, ſummam obedientiam tenere te conſpicimus cum humilitatis faſtigio. Et cum tantam in te circà nos animi admirati cernamus alacritatem, mentem tuam Apoſtolorum ſpiritu tactam non dubitamus. Cui dum à Primate ſuo, cujus nos licet meritis impares vices gerimus, tantùm verbo diceretur, *Vado piſcari*, illico reſponderunt aïentes: *Venimus & nos tecum*. Ita quoque nunc unanimitatis tuæ fraternitas cum nos pro lucrandis & abſtrahendis è falſis & amaris hujus mundi gurgitibus fidelium animabus ſtudii gremium ponere ſolo ſermone velle ſentiret, protinùs quia nos ſequi, quia per noſtra cupiat veſtigia gratanter incedere nullam dilationem paſſa ſuggeſſit, & uſque ad mortem ſe nobiſcum contrà hoſtes dimicaturam, crebrâ legatione miſsâ ſpopondit. Sed oramus omnipotentem Deum, ut cui factus es in hujuſmodi promiſſione conſimilis, protegente ipſo efficiaris in negatione diſſimilis. Quamquam etſi tale quid accidiſſet, idem ipſe fuerat in recuperatione forma penitùs imitabilis, beatus ſcilicet Petrus Apoſtolorum princeps, qui Malchi corporali abſciſsâ gladio aure inobedientiam, & in Ananiâ & Saphirâ ſpiritali verbi mucrone mendacium & avaritiam percuſſit. Cujus dum ſedem veneraris, & præcepta ſectaris, credimus quòd patrocinia quoque adipiſcaris, & apud Deum interceſſionum ſuarum tegmina conſequare. Jam verò ad conſulta fraternitatis tuæ, de quibus per litterarum tuarum portitorem tibi voluiſti reſponderi, prout Dominus dederit, à quo eſt omne datum optimum & omne donum perfectum, mentis oculos dirigentes, charitati tuæ non ſubtrahemus, ſed potiùs tamquam cœlitùs gratis acceptum donabimus.

Joan. 21. 3.

CAPUT PRIMUM.

HAs igitur quæ duobus fratribus nupſerint, vel qui duas ſorores uxores acceperint, Concilium Neocæſarienſe uſque ad mortem abjici, & in exitu ſuo pœnitentiæ remedium, diſſolutis dumtaxat hujus conjunctionis vinculis, conſequi jubet. Hos autem vel has, qui vel quæ poſt pœnitentiam nova conjugia & inhibitos appetivere concubitus, beatus Papa Siricius à Dominicæ menſæ convivio ſeparat, & ſolo Viatico cum ad Dominum cœperint proficiſci, per communionis gratiam voluit talibus ſubvenire. Quo ergo pacto aliquo poſſunt uti conjugio, quibus nec inhibitos denuò repetere concubitus, nec rurſùs nova conjugia licet contrahere? cum etiam diſſolutis hujuſmodi conjunctionis vinculis, nonniſi in exitu pœnitentiæ remedium tales conſequi poſſint. Non enim, ut ſancto innuente Præſule Siricio ſuprà meminimus, aut nova conjugia, aut inhibitos denuò appetere concubitus hos qui pœnitentiam reſervare ſtudent, oportet. Præter hæc autem quomodo poſſet duabus ſororibus vir quilibet, aut duobus fratribus quævis mulier copulari, & rurſùs viventibus illis ad alias nuptias convolare? cum licet non jure, in duabus tamen perſonis, connubium contractum jam fuerit, & ſecundùm Evangelium vivente uno ex matrimonio, alter ſi conjugem duxerit, mœchatur. Quod ſi mortuæ jam ſunt illæ duæ ſorores vel fratres, quibus vir vel mulier juncta fuit, & ideo exiſtimatur tertias quemlibet vel quamlibet nuptias contrahere; ſciendum eſt quia nos non hoc à Salvatore noſtro, non ab Apoſtolis, non ab Apoſtolicis viris accepimus, ſed nec accipiendum mandabimus. Vide Conc. pag. ... & cor... væ c... Labb. 534.

CAPUT II.

HOs verò qui de propriâ conſanguinitate ac de propriâ cognatione uxores accipiunt, vel nubunt, quis non reprehendat & arguat? cum etiam ſancti prædeceſſores noſtri Apoſtolicæ ſedis Antiſtites GREGORIUS ſcilicet & ZACHARIAS, hos anathematis mucrone percutiant, & diſſolvi hujuſmodi copulam, utpote beſtiarum more contractam, omninò voluerint. Jam verò poſtquàm diſſoluta copula fuerit, ab invicem ſeparati, ſi poſſint, quod ſciſcitaris, ad melius commeare conjugium; nulla ratio patet. Quoniam cùm hi pœnitentiæ ſummittendi ſint, nec hos inhibitos ſibi concubitus, nec alia nova appetere debent conjugia. Denique ſi Thamar à fratre, & concubinæ David à filio ejus violenter[f] oppreſſæ, propter inceſtum coïtum nullas nuptias contraxiſſe refertur, & Adonias à Salomone morte punitur, eo quod puellam quæ cum patre pudicè tantùm dormierat, uxorem ſibi dari popoſcerit: quanto magis hi qui ſponte junguntur, & irrationabiliter miſcentur, poſtquàm ſeparati fuerint, dignæ pœnitentiæ ſummiſſi, debent nullas nuptias, ſed caſtitatem potiùs appetere de cætero mentis & corporis? Sanè ſi quilibet de hac infauſtâ commixtione poſt diſſolutionem copulæ obierit, alter qui ſuperſtes fuerit, & in adoleſcentiæ annis adhuc detinetur ſi ingruente aliquo fortè diſcrimine egit pœnitudinem, & ſe non poſſe continere conqueritur, conjugii valet remedio ſubveniri. Cujus indulgentiæ formam volumus etiam circà feminas obſervari. In quo tamen non regulam conſtituimus, ſed cum eximiâ columnâ Eccleſiæ beato Leone Papa quid ſit tolerabilius æſtimamus.

CAPUT III.

EOs autem qui cum pecudibus miſcentur, ſancta Synodus non nuptialia fœdera contrahere, ſed inter eos orare præcipit, qui ab ſpiritu vexantur immundo. Verumtamen ſi qui ſunt juvenculi, qui tanto piaculo conſtricti imminente mortis exitio vel captivitatis exulatu pœnitentiam geſſerunt, ac paventes poſt hæc incontinentiæ caſum, ad conjugalis conſortii remedia confugerint, ne in crimen fornicationis fortaſſis inciderent, conſilium dinoſcuntur veniale ſumſiſſe, ita dumtaxat, ſi non modo ir- Con... c. ...

e *Abbo*] Fuit hic Abbas S. Germani Autiſſiodorenſis.

rationabilis animantis (pro nefas !) de cætero contubernium, verumtamen omnis omninò mulieris, excepto conjugis propriæ conſortium declinate. Juſtum videlicet Loth imitati, qui ut vaſta Sodomorum evadere potuiſſet incendia, Segor parvam civitatulam, ut vel in eâ ſalvaretur, elegit. Sanè non in hoc regulam, ſicut ſuperiùs diximus, promulgamus, ſed ne deteriùs peccetur, quod levius arbitramur, indulgendum utcumque prævidimus. Denique juxta plenam ſatisfactionem nil ais convenientius eſt, qui tam pernicioſo & omni pœnâ plectendo ſcelere pœnitudinem gerunt, quàm perſeverans caſtitas non ſolùm corporis ſed & mentis.

CAPUT IV.

De Epiſcopo ſemel electo.

POſt mortem verò Epiſcopi qui ſemel in loco ejus electus fuerit, ſi in nullo à ſacris Canonibus deviat, & electio ejus non à ſæcularibus quibuſque, ſed à Clero Eccleſiæ cum conſenſu primorum civitatis ipſius fuerit compoſita, & ſanctorum Patrum in eo conſentiant promulgationes, & tam fidei dogmatibus, quàm bonis concordat moribus, nullâ debet ulteriùs ratione removeri. Alioquin ut prævaricatores & tergiverſatores qui hoc tentaverint, à ſacris regulis arguentur. Et præcipuè qui contrà ſuam profeſſionem vel ſubſcriptionem ierint, canonicis legibus artabuntur.

CAPUT V.

DE Chorepiſcopis, de quibus conſulis, utrum Presbyteros & Diaconos valeant conſecrare; ſacri te canones ſatis poterunt edocere. Quomodo autem Chorepiſcopos poſſe dicimus Eccleſias conſecrare, quas nulli Epiſcoporum licet ſine noſtro præcepto ſecundùm ſanctas regulas dedicare? Non ergo Chorepiſcopis dabimus. Unde vos Epiſcopos, tanquam terminos à patribus poſitos transferentes meritò reprehendimus. Præterea quis infantes debeat conſignare ſanctus Innocentius oſtendit, dicens: » De conſignandis verò infantibus manifeſtum eſt non ab alio quàm ab Epiſcopo fieri licere. « Et rursùs: » Hoc autem, inquit, ſolis Pontificibus deberi ut vel conſignent, vel Paraclitum Spiritum tradant, non ſolùm conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verùm illa lectio Actuum Apoſtolorum quæ aſſerit, Petrum & Joannem eſſe directos, qui jam baptizatis tradant Spiritum ſanctum. «

CAPUT VI.

S.Gregor. lib. 7. indict. 2. epiſt. 55. POrrò de Presbytero, quod non poſſit reſtaurationem poſt lapſum recipere, ut multa prætereamus, beatus Papa declarat Gregorius ad Sabinianum inter cætera ſcribens Jadertinum Epiſcopum: » Presbyterum verò, inquiens, de quo nos fraternitas tua latoris præſentium relatione conſulit, » nullâ ratione in ſacro ordine poſt lapſum aut permanere, aut revocari poſſe cognoſcas.

Hæc quidem, frater cariſſime, in multis occupati vix ad tua conſulta reſcripſimus. Cætera verò quæ communi conſulant utilitati, cum ARSENIO venerabili Epiſcopo, Apocriſiario & Miſſo Apoſtolicæ Sedis, quem illas in partes direximus, cum Deo duce pervenerit, ſatis valetis abundeque tractare, cui & noſtra credere, & tua nobis exponenda cum redierit, poteris ſine ullâ contrectatione committere. Optamus fraternitatem tuam in Chriſto nunc & ſemper benè valere.

CAPUT VII.

SI quis [a] ex propriâ cognatione ſanguinem occiſionis fuderit, ſacri canones uſque ad mortem abjici, & inter rebelles deputati ſanxerunt.

HÆC A DOMNO FLORO Viro prudenti Collecta ſunt ex Lege & Canone.

Anno circ 865.

III. *Caput legum in Canonem receptum de eberſione Judæorum, & de auctoritate ac firmitate judicis & teſtimonii Epiſcoporum: Imperator* THEODOSIUS *&* VALENTINIANUS *Cæſar Almaghio viro Illuſtri Præfecto Prætorio Galliæ.*

QUia religioſos populos nullis decet ſuperſtitionibus depravari, Manichæos omneſque hæreticos vel ſchiſmaticos, ſive Mathematicos, omnemque ſectam Catholicis inimicam ab ipſo aſpectu urbium diverſarum exterminari debere præcipimus, ne præſentium quidam criminoſorum contagione fœdentur. Judæis quoque vel paganis cauſas agendi vel militandi licentiam denegamus, quibus Chriſtianæ legis nolumus ſervire perſonas, ne occaſione domini ſectam venerandæ religionis immutent. Omnes igitur perſonas erroris infauſti jubemus excludi, niſi his emendatio matura ſubvenerit. Data VII. Id. Jul. Aquileiæ. Conſule Theodoſio Auguſto & Valentiniano Cæſare III. Ex Codice S. Mariani Autiſſiodor.

IV. CONSTANTINUS *ad Felicem Præfectum Prætorio.*

Sanximus namque, ſicut edicti noſtri forma declarat, ſententias Epiſcoporum quolibet genere dilatas, ſine aliquâ ætatis diſcretione inviolatas ſemper incorruptaſque ſervari; ſcilicet pro ſanctis ſemper ac venerabilibus habeatur quidquid Epiſcoporum fuerit ſententiâ terminatum, ſive utique inter minores, ſive inter majores ab Epiſcopis fuerit judicatum apud vos, qui judiciorum ſummam tenetis & apud cæteros omnes judices ad exequutionem volumus pertinere; multa enim quæ in judicio captioſæ præſcriptionis vincula promi non patiuntur, inveſtigat & promit ſacro-ſanctæ Religionis auctoritas. Omnes utique cauſæ, quæ vel Prætorio jure vel civili tractantur, Epiſcoporum ſententiis terminatæ perpetuo ſtabilitatis jure firmantur, nec liceat ulteriùs retractari negotium, quod Epiſcoporum ſententia deciderit.

V. Teſtimonium etiam ab uno licet Epiſcopo perhibitum omnes judices indubitanter accipiant, nec alius audiatur. cum teſtimonium Epiſcopi à quâlibet parte fuerit repromiſſum. Illud eſt enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod à ſacro-ſancto homine conſcientia mentis illibatò protulerit. Hoc quod nos edicto ſalubri aliquando cenſuimus, hac perpetuâ lege firmamus.

VI. *Ex Concilio Carthaginenſi.*

Ipſe ſe indignum Eccleſiæ conſortio judicat, qui de universâ Eccleſiâ malè ſentiendo ſæculare poſcit auxilium, cum privatorum Chriſtianorum cauſas

a *ſi quis*] Caput iſtud non pertinet ad ſuperiorem epiſtolam.

Apoſtolus ad eum deferri, atque ibi determinari præcipiat.

VII. *Quòd nemo Clericus ad teſtimonium dicendum compellatur. Ex Concilio Carthaginenſi.*

Non liceat Clericum in judicium ad teſtimonium devocari, cum qui cognitor aliàs præſens, & nulla ad teſtimonium dicendum Eccleſiaſtici cujuſlibet perſona pulſetur.

VIII. *Item ibi.*

Quicumque ab Imperatore cognitionem judiciorum publicorum petiverit, honore proprio privetur.

IX. *Imperatores* VALENTINIANUS, THEODOSIUS *&* ARCADIUS.

Continuâ lege ſanximus nomen Epiſcoporum vel eorum qui Eccleſiæ neceſſitatibus ſerviunt, ne ad judicia ſive ordinariorum ſive extraordinariorum judicum pertrahantur. Habent illi judices ſuos, nec quidquam his publicis commune cum legibus.

X. *Imperator* THEODOSIUS *&* VALENTINIANUS *Cæſar.*

Privilegia Eccleſiarum vel Clericorum omnium prona devotione revocamus, ſcilicet ut quidquid à divis Principibus ſinguli quique Antiſtites impetrarunt, jugi ſoliditate ſervetur, nec cujuſquam audeat titillare præſumptio, in quo nos nobis magis præſtitum confitemur.

XI. *Quòd Clerici Epiſcopali audientia reſervari jubemur.*

Clericos igitur omnes, quos indiſcretè & ad ſæculares judices debere deduci, infauſtus præſumptor edixerat, Epiſcopali audientiæ reſervamus. Fas enim non eſt, ut divini muneris miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio.

XII. *Imperator* HONORIUS *&* THEODOSIUS *Aug.*

Vacent Eccleſiæ ſolis quibus benè conſciæ ſunt divinæ prædicationis Officiis. Cuncti in orationibus celebrandis horarum omnium momenta conſumant. Gaudeant noſtrà in perpetuum liberalitate munitæ, quarum nos erga cultum pietate & æternâ devotione gaudemus.

XIII. *Imperator* HONORIUS *&* THEODOSIUS.

Epiſcopos vel Preſbyteros, Diaconos & quoſcumque inferioris loci Chriſtianæ legis miniſtros, ab Epiſcopis ſolùm, non ab alio oportet accuſatos audiri.

XIV. THEODOSIUS *&* VALENTINIANUS *Aug.*

Audemus quidem ſermonem facere ſollicitè, plus timore capti de ſanctis venerabilibus Sacerdotibus & ſecundis ſacerdotibus, vel etiam Levitis, & eos cum omni timore nominare, quibus terra caput inclinat.

Et poſt pauca.

XV. Quòd in Sacerdotibus Eccleſia conſtat.

De obnoxiis verò inquiunt.

Si qui ambulaverit cum Epiſcopo, vel cum Preſbytero, vel etiam cum Diacono, ſive in plateâ, ſive in agro, ſive in quolibet loco, nullo pacto eos retineri vel obſtringi jubemus. Quoniam in Sacerdotibus Eccleſia conſtat.

ſal. 2. 11. 12. K. Reges iſti Chriſtianiſſimi, qui tantâ reverentiâ de Eccleſiâ loquuntur; non fruſtrà audierunt: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram. Servite Domino in timore, & exultate ei in tremore.* Mira autem & vera ſententia, quòd Eccleſia non tam in lapidibus quàm in Sacerdotibus conſtat. Et ideo juſtè nunc & religiosè ſancitur, ut reverentia, quæ altari & templo exhibetur, eadem Sacerdotibus exhibeatur; & ſicut hoc eſt, ut juxtà templum vel altare ibi nemo reum & crimini vel etiam morti obnoxium contingat; ita neque à latere Epiſcopi, Preſbyteri & Diaconi quolibet loco abripere vel contingere audeat.

Item ibi ex Concilio Carthaginenſi qualiter Epiſcopus, Preſbyter & Diaconus purgari debeant.

Si quis Epiſcopus, quod non optamus, in reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia neceſſitas non poſſe plurimos congregare, ne in crimine remaneat, à duodecim Epiſcopis, & Preſbyter à ſex Epiſcopis cum proprio ſuo Epiſcopo audiatur, & Diaconus à tribus.

Item ibi. X

Quiſquis Epiſcoporum, Preſbyterorum & Diaconorum, ſeu Clericorum, cui in Eccleſiâ fuerit crimen inſtitutum, vel civilis cauſa fuerit commota, ſi relicto Eccleſiaſtico judicio publicis judiciis purgari voluerit, etiamſi pro ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſuum amittat, & hoc in criminali; in civili verò perdat quod evicit, ſi locum ſuum obtinere maluerit.

Ex Epiſtolâ Epiſcopi ad Imperatorem de Baptizatis Hebræis. X

POſtquam divinæ gratiæ auxilio & veſtræ pietatis patrocinio, juxtà auctoritatem divinæ legis & Eccleſiaſticorum Patrum conſtituta pro Judæorum illuminatione cœpimus laborare, adjuvante eâdem divinâ gratiâ converſi ſunt plures ex eis ad Dominum tam viri quàm feminæ, majores natu & juvenes, adoleſcentes & pueri, & cum eis etiam ſeorſum aliqui ex ſervis & ancillis. Cumque hic numerus cœpiſſet multiplicari, & gaudium Matris Eccleſiæ de ſalute converſorum in dies augeri, cœperunt converſi invitare averſos ad eam quam cognoverant veritatem, maximè pueros & innocentes, eo quod cæteri magis exſtant duri utpote inveterati dierum malorum. Cœperunt ergo pueri & adoleſcentuli quod videbant in iſtis, deſiderare fieri in ſeipſis, & maximè, ut arbitror, quia per ſingula Sabbata à fratribus & Sacerdotibus noſtris in Synagogâ verbum Domini prædicatur. Quod cum impii ſenſiſſent parentes, cœperunt eos furtim & maximè noctibus ad inferiores provinciæ partes, id eſt, Arelatem urbem dirigere, quo magna eorum multitudo tam ex Cabilonenſe, quàm ex Matacenſi & Viennenſi civitatibus tranſlata eſt. Quod cum mihi ab eiſdem qui crediderant Judæis dolenter nuntiatum fuiſſet, juſſi eos qui reſidui erant, abſque læſione, vel damno aliquo in præſentiam meam ſub conſpectu Eccleſiæ deduci; ut ſi qui inter eos eſſent qui noſtra deſiderarent, pateret eis janua Matris Eccleſiæ, ereptis de manibus impiorum. Statim igitur, mirabile dictu! ſex pueruli priuſquàm ab aliquo exhortari cœpiſſent, Sacerdotum noſtrorum pedibus provoluti profitebantur ſe velle baptizari, atque ut ad me perducerentur orabant. Cumque perducti eſſent, ſimiliter ſupplicantes & rogantes omnium gratulatione ſuſcepti ſunt. Poſt verò & alii numero XLVII. qui idem profeſſi ſunt, quos omnes ſub conſpectu Dei & Eccleſiæ bonis & fidelibus fratribus tradidi inſtruendos, & in ſolemnitate Paſchali generalis la-

vacri celebritate baptizandos & nutriendos Domino. Reliquos verò in quibus nihil boni deſiderii vel petitionis agnovi, reſtitui intactos parentibus ſuis.

Veſtræ eſt bonitatis, veſtræ orthodoxæ Chriſtianitatis & pietatis, quatinùs & iſti abſque interpellatione atque inquietudine malignorum tranquillè in filios Eccleſiæ educentur, & illi qui crudeliter ne ſalvi fierent ab impiis Arelatem tranſlati ſunt, per Epiſcopum ejuſdem Eccleſiæ à veſtrâ Serenitate diligenter admonitum, & ad divinum opus exercendum alacriter inſtigatum, ſimilis aliquid gratiæ auxiliante Domino conſequantur. Si enim magnæ eleemoſynæ opus eſt in cauſis temporalibus aliquem vi oppreſſum eripere, aut ex beſtiæ alicujus faucibus rapere, quanto major de illo merces ſperanda eſt, qui vel ab impiis hominibus, vel à malignis ſpiritibus ne ad Deum venire poſſit opprimitur, ſicut poteſtas & facultas congrua datur, valuerit ad ſalutem lucrari. Teſtatur hoc Apoſtolus Jacobus exhortans & dicens: *Si quis autem erraverit à veritate, & converterit quis eum, ſcire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte, & operit multitudinem peccatorum.*

Jac. 5. 19. & 20.

Anno 862. Ex Autographo Abb. S. Dionyſii.

CONCILIUM SUESSIONENSE,

In quo confirmatum eſt Privilegium Monaſterii S. Dionyſii à B. LANDERICO *Epiſcopo Pariſienſi conceſſum.*

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS. Anno ab Incarnatione Domini octingenteſimo ſexageſimo ſecundo, Indictione decima, Regni verò glorioſiſſimi Domini noſtri CAROLI Regis XXIII. evocatis nobis Epiſcopis, quorum nomina ſubſcriptionibus in fine declarantur, diverſarum Provinciarum & urbium ad regalem Synodum, & jam diù in tractatu rerum Eccleſiaſticarum occupatis, in loco qui vocatur Piſtis, & miſſis à Regia Poteſtate Sueſſonicâ urbe conductis pro cauſis quibuſlibet Eccleſiæ audiendis, dilecti filii noſtri Monachi ex Monaſterio pretioſorum Martyrum Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii, adſtante reverentiſſimo & cariſſimo nobis Abbate de eodem Cœnobio HLUDOVICO, & petitiones eorum ſuo conſenſu firmante, & pro eorum commodis nos humiliter rogante, petierunt unanimitatem noſtram, quò adverſus cupidorum inſidias eos præmuniremus, & Eccleſiaſticâ auctoritate fulciremus, ne fortè aliquando perverſorum infeſtationibus concuſſi, ſancti propoſiti diſpendium animæ eorum paterentur, ſed potiùs divinæ gratiæ affluentiâ, & Regiâ munificentiâ largiente, noſtræ quoque mediocritatis aliquid ſuffragante diligentiâ, omni prorsùs & maximè Clericorum infeſtatione ſeclusâ, abſque ullâ inquietudine valerent implere quod bonorum omnium Auctori voverunt. Igitur hoc poſtulantes obtulerunt noſtris obtutibus, præſente etiam Domno CAROLO Rege, qui petitionibus prædictorum Fratrum piiſſimo favebat affectu, quædam privilegia ſanctiſſimorum Pontificum, necnon & præcepta clariſſimorum Regum, de libertate prædicti Monaſterii ab eiſdem ſuis temporibus honorificè confirmatâ, inſuper & Apoſtolicâ auctoritate inviolabiliter corroboratâ. Ergo reſidens idem Deo amabilis Rex CAROLUS in ipſa univerſali Synodo, prædeceſſorum ſuorum præcepta & privilegia, ſeu confirmationes Apoſtolicis auctoritatibus roboratas, maximè autem privilegium LANDERICI religioſi Pariſiorum Epiſcopi ſollicitè conſideratum, quod ut hîc Regularis Ordo inviolabiliter conſervaretur, terribiliter & mirabiliter obteſtando ob deprecationem D. HLUDOVICI filii Dagoberti inclyti Regis factum, & Sanctorum qui uſque hodie in miraculis coruſcant, manibus roboratum ipſi Eccleſiæ tradidit, & libertatis eam privilegio honoravit, publicè recitari juſſit. Quo facto, hortatu pariter ac deprecatione ipſius præcellentiſſimi Regis, Hludovici Abbatis, cæterorumque S. Dionyſii Monaſterii Fratrum petitionibus aſſenſum præbuimus, ſcilicet, ut ea quæ ſuperiùs comprehenſa ſunt noſtrâ quâ prævalemus auctoritate roboraremus. Statuentes igitur ſancimus, omnes videlicet Epiſcopi qui prædictæ Synodo interfuimus, ut ea omnia quæ in prædictis privilegiis ſeu præceptis continentur, jam dicti Monaſterii S. Dionyſii Monachi, tam ipſi quàm ſucceſſores eorum per ventura tempora abſque cujuſlibet Pariſiacæ urbis Epiſcopi repetitione, ſeu cujuſcumque reclamatione vel contradictione, quietè in perpetuum poſſideant. Quin etiam ego ipſe ÆNEAS, acſi indignus Pariſiacæ urbis Epiſcopus, hoc conſentiens laudavi, privilegiumque Domni Landerici Anteceſſoris mei omninò æquitatis tramite ſervare approbans corroboravi, corroboratumque nunc & futuris temporibus mandavi, omnibuſque Succeſſoribus meis per omnipotentem Deum, qui verbo ſuo cuncta creavit, & Spiritu oris ſui univerſa formavit, interdico, ne quidquam ex his omnibus quolibet modo unquam repetere audeant. Si quis autem tanti Regis, Domni ſcilicet Caroli, imò Dei beneficium, hujuſque univerſalis Synodi benivolentiam fraudulenter ſeu violenter ſubvertere præſumſerit, eum velut rapacem atque ſacrilegum à populi Dei ſocietate juſto atque tremendo anathemate ſeparamus, niſi dignâ pœnitentiâ, & ſubſequente emendatione quod perperè egit, correxerit. Hoc autem noſtrum decretum, ſicut eſt, ut verum eſſe credatur, & firmiſſimè ab omnibus Catholicæ fidei cultoribus præſentibus & futuris teneatur, ſubſcriptionibus propriis firmavimus.

HINCMARUS Sanctæ Metropolis Eccleſiæ Remorum Epiſcopus ſubſcripſi.

ANGILMOLDUS Sueſſonicæ Eccleſiæ Epiſc. ſubſ.

HALMERADUS Ambianenſis Epiſc. ſubſ.

HARPUINUS Sylvanectenſis Epiſc. ſubſ.

HINCMARUS Laudunenſis Epiſc. ſubſ.

ODO Belvagorum Epiſc. ſubſ.

HUNFRIDUS Morinenſis Epiſc. ſubſ.

RAGENALMUS Tornacenſis Epiſc. ſubſ.

GUILIBORUS Cathalaunorum Epiſc. ſubſ.

WANILO Sanctæ Metropolis Eccleſiæ Senonenſis Epiſc. ſubſ.

ÆNEAS Pariſienſis Epiſc. ſubſ.

GISLEBERTUS Carnotenſis Epiſc. ſubſ.

AGIUS Aurelianorum Epiſc. ſubſ.

HILDEGARIUS Meldenſis Epiſc. ſubſ.

ABBO Nivernenſis Epiſc. ſubſ.

WENILO Sanctæ Metropolis Eccleſiæ Rothomagenſis Epiſc. ſubſ.

HAIRARDUS Loxovienſis Epiſc. ſubſ.

WALBERTUS Abrincatenſis Epiſc. ſubſ.

GOMBERTUS Ebroïcenſis Epiſc. ſubſ.

HILDEBRANDUS Sagenſis Epiſc. ſubſ.

HIRLUINUS Conſtantianæ Urbis Epiſc. ſubſ.

RODULPHUS Sanctæ Metropolis Eccleſiæ Bituricæ Epiſc. ſubſ.

HERARDUS Sanctæ Metropolis Eccleſiæ Turo-

nenſis Epiſc. ſubſ.
Dooo Andegavenſis Ecclef. Epiſc. ſubſ.
Actarous Nanneticæ civitatis Epiſcopus ſubſcripſi.
Jonas Eduorum Epiſc. ſubſ.
Godstsaous Cabilonenſium Epiſc. ſubſ.
Raoineus Matiſcenſiom Epiſc. ſubſ.
Frotarius Sanctæ Metropolis Eccleſiæ Burdegalenſis Epiſc. ſubſ.
Freculfus Sanctonicenſis Epiſc. ſubſ.
Inoenalous Pictavorum Epiſc. ſubſ.
Folcherius Auguſtæ Tricorum Epiſc. ſubſ.
Adalgarius Notarius ad vicem Gavihleni Regiæ dignitatis Cancellarii recognovit.

Anno 864. a

IN CONVENTU a PISTENSI,

Bona Abbatiæ S. Germani Autiſſiodorenſis confirmantur, An. DCCCLXIV.

ANno ab Incarnatione Domini octingenteſimò ſexageſimo qoarto, Indictione duodecimâ, anno verò Regni glorioſi Regis Karoli vigeſimo quarto, poſitis nobis diverſarum Provinciarum, & Urbium Galliæ Præſulibus in loco, qui Piſtas vocatur, quo nos generalis neceſſitas traxerat instituendi munitiones contrà Normannos; quo etiam pro Regni ſtato confirmando regia nos Præceptio evocavit: adierunt nos Legati Monachorum ſancti Germani Autiſſiodorenſis Monaſterii, quibus præeſt memorati Regis filius venerabilis Abbas Hlotharius, ſupplicantes, ut ad loci ſui Religioniſque ſtabilitatem, ac ſecuritatem perpetuam obtinendam, de facultatibus ipſius Mooaſterii eorum oſibus ſpecialiter deputatis, Decreti noſtri authoritatem emitteremos, ne aliqoa deinceps immutandi ea, quæ juſtè petita & conceſſa ſunt, cuiquam pateret facultas. Quippe ut prudentes viri atque Religioſi tenentes in memoriâ illud quod rectè præcipitur; *In die bonorum ne memor ſis malorum*; & ſuſpectam habentes rerum incertarum mutationes, ſibi per nos conſuli optaverunt, ut inter varias mutationum viciſſitudines, ipſi divino munere, noſtroque conſenſu freti, nulla unquam neceſſitatis occaſione paterentur ſuæ Religionis diſpendia, ſed potiùs ipſius Dei, noſtràque proviſione aſſiduis immutabilibuſque beneficiis ad meliora incitarentur. Eorum igitur ſtudium approbantes, prudentiamque penitùs amplectentes, facilem votis præbuimus aſſenſum, optatumque impendimos favorem, ut ſanctorum operum, quæ illis divinitùs conferentur, non adjutores ſolùm, verùm etiam efficeremur participes. Quæcomque igitor Regiâ magnificentiâ ad conſervationem ſui propoſiti ſunt adepti, quæqoe Præcepto ejus nominatim expreſſa & collecta ſunt: id eſt manſa in gyro Monaſterii ſita, & ut vulgo loquamur, clauſi vinearum, ſcilicet ille qoi adhæret Monaſterio & campanæ, plantæ abundantia, Curſicanus & Clauſellus de Patriniaco, cum aliis vineolis, Ariacus ad integrum, Alta-ripa cum integritate; Manſella in Fontanilus, quæ cum Vvenilone Metropolitano Epiſcopo permutaverunt pro rebus ſancti Remigii, Colonias, villare, quod cum Aglniaco, villa cameræ eorum deputata, Regio Præcepto per commutationem habere decretum eſt, cum manſo indominicato, & appendiciis ſuis ad integrum; Manſella in Mariaco; Pons Maxentus ad integrum: Manſella quæ Hildeburgis dedit in Monaſteriolum-medium, Deſimiacus ad integrum, Albus-Cippus media com Eccleſia; Manſum oonm in Ripâ, & alia Manſa in Surgiaco, & Langromo, Orgiacus, Pauliniacus, Buculiacus, Valens, & Quintiacus mediæ quam commutaverunt pro Ledimo, Partiniacus ad integrum, quam de rebus ſancti Stephani ad Comitatum Pagi Autiſſiodorenſis pertinentibus, cum Chunrado Comite propinquo Regis, & Chriſtiano Epiſcopo, pro Feſtiniaco, Leſtrodio & Graniolo, regali authoritate commutaverunt: Rochonorus, quam cum præfato Comite pro Modolagio commutaverunt, Sediliacus, Nabriacus, Vendilus, & in Belnenſi Pago vinea una, quæ Morga dicitur, Urus, Modolagius, Luciacus, Monſtalaunus; Magniacus etiam, in quo ſunt diverſis locis manſa viginti-quatuor, & Regio Præcepto deſtinata ſunt uſibus Monachorum, Vultumniacus cum coloniculis, in Agliaco manſa tria cum farinariis, & piſcatione, pro quibus illi dederunt manſa quatuor in diverſis locis. In Tricaſſino Pago manſum unum, & diverſæ terræ io eleemoſynâ illis datæ. Cella Mellerenſis, quam ipſis deprecaotibus Monachis Regia liberalitas ſociavit, cum quibus & unam villam, Abundiacum nomine, pro Auloniaco commutaverunt. Præterea Quintiacus media, & Cociacus, quas ipſi Monachi de portione ſuâ ad portam deputaverunt excipiendis Monachis & cæteris familiaribos ſuis: ſed & ad theſaurum Manſella, quæ ſunt in Vogrado & Caſteneto, & manſum unum in Siglintaco, cum terris & vineolis, in Cineiliis, & Nantilla, & Blariaco cum appendiciis ſuis, & in Villari manſa duo cum vineolis & terris, quæ diverſi homines pro eleemoſynâ vel loco ſepulturæ largiti ſunt; & in Badeſiâ manſum unum. Res quoque quas dedit Herimarus vir oobilis ad ſtipendium Matriculariorum, quos Nonnones vocant, hoc eſt in Nigronto, & in Lacunis, ſeu Linereolis, & Ferrolis. Item ad hoſpitale pauperum Vendonſa cum appendiciis ſuis, Calniacus, & in Guvarchiaco manſum unum, in Baſſao manſellum unum cum vineolis, in Vogrado manſom uoum, in Valariis ſimiliter, in Creanſo ſimiliter, in Crepto ſimiliter, ſicut etiam Regia magoificentia conſenſit, ita & nos coocedimus, ut intrà annum per quadraginta dies certas, ex collatione recenti bonorum hominum, in feſtivitatibus ſanctorum benedictiones fratribus à Præpoſito vel Decano ſolemniter procorentur. Præcipimus quoque ut ex omnibus reliquis facultatibus Monaſterii, quæ vel dominico jure, vel beneficiorum conſuetudine detinentur, decimæ hoſpitalibus divitum vel pauperum, ſicut olim ſtatutum eſt, ad integrum conferantur, & ſarta tecta totius Monaſterii, & his auxiliis quæ manſa debent certis & oportonis temporibus inſtaorentur.

Nos Deo, & ipſi Domino Regi uberes gratias referentes, ſtatuimus in perpetuum immutabiliter conſervanda, nec unquam ullum defectum, munitionemque paſſura quamdiu Deus & Dominus ooſter in hac peregrinatione Eccleſiam ſoam dignatus fuerit gubernare. Optamus etiam ut glorioſus Dominus noſter beneficiorum ſuorum cum dei cultoribus Deo conferente quandoque percipiat præmium, quibus congruum ſuæ largitionis præbere uoo diſtulit munimentum. Nos verò memores noſtri officii, eoſdem

a *In Conventu*] Privilegium hoc cum Acherio communicavit unus è ſuis ſodalibus, cui nomen erat Victori Cotrono, quique hiſtoriam Abbatiæ S. Germani Autiſſiodorenſis, aliorumque Monaſteriorum elaboraverat. Vide librum v. de re Diplomat. pagg. 456. 458.

venerabiles

venerabiles fratres monemus, ut in ſanctâ Religione, quam Deo profeſſi ſunt, quotidie proficiant, ſuæ ſanctitatis exemplo ad ſe accedentes inſtigent, famâque laudabili ad Dei gloriam abſentes quoque eſſe ſtudeant imitabiles, ut eorum merito & ſæcularis reſpublica dirigatur, & infatigabili interceſſione cunctæ res Eccleſiaſticæ fulciantur.

Si quis autem Abbas, vel alia quælibet contraria perſona hanc noſtram Conſtitutionem aliquâ impedire aſtutiâ, vel corrumpere ſubreptione molitus fuerit, aut cenſum ſive commodum aliquod imponere tentaverit, quæ nos ne Dei ſervi gravarentur penitùs excluſimus, hac noſtrâ admonitione compertâ niſi continuò ſe à malo ſubtraxerit, & competenti pœnitentiâ texerit, eum velut turbantem pacem atque ſalutarem concordiam à perceptione ſacratiſſimi Corporis & Sanguinis Domini noſtri JESU Chriſti ſeparamus, & anathemate, quo dignus eſt, plectendum, donec ex corde reſipiſcat, decernimus, ut qui ſcandalum intulerit quieti ac refrigerio Deo famulantium, ipſe ab eis excluſus, damnationem debitam perferre cogatur. Ut autem hoc Privilegium certum jugiter obtineat vigorem, Deique famulis plenam ſemper conferat ſecuritatem, ſubſcriptionibus id propriis præſentes roboravimus, & abſentes Fratres & Coepiſcopos noſtros ut idem facere dignentur, ſeque nobis etiam in hoc unanimes exhibeant, obſecramus.

WANILO munere divino Senonenſis Epiſcopus hoc privilegium recognovi, & ſubſcripſi.

HINCMARUS nomine non merito Remorum Epiſcopus, ac plebis Dei famulus, ſubſcripſi.

LOTHARIUS [b] ſanctæ Burdegalenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

RODULPHUS Bituricenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

AGIUS ſanctæ Aurelianenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

CHRISTIANUS Autiſſiodorenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

LUIDO * vocatus Epiſcopus ſanctæ Nivernenſis Eccleſiæ ſubſcripſi.

FOLCHRICUS indignus Epiſcopus Auguſtæ Tricarum ſubſcripſi.

ISAAC ſanctæ Lingonenſis Eccleſiæ indignus Epiſcopus ſubſcripſi.

HERPUNUS ſanctæ Silvanectenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

GIRBALDUS indignus Kavillonenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

HILDUINUS divinâ miſeratione vocatus Ebroïcenſis Epiſcopus.

INGENALDUS Pictavorum gratiâ Dei Epiſcopus ſubſcripſi.

ODO Bellovacenſis Epiſcopus in nomine ſanctæ Trinitatis ſubſcripſi.

ROTLANNUS Epiſcopus Eccleſiæ Arelatenſis hoc privilegium firmavi, & ſubſcripſi.

ERCHENRAUS Catalaunenſis Eccleſiæ indignus Epiſcopus ſubſcripſi.

RAGENELINUS ſanctæ Tornacenſis Eccleſiæ indignus Epiſcopus ſubſcripſi.

LIUTBERTUS ſanctæ Mogontiacenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

ALTHFREDUS Hildeviſheimenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

FRICULFUS ſanctæ Sanctooicenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

BERNARDUS ſanctæ Matiſconenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

SYNODUS VIENNENSIS,

in quâ præſide Alexandro Archiepiſcopo lis inter duos Abbates ſopita eſt.

ANNO 907. Ex Chartulario S. Andreæ Viennenſis.

ANno Incarnationis dominicæ DCCCC. VI. Indictione x. acta eſt Synodos apud Viennam Metropolim juſſu Domini ac venerabilis ALEXANDRI ejuſdem Eccleſiæ Archipræſulis, in Eccleſia videlicet Domini & Salvatoris noſtri, ubi à multis in ejus præſentiâ ſuorumque miniſtrorum, necnon & venerabilium Abbatum, videlicet EIRL . I Præpoſiti, ERLEI Archidiaconi, VALDONIS Abbatis, LEUDONIS Abbatis, multorumque aliorum reverendorum Sacerdotum à diverſis diverſæ prolatæ ſunt querimoniæ. Inter cætera verò, quæ in hac Synodo diſcutienda, ac diffiniendа erant, orta eſt quædam altertatio inter ARIBERTUM Abbatem Romaucenſis Monaſterii, necnon & BARNARDUM venerabilem Monachum ſanctique Mauritii Abbatem, ex territorio de quâdam Capellâ ſancti Severi, in Parochiâ ſancti Primi ſitâ in villâ Lauſiaco, quam quidam homo in præſtariam tenebat nomine Fulcherius, dicens jam dictus Aribertus Abbas quòd ex prædicto territorio juſtè & legaliter ad Capellam ſancti Severi pervenire debuiſſent. Sed Barnardus Abbas affirmando contradicebat non ita eſſe; ſed omnes decimæ ex præmemorato tereitorio legaliter & rationabiliter plùs pertinerent ad Eccleſiam ſancti Primi, quam ille in manu ad ordinandum habebat, præter privum Monachorum laboratum, quàm ad ſupradictam ſancti Severi Capellam. Tunc à ſanctâ Synodo judicatum eſt illi, ne forte deinceps ex eâdem causâ aliqua moliretur injuria, ut ſicut ille propriis teſtificabatur verbis, ita teſtes ſui Sacerdotes ſub juramento affirmaſſent.

Prædictus quoque Barnardus Abbas ſuos in ſanctâ Synodo præſentes oſtendit teſtes, quorum nomina ſunt hæc: CHRISTIANUS Preſbyter, SIGUINUS Preſbyter, ALBARICUS Preſbyter, FOLMARUS Preſbyter, BADINUS Preſbyter, ARCHINSRIUS Preſbyter, GIROLDUS Preſbyter. Et ſacramentis datis omnia legaliter explevit, ſicuti judicatum fuit, & prædictas decimas ad eamdem Eccleſiam ſancti Primi evindicavit.

Ego ALEXANDER ſanctæ Viennenſis Eccleſiæ Epiſcopus propriâ manu roboravi, & aliis roborare juſſi. ERLEUS humilis Præpoſitus, ANDREAS Preſbyter.

b. *Lotharius*] Baluzius vult legi *Frotarius*, & infrà *Liudo*, pro Luido.

MONITUM.

CONCILIUM Romanum, præſidente Gregorio Papa V. celebratum exhibemus, quod è veteri cod. MS. Eccleſiæ Podienſis, ſive Anicienſis & Vellavenſ. deſcripſit & ad nos tranſmiſit noſter Andreas Liabenſus, Prior Caſæ Dei, impensè rebus antiquis imbutus. Hujuſce Concilii pericopen vulgavit Odo Giſſeius in lib. 2. hiſtoriæ Podienſis capite 18. quam poſtmodum Philippus Labbe tomo 2. Bibliothecæ novæ, & Sammarthani Galliæ Chriſtianæ inſeruere. At nos Synodum illam diutiùs latere haud paſſi, integram cum ſubſcriptionibus dare volumus, ut pote nonnulla continentem, quæ viris doctis hactenùs obſcura videbantur.

Nonnulla itaque majoris momenti eo in Concilio ſunt advertenda. PRIMÒ, *Sententia diſſolutionis matrimonii à Roberto Rege cum Bertâ contracti, lata nimirum eam ob cauſam quod conſanguinei eſſent nullâ prorsùs alterius impedimenti mentione factâ, cujus meminit fragmentum hiſtoriæ Franc. apud Cheſnium tom. IV. ad hunc modum :* Idem verò Rex in uxorem ſibi aſſumſit matrem Odonis Comitis, Bertam nomine, qui eodem tempore puerulus erat. Illa autem commater ejuſdem fuerat Regis. Idem namque Rex filium ipſius de ſacro ſuſceperat lavacro. *Helgaldus etiam in vitæ Regis Roberti epitome habet iſta :* Non exhorruit facinus copulationis illicitæ, dum commatrem & ſibi conſanguinitatis vinculo nexam duxit uxorem. *Cur porrò Concilii Patres id impedimenti ſubticuerint, ratio hæc eſt, nempe ad diſſolvendum hujuſmodi matrimonium ſola ſufficiebat conſanguinitas.*

De excommunicatione ab ipſiſmet Patribus inflictâ Herchembaldo Turonenſi cæteriſque Epiſcopis qui inceſtis nuptiis conſenſerant, interfuerantque, agit Leo IX. in epiſtola ad Henricum Roberti filium, cujus verba refert Ivo Decreti pag. 9. cap. 8. Ob quam rem quoniam erant carnis affinitate conjuncti, ab anteceſſore noſtro, cum Epiſcopis qui placito interfuerant excommunicati, poſt ad Sedem Apoſtolicam venientes, cum ſatisfactione ſumptâ pœnitentiâ redierunt. *Ex his intelliges Epiſcopos juxtà Concilii definitionem Romam ſatisfacturos perrexiſſe.*

Poſtmodum verò cum Rex Robertus nollet Bertam repudiare, ipſique præfractè adhæreret, à Galliæ Epiſcopis fuit anathemate percuſſus, ut habet Petrus Damiani in epiſtola 15. ad Deſiderium Caſſin. Quos etiam, *inquit*, virum ſcilicet & uxorem omnes ferè Galliarum Epiſcopi communi ſimul excommunicavere ſententiâ. *Tandem per Abbonem Floriacenſem Abbatem* durè increpatus, privatim & publicè confeſſus eſt culpam, obſecravit indulgentiam, deploravit ærumnam, jejunavit, oravit, & confeſſionis ſuæ teſtimonium in perpetua ſæcula vulgato dolore tranſmiſit : *Ita Helgaudus ubi ſuprà.*

SECUNDÒ, *obſervabis Decretum de reſtituendâ Merſeburgenſi Eccleſiâ, quam, cum eſſet erecta ab Sede Apoſtolicâ & Ottone I. in Concilio univerſali, deſtruxerat Otto II. Legendus ille de re Ditmarus & ipſe Merſeburg. Epiſcopus in Chronicis lib. 1. pag. 12 qui Henricum Aucupem dictum aſſerit* Eccleſiam de lapidibus conſtrui, & dedicari præcepiſſe in Merſeburg *Item lib. 2. pag 17. Ottonem I. ejus filium ait Deo voviſſe, quòd ſi victoriam de Hungaris reportaret*, Epiſcopatum in civitate Merſeburg in honorem S. Laurentii erigi curaret. *Et lib 3. pag. 2. tradit, Ottonem II. erectum à patre eumdem Epiſcopatum, pauperemque relictum multis prædiis ac juribus ditaſſe, quia Giſelerum illius ſedis Epiſcopum* multum diligebat. *Denique pag. 30. ejuſdem libri ſcribit, Giſelerum fraude & auro, atque favore fultum Ottonis II. Adalberto Magdeburgenſi ſucceſſiſſe : ac tum Merſeburgenſem Epiſcopatum deſtructum atque in diverſas diœceſes diſtractum, ſubditumque Alberſtatenſi eſſe. Addit præterea Ditmarus :* Præcepta, quæ munera Regalia ſeu Apoſtolica continebant, aut igni comburebat (*Giſelerus*) aut Eccleſiæ ſuæ mutato nomine deſignari fecit; mancipia, & totum quod Merſeburgenſis Eccleſia recipere deberet, ne unquam colligeretur, ſponte diſperſit. *His de Merſeburgenſi ſede conſona tradunt Lambert. Schafnaburg. ad an. 901. & vita S. Adalberti apud Surium 23. Aprilis. Proinde Concilii Romani decreto Giſelerus tamquam deſtructæ Sedis Merſeburgenſ. auctor damnatus eſt.*

Porrò eidem decreto obtemperatum dumtaxat fuit an. 1005. teſte Ditmaro ſæpè jam laudato, in lib. 6. pag. 60. agente de Henrico Rege : Qui convocans ad ſe omnes Regni Primates, dedit Epiſcopatum Sanctæ Merſeburg Eccleſiæ Capellano ſuimet nomine Wigberto, cum baculo Archiantiſtitis Tagnonis, cum quo ipſe quidquid Anteceſſor ſuus (*Giſlerus*) injuſtè de hac auferre præſumſit Eccleſiâ, renovationi ejuſdem arridens reddidit, conſentiente in hoc Arnulfo Præſule, Eido quoque & Hillebardo Epiſcopis, quibus Diœceſis illa fuit diviſa, ac omni populo applaudente.

TERTIÒ, *Quid Giſelerio, qui de Merſeburgenſi Eccleſia ad Magdeburgenſem migraverat, Silveſtro II. Pontifice Gregorii V. ſucceſſore contigerit, audiendus iterum Ditmarus in lib. 4. p. 43.* Poſthæc, *ait*, Imperator Giſlerum Archiepiſcopum eo quod duas teneret Parochias, in Synodo accuſavit Romanâ, judiciali eum ſententiâ ab officio ſuſpendit, ac per internuntios ab Apoſtolico eumdem illò vocari præcepit: qui tunc paralyſi percuſſus, cum venire nequiret, Rotmannum miſit Clericum, qui juramento, ſi aliter non crederetur, ſe excuſaret. *Et infrà de eodem loquens Giſlerio:* Secundâ feriâ (*Palmarum*) Archiepiſcopus ejuſdem loci Imperatoris edicto priorem ſuſcipere Sedem rogatus, datâ internuntiis magnâ pecuniâ inducias ad Quindelingeburg vix impetravit. Fit illuc magnus Senatorum concurſus, Paſchalia etiam ibi peraguntur gaudia; & habitâ in ſecundâ feriâ Synodo iterum Giſlerus vocatur. Hic infirmitate oppreſſus validâ, à prædicto excuſatur Rotmanno, & in multis à Walterio tunc Præpoſito defenditur. Indicitur hinc Concilium in Aquiſgrani, quò ipſe cum ſuis veniens iterum ab Archidiacono Romanæ Eccleſiæ alloquitur; qui ſapienti conſilio uſus, generale ſibi poſtulat dari Concilium: ſicque indiſcuſſa dilatavit hæc omnia, uſque dum hæc Dominus finire dignatus eſt, noſtris propitius temporibus. *Demùm idem auctor in lib. 5 pag. 57. de Henrico Rege loquens inſit:* Deinde ad Dronburg veniens, Willigiſum Archipræſulem cum cæteris familiaribus, ad Giſlerum miſit Archiepiſcopum tunc nimis infirmatum, ut memor Domini, quidquid in Meirſiburgenſi Epiſcopatu hactenùs deliquit, hùnc reſumendo, injuſtamque Sedem relinquendo, in ultimis ſaltem emendare voluiſſet. Quibus vix talibus reſpondit: Dentur mihi trium vel quatuor induciæ dierum, & mihi liceat abire: quibus tranſactis, certa vobis referam. Hæc apud Regem impetrans, & in curru, ut diù tunc ſolebat, exiens ad Triburi curtem ſuam venit, ibique duos commoratus dies VIII. Kal. Feb. migravit ab hoc ſæculo.

QUARTÒ; *Haud abs re fuerit hic inſerere Silveſtri Papæ II. bullæ fragmentum, quòd Concilii Romani decretum mirè illuſtret, & confirmet:* Silveſter Servus Servorum Dei Theordardo Sanctæ Vallavenſis Eccleſiæ ..... Quoties quæſtiones ex adverſo oriuntur, oportet ut in Synodali Concilio finis quæratur. Quocircà quia conſtat in generali Synodo habitâ Romæ, Stephanum tuæ Eccleſiæ invaſorem à prædeceſſore noſtro jure damnatum, & ab omni officio depoſitum, quòd Guidone vivente Epiſcopo, avunculo ac prædeceſſore ſuo ſit electus ſine cleri & populi voluntate & à quibuſdam tantùm Epiſcopis in Epiſcopum poſt ejus mortem ordinatus: & quia ...... Clericis in Vallavenſi Eccleſiâ famulantibus, licentiâ alium eligendi Epiſcopum priùs conceſſâ, tum ut eorum electus à Romano Pontifice in Epiſcopum ordinaretur ...... te ab iiſdem electum didicimus: Ideo eorum electioni faventes, auctoritate Apoſtulicâ te in Epiſcopum ordinamus..... Paſtorali ſollicitudine te, Frater cariſſime, hortamur, ut ſolerti curâ gregem tibi commiſſum cuſtodias, temetipſum ſic in in bonis operibus diſponas...... ut ſi quis Epiſcopus te excommunicare præſumſerit, aut anathematis vinculis, quod fieri ...... noſtro fretus munimine ipſam excommunicationem parvipendas &c. *Et hæc quidem ex arboreo cortice, multis in locis exeſo & fœdato eruit Odo Giſſetus, atque in hiſt. ſuâ Podienſi retulit loco citato.*

Alia itidem Romæ Synodus à Gregorio V. eſt habita, ubi de Sede Auſonenſi in Provinciâ Tarraconenſi Gualdaldus tamquam invaſor dejectus dicitur in epiſtolâ Gregorii V. nondum vulgatâ, quam apud ſe reconditam ſervat V. C. Stephanus Baluzius. Dejectum quoque inibi Arnulfum Mediolanenſem refert Conſtitutio Ottonis III. Imp. ex Chronico Farfenſi edita per Lucam Holſtenium in Collectione Romana, &c. pag. 219.

ANNO 998.

CONCILIUM ROMANUM

PRÆSIDENTE GREGORIO PAPA V.

Anno Incarnationis Dominicæ DCCCCXCVIII.

Ex tabulario Eccleſiæ Anicienſis.

IN nomine Domini Dei Summi, Incipiunt Capitula generalis Concilii edita à domino GREGORIO quinto Papa, cui interfuit glorioſiſſimus tertius OTTO Cæſar Auguſtus & omnes ſubſcripti Epiſcopi, habiti Romæ in Baſilicâ beati Petri Principis Apoſtolorum anno tertio Imperii ejuſdem Cæſaris & Apoſtolatûs præfati Papæ.

I. Ut Rex ROBERTUS conſanguineam ſuam BERTAM, quam contrà leges in uxorem duxit, derelinquat, & ſeptem annorum pœnitentiam agat ſecundùm præfixos Eccleſiaſticos gradus, judicatum eſt. Quòd ſi non fecerit, anathema ſit. Idemque de eâdem BERTA fieri præceptum eſt. HERCHEMBALDUM Turonenſem Archiepiſcopum, talis conjugii conſectatorem, cum omnibus Epiſcopis qui conſentientes interfuerunt his inceſtis nuptiis Regis & Bertæ conſanguineæ ſuæ, à ſacroſanctâ communione ſuſpendimus, donec ad hanc ſedem A-

poſtolicam veniant ſatisfacere.

II. Ut Epiſcopatus Merſeburgenſis à ſede Apoſtolicâ & bonæ memoriæ OTTONE primo Imperatore per univerſalia Concilia fundatus, itemque à ſede Apoſtolicâ & Imperatore OTTONE ſecundo ſine Concilio deſtructus, ut in proprium honorem redeat à ſanctâ ſede Apoſtolicâ judicatum eſt per univerſale Concilium, præſidente domino OTTONE tertio Auguſto Cæſare, & domino GREGORIO Papa quinto.

III. Si GISLARIUS ſanctæ Magdeburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus potuerit canonicè comprobare, quòd per ambitionem de minori ſede Merſeburgenſi ad majorem Magdeburgenſem non migraverit, ut non deponatur judicatum eſt. Sed ſi Cleri & populi invitatione & electione migravit, in eâdem permaneat Metropoli. Quòd ſi abſque invitatione, non tamen per ambitionem & avaritiam factum eſſe conſtiterit, ad priorem redeat ſedem. At ſi ambitionem & avaritiam negare non potuerit, definitum eſt ut amittat utramque.

IV. STEPHANUS ſanctæ Vellavenſis Eccleſiæ dictus Epiſcopus, ut omni ordine Sacerdotali careat auctoritate Apoſtolicâ edicimus; eo quod à WIDONE vivente Epiſcopo, avunculo & prædeceſſore ſuo ſit electus ſine Cleri & populi voluntate, ac poſt ejus mortem contrà Cleri & populi voluntatem à duobus tantùm Epiſcopis non comprovincialibus ſit ordinatus.

V. DAGOBERTUM Bituricenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum, & ROCLANUM Nevernenſis Eccleſiæ Epiſcopum, à communione ſuſpendimus, donec ad hanc ſanctam & Apoſtolicam ſedem veniant & ſatisfaciant; eo quod STEPHANUM WIDONIS Epiſcopi nepotem eo vivente contrà leges Eccleſiaſticas electum, in Epiſcopum ordinare præſumſerint.

VI. Ut Clerus & populus civitatis Vellavorum licentiam habeant eligendi Epiſcopum, judicatum eſt; & ut electus à domino Papa conſecretur in Epiſcopum, ſtatutum eſt.

VII. Ut Rex ROBERTUS Stephanum Widonis quondam Vellavorum Epiſcopi nepotem juſtè damnatum & depoſitum nullo modo juvare præſumat, nec ei præbere auxilium, judicatum eſt; ſed ut Cleri & populi faveat electioni, ſalvâ ſui debitâ ſubjectione, decretum eſt.

Ego GREGORIUS ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ Præſul præfui & ſubſcripſi.

GERBERTUS Ravennas Archiepiſcopus.
GISEBARDUS Capuanus Archiepiſcopus.
SIGIFREDUS Placentinus Epiſcopus.
HUBERTUS Firmenſis Epiſcopus.
PETRUS Cumanus Epiſcopus.
LAMBERTUS Conſtantienſis Epiſcopus.
HUGO Gennavenſis Epiſcopus.
HUGO Sedunenſis Epiſcopus.
HENRICUS Sancti Juliani Vicarius.
BENEDICTUS Lavicanenſis Epiſcopus pro ſe & pro omnibus Cardinalibus Epiſcopis.
JOHANNES Maturonenſis Epiſcopus.
JOHANNES Albanenſis Epiſcopus.
TEBALDUS Bellezenſis,
PETRUS Præneſtinus Epiſcopus.
INGI... Cancellanus Epiſcopus.
GREGORIUS Oſtienſis Epiſcopus.
BENEDICTUS Portuenſis Epiſcopus.
STEPHANUS Cerenſis Epiſcopus.
AIFREDUS Serretinenſis Epiſcopus.
HUMBERTUS Luſcalæ Epiſcopus.
HUMBERTUS Arimæ Epiſcopus.
LIDSPRANDUS Saunus Epiſcopus.
JOHANNES Sueſanæ Epiſcopus.
ALDEBERTUS Epiſcopus.
ALDEBERTUS Penſarenſis Epiſcopus.
RAINERIUS Slundenſis Epiſcopus.
BERNARDUS Caietanæ Epiſcopus.
ARIALDUS Cluſinæ Epiſcopus.

GESTA SYNODI AURELIANENSIS,

Anno circiter M. XVII. *celebrata.*

Anno c. 1017. E vet. Cartulario S. ... Carnot... Valle.

Nefandæ hæreſes Step... ni & Li... ac grega... rum damnatio.

RURSUM quoque duxi dignum memoriæ tradendum de præfato viro, ſcilicet ARESASTO, quomodo in Aurelianâ urbe divinâ ope, ſuique ingenii ſalubri acumine hæreticam pravitatem latenter pullulantem, jamjamque per Galliarum provincias nefandi erroris venena exitialia propinantem, non ſolùm deprehenderit, ſed etiam omninò compreſſerit. Erat enim de genere Comitum Normanorum, eloquio nitidus, conſilio providus, bonis moribus compus, ac idcircò legationis officio tam apud Francorum Regem, quàm apud Proceres notiſſimus exſtitit. Hic in domo ſua quemdam Clericum habuiſſe dicitur nomine HARBERTUM, qui lectionis gratiâ Aurelianam urbem adire decreverat. Verùm dum veritatis auctores quærere ſatageret, cœco itinere in totius hæreſis barathro dilabitur. Nam eâ tempeſtate in eâdem civitate duo Clerici STEPHANUS & LISOIUS apud omnes ſapientiâ clari, ſanctitate ſeu religione magnifici, eleemoſynis largi, opinione habebantur vulgi. Eoſdem memoratus expetiit Clericus, & parvo temporis interſtitio, docilis diſcipulus cum divini verbi dulcedine ab eis debriatur mortifero nequitiæ hauſtu, qui dementiâ errore diabolico irretitus, totius divinitatis expers, ſapientiæ arcem conſcendiſſe ſe credidit. Qui patriam repedans, dominum ſuum, quem ſingolari affectu diligebat, ſubtilitate verborum in erroris viam ſenſim admovendo ſecum attrahere cupiebat; teſtificans Aurelianam urbem præ cæteris urbibus coruſcare luce ſapientiæ, atque ſanctitatis lampade. In cujus verbis dominus ejus intellectuali auditu ipſum animadvertit à viâ juſtitiæ devium; & citò Comiti RICHARDO cauſam innotuit, atque rogavit, ut RODBERTO Regi literis peſtem in regno ejus adhuc latitantem antequàm propagaretur, patefaceret, & ut Rex eidem Areſaſto ad expellendam eam oportunum auxilium non denegaret. Itaque Rex inſperatâ re attonitus, mandavit ut idem vir cum Clerico ſuo ad Aurelianum urbem citò greſſum dirigeret, pollicens omnimodis in hac re ſuum auxilium.

Areſaſtus hæreſim ex... raturus, C... notum p... ut Fulber... Epiſc. con... leret.

Cumque jubente Rege iter ageret, Carnotis devenit, Fulbertum Venerabilem Antiſtitem ſuper hac re conſulturus, qui fortè tunc aberat; nam Romam gratiâ orationis abierat. Tunc cauſam ſui itineris cuidam ſapienti Clerico EBRARDO nomine, Carnotenſis Eccleſiæ Sacriſcrinio innotuit: flagitans ſui conſilii opem, qualiter ſtare deberet in acie, & quibus armis ſe muniret contrà multimodas artes diabolicæ fraudis. Qui ſapienti uſus conſilio eum prædocuit, ut quotidie primo mane Omnipotentis opem quæſiturus Eccleſiam devotus adiret, orationi incumberet, atque ſacroſanctâ Communione corporis & ſanguinis Chriſti ſe muniret, deinde fidenter ad audiendum hæreticam pravitatem ſignaculo ſanctæ crucis protectus pergeret, nihil horum quæ ab eis audiret, contradiceret, ſed ſimulato diſcipuli vultu, omnia tacitus in domicilio pectoris conferret.

Digitized by Google

Aurelianis diſcipulum ſe ſimulat.

Igitur Aurelianis deveniens, uti edoctus fuerat, quotidie ſacrâ communione, ac ſupplici oratione munitus, ad eorum doctrinam veniens, ad inſtar rudis diſcipuli ultimus intrà domum erroneorum aſſidebat. Cumque primùm divinorũ voluminum exemplis eum, & quibuſdam rerum ſimilitudinibus informarent, atque more perfecti diſcipuli ſubditâ aure intentum viderent, inter alias ſimilitudines ſylveſtris arboris ſimilitudinem ei proferunt. Tractandus es, inquiunt, à nobis ut arbor ſylveſtris, quæ tranſlata in viridario tamdiù aquis perfunditur, donec humo radicetur, dehinc ſpinis & rebus ſuperfluis emundatur, ut poſtmodùm terræ tenùs truncata ſarculo, meliori inſeratur ramuſculo, quæ poſtmodum fertilis ſit melliſluo pomo. Itaque tu ſimili modo tranſlatus de iniquo ſæculo, in noſtro ſancto collegio aquis perfunderis ſapientiæ, donec informeris, & gladio verbi Dei vitiorum ſpinis carere valeas, ac inſulsâ doctrinâ tui pectoris ab antro exclusâ, noſtram doctrinam à ſancto Spiritu traditam, mentis puritate poſſis excipere. At ille de omni verbo quod proferebant, ſemper Deo gratias referebat: unde rati ſunt eum converſum eſſe in eorum errorem, jamjamque ſuæ nequitiæ ſentinam verbis divinorum librorum antea coopertam ſecuri aperiunt, dicentes: *Chriſtum de Virgine* MARIA *non eſſe natum, neque pro hominibus paſſum, nec verè in ſepulcro poſitum, nec à mortuis reſurrexiſſe*: addentes *In baptiſmo nullam eſſe ſcelerum ablutionem: neque ſacramentum Corporis & ſanguinis Chriſti in Conſecratione ſacerdotis. Sanctos Martyres atque Confeſſores implorare pro nihilo ducebant.*

Hæreſeon capita.

Quâ in re ſit vera ſalus conſtituenda, poſcit Areſaſtus ab hæreticis.

Comque hæc & alia execranda perditi & miſerrimi homines à fœtido pectore evomerent, Areſaſtus ſic ad eos dixiſſe fertur: Si in his quæ enumeraſtis ſalus hominum, quæ ſperatur, nulla, ut dicitis, eſſe poteſt, à vobis obnixè rogo mihi aperire in quibus ſperari poterit, ne meus animus in dubio poſitus citò cadat in deſperationis ruinam. Proculdubio, frater, inquiunt, in charybdi falſæ opinionis hactenùs cum indoctis jacuiſti, nunc verò erectus in culmine totius veritatis, integræ mentis oculos ad lumen veræ fidei aperire cœpiſti. Pandemus tibi ſalutis oſtium, quo ingreſſus per impoſitionem videlicet manuum noſtrarum, ab omni peccati labe mundaberis, atque ſancti Spiritûs dono replebens, qui ſcripturarum omnium profunditatem ac veram dignitatem abſque ſcrupulo te docebit. Deinde cœleſti cibo paſtus, interna ſatietate recreatus, videbis perſæpè nobiſcum viſiones Angelicas, quarum ſolatio fultus cum eis quovis locorum ſine morâ vel difficultate cum volueris ire poteris, nihilque tibi deerit, quia Deus omnium tibi comes nunquam deerit, in quo ſapientiæ theſauri, atque divitiarum conſiſtunt.

Reſponſio.

Coram Rege, & Epiſcopis ſiſtuntur hæretici.

Interea Rex & Conſtantia Regina, ſicut vir memoratos mandaverat, ad urbem Aurelianam cum Epiſcoporum collegio venientes, die ſequenti illo ipſo ſuggerente omnis illa nequiſſima Congregatio ſimul per officiales Regios de domo ubi erant congregati, abſtracti, & in Eccleſiam ſanctæ Crucis ante Regem, atque Epiſcoporum, ac Clericorum cœtum adducti.

Nefanda eorum crimina.

Sed antequàm ad conflictum veniamus, de cibo illo, qui cœleſtis ab illis dicebatur, quali arte conficiebatur, neſcientibus demonſtrare curabo. Congregabantur ſiquidem certis noctibus in domo denominatâ, ſinguli lucernas tenentes in manibus, ad inſtar letaniæ dæmonum nomina declamabant, donec ſubitò dæmonem in ſimilitudine cujuſlibet beſtiolæ inter eos viderent deſcendere. Qui ſtatim ut viſibilis illa videbatur viſio, omnibus extinctis luminaribus, quamprimùm quiſque poterat mulierem quæ ad manum ſibi veniebat, ad abutendum arripiebat: ſine peccati reſpectu, & utrum mater, aut ſoror, aut monacha haberetur, pro ſanctitate & Religione ejus concubitûs ab illis æſtimabatur: ex quo ſpurciſſimo concubitu infans generatus, octavâ die in medio eorum copioſo igne accenſo probabatur per ignem more antiquorum paganorum, & ſic in igne cremabatur. Cujus cinis tantâ veneratione colligebatur, atque cuſtodiebatur, ut Chriſtiana religioſitas Corpus Chriſti cuſtodire ſolet, ægris dandum de hoc ſæculo exituris ad Viaticum. Inerat enim tanta vis diabolicæ fraudis in ipſo cinere, ut quicumque de præfatâ hæreſi imbutus fuiſſet, & de eodem cinere quamvis ſumendo parum prælibaviſſet, vix unquam poſtea de eâdem hæreſi greſſum mentis ad viam veritatis dirigere valeret. De quâ re parum dixiſſe ſufficiat, ut Chriſticolæ caveant ſe ab hoc nefario opere, non ut ſtudeant ſectando imitari. Verùm quia digreſſionem feciſſe videor, ad eadem modo quæ dimiſi vertatur oratio, ac ſuccincto curſu infidelium crudelitas tranſcurrendo peragatur, ne prolixior controverſiæ ſermocinatio faſtidium generet delicato lectori.

Hæreſim detexit Areſaſtus.

Igitur, ut dictum eſt, illis introductis ante Regem, & Epiſcoporum conventum; prior AREFASTUS Regem alloquutus eſt, dicens: Domine mi Rex, Miles ſum Richardi tui fideliſſimi Comitis Normanniæ, & immeritus teneor vinctus, & catenatus ante te. Cui Rex ita reſpondit: Cauſam tui adventûs citò nobis indica, ut eâ cognitâ aut reus in vinculis tenearis, aut innoxius à vinculis dimittaris. Ad hæc ille reſpondit: Auditâ ſapientiâ & religione horum qui vincti adſtant mecum ante te, ad hanc urbem venire volui, ut inde exemplo bonorum operum, atque doctrinâ eorum melioratus redirem. Hæc quidem cauſa eſt, pro quo de patriâ meâ exire volui, & hanc urbem petii. Quòd ſi reatu aliquo pro hoc opere teneor, Præſules tibi aſſiſtentes videant, & judicent. Tunc Præſules dixerunt: Si ſapientiæ ac religionis modum quem ab his didiciſti nobis profeſſus eris, noſtro judicio facilè innoteſcetur. At ille ait: Regia majeſtas, & veſtra authoritas eis jubeat, ut quæ me docuerunt ea ipſi coram vobis dicant, quatenùs audita à vobis aut digna laude habeantur, aut oblivioni tradantur. Quibus Rex atque Antiſtites cum juberent ut ſuæ fidei normam referendo patefacerent, totius veritatis inimici alia pro aliis dicentes, intrà ſuæ hæreſis fœditatem nulla adita aperire volebant, ſed ut ſerpens quanto plus in manibus ſtringitur, tanto ampliùs elabitur; ita & iſti quo ampliùs concludebantur, veritatis ſermonem tanto magis labiliores videbantur effugiſſe. Tunc AREFASTUS videns quòd redimerent tempus, & ſermonum clypeo feſtinarent obnubilare ſuæ fidei errorem, ad eos eſt converſus, dicens: Veritatis magiſtros non erroris habere putavi, dum conſtanter illam mihi doctrinam, quam ſalutiferam evangelizabatis, viderem vos docere, atque pollicebamini pro pœnis inferendis, & etiam pro morte tolerandâ nunquam eam eſſe à vobis denegandam; nunc verò oblitâ fide quam promiſiſtis, ut video, timore mortis ab illâ doctrinâ longè vultis fieri, neque adhuc rudem diſcipulum in periculo mortis dimittere parvipenditis. Unde regiæ juſſioni parendum eſt, & obedire tantorum Præſulum auctoritati oportet, ut in his quæ à vobis didici, ſi qua ſunt Religioni Chriſtianæ contraria, iſtorum judicio cognita, quæ ſequenda ſunt, & quæ reſpuenda agnoſcam.

Quid ab hæreticis didicerit aperit.

Docuiſtis equidem me nullam in Baptiſmo promereri veniam peccatorum; neque Chriſtum de Virgine eſſe natum, neque pro hominibus paſſum, neque verè ſepultum, neque à mortuis reſurrexiſſe;

neque panem & vinum, quod ſuper altare manibus Sacerdotum ſancti Spiritûs operatione effici videtur ſacramentum, converti poſſe in Corpore & ſanguine Chriſti.

uarinus Epiop. Belloac hæreſiarhas interroat, confuatque.

Cumque hæc Areſaſtus unâ voce peroraſſet, GUARINUS Belvacenſis Præſul interrogavit STEPHANUM & LISOIUM, qui hujus erroris videbantur eſſe magiſtri, ſi ita ſentirent & crederent quæ ab Areſaſto erant memorata. At illi cum diabolo in inferno jam manſionem paratam habentes, vera eſſe memorata, & ita ſe ſentire ac credere conſtanter aſſerunt. Quibus cum Præſul diceret, voluiſſe Chriſtum naſci de Virgine, quia potuit, & pro noſtrâ ſalute pati in humanitate, ut tertiâ die devictâ morte reſurgeret in ſuâ deitate, noſque doceret eſſe reſurrecturos in reformatione: viperino ore reſponderunt, dicentes: nos neque interfuimus, neque hæc vera eſſe credere poſſumus. Ad hæc Præſul eos, inquit, interrogans: Carnales parentes habuiſſe creditis, an non? Cumque ſe credere aſſererent, Præſul reſpondit: Si ex parentibus vos eſſe procreatos creditis, cum non eratis, ante ſæcula Deum de Deo genitum ſine matre, in fine temporis ſancti Spiritûs obumbratione de Virgine natum, cur credere reſpuitis? At illi dixerunt: Quod natura denegat, ſemper à creatione diſcrepat. Quibus Præſul reſpondit, dicens: Antequàm quidquam fieret per naturam, non creditis per Filium Deum Patrem feciſſe omnia ex nihilo? Cui alienati à fide dixerunt: Iſta illis narrare potes, qui terrena ſapiunt, atque credunt figmenta carnalium hominum ſcripta in membranis animalium; nobis autem qui legem ſcriptam habemus in interiori homine à Spiritu Sancto, & nihil aliud ſapimus, niſi quod à Deo omnium Conditore didicimus, incaſſum ſuperflua & à divinitate devia profers; idcircò verbis finem impone, & de nobis quidquid velis facito: Jam regem noſtrum in Cœleſtibus regnantem videmus, qui ad immortales triumphos dexterâ ſuâ nos ſublevat, dans ſuperna gaudia.

Cumque ab horâ diei primâ uſque ad horam nonam multifariam elaborarent omnes, ut illos à ſuo errore revocarent, & ipſi ferro duriores minimè reſipiſcerent, juſſi ſunt ſinguli ſacris veſtibus indui in ſuo ordine, ſtatimque ab Antiſtitibus à proprio honore ſunt depoſiti; & Rege jubente Conſtantia Regina ante valvas Baſilicæ ſtetit, ne populus eos intrà Eccleſiam interficeret: & ſic de gremio ſanctæ Eccleſiæ ejecti ſunt. Qui cum ejicerentur, Regina Stephani ſui olim Confeſſoris cum baculo, quem manu geſtabat, oculum eruit. Deinde extrà civitatis educti muros, in quodam tuguriolo copioſo igne accenſo, præter unum Clericum, atque unam Monacham, cum nefario pulvere, de quo ſuprà diximus, cremati ſunt. Clericus enim & Monacha divino nutu reſipuerunt. Ju... cos Pr...

MONITUM.

SYNODUS *Atrebatenſis ab Gerardo Cameracenſi ſimul & Atrebatenſi Epiſcopo eſt celebrata: his quippe temporibus uniti perſeverabant Epiſcopatus illi duo. Iſtius unionis cauſam atque diuturnitatem referre noſtri non eſt inſtituti: ſi quis id noſſe voluerit, adeat Baldericum Noviomenſem Epiſcopum in Chronico, præſertim cap. 5 lib. 1.*

Quam ob cauſam convocaverit Synodum Gerardus, indicatur, cùm in ipſius epiſtola ad R. Epiſcopum, (Reginaldum Leodienſem conjicio) tùm maximè in Synodi præfatiuncula.

Eximius porrò Pontifex divinas Scripturas quàm altè hauſerit, rebus theologicis quàm eruditus fuerit, & quo zelo pro Domo Dei, hoc eſt, Eccleſia Catholica arſerit, oppoſueritque ſeſe fortiter hæreſibus; videbis, Lector, Synodum iſtam ſi evolvere per otium liceat. Quali diſciplinâ imbutus à pueritiâ fuerit Gerardus, & quantum deinceps profecerit, deſcribit Baldericus Epiſcopus Noviomenſis in Chronico Cameracenſi lib. 3. cap. 1. Hunc (*Gerardum*) in pueritiâ Alberu Remenſium Archiepiſcopus pro conſanguinitate, ſed & prædiis, quæ ex parte matris in ipſâ terrâ habebat, hereditario jure tenendis, permiſſione parentum abduxit, & ſub regulâ canonicâ degentem familiariter educavit. Sub cujus liberali eruditione, & normam Eccleſiaſticæ religionis & mundanæ diſciplinam ſatis viderat honeſtatis, &c. Sacris Canonum ſanctionibus plurimùm ſe addictum oſtendit: qui etſi honorabiliùs coram regiâ pompâ & Lotharienſi ſolertiâ ſciret ſe ordinandum, tamen a nullo quidem, niſi à Metropolitano Remenſi Archiepiſcopo ſe ordinatum iri velle reſpondit. Quippe ſatis providè ac competenter cauſam conſiderans, ne fortè videlicet eo etiam ipſe conſuetudini Sedis Metropolitanæ contraïre videretur, &c.

Legenda Gerardi epiſtola ad Leodienſis Eccleſiæ Archidiaconos, ubi ejus vigor Epiſcopalis, Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudium ardens, itemque ex jugi Conciliorum ſanctorumque Patrum lectione comparata elucet doctrina, ibid. cap. 29 & cap. ſeq. Adalberonem Epiſcopum Laudunenſem ſimoniacâ labe infectum graviter reprehendit, eâque de re ad Archiepiſcopum Remenſem perſcribit cap. 30. Alias ſcripſit epiſtolas, quæ ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectant. Pluribus interfuit Synodis ac Conciliis in diverſis regionibus celebratis, quemadmodum refert Baldericus ſuprà laudatus.

At miror quòd diligentiſſimum Scriptorem hæc quam edimus, Synodus latuerit, omneſque Auctores, quod ſciam, qui de Belgicis rebus tùm Eccleſiaſticis, tùm ſæcularibus, ſcripſere; quandoquidem percelebris Synodus exſtitit apud Atrebates Cameracenſeſve. Gerardi Atrebat. ſive Cameracenſis Epiſcopi obitus memoratur in Necrologio MS. Abbatiæ S. Benigni Divionenſis.

Digitized by Google

Atque ut ad hæreſes illa in Synodo damnatas noſtra reflectatur oratio: notanda præcipuè ea eſt, quæ veritatem Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia negat: nam doctiſſimè ab Epiſcopo refutati, pravo dogmate depoſito, hæretici redeunt ad Catholicam fidem, ſicut habet Synodus in fine cap. de Corpore & Sanguine Domini. *Deinde peracta Synodo ſingillatim ſuis hæreſibus enumeratis, hiſque damnatis, reſipiſcunt Gundulfiani, atque veram & Catholicam fidem profitentur.*

Vides, Lector, eâ in Synodo, quæ an. 1025. inſtituta fuit, multo ante Concilium Vercellenſe anni 1053. phanaticum errorem Novatorum quorumdam Berengarii ſectatorum, qui panis & vini tranſſubſtantionem in Corpus & Sanguinem Chriſti, dum ſacrum myſterium à Sacerdotibus peragitur in altari, & ibi reale ac ſubſtantiale Chriſti Domini Corpus adeſſe operante Spiritu ſancto credere perhorreſcunt, ac pernegant more Catharorum.

Anno 1025.

SYNODUS ATTREBATENSIS
A GERARDO CAMERACENSI
ET ATTREBATENSI EPISCOPO

Celebrata anno M. XXV.

R. nominis dignitate & prærogativâ meritorum Epiſcopo, GERARDUS *nullius meriti Coëpiſcopus, quidquid ad beatam vitam præſtantius.*

Præfatio.

CUM nobile ingenium & prudentiam veſtram conſidero, non adeo demiror potuiſſe nefarios homines erroris ſpiritu magicatos, in aliquam pravi dogmatis conſpiraſſe dementiam: ſed ad inquiſitionem veſtram qualiter diſſimulare potuerint, ut vos fallerent, vehementer ſtupeo. Nam quoſdam, ut ipſe ſcitis, hujuſmodi homines in finibus veſtris cohabitaſſe, ſicut veris indiciis comprobavimus, retulimus charitati veſtræ. Quos, quia terrore ſupplicii ſpeciem religionis mentiebantur, indemnatos velut innoxios abire permiſiſtis. Quod quidem in illis efficacior ad ſubvertendos ſimplices cauſa extitit, ſimplicibus autem ſcrupulum, ne non audiendos æſtimarent, injecit, quos vero examine diſcuſſos audirent, nec cauſam puniendi inventam. Verùm illi quoque qui miſſi ab eis ad ſeductionem hujuſmodi ad nos devenerant, comprehenſi, multâ diſſimulatione renitebant, adeo ut nullis ſuppliciis poſſent cogi ad confeſſionem: donec per eos ipſos, quos jam penè eodem ſui erroris maleficio imbuerunt, convicti, tandem ſuæ ſectæ diſciplinam partim nobis expoſuerunt. Et poſt aliqua quæ ſe tenere ex Evangelicâ & Apoſtolicâ doctrinâ mentiebantur, dicebant Baptiſmatis myſterium & dominici corporis & ſanguinis Sacramentum nullum eſſe; & idcircò rejiciendum, niſi ſimulationis causâ non intrare: [a] pœnitentiam nihil ad ſalutem proficere: conjugatos nequaquam ad regnum pertinere, & cætera quæ hujus libelli ſequentia indicant. Quod ideo vobis remandamus, ne ſimulatam religionem eorum aut compoſita verba audire debeatis.

An. 1025. Caput I.

ANno Dominicæ Incarnationis M. XXV. Indictione VIII. Domino GERARDO Eccleſiam Kamaracenſis ſeu Attrebatenſis urbis regente, quodam annuæ obſervationis more contigit, ut Dominici Natalis & Apparitionis diebus in ſede Camaraci ſolemni curſu expletis, idem Præſul per aliquot dies ſtationem in ſede Attrebatenſi facere deberet. Ubi cum de eccleſiaſticis functionibus ſatis pro opportunitate temporis tractaret, relatum eſt ei, quoſdam ab Italiæ finibus viros eo loci advenisse, qui quamdam novæ hæreſeos ſectam introducentes, evangelicæ atque apoſtolicæ ſanctionis diſciplinam pervertere tentabant, & quamdam juſtitiam præferentes, hac ſola purificari homines aſſerebant, nullumque in ſanctâ Eccleſiâ aliud eſſe Sacramentum, per quod ad ſalutem pervenire potuiſſent. His auditis, Domnus Epiſcopus perquiri homines jubet, & inventos ſibi præſentari. Qui auditâ inquiſitionis causâ fugam occultè parabant, ſed præventi à quæſtoribus trahuntur ad præſentiam Epiſcopi. Qui in aliis cauſis definiendis tunc plurimum occupatus, pauca ad tempus de fide illorum ſciſcitatus eſt: ſentienſque eos quodam pravi dogmatis errore teneri, recludi in cuſtodiâ jubet uſque in diem tertium; & die ſequenti Clericis & Monachis indicit jejunium, ut eos divina gratia Catholicæ fidei perceptione reſipiſci donaret.

Synodus celebratur.

Tertiâ verò die, quæ Dominica habebatur, ſegmentatus Epiſcopus cum ſuis Archidiaconis, paratis crucibus & textis evangelicis, circumfuſâ totius Cleri ac populi multitudine, Synodum celebraturus in eccleſiâ beatæ MARIÆ progreditur; impoſitâque antiphonâ *Exurgat Deus*, totum Pſalmi hujus curſum expleverunt. Denique reſidente Epiſcopo in conſiſtorio ſuo, & utrimque Abbatibus, Religioſis atque Archidiaconis, cæteriſque ſecundum ordinationis ſuæ gradum diſcumbentibus, homines è cuſtodiâ educti in medium introducuntur. Et in primo quidem Epiſcopus ſuper his generaliter verbum fecit ad populum. Deinde converſus ad iſtos: Quænam eſt, inquit, doctrina veſtra, lex atque cultura, quiſve auctor eſt diſciplinæ veſtræ? At illi referunt, ſe eſſe auditores Gundulfi cujuſdam ab Italiæ partibus viri, & ab eo evangelicis mandatis & apoſtolicis informatos, nullamque præter hanc Scripturam ſe recipere, ſed hanc verbo & opere tenere. Verùm

a *non intrare*] Acherius legit *miniſtrare*; at vetùs, *miniſtrarentur*.

Novelli quorumdam hæreticorum errores.

quia ad notitiam Epiſcopi pervenerat, illos ſacri Baptiſmatis myſterium penitùs abhorrere, dominici corporis & ſanguinis Sacramentum reſpuere, negare lapſis pœnitentiam poſt profeſſionem proficere, Eccleſiam annullare, legitima connubia execrari, nullum in ſanctis Confeſſoribus donum virtutis ſpectare, præter Apoſtolos & Martyres neminem debere venerari.

Aſſocantur.

Illos Epiſcopus ſuper hujuſmodi interrogans: Quomodo, inquit, conſequens eſt vos evangelica & apoſtolica inſtituta tenere, & contraria iſtis prædicare? Narrat namque textus evangelicus, quia Princeps Judæorum Nicodemus dum ex ſignis & miraculis JESUM à Deo veniſſe confiteretur, continuò Dominus reſpondit, neminem hoc ſolo confeſſionis munere regnum cœlorum poſſe mereri, niſi renatus foret ex aquâ & ſpiritu. Quod quidem regenerationis myſterium vos aut pleniter recipere, aut evangelicis verbis contraire neceſſe eſt, cum conſtet verè hæc JESUM dixiſſe.

Reſponſio hæreticorum.

Ad hæc illi dederunt hujuſmodi reſponſum: Lex & diſciplina noſtra quam à Magiſtro accepimus, nec evangelicis decretis, nec apoſtolicis ſanctionibus contraire videbitur, ſi quis eam diligenter velit intueri. Hæc namque hujuſmodi eſt, mundum relinquere, carnem à concupiſcentiis frænare, de laboribus manuum ſuarum victum parare, nulli læſionem quærere, charitatem cunctis quos zelus hujus noſtri propoſiti teneat, exhibere. Servatâ igitur hac juſtitiâ, nullum opus eſſe Baptiſmi; prævaricatâ verò iſtâ, Baptiſmum ad nullam proficere ſalutem. Hæc eſt noſtræ juſtificationis ſumma, ad quam nihil eſt quod Baptiſmi uſus ſuperaddere poſſit, cum omnis apoſtolica & evangelica inſtitutio hujuſmodi fine claudatur. Si quis autem in Baptiſmate aliquod dicat latere Sacramentum, hoc tribus ex cauſis evacuatur. Una, quia vita reproba Miniſtrorum, baptizandis nullum poteſt præbere ſalutis remedium. Altera, quia quidquid vitiorum in fonte renuntiatur, poſtmodum in vitâ repetitur. Tertia, quia ad parvulum non volentem neque currentem, fidei neſcium, ſuæque ſalutis atque utilitatis ignarum, in quem nulla regenerationis petitio, nulla fidei poteſt ineſſe confeſſio, aliena voluntas, aliena fides, aliena confeſſio, nequaquàm pertinere videtur.

Confutatio.

Quibus è contra Epiſcopus ait: Si huic juſtitiæ veſtræ ab evangelicâ & apoſtolicâ inſtitutione fidem attributis hanc facilè non aliunde ſumptis viribus evacuamus. Natùm namque ex immaculatâ Virgine Dei Filium nullâ peccati corruptione infectum teneri, evangelica & apoſtolica teſtatur auctoritas: ſed ſicut Apoſtolus docet, ipſe juſtus eſt & juſtificans omnia, non quòd ipſe extrinſecùs donum juſtitiæ accepiſſet, cujus participatione dicatur juſtus; ſed principaliter & ſubſtantialiter juſtus, ut neceſſariò in eo idem & unum dicamus eſſe juſtum quod juſtitiam: alioquin fallitur Apoſtolus in eo quod dicit, *juſtificans omnia*. Nam ſi aliunde accepit, ut ipſe ſit juſtus, inferioris juſtitiæ & inferioris eſt, quàm is à quo accepit; nec erit juſtificans omnia, ſed ille à quo accepit, ut ipſe & omnia juſtificentur. Verùm ipſe à ſeipſo accipit ut ſit juſtus & juſtificet omnia, ſine quo nullus ſanctus, nullus etiam juſtus, per quem omne ſanctum & juſtum, & à quo omnis gratia & omne donum juſtitiæ deſcendit, ſicut ait beatus Jacobus: *Omne datum optimum & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Quod autem à Patre luminum deſcendiſſe donum dicit, non te ſcandalizet, quia cum deſcendit à Patre, deſcendit & à Filio, quia ipſe ait: *Ego & Pater unum ſumus.* Jure igitur ait Apoſtolus,

Jac. 1. 17.

Joan. 10. 30.

quòd ipſe ſit juſtus & juſtificans omnia: non comparativè quidem juſtus, ut poſſit augeri vel minui, ſed immutabiliter & eſſentialiter juſtus.

Cu baptiſ lus

Verumtamen talis & tantus Dei Filius, ſicut narrat Evangelium, venit in Galilæâ in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. Cui, cum ex infirmitatis propriæ conſcientiâ miniſterium recuſaret, ait Dominus: *Sine modo, ſic enim decet nos omnem juſtitiam implere.* Quid enim? In quo erat totius plenitudo juſtitiæ, & immutabiliter & incomparabiliter juſtus & juſtificans omnia erat: numquid ei aliquid à perfectâ juſtitiâ deerat, ut ad implendam juſtitiam materialis aquæ fluentis & Baptizantis miniſterio indigeret? Porro ſi hoc Baptiſmatis myſterio ad ſupplendam juſtitiam indigebat, non perfectè juſtus, nec Juſtificans omnia erat. Nihil enim impletur, niſi cui de ſummâ plenitudinis aliquid deſit. Plenitudo enim incrementum non poteſt accipere. Juſtus igitur non perfectè erat: quod nefas eſt de Deo judicare. Si autem juſtus fuerat, nihil à Baptiſmo, quo ſuam ſuppleret juſtitiam, accipere poterat: ſed immutabiliter, & perfectè, & ſummè juſtus erat; igitur baptizari non indigebat. Cur ergo dicebat, *Sic decet nos omnem implere juſtitiam*, qui nec baptizari indigebat, nec juſtitiâ quâ plenus redundabat, quo ſuppleretur per Baptiſmum habêbat? Indigebat certè, non ſibi, ſed nobis. Juſtitiam quærebat implere, non ſuam, ſed noſtram. Nam ſemper in æterno ejus conſilio manſit generis humani reparatio, & diſcretis ſpiritualibus Sacramentorum obſervantiis, quod profuturum & neceſſarium ad noſtræ reparationis erat effectum, hoc per manus diſpenſatorum viſibiliter voluit adminiſtrari, ſed inviſibiliter operante Spiritu ſancto impleri.

M.

Ibi.

Cujus rei gratiâ plurima in ſanctâ Eccleſiâ providus Dominus inſtituit Sacramenta, [è] quibus primùm ad regenerationis myſterium inſtituit Baptiſmatis uſum. Porro Baptiſmum Græcè, Latinè tinctio interpretatur, quia ibi homo ſpiritu gratiæ in melius immutatur, & longè aliud quàm fuerat, efficitur. Priùs enim fœdi eramus deformitate peccatorum, in ipsâ tinctione reddimur pulchri dealbatione virtutum. Cujus myſterium non aliter, niſi ſub Trinitatis deſignatione, id eſt, Patris & Filii & Spiritûs ſancti cognominatione, completur. Unde Dominus ad Diſcipulos, *Ite*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritûs ſancti.* Quod quidem myſterium à ſecretis virtutibus, vel à ſacris Sacramentum dicitur: quod ideo penes Eccleſiam fructuosè agitur, quia ſanctus in eo deſcendens Spiritus, eumdem Sacramenti latenter operatur effectum. Unde ſeu per bonos, ſeu per malos miniſtros intrà Eccleſiam diſpenſetur; tamen quia Spiritus ſanctus myſticè illud vivificat, nec bonorum meritis amplificatur, nec malorum vitiis attenuatur: quia *neque qui plantat*, aliquid eſt, *neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Unde & ipſe Miniſter ſuper baptizatum non dicit, *Ego*, ſed *Deus omnipotens Pater Domini noſtri Jesu-Christi, qui te generavit ex aquâ & Spiritu ſancto, quique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum; ipſe te linivit chriſmate ſalutis in vitam æternam.* Quâ in re perſpicuum eſt, quia vita Miniſtri nihil derogat his qui de Spiritu ſancto concipiunt virtutem ſanctificationis, præſertim cum inter cæteros Diſcipulos Judam futurum Domini traditorem baptizaſſe legamus; & cum rebaptizatos omnes à Diſcipulis Domini fuiſſe, quos Joannes Baptiſta in aquâ baptizaverat, ſciamus; nullum tamen quem Judas baptizaſſet, iterato fonte ablutum reperimus. Nam ſi improba vita traditoris nocuiſſet baptizandis, nequaquam ille, qui omnes venerat ſalvare,

Baptiſmi ſecti

1. C

patere-

paterctur in illo ſolo Baptiſma perire. Sed quia malitia hominis non poteſt imminuere divinæ opus virtutis, noluit repetere quod homo miniſtraverat, Spiritus ſanctificaverat. Porro teſtante divinâ Scripturâ, audivimus Reges magnos fuiſſe in Jeruſalem, qui adminiſtrabant res quaſdam pertinentes ad Babyloniam, quoſdam verò cives Babyloniæ adminiſtraſſe res Jeruſalem. Sic itaque novimus cives bonæ civitatis adminiſtraſſe res malæ civitatis, & è contra cives malæ civitatis adminiſtraſſe res bonæ civitatis. Si ergo reſpublica bonæ civitatis per cives Babyloniæ ſine ſui corruptione adminiſtrari potuit: quanto magis Sacramentum quod vim ſanctificationis per inviſibilem ſancti Spiritûs operationem concipit, à pravis Miniſtris non corrumpitur, cum aliud ſit quod exteriùs agitur, exhibente Miniſtro, aliud quod interiùs vivificatur, animante Spiritu ſancto? Inde eſt quòd cum Joannes in Evangelio diceret, *quia audierunt Phariſæi, quod* JESUS *baptizabat, quamvis ipſe non baptizaret, ſed diſcipuli ejus*; in hoc quamdam operantis Dei & adminiſtratorii officii diſcretionem voluit intelligi: videlicet ut in eo quod JESUM dicit baptizare, inviſibilem divinæ virtutis inſinuet operationem; in eo verò quod ſubdidit, *quamvis* JESUS *non baptizaret, ſed Diſcipuli ejus*, non de operante virtute, ſed de viſibili exequentium adminiſtratione dictum intelligatur. Igitur in baptizandis fidelibus aliud eſt quod inviſibiliter efficitur per Spiritum operantem, aliud quod viſibiliter exhibetur per Miniſtrum obſequentem.

Joan. 4. 2.

Myſterium baptiſmatis explicatur.

Quod autem per materialem aquam Baptiſmum datur, hæc ratio eſt. Voluit enim Dominus ut res illa inviſibilis per congruentem, ſed profectò tractabilem rem & viſibile impenderetur elementum; ſuper quod Spiritus ſanctus ferebatur in principio. Nam ſicut per aquam purgatur exteriùs corpus, ita latenter ejus myſterio purificatur & animus. Invocato enim Deo deſcendit Spiritus ſanctus de cœlis, & medicatis aquis ſanctificat eas de ſemetipſo, & accipiunt vim purgationis, ut in eis caro & anima delictis inquinata mundetur. Et ſic in morte Chriſti & in reſurrectione ejus, potentia Baptiſmatis novam creaturam condit ex vetere, ut in renaſcentibus & mors Chriſti operetur & vita, dicente beato Apoſtolo: *An ignoratis, quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto* JESU, *in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem, ut quomodo ſurrexit Chriſtus per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Unde notandum, quia in Baptiſmatis regulâ & mors intervenit interfectione peccati, & ſepulturam triduanam imitatur trina demerſio, & ab aquis elevatio reſurgentis inſtar eſt de ſepulcro. Deinde verò ſacri chriſmatis unctione perfunditur infans, ex cujus nomine Chriſtus dicitur, & homo poſt lavacrum ſanctificatur. Nam ſicut in Baptiſmo peccatorum remiſſio datur, ita per unctionem Spiritus adhibetur. Quæ licet carnaliter adminiſtretur, ſpiritualiter tamen proficit: ſicut & ipſa Baptiſmi gratia, viſibilis actus eſt, quòd in aquâ mergimur; ſed ſpiritualis efficitur, quòd delictis mundamur. Manûs impoſitio ideo fit, ut per benedictionem advocatus invitetur Spiritus ſanctus. Tunc enim Paraclitus poſt mundata corpora libens à Patre deſcendit, & quaſi ſuper Baptiſmi aquam velut ſuper priſtinam ſedem recognoſcens quieſcit. Nam legitur, quia in principio *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.*

Rom. 6. 3.

Geneſ. 1. 2.

Hoc eſt primum noſtræ reparationis Sacramentum, ad quod confirmandum Dominus nullius indigens remiſſione peccati, nec remedio renaſcendi; cum non haberet quod aquis potuiſſet mundari,

tamen ad Joannem aquis Jordanicis baptizandus, ſicut Evangeliſta docet, feſtinavit. Cui recuſanti ait: *Sine modò, ſic enim decet nos omnem implere juſtitiam.* Ac ſi diceret, exemplum præbere omnis juſtitiæ, ut videlicet diſcant omnes fideles neminem poſſe abſque Baptiſmo juſtificari, quamvis innocenter ac juſtè vivat. Joannes verò ait. *Et ego neſciebam eum.* Ac ſi diceret, ignorabam eum primùm: ſed videns eum ſibi retinere Baptiſmum, intellexi quia hic erat qui baptizaturus erat in Spiritu ſancto, & [in] remiſſionem peccatorum. Sicut ipſe dixit: *Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper ſe, ille eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.* Quare notandum eſt, quia impoſſibile eſt quemquam ad perfectum juſtitiæ ſine regenerantis aquæ myſterio aſpirare; maximè cum opera juſtitiæ hanc gratiam Cornelio Cæſarienſi dare non potuerint, donec eum cum omni familiâ ſuâ ſalutari undâ Petrus innovavit, ſuper quos Spiritus ſanctus ante Baptiſmum inaudito præeuntis gratiæ exemplo cecidit: ut hac manifeſtâ Dei virtute animatus Petrus regnum Dei gentibus aperiret, quem cum cæteris diſcipulis, ne in viam gentium abiret, Dominus ante monuerat.

Matt. 3. 15.

Joan. 1. 31. 33.

Ibid. v. 33.

Quod cum ita ſit, profectò in hoc vobis repugnare convincimini, quod evangelica vos & apoſtolica præcepta tenere dicitis, & his contraria prædicatis. Nam & Evangeliſta refert, quia JESUS *venit & diſcipuli ejus in Judæam, & ibi demorabatur cum eis, & baptizabat.* Qui Baptiſmi Sacramentum, & regenerationis potentiam ſanxit, quando de latere ejus profluerent ſanguis redemptionis, & aqua Baptiſmatis. Unde Joannes Apoſtolus: *Tres ſunt*, inquit, *qui teſtimonium dant in terrâ. Spiritus, aqua & ſanguis.* Petrus verò, cui primatum Eccleſiæ Dominus contulerat, dum credentium numerum promiſſus ſancti Spiritûs replevit adventus, tria millia hominum ſuâ prædicatione converſorum aquâ Baptiſmatis conſecravit, ſicut Lucas teſtatur, dicens: *His auditis compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum & reliquos Apoſtolos: Quid faciemus, viri fratres? Petrus verò ad illos: Pœnitentiam*, inquit, *agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrûm in nomine* JESU CHRISTI *in remiſſionem peccatorum; & accipietis Spiritum ſanctum.* Aliis etiam pluribus verbis exhortabatur eos, dicens: *Salvamini à generatione iſtâ pravâ.* Qui ergo receperunt ſermonem ejus, baptizati ſunt, & appoſitæ ſunt animæ in illâ die circiter tria millia. Paulus etiam, cujus vos doctrinam tenere profitemini, divinæ injuriæ pœnis affectus, ab Anania baptizatus eſt: qui & ipſe poſtmodum Criſpum & Gaium & Stephanæ domum ſe baptizaſſe dicit. Philippus etiam Eunuchum Candacis Reginæ ab Jeruſalem redeuntem in aquâ baptizavit, ſicut liber Apoſtolicus indicat. Quam ab Apoſtolis traditionem Catholica adhuc ſervat Eccleſia.

Ibid. 3. 22.

1. Joan. 5. 8.

Act. 2. 37. 38.

Ibid. v. 40.

Unde colligitur, quia quàmlibet juſtè & innocenter quis videatur vivere, ſalvari tamen abſque divini fontis lavacro non poſſit. Verùm quicumque originalis culpæ, aut propriæ actionis reatu teneatur adſtrictus, tamen fonte renatus, mundus, & totius peccati ſorde purgatus, adeo innovatur, ut qui filius diaboli in fonte deſcenderat, filius Dei renatus aſcendat; qui filius prævaricationis deſcenderat, filius reconciliationis aſcendat. Et ut cuncta colligam, qualem primum hominem ex virgineâ terræ maſſa finxit ſapientia Creantis, talem etiam hunc ex purificato fontis utero produxit clementia Redemptoris. Quod contrà infideles garrire ſolent, dicentes, primum hominem, ſi non peccaſſet, immortalitatis munere donatum; iſtum verò, quam-

libet juſtè & innocenter vivat, nequaquam tamen poſſe mortis vitare jacturam, & ideo multum repugnare à vero, ut qualis ille fuerat factus à Conditore, talis & hic regeneretur ex fonte. Quam eorum repugnantiam facile eſt inflecti ad conſequentiam, ſi quis divinæ pietatis conſilium conſiderare potuerit. Nam ex uno eodemque fonte divinæ rationis deſcendit, & quòd illum immortalem mirabiliter creaverat, & quòd iſtum morti obnoxium miſericorditer reformaverat. Porro facile fuerat iſtum immortalitatis gloriâ donari tamquam & illum, ſi fuiſſet in conſilio creantis. Sed quia dum illum libera voluntas, & mortalitatis ſecuritas decepit, per prævaricationis culpam traxit ad mortem; iſtum, ne ſpe immortalitatis deceptus, temporalibus deliciis ardentiùs inſiſtat, per inevitabilem mortis eventum invitat ad veram vitam. Quia verò ille mortis ſecurus, auctore contempto, aurem aperuit ſuaſoris
b & ſuperbiæ [b] audaciam unà petiit: hunc pietas Redemptoris voluit ſuſpenſum morte teneri, ut per humilitatis cuſtodiam vitaret hoſtem, audiret Conditorem, ſicque ad ſuperna conſcenderet. Nihil igitur repugnat à vero, talem hunc regeneratum ex fonte, quem mors invitat ad vitam; qualem illum, ſi non peccaſſet, formatum, quem mox de immortalitate præſumptio coëgit ſubire mortis ruinam.

Objectio. Sed fortaſſe objicis mihi, quantum ei præſtitit donata immortalitas, ea quâ ruinæ cauſam venturam Conditor non ignorabat.
Reſponſio. Multum quidem ei contulerat, ut videlicet ſi ſine peccato manere voluiſſet, & mortem non guſtaret, & tam ipſe quàm ejus progenies, Angelos ſemper haberet concives. Sed dum præceptum neglexit Conditoris, ipſâ ſuâ libertate deceptus, à paradiſo ſeclusus, in ignotis partibus ſui generis poſteritatem tranſpoſuit, atque pœnam, quam ipſe prævaricationis reus exceperat, generando tranſmiſit in poſteros; de quâ non potuiſſet erui, niſi eum Chriſtus ſuo adventu relevaſſet; qui per novæ regenerationis myſterium, omne præteritum vitium ſui Baptiſmatis lavacro purgavit, & ſtatum priſtinæ libertatis reformavit. Igitur ad vitanda improbi ſeductoris tentamina, cum primùm parvuli ſive juvenes ad regenerationis veniunt Sacramenta, non priùs fontem vitæ adeunt, quàm exorciſmis & ſufflationibus Sacerdotum ab eis ſpiritus immundus abigatur: ut verè appareat quomodo princeps mundi hujus ejiciatur foras: & priùs alligetur fortis, & vaſa ejus diripiantur tranſlata in poſſeſſionem victoris, qui captivam ducit captivitatem, & dat dona hominibus.

Quòd ſi refugitis credere, ut qui parvulum fidei neſcium, ſuæque ſalutis ignarum, nec regenerationis curam habentem, de fonte ſuſcipiunt, eorum fides aut confeſſio illi puero nequaquam proficiat: conſequitur, ut nec paralytico offerentium fidem profuiſſe credatis, de quo Evangeliſta dicit, quia
Matt. 9. 2. *videns Jeſus fidem illorum, dixit paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Sed nec illud recipiendum æſtimabitur, quod in Evangelio legimus de muliere Chananæâ, ut fides ejus ad impetrandam ſalutem filiæ profuerit. Porrò alius Evangeliſta dicit, quod offerebant Jeſu parvulos, ut manus eis imponeret; & complexans eos, & imponens manus, benedicebat eos. Quâ in re datur intelligi, quia non parvulorum fides, quæ adhuc nulla fuerat, ſed offerentium fidelis credulitas, ut parvuli benedicerentur, obtinuerat, ſicut Dominus dixit Centurioni pro ſalute ſervi poſtulanti: *Vade,*
Ibid. 8. 13. *& ſicut credidiſti, fiat tibi: & ſanatus eſt puer in illâ horâ.*

Denique vos, qui nihil in ſanctâ Eccleſiâ corporaliter gerendum arbitramini, ut in hoc Baptiſmatis myſterio aqua, oleum chriſmale, Sacerdotis officium, & cætera quæ uſque hodie Catholica ſervat Eccleſia: vos, inquam, rogo, quid ſibi vult illa materialis aquæ alluvio, quam lavandis pedibus invicem exhibere ſoletis? Nam ſi hoc ab Evangelio vos accepiſſe dicitis, ut quia Dominus Diſcipulorum pedes lavans, hoc illis exemplum reliquiſſe legitur, & vos quoque hujus rei gratiâ facere vos invicem dicatis: ſtultum eſt, imò ſacrilegum cætera & multo majora repudiare, quæ ab ipſo rerum auctore Domino ſunt conſtituta, ab Evangelio enuntiata, ab Apoſtolis tradita, ſine quibus noſtræ ſalutis plenitudo non poteſt conſiſtere: quæ quidem ipſe Dominus & ante reſurrectionem, & poſt reſurrectionem Diſcipulis ſuis ſervanda inſtituit.

De Corpore & Sanguine Domini.

FUerant certè ſatis quæ de his dici poterant, ſi horæ ſuppeterent: ſed quia dies ad occaſum declivior, ad propria quemque commonet redire; jam nunc his omiſſis, tranſitum faciamus ad illud ſacrum & immutabile dominici corporis & ſanguinis Sacramentum, quod vos ad veſtram confuſionem, niſi reſipueritis, adverſùm divinam & apoſtolicam traditionem impugnantes, evertere tentatis. Quod quidem myſterium, quale quantumcumque in ſe contineat pondus virtutis, impoſſibile eſt humanæ rationis intuitu perſcrutari. Quod anima ultrà hominem eſt; infrà ſenſum hominis non poteſt cohiberi. Non igitur ſufficit illud facundia humana comprehendere: hoc enim illud ſanctum & admirabile commercium, per quod terrenis cœleſtia junguntur, inferna ſpoliantur, paradiſus aperitur, homo exul antiquo horto relocatur: per quod etiam Angeli recognoſcunt hominem concivem ſuum, & ſuprà ſe poſitum adorant hominem Deum. Verùm nos, quia tempus commonet, quantum noſtræ fragilitatis ſenſus percipit, illius, de quo loquimur, gratia conſilii edicimus. C A

Sacrificium dicitur quaſi ſacrum factum, quia prece myſticâ conſecratur in memoriam pro nobis dominicæ Paſſionis. Unde hoc ipſo jubente corpus Chriſti & ſanguinem credimus, quod dum ſit ex fructibus terræ, ſanctificatur & fit Sacramentum operante inviſibiliter ſpiritu Dei. Quod quidem ideo Sacramentum eſſe dixerim, quia tamquam viaticum nobis ſit introducens ad contemplationem æternitatis. Cujus panis & calicis Sacramentum Græci Euchariſtiam dicunt, quod Latinè bona gratia interpretatur. Quid enim melius corpore & ſanguine Chriſti? Quod quidem ſacrificium, dum de pane & vino cum aquâ mixto, ineffabili ſanctificatione, cruce & verbis illius in altari conſecratur, dumque Paſſionis & Reſurrectionis ejus, atque in cœlum Aſcenſionis ibidem ſalutifera memoria agitur, verum ac proprium corpus ipſius Domini noſtri Jeſu Christi, & ſanguis verus ac proprius efficitur, quamvis aliud eſſe videatur. Videtur namque panis materialis, ſed veriſſimè efficitur corpus Chriſti, ſicut ipſâ eâdem Veritate atteſtante didicimus. Nam ipſâ nocte quâ ſponte per Paſſionis myſterium corpus ſuum pro nobis in mortem traditurus erat, ſicut Evangeliſta refert: *Accepit panem, & benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, dicens: Sumite, hoc eſt corpus meum. Similiter & calicem accipiens, benedixit, & dedit Diſcipulis ſuis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic eſt calix novi Teſtamenti,* M. M. 25. Lu

b *& ſuperbia*] Locus corruptus: forè *& ſuperbia audaciâ periit.*

qui pro multis funditur in remiſſionem peccatorum.

Quando fit corpus Chriſti, & ſanguis conſecratur.

Quod verò ſubdit, *hoc facite in meam commemorationem*, ad hoc retulit, quod per miniſterium Sacerdotum quotidie à fidelibus fieri mandavit, dum Paſſionis ſuæ memoria agitur, & ſub ſacramento communicandæ carnis & ſanguinis panis ſanctus & calix conſecratur. Ad hanc ſpiritalem alimoniam, ad hoc myſticum & divinum epulum nos Dominus invitat, tantamque neceſſitatem ſumendi hujus alimenti nobis indicat, ut aliter in nobis vitam habere non poſſimus, niſi carnem ejus manducaverimus, & ſanguinem biberimus.

Objectio.

Sed fortaſſe aliquis nimis carnaliter hoc audiens objiciat, neminem poſſe vitam habere in ſemetipſo, cum Chriſtus carnem, quam proprio geſtabat corpore, nemini edendam erogaſſe, ſed perfecto & integro corpore cœlum penetraſſe legatur; aut certè, quod nefas dictu eſt, Dominum in hoc verbo culpam mendacii ſubiiſſe, cum multi vitam in ſe habere videntur, qui carnem aut ſanguinem ejus

Reſponſio.

guſtaſſe aliquando ſe non meminerunt. Quod nos, Deo volente, tali modo ſolvimus. Poſſunt quidem homines ſine hoc cibo temporalem hanc vitam in præſenti ſæculo habere; æternam verò vitam habere nequeunt, quæ ſolis fidelibus carnem & ſanguinem Chriſti dignè ſumentibus promittitur. Unde &

Joan. 6. 54.

ipſe dicit: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis:* vitam videlicet animæ, ipſum Chri-

Ibid. 14. 6.

ſtum, qui alibi dicit: *Ego ſum via, veritas & vita.* Filium verò hominis ſe dicebat, cujus corpus quotidie per Sacerdotes immolatur in altari. De quo

1. Cor. 10. 16.

Apoſtolus ait: *Panis quem frangimus, nonne corpus Domini eſt? Et calix cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Domini eſt?* Unde cum Do-

Joan. 6. 51. &c.

minus diceret: *Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi: ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; litigabant Judæi ad invicem dicentes: Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum?* Non enim hunc panem intelligebant, audientes carnem exhorreſcebant; non enim erant memores Chriſti, idcircò ſcandalizabantur in carne Chriſti. Sed & cum Diſcipuli verba ejus carnaliter

Ibid. v. 61.

accipientes dicerent: *Durus eſt hic ſermo, quis po-*

Ibid. v. 62.

teſt eum audire? reſpondit Dominus: *Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis filium hominis aſcendentem ubi erat prius*; ſuſpenſa, & quaſi defectiva oratio fuit. Putabant enim Diſcipuli, Chriſtum carnem quâ indutus erat, particulatim inciſam credentibus diſtributurum, & quaſi hoc contrà naturam eſſet hominum (videlicet humanam carnem in cibum ſumere) quaſi de re difficillimâ & impoſſibili dixerunt: *Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire?* Unde & Dominus: *Si*, inquit, *videritis filium hominis aſcendentem ubi erat prius:* ſubaudiendum, tunc videbitis, quia non eo modo quo putatis, meam carnem credentibus diſtribuo, ſed ſpiritali gratia me illis dando, ipſos in meum corpus transfundo: & hæc gratia non conſumitur morſibus, nec dentibus teritur, ſed interioris hominis palato, hoc eſt, ratione & intellectu mentis percipitur. Unde & communio dominici corporis, ſicut ſuprà diximus, Græco quidem, ſed Latinis uſitato ſermone Euchariſtia, id eſt, bona gratia appellatur. Videtur enim ſanctus ille panis, quo corpus Domini conſecratur, & viſibiliter ore percipitur; ſed virtus Dei Verbi, id eſt, divinitas, quâ anima percipientis ſanctificatur, videri non poteſt. Aſcendit ergo Chriſtus perfecto corpore ſuo, & reliquit nobis Sacramentum corporis ſui. Denique ne putarent ſibi in iſto cibo & potu ſic promitti vitam æternam, ut jam nec corpore morerentur,

Ibid. v. 55.

cum dixiſſet, *Qui manducat meam carnem*; continuò ſubjunxit: *Et ego reſſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Nam qui dignè carnem Chriſti comedit, & ſanguinem ejus bibit, licet mortuus corpore, habet interim ſecundum ſpiritum vitam æternam. Quod verò ad corpus attinet, nec ipſum vitâ æternâ fraudabitur, quia reſſuſcitabitur in noviſſimâ die, ultrà jam non moriturum. Hoc igitur modo Veritatis ſermo ſine culpâ mendacii fuit, dicens neminem vitam in ſe habere, niſi qui communicandæ carnis ejus & ſanguinis ſpiritalibus alimentis paſceretur.

Joan. 6. 64.

Poterat verò illud infirmis auditoribus huic ſententiæ contrarium videri, quod ſubditur: *Caro non prodeſt quidquam*, cum ſuperiùs nullum vitam habere in ſe dixiſſet ſine perceptione carnis ſuæ. Sed ita intelligendum eſt; ſi carnaliter verba mea intelligere vultis, ut ſic carnem meam ſicut allum cibum manducetis, caro nihil vobis prodeſt.

Objectio.

Qui enim poteſt ita ſuum corpus per tot eccleſias in toto orbe diffuſas diſtribui, per tam innumerabiles populos & longa tempora, ſingulis diebus, ſingulis hominibus ſumendum diſtribui, & nunquam deficere?

Reſponſio.

Quo contrà vobis reſpondemus, dum fidem evangelicam & traditionem apoſtolicam vos fateri audimus. Verbum quod in principio erat apud Deum, id caro factum in fine temporum, quomodo totum cum Patre fuit ſemper, & totum ſe clauſit in utero Virginis? Si totus in Virgine, quomodo totus cum Patre? Sed audi tantæ virtutis myſterium. Aſcenſurus in cœlum Dei Filius, Diſcipulis pro diſceſſu ejus ſollicitis promittit ſe manſurum cum eis omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi, quibus paolo ante prædixerat ſe ire ad Patrem. Quod quidem refugeret credere humanus intellectus, niſi virtus diſcretionis adhibeatur. Homo namque corpore circumſcriptus in loco manere, & à loco diſcedere, niſi per ſucceſſum temporis, non poteſt. Æterna verò Dei eſſentia ſicut nec tempore anguſtatur, ita nec loco conſtringitur; ſicut enim ſemper eſt, ita ſemper ubique eſt. Manere igitur ejus eſt, nullomodò loco deeſſe; redire verò, eſt, corpus in terris ſumptum ab eis ſubtrahere. Manere ergo cum illis, & ire ad Patrem ſe dicebat, dum corpus quod corruptibile induerat, jam incorruptionis gloriâ ſublimatum ad cœlos evehit, & per majeſtatis præſentiam, ubique ſe cum illis manſurum promittit. Qui ergo ad Patrem, cum quo ſemper eſt, ivit, & cum Diſcipulis manſit, non impoſſibile eſt corpus, quod æternum & incorruptibile eſt, & in cœlis ſervare, & in terris communicandum nobis corporis ſui Sacramentum præbere.

Quòd verò in tot partibus, temporibus, populis, hominibus quotidie ſumptum & non imminutum objicitis, nullum incredulitatis ſcandalum parit, ſi quis fidei oculis intueri velit, quod ait Dominus, dum porrigeret illis panem & calicem, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Semel namque Chriſtus paſſus, ſemel mortuus, quotidie in Eccleſiâ nobis patitur, quotidie nobis moritur, dum ipſo jubente ſacroſanctæ Paſſionis ejus memoria agitur, & per Sacerdotum miniſterium ſalutaria corporis ejus & ſanguinis myſteria renovantur. Quæ inviſibiliter eodem Spiritu vivificantur, quo operante in utero Virginis incarnatus eſt Dei Filius. Quod quidem ex verbis beati Andreæ Apoſtoli intelligi datur, cujus vos doctrinam inter cæteros Apoſtolos imitari profitemini; qui cum ad ſacrificium idolorum compelleretur, ait: « Omnipotenti Deo qui unus & verus eſt, ego omni die ſacrifico, non thoris fumum, « nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum «

» ſanguinem, ſed immaculatum ſanguinem quoti- » die in ara crucis ſacrifico: cujus carnem poſtea » quàm omnis populus credentium manducaverit, » & ejus ſanguinem biberit, Agnus, qui ſacrifica- » tus eſt, integer perſeverat & vivus. Et cum verè ſacrificatus ſit, & verè carnes ejus manducatæ ſint à populo, & verè ſanguis ejus ſit bibitus; tamen, ut dixi, integer permanet, & immaculatus & vivus. Interrogante verò Ægea, quomodo fieri poſſet, ut occiſus viveret Agnus, ſacrificatus verò & comeſtus, quomodo integer & immaculatus permaneret: Apo- » ſtolus reſpondit, ſi Diſcipuli formam imitatus » crederet, facile ad diſcendum; ſin autem, ad in- » dagationem veritatis non poſſe attingere. Quod & vobis quoque impoſſibile erit intueri, niſi depoſito incredulitatis rigore formam fidemque Diſcipulorum receperitis. Verum quia hoc fidei oculis intuendum documus, ſi quem magis viſibilia ædificant, quàm inviſibilium virtus accendat, pauca de multis edicimus, quæ Dominus ad corroborandas mentes carnalium oculis carneis contuenda, de hoc ipſo corporis ſui & ſanguinis Sacramento dignatus eſt oſtendere.

Tempore namque quo beatus Gregorius Romanæ Eccleſiæ paſtorali curæ deſerviebat, quædam materfamiliâs religionis ſtudio oblationes facere, & ſummo Pontifici ad Eccleſiam familiariter offerre conſueverat. Quæ cum ex more quadam die ad communicandum de manu Epiſcopi ordine ſuo accederet, & illi Pontifex dominici portionem corporis porrige- » ret, dicens: Corpus Domini noſtri JESU-CHRISTI » proſit tibi in remiſſionem peccatorum & vitam æ- » ternam; ſubriſit. Quod vir Dei intuens, communionem retraxit, & ſeparatim ſuper altare repoſitam Diacono ſervandam, dum cæteri communicarent, tradidit. Expletis verò ſacris myſteriis Epiſcopus riſus cauſam requirit. At illa reſpondit recognoſſe ſe partiunculam illam ex oblatione quam propriis manibus factam Epiſcopo obtulerat, & quia corpus Domini eam dixerat, in riſum ſe excitatam. Unde facto verbo ad populum Epiſcopus omnes in commune orationem ad Dominum fundere hortatur, ut ad corroborandam fidem multorum manifeſto ſuæ virtutis indicio mulieris incredulitatem compeſceret. Quod & factum eſt. Surgentibus autem cunctis ab oratione, & ad decernendum cœleſte ſpectaculum comprimentibus, dominus Epiſcopus corporalem palam revelat, & univerſo populo & muliere contuente partem digiti auricularis ſanguine cruentatam invenit, & converſus ad mulierem dixit: Vel nunc experta divinæ virtutis miraculum, ne differas audire » Veritatem dicentem: Panis quem ego do, caro mea » eſt, & ſanguis meus verè eſt potus. Sed præſcius Conditor infirmitatis noſtræ, poteſtate, qua cuncta fecit ex nihilo, & corpus ſibi ex carne Virginis, operante Spiritu ſancto, fabricavit, panem & vinum aquâ mixtum, propriâ manente ſpecie, in carnem & ſanguinem ſuum ad catholicam precem, ob reparationem noſtram, Spiritûs ſui ſanctificatione, convertit. Denique omnes rursùm in orationem proſtrati, divinam potentiam exorant, ut ſanctum myſterium in priſtinam formam convertat, quatenùs ad ſumendum mulieri fiat poſſibile. Quod & factum eſt. Conſequuta igitur mulier dominici corporis participationem, poſtea in ſanctâ religione & fide, & omnes qui aderant, in amore Chriſti & credulitate ferventes proficiebant.

Alio quoque tempore quidam vir nobiliſſimus, atque juxtà ſæculum potentiſſimus, à beato Gregorio reliquias beatorum Apoſtolorum & Martyrum petiit ſibi tranſmitti. Erat enim Epiſcopo familiaris, & erga Dei cultum per admonitionem ejus ſufficienter imbutus. Honorificè igitur Legatos ſuſcipiens, aliquamdiu ſecum morari fecit. Memorias igitur Apoſtolorum & Martyrum pro hujuſmodi negotio agens, dum reliquias conſecrando Miſſarum ſolemnia expleſſet, particulatim pannos ſuper quibus ſancta celebraverat, divîdit, & ſingulis ſingulatim buxtis impoſuit, quas ſigillo munitas Legatis tradit: & ſic proficiſcuntur. Qui dum iter carperent, & quid ſecum ferrent, ignorarent, cœperunt curioſiùs ſe ipſos reprehendere, quòd quid Domino portabant, penitùs ignorarent. Quid longiùs moramur? Fractis ſigillis & apertis buxtulis, nihil aliud niſi pannos contemplantur. Indignati igitur Romam redeunt, accuſantes Epiſcopum, quòd ſui domini petitionem, & ſui itineris laborem tam parvi æſtimaſſet, ut pro reliquiis pannos ei miſiſſet, tamquam hujuſmodi genus apud ſe non inveniri poſſet. Quorum ſtultitiam Epiſcopus patienter ferens, eos celebrandis myſteriis jubet intereſſe. Ut autem ad locum ſermonis ventum eſt, ſuadet populo Dei gratiam & Sanctorum exorare, ut ſuæ virtutis potentiam in hac re dignetur oſtendere, quatenùs quid fides mereretur, ignorantes agnoſcerent. Datâ igitur oratione, & ab eo qui ſigna fregerat, accepto cultello, ſuper altare ſancti Petri unum ex pannis per medium pungens ſecavit, ex quo, viſu mirabile! ſanguis deſluens, omnem eamdem panni particulam cruentavit. Stupentibus Legatis & cæteris qui aderant, ſuper arcanum ſacræ fidei miraculum, dixit ad eos beatus Epiſcopus, qui ſacras reliquias parvi duxerant: Scitote, fratres, quia in conſecratione dominici corporis & ſanguinis cum ob ſanctificationem reliquiarum in honore Apoſtolorum & Martyrum Chriſti, quibus ſpecialiter aſſignabantur, ſuprà ſanctum altare libamina offerebantur, ſemper illorum ſanguis hos pannos intravit, qui effuſus eſt pro nomine Domini noſtri JESU-CHRISTI. Sic itaque ædificatos in fide Legatos ſanctus Gregorius ad dominum ſuum gaudentes remiſit.

Penſate igitur, ſi ſanguis Martyrum Chriſti in eorum memoria pannos intravit, quanto magis ſanguis Chriſti & corpus in ſe transformat panem ſanctum & vinum, quoties dominicæ Paſſionis memoria agitur. Supereſt aliud dicendum, quod quidem mirificum, & ad incredulitatem malorum confutandam eſt proficuum.

Quidam vir virtute venerabilis PAULUS nomine, Monachorum gregem curâ pervigili ſervabat: cujus de virtutibus & miraculis eſſet ſatis ad loquendum. Sed quod ad præſens negotium attinens utiliter occurrit, unum audite. Hic dum quâdam die ex more ſacroſancto altari humili devotione adſtaret, & Miſſarum ſolemnia celebrans, dominici corporis & ſanguinis veneranda myſteria conſecraret: ut ventum eſt ad horam fractionis, vidit ſubitò quod & fideliter credendum, & credulìter ſit admirandum, id eſt, ſanctificati panis portionem in infantem transformari, & Angelum Domini particulatim ipſum dividere: manifeſto veritatis indicio, quia verum Chriſti corpus & ſanguis eſt, quod ſub Sacramento communicandæ carnis & ſanguinis de altari ſumimus. Sæpe etiam dum hæc ſacra myſteria celebrantur, viſum eſt à pluribus Angelorum choros menſam altaris, in quo ſancta conſecrantur, ambire, tamquam milites in obſequio ſui Regis adſtantes.

Talibus dictis Domini Epiſcopi, omnes qui circumſtabant fideles, lacrymis obortis, Dei virtutem & Dei miſericordiam laudabant. Et converſus ad eos qui adſtabant hæreticâ pravitate ſeducti: Dicite, inquit, ſi quid habetis quo hæc refellenda arbitremini. At illi gravitate verborum, & cœleſtium virtute magnalium ſtupefacti, vultibuſque demiſſis, Ad fide[m] vertun[tur] [hæ]retici.

quamdam pœnitudinis ſimilitudinem præferentes, & ex alto ſuſpirantes, gemitum unà dederunt, dicentes, nihil hic ſe niſi divinum audire, & quod ſe mutos & penè elingues faceret. Corruentesque in terrâ, tunſis pectoribus culpam fatentur. Elevantes autem [vocem] Dei ſe patientiam dicunt admirari, qui tamdiu eos ad ignominiam Chriſtiani nominis toleraverat; nullam ſui erroris veniam poſſe ſperare, qui tanto incredulitatis profundo non ſe ſolos immerſerant, ſed & alios quamplures ejuſdem ruinæ præcipitio necaverant. Quibus Epiſcopus ait: Qui lapſis huc uſque veniæ ſemitam interdixiſtis, nec ullum in pœnitentiâ reconciliationis fructum ſperandum judicaſtis, durum eſt id vobis ſpectare ab eo qui peccantes vocat in pœnitentiâ, & gaudet potiùs ſuper uno pœnitente, quàm ſuprà nonaginta novem juſtis, niſi melioris fidei pretio id ab eo ſtudueritis quærere, qui certè pœnitentibus ſemper ſuæ miſericordiæ ſinum paratus eſt aperire. Si autem perfidiæ veſtræ duritiam Catholicæ fidei perceptione rejicitis, & depoſito incredulitatis rigore fidei Chriſtianæ documenta ſuſcipitis, confidenter vobis à Deo veniam promitto.

De ſanctâ Eccleſiâ, quæ eſt domus Dei.

Caput III.

Sed latere in vobis adhuc quaſdam infidelitatis tenebras ſentio, quas dum in cordibus veſtris manere permiſeritis, nullam ſupernæ lucis viſitationem ſperare poteſtis. Hæ ſunt enim tenebræ, quæ vos infidelitatis cæcitate damnatos contrà ſanctam Dei Eccleſiam erigere, & domum Dei vivi ignominioſis verborum ictibus impugnare faciunt, dicentes in Templo Dei nihil eſſe, quod ſit aliquo cultu religionis dignum magis quàm proprii domicilii cubiculum, nihilque in eo ſanctum præter cæmenta & lapides artificum opere digeſtos, ſed & menſam Domini, in quâ corporis & ſanguinis ejus libamina offeruntur, nullum in ſe aliud præter acervum lapidum retinere ſacramentum. De quibus ſi ea quæ paulo ante de corpore & ſanguine ejus præmiſimus, fideliter tenentur, nihil eſt quod humana mens jure dubitare poſſit. Sicut enim Dominus & Redemptor noſter in his ſanctificandis myſteriis, quibus ex rebus conficerentur ſpecialiter, quibuſve miniſtris conſecrarentur, inſtituit, ita & quo in loco ſpecialiter ſacrificarentur, elegit, id eſt, in Eccleſiâ ſanctâ, quæ domus Dei ſpecialiter appellatur, quia veri ſacrificii extrà catholicam Eccleſiam non eſt locus. Hic enim [locus] divinis cultibus agendis eſt con-
Luc. 19. 46. ſecratus. De quo ipſe Dominus ait: *Domus mea, domus orationis vocabitur.* In hoc enim quadrageſimo ſuæ nativitatis die puer cum hoſtiis offerri voluit: in hoc eum Simeon longi deſiderii compos ſuſcepit: In hoc Anna Propheteſſa Redemptorem Iſraël cognovit, cui quidem ad inſigne ſancti propoſiti & vidualis caſtimoniæ conſtantiam, hoc ſingulariter ex evangelicâ lectione crevit in laudem, quòd non diſcedebat de Templo. Denique Dominus duodennis puer, ignorante matre & cognatis, remanſit in Tem-
Ibid. 2. 49. plo. Unde ipſe requirentibus ait: *Quid eſt quod me quærebatis? Neſciebatis, quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Appropinquante verò horâ Paſſionis ſuæ, Jeroſolymam adiens, ſtatim intravit in Templum, formam nobis religioſæ converſationis, quam ſequi debeamus, oſtendens: videlicet ut cum oppidum, aut caſtellum, ſive aliquem locum, ubi domus orationis Deo ſit conſecrata, ingredimur, priùs ad illam feſtinare debemus, ubi orationis noſtræ vota ſolventes, noſmetipſos Deo commendemus. Ingreſſus igitur in Templum, cœpit ejicere vendentes in eo & ementes, dicens: *Domus* Ibid. 19. 46.
mea domus orationis eſt. Domus illa Dei ad hoc à Salomone primùm, & poſtea à Jeſu Sacerdote, & Zorobabel conſtructa fuerat, non quòd Deus in manufactis templis habitet; ſed ut ibi nomen ejus invocaretur, ibique devotæ plebis orationes audiret, vota ſuſciperet, munera & orationes acceptaret. De quo paulo poſt Evangeliſta dicit: *Quia acceſſe-* Matt. 21. 14.
runt ad eum cæci & claudi, & curavit eos in Templo. Ejectis namque indignis & profanatoribus Templi, cæcos & claudos in eo ſanavit: non quòd in plateâ, aut in civitate curationis ei gratia defuiſſet; ſed certâ causâ myſterii ſuæ virtutis potentiam exercuit, ut profectò oſtenderet præter Eccleſiam nemini locum patere ſalutis, [&] iſtum eſſe locum, in quo uberiùs divina beneficia quærentibus donantur. In hoc publicanus peccator advenit, juſtificatus redit. De hoc etiam dicit liber Apoſtolorum, quia
quotidie perdurabant unanimiter in Templo. Et pau- Act. 2. 46.
lo poſt: *Petrus & Joannes aſcenderunt in Templum* Ibid. 3. 1.
ad horam orationis nonam. De hoc Dominus ait:
Duo homines aſcenderunt in Templum ut orarent. Luc. 18. 10.
Porrò infirmus quem diuturno languore tabeſcentem Dominus ſanaverat ſuper probaticam piſcinam, ſuæ ſalutis auctorem nequaquam agnoſcere potuit in turbâ ſedentem, donec eum Jesus invenit in Templo, ibique ſe recognoſci voluit: apertè docens, ut ſi gratiam Conditoris noſtri cognoſcere, & ad ejus viſionem deſideramus pervenire, confugiamus devoti ad Templum Dei, ubi illi de perceptis beneficiis gratias agere, & de percipiendis exorare ſatagamus, noſque ipſos templum Dei, in quo miſericorditer venire, & manſionem facere dignetur, præparare curemus.

Hæc ſemper familiaris fuerat conſuetudo Domini, ut in quamcumque civitatem introiſſet, ſtatim diverteret in Templum. Unde Joannes Evangeliſta:
Perrexit Jesus *in montem Oliveti, & diluculo* Joan. 8. 2.
iterum venit in Templum. Et Lucas Evangeliſta:
Intravit Jesus *ſecundùm conſuetudinem in Syna-* Luc. 4. 16.
gogam, & ſurrexit legere. Ubi audis Synagogam, Templum intellige, ubi conventus Judæorum erat. Hæc ſemper Domino gratiſſima ſedes fuerat, adeo ut in eam ſemper ingrediens, ſermonem faceret ad populum, ac divinitatis ſuæ ſacramenta pandere dignaretur. Unde licet nullum locum vacare à præſentiâ majeſtatis ejus ſciamus, in hac tamen præſentius atque uberiùs ſuæ gratiæ beneficia petentibus tribuit, ubi corporis ejus & ſanguinis ſacroſancta myſteria celebrantur, & laudes divinæ & vota ſolvuntur. In Templo Dominus Salomoni in nube gloriæ ſuæ apparuit, dicens ſe ibi petentibus daturum cuicumque tribulationis & anguſtiæ remedium, & contrà tempeſtates & mortalitatem, adversùs gladium & famem, ſiccitatem & omnem intemperiem aëris, quidquid ibi à petentibus quæreretur, effectum Dei gratia præſtaret. Quotidie certè Dominus ſanctam ſpiritualiter intrat Eccleſiam, non quòd ibi altitudine murorum, aut varietate pavimentorum delectetur; ſed quia ibi fit conventus fidelium: ibi grates pro largitis beneficiis à fidelibus accipit; Hymnos & Cantica ſpiritualia, & devotæ laudis ſacrificia ſuſcipit, & ſancta corporis ſui & ſanguinis ſui commercia tribuit. Poſtremò Lucas ad Theo-
philum ſcribens, ait, quia Dominus Jesus *poſt* Act. 1. 3.
Paſſionem ſuam Diſcipulis ſeipſum vivum præbuit in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. Quid eſt loqui de regno Dei, niſi de ſtatu Eccleſiæ, quæ regnum dicitur Dei, ordinare?

Igitur quod congeſtis lapidibus domum Dei, quam nos Eccleſiam nominamus, fabricatam, nihilque

ſanctum ex eâ lapideâ materiâ trahere in ſe contenditis, & ideo nihil differre, quin in domiciliis & privatis manſionibus veſtris orationes factæ tantum valeant, quantum & in Templo ſancto Dei: adversùs hæc conſiderare oportet, cur Dominus tanto cultu tabernaculum fœderis ſibi per Moyſen juſſit fieri, in quo poſthabitis cæteris omnibus locis, ſpecialiùs gloria ejus apparuerat, ibique ſingulariter in rebus dubiis conſultus, judicia & legem filiis Iſrael expo-
1. Cor. 11. 22. ſuerat. Unde & Apoſtolus ad Corinthios ait: *Numquid non habetis domos ad manducandum & bibendum, aut Eccleſiam Dei contemnitis?* Et paulo poſt:
Ibid. v. 33. 34. *Itaque, fratres mei*, inquit, *cum convenitis ad manducandum, invicem exſpectate: ſi quis autem eſurit, domi manducet, ut non in judicium conveniatis.* Monſtrante itaque Paulo, propterea convenimus ad Eccleſiam ut oremus & manducemus cœnam Domini. Duo audiſtis cur conveniat populus ad Eccleſiam: unum ex antiquâ traditione, ut judicia rerum & cognitiones accipiat; alterum ex novo Teſtamento, ut manducet corpus Chriſti. Utraque enim quærimus ad Eccleſiam, ſcilicet, ut in eâ audiamus judicia noſtra mala, ſive bona, & cognitionem Dei, & ut manducemus corpus Chriſti. Quia vero quidam viri comam nutriebant, & mulieres nudato capite procedebant in Eccleſiam, gloriantes in crinibus, quod non ſolùm inhoneſtum erat, ſed etiam concupiſcentiæ fomenta præſtabat, ab hâc conſuetudine Apoſtolus eos compeſcens, dicebat:
1. Cor. 11. 13. 14. *Decet mulierem non velatam in Eccleſiâ orare Deum? nec ipſa natura docet vos, quòd vir quidem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi; mulier verò ſi comam nutriat, gloria eſt illi?*

Denique beatum Urbanum Martyrem (ſi verè Martyris creditis debere imitari) audire vos oportet, qui domum ſanctæ Cæciliæ ſanctæ Eccleſiæ nomini dicavit. Unde Doctor egregius Auguſtinus in
Ad verſ. 3. Pſalmo xxx. » Hæc quæ extruuntur ad tempus » ad recipienda corpora, vel vivorum, vel mortuo» rum, neceſſaria ſunt ſed tempori prætereunt. Num» quid poſt judicium Dei iſtas fabricas in cœlum le» vabimus? ſine his tamen hoc tempore, quæ ad » poſſidendum cœlum pertinent, agere non pote» rimus. « Porrò ipſa domus idcircò vocabulum habet Eccleſiæ, quia continet Eccleſiam, id eſt, populum convocatum ab eo, qui facit unanimes habitare in domo. Quæ ideo ſanctificatur ab Epiſcopo, ut in eâ vechit eſſe adventus Angelorum, & homines in eam introeuntes ab omni turpiloquio, & ſcurrilitate, & inutili cogitatione noverit ſe continere. Audiant qui intrant Eccleſiam, quod audivit Moyſes, quando voluit videre rubum ardentem: &
Exod. 3. 5. Dominus, *Ne appropies*, inquit, *huc, ſolve calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Et Angelus ad Joſue: *Solve*, inquit, *calceamentum de pedibus; locus enim in quo*
1. Cor. 3. 17. *ſtas, terra ſancta eſt.* Et Apoſtolus ait: *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Intrantes igitur domum Dei, Eccleſiam, ubi Dominus & Angeli ejus ſunt, oportet nos exuere mortuæ actionis calciamentis, & cogitare de converſatione Angelorum, & de præſentia majeſtatis Dei, & aſſiduis Hymnis & Pſalmis ſpiritualibus invocare nomen Domini, ut illud compleatur in nobis, quod ait Pſalmiſta: *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis a Templo ſancto tuo, quod eſt in Jeruſalem.*

De ſacro altari.

Capvt IV. QUod autem de menſâ Domini, & de materiali ſtructurâ ejus fabulas fingitis, quòd nihil aliud ſit, niſi acervus lapidum, & ideo mani religionis officio illam venerari: non eſt vox iſta hominis, ſed diaboli, cum nullus ſit locus in orbe alius, ubi legitimè veneranda corporis ejus & ſanguinis libamina queant ſanctificari; neſcit enim crucis pretium, qui non credit manere in altari cœleſte myſterium. Altare de terrâ Dominus per Moyſen ſibi fieri inſtituit, ſuper quod holocauſta & ſacrificia offerri debuiſſent: de quo liber Leviticus teſtatur, quia præceperat eidem Moyſi Dominus, ut poneret Sacerdos, qui unctus erat, de ſanguine hoſtiæ ſuper cornua altaris thymiamatis gratiſſimi Domino, quod erat in tabernaculo teſtimonii. Quod quidem altare in tabernaculo novo, id eſt, in ſanctâ Eccleſiâ, imaginem corporis Chriſti & ſepulcri tenet, in quo ſanguis veri Agni & immaculati Chriſti quotidie à fidelibus immolatur, qui ſeipſum pro nobis obtulit hoſtiam Deo Patri. Hoc quidem primò à Patriarchis, poſtea, ſicut diximus, à Domino per Moyſen conſecratum eſt. Nam legimus, quia Noe poſt dilu-
vium *ædificavit altare Domino, & tollens de pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper* Gen. 8.
eum, odoratuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis. Similiter & Abraham, Iſaac & Jacob. Qui Jacob egreſſus de Berſabee, vidit ſcalam à terrâ cœlos uſque eminentem, per quam Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes, ipſum etiam Dominum loquentem ſibi, vidit. Qui mane exurgens: *Verè*, inquit, *Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Paventſque.* Ibi &
Quàm terribilis eſt, inquit, *locus iſte! non hic eſt aliud niſi domus Dei & porta cœli. Surgens ergo mane tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum, fundenſque oleum deſuper vovit Domino*, ibique decimas & hoſtias obtulit: ad cujus inſtar adhuc in ſanctâ Eccleſiâ oleo ſacro altaria perunguntur. De hoc Dominus in Evangelio
dicit: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid ad-* Ma
verſum te, relinque ibi munus tuum. Et alibi:
Quid, inquit, *majus eſt donum, an altare quod* Ide
ſanctificat donum? De hoc Lucas ait: *Quia dum* Lu
Zacharias ſacerdotio fungeretur in Templo, Angelus Domini apparuit ei, ſtans à dextris altaris incenſi. Et Joannes in Apocalypſi: *Vidi*, inquit, *ſub* Ap
altare Dei animas interfectorum. Et iterum: *Alius* Ibi
Angelus venit, & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data ſunt ei incenſa multa, ut daret de orationibus Sanctorum ſuper altare quod erat ante thronum. Et paulo poſt: *Accepit*, inquit, Ibi
Angelus thuribulum, & implevit illud de igne altaris.

De Thymiamate.

QUoniam de ſacro altari verbum facientes, thymiamatis quoque & incenſi mentionem fecimus, quorum uſum & in cœlis angelico miniſterio, & in terris per antiquos & novos Patres obſervari legimus; talem ex hoc divinæ inſtitutionis auctoritatem habemus. Porrò inter cætera, quæ ad cultum tabernaculi facienda Dominus conſtituerat,
hæc quoque juſſit Moyſi, dicens: *Facies mihi al-* Ex.
tare ad adolendum thymiama de lignis ſethim. Et
iterum: *Pones altare contra velum, quod ante ar-* Ibi
cam pendet coram propitiatorio, ubi loquar tibi, & &
adolebit incenſum ſuper eo Aaron, ſuave flagrans mane. Quando componet lucernas, incendet illud, & quando collocat eas ad veſperum, uret thymiama ſempiternum Domino. Dehinc in ſequentibus ait:
Sume tibi aromata, & ſtacten & onyca, galbanum Ibi.
quoque boni odoris, & thus lucidiſſimum, facieſque thymiama compoſitum opere unguentarii mixtum diligenter, & purum & ſanctificatione in remiſſionem.

Luc. 4. 19. c Ibid. v. 21.

Prædicare [c] *annum Domini acceptum & diem retributionis.* Et paulo poſt intendentibus in eum dicit: *Quia hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auribus veſtris.* Sed & Paulus, qui ſemper à veteribus nos docet tranſire ad nova, multa de Moyſe & Prophetis & Pſalmis, ſuis ſcriptis inſerit, ut eſt illud in

1. Cor. 15. 45.

Geneſi: *Factus eſt primus homo Adam in animam viventem.* Quid igitur? Numquid vetus Teſtamentum reprobaſſe dicendus eſt, qui in Epiſtolâ ad He-

Hebr. 9. 2.

bræos ita ſcribit: *Tabernaculum factum eſt primum, in quo erant candelabra, & menſa, & propoſitio panum, quod dicitur ſancta: poſt velamentum autem ſecundum tabernaculum, quod dicitur ſancta ſanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam Teſtamenti circumtectam omni ex parte auro,* & cætera, quæ in eâdem Epiſtolâ de veteri Teſtamento proſequitur.

Igitur nos ſanctorum Patrum exempla ſervantes, plurima ab illo veteris obſervantiæ cultu in miniſterium novi Teſtamenti per miniſtros Eccleſiæ tractanda, Apoſtoli & eorum ſucceſſores tranſtulerunt, ut eſt hæc ipſa, de quâ loqui incœpimus, ſacri chriſmatis atque olei unctio, de quâ olim Sacerdotes & Reges, jubente Domino, ungebantur. Nam in Exo-

Exod. 27. 20.

du ſcriptum eſt, ut populi offerant oleum, dicente Domino: *Præcipe filiis Iſraël, ut offerant tibi oleum de arboribus olivarum puriſſimum.* Nam ut Iſidorus ait: *Olea ipſa arbor eſt, fructus oliva, ſuccus oleum.* Eſt autem olea arbor pacis inſignis, & habet pinguedinem, quâ laſſi atque infirmi artus recreantur, & gratia præſtatur luminis; cujus ſuccus, dum offertur à populo, ſimplex liquor eſt, per benedictionem verò Sacerdotum transfertur in Sacramentum, ſicut de aquâ Baptiſmatis ante docuimus. Animales autem hæc non poſſunt percipere, ſed fides ſapiat quod carnei oculi non poſſunt contemplari, ut fiat

Rom. 1. 20.

illud, quod ait Apoſtolus: *Inviſibilia ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas.* Unde beatus Auguſtinus in Pſalmo XLIV. explanat:

Ad quid oleo ſacro utitur Eccleſia.

Oleum viſibile in ſigno eſt, oleum inviſibile in Sacramento eſt. Oleum ſpirituale inviſibile eſt. Poteſt Deus per ſe oleum ſpirituale tribuere ſine corporali, ſed propter animales aguntur viſibilia, ut inviſibilia faciliùs capiantur. Apoſtoli denique hac arte olei utebantur in redintegratione infirmorum, & Apoſtolici viri in conſignatione neophytorum. Sic enim

Marc. 6. 12.

ſcriptum eſt in Evangelio: *Exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent, & dæmonia ejiciebant, & ungebant oleo multos infirmos, & ſanabant.* Unde ait

Jac. 5. 14.

Apoſtolus Jacobus: *Infirmatur quis in vobis? inducat Preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei.* Unde patet & ab ipſis Apoſtolis hunc ſanctæ Eccleſiæ morem traditum, ut energumeni & alii quilibet ægroti ungantur oleo pontificali benedictione conſecrato. Conſignantur etiam, ut diximus, neophyti de eo, ad cujus exorciſmum jubetur diabolus recedere à catechumeno, qui adhuc pro mortuo deputatur, quia nondum eſt baptizatus. Chriſmalis autem unctio ſanctificat viventem ex mortuis, & Spiritûs ſancti gratiam in filium adoptionis invitat.

Porrò in veteri Teſtamento Aaron à Moyſe unctus eſt, & filii ejus qui in tabernaculo Dei miniſtraturi fuerant, ſicut Dominus loquutus eſt ad Moy-

Exod. 29. 4. Ibid. v. 5.

ſen, dicens: *Accipe Aaron & filios ejus, & applicabis ad oſtium tabernaculi teſtimonii; cumque laveris patrem cum filiis aquâ, indues Aaron veſtimentis ſuis, & oleum unctionis fundes ſuper caput*

Levit. 21. 10.

ejus. Et iterum: *Pontifex, id eſt, Sacerdos maximus inter fratres ſuos, ſuper cujus caput fuſum eſt unctionis oleum, & cujus manus in ſacerdotio conſecratæ ſunt, veſtituſque eſt ſanctis veſtibus, caput ſuum non diſcooperiet, veſtimenta non ſcindet, & ad omnem mortuum non ingredietur omninò. Sub patre quoque ſuo, & matre non contaminabitur, nec egredietur de ſanctis, ne polluat ſanctuarium Dei, quia oleum ſanctæ unctionis Dei ſui ſuper eum eſt.* Un-

Pſal. 44. 8.

de Pſalmiſta ait: *Unxit te Dominus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Quando conſortes no-

Quare unguntur Epiſcopi & Sacerdotes.

minavit, quos alios intuebatur, niſi Epiſcopos, quos Chriſti Vicarios ſpiritu prophetico ad regendam ſanctam Eccleſiam prævidebat, qui hanc unctionis gratiam ab eo accepturi erant, qui eſt verus Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech? Porrò caput noſtrum Chriſtus eſt, ideo Pontifexs in capite ungitur, qui Chriſti Vicarius efficitur. Imitando enim illum, qui eſt totius caput Eccleſiæ, per hoc unctionis myſterium fit & ipſe caput Eccleſiæ ſibi commiſſæ. Et ſicut Chriſtus pro univerſâ interpellat Eccleſiâ, ita Epiſcopus pro ſibi commiſſâ. In eo autem quod ait Propheta, unctum Chriſtum præ conſortibus ſuis, ſpiritualis gratiæ donum, quo Chriſtus præ conſortibus, id eſt, cæteris Sanctis, unctus eſt, inſinuat. Cujus unctio illo expleta eſt tempore, quando baptizatus eſt in Jordane, & Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ deſcendit ſuper eum, & manſit in illo. In eo verò, quo Chriſti conſortes unctos oleo dixit, materialis unctionis gratiam, quâ Vicarii Chriſti, id eſt, Pontifices perfunduntur, inſinuat. Nam ſi ſacerdotalis gratiæ unctionem ſingularem ſolus ſibi Chriſtus retinuiſſet, nequaquàm

Hebr. 7. 23.

Apoſtolus hanc cæteris gratiam ineſſe doceret, cum ait: *Plures facti ſunt Sacerdotes ſecundum legem, idcirco quod morte prohiberentur permanere.*

Quid unctio ſignat.

Igitur hunc unctionis morem in ordinandis Epiſcopis ſancta adhuc ſervat Eccleſia: ipſi etiam Epiſcopi in conſecrandis Preſbyteris, manus eorum ungunt de oleo, ut mundi ſint ad offerendum Deo hoſtias, & largi ad cætera officia pietatis. Utrumque enim deſignatur per oleum, & gratia curationis,

Rom. 5. 5.

& charitas dilectionis, de quâ Apoſtolus ait, quia *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.*

Si quis autem objiciat: Cum Deus ſine oleo poſſit ſanare infirmos, effugare dæmones, ſanctificare ſuos, quare tanto ſtudio obſervatur cultus conſecrationis olei? reſpondemus: Nonne antiqui juſti potuerunt Deo placere ſine circumciſione? Potuerunt utique; ſed poſtquàm eis præceptum fuit ut circumciderentur, niſi ita agerent, peccati vinculis tenebantur. Unde beatus Auguſtinus ait: Antiqui juſti, ſi non circumciderentur, non erat eis peccatum; poſtea verò quàm juſſit Deus circumcidi Abraham, ejuſque poſteritatem, jam niſi fieret, grave peccatum fuit.

De ſignis.

Caput V.

Signorum quoque uſus à veteri Teſtamento ſumptus eſt. In quo per Moyſen Dominus juſſit fieri tubas argenteas ductiles, quas dum Levitæ tempore ſacrificii clangerent, ſonitu dulcedinis populus commonitus, ad tabernaculum fœderis ad adorandum feſtinarent, quarum etiam clangore hortatus ad bellum tela proſterneret adverſantium, & fortitudo

[c] *prædicare*] Hîc deeſſe non pauca miror Acherium non intellexiſſe. Nam ex ſequentibus liquet, Gerardum cum de Thymiamate dixiſſet, ſermonem inſtituiſſe de ſacro oleo, cujus uſum cum illi objeciſſent non niſi in veteri Teſtamento reperiri, ita reſpondet: Ex illo non pauca in Novum Teſtamentum eſſe tranſlata.

iuimicorum eo ſono exterrita in ſe deficeret. Nam legimus, quia ante arcam fœderis per clangorem tubarum muri Jerico, quibus adverſantium cingebatur exercitus, corruerunt. Ad hunc modum in ſanctâ Eccleſiâ hodie tintinnabula ſiunt, ut per illorum tactum fideles ad gremium matris Eccleſiæ invitentur, ut depoſitis curæ ſæcularis occupationibus diſcant ſe armare adverſus ſpirituales incurſus. Et ſicut fit, ut auditâ bellicâ tubâ milites ad prælium animoſiùs accendantur, hoſtilis impetus formidine fuſus diſpergatur; ita exterritis turbis nocentibus confortetur ad dominica bella per ſignum populus evocatus, & procul pulſis aëreis poteſtatibus, conventus Eccleſiæ manu angelicâ ſervetur.

De ſacris Ordinibus.

CAPUT VI.

VEniendum eſt autem ad ſacratiſſimos Ordines, quos veſanæ mentis pertinacia vos rejicere audimus. De quibus primò notandum eſt, quia eos, qui magis ſunt in Eccleſiâ neceſſarii, Apoſtolus denominat, & eorum mores depingit, ſine quibus non poteſt rite immolatio altaris celebrari, id eſt, Levitas & Sacerdotes. Ut enim ſine retractatione Sacerdos circà hoſtias vigilet, neceſſarius eſt Diaconus ad miniſtrandum ea quæ neceſſaria ſunt Sacerdoti. Cæteri ordines his ſubjecti ſunt: creſcente namque Eccleſiâ, crevit officium Eccleſiaſticum; ut enim multitudini Eccleſiæ ſubveniri poſſit, adjiciuntur inferiores in adjutorio præpoſitorum. De quibus ſunt Oſtiarii, id eſt, Janitores, qui pervigili curâ ſanctæ Eccleſiæ januam ſervant, & theſauros domûs Dei cuſtodiunt, per quos acceſſum habemus in Templum Domini, qui ait: *Ego ſum oſtium.* Hi ſuſcipiunt eos quos prærogativa fidei invitat, & excludunt illos qui ab unitate disjuncti ſunt, quibus dicturus eſt Dominus: *Neſcio vos.* Poſt inſtituuntur Lectores, id eſt, dominici verbi relatores, de quibus Apoſtolus ait: *Alii datur ſermo ſapientiæ ſecundùm eumdem ſpiritum.* Hi ſunt, qui diſtinctè atque ordinatè modulantes in Eccleſiâ, ſanctis moribus fideles inſtruunt. Deinde ſunt Exorciſtæ, qui per impoſitionem manuum & benedictionem ſacerdotalem ſumunt poteſtatem abjiciendi ſpiritus immundos, & gratiam curationum; de quibus Dominus in Evangelio: *In nomine meo dæmonia ejicient.* Quam effugandorum dæmonum poteſtatem nullâ manuum impoſitione, aut ſacerdotalis benedictionis prærogativâ donati olim quidam uſurpare volentes, ab obſeſſis corporibus dæmones per exorciſmum tentabant ejicere, ſicut de filiis Scevæ Judæi liber Apoſtolorum commemorat. Qui cum in nomine Jesu, quem Paulus prædicabat, ſpiritus immundos exorcizarent, concito indignantis ſpiritûs furore vexati, temeritatiſque auſum ultore ſpiritu luentes, audierunt increpantis reſponſum hoc modo: Jesum *novi, & Paulum ſcio; vos autem qui eſtis? & continuò inſilivit in eos ſpiritus immundus.* Quibus illa ſui pœna furoris ſanè dedit indicium, quia non erant ex eorum numero, quibus hoc donum gratiæ auctoritate ſacerdotali præſtitum fuerat. Hos ſequuntur Acolythi, id eſt, ceroferarii, qui ignem verbi cœleſtis, quo illuminentur fratres ad agnoſcendum, & inflammentur ad diligendum Deum, prædicando miniſtrant. Subdiaconi verò hi ſunt, qui oblationes à populis in Templo Domini ſuſcipiunt, & officiis deſerviunt Levitarum: in offerendis vaſis corporis & ſanguinis Domini, & in adminiſtrandis his quæ aguntur circà altaris officis.

Minorum Ordinum munia.

Oſtiarii.

Joan. 10. 9.

Lectoris.

1. Cor. 12. 8.

Exorciſtæ.

Matt. 7. 22.

Act. 19. 15.

Acolythi.

Subdiaconi.

Cui verò otium fuerit vetus Teſtamentum revolvere, inveniet ab eo hos ſumſiſſe exordium, nec minùs etiam eos qui ſuperſunt, id eſt, Levitas & Sacerdotes, quorum gradus quia altior eſt, paulo plus in eis nobis eſt immorandum. Nam ſicut liber Numerorum refert, loquutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Applica tribum Levi, & fac ſtare in conſpectu Aaron Sacerdotis, ut miniſtrent ei & excubent, & obſervent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo teſtimonii, & cuſtodiant vaſa tabernaculi, ſervientes in miniſterio ejus. De his ſcriptum eſt in Actibus Apoſtolorum, quia *convocantes duodecim multitudinem Diſcipulorum, dixerunt: Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo, fratres, viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, plenos Spiritu ſancto & ſapientiâ, quos conſtituamus ſuper hoc opus; nos verò orationi & miniſterio verbi erimus inſtantes. Et placuit ſermo coram multitudine, & elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu ſancto, & Philippum & cæteros, quos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum: & orantes impoſuerunt eis manus.* Exhinc jam decreverunt Apoſtoli, vel ſucceſſores Apoſtolorum, per omnes Eccleſias ſeptem Diacones, qui ſublimiori gradu cæteris circà aram Chriſti quaſi columnæ altaris aſſiſterent. De his Paulus, cujus vos doctrinam tenere dicitis, ſcripſit ad Timotheum. Nam cum præmiſiſſet Epiſcopum debere irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem, moribus ornatum, continuò intulit: *Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes, habentes myſterium fidei in conſcientiâ purâ: & hi probentur primùm, & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes.*

Preſbyterorom Ordo quoque exordium ſumſit à filiis Aaron, qui tunc Sacerdotes vocabantur in veteri Teſtamento, nunc autem Preſbyteri vocantur. Porrò hi præſunt Eccleſiæ Chriſti, & in confectione corporis & ſanguinis Domini conſortes cum Epiſcopis ſunt, ſimiliter & in doctrinâ populorum, & in officio prædicandi. De his Paulus Apoſtolus ſcribit ad Titum: *Hujus*, inquiens, *rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates Preſbyteros, quemadmodum ego tibi diſpoſui, ſi quis ſine crimine eſt.* Et in primâ ad Timotheum Epiſtolâ: *Noli*, inquit, *negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Preſbyteri.* Igitur cum Preſbyteri ordinantur, per impoſitionem manuum ſacerdotalis gratiæ donum ſuſcipiunt. De quibus in libro Numerorum ſcriptum eſt: *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſraël, quos tu noſti, quòd ſenes populi ſint ac magiſtri; & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, facieſque ibi ſtare tecum ut deſcendam & loquar tibi, & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis.* Et paulo poſt: *Deſcendit Dominus per nubem, & loquutus eſt ad eum, auferens de ſpiritu qui erat in Moyſe, & dans ſeptuaginta viris.* De his etiam in Actibus Apoſtolorum ſcriptum eſt, quòd cum veniſſet Paulus Apoſtolus Miletum, miſerit Epheſum, & vocaverit Preſbyteros ejuſdem Eccleſiæ, quibus inter cætera ait: *Attendite vobis & omni gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit paſcere Eccleſiam Domini, quam acquiſivit per ſanguinem ſuum.* Sed & Petrus in primâ epiſtolâ: *Preſbyteros*, inquit, *qui in vobis ſunt, obſecro conſenior & teſtis Chriſti paſſionum, & ejus quæ in futuro revelanda eſt, gloriæ communicator: paſcite, qui eſt in vobis, gregem Dei, providentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum, non turpis lucri gratiâ, ſed voluntariè; neque ut dominantes in Clerum, ſed forma facti gregis ex animo: & cum apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam.*

Denique pontificalis Sacerdotii Ordo initium ſum-

ſit ab Aaron, ſicut dicit Iſidorus, quamquam & Melchiſedech prior obtulerit ſacrificium, & poſt hunc Abraham, Iſaac & Jacob: ſed iſti ſpontaneâ voluntate, non ſacerdotali auctoritate iſta fecerunt. Cæterum Aaron primus in lege ſacerdotale nomen accepit, primuſque pontificali ſtolâ indutus victimas obtulit, dicente Domino ad Moyſen: *Accipe*, inquit, *Aaron & filios ejus, & applicabis ad oſtium tabernaculi teſtimonii. Cumque laveris patrem cum filiis aquâ, indues Aaron veſtimentis ſuis, id eſt, lineâ, & tunicâ, & ſuperhumerale & rationale, quod conſtringes balteo; & pones tiaram in capite ejus, & laminam ſanctam ſuper tiaram, & oleum unctionis fundes ſuper caput ejus.* In novo autem Teſtamento poſt Chriſtum pontificalis Ordo à Petro cœpit: ipſi enim primùm datus eſt Pontificatus in Eccleſiâ Chriſti, ſicut dicit Dominus: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Hic ergo ligandi ſolvendique poteſtatem primus accepit, primuſque ad fidem populum virtute prædicationis adduxit. Siquidem & cæteri Apoſtoli cum Petro pari conſortio honoris & poteſtatis acceperunt, & ipſis Apoſtolis ordinantibus ſucceſſerunt Epiſcopi, qui ſunt conſtituti per mundum in ſedibus Apoſtolorum, qui non jam ex gente carnis & ſanguinis eliguntur ſicut primùm, ſed pro uniuſcujuſque merito, quod in eum divina gratiâ contulit.

Exod. 19. 4. — *Ibid. v. 5.* — *Matt. 16. 18.*

Manûs impoſitio.

Quòd autem per manûs impoſitionem à præceſſoribus Dei Sacerdotibus Epiſcopi ordinantur, antiqua inſtitutio eſt. Sic enim Patriarcha Iſaac manum ſuper caput Jacob imponens benedixit ei: ſimiliter & Jacob filiis ſuis. Moyſes ſuper caput Joſue manum imponens, dedit ei ſpiritum virtutis & ducatûs in populo Iſraël. Sic & ſuppletor legis & Prophetarum Dominus noſter Jesus-Christus Apoſtolos benedixit. Et in Actibus Apoſtolorum ex præcepto ſancti Spiritûs Paulo & Barnabæ Apoſtolis manus impoſita eſt in Epiſcopatum, & ſic miſſi ſunt ad evangelizandum. Caput enim principale mentis deſignat; & ſicut mente corpus regitur, ita per Epiſcopos Eccleſia, quæ eſt corpus Chriſti, regitur. De his Paulus Apoſtolus ad Titum: *Oportet* inquit, *Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem.* Et ad Timotheum ait: *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat; oportet enim Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem.* Et item: *Admoneo te, ut reſſuſcites gratiam Dei quæ in te eſt, per impoſitionem manuum mearum.* Jam verò, quòd ſæculares viri nequaquam ad miniſterium Eccleſiæ aſſumantur, eadem apoſtolica autoritas docet & dicit: *Manus nemini citò impoſueris.* Et iterum: *Non Neophytum, ne in ſuperbiâ elatus* putet ſe non tam miniſterium humilitatis, quàm adminiſtrationem ſæcularis poteſtatis adeptum, & in condemnationem ſuperbiæ ſicut diabolus per jactantiam dejiciatur. Non enim valebit ſæcularis homo ſacerdotii magiſterium implere, cujus nec officium tenuit, nec diſciplinam cognovit, ſed neque docere poteſt quod non didicit.

Tit. 1. 7. — *1. Tim. 3. 1. & 2.* — *2. Tim. 1. 6.* — *1. Tim 5. 22.* — *Ibid. 3. 6.*

Quod cum ita ſit, ſtultum & cunctis Catholicis abominabile ſit, quod putatis vos poſſe dare quod non accepiſtis: nec quibus in locis, nec quibus miniſtris detur aliquod gratiæ donum, differentiam facitis, ſed in lucis, aut in biviis, aut etiam intrà pudenda ſepta latrinarum veſtras phantaſias, atque ſacrilegas incantationes, quaſi quoddam ſanctificationis myſterium, ſuper eos agitis, quos erroris veſtri conſortio admiſcere poteſtis. Quâ in re Paulum Apoſtolum, quem veſtrum Doctorem mentimini, veſtrum potiùs ſentietis accuſatorem, qui ad Timotheum ſcribens, ait: *Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in quâ vocatus es & confeſſus bonam confeſſionem.*

1. Tim. 6. 12.

De ſepultura.

Caput VII.

De ſepulturâ etiam, quam præter ullum ſalutis compendium avaritiæ Sacerdotum adſcribitis, ſermocinabimur. Aſſeritis quidem nihil differre, utrum mortui in atriis domûs Domini, an aliis in quibuſlibet locis ſepeliantur, fingentes nullum prætendi myſterium ſanctitatis, præter quod de ipſo pretio Sacerdotes ſibi coacervant pecuniam. Sed ſi ſanctæ matris Eccleſiæ ſinum fidelibus vivis derogare præſumitis, nec mirum ſi vultis derogare & defunctis. Verùm quia de Eccleſiâ ſuperiùs certiſſimè tractavimus, de ſepulturâ etiam aliquid diſſeramus. Porrò cum fideles Chriſtiani temporalem vitam in unitate Spiritûs ſancti, ſub myſterio Catholicæ fidei in hac temporali Eccleſiâ communiter exigunt, ut per hanc ad cœleſtem perveniant, ubi, rogo, debent corpora eorum poſt reſolutionem rectiùs quàm in ſinu matris Eccleſiæ tumulari? Sicut enim temporali Eccleſiæ temporaliter vivendo per fidem adhærent, ita & temporaliter moriendo in ſinu ipſius requieſcunt, diem videlicet reſurrectionis & intemporalis Eccleſiæ gloriam exſpectantes. Hæc eſt enim mater credentium, quæ natos ad mortem regenerat ad immortalitatem, quæ filiorum corpora ſervat ſanè ad tempus ſopita, in generali tamen reſurrectione ad immarceſſibilem gloriam ſuſcitanda. Si ergo in tanto lumine veritatis caliginem erroris non deponitis, dicite unde ſpiritus vitæ æternæ vobis promittitis. In ſanctâ quippe Eccleſiâ Deo renati offerimur, & per ipſam juxtà piæ converſationis qualitatem ad æternitatem tendimus. Cæterum cum reſolvimur, in ipsâ ſepulti quieſcimus, & juxtà ſpeciem mortis imitamur futuræ beatitudinem reſurrectionis.

Qui ergo hoc Chriſtianæ fidei unicum pignus non amplectitur, à compage corporis Chriſti proculdubio divellitur. Ad hujus verò fidei unitatem pater Abraham ſe noverat colligendum, cum ab Ephron duplicem ſpeluncam emeret; quam etſi ſine pretio poſſet habere, tamen ne cum improbis videretur participari, æſtimavit potiùs comparare. Ibi nimirum Saram uxorem ſepelivit, & ipſe poſtea ſepultus eſt, necnon Iſaac cum Rebeccâ. Illuc etiam Jacob, cum in Ægypto mori debuiſſet, filios ſuos ſepeliendum ſe reportari commonuit. Joſeph verò filius ſuus, antequàm moreretur, quodam prophetico contuitu dixit ad fratres ſuos: *Poſt mortem meam Deus viſitabit vos, & aſcendere faciet de terrâ iſtâ ad terram quam juravit Abraham, Iſaac & Jacob patribus noſtris. Cumque aſcenderitis, aſportate vobiſcum oſſa mea de loco iſto*, ad patriam videlicet ſepulturam. Quod & iſti fecerunt. Tobias verò vir plenus Spiritu ſancto filium ſuum monuit, ut cum ipſe moreretur, funus ſuum curaret, & juxtà eum ſepeliret uxorem ſuam. Notandum enim quòd ſancti patres non ſolùm in vitâ, ſed poſt mortem ab alienigenis diſſociari volebant; quippe unitatem futuræ Eccleſiæ prætendentes, quæ ſeorſum fidelibus aggregatis profanos cultus abhorret.

Geneſ. 50. 23. & 24.

Quòd ſi Abraham ſepulcrum ſibi pretio coëmiſſet, cum gratis poſſet habere, cur non potiùs & nos in ſepulturis noſtris ſanctam Eccleſiam quolibet munere donabimus, quod & ad remedium vivis, & ad veniam proſit defunctis? Si autem objicitis, quia hoc magis avaritia Sacerdotum exigit; nec quidem nos negamus, quin aliqui hoc faciant: faciunt enim aliqui. Nec mirum, cum ex duodecim Apoſtolis unus avaritiæ inhiaſſet. Sciendum verò

quòd vitiis malorum boni depravari non debent, aut divina myſteria infamari. Quidquid enim fiet in nomine Domini, præmio non vacabit. O vos cæci & errantes, Dominicis verbis vos increpo! Neſcientes legem, quare non ſcrutamini Scripturas? Hoc habet planè liber Regum, quòd Reges Iſraëliticæ plebis in uno loco omnes ſepelirentur, exceptis pravis & impœnitentibus. Quòd ſi pœnitentes admiſſa correxerint, cum cæteris ſepulturam ſortirentur. Unde datur intelligi, quòd cum Salomon cum cæteris tumuletur, veniam criminum meruiſſet licet ſua pœnitentia non legatur. Ad hoc autem & alia multa, quæ de ſepulturâ occurrunt myſteria, ipſius Salvatoris eo etiam affuit providentia, quòd crux ſancta in quâ pependit, ſuper tumulum protoparentis Adam, ut tradunt Doctores, figeretur. Nec vacat quòd pretio ejus ſanguinis ager Acheldamah emitur, ubi peregrinorum corpora tumulantur: reverâ enim ejus ſanguine Eccleſia comparatur, in cujus ſinu pauperes Chriſti quieſcunt.

De Pœnitentia.

1 QUoniam quidem ſuperiùs regenerationis myſterium nihil eſſe dixiſtis, ob hanc ſcilicet cauſam, quia quidquid ex operibus ſatanæ baptizandus abdicare ſe profitetur, poſtmodum in vita repetere non timet: ex quâ ſententiâ pœnitentiæ derogare videmini, & cæteris quæ Deus ad peccantium reconciliationem remedia contulit; reſtat nobis adhuc ſuper hujuſmodi inſudare. Necdum enim incredulitatis vulnus ad vivum uſque attigimus, quod quidem nos medicantis verbi ferramento opus eſt recludere, unde latentis putredinis ſanies in apertum erumpat. Sciens certè divina providentia neminem baptiſmatis gratiâ renovatum, ad ſuperandas diaboli inſidias, & vincendas carnis concupiſcentias eſſe idoneum; ne quis poſt lapſum in deſperationis foveam corruat, adversùs ſingula vitiorum vulnera reſervavit convenientia reparandæ ſalutis medicamenta, parans ſuperbis humilitatem, invidis charitatem, luxurioſis continentiam, guloſis parſimoniam, lapſis pœnitentiam, & cæteris quibuſque vitiis congrua medicamenta, per quæ peccator quaſi quâdam baptiſmi regeneratione Deo reconcilietur. Sed ut de reliquis ſileam, quoniam pœnitentiam abjicitis, cum tamen Evangelii auditores vos eſſe dicitis, interrogo vos quid Dominus in Evangelio eſſe voluerit quod ait: *Gaudeo ſuper uno peccatore pœnitente, quàm ſuprà nonaginta novem juſtos qui non indigent pœnitentiâ.* Et alibi: *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores in pœnitentiam.* Satis certè ſuperque abundant exempla pœnitentiæ, per quæ revelante Scripturâ multos de tumulo vitiorum & morte animæ reſuſcitatos cognovimus, de quibus multos ante electionem in malitiâ ſuâ perdurantes, per pœnitentiam reſipiſci cognovimus; plurimos verò poſt electionem lapſos, ſed poſtea pœnitentiæ remedio in priſtinam gratiam relocatos. De quibus beatum Petrum primum in medium introducimus, qui dum pœnitendo fleret culpam negationis, non ſolùm priorem gratiam reimpetravit, ſed inter omnes totius Eccleſiæ quæ in terris & in cœlis eſt, primatum accepit. Quin etiam prodigum filium à gratiâ paternâ privatum in Evangelio audivimus, pœnitendo non ſolùm in gratiam patris rediiſſe, ſed & ſtolam primam quam amiſerat, recepiſſe. Primam cum audis, non novam intelligas, ſed antiquam, quia prioris innocentiæ veſtem, quâ ſe peccando exſpoliaverat, pœnitendo reparavit.

Denique qui doctrinam apoſtolicam ſuſcipitis, oportet audire qualiter Paulus fornicantem fratrem compellat ad pœnitentiam: *Omninò*, inquit, *auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris quis habuerit. Et vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis, ut tollatur de medio veſtrûm qui hoc opus fecit. Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu jam judicavi ut præſens, eum qui ſic operatus eſt in nomine Domini noſtri* JESU-CHRISTI *congregatis vobis & meo ſpiritu cum virtute Domini* JESU, *tradere hujuſmodi ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri* JESU-CHRISTI. Et alibi: *Timeo ne cum venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditiam, & fornicationem, & impudentiam quam geſſerunt.* 2. Quid enim tradere hominem ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fiat, aliud eſt, niſi hunc quod per incontinentiam carnis deliquerat, per tribulationem carnis pœnitendo diluere, ut carnis titillantis rubigine pœnitentiæ camino excoctâ, ſpiritus purior in diem Domini ſalvus fiat? Unde ipſe poſtmodum dicit ſe timere ne lugeat de eorum interitu, qui non egerunt pœnitentiam ſuper immunditiam & fornicationem ſuam.

Denique in Eccleſiaſticâ hiſtoriâ quemdam juvenem apud Epheſum audivimus à beato Joanne Apoſtolo in Monaſterio recluſum: qui catholicis diſciplinis inſtructus, & Baptiſmatis gratiam adeptus, poſt multa religioſæ converſationis exempla, diabolicæ ſuaſionis ſpiritu agitatus Monaſterium deſeruit, & inter ſylvas & luſtra ferarum homicidiis, furtis & omnigenis flagitiis depravatus eſt. Quem cum Apoſtolus requiſitum ad Eccleſiam revocaret, & miſer ille ob magnitudinem criminum nullam reparandæ ſalutis ſpem ſe habere diceret, beatus Joannes juriſjurandi ſacramento ei ſpem veniæ promittit. Dehinc jejuniis & orationibus eum intrà paucum tempus ita reddidit emendatum, ut cæteros anteiret ſanctitate, & ipſius Eccleſiæ regimen illi Apoſtolus commendaret: præbens per hoc magna exempla veræ pœnitentiæ, & documentum ingens regenerationis, atque inſignia quædam & trophæa viſibilis in eo reſurrectionis oſtendens. Verùm qualiter idem Joannes Apoſtolus Angelo Eccleſiæ Epheſi ſcribat, animadvertite. *Memento*, inquit, *unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac; alioquin veniam tibi, & movebo candelabrum tuum de loco ſuo.* Exſtat unum, quod ad commendandam pœnitentiæ vim ſufficiat, exemplum. Senatoris cujuſdam filiam Deo conſecratam vir quidam concupiſcentiæ furiis agitatus quondam eo uſque adamavit, ut per maleficos immundum ſpiritum conſuleret. Cui cum ſpiritus malignus deſiderii effectum promitteret, ſi Chriſto abrenuntiare vellet ille non ſolùm acquievit, verùm abrenuntiationis chartam manu propriâ ſcriptam illi donavit: ſicque ſponſoris ſui arte Virginis amplexum adeptus, non poſt multo amarè deflebat ſtupri mercede auctorem ſuum negaſſe. Tandem beato Baſilio Cappadociæ civitatis Epiſcopo omnem rei ordinem confeſſus, in quodam conclavi per tres dies ſub pœnitentiæ ſatisfactione recluditur, ubi infeſtantis ſpiritûs convitia multa patitur. At vir beatus convocatâ in Eccleſiam Cleri ac populi multitudine non deſtitit orare ad Dominum, donec validiſſimo orationis certamine ſcriptum de manu diaboli extorſit, & cunctis intuentibus demiſſam per aërem chartam recepit.

Abſit igitur à fidelium mentibus hanc veſtram execrabilem audire doctrinam, ut lapſis poſt electionem pœnitentiam nequaquam proficere credant, cum luce clarius eſt poſt perpetrata ſcelera homines per eam redire ad innocentiam. Quam quidem

adeo efficacem, adeo potentem ad abolenda peccata experti ſumus, ut etiamſi in ultimo vitæ ſpiritu quis admiſſorum pœniteat, & publicâ lamentatione commiſſa prodantur, fructum tamen & ſpem veniæ ſalutaris non perdat, quia propoſitum quod decrevit ſalvare quod perierat, non poteſt immutari: & ideo quia voluntas ejus non mutatur, etiamſi tempus emendationis non conceditur, ſi tamen in ſupplici confeſſione vitâ exceditur, fideli propoſito venia non negatur ab illo, qui non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur à perditione pœnitendo, & ſalvatus miſeratione Domini vivat. Quod autem objici poterat de peccato ad mortem, cui nulla patet ad veniam conſolatio, id quidem eorum eſt, qui in deſperationis foveam corruentes, nihil prorsùs quo inde eximi valeant, ſibi reliquerunt.

Quòd pœnitentia poſt mortem proſit.

Caput IX.

Verùm ne quis pœnitentiam ſolis vivis & non defunctis proficere credat, multos qui à ſæculo tranſierant, ſuorum pietate viventium à pœnis relevatos Scripturâ teſte comperimus, dum pro eis ſacrificium mediatoris offertur, vel eleemoſynæ fiunt, vel quis vicariam pœnitentiæ ſolutionem defuncto amico perſolvit, dum quod æger præventus morte non potuit, vivus ſupplet amicus. Quod quia cæci lumine fidei non ſolùm refugitis credere, ſed penitùs deſtruere tentatis, non vere, ut aſſeritis, Evangelii auditores eſtis. Nam ipſa Veritas dicit, quia *ſi quis in Spiritum ſanctum* blaſphemiam *dixeris, neque in hoc ſæculo remittetur ei, neque in futuro.* In quâ ſententiâ, in Dialogo ſuo beatus ait Gregorius, datur intelligi quaſdam culpas in hoc ſæculo, quaſdam verò in futuro poſſe relaxari. Quod enim de uno negatur, conſequens intellectus patet, quod de quibuſdam conceditur; ſed hoc de parvis minimiſque peccatis credendum eſt, ſicut eſt continuus otioſus ſermo, immoderatus riſus, vel ali.... curæ familiaris, & cætera, ſine quibus vita humana non agitur, quæ etiam poſt mortem gravant, ſi adhuc in hac vitâ poſitis minimè fuerint laxata; quæ per ignem purgatorium poſt mortem ipſe paulo poſt dicit purgari, ſi in hac vitâ poſitus hoc bonis actibus, ut illic obtineat, aliquis promereatur. Unde jure à ſanctis Doctoribus purgatorius ignis eſſe dicitur, quòd per eum peccata aliqua purgantur, prout viventes aut eleemoſynis, aut ſacrificiis, aut certè, ſicut ante diximus, vicariâ pœnitentiæ ſolutione obtinere poſſunt. Unde & Paulus ait, quia *vir fortiſſimus Judas collatione factâ miſit Jeroſolymam duodecim millia drachmas argenti, offerre eas pro peccatis mortuorum, juſtè & religiosè cogitans de reſurrectione: niſi enim eos qui ceciderunt, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur & vanum orare pro mortuis.* Deinde dicit: *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccato ſolvantur.*

Matt. 12. 32.

2. Machab. 12. 43. & ſeqq.

Conſtat igitur, ut diximus, talium operum pretio defunctos poſſe à peccatis abſolvi, alioqui Paulus Apoſtolus, cujus vos auditores eſſe mentimini, nequaquam audiendus eſſet, qui dicit lignum, fœnum, ſtipulam, id eſt, peccata minima atque leviſſima igni purgatorio facilè conſumi: quibus nimirum non purgatoria, ſed æterna ſupplicia inferrentur, niſi talibus hoſtiis prometuiſſent igne purgatorio reſolvi.

De Connubiis.

Caput X.

De connubiis verò, quæ vos contrà evangelica & apoſtolica decreta ſacrilegâ mente abominanda judicatis, dicentes conjugatos in ſortem fidelium nequaquam computandos, multa ſanctorum Patrum occurrunt exempla, quæ ad infidelitatis hujus blaſphemiam confutandam ſatis ſufficiant. De quibus nos reſponſuros quodam diſcretionis gubernaculo noſtri ſermonis carinam ſubire oportet, ne quaſi inter duos ſcopulos naufragium incurrentes occaſionem demus in alterutrum, ſcilicet aut omnes indiſcretè à conjugiis exterrendo, aut omnes indiſcretè ad connubia commonendo. Porrò ſicut inter ſæculares & eccleſiaſticos viros quædam ordinis diſcretio eſt, ita & converſatio eorum quâdam diſcretionis ratione ſervanda eſt. Nam vir eccleſiaſticus, poſtquàm relictâ ſæculi militiâ in ſortem Domini computatur, non poteſt, ſalvo profeſſionis ſuæ cingulo, conjugali thoro ſe iterum mancipare. At viris ſæcularibus, qui nulli eccleſiaſtici regiminis jugo ſunt obnoxii, nec evangelica, nec apoſtolica decreta legitima præjudicant connubia, ſi tamen ſciunt omni tempore ſibi debere eſſe ſubjectam conjugii voluptatem, & ſi diſcernunt certa concubitûs tempora, quando coeundum, & quando ab uxoribus ſit abſtinendum. Non enim talia connubia beneplacita ſunt Deo, quibus homines ad luxuriam, & delicias inſtar animalium provocantur, qui Deum à ſuâ mente excludunt, & ſuæ libidini vacant, ſicut equus & mulus. Qui autem ita conjugio utitur, ut cum timore Dei in amorem filiorum potiùs intendat, quàm ut petulantis carnis appetentiam expleat, hunc copula conjugii de ſorte fidelium non privabit.

Falluntur igitur qui conjugatos à regno Dei exterminandos affirmant, præſertim cum in Evangelio hujuſmodi teſtimonium habeamus, & apoſtolica traditio talem humanæ conſuetudinis legem multis in locis confirmet. De quâ re hoc unum ex ore Veritatis teſtimonium proferimus. Nam Phariſæis tentantibus & dicentibus, ſi liceret homini uxorem ſuam dimittere quâcumque ex causâ, ille reſpondens ait: *Non legiſtis, quia qui fecit, maſculum & feminam ab initio fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne unâ. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro; quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Requirentibus autem illis, ut quid Moyſes mandaſſet dari libellum repudii, & dimittere, ait illis: *Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras, ab initio autem non fuit ſic. Dico autem vobis, quia quicumque uxorem niſi ob fornicationem dimiſerit, & aliam duxerit, mœchatur.* Petrus autem in epiſtolâ ſuâ ait: *Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis, ut & ſi qui non credunt verbo, per mulierum converſationem ſine verbo lucrifiant.* Et paulo poſt: *Sic enim aliquando & ſanctæ mulieres ſperantes in Deo ornabant ſe, ſubjectæ propriis viris, ſicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans.* Et iterum: *Viri ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impertientes honorem.* Unde & beatus Paulus ad Corinthios ait: *Bonum eſt homini non tangere mulierem, propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque virum ſuum habeat. Uxori vir debitum reddat, ſimiliter & uxor viro.* Et paulo poſt: *His autem qui in matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere; quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari; & vir uxorem non dimittat. Si quis frater uxorem habeat infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illum; & ſi qua mulier habet virum infidelem, & conſentit habitare cum illa, non dimittat virum: ſanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem.* Et rursùs cum de virginibus præce-

Matt. 19. 4. & ſeq.

Ibid. v. 8. & ſeq.

1. Petr. 3. 1.

Ibid. v. 5. & 6.

Ibid. v. 7.

1. Cor. 7. 1. & ſeq.

Ibid. v. 10. & ſeq.

ptum Domini ſe non habere diceret, converſus ad conjugatos ait: *Exiſtimo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe. Alligatus es uxori? noli quærere ſolutionem; ſi autem acceperis uxorem, non peccaſti.* Scribit autem ad Epheſios ita: *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino; quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ.* Et iterum: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam.* Et iterum: *Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum*
5. *diligit.* Scribit autem & ad Titum hoc modo: *Adoleſcentulas doce, ut viros ſuos ament, filios diligant, prudentes, ſobrias, domûs habentes curam, ſubditas ſuis viris.* Et ad Timotheum: *Adoleſcentulas*, inquit, *viduas devita; cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres-familias eſſe, nullam occaſionem dare maledicti gratiâ; jam enim quædam converſæ ſunt retrò ſatanam.* Et ad Coloſſenſes: *Viri*, inquit, *diligite uxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas.*

Cum igitur hæc humanæ conſuetudinis lex tantis divinæ auctoritatis fulciatur inſtitutis, nimirum abjicienda eſt veſtræ hæreſeos ac penitus conculcanda doctrina. Nam ſi conjugalis ſocietas homini cauſa eſſet perditionis, qui venit perditos reparare, nullum daret hujus copulæ documentum, nullum præceptum. Paulus denique, qui tanto charitatis igne flagrabat, ut etiam pro fratribus anathema fieri optaret, nullum ſuper hujuſmodi daret conſultum, ſi hoc ad detrimentum animæ ſpectare intellexiſſet. Sed de his ſatis ad præſens dictum.

De Confeſſoribus.

XI. JAm verò quis non videat vos in hoc divini judicii & chriſtianæ communionis reos eſſe, quòd adversùm beatiſſimos Chriſti Confeſſores pravi dogmatis ſeditionem ſacrilego auſu movetis, dicentes præter Apoſtolos & Martyres neminem jure venerari, in Confeſſoribus nullum donum virtutis eſſe, nec ab eis aliquam ſalutis gratiam poſſe ſpectari, quorum corpora in cineres reſoluta nihil à mortuis animalibus differre videntur. Petrus certè Apoſtolus datam ſibi à Domino ligandi atque ſolvendi poteſtatem, hanc quoque beato Clementi, Lino etiam & Anacleto ipſe tradidit; cæteri quoque Apoſtoli eamdem gratiam ſucceſſoribus ſuis, id eſt, ſanctis Doctoribus atque Confeſſoribus reliquerunt; quorum quidam gladio occubuerunt, alii in pace Eccleſiæ quieverunt. Sed non idcircò ab hominibus injuſtè venerantur, quia percuſſoris gladium non ſenſerunt. Verùm ſi ratio temporum non potuit præſtare martyrium, gloriâ tamen Martyrum non carent, quia & voto & virtute & potuerunt eſſe Martyres & voluerunt. Nam & illi pro ſpe æternitatis multas humanorum dolorum pertulere paſſiones, famem, vigilias, nuditates, jejunia, opprobria invidorum, inſectationes malorum, curam pro infirmantibus, ſollicitudinem pro periclitantibus, gemitum pro pereuntibus, cum flentibus flentes, cum ſcandalizantibus urentes. Quinetiam adversùm humanæ ſpiritualiſque nequitiæ diverſa certamina ſemper in eis emicuit fortitudo vincendi, patientia exſpectandi, æquanimitas ſuſtinendi. Quibus etſi percuſſor deeſſet, ipſi ſibi percuſſoris miniſterium ſuppleverunt. Nam quid in eis carnifex aliud feriret, quàm corpus? Et certè quod ad momentum percuſſor faceret, ipſi ſibi longo cruciatu intulerunt, dum carnis concupiſcentias in ſe occiderunt, & quod ſuave, quod dulce, quod voluptuoſum fuerat, ademerunt.

tur
qui
flo-
tum

Porrò pœnalis carcer eis non defuit, qui ſe inter anguſtam arctioris vitæ cuſtodiam à mundi illecebris concluſerunt, quorum mens lucidiſſima, manus plenæ munditiæ, eo quod in menſâ altaris ſacroſancta corporis & ſanguinis myſteria celebrantes, & in ſui cordis penetralibus hoſtiam vivam Deoque placentem, id eſt, ſemetipſos ſine macula atque admixtione pravi operis offerre non deſiſtunt. Et ſicut diximus licet percuſſoris non ſenſiſſent gladium, tamen per vitæ meritum Deo digni martyrio non privantur, quia martyrium non ſolùm effuſione ſanguinis, ſed abſtinentiâ peccatorum perficitur, alioquin longe à vero differre videbitur, quod ea ore Veritatis ad duos fratres filios Zebedæi dictum eſt: *Calicem quidem meum bibetis*; cum unum quidem gladio occubuiſſe, alterum in pace Eccleſiæ quieviſſe legamus. Sed neque ullo auctorum exemplari oſtendunt beatam Dei genetricem MARIAM gladio vitam finiſſe, etſi per Spiritum ſanctum Simeon Matt. 20
Propheta paſſuram illam dixerat: *Et tuam*, inquiens, *animam pertranſibit gladius.* Unde beatus Luc. 2. 35
Hieronymus in hoc animam ejus gladium pertranſiſſe dicit, quòd in morte Chriſti compaſſionis atque doloris gladium ſenſit, dum per eximiæ dilectionis vim mortem Chriſti ſuam fecit. Philippum etiam Apoſtolum & Lucam Evangeliſtam non per paſſionis certamen, ſed per pacem à ſæculo migraſſe legimus. Poſtremùm verò quis tam lapidei cordis eſt, ut ad quorum tumulum ægros venientes optatam ſalutem videat reportare, eorum merita apud æternum judicem vivere non credat? Sed quis poſt Apoſtolos Martino, quis Benedicto in miraculis potentior?

Sed fortaſſe objicitis, quia multi in nomine Chriſti mira operati ſunt, & tamen poſt à Domino reprobati ſunt: de quibus in Evangelio Dominus: *Multi*, inquit, *venient dicentes: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus?* Quibus dicturus eſt Dominus: Matt. 7.
Amen dico vobis, neſcio vos, diſcedite a me, omnes operarii iniquitatis. Quorum vita quidem, quia non concordabat verbis, idcircò à Domino reprobantur. Quod autem videntur operari, non ſuis meritis, ſed Chriſti nomini imputatur. Ejecti namque dæmones, non eos, ſed Chriſti nomen fugerant, quod quondam in filiis Scevæ cujuſdam Judæi patuit, qui, ſicut ſuperiùs diximus, per exorciſmum dæmones in nomine JESU quem Paulus prædicabat, ab obſeſſis corporibus tentabant ejicere, qui concito indignantis ſpiritûs furore vexati audiunt: JESUM *novi, & Paulum ſcio; vos autem* Act. 19
qui eſtis? Et continuo inſiluit in eos ſpiritus immundus. Quibus illa ſui pœna furoris ſanè dedit indicium, quia non erant ea eorum numero, quorum vita ſanctitatis concordabat ſanctæ prædicationi. Eorum verò corpora terræ mandata declarant, quales utrique in vitâ extiterant, cum illi quotidie miraculis vivere, iſti nulla virtutis indicia ex ſe poſſe dare videantur. Nam in ſanctâ Eccleſiâ plena redundant miraculis volumina, quæ ad ſanctorum Confeſſorum tumbam fieri conſpiciuntur, cum reprobi poſt clauſas in inferno animas & ſepulcris recondita corpora, nulla ſancti meriti relinquunt indicia, præter quod aliquando diabolus ad decipiendos homines phantaſticæ lucis ſigna ad eorum oſſa demonſtrat, ut ex hoc ad uſum venerationis deceptas mentes invitet, ſicut tempore beati Martini legimus approbatum, Sulp.
qui vulgi errore dicatum Monaſterium tamquam in cap. 8
honore Martyris ſuper latronem inveniens, verbi S. M.
ſui imperio juſſit ſepultum confiteri, quia nihil ſibi cum Sanctis fuerat commune, ſed ſuorum ſcelerum culpis cum diabolis ſe in inferno torqueri. In tali-

bus igitur locis ſi quid huic ſimile evenerit, de quo majorum memoria nihil certum ferat, interdicunt ſanctificationes, ne ritu [d] Gentilium fana idolorum antiquitus conſtructa pro ſacris venerentur, neve ſepultis temerè divina ſolvantur, niſi per provincialem Epiſcopum vita ſepulti examinetur, ſi ſecundum Evangelium Chriſti fuit.

Caput XII

De pſallendi officio.

QUis autem dubitet vos immundo ſpiritu agitari, dum hoc quod per Spiritum ſanctum prolatum atque inſtitutum eſt, id eſt, uſum pſallendi in ſanctâ Eccleſiâ, abjicitis, & quaſi ſuperſtitioſum errori cultum imputatis. Sumſit ergo hanc modulandi formam ordo Eccleſiaſticus, non ex ludicris aut jocularibus inſectationibus, ſed ex veteris & novi Teſtamenti Patribus, ſicut de David in libro Regnorum legimus, quia cum arcam Domini de terrâ Philiſtinorum reduceret, ipſe depoſitis regalibus inſignibus, & ſumptâ citharâ coram eâ pſallere cœpit, quod ille nullum ſupernæ gratiæ tunc aptius ſacrificium intellexerat. Qui etiam per hanc modulandi dulcedinem Saulem Regem à dæmone liberaverat, quem medicorum ars victa deſperaverat. Certè & apud ſupernos cives legimus hujus modulationis inſignia celebrari, ut in Apocalypſi Joannis Apoſtoli: *Apoc. 5. 8.* *Habentes ſinguli citharas, & cantabant canticum novum.* Et iterum: *Ibid. 14. 2.* *Et vocem quam audivi, ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis.* Hinc ergo colligendum eſt quàm gratum ſit Deo officium pſallendi, ſi intentâ mente peragatur, quando in hoc Angelorum choros imitari videmur, quos conſtat laudes Domini ſine intermiſſione perſonare. Unde Pſalmiſta ſæpe nos admonet, dicens: *Pſal. 32. 3.* *Cantate Domino canticum novum:* &, *Benè pſallite ei in vociferatione.* Et iterum: *Ibid. 65. 2.* *Pſalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus.* Et in Evangelio Matthæi: *Et hymno dicto exierunt in montem Olivarum.* Tale namque ſacrificium ſuper taurorum pinguedinem aut hircorum ſanguinem Deo placere per Spiritum ſanctum Pſalmiſta viderat, cum dixit: *Ibid. 49. 13.* *Numquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? Immola Deo ſacrificium laudis.* Et iterum: *Ibid. v. 23.* *Sacrificium laudis honorificabit me.*

Denique non ſolùm irrationabilem creaturam, ſed cuncta quæ ſunt condita, ſuum Conditorem continuo pſallendi tenore laudare jubet, cum dicit: *Pſal. 148. 1.* *Laudate Dominum de cœlis*, & cætera, uſque in finem Pſalmi, quem ita concludit: *Ibid. 150. 6.* *Omnis ſpiritus laudet Dominum.* Nec ergo Pſalmiſta irrationabilem, aut inanimatam creaturam fruſtrà in laudem Creatoris commonere dicatur, tunc verè, quod ore non poteſt, ſe in laudem Dei videtur erigere, cum ſuæ naturæ motibus ſe ad voluntatem & imperium creantis conformat, vel potiùs rationales animos in hoc commonere videtur, ut de beneficiis divinis laudem Conditori dare meminerint, cujus munera ipſa uſibus hominum famulari videntur. Sed & Paulus, cujus vos imitatores eſſe dicitis, in concentum Pſalmodiæ nos hortatur, dicens: *Epheſ. 5. 19.* *Loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes Deo.* Et ipſe alibi dicit: *1. Cor. 14. 15.* *Pſallam ore, pſallam ſpiritu & mente.* Quin etiam in tranſitu ſanctorum virorum pſalmodiæ cantum cecinisse Angelos multa divinæ Scripturæ exemplaria docent.

Unde conſtat eos de gremio ſanctæ Eccleſiæ exterminandos, qui hoc pſallendi officium judicant nequaquam ad cultum divinum pertinere. Quòd autem arbitrantur, nobis ipſis pſallendo multa adverſa imprecari, ubi videlicet Pſalmiſta mentis oculum in maleficos intorſit, ut eſt illud: *Pſal. 51. 3.* *Quid gloriaris in malitiâ?* &, *Ibid. 68. 24.* *Obſcurentur oculi eorum ne videant*, & cætera talia; falluntur neſcientes eum prophetico ſpiritu intueri ea quæ superventura fuerant his, quos in mortem Chriſti & ſanctorum Martyrum tumentes gloriari inſpexerat, quique à malitiæ ſuæ pravitate nequaquam declinantes exultant in rebus peſſimis, & lætantur cum malè fecerint. Patet igitur tales à capite ſuo, id eſt, diabolo, non diſſentire, qui eſt caput omnium iniquorum, qui etiam Scripturam ſanctam intelligens, ſiniſtrâ eam interpretatione prævertere molitur.

Caput XIII.

De veneratione dominicæ Crucis.

QUoniam verò adverſùm Crucem dominicam & vivificum lignum viperei dogmatis venena funditis, dicentes hoc ex errore hominum veniſſe, quòd venerantur eam, cum nullam magis in ſe virtutem contineat, quàm cætera ligna ſylvarum, præter quod opere manuum hominum eſt efformata, pro quo nullâ veneratione digna eſt: pauca è multis, quæ ad hanc cauſam utilia videntur, edicimus.

Scimus namque, quia omnis ſubſtantia quæ Deus non eſt, creatura eſt, & quæ creatura eſt, Deus non eſt. Ligno igitur nihil divinum damus, ut illud adorandum judicemus, quia inter cæteras creaturas, quæ Deus non ſunt, ſuæ naturæ ſubſtantiam ſumit: ſed ſi rationem myſterii diligenter inveſtigetis, non ſolùm ab hominibus, ſed etiam ab Angelis dominicæ Crucis vexillum honorandum videbitis, quæ quidem aperuit ſacramentum quod neſciebant. Primus namque Adam inobedientiæ mucrone interfectus eſt à ligno ſcientiæ boni & mali, & nos ſecum traxit in mortem: ſecundus Adam per palmam obedientiæ à cruce tranſivit in vitam æternam, & nos ſecum duxit. Verumtamen lignum ſcientiæ boni & mali non dicimus ſecundum ſuam naturam in ſe mortem habuiſſe, ſed fuit in cauſâ, ut in eo probaretur obedientia parentis noſtri, ſive vindicaretur inobedientia: quo contrà, lignum vitæ in cauſâ ſempiternæ vitæ eſt. Hoc lignum attulit vobis Dominus noſter JESUS-CHRISTUS per lignum Crucis in Eccleſiâ noſtrâ, ut qui morti debitores eramus per lignum ſcientiæ boni & mali, faceret nos vitæ capaces per lignum ſanctæ Crucis. Et ſicut illud ex ſuâ naturâ non habuit mortem, ita lignum unde nobis vita conceditur, non in ſe habuit hanc virtutem, ſed ex illius virtute, qui infirmus fuit ex nobis, vivit autem ex virtute Dei. Regnavit etiam mors & diabolus ab inobedientiâ ligni ſcientiæ boni & mali, ſuperata eſt eadem mors & diabolus per obedientiam ligni ſanctæ Crucis. Quis ergo negare audeat jure ab hominibus venerari, per quam diabolus victus, & mundus Deo operante ſalvatus eſt? Quis autem niſi inſaniæ furiis agitatus, neget vexillum atque virtutem dominicæ Crucis eſſe colendam, qui beatum Andream, quem vos imitari inter cæteros Apoſtolos mentientes dicitis, tanto eam paſſionis amore expetere, atque ſedulâ veneratione audiat prædicare. Cum verò, inquit Scriptura, perveniſſet ad « locum ubi crux parata erat, videns eam à longè, « exclamavit voce magnâ dicens: Salve, crux, quæ « in corpore Chriſti dedicata es, & ex membris ejus « tamquam margaritis ornata. Antequàm te aſcen- « deret Dominus noſter, timorem terrenum habui- «

d *ne ritu*] Optima lectio, quam reſtituit Baluzius: editum erat *Nericii.*

» 111 : modò verò amorem cœleſtem obtinens, pro
» voto ſuſceperis. Sciens enim quanta intrà te gaudia
» habeas, ſecurus & gaudens venio ad te, ita ut &
» tu exaltans ſuſcipias me diſcipulum ejus qui pe-
» pendit in te, quia amator tuus ſemper fui, & de-
» ſideravi te amplecti. O bona crux, quæ decorem
» & pulcritudinem de membris Domini ſuſcepiſti:
» diù deſiderata, ſollicitè amata, ſine intermiſſione
» quæſita, & aliquando concupiſcenti animo præ-
» parata! Accipe me ab hominibus, & redde me
» Magiſtro meo, ut per te me recipiat, qui per te me
4. » redemit. Et Paulus Apoſtolus: *Mihi*, inquit,
abſit gloriari niſi in cruce Domini mei JESU-CHRISTI.
Glorificantes igitur Crucem dominicam, Chriſtum
quaſi pendentem in eâ mente invocamus. Quem verò
invocamus, ipſum adoramus. Proſternimur corpore
ante crucem, mente [ante] Deum: veneramur
crucem per quam redempti ſumus, ſed illum depre-
camur qui nos redemit.

De imagine Salvatoris in Cruce.

V. DE imaginibus quoque quæ in Eccleſiis fiunt,
ratio cujus perpenditur, ſi ex veteri Teſtamento
aliqua ſimilitudo trahatur. Gradiens namque popu-
lus Iſraël per deſertum aliquando, ignitorum ſerpen-
tium morſibus ad mortem vulnerabantur, ſuper
quod conſultus Dominus juſſit fieri ſerpentem æ-
neum & alto ſtipite levari, quem percoſſi reſpicien-
tes citò ſanabantur. Et nos de Ægypto carnalis con-
verſationis per deſertum mundani exilii ad terram
ſupernæ promiſſionis tendentes, per reſpectum Me-
diatoris in cruce pendentis antiqui hoſtis venenum à
cordibus noſtris evacuamus. Qui enim Chriſtum per
imaginem Filii Dei ac paſſionem conſpexerit, ipſe
antiqui hoſtis venena evadere poterit. Hoc certè in-
1. dicant verba ipſius Domini dicentis: *Sicut exaltavit
Moyſes ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Fi-
lium hominis.* Aptè autem æneus ſerpens ligno ſuſ-
penſus eſt, ut Dominus & in ſerpente mortuus, &
in ære ſignificaretur æternus: mortuus videlicet per
humilitatem, æternus per divinitatem. Eſt verò alia
hujus ratio: ſimpliciores quippe in Eccleſiâ & illite-
rati, quod per Scripturas non poſſunt intueri, hoc
per quædam picturæ lineamenta contemplantur, id
eſt, Chriſtum in eâ humilitate, quâ pro nobis pati
& mori voluit, dum hanc ſpeciem venerantur, Chri-
ſtum in cruce aſcendentem, Chriſtum in cruce paſ-
ſum, in cruce morientem, Chriſtum ſolum, non
opus manuum hominum adorant. Non enim trun-
cus ligneus adoratur, ſed per illam viſibilem ima-
ginem mens interior hominis excitatur, in quâ Chri-
ſti paſſio & mors pro nobis ſuſcepta tamquam in
membranâ cordis inſcribitur, ut in ſe unuſquiſque
recognoſcat quanta ſuo Redemptori debeat; dum
videlicet juxtà Salvatoris ſententiam, quæ poſtu-
lat imago Cæſaris, redduntur Cæſari, & quæ Dei,
Deo.

Similiter de imaginibus Sanctorum ratiocinari li-
cet, quæ ideo in ſanctâ Eccleſiâ fiunt, non ut ab
hominibus adorari debeant, ſed ut per eas interiùs
excitemur ad contemplandam gratiæ divinæ opera-
tionem, atque ex eorum actibus aliquid in uſum
noſtræ converſationis trahamus. Verbi gratiâ, cum
imaginem beatæ Dei Genitricis MARIÆ intuemur,
profectò divinæ dignationis per eam beneficia reco-
limus, qui de maſsâ perditionis recreavit maſſam
reconciliationis. Quæ nimirum ſtudio obedientiæ &
humilitatis exemplo ſuadet nos ſupernam patriam
quærere, quam primæ virginis ſuperbia atque inobe-
dientia clauſerat. Sic itaque Angelos in miniſterio
Conditori aſſiſtentes, dum per exteriores imagines
contemplamur, per eam quam à Deo claritatis glo-
riam accipiunt, ad eorum numerum ſtudio conver-
ſationis incitamur. Apoſtolorum atque ſanctorum
Martyrum imaginatas effigies intuentes, quid aliud
per eas jubemur, niſi ut calcatis curis ſæculi, ſpre-
tiſque corporibus, eorum doctrinis imbuti, & glo-
rioſo certamine roborati, inter mundi triumphato-
res coronari mereamur? Simili modo Confeſſorum
ac Virginum imagines ſpeculantes, monemur ex eo-
rum imitatione mundi concupiſcentias declinare,
lenocinia carnis calcare, immaculatam hoſtiam Deo
noſmetipſos offerre. Sic igitur aliorum Sanctorum
ordines inſpecti ad æmulationem virtutum nos in-
ſtruunt, ſicut quondam fortia facta virorum ip-
ſis ſuis laudibus ad quæque audendum alios accen-
dunt.

De ordinibus eccleſiaſtici regiminis.

SEd neque rebellionis veſtræ tumorem graſſari ad- Cap.
verſùm divinam ordinationem diutiùs patior,
quâ eccleſiaſticæ adminiſtrationis ordinem in nihi-
lum redigere laboratis. Sancta quippe Eccleſia, quam
beatus Paulus Apoſtolus ſupernam Jeruſalem, ac
matrem noſtram, & manentem civitatem, & ad
ædificationem ex Deo domum non manufactam ap-
pellat; ex Angelis & hominibus conſtat. Quæ par-
tim ex hominibus ſocietate angelicâ in ordinibus di-
ſtinctis perfruens jam cum Deo regnat in cœlo; par-
tim verò in ordinibus diſtinctis adhuc peregrinator
in terrâ, & ad ſupernam ſocietatem ſuſpirat, ubi ſe-
cundum Apoſtolum tabernaculum eſt non manufa-
ctum, neque hujus creationis ad cujus inſtar per
Moyſen factum eſt tabernaculum, de quo dixit ad
eum Dominus: *Omnia fac juxtà quod tibi in monte* Exod.
oſtenſum eſt. In quo ſuperno & vero tabernaculo,
quod finxit Deus, & non homo, in interiora vela-
minis, id eſt, in ipſum cœlum, confeſſionis noſtræ
ſummus Pontifex *ſempiternum habens ſacerdotium,* Hebr.
per proprium ſanguinem introivit ſemel in Sancta, Ibid.
æterna redemptione inventa; ſedenſque ad dexteram
Patris, id eſt, in gloriâ paternæ majeſtatis, interpel-
lat, non voce, ſed miſeratione pro nobis. Denique
Rex Regum, & Dominus dominantium, per quem 1. Tim.
Reges regnant, & conditores legum juſta decer-
nunt, cœleſtem ac terrenum principatum, cun-
ctam videlicet rempublicam regens, & univerſam
militiam tam cœleſtem & ſpiritualem, quàm ter-
renam & temporalem diſtinctis ordinibus diſponens
ac moderans, & ſupernæ atque mundanæ curiæ
præſidens, miro ordine Angelorum hominumque
miniſteria pro temporum varietate & oportunitate
diſpenſat; & quæ ſingulis quibuſque temporibus,
vel perſonis congruunt, ſuâ occultâ inſpiratione,
vel evidenti illuſtratione, vel patefactâ præceptione
decernit.

Itaque legimus ſacros Ordines in cœlo & in terrâ,
& in Teſtamento veteri & in novo diſpoſitos à Deo,
ex quo juxtà Apoſtolum omnis paternitas in cœlo
& in terrâ nominatur. Unde beatus Dionyſius Areo-
pagites, Antiſtes videlicet & venerabilis Pater, ſi-
cut didicit à Paulo Apoſtolo, qui raptus eſt uſque
ad tertium cœlum, vidit cœleſtia ſecreta, duos li-
bros de angelico & eccleſiaſtico principatu ſcripſit.
Unde & beatus Gregorius dixit, quia ad hoc di-
vinæ diſpoſitionis proviſio gradus & diverſos conſti-
tuit Ordines eſſe diſtinctos, ut dum reverentiam mi-
nores potioribus exhiberent, & potiores minoribus
dilectionem impenderent, una concordiæ fieret ex
diverſitate contextio, & rectè officiorum gereretur
adminiſtratio ſingulorum. Neque enim univerſitas
aliâ poterat ratione ſubſiſtere, niſi hujuſmodi ma-

Digitized by Google

gnus eam differentiæ ordo ſervaret. Quia verò creatura in unà eàdemque æqualitate gubernari, vel vivere non poteſt, cœleſtium militiarum exemplar nos inſtruit, quia dum Angeli ſint, Archangeli ſunt, liquet quia non æquales ſunt, ſed in poteſtate & ordine differt alter ab altero. Quod per hoc datur apertè intelligi, quia ad explendum de ſupernis miniſterium, alii ſpiritus alios mittunt, Zachariâ ſcilicer Prophetâ teſtante, qui ait:

Zachar. 2. 3. & 4.

Ecce Angelus, qui loquebatur in me, gradiebatur, & alius Angelus egrediebatur in occurſum ejus, & dixit ad eum: Curre & loquere ad puerum iſtum, dicens: Abſque muro habitabitur Jeruſalem. Dum enim Angelus ad Angelum dicit, *Curre & loquere*; dubium non eſt quia alius alium mittit. Minora verò ſunt quæ mittuntur, & majora quæ mittunt. Huic autem ſenſui & illud creditur non inconvenienter opitulari, quod

Dan. 7. 10.

per Danielem dicitur: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* Aliud namque eſt miniſtrare, aliud aſſiſtere.

Si ergo inter hos qui ſine peccato ſunt, iſta eſt diſtinctio, quanto magis inter eos quos conſtat non poſſe eſſe ſine peccato, hæc gerendi principatûs ratio eſt ſervanda? » Liquet, inquit beatus Gregorius, » quòd omnes homines natura æquales genuit; ſed » variante meritorum ordine alios aliis culpa poſt» ponit. « Ipſa autem diverſitas quæ acceſſit ex vitio, divino judicio diſpenſatur, ut quia omnis homo æquè ſtare non valet, alter regatur ab altero.

Rom. 13. 1.

Unde beatus Paulus: *Omnis*, inquit, *anima ſublimiori poteſtati ſubdita ſit; non eſt enim poteſtas niſi à Deo, cui qui reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Item

1. Petr. 2. 13.

Apoſtolus Petrus: *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive regi quaſi præcellenti, ſive ducibus tamquam ab eo miſſis.* Igitur ordines in Eccleſiâ veteris populi, quæ uſitato nomine Synagoga vocatur, fuiſſe legimus per Moyſen à Deo diſpoſitos, qui & quales & qualiter ac quando ordinare cæteros vel ordinari à cæteris deberent, & quantum in ſingulis officiis miniſtrare deberent. Sed & nunc in Eccleſiâ, quæ regnum cœlorum appellatur, ad inſtar cœleſtium ordinum miniſtros Domini inſtitutione, & apoſtolicâ traditione legimus & cognoſcimus diſtinctè eſſe compoſitos, quibus inter cæteros quædam dignitas major, & in ſimilitudinem honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, quorum ſollicitudine inferiores tamquam ex quâdam diverſitate in unum Eccleſiæ corpus coëant, ne occaſione libertatis ſubintret cauſa prævaricationis. Hujus rei gratiâ ſtatuta ab Apoſtolis & Apoſtolorum ſucceſſoribus regula eſt uſque in hodiernum diem, per Epiſcopos atque Archidiaconos, Decanos etiam atque Præpoſitos totius Eccleſiaſtici regiminis cauſam diſpenſari. Quod cum ita ſit; nihil eſt quod jure contrà hæc repugnare debeatis.

De eorum falſa juſtitia.

CAPUT XVI.

VErùm quoniam falſæ juſtitiæ doctrinam introducere tentatis, quam divinæ gratiæ adeo præponitis, ut omnia propriis meritis adſcribatis, hunc nefariæ præſumptionis errorem divinæ auctoritatis ictibus labefactamus: nam nulla juſtitia, nullum boni conſtat meritum, quod non de fonte ſupernæ gratiæ id quod eſt, acceperit. Unde ipſe, quo, perhibente Domino, nemo inter natos mulierum major eſt, de ſe Joannes dicit: Non poteſt homo accipere quidquam, niſi ei fuerit datum de cœlo. [illegible]r Apoſto-

Jac. 1. 17.

lus dicit: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.*

Rom. 7. 24. & 25.

Et Paulus ait, *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per* JESUM CHRISTUM *Dominum noſtrum.* Et iterum:

1. Cor. 15. 10.

Gratiâ Dei ſum id quod ſum. Et iterum: *Sed plus illis omnibus laboravi; non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Ad hanc nos profeſſionem ipſe inſtituit, cum ait [ſine intermiſſione orate], quia nullum tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio. In prævaricatione namque primi hominis naturalem poſſibilitatem & innocentiam amiſimus, & nemo de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium poteſt conſurgere, niſi eum gratia miſerantis erexerit.

Quæcumque igitur in cordibus noſtris, aut in noſtro arbitrio ſancta cogitatio eſt, aut pium conſilium, aut quilibet motus bonæ voluntatis, ex ſuæ gratiæ dono deſcendit, quia per illum aliquid boni poſſumus, ſine quo nihil poſſumus, ſicut ipſe Diſcipulis ait: *Sine me nihil poteſtis facere.* Nam omnia hominum merita ab ipſius gratiâ præveniuntur,

Joan. 15. 5.

per quem fit, ut aliquid boni & velle incipiamus & facere. Denique quibus juſtitiæ operibus Maria peccatrix à peccatis dimiſſa, Zachæus juſtificatus, latro ad Paradiſi gaudia receptus eſt, niſi ſolâ divinæ pietatis gratiâ? de quâ Apoſtolus ad Romanos:

Rom. 5. 20.

Ubi abundavit, inquit, *delictum, ſuperabundavit gratia.* Et

Ibid. 3. 23. & 24.

alibi: *Omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei, juſtificati gratis per gratiam ipſius.* Et iterum:

Epheſ. 2. 3.

Fuimus, inquit, *& nos naturâ filii iræ, ſicut & cæteri.*

Certiſſimè itaque tenemus, omnes homines per ſemetipſos non ſolùm perfectionem, ſed nec initium juſtitiæ poſſe contingere, ſed univerſos qui ſiunt boni, divinâ gratiâ præveniri. Bonam namque in hominibus voluntatem ipſe gratis præparat, gratis donat, ipſe adjuvat, ipſe conſummat. Ut enim *abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobriè, juſtè & piè vivamus in hoc ſæculo*, ait: Gratia Dei

Tit. 2. 12.

per JESUM CHRISTUM Dominum noſtrum, cujus hæc eſt inexhauſta pietatis munificentia, ut ex inſipientibus ſapientes efficiat, infidelibus fidem tribuat, errantes non ſolùm vocet, ſed etiam revocet, deſideriis terrenis expulſis deſiderium regni cœleſtis inſpiret, insertâ bonitate malitiam exſtirpet, benignitatis dono invidiam expellat, odibilibus quoque & odientibus invicem donum dilectionis infundat. Ut ergo ex malis boni ſimus, ut ſanctæ charitatis igne flagremus, gratiæ ſpiritalis opere in nobis inchoatur, ejuſque in nobis operatione perficitur.

Proinde noſſe debet unuſquiſque Chriſtianus, neque in viribus naturæ; neque in legalibus præceptis, ſed in illuminatione cordis, & voluntario divinæ voluntatis munere conſtare gratiæ ſalutaris exordium; quâ fit ut quod divinitus præcipitur, non ſolùm à nobis cognoſci, ſed etiam diligi poſſit ac fieri. Jure igitur gratuito beneficio divinæ bonitatis adſcribitur, qui nos ideo ad bona opera miſericorditer excitat, ut habeat quod in nos juſtè coronare debeat. Quibus ſicut per miſericordiam præparavit gratuitum juſtificationis donum, ita per juſtitiam præparavit æternæ juſtificationis præmium. Opus itaque gratiæ in omnibus prædeſtinatis gratuitâ miſericordiâ inchoatur, & juſtâ retributione perficitur. Quod verò è contra de injuſtis occurrere poterat, illis quidem non injuſto judicio ignem æternum præparat, quos prævíderat dignos ad luenda ſupplicia, nec tamen prædeſtinavit ad facienda peccata. Prædeſtinavit Deus quod divina æquitas redderet, non quod humana iniquitas amiſiſſet: præparavit igitur homini reo non culpam quam odit, ſed judicium quod diligit; ſcriptum eſt enim: *Quia miſericordiam & judicium diligit Deus.* Proinde bona opera quæ Deus miſeri-

Pſal. 83 12.

corditer donat, juſtè coronat: opera verò quæ non ipſe tribuit, juſtè punit. In iſtis ergo coronatur divina largitio, in illis tranſgreſſio humana damnatur. Nihil igitur iſte habet, quod propriis meritis

adſcribere, nec ille, quod divino judicio jure poſſit derogare. Igitur juxtà Apoſtolum non eſt quod dicat *figmentum ei qui ſe finxit : Quid me feciſti ſic ? Quia habet poteſtatem figulus luti ex eâdem maſſâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam.* Oſtendit igitur divitias bonitatis ſuæ in vaſis miſericordiæ : potentiam verò atque judicium in vaſis iræ, dum hos præparat ad gloriam, illos ſuſtinet ire in interitum.

Quænam igitur eſt iſta veſtra juſtitia quæ cuncta ſolis meritis, nihil tamen gratiæ debet ? Porrò Paulus jam teſtimonium vobis perhibet, quòd æmulationem Dei habetis, ſed non ſecundum ſcientiam : *Ignorantes* enim *Dei juſtitiam, & veſtram quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non eſtis ſubjecti. Moyſes vero ſcripſit quoniam juſtitiam quæ ex lege eſt, qui fecerit homo, vivet in eâ.* Quanto magis autem juſtitia quæ ex Evangelio Chriſti & auctoritate apoſtolicâ eſt, vitam donabit ? Quid enim Apoſtoli aliud docuerunt, niſi quod ex ore Veritatis acceperunt ? Quid autem aliud ſancta Eccleſia tenet, niſi quod à beato Petro & cæteris Apoſtolis accepit ? Quis autem neſciat, aut non advertat quod à Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc uſque cuſtoditur ab omnibus, debere ſervari, nec ſuperduci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum ? Præſertim cum ſit manifeſtum in omnem Italiam, Gallias, Hiſpaniam, Africam atque Siciliam, inſulaſque interjacentes nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos quos venerabilis Petrus, aut ejus ſucceſſores conſtituerunt Sacerdotes. Aut legant ſi in his provinciis alius Apoſtolorum invenitur aut legitur docuiſſe : qui ſi non legunt, quia nuſquam inveniunt, oportet eos hoc ſequi quod Eccleſia Romana cuſtodit, à quâ eos principium accepiſſe non dubium eſt ; ne dum peregrinis aſſertionibus ſtudeot, caput inſtitutionum videantur amittere.

VII. JAm dies ad occaſum declivior erat, & Domnus Epiſcopus his qui audiendi gratiâ convenerant, circumſtantibus ait : Fuerant ſatis, fratres, quæ de his nos oportuerat ad confirmandam fidem veſtram enuntiare, ſed ne vos plus onere verborum gravemus, ſufficiant iſta. Hoc tantùm ſervate fidei veſtræ intemeratum ſignaculum, recolentes hoc quod Paulus Apoſtulus prædixerat, quia *in noviſſimis diebus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum in hypocriſi loquentium, & cauteriatam habentium conſcientiam ſuam ; prohibentium nubere, abſtinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus.*

Verùm talibus dictis Domni Epiſcopi, hi qui paulo ante ubi videbantur inſuperabiles verbo, nec ullo verbi genere poſſe conſtringi, verborum gravitate & manifeſtâ Dei virtute ita obſtupacti ſteterunt, ac ſi nunquam ullum ſermonem didiciſſent contradicendi, mutique ad omnia hoc ſolum potuerunt reſpondere, ita ſibi videri, nec alio Chriſtianæ ſalutis ſummam poſſe conſiſtere, quàm in iſtis quæ in præſentiâ Epiſcopus enarraſſet. Ad quos Epiſcopus : Si hæc, inquit, ita eſſe creditis, deponentes tantæ perfidiam incredulitatis, nobiſcum hanc hæreſim cum ſuis auctoribus, niſi reſipuerint, damnantes excommunicate. Tunc Epiſcopus & omnes qui aderant Abbates atque Archidiaconi, Cleruſque omnis ſimol favente populo, ita incipiunt.

Hanc hæreſim, quæ hodie contrà veram & catholicam Eccleſiam conſpiraſſe inventa eſt, quæ videlicet Baptiſmum ad abluendam originalis culpæ maculam & actualia delicta, nihil profuturum contendit ; & per Pœnitentiam peccata nequaquam poſſe relaxari profitetur ; & quæ ſanctam Dei Eccleſiam, & ſacroſanctum altare, atque dominici corporis & ſanguinis Sacramentum nihil eſſe aliud, niſi quod corporeis oculis intuetur, & hoc tamquam vile negotium reſpicit ; & quæ legitima connubia devitat : hanc & omnes qui eam affirmant, damnamos & anathematizamus. Profitemur enim ſecundum fidem evangelicam & traditionem apoſtolicam, nullum poſſe ſalvari, niſi per aquam regenerationis, ut ipſe Dominus ait : *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei.* Peccata verò quæ poſt poſt Baptiſmum ſuadente diabolo, & propriâ voluntate contrahunt homines, confitemur per Pœnitentiam non ſolòm relaxari ; verùm ipſam divinam gratiam poſſe promereri, cum per eam videamus peccatricem Mariam mundatam, Zachæum juſtificatum, Petrum poſt lapſum relevatum, latronem intrà Paradiſum receptum.

Credimus autem ſanctam Eccleſiam communem omnium fidelium matrem, nullumque ad eam quæ in cœlis eſt, poſſe pervenire, niſi per hanc quæ in terris eſt, acquiſitus fuerit. Sacramentum autem dominici corporis & ſanguinis, hoc à Deo confitemur eſſe pignus noſtræ redemptionis & ſalutis, de quo Dominus ait : *Niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et iterum : *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus.* Quod corpus & ſanguinem, ſecundum quod ipſe ait : *Accipite & manducate ex hoc omnes, hoc eſt enim corpus meum* : &, *Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim calix ſanguinis mei* ; indubitanter profitemur eamdem eſſe carnem, quæ ex Virgine nata, in cruce paſſa, de ſepulcro levata, ſuper cœlos exaltata, ſedet in paternæ majeſtatis gloriâ. Hoc qui audit incredulus, huic nec Chriſtus natus, nec paſſus, nec ſepultus eſt, nec cum Chriſto partem beatæ reſurrectionis obtinebit. Quod myſterium non aliàs poteſt ſanctificari, niſi ſuper ſacroſanctum altare, quod de terrâ ſibi Dominus per Moyſen inſtituit fieri.

Connubia autem quibus conceſſa ſunt, Dominus & Diſcipuli ejus, Doctorque gentium & licentiam dedit, & legitima ſervare inſtituit, &c.

Si quis autem contrà hanc catholicam inſtitutionem ſenſerit, ſortem inter fideles habere non poterit. Verùm quia illi qui paulo [ante] hæretica infidelitate tenebantur, hæc quæ Latinâ oratione dicebantur, non ſatis intelligere poterant, auditâ per interpretem vulgarem excommunicationis [ſententiâ,] expoſitâque ſacræ fidei profeſſione, pari voto ſe, & quod damnatum fuerat, [abjurarunt,] & quod à fidelibus creditum fuerat, credere ſe profeſſi ſunt. Sed ad confirmandam ſuæ fidei teſtamentum, unuſquiſque eorum in modum crucis hujuſmodi † quemdam characterem conſcripſit, ut hoc illis ſignum in extremo judicio, ſi fidem hanc ſervarent, repræſentaretur ad ſalutem ; ſi autem prævaricarentur eam, fieret eis in confuſionem. Sic itaque omnes Deo gratias in commune reddentes, & à Domno Epiſcopo benedictionis munere donati, redierunt feliciter in ſua.

CONCILIUM AUSCENSE,

In quo præſidebat Hugo Cardinalis, cognomento Albus. Anno reparatæ ſalutis MLXVIII.

Anno 1068. Ex membranis Abbat. Cluniacenſ.

A ſolutione quartæ partis decimæ eximitur Monaſterium S. Orientii.

ANno milleſimo ſexageſimo octavo Incarnationis Domini noſtri JESU Chriſti, factum eſt Concilium apud Auſciam civitatem Metropolitanam. Tenuitque Concilium Dominus Uoo, qui vocabatur ALBUS, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, cum bonæ memoriæ AUSTINNO Archiepiſcopo, & omnibus Suffraganeis ſuis Epiſcopis, & Abbatibus, & Magnatibus univerſæ Guaſconiæ.

Inter cætera ſtabilimenta quæ ibi ſanxerunt, decreverunt ut omnes Eccleſiæ, quæ infrà terminos Guaſconiæ continentur, ſemper quartam partem decimæ unaquæque Eccleſia ſuis ſedibus redderet. Nam antea minimè faciebant. Hoc audiens Dominus Abbas RAIMUNDUS ſancti ORIENTII, dixit ſe minimè conſentire in hoc, ut Eccleſiæ ſancti Confeſſoris, quæ per tot tempora ingenuæ permanſerant, tali jugo ſubmitterentur. Audiens hoc Cardinalis prætatus, quòd in Monaſterio ejus tumulatus eſſet tam amiciſſimus Confeſſor, & tam magnæ auctoritatis ſuper omnes Archiepiſcopos, qui in ſede Auſciâ fuerant; decrevit cum Domno Auſtindo, & omni cœtu Epiſcoporum & Abbatum, ut pro amore ſancti Confeſſoris prædicti, Eccleſiæ ejus ab hac conditione liberrimæ permanerent, ſicut antea facere ſolebant. Sanxitque, ac firmavit Domnus Cardinalis, com Auſtindo Archiepiſcopo, Abbati Raimundo ſancti Orientii, ut omnes conſuetudines, quas ante in honore & in Eccleſiis tenere ſoliti erant, abſque ullâ infeſtatione invidorum Epiſcoporum, vel Archidiaconorum, inconvulſæ permanerent.

Laudaverunt etiam, ut Gubernator qui locum ſancti Orientii rexerit, vices Archidiaconi in honore ſuo ſuper Eccleſias & Clericos teneat, & ipſe, ſi lapſi fuerint, juſtitiam faciat. Tamen ſi pœnitere noluerint, ipſe ante præſentiam Domini Archiepiſcopi repræſentet, & ipſe illis pœnitentiam injungat, ut illi placuerit, excepto quòd ullam legem ab illis non requirat.

Archidiacono autem interdicimus convivia more ſymbolarum in ejus Eccleſiis peragi, aut in honore ejus aliquid uſurpari contrà conſuetudinem veterem.

Igitur ſi quis perverſus æmulus temerè contrà hoc moleſtare locum ſanctum tentaverit, ſecundò, tertiòve commonitus: ſin cum ſatisfactione congruâ emendaverit, iram Dei, & ſancti Confeſſoris incurrat, Fiat, fiat. Amen.

Ego Uoo ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis ſignavi. Ego AUSTINDUS Archiepiſcopus iſtius ſedis ſignavi.

Hæ ſunt Eccleſiæ, quas dictus Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, cum aſſenſu & voluntate Auſtindi Archiepiſcopi, & omnium Suffraganeorum Epiſcoporum, & Abbatum univerſæ Guaſconiæ, voluit, decrevit, confirmavit eſſe immones, ſicut ſuperiùs dictum eſt; Videlicet Eccleſiam S. Ciricii, Eccleſiam S. Lazari, Eccleſiam ſancti Petri de Jolac, Eccleſiam de Mazeres, Eccleſiam de Lobeiano, Eccleſiam de Dueano, Eccleſiam de Theahut, Eccleſiam de Cellâ novâ, Eccleſiam de Augeraco, Eccleſiam de Martino Vallo, Eccleſiam de Sereguzano, Eccleſiam de Begaut, Eccleſiam de Romaiaco, Eccleſiam de Aquâ clusâ, Eccleſiam de Blaiſano, Eccleſiam de Guoz, Eccleſiam de Boxas, Eccleſiam de Mirapeis, Eccleſiam de Martino Viago, Eccleſiam de ..... Eccleſiam de Juſſano, Eccleſiam de Cazano, Eccleſiam d'Antras, Eccleſiam de Toltari, Eccleſiam de Garaut, Eccleſiam de Reſſelenes.

CONCILIUM APUD EXOLDUNUM,

Præſide HUGONE *Dienſi A. S. Legato.*

Anno 1088. Ex membranis Majoris-Monaſterii.

a Eccleſia S. Martini de Brivâ conceditur Monachis Majoris-Monaſterii.

QUoniam [a] ad hoc ſanctæ Eccleſiæ Paſtores curam ſuſcipiunt, ut providâ diſpenſatione tam animarum quàm corporum ſollicitudinem gerant, & in diſpenſandis rebus Eccleſiaſticis diſcreta moderatione invigilent; oportet ut taliter in diſtribuendo ſe ſolertes exhibeant, ut ne per exteriorum incuriam pax interior pereuebetur. Quod ego RICHARDUS ſanctæ Bituricenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus diligenti conſideratione providens, conſenſu Clericorum meorum, & omnium Filiorum ejuſdem Eccleſiæ, divinæ miſerationis reſpectu trado Fratribus Majoris-Monaſterii, ſcilicet Monaſterio S. Martini, Eccleſiam S. Martini de Campis, olim de Brivâ appellatam, juxtà muros urbis Bituricæ conſtitutam, com his omnibus quæ ad eamdem Eccleſiam pertinent; quorum partem ipſe, Deo miſerante, per auctoritatem officii noſtri laicis, qui ea rapinâ longo tempore detinuerant, eripui: de aliis omnibus quæ adhuc laïcali vel clericali etiam violentiâ auferuntur, quando ſeu per merita prædictorum Religioſorum Fratrum, ſeu alio quocumque modo eidem Eccleſiæ reſtituentur, prædicto Monaſterio eamdem conceſſionem faciens; reſervatâ tamen illa humilitatis obedientiâ, quam circà matrem Eccleſiam Bituricenſem ab omnibus cæteris communiter competit exhiberi. Hoc, quamvis non neceſſitate, tamen propter firmamentum cauſæ, & pacem Fratrum, quibus aliquod inde ſcandalum poterat aboriri, efficientes, ut tam Herbertus, Gimo, & Sarlo, & Petrus cum filiis & uxoribus ſuis, qui bona Eccleſiæ violenter tenuerant, concederent & laudarent. Hoc autem firmavimus, & in Concilio Exolduno à Domno HUGONE Dienſi Epiſcopo, Apoſtolicæ Sedis Vicario, & cæteris omnibus firmari rogavimus.

Hugo Romanæ Eccleſiæ Legatus.

AMATUS Elleenſis Epiſcopus.

RICHARDUS Bituricenſis RICHERIUS Senonenſis RODULPHUS Turonenſis GAUSCELINUS Burdegalenſis	Archiepiſcopus.
HAGANO Eduenſis ROTBERTUS Autiſiodorenſis ROTGERIUS Catalaunenſis GUIDO Belvacenſis RAINERIUS Aurelianenſis DURANDUS Arvernorum WIDO Lemovicenſis HUGO Nivernenſis HELINANDUS Laudunenſis RATBODUS Noviomagenſis GAUFFREDUS Parriacenſis	Epiſcopus.

a *Quoniam*] Hujus Concilii meminit Urbanus II. in Privilegio Canonicis S. Martini Turon. indulto. Vide Probationes Hiſt. Rodolfi le Monſnier, pag. 118.

Hæc ſunt nomina Canonicorum S. Stephani qui hanc Chartam firmaverunt.

Odo Decanus.
Hunbaldus } Archidiaconus.
Arraldus }
Rotgerius }
Iterius de Borbone.
Stephanus Sacerdos.
Bernardus Archipreſbyter.
Andreas Archidiaconus.
Vivianus } Sacerdos.
Arraldus }
Petrus.
Giraldus.
Itemque Gyraldus.
Ebrerandus.
Arnulphus.
Itemque Arnulphus.

Wibodus Sacerdos.
Hunbaldus.
Mainardus.
Paganus.
Constantius.
Arnulphus.
Guarnerius.
Erardus.

IN CONCILIO COMPENDIENSI

Confert Canonicis Eccleſiam SS. Acei & Acheoli, eamque dotat Rorico Ambianenſis Epiſcopus, necnon & Ingelramus Comes & Euſtachius Vicecomes, Anno MLXXXV.

Rorico patientiâ Dei, pietate, & gratiâ, humilis Præſul Ambianenſis, licet peccator, nec infulâ dignus tantæ pietatis, fidelibus parvitatis meæ officio creditis, de valle lacrymarum feliciter exire, ac cum domeſticis Dei in Monte ſancto ejus perenniter quieſcere. Divinæ paginæ tubâ cacitati erudimur imminere tempus jam nos de ſomno ſurgere, leonem rugientem, qui circuit quærens quos devoret, viriliter conculcare, & omnia noſtra cum charitate diſponere. Feſtinemus igitur divinitùs armati adversùs aerias poteſtates piis actibus inſudando progredi, & decertare, quatenùs aſſociati in ſuperna Sion, vota laudum valeamus perſolvere.

In hac igitur requie, ut ad nuptias Agni cum ſinceritate mentis & eloquii nitore, antequam janua claudatur, mereamur accumbere: Eccleſiam quamdam, quam B. Firminus Confeſſor dum primitùs hanc urbem à cultu Dæmoniacæ ſervitutis erueret, & per ſalutis lavacrum idem ipſe Paranymphus cœleſtis Virginem caſtam maculam non habentem aut rugam uni viro Chriſto copularet, in honore ſanctæ & perpetuæ Virginis fundavit; poſtea verò à ſanctis martyribus Aceo & Acheolo antiquitatis noſtræ tempore ſibi nomen optavit, divinæ miſerationis manu cœlitus attracti, totiuſque Senatûs noſtri aſſenſu, officii noſtri authoritate, ab omni reditu Epiſcopi, miniſtrorumque ejus liberam eſſe decernimus, & in ea Clericos qui canonicè & regulariter Deo ſerviant, deputamus. Altaris bona, atrii & Eccleſiæ totius reditus univerſos, & fidelium devotio quidquid eis contulerit, victui eorum integrè & illibatè adſcribimus. Concedimus etiam pietatis oculo providentes totam villam Huy, & univerſa ad hanc villam pertinentia, aſſenſu & petitione totius noſtri Capituli Eccleſiæ tantæ antiquitatis. Ita quidem, ut pro terrâ illâ nobis & ſucceſſoribus per ſingulos annos ſolidos octo perſolvant in celebritate Martyrii B. Firmini.

Ad honorem verò Patroni noſtri Martyris & Epiſcopi Firmini, cujus ſacratiſſimum corpus per tot annorum circula in Eccleſiâ debitâ veneratione quievit, communi aſſenſu, amoris dulcedine, G. Fratris noſtri & Subdiaconi præbendam perpetualiter habendam conceſſimus fratribus ibi deputatis, aut vivente eo, ſi ita diſpoſuerit, aut potiùs quando gradietur viam univerſæ carnis; ita ut arbitrio eorum de præbendâ procurent perſonam eligere. Quiquoad vixerit, uſumfructum obtineant [a] præbendæ: ſi autem de medio abierit, quidquid victui noſtro conveſcentibus nobis in Refectorio reſervabitur, Canonicis ſancti Aceoli abſque retractatione diſtribuatur. Quidquid verò ſuperetit, Canonicis ſancti Martini erogetur. Provideant autem arbitrio Capituli noſtri, quatenùs Vicarius eorum de hac præbendâ in canonicis horis perſolvendis nobiſcum canonicè aſſiſtat. Qui autem Eccleſiæ illius Prioratum habuerit, unâ integrâ hebdomadâ ſicut Eccleſiæ noſtræ Sacerdotes Miſſarum ſolemnia concelebret.

Et quia, ut præfati ſumus, Eccleſia hæc Genitrici Dei dicata fuerat, & hujus Cathedræ Pontificum pulvis ſacer diù in eâ latuerat, Canonicorum B. Mariæ, & almi Martyris Firmini, quorum priùs fuerat, ditioni tantùm committatur: ita ut annis ſingulis ſanctorum Honorati, Fuſciani & ſociorum ſolemnitatibus interſint; & in celebritate Martyrii ſancti Firmini in die ad Miſſam cum Proceſſione pro viribus ordinatâ veniant, Fratribuſque noſtris Canonicis cereos duos ſolidorum duorum, ab omni alia exactione immunes, perſolvant, qui ad laudem tanti Martyris tam in domo Dei, quàm in Refectorio lumen præbeant.

Ad exequias funebres Congregationis noſtræ cum candelis veniant; donec funeratorum corpora tegat humus, nobiſcum maneant. Inde recedentes uſque ad diem trigeſimum Fratris qui obierit Deo animam commendent: vigilias, Miſſarumque ſolemnia pro redemptione ejus concelebrent. Nos quoque dulcedinis affectu obſequium hujuſmodi, ſi quis eorum univerſæ carnis viam arripuerit, illis rependamus; quatenùs pro invicem orantes in libro vitæ nos imprimat digitus Dei, palmam cujus, in loco quem diximus in conſecratione ſui corporis cernere glorianti ſunt Pontifices ſacri, & à nobis tenebras depellat ſancta Trinitas lux inacceſſibilis, qui teſtem ſuum in Eccleſiâ de quâ agimus, innoteſcere dignatus eſt

[a] *obtineant*] Ita legendum eſſe monuit Abbas S. Aceoli in Epiſtola ad D. Mabillonium ſcriptâ anno 1701. quam D. Edm. Martene mecum communicavit: antea legebatur *obtineat*, quod Caponellum Scriptorem Hiſtoriæ Canonicorum Regularium induxit, ut narraret à Roricone ſtatutum eſſe, ut quidquid menſâ Epiſcopi cum Canonicis ſuis converſantis remotâ ſupereſſet, Canonicorum S. Aceoli victui deputaretur. Atqui hoc dicere voluit Rorico, Canonicis S. Aceoli à ſe tributi præbendam unam in ſuâ Eccleſiâ, cujus reditus perciperent Canonici S. Aceoli, hoc excepto quod victui illorum Vicarii ſuſtentando neceſſarium erat. Et quoties contingeret Vicarium illum è vivis excedere, per annum integrum illius præbendæ fructus ita diſtributum iri, ut id quidem quod victui Vicarii deſtinabatur, à Canonicis S. Aceoli perciperetur, iis verò fructibus quos vivo Vicario Canonici iidem percipiebant, perfruerentur Canonici S. Martini. Hæc porro liquent cùm ex Chartulario S. Aceoli in quo legitur *obtineant*, tùm ex literis Gervini, qui Roriconi ſucceſſit, in quibus ita legitur. *Ita ut arbitrio ſuo in præbenda perſonam ex ſeipſis procurent conſtituere. Qui quoad vixerit, uſufructum obtineant præbendæ; cum autem de medio abierit, quidquid victui Canonicorum noſtræ Eccleſiæ in refectorio conveſcentium reſervatur, ipſis abſque ullâ retractatione tribuatur. Quidquid verò ſuperetit, Canonicis S. Martini juxtà conſtitutum privilegii eorum, per annum erogetur. Tranſacto verò anno, ad Eccleſiam prædictam, ſicuti præfati ſumus, revertatur.*

radiò ſolis. Hoc opus Deo carum ; & ad æternitatem gradientibus jocundum & acceptabile, ſi quis cootumax & invidus exterminare præſumſerit, hunc notamus, & à corpore Dei oris gladio membrum corruptum & inſanabile reſecamus. Carta autem hæc in Capitulo Ambianenſi recitata, voto & aſſenſu Senatorum omnium noſtræ Diœceſis, Anno milleſimo octuageſimo quinto, Indictione octavâ, ab Incarnatione Domini.

In Concilio Comp. exauctoratus Abbas Corbeiæ.

Hoc autem anno juſtitiæ cultus, legumque, qui longo tempore marcuerat, refloruit! Denique zelus & Eccleſiæ vigor, imò gladius in CONCILIO COMPENDIENSI de ore Dei procedens, EVRARDUM, baculum ſcilicet arundineum confractum, & lignum fumigans, de ſoliditate & ſplendore regiminis Corbeiæ, ſine ſpe recuperationis, abſtulit. Pax ſuper Hieruſalem & in Templo Dei.

Conferunt bona Eccleſiæ SS. Acei & Acheoli Ingelramus Comes, & Euſtachius Vicedominus.

Ego quidem INGALRAMUS Comes Ambianenſis, & Bothuenſis advocatus, patri & matri, mihique & ſuccelluribus meis utiliter providens, de molendinis meis Bothuenſibus ſingulis menſibus ſextarios quatuor de tritico menſuræ illius Eccleſiæ ſanctæ MARIÆ, & Sanctorum Martyrum Acei, & Acheoli, in perpetuum trado.

Ego verò EUSTACHIUS Vicedominus Ambianenſis, de reddito ſextarii mei in Ambianicâ civitate ſextarios duos de frumento, uxore meâ, & filiis meis annuentibus, omni menſe Eccleſiæ prædictæ in perpetuum trado.

ANNO 1085.
E Chartulario Compendienſi.

PRIVILEGIA ECCLESIÆ SS. Cornelii & Cypriani

In Concilio Compendii acto approbata, Anno MLXXXV.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis; PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex.

Eccleſia Compendienſis à Carolo Calvo fundata, & à Joanne Pontif. conſecrata.

Quia divinâ præveniente diſpenſatione Compendienſem Eccleſiam fundatam quidem à Domno Karolo illuſtri ac nobiliſſimo Francorum Rege, ac Imperatore Romanorum, prædeceſſore noſtro, à ſancto Joanne Romano Pontifice cum ſeptuaginta duobus Epiſcopis ſolemniter celebri honore ac decore ſpeciali dedicatam, condigno tenore libertatis ad tempora noſtra viguiſſe cognovimus. Nullius quoque Metropolitani Epiſcopi, nullius dominationi, nec ipſius Sueſſionis fuiſſe conſtat obnoxiam. Eamdem ipſam Eccleſiam in eodem honore ac priſtinâ libertate, tam noſtro tempore, quàm ſucceſſorum noſtrorum retinendo, conſervare, conſervando retinere deſtinamus, volumus & debemus.

Nulli ſubeſt Epiſcopo.

Unde notum fieri volumus fidelibus noſtris tam præſentibus quàm futuris, quòd HILGOTUS Sueſſionenſis Epiſcopus præfatæ videlicet Eccleſiæ Canonicos noſtros de quibuſdam quæ eos adversùs Eccleſiam ſuam, & ſeipſum commiſiſſe querebatur, in CONCILIO Compendii celebrato in præſentiâ Domni RAYNALDI Remenſis Archiepiſcopi, & cæterorum Epiſcoporum, qui eo convenerant, ELINANDI videlicet Laudunenſis Epiſcopi, ROGERI Catalaunenſis, URSIONIS Belvacenſis, URSIONIS Sylvanectenſis; RORICONIS Ambianenſis, RATBODI Noviomenſis, GERARDI Cameracenſis, GOSFRIDI Pariſienſis, GUALTERI Meldenſis: Abbatum quoque GARVINI de ſancto Richario,

Epiſcopi & Abbates qui aderant in Concilio

EWRARDI Corbeienſis, GODEFRIDI de Monte ſancti Quintini, BURCHARDI de ſancto Baſolo, INGALARI de Forcilenſi Monaſterio, WALTERI de ſancto Joſcio, BANDUINI de ſancto Criſpino, ROBERTI de Haſnun, HANRICI de ſancto Remigio, FULCARDI de Trant, WIMANNI de ſancto Bavone, PATRI de ſancto Luciano, ARNULPHI de Lobiis, HUBERTI de ſancto Winotio, GIRALDI de Ham, WILLELMI de Britolio, HUGONIS de…… de ſancto [a] Theodoro, PATRI de Altovillari, RADULPHI de ſancto Symphoriano: contrà conſuetudinem ac libertatem eiſdem Canonicis à Patribus noſtris, & à nobis traditam & conceſſam ad contemptum prædeceſſorum Majeſtatis, ubi & ad quos nullatenus oportuerat, cauſare præſumſit. Nos verò illius querimoniam à nullo Metropolitano, à nullo etiam Epiſcopo juſticiari, nec ad placita, ſeu ad agendas cauſas deberent invitari vel compelli, in eodem ipſo Concilio coram prænominatis perſonis, tùm decretis Romanorum Pontificum, tùm conſuetudinibus ipſius Eccleſiæ ad nos uſque derivatis, & habitis, plenariè diſſerentes evidenter oſtendimus. Et ut ipſi Fratres quemadmodum ad tempora noſtra ſeceerant, ſine quâlibet inquietudine, cum omni tranquillitate Deo militantes, eidem devotiſſimè ſervire ſtudeant & placere, nos ipſos divinæ propitiationi reconciliantes, quatenùs nullus Primas, nullus Metropolitanus, nullus Epiſcopus ipſos ad Judicia compellat, vel invitet, nec aliquando juſticiare præſumat tam noſtro tempore, quàm ſucceſſorum noſtrorum, videlicet Regum Francorum: Nos ipſi pariter decernentes annuimus, & annuendo decernimus.

Et ut hoc ſtatutum, ſicut dictum eſt, à Patribus noſtris ad nos uſque derivatum & habitum, & à nobis ipſis approbatum & conceſſum, deinceps firmum & inconcuſſum permaneat: Neve quis deinceps huic Decreto prædeceſſorum noſtrorum, ac noſtræ Majeſtatis, ipſius Eccleſiæ noſtræ præfatæ Conſuetudini obviare audeat, memoriale illud inde fieri, & noſtri nominis charactere, & ſigillo ſignari, & corroborari præcipimus.

Actum Compendii Palatio, Anno Incarnati Verbi milleſimo octuageſimo quinto, Indictione octavâ, Anno Regni noſtri vigeſimo quarto, GOSFRIDO Pariſiorum Epiſcopo Archicancellario noſtro.

Signum Philippi P — Y — S — L Francorum Regis.

ANNO 1091.
E Chartulario Compendienſi.

IN CONSILIO PARISIENSI

Bona Eccleſiæ Compendienſis confirmantur, Anno MXCI.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis: PHILIPPUS Dei providentia Francorum Rex piiſſimus.

Quoniam divinâ bonitate ſancta Compendienſis Eccleſia ab Imperatore KAROLO, & noſtris anteceſſoribus piâ devotione fundata, à ſancto Joanne


[a] *de ſancto*] Acherius ait legendum, *Richeri de S. Theodorico.*

ſummo Pontifice ſacrata, privilegiis atque excommunicationibus ita nobilitata extitit ac præmunita, ut nullus ſine anathematis incurſione, ac tremendi Judicis offenſione poſſit violentiam inferre, vel dominationem exercere per omnem terram, quam præfatus anteceſſor noſter Karolus, vel ſucceſſores ejus eidem ſancto loco contulerunt, & de jure proprio in jus ejuſdem Eccleſiæ tranſpoſuerunt. Idcirco Nos tam devotâ ſollicitudine anteceſſorum noſtrorum ad ampliandam & nobilitandam eamdem Eccleſiam provocati; Notum fieri volumus univerſis Eccleſiæ fidelibus tam futuris, quàm præſentibus, quòd Canonici prædictæ ſanctæ Compendienſis Eccleſiæ noſtram adierunt præſentiam, poſtulantes, ut pro remedio animæ noſtræ, atque anteceſſorum noſtrorum, concederemus eidem Eccleſiæ quod Pater noſter HENRICUS antea dederat, videlicet advocationem & viaturam de Longolio uſque ad medium fluminis Yſaræ, viaturam de Saceio, viaturam de terrâ quam habet prædicta Eccleſia in Gellis, & donum quod RUBERTUS Rex de totâ Sylvâ Cotiâ ad ædificationem Eccleſiæ, domorumque ſuarum, atque ignis alimenta fecerat. Et ut nullus de eorum porcis, vel pecoribus, prædictam ſylvam frequentantibus, aliquam conſuetudinem, vel exactionem exigere præſumat.

Eccleſiam quoque in fiſco Regio apud Compendium in honore ſancti Germani dicatam, quam prælibatæ ſanctæ Compendienſi Eccleſiæ Karolus Pius[a] cum duobus manſis dedit. Eccleſiam quoque ſancti Clementis, quam iſdem Pius Rex pro remedio animæ ſuæ, ac dilectæ Conjugis ſuæ Frederunæ fundavit, & Capitulo majoris Eccleſiæ diſponendam ac providendam liberè tradidit.

Et à confluentibus ſimiliter aquis contrà villam Clariſium uſque contrà Eccleſism de Gellis flumen cum utriſque ripis, & piſcatoriâ, & navium tranſitu, & ubicumque retia extrà fluvium trahenda fuerint, ſive creſcat aqua, ſive decreſcat: et ut ibi nullus piſcationis vel venationis opus abſque licentiâ Fratrum exercere præſumat. Et ſi beſtia aliqua fugiens abſque venatoribus ibi devenerit, ad menſam Fratrum deferatur, ſicut prædictus Pius Rex Karolus eis conceſſit.

Quorum petitionem in omnibus memoratis libenter ſuſcepimus. Et ut ea firmius amodo prædicta Eccleſia poſſideat, præſentem paginam ſigillo Regiæ Majeſtatis inſigniri, & in pervaſores harum rerum quas enumeravimus excommunicationem fieri ab Epiſcopis, qui tunc Pariſius congregati erant, præcepimus: Scilicet MANASSEDO[b] Remenſi Archiepiſcopo, RICHARDO Bituricenſi Archiepiſcopo, ROGERO Catalaunenſi Epiſcopo, ELINANDO Laudunenſi Epiſcopo, RATBODO Noviomenſi Epiſcopo, WIDONE Belvacenſi Epiſcopo. Item, WIDONE Ambianenſi Epiſcopo, GOFFRIDO Pariſienſi Epiſcopo, WALTERO Meldenſi Epiſcopo, WALTERO Tricaſſino Epiſcopo, & GOFFREDO Autiſſiodorenſi Epiſcopo. Si quis hanc noſtre confirmationis paginam violsre, & ſanctam Compendienſem Eccleſiam ſuper his omnibus inquietare præſumſerit, iram ſummi Judicis incurrat, & coactus Regi centum libras auri perſolvat.

Signum Philippi glorioſi  Francorum Regis.

Ego GAUFRIDUS Archicancellarius relegi atque ſubſcripſi. Actum Pariſius Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo nonageſimo ſecundo.

DECRETA URBANI PAPÆ,

In Nemauſenſi Concilio, Anno Chriſti MXCVI. *celebrato.*

Anno 10… Ex MS. c. S. Albini Andegavenſi.

I. IN Arvernenſi Concilio queſtum eſt de Epiſcopis, qui Altaria Monaſteriis data frequenter redimi pecuniâ compellebant. Quia quidam ſimoniacæ pravitatis ramus in Galliarum partibus jam diutiùs inolevit, ut Eccleſiæ vel decimæ, quæ vulgari vocabulo apud eos Altaria nuncupantur, Monaſteriis datæ, ſæpiùs ab Epiſcopis ſub palliatâ avaritiâ venumdentur; mortuis nimirum Clericis, quos perſonas vocant: Nos, authore Deo, venalitatem omnem tam ex rebus, quàm ex myſteriis Eccleſiaſticis propellentes, hoc ulteriùs fieri Apoſtolicâ authoritate prohibemus; ſicut & præbendas omnes venumdandas interdicimus. Porrò quæcumque Altaria, vel decimas ab annis XXX. & ſuprà, ſub hujuſmodi redemptione Monaſteria poſſediſſe noſcuntur, quietè deinceps, & ſine moleſtiâ qualibet eis poſſidenda firmamus; ſalvo utique Epiſcoporum[a] cenſu annuo, quem ex eiſdem Altaribus habere ſoliti ſunt.

II. Sanè quia Monachorum quidam Epiſcopis jus ſuum auferre contendunt, ſtatuimus ne in Parochialibus Eccleſiis quas tenent, abſque Epiſcoporum conſilio Preſbyteros collocent; ſed Epiſcopi Parochiæ curam cum Abbatum conſenſu Sacerdoti committant; ut hujuſmodi Sacerdotes de plebis quidem curâ Epiſcopo rationem reddant, Abbati verò pro rebus temporalibus ad Monaſterium pertinentibus debitam ſubjectionem exhibeant, & ſic cuique ſua jura ſerventur.

III. Sunt nonnulli ſtulti dogmatis, magis zelo amaritudinis, quàm dilectionis inflammati, aſſerentes Monachos, quia mundo ſunt mortui, & Deo vivunt, Sacerdotali Officio indignos, neque pœnitentiam, neque Chriſtianitatem ſeu abſolutionem largiri poſſe per Sacerdotalis Officii injunctam gratiam: ſed omninò falluntur. Nam ſi ea hac causâ veteres æmuli vera prædicarent, Apoſtolicæ Sedis compar B. Gregorius Monachico habitu pollens, ad ſummum apicem nullatenùs conſcenderet, cui

a. *Karolus Pius*] Quem vocant Carolum Simplicem, is eſt quem Carolum Pium appellat Philippus Rex.

b *Manaſſedo*] Baluzio libuit huic loco attexere brevem notam ejus temporis quo Epiſcopi in his literis nominati ſederunt. Ea ſic ſe habet: Manaſſes Remenſis ab anno 1072. ad an. 1085. Richardus Bituricenſis ab an. 1071. ad an. 1092. Rogerus Catalaunenſis ab an. 1067. ad an. 1093 Elinandus Laudunenſis ab anno 1067. ad an. 1098. Ratbodus Noviomenſis ab an. 1068 ad an 1098. Wido Belvacenſis ab anno 1066. ad an 1087. Wido Ambianenſis ab an. 1059 ad an. 1076 Goffridus Pariſienſis ab an. 1060. ad an. 1091. Walterus Meldenſis ab an 1045 ad an. 1082. & alter ad an. 1092. Walterus Trecenſis non extat in Catalogis. Goffridus Autiſſiodorenſis ab an. 1064. ad annum 1076. Hæc Baluzius excerpſit è Catalogis ætate ſuâ editis; quæ ſi quis vera eſſe contendat, ſimul hæc agnoſcat neceſſe eſt, 1°. Literas Philippi non illo anno eſſe ſcriptas, qui in iis legitur; 2° ne à Sammarthanis quidem fratribus hoc præceptum rectè ad annum 1080. revocatum fuiſſe. 3°. idem præceptum editum eſſe anno ſaltem 1076. E quibus colligi fortaſſe poteſt, irrepſiſſe mendum hoc loco, ac pro *nonageſimo ſecundo* legendum *ſeptuageſimo ſecundo*.

a *Epiſcoporum*] Addidimus ex altero Codice S. Albini, quem Baluzius viderat.

ſolvendi, ligandique poteſtas conceſſa eſt. Auguſtinus quoque, ejuſdem Sanctiſſimi Gregorii diſcipulus, Anglorum Prædicator egregius, & Pannonienſis Martinus, aliique quamplurimi viri ſanctiſſimi pretioſorum Monachorum habitu fulgentes, nequaquam annulo Pontificali ſubartarentur. Neque enim Benedictus Monachorum Præceptor Sanctiſſimus hujus rei aliquo modo interdictor fuit; ſed eos ſæcularium negotiorum dixit expertes eſſe debere: quod quidem Apoſtolicis documentis, & Sanctorum inſtitutis, non ſolùm Monachis, verùm etiam Canonicis ſummopere imperatur; uſque enim perſpicacibus Sanctorum Patrum exemplis ut mortui mundo ſint, præcipitur.

IV. Credimùs igitur à Sacerdotibus Monachis ligandi, ſolvendique poteſtatem [b] dignè adminiſtrari, ſi tamen contigerit dignè eos hoc miniſterio ſublimari: quod evidéter affirmat quiſquis ſtatum Monachorum & habitum conſiderat. Angelus enim Græcè, Latinè nuntius dicitur: Sacerdotes igitur Monachi, atque Canonici, qui Dei præcepta annuntiant, Angeli vocantur, ſed unuſquiſque Angelicus ordo, quo viciniùs Deum contemplatur, tanto ſublimiùs dignitate firmatur. Numquid num enim ut Cherubim Monachi, ſex alis velantur; duæ in capitio, quo caput tegitur; veris demonſtrantur aſſertionibus; illud verò quod brachiis extenditur, alas duas eſſe dicimus; & illud quo corpus tegitur alas duas: ſic ſex alarum numerus certiſſimè conficitur. Decertantes ergo contrà Monachos in hac re Sacerdotalis potentiæ officio præcipimus arceri; ut ab hujuſcemodi nefandis auſibus in poſterum reprimantur; quia quanto quiſque excelſior; tanto & illis erit potentior.

V. Oportet eos qui ſæculum reliquerunt, majorem ſollicitudinem habere pro peccatis hominum orare; & plus valere eorum peccata ſolvere, quàm Preſbyteros ſæculares; quoniam illi ſecundùm Regulam Apoſtolorum vivunt, & eorum ſequentes veſtigia communem vitam ducunt, juxtà quod in Actibus eorum ſcriptum eſt, erat illis cor unum, & anima una, & erant illis omnia communia; ideoque videtur nobis ut iis qui ſua reliquunt pro Deo, digniùs liceat baptizare, dare Communionem, Pœnitentias imponere, nec non peccata ſolvere. Unde conſiderare nos oportet quantæ virtutis apud Deum ſint, qui ſæculum relinquentes Domini obediunt præcepto, dicentis: *Relinque omnia quæ habes, & veni ſequere me.* Unde cenſemus eos qui Apoſtolorum figuram tenent, prædicare, baptizare, communionem dare, ſuſcipere pœnitentes, peccata ſolvere.

VI. Quicumque Epiſcopum, Abbatem, vel Archidiaconum, vel Preſbyterum capere præſumſerit, publicâ primùm dedecoratus infamiâ honoris ſui periculum incurrat, & tamdiù excommunicetur, & terra ſua interdicatur, quamdiù Eccleſiæ ſatisfacere diſtulerit. De cæteris verò Clericis, Canonica teneatur ſententia.

VII. Quoties alicujus Eccleſiæ Antiſtes ex hac vitâ emigraverit, duæ de melioribus perſonæ eligantur ejuſdem Eccleſiæ, qui res Epiſcopi defuncti, ſicut ipſe diſpoſuerat, tractent fideliter: & quæ ad Epiſcopatum pertinent, ſucceſſuro Paſtori conſervent. Quòd ſi aliquis Tyrannus res Epiſcopi interim invaſerit, aut violaverit, excommunicationi ſubjaceat, & Eccleſia illa à divino [c] ceſſet officio, & minores Eccleſiæ tamquam matri compatiantur, quouſque digna ſatisfactio ſubſequatur.

VIII. Laïcus qui oblationem Eccleſiæ, ſepulturam; decimam, aut terram ſanctuarii tenuerit, ab omni Fidelium communione ſeparetur.

IX. Quicumque Eccleſias, vel earum bona hereditariâ ſucceſſione poſſident, tamdiù Eccleſiaſtico careant beneficio, donec quas tenent Eccleſias dimittant.

X. Clericus, vel Monachus, qui Eccleſiaſticum de manu laïci ſuſceperit beneficium, quia non intravit per oſtium, ſed aſcendit aliunde ſicut fur & latro, ab eodem ſeparetur officio.

XI. Sacerdotes quando regendis præficiuntur Eccleſiis, de manu Epiſcopi curam animarum ſuſcipiant, ubi & in totâ vitâ ſuâ Deo deſerviant, niſi Canonico degradentur judicio. Quòd ſi ambitionis vel cupiditatis causâ ad aliam ditiorem migraverint Eccleſiam, utramque amittant.

XII. Qui publicè conſanguineas, vel adulteras ducunt, quamdiù eas tenuerint, excommunicentur.

XIII. Raptores qui in rapiendo mortui fuerint abſque Canonicâ pœnitentiâ; non ſepeliantur, nec pro eis Miſſa dicatur.

XIV. Preſbyteri publicè fornicarii degradentur.

XV. Puellulæ uſque ad duodecim annos non nubant.

XVI. Nullus habeat licentiam retrahere beneficium à ſe, vel ab anteceſſoribus ſuis, Eccleſiis collatum; & nec Clericos, vel Monachos in Curiam ſuam ad ſæculare judicium cogat venire, quoniam hoc rapina eſſet & ſacrilegium.

XVII. Nullus Epiſcopus alterius recipiat excommunicatum.

XVIII. Monachi nullo modo recipiant ad ſepulturam, aut ad quodlibet officium divinum excommunicatos, vel raptores, aut interdictos.

DONATIO TERRÆ S. ÆGIDII

Anno 1096.

Ex membranis S. Ægidii in Valle.

in Valle Flaviana, facta à RAIMUNDO *Comite Toloſano in Concilio Nemauſenſi.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris videlicet & Filii & Spiritûs ſancti. Ad honorem & reverentiam unitatis in Trinitate; & Beatæ & intemeratæ Dei Genitricis Virginis MARIÆ, & omnium ſuperiorum Spirituum, ac Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli & omnium Sanctorum, & præcipuè ſanctiſſimi Confeſſoris Chriſti ÆGIDII. Ego RAIMUNDUS Dei permiſſione dictus Comes Toloſanorum, & Ruthenenſium, Dux Narbonæ, Marchio Provinciæ, timens periculum animæ meæ ac Prædeceſſorum meorum, in Concilio apud Nemauſum celebrato à Domino & venerabili Papa URBANO II. in præſentiâ ipſius & totius ſancti Concilii relinquo, & plenariam guirpitionem facio Domino ac religioſo Abbati ODILONI, necnon Fratribus, cum eo ibidem adſtantibus, omnes honores S. Ægidii, tam in eâdem villâ quæ dicitur *Flaviana*, quàm in extrinſecis, quidquid juſtè ſive injuſtè videbar obtinere, ſive omnes rectas, ſive pravas conſuetudines, quas ego vel anteceſſores mei ibidem habuimus, pro emendatione omnium meorum præteritorum criminum; & pro adeptione futurorum bonorum. Fiat,

b *poteſtatem*] ſic legitur in laudato Codice. Acherius viderat *gratiam*, quâ de causâ neſcio.

c *à divino* [Acherius hîc etiam invito codice ediderat *à diurno*.

fiat. Amen. Si quis verò poſterorum meorum huic meæ guirpitioni obſiſtere vel contradicere attentaverit, cum Juda traditore, & Simone Mago, & Dathan & Abiron, & cum aliis omnibus ſceleratis ſe ſempiternâ ultione damnatum ſciat. Facta & confirmata charta in Nemauſenſi Concilio à Domino Papa URBANO II. celebrato anno ab Incarnatione Domini MXCVI. Indictione IV. ſeptimâ feriâ, IV. Idus Julii, Pontificatûs Domini URBANI Papæ anno IX. regnante PHILIPPO Rege.

Teſtes GAUTERIUS Albanenſis Epiſcopus.
GREGORIUS Papienſis Cardinalis.
JOHANNES Diaconus Cardinalis.
ALBERTUS Cardinalis Preſbyter.
TEUSO Preſbyter Cardinalis.
DAIMBERTUS Piſanus Archiepiſcopus Cardinalis.
HUGO Lugdunenſis Archiepiſcopus & Legatus.
AMATUS Burdegalenſis Archiepiſcopus & Legatus.
BERNARDUS Toletanus Archiepiſcopus & Legatus.
BRUNO Signinus Epiſcopus.
HUGO Biſuntinus Archiepiſcopus.
GUIDO Viennenſis Archiepiſcopus.
RICCARDUS Abbas Maſſilienſis & Cardinalis.
GOTEFRIDUS Magalonenſis Epiſcopus.
HUGO [a] Autiſſiodorenſis Epiſcopus.
BERTRANNUS Nemauſenſis Epiſcopus.

Monachi qui cum Abbate ODILONA hoc ſuſceperunt: ROSTAGNUS Prior, PETRUS Decanus Berrozet, PETRUS & GUILLELMUS de Caſtlar, REIMUNDUS & JOHANNES, PETRUS de Lauraco.

Laici teſtes: ipſe RAIMUNDUS Comes, PETRUS Bermundi, GUILLELMUS de Montepeſſulano, RAIMUNDUS Petri de Gorzà, PONTIUS Guillelmi de Barriac, PETRUS Guillelmi de Rocamaurâ, ROSTAGNUS de Poſquerias, & Decanus & RAINERIUS de Poſquerias.

Breve ac memoriale de guirpitione, vel dimiſſione totius honoris B. Ægidii tam in villâ quàm extrà, quam fecit BERTRANNUS Comes & uxor ejus ADELAIZ, præcipiente Domino RAIMUNDO Comite, ac præſente in Monaſteriò ſanctæ MARIÆ quod dicitur Mancaſca, in manu Domini ODILONIS Abbatis. Hoc totum factum eſt ſine aliquâ fraude vel deceptione ſeu omni dolo. S. RAIMUNDI Comitis. S. BERTRANNI & uxoris ejus. S. Abbatis S. Theodardi. S. Abbatis S. Euſebii. S. GARNERII. S. PETRI de Caſtlar. S. ADEMARII Vicecomitis. S. PETRI Guillelmi de Rocamaurâ. S. ROSTAGNI Daigada. S. JORDANI de Caraman. S. RUBERTI de Murel. S. RAIMUNDI de Gajas. S. RAIMUNDI Rainonis.

URBANUS PAPA II.

Confirmatâ in Concilio Nemauſenſi Donatione RAIMUNDI *Comitis, Monaſterium S.* ÆGIDII *ſubdit S. R. Eccleſiæ.*

URBANUS Epiſcopus Servus Servorum Dei. Sicut injuſta poſcentibus nullius eſt tribuendus effectus, ſic legitima deſiderantium non eſt differenda petitio. Comes nimirum Toloſanorum ac Ruthenenſium, & Marchio Provinciæ, RAIMUNDUS potentatûs ſui partem à Romanâ Eccleſiâ detinens, honores omnes ad B. Ægidium pertinentes tam in valle *Flavianâ* quàm in extrinſecis, quidquid juſtè ſive injuſtè videbatur tenere, omnes rectus ſive pravas conſuetudines, quas ipſius Anteceſſores, aut ipſe habuerant, ob honorem Dei & B. Ægidii reverentiam dereliquit. Quam videlicet miſſionem apud Nemauſenſe Concilium jurans in manu noſtra ODILONI Abbati, & ejus Fratribus fecit, in Hieroſolymitanam expeditionem iturus, ſeque & univerſos ſucceſſores ſuos, ſi fortè hoc donum irritum facere pertentarent, quod ad ſe erat, damnatione & maledictione mulctavit. Quod igitur ſuggerente ipſo, & Monachis exorantibus, in totius Concilii conſpectu firmavimus, necnon & per auctoritatis noſtræ literas ſtabilimus. Si quis ergo Eccleſiaſtica ſæcularisve perſona hanc ſupradicti Comitis miſſionem, & noſtram, atque totius Côcilii confirmationem evacuare aut pervertere præſumſerit, uſquequo ſatisfaciat, excommunicationi anathematique ſubdatur, & honoris atque officii ſui evacuatione plectatur.

Poſt hæc divinæ voluntatis diſpoſitione actum eſt, ut apud B. Ægidii Monaſterium Baſilicæ novæ aram omnipotenti Deo noſtris manibus dicaremus. Sanximus igitur & ſancimus, & ad poſterorum memoriam litteris deſignamus, ne quis ulteriùs Archiepiſcopus aut Epiſcopus adversùs eamdem Eccleſiam audeat excommunicationis aut interdictionis proferre ſententiam, quatinùs idem Monaſterium ex ipſius B. Ægidii traditione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ juri proprio ſubditum, Romanæ ſemper libertatis gratiâ perfruatur. Si quis autem decreti hujus tenore cognito obviam venire tentaverit, honoris & officii ſui detrimentum patiatur, atque à ſacratiſſimo Corpore, & Sanguine Dei ac Domini Redemptoris noſtri JESU-CHRISTI alienus fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus pax & miſericordia à Deo & Patre noſtro & Domino JESU-CHRISTO præſentibus ac futuris ſæculis conſervetur. Amen, amen, amen.

Datum per manum JOHANNIS S. R. E. Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii, apud Avenionem in Monaſterio S. Andreæ, XI. Kalendas Auguſti, indictione IV. Incarnationis Dominicæ MXCVI. Pontificatûs autem Domini URBANI II. Papæ IX.

****

URBANUS PAPA II.

In Concilio Turonenſi decernit Abbatem Cormeriacenſem ſumere baculum Paſtoralem debere ex ſepulcro B. Martini. Ann … Ex C… d. M…

URBANUS Epiſcopus Servus Servorum Dei. Querelam de Cormaricenſi Cœnobio inter B. Martini Canonicos, & illius loci Monachos diutiùs agitatam, qualiter in conſpectu noſtro Archiepiſcoporum Abbatumque judicio definita ſit ad utrorumque quietem perpetuam, noſtræ authoritatis litteris præcipimus annotandum. Lectis enim in conſpectu publico B. Martini Privilegiis, ipſius etiam Cœnobii monimentis, patuit locum illum ea ſupradictæ Ec-

a *Hugo*] Baluzius monet hoc anno in Catalogo Epiſcoporum Autiſſiodorenſium haberi non Hugonem, verùm Humbaldum.

cleſiæ ſtipendiis Canonicorum ipſorum ſtudio fuiſſe ædificatum. Qui poſtea per Andegavenſem Comitem advocatiæ ſeu defenſionis occaſione, ex Canonicorum poteſtate ſublatus eſt. Ex conſidentium igitur Fratrum, qui nobiſcum Turonis ad Eccleſiaſtica negotia finienda convenerant, deliberatione atque judicio Cormaricenſis Abbas GUIDO baculum non ordinatè acceptum B. Martini Canonicis reddidit. Qui mox ſuper B. Martini tumulum poſitus eſt: poſtea tamen ex eodem tumulo eidem Abbati, quia religioſæ converſationis habebatur, reſtitutus eſt.

Perpetuo itaque decreto ratum eſſe præcepimus, ne deinceps in Cormaricenſi Cœnobio aliter eligatur, quàm in ſupradictæ Eccleſiæ Privilegio continetur. Electus autem ſupradicto tenore de B. Martini ſepulcro baculum ſumat: item defuncto Abbate ſemper ad eumdem locum baculus referatur, ut ſuper illa ſanctiſſima Confeſſoris Apoſtolici membra communi Decani & Capituli juſſu ſignum illud paſtoralis regiminis ſemper accipiatur, ſalvo Turon. Archiepiſc. jure, quod in Abbatis ordinatione ſecundùm communem Eccleſiæ conſuetudinem exercendum eſt. Si quis ſanctæ Conſtitutioni huic obviam ire, & Cormaricenſe Cœnobium Eccleſiæ B. Martini ſubtrahere tentaverit, Apoſtolicæ indignationis gladio, & S. Spiritûs judio feriatur.

Signum URBANI Papæ
Sig. HUGONIS Lugdunenſis
Sig. RADULPHI Turonenſis
Sig. GUIDONIS Viennenſis
S. HILOEBERTI Bituricenſis
Sig. AMATI Burdegalenſis
} Archiepiſcopi.

Sig. HEUZONIS.
Sig. ALBERTI
Sig. GRAGORII
} Cardinalis.

Sig. IVONIS Carnutenſis
Sig. GOFFREOT Andegavenſis
Sig. HOALLI Cenomanenſis
Sig. MORVANI Venetenſis
Sig. BENEDICTI Nannetis
Sig. GUILLELMI Arvernenſis
Sig. BRUNONIS Signienſis
} Epiſcopi.

Sig. MARBODI Rhedonenſis Electi.
Sig. Monachorum Cormaricenſium SIMONIS Prioris, BERNARDI.
Sig. BURCHARDI Præcentoris S. Martini.
Sig. FULCHERII Præpoſiti.
Sig. MATTHÆI Præpoſiti.
Sig. SICHARDI Præpoſiti.
Sig. ALEXANDRI Subdiaconi.

Datum Pictavis, per manum JOHANNIS S. R. E. Diaconi Cardinalis III. Kalendas Aprilis, Indictione IV. An. Domini MXCVI. Pontificatûs URBANI Papæ IX.

ANNO 1104.

Ex Cod. MS. S. Albini Andegavenſ.

CONCILIUM TRECENSE,

Approbat Donationem ab Hugone Trecenſi factam Eccleſiæ Moliſmenſi.

IN nomine ſummæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti. Ego HUGO Comes Campaniæ, Comitis THEOBAUDI filius, notum volo fieri omnibus ſanctæ Eccleſiæ Fidelibus, quòd excellentiori uſus conſilio, ampliare & honorare de meis propriis retinentiis Moliſmenſem, quæ in honore B. MARIÆ ſemper Virginis fundata eſt, propoſui Eccleſiam, credens, & certiſſimè ſciens tanto me in cœleſtibus partem habere potiorem, quanto eamdem B. MARIAM interventricem præmittere procuravero meliorem. Trado igitur & gratanti animo concedo Deo, & eidem Eccleſiæ ex poſſeſſionibus mei juris villam quæ dicitur Rumiliacus, cum poteſtate & juſtitiâ ejuſdem villæ, poſt deceſſum meum, tam in nemoribus, quàm in agris, pratis, paſcuis, & aquis, ſervis & ancillis (exceptâ uxore Leobaudi de Trecis, & infantibus ejus) & in omni uſu conſuetudinario, & in præſenti pro veſtiturâ dimidiam partem reddituum. Præterea concedo redditus venditionis ſalis, id eſt, Salagium de Barro ſuper Albam, & juſtitiam ejuſdem Salagii, ſi quis inde foris-fecerit. Concedo etiam in poſſeſſione Iſlenſi ea quæ & pater meus conceſſit, videlicet villam ſancti Theobaudi de Volvâ, & duo molendina ſuper ripam Sequanæ ſita, culturam quoque meam ex integro, quæ vulgariter Cumina vocatur; aliaſque agrorum partes quæ juri meo attinent: pratum etiam muro Trecenſi adjacens, quod frater meus ODO Comes Eccleſiæ ſancti Quintini dedit perpetualiter poſſidendum. Concedo item apud Iſlas furnum bannalem. Concedo molendinum quoque de Larricurte ſicut teneo; & quamdam culturam apud caſtrum Vallis coloris; & tertiam partem in molendino, & tertiam in furno huic dono adjicere diſpoſui. Ne hoc autem aliquando caſſaretur, vel tergiverſatione alicujus calomniatoris infringeretur, conjugem meam CONSTANTIAM filiam Regis Francorum, necnon Comitiſſam ADELAM uxorem fratris mei Comitis Stephani, nepotes quoque meos filios ejus, conceſſores ſpontaneos & laudatores huic meæ legitimæ dationi adhibui.

In territorio verò Rhemenſi villam ſanctæ Walburgis, quæ alio nomine Diona vocatur, & juſtitiam ejus cum appenditiis ſuis (ſicut in aliis chartis ſcriptum reperitur) eidem ſupradictæ Eccleſiæ Moliſmenſi jure perpetuo tenendam contradidi: hoc idem uxore meâ Conſtantiâ, ex cujus parte in jure meo tranſiit, annuente, & fratre ſuo LUDOVICO approbante, & ſigillo proprio confirmante.

Huic conceſſioni meæ aſſenſum præbuit Dominus meus MANASSES Rhemenſis Archiepiſcopus cum Clero ſuo, ſuper his quæ ad eum pertinebant, exoratus ſupplicationibus meis. Acta ſunt hæc apud Trecas quinto Nonas Aprilis, Anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo quarto, Indictione duodecimâ, Epactâ vigeſimâ ſecundâ, Concurrente V. in ſede Romanâ vicem Apoſtolicam gerente Domino Papa PASCHALI, RICHARDO Albanenſi Epiſcopo, Apoſtolicæ ſedis Legato, de negotiis Eccleſiaſticis in generali Concilio Trecis tractante, PHILIPPO Epiſcopo ejuſdem Eccleſiæ præſidente, Francorum Regnum PHILIPPO & filio ejus LUDOVICO regente, HUGONE Comite filio Theobaudi Campaniæ Comitatum pacificè Dei gratiâ retinente, cujus largitione præſcriptarum rerum donatio conceſſa, auctoritate corroborata, petitione in Eccleſiâ Trecenſi coram omni Synodo recitatâ, à præfato RICHARDO Cardinali approbata, & à conſedentibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus collaudata, imò tam Clericorum, quàm Laicorum judicio eſt generaliter confirmata; de quibus aliquos nominamus, & ad corroborationem hujus Chartulæ hic inſcribendos judicavimus.

DAIMBERTUS Archiepiſcopus Senonenſis, RODULFUS Toronenſis, IVO Epiſcopus Carnotenſis, HUMBAUDUS Autiſſiodorenſis, HERVEUS Nivernenſis, MARBODUS Rhedonenſis, ROTBERTUS Lingonenſis, NORGANDUS Eduenſis, HUGO Catalaunenſis, PHILIPPUS Trecenſis, RAIMANDUS Præpoſitus, GERARDUS, GOCELENUS, & DROGO Archidiaconi, & cæteri ejuſdem Eccleſiæ Canonici. Abbates hi in-

tes fuerunt, Hugonous Majoris Monaſterii Abbas, Lambertus Fulcarienſis, Rodulfus ſancti Petri inſulæ Germanicæ, Otho Arremarenſis. De Laicis fuerunt, Milo Comes de Barro, Milo de Cacemingo, Wido de Wangioniſrivo, Gaufridus filius Otranni, Ramerius de Caſtellione.

His ita, ut præſcripſimus, in Trecenſi Concilio geſtis, eodem anno convenimus Moliſmum Ego Hugo Trecenſis, & Welmus Comes Nivernenſis, pro quibuſdam negotiorum noſtrorum rebus tractandis, quos honorificè licet invitos procedentes exceperunt; poſt proceſſionem verò, ut credo, divinitùs tactus, in præſentia Domni Roberti Abbatis, cæterorumque Monachorum adhuc in albis aſtantium, acceſſi ad Altare; & medietatem de Rumiliaco, quam mihi in vitâ meâ retinueram, & poſt diſceſſum dare diſpoſueram (nam alteram medietatem jam ex toto Eccleſia poſſidebat) extracto de proprio digito annulo, id donum de totâ poteſtate ſuper Altare ponens, deinceps jure perpetuo poſſidendam contradidi. Teſtes ſunt Guillelmus Nivernenſis, Walterius Vicecomes de Clamiciaco, Hugo de Tilio, Andreas Rameruci Comes, Hugo, cognomine Brito, filius ejus, Milo Comes de Barro, Gaufridus filius Otranni, Lebaudus, & Grimaudus Trecenſis, Theobaudus tunc puer, filius Comitis Stephani fratris mei.

Poſtea denique Hieruſolymam tendens, Moliſmum diverti orationis causâ, ibique qui de poteſtate Rumiliaci apud Trecas morabantur omnes homines, & eorum mulieres, dono ſuperiori addidi. Concedo igitur Deo & B. Mariæ Moliſmenſi univerſos qui de poteſtate Rumiliaci degunt tam apud Trecas quàm & Iſlas, ne aliquid de poteſtate jam dudum conceſsâ minuiſſe, vel decidiſſe videar, exceptâ uxore Leobaudi & filiis ejus. Concedo etiam ſalvamentum eorum omnium, quorum capita ſunt S. Mariæ Moliſmenſi in poteſtate Rumiliaci. Licet igitur hæc dona præſcripta diverſis fuerint collata temporibus, in unam tamen volui paginam univerſa congerere; utque inconvulſa permaneant, ſigilli mei impreſſione confirmare, & ſubſcriptis teſtibus corroborare decrevi. Sed & hoc non prætereundum, ſi quis de Caſamento meo aliquid Eccleſiæ Moliſmenſi dedit, vel in futurum dare voluerit, ratum & firmum concedo permanere; quod & jam omnibus Eccleſiis me confiteor conceſſiſſe; ſi quid verò minus inventum fuerit ſcriptum in Chartula iſta de donis patris mei, & fratrum meorum, & meis, quàm jus popoſciſſet, non idcircò quæ ſcribi memorialiter non potuerunt, & tamen dudum conceſſa habentur à nobis, à confirmatione iſtâ removeo, ſed ſicut ſcripta iſta inſcripta, quæ hactenùs tenuit Moliſmenſis Eccleſia, fixa permanere decerno.

S. Guillelmi Comitis Nivernenſis. S. Airardi Comitis Briniæ. S. Milonis Comitis Barri. S. Hugonis Comitis Riſvelli. S. Guidonis Gaunelyus. S. Rogerii de Vincivilla. S. Hamonis Deſclouées, & Gaufridi de Calmonte. Bertrannus Sine terrâ. Gaufridus Formerius. Haio de Moneta; Pontius de Triaguello, Hilduinus de Marrolas, Roſo filius Albrée, Achardus Rhemenſis. Acta ſunt hæc & confirmata apud Caſtellionem, Anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo octavo. Ego Comes Theobaudus omnia dona avunculi mei Comitis Hugonis quæ in præſenti paginâ continentur, pro anima Patris mei, & Anteceſſorum meorum, laudo, & confirmo Moliſmenſi Eccleſiæ: & inſuper quidquid de Caſamento meo datum ei fuerit à Caſatis meis gratanter concedo, & ſigillo præſenti confirmo, cum ſubſcriptis teſtibus, S. Milonis Comitis de Barro: S. Guidonis Wangionis-Rivi: S. Rogerii de Joviſvilla: S. Andreæ de Baudimento: Gaufridus de Trecis, & Otrannus filius ejus, Roſcelinus de Vendobo; Milo de Diumvillâ, Pontius de Capis.

****

Idem Concilium approbat iterum præfatam Donationem.

Ego Hugo Comes Campaniæ, Comitis Theobaldi filius, notum volo fieri omnibus ſanctæ Eccleſiæ Fidelibus præſentibus & futuris, &c. *ut ſuprà.*

His itaque in Trecenſi Concilio geſtis, & per excommunicationis ſententiam ne in poſterum poſſint infringi ſolemniter antedicatis, ego ipſe cum illuſtribus viris Hugone Borrello Duce Burgundiæ, Willermo Nivernenſi Comite, dicto Comite de Barro, Airardo Briniæ Comite, Hugone Rivelli Comite, Jofrido Calvimontis Domino, Rogerio Joviſvillæ Domino, Pontio Triagnelli Domino, Moliſmum adveni pro negotiis meis & eorum tractandis, meque & eos Robertus primus loci illius Abbas cum Monachis ſuis honorificè excepit: poſt orationem vero ad magiſtrum Altare accedens aſtantibus dicto Duce & quatuor Comitibus, & Baronibus prædictis, medietatem Rumiliaci, quam mihi in vitâ meâ, antequàm Moliſmum veniſſem, retinueram, & ibi poſt diſceſſum meum dare diſpoſueram, nam aliam medietatem jam integrè poſſidebat Eccleſia, extracto de proprio digito annulo, donum de totâ poteſtate Rumiliaci ſuper Altare ponens, eidem Eccleſiæ contradidi jure perpetuo poſſidendam, dictam ſcilicet poteſtatem adjiciens. Quòd ſi quis de Caſamento meo aliquid eidem Eccleſiæ dare voluerit, liceat ei, ratumque hoc & firmum concedo in perpetuum permanere. Id ipſi dicti Nivernenſis, Barri, Briniæ, Rivelli Comites, & dicti Barones mecum aſſiſtentes ſicut prædictæ Eccleſiæ de Caſamento meo conceſſiſſe me viderunt, & ipſi exemplo meo compuncti, meiſque inducti precibus, ſinguli eorum una cum dicto Duce eidem Eccleſiæ conceſſerunt perpetuò poſſidendum, quidquid de eorum Caſamento Eccleſiæ illius Monachi quolibet modo in poſterum ſibi acquirerent: teſtes inde ſunt unà mecum Walterius Vicecomes de Clamceio, Hugo de Tilio, Andreas Rameru Comes dator & conceſſor Eccleſiæ de Caſamento ſuo, quod alii, Hugo cognomine Brito filius ejus, Gaufridus Otraoni filius, Lebaudus, & Grimaudus de Trecis, Theobaldus puer filius Comitis Stephani fratris mei. Adjecit autem huic conceſſioni ſuæ dictus Comes Barri, donans eidem Eccleſiæ aquarum ſuarum piſcariam apud Villam ſuam de Vertoil, &c. *ut in prædictâ chartâ.*

CONCILIUM LOSDUNENSE,

Celebratum An. Chr. MCIX. *à* GIRARDO *Engoliſmenſi Epiſcopo R. E. Legato.*

Ego Girardus Dei gratiâ Engoliſmenſis Epiſcopus, Romanæ Eccleſiæ Legatus, aliique Fratres qui nobiſcum erant Andegavis apud Monaſterium S. Albini, in cellâ Noviciorum ejuſdem Monaſterii, ad quamdam cauſam ventilandam & diſcutiendam, quæ erat inter Abbatem S. Martini Majoris-Mona-

Renu

ſterii, & Canonicos de Camiliaco, de Capellâ prædicti Caſtri, convenimus. Utrique enim & Monachi & Canonici præſentes affuerunt, utrique cauſas ſuas ordine exegerunt: auditis utrorumque rationibus de judicio tractare cœpimus. Et quia non omnes unanimiter conſenſimus, dilatum eſt judicium ad Concilium uſque Loſduni ad præſens futurum: peracto ex more Concilio, venerabiles Fratres & Coëpiſcopos qui interfuerunt Concilio in unum convocavimus, & cum eis diligenter de judicio prælibatæ cauſæ tractavimus. Quod ita pari conſenſu diffinitum atque ſancitum eſt, ut Capella S. Stephani Parochiali Eccleſiæ, quæ in honore B. Petri Apoſtoli fundata eſt, inhæreat, uniatur, & ſic Monachi matrem & filiam poſſideant. Hujus autem diffinitionis nobiſcum judices fuerunt, Ernaldus Archiepiſcopus Burdegalenſis, Petrus Santonenſis Epiſcopus, Petrus Pictavenſis, Marbodus Redonenſis, Hildebertus Cenomanenſis. Celebrato autem ſolemniter judicio, venerabili fratri noſtro, Abbati videlicet Willelmo Majoris-Monaſterii, & Monaſterio ejus ſuam Capellam reddidimus. Ut autem diffinitio iſta firmior permaneret, ſigillo noſtro ſigillari præcipimus, & manu noſtrâ ſubſcripſimus. Acta eſt autem diffinitio iſta in Eccleſiâ Beatæ Mariæ Loſduni, in quâ Synodus ſederat, anno ab Incarnatione Domini MCIX. III. Indictione, Paschali II. Romanam Eccleſiam regente, Regnum Francorum Ludovico Rege tenente, Andegavenſium plebibus Fulcone juniore præſidente.

Ego Girardus Engoliſmenſis Epiſcopus, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Legatus, huic diffinitioni ſubſcripſi.

EX GESTIS [a] BELVACENSIS CONCILII.

Anno 1114. a

INTER cætera Belvacenſis Concilii decreta hoc à Domno Conone Prænestino Epiſcopo, & Apoſtolicæ ſedis Legato; Archiepiſcopis quoque Remen-

a *Ex geſtis*] Acta Concilii Belvacenſis A. C. 1114. celebrati, præſidente Conone Epiſcopo Prænestino, & Apoſtolicæ Sedis Legato, ex parte damus in lucem, ait Acherius, ut fert epigraphe Cod. MS. Bibliothecæ S. Michaëlis in periculo maris, ad hunc modum: *Ex geſtis Belvacenſis Concilii.* Meminit Concilii Belvacenſis Guibertus de Novigento lib. 3. de vitâ ſuâ, cap. 16. in fine, ubi de hæreticis Manichæorum ſectæ adhærentibus hac ipſâ tempeſtate exortis atque extinctis agit: *interea perreximus ad Belvacenſe Concilium, conſulturi Epiſcopos quid facto opus eſſet.* Meminit quoque Appendix ad Sigibertum, quæ Roberti de Monte nomine falsò circumfertur: *Anno 1114. in civitate Belvacenſi à Conone Sedis Apoſtolicæ Legato Concilium celebratur. Hic eſt Cono*, &c. & Nicolaüs Monachus Vitæ S. Godefridi Ambianenſis lib. 3. cap. 3. & ſeqq. Clarius in Chronico S. Petri Vivi ad eum annum.

Habitum itidem eſt aliud Concilium Bellovaci eodem Conone Legato, An. 1120 (quod Scriptores hactenos prætermiſit) uti ſcriptis mandavit Liſiardus Sueſſionenſis Epiſc. in vitâ MS. S. Arnulfi deceſſoris ſui, cap. 15. de Elevatione corporis ejus.

„ Hæc & alia ſupernæ patriæ documenta poſtquam ad aures Domni Lamberti, ſive ad notitiam devoti populi altiùs pervenerunt, idem Epiſcopus iniit conſilium in Concilio Belvacenſi quintodecimo Kalend. Novembris cum quibuſdam Coëpiſcoporum ſuorum, quid facto opus eſſet ad laudem Dei magnitudinem. Intererant ibi Epiſcopi Francorum Willelmus Catalaunenſis Columna Doctorum, Gaufridus Carnotenſis Epiſcopus, Daimbertus Senonenſis Archiepiſcopus, Aurelianorum Epiſcopus, Pariſiorum Epiſcopus, Petrus Belvacenſis Epiſcopus, Engelrannus Ambianenſis Epiſcopus, Robertus Attrebatenſis Epiſc. Joannes Morinorum Epiſcopus, Lambertus Tornacenſis Epiſc. Burchardus Cameracenſis Epiſc. Bartholomæus Laudunenſis; Lisiardus ego indignus Sueſſionenſis Epiſc. Abbatum, Archidiaconorum, Præpoſitorum, & copioſa Cleri multitudo. Inter cæteros autem affuit ipſe Aldenburgenſis Abbas, ferens in manibus Libellum de Vitâ & moribus, miraculorumque geſtis ipſius S. Arnulfi: quem libellum ego de manibus ejus accipiens aperui, & apertum obtuli Epiſcopis, dicens: Ecce Domni Libellus ipſe, qui me conſcio, meque auctore de vitâ ejus conſcriptus eſt, cui quod vera ſunt omnia quæ narrat, teſtimonium in fide perhibeo, & de cujus miraculis, & hic quoſdam, & domi plures valde teſtes veraces adhibeo. Hunc Libellum poſtulo à vobis diligenter conſiderari, ut ex ejus notitiâ valeatis quid de illo agendum ſit, meliùs informari. Veſtra autem Sanctitas audiat judicium meum, quoniam ſi in Diœceſi mihi commiſſâ pauſaret, longum eſt quod in terrâ non jaceret. Tunc Willelmus Catalaunenſis Epiſcopus accepit Libellum, & inſpiciens à principio vidit numeroſitatem capitulorum, & ait ad Epiſcopum Tornacenſem: Domne quid amplius quæritis? abſque Libello iſto ſufficit vobis teſtimonium Domni Epiſcopi Sueſſionenſis, & Clericorum ejus, debet vobis magnam fiduciam præbere iſte talis Abbas, cujus & ætas inſpicienda eſt, & prudentia beneplacet: Libellum verò iſtum, quia Synodalibus negotiis occupamur, percurrere non vacat. Juffredus Epiſcopus Carnotenſis ait: Domne Tornacenſis, dico vobis in veritate, ſi Dominus talia vel ſemel feciſſet circà aliquem prædeceſſorum meorum, ego nec Papam, nec Legatum, nec vel Archiepiſcopum conſulerem.

Interim dum hæc ab Epiſcopis decernuntur, quidam nobiles Magiſtri Scholarum acceperunt Libellum, & curſim perlegerunt quædam geſtorum capitula. Quidam ergo eorum concurrentes ubi erant Epiſcopi, cum magnâ conſtantiâ fatebantur: Reverâ ex Deo non eſt, qui hujus Sancti exaltationi contrarius eſt. Tunc Guillelmus Catalaunenſis Epiſc. ait: Per Deum turpe eſt, quòd de re tam apertâ dubitamus; unde vos Domne Tornacenſis cum Domini gratiâ, remotâ omni ambiguitate, ſtatuite diem quo ad locum conveniatis, & ſanctum Domini ſervum de terrâ elevando honorificè recondatis. Lambertus Epiſcopus ait: Ecce Legatus in hac ipſâ Baſilicâ cum noſtro Archiepiſcopo Remenſi, vel Turonenſi, eminus reſidet, rogo vos, placeat vobis ante illos venire, & veſtram ſententiam illorum judicio confirmare. Epiſcopi dixerunt: In nomine Domini fiat. Ut ventum eſt, Lambertus Epiſcopus dixit Domno Catalaunenſi: Rogo agite cauſam meam. Cumque ille brevi facundiâ ante Legatum & Archiepiſcopos cauſam explicuiſſet, tam Legatus Cono, quàm & Remenſ. Archiepiſcopus unâ voce reſponderunt: Judicium veſtræ auctoritatis plenè ſuſcipimus, & Decretum veſtri conſenſus roboramus. Ita Epiſcopus Lambertus convocans Abbatem, deſignabat diem quò Aldenburg conveniret, id eſt, Calendis Maii, & viri Dei corpus ſanctum de humo levatum juxtà morem Gallicanæ Eccleſiæ, ceu reverâ ſanctum reponeret. Dedit etiam litteras cum ſigillo, quibus omnem Tornacenſis diœceſis populum ad tam ſanctum officium convocaret.

Famâ volans paſſim celeri currente meatu
Diverſos populos has ſedes viſere fecit.

Taceamus de Flandriâ, Walachrenſes, Scoldanii, Bevelandenſes, Antuerpienſes, Texandriani, Waſiani, Brabantini, Menapenſes, Morinenſes, Boloſienſes, vel cæterarum regionum plebes ubertim affuerunt. Tempore itaque præſtituto advenit Epiſcopus cum Tornacenſi Archidiacono honorabili Rotberto, & magnâ copiâ Cleri. Et prælato crucis trophæo, allato quoque Sacri Evangelii corpore, cum cereis & odoribus, concinente populo, aperitur tumulus, &c.

Itemque cap. 18. annus quo geſta ſunt iſthæc nempe paulo poſt peractum Concilium, deſignatur. „ Facta eſt autem hæc S. Arnulfi Tranſlatio primâ die Maii, Indict. XIV. ſub anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo vigeſimo primo, Francorum ſceptra tenente Lodovico Filio Philippi annis quatuordecim, Flandriæ Comitatum agente Carolo filio Regis Danorum, cujus uxor fuerat filia Roberti Comitis, Cœnobium Haldenburgenſe regente Arnulfo Abbate per annos jam ſexdecim, &c.

Extabat vita S. Arnulfi in cod. MS. Abbatiæ Longipontis Ord. Ciſt. quam, ſi Deus voluerit, dabimus cum aliis Benedictinæ Familiæ Beatis.

His addemus quod Liſiardus dicit Daimbertum Senonenſem Archiepiſcopum huic Synodo adfuiſſe, negari à Clario ſcriptore Chronici S. Petri Vivi, qui illâ ætate florebat

li, Bituricenſi, ac Senonenſi, nec non & ſuffraganeis eorum, multiſque aliis Synodalibus viris concorditer & unanimiter ſtatutum eſt; ut quæcumque res vel poſſeſſiones cuilibet Eccleſiæ datæ, & ab eâ anno & die quietè, id eſt, ſine ſynodali proclamatione poſſeſſæ fuerint, eidem Eccleſiæ perpetuâ ſtabilitate permaneant. Quod qui violaverit, à communione arceatur, donec Eccleſiæ ſatisfaciat, & quæ abſtulit libere reſtituat. Neceſſarium enim arbitrati ſunt novis morbis nova medicamentorum genera opponere, præſertim cum viderent multos laïcos non ſolùm Eccleſiis nil conferre, imò, quod nequius eſt, quæ à fidelibus & Deum timentibus collata ſunt, violenter, ſi liceat, auferre. Incongruum etiam & injuſtum viſum eſt, ut cum hæc inter ſæculares lex teneatur, ſancta Dei Eccleſia minori contrà eoſdem ſæculares jure utatur. Verùm hoc dumtaxat adverſum laïcos. Inter Eccleſias verò tricennalis jus poſſeſſionis ſecundùm ſacros Canones conſervetur.

Urbanus ſecundus in Concilio Romano.

Nullus laïcus decimas ſuas aut Eccleſiam, aut quidquid Eccleſiaſtici juris eſt, ſine conſenſu Epiſcopi, vel Romani conceſſione Pontificis, monaſteriis aut Canonicis offerre præſumat. Quòd ſi quis Epiſcopus improbitatis causâ & avaritiæ conſentire noluerit, Romano Pontifici nuntietur, & cum ejus ſcientiâ quod offerendum eſt, offeratur.

Ex libro Legum novellarum divi Valentiniani, cap. 12.

Si lis infrà tricennium inchoata fuerit, & non definita, quaſi nec cœpta fuerit, ita habeatur extincta.

Ex Concilio Spalenſi ſecundo, cap. 1.

Placuit, ut omnis parochia, quam ab antiquâ ditione ante militarem hoſtilitatem retinuiſſe Eccleſiam ſuam quiſque comprobaret, ejus privilegio reſtitueretur. Non enim erit objicienda præſcriptio temporis, ubi neceſſitas intereſt hoſtilitatis.

Ex Concilio Lugdunenſi, cap. 5.

Non liceat Epiſcopo, nec Abbati, nec alicui, terram Eccleſiæ vertere ad aliam, quamvis ambæ ſint in ejus poteſtate. Tamen ſi commutare voluerint terras earum, cum conſenſu ambarum faciant.

Ex Decretis Gregorii VII.

Quia dies Sabbati apud Sanctos Patres noſtros in abſtinentiâ celebris eſt habitus, nos eorumdem auctoritatem ſequentes ſalubriter admonemus, ut quicumque ſe Chriſtianæ religionis participem eſſe deſiderat, ab eſu carnium, eadem die, niſi majori feſtivitate, vel infirmitate impediente abſtineat.

Gregorius Papa VII.

Qui ſacros Ordines tranſiliunt, ſuſpendantur ab officio, & ſi meruerit vita eorum indulgentiam conſequantur, & interſint ordinibus quos amiſerunt.

Ex Concilio Claromontano.

Interdictum eſt, ne Reges, vel aliqui Principes aliquam inveſtituram de honoribus Eccleſiaſticis faciant.

Ex Concilio Pictavenſi à Joanne, & Benedicto Cardinalibus, cap. 1.

Ut nullus præter Epiſcopum Clericis coronas benedicere præſumat, exceptis Abbatibus, qui illis tantùm benedicant coronas, quos ad converſionem ſuſceperint.

Decretum Gregorii VII. & Urbani ſecundi.

Preſbyterorum filios à ſacri altaris miniſteriis removendos decernimus, niſi aut in Cœnobiis, aut in Canonicis Regularibus religiosè probati fuerint converſati.

Urbanus Papa II. in Concilio Claromontano, cap. 12. Inc

Ne ulli filii concubinarum, & Clericorum, Preſbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum ad ordinationes, vel ad alios honores Eccleſiaſticos promoveantur, niſi Monachi, vel regulares fiant.

Urbanus II. in eodem Concilio, cap. 14. Ibi

Nulli Clerico liceat deinceps in duabus civitatibus duas præbendas obtinere, eum duos titulos habere non poſſit.

Item ejuſdem. Ibid

Ut nullus deinceps in unâ Eccleſiâ honores geminos habeat.

Item ejuſdem Urbani. Ibid

Nullus Sacerdos, vel Diaconus, vel Subdiaconus, ſed & nullus qui Canonicatum habet, fornicationis ſibi copulam adjungat. Quòd ſi quis fecerit, à Canonicatu arceatur.

Idem in Concilio Romano. Ter

Nullus Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, de conſecratione Epiſcopi, vel Abbatis, neque cappam, neque bacinos, neque tapetia, aut quodlibet munus accipere præſumat.

Item, cap. 5.

Quicumque adhuc pueri cupiditate parentum aliquod Eccleſiaſticum beneficium per pecuniam adepti ſunt, illo dimiſſo, ibidem miſericorditer & in ſacris ordinibus vivere poſſunt.

Item in eodem, cap. 6. Va

Illi verò qui per ſeipſos cum jam majoris eſſent ætatis, nefandâ cupiditate ducti honores emerint, ſi in aliis Eccleſiis canonicè vivere voluerint, ſervatis propriis ordinibus pro magnâ miſericordiâ ibi eos miniſtrare permittimus.

Item idem in eodem, cap. 7.

Ut nulla inveſtitura fiat præbendarum, vel altarium, ſeu prælationum, vel promiſſio viventibus & eas poſſidentibus perſonis.

Idem Urbanus Clero Mediolani.

Si quis Preſbyterorum, vel Diaconorum, vel Subdiaconorum officium contumaciter deſerens, fœminam ſibi potiùs elegit, ſicut ſponte ob fornicationem dimittit officium, ita ob prævaricationem dimittere cogatur & invitus beneficium.

Item idem populo Mediolani.

Eos etiam qui ut fornicari liceat, divinum officium derelinquunt, & à Deo recedentes Diabolo & ejus operibus ſerviunt, ſicut ſe juſtiſſimè officio alienos faciunt, ita beneficio Eccleſiarum privatos eſſe abjudicamus.

Urbanus Gar . . . .

Clericum, quo jaciente lapidem puer dicitur in-

Digitized by Google

eeremptus, nos pro amore tuo in eodem ordine permanere permittimus, ut tamen ſemper in pœnitentiâ & timore permaneat.

Cap. 11. *Ex Concilio Claromontano ab Urbano II. celebrato.*

Ne aliquis laïcus alterius hereditates ſibi uſurpet. Quòd ſi quis fecerit, nec ſatisfecerit, nullus ſacer-
Cap. 12. dos interim eum ad pœnitentiam admittat. Similiter & alium quemlibet, niſi perfectam confeſſionem fecerit. Verbi gratiâ, ut ſi perpetrato homicidio manſerit in adulterio, vel hujuſmodi, ad perfectam pœnitentiam minimè recipi debere decretum eſt. Attamen conſilium ut jejonet, & eleemoſynas det, detur ei tantummodo ut ad viam veritatis redire poſſit.

Ex Concilio Romæ Paſchali ſecundo præſidente celebrato.

Quicumque res naufragorum diripiunt, ut raptores, & fratrum necatores, ab Eccleſiæ liminibus excludantur.

Gregorius quartus v. libro regiſtri ſui.

Prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta ſequentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut Sacramento adſtricti ſunt, Apoſtolicâ auctoritate à ſacramento abſolvimus, quouſque ipſi ad ſatisfactionem veniant; & ne eis antea fidelitatem obſervent, prohibemus.

Alexander ſecundus Guillelmo Marchioni.

Audivimus quòd Henricus Ravennas dictus Archiepiſcopus, niſus te ſit excommunicare, quod quia excommunicatus, excommunicare non potuit te, Apoſtolicâ auctoritate tuoſque abſolventes, mandamus exinde non curare.

Gregor. VII. *Gregorius Henrico Leodienſi Epiſcopo.*

Pervenit ad nos te ab Arnulfo Comite ad nequitiæ ſuæ argumentum gladiis jurare compulſum, quòd ablata nunquam repeteres. Unde Apoſtolicâ auctoritate te abſolvimus, ut non tuæ vel alicujus conſcientiæ ob hoc videaris obnoxius.

Anno 1119.

CONCILIUM TOLOSANUM,

Ex Chartulario Monaſt. Aniane.

Preſidente CALIXTO Papa II. Anno MCXIX.

CALIXTUS Epiſcopus Servus Servorum Dei, Dilecto Filio PONCIO Anianenſis Monaſterii Abbati, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Super Cellâ S. M. de Gordiano jam diù apud Sedem Apoſtolicam facta quæſtio invenitur. Siquidem Domini noſtri ſanctæ memoriæ PASCHALIS Papæ temporibus, & vos veſtro, & Monachi Caſæ-Dei ſuo eam vendicare Monaſterio ſæpiùs tentaverunt. Poſt multas autem querimonias, cum prædictus Dominus allegationes veſtras diligentiùs conſtituto tempore audiviſſet, veritate tandem ſagaciter indagatâ, Cellam ipſam Monaſterio veſtro adjudicavit, & in quæſtione illâ Monachis Caſæ-Dei perpetui ſilentii taciturnitatem indixit, ſicut in diffinitionis ejus ſcripto pleniùs continetur. Cæterùm Fratres illi etſi ex tunc toto ejuſdem Domini tempore quieviſſe viſi ſunt, ante nos tamen apud Clarummontem eamdem querimoniam renovarunt, aſſerentes ſe in judicio prægravatos, eo quod ipſorum juſtitia non ad plenum fuit inquiſita. Nos ut nulla eis adversùs Apoſtolicam Sedem clamoris relinqueretur occaſio, eorum ſcripta & rationes perſcrutati ſumus, & nihil roboris, nihil in eis momenti reperientes, Fratribus ipſis deſiſtere ab hac deinceps inquietatione præcepimus.

Hoc Frater noſter ATO Arelatenſis Archiepiſcopus audiens, & ipſe clamare cœpit, dicens: Arelatenſem Eccleſiam injuſtè ſuis poſſeſſionibus ſpoliatam, quoniam prædicta Cella de Gordanicis cum rebus ſuis ad jus Arelatenſis Eccleſiæ pertinebat, & per eam Monachi Caſæ-Dei locum illum ſub cenſu annuo detinuerant. Cumque id frequentiùs inculcaret, ne aliquam ei videremur inferre injuriam, diem agendæ cauſæ apud Montempeſſulanum ſtatuimus, ubi pars utraque conveniens ſuas protulit rationes. Quibus ſufficienter inſpectis, & Fratrum noſtrorum ſententiâ judicatum eſt, Archiepiſcopum debere ſuper eâdem Eccleſiâ reveſtiri, ſi Arelatenſem Eccleſiam locum illum ante Domini noſtri judicium poſſediſſe idoneis teſtibus comprobaret. Judicio itaque adimpleto, mox ei reſtituta eſt poſſeſſio, ſalvo nimirum Anianenſis Monaſterii jure, ſi quod eſſet. Tunc etiam terminus conſtitutus eſt, in quo de proprietatis jure apud Toloſam in utriuſque partis præſentiâ tractaretur. In ipſo ergo Concilio quæſtio mota eſt. Et quidem [a] Anianenſes Monachi Cellam illam per Lodoici Imperatoris, KAROLI Magni Imperatoris filii, & filii ejus KAROLI Regis ſcripta & largitiones Anianenſi Monaſterio vendicabant. Archiepiſcopus verò ſe LODUICI, filii BOSONIS Regis Viennæ, chirographo tuebatur. Causâ itaque aliquamdiù coram omnibus ventilatâ, nos Fratribus noſtris CONONI Prænestino, & LAMBERTO Oſtienſi Epiſcopis & Cardinalibus, BOSONI ſanctæ Anaſtaſiæ, DEUS DEDIT ſancti Laurentii in Damaſo, & JOHANNE S. Chryſogoni Presbyteris & Diaconibus, PETRO ſanctorum Coſmæ & Damiani, GREGORIO ſancti Angeli, & GRYSOGONO S. Nicolai de Carcere, & Archiepiſcopis OLDEGARIO Terraconenſi, & BERNARDO Auxienſi, & item Epiſcopis RAIMUNDO Barbaſtrenſi, GUIDONI Laſcurrenſi, GAUTERIO Magalaunenſi, & GALONI Leonenſi, & Abbatibus ARDUINO S. Savini, & AMICO S. Laurentii foras muros præcipimus, ut in partes ſecederent, & controverſiam ipſam judicio Canonico definirent. Egreſſi de Concilio Fratres inter ſe diutiùs contulerunt. Noviſſimè diſcuſſis utrimque rationibus, & chartarum monumentis ſæpiùs revolutis, hujuſmodi ſententiam in Concilii audientiâ ediderunt. Donationis ſcripta, quæ Arelatenſi Eccleſiæ à prædicto Rege LUDOVICO Boſonis filio, poſt LUDOVICI Imperatoris, Magni KAROLI filii, & filii ejus KAROLI Regis confirmationes de Cellâ de Gordanicis collata ſunt, robur nullum obtinent. Quod enim Deo ſemel oblatum fuerat ab aliis, ulteriùs aliis non potuit erogari. Hoc etiam ex abundanti additum eſt, ut Anianenſes Monachi trium idoneorum teſtium aſſertione probarent, Anianenſe Monaſterium Cellam de Gordanicis per triginta annorum ſpatium ſine interruptione legitimâ poſſediſſe, antequàm eam Monachi Caſæ-Dei, per quos Arelatenſis Eccleſia in poſſeſſionem intraverat, obtinerent. Et ſic locus idem in jure deinceps ac poſſeſſione Anianenſis Monaſterii permaneret.

Hanc profectò ſententiam toti Concilio complacere, à Fratribus noſtris Archiepiſcopis, Abbatibus

[a] *Et quidem*] Ad hunc locum ita ſcripſit Baluzius: In Annalibus Anianenſibus MSS. ſcriptum eſt Gordinanicum Monaſterium Anianenſibus conceſſum fuiſſe à Karolo Magno, in gratiam Benedicti Abbatis Anian.

acclamatum eſt. Confeſtim Anianenſes in medium tres ſenes Monachos protulerunt ; qui tactis ſacroſanctis Evangeliis firmaverunt Anianenſes Monachos Cellam de Gordanicis per triginta annorum ſpatium ſine interruptione legitimâ poſſediſſe, antequàm eam Caſæ-Dei Monachi obtinerent.

Prolatam igitur à Fratribus ſuprà nominatis de jam ſæpè dictâ Cellâ ſententiam, & totius aſſenſu Concilii approbatam, nos authore Deo aſſertionis noſtræ munimine confirmamus, & Anianenſi Monaſterio ſuper ea in poſterum inferri calumnias authoritate Sedis Apoſtolicæ penitùs prohibemus.

Quæcumque præterea Anianenſe Monaſterium per authentica prædeceſſorum noſtrorum Johannis, Nicolai, Alexandri, Urbani, Paschalis Pontificum Romanorum privilegia poſſidet, tibi, tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum confirmamus. Idem enim locus ſpecialiter ſub beati Petri jure ac protectione conſiſtit.

Prædictam Cellam de Gordanicis Arelatenſis Archiepiſcopus in manu noſtrâ, per virgam quam geſtabat in conſpectu totius Concilii refutavit. Nos verò tam tibi, fili in Chriſto cariſſime Ponci, & per te Anianenſi Monaſterio, per eamdem virgam protinùs reſtituentes, tam Arelatenſi Eccleſiæ, quàm & Monaſterio Caſæ-Dei perpetuum ſuper eadem Cellâ ſilentium ſub anathematis obligatione indiximus; & inſtrumenta chartarum ab Archiepiſcopo & Monachis Caſæ-Dei vobis reddi præcipimus, ne illorum occaſione aliquis denuò querimoniæ ſcrupulus oriatur. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſæculariſve perſona hanc noſtræ reſtitutionis paginam ſciens, contrà eam temerè venire tentaverit, ſecundò, tertiòve commonita, ſi non ſatisfactione congruâ emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetratâ iniquitate cognoſcat, & à ſacramento Corporis ac Sanguinis Dei & Domini Redemptoris noſtri Jesu-Christi aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jesu-Christi, quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Calixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.
Ego Cono Prænestinus Epiſcopus.
Olegarius Terraconenſis Eccleſiæ diſpenſator.
S. Raimundi Barbaſtrenſis Epiſcopi.
Ego Archiepiſcopus Bernardus Auſcienſis ſubſcripſi.
Ego Lambertus Oſtienſis Epiſc.
Ricardus Narbonenſis Archiep.
Ego Petrus Cardinalis SS. Coſmæ & Damiani.
Ego Boso tituli S. Anaſtaſiæ Preſbyter Cardin.
Ego Ato Arelatenſis Epiſc.
Ego Gregorius Diaconus Cardinalis S. Angeli.
Ego Deusdedit tit. S. Laurentii in Damaſo Preſbyter Cardinalis.
Ego Fulco Aquenſis Archiep. ſubſcripſi.
Ego Galterius Magalonenſis Epiſcopus.
Ego Johannes Preſbyter Cardinalis tit. S. Gryſogoni huic judicio interfui, & ſubſcripſi.
Ego Amicus Abbas S. Laurentii foris muros.
Ego Arduinus Abbas S. Savini.

Datum Toloſæ per manum Chrysogoni Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis ac Bibliothecarii, Idibus Julii, Indictione xii. Dominicæ Incarnationis anno mcxix. Pontificatûs autem Domini Calixti II. Papæ anno primo.

ADDENDA
CONCILIO LATERANENSI,
Præſidente Alexandro Papa III.

*Anni

Ex Co Mane Mart. Bran. Pram

Anno ab Incarnatione Domini milleſimo [centeſimo] ſeptuageſimo nono, Præſidente ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Sanctiſſimo Papa Alexandro III. Pontificatûs ejus vigeſimo, menſe Martio, Indictione undecimâ, quintâ & ſeptimâ & nonadecimâ die menſis: Sedatâ jam diſcordiâ, quæ inter Eccleſiam & Imperium occaſione Schiſmatis per Octavianum hæreſiarcham adversùs prædictum Sanctiſſimum Papam introducti, & per ſucceſſores ejuſdem Octaviani, Guidonem Cremenſem & Johannem Strumenſem diutiùs perdurantis, longo tempore invaluerat. Prædicto, id eſt, ultimo hæreſiarcha & Frederico Romanorum Imperatore, qui huic rei ſe fautorem præſtiterat, ad unitatem matris Eccleſiæ redeuntibus ſedit; præſidente eodem Summo Pontifice Alexandro ſancta generalis Synodus in baſilicâ Lateranenſi, quæ appellatur Conſtantiniana, trecentorum duorum Epiſcoporum à diverſis mundi partibus convocatorum, quorum nomina ſubtùs adnexa ſunt.

De Provinciâ Romanâ.

Hubaldus Hoſtienſis.
Hugo Terracinenſis.
Johannes Fundanus.
Jonatas Fundanus.
Zacharias Marſus.
Odalricius Walvenſis.
Dodo Reatinus.
Formundus Verulanus.
Leo Aletrinus.
Rodulfus Ferentinas.
Aranel Agninus.
Petrus Signinus.
Milo Tyburtinus.
Johannes Sutrinus.
Martinus Nepeſinus.
Censius Tuſcanenſis.
Petrus civitatis Caſtellanenſis.
Armatus Narnienſis.
Paulus Hortanus.
Petrus Amelinus.
Richardus Urbevetanus.
Gratianus Tudertinus.
Vivianus Peruſinus.
Petrus Caſtrenſis.
Leo Cluſinus.
Martinus Groſſetanus.
Paulinus Funenſis.
Gulfranus Sunenſis.
Guilelmus Lucenſis.
Petrus Lunenſis.
Rufinus Aſſiſinas.
Raimerus Caſtellanus.
Rasisericus Spolentinus.
Offreductus Eugubinus.
Alderius Callenſis.
Guisso Urbinas.
Nicolaus Simphronius.
Jacobus Senegallienſis.
Acceptabilis Camerinenſis.
Jordanus Humanenſis.
Petrus Firmanus.

Digitized by Google

Rainaldus Eſinus.
Gentilis Anfumanus.
Minalpus Phanenſis.
Jochelinus Ariminenſis.
Petrus Piſcarienſis.
Julius Florentinus.
Lampractus Feſulanus.
Tedaldus Placentinus.
Stephanus Monopolitanus.
Anſelmus Methenſis.
Radulphus Melfenſis S. Marcii.

Provincia Capuana.

Alphanus Capuanus Archiepiſcopus.
Petrus Themenſis Epiſcopus.
Reinaldus Benefranus.
Reinaldus Aquinas.
Ervsus Sueſſanus.
Porphirius Caſertanus.

Provincia Amalphitana.

Dionisius Amalphitanus Archiepiſcopus.
Johannes Lictrenſis Epiſcopus Ravellenſis.

Provincia Neapolitana.

Sergius Neapolitanus Archiepiſcopus.
Bernardus Nolanus Epiſcopus.
Bartholomæus Achanus Epiſcopus.
Petrus Inſulanus.

Provincia Salernitana.

Rainaldus Salernitanus Archiepiſcopus.
Arnulfus Capreaquenſis Epiſcopus.
Johannes Marſitanus.
Petrus Acunenſis.
Johannes Sernenſis.

Provincia Beneventana.

Baldewinus Aliſanus Epiſcopus.
Petrus Teſelinus.
Petro Triventinus.
Andreas Borsvenſis.
Alasius Gardianus.
Goffridus Termilanus.
Petrus Larinenſis.
Robertus Civitatenſis.
Nicolaus Dracoranenſis.
Robertus Florentinenſis.
Rainaldus Lucerinus.
Johannes de Monte-Maram.
Johannes Aſculenſis.
Bartholomæus Arranenſis.
Jaquintus Frequentinus.
Rogerius Vicenſis.

Provincia Sipontina.

Amandus Vigilenſis Epiſcopus.
Richardus Andrenſis.

Provincia Barenſis.

Rainaldus Barenſis Archiepiſcopus.
Johannes Botintinus Epiſcopus.
Majo Catharenſis.
Paulus Salpitanus.
Arpinus Poliniacenſis.
Capinus Cuperſanenſis.
Rao Briecenſis.
Johannes Melficenſis.
Johannes Cannenſis.
Johannes Lavellanus.

Provincia Brundiſina.

Willelmus Brunduſinus Archiepiſcopus.

Provincia Hidrotina.

Jonatas Hidrotinus Archiepiſcopus.
Peturſius Litienſis Caſtrenſis.

Provincia Tarentina.

Baſilius Tarentinus Archiepiſcopus.

Provincia Veroſina.

Petrus Veroſinus Epiſcopus.
Johannes Potentinus.
Robertus Tritancenſis.
Robertus Gravineoſis.
Rogeam Anglonenſis.

Provincia Coſana.

Herbertus Coſanus Epiſcopus.
Johannes ſancti Angeli de Lombardis Epiſc.
Richardus Periſatienſis Epiſcopus.
Angelus Laquedonenſis.
Nicolaus Montiſviridis.
Petrus Satrianenſis.

Provincia Cuſetana.

Rufus Cuſetanus Archiepiſcopus.
Michael Maturanenſis.

Provincia Regina.

Thomas Reginus Archiepiſcopus.
Guido Neocaſterenſis Epiſcopus.
Philippus Crotomas Epiſcopus Græcus.
Etarantinus Epiſcopus Græcus.

Provincia Siciliæ Meſſanenſis.

Pegrinus Embriacenenſis Epiſcopus.
Jerenus Strombinus.

Provincia Siciliæ Meſſanenſis.

Nicolaus Meſſanenſis Archiepiſcopus.
Guido Cephaledienſis Epiſcopus.

De Oriente Provincia Phœnicis.

W. Tyrenenſis Archiepiſcopus.
Jocius Aconenſis Epiſcopus.
Romanus Tripolitanus.

Provincia Cœleſyria.

W. Glambulepeenſis Epiſcopus.

Provincia Palæſtina ſecunda.

Eraclius Cæſarienſis Archiepiſcopus.
Radulfus Sebaſtenus.

Provincia Palæſtina prima.

Petrus Jeroſolymitanus Eccleſiæ Prior loco Patriarchæ.
Albericus Beetlemitanus Epiſcopus.

Provincia Piſana.

Ubaldus Piſanus Archiepiſcopus.
Sabanenſis Epiſcopus de Corſim.

Provincia Januenſis.

Hugo Januenſis Archiepiſcopus.
Joaphus Maranenſis Epiſcopus de Corſicâ.

De Provinciâ Turrenenſi Sardiniæ.

Johannes Adarenenſis Epiſcopus.
Cometa Apurienſis.

Provincia Ravennatis.

Gerardus Ravennenſis Archiepiſcopus.
Bernardus Parmenſis Epiſcopus.
Albericus Reginus.
Ardicio Mutinenſis.
Johannes Faventinus.
Henricus Cornelienſis.
Johannes Favetinus.
Alixander Lurenſis.
Lanfraous Pompilienſis.
Leonardus Cæſarias.
Gabriel Arienſis.
Alericus Bobienſis.

Provincia Mediolanenſis.

Algeſius Mediolanenſis Archiepiſcopus.
Johannes Bricienſis Epiſcopus.
Galo Bergamenſis.
Vinfridus Cremonenſis.
Alb-ricus Laudenſis.
Obertus Terdonenſis.
Ubertus Aquenſis.
Guigo Saonenſis.
Lauterius Albiganenſis.
Stephanus Vigintimilienſis.
Milo Taurinenſis.
Gannarus Yporienſis.
Bonefacius Novarienſis.

De Provinciâ Aquileenſi.

Garsentinus Mantuanus.
Anselmus Cumanus.
Geraroue Paduanus.
Salomon Tridentinus.

Provincia Venetia.

Henricus Gradenſis Patriarcha.
Marinus Glogenenſis Epiſcopus.
Leonardus Tercellenenſis Epiſcopus.

De Provinciâ Jadarenſi.

Andreas Albenſis.
Lamfredius Abſarenſis.
Drobo Viglenſis.
Renirius Spaletenſis Archiepiſcopus.
Matthæus Nnnenſis.
Michael Sardonenſis.

Provincia Remenſis.

Willelmus Remenſis Archiepiſcopus.
Neveld Sueſſionenſis Epiſcopus.
Tedealdus Ambianenſis.
Reinaldus Noviomenſis.
Rogerius Laudunenſis.
Deſiderius Morinenſis.
Rogerius Cameracenſis.

De Provinciâ Rothomagenſi.

Egidius Ebroïcenſis Epiſcopus.

Provincia Senonenſis.

Guido Senonenſis Archiepiſcopus.
Johannes Carnotenſis.
Symon Meldenſis.
Matthæus Trecenſis.
W. Autiſiodorenſis.
Obaldus Nivernenſis.

Provincia Bituricenſis.

Garinus Bituricenſis Archiepiſcopus.
Giraldus Caturcenſis Epiſcopus.
Sebrandus Lemovicenſis.

Provincia Turonenſis.

Radulfus Andegavenſis.
Galfridus Briocenſis.
Galfridus Coriſopotenſis.
Evdo Leonenſis.

Provincia Burdegalenſis.

W. Burdegalenſis Archiepiſcopus.
Johannes Pictavenſis.
Adelmarus Xantonenſis.

Provincia Auxitana.

Arsius Convenarum Epiſcopus.
Bernardus Olorenſis.
Ademarus Baïonenſis.
Carsias Vaſatenſis.
Arnaldus Bigoritanus.
W. Aquenſis.

Provincia Narbonenſis.

Pontius Narbonenſis Archiepiſcopus.
Johannes Magalonenſis.
Remundus Uticenſis.
Bernardus Biterrenſis.
Odo Carcaſſenſis.

Provincia Bracarenſis.

Johannes Lucenſis.
W. Elenenſis.

Provincia Arelatenſis.

Reimundus Arelatenſis Archiepiſcopus.
Fulco Maſſilienſis.
Pontius Cabellionenſis.
Petrus Avinionenſis.
W. Tricaſtrinus.
Petrus Tolonenſis.

Provincia Aquenſis.

Rinardus Aquenſis Archiepiſcopus.
Petrus Aptenſis Epiſcopus.
Henricus Regenſis.
Bermerdus Seſterenſis.

Provincia Ebredunenſis.

Petrus Ebredunenſis Archiepiſcopus.
Fulco Antipolitanus.
Raimundus Glatenſis.
W. Vencienſis.

Provincia Viennenſis.

Robertus Viennenſis Archiepiſcopus.
Odo Valentinus.
Robertus Dienſis.
Johannes Gratianopolitanus.
Alvicius Gebenenſis.
Lambertus Maurianenſis.

Provincia Tarentaſienſis.

Aymo Tarentaſienſis Archiepiſcopus.
Cono Sedunenſis.

De Provinciâ Lugdunenſi.

Engelbertus Gabilonenſis.

De Provinciâ Biſentinâ.

Rogerus Lauſanenſis Epiſcopus.
Rantaldus Belicenſis.

Provincia Terragonenſis.

Bernardus Terragonenſis Archiepiſcopus.
Raimundus Gerdenſis.
Bernarduus Barchinonenſis.
Petrus Auſonenſis.
Pontius Dertoſanus.
Beroarius Ilerdeuſis.
Arnaldus Urgellenſis.
Stephanus Oſcenſis.
Hugo Rutenenſis.
Petrus Pampilonenſis.
Rodericus Caligorkanus.

Provincia Toletana.

Celesrimus Toletanus Archiepiſcopus.
Raimunuus Paletiuus Epiſcopus.
Gonsaldus Sogobienſis.
Michael Oxomenſis.
Oualricus Seguentinus.

Provincia Compoſtellanenſis.

Petrus Compoſtellanus Archiepiſcopus.
Sancius Abulenſis.
Petrus Civitatis Roderici.

De Provinciâ Treverenſi.

Arnaldus Treverenſis Archiepiſcopus.
Fridericus Metenſis Epiſcopus.

Provincia Colonienſis.

Radulphus Leodinenſis Epiſcopus.

Provincia Maguntina.

Christianus Maguntinus Archiepiſcopus.
Ouo Bambergenſis Epiſcopus.
Arouicus Auguſtenſis.
Bertolous Conſtantienſis.
Olricus Ypirenſis.
Goradus Guamarcienſis.
Ulricus Curienſis.

De Provinciâ Medeburgenſi.

Odo Ciſtenſis Epiſcopus.
Sifridus Branderburgenſis.
Marrinus Miſinenſis.

De Provinciâ Saltiburgenſi.

Conradus Saltiburgenſis Archiepiſcopus.
Coronatis Ponenſis Epiſcopus.
Teubaldus Pataineuſis.

Provincia Bremenſis.

Bernoz Virrenſis Epiſcopus.

Provincia Dania.

Omerus Burgalenſis.

Provincia Anglia.

Cantuarensis.
Rainaldus Barovienſis Epiſcopus.
Robertus Herfordenſis.
Johannes Norvicenſis.
Adam de ſancto Aſaph.
Petrus Menevenſis.

ITEM IN ANGLIA:

Provincia Eboracenſis.

Hugo Dunelmenſis Epiſcopus.

Provincia Scotia.

Gregorius Roſenſis Epiſcopus.

Provincia Hybernia.

Laurentius Dublinienſis Archiepiſcopus.
Catholicus Tereonenſis Archiepiſcopus.
Constantinus Epiſcopus de Culerne.
Bricius Lumbreenſis.
Augustinus Guaterfordenſis.
Felix Epiſcopus Leſmorienſis.

De Ungriâ.

Andræas Bahaſnenſis Archiepiſcopus.

MONITUM.

CLUNIACENSIS ABBATIÆ ANTIQUIORES CONSUETUDINES *ut in lucem proferrem duplici ſum uſus apographo: alterum quingentos præ ſe ferens annos ad me tranſmiſerat Nicolaus Camuzatius Eccleſiæ Trecenſis quondam Canonicus, Anno Chriſti* 1650. *Alterum verò Aſceterium Cluniacenſe, recentiori manu exaratum ſubminiſtravit. E priori ad libri tertii dimidiam partem capitis* 9. *exſcribi tantùmmodò curaveram, quòd mihi diutiùs illud ſervare per tempus non liceret: ſperabam nimirum ſi quando hæ Conſuetudines edendæ forent, iterùm apographi copiam mihi factum iri: at ſpes vana fuit; ſiquidem licet omnem adhibuerim diligentiam, quà meis, quà amicorum literis ac precibus, nullibi tamen, potiſſimùm in Bibliotheca Trecenſi Patrum Congregationis Oratorii, ubi illud aſſervari certò audiveram, apographum potuit reperiri. Auctor harumce Conſuetudinum* UDALRICUS, *nobilitate juxtà & ſanctitate clarus, inſcribitur: è cujus vità paucula quæ ad rem faciunt noſtram hæc habe:* Venerabilis vir UDALRICUS ex illuſtri proſapiâ Bavariorum Ratiſpooæ civitatis, velut lucifer inter cætera poli ſydera, ſic inter totius cognatioois ſuæ relucebat nobile ſchema, &c. *Et multis interjectis:* Ipſe primum, petente Willelmo Hirſaugienſis Cœnobii Reverendiſſimo Abbate, Alamanniæ Monaſteriis CONSUATUDINES CLUNIACENSIS ECCLESIÆ invexit, quas plerique Monaſticæ religionis amatores tanto ſtudio, tantâque veneratione obſervant & amplectuntur, ac ſi opes regias ſe habere gratulentur: de quibus duos (*tres Udalricus aſſerit*) libellos luculento ſermone compoſuit; quorum conſcriptio tam per Alamanniæ, quàm & aliorum regionum Monaſteria longè latèque pervolavit. Quos ſi fortè

leges, quaſdam divinæ ſervitutis, aliorumque officiorum, necnon obedientiæ, humilitatis, Fratrumque charitatis leges conſcriptas in eis repesire, ſtudium, ingeniumque quoque, ſapientiamque viri imbi manifeſtè poteris cognoſcere. Erar enim homo iſte doctus paterfamilias in regno cœlornm, proferens de theſauro ſuo nova & vetera, unde multos ad ſcientiam erudivit, &c.

Asenim non eo quo collegit tempore Udalricus illas Conſuetudines primùm fuiſſe conditas, ſed à multis retrò temporibus jam uſu receptas legents palam fiet, ita ut id confirmari opus non ſit. Quare eas vetuſtiores nuncupare non dubitavi. Alias poſtea ſtio latas à Venerabili Petro Abbase, ut occurreret nonnullis qui irrepſerant diſſolutis quorumdam Cœnobitarum moribus; quas cernere eſt in Bibliothecâ Cluniacenſi.

Et quamvis ad Monachos præſertim attineant Ordinationes iſtæ, multa nihilominùs inibi occurrent quæ ad Eccleſiaſticorum muniorum illuſtrationem, atque ad divina myſteria ritè pertractanda non parum conferunt; puta quæ de auguſto Miſſæ Sacrificio, de Extremæ-Unctionis Sacramento, de confectionis hoſtiarum in altari conſecrandarum ſummâ curâ, & religione ſingulari; deque aliis ad canonicas Deo laudes die noctuque perſolvendas obſervantiis, præſcribuntur. Aſt prætereunda minimè eſt annotatiuncula à me affixa ad cap. 35. De Benedictionibus uvarum, & aliorum fructuum: *ut explicarem verba iſta:* Allatas (*uvas*) Armario repræſentat, & Armarius Sacerdoti inter Canonem ad horam competentem & prænotatam, &c. *Ita ſe habet annotatiuncula:* Scilicet ad hæc verba Canonis, Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas, &c. *Nempe tunc Fideles offerebant novas fruges, uvas, fabas, aliaque id genus, queis Sacerdos in altari benedictionem impertiebatur. In eamdem it ſententiam Durandus Epiſcopus Mimatenſis in libri 4. Rat. capite 46. num. 8. ubi Canonis locum proximè citatum explanat his verbis:* Hoc autem loco benedicuntur uvæ, &c. *Mos enim vetus fuit, & etiamnum in quibuſdam viget Eccleſiis, primitias fructuum Deo conſecrare, quo tamquam Summum Creatorem univerſorum ipſum fidelis populus profiteatur, veneretur, eique gratias de beneficiis ſibi præſtitis agat, ac cœleſti benedictione illis fruendo cumuletur. Et id quidem ex inſtitutione Eutychiani Papæ, uti refert Pontificale Damaſi:* Hic inſtituit fruges, fabas, & uvas in altario benedici. *velut & Martyrologia Rabani & Notkeri. In Concilio Carthag. 3. can. 3. frumenti & uvæ fit mentio; in Concilio quoque Trullenſi can. 28 & Burchardi Decret. lib. 5. capp. 3. & 4. Atque ut ſenſum hic meum apponam, admodum vere ſimile eſt, illa Canonis verba poſſe ſic exponi:* Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas, ſanctificas, vivificas & præſtas nobis, &c. *Hoc eſt per Filium tuum,* ſine quo factum eſt nihil quod factum eſt, *hos fructus, quos tibi nunc offerimus, & abs te benedici poſtulamus, continuò creas ac producis ad bonum & utilitatem noſtram Verùm de ejuſcemodi interpretatione Lectoris eſto judicium.*

Alius etiam codex ſcriptus earumdem Conſuetudinum, à Bernardo Cluniacenſi Monacho concinnatarum, ac B. Hugoni Abbati dicatarum, ſubminiſtravit quædam capita, quæ in utriſque & Cluniacenſi, & Camuzatii codicibus deſiderabantur, nimirum capita 13. 14. & 15. Bernardi autem Præfationis pericopen, ne tota pereat, hoc loco ſubtexere, Lectori, opinor, haud erit ingratum, vel à propoſitum alienum. Sic autem exorditur Bernardus:

REVERENDISSIMO, ATQUE TOTIUS RELIGIONIS PRÆCIPUO DOMNO HUGONI ABBATI,

„ F*Rater* BERNARDUS *filiorum ejus ultimus, quidquid eſſe, dici, & cogitari poteſt ex-*
„ *cellentius.*
„ *Quoniam, Pater Religioſiſſime, loci Cluniacenſis viam univerſæ carnis paulatim ingredien-*
„ *tibus, ac Novitiis ſuccedentibus, quædam de Conſuetudinibus ſæpiſſimè oriebantur controver-*
„ *ſiæ, diverſis diverſa ſentientibus, ita ut plerumque Novitii hæc audientes, incertiores de Ca-*
„ *pitulo diſcederent quàm acceſſiſſent; operæ pretium judicavi ſi veſtra mihi auctoritas imperaret,*
„ *ut cum quantâ poſſem diligentiâ ipſam veritatem inveſtigarem, & ſive ex his quæ ſcripta re-*
„ *perirem, ſive ex his quæ didiceram, vel diſcere poſſem, ſententias veriores atque diſcretiores,*
„ *quibus videlicet probabiliores, & meliùs ordinem ſcientes perſonæ teſtimonium darent, in unum*
„ *volumen redigerem; ſicque æquitatem conſideratam, litteris diligentiùs annotatam poſteris de-*
„ *relinquerem. Hoc itaque Opuſculo pro meæ parvitatis modulo à vobis acceptâ juſſione implet,*
„ *quaſi rivulus ad fontem recurro, Veſtræque Excellentiæ quod ex ejus plenitudine hauſi repræ-*
„ *ſento, &c. Tantùm reſtat, ut veſtra mihi ſuccurrat oratio, quatinus ſequi poſſim quod in vobis*
„ *laudo, & viam quam monſtratis, quamque deſcribere juſſiſtis, tenere ſufficiam ad ſalutem meam*
„ *& gloriam veſtram. Obſecro autem Fratres noſtros ne dedignentur ex ligneo vaſe potum veri-*
„ *tatis ſumere, neque propter fiſtulam plumbeam, per quam fluit, aquam frigidam, claramque*
„ *deſpiciant, ſi eos ſitire contingat, ut ſciant quibus ſententiis inniti debeant, ne à ſanctarum*
„ *Conſuetudinum tramite non recedant. Omnipotens Deus, in cujus manu conſiſtit omnis profectus*

loci

loci Cluniacenſis, conſervet ſanctum caput veſtrum nobis incolume, ut videatis filios filiorum veſtrorum, longoque tempore mundo præbeatis ſolatium.

Hactenùs Bernardi Præfatio; qui æqualis exſtitit ſancti Udalrici, eodemque conſcripſit tempore Conſuetudines, ut conjicere licet, quo & ipſe Udalricus. Cur porrò Udalrici potiùs quàm Bernardi collectionem ediderimus, ratio in promptu eſt: nimirum ob nominis claritatem Udalrici; quodque comptiore ſtilo ac meliori ordine, dialogis ſcilicet, digeſtam ejus collectionem judicaverimus: qui ſcribendi modus, cum de aſceticis rebus, ritibuſve præſertim agitur, faciliori viâ animum inſtruit, ſuadetque.

ANTIQUIORES CONSUETUDINES CLUNIACENSIS MONASTERII

ANNO 1110.

Collectore S. Udalrico Monacho Benedictino.

EPISTOLA NUNCUPATORIA.

DOMINO Reverendiſſimo, ac Piiſſimo Patri WILLELMO, Hirſaugienſi Abbati, ſanctoque Fratrum Collegio ſibi ſubjecto, Frater WLDALRICUS Cluniacenſis Eccleſiæ qualiſcumque Monachus, in Domino ſalutem, & ipſius celerrimam benedictionem & hîc & in futuro. Quotidie meminiſſe cum perſonæ, tùm Eccleſiæ tuæ, Pater dilectiſſime, reverâ ita venit in uſum humilitati meæ, ut jam tam uſus, quàm affectus non patiatur ut ullo die omittatur. Accedit aliquoties admodùm grata, & jocunda memoria pollicitationis tuæ de cavendo ingenio quorumdam hominum ſæcularium, qui nimirum non magnopere curantes de alio, quàm de hac ſolâ temporali vitâ, poſtquàm domum habuerint, ut dicam plenam filiorum & filiarum, aut ſi quis eorumdem claudus erit aut mancus, ſurdaſtes, aut cæcus, gibboſus, aut leproſus, vel aliud quid hujuſmodi quod eum aliquo modo ſæculo facit minùs acceptum, hunc quidem impenſiſſimo voto, ut Monachus fiat, offerunt Deo; quamquam planè non propter Deum, ſed propter hoc tantùm ut ſeipſos expediant ab eis educandis & paſcendis, vel aliis ſuis liberis poſſit eſſe magis conſultum. Ergo ut taceam de his, qui non carent ſanitate corporali, & membrorum integritate, ab his ipſis, qui ſunt ita ſemihomines, vel ita ſemivivi, qualia ſæpiùs experti ſumus perpetrari. Si expediret, in promptu eſt talem nominare, quem ad habitum ſanctitatis non alia ſanctitas quàm ſola ſtrumæ contumelia traxit, & talem quem non niſi pes, ... à quorum utroque vobis etiam teſtibus parum boni proceſſit exempli; quanto minùs ab illis, qui bonæ ſunt valetudinis, ubicumque tanti ſunt congregati, tantæque potentiæ, ut habitudo Monaſterii ſit in illorum manu? Equidem quæ ibi ſit vita, qui vigor diſciplinæ regularis, omnes ſciunt, quicumque ſciunt id genus Monachorum ibi regnare. Adeo tritum eſt & uſitatum, ſi qua diſtrictio hujus ſpiritualis militiæ inter has noſtrorum temporum fæces eſſe poteſt, non eſſe niſi ubi major eſt numerus, & authoritas major illorum, qui non ætate laſcivâ, nec imperio parentum, ſed ſponte ſuâ, & majoris ætatis ſolo Chriſto imperante ad ejus ſe obſequium, rebus ſæculi abdicatis, contulerunt.

Quod prudentia tua perpendens, quamquam ipſe nutritus ſis in Monaſterio, & per vices eveniat, ut flos liliorum de ſpinarum medio emergat, tamen nil adeò curans, quàm quod facit ad cautionem, & metam Religionis ſoliditatem, per miſericordiam Dei, hanc Monaſterii tui legem promulgaſti, ut opus ſit præfatis ſæcularibus alium ſibi nidum providere, ubi reponant pullos ſuos abortivos, velut exheredi-tatos: Deo vidente hîc nihil ulteriùs obtinebit illud eis familiare ingenium, ut ſicut ait Propheta, ova aſpidum, & quod confotum erumpit in regulum, ingerant, & committant piis & Deo dicatis animabus, eis quidem tamquam ancillis ſuis & nutricibus abutentes. De quâ re ſentiat quiſque quod voluerit; ego autem certus ſum illam te radicem funditùs exſtirpaſſe, ex quâ ſolâ præcipuè omnia ſunt Monaſteria deſtructa quæ deſtructa ſunt vel in Theutonicâ, vel in Romanâ linguâ.

Unde ut fatear quod verum eſt, quia te vidi eâ piæ ſollicitudinis prærogativâ cautum, & ſtudioſum diſciplinæ regularis, quamquam ſi benè tibi voluerim nihil ulterius quod aliquid valeat poſſim, tamen ſolo excepto, ut dignum eſt, cujus ſum profeſſus reverâ nomen, alius quiſquam tui nominis, & officii, cui magis poſſit à parvitate meâ modis omnibus & faveri, & deferri: nam & alia ſunt adhuc quæ non immeritò plurimùm & te & hanc domum Dei commendant. Primùm, quia infirmiorem ſexum; quod priùs non erat, de habitatione veſtrâ longiùs remotum excluſiſtis, vel in obſequio quotidiano tales famulos habere meruiſtis, qui ex liberis ingenui ultrò ſe humiliantes, vobiſque ſervientes, non aliam vitam, quàm illam quæ eſt cæleſtis & perpetua exſpectant. De quibus tamen unum, quod ſi benevolentiæ veſtræ videretur, in proximo mutari vellem. Vellem utique ut non ampliùs permitterentur extrà Clauſtrum commorari; daretis eis habitum noſtrum; & quia non ad hoc valent ut ſint lectores, vel cantores cum litteratis, ulmi vivæ vivas quoque vites, juxtà quadamtenùs dictum eſt, portarent; ut eodem modo quo huc uſque ſerviendo litteratis, litteratorum mercedem conſequerentur. Nam ſi B. Benedicto videbatur, ut Fratres viciſſim coquinæ munus obirent; minus hoc quoque apud Sanctos Patres invenitur, quòd ſemel ingreſſi coquinam de cætero in eâdem obedientiâ perduraverunt. At ſi quis Fratrum fortaſſis talem non habens fidem, ut montes transferat, cauſatur non eſſe vobis tantas opes, ut tantos Monachos expediat aggregare. videte quid Deus faciat de quodam noſtro Gerardo, nato quidem de talibus parentibus qui non erant quammaximæ nobilitatis, de litteris quoque non adeo imbuto, ut non multi ſint illo doctiores; ſed hujus fidei hominem non cognoſco. Nec æſtimaverim facilè poſſe contingere majus miraculum,

quàm quod Deus per illum jugiter operatur. Nondum eſt annus trigeſimus ex quo in ipſo pago nativitatis ſuæ fundans Cellam ædificavit, appellatam nomine ſanctæ MARIÆ ad Charitatem; quia cum ſit in viâ publicâ, nullus mortalium tranſit, qui de induſtriâ unquam diſſimuletur, & non potiùs experiatur
1. illud Gregorianum, quòd hoſpites non ſolùm ſunt invitandi, ſed etiam trahendi. In Clauſtro autem ad præſens nunquam contingit, ut non aliquanti ſuper centum Fratres quotidie inveniantur. Infrà penè quadriennium non erat oportunum Domno Abbati, ut inviſeret eamdem Cellam. Hoc anno venit, & uno die LV. Noviciis habitum noſtrum vel benedictionem dedit; quamquam Prior ſingulis annis ad memoriam Sanctorum Apoſtolorum pro benedictione quantos potuit, miſiſſet. Qui cum eâ vice, quâ Domnum Abbatem invitavit, quàm parum frumenta habuerit, & tamen per . . . . ſeptimanas quantâ liberalitate miniſtraverit, non modò nobis, ſed etiam cunctis interim ſupervenientibus, & ad Domni Abbatis audientiam quaſi ad quoddam ſpectaculum undique confluentibus, ſi charitati veſtræ pro re geſtâ enarravero, quantumlibet fidem mihi habeatis, tamen neſcio ſi hoc totum benè credere valeatis. Hoc autem certè nequaquam mentior, quia quantum de utroque loco accepi, . . . Abbatiæ poſſeſſiones ſolis vineis exceptis, duplo ſcilicet ampliores. Sed D. G. eſt talis homo, qui ſi opus eſſe viderit, minimè veretur uſque ad tria vel quatuor millia ſolidorum mutuari. Et divina clementia quî fieri poſſet, ut unquam deſereret de ſe præſumentem, quæ iterum planè corvos mittit ad Heliam temporalis vitæ ſubſidium miniſtrantes? Quid enim Francigenas aliud dixerim cum ſint tam inquieti, raptores & de candore virtutum nihil habentes: inter quos tamen ſunt tales aliquando, qui fideli Dei ſervo tanta largiuntur, ut in parviſſimo tempore quidquid debet reſolvat. Cui etiam hoc eſt familiare, & quaſi pro ludo, ut optet nunquam ſibi contingere multum abundare de divitiis hujus mundi. Quòd ſi Comes & Defenſor loci veſtri ſciret vos tanti debitores, non æſtimo ut aliquo modo auderet vobis importunus eſſe, & accedente piæ & religioſæ conjugis ſuggeſtione, ſi nihil daret vobis, nihil etiam acciperet. Abſit autem ut quiſquam credat Deum eſſe localem, ut quod facit in Franciâ, non etiam facere poſſit in territorio Spirenſi. Tantùm ejus miſericordia ſit vobiſcum, ut ipſe, qui probat renes & corda, hîc etiam videat eâ ſibi ſimplicitate, & non minore ſtudio ad ejus voluntatem & præcepta obaudiri.

Quod parvitati meæ injunxiſtis, de hoc videre poteſtis me non fuiſſe negligentem: habetis enim Conſuetudines Monaſterii noſtri, quas collectas utcumque notavi, quantum ego ſcire potui, & recordari. Quibus ſemel viſis, ſi poſtea ſchedas deponitis, & de cætero non curabitis, ad quid tunc tantum mihi laboris impoſuiſtis? Quod ne tacerem, ad hoc me compulit aliorum negligentia, quos in primis multum curioſos, ad ultimum ita feciſſe cognovi. Pleraque ſunt, quæ propter conſequentiam dixi, de quibus non eſt neceſſe ut mentio fiat in conventu Fratrum. De his autem, de quibus ædificari poſſunt animæ, & incrementa fieri meritorum, de his tu, Pater, habebis cum Fratribus collationem. Perpendant ſuas antiquas conſuetudines, perpendant tuas, cum quibus te nutriri contigit; perpendant & iſtas, & de omnibus quæ meliora videntur de his fiat unum corpus quod de cætero teneatur. Et ſi hoc volueris eſſe ratum, expedit ut communi Fratrum conſenſu præveniatur, ne quod inde . . . . aut aliquid non bonæ voluntatis poſſit oriri. Et quia Deus imperavit Domno P. qui moratur modò nobiſcum, non eſt abs re virum hujus ſcientiæ, hujuſque Religionis, huic negotio intereſſe, & ſi ego adeſſem, meum quoque nomen non paterer omnia celari, quamvis adhuc Neophytus eſſe videar.

Memineris autem quòd in ipſis verbis quæ notavi, nos duos ita feci colloquentes, quia ſi recolis multa ſumus ad invicem inde loquuti. Et ſi quid videor addidiſſe, hoc quoque non niſi os tuum, & tua lingua edidit, quia non modo lingua noſtra, ſed totus ego ſum tuus; ut non dicam, quòd Chriſtus ita nos fœderavit in unitate Spiritûs, in uno corpore, quod eſt Eccleſia, ſub uno capite, quod eſt ipſe. Verùm perſona mea cum ſit tenuis, & obſcura, nomen barbarum, ſtylus agreſtis, indignum mihi videbatur, ut hujuſmodi nominis unquam meminiſſem, aut ullam Præfationem, ut moris eſt, prætitularem. Quamvis tres ſint partes ipſius qualiſcumque collectanei, quibus ſingulis clauſulas aliquas, quæ Prœmium ſimulant, præmiſi, propter te maximè, alioſque Fratres noſtros, in quibus bona quæ vidi exempla libenter reticere non potui.

Pars autem prima eſt de opere divino, & quod maximè fit in Eccleſiâ per annum univerſum. Secunda de eruditione Noviciorum: Tertia de obedientiis, quibus & ultima obedientia eſt ſubjuncta, quâ quiſque Fratrum ab hoc ſæculo migraturus vocatur ad Chriſtum.

Sola Capitula ſingularum ſententiarum curavi prænotare propter utilitatem legentium, ut faciliùs quod quiſque voluerit, poſſit invenire. Sanctam Chriſti familiam, cui præeſſe videris, plurimùm ſaluto, & non ut fertur in viâ, ſed verè voto & deſiderio ſalutis æternæ, quam eis fideliſſimè opto. Specialiter autem ſpeciales quoque neceſſarios parvitatis meæ, ſcilicet Dom. & Mag. A. Dom. S. Dom. O. Dom. G. & adhuc tyronem Chriſti Dom. E. Gratia Dei Omnipotentis ſit cum omnibus vobis. Amen.

INDEX CAPITUM.

CAP. I. *De eo, quomodo Teſtamentum legatur utrumque.*

II. *De Nocturnis & horis omnibus Regularibus, ſi quid eis plus ſit additum, quàm quod S. ſtatuit Benedictus.*

III. *De Pſalmodiâ quæ ſolet dici poſt Regulares horas.*

IV. *De eo, quibus ex cauſis, & quomodo per vices Pſalmodia minuatur.*

V. *De Collectis & verſiculis, quæ Pſalmodiam ſequuntur, & quantitate Letaniæ.*

VI. *De Miſſarum ſolemniis, & 1. de majore Miſſâ in privatis diebus.*

VII. *De Miſſâ pro Defunctis.*

VIII. *De majore Miſſâ in Dominicis diebus.*

IX. *Item de Matutinali miſſâ in Dominicis diebus.*

X. *De proceſſione Dominicali.*

XI. *De diverſitate ſolemnitatum.*

XII. *De Cœnâ Domini.*

XIII. *De Paraſceve.*

XIV. *De Sabbato Sancto.*

XV. *De ipſâ nocte, vel die Dominicæ Reſurrectionis.*

XVI. *De feriâ 2. & diebus aliis majoris ſeptimanæ.*

XVII. *De octavo die Paſchæ, & quomodo ad omnes*

horas cantetur Alleluia.
XVIII. De illa feriâ 2. poſt octavas Paſcha, & quod tunc nonnulla conſuetudines inchoantur.
XIX. De tertia ſeptimanâ poſt Paſcha, & de cateris uſque ad Aſcenſionem Domini.
XX. De feſtivitatibus Sanctorum, qua eveniunt à Paſcha uſque ad Pentecoſten.
XXI. De Rogationibus.
XXII. De Aſcenſione Domini.
XXIII. De vigiliâ Pentecoſtes.
XXIV. De ipſo die, & eâ qua ſequitur ſeptimanâ.
XXV. De octavo die Pentecoſtes.
XXVI. De Septimanâ ſequente poſt octavas.
XXVII. De jejunio 4. temporum in menſe Junio.
XXVIII. De feſtis SS. poſt Pentecoſten venientibus.
XXIX. De jejuniis qua debent fieri in Æſtate feriâ 4. & 6.
XXX. De opere manuum.
XXXI. De Dominicâ 3. poſt Pentecoſten & ſeptimanâ.
XXXII. De Nativitate S. Joannis Baptiſta.
XXXIII. De Natali SS. Apoſt. Petri & Pauli.
XXXIV. De Tranſlatione S. Benedicti.
XXXV. De benedictione uvarum & aliorum fructuum.
XXXVI. De aſſumptione S. Maria.
XXXVII. De eo, quid cantetur in Septembri.
XXXVIII. De exaltatione S. Crucis.
XXXIX. De eo quod ab Idibus Septembris ſemel comeditur.
XL. De conſuetudinibus qua incipiunt à Kalendis Octobris, uſque ad Kalendas Novembris.
XLI. De conſuetudinibus in Novembri.
XLII. De feſtivitate Omnium SS. & recordatione omnium fidelium Defunctorum.
XLIII. De feſtivitate S. Martini, & conſuetudinibus, qua tunc inchoantur.
XLIV. De Adventu Domini.
XLV. De Septimanâ Jejunii 4. Temporum.
XLVI. De vigiliâ, & de die Natalis Domini.
XLVII. De octavis Natalis Domini, & Epiphaniâ.
XLVIII. De Purificatione ſancta Maria.
XLIX. De Septuageſima, & Quinquageſimâ.
L. De capite Jejunii, & Quadrageſimâ.
LI. De diebus Dominicis Quadrageſima.
LII. De ſecundâ Feriâ Quadrageſima.
LIII. De jejunio 4. Temporum in menſe Martio.
LIV. De Paſſione Domini, & Ramis Palmarum.
LV. De feſtivitatibus, qua in Quadrageſimâ eveniunt.

Expliciunt Capita Libelli primi.

Incipiunt Capita Libelli ſecundi.

I. De diverſitate Noviciorum.
II. Quomodo ſe habeant in Cellâ Noviciorum.
III. De ſilentio, & in quibus Officinis.
IV. De ſignis loquendi.
V. Quomodo ſe frater levet ad Nocturnos.
VI. De exceſſibus pro quibus in Capitulo veniam petit.
VII. Quomodo ſe habeat ad horas Regulares.
VIII. Quomodo laternam ligneam portare debeat ad Nocturnos.
IX. Qua diſciplinâ recollocatus jaceat in lecto.
X. Quomodo ſurgat mane, vel quid ſtatim faciat.
XI. Quomodo ſedeat, vel incedat.
XII. Quomodo veniat ad Confeſſionem.
XIII. Quomodo, vel quando pannos ſuos induat.

XIV. Si cocus quâ horâ coctionem ſuam videat.
XV. Quomodo pannos ſuos laves.
XVI. Quomodo de regulari horâ non exeat niſi pro inevitabili neceſſitate.
XVII. Quomodo ſe praparat ad Capitulum, vel quid faciat ſi eſt ſibi conſcius alicuius.
XVIII. De Culpâ leviore.
XIX. Ubicumque ſteterit, quomodo ſtare debeat.
XX. De his qua non licet facere niſi ad horam loquendi.
XXI. De minutione ſanguinis.
XXII. Quâ diſciplinâ in Eccleſiâ maneat ad ſolemnia Miſſarum.
XXIII. Quâ diſciplinâ maneat in refectorio.
XXIV. De habitatione ſuâ & poſt prandium, & poſt cœnam.
XXV. Quâ diſciplinâ ſe poſt Completorium eſt collocaturus.
XXVI. De confeſſione, & petitione Noviciorum.
XXVII. De benedictione Noviciorum.
XXVIII. De habitatione illorum in illo triduo poſt benedictionem.
XXIX. De Hebdomadario Cantore, & de eo qui notatus eſt ad Invitatorium, vel ad aliquam Lectionem, vel aliquod Reſponſorium.
XXX. De Sacerdote hebdomadario.
XXXI. De ſubdiacono, & de Cantoribus Gradualis vel Alleluia, & Tractûs.
XXXII. De Diacono.
XXXIII. De ſervitoribus Eccleſia, & de his quos appellamus miniſtros Altaris.
XXXIV. De Lectore ad menſam.
XXXV. De Cocis.
XXXVI. De utenſilibus coquina.
XXXVII. De his qui faciunt Mandatum.

Expliciunt Capita Libelli ſecundi.

Incipiunt Capita Libelli tertii.

Præfatio de electione ſpeciali, & ordinatione Domni Hugonis Abbatis.

I. De Electione Abbatis.
II. De Generali officio Domni Abbatis.
III. De culpâ graviore, & de aliis generibus culparum.
IV. De Priore Majore.
V. De Decanis qui ſunt villarum proviſores.
VI. De Clauſtrali Priore.
VII. De Circatoribus.
VIII. De Pueris, & eorum Magiſtris.
IX. De Cuſtodiâ juvenum.
X. De Pracentore, & Armario.
XI. De Camerario.
XII. De Apocriſario.
XIII. De Corporalibus abluendis.
XIV. De reliquiis Sanctorum quomodo proſequantur, ſive recipiantur.
XV. De raſurâ Fratrum.
XVI. De balneis Fratrum.
XVII. De Cellerario.
XVIII. De Cuſtode vini.
XIX. De Hortulano.
XX. De Refectorario.
XXI. De Cuſtode hoſpitii.
XXII. De Stabulario.
XXIII. De Eleemoſynario.
XXIV. De Infirmario.
XXV. De Famulis ad domum Infirmorum pertinentibus.

XXVI. *De Infirmis.*
XXVII. *De unctione cujuſcumque Fratris.*
XXVIII. *Quid agendum eſt in fine exitûs.*
XXIX. *Si quis obierit in aliquâ Cellâ.*
XXX. *Quid agatur pro quolibet Fratre in ſingulis obedientiis.*
XXXI. *De obitu Domni Abbatis.*
XXXII. *De eo qui in Quadrageſimâ obierit, & in 12. lectionibus eſt ſepeliendus.*

PROŒMIUM

DE CONSUETUDINIBUS

Cluniacenſis Cœnobii.

ANte hos dies ſenior noſter Dominus Abbas humilitatem meam in Germaniam direxit, propter quid non multum intereſt modò referre; quod ad rem pertinet, per hanc occaſionem diverti ad virum venerabilem Dominum Willelmum Abbatem: cujus Monaſterium ſitum eſt in pago Spirenſi & in Sylvâ cognomento nigra. Iſdem autem Pater, ut erat à puero notus, & amiciſſimus, me videns lætabundus collegit; & alter mihi Cleophas alio tendentem, tamen aliquantos dies ſecum manere coëgit. Interim erat ei mecum ſermo aſſiduus, imò quantum fieri potuit pene continuus, de Conſuetudinibus Eccleſiæ noſtræ, de quibus nimirum ſic orſus eſt loqui: Eccleſia veſtra, Dilectiſſime, per miſericordiam Dei non parvam in noſtris partibus opinionem religionis obtinuit, nec aliud æſtimatur à nobis quàm quòd in his locis quæ ad noſtram notitiam pertingere potuerunt, non ſit ei ſimilis in vitâ & diſciplinâ regulari; unde non parum facis ad votum noſtrum, ſi qua te referente mereamur audire de uſibus & inſtitutis majorum veſtrorum: quæ etiam ſi non geruntur à nobis, tamen hoc ipſum ad humilitatem ædificat, ſi nos non latet ita vos vivere & converſari, ut noſtra infirmitas aut noluerit aut nequiverit. Ad quod ego: Panem, inquam, veſtrum ſum commeſſurus, dignum eſt etiam ut interim voluntati veſtræ obedire non ſim imparatus. Sed qui eſt in loco tali pro diverſitate linguæ quaſi barbarus, nec à pueritiâ nutritus, non facilè fieri poteſt, ut ita ſciat omnia, ſicut ille, qui eſt indigena, & qui ab infantiâ inter talia crevit: ideoque non eſt mirum ſi & ego non multum ſcio de hujuſmodi, qui pene uſque ad triceſimum ætatis noſtræ annum non niſi de rebus ſæculi magnopere curavi. Tamen quantum eſt quod ſcio, id ipſum referam non invitus. Ergo vide de quo volueris primùm interrogare.

CAPUT PRIMUM.

Quomodò Teſtamentum legatur utrumque.

Interrogatio. AUdio lectiones veſtras in hyeme & in privatis noctibus multum eſſe prolixas. Si videtur, ſimul & ſemel ediſſere, quomodo non modo in hyeme, ſed etiam in æſtate Teſtamentum legatur utrumque.

Reſponſio. Ut incipiam de librorum omnium antiquiſſimo, id eſt, Octateucho. Hic liber, ut mos eſt generalis, & in aliis Eccleſiis & Septuageſimâ ponitur ad legendum. In ipſâ Dominicâ fiunt lectiones ſatis breves, præter ad primam lectionem, prologus ille, *Deſiderii mei*, expenditur totus. Per ſequentes noctes ita protenduntur ut in illa unâ ſeptimanâ *Geneſis* perlegatur, & in Eccleſia tantùm. In Sexageſima *Exodus* inchoatur, & ſimul cum aliis voluminibus quæ leguntur, legitur utrumque & in Eccleſiâ, & in refectorio; ita ut ubi lectionis terminus fuerit lectæ, ibi ſemper initium fiat legendæ die ſequenti, & ſi non ante, tamen intrante Quadrageſimâ ex toto perlegitur Octateuchus: ex quo tamen ad Dominicas ſunt lectiones exceptæ. ¶In aliis noctibus Quadrageſimæ legitur expoſitio S. Auguſtini ſuper Pſalterium, & maximè ſuper cantica Graduum; & ſicut noctes tunc magis ac magis corripiuntur, ita quoque lectiones. Cavendum tamen eſt ne aliquando fiant ita breves, ut ille Frater, qui circam facit cum abſconſâ, non poſſit per totum chorum & extrà circuiſſe, exploraturus ſcilicet ſi quis fortè obdormierit inter legendum. In Paſſione Domini legitur *Hieremias* Propheta, cujus rursùs prologus erit ad primam lectionem. Legitur autem in Eccleſia tantùm, & ita, ut ante Cœnam Domini finiatur uſque ad *Lamentationes*.

In Octavis Paſchæ leguntur *Actus Apoſtolorum*, & tantùm per unam ſeptimanam, de quibus pro noctium brevitate fieri non poteſt ut multum legatur. Poſtea per duas ſeptimanas *Apocalypſis & Epiſtolæ Canonicæ* uſque ad Aſcenſionem Domini. Ponuntur iterum Actus Apoſtolorum, iterumque leguntur quaſi non ampliùs inchoati à capite uſque ad Pentecoſten. Non minùs tamen hæc ipſa volumina ex toto continuatim in refectorio leguntur; ſicut etiam tempore ſuo liber Regum, liber Salomonis, liber Job, Tobiæ, Judith, Eſther, Eſdræ, & liber Machabæorum: qui leguntur omnes in refectorio tantùm, in Eccleſiâ minimè, niſi quantum de eis ad quamlibet Dominicam eſt breviter excerptum. A Calendis Novembris repetuntur ad privatas noctes lectiones. Ponitur Ezechiel Propheta in Eccleſia tantùm legendus, & finitur ex more ante feſtivitatem S. Martini; cujus etſi octavas cantu, & aliis ſolemnibus celebramus, tamen Propheticæ lectiones non mutantur, nec etiam in aliis Octavis, niſi fiant duodecim lectiones. Ponitur Daniel Propheta, & duodecim Prophetæ, & non ſufficiunt niſi noviſſimo adjungatur de homiliis Beati Gregorii Papæ ſuper Ezechielem. In Adventu Domini Propheta ponitur Eſaias; de quo dum quærerem, & ad certum ſcire vellem quot noctibus & ipſe perlegeretur ex more, non potui audire ab aliquo, niſi dicam quod meipſum vidiſſe memini & audiſſe: me quidem audiente aliquando ſex privatis noctibus perlegebatur. Quem ſequuntur Epiſtolæ Leonis Papæ de Incarnatione Domini, & alii ſermones Sanctorum Patrum, & maximè ſancti Auguſtini. Apoſtolus ponitur in illâ Dominicâ, quæ prima occurrit poſt Natale Innocentium: ſi tamen in ipſa non eſt Circumciſio Domini, vel Depoſitio Domni Odilonis. De quo idipſum dicere poſſum, quod & ſuprà de Propheta: nam diverſi diverſa ſentiunt; ſed ut ego rursùs hoc

perhibeam quod & ipſe vidi, talis Epiſtola qualis eſt ad Romanos, in duabus privatis noctibus tota legebatur. Et cum quidam Frater, qui lectiones terminaverat, terminaſſet breviores, prohibitus eſt in Capitulo à ſenioribus noſtris. Si autem contigerit ut finiatur Apoſtolus ante Septuageſimam, legitur expoſitio Joannis Chryſoſtomi ſuper Epiſtolam ad Hebræos. Ecce circulum anni quodammodo circuivi: ſi placet, ultrà promoveamus.

CAPUT II.

De Nocturnis & omnibus horis regularibus; ſi quid eis plus ſit additum, quàm quod Sanctus conſtituit Benedictus.

Interrog. SOletis ampliùs quid intexere nocturnis vel aliis horis, quàm quod S. conſtituit Benedictus?

Reſponſio. Quantum eſt, ſi benè memini, dicam. Primò nulla eſt Antiphona tam parva, quàm non plenà toni ſui diffinitione finiamus. Cujuſmodi preces poſt Dominicam orationem ſanctus Benedictus dixerit, neſcitur, quia nec ſcriptum invenitur; ſed quæ dicuntur à nobis ad Nocturnos, ad Matutinas, ad Tertiam, Sextam, Nonam, & Veſperos, quatuordecim verſiculis comprehenduntur: & ſi eſt dies privata, & nullæ octavæ, nec dies Paſchales, interponitur pſalmus quinquageſimus. Adjiciuntur ad Matutinas & ad Veſperas etiam alii quatuor pſalmi, & ad Completorium duo. Hoc autem non eſt mihi compertum, quare iſta diverſitas à Majoribus noſtris ſit inventa. Nam cum quatuor pſalmi à Nocturnis incipiendi poſt quamlibet horam, excepto Completorio, pro familiaribus dicantur; ad Matutinum & ad Veſperos dicuntur inter preces ante noviſſimum verſiculum, priuſquàm ſe Fratres levaverint de formis, & collecta dicatur. Et horum pſalmorum quia ſemel memini, ut non differam quoque eos nominatim deſignare: primo Nocturnorum, ut ita dicam, pediſſequus eſt primus de ſeptem pœnitentialibus pſalmis, & ita cæteri pro ordine ſuo diviſi, ſinguli ſingulis horis applicantur, præter ad Tertiam quinquageſimus, aliàs adeo frequentatus, quinquageſimo ſexto mutatur. In ſecundo loco apponitur pſalmus 19. 85. 22. 12. 66. 78. 83. ſic autem geminis præmiſſis. In tertio loco pſalmus 69. poſt omnes horas ſemper concurrit, & pro fidelibus defunctis 141. quem adhuc poſt Primam 50. ſubjunctus antecedit pro Abbatibus noſtris defunctis. Ad Completorium inter preces, ut præmiſſum eſt, 50. ſequitur iterum 69. 12. 120. Sed ut ad huc redeam quod paululum intermiſi, & precum quoque Primæ Completorii meminerim, præmiſſa oratione Dominicâ, & Symbolo Apoſtolico, ad Primam ſunt preces 31. verſiculorum, & confeſſio ſuo in loco eſt interponenda. Ad Completorium autem ſeptemdecim. In privatis diebus Adventûs Domini & Quadrageſimæ, ad Matutinas, & ad Veſperos, uſque ad viginti verſiculos pertingunt. Verùm ea precum diverſitas, & ſi quæ ſunt alia hujuſmodi, poſſunt tibi ſi placeret in unâ chartulâ ſingulariter adnotari, ut non opus ſit modo his longiùs immorari. Non autem recolo ſi quid ampliùs inſeratur ad quamlibet horam regularem in ullo privato die, & qui non aliquo modo appendeat ad aliquam ſolemnitatem.

CAPUT III.

De Pſalmodiâ quæ ſolet dici præter horas regulares.

Interrogatio. PEto ut digeras quidquid pſalmodiæ in Conventu dicatis præter regulares horas.

Reſponſio. Hæc nimirum prolixior & multiplicior eſt in Quadrageſimâ, quàm in alio tempore; & hoc quod nunc dicturus ſum, dicam maximè ſecundùm hunc ordinem, qui tenetur in ipſâ Quadrageſimâ. In cujus omnibus privatis noctibus Nocturnos cum eâ pſalmodiâ prævenimus de pſalmo 119. uſque ad finem pſalterii. Poſt quatuor pſalmos, qui Nocturnos, ut ſuperiùs dictum eſt, ritè ſequuntur, gerenda eſt proceſſio ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ. De quâ inter procedendum pſalmi duo cantantur, id eſt 84. & 86. unâ ſequente Antiphonâ & Collectâ. Aguntur Matutinæ de omnibus Sanctis. Item Matutinæ pro fidelibus defunctis. Conſideretur ab omnibus, ut decantetur pſalmodia illa, *Deus auribus noſtris:* ad quam pendet pſalmus 78. 93. Cantica quindecim Graduum & poſt Dominicam orationem, & ante Collectas ſequuturas, pſalmus 89. & pro fidelibus defunctis, 22. Si cujus Fratris nuper defuncti triceſimus agitur, pro illo pſalmi dicuntur, 5. 6. 114. 115. 129. 142. 142. Invenitur autem in regulâ, quòd ſanctus Benedictus præcipit, ut in Quadrageſimali quid addatur ad penſum ſolitæ ſervitutis; quod nec diſſimulatur à nobis; ad Matutinas & Veſperos poſt ſuffragia Sanctorum, ad horas autem reliquas poſt quatuor pſalmos horarum, ut ita dicam appendicios, toto corpore proſternimur ut duos pſalmos dicamus, primum de ſeptem pœnitentialibus pſalmis, alterum de canticis quindecim graduum. Verùm ad Veſperos quatuor continuatim dicuntur, quia non eſt conſuetudo, ut poſt completorium ullus unquam pſal. in aperto dicatur, niſi qui pſalmos noverit dum pueri faciunt orationem ſub ſilentio, & dicit Pſalmos 12. 42. 66. 126. 129. Textus fidei, ſcilicet *Quicumque* à S. Athanaſio conſcriptus (cujus nonnullæ Eccleſiæ nec meminerunt niſi in ſolâ Dominicâ) nullo die obmittitur, ut non dicatur à nobis; ſed in privatis diebus ſimul cum aliis pſalmis, in Dominicâ poſt preces. Poſt Primam præter pſalmos, quorum jam ſuprà memini, ſequuntur adhuc etiam ſeptem pſalmi pœnitentiales. Poſt Letaniam, quæ in eodem momento eſt dicenda, & ante Collectas ſequuturas, pſalmi quatuor interſeruntur, id eſt, 69. 120. 122. & pro fidelibus defunctis 42. Poſt Capitulum pro defunctis, quorum anniverſarius in ipſo Capitulo eſt recitatus, iidem pſalmi dicuntur, qui & pro triginta [a] cujuſcumque defuncti ſunt dicendi, excepto 142. qui eâ vice de medio aufertur. Poſt Veſperos regulares, & poſt pſalmos qui dicuntur à proſtratis, agitur iterum proceſſio ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ cum ipſius quoque Cantico. Ut ſicut Matutini, aguntur etiam Veſperi de omnibus Sanctis, & pro fidelibus defunctis. Poſt cœnam cum pſalmo 50. in Eccleſiam reditur, ſicut etiam poſt prandium ſemper: ſervitoribus autem exſpectatis uſque dum & ipſi ſurrexerint à menſâ, agitur officium, vel quod à noſtratibus vigilia vulgo appellatur, quod aliquando cum tanti defuncti non haberentur, fieri ſolebat cum tantum lectionibus tribus & reſponſoriis, niſi alicujus Fratris anniverſario ſupervenienter. Nunc autem cum nulla ſit dies qui vel multis careat defunctis, ipſum quoque of-

a *pro triginta*] Dicere voluit *pro triceſimo* à morte.

ficium nunquam agitur modo niſi cum novem lectionibus & reſponſoriis, & Collectis, quæ ipſum officium ſequuntur: duo Pſalmi antecedunt ſcilicet 119. 3. ſicut etiam ad Veſperas 145. 123. Ad Matutinas, *De profundis*, & *Uſquequo*. Ergo quantum recolo, Pſalmodiæ non eſt ampliùs quam in uſu habeamus.

CAPUT IV.

De eo, Quibus ex cauſis, & quomodo per vices Pſalmodia minuatur.

CÆterum de ejus ſummâ decedit, nunc pro eo quod Quadrageſima eſt tranſacta, nunc in æſtate pro noctium brevitate; nunc pro diebus Paſchalibus & Octavis, nunc pro eo quod duodecim fiunt lectiones. Primò namque illi duo Pſalmi, qui à proſtratis dicuntur, nunquam dicuntur, niſi in Quadrageſimâ: à Cœnâ quoque Domini uſque ad Calendas Novembris, vel quoties in ipſa hyeme uſque celebrantur Octavæ: ante nocturnos non dicuntur niſi ſola Cantica quindecim graduum. Item non ſolùm in duodecim lectionibus, ſed etiam in omnibus Octavis diebuſque Paſchalibus horas ſingulas non ſequuntur niſi hi duo Pſalmi 69. & 141. In ipſa autem Quadrageſimâ ſi qua evenerit feſtivitas duodecim lectionibus agenda, remaneat ipſa Pſalmodia quæ in diebus prædictis, & inſuper officium pro defunctis; pro quibus tamen & veſperi & in nocte matutinæ lectiones dicuntur. Illa quoque Pſalmodia, *Deus auribus*, non omittitur; nec poſt Primam ſeptem pœnitentiales Pſalmi ſimul cum Letaniâ; & tamen propter Quadrageſimam ipſi Pſalmi qui remanſerunt, poſt Capitulum ſupplentur, & pro eis à capite Pſalterii, *Gloria Patri* poſt Tertiam interpoſito, triginta Pſalmi cantantur. Poſt Tertiam verò, cum ſtatim Miſſa de ipſa feſtivitate ſequatur, ad Sextam, & de cætero ad reliquas horas, petemus veniam, totamque Pſalmodiam ſicut in alio quolibet die privato & quadrageſimali repetemus; quamquam ad horas non alias Antiphonas, verſus, & collectas, quàm de ipſâ feſtivitate dicamus. Remanet quoque rurſùs officium, pro quo quod penè oblitus ſum, poſt ſingulas horas Pſalmi 119. 69. & 141. medius eſt incertus. Nam majores noſtri eo tempore quo in nocte non gerebatur officium ſicut geritur in hyeme, ipſum officium in diebus Dominicis & in aliis quibus duodecim lectiones fiebant, non omiſerunt agere poſt Cœnam; ne pro unâ die ſolemni duo officia remanerent. Quod cernens ſanctus Majolus aliquando Fratribus eſſe maximè in tali die onerolum, pro ipſo officio conſtituit ut poſt ſingulas horas duo Pſalmi dicerentur 119. & 141. Sed ut de Pſalmodiâ hic quod propoſui tandem concludam; in diebus Dominicis, & in aliis extrà Quadrageſimam feſtivitatibus duodecim lectionum agendis, de tanta Pſalmorum diverſitate nihil eſt ampliùs quod dicatur, præter quindecim Cantica Graduum, Matutinæ laudes, & Veſperi de omnibus ſanctis; alii Pſalmi pro tricenario & anniverſario Fratrum poſt quamlibet horam duo Pſalmi; & ſi tertius apponitur eadem de causâ, quæ præmiſſa eſt, tantùm in æſtate: nam à Calendis Novembris uſque Septuageſimam ritè officium defunctorum non agitur niſi in nocte, & illa nox ſola, quæ ad Dominicam pertinet, officio caret.

CAPUT V.

De Collectis & verſiculis quæ Pſalmodiam ſequuntur; & quantitate Letaniæ.

Interrogatio. IGitur libens audio, ut ſuprà Pſalmodiam, ita nunc quoque per ordinem innotueris & collectas, & verſiculos collectas prævenientes, ſine quibus tanta Pſalmodia & in tot membra diviſa non finitur. Addideris quoque de letaniâ quæ Primam ſequitur, cujus ſit quantitatis & prolixitatis.

Reſponſio. Ut morem tibi geram, & ſecundùm eumdem ordinem quem huc uſque tenui; primò ante nocturnos dicuntur ſola quindecim Cantica Graduum: dicuntur prima quinque pro fratribus noſtris & omnibus fidelibus defunctis; alia quinque pro nobiſmetipſis: noviſſima pro Regibus, & omnibus noſtris familiaribus adhuc viventibus. Ad ſingulas autem inciſiones, oratione Dominicâ præmiſſa, ſequitur ad primam verſus & collecta, *A portâ inferi &c. Abſolve Domine animas famulorum tuorum Fratrum noſtrûm &c.* Ad ſecundam verſus, *Memento noſtri Domine in beneplacito populi tui:* Et, *Memor eſto &c.* collecta: *Deus cui proprium.* Ad tertiam verſus, *Domine ſalvos fac Reges: ſalvos fac ſervos & ancillas;* collecta: *Prætende Domine &c.* At ſi protenditur uſque ad finem Pſalterii, ſola inciſionum loca mutantur, non collectæ, & tunc prima pervenit ad Pſal. 129. ſecunda ad 139. Ad quatuor Pſalmos qui quamlibet horam ſequuntur, dicuntur ſemper hi verſiculi: *Domine ſalvos fac Reges: Salvos fac ſervos & ancillas tuas; Fiat pax in virtute tuâ. A portâ inferi:* & una de iſtis collectis: *Omnipotens ſempiterne Deus miſerere famulis & famulabus tuis:* &, *Dirige quæſumus Domine, famulos tuos & famulas: Largire quæſumus Domine famulis & famulabus tuis. Prætende Domine:* quarum ſingulis adhuc ſubjungitur: *Et pacem tuam noſtris concede temporibus.* Et, *Animæ famulorum tuorum requieſcant in pace.* Quod tamen ad ſolam primam, quia tunc quinquageſimus Pſalmus pro noſtris cantatur Abbatibus: pro ipſis quoque ſolet ita mutari: *Annue nobis quæſumus Domine &c.* De quatuor autem Pſalmis, qui quamlibet horam ſequuntur, quoties duo priores ſubtrahuntur, ut in omni Dominicâ, in feſto 12. lectionum, in omnibus Octavis, & à Natali Domini uſque ad Epiphaniam, & in tempore Paſchali, ſubtrahitur quoque de præmiſſis verſiculis unus, id eſt: *Domine ſalvos fac Reges.* De S. MARIA verſ. & Collecta: *Poſt partum. Gratiam tuam. Deus qui de B. MARIÆ &c.* Si qua magis placet, quæ tamen in uſu ſit, nemo reprehendit. In Adventu Domini eſt alius verſus, id eſt: *Benedicta tu in &c.* Ad Mat. Laudes de omnibus Sanctis, nec Capitulum nec Collecta unquam mutatur, ſicut etiam ad Veſperos; Capitulum eſt, *Scimus quoniam diligentibus Deum &c.* Collecta. *Fac nos quæſumus Domine Beatæ MARIÆ &c.* Ad Matut. Laudes de omnibus Sanctis poſt Dominicam orationem verſiculi: *Poſt partum. In conſpectu Ang. Nimis honoraſ. Exultabunt ſancti. Sacerdotes tui induant. Adducentur Regi Virg. Exurge Domine, adjuva.*

Ad defunctorum Matut. dicuntur hæ Collectæ: *Deus cui proprium. Præſta Domine quæſumus ut anima. Omnipotens ſempiterne Deus cui nunquam. Deus veniæ largitor. Deus cujus miſerationis. Quæſumus Domine pro tua pietate. Fidelium Deus omnium.* Prima eſt pro Fratribus nuper defunctis, pro quibus ſeptem officia in Convento generaliter

ſunt agenda : ſecunda pro anniverſario in Capitulo recitatorum : tertia pro cunctis familiaribus noſtris defunctis : quarta pro defunctis Fratribus : quinta pro omnibus in loco noſtro ſepultis : ſexta pro noſtris ſororibus & aliis fœminis familiaribus noſtris : ſeptima pro omnibus fidelibus defunctis. In æſtate, & eo tempore quo officium non agitur in nocte, quoties duodecim fiunt lectiones de his, defunctorum Matut. Laudes quæ proximè ſequuntur, aufertur prima & ſecunda collecta, quia & ipſæ Mat. Laudes officio non præventi, nec pro anniverſario cujuſque, nec pro nuper defunctis deputantur, ſed maximè pro familiaribus noſtris, pro quibus & prima dicenda eſt Collecta. Anniverſarius autem in ſequentem diem uſque dum benè fuerit oportunum dilatus, tunc ritè celebratur. Ad Pſalmodiam, *Deus auribus noſtris* : verſus : *Oſtende nobis miſericordiam. Eſto nobis turris fortis. Memor eſto congregationis. Domine ſalvos fac Reges. Salvos fac ſervos. Fiat pax in virtute. A porta inferi.* Collectæ : *Deus à quo ſancta deſideria. Omnipotens ſempiterne Deus. Prætende Domine. Abſolve Domine animas. Omnipotens Deus qui vivorum.* Ad Pſalmos pro tricenario dicitur collecta, *Abſolve.*

Poſt Matutinas regulares agimus quorumdam commemorationem Sanctorum cum Antiphonis, verſibus & Collectis, quia nobis eſt familiare ut appellemus ſuffragia Angelorum, Sanctorum : & primò quidem ſanctæ Crucis : Sanctorum Angelorum, Sancti Joannis Baptiſtæ, Sanctorum Petri & Pauli, aliorum Apoſtolorum, Sanctorum Martyrum; Sancti Martini, Sancti Benedicti, Sanctorum ſimul Patrum Oddonis, Majoli atque Odilonis, & noviſſimè Confeſſorum. Duos Pſalmos, qui à proſtratis dicuntur, ſequuntur iſti verſiculi : *Domine ne memineris. Adjuva nos Deus. Domine non ſecundum. Oſtende nobis. Et veniat ſuper.* Poſtea Collecta brevis, quæ eſt : *Vox noſtra te Domine &c.* Cujuſmodique ſimiles in collectaneo plures habentur; & ſemper in fine additur : *Et ad beneficia recolenda &c.* Ad ſingulas horas præter ad Matutinas laudes, & ad Veſperos, ſicut nihil eſt medium inter illos quatuor Pſalmos, quos ſuprà memoravi horarum appendicios, & inter iſtos duos Pſalmos; ſic etiam & verſus & Collectæ amborum ſimul conjunguntur, & ad Veſperos hi de canticis ſunt priores, ſicut & in ipſo libro Pſalmorum.

Letania ita inchoatur : *Kyrie eleiſon; Chriſte eleiſon : Chriſte audi nos, &c.* Ita deinceps nominantur de Sanctis plùs minùs ſeptuaginta tres. Sequentes verſus ad ipſam divinam pronuntiationem deſtinandi ſunt quadraginta tres. Qui autem poſt Dominicam orationem, & poſt alios Pſalmos antecedunt Collectas, ſunt hujuſmodi : *Et veniat.* Et de cætero iidem qui dicuntur ad pſalmodiam : *Deus auribus*, niſi hic ſolus : *Oremus pro fidelibus defunctis.* Collectæ : *Deus cui proprium. Omnipotens ſempiterne. Deus qui facis Prætende Domine famul. Deus à quo ſancta deſideria.* A Paſcha uſque ad feſtivitatem ſancti Michaëlis contrà tempeſtatem Pſal. *Benedixiſti. A domo tua. Abſolve Domine. Deus qui es Sanctorum ſplendor mirabilis.* Aliquando & aliæ ſi videtur, & ſi opus fuerit pro tali causâ, adduntur. Ad Pſalmos anniverſales poſt capit. Collecta eſt pro defunctis Fratribus : *Præſta Domine quaſ. ut anima &c.* Pro familiaribus : *Abſolve Domine.* Hinc quoque ſi aliquando in Quadrageſimâ propter aliquam feſtivitatem triginta Pſalmi dicuntur, hos ſequuntur iſti verſiculi, & Collectæ : *Oſtende nobis Domine. Fiat miſericordia tua. Salvos fac ſer. Mitte eis Domine auxil.* Pro fidelibus defunctis. *Requiem æternam. Deus cui proprium. Prætende Domine. Abſolve Domine. Omnipotens ſempiterne Deus qui vivorum.* Ad Veſp. de omnibus Sanctis Cap. *Sancti per fidem* : Collecta : *Omnipotens Deus nos famul.* Ad Veſp. pro defunctis dicendæ ſunt collectæ eædem quæ ad Mat. ſicut etiam ad officium; ita tamen ut ſi fortè officium ſequutorum plures habuerit Collectas quàm Matut. quæ præceſſerunt propter cauſas ſuperiùs relatas, habeantur quoque ad Veſp. Et de officio hoc eſt ſciendum, quod ſi brevis pro aliquo defuncto ita venerit, ut pro eo fiat ante Nonam, tres tantùm Collectæ ſunt dicendæ; prima quæ aliàs ſolet dici pro familiaribus : ſecunda pro Fratribus noſtræ Congregationis : tertia pro omnibus fidelibus defunctis. Et propter hoc conſuetum officium non omittatur, ſi tempus & dies eſt hujuſmodi, ut ritè poſt Veſperos agatur. Verùm quod primum eſt pro quolibet nuper defuncto, quâcumque horâ agitur prædicta Collecta, primo quoque loco non mutatur, & tunc non eſt pro familiaribus dicenda. Item, ſi talis anniverſarius evenerit pro quo ſunt pulſanda omnia ſigna, habebit primum locum ea de anniverſario Collecta. Aut ſi anniverſarius eſt talis fœminæ, dicenda primò & pluraliter ea collecta quæ eſt pro fœminis. At ſi unum officium eſt utrumque primum pro aliquo nuper defuncto, & pro aliquo tali anniverſario, præponenda eſt ſemper illa pro nuper defuncto, cui & ampliùs non contigit ut quiſque ejus pro hujuſmodi meminiſſet. Quod ipſum quoque obſervandum eſt in appendentibus & Veſperis & Matut. In feſtivitatibus Quadrageſimæ Veſperi pro defunctis, qui tunc dicuntur, tam ſunt præcipuè pro familiaribus, quàm & Matut. laudes : ideo non aliæ Collectæ, nec alio ſubjunguntur ordine, quàm ad Matut. Ad Pſalmos, qui poſt Completorium quoque ſub ſilentio dicuntur, ſunt hi verſiculi & Collectæ : *Quoniam tu illuminas &c. Quoniam in te erip. Dominus illuminatio. Dominus protector vitæ. Exurge Domine. Deus qui illuminas noctem, &c.*

CAPUT VI.

De Miſſarum ſolemniis : & 1. De majore Miſſâ privatis diebus.

Interrogatio. QUot Miſſas acturi eſtis quotidie generaliter in Conventu ?

Reſponſio. Duas : primam de die; alteram ſi eſt dies privatus, pro defunctis. De quo ut ultrò inſeram quod tu tamen quærere non libenter negligeres, Majorem Miſſam in privatis diebus ſolet iterum letania prævenire, quæ tamen non eſt multum prolixa, tribus tantum Sanctis de ſingulis ordinibus nominandis. Primâ Collectâ præmiſsâ, hæ ritè ſequuntur : *De cujus dexterâ Beatum Petrum. Concede quæſumus, Omnipotens Deus, ut inter ſancta. Quæſumus Omnipotens Deus, ut famuli. Omnipotens ſempiterne. Deus qui fac. Deus a quo. Omnipotens ſempiterne Deus miſerere famul.* Ab oct. Paſchæ uſque ad feſtum S. Michaelis : *A domo tuâ quæſumus.* Quorum cum quædam ſatis ſint nota propter quid dicantur, de quibuſdam tamen dubitari poteſt. Quarta eſt pro Regibus aliiſque Principibus : quinta pro Epiſcopis & Abbatibus noſtris : ſexta pro familiaribus noſtris : ſeptima pro Regibus Hiſpaniarum per vices, & aliæ Collectæ. Si eſt cauſa pro quâ opus fuerit, adjiciuntur, ut, verbi gratiâ, pro iter agentibus, pro infirmis, vel pro quâlibet alia tribulatione ſuperveniente. Cantus autem totus ſimpliciter & eodem modo quo in aliis Eccleſiis cantatur. Solus Introitus, ſicut & aliàs moris eſt, ſecundo poſt *Gloria Patri*, ter repetendus. De

Google

verſibus offerendis nihil aliud referte novi, niſi Præcentor ſecundom quod ſibi videtur imponit, nunc onum, nunc omnes, maximè propter offerentes. Nam per tres dies ſeptimanæ quotquot ſont de ſiniſtro choro ab his offertur, pax datur & accipitur; & quibus viſum fuerit ab his corpus Domini ſumitur, propter quod etiam tres hoſtiæ conſecrantur, per alios tres à dextro eâdem viciſſitudine & pacem accipiunt, & communicant ſi qui volunt.

CAPUT VII.

Pro quibus dicuntur Collecta in Miſſâ pro defunctis.

AD Miſſam pro defunctis tam de primo choro, qoàm de altero, ſoleut omnes offerre. Hujus Collectæ nunc plures, nonc potiores; numerum tamen decimum non excedunt. Perſæpe autem prima ſolet Collectarum eadem quæ ad officium eſt prima, & ejus ſecunda, hîc etiam ſecunda pro anniverſariis: tertia pro Pontificibus, id eſt. *Deus qui inter Apoſt.* Quarta pro familiaribus noſtris: quinta pro Fratribus: ſexta pro Regibus Hiſpaniarum: *Omnipotens ſempiterne Deus in cujus humana conditio.* Septima pro Reginâ Hiſpaniarum; & pro ſororibus & aliis fœminis familiaribus. Octava, *Inclina Domine aurem tuam*, pro parentibus & conſanguineis noſtris. Nona pro omnibus qui in loco noſtro ſuot ſepulti. Decima pro omnibus fidelibus defunctis. Noviſſima pro vivis & defunctis, id eſt, *Sanctorum tuorum.* Cæteræ in alio loco jam ſunt prænotatæ pro quibus dicantur. Sed ſicut ordo Collectarum aliquando motatur ad officium, ita per vices etiam mutatur hîc vel propter aliquem nuper defunctum, vel propter aliquem anoiverſarium; poſt duodecim qooque lectiones, ſicut ſemper Matutinæ defunctorum familiaribus noſtris ſunt deputatæ ita Miſſa defunctorum deputata eſt Pontificibus Romanis, & propterea tunc prima Collecta pro eis dicenda, & duæ de medio auferuntur quæ & Matut. familiaribus ooſtris deputatæ, ſunt auferendæ. Sequentes autem tenent ordinem ſuprà memoratum: ſed earum, quas dixi poſt duodecim lectiones auferendas, ot adhuc meminerim, tanta eſt multitudo illorum qui omnes profeſſi ſunt congregationis noſtræ, ut rariſſime his defunctis careamus, pro quibos ſeptem officia ſimul cum ſeptem Miſſis ſunt agenda; & propterea non eſt alia quæ tam frequenter prima dicatur, quàm ea quæ pro hujuſmodi eſt conſtituta; id eſt: *Deus cui prop.* At ſi evenerit talis anniverſatius pro qoo pulſanda ſunt omnia ſigna, præponenda eſt ea de anniverſario Collecta. Quod ſi Miſſa prima celebranda eſt pro quolibet nuper defuncto, ſive corpus defuocti præſens ſit, ſive non, dicenda eſt pro eo ea prima Collecta quæ ſolet aliàs pro familiaribus dici, id eſt: *Omnipotem ſempiterne Deus cui nunquam*: & poſtea quàm ſemel dicta fuerit, eâ vice non eſt dicenda pro familiaribus ſecundò. At ſi evenerit ſimul & talis anniverſarius & prima Miſſa pro Fratre nuper defuncto, quod in alio loco de officio jam dixi, hîc etiam tenetur ut illa Collecta pro ouper defuocto præponatur, & ea quæ eſt de anniverſario ſeqoatur. Et hoc notandum, ut illa prima Miſſa pro nuper defuncto nunquam dicatur, niſi priùs officium ſit præmiſſum. De cantu autem Miſſæ defunctorum uoo eſt multum quod opus ſit ut dicatur; quod tamen æſtimaverim noo tacendum. Quoties ſolito ſolemniùs agitur ſive pro recens defuncto, ſive pro anniverſario, primus puerorum cappâ indutus tenet chorum, à duobus pueris albis indutis cantatur Graduale, vel quod ab aliis reſponſorium appellatur; & ita, ut verſu finito Graduale à principio repetatur. Aliquando talis anniverſalis agitur tam celebris, ut duo pueri rursùs Graduale cantaturi ſericis induantur tunicis, & duo Fratres cappis ad tractum cantandum, qui tamen ſatis ratò cantatur.

CAPUT VIII.

De majore Miſſâ in diebus Dominicis.

IN Dominicis diebus ad majorem Miſſam Introitus poſt verſum dimidius ſolet recantari, poſt *Gloria Patri* totus. *Gloria in excelſis Deo* nunquam omittitur niſi in Advento Domini, & à Septuageſimâ uſque ad Paſcha. Una tantùm Collecta eſt dicenda. Graduale à duobus albatis cantatur, ita ut verſu finito à principio repetatur. Item Alleluia à duobus. Verſus Offertorii omnes cantant. Tamen niſi unus offert, ſed quinque ſimul hoſtias; ut qui voluerint poſſint commuuicare. Pacem accipiunt univerſi. Ipſæ autem hoſtiæ cum fuerint conſecratæ, mutantur quatuor cum illis qoæ in pixide, & in aureâ columbâ ſuper altare pendente jugiter ſervantur; maximè propter infirmos, ut quidquid de eis evenit, Viaticum ſit in promptu. Mutantur autem per manum Diaconi in omni die Dominicâ eâ de causâ, ne longo ſito aliquo modo fiant deteriores.

CAPUT IX.

Item de Miſſâ matutinali in diebus Dominicis.

TUnc ad Miſſam quoque matutinalem in eiſdem diebus veniamus; hæc nimirum non alia ſolet eſſe quàm & major, ſcilicet de die. Poſt primam Collecta ſecunda eſt de Trinitate. Poſtea hæ omnes quæ in privatis diebus ad majorem Miſſam dicuntur, & noviſſimè *Sanctorum tuorum.* Cantatur autem abſque Symbolo Apoſtolico, niſi aliquando eveniat, ut propter aliquam tribulationem plebs ruſticana convocetur ad eamdem Miſſam audiendam, tunc non omittitur. Si eſt in Quadrageſimâ, abſque tractu, ſi in Paſchali tempore cum uno tantùm Alleluia. Solus Prior offert unam tantùm hoſtiam. A Diacono accipit pacem alicui foris Chorum de popularibus dandam. Diaconus quoque ex more communicat.

CAPUT X.

De Proceſſione Dominicali.

MIſſa matutinali finitâ confeſtim à Sacerdote, qui majorem Miſſam cantabit, ſal & aqua conſecratur; niſi forte in aliis præcipuis feſtis: tunc alius quàm qui Miſſam cantabit ſtolâ præcinctus, facit conſecrationem, quà conſumptâ aſpergit primùm cum aquâ benedictâ pavimentum in circuitu altaris majoris, & aliorum altarium qoæ ſunt in vicino, & poſtea Fratres. Uoo Converſo cum cruce ſiniſtro ejus lateri jugiter adhærente, & altero conſecratam aquam præferente perluſtrat clauſtri officinas, in ſingulis unam collectam benedictionalem dicendo. Primùm domum infirmorum, 2. dormitorium, 3. refectorium, 4. coquinam regularem, 5. cellarium. Conventus eum expectaudo facit primam ſtationem in Eccleſiâ ſanctæ MARIÆ, ubi & una collecta de ipsâ tonali eſt pronuntiatione dicenda. Secunda ante dormitorium: tertia ante refectorium: quatta ſimul cum ipſo in veſtibulo Eccleſiæ: quinta à Paſcha uſque ad Pentecoſten ad ſan-

ctam

Digitized by Google

ctam crucem, ubi rurſus mos eſt ut de illa una collecta dicatur. Singulas collectas hîc nominare non vacat, quia ſatis ſunt notæ, niſi de duabus neſcio ſi apud Teutonicos ita ſunt in uſu; una quæ ante portam Eccleſiæ dicenda eſt inter cantandum, id eſt, *Domine Jeſu Chriſte*: altera quæ in Choro: *Via Sanctorum omnium.*

CAPUT XI.

De diverſitate ſolemnitatum.

Interrogatio. IN aliis feſtis ſi proceſſionem non facitis, numquid tamen alia omnia tenetis & obſervatis, quæ in diebus Dominicis ſunt obſervanda, aut eſt quidquam quod addere ſoleatis? *Reſp.* Alia ſunt plura in quibus nihil agitur amplius, quàm in qualibet Dominicâ die; & alia ſunt in quibus hoc ſuperadditur, quòd Invitatorium cantori albis induantur, & quòd Sacerdos lecto poſt nocturnos Evangelio, cum albâ redit in Chorum, ut albatus ad canticum Evangelii altare incenſet: ut in depoſitione S. Hilarii: in octavis Epiphaniæ; in feſto S. Agnetis, S. Agathæ; S. Matthiæ; in depoſitione S. Gregorii; S. Benedicti; in Annuntiatione S. MARIÆ, in octavâ Aſcenſionis Domini; in depoſitione S. Conſortiæ virginis; in octava S. Joannis Baptiſtæ; in Tranſlatione S. Martini; in octavâ Tranſlationis S. Benedicti; in depoſitione S. Bricłii; in octavâ S. Martini; in depoſitione S. Clementis; in octava S. Andreæ; in Nativitate S. Luciæ, in depoſitione S. Silveſtri; & hoc ipſum fieri ſolet in quinque Dominicis diebus, id eſt in primâ Dominicâ Adventus; in Septuageſimâ, Quadrageſimâ, & Ramis palmarum.

Sunt alia quæ in hoc præcellunt; quòd formæ in choro tapetibus cooperiuntur; quòd ad Veſperos & Matutinas ante altare cerei quinque accenduntur, cum aliàs uni tres; quòd Sacerdos altaria incenſat in cappâ; quod ad eaſdem horas duo pueri Reſponſoria decantant, & *Benedicamus* pronuntiant; quòd ad noctur. duo lectores & non plures, Reſponſoria quartum, 8. & 12. cantant, quòd ipſum Reſponſ. duodecim recantant; quòd ad majorem Miſſam omnes qui cantare ſciunt ſunt in albis. quòd poſt alleluia quædam melodia neumatum cantatur, quòd ſequentiam quidam appellant: ut in depoſitione S. Mauri; in Nativitate S. Vincentii; in Converſione S. Pauli; in Natali Apoſtolorum Philippi & Jacobi; in Inventione & Exaltatione S. Crucis; in depoſitione S. Martialis; in exceptione Reliquiarum S. Gregorii; in Natali S. Jacobi; in depoſitione S. Germani; in Inventione S. Stephani; in octavâ Aſſumptionis S. MARIÆ; in Nativitate S. Bartholomæi; in Nativitate Sanctorum Juliani, & Hermetis; in Decollatione S. Joannis Baptiſtæ; in Nativitate S. Marcelli Martyris; in exceptione S. Marcelli Papæ; in Nativitate S. Ægidii; in Nativitate S. Mauritii; in Nativitate S. Dionyſii; in depoſitione S. Lucæ; in Nativitate S. Aquilini; in Nativitate Apoſtolorum Simonis & Judæ; in Nativitate S. Quintini Martyris; in depoſitione S. Odonis Abbatis; in Nativitate S. Thomæ Apoſtoli. Inter quas tamen feſtivitates, Inventio & Exaltatio ſanctæ Crucis hanc habent prærogativam, ut ad majorem Miſſam cappis omnes induantur. Item quædam ſunt in hoc ſuperiores, quòd in Choro duo dorſalia [b], & ſex in presbyterio ſuſpenduntur: quòd hi duo qui Invitatorium ſunt cantaturi tam cappis induantur quàm omnes ad majorem Miſſam: quòd ad Veſperos & Matutinas ſuper canticum Evangelii in tria membra diviſa ter cantatur, primò ante ultimum verſum, tertiò poſt *Gloria Patri* ſimul ab omnibus: quòd melodiâ ſolemniore quàm in aliis diebus cantatur hymnus Tertiæ & duarum ſequentium horarum, & Prima ſolemniore quàm etiam in Dominicâ: quòd Miſsâ majore finitâ omnia ſigna pulſantur; ut in Nativitate S. Joannis Evangeliſtæ, & Innocentium; in Circumciſione Domini; in depoſitione S. Odilonis; in Nat. S. Marcelli Papæ; in Nat. S. Fortunati; in Cathedrâ S. Petri ſi evenerit extrà Quadrageſimam; in illis tribus diebus Paſchæ & Pentecoſtes; in dep. S. Majoli; in Commemoratione S. Pauli; in Octavâ SS. Apoſtolorum Petri & Pauli; in Tranſlatione S. Benedicti; in Nat. S. Laurentii; in Nat. S. MARIÆ; in Nat. S. Matth. in feſtivitate S. Michaëlis; in Nat. S. Andreæ. Ubi tamen notandum quòd Matutini excipiuntur in illis tribus Paſchæ & Pentecoſtes; & quòd Antiphonæ non recantantur, ut etiam nec in Nat. S. Marcelli Papæ, & S. Matthæi.

Item ſunt quæ in hoc ſupereminent, quòd Invitatorium quatuor cantant; quòd ſingula Reſponſoria cantant duo vel plures; quòd ad Veſperos & Matut. non pueri ſed Majores cantant Reſponſoria; quòd duo thuribulis incenſant, quòd ad Matutinalem & majorem Miſſam non niſi una Collecta eſt dicenda; quòd ſeptem cerei ante altare accenduntur; quòd in Choro quatuor pallia & in presbyterio octo ſuſpenduntur: Ut in Nat. S. Stephani; in Epiphaniâ; in Hypapante Domini; in ejus Aſcenſione; in Nativit. S. Joannis Bapt. Hoc autem de primâ Collecta ad matutinalem Miſſam habent & illi tres dies poſt primum non ſolùm Paſchæ & Pentecoſtes, ſed etiam Natalis Domini. Item ſunt aliæ in quibus hoc apponitur; quòd tota Eccleſia à fine uſque ad finem dorſalibus adornatur, & coronæ accenduntur; quòd inter nocturnos altare principale ter incenſatur ad tertiam lectionem, ad ſeptimam, & ad undecimam, & thuribulum ab ipſo Sacerdote qui incenſavit cappâ induto portatur generaliter ad Fratres, & in Choro & extrà Chorum: Ut ad Vincula S. Petri: in feſtivitate Omnium Sanctorum: in depoſ. S. Martini: in Dedicatione Eccleſiæ ſi evenerit extrà Quadrageſimam. Solæ quinque principales feſtivitates ad ſuperlativum gradum quodammodo pertingunt, id eſt, Nat. SS. Petri & Pauli: Aſſumptio S. MARIÆ, cum tribus feſtis Dominicis, quæ hoc habent ſingulare quòd ad nocturnos vice ſecuiæ pulſantur omnia ſigna, & poſtea non ſingula, ſed duo ſimul, ſicut etiam ad Veſp. quòd illud triangulare ante ſanctam Crucem dependens accenditur: quòd illi quoque maximi cerei, tres poſt altare principale, & ſeptem ad ſanctam crucem accenſi de Veſperis uſque ad Veſperos, imò uſque ad Completorium ita perdurant: quod ad Noctur. tria diverſi coloris pallia ſuper altare principale mittuntur ſingulatim auferenda; primò ad finem quarti Reſponſorii, item octavi, & poſt Cantica; quòd proceſſio per Clauſtrum tam ſolemnis agitur, ut non ſolùm cruces, ſed etiam textus Evangelii, candelabra, & cætera quæque mobilia ornamenta portentur. In Octavis Pentecoſtes; commemoratio S. Trinitatis, & Annuntiatio S. MARIÆ ſi contigerit extrà Quadrageſimam celebranda, hoc ſolùm minus habent, quòd ad nocturnos tria pallia non ita mittuntur ſuper altare, & proceſſio eo apparatu non agitur. Proſa, vel quod alii Se-

[b] *dorſalia*] Dorſale, inquit Acherius, pallium eſt ſive aulæam & tapetum quod in dorſo ponitur, ſive parietibus appenditur.

quentiam vocant, non cantatur niſi in quinque feſtis principalibus; in Epiphaniâ; in Aſcenſione Domini; in Tranſlatione S. Benedicti, & in Nat. S. Mauritii. Hoc quoque ſciendum de ipſis feſtivitatibus, quia ſi duæ continuatim celebrantur, & præcedens majoris eſt reverentiæ, de præcedente quoque ſecundi Veſperi dicuntur ex toto, & de ſequente nonniſi Antiphona & Collecta. Quæcumque autem feſtivitas in Quadrageſimâ celebratur, nihil ei ampliùs ullo modo defertur, quàm uni diei Dominicæ, ex his quinque, quarum ſuprà memini, exceptis.

CAPUT XII.

De Cœnâ Domini

Interrog. MEminiſti aliqantulum utrorumque dierum & privatorum & ſolemniũ, ſcilicet in quo ſint diſſimiles, & quibuſdam ex ipſis ſolemnibus ſolemniores, ſed nondum ſpecialiter dixiſti de aliquo anni tempore, vel die, qui ab eo proprium ac ſingulare habeatur; & propterea ſi volueris, ut pollicitus es, pro voluntate noſtrâ agere quod loquor, incipe ab aliquo die ut ſingulorum dierum vel temporum ſuis proprietatibus quamdam præſcribas definitionem, & ſicut ſuperiùs feciſti de utroque Teſtamento quo modo legendum eſſet referendo, ita nunc quoque fac iteratò quemdam circulum anni.

Reſponſio. Crede mihi, Pater, iſte circuitus, quem modò quæris, non eſt ita levis, multumque diffido meis viribus, ut ſi incipiam ita ut ſit proficuum; à me perfici non poſſit: tamen in Chriſti nomine, & pro amore tam cari petitoris quantum poſſim non omittam experiri: ſed priùſquàm hoc ipſum quod habeo virium deficiat, expedit ut difficilior locus ad incipiendum eligatur, quia per planiora curritur aliquando etiam à laſſo. In toto autem anni tempore, non eſt ullius diei obſequium tam multiplex, & tam prolixum, ut in Cœnâ Domini; idcircò hæc ſit meta prout poſtulas, & à quâ incipiatur, & ad quam recurratur. Igitur in illis tribus noctibus æqualiter quæ Dominicam Reſurrectionem præcedunt, quumodu ante noct. ordinentur quindecim candelæ, ut ſingulæ ante ſingulos pſalmos extinguantur, vacat ut referatur, quia illa conſuetudo ſatis nota eſt, & per Eccleſias omnes, quæ in iſtis ſunt partibus, generalis. Cantica quindecim Graduum ſub ſilentio dicuntur; nec tamen umittitur per ſingulas incilionés ſuper formas procumbi. In primâ nocte pulſantur ad Nocturnos omnia ſigna, in quâ & in duabus ſequentibus ipſi nocturni geruntur à nobis eodem modo quo à Canonicis, pſalmis, lectionibus, & reſponſorus ad novennarium pertingentibus. Primæ tres lectiones de lamentationibus Hieremiæ ſunt, in quibus tamen non ita Canonicos imitamur, ut eas non tam legere quàm cantare videamur, ſicut illi per multa loca ſolent, illaque alphabeta omninò tacemus: tres ſequentes de tractatu S. Auguſtini ſuper pſalmum ſexageſimum ſecundum, tres noviſſimæ de Apoſtolo quæ in primâ nocte incipiunt ab eo loco Epiſtolæ ad Corinthios: *Primùm quidem convenientibus vobis in Eccleſiâ, audio ſciſſuras eſſe.* In ſecundâ nocte ab eo loco Epiſtolæ ad Hebræos, *Feſtinemus ingredi in illam*; in tertia nocte ab eo loco ejuſdem Epiſtolæ: *Chriſtum aſſiſtens Pontifex.* De hoc quoque non eſt opus verbum facere quod non minùs eſt ſcitum: & nocturnos, & omnes horas abſque verſu, *Deus in adjut.* cum veniâ tamen inchoari, & ab antiphonis quarum etiam nulla cum definitione toni finitur: Lectiones quoque ſolito more nec incipi nec finiri: verùm ad Matutinas laudes cum venitur ad *Laudate Dominum de cælis*, quiſque juvenis ſtabit juxtà Cuſtodem ſuum; in medio quoque duorum puerorum ſtabit unus Magiſter eorum, qui ambos per manicas tenebit uſque dum Matutinæ finitæ ſint. Poſt cantica Evangelii cum antiphona quæcumque fuerit cantata, procumbunt ſuper formas. A ſingulis preces dicuntur ſub ſilentio, *Ego dixi*, cum pſalmo *Miſerere*, & collecta *Deus à quo Judas &c.* ſigno facto per ſonitum à Domino Abbate conſurgunt, & laternis cum lumine apportatis per Magiſtros puerorum eunt in dormitorium.

Aurorâ benè apparente, ut alio lumine non indigeatur, ſcilla ſonatur; levant ſe de lectis ſuis, feſtinant ad Eccleſiam. Factâ oratione, Prima inchoatur ab hymno, ſicut & tres Horæ ſequentes, cujus ultimus verſus, qui eſt de ſanctâ Trinitate, remanebit. Pſalmi conſueti cum Antiphonis & tono cantantur. Inter preces, cum venitur ad locum confeſſionis, dat ſignum Dominus Abbas cum ſonitu, ut dicatur omiſſis pſalmis familiaribus: cum poſt preces ſurrexerint, decantant ſeptem pſalmos ſine *gloriâ*, letaniâ conſequente cum omnibus appendiciis ſuis, quâ finitâ non mutant quod in privatis diebus per totam Quadrageſimam obſervare ſolebant, ut non ſe calcient antequàm ſignum audiant, & tribus orationibus Tertiam præveniant: hoc autem mutatur, quòd ipſam Tertiam eo die non ſtatim ſequatur Miſſa matutinalis. Priùs quoque quàm ab Eccleſiâ exierint, nova calciamenta ſuper tres perticas ſuſpenſa à famulis Camerarii in Capitulum apportantur, & ſuper quatuor palos terræ infixos ipſæ perticæ mittuntur. Ubi præter diei & Lunæ pronuntiationem, & ſententiam Regulæ, quæ ex more ibi legitur, quidquid aliud & à Sacerdote & à Conventu dicitur ſub ſilentio, & illis tribus diebus nihil aliud legitur in Capitulo niſi de Regulâ tantùm.

Ut autem proſequar quod incœpi de calciamentis, expoſitâ Regulæ ſententiâ, jubente Domno Abbate conſurgit Camerarius, & ſuffraganeus ejus, & per eos ipſa calciamenta erogantur, quibus ſingulis ſingulorum quoque nomina Fratrum ſunt adſcripta. Accipientes nova, reddunt vetera benè lota (ſi tamen plùs quàm unum par habuerint de diurnalibus) ut pauperibus tribuantur. Pronuntiatur quanti fratres ſint in clauſtro, ut tanti quoque pauperes ad Mandatum admittantur; & inſuper quantum viſum fuerit pro amicis noſtris Domno Abbati. Ipſis autem pauperibus continuò à Sacerdote, qui Miſſam matutinalem cantaturus eſſet, cantatur ad altare ſanctæ crucis, & ſingulis ſingulæ dantur oblatæ: & quia temerarium eſſet ut ita indiſcretè communicare permitterentur, quorum conſcientia neſcitur: qui tamen pauperes priùs à Decano villæ electi ſunt, nec tales ſint aliquo modo qui Clauſtrum non debuerint intrare. In hoſpitali autem reficiendis bina dantur edulia fabarum & milii; à famulis eleemoſynæ cum aquâ calidâ prælavantur pedes eorum. Antiqua conſuetudo erat ſatis probabilis, ut in iſto die & in præcedenti & in ſequenti, etiam per totum annum, quoties tale aliquid debuerit fieri, quaſi novum pro qualitate temporis, hoc in Capitulo ab uno puero ediceretur, qui ſi quid mendoſum proferret, non eſſet talis perſona cui contradici non auderetur. Nunc autem neſcio propter quid hoc eſt mutatum, & ſi Domnus Abbas non adeſt, nec Prior, talis multùm inde peritus Præcentori, vel alii Fratri alicui, potiùs quàm puero imperat hoc munus. Poſt Capitulum pſalmi pro anniverſariis Fratrum eo die cantantur in aper-

to, quamquam in duobus ſequentibus ſub ſilentio, tabulâ percuſsâ Fratres loquuntur in Clauſtro, & poſt Sextam iteratò. Poſt Nonam ſtatim Sacerdote albâ induto, & cæteris ad Majorem Miſſam ſervituris, faciunt proceſſionem ad novum ignem conſecrandum cantantes pſalmum quinquageſimum. Ante proceſſionem portatur crux, aqua benedicta, & thuribulum, tamen ſine igne; ut novus ignis, poſtquàm conſecratus fuerit, aſpergatur & incenſetur ad benedicendum, Oratio *Domine Deus Pater omnipotens*. Per mediam autem Eccleſiam revertuntur in Chorum cantando pſalmos 53. 56. 59. 79. Ipſo die ritè lumen in perticâ portatur à Cuſtode Eccleſiæ, in Paraſceve à Priore, in Sabbato ſancto à Domno Abbate vel à Sacerdote; lapis pretioſus berillus de quo ignis eſt producendus, ſub cuſtodiâ Apocriſarii ſervatur; quem tantum Præcentori adhibet, ut ab eo ignis proferatur; eumdemque ipſo die, in proceſſione idem major Eccleſiæ Cuſtos bajulat.

Sed ut ad iſtum de quo agitur redeam, cum venerint in Chorum, complicantur formæ, ſicut eſt conſuetudo in his diebus in quibus venia non eſt petenda. Pulſatis omnibus ſignis cantatur Miſſa feſtivè, tamen abſque *Gloria in excelſis*, & poſt verſum Introitus *Gloria Patri* non dicitur. Diaconus Dalmaticâ induitur, Subdiaconus Tunicâ, cappis qui Gradalem cantaverint. Omnes accipiunt pacem, omneſque communicant; & per illos quatuor dies communicare non quiſquam fratrum omiſerit, etiamſi aliud tale quid ei contigerit dormiendo. Finitâ Miſſâ tabula percutitur pro ſigno ad orationem Veſperorum, quam formis iterum explicatis faciunt procumbendo. Interea verò reconditur Dominicum Corpus à Sacerdote retrò altare. Ponitur in patenâ aureâ, & patena inter ſcutellas aureas, & adhuc ſcutellæ inter tabulas argenteas, quæ factæ ſunt ad textum Evangelii. Eo autem quo ab altari portatur cum cereis, & cum plurimo incenſo, poſtquàm ſe exuerint qui ad Miſſam ſervierunt, Domnum Abbatem præcedentem omnes ſequuntur (ſedet enim interim in Choro) & eunt in refectorium ut mixtum accipiant tantùm unuſquiſque de librâ ſuâ, & potio ejs pigmentata propinatur. Quando conſederint, vel quando ſurrexerint, nihil dicunt de verſu, ſolummodò ante faciunt & retrò. Interim pauperes in Clauſtrum introducti conſidere jubentur. Ad quos Fratres venientes in aliâ parte Clauſtri per ordinem conſiſtunt, & ita ut priores pauperibus ſint propiores. Ipſe Domnus Abbas imponit Antiphonam, vel Præcentor, *Dominus Jeſus*: & venia petitur ab univerſis. Inchoatur Mandatum, & duo ſimul ex unâ parte lavant & tergunt, & ex alterâ duo pueri ſeorſum cum Magiſtris ſuis & cum infirmis. Pſalmus 66. ſubjungitur Antiphonæ prædictæ, *Mandatum novum*, quæ & per ſingulos verſus ejuſdem Pſalmi repetitur: poſtea Pſalmus 118. in quo iterum repetitur poſt octo verſus: cum ad hoc quoque ventum fuerit ut ad manus pauperum aqua miniſtretur, tunc & aliæ Antiphonæ ad Mandatum pertinentes decantantur; tabulâ ſemel percuſsâ ceſſatur à cantu. Datur benedictio ſuper vinum propinandum ſub ſilentio, cum quo ſimùl duo denarii ſingulis pauperibus à ſingulis Fratribus tribuuntur. Inclinatis omnibus dicendus eſt verſus, & Collecta à Domno Abbate, ſicut & in cæteris diebus ad Mandatum pauperum dici ſolent, ita nè poſſit audiri. Et in hunc etiam modum impoſito Pſalmo *Miſerere mei Deus*, & facto antè & retrò redeunt in Eccleſiam. Interim autem dum Mandatum fiebat percuſſa eſt tabula tantis vicibus, quantis ſigna ſolent ad Veſp. pulſari: ſed Conventu intrante proviſæ ſunt tabulæ quàm plures, quæ in vice ſignorum omnium à Cuſtodibus Eccleſiæ ad oſtium ipſius Eccleſiæ ſtantibus percutiuntur. Cantantur Veſperi more Canonicorum, puero incboante cum quinque Pſalmis, & eodem modo quo & Matut. laudes finiuntur; propter quod tamen ne æſtimaveris ut ad alias Horas alii Pſalmi, quàm qui ſolent, dicerentur. Omnia ex toto altaria nudantur; pro cymbalo percutitur tabula, & in refectorio pro ſcillâ. Ubi rurſus ſicut in Capitulo quæ dicenda ſunt, omnia præter lectiones ſub ſilentio dicuntur, & ad Eccleſiam ita regrediuntur.

Ad Mandatum quod inter Fratres eſt gerendum, Hebdomadarii primùm lavant pedes Fratrum & non tergunt: quos Domnus Abbas ſequens tam iterum lavat quàm tergit. Cui etiam tres Fratres obſequuntur pedes Fratrum inter lavandum ſuſtentando, aquam apportando, & manutergia mutando; & cum ad alias vices de unâ aquâ duobus Fratribus aquâ pedes laventur, hic quidem non niſi uni. Fratrum autem tantâ multitudine collectâ, nimirum plùs aliquando quàm ducentorum, dies non ſufficeret, ſi Domnus Abbas ſolus ita Mandatum faceret: propter quod alter quoque Frater ex Prioribus aſſumitur, à quo ſimiliter ex alterâ parte geratur: & ſi viſum fuerit, adhuc alii duo aſſumuntur. Quibus omnibus ſimul cum ipſo Domno Abbate priuſquàm aquam miniſtrent ad manus Fratrum, lavantur pedes foris Capitulum à Fratribus qui ab hoc fuerint nominati. Illi autem ſoli qui primâ vel ſecundâ vice laverunt pedes Fratrum, in medio Capituli ante faciunt & retrò priuſquàm ſedeant; quorum cum ſit unus Domnus Abbas, tunc ipſi primùm ſedem ſuam petenti aſſurgunt Fratres, & datur ei locus à Priore parum ſecedente qui in ſede ſuâ ſedebat. Hoc autem totum poſteaquàm calciamenta diſtributa ſunt, ſtatim in Capitulo fuit ordinatum. Præter ſolitas Antiphonas quæ ſunt de Mandato, habetur hymnus Flavii primi Cabilonenſis Epiſcopi, *Tellus ac æthera jubilent in magni cœnâ Principis*: qui in hoc die & ad hoc Mandatum poſt primam Antiphonam cantatur, & ita ut per ſingulos verſus primus ejus verſus repetatur. Peractis omnibus ceſſatur à cantu, Cuſtos Eccleſiæ percutit tabulam pro ſigno; intrat Diaconus albâ & ſtolâ indutus, & textum Evangelii portans, quem præcedunt unus Oſtiarius Eccleſiæ cum analogio in quo legatur, & tres Converſi ſimiliter albati cum candelabris, & incenſo. Quibus intrantibus aſſurgit Conventus univerſus, nec priùs reſidet quàm unus verſus de Evangelio ſit lectus: lectio inchoatur ad eo loco: *Ante diem feſtum Paſcha*: Et perducitur uſque ad eum locum: *Surgite eamus hinc*. Tunc & Fratres percuſsâ tabulâ ſe levant, ut in refectorium præcedente Diacono, cum proceſſione eant. Ubi rurſùs qui laverunt & terſerunt pedes Fratrum, vinum quoque omnibus propinant, & manus oſculantur, illis obſequentibus, & vinum apportantibus qui in Capitulo fuerunt obſequentes. Diacono ad gradum ſtanti adhuc & legenti, & qui cum eo ſtant, propinatur; quod ab ipſis in pateras ſuas apportatas infunditur, & ita ponitur per alios ad menſam principalem, ut finitâ lectione, & ibi facto ante & retrò conſidentes bibant. Completorium ſub ſilentio eſt dicendum; & de cætero, exceptis nocturnis & matutinis, nulla regularis hora alio modo uſque ad Veſperos Sabbati ſancti. Si quis autem Fratrum foris poſitus Paſchali ſolemnitati vult intereſſe, in quartâ feriâ debet veniſſe. At ſi fortè per negligentiam contigerit, ſive ſit noſter profeſſus ſive Monachus extraneus, ut non veniat niſi in ipſis tribus diebus, poſt quamlibet horam finitam poſtquàm ſe Fratres ad ſonitum levaverint de formis, ſolitam benedictionem

habebit : nemo tamen illum oſculatur ab eo momento Cœnæ Domini, quo pax in Eccleſiâ generaliter eſt data, uſque dum pax iterum detur in præfato Sabbato ſancto ad communionem.

CAPUT XIII.

De Paraſceve.

IN Paraſceve ad Primam nudis pedibus debent univerſi venire ; quâ ſub ſilentio finitâ ſequuntur manifeſtè ſeptem Pſalmi ſimul cum Letaniâ, quæ nihil ſui juris & conſuetudinis carebit in Verſibus & Collectis. Exeunt Fratres in Clauſtrum conſidere, & communiter incipientes totum Pſalterium decantant. Tertia, & duæ ſequentes Horæ cantantur ad Eccleſiam ſanctæ MARIÆ, quia Major Eccleſia interim ſcopatur, & pulvis inde levatus non ſe tam citò deponit. Ad Proceſſionem, quæ ad novum ignem iterum eſt agenda, debent albis eſſe induti omnes qui ad officium Miſſæ ſunt ſervituri. Tractus *Domine, audivi*, à Cantoribus inchoatus, ita cantatur, ut poſt ſingulos verſus à primo verſu repetatur nunc integro, nunc dimidio Tractus *Eripe me Domine*, ut alii tractus à ſolis Cantoribus. Paſſio legitur abſque ſalutatione, quæ tamen in aliis diebus non eſt omiſſa. Collectis conſummatis quæ in miſſali habentur, duo Sacerdotes albis & caſulis induti, & crucem allaturi, illuc ubi crux eſt extrà Chorum in dexteram partem abſcedunt, & inter portandum cantant hos tres verſus *Popule meus*, à duobus aliis, *Quia eduxi te* ; *Quid ultrà*. Quos verſus ſingulos ſequitur à duobus aliis cantatum *Agios ò Theos* : & Chorus, *Sanctus Deus*. Bajuli crucis eam præſentantes & nodantes (eſt enim huc uſque cooperta) imponunt Antiphonam : *Ecce lignum crucis* : & omnes petunt veniam. Verſus, *Beati immaculati in viâ* : Antiphona, *Crucem tuam* : Verſus ; *Deus miſereatur noſtri* : Antiphona : *Dum fabricator* : Verſus ; *O admirabile* : Hymnus ; *Crux fidelis*, qui reciprocando cantatur. Pavimentum tapetibus eſt conſtratum ; maximè propter illos qui in albis ſunt Crucem adoraturi. Et primùm quidem Sacerdos caſulâ & ſtolâ exutus. Poſt pueros adorant infirmi. Quando Crux aufertur, imponitur Antiphona ; *Super omnia ligna* ; & venia petitur ſecundò. Si quis popularium crucem adorare voluerit, huic locus retrò altare datur. Die priore, Præcentore providente, tantum eſt reſervatum Euchariſtiæ, de quo iterum poſſint omnes communicare. Eò quo repoſita eſt proceditur rurſùs cum incenſo & candelabris duobus, ut frangatur & dividatur ſicut ſumendum eſt, à duobus Prioribus albis & caſulâ indutis ; & ab uno illorum Calix tenetur cum vino non conſecrato : hoc modo defertur ad Altare, ubi à Sacerdote ſola Dominica oratio dicenda eſt ; illaque Collecta, *Libera nos* ; & cum manifeſtè dicatur, *Per omnia ſæcula ſæculorum* : illud, *Pax Domini*, non ſequitur, quia nec ſignum pacis eo die datur. Aliquando erat illa diligentia, ut poſtquàm omnes communicaverant, quidquid reſiduum erat ab eiſdem Presbyteris qui apportaverant cum magna reverentia & cautelâ ſumeretur, & nihil omninò in craſtinum remanſit. Quod etiam ego non aliter novi, niſi generaliter conſuetudo ſit aliarum Eccleſiarum, de quo tamen non hîc modò magnopere curatur : & tam hoc die quàm in alio ſi quid communicantibus ſupererit, reſervatur. Poſtquàm autem omnes communicaverint, percutitur tabula, ut fiat oratio veſpertina. Exeunt Fratres pedes lavare, & ſe calciare. Quibus redeuntibus omnes ſimul tabulæ percutiuntur, & veſperi decantantur ſub ſilentio, & cum eiſdem Pſalmis prioris diei, niſi primus auferetur, & pro eo ponitur in noviſſimo Pſalmus centeſimus quadrageſimus tertius. In Refectorio non habetur niſi panis & herbæ crudæ, vinum juſtitiis infuſum magis datur ad eleemoſynam quàm quiſquam bibat : quod etiam fit ſecundò cum iterum pergunt in Refectorium quaſi more ſolito bibituri ; verùm de collatione ſurgunt ad Charitatem, & de vino quod tunc propinatur nullus omninò præſumit abſtinere, ut non aliquantulum guſtet. Cuſtodes Eccleſiæ ſtatim poſt Veſperos ſingula deſuper inceperunt Altaria lavare diligenter, primùm cum aquâ, poſtea vino ; ad quod etiam opus nec ſpongiâ carent, quemlibet imbibente liquorem, ut cum eâ nitidiùs ipſa laventur Altaria.

Inter. Altare principale erat ne nudum quando Corpus Domini dabatur ?

Reſp. Minimè ; uno interim linteo erat opertum.

Inter. In loco illo paſſionis : *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea* : ſimulatur ne aliquo modo à vobis ?

Reſp. Certè ſimulatur, duobus panniculis in Altari poſitis, & eâdem vice hinc & inde per duos Fratres abſtractis ; ſed, ut modò fatear quod verum eſt, de induſtriâ celavi, quia quamvis nullum ſit malum, tamen id non ſit cum Apoſtolo perhibente ſe per fidem, & non per ſpeciem ambulare ; verùm hoc omiſſo ſine me ut ordo teneatur inceptus.

CAPUT XIV.

De Sabbato Sancto.

IN Sabbato Sancto poſt Matut. continuò non modò Altaria cooperiuntur, ſed etiam tota Eccleſia pallis ornatur, nullumque linteum ſuper Altare aliquod mittitur, quod non ſit optimè lavatum. Poſt Capitulum, & poſt Sextam, Fratres loquuntur in Clauſtro. Poſt Nonam proceſſione factâ, primò à Diacono laus cerei eſt legenda. In cujus quodam loco cum aliquando non benè haberetur, *O felix culpa* ; & quòd peccatum Adæ neceſſarium eſſet, ante hos annos Domnus Abbas optimè fecit, quòd fecit abradi, & ne ampliùs legeretur interdixit. Ipſi verò cereo Præcentor inſcribit quotus annus ſit Dominicæ Incarnationis, quota indictio, Concurrens, & Epactæ. Cum ventum fuerit ad hunc locum, *Suſcipe ſancte Pater incenſi hujus ſacrificium veſpertinum*, Diaconus in eo foraminibus antè præcavatis crucem facit cum quinque granis incenſi. Quando legitur *Rutilant ignis aſcendit*, tunc & cereus primùm accenditur. Inde ſequitur lectio *In principio* ; Oratio, *Deus qui*. Lectio 2. *Factum eſt* ; Tractus ; *Cantemus Domino* ; qui à duobus cantatur ex toto ; *Oratio Deus cujus* ; Lectio 3. *Apprehendent ſeptem mulieres* ; Oratio, *Deus qui nos* : Tractus, *Vinea*. Lectio 4. *Hæc eſt hereditas* : Tractus, *Attende*. Oratio, *Deus qui Eccleſiam* : Tractus, *Sicut cervus* ; Oratio, *Concede*. Letania tripla cantatur à duobus Cantoribus, qui & Chorum tenent cappis indutis, & præcinentibus, & utroque Choro ſingulatim reſpondente ; ad ſingula nomina Sanctorum, præter Angelorum, inclinatur ab his à quibus nominantur, niſi Præcentores non inclinant. De baptiſmo nihil nos intromittimus, nec ab ullo in Eccleſiâ noſtrâ celebratur. Letaniâ inchoatâ ſtatim cum tapetibus cooperiuntur formæ, finitâ, pronuntiatur à Cantore, *Accendite*. Accenduntur quæ ſunt ante Altare candelæ, & pulſantur omnia ſigna, cooperiuntur cum tapetibus formæ : Inchoatur Miſſa cum *Kyrie eleiſon* : Sequitur *Gloria in excelſis*, & cætera ſolemniter omnia. Cereus nullus portatur ante Sacerdotem ad Altare proce-

dentem, nec ante Evangelium niſi incenſum ſolùm. Tunc etiam primùm ſi quis Sacerdotum privatim Miſſam cantare voluerit, licentiam accipere poteſt, & ſimiliter incipiat à *Kyrie eleiſon*. In Cœnâ Domini potuit etiam ſine licentiâ ante majorem Miſſam cantare, ſed abſque candelâ; quia novus ignis nondum erat conſecratus. In iſto autem die quamquam *Agnus Dei* non dicatur, pax tamen ab omnibus datur & accipitur, &, ut ſuprà meminit, ab omnibus communicatur. Miſſâ peractâ ſtatim ſcillæ duæ ſimul pulſantur. Ad Veſperos, ſicut & ſigna ſequentia, bina pulſantur, ad quos conſueti Pſalmi cantantur; primus *Confiteamur* cum Alleluia ſecundum melodiam; Antiphona *Crucifixus*, Reſp. *Angelus Domini*; Hymnus, *Ad Cœnam*. Ad Canticum Evangelii poſt Antiphonam, quamvis ter recantetur, tamen adhuc & ipſius Antiphonæ melodia cantatur cum Alleluia: Collecta *Deus qui hanc*. Proceſſio quæ ad Eccleſiam S. MARIÆ fieri ſolet, mutatur ad ſanctam Crucem, ſicut etiam in omni Sabbato, ſed modò cum Reſponſorio, *Dum tranſiſſet*, ſequente Verſu & Collectâ cum tonali pronuntiatione, *Dicite in Nationibus: Deus* [a] *qui pro ſalute*. Generale Mandatum eſſet faciendum, niſi quòd factum eſt in Cœnâ Domini; & hoc etiam conſtitutum eſt à beato Patre Odilone, ut ſi feſta præcipua in Veſperâ Sabbati, *Quæ*, ut ſcriptum eſt, *luceſcit in primâ Sabbati*, id eſt, in Dominicâ, evenerint, Mandatum in quintâ Feriâ præcedente anticipetur, ne Fratribus prolixioribus vigiliis laboraturis, Mandati quoque labor accedat. Quod tenetur in quinque præcipuis Feſtis: & Domnus Abbas hoc ſuperaddidit, Commemorationem Sanctæ Trinitatis; Vincula S. Petri; Feſtum omnium Sanctorum; S. Martini; Hypapantem Domini; & Dedicationem Eccleſiæ.

CAPUT XV.

De ipſâ nocte, vel die Reſurrectionis Domini.

IN ipſâ nocte Dominicæ Reſurrectionis ſatis novi quia vobiſcum in Nocturnis non concordamus agendis: nam & Pſalmi, & Lectiones, & Reſponſoria pariter ad duodenarium pertingunt, quamquam in Antiphonarum numero niſi tres Antiphonæ habeantur, quarum prima cantatur ſuper primos quoque ſex Pſalmos; ſecunda ſuper alios ſex; tertia ſuper cantica. De pulſandis prorſus omnibus ſignis pro ſcillâ; de tribus palliis ſuper Altare mittendis; de incenſo inter Nocturnos ter circumferendo; de Reſponſoriis octavo & duodecimo, poſtquàm ſemel cantata fuerint, iterum repetendis, vacat (ut modo dicam quod meminiſſe potes) jam in ſuperioribus dixiſſe, ubi mentionem feci de diverſitate ſolemnitatum. Ad Matutinas laudes ſingularum Antiphonarum melodia repetitur cum Alleluia. In die cum hora una quæque propriam habeat Antiphonam, ut in promptu eſt in Antiphonario videre, ad Veſp. ſuper Pſalmos non Antiphona ſed tantùm Alleluia, ita; *Jeſum quem quæritis*. Ad Proceſſionem poſt aquam benedictam, Antiphona, *Vidi aquam*, &c. cum *Gloria Patri*, proceditur ad Eccleſiam S. MARIÆ cum Reſponſorio, *Veniens à Libano*; vel cum alio, quod tamen non finiatur ſine Alleluia. Sequitur Antiphona, *In die Reſurrectionis meæ, alleluia*. Et, *Sedit Angelus*, cum verſu *Crucifixum*; ad introitum Eccleſiæ Antiphona, *Chriſtus reſurgens*; in Chorum redeundo Antiphona, *Et valde mane*.

Inter. Si dicenda eſt in tali die Collecta, cujus ſuprà in quodam loco meminiſti, id eſt [a], *Via Sanctorum*.

Reſp. Utique, nec in ullâ ſolet Dominicâ remanere; hujuſmodi autem cantus ad Proceſſionem in omni Dominicâ non mutatur uſque ad Pentecoſten, excepto quòd pro noviſſimo Reſponſorio cantatur aliud vel Reſponſorium, vel Antiphona de Sanctis Petro & Paulo, & Verſus ille *Crucifixus* remanet. Miſſa ſacro-ſanctæ diei quomodo celebretur non opus habes iterum audire, ſi benè recolis ſuprà memorata de diverſitate ſolemnitatum. Quod tamen ibi non dixi: Introitus ter recantatur, quia duos verſus habet. Duo quoque paria Cantorum hinc & inde, vel ſi videtur, plures ſtatuuntur ad Proſam concinendam: quibus Chorus per neumas reſpondet. Ad *Agnus Dei* tropi quidam adjiciuntur; & Communio poſt verſum ſuum iteratur. Hymnis omnium horarum additur unus verſus, id eſt *Quæſumus auctor omnium*; & noviſſimus ita mutatur, *Gloria tibi Domine qui ſurrexiſti*, &c. Quod etiam tenetur uſque ad Aſcenſionem Domini. Præfatio, *Te quidem omni tempore*, per totam iſtam ſeptimanam dicenda eſt ad utramque Miſſam. Eſt autem alia conſuetudo quoties fuerint duodecim lectiones, ut una eadem Collecta dicatur, & ad Veſp. & ad Evangelium poſt Nocturnos, & ad Tertiam, & Miſſam, & iterum ad Veſperos; quod tamen in hac die, & in hac ſeptimanâ obſervatur præter ad ſolos Veſpereos, ut præmiſſum eſt in Vigiliâ Paſchæ.

CAPUT XVI.

De ſecundâ Feriâ, & diebus majoris Septimanæ.

TRanſacta die Dominicâ, in ſecundâ Feriâ, & in aliis diebus & noctibus ejuſdem ſeptimanæ, non niſi duo ſigna ſicut in privatis ad Nocturnos pulſantur, qui cum duodecim Pſalmis, ſicut ſunt per Ferias ordinati, aguntur; ſed lectiones tres tantummodò ex Evangelio fiunt. Puer unus Invitatorium cantat. Ad Matutinos pulſantur omnia ſigna, & de cætero fiunt omnia feſtivè. Illæ autem quæ in Dominicâ cantatæ ſunt ad Matutinos, poſtea ſingulæ ad ſingulas Matutinas cantantur uſque ad Sabbatum, & ad alias horas habentur Antiphonæ de Evangelio. Ad ſolos Nocturnos & Veſperos ſuper Pſalmos non niſi Alleluia cantatur, ad melodiam Antiphonarum formatum: & primò in feriâ ſecundâ Alleluia, ut *Poſtulavi*. *Angelus autem*: JESUM *quem quæris*. In tertiâ Feriâ ut, *Et ecce terra motus*. *Præ timore*. *Nonne cor noſtrum*. In quartâ Feriâ ut, *Erat autem*. *Et reſpicientes*. *Scio quod* JESUM. In quintâ Feriâ ut, *Stetit* JESUS. *Oportebat*. Et iterum JESUM *quem quæritis*. In ſextâ Feriâ ut, *Nonne ſic*. *Et ingreſſæ*. *Crucifixus*. De his tribus ſingulis prima ſemper eſt ad primos ſex Pſalmos Nocturnorum; ſecunda ad alios ſex; tertia ad Veſp. In Sabbato ut, *Noli flere*. *Venit Maria*. *Veſpere autem*. In quo etiam ad alias horas non niſi Alleluia cantatur. Ad Mat. ut, *Angelus autem*. Ad Primam ut, *Et ecce terra motus*. Ad Tertiam, *Præ timore*. Ad Sextam, *Erat autem*. Ad Nonam, *Et reſpicientes*. Ad Miſſam matutinalem per totam ſeptimanam cantatur Officium; *Reſurrexi*. Quæ ſi per tres dies non niſi cum unâ Collectâ celebratur, per alios tres dicuntur omnes Collectæ, quæ in quâlibet Dominicâ ad matutinalem Miſſam ſunt dicendæ. Item major Miſſa per tres agitur generaliter in cappis, & poſt Alleluia neſcio quæ Gallicanæ neumæ cantantur. Per alios tres ad inſtar diei Dominicæ. Ad Veſperos quoque non mutantur hi Pſalmi *Dixit Dominus Domino meo*, & cæteri uſque ad Veſperos Sabbati.

Digitized by Google

CAPUT XVII.

De die Octavo, & quomodo de cætero ad omnes Horas cantatur Alleluia.

OCtavus dies Paſchæ quomodo ſit colendus, per occaſionem aliarum feſtivitatum jam ſuperiùs audiſti, quod nunc tamen adnectitur. Ad Veſperos non alii Pſalmi quàm feriales dicuntur. Ad Noct. non alia Reſponſoria quam quæ in primâ nocte Dominicæ Reſurrectionis ſunt cantata, quæ & per totam ſequentem ſeptimanam ita cantanda perdurant. Miſſa matutinalis: *Quaſi modo geniti.* Major eſt eadem, præter quod ſolus Introitus cum Introitu *Reſurrexi* mutatur, & prius Alleluia eſt, *Poſt dies octo.* Ab illo autem die cum ad omnes Horas uſque ad Aſcenſionem Domini ſemper Alleluia cantetur, tamen in nullo reperi Antiphonario prænotatum, ſi quo certo ordine tanta cantari debeant Alleluia. Quæſivi curioſiùs à quodam juvene perſpicacis ingenii, & qui jam per viginti quinque continuos annos in Clauſtro morabatur, quid inde ſentiret & ſciret: quod ipſe mihi retulit, illud hic à me refertur. In omni Dominicâ ad primum Nocturnum Alleluia *Poſtulavi.* ad ſecundum, *Angelus autem.* ad Cantica, *Et ecce terra motus.* ad Laudes, *Præ timore*; ad Primam, *Surgens autem*; ad Tertiam, de Evangelio, *Ut multa quidem*; ad Sextam, *Erat autem*; ad Nonam, *Et reſpicientes*; ad Veſperos, *Jeſum quem quæris.* In ſecundâ Feriâ cum iterum opus ſit non paucioribus, ut ita dicam, Alleluiis, niſi tantùm unâ minus propter Cantica tunc non dicenda, cantantur eodem quo ſuprà ordine Alleluia ut, *Poſtulavi. Angelus autem. Et ecce terra motus. Præ timore.* De Evangelio, *Erat autem. Et reſpicientes.* In Matutinis, *Jeſum quem quæris.* In tertiâ Feriâ Alleluia ut, *Stetit Jeſus. Oportebat. Nonne ſic. Qui ſunt hi ſermones.* De Evangelio, *Et coëgerunt. Mane nobiſcum. Nonne cor noſtrum.* In quartâ Feriâ, *Noli flere. Venit Maria. Et ingreſſi. Et valde mane.* De Evangelio, *Ite nuntiate. Iterum venit Maria. Scio quòd Jeſum.* In quintâ ſimiliter ut in ſecundâ. In ſextâ ut in tertiâ, excepto quòd ad Veſperos cantatur Alleluia, *Veſpere autem.* De Evangelio ut, *Multa quidem*, vel, *Mitte manum tuam. Ego ſum Paſtor. Modicum & non videbitis me.* In Sabbato ſimiliter ut in Feriâ quartâ, excepto quòd ad Veſperos Alleluia. Quodcumque autem in ſeptimanâ legitur Evangelium, de eo ad Tertiam omni die cantatur Alleluia.

CAPUT XVIII.

De ſecundâ Feriâ poſt Octavas Paſchæ: & quòd tunc nonnullæ conſuetudines inchoantur.

POſt Octavas autem Paſchæ Feria ſecunda cum ſit quaſi novum initium privatorum dierum, inchoantur nonnullæ conſuetudines, quæ non priùs in privatis diebus fiebant. Primò namque, quod in alio loco jam non tacui, ante Nocturnos non niſi quindecim cantica graduum dicuntur, quos & Matutinæ laudes ſequuntur, nullo prorsùs Pſalmo interpoſito: ſed poſt Matutinas laudes, & alias Horas, de conſuetis Pſalmis remanent duo, primus & ſecundus, & inter preces Pſalmus *Miſerere*; qui tamē poſt Primam non omittitur pro Abbatibus noſtris defunctis, nec Matutinum Defunctorum; nec *Deus auribus*; nec poſt Primam ſeptem Pſalmi cum ſuis appendiciis: poſt Pſalmos pro tricenario recens defuncti dormitum ad lecta revertuntur, niſi tam clara ſit dies, ut jam littera dignoſci poſſit in libro. Quòd ſi aurora primùm incipit apparere, calciant ſe, & nihil exuentes pedibus extrà lectum protenſis ita jacent, uſque dum ſonitum audiant, quod ſignum eſt ſurgendi, qui & tali ſemper horâ fieri debet, ut poſtquàm manus ſuas Frater & faciem laverit, caput pexerit, & in Eccleſiâ tres orationes fecerit, in Clauſtro ſedens tantum videre incipiat, ut legere poſſit.

Interrog. Et iſtæ tres quas dicis orationes, ſcire velim cujuſmodi eſſe debeant, & cujus quantitatis.

Reſp. Certè quod ego ſciam, nullus modus certus eſt iis præfixus, quia non communiter fiunt, & unuſquiſque cum primùm venerit in Eccleſiam facit eas ſingulariter & ſeparatim: unus tamen ſeniorum novitium me docuit ut ſeptem Pſalmos dicerem inter ipſas tres Orationes; verùm quiſque quod voluerit oret, tamen poſtquàm pueri de Eccleſiâ exierint, & legere incœperint, ſi poſtea moram fecerit, ut non & ipſe ad lectionem exeat ſedere, facilè incurrit ut in Capitulo reprehendatur. Cum autem ſeniæ ſimiliter orationes fiant, ſed communiter ante Nocturnos, & poſt Completorium, & in Hyeme in privatis ante Tertiam, de his fortè poſſum aliquid quod quæſieris dicere. Nam quæ poſt Completorium fiunt, de his nunquam me audiente quæſtio erat ut ampliùs quidquam ad ſingulas, quàm ſola Dominica oratio diceretur. De aliis cum quæſtio eſſet, ad ultimum Domno Abbati complacuit & hoc diffinivit, ut ad ipſas quoque Oratio Dominica diceretur, ſed tractim, diligenter, & attentè: & tamen ritè illæ orationes ante Tertiam non ſolent tam breves quàm ad Completorium terminari, nec illæ ante Nocturnos, maximè in noctibus longioribus, tam breves quàm ante Tertiam. Aliæ quoque orationes ſingulis horis præmittendæ, nihil ſunt ampliùs quàm eadem Oratio Dominica. Ad ſolos Veſperos pro antiquo more plus aliquantulum producuntur, ut Symbolum Apoſtolicum, ſi videtur, poſſit apponi. His extrà ordinem pro interrogatione tuâ inſertis, intendamus ad circulum quem mihi propoſuiſti, & pro quo non poſſum non ſollicitus eſſe, uſque dum utcumque perficiatur: ut Primam Letania, ſic Letaniam ſequitur Miſſa matutinalis; Capitulum ſequitur licentia loquendi.

Interrog. Hæc quoque licentia & hora loquendi, quàm prolixa ſolet eſſe?

Reſp. Eo tempore quo primùm ad Monaſterium veni, Sacerdos qui privatam Miſſam cantare voluit, potuit eam interim finire; quod tamen modò rarò contingit, quia multitudo Fratrum acervavit: à quibus dum ad utramque Miſſam offertur, dum pax datur & accipitur, dum in Capitulo de uno aut altero hoc & illud reclamatur, dum tantis in Refectorio ſervitur, non minima pars expenditur diei; quæ tamen ſingula ordine noſtro ſalvo & integro remanere non poſſunt. Propter quod hora loquendi neceſſariò magis eſt brevis; & ſi minùs aliquantulum loquimur, in hoc ordinis quidem nemo ſentit ullum eſſe detrimentum. Pulſato ſigno ad Tertiam, & oratione, ſedent in Choro legentes uſque dum Sacerdos & alii ad Miſſam ſervituri ſunt veſtiti. Poſt Miſſam ſedent in Clauſtro iterum legentes cum magnâ diſciplinâ & ſilentio, uſque dum pueri accepto mixto de Refectorio exeant, & altâ voce legere adoriantur. Quos cum primùm Cuſtos Eccleſiæ audierit, ſtatim ad Sextam ſignum pulſare non tardat. Et ne putes nos ultrà modum vigiliis gravari, pro eo quòd nox jam incipit tam brevis eſſe, & tamen poſt Matutinos ſolita non minoretur pſalmodia; majori Cuſtodi Eccleſiæ eſt hoc injunctum quaſi pro legitimo ſempiterno, ut ipſo providente per totam

æſtatem poſtquàm prandium fuerit peractum, tunc primùm fit media dies. Eodem quoque momento ſolent ſe Fratres generaliter ad pauſandum collocare, quamquam tales ſint magis intenti ad lectionem, quàm ad pauſationem. Nona autem, ad quam ſunt ſe levaturi, adeo tarda erit, ut poſtquàm in Refectorio biberint, & iterum loquendi licentiam habuerint, eamdem loquendi horam, & hoc intervallum ante Veſperos non immeritò potiùs dixerim nullum quàm parvum. Sæpiùs namque priuſquàm omnes in Clauſtro conſideant, & aliquis Fratrum vel unum verbum faciat, pulſatur ſignum ad Veſperos, & ecce ibi finis loquendi. Poſtea quæcumque ſunt gerenda perrarò contingit, ut non ita gerantur, ut unum poſt alterum nihil omninò differatur. Pulſatio namque ſignorum citiùs eſt facta, nihil aliud interim habentibus agere, niſi quòd in Choro ſedent & legunt. Poſt Veſperos cœna; poſt cœnam cœna ſervitorum; poſt cœnam ſervitorum Officium pro Defunctis; poſt Officium collatio, & ita ad Completorium.

CAPUT XIX.

De tertiâ Hebdomadâ poſt Paſcha, & de cæteris uſque ad Aſcenſionem Domini.

IN tertiâ poſt Paſcha ſeptimanâ Reſponſoria de Apocalypſi inchoata per duas ſeptimanas cantantur. Poſtea illa Reſponſoria, *Si oblitus fuero*, uſque ad Aſcenſionem Domini. Utraque autem reſponſoria poſtquàm in unâ Dominicâ fuerint cantata, in ſecunda ultima Reſponſoria Nocturnorum mutantur cum his minoribus, ut eſt, *Surrexit Dominus de Sepulcro, Alleluia.* Quod ipſum quoque agitur in Octavis Aſcenſionis Domini, & in Dominicâ præcedente.

CAPUT XX.

De Feſtivitatibus Sanctorum quæ eveniunt à Paſcha uſque ad Pentecoſten.

A Paſcha uſque ad Pentecoſten quæcumque Sanctorum Feſtivitas evenerit, quantumlibet reverenda ſit & colenda, tamen ad Nocturnos non plures cantantur Antiphonæ, quàm una tantùm, Alleluia ſcilicet ſuper Pſalmos ſenos & ſenos, exceptâ S. MARIÆ Annuntiatione & Tranſitu S. Benedicti. Ad Matutinas laudes ſi talis eſt feſtivitas quæ proprias habeat Antiphonas, ut Sanctorum Apoſtolorum Philippi & Jacobi, vel ſanctæ Crucis, hæ non omittuntur cantari ad Laudes & alias Horas: at ſi non habet niſi quæ communes ſunt, de quibuſlibet ſanctis, ut, *In cœleſtibus regnis, &c.* hæ nec ad Laudes, nec ad Horam ullam regularem cantantur; ſed tantùm Alleluia, & eo modo quo earumdem Antiphonarum eſt melodia. Cantatur autem hoc ordine: Ad primos ſex Pſalmos Nocturnorum Alleluia, ut, *In velamento*; ad alios ſex, ut, *Lux perpetua*; ad cantica Alleluia, ut, *Ego ſum vitis*; ad Laudes, ut, *In cœleſtibus*; ad Primam, ut, *In velamento*; ad tertiam, ut *Sancti & juſti*; ad Sextam, ut, *Lux perpetua*; ad Nonam, ut, *In cœleſtibus*; ad Veſperos, ut, *Ego ſum.* Si autem propriæ habentur Antiphonæ, ut de ſanctis Philippo & Jacobo, tunc ſuper Canticum non Alleluia, ſed Antiphona *Ego ſum vitis vera* cantatur.

Inter. Ipſæ autem Antiphonæ de Sanctis remanent ne ita incantatæ?

Reſp. Minimè. Nam etiam quotidie in hoc tempore cantatur, ſcilicet ad ſuffragia Sanctorum, ad Matut. laudes, & Veſperos de omnibus Sanctis. Quod moras facit ad alia feſtinanti, ſi expedio ſingulatim, nec opus eſt multum cuiquam diligenti, & in Monaſterio manenti.

CAPUT XXI.

De Rogationibus.

IN Rogationibus poſt Nocturnos finitis Laudibus pro defunctis, eunt dormitum, & ampliùs ſolito dormiunt, ſcilicet uſque ad ortum ſolis, propter quod omiſſuri ſunt meridianam, nec ſonitu ut moris eſt excitantur; tamen poſtquàm pueri legere incœperint, ampliùs jacere non morantur. Poſt Primam & poſt tres Pſalmos qui ſequuntur, priuſquàm ſeptem Pſalmi dicantur, interponitur illa pſalmodia quæ poſt Matutinos remanſit; id eſt, *Deus auribus*; & ſi cujus Defuncti tricenarius agitur, *Verba mea.* Poſt ſeptem Pſalmos & Letaniam ſtatim ſequitur Miſſa, non ut ſolet pro Defunctis, ſed de die cum Collectis conſuetis, & noviſſimè illa quoque addita, *Sanctorum tuorum*: ad quam tamen omnes offerunt, ſed una hoſtia conſecratur; & pax ab uno accipitur. In Capitulo poſt illum Verſum *Pretioſa in conſpectu Domini*, nequaquam dicitur *Deus in adjutorium, &c.* nec loquuntur in Clauſtro. Poſt Tertiam mixtum accipitur à pueris. Poſt Sextam ſcilla ſonatur, aſcendunt omnes in dormitorium, quaſi aliquantulum pauſaturi: cùm ſignum fuerit auditum, calceis ad lecta dimiſſis, nudis pedibus deſcendunt, lavant manus & faciem, capita pexunt, & veniunt in Eccleſiam. Factâ oratione imponitur ab uno puerorum Antiphona, *Exurge Domine*: poſt *Deus auribus*, ſequitur Verſus, *Oſtende nobis*; *Kyrie eleiſon, Pater noſter*, Pſalmus ſexageſimus ſextus, & die altero ſexageſimus nonus; Verſus, *Et veniat*; Collecta; *Mentem familiæ tuæ.* Sanctorum reliquiæ cruciculis, capſulis, & nuxis [c] incluſæ per Fratres à Secretario dividuntur, ut ab eis collo ſuſpenſæ portentur. Priuſquàm exeant, pulſantur omnia ſigna: Crux & aqua benedicta, & textus Evangelii præfertur proceſſioni. Sequuntur primùm Converſi, Pueri, Cantores, & Priores extremi. Cum venerint ad oſtium veſtibuli Eccleſiæ, ſtant duo famuli cum gemino faſce baculorum, & à ſingulis Fratribus ſinguli accipiuntur; quos iterum reddunt ad oſtium illius Eccleſiæ quà pergunt: ubi de Sanctis quorum ibi patrocinia ſunt, Antiphonâ, vel Reſponſorio cantato, Collectâque ſubjunctâ, faciunt orationem cum inclinatione conſuetâ. Cantatur Nona (cantanda quoque in Monaſterio ſigno pulſato ad horam competentem à Cuſtode Eccleſiæ, & ab infirmis qui ad proceſſionem exire non potuerunt.) Agitur Miſſa iterum de die; & poſt primam Collectam non niſi una ſecundò apponitur de Commemoratione illius Sancti, cujus ibi confeſſio eſt. Cum lectum fuerit Evangelium, Obedientiarii, quorum intereſt ad menſam Fratrum ſervire, licentiam accipientes revertuntur, ſimulque duo Fratres qui cappis induti, nudis tamen pedibus proceſſionem ad oſtium Eccleſiæ ſunt recepturi, & Letaniam breviter in Choro iteratò cantaturi, eâ melodiâ & his verſiculis qui ad hoc ſunt inventi. Veſperi pro fidelibus defunctis ſunt dicendi; Officium remanebit.

[c] *& nuxis*] Seu *nuſcis*, h. e. fibulis.

CAPUT XXII.

De Aſcenſione Domini

Aſcenſio Domini quo modo ſit celebranda, & hoc inter alias feſtivitates invenitur: quod tamen adhuc ſupereſt ut dicatur. In Vigiliâ ad Veſperos Collecta, *Adeſto ſupplicationibus noſtris.* In ipſo die Aſcenſionis Antiphonæ quæ cantatæ ſunt ad Laudes, cantantur etiam ad alias Horas, illâ prætermiſſâ, ut moris eſt ſemper, & aliâ ſcilicet quæ eſt ſuper hymnum trium puerorum. Ad ſolos Veſperos Alleluia, ut Antiphona *Pater ſancte*: ad quos etiam poſtea omni die, & ad Cantica uſque ad Pentecoſten, cantatur ad Matutinas laudes, ut, *Sic veniet.* Ad Tertiam, *Illi autem profecti.* Ad Nocturnos & ad alias Horas eodem modo ut priùs de Paſcha. In proceſſione quoque præfatæ diei non venitur ad Eccleſiam ſanctæ MARIÆ, ſed tantùm per Clauſtrum proceditur uſque in veſtibulum Eccleſiæ, ubi & ſtatio agitur cum Antiphonâ, *O Rex gloriæ.* Cantus autem prior vel poſterior non eſt aliud quàm Reſponſoria ad ipſum diem pertinentia; id eſt primò Reſponſorium, *Elevatis Dominus*; aliud, *Pons nubem*; noviſſimè in Choro, *Viri Galilæi.* Item cum Reſponſorio ad Veſperos, & ad Matutinas laudes fieri ſolet proceſſio ad ſanctam Crucem. Ad hymnos omnium Horarum ſicut in Paſcha apponitur Verſus ille, *Da nobis illuc ſedulâ devotione tendere*: &, *Gloria tibi Domine qui ſcandis*: et hucuſque ad Pentecoſten; verùm etiam ad octavas, ad Mat. laudes & Veſp. prima eadem Collecta ſemper eſt dicenda, *Concede quæſumus.* Quod tamen ſolâ ſequente Dominicâ non tenetur. Et quia de Aſcenſione non multæ ſunt Collectæ, eliguntur quoque competentes de Paſchalibus ad alias Horas, ut eſt, *Omnipotens ſempiterne Deus, da nobis, &c. Deus qui ad æternam vitam, &c.* Præfatio, *Qui poſt Reſurrectionem, &c.* non amplius dicitur quàm in primo die ad utramque Miſſam, & in octava ad utramque. Notandum autem quòd Pſalmus *Ad Dominum*, qui in duodecim lectionibus, ſimul cum Pſalmo *Voce mea* ſolet dici pro Officio Defunctorum, non eſt dicendus in hac ſolemnitate, nec in eis ſimilibus, quia & antiquitùs in talibus diebus Officium non fiebat.

CAPUT XXIII.

De Vigiliâ Pentecoſtes.

IN Vigiliâ Pentecoſtes poſt Capitulum loquuntur; poſt Tertiam ſilent; poſt Sextam eunt ad lecta ſua eodem modo quo in Rogationibus facturi, uſque ad inchoationem officii ante Nonam inchoandi; de quo Lectio prima, *Tentavit Deus*; ſequitur Collecta ſine ſalutatione, *Deus qui in Abraham*: Lectio ſecunda, *Scripſit Moyſes*: Tractus, *Attende cælum*; Collecta *Deus qui nos per Prophetas.* Lectio tertia, *Apprehendent ſeptem mulieres*; Tractus, *Vinea facta eſt*; Collecta, *Deus qui nos ad celebrandum.* Lectio quarta: *Audi Iſrael*; Collecta, *Deus incommutabilis*; Tractus, *Sicut cervus*; Collecta, *Concede quæſumus.* Cantatur Letania eodem modo quo in vigiliis Paſchæ; ipſa quoque Miſſa non diſſimiliter per omnia, præter quod habet cantum offerendæ, & quod *Agnus Dei* ſimul cum Communione eſt dicendum. Ante Veſperos cœnatur, ad quos etiam ſicut in Sabbato Sancto iterum non alii Pſalmi quàm feriales ſunt dicendi, id eſt; *Confiteantur*: Collecta, *Præſta quæſumus, &c.*

CAPUT XXIV.

De ipſo die Pentecoſtes, & ea quæ ſequitur Septimanâ.

UT dignum eſt, Sancti Spiritûs Adventui nequaquam minùs defertur, quàm & Dominicæ Reſurrectioni. In illa nocte, & in illo die quidquid pro reverentiâ ſolemnitatis agebatur, & in iſto eſt agendum; tantùm ad Matutinas poſt ſingulas Antiphonas earum melodia non ita cum alleluia iteratur. Ad Veſpertinalem proceſſionem Reſp. ad Matutinalem Reſp. in die ad illam proceſſionem non alius cantus quàm illæ Antiphonæ de Paſcha uſque in veſtibulum Eccleſiæ: ibi omiſſo verſu, *Crucifixum*, agitur ſtatio cum Antiphonâ, *Hodie completi ſunt.* Ad introitum Eccleſiæ, & ad ſanctam Crucem Reſponſorium, *Apparuerunt Apoſtolis*: in Choro Reſponſorium, *Spiritus Sanctus.* Quamvis autem omnes Galli non magnopere curent de Proſis Teutonicorum, tamen beato Patre Odilone annitente, & de noſtratibus aſſerente, hæc ſola, *Sancti Spiritus adſit nobis gratia*, obtinuit ut in noſtro loco in iſto die cantaretur. Ad cujus Veſperos ſuper Pſalmos cantatur Alleluia ut Antiphona, *Loquebantur*; ad Mat. in ſecundâ Feriâ, ut, *Dum complerentur*; ad Tertiam, *Repleti.* His tribus Antiphonarum melodiis locum ſemel acceptum non mutantibus, ad alias Horas cantantur aliæ & de Paſcha, & de Evangelio, & de Aſcenſione Domini, in quibus & non alius tunc ordo tenetur, niſi Præcentor hoc providet, & imponenti præmonſtrat, ut nulla relinquatur quæ non in hac ſeptimanâ recantetur à nobis, videlicet ſingulis quaſi ultimum vale facturis. Horarum Hymni iterum non carent uno Verſu ſuperaddito, ſcilicet hic, *Chriſte nunc piiſſime*: &, *Sit laus Patri.*

CAPUT XXV.

De Octavo die Pentecoſtes.

OCtavus dies Pentecoſtes non tam pro Octavo, quàm pro commemoratione ſanctæ Trinitatis celebratur. Ad cujus etiam priores Veſperos, quod alias rarò fieri ſolet, ſuper ſingulos Pſalmos ſingulæ cantantur Antiphonæ de ſancta Trinitate. Capitulum tam ad Veſperos, quàm ad Matutinas laudes, & adhuc etiam ad Tertiam, *Benedictio, & claritas, & ſapientia*; Hymnus, *O lux beata Trinitas.* Evangelio, *Erat homo ex Phariſæis*, pronuntiato, nulla tamen ejus Homilia legitur, ſed ſermo ſancti Gregorii Nazianzeni ſcilicet, *De ſolemnitate hodiernâ.* Proceſſio cum Reſponſorio ad ſanctam Crucem; ſicut etiam poſt Matutinas laudes. Ad Nocturnos, *Tu Trinitatis unitas*; ad Laudes, *Splendor Paternæ gloriæ*; tamen cum ſolemniore melodiâ quàm quotidianâ. Quamquam aliorum Hymnorum melodia qui cantantur in Paſcha ita ſit plana & in directum, & in ipſo ſacro ſanctæ Dominicæ Reſurrectionis non magis ſolemnis, quàm ſi iidem Hymni ad aliquem, ut ita dicam, privatum diem pertinerent; quod nobis relictum à ſimplicitate Seniorum noſtrorum adhuc ita tenetur, & ſi qua perſona eſſet idonea, quæ id Domno Abbati ſuggereret & ſuaderet, fortaſſis emendari juberet, ſicut & de multis aliis jam fecit. In die autem præfato Miſſa matutinalis eſt de Spiritu ſancto; ad quam illa Præfatio non omittitur, *Qui aſcendens ſuper omnes cælos*; ſicut etiam per totam præcedentem ſeptimanam ad utramque Miſſam. Ad proceſſionem per

Clauſtrum,

Clauſtrum, & ad ſtationem in veſtibulo Eccleſiæ, idipſum cantatur quod in priore Dominicâ ad ſanctam Crucem: & in Chorumcum Reſponſoriis quæ ſint de ſanctâ Trinitate, reditur. Miſſa major de ſanctâ Trinitate, ſed abſque Graduale cum duobus alleluia. Ad Sextam Capit. *Gratia Domini noſtri*: Collecta, *Domine Deus Pater omnipotens*. Ad Nonam, *Omne quod natum*, vel aliud, *Tres ſunt qui teſtimonium*: Collecta, *Mentes noſtras, quæſumus, Domine*. Ad ſecundos Veſperos in ultimâ ſuper Pſalmos Antiphonâ, non ſunt alia verba quàm illius Capituli, *Benedictio & claritas*; propterea mutatur Capitulum ut dicatur, *Benedictus Deus & Pater*. De Spiritu ſancto cantatur Antiphona, *Hodie completi ſunt*: de ſanctâ Cruce, vel potiùs de Reſurrectione Domini, *Chriſtus reſurgens*; ſequentibus conſentaneis Collectis.

CAPUT XXVI.

De Septimanâ ſequente poſt Octavas Pentecoſtes.

Interrogatio. AGitis Octavas de S. Trinitate?

Reſponſio. Minimè. Major tamen Miſſa cantatur per totam ſeptimanam de ſanctâ Trinitate, & ad Veſperos ſuper Canticum Evangelii cantatur Antiphona. Poſtquàm ſola Dominica fuerit tranſacta, ſtatim redimus ad quatuor Pſalmos per ſingulas Horas dicendas, & ad veniaa petendas ad initia Horarum: ad Nocturnos quoque in privatis noctibus nihil ampliùs legitur, quàm quæ ſcribit Sanctus Benedictus, una parviſſima lectio cum ſimili Reſponſorio. Eſt aliud quod conſtitutum eſt, ut in ſecundâ feriâ hujus ſeptimanæ ſemper agatur: quippe quotquot Defunctorum in loco noſtro ſunt ſepulti, pro his Domnus Abbas ſpecialiter conſtituit, ut eorum recordatio hac vice ſtudioſiſſimè fiat. Quod etiam pro ipſius edicto per omnia loca noſtra fieri ſolet. Pro hujuſmodi poſt Veſperos regulares, & ſuffragia Sanctorum, priuſquàm procedatur ad Eccleſiam ſanctæ MARIÆ, pulſatis prolixè omnibus ſignis, in Choro aguntur Veſperi pro Fidelibus Defunctis, & poſtea Officium ſimili modo. In ſequenti die Miſſa matutinalis propenſiore ſtudio eſt celebranda, & ab omnibus Sacerdotibus privatæ Miſſæ pro eiſdem cantandæ. Verùm & ad Miſſas, ad Veſperos & ad Officium, & Matutinas primò dicenda eſt ea Collecta: *Deus cujus miſeratione*. Duodecim pauperes ad panem & vinum, edulio carnis adjuncto, ubertim ſunt reficiendi, & cunctis aliis pauperibus ſupervenientibus de pane & vino miſericordia impendenda.

CAPUT XXVII.

De Jejunio Quatuor-Temporum in Menſe Junio.

PRiuſquam ultrà progrediamur debemus & Jejunii Quatuor-Temporum meminiſſe, quod cùm in anno quater eveniat, ad omnes vices in ejus Sabbato major Miſſa non prævenitur cum Letaniâ, nec ad eam Collectarum amplius quàm de Officio eſt dicendum; nec offertur, vel pax recipitur, niſi ab uno: nec in Refectorio dantur hoſtiæ inconſecratæ, ſicut in aliis privatis diebus ſolent. Hoc autem Jejunium, quod in menſe Junio agitur, nunquam agitur ante Pentecoſten, tametſi priùs eveniat terminus ejus regularis: at ſi venerit in ipſa ſeptimanâ Pentecoſtes, minimè differtur.

Inter. Et quomodo tunc facitis utrumque, jejunium, & ſolemnitatem?

Reſp. In hoc nihil erramus. Nam ut primò dicam de primo quoque jejunii, id eſt, quartâ feriâ, poſt Capitulum ſedent omnes in Clauſtro ad lectionem: cum viſum fuerit, pulſatur ſignum ad Tertiam: Oratione factâ, induuntur albis, poſt Tertiam cappis. Cantatur officium Spiritûs Domini: ad quod tamen legitur de Actibus Apoſtolorum ferialis lectio, & Evangelium feriale. Poſt Sextam quaſi pauſaturi dormitorium aſcendunt: audito ſigno deſcendunt, lavant manus & faciem, & Eccleſiam intrant. Poſt Orationem, & poſteaquàm Sacerdos cum ſuis ſuffraganeis erit veſtitus, imponitur officium, *Deus cum egredereris*. Ad quod cum legantur duæ lectiones, duæ quoque Collectæ dicuntur, & non ampliùs. Prima lectio eſt de libro Sapientiæ: Evangelium de quinque millibus hominum in quinque panibus & duobus piſcibus ſaturatis. Cantus Alleluia minimè cantatur, ſed tantummodo Reſponſorium, vel quod alii Gradalem vocant. Unâ vice reficiunt poſt Nonam, & adipe abſtinent. In diebus jejunii ſequuturis nihil eſt aliter agendum, excepto quòd nec cappis, nec albis generaliter induuntur, & Collectæ, quæ dicuntur in privatis diebus, ad Miſſam majorem non omittuntur. Idem autem jejunium ſi contigerit extrà Pentecoſten, non alia tamen officia, quàm & ad Pentecoſten pertinentia ex more cantantur; & in Sabbato poſt offerendam, qui Reſponſorium cantaverit, & Lectionem legerit præter Epiſtolam, cùm albis eſſet indutus ſolet ſe exuere. Cantor qui tenet Chorum in cappâ, aliis ad orationem procumbentibus, non procumbit, & ad illam orationem quæ fit ante Nonam exit de Choro.

CAPUT XXVIII.

De Feſtis Sanctorum venientibus poſt Pentecoſten.

Interrogat. AD Nocturnos privatarum noctium ſi talis Lectio, ut ſuperiùs dixiſti, jugiter eſt deputata, quomodo agitis commemorationem Sanctorum, pro quibus tamen duodecim Lectiones non fiunt?

Reſp. Benè mones; nam de Sanctis hujuſmodi utique fiunt tres Lectiones cum Reſponſoriis quoque tribus; & ipſæ Lectiones excerptæ ſunt de aliquo ſermone vel Homiliâ quæ ad hoc maximè competere videtur, quamquam non ita fieret in Paſchalibus diebus, in quibus ſi tria Reſponſoria canebantur de Sanctis, tamen Lectiones erant de eo libro qui & eâ legendus erat ſeptimanâ. Et ut quæſtioni tuæ adhuc aliquid ſupererogaverim de eiſdem Sanctis, ad Nocturnos propter illos nec Hymnus nec Pſalmi feriales mutantur. Invitatorium, Capitulum, Verſus, & Collectæ de eis ſunt dicenda. Ad Laudes Antiphonæ pro eis utique mutantur; & ſinguli Pſalmi habentur de eis de quibus ſunt; & ad reliquas Horas Antiphonæ uſque ad Officium Miſſæ; cum officio eorum recordatio ex toto clauditur & finitur. Nam poſtea ad Horas quæ officium ſequuntur, nec Antiphonæ, nec aliud quidquam eſt de ipſis. Sed ſi evenerit, ut eorum memoria in aliquâ Dominicâ ſit agenda, poſt Veſperos regulares in Sabbato cantantur Antiphonæ de illis, & ſequitur Collecta. Ad Nocturnos ſimul cum Invitatorio, & cum Evangelio, quatuor extremæ Lectiones fiunt de ipſis, poſtea pleniter ad Matutinas laudes, & in die Miſſa matutinalis. De cætero, quod ad Dominicam pertinet tenetur. Sciendum quoque in privatis diebus quæcumque de Sanctis Collecta dicta fuerit ad Veſperos, quòd illa nec ad Matutinas laudes, nec ad Tertiam, nec ad majorem Miſſam mutatur.

CAPUT XXIX.

De Jejuniis quæ fieri ſolent quartâ & ſextâ Feriâ.

SI imbecillitas noſtra pateretur, dignum eſſet ſecundùm edictum præceptoris noſtri ſancti Benedicti, ut poſt Octavas Pentecoſtes ſtatim in omni quartâ & ſextâ Feriâ jejunium faceremus; quòd ſi non ampliùs, tamen utcumque non omittimus facere in uno & pridie prædictarum feriarum; in quo poſt Tertiam ſilemus, poſt Sextam dormitorium aſcendentes ſimulamus meridianam potiùs quàm geramus, quia mox pulſatur ſignum ut in Eccleſiam redeamus, facturi nudis pedibus proceſſionem: calceos noſtros deponimus in Clauſtro propè canales, ut pedes lavaturi ſint in promptu. Inchoatur autem ipſa proceſſio eodem modo quo in Rogationibus, cum Orationibus Antiphonæ, Pſalmo & Collectâ: omnia ſigna non pulſantur, ſed tantùm duo; & hoc inchoatur ante introitum Puerorum. Ergo cantando aliquid pro peccatis, ut eſt Antiphona, *Propitius eſto*, & alia, *Miſerere Domine*; proceditur per cœmeterium ad Eccleſiam S. MARIÆ: ad cujus introïtum & cantus & Collecta eſt de ipsâ Dominâ noſtrâ. Procumbitur ſuper formas ad orationem; Domnus Abbas imponit Pſalmum 145. pro his qui in cœmeterio ſunt ſepulti, & Sacerdos proſequitur cum Collectâ, *Domine cujus miſeratione*. Incipitur Letania duobus pronuntiantibus, cum quâ per Clauſtrum & per veſtibulum Eccleſiæ venitur in Chorum. Sanè, ut præmiſſum eſt, primum diem jejunamus: poſtea in loco jejunii aliquod opus manuum ſæpiùs agitur à nobis. Quotieſcumque autem per aliquam occaſionem jejunamus in æſtate, non mutatur illud de ſilentio poſt Tertiam, & de aſcenſione dormitorii per Sextam. Et ſi eſt quarta aut ſexta Feria, facimus ſicut modò dixi, diſcalciati proceſſionem, exceptâ ſolâ vigiliâ ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Aſſumptionis ſanctæ MARIÆ; ſi tamen & ipſæ aliquando evenerint in tali die. Solet etiam remanere ſi quem Defunctorum ſepelimus, vel ſi qua perſona talis & hujus dignitatis advenerit, cui proceſſionem faciamus, vel ſi majores Capſas noſtras cum Sanctorum reliquiis ad aliquam villam noſtram deſtinamus, ut ſæpè contingit, pro timore prædarum & rapinarum, cum quibus & omnes albati, & pulſatis omnibus ſignis uſque ad exteriorem portam eximus, & eamdem reverentiam deferimus in reportando.

CAPUT XXX.

De Opere manuum.

Interrog. QUod paululum tetigiſti de opere manuum, plus aliquantulum refer; refer, inquam, quid ſit illud opus manuum, & quo modo fiat?

Reſp. Certè, ut non mentiar quod ego ſæpiùs vidi, non erat aliud quàm fabas novas & nondum benè maturas, de folliculis ſuis egerere, vel in horto malas herbas & inutiles, & quæ bonas herbas ſuffocabant, eruere; & aliquando panes formare in piſtrino. Qualiter autem fiat, ut hoc etiam digeram, in die quo agendum eſt, illicò ut fratres ſurrexerint, factis orationibus ſignum pulſatur ad Primam: quam aliis Pſalmis intermiſſis, ſola ſequitur Letania, Miſſaque matutinalis: Capitulum quoque plùs corripitur quàm in aliis diebus; nec cum Pſalmodiâ, ut moris eſt, itur ad ſanctam MARIAM, ſed percuſſâ tabulâ, & præmiſſo *Benedicite*, Domnus Abbas pronuntiat, Eamus ad opus manuum. Imponitur Pſalmodia quæ poſt Primam eſt intermiſſa; incedunt cum proceſſione, ita ut Pueri ſint primi, Priores noviſſimi. Cum ventum fuerit ad locum operandi, verſi omnes ad Orientem per ordinem conſiſtunt. Ad finem unius Pſalmi faciunt ante & retrò, & Domino Abbate pronuntiante tunc dicunt hunc verſum, *Deus in adjutorium, &c.* Sequitur, *Kyrie eleiſon*, *Pater noſter*, Verſus, *Adjutorium noſtrum*; factâ rursùs inclinatione, incipiunt operari. Hæc autem pſalmodia quæ cantatur inter operandum; primùm quæ remanſit poſt Primam, & poſt Capitulum: poſtea omnes regulares Horæ more Canonicorum à Primâ incipientes. Inter cujus etiam preces ſubjungitur etiam Pſalmus quintus, & ſeptem Pſalmi per alias Horas diviſi: tres qui remanent toti inter preces Completorii dicuntur; & Completorium ipſum præcedunt Veſperi pro fidelibus Defunctis, adnectuntur Pſalmi qui ſolent dici pro familiaribus poſt Tertiam, & poſt duas Horas quæ ſequuntur. Si viſum fuerit Domino Abbati, ut ampliùs operentur, ampliatur quoque pſalmodia de Pſalmo, *Ad Dominum cum tribularer*, uſque ad finem Pſalterii, & tunc etiam à principio, *Gloria Patri, &c.* poſt tres Pſalmos interpoſito. Verùm illis Pſalmis pro familiaribus finitis, poſtea Domnus Abbas cum primùm voluerit, innuit Fratribus ab opere ceſſare, & ad ſe magis appropiare, jubet ut aliquid legatur, citiùs tamen finiendum, quia ipſe facturus eſt inde ſermonem: loquens aliquid tale, maximè de vitâ Patrum, quod ædificet audientes: quo finito, iterum impoſitâ pſalmodiâ revertuntur; quam & Pueri cum primùm Clauſtri limen attigerint, altiore voce levant, nec priùs in Capitulo conſiſtunt, quàm Conventus ante Capitulum, Domino Abbate pronuntiante Verſum, *Adjutorium*, faciunt univerſi ante & retrò; & iterum præmiſſo, *Benedicite*, accipiunt licentiam loquendi. Ergo Nona quoque magis quàm in aliis diebus accelerarur. Poſtquàm ventum fuerit ad horam loquendi, rursùs ad opus manuum ire compelluntur.

Hæc eſt pſalmodia quam tunc adoriuntur. Primùm Pſalmi pro familiaribus, qui poſt Veſperos ex more dicuntur: Veſperi de omnibus Sanctis, Veſperi pro Fidelibus Defunctis cum Antiphonis: Officium pro Defunctis abſque Matutinis laudibus, quæ ſemper ad noctem ſervantur, *Deus auribus. Verba mea.* Poſtea inchoant pſalmodiam ubi eam priore vice intermiſerunt. Poſtquàm reverſi fuerint, eâ vice ſermo fieri ſolet in Clauſtro; à quo exurgentes & facientes antè & retrò, Domno Abbate ex toto pronuntiante, tum iterum dicunt hunc verſum: *Benedictus es Domine Deus*: & ſequitur *Kyrie eleiſon* cum familiari appendicio; & noviſſimè Verſus, *Adjutorium noſtrum*: & facto ante & retrò datur licentia loquendi. Si videtur Domino Abbati ut opere facto bibant, poſtquàm pulſato ſigno ad Veſperos fecerint orationem, cymbalo percuſſo vadunt in Refectorium, & potio propinatur melle, vino, & abſynthio confecta. Et ſciendum eſt quia quoties hoc contigerit, poſtea nequaquam, ut aliquando ſolent, bibunt inter collationem. Quòd ſi non niſi ſemel operantur, tunc ſermonis locus eſt in Clauſtro, & Verſus ille non differtur, ut non ſtatim dicatur, *Benedictus es Domine*. Et ſi quando fient in ſequente nocte duodecim Lectiones, minimè bis operantur. Si in piſtrinum ierint ut panem faciant, propter opus hujuſmodi non differunt illos poſt Primam Pſalmos pro familiaribus, vel ſeptem Pſalmos. Poſt Capitulum lavant generaliter manus, & non tergunt: & ſic impoſitâ pſalmodiâ procedunt in piſtrinum. Pueri, vel ſi quis non ſanas manus ha-

Digitized by Google

bet, non ſe intromittunt ut tangant quid de conſperſione farinæ; & hi à quibus panes formantur, poſtea quidquid ſudoris fuerit in eorum facie, minimè tangunt illos, nec os aperiunt ad pſalmodum, ne fortè de ſalivâ quid ſaliat in maſſam. De ſermone quoque nulla tunc mentio fieri ſolet, nec alio verſu clauditur illud opus manuum, quàm cum eo. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.*

CAPUT XXXI.

De Dominicâ tertiâ poſt Pentecoſten, & ſeptimanâ.

POſt commemorationem ſanctæ Trinitatis, in illâ Dominicâ quæ primò occurrit cantantur Reſponſoria de libro Regum uſque ad Calẽdas Auguſti. Et tunc de libro Salomonis uſque ad Calend. Septembris. Quibus ad unam vicem cantatis, in cæteris Dominicis ad Nocturnos tertium, ſeptimum, & undecimum Reſponſoria cantantur de ſanctâ Trinitate, quartum, octavum, & duodecimum illa minora, ut eſt, *Domini eſt terra*: Quorum etiam ſimilia cantantur, ſi qua Sanctorum feſtivitas cum duodecim lectionibus agitur; quæ tamen non ſit de majoribus, ſed talis, ut eſt quælibet Dominica: & non ſolùm in hoc tempore, ſed etiam poſtea ſemper quàm venerit Paſcha. De hac autem Dominicâ, & ſeptimanâ non eſt abs re ſi plus aliquantulum dixero quàm de aliis, quia nonnulla, quorum uſus eſt in iſtis ad obſequium divinum, tenentur etiam per omnes Dominicas & ſeptimanas uſque ad Adventum Domini, excepto ſi non pro aliquâ feſtivitate mutantur. Primò ad Veſperos in Sabbato Capitulum, *Benedictus Deus.* Quod etiam tam in privatis diebus, quàm in Dominicâ ad Veſperos, ſemper idem eſt. Ad noctes ſequentes tria ſunt Invitatoria viciſſim, id eſt, *In manu tuâ. Adoremus Dominum.* Ad Cantica, Alleluia, ut Antiphona, *De Sion.* Ad Laudes ſuper Pſalmos tres, Alleluia, ut, *Dico vobis.* Ad Hymnum trium puerorum Antiphonæ propriæ habentur: ad ſequentem Pſalmum, Alleluia, ut Antiphona, *In Domino laudabitur.* Capit. *Benedictio & claritas.* Ad Primam, Alleluia, ut, *Hortus concluſus eſt*; Capitulum, *Regi autem ſæculorum*, Collecta de ſanctâ Trinitate, quæ etiam ad hanc Horam, & in hoc die, per totum annum ſemper eſt dicenda; nec pro aliquâ vel præcipuâ feſtivitate mutanda. Poſt conſecrationem ſalis & aquæ, Antiphona, *Aſperges me*: in exitu proceſſionis ad Eccleſiam ſanctæ MARIÆ Antiphona vel Reſponſorium de ipſâ: per Clauſtrum de iſtis tribus Antiphonis una, id eſt, *Cum venerimus*; alia, *Oremus dilectiſſimi nobis*; alia; *Omnipotens Deus, ſupplices te*: & ſi opus fuerit ampliùs quid addi, Antiph. *Dimitte nobis Domine.* Ad ſtationem in veſtibulo Eccleſiæ Antiphona, *Benedicat nos Deus*, vel aliquod Reſponſorium de S. Trinitate: in Chorum redeundo Antiphona vel reſponſorium de ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo. Ad Tertiam Alleluia, ut Antiphona, *Chriſti Virgo*: Capitulum, *Deus charitas eſt*; Ad Sextam, Alleluia, ut, *Inter natos*; Cap. *Alter alterius*; Ad Nonam Alleluia, ut, *Innocens*; Cap. *Empti enim eſtis.* Collecta ad Sextam & Nonam, *Deus qui conſpicis. Gratiam tuam quæſumus.*

In privatis noctibus ad Nocturnos eſt Capitulum, *Vigilate.* Ad Laudes, *Nox præceſſit*; ad Primam Capitulum, *Pacem & veritatem*: Collecta, *Domine Deus Pater qui ad principium*: Quæ ambo privatis diebus ita ſunt conglutinata, ut nunquam ab eis ſeparentur. Ad Tertiam Capitulum, *Sana me Domine*; ad Sextam & Nonam eadem quæ in Dominicâ; Collectæ quæ notantur in Collectaneo. Ad Completorium Cap. *Tu autem in nobis*; & Collecta *Viſita quæſumus*; iſta ſunt immobilia, ut ſive ſit dies privatus, ſive ſolemnis, ipſa nequaquam moveantur. Quòd ſi non eſt Dominica dies, & tamen duodecim lectiones; ad Primam eſt Collecta. *In hac horâ hujus diei quæſumus.* Quæ notiora æſtimavi, prætervi, velut quod in Sabbato ad Veſperos ſuper Canticum Evangelii Antiphona, *Quaſi germana eſt*, Reſponſorium de eodem libro; ad Laudes, & ſecundos Veſperos de Evangelio, vel quòd in privatis noctibus ad Matutinas eſt de ipſo Cantico, ad Veſperos iterum de Evangelio. Eo quoque Sabbato, in cujus ſequente nocte aliqua ſunt Reſponſoria inchoanda, non cantatur ad Veſperos feriale Reſponſorium, ſed unum de ipſis Reſponſoriis inchoandis. Si autem meminiſti eorum quæ ſuperiùs in aliis locis memoravi; me tacente modò, tamen ſcire potes, quòd Collecta quæ ad quamlibet Dominicam pertinet, dicenda eſt in Sabbato ad Veſperos, & poſt Nocturnos ad Evangelium, ad Matutinas laudes, Miſſam matutinalem, ad Tertiam, ad majorem Miſſam, utroſque Veſperos. In privatis autem noctibus habentur in Collectaneo, & hæ Collectæ quæ dicendæ ſunt ad Nocturnos, & Laudes, & Veſperos. Et Sacerdos ſi voluerit, ut non reprehendatur, caveat ne aliquam dicat ignotam, ſed quæ benè ſimulet ſtilum Gregorianum, & ſui mediocritate, & ipſorum verborum humilitate.

CAPUT XXXII.

De Nativitate S. Joannis Baptiſtæ.

INter natos mulierum, juxtà ipſius Domini teſtimonium, *cum nemo ſurrexerit major Joanne Baptiſta*, non eſt indignum ſi ejus quoque ſolemnitas ſolemniùs quàm aliorum Sanctorum celebretur. Celebratur autem ejus Nativitas cum Octavis, nec ſunt plures Sanctorum pro quibus hoc fiat; tantùm aliæ quatuor Feſtivitates ſimiliter aguntur, id eſt, Natalis Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli; Tranſlatio S. Benedicti; Aſſumptio ſanctæ MARIÆ, & depoſitio S. Martini; de quibus, ut primò dicam quod omnes communiter habent, primâ nocte poſt Laudes & præcedentes Veſperos agitur proceſſio ad Altaria ſingulorum, excepto Natali Apoſtolorum Petri & Pauli, in quorum honore eſt ipſum Altare principale. Agitur autem cum aliquo Reſponſorio, Collectâ quoque aliquâ ſequente cum tonali pronuntiatione. Per totam ſingularum feſtivitatum ſeptimanam venia non petitur ad initia Horarum; nec procumbitur ſuper formas ad preces. Item ad ſingulas Horas de pſalmodiâ non minus omittitur, quàm in Paſchali tempore quoties duodecim Lectiones non fiebant. Octavus dies totus eſt ſolemnis, duodecim lectionibus agendus. In eâ quoque Dominicâ, ſi qua venerit, non aliud legitur vel cantatur quàm de ipſis. In privatis noctibus, etiamſi ſit tempus æſtivum, tamen tres Lectiones cum tribus Reſponſoriis fiunt; principalis quoque Collecta, quæ in primo die ad majorem Miſſam dicebatur; poſtea uſque ad octavum diem ſemper eſt dicenda ad Laudes, Tertiam, majorem Miſſam & Veſperos. Præfatio autem tantùm in primo die ad utramque Miſſam, in octavo die ad ſolam majorem. Hoc ſolùm minus habent, & ab aliis diſſimile, Nativitas ſancti Joannis, & Tranſlatio ſancti Benedicti, quòd in octavâ nocte noviſſima Nocturnorum Reſponſoria ſunt de his minoribus, ut eſt, *Juſtus ut palma.* Quod tamen omnibus ejuſdem feſtivitatibus, quæ in æſtate veniunt eſt commune, Dominicâ interveniente ut ſimilia Reſponſoria cantentur. Igitur ſuccinctè prælibato, quod, ut dixi, communiter

habeat, videndum eſt modò quod propriè pertinet ad memoriam S. Joannis. In vigiliâ ad Veſperos Collecta, *Præſta quæſumus omnipotens Deus ut familia tua.* In nocte ad Evangelium, *Concede quæſumus omnipotens Deus.* Quæ & per Octavas frequentatur. Ad Matutinas, *Deus qui præſentem diem*; quæ ad Tertiam, ad Miſſam, & ad Veſperos iteratur, ibique ex toto finitur. Verùm neſcio ſi quid dicere poſſim, quod non jam noveris per ea quæ à me ſuperiùs de ſolemnitationa ſunt relata.

Interrog. Non ſum oblitus illorum; verumtamen eſt quod adhuc libenter audierim, quo ordine per Octavas ad Nocturnos, & alias Horas Antiphonæ dicantur.

Reſp. Hoc etiam à Fratre, cujus ſuprà memini, quærere non omiſi, & aliud neſcio vel de ipſis Octavis, vel de aliis, niſi quod ille rurſùs mihi dixerit: pro cujus teſtimonio, ſolemnitas diei agitur, ſi venerit v. g. in feriâ ſextâ, in Sabbato quod ſequitur in primo Nocturno ſuper Pſalmos Antiphona, *Priuſquam te formarem.* In 2. Antiphona, *Ad omnia.* Ad Matutinas iterum ſuper Pſalmos, *Elizabeth Zachariæ.* Super Cant. Evangelii, *Innuebant patri ejus*: ad Primam, *Ne timeas*: ad Tertiam, *Miſit Dominus*: ad Sextam, *Ecce dedi*: ad Nonam, *Dominus ab utero*: ad Veſperos, *Joannes eſt nomen*: ad Magnificat, *Pro eo quod non credidiſti.* Ad Dominicam in 1. Nocturno, *Poſuit os meum*: In 2. *Formans me*: Ad Cant. & ad Matutinas de SS. Joanne & Paulo: poſt Canticum Evangelii, *Apertum eſt os*: ad Primam, *Elizabeth*: ad Tertiam, *Innuebant*: ad Sextam, *Inter natos*: ad Nonam, *Tu puer*: ad Veſperos, *Ex utero ſenectutis*: ad Magnificat: *Et poſuerunt omnes.* Feriâ ſecundâ in 1. Nocturno, *Poſuit os meum*: in 2. *Formans me*: ad Matutinas de S. Irenæo & ſociis ejus: de S. Joanne Antiph. *Joannes vocabitur*: ad Sextam, *Reges videbunt*: ad Non. *Nazaræus vocabitur*: ad Veſperos, *Ipſe præibit*: item, *Puer qui natus eſt.* Feriâ 3. in 1. Nocturno, *Erit enim magnus*: in 2. *Inter natos*: Matutinæ de S. Leone, de S. Joanne, *Tu puer*: matutinalis Miſſa de S. Leone; ideo ad ſolam Primam Antiphona de eodem: ad Tertiam, *Joannes eſt nomen*: ad Sext. *Ipſe præibit*: ad Non. *Ex utero*: ad Veſperos non de S. Joanne, ſed de S. Petro; & 1. Antiphona, *Beati eritis*; propter quos etiam mutantur Octavæ, ut non ampliùs dicantur de S. Joanne, niſi poſt Matutinas & Veſperos regulares, una Antiphona & Collecta; de quo tamen Octavus dies pleniter celebratur tam cum duodecim ad Nocturnos Antiphonis, quàm etiam ea. Lectionibus & Reſponſoriis.

CAPUT XXXIII.

De Natali Apoſtolorum Petri & Pauli.

Vigilia Natalis SS. Apoſtolorum, & Vigilia Aſſumptionis ſanctæ MARIÆ habent aliquid ſingulare, & quod in nullis aliis Sanctorum Vigiliis ſolet agi: nam ad majorem Miſſam pulſantur omnia ſigna, & præter quod non Angelicus Hymnus, nec Alleluia cantatur, alia ſolemniter omnia fiunt. Chorus, ut ante, ab uno tenetur in cappâ; Reſponſorium à duobus cantatur in cappis; Subdiaconus veſtitur tunicâ; Diaconus dalmaticâ: unus offert, omnes accipiunt pacem; *Kyrie eleiſon, Sanctus, Agnus Dei*, ſingula cum quotidianâ melodiâ cantantur. Eſt autem in priore Vigiliâ, ut & ſuprà memini, Depoſitio S. Leonis Papæ; & in ſequente Depoſitio ſancti Euſebii Presbyteri, de quibus & Miſſa matutinalis cantatur; propter quod tamen generalis oblatio non omittitur, & pax ab uno accipitur. Poſt primam Collectam cæteræ quæ ſequuntur omnes ſunt pro Defunctis: quod ſimiliter fieri ſolet quoties eadem Miſſa cantatur pro ſalute vivorum: non autem eſt conſuetudo ut unquam in duodecim lectionibus hoc fiat.

Sed revertamur ad ipſum Natalem Sanctorum Apoſtolorum. Domnus Abbas conſtituit ante hos annos, ut ad Pſalmos Nocturnorum hæ cantentur Antiphonæ, quarum prima eſt, *In plateis*: Evangelium ſequitur ea Collecta quæ dicebatur ad Veſperos, id eſt, *Deus qui Eccleſiam tuam Apoſtoli tui Petri*: quamquam ad Laudes, & ad majorem Miſſam dicitur, *Deus qui hodiernâ.* Et ſi hoc aliquando contigerit, tamen non præjudicat generali conſuetudini Collectarum, quòd hujuſmodi ſi dicuntur ad Veſperos, dicuntur etiam ad Matutinas laudes, & ad alias vices. In die cum proceſſio ſolemniter ſit agenda, ſi eſt Dominica dies, agitur ante Tertiam; puto propter conſecrationem ſalis & aquæ ex more gerendam. Si quàlibet aliâ feriâ, poſt Tertiam: quod item obſervatur in Aſſumptione S. MARIÆ, & in Nativitate Domini. Ad ipſam autem proceſſionem cantari ſolet Reſponſorium, *Quem dicunt homines*; & aliud, *Magnus ſanctus Paulus.* Ad Stationem, Antiphona, *Hodie illuxit nobis*: In Chorum redeundo Reſponſ. *Quodcumque ligaveris*: aliud, *Sancte Paule.* Horarum Hymni augentur eo verſu, *Vos ſecli juſti, &c.* Veſperi ſecundi de ambobus Apoſtolis communiter aguntur, tamen ſingulariter de utroque dicenda eſt Collecta; & primò de S. Petro, poſtea de S. Paulo Antiphona & Collecta. Collecta quæ ad majorem Miſſam primo die dicebatur, ita mutatur: *Deus qui Eccleſiam tuam Apoſtolorum tuorum Petri & Pauli prædicatione docuiſti*: & eſt dicenda per totam Octavarum ſeptimanam. Cujus etiam commemoratio ſingularis cum agatur in ſequente die, de S. Petro tantùm ad matutinalem Miſſam eſt Collecta; ad Matutinas & Veſperos Antiphona & Collecta, ſicut etiam ad has Horas, de S. Joanne, ſed de illo ſine ſalutatione.

Tertius dies eſt quoque Octavus Nativitatis ejuſdem S. Joannis Baptiſtæ, in quo communiter amborum Apoſtolorum meminimus ad vices prænominatas, non quarto die pro computo, quæ ſuprà, v. g. propoſuimus, cum ſit Sabbatum: in primo Nocturno Antiphona, *Tollite jugum meum.* in 2. *Jugum enim meum.* Reſponſ. 1. & 3. de S. Petro; 2. de S. Paulo. Ad Mat. Laud. *Petrus Apoſtolus & Paulus*: ad Benedictus, *Inſeparabilis fides*: ad Primam Antiph. *In omnem terram*: ad Tertiam, *Jam non dicam vos ſervos.* Officium Miſſæ non eſt aliter cum omnibus ſuis appendiciis, quàm quaſi generaliter de Apoſtolis, ſicut & aliis diebus infrà Octavas, præter Collectam, quæ ſola propriè eſt de S. Petro & de S. Paulo; ad Sextam Antiph. *Tradent enim vos*: ad Nonam, *Gaudete & exultate*: ad Veſp. *Glorioſi Principes terræ*: ad Magnificat Antipho. *Iſti ſunt viri ſancti.* Dominicâ in 1. Nocturno Antiph. *Petrus Apoſtolus*: in 2. *Inſeparabiles fides*: ad Cantic. *Vos qui reliquiſtis omnia*: ad Mat. Laud. *Beati pacifici*: ad Benedictus, *Sanctum & verum lumen*: ad Primam, *Hoc eſt præceptum meum*: ad Tertiam, *Majorem charitatem*: ad Sextam, *Vos amici mei*: ad Nonam, *In patientiâ veſtrâ*: ad Veſperos, *In regeneratione*: ad Magnificat, *O cœli Janitor.*

Feria 2. Tranſlatio S. Martini, de quo etſi ad Nocturnos alia Reſp. ſimul cum Antiphonis omnibus ſunt de ejus vitâ, tamen 3. & 7. & 11. ſunt de illis rebus quæ pertinent ad quemlibet Confeſſorem, & ſimiliter illæ Antiphonæ ad Matut. Laudes.

Feriâ 3. in 1. Nocturno Antiph. *Principes popu-*

lorum : in 2. *Tradent enim vos* : ad Matut. Laud. *Hoc eſt præceptum meum* : ad Primam, *Majorem charitatem* : ad Tertiam, *Vos amici mei eſtis* : ad Sextam, *Beati pacifici* : ad Nonam, *In patientiâ veſtrâ* : ad Veſp. *Beati eritis* : ad Magnif. *Iſti ſunt duæ olivæ*.

Feria 4. cum ſit dies octavus 12. lectionibus agendus : ad Nocturnos & Antiphonæ & Reſponſoria de his duobus Apoſtolis alternantur. Quomodo autem, quia in nullo Antiphonario inveni, certè de ipſâ brevi factum notare curavi, & ita quoque veſtræ communico dilectioni. Ad Nocturnos 1. Antiphona, *In Plateis* : 2. *Qui operatus eſt* : 3. *Ait Petrus* : 4. *Scio cui* : 5. *Petrus Apoſtolus* : 6. *Mihi vivere* : 7. *Factum eſt* : 8. *Tu es vas electionis* : 9. *Adveniente Petro* : 10. *Magnus S. Paulus* : 11. *Ponens Petrus* : 12. *Bonum certamen*. Reſponſorium 5. *Tu es paſtor ovium* : 6. *Repoſita eſt mihi*. 7. *Ego pro te rogavi*. 8. *Sancte Paule* : Antiphona, *Glorioſi Principes terræ* : Reſp. 9. *Beatus es Simon Barjona* : 10. *Magnus S. Paulus* : 11. *Quodcumque ligaveris*. 12. *Iſti ſunt duæ olivæ*. Ad Mat. laud. Antiph. *Petrus Apoſtolus & Paulus*, &c. *O Cæli janitor*, &c. *In regeneratione*. *Inſeparabilis fidei*. *Sanctum & verum lumen*.

CAPUT XXXIV.

De Tranſlatione S. Patris Benedicti.

DEpoſitio Præceptoris ooſtri S. Benedicti cum ſit in Quadrageſimâ, oon eſt oportnoum propter ipſam ut cum Octavis celebretur, propterea quod eâ vice non benè poſſumus, ut in ejus Tranſlatione facimus, & illam celebremus cum Octavis, de quâ qualiter facta fuerit, vel cujuſmodi perſona in Gallias ſacro-ſancta attulerit oſſa, manifeſto litterarum teſtimonio non caremus. Et in primâ nocte legitur ad Nocturnos, & in aliis per Octavas noctibus, pulcherrimus ſermo Domni Oddonis de eodem Patre. Verùm ut iterum manifeſtiora tranſeamus, veniamus ad ordinem Antiphonarum per Octavas ad ſingulas Horas cantandarum, in quo planè mei ſimilis potuerit errare; ſi non habet inde aliquid aliquo modo prænotatum. Igitur ut computum ſemel inceptum teneamus, ſolemnitas de quâ agitur ſi evenerit in 2. feriâ vel in feriâ 3. In 1. Noct. Antiph. *Fuit vir vitæ* : in 2. *Ab ipſo pueritiæ* : ad Mat. laudes Antiph. *Beatus vir Benedictus*, alia, *Erat vir Domini* : ad Primam, *Dum in hac terrâ*, ad Tertiam, *Liberiori genere*, ad ſextam, *Relictâ domo* : ad Nonam, *Receſſit igitur* : ad Veſperos, *Hic itaque* : alia *Sanctiſſime Confeſſor*.

Feriâ 4. in 1. Noctue. Antiphona, *Compaſſus* : in 2. *Expetiens à Fratribus* : ad Mat. laudes, *Erat vir Domini* : alia, *Glorioſus Confeſſor* : ad Primam, *Cumque ſibi conſpicerent* : ad Tert. *Inito conſilio* : ad Sext. *Tunc ad locum* : ad Nonam, *Tantam gratiam* : ad Veſp. *Qui dum eremum pergeret* : alia, *O beati viri Benedicti*. Feriâ 5. in 1. Nocturno, *Fuit vir vitæ* : in 2. *Ab ipſo* : ad Mat. laud. *Glorioſus Confeſſor* : alia, *Vir Domini* : ad Primam, *Dum in hac terrâ eſſet*; & reliquæ ut in feriâ 3. niſi ad Magnif. *Orabat S. Benedictus*. Dominicâ in 1. Noct. *Fuit vir vitæ* : in 2. *Compaſſus* : ad Cantica, *Hic itaque* : ad Mat. laud. *Puer quidam parvulus* : ad Primam, *Beatus vir Benedictus* : ad Tertiam, *Vir Domini* : ad Sextam, *Glorioſus* : ad Nonam, *Vir Domini* : ad Veſp. *Oramus te* : alia, *Exultet omnium*, &c. De octavo die oon habeo aliud referre, præter quod & ſuprà jam retuleram. Unum tamen eſt cujus nondum memini, quòd ad ſecundas Veſperas ſuper Pſalmos hæ quatuor Antiphonæ cantantur, quæ ad Nocturnos primæ fuerunt; & hoc fieri ſolet non in hac tantùm feſtivitate, ſed etiam in aliis, ſi Antiphonæ Nocturnorum ſunt iſtis ſimiles, ut magis ſint tractæ de vitâ Sanctorum, quàm de textu & materiâ Pſalmorum.

CAPUT XXXV.

De benedictione uvarum, & aliorum fructuum.

IN multis libris Miſſalibus habetur benedictio uvarum, & maximè ad Natalem S. Sixti Martyris & Papæ : ſed ſi nondum ſunt maturæ, Cuſtos Eccleſiæ obſervat quando primùm maturèſcant, ut faciat eas ad Eccleſiam deferri : allatas Armario repræſentat, & Armarius Sacerdoti inter Canonem ad Horam competentem & prænotatam, [d] ut eas benedicat. Poſtea in Refectorio per Sacerdotem diſtribuuntur in loco hoſtiarum, quod non omittitur etiamſi eſt dies Dominicus. Sunt præterea & aliæ tres ſpecies quæ ex more in Refectorio benedicuntur, id eſt, novellæ fabæ, novellus panis, & muſtum; & hoc modo : lectio prius inchoatur, poſt cujus verſum primum ſtat Sacerdos in medio Refectorii ante menſam principalem, & præmiſſâ ſalutatione ſingula benedicit; fabas ita; *Benedic Domine hos fructus* : pro pane; *Benedic Domine creaturam iſtam panis* : pro muſto; *Domine omnipotens* JESU *Chriſte, qui ex quinque panibus & duobus piſcibus quinque millia hominum ſatiaſti*, &c.

CAPUT XXXVI.

De Aſſumptione S. MARIÆ.

IN Vigiliâ Aſſumptionis S. MARIÆ ad Veſperos ſuper Pſalmos Aotiphona, *Tota pulcra es*; Collecta, *Deus qui Virginalem*; ad proceſſionem veſpertinalem, Reſponſ. *Super ſalutem*; Collecta eadem quæ ſuprà : ad Nocturnos legitur ſermo ſancti Hieronymi, *Cogitis me, ô Paula*. qui cum tantæ ſit excellentiæ, ad nonam Lectionem nequaquam pronuntiatur Evangelium, ſed omnes Lectiones de eodem ſermone fiunt. Evangelium, *Repleta eſt Spiritu* : Collecta, *Veneranda nobis*. Eadem ad ambas futuras proceſſiones. Ad Matutinas laudes, ad tertiam, & majorem Miſſam Collecta, *Famulorum tuorum* : quæ per totas Octavas dicenda : ad proceſſionem matutinalem, Reſponſ. *Gaude* MARIA. In die Antiphona, *Tota pulchra*. Per Clauſtrum, Reſponſ. *Quæ eſt iſta* : aliud, *Iſta eſt ſpecioſa* : ad Stationem, *Gaude* MARIA : ad introitum Eccleſiæ Antiph. *Hodie Beata virgo*; Reſponſ. *Beata es Virgo* : ad majorem Miſſam *Credo*, ſicut etiam ad omnes feſtivitates Beatæ MARIÆ; ad Veſperos Pſalmi, *Dixit Dominus*. *Lætatus*. *Niſi Dominus*. *Memento*. Exceptâ Hypapante Domini. De ordine Antiphonarum quæ dicendæ ſunt ad omnes Horas per octavas, non æſtimaverim opus eſſe ut aliud dicam, niſi quòd ad Nocturnos ſingularum noctium ſunt quoque de Nocturnis primæ noctis : item ad Matutinas Laudes de matutinis Laudibus : ad cæteras Horas hæ cantari ſolent Antiphonæ, quarum prima eſt, *Ecce tu pulcra es*. Et officium per Octavas, *Salve ſancta Parens* : in octavo die, *Gaudeamus*. Ad omnes hymnos Horarum additur, *Glo*

d *prænotatam*] Scilicet, ait Acherius ad hæc verba : *Per quem hæc omnia Domine bona creas*, &c.

ria tibi Domine qui natus: & ſimiliter ad omnia feſta S. MARIÆ.

CAPUT XXXVII.

De eo quod cantatur in Septembri.

IN Septembri cantantur Reſponſoria de libro Job per duas Dominicas. Item per duas Dominicas de libro Tobiæ, Judith, Eſther, & Eſdræ. Quòd ſi qua Feſtivitas occurrerit in ipſis Dominicis quæ impediret ſi ad præſens ageretur, ut Reſponſoria de præfatis libris ſuo tempore cantari non poſſent, pro hujuſmodi in ſequentem diem ipſa Feſtivitas differtur, & non erit neceſſe vel hoc vel illud remanere. Hic quoque omittuntur Reſponſoria de Sanctâ Trinitate, & illa minora de volumine Pſalmorum, ut non ad Nocturnos inter alia Reſponſoria cantentur. Hic enim inchoatur, ut quotquot Reſponſoria cantantur, ad Nocturnos vel Matutinas laudes cum *Gloria Patri*, his & adhuc adjungatur, *Sicut erat*: quod huc uſque fiebat à Paſcha ad Veſperos; amodo autem non ad Veſperos, ſed, ut præmiſſum eſt, ad Nocturnos, & Matutinas laudes, uſque iterum ad Paſcha. Sciendum tamen eſt, quia ſi talis Feſtivitas celebratur ut duo ſimul primum Reſponſorium cantent, tunc hæc adjectio non obſervatur.

CAPUT XXXVIII.

De Exaltatione S. Crucis.

IN Exaltatione S. Crucis, ſicut etiam in Inventione, agitur aliquid contrà morem aliarum Feſtivitatum. Nam cum t. Veſperi ſint de ſanctâ Cruce, ad Nocturnos Pſalmi omnes, & 8. Lectiones ſunt de ſanctis: ſed iterum de ſanctâ Cruce ſuper Cantica, *Domine audivi*: quorum prima inciſio eſt in eo verſu, *Pro iniquitate*: ſecunda in eo, *Egreſſus eſt*: & poſtea non ſolùm 4. extremæ Lectiones, & Matutinæ laudes, ſed etiam de cætero omnes Horæ ſunt de ſanctâ Cruce. In ejus autem Exaltatione, finitâ Tertiâ, priuſquàm Officium Miſſæ inchoetur, portetur Crux pallio cooperta à duobus albatis ante Altare principale; quam diſcooperientes, imponunt Antiphonam, *Ecce lignum Crucis*, & omnes veniam petunt, & tapetibus in terrâ conſtratis, ita ut ſunt albati ad terram proſtrati adorant: interim Antiphona poſt Antiphonam prænominatam ſequitur alia, id eſt, *Crucem tuam*; quæ recantatur per ſingulos verſus Pſalmi. *Deus miſereatur*, & poſtea quælibet aliæ Antiphonæ de ſanctâ Cruce; quæ poſtquàm adorata fuerit à Conventu, ſublevatur cantando Antiphonam, *Super omnia*; & venia iterum ab omnibus eſt petenda. Pſalmi ad Veſperos, *Dixit Dominus*, *Confitebor*, &c. ſuper quos eædem cantantur Antiph. quæ ad Matutinas laudes primâ tantùm ablatâ. BeatiſſimoPatri, Domno ſcilicet Odiloni videbatur multum congruere, ut eo die quo Crux adoraretur, jejunium fieri deberet, propter quod conſtitutum eſt ab illo, & quaſi pro legitimo Eccleſiæ noſtræ indicto, ut ſi Exaltatio S. Crucis evenerit in quartâ feriâ, ſextâ, vel Sabbato, eâ vice minimè curetur de termino jejunii Quatuor-Temporum, ſed ſtatim in eâ ſeptimanâ agatur. Adhuc autem de ſanctâ Cruce ſciendum eſt, quia de eâ major Miſſa cantari ſolet omni 6. Feriâ, ab Octavis Paſchæ uſque ad Adventum Domini; & ab Octavis Epiphaniæ uſque ad Septuageſimam; niſi fortè dimittatur propter Officium alicujus Sancti, vel propter Officium de aliquo jejunio, vel propter Octavas: ferialis tamen Epiſtola legitur, vel Evangelium feriale.

CAPUT XXXIX.

De eo quod ab Idibus Septembris ſemel comeditur.

AB Idibus Septembris ſemel tantùm comeditur, & in privatis diebus de hoc ordine nihil mutamus, quem per totam habuimus æſtatem quoties jejunium fiebat. Item in duodecim Lectionibus quia bis ſumus comeſturi, per omnia quoque facimus ſicut & priùs.

CAPUT XL.

De conſuetudinibus incipientibus à Calendis Octobris uſque ad Calendas Novembris.

A Calendis Octobris uſque ad Calendas Novembris cantantur Reſponſoria de libro Machabæorum: ad Nocturnos Hymnus, *Primo dierum*: ad Laudes, *Æterne rerum conditor*; de cætero quoque ex toto dimittitur pauſatio meridiana. Si ſunt duodecim Lectiones, poſt prandium ſedemus in Clauſtro ad lectionem, uſque dum ſervitores ſurrexerint à menſâ. Pulſatur ſignum majus, & oratione factâ, quod minus fuerit, ut Nona cantetur. Ambulamus ſolito more in Refectorium ut bibamus, ſed aqua nequaquam ulteriùs propinatur. In privatis diebus aurorâ apparente pulſatur ſcilla, & continuò nocturnalibus indutis feſtinamus ad Eccleſiam: præmiſſâ breviter oratione, cantamus Primam, ſequentibus ſeptem Pſalmis & Letaniâ. Si aliquando contigerit per incuriam Cuſtodis Eccleſiæ, ut non ſit clara dies, ſedemus in Choro capite cooperto, & pueri cum magiſtris in Capitulo, uſque dum legere poſſumus cum luce diei. Vacamus lectioni uſque ad Tertiam: pulſatur ſcilla, & tunc primùm diurnalibus nos calciamus: lotis manibus & facie, & pexo capite, imus ad Eccleſiam, & procumbendo ad orationem pueros exſpectamus; quibus ingredientibus pulſatur ſignum, facimus tres orationes: pulſatur ſcilla, cantatur Tertia, Miſsâ quoque matutinali ſimul adjunctâ. Non ſolùm poſt Capitulum; ſed etiam poſt Sextam habemus licentiam loquendi, quamquam illud ſpatium ſoleat eſſe breviſſimum; nam non ampliùs erit, quàm ut Sacerdos. & cæteri ad majorem Miſſam ſervituri, lavent manus, & ſint ad induendum ſe parati. Pulſatur ſignum ut omnes occurramus ad orationem; quâ factâ imponitur Letania; & hi veſtiunt ſe, quorum ſuprà memini, ad miniſterium Miſſæ. Si eſt quarta Feria aut ſexta, priùs nos audito ſigno diſcalciamus, quàm occurramus ad orationem, ut nudis pedibus faciamus proceſſionem. Finitâ Miſsâ ſignum pulſatur ad Nonam; & orationem facimus priuſquàm exeamus ad lavandum pedes: aut ſi non eſt dies in quo proceſſio fiat, in Choro tamen legendo exſpectamus uſque dum ſervitores potuerint prandiſſe; pulſatur ſcilla iterum ad Nonam. Quod etiam etſi nondum dixerim, tamen per totam æſtatem quoties dies eſt jejunii, ſimiliter obſervatur.

CAPUT XLI.

De conſuetudinibus in Novembri.

A Calendis Novembris cantantur Reſponſoria de libris Ezechielis, Danielis, & aliorum minorum Prophetarum. In privatis diebus, & ſi nullæ ſiant Octavæ, poſtquàm ſemel ſurgimus, non

Digitized by Google

redimus ad lecta. Hic denuò inchoamus quod omiſſum eſt à Cœnâ Domini, ut triginta Pſalmos cantemus ante Nocturnos. Item Officium Defunctorum, quod uſque poſt Veſperos agimus, amodo poſt Nocturnos agere ſolemus, Matutinis laudibus quoque Defunctorum ſimul adjunctis. Reliqua pſalmodia, ut moris eſt, cantatur ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ; regularibus Matutinis laudibus Prima cum ſuis appendiciis continuatim adjungitur. Hic etiam ſi ordinem noſtrum per omnia tenere volueris, habes meminiſſe, quòd poſtquàm officium agitur in nocte, non eſt opus ut in duodecim Lectionibus poſt ſingulas Horas Pſalmus, *Ad Dominum cùm*, pro ipſo Officio cantetur; pro quo primitùs à S. Majolo eſt decretum, ut Pſalmus, *De profundis*, ſimul cum præfato Pſalmo diceretur: ſed hunc poſtea Domnus Abbas mutavit Pſalmo, *Voce meâ*; & hoc addidit, ut ſi Officium geritur in nocte, propter hoc tamen ille Pſalmus non aliquando omittatur. Nam & per vices non ſolùm pro Officio, ſed etiam pro tricenario alicujus nuper defuncti Fratris deputatur; & ſi neutrum fuerit, tamen poſt omnes Horas ſæpe pro Fidelibus defunctis cantatur. Pater autem ſæpe dictus, ſcilicet Domnus Odilo, vir planè miſericordiæ, perpendens quàm difficile nonnulli Fratrum pati poſſent, ut in tantâ hyemis aliquando aſperitate nudis quoque pedibus procederent; hujuſmodi proceſſionem in quartâ & ſextâ Feriâ à Calendis Novemb. uſque ad caput jejunii pro pietate ſuâ indulſit.

Interrog. Scire velim cujuſmodi ſit intervallum poſt pſalmodiam in Eccleſiâ S. MARIÆ conſummatam: vel quod interim maximè ſit opus veſtrum, vel ubi Conventus moretur?

Reſp. Breviter ad ſingula reſpondeam. Intervallum ſolet temperari, ut Clauſtralis Prior cum abſconſâ totum Clauſtrum poſſit circuire: videt namque ſi omnia Clauſtri oſtia ſunt clauſa: perluſtrat dormitorium à fine uſque ad finem, nec minùs ad ipſas neceſſarias. Pergit in domum infirmorum, ut videat per omnia quo modo ſe ipſi habeant infirmi. Redit per Eccleſiam ſanctæ MARIÆ in majorem Eccleſiam. Nullum Altare, quo quiſquam Fratrum accedere poteſt, dimittit inviſitatum, ut videat quis ibi ſit, vel quid agatur ab eo. Fratres autem de Eccleſiâ S. MARIÆ ſimul exeuntes, præter ſi qui opus habent ad neceſſarias ire, revertuntur in Chorum, & ſinguli ſedent in ſedili ſuo caput cooperti, juvenes, qui in cuſtodiâ ſunt, juxtà Cuſtodes ſuos, de quibus ſummopere cavetur ne ſimul ita ſedeant, ut non habeant inter ſe probabilem & boni teſtimonii mediatorem, & unuſquiſque poſtquàm caput cooperuerit, facit quod ſibi videtur, vel quod potuerit: nam ut mei ipſius pro exemplo meminerim, erat aliquando quòd intentiùs orabam, aliquando quòd Pſalmos ruminabam; aliquando quòd ſomno adeo gravatus eram, ut ita ſedens vellem nollem dormitarem: ſed ſi quis voluerit ſecretiùs orare, ſurgit, & ſecedit ad aliquod Altare; ubi tamen non diutiùs moratur, ut & locum habeat alius ſimiliter orandi; quia ſatis pauca ſunt Altaria tantorum Fratrum multitudini comparata. In quâ habitudinis diverſitate fortaſſis plures non ſunt mei diſſimiles. Pueri ſedens in Capitulo, & per aliquem præcinentem cantum addiſcunt. Quòd ſi tanta eſt hyemis aſperitas, eſt officina in quâ grandis focus ab ipſis Fratribus qui fuerunt coqui prioris ſeptimanæ, præparatur, & illuc omnes tam majores quàm minores licenter accedunt, cum ſummâ tamen gravitate, ſicut dignum eſt in tali hora. Amodo quoque uſque ad Cœnam Domini in privatis omninò diebus Hymnus Completorii eſt, *Chriſte qui lux es*; ſi tamen nullæ ſunt Octavæ.

Interrog. Sed poſt Veſperos cum nec cœnetis, nec Defunctorum geratis Officium, quid aliud eſt quod geratur à vobis?

Reſp. Imus in dormitorium, cultellos noſtros deponimus, abſtrahimus calceos diurnales, & nocturnales induimus; ſedemus in Clauſtro ad lectionem, tangitur cymbalum ut manus lavemus, & in Refectorium bibere veniamus. Sedemus iterum ad lectionem, ſonatur ſcilla ad collationem. Itemque & illud pro certo noveris, quòd ſi aliquando contingit nobis invitis, & de induſtriâ nunquam, ut lux diei adhuc clarè non appareat quando dormitum collocamus; & propterea ſuſtinere poſſumus inter alia tam prolixas lectiones, quæ nimirum quibuſdam noſtris commilitonibus tam patrios mores, quàm ipſam patriam mutare volentibus non minùs graves eſſent ad audiendum, quàm maſſa plumbea fore ſolet ad portandum. Nec mirum quibus non eſt ſtudium nobiſcum dormire, ſi & ipſis non eſt ſtudium nobiſcum vigilare.

Et quia ſemel incœpi inde loqui; ut ſubluſeram quæ adhuc de eodem genere novi: in Natali SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, Nocturni & Matut. laudes tantæ ſunt prolixitatis, ut ſemper die adhuc clarâ incipiantur, & nunquam niſi die adhuc clarâ finiantur: propter quod cum ſcire poſſis, quòd illo die non erit hora tardior dormitum collocandi, venit mihi aliquando in mentem, ut ipſam horam ſolis radio notarem, quem ſequenti die quando cantavimus Nonam in eodem vidi eſſe loco; ita ut momentum præcedentis Completorii à momento Nonæ ſequentis nihil eſſet diviſum; idcircò potuimus cum alacritate, & cum aliquâ devotione vigiliis intereſſe, nec erat neceſſe ſomno ſatiatis iterum in Eccleſiâ ſomno gravati. Fratres qui de foris venturi ſunt ad Monaſterium, eo præcepto, & eâ conditione non ſemel ſunt conſtricti, ut nunquam poſt Completorium audeant venire. Frater qui erat ad Veſperos in Clauſtro, ſi ante Completorium comedere neglexerit, poſt Completorium nullius rei gratiâ habebit licentiam comedendi, excepto ſi tali infirmitate gravatur; verbi gratiâ, Ego quâdam vice Cellerarium vidi totâ die recipiendo vinum occupatum, & de prandio minimè curavit; poſt Completorium quærens à Domino Abbate licentiam prandendi, prorſùs nihil obtinuit; & ita impranſus, vellet nollet, cubitum receſſit. Si videres quoque in Quadrageſimâ quali horâ damus operam ut dormiamus, utique fateteris ſatis nos maturè ſurgere poſſe ad Nocturnos. Hæc quaſi extraordinariè ſint dicta, ut noveris nos in comeſſationibus noctem expendere nolle.

CAPUT XLII.

De feſtivitate Omnium Sanctorum, & recordatione Omnium Fidelium Defunctorum.

IN Feſtivitate Omnium Sanctorum ad utroſque Veſp. nec Pſalmi nec Antiphonæ mutantur, & ſicut per totum annum de ipſis quotidie cantamus Pſalmos, *Confitebor, Credidi, In convertendo, Eripe me*. Hymnus etiam eſt, *Chriſte Redemptor*; ſed cum tam ſolemni melodiâ, quàm & ipſe dies eſt ſolemnis: *Kyrie eleiſon* quoque ante Dominicam orationem, cum in aliis diebus ad omnes regulares horas tunc ex utroque Choro dicamus, in iſto tamen ad Veſperos & Matut. laudes nonniſi tantum ad duas vices: quod etiam per totum annum ſimiliter tenemus. Item ad Veſperos & Matut. laud. non aliæ preces dicuntur quàm hi verſiculi, *Poſt partum. In conſpectu Angelorum.*

Quamvis autem in ſequenti die de S. Cæſario, &

Digitized by Google

de alijs Sanctis dnodecim Lectiones fiant, tamen poſt Veſperos, pulſatis omnibus ſignis diotiùs, cantantur quoque Veſperi Defimctorum, & in nocte poſt Mat. laudes de omnibus Sanctis Officium ſimul cum Mat. laudibus, & matntinalis Miſſa ſolemniſſimè pro omnibus Fidelibus Defunctis; pro quibus & ſinguli Sacerdotes privatas miſſas ſunt cantaturi. Sed nec ad Veſperos, nec ad alias vices de Collectis eſt ampliùs dicendum quàm una tantummodo Collecta, id eſt, *Fidelium Deus*. Hoc enim decretum eſt à Patre Odilone, ut ſicut in priore die Commemoratio fieri ſolet omnium Sanctorum, ſic & in ſequenti commemoratio omnium Fidelium Defunctorum. Ergo nnde acciderit qnòd hoc pius Pater conſtituit, qui ejus vitam legerit, ibi benè hoc ipſum cognoſcere poteſt. Hîc autem, ut quod adhuc ſupereſt expleatur, duodecim pauperes ubertim ſunt reficiendi de pane, vino, & carne; & quotqnot pauperes alii ſupervenerint, omnibus de pane & vino miſericordia impendenda. Et quia refectio noſtra non injuriâ lautior eſt propter omnes Sanctos, quàm propter omnes Fideles Defunctos, in ipſâ feſtivitate omninm Sanctornm quidquid panis & vini ſupereſt ad menſam, ad eleemoſynam datur. De hoc exemplari ttaxit & modo Domnus Abbas (qood jam in alio loco, ſi memineris, memoravi) ot poſt Octavas Peotecoſtes ſpecialis recordatio fiat illorum in qnolibet loco noſtro, qni in ipſo loco ſunt ſepulti.

CAPUT XLIII.

De feſtivitate ſancti Martini, & conſuetudinibus quæ tunc inchoantur.

QUòd feſtivitatem S. Martini cum Octavis celebramns, hoc proceſſit à primo loci noſtri Abbate proprio, ſcilicet Domino Odone, qoi Turonis oriundus, S. Martini alnmnus, & Canonicns erat ibidem; nnde Antiphonas non antiqnas, ſed novas, quas modò cantamos in Depoſitione S. Confeſſoris & Epiſcopi, ſuper Nocturnos ipſe fecit, ipſe Hymnum, ipſe quoque, ut præmiſſum eſt, Octavas ſnas indixit. Cnjns vita cnm ſit luculento ſtilo compoſita, & de ipſis adeo virtutibns admiranda, SS. Patres noſtri, ſicut in Aſſnmptione S. MARIÆ, ita hîc qnoque noluerunt ut in ejus Depoſitione alind Evangelium pronuntiaretur, vel alia Homilia, qnàm ipſa vita legeretnr. Omnibus Horarum Hymnis hic verſus apponitor, *Martine par Apoſtolis*. Quòd ſi iterum ſcire voloeris quo canteutur ordine per Octavas Aotiphonæ ad Horas; nimirum non minorem Antiphonarum copiam habemus, quàm in præfatâ Aſſumptione S. MARIÆ: ideoqne qnod tonc fecimns, nunc ipſum qnoque facere ſolemus, ut antiquas Nocturnorum Antiphonas ad Nocturnos per ferias cantemus. Illas quæ ſnnt de Matut. laudibus ad Matut. landes. Novas autem, quas jam dixi à S. P. Odone dictatas, per diurnas diſtribuimus horas. Nocturnos ad octavum diem appendentes, cum plenom habeant officium tam in Antiphonis, quàm in Reſponſoriis, eâ vice cantamus antiquas. Dies autem cum jam ſit adeo brevis, ideo à Feſto S. Martini uſqne ad Pnrificationem S. MARIÆ, quoties bis comedimns, poſt prandium non exſpectamus cum Nonâ Servitores; ſed ſtatim, cum à menſâ ſurgimns, Chorum intrantes, & eo ſtantes ordine quo ſolemus ad Horas, cantamns eam, & per ſe poſtea Servitores: nec ampliùs ante Veſperos ad bibendnm in Refectorium redimus. Per Octavas S. Martini; & per Octavas Dominicæ Nativitatis, & Epiphaniæ, dnabus vicibus manducamus, poſt Matut. laudes dormimus, inde Primam cantamùs; officium tamen Defuuctorum de loco ſuo non omittimus inter Nocturnos, & Matnt. laudes agendum.

CAPUT XLIV.

De Adventu Domini.

IN Adventu Domini, quoties duodecim fiunt Lectiones, abſtinemus ab adipe: minimè tamen cantatur, *Gloria in excelſis*, quamquam aliàs Natali S. Andreæ Apoſtoli tantùm deferatur, ut ejus Octava dies pleno per omnia celebretur officio. Ad Primam Capitolum mutatur, ſicut etiam in Septuageſimâ, ut pro *Regi autem ſæculorum*, dicatur *Domine miſerere noſtri*. Per omnes Dominicas uſque ad Natalem Domini poſt Alleluia, Seqnentia cantatur: Commemoratio S. Crucis poſt Veſperos & Matut. laud. omittitur uſque poſt Octavas Epiphaniæ; unde & poſt primos Veſperos Adventûs Domini, non ad ſanctam Crucem, ſed ad S. MARIAM agitur proceſſio cum Reſponſ. *Miſſus eſt*; poſt Matut. laudes cum Reſponſ. *Ecce Virgo*; Collecta, *Deus qui ſalutis*, vel *Deus qui de Beatæ*. *Gratiam tuam*; *Benedicta*. In die cum Reſp. *Ave Maria*: per Clauſtrum cum Antiphonâ *Venite omnes*; &, *O quam caſta Mater*: noviſſimè, ut moris eſt, cantatur aliquid de Apoſtolis: ſed præfatæ Antiphonæ per alias quoque Dominicas non mutantur, nec Capitulum ad Tertiam, *Ecce dies veniunt*, uſque ad noviſſimam Dominicam in quâ dicendnm eſt *Gaudete in Domino*. In privatis diebus ad Matut. laud. & Veſperos, quod & in alio loco jam non tacui, dicuntur hæ preces, *Oremus pro omni gradu Eccleſiæ*.

Inter. Numqnid & in aliis Dominicis acturi eſtis iterom proceſſ. cum Reſp. ad Matut. laudes, & Veſperos?

Reſp. Minimè.

Inter. Et quas Antiphonas cantatis ad Horas regulares?

Reſp. In qnâlibet Dominicâ Antiphonæ, quæ caotatæ ſunt ad Matut. laudes, cantantur & ad Primam, & ſequentes Horas. In privatis diebus non aliæ cantantor quàm quotidianæ uſque ad ſeptimanam jejunii Qnatuor-Temporum.

CAPUT XLV.

De ſeptimanâ Jejunii Quatuor-Temporum.

QUod ſi Vigilia Natalis Domini evenerit in Sabbato, tunc agitur jejunium Quatuor-Temporum in ſeptimanâ præcedente; in cujus etiam præcedente ſecundâ feriâ eâ vice nunquam differtur, ut non ad Matot. laudes hæ inchoentor Antiphonæ, *Ecce veniet Dominus*. Tunc etiam per occaſionem iſtarum Antiphonarum, & aliarum quæ ab *O* litera incipiunt, habentur in Antiphonario quaſi omninò vacantes Antiphonæ; & hæ ad diurnas cantantur Horas, v. g. in ſecondâ feriâ ad Primam, Antiph. *Dicit Dominus*; ad Tertiam, *Conſurge*; ad Sextam, *Elevare*; ad Nonam, *Ponam in Sion*. Verùm de his ferialibus Antiphonis eſt una, id eſt, *Nolite timere*, qnæ ſemper reſervatur, ut in Natali S. Thomæ Apoſtoli poſt Mat. laudes pro recordatione Dominici cantetur Adventûs; niſi forte contingat ut ipſa feſtivitas de loco ſuo & die mutetor. Mntatur autem, ſi evenerit in ſextâ feriâ Qnatuor-Temporum, & in quintâ præcedente celebratur: aut ſi evenerit in Sabbato, vel in ſequenti Dominicâ, celebratur in ſecundâ feriâ. In quartâ feriâ jejunii inchoantur

choantur Reſponſoria, *Clama in fortitudine.* In illis tribus noctibus, quibus eadem cantantur Reſponſoria, pronuntiatur Evangelium, & non ampliùs quàm Evangelii ex more legitur Homilia: prima tamen Homilia cum ſit longè minor duabus ſequentibus; ego quidem, ſi benè memini, plus aliquando lectum eſſe audivi, & additum de ſermonibus Sanctorum Patrum; ſed hoc poſtea reprehenſum eſt à Senioribus noſtris. Tu ergo elige quod magis volueris è duobus.

Inter. In Sabbato, cum non habeatis proprias Antiphonas niſi de Vigiliâ Natalis Domini, quid cantatis?

Reſp. Ut ſcire potes, duas ſatis proprias, quia de ipſis pſalmis ſunt, in promptu canendas habemus, id eſt, *Ad te Domine levavi*; &, *Exſpectetur ſicut pluvia:* his addimus quæ incantatæ remanſerint pro feſtivitate S. Thomæ, vel, ſi quas alias de alio loco magis competentes videmus. Præcentor & Armarius, ſi quidem ſenſatus & ſtudioſus eſt, non multum pro hujuſmodi errabit, & ad illum pertinet omnia, quæ ſunt hujus generis, providere.

Inter. Ergo ipſas, de quibus agitur, Antiphonas matutinales poſtquàm ſemel omnes cantaſtis, quid facitis ſi nondum eſt Natalis Domini?

Reſp. Quid intereſt ſi ſecundò eas repetimus, nimirum aliud non facimus.

CAPUT XLVI.

De Vigiliâ, & de die Natali Domini.

Aliquando quidam fortè libellus venit in manus noſtras, ſimulans quòd olim ſcriptus eſſet ante plures annos, in quo inter cætera habebatur noſtram eſſe conſuetudinem, ut in Natali Domini miniſterium coquinæ Domnus Abbas & Cellerarius cum Decanis ſimul faciant. Quod ideo tacere nolui, ut animadvertas à quantâ ſanctitate locus noſter incepit, quamquam modò non ſit, nec abſque maximâ importunitate eſſe poſſit idipſum humilitatis & Religionis exemplum. Nam poſtquàm & hæc vinea noſtra extendit palmites ſuos uſque ad mare, & uſque, non ad flumen, ſed ad flumina multa propagines ſuas; tanti Fratrum, tanti hoſpitum accurrunt ad ſacrò-ſanctam ſolemnitatem, quibus ſingulis habet Domnus Abbas pro tam diverſis negotiis reſpondere, ut omnino non expediret, ſi tunc ſe lavatione fabarum occuparet: à quo tamen obſequio alio tempore non magis ipſe, quàm & alii, excuſatur: hac autem vice, ſicut etiam in Paſcha, Procuratores Villarum, & qui Decani appellantur, quotquot ſupervenerint, omnes ad hoc in brevi recenſentur, quamquam non omnes ſerviant, ſed tanti quantos ipſi inter ſe voluerint, & opus eſſe viderint.

In Vigiliâ Natalis Domini Nocturni fiunt ſicut in quolibet privato die, triginta Pſalmis præcedentibus, nec quid remanet de cæterâ pſalmodiâ, quæ vel in Choro, vel in Eccleſiâ S. MARIÆ cantari ſolet ante Matut. laud. Ad Nocturnos legitur illa Origenis Homilia: *Quæ fuit neceſſitas.* Ad Matut. laudes formis complicatis, & tapetibus contractis, & primò ex more ſigno uno pulſato, & oratione factâ, pulſantur omnia ſigna, nec alii pſalmi, quàm qui ſolemnitatibus competunt, cantantur, pſalmus nonageſimus ſecundus, & ſequaces ejus. Reſponſorium *Judæa & Jeruſalem*, à duobus cantatur: Altare incenſatur. Prima tamen non ſeparatur ab ipſis Matutinis laud. nec à Primâ ſolito more ſeptem Pſalmi cum Letaniâ. Pſalmus quoque *Miſerere* pro defunctis Abbatibus, licet duo alii remaneant præcedens & ſequens, ſicut etiam poſtea ad omnes Horas. Tres orationes ante Tertiam ſtando aguntur, quia poſteaquam Matut. laudes ſunt inceptæ, toto illo die nequaquam genua flectuntur, excepto ad Letaniam, & quando in Capitulo *Nativitas Domini* pronuntiatur. Propter quod etiam matutinali Miſſâ pro Fidelibus Defunctis finitâ, ad ipſum Capitulum prolixiùs ſcila pulſatur, ut omnes poſſint convenire: & cum *Dominica Nativitas*, ut præmiſſum eſt, pronuntiatur, univerſi ſolemus in faciem cadere, & aliquamdiù in oratione jacere. Tranſacto Capitulo non caremus licentiâ loquendi, & iterum poſt Sextam, quia per totam futuram ſeptimanam debemus generaliter eſſe tacentes, niſi quantùm loquimur in Capitulo, & ad Confeſſionem. Major Miſſa ſolemniter celebratur, Subdiaconis indutis Tunicâ, Diacono Dalmaticâ; qui tenet Chorum cappâ, vel qui gradalem cantant. Ad Veſpertinalem proceſſionem Reſponſ. *O magnum myſterium*; Collecta *Deus qui ſalutis*. In ipsâ nocte Nativitatis Domini, priuſquàm conſurgatur ad Nocturnos, quatuor cerei per quatuor angulos Clauſtri accenduntur, jugiter uſque ad diem arſuri, quintus in ollâ marmoreâ perlucidâ ponitur in medium lavatorii. Quamvis autem Miſſarum ſolemnia ter ſint celebranda, tamen Cantica quindecim graduum non prætermittimus ante Nocturnos; primæ tres Lectiones de Propheta; quarta de libro Sapientiæ, *Ego ſapientia*: nona & duæ ſequentes de Homiliâ Bedæ Preſbyteri ſuper Evang. *In principio*: duodecima Lectio eſt Homilia Beati Gregorii Papæ de eo, *Exiit edictum*: Evangelium quod legendum eſt, eſt de generatione Chriſti ſecundùm Matthæum. Collecta, *Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem*. Proceditur cum Reſponſorio, *Confirmatum eſt*, ad Eccleſiam ſanctæ MARIÆ, ubi Matut. laudes quoque de Omnibus Sanctis ſolito more cantantur, & *Verba mea*. Ad nonam Lectionem Nocturnorum introducti ſunt famuli in coquinam regularem, ut nobis de Eccleſiâ ſanctæ MARIÆ exeuntibus ſit paratus ignis, & ibi eſt in promptu aqua calida, conchæ, manutergia, ut manus & faciem lavemus. Cum auditum fuerit ſignum majus aliquantulum pulſatum, ad Eccleſiam convenimus. Sacerdos cæterique miniſtri, poſtquàm fuerint veſtiti (quia tunc oratio non fit in Choro) pulſantur ſigna ut Miſſa cantetur, *Dominus dixit ad me:* ad quam tres Cantores cappis induti, ſicut etiam ad alteram, tenent Chorum, utrimque illorum candelabra ſunt poſita, & ſuper ea cerei ſplendentes: hi autem qui cantaturi ſunt Reſponſorium, vel Alleluia, poſtquàm cantaverint quod ſibi eſt deſtinatum, adjunguntur tribus ſupradictis Cantoribus unà recturi Chorum; quod & in ſequenti Miſsâ ſimiliter fieri ſolet. Poſt Alleluia Sequentia jubilatur, *Credo* cantatur, una offertur hoſtia, & pax ab uno recipitur. Cantantur Matutinæ laudes, Collecta, *Concede quæſumus omnipotens Deus:* de ſuffragiis Sanctorum nihil omittitur, nec illi duo familiares pſalmi, qui in omnibus duodecim Lectionibus Horas ſequuntur. Imus in dormitorium aliquantulum pauſaturi. Cum viſum fuerit Cuſtodi Eccleſiæ, iterum majus ſignum pulſatur, ut veniamus ad Eccleſiam. Miſſa, quæ eſt celebranda eâ vice, pueris intrantibus, prævenitur oratione. Quæcumque pro ſolemni Officio cantata ſunt ad priorem, cantantur & ad iſtam, tres hoſtiæ offeruntur & conſecrantur, ut ſi quis Fratrum voluerit, poſſit communicare. Pax à cunctis eſt accipienda. Eo die non cantatur alia Miſſa matutinalis. Primo ſigno ad Tertiam ſonato, & oratione factâ, albis generaliter veſtimur; &, ſicut longè ſuperiùs memini dixiſſe, ſi eſt dies Dominica, ſtatim agimus proceſſionem,

& ſi eſt alia, poſt Tertiam: primò ad Eccleſiam S. MARIÆ cum Antiphonâ, *O beata infantia*: per Clauſtrum Antip. O MARIA *Jeſſe*: alia, *O quam caſta mater*: ad introitum Eccleſiæ Reſponſorium, *Deſcendit de cœlis*: ad Tertiam cantatur Antiph. *Hodie intacta Virgo*. Cum ventum fuerit ad eum locum, *Omnes Chriſtum adoremus*, ſolet ab omnibus generaliter venia peti: Hymnis Horarum adjungitur, *Memento ſalutis*: &, *Gloria tibi Domine*.

CAPUT XLVII.

De Octavis Natalis Domini, & Epiphaniâ.

OCtavæ Natalis Domini non poſſunt ita continuatim celebrari ſicut Octavæ Dominicæ Reſurrectionis, propter conſequentes ſolemnitates, id eſt, S. Stephani, S. Joannis, Sanctorum Innocentium; de quibus, ſicut dignum eſt, cum Nocturni fiant ſimul cum aliis Horis, & Officia Miſſarum, de Natali Domini ſola erit Miſſa matutinalis cantanda ad Eccleſiam S. MARIÆ, id eſt, *Puer natus eſt*: ad quam per tres dies duæ tantùm Collectæ ſunt dicendæ, de Nativitate Domini, & de inſtanti ſolemnitate; non tamen ad unum *Per Dominum noſtrum &c.* ſicut etiam in feſtivitate SS. Sebaſtiani & Fabiani; quamquam ad alias vices, præter ad utramque Miſſam, nonniſi una Collecta dicatur, ſed pluraliter de ambobus, ſcilicet, *Infirmitatem noſtram, &c.* Epiſtolæ & Evangelia alternantur eodem ordine, quo legebantur ad tres Miſſas in primâ nocte ſeu die celebratas. In Natali Innocentium quod aliæ Eccleſiæ non cantant *Gloria in excelſis*, nec Alleluia, de hoc minimè curatur à nobis. Super Pſalmos Veſpertinales Antiphonæ, *Sinite parvulos. Angeli eorum. Sub throno Dei. Cantabant ſancti.* Duo ſequentes dies, ſi tamen neuter eſt Dominicus dies, aſſimilantur illi quintæ feriæ vel ſextæ, quæ eſt in majore Paſchæ ſeptimanâ. In priore nocte pronuntiatur Evangelium *Exiit edictum*: ſed alia ſequitur Homilia quàm illa, ſcilicet ſancti Gregorii: Miſſæ majoris eſt Officium, *Dominus dixit*. In nocte ſecundâ Evangelium *Paſtores loquebantur*; Offertorium, *Lux fulgebit*. Excepto quòd ipſe Introitus mutatur cum Introitu, *Puer natus eſt*. In die tertiâ eſt Depoſitio S. Silveſtri Papæ duodecim Lectionibus agenda.

Interrog. Quid eſt, cariſſime, quòd, quantum video, nihil omninò vis de Antiphonis referre? Quinimò, ſi tanti non æſtimaveris, ut fateris, rogamus ut eas ordinaveris non ſolùm ad iſtos duos dies, ſed etiam ad quoſcumque videris opus eſſe, uſque ad extremum diem Theophaniæ.

Reſp. Illud ſanè dilectio veſtra non difficilè meretur, quia nec maximi eſt laboris. Et primò quidem ſi nunquam à me dicatur, tamen id ſcire poteſtis, quia ſi qua reperitur de eo textu Noctur. hæc quoque magis competenter quàm alia cantatur ſuper Nocturnos: at ſi talis defuerit, cantari poteſt Antiphona, *Verbum caro factum*: alia, *Beatus venter*. Ad Matut. laud. *Genuit puerpera*: alia, *Angelus ad Paſtores*: ad Primam, *Illuxit nobis*: alia, *In principio*: ad Tertiam, *Verbum caro*: alia, *Propter nimiam*: ad Sextam, *Chriſtus Deus noſter*: alia, *Ecce de quo*: ad Nonam, *Ecce advenit*: alia, *Exultemus*: ad Veſperos iidem cum ſuis Antiphonis Pſalmi, qui in ipſo die, quorum eſt noviſſimus, nunc *De profundis*, nunc *Memento Domine*: &, ut ſemel dicam, ad quantas cantantur adhuc vices in Circumciſione Domini, in Epiphaniâ, & in ejus octavo die, & in Hypapante Domini: tantùm ad ſecundos Veſperos; & præterea in illis Dominicis, quæ eveniunt ab octavo die Natalis ſancti Joannis Evangeliſtæ uſque ad octavum diem Epiphaniæ, iterum ad ſecundos Veſperos, ad quos & non alius Pſalmus eſt noviſſimus, quàm *De profundis*.

In Circumciſione Domini eædem Antiphonæ ad Matut. laud. & ad Horas diurnas, quarum prima eſt, *O admirabile* cum Collecta, *Deus qui ſalutis*: ad Veſperos, ad Evangelium, ad Matut. laudes, ad majorem Miſſam, *Concede quæſumus omnipotens Deus*. Miſſa matutinalis, *Vultum tuum*: Major, *Puer natus eſt*: ad utramque Epiſtola, *Apparuit gratia*: Evangelium, *Paſtores loquebantur*: cui & illud annectitur, ſicut eſt in ipſo textu Evangelii, *Et poſtquam conſummati ſunt dies octo*.

Depoſitio S. Odilonis tam cari Sancti & tam familiaris, facit quòd ſancto Stephano in octavo die Natalis ejus alia commemoratio eſſe non poteſt, quàm cum unâ tantùm Antiphonâ & Collectâ. In Octavo die S. Joannis & Innocentium eodem modo agitur, quo in quolibet privato die, qui tamen ſit in aliquibus Octavis. Poſt nocturnum Officium cum Matut. laudibus dicimus in ſuo loco, *Deus auribus noſtris*; & poſt Primam ſeptem Pſalmos cum Letania. Si cujus commemoratio, tribus tantùm Lectionibus eſt agenda. Igitur ad Nocturnos Hymnus & ſuper Pſalmos Antiphonæ de Natali Domini; cætera de præfatis Sanctis uſque dum major Miſſa ſit conſummata. Super veſpertinales Pſalmos una tantùm Antiphona, & hæc de Natali Domini.

In Vigilia Epiphaniæ ad Veſperos Collecta, *Deus illuminator*. ad Matut. laud. Antiph. ſuper Pſalmos, *O admirabile*: ſequentes Antiphonæ ad ſequentes etiam Horas. Ad Miſſam, *Dominus dixit ad me*: Collecta, *Corda noſtra*: Epiſtola, *Apparuit benignitas*: Reſponſ. *Benedictus*, Alleluia, *Dominus dicit*: Evangelium, *Defuncto Herode*: Offertor. *Lætentur cœli*: Communio, *Exulta filia*. Eo die non jejunamus. Quantum ad ſolemnitatem & Octavas pertinet, Epiphania & ejus Octavæ ſimiles ſunt Dominicæ Aſcenſioni, exceptâ illâ, quæ in die Aſcenſionis poſt Tertiam agitur, proceſſione; de cætero recole quæ ibi dixerim, ut hic etiam eadem obſerves. In ipſo autem die primo Epiphaniæ eædem Antiphonæ cantantur, & ad Matut. laudes, & ad Horas diurnas. Per ferias ad Nocturnos, ſi deſunt Antiphonæ de textu Nocturnorum, cantari poteſt Antiphona, *Vidimus Stellam*: alia, *Tria ſunt munera*: alia, *Admoniti Magi*: ad Matut. laudes ſuper Pſalmos, quælibet una de illis quinque Matut. laudum Antiphonis: ad Primam, *Lux de luce*: Si eſt Sabbatum, *In ſole poſuit*: ſicut etiam in Vigilia Epiphaniæ: ad Tertiam, *Interrogabat Magos*: ad Sextam, *Videntes ſtellam*: ad Nonam, *Deſcendit Spiritus*: ad Veſperos, *Vox de cœlo*. Sunt aliæ Antiphonæ non ſolùm de Epiphaniâ, ſed etiam de Natali Domini, cum quibus quoties iſtas mutare volueris, nihil video intereſſe.

CAPUT XLVIII.

De Purificatione S. MARIÆ.

DE diebus vel ſeptimanis, quæ poſt Octavas Epiphaniæ veniunt, quantum puto, nihil referre novi quod neſciatis; excepto quòd ad proceſſionem diei Dominicæ, illæ de Natali Domini non mutantur Antiphonæ uſque ad Purificationem S. MARIÆ, niſi fortè priùs veniat Septuageſima. Ergo ut de prælibatâ ſolemnitate aliquid dicatur, in Vigiliâ ad Veſperos Collecta, *Perfice in nobis*, quæ & ad majorem Miſſam præmiſſâ aliâ Collectâ ad complendum iteratur. Ad Veſpertinalem proceſſio-

nem Reſponſ. *Cum inducerent puerum* : ad Matut. laudes, *Gaude* MARIA. In die poſt Tertiam, vel ſi eſt dies Dominicus, ante Tertiam, cum Antiphonâ, *Cum inducerent* : alia, *O beata infantia* : proceditur ad Eccleſiam S. MARIÆ, de qua ſequitur & Collecta, *Exaudi quæſumus Domine* : poſtea fit oratio ad quamlibet horam regularem, & omnes ante faciunt & retrò. Candelæ quæ conſecrandæ ſunt, ibi conſecrantur cum hac benedictione, *Adeſto ſupplicationibus noſtris* : alia, *Domine Deus creator* : conſecratæ aquâ benedictâ aſperguntur, incenſantur, & diſtribuuntur. Inter accendendum, Antiphona, *Lumen ad revelationem* : Cantic. *Nunc dimittis*. Poſt diviſionem cereorum, Oratio, *Domine Deus Pater omnipotens, lumen, &c.* Per clauſtrum, Antiphon. *Ave Maria* : alia, *Adorna thalamum* : in veſtibulo Eccleſiæ ad ſtationem, *Reſponſum accepit Simeon* : ad introitum Eccleſiæ, *Hodie Beata Virgo* : item Reſponſorium, *Cum inducerent*. Ad Offerendam oblatis primò hoſtia & vino, offeruntur quoque Diacono inchoante candelæ. Ab illo die in duodecim lectionibus differtur Nona, uſque dum ſervitores ſurrexerint à menſâ, & poſtea itur in Refectorium ad bibendum.

CAPUT XLIX.

De Septuageſimâ, & Quadrageſimâ.

IN Septuageſimâ adeps ſimul cum Alleluia ſepelitur, ne poſtea uſque ad Paſcha de illâ non guſtetur. Ad proceſſionem diei Dominicæ per Clauſtrum Antiph. *Cum ſederis filius*. Ad cujus etiam Veſperos, & in cunctis privatis diebus uſque ad Quadrageſimam Reſponſorium, *Spes mea Domine* : in Mat. laudibus, *Adjutor meus eſto*. De Officio quoque pro Defunctis id mutatur, ut ampliùs non dicatur poſt Nocturnos, ſed poſt Veſperos ; poſt ſingulas Horas in duodecim Lectionibus : *Ad Dominum cum tribularer*. Matut. laud. pro Defunctis, poſt Matut. laudes de omnibus Sanctis. In Quinquageſimâ, quia de cætero nec caſeum nec ova comedimus, poſt Veſperos ad cœnam de ipſis ovis coctis in pipere habemus generale, quod toto anno ampliùs non contingit ut aliud quid eâ vice habeamus præter ſolum panem, & ſi fortè ſunt in promptu, cruda poma, vel ea quæ in ferramento characterato de conſperſione farinæ tenuiſſimæ fiunt, & ab hominibus Romanæ linguæ *nebula*, à noſtratibus appellantur *oblata*.

CAPUT L.

De capite Jejunii, & de Quadrageſimâ.

IN capite Jejunii inchoatur, ut nec ad Nocturnos nec ad alias Horas Capitulum, quàm quod de jejunio ſit, dicatur. Ad Tertiam & alias Horas ſequentes Collectæ pro peccatis, quarum prima eſt *Exaudi quæſumus Domine* : ad Matutinas laudes & Veſperos de ipsâ die ; ad Nocturnos eædem quæ per totum annum in privatis noctibus dicebantur : ad proceſſionem pſalmum, *Deus miſereatur*, ſequitur Collecta, *Concede nobis quæſumus Domine præſidia*. Sacerdos tantùm ſtolâ amictus, cinères ita benedicit : *Deus qui non mortem* : quos cùm orſus fuerit ſingulis imponere, imponit quoque Cantor Antip. *Immutemur habitu*.

CAPUT LI.

De Dominicis diebus Quadrageſimæ.

PEr omnes Dominicas uſque ad Paſſionem Domini eſt unum & idem Capitulum ad Veſperos, ad Matutinas laudes, ad Tertiam, & iterum ad Veſperos, *Hortamur vos* ; nullus Hymnus de jejunio cantatur, ſed iidem qui extrà Quadrageſimam in Dominicis diebus. Item ad Sextam & Nonam eædem Collectæ, ſed Capitula de jejunio. Ad proceſſionem viciſſim uſque ad Paſcha hæ duæ cantantur Antiphonæ, *Chriſte pater miſericordiarum*, &, *Cum ſederit*. In primâ Dominicâ ad octo Lectiones Nocturnorum ſermo Maximi, id eſt, *Licet nobis dilectiſſimi*. Secunda Dominica cum non aliam habeat Collectam quàm illam, *Deus qui conſpicis* ; ideoque dicatur ad Tertiam ; ſequentes de quotidianis dicuntur ad Sextam & Nonam.

CAPUT LII.

De ſecundâ Feriâ Quadrageſimæ.

IN ſecundâ Feriâ Quadrageſimæ inchoantur Hymni de jejunio ad Matut. laudes, & Tertiam & ſequentes Horas. Soli Nocturni neſcio quid hîc commiſerint, qui cum in Adventu Domini, & toties in ſolemnitatibus, ſpecialem Hymnum habeant, in Quadrageſ. hoc amiſerunt ; in quâ etiam tam parva Hora, ſicut eſt Tertia, non caret Hymno alio quàm conſueto, id eſt, *Ternis ter horis numerus* : & ſi hoc apud nos eſt, tamen [non] eſt ita apud Monachos & Italiæ, & ipſius Sedis Apoſtolicæ, & Eccleſiæ Romanæ ; apud quos nimirum quod eâ vice habent aliæ Horæ, habent etiam Nocturni. Sunt autem adhuc & alia quæ in præfatâ feriâ ſolent inchoari, duo Pſalmi qui per ſingulas Horas dicuntur à proſtratis, & majores preces ad Matut. laudes, & ad Veſperos, ſcilicet, *Oremus pro omni gradu Eccleſiæ*. In Capitulo nequaquam alia Regulæ ſententia legitur, quàm quæ eſt de Quadrageſimâ. Recitatur quoque *Brevis* librorum qui anno præterito ſunt ad legendum Fratribus erogati ; cum quilibet Frater nominatur, ſurgit, & librum ſibi datum reddit : & ſi eum fortè non perlegerit, pro indulgentiâ [e] veniam petit. Eſt autem unus tapes ibi conſtratus, ſuper quem illi libri ponuntur, de quibus iterum quanti dantur, dantur cum *brevi* ; & ad hoc eſt una tabula aliquantulum major facta. Si qua feſtivitas in eodem die duodecim Lectionum agenda evenerit, tunc in Capitulo duæ Lectiones leguntur, duoque fiunt ſermones ; anterior de feſtivitate, ſequens de Quadrageſima. Poſt librorum erogationem datur licentia jejunandi, ita tamen ut jejunent cum diſcretione & moderatè, ne corporis valetudinem maximè ad exercitium talis vitæ, ſcilicet activæ, non amittant. Vide quoque quali humanitate Patres noſtri ipſam Quadrageſimam voluerunt iniciari : eo namque die, prout ipſis placuit, habemus ad refectionem & panem ſolito meliorem & calidum, & generale piſcium ſi quo modo inveniri poterit, & pigmentum, ad cujus tamen propinationem ſcilla non ſignatur. In quartâ Feriâ & ſextâ poſt Nonam exeunt Fratres de Eccleſiâ, & ſe diſcalceant, & ita redeunt ad proceſſionem. Tunc autem oratio non præmittitur, ſed pueri intrantes ſtatim imponunt Antiphonam, *Exurge Domine*.

e *pro indulgentiâ*] Imò *pro indiligentiâ*.

CAPUT LIII.

De Jejunio Quatuor-Temporum in menſe Martio.

IN menſe Martio, quidquid ſit de termino jejunii Quatuor-Temporum, nunquam tamen ante primam Quadrageſimæ ſeptimanam agitur; in quâ ſi nondum fuerit terminus, ſed poſtea futurus, tamen in quartâ Feriâ ejuſdem primæ ſeptimanæ ad Officium majoris Miſſæ leguntur duæ Lectiones, duoque Reſponſoria cantantur; & illâ quartâ Feriâ, quâ jejunium agitur, non niſi una. Qui mos unde primò inoleverit, de induſtriâ & ſtudio, an ex negligentiâ, neſcio, niſi hoc ſcio contrà uſum eſſe multarum Eccleſiarum tam in Romanâ linguâ, quàm in Teutonicâ. Ea quoque Officia quæ ad idem jejunium pertinent, cum ſcripta ſint ad primam Quadrageſimæ ſeptimanam, ſi in eâdem ſeptimanâ jejunium non agitur, propter hoc tamen nullum differtur officium, niſi quod pertinet ad Sabbatum; hoc ſolum quoque ad Sabbatum jejunii reſervatur; hac etiam ſolâ vice pro Hymno trium puerorum, non *Benedictus*, ſed *Benedicite* cantatur.

CAPUT LIV.

De Paſſione Domini, & Ramis Palmarum.

IN Paſſione Domini *Gloria Patri*, ſi ad nullum cantatur Reſponſorium, cantatur tamen ad Introitus, quamvis iterum contrà uſum faciamus aliarum Eccleſiarum. In Ramis Palmarum ad matutinalem Miſſam nonniſi una Collecta eſt dicenda, nec Paſſio legitur, ſed illa tantùm Lectio ſancti Evangelii, *Cum appropinquaret* Jesus: quod etiam cunctis Sacerdotibus, qui privatas Miſſas cantaverunt, præcipitur, ut ſint parati ad duas proceſſiones, quæ illo die ſunt agendæ. Prior poſt matutinalem Miſſam ſale & aqua conſecratis, ſicut eſt mos cunctis Dominicis diebus per Clauſtrum; ulterior poſt Tertiam cum frondibus & Ramis Palmarum ante majus altare conſecratis, uſque ad Eccleſiam S. Majoli omnibus Albis indutis. Ipſæ autem frondes ſeu rami cum iſtis Collectis benedicuntur: quando diſtribuuntur, cantatur Antiphona, *Pueri Hebræorum ramos*: alia, *Pueri Hebræorum veſtimenta.* Exeundo pulſantur omnia ſigna, cantatur Antiphona, *Cum appropinquaret Dominus*: &, *Cum audiſſet populus*: Reſponſorium, *Contumelias & terrores*: & alia Reſponſ. Ad introitum Eccleſiæ de Sanctis, quorum ibidem eſt memoria, Antiphona, vel Reſponſ. ad ſtationem Antiphona, *Ave Rex noſter*: Collect. de ipſis Sanctis, Oratio Dominica cum ſolitâ inclinatione; fit ſermo ad populum. Redeundo autem, *Collegerunt*. Præceſſerunt aliqui Cantores, qui cappis induti recipiunt Conventum in veſtibulo Eccleſiæ cum his verſibus: *Gloria, laus*: ad introitum Eccleſiæ, Reſponſ. *Ingrediente Domino*: Tractus cantatur à ſolis quatuor Cantoribus, hinc & inde Conventu interim conſidente & ex toto tacente, ſicut etiam tacet ad cæteros Tractus. Ad Paſſionem & offerendam, quâ frondes ſeu Rami Palmarum offeruntur, debent omnes adeſſe, nec quiſquam ullius obedientiæ occaſione deeſſe. Antiquitùs in illâ Dominicâ non dicebatur Officium Defunctorum, nec modo quoque Pſalmus ille, *Ad Dominum cum tribularer*, Officii vicarius.

CAPUT LV.

De feſtivitatibus, quæ in Quadrageſimâ eveniunt.

DE Feſtivitatibus quæ in Quadrageſimâ eveniunt quantum dicendum æſtimavi, in alio loco non tacui, quod tamen ut iterum breviter tangam, in quâlibet feſtivitate additur ad pſalmodiam, quod non adderetur nec diceretur ſi ipſa feſtivitas extrà Quadrageſimam eveniret, & hoc eſt. Primò poſt Veſperos de omnibus Sanctis Veſperi quoque pro Defunctis, & pro ipſis in nocte poſt Matut. laudes pſalmodia *Deus auribus*; poſt Primam pſalm. *Miſerere*, pro Defunctis noſtris Abbatibus ſeptem Pſalmi & Litania: poſt Capitulum triginta Pſalmi: poſt tertiam Miſſa de ipſâ feſtivitate feſtivè quoque cantatur. Ad Sextam & reliquas Horas petimus veniam, totamque Pſalmodiam repetimus, ſicut in quolibet alio die privato & Quadragesimali repetimus; quamquam ad Horas non alias Antiphonas, Capitula, Verſus & Collectas, quàm de ipſâ feſtivitate dicamus. Cæterùm ſolum rursùs remanet Officium, in cujus vice ſæpe dictus pſalmus poſt ſingulas Horas cantatur. Quòd ſi in die Dominicâ fuerit aliqua feſtivitas, differtur in ſecundam feriam celebranda; & poſt ſecundam feriam quæ ſequitur Ramos palmarum, ſi qua occurrerit, eſt differenda etiam uſque ad quintam feriam ſequentis ſeptimanæ. De aliis diebus eſt manifeſta, ut ipſe noveris, cauſa, in quibus ſingulis ſunt quædam quaſi præcipuæ ſolemnitates, & quibus nulla debeat alia præponi, niſi in tertiâ feriâ, in quâ quia nos ſumus radendi, neceſſe habemus ut loquamur in Clauſtro, quod nunquam in duodecim Lectionibus licet. In quartâ feriâ eſt Quadrageſima quaſi claudenda, in quâ & Officium Miſſæ aliquantulum eſt prolixius propter duas Lectiones, Tractum, & Paſſionem Domini: ideoque majores noſtri decreverunt, ut in illo die non ſolum nulla Feſtivitas alia celebraretur, ſed nec proceſſio, nec Officium Defunctorum ageretur.

Benedictus Deus in cujus modo gratiâ utcumque peractum eſt quod volui, Dilectiſſime Pater; nam à Cœnâ Domini progreſſus, rurſus ad Cœnam Domini ſum reverſus: ad quod hoſpes humilitatis meæ tam benignus & liberalis: Oportet, inquit, & te, Cariſſime, ad cœnam noſtræ paupertatis invitari, & ſi qua ſunt requirenda, in diem craſtinum reſervari.

LIBER SECUNDUS CONSUETUDINUM CLUNIACENSIUM.

De Diſciplina Regulari.

PRÆFATIO.

JAM dies erat ſecundus ex quo veni ad Monaſterium, cujus in primis memini, adorſus ea quæ ſunt præmiſſa: fortè ſciſcitatus habitudinem loci, comperi vindemiis inſtantis anni peractis, non niſi octo vini carradas ad commeatum fratrum eſſe collectas; propter quod tamen Pater Monaſterii ſolitam vini menſuram nullo die ſubtraxit, non modo Monachis, ſed etiam illis qui extrà Clauſtrum politi ex liberis & ingenuis ultrò ſe devoverunt, ut eſſent ſervi ſervorum Dei. Inter quos utroſque, quantum puto, ferè quotidie triginta viri non defuerunt. Videres piam ſanctamque contentionem Domini Abbatis & illorum; Domini Abbatis, de charitate; illorum, de parcitate; ita ut cum inſtaret eâdem vice Hypapante Domini, adhuc ipſe viderem in cellario Fratrum ſex carradas ſupereſſe: miratus tantæ ſobrietatis exemplum, ut primùm vidi Patrem Monaſterii, prius ita compellabam: Si Deus dederit iſtis filiis & alumnis ſanctitatis tuæ, Domine Pater, tam eſſe temperantes à cibo delicioſo quàm à vino, tunc quidem admodum eſt veriſimile, ut Deo auxiliante per illum culinarum principem Nabuzardam domicilium pacis non amittant. Ad quod ille: In Chriſti, inquit, nomine quantum repugnare potuerint contrà eumdem acerrimum hoſtem quotidie inſilientem, quotidie provocantem, non omittunt experiri. Sed cum ſcripturà dicat, *In deſideriis eſt omnis otioſus*, dilectionis tuæ ſubſidium non erit inutile, ſi adhuc ampliùs nos occupaveris illis religioſis inſtitutionibus, quarum heſternâ die aliquam partem inſinuaſti; quibus occupati fortaſſis minùs cogitamus, ut ad ollas Ægyptiorum redeamus, vel tale quid deſideremus, ut ſi antiquus Patrum populus tabernaculum fœderis fabricavit, tu noſter Bezelehel cum variâ ſuppellectile diſciplinæ regularis componas ſanctuarium mentis: hac de cauſâ hodierno flagitamus audire, maximè de Novitiis, & præceptis quibus inſtruendi ſunt & imbuendi, ut inter vos poſſint regulariter converſari. Nunc me, inquam, rogas cujus nunquam magiſter eſſe merui. Nunquam habitus ſum hujus æſtimationis, ut ſederem ſuper cathedram hujus ſcholæ, ut præceptor eſſem Novitiorum. Propter quod tamen non omitto, ut non incipiam referre ſi quid mihi contigit de hoc genere noſſe.

CAPUT PRIMUM.

De diverſitate Novitiorum.

ERGO aliqua diverſitas eſt eorumdem Novitiorum: nam non ſolùm abſque habitu veniunt ut laïci & Clerici, ſed etiam cum habitu & Monachi jam facti; & tales triſariam ſunt differentes: quidam ſunt de longinquis & alienis Monaſteriis, & ad hoc veniunt ut rursùs profiteantur, & de cætero maneant nobiſcum: quidam de Cellis noſtris, & vel pro infirmitate, vel loci longinquitate benedictionem jam à Domino Abbate acceperunt, profeſſione interim dilatâ, & ad noſtrum locum uſque reſervatâ: quidam ſunt de tali Monaſterio noſtro, quòd abſque Domino Abbate proprium habent Abbatem; ubi etſi benedictionem accipiant, & profeſſionem faciant, tamen habentur à nobis per omnia in vitâ & poſt vitam ac ſi apud nos fuiſſent; & iſti cum primùm venerint, fiducialiter & abſque morâ intrant, & ſecundùm tempus, quo in Monaſterio præfato ſunt recepti, hîc etiam ordine ſuo non carebunt: reliqui omnes non permittuntur intrare, niſi priùs juxtà verbum ſancti Benedicti, vel unam noctem in hoſpitio morentur: priùs quoque quàm intraverint, inſtruendi ſunt quemadmodum faciant petitionem ſuam; primùm ut ſciant veniam petere more noſtro; ut proſtrati & interrogati à Domino Abbate quid velint, ſinguli dicant: *Dei miſericordiam & gratiam, veſtramque ſocietatem habere volo:* & poſtquam ille reſponderit: *Deus det vobis ſocietatem fidelium ſuorum*: ſurgentes veniant ad pedes. Si quis eſt, ut præfatus ſum, de aliquâ Cellâ noſtrâ, Fratribus in Capitulo ſedentibus invitatur, & petitâ veniâ, jubetur ut ultimus ſedeat inter Fratres, quia nondum fecit profeſſionem. Qui de alieno Monaſterio, ſimiliter petitâ veniâ ſedet ubi jubetur ſecundùm quod Dominus Abbas voluerit, & viderit perſonam; ſed ab eo die quo profeſſionem fecerit, ſedebit & ipſe ultimus, niſi fortè Domno Abbati viſum fuerit ut promoveatur; qui ſi non affuerit, Prior poteſt hujuſmodi recipere, ſolum Capitulum non habebit abſque præcepto Domini Abbatis.

Clerico & laïco, qui nondum ita ſunt experti vitam noſtram, diligentiùs eſt inſinuandum, ut habetur in Regulâ, quàm dura & aſpera neceſſariò patiantur ſi ad ſubjectionem noſtram pervenerint; quæ nimirum compellit eos nullam poteſtatem propriæ voluntatis habere, ſed ad nutum alterius per omnia pendere. Ducuntur in Eccleſiam ut ibi ſedeant uſque dum veſtiantur. Ad majorem Miſſam finitâ Letaniâ ducendus eſt laïcus in Chorum, & ſellâ contrà altare majus poſitâ ſedere juſſus, & abſciſſâ comâ coronatur, barbâque detonſâ tyrocinio Chriſti inſignitur. Inde conſurgens, magiſtrum ſuũ, cui Novitii ſunt commendati, ſequitur ad veſtiarium præcedentem: ibi namque ſunt omnes veſtiendi, & veſtis eorum noſtræ debet omninò ſimilis eſſe, præterquàm quod, quamdiu erunt abſque benedictione, ſolâ cucullâ carebunt.

CAPUT II.

Quomodo ſe habeant in Cellâ Noviciorum.

POſtea capellum froco eorum aſſuitur, ne quâ notabiles diſſimilitudine nobiſcum converſantes videantur: nam quando ſunt pauciores, non ſeparatim dormiunt, quia nunquam veniunt in dormitorium noſtrum niſi benedicti; tamen in Refectoriu, & in aliis locis minimè ſeparantur à nobis: quòd ſi tanti ſunt ut dignum videatur, tunc ablato capello pro ſe habebunt cellam ſuam, ubi non ſolùm dormiant, ſed & etiam comedant, & jugiter maneant à Conventu ſeparati; tantùm operi divino nobiſcum interſunt, & in Capitulum veniunt uſque dum ſententia Regulæ ſit lecta & expoſita, ſtatim exituri ad Collationem. Ad ſingulas Horas, præter ad Nocturnos, pueros præcedentes ſequuntur ad Eccleſiam, & ſtant in minore Choro, nemine ut ſe intermiſceant audente. Quando Conventus eſt poſt Matut. laudes & Veſp. in Eccleſiâ S. Mariæ, ipſi non intrant, ſed exeuntes foris exſpectant, & tunc propriùs accedentes ſtant per ordinem altiùs inclinati uſque dum omnes tranſierint: idipſum faciunt poſt ſingulas refectiones idoneo loco ad hoc proviſo, ubi rursùs ſtent inclinati Conventu de Refectorio exeunte, & ſimili contrà ſe inclinatione tranſeunte. Quando ſunt pranſuri, ante Conventum exeunt de Eccleſiâ, & lotis manibus incedunt ad coquinam regularem, ut ſinguli fabas ſuas apportent; ad generale quoque apportandum, vel ad pulmentum, tanti ſurgunt de menſâ quanti opus fuerit, & ille voluerit qui in loco Cellerarii eis ſervit: nam & Lectiones habent & ſcillam, & aliis modis ſimulant eamdem diſciplinam, quam nos in Refectorio habemus. Quòd ſi quis eorum de Eccleſiâ ad cellam ſuam habet venire, non præſumit niſi vel uno ſocio aſſumpto. Ego autem non hoc arrogaverim mihi, ut vel meminiſſe poſſim quàm multa ſunt, & quàm diverſa, quæ tunc ſunt docendi; & tamen quæ poſſum breviter perſtringere non omitto; quia quod à me incipitur, fortaſſe ab alio quandoque perficietur, vel utcumque augebitur.

Sanè in primis & ſi ad parvum nec mentione dignum cenſeri poſſit, ab aliquo tamen cum non parvo ſtudio quilibet Novitius eſt inſtruendus, ut regulariter ſciat caput inclinare, ſcilicet non dorſo arcuato, ut quibuſdam negligentibus eſt familiare, ſed ita ut dorſum ſit ſubmiſſius quàm lumbi, & caput ſubmiſſius quàm dorſum: quam inclinationem nos per uſum ante & retrò appellamus, quia incipit contrà Orientem, & finit contrà Occidentem; quam etiam agimus primò ante Nocturnos, & poſt Completorium, ſcilicet poſt tres orationes finitas, & de reliquo quoties convenimus in Eccleſiâ, vel in Capitulo, vel in Refectorio, agimus eam ad introitum, vel ad exitum; ſed in Eccleſiâ Dominicâ priùs oratione præmiſſâ. Et ſi quando à prandio, vel cœnâ, vel collatione imus in Eccleſiam, tunc niſi cum Hora regularis, ſi qua eodem momento ſequitur, fuerit finita. Item ad Officium, ſi in die cantatur, non inclinamus niſi ad finem, & quoties venimus ad Eccleſiam S. Mariæ, de quâ poſt Pſalmos anniverſales, cum revertimur in Capitulum, eâ vice non niſi ſemel inclinamus ante percuſſionem tabulæ. In Choro quoque ſtationem quoties mutamus ad alterutram Miſſam, inclinamus: ad Miſſam enim qui ſunt ſeniores ſtant primi & proximi Altari principali, ad regulares Horas noviſſimi in extremitate Chori, præter ad Tertiam in duodecim Lectionibus; in quibus quia ſolet eamdē Horam matutinalis Miſſa præcedere, & major ſtatim ſuccedere, propter hoc puto quòd ſtatio non mutatur. De hoc autem præfatus ſcholaris Chriſti non auditu quantum viſu inſtruitur.

CAPUT III.

De ſilentio, & in quibus Officinis.

OPus quoque habet ut ſigna diligenter addiſcat, quibus tacēs quodāmodo loquatur, quia poſtquàm adunatus fuerit ad conventum, licet ei rariſſimè loqui; & tales in Clauſtro officinæ ſunt, in quibus traditum eſt à Patribus noſtris & præfixum ut perpetuum ſilentium teneatur, in Eccleſiâ, dormitorio, refectorio, & coquinâ regulari: in his ſingulis tam in die quàm in nocte ſi vel unum verbum quoque audiente loquitur, non facilè veniam abſque judicio meretur, & ſi vel una Antiphona, vel Reſponſorium, vel aliquid aliud tale abſque libro nominaverit, & in libro ſimul cum emiſſione verbi non viderit, de hoc non aliud quàm planè ſilentium cenſetur infregiſſe.

CAPUT IV.

De ſignis loquendi.

DE ipſis autem ſignis ut aliqua ponam, verbi gratiâ, & primùm quæ ad victum pertinent. Pro ſigno panis fac unum circulum cum utroque pollice, & his duobus digitis, qui ſequuntur, pro eo quod & panis ſolet eſſe rotundus. Pro ſigno panis qui coquitur in aquâ & melior eſſe ſolet quàm quotidianus, generali ſigno panis præmiſſo, hoc adde ut interiora manûs ſuper alterius manûs exteriora ponas, & ita ſuperiorem manum quaſi ungendo vel imbuendo circumferas. Pro ſigno panis ſigali, qui turta vulgariter appellatur, iterum generaliter ſigno præmiſſo hoc adde, ut crucem per medium palmæ facias, pro eo quod id genus panis dividi ſolet per quadrum. Pro ſigno tortulæ, quæ præter ſolitam libram datur in quinque principalibus feſtis, duos digitos qui pollicem ſequuntur paululum diviſos pone obliquè ſuper alteros duos digitos eorum ſimiles de alterâ manu ſimiliter diviſos. Pro ſigno fabarum primo pollicis articulo ſequentis digiti ſummitatem ſuppone, & ita fac ipſum pollicem imminere. Pro ſigno ovorum cum digito in altero digito ſimula teſtam diù vellicantem. Pro ſigno pulmenti oleribus confecti, trahe digitum ſuper alium quaſi qui coquendas inciderit herbas. Pro ſigno generali piſcium, cum manu ſimula caudæ piſcis in aquâ commotionem. Pro ſigno ſepiarum, digitos omnes divide ab invicem, & ita commove; quia & ſepiæ ita multiplices eſſe videntur. Pro ſigno anguillæ conclude utramque manum, quaſi qui ita tenet & premit anguillam. Pro ſigno lampredæ, in maxillâ cum digito ſimula punctos quos lampreda ſubtus oculos habet. Pro ſigno ſalmonis vel ſtruthionis, ſigno piſcium hoc adde, ut pugnum erecto pollice ſupponas mento, quo ſuperbia ſignificatur; quia ſuperbi maximè & divites tales piſces ſolent habere. Pro ſigno lucii iterum generali piſcium præmiſſo hoc adde, ut cum manu ſignum facias celeritatis, quia lucius celeriùs quàm alius piſcis natat. Pro ſigno truitæ hoc adde, ut digitum de ſupercilio ad ſupercilium trahas, propter ligaturas quæ hoc in loco habentur à fœminis, & quia truita ſemper fœmineo genere pronuntiatur. Pro ſigno milii fac gyrum cum digito, pro eo quod & ipſum milium ita vertitur in ollâ cum cochlearia. Pro ſigno criſpellarum, vel ut

alii dicunt Frigdolarum, cum pugno accipe crines, quaſi cupias eos facere criſpos. Pro ſigno caſei utramque manum conjunge per obliquum, quaſi qui caſeum premit. Pro ſigno fladonum, præmiſſo generali panis & caſei, de unâ manu omnes digitos inflecte, & ita manum cava & in ſuperficiem alterius manûs pone. Pro ſigno ruſcolarum, vel ut Teutonici loquuntur, cratonum, præmiſſo ſigno generali panis, ſimulæ cum duobus digitis illas minutas involutiones, quæ in eis ſunt factæ, ex eâ parte quâ ſunt complicatæ & quaſi rotundæ. Pro ſigno lactis minimum digitum labiis impinge, pro eo quod ita ſugit infans. Pro ſigno mellis paulisper linguam fac apparere, & digitos applica quaſi lambere velis. Pro ſigno pomorum maximè piri vel mali, pollicem cum aliis digitis conclude. Pro ſigno ceraſorum hoc adde, ut digitum ſubtus oculum ponas. Pro ſigno porri crudi, pollicem & digitum ei proximum conjunctos extende. Pro ſigno allii vel raſæ, extende digitum contrà buccam paululùm apertam, propter id genus odoris quod ſentitur ex illis. Pro ſigno aquæ omnes digitos conjunge, & per obliquum move. Pro ſigno vini, digitum inflecte, & ita labiis adjunge. Pro ſigno potionis pigmentatæ conclude manum, & ita ſimula molentem. Pro ſigno potionis quæ eſt melle & abſynthio temperata, duos digitos indicem & medium à cæteris disjunge, & ipſos quoque ab invicem disjunctos ita move, quia abſynthium in ſuis foliis eſt diviſum. Pro ſigno ſinapis, articulo anteriori minimi digiti pollicem ſuppone. Pro ſigno aceti frica cum digito guttur, quia in gutture acrimonia ſentitur. Pro ſigno ſcutellæ, manum latiùs extende. Pro ſigno ſcyphi qui capit quotidianam vini menſuram, inclina manum deorſum, & ita cavam tene, digitis aliquantulum inflexis. Pro ſigno phialæ vitreæ, præmiſſo ſigno hoc adde, ut duos digitos circà oculum ponas, ut ſplendore oculi ſplendor vitri ſignificetur. Pro ſigno ſtamineæ, manicam ejus tene cum tribus digitis, minimo & duobus ſequentibus. Pro ſigno femoralium hoc adde, ut manum in femore de deorſum trahas quaſi qui ſe femoralibus veſtit. Pro ſigno frocci, manicam ejus tene eodem modo, quo manica ſtamineæ eſt tenenda. Pro ſigno cucullæ hoc adde, ut cum duobus digitis retrò [illegible]gas capellum. Pro ſigno manicarum tene manicam frocci, & ſignum quod pro femoralibus adde.

Plura ſunt quæ adhuc dicere poſſem; ſed cum modò meminerim quibus ſum loquutus, video quòd nec opus fuerit tantum dixiſſe de hujuſmodi re, & ut ait ille, in ſylvam ligna contuliſſe: unde ut de his tandem taceam, quæ, quantum puto, meliùs noſtis quàm ego, videndum eſt de ſequuturis, ut ea loquar quæ cum nec viſa priùs nec audita ſcire valeatis; tunc pro ſolâ novitate plus aliquantulum veniant ad gratiam. Et quia ſermo eſt de inſtituendis Novitiis, quantum fieri poteſt, per ordinem dicatur de eâ diſciplinâ, quâ jugiter ille tenetur qui nobiſcum voluerit converſari.

CAPUT V.

Quomodo ſe frater levet ad Nocturnos.

PRimò igitur ad Nocturnos audito ſigno illicò ſe levare feſtinat, & priuſquàm coopertorium dejiciat, induit ſe cucullâ, cruraque tegit cum illâ, antequàm levet, ante lectum: ipſumque lectum non ita negligenter dimittit, ſed honeſtè coopertorium deſuper extendendo, componit. Neceſſarias non intrat, niſi capite capello cooperto. Ante pueros ſolet venire in Eccleſiam, & ſollicitus eſt illis tribus orationibus intereſſe, quæ ſigno finito fiunt.

CAPUT VI.

De exceſſibus pro quibus veniam petit.

NAm ſi non interfuerit, in Capitulo veniam petet; ſicut etiam pro eo, ſi quam regularem Horam dimiſerit, ni fortè ſit Sacerdos, ut interim Miſſam cantet; vel ſi dimiſerit Collationem, vel Capitulum ſine licentiâ, vel generalem refectionem: procumbens ad orationem, ſuper cubitos & genua froccum retrorſum attrahit, ne ita pendeat ſuper pedes ad terram. Quòd ſi aliquomodo contigerit ut non occurrat ante *Gloria* pſalmi nonageſimi quarti, vel ad quamlibet Horam ante *Gloria* primi pſalmi, intrans Chorum & veniens ad gradum Altaris, honeſtè tractimque petit veniam ſuper manus & genua, paululumque protendit ſummitatem frocci ut ſuper eam teneat manus; & ſurgens contrà Altare altiùs inclinat: inde non ſe movebit uſque dum Hora ſit finita; aliis inclinantibus, ipſe non niſi contrà Altare inclinat. Sed ſi viſum fuerit Domno Abbati, Fratrem aliquem ad eum dirigit ut recedat; cui cum manu innuenti paululùm inclinat, & facto ante & retrò recedit ad ſtationem ſuam; ubi rursùs petens veniam ut priùs, inclinat contrà Conventum, & Conventus contra eum.

CAPUT VII.

Quomodo ſe habeat ad Horas Regulares.

AD *Gloria* ſingulorum pſalmorum qui ſunt in regularibus Horis, manus non tenet in ſinu, ſed in manicas mittit, eaſque conſtringit ne inter inclinandum ad terram pertingant, quia inclinatio illa multum debet eſſe ſubmiſſa, nec adeo ad aliam pſalmodiam. Quòd ſi ſedere voluerit inter pſalmodiam, obſervat ne ſedeat juxtà alium ſedentem, ſed ita ut unus ſtet, & ſedeat alter, & invicem exhibere debent occaſionem ſedendi. Ubicumque ſedet, nunquam dimittit manicas ita negligenter ad terram pendere, ſed ſi manus ſunt intrà ſinum, manicæ in tranſverſum extrà ſinum ſunt collectæ. Si propter aliquid de Choro exit, vel ſi poſtea venit quando Hora eſt inchoata; in faciem ſuam inclinat, omnibus ſimiliter inclinaturis. Contrà majus Altare nunquam inclinat, niſi manibus de manicâ extractis, & capite penè uſque ad terram dimiſſo; contrà alia Altaria, & contrà Crucifixum in Capitulo moderatiùs. Si Pſalmos noverit, & ſi in aliquo verſu erraverit, eodem modo veniam petit ante ſe quo ſuperiùs dixi ad gradum Altaris eſſe petendam pro occurſione tardiore. Lectori ad gradum ubi facit ante & retrò, & eunti ad Lectionem & redeunti, reverenter inclinat.

CAPUT VIII.

Quomodo laternam ligneam portare debeat ad Nocturnos.

QUod ſi inter Lectiones ille, qui laternam ligneam circumfert, ad eum venerit, & putans eum dormire, lumen contrà faciem ejus intenderit, ſi vigilat, iterum reverenter inclinat; at ſi obdormivit & laterna poſita fuerit ante eum, excitatus perluſtrat primùm cum eâ dextrum Chorum, & per medium rediens, Chorum exteriorem, noviſſimè ſiniſtrum. Si quem offenderit obdormiſſe, tunc contrà ejus oculos lumen ter intendit; ſi tertiâ vice non

evigilaverit, ponit ante eum laternam, ut ab ipſo quoque excitato ſimiliter portetur.

CAPUT IX.

Quâ diſciplinâ recollocatus jaceat in lecto.

AD lectum rediens iterum ſe collocat cum diſciplinâ, nec cucullam priùs exuit quàm coopertorium uſque ſuper cubitos trahat: tunc quidem eam exutam diligenter complicat & ponit ad caput. Quantumlibet calorem ſentiat, tamen nunquam plus corporis ſui detegit, quàm pedes, brachia & caput.

CAPUT X.

Quomodo ſurgat mane, vel quid ſtatim faciat.

AD ſonitum, qui diluculo fieri ſolet in dormitorio ad excitandos Fratres, facit idipſum quod ad ſignum Nocturnorum; quantociùs ſurgit, & eâ vice non alios calceos quàm qui ad diem facti ſunt induit, niſi fortè ſit ſanguine minutus, cultelli ſui ſecum portandi cavet oblviſci. Lotis manibus faciè, cum tria manutergia pendeant ſimul in Clauſtro, non tergit ad aliud quàm quod ſuis ſimilibus eſt deputatum, quia unum eſt pueris, alterum Cantoribus, tertium idiotis. Pectit caput, facit tres orationes in Choro, anterior & propior Altari quàm ſeniores, ſicut etiam ad Nocturnos, in quibus poſteaquàm pueri legere incipiunt, non multum moratur.

CAPUT XI.

Quomodo ſedeat, vel incedat.

SEdens ad Lectionem ita ſedet ut ulna ſit inter ſe & alium juxtà ſedentem; anteriora frocci ſui ſemper in gremium ita attrahit, ut pedes poſſint benè videri. Girones quoque, vel quos quidam ſagittas vocant, colligit utrimque, ut non ſparſim jaceant in terrâ. Quocumque incedit, ſemper demiſſo capite incedit, & ſi aliquando viſus fuerit erectâ cervice, non negligitur innotatus.

CAPUT XII.

Quomodo veniat ad Confeſſionem.

SI opus habet ad Confeſſionem pro aliquo exceſſu venire, accedit ad Sacerdotem ad quem potiſſimùm voluerit; & ſtans ante eum, dexteram de manicâ extractam ponit ſuper pectus, quod eſt ſignum Confeſſionis. Surgit Sacerdos, quem præcedentem ſequitus in Capitulum, & primùm ante eum petit veniam toto corpore proſtratus: à quo juſſus ſe levare, poſtquàm conſederit, loquitur quod habet. Si tale quid ei contigit in nocte quod nos verecundè fragilitatem appellamus, ante Confeſſionem ſeptem pœnitentiales Pſalmos dixerit, vel ſi Pſalmos neſcit, Dominicam orationem ſepties: & poſtquàm fuerit confeſſus, quod ſibi juſſerit Sacerdos. Eo die non textum Evangelii oſculatus, nec ad pacem vadit, nec ad offerendam.

CAPUT XIII.

Quomodo, vel quando pannos ſuos induat.

ESt autem apud nos lavatorium ſecretum cum aquæ ductu, ibique lavat femoralia ſua quantum illa eventione ſunt contacta: aut ſi habet in promptu mutatorium ſuum, mutat quod eſt indutus, nec priùs ad ea quæ præfatus ſum accedere præſumit. Nunquam mutat in ſolâ cucullâ, niſi & pelliceum vel froccum habeat indutum, ne quid nuditatis ſuæ poſſit ab aliquo videri. Pannos, quos exuit, confeſtim complicat, femoralia involvit ſtamineo, & cum ejus manicis colligat utraque: horam quoque mutandi diſcernit, quæ non eſt niſi ante Primam, vel ſi ipſa ſimul cum Matutinis laud. cantatur, ante Tertiam. Tunc etiam noverit horam eſſe Confeſſionis, & poſt Capitulum quamdiù pſalmi pro Fratrum anniverſario dicuntur. In diebus ſolemnibus uſque ad Miſſam matutinalem: in Quadrageſima per tres dies, per quos ſilentium tenetur in Clauſtro uſque ad Sextam.

CAPUT XIV.

Si coctus eſt, quâ horâ coctionem ſuam videat.

QUod ſi Coctus eſt, ut vulgariter ajunt coctionem ex more non videt, neque ſigat, niſi ante Primam, vel ſi ipſa, ut ſuprà memini, Matutinis laud. eſt adjuncta, ante Tertiam, & poſt Veſperos, ita tamen ut propter hoc ſilentium non infringat. Panniculi autem recens lavati ſic eſſe debent in promptu, ut non opus habeat quid loqui. Ad catalogum fidei ſancti Athanaſii nunquam ſedet; ad offerendam nec anterior nec poſterior accedit quàm ſuus eſt ordo.

CAPUT XV.

Quomodo pannos ſuos lavet.

QUa factâ ſi quid ei placuerit de pannis ſuis lavare, in coquinâ regulari ad hoc ſolum æneum oſtendit, in quo aqua caleſiat, lexiviaque temperetur. In Clauſtro autem truncum ampliſſimum cum pleriſque intervallis cavatum; ut hic ſtamineum, illic femoralia lavari poſſint ſeparatim. Quæ ante Capitulum mittit in aquam calidam ut molleſcant, poſt tabulæ percuſſionem lavat, & non diutiùs niſi quamdiù licentia loquendi durat, excepto ſi eſt dies jejunii lavare non prohibetur poſt Tertiam; vel ſi eſt Quadrageſima vel dies privata, non ſolùm poſt Tertiam ſed etiam poſt Sextam lavat, tametſi non loquamur in Clauſtro. Quidquid autem lavat, quoquomodo ſit lavatum, poſt horam lavandi aufert & ſiccat: ne jaceat ita ſordidum & horridum, maximè ubi totus Conventus videbit de Refectorio exiturus.

CAPUT XVI.

Quomodo de regulari horâ non exeat, niſi pro inevitabili neceſſitate.

AUdito ſigno quod ad Primam pulſatur, Eccleſiam cum aliis intrat; & quia pulſatio ſigni ritè protelatur quouſque ſeptem Pſalmi poſſint eſſe cantati, aliquandò ſi voluerit, poſtquàm pueri tranſeunt, exit pro corporis neceſſitate, ſed rediens lavat manus ne cum ventum fuerit ad offerendam,

rurſùs

rursùs habeat exire; quia ſi tam frequenter exierit, hoc quoque in Capitulo reſervatum experietur. Sed nec videt exire quemquam quamdiù da regularibus horis ullâ in die cantatur, niſi pro inevitabili neceſſitate, ut v. g. ſi de naſo cruor emanat.

CAPUT XVII.

Quomodo ſe præparat ad Capitulum, vel quid faciat ſi eſt ſibi conſcius ullius.

QUando ſcilla pulſatur ad Capitulum, ſtamineum ſuum undique detrahit & honeſtè componit, ut paratus ſit ſi aliquo modo accuſatus judicium quærere jubetur. Cum Domnus Abbas dixerit, *Benedicite*, inclinat: poſtquàm ventum fuerit ad actionem Capituli, ſi quid ei exceſſûs aliquo modo contingit, quod alius vidit, & dignè potuerit reclamare, ipſe præveniens petit veniam, & illam veniam toto corpore proſtrato, culpamque ſuam fatetur: ſed quantacumque fateatur, tamen non ampliùs petit veniam præter illam quam petiit. Quòd ſi alius de illo reclamaverit, tunc quidem quoties de ſe reclamare audierit, toties quoque veniam petit. Quòd ſi ſedens & reclamationem de ſe audiens priùs quidquid reſponderit, quàm veniam petierit, juſſus ut ſe proſternat, in ipſo frocco ſuo unam accipit percuſſionem. Poſtea pro eo pro quo eſt reclamatus, ſuſtinet quod Prælato videtur, vel vapulare, vel eſſe in culpà leviori: nam quæ ad graviorem culpam pertinent, de his non loquor hac vice.

CAPUT XVIII.

De Culpâ leviore.

MIſſus autem in culpam leviorem ita ſe habet, ut ipſa quoque ſibi Regula præſcribit. Inter preces Nocturnorum, & Horarum omnium regularium, proſtratus jacet ad gradum; non offert, non oſculatur textum Evangelii, non accedit ad pacem, nec ad menſam cum aliis: ſed ſi qua dies feſta duodecim Lectionum agenda ſupervenerit, ſolutus eſt ab eo quod ſe proſtravit, vel quod cum aliis non refecit. In Eccleſiâ non abſtinet ſe à Lectione, à cantûs impoſitione, nec à cæteris quæ prælibavi. Privatâ die veniente rurſùs intrat in quo priùs erat, uſque dum fiat abſolutus. Abſolvitur autem maximè quando proſtratus jacet ad gradum, & unus Frater ad eum dirigitur, à quo ſibi quòd ſit abſolutus innuatur. Hoc quoque modo fieri ſolet abſolutio, ſi eidem noxæ adjudicatus poſtea contigerit, ut pro aliquo delicto denuò reclamatus verberetur: & ſi hoc non erit, non abſolvitur, niſi priùs ejus ſatisfactio jacentis ad gradum, vel ad unam horam videatur à Conventu.

CAPUT XIX.

Ubicumque ſteterit, quomodo ſtare debeat.

STans autem ante Domnum Abbatem vel ubicumque ſteterit, id etiam non negligit ut habeat pedes æqualiter compoſitos, & nunquam ab invicem inter ſtandum divaricatos.

CAPUT XX.

De his quæ non licet facere niſi ad horam loquendi.

EXiens à Capitulo, ſi eſt ea dies in quâ loqui non prohibetur, priuſquàm ullum verbum dicat, librum accipit & ſedet. Stando nihil omninò loquitur; quod loquitur, loquitur ſubmiſſâ voce: loquela ſua & audientia non eſt niſi de ſpiritalibus, vel de his quibus hæc temporalis vita carere non poteſt. Si quid opus habet à Camerario quærere, tunc maximè quærit; ſi opus habet ungues ſcare, tunc ſcat; ſi opus habet juſtitiam ſuam, & pateram lavare, tunc lavat; ſi opus habet cultellum ſuum acuere, tunc acuit ad cotem qui ob hoc pendet in Clauſtro; ſi opus habet quid de veſtimento ſuo ad ſolem extendere, tunc extendit, & benè meminerit ut auferat ante Collationem; vel ſi duodecim Lectiones in ſequenti nocte fuerint, ante Veſperos: ſi quem Fratrum infirmantem viſitare voluerit, tunc maximè viſitat. Si autem eſt abſque obedientiâ quantum ad hoſpites, tantum loquitur ad quemquam famulorum niſi cum licentiâ. Nihil appellat ſingulariter ſuum, ſed ad omnia dicit noſtrum, niſi de patre & matre; de his ſolet licenter dici meus & mea. Si quem Fratrem appellat, nunquam puro nomine appellat, niſi Domnus adjungat, & pueros Fratres nominat: item proprium nomen dicturus, ſemper Frater præmittit.

CAPUT XXI.

De minutione ſanguinis.

SI voluerit ſanguinem minuere, ipſâ horâ, quâ de Capitulo exierit, licentiam quærit. Et ut hoc modo quo fiat ordine perſequar: acceptâ licentiâ, vadit ad Cellerarium voluntatem ſuam indicare, ut provideat famulum ad hujuſmodi deputatum in promptu eſſe poſt Evangelium Miſſæ majoris. Eo namque momento abſcedens de Eccleſiâ induit nocturnales, non alios quidem uſque in diem tertium induturus, nec Chorum intraturus. Tollenſque faſciam de lecto ſuo ad hoc neceſſariam, pergit in coquinam regularem, ubi brachium ſuum denudat & calefacit; vocat famulum præfatum ſigno tantùm ex Cellerario, ducitque ſecum ad illam minuendi ſanguinis officinam. Priuſquàm quid aliud faciat, facit ante & retrò, & ter dicit hunc verſum; *Deus in adjutorium meum intende* (ſicut etiam ad opus manuum) & ut ibi eſt cætera ſubjungit. Sicque ſanguinis diminutio inchoatur; ſilentium tenet, niſi modicum quid dicat de hoc quod inter manus habetur. Abhinc ſurgens ſtatim venit in Refectorium, aliquantum de librâ ſuâ comeſurus & de vino bibiturus; ſicut etiam per dies geminos ſequentes. Ad prandium ſi alii habent pitantiam, ille generale, & ad cœnam ova tria. Si eſt tempus hyemale, ſcilicet à Calendis Octobris uſque ad Quadrageſimam, etſi Fratres generaliter non niſi ſemel reficiunt, tunc ille poſt Veſperos cœnat. Secundo & tertio die poſt Capitulum veniens in Refectorium, dicit verſum refectionalem ſimul cum pueris, & habet tria cocta pulmenta; die quartâ, caſei quadrantem, vel quod tantum valet. Quo die indutis quoque diurnalibus ad Primam redit in Chorum. Ad Nocturnos his tribus noctibus ſi obdormivit, nemo eum cum abſconsâ inquietabit, ſed etiam ad intervallum in lecto ſuo pauſavit, nec permiſſus eſt veniam petere in Capitulo ſi quid ei reclamatum eſt de illo, & ſtare juſ-

ſus pro veniâ inclinavit. Cavet autem eo die minuere, in cujus ſequenti nocte duodecim fiunt lectiones, niſi in Quadrageſimâ; tunc ſemper & in ſabbato poſt Veſperos minuit, pro eo quod in die Dominicâ non jejunabit; in qua quia facturus eſt foris Clauſtrum proceſſionem, induit quoque diurnales; poſt Completorium de tribus orationibus non niſi unam facit, & exit.

CAPUT XXII.

Quâ diſciplinâ in Eccleſiâ maneat ad ſolemnia Miſſarum.

SEd ut redeam ad locum unde paululum diverti, inter loquendum ſi ad Horam ſignum audierit regularem, & ſi eſt in Clauſtro, ipſum verbum quod habet in ore non perficit, ſed continuò tacet & occurrit ad orationem intereſſe: ſedet in Choro, & quouſque Sacerdos Miſſam cantaturus ſit veſtitus, intendit Lectioni. A quo tamen primum ictum ſecundi ſigni audierit, illicò ceſſat & ſurgit, etiam ad duo ſigna quæ pulſantur ad Veſperos, vel quotieſcumque omnia ſigna pulſantur. Veniam, quam petit, diligenter obſervat ne unquam tardiùs vel celeriùs quàm alii petat: cum aliis ſe ſubmittentibus ſe ſubmittit, cum aliis ſe levantibus ſe levat ad venias, ad preces, & ad orationes. Aliis non legentibus, nec aliud quàm ſolum officium divinum attendentibus, ipſe quoque nunquam librum aperit ad legendum, maximè in Choro, niſi aliquando Antiphonarium ad majorem Miſſam propter aliquem graviorem cantum qui ad præſens cantatur, vel ad Veſperos librum Hymnorum propter aliquem hymnum eâ vice canendum; & ſi Sacerdos eſt Hebdomadarius, in Collectaneo licet ei quod opus habuerit, videre; aut ſi lector eſt in Refectorio, & juvenis adhuc poſitus in cuſtodiâ, ad utramque Miſſam, ſi voluerit, in Choro prævidet Lectionem. Signa, quæ cum manu fiunt pro loquutione, non amat frequenter facere, Conventu maximè cernente, & quoties facit, facit reverenter & pro neceſſitate, & nunquam abſque alicujus utilitatis ratione: ut cætera membra, ita ipſum quoque viſum cohibet à vagacitate. Finitâ Miſsâ, cum ſummo ſilentio ſedet ad lectionem quouſque pueri redeant de mixtu.

CAPUT XXIII.

Quâ diſciplinâ maneat in Refectorio.

AD horam prandii vel cœnæ, ſi in dormitorium non aſcendit, lavatis manibus ſtatim intrat in Refectorium. Ad ſedem ſuam facto ante & retrò ſtando reverenter exſpectat Dominum Abbatem; niſi adeò ſit infirmus ut ſtare non poſſit, tunc ſedet: nihil omninò comedit antequàm lectio ſit incœpta, & antequàm de manu Sacerdotis oblatam accipiat; ſi tamen eſt privata dies, & ſi ipsâ die non communicavit. De nullo guſtat generali priuſquàm benedicatur; ſibimetipſi nihil unquam apportat præter ſal & aquam, niſi fortè generaliter ſerviendo veniat ad ſedem ſuam; ſi quid ei per alium apportatur reverenter contrà porrigit manum, & aliquantulùm inclinat: ſi quid ei vel ab ipſo Domno Abbate, vel à Priore ad ſcillam ſedente dirigitur, ex toto ſurgens altiùs inclinat, & quantumlibet fortè cupiat abſtinere, de hoc tamen prælibare non dimittit. Scutellam quoque applicat ad illum potiſſimùm Fratrem, qui juxtà ſe ſuperiùs ſedet ut comedat, ſi is renuerit, applicat ad inferiorem, quòd ſi & ille, quantumvis remaneat quod noluit, vel non potuit comedere, non mittit quoque longiùs ad quemquam alium Fratrem pro ulla gratiâ privatâ, ſed à ſe tantùm amovet ſcutellam, ut tollatur à ſervitore. De micis, diligentiſſimè cavet ne quid vel minutiſſimum cadat ad terram & pereat; cum cultello corrodit eas de menſali, ut ad ultimum cum flabello gramineo in ſcutellam colligantur, & ad eleemoſynam deferantur. Quamdiu autem non eſt à Conventu ſeparatus ut ſit cum infirmis, nec unum granum guſtat piperis, nec ullo modo quidquam potionis pro aliquâ infirmitate, niſi in Refectorio, Euchariſtiâ exceptâ. Minimè quoque bibit aliquando, niſi pateram cum ambabus manibus tenendo, & nunquam niſi ſedendo. Quòd ſi per vices contigerit ut aliis conſidentibus ipſe imprimis non adſit, poſtea veniens ad gradum, cum ſigno petit à Domno Abbate licentiam comedendi; quo annuente, quæ cum aliis feciſſet & dixiſſet, eadem per ſe facit & dicit, id eſt, ante & retrò, & verſum, ſi eſt prandium, *Oculi omnium &c.* ſi cœna, *Edent pauperes &c.* inclinis, *Gloria Patri*, & orationem Dominicam: erectus manu & ore ita benedicit, *Oremus, Benedic Domine &c.* inclinat Domno Abbati, & recedit ut ſedeat. Quòd ſi opus habuerit aliquando ut, priuſquàm cæteri, ſurgat à menſâ, rurſùm veniens ad gradum, & manum expanſam tractim à pectore trahens, cum hujuſmodi ſigno licentiam quærit abeundi; qua acceptâ inclinat quaſi gyrando, & verſum dicit, ſi eſt prandium, *Confiteantur, &c.* inclinis, *Gloria Patri*; erectus, *Agimus tibi, &c.* ſi cœna, *Memoriam fecit, &c.* & *Benedictus Deus, &c.* facto ante & retrò incedit pedetentim cantando Pſalmum, *Miſerere*, uſque ad oſtium Refectorii, ibique ſe inclinans contrà menſam principalem, dicit omnia quæ in Eccleſia dicuntur à Sacerdote, vel à Conventu, id eſt, *Diſperſit, dedit pauperibus &c.* noviſſimè facto ante & retrò exit. Quòd ſi non ampliùs quàm ſemel eo die Fratres comedunt, tunc non alios verſus dicit quàm illos ad cœnam pertinentes, & *Agimus tibi gratias*: verùm nunquam ad unam vicem facit utrumque, ut & tardiùs quàm alii veniat, & citiùs ſurgat.

CAPUT XXIV.

De habitatione ſuâ & poſt prandium, & poſt cœnam.

POſt refectionem, ad hanc horam majori ſtudio quàm ad aliam ſilentium eſt ſibi indictum, & ſecundùm quod tempori vel ordini eſt conſentaneum, aut in Clauſtro ſedet legendo vel cantando, aut ſi pergit dormitum & legere voluerit, jacendo legit, & ita compoſitus ac ſi ſtatim cupiat obdormire: non modò ea ſigna quæ cum manu fiunt devitat, ſed etiam nutum oculorum nequaquam dirigit ad lectum ullius Fratris, ut illuc vel ad momentum intueatur. Poſt nonam ſive ſitim habeat, ſive non, tamen non dimittit cum aliis ire bibituris. Quoties poſt Veſperos cœnatur, cœnâ factâ dormitorium aſcendit, cultellum deponit, diurnalibus calceis detractis, nocturnales induit, venit in Clauſtrum ſedere: ubi ad illam horam quamdiù ſedet tantopere ſilentium ſtudet, ut ſi ſcribendi ſciolus fortè quid ſcripſerit, nec pergameno, nec ipsâ pennâ quidquam ſonitûs ullo modo committat. Aut ſi tardiùs quàm cæteri de dormitorio deſcenderit, tam lentè pedem ponit, ut ejus inceſſus, ſi videtur ab aliis, minimè tamen ab ullo poſſit audiri.

CAPUT XXV.

Quâ diſciplinâ ſe poſt Completorium eſt collocaturus.

POſt Completorium cum iterum fiant tres orationes, ad has locum tenet extremum, & Priores anteriorem. Aſperſus à Sacerdote aquâ benedictâ, & veniens ad oſtium Eccleſiæ caput cooperit cum capello, nec ampliùs denudat uſque dum collocaverit ſe in lecto. Hæc pauca, ut memoriæ occurrerunt, de multis dicta ſint, quibus omnes Novitii, ſi fieri poteſt, priùs ſunt inſtruendi, quàm Collegio noſtro ſocientur.

CAPUT XXVI.

De confeſſione, & petitione Novitiorum.

IN vitâ quoque ſæculari quæcumque contrà ſalutem animæ ſuæ commiſerunt, omnia Domno Abbati ad confeſſionem manifeſtant. Poſtea cum ei viſum fuerit, jubet eos iterum ante ſe in Capitulum venire. Quibus venientibus & veniam petentibus, poſtquàm ſurrexerint, iterum quoque ut priùs aliquanta inſinuat de auſteritate diſciplinæ regularis, & inter alia non tacet melius eſſe, ut ſine benedictione ad ſæculum redeant, quàm acceptâ benedictione de cætero non perdurent. At ſi ipſi è contra omnem obedientiam & ſtabilitatem pollicentur, annuit tandem eos benedictione confirmare. Commendat Fratribus ut in orationibus ſuis recordentur eorum, & aliquando, ſi videtur, unum pſalmum poſt ſingulas Horas in illo die pro eis cantari.

CAPUT XXVII.

De benedictione Novitiorum.

VEniunt ad pedes bini vel terni, poſt Evangelium majoris Miſſæ ritè benedictio eſt agenda, & hoc modo inchoanda. Singulis eſt ſcriptum quomodo profiteantur, quod eſt hujuſmodi: *Ego frater promitto ſtabilitatem Monachi, & converſionem morum meorum, & obedientiam ſecundùm regulam S. Benedicti, coram Deo & ſanctis ejus in hoc Monaſterio quod eſt conſtructum in honore BB. Apoſt. Petri & Pauli; in præſentiâ Domini N. Abbatis.* Hoc modo legit unuſquiſque in brevi ſuâ, & ipſam brevem mittit ſuper altare jugiter ibi ſervandam. Si litteras neſcit, legit pro eo alius, ſignum tamen aliquod manu facit in brevi. Petunt ter veniam ſuper manus & genua; ter etiam hunc verſum dicendo: *Suſcipe me Domine ſecundùm eloquium, &c.* & toties à Conventu ſimiliter eis reſpondetur. Tertia vice *Gloria Patri* adjuncto, gyrum faciunt, ita poplitibus flexis, & poſtea proſternunt ſe ad orationem. Domnus Abbas ſtans imponit *Kyrie eleiſon. Pater noſter*, Pſalmum *Miſerere*; præmiſſis his verſiculis, *Salvos fac, &c. Mitte eis, &c. Nihil proficiat, &c. Eſto eis, &c.* Sequuntur hæ benedictionis Collectæ: *Deus indulgentiarum, &c. Deus qui per coæternum, &c. Domine* Jesu-Christe *qui es via, &c. Sancte Spiritus qui te Deum, &c.* Cucullas ita benedicit: *Domine* Jesu-Christe *qui, &c.* aquâ benedictâ conſpergit. Sed Novitii ſuâ benedictione finitâ conſurgunt ab oratione, exuunt froccos, & induunt cucullas. Inter exuendum rursùs dicturus eſt ad ſingulos Domnus Abbas: *Exuat te Dominus, &c.* Inter induendum. *Induat te, &c.* Circumeunt per totum Chorum, ut omnes Fratres, ab ipſo Domno Abbate incipientes, oſculentur.

CAPUT XXVIII.

De habitatione illorum in illo triduo poſt benedictionem.

IN his tribus diebus non denudant caput capello coopertum, in cucullis dormiunt, nihil omninò loquuntur, offerunt ad pacem, ad communionem veniunt, quod non aliquando dimittunt, etiam ſi eis aliquid contigit dormiendo. Tertio tandem die, cum Sacerdos fuerit eos oſculatus, de capitibus eorum abſtrahit capellum, & de cætero licet eis, ſicut aliis Fratribus, loqui & exuere cucullas. Si quis infirmus, &, ut aiunt, ad ſuccurrendum benedictionem acceperit, & pro infirmitate ſilentium tenere non potuit, cum aliis qui benedicuntur capita contegentibus ipſe quoque contegit, & omnia quæ illi faciunt eo triduo ſimiliter facit, ut quod priùs omiſſum erat, ſuppleatur. Ergo ab illo die nequaquam ulteriùs à Capitulo ſeparantur; & Domnus Abbas ſecundùm gratiam, quæ ſingulis eſt data, jubet eos de cætero in Eccleſiâ ſervire, ſcilicet, ut legant, & cantent, qui hoc ſciunt; & qui aliud non valent, candelabra & thuribula portent. De his tamen, qui Sacerdotes ſunt vel Levitæ, diligenter examinat quomodo ſint ordinati, qualis ſit eorum ſcientia, qualis conſcientia, & per aliquod tempus probat eorum converſationem, antequàm eis hujus miniſterii licentiam permittat. Præcipuè qui Sacerdos erat antequàm veniret, omninò ab officio prohibetur, uſque dum ſæpiùs proſpiciens addiſcat quàm multiplici ſtudio tale Sacramentum tractetur à nobis. Sed ut hîc meminerim, tam qui examinatur, quàm qui jam examinati aliquo modo ſervire jubentur, unuſquiſque illorum in Capitulo brevem diligenter attendit, ut animadvertat ſi eſt ad ullum ſcriptus obſequium, quod vel in Eccleſiâ vel extrà ſit agendum. Monachi ad ſuccurrendû.

CAPUT XXIX.

De Hebdomadario Cantore: & de eo qui notatus eſt ad Invitatorium imponendum, vel ad aliquam Lectionem, vel aliquod Reſponſorium.

SI eſt notatus ad Invitatorium, quando ipſum inchoat ſtans ad gradum cum ſuo Collega vel quando finit, utrâque vice facit ante & retrò. Si ex duobus cantaturis Invitatorium, eſt Prior notatus, tunc etiam Hebdomadarius erit, per totam Hebdomadam Officium Miſſæ majoris imponit, ad quam cum in die Dominicâ, vel in quâlibet ei ſimili, omnia ſigna ſint pulſanda, ad eum pertinet ut ipſe primas ſcillas incipiat pulſare, & poſtea cappâ ſe veſtire, ut Chorus teneatur ab illo; qui & incenſum ſibi allatum, quo Corpus Domini ante conſecrationem eſt incenſandum, in thuribulum ponit. Quando ſunt Fratres ad pacem & communionem, licet ei ſedere. Quoties in ſeptimanâ fuerint duodecim Lectiones, ad omnes Horas imponit Antiphonam, præter ad Veſperos, ad quos non imponit niſi in tali feſtivitate de S. Trinitate, vel etiam ſolemniore quàm eſt. Quando omnes ad majorem Miſſam ſumus induti albis, non ad eum, ſed ad Armarium pertinet Officium majoris Miſſæ. Quòd ſi non Hebdomadarius, tamen ad aliquam Antiphonam Nocturnorum notatus eſt, cum impoſuerit eam, finito primo verſu Pſalmi, facit ante & retrò: ad legendum multùm inclinis & accedit & recedit, niſi eâ vice, quâ

Conventus nondum conſedit, non eſt adeo inclinis; & poſtquàm legerit, rurſus ad gradum non ſolùm ante & retrò facit, ſed etiam illam veniam ſuper manus & genua præmittit. A quo etiam notandum hoc moris eſſe noſtri, ut ſi quam prophetiam, maximè ubi nihil habetur hiſtoricum, legerit in Dominicis noctibus, ad finem Lectionis non dicat, *Hæc dicit Dominus*, ſed, *Tu autem Domine*, ſunt etiam ad finem cujuſque codicis Prophetarum prælecti. Quòd ſi ad Reſponſorium notatur, hic quidem moderatè inclinat, & antequàm imponat, & poſtea finito verſu, vel *Gloria Patri*, ſi hoc eſt adjungendum, facit ante & retrò, & poſt verſum ad aliquod momentum inclinem ſe ſubmittit; & ſi cum altero eſt cantaturus, cantabit ad gradum.

CAPUT XXX.

De Sacerdote Hebdomadario.

QUod ſi ſcriptus eſt ut Sacerdotio fungatur, & in præſenti ſeptimanâ majorem Miſſam cantaverit, in ſequenti cantabit matutinalem. De his autem, quæ dicturus eſt, non pauca ſcire debet cordetenùs: primùm tres Collectas ad Cantica quindecim graduum ante Nocturnos, vel ſi pſalmodia protenditur uſque ad finem Pſalterii, Collectas ad ſuffragia Sanctorum, Collectas ad Officia Defunctorum, ad Pſalmos pro familiaribus, ad pſalmodiam *Deus auribus*. Uſus quoque noſtros multifariam ſcire debet, maximè in Collectis dicendis & ordinandis, ut in Conventu nihil unquam dicat quod ab illis ullo modo diſſideat; ſed quantumlibet ſciolus ſibi de omnibus videatur, tamen non debet dedignari frequenter & de ſingulis Cantorem & Armarium interrogare. Quoties autem fiunt duodecim Lectiones, poſt Nocturnos lecturus Evangelium non prius exit de Choro, quàm ex alternatione modulantium ventum fuerit ad illum verſiculum, *Pleni ſunt cœli & terra*; & tunc feſtinanter lavatis manibus ſacrarium intrat, veſtitus albâ, ſtolâ, & caſulâ: rurſùs verſiculo illo impoſito, *Per ſingulos dies*, procedit tenens ambabus manibus Evangelii textum reverenter contrà pectus reclinatum, quem etiam accedens ponit in medio Altaris, & cum incenſo facit ſuper eum Crucis ſignum ſemel tantùm; inclinat ſe ad orationem maximè Dominicam, ad ultimum verſum Hymni præſignati erigens ſe, tollit textum de altari deoſculato, & pergit ad analogium, contrà quem etiam Conventus totus converſus inclinat. Matutinis laud. inceptis non ſe movet à loco uſque dum dixerit cum aliis *Gloria Patri*, & aliquantulum inclinans, quibus ſe erigentibus ipſe quoque recedit: verùm ſemper accelerat ut priùs ſit reverſus in Chorum, quàm primus Pſalmus finiatur. De incenſo ita gerit, ut primum incenſet faciem Altaris, tunc ſuperficiem manu ter cum incenſo porrectâ per diverſa loca latitudinis Altaris, & ſemel in tranſverſum, tum retro dextrum cornu Altaris, tum cornu Altaris ſiniſtrum. Incenſat etiam Altaria quæque minora Choro proxima, & ſanctæ Crucis Altare, faciens per ſingula cum incenſo Crucis tantummodo ſignum.

In privatis diebus quoties bis comeditur, priuſquàm ſignum pulſetur ad Tertiam, manus lavat ex more, ut oratione factâ mox Sacerdotalibus induat ſe, & Tertiam imponat. Quâ finitâ, litania, quâ Miſſa prævenitur, cum decantata fuerit uſque ad illum verſiculum, *Omnes ſancti*, exit de Choro, ut caſulâ quoque veſtiatur, & cum proceſſione veniat ante Altare. Si dies eſt talis ut non niſi ſemel comedatur, veſtit ſe inter cantandum litaniam: & ſi proceſſio eſt agenda, ut in quartâ & ſextâ ferâ in quadrageſimâ, non ſe veſtit donec & ipſa jam facta fuerit. Accedens autem portat & ipſe Codicem miſſalem in brachio ſiniſtro; quo depoſito in dextrum cornu Altaris, inclinat ad orationem, maximè Dominicam, vel ſi magis voluerit, *Domine ſancte, &c.* Oſculatur Altare & textum Evangelii, dat locum Diacono ut ſtare poſſit prope dextrum cornu Altaris; ipſe quoque ſtat prope ſiniſtrum, & inclinis contrà Diaconum ſimiliter inclinem, dicit confeſſionem: cujus etiam forma ita eſt præſcripta, ut nec ad Miſſam, nec ad Horas quibus eſt dicenda, verbis amplioribus dicatur quàm hujuſmodi: *Confiteor Deo & omnibus Sanctis ejus, & vobis Pater, quia peccavi in cogitatione, loquutione, & opere, meâ culpâ; precor vos orate pro me.* Reſp. *Miſereatur veſtri omnipotens Deus, & dimittat vobis omnia peccata veſtra; liberet vos ab omni malo; conſervet & confirmet vos in omni opere bono, & perducat vos ad vitam æternam, Amen.* Ad Epiſtolam ſedet uſque dum ad Evangelium venitur. Diacono lecturo dat benedictionem hujuſmodi, *Deus miſereatur veſtri & benedicat*: eâ vice ſtat prope dextrum cornu Altaris, & Diaconus propè ſiniſtrum.

Hic autem non eſt indignum meminiſſe quâ diligentiâ, quoque ſtudio ad Dominici Corporis & Sanguinis conſecrationem & communionem ſerviatur. Primùm propter hoc ipſum factum eſt unum armariolum ante faciem majoris Altaris optime compaginatum, & intrinſecùs pannis veſtitum, in quo nihil aliud reconditur præter illa utenſilia, quæ neceſſaria ſunt ad Miſſarum ſolemnia duntaxat in Conventu generaliter agendarum, præcipuè duo calices aurei cum patenis diverſæ quantitatis; & duo corporalia, unum duplum, ſicut omnia corporalia ſolent eſſe ad privatas Miſſas, alterum ſimplum. Minor calix cum duplo corporali ad matutinalem Miſſam; major cum ſimplo ad majorem: nam & unum ſimplum ſemper jacet in ſiniſtro cornu Altaris, ut à prioribus noſtris accepi, propter hoc ut ad manum poſſit eſſe contrà periculum ignis: contrà quod, ſi fortè contigerit, creditur à multis quia multum valeat expanſum. Item ibi eſt patena mediocris & argentea, & aurea ſcutella habens operculum ejuſdem metalli, fabrili opere colligatum, ibi ampullæ ad ſubminiſtrationem vini & aquæ: nam & in ampullâ vinum ante conſecrationem ſolet offerri. Ibi urceus argenteus, cum appendicio ſuo ad manuum ablutionem: ibi linteola plura, ſine quibus ſingula ſacrata vaſa nec levantur, nec quoquam portantur. Ipſum autem armariolum habet in medio tabulatum, ut quæque ſacratiora ſint ſurſùm, cætera deorsùm. Ad initium Miſſarum reſeratur à majore Cuſtode Eccleſiæ, vel ab ejus ſuffraganeo qui tunc eſt Hebdomadarius: panno totum deſuper operitur, qui & patenam ibi ponit ſimul cum corporali; calicem verò cum linteolo in longum extento tenens, & deſuper operiens, portat ad amphoram aquæ quæ de ſtanno ſemper eſt in Eccleſiâ, & in loco competenti, ut omnes ibi calices laventur quorum uſus eſt ad privatas Miſſas. Ibi quoque tunc Hebdomadarius apportatum calicem diligenter lavat aquâ bis infuſâ: & ſi non eſt Sacerdos vel Levita, quærit ad hoc ſibi vicarium alterutrius ordinis, ut in quartâ feriâ & Sabbato: manu interiùs miſsâ benè quoque in fundo ipſe calix confricetur, ne fortè aliquantulum fœteſcat propter vini crebram infuſionem. Ergo lavatus reportatur & ponitur ſuper armariolum.

Subdiaconus anticipat lavare manus, ut ipſe ad miniſterium calicis ſit paratus: quem interim, dum Evangelium legitur, accipiens ſimul cum corporali

& patenâ, experitur ſi quid aquæ in illo remanſit inter lavandum, & effundit in caveam de latericiis tegulis factam in proximo Altaris, ſicut altera facta eſt paululùm remotiùs, ubi idem Subdiaconus, & alii ſubminiſtri, manus ſuper eâ lavent. Stat juxtà Sacerdotem, uſque dum Evangelium finiatur. Ponit corporale ſuper Altare, calicem retinens & patenam: comitatur Sacerdotem præcedentem aliquantulùm contrà Fratres ut à ſingulis offeratur: à Diacono aqua & manutergium apportatur, & reverenter exhibetur; qui lavatis manibus accedit ad altare, & ut hic propriè dicam de majori Miſſâ, utrumque corporale, vel quod in Altari ſemper jacet, vel quod Subdiaconus apportavit, accipiens expandit; pollicem tamen & indicem utriuſque manûs combinatos diligenter conſtringit, ne vel ipſa corporalia cum eis tangat, cum quibus hoſtias habebit in proximo tangere & tractare. Conſummatâ autem oblatione Sacerdos quoque lavat manus, cavens & ipſe poſtea ne aliud quid tangat cum digitis quibus corpus Domini eſt tangendum. Subdiaconus portat hoſtias ad Diaconum ſecùs Altare ſtantem & ſe operientem, ut de omnibus tres, quas voluerit, eligat ad conſecrandum: propter quod dimiſsâ patenâ cum hoſtiis ſuper altare, vinum, quod oblatum eſt, funditur ab ipſo quoque Subdiacono in alterum calicem, tantumque relinquit quod ſufficit ad conſecrationem. Ad quod tamen ipſe non miſcet aquam, quia ei nec vinum nec aquam licet infundere, ſed allatam ampullam aquæ ſimul cum calice dat Diacono, ut ille miſceat: dat & linteolum ut calix deforis tergatur diligenter, ne fortè quid vini vel aquæ exteriùs remaneat, & conſecratum pereat. Hac vice non cavet digitos Diaconus, quorum ſuprà memini, disjungere, qui has hoſtias jam poſuit quas erat poſiturus: & ſic tandem calice ſuper altare poſito, Subdiaconus cum patenâ & ampullâ revertens, patenam hoſtiis refertam ponit ſuper armariolum, & ampullam in loco quo ſolet reſervari: accipit aliam patenam argenteam intrà ſcutellam auream reconditam, & tergit ſtudiosè cum panno candidiſſimo prope armariolum propter hoc ipſum jugiter pendente, & poſtea cum linteolo honeſtè & reverenter involvit. Sacerdos interim calicem & hoſtiam incenſans, facit cum incenſo ſuper ambo tres cruces, & unum quaſi circulum, incenſat quoque contrà utraque Altaris cornua dextrum & ſiniſtrum, quantum manum extendere poſſit, pedibus tamen immotis: deinde reddit thuribulum Diacono, qui priùs incenſat Sacerdotem, & caſulam inter brachia versùs pedes trahit; poſtea faciem dextri cornu Altaris & ſuperficiem, ad extremum ſiniſtri faciem & ſuperficiem. Si verò dies feſtus adeſt, quinque illa Altaria principalia proxima incenſat, & illud ad quod Conventus ad Veſperos & Matut. laudes ivit, ubi & cereus tam in nocte quàm in die ardet.

Notandum autem quòd in omnibus diebus feſtis & Dominicis ad majorem Miſſam prædicta Altaria bis incenſantur; primò videlicet poſtquàm confeſſionem ſuam Sacerdos & Diaconus fecerint, & poſt offerendam. Similiter ad minorem, ad quam omnia ſigna pulſantur: privatis verò diebos ad majorem Miſſam ſemel incenſum offertur, ſcilicet, poſt offerendam, & ſolummodò ſacra oblatio, quæ eſt in Altari principali, incenſatur. Ad majorem Miſſam niſi ſigna pulſentur, nunquam incenſum offertur. Sciendum quoque quoniam ſive tres ſive quinque hoſtiæ conſecrentur, ſemper Sacerdos mediam accipit, & cum ipsâ cruces in calice facit, ipſamque dividit, & unam particulam in Sanguinem mittit, & ſeſe mediâ, Diaconũ reliquâ communicare non negligit.

Poſtquàm autem Diaconus Altare; vel ſi talis eſt dies, Altaria incenſaverit, & aliquem Epiſcopum, vel Abbatem, ſi fortè affuerit, juxta columnam ciborii ſtans, thuribulum Converſo reddit, à quo & incenſatur, & ibidem manet acclinis, ſicut ad primas & ultimas Collectas, donec *Per omnia ſæcula ſæculorum* à Sacerdote dicatur. Converſus quoque, ſi cappa eſt in Choro, priùs illum incenſat qui eâ indutus eſt; deinde incipiens à dextrâ eodem modo & ordine thuribulum portat, quo ſuperiùs diximus, his qui ſunt in Choro majori vel minori; hoc plus faciendo, quòd in minorem Chorum exit priùs ad dexteram, poſtea ad ſiniſtram. Poſt hoc verò exiens, incenſat eos qui extrà Chorum ſunt, incipiens ab introitu Chori in ſuperiori parte, deinde alios, ſicut ſunt in ſtationibus ſuis per circuitum, poſtremò ipſa minora Altaria quæ ſunt propè Chorum, quæ à Diacono non incenſantur, in anteriori parte, & in latere dextro, & in ſiniſtro, non tamen præſumit ſuper Altare manum extendere. Quòd ſi aliquem Sacerdotem Miſſam ibi cantantem offenderit, vel ipſe vel Diaconus, ſi competenter fieri poteſt, ei thuribulum offert, & ipſe Altare vel ſacram oblationem incenſans, ei thuribulum reddit, ipſeque Converſus vel Diaconus eum reverenter incenſare, & caſulam inter brachia aptare non negligit. Cum autem *Per omnia ſæcula, &c.* ante Præfationem audierit, ſi jam de incenſandis Altaribus redit, vel ſi ibi præſens eſt, ut in privatis diebos, vadit poſt Sacerdotem retrò: quòd ſi nondum redierit, mox ubi redierit, illud idem facit; & poſt Diaconum vadit Subdiaconus, manu ſurſum extentâ tenens patenam ita, ut prædictum eſt, coopertam, & in duodecim Lectionibus hoc ſolet facere unus miniſtrorum, manens poſt Subdiaconum. Qui quando illuc adveniunt, altiùs inclinant, erecti poſtea ſtantes donec *Sanctus* incipiatur.

Ex hinc Sacerdos omnia eodem modo agit, ſicut & in quâlibet Miſsâ privatâ deberent agi, ſicut aliàs dictum eſt. Unus autem miniſtrorum, qui ſemper duo debent eſſe, ſtans cum flabello prope Sacerdotem, ex quo muſcarum infeſtatio exurgere incipit, donec finiatur, eas arcere à ſacrificio, & ab Altari, ſeu ab ipſo Sacerdote non negligit. Diaconus verò, Subdiaconus, & unus miniſtrorum, ſi dies feſtus eſt, acclines poſtea manent orationi intenti. Notat tamen Diaconus quando Sacerdos ad *Supplices te rogamus* inclinatus ſe erexerit, & tunc quoque ipſe ſe élevans, ut quatuor digitos, quibus Dominicum corpus tangendum & dividendum eſt, abluat, in partem ante ſupradictum armariolum ſeceſſit. Et ſciendum quoniam non modò pro animâ ipſius, qui ipſum urceolum, quo aqua funditur, & concham, qua ſuſcipitur, dedit, ſed poſt offerendam tam ipſe quàm Sacerdos manus ibi abluentes hanc Collectam dicunt; *Oremus, Abſolve Domine animam famuli, &c.* tam altè, ut Converſi audientes, qui ſibi ſerviunt, poſſint reſpondere, *Amen.* Digitis ablutis & terſis ad locum, ubi primitùs acclinis manebat, redit, altiuſque inclinans continuò ſe erigit, poſtmodum ſtans & diligenter obſervans quando ad *Per ipſum & cum ipſo & in ipſo*, cruces ſuper ſacrificium facere incipiat Sacerdos. Quod mox ut viderit, moderatè ac pedetentim ad Altare accedens, priùs dextrum cornu Altaris, deinde dextrum humerum Sacerdotis oſculatur, & poſtea corporale cum duobus mediis digitis manûs dextræ ex unâ parte removet, & Sacerdos ex alterâ, cum quibus & calicem per medium tenens, parum ſublevare, dum Sacerdos dicit *Per omnia ſæcula, &c.* & poſtmodum ipſum corporale ex eâdem parte ſuperponere procurat, & tandem rediens poſt Sacerdotem in locum,

ubi erat priùs, iterum acclinis manet, donec ei à Subdiacono patena argentea offeratur. Qui Subdiaconus non priùs ſe erigit, neque de loco, in quo poſt Diaconum acclinis ex quo *Sanctus* inceptum fuerat, manſerat, recedit, donec à Sacerdote *Panem noſtrum* in oratione Dominicâ dicatur. Sed tunc inde ſecedens atque reverenter incedens, & linteamen de patenâ devolvens, manuque linteaminis parte involutâ ipſam tenens, partem ejuſdem linteaminis pendere ex induſtriâ facit, ut Diaconus quoque cum digitis mediis linteamine involutis eamdem patenam ab ipſo oſculante ei manum accipiens, finita oratione Dominicâ offerat Sacerdoti: propter quod tamen pollicem & indicem minimè disjungit, ſicut tunc non disjunxit quando calicem cum Sacerdote levavit. Et ſciendum quoniam quidquid de prædictâ patenâ privatis diebus Subdiaconus facit, hoc idem in duodecim Lectionibus ille miniſtrorum, qui poſt illum manere ſolet, agere conſuevit. Poſtquàm verò Diaconus Sacerdoti patenam obtulit, ibi propè dextrum cornu Altaris orationi, ſi ſapit, intentus manet acclinis, donec *Per omnia ſæcula ſæculorum* dicatur. Sacerdos verò accipiens eam cum mediis digitis punit ſuper corporale ad pedem calicis, & poſtquàm fregerit hoſtiam, unam particulam, ut mos eſt, mittit in calicem, duas ſuper patenam, & cum corporali tegit utramque. Priùs tamen ſuper ipſum calicem, digitos quibus tetigit, diligenter fricat & excutit, ne quid fortè inter frangendum de corpore Domini adhæſerit: manus interim cum ſummo ſtudio claudens & in modum crucis ad pectus applicans, vertit ſe primùm Diacono reverenter inclinanti, & caſulam cum duobus mediis digitis poſt pacis oſculum inter brachia aptanti, dans illi pacem, deinde Subdiacono, & in procedendo contrà Conventum, duobus miniſtris, ad ultimum veniens ſuper gradum ante analogium dat pacem cæteris, ſicut annotari decrevimus, in quinque præcipuis feſtivitatibus toto Conventui; cæteris autem diebus, exceptis Sabbatis in quibus eveniunt jejunia Quatuor-Temporum, & exceptis Miſſis jejunii in feſtivitatibus Quadrageſimæ, & reliquis jejuniis, in quibus feſtivitas duodecim lectionum evenerit, quando una hoſtia offertur, & pax uni à Diacono datur, ſic itur ad pacem: in tertiâ & quintâ feriâ, & Sabbato ſemper dexter Chorus vadit ad pacem, præter illum cui tale quid in nocte contigit: in ſecundâ, quartâ, & ſextâ ſiniſter: in Dominicis autem alternatim, ut alter Chorus in unâ, alter in alterâ, ſicut alternatim incipiuntur Hymni, Antiphonæ & Pſalmi, ab uno Choro in unâ hebdomadâ, ab altero in aliâ. Si verò reveſtiti ſunt in cappis ſeu in albis, ſecundùm dignitatem ordinis ibunt ad pacem, ut primo loco Sacerdotes ſicut ſunt priores, ſecundo Diaconi; tertio Subdiaconi, deinde alii ſicut ordo eorum exigit: ad extremum Converſi. Si autem aliqui ſunt in cappis, & aliqui in albis, & aliqui in froccis vel cucullis, ſecundùm dignitatem ordinis priùs ibunt hi qui in cappis, deinde qui in albis, poſtremò qui in froccis ſeu cucullis erunt, ſicut ſemper prout ad converſionem venerunt ſeu à Domno Abbate levati ſunt, ſive ſint Cantores, ſive Converſi.

Notandum tamen quoniam ſi Domnus Abbas propter aliquam rationabilem cauſam quemlibet Converſum levaverit in Capitulo & in Refectorio, tamen ordinem illum ſervabit; ad pacem verò & ad communionem, ſicut & ad aquam benedictam, ſecundùm ordinem converſionis ibit. Privatis autem diebus Converſus, qui ſervit de candelabro, quia albâ indutus eſt, primus poſtquàm Sacerdos ſuper gradum venerit, vadit ad pacem. At Sacerdote ad pacem procedente, Diaconus ad Altare accedit, duaſque Hoſtias, vel ſi plures fuerint ut in Dominicis, frangit & dividit, quas Sacerdos non diviſit, ſeparatim dimittit, ut de alterâ ipſe, de alterâ Sacerdus communicetur, & ſi, priuſquàm Sacerdos redeat, perfecerit, nuſquam tamen recedit. Mox verò ut Subdiaconus & Miniſtri pacem acceperint, manus abluere in piſcinâ, quæ eſt propè Altare, non negligunt, & Subdiaconus patenam auream ad Calicem pertinentem, quam poſuerat ſuper armariolum, reportat ponens ſuper Altare, & ſimul linteolum extenſum in tranſverſo Altaris, & poſtea ſtat inclinis inter reclinatorium & dextrum cornu Altaris uſque dum redeat. Qui rediens, & illam portiunculam Dominici Corporis, quam ſumpturus eſt, de patenâ accipiens cum duobus mediis digitis ſiniſtræ manûs, patenam modicè Diacono porrigit; & ſuper Calicem ipſam portiunculam ſumens, poſtea eumdem Calicem cum Sanguine Diacono dat. Unus autem de miniſtris tollit de armario ſcutellam, & allatam tenet cum linteolo ſuper reclinatorium, quod eſt, quantum puto, propter hoc maximè factum inter duas ciburii columnas: ſuper quod Diaconus mittit patenam in quâ Dominicum Corpus eſt diviſum; Calicem quoque cum Sanguine dat Subdiacono intrinſecùs ſtanti inter reclinatorium & Altare: qui tenebit eum reclinem, quàm conjunctiùs poterit erga ſcutellam: communicat primus Diaconus, & poſt eum alii forinſecùs accedentes, eo ordine quo & ad pacem, & præter illos qui in albis ſunt, antequàm communicent cuncti veniam petentes, & manum Sacerdotis oſculantes, tam illi quàm alii. Si quis autem, qui non ſit de illo Choro qui vadit ad pacem, voluerit communicare, facto inde ſigno illi qui ſervat ordinem, ſi Domnus Abbas vel Prior abeſt, accedit tam ad pacem quàm ad communionem in ſuo ordine. Debent autem ſinguli ita ſe ſcutellæ adjungere, ut ſi fortè inter ſumendum Corpus Domini aliquando vel de ore ſumentis, vel de manu porrigentis lapſum fuerit, niſi in ſcutellam cadere non poſſit. Quotquot autem ipſum Corpus ſacrum dederit, ſingulis Sanguine priùs intingnit. [f] Communicatis autem omnibus qui voluerint, & noviſſimè Subdiacono, qui ſemper per conſuetudinem ad majorem Miſſam communicare debet (exceptis his diebus in quibus tantùm una Hoſtia conſecratur) & communicato illo qui tenet ſcutellam, ſi Corpus Domini ſupereſt, vel ſi videtur ſibi, cooperitur ipſa ſcutella, & qui tenet eam non ſe ſubmovet inde quouſque Sacerdos Calice à Subdiacono recepto Sanguinem ſumat, vinumque, quo poſtea Calicem lavat, infuſum ſibi ab eodem Subdiacono in alterâ manu tenente ampullam, & cum alterâ involutâ linteolo, quod cum patenâ ſuper Altare poſuerat, ſublevante Calicis pedem. Diaconus percepta communione propè armariolum venit, ut cum vino in altero Calice digitos abluat quibus Dominicum Corpus tractavit, Miniſtro qui ſupererat, [g] cum ampullâ fundente vinum & pedem Calicis ſublevante; quos ablutos ad Calicem priùs tergit, de-

f *intingnit*] Addit alius Codex: Quamquam ſit contra uſum aliarum Eccleſiarum; quia quidam, maximè Novicii noſtri, adeo ſunt rudes, ut ſi Sanguinem ita ſeparatim acciperent, non remanerent ut non magnam aliquando negligentiam incurrerent.

g *ſupererat*] Idem Codex ſuprà laudatus: Servitor qui ſupereſt adhuc accedit cum altero Calice extrà reclinatorium, ut Sacerdos ſuper eum cum vino lavet digitos, quibus Corpus Dominicum tractavit, ſicut & Diaconus, mox ut communicavit, & antequam corporalia complicaret: & hoc vinum ut iterum Sacerdos ebiberit, quod ſecundo ſervitor infundit ut ille Calix utrimque abluatur.

inde ad faciem, & eam partem quâ terſit eâ applicat, & vinum ſumit vertens ſe ad Orientem, & tunc corporalia plicare, & librum miſſalem de ſiniſtro cornu Altaris in dextrum ponere, & ad locum illum, ubi prior Collecta eſt in proximo dicenda, vertere accelerat. Subdiaconus verò, mox ut Sanguinem ſumſit Sacerdos, & vinum quo poſtea Calicem lavit, accipit ab eodem Calicem, oſculans ei manum, & à Diacono patenam Calicis, ab Altari ſuperimpoſito uno corporali acceptam; nam alteram in locum ſuum ſuper Altare reponit: & tunc ille, qui tenet ſcutellam, altiùs eam elevans vadit ante ſiniſtrum cornu Altaris, & Subdiaconus remanet cum Calice ante dextrum, poſt Sacerdotem tenens cum alterâ manu Calicem; cum alterâ patena parumper ſublevatâ cum corporali. Verùm contrà ipſos totus Conventus pro reverentiâ Dominici Corporis & Sanguinis veniam petit.

Sciendum autem quoniam ſi quilibet poſt communem veniam ſupervenerit, nunc in Choro nunc extrà Chorum veniam petere debet. Similiter poſtquàm aliquis communicaverit præter hanc communionem, nunc ante Altare S. Joannis, nunc alibi veniam conſuetudinaliter petit. Mox autem ut ille Miniſter, qui ſupererat, digitis Diaconi vinum ſuperfudit, accedit extrà inclinatorium deferens Calicem alium minorem, cum ampullâ, quam ſubminiſtravit Diacono. & poſt ab eodem recipit, ut Sacerdos quoque digitos illos lavet, quibus Dominicum Corpus tractavit, quos nunquam in majoris Miſſæ Calice abluere licet. Quo ſumpto, iterum vinum in Calicem funditur, ut ipſe aliquantulum Calix abluatur, & à Sacerdote ſumitur. Et quoties tam Sanguinem quàm reliquum vinum ſumit, faciem verſùs Altare, vel verſùs Orientem vertit. Ille autem qui portat candelabrum, poſtquàm Sacerdos à pace redierit, continuò accipit, tenens hoc ante gradum ſublevatum, nec priùs deponit quàm *Per Dominum noſtrum* de primâ Collectâ poſt Communionem dicatur. Eadem horâ tam Subdiaconus cum Calice, quàm Miniſter cum ſcutellâ, diſcedunt. In duodecim Lectionibus duo Converſi cum duobus candelabris, & tertius tenens thuribulum, eodem omninò modo ante gradum & accedunt & diſcedunt, quo dictum eſt privatis diebus.

Sciendum verò quoniam, quoties non niſi una Hoſtia conſecratur ad majorem Miſſam, eadem Miſſa cum Calice minoris Miſſæ & duplo corporali cantatur; & tunc neque patena argentea exhibetur, neque prædicta ſcutella apportatur, neque Subdiaconus, poſtquàm Calicem poſt Communionem ſuſceperit, poſt Sacerdotem moratur, neque Converſus de candelabro ſerviens, poſtquàm Sacerdos poſt ablutionem digitorum vinum Calici infuſum ebiberit, ampliùs operitur. Sciendum quoque quoniam omni die Dominicâ Corpus Domini mutatur, & dum Sacerdos procedit ad pacem, recens conſecratum à Diacono in pixide corticâ reponitur; & quod præteritâ Dominicâ conſecratum fuerat, inde accipitur, & ab eodem Diacono dividitur, & Fratres inde communicantur; duæ tantùm particulæ illius Hoſtiæ, quam Sacerdos diviſit, non mutantur. Prædictam autem pixidem, dum Pſalmi familiares poſt Tertiam dicuntur, Diaconus de columbâ jugiter pendente ſuper Altare, benè cum linteolo de pulvere exteriùs terſâ, abſtrahit, & ſuper dextrum cornu ſub coopertorio ponit, Miſsâque finitâ in eodem loco reponit. Poſtquàm autem Subdiaconus & miniſter de ante Altare diſceſſerint, quiſque ſua ad armariolum reportat. Ubi quantumlibet clara dies ſit, tamen cum cereo utrumque, patena ſcilicet, ſuper quam Domini Corpus fractum fuerit, & Calix diligentiſſimè conſiderantur à Subdiacono & à miniſtro, ſi quid fortè vel minutiſſimum de Corpore Domini remanſerit; & ſi quid viderit remanſiſſe, hoc non manu tangere præſumit, ſed linguâ tantùm levat & ſumit, ſi talis eſt particula quam convenienter ſumere poſſit, ſi verò minutiſſima, & ut ita dicam, indiviſibilis & atomo ſimilis, hanc ſi poteſt cum vino in Calice, quo Sacerdos & Diaconus digitos abluunt, recipit, levat, & ſeparat. Quòd ſi ita adhæſerit, ut cum vino fieri non poſſit, in eo tamen loco, ubi eam viderit, linguam ſummatim applicat, & ſic eam ſumit; & poſtea iterùm patenam vino ſuperfundit: quòd ſi non & quantumlibet ibi remanſiſſe cognoverit, non tamen propter hoc eam vel ſemel diligentiſſimè vino ſuperfundere dimittat. & illam ſuperfuſionem primitùs ſumit; & poſtea eumdem Calicem, quo vinum illud patenæ ſuperfuſum ſumſerit, alio vino abluit, vel illud, quo Calicem majoris Miſſæ vel ipſe vel miniſter interiùs lavit, in illum Calicem immergit & ſumit: mittitque vinum alterum in Calicem majoris Miſſæ, & circumquaque intùs diluit, & ſi miniſter communicavit, illud ebibit, ſin autem, Subdiaconus: poſtquàm vinum patenæ ſuperfuſum ſumſerit, in eum Calicem, ſuper quem eadem patena fuſa eſt, immergit, ſicut dictum eſt, & ſumit; & tunc non alio vino eum abluit, niſi fortè tale quid poſtea ibi remanſiſſe cognoverit. Alter miniſtrorum cereum ad hoc diligenter inſpiciendum tenere, verùm linteola, quæ tria ſunt, debet ſtudio explicare. Quòd ſi Subdiaconus eſt in cuſtodiâ, Cuſtodis eſt cereum tenere. Duo autem linteola ſuper Calicem majoris Miſſæ, iterùm verò ſuper Calicem minoris debent poni, & ſic quoque ſacra vaſa in ſuo loco componi. Quòd ſi ante finem Miſſæ aliquando poſſunt perfeciſſe, non tamen propter hoc aliquis eorum debet diſveſtitum ire. Recedens autem Sacerdos ab Altari, dat miſſalem Diacono, ut ab eo reportetur: Stolam ipſe & manipulum complicat, niſi fortè ſint, ut in feſtis præcipuis, deaurata, tunc enim à Sacriſta ſunt complicanda.

In privatis diebus Hoſtiæ non conſecratæ portantur in Refectorio, ut his, qui eo die non communicaverunt, per manus Sacerdotis diſtribuantur: quod hoc ordine fieri ſolet, ut primùm tribuat de ipſis Hoſtiis Domno Abbati; poſtea, cum ſint menſæ tres, utrimque ad dexteram Domni Abbatis ad unam menſam, poſtea ad omnes in aliâ parte, & ſic iterum redit ad dexteram, & tribuentis manus à ſingulis oſculatur. Quoties benedicit, facit tres cruces contrà menſam principalem, contrà dextram & ſiniſtram: ad potum verò non niſi unam. Poſt Completorium priuſquàm tertia finiatur oratio, exit de Choro ad aquam benedictam, ut cum eâ ſingulos aſpergat.

De Miſſâ privatâ.

Et quia Sacerdotis ſemel memini, ut hîc adjungam quod adhuc ad eum ſpecialiter pertinet: ſi Miſſam privatam cantare voluerit, innuit Converſo cum ſigno crucis, quod eſt ſignum Miſſæ cantandæ; qui continuò ſequens illum ad locum ubi ſunt utenſilia recondita ad ſolemnia Miſſarum, accendit candelam, ponit in brachium ſiniſtrum veſtimentum Sacerdotale, & deſuper librum Miſſalem. Sacerdos autem primò manus ſuas lavat & tergit, mittit Hoſtiam cum cochleari ſuper patenam: Calicem quoque lavat & tergit: item in ampullas duas infundit vinum & aquam, quas & cum ſiniſtrâ lavat, & cum dexterâ Calicem ſuperpoſitis patena & corporali. Ita præcedens Converſum ſequentem, pergit ad Altare ubi eſt cantaturus, cujus linteum complicatum explicat; ponit Calicem & librum miſſalem. Ad veſtimentum non eſt improviſum nec

omiſſum, ot ad ſingula Altaria una ſit tabula io quâ ponatur; unumque lignum patulum & muro infixum, ſuper quod ponantur ampullæ: pendet quoque in promptu manutergiolum, ad quod Sacerdos, poſtquàm ſe induerit, lavatas tergit ſummitates digitorum, quibus neceſſariò tangit res ſacratas. Inde Miſſam incipiens, totum cantum, qui ad eam pertinet, pro edicto Patrum noſtrorum magis legit in directum, quàm unqoam audeat cantare. Cum ventum fuerit ad Offerendam, eodem ſtudio, & diligentiâ, quâ fieri ſolet ad majorem Miſſam, per omnia ſe habet. Finitâ Miſsâ cum redierit, nec tunc umittit iterum lavare ſummitates digitorum, maximè propter Calicem & propter corporale reportandum.

Ut adhuc ampliùs quid dicam de lege Sacerdotis: quando ſe veſtit ad Miſſam privatam, ſi pulſatur ſignum ad Horam regularem, & nondum ſtolam miſit ſuper collum, exuens ſe ceſſat à Miſsâ, & pergit ad Horam. Item interim, dum Hora cantatur, ſi Miſſam finierit, & ipſe venire potuerit in Chorum ante *Gloria* primi Pſalmi, Converſum dimittit cum veſtimento complicato, vel non complicato, & ipſe pergit ad Horam. At ſi venire noo poteſt, noo ſe movet à loco, nec Converſus, quouſque Hora finiatur. Hæ ſunt autem vices, in quibus Sacerdotes poſſunt hujuſmodi Miſſas abſque licentia cantare, qoutidie ante Primam, ſi tamen Prima non conjungitur Matutinis laud. ut ſæpiùs in hyeme; & poſt Capitulum uſque ad Tertiam; aut ſi Capitulum eſt, poſt Tertiam oſque ad Sextam, nec minùs poſt Nonam, ſi tamen Fratres noo ierint dormitum. Aliquando poſt Evangelium majoris Miſſæ aliquis Sacerdotum licentiam accipere poteſt, quod tamen reprehenditur, ſi frequentare voluerit & in uſu habere.

CAPUT XXXI.

De Subdiacono, & de Canteribus Gradualis, vel Alleluia, & Tractûs.

SUbdiaconus, qui lecturus eſt Epiſtolam, cum Sacerdote proceſſurus ad Altare, portat textum Evangelii, & ponit in medio Altaris: pulvillum non portat, niſi quando dies eſt ſolemnis. Inchoans Lectionem, vel eâ finitâ, ad utramque vicem facit ante & retrò ibidem ubi lecturus eſt. Similiter ſunt facturi qui cantant Reſponſorium, vel qui Alleluia, vel Tractum ſeu Canticum: quæ cum in privatis diebus non niſi communiter cantantur à Conventu, ſi quod feſtum ampliùs in ſeptimanâ evenerit, cantanda ſunt iterum ab ipſis à quibus & priùs in Dominicâ ſunt cantanda. Quòd ſi omnes in cappis vel in albis. Armarius innuit quibuſcumque voluerit pro eis cantandis: quod & facit ad Proſam, ſi quando eſt cantanda, & ad hanc ante & retrò nec in fine nec in principio eſt gerendum.

CAPUT XXXII.

De Diacono.

DIaconus Sacerdotem præcedere ſolet ad Altare; Sacerdote inclinante ſe ad Orationem, ipſe quoque ſtat ſimiliter inclinis: Sacerdote ſe erigente geritante & retrò. Accedit ot ſiniſtrum cornu Altaris oſculetur: pergit ſtare cootrà Sacerdotem, ut confeſſo confiteatur. Porrigit incenſum, quo impoſito porrigit qnoque ipſum thuribulum; quod poſtea recipiens, ſi eſt dies ſolemnis, incenſat Altaria quæque proxima Choro, & maximè ipſius Altaris principalis cornua poſteriora. Cum Sacerdos ſederit, ipſe qnoque ſedet. priùs tamen Sacerdote innuente, nec ſedet abſque licentiâ ejus. Finito Evangelio facit ante & retrò; item Miſſâ finitâ: ad cujus finem nunquam pronuntiat *Ite Miſſa eſt*, niſi etiam *Gloria in excelſis* cantetur.

CAPUT XXXIII.

De Servitoribus Eccleſiæ. & de his quos appellamus miniſtros Altaris.

SErvitores præter hoc muous quod thuribulum & candelabra deportant, diligenter obſervant ut nunqoam deſint ad obſequium Sacerdotis. Levitæ quotieſcumque ad ullum divinum opus ſe induunt, poſt conſummationem operis ipſa indomenta deponunt, vel ſi opus habuerint aquâ & manutergio, ſcilicet manus lavaturi. Item quoties alteruter illorum incenſat Altaria, unus de eiſdem ſervitoribus jugiter illos comitatur. De his, quos appellamus Miniſtros Altaris, quantum dicendum videbatur, ſuperiùs eſt præmiſſum.

CAPUT XXXIV.

De Lectore ad Menſam.

MEnſæ Lector finitis majoris Miſſæ ſolemniis veniens ad gradum facit ante & retrò; & ter hunc verſum toto Conventu reſpondente pronuntiat: *Domine labia mea, &c.* Proſequitur Sacerdos eâ benedictione: *Salvum fac ſervum, &c. Mitte ei auxilium, &c. Dominus cuſtodit te, &c. Dominus cuſtodiat introit. &c.* &, *Auferat à te ſpiritum elationis, &c.* Iterum qui lecturus eſt inclinat ut priùs. Ante refectionem generalem de pane vinoque prælibat, juxtà præſcriptum ſancti Benedicti. Ad Matutinalem ſeu majorem Miſſam poſt Evangelium accipiens librum in quo legendum eſt, & ſecedens in minorem Chorum intendit his quæ ſunt legenda. Quòd ſi juvenis eſt in coſtodiâ poſitus, tunc non ita ſecedit, & quantum legit, legit in ipſo Choro. Librum autem, in quo legendum eſt, in Refectorium portat & reportat qui legit ad ſervitores. Et qoia nullus Fratrum quidquam guſtaverit priuſquàm Lectio eſt impoſita, com primùm Domnus Abbas, vel Prior conſederit, petit Lector benedictionem, & accelerat Lectionem adoriri. Quâ finitâ veniens ad gradum, ante facit & retrò. In ſeptimanâ ſi uno die Lectionem intermiſerit, & alium Fratrem, ot pro ſe legat, rogaverit, non reprehenditor. Quod ſi ampliùs, niſi pro infirmitate, & hoc petens veniam in Capitulo monſtraverit, notatur.

CAPUT XXXV.

De Coquis.

HEbdomadarii Coquinæ ſolent qoatuor eſſe. Quod primò faciunt, pulſato ſigno ad Veſperos, & oratione factâ, pergunt in coquinam ut accipiant fabas: poſt Veſperos lavant eas diligenter aquâ ter infusâ, in quâ etiam faciunt eas pernoctare caldario benè cooperto. Ad Mandatum illis, qui in præteritâ ſeptimanâ ſervierunt, pedes Fratrum lavantibus, iſti præcincti linteo tergunt, & ad manus manutergia præbent. Cum quibus Mandato etiam expleto, venientes aote Domnum Abbatem ante faciunt & retrò. Item Matutinis laud. Dominicæ diei expletis, illi ad gradum venientes Deo gratias agunt pro conſummatione peracti obſequii;

hunc

hunc verſum ter cum totius Conventûs reſponſione dicentes: *Benedictus es Domine*, &c. Iſti idem obſequium facturi Dei adjutorium petunt, ita dicentes: *Deus in adjutorium*, &c. Pro illis dicendi ſunt à Sacerdote hi verſiculi, eaque Collecta: *Salvos fac ſervos*, &c. *Convertere Domine*, &c. Oratio, *Deus cui humilium*, &c. Pro iſtis, *Salvos fac*, &c. *Mitte eis*, &c. Oratio, *Miſericors, ac piiſſime*, &c. Prius etiam quàm Conventus, exeunt de Eccleſiâ ſanctæ Mariæ, ut ſe poſſint calceare, & interim deſcendere: dum ad neceſſarias eſt Conventus, manus & faciem lavant, faciunt, ut moris eſt, tres orationes in Eccleſiâ ſi intrare potuerint: ſi non, prope fores Eccleſiæ. Intrantes coquinam, iterum lavant fabas ternis aquis, & ſic mittunt ſuper ignem. A quâ caldariâ ferveſcente, & ſpumas bulliente, ejiciunt eas jugiter tranſverſo cochleari, ne forte ſimul cum ſpumis fabæ ſupernatantes projiciantur: quas etiam fundo ſæpiùs cum ipſo cochleare diverſant, ne cum mandi debuerint, ſapiant ignis odorem. Folliculas fabarum cum ſe incipiunt aperire, non permutunt eas ampliùs ſuper ignem: aquâ frigidâ ter iterum refrigerantur, & iterum cochleari huc & illuc diverſantur: mittuntur in unam cuppam habentem cooperculum optimè compaginatum: caldarium quoque, in quo coquebantur, intrinſecùs uſque ad nitidum lavatur; quo ablato ab igne, ſtatim aliud deponitur, ut aqua caleſiat, quâ ſcutellæ ſunt lavandæ.

Reclinatur etiam tabula ad parietem inclinata; quà cum lavatæ fuerint, pauſentur; & ipſa tabula tota deſuper infunditur aquâ, & tergitur ſcopis. Priùs tamen conſuetâ inclinatione præmiſſâ, ter rurſùs eumdem verſum dicunt quem in Choro dixerunt; ſed hîc adjuncto tertia vice, *Gloria Patri*, &c. & Dominicâ ſimul oratione, & verſiculo *Adjutorium noſtrum*, &c. iterum facto ante & retrò, ita demùm tabulam reclinant. Cantant omnes Horas regulares, more Canonicorum: Veſperos pro fidelibus Defunctis loco ſuo imponunt, & ad ultimum *Verba mea*. Effuſâ autem aquâ, quâ lavantur ſcutellæ, infunditur ea calefacienda, quâ olera ſunt coquenda. Quòd ſi Matutinæ laud. tardiùs explicantur, ut aliquando contingit, maximè in feſtis præcipuis, & æſtivalibus; & ſignum ad Primam maturiùs eſt pulſandum, tum priuſquàm quidquid aliud faciant, tabulâ reclinatâ Horas adorıuntur; quia ſi quid remanet quod ante Primam non cantaverunt, non eſt conſuetudo ut poſt Primam cantetur in manifeſto. Quâ finitâ, vel ſi eſt in privatis diebus poſt Evangelium Miſſæ matutinalis, olera caldario immittunt, & poſt Capitulum in altero fabas iteratò. Accipiunt lardum, quod cum aliquantulum coctum fuerit cum oleribus, exprimunt inde ſaginam fabis ſuperfundendam. Propter quod tamen ad majorem Miſſam non omnes ſe ſubtrahunt, ſed duo tantùm, & præcipuè ſi qui eorum ſunt idiotæ. Quibus ante debet à commiſſionibus indultum eſſe, ut aliquam privatam Miſſam poſſint audiviſſe. Hi, ut præmiſſum eſt, fundunt ſaginam; per hos fabæ iterùm caleſiunt. Hi ſi opus viderint, pro moroſâ coctione ut ampliùs aquæ ſuper olera mittatur, quantum mittere volunt, primùm in ſartagine calefaciunt, quia ea natura eſt olerum, ut de aquâ frigidâ ſaporem habeant deteriorem; unde caveatur etiam cum mittenda ſunt in caldariam, ut non de aliâ aquâ quàm de fervidâ laventur: ſale non condiuntur, nec adipe ſparguntur, niſi quando fuerint percoctæ, ne fortè morâ longiore ſal evaneſcat, & ſi unus coquorum voluerit, non eſt illicitum de ipſâ fabarum aquâ paululum prælibare, ut probet ſi benè ſint conditæ.

Ad mixtum non accipiunt niſi quod S. Benedictus præcipit, quartam partem panis abſque librâ ſuâ, & de vino ſimiliter. Finitâ Horâ poſtquàm fratres ſunt refecturi, celeriter exeunt ut fabas adminiſtrent; quas, qui prior eſt coquorum, ſi tamen benè noverit, & hujus eſt valetudinis, eum cochleario ad hoc facto mittit in ſcutellas, alii portant ad menſas à principali menſâ incipientes. De oleribus è contrario fieri ſolet, quæ ita adminiſtrant, ut à noviſſimo incipiant. Scutellâ poſitâ cum oleribus ipſis ante Domnum Abbatem, vel Priorem, qui eam appoſuit cum ſigno mediocri licentiam quærit à præſidente ut ſcillam ſonare jubeatur: quo annuente paululùm inclinat, & ad ſcillam veniens tamdiù ſonat, ut ſinguli deglutire poſſint quod habuerint in ore, ut ſint expediti ad reſpondendum benedictioni Sacerdotis: quæ etiam dum fit completa, iterum præfatus dapifer ſtat inclinis ante architriclinum, & tunc ante facit & retrò. Quod medium datur inter fabas & olera, per tres dies in ſeptimanâ, id eſt ferâ 2. 4. & 6. ſolet eſſe pitancia; alios tres, generale. Generale appellamus, quod ſingulis in ſingulis datur ſcutellis. Pitancia quod in unâ ſcutellâ duobus; verbi gratiâ, aliquando pro pitanciâ abſque ſcutellâ unum crudi caſei fruſtum, vel quatuor ova: pro generali ova quinque, & caſeus nunquam niſi coctus. Sed ſi quid eſt generale, à noviſſimo incipit adminiſtrari, & ad hoc ſcilla ſicut ad olera pulſatur. Pitancia verò à Priore; & de hac hebdomadarii coquinæ nihil omninò ſ[illegible] debito intromittunt, ſed Cellerarius quibus ad hoc innuerit, cum his eam adminiſtrat; quidquid eſt generale hoc apportant, & niſi piſces ſint, quos Cellerarius ipſe ſingulis eis ſuggerentibus apponit: ſi eſt alius generalis, adhuc unus eorum ſcillam ſonat, ſcutellas colligit eas ſolas in quibus fabæ oleraque ſunt adminiſtrata. Propter quas etiam unus jugiter remanet in coquinâ, qui eas ita recens ollitas abluat eâdem aquâ, quâ diluculo ſunt lavatæ, ne ſi comeſtorum reliquiæ induruerint, major fiat abluendi difficultas. Eadem diligentia eſt & de caldariis, ut & ipſa lavata ſint, ſi non ante, priùs tamen quàm ſervitorum refectio finiatur. Focus autem cautè cooperitur, ut in craſtinum vivus & non extinctus poſſit reperiri. Poſt Veſperos iterum fabis jam lotis, pro gratiarum actione dicunt præfatum verſum: *Benedictus es Domine*, &c. eodem modo quo alterum in matutino dixerunt. Sed ſi voluerint, duos dies expedire poſſunt de lavatione ſcutellarum, id eſt, in ſecundâ & ſextâ feriâ, in quibus pro conſuetudine Cellerarius contradicere non poteſt, ut eas in Cellarium diluculo portatas non commendet famulis ſuis propenſiore ſtudio lavandas. Veniente Sabbato, poſt Nonam vel poſt Veſperos ſcopant Coquinam, totas ſordes, quæ fiebant per occaſionem cinerum vel lignorum, foris oſtium accumulant, ut inde per famulos Cellerarii efferantur. Calefaciunt aquam ad Mandatum, & eo die differtur verſus, *Benedictus es Domine*, uſque dum Mandatum ſit peractum, & in Refectorio etiam Lectio collationis jam finiatur. In ſequenti autem Sabbato, cum noſter aquæductus limoſam habeat aquam, ſcopant utrumque lavatorium, vel quod eſt ad uſum Eccleſiæ, vel quod ad manus. Item ſcopant neceſſarias, fœnique reliquias per totam ſeptimanam expanſi congerunt ad murum: & ſi eſt tempus æſtatis, per totam illam ſeptimanam poſt Nonam in Refectorio aquam propinant.

LIBER TERTIUS CONSUETUDINUM CLUNIACENSIUM.

Pro Singulis Obedientiis.

PRÆFATIO.

BEATUS HIERONYMUS in quâdam ſuadet Epiſtolâ, ut qui Monachorum nomine cenſemur, rogati rarò accipiamus, rogantes nunquam. Quod cum legiſſem, ut fatear quod verum eſt, adeo mihi complacuit, ut de cætero ejuſdem verbi non poſſem immemor eſſe. Ut autem jam in alio loco memini, ſenior noſter Domnus Abbas cum me in Allemanniam direxiſſet, videlicet ad Regem, & ad quemdam Regalium divitiarum Pontificem, ita mihi contigit, ut aliquam paterer neceſſitatem utenſilium ad tam longinquam viam redeundi. Tamen non valens auferre à memoriâ quod ſuaſum erat à præfato Chriſti Philoſopho, & à meipſo adeo probatum, poſui ori meo cuſtodiam contrà ſtimulum neceſſitatis ingruentis, ut perſonæ prænominatæ nihil omninò à me rogarentur, cum ipſæ quoque nihil omninò ſuâ ſponte largirentur. Ita egens iteratò veni ad Domnum Abbatem Willelmum, qui me pridem diſcedentem à ſe adjuravit, propter quod à me non bene potuit omitti, ut ad eum peractâ legatione, quæ mihi erat injuncta, non redirem: & tunc quid fecit ille? Certè non exſpectavit ut à me quidquam rogaretur; nam quibuſcumque opus habueram, priuſquàm vel ſcirem, omnia providit, & vellem nollem, accipere coegit. Qui adhuc etiam inſuper impendebat omnia officia & obſequia, quæ ille potuit ullo modo æſtimare ut pertinerent ad charitatem, ita ut gravatus cæſarie, cum tonſorem quærerem, non me pateretur alium habere quàm ſeipſum. Item, ſacram Hoſtiam oblaturus, cum ad hoc miniſtrum quærerem, non me pateretur habere alium quàm ſeipſum. Sine fuco imitatus eſt illum, qui venit non miniſtrari, ſed miniſtrare. Amator autem præcipuus totius religionis, & ſpecialiter noſtro deferens Monaſterio, quaſi alteri paradiſo, enixiùs me rogavit, ut quod adhuc de uſibus noſtris ſupereſſet, perorarem. Cui ut morem gererem, ita tertiò ſum exorſus.

CAPUT PRIMUM.

De Electione Abbatis.

DE Officiis, vel, ut regulariter loquar Obedientiis nondum quidquam dixi. Quarum omnium cum ſit principalis obedientia Domni Abbatis, ſit etiam principium relationis noſtræ. Igitur ejus ipſius primitiva electio hoc habet quaſi legitimum ſempiternum, quòd ad eam nullus mortalium ſolet intereſſe, præter eos ſolos qui ſunt Eccleſiæ noſtræ profeſſi. Et Domnus Abbas, quem Deo donante habemus impræſentiarum, cum Prior eſſet loci noſtri, in ipſo loco & generali Capitulo proſtravit, & de Canticis quindecim graduum ſeptem prima decantavit; & ipſe Domnus Prior aliis adhuc proſtratis ſe levans, hanc dixit orationem, & ſine oratione Dominicâ, *Adſumus Domine ſancte Spiritus: adſumus peccati quidem immanitate detenti, ſed in nomine tuo ſpecialiter aggregati; veni ad nos, & eſto nobiſcum, & dignare illabi in cordibus noſtris: doce nos quid agamus, quò gradiamur; & oſtende quid efficere debeamus: ut te auxiliante tibi in omnibus placere valeamus. Eſto ſalus & ſuggeſtor & effector judiciorum noſtrorum, qui ſolus cum Deo Patre, & ejus Filio nomen poſſides glorioſum. Non nos patiaris perturbatores eſſe juſtitiæ, qui ſummam diligis æquitatem, ut in ſiniſtrum nos non ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris vel perſonæ corrumpat; ſed junge nos tibi efficaciter ſolius tuæ gratiæ dono, ut ſimus in te unum, & in nullo deviemus à vero: qualiter in nomine tuo collecti, ſic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis juſtitiam, ut & hic à te in nullo diſſentiat ſententia noſtra; & in futuro pro benè geſtis conſequamur præmia æterna.* Reſponſum tandem eſt ab omnibus, *Amen.* Quos iterum confidentes Prior compellavit, ſuadens ut de præſentiâ divinæ gratiæ nequaquam dubitarent. Pollicitus eſt quoque pro parte virili, quod nullum omninò eligere poſſent, etiam ſi minimus eſſet puerorum, cui volens & abſque omni typho non obediens eſſet.

In electione S. Hugonis in Abbatem quid acciderit refertur.

Beatus autem Pater Odilo rogatus in extremis ſuis, quid ſibi de ſucceſſore videretur, non acquievit ad hoc quemquam nominare. Tantùm cum aliquot perſonarum majorum & probabiliorum, excepto Priore, meminiſſet, probavit, ut quiſquis per illas eligeretur, cæteri omnes conſentirent. Quod cum relatum eſſet eâdem vice in Capitulo à quodam Fratre, qui ad finem S. Patris interfuit, per hanc occaſionem Priore diſſimulato compulſus eſt clauſtralis Prior à cæteris majoribus, ut primus ediceret quid ipſe de gerendâ electione ſentiret: ille autem hæſitans & tandem ratione convictus, cum mutare non poſſet ut non reſponderet, Priorem nominavit & elegit. De cætero nullus erat qui contrà hanc ſententiam vel aliquantulùm mutiret, ſed omnes pariter laudaverunt. Solus electus reclamavit, aſſerens quòd non ſibi benè conſuluiſſent, & ſi ſcire poſſent qualis futurus eſſet, quem jam probaviſſent hujus auſteritatis eſſe, hujus præſumptionis in officio minore, ut jam pleraque præſumſiſſet ab aliis Prioribus minimè præſumpta. Inter verba lacrymæ quoque ſatis fundebantur, ut planè daretur intelligi juxtà elogium cujuſdam, non aliud eſſe promptum in linguâ, & aliud in pectore clauſum. Sed quidquid ipſe prætenderet nihil obtinuit & impoſitâ Antiphonâ, *Confirma hoc Deus*, cantatus eſt Pſalmus LVII. *Si verè utique*, alta voce: & ſic de-

ductus eſt in Eccleſiam. Sequuta eſt oratio, *Actiones noſtras quæſumus Domine.* Statuitur electus in loco Abbatis, & imponitur Hymnus, *Te Deum laudamus.* Ad cujus ſecundum verſum ſinguli Fratres veniam petentes inceperunt eum oſculari. Talis erat ambitio primùm eligentis ad prærogativam electionis, talis electi ad obtentum prælationis. Quod cum non ſit indignum memoriâ poſteritatis, ipſis quoque poſteris utinam libeat imitari.

In ſequenti autem die Biſontienſis Archiepiſcopus invitatur ad Capitulum, nuntiatur ei de electione; rogatur ut electum pro ſolemni ritu ipſe benedicat: annuit voto ſe impenſiſſimo facturum, non quod rogaretur, ſed quidquid à quolibet ipſorum parviſſimo præciperetur. Ter autem omnes adjuravit Epiſcopali authoritate, ut ſi cui aliud quid de perſonâ, quæ erat electa, videretur, pro quo ejus ordinatio non poſſet eſſe legitima & ſecundùm Deum, non taceret, nec diſſimularet, ſed præſens ad medium proferret. Sed cum neminem inveniſſet, quidquid hujus generis dixiſſet, electione in præſentiâ Archiepiſcopi rursùm confirmatâ, rursùs quoque impoſita eſt Antiphona, *Confirma hoc Deus*, cum Pſalmo ſupradicto in Eccleſiam procedendo. Tertiâ verò die ſcilicet in Cathedrâ S. Petri, cum electus benedicendus eſſet, indutus eſt albâ, ſtolâ & cappâ, & Archiepiſcopus ſimiliter, & adhuc duo Abbates qui electum ad benedicendum in manibus deduxerunt. Stratis ante Altare tapetibus ſimul omnes quatuor proſternunt ſe ad orationem: cantatur breviter Letania; poſt noviſſimum *Kyrie eleiſon*, & poſt Dominicam orationem, ſurgit Antiſtes dicturus, *Et ne nos inducas. Salvum fac ſervum. Mitte ei. Hic accipiet benedictionem. Domine exaudi. Dominus vobiſcum.* Inde ſequitur benedictio: quâ ſolemniter expletâ iteratò pſallitur Hymnus, *Te Deum laudamus*, &, ſicut priùs, recens benedictione confirmatum oſculantur. His breviter de Domno Abbate exempli gratiâ prælibatis, repetatur, quod ſine perſonali acceptione generaliter pertinet ad ordinem noſtrum, & ad illum quicumque officio functus fuerit Abbatis.

CAPUT II.

De Domno Abbate.

DOmno Abbati, in omni loco, ut dignum eſt, ſingularis reverentia defertur. Primùm in Eccleſiâ quoties Antiphonam impoſuerit, & poſt impoſitam inclinaverit, omnes quoque contrà illum inclinant. Quamdiù eſt in Conventu, nunquam omittitur ut non ad octavum Reſponſorium notetur, & ad duodecimam Lectionem, ad quam incedenti & recedenti univerſi aſſurgunt, quamquam ante faciat & retrò, non ad gradum ut alii, ſed prope ſedem ſuam, medio tamen Choro, ne diutiùs ſtare debeant propter illum. Propter quod etiam finitâ Lectione ſursùm ipſe moratur, ne deſcendat, uſque dum ſurrexerint ad *Gloria Patri* Reſponſorii cantati. Si quando Reſponſorium cantatur ad gradum, quod ipſe cantat, cantat in ſede ſuâ cum Concentoribus ſuis accedentibus ad eum, & ſtantibus retrò. Sed & Cantor ſemper ad eum venit priùs prænuntians quæcumque Antiphona eſt ab ipſo imponenda, vel quodcumque Reſponſorium cantandum. Ad eum quoque pertinet ut legat Evangelium quoties poſt Nocturnos eſt legendum: ad Cantica quoque Evangelii quæ dicenda ſunt vel ad Matut. laudes, vel ad Veſperos, non alius Antiphonas imponit. Sacerdos oblaturus incenſum, priùs ad eum portat, ut per ejus manum in thuribulum mittatur. Item Diaconus ante Evangelium, & qui tenet Chorum ante Offerendam. Qui ei tale quid in manum dederit, vel ab eo recipit, ſive in Eccleſiâ, ſive extrà, manum oſculatur. Qui ipſum fuerit oſculatus, excepto ad Miſſarum ſolemnia, & ante & poſt veniam petit. In medio Dormitorii eſt lectus ejus prope murum: ſonitum ipſe facit quo Fratres diluculo ad ſurgendum excitantur: quòd ſi fortè aliquando ita obdormierit, ut priùs pueri ſurgant quàm ille, tunc non tam vehementer adoriuntur legere ut ſolent, ſed ſubmiſsâ voce, ne graviter ab eis excitetur. Quòd ſi in coquinam ad ſe calefaciendum venerit, & Fratres occupatos Pſalmodiâ offenderit, pro ejus reverentiâ uſque dum exierit, omninò conticeſcunt. Signum quod pulſatur, & quo dimiſſo hora inchoatur, non dimittitur uſque dum ipſe veniat, vel ejus Vicarius, ut non exſpectetur. Ad Capitulum vel ad collationem fratribus jam conſidentibus, ſi ipſe intervenerit poſtea, non modò aſſurgunt, ſed etiam de ſcabello pedes ad terram ſubmittunt. Nomen ejus in brevi quoties recitare audierint, ſi præſens eſt, omnes, ſicut & ipſe, inclinant. Si de quâ conſuetudine dubitatur, quidquid inde definierit, de cætero quaſi pro lege tenetur: & ſibi ſoli eſt repoſitum, ut quemlibet Fratrem mittat, ut aiunt, in culpam graviorem.

CAPUT III.

De graviori culpâ, & aliis generibus culparum.

FRater qui talem incurrerit lapſum, venturus in Capitulum primùm pedes nudat, capicium quoque ſtaminei ſui dextrâ lævâque inciſione laxatur, ut brachia poſſit per ipſum extrahere, & ſtamineum cum manicis circà femoralia ligare: accipit virgarum manipulum manu dextrâ, & in lævâ cucullâ decenti complicatione pendente, unus eum Frater ad hoc deſtinatus antecedit. Ita veniens ad conſpectum Domni Abbatis, virgis cucullâque ante ſe poſitis, veniam petit. Juſſus ut ſurgat, ſedet ad terram, & cucullam ſuper genua ponit. Verberatur quantum fuerit viſum Domno Abbati. Poſt hæc jubet eum exire ad induendum: rediens iterum ſe proſternit. Cum audierit à Domno Abbate, abite, protinùs caput flectit, capellum induit, ad deſignatum talibus locum tendit, ibi manet, dormit, comedit, quando & quod præcipit Domnus Abbas. Ad omnes Horas prope oſtium Eccleſiæ ſtat capellatus, donec *Kyrie eleiſon* incipit Conventus; tunc capello abſtracto, ſolo tenùs ſe proſternit, nec ſe levat uſque dum Hora ſit finita, & ſi Fratres debent exire, uſque dum omnes potuerint exiſſe; & cum intraverint Capitulum, tunc etiam ſimiliter ſe proſternit, & poſtea ad familiarem manſiunculam recedit. Ad ambas Miſſas manet in angulo Capituli qui Eccleſiæ proximus adhæret. Nullus ei loquitur, nec etiam ille qui miniſtrat ei. Cibus non benedicitur qui ei defertur. De induſtriâ tamen Domnus Abbas facit aliquos ſeniores ad eum accedere, qui eum exhortentur, ut quidquid ei correctionis temporaliter fuerit irrogatum, totum habeat gratum, ut divinæ gratiæ poſſit reconciliari. Cum viſum fuerit, concordat etiam cum eiſdem ſenioribus, ut pro reo, & pro ejus abſolutione in Capitulo veniam petant, maximè ſi verè ſunt experti, & teſtari poſſunt quod pro reatu ſuo ſpiritum habeat contribulatum, cor contritum & humiliatum: annuit communi Fratrum aſſenſu, ut faciat cum illo miſericordiam, & mittit pro eo. Nudat ſe eodem modo quo priùs, & cum veniens vapulaverit, Domno Abbate jubente induit ſe cucullâ. Ad cujus pedes, & pedes univerſorum à

maximo uſque ad minimum provolvitur ſingulatim. Iterato petit veniam, jubetur exire ad ſe induendum; indutus & reverſus adhuc etiam petit. Jubetur ut ultimus ſedeat, ultimus ſit cunctorum in omni loco. Interim non communicat, non venit ad pacem, non oſculatur textum Evangelii in Eccleſiâ; nec ad Lectionem, nec ad cantum, ut alii, notatur; à ſolâ coquinâ, ut in eâ ſerviat, & ad Mandatum, non prohibetur. Poſt ſingulas horas finitas veniam ita ſuper genua petit, nec tamen propter hoc converſus ad Altare. Si quando Fratres univerſi albis veſtiuntur propter aliquam feſtivitatem, vel etiam proceſſionem, tunc & ipſe veſtitur. Ad extremum ſi Domnus Abbas viderit id expedire, talemque ejus eſſe humilitatem quæ id mereatur, interpellatus à Fratribus in Capitulo vocat eum ut ſurgat, & in medium veniat; quo petente veniam conſuetam, loquitur conſentanea & cauſæ & perſonæ, & reddit ei priſtinum ſtatum ne ampliùs ullam patiatur ab aliis ſeparationem: cadit ad pedes ejus, ſicut etiam quilibet alius, tam in Eccleſiâ quàm in Capitulo, ſi quando promoverit altiorem.

Sunt autem apud nos adhuc & alia genera correctionis, quæ non ſolùm Domnus Abbas facit, ſed etiam, ſi opus fuerit, Prior. Nam & inde audivi quàm veriſſimè Domnus Abbas dixit, nullam Monachorum Eccleſiam dehoneſtari propter quod tale quid committitur ab aliquo Fratre, ſed hoc eſſe quod planè faciat ad ignominiam noſtram, ſi quid nequiter committitur, & abſque dignâ emendatione dimittitur. Idcircò ſi quis de aliquo flagitio divulgatur in populo, in præſentiâ quoque populi ſolet emendari, ut qui ejus exceſſum cognoverint, cognoſcant etiam ejus emendationem. Cunctis enim, qui videre voluerint, videntibus, & maximè in mediâ plateâ, nudatur, ligatur, & verberatur. At ſi culpa non eſt de gravioribus malis, ſed fortè ut cum aliquo inhoneſtè & irreligioſè in audientiâ popularium contenderit, pro hujuſmodi, cum venerit dies Dominicus, ad initium Miſſæ matutinalis, concurrente populo ad Eccleſiam, ſtat ipſe nudis pedibus propè fores Eccleſiæ, & unum codicem grandiuſculum tenet in manu: capellum non induit ut ab omnibus poſſit agnoſci: nemini loquitur intranti vel exeunti; unus famulus ſemper eſt juxtà illum, qui dicat interrogantibus propter quid talis ei pœnitentia ſit injuncta. Nec recedit inde uſquequo Miſſa finiatur. Quòd ſi quis inobediens, & rebellis aliquo modo fuerit, Fratres ex more non exſpectant ut præcipiatur comprehendi; ſed ipſi continuò irruentes comprehendunt, & cum fuerit comprehenſus, faciunt quod viſum fuerit, mittentes eum in carcerem vel in bogas. Carcer eſt talis in quem cum ſcalâ deſcenditur, nec oſtenditur oſtium, nec feneſtram habet. De bogis quoque ſunt quædam leviores, quædam graviores, ita ut incluſus nec in dormitorium aſcendere poſſit, & tunc aliàs in cuſtodiâ dormit. Quòd ſi ipſe qui eſt inobediens, inobedientiam ſuam foris Capitulum aliquo modo monſtraverit, ſtatim tabula percutitur ut in Capitulum conveniatur. Potuit & tale quid tam præſumptuoſum in præſentiâ loqui Domni Abbatis, vel Prioris, ut propter hoc etiam non minùs tabula percutiatur, quod eſt ſignum conveniendi.

Ubicumque autem contigerit ut colloquantur Domnus Abbas & aliquis Fratrum, & ſi Frater ſenſerit contrà ſe iram & indignationem Domini Abbatis, continuò veniam petere toto corpore proſtratu non moratur. Nullus etiam tranſit ante ipſum ubicumque ſit locorum, qui non altiùs inclinet. In Eccleſiâ poſt illum ſtat ipſe Sacerdos albâ, ſtolâ, vel etiam cappâ indutus. Ad proceſſionem, ad quam veſtiti ſunt albis qui ad majorem Miſſam ſunt ſervituri, ante omnes incedit: ad hanc autem, ad quam univerſi albis induuntur, ſicut in majoribus feſtis, ipſe indutus eſt cappâ. In Conventu ſi laneam cappam portaverit, vel capellum induerit, quoties ſibi libuerit, in illo ſolo nemo reprehendit. Ad ejus obſequium intraturi Refectorium tenet unus Frater conchas, & manutergium alter: Clericis & peregrinis Monachis, qui ita vadunt pedites abſque jumento, nobiſcum in Refectorio comeſſuris aquam ad manus miniſtrat; taleſque ſedent ad menſam principalem. Si quid cuiquam mittere voluerit de Refectorio, hoc nec Priori licet, nec alii quàm ſibi ſoli. Solet quoque ſi eſt in domo infirmorum, inde dirigere in Refectorium charitatem ſuam ad quemlibet Fratrum; & Frater recipiens non negligentiùs quàm ſi in præſentiâ eſſet, inclinat. Poſtquàm nox fuerit, portatur ante illum per omnia laterna, tam in Conventu quàm extrà uſque ad lectum; ubi qui portat, obſequitur illi & ad collocandum & ad levandum. Si quoque in Refectorium iturus, mixtum accepit, Lectionem ad menſam debet habere: ſi jejunus revertit ad hanc Horam, quâ Fratres accepto jam poſt Sextam prandio, ſecundò poſt Veſperos cœnaverint, nequaquam cum eis eâ vice comedit, ſed ſuſtinet uſque dum ſurrexerint, quia nunquam qui ſedet ad ſcillam debet remanere, quin Conventu exeunte ipſe quoque exeat. Romam quoque profectus, vel in aliis terris aliquamdiù moratus, cum redierit, recipitur cum proceſſione omnibus albis generaliter indutis; & ſi ipſo die competenter fieri poſſit, aliquâ regulari horâ finitâ prævenit omnes de Eccleſiâ exituros, propè cujus oſtium ſtat aut ſedet, & Fratres ſecum, qui ſecum erant in viâ, & ſingulos exeuntes oſculatur: at ſi in illo die non erit oportunum, in ſequente poſt Capitulum ſimili modo facit; & pro ejus adventu habent in Refectorio generale piſcium, vel quod tantumdem valeat, & pigmentum. Fratres qui in ejus vadunt obſequio in viâ, jugiter obſervant ut ſemper ſint cum illo in proximo, ne aliquando eis eveniat deeſſe quando Horam quamlibet cantaverit regularem: & ſi quis eorum fortè non interfuerit, poſtea non eam cantat abſque licentiâ ejus. Quoties per ullam villam majorem tranſierint, ex more nunquam obmittunt induere capellum.

Sed ut adhuc redeam in Clauſtrum; omni die Dominicâ Domnus Abbas notatur cum pueris ad Mandatum: qui etiam, quod alii non faciunt, pauperi, cui lavat pedes, tribuit duos denarios, & pueris tribuit ut per ipſos pauperibus tribuantur. Eorumdem puerorum confeſſionem quoties fuerit recepturus, Magiſter illorum adducit illos uſque ad introitum Capituli, & ibidem exſpectat redituros. Ad coquinam cum notatus fuerit, cum aliàs non ſint niſi quatuor, ipſe quintus ſolet eſſe. Ad duas ſeptimanas in anno, ſi eſt præſens & incolumis, non alius unquam ad majorem Miſſam quàm ille notatur, id eſt, Dominicæ Reſurrectionis & Pentecoſtes: in quibus tamen alius Sacerdos Cantore injungente dicturus eſt Horas regulares, præter Veſperos & Matutin. laudes, & in Refectorio daturus eſt benedictionem; qui & in illis præcipuis diebus ad Canticum Evangelii non viliore quàm Domnus Abbas veſtitur, ut cum eo ſimul Altaria incenſet, & collectaneum teneat ad ejus obſequium. Natalis Domini, & Natalis Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, Aſſumptio B. MARIÆ, quia non magis in die Dominicâ quàm in aliis occurrit, tunc Domnus Abbas non notatur ad ſeptimanam, ſed ad ſolos illos dies utriuſque feſtivitatis. Quotquot etiam per totum annum majora ſunt feſta, ſi potuerit &

Iterùm de Abbate.

voluerit, cantat Miſſam majorem, Veſp. & Matut. laudes.

CAPUT IV.

De Priore Majore.

QUando Prior eſt ordinandus, primò Dominus Abbas habet inde conſilium cum Senioribus Congregationis; poſtea refert ſententiam ſuam in Capitulo, & quod ſibi videtur laudant omnes. Quem elegerit, ſi ſapit, veniam petit, excuſat ſe ad munus hujuſmodi non idoneum eſſe. Ad ultimum ſi juſſa & injuncta fuerit obedientia, non aliud facit quàm inclinat: ſedet ad ſiniſtram Domini Abbatis. Cum ſurrexerint de Capitulo, eunt cum pſalmodiâ ſolitâ in Eccleſiam majorem; ubi novus Prior ante facit & retrò, hunc verſum dicendo ter: *Deus in adjutorium*, & totus Conventus ſimiliter reſpondet. Dat ei ipſe D. Abbas hanc benedictionem: » Tuam clementiſſime Pater, omnipotentiam ſupplices deprecamur, ut infundere digneris ſuper » hunc famulum tuum, quem tuo ſervorumque » tuorum ſervitio mancipamus, ſpiritum ſapientiæ » & intellectûs, diſcretioniſque; dona ei in hac » domo tuâ ita agere, & injunctum ſibi officium » ita adminiſtrare, ut & tibi placere valeat, & utilitatem ſervorum tuorum te auxiliante perfectiſſimè expleat, propter quod & hîc & in futuro » ſæculo mercedem laborum ſuorum in conſortio » Sanctorum tuorum à te piiſſimo largitore percipiat. » Per Dominum, &c. » Quando autem eſt abſolvendus, mittit cum illo verſum: *Benedictus es Domine qui adjuviſti me*, & tali abſolvitur benedictione.

» Domine JESU-CHRISTE, qui piè ſervientibus » tibi munificus retributor, & clemens largitor exiſtis, hunc famulum tuum qui in hac domo tuâ » nunc uſque fideliter laboravit, & tibi ſervisque » tuis obediendo, injunctum ſibi te auxiliante ad» miniſtravit officium, laboribus ſuis ſolitâ benigni» tate reſponde, & pius remunerator appare; & » præſta ut in hac domo jugiter permaneat, & mer» cedem laborum ſuorum & hîc & in retributione » juſtorum à te percipiat, largitoremque omnium » bonorum te eſſe pleniſſimâ fide non dubitet.

Ab horâ autem ordinationis ſuæ poſt D. Abbatem de omnibus rebus & cauſis, quæ ad Monaſterium pertinent, & ſpiritualibus & temporalibus ſe intromittit. Quotquot ſunt qui ullam habent obedientiam, ad eum reſpiciunt omnes; & ſi tale quid præcipuum acturi ſunt, nequaquam agunt omnes abſque conſilio ejus & nutu. In choro ſiniſtro ſtat ſupremus, & in Refectorio ad ſupremam menſam quæ eſt ad dexteram D. Abbatis; & ſi ille non adeſt, ſedet in ejus ſede. Sed extrà Refectorium nulli mortalium licet ei quidquam mittere. In Refectorio cui voluerit, & quid voluerit, mittit. Si perrexerit ad Obedientias quæ ſunt propè & in circuitu, ducit ſecum duos Fratres & unum ſaginarium: ſi longiùs, verbi gratiâ, in Provinciam, duos ſaginarios, & tres Fratres, ex quibus unus eſt ſuper ejus famulos & ſuper ſarcinulas ejus, & veſtimentum Sacerdotale cum quo ſit argenteus calix. Quamdiù autem fuerit in Clauſtro, nec Capellanum habet, nec veſtimentum aliud ad Miſſam, quàm & quilibet alius Frater, nec aliquid privatæ pecuniæ. Quando deforis fuerit reverſus, quidquid hujuſmodi apportat, totum Camerario reddit, nec minùs ab illo recipit quidquid habuerit opus. Quod ideo à noſtris Patribus præcautum eſt, ne illa mala peſtis proprietatis, & præſertim Monachis adeo periculoſa, aliquo modo ſubrepat. Verùm cum per omnia, ut præmiſſum eſt, vicem habeat D. Abbatis, maximè abſentis, neſcio unde contigerit, quòd in ſolâ Eccleſiâ amiſit eam, ita ut ego viderim quòd Præcentor & Armarius necdum quidem admodum ſenex, duodecimam habuerit Lectionem, & Prior octavam. Quod qui voluerit laudet, à parvitate adhuc meâ ignoratur quomodo ſit dignum ut laudetur.

CAPUT V.

De Decanis qui ſunt Villarum proviſores.

EJus autem ſuffraganei ad temporalia ſunt illi Fratres qui ſunt Villarum proviſores, & quos pro more noſtro Decanos appellamus. De quorum, ut ita dixerim, lege ſingulari ut aliqua referam; quotquot ſunt quorum Obedientia ſita eſt infrà unius dimidiæ dici, omni Sabbato ad Monaſterium ante Veſperos occurrere debent: nam nec lavatos pannos induunt, nec ſe aliquando radunt præter ibi. Eo die, quo veniunt, poſt ſingulas Horas ante faciunt & retrò, & dicenda eſt pro eis una ſimul cum verſiculo Collecta, *Omnipotens ſempiterne Deus noſtrorum temporum vitaque diſpoſitor*, &c. *Quæſumus omnipotens Deus, ut his famulis*, &c. *Omnipotens ſempiterne Deus, miſerere his famulis*, &c. & verſiculi qui præmittuntur ſunt duo; Primus, *Salvos fac*. Secundus, *Convertere Domine*, vel, *Ecce quam bonum*, vel, *Beati qui habitant*. Pro quibus Collecta tribus vicibus dicta fuerit, quartâ vice non eſt dicendum, niſi verſiculis præmiſſis abſque ſalutatione, *Miſereatur veſtri omnipotens Deus*. Quod tamen nec Domno Abbati unquam nec Priori. Migraturi poſt finitam quamlibet Horam elevatâ manu, & ſigno Crucis cum eâ contrà Dominum Abbatem vel Priorem facto, ita petunt licentiam abeundi; quo annuente & illis rursùs ut moris eſt, ad gradum inclinantibus, proſequitur Sacerdos his verſiculis, eâque Collectâ: *Salvos fac ſervos*, &c. *Mitte eis*, &c. *Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris*: &c *viam fam.* &c. Qui non niſi unam noctem foris Clauſtrum morantur, propter hanc ſolam nec cum abierint, nec cum redierint, habent Collectam. Quòd ſi venienti contigerit ut ipſo die rursùs abeat, & in craſtino redeat, tunc ei non ſubtrahitur quod habuiſſet in priore die ſi remanſiſſet. Quòd ſi duo vel plures ſint perrecturi, & ante generalem Fratrum refectionem, vel poſtea cum ſervitoribus comeſſuri, nequaquam ſedent ad unam menſam, ſed unuſquiſque in ſede ſuâ ſedet propter cautionem diſciplinæ: nec comedit unquam abſque Conventu, niſi priùs acceperit benedictionem. Si quis jam de Clauſtro exierit, & ad hoc ſe præparaverit, ut illicò aſcendat ſuper equum, ſi evenerit ut ſignum audiat ad ullam Horam regularem, & adhuc poſitus ſit intrà ſepta Monaſterii, armamentis viæ depoſitis revertitur ad Horam, nec præſumit iterum D. Abbati vel Priori non loqui, vel abſque ejus licentiâ exire. Super caballum aſcenſurus, priùs cappam induit, quàm frocum corrigiâ præcingat. Caballo ſuo nunquam fræna relaxat ad currendum, nec ipſe pedes unquam currit, niſi propter duas res; propter mortuum & incendium. In viâ poſitus, ſi eſt privata dies, & hujuſmodi in quâ ad ſingulas Horas venia eſt petenda, ipſe quoque quando quamlibet Horam cantaverit, deſcendit ad terram, abſtrahit capellum de capite, de manibus chirothecas, veniam petit, orationem Dominicam dicit; unde ſe levans, ſigno Crucis facto iterum veniam petit, & hora impoſita tenet viam. Pro nullo æſtivo calore equitat abſque froco in ſolâ cucullâ. Talis famulus, qui ſit imberbis, vel raſus barbam, non ſolet in ejus eſſe

Qui ſe gerere debeant iter extrà Monaſterium arripiunt.

commeatu. In ipſo ideo Decaniæ, famulus qui ei cibum & potum adminiſtrat, nunquam in ſola camiſiâ adminiſtrat, vel in femoralibus ſolis, niſi etiam froco, vel pellicio, & caligis ſit amictus. Ad quem etiam inter comedendum ſi quid breviter dixerit pro his quæ ad præſens opus habuerit, de aliâ loquelâ tamen longiore cavet. Antequàm comedat, dicto verſu legitur quoque aliquid de ſanctâ Scriptura, vel per alium, vel per ipſum, & in fine ſimiliter antequàm ſurgat poſt comeſtionem. Pro nullo commiſſo quemquam verberat ſuorum domeſticorum. Non caret unquam teſtimonio alterius Fratris, qui ſecum jugiter moretur. Si qua fœmina de alio loco talis ſupervenerit, cui hoſpitium negare non poſſit, nequaquam cum eâ ſedet ad unam tabulam: de manu quoque fœminæ nihil unquam accipit. Omni tempore poſtquàm nox fuerit, niſi aliquâ tali neceſſitate imminente & impediente, alioquin Completorium ulteriùs non differt: ſi eſt cucullâ exutus, nullum verbum facit tam in nocte quàm in die. Obſervat etiam ne quoquam ponat eam ubi à ſe longiùs ſit ſeparata, quàm cubitus unus. Si propter calorem frocum exuerit, in cucullâ ſedere poterit, ſed ità ut nec gunellam, nec pellicium ſubtus habeat; nec aliud quidquam quàm ſtamineum ſuum. Nihil cum ingenio lucratur, niſi agros & vineas diligenter exercet, & alit pecora & jumenta. Nihil habet abſconditum, nec in domum extraneam commendatum, quod à noſtris majoribus omninò eſt anathematizatum. Seges & vinum quando ex toto fuerit collectum, venit ex more Prior, videt quidquid habuerit in cellario, quidquid in horreo. Quantum videtur dimittit ad commeatum Decani, & hoſpitum ſupervenientium, & ad opus agricolandi: quod ſupereſt, jubet ad Monaſterium deferri. Et ipſe Decanus ſi aliquando cœperit infirmari, & in Clauſtro fuerit cum aliis infirmis, de cætero non intromittit ſe de Obedientiâ uſque dum ſanus ſit; & iterùm ejus diſpenſatio tota eſt in manu Prioris. Si quis ejus familiaris pro antiquâ familiaritate quidquam ei direxerit, hoc non ei, ſed tantùm Cellerario præſentatur, ut non magis ei quàm omnibus expedtat infirmis. Quibus etiam poſtquàm, quidquid ſit, fuerit expenſum, Infirmarius innoteſcit à quo & per quem hujuſmodi habuerit charitatem.

CAPUT VI.

De Priore Clauſtrali.

Clauſtralis Prior Vicarius eſt majoris Prioris per omnia. Hic eſt quocumque Domnus Abbas proficiſcatur, quocumque Prior, qui in Clauſtro jugiter moratur, & qui præcipuè pondus totius ordinis portat: propter quod tamen in Choro non eſt aliquantulùm promotus, excepto quòd abſente Priore primus offert, primus procedit ad pacem, & primus ad aquam benedictam. Sed quoties duodecim fiunt Lectiones, uni de albatis annuit, ut per eum hoſtiæ offerantur; hoc eſt autem quod nullo die dimiſerit. Poſt Completorium acceptâ benedictione ſecedit ſtare prope oſtium Eccleſiæ, ut ſingulos poſſit intueri quomodo inclinant ad Altaria, & ad Sacerdotem per quem aſperguntur. Poſtquàm omnes exierint, accipit abſconſam ab Hebdomadario, quæ candelam interiùs habet accenſam, & capello induto totum Clauſtrum perluſtrat. Primò videt ſi clauſa ſit & obſerata domus eleemoſynaria, coquina regularis, Refectorium, cella Novitiorum; ſi quis adhuc ſit, & propter quid ante Cellarium; quid agatur in domo infirmorum, ſi infirmi jam ſe collocaverint; & quomodo ſe habeant, ſi quis eorum adhuc remanſerit in Eccleſiâ S. MARIÆ; aſcendit dormitorium; portans ſecum ſi quid fortè in Clauſtro neglectum offenderit, & perſpicit omnes neceſſariarum ſedes à fine uſque ad finem. In his omnibus ſi quid negligentiæ offenderit, in ſequenti die in Capitulo reclamat. In hyeme facit aliam circam ad intervallum quod ſolet eſſe inter Nocturnos, & Matutinos; & in illâ circuit etiam omnia lecta Fratrum, & omnia Eccleſiæ Altaria. Et ut breviter de ejus officio concludam, ſi Domnus Abbas non adeſt nec Prior non ſolùm omnes Obedientiarii, qui in Clauſtro ſunt, obediunt ejus imperio, ſed etiam ipſi ad quodcumque opus fuerit, Decani. Si quem tamen Monachum recipit de alio Monaſterio, huic fraternam ſocietatem per omnia tribuere poterit, excepto Capitulo; quod ſolùm Domno Abbati reſervat. Habet autem & ipſe ſuffraganeos ſuos; unum qui ſuppleat vicem ejus abſentis in ſingulis quæ, ut aiunt, ad manum ſunt agenda, Circatores, Magiſtros puerorum, juvenum Cuſtodes.

CAPUT VII.

De Circatoribus.

Circatorum munus eſt, ut omnes negligentias tam minimas quàm majores, quæ ullo modo contrà ordinem poſſunt contingere; notent, & in Capitulo reclament: & propterea totum Clauſtrum non ſemel, ſed multoties in die circumeant, ut nec locus ſit nec hora in quâ Frater ullus ſecurus eſſe poſſit, ſi tale quid commiſerit, non deprehendi & non publicari. Igitur Obedientiarii, qui non poſſunt omittere ut aliquando aliis ſilentibus de Obedientiis ſuis loquantur, ſi quem Circatorum viderint ſupervenire, continuò aſſurgunt, & ſummatim demonſtrant quæ ſit eis neceſſitas loquendi. Domno Abbati & Priori ita deferunt Circatores, ut nequaquam veniant ubi eos noverint eſſe; quia, ut ſcriptum eſt, non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum.

CAPUT VIII.

De Pueris, & eorum Magiſtris.

Puer qui cum laici vel clericali habitu venit, hunc Camerarius in veſtiarium ducit eodem modo veſtiendum, quo quilibet novitius veſtitur, præter quod ei non ſtamineum, ſed pro ſtamineo camiſia linea datur. Cum viſum fuerit Domno Abbati, capellum de froco ejus jubet auferri, & cucullam ei dandam benedicit. Jubet etiam uni Fratrum ut puerum offerat vice parentum ejus. Qui petitionem, quam facturus eſt, ſcriptam habens confirmat eam ſigno propriæ manûs, & poſtea legit eam in aperto, & mittit in manum D. Abbatis. Eſt autem hujuſmodi: *Ego frater N. offero Deo & ſanctis ejus Apoſtolis Petro & Paulo hunc puerum nomine N. vice parentum ejus cum oblatione in manu atque petitione, Altaris pallâ manu ejus involutâ, ad nomen Sanctorum quorum hic Reliquiæ continentur, & Domni Abbatis N. præſentis, trado coram teſtibus regulariter permanſurum, ita ut ab hac die non liceat illi collum de ſub jugo excutere regulæ; ſed magis ejuſdem regulæ fideliter ſe cognoſcat inſtituta debere ſervare, & Domino cum cæteris gratanti animo militare. Et ut hæc petitio firma permaneat, manu meâ ſubterfirmavi, teſtibuſque tradidi roborandam.* Accipit ipſe puer cum offertorio Patenam & Calicem, hoſtiâ impoſitâ & vino infuſo, & ita Vicarius ille

Digitized by Google

involvit manum pueri cum pallâ Altaris, ut tam ipſum puerum quàm ejus ſacrificium offerat à Sacerdote recipiendum. Poſtea induitur cucullâ; & de cætero benedictio ejus differtur uſque ad legitimam ætatem, id eſt, ſi non ampliùs, vel uſque ad quindecim annos ætatis. Rurſus D. Abbas cum voluerit eum benedicere, refert hoc Fratribus in Capitulo, & ipſe juvenis ſtatim veniam petit, & de ſcholâ abſolutus venit ad pedes: tamen ab aliis pueris non recedit uſque ad horam benedictionis. Sicut alii novitii profitetur; ſola cucullæ benedictio non iteratur, nec exuitur, nec induitur, niſi ſicut & priùs erat. Pueri autem, qui ſunt in Conventu noſtro, non ultrà ſenarium protendunt, & eorum Magiſtri ſunt duo, ſi non plures, tamen nunquam ſunt pauciores. Quorum diſciplina eſt hujuſmodi. Primò ſimul in loco dormitorii jacent, & ſingula eorum lecta à Magiſtrorum eorum lectis ſunt diſcreta. Nullus eò alius accedere præſumit. Si quis eorum opus habuerit in nocte ad neceſſarias ire, priùs Magiſtrum ſonitu excitat prope ſe jacentem, qui ſurgens accendit lucernam, mittit in laternam, ſurgere facit alium puerum. Eorum alterutro ſurſùm tenente laternam, medius inter illos Magiſter incedit: ſic nimirum eos ducit & reducit, nec candelam exſtinguit uſque dum ambo ſint recollocati. Cum autem cuncti ſe levaverint ad Nocturnos, eunt ſimul ad neceſſarias & pueri & Magiſtri, ut jam de duobus præmiſi. Sedes eis in medio duobus circulis ligneis ſunt prænotatæ, in quibus eis venientibus nullus audet ut ſedeat. Capellum non induunt ſicut alii, niſi quamdiù ſedent: ſurgentes ſtant nudis capitibus invicem exſpectantes. Providet eorum Magiſter principalis ut non priùs ad Eccleſiam accedant, quàm omnes potuerint conveniſſe, & ſeptem Pſalmos ſenſim & diligenter cantaſſe. Tunc primùm ſolemniter venit cum ſcholaribus ſuis, & luminaribus, & ipſe tres illas fratrum orationes terminat; quas eâ vice, vel poſt Completorium gerunt. Ad Nocturnos, imò ad omnes Horas, ſi quid ipſi pueri offenderint in pſalmodiâ, vel in alio cantu, vel dormitando, vel aliquid tale ullo modo committendo, minimè differtur, abſque morâ froco & cucullâ exuti judicantur, & in ſolâ camiſiâ cæduntur vel à Priore, vel à præfato eorum Magiſtro, virgis vimineis levibus, & teretibus ad hoc proviſis. Quotidie diluculo cum primùm in Clauſtro conſederint, antequàm aliud quid faciant, altiori voce legunt tres Pſalmos, quorum initium eſt, *Miſerere, &c.* Nec quiſquam priùs venit ad confeſſionem quàm audierit hos Pſalmos inchoatos eſſe.

Ad omnes Horas facies eorum verſa eſt contrà Occidentem, quantum puto, ut videri poſſint à Prioribus qui in illâ parte ſtare ſolent. Cum ventum fuerit ad preces, utrimque illi duo minores vertunt ſe in Chorum; tertius, qui major eſt & ſtat Altari proximus, contrà Altare, niſi ad Completorium & ad Primam. Tunc propter confeſſionem duo ſe comparant contrà Altare ſuper unum ſcabellum, & unus Magiſter eſt medius inter eos, ſicut etiam ad Litaniam, & ad ſingulas orationes in Preſbyterio gerendas, & cum dicenda eſt confeſſio, tertius accurrit. Ad utramque Miſſam, ad quam & Priores mutant locum, vertunt ſe omnes pariter in Chorum; & ſimiliter in Sabbato ad proceſſionem quæ ad Veſperos & Matut. laudes agitur ad ſanctam Crucem, & in duodecim Lectionibus ad Tertiam, & ad proceſſionem ſi quam aliquando facimus pro aliquâ perſonâ tali veniente: ad quam ſi aliquando cappis induimur, ipſi non niſi tantùm albis, cum tamen ad Miſſarum ſolemnia ſi Conventus indutus eſt cappis, ipſi quoque tunicis ſericis induantur. Ad ſecreta & Canonem ſi Conventus eſt inclinis, vel etiam procumbit, ipſi ſtant erecti; præter ad ſolam Dominicam orationem; & unus eorum Magiſter ſimiliter erectus jugiter eos intuetur. In Clauſtro & in Capitulo ubi ſedent ſinguli, ſingulos truncos pro ſedibus habent, & ita ſeparati ab invicem, ut ille nec amictum alterius aliquo modo tangat. In Eccleſiâ eſt eorum diverſa, propter ſcabella quæ nunc habent, nunc auferuntur: auferuntur enim in privatis diebus ad formas tranſverſas, ſuper quas ad preces quidam Fratrum procumbunt, & ad horarum exordia veniam petunt, unumque tantùm remanet ſcabellum, ſuper quod tranſverſum ſedet maximus puerorum; etſi interim dum cantatur regularis hora, vel qualibet alia pſalmodia, ſedet versâ facie ad Occidentem. Ad intervalla, ut eſt poſt Matutinalem Miſſam uſque ad Capitulum, poſt orationem Tertiæ, majore Miſſâ ſtatim conſequente, poſt orationem Nonæ, Fratribus huc uſque jejunantibus, poſt orationem Veſpertinam, ad Canonem etiam Miſſæ, ſi ſedet, vertit faciem contrà Orientem. Alii pueri, ſi habent ſcabella, ſedent ſuper illa verſi faciem in Chorum: ſi non habent, ſedent ſuper terram, & ſemper eodem modo quo maximus eorum ſuper ſcabellum. Ad Lectiones verò Nocturnorum in diebus Feſtis & Octavis, ſedent juxtà formam indirectum. Quando autem formæ ſunt tranſverſæ, tunc ita ſedent ut & ſit tranſverſum unum de ſcabellis, in quibus ſedent, & Magiſtri contrà eos in formâ quæ ſemper eſt poſita in medio Chori. Si quando cum pſalmodiâ defuncto aſſidetur, pueri de Choro dextero ſedent ad caput, qui de ſiniſtro ad pedes.

Quando agenda eſt proceſſio ut aliquis defunctus à foris allatus recipiatur, poſt Crucem ipſi primi egrediuntur. Cum ad portam veſtibuli venerint, faciem contrà faciem tenent uſque dum Collecta, *Abſolve Domine*, dicatur à Priore: ſecedunt paululùm in partem, ut tranſire poſſint à quibus Crux & alia proceſſionis inſignia portantur: quos etiam ſequentes uſque in Eccleſiâ, dimittunt eos prope oſtium, ut Defunctus ab eis circumſtetur, & ipſi protendunt uſque ad Altare ſanctæ Crucis, & ibi ſtant Magiſtris interpoſitis in ſiniſtrâ parte, ne impediant Sacerdotem acceſſurum ter ad Altare ut incenſet. Quod cum fuerit peractum, & Defunctus ad tumulum elatus, promovent ſe ex ſiniſtrâ in mediam Eccleſiam, & verſis jugiter ad Altare faciebus Antiphonas & Pſalmos imponunt. In omni proceſſione quæ agitur per Clauſtrum, poſt Crucem ſemper incedunt. In Ramis palmarum, & Rogationibus inter idiotas & Cantores. Capitulum cum eis non tenetur in quinque Feſtis principalibus; in Purificatione S. MARIÆ; in Ramis palmarum; & Aſcenſione Domini, quoties ſe radunt, quoties balneant, quoties pannos ſuos lavant, & opus manuum facimus, vel quoties habemus Defunctum ad Horam Capituli eorum adhuc inhumatum: ipſum autem eorum Capitulum abſque inclinatione ſuſcipitur, tantùm benedictione præmiſſâ. Reclamat alter de altero, ſi tale quid noverit de illo, aut ſi deprehenditur de induſtriâ celare, vapulat tam qui celaverit, quàm ille qui deliquit. Sed eâ vice una ſcilla pulſari ſolet, ut illi domeſtici, quibus panis eſt tribuendus, occurrant ad accipiendum: quâ auditâ nullus poſtea puerorum exuitur, & ipſum Capitulum citiùs finitur. Inter loquendum nunc Cellerarius, nunc Camerarius veniunt ad eos, ut audiant ſi quid opus habuerint quod per ipſos poſſit emendari. Poſt majorem Miſſam accipiunt mixtum, aut ſi dies jejunii, vel in hyeme, taliſque dies in quo non niſi ſemel comedatur, tunc poſt Tertiam. A Kalendis Octobris uſque ad Quadrageſimam, ſi, ut dixi, ſemel comedatur,

ditur, non eſt illorum prandium de ſolo pane, ſed etiam aliquid qualecumque ſit, apponitur eis. Per totam æſtatem in diebus Dominicis ad Cœnam impenditur illis miſericordia de lacte. Si quis eorum adeo eſt parvus, ut opus habeat, in ipſo Clauſtro ubi ſedet apportatur ei panis & vinum. Ad lavatorium ſicut ad neceſſarias ſpecialiter habent locum ſuum.

Cum fuerint in Refectorio, non accedunt ad ullam menſam ante verſum, ſed in medio Refectorio ſtant, aut ſedent cum Magiſtris, uſque dum veniat qui ſeſſurus eſt ad ſellam. Per menſas ſunt diviſi, & ſinguli ante tales Fratres poſiti, qui non diſſimulent ſi quam viderint negligentiam eorum inter comedendum; non quoque diſcurrunt, ut vel ſal, vel ſcutellam, vel aliud quid ulli Fratri apportent, nec ab ullo quid accipiunt, niſi quod omnibus generaliter datur; & ſi quid eis Domnus Abbas miſerit, vel Cellerarius dederit, ſolus ille puer qui ſtat ad menſam principalem, ſi ei à Domno Abbate vel Priore innuitur ſcutellis opus habere, pergit ad Magiſtrum, & ille ſurgens requirit de coquinâ, & ponit ante puerum ut eas apportet, per quem etiam cuique quod voluerit dirigit, qui ſedet ad ſellam. Ia denique puer propter hoſpites, qui ad illam menſam frequentiùs ſedent, duos portat jugiter cultellos. Si quis eorum ita infirmatur, ut non benè ſtare poſſit, huic Priore conſentiente à Magiſtro menſula & mappula providetur, ut ibidem ſedeat ubi ſtare ſolebat. Poſt prandium vel cœnam pariter exeuntes inter utrumque Chorum medii procedunt: poſt Nonam cum Fratres bibunt, & ad Collationem, noviſſimi & ante Domnum Abbatem vel Priorem.

Quoties generaliter Eccleſiam intrant, intrant ad Orientalem plagam, & Conventus ad Occidentalem. Nulla hora, nulla refectio generalis inchoatur abſque illis, niſi adſint vel duo. Ubicumque tranſierint per Clauſtrum, Fratres contrà eos aliquantulum ſe levant, & inclinant, tam propter duos, quàm propter omnes. Sed nec ad neceſſarias nec ad locum ullum divertunt, niſi ſemper duo ſint ſimul; & unus magiſter eorum in medio, qui nec ſedet, ſed ſtat ante illos ad neceſſarias, ſi defuerit Conventus. Servitores quoque de Refectorio exeuntes, ſi ſedent ubi ſedere ſolent, inclinant contrà eos, & illi aſſurgunt contrà eos. Quòd ſi quidam ex eis ad regularem Horam aliquando tardiùs occurrunt quàm ad *Gloria* primi Pſal. non propter hoc ut alii ſtare veniunt ad gradum. Item ſi morantur à Refectorio, uſque dum verſus dictus fuerit, minimè petunt licentiam comedendi, ſed tantùm in loco ſuo ante faciunt & retrò; Magiſter tamen eorum, qui comitatur eos, conſuetudinem tenet utrimque. Quòd ſi aliquis puer de foris veniens intraturus eſt Clauſtrum, contrà hunc alii duo pueri ducuntur ad oſtium Clauſtri, & ita ſimul cum ipſis Conventui præſentatur. Poſt Horas cum aliis qui venerunt accipiunt benedictionem in Preſbyterio ante eos ſtans. Item ſi quis eorum ducendus eſt in domum infirmorum, illuc quoque alii duo veniunt cum eo, ubi quamdiù moratur commendatus eſt cautiſſimo cuſtodi, à quo die, noctuque cuſtodiatur, & in nocte quocumque incedit, portat ante ſe laternam, portat quoque baculum: ſi carnem comederit, capellum induit, ad majorem Eccleſiam cum aliis infirmis venit, non tamen intrat illud membrum Altaris S. Joannis Baptiſtæ, ſed illis intrantibus, ille remanet foris prope urnam aquæ benedictæ ut poſſit ab omnibus videri. Morantem autem in domo infirmorum frequenter viſitat principalis Magiſter puerorum, & cum primò eum viderit hujus eſſe valetudinis, eodem quo adduxerat modo reducit, & cæteris pueris adjungit; Eccleſiam jam intraturus ad Primam vel Tertiam, ſi eſt in hyeme & dies privatus. Priùs tamen ipſo die curatus eſt lautè de carne. In Capitulo pro exceſſibus ſuis, nequaquam ut alii infirmi veniam petit.

Hoc eſt autem obſequium quod eſt ab eis ritè gerendum. Ad Horas omnes regulares ſingulos verſiculos Pſalmorum pronuntiant: in privatis diebus Antiphonas imponunt, & quidquid cantatur ad Miſſam matutinalem. Ad Matut. laudes & Veſp. Reſponſoria cantant, verſus dicunt, & in æſtate ad Nocturnos illam minimam & unicam Lectionem. In Capitulo non alii quàm ipſi legunt (quamquam in Refectorio nunquam) & ad collationem per vices. Tabula, quam Prior major, vel Clauſtralis, quinquies percutit ad licentiam loquendi, per priorem illorum eſt porrigenda. Item in hyeme quoties Fratres poſt Sextam ſecundò loquuntur, poſtea quàm de Eccleſia exierint, omnes conticeſcunt uſque dum altà voce per illorum minimum *Benedicite* pronuntietur, quod & ſimiliter ab ipſo eſt dicendum quando exeunt de Capitulo ſuo, vel jentaculo accepto de Refectorio, ſi Fratres loquuntur. Ad coquinam notantur cum Magiſtris, & ita duobus; ad quam tamen non ſe levant de dormitorio ante ſonitum, nec propter hoc exeunt de Choro priuſquàm Pſalmi familiares ſint finiti, niſi ad Matutinalem Miſſam poſt Offertorium: nec ſerviunt in Refectorio, nec pedes lavant in Capitulo, ſed de Magiſtris ſuis ad omnia quæ ipſi competènter facere non poſſunt, Vicarios habent. His diebus quibus proceſſio nudis pedibus eſt agenda, canales in quibus fratres pedes ſunt lavaturi, ipſi priùs expurgant ſcopis & aquâ. Si Dom. Abbas vel Prior imperaverit aliquem Pſalmum per aliquot dies decantari, ipſi audientes inclinant, quia in eorum præcipuè debet eſſe ſollicitudine, ne remaneant. Et quia ipſi quotidie legunt Martyrologium, & Fratrum Memoriale, ab ipſis eſt ſciendum & notandum quando Trigeſimus cujuſque defuncti ſit conſummatus, ab ipſis Eleemoſynario prununtiandum quantorum ſit anniverſarius Fratrum, ut tantas quoque accipiat præbendas, & Cuſtodi Eccleſiæ quando ſunt omnia ſigna pulſanda pro anniverſario cujuſque, quod benè notatum eſt, & ſingillatim in Memoriali. In omni quartâ feriâ ſi eſt privata dies, & in omni Sabbato, lavant poſt Veſperos calceos ſuos; lavant quoque pannos ſuos conſuetudinaliter ante Natale ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ante Tranſlationem S. Benedicti, & ante Aſſumptionem S. Mariæ, quos tamen non ſuſpendunt ad ſiccandum in bordâ, ut alii fratres, ſed tantùm deponunt in berbario Clauſtri. Ad Horam regularem, ad quam non niſi unum ſignum pulſatur, ut ad Primam, faciunt orationem in Choro ad eam ad quam duo in Preſbyterio prope Altare. Mane cum ſe levant ad ſonitum, vel cum Prima cantatur cum aurorà apparente, ut in privatis diebus. A Kal. Octobris ad Kal. Novemb. non priùs vadunt ad neceſſarias quàm ad Eccleſiam, ſed poſtea finitâ Horâ ſi voluerint, vel orationibus factis. Poſt Completorium faciunt orationes abſque Conventu, & antequàm Conventus; & de neceſſariis debent exiſſe priùs quàm eo veniat Conventus. Stat ante eos cum virgâ principalis Magiſter eorum uſque dum omnes ſint collocati, & ipſas facies benè cooperti. Item quando ſe levant, ſi tardiùs ſe levant, continuò eſt virga ſuper eos. Poſt Matut. laudes eo tempore quo rurſùs omnes ſunt dormituri, ſi nondum aurora apparuerit, tunc tenente Magiſtro virgam in dexterâ manu, & candelam in lævâ, exſpoliantur, & citò collocantur. Si verò aliquantulum aurora claruerit, candelas ſuper laternas figentes ſe

calceant, & ſuper lectulos reclinant, ut ad ſonitum abſque ullà dilatione conſurgant, quod totus Conventus eodem modo facere debet. Panis eorum & generale non ſunt minora quàm aliorum Fratrum. Si quis fratrum de foris veniens oſculatus fuerit omnes Fratres, minimè tamen oſculatur eos, ſicut etiam nec in Eccleſiâ ad pacem. Ad Mandatum non lavantur eis pedes, ſicut nec ipſi lavant: quando in coquinâ obſequuntur, Magiſtri eorum ſolent providere, ut oportunè accendant luminaria dormitorii, & neceſſariarum, & ad Nocturnos; in ipſis neceſſariis duas candelas, quæ ſufficiunt tantùm uſque dum Conventus recedat. Si aliquando nox fuerit, quando poſt cœnam de Refectorio exierint, venientes in Chorum de laternis extrahunt candelas, & ſurſum altiùs tenent quamdiù ſunt in Choro: opus habentes codicem vel ipſam tabulam brevialem accipere alio loco, quàm ubi ſedere ſolent in clauſtro, nunquam accipiunt abſque licentiâ Magiſtri. Vicibus duabus in ſeptimanâ veniunt ad confeſſionem, quam non recipit, niſi Domnus Abbas, vel Prior Major, vel ille qui tenet ordinem; ſtando confitentur, & ſi Prior eſt recepturus, ipſe ad eos venit, ducitque & reducit, & uno confitente, alter interim ſedet. Super truncos ſuper quos ſedere ſolent, nullus alius ſedet unquam, vel de ipſis pædagogis. Scrinium cum raſoriis, quibus radantur, pro ſe habent ſeparatim, & ſeorſum ſe radunt pueri cum Magiſtris, & ipſi Magiſtri quotquot fuerint, pro nullâ occaſione recedunt ab eis abſque licentiâ Magiſtri principalis; nullâque vice dimittendi ſunt cum uno ſolo Magiſtro. Eorum ſeſſio in Clauſtro ita eſt ordinata, ut pueri ſedeant prope murum, Magiſtri in cancellis Clauſtri, & ita ut poſſint eos jugiter intueri. Per medium eorum nullus eſt qui audeat omninò tranſire. Ubicumque fuerint, quantumlibet locus fuerit anguſtus, & quantalibet ſit Fratrum multitudo, tamen omnes cavent ita appropiare, ut vel tangatur ab aliquo veſtis eorum. Et ut tandem de ipſis pueris concludam, ſæpenumero videns quo ſtudio die noctuque cuſtodiantur, dixi in corde meo difficile fieri poſſe, ut ullus Regis filius majore diligentiâ nutriatur in Palatio, quàm puer quilibet minimus in Cluniaco.

CAPUT IX.

De Cuſtodiâ Juvenum.

Frater qui eſt hujus ætatis, ut adhuc ſit imberbis, etſi ultrò ſæculo renuntiaverit, & optimæ ſit opinionis, minimè tamen cuſtodiâ caret. Sed & aliquando illi maximè qui nutriti ſunt in Monaſterio, ſi in moribus viri eſſe noluerint, virilis ætas nihil eis profuerit ut à cuſtodiâ ſolvantur. In quâ qui politus fuerit, primùm in dormitorio lectus ejus eſt prope lectum Cuſtodis ſui, ad quem abſque illo nec accedit unquam nec recedit. In nocte verò quocumque incedit, portat ante ſe laternam, Cuſtode providente ut candelam habeat accenſam, qui ſi eum duxerit ad neceſſarias, poſtquàm ipſe ſurrexerit, jugiter eum intuetur, quamquam & laterna ſit ante eum. Si verò in nocte opus habuerit ſurgere, excitato Cuſtode, & accenſâ laternâ pergit ad neceſſarias, nec ante à Cuſtode exſtinguitur laterna, quàm ille collocetur: Cuſtodes namque eas ſemper incendunt & exſtinguunt. Si in Eccleſiam eum duxerit, non eum deſerit uſque dum perveniat in Chorum; & in Refectorio, uſque dum ſit intrà oſtium & in præſentiâ Conventûs. Si notatus fuerit ad coquinam, ante ſonitum non venit ad eum. Ad tres orationes quas ritè faciunt ante Nocturnos, vel poſt Completorium, ſeu in die ad illas ſimiliter tres quæ fiunt in hyeme ante Tertiam, vel in æſtate poſt ſonitum, nunquam ab invicem ſeparantur. Quando proceditur ad aquam benedictam, & proceſſiones alias, ſi diverſi ſunt in ordine cuſtodiendi, aſcendunt vel deſcendunt ad cuſtodientem; Cuſtos verò non mutat ordinem ſuum, niſi fortè propter illum qui in culpâ erat graviore, & fraternâ ſocietate receptâ, adhuc tamen omnium eſt extremus, vel fugere volens ita invitus eſt retractus atque retentus. Quòd ſi in cuſtodiâ eſt Diaconus vel Subdiaconus, lecturus Evangelium vel Epiſtolam, ſi tale quid ei contigerit ut legere non poſſit, propter hoc nec verbo nec ſigno quemquam ſui ſimilem in ſimili cuſtodiâ poſitum appellat, ut pro ſe legat, ſed ejus Cuſtodi, cum teſtimonio Cuſtodis ſui rem innoteſcit, ut Fratri ejuſdem ordinis Cuſtos quoque Fratris loquatur pro viciſſitudine legendi: aut ſi maluerit qui legere debet, impoſſibilitatem ſuam refert Armario maturiùs, ut ipſe tempeſtivè provideat cui legendi munus injungat. Singuli autem tales, ſi, ut aiunt, tergoribus ſuis voluerint eſſe conſultum, tunc ſummopere cavent in omni loco ne abſque mediatore ſtent ſimul, aut ſimul ſedeant in Eccleſiâ, in Capitulo, in Refectorio, vel ſe ad invicem impingant quando Conventus ita cumulatim quoque incedit, ut aliquando Eccleſiam intrando vel exeundo, vel quando libros in armariolum, quod eſt in Clauſtro, reponunt. Hoc etiam non negligitur, ſi eſt eorum ſtatus adhuc in medio Choro, & unus ex unâ parte, alius ex alterâ, ut ita ſint ſtantes, ne dorſa eorum è regione ad invicem ſint converſa.

CAPUT X.

De Præcentore & Armario.

Præcentor & Armarius, Armarii nomen obtinuit eo quod in ejus manu ſolet eſſe Bibliotheca, quæ & in alio nomine Armarium appellatur. Hæc eſt obedientia, quam ex more nullus meretur, niſi Nutritus. Igitur iſte, de quo agitur, Officialis ritè unum habet ſuffraganeum, qui & pueris cantet, & brevem faciat de Lectionibus & Reſponſoriis, & aliis obſequiis. Cæterùm ipſa Fratrum nomina qui lecturi ſunt & cantaturi, vel aliud quid facturi, non alius quàm ille ponit, niſi fortè & ipſe ita voluerit, ejuſque ſecundus hujus ſit induſtriæ, hujuſque ſenſûs. De ejus autem continuâ occupatione ut aliqua perſtringam, tota ſervitutis divinæ ordinatio in Eccleſiâ ſuper nullum pendet quàm ſuper illum, nec de hoc habet aliquem Magiſtrum niſi ſolum Dom. Abbatem. Quod voluerit ut cantetur, cantatur; quod voluerit ut legatur, legitur & in Eccleſiâ, & in Refectorio, & ad Collationem, & ad hujuſmodi omnes debent ſemper ei eſſe obedientes. Si quid tamen contrà uſum præſumſerit vel neglexerit, hoc omninò interim diſſimulatur uſque dum in Capitulo reclametur. Ad Cantica Evangelii, vel ad Matut. laudes, vel ad Veſperos Antiphonam imponit, excepto quod Dom. Abbas ad duodecimam Lectionem eſt impoſiturus. Qui etiam Armarius quamdiù eſt in Conventu non ſe notat ad ullam Lectionem, vel Reſp. ut ſi Dom. Abbas fortè non legerit, ipſe pro eo ſit legere paratus. Quòd ſi quo in tono erratur, nullius ſcientia præjudicat illi, ut non eum potiſſimùm omnes attendant & ſequantur. Solus ille non reprehenditur, ſi quam Antiphonam vel Reſp. nominaverit abſque libro, indicens alicui fratri ut cantet. Omnes quoque verſus Offerendæ imponit: quemlibet cantum quantumlibet ſubmiſſâ voce cantetur, nemo tamen alius au-

det ad altiorem vocem levare. Omni die diluculo poſtquàm tres pueri Pſalmos, ut moris eſt, perlegerint, continuò venit ad eos, ut pueri, qui lecturus eſt in Capitulo, audiat Lectionem, vel etiam ritè ſi ipſi aliquo modo pueri offenderint, maximè cantando, vel legendo negligenter, vel ſi cautum minùs diligenter addiſcunt, dignam ab eo diſciplinam experiuntur. Summopere tamen obſervat tam ipſe quàm alii quando eos verberat, non ſolùm ne tangant carnem eorum cum manu, ſed etiam ne veſtis ejus eorum adhæreat veſtibus: nunquam namque cum palmâ eorum percutiuntur maxillæ, ſed, ſi opus fuerit, Magiſter ſolus, qui eos ducit, poteſt eorum capillos excutere, alius nunquam. Et propter hoc quamdiù ipſe vel ſuffraganeus ejus moratur inter eos, Magiſter puerorum principalis, cujus ſuperiùs memini, non legit, nec aliud quidquam facit, niſi quod Armarium & pueros jugiter intuetur. Inter quos & liber in quo legitur, ita ſemper ponitur, ut una de columnis Clauſtri media ſit inter audientem, & audiendos. Lectiones, quæ legendæ ſunt ad Nocturnos & Reſponſoria, ritè audiuntur poſt Nonam, & in Quadrageſimâ poſt Sextam; poſt Veſperos verò nunquam. Quæque Miſſa major ſeu matutinalis fuerit cantanda, ubi Sacerdos ſe cum cæteris miniſtraturis veſtierit, nullâ vice Armarius per conſuetudinem defuerit; primùm ut videat ſi præſtò ſint omnes perſonæ quæ ſunt obſequuturæ, & inſinuet ſi quid noverit opus eſſe ut inſinuetur. Similiter facit quotieſcumque poſt Nocturnos Evangelium eſt legendum, vel ſi qui Invitatorium cantaturi ſunt albis veſtiuntur vel cappis, totius rei eſt præcipuus ordinator. Si quis Frater infirmus, infirmorum oleo eſt ungendus, vel ſi obierit, ad ſepulturam efferendus, vel ſi quis de foris allatus eſt recipiendus; ipſi eſt cura qui Sacerdos induatur, quomodo Corpus Domini apportetur, quomodo communicetur, & quæ Collectæ, dum obierit, à Priore ſuper eum dicantur, & dum lavatur, & dum veſtitur, & antequam in Eccleſiâ apportetur, & quid cantetur, & quomodo tumulus benedicatur; & quæ Collectæ dum benedicitur, & quæ dum ſepelitur, & quæ poſt ſepulturam dicendæ ſunt: omnibus his intererit præcipuus monſtrator. Ipſe ſupervenientes breves Fratrum defunctorum accipit, & in analogio notat, deſcriptoſque alios pergentibus Fratribus per diverſas terrarum provincias diſtribuit, nec obliviſcitur ſi quis Frater finierit Miſſarum quæ ritè vt. Fratribus triginta commendantur. Quinimo neſcio ſi quis pluſquam ille faciat ad omnes Proceſſiones, ad quas nihil, niſi quod ipſe impoſuerit, omninò cantatur.

Poſtremò quidquid tale quaſi novum ſupervenerit gerendum, de hoc ille præcipuè memor & diligens eſſe debet. Loquor ut eſt, quando fabæ novellæ, vel novellus panis, ſive muſtum in Refectorio eſt benedicendum; vel ſi talis hoſpes hujus reverentiæ advenerit, ante quem poſt peractam Proceſſionem in primis, juxtà quod in Regulâ tenetur, Lectio eſt recitanda; vel opere manuum facto, quidquid tunc eſt legendum, vel ſi cujuſquam Novicii de profeſſione populari coma & barba eſt tondenda, ad hæc ſingula, & horum ſimilia librum competentem accipit & apportat, & providet ne fiat negligentia, vel de perſonâ, vel de hoc quod perſona eſt dictura. Et ſi fortè Epiſcopus aderit, vel noſtri Ordinis, vel talis opinionis, de quo vel Domno Abbati vel Priori videatur, ut det benedictionem in Eccleſiâ, ipſe ſtolam, librum, & baculum miniſtrat, & imponit hunc verſum: *Humiliate vos ad benedictionem*. In Natali Domini, in Paſcha & Pentecoſte ad Officium majoris Miſſæ, & tenendum Chorum ſunt notati de melioribus Cantoribus, quantum Armario videtur: qui tamen non præſumunt per ſe accedere, niſi ipſe manu ſua cappas det, quæ in capite formæ ſemper de melioribus à principali Sacriſta præparantur. Addit etiam adhuc illis ſtatutis per ordinem quantoſcumque capere poteſt tota Chori latitudo: nec quiſquam eorum recedere præſumit, vel ad pacem accedere, ſeu Miſſam cantare, vel de loco ſtatuto ſecedere, quamvis ſint de majoribus perſonis, præter ejus nutum. Et ſi ita contigerit ut neuter Prior, nec eorum Vicarius ſit in Choro, tunc ſi viderit opus eſſe, poteſt ipſe mutare Fratres de Choro in Chorum, & ei qui quæſierit exeundi licentiam dare: thuribulum à Converſo ſibi primitùs apportatur, niſi fuerit Abbas noſter, vel aliquis Epiſcopus ſeu Abbas, quibus pro reverentiâ exhibeatur ordinis. De cætero cujuſcumque ordinis ſupradictus ſit Armarius, ſuum non amittit principatum. Non accedit ad pacem, neque ſui ſuffraganei, ſed interim dum pax datur, cantat *Agnus Dei* cum verſibus ad hoc congruentibus. Nec de illis qui fuerunt ad Gradualem vel Alleluia notati, aliquis ſe intromittit, niſi ipſi quibus libellos innuendo tribuerit. Sacerdoti quoque intimat quo tono incipiat *Gloria in excelſis Deo*, & ſi opus fuerit, Diacono *Ite Miſſa eſt*. Proſas cantant quatuor, duo in unâ parte, & duo in alterâ, id eſt ſiniſtrâ & lævâ: additur & ipſe quintus, maximè his duobus, qui ſunt ad dexteram, qui ſemper primum verſum adoriuntur, ut ſi fortè diſcordaverint, ipſe in promptu ſit ad ſuffragandum. Prævenit quoque cæteros aliquantum in exuendo cappam, & in agendo ante & retrò, ut feſtinet deponere ſingulorum veſtes, & ut ipſe primus imponat manum ad ſonandas ſcillas, ſicut & fecit in initio Miſſæ. Si quando talis inbreviatio eſt agenda, non agitur in illâ tabulâ quotidianâ, ſed in aliâ, quæ aliquantulum eſt major, & propriè deputata ad feſtivitates. Solet etiam apud nos & alia inbreviatio non inutilis fieri; ſed quia armarius aliàs adeo eſt occupatus, committitur aliquando alii fratri memori & diligenti, ſcilicet ut qui ſervierunt in coquinâ omnes per ordinem conſcribantur, ne fortè per oblivionem contingat ut quiſquam frequentiùs quàm alius eo munere fungatur.

CAPUT XI.

De Camerario.

Camerarius noſter, quantum habere poſſumus denariorum ex villis noſtris, ipſe pergit & recipit eos tempore ſuo, de quibus tamen tertiam partem reddit Decanis, pro eo quod tam multa ſunt quibus opus habent, non ſolùm propter agricolationem, ſed etiam propter ſemetipſos, quia ſæpiùs ibi morantur, & maximè propter hoſpites, qui nimirum ſi non reciperentur, omninò eſſet inhumanum. De his autem villis quæ tam longè ſunt poſitæ, ut nec vinum, nec annona quæ ibi naſcitur, poſſit ad nos pervenire, ibidem venditur, & pretium Camerario defertur. Poſtremò quidquid auri vel argenti, vel beſtiarum undecumque donatur nobis, totum ipſe habebit, excepto quantum ſum hic dicturus. Si quis dederit nobis decem ſolidos aut potiores, hi ſemper Cellerario ſunt deputati: ad hoc tantùm ut fratribus infirmioribus, & aliquantulum delicatis, abſque hoc quod generaliter omnibus datur, aliquam impendere poſſit charitatem. Et ſi evenerit ut aliqua vacca donetur nobis; hanc quoque habebit ad ſubſidium vaccariæ quæ eſt in manu ejus. Oves & boves Decanis ipſius villæ; oves propter fimum quo arva ſunt condienda, boves ad arandum. Pallia, & vaſa aurea & argentea, quæ eſſe poſſunt,

[illegible] Eccleſiæ accipit Sacriſta. De cætero ut præmiſſum eſt, omnia veniunt ad manus Camerarii; nec immeritò, quia frequenter accidit ut de omnibus rebus annuatim naſcentibus nihil omnino habeamus ad ſubſidium vitæ temporalis, præter quod de denariis eſt comparatum: quod cum per vices eveniat de victu, quidquid ad veſtitum pertinet, hoc non per vices, ſed ſemper & ex toto eſt comparandum.

Cuilibet autem Fratri unoquoque datur anno frocus novus, & nova cuculla, ita ut ambo habeat parata & conſuta ante Nativitatem Domini; novum pellicium ſecundo datur anno, & in feſtivitate S. Michaëlis; interim dum Conventus fuerit in Refectorio ad prandium, ponitur in ejus lectum. Iterum in feſtivitate S. Martini pedules: de calciamentis alio loco dixi quomodo dantur in Cœnâ Domini. De ſtamineis & femoralibus, vel ſi quæ ſunt alia hujuſmodi, nihil aliud eſt conſtitutum, quàm quod cum fuerint inveterata, nec magis proficua, eis ablutis, & per ipſos Fratres ad Cameram redditis, alia ſunt tribuenda. Et ut hoc ſemel dicam, quidquid ad amictum uniuſcujuſque Fratrum haberi poteſt regulariter, & pro conſuetudine generali: primò ſunt duo froci, & duæ cucullæ, duo ſtaminea, duo quoque femoralia, duo paria calceorum cum corrigiis, unum par viltronum ad hyemem in nocte; & alterum ſine viltrono ad æſtivas noctes; duo paria caligarum, tria pellicia, vel unam pro tertio gunellam, capellum de pellibus, quinque paria pedulum. Ad lectum capitale, coopertorium, cottum, ſtragulatum, brachiolineum quo femoralia ſuccinguntur, corrigia cervicina, quo ſtamineum, & in quo pendet cultellus cum vaginâ, pecten ligneus cum vagina, acus cum filo & vaginâ. Sacerdos & Diaconus habere ſolent tria femoralia, ut ſi tale quid eis in nocte contigerit, in promptu ſit ea mutare. Et Camerarius ſi cui habenti tria pellicia, adhuc pro miſericordiâ addit & gunellam, & ſi cui dedit unum par caligarum de pellibus ovinis, aut faſciolas propter tibias infirmantes, & propter hoc non meretur & largiens vel accipiens multum reprehendi. Sed ſuper hæc quicumque ampliùs quid de hoc genere habere voluerit, hoc profectò nec pro juſtitia, nec pro miſericordiâ, ſed pro magnâ cenſetur ſuperfluitate. Omnia pellicia ſunt velleris ovini, coopertoria verò aut ovini aut catini, aut leporini, & nunquam de ullo genere majoris æſtimationis: frocus & cuculla de tali ſunt panno, ut ambo non magis quàm octo ſolidos valeant, talis monetæ quæ plus habet æris quàm argenti.

Si quando tale quid comparaverit vel vendiderit Camerarius, negotiatione ſuâ ex toto peractâ, mercatori cum quo negotiatus eſt, ſecundùm quod negotium eſt & perſona, aliquantos adhuc addit vel reddit ſuâ ſponte denarios, propter illud S. Benedicti præcipientis, ut res noſtra ſemper viliùs vendatur quàm aliorum hominum. Quoties loquuntur in Clauſtro, Camerarius vel ejus junior qui clavem Cameræ portat, nunquam debet deeſſe; tunc enim auditurus eſt à ſingulis quid ille aut ille opus habeat, & nec ad ipſos pueros venire negligit, ut ab eis ſi quid ſit quo indigeant, ſciſcitetur. Ergo eâ vice dat quidquid eſt dandum, ne ſi Fratres, qui ab eo ad horam aliam, quâ ſilentium eſt, quæſierint, ſilentium tenere non poſſint. Frater cujus pellicium, vel cujus ſtamineum, vel cujus femoralia ita ſunt rupta, ut adhuc valeant emendari, diliculo ponit ea in unum arcum Capituli ad hoc deputatum. Et veniens junior Camerarii, portat foras ad ſartores. Poſt Veſperos reportans ponit in eumdem locum, ut ab eo, ad quem pertinent, recipiantur. Item qui opus habet ut calcei ſui ungantur, primùm ipſe lavat eos aquâ per canalem de aquæ ductu dimiſsâ; quos rurſùs junior Camerarii accipiens, quod de aliis, hoc ipſum & de calceis facit. At ſi Frater vult ut à ſeipſo ungantur, acceptâ ſaginâ ungit eos in regulari coquinâ ante Primam, vel ſi Prima ſimul cum Matut. laudibus eſt cantata, ante Tertiam, vel poſt refectionem Fratrum, quando ſemel comedunt. A majoribus noſtris eſt traditum, ut intrante Quadrageſimâ quanticumque pauperes ſupervenerint, omnes eleemoſynam & benedictionem de carne conſequantur: & Camerarius præter illam ſollicitudinem quam habet pro veſtimentis Fratrum, non eſt quòd magis eum ſollicitet, quàm hæc ipſa eleemoſyna: ad quam nimirum non multum facit porcaria noſtra, vel lardarium noſtrum, quia nunquam ita eſt refertum, niſi tantùm ſoli denarii & de manu ſolius Camerarii prodituri; ut non aliud dicam quàm quod contigit hoc ipſo anno: illi, qui pauperes recenſuerunt, teſtati ſunt ſeptemdecim millia fuiſſe, quibus & in Chriſti nomine ducenti quinquaginta baccones diviſi ſunt.

CAPUT XII.

De Apocriſario.

Apocriſarius eſt qui cuſtodit Eccleſiæ Theſaurum, & in cujus manu eſt quidquid à popularibus ad altaria offertur. Qui Officium ſuum dignè ut poſſit adimplere, adhibentur ei aliquantorum ſolatia Fratrum, inter quos tamen ſolet unus præſtantior eſſe, & ad quem potiſſimùm pertinet, ut vicem ejus abſentis agat, vel extrà Conventum aliud quid agentis. Porta quoque Eccleſiæ uni ſpecialiter committitur, qui eam ſemper claudat & aperiat tempore ſuo; & hic ſtudiosè talis eligitur qui gravis ſit in moribus, nec ad riſum facilis, ne quam in eo levitatem intrantes vel exeuntes deprehendant: & hoc eſt ei omninò interdictum, quando claudit & aperit, ut pro nullâ occaſione vel pedem extrà portam protendat. Hic cum ſemper in Eccleſiæ moratur excubiis, ibi dormit & legit, ac præter cæteros hoc eſt ſibi ſoli injunctum officium, ut omni Sabbato conchas, & candelabrorum pateras, in quibus candelæ ardent, diligenter abradat, ne aliquid de decurrente cerâ remaneat. Simili quoque ſtudio totum pavimentum quod circà majus Altare eſt, purgat, nec prætermittit, ut ejuſdem & cæterorum altarium pavimentum ſcopâ emundet. Claudit quoque & aperit Eccleſiæ fores variis modis per diverſa tempora. Nam cum ad Nocturnos tam in hyeme quàm in æſtate ſemper aperiat, in hyeme tamen poſt officium, quod in nocte cantatur, ſemper eas claudit, atque ita permanent uſque dum ſcilla ſonetur ad Tertiam: finitâque Miſſa matutinali claudit, clauſæque permanent uſque dum ſcilla pulſatur ad Sextam, tunc aperiuntur, & Miſsâ finitâ uſque ad Veſperos clauduntur. Poſt Veſperos verò regulares clauduntur, ita uſque ad Nocturnos permanſuræ. In æſtate autem cum ſtatim poſt Matutinas regulares claudantur, ad Primam aperiuntur, & uſque dum Miſſa matutinalis finiatur patent, quæ tunc clauſæ ad Miſſam aperiuntur, poſt quam uſque ad Veſperos obſerantur, quibus finitis uſque ad Nocturnos omninò clauduntur. In Quadrageſimâ privatis diebus poſt Miſſam matutinalem clauduntur, & poſt Sextam mox ut ſcilla ſonaverit reſerantur, nec clauduntur uſque dum Veſperi finiantur. In XII. verò Lectionibus tam in hyeme quàm in æſtate ad ſcillam, quæ poſt Capitulum ſonatur, aperiuntur, ſtudiosè tamen agit, ut ſi quis

eas tam in die quàm in nocte percuſſerit, paratiſſimus ſit ad aperiendum. Ac per hoc Conventus ad S. MARIAM procedit, ille ſemper in Eccleſiâ manet, ne eo abſente aliqua intercidat negligentia. Cæteri ſuas ſeptimanas in qualibet ad Nocturnos Dominicâ incipientes, viciſſim faciunt eo modo, quo eis eſt præfinitum, & unuſquiſque opus habet, ut quid facturus ſit diligenter attendat.

Primò namque, ut dixi, ad Nocturnos poſtquàm horologium cecinerit, pulſat ſcillam, & tamdiu uſque dum pueros viderit venire: factis tribus orationibus pulſat unum de majoribus ſignis uſque ad Pſalmum *Lætatus ſum*. Secundò ſignum, quod minus eſt, aliquantulum ad *Kyrie eleiſon*, uſque dum ſit finita Oratio Dominica cum Collectâ. Tertiò ſimiliter. Quartò pulſantur omnia ſigna, vel ſi eſt privata dies, duo ad ultimam incitionem Canticorum Graduum; ad penultimum Pſalmum Hebdomadarius accendit duos cereos candelabris affixos ante Altare, tertium poſt illum qui priùs ardebat in conchâ, exſtinguit. Item ad Lectiones obſervet ut candelam, cum quâ legendum eſt, ſemper ad ultimum Nocturnorum accendat. Ergo ad nonam Lectionem, quæ eſt de Evangelio, eſt adhuc & tertius ante Altare cereus, & poſt Altare alterum accendit; Altariſque tabulam detegit auream huc uſque panno coopertam, accipit textum de Altari & portat ad Veſtiarium, lectoque Evangelio, dum Sacerdos revertitur, accipit de manu ejus, & unde priùs accepit, repoint. Cum ad hoc ventum fuerit ut Sacerdos Matutinalis dicturus ſit Collectam, huic etiam candelam providens apportat, mox etiam extinctis omnibus illis cereis in circuitu Altaris, eum qui priùs ardebat in conchâ reaccendit, tam in die quàm in nocte arſurum, niſi propter alios accenſos extinguatur. Accendit & alium cereum & affigit candelabro, ut portetur ad proceſſionem quæ fieri ſolet ad S. Crucem & ad S. MARIAM. Ad S. Crucem prævenit Conventum, ut ad ſingulas columnas candelulas affigat ardentes uſque dum abſceſſerit Conventus. Ad S. MARIAM accendit cereum in conchâ, & alterum ante fores Eccleſiæ. Aurorâ apparente Sacerdotes privatas Miſſas incipiunt cantare, ad quas ſingula, quæ neceſſaria ſunt, Hebdomadarius providebit, ut cum primùm Sacerdotes acceſſerint, omnia inveniant parata. Armarium reſerat, quod non minori diligentiâ eſt conſtructum, quàm & illud quod eſt ante majoris faciem Altaris, cujus in alio loco nonnihil memini, & in iſto ad privatas Miſſas reconduntur calices cum corporalibus, plus minùs ſeptem hoſtiæ, & candelæ ſine quibus nulla Miſſa eſt cantanda; Ampullæ majores & minores, majores ad vinum, minores ad aquam, & amphora ſtannea cum qua vinum apportatur forinſecùs; duæ aliæ cum aquâ, ut de una manus abluantur, & de alterâ calices; nec de aliâ funditur, quantum ad ſacrificium de aquâ eſt miſcendum, de quâ & illæ minores ampullæ ſunt implendæ. Vinum autem de quo ſumendum eſt ad ſacrificium, non aliò quàm in Cellario ſervatur, ſed in tali cuppâ quæ eſt ſerata, & de quâ nihil trahi poteſt niſi clave reſeretur. Ad hanc quoties Hebdomadarius acceſſerit, diligenter lavat, non modo manus, ſed etiam ſpinam & fundum cuppæ in circuitu ſpinæ, priuſquàm quid accipiat de vino: & ſicut dixi, in ſuâ eſt providentiâ, ne aliquando vel aqua vel vinum in Eccleſiâ deſit; & propter hoc in nocte ut ſi cui opus fuerit infirmo, in promptu ſit, ut poſſit communicare. Si eſt eo tempore, atque die quâ Prima cum ipſâ die incipiente, vel ante diem cantatur, tunc ſe ritè ad VII. Pſalmos diurnalibus calceat, ut cuti manus faciemque lavat, & reverſus ad letaniam cum amphorâ majore plenâ aquæ antequàm ipſa tota finiatur, levat ſe & accelerat vinum & aquam apportare. Altaris tabulam tali die non diſcooperit, uſque dum pulſaverit ſcillam, quâ ſignum datur fratribus ad calciandum: in æſtate, vel etiam in hyeme, ſi bis comeditur, differt uſque ad Primam.

Signa quæ pulſanda ſunt ad ſingulas horas, ſolicitus eſt ut pulſet tempeſtivè, ita tamen ut nihil præſumat niſi juſſus à majore, & ſecundùm quod per uſum eſt conſtitutum. Quando fuerit hora ut Fratres ante Tertiam vel Nonam laverint manus, ſtat ipſe juxtà introitum Eccleſiæ, & cum pueros jam ſe viderit lavaſſe, pulſare ſignum ampliùs non tardat. Eodem modo quoties poſt Miſſam & ante Sextam accepto jam mixto audierit eos legentes. De cæteris horis ſignificandis non ſe intromittit, niſi in quantum ei, ut præmiſſum eſt, imperatur. Ad utramque Miſſam ſingula, quibus opus fuerit, providebit & apportabit, & primò quidem Calicem aureum, cum quo Sacerdos eſt oblaturus, lavat, cujus in alio loco jam memini. In die Dominicâ, vel in aliâ quâlibet feſtivitate, quia ad ambas Miſſas non offertur niſi ab uno, ad hoc etiam non ampliùs quàm unam patenam, & unam cum vino apportat ampullam, quam lecto Evangelio levat, & Priori dat in manus, ut offerat accedenti. Verùm ad majorem Miſſam Prior innuit his, qui ſunt albati, ut pro ſe offerant, & propter eos quibus libuerit communicare, mittuntur in die dominicâ hoſtiæ quinque; in aliis ſive ſint privati, ſive ſolemnes, non niſi tres, excepto quod in illis majoribus feſtis, ut eſt feſtivitas S. Joan. Baptiſtæ, providetur à Priore ut tantæ mittantur, ex quibus omnes poſſint communicare. In privatis diebus ad Miſſam matutinalem, quia cuncti offerunt, curat Hebdomadarius ut inter calices mediocres ad hoc ſolùm factos, & inter ampullas cum vino habeat quinque, & totidem patenas cum hoſtiis, quas ordinatim ponit forinſecùs prope Chorum ſuper tabulam deſuper coopertam, & panno intrinſecùs amictam, ut inde Fratres eas accipiant, cum offertoriis oblaturi. Ad majorem Miſſam, quia non offertur niſi ab uno Choro, tantùm tres Calices ſeu ampullæ præparantur, & Hebdomadarius ſtat in Choro ſiniſtro tenens in manu auream patenam, & ampliorem hoſtiis refertam, quas cum aureo cochleari offerentibus diſtribuit ſigillatim. Cum Sacerdos & Diaconus cæterique miniſtri in veſtiario conveniunt ut cantetur Miſſa, vel major vel minor, ipſe ſemper præparat textum Evangelii, quem Subdiaconus portat inter procedendum. Cum venerit hora refectionis, ut non ampliùs ulla Miſſa cantetur in illo die, recenſet Calices ſi habeat omnes; recenſet etiam miſſales libros, & ſacerdotalia veſtimenta quæ è contrà in armario jacent. Portat pixidem cum hoſtiis non conſecratis in Refectorium, de quibus ſingulis, ut ſuperiùs dixi, prælibant qui noluerunt, aut non potuerunt communicare. Refectione tranſactâ, cum ipſa pixide in primis de Refectorio exit, ut ſcillam pulſet in Choro. Ad Veſperos accendit candelas ſicut ad Nocturnos; quibus finitis cum primùm Fratres exierint, uno de ſodalibus ſuis aſſumpto, auream Altaris tabulam cum panno contegit. Si quando collatio tam ſera fuerit, ut opus ſit ignis, portat ad eam tres cereos accenſos, & mittit in conchas propter hoc ibi ſuſpenſas; & ad Mandatum nunquam omittit, ut non unum cereum apportet ardentem. Poſt Completorium, cum circuit, omnium ſignorum, quæ ad Nocturnos tantùm pulſanda ſunt, circulos ordinatè in imum dentem colligit, ut ad Nocturnos non poſſit errare aliud pro alio arripiendo. In IV. feriâ & Sabbato omnes ampullas majores & minores por-

tat ad aquæductum, & diligentiſſimè lavat, uno etiam tali ferramento ad hoc proviſo, cum quo poſſit eas in ipſo fundo fricare.

Tunc ut de ipſo Apocriſario aliquid dicam, de hoc quod à populo offertur ad Altaria, decimum denarium, & panem totum Eleemoſynario dat, caſeos & ova Cellerario. Eſt etiam ei commiſſum ut aliquos anniverſarios faciat, ut v. g. Henrici Imperatoris. Talique die providet ut Fratres in Refect. bonum generalem habeant, maximè ſi potuerit invenire, piſcibus benè piperatis, & pigmentum. De cætero quæcumque ad manus ejus venerint, expendit præcipuè ad ſarta tecta Eccleſiæ inſtauranda, ne aliquo modo dilabantur, & ad luminaria, & ad reliqua, ſi quæ ſunt Eccleſiæ neceſſaria & utilia. Ad Refectorium dat candelas, & ad Infirmariam quantum fuerit opus, & Camerario & Cuſtodi hoſpitum; Domino quoque Abbati, & Priori quantum opus fuerit, qui nunquam ſine lumine dormiunt. Ad hæc omnia ne aliquando facultas deficiat, habet etiam idem Apocriſarius unam Villam ſatis bonam, cum decimis, vineis & agris.

CAPUT XIII.

De Hoſtiis quomodo fiant.

QUod pertinet ad Euchariſtiam & ad Corpus Domini, quia dignum eſt ut cum ſummâ reverentiâ & diligentiâ geratur, expedit ut ipſe modus gerendi non taceatur. Primò [1] quotieſcumque fieri hoſtias neceſſe fuerit, præcipuè tamen ante Domini Natalem, vel ſanctæ Reſurrectionis diem fieri ſolent: Cum enim brumali in tempore prolixiores ſint noctes, licet ante prandium Fratribus operari ampliùs: nam poſt prandium hujuſmodi opus gerere non licet. Frumentum, de quo faciendæ ſunt hoſtiæ, quantumlibet bonum ſit naturaliter & purum, tamen granatim eligitur, & lavatur ſtudiosè, nec per alias perſonas quàm per ipſos Fratres. Colligitur deinde in ſaccum non qualemcumque, ſed qui ad hoc ſolùm de bono panno conſutus eſt & reſervatus; in quo colligatum commendatur uni famulo non laſcivo; qui portans illud ad molendinum, molam lavat utramque, operitque ſurſum & deorſum cortinis, ſe ipſum induit albâ, & ſuper caput mittit, & alligat ſuperhumerale, id eſt amictum, ut nihil de facie præter oculos poſſit apparere. Ita ergo molit, ita farinam cribrat, primo cribro quoque diligenter abluto. Major Eccleſiæ Cuſtos, ſi non eſt Sacerdos vel Diaconus, vicarium ſibi quærit ad hoc opus perficiendum. Duos etiam alios de his ordinibus hujus rei gnaros perquirit, acceptâ licentiâ à Priore, & unum Converſum. Hi quatuor finitis Nocturnis ſe calciant, facies manuſque lavant, & capita pexunt. Secedunt deinde ad Altare S. Benedicti, & ibi cantant matutinas Laudes; Primam quoque ſimul, & ſeptem pſalmos cum letaniâ, reliquâ Pſalmodiâ interim dilatâ. Deinde alii tres, qui ſunt alicujus ordinis, induunt ſe albis & humeralibus, ut ſuprà dictum eſt de famulo, (ſunt enim albæ & amictus quidam huic ſolo negotio deputati) quorum unus farinam conſpergit & vehementiſſimè compingit ſuper tabulam nitidiſſimam habentem limbum in circuitu, aliquantulum in circuitu ſuperficiem altiorem, ne aqua effluere poſſit. Conſpergunt cum aquâ frigidâ, quia inde fiunt hoſtiæ candidiores: à duobus verò reliquis hoſtiæ formantur: aqua verò non in alio vaſe defertur, quàm in quo ſolet ad Miſſas deferri. Ferramentum, in quo ſunt coquendæ, characteratum tenet Converſus, manuſque induit chirothecis. In ferramento poſſunt ſimul hoſtiæ vi. poni: unde inter bajulum ferramenti & formatores hoſtiarum ponitur tabula, & ſuper hanc duo ſunt pali infixi, ſuper quos lignum habetur tranſverſum, ſupe quod ponitur ferramentum ad hoſtias imponendas. Quæ non fuerunt coctæ, cultello abraduntur, & cadunt in diſco deorſum in tabulâ impoſito, & linteo jugiter cooperto, niſi quando hoſtiæ abraduntur.

Canunt Pſalmodiam quæ remanſit, & ſi voluerint, Horas de S. Maria. Ad alias omninò Horas tenent ſilentium, & ſummopere cavent ut non modò ſaliva, ſed nec flatus eorum aliquo modo ad hoſtias pertingere poſſit. Solus Converſus, ſi quid opus fuerit, breviter famulis innuteſcit, qui faciunt focum non niſi de aridis lignis, & ad hoc de induſtria præparatis. Ipſi autem hoſtiarum operarii eo die non cum Fratribus, ſed potiùs cum ſervitoribus reficiunt; & pro tanti laboris levamine habent de Apocriſario ad prandium pitantiam & pigmentum.

CAPUT XIV.

De corporalibus abluendis.

COrporalia ſacro-ſancti Miniſterii quotieſcumque abluenda ſunt, eo ſtudio, eâdemque diligentiâ quâ ſuperiùs definitum eſt oblationes fieri debere, per Sacerdotum vel Levitarum miniſteria maximo cum honore lavantur. Ad hujus etiam rei officium ritè explendum vernale tempus ſive autumnale eligitur, eo quod vernali tempore remotâ hyemali aſperitate, aer jam purior habeatur. Autumnali verò, id eſt, poſt Idus Septembris, quia jam muſcarum tanta non eſt inſolentia, ut in tempore æſtatis, quarum maculæ difficiliùs abluuntur. Ad hoc ſanè miniſterium habentur vaſa ænea altiſſima, nullis aliis uſibus dedita, in quibus poſt Veſp. in Eccl. bis corporalia intinguuntur aquæ frigidæ, & teruntur in manibus; iterū aqua tertiò infunditur, ita per noctem manſura: mane verò infunditur ſicut & priùs in piſcinam ſuper quam Calices lavantur. Portantur deinde foris ad officinam ſecretarii, in quâ ſunt abluenda: ibi namque famuli lexiviam temperant limpidiſſimā & diligentiſſimè colant, & tamen nequaquam effunditur, niſi priùs in ſuperficie panno ſint involuta, ne ſi quid tale in lexiviâ remanſit, ad ſacra pertingat velamina. Quæ poſtquàm benè lota fuerint, & aliquantulùm ſiccata, rurſus intinguuntur aſperſioni quæ ſit clara & liquida de optimâ farinâ, & ita ſiccantur ad perfectum. Interim verò minimè carent cuſtode, maximè qui muſcas & vermiculos inſidentes ab eis abigat. Chorda, in quâ extenduntur ad ſiccandum, non negligitur ut ſit lota, quæ etiam in marſupio ad hoc ſolummodò opus jugiter ſervatur. Quando verò levigantur eadem corporalia cum vitreo hemiſphærio, unus eis ſubſternitur pannus, nec ponuntur unquam ſuper lignum nudum.

CAPUT XV.

De Reliquiis Sanctorum, quomodo proſequantur ſive recipiantur.

QUoties aliquâ urgente neceſſitate Reliquiæ Sanctorum extrà Monaſterium alicubi ſint ferendæ, hujuſcemodi officiis ſunt proſequendæ. Pri-

[1] *Primò*] Quæ ſequuntur, & duo proxima capita ex alio Cod. MS. deſcripta ſunt.

mùm denique Sacriſta in ornato eas feretro componit. Deinde Fratri ad cujus obedientiam ſunt purtandæ, alii etiam ſeniori, cui à Priore earumdem cuſtodia Reliquiarum ſpecialiter committitur, omnia neceſſaria, id eſt, candelabra duo, crucem, thuribulum, urceolum aquæ benedictæ, vexilla tria, cortinam quoque, & tintinnabulum quod à duobus fertur hominibus, veſtimentum, & reliqua Eccleſiaſticis uſibus accommoda præbet. Cum ab Eccleſiâ fuerint producendæ, omnes albis induuntur; deinde ſanctum Corpus à Priore incenſatum duobus albatis Cantoribus committitur uſque ad portas caſtelli ferendum. Omnia ſigna pulſantur; Reſponſorium competens à Cantore incipitur. Præcedente proceſſione ſequuntur bajuli pigneris ſacri, deinde infantes, poſtremò Cantores, ad ultimum Converſi. Cum ventum fuerit ad portas, laici ſuſcipiunt commendatum; finitoque Reſponſorio, & incipiente Priore Pſalmum, *Ad Dominum cum tribularer*, proceſſio eodem revertitur ordine. Item quando reducitur, primùm cuncti Fratres albis induuntur, & duo ſigna majora pulſantur, ac deinde præcedente proceſſione, id eſt, aquâ benedictâ, thuribulo, Cruce & candelabris, ſimili per omnia modo uſque ad portas caſtelli cum omni ſilentio progrediuntur. Ibi denique Prior accepto thuribulo ſanctas incenſat Reliquias, impoſitoque à Cantore Reſponſorio, cunctiſque reſonantibus ſignis, eodem quo exierat ſuſcipitur modo. Imago autem Beati Petri quando ſuſcipitur, Antiphona primùm, id eſt, *Tu es Paſtor ovium*, à Cantore incipitur, ad cujus initium omnis Conventus ſubmiſſis uſque ad terram manibus altiùs inclinat, deinde ab Abbate vel Priore verſiculus, *Exaltent eum in Eccleſiâ plebis* pronuntiatur, & ſubſequenter Collecta *Deus qui Apoſtolo tuo Petro* dicitur; quâ completâ, incipiente Cantore Reſponſorium, eo quo ſupradictum eſt ordine defertur ad Eccleſiam.

CAPUT XVI.

De Raſurâ Fratrum.

INter cætera quæ Camerarius habet curare, eſt operæpretium, ut non obliviſcatur quoque providendorum raſoriorum, quibus ſe fratres radant. Ergo ad hæc ſervanda ſpecialiter unus frater ordinatur, qui ſervat ea in ſcrinio modico & ferato, poſitoque ſecùs introitum Dormitorii ſurſum: quod cum voluerit, & opus eſſe viderit, portat in Clauſtrum, & tamen in unâ parte ſedet extrà Conventum ipſa raſoria acuendo & propriando. Et ad hoc præter alias horas, quibus Conventus ſedet in Clauſtro ad Miſſas & ad Officium, licet ei vacare. Cum ad hoc ventum fuerit, ut raſura generalis ſit gerenda, faciunt Fratres quaſi duas lineas ſedendi, ſcilicet in cancellis Clauſtri, & prope murum. In unâ lineâ raſoria, in alterâ per Eleemoſynarium ſcutellæ ſingulis dantur, à loco ſe movere nequaquam audentibus, ſed cum diſciplinâ præſtolantibus uſque dum ad ſe veniat qui ſcutellas, & raſoria portat. Quiſquis radit alterum, frocum exuit, & in cucullâ radit: qui raditur in froco ſuo, cucullam exuit, & prope ſe ponit. Quòd ſi fortè pro aquâ calidâ apportandâ perrexerit, ipſam cucullam decenter complicatam ſecum in brachio portat. Inter radendum cantatur Pſalmodia, *Verba mea*, præmiſſa eodem modo quo in coquinâ, & inſuper in fine, Pſalmi familiares uſque ad Veſperos: qui ſunt de Veſperis hi non cantantur. Cæterùm uſque dum Pſalmodia ſit conſummata, aliàs ſummum ſilentium eſt, niſi qui radit in primis dicit *Benedicite*. Priùs quoque capillos nemo cum forcipe tondere præſumit, nec ſine cucullâ reindutâ. Priuſquàm ex toto ſit raſus, ſi ad aliquam Horam ſignum fuerit pulſatum, cucullam induit ſuper frocum, indutoque capello pergit ad Eccleſiam, non tamen ingreditur Chorum, ſed ſtat ſeorſum. Si quis poſt horam radendi ſupervenerit, non raditur niſi cum licentiâ Prioris, vel poſt Nonam quando loquuntur in Clauſtro, & non niſi in Calefactorio, ubi tamen, ſicut in Clauſtro, infirmi priùs uno die raduntur quàm Conventus. Vices radendi hæ ſunt per annum. I. Ante vigiliam Natalis Domini, inter quem & Septuageſimam, quia diverſo modo ſeptimanæ ſunt nunc plures, nunc plures, nunc pauciores, ibi nullus terminus eſt præfixus, niſi Prior viderit quomodo convenientiùs fieri poſſit. Veniente Septuageſimâ, de vice ad vicem tres ſeptimanæ ſemper intermittuntur. Ante Paſcha in illâ tertiâ feriâ eſt radendum, maximè quia eo die in Clauſtro licentiam habent loquendi. Poſt Paſcha ad illam Dominicam, *Miſericordias Domini*. Ante Rogationes, in illâ feriâ quintâ, ſi tamen nullâ feſtivitate interveniente impeditur. Ante Pentecoſten: de quo die quia rurſus diverſæ ſunt ſeptimanæ uſque ad ſolemnitatem SS. Petri & Pauli, rurſùs quoque raſura permittitur in deliberatione Prioris. Poſtea non erratur de ullâ vice, quia ita eſt conſuetudinaliter ordinatum, ut ſemper ſe radant ad Tranſlationem ſancti Benedicti: ad Vincula ſancti Petri: ad Aſſumptionem S. MARIÆ: ad ejus Nativitatem: ad Feſtivitates S. Michaelis, S. Lucæ Evangeliſtæ, S. Martini: ad Adventum Domini.

CAPUT XVII.

De Balneis.

HOc omnibus eſt familiare, poſtquàm ſe raſerint, continuò etiam balneare. Sed de noſtris balneis non eſt multum quod loquamur: duabus enim tantùm vicibus in anno balneamus: I. ante Natalem Domini, & ante Paſcha. Ad quod Decanus villæ per totam illam præcedentem ſeptimanam famulos & ligna ſubminiſtrat, ut unuſquiſque lavet in cuppâ, vel ſine cuppâ cum aquâ calidâ. Ad alterutrum quod maluerit facultas datur. Ad ſonum ſigni ſi balneum jam intravit, & propter hoc unam horam regularem omiſerit, non imputatur.

CAPUT XVIII.

De Cellerario.

CEllerarius eâdem benedictione, quâ Prior, ordinatur & abſolvitur. Ordinatus ſcire debet quantâ diverſitate in Refectorio ſit Fratribus ſerviendum. De quo ut non taceam quantum à me ſciri potuit, omitto quid referre de fabis quotidie dandis, & non ſine adipe, ſi non eſt dies jejunii, ſeu de oleribus comminutis & coctis, quæ ſecundùm quod haberi potuerint, dantur. Præter hæc in ſeptimanâ tres dies, II. IV. & VI. feriâ, non niſi pitantiam habemus, alios quatuor generale, & hoc quod die Dominicâ, & V. feriâ eſt de piſcibus, ſi tamen æquo pretio inveniri poſſint. Et ſi non ſunt olera, continuabitur generale. Item quotieſcumque fiunt XII. Lectiones, generale. In talibus feſtivitatibus, ut eſt, verbi gratiâ, Tranſlatio ſancti Benedicti, utrumque & generale, & pitantiam, & adhuc etiam in illis principalibus V. feſtis fabæ ſepiis aut fladonibus mutantur. In quibus & præter panem ſolitum, dari ſolet una tortula de ovis farinâque conſperſa. Sunt & plerique anniverſarii, qui ſi in tali die evenerint

Digitized by Google

quo ex more datur pitantia, propter eos quoque mutatur cum generali. Tales dies habet Cellerarius apud ſe imbreviatos, omnique Sabbato collationem facit cum Priore & Camerario, vel cum eorum Vicariis, de ſingulis diebus venientis ſeptimanæ, ut quidquid in illo, & in illo die dari debuerit, tempeſtivè provideatur. Item in brevi notat ſummam porcorum & arietum qui debentur de obedientiis noſtris, ut confeſtim de his quæſtionem moveat, ſi quid de ſummâ per incuriam cujuſque Obedientiarii decedat: ad ipſam quoque Cellerarii obedientiam pendent aliquæ villulæ in vicino appoſitæ: de his paſcit Cellerarius caballos ſuos; ibi moratur piſces comparaturus, vel ingenia ſtructurus, quibus piſces capiuntur. Si quis Fratrum adeo eſt infirmus, ut de lecto ſurgere non poſſit, ad hunc quotidie ſummo diluculo ſimul cum Infirmario venit, & de omnibus quæ habere poteſt ſciſcitatur ab eo quid ſit quod ſibi videatur, ut præparet ad ejus recreationem. Quoties generale piſcium datur, ſtatim poſt Sextam, vel ſi tamdiù jejunatur, poſt Nonam, totum eſſe debet diſpoſitum & ordinatum in ſcutellis ſuper tabulâ quæ eſt in veſtibulo Cellarii, ut Prior veniens antequàm conſidear ad ſcillam, videre poſſit quod eſt in ſingulis ſcutellis, ſi eſt æquale & ita diviſum, ut Prioribus non veniant majores & meliores partes, multumque in hoc genere perſonarum acceptio cavetur. Eo die quo ſententia Cellerarii legitur in Capitulo, habent de illo fratres bonum generale, aut pitantiam & pigmentum, ubi dum legitur, ſemper præſto eſſe debet. In ſequente rurſus Capitulo veniam petit, ſeque reum de multis negligentiis per occaſionem obedientiæ confitetur. Abſolvit eum Prior, & imperat ut Pſalmus L. cum Collectâ pro eo ad ſanctam MARIAM communiter ab omnibus cantetur. Si fortè contigerit quòd ad horam refectionis ut panis vel aliud quid non ſit coctum, pertinet quoque ad Cellerarium ut auferat malleum ne cymbalum percuti poſſit, & interim Fratres ſedent in Choro ad Lectionem. Hi ſunt autem quos Cellerarius ſuffraganeos habet. Primus qui per omnia vices agit ejus abſentis, & de omnibus reſpondet de quibus ſolet & ipſe reſpondere. Secundus eſt qui annonam recipit, quem & Granatarium vocamus. Huic, quando meſſis eſt tota Collecta, Prior innoteſcit quanti modii de illâ, & de illâ obedientiâ ſunt venturi, & quod ſemel audit, uſque dum ſit redditum, in computo ſuo tenebit. Piſtores ſunt ſub ejus manu, qui cum frumentum acceperint, duas ſpecies panis ſunt reddituri, ut quidquid ſit de alio conductu, panis tamen qui dandus eſt Fratribus poſſit optimus eſſe. Ergo de modio panis hujuſmodi fiunt CXX. libræ, ſequentis L. Si quam negligentiam ipſi Piſtores commiſerint, vel conſuetum numerum librarum non reddendo, vel ipſum panem non tam bonum quàm oporter faciendo, præfatus magiſter eorum adducit eos in præſentiam Prioris, & Cellerarii: cujus imperio nudati verberibus emendantur, eodemque momento pane & vino reficiuntur. Quodque alio dixi loco de Decano, ſemper tenetur ſb omnibus, ut nunquam diſciplina fiat ſuper quemquam famulorum niſi ante prandium. Sed eodem modo Granatarius præeſt & fullonibus pannos Fratrum lavaturis: quos omni tertiâ feriâ lecto Miſſæ matut. Evangelio ducit in Clauſtrum ad aream, in quam foramine deſuper aperto, panni deſuper ingeruntur. Occurrit ei & alius Frater, cui commiſſum eſt, ut videat & in memoriâ teneat quid illi fullones accipiant, vel quid iterum venientes Sabbato poſt Nonam reddant, vel in Quadrageſimâ poſt cœnam. Ibidemque rurſùs ſedet ut intueatur ne quis Fratrum, & maximè aliquis idiota, ita ſit negligens ut accipiat alios pannos, quàm quibus nomen ſuum inſcriptum eſt: nam & hoc eſt edictum Patrum noſtrorum, ut nullus omittat ſtamineo ſuo ſuum nomen cum incauſto inſcribi, & femoralibus cum filo. Adhuc autem ſub manu Granatarii ſunt & Lignatii, qui cum aſinis afferunt ligna de ſylvis, non ſolùm ad furnum, ſed etiam ad coquinam. Quotidie quoque poſt Capitulum ſonatur ſcilla, vel ſi non niſi ſemel comeditur, poſt Sextam, & tunc quicumque de familiâ panem ſunt accepturi, omnes ad Granatarium occurrunt. Ille quoque curat ne deficiant fabæ. Non in Dormitorio, ſed in Infirmariâ jacet, quia frequenter ei contingit ut neceſſariò tardiùs ſe collocet quàm alii. Item ſolet ibi dormire Frater ille qui cum aſinis vadit per obedientias, ut colligat, & adducat annonam.

CAPUT XIX.

De Cuſtode vini.

TErtius eſt ſuffraganeus ejuſdem Cellerarii, qui vinum recipit & cuſtodit. Vindemiâ conſummatâ, ſicut Granatario de annonâ, ei quoque indicatur à Priore quantas vini carratas de illo, & de illo debeat exſpectare. Quando pigmentum Fratres habere debent, ipſe quæ ad hoc neceſſaria ſunt, à Camerario quærit & recipit, ſpecieſque ſingulas ipſe conteri & commiſceri facit. In Cellario dormit cum Cellerario, & nunquam ſine lucernâ, ad quam Camerarius dat adipem, ſicut etiam in Dormitorio, & in domo infirmorum.

CAPUT XX.

De Hortulano.

ET Hortulanus debet Cellerario eſſe ſubjectus, ut ſi quid fuerit in horto quod ipſe voluerit, & expedire noverit ad ſervitium Fratrum, obedienter habeat ab illo, & ſine morâ. Cui etiam nullo modo eſt conceſſum utcumque meridianam unquam horam regularem audeat ſuperſedere, niſi aliquando in uno die ei talis neceſſitas remanendi, tunc à Priore licentiam quærit.

CAPUT XXI.

De Refectorario.

AD Refectorium ſunt duæ claves, quarum unam ſemper habet Cellerarius, ut ſi fortè contigerit, ut aliquis Frater ad Meridianam, vel poſt Completorium ſuperveniat, poſſit ei humanitatem exhibere. Item poſtquàm Prior & omnes ſe collocaverint, ſi quis pro aliquâ causâ Completorium nondum cantavit, talemque ſitim perpeſſus fuerit, cum licentiâ Cellerarii bibere poteſt: at ſi erat infrà ſepta Monaſterii, ad Veſperos bibat, ut dictum eſt, ſi opus habuerit; ſed ut quid comedat poſt Completorium nullâ unquam ratione cuiquam Fratri permittitur incolumi.

Refectorarius verò habet ſub ſe tres alios Fratres, qui primùm omni die poſt Capitulum ſtatim menſalia ponunt. Ponunt cochlearia & panes, qui ſi ſint aliquantulùm ambuſti, ad hoc habent cultellos quibus eos radant, & ad hoc mappulas quas priùs ad collum ſuſpendunt, ut radendo ipſos panes poſſint honeſtè contrà pectus reclinare. Lecto Miſſæ majo-

ris

1 eis Evangelio apportant vinum ut per juſtitias[1] partiantur: verùm quidquid apportaverint, quidquid tale fecerint, ſemper tamen id cavent ut nullus ſtimulus pro illorum invitatione in Refectorio compareat. Quòd ſi duabus vicibus comeditur, poſt Veſperos qui libram ſuam totam manducavit, & vinum compotavit, ei tunc apponitur dimidia libra; ſed de juſtitiâ nihil minuitur, quæ & eâ vice ſemper eſt danda. Quòd ſi aliquando denuò non reficiunt, tamen denuò bibere nunquam omittunt. Hoc eſt autem quod ſpecialiter pertinet ad Refectorarium majorem. Quoties pigmentum datur, ipſe modiolis infundit, ipſe ſcillam pulſat, quæ ad hoc ſolùm in extremitate Refectorii pendet, quæ etiam ſi pulſatur ad benedictionem pigmenti in qualibet feſtivitate, & in quolibet anniverſario, tunc tamen non pulſatur, ſi pigmentum datur, vel pro Domno Abbate de viâ veniente, vel de domo Infirmorum in Conventum redeunte, vel pro adventu Prioris, vel pro ſententiâ Cellerarii, vel ſi quis alius familiaris impendit eis charitatem. Item ad eum pertinet ut omni die Dominicâ, & omni v. feriâ, mutet illa tria manutergia, quæ in Clauſtro jugiter pendent ad tergendas manus. Item ut ſciat in quibus diebus menſæ omnes Refectorii ex toto ſunt cum menſalibus cooperiendæ; & hoc eſt quoties univerſi Fratres ad majorem Miſſam albis induuntur, & in quinque Dominicis (exceptis quas jam in alio loco nominavi) & in vigiliis quinque principalium feſtivitatum, in quibus & ſemper generale datur. In aliis verò diebus non niſi dimidiæ præter menſam principalem cooperiuntur, & ita ut nec ſcutellæ, nec juſtitiæ ſuper menſalia ponantur.

CAPUT XXII.

De Cuſtode Hoſpitii.

HOſpites qui ſunt peregrini, vel qui non pro aliâ causâ quàm animarum ſuarum adveniunt, Cuſtos hoſpitii cum omni recipit benignitate. Quidquid eis opus fuerit à Cellerario quærit, & ſi Cellerarius fortè non habuerit, quærit à Camerario, ut abſque omni excuſatione comparetur. Sed ut primùm dicam de perſonis hujus vitæ, habituſque noſtri: ſi aliquis Abbas, vel etiam privatus Monachus de longinquo loco advenerit, & non benè novit ordinem noſtrum, hunc inducit in Clauſtrum; ſed priùs ei humiliter oſtendit de conſuetudine noſtrâ, ſcilicet ut ſi ei placet, intraturus Eccleſiam ad limen veniam petat, & proſternat ſe ad orationem etiam ſi dies eſt feſtus. Adhæret ei jugiter, & monſtrat in quibus locis debeat orare: primò ad ſanctam Crucem, in Choro ad Altare principale, ad ſanctam MARIAM; aut ſi Eccleſia non eſt clauſa, & intùs ſunt aliqui populares, tantùm ad Altare S. Joannis, quod eſt in membro dextro Eccleſiæ, & ad S. MARIAM. Cum ventum fuerit ad Horam reficiendi, Abbas ſedet ad menſam principalem, non tamen ad ſcillam, pro eo quod, ut ſuprà memini, non eſt eruditus noſtri ordinis. In Eccleſiâ verò defertur ei, ut det lecturis benedictionem, & ponat incenſum in thuribulo. At ſi eâ ſupervenerit horâ, quâ ſervitores jam ad reficiendum conſederunt, tunc non ſedet ad menſam principalem, nec tamen petit licentiam comedendi ad gradum ab eo qui ſedet ad ſcillam, ſicut alii, ſed tantùm dicit verſum ante tabulam ad quam eſt ſeſſurus. Et quia tardiùs venit, ſervitoribus recedentibus ipſe remanet, & ſecundum verſum finit ibidem. Si ſocietatem noſtram quæſierit, poſtquàm diſputatum fuerit in Capitulo de ordine noſtro quantum Priori noſtro videtur, mittetur pro eo. Veniente aſſurgit Convêtus, petit veniam pro ipsâ ſocietate, & recipit cum libro, rogatur ut ſedeat, nec permittitur ut ampliùs veniam petat. Socii verò ejus ternas petunt venias, ſuper manus & genua contrà Priorem, ad dextram, & ad ſiniſtram Fratribus è contrà inclinantibus. At ſi eſt talis homo qui cum proceſſione recipiatur, ſive ſit profeſſionis noſtræ, ſive de aliâ, poſtquàm receptus fuerit, legitur ante illum aliquid de paginâ divinâ. Quòd ſi eſt ordinis Clericalis, & ſi videtur ut comedat in Refectorio, habitum quoque Clericalem induitur. Adductus ad oſtium Clauſtri, exſpectat uſque dum invitetur, ut Domnus Abbas, vel ſi ille non affuerit, Prior ei aquam præbeat ad manus, qui & procedit ut ſcillam pulſet, quâ auditâ inducit hoſpitem Cuſtos hoſpitii, & ſedet ad menſam principalem. Si eſt Epiſcopus, dat Lectori benedictionem. Qualiſcumque ſit Fratrum victus, tamen hoſpiti ſimul cum Priore liberaliter eſt ſerviendum. Cum autem de menſâ Fratres ſurrexerint, Cuſtos hoſpitii noviſſimus de Refectorio exit cum ipſo; cum quo etiam incedens pedetentim, & Pſalmum L. cantans extrà oſtium Clauſtri, finit eodem modo quo Conventus cum verſu & inclinatione.

Si Laicis vel Clericis ſocietas datur in Capitulo, hi veniam non petunt. Si videre geſtiunt officinas Clauſtri, quæſitâ à Priore licentiâ ad alterutram Miſſam, cum fuerit Conventus in Eccleſiâ, inducit eos Cuſtos hoſpitii, primùm in domum Eleemoſynariam, in Cellarium, in Coquinam, in Refectorium, in Cellam Novitiorum, in Dormitorium, in domum Infirmorum, ubi Fratres non loquuntur, nec ipſe verbum facit. Cavet autem omni modo ne quis aliquando intret vel calcaria portans, vel oſis de corio factis indutus. Ut autem deeſſe non poſſint qui hoſpitibus honeſtè obſequuntur, conſtitutum eſt ut famuli Domni Abbatis & famuli Prioris, & Camerarii, qui cum eis ſolent equitare, omnes accipiant libram ſuam, & juſtitiam de manu Cuſtodis hoſpitii, & quotidie veniant ad ejus præſentiam, ut quod ipſe juſſerit obſervent. Et ſi quis illorum quoque abierit abſque ejus licentiâ, illo die juſtitiâ carebit. Præterea ad ipſum hoſpitium duo aſini ſunt deputati, qui ligna quotidie apportent, ut cum hoſpites ſupervenerint, in promptu ſit copia lignorum, & cum tales adfuerint, cereus in hoſpitio arſurus per totam noctem ſolet non deeſſe. Quòd ſi tanti ſunt hoſpites, de reliquiis ciborum Cuſtos hoſpitii famulis ſuis qui ſervierunt aliquam exhibet charitatem, & quod ſuperfuerit, Eleemoſynarius totum accipere debet. Oſtium Clauſtri unâquâque nocte poſt Completorium per ipſum eſt claudendum, & porta veſtibuli Eccleſiæ, ſicut etiam per famulum ſuum exterior porta murorum. Et Clauſtrum quidem nequaquam ante diem aperitur, & quando Fratres in meridie pauſant, ſimiliter obfirmatur.

CAPUT XXIII.

De Stabulario.

EST Frater cui commiſſa eſt obedientia, ut de ſelis curam habeat caballis & mulis, quem & Stabularium appellant. Qui cum viderit hoſpites in hoſpitio eſſe receptos, ſtatim cogitat de caballis eorum quid eis ſit tribuendum, & ſi fortè defuerit, accedit ad Camerarium, ut faciat comparari. Prius quoque quàm ipſi hoſpites abeant, quotquot be-

[1] *per juſtitias.*] Juſtitia hîc ſumitur pro vaſculo ſive poculo continente menſuram unicuique præſcriptam, inde ejuſmodi poculum juſtitiæ nomen ſortitum eſt.

ſtias habent non ferratas, ad omnes dat nova ferramenta, & ut malleus ſit ſemper ad manum, cum ferreâ catenâ eſt connexus ad portam.

CAPUT XXIV.

De Eleemoſynario.

QUemadmodum à Cuſtode hoſpitii recipiuntur omnes peregrini qui faciunt iter equitando, eodem modo quotquot pedites vadunt, ab Eleemoſynario ſunt recipiendi, excepto ſi legatus eſt & litteras apportat, hunc colligit Cuſtos hoſpitii. Receptis autem ſingulis, quærit Eleemoſynarius à Granatario unam libram panis, & ſequenti die abituris ad prandium dimidiam. Menſuráque ſimili venientibus & abeuntibus dat vinum, ſcilicet juſtitiam dimidiâ. Ergo in Adventu Domini, exceptis his diebus quibus bis comeditur, & in Quadrageſimâ, exceptis Dominicis, & per totum annum quoties pro Canonicis inſtitutis ab adipe abſtinetur, ut in Rogationibus, in vigiliis Apoſtolorum, & aliorum Sanctorum, & in Quatuor-Temporibus, quidquid de vino ſuperfuerit Fratribus in Refectorio, totum accipit Eleemoſynarius, ſicut etiam de pane, & per totum annum de pigmento, hoc vinum colligit & reſervat, ut peregrini ſupervenientes ſemper de hoc habere poſſint. Illo quoque die quo ita panem recipit de Refectorio, non tantùm quærit à Granatario, ſed de ipſo pane dat quantis potuerit peregrinis; & quod ſibi viderit deeſſe, hoc à Granatario quærit. Item accipit quotquot defunctorum Fratrum eſt anniverſarius, præbendas etiam totidem integras, in pane, in vino, in fabis & generalibus. Pro quolibet nuper defuncto Fratre, qui profeſſus eſt noſtræ congregationis, ubicumque obierit, præbendam per xxx. dies. Et ſi fabas de regulari coquinâ habere non poteſt, rursùs à Granatario quærit. Et pro generali Cellerarius aliquando dat carnem. Et ipſe quoque Eleemoſynarius comparat cum denariis qui ſibi pro decimâ de Eccleſiâ dantur: ſicque providet ut & carnem dare poſſit frequentiùs peregrinis, & recedentibus ſingulis dat unum denarium; ſi tamen advertere poteſt quòd ampliùs in loco noſtro non fuerint, aut infrà unum non venerint annum. Sunt & xviii. pauperes præbendarii, pro quibus quotidie famulus Eleemoſynarii accipit de Cellerario totidem quoque juſtitias vini, & à Granatario totidem libras panis, & fabas ad quatuor dies ſeptimanæ, reliquos tres non habent niſi olera de horto ad Eleemoſynam deputato. Sed in majoribus feſtis habet etiam carnem pro fabis, & per annum erunt xxv. dies, in quibus habebunt carnem. Igitur ad veſtitum annuatim in Paſcha novem cubitos lanei panni, & in Nativitate Domini par calceorum. Qui & in eâ ſunt diſciplinâ, ut ſimul in unâ dormiant officinâ, nec audeant omittere omnibus Nocturnis intereſſe, niſi quis eorum adeo ſit infirmus, ut de lecto non poſſit ſurgere, aliàs qui non venerit, eo die juſtitiam non habebit. Quod ille Frater explorat qui facit circam ad Nocturnos per Altaria in ſecundo Nocturno, cum abſconsâ exit ad eos in navim Eccleſiæ, & diligenter notans ſi quis eorum defuerit, Eleemoſynario innoteſcit.

Sed & ipſe qui novit quòd aliquando talis eſt eorum præbenda, ſolet eis per vices pitantiam exhibere. Habet enim adhuc quotidie de Refectorio quidquid Fratribus ſupererit, & de generali, & de pitantiâ medietatem, alterâ parte cocis popularibus deputatâ: & de hac quæ ſibi contingit, ſolet & famulis ſuis ſimiliter dare, quibus & dimidiam libram panis addit, excepto eorum majore, ei dat integram: ſed & ſinguli habent integram de Granatario. Sunt autem ſex, unus, ut dixi, major, qui ſervit præbendariis, & aliis pauperibus & peregrinis: alter eſt oſtiarius Eleemoſynariæ domûs: duo vadunt quotidie cum duobus aſinis pro lignis ad ſylvam: duo ſunt proviſores duorum furnorum, de quibus per vices aliquid ſubſidii venit ad Eleemoſynam juxtà morem gentis, & patriæ. Præterea trium Fratrum præbendæ dantur ad Eleemoſynam, ſcilicet pro Beatiſſimo Patre Dom. Odilone, pro Henrico primo Imperatore, pro Fredelando & ejus uxore, & Regibus Hiſpaniarum. Mandatum etſi non per totum annum geratur à Fratribus, tamen Eleemoſyna non remanet unquam: famulus enim Eleemoſynarii in hyeme cum aquâ calidâ pedes trium pauperum lavat, datque libram & juſtitiam ſingulis de tali pane, qualem habent in Refectorio Fratres. Super hæc omnia quotidie dantur & xii. tortæ, quarum unaquæque tres libras appendit. Hæc verò pupillis & viduis, claudis & cæcis, ſenibus & anicullis, cunctiſque ſupervenientibus egenis ſunt erogandæ.

Hoc etiam pertinet ad officium Eleemoſynarii, ut ſemel in ſeptimana totam villam perluſtret, quærens ſicubi pauper aliquis jaceat ægrotus, & ſi maſculus eſt, ipſe viſitaturus intrat; ſi femina, ſtat ad oſtium, & famulum ſuum mittit ad eam cum pane & vino, & cum aliis ſpeciebus, quas meliores potuerit habere. Juncus qui ſpargitur in Eccleſia & in Clauſtro, per Eleemoſynarium eſt providendus. Sex enim vicibus per annum ſcopari facit utraque, totumque cum junco recèns acquiſito contegi pavimentum; id eſt ad Natalem Domini, ad Paſcha, ad Pentecoſten, ad Nat. S. Joannis, ad Aſſumpt. S. MARIÆ, ad Feſtum omnium Sanctorum. Propter quod etiam ſingulariter priuſquàm ipſa veniant feſta, dantur ei ſex tortæ in hyeme per tres ſeptimanas, in æſtate per duas, eo quod juncus tunc faciliùs valet acquiri. Sed & in cunctis feſtivitatibus, in quibus duo & duo cantamus Reſponſoria, ſicut in ſupradictis ſex, totam Eccleſiam & Clauſtrum recenti conſpergit junco: in cæteris verò ſolemnitatibus, ut eſt Tranſlatio S. Benedicti, quas in capis agimus, ſed & in his, quas in albis, ſeu per omnes Dominicas Quadrageſimæ per Eccleſiam, & ubi ſchola ſedet, & in Clauſtro, & in medio Capitulo non negligit juncum conſpergere.

CAPUT XXV.

De Infirmario.

INfirmarius ad obſequium infirmorum ſeparatim habet eneum & coquinam; & ipſe quoque non ab alio quàm à Cellerario quærit quod habuerit opus, eáque nunquam caret operâ, ut quod infirmis ad refectionem eſt præparandum, tempeſtivè præparetur. Nam ſi Conventus duabus vicibus comedit, tunc qui in lecto non jacuerint, non omittunt ad majorem Miſſam intereſſe uſque dum Evangelium ſit lectum; recedunt ad S. MARIAM ut cantent Sextam, nec ulteriùs ex more prandere morantur. At ſi Conventus uſque ad Nonam jejunaverit, ipſi poſt Capitulum, vel ſi Capitulum eſt ante Tertiam, ut ab Idibus Septembris uſque ad Kal. Octobris, poſt Tertiam ſtatim cantant Sextam, & reficiunt. Ergo quicumque carnem comederint, ad prandium tria habent fercula, ad cœnam unum. Et ad cœnam quidem accedere omni tempore ſic accelerant, ut non ſit neceſſe ullâ vice ſuperſedere collationem: qui abſque comeſtione carnis tamen morantur in domo infirmorum, nec ſunt hujus valetudinis ut

cum aliis in Refectorio comedere poſſint, eiſdem quoque reficiunt momentis. In Quadrageſimâ verò omnes infirmi poſt Nonam ſtatim cantant Veſperos, & cætera quæ ſequuntur; & ſine morâ accedunt ad menſam. Extra Quadrageſimam ſi evenerit generale jejunium, ut in Quatuor Temporibus, iterum poſt Miſſæ majoris Evangelium, cantant Nonam, & reficiunt. Tales ſunt aliquando infirmi qui per annum integrum vel ampliùs non exeunt de Infirmaria: & his, ſi tantùm valuerint, conceditur, ut mane ſedeant in Conventu, & ad Matutinam Miſſam offerant, veniant in Capitulum, & ad Collationem, & tamen comedant cum aliis infirmis. Si verò manifeſtè talis eſt alicujus Fratris infirmitas, quæ non multum impedit virtutem jejunandi, ut eſt, v. g. luminis amiſſio, & orbitas oculorum, Conventu ſemel comedente, ipſe quoque ſemel comedere non prohibetur.

Sed ut adhuc rediens ad ipſum Infirmarium, ad Nocturnos factis orationibus accipit abſconſam, & circuit lecta omnium infirmorum, ut cognoſcat ſi quis eorum nondum ſurrexit, propter quod remanſerit. Ad eum quoque pertinet, ut ſi quis de lecto ſurgere non poteſt, ſummo diluculo cum Cellerario veniat (ſicut & in alio loco jam præmiſi) ut cum eo concordet quod præparetur ad ejus recreationem. Ad horam competentem accurrit ad coquinam officii ſui, ut cocum faciat quæ præparanda ſunt, præparare. Ad horam competentem invitat infirmos ad reficiendum, fercula quæ apponenda ſunt ipſe apponit, quidquid non comederint, ſi eſt hujuſmodi quantitatis, ipſe non reponit: habet enim armariolum in quo talia recondit, & adhuc candelas, & poma, raroque aut nunquam defuerint in eo piper, cinnamomum, gingibrum, aliæque radices quæ ſunt ſalubres, ut ſit ſemper in promptu quod valeat infirmo, fortaſſis ut aliquando contigerit ſubitâ paſſione percoſſo, vel ſi expedit, ut pigmentum ei conficiatur. Camerarius enim non invitus præbet Infirmario hujuſmodi facultatem. Famulis autem qui infirmis obſequuntur, de reliquiis ciborum pitantiam impendit, de reliquo reddit Granatario panem, & Cellerario carnem; aut ſi quid eſt tale quod infirmis honeſtè poſſit redhiberi, eis ſervat. Nunquam horam omittit regularem abſque licentiâ, niſi forte Domnus Abbas vel Prior ſint in Infirmariâ; ſi propter eos omiſerit, hoc non notatur. Poſt Completorium apportat aquam benedictam, & aſpergit per omnia lecta infirmorum. Et cum hora fuerit, ut omnes jam ſe debeant collocaſſe, cum abſconſâ diligenter neceſſarias perluſtrat.

CAPUT XXVI.

De Famulis ad domum Infirmorum pertinentibus.

Famulorum qui ad domum Infirmorum pertinent, quia ſuperiùs memini, ut de his quoque magis aliquantulum dicam, tres ſunt ex more; duo qui coram eis dormiant, & ad menſam ſerviant; qui & hujus ſunt diſciplinæ, ut quamdiù comedunt infirmi, nunquam coram eis ſedeant aut conſiſtant, ne fortè audiant ſi quis eorum tale quid dixerit, ut ſunt homines inter comedendum, quod non expediat à famulis ſciri, vel per eos propalari. Quiſquis illorum foris ſtat procul, aut ſedet, & cum opus fuerit, à quolibet infirmo cum ſonitu vocatur. Cum fecerit propter quod vocatus eſt, rursùs celeriter exit. Tertius famulus ad hoc eſt maximè deputatus, ut lavet pannos ad cocturas omnium, ut aiunt, Fratrum coctorum neceſſarias, focum faciat, & aquam calefaciat, quâ ſcutellæ ſunt lavandæ. Omnes autem aliquando pariter, aliquando viciſſim pergunt ad ſylvam, incidunt ligna, cum uno aſino aſſ[illegible]untur, ut infirmi cum voluerint focum habere poſſint, & ad hoc ſolum aſinus optimus ſemper eſt à Granatario paſcendus, nec alius famulus minat eum quàm unus de ſupradictis.

CAPUT XXVII.

De Infirmis.

Frater qui incœperit ita infirmari ut Conventum tenere non poſſit, petit veniam in Capitulo, & monſtrat quòd ſit infirmus. Jubetur foris Chorum ſtare, ut pro voto ſuo poſſit ſedere, & Cellerarius curat, ut in Refectorio non abſque pitantiâ eum [illegible] mittat. Cum ita biduum vel triduum tranſierit [illegible] non erit melior ejus valetudo, invitat eum Prior [illegible] domum infirmorum. Secundo die vel tertio, [illegible] dum etiam aliquantulum convaluit, rurſus [illegible] horam prandii eum inviſit, carnem facit apportari, præcipit ut comedat. Ab eâ vice nuſquam abſque baculo incedit, & niſi caput capello cooperto. [illegible] utramque Miſſam matutinalem & majorem [illegible] ad Eccleſiam, quamquam ad majorem non [illegible] que poſt Evangelium interſit. Si in Capitulum non intrat, tamen quod in Capitulo legitur auſcultat, ſcilicet ſententiam Regulæ, vel de Evangelio, & ad collationem. Si conventum fuerit ut agatur de negligentiis Fratrum, ad hoc audiendum non debet eſſe curioſus; mox enim de oſtio recedit, ubi [illegible] auſcultatur; ſilet tamen ex more uſque dum Capitulum ſit peractum. Priuſquàm ſedeat ad menſam, lavat manus ad lavatorium Infirmorum. Inter comedendum, ſi non eſt indictum ſibi ſilentium ex toto, ut in Refectorio, tamen nec licentiam multiloquii habet. Poſt prandium quoque non licet ei vacare loquacitati: ſed continuò ſe ponit in lectum, aut ſi eſt eo tempore quo Fratres non meridiantur, tunc ſi maluerit, vadit ad capellam S. Mariæ: ubi rurſùs poſt cœnam ſedet aut jacet, quando Fratres in Clauſtro ſederint ad Lectionem. Circatores autem frequenter viſitant domum Infirmorum, & diligenter explorant quomodo ipſi ſe habeant Infirmi. Et iterum Infirmarius ſi quam viderit negligentiam, maximè in loquacitate, reclamat in Capitulo. Prior autem de Capitulo mittit ad eos, & ipſe poſtmodum venit ſemel ad eos, & ſecundò caſtigans: taliſque infirmus eſſe poteſt, ut ſi non emendaverit, aliquando etiam virgam experiatur. Verùm qui ita convaluerit ut redire poſſit ad Conventum, redeundi licentiam quærit à Priore. Unguuntur calcei ejus diurnales, & ſequenti die induit eos rediturus. Cum primò ſignum pulſatur ad Primam, vel ſi eſt eo tempore, eaque die, quâ Tertia cantatur ante Capitulum, ſtat prope oſtium ad S. Mariam, & pueros præſtolatur; quos cum viderit tranſeuntes, ſequitur eos in Eccleſiam, & ita ſe coadunat Conventui. Cum venerit in Capitulum, & poſt Lectionem Prior juſſerit ut de ordine loquantur, ſtatim ſurgit, & veniam petens, ita perſequitur: *In domo eram Infirmorum: ordinem noſtrum, ut debui, non ita cuſtodivi.* Et Prior reſpondet: *Deus indulgeat vobis.* Inclinat altiſſimè contrà Priorem, contrà dextram & ſiniſtram, & ei ſimiliter à ſingulis partibus inclinatur: tunc in loco pœnitentiæ injungit illi ut cantet ſeptem Pſalmos, vel ſi neſcit, ſepties orationem Dominicam. Si quis eſt adeo infirmus, in ipſo Adventu Domini, ſeu in Septuageſimâ, non permittitur à carne abſtinere. Et quandocumque convaluerit, etiam ſi ſit in mediâ Quadrageſimâ,

vel in Ramis Palmarum, petit veniam in Capitulo, ſicut fieri ſolet pro comeſtione carnis.

CAPUT XXVIII.

De unctione cujuſque Fratris.

FRater qui ſe infirmitate ingraveſcente ſenſerit in proximo ab hoc ſæculo migraturum, de omni conſcientiâ ſuâ Dom. Abbati, vel Priori confitetur, & rogat ut oleo Infirmorum ungatur. Adducunt eum priùs in Capitulum duo Fratres inter manus, ſi eſt adeo infirmus, & petit veniam, reumque ſe de multis negligentiis contrà Deum, & contrà illos confitetur. Imprecatur ei Prior abſolutionem, cunctis reſpondentibus, *Amen*, & ipſe eis ſimiliter. Reducitur, & collocatur in lecto tali ſubmiſſo, ubi Fratres poſſint undique circumſtare. Poſt Capitulum Sacerdos Hebdomadarius indutus albâ & ſtolâ, procedit cum oleo Infirmorum, cum aquâ benedictâ, cum Cruce, & cum duobus cereis in candelabris, & Conventus ſequitur. 1. Pſalmo impoſito, dicenda eſt primò hæc Collecta à Sacerdote: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui per B. Apoſtolum tuum dixiſti; Infirmatur quis in vobis*, &c. Imponuntur VII. Pſalmi cum illis Antiphonis, *Sana me Domine, quoniam*, &c. Pſal. *Domine ne in furore tuo.* Antiphona, *Erat quidam Regulus*: Pſal. *Beati quorum*; Antiph. *Domine puer meus*: Pſal. *Domine ne in furore.* Antiph. *Cor contritum*: Pſal. *Miſerere*: Antiph. *Domine deſcende*: Pſal. *Domine exaudi*: Antiph. *Domine non ſum dignus.* Pſal. *De profundis.* Ant. *Cum ſol autem occidiſſet*: Pſal. *Domine exaudi.* Interim Sacerdos hoc modo facit unctionem, pollicem oleo illinit, & cum pollice ſignum Crucis imprimit ſuper utrumque oculum ita dicendo: *Per iſtam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid peccaſti per viſum.* Item ſuper utramque aurem: *Per auditum*; ſuper utraque labia, *Per guſtum*; ſuper naſum, *Per odoratum*; ſuper manus, *Per tactum*; (& Sacerdotes extrinſecùs) ſuper pedes, *Per inceſſum*; de ſubtus ſuper inguines, *Per ardorem libidinis.* Lavat manus; & lavatio non niſi in loco mundo & abdito ſolet effundi. Tunc ſi infirmus non communicatur, Sacerdos ipſe ſubjungit has omnes Collectas, his verſ. præmiſſis; *Salvum fac*, &c. *Mitte ei*, &c. *Nihil proficiat*, &c. *Eſto ei*, &c. Orat. *Deus qui famulo tuo Ezechiæ*, &c. *Reſpice Domine famulum tuum in*, &c. Alia, *Deus qui facturæ tuæ*, &c. *Deus qui humano generi*, &c. *Virtutum cæleſtium Deus*, &c. *Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui fragilitatem*, &c. *Exaudi Domine preces noſtras*, &c. *Præveniat hunc famulum*, &c. *Domine Deus noſter qui offenſionem noſtram*, &c. *Adeſto Domine ſupplicationibus*, &c. *Præſta quæſumus Domine huic famulo tuo*, &c. *Deus humani generis*, &c. Si autem communionem ſacram percepturus eſt, tunc ab alio dicuntur præfatæ Collectæ; & ipſe interim Sacerdos, Cruce, & aquâ benedictâ remanentibus, redit cum geminis candelabris ad Eccleſiam, ut Corpus Domini apportet, quod accepturus priùs veniam petit, & priùs incenſat, frangit, & partem quam allaturus eſt, ſuper Calicem tenet, & tam ipſe Calix, quàm manus Sacerdotis, linteolo candidiſſimo cooperitur. Quicumque illi obviaverint, veniam petunt. Interea curatur ut infirmi bucca lavetur, recepturi ipſum Corpus Domini, quod recipit vino intinctum: quo epotato, ebibit quoque ablutionem Calicis, & ſecundò ablutionem digitorum Sacerdotis, & adhuc tertiò Calicis. Adhibetur illi Crux ut eam oſculetur: oſculatur etiam quaſi ultimum vale facturus, primò Sacerdotem, deinde omnes Fratres, ipſos quoque pueros. Redit Conventus rursùs impoſito 1. Pſalmo.

CAPUT XXIX.

Quid agendum eſt in fine exitûs.

POſtquam autem Frater ad hujuſmodi venerit infirmitatem, providetur ei unus famulus, qui non habet aliud facere, niſi ut obſequatur infirmo. Sed & in nocte famuli qui ſunt in domo Infirmorum, omnes diligenter excubant, ne obitus ejus improviſius poſſit evenire. Crux eſt contrà faciem ejus affixa, & lumen cerei uſque ad clarum diem non deſuerit. Si quis Frater eſt ita religioſus, cui hoc pro ſingulari libuerit affectu, ut ipſe quoque remaneat excubans cum infirmo, libenter ei acquieſcitur à Priore, maximè ſi eſt hujuſmodi qui infirmo horas cantet regulares, & venienti ad extrema legat paſſiones. Famuli autem qui ſunt in talibus multum exercitati, multumque periti, cum viderint jam ejus exitûs horam imminere, cilicium expandunt, cinerem deſuper aſpergunt, & infirmum de lecto levatum in cilicium ſubmittunt; ab uno eorum percutitur tabula contrà oſtium Clauſtri crebrâ & quaſi continuâ percuſſione. Quod cum ſignum ſit obituri, illicò ut auditum fuerit, Fratres omnes accurrunt: nam quamvis homini noſtri ordinis omninò ſit prohibitum, ut ullius rei gratiâ gravem & temperatum inceſſum aliquando excedat, tamen ad morientem & ad incendium etiam præceptum ut currat. Sed ſi hæc tabulæ percuſſio evenerit vel quando alterutra Miſſa, vel quando regularis hora cantatur, quotquot ſtant foris Chorum accurrunt, qui in Choro, minimè, niſi quibus Prior innuerit, & obedientiarii qui ad exequias aliquid ſunt facturi. Quòd ſi in Refectorio adhuc ſedent, & lectio necdum eſt finita, iidem quoque proſiliunt, quamquam defuncti corpore lavato, & in Eccleſiam deportato, denuò ſit illuc redeundum, ut lectio finiatur, & Pſalmus conſuetus cantetur. Accurrentes autem cantant & recantant majorem ſymbolum fidei, ut fraterna fides ſuffragium conferat migraturo. Sed ſi exitus ejus tardior aliquantulum fuerit, agenda eſt ipſo Dom. Abbate vel Priore pronuntiante letania; & unicuique nomini Sanctorum ſubjungendum eſt, *Ora pro eo.* Eſt autem prolonganda prout permiſerit temporis ratio, & ſecundùm quod in causâ migraturi proſpici potuerit, vel æſtimari. Finitis verò Sanctorum nominibus confeſtim ſubinfertur, *Propitius eſto, Parce ei Domine. Propitius*, &c. *Libera*, &c. *De gladio maligno, Libera eum Domine. A morte perpetua, Libera*, &c. *A pondere peccatorum, Libera*, &c. *A terrâ caligine, Libera*, &c. *Per crucem tuam, Libera*, &c. *Per interceſſionem omnium Sanctorum, Libera*, &c. *Peccatores, Te rogamus audi nos. Ut iracundiæ tuæ flagella ab eo amoveas. Te rog. Ut ſpiritum ejus à loco anguſtiæ liberes, Te rog. Ut cum fiducia diem judicii expectet, Te rog. Ut eum in numero placentium tibi recenſeri facias. Te rog. Ut eum à numero diſcerni facias malorum, Te rog. Ut eum in regione vivorum æternis gaudiis foveri jubeas, Te rog. Ut eum præmia æterna vitæ adipiſci facias, Te rog. Ut eum à mortifero vaſtatore defendere digneris, Te rog. Agnus*, &c. *Parce. Agnus. Dona ei requiem. Agnus. Miſerere ejus.* Quòd ſi necdum finivit, Conventus recedit, & aliquanti qui remanent, Pſalterium incipiunt. Cum autem jam eum non dubitaverint obiiſſe, dicuntur à Sacerdote hæ Collectæ; *Pia recordationis affectu, Fratres.* Alia,

Deus cui omnia vivunt. Suſcipe Domine animam ſervi tui. Conventus egens ut conſideat ante Capellam S. MARIÆ, cantat Veſperos pro Defunctis, Officium & Matut. non alia Collectâ, quàm eâ ſolâ, ſemper ſequente: *Omnipotens ſempiterne Deus.* Et ſi Frater obierit interim dum Conventus eſt ad regularem horam, vel ad Miſſam, poſtea non ita currendo venit, ſed moderato inceſſu, & cantando Veſp. Defunctorum.

Mox autem ut obierit, ultrò procurrunt Converſi ut pulſent omnia ſigna, & prolixè, ut apportent adhuc aliam Crucem, & rurſus aquam benedictam, candelabra, & thuribulum, quæ cum fuerint apportata, incenſo ſuper Defunctum facto, aſpergitur etiam aquâ benedictâ. Poſt modicum ſimul cum ipſis quæ apportata ſunt, effertur in atriolum ubi lavetur. Sed eum nec portant, nec lavant, nec in ſepulcrum ponunt alii Fratres, quàm qui ejus ſunt ſimiles vel in ordine, vel ſine ordine. Ad Infirmarium pertinet aquam calidam providere: ad Camerarium ea quibus eſt induendus. Ponitur ſuper tabulam ad hoc ſolùm deſtinatam, nudatur, lavatur à vertice uſque ad plantam pedis. Sola verenda veteri ſtamineo ſunt cooperta. Veſtitur ſtamineo, cucullâ, caligis nocturnalibus, & ſudario quod eſt de eodem panno, de quo eſt ſtamineum, ſicut & caligæ, quæ & longiores ſunt quàm aliæ caligæ, nec in extremitate patulæ ſunt conſutæ. Capellum cucullæ deſuper faciem ex utrâque parte conſuitur contrà pectus, ſuper quod etiam manus ſuprà cucullam complicantur, ipſaque cuculla per loca conſuendo ita conſtringitur, ut in nulla parte ſit laxa. Item nocturnalia conſuuntur ad invicem. Inter lavandum lavatores quotquot ſciunt Pſalmos, non ceſſant à Pſalmodiâ, & Sacerdos dicit hanc Collectam: *Suſcipe Domine animam ſervi tui.* Poſtquàm veſtitus fuerit, incenſum, quod interim ſemper erat continuum, mittitur ſuper eum, & aſperſus aquâ benedictâ, ponitur in feretrum, & deſuper opertorium levatur, portatur uſque ad oſtium contrà Conventum; qui cum venerit ad finem alicujus Pſalmi, hoc Prior obſervat, & percutit tabulam ſemel tantùm. Dimiſſâ Pſalmodiâ, ab omnibus inclinatis dicitur oratio Dominica, & Prior, *Et ne nos inducas, &c. A portâ inferi.* Orat. *Deus vitæ dator, &c.* Alia: *Deus qui humanarum animarum æternus amator es.* Imponitur Reſponſ. *Subvenite.* Item, *Heu mihi, &c.* In proceſſione Crucem ſequuntur pueri, poſtea Priores, poſtea Converſi, & Defuncti portitores noviſſimi, ipſeque Defunctus ante Altare S. MARIÆ collocatur, uſque dum pro eo hæc Collecta dicatur: *Deus veniæ largitor.* Rursùs impoſito Reſp. *Ne recorderis*, & poſtea, *Peccantem me quotidie*: & pulſatione omnium ſignorum jam inceptâ, portatur in Eccleſiam majorem, ponitur ſuper formas. Crux cum candelabris ad caput ejus adfigitur. Ab illâ horâ, quouſque portetur ad ſepulcrum, non omittitur abſque Pſalmodiâ, niſi Miſſa generalis aut Hora regularis cantetur: ad quam cum primum pulſatur ſignum, ceſſat Pſalmodia, præter ad ſolos Nocturnos, tunc tenetur uſque ad introitum puerorum. Quando Conventus eſt in Capitulo, vel in Refectorio, Prior præcipit aliquantis Fratribus remanere. Si eſt tempus quo Fratres circà medium diem dormire ſolent, illo die non dormiunt. Et defunctus ſi aliquantulum prius obiit, quàm ſonitus in dormitorio fieret, ipſo die ſepelitur; aliàs minimè. Et nox alia in tres vigilias eſt diviſa, quarum primam Chorus agit dexter, ſecundam ſiniſter, noviſſimam poſt Matutinas Pueri cum Magiſtris. Si eſt nox hyemalis, ut à Kalendis Octob. uſque ad Cœnam Domini, ad unamquamque vigiliam Pſalterium ex toto eſt dicendum, Veſperi Off. & Mat. Laudes pro Defunctis, addito ſemper *Verba mea.* At ſi eſt æſtiva, tunc de Pſalterio non niſi centum Pſal. ſunt dicendi. Et ſi poſt Completorium obitus Fratris contigerit, Pſalterium non eſt incipiendum niſi prius ex toto ſint expletæ, poſtea quàm Frater obiit & Veſp. pro defunctis, & Off. & Matut. laud. & *Verba mea.* Miſſa Matut. cantatur pro eo, ad quam omnes ut offerant, debent intereſſe. Diaconus poſtquàm incenſaverit Altaria, incenſat & Defunctum. Sepulcrum cum factum fuerit, dicenda eſt hæc Collecta ſuper illud: *Deus qui fundaſti.* Majore Miſsâ finitâ, vel ſi eſt Quadrageſima, ſcillâ ad Veſp. pulſatâ, & oratione Veſp. præmiſsâ, Prior unum de majoribus ſignis aliquantulum pulſat per tres vices. Conveniunt Fratres, & cerei per cuſtodes Eccleſiæ diſtribuuntur. Sacerdos Defunctum ſepulturus, indutus eſt albâ & ſtolâ. Armarius adſcito alio Fratre incipit, *Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie, &c.* Ad quod cum omnes ſimul reſponderint, ſubmittunt ſe inclines, & Sacerdos abſque ſalutatione dicit has Collectas: *Non intres. Fac quæſumus Domine. Inclina Domine.* Quibus interponuntur Reſp. I. *Induta eſt.* II. *Scio Domine.* III. *Libera me Domine.* Verſus, &c. Toties quoque Sacerdos incenſat Altare principale & corpus Defuncti, imponitur Antiph. *In Paradiſum*, cum Pſal. CXVII. Hoc mutatur in Proceſſione, quòd Pueros ſequantur Novitii & Converſi, & poſtea Priores. Stant etiam in Eccleſiâ S. MARIÆ cum cereis infirmi. Conventus autem præveniens in cœmeterium, expandit ſe in modum coronæ, & inter ſepeliendum ea Pſalmodia cum Antiph. cantatur ab eo. Antiph. *Aperite*: Pſal. *Confitemini*: Antiph. *Ingrediar*: Pſal. *Quemadmodum*: Ant. *Hæc requies*: Ant. *Memento*: Ant. *De terra*: Pſal. *Domine probaſti me*: Ant. *Non intres*: Pſal. *Domine exaudi*: Ant. *Omnis ſpiritus*: Pſal. *Laudate*: Ant. *Abſolve Domine*: Cant. *Benedictus.* Sacerdos cum primùm venerit ad ſepulcrum, has dicit Collectas: *Obſecramus miſericordiam*: Alia, *Deus apud quem.* Sepulcrum & priùs & poſteaquàm defunctum receperit, incenſatur, & aquâ benedictâ aſpergitur. Collocatur operculum ligneum ſuper Defunctum, & Sacerdos primùm palâ mittens aliquantulum terræ ſuper illum, ſubjungit has Collectas: *Oremus Fratres cariſſimi. Deus qui juſtis ſupplicia. Debitum humani corporis. Temeritatis quidem.* Quibus factis recedit à ſepulcro ſimul cum Cruce, & procedit in medium cœmeterium, in quo ſtant Pueri, qui verſis ad Orientem vultibus cantaverunt Pſalmos, ſicut & totus Conventus. Ibi ſub ſilentio præmiſsa oratione Dominicâ, ſubinfert; *Et ne nos inducas.* Verſ. *Non intres.* Collect. *Tibi Domine commendamus.* Cereis extinctis ſequitur Pſal. L. Rurſus cum oratione Dominicâ Verſ. *A portâ inferi*: Collecta, *Deus cujus miſeratione*: factâ inclinatione conſuetâ, & VII. Pſalmis impoſitis, redditur ita, ut poſt Pueros Priores eâ vice ſint anteriores: eodemque ordine cum pervenerint in Chorum, proſternent ſe cum ipſis Pſalmis, quos Sacerdos jam albam & ſtolam exutus claudit hac Collectâ, *Abſolve Domine animam famuli tui.* Signa, quæ Defunctum efferendo ſtatim pulſari ſunt inchoata, non priùs omittunt, quàm Sacerdos receſſerit à ſepulcro.

Ipſo die quo Defunctus ſepelitur, omnes Sacerdotes cantant Miſſam pro eo. In ſequente autem die quidquid ad cœnam panis aut vini remanſerit, ad Eleemoſynam pro eo datur. Inchoatur & ſeptenarius ejus & tricenarius. Septenarius ita, ut per ſeptem dies Officium & Miſſa cantetur à Conventu pro eo generaliter. Tricenarius verò ita ut per triginta

dies detur ad Eleemoſynam ejus præbenda plena cum fabis & generali; & pſalmodia quæ dici ſolet poſt Matut. & Pſalmus *Voce meâ*, qui ſolet dici ad omnes horas; tunc pro eo dicatur & *Verba mea*, & xxx. Miſſas pro eo cantandas à ſex Sacerdotibus, Priore incipiente, quorum unuſquiſque cum ſuas finierit in Capitulo pronuntiat, ut alius incipiat in craſtino, quod nunquam intermittitur pro quâlibet feſtivitate, exceptis per annum quinque diebus, id eſt in Nativitate Domini, in ejus Reſurrectione, & illis tribus diebus, qui eamdem Dominicam Reſurrectionem antecedunt. Sua quoque veſtimenta cum primùm abluta eſſe potuerunt, omnia excepto coopertorio portantur in Capitulum, ut Fratribus, ſi opus habuerint, dividantur: & qui de eis quid acceperit, præcipitur à Priore, ut Defuncti recordetur cum hujuſmodi Pſalmodiâ, vel cum tot Miſſis ſi eſt Sacerdos, ſecundùm quod tunc præcipienti videbitur. Coopertorium ideo non apportatur, nec ibi datur, quia id magis habent Fratres pro miſericordiâ, quàm pro illâ regulari conſtitutione, cujus nec meminit S. Benedictus. Finitis omnibus, rursùs ei Prior imprecatur abſolutionem. Et de cætero, quoties venerit anniverſarius ejus, iterùm præbenda ſua dabitur ad Eleemoſynam. Miſſa verò quæ tunc cantanda eſt pro illo, aliquando aliquâ impeditur feſtivitate. Quæcumque tamen proximè cantantur pro defunctis, non minùs pro illo, quàm pro aliis cantantur, ſed ea Pſalmodia, *Verba mea* non differtur.

CAPUT XXX.

Si quis obierit in aliquâ Cellâ.

FRater qui ad aliquam Cellam propriam miſſus, ibi obierit, ibi quoque habebit xxx. Miſſas, quarum ſuprà memini. Et cum ad nos venerit brevis ejus depoſitionis, agitur pro eo officium, & Miſſâ ſignis omnibus pulſatis: & de reliquo utrumque, & ibi ubi ſepultus eſt & apud nos agendus eſt eodem modo ejus ſeptenarius, ejus tricenarius, & anniverſarius ejus.

CAPUT XXXI.

Quid agatur pro quolibet Fratre in ſingulis obedientiis.

UT autem fatear quod verum eſt, quid fiat in Cellis noſtris pro quolibet Fratre qui apud nos vel alibi obierit, non facilè dixerim, niſi quando brevis evenerit, agitur officium, & quicumque Sacerdos eſt cantat Miſſam pro eo, & qui non eſt Sacerdos, quinquaginta Pſalmos, aut toties orationem Dominicam. Tamen rara ſunt loca illa, in quibus præbenda non detur pro eo: nam & in quibuſdam datur vii. diebus, in quibuſdam etiam xxx. & ſemper in anniverſario ejus: hoc totum diſpoſitum eſt & ordinatum per Domnum Abbatem, ſecundùm quod ipſe cognovit poſſibilitatem & facultatem cujuſque loci.

CAPUT XXXII.

De obitu Domni Abbatis.

SUper hæc omnia Domno Abbati ab hac vitâ decedenti, iſta ſunt addenda. Deponendus in tumulum, veſtitur omnibus Sacerdotalibus veſtimentis. Quatuor Fratres qui cantant verſus illorum trium Reſponſoriorum, veſtiti ſunt cappis, & quatuor qui portabunt eum ad tumulum, albis. Per annum integrum addatur ad Eleemoſynam ejus præbenda, non ſolùm apud nos, ſed etiam in omnibus Monaſteriis & Cellis noſtris. & xxx. Miſſæ cantantur pro eo, ſi tanti ſunt Sacerdotes qui poſſint hoc explere. Ejus quoque anniverſarius hoc modo agitur: Primò omnia ſigna pulſantur prolixiùs ad Veſperos pro Defunctis, qui eà vice cantantur in Choro priuſquàm proceſſio fiat ad S. MARIAM. Item ad Officium, & ad Miſſam, quæ & feſtivè nec abſque tractu à duobus cantando celebratur: ipſo die habebunt Fratres in Refectorio generale piſcium, ſi valet acquiri, & pigmentum, & duodecim pauperes in Hoſpitali reficiuntur, non ſolùm pane & vino, ſed etiam carne, ſi tamen eſt ea dies carnem comedendi; aliàs providetur quod tantumdem valet.

CAPUT XXXIII.

De eo qui in Quadrageſimâ obierit, & ſepeliendus eſt in xii. Lectionibus.

SI quis Fratrum in Quadrageſimâ obierit, & in tali die eſt ſepeliendus qui cum xii. Lectionibus fuerit ſolemnis, pro illo poſt Primam cantatur Miſſa Defunctorum, & cum tribus tantùm Collectis: *Omnipotens ſempiterne Deus. Deus veniæ largitor. Fidelium Deus.* Propter quod tamen nec illa Miſſa de feſtivitate poſt Tertiam, nec illa de jejunio poſt Nonam remanebit: ſed ſi in die Dominicâ ſepultura evenerit, additur & quarta Collecta, id eſt, *Sanctorum tuorum.* Item ſi quis ſepeliendus eſt in quolibet die trium, qui proximè Paſcha antecedunt, ſepelitur abſque Miſſâ pro Defunctis in præſenti. Item qui ſepeliendus eſt in Rogationibus, pro illo cantatur poſt Primam Miſſa Defunctorum, & illa de Rogationibus poſt Tertiam; ad quam etiam non offertur, nec pax recipitur, niſi ab uno. Item qui ſepeliendus eſt eo die, quo non benè mutare poſſumus raſuram, poſt Capitulum ſtatim percuſsâ tabulâ ſepelitur, quia quamdiù eſt inſepultus, non licet in Clauſtro vel loqui, vel aliud quid facere, niſi tantùm Pſalmis ad exequias vacare. Solus Armarius tantum facit de ſcripturâ, quod Defuncti nomen ſcribit in memoriali Fratrum, & breves qui mittendi ſunt pro eo per Cellas.

Nonnullæ ſunt Congregationes non ſolùm Monachorum, ſed etiam Clericorum, quæ habent ſocietatem noſtram, & fraternitatem, ut cum Brevis eorum venerit ad nos de Defuncto, vel ad illos noſter, Officium & Miſſa geratur, & poſtea ſeptenarius cum Officiis & Miſſis. Item ſunt plerique Fideles Chriſti tam pauperes, quàm divites, qui cum adducti in Capitulum noſtrum venerint, petunt ut ipſi quoque mereantur habere fraternitatem noſtram: annuitur, & cum libro eis datur, ut partem & communionem habeant de omnibus bonis quæ ullo modo fiunt vel in orationibus, vel in eleemoſynis, non ſolùm apud nos, ſed etiam in cunctis locis, quæ noſtri juris eſſe videntur. Pro his omnibus quamdiù ſunt in hac temporali vitâ, ſpecialiter cantatur per ſingulas horas Pſal. lxvii. & ea Collecta *Prætende Domine Famulis, &c.* quoties ad majorem vel ad matutinalem Miſſam dicitur, pro eis apponitur. Poſtquàm autem obierint, ad Miſſam & Officium Defunctorum ea Collecta *Omnipotens ſempiterne Deus cui*, quando non eſt in ordine Collectarum prima, illis propriè deputata eſt. Et ſimiliter illæ Matut. laudes pro Defunctis, quæ poſt quamlibet diem xii. Lectionum ſolemnem in ſequente nocte abſque Officio cantantur. Præterea quatuor vices in anno, id eſt, poſt primam Dominicam Quadrageſimæ, poſt Natal. SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, poſt Feſtivitatem Omnium Sanctorum, in quibus

ſpecialem eorum commemurationem facimus cum Officio, cum Miſſà, cum ſeptenario, & tricenario, & Præbendæ eodem modo quo ſolet agi pro quolibet abſente Fratre qui obierit in aliquâ Celláſtrum noſtrarom. Quod cum ſatis manifeſtè relatum ſit in ſuperioribus, non eſt opus ſecundò referre. Et hoc eſt quod ſuperadditur, quòd duodecim pauperes reficiuntur; hoc minùs agitur, quòd non à ſingulis Sacerdotibus Miſſa cantatur.

MONITUM.

Hiſt. Albigenſ. cap. 33.

Tom. 5. Hiſt. Duchesnii, p. 737.

DE *Concilio Avenionenſi Petrus Valliſſarnenſis nonnihil innuere videtur his verbis*: Super duobus quibus maximè impetebatur criminibus (*Raymundus Comes Toloſanus*) ſuper morte videlicet Legati fratris Petri de Caſtrooovo, & ſuper crimine hæreſeos, ſuper qoas purgationes miſit Dominus Papa litteras ſuas Epiſcupo Regienſi in Provincia, & Magiſtro Theodiſio &c. *Atqui Concilium illud ſæpiùs fuiſſe intermiſſum non ita obſcurè demonſtrant ipſi Hugo Regienſis, & Theodiſius, cùm in Epiſtola ad ſummum Pontificem mandati reddunt rationem ad hunc modum*: Poſtquam autem à Beatitudine veſtra hoc aono recepimus ſuper eodem oegotio iteratum mandatum, licet à Comite ipſo nunquam fuerimus requiſiti, apud Avinionem civitatem io Provincia cootinuo vocavimus Eccleſiarum Prælatos, quorum conſilio & deliberatione mandatum veſtrum tutius exequi valeremus. Verùm ego Theodiſius graviſſima infirmitate præveotus, & multi ex Prælatis, quia geoeralis corruptio aëris ibi erat, nequivimus colloquio intereſſe, ſicque factum eſt, ut neceſſariò negotium differretur, &c. *Tandem verò peractum illud Concilium ab iiſdem Judicibus delegatis, non eſt quod in dubium revocetur.*

Anno 1209. *Ex Codice Monaſterii Aniane.*

CONCILIUM AVENIONENSE

Anno M. CCIX. celebratum.

In quo præſidebat HUGO *Regienſis Epiſcopus.*

IN nomine Domini. Anno Incaruationis ejuſdem milleſimo ducenteſimo nono, Pontificatûs Domini Innocentii Papæ tertii anno duodecimo, octavo Idus Septembris, hæc quæ ſequuntur ſtatuta fuerunt apud Avenionem in Concilio Generali, ſub Hugone Regienſi Epiſcopo, & Thediſio [a] Domini Papæ Notario, Apoſtolicæ ſedis Legatis, præſentibus Viennenſi, Arelatenſi, Ebrodunenſi, & Aquenſi Archiepiſcopis, & Epiſcopis viginti numero; necnon & multis Abbatibus, & aliis Eccleſiarum Rectoribus.

Cauſa celebrandi hujuſce Concilii.

Cum in Provinciæ partibus refrigeſcente charitate adeo abundaverit malitia, quod ferè omnes indigenæ in profundum venerint vitiorum, ut præſentibus & futuris temporibus Provincialium malitiis occurratur, innovare antiquos, & novos etiam Canones ſancta Synodus promulgare decrevit, eâ potiſſimùm ratione inducta; quia morbis inſuetis adhibere convenit excogitata remedia, & antidota inſueta, & vulnera quæ levia fomenta non ſentiunt, mordicativis, ſeu vexativis remediis curari oportet.

Caput I. Epiſcopi frequentius populum fidem orthodoxam edoceri curent.

Quia igitur propter formidandam & puniendam negligentiam Prælatorum, qui exiſtentes potiùs mercenarii quàm paſtores, ſe murum pro domo Iſraël non opponunt, nec populis ſuæ gubernationi commiſſis, evangelizant Evangelicam diſciplinam, in his partibus diverſæ & damnatiſſimæ hæreſes pullularunt; præſenti appeobatione Concilii duximus ſtatuendum, ut in ſua diœceſi quilibet Epiſcopus frequentiùs & diligentiùs ſolito fidem prædicet orthodoxam, & cum expedierit, per alias honeſtas & diſcretas perſonas faciat prædicari. In eo tamen diligens & cautus prædicator exiſtat, ut adulteria, fornicationes, perjuria, uſuras, odium, aggreſſiones & cætera mortalia vitia adeo verbò deteſtetur & opere, quòd exinde honeſtas, pax, patientia, juſtitia, & cæteræ inſerantur virtutes.

Caput II.

Quia omnes non obediunt Evangelio, & ad ſup-

a *In Thediſio*] Baluzius reponi vult *& Milone*, ut editum eſt à Garrello pag. 186. ſed præfuiſſe Thediſium, conſtat ex ejus & Hugonis Regienſis Epiſtolâ ad ſummum Pontificem quæ tomo V. Hiſtor. Ducheſnii edita eſt pag. 737. Ea namque ſic ſe habet: *Poſtquam autem a Beatitudine veſtrâ hoc anno recepimus, ſuper eodem negotio iteratum mandatum, licet à Comite ipſo nunquam fuerimus requiſiti, apud Avinionem civitatem in Provincia continuò vocavimus Eccleſiarum Prælatos, quorum conſilio & deliberatione mandatum veſtrum tutius exequi valeremus. Verum ego Theodiſius graviſſimâ infirmitate præventus, & multi ex Prelatis quia generalis corruptio aeris ibi erat, nequivimus colloquio intereſſe; ſicque factum eſt, ut neceſſario negotium differretur, &c.* Acherius qui ex hac epiſtolâ colligit Concilium Avenionenſe ſæpiùs fuiſſe intermiſſum (pro *ſæpius* mallem *aliquamdiu*) de eodem monet Petrum Valliſſarnenſem nonnihil innuere videri his verbis cap. 33. Hiſt. Albigenſi *ſuper duobus quibus maximè impetebatur criminibus* (Raimundus Comes Toloſanus) *ſuper morte videlicet Legati fratris Petri de Caſtronovo, & ſuper crimine hæreſeos, ſuper quas purgationes miſit Dominus Papa litteras ſuas Epiſcopo Regienſi in Provinciâ, & Magiſtro Theodiſio, &c.* Milonem non in Provinciâ, ſed in Septimaniâ Legatum Apoſtolicæ ſedis illo anno fuiſſe conſtat ex formula juriſjurandi, quam ſtatim edimus, cujuſque in cap. 2. hujuſce Concilii mentio fit.

vel ar- mali ac pu- [illegible]

plementum gladii ſpiritualis materialis auxilium ſæpius ab Eccleſia imploratur, decernimus quòd quilibet Epiſcopus cives ſuos, Comites, Caſtellanos, Milites, & alios parochianos ſuos, de quibus viderit expedire, per cenſuram Eccleſiaſticam, ſi opus fuerit, jurare compellat, ſicut illi de Montepeſſulano juraverunt, præcipuè circà exterminandos hæreticos excommunicatos, perdurantes in ſuâ pertinaciâ pœnaliter puniendos: Judæos à publicâ ſeu privatâ admoniſtratione privandos, & quòd nunquam ad ſuum miniſterium in domibus propriis permittantur habere Chriſtianos. Et in eo præſertim dicti Nobiles, & alii adſtringantur, quòd coram ſuo Judice, ſive ſit Ordinarius, ſeu delegatus, de ſe conquerentibus exhibeant juſtitiæ complementum. Et ut pleniùs Epiſcopus exterminare valeat de ſuâ diœceſi hæreticam pravitatem, in ſingulis parochiis ſuis tam in civitate, quàm extrà, ſacerdotem unum, & duos vel tres bonæ opinionis laïcos, vel plures, ſi opus fuerit, juramenti religione adſtringat, quòd ſi quos ibi repererint hæreticos, credentes, fautores, vel receptatores eorum, ipſi Epiſcopo, & Conſulibus Civitatum, & Dominis locorum, ſeu Bajulis eorumdem cum omni ſtudeant feſtinantiâ intimare, ut eos puniant ſecundùm Canonicas & legitimas ſanctiones; nihilominùs bona ipſorum omnia confiſcantes. Si autem in hoc obſequio divino præfati Conſules, & alii ab Epiſcopis requiſiti, fuerint negligentes, vel etiam contemptores, ipſorum perſonæ excommunicentur ſpecialiter, & terræ interdicto Eccleſiaſtico ſupponantur. Et ut ipſis efficaciùs det vexatio intellectum, ſi qua Caſtra, vel poſſeſſiones, tales ab Eccleſiâ noſcuntur habere, propter ingratitudinem, & indevotionem ſuam ad ipſas redeant pleno jure. Illud præcipuè non duximus dimittendum, quòd deffenſores, receptatores, & hæreticorum fautores, cum ipſis hæreticis pari volumus pœnâ feriri.

Caput III. De uſuris abolendis.

Licet ad extirpandum uſurarum vitium utriuſque conveniat pagina Teſtamenti, & nihilominùs ſuper hoc canonica plurima emanaverint inſtituta: quia tamen prætermiſſis aliis negotiis, multi quaſi licitè uſuras exercent, ad deteſtationem vitii memorati aliquid duximus apponendum. Ut videlicet feſtivis diebus & ſolemnibus, & maximè cum Synodus celebratur, uſurarii omnes ſive ſuo, ſive alieno nomine crimen illud exerceant, generaliter excommunicationis vinculo innodentur. Si verò fuerint publici, aut de crimine illo convicti, ſi poſt trinam admonitionem ſatisfacere noluerint, nominatim eâdem feriantur cenſurâ, & inſuper infligantur eiſdem pœnæ contrà uſurarios in Lateranenſi Concilio conſtitutæ: ſcilicet, ut eorum non recipiantur oblationes, nec, ſi in illo peccato deceſſerint, Eccleſiaſticam habeant ſepulturam.

Concil. Lat. IV. cap. 17.

De Judæis uſurariis illud ſtatuit Concilium, ut per excommunicationis ſententiam in Chriſtianos, qui eis in commerciis, ſeu alio modo participaverint, ab uſurarum exactionibus compeſcantur, & ſecundùm conſtitutionem Domini Innocentii Papæ tertii, ad remittendas eaſdem compellantur. Quibus etiam prohibemus, & jubemus, per Epiſcopos pœnâ ſimili prohiberi, ne diebus Dominicis & ſolemnibus publicè laborare præſumant, nec carnibus abſtinentiæ diebus veſcantur.

Caput IV. De decimis ſolvendis.

Ad notitiam hujus ſanctæ Synodi multiplici querelâ pervenit, quòd laïci, & cæteræ perſonæ, quæ de mandato Dominico ad præſtationem decimarum & primitiarum tenentur, eas in grave animarum ſuarum præjudicium non dandas penitùs contendunt, in erroris ſui favorem alii diſſuetudinem, alii præſcriptionem temporis allegantes. Cum igitur decimæ ac primitiæ adeo debitæ ſint, ut ſine voluntate eorum quibus debentur, abſque mortali peccato non valeant retineri; volumus & præcipimus, ut tam laïci, quàm aliæ perſonæ, de bonis omnibus ſibi collatis à Deo, non deductis expenſis, ad ſolutionem ipſarum per Eccleſiaſticam cenſuram compellantur, præſcriptione aliquâ, titulo, ſeu conſuetudine non obſtante. Prohibemus inſuper, ne Epiſcopus, aut alia perſona Eccleſiaſtica, alicui laïco collectionem decimarum perpetuò concedat habendam; nec laïci ſi eis conceſſum fuerit, ex hujuſmodi conceſſione aliquod jus ſibi valeant vindicare. Ad hæc Vallem de Tretis, quæ ut acephala in nullius diœceſi aſſeritur inſtituta, Domino Epiſcopo Regienſi Apoſtolicæ ſedis Legato ad cuſtodiam decernimus ſpecialiter aſſignandam; qui ſpirituali, & etiam ſi oportuerit materiali gladio expellat ex ipſâ hæreticam pravitatem, & fidelibus qui fuerint ibi pro tempore, ſicut debuerint, Eccleſiaſtica miniſtret ſacramenta, donec ſummus Pontifex aliud de ipſâ duxerit exponendum, ſalvis privilegiis Romanorum Pontificum.

Caput V. Vectigalia prohibentur.

Onera importabilia, & deprimentes faſciculos, quantum cum Deo poſſumus attenuare volentes; jubemus ut tam Eccleſiaſticæ perſonæ, quàm ſæculares, à pedagiis, guidagiis, ſalinariis, & aliis indebitis exactionibus, per excommunicationis ſententiam in perſonas, & interdictum terrarum, penitùs deſiſtere compellantur; niſi fortè Regum, vel Imperatorum conceſſione probaverint ſe habere. Prohibemus inſuper, ut nullus propter pedagia, vel alias indebitas exactiones excommunicatus ab Epiſcopo, vel aliâ perſonâ Eccleſiaſticâ, reconcilietur Eccleſiæ, niſi quidquid à tempore latæ ſententiæ probabitur extorſiſſe cum integritate reſtituat, & diſtribuat ſecundùm reconciliantis arbitrium.

Cum Eccleſia Dei, & Eccleſiaſticæ perſonæ beneficium in domo Domini habeant, ſive ſint expertes aliùs quæ ſecundum canonica & civilia jura ab angariis, & parangariis, & prorſùs ab omnibus indebitis exactionibus cenſentur immunes, à laïcis divinâ reverentiâ & timore abjectis, ancillatæ, & ſub tributo importabili conſtitutæ; ſub anathematis diſtrictione modis omnibus prohibemus, ut albergas, procurationes, exactiones, ſeu tallias aliquas ab ipſis de cætero laïci exigant, vel extorquere præſumant. Imò tam Eccleſias & domos religioſas, quàm & nominatas perſonas in pleniſſimâ libertate conſervent: ita videlicet, quòd Epiſcopis, vel aliis earum Rectoribus defunctis, ipſas nullomodo audeant ſpoliare, nec ſe adminiſtrationi earum, ſeu cuſtodiæ, niſi forte rogati ab Epiſcopo, vel Capitulo, occaſione alicujus conſuetudinis, ſeu aliquâ aliâ immiſcere, ſed omnia cum integritate quælibet defunctorum ſucceſſoribus reſerventur.

Electionibus factis laïci non ſe immiſceant.

Inhibemus ne electioni Epiſcopi, vel alterius Rectoris Eccleſiæ faciendæ, per ſe, vel per quamcumque aliam perſonam ſe immiſceant, vel violentiam faciant, vel impedimentum adhibeant, quominùs electio canonicè ac liberè celebretur. Illud autem tamquam abominabile, ac præpoſterum, diſtrictione quâlibet prohibemus, ne videlicet ab Eccleſiis ſeu religioſis domibus, ac Eccleſiaſticis perſonis, ſicut in quibuſdam locis huc uſque præſumptum audivimus, viceſimam partem annuorum redituum in poſterum ratione murorum vel aliquâ occaſione laïci extorquere contendant.

Caput VI. Non muniendæ propugnaculis Eccleſiæ.

Propter abominationes quas vidimus & intelligimus ab illis qui Eccleſias incaſtellando domos Domini convertunt in ſpeluncam latronum, aliquid ſeverius conſtituimus contrà hujuſmodi præſumptores,

res, ſub anathematis pœnâ diſtrictiſſimè inhibentes, ne quis ulteriùs, niſi forte ad repellendam inſtantiam Paganorum, aliquam Eccleſiam incaſtellare præſumat & attentet, imò incaſtellatas, videlicet totam incaſtellaturam, & quidquid intrà cœmeterium ædificatum eſt, ad arbitrium Diœceſanorum Epiſcoporum quàm celeriùs poterunt ad diruendum jubemus, præter illam, vel illas, quas ad tuitionem parochianorum Epiſcopis viſum fuerit reſervari: quæ perpetuò poſſideantur ab eis, vel aliis perſonis Eccleſiaſticis teneantur. Si forte aliquis temerarius & violentùs detentor, Eccleſiam incaſtellatam ad mandatum ſui Epiſcopi noluerit diruere, vel ei noluerit tradere poſſidendam; nominatim excommunicationis vinculo percellatur, & interdicti ſententiæ ſupponatur tota terra ipſius.

Caput VII. Ad pacem cogendi diſcordes.

Sicut peccatis exigentibus multo tempore ſumus experti, propter guerram ſeu Baronum & civitatum diſcordiam, tam perſonæ, quàm terræ ipſorum in exterminium & direptionem trahuntur. Ad cujus jacturæ remedium pacem & concordiam etiam invitis prædicari & ſeminari oportet. Jubemus ergo ut Cives & Civitatum Rectores, Comites, Barones, Caſtellani, Milites, & alii qui ab Epiſcopis ad hoc idonei videbuntur, ad pacem ſeu treugam faciendam pariter & ſervandam: nec non & ut ſtrata publica ſerventur ſecurè, ab Epiſcopis, ſi forte fuerint difficiles, per Eccleſiaſticam diſtrictionem cogantur; & interim quouſque pacem juraverint, ſint à pacis beneficio alieni. Et quoniam triplex funiculus difficiliùs rumpitur, præcipimus ut ad pacem faciendam firmiter & ſervandam Epiſcopi ſibi mutuum auxilium ſtudeant exhibere, ſicut in Capitulo felicis recordationis Domini Alexandri Papæ tertii pleniùs continetur.

Quia verò per Aragones, Brabanzones, Baſelonis, Ruptarios, ſeu quocumque alio nomine cenſeantur, multoties diſcordia & perturbatio & rapina generantur in terris, de ipſis ad memoriam revocamus, quod ab eodem dicto Alexandro contrà ipſos noſcitur conſtitutum, ut videlicet ſicut hæretici & . . . . ante alios excommunicentur, & ab omnibus fidelibus expugnentur ubique locorum. Qui autem illos tenuerit, aut in terrâ ſua eſſe permiſerit, cenſurâ ſimili percellatur.

Caput VIII. Jus unicuique diligentiùs reddant Judices Eccleſiaſtici.

Inter cæteras querelas quæ ad hanc Synodum perlatæ fuerunt, illam ſeveriùs puniendam & corrigendam cenſemus: videlicet, quòd Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Eccleſiarum Prælati, ſive Ordinarii ſint, ſive Judices delegati, tepidi ſunt nimium & remiſſi ad juſtitiam coram ſe querelantibus faciendam; propter quod quantâ poſſumus & convenit ratione cenſemus, ut cauſas quæ in conſpectu ipſorum propoſitæ fuerint, quàm diligentiùs & feſtinantiùs poterunt, ſtudeant terminare, cogantque ſubditos ſuos in judicio ſervare illud idem.

Intelleximus etiam, quòd ſententias tam excommunicationis, quàm interdicti ſine congruâ ſatisfactione relaxant: in quo caſu illam diſtrictionem præcipimus inviolabiliter obſervari, quam Dominus Innocentius Papa tertius in quâdam ſuâ decretali noſcitur expreſſiſſe, hoc eſt, ut ſi quis quia datum damnum noluerit emendare, fuerit excommunicationis vinculo adſtrictus, præter juratoriam cautionem, ante faciat de damno dato emendam, quàm ejus ſententia relaxetur. Si verò excommunicationis ſententia feratur in aliquem, qui citatus ad judicium venire contemſit, ad eam relaxandam ſufficit, ſi quòd juri pareat, præſtiterit juramentum. Et quia interdum hujuſmodi Judices à malo non revocat amor Dei, nec Eccleſiaſtica diſciplina, negligentes & contemptores hujuſmodi ad reſtituendum damnum paſſis duximus condemnandos.

Perjuri & excommunicationis contemptores, abſolvendi ad Sedem Apoſtolicam amandentur.

Contrà publicè perjuros, ſeu convictos de perjurio; & eos qui pertinaciter in excommunicatione per ſex menſes permanſerint, pro eo quod faciles ſunt homines ad perjuria, & ad cenſuram Eccleſiaſticam contemnendam, ſpecialem & novum Canonem promulgamus; ſcilicet, ut nulli Epiſcoporum liceat hujuſmodi anathematizatos abſolvere, ſed ad ſedem Apoſtolicam ſicut ſacrilegi & incendiarii abſolvendi mittantur. Perjuris verò præter aliam ſatisfactionem, dictam ſedem in præſentiâ viſitare injungatur. Si forte Clerici fuerint, in utroque caſu ab officio & beneficio Eccleſiaſtico repellantur, ad quorum neutrum reſtitui valeant, niſi per ſummum Pontificem, vel ipſius Legatum.

Caput IX. Patroni Eccleſiarum intrà ſex menſes Presbyteros Epiſcopis præficiendos offerant.

Quorumdam Monachorum, & aliorum, ſive ſint Religioſæ, ſive aliæ quæcumque perſonæ, provitio indiſcreta, qui Eccleſias ad præſentationem ipſorum pertinentes, ex certâ ſcientiâ quandoque faciunt ultrà tempus à Canone indultum vacare, Nos Lateranenſem [b] Conſtitutionem innovare compellit; in quâ noſcitur conſtitutum, quòd niſi à Monachis, & aliis perſonis, infrà ſex menſes ad vacantes Eccleſias Epiſcopis idoneæ fuerint perſonæ præſentatæ, poſtmodum appellatione remotâ, liceat in illis ordinare Rectores, qui præeſſe noverint & prodeſſe: ita tamen quòd ex hoc nullum Patronis in poſterum præjudicium generetur. Ad hæc, Epiſcopis, Abbatibus, Præpoſitis, & cæteris Religioſis, Prioribus, Conventus inſinuat ſynodalis, & ſuo atteſtatione divini Judicii diſtrictè injungit, ut ſubditis ſuis profeſſis licentiam habendæ proprietatis non tribuant, cum etiam hoc Romano Pontifici non liceat, ſicut Dominus Innocentius Papa tertius in quadam ſuâ Conſtitutione teſtatur.

Caput X. Prædones violatoreſque pacis coërcendi.

Ut raptorum, violatorum pacis, & eorum, qui in ſtratis publicis aggreſſuram committunt, necnon qui captos homines ad redemptionem compellunt, nimium graſſanti malitiæ occurratur; antiqua innovantes ſtatuta decernimus, ut in quâcumque Diœceſi præfatas iniquitates dicti malefactores deprehenſi fuerint exercere, ab Epiſcopo illius loci anathematis diſtrictioni ſubdantur; ipſum alii circumadjacentes Epiſcopi, quouſque paſſis injuriam plenè ſatisfactum fuerit, teneantur viriliter adjuvare, ſententiam quam in delinquentem tulerit obſervantes, & auxilium ei manu militari etiam, ſi opus fuerit, impendentes. Quod ſi quis Epiſcopum contemſerit, ad reſarciendum damnum paſſis injuriam teneatur.

Caput XI. Choreæ diebus feſtis, & cantilenæ in Eccleſiis interdicuntur.

Statuimus, ut in Sanctorum vigiliis in Eccleſiis hiſtrionicæ ſaltationes, obſcœni motus, ſeu choreæ non fiant, nec dicantur amatoria carmina, vel cantilenæ ibidem; ex quibus præter id quod aliquoties auditorum animi ad immunditiam provocantur, obtutus, & auditus quorumlibet ſpectantium polluuntur.

Caput XII. De Clericorum, ac Religioſorū honeſtate & modeſtiâ.

Pro eo quod Clerici, & qui religioni adſtringuntur ex voto, & etiam ſæculares, nec opere, nec habitu profeſſionem ſuam oſtendunt, imò, quod dolentes & inviti dicimus, adeo diſſoluti ſunt, & multipliciter immunditiis & exceſſibus implicantur; quia ſicut laïcus ſic ſacerdos. Laïci quibus ipſi ſunt ſignum poſiti ad ſagittam, eorum corrumpuntur exemplo, & quos in omnibus actionibus ſuis ad honeſtatem prævenire deberent & vitam, tamquam cæci cæcos eos in foveam trahunt, & ad gehennam præcedunt.

[b] *Lateranenſem*] Lateranenſe Concilium ſub Alexandro III. c. 18

Qualeſ eorum habitus.

Circà Religioſos igitur ſervandum jubemus, ut in quacumque ſint dignitate aut ordine conſtituti, habitum & tonſuram, & in aliis ſuæ profeſſioni habeant congruentem. Quibus firmiter inhibemus, ne panno de ſtamine forti, aut alio colorato, ſeu ſumptuoſo, vel aliquo ſerico, in futurum utautur. Cappas ſimiliter colqratas, & manicatas prohibemus eiſdem. Circà ſæculares quoque illud firmiter præcipimus obſervandum, ut amodo maximè in ſacris Ordinibus conſtituti convenientem coronam habeant, & clauſa deferant indumenta, nec rubeis, aut viridibus, ſeu aliquibus ſericis in poſterum uti præſumant: ſed honeſtatem Clericorum quæ in Decretali felicis memoriæ Gregorii evidentiùs exprimitur, ſervent.

Clerici ab Epiſcopo juſſi Ordines Sac. ſuſcipiant.

Jubemus inſuper tam Præpoſitos, quàm alios Clericos, ad exhortationem, vel ad mandatum ſui Epiſcopi ſine difficultate quâlibet ad ſacros Ordines promoveri.

Advocati officium non exerceant.

Præterea in ſacris Ordinibus conſtituti, qui ſtipendiis Eccleſiæ ſuſtentantur, coram Judicibus ſæcularibus officium advocationis non ſumant contrà Canonica inſtituta: nec deteſtabiles conſpirationes faciant de cætero, ſeu conjurationes in quâcumque ſint Eccleſiæ profeſſione aut ordine conſtituti. Quicumqoe autem Conſtiturionis hujus propriâ temeritate ſe conſtituerint tranſgreſſores, à ſuis Epiſcopis canonicè puniantur.

Caput XIII. Interfectoribus Petri de Caſtro novo, & Gaufredi Canonici, &c. pœnæ infliguntur.

Miserabilem & lacrymoſam interfectionem ſanctæ memoriæ Petri de Caſtro novo, Apoſtolicæ ſedis Legati, ad memoriam reducentes: & atrox facinus necis Magiſtri Gaufridi Canonici Gebennenſis, piæ & religioſæ converſationis & vitæ, his temporibus nequiter perpetratum, & aliorum Religioſorum virorum, quos non ſufficimus ad præſens nec expedit enarrare, tanti facinoris frequentiâ, & atrocitate commoti, ultione quâ poſſumus proſequentes, ſacri approbatione Concilii duximus ſtatuendum; ut nullus de parentelâ illorum, qui præfatos Clericos occiderunt, uſque ad tertiam lineæ cujuſcumque generationem, Eccleſiaſticum beneficium conſequatur. Imò ſi qua fortitan ſunt adepti, tamdiù ſuis beneficiis ſpolientur & officiis, donec per Romanum Pontificem fuerint reſtituti. Statuimus etiam, ut ſi quis ſimile facinus commiſerit in futurum, circà ipſorum conſanguineos ſimilis cenſura ſervetur. Quem rigorem circà illos tantùm volumus obſervari, qui de perpetratâ iniquitate apud bonos & graves fuerint infamati.

Archiepiſcopis & Epiſcopis ſub atteſtatione divini judicii diſtrictè jubemus, ut omnes ſuprà ſcriptas Conſtitutiones pro ſuâ poſſibilitate bonâ fide obſervent, & faciant ab omnibus ſubditis ſuis inviolabiliter obſervari.

Hæc eſt forma Juramenti Conſulum Montiſpeſſulani.

In nomine Domini, Anno Incarnationis ejuſdem milleſimo ducenteſimo nono, Kalend. Auguſti: Anno Pontificatûs Domini Innocentii Papæ tertii duodecimo, nos Conſules Montiſpeſſulani juravimus ſuper ſancta Dei Evangelia manu tactâ, tibi Magiſtro Miloni, Domini Papæ Notario, Apoſtolicæ ſedis Legato, de mandato & auctoritate ſuâ, quòd bonâ fide & ſine omni malo ingenio & ſine fraude conſulemus, & operam dabimus pro poſſe noſtro, quòd Dominus Raymundus Comes Toloſanus tam per ſe, quàm hæredes ſuos ſuper his omnibus pro quibus fuit excommunicatus, quæ videlicet exponuntur in formâ, ſecundùm quam ipſe antequàm abſolveretur juravit, ut pareat omnibus mandatis Eccleſiæ, & quòd ea in perpetuum ſervet, ita quòd ſi quid illorum non fecerit, vel contravenerit, ei nullum conſilium, vel auxilium, ſeu obſequium per nos, vel per homines, ſeu per amicos noſtros aliquatenùs impendemus, imò quouſque plenè paruerit, faciemus contrà ipſum pro poſſe noſtro quidquid Romana Eccleſia, vel ejus Nuntius, ſeu Legatus nobis mandaverit faciendum.

A parte Comitis ſe diſceſſuros promittunt, niſi Eccleſiæ obtemperet.

Item, ſtratas publicas per totum Epiſcopatum noſtrum ſervabimus ſecuras, & faciemus inviolabiliter obſervari.

Vectigalia nō impoſituros.

Item, podagia, ſeu guidagia, vel exactiones aliquas à tranſeuntibus per ſtratas Epiſcopatûs noſtri, vel etiam per aquas nullatenùs accipiemus, vel accipere permittemus, niſi quæ vel quas antiquâ Regum vel Imperatorum conceſſione nos vel alios habere conſtiterit.

Nil detrimenti Eccleſiis allaturos.

Item, Eccleſias, & domos Religioſas in noſtro Epiſcopatu, tam in villâ Montiſpeſſulani, quàm extrà, in plenariâ ſervabimus libertate, videlicet quòd ab eis exactiones aliquas, ſeu tallias, nullatenùs exigemus: & defunctis earum Rectoribus, ipſas Eccleſias, vel domos eorum, nullo modo ſpoliabimus, nec adminiſtrationi earum ſeu cuſtodiæ occaſione alicujus conſuetudinis, vel aliquâ aliâ, niſi fortè rogati ab Epiſcopo, ſeu Capitulo, nos immiſcebimus; ſed omnia ſine aliquâ defunctorum diminutione ſervabimus ſucceſſoribus; & electioni Epiſcopi, vel alterius Rectoris Eccleſiæ faciendæ, per nos, vel quamcumque aliam perſonam nullatenùs nos immiſcebimus, nec aliquam violentiam faciemus, vel impedimenta præſtabimus quominùs electio celebretur.

Pacis atque induciarum obſervatores.

Item, pacem, ſeu treugam, ſicut nobis per Eccleſiam Romanam, vel ejus Legatum, vel Nuntium injunctum fuerit bonâ fide obſervabimus, & faciemus pro poſſe noſtro per totum noſtrum Epiſcopatum in perpetuum obſervari.

Hæreticorum inſectatores fore.

Item, ſi Epiſcopus, vel Capitulum Magalonenſe, vel alia perſona Eccleſiaſtica, nobis aliquos hæreticos nominaverit in Epiſcopatu noſtro, vel credentes, vel per nos ipſos aliquos potuerimus hæreſim prædicare cognoſcere, vel facere conventicula, ipſos perſequemur ſecundùm legitimas ſanctiones, & eorum bona omnia pro poſſe noſtro infiſcabimus.

Non fautores Judæorum.

Item, Judæos ab omni adminiſtratione publicâ ſeu privata omninò revocabimus; & nullo unquam tempore eoſdem, vel alios ad eamdem adminiſtrationem, vel aliam aſſumemus: nec eorum conſilio contrà Chriſtianos utemur, nec in domibus ſuis Chriſtianos vel Chriſtianas ad ſervitium ſuum eos permittemus trahere. Et ſi contrà hanc prohibitionem habuerint, vel tenuerint, tam Judæorum, quàm Chriſtianorum morantium cum eis, bona omnia infiſcabimus.

Arces propè Eccleſias dirui curabunt.

Item, Eccleſias incaſtellatas noſtri Epiſcopatûs ad arbitrium Diœceſani Epiſcopi noſtri, vel aliorum Prælatorum ad quos pertinere noſcuntur, penitùs diruemus, vel etiam reſervabimus, ſi quas duxerint reſervandas.

Jus reddent.

Item, de nobis conquerentibus ſecundùm ſuum vel alterius Legati vel Judicis delegati, ſeu Ordinarii arbitrium, juſtitiam faciemus.

Excommunicatos mulctabunt.

Item, ſi quis de noſtro Epiſcopatu propter ſuus exceſſus excommunicatus fuerit, & commonitus ab Eccleſiaſtico Judice infrà menſem non ſatisfecerit, ei centum ſolidos Melgorienſes auferemus: imò quolibet menſe, in quo excommunicatus permanſerit, ei ſummam auferemus præfatam: ſi verò ſolvendo non fuerit, eum ſub banno ponemus. Hæc

Digitized by Google

artam nos dicimus facturos, ſi ab Eccleſiaſtico Judice correcti fuerimus.

Hæc autem ſingulis annis ſucceſſores noſtros faciemus jurare. Si quis autem jurare noluerit, ipſum tanquam hæreticum habebimus manifeſtum, nec ejus judicium, ſeu auctoritas vigorem in aliquo ſortiatur.

Et ego ſuprà memoratus Milo, Domini Papæ Notarius, Apoſtolicæ ſedis Legatus, auctoritate legationis qua fungor ad prædicta exequenda, prædictis Conſulibus & ſucceſſoribus poteſtatem & auctoritatem concedo. Hæc omnia pro poſſe ſuo, & ſine aliquo ingenio corporaliter juraverunt, H. Caput de bove, &c.

DECRETUM.

Contra Canonicos renuentes in ſuis Capitulis, ubi de correctione ſeu aliis negotiis agitur, locum dare Epiſcopis.

SIgnificatum fuit ſynodali Capitolo, quòd quarumdam Eccleſiarum Cathedralium Canonici ſedem ſuam ad Aquilonem ponere volentes, ut Acephali, quod criminoſum eſt, habeantur. Et Epiſcopos ſuos in Capitulo ſuo, vel extrà, & præcipuè in Vivarienſi & Uticenſi Eccleſiis, ad correctionem aliquam non admittant: Negotia Eccleſiæ ſuæ cum eorum conſilio diſponere, vel tractare penitùs contemnentes: in quo dubium non eſt ſacris Canonibus obviare. Ideoque præſenti Decreto ſtatuimus, ut tam in Eccleſiis Cathedralibus, quàm in aliis Clerici proprios Epiſcopos ad correctionem ſuam, ſicut qui de animarum ſuarum cura tenentur reddere rationem, admittant humiliter & devotè: nihilque in Eccleſiis ſuis abſque ipſorum conſilio & tractatu, præcipuè in majoribus negotiis ſtatuere, vel ordinare præſumant. Quòd ſi hujus Conſtitutionis inventi fuerint tranſgreſſores, ab Epiſcopis pœnâ Canonicâ feriantur.

Anno 1215. Ex MS. Codice Abb. de Lyrâ.

NARRATIUNCULA
De Concilio Lateranenſi IV.

ANno ab Incarnatione Verbi milleſimo ducenteſimo decimo quinto celebrata eſt ſancta univerſalis Synodus Romæ in Eccleſiâ ſancti Salvatoris, quæ Conſtantiniana vocatur, menſe Novembri, præſidente Domino Innocentio III. Papa Pontificatûs ejus anno octavodecimo. In quâ fuerunt Epiſcopi quadringenti duodecim; inter quos extiterunt de præcipuis Patriarchis duo, videlicet Conſtantinopolitanus, & Jeroſolymitanus: Antiochenus verò gravi languore detentus venire non potuit, ſed miſit pro ſe Vicarium Anteradenſem Epiſcopum; Alexandrinus verò ſub Sarracenorum dominio conſtitutus fecit quod potuit, mittens pro ſe Archidiaconum ſuum. Primates autem & Metropolitani ſeptuaginta unus. Cæterùm Abbates & Priores ultrà octingentos. Procuratorum verò Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, Priorum & Capitulorum abſentium, non fuit certus numerus comprehenſus. In eâ Synodo fuerunt hæc inſtituta quæ ſequuntur: *Videlicet Canones ejuſdem Concilii: & ſub finem poſt orationem Innocentii Papæ:* Sententia de terrâ Albigenſi.

CONCILII LATERANENSIS IV.
Sententia de Terrâ Albigenſi.

QUantum Eccleſia laboravit per Prædicatores & Cruce-ſignatos ad exterminandum, hæreticos & ruptarios de provinciâ Narbonenſi, & partibus ſibi vicinis, totus penè Orbis agnoſcit. Et quidem per Dei gratiam & ſollicitudinem noſtram valdè profecit, cum eate miratis utriſque terra ipſa in fide Catholicâ & pace fraternâ nunc ſalubriter gubernetur. Quia verò novella plantatio adhuc indiget irrigari, ſacro conſulto Concilio ita duximus providendum, ut Reimundus Toloſanus Comes qui culpabilis repertus eſt in utroque, nec unquam ſub ejus regimine terra poſſit in fidei ſtatu ſervari, ſicut à longo tempore certis indiciis eſt compertum, ab ejus dominio, quod utique grave geſſit, perpetuò ſit excluſus, extrà terram illam in loco idoneo moraturus, ut dignam agat pœnitentiam de peccatis. Verumtamen de proventibus terræ pro ſuſtentatione ſuâ quadringentas marchas percipiat annuatim, quamdiù curaverit humiliter obedire. Uxor verò ipſius Comitis, ſoror quondam Regis Aragonum, cui ab omnibus laudabile teſtimonium perhibetur quòd ſit mulier honeſta & catholica, terras ad ſuum dotalitium pertinentes integrè habeat & quietè. Ita tamen ut ſic eas ad mandatum Eccleſiæ faciat cuſtodiri, quòd per ipſas negotium pacis & fidei non valeat perturbari; vel pro illis ſecundùm Apoſtolicæ Sedis arbitrium recompenſationem accipiat competentem. Tota verò terra quam obtinuerunt Cruceſignati adverſus hæreticos, credentes, & fautores receptores eorum, cum Monte Albano atque Toloſâ, quæ magis hæreticâ labe corrupta, dimittatur & concedatur (ſalvo per omnia Catholicorum jure virorum, mulierum, & Eccleſiarum) Comiti Montis-fortis viro ſtrenuo & catholico, qui plus cæteris in hoc negotio laboravit, ut eam teneat ab his à quibus de jure tenenda eſt. Reſidua autem terra, quæ non fuit à Cruce-ſignatis obtenta, cuſtodiatur ad mandatum Eccleſiæ per viros idoneos, qui negotium pacis & fidei manuteneant & defendant, ut provideri poſſit unico adoleſcenti filio prædicti Comitis Toloſæ, poſtquàm ad legitimam ætatem pervenerit, ſi talem ſe ſtuduerit exhibere, quòd in toto vel in parte ipſi meritò debeat provideri, prout magis videbitur expedire.

STATUTA ABBATUM ORDINIS S. BENEDICTI IN PROVINCIA NARBONENSI,
Ad reſtaurandam diſciplinam Regularem: approbata à Gregorio Papa IX.

Anno 1226. E Cod. Monaſt. S. Guillelmi de Deſertis.

GRegorius Epiſcopus Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Abbatibus tam exemptis, quàm non exemptis, Provinciæ Narbonenſis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum pro reformatione Regularis Ordinis fuerit à felicis recordationis Innocentio Papa prædeceſſore noſtro in Concilio generali ſtatutum, ut in ſingulis regnis ſive provinciis deberent Regularium Capitula celebrari; & ex eo quod ii qui præſidere debeant Capitulis, cogendi rebelles non videbantur habere aliquam po-

t[illegible], nonnulli Abbates & Priores deſpiciebant ad hujuſmodi Capitula convenire, bonæ memoriæ H. Papa Prædeceſſor noſter eis qui præeſſent Capitulis poteſtatem coactionis indulſit, & Capitula eadem annis ſingulis celebrari conſtituit, cum hoc crederet plurimùm expedire. Propter quod dilectis Filiis B...., Craſſenſis, & A.... S. Hilarii, & G.... S. Pontii de Tomeriis Abbatibus, præſidentibus Capitulo Provinciæ Narbonenſis ſuper celebrando in eâ Capitulo, ſub certâ formâ ſuas litteras deſtinavit, qui juxtà directum ſibi mandatum advocatis duobus Ciſtercienſis Ordinis vicinis Abbatibus, quædam ediderunt ſtatuta, quæ noſtro fuerunt examini deſtinata; & ſuppliciter extitit poſtulatum, ut dignaremur ea corrigere, ac correcta ſalubriter approbare, quatenùs eorum devotio concepta ea iis quæ prædicti prædeceſſores noſtri ſuper Ordinis reformatione fecerunt, ſtudioſius nutriatur, & noſtris ſalubribus exhortationibus irrigata fructum proferat ſalutarem.

Cum itaque dictus Abbas Craſſenſis, qui propter hoc ad præſentiam noſtram venit, prudenter ac diligenter nobis expoſuerit ſtatuta prædicta, & etiam quædam alia quæ reformationem veſtri Ordinis impediunt vel retardant; necnon etiam difficultates, quas quidam veſtrûm eſſe in quibuſdam ſtatutorum ipſorum articulis aſſerebant, ſuper reddendâ videlicet pleniſſimè ratione de adminiſtrationibus, & ſpontaneâ reſignatione adminiſtrationum ipſarum annis ſingulis faciendâ; & reſidentiâ trium Monachorum in adminiſtrationibus extrà Monaſteria conſtitutis; & abſtinentiâ carnium tam diſtrictâ: Nos ſtatuta eadem diligenter examinari & corrigi fecimus, & correcta ac approbata à nobis, vobis ſub Bullâ noſtrâ duximus remittenda, & ea inviolabiliter obſervari mandamus: volentes atque præcipiendo mandantes, ut Præſidentes veſtro Capitulo, & Viſitatores Monaſteriorum jam dictæ Provinciæ, omni contradictione, excuſatione ac appellatione remotis, ipſa faciant in ſingulis ejuſdem Provinciæ Monaſteriis, & Prioratibus Monachorum, & Monialium veſtri Ordinis irrefragabiliter obſervari, ſecundùm ſtatutum prædicti Concilii vice noſtrâ viſitantes, corrigentes & reformantes quæ correctionis & reformationis officio viderint indigere.

Monemus itaque charitatem veſtram, & hortamur in Domino, quatenùs ſollicitè, ſicut convenit, attendentes, quòd ſuave eſt jugum Domini, & onus ipſius leve; ſervituti divinæ fiducialiter colla ſubdatis, quia licet incipientibus anguſtæ viæ Domini videantur, paulatim tamen aſſueti currunt hilariter in mandatorum ſuorum ſemitis ſervi ejus. Tenor autem ſtatutorum ipſorum talis eſt:

IN nomine Domini. Anno gratiæ milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſexto, ſeptimo Idus Decembris; cum univerſi Abbates Monachorum nigrorum Provinciæ Narbonenſis apud Monaſterium S. Tiberii, Agathenſis Diœceſis, ſecundùm mandatum Apoſtolicum pro reformatione Ordinis ad celebrandum provinciale Capitulum conveniſſent, Nos Frater B. Dei permiſſione dictus Abbas Craſſæ, & A. ſancti Hilarii Abbas, de aſſenſu venerabilis Fratris G. Dei gratiâ Abbatis S. Pontii de Thomeriis, qui in gravi infirmitate poſitus, nobis vices ſuas commiſerat in hac parte, advocatis nobiſcum venerabilibus Patribus B. Fontiſfrigidi & R. Vallismagnæ Abbatibus Ordinis Ciſtercienſis, auctoritate Apoſtolicâ, quâ fungimur in hac parte, habito diligenti tractatu, & ipſo Capitulo approbante, invocatâ Spiritûs ſancti gratiâ, ad correctionem & reformationem Ordinis proceſſimus in hunc modum.

Abbates, Priores, & Officiarii, reddant rationem ſuæ adminiſtrationis in Capitulo generali cujuſque Monaſterii.

I. Statuimus, ut in ſingulis Abbatiis, & Prioratibus Conventualibus, certa dies generalis Capituli aſſignetur, in quâ tam ipſe Abbas, quàm omnes Obedientiarii & Priores reddant in ſcriptis de ſuis adminiſtrationibus pleniſſimam rationem, ita quòd omnes qui adminiſtrationes aliquas tenuerint, reddant computum tam de receptis quàm de expenſis anni præcedentis; & renuntient abſolutè, omni excuſatione, dilatione ac contradictione remotis, etiam non requiſiti, in manu ſui Abbatis adminiſtrationibus ſuis, nihil penes ſe vel alium penitùs retinentes. Abbates tamen eos reſtituant, quos invenerint fideliter & utiliter miniſtraſſe, ut ſic ſervetur & devota humilitas in ſubjectis, & utilis providentia in Prælatis. Si quis hujus ſtatuti tranſgreſſor fuerit; de proprio Monaſterio expellatur, & in alio Monaſterio detrudatur, nec aliquâ ratione in proprio Monaſterio recipiatur uſque ad nutum Capituli generalis.

Quales eligi debent Priores Clauſtrales.

II. Statuimus, ut Priores Clauſtrales inſtituantur providi & diſcreti, ſecundùm quod in Congregatione inveniri poterunt aptiores. Quòd ſi fortè in ſuis Monaſteriis non inveniuntur..... aſſumantur.

Lectio Regulæ in Capitulo.

III. Item ſtatuimus, ut quoties ſententia Regulæ pronuntiatur in Capitulo, à Præſidente, vel ab eo cui juſſerit ille qui præſidet, exponatur.

Silentium quibus in locis præſertim tenendum.

IV. Item ſtatuimus, ut ſilentium teneatur ſemper in Oratorio Monaſterii, Refectorio & Dormitorio, & in Clauſtro niſi horis ad loquendum ſtatutis. In Monaſteriis verò in quibus vota fidelium concurrunt, loquendi licentia cum moderamine perſonis neceſſariis ſit permiſſum.

Iter facientes Breviarium & Pſalterium habeant.

V. Item ſtatuimus, ut Monachi in ſacris Ordinibus conſtituti in longo itinere profecturi, ſine Breviario vel Pſalterio non mittantur.

Abſque licentiâ Superioris extrà Monaſterium non exeant Monachi.

VI. Item ſtatuimus, quod Monachi non exeant Clauſtrum aliquo modo, nec aliquâ occaſione, ſine licentiâ Abbatis vel Prioris, & niſi expreſſerint cauſam itineris. Quod ſi præſumſerint, redeuntes ſine ſatisfactione non admittantur. Eadem pœna infligatur iis qui de Obedientiis ad Monaſterium redierint ſine licentiâ ſui Superioris, & ſuarum teſtimonio litterarum: ac per hoc Abbates non ſint faciles in concedenda licentiâ Clauſtralibus exire de Monaſterio; nec in parentum domibus, vel laïcorum quorumlibet diutiùs immorari, ne inter ſæculares habeant materiam evagandi.

Quid obſervandum in recipiendis tum infantibus, tum aliis: & quando profeſſionem emittere debeant.

VII. Item ſtatuimus, quòd Infantes qui recipiuntur in Monaſteriis, & quotidie audiant Regulam exponi, & ſcholam non exeant donec legitimæ ſint ætatis; & tunc profeſſionem faciant, & benedictionem accipiant ſecundùm formam Regulæ. Illi verò qui in perfectâ ætate intrant Monaſterium, ſive ſint laici, ſive Clerici, poſt annum profeſſionem faciant, & benedictionem accipiant. Qui verò profiteri, & benedici noluerint, tunc recedant. Abbates verò qui circà hoc extiterint negligentes, ſint in pane & aquâ ſeptem feriis ſextis continuis. Si verò in prædictâ pœnitentiâ fuerint negligentes, in ſequenti Capitulo graviùs puniantur.

Non minùs quàm tres Monachi, in quolibet Prioratu.

VIII. Item ſtatuimus, & firmiter volumus obſervari, ut minùs quàm tres Monachi non ſint reſidentiam facientes in aliquo Prioratu, vel aliquâ Obedientiâ, ſeu quâlibet adminiſtratione extrà Monaſterium conſtitutis. Et ſi redditus alicujus Eccleſiæ non ſufficiunt ad ſuſtentationem ipſorum, aliæ Eccleſiæ in quâ reſederint adjungantur; ita quòd ſint eidem Eccleſiæ annexæ, & ſint ſub curâ & adminiſtratione illius, cui per Abbatem cura & adminiſtratio ejuſdem conceſſa fuerit Prioratûs.

Nullus aliquid recipere.

IX. Item ſtatuimus, ut nullus Monachorum ſeu Converſorum utriuſque ſexûs de cætero proprium

Vel proprium habere præſumat ſine Superioris permiſſu.

habere præſumat per ſe, vel per alium, nomine doni vel commandæ, ſeu exenii vel eulogii, vel alio aliquo modo, niſi quod juſſerit vel permiſerit Abbas. Et ſi quis forte aliquid proprii habet, vel aliqua pro eo, ſine contradictione incontinenti reſignet Abbati, ſeu Priori Abbatem proprium non habenti: nec aliquid præſumat aliquo modo dare vel accipere, neque etiam literas ſine juſſione ſeu permiſſione Abbatis. Si autem monitus retinere præſumſerit aliquid, à domo propria penitùs expellatur, & in alio Monaſterio retrudatur, nec aliquâ ratione in proprio Monaſterio recipiatur uſque ad futurum Capitulum generalis. Apud quem verò proprietas in morte inventa fuerit, in ſignum ſuæ perditionis in ſterquilinio ſubterretur. Sub eâdem pœnâ expreſsè injungimus, ut Obedientiarii credentes adminiſtrationibus, nihil de ipsâ adminiſtratione retineant, ſed omnia integrè reſtituantur Abbati.

Monachi non ſint Advocati, niſi in cauſis Monaſterii vel Ordinis. Artifices humiliter ſe gerant.

X. Item ſtatuimus, ne Monachi fiant in cauſis aliquibus advocati, niſi in cauſis ſui Monaſterii, & ſui Ordinis; & hoc cum licentiâ Superioris. Tranſgreſſores animadverſione congruâ puniantur. Medici verò, ſcriptores, & alii artifices Monaſterii cum omni humilitate & reverentia faciant, ſi Abbas permiſerit, ipſas artes. Quòd ſi aliquis ea eis pro ſcientiâ artis ſuæ ſuperbierit, eo quod aliquid conferre Monaſterio videatur, hic talis ſecundùm Regulam ab artis ſuæ officio, donec humiliatus fuerit evellatur.

Abbates & Priores ab illicitis donis abſtineant. Quid ipſi & Officiales dare poſſint.

XI. Item ſtatuimus, quòd Abbates & Priores abſtineant ab immoderatis & illicitis donationibus. Monachi autem, ſive ſimplices fuerint ſive Officiales, ab omni prorsùs abſtineant donatione ſine licentiâ Abbatis proprii, nec pecuniam mutuo accipiant, nec aliquod depoſitum ſine conſenſu Abbatis vel Prioris. Si autem Officiales fuerint, non poſſint ultrà centum ſolidos ſive integraliter, ſive particulariter, accipere mutuo ſine conſenſu ſpeciali ſui Superioris.

Viſitatores audiant computa Monaſteriorum.

XII. Item ſtatuimus, ut Viſitatores audiant computum ab Abbatibus & Abbatiſſis, & à Prioribus Abbates proprios non habentibus ſuper debitis & ſtatu domûs.

Hoſpites cum maximâ charitate recipiantur.

XIII. Item ſtatuimus, ut hoſpitibus, Religioſis præcipuè, ab his qui præſunt congruus honor & humanitas in hoſpitalitate exhibeatur. Alioquin qui circà hoſpitalitatem contemptor aut negligens inventus fuerit, & maximè ſi ſupervenientes non admiſerit, is, cujus culpâ hoc evenerit, tribus diebus in pane & aquâ abſtineat, & expenſas illius diei reſtituat hoſpitibus non receptis.

Hoſpitibus carnes non apponantur.

XIV. Item ſtatuimus, quòd hoſpitibus in Monaſteriis & Prioratibus carnes nullatenùs præbeantur niſi die Dominicâ, & tertiâ & quintâ feria: tamen circà Epiſcopos & excellentiores perſonas, & ſupervenientes infirmos diſpenſare liceat ſecundùm arbitrium præſidentis.

Monachi prorsùs carnibus abſtineant. Infirmis ac debilibus permittantur.

XV. Item ſtatuimus, ut omnes Monachi ab eſu carnium abſtineant, niſi fuerint debiles vel ægroti, & hoc de licentiâ Abbatis, vel Prioris ſi Abbas defuerit. At ubi meliorati fuerint, à carnibus abſtineant. Illas verò carnium refectiones, quæ ſanis in quibuſdam Monaſteriis certis temporibus in infirmariis exhiberi conſueverant, penitùs amputamus: mandantes ut reditus, qui ad hoc fuerant deputati, in neceſſitatibus Fratrum infirmorum atque debilium miſericorditer expendantur. Abbates verò infirmitatis vel debilitatis causâ in ſuis cameris, ut ſecretiùs & honeſtiùs poterunt, carnibus uti poſſint, advocatis ſecum aliquibus de Conventu debilibus vel infirmis. Sanè Abbas vel Monachus in itinere conſtitutus ad vicina divertat Monaſteria, ſi debilitate vel infirmitate ſuerit occupatus; ſi verò non poterit, ut ſecretiùs & honeſtiùs poterit carnibus uti poſſit. Idem in Prioratibus, & Obedientiis, & Adminiſtrationibus extrinſecis de abſtinentiâ & eſu carnium decernimus obſervandum. Tranſgreſſores verò hujus conſtitutionis tam favorabilis, pro qualibet comeſtione carnium, in pane & aquâ abſtineant unâ die. Si autem correcti non curaverint emendare, ſecundùm qualitatem & quantitatem tranſgreſſionis graviùs puniantur. Abbates verò ſi circà correctionem & obſervationem hujuſmodi fuerint negligentes, pœnâ ſimili percellantur.

Veſtes quales eſſe debeant.

XVI. Item ſtatuimus, ut indumenta Monachorum clauſa ſint, & non ſint in colore & ſcissurâ, nec in menſurâ reprehenſibilia, nec ſumptuoſa: & recipientes nova, vetera ſemper reddant Veſtiario, pauperibus eroganda. Illas quidem veſtes, quæ vulgò balandrana & ſupertoti vocantur, & ſellas rubeas, & fræna, & calcaria deargentata penitùs amputamus. Tranſgreſſoribus autem veſtimenta & ornamenta hujuſmodi inordinata, per Abbates ſuos vel Viſitatores, qui hæc comperierint, auferantur; & ſi incorrigibiles fuerint, Obedientiarii ſuis Obedientiis priventur, & Clauſtrales regulariter puniantur. Illud autem duximus prohibendum, ne Monachis detur pro victu pecunia, vel veſtitu, vel occaſione hujuſmodi aſſignentur reditus alicui; & ſi cui forte huc uſque fuerant aſſignati, ab eo penitùs auferantur. Si qua verò fuerint legata vel relicta pietatis intuitu, ſive communiter, ſeu perſonaliter, illud totum in communes uſus cedat, ne cui detur occaſio proprium retinendi.

Pecunia pro victu vel veſtitu non tribuatur.

Conſpiratores [illegible] à Monaſterio expellantur.

XVII. Item ſtatuimus, ne aliquis præſumat aliquem defendere conſpirando. Conſpiratores verò manifeſti, fures, & enormiter percuſſores à ſuis Monaſteriis penitùs excludantur, ac in aliis detrudantur, nec in ſuis Monaſteriis admittantur, niſi communicato conſilio Capituli generalis.

Tertiò correctus ſi non emendaverit, ab adminiſtratione dejiciatur.

XVIII. Item ſtatuimus, quòd ſi quis ex Obedientiariis Monaſterii, quocumque nomine cenſeatur, quandocumque repertus fuerit reprehenſibilis, ſi tertiò correctus non emendaverit, dejiciatur ab adminiſtratione, & alter in loco ejus qui dignus fuerit, ſubrogetur.

Nullus præter Abbatem & Priorem Conventûs ſigillum habeat.

XIX. Item ſtatuimus ſub eâdem pœnâ, quòd nullus Monachus occaſione cujuſcumque adminiſtrationis vel officii ſigillum habeat, niſi tantummodò Abbas & Prior conventualis.

Cellerarii & alii Officiales nihil pecuniæ retineant ad ſuos uſus privatos.

XX. Item ſtatuimus, ut Cellerarii, Veſtiarii, & cæteri Officiales domûs, qui aliquibus adminiſtrationibus præſunt infrà Monaſterium vel extrà, quod fuerit reſiduum computatis redditibus & expenſis, refundant in communem utilitatem Monaſterii, prout Abbas decreverit refundendum.

Profeſſis tantùm Prioratus, Decanatus, &c. committantur.

XXI. Item ſtatuimus, ut Prioratus, Decanatus, Præpoſitura, Sacriſtia, Cameraria, Infirmaria non committantur de cætero Monachis, niſi profeſſis ſolemniter: & ſi qui non profeſſi huc uſque adminiſtrationes hujuſmodi tenuerint, ſi commoniti profiteri noluerint, vel ad Sacros Ordines promoveri, ſecundùm ſui Superioris providentiam, adminiſtrationes amittant.

Neceſſaria Monach. provideant Abbates & Priores.

XXII. Item ſtatuimus, ut Abbates & Priores conventuales, & alii, ſufficienter neceſſaria ſuis Monachis adminiſtrent in victu pariter & veſtitu; conſideratâ facultate loci, & temporis qualitate.

Benedictionem euntium & redeuntium.

Et tam ipſe Abbas, quàm Fratres in viam dirigendi, benedictionem accipiant in eundo & redeundo.

Qui non adſunt Capitulo generali, quâ pœnâ plectendi.

XXIII. Item ſtatuimus, ut Abbates & Priores, qui ad primam diem Capituli non venerint, & excuſationem canonicam non miſerint, ſint in pane

V V u u iij

& aquâ ... in textâ teria, & extrà stallum ſuum ſemper ..., donec veniant apud Monaſterium, ubi exſtiterit provinciale Capitulum celebratum, cum propriis expenſis, ibi moram faciendo ſine onere & ſine expenſis illius Monaſterii; & ponant ibi partem ſuam communium expenſarum, in quadruplu ad arbitrium Abbatis ejuſdem loci, in neceſſitatibus Capituli diſtribuendum. Illi verò qui miſerunt, & non ſufficienter ſe excuſaverint, ad dictum locum veniant infrà ſpatium ſibi à præſidentibus Capitulo aſſignatum, antequàm inde recedant in expenſis communibus poſitum in duplo.

Ad expenſas Capituli conferat quiſque pro ſuis potentiis.

XXIV. Item ſtatuimus, ut pro utilitatibus & neceſſitatibus Monaſteriorum promovendis, & gravaminibus & oppreſſionibus evitandis, Abbates & Priores ad arbitrium Præſidentium Capitulo, prout neceſſe fuerit, collectas faciant, cum quibus Viſitatores de conſilio præſidentium poſſint dirigere nuntios ad Apoſtolicæ Sedis examen, vel ad Principes ſeu Prælatos, ſecundùm quod viderint expedire, quæ collectæ à Viſitatoribus colligantur.

Collectæ fiant ad ſublevandas neceſſitates Monaſteriorum.

XXV. Item ſtatuimus, ut Viſitatores plenariam habeant poteſtatem de Monaſteriis religioſis, ubi melior fuerit diſciplina, Monachos religioſos aſſumere, de aſſenſu tamen Abbatum ſuorum, eoſque in Monaſteriis minùs religioſis ponere, ut ibi ordinem doceant & reforment; ſed poſtea ad propria Abbatis arbitrium revocentur. Quos verò rebelles vel nocivos in Monaſteriis invenerint, ad alia Monaſteria hos tranſmittant, & hoc Viſitatores facere non omittant, ſi voluerint pœnam graviſſimam evitare.

Poteſtatem habeant Viſitatores mittendi perfectos Religioſos ſtabiliendæ gratiâ diſciplinæ ad Monaſterium.

XXVI. Quia ſola miſericordia comes eſt defunctorum, ſtatuimus quatenùs annis ſingulis breves ad provinciale Capitulum apportentur, in quibus contineantur dies & nomina Fratrum inter duo Capitula defunctorum, ut ibidem abſolvantur, & eis ſua debita perſolvantur. Tenor autem brevium eſt talis: Die tali obiit in tali loco ille noſtræ Congregationis Monachus, Levita, vel Sacerdos, vel etiam Converſus.

Defunctorum nomina ad Capitulum provinciale deferantur, ut oretur pro eis.

Datum Peruſii Kal. Julii, Pontificatûs noſtri anno ſecundo.

MONITUM.

Hiſt. cap. 40

CONCILII Toloſani texuit hiſtoriam Guillelmus de Podio Laurentii, atque epocham anno 1220 *præfigit* (*alii veriùs rejecerunt ad an.* 1228.) Poſt pacem autem Pariſius, *ait ipſe*, celebratam in fine anni, in ſequenti anno Domini 1219. menſe Julii per Magiſtrum Petrum de Collomedio fuit reconciliata civitas Toloſana, &c. Idemque Legatus ibidem Toloſæ poſt æſtatem Concilium celebravit, cui interfuerunt Narbonenſis, Burdigalenſis, Auxitanenſis Archiepiſcopi, & Epiſcopi multi, & alii Prælati. Item adfuerunt Comes Toloſanus, & alii Comites præter Fuxenſem; Barones, & Seneſcallus Carcaſſonæ, & Conſules Toloſani duo, unus de Civitate, & alius de burgo, qui ſtatuta pacis in totius univerſitatis animam juraverunt, & tam Comes, quàm cæteri, illud approbaverunt, & fecerunt; & idem fecit poſtea tota terra. *Alia in Concilio peracta fusè perſequitur idem Auctor, quem conſule, ſi lubet. Chronicon vulgò Simonis Comitis Montis-fortis, Concilium Toloſanum refert ad annum* 1229 *habetque ita*; In ſequenti anno Domini 1229. menſe Julii per Magiſtrum Petrum de Collomedio gerentem vices Legati fuit reconciliata civitas Toloſana. *Deinde ſubjicit*: Idem Dominus Legatus ibidem Toloſæ poſt æſtatem Concilium celebravit ſub anno eodem prætaxato 1227. (imò 1229. ut ſupra) cui interfuerunt, &c. *Acta illiuſce Concilii ſe vidiſſe ſcribit Spondanus Annal. Eccleſ. ann.* 1228. *n* 11. Sunt autem, *inquit*, ſexdecim Capita valdè ſevera de modis detegendi, inquirendi, & puniendi hæreticos, &c. *Nos verò, quandoquidem capitibus Concilium haud erat in codice noſtro diſtinctum, octonis dumtaxat ad margines diſtribuendum cenſuimus.*

Tom. 5. Hiſt. Ducheſnii, pag. 777.

ANNO 1228. *Ex Col. Monaſt. Aniana.*

CONCILIUM TOLOSANUM

Anno M. CCXXVIII. celebratum.

Hæc ſunt [a] *ſtatuta Concilii Toloſanenſis.*

LICET à diverſis Apoſtolicæ ſedis Legatis diverſa emanaverint inſtituta contrà hæreticos, credentes, receptatores, & fautores eorum; & ſuper pace conſervandâ in Toloſanâ Diœceſi & Provinciâ Narbonenſi, & earum adjacentibus diœceſibus, & terris vicinis: & ſuper aliis quæ ad bonum ſtatum terræ pertinere dinoſcuntur. Nos tamen attendentes terras prædictas poſt longæ ac miſerabilis turbationis diſcrimina, nunc quaſi miraculosè pace de aſſenſu & voluntate majorum gaudere, ordi-

a *Hæc ſunt*] Hoc concilium in Chronico quod vulgò dicitur Simonis Comitis Montis Fortis, tomo v. Hiſt. Ducheſnii pag. 777 refertur ad annum 1229. at idem Guillelmus de Podio Laurentii Hiſt. cap. 40. refert ad an. 1219. Pleriſque, atque in his Acherio placet illud celebratum eſſe anno 1228. mihi non improbabile videtur, erratum eſſe à librario qui Hiſtoriam Guillelmi de Podio Laurentii exſcripſit, & in illâ, perinde atque in Chronico Simonis legi oportere 1229. qui ſit annus Concilii. Spondanus qui hæc Acta viderat, in illis ait ſexdecim eſſe capita, ſed Acherius, qui in eum codicem inciderat, in quo Concilium capitibus non erat diſtinctum, octo dumtaxat capitibus ad marginem diſtribuendum cenſuit.

Digitized by Google

nandum duximus & ſtatuendum de conſilio Archiepiſcoporum, & Prælatorum, Baronum, & Militum, quæ ad purgationem hæreticæ pravitatis, conſervationem pacis, necnon & terræ quaſi neophytæ novimus expedire.

CAP. I. De hæreticis, eorumque fautoribus inquirendis, puniendiſque.

Statuimus itaque, ut Archiepiſcopi, & Epiſcopi in ſingulis parochiis tam in civitatibus, quàm extrà, Sacerdotem unum, & duos vel tres laïcos bonæ opinionis, vel plures etiam ſi opus fuerit, juramenti religione conſtringant, quòd diligenter, fideliter, & frequenter inquirant hæreticos in eiſdem parochiis, domos ſingulas, & cameras ſubterraneas aliquâ ſuſpicione notabiles perſcrutando, & appenſa, ſeu adjuncta in ipſis tectis ædificia, ſeu quæcumque alia latibula, quæ omnia deſtrui præcipimus, perquirendo repererint hæreticos, credentes, fautores, & receptatores, ſeu defenſores eorum, adhibitâ cautelâ ne fugere poſſint, Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, Dominis locorum, ſeu Bajulis eorumdem cum omni feſtinantia ſtudeant intimare, ut animadverſione debitâ puniantur.

Hoc idem faciant Abbates exempti in locis ſuis, qui non ſunt Ordinariis jure Diœceſano ſubjecti.

Sollicìti etiam ſint Domini terrarum circà inquiſitionem hæreticorum, in villis, domibus, & nemoribus faciendam; & circà hujuſmodi appenſa, adjuncta, ſeu ſubterranea latibula deſtruenda.

Statuimus etiam, ut quicumque in terrâ ſuâ de cætero permittit ſcienter morari hæreticum, ſive propter pecuniam, ſive propter aliam quamcumque cauſam, & fuerit inde confeſſus, aut convictus, amittat in perpetuum totam terram ſuam; & corpus ſuum ſit in mano Domini ad faciendum inde quod debebit. Si autem de ſcientiâ convictus non fuerit, & probata fuerit negligentia diſſoluta, vel frequenter in terrâ ſuâ inveniantur hæretici, vel ſuper hoc ſit diffamatus, pœnis legitimis puniatur. Illam domum in quâ fuerit inventus hæreticus, diruendam decernimus, & locus, ſive ipſe fundus confiſcetur. Bajulos verò qui ſemper eſt reſidens in loco, contrà quem præſumatur niſi contrà hæreticos valde ſollicitus inveniatur & diligens, bona ſua amittat, & de cætero nec ibi, nec alibi conſtituatur.

Ne autem innocentes pro nocentibus puniantur, aut cuilibet per aliquorum calumniam hæretica pravitas impingatur, Statuimus ne aliquis credens, vel hæreticus puniatus, niſi per Epiſcopum loci, vel aliam perſonam Eccleſiaſticam, quæ poteſtatem habeat, dum fuerit credens, vel hæreticus judicatus. Statuimus etiam, ut quilibet in terrâ alterius poſſit inquirere, & capere hæreticos, & Bajuli locorum teneantur eis præſtare auxilium & favorem, ita quòd Bajuli Regis in terrâ Comitis Toloſani, & aliorum, hoc facere poſſint: Comes Toloſanus, & alii in terrâ Regis ſimiliter.

Item ſtatuimus quòd ſi aliqui hæretici veteri hæreſi ſponte dimiſſâ, fuerint ad catholicam fidem reverſi, ſuum recognoſcentes errorem, non remaneant in villâ in quâ fuerant converſati, ſi villa ſuſpecta de hæreſi habeatur, ſed collocentur in villâ catholicâ, quæ nullâ ſit hæreſis ſuſpicione notata. In deteſtatione quoque veteris erroris duas cruces portent de cætero in veſtibus prominentes, alterius coloris quàm ſit veſtis eorum, unam à dextris, & aliam à ſiniſtris, nec per cruces aliquis excuſetur, niſi habeat Epiſcopi ſui litteras teſtimoniales de reconciliatione ipſius, nec de cætero talibus officia publica committantur; nec ad actus legitimos admittantur, niſi per Dominum Papam, vel Legatum ab ejus latere deſtinatum fuerint in integrum reſtituti, injunctâ ſibi pœnitentiâ competenti.

CAP. II.

HÆRETICI autem qui timore mortis, vel aliâ quâcumque causâ, dummodo non ſponte redierint ad Catholicam unitatem, ad agendam pœnitentiam per Epiſcopum loci in muro tali includantur cautelâ, quòd facultatem non habeant alios corrumpendi; quibus ab illis qui bona eorum tenuerint provideatur in neceſſariis ſecundùm diſpoſitionem Prælati. Si verò bona non habuerint, univerſi tam mares quàm fœminæ; maſculi à decimo quarto anno & ſuprà, mulieres à decimo ſecundo abjurent omnem hæreſim extollentem ſe adversùs ſanctam & Catholicam Eccleſiam, & fidem orthodoxam, quibuſcumque nominibus cenſeantur.

Quoto anno fidei profeſſio emittenda; ac præſtandum juramentum.

Jurent etiam, quòd fidem Catholicam, quam Romana Eccleſia tenet & prædicat, conſervabunt, & hæreticos pro viribus perſequentur, & eos bonâ fide intimabunt & manifeſtabunt. Nomina autem omnium virorum ac mulierum in quâlibet parochiâ conſcribantur: & omnes coram Epiſcopo, vel coram bonis quibus demandaverit, præſtent juramentum præmiſſum: & ſi aliquis abſens fuerit, & poſt reditum infrà quindecim dies idem juramentum non præſtiterit (quod ex inſpectione nominum poterit apparere) ſuſpectus de hæreſi habeatur. Hujuſmodi autem juramentum ſingulis biennis renovetur.

CAP. III. Confeſſio peccatorum ter in anno facienda: itidemque Euchariſtia ſumenda.

OMNES autem utriuſque ſexûs poſtquàm ad annos diſcretionis pervenerint, confeſſionem peccatorum faciant ter in anno proprio Sacerdoti, vel alii de voluntate ipſius & mandato, injunctam ſibi pœnitentiam humiliter implere pro viribus ſuis; & ter in anno, in Natali Domini, Paſcha, & Pentecoſte, Sacramentum Euchariſtiæ cum omni reverentiâ ſuſcipere: ita quòd Confeſſio Communionem præcedat, niſi fortè ob aliquam cauſam rationabilem ad tempus ab ejus perceptione abſtinuerint, de conſilio proprii Sacerdotis. Sollicìti itaque ſint Preſbyteri circà iſta, ut ex nominum inſpectione cognoſcant (ſicut ſuperiùs eſt expreſſum) utrum ſint aliqui qui communicare ſubterfugiant: nam ſi qui à Communione niſi de conſilio proprii Sacerdotis abſtinuerint, ſuſpecti de hæreſi habeantur.

CAP. IV. Biblia ſacra laïcis interdicantur.

PROHIBEMUS etiam ne libros veteris & novi Teſtamenti laïci permittantur habere, niſi fortè Pſalterium, aut Breviarium pro divinis officiis, ac Horas Beatæ Virginis aliquis ex devotione habere velit; ſed ne præmiſſos libros habeant in vulgari tranſlatos.

CAP. V. Qui hæreſis ſuſpicione aſpergitur artem medicam non exerceat. Graviter ægrotanti maxima eſt adhibenda diligentia.

STATUIMUS etiam quòd quicumque fuerint de hæreſis infamiâ, vel ſuſpectione notati, officio medici de cætero non utantur.

Cumque aliquem infirmum de manu ſui Preſbyteri ſacram Communionem contigerit recepiſſe, adhibeatur ei diligens cuſtodia uſque in diem obitûs, vel convalentiæ, ne hæreticus aut de hæreſi ſuſpectus ad ipſum infirmum habere poſſit acceſſum. Cum ex acceſſu talium intellexerimus nefanda & enormia pluries contigiſſe.

Quæ in conficiendo teſtamento requiruntur.

Cum verò aliquis voluerit condere teſtamentum, hoc faciat ſub teſtimonio ſui Preſbyteri, vel alterius Eccleſiaſticæ perſonæ, ſi proprius non poſſit haberi Sacerdos, adhibitis bonæ opinionis viris, quos ad hoc voluerit accerſere: & teſtamenta aliter facta vigorem non habeant, nec alicujus ſint momenti.

Nulla hæreticis ? neque hæreſi notatis, officia committenda.

Inhibemus etiam ne Prælati, Barones, Milites, ſeu quicumque Domini terrarum, hæreticis, vel credentibus eorum, Baillivias, ſeu adminiſtrationes terrarum ſuarum committant; ſed nec eos aut etiam aliquos infamatos de hæreſi, vel quos credant de hoc eſſe ſuſpectos, in ſuâ familiâ, vel ſuo conſilio habere, vel retinere præſumant. Illos autem debent pro infamatis habere, contrà quos publica fama clamat, vel quorum de diffamatione apud bonos &

graves coram Epiſcopo loci legitimè etiam conſtiterit conſtituiſſe.

Cap. VI. De libertatibus Eccleſiarum. Decimæ ſolvendæ.

Omnia privilegia Eccleſiarum, & libertates earum, & religioſarum domorum, inviolabiliter præcipimus cuſtodiri. Univerſi etiam de bonis & proventibus ſuis, non deductis expenſis, Eccleſiis integrè decimas, & primitias ſolvere teneantur, præſcriptione, ſeu conſuetudine aliquâ non obſtante: nec quaſcumque exactiones laici exigere vel extorquere præſumant.

Clerici ac Nobiles à tributis ſunt immunes.

Clerici quoque non talliabuntur occaſione etiam hereditatis, etiam ſi per ſucceſſionem eis obvenerit, niſi ſint mercatores vel uxorati. Sed ſi per ſucceſſionem hereditariam aliqua poſſeſſio feudalis, ſeu etiam cenſualis ad eorum manus devenerit, penſiones, & onera ipſi in poſterum annexa ſolvere teneantur. Alias à talliis & aliis exactionibus omninò liberi ſint & immunes. Item præcipimus quòd Clerici, & etiam Religioſi, & quilibet peregrini, & milites cùm rebus ipſorum immunes ſint omni pedagio, niſi fuerint mercatores: ſed nec ab ipſis aut quibuſcumque aliis perſonis, pedagia, guidagia, ſeu alias exactiones quaſcumque laici exigere, vel extorquere præſumant, niſi ea quæ ab antiquâ Regum, vel Imperatorum, vel Principum conceſſione probaverint eſſe conceſſa, vel ex antiquâ conſuetudine introducta. Quòd ſi acquieſcere noluerint, per Diœceſanum loci cenſurâ quâ convenit, deſiſtere compellantur.

Tributorum exactores vias publicas munire teneantur.

Hi autem qui pedagia recipiunt, taliter in diſtrictu ſuo ſtratas ſtudeant cuſtodire, quòd damnum aliquod tranſeuntes non ſentiant, vel violentiam aliquorum; & ſi forte aliqui in diſtrictu eorum damnum incurrerint, dummodo non ſit guerra communis, & de die viatores incedant, ipſi ad damni reſtitutionem integrè teneantur, ad hoc per ſuperiorem etiam ſi neceſſe fuerit, compellendi.

Clericorum famulis vectigal non imponendum.

Homines autem Eccleſiarum, vel Eccleſiaſticorum virorum, laici talliare, vel in eos exactiones aliquas facere non præſumant; niſi forte ab eis poſſeſſiones habere noſcuntur, & tunc etiam temperatè id faciant, conſiderato nihilominùs poſſeſſionum quas ab eis tenent, valore. Eccleſiæ autem, & viri Eccleſiaſtici, eodem jure uti poſſunt circà homines laicorum.

Clerico criminis reo ab Epiſcopo dumtaxat pœna infligenda.

Si quis autem quemcumque Clericum, etiam ſi tantùm primam tonſuram habuerit, pro quocumque crimine vel aliquâ quâlibet causâ captum detinuerit, hoc inſinuet ſtatim Presbytero loci, ut per eum ſignificetur Epiſcopo, & requiſitus ab Epiſcopo, vel Archidiacono, ſeu mandato ipſorum captum Clericum ſine dilatione reſtituat; & per eum ſecundùm juris exigentiam judicetur. Quod ſi facere diſtulerit, denuntietur excommunicatus, & per ſuperiorem dominum ipſum reſtituere compellatur.

Cap. VII. Diebus Dominicis & feſtis intereſſe laici cogantur divinis officiis.

Item ſtatuimus ut parochiani, dominus & domina cujuſlibet domûs, Dominicis & feſtivis diebus, in quibus ab operibus eſt ceſſandum, teneantur ad Eccleſiam venire, audituri ibidem ex integro divinum officium, & prædicationem, nec receſſuri inde donec Miſſa compleatur omninò. Quòd ſi alter illorum abſens fuerit extrà villam, vel aliquâ causâ rationabili præpeditus, alter ſaltem teneatur venire: quod ſi non fecerint, dummodo ſint in villâ præſentes, nullâ infirmitate, ſeu aliquâ rationabili causâ detenti, duodecim denarios Turonenſes ſolvere quilibet teneatur; quorum medietas ſit domini villæ, & alia medietas Sacerdotis & Eccleſiæ. Sabbato etiam circà Veſperas ob reverentiam Beatæ Virginis Eccleſias ſuas cum devotione viſitare procurent.

Syllabus feſtorum dierum.

Dies autem feſtivos dicimus ſicut in Canonibus continetur, Natale Domini, ſancti Stephani, ſancti Joannis Evangeliſtæ, Innocentium, & S. Sylveſtri, Circumciſionem Domini, Epiphaniam, Purificationem, Annuntiationem, Aſſumptionem, & Nativitatem Beatæ Virginis, Sanctum diem Paſchæ, cum duobus ſequentibus diebus; item Rogationes tribus diebus; diem Pentecoſtes cum duobus ſequentibus diebus, Inventionem & Exaltationem ſanctæ Crucis, Natale ſancti Joannis Baptiſtæ, ſanctæ Mariæ Magdalenæ, ſancti Laurentii, ſancti Martini, ſancti Nicolai, Dedicationem ſancti Michaelis, Dedicationem cujuſcumque Oratorii, & feſtivitatem cujuſlibet Sancti in cujus honore conſtructa eſt Eccleſia: item omnem diem Dominicam. In his itaque diebus ſecundùm Canones, & antiquam conſuetudinem, eſt ab omni opere feriandum, & etiam in aliis feſtivitatibus pro locorum variis conſuetudinibus, prout Prælatus indixerit. Hujuſmodi autem feſtivitates debent Sacerdotes populo ſuo annuntiare quolibet die Dominico in Miſſa.

Cap. VIII. De pace ſervandâ juramentum præſtandum.

De pace ſtatuimus & præcipimus, quòd omnes à decimo & quarto anno, & ſuprà, jurent ſervare pacem: & ſi quis monitus à Diœceſano vel per litteras, vel per nuntium ejus, infrà quindecim dies jurare noluerit, ad id cogatur per cenſuram Eccleſiaſticam, & ipſe ſit extrà pacem, & homines ſui ſi ei fuerint; nec aliquis qui ſit in pace teneatur ei in aliquo reſpondere; ipſe autem de conquerentibus reſpondere cogatur. Illud autem juramentum de conſervatione pacis de triennio in triennium renovetur.

Violatores pacis quibus pœnis afficienda.

Si aliquis pacem fregerit, vel moverit guerram, niſi monitus infrà quindecim dies emendam & damna refundat, excommunicetur, & extrà pacem ſit, & tota terra faciat ei & toti terræ ſuæ guerram, & expugnetur ſive in caſtro, ſive in civitate, ſive in nemore; & homines ſui ſimiliter, niſi ipſum cum aliis impugnaverint, non obſtante fidelitate quam ei primo fecerunt. Circà locum etiam in quo ſe receptaverit, fiant ſtabilitates militum & peditum, ut nec nocere poſſit aliis, nec alii ſibi prodeſſe: nec recipiatur ad pacem donec emendet, & reſarciat omnes expenſas & damna.

Si verò capiatur, publicentur bona ipſius; & is qui bona ejus habuerit, pro valore eorumdem bonorum damnum reſtituat, & de perſonâ ipſius faciat dominus ſuperior quod debebit. Si quis autem illi auxilium dederit, conſilium, vel favorem, vel ipſum receptaverit cum prædâ, vel etiam ſine prædâ, niſi monitus infrà diem ſibi præfixam emendaverit, pœnâ ſimili puniatur. Conſanguinei etiam parentes ipſius teneantur jurare quod ei non præſtabunt auxilium vel favorem, ſed ei, ſicut & alii, facient vivam guerram: quod ſi facere recuſaverint, in manu Domini ſint ipſi & bona ipſorum. Si movens guerram, vel pacis violator ad mandatum redire noluerit, firmantia, vel ſacramentum ſolum non recipiatur ab ipſo, ſed pignora, vel obſides, vel perſona propria in bonâ cuſtodiâ teneatur, donec emendaverit competenter. Si verò aliqua ſunt caſtra vicina illi, qui pacem fregerit, ſi illi qui Sacramentum pacis procurant ea munire voluerint contrà illum, ſine difficultate tradantur, & ipſi guerrâ finitâ in eodem ſtatu dominis ea reſtituere teneantur, donec emendaverit competenter. Hoc idem de caſtris paciariis erit obſervandum.

Item ſi is qui guerram movet damnum intulerit, vel prædam abduxerit, villæ, vel Caſtra, per quorum territorium tranſitum fecerit, damna reſtituant, niſi pro poſſe eum arreſtaverint, & prædam defenderint, vel clamaverint, & inſequuti fuerint bonâ fide. Si autem de prædâ hujuſmodi ſcienter emerit quis, ei cujus eſt præda ſine pretio reſtituat, & tamdem

Digitized by Google

tumdem domino pro emendâ ſolvet.

Si vaſſalli vel homines rebellaverint, vel inſurgere attentaverint contrà dominos, pax aſſiſtat dominis contrà eos.

Item ſtatuimus, ut aliquis amicitiam, familiaritatem, vel treugas non habeat cum faiditis, vel aliis qui guerram moverint: de bonis ſuis expenſas faciat contrà illos, & damna data reſtituat, aliàs ad utilitatem Domini puniendus. Nullus etiam latrones, ruptarios, vel lachinones recipiat, ſed ab omnibus abjiciantur: & ſi quis eos tenuerit, damna per illos illata reſtituat ad vocem ſimplicem conquerentis, & pacis reputetur infractor. Præcipimus etiam quòd quandiu aliquis guerram moverit, fiat contrà eum ſacramentum de novo, quod qui præſtare noluerit, fractor pacis reputetur: modo etiam expreſsè fiat Sacramentum contrà inimicos fidei atque pacis; videlicet GUILLELMUM, dictum Dominum de Petrâ Pertusâ, GAUSERANDUM [b] Du . . . . qui tenet Podium Laurentium, RAYMUNDUM de *Mort*; & excommunicentur, & perpetuò ſint exheredati, nec abſolvi poſſint à ſententiâ, niſi per ſedem Apoſtolicam, vel Legatum de ejus latere deſtinatum.

Inhibemus etiam ut Barones, Caſtellani, Milites, Cives, Burgenſes, ſeu etiam rurales, conjurationes, colligationes, confratrias, ſeu alias quaſcumque obligationes, fide, vel juramento, ſeu qualibet aliâ firmantiâ interpoſitis, facere non præſumant. Quòd ſi fecerint, Baro in centum libris currentis monetæ puniatur: Caſtellanus in ſexaginta, Miles in quadraginta, Civis vel Burgenſis in viginti, & rurales in centum ſolidis. Si quæ verò conjurationes, vel colligationes uſque nunc factæ ſunt; eas decernimus irritas & inanes; ſtatuentes ut omnes abjurare teneantur eaſdem.

Contrà prædones.

Item nullus Caſtrum, vel villam furetur, de his maximè quæ ab Eccleſiâ tenentur & Rege; quod qui fecerit excommunicetur; & bona ipſius omnia publicentur; & ipſe infamis perpetuò habeatur; nec à ſententiâ poſſit abſolvi, niſi per Dominum Papam, vel Legatum de ipſius latere deſtinatum. Mittatur etiam ultrà mare, ad terram propriam nullatenùs reverſurus. Item ſtatuimus quòd nullus aliquâ occaſione alicujus bona per vim capiat, vel pignoret, nec vaſſallum, nec rem vaſſalli pro domino capiat, ſed ſi aliquid ſibi debere credit, illud per Judices repetat. Si autem contrà hæc aliquis fecerit, tamquam fractor pacis habeatur, & jus quod habebat, amittat. Si verò nullum jus habuerit, res pignoratas, & etiam æſtimationem earum reſtituat, & in utroque caſu, videlicet ſi jus habeat, vel non habeat, tantumdem domino pro emendâ perſolvat.

Statuta pro pace firmandâ.

Pro pace quoque meliùs conſervanda Statuimus, quòd caſtra non ædificentur de novo occaſione Bovariæ, vel contrà eam aliâ ratione, nec munitiones dirutæ reædificentur. Mulieres quoque viduæ, & mulieres heredes nobiles, quæ munitiones habent, vel caſtra, inimicis fidei & pacis ſcienter non nubant: quòd ſi fecerint, caſtra ipſa & munitiones à terrarum dominis occupentur, ad heredes tamen ipſarum legitimè reverſura.

Nullus omninò judex occaſione expenſarum, ſeu prætextu alicujus conſuetudinis, pro juſtitiâ exhibendâ aliquid à litigantibus exigere, vel extorquere præſumat, ſed gratis omnibus juſtitia exhibeatur, poſtpoſitis gratiâ, odio, vel timore. Si autem aliqui pauperes ſint, qui præ paupertate Advocatum habere non poſſint, det ipſis Curia Advocatum, ſi cauſa indigeat Advocato.

Hæc autem ſtatuta ſupradicta præcipimus per parochiales Preſbyteros diligenter exponi quater in anno, in Dominicis videlicet diebus, quæ jejunia Quatuor temporum ſubſequuntur.

STATUTA
Noſocomii Ambianenſis.

ANNO 1233

GAufridus divinâ permiſſione Ambianenſis Eccleſiæ Miniſter humilis, Univerſis Chriſti fidelibus præſentis paginæ inſpectoribus ſalutem in Domino.

Cum ex commiſſo nobis paſtoralis officii talento ſuper gregem nobis creditum aſſiduè & inſtanter teneamur vigilare, & univerſis & ſingulis ſimus debitores in Chriſto; præcipuè autem religioſis perſonis, & mundo renuntiantibus debemus providere, ut ſicut ſæculo & actibus ſæcularibus, voto emiſſo & habitu religionis aſſumpto, renuntiaverunt exteriùs; ita quoque Chriſtum operibus ſanctis & obedientiæ nexibus adſtricti, & Chriſtianam fidem interiùs imitentur.

Veſtris igitur juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, Regulam & Ordinem quam voluntate & habitu aſſumſiſtis tu Magiſter Hoſpitalis Ambiani, & vos fratres & ſorores ejuſdem domûs, Epiſcopali auctoritate in perpetuum confirmamus, pro utilitate domûs veſtræ quædam de novo providè ſtatuentes, quædam verò de ſanctorum Patrum antiquis regulis & aliorum Ordinum inſtitutionibus approbatis adjungentes, & ut regulam diligentiùs obſervetis vobis in remiſſionem peccatorum injungentes. Ne igitur ultrà modum multitudine fratrum vel ſororum ibidem cohabitantium eadem domus oneretur, proinde ſtatuimus ne ultrà quàm duo Preſbyteri talis ætatis qui idonei ſint ad divina celebranda, & unus Clericus aptus & habilis ad ordinandum in eâ recipiantur, nec unquam numerum iſtum de cætero ſimul excedant; & quatuor Converſi Laïci tantùm ibidem valeant admitti, & octo ſorores tantùm, quæ ſint tam fortes, quòd officia domûs competenter valeant exercere, nec aliquando numerus iſte excedatur; ita tamen ut cum aliquis in utroque ſexu recipi debuerit, in habitu ſæculari per annum probetur, & anno elapſo in conſpectu univerſitatis fratrum & ſororum ei Ordo domûs exponatur, & ſi ei placuerit, & domui ſimiliter ut remaneat, & ſe promiſerit ordinem obſervaturum, de conſenſu univerſitatis vel partis ſanioris in Collegium domûs recipiatur; ita tamen quòd tria vota, videlicet obedientiæ, caſtitatis & renuntiationis proprietatis humiliter poſt ſecundum annum probationis emittat, & quòd ſine licentiâ Præceptoris, nihil recipiet, vel habebit, vel alteri donabit, fideliter promittat: & tunc demum flexis genibus devotè & humiliter in manus Præceptoris in oſculo pacis recipiatur. Verumtamen nullus uxoratus cum uxore ſuâ ſimul recipiatur.

HÆC SUNT PRÆCEPTA.

I Deum timete, & mandata ejus obſervate.

II. Super omnia diligatur Deus.

III. Unanimes habitetis in domo, & ſit vobis cor unum & anima una in Deo.

IV. Non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia, & diſtribuatur unicuique veſtrûm à Magiſtro veſtro victus & tegumentum, non æqua-

[b] *Gauſerandum du . . . .*] Baluzius monet legendum *de Urſo*, & mox pro *de Mort* reponit *de Aujors*.

ſiter omnibus, quia alius alio infirmior, ſed juxtà ſententiam Actuum Apoſtolorum, *Prout unicuique opus fuerit.* I.3. a. 45.

V. Si quis ingredi domum voluerit, per annum probabitur in habitu ſæculari, & anno peracto ſi domus ei placuerit, vel talis fuerit ejus converſatio, quod non debeat reprobari, in Congregatione fratrum recipiatur.

VI. Antequàm induatur habitu Religionis iſtius, jurabit quòd nec per ſe, nec per alium dederit, aut promiſerit, aut indebitum ſervitium fecerit, per quod iſtius domûs ingreſſum ſperaverit obtinere.

VII Convivium, quod in ingreſſu fieri ſolet, nullus quaſi debitum exigat, ſed in ejus qui recipitur arbitrio relinquatur.

VIII. Unus ex Presbyteris eligatur in Magiſtrum communi aſſenſu Capituli, vel partis ſanioris, cui omnes obediant in Chriſto. Ipſe verò magiſter nihilominùs domino Epiſcopo in omnibus tanquam Chriſto tenebitur obedire.

IX. De conſilio Magiſtri & partis ſanioris procurator exteriorum, ſive vir, ſive mulier eligatur, & nummos cuſtodiat; ſi tamen idoneus vel idonea, alioquin alia perſona eligatur ad hoc idonea.

X Similiter de conſilio fratrum Magiſter unam de Sororibus inſtituat quam viderit magis idoneam & honeſtam, quæ præſit ſororibus & ancillis, & eas ordinet ad ſervitium pauperum & diſciplinet: & hæc poterit loqui in menſa de neceſſariis cum ſilentio.

XI. Computabitur autem ſexies in anno de expenſis & receptis omnibus coram Magiſtro & conſilio domûs.

XII. Magiſter & procurator nihil grande agant niſi de communi conſilio domûs, utpote hereditatem vendere, emere, ſeu alienare, ſeu quempiam in fratrem vel ſororem recipere.

XIII. Quicumque horas Canonicas noverit, ſive Clericus, ſive laicus fuerit, eas horis ſtatutis perſolvat, & maximè Sacerdotes: nam cum [a] poterit de ſtatutis horis ad conſilium Magiſtri diſpenſari. Qui verò noverit horas beatæ Virginis MARIÆ eas decantet. Qui tantùm ſcierit ſeptem pſalmos pœnitentiales, eos pariter decantet, &c. *Infrà in num. 9. Beluac. ſtatut.*

XIV. Hoc autem caveatur omninò, ut nullus dum pſallit interrumpat orationem ſuam; quòd ſi fecerit, ſuper hoc confiteatur.

XV. Provideatur autem ut in tempore probationis qui neſcierit, dicat *Pater noſter, Credo in Deum, Miſerere mei Deus*, & *Ave Maria.*

XVI. Pro ſingulis fratribus & ſororibus defunctis ſinguli ſacerdotes domûs tres Miſſas perſolvant; quilibet Clericus unum pſalterium decantet; qui tantùm ſcierit *Miſerere mei Deus*, quinquaginta decantabit; qui verò tantum *Pater noſter* noverit, centum quinquaginta dicat.

XVII. Nullus in Oratorio domûs loquatur, niſi de his quæ ad officium Eccleſiæ pertinent, & cum extraneis pauca: & in Eccleſiâ ſit ſemper lumen ante Corpus Domini.

XVIII. Poſt Completorium nullus in Dormitorio loquatur, niſi Magiſter vel Magiſtra, vel cui ipſi præceperint, cum hoſpitibus.

XIX Ad Matutinas omnes volumus intereſſe, niſi quem infirmitas excuſabit: qui tamen abfuerit, hoc in ſequenti Capitulo fatebitur.

XX. Omnes ſub uno tempore cubitum eant, exceptis iis qui variis deputantur officiis; ſimiliter de dormitorio non exeant niſi ſub eodem tempore.

Singulis ſeptimanis Capitulum teneatur die & horâ quâ Magiſter domui viderit expedire. XXI.

Privatas diſciplinas ſinguli ſingulas accipiant in hebdomadâ: nullus autem amplius præſumat accipere, niſi de voluntate Magiſtri. XXII.

Magiſter Capitulum tenens, omnes ſeſe invicem proclament zelo juſtitiæ & fraternæ dilectionis affectu. Si quis autem clamorem in ſe factum deprehenſus fuerit ægrè ferre, in ſequenti Capitulo à deprehenſore clamatus, ſuper hac offenſâ graviter puniatur. XXIII.

De criminibus & offenſis Magiſtri extrà Capitulum tractabitur. XXIV.

Qui ſecreta Capituli revelare præſumſerit, ſuperhocque convictus fuerit, excommunicetur. XXV

Excommunicati talis eſt pœna. Ad terram comedet panem & aquam cum ſolo pulmento, donec ad voluntatem Magiſtri ſuper hac offenſâ ſatisfecerit. Nullus cum eo loquatur, niſi qui ei ſervierit, & qui pro neceſſitate corporis & animæ ad eum miſſus fuerit. XXVI.

In accipiendis diſciplinis quæ pro culpis infligentur, iſte ſervabitur ordo; ſi Presbyter fuerit vel Clericus, coram omnibus Presbyteris & Clericis puniatur. Laici verò coram omnibus fratribus tantùm. Si verò Soror fuerit, ducatur ſeorſum coram cunctis ſororibus, omnibus viris expulſis diſciplinanda. XXVII.

In Capitulum non veniant decrepiti & idiotæ, niſi de juſſu Magiſtri. XXVIII.

Confeſſiones ſanorum in loco eminentiori templi ab ortu ſolis uſque ad occaſum recipiantur. XXIX

Viri & mulieres ſeparatim dormiant & reficiantur; nec liceat viris ingredi habitacula Sororum, nec liceat mulieribus ingredi habitacula virorum ſine teſte à Magiſtro ſibi aſſignato. XXX.

Viri in braccis & camiſiis dormiant, mulieres in camiſiis. XXXI

In Dormitorio Sacerdotum nullus dormiat extraneus, niſi qui Sacerdos vel Clericus fuerit, & bonæ & honeſtæ opinionis. In Dormitorio verò fratrum Clerici & Laici dormiant, de licentiâ tamen Magiſtri. XXXII.

In Dormitorio Sororum nullæ niſi Converſæ dormiant. XXXIII

Antequàm infirmus recipiatur, peccata confiteatur, & ſi neceſſe fuerit religioſè communicetur; poſtea ad lectum ducatur, & ibi quaſi Dominus domûs quotidie antequàm Fratres comedant charitativè reficiatur, & quidquid in ejus deſiderium venerit, ſi tamen inveniri poterit quòd non ſit contrarium ei, ſecundùm poſſe domûs ei quæratur, donec ſanitati reſtituatur. Et ne quis ſanitati reſtitutus pro nimis feſtinâ receſſione recidivum patiatur, ſeptem diebus in domo ſanus, ſi voluerit, ſuſtentetur. XXXIV.

Infirmi nunquam ſint ſine vigili cuſtodiâ. XXXV.

Infirmariæ domus ſegregentur, ita ut Presbyteri propriam habeant, Converſæ ſuam ſicut Sorores: qui omnes cum infirmantur ſecundùm diſpoſitionem Magiſtri cuſtodiam habeant, & miniſtrabitur eis prout cuique opus fuerit. XXXVI.

Dominicâ die, & die Martis, & die Jovis temporibus opportunis carnibus poterunt veſci tam Fratres quàm Sorores. Si autem ſolemnitates Dominicæ Nativitatis, vel Circumciſionis vel Apparitionis, vel B. Virginis MARIÆ, aut omnium Sanctorum, vel Patroni Eccleſiæ, vel Dedicationis ejuſdem ſecundâ vel quartâ feriâ evenerint, poterunt veſci carnibus: aliis diebus communiter à carnibus abſtineatur. XXXVII

[a] nam cum] Locus corruptus: reſtitue, nam Clericus.

Digitized by Google

XXXVIII. In Conventu pulmentum Fratres habeant cum uno ſolo ferculo ; aliquando tamen poterunt uti caſeo, fructu, herbis crudis & his ſimilibus.

XXXIX. Dabitur eis menſura vini, cervitiæ ; vel alterius ſecundùm quod Magiſter & Conſilium domûs viderint tempori convenire.

XL. Caveatur ab omnibus ne quis ad menſam afferat quod manducet, & dum refectus fuerit non præſumat de menſâ aliquid aſportare.

XLI. In Refectorio quotidie ſacra lectio legatur ad prandium & ad cœnam, ubi nullus loquatur niſi qui præeſt, qui legit & qui miniſtrat, & tunc cum ſilentio.

Extrà domum ſuam nullus ſilentio ligabitur : in grangiis ſimili modo ſilentium obſervetur.

XLII. In Refectorio dum Fratres comedunt, operarii & famulæ non comedant.

XLIII. *Infrà n. 13. Belvac. ſtatut.* Nullus tincta habeat veſtimenta, exceptis cappis de Choro & almuchus de ſargio, quibus in Eccleſiâ Sacerdotes utuntur &c. Quicumque nova veſtimenta accipere voluerit, reddat vetera.

XLIV. b Nemo exeat [b] de domo niſi de licentiâ Magiſtri ; vel ejus qui loco ipſius erit : nec in villâ comedat, niſi de licentiâ ejuſdem.

XLV. Extrà villam nullus Fratrum vel Sororum exeat ſine comite à Magiſtro ſibi deſignato cum ſcapularis ; & nemo exeat ultrà deſtinatos terminos à Magiſtro.

XLVI. Magiſter de ſupradictis obſervantiis ad tempus poterit cum Fratribus & Sororibus diſpenſare, cum viderit eis expedire.

XLVII. Si Frater vel Soror in Fratrem vel Sororem manum miſerit violentam, ſeptem diebus continuis jejunet & comedat ad terram nudam ; & poſtea tamquam excommunicatum vel excommunicatam ſe gerat, donec abſolutionem receperit ab eo qui abſolvere poteſt : interim autem vitetur ab omnibus ſecundùm quod in Canone præmittitur.

XLVIII. Si Frater vel Soror ſanguinem fuderit, vel enormiter aliquem vel aliquam læſerit, ejiciatur de domo, vel arbitrio Magiſtri & conſilio domûs graviſſimè puniatur.

XLIX. Si Frater vel Soror proprietatem habuerit in morte ſuâ, & vivens Magiſtro ſuo non oſtenderit, nullum divinum officium pro ipſo vel pro ipſâ agatur, ſed quaſi excommunicatus vel excommunicata ſepeliatur. Et ſi vivens proprietatem habuerit, & poſtea illa pecunia ſuper illum Fratrem vel Sororem inventa fuerit, quadraginta diebus pœnitentiam agat, comedens in terrâ. Interim jejunans omni ſextâ feriâ in pane & aquâ.

L. Hæc autem à nobis conſtituta ſunt, ita ut ſi domui videmus expedire, ad petitionem illius domûs liceat nobis addere vel ſubſtrahere, vel mutare.

Hanc autem noſtræ inſtitutionis paginam auctoritate Dei omnipotentis, & B. Mariæ Virginis & omnium Sanctorum Dei, & noſtrâ, ſub anathematis interminatione decrevimus obſervari. Actum anno Domini milleſimo CC. XXXIII. menſe Junio.

Anno 1244. *CONFIRMATIO STATUTORUM.*

INNOCENTIUS Papa ſervus Servorum Dei, dilectis Filiis Magiſtro & Fratribus & Sororibus Hoſpitalis infirmorum Ambianenſis civitatis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Iis quæ pro divini nominis cultu & pietatis operibus providè ſtatuuntur, libenter addimus Apoſtolici muniminis firmitatem, ut intemerata conſiſtant quæ noſtro fuerint præſidio communita. Cum igitur, ſicut lecta nobis veſtra petitio continebat, bonæ memoriæ GAUFRIDUS Ambianenſis Epiſcopus vobis Regulâ & ordine juxtà quos debeatis degere aſſignatis duxerit ſtatuendum, ut duo Preſbyteri ad celebrandum divina idonei, unus Clericus ad ordinandum aptus & habilis, quatuor Laici Converſi, octo Sorores fortes & habiles ad Hoſpitalis veſtri officia exercenda reciperentur, & eſſent continuè in eodem, ac veſtrum Collegium maneret contentum hujuſmodi quindenario numero perſonarum, adjiciens ut poſt ſeptem dies infirmus poſtquàm convaluerit, inibi non moretur, ne convaleſcentium mora ſit in expenſis infirmantibus oneroſa : aliaque ſtatuta ibidem ediderit ſalubria & honeſta, prout in ipſius Epiſcopi litteris ſuper hoc confectis pleniùs continetur. Nos veſtris poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, ſtatuta ipſa ſicut piè ac providè facta ſunt, auctoritate Apoſtolicâ confirmamus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Lugduni quinto Idus Februarii, Pontificatûs noſtri anno tertio.

Forma votorum.

Je N. voüe & promets à Dieu le Createur, à la benoite Vierge Maria, à Monſieur Saint Jean Baptiſte mon Patron, à Monſieur Saint Augustin Pere de cette Religion, de garder la ſainte obedience ſous mon Maître & Superieur, tel que Dieu & la Religion me l'ordonneront. I. votum. Fiunt vota coram Epiſcopo Ambianenſi

Je voue & promets de garder chaſteté d'ame & de corps toute ma vie. II.

Je voüe & promets de garder la pauvreté & communauté de vie ſans aucune proprieté, & que je ne recevray, ny aoray, ny donneray aucune choſe ſans la permiſſion de mon Maiſtre, Paſteur & Superieur. III.

A Dieu, à la benoite Vierge Marie, à Saint Jean Baptiſte, à Saint Auguſtin & à tous les Saints de Paradis, j'offre & dedie mon ame & mon corps pour le ſervice des pauvres membres de Jesus-Christ, au nom du Pere, du Fils, & du ſaint Eſprit. IV.

R E G U L A

Fratrum & Sororum Noſocomii Belvacenſis, edita per Garinum Archidiac. & Vincentium Ord. Prædicatorum ; & ab Odone Cardinali A. S. Legato confirmata. Anno 1246. *Ex Chartis authenticis.*

ODo miſeratione divinâ Tuſculanus Epiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, omnibus præſentem paginam inſpecturis in Domino ſalutem æternam. Ad noſtram noveritis audientiam perveniſſe, quòd licet Fratres Domûs Dei Belvacenſis, quæ ad

b *Nemo exeat*] Hic omninò vide in Belvac. ſtatutis n. 25. qui accuratiùs multo ſcriptus eſt.

receptionem pauperum & infirmorum eſſe dignoſcitur inſtituta, ſub habitûs religioſi velamine ibi viverent, nullam tamen ibidem regulam haberent, vel alicujus ordinis obſervantiam debitè profiterentur: quare nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut cum plures fratrum domûs ipſius ad obſervationem inſtitutionum Regularium cæterarum domorum ſuæ conſimilium deſiderarent ſe adſtringi, ut exinde prædicta domus in ſpiritualibus ſimul & temporalibus plurimum ſuſciperet incrementum, providere ſibi ſuper hoc paternâ ſollicitudine curaremus.

Ea propter dilecti nobis in Chriſto GARINUS Belvacenſis Archidiaconus, & Frater VINCENTIUS Subprior in domo Fratrum Prædicatorum Belvacenſium, quibus vices noſtras commiſimus in hac parte, nimirum de circumſpectionis eorum induſtriâ plenam in Domino fiduciam obtinentes, juxtà mandati noſtri tenorem accedentes ad locum, & habentes præ oculis ſolum Deum, inquiſitâ rei veritate diligentiùs & inventâ, requiſito nihilominùs conſenſu Fratrum atque Sororum omnium, & obtento, conſideratis inſuper circumſtantiis, quæ circà hoc fuerant attendendæ, ſtatuerunt ibidem vice noſtrâ regularem obſervantiam quæ in domo Dei Noviomenſi providè fuiſſe noſcitur inſtituta. Verumtamen quia vinum novum in utres veteres miſſum facilè perit, & pannus novus ac rudis aſſutus veteri quandoque pejorem ſciſſuram facit, ipſis prædictis Fratribus atque Sororibus prudenter morem gerentes, ne novitatis eos auſteritas nimia deterreret, ad ipſorum petitionem habitum ſuum priſtinum, utpote Religionis honeſtati jam ferè ſatis congruentem & conſonum, paucis tamen in melius prout illis expedire viſum eſt immutatis, eiſdem reliquerunt. Ipſius autem Regulæ tenor quam ex omnium conſenſu ſpontaneè ſuſceperunt, talis eſt:

I. Deum timete, & mandata ejus obſervate, *&c. ut ſuprà in ſtatutis Noſocomii Ambianenſis n. 1. & ſeqq.*

II. Et non dicatis aliquid proprium, *&c. ut ſuprà n.* 4.

III. Si quis ingredi Domum voluerit, *&c. ut ſuprà n.* 5. 6. & 7.

IV. Unus ex Preſbyteris eligatur in Magiſtrum, *&c. ut ſuprà n.* 8.

V. De conſilio autem Magiſtri & partis ſanioris Capituli procurator exteriorum, *&c. ut ſuprà n.* 9.

VI. Similiter de conſilio Fratrum Magiſter unam de Sororibus inſtituat, *&c. ut ſuprà n.* 10.

VII. Computabitur autem ſemel in anno ad minus de expenſis & receptis omnibus coram Magiſtro & Conſilio Domûs.

VIII. Magiſter & Procurator nihil grande agant, *&c. ut ſuprà n.* 12.

IX. Quicumque horas Canonicas noverit, *&c. ut ſuprà n.* 13.

Qui tantùm ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, eos decantet pro matutinis. In principio antequàm incipiat ſeptem pſalmos illos, dicet *Pater noſter*, & *Deus in adjutorium* cum *Gloriâ Patri*. In fine verò ſeptem pſalmorum dicet *Kyrie eleiſon*, *Chriſte eleiſon*, *Kyrie eleiſon*, & *Pater noſter*: & in fine Dominicæ orationis, ſcilicet *Pater noſter*, *per Dominum noſtrum* JESUM-CHRISTUM *Filium tuum. Domine exaudi orationem meam; Benedicamus Domino. Fidelium animæ.* Qui verò tantùm noverit *Miſerere mei Deus*, pro eâdem horâ ſepties decantabit eodem ordine quo ſeptem pſalmi perſolvuntur: pro cæteris verò ſex horis, *Miſerere mei Deus* ſemel dicetur eodem ordine quo ſuprà. Qui autem noverit tantùm *orationem Dominicam*, pro matutinis dicet viginti quinque, & totidem AVE MARIA; pro cæteris verò in horis ſeptem ordine ſupradicto; & iis præmittant ad Matutinas & ad Primam & ad Completorium *Credo in Deum.*

Hoc autem caveatur, *&c. ut ſuprà n.* 14. & 15. X.

Pro ſingulis Fratribus & Sororibus defunctis, *&c.* XI.
ut ſuprà n. 16.

Nullus in Oratorio domûs loquatur, *&c. ut ſu-* XII.
prà num. 17. & 18.

Ad Matutinas omnes volumus intereſſe, *&c. ut* XIII.
ſuprà n. 19.

Omnes ſub uno tempore cubitum eant, *&c. ut* XIV.
ſuprà n. 20.

Singulis Septimanis ad minus Capitulum teneatur, XV.
&c. ut ſuprà n. 21. 22. 23. & 24.

Qui ſecreta Capituli revelare præſumſerit, *&c. ut* XVI.
ſuprà n. 25. *& ſeqq.*

Confeſſiones ſanorum, *&c. ut ſuprà n.* 29. XVII.

Viri & mulieres ſeparatim dormiant & reficiant, XVIII.
&c. ut ſuprà n. 30. *& ſeqq.*

Antequàm infirmus recipiatur peccata confiteatur, XIX.
&c. ut ſuprà n. 34. *& ſeqq.*

Infirmariæ domus ſegregentur, *&c. ut ſuprà n.* 36. XX.

Dominicâ die, & die Martis, *&c. ut ſuprà n.* 37. XXI.

In Conventu pulmentum, *&c. ut ſuprà num.* 38. XXII.
& ſeqq.

In Refectorio quotidie ſacra lectio, *&c. ut ſuprà* XXIII.
num. 41.

Nullus tincta habeat veſtimenta, exceptis cappis XXIV.
de choro & almuchiis de ſargio quibus in Eccleſiâ Sacerdotes utuntur. Nullus quoque Frater aut Soror pellibus ſilveſtribus induatur; Fratres habeant ſcapularia longa, tunicas clauſas ante & retro: Sorores autem vela nigra groſſa: poterunt etiam habere ſuccamas talares aliquantulum largas ad miniſtrandum pauperibus. Quicumque nova veſtimenta vel calceamenta accipere voluerit, reddat vetera.

Nemo de domo exeat niſi de licentiâ Magiſtri, vel XXV.
ejus qui in loco ipſius erit; nec in villâ comedat niſi de licentiâ ejuſdem. Extrà villam nullus Fratrum & Sororum exeat ſine cappâ, & ſine comite à Magiſtro ſibi deſignato. Cum ſcapulariis nemo exeat ultrà deſtinatos terminos à Magiſtro.

Magiſter in ſupradictis obſervantiis cum Fratribus XXVI.
& Sororibus ad tempus poterit diſpenſare cum viderit eis expedire, *&c. ut ſuprà n.* 46.

Si Frater vel ſoror in Fratrem vel Sororem manum XXVII.
miſerit, *&c. ut ſuprà n.* 47. & 48.

Si Frater vel Soror proprietatem habuerit in morte XXVIII.
ſuâ, *&c. ut ſuprà n.* 49.

In omnibus autem ſupra dictis Ordinario licet ad XXIX.
petitionem illius domûs prout expedire viderit addere, ſubſtrahere vel mutare. Ut ergo Regula hæc prædicta in dictâ domo valeat in perpetuum ab omnibus obſervari, auctoritate quâ fungimur eamdem confirmamus. Et ut nunquam in poſterum hujus facti memoria oblivionis rubigine deleatur, præſentem paginam ſigilli noſtri munimine roboravimus. Actum anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſexto, menſe Septembris. *Sigillatum in cera rubrâ ſuper duplici caudâ.*

Diploma JOHANNIS Papæ XXII.

JOHANNES Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Magiſtro & Fratribus, & dilectis in Chriſto Filiabus Sororibus Domûs Dei Belvacenſis, Ordinis ſancti Auguſtini, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Dum levamus in circuitu oculos noſtros, & gregem Dominicum nobis licet immeritis divinâ diſpoſitione commiſſum undique juxtà Paſtoralis officii debitum mentis acie contemplamur, vigilem quantum nobis ex Alto permittitur curam impendimus, ut cultores vineæ Domini ſic cultui

ſalutis intendant, quòd eadem vinea palmites diffuſos extendens, ſalutarium producat fructuum ubertatem; & licet circà ſingulos cultores hujuſmodi, perſonas videlicet Eccleſiaſticas, Apoſtolica ſollicitudo verſetur, erga tamen viros religioſos qui contemplationi cœleſtium, mundanis relegatis illecebris, ferventer invigilant, & piæ vitæ ſtudio ſine intermiſſione deſudant, eo propenſioris nos decet ſollicitudinis diligentiam adhibere, quo ipſi ejuſdem cultus vineæ ſpecialiùs deputantur, eoſque præſertim quorum novella plantatio fructus offert acceptos, & acceptiores ſuo tempore repromittit.

Exhibita ſiquidem nobis veſtra petitio continebat, quòd vos olim in primâ Domùs veſtræ Belvacenſis inſtitutione regulam non habentes, per bonæ memoriæ ODONEM Epiſcopum Tuſculanum tunc in partibus illis Apoſtolicæ Sedis Legatum, ad petitionem veſtram certa regula data extitit & conceſſa, in quâ inter cætera ab Epiſcopo prædicto diſpoſita, ſeu ab alio de mandato ejus, fuit ad petitionem ſimilem loci Ordinario conceſſa poteſtas addendi, ſubſtrahendi, vel mutandi regulæ ſupradictæ prout videretur eidem; poſtmodum verò propter importunitatem Magnatum & aliorum petentium in dictâ domo ponere & recipi facere amicos & familiares eorum, per quos diſſipabantur quàm plurimum bona infirmis domus prædictæ conceſſa, per bonæ memoriæ SIMONEM Epiſcopum Belvacenſem primò, & deinde per venerabilem Fratrem noſtrum JOHANNEM ſucceſſorem ipſius Epiſcopum Belvacenſem, fuit de Magiſtri, Fratrum & Sororum domùs ipſius, qui tunc erant, conſenſu, voluntate & aſſenſu providè ordinatum atque ſtatutum pro divino ſervitio ſingulis diebus & noctibus in domo prædictâ celebrando, infirmis præfatis ſervitio impendendo, atque domùs prædictæ & bonorum ejuſdem cuſtodiâ, quod in domo eâdem undecim Religioſi tam Preſbyteri quàm Laïci, & decem Mulieres religioſæ de cætero tantummodo forent, ac hujuſmodi numerum per dictos Ordinarios ſub excommunicationis & anathematis pœnâ Fratribus & Sororibus dictæ domùs, de conſenſu unanimi eorumdem injunctum fuit inviolabiliter obſervari, prout in litteris ſuper his confectis pleniùs dicitur contineri.

Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, ordinationem & ſtatutum hujuſmodi rata & grata habentes, ea de Fratrum noſtrorum conſilio & certâ ſcientiâ, auctoritate Apoſtolicâ confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, jure tamen chariſſimi in Chriſto filii noſtri, PHILIPPI Regis Franciæ illuſtris, ſi quod habet in domo prædictâ, & cujuſlibet alterius ſemper ſalvo. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avenione 14. Kalendas Januarii, Pontificatûs noſtri anno quarto; & *ſuper plumbum habetur* JOHANNES Papa XXII.

Anno 1327. *Littera JOHANNIS Epiſcopi Belvacenſis.*

IN nomine Domini Amen. Univerſis præſentes litteras inſpecturis, JOHANNES permiſſione divinâ Belvacenſis Epiſcopus, Salutem in Domino. Cum inter nos, noſtro & Eccleſiæ noſtræ Belvacenſis nomine ex unâ parte, nec non Magiſtrum, Fratres & Sorores Domûs Dei Belvacenſis ex alterâ, orta eſſet materia quæſtionis ſuper eo quod dicti Magiſter, Fratres & Sorores dicebant & proponebant ſe fore perſonas religioſas, Collegium & certam regulam habentes, & ſic electionem Magiſtri ſeu Gubernatoris, quoties opus eſſet, in dictâ domo habere debere, nec non receptionem & approbationem Fratrum & Sororum in domo prædictâ recipiendorum, & correctionem & punitionem Fratrum & Sororum dictæ domûs ad eos pertinere, & ſuper præmiſſis ſe eſſe & fuiſſe in poſſeſſione competenti; nobis in contrarium dicentibus, videlicet quòd carente dictâ domo Magiſtro ſeu Gubernatore, ad nos pertinebat inſtituere & ponere in eâdem Magiſtrum & Gubernatorem, & quòd ad nos pertinebat receptio Fratrum & Sororum dictæ domûs, ac cognitio, punitio & correctio eorumdem, & nos ſuper his eſſe & fuiſſe in poſſeſſione competenti. Super quibus inter nos & ipſos diù fuit dicta quæſtio ventilata, adeo quòd ſuper præmiſſis hinc inde fuerunt traditi articuli, & eiſdem reſponſio ſubſequuta, teſtes producti, jurati, auditi & diligenter examinati, ac eorum depoſitiones publicatæ; ex quibus cum diligenti conſilio fuimus informati, quòd ad Fratres & Sorores dictæ domûs competat electio Magiſtri eorumdem, ac cognitio, correctio, & punitio Fratrum & Sororum dictæ domûs ſecundùm regulam eorumdem, nec non receptio & approbatio Fratrum & Sororum ſuorum in habitu ſæculari per annum.

Quapropter nolentes ipſos ſeu domum eorum litigiorum anfractibus fatigare, ſed potiùs ipſos tamquam filios noſtros in ſuis juribus defenſare; Volumus, conſentimus, & etiam cum dictis Magiſtro & Fratribus concordamus, & declaramus, quòd dicti Magiſter, Fratres & Sorores impoſterum habeant electionem Magiſtri dictæ domûs ſecundùm regulam eorumdem; quo electo, eum nobis & ſucceſſoribus noſtris impoſterum præſentare tenebuntur. Item & quòd habeant in futurum receptionem & approbationem Fratrum & Sororum recipiendorum in domo prædictâ, de cætero in habitu ſæculari uſque ad annum, quibus approbatis poſt lapſum anni, nobis & ſucceſſoribus noſtris impoſterum præſentabunt, & de receptione eorumdem noſtrum, & ſucceſſorum noſtrorum qui pro tempore fuerint, requirent aſſenſum. Quodque Fratrum & Sororum dictæ domûs delinquentium correctionem & punitionem ſecundùm regulam eorumdem habebunt. Quæ omnia in præſentiâ publici Notarii ſubſcripti, & teſtium infrà ſcriptorum ad hoc vocatorum, voluimus & concordavimus, volumus & concordamus informatione de his præhabitâ diligenti, & in hanc publicam formam redigi per Notarium infrà ſcriptum, quam ſigilli noſtri unà cum ſubſcriptione dicti Notarii, fecimus appentione muniri. Actum 1327.
in noſtro manerio Epiſcopali Belvacenſi, anno Domini milleſimo trecenteſimo vigeſimo ſeptimo, die ultimâ menſis Martii, Indictione undecimâ, Pontificatûs ſanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini Domini JOHANNIS divinâ providentiâ Papæ viceſimi ſecundi anno duodecimo; præſentibus diſcretis viris Magiſtro THOMA le Rebours Officiali noſtro Belvacenſi, & ERNAUDO de Laigny in noſtrâ curia Advocato, vocatis ad hoc teſtibus ſpecialiter & rogatis.

Et ego RAOULPHUS dictus de Janzy, Sueſſionenſis diœceſis Clericus, publicus auctoritate Apoſtolicâ Notarius, præmiſſis à dicto Reverendo Patre factis, concordatis & declaratis in loco prædicto præſens fui cum teſtibus ſupraſcriptis, hoc Inſtrumentum ſcribi feci aliàs legitime impeditus, me eidem ſubſcripſi, ſignumque meum ſolitum unà cum ſigillo dicti Reverendi Patris appoſui rogatus in teſtimonium præmiſſorum.

Anno 1251.

Ex Membranis D. d'Herouval

S T A T U T A

Seu Conſtitutiones Eccleſiæ Lugdunenſis.

NOs Philippus Dei gratiâ primæ Lugdunenſis Eccleſiæ Electus, Notum facimus univerſis præſentes litteras inſpecturis, quòd oblatis nobis inſcriptis ab A. Decano & Capitulo dictæ Eccleſiæ noſtræ quibuſdam Statutis ſeu Constitutionibus Eccleſiæ memoratæ: cum eaſdem pias & laudabiles invenerimus, ad inſtantiam & requiſitionem dicti capituli eas approbamus & confirmamus, præcipientes eas inviolabiliter cuſtodiri, eaſque ſub ſigillo noſtro & Capituli de verbo ad verbum inſeri fecimus in hunc modum:

I. Statutum eſt ut omnes Canonici in ſuâ inſtitutione jurent, quòd ſervent Statuta & Conſuetudines Eccleſiæ, & permutationem Comitis Forenſis: & quòd nullo modo conſentiant ut terræ Eccleſiæ à commutatione Fratrum Deo & ſancto Stephano in propriis perſonis ſervientium abſtrahantur. Et quòd nulli dentur, niſi Clericis in eâdem Eccleſiâ continuè reſidentibus. Et quòd nullus admittatur in Canonicalem ſocietatem, niſi iſta juraverit.

II. Jurant etiam quòd in nullum Clericorum de corpore Eccleſiæ manus injiciant violentas, vel in habitationem, aut familiam ipſius.

III. Jurant etiam quòd eleemoſynam pro poſſe ſuo adimplebunt.

IV. Pro reſidente autem habetur, qui procurationem continuam in propriâ domo vel alienâ fecerit, & in Eccleſiâ fecerit ſeptimanam. Alii verò qui de bonis Eccleſiæ tantum non habent, quòd procurationem facere teneantur ſecundùm ſtatuta Eccleſiæ, & habent certum hoſpitium proprium vel alienum, & in Eccleſia faciunt ſeptimanam, & pro majori parte anni ſerviunt in propriis, pro reſidentibus habentur.

V. Sunt autem in eâdem Eccleſiâ majores Canonici, & alii minores Præbendarii: & iterum duodecim Capellani, quorum nullus in ſuâ inſtitutione percipit beneficium temporale, præter quàm quotidianam Refectorii diſtributionem.

VI. Bona verò Canonicorum cedentium vel decedentium in commune reſervantur, donec tantum de bonis vacaverit, quod inde poſſit commodè fieri diviſio inter Fratres.

VII. Statutum eſt, & perpetuâ inhibitione firmatum, ne ſucceſſiones in ipsâ Eccleſia de cætero fiant, & ne Refectoria in diviſione terrarum alicui in beneficium aſſignetur.

VIII. Item ſtatutum eſt & juramento firmatum, ut Canonico habenti in ipsâ Eccleſiâ ccc. ſolidos reditûs, ſi de vavaſſoribus fuerit, nihil ampliùs in diviſionibus faciendis de cætero detur, niſi infrà annum à complemento redituum prædictorum convivium continuum fecerit, & perſeveraverit. Si verò de minoribus fuerit Caſtellanis, habens ab eâdem reditus viginti libras, ſupradictæ ſubjacebit obnoxius conditioni. Si autem de majoribus fuerit, videlicet Comitibus, Ducibus, ſive Baronibus, habens ab ipsâ Eccleſiâ reditus triginta libras, præfatæ conditioni ſubjacebit. Hoc idem ſtatutum eſt de præbendariis ſi vii. libras in reditibus ab Eccleſiâ habuerint: & de duodecim Capellanis ſi centum ſolidos in reditibus habuerint, quòd videlicet nihil ampliùs percipiant niſi infrà annum à complemento redituum prædictorum, convivium continuum faciant & perſeverent.

Item ſtatutum eſt, ut Canonici, & omnes alii qui in ipsâ Eccleſia habent præbendas, ſi ad ſcholas profecti fuerint, quamdiu ibi ſtudere voluerint, plenam & integram Refectorii præbendam habeant, niſi tales fuerint, qui ab ipsa Eccleſiâ xv. libras reditûs ſint conſequuti, quibus prædicta non erit conceſſa præbenda. IX

Statutum eſt, ut Decanus, & Cuſtos ſancti Stephani, ſacriſta, & Magiſter officium Preſbyterorum, & Archidiaconus officium Diaconi faciant, poſtquàm fuerint officia dignitatum adepti. X

Item ſtatutum eſt, ut nullus in numero duodecim Sacerdotum admittatur, qui Eccleſiam habeat vel teneat per ſe, ſive per vicarium perpetuum vel temporalem: & eo ipſo quòd in prædicto numero admittitur, amittat Eccleſiam, ſi quam habet, & patronus illius Eccleſiæ de ea ſtatim valeat ordinare: & ſi poſtea Eccleſiam receperit, eo ipſo videatur renuntiaſſe capellaniæ noſtræ. XI.

Statutum eſt de morientibus, ut reditus ſuos à tempore mortis ſuæ uſque ad annum percipiant. De tranſeuntibus verò ad Religionem, idem eſt conſtitutum. Quòd ſi in Archiepiſcopum vel Epiſcopum aliquis fuerit promotus, reditus ſuos & Perſonatum amittit, poſtquàm dignitatem illam pleno jure fuerit aſſequutus. XII.

Uni perſonæ duo Perſonatus non concedantur. XIII.

In Refectorio cibaria & denarii, qui pro cibariis dantur, æqualiter dividantur. XIV.

Electus ad ſacros Ordines, à quibus ei debet quadrageſimâ die ante ordinationem vel eo ampliùs præmonitus, ſi recipere contempſerit, donec ſatisfaciat in Choro & Refectorio non recipiatur. XV.

Suprà Chorum antequàm Subdiaconus fiat, nullus recipiatur: & ante nec vocem habet in Capitulo, nec aliquid percipit in diviſione terrarum. Cum autem aliquis levandus fuerit ſuprà Chorum, habito ſuper hoc tractatu in Capitulo & licentiâ obtentâ, ſi fuerit de dextero choro levatur à Præcentore, ſi de ſiniſtro fuerit, à Cantore. Ordo Diaconatûs levat omnes Canonicos ſuprà Chorum, & quatuor de præbendariis Eccleſiæ ſcilicet Dapiferum, Panetarium, Pincernam Refectorii, & Magiſtrum ſcholarum. Ordo Sacerdotalis levat omnes ſuprà Chorum. XVI.

Item in Choro Lugdunenſis Eccleſiæ nullus admittitur, niſi de legitimo matrimonio natus, nec qui de Religione exierit. Nullus etiam Clericus admittitur, niſi habeat dominum de Eccleſiâ, in cujus domo continuè procuretur, qui à domino ſuo per ſe vel aliquem de Clericis ſuis per jus præſentandus eſt Eccleſiæ ſanctæ Crucis, & ibi debet per duos menſes vel ampliùs deſervire. Poſtea verò Eccleſiæ ſancti Stephani debet præſentari, & ibi per quatuor menſes ad minus deſervire. In quibus duabus Eccleſiis, videlicet ſanctæ Crucis & ſancti Stephani, quæ contiguæ ſunt majori Eccleſiæ, & officia ſua inchoant ſimul cum eâ. Per dictos vi. menſes debet inſtrui in modo legendi, pſallendi, cantandi, ſupplicandi, intrandi, & egrediendi, & aliis pertinentibus ad Eccleſiæ religionem. Poſtmodum verò introducitur in majori Eccleſiâ per Cantores ejuſdem Eccleſiæ & Magiſtrum, quibus eſt præſentandus. XVII.

Poſt quartum verſum primi pſalmi cujuſlibet horæ vel officii nullus debet intrare Chorum, niſi in diebus, qui non habent Invitatorium: ſcilicet in Epiphania cum ſuis octavis, die Cœnæ Domini, Paraſceves, & Sabbato ſancto, in quibus ad totum primum pſalmum matutinum poteſt intrari. Poſtquàm autem intraverit, non debet ibi ſedere cujuſcumque ſit dignitatis vel ordinis, niſi dum legitur XVIII.

Digitized by Google

lectiones & reſponſoria, & officium mortuorum, nec aliquâ occaſione debet exire niſi ſanguinem naſus ſtillaverit, vel aliâ gravi infirmitate, vel neceſſitate proprii corporis urgente, quæ niſi fuerit exterius manifeſta, manu naſo ſuppoſitâ, & deguttatione ſanguinis ſimulatâ, exire licet: & ſi fuerit deſuprà Chorum, exire debet poſt eum aliquis Clericus de ſub choro causâ ſocietatis & ſervitii, ſi neceſſe fuerit, impendendi. Similiter à principio Miſſæ uſque ad finem non debet aliquis in Choro ſedere, nec etiam dum Epiſtola legitur, niſi cum Secreta Miſſæ dicuntur, & tunc licitum eſt cuilibet pro arbitrio ſuo vel ſedere, vel ſtando versâ facie ad Orientem orare.

XIX. Canonici Sacerdotes, & duo Cuſtodes ſanctæ Crucis debent Miſſas Dominicas & Matutinales ad altaria ſancti Stephani & ſancti Joannis; & nullus admittitur ad celebrandum in dictis altaribus, niſi Canonicus ipſius Eccleſiæ, vel Archiepiſcopus ſive Epiſcopus cujuſcumque loci vel Eccleſiæ, vel Abbas Diœceſis Lugdunenſis. Evangelium verò vel Epiſtolam nullus debet legere ad Miſſas Dominicas, niſi Canonicus. Singulis diebus Dominicis & feſtivis, Sacerdoti Canonico Miſſam Dominicam celebranti debent aſſiſtere duo minores Sacerdotes, vicarii duorum Canonicorum Sacerdotum, unus à dextrâ parte altaris, & alius à ſiniſtrâ. Similiter Diaconus Evangelium lecturus, debet habere duos minores Diaconos ſibi hinc inde aſſiſtentes, ſimilibus dalmaticis reveſtitos. Similiter autem Subdiaconus Canonicus debet habere duos collaterales Subdiaconos, duorum Canonicorum vicarios, ſimilibus tunicis reveſtitos. Si verò Diaconus Canonicus vel Subdiaconus Evangelium vel Epiſtolam lecturus defuerit, & officium ſuum per ſe vel per alium Canonicum non fecerit, vel qui Vicarium habere tenetur non habuerit, quot vicibus defecerit debet tres libras ceræ pro ſingulis defectibus, luminaribus Eccleſiæ applicandas. Item in majoribus feſtivitatibus, ſcilicet Beatæ Mariæ, & ſimilibus debent eſſe quinque Sacerdotes, & quinque Diaconi, & totidem Subdiaconi. In præcipuis autem feſtivitatibus, videlicet Natali Domini, Paſcha, & Pentecoſte, & Natali ſancti Joannis Evangeliſtæ, & die Cœnæ, ſi chriſma conficiatur, debent eſſe VII. Sacerdotes, & VII. Diaconi, & totidem Subdiaconi, & totidem Ceroferarii.

XX. A primâ pulſatione quæ fit ad Matutinas, uſquedum finita fuerit Miſſa & hora meridiana, & Conventus exierit de Eccleſiâ; & iterum à ſecundâ pulſatione quæ fit ad horam Nonam, uſquedum finitum fuerit Completorium, & Conventus exierit; non debet aliquis de Clericis Eccleſiæ in habitu ſæculari tranſire ante Eccleſiam, vel manere in plateis quæ ſunt in facie vel proſpectu Eccleſiæ, niſi tranſeat equitando. Ad ultimam quoque pulſationem cujuſlibet horæ vel Officii non debent Clerici ſedere ante Eccleſiam, vel intra ante Chorum; ſed in Choro dum cantatur in Eccleſiâ à Conventu, nullus debet ante Eccleſiam ſtare vel ſedere. Finitis horis vel officiis dum Conventus exit de Eccleſiâ, qui officiis non interfuerunt non debent apparere in Eccleſiâ vel extrà in locis quæ proſpici poſſunt ab Eccleſiâ, ſtando, ſedendo, vel aliquo modo; nec etiam in domibus ad feneſtras. Eodem modo cavere debent qui Proceſſioni non interfuerunt, quando Conventus in Proceſſione exit vel revertitur, ne à Conventu videantur vel aliquo de Conventu. Ex quo nox fuerit, in domo cujuſquam laïci vel ante fores ejus Clericus non moretur, nec per vicum incedat. Si neceſſitas coëgerit, equo tranſeat & non ſolus. Qui autem contrà fecerit, ſi bis vel ter commonitus ſe non correxerit, donec ſatisfaciat in Choro & Refectorio non recipiatur.

Si quis de Clericis Eccleſiæ die feſto extrà villam fuerit, non debet Clauſtrum vel Eccleſiam intrare, nec procurationem habere eâ die, nec eleemoſyna pro eo. Si verò præſens fuerit, & Matutinis non interfuerit die feſto, non debet per Clauſtrum incedere, nec in publicum exire, nec ad feneſtras ſe oſtentare, & eâ die procurationem amittit, & eleemoſynæ applicatur. Si autem duobus profeſtis diebus continuè defuerit Matutinis, quorum utroque præſens exſtiterit, poſteriore die nec Chorum intrare debet, nec in Refectorio procurationem habere, ſed iterum eleemoſynæ applicatur, niſi infirmus fuerit vel minutus.

XXI. Statutum eſt etiam, ut quicumque honores Eccleſiæ, quæ Obedientiæ appellantur, vel habent vel habituri ſunt, quot diebus in Refectorio ex obedientiæ debito Fratribus refectionem debent, tot menſuras ſiliginis quæ *mornantesſis* appellantur, minori eleemoſynæ, quæ quotidie pauperibus erogatur, præſtare debent, & totidem menſuras, omni poſtpoſitâ occaſione, Eleemoſynario ab Eccleſiâ communiter inſtituto, uſque ad feſtum ſancti Michaëlis annuatim ſolvere tenentur; quam annonam dictus Eleemoſynarius fideliter debet conſervare, ut tempore famis pauperibus erogetur, & in alios uſus vel ex parte vel ex toto non expendatur. Qui autem ſtatuto tempore non ſolverit, ab Eccleſiâ, & choro, & Capitulo excluſus ſit.

XXII. Si quis Clericus deſuprà Chorum pro delicto fuerit verberandus, à Decano debet in Capitulo verberari: alii verò de ſub choro à Cantoribus vel Magiſtro verberandi ſunt in ſcholâ Eccleſiæ.

Addimus etiam nos & dictum Capitulum ſupradictis hoc ſtatutum.

XXIII. Statuimus & juramento firmamus, quòd quilibet Canonicus ſeu alius Beneficiatus non habeatur pro reſidenti, nec aliquid capiat in diviſione terrarum, nec quotidianas diſtributiones in ſcholis, niſi per dimidium annum primò fecerit reſidentiam in Eccleſiâ noſtrâ: pro reſidenti tamen tenebitur, ſi teneat conductum continuum, & perſeveraverit. Duo verò Canonici, & unus de aliis Beneficiatis intelliguntur facere primam reſidentiam, ſi morantur cum domino Archiepiſcopo, vel jam morati fuerunt per dictum tempus.

In cujus rei teſtimonium, Nos & Capitulum præſentibus litteris ſigilla noſtra duximus apponenda. Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo primo, menſe Junii.

CONCILIUM ALBIENSE

Anno 1254. Ex Cod. Eccl. Aniciensis.

Factum à Domino ZOENO *Avinionenſe Epiſcopo, Apoſtolicæ Sedis Legato.*

MULTIS [a] Epiſcopis & Prælatis Narbonenſis, Bituricenſis, & Burdegalenſis Provinciarum, ad Concilium celebrandum apud Albiam congregatis, de conſilio & approbatione ipſorum, quædam

[a] *Multi*] Hoc Concilium anno 1254 fuiſſe celebratum didicit Acherius ex notâ adjectâ in eo codice ex quo Concilii Acta exſcripſit. Integrum hic non haberi, ac duo ejus decreta quæ deſunt, ſe in vetuſtiſſimâ membranâ deſcripta ſervare monet Baluzius.

pro exterminandâ hæreticâ pravitate, ac roborandâ fide Catholicâ: quædam pro Cleri honeſtate duximus ordinanda.

Cap. I. Inquirendi ac puniendi hæretici.

Inhærentes ergo ſuper negotio fidei Concilio præcipue Toloſano, quibuſdam pro cauſâ & tempore demptis, additis, & mutatis: Statuimus, ut Archiepiſcopi, & Epiſcopi in ſingulis parochiis tam in civitatibus, quàm extrà, unum ſacerdotem, & dominus loci unum laïcum bonæ famæ, ſine morâ conſtituant, qui diligenter, frequenter, & fideliter inquirant hæreticos, in parochiis ſupradictis domos ſingulas, & cavernas ſubterraneas aliquâ ſuſpicatione notabiles perſcrutando: & appenſa ſeu adjuncta ipſis tectis ædificia, ſeu quæcumque alia latibula, quæ omnia deſtrui præcipimus, perquirendo; & ſi quos repererint hæreticos, credentes, fautores, deffenſores, ſeu receptores eorum, ne fugere poſſint cautelâ adhibitâ diligenti, Archiepiſcopo vel Epiſcopo, & dominis locorum, ſeu familiaribus eorum, vel Ballivis eorumdem cum omni feſtinantia ſtudeant intimare; ut animadverſione debitâ puniantur. Sacerdotes autem, & laici ſupradicti, jurent in manu Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & loci domini, vel ejus bajuli, quòd omnia ſupradicta exequantur fideliter, poſtpoſitis amore, odio, & timore.

Cap. II. Qui hæreticum ceperint, remunerandi.

Et quoniam qui ad opus eligitur, extraneus non debet fieri à mercede, præcipimus, ut pro quolibet hæretico, quem ſacerdos vel laïcus memorati, aut quilibet alius captum reddiderint, unam marcam argenti, vel ſaltem viginti ſolidos Turonenſes loci dominus, in cujus juriſdictione captus fuerit hæreticus, capientibus infrà octo dies de bonis ipſius hæretici ſolvere teneatur. Si verò de ipſius hæretici bonis pecunia non poterit ſupradicta perſolvi, dominus loci, & ipſius loci Communitas, in quorum territorio captus fuerit, ſolvant eam infrà terminum ſupra-ſcriptum; ut ſic ad capiendum ipſos hæreticos efficiatur quilibet magis promptus.

Ad ſolvendum autem dictam pecuniam, prout ſuperiùs continetur, dominus & loci Communitas, à loci Diœceſano, vel ab Inquiſitoribus per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur. Super quo taliter ſe habeant, quòd videantur fidei zelatores. Et hæc omnia Abbates, & Priores exempti in locis ſuis, quæ non ſunt ordinario jure ſubjecta Diœceſano, ſimiliter facere teneantur. Solliciti etiam ſint domini terrarum, & bajuli eorumdem circà inquiſitionem ipſorum, in civitatibus, caſtris, villis, domibus, latibulis, & nemoribus faciendam, & circà hujuſmodi appenſa ſeu adjuncta ſubterranea latibula deſtruenda.

Cap. III. Puniantur domini qui hæreticos foveant.

Statuimus etiam, Toloſanum Concilium innovando, ut quicumque in terrâ ſuâ de cætero permittet ſcienter hæreticos commorari, ſive propter pecuniam, ſeu propter aliam quamcumque cauſam, & inde confeſſus fuerit, vel convictus, amittat perpetuò totam terram ſuam, & ad faciendum inde quod debebit, ſit in manu Domini corpus ejus. Si autem de ſcientiâ convictus non fuerit, & approbata fuerit negligentia diſſoluta, vel ſi frequenter in terrâ ſuâ inveniantur hæretici, aut ſuper hoc fuerit diffamatus, ut deffenſor & fautor hæreticorum ab omnibus cenſeatur. Illam autem domum in quâ fuerit inventus hæreticus diruendam decernimus, & locus ſive ipſe fundus confiſcatur. Bajulus verò qui reſidet in loco contrà quem præſumitur vehementer, niſi contra hæreticos valde ſollicitus, & diligens fuerit & intentus, amittat omnia bona ſua; & deinceps nec ibi nec alibi ullum obtineat officium, ſeu balliviam aliquam. Ne autem innocentes pro nocentibus puniantur, aut quibuſlibet per aliquorum

Nec non Ballivi.

calumniam hæretica pravitas impingatur; Statuimus ut quilibet in terrâ alterius poſſit liberè hæreticos inquirere ac capere, & locorum Ballivi, & ſi præſentes fuerint domini, teneantur inquirentibus & capientibus bonâ fide præſtare conſilium, favorem, & auxilium.

Cap. IV. Quid de hæreticis ad Catholicam unitatem reverſis agendum.

Si verò aliqui hæretici veteri hæreſi ſponte dimiſſâ, reverſi fuerint ad Catholicam unitatem, ſuum recognoſcentes errorem, non remaneant in loco in quo fuerant antea converſati, ſi locus ille ſuſpectus de hæreſi habeatur; ſed collocentur in alio loco Catholico, qui nullâ ſit hæreſis ſuſpicione notatus. Hæreticis autem, quandocumque ad fidem Catholicam fuerint converſi, credentibus, fautoribus, deffenſoribus, ſeu receptatoribus eorumdem, nulla de cætero prorsùs officia publica ab aliquibus committantur, nec ad aliquos actus legitimos admittantur, niſi per Dominum Papam, vel ejus Legatum priùs fuerint in integrum reſtituti.

Cap. V. Hæreſes abjurent omnes.

Universi tam mares quam fœminæ, mares à decimo quarto anno & ſuprà, mulieres à duodecimo, abjurent omnem hæreſim extollentem ſe adversùs ſanctam Catholicam & Romanam Eccleſiam, & fidem orthodoxam, quibuſcumque nominibus cenſeantur. Jurent verò quòd fidem Catholicam, quam Romana Eccleſia tenet & prædicat, tenebunt pleniùs & ſervabunt, & credentes, fautores, deffenſores, & receptatores hæreticorum, & ipſos hæreticos intimabunt, & manifeſtabunt Diœceſanis, vel Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis; ita ut Archiepiſcopi, & Epiſcopi quando ſuam parochiam viſitant, juramentum recipiant ſupradictum, vel cui hoc duxerint committendum: qui fidei articulos, & articulos in ipſo juramento contentos, eis qui jurare debent priùs explicent & exponant. Nomina autem omnium virorum ac mulierum in quâlibet parochiâ ſcribi faciant diligenter: & omnes coram ipſo Epiſcopo, Archiepiſcopo, ſeu coram illo cui duxerint hoc committendum, prædictum præſtent liberaliter juramentum: & ſi aliquis abſens fuerit, & poſt reditum infrà quindecim dies juramentum non præſtiterit memoratum, quod ex inſpectione nominum poterit apparere, ſuſpectus de hæreſi habeatur. Hujuſmodi autem juramentum ſingulis bienniis renovetur.

Et fidem præſtent ſe indicaturos hæreticos, atque ipſorum fautores.

Porrò Toloſano Concilio (quo cavetur, quicumque fuerit de hæreſis infamiâ vel ſuſpicione notatus, officio medici de cætero non utatur) addentes, ſtatuimus, ut nullus medicus præſumat de cætero practicari in terris hæreſis ſuſpicione notatis, niſi priùs de fide ſuâ præcipuè, vitâ & moribus fuerit à loci Epiſcopo approbatus. Inhibemus etiam, ne Prælati, Barones, & Milites, ſeu quicumque domini terrarum hæreticis, credentibus, fautoribus, deffenſoribus, ac receptatoribus eorumdem, Bajulas, ſeu Adminiſtrationes terrarum ſuarum committant; ſed nec eos nec aliquos de hæreſi diffamatos, vel quos crediderint de hoc eſſe ſuſpectos, in ſuâ familia, in ſuo conſilio, aut conſortio habere, vel retinere præſumant. Illos autem debent pro diffamatis habere, contrà quos publica fama clamat, vel de quorum diffamatione apud bonos & graves coram loci Epiſcopo legitimè conſtiterit.

Hæreſi infectis interdicitur quorumlibet officiorum exercitium.

Cap. VI. Articulos fidei populo exponant Parochi, atque Epiſcopi.

Præcipimus quoque quòd Sacerdotes Parochiales per ſe, vel per alios ſæpiùs ſtudeant exponere populo diebus Dominicis, & feſtivis articulos fidei ſimpliciter ac diſtinctè, ne velamen ignorantiæ deinceps prætendere quiſquam poſſit. Et ad hoc idem in ſuâ diœceſi frequentiùs & diligentiùs faciendum quilibet Epiſcopus ſit intentus: & cum per ſe non potuerit, per alias honeſtas perſonas & diſcretas, planè ac explicitè fidem Catholicam, & ipſius articulos

Digitized by Google

ticulos faciat prædicari. Quia comperimus quòd propter ignorantiam articulorum fidei plurimi erraverunt. Pueri quoque à ſeptennio & ſuprà, ad Eccleſiam à parentibus adducantur diebus Dominicis & feſtivis, ut in fide Catholicâ inſtruantur, atque Credo in Deum, & Pater noſter, & ſalutationem Beatæ Virginis addiſcant.

Cap. VII. Diebus Dominicis excommunicentur hæretici.

Præcipimus autem quòd hæretici ac eorum credentes, fautores, deffenſores & receptatores eorum, ſingulis diebus Dominicis publicè excommunicentur in Eccleſiis, pulſatis campanis, & extinctis candelis: ac in omnibus Eccleſiis ſingulis diebus in crepuſculo omnes campanæ ſimul pulſentur in deteſtationem criminis memorati. Commoneantur etiam Comites, Barones, & Rectores, & Conſules, Jurati, [b] Judices & Baillivii civitatum, & aliorum locorum; ac Poteſtates aliæ ſæculares quibuſcumque fungantur officiis, quòd promittant corporaliter præſtito juramento, quòd fideliter & efficaciter contrà hæreticos, & eorum complices, adjuvabunt Eccleſiam bonâ fide juxtà officium & poſſe ſuum, & quòd de terris ſuæ juriſdictioni ſubditis univerſos hæreticos ab Eccleſiâ denotatos, credentes, fautores, receptatores, & deffenſores eorum pro viribus exterminare curabunt: & hoc juramentum de triennio in triennium renovetur. Bajuli verò, Conſules & Judices, & Rectores, quoties de novo fuerint inſtituti, præſtent hujuſmodi juramentum, ad quod ſi neceſſe fuerit, per Diœceſanum per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur omnes ſuperiùs memorati.

Cap. VIII. Inquiſitorum munia præſcribuntur.

Interim periculoſis caſibus occurrentes ſtatuimus, ut ſinguli Inquiſitores omnia ſcripta inquiſitionis tranſcribi faciant, & tranſlata de conſenſu Legati à Sede Apoſtolicâ, ſi in terrâ fuerit, per Diœceſanum imponantur, & ſerventur in aliquo loco tuto. De ſcriptis autem quæ ſuprà, id fiet de cætero annis ſingulis ab omnibus Inquiſitoribus, idem fiat, vel ſaltem duplicentur, ſcriptis, ut dictum eſt, tuto loco ſervandis. Et quoniam circà exequutionem ſententiarum ipſorum Inquiſitorum reperiuntur aliqui negligentes, adhærentes in his Concilio Valentino, Statuimus, quòd moneantur Comites, Barones, Conſules, Vicarii, Judices, & Baillivii civitatum, & aliorum locorum, ac Poteſtates aliæ ſæculares per Inquiſitores, vel loci Diœceſanum, ut ipſorum ſententias cum omni diligentiâ exequantur, & ſi parere non curaverint infrà præfixum eis terminum competentem, ad id ab ipſo Diœceſano per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur: & ſi nec ſe emendaverint, tam Diœceſanus, quàm Inquiſitores contrà eos Clero ad hoc congregato & populo, tamquam contrà deffenſores & fautores hæreticorum ſententialiter procedere non poſtponant. Et ſententia poſtquàm lata fuerit contrà eos, per ipſum qui eam tulit vicinis Epiſcopis publicetur; ut eam denuntient, & obſervari faciant, & obſervent. Ne autem Inquiſitionis negotium per quorumcumque Advocatorum ſtrepitum retardetur, providendo ſtatuit dictum Concilium Valentinum, quod obſervari volumus, & mandamus, ut ab Inquiſitoribus, ſeu Prælatis non admittantur aliqui in ipſius inquiſitionis negotio Advocati. Circà Advocatos verò hæreticorum, conſtitutiones contrà hæreticos promulgatas volumus & præcipimus obſervari.

Arces conſtruantur.

De muris autem ipſis & immurandis celeriter faciendis, ſtatuendo mandamus; ut illi faciant ipſos muros, qui bona occupant eorumdem; & fiant ubi Diœceſanus Epiſcopus noverit inſtruendos. In quibus muris arcis ſic ſint clauſi, quòd exire inde non valeant ullo modo: quibus immuratis & immurandis provideatur in neceſſariis, ſecundùm diſpoſitionem Prælati; ab illis qui bona ipſorum tenuerint: ſi verò non habeant ulla bona, dominus & loci Communitas, ubi inventi fuerint, providere eis in neceſſariis non poſtponant, & ad hoc ſi opus fuerit, à Diœceſano per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur. Statuimus inſuper & mandamus, ut ſi per inquiſitionem reperiatur aliquos defunctos fuiſſe hæretitos tempore mortis ſuæ, exhumentur, & eorum cadavera ſive oſſa publicè comburantur, deffenſione legitimâ eorum heredibus reſervatâ. Pro his autem quibus cruces [c] ſi viverent, eſſent imponendæ, ipſorum heredes Diœceſani, aut Inquiſitorum arbitrio ſatisfacere compellantur.

Volumus inſuper & mandamus, ut temporales domini ad occupandum & confiſcandum bona immuratorum, & illorum qui relinquentur curiæ ſæculari, exhumandorum quoque à Diœceſano & Inquiſitoribus per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur, cum ex eo quod quibuſdam de bonis ipſis aliqua gratia facta fuit, remanendi in ipſis erroribus, [d] aut non fugiendi eoſdem, eis præſtitum fuerit, ut accepimus. Denique cum plures intrent ſolitarii ad hæreticos adhortandos, ut per teſtes nequeat hoc probari; Concilii approbatione ſtatuimus, ut ſi quis hæreticâ pravitate ſuſpectus domum intraverit, in quâ hæreticum eſſe ſciat, abſque aliâ probatione adhortaſſe hæreticum vehementiſſimè præſumatur.

Qui citati pares: diffugiūt, velut hæretici damnentur.

Porrò qui citati legitimè ſuper crimine hæreſis, cum eſſent de hæreticâ pravitate ſuſpecti, contumaciter ſe abſentant, nec volunt coram Diœceſano vel Inquiſitoribus eos citantibus comparere; & ſic latam in eos ab eiſdem Diœceſano vel Inquiſitoribus excommunicationis ſententiam per annum vel ampliùs vilipendunt, hæretici condemnentur, etiam ſi nihil aliud probatum fuerit contrà eos.

Cap. IX. Quando peccatorum confeſſio facienda proprio Sacerdoti, atque Euchariſtia ſumenda.

Omnis autem utriuſque ſexûs poſtquàm ad annos diſcretionis pervenerit, confeſſionem peccatorum faciat proprio Sacerdoti, ſimiliter alii de voluntate illius, injunctam ſibi pro viribus pœnitentiam humiliter impleturi. Ter quoque in anno, in Nativitate Domini, Paſcha, & Pentecoſte, ſuſcipiant Euchariſtiæ cum omni reverentiâ Sacramentum. Itaque Confeſſio Communionem præcedat, niſi forte ob aliquam cauſam rationabilem ad tempus ab ejus receptione abſtinuerit de conſilio proprii ſacerdotis: nam ſi qui à communione niſi de conſilio proprii ſacerdotis abſtinuerint, ſuſpecti de hæreſi habeantur. Item ſtatuimus, ut parochiani dominus, & domina cujuſlibet domûs, diebus Dominicis teneantur ad Eccleſiam venire, audituri ibidem ex integro prædicationem & divinum officium, nec receſſuri inde donec Miſſæ compleatur oratio. Quòd ſi alter eorum abſens fuerit extrà villam, infirmitate vel aliâ cauſa rationabili præpeditus, vel alter ſaltem venire teneatur. Quòd ſi non fecerint, dummodo ſint in villâ præſentes, aliquâ infirmitate nec aliâ cauſâ rationabili detenti, ſaltem duodecim ſolidos uſualis monetæ ſolvere quilibet teneatur, quorum medietas ſit domini villæ, & alia medietas Eccleſiæ applicetur.

Cap. X. Excommunicatis quæ pœna infligenda.

Et quoniam contemnere claves Eccleſiæ multos videmus, tam contrà hæreticam pravitatem ſacros Canones quàm alia Concilia innovantes, diſtrictiùs præcipimus, ut excommunicati vitentur ab omni-

b *Jurati*] Baluzius hoc loco mavult *Vicarii*; & ſanè ita legitur cap. ſeq.

c *quibus cruces*] Qui ſcil. hæreſi abjuratâ cruces duas anteriùs prominentes in veſtibus geſtare debuerant ſi viverent, ut habetur ſuprà in Concilio Toloſano cap. 2.

d *erroribus*] Sic reſtituit Baluzius: editum erat, *memoribus*.

bus, juxtà canonicas ſanctiones; firmiter ſtatuentes, ut nullus Comes, vel Baro, ſeu aliqua ſæcularis poteſtas, multo minùs nullus Clericus vel Prælatus, aliquem excommunicatum faciat ſuum Judicem, Conſiliarium ſeu Ballivium; alioquin quicumque ſcienter contrà hoc fecerit, minori excommunicatione ipſo facto eum eſſe decernimus irretitum. Adjicientes, quòd ſi aliquis Clericus, vel Prælatus, alicui excommunicato ſcienter in menſâ participare præſumſerit, per unum menſem ſit ei Eccleſiæ ingreſſus interdictus. Laïcus verò ſimili modo excommunicato ſi participaverit, per unum menſem ad divina officia nullatenùs admittatur: à quo interdicto Clericus, vel laïcus, non niſi per Epiſcopum: Epiſcopus autem ſi ſimile commiſerit, non niſi per ſuperiorem ſuum abſolutionis beneficium valeat obtinere. Item circà Epiſcopos excommunicationum temerarios contemptores, quantum ad eos qui ſunt in Regno Franciæ, ſtatutum Narbonenſis Concilii; quantum verò ad illos qui ſunt extrà Regnum Franciæ, Valentinum Concilium obſervetur. De excommunicatis autem in Conſules, Poteſtates, Rectores, Aſſeſſores, Bajulos vel ad alia publica officia nullatenùs aſſumendis; & illis qui tales ſcienter elegerint; nec non illis, qui contrà excommunicatores, vel denuntiatores excommunicationum ſtatuta banna faciunt, ſeu præcepta, ac de excommunicatis publicè, qui ſe officiis Eccleſiaſticis ingerere pertinaciter non verentur, nec inde volunt recedere, à Sacerdote moniti vel Prælatis; & de interfectoribus Clericorum ſupradictum Concilium Valentinum ſervari volumus & mandamus. Et quoniam excommunicationis, interdicti, necnon ſuſpenſionis ſententiæ ſine maturitate debitâ non ſunt ferendæ; Conſtitutiones bonæ memoriæ Domini Papæ Innocentii quarti, *Cum medicinal.* &c. *Quoniam periculoſum*, &c. *ſolet à nonnullis*, &c. in eârum perlationibus obſerventur. Diſtrictè nihilominus inhibemus, ne Epiſcopus vel Prælatus, vel alius ad quem ſententiarum ſpectat abſolutio prædictarum, cum talibus ſententiis jam ſatisfecerint, vel parati ſunt ſatisfacere, juxtà Eccleſiæ arbitrium de offenſis pro ſolo actu abſolvendi, quodcumque extorquere præſumat.

Cap. XI. Quid obſervandum in Teſtamentis condendis.

Præterea inhærentes Toloſano Concilio, volumus & præcipimus, ut teſtamentum, vel ultima voluntas cujuſque, in præſentiâ ſemper Catholicorum virorum, & parochialis Sacerdotis, vel alterius perſonæ Eccleſiaſticæ, de voluntate ipſius parochialis Preſbyteri locum ejus tenentis, condatur: præſertim ut idem Sacerdos, vel locum ejus tenens, valeat de ipſo teſtatore laudabile teſtimonium perhibere, & ne de ipſo aliqua infidelitatis ſuſpicio habeatur, & maximè ut ea quæ in pias cauſa reliquerit, ſine fraude fideliùs & citiùs perſolvantur. Quòd ſi teſtator vocare, ut diximus, Sacerdotem parochialem, & viros Eccleſiaſticos contemſerit, careat Eccleſiaſticâ ſepulturâ, donec de hujuſmodi mandati contemptu, qui eo tempore præſumitur, niſi eos vocaverit cum effectu, Eccleſiæ ſatisfactum fuerit competenter. Notarius verò, qui abſque ſolemnitate ſuperiùs expreſſâ notare vel ſcribere præſumſerit teſtamenta, vel ultimas voluntates, quouſque ad cognitionem Diœceſani ſatisfecerit, ingreſſum Eccleſiæ ſibi interdictum noverit. Verùm quia parochiales Preſbyteri circà ſolutiones eorum quæ ad pias cauſas à decedentibus relinquuntur, negligentes exiſtunt, præcipuè ex quo in his quæ ad eos proveniunt, eiſdem fuerit ſatisfactum; ſtatuimus, ut omnia legata ad pias cauſas ab ipſis teſtatoribus derelicta, omnes parochiales Sacerdotes in ſcriptis penes ſe deinceps curent pleniùs retinere, ut ſciant quid, quantum, à quo & à quibus legatum fuerit ſeu relictum, circà quorum abſolutionem eos ſollicitos eſſe præcipimus & intentos; ſtatuentes, ut poſt obitum teſtatoris infrà quindecim dies, heres ab ipſo parochiali Preſbytero requiſitus, ipſius teſtamenti ſeu ultimæ voluntatis eidem Sacerdoti dare tranſcriptum ſeu tranſlatum, quoad legatum piis cauſis & piis uſibus deputatum, expenſis legatariorum teneatur: ad quod ab eodem Preſbytero per cenſuram Eccleſiaſticam valeat compelli ipſe heres. Inſuper ſtatuentes, ut legantur in Eccleſiâ publicè, tum maximè die Dominicâ vel feſtivâ, legitima & legata omnia ſupradicta, ut quid cui legatum fuerit vel relictum minimè ignoretur.

Cap. XII. Fœminæ intrà Eccleſiæ ſepta non maneant.

Item præcipimus, ut nullus Sacerdos, vel Clericus regularis, aut ſæcularis aliquam fœminam teneat intrà ſepta Eccleſiæ, de quâ mala ſuſpicio valeat exoriri.

Cap. XIII. Calicibus argenteis utendum, & Eccleſiarum ruralium ædificia inſtauranda.

Calices quoque argenteos volumus haberi in omnibus Eccleſiis, quarum redditus & proventus annuatim attingunt ſummam quindecim librarum Turonenſium, expenſis dumtaxat quæ fuerint colligendo & reponendo deductis.

Statuimus etiam ut Epiſcopi & Archiepiſcopi, & alii Eccleſiarum Prælati, Rectores, vel alios qui ad hoc de conſuetudine tenentur, compellant per cenſuras Eccleſiaſticas ad reficiendum Eccleſias rurales, & alias domos, & alias officinas eiſdem Eccleſiis neceſſarias & ſervitoribus earumdem, prout ipſis qui tenentur propriæ ſuppetierint facultates.

Cap. XIV. Clerici coram Judicibus ſæcular. lites non moveant, nec Regulares Advocatum agant.

Item volumus & præcipimus, ne aliqui Clerici ſæculares in ſacris ordinibus conſtituti, & qui de beneficiis Eccleſiaſticis ſuſtentantur, coram ſæculari judice, niſi in caſibus à jure conceſſis: nec etiam aliqui Regulares coram quocumque Judice ſine ſui Majoris licentiâ ſpeciali, officium advocati non aſſumant indebitè.

Nulla officia ſæcularia exerceant.

Statuimus quoque, Valentinum Concilium innovando, ut nulli Clerici in ſacris ordinibus conſtituti, ſeu Canonici cathedralium Eccleſiarum, ſeu aliàs Beneficiati, Judicatum, Conſulatum, Aſſeſſoram, vel alia officia publica in curiâ ſæculari, electi à populo, vel à ſæculari perſonâ recipiant; & ſi receperint, niſi infrà menſem poſtquàm publicata fuerint in ſuis Diœceſibus hæc ſtatuta, non dimiſerint, ab officio & beneficio ſuſpendantur: & ſi per annum in contumaciâ perſtiterint, ſuis beneficiis per ſuos Epiſcopos ſine ſpe reſtitutionis priventur.

Cap. XV. Auro vel argento Religioſorum equi non ornentur.

Ad hæc ſtatuimus, ut nullus Regularis in frænis, pectoralibus, aut calcaribus, & ſellis ſuis uſibus deputatis; auro vel argento utatur; ſed ſint ſellæ Regularium albæ, vel nigræ, vel raſæ. Denique ſtatutis canonicis quæ olim ſunt prodita pro honeſtate Clericorum ac vitâ, illud duximus annectendum, ut aliquis Clericus botones vel firmallos aureos, vel argenteos deauratos, vel deargentatos deferre in aliquibus veſtibus non præſumat.

Aleis & taxillis non ludant Clerici.

Statuimus inſuper, antiquos Canones innovando, ne Clerici in ſacris ordinibus conſtituti, & qui beneficiis Eccleſiaſticis ſuſtentantur, ad aleas & taxillos non ludant: Coronam & tonſuram habeant congruentem. Quod ſic intelligi volumus, & ſervari, ut omnes Prælati, & Regulares perſonæ, ſuprà aures in girum, ita quòd aures omnino pateant, ſint attonſi. Alii vero in rotundum ad minùs uſque ad medium aurium tondeantur.

Forma coronæ eorum præſcribitur.

Commatres quoque ſibi facere, pueros de ſacro fonte elevando, aut aliquos in confirmatione tenendo, omnibus Clericis tum ſæcularibus, quàm Regularibus inhibemus.

Venatio illis prohibetur.

Aves venatorias præterea quiſquam Clericus in

ſacris ordinibus conſtitutus, vel alius qui de beneficio Eccleſiaſtico ſuſtentatur, in publico manu propriâ deferre non præſumat: & cum avibus & canibus non venetur, avem venatoriam manu propriâ deferendo, nec pro dormiendo cum eis frequentet hoſpitia mulierum.

Trepidare quoque, quod vulgariter biordare dicitur, cum ſcuto & lanceâ aliquis Clericus publicè non attentet; quia ex his multa diſſolutionis, laſciviæ & ſcandali materia generatur; frænis autem, calcaribus, ſeu pectoralibus deauratis nullo modo utantur.

Cap. XVI. Nil proprium habeant Religioſi.

Item nulli Regulari pro veſtibus, ſeu pro pitantiâ, à ſuo Majore pecuniæ ſumma detur: ad hoc enim datur ei materia proprium retinendi; ſed omnes in veſtiario induantur.

Veſtibus laïcorum non utantur, ſed colore & formâ cuique inſtituto competentibus.

Prohibemus quoque diſtrictiùs, ut nulli Regulares cum balandranis, ſeu garnatiis, vel aliis veſtibus laïcorum equitent vel incedant, ſed capas rotundas publicè deferant, vel ſuum habitum regularem. Et quia plurimi Regulares regularem deferre habitum erubeſcunt, Montis Peſſulani, & Avinionenſi Conciliis inhærentes, ſtatuimus, ut omnes Monachi nigri, & Canonici Regulares, veſtes deferant albas, vel nigras, ut cum qui ex antiquâ Eccleſiæ ſuæ conſuetudine albas hactenùs portaverint, hujus Conſtitutionis prætextu nigras vel è contra deferre propterea non præſumant; cum in unâquâque Eccleſia velimus unum habitum ſecundùm ſtatum antiquum & laudabilem obſervari: diſtrictè præcipientes, ut Regulares aliqui clarâ vel nigrâ bruneta, vel panno alio ſumptuoſo, ſcodato quoque aut ſerico non utantur. Ut autem prædicta ſerventur ab omnibus Clericis, tam Regularibus, quam ſæcularibus, ipſius Concilii approbatione inconcuſſè ſtatuimus, ut qui contrà prædicta venerit, vel aliqua prædictorum ſit ipſo facto inhabilis ab beneficium Eccleſiaſticum, & multo magis ad Eccleſiaſticam dignitatem ad quod, vel quam, poſt hujuſmodi exceſſum primò cum eligi contigerit, vel vocari, niſi cum eo fuerit per ſedem Apoſtolicam diſpenſatum.

Tres Monachi in quolibet prioratu conſtituantur.

Statuimus etiam, ut ſi talis fuerit Prioratus Monachorum, in quo tres Monachi valeant commorari, tres ad minus ponantur ibidem, & unus ex eis Prior fiat, qui curam habeat animarum, vel aliorum. Si verò tot fratribus non ſufficiat Prioratus, cum paucioribus vix poſſint regulariter vivere, duæ vel tres Eccleſiæ, juxtà arbitrium diœceſani Epiſcopi vel Abbatis, ſeu Præpoſiti, vel Prioris, cui, vel quibus Eccleſiæ illæ ſubſunt, conjungantur in unum; & illi Priori, qui inſtituetur in una ipſarum, reſpondeant: qui Prior in illis Eccleſiis in quibus tres non fuerint, miniſtret per Preſbyterum ſæcularem. Adjicientes, ut ſi ille ad quem ſpectat Prioratuum ordinatio prædictorum, per annum negligens in his fuerit vel remiſſus, ipſorum Prioratuum ordinatio ad ſuperiorem maximum devolvatur.

Idem ſtatuitur pro Canonicis Regg.

De Prioratibus verò Canonicorum Regularium, cum Regulæ inſerviant laxiori, ſi pluribus non ſufficiat prioratus, duo ſaltem Canonici in Prioratu ponantur: quòd ſi nec duobus facultates ſufficiant Prioratûs, fiat ſicut de Prioratibus Monachorum. Hoc enim in iis præſertim agimus, ut Monachus, vel Canonicus Regularis abſque ſocius vel ſocio ſui Ordinis non moretur.

Cap. XVII. Beneficia qui conferenda.

Sane cum in collatione bonorum Eccleſiaſticorum haberi debeat principaliter ante oculos ſolus Deus, diſtrictè præcipimus & mandamus, ut omnia Eccleſiaſtica bona perſonis idoneis, & ſtatuto à Canonibus tempore conferantur; nullo præcepto, vel promiſſo, remotis omni conditione & pacto, abſque omni diminutione, novâ penſione in eiſdem ab opus conferentis vel alterius non injectâ, prout canonicæ ſtatuunt ſanctiones: circà quæ fraudem quamlibet evitari prorsùs volumus, & diſtrictè mandamus. Firmiter inhibentes, ne redditus Eccleſiarum vacantium præſumat quiſquam, præterquàm ipſius Eccleſiæ quæ vacat uſibus applicare, aut eaſdem bonis ſuis aliquibus ſpoliare. Si autem aliquis ſcienter contrà fecerit; ipſorum beneficiorum aliter, quàm ſupra dictum eſt, collatorum in pœnam ipſius conferentis, & ejus qui recipit ſic collata, ad ſuperiorem eà vice tamquam vacantia per ſtatutum hujuſmodi devolvantur.

Cap. XVIII. Cum viſitant eccleſias quid agere, quid vè cavere debent Epiſcopi.

Verùm quia in procurationibus exigendis, quæ ratione viſitationis debentur, quidam Prælati excedere aſſeruntur, ſubditos inhumaniter aggravantes, quos paternâ tenentur gubernare providentiâ; ſtatuimus, ac diſtrictè præcipiendo mandamus, ut omnes Prælati cum Eccleſias ſibi ſubditas viſitabunt, prius propoſito verbo Dei tam clero quam populo, ac explicatis præſertim articulis fidei, coram eis quærant de vita & converſatione miniſtrantium in eiſdem. Ornamenta tam altarium, quàm Sacerdotum, præcipuè corporalia, vaſa & calices, ſi ſint munda diligentiùs intuentes, cum in pleriſque Eccleſiis interdum talia conſueverint reperiri, quæ ſint horrori potiùs quàm honori. Intendant etiam ad emendationem congruam miniſtrorum per ſalubria monita, nunc levia, nunc aſpera, juxtà datam ſibi à Domino providentiam & doctrinam. Notoria verò crimina, quæ examinatione non indigent, neque egent, cum ſuper his notari poſſit meritò Ordinariorum negligentia, corrigant ſine morâ. Statuentes, ut prædictas procurationes nullus recipiat, niſi cum per ſe vel per alium providum & honeſtum ipſas Eccleſias viſitaverit: nullam tamen pecuniam ipſe, vel alius pro eodem exigat vel recipiat ullo modo, niſi una Eccleſia ſine alterius auxilio viſitatori commodè poſſit providere, attentiùs proviſurus, ut aliquis de familiâ ſuâ occaſione alicujus officii, vel conſuetudinis, ſeu quolibet alio modo, præter victualia moderata quicumque exigere, vel etiam recipere non attentent. Caveant inſuper & attendant, ut qualitercumque offerat, recipere non præſumant, ut non quæ ſua ſunt, ſed quæ Jesu Christi quærere videantur.

Prohibemus & mandamus, ut cum prædictas Eccleſias viſitabunt, non excedant evectionum numerum in Lateranenſi Concilio conſtitutum. Attendentes quòd de prædicto ibidem evectionum numero continetur, ſecundùm tolerantiam eſſe dictum in illis locis, in quibus ampliores ſunt redditus Eccleſiaſticæ facultatis, in pauperioribus autem locis, tantam volumus & præcipimus teneri menſuram, ut exceſſu majorum minores meritò non doleant ſe gravari: nec ſub tali indulgentia illi qui hactenùs paucioribus equis uti ſolebant, indultam poteſtatem plurium ſibi credant.

Volumus inſuper & mandamus, ut in viſitationibus ſupradictis non quærant epulas ſuperfluas, ſed cum gratiarum actione recipiant quod honeſtè ac competenter illis fuerit miniſtratum. Circà verò exactiones & tallias à ſubditis exigendas, ſupradictum Lateranenſe Concilium ab omnibus volumus & præcipimus obſervari: adjicientes, ut in una eademque Eccleſiâ niſi unâ die abſque legitimâ causâ & neceſſariâ non morentur ad expenſas Capellani Eccleſiæ vel Rectoris. Quòd ſi fuerit contrà præſumptum, contrà faciens Dei maledictionem incurrat, à quâ, niſi duplum reſtituat, non liberetur.

Perjuris pœna inflígenda.

Ad hæc, quia plùs ſolito contemnitur religio juramenti, contrà perjuros quoſlibet manifeſte ſtatu-

tum Avenionenſis Concilii ubique volumus obſervari : adjicientes, ut occultè tranſgreſſores liciti juramenti ab omnibus parochialibus Preſbyteris ad Epiſcopum tranſmittantur, qui injungat eis de hoc pœnitentiam ſalutarem.

CAP. XIX. De uſuris non contrahendis cum Judæis.

LICET autem ad exſtirpandum vitium uſurariorum pagina utriuſque Teſtamenti conveniat, ſtatutum Avinionenſis Concilii ſuper his editum innovamus; ſtatuentes, ut ſervetur ab omnibus, prout in ipſo pleniùs continetur. Adjicientes, ut Chriſtianos ad ſolvendum Judæis, vel aliquibus aliis uſuras aliquos non compellat ullus Judex Eccleſiaſticus, vel etiam ſæcularis. Statuimus inſuper, ſi ſit dubium an ſit aliquid de uſuris aliis debitis quæ interdum à Chriſtianis poſtulant ſibi ſolvi, iidem Judæi veritatem priùs dicere juramento ſuper legem Moſaïcam adſtringantur, rationibus aliis convenientibus, quæ ad probandas uſuras inductæ fuerunt, non rejectis. Etiam hoc de mutuis cum ipſis Judæis uſque modo contractis, obſervandum, ſtatuimus, & mandamus in his, aut quæ deinceps mutuaverint Judæi Chriſtianis, Chriſtianorum ipſorum ſtetur ſimplici juramento, an quidquam uſurarium ſit in eis; & in eo quod uſurarium eſſe dixerint, ſic jurati abſolvantur.

Judæi cappas more Clericorum deferre interdicuntur.

Et quoniam ex cappis rotundis, quas Judæi portant communiter, honor vehementer confunditur Clericorum, qui cappis rotundis ex more utuntur, præſentis approbatione Concilii duximus ſtatuendum, ut Judæi aliqui deferre cappas rotundas de cætero non præſumant, ſed cappas portent de cætero & deinceps manicatas, ita quod manicæ longæ ſint adeo ſicut cappæ, nec in eiſdem manicis plicatura ſit aliqua atque ruga.

Plura de Judæis ſtatuuntur.

Portent inſuper rotam amplam continuò & publicè ante pectus, cujus circulus ſit latitudinis unius digiti ac unius palmi dimidii altitudo. Carnes quoque, quas ipſi privatim faciunt in domibus ſuis, in macellis Chriſtianorum vendere non attentent. Et quia in contemptum noſtrum Judæi aliquibus cibis noſtris & potibus non utuntur, firmiter inhibemus, ne aliqui Chriſtiani audeant uti ſuis. Abuſum quarumdam partium abolentes, diſtrictiùs præcipimus & mandamus, ne Chriſtiani contrà Judæos in teſtimonium in omnibus contractibus, & in omnibus curiis admittantur : ne autem Chriſtianos ſcandalizent, vel ſcandalizentur ab eiſdem, diebus Dominicis & feſtivis operari publicè non præſumant.

Excommunicentur prætereà Chriſtiani, qui causâ medicinæ, curæ ſe commiſerint Judæorum. Adjicientes, ut Judæorum domini prædictorum per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur, ut Judæos ſuos portare faciant continuè & publicè rotam & habitum ſupradictum. Ipſos quoque Judæos per excommunicationem in Chriſtianos, qui in commercio vel aliis participationem habebunt aliquam cum eiſdem.

Vectigalia nõ imponantur, nec admittantur.

Nova autem pedagia quocumque nomine cenſeantur ſcienter quiſquam imponere, vel etiam recipere non attentet. Quod ſi quis fecerit, excommunicationis ſententiam per ſedem Apoſtolicam annis [e] ſingulis promulgatam incurrat. Quòd niſi monitus ab iis deſtiterit, per diœceſanum præcipimus ſolemniter publicari.

STATUTA

SYNODI MONTISPESSULANI,

Præſidente JACOBO *Narbonenſi Archiepiſcopo, An.* M. CCLVIII.

ANNO 1258. *Ex Codice MS. Monaſ Aniane.*

LEGEM ſtatuit Dominus humani generis Creator, ut miniſterio vitæ rationabilis edocta, labe ruditatis abjectâ, fieret diſcretionis luciditate præclara: tunc etenim ex lege reſultat juſtitia, dum quiſque ſui debitum cujuſcumque officii [reddit,] & cuſtodit quod ſancti Patres præceptis edocti juſtitiæ; ut ſic dilucidentur obſcura, inordinata in melius conformentur, & tollantur injuriæ, juſque ſuum ſervetur & largiatur cuilibet indefeſſè; diverſa ſtatuta proinde ediderunt. Inde eſt quod Nos JACOBUS miſeratione divinâ ſanctæ Narbonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, majorum noſtrorum præſenti Concilio veſtigiis inhærentes, ipſorum edocti magiſterio, quædam pro moderamine, quædam verò pro tranſgreſſorum audaciâ refrænandâ, de aſſenſu Venerabilium Fratrum noſtrorũ præſenti Concilio comprobante, ad bonũ ſtatum noſtræ Provinciæ duximus ſtatuenda, quæ inferiùs declarantur. Sanè quia prædeceſſores noſtri in provincialibus Conciliis ad ampliandum cultum orthodoxæ fidei, tam ſuper Eccleſiarum libertatibus, quàm vitâ & honeſtate Clericorum, nec non & aliis diverſis capitulis diverſa pro qualitate temporum edidêre ſtatuta: Nos eadem per omnia approbantes, ad conſervandam Eccleſiaſticæ libertatis juſtitiam, & perverſorum reprimendam audaciam, ut quantum poſſumus, viam malitiæ claudamus, & in quiete vivere cupientes, quietem aliis præparemus, præſentis approbatione Concilii providè duximus ſtatuendum.

CAP. I. Contrà Eccleſiaſticorum bonorum, jurumque invaſores.

UT quicumque temerè bona Eccleſiaſtica invaſerit ſeu occupaverit; aut res Eccleſiarum, vel Monaſteriorum rapuerit, perſoniſque Eccleſiaſticis injurias intulerit, aut Eccleſias, ſeu loca religioſa, vel earumdem Eccleſiarum libertates & jura impediverit uſurpando, ſciat ſe ipſo facto auctoritate præſentis Concilii anathematis vinculo innodatum. Et quia peccata nocentium ſcire expedit & oportet, Statuimus ut ad requiſitionem illius Epiſcopi, contrà quem, aut contrà cujus ſubditos, ſeu Eccleſiaſticas perſonas, Eccleſias ſive Monaſteria, aut loca religioſa, & in ſua diœceſi conſtituta hæc attentata fuerint, cæteri Epiſcopi reum hujuſmodi, ſive reos tamdiù excommunicatos denuntient, & per ſuas civitates & diœceſes faciant ſolemniter denuntiari, donec emendam proinde fecerint competentem : ipſo tamen Epiſcopo ad denuntiationem hujuſmodi priùs in ſuâ civitate ac diœceſi procedente.

CAP. II. Nulli Epiſcopos alterius diœceſis tonſuram, Ordinesve ſacros conferat.

QUIA verò nonnulli inſtantiâ opportunâ, vel per obreptionem forſitan abſque ſui Ordinarii licentiâ per alios Epiſcopos tonſurantur, ut quod ſpecialiter prohibetur, fortiùs obſervetur, ſtatuimus, ut nullus Epiſcopus de cætero prætextu cohabitationis cujuſlibet alterius diœceſani aliquem, abſque licentia ſui Epiſcopi tonſurare audeat, nec ipſum multo fortiùs ad minores vel majores Ordines promovere. In tonſurando verò illos maximè qui cum poſtulant tonſurari, ſunt in ætate viginti annorum, & ſuprà conſtituti, cautelam habeat ordinator, ut talem adſcribat militiæ Clericali, qui ex devotione, non per fraudem adſcribi cupiat ordini Clericali; & qui non ſit omninò expers ſcientiæ clericalis.

---

e *annis*] Sic emendavit Baluzius : in priori editione legebatur *in eis*.

Cap. III. A quibus prohibeantur Clerici.

Demum obloquentium ora cum debitâ juſtitiâ claudere cupientes, juriſdictionem Eccleſiaſticam ſic volumus obſervare illæſam, ut non ſimus aliis oneroſi, perpetuo ſtatuto duximus ordinandum, quòd clerici mercimonium exercentes publicè, operatoriam ſcilicet, ſive menſam hypothecam, vel ſimilia pro vendendis mercibus tenentes, ſeu cum perſonis laïcis talia exercentibus, vel ſcholares, aut ſocii exiſtentes. Et qui tonſuram dimiſerint, aut in habitu non vixerint clericali, veſtes varias deferendo, vel alias clericos non decentes. Et qui mechanicas artes exerceant; aut qui operas ſuas aliis locaverint, vilia exercendo; quamdiù ſe notabiles reddiderint, vel in fraudem aliqua commiſerint in præmiſſis: necnon & modo quolibet bigami, & qui etiam ſui culpâ propter homicidium, vel aliàs ſunt inhabiles ad recipiendum ordinem clericalem, à talibus, ſeu quæſtis ab Eccleſiâ de cætero minimè defendantur: & qui honore clericali ſe indignos reddiderint, ejus beneficio nullatenùs foveantur. Privilegia verò per Canonem, *Si quiſquam ſuadente*, conceſſa ordini Clericali per prædicta non intendimus in aliquo derogari.

Tonſuram & veſtes Clericales deſerans.

Cap. IV. De Legatis à ſummo Pont. & ſubdelegatis.

Porro animarum pericula vitare quantum poſſumus affectantes, ſtatuimus, ut ad mandatum exequutoris à Domino Papa ſuper negotiis aliquibus conſtituti, vel ab eodem Domino Papa judicis delegati, aut ſubdelegatorum exequutorum, & Judicis hujuſmodi, nullus paſſim aliquem excommunicet, vel etiam interdicat, ſeu excommunicatum vel interdictum denunciet, niſi qui priùs poteſtatis, & commiſſionis ſuæ exequutor, aut Judex fuerit delegatus, Apoſtolicas litteras; & ſi ſubdelegatus fuerit eorumdem, ipſas litteras Apoſtolicas, nec non & ſuæ ſubdelegationis litteras oſtenderit, fidem faciens de mandato; cum tali etiam de jure niſi priùs de mandato conſtiterit, minimè ſit credendum.

Cap. V. Judæi à Chriſtianis debita non exigant, niſi præſtito juramento.

Cæterum Judæorum inſatiabilem avaritiam quantum cum juſtitiâ poſſumus refrænantes, ſtatuimus, ut nullus de cætero Judæum aliquem contrà Chriſtianum ſuper exactionem debiturum audiat, nec ei audaciam aliquam præbeat, niſi priùs ſacrâ lege Moyſaïcâ coram poſitâ Judæus ipſe, qui juſtitiam poſtulat ſibi exhiberi, per ſuum declaraverit juramentum quid, & quantum de ipſo debito quod exigit uſura, vel ſors fuerit, ut ex tunc ſuper ſorte ſolummodo audiatur, uſurarum petitione penitùs ſubmotâ; ſalvâ nihilominùs defenſione quâlibet Chriſtiano, ſi velit, & poſtulet ſe ad probandum admitti, quòd totum fuerit uſura quod Judæus exigit, vel in majori quàm declaravit quantitate.

Cap. VI. De quæſtoribus.

Verum quia Quæſtores plurimi paſſim de locis aliis ad iſtam provinciam ſe convertunt, non abs re duximus ſtatuendum, quòd Epiſcoporum aliquis niſi priùs noſtras videat litteras ipſis conceſſas Quæſtoribus, ſuper negotio pro quo quæſtores hujuſmodi deſtinantur, eiſdem ſuas litteras non concedat.

Præcipientes firmiter & mandantes, ut omnes in noſtrâ provinciâ conſtituti ſtatuta ipſa cum devotione recipiant, & obſervent, ac eadem faciant à ſuis ſubditis inviolabiliter obſervari: ipſa nihilominùs in proximâ Synodo, & aliis ſynodis publicantes. Et ne prætextu ignorantiæ, quamquam non ſit conſtitutio ſingulorum auribus inculcanda, quiſquam ſe poſſit aut valeat ad excuſandas excuſationes in peccatis forſitan excuſare: Præcipimus & mandamus, ut conſtitutionem ſupradictam, providâ deliberatione præſentis Concilii editam, contrà bonorum Eccleſiaſticorum temerarios invaſores, omnes Epiſcopi diebus Dominicis & feſtivis ab omnibus Capellanis, & Eccleſiarum Rectoribus in ſuis civitatibus, & diœceſibus faciant publicari.

Datum apud Montem Peſſulanum in provinciali Concilio ibidem celebrato, octavo Idus Septembris, Anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo octavo.

De Clericis qui grave ſcelus perpetrarint, quid agendum.

Conſilium [a] eſt, quòd Ordinarius det licentiam Seneſcallo Bellicadri, quòd ipſe per ſe, & alias quaſvis certas perſonas, ab eodem Seneſcallo nominatas, & ab Ordinario acceptatas, poſſit & valeat auctoritate Ordinarii Clericos capere pro raptu, homicidio, & incendio, fractionibus nocturnis domorum, depopulatione agrorum; in ipſo tamen flagrante crimine deprehenſos. Ita tamen quòd ad capiendum ſceleratum [Clericum,] illius loci in quo facinus ipſum perpetrabitur, Capellanum vel Rectorem, aut Officialem Ordinarii, aut Clericum aliquem, ſi alter eorum ibidem repertus fuerit, ſecum advocet. Sin autem facinoroſum taliter deprehenſum ſine læſione ipſe capiat; captumque ſine morâ, & abſque læſione aliquâ, ad curiam Ordinarii ducere non poſtponat. Hujus autem licentiam per ſuas patentes litteras Ordinarius faciat, & uſque ad ſuum beneplacitum voluntatis: de ipſius verò conceſſionis licentiâ, ut appareat quòd Seneſcallus ejuſdem Ordinarii auctoritate procedat, idem Ordinarius patentes litteras ab eodem habeat Seneſcallo.

MONITUM.

STATUTA SYNODALIA NICOLAI GELANT & GUILLELMI MAJORIS Epiſcoporum Andegavenſium, priora condita ſunt anno MCCLXI. *poſteriora anno* MCCCXIV. *In his Statutis elucet maxima utriuſque Epiſcopi vigilantia in emendandis corruptelis, quæ mores & diſciplinam Eccleſiaſticam ſuâ ætate labefactabant: nec memini in ullis unquam aliis ejuſmodi Synodis tot ſingularia legiſſe decreta, quot in iſtis præſcripta ſunt. Quâ de re egregium ſpecimen exhibebitur tomo* x. *pro* GUILLELMO *Majore, cujus geſta illic edentur ſuo loco. Is verò ipſe eſt, qui Statuta iſthæc tam à deceſſore ſuo Nicolao quàm à ſeipſo publicata, collegit in unum, uti ipſemet commemorat in Præfatione Statutis præfixâ, ut excuſationem Clericorum ſuorum, qui ea ſe ignorare prætendebant, removeret.*

a *Conſilium*] Apparet Conſilium hoc ex Præſulum qui Synodo adfuerant ſententiâ eſſe deſcriptum; & cum in eâ re de quâ conſulebantur periculum eſſet ne quid ſtatuerent quod auctoritati regiæ, quam Seneſcallus Bellicadri exercebat, minùs convenire videretur, placuiſſe ut ſtatutum non in Canonis, ſed in Conſilii formâ ederetur. Et ſanè auctoritas Ordinarii hac in re non admodum neceſſaria erat, nimiumque ſibi arrogaſſe videntur Præſules, quorum conſilio Reges noſtri ita non aſſenſerunt, ut ſtatuerint Clericos ac monachos facinoroſos capiendi jus Seneſcallis ac Baillivis, cæteriſque Judicibus ordinariis competere. Vide Ordinationes regias à D. de Lauriere editas.

Illis in Statutis cum multa ſint obſervatione digna, tum illud in primis venit in mentem, quòd Nicolaus in Synodo Pentecoſtes anno MCCLXIII. *abrogat uſum hoſtiarum, quæ in die Paſchæ non communicantibus præbebantur loco panis Benedicti. Deinde quòd in Synodo S. Lucæ anni* MCCLXX. *iis qui comitarentur Sacerdotem Euchariſtiam ad ægrotos deferentem, viginti dies de injunctis pœnitentiis relaxat. Tum quòd in eodem Feſto poſt duos annos præcipit, ut non poſt elevationem Sanctiſſimi Sacramenti, ſed paulo ante eam campana pauſatim pulſetur, ad excitandos abſentes in cultum Corporis Dominici. Et anno ſequenti in Feſto eodem vetat, ut Diaconi qui Confeſſiones (ut ſolebant) infirmorum excipiebant, eiſque miniſtrabant Euchariſtiam, ulteriùs id præſtare audeant citrà neceſſitatem, ubi ſcilicet abfuerit Presbyter. Accedit, quòd anno* MCCLXXIV. *in Synodo Pentecoſtes monet & exhortatur Presbyteros ſuæ diœceſis, ut* poſt Dominicam ante Cineres uſque ad Paſcha carnibus non utantur. *Antiquum hunc morem penes Clericos fuiſſe probat Anonymus, qui vitam S. Udalrici Auguſtani Epiſcopi ſcripſit ſub finem ſæculi decimi, cùm in cap.* 10. *Dominicam Quinquageſimæ appellat* eam Dominicam, in quâ mos eſt Clericorum ante Quadrageſimam carnes manducare, & deinceps uſque ad ſanctum Paſchæ tempus devitare. *Denique anno inſequente in Synodo S. Lucæ, præcipit in Baptiſmo trinam immerſionem, aut certè trinam effuſionem obſervari, contrà nonnullos qui* ſemel tantùm *baptizandos* immergebant in aquam, vel uno contextu aquam fundebant ſuper eos. *In Synodo itidem S. Lucæ anni* MCCXCII. *Barbitonſoribus ſub pœnâ excommunicationis interdicit*, ne diebus Dominicis barbas radant, vel alias barbitonſoris officium exerceant, etiam minuendo, (*nempe ſanguinem per venæ ſectionem*) niſi mortis vel gravis infirmitatis periculo imminente. *Eam denique pœnam molitoribus, qui diebus Dominicis operi ſuo vacarent, interminatur. Hæc in ſpecimen de illis Statutis ſufficiat adnotaſſe.*

STATUTA SYNODALIA

NICOLAI GELANT, ET GUILLELMI MAJORIS

EPISCOPORUM ANDEGAVENSIUM.

Præfatio Guillelmi Majoris, *Le Maire.*

GUILLELMUS permiſſione divinâ Andegavenſis Epiſcopus univerſis & ſingulis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Archipreſbyteris & Decanis, & Eccleſiarum Rectoribus, & quibuſcumque aliis noſtris ſubditis, ſalutem. Juris remedia tot & tantis exquiſita vigiliis, & per ora Prudentium ſalubriter promulgata ad tutelam bonorum & malorum inſolentias cohibendas, non decet verbis ſed rebus imponi, nec convenit affectatâ oblivione delere, ſed tenaci memoriæ commendare. Sanè recolendæ memoriæ Prædeceſſor noſter dum Andegavenſem laudabiliter rexit Eccleſiam, circà Dominici gregis cuſtodiam ſollicitis vigiliis excitatus, & animarum ſaluti jugi meditatione intendens, & nos poſtmodum ipſo feliciter migrante ad Chriſtum, ad curam ipſius gregis, licet immeriti, Divinâ miſeratione vocati, à noſtris Synodis plura ſtatuta Synodalia ſuper diverſis ſtatutorum articulis edidimus ſucceſſivè, prout negotiorum & temporum qualitas exigebat. Quorum ſtatutorum plures invenimus pluribus modis tranſgreſſores, ad ſui excuſationem dum corrigebantur, ignorantiam ſuper hæc prætendentes, licet quoad illos, qui ad noſtram Synodum venire tenentur, ſupina & craſſa ignorantia dici deberet. Eapropter ne quis ſuper hæc ulteriùs prætextu ignorantiæ ſe valeat excuſare, nec deinceps quæ ſint inſtituta Synodalia valeat in poſterum dubitari, omnia & ſingula ſtatuta Synodalia prædicta tam à prædicto Prædeceſſore quàm à nobis edita fecimus recenſeri; & quibuſdam ſtatutorum ipſorum tanquam temporalibus vel ſuperfluis pro præſentis temporis qualitate reſecatis omninò, & aliis mitigatis, circà pœnas appoſitas in eiſdem in uno quaterno fecimus regiſtrari; ſtatuentes ut de cætero ſtatuta ipſa in quaterno hujuſmodi regiſtrata, ab omnibus & ſingulis ſubditis noſtris, prout tangunt, illibata ſerventur. Præcipientes etiam univerſis & ſingulis Abbatibus, Archidiaconis, Archipreſbyteris, & Decanis Eccleſiarum Curatis in virtute obedientiæ, quâ nobis tenentur adſtricti, quòd ipſi & eorum quilibet infrà primi anni Synodum ſancti Lucæ ſcribi faciant in quaterno ſtatuta eadem, quorum exemplar poni penes Joannem Benchies vel alium Stationarium faciemus, & eadem in quaterno ad dictam Synodum apportantes quivis dictorum Curatorum ſuo Archipreſbytero vel Decano præſentent, qui nobis referant illos qui in præmiſſis fuerunt negligentes, ſcituri quòd illos qui in præmiſſis defecerint, graviter puniemus.

Synodus I. Nicol. Gelant.

NICOLAUS GELANT IN SYNODO ſancti Lucæ.

Anno Domini M. CC. LXI.

Caput. I. STatuimus quòd in ſingulis Eccleſiis liber, qui dicitur Ordinarius, habeatur quo Sacerdotes reſpiciant ſingulis diebus ante Veſperarum inceptionem; ut ipſas Veſperas, Matutinas, & officium diei ſequentis faciant & exequantur juxtà Ordinarii inſtructionem.

Prohibemus ne quis Sacerdos pro quâcumque Eccleſiæ ſuæ neceſſitate obliget Miſſale Eccleſiæ, vel calicem, vel parochianis obligare volentibus conſentire præſumat. Si contrà hoc ſtatutum facit, Extra, Contra *De pigneribus c.* 1. Si quis verò contrà hoc fecerit, ſciat quòd ipſum ad redimendum & liberandū de ſuo proprio compellemus. Cap. II.

Abbates & Priores Conventuales Monachos ſuos Cap. III.

Digitized by Google

vagos & profugos ſtudeant revocare, & ipſos recipiant, ſalvâ ordinis diſciplinâ: quos verò monitos redire nolentes inveniunt, excommunicent, & id nobis ſignificent, ut eos excommunicatos denuntiari faciamus, & procedamus contrà ipſos prout de jure fuerit procedendum.

CAP. IV. Statutum provincialis Concilii innovantes, prohibemus ſub pœnâ ſuſpenſionis, ne quis Abbas vel Prior Conventualis aliquem Monachum juniorem octodecim annis mittat causâ morandi ad locum vel Prioratum non Conventualem, ſed in Clauſtro Monaſterii, vel ſaltem Prioratûs Conventualis moretur, ut & ibidem à ſenioribus ſuis inſtruatur in officio & ſervitio Eccleſiæ, & regularibus diſciplinis.

CAP. V. Item ſunt quidam religioſi, ut intelleximus, Abbates & alii, qui juriſdictionem Eccleſiaſticam impediunt hominibus ſuis, prohibentes ne coram Eccleſiaſticis judicibus litigent de iis quæ ad forum Eccleſiaſticum ſpectant, & quod gravius eſt, juriſdictionem Eccleſiaſticam ſibi uſurpant, de his quæ ad forum Eccleſiæ pertinent inter homines ſuos cognoſcere & judicare præſumentes: quos monemus in generali ne talia vel ſimilia de cætero attentare præſumant, ſcientes quod ſi poſt monitionem iſtam hæc facere præſumſerint, excommunicati erunt ipſo facto à Canone in Concilio Lateranenſi edito; & nihilominùs contrà ipſos procedemus prout de jure fuerit procedendum.

CAP. VI. Præterea cum avaritiæ ſtimulis ſit interdicto reſiſtendum, prohibemus ne Prælati qui deportus recipiunt in Eccleſiis vel Cappellis, uvas immaturas, vel ſegetes diſcerpere vel colligere præſumant; quod ſi quis præſumſerit, præſumptorem ad reddendum quod collegerit duplicatum illi, in cujus præjudicium hoc fecerit, præſenti ſtatuto condemnamus.

Synodus II. Nicolai.

IDEM IN SYNODO PENTECOSTES.

Anno Domini M. CC. LXII.

CAP. I. PRohibemus ne Archidiaconi, Archipreſbyteri & Decani alienationibus rerum Eccleſiaſticarum conſentiant, nec ſuper alienationibus litteras concedant.

CAP. II. Statuimus ne Monachi extrà villas in quibus morantur, exeant ad exequias mortuorum, ne eo prætextu occaſionem habeant evagandi, vel illicita committendi.

CAP. III. Inhibemus Abbatibus ne Monachis ſuis vineas, terras ſeu poſſeſſiones concedant, vel habere permittant, niſi ad pertinentes ad adminiſtrationem, ne eo prætextu occaſionem habeant proprium retinendi. Item ne ſolitarii in Prioratibus commorentur: quòd ſi contrà fecerint, Clericis ſæcularibus juxtà mandatum Apoſtolicum aſſignabimus Prioratus eorum, ſuper quo mandatum recepimus.

CAP. IV. Item præcipimus quòd ſinguli Capellani diligenter videant, quòd ſi aliqui eorum parochiani ad nos fuerint pro aliquibus caſibus remittendi, ad loca in quibus viſitabimus mittant ad nos eoſdem, ut inde expenſis & laboribus releventur.

CAP. V. Præcipimus ut ſinguli Capellani omnia teſtamenta teſtatorum & exequutorum nomina, ſummam X. librarum excedentia intrà menſem à tempore obitûs teſtatoris nobis denuntient, vel Officiali noſtro Andegavenſi.

CAP. VI. Item Sacerdotes & alii Eccleſiarum Rectores circà divinum officium, & maximè horarum canonicarum, ad quas tenentur ex debito, diligentes exiſtant; & ut mundanæ occupationes declinentur mane ſurgentes pulſato primo ſigno matutinas & alias horas canonicas continuè dicant in Eccleſia, niſi ex causâ probabili ad Eccleſiam accedere impediantur.

CAP. VII. Prohibemus ne eâ die quâ benedictio nuptialis celebratur, mulieres admittantur ad purificationem cum præpoſteratio videatur.

CAP. VIII. Præcipimus ne qui Sacerdotes conſentiant, ſed publicè in Eccleſiis ſuis prohibeant contrahere *per de præſenti*, donec veniant ad benedictionem nuptialem.

CAP. IX. Item inhibemus ſub pœnâ ſuſpenſionis, ne quis Sacerdos filium ſuum habeat ſibi in Eccleſiâ miniſtrantem, vel ſecum in domo propriâ commorantem, cum teſtis evidens incontinentiæ ſuæ exiſtat.

CAP. X. Inſuper ſciant Sacerdotes & alii Eccleſiarum Rectores, quòd mulieres quas baptizant, vel quæ ipſorum parochianæ exiſtunt, ſunt ipſorum filiæ ſpirituales, & ideò à talium mulierum copulâ carnali penitùs abſtineant, ſi velint pœnam amiſſionis beneficiorum evitare.

CAP. XI. Prædeceſſoris noſtri veſtigiis inhærendo prohibemus, ne quis Capellanum capiat vel habeat in Eccleſiâ ſuâ, niſi nobis vel mandato noſtro ſpeciali præſentatum, & à nobis vel mandato noſtro receptum.

CAP. XII. Item præcipimus ſub pœnâ excommunicationis, quòd omnes Rectores Eccleſiarum & ſinguli, qui ex indulgentiâ Domini Papæ vel ex noſtrâ permiſſione in Eccleſiis ſuis reſidentiam non faciunt, habeant in Eccleſiis ſuis Capellanos continuè reſidentes, jacentes & commorantes ibidem.

CAP. XIII. Præterea præcipimus ut ſinguli Sacerdotes in Eccleſiis ſuis, quos excommunicatos eſſe noverint, excommunicatos denuntient publicè ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, & quorum auctoritate, & ad quorum inſtantiam, & ſi poſtquàm ſatisfecerint ſuper querelis de quibus impetebantur, noverint ipſos eſſe negligentes in eorum abſolutione petendâ, nihilominùs ardentiùs & frequentiùs eos denuntient excommunicatos. Et ſuper hæc faciant rotulos, quos Archipreſbyteris, Decanis vel nobis tradant, ſi ſuper hæc fuerint requiſiti. Et ſi aliqui excommunicationem per annum ſuſtinuerint, vel poſtquàm ſatisfecerint adverſariis ſuis ſi negligentes fuerint in abſolutionibus petendis, hæc denuntient Archidiaconis, Archipreſbyteris, vel Decanis, ſaltem in Synodo ſubſequenti.

Synodus III. Nicolai.

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ,

Eodem anno.

CAP. I. PRæcipimus, quòd in quibuſlibet Eccleſiis in Epiſcopatu Audegavenſi ſit quaternus Synodalis, & illum quolibet menſe perfectè legant Capellani parochiales, & benè intelligant & obſervent quod continetur in eo; eumdem ſecum in Synodo de cætero deferentes, & parati ad interrogata reſpondere.

CAP. II. Præcipimus parochialibus Sacerdotibus Eccleſiis deſervientibus, ut quando eis præſentabimus citationes faciendas à judicibus ordinariis, videant utrum major pars dilationis temporis comprehenſæ in citatione à tempore datæ ſit elapſa vel ne, & ſi ſit elapſa, faciant citationem ex tranſverſo ſigillantes eamdem; & ſi non ſit elapſa, directè per longum ſigillent. Et volumus quòd ſi judici appareat de ſigillatione ex tranſverſo, & citatus veniat, non compellatur citatus reſpondere, & qui citari fecerit eum,

expenſis condemnetur ; & hoc publicè dicant Capellani in Eccleſiis ſuis.

CAP. III. Item injungimus Archidiaconis, quòd ipſi Sacerdotibus qui in Eccleſiis deſervient, faciant competentem habere proviſionem pecuniâ, vel etiam aliâ quantitate, conſideratis facultatibus Eccleſiarum quibus deſervient, habitâ æſtimatione legitimâ eorum quæ viderint æſtimanda ; firmarios ſeu emptores fructuum penitùs excludentes.

CAP. IV. Præcipimus quòd omnes Decani & Archipreſbyteri plebei in hac præſenti Synodo, & futuria de cætero, antequàm recedant, omnium præceptorum Synodalium copiam recipiant à nobis vel Archidiaconis, & ſecum aſportent, & ſtudeant ut ea in ſuis Archipreſbyteratibus & Decanatibus à ſubditis ſollicitè faciant obſervari ; & hæc eiſdem Archipreſbyteris & Decanis in virtute obedientiæ injungimus.

Synodus IV. Nicolai.

IDEM IN SYNODO PENTECOSTES,

Anno Domini M. CC. LXIII.

CAP. I. PRohibemus ſingulis Sacerdotibus parochialibus, ne ipſi parochianis ſuis die Paſchatis teſtes[a] ſeu hoſtias loco panis benedicti miniſtrent, ne ex ejus miniſtratione ſeu receptione erubeſcentiam evitare videantur, ſed panem benedictum faciant, ſicut aliis diebus Dominicis fieri conſuevit.

CAP. II. Intelleximus quòd quidam Archipreſbyteri, ſeu Decani non per ſe ſed per alios viſitantes, poſt viſitationem hujuſmodi procurationes recipere & exigere non verentur : quod dictis Archipreſbyteris & Decanis diſtrictiùs inhibemus ſub pœnâ excommunicationis, Rectoribus Eccleſiarum & Capellanis nihilominùs præcipientes, ne ipſi dictis Preſbyteris & Decanis procurationes reddant niſi perſonaliter viſitaverint, niſi noſtras litteras patentes eiſdem exhibeant, continentes quòd à nobis obtinuerint licentiam per alios viſitandi ; quas litteras niſi causâ rationabili ſibi noverint nos minimè conceſſuros. Sententias verò ſuſpenſionis vel excommunicationis ſi ob procurationem non traditam, factâ viſitatione per alium, ſeu à nobis licentiâ non obtentâ tulerint, ex nunc penitùs revocamus.

Synodus V. Nicolai.

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ,

Anno Domini M. CC. LXIV.

STatuimus quòd Archidiaconi, Archipreſbyteri, & Decani cappas manicatas vel tabarda non deferant in Archidiaconatibus, ſeu Archipreſbyteratibus, vel Decanatibus ſuis, niſi ſit tempus pluviale, & tunc ſuper cappas clauſas (quas in dictis locis in virtute obedientiæ & ſub pœnâ excommunicationis deferre præcipimus) ponere poterunt ; ita tamen quòd dum Eccleſias intraverint, dicta tabarda deponant, nec coram nobis aliquatenùs compareant in tabardis vel cappis manicatis, niſi hoc aliquibus eorum ex causâ duxerimus indulgendum.

Synodus VI. Nicolai.

IDEM IN SYNODO PENTECOSTES,

Anno Domini M. CC. LXV.

CAP. I. QUia ſcriptum eſt, quòd ſimulata æquitas non eſt æquitas, ſed duplex iniquitas ; & in contractibus Judæorum multoties ſigillationes interveniant, cum ſæpiſſimè in illorum contractibus quædam agantur, & alia ſimulatè conſcribantur ; in virtute obedientiæ prohibemus ne aliquis judex Eccleſiaſticus hujus civitatis vel diœceſis litteras ſuper contractibus Judæorum cum Chriſtianis initis ſigillare præſumant, vel facere ſigillari.

Cum liber à ſervo difficilè diſcernatur, ſic & Clericus à laïco, niſi per ſtatum & habitum diſtinguatur, ordinamus ut omnes & ſinguli Clerici ſive conjugati ſive non conjugati cum in Eccleſiis parochialibus, in quibus commorantur, ad Miſſam vel ad Veſperas veniunt, cum tunuptiis congruentem deferentes tonſuram incedant, pſalmodiantes, legentes & cantantes ibidem cum Preſbyteris & Capellanis ; ut ſic appareat an litterati exiſtant, nec non ; tamen coram Epiſcopo, Archidiacono, Archipreſbytero, vel Decano ſuis appareant cum tunuptiis, & amotis capuciis ſe præſentent : hæc complentes ſi velint Eccleſiaſticâ defenſione gaudere. CAP. II.

Si aliquis ſuſtinuerit ſententiam excommunicationis per duos menſes à tempore publicæ denuntiationis in Eccleſia factæ, uxor & familia ſint ſuppoſitæ Eccleſiaſtico interdicto. Verùm multi qui mucronem Eccleſiaſticæ diſciplinæ licet excommunicati non verentes, ſe minimè reputant ſauciatos, nec curant tam letali vulneri quærere medicinam. Nos igitur quia vulnera, quæ medicinæ fomentum non ſentiunt, ferro ſunt abſcidenda, uxores & familias totas omnium ſubditorum noſtrorum, qui excommunicationem ſuſtinuerunt per duos menſes à tempore publicæ denuntiationis in Eccleſiâ factæ, ex tunc Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto, prohibentes ne quis Sacerdos uxorem vel aliquem de familiâ alicujus parochiani ſui, qui excommunicationem per dictum tempus ſuſtinuerit, ad ingreſſum Eccleſiæ, vel ad ſacramentum aliquod, ſeu ſacramentale admittat, ſalvis tamen Baptiſmatis & Pœnitentiæ Sacramentis. Et hoc ſtatutum præcipimus per Sacerdotes frequenter in Eccleſiis ſuis continuè & ſolemniter publicari. CAP. III.

Sanè cum iſtius Diœceſis Andegavenſis multi ſint ſæculares Prioratus tenentes, in quibus ſervitium divinum non celebratur, injungimus omnibus & ſingulis hujuſmodi Prioratus tenentibus, quòd in ſingulis Prioratibus quos tenent, faciant ſingulis hebdomadis ſaltem duas Miſſas de cætero celebrari. CAP. IV.

ITEM prohibemus ne quartula aliqua quæſtorum admittantur, niſi appareant ſigillata noſtro vel Officialis noſtri ſigillo, cum quæſtores multa falſa in quartulis invenerimus conſcripſiſſe. CAP. V.

Cum quis excommunicatus in articulo neceſſitatis abſolutionem petierit, recipiatur ab ipſo juramentum de ſtando mandatis Eccleſiæ, & de ſatisfaciendo iis ad quorum inſtantiam ſit excommunicatus, & bona & heredes obliget ad prædicta antequàm abſolvatur. Si verò bona non habeat, ejus ſufficiat juramentum. Dumque aliquis excommunicatus infirmitatis neceſſitate cogente loqui non poteſt, vel morte urgente ſi ſigna pœnitentiæ appareant in eodem, requirantur heredes ſi ſint præſentes, ut pro ipſo caveant, & ſe obligent ſub formâ prædictâ ; qui ſi cavere noluerint, nihilominùs abſolvatur, & tradatur Eccleſiaſticæ ſepulturæ, cum de jure ſcripto ad ſatisfaciendum pro eo debeant & poſſint heredes compelli. Si autem ſigna pœnitentiæ non apparuerint, nec abſolvatur, nec Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradatur, dummodo in Eccleſiâ publicè denuntiatus fuerit, & tempus habuerit competens abſolutionem petendi, cum nec pro eo abſolutiones recipiendæ ſint, nec orationes Domino porrigendæ. CAP. VI.

a *teſtes*] Fortè *teſtas*, ait Acherius

IDEM

Synodus VI. Nicolai.

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ,

Eodem anno.

Cap. I. QUia nonnulli Priores Monachi ſibi ad invicem mulieres fornicarias aut concubinas in grangiis ſuis receptabant, ut ſcelus faciliùs eſſet occultum, inhibemus omnibus & ſingulis Prioribus Monachis noſtræ Diœceſis ſub pœna excommunicationis publicæ in generali, ne ſimilia aut talia præſumant perpetrare.

Cap. II. Prohibemus Preſbyteris, Diaconis, Subdiaconis, tam Regularibus quàm religiosis nobis ſubditis, ne cum cornibus, canibus, vel alio clamore ad aliquas beſtias venationem exerceant, vel per agros, ſeu nemora, vineas vel alia loca cauſa venationis incedant, vel ubi cum clamore venetur, interſint: & hoc idem Prioribus inhibemus. Inhibemus eiſdem Preſbyteris & Capellanis, ne ipſi, maximè in villâ aut caſtello quibus morantur, tabernas intrare præſumant.

Cap. III. Injungimus noſtris Archidiaconis, Archipreſbyteris & Decanis, ut dum viſitaverint per Archidiaconatum, Archipreſbyteratum ſuos, faciant quòd Rectores vel Capellani legant in ipſorum præſentiâ unum capitulum quaterni ſui Synodalis.

Synodus VII. Nicolai.

IDEM IN SYNODO PENTECOSTES,

Anno Domini M. CC. LXVI.

CUm pluries in ſtatutis noſtris Synodalibus vobis Rectoribus & Sacerdotibus injunxerimus, quòd vos nobis vel Officiali noſtro Andegavenſi, cui in hac parte vices noſtras commiſimus, omnia teſtamenta decem librarum ſummam excedentia, in veſtris parochiis decedentium infrà menſem à tempore mortis teſtatoris denuntiaretis, & nomina exequutorum, quod minimè adimplere curaſtis; nos attecantes quòd timor pœnæ ad obediendum vos inducat, ſignificamus vobis omnibus ſingulis, quòd ſi quis veſtrum hæc de cætero neglexerit adimplere, & per inquiſitionem noſtram ſeu inquæſtam, vel aliàs per alium, quàm per vos poſt menſem elapſum ſuper alicujus teſtamentum denuntiatio facta fuerit, nos tertiam partem eorum quæ competent negligenti per manum veſtram erogandam ratione juris funerantii, ex nunc nobis retinemus; per manum noſtram erogandam quibus viderimus expedire.

Syondus VIII. Nicolai.

IDEM IN SYNODO PENTECOSTES,

Anno Domini M. CC. LXIX.

SUnt plures Rectores Eccleſiarum & Sacerdotes, qui pravitatem Simoniacam non timentes, benedictiones nuptiales, defunctorum ſepulturas, mulierum purificationes celebrare non volunt, niſi priùs certa pecuniæ quantitas, vel aliud quod eiſdem placeat, ſolvatur vel firmiter promittatur: quod etiam circà ſacramentorum exhibitionem committere non formidant. Circà quæ inquirendum Archidiaconos, Archipreſbyteros & Decanos præcipimus diligenter vigilare, & quos in iſtis reos invenerint, ab officio & beneficio ſuſpendant, & denuntient eſſe ſuſpenſos, coram nobis eiſdem certos dies aſſignantes, ut ſi Rectores ſint vel Curati, eos beneficiis ſuis privemus; ſi verò Sacerdotes non Curati, ab Andegavis perpetuò excludamus; aliâ eiſdem nihilominus pœnâ injungendâ ſecundùm Canonicam ſanctionem.

Synodus IX. Nicolai.

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ,

Anno eodem.

Cap. I. LIcet jam diù ſit in Synodo conſtitutum, ne Archipreſbyteri & Decani à Synodo recedant, niſi primitus habitis ab eiſdem ſtatutis immediatè Synodi celebratæ: quia hactenùs dictum ſtatutum adimplere minimè curaverunt, lege repetita ſtatuimus quòd quilibet eorumdem infrà octo dies à celebratione Synodi, ne nimiâ brevitate temporis videantur artari, præfata ſtatuta habeant & recipiant, & conſcribi faciant: hæc eis in virtute obedientiæ firmiter injungentes; & ſciant quod negligentes & remiſſos pœna inobedientiæ ponemus.

Cap. II. Sacris Canonibus eſt ſtatutum, & à nobis diù eſt in ſanctâ Synodo innovatum, ne pro Sacramentis miniſtrandis ſeu impendendis aliquid exigatur. Verùm intelleximus novum genus exactionis exortum, quia ſi alius parochianus aliquis in alienâ parochia matrimonium contrahat in noſtrâ Diœceſi vel etiam alienâ, & à Sacerdote ſuo poſtulet qui ſtatus ipſius habet notitiam, literas ſibi concedi, quibus perſona ſua ſit libera ad contrahendum, nunquam Sacerdotes concedere volunt, niſi priùs pro dictâ literâ concedendâ eis à poſtulante aliquid conferatur, vel certiſſimè promittatur. Inſuper dum contrahentes matrimonium à ſuis Sacerdotibus priùs petunt certam diem præfigi ad ſuas benedictiones nuptiales celebrandas, nunquam diem poſſunt certam à ſuis Sacerdotibus obtinere, niſi priùs certum eis aliquid promittatur vel donetur; quæ manifeſtè ex avaritiæ radice procedunt. Propter quod prohibemus, ne ob dictas cauſas aliquid ab aliquo de cætero exigatur vel petatur, ſed liberè prædictæ literæ concedantur, & dies nuptiales purè & ſimpliciter aſſignentur. Si quem verò contrà hæc venire noverimus, ipſum tamquam inobedientem animadverſione debitâ puniemus.

Cap. III. Injungimus in virtute obedientiæ omnibus Archipreſbyteris & Decanis, ut ipſi continuam & perſonalem reſidentiam faciant in ſuis Archipreſbyteratibus & Decanatibus, in ſuis Eccleſiis reſidentes prout cura beneficiorum ſuorum exigit, exceptis Archipreſbyteris & Decanis Canonicis Andegavenſibus, qui Andegavis in Eccleſiâ habent facere reſidentiam; alioqui ipſos à beneficiis ſuis ſuſpendemus.

Cap. IV. Coloſſ. 3. 20. Scriptum eſt per Apoſtolum: *Filii obedite parentibus.* Hæc itaque Archidiaconis, Archipreſbyteris & Decanis ſub pœnâ ſuſpenſionis injunximus in Synodo celebratâ in feſto ſancti Lucæ anno Domini M. CC. LXIV. quòd in ſuis Archidiaconatibus, Archipreſbyteratibus & Decanatibus cappis non utentur manicatis, vel tabardis, ſed cappas clauſas deferent: ipſi nobis minimè obedientes, dictum ſtatutum obſervare contemnunt. Sed quia venerabilis Pater Albanenſis Epiſcopus Apoſtolicæ ſedis Legatus, graviter redarguendo nobis præcepit, quòd circa hoc conſilium ſalubre apponeremus: itaque cappas clauſas ſeu rotundas, ut eorum dignitates & primatus exigunt, deferrent; Nos dicti Patris correctioni obedire volentes, ut tenemur, injungimus ipſis omnibus & ſingulis, quatenùs cappas clauſas ſive rotundas deferant in ſuis Archidiaconatibus, Archipreſbyteratibus & Decanatibus; ſalvo quod eis liceat, ſi temporis qualitas hoc exigat, ſuper cappas ipſas aliud induere veſtimentum temporis neceſſitate durante. Et ſuper his ipſos ex abundanti monemus, ſignificantes eiſdem, quòd niſi prædicto ſtatuto planè obtemperaverint, nos in ipſos

ſuſpenſionis & excommunicationis ſententias proferemus.

Synodus X. Nicolai.

IDEM IN SYNODO PENTECOSTES,

Anno Domini M. CC. LXX.

Cap. I. INtelleximus quòd nonnullæ mulieres maritorum ſuorum exigente contumaciâ Eccleſiaſtico interdicto ſuppoſitæ; nec non plures ex fornicario coïtu, ſeu adulterio, aut alio illicito parientes, & purificatione poſt partum indigentes, latenter ſeu clandeſtinè Eccleſias ingrediuntur poſtquàm Sacerdotes Miſſarum ſolemnia inceperunt, ſe facientes à dictis improviſis Sacerdotibus purificari. Propter quod ſtatuimus & prohibemus, ne qua mulier ad Miſſam ſeu purificationem admittatur poſt partum, niſi per certum nuntium vel ſaltem in mane diù antequàm pulſetur ad Miſſam, vel die præcedenti denuntiari fecerit Sacerdoti ſe velle venire ad purificationem, ut ſic deliberatione habitâ à Sacerdotibus, admittendas admittant, & repellendas repellant: & hoc denuntient Sacerdotes parochianis ſuis diebus Dominicis & feſtivis in Eccleſiis ſuis, in Synodo ſibi eſſe injunctum.

Cap. II. Verùm cognovimus per quæſtores multas falſitates commiſſas, non ſolùm circà litteras Epiſcoporum, ſed etiam circà Indulgentias Domini ſummi Pontificis: nam alii per aliquos juriſdictionem exercentes ſibi faciunt ſigillari in quartulis multas Indulgentias, de quibus in litteris Apoſtolicis indulgentialibus ſibi conceſſis mentio aliqua non habetur; alii verò per prædictos obtinent ſigillari ſibi tranſcripta litterarum diœceſanorum, in quibus quoque tranſcriptis falsò aliqua apponuntur, quæ in diœceſanorum litteris nullatenùs continentur. Propter quod ordinamus, quòd nulla quartula admittantur à Sacerdotibus, niſi ſigillo noſtro vel Officialis noſtri fuerint ſigillata.

Cap. III. Injungimus Rectoribus Eccleſiarum, & Capellanis eorumdem parochiis, habiles ad nubendum, qui ſe ſe invicem immiſceant carnaliter, quòd iidem Rectores ſeu Capellani eoſdem non compellant ſe ſe ad abjurandum, ſed eoſdem inducant blandis ſermonibus prout potuerint, ut unus alteri promittat, quòd quia primùm carnaliter ſe commiſcuerunt, ex nunc conſentiant ad invicem unus in aliam nomine matrimonii, ſi ſancta Eccleſia poſſit conſentire.

Synodus XI. Nicolai.

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ,

Eodem anno.

Cap. I. CUm glorioſiſſimum corpus Christi, qui pro totius generis humani ſalute naſci & pati voluit, omni reverentiâ ſit digniſſimum & honore, nos attendentes quòd ſæpiſſimè dum à Sacerdotibus ad infirmos defertur, nullam aut parviſſimam habeant comitivam, de ipſius omnipotentis miſericordiâ, meritis beatiſſimæ virginis Mariæ Sanctorumque Martyrum Mauritii ſociorumque ejus, & patronorum noſtrorum beati Maurilii & Renati, & omnium ſanctorum confiſi; omnibus & ſingulis, qui Sacerdotibus dictum pretioſiſſimum corpus deferentibus eundo & redeundo comitivam fecerint, viginti dies de injunctis ſibi pœnis relaxamus: & hoc per Sacerdotes in ſuis Eccleſiis diebus Dominicis & feſtivis frequenter parochianis ſuis præcipimus publicare.

Cap. II. Item quia convocationes Sacerdotum propter ipſorum abſentiam ab Eccleſiis periculoſæ exiſtunt, & ideò ad aliena loca cum evidenti causâ non debeant evocari, ne ad cujuſquam quæſtoris convocationem aliquo modo conveniant prohibemus, niſi litteras noſtras ſuper hæc receperint, & viderint ſpeciales, quas cuique concedere non intendimus niſi quaſi compulſi.

Cap. III. Dolentes referimus quòd multi ſunt Preſbyteri Rectores, etiam in ſuis Eccleſiis commorantes, qui nec Primam, nec alias Horas dicere noverint; præcipimus eis in virtute obedientiæ, ut eas addiſcant, & in dicendis eis diligenter inſiſtant.

Cap. IV. Aliàs monuimus generaliter in Synodo omnes beneficiatos civitatis vel Diœceſis Andegavenſis Rectores Eccleſiarum, & obtinentes capellanias requirentes Sacerdotium, quia ex inſtitutione fundatorum, quòd ſe facerent de ordine in ordinem promoveri. Sed quia inobedientes Eccleſiæ monitioni non obtemperant, nec obtemperaverunt, in præſenti Synodo iteratò monemus quòd ſe faciant promoveri de ordine in ordinem ſucceſſivè; cum ad hoc de jure teneantur, nulla alia exſpectata monitione venturâ. Nos verò omnes & ſingulos, qui ſe ad ordines non præſentaverint ſucceſſivè, & eoſdem ſuſceperint, niſi à nobis ex causâ gratiam obtinuerint, à beneficiis ſuſpendemus.

Synodus XII. Nicolai.

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ,

Anno Domini M. CC. LXXI.

Cap. I. CUm à bonæ memoriæ Michaële prædeceſſore noſtro ſtatutum fuerit, quòd nullus Clericus, ſeu aliqua alia perſona Eccleſiaſtica, alicui ſe obliget per litteras cujuſque judicis ſæcularis; Nos ſtatutum prædictum innovantes, illud in Diœceſi Andegavenſi præcipimus obſervari. Si qui verò contrarium in poſterum fecerint, litteræ per quas ſe obligaverint, per judices Eccleſiaſticos executioni nullatenùs demandentur; quia culpa eſt rei ſe miſcere ad ſe minimè pertinenti, & falcem ſuam in meſſem ponere alienam.

Cap. II. Et quoniam proceſſionum publicarum impoſitio, Diœceſani officio competere dignoſcitur, inhibemus ſub pœnâ excommunicationis ne aliqua perſona Andegavenſis Diœceſis Eccleſiaſtica, vel etiam ſæcularis, proceſſiones publicas imponat perſonæ alicui publicè faciendas. Item Presbyteris & Capellanis Eccleſiarum noſtræ Diœceſis ſub pœnâ conſimili omnimodis inhibentes, ne ipſi in ſuis parochiis permittant talia perpetrari, nobis ſi qui fortè contrarium attentare præſumſerint, reſcribentes, ut à nobis de tali commiſſo more debito puniantur.

Synodus XIII. Nicolai.

IDEM IN SYNODO PENTECOSTES,

Anno Domini M. CC. LXXII.

Cap. I. Matt. 18. 7. QUia ſcriptum eſt: *Væ homini per quem ſcandalum venit:* nos publicè inhibuiſſe recolimus prohibitione Synodali, ne quis Sacerdos vel Rector filios proprios vel filias habeant ſecum commorantes, & maximè ſecum in Eccleſiis ſuis miniſtrantes, cum teſtes evidentes exiſtant incontinentiæ ejuſdem. Et cum nonnullos invenerimus dictæ prohibitionis contemptores in grave ſcandalum ſubditorum, præcipimus & injungimus omnibus & ſingulis Rectoribus, Preſbyteris, & Capellanis talia præſumentibus, quòd eos caſve penitùs à ſe abjiciant, adeò quod circà eos nullatenus convertentur, vel commorentur cum eiſdem, ſub pœnâ ſuſpenſionis & amiſſionis beneficiorum: ſi contrà commiſerint, nullam ſpem remiſſionis vel reſtitutionis habeant.

Cap. II. Item cum quamplures exiſtant milites & alii, qui periculum ignorant vel contemnunt quod imminet in matrimoniis & benedictionibus nuptialibus, bannis non factis, celebratis, prohibemus ne quis in-

ter quatcumque perſonas benedictionem nuptialem celebrare præſumat, niſi prout juris & moris eſt, bannis in Eccleſiâ publicè feſtivis diebus præmiſſis.

Cap. III. Cum affectantes Sacerdotum & ſubditorum inſtructionem aliàs conſtituerimus, quòd Archipreſbyteri & Decani ſingulis annis, certis diebus infrà Octavam Purificationis beatæ Mariæ virginis, Sacerdotes ſubditos ſibi certis locis confinibus, quæ non mutarentur, convocarent; ut dicti Archipreſbyteri Sacerdotes eoidem conſulerent ſuper iis, de quibus dubitarent, ad Synodalem quaternum vel ſtatuta Synodalia pertinentibus: & ut per prædictos ſtatuta anni Synodalia in Pentecoſtes & ſancti Lucæ Synodis facta dictis Sacerdotibus recitarentur. Nos per prædictos Decanos & Archipreſbyteros intelleximus quòd Sacerdotes ſibi ſubditi ad dies & loca propter hoc ab ipſis depntatos venire negligunt & contemnunt: propter quod volumus & ſtatuimus, quòd illi qui ad prædictos dies & loca non venerint, quinque ſolidos nomine pœnæ ſuo Decano vel Archipreſbytero ſolvere teneantur niſi canunicum habuerint impedimentum, quod firmare coram ipſis teneantur proprio juramento.

Cap. IV. Verùm intelleximus quòd cum vobis aggravationes exequendæ diriguntur, licet in litteris contineatur quòd exequamini eas ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, ipſas ſemel facitis, & in Eccleſiis veſtris publicatis: quare vobis omnibus & ſingulis præcipimus & injungimus, quòd prædictas aggravationes ſaltem ſingulis diebus Dominicis & feſtivis exequamini, prout in litteris noſtris demandatur, donec aliud à mandante receperitis in mandatis.

Cap. V. Præterea nobis relatum eſt, quòd ſunt nonnulli veſtrùm qui periculum animarum minùs zelantes quàm debeant, cum aliquoties requiruntur de infirmorum confeſſionibus audiendis vicinarum parochiatum, etiam proprio Preſbytero non præſente, ad dictos infirmos accedere contradicunt; per quod multi dicuntur inconfeſſi deceſſiſſe: propter quod omnibus & ſingulis firmiter injungimus, quatenùs cum quis requiſitus fuerit de confeſſionibus ægrotantium in vicinis parochiis audiendis, accedat imdilatè; alioqui ſi per ſuam negligentiam quis deceſſerit inconfeſſus, ſciat ſe beneficio ſuo privandum.

Synodus XIV. Nicolai.

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ,

Eodem anno

Cap. I. QUia Paſtoris eſt ad bonum ſibi ſubditos excitare; & nos in pluribus Eccleſiis vidimus poſt elevationem Dominici corporis cum campanâ pulſari, cum hoc ante elevationem prædictam fieri debeat, ut corda fidelium ad elevationem Dominici corporis excitentur, præcipimus ut dum divina Miſſarum ſolemnia celebrari contigerit, dum Sacerdos ſignacula facit ſuper hoſtiam & calicem conſecrandos, pauſatim faciant cum campanâ pulſari.

Cap. II. Cum infames loca ſuæ fugere ſoleant nationis, & nonnulli diverſarum nationum in Diœceſi Andegavenſi aufugientes, Preſbyteros ſe fingant, licet non ſint, & ſi ſint, talis tamen conditionis exiſtunt, quòd non ſint ad divina celebranda in Eccleſiis admittendi: præcipimus & ſtatuimus Capellanos in Eccleſiis noſtræ Diœceſis non admitti ad divina miniſtranda ut eiſdem, niſi per litteras Prælatorum ſeu teſtes idoneos de eorum promotione & converſatione valeat apparere.

Cap. III. Cum ſit malitiis hominum obviandum, & nonnulli fingentes ſe litteras Apoſtolicas habere, cum fortè non habeant, nec habeant nec habuerint, citaciones & alias litteras Capellanis noſtræ Diœceſis directas contrà parochianos eorumdem afferant, aliquoties etiam ſub nomine judicum qui in rerum naturâ non exiſtunt; volumus citationes & alias litteras extraneorum judicum à dictis non exequi Capellanis, cum ad hoc non teneantur, niſi eiſdem littera authentica primitùs ſit oſtenſa; maximè ſi illi contrà quos mandata diriguntur, velint eiſdem de indemnitate cavere.

Cap. IV. Cum inferior ſolvere non poſſit nec debeat quod eſt à ſuperiore ligatum, prohibemus, ſub virtute obedientiæ firmiter injungentes, ne quis Archidiaconus, Archipreſbyter, vel Decanus aliquem Sacerdotem vel Capellanum ab Eccleſiâ aliqua vel ab alio loco civitatis vel Diœceſis Andegavenſis per nos amotum, ad deſerviendum, ſeu ad officiandum in aliquâ Eccleſiâ, Capellania vel Capella ſui Archidiaconatûs, Archipreſbyteratûs vel Decanatûs admittere præſumat, niſi priùs à nobis licentiâ ſuper hæc petitâ & obtentâ.

Synodus XV Nicolai.

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ,

Anno Domini M. CC. LXXIII.

Cap. I. CUm quis rei ad ſe non pertinenti non debeat ſe immiſcere, nec ea in quibus non habet poteſtatem auſu temerario uſurpare, & in quibuſdam locis noſtræ Diœceſis comperimus nonnullos Rectores ſecum Diaconos habentes, qui ſine neceſſitatis articulo confeſſiones audiunt & abſolvunt indifferenter, corpuſque Dominicum infirmis deferunt & miniſtrant, quæ facere non poſſunt, niſi in neceſſitatis articulo: hæc fieri inhibemus de cætero in virtute obedientiæ & ſuſpenſionis, tam Rectoribus quàm Capellanis Eccleſiis deſervientibus, & etiam Diaconis niſi articulo neceſſitatis urgente.

Cap. II. Præterea etiam cum jure civili cautum ſit, quòd nullus putare debeat ſedem Apoſtolorum hominibus humanis uſibus eſſe conceſſam, & exponitur, ibi. i. cancellum Eccleſiæ vel chori ad corpora tumulanda: & invenerimus in quibuſdam Eccleſiis noſtræ Diœceſis corpora laïcorum, & etiam ruſticorum immediatè ante altare majus humata; prohibemus omnibus & ſingulis Rectoribus & Capellanis, ne de cætero in choro vel in cancello corpus laici tumulare præſumant, niſi patronus Eccleſiæ, vel fundator, ſeu fundatoris heres exiſtat, nobis vel Officiali noſtro inconſultis.

Synodus XVI. Nicolai.

IDEM IN SYNODO PENTECOSTES,

Anno Domini M. CC. LXXIV.

Cap. I. AFfectantes divinum ſervitium augmentari in Eccleſiis parochialibus, & Capellaniis civitatis & Diœceſis Andegavenſis, & quòd iidem Rectores ſeu Capellani ad idem faciendum ſervitium, & ad terrarum & vinearum Eccleſiarum & Capellaniarum ipſorum culturam faciliùs inducantur diligentiùs faciendam; ſtatuimus quòd Rectores Eccleſiarum, qui terras arabiles ad ſuas pertinentes Eccleſias arari & ſeminari propriis expenſis fecerint, & vineas fodi ſeu bechari, & ante collectam ſinus anni deceſſerint, medietatem fructuum ipſarum terrarum & vinearum ejus anni habeant executores eorumdem, dum tamen quod deerit de cultura ipſarum vinearum & terrarum uſque ad collectam fructuum liberrimè ſuppleant exequutores prædicti: prædicta quidem in Rectoribus Eccleſiarum qui in Eccleſiis perſonaliter deſervierint, vel Diœceſani licentiâ expreſsè Eccleſias ſuas ad firmam tradiderint: nec non de Capellanis capellanias in civitate & Diœceſi Andegavenſi obtinentibus ſtatuentes, dum tamen Capellani neque à tempore ſuæ mortis

perſonaliter, vel ſaltem per certum ſervitorem de licentiâ Capellani loci ipſas capellanias in Eccleſiis loci, in quibus eas habent, tam de Miſſâ quàm de Choro deſerviant, certam & competentem portionem pro eodem ſervitio perſolvendo.

CAP. II.

Verùm cum ſtatutum in Canone reperiatur, quòd per ſeptem hebdomadas ante ſanctum Paſcha omnes, & maximè omnes Clerici ab eſu carnium abſtinere debeant: ſed quia ſicut diſcreta debet eſſe vita Clericorum à laïcorum converſatione, ita & jejunio debet fieri diſcretio inter eos; monemus & exhortamur in Domino omnes Preſbyteros noſtræ Diœceſis, ut poſt diem Dominicam ante cineres uſque ad Paſcha carnibus non utantur: hoc eis ſub pœnâ ſuſpenſionis & excommunicationis inhibentes, quas in facientes contrarium proferemus..

Synodus XVII. Nicolai.

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ,

Eodem anno.

CAP. I.

CUm clandeſtinæ deſponſationes inhibitæ ſint à jure, quoniam in nonnullis Capellis & Prioratibus noſtræ Diœceſis invenimus extrà parochiales Eccleſias celebratas, nos ſuper hoc ut decet volentes remedium adhibere, ſtatuimus ne benedictiones nuptiales de cætero in Capellis, Prioratibus & aliis locis ſolitariis celebrentur, etiam ſi banna ſeu indicta in Eccleſiis parochialibus ſuper matrimoniis contrahendis per contrahentium Preſbyteros fuerint, ut moris eſt, ſolemniter promulgata: ex tunc prædicta loca quoad hæc ſupponentes Eccleſiaſtico interdicto.

CAP. II.

Nonnulli Eccleſiarum Rectores noſtræ Diœceſis, ut intelleximus, alienas parochiales Eccleſias capiunt & recipiunt deſerviendas, ob quod propriæ eorum Eccleſiæ, & aliæ deſerviendæ ſic receptæ debito ſervitio defraudantur: & quia noſtrâ intereſt ſuper hoc remedium adhibere, hoc fieri de cætero in noſtrâ Diœceſi Synodali prohibitione ſub pœnâ ſuſpenſionis prohibemus.

CAP. III.

Cæterum cum à jure prohibeantur Monachi in Prioratibus ſolitarii commorari, & in pluribus Prioratibus noſtræ Diœceſis invenimus quòd contrà ſtatuta canonica & prohibitionem noſtram etiam Synodalem ſuper hoc aliàs editam, Monachi ſolitarii morantur, hortamur & monemus Abbates civitatis & Diœceſis Andegavenſis, ut in eiſdem Prioratibus binos ad minus Monachos ponant ibi continuè moraturos, alioquin ſciant quòd nos minimè [b] obtemperare volentes, ut tenemur, dictos Prioratus Sacerdotibus ſæcularibus aſſignabimus, qui deſervient in eiſdem.

b

CAP. IV.

Præterea cum à ſede Apoſtolicâ ſit ſancitum, ut nec Collegium nec Univerſitas nec ſingularis perſona cujuſcumque dignitatis, conditionis aut ſtatûs exiſtat, pecuniam fœnebrem in exercentibus publicè, aut exercere volentibus, aut quibuſcumque aliis eodem crimine irretitis, domos in terris ſuis conducere, vel conductas habere, aut aliàs intrare permittant; & ut nemo domos ad hoc illis locet, vel ſub alio quocumque titulo concedat: & in eorum præſumptores, videlicet ſi fuerint majores perſonæ Eccleſiæ, ſuſpenſionis, & in minores ac ſingulares, excommunicationis, ac in Collegia & Univerſitates interdicti ipſo facto ſententias promulgaverit dicta ſedes, quam ſi per menſem animo ſuſtinuerint indurato, etiam terræ ipſorum, in quibus iidem uſurarii morantur, Eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto. Et manifeſtum ſit Judæos Diœceſis Andegavenſis publicè uſurariam pravitatem exercere; Inhibemus Eccleſiis, Collegiis, Univerſitatibus, nec non perſonis ſingularibus Eccleſiaſticis cujuſcumque conditionis vel ſtatûs exiſtant, civitatis vel Diœceſis Andegavenſis, ne eoſdem Judæos in terris ſuis vel feudis domos conducere, aut conductas habere, vel alias inhabitare permittant; & ne etiam quis eorum eiſdem Judæis domos locet, vel ſub quocumque alio titulo concedat, ſub pœnis à prædictâ ſede ſuper hæc promulgatis ſuperiùs annotatis.

Synodus XVIII. Nicolai.

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ,

Anno Domini M. CC. LXXV.

CAP. I.

INtelleximus quoſdam Sacerdotes ignorantiâ vel negligentiâ depreſſos, qui cum infantes baptizant, illos quos baptizant ſemel immergunt in aquam, vel uno contextu aquam fundunt ſuper eos, licet Mater Eccleſia generali conſuetudine conſervet, quòd baptizandi non ſemel ſed ter immergantur, vel trinâ effuſione aqua ſuper baptizandos fundatur: & meritò, cùm trina effuſio plenè conveniat formæ quam Dominus tradidit in baptiſmo dicens: *Ite, baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti, amen.* Et ideo trinæ formam tunc immerſionis, vel aquæ effuſionis, eis præcipimus obſervare. Matt. 28. 19

CAP. II.

Quia in hac civitate & Diœceſi ſunt Abbates quidam, qui proprias voluntates, & non quæ ſibi licent attendentes, Prioratus ſolitarios, & etiam aliquos in quibus duo Monachi morari conſueverunt, propriis manſionibus applicant, vel aliis Prioratibus ſeu officiis auctoritate propriâ aſſignant, uniones faciendo, quod eis non licet: omnes prædictas applicationes, aſſignationes, ſeu uniones à prædictis Abbatibus taliter factas revocamus & denuntiamus nullas eſſe, injungentes eiſdem ſub pœnâ ſuſpenſionis, quòd dictas applicationes, aſſignationes, ſeu uniones de facto defecerint, & in locis, in quibus duo Monachi vel plures morari conſueverunt, Priores & Monachos ponant juxtà numerum conſuetum, alioquin ipſos ad hoc ex tunc per excommunicationis ſententiam compellemus.

Synodus XIX. Nicolai.

IDEM IN SYNODO PENTECOSTES,

Anno Domini M. CC. LXXV.

CAP. I.

CUm durum ſit in mortuos ſævire, vel punire ignorantes, & quidam ſint, prout intelleximus, qui contrà adverſarios ſuos pro defectibus ſeu aliis de cauſis litteras excommunicationis impetrant, eas partibus penitùs vel Sacerdotibus ſubticentes, illas nullatenùs exhibent, vel denotant uſque in diem vel vigiliam reſurrectionis Domini, ut tunc adverſarios à communione fidelium repelli faciant; ſed & alii eas non manifeſtant donec eorum adverſarius ſit defunctus, ut eum à ſepulturâ Eccleſiaſticâ faciant prohiberi. His malitiis & ſimilibus obviare volentes, ſtatuimus quòd ſi quis contrà aliquem aliquam excommunicationem impetraverit, infrà quindecim dies à tempore impetrationis eamdem faciat publicè in ſuâ Eccleſiâ publicari, alioquin ex tunc Sacerdotes eas nullatenùs publicare præſumant; excommunicatum tamen evitent & faciant evitari, donec à dictâ ſententiâ fecerit ſe abſolvi. Si verò imminente tempore Paſchali, & ultimæ hebdomadæ Paſſionis quindenâ jam elapſâ, vel in imminente morte alicujus noviter litteras excommunicationis præſentaverint, dictos excommunicatos in formâ Eccleſiæ abſolvatis vice noſtra, vel illorum quorum auctoritate fuerint excommunicati, dictorum ex-

b *minimè*] Potiùs *juri*, ut conjecit Acherius.

communicatorum excommunicatosi nomina referentes.

Synodus XX. Nicolai.

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ,

Anno Domini M. CC. LXXVI.

CAP. I. CUm affectantes Sacerdotum & ſubditorum inſtructionem, aliàs conſtituerimus, quòd Archipresbyteri & Decani ſingulis annis certis diebus infrà octavam Purificationis beatæ MARIÆ Virginis, Sacerdotes ſibi ſubditos certis locis confinibus, qui non mutarentur, convocarent, ut dicti Sacerdotes eoſdem conſulerent ſuper iis de quibus dubitarent, ad Synodalem quaternum vel ſtatuta Synodalia pertinentibus, & ut per prædictos ſtatuta anni Synodalia in Pentecoſtes ac ſancti Lucæ Synodis facta dictis Sacerdotibus recitarentur: & nos per prædictos Decanos, & Archipresbyteros intelleximus, quòd Sacerdotes ſibi ſubditi ad dies & loca propter hoc ab ipſis deputata venire negligebant, & contemnebant, & propter hoc voluerimus & ſtatuerimus quòd illi qui ad prædictos dies &loca non venirent, quinque ſolidos nomine pœnæ ſuo Decano vel Archipresbytero ſolvere teneantur, niſi Canonicum haberent impedimentum, quod firmare coram ipſis tenerentur proprio juramento. Et nonnullis perpendimus pericula imminere dicto tempore locis in pleriſque, maxime inundatione aquarum emergente, præcipimus quòd die Jovis poſt *Quaſimodo* Sacerdotes inibi ubi conſuetum, convocentur ad prædicta, & non infrà octavam Purificationis ante dictæ, pœnam repetentes ſuprà ſcriptam: adjicientes ut Archipresbyteri, & Decani, prædictam pœnam remittere nequeant, ſed dictos Presbyteros non venientes ad diem, ad Officialem inſinuent, & per ipſum prædictæ pœnæ à non venientibus exigantur.

CAP. II. Quoniam ubi majus periculum vertitur, ibi cautiùs eſt agendum, & ubi perſonæ induſtria eligitur, non per alium debet exequi quod mandatur: præſenti ſtatuto injungimus ſub pœnà ſuſpenſionis & excommunicationis quibuſlibet ſubditis noſtris, ut & cum alicui à nobis, vel à judicibus ordinariis noſtræ Diœceſis aliquod mandatum fuerit deſtinatum, ubi clauſula hæc ſit inſerta: *Si nobis conſtiterit*: vel, *Si ita eſt*: vel, *Si contrà fecerit*: vel, *Niſi obtemperaverit*: vel finaliter, *Cauſa cognitionem deſiderans*: illud mandatum non per alios quàm per ipſos exequutionem demandent, teſtes aliquos in exequutionibus prædictis, ut jura volunt, advocantes. Item Rectoribus Eccleſiarum de ſub pœnis præcipimus antefatis, ut Capellanos & Clericos jurare faciant, quòd fideliter alia mandata exequantur. Inhibentes pœnis prædictis repetitis, ne illis quibus aliquid fuerit mandatum factum, per alium faciat illud exequi ad ejus inſtantiam cujus demandatur, vel per litteras deferentem aut etiam præſentantem.

Synodus XXI. Nicolai.

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ,

Anno Domini M. CC. LXXVII.

CAP. I. VOlentes ſubditorum utilitatibus providere, ſtatuimus, ut Rectores Eccleſiarum parochialium civitatis & Diœceſis Andegavenſis, Capellani & Clerici, eorum judicum Eccleſiaſticorum mandata quæ exequantur fideliter faciant, nec citationem aliquam vel monitionem faciant, nec aliquos denuntient excommunicatos nominatim, niſi prius ſuper hoc recepto mandato. Præterea quòd aliquas litteras non ſigillent gratiâ, odio, favore, vel pretio, quouſque contenta in ipſis litteris fuerint exequuti: tranſgreſſores graviter puniemus.

Scriptum eſt: *In Eccleſiis laudabo te, Domine*: propter quod ſtatuimus, ut Priores Prioratuum Civitatis & Diœceſis Andegavenſis cum Monachis ſuis, item Rectores cum Clerico vel Clericis ſuis, ſaltem in Diebus Dominicis & feſtivis IX. Lectionum cantent ſeu dicant ad notam Matutinos & Veſperas infrà Eccleſias eorumdem. CAP. II. Pſal. 20. 23. & 35. 12.

Intelleximus nonnullos volentes & intendentes matrimonium ad invicem contrahere, nomine matrimonii potare, & per hoc credentes ſe ad invicem matrimonium contraxiſſe, carnaliter ſe commiſcent. Verùm cum per hoc nullum matrimonium contrahatur, & ob hoc quoniam plures jam fuerunt decepti, vobis firmiter injungimus quòd frequenter & publicè in Eccleſiis parochialibus veſtris dicatis, quòd per prædicta hujuſmodi nec matrimonium nec ſponſalia contrahuntur. CAP. III.

Quoniam aliàs ſtatutum exſtitit, ne quartula aliqua quæſtorum admittantur, niſi appareant ſigillata noſtro vel Officialis noſtri ſigillo; cum quæſtores multa falſa in chartulis invenerimus ſcripſiſſe, hîc ſtatuere duximus, inhibentes Rectoribus & Capellanis Andegavenſis Diœceſis, ne aliquem quæſturem in Eccleſiis ſuis ad prædicandum, vel ſuas indulgentias, aut beneficia exponenda admittant, niſi ſuper hæc à nobis licentiam obtinuerint, & hoc appareat litteris noſtris vel Officialis noſtri, prout ſuperiùs eſt expreſſum; ſed ipſimet Rectores vel Capellani dictas indulgentias & beneficia parochianis ſuis exprimant & exponant, prout in litteris noſtris vel Officialis noſtri viderint contineri. CAP. IV.

Quoniam omnis actio proprietatis habendæ à Monachis eſt tollenda, ſtatuimus ut nullus Monachus Eccleſiam vel Capellaniam pro ſalario, aut penſione, aut mercede deſerviendam aſſumat. CAP. V.

Synodus XXII. Nicolai.

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ,

Anno Domini M. CC. LXXXI.

QUoniam multos reperimus indurato animo claves ſanctæ matris Eccleſiæ vilipendentes, excommunicationis ſententiam diutiùs ſuſtinere, Corpus Chriſti in Eccleſiâ biennio vel triennio non ſuſcipere, vel etiam confiteri; præcipimus omnibus & ſingulis Rectoribus & Capellanis, ut ipſi & quilibet eorumdem in parochiis ſuis diligenter conſiderent & inquirant parochianos ſibi ſubditos, qui per biennium & ultrà in excommunicationibus ſuis perſtiterint, à perceptione Corporis Chriſti vel Confeſſione per tantum temporis ceſſaverint, & eorumdem nomina in ſcriptis nobis tradant vel mittant, & quanto tempore in eâ permanſerint, ut in talibus ſalubre conſilium apponatur. CAP. I.

Quia proceſſiones, quæ ex antiquorum devotione propter neceſſitatem populi adinventæ, certis temporibus & diebus fieri conſueverunt, per negligentiam Rectorum & Capellanorum, prout intelleximus, in locis pluribus omninò non fuerint, in aliis verò aliqui Rectores & Capellani proceſſionem ſine Sacerdote crebriùs mittant; ideo ſtatuimus & præcipimus ſub ſuſpenſionis pœnâ, ut ſinguli Rectores & Capellani die Dominicâ quæ præcedit ſeptimanam, in quâ ex laudabili conſuetudine Eccleſiæ ſuæ proceſſio fieri conſuevit, parochianos ſuos ſollicitè diligenterque hortentur & inducant, ut ad proceſſionem eant, vel ſaltem unam perſonam de ſuâ familiâ mittant, prout ab antiquis fieri conſuevit: Rectoribus & Capellanis ſub pœnâ prædictâ injun- CAP. II.

gentes, ut ipſi ad prædictas proceſſiones perſonaliter eant, vel ſaltem ut Capellanum & Clericum ſuum ibi mittant, per quos litaniæ & orationes conſuetæ fiant, & plebis devotio, quæ per ipſorum negligentiam diminuitur, eorum curâ & præſentiâ amplietur.

Cap. III. Cum jamdudum in ſtatuto provinciali fuerit ordinatum, ne exequutores teſtamentorum aliquid de litteris exequutionis ſibi commiſſæ per ſe vel per aliom emant, vel quocumque alio titulo ſibi acquirant; & prædictum ſtatutum plurimùm invenerimus à pluribus exequutoribus violati, qui de boois exequutionis alter ab altero per ſe vel per alium ſibi emunt, vel titulo mutuæ devotionis acquirunt: idcircò prædicta ſtatuta innovantes, tales acquiſitiones in poſterum fieri prohibemus, juxtà tenorem prædicti Concilii ſtatuentes, ut ſi quis exequutot de bonis exequutionis ſibi commiſſæ per ſe vel per alium quocomque titulo acquiſierit, acquiſitum & tantum de ſuo reſtituat adopus exequutionis committendum.

Synodus XXIII. Nicolai.

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ,

Anno eodem.

ITem de Rectoribos Eccleſiarum in Eccleſiis ſuis reſidentibus ordinamus, qodd Capellanos ſuos in domo propriâ ſecum habeant commorantes, niſi ſint in uoâ domo plures Capellani propter Eccleſiæ diffuſæ magnitudinem.

Synodus XXIV. Nicolai.

IDEM IN SYNODO PENTECOSTES,

Anno Domini M. CC. LXXXII.

CUm in Diœceſi Andegavenſi grave ſcandalom ortum eſſet ſuper eo, quod nonoulli Archidiaconi, Archipreſbyteri & Decani ſubditi noſtri extrà civitatem Andegavenſem cauſas & placita in locis pluribus quàm ſoliti eſſent, audirent & tenerent: & etiam ex eo quod ipſi habeant plures ſolito appatitores, qui homines ſine litteris citabant, & ab ipſis pecuniam illicitè extorquebant; die Sabbati poſt Pentecoſten conſtituti coram oobis Andegavis in camerâ noſtrâ, & conſentientibus Oliverio Archidiacono Andegavenſi, Guillermo Archidiacono Tranſligerenſi, & Lautentio Archidiacono Tranſmeduanenſi in Eccleſiâ Aodegavenſi, Stephano Andegavenſi, Guillermo Burgolienſi, Joanoe de Fixa, Joanne de Ludio, & Hamone Salmurienſi, Archipteſbyteris, Oliverio de Camilliaco, Gervaſio de Maugiâ, Guillermo de Inter Sertam & Meduanam, Guillermo de Credonio, & Hamerico de Candeio Decanis.

Super præmiſſis ita duxerimux ordinandum, videlicet quòd Archidiaconus Andegavenſis in civitate Andegavenſi & apud Baugeium cauſas & placita tenebit & audiet, & non in pluribus locis: item tres apparitores habebit, unum in civitate Andegavenſi & duos extrà. Item Archidiaconus Tranſligerenſis in civitate Andegavenſi, apud Salmurium, & apud Brecheſach, & oon in pluribus locis cauſas & placita audiet & tenebit; & pro tribus locis tres tantùm apparitores babere poterit, & non plures. Item Archidiaconus Tranſmeduanenſis in civitate Andegavenſi, apud Caſtrum-Gonterü, & apud Leon cauſas & placita audiet & tenebit, & pro tribus locis tres tantùm appatitores habebit. Item Archipreſbyter Andegavenſis [Aodegavis] & non alibi cauſas audiet, & tenebit placita, & onum tantùm apparitorem habebit. Item Archipreſbyter Burgolienſis in duobus locis tantùm, videlicet apud Burgolium, & apud Longum-Vadum cauſas & placita tenebit, & duos tantùm apparitores habebit. Item Archipreſbyter de Fixâ in duobus locis tantùm, videlicet apud Fixam, & apud Durum-Stallum cauſas & placita tenebit, & duos tantùm apparitores habebit c. Item Archipreſbyter Salmurienſis in duobus locis tantùm, ſcilicet apud Salmurium, & apud Doadinm, vel apud Genas, quem illorum locorum, videlicet Doadium, vel Genas elegetn, & quem eligere tenetur infrà octo dies, & in quorum uno tantùm ex tunc una cum Salmurio placita tenebit, & duos tantùm apparitores habebit. Item [Decanus] de Camilliaco in duobus locis tantùm, videlicet apud Camilliacum, & apud Toarceium cauſas & placita audiet & tenebit, & tantùm duos appatitores habebit. Item Decanus de Maugia in duobus locis tantùm, videlicet apud Sanctam Crucem de Rupeforti, & apud Montem-Rebelli, & duos tantùm apparitorea habebit. Item Decanus de inter Settam & Meduanam in duobus locis tantùm, videlicet apud Caſtrum-novum, & apud Campigné cauſas audiet & tenebit, & duos taotùm habebit apparitores. Item Decanus de Credonio in duobus locis tautùm, videlicet apud Credonium, & apud Segreium cauſas audiet & placita tenebit, & duus habebit apparitores tantùm.

Item ordinamus quòd nullus apparitor prædictorom aliquem citare poſſit ſioe litteris, niſi in parochiâ & villâ in quâ manſionem ſuam habebit, vel niſi à domino ſuo vel ejus vices gerente ſuper hoc mandatum receperit ſpeciale.

Synodus XXV. Nicolai.

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ,

Anno Domini M. CC. LXXXII.

QUia illud quod fit à Prælatis, de facili trahitur à ſubditis in exemplum, & Prælati tot mortibus digni ſunt, quot mala exempla ad ſubjectos tranſmittunt, qui bona exempla & doctrinam debent populo miniſtrare: idcircò nos indevotionibus, & ut veriùs dicamus perverſitatibus qoorumdam Prælatorum tam Regulariom quàm ſæcularium, & Rectorum Eccleſiarum occurrere cupientes, qui divini mandati tranſgreſſores, qui in diebus Dominicis & aliis ſolemnitatibus feſtivis terrenas operationes exercent, com bobus, quadrupedibus, quadrigis & aliis terrenis, ſpretis & neglectis divinis officiis, inſiſtendo, ſic fomentum erroris & perditionis laicis & plebibus ſibi commiſſis, ſuis malis exemplis exhibentes; præcipimus in virtute obedientiæ, & ſub pœnâ ſuſpenſionis univerſis & ſingulis Abbatibus, Prioribus, Monachis, Rectoribus Eccleſiarum, Preſbyteris & Capellanis, omnibos Eccleſiaſticis perſonis in civitate & Diœceſi Andegavenſi conſtitutis, ne in diebus Dominicis & aliis ſolemnibus & feſtivis, & maximè Mauritii, & Maurilii Patronorum noſtrorum ſolemnitatibus, Beatæ MARIÆ Virginis, Sanctorum Apoſtolorom, & aliis quæ in civitate & Diœceſi Andegavenſi conſueverunt cum Clero & Populo ſolemniter celebrari, operationibus terrenis inſiſtant, ſed divinis officiis inſudantes, laïcos & populos ſibi commiſſos verbo & exemplo inducant, & eis efficaciter injungant memoratis diebus à terrenis operibus abſtinere eoſdem, & ad Eccleſiam conveniant ad divinum officium exhortando.

c *habebit*] Hic deeſt ſtatutum de Archipreſbytero de Ludio.

Synodus I. Guillelmi.

GUILLELMUS MAJOR

Episcopus Andegavensis

IN SYNODO SANCTI LUCÆ.

Anno Domini M. CC. XCI.

Caput I.

QUia à multis ſpiritualis cognatio contemnitur adeo, quòd non verentur proprias filias ſuas ſpirituales carnaliter cognoſcere: injungimus Archidiaconis, Archipreſbyteris & Decanis quòd circà inquiſitionem talium diligentes exiſtant, & ſi quem Rectorem cum aliquâ parochianâ ſuâ jacuiſſe, vel eam carnaliter cognoviſſe, de cætero noverint, ipſum per ſex menſes ab officio & beneficio ſuſpendant, & ſuſpenſum teneant; medii temporis proventuum quaſi jure depoſitus inter Archidiaconum & Decanum, vel Archipreſbyterum dimidia pars dividatur, aliâ parte fabricæ Eccleſiæ, contrà quam deliquerit, remanente; ita tamen quod eiſdem proventibus ſervitoribus Eccleſiarum provideatur competenter.

Si verò aliquis Sacerdos deſerviens Eccleſiæ non Curatus, tale commiſerit cum aliquâ parochianâ Eccleſiæ cui deſervit, ſtatim à dictâ Eccleſiâ expellatur, in Archidiaconatu nullatenùs ſerviturus quouſque triennium ſit elapſum: & ſi de facto ipſius ſcandalum cæptum fuerit, à diœceſi per triennium præcipimus expellendum: adimentes omninò poteſtatem Archidiaconis, Decanis & Archipreſbyteris diſpenſandi cum aliquo in hoc caſu, vel etiam deferendi.

Cap. II.

Statuimus & ordinamus ne quis Monachus aliquam Eccleſiam vel Capellaniam deſerviendam aſſumat; & ne Confeſſiones cujuſquam parochianorum, etiam de conſenſu Rectoris abſque neceſſitatis articulo audiat, niſi de licentiâ Epiſcopi & conſenſu: & quòd Monachi in eodem dormitorio jaceant, & ad Matutinas de nocte ſurgant, maximè tempore hyemali.

Synodus II. Guillelmi.

IDEM GUILLELMUS IN SYNODO Pentecoſtes,

Anno Domini M. CC. XCII.

INhibemus inſuper Abbati & Prioribus noſtræ Diœceſis, ne Monachis vel ſociis in Prioratibus commorantibus tradant ſeu miniſtrent annuatim pro calceamentis & veſtibus certam pecuniæ quantitatem, prout in locis quampluribus noſtræ Diœceſis, ipſa viſitantes invenimus retroactis temporibus facta eſſe; cum per hoc, ſi permitterentur, occaſio daretur veniendi contrà votum, quod Monachi in ſuis profeſſionibus Deo reddere promiſerunt circà illam partem; ſcilicet de abdicatione proprietatis, ad quam per ipſius voti vinculum ſunt adſtricti: ſed dicti Abbates & Priores in veſtibus, calciamentis & aliis neceſſariis eiſdem provideant competenter.

Synodus III. Guillelmi.

IDEM GUILLELMUS IN SYNODO ſancti Lucæ.

Eodem anno.

Cap. I.

CUm nuper à prædeceſſore noſtro in virtute obedientiæ Rectoribus & Capellanis Andegavenſis Diœceſis in Synodo fuerit injunctum, ut ipſi ſingulis diebus Dominicis & majoribus feſtis excommunicatos de parochiis ſuis publicè nuntiarent ac facerent evitare, & circà hoc aliqui de ipſis Rectoribus & Capellanis negligentes exiſtant, & dictis excommunicatis etiam in divinis participare non formidant. Nos prædicta præcepta innovamus, præcipientes & injungentes in virtute obedientiæ Rectoribus & Capellanis prædictis, quòd ipſi prædictis diebus Dominicis in Eccleſiis ſuis dictos excommunicatos publicè denuntient, & ipſos evitari faciant, & evitent, maximè in divinis.

Cap. II.

Cum diebus feſtivis ob reverentiam Dei & ſanctorum introductis, præcipuè diebus Dominicis honori Majeſtatis altiſſimæ conſecratis, à Chriſti Fidelibus ſit ab omni ſervili opere abſtinendum & ceſſandum, ac divinis cultibus jugiter inſiſtendum, omnibus & ſingulis Rectoribus & Capellanis in virtute obedientiæ præcipimus & mandamus, quòd ipſi parochianis ſuis inhibeant ſub oſtentatione divini judicii & pœnâ excommunicationis, ne ipſi dictis diebus feſtivis, maximè Dominicis, cuiquam operi ſervili ſe immiſceant, & præcipuè barbitonſoribus, ne ipſi dictis diebus Dominicis barbas radant, vel aliàs barbitonſorum officium exerceant, etiam minuendo, niſi mortis vel gravis infirmitatis periculo imminente. Inhibentes ſubditis ſuis ſub pœnâ prædictâ, ne dictis diebus Dominicis ſe radi faciant aut permittant, vel barbitonſoris officium recipiant in ſuarum periculum animarum. Inhibentes molitoribus etiam quibuſcumque ſub pœnæ interminatione prædictâ, & molendinorum dominis, ne ipſi dictis diebus Dominicis, maximè à veſperâ diei Sabbati uſque ad veſperam diei Dominicæ, molendina molere faciant aut permittant, nonobſtante longi temporis abuſu; qui non uſus cenſendus aut conſuetudo, imò veriùs corruptela, cum tanto ſint graviora peccata; quanto diutiùs infelicem animam detinuerint alligatam; cum aliqua præſcriptio contrà præcepta decalogi locum ſibi vindicare non poſſit.

Cap. III.

Item prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, diſtrictè præcipimus & mandamus, quòd omnes Rectores & Capellani, in Eccleſiis parochialibus ſervientes, quâlibet die Sabbati in ſero & in vigiliis feſtorum IX. Lect. pro veſperis pulſari faciant, & Dominicis & feſtis prædictis pro Matutinis & Miſſâ & Veſperis ſubſequentibus illud idem faciant, ac Veſperas, Matutinas & Miſſam in Eccleſiis ſuis dictis diebus ſolemniter ad notam decantent.

Cap. IV.

Item cum aliàs in Provinciali Concilio apud Langes fuerit præcipiendo ſtatutum, ut Abbates & Priores Monachos ſibi ſubditos ſingulares incedere, vel ſolitarios in Prioratibus commorari, de cætero non permittant, prædictum ſtatutum innovantes, juxtà id præcipimus & mandamus, ne Priores ſibi ſubditos in Prioratibus jacere ſolitarios ſeu dormire permittant, imò Priores & eorum ſocios in eâdem camerâ, ſeu in eodem dormitorio jacere diſtrictè compellant: nam *væ ſoli, cum ſi ceciderit, non habet ſublevantem.* Eccl. 4. 10.

Synodus IV. Guillelmi.

IDEM GUILLELMUS IN SYNODO Pentecoſtes,

Anno Domini M. CC. XCIII.

Cap. I.

QUoniam multi ſunt Sacerdotes, & pauci ſunt Sacerdotes, multi videlicet ſimplices, rudes, idiotæ & illiterati, & pauci alii, & jure ſuadente ſanctius eſt maximè in ordine Sacerdotum paucos bonos quàm multos malos habere Miniſtros; idcircò notum fieri volumus univerſis, quòd nos non intendimus aliquem, maximè ad Sacerdotii Ordinem, de cætero promovere, niſi fuerit ſaltem in grammaticalibus ſufficienter inſtructus, ut ſciat & intelligat quid dicat per nomen. Hortamur igitur & mone-

mus præcipuè omnes Abbates & ſingulos, qui nobis habent ſuos Monachos ad Ordines præſentare, ut de Magiſtris ſibi provideant, qui ſuos Monachos in Grammaticalibus inſtruant & informent.

Cap. II. Quia plerumque aliqui ignoti & alienigenæ Preſbyteros ſe dicentes, extrà partes ſuas ad partes longinquas ſe transferunt, qui in partibus ſuis gravia & enormia perpetrarunt, & qui aliunde Preſbyteri non ſunt, vel qui ſunt alicui Religioni adſtricti, vel aliàs inhabiles aut irregulares exiſtunt, juxtà antiquorum Patrum ſtatuta ſtatuimus & ordinamus, quòd de cætero alienigenæ & incogniti ad officium Sacerdotale non admittantur vel recipiantur à quocumque, quouſque à nobis mediantibus litteris commendatitiis ſuper promotione eorum, vitâ & moribus confectis, fuerint approbati. Injungentes Rectoribus Eccleſiarum in virtute obedientiæ & ſub pœnâ ſuſpenſionis, quòd ipſi infrà menſem à tempore quo Preſbyteros in ſuâ ſocietate vel ſervitio admiſerint, nobis vel deputatis à nobis Clericis noſtris, & nulli alii fideliter repræſentent. Plures etenim, quamquam aliàs fuiſſet ſtatutum, noſtram diœceſim viſitantes, invenimus inobedientes & negligentes hactenùs in præmiſſis.

Cap. III. Quamvis aliàs fuerit providâ deliberatione ſtatutum, ut nomina eorum qui excommunicationis ſententiam per annum ſuſtinuerint & ampliùs, ex parte Rectoris Epiſcopo vel ejus Officiali traderentur in ſcriptis; verumtamen ex hoc tepidatam puſillanimitatem Rectorum & negligentiam, qui non curant gregem oberrantem in faucibus dæmonum eripere, Eccleſia Dei fructus pauciſſimos recollegit, in hoc non veros paſtores, ſed mercenarios potiùs ſe docentes. Nam ſi veri eſſent paſtores, & condignam curam haberent de grege ſibi commiſſo, oves deviantes & periclitantes ad caulas, ut unum fieret ovile, propriis humeris reportarent. Hinc eſt quòd nos innovando ſtatuimus, & in virtute obedientiæ injungimus Rectoribus, ut ipſi nomina dictorum excommunicatorum, qui per annum & ampliùs dictam excommunicationem ſuſtinuerint, nobis vel Officiali noſtro reſcribant, & negotium propriis ſumptibus proſequantur, quia magis eorum intereſt, quouſque finem debitum ſortiatur.

Cap. IV. Jam enim, de quo valde dolendum eſt, in hæreſim dilabuntur plures; cum quidam ignorantes Rectores & eorum Capellani in animarum ſuarum periculo, & etiam ſubditorum, falcem ſuam in meſſem alienam ponentes abſolutionem peccatorum nobis reſervatorum ſibi uſurpare & contribuere non formidant, quamvis dicta peccata in ſuis quaternis Synodalibus ſint contenta. Nos ad eludendum magis eorum negligentiam vel malitiam, ad hoc in præſenti Synodo inhibemus Rectoribus & omnibus Capellanis noſtræ Diœceſis, ne de cætero ſine noſtrâ licentiâ ſpeciali ad abſolutionem dictorum peccatorum manus tam periculosè irreverenter extendant.

Synodus V. Guillelmi.

IDEM GUILLELMUS IN SYNODO ſancti Lucæ.

Eodem anno.

Cap. I. QUoniam nonnulli Sacerdotes in ſuæ ſalutis grave diſpendium, ſtatutorum Synodalium à prædeceſſoribus noſtris dudum, & à nobis editorum vilipenſores & tranſgreſſores, Dei timore & Prælatorum ſuorum obedientiâ, reverentiâ & honore irreverenter poſtpoſitis, quæ dolendo referimus, inveniantur frequenter, non attendentes periculum: quoniam, teſtante ſcripturâ, *peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ* (1. Reg. 15. 23.) *nolle acquieſcere.* Hinc eſt quòd eiſdem injungitur in virtute obedientiæ, ſecundùm quod aliàs eis injunctum exſtitit, quòd quilibet quaternum Synodalem habeat, quem in Synodis deferat, & illum frequenter perlegat, & contenta in eo magis ſolito, tamquam filius obedientiæ obſervare ſtudeat diligenter. Injungimus etiam Archipreſbyteris & Decanis, ut dum viſitationis officium peragunt, ad inquirendum ſolliciti ſint utrum præmiſſa ſic injuncta debitum ſortiantur effectum; & ſi contrarium invenerint, nobis inſinuare non differant, ut tranſgreſſores hujuſmodi ſeveritate debitâ compeſcantur.

Cap. II. Item cum per prædeceſſorem noſtrum aliàs ſtatutum fuerit, quòd Sacerdotes indumenta ſuperiora clauſa deferant, nullatenùs apertis utendo, ſub certâ pœna in dicto ſtatuto comminatâ, ut inter ipſos & alios Clericos, imò potiùs laïcos aliquis diſtinctus haberetur habitus, & ut ſecundùm ſtatum ſuum honeſtiores inter cæteros apparerent: inveniuntur tamen innumeri tranſgreſſores. Cum igitur viliſſimus ſit computandus juxtà Canonica Statuta, niſi ſanctitate præcellat, qui eſt honore præſtantior; in inceſſu enim & habitu debet eſſe Sacerdos ornatior, ut morum gravitate maturitatem mentis oſtendat. Incompoſitio ſiquidem corporis, ut ait Auguſtinus, inæqualitatem mentis indicat. Et Salomon: *Amictus corporis & riſus dentium enunciant de illo.* (Eccl. 19. 27.) Statutum itaque hujuſmodi ad convincendum eorum malitiam innovamus, adjicientes, quòd ſi de cætero hujuſmodi invenerimus tranſgreſſores, ſibi caveant, quia eorum indumenta inhoneſta & aperta leproſis largiemur, quod fieri volumus etiam per Archidiaconos & Decanos, & aliâ pœnâ eos nihilominùs puniemus.

Cap. III. Cum inter cæteras hujus provinciæ Cathedrales Eccleſias, iſta Beati Mauritii apud populares & diœceſanos in minori reverentiâ, ut patet ad oculum, habeatur, cum nullus eorum concurſus appareat ad eamdem, ſicut habetur in aliis evidentiùs, quamvis ibidem requieſcant plurium corpora Beatorum. Ad devotionem igitur popularium excitandam vobis injungimus, quòd in pœnitentiis injungendis eis ſpecialiter injungatis (voluntate tamen eorum ſecretò primitùs exquiſitâ & obtentâ) quòd ſaltem ſemel in anno ſingulis annis, vel uſque ad ſeptennium vel quinquennium, ſecundùm quod videbitis expedire, limina ipſius Eccleſiæ ſtudeant viſitare in eorum remiſſionem peccaminum. Nam multa meritis Beatorum, quorum corpora requieſcunt ibidem, Deo inſpirante, poterunt promereri, & indulgentias terminis anni & quadraginta dierum in feſto Beati Mauritii & per ejus conſequentes octavas.

Cap. IV. Item injungimus Archidiaconis, Decanis & Archipreſbyteris noſtræ Diœceſis, ut ipſi dum viſitabunt Eccleſias ſibi ſubditas, ſi aliqui, quos Capellanos in eiſdem invenerint deſervientes, litteras noſtras teſtimoniales non habentes, eos à dictis Eccleſiis amoveant, & Eccleſiarum Rectoribus inhibeant, ne ipſos Capellanos in Eccleſiis ſuis celebrare permittant.

Synodus VI. Guillelmi.

IDEM GUILLELMUS IN SYNODO. Pentecoſtes.

Anno Domini M. CC. XCIV.

Cap. I. QUamvis à ſanctis Patribus in pluribus Conciliis ab olim inſtinctu Spiritûs ſancti providâ fuerit deliberatione ſtatutum, quòd Preſbyteri qui diœceſis regunt Eccleſias, non à quibuſlibet Epiſcopis, ſed à ſuo, nec per juniorem Clericum, ſed per ipſos aut per Diaconum ante Paſchæ ſolemnitatem chriſma petant, cujus quidem chriſmatis confectio

juxtà

Digitized by Google

Epiſt. 2. ad cunctos Orientales Epiſcopos cap. 1.

juxtà Fabiani Papæ decretum per annos ſingulos eſt agenda, & de anno in annum renovanda, & eſt tradenda fidelibus, quia novum eſt ſacramentum, & per annos ſingulos innovandum, & vetus in ſanctis Eccleſiis cremandum. Hujus tamen ſtatuti reperiuntur quamplurimi tranſgreſſores in ſuarum periculum animarum, ſanctum chriſma non petentes niſi longè poſt Paſcha; & illud per Laicos vel Clericos conjugatos, vel alias inhoneſtas perſonas requirunt. Ne igitur nobis aliqua negligentia valeat adſcribi, dictum ſtatutum innovando firmiter injungimus Rectoribus & Preſbyteris, qui noſtræ Diœceſis præſunt Eccleſiis, ut de cætero ſanctum chriſma ante ſolemnitatem Paſchæ in ſingulis annis per ſeipſos, vel ſaltem per honeſtos Clericos quærant, petant ubi, & à quibus loco noſtri quærendum fuerit & petendum: adjicientes quòd ſi quis de cætero hujus contemptor ſtatuti fuerit, pœna X. S. per ſuum Decanum vel Archipreſbyterum puniatur; in quam pœnam contemptores hujus volumus incidere ipſo facto.

Cap. II. Cum ſecundùm ſacrorum Canonum inſtituta, Epiſcopi eorumque Miniſtri modis omnibus debeant laborare, ut perniciosam & à zabulo inventam ſortilegam & magicam artem ex parochiis ſuis penitùs eradicent, & ſi aliquem virum vel mulierem hujuſmodi ſceleris ſectatorem invenerint turpiter dehoneſtatum, ex ſuis parochiis ejiciant & expellant. Et nos prout noſtro incumbit officio noſtram Diœceſim viſitantes accepimus, quòd multæ ſortiariæ & divinatrices, multique ſortilegi ac divini ſub diſſimulatione & conniventia Sacerdotum in pleriſque locis Andegavenſis diœceſis, auguriis, divinationibus & ſortilegiis corda ſimplicium, diabolo procurante, ſubvertunt in grave diſcrimen & periculum animarum; ſtatuendo præcipimus Rectoribus & Sacerdotibus univerſis, quòd ſi in ſuis parochiis tales ſceleratos viros aut mulieres noverint latitare, ad noſtram notitiam aut Officialis noſtri, reſupinâ ignavia depoſita, deferre procurent, ut à tali peſte ſancta Eccleſia emundetur; & hujuſmodi veſupadarum perſonarum horrenda malignitas pœnâ Canonicâ compeſcatur.

Cap. III. *Jac. 5. 14.* Cum dicat ſanctus Apoſtolus Jacobus, *Infirmatur quis in vobis, inducat Preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.* In quo oſtenditur duplici ex causâ ſacramentum extremæ unctionis fuiſſe inſtitutum, videlicet ad peccatorum remiſſionem, & ad corporalis infirmitatis alleviationem. Unde conſtat, eum qui hanc unctionem fideliter devoteque percipit, & in corpore & in animâ alleviari, ſi tamen expedit ut in utroque allevietur: quòd ſi fortè corporis valetudinem illi habere non expedit, illam quæ eſt animi ſanitatem in hoc ſacramento acquirit. Noſque accepimus referentibus fide dignis, quòd dictum ſacramentum, ſine quo, ut dicunt ſancti, periculoſum eſt ex hac vitâ migrare, ex quadam negligentiâ omittatur, imò ut verius loquamur, ex Sacerdotum rapacitate & avaritia, qui in collatione hujus ſacramenti novas & inſolitas exactiones inducunt aliunde, petendo linteamina quibus jacens inungitur ægrotans, in aliquibus locis noſtræ Diœceſis reperimus fieri per abuſum, aut per alias exactiones illicitas, quod eſt turpe dicere, faciendo: quare præcipiendo injungimus Eccleſiarum Rectoribus & Capellanis, ut populum ſibi commiſſum diligenter hortentur, ut infirmi extremi morbi neceſſitate gravati pro Sacerdote mittant: & hoc ſacramentum tantùm eſt in extremo vitæ articulo conferendum, quando infirmus in brevi ex hac vitâ credatur migraturus. Caveantque dicti Rectores & Capellani, ne in dicti collatione ſacramenti illicitas exactiones faciant, ſi divinam & canonicam voluerint effugere ultionem.

IDEM GUILLELMUS IN SYNODO *Pentecoſtes*,

Synodus VII Guillelmi.

Anno Domini M. CC. XCV.

Cap. I. *Lateran. IV Concil. ſub Innoc. III. an. Chriſti 1215. cap. 21.* Cum olim per ſedem Apoſtolicam in Generali Concilio ſalubriter fuerit inſtitutum, ut omnes utriuſque ſexûs poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, omnia ſua peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteantur proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeant adimplere, ſuſcipientes reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentum, niſi fortè de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerint abſtinendum; alioquin & viventes ab ingreſſu Eccleſiæ arceantur, & morientes Chriſtianâ careant ſepulturâ. *Ibidem.* Fuit in eodem Concilio inſtitutum, ut frequenter hoc ſalutare ſtatutum in Eccleſiis publicaretur, ne quiſquam ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat. Noſque noſtram Diœceſim viſitantes prout noſtro incumbit officio, quod dolentes referimus, in eadem invenimus nonnullos, qui non per annum ſed per plures annos non confitendo, & à perceptione Dominici corporis ſuæ ſalutis immemores damnabiliter abſtinuerunt, & abſtinent, & adhuc abſtinere non formidant in ſuarum periculis animarum. Cupientes eorum maliciis obviare, ac ſaluti eorum providere, ut tenemur, vobis omnibus & ſingulis firmiter injungimus, ut prædictum ſtatutum in Eccleſiis veſtris frequenter publicare curetis, ut contenta in eodem firmiter obſervetis & obſervari faciatis, nulli perſonæ cujuſcumque ſtatûs exiſtat, ſuper hoc deferentes.

Cap. II Sanè ſunt in præſenti civitate & Diœceſi quamplures Rectores Eccleſiarum, & quidam Vicariam tenentes in Eccleſiis civitatis & Diœceſis Andegavenſis, qui in Eccleſiis ſuis parochialibus non reſident, licet reſidentiam juratam exigant perſonalem, ſed auctoritate Apoſtolica abſque noſtrâ licentiâ ab Eccleſiis ſuis ſe abſentant, perjurium damnabiliter incurrendo: ſed quia ubi majus periculum vertitur, majus eſt conſilium & remedium adhibendum, ipſorum animarum periculis, necnon Eccleſiis providere cupientes, ordinamus, præcipimus & monemus diſtrictè ſub virtute juramenti ab eiſdem præſtiti, quòd omnes prædicti & ſinguli ad Eccleſias vel Vicarias ſuas accedant, moram vel reſidentiam facturi ibidem continuam, ut cura exigit, alioquin ipſos tanquam perjuros dictis Eccleſiis & Vicariis privabimus, facientes per Patronos ad eas promoveri perſonas, quæ velint cùm potuerint ibidem perſonaliter reſidere. Perjuri enim juxtà civiles & Eccleſiaſticas ſanctiones privandi ſunt beneficiis habitis & habendis.

Cap. III. Volentes Sacerdotum utilitatibus providere, ſtatuimus ut Rectores Eccleſiarum parochialium civitatis & Diœceſis Andegavenſis, Capellani & Clerici, judicum Eccleſiaſticorum mandata, quæ exequuntur fideliter faciant, nec citationem aliquam vel memoriale faciant, nec aliquos denuntient excommunicatos nominatim, niſi priùs à judicibus ſuper hoc recepto mandato. Præterea quòd alias litteras non ſigillent gratia, odio vel favore, vel pretio, quouſque contenta in ipſis litteris fuerint exequuta: tranſgreſſores graviter puniemus. Adjicientes ſtatuendo, quod nullus de cætero aliquam peremptoriam cum

defectu ſibi directam exequatur nec ſigillet, niſi priùs ſimplicem circà contentos in dictâ peremptoriâ viderit & reddiderit ſigillatim, niſi in dictâ peremptoriâ habeatur, quòd ſimplex citatio facta fuerit per judicem, aut ejus apparitorem: contrà hujuſmodi contumaces in loco in quo citare poteſt ſine litteris, prout in aliis ſtatutis continetur, aut per aliam perſonam cui judex duxerit mandatum citationis ſimplicis exequutioni mandandum, de qua priùs in peremptoria ſpecialis mentio habeatur.

Synodus VIII. Guillelmi.

IDEM GUILLELMUS IN SYNODO Pentecoſtes,

Anno Domini M. CC. XCVIII.

CAP. I. PRæcipimus univerſis Rectoribus noſtræ Diœceſis Andegavenſis & Capellanis Eccleſias regentibus, ut cum ad nos de ſuis parochiis inceſtuoſos deſtinaverint, nobis inſinuare ſtudeant, utrum crimen hujuſmodi in eorum parochiis notum ſeu manifeſtum exiſtat, ut tunc manifeſta crimina hujuſmodi manifeſtè puniantur, prout ſacræ præcipiunt ſanctiones.

CAP. II. * Secundi, an. 1294. can. 1. Sanè cum nuper in Concilio provinciali * apud Salmurium celebrato providâ deliberatione fuerit inhibitum, ne Abbates, Monachi, Priores, & alii Religioſi, qui ſecundùm ſuorum inſtituta Majorum cappas clauſas de panno nigro deferre tenentur, houcias & clochias deferre præſumerent, quod clam non abſque gravi ſcandalo & regularis diſciplinæ & divinæ Majeſtatis offenſa faciebant, ſtatutumque fuit in eodem Concilio & præceptum, quòd contrarium facientes per locorum Ordinarios gravi animadverſione punirentur: & nos poſt publicationem hujus Concilii in noſtrâ Synodo factam quamplures tranſgreſſores Concilii hujus invenerimus, monemus in præſenti Synodo unâ monitione pro omnibus, omnes & ſingulos Abbates & Priores, & alios Religioſos maximè regulares noſtræ Diœceſis, ut ipſi Concilii hujus [definitioni] cum effectu parentes, de cætero houcias, vel cluchas nullatenùs deferre præſumant, alioquin in contrarium facientes eorum exigente contumaciâ & inobedientiâ, ſuſpenſionis ſententiam ex tunc ut ex nunc promulgamus.

CAP. III. Cum ex frequenti & aſſidua plurimorum conqueſtione noſtris auribus toties inculcatâ accepimus, quòd nonnulli judices ordinarii Eccleſiaſtici noſtræ Andegavenſis Diœceſis commodis temporalibus inhiantes, per territoria ſua curſores & quaſi exploratores tranſmittunt aut ire faciunt & permittunt, qui communiter litteras ſuper contractibus aliquoties illicitis, chartas & teſtamenta tranſeunt, ad quorum relationem prædicti judices ſeu ſigillatores eorum prædictas litteras contractas, chartas & teſtamenta indifferenter & adeò curialiter & benignè ſigillent, ac ſi in eorum præſentiâ factæ, & ab ipſiſmet paſſatæ fuiſſent, contrà tenorem Concilii * dudum apud Salmurium celebrati, in vituperium juriſdictionis & clavium ſanctæ matris Eccleſiæ & ſcandalum plurimorum: quòdque etiam plures ipſorum judicum in ſuis curiis confovere dicuntur procuratores, & ut loquamur verius gentium comeſtores, qui per villas & burgos mercata, tabernas, & vicos diſcurrentes quærunt quem devorent, homines ad litigandum excitant, lites redimunt, cum hominibus placitare nolentibus in curiis eorum de quotâ litis paciſcuntur, & pro expenſis habendis cauſas ducendas aſſumunt, & homines citari ad ipſorum Judicum loca remotiora procurant, & ſic homines, maximè ſimplices & pauperes gravibus damnis & injuriis afficiunt & affligunt, excoriant & exſpoliant bonis ſuis, & redactionibus ta-

* Secundi, can. 4.

les miſeros procurantes involvi, eoſdem à gremio ſanctæ Matris Eccleſiæ & communione fidelium, ut frequentiùs ſine juſtâ cauſâ eliminari faciunt & excludi.

Nos talium malignorum fraudibus, exquiſitis maliciis & calumnioſis machinationibus obviare, ac ſubditorum noſtrorum tranquillitati, noſtræ ſollicitæ proviſionis remedium, prout nobis miniſtratur deſuper, providere volentes, venerabilibus & diſcretis viris Normanno Andegavenſi, Galfrido Transligerenſi Archidiacono, ac Rogerio de ſancto Quintino gerenti vices viri venerabilis Roberti Archidiaconi Transmeduanenſis, necnon Galfrido de Purgolio, Hugoni de Salmuro, Johanni de Fixâ & Mauritio Andegavenſi Archipreſbyteris, & Nicolao dicto Porcher, & Simoni Gras & Moul, gerentibus vices Stephani Archipreſbyteri de Ludio, ac Matthæo de Credonio, Jacobo de Candeio, Petro de Inter Sertam & Meduanam, & Oliverio de Camilliaco Decanis, & Andræa Galteri gerenti vices Decani de Maugiâ, ob hoc & cauſas alias vocatis, & præſentibus coram nobis Andegavis, in camerâ noſtrâ die Veneris, in craſtino Synodi Pentecoſtes, & ipſorum ſuper hoc accedente conſenſu duximus ſtatuendum:

Quòd ſigillatores prædictorum Archidiaconorum, Archipreſbyterorum & Decanorum de cætero aliquas litteras ſuper quibuſvis contractibus confectas, chartas ſive teſtamenta nullatenùs ſigillare præſumant, niſi prædicti Archidiaconi, Archipreſbyteri & Decani, eorum officiarii ſeu ſigillatores prædicti ipſas paſſaverint, vel niſi eſſet aliqua ſpecialis littera, ad quam ſpecialiter tranſeundam inter cæteras partes alicui notariorum ſuorum ſpecialiter committant vices ſuas. Quòdque etiam præfati Archidiaconi, Archipreſbyteri & Decani, eorum officiarii ſeu ſigillatores prædicti per modum citationis ſeu diei aſſignationis ad locum remotiorem nullum ſubditorum ſuorum trahant, ſeu trahi faciant, aut permittant, niſi de partium proceſſerit voluntate. Necnon etiam quòd notarios & procuratores eorum curias frequentantes jurare faciant, quòd homines ad litigandum nullatenùs excitabunt, lites non redriment, de quotâ litis nec paciſcantur cum aliquo, nec pro expenſis habendis cauſas ducendas aſſumant: quæ præmiſſa in curiâ noſtrâ præcipimus obſervari.

Synodus IX. Guillelmi.

IDEM GUILLELMUS IN SYNODO ſancti Lucæ,

Eodem anno.

CAP. I. CUm nos ſuper ad reformationem curiarum Eccleſiaſticarum noſtræ Diœceſis, & ad quorumdam aliorum iniquitatis dictas curias frequentantium, ſubditos noſtros ſuis perverſis inclinationibus vexantium & infeſtantium, calumnias reprimendum, cum Archidiaconis, Archipreſbyteris & Decanis præſentibus, & abſentium Vicariis, habito ſalubri & diligenti tractatu, & ipſorum conſenſu ſuper hoc accedente ad utilitatem Reipublicæ inter alia duximus ſtatuendum, quòd ſigillatores prædictorum Archipreſbyterorum, Archidiaconorum & Decanorum de cætero aliquas litteras ſuper quibuſvis contractibus confectas, chartas ſive teſtamenta nullatenùs præſumant ſigillare, niſi prædicti Archidiaconi, Archipreſbyteri & Decani eorum officiarii ſeu ſigillatores prædicti ipſas paſſarent, aut eſſet aliqua ſpecialis littera, ad quam ſpecialiter tranſeundam inter certas perſonas alicui notariorum ſuorum ſpecialiter committerent vices ſuas; ac nonnulli Archidiaconi, Archipreſbyteri & Decanorum ipſorum, ordinatione non obſtante prædicta, pluri-

bus perſonis, prout nos experientia docuit, extrà loca in quibus ſua conſueverunt tenere placita, vices ſuas committunt, ac ad ipſorum relatum litteras per ipſos paſſatas, ſuper quibuſlibet contractibus confectas ſigillent communiter, ſicut priùs, & ac ſi ab ipſiſmet Archidiaconis, Archipresbyteris & Decanis, officiariis vel ſigillatoribus eorum paſſatæ fuiſſent, in contemptum & eluſionem ordinationis prædictæ, & provincialis Concilii dudum apud Salmurium celebrati, quo cavetur proceſſus & litteras per tales curſores & exploratores paſſatas nullius fore momenti. Decernentes monemus omnes & ſingulos Archidiaconos, & Archipresbyteros & Decanos prædictos, ac officiarios & ſigillatores eorum unâ monitione pro omnibus, quòd ſtatutum hujuſmodi ſtudeant inviolabiliter obſervare. In contrarium verò facientes, ac eos qui commiſſiones tales à tempore notitiæ monitionis prædictæ recipere & illis uti præſumſerint, ſuſpenſionis ſententiam promulgamus, præter pœnam in dicto Concilio Salmurienſi ſtatutam.

CAP. II. Cum Abbates de jure ad Synodum venire teneantur, niſi certum & canonicum habeant impedimentum, quod in ſuis litteris in Synodo Epiſcopo dirigendis tenentur exprimere, & multoties aliqui ſe malè excuſant vera impedimenta non habentes: ſtatuimus quòd quicumque Abbas ſe excuſaverit in Synodo, in litteris ſuæ excuſationis certum & ſufficiens prætendat impedimentum, & infrà quindecim dies à die Synodi Epiſcopo ſi in partibus fuerit, & Officiali ipſius ſi Epiſcopum abeſſe contigerit, præſentet; niſi ex certa cauſa & notoriâ excuſante conſtet agere in remotis, vel infirmitate notoriâ detineri, impedimento in ſuâ excuſatione contento fidem facturus præſtito juramento. Si quis verò infrà dictas quindecim dies pro prædictis adimplendis venire diſtulerit, ipſum quem ex tunc ſuſpendimus, decernimus manere ſuſpenſum.

CAP. III. Familiaritas nimia parit contemptum, quod manifeſtè hujus temporis experimenta declarant, cum ſicut fide oculatâ comperimus, Rectores Eccleſiarum noſtræ Diœceſis ſuæ malitiæ & veniæ facilitate confiſi ad Synodos noſtras venire contemnant. Hinc eſt quòd omnes & ſingulos Eccleſiarum Rectores noſtræ Diœceſis unâ monitione pro omnibus admonemus, quòd ipſi ad noſtras Synodos veniant ut tenentur, niſi juſto, certo & canonico impedimento fuerint impediti, ſuper quo nobis fidem faciant intrà menſem à die Synodi numerando. Si quis verò præmiſſis parere contempſerit, quinque ſolidos nomine pœnæ nobis ſolvere teneatur. Sanè quia de facilide abſentium nobis omnibus nominibus conſtare non poſſit, præcipimus Archipresbyteris & Decanis, quòd quilibet ſuper abſentibus ſui Archipresbyteratûs vel Decanatûs nos aut Officialem noſtrum ſtudeant reddere certiores.

Synodus X. Guillelmi.

IDEM GUILLELMUS IN SYNODO *Pentecoſtes*,

Anno Domini M. CC. XCIX.

SIcut grave jugum & inſolitum ſine juſtâ cauſâ imponi non debet noviter gregi Dominico, ne ex inculcatione à ſe abjiciat antiquorum, ſic nec ullus debet ſanctorum Patrum traditiones antiquas introductas niſi causâ urgente juſtiſſimâ præterire, nec præſumptione damnabili aliqualiter immutare. Cum ergo olim Majorum noſtrorum proviſione ſalubri ad avertendum iram indignationis Dei, quæ in populo ob ejus ſcelera juſto Dei judicio ſæviebat, & propter alias cauſas varias proceſſiones faciendas fore, & etiam certis temporibus, videlicet die feſti ſancti Marci Evangeliſtæ, in Rogationibus ac ſingulis diebus Dominicis fuerit inſtitutum, ſtatutumque & ordinatum fuerit poſtmodum in provinciali Concilio Turonenſi, Eccleſiarum Rectores per locorum Ordinarios fore cogendos ad proceſſiones hujuſmodi faciendas; Noſque noſtram Diœceſim viſitantes plures in hoc negligentes reperimus & remiſſos; omnibus & ſingulis Eccleſiarum Rectoribus noſtræ Diœceſis diſtrictè ſub pœnâ ſuſpenſionis præcipimus, quòd ipſi proceſſiones hujuſmodi cum devotione debitâ ſtudeant facere temporibus prælibatis, niſi temporis tempeſtate vel aliâ causâ neceſſaria fuerint impediti.

Synodus XI. Guillelmi.

IDEM GUILLELMUS IN SYNODO *Pentecoſtes*,

Anno Domini M. CCC.

CAP. I. EX relatione plurium fide dignorum, & etiam factorum experientiâ didicimus, quòd nonnulli, maximè Nobiles, auſu temerario in noſtrâ Andegavenſi Diœceſi Capellas & Oratoria noſtro conſenſu minimè requiſito, nec obtento, conſtruunt & conſtrui-faciunt; ac etiam hactenùs conſtruxerunt contrà civiles & canonicas ſanctiones, quibus cavetur expreſſe ne quis Oratorii domum irrequiſito loci Epiſcopo fabricet; vel ædificare præſumat. Quæ præmiſſa in contemptum noſtri Epiſcopatûs Andegavenſis & Eccleſiarum parochialium, in quibus dictæ Capellæ vel Oratoria conſtruuntur, gravamen non modicum non dubium redundare. Nos verò tam temerariis abuſibus & damnabilibus præſumtionibus occurrere ſatagentes, maximè ne propter noſtram negligentiam, quod abſit, talia in conſuetudinem deducantur, prædictas Capellas & Oratoria taliter fabricata ſuſpendimus, & inhibemus in eis per quemcumque divina Officia celebrari; omnibus & ſingulis Rectoribus Eccleſiarum & Capellanis Eccleſias regentibus noſtræ civitatis & Diœceſis diſtrictiùs injungentes, quòd ipſi prædictas Capellas & Oratoria ſic conſtructa, ſuſpenſa à nobis in Eccleſiis ſuis publicè nuntient, ne quis ignorantiæ prætextu ſe valeat excuſare. Sanè quia fortè aliqua Oratoriorum prædictorum minimè ſunt perfecta, prædictis Rectoribus & Capellanis præcipimus, quòd ipſi inhibeant ex parte noſtrâ ſub pœnâ excommunicationis, illis qui prædicta Oratoria ſic ædificare inchoarunt, ne ad conſummationem prædicti operis procedant modoquolibet ſine noſtrâ licentiâ ſpeciali: intimantes eiſdem quòd ſi contrà inhibitionem noſtrâ proceſſerint quoquomodo, nos ad demolitionem ipſius operis & aliàs procedemus ſeu procedere faciemus, prout juſtitia ſuadebit.

CAP. II. Cum ad Epiſcopos & alios Superiores Prælatos ſolum beneficiorum unio de jure pertinere noſcatur, ac nonnulli Abbates noſtræ civitatis & Diœceſis temeritate propria poteſtatem noſtram uſurpare volentes, Prioratus ſeu beneficia, qui & quæ Religioſis vel ſcholaribus conferri conſueverant ab antiquo, aliquoties Cellæ ſuæ, interdum Prioratibus ſuis & quibuſcumque adminiſtrationibus ſeu officiis ſui Monaſterii, noſtro conſenſu minimè requiſito, adjungere præſumſerint & unire: Nos tales uniones juris auctoritate & noſtrâ decernimus irritas & inanes. Inhibentes Abbatibus noſtrarum civitatis & Diœceſis ſub pœnâ excommunicationis, ne talia de cætero attentare præſumant.

CAP. III. Quia nonnulli Abbatum noſtræ Diœceſis, qui ad Synodum venire tenentur legitimo impedimento ceſſante, multoties impedimenta non habentes canonica, excuſationes frivolas prætendebant; & olim

tius meminerimus ſtatuiſſe, quòd Abbas quilibet qui ſe de veniendo ad Synodum excuſaret, certum & ſufficiens prætenderet in litteris excuſationis ipſius impedimentum, & ſuper eo coram nobis, ſi in partibus eſſemus, vel coram Officiali noſtro, ſi contingeret nos abeſſe, infrà quindecim dies à die Synodi, niſi ex certà cauſâ & notoriâ excuſante conſtaret agere in remotis, vel infirmitate notoriâ detineri, fidem faceret proprio juramento, ſuſpenſionis ſententiâ in eos qui de præmiſſis deficerent, promulgatâ. Sanè ſubditorum noſtrorum, quorum ſalutem appetimus, periculum & illaqueationem evitare pro viribus affectantes, prædictam ſuſpenſionis ſententiam revocamus ad præſens, diſtrictiùs præcipientes & injungentes eiſdem in virtute juramenti & obedientiæ quibus ſunt nobis adſtricti, quòd ipſi ad Synodos veniant, ut tenentur, niſi certo & ſufficienti impedimento in litteris excuſationis ſuæ exprimendo fuerint impediti, ſuper quò infrà ſcriptam Synodum fidem faciant competenter.

Synodus XII. Guillelmi.

IDEM GUILLELMUS IN SYNODO *ſancti Lucæ*,

Eodem anno.

CUm nos noſtram Diœceſim viſitantes invenerimus grave dictu, quòd filii, fratres, & alii conſanguinei, ac heredes decedentium teſtatorum, quamplurium beneficiorum immemores, ab ipſis decedentibus licet immeriti receperunt, non ſolùm inſtinctu naturali, imò zelo Chriſti, & pietatis obliti; & etiam exequutores dictorum decedentium teſtamenta ab ipſis decedentibus condita pro animarum ſuarum liberatione, remedio & ſalute non ſolùm exequutioni negligunt demandare, imò & in archis ſuis aut alibi frequenter abſcondunt: præcipuè Prælati, ad quos ex injunctu eiſdem officio ſpectat facere exequi ultimas decedentium voluntates contentas in teſtamentis eiſdem, per compulſionem ipſorum filiorum heredum & exequutorum faciant exequutioni debitæ demandari, pro qua fruſtratur intentio teſtatoris: unde prout tenemur animarum cupientes providere ſaluti, omnibus & ſingulis Eccleſiarum Rectoribus noſtræ Diœceſis & Capellanis ſervientibus in eiſdem, ſub pœnâ ſuſpenſionis & excommunicationis injungentes præcipimus & mandamus, quòd infrà tres menſes à morte cujuſlibet teſtatoris teſtamentum & nomina exequutorum, quos elegerit, & heredum, commiſſariis noſtris à nobis ad hoc ſpecialiter deputatis indicare & notificare procurent, ut per ipſos gerentes vices noſtras, illi ad quos ſpectat ſervare juris formam, compellantur ad ultimas voluntates ipſorum decedentium exequendas. Injungimus inſuper eiſdem Rectoribus & Capellanis, quòd ipſi quilibet in ſuâ parochiâ teſtamenta retroactis temporibus condita exequutioni non mandata diligenter inquirant, & ea dictis vices noſtras gerentibus indicent & notificent, ut ſuperius continetur.

Synodus XIII. Guillelmi.

IDEM GUILLELMUS IN SYNODO *Pentecoſtes*,

Anno Domini M. CCC. III.

OLim plebis noſtræ inoleſcente clamore laborioſo ad reformationem curiarum noſtrarum civitatis & Diœceſis Andegavenſis, de Archidiaconorum, Archipresbyterorum & Decanorum præſentium, & Vicariorum abſentium voluntate, circà procuratores & notarios dictas curias frequentantes, quorum nonnulli ſimplices homines ſuis perverſis & exquiſitis malitiis damnis afficiunt gravibus, & vexationibus variis redimebant: ante meminimus ſtatuiſſe, quòd prædicti Archidiaconi, Archipresbyteri & Decani notarios & procuratores eorum curias frequentantes jurare facerent, quod nunquam homines ad litigandum excitarent, lites non redimerent, non paciſcerentur de quotâ litis cum aliquo, nec cauſas ducendas aſſumerent pro expenſis: quod in curiâ noſtrâ præcipimus obſervari.

Sanè quia noſtram Diœceſim viſitantes plures invenerimus hujuſmodi Ordinationis tranſgreſſores, & nonnullos qui pauperes ad inſtantiam diverſorum procuratorum non habentes mandatum, & contrà ipſam prohibitionem expreſſam citari faciunt & vexari adeo, quòd jam vergit in grave ſcandalum laicorum prædicſſuentium ſuper tecta, quòd Eccleſia [quæ] debet ſubvenire oppreſſis, tales excoriatores in ſuis iniquitatibus confovet & defendit. Iterata vice Archidiaconis, Archipresbyteris & Decanis memoratis diſtrictè præcipimus, quòd in curiis ſuis renovari faciant hujuſmodi juramentum, & eoſdem procuratores jurare faciant, quòd nullum faciant citari ad inſtantiam alienam ſine ſpeciali mandato: quod ſimiliter Officiali noſtro mandamus, univerſis Eccleſiarum Rectoribus noſtrarum civitatis & diœceſis firmiter injungentes, quòd ipſi in Eccleſiis ſuis moneant per tres dies Dominicos publicè notarios & procuratores prædictarum curiarum ipſorum Archidiaconorum, Archipresbyterorum & Decanorum; & moneant etiam curias frequentantes, quòd homines ad litigandum non excitent, lites non redimant, nec de quota litis cum aliquo paciſcantur, nec pro expenſis lucrandis cauſas ducendas aſſumant, nec homines citari ad inſtantiam faciant alienam ſine ſpeciali mandato. In procuratores verò & notarios contrarium facientes poſt monitionem prædictam excommunicationis ſententiam promulgamus.

Synodus XIV Guillelmi.

IDEM GUILLELMUS IN SYNODO *ſancti Lucæ*,

Anno Domini M. CCC. III.

Cap. I.

CUm nonnulli Abbates noſtræ Diœceſis ea quæ Epiſcopalis poteſtatis ſunt ſibi uſurpare propriâ temeritate volentes, Prioratus quamplures ſuis Menſis propriis, & aliis officiis & adminiſtrationibus Abbatiarum ſuarum auctoritate propriâ conjungere præſumſerint & unire, nullis Monachis, cumque interdum uno ſolo, contrà canonicas ſanctiones dimiſſis in Prioratibus ſic unitis; ex quo ſequitur quòd perit divinum Officium, defraudantur debitis ſuffragiis fundatores, nulla in eis hoſpitalitas exercetur, corruunt ædificia, res, poſſeſſiones & jura dictorum Prioratuum depereunt, & ab aliis invaduntur. Præcipimus omnibus & ſingulis Abbatibus noſtræ Diœceſis in virtute obedientiæ & ſub pœnâ ſuſpenſionis, quòd ipſi omnes tales uniones, quas tenore præſentis ſtatuti caſſamus & irritamus, revocent, quatenùs de facto proceſſerunt, & ad Prioratus prædictos infrà feſtum Purificationis Beatæ MARIÆ Virginis Priores cum debito numero ſociorum ibi continuè moraturos mittant, quorum Priorum induſtria Prioratus ipſi in ſpiritualibus & temporalibus gubernentur, & onera ſolita comportentur.

Cap. II.

Item facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi, quod in pleriſque Religioſis, Monachis & Canonicis Regularibus noſtræ Diœceſis comprobatur, qui extrà Monaſteria in Prioratibus commorantes, geſtu & habitu inhoneſtæ converſationis, & vitæ impudicitia corrumpunt proximos, ſtatum deturpant Ordinis, & populum ſcandalizant, nec per Superiores ſuos de talibus pœnâ debitâ puniuntur; hinc eſt

quòd nos univerſis & ſingulis Abbatibus noſtrarum civitatis & Diœceſis præcipimus in virtute obedientiæ, quòd quotieſcumque tales flagitioſos Religioſos compererint, ſecundùm qualitatem exceſſuum & Ordinis diſciplinam ſine remiſſione aliquâ puniant, ita quòd pœnâ docente cognoſcant quantum exceſſerint, aliique metu pœnæ ipſorum à talibus arceantur.

Cap. III. Uſus quidam in noſtrâ Diœceſi, ut accepimus, inolevit, quòd ſinguli Sacerdotes Miſſam in exequiis decedentium celebrantes, quatuordecim denarios exigant ab heredibus vel exequutoribus defunctorum. Unde nonnulli Capellani, & etiam Eccleſiarum Rectores noſtræ Diœceſis intelligentes iſtum uſum, ſi uſus dici debeat nimis largè, dimiſſis ſine cuſtodiâ Eccleſiis non ſine gravi periculo animarum; ſicut corvi vel vultures de longè cadavera ſentientes, de quinque vel ſex leucis catervatim affluunt ad funera mortuorum, & quandoque cum gravi ſcandalo populi quæſtûs prædicti gratiâ verbis contendunt quis celebravit, & interdum unus alteri excutit ornamenta. Nos autem præſentis auctoritate ſtatuti uſum ipſum declarantes tantummodo debere intelligi, quoties Presbyteri in talibus exequiis celebrantes ad hoc ex parte heredum vel exequutorum invitati fuerint vel rogati: ac periculis animarum cupiditatique effrenatæ talium Sacerdotum, qui ſe contrà ſuæ dignitatis honorem venales exponunt, obviare volentes, prohibemus omnibus & ſingulis Eccleſiarum Rectoribus & Capellanis noſtræ Diœceſis, ne de cætero Eccleſias, quarum cuſtodes exiſtunt, dimittant ſine Presbytero, talium exequiarum obtentu, nec pro Miſſis celebratis ab eis in hujuſmodi funeribus præter voluntatem & requiſitionem expreſſam defunctorum, aut heredum & exequutorum ipſorum, aliud petant, exigant, recipiant ab invitis.

Synodus XV. Guillelmi.

IDEM GUILIELMUS IN SYNODO ſancti Lucæ,

Anno Domini M. CCC. IV.

Cap. I. Licet pœnæ non ſint regulariter ampliandæ, ſed potius molliendæ, tamen ne facilitas veniæ tribuat incentivum delinquendi, multis tranſgreſſionibus opus eſt exemplo. Cum igitur tam nos, quàm bonæ memoriæ Nicolaus prædeceſſor noſter, attendentes quòd deſponſationes clandeſtinæ prohibitæ ſint, olim ſtatuerimus inhibendo, ne benedictiones nuptiarum ex tunc celebrentur in Capellis, Prioratibus vel aliis locis ſolitariis quibuſcumque, etiam ſi banna ſeu indicta facta eſſent in Eccleſiis parochialibus ſuper talibus matrimoniis faciendis per contrahentium Presbyteros, ut moris eſt, prædictis quo ad faciendum ex tunc tam per nos quàm per prædictum prædeceſſorem noſtrum ſuppoſitis Eccleſiaſtico interdicto; ac nonnulli tam ſæculares quàm Religioſi, ſtatuto & inhibitione hujus nonobſtante, in pluribus partibus noſtræ Diœceſis, benedictiones nuptiarum clandeſtinè bannis nondum factis, & quandoque impedimentis propoſitis, & ſuper eis lite pendente, in talibus Capellis, Prioratibus, vel aliis locis ſolitariis præſumſerint, & adhuc qualibet die dum caſus occurrit celebrare præſumant adeò indiſtinctè, quòd hoc hodie in aſſuetudinem tranſiit, vel veriùs in abuſum.

Nos volentes tantæ præſumptioni & temeritati damnabili obviare, conſiderantes quod illi quos metus pœnæ à malo non cohibet, alterius pœnæ ſunt adjectione percellendi, omnes & ſingulos Sacerdotes ſæculares & religioſos qui poſt publicationem præſentis ſtatuti, quam fieri præcipimus in ſingulis Abbatiis & Eccleſiis parochialibus noſtrarum civitatis & Diœceſis per Abbates & Rectores ipſarum per dies Dominicos vel aliàs feſtivos proximos venturos, tales benedictiones clandeſtinè in quocumque loco præſumſerint celebrare, in ſuſpenſionis, & illos ac illas qui ſe taliter fecerint benedici, & omnes talibus benedictionibus aſſiſtentes, & eos qui fuerint in conſilio & auxilio faciendi eaſdem, excommunicationis vinculo innodamus, præter pœnam contrà celebrantes in locis interdictis à jure ſtatutam.

Cap. II. Matt. 19. 17. Cum ſalus Fidelium ex obſervatione dependeat mandatorum juxtà ſententiam Salvatoris: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata:* cavere debent ſummopere Clerici tam ſæculares quàm religioſi, quorum exemplo illuminari debet populus laicalis, & maximè Clerici Prælati quicumque, quibus cura imminet animarum, ut in obſervatione ipſorum plebes ſibi commiſſas verbo pariter inſtruant & exemplo. Sed proh dolor! plures ſunt hodie, qui licet ad curam poſiti aliorum, in ſe ipſis debent oſtendere qualiter alios in Domo Dei oporteat converſari, non verbo inſtruunt, ſed perniciosè exemplo laicos inficiunt & corrumpunt, non attendentes quòd ſi peccaverint, totus populus committitur ad peccandum; & Prælati tot tormentis digni ſunt, quot ad ſubditos perditionis exempla tranſmittunt. Et hinc eſt quòd licet bonæ memoriæ Nicolaus prædeceſſor noſter olim univerſis & ſingulis Abbatibus, Prioribus, Monachis, Rectoribus, Eccleſiarum Presbyteris & Capellanis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis quibuſcumque civitatis & Diœceſis Andegavenſis ſtatuendo diſtrictiùs præcepiſſet in virtute obedientiæ & ſub pœnâ ſuſpenſionis, ne in diebus Dominicis Majeſtati Altiſſimæ dedicatis, ſervilibus inſiſterent operationibus & terrenis, ſed divinis officiis inſudantes laicos & populos ſibi commiſſos inducerent efficaciter verbo & exemplo, ut dictis diebus Dominicis à terrenis operationibus abſtinerent: plures tamen Abbates & Religioſi alii, & perſonæ Eccleſiaſticæ ſæculares hujuſmodi præceptionis ſalubris ac divini mandati temerarii tranſgreſſores, ſicut audivimus, diebus Dominicis terrenis & ſervilibus operationibus inſiſtentes publicè res ſuas, vites & blada, pelles & ligna, & res alias eorumdem nullo amiſſionis periculo veriſimiliter exiſtente cum bobus, quadrupedibus & quadrigis portari faciunt publicè & deferri, & alias terrenas operationes, quæ à divino ſervitio avocant, faciunt exторqueri in ſuarum periculum animarum, laïcis ſuo pernicioſo exemplo fomentum perditionis & erroris damnabiliter exhibentes. Quapropter monemus omnes & ſingulos Abbates & Religioſos quoſcumque, & perſonas Eccleſiaſticas & ſæculares noſtræ Diœceſis & civitatis, tenore præſentis ſtatuti eiſdem firmiter injungentes, diebus Dominicis à talibus, excepto neceſſitatis articulo, videlicet ubi de amiſſione fructuum vel vehendorum veriſimiliter timeretur, nec poſſet aliud faciliter remedium adhiberi, omninò abſtineant, & ſuos ſervientes & miniſtros faciant abſtinere. Eos verò qui contrà præmiſſa fecerint, ſuſpenſionis ſententiam auctoritate præſentis ſtatuti Synodi incurrere volumus ipſo facto.

Cap. III. *Turon. circiter an. 1278. can. 2.* Lateranenſis Generalis, & Lengeſii * Provincialis Conciliorum, quibus ſalubriter inhibetur Monachos ſolitarios [in Prioratibus manere], veſtigiis inhærentes, Abbates noſtrarum civitatis & Diœceſis in generali recolimus monuiſſe, quòd ipſi infrà certos terminos jam elapſos ad hoc præfixos eiſdem, ad Prioratus eorum mitterent Priores cum debito numero ſociorum Domino famulantes ibidem, prout oculata fide comperimus viſitantes, nonnulli ipſorum, quod grave gerimus & moleſtum, dictorum

Conciliorum temerarii tranſgreſſores contumaciter noſtris parere monitionibus contempſerint, Monachos ſolitarios in aliquibus ſuorum Prioratuum ſine Prioribus, & Priores alicubi ſine ſociis dimittentes. Ea propter omnes & ſingulos Abbates noſtrarum civitatis & Diœceſis prædictarum tenore præſentis ſtatuti iterum generaliter monemus, eiſdem præcipiendo mandantes, quòd ad Prioratus ſuos mittant infrà feſtum inſtans Nativitatis Domini debitum numerum ſociorum, nullumque deinceps Monachorum ſuorum permittant in aliquo Prioratuum ſuorum ſolitarium commorari. In Monachos verò taliter ſolitarios commorantes elapſo dicto tempore ſuſpenſionis ſententiam promulgamus, & Capellas perſonalia eorum, ubi tales ſolitarios contigerit commorari, quamdiu ibi Monachi ſolitarii morabuntur, Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto.

[illegible]

IDEM GUILLELMUS IN SYNODO ſancti Lucæ,

Anno Domini M. CCC. XII.

Ap. I. Pet. 1, 21.

QUia Spiritu ſancto inſpirati loquuti ſunt ſancti Dei homines, qui ordinantes Eccleſiam Dei bono odore uſque ad conſummationem vitæ in primitivis temporibus in ſacroſanctis Conciliis convenientes, ad inſtructionem fidei Orthodoxæ & ſtabilimentum Eccleſiæ ſacros Canones ediderunt, inter quæ quatuor principalia, videlicet Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum & Calcedonenſe, quaſi quatuor flumina de fonte paradiſi voluptatis emanantia, hortum novellæ naſcentis Eccleſiæ militantis prædicatione, pariterque ſanguinis effuſione ſanctorum Apoſtolorum conſitum & plantatum, fluentis doctrinarum ubertimis irrigantia produxerunt. De quibus dicit Beatus Gregorius: » Sicut ſancti Evangelii quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere » & venerari me fateor «. Et ſequitur: » Hæc tota » devotione complector, integerrimâ approbatione » cuſtodio, quia in hoc velut in quadrato lapide » ſanctæ fidei ſtructura conſurgit, atque cujuſlibet » vitæ & actionis norma conſiſtit «. Dicta quoque quatuor Concilia præcipit Sereniſſimus Imperator Juſtinianus tamquam quatuor Evangelia firmiter obſervari. Demum verò poſt prædicta quatuor principalia Concilia, alia Concilia generalia ac decreta ſummorum Pontificum ad reformationem Eccleſiæ, & informationem vitæ humanæ, maximè Clericalis, pro varietate temporum & factorum, ſeu rerum exigentiâ, inſtinctu Spiritus ſancti divinitùs eadem ſucceſſerunt. Quæ quidem dicta ſanctorum Patrum & ſtatuta Conciliorum, maximè principalium quatuor, decretaque ſummorum Pontificum ſi ad integrum ſervarentur, ad ſanctæ Matris Eccleſiæ & Fidei orthodoxæ ſtabilimentum, inſtructionem morum, repreſſionem criminum, propagationem virtutum procul dubio ſufficere viderentur, nec opus eſſet onerosâ novorum multitudine ſtatutorum humeros premere ſubditorum, cum multitudo oneroſa nihil habere dignoſcatur honeſti.

[Gregorius] lib. 5. ep. 14 ad Conſtantinop.

Verùm quia multa de prædictis ſtatutis Conciliorum & Decretis ſummorum Pontificum tam propter negligentiam Prælatorum, quàm propter abuſum ſubditorum & corruptionem in diſſuetudinem abierunt, & aliàs nullo modo ſervantur, ſed petulantiâ & inſolentiâ animorum indomitorum, & maximè Clericorum, temerè corrumpuntur & damnabiliter violantur; idcircò eadem ſancta ſtatuta rememorare, renovare & in lucem reducere eſſet perutile toti mundo, & panes ſimilagineos ſanctorum antiquorum Patrum menſis apponere filiorum potius, quam ſiliquas porcorum, & panes furfureos modernorum. Unde ex ſtatutis dictorum Conciliorum & Decretis ſummorum Pontificum ad ædificationem noſtram & plebium ſubditarum hic aliqua inferiùs annectuntur, quæ volumus & præcipimus in noſtrâ Diœceſi à noſtris ſubditis obſervari, ſalvo moderamine à nobis, ſi & quando viſum fuerit, adhibendo.

Ex Concilio Maguntino: » Inhibendum eſt ut » nullus Sacerdos feminas, de quibus ſuſpicio poteſt eſſe, retineat, ſed nec illas, quas Canones » concedunt, matrem, amitam, ſororemque, quia » inſtigante diabolo etiam in illis ſcelus perpetratum » eſſe reperitur, aut etiam in pediſſequis earum, » quod intelligimus ubi dictæ mulieres ſunt ſuſpe- » ctæ «. Item ex dicto Eugenii Papæ: » Si quis Sacerdotum, Archipreſbyter, Diaconus, Subdiaconus, de quârumque feminâ crimine fornicationis ſuſpectus, poſt primam, ſecundam & tertiam » monitionem inveniatur fabulari vel converſari aliquo modo cum eâ, excommunicationi ſubdatur, » femina verò, canonicè judicetur «. Et iſtas monitiones fieri præcipimus per ſingulos Archidiaconos, Archipreſbyteros & Decanos in Archidiaconatibus, Archipreſbyteratibus, & Decanatibus eorumdem. Item in Gangrenſi Concilio legimus: Preſbyter ſi fornicationem commiſerit, quamquam » ſecundùm Canones Apoſtolorum deponi debeat, » tamen juxtà auctoritatem Beati Silveſtri, ſi in ſuo » vitio non perduraverit, ſed ſponte confeſſus adjecerit ut reſurgat, decem annis in hunc modum » pœniteat; tribus quidem menſibus à cæteris remotus, pane & aquâ à veſperâ in veſperam utatur; diebus autem Dominicis, & præcipuis feſtis » modico vino & piſciculis atque leguminibus recreetur, ſine carne & ſanguine, ovis & caſeo, » ſacco indutus humi inhæreat, die ac nocte jugiter omnipotentis Dei miſericordiam imploret. Finitis tribus menſibus continuis de carcere exeat, » tamen in publicum non procedat, ne grex fidelis in eo ſcandalum patiatur; nec enim debet Sacerdos publicè pœnitere ſicut Laïcus: poſtea aliquantulum reſumptis viribus unum annum in » pane & aquâ expleat, exceptis Dominicis diebus » & præcipuis feſtivitatibus, in quibus vino & ſanguine, ovis & caſeo juxtà canonicam menſuram » uti poterit. Finito primo anno & dimidio, Corporis & Sanguinis Domini ne indureſcat particeps fiat, & ad pacem veniat, pſalmos cum fratribus in choro ultimus canat, ad cornu altaris » non accedat. Deinde verò uſque ad completionem » ſeptimi anni omni quidem tempore, exceptis Paſchalibus diebus, tres legitimas ferias unâquâque » hebdomadâ in pane & aqua jejunet. Expleto ſeptimi anni circulo, ſi fratres apud quos pœnituerit ejus congruam pœnitentiam laudaverint, Epiſcopus in priſtinum honorem juxtà Calixti Papæ » auctoritatem poterit revocare. Sanè ſciendum eſt, » quòd ſecundam feriam, unum denarium, ſi opus » eſt, pauperibus erogando redimere poterit. Finitis » autem ſeptem annis, deinde uſque ad finem ſeptimi anni ſextam feriam nullâ interveniente redemptione obſervet in pane & aquâ. Eadem quoque » ſententia erit Sacerdoti de omnibus peccatis & » criminibus, quæ in deperditionem ducunt. Neque hoc cuilibet videatur oneroſum, ſi Sacerdos » poſt lapſum, dignè, ut ſuprà dictum eſt, pœnitens ad honores priſtinos redeat. «

Aliquid hujuſmodi reperitur in Conc. Moguntiacenſi can. 10. & eſt Concil. Nannetenſis cap. 3.

Item Cæleſtinus: » Si quis Sacerdos cum filiâ ſpirituali fornicatus fuerit, ſciat ſe grave adulterium commiſiſſe. Idcircò femina ſi laica eſt, omnia derelinquat, & res ſuas pauperibus tradat, & » converſa in Monaſterio uſque ad mortem Deo ſer- «

Papa primus cap. 3.

» vit. « Item. » Non debet Epiſcopus aut Preſbyter commiſceri cum mulieribus, quæ eis ſua fuerint confeſſæ peccata, ſi fortè, quòd abſit, hoc contigerit, ſic pœniteat quomodo de filiâ ſpirituali; Epiſcopus quindecim annis, Preſbyter duodecim, & deponatur, tamen ſi in conſcientia populi devenerit. » Item Nicolaus Papa omnibus » Preſbyteri, Epiſcopis: » Nullus Miſſam audiat » Preſbyteri, quem ſcit concubinam indubitanter » habere, aut introductam mulierem. « Unde etiam ipſa Synodus ob hoc capitulum ſub excommunicatione ſtatuit.

Ex Decretis Nicol. I. tit. 11. de Preſbyteris cap. 1. Pictavenſis 1. an. 1100. ſub Paſchali II. cap. 10.

Ex fragmento hujus Concilii can. 10. plura hic deſunt quæ in editis infra reperiuntur.

Item ex Concilio Hilerdenſi: » Preſbyteri ſi à » plebe ſibi commiſsâ malâ opinione infamatus fuerit, & Epiſcopus legitimis teſtibus approbare non » potuerit, ſuſpendatur uſque ad ſatisfactionem » condignam, ne populus fidelium in eo ſcandalum patiatur. Digna verò ſatisfactio eſt, ſicut à » Majoribus conſtitutum eſſe docetur, quando ſive » ſecundùm Canones, ſive ſecundùm arbitrium Epiſcopi ſeptem ſibi collegas adjungat & juret in ſancto Evangelio coram populo, quòd ſibi crimen » illatum ſeu propoſitum non perpetravit; & hac » ſatisfactione purgatus, ſecurè deinceps ſuum officium exequatur. «

» Item Beatus Gregorius omnibus Epiſcopis. « Si » qui ſint Preſbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi, qui » in crimine fornicationis jaceant, interdicimus eis » ex parte Dei omnipotentis, & ſancti Petri auctoritate Eccleſiæ introitum uſque dum pœniteant & » emendent. « Si qui verò in peccato ſuo perſeverare maluerint, nullus veſtrûm præſumat audire Officium, quia benedictio eorum vertitur in maledictionem, & oratio in peccatum, dicente Domino per Prophetam: *Maledicam*, inquit, *benedictionibus veſtris*. Qui verò huic ſaluberrimo ſtatuto obedire noluerint, idololatriæ peccatum incurrant, Samuele teſte, & Beato Gregorio inſtruente, *peccatum ariolandi eſt non obedire, & ſcelus idolatriæ nolle acquieſcere*. Peccatum igitur paganitatis incurrit quiſquis dum Chriſtianum ſe eſſe aſſerit, ſedi Apoſtolicæ » obedire contemnit. Item Bonifacius VIII. » Is cui » Eccleſiæ eſt interdictus ingreſſus, cum ſibi per » conſequens cenſeatur in ipſa divinorum celebratio, irregularis efficitur, ſi contrà interdictum » hujus divinis in eâ ſe ingerat, in ſuo agens officio » ſicut priùs: talis quoque ſi hoc interdicto durante » decedat, non debet in Eccleſiâ vel cœmeterio Eccleſiaſtico, niſi pœnituerit, ſepeliri. «

Malac. 2. 2.

1. Reg. 15. 23.

Cum igitur ex prædictis appareat evidenter Preſbyteros, Diaconos & Subdiaconos fornicatores notorios, quoad ſe, & quoad alios, jure fore ſuſpenſos, & eis ingreſſum Eccleſiæ & per conſequens etiam ipſam divinorum celebrationem interdictam, adeo quod ſi tali interdicto durante in eâ divinis officiis ſe ingeſſerint, agentes in ſuo officio ſicut priùs, notam irregularitatis incurrant. Et nos, omnes & ſingulos Preſbyteros & Diaconos & Subdiaconos noſtrarum civitatis & Diœceſis maculâ notoriæ fornicationis infectos, ſuſpenſos quoad ſe & quoad alios auctoritate Canonis, tenore præſentium publicè nuntiamus, & eiſdem ingreſſum fore Eccleſiæ interdictum. Inhibentes ſubditis noſtris ne Miſſas talium, ſiqui ſint in noſtris prædictis civitate & Diœceſi, audire præſumant, ſeu ipſorum corpora hoc interdicto durante dum deceſſerint, in Eccleſiâ vel cœmeterio Eccleſiaſtico, niſi pœnituerint, ſepelire. Item legatur & renovetur ſtatutum juris, Sepelire. Item legatur & renovetur ſtatutum juris, Remedia, & ſubſequenter quod ſequitur adjungatur.

UT QUILIBET SACERDOS HABEAT ſtatuta Synodalia, & ſecum ea deferat ad Synodum, & oſtendat Archipreſbytero vel Decano, & qualiter procedatur contra inobedientem. CAP. II.

CUm igitur ſicut pro certo didicimus, nonnulli Curatorum ipſorum ſtatuti ſuperiùs lecti temerarii tranſgreſſores, dicta ſtatuta Synodalia nondum adhuc habeant, & ſi qui habeant, illa tamen juxtà præceptum noſtrum ad Synodos noſtras ſecum afferre, ac ſuis Archipreſbyteris & Decanis hucuſque neglexerint exhibere, adhuc ad eorum convincendam malitiam, omnibus & ſingulis Curatis noſtrarum civitatis & Diœceſis iteratâ præceptione injungimus, & in virtute obedientiæ præcipimus, quatinùs quilibet ipſorum infrà Synodum Pentecoſtes proximè venturum dicta ſtatuta Synodalia habeat, & ſecum ad dictam diem ſeu Synodum afferat, ac exhibeat ſuo Archipreſbytero vel Decano. Prædictis Archipreſbyteris & Decanis ſub eâdem diſtrictione mandantes, quatinùs antequam de Synodo prædictâ recedant, nomina Curatorum ſibi ſubditorum, qui in præmiſſis defecerint, nobis non differant intimare; ſcituri quòd contrà tranſgreſſores hujus tamquam contrà inobedientes & perjuros, quatenùs de jure poterimus ſine remiſſione quâlibet, parati cum Apoſtolo omnem inobedientiam ulciſci, procedemus, cum nobis adſcriberemus ad culpam in hoc caſu relaxare vindictam.

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ, Synodus XVII. Guillelmi.

Anno Domini M. CCC. XIV. Ut fiant Octaba de feſto Omnium ſanctorum.

DEus glorioſus & ſublimis, in ſanctis ſuis mirabilis, qui ſemper eſt laudabilis, & tamen ineffabilis, juxtà id Pſalmi: *Magnus Dominus & laudabilis nimis*: in ſanctis ſuis laudari deſiderat & honorari in terris, ut accedat quod ait Pſalmographus; *Laudate Dominum in ſanctis ejus*. Non quòd bonorum noſtrorum aut laudum præconiis egere noſcatur, ſed ut per merita glorioſa Sanctorum quos veneramur in terris, eorum interceſſionibus adjuti propitiationem mereamur obtinere in cœlis. Sancti enim carnis vinculis abſoluti in illâ æternâ patriâ converſantes, qui videntem omnia ſemotâ jam caligine luce clariùs intuentur, & lumen in lumine revelatâ facie luculentiùs contemplantur, devota laudum præconia quæ ſibi à terrigenis impenduntur, & pia ſupplicationum præconia quæ ſibi à fidelibus in ſuis neceſſitatibus porriguntur, in illo æternitatis ſpeculo, in quo videntem omnia vident, ſcire & intelligere poſſe creduntur, vel quantum illis ad gaudium, vel nobis ad auxilium noſcitur pertinere. CAP. I.

Pſal. 47. 1.

Pſal. 150. 1.

Cum igitur ſancti ſint infiniti in illâ æternâ beatitudine jam conſcripti, de quibus memoriam & feſtivitatem nullam facimus: non enim poſſemus omnium ſanctorum feſta peragere, tamen propter noſtram infirmitatem, quia infirmi & debiles ſumus, nec adhuc maximè propter rerum mundanarum occupationem ſufficere poſſemus, cum propter temporis brevitatem, quia etiam tempus non ſufficeret; nam ſicut ait Hieronymus in quâdam epiſtolâ, quæ in ſuo Kalendario proponitur, Nullus dies, excepto die Kalendarum Januarii, qui non intrà quinque millium Martyrum numerum reperiri poſſit aſcriptus. Inſuper licet paucorum Sanctorum feſta agamus, adhuc tamen illa feſta pauca negligenter agimus, & multa ibidem per negligentiam, vel igno-

tantum, vel externorum ſollicitudinem obmittimus. Igitur ſancta Mater Eccleſia præmiſſa attentè conſiderans, congruentiſſimâ ratione & piiſſimâ devotione per quoſdam devotos ſummos Pontifices Spiritu ſancto repletos & inſpiratos divinitùs ordinavit, ut quia Omnium Sanctorum feſta ſingulariter non poſſumus, ſaltem omnes generaliter propter obmiſſorum ſuppletionem & negligentiarum expiationem ſub unâ celebritate annua inſimul honoremus. Et hæc fuit potiſſima ratio quare Omnium Sanctorum feſtivitas à ſanctis Patribus exſtitit jam elapſis multorum annorum curriculis inſtituta; licet & multæ aliæ cauſæ rationabiles inſtitutionis hujus feſti in Legendâ aurea proferantur. Si ergo plurimorum Sanctorum ſingularium Octabæ ab Eccleſiâ peraguntur, multo magis per rationes ſuperiùs prælibatas Omnium Sanctorum feſtivitatis Octabæ debent ab Eccleſiis devotiùs & ſolemniùs celebrari.

Attendentes igitur rationes præmiſſas, & quòd in urbe Romana quæ eſt caput mundi, & mater Eccleſiarum omnium & magiſtra, & pleriſque citramontanis partibus non tantùm dicta feſtivitas una die, ſed etiam octabæ ipſius ab Eccleſiis introductum eſt ut rationabiliter celebrentur; diligenti deliberatione præhabitâ & tractatu, hac ſacra approbante Synodo, & noſtri Andegavenſis Capituli ſuper hac accedente conſenſu, ſtatuimus & ordinamus, quòd deinceps octabæ feſtivitatis prædictæ cum devotione quâ decet, ab Eccleſiis civitatis & Diœceſis Andegavenſis annis ſingulis celebrentur. Per hoc enim firmiter credimus, patriam & populum Sanctorum patrociniis adjuvari, & in ſuis neceſſitatibus, tribulationibus & anguſtiis apud Altiſſimum faciliùs exaudiri, & ipſorum Sanctorum interceſſionibus quamcitiùs revelari.

Sanè ne propter prædictarum celebrationem octabarum aliquæ Dominicæ de hiſtoriâ, quæ incipit: *Vidi Dominum*, obmittantur, ordinamus quòd in Dominicâ præcedente feſtum Apoſtolorum Simonis & Judæ, hiſtoria, *Vidi Dominum* inchoetur. Quòd ſi die Dominicâ evenerit celebratio ejus, ad diem craſtinam prorogetur, & Dominicæ illius hiſtoriæ in diebus vacuis locis competentibus peragantur.

Si autem de Officio illarum Octabarum quæratur, reſpondemus quòd nos qui à principio Pontificatûs noſtri dictas octabas facere conſuevimus, dictarum octabarum officium ordinamus in hac formâ. Super ipſis octabas dicimus invitatorium ad Matutinis, *Regem Sanctorum Omnium venite adoremus*. Hymnus in matutinis & veſperis ſicut in die. Antiphona ſuper pſalmos, *Secus decurſus* ſola, pſalmi plurimorum Martyrum, vel de die; Verſus, *Juſtorum animæ*. Lectiones accipimus de libro Sapientiæ cap. III. incipientes ibi: *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt*, proſequentes dictam lecturam uſque ad ultimum diem. Reſponſoria de Communi Martyrum ſubſequenter etiam ordinatè. Qui autem Bibliam non habent, faciunt lecturam de Communi Martyrum. *Te Deum Laudamus* per totas octabas. Verſus ante Laudes: *Juſti autem in perpetuum vivent*, &c. Ad Laudes antiphona, *Vidi turbam*, ſola. Capitulum, Hymnus, Verſus ſicut in die. Ad *Benedictus* antiphona primâ die, *Prædicantes*, & cæteræ ſubſequentes. Ad *Magnificat* antiphona primâ die: *Omnes ſancti* de vig. &c. Antiphonæ ad alias horas, Capitula, Reſponſoria, Verſus de Communi Martyrum. In octava autem die conſuevimus totum facere, ſicut in die. Si verò infrà Octabas dies Dominica evenerit, conſuevimus facere novem lectiones de Communi, vel ſi maluerimus totum ſicut in die. Officium autem Miſſarum in dictis octabis accipient de Communi ſanctorum eorum, ſicut voluerint.

UT BONA AD EXEQUUTIONEM teſtamentorum deputata, in exequutores non transferantur & de pœnâ facientium contrarium. Cap. II.

PRimò dudum in Provinciali Concilio apud Lengeſium celebrato, fuit providâ deliberatione definitum, exequutores teſtamentorum per ſe vel per alios non poſſe quidquam ſumere, ſeu quoquo titulo retinere de rebus ſeu bonis deputatis exequutioni teſtamentorum quorum exequutores exſtiterint, pœnis certis appoſitis in Concilio ſupradicto. Verùm quia ex hoc plerumque comperimus decedentium voluntates exequutioni debitæ non mandatas propter avaritiam multorum, qui à teſtatoribus exequutores inſcripti, quæſtum proprium . . . . liberationem animarum, qui de ipſorum dilectione & amicitia præ cæteris gerebant plenam fiduciam dum vivebant, nequiter præferentes, onus exequutionum hujuſmodi ſuſcipere in ſe recuſant, ut ne poſſint illa quæ de bonis teſtatorum ſibi placent hinc habere & retinere emptionis titulo, vel alio quæſito colore contrà mentè Concilii memorati. Nos his fraudibus obviare, & decedentũ voluntates exequutioni debitæ volentes demandari, diſtrictiùs inhibemus ne quis exequutor alicujus teſtamenti coëxequutori ſuo in eodem teſtamẽto inſcripto, ſive exequutor prædictas onus teſtamenti in ſe ſuſceperit, ſive illud duxerit recuſandũ, aliqua de bonis ad exequutionẽ illius qui ipſos exequutores ſuos inſtituit, emptionis vel alio quovis titulo tradere, ſeu in ipſum transferre, ſeu traditioni ſive tranſlationi conſentire præſumat. Decernentes contractus ſuper hoc initos, & traditiones ac tranſlationes bonorum ipſorum taliter factas non tenere; & exequutores ipſa bona tradentes & taliter transferentes, ſeu conſentientes traditioni & tranſlationi prædictis, ad reſtitutionem dupli pretii rei ſic traditæ vel tranſlatæ, in exequutionis utilitatem convertendi auctoritate præſentis ſtatuti condemnamus.

Cap. III

Gravi nimirum turbatione movemur, & cum cordis amaritudine recenſemus, quòd nonnulli divinis officiis mancipati, qui vacationis ſuæ ſtabilitate penſata, virtutis & honeſtatis fructus deberent producere potiores, per eorum actus improbos ſplendorem ſuæ profeſſionis obnubilant, & geſtus incompoſitionis exempla inhoneſtatis & laſciviæ ſubminiſtrant. Certâ quidem nuper probavimus experientiâ, & fide didicimus oculatâ, quòd quidam Clerici beneficiati, & quod dicendum gravius eſt, Curati ac Religioſi nonnulli Clericali modeſtiâ projecta ſine delectu lucris turpibus inhiant, ac inhoneſtis negotiationibus variis ſe immiſcent: verba Evangelica, quibus Dominus ipſe negotiatores de Templo verberatos aſſeritur expuliſſe; & Apoſtolica, quibus ait: *Nemo Deo militans, implicet ſe negotiis ſæcularibus*, diſſimulantibus aure ſurdâ, & quod moleſtè non mediocriter eſt ferendum, dum deberent in Eccleſiis horis convenientibus, præſertim feſtivitatibus, debitas perſolvere Deo laudes cum devotione animi & conſcientiæ puritate, prætermiſſis loco & tempore opportuno, diſcurrendo ad nundinas & mercata dicunt labiis horas canonicas ſyncopando, intermiſcẽdo extranea colloquia & profana, ad negotiationes, quas corde ſitiunt, penitus mente rapta. Dum verò ſunt in nundinis & mercatis, tabernas frequentant, conſilationes ſectantur virium pugnantium, & quædam alia faciunt quæ ad præſens duximus ſilentio committendi; ex quibus ſe reddunt ſæcularibus viles, contemptibiles & abjectos. 2. Tim. 2. 4.

Sui

Digitized by Google

Sunt autem alii qui laxatis honeſtatis habenis; dum per decentiam habitûs extrinſeci deberent habere & oſtendere morum intrinſecam honeſtatem, utuntur præter varietatem pannorum ſuo ſtatui minimè congruentem, factionibus veſtium diſſolutis cum ornatu & cultu indecentibus. Sicque circumamicti varietatibus incedunt more meretricio, ſcapulis & pectore diſcoopertis, comam nutriunt & relaxant, longos crines ad modum Laïci abſque coronæ veſtigio & tonſuræ ad eorum ignominiam deferentes, 1. Cor. 11. 14. dicente Apoſtolo: *Vir quidem ſi comam nutriat, ignominia.* Prædictis & ſimilibus ſe multipliciter & ſæpiùs involvendo. Quòd nec in qualitate negotiorum, nec in veſtimentorum formâ, nec in coronæ & tonſuræ modo quidquam prætendunt de militiâ Clericali. Cum igitur, ut ait Auguſtinus, incompoſitio corporis inæqualitatem indicet mentis; & in Carthaginenſi Concilio caveatur, quòd Clerici profeſſionem ſuam probare debeant habitu atque geſtu, ut geſtûs gravitas maturitatem mentis oſtendat.

Nos attendentes quòd tales negligere famam ſuam, in cujus odore nos conventdelectari, & ſacros Canones tranſgredi non verentur, tranſgreſſores hujuſmodi & curioſitates eorum periculoſas & pernicioſas exemplo pœnarum adjectione coarctare volentes, monemus tenore præſentium omnes & ſingulos Clericos nobis ſubditos, qui in noſtrâ diœceſi beneficia obtinent, aut in poſterum obtinebunt, ut deinceps abſtineant à præmiſſis, alioquin ad excommunicationis pœnam contrà ipſos procedemus, prout juſtitia ſuadebit. Statuentes quòd Clerici nunc beneficia obtinentes infrà Nativitatem Domini proximè venturam, & qui obtinuerint in futurum infrà menſem à tempore ſibi collati beneficii; aſſumant habitum Clericalem, & eum deinceps deferant ut tenentur. A feſto Paſchæ Domini uſque ad feſtum Omnium Sanctorum ſingulis menſibus, niſi ipſos infirmitas ſeu alia cauſa probabilis excuſaret, coronam ſibi fieri, barbam & capillos radi ſeu tondi cum rotunditate debitâ, & ab inde uſque ad feſtum Paſchæ etiam binis menſibus ſemel coronam radi ſeu tondi annis ſingulis facientes. In eos verò qui quoad tonſuræ, coronæ & barbæ raſionem hujuſmodi extiterint tranſgreſſores, ſeu qui cucupham poſt lapſum duorum menſium à die hujuſmodi monitionis publice deferent in capite, excommunicationis ſententiam promulgamus.

Cap. IV. Sanè ſolent pleriſque concedi quæ tunc fore utilia pro ſalute hominum videbantur, quæ demùm tendere reperiuntur ad noxam, propter quod ea emendare & temperare ſtudemus in præſenti. Multas etenim litteras pluribus perſonis nobilibus, & aliis tam à prædeceſſoribus noſtris quàm à nobis conceſſas didicimus, quarum auctoritate quibuſcumque diebus Miſſas & alia divina officia poſſint in ſuis domibus facere celebrari, & eo prætextu, nedum parochialibus in juribus earum grandia incommoda imminere noſcuntur ſed etiam in aliis, quæ pariunt pericula animarum: quia morum informatio non metitur, cum ſermo divinus populo ſeminatur in Eccleſiis parochialibus, qui abſentibus & non audientibus fructuoſus eſſe non poteſt: ordinatio Eccleſiæ ignoratur, quæ ignorantia omnes ligat. Cum feſta quæ colenda ſunt in honorem Dei & Sanctorum, & eorum jejunia publicè ſolent indici, non ſervantur propter ignorantiam ab eiſdem, vel eorum familiâ, qui diſpenſativè ad parochialem Eccleſiam venire non tenentur; & cum excommunicatis participare non verentur, qui ab aliis evitantur qui mandatorum exequutionem noverint. Propter quæ & multa alia quæ ad tales gratias modificandas nos inducunt, in hac præſenti Synodo ſancti Lucæ ſtatuimus, quòd nullus de cætero auctoritate talium litterarum talem gratiam tam generalem & tam latam continentium, diebus Dominicis & feſtis novem lectionum Miſſas, & alia divina officia in ſuis domibus vel oratoriis faciat celebrari, & hoc ſub pœnâ excommunicationis, quam in contrarium venientes poſt menſem, ne fortè aliqui prætextu ignorantiæ ſe excuſent, ipſo facto volumus incurſuros, & domos ſeu oratoria ſupponi ipſo facto Eccleſiaſtico interdicto. Statutum autem hujuſmodi ad Capellas ad Matricem Eccleſiam pertinentes trahi non volumus vel extendi.

Item ſtatuimus quod nullus Rector parochialis Capellanias, Prioratus ſeu quævis alia pia loca in ſuis parochiis exiſtentes ſeu exiſtentia affirmare & arrentare præſumat, ne unum beneficium propter aliud ſuis juribus defraudetur. Cap. V.

Præterea ſtatuimus quod nullus de cætero diebus Dominicis & feſtivis novem lectionum in Capellaniis, Prioratibus ſimplicibus, Miſſas ante horam tertiam audeat celebrare. Cap. VI.

Item omnibus Archipreſbyteris & Decanis noſtræ Diœceſis præcipimus & mandamus, quatinùs omnia beneficia ad noſtram collationem pleno jure pertinentia, in ſuis Archipreſbyteratibus & Decanatibus exiſtentia, nominatim in ſcriptis infrà duos menſes nobis vel Officiali noſtro tranſmittant. Cap. VII.

Et de iſtis ſtatutis quilibet Rector parochialis copiam habeat infrà menſem; & exponat quilibet in ſua parochiali Eccleſiâ in generali, ut ſic ad notitiam eorum pervenire poſſit qui per ſtatuta ligarentur. Cap. VIII.

Item cum nullus falcem ſuam in meſſem ponere debeat alienam, inhibemus omnibus ſubditis noſtris cujuſcumque dignitatis aut ſtatûs, ordinis ſeu religionis exiſtant, ne juriſdictionem ſpiritualem contentioſam in quaſcumque perſonas religioſas, ſæculareſve aut alias quoquomodo, niſi in caſibus ad eos ſpectantibus, exercere præſumant. In contrarium verò facientes, excommunicationis ſententiam promulgamus.

Quamquam omnes & ſinguli noſtri ſubditi, qui ad noſtram Synodum venire tenentur, debeant noſtra ſtatuta & prædeceſſorum noſtrorum Synodalia penes ſe habere ſcripto tenùs, ne tamen eorum quiſpiam hoc omittat, & ſtatutorum hujuſmodi ignorantiam prætendere valeat; ſubditis eiſdem præcipimus & mandamus, eos & eorum ſingulos ad hoc canonicè præmonentes, quatinùs ſtatuta hujuſmodi ad quamlibet noſtram & ſucceſſorum noſtrorum Synodum de cætero in quaternis antiquis una cum novis eis additis fideliter & integrè deferant, nobiſque vel ei quem ad hoc deputabimus patenter oſtendant, in virtute obedientiæ & ſub pœnâ excommunicationis, ad quam contrà rebelles mediante juſtitiâ procedemus, nec reputabuntur ſufficienter in Synodo comparere hi qui ea non deferent, ut eſt dictum. Si qui verò ea vel eorum aliqua non habeant, faciant ipſa fideliter iterum tranſcribi ſuis ſumptibus & expenſis. Exemplaria verò recipient ad hoc ex parte noſtrâ poſita Andegavis in domibus Joannis Coillant & Thomæ Aprilis, Clericorum noſtræ Andegavenſis Curiæ juratorum. Cap. IX.

Præterea licet turbatores juriſdictionis Eccleſiaſticæ ordinariæ cujuſcumque ſtatûs exiſtant, auctoritate Provincialium Conciliorum ſint ipſo facto excommunicationis ſententiâ innodati, à quâ niſi condignâ priùs ſatisfactione præſtitâ, ceſſante ſaltim mortis articulo, non ſunt aliquatenùs abſolvendi. Prout tamen datur nobis intelligi, nonnulli Sacerdotes ſæculares & Religioſi poteſtate ſibi permiſſâ damna- Cap. X.

biliter abutentes, ac eam quam non habent nequiter uſurpantes, excommunicatos hujuſmodi de facto abſolvere præſumunt, nullâ ſatisfactione præſtitâ de offenſâ, in deceptionem & grave periculum animarum, eluſionemque & fraudem prædictorum Conciliorum, ac Eccleſiaſticæ juriſdictionis depreſſionem immenſam. Quapropter omnibus & ſingulis Eccleſiarum Rectoribus nobis ſubditis, & eorum loca tenentibus, ſub pœnâ ſuſpenſionis præcipimus, quatinùs diebus Dominicis, & maximè in Quadrageſimali tempore turbatores hujuſmodi denuntient, ut præmittitur, excommunicatos. Intimantes quòd abſque ſatisfactione læſis & Eccleſiæ præſtita non merentur abſolvi, nec eos reputabimus aliàs abſolutos: abſolutionem autem eorum nobis, & quibus ſpecialiter committimus, quatinùs poſſumus, reſervamus ex cauſâ, eam quibuſvis aliis interdicentes expreſsè.

I. Injungimus vobis Preſbyteris, Eccleſiarumque Rectoribus & Capellanis, quatenùs ſingulis diebus Dominicis & feſtis novem lectionum illos, qui ſunt excommunicati quâcumque auctoritate, excommunicatos publicè nuntietis. Item ſimiliter omnes turbatores juriſdictionis Eccleſiæ quomodo libet clam vel palam. Item omnes qui faciunt contrà libertates, conſuetudines & ſtatuta Eccleſiaſtica, & hoc videlicet in duobus ultimis caſibus auctoritate Canonum & Conciliorum. Item denuntietis publicè in Eccleſiis veſtris, quòd aliquis à ſententiâ excommunicationis prædictæ, videlicet in duobus caſibus ultimis, non poteſt abſolvere, niſi nos Andegavenſis Epiſcopus dumtaxat, & inhibemus ne aliquis abſolvat à ſententiâ prædictâ. Item quia vobis Eccleſiarum Rectoribus aliàs fuerat injunctum, quòd in illâ Synodo afferretis vobiſcum omnia ſtatuta Synodalia & quaternum Synodalis, vobis & veſtrûm cuilibet iterùm diſtrictè præcipimus & mandamus, quatinùs ſtatuta & quaternum hujuſmodi una cum Conciliis Provincialibus in primâ Synodo in virtute obedientiæ afferatis vobiſcum, & procuret quilibet qui non habet, interim tranſcribi, & hoc ſub pœnâ ſuſpenſionis. Item injungitur ſub pœnâ ſuſpenſionis vobis Rectoribus prædictis & veſtrûm cuilibet, quatenùs nomina excommunicatorum mittat quilibet de ſuâ parochiâ in ſeptimanâ pœnitentiali Andegavis nobis, vel Officiali noſtro, & inferioribus, prout ad quemlibet ſpectat.

II Monemus vos omnes & ſingulos Archidiaconos, & Archipreſbyteros & Decanos, Eccleſiarumque Rectores & Capellanos, Curatos quoſcumque noſtræ Diœceſis hic præſentes, & veſtrûm ſingulos, vobiſque & veſtrûm ſingulis nihilominùs inhibemus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnâ ſuſpenſionis, & quinquaginta librarum monetæ currentis nobis applicandarum, & in pios uſus convertendarum, ne aliquis veſtrûm recedat iſtâ die nec ſequenti de villâ Andegavenſi, niſi petitâ licentiâ & obtentâ à nobis vel magiſtris Petro Vicario Archidiacono Andegavenſi, & Mauritio de Syxuyat, Roberto Helye commiſſariis noſtris in hac parte, quos in palatio noſtro Andegavenſi poterit quilibet invenire: cum ſimus loquuturi vobiſcum ſuper aliquibus tangentibus neceſſitatem Eccleſiæ noſtræ, quæ per nos vel commiſſarios noſtros prædictos vobis poterunt diebus prædictis largiùs apparere.

III. Item vobis omnibus & ſingulis Rectoribus & Capellanis Curatis prædictis, in quorum parochiis ſunt eleemoſynariæ ſeu domus Dei ad receptionem ſeu hoſpitalitatem pauperum & infirmorum ſpecialiter deputatæ, injungimus ſub pœnis ſuperiùs declaratis, quatinus unuſquiſque veſtrûm intrà feſtum Nativitatis Domini proximè venturum nobis, vel Officiali noſtro Andegavenſi, referat fideliter & ſubdito juramento nomen & ſtatum domorum & rerum pertinentium ad eaſdem, & Priorum ſeu Adminiſtratorum earum, ut auditis veſtris relationibus in præmiſſis ordinemus ſuper hoc, & faciamus quod juſtitia ſuadebit.

Item injungimus ſub pœnis prædictis vobis omnibus & ſingulis Rectoribus & Capellanis Curatis CAP. XIV.
prædictis, quatinùs ſingulis diebus Dominicis feſtiſque novem lectionum cum Clero & populo congregato ad divina ex parte noſtrà publicè in veſtris Eccleſiis [faciatis] indicari, quòd ſi ſiut aliqui, cujuſcumque ſtatûs ſeu conditionis exiſtant, qui juſtè conqueri voluerunt de quâcumque perſonâ nobis ſubditâ, & potiſſimè de procuratorum ſervientibus & aliis, qui tam noſtras quàm ſubditorum noſtrorum curias frequentant, ſeu frequentaverunt tempore retroacto, apud ſanctum Elemandum in craſtino feſti Andreæ proximo cum diebus ſequentibus accedant, & ibidem fiet per nos vel Commiſſarios noſtros, quos faciemus ibidem propter hoc ſpecialiter intereſſe, etiam ſummariè & de plano cuilibet juſtè conquerenti, facient domino juſtitiæ complementum. Et ipsâ die faciemus extrà Synodum injungi Rectoribus, qui non apportaverunt ſtatuta Synodalia & provincialia Concilia, & quaternum Synodale, quòd ipſi in virtute obedientiæ ad aliam proximam Synodum afferant & exhibeant, alioquin ipſos ſine ſpe veniæ puniemus.

Sanè rem cognoſcentes non rectam fieri in hac CAP. XV.
Andegavenſi Diœceſi, quam æſtimavimus communi ſanctione mederi, quoniam calumnias odimus, dolum & tergiverſationem averſamur, propterea exiſtimamus legitimis hujuſmodi actus egere medelis. Didicimus enim quòd nonnulli Clerici parochialium Eccleſiarum Andegavenſis Diœceſis, aut quivis alii, de rotulis & regiſtris, in quibus nomina excommunicatorum conſcribuntur, ſeu conſcribi debent ac tenentur, propter favorem, ſordes, gratiam aut timorem ſcribere & inſerere prætermittunt, aut ſcripta delent, removent, aut dum publicari debent, ſubticent ſeu non nominant, aut aliàs dolo vel negligentiâ obmittunt, aut ita citò legunt quòd non poſſunt audiri, ut ſic propter cenſuram excommunicati non patiantur ruborem, & ita non timetur, imò potiùs vileſcit Eccleſiaſtica cenſura, nec excommunicati à communibus actibus excluduntur. Quibus attentis, nos volentes eorum prævaricationibus, verſutiis ac malitiis obviare, in præſenti hac Synodo ſtatuimus, ut quicumque nomen ſeu nomina cujuſcumque excommunicati de regiſtris ſeu rotulis in quibus ſcripta ſunt, deleverint, removerint, ſeu cancellaverint, niſi priùs de abſolutione ſibi conſtiterit, aut ſcriptum non legerit, ſeu apertè non nominaverit, aut ſcribere omiſerit, ut præmittitur, poſtquàm ſibi de excommunicationis ſententiâ conſtiterit, infrà tres dies à tempore præſentationis ſententiæ, ſi Rectori aut Capellano fuerit præſentata; ſi Preſbyteri fuerint, in ipſos ſententiam ſuſpenſionis in hoc ſcriptos ferimus, ac ex tunc decernimus & volumus incurſuros, ſi dolum vel culpam adhibuerint in præmiſſis, vel aliquo præmiſſorum. Et ſi Clericus vel aliàs litteratus fuerit, qui circà præmiſſa vel aliquod præmiſſorum dolum vel culpam, ut præmittitur, commiſerint, in eos in hoc ſcriptos excommunicationis ſententiam promulgamus.

Præterea interdicimus omnibus Clericis parochialium Eccleſiarum ſub pœnâ excommunicationis, ne procuratoris officium publicè & communiter exercere præſumant, cum in prædicto officio multas calumnias, dolos & fraudes ipſos cognoverimus &

reperenmus commiſiſſe ; qui ſi contrarium facere præſumſerint, ipſos privari volumus utroque officio perpetuò in Diœceſi Andegavenſi, nec in aliquâ Eccleſiâ parochiali vel Curia eſſe ulteriùs admittendos.

Præterea ſunt nonnulli Rectores, Capellani & Clerici parochialium Eccleſiarum, qui monitiones auctoritate judicum ordinariorum & delegatorum, cum clauſulâ primâ, *Alioquin ipſos quos in his ſcriptis ex tunc &c.* eis directas exequutioni debitæ demandandas, qui circà exequutionem ipſarum interdum dolum & negligentiam committere non verentur, interdum propter favorem, ſordes aut gratias debitorum, & interdum in odium creditorum, quæ peſſimè deducuntur in eorum præjudicium & jacturam, & in periculum animarum ipſorum debitorum ; ipſas vero monitiones exequi differunt & morantur, aſſerentes debitorum copiam ſe non poſſe invenire, qui ſi mallent, de facili reperire valerent. Et interdum exequutione factâ earumdem, eas differunt ſigillare, aſſerentes & credentes prædictos debitores excommunicationis ſententiam non poſſe incurrere, donec litteræ monitionum fuiſſent redditæ ſigillatæ ; ex quorum dolo & negligentiâ creditoribus immìnet damnum grande, & debitoribus periculum animarum, qui quamplurimùm excommunicati decedunt ; qui revera excommunicationis ſententiam incurrunt, poſtquàm eſt eis monitio facta & nuntiata, & morâ adhibitâ in parendo mandatis ex parte ipſorum debitorum, quorum nomina obmittunt inter excommunicatos regiſtrare, innitentes eorum erroribus & ignorantiis craſſis & ſupinis, qui taliter excommunicatos non reputant innodatos donec littera fuerit ſigillata.

Propter quod nos in præſenti Synodo ſtatuimus in ipſos Rectores, Capellanos & Clericos, aut aliàs litteratos, qui circà monitiones prædictas faciendas dolum & negligentiam commiſerint in poſterum, quibus fuerint præſentatæ, aut qui factas elapsâ die quâ monitiones tales fuerint factæ & nuntiatæ diſtulerint ſigillare requiſiti, aut irregiſtrare inter excommunicatos, elapsâ ſextâ die, ſuſpenſionis & excommunicationis ſententiam in his ſcriptis promulgàmus, & ipſos Rectores & Capellanos ſuſpenſionis, Clericos & litteratos excommunicationis ſententiæ volumus ſubjacere.

CAP. XVI. Præterea cum in ſtatutis Synodalibus prædeceſſorum noſtrorum caveatur expreſsè, quòd ſi qui excommunicati fuerint, & in excommunicatione perſtiterint per duos menſes aut per annum, auctoritate Concilii quòd uxor & familia ſunt Eccleſiaſtico ſuppoſiti interdicto : & licet tanto tempore plures in excommunicationis ſententiâ perſtiterint, ita quòd familia eſt interdicto ſuppoſita Eccleſiaſtico, volumus & mandamus quòd ad Eccleſiam & divinum officium non admittantur aliqui de familiâ durante interdicto, quamdiù principalis domûs fuerit excommunicationis ſententiâ innodatus. Nec ſimiliter ad Eccleſiaſticam ſepulturam, niſi cum eis per nos dumtaxat fuerit diſpenſatum.

Præterea interdicimus omnibus Archidiaconis, Archipreſbyteris & Decanis, ne ſuper interdicto valeant diſpenſare, cum ſuper hoc non eſt eis permiſſa facultas.

Præterea ſunt nonnulli qui dant & paſſant memorialia, quæ à quibuſdam . . . niſi ab his memorialia cum exequutione recipiantur, & in eis contrà debitores ſeu reos paſſantes fertetur ſententia ſuſpenſionis ſeu excommunicationis, ſi termino inter partes convento & in memorialibus contento deficerent debitores vel rei in complendo vel ſolvendo quod in prædictis memorialibus reddere & ſolvere promiſerint ; ita quòd elapſo termino ſunt excommunicati prædicti paſſantes propter moram quam faciunt de reddendo & ſolvendo quod promiſerunt in termino conſtituto. Verùm quia cognovimus quod multi tales & talia paſſantes, & non complentes modo & formâ in prædictis memorialibus contentis, excommunicati ſunt, nec prædictam excommunicationis ſententiam verentur. Et quidam poſt terminum ſatisfaciunt creditoribus, quibus talia memorialia paſſaverunt, abſolutionis beneficium impetrare non curant, ſed in excommunicatione quandoque moriuntur, credentes quòd poſtquàm ſatisfecerint vel memorialia receperint, non ſit eis beneficium abſolutionis neceſſarium ; propter quod volumus & mandamus quòd judices & paſſatores memorialium prædictorum, recipiant juramenta ab eis creditoribus quibus dantur & paſſantur memorialia, quod termino elapſo portabunt & exhibebunt Rectori Curato illius qui paſſavit, ad regiſtrandum ipſum inter alios excommunicatos, niſi ante terminum gratiam vel dilationem termino longiorem conceſſerint debitori ; & volumus quòd Notarii qui ſcripſerint dicta memorialia, de juramento faciant & de modo.

Expliciunt Statuta Synodalia.

ORDINATIO

Facta per Prælatos pro Clericis conjugatis & non conjugatis.

Anno 1267. *Ex Memoriali D. d'Herouval.*

SACRI approbatione Concilii Rothomagenſis provinciæ nuper apud Pontem Audemarum in craſtino Decollationis beati Joannis Baptiſtæ, anno Domini M. CC. LXVII. favente Domino celebrati, vobis univerſis & ſingulis diſtrictè præcipimus & mandamus, quatenùs in ſingulis Parochiis & locis publicis vobis ſubditos moneatis diebus Dominicis aut feſtivis ſolemnitatibus, tribus à ſe diſtantibus, Clericos non uxoratos, etiam uxoratos, ut à negotiationibus ſæcularibus exercendis abſtineant & maximè inhoneſtis : quodque tonſuram deferant & habitum Clerico congruentem, auctoritate noſtrâ ſolemniter ac publicè nuntiantes.

Quòd ſi tertiò à vobis moniti ab hujuſmodi non reſipuerint, Clericos non conjugatos, dum iis ſe immiſcuerint quominùs de ſuis facultatibus, ſtatutis & conſuetudinibus patriæ ſubjaceant, Eccleſia non defendet. Circà conjugatos ſiquidem æquanimiter tolerabit ; quòd domini ſæculares ab ipſis juſtitias debitas, velut ab aliis exigant, & ſervitia conſueta. Denique ſi poſt præmiſſas monitiones aliqui Clerici in apoſtaſiâ tonſuræ & habitûs clericalis permanſerint, ac ſævis enormitatibus ſe immiſcuerint, & contingat quòd pro ſuis exceſſibus à ſæcularibus Judicibus capiantur in criminibus comprehenſi ; non præcipiemus eos per cenſuram Eccleſiaſticam liberari.

Item, præcipimus ut per ſingulas Eccleſias moneantur Clerici & Crucesignati, ne litteris Apoſtolicis vel Legatorum ſedis ejuſdem, aut aliorum Judicum aliquatenùs abutantur, ſcituri quòd nos & alii Prælati ſollicitudine quâ convenit vigilabimus contra hujuſmodi abuſores, ut exceſſus eorum non remaneant impuniti. Actum & datum ut ſuprà.

83

CONCILIUM SENONENSE,

PRÆSIDE GUILLELMO ARCHIEPISCOPO,

CELEBRATUM PARISIIS IN DOMO EPISCOPALI

ANNO M. CCC. L.

IN nomine [a] Domini, Amen. Univerſis præſentes litteras inſpecturis, GUILLELMUS miſeratione divinâ Archiepiſcopus Senonenſis ſalutem in eo qui eſt omnium vera ſalus. Paſtoralis cura ſollicitudinis nos invigilare, & intendere, ac vacare ſubjectorum noſtrorum commodis, & remediis, ac tranquillitati, quieti, proſperitati, & paci; eorumdemque ſubditorum periculis & incommodis obviare, animarum ipſorum ſaluti providere, ſcandalaque removere, & deformatorum reformationi proſpicere ſollicitat & compellit: hoc eſt quod profectò deſideranter exquirimus, & ad id mentis noſtræ ſedulò deſtinamus affectum. Ea propter repertis per nos aliàs tam viſitando noſtras Diœceſim & Provinciam, quàm aliter multis caſibus & negotiis totas Diœceſim & Provinciam noſtras, ac ſtatum ipſarum tangentibus ſeu concernentibus: auditis etiam & intellectis tunc & aliis, necnon in Concilio, de quo infrà fit mentio, injuriis oppreſſionibus, malitiis, gravaminibus & injuriis, quæ quotidie nobis ac noſtris ſubditis inferuntur. In quibus & aliis exceſſibus juſtitia læditur, prorogatur iniquitas, & univerſi Cleri decoloratur honeſtas, tam per uſus literarum falſarum, & abuſus etiam literarum, quàm per vocationes, ſeu citationes, captiones, & detentiones Clericorum, & perſonarum Eccleſiaſticarum, ac ſuorum bonorum mobilium; necnon ſæcularium illicitas & indebitas exactiones ſeu extorſiones, & totius juriſdictionis Eccleſiaſticæ perturbationes, ac immunitatis ſeu libertatis Eccleſiaſticæ infractiones, ſeu violationes: & per inhoneſtos geſtus, habitus, & mores pravos ac regimina mala ipſorum Clericorum, & ipſarum perſonarum Eccleſiaſticarum, ac etiam Religioſarum: & circà divinorum celebrationes ac per alios multos modos, quibus licet aliàs ſalubriter ſit in parte proviſum tam per ſacras canonicas, quàm provinciales, etiam & publicatas in provincialibus Conciliis ſanctiones. Quia tamen nulla ſanctio quantumcumque perpenſo digeſta conſilio ad humanæ naturæ varietatem, & machinationes ejus inopinabiles ſufficit, & præſertim quod veſtræ [b] adeò aliquid certum clarumque ſtatuitur, quin ex cauſis emergentibus quibus jura & ſtatuta jam facta mederi non poſſunt, in dubium revocetur: quia etiam ab adoleſcentia viri proclivis ad malum ſenſualitas humana declinat, per quod morum ſubverſio in Clero & populo frequenter obrepit; neceſſaria eſt ſuperioris auctoritas, ut per culturis providi ſarculum extirpet vitia, virtutes inſerat, exceſſus corrigat, ſcandalis ſeu periculis & incommodis obviet, ſubditis provideat, moreſque reformet.

Hinc eſt quòd nos GUILLELMUS prædictus cupientes adhibere ſuper his, prout ad nos pertinet, remedium oportunum, Anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſexto, die Mercurii poſt Dominicam quâ cantatur *Lætatur Jeruſalem*, videlicet quartâ decimâ die menſis Martii, continuatâ de die in diem, à die Veneris præcedenti in noſtro ſacro provinciali Concilio, unà cum venerabilibus fratribus Suffraganeis noſtris, B. Pariſienſi, [c] P. Autiſſiodorenſi, J. Meldenſi, J. Trecenſi, & B. Nivernenſi Epiſcopis, ac Vicariis, & Procuratoribus venerabilium Fratrum Suffraganeorum noſtrorum Carnotenſis & Aurelianenſis Epiſcoporum, cæteriſque perſonis Eccleſiaſticis noſtrarum diœceſis & provinciæ, quæ potuerunt commodè intereſſe ad ordinandum, ſtatuendum, & reformandum ea quæ eſſent ordinanda, ſtatuenda, etiam reformanda, celebrato Pariſiis congregati, eodem approbante Concilio ſtatuimus & ordinamus ſacras conſtitutiones canonicas, & etiam provinciales circà præmiſſa editas, & alias in Concilio provinciali publicatas, eſſe inviolabiliter obſervandas, ſub pœnis in eiſdem contentis. Et inſuper quòd contrarium facientes, ſeu eas non ſervantes, per ſuos Superiores ordinarios judices Eccleſiaſticos, pœnâ arbitrariâ puniantur.

Verùm quia ex dictis provincialibus conſtitutionibus, & aliis jamdudum in provincialibus Conciliis publicatis, nullus aut rarus fructus, ſeu profectus provenit, quia fortè ad multorum notitiam non venerunt, ſeu propter hominum labilem memoriam, vel propter Conciliorum raritatem, ſeu etiam paucitatem, aut propter temporis longinquitatem ſeu diuturnitatem; omnes conſtitutiones prædictas provinciales, & cæteras in aliis provincialibus Conciliis publicatas, eodem approbante Concilio innovamus, & volumus eas quæ etiam per vitium ſcriptorum erant malè ſcriptæ, & reliquas quæ ſequuntur, in hoc legi Concilio & etiam publicari. Statuentes quòd in Conciliis provincialibus quæ fient de cætero legantur ac etiam publicentur; quodque noſtri omnes Suffraganei, Abbates, Priores Conventuales, & etiam Procuratores Capitulorum, ipſas omnes recipiant & habeant citiùs quàm poterunt, ac in ſuis Synodis, Curiis, Conventibus & Capitulis legi & publicari faciant & procurent. Cæterùm quia quæ generaliter omninò dicuntur, niſi aliqua ſpecialiter exprimantur, neglecta videntur, quaſdam de dictis provincialibus conſtitutionibus, quarum

a *In nomine*] Concilium hoc anno 1346. celebratum dicitur infrà, atque id verum eſſe arbitratus eſt Acherius: ſed hæc deinde monuit Baluzius. Anno 1346. Guillelmus nondum erat Archiepiſcopus. Præterea anno quo Synodus illa habita eſt, Dominica *Lætare* fuit dies 11. Martii. Quod anno 1346 competere non poteſt, cum eo anno Dominica *Lætare* venerit 30 Martii. Probamus ergo eſt habitam fuiſſe hanc Synodum anno 1350. quo Dominica *Lætare* fuit dies 11. Martii.

b *quod veſtra*] An *quod vix?* Sanè vulgata lectio ferri non poteſt. In Senon. Concilio an. 1485 infrà: *nec aliquid adeo certum clarumque vix ſtatuitur.*

c *B. Pariſienſi*] In fine Synodi legitur *G. Pariſienſis.*

aliquæ fuerunt factæ per bonæ memoriæ Dominum prædeceſſorem & patruum noſtrum dominum GUILLELMUM, quibuſdam verbis additis & detractis hìc duximus ſpecialiter ſub hac formâ exprimendas, & etiam inſerendas.

CAPUT PRIMUM.

De immunitate Clericorum, ſeu Eccleſiaſticarū perſonarum.

CLericis, & perſonis Eccleſiaſticis, laïcos infeſtos oppidò tradit antiquitas, quod & præſentium experimenta temporum manifeſte declarant, dum ſuis finibus non contenti nituntur in vetitum, ad illicita fræna relaxant, nec prudenter attendunt quòd ſit eis in Clericos & perſonas Eccleſiaſticas interdicta poteſtas. Nihilominùs ipſos & ipſas de die in diem capit, ſeu capi facit juſtitia ſæcularis, & captos ſeu captas in priſionem ſeu carcerem detrudit, ſeu detrudi detinet, ſeu detineri, & quod graviùs eſt, torquet ſeu torqueri, ultimo ſupplicio tradit, ſeu etiam tradi facit in præjudicium juriſdictionis Eccleſiaſticæ & libertatis ejuſdem. Nos igitur talibus iniquis actibus obviare volentes, ſacro approbante Concilio, ſtatuimus ac etiam ordinamus, ut ſi contingat Clericum ſeu perſonam Eccleſiaſticam in villis, ſeu caſtris, aut locis diœceſis & provinciæ Senonenſis capi per judicem ſæcularem, ſeu detineri, vel ultimo tradi ſupplicio, Judex requiſitus, ſeu monitus de reddendo eumdem Clericum, ſeu illam perſonam . . . . ipſius, ſuo judici Eccleſiaſtico non reddiderit, ſeu reſtituerit, vel reddere aut reſtituere noluerit, ſeu recuſaverit, aut plus debito diſtulerit, in ſuâ maliliâ perſeverans ceſſetur à divinis, celebratioque divinorum, ac divinæ laudis, organa . . . . dictis villis, caſtris, ſeu locis, quamdiù detinebitur, nec dum in illâ Eccleſiâ infrà cujus fines detinetur, ſed etiam in aliis Eccleſiis in dictis villis, caſtris, ſeu locis, ſi plures Eccleſiæ ſint ibidem; necnon in parochiâ in quâ hujuſmodi Clericum, ſeu perſonam . . . . aut transferri contigerit, & etiam in parochiâ ſeu parochiis, in quâ ſeu quibus capiens, ſeu detinens, aut ultimo ſupplicio tradens, capi, detineri, aut ultimo ſupplicio tradi faciens, vel procurans morabitur, ſeu habebit domicilium, aut . . . . aliis quibuſcumque, quamdiù in Eccleſiâ præſens erit, quouſque hujuſmodi Clerici ſeu perſonæ Eccleſiaſticæ fuerit facta reſtitutio debita, ſufficiens, integra & perfecta. Quod & ad Religioſorum Eccleſias & Monaſteria in dictis villis, caſtris, ſeu locis conſiſtentea ſeu conſiſtentia, & ad alias Eccleſias eiſdem contiguas extendi volumus; ne ſi in quibuſdam & non aliis ceſſaretur, ceſſationis & ſuſpenſionis hujuſmodi interdictio valeat vilipendi; & prædictas ceſſationes ac ſuſpenſiones auctoritate præſentis Concilii ab omnibus tam exemptis quàm non exemptis, cum de jure ad hoc etiam teneantur, volumus obſervari. Et nihilominùs præcipimus & mandamus, ut Curati tales capientes, detinentes, transferentes, ſeu ultimo ſupplicio tradentes, capi, detineri, transferri ſeu tradi ultimo ſupplicio facientes, ſeu etiam procurantes, excommunicatos à Canone denuntient publicè ſingulis diebus dominicis & feſtivis in Eccleſiis eorumdem.

CAPUT II.

De habitu Clericorum.

PRæterea cum ſit certum eos, qui abjectis veſtibus proprio convenientibus Ordini, alias aſſumere & in publico portare, rationabili cauſâ ceſſante præſumunt, ſe indignos reddere prærogativâ illius Ordinis profeſſorum; ſtatutum provinciale per dictum dominum Guillelmum factum, prohibens Clericis beneficiatis & Preſbyteris uti publicè caligis rubeis, viridibus, ſcatatis, ... & comam nutrire, barbamve prolixam, ſeu tonſuram inhoneſtam, aut à parte exteriori almutias de cendeto, ſeu de veluto deferre, imponens pœnam privationis medietatis diſtributionum, quantum ad beneficiatos poſt monitionem canonicam . . . . ſiſtentibus, & aliis arbitrariam, eodem approbante Concilio extendimus ad Clericos beneficiatos, & Religioſos in Eccleſiis ſeu locis ſuorum beneficiorum, vel Monaſteriorum, & ad Preſbyteros utentes palam per vias incedendo veſtibus froncatis, nimiùm fiſſis . . . . capuciis, aut capellis ſuper capita, vel taſſis; & corrigiis inhoneſtis, ſeu annulis in manibus, aut ſotularibus ad boucletas argenteas, ſive longis manicis vel cornetis. Item ut uniformitas in almuciis beneficiatorum de quibus ſuprà . . . . proviſione Concilii duximus ſtatuendum, quòd Canonici Cathedralium & Collegiatarum Eccleſiarum utantur almuciis nigris, forratis minutis variis: & alii Beneficiati in dictis Eccleſiis, etiam nigris, non tamen forratis minutis variis, ſed à . . . . privationis medietatis diſtributionum, quantum ad Canonicos, & quoad alios pœnam arbitrariam, lapſo feſto beatæ Mariæ Magdalenæ proximo imponentes.

CAPUT III.

Quid circà excommunicatos agendū.

ITem cum per dictum Dominum Guillelmum in provinciali Concilio ſtatutum fuerit, quòd ſi excommunicatus & aggravatus auctoritate ordinariâ per annum ſic ſteterit, & monitus ut infrà tres menſes continuos poſt dictum annum faciat ſe abſolvi, hoc non fecerit, ex tunc contrà ipſum ut ſuſpectum de hæreſi procedatur. Et in quâdam conſtitutione canonica, publicatâ in quodam Concilio & aliàs, caveatur quòd ſi ſuſpectus de hæreſi, vocatus ut de fide reſpondeat, excommunicationem in eum latam, pro eo quod parere ſubterfugit aut contumaciter ſe abſentat, per annum ſuſtinuerit, velut hæreticus condemnetur.

CAPUT IV.

Contra hæreticos.

ET inſuper quòd Ordinarii poſſint capere ſeu capi facere hæreticos, ſeu de hæreſi ſuſpectos, & etiam judices ſæculares, ſeu domini temporales ex parte Ordinariorum ſuper hoc requiſiti, eos capere ſeu capi facere teneantur ſecundùm legitimas & canonicas ſanctiones. Eodem approbante Concilio ſtatuimus, quòd ſi dicti judices ſeu domini ex parte Ordinariorum ſuper hoc requiſiti eoſdem hæreticos, ſeu de hæreſi ſuſpectos, intrà tempus ab Ordinariis præfigendum capere, ſeu capi facere cum potuerint, & captos reddere diſtulerint, ſeu recuſaverint aut neglexerint, excommunicati ſint auctoritate ſacri provincialis Concilii, abſolutione, præmiſsâ ſatisfactione, Ordinariis reſervatâ.

CAPUT V.

Legata Eccleſiæ non aliis uſibus applicanda.

ITem cum ad ea quæ ad certum uſum deſtinata ſunt, ad illum debeant, non ad alium converti; & in ſtatutis provincialibus contineatur, quòd ea quæ legantur, vel debentur ad emendos redditus, illi ad quos pertinet recipiant à debitoribus, & deponant in utilitatem Eccleſiarum convertenda, nec in uſus Sacerdotum proprios revertantur. Nos eodem approbante Concilio ſtatutum hujuſmodi declaramus ſic, quòd hujuſdomi debita vel legata in quâdam arcâ in Eccleſiâ deponantur, cujus arcæ unam clavem habeans Decanus Chriſtianitatis,

Digitized by Google

Archipreſbyter vel Sacerdos, & aliam Matrienlam ſeu Provisores; quodque citiùs quàm poterit fieri, in redditibus, vel aliàs ſecundum Diœceſanorum arbitrium convertantur.

CAPUT VI.

ITem cum in ſtatutis provincialibus caveatur ſpecialiter & expreſsè, quòd illi qui ad provinciale Concilium venire tenentur, ſi propter impedimentum canonicum remaneant, ſe excuſent per idoneum nuntium literatoriè deſtinatum, qui poſſit facere fidem per juramentum de impedimento canonico; ſuper quo etiam debet habere mandatum; quodque literæ aliquorum in Concilio nullatenùs admittantur, niſi ſcribant cum obedientiâ debita. Nos ſtatutum hujuſmodi innovando, ipſum taliter declaramus, quòd in procuratoriâ ſic ſcribatur: *Reverendo in Chriſto Patri ac Domino, Domino, &c. recommendationem & obedientiam debitam, cum omni reverentiâ & honore.*

CAPUT VII.

ITem cum per literas citatorias de *Rogamus* multi quandoque vexantur indebitè & injuſtè, nos ſacro approbante Concilio ſtatuimus, quòd literæ hujuſmodi non tranſeant, niſi contineatur in eis, quod pars impetrans, vel Procurator ſuus fidem per juramentum, vel aliàs fecerit de contractu, & ſignetum Officialis, ſeu ejus locum tenentis, cum ſigillo Curiæ in eis ſit appoſitum.

CAPUT VIII.

ITem eodem approbante Concilio præcipimus & etiam ordinamus, quòd Prioratus, & Eccleſiæ parochiales, in quibus non ſunt ſufficientes redditus uniantur juxtà canonicas ſanctiones: quodque per Diœceſanos præſentatis, per quaſcumque perſonas Eccleſiaſticas præſentandi ad aliquas Eccleſias jus habentes, de proventibus Eccleſiarum hujuſmodi portiones debitæ aſſignentur, prout & ſecundùm quod in ſacris conſtitutionibus Canonicis ſuper hæc editis continetur.

CAPUT IX.

ET inſuper, quòd antiquæ conſtitutiones, & novæ canonicæ tam in antiquis decretalibus, quàm in Clementinis in titulo de Religioſis domibus ſituatæ, mentionem de xenodochiis, leproſariis, & eleemoſynariis facientes, inviolabiliter ac integrè obſerventur.

CAPUT X.

ITem ſacro approbante Concilio inhibemus Abbatibus, Prioribus, Curatis & Beneficiatis aliis, ne permittant Monaſteria ſua, vel Eccleſias, ſeu domos ruere, aut hæreditagia inculta remanere; & ſi non poſſint in totum reficere vel colere, ſtatuimus & etiam ordinamus, quòd ſaltem quolibet anno ponant in refectiones & culturas hujuſmodi aliquam quotam partem, Diœceſani arbitrio limitandam, quæ per deputandos à Diœceſano in refectiones & culturas hujuſmodi convertatur, niſi ad reparationes, vel refectiones prædictas alius teneatur.

CAPUT XI.

Reditus Prioratuum, & aliorum Beneficiorum menſis ſibi retinere Prælati.

PRohibentes etiam Prælatis Regularibus, ne Prioratus, Eccleſias, Adminiſtrationes, aut Beneficia ad eorum diſpoſitionem ſpectantia, quæ non ſunt de menſâ ſua, ſed ſpeciales Priores, Adminiſtratores ſeu Rectores conſueverunt habere, applicent menſis ſuis, vel penſiones veteres augeant, aut novas eis imponant; ipſiſque præcipimus, quòd facta in contrarium ad ſtatum priſtinum reducantur. Et niſi moniti per Diœceſanos hoc fecerint, per eos arbitrariè puniantur; & nihilominùs attentata ſecus, in ſtatu debito reponantur.

CAPUT XII.

De Matrimonio, uſura, & decimis.

ITem eodem approbante Concilio præcipimus & etiam ordinamus, quòd Conſtitutio Clementina in titulo de Judiciis poſita, quâ cavetur, quòd in cauſis matrimonialibus, uſurarum, & decimarum, ac quibuſdam cauſis aliis ibi expreſſis, & eas quoquo modo tangentibus, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu & figurâ judicii procedatur, uniformiter ab omnibus obſervetur, præſertim quando Curati, vel viri Eccleſiaſtici habent ſuper hæc litigare. Quodque ad rectam & integram præſtationem decimarum ſine deductione aliqua talibus faciendam illi, qui tenentur ad eas, monitione præmiſſâ, per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur; & ut libentiùs hoc faciant, conſtitutionem primam ſitam in titulo de Decimis libro ſexto, hîc duximus publicandam, & etiam inſerendam, quæ fratribus Prædicatoribus & Minoribus dirigitur per hunc modum: » Diſcretioni veſtræ mandamus, diſtrictiùs inhibentes, ne talia, quæ audientes à decimarum, vel aliarum rerum Eccleſiis debitarum ſolutione retrahant, vel aliàs animos corrumpant audientium, in ſermonibus veſtris, vel alibi de cætero proponere præſumatis; quinimò verbo & opere informetis eoſdem ut ad ſolutionem prædictorum propriæ voluntatis animo ſint intenti. «

CAPUT XIII.

Indulgentiæ in recitatione ſalutationis Angelicæ.

ITem auctoritate dicti Concilii præcipimus, quòd obſervetur inviolabiliter ordinatio facta per ſanctæ memoriæ Joannem Papam viceſimum ſecundum, de dicendo ter *Ave Maria* tempore ſeu horâ ignitegii; in quâ ordinatione conceditur certa indulgentia dicentibus ter *Ave Maria*, dictis tempore & horâ, & cum hoc ipſo ſacro approbante Concilio, omnibus tunc orantibus pro ſtatu proſpero Eccleſiæ & Regni, ac pro pace, Dominis Rege & Reginâ, liberiſque ipſorum, ac dicentibus tunc *Pater noſter & Ave Maria*, concedimus indulgentias quæ ſequuntur; videlicet ſingulis diebus auctoritate noſtrâ triginta dies, & cujuſlibet Suffraganei viginti dies in provinciâ Senonenſi.

In quorum omnium & ſingulorum præmiſſorum teſtimonium ſigillum noſtrum, unà cum dictorum Suffraganeorum noſtrorum præſentium ſigillis, hujuſmodi litteris duximus apponendum.

Datum & actum in domo Epiſcopali Pariſienſi, anno & die prædictis.........

G. Pariſienſ. P. Autiſſiodorenſ. J. Meldenſ.
J. Trecenſ. B. Nivernenſ.

Digitized by Google

ANNO 1485. *Ex Tabulario Eccl. Senonenſis.*

CONCILIUM SENONENSE,

ANNO DOMINI M. CD. LXXXV.

PRÆSIDE TRISTANDO DE SALAZAR ARCHIEPISCOPO,

CELEBRATUM.

In quo Conſtitutiones Concilii itidem Senonenſis, an. Dom. M. CD. LX. *congregati ſub* LUDOVICO *de Moliduno* TRISTANDI *deceſſore, innovantur, nonnulla immutantur, pauca adduntur.*

IN nomine Domini, Amen. Univerſis præſentes litteras inſpecturis; TRISTANDUS miſeratione divinâ Senonenſis Archiepiſcopus, ſalutem in eo qui eſt omnium vera ſalus. Suſcepti paſtoralis officii cura ſollicitat ſubditorum compendiis, in quorum proſperitate proſperamus, & animarum ſaluti jugi attentione cogitationis intendamus; quatenùs à nobis excuſſo negligentiæ ſomno, noſtrique cordis oculis diligenter vigilantibus, eorumdem ſubditorum periculis & incommodis obviare, animaſque ipſas Deo lucrifacere ſuâ nobis cooperante gratiâ valeamus. Sed cum plures uno ſecuriùs incedant, fortiùs reſiſtant, faciliùs operentur, & in eo jocundiùs exultentur: ad hæc ſacra inſtituta ſunt Concilia, ut in Eccleſiâ unitas animorum concordiâ, & vitæ puritas ordine debito conſerventur. Quòd ſi per ſubverſiones morum, illecebras vitiorum, & divinorum tranſgreſſionem præceptorum hæc impediri vel turbari contingat, dignum eſt, ut ſacris Conciliis ſummâ cum diligentia & ſollicitudinis ſtudio reformentur, reparentur, & emendentur. Itaque ſi nunc ſtatum Eccleſiaſticum rectè conſideremus, ipſum multimodis contaminatum, & à ſanctiſſimorum Patrum traditionibus errantem invenimus. Et licet[a] aliàs tam per ſacras canonicas quàm provinciales ſanctiones ſalubriter ſit proviſum; quia tamen nulla ſanctio quantumcomque perpenſo digeſta concilio ad humanæ naturæ varietatem ſufficit; nec aliquid adeo certum clarumque vix ſtatuitur, quin ex cauſis emergentibus, quibus jura & ſtatuta jam facta mederi non poſſunt, in dubium revocetur, neceſſaria eſt Superioris auctoritas, ut per cultoris providi ſarculum exſtirpet vitia, virtutes inſerat, exceſſus corrigat, moreſque reformet. Hinc eſt quòd nos TRISTANDUS prædictus cupientes ſuper his, quantum nobis ex alto conceditur, oportunum adhibere remedium, in noſtro ſacro provinciali Concilio die Sabbati viceſimâ tertiâ menſis Junii, cum continuatione dierum ſequentium anni Domini milleſimi quadringenteſimi octuageſimi quinti, unà cum venerabilibus Fratribus noſtris Dominis AGILONE Carnotenſi, Suffraganeorum noſtræ provinciæ Decano, JOHANNE Autiſſiodorenſi, PETRO Nivernenſi, JOHANNE Meldenſi, & JACOBO Trecenſi Epiſcopis; ac Vicario & Procuratore venerabilis Fratris & Suffraganei noſtri Domini FRANCISCI Epiſcopi Aurelianenſis, venerabili etiam Fratre & Suffraganeo noſtro Domino LUDOVICO Pariſienſi Epiſcopo ſe contumaciter abſentante, & pro contumace de eorum Fratrum noſtrorum conſilio à nobis reputato: nonnulliſque Abbatibus, Prioribus Conventualibus, tam Cathedralium quàm Collegiatarum Eccleſiarum Procuratoribus, cæteriſque quampluribus Eccleſiaſticis tam ſecularibus quàm Regularibus, exemptis & non exemptis noſtrarum diœceſis & provinciæ Senonenſis, qui tam de jure quàm de conſuetudine potuerunt & debuerunt intereſſe, nonnullis tamen licet debitè convocatis minimè comparentibus, nec pro ſe mittentibus ad ordinandum, ſtatuendum, & reformandum ea quæ eſſent ordinanda, ſtatuenda, corrigenda, & reformanda; celebrato in noſtrâ civitate Senonenſi congregatis.

Concil. celebratum die 23 Jun. an. 1485.

Ludovicus Pariſienſis abeſt à Concilio contumaciter.

Eodem approbante Concilio ſtatuimus & ordinavimus ſacras conſtitutiones canonicas, & etiam provinciales, circà præmiſſa in poſtremo provinciali Concilio per defunctum bonæ memoriæ Dominum LUDOVICUM immediatum prædeceſſorem noſtrum, in dictâ civitate Senonenſi die Martis poſt Dominicam diem, quâ in ſanctâ Dei Eccleſiâ pro Miſſæ officio cantatum extitit *Reminiſcere*, tertiâ menſis Martii, cum certarum aliarum inde ſequutarum dierum continuatione, anni videlicet Domini milleſimi quadringenteſimi ſexageſimi celebrato, ordinato & facto; publicatas & editas in eodem noſtro ſacro præſenti Concilio fore publicandas, & altâ voce legendas, quas ne fraudatrix oblivio à memoriâ evellat, vel excutiat, hic propriis duximus & juſſimus inſerendas vocabulis.

Ratas habet conſtitutiones à prædeceſſore ſuo Ludovico editas an. 1460.

IN nomine Domini, amen. Univerſis præſentes litteras inſpecturis, LUDOVICUS miſeratione divinâ Senonenſis Archiepiſcopus, ſalutem in Domino ſempiternam. Provincialis ſollicitudinis cura noſtris incumbens humeris, non ſolùm pro merito apud Deum conſequendo, verùm ne de torpore, deſidiâ, aut neglectu villicationis noſtræ in die tremendi judicii arguamur, noſtrum excitat officium, ut quantum cum ſupremo directore poſſumus, cæteris quibuſcumque poſtpoſitis, ſaluti provincialis gregis nobis commiſſi paterno intendamus affectu, & devia quæque in viam, deformata in formam, & morum obnubilata vitio in ſplendorem reparentur antiquum. Quantâ enim auctoritate provincialia Concilia, quæ à Chriſto, ſacroque Apoſtolorum collegio ſumſerunt exordia, refulgeant, veritas quæ ſe ipſam in medio ſtare pollicetur, & dicit, oſtendit & manifeſtat. Quæ ſi retroactis temporibus, malitiâ

Conſtitutiones Synodi Senonenſis ſub Ludovico.

[a] *& licet*] Hæc iiſdem verbis habentur in Concilio Senonenſi anni 1350.

dierum, voraginibus guerrarum exigentibus, minùs per eorum celebrationem in notitiam reducta fuerint vel effectum, nunc impedimentis cœleſti dono ceſſantibus, & ea venerari & colere ad Dei laudem, animarumque ſalutem, ac vitiorum extirpationem, decrevimus.

Tempus Concilii Senon. ſub Ludovico an. 1460.

Præfixo igitur per noſtras patentes litteras termino ad diem Martis poſt Dominicam diem, quâ in ſanctâ Dei Eccleſiâ pro Miſſæ introitu *Reminiſcere* cantatum eſt, tertiâ menſis Martii hujus anni Domini milleſimi quadringenteſimi ſexageſimi more gallicano, cum continuatione dierum ſequentium, uſque ad hanc præſentem diffinitionis diem. Quâ die, ſeu aliâ ab eâ dependente & continuatâ, certis de cauſis rationabilibus nos ad hoc monentibus, videlicet die Jovis inde ſequente, quæ fuit quinta prædicti menſis Martii, poſt præſentationes & communicationes cum venerabilibus fratribus & ſuffraganeis noſtris inferiùs deſcriptis, dictâ die Martis & Mercurii ſequentis præhabitis, Patrum & prædeceſſorum noſtrorum in conſimilibus ſalutaria inſequentes veſtigia, in præſentiâ dictorum Fratrum & Suffraganeorum noſtrorum, videlicet MILONIS Carnotenſis, Decani Suffraganeorum noſtrorum, GUILLELMI Pariſienſis, JOHANNIS Nivernenſis, PETRI Autiſſiodorenſis, JOHANNIS Meldenſis, & LUDOVICI Trecenſis, Dei gratiâ Epiſcoporum; necnon venerabilis & diſcreti viri Domini STEPHANI Plaiſance, utriuſque juris Doctoris, venerabilis fratris etiam & ſuffraganei noſtri Domini THEOBALDI. Dei gratiâ Aurelianenſis Epiſcopi debitè excuſati Procuratoris; nonnullorumque Abbatum, & Priorum Conventualium, ac Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum Procuratorum; plurimorumque virorum Eccleſiaſticorum tam ſæcularium quàm regularium, exemptorum & non exemptorum in magno & notabili numero, tam pro ſe ipſis quàm aliorum abſentium convocatorum Procuratorum, nonnullis tamen licet debitè convocatis minime comparentibus, nec pro ſe mittentibus. Miſsâque de ſancto Spiritu cum devotis orationibus atque proſtrationibus, per nos in noſtrâ Senonenſi Eccleſiâ devotiſſimè celebrata, ac ſolemni verbi Dei exhortatione ad reformationem ſalutarem hujus noſtræ Provinciæ præhabitâ, ad locum pro dicti Concilii celebratione deſignatum congruo ordine accedentibus, & in eo juxtà morem Patrum in locis ordinatis, abſque cujuſcumque dignitatis eorum præjudicio ſedentibus; abſentibus, qui citati fuerant debitè evocatis, & eorum abſentiâ Dei repletâ præſentiâ; iterum in eodem loco expoſitione & declaratione, de auctoritate & inſtitutione Conciliorum provincialium, de neceſſitate & utilitate eorum, de modo procedendi in eis ſeriosiùs habitâ atque factâ, ac libertate omnibus conceſsâ atque datâ, ut quæcumque corrigenda vel emendanda in ſtatu Eccleſiaſtico cognoſcant, plenâ cum libertate, ſolum Deum habentes præ oculis, in medium ſuo ordine deducerent, habentes animum liberum atque rectum. Viſiſque & auditis, & verbo atque ſcriptis nonnullis variis conſultationibus, conſiliis, tractatibus, & adviſamentis, per viros expertos & doctos traditis & expoſitis, lectiſque in publico prædeceſſorum noſtrorum in conſimilibus provincialibus Conciliis, ordinationibus, & ſtatutis, ut ordinatiùs & convenientiùs omnia determinarentur, fierent & concluderentur abſque confuſione quâcumque, quatuor principalia per dies varios tractanda cenſuimus. Primum de Dei reverentiâ atque cultu, & de divini ſervitii celebratione ſincerâ & devotâ; in quo præcipuè conſiſtit vocatio & converſatio Eccleſiaſtica, & in quo ſummè conſiſtit ſalus noſtra. Secundum de correctione morum virorum Eccleſiaſticorum, & de eorum converſatione, veſtibus, vitâ, moribus, & doctrinâ. Tertium de fideli adminiſtratione, & bonorum temporalium conſervatione, eorumque ſincerâ & debita diſtributione. Quartum oppreſſiones & gravamina Eccleſiis & viris Eccleſiaſticis illata, & inferenda, Domino dirigente perquirenda. Nos igitur in hac ſanctâ Synodo favente Altiſſimo divinâ gratiâ congregati ad reſtaurationem domûs Dei, & ſalutem gregis Dominici, morum reformationem, & pacem Eccleſiæ noſtræ provinciæ, pro viribus jugiter ex noſtri officii debito intendere, & ſolerter vigilare cupientes, eum conſilio, deliberationeque, ac voluntate omnium noſtrorum pariter & aſſenſu, ſtatuimus & ordinamus ſtatuta & ordinationes quæ ſequuntur.

Partes Concilii.

Quatuor tractanda & ordinanda hoc in Concilio proponuntur.

ARTICULUS PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De modo celebrandi ſervitium: de aſſiſtentiâ miniſtrorum.

LICET antiqua Patrum traditio, ac ſacrorum Conciliorum, Summorumque Pontificum canones & ſalutaria decreta, & Conciliorum provincialium ſtatuta, modum & formam, & qualiter in domo Domini converſandum ſit, verbo pariter & exemplo poſterioribus reliquerint, & ſalubriter in Domino providerint; quia tamen ipsâ experientiâ docente in neglectum, oblivionem, vel contemptum noſtris, proh dolor! temporibus collapſa ſunt, dignum viſum eſt in præmiſſis, tùm antiquorum innovatione, tùm novorum editione præceptorum, ad perpetuam rei memoriam piam adhibere medelam. Cum igitur quæ à majoribus conſtituta ſunt, majori ſemper auctoritate firmentur, & funiculus triplex de difficili rumpatur, volentes & cupientes, ut ſancta & ſalubris ordinatio & conſtitutio ſacri generalis Baſilienſis Concilii per Prælatos totius Regni, pariter & Delphinatûs, Bituris acceptata decenter circà divini celebrationem ſervitii, in cantu, prolatione, determinatione horarum, aſſiſtentiâ & honeſtate miniſtrorum, quæ in diſſuetudinem & neglectum à multis deducta eſt, ſub ipſius auctoritate generalis Concilii congregatos, etiam Bituricenſis ac hujus noſtri ordinatione Concilii debitè publicetur, & fideliter obſervetur. Illam inter cætera hujus provincialis Concilii decreta duximus inſerendam, cujus tenor ſequitur & eſt talis:

Concilium generale Baſilienſe receptum à Galliæ Prælatis.

Si quis Principem ſæculi rogaturus habitu honeſto, geſtu decente, prolatione non præcipiti, ſed diſtinctâ, attentâ quoque mente ſeipſum ac verba ſtudet componere, quanto diligentiùs in hoc loco ſacro Omnipotentem oraturus Deum, hæc omnia facere curabit? Statuit igitur hæc ſancta Synodus, ut in cunctis Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis, horis debitis, ſignis congruâ pulſatione præmiſſis, laudes divinæ per ſingulas horas non curſim ac feſtinanter, ſed tractim & cum pausâ decenti, præſertim in medio cujuſlibet verſiculi pſalmorum, debitam faciendo inter ſolemne & feriale officium differentiam, reverenter ab omnibus perſolvatur. Horas canonicas dicturi cum tunicâ talari & ſuperpelliciis mundis ultrà medias tibias longis, vel cappis juxtà temporum & regionum diverſitatem, Eccleſias ingrediantur, non capucia, ſed almucia vel bireta tenentes in capite. Qui cum in choro fuerint, gravitatem ſervent quam & locus & officium exigunt, non insimul aut cum aliis fabulantes ſeu colloquentes, aut litteras ſeu ſcripturas alias legentes; & cum pſallendi gratiâ ibidem conveniant, muta aut clauſa labia teneat

Seſſ. 21. Quomodo divinum Officium in Eccleſiâ celebrandum ſit.

Veſtes Canonicorum in Choro.

tenere non debent, ſed omnes, præſertim qui majori funguntur honore, in pſalmis, hymnis & canticis Deo alacriter modulentur. Cum dicitur *Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto*, omnes conſurgant. Cum nominatur illud glorioſum nomen JESUS, in quo omne genu flectitur cœleſtium, terreſtrium & infernorum, omnes caput inclinent. Nemo ibidem dum horæ in communi publicè cantantur legat, vel dicat privatim officium: nam non ſolùm obſequium qui obnoxius eſt choro ſubſtrahit, ſed alios pſallentes perturbat. Super his debitè obſervandis aliiſque ad divini officii proſequutionem, ac chori diſciplinam ſpectantibus, Decanus, vel cui incumbit onus, diligenter invigilet, hinc inde ne quid inordinatè fiat circumſpiciens. Horum autem tranſgreſſores, illius horæ in quâ circa prædicta exceſſerint, vel aliâ majori prout tranſgreſſionis gravitas exigit, plectantur pœnâ. Salvis tamen laudabiliter conſuetudinibus & ſtatutis, ac obſervantiis ſpecialibus Eccleſiarum ſingularum Regni & Delphinatûs. Item acceptat decretum quo tempore quiſque debet eſſe in choro, quod incipit: Qui in matutinis ante finem pſalmi: *Venite exultemus*; in aliis horis ante finem pſalmi primi; in Miſsâ ante ultimum *Kyrie eleyſon*, uſque in finem divino officio non interfuerit, niſi forte neceſſitate cogente, aut petita & obtenta à præſidente chori licentiâ, diſcedere oporteat, pro illâ horâ abſens videatur. Salvis Eccleſiarum conſuetudinibus, ſi quæ forte circà hæc arctiores exiſtant. Item obſervetur in his, qui à principio uſque in finem in proceſſionibus non permanſerint. Pro cujus exequutione deputetur aliquis onus habens notandi perſonas ſingulas ſtatuto tempore non convenientes, juramento adſtrictus agere fideliter & nulli parcere. Jubet etiam hæc ſancta Synodus, quod in aliis Eccleſiis, in quibus ſingulis horis certæ diſtributiones ſtatutæ non ſunt, omninò etiam de groſſis fructibus, ſi opus ſit, deputentur, ut juxtà menſuram laboris plus minuſve quiſque capiat emolumenti; tollens prorsùs abuſum illum, quo in unâ dumtaxat horâ præſens totius diei diſtributiones uſurpat: & illum quem Præpoſiti, vel Decani, aut alii Officiales, ex hoc ſolùm quod Officiales ſint, licet actualiter pro utilitate Eccleſiæ non abſint, quotidianas diſtributiones percipiunt.

Seſſ. ubi ſupra. Quo tempore quiſque debeat eſſe in choro.

In eâdem ſeſſ. Qualiter horæ canonicæ extra chorum dicendæ ſint.

Item acceptat decretum qualiter horæ canonicæ ſint dicendæ extrà chorum, quod incipit: Quoſcumque etiam alibi beneficiatos, ſeu in ſacris conſtitutos, cum ad horas canonicas teneantur, admonet hæc ſancta Synodus ſi orationes ſuas Deo acceptas fore cupiunt, ut non in gutture, vel inter dentes, ſeu deglutiendo, aut ſyncopando dictiones vel colloquia, nec riſus intermiſcendo, ſed ſive ſoli, ſive aſſociati, diurnum nocturnumque Officium reverenter, verbiſque diſtinctis peragant; ac tali in loco unde à devotione non detrahantur, ad quam ſe diſponere & præparare debent juxtà id quod ſcriptum eſt: *Ante orationem præpara animam tuam; ne ſis quaſi qui tentat Deum.*

Geneſ. 18. 23.

b

Ibidem. De his qui tempore divinorum vagantur per Eccleſiam.

Item acceptat decretum, de his qui [b] tempore divinorum officiorum vagantur per Eccleſiam, quod incipit: Quicumque in Eccleſiâ Beneficiatus, præſertim de majoribus, divinorum tempore per Eccleſiam vel foris circà ipſam deambulando, vel cum aliis colloquendo, vagari viſus fuerit, non ſolùm illius horæ, ſed totius diei præſentiam ipſo facto amittat. Qui ſi ſemel correctus non deſtiterit, per menſem diſtributionibus careat, vel graviori, ſi pertinacia exegerit, pœnæ ſubjaceat, ita ut tamen deſiſtere cogatur. Prohibetur etiam ne divina officia tumultuoſi quorumcumque per Eccleſiam diſcurſus impediant vel perturbent. Regulares qui in Conventualibus Eccleſiis circà prædicta exceſſerint, gravi pœnâ Superioris arbitrio caſtigentur.

Ibidem. De tabulâ pendente in choro.

Item acceptat decretum de tabulâ pendente in choro, quod incipit: Ut cuncta in domo Dei ordinatè procedant, & quilibet ſciat quid agendum imminet, ſtatuatur tabula aliqua continuè pendens in choro, in quâ quid per unumquemque ex Canonicis, vel aliis Beneficiatis, in ſingulis horis per hebdomadam, aut majus tempus legendum, cantandumve ſit. Qui autem ſecundùm quod ibi deſcriptus fuerit facere per ſe vel alium neglexerit, pro quâlibet horâ diſtributiones unius diei amittat.

Hæc omnia ex dicti ſacri Concilii generalis, & Congregatione Bituricâ; necnon & alia circà divini ſervitii celebrationem in eodem ſacro Concilio & congregatione celebrata, quæ in conſtitutione pragmatica circà divinum ſervitium continentur, & hic cauſâ brevitatis obmittuntur: quæ latiùs in dictis conſtitutionibus & ordinationibus poterunt videri, & publicari volumus & ſervari: adjicientes inſuper circà Eccleſiæ & converſationis in eâ honeſtatem, & circà divini celebrationem ſervitii quæ ſequuntur.

CAPUT II.

De honeſtâ converſatione in Eccleſiâ; & prohibitione garrulationum & deambulationum.

De obſervandis circà cultum.

Concil. Lugdunenſe, præſidente Greg. X cap. 25.

CUm domum Domini, quæ domus orationis, non negotiationis, aut confabulationis eſſe dignoſcitur, deceat ſanctitudo, & ex ordinatione ſanctiſſimâ jamdudum celeberrimi Lugdunenſis Concilii, in quo & Latinorum pariter & Græcorum Eccleſiaſticorum, & ſæcularium Principum, & aliorum numeroſa convenit multitudo, ad ſacras Eccleſias humilis & devotus eſſe debeat ingreſſus & egreſſus, & ſancta in eis converſatio pariter & devota, quæ Deo & hominibus placida & accepta ſit, aſpicientes inſtruat, ædificet pariter, reficiat & delectet. Statuimus & ordinamus, hortamur, monemus, juxtà prædicti Lugdunenſis ſtatuta Concilii, ut ad Eccleſiam accedentes devotis orationibus, & divini nominis invocationi & venerationi inſiſtere habeant. Nullus in locis eiſdem, in quibus vota Domino convenit celebrari, ſeditionem excitet, conclamationem moveat, impetumve committat. Ceſſent univerſitatum & ſocietatum quarumlibet conſilia, conciones, & publica parlamenta, vanaque & multo fortiùs fœda & prophana colloquia, confabulationes, & alia quæ poſſunt divinum ſervitium perturbare, aut oculos divinæ Majeſtatis offendere; ne ubi peccatorum venia poſtulanda, ibi detur peccandi occaſio, aut committi deprehendantur peccata. Quia verò petulanti animo dicti ſacri Concilii inhibitiones, & ordinationes ſanctiſſimas, & inhibitiones antedictas multi contemnere non verentur: alii propter ignorantiam & neglectum; alii per temeritatem & contemptum; Statuimus & ordinamus dictam ordinationem prædicti celeberrimi Concilii, in corpore juris ſcriptam, incipientem: *Domum Domini decet ſanctitudo*, etiam verbis gallicis ſæpiùs populo prædicari, & tranſgreſſores quoſcumque, ultrà divinæ Majeſtatis indignationem quam incurrunt, ſicuti in eodem ſacro Concilio conſtitutum eſſe dignoſcitur, per Ordinarios coerceri.

Cap. Decet domum. De immunitate Eccl. in 6.

Adjicientes inſuper, quòd viri Eccleſiaſtici, in

b *de his qui*] Sic in margine edi curavit Acherius, in textu hæc unum legebatur, *quo tempore.*

quibus tranſgreſſio periculoſior eſſe dignoſcitur, tempore ſervitii in choro diligenter aſſiſtant, & in oratione unanimes à garrulationibus & confabulationibus, & omnibus quæ divino cultui impedimentum afferre poſſent, vel ſcandalum, aut detrimentum, penitùs abſtineant; his quæ in choro cantantur diligenter intendant, in conformitate cæterarum gentium, flexiones, ſtationes, vel ceſſiones in conformitate & concordiâ chori, abſque diſparitate cæterorum conſervent. Horas ſuas particulariter, vel alia ſua ſervitia, per ſe vel cum alio in choro non dicant, ad nihil aliud quàm ad ſervitium chori diligenter attendant. Quia verò ſancta & ſalutaris divini ſervitii cultûs obſervatio per deambulationes prædictas, garrulationes, circuitiones & evagationes à choro & loco ſervitii plurimùm impeditur, & ſcandala plurima in Dei Eccleſiâ & fidelium mentibus generantur; Statuimus & ordinamus omnes à talibus deambulationibus & confabulationibus abſtinere, prout in decreto ſacri generalis Concilii ſuperiùs citato continetur. Injungentes Decanis, Cantoribus, Abbatibus, Prioribus, & Officiariis quibuſcumque, ad quos ſpectat alios corrigere atque dirigere, ut zelo Domini qui nummularios de templo & negociatores dejecit, convenienter acernis, talia reprimant & corrigant tam increpationibus, exprobrationibus publicis & privatis, quàm privationibus diſtributionum, & pœnis aliis, & cenſuris contrà contemptores viriliter & abſque acceptione perſonarum procedentes, prout qualitas perſonarum, & quantitas exceſſus, ac continuatio requirere videbuntur, ad Dei & Eccleſiæ gloriam & honorem, ad exemplum & bonam ædificationem cæterorum.

Joan. 2. 15.

CAPUT III.

De choreis & ludis in Eccleſiis non fiendis.

ITem cum per Choreas, & ludos theatrales, ludificationes, & inſolentias ſoleant templa Domini profanari, & ſacra in vilipendium deduci, in utriſque Eccleſiaſticis talibus ſe immiſcentibus ſcandala & opprobria generari, ludos, & choreas, & tales inſolentias in ſacris Eccleſiis & locis de cætero fieri prohibemus. Quòd ſi ad memoriam feſtivitatum, & venerationem Dei ac Sanctorum, aliquid juxtà conſuetudines Eccleſiæ, in Nativitate Domini, vel Reſurrectione videatur faciendum, hoc fiat cum honeſtate & pace abſque prolongatione, impedimento, vel diminutione ſervitii, larvatione, & fœdatione faciei, ex ſpeciali permiſſione Ordinarii, & beneplacito miniſtrorum ipſius Eccleſiæ. Ut autem hæ inſolentiæ ludorum, circà feſtum præſertim Innocentium, in aliis noſtris provincialibus ſtatutis prohibitæ, & quam prohibitionem iterum renovamus, penitùs arceantur: Conſtitutionem ſacri Baſilienſis Concilii obſervandam, & hunc noſtro præſenti ſtatuto duximus inſerendam, cujus tenor ſequitur, & eſt talis:

Turpem etiam illum abuſum in quibuſdam frequentatum Eccleſiis, quo certis annis nonnulli cum mitra, baculo, ac veſtibus pontificalibus more Epiſcoporum benedicunt, alii ut Reges & Duces induti; quod feſtum fatuorum, vel innocentium, ſeu puerorum in quibuſdam regionibus nuncupatur; alii larvales & theatrales jocos, alii choreas ac tripudia marium ac mulierum facientes, homines ad ſpectacula & cachinnationes movent; alii comeſſationes & convivia ibidem præparantes. Hæc Synodus deteſtans, & ſtatuit & jubet tam Ordinariis, quàm Eccleſiarum Decanis & Rectoribus, ſub pœnâ ſuſpenſionis omnium proventuum Eccleſiarum trium

Seſſ. 21 ſub finem.
De ſpectaculis in Eccleſia non faciendis.

menſium ſpatio, ut hæc aut ſimilia ludibria, etiam mercantias, ſeu negotiationes nundinarum in Eccleſiâ, quæ domus orationis debet eſſe, & etiam cœmeteriis exercere ampliùs non permittant; tranſgreſſoreſque per cenſuram Eccleſiaſticam, aliaque juris remedia, punire non negligant.

Adjicientes etiam quòd mercimonia negotiationis intrà Eccleſiam fieri nullatenùs de cætero permutantur. Quodque infrà ſepta ſeu clauſuram Monaſteriorum tam virorum, quàm mulierum, choreæ & tripudia nullo unquam tempore exerceantur per quoſcumque; nec etiam extrà ipſa Monaſteria liceat Religioſis perſonis in quibuſcumque locis præfatas choreas & tripudia agere; & in contrarium facientes per eorum Superiores debitè puniantur.

CAPUT IV.

De diſtributionibus, & diſcurſoribus qui plures præbendas in eadem civitate obtinent.

CUm ad ſacrum provinciale Concilium Pariſius celebratum multæ fuiſſent delatæ querimoniæ ſuper evagatione & diſcurſu canonicorum, & aliorum, in eadem civitate & villa in pluribus Eccleſiis præbendas & beneficia obtinentium, dictum ſacrum provinciale Concilium certas monitiones & injunctiones cenſuit faciendas. Quarum tenor ſequitur ſub his verbis.

In aliquibus villis & civitatibus hujus noſtræ Senonenſis Provinciæ plures ſunt præbendatæ Eccleſiæ, in quibus omnibus vel duabus ex ipſis aliqui præbendati exiſtunt, qui inhoneſtæ cupiditatis radice moti, quotidie volunt eiſdem horis ſuas diſtributiones in utriſque Eccleſiis lucrari; ex quo plerumque accidit, quòd de unâ Eccleſiâ ad aliam cum ſuis veſtimentis Eccleſiaſticis per villam diſcurrunt celeriter, ex quo à popularibus illuduntur, eorumque devotio & reverentia ad Deum & Eccleſiam diminuuntur. Quapropter nos ſupradictarum Eccleſiarum Capitulis injungimus, quatenùs ſic circà tales diſcurſiones & abuſus ad honorem Dei curent providere, quòd opus non ſit aliunde perquirere remedium. Hujus ergo ſacri auctoritate Concilii injungimus, quatenùs Ordinarii & Superiores dictorum Capitulorum & Eccleſiarum de diligentiis per Capitula circà hoc factis & habitis diligenter inquirant, & cum omni curâ & ſollicitudine, perſonarum qualitate, ac ipſarum Eccleſiarum penuriâ vel abundantiâ penſatis & attentis, proviſionem adhibeant, ut omnis turpis quæſtus & evagatio, & ſervitii neglectus evitentur, & ſcandalis ex diſcurſibus talibus occurratur. Providentes etiam, ut horis ſingulis, præſertim principalibus, Miſſis, Matutinis, & Veſperis diſtributiones ordinentur, nec unus unâ horâ diſtributionem alterius habeat vel lucretur. Facientes etiam circà hanc diſtributionum materiam obſervari decretum circà hoc in ſacro Baſilienſi conſtitutum Concilio, & per Eccleſiam Regni & Delphinatûs Bituris acceptatum.

Ex Concilio provinciæ Senon. Pariſius celebrato.

Seſſ. 21. Quo tempore quiſque debeat eſſe in choro.

*Cum ſacrum Lateranenſe Concilium relinqui noluerit incorrectum quod quidam Clerici & adminiſtratores Eccleſiarum, ſic Eccleſias incultas & immundas relinquunt, quod domus potiùs laicæ vel rurales quàm Dei Baſilicæ videantur; alii verò, & præcipuè Sacerdotes ad quos ſpectat, ſic corporalia, vaſa miniſterii, veſtimenta ſacra, palas altaris, & ornamenta ſic immunda incultaque relinquunt, ut interdum aliquibus horrori ſint potiùs quàm honori. Præcipimus igitur ut oratoria, vaſa, & veſtimenta prædicta, munda & nitida conſerventur: neglectores per Ordinarios & alios viſitantes debitè puniantur. Cum nimis videatur abſurdum

Concil. Lateran. IV cap. 19. Ne Eccleſiæ mundanis ſupellectilibus exponantur.

Digitized by Google

in ſacris ſordes negligere quæ dedecent in profanis.

Ibid. c. 20. Ordinamus etiam juxtà dicti ſacri Lateranenſis ſtatuta Concilii, ut Euchariſtia, & Chriſma ſub fideli Sacerdotum cuſtodia clavibus adhibitis conſerventur, ne poſſit temeraria manus ad illa applicari incautè. Talia relinquentes ab officio ſuo, ſecundùm dicti ordinationem Concilii ad tempus ſuſpendantur. Et ſi quid propter eorum incuriam nefandum contigerit, graviter puniatur.

CAPUT V.

De obſervandis circà proceſſiones, & deformitatibus vitandis.

QUoniam in proceſſionibus tam ordinariis & antiquis, quàm pro neceſſitatibus occurrentibus ſpecialiter indictis, ſpiritualis Cleri & populi devotio & honeſtas debent potiſſimè relucere, ut quæ impetranda ſunt à Domino faciliùs impetrentur, ac mutuâ devotione omnes ad ſinceram & devotam orationem provocentur. Attendentes multos in ipſis proceſſionibus quandoque intervenire defectus; ſtatuimus & ordinamus, quod vocati ad proceſſiones, præſertim Eccleſiaſtici, decenter & cum habitibus eccleſiaſticis, cum omni humilitate & reverentiâ ad loca proceſſionum accedant, maneant, & redeant in ordine congruo & decenti, à laïcis & eorum commixtione ſeparati. Illum peſtiferum & inhoneſtum corrigentes abuſum, quo Moniales quædam & religioſæ mulieres cum viris Eccleſiaſticis ad dictas proceſſiones accedere & incedere præſumunt. Prohibentes de cætero dictas Moniales ad dictas publicas proceſſiones non venire, ſed eas dumtaxat in ſuis Eccleſiis & Clauſtris celebrare. Quòd ſi ſe aliter ad dictas proceſſiones ingeſſerint, à ſuis Ordinariis debitè puniantur, & in ipſis proceſſionibus minimè admittantur. Ordinamus inſuper juvenes & alios à ludis & clamationibus circà loca proceſſionis omninò abſtinere. Hortantes & monentes unumquemque, & præſertim viros Eccleſiaſticos, in Miſſâ, vel in proceſſione, convenienter aſſiſtere, & ea pro quibus proceſſio indicta exſtiterit cum omni ſinceritate & devotione perficere.

ARTICULUS SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Circà reformationem morum, ac primò de Epiſcopis.

ETsi cunctis temporibus circà converſationem & vitam miniſtrorum Eccleſiæ probatam eſſe oporteat, exemplarem pariter & honeſtam, ut cæteris rectè vivendi exemplum & formam inſinuent & demonſtrent; exigit[c] tamen vehementiùs periculoſa temporum noſtrorum conditio, quibus & abundare noſcitur iniquitas, & refrigeſcere charitas, ut omnia ad ſanctam morum reformationem ferventiora ſtudia conferamus. A capite igitur, hoc eſt à Prælatis & Epiſcopis, qui velut civitas ſuprà montem, & lucerna ſuper candelabrum, & tamquam ſpeculatores in domo Domini poſiti, cæteris relucere tenentur, ex quorum converſatione, vitâ pariter & doctrinâ, pendere dignoſcitur cæterorum ſalus, directio, atque forma; Statuimus & ordinamus, ut omnes & ſinguli hujus provinciæ Archiepiſcopus, & Epiſcopi, eorumque ſucceſſores, vitæ munditiâ, morum gravitate, & converſationis exemplo, opere pariter & ſermone, omnibus viribus ſuis decreta Apoſtolicæ Regulæ, quæ in conſecratione ſuâ profeſſi ſunt, & ea quæ in divinis Scripturis, Canonibus, & Juribus de Epiſcopis ſtatuuntur, diligenter videant, relegant & obſervent in ſuis diœceſibus: niſi ex cauſa neceſſariâ, honeſtâ, vel probabili reſideant, & principaliter poſt tempus viſitationis diœceſium ſuarũ, & locorum ſuorum campeſtriũ, in civitate manſionem & determinationem habeant & faciant. In feſtivitatibus ſolemnibus per ſe in Eccleſiis ſuis ſolemniter celebrent. Ab omni deformitate & notâ in cappis, capuciis, & habitibus ſuis penitùs abſtineant; cum rochetis & veſtibus honeſtis, ac cappis condecentibus & capuciis, abſque notâ & ſuperfluitate more Patrum ſuorum, & cum gravitate incedant; ut loco quocumque pervenerint, omnia vitæ propriæ integritate illuſtrent. Domui ſuæ benè præſint, & familiam moderatam & diſciplinatam habeant, & teneant honeſtos, doctos, & Eccleſiaſticos viros, in divinis Scripturis & Canonibus eruditos, præſertim in viſitationibus ſuis ſecum ſemper habeant; contrà hæreſes & ſortilegia, doctrinaſque peſtiferas, & ſuperſtitiones novas, cum omni vigilantiâ, & proborum ac timoratorum conſilio diligenter vigilent & intendant. Ordines mundè & ſanctè conferant doctis & probatis, & de beneficiis provideant. Ab indebitis & injuſtis exactionibus ceſſent & abſtineant, ſuoſque officiarios & commiſſos abſtinere faciant: illa quæ de Ordinibus celebrandis, & de juriſdictionibus reformandis inferiùs ſubjungendis, & in antiquis provincialibus ſtatutis, provincialibus noſtris, etiam ultrà iſta continentur, fideliter obſervent, & per ſuos obſervari faciant: ſe tales in omnibus exhibentes, quales ipſa Apoſtolica Regula inſtituit, ordinat atque jubet, & canonicæ ſtatuunt ſanctiones.

CAPUT II.

De Ordinibus celebrandis.

CUm in ſacris ordinibus conferendis fidele, ſolemne, & devotum præcedere debeat ſcrutinium & examen in ſcientiâ, moribus, & ætate; Statuimus & ordinamus ne de cætero Epiſcopi præſumant aliquos ad ſacros Ordines, & præſertim ad ſacrum Sacerdotii Ordinem promovere, niſi ſint ætatis legitimæ, bonæ & probatæ vitæ, & converſationis honeſtæ: ſciant legere & conſtruere Epiſtolas & Evangelia, ac reliquum officium benè & convenienter intelligere. Ubi autem non valerent iidem Epiſcopi ſupradictorum examinandorum examinationi intereſſe, ſaltem provideant de bonis, probis, & ſcientificis viris, qui ſolum Deum præ oculis habentes, ſciant, & velint, ac teneantur ſub pœnis & cenſuris promovendos examinare in moribus, ſcientiâ & ætate, in articulis fidei, præceptis decalogi, & aliis quæ videntur ad eorum officium pertinere.

Item quia ad ſacrum Subdiaconatûs Ordinem promoti, noſcere & intelligere debent ſe Deo & Eccleſiæ, laïcali ſtatu relicto, dedicatos eſſe; præcipimus omnibus & ſingulis Epiſcopis, ut dum contigerit ſacros Ordines celebrare, cæteris ordinandis præſentibus, lucidè, claro & intelligibili ſermone exponant, qualiter nulli ad prædictum ſubdiaconatûs Ordinem, & alios ſuperiores ſacros Ordines admitti debent, niſi ſint vitæ munditiâ, & converſatione honeſtâ, literis ſacris & divinis, myſteriiſque Eccleſiaſticis, prout eorum exigit vocatio præſens, convenienter inſtructi, probati, & examinati. Quibus etiam ad ſæculi ſtatum, & matrimonium de cætero

c *exigit*] Sic reſtitui: editum erat *viget*.

contrahendum, omninò ſacris Canonibus ſub caſtitate & continentiâ eſt interdictus regreſſus, cum aliis exhortationibus devotis, quæ in libris pontificalibus continentur; alias etiam opportunas exhortationes addendo, prout providentiæ ipſius promoventis videbitur expedire.

CAPUT III.

De viſitationibus.

CUm viſitationis officium ad Dei honorem, & Eccleſiarum in temporalibus & ſpiritualibus utilitatem & profectum, ad ſalutem animarum, ad ædificationem populi, & morum reformationem, à ſanctis Patribus fuerit ſalubriter inſtitutum, & jam plerumque per nonnullos ad officium viſitationis commiſſos [quod] ad medelam & ſalutem fuerat ordinatum, ad noxam veniat pariter & detrimentum. Statuimus & ordinamus quòd Epiſcopi, & alii ad quos ſpectat, & per eos ordinati vel commiſſi, ſic ſalubriter prædictum officium habeant exercere, quòd paternæ & publicæ utilitati juxtà Patrum ordinationes potiùs intendere videantur, quàm ad emolumenta vel quæſtum. Ad Dei igitur honorem, & Eccleſiarum profectum, loca Eccleſiaſtica causâ viſitationis ſubintrantes, honeſtos habitus & congruentes deferant; ſacramenta, præſertim Eucharistiam, cum habitu Eccleſiaſtico honeſto, accenſis luminaribus devotè viſitent: & verbum Domini populo adunato proponant, aut proponi faciant, aut ſaltem ſalutares admonitiones, ſi populi paucitas prædicationem requirere minimè videatur, convenienter faciant & devotè: de vitâ & moribus, præſertim Sacerdotum, diligenter inquirant: inventaria bonorum Eccleſiæ mobilium & immobilium videant; & contrà alienantes & alienatores provideant: de reparationibus Eccleſiarum, & ornamentorum Eccleſiæ, juxtà locorum pariter & temporum qualitatem, ſollicitudinem bonam gerant, proviſionem apponant: in procurationibus exigendis, ſe graves & oneroſos minimè exhibeant; ſed etiam ultrà moderationem extravagantis *Vas electionis*, quam ſub graviſſimis pœnis non poſſunt excedere, pro locorum & perſonarum penuriâ ſe pios & moderatos exhibeant; ad ſui utilitatem nova onera ſuper fabricas Eccleſiarum non imponant. Quæ in victualibus eis præſtita fuerint, à ſummâ & taxatione procurationis deducant, ſicut in eâdem constitutione *Vas electionis* eſt cautum: ab illis qui ſolùm tenentur ad paſtum quod appoſitum fuerit & paratum, benignè & gratanter recipiant: ſe tales in omnibus exhibentes, quales jura conſtituunt, & canonicæ ſanctiones. Quòd ſi ex conceſſione quâcumque, etiam ſedis Apoſtolicæ &c. aliqui per procuratores vel commiſſarios duxerint viſitandum, probatas, doctas, & timoratas perſonas ad hujuſmodi miniſterium eligant, qui doctrinâ pariter & exemplo locis & populis proficere valeant; &, ut jam prædictum eſt, ſe in omni timore Domini, in omni modeſtiâ, & honeſtate Clero & populo perhibeant, & præmiſſa omnia, & quæcumque alia, quæ viſitationis officio noſcuntur incumbere, fideliter exerceant & devotè: ſe non graves, nec oneroſos, ſed pios & benignos, & in exigendis procurationibus, & aliis exhibentes. Qui de ipſis procurationibus, etiam expenſis & victualibus, uti dictum eſt, deducendo ſalaria ſui laboris percipiant moderatè, non accipientes ad firmam, vel ſummam determinatam, ipſum viſitationis officium; nec aliquid attentantes contrà prohibitionem jurium, & traditiones Patrum in populi ſcandalum, gravamen Eccleſiarum, & ſuarum præcipuè periculum animarum.

Lib. 3. de cenſibus, exact. & procurat.

CAPUT IV.

De collatione Beneficiorum.

CUm in proviſione, præſentatione, collatione, & inſtitutione beneficiorum Eccleſiaſticorum, Prælatorum & Collatorum præcipua verſari debeat ſollicitudo, ut viris provideant idoneis, doctis pariter & probatis, & præſertim in dignitatibus, & parochialibus Eccleſiis, & maximè parochialium Eccleſiarum Rectoribus, quibus regimen animarum, quod eſt ars artium, curaque noſcitur eſſe commiſſa, & in quorum manibus animæ fidelium, & ſacramenta Eccleſiaſtica, prout ad eorum adminiſtrationem competit, fideliter reponuntur, & in partem ſollicitudinis ſingularum diœceſium vocantur, ſacrique canones & apoſtolica decreta Epiſcopis, & aliis quibus præmiſſa ſpectare dignoſcuntur, in periculo animarum ſuarum tamquam de pretioſiſſimo talento ſibi per ſupremum directorem commiſſo, benè & fideliter diſponere injunxerint: quod, proh, dolor! noſtris temporibus minùs, aut ſaltem non ſatis fructuosè hactenus obſervatum eſt. Præcipimus omnibus & ſingulis Epiſcopis, ac aliis antedictis, ut neque ad carnalitatem, aut preces, aut aliàs inordinatè reſpicientes, ſummopere curent in beneficiis notabiles viros, providos & moribus benè compoſitos, probatos, & examinatos inſtituere, promovere, & ordinare, per quos cultus Dei & Eccleſiaſticus ordo noſtris in diebus poſſit & valeat augmentari. Providentes etiam, & ſollicitudinem gerentes, ut juxtà qualificationes & ordinationes ſacrorum Conciliorum & Canonum viris dignis, graduatis, & per univerſitates nominatis, in ordine & turno eorum provideant, decreta Concilii & Eccleſiæ conſervando.

CAPUT V.

De Concubinariis.

CUm viris Eccleſiaſticis, præſertim in ſacris Ordinibus conſtitutis, ad cultum Domini, qui Sanctus Sanctorum dicitur, ſpecialiùs evocatis; quorum eſt ſancta tractare, & miniſtrare populo myſteria, vitæ munditia & caſtitatis honeſtas præcipuè requirantur, & ex immundâ & impudicâ converſatione plurimorum in Dei Eccleſiâ magna quotidie ſcandala & pericula oriantur & majora veriſimiliter formidentur: volentes huic morbo & ſcandalo pernicioſo decenter obviare, cum jam multa in Dei Eccleſiâ ſuper his fuerint inſtituta, ſtatutum præcipuè ſuper concubinariis in ſacro Baſilienſi Concilio ſalubriter inſtitutum, & in congregatione Bituricâ publicatum, iterum inter hujuſmodi ſtatuta inſeri, publicari, & obſervari cenſemus, cujus tenor ſequitur:

Quicumque Clericus cujuſcomque ſtatûs, religionis, conditionis, dignitatis, etiam ſi Pontificalis, vel alterius præeminentiæ exiſtat, qui poſt hujus conſtitutionis notitiam, quam habere præſumitur duos menſes poſt publicationem ejuſdem in Eccleſiis cathedralibus, quam ipſi Diœceſani omninò facere teneantur, poſtquàm eadem Conſtitutio ad eorum notitiam pervenerit, fuerit publicus concubinarius, à perceptione fructuum omnium beneficiorum ſuorum, trium menſium ſpatio ſit ipſo facto ſuſpenſus; quos ſui Superioris arbitrio in fabricam, vel aliam evidentem utilitatem, ex quibus hi fructus percipiuntur, convertat. Necnon & hujuſmodi publicum concubinarium ut primùm eaſtem

Concil. Baſil. ſub unum.

eſſe innotuerit, mox ſuus Superior monere teneatur, ut aut infrà breviſſimum terminum concubinam dimittat; quam ſi non dimiſerit, aut dimiſſam, aut aliam reſumſerit, jubet hæc ſancta Synodus ut ipſis ſuis omnibus beneficiis omninò privetur. Et nihilominùs hi publici concubinarii uſquequo cum eis per ſuos Superiores, poſt ipſarum concubinarum dimiſſionem manifeſtamque vitæ emendationem, fuerit diſpenſatum, ad ſuſceptionem quorumcumq; honorum, dignitatum, beneficiorum, vel officiorum ſint inhabiles. Qui ſi poſt diſpenſationem ad hujuſmodi publicum concubinatum redierint, ſine ſpe alicujus diſpenſationis ad prædicta prorſùs inhabiles exiſtant. Quòd ſi hi ad quos talium correctio pertinet, eos, ut dictum eſt, punire neglexerint, eorum Superiores tam in ipſos de neglectu, quàm in illos pro concubinatu, modis omnibus dignâ animadvertant punitione. In Conciliis etiam provincialibus & ſynodalibus adversùs tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, etiam per ſuſpenſionem à collatione beneficiorum, vel aliâ condignâ pœnâ ſeveriter procedatur. Et ſi hi, quorum deſtitutio ad ſummum Pontificem ſpectat, per Concilia provincialia, aut ſuos Superiores, propter publicum concubinatum reperiantur privatione digni, ſtatim cum proceſſu inquiſitionis ipſi Summo Pontifici deferatur. Eadem diligentia & inquiſitio in quibuſcumque Capitulis generalibus & provincialibus, quoad ſuos ſerventur, pœnis aliis contrà prædictos, & alios non publicos concubinarios ſtatutis in ſuo robore permanſuris. Publici autem intelligendi ſunt non ſolùm, hi quorum concubinatus per ſententiam aut confeſſionem in jure factam, ſeu per rei evidentiam quæ nullâ poteſt tergiverſatione celari, ſed qui mulierem de incontinentiâ ſuſpectam & infamatam tenet, & per ſuum Superiorem admonitus, ipſam cum effectu non dimittit.

Quia verò in quibuſdam regionibus nonnulli juriſdictionem Eccleſiaſticam habentes, pecuniares quæſtus à concubinariis percipere non erubeſcunt, patiendo eos in tali fœditate ſordeſcere; ſub pœnâ maledictionis æternæ præcipit, ne deinceps ſub pacto, compoſitione, aut ſpe alicujus quæſtus, talia quovis modo tollant[d] aut diſſimulent; alioquin ultrà præmiſſam negligentiæ pœnam, duplum ejus quod propterea acceperunt, reſtituere ad pios uſus omninò teneantur. Ipſas autem concubinas ſeu mulieres ſuſpectas, Prælati modis omnibus curent à ſuis ſubditis, etiam per brachii ſæcularis auxilium ſi opus ſit, penitùs arcere: qui etiam de tali concubinatu procreatos filios apud patres ſuos cohabitare non permittant.

Jubet inſuper hæc ſancta Synodus, ut etiam in prædictis Synodis & Capitulis hæc conſtitutio publicetur, & quilibet ſuos ſubditos ad ipſarum concubinarum dimiſſionem moneat diligenter. Injungit propterea omnibus ſæcularibus viris, etiamſi regali præſulgeant dignitate, ne ullum qualecumque inferant impedimentum, quocumque quæſito colore, Prælatis, qui ratione officii ſui adversùs ſuos ſubditos pro hujuſmodi concubinatu procedunt. Et cum omne fornicationis crimen lege divinâ prohibitum ſit, & ſub pœnâ mortalis peccati neceſſariò evitandum, monet omnes laïcos tam uxoratos, quàm ſolutos, ut ſimiliter à concubinatu abſtineant: nimis enim reprehenſibilis eſt qui habet uxorem, & ad mulierem alienam accedit. Qui verò ſolutus eſt, ſi continere nolit, juxtà Apoſtoli conſilium uxorem ducat. Pro hujuſmodi autem divini obſervatione præcepti, hi ad quos pertinet, tam ſalutaribus monitis, quàm aliis canonicis remediis, omni ſtudio laborent.

Poſt hujuſmodi autem conſtitutionis ſacri Concilii novam publicationem in Synodis diœceſanorum faciendam, injungimus omnibus Ordinariis noſtræ provinciæ Senonenſis, & aliis ad quos ſpectat, ad dicti exequutionem Concilii viriliter & diligenter procedere, juxtà formam in dicto Concilio & dictâ conſtitutione comprehenſam, ſub pœnis & cenſuris quæ contrà tales concubinarios, & contrà judices negligentes in dictâ conſtitutione continentur.

CAPUT VI.

De deformitatibus veſtimentorum & habituum, maximè in Eccleſiaſticis.

UT autem morum gravitas non ſolùm in vitæ munditiâ, ſed & in converſatione honeſtâ, & habitûs & geſtûs condecentia in viris Eccleſiaſticis, & Eccleſiæ Miniſtris refulgeat; & ad honeſtatem, & obſervantiam laudabilem, priſtinoſque Patrum mores omnia reducantur; volentes novitatibus ſcandaloſis, & deformitatibus monſtruoſis in pompetis & plicaturis tunicarum, ſuperiùs pariter & inferiùs: in comâ capitis per capillorum dilatationem & defluxum ſuper nuda colli, & uſque ad ſuperficiem frontis & oculorum, in diſpoſitione turpiſſimâ & indecenti polenarum, quas inſolentia peſtifera, & indecens converſatio plurimorum exemplo ſeducta pernicie noſtris temporibus introduxit, ſalubriter providere, præſertim in viris Eccleſiaſticis, & Eccleſiæ miniſtris, qui formam cæteris præbere tenentur & exemplum. Statuimus & ordinamus, ut poſt publicationem hujus ſtatuti, viri Eccleſiaſtici in talibus culpabiles ſub divini obteſtatione judicii, & in ſuarum periculum animarum, ab hujuſmodi deformitate & indecentiâ penitùs abſtineant, & ad morum decentiam & Patrum obſervationem ſolitam in talibus habitibus ſe reducant; veſtes honeſtas, tonſuras condecentes in formâ honeſtâ, & ſuo ſtatui condecenti deferendo. Super quo etiam unumquemque eorum per ſuos Superiores particulariter cenſemus admonendum. Quòd ſi poſt menſem à die noſtrorum præſentium ſtatutorum publicationis talibus utendum cenſuerint, & his noſtris ſalutaribus ordinationibus obtemperare neglexerint, à choro & converſatione excludantur; & eis in Eccleſiâ, donec reſipuerint, & prædictas deformitates ejecerint, diſtributiones penitùs denegentur, & pro dilatione & contemptu per ſuos Superiores arbitrariè puniantur. Quòd ſi præmiſſa omnia poſt menſem alium duxerint negligenda, per cenſuram Eccleſiaſticam, vel per totalem ſubſtractionem fructuum ſuorum beneficiorum pœna contrà eos augeatur, eorumque punitio publicetur; taliter quòd cæteris cedere valeat in exemplum: injungentes omnibus ad quos ex officio ſpectare dignoſcitur, vel diſtributiones miniſtrare, à choro ſcandalum facientes ejicere, vel delinquentes coërcere, ut in his diligentiſſimè invigilent abſque perſonarum acceptione quàcumque. Quòd ſi in Religioſis, qui ad ampliorem veſtium & habituum honeſtatem voto & profeſſione tenentur, hæc inhoneſtas veſtium reperiatur, à Superioribus ſuis in Capitulis, & alibi, tamquam pro tranſgreſſionibus Regulæ majoribus debitè puniantur, & à talibus abſtinere cogantur. Alioquin per Ordinarios contrà eos tamquam pro gravi crimine per incarcerationem, aut aliàs debitè procedatur.

Ut autem condecentiùs ad honeſtatem omnia

d *tollant*] An potiùs *tolerent?*

reducantur, monemus & exhortamur patres, tutores, & directores juvenum, & præſertim Magiſtros in ſcholaſticis ſtudiis, ut juvenes in doctrinâ & timore Domini habeant erudire, dirigere pariter & docere, & à talibus deformitatibus arcere & cohibere. Volentes & ordinantes inſuper, quòd talibus deformitatibus innitentes, ſi ad ſacros Ordines advenerint, à talibus abſtinere cogantur, alioquin ad ipſos Ordines non admittantur; talibus beneficia Eccleſiaſtica tamquam indignis denegentur, ad familiaritatem & conſortium Prælatorum, & aliorum virorum Eccleſiaſticorum minimè admittantur. Commiſſi Vicarii ad ſerviendum Curis & parochialibus Eccleſiis, & Capellanis adjacentibus eis, in talibus culpabiles, à tali adminiſtratione repellantur. Inſuper dignum & congruum arbitramur ut Prælati, & alii Eccleſiaſtici viri etiam familiares laïcos in domo & familiâ commorantes ad modeſtiam & moderationem, quantum fieri poterit, ſecundùm vocationem eorum reducant in præmiſſis, ad bonam ædificationem aliorum pariter & exemplum.

CAPUT VII.

De Clericis, tabernis, & negotiationibus illicitis ſe immiſcentibus.

CUm circà gravitatem morum, & converſationem honeſtam virorum Eccleſiaſticorum, & præcipuè Sacerdotum, ac eorum maximè qui curam & regimen obtinent animarum, jam & legis divinæ & ſanctorum Patrum regulæ, & conſtitutiones quam plurimæ, atque ſanctiſſima emanaverint inſtituta, ac plura in noſtris provincialibus Conciliis fuerint promulgata ſtatuta; & omnibus Epiſcopis, & aliis ad quos ſpectat ſubditorum mores & vitam in melius reformare, & viam ſcandalis & inconvenientibus præcludere, diſtrictè præcipiendo mandamus, & vos ac ſubditos hortamur, quatenùs diligenter obſervent, & à ſuis ſubditis faciant obſervari quæ ſanctorum Patrum decretis, & canonicis inſtitutionibus, ac noſtris prædictis provincialibus Conciliis, de vitâ & honeſtate Clericorum fuerunt laudabiliter inſtituta; Eccleſiaſticos viros, & præſertim Sacerdotes Dei, ebrietati & vinolentiæ deditos, & qui tabernas inhoneſtè frequentant; aut qui negotiationibus, mercimoniis, quæſtibus, aut officiis clericali ſtatui non convenientibus ſe immiſcent, ſæpiùs commonendo, & pœnis & cenſuris, prout jura ſtatuunt, rigidè coercendo; ſic quòd & tranſgreſſores, & delinquentes in talibus arceantur à tranſgreſſione & culpâ; & Ordinarii, ſeu alii ad quos ſpectat, notari vel reprehendi non valeant de tranſgreſſione, tolerantiâ vel negligentiâ.

CAPUT VIII.

De ludentibus ad taxilles, & alios ludos illicitos.

CUm ex debito noſtri paſtoralis officii juxtà canonicas ſanctiones teneamur ludos perniciosos, indecentes, & inhoneſtos, quorum occaſione ſub quadam curialitatis aut conſolationis imagine ad diſſolutionis materiam devenitur, ab Eccleſiâ & Eccleſiaſticis, præſertim in ſacris Ordinibus conſtitutis, exſtirpare atque abjicere, & delinquentes in talibus coercere. Attendentes circà ludos taxillorum, alearum, & alios jam plura à ſanctis Patribus conſtituta, & in noſtris provincialibus Conciliis ordinata, quæ à multis hodie penitùs negliguntur; omnibus Epiſcopis, & aliis ad quos ſpectat delinquentes & ſcandala in talibus facientes corrigere, ſpecialiter injungimus, quatenùs conſtituta à ſanctis Patribus & Romanis Pontificibus ſæpiùs Eccleſiaſticis ſibi commiſſis inſinuent, & inſinuari procurent: Sacerdotes & alios in ſacris Ordinibus conſtitutos, ad taxillos publicè aut conſuetudinariè ludere non verentes, per ſuſpenſiones ad tempus ab officio & beneficio, per excommunicationem in locis publicis ſæpiùs promulgandam, & aliàs debitè & rigidè coërcendo. Alios verò non ſic publicos, nec conſuetudinarios, per applicationem unius libræ ceræ parochiali vel Cathedrali Eccleſiæ pro qualibet vice, quâ ludendum duxerint ad taxillos, & aliàs arbitrariè puniendo. Aleatores verò, ſeu ad aleas ludentes, præſertim illos qui publicis in locis, in oſtiis & operatoriis laïcorum in ſcandalum ſtatûs Eccleſiaſtici ludere non verentur, aut qui ad palmam ſeu pilam in camiſiâ, & aliàs inhoneſtè & inverecundè, publicè & conſuetudinariè ludere non verecundantur aut formidant, Ordinarii & alii ad quos ſpectat, ſæpiùs commoneant, & contemptores ſuarum monitionum ſic pœnis legitimis coërceant, quòd cæteris cedere valeat in exemplum.

CAPUT IX.

De quæſtoribus, & reformatione eorum.

CUm ex inordinatâ quæſtorum multitudine ſæpe gravamina plurima Eccleſiæ & fidelibus populis inferantur, & per quæſtores ipſos abuſus multiplices committantur, prædicationis officium uſurpando, & per mendacia & ficta blandimenta pauperum & ſimplicium pecunias extorquendo; & quod deterius eſt, ſanctæ ſedis Apoſtolicæ & aliorum inferiorum interdum bullas ſimulando, falſificando, & etiam corrumpendo; ac per Eccleſias, Diœceſes & Parochias vagando abſque literis Ordinariorum, ad quorum officium ſpectat quæſtores ipſos & ipſorum litteras probare & examinare. Nos circà tales nequitias & abuſus providere volentes, omnibus Epiſcopis hujus provinciæ injungimus, quatenùs non aliàs quæſtores ipſos per ſuas Diœceſes quæſtas facere permittant, niſi priùs per ſe aut per ſuos commiſſos probatos & doctos in talibus, eorum litteras ad plenum viderint & intellexerint, & de earum veritate ac ſalutate plenè cognoverint, omni prædicatione & Reliquiarum delatione eiſdem quæſtoribus penitùs interdictâ; niſi Ordinarius ipſe ex causa legitimâ, prædicationem vel Reliquiarum delationem alicui notabili perſonæ probatæ & nominatæ, & in ſacris Ordinibus conſtitutæ, pro magna & piâ causâ in literis Ordinarii exprimenda, aliud duxerit ordinandum. Quòd ſi quæſtores contrà prædicta quæſtis uti, aut aliter abuti comperti fuerint, acriter puniantur pœnâ publicâ, & tali, quòd cæteris cedere valeat in exemplum; quodque Prælati de participatione turpis quæſtûs, aut de negligentia vel diſſimulatione nullo modo notari valeant, aut in aliquo reprehendi. In his autem quæſtis atque quæſtoribus jura canonica & ſtatuta laudabiliter obſervari volumus, & præſertim c. *Cum ex eo*; & Cle. *Abuſionibus, de pœ. & re.*

CAPUT X.

De Officiariis Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, & eorum reformatione.

PUblica atque communi famâ referente didicimus, quòd Curiarum multarum Eccleſiaſticarum Officiarii, Advocati, Procuratores, Promotores, Tabelliones & Notarii in ſupradictis Curiis faciant abuſus multiplices, & à pauperibus & ſimplicibus, exquiſitis & illicitis modis pecuniam extorquendo, illoſque in pluribus malitioſis & damnandis involutionibus proceſſuum involvendo & illa-

queando. Quapropter nos, qui ſubditorum noſtrorum quietem peroptamus, ſupradictis abuſibus de oportuno remedio affectantes provideri, omnibus Epiſcopis hujus Senonenſis provinciæ, ac cæteris qui juriſdictionem habent Eccleſiaſticam, ſub obteſtatione divini judicii, & [in] ſuarum periculum animarum, & pœnis contrà negligentes judices in jure comprehenſis præcipimus, quòd circà ſuas juriſdictiones ſic curent infrà feſtum Omnium Sanctorum ſalubriter providere, faciendo ſcilicet ad ordinationem ſuarum Curiarum Eccleſiaſticarum ordinationes, ſtatuta etiam pœnalia, vel jam edita ſic faciant obſervari, quòd apud Deum poſſint meritum reportare, & opus non ſit in proximo provinciali Concilio eorum negligentiam corrigere. Provideant etiam circà honeſtatem & probitatem Officiariorum, eorum multitudinem moderando, ac etiam circà taxationem literarum quarumcumque, [&] ſalarium eorumdem & Officiariorum, qui quandoque pro ſuo ſalario & laboribus plus debito exigere non verentur, in grave præjudicium ſubditorum. Provideant etiam idem Prælati, quòd non ita faciliter feratur ſententia excommunicationis, & præcipuè quòd pro unâ contumaciâ non feratur.

ARTICULUS TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Circà reformationem Religioſorum.

CUm Benedictus Papa duodecimus, qui ad Beatiſſimorum Patrum Benedicti & Auguſtini Religiones zelum gerebat non modicum, ad ſupradictarum Regularum obſervantiam multas Conſtitutiones ediderit, quæ Benedictinæ nuncupantur, & quæ à pluribus Religioſis negliguntur, imò penitùs ignorantur in magnum ſuarum periculum animarum. Eapropter omnes Abbates, Priores ac Præpoſitos eorumdem Ordinum in Domino exhortamur, quatenùs in ſuis Monaſteriis ſupradictas Benedictinas Conſtitutiones habeant, & eas frequenter legant & relegant, ut ſciant qualiter oporteat eos in religionis ſemitâ ambulare. Ad majorem autem evidentiam ex ipſis Conſtitutionibus aliqua his noſtris ſtatutis duximus inſerenda, & ab ipſis Religioſis unà cum aliis Regularibus diſciplinis, & ſuarum Religionum laudabilibus Conſtitutionibus, & inſtitutionibus ſpecialiter obſervanda.

Cap. 6. de Studiis. Et primò, cum idem Benedictus duodecimus Papa voluerit & ordinaverit, quòd in Monaſteriis quorumlibet Ordinum Abbates vel alii Superiores provideant de idoneis Magiſtris, qui novitios & juvenes, cæteroſque illiteratos & indoctos Religioſos in grammaticæ rudimentis, & intellectu Scripturarum ſanctarum, & eorum quæ in Eccleſiis leguntur, habeant convenienter inſtruere, ut ſic ſacrarum Scripturarum lectura & intellectus Religioſis ipſis otioſitatem auferat, devotionem dilatet & augeat, & ad Sanctorum Patrum ſequendas doctrinas & exempla inducat: hoc ſalutare ſtatutum duximus de cætero in ſingulis Religionibus obſervandum, ordinantes quatenùs hi ad quos ſpectat, ſuper hoc ſollicitudinem adhibeant ſpecialem; ſuper quo etiam in viſitationibus dictorum Monaſteriorum per Ordinarios & alios inquiſitionem fieri volumus diligentem.

Cap. 9. De Capit. general. & reddendis rationibus. Item cum idem Benedictus Papa circà ſpiritualia temporaliaque commoda, ac commodum ſtatum Religioſorum cupiens providere, inter cætera quæ ad obſervantiam Regularum ſanctorum Benedicti & Auguſtini ſtatuit, voluerit & ordinaverit quòd omnes Abbates, Abbatiſſæ, Priores, Prioriſſæ ſingulis annis in ſuis Capitulis generalibus ſive annualibus, quæ ſcilicet tenentur ſingulis annis cum Religioſis, Prioribus ac quibuſcumque membris ſibi ſubditis celebrare, ſtatum eorum Monaſteriorum vel Prioratuum quibus præeſſe dignoſcuntur, quoad receptas, miſias, atque debita, & credita coram adſtantibus inſinuent & declarent. Quodque omnes & ſinguli eorumdem Monaſteriorum Officiarii de ſuis adminiſtrationibus ſaltem bis in anno compotum reddant, ſive rationem; ut ſinguli Religioſi per hoc ſcire valeant, ſaltem in groſſo, ſuorum ſtatum Monaſteriorum. Nos igitur ejuſdem veſtigiis inhærentes, omnes Abbates, Abbatiſſas, cæteroſque ſupradictos in Domino exhortamur, quatenùs prædictum ſtatutum, & etiam aliàs in provinciali Concilio ordinatum cum omni diligentiâ ſervent, & obſervari procurent.

Item cum idem Benedictus Papa modum apponere volens circà antiqua jura, quæ de abſtinentiâ carnium & jejuniis à Religioſis Ordinis S. Benedicti obſervandis ſatis rigidè loquuntur, propter quod in pluribus Monaſteriis remiſsè obſervantur, maturâ deliberatione præhabitâ ſtatuerit & ordinaverit, quòd idem Religioſi per ſingulas quartas ferias totius anni ab eſu carnium ad minùs ſe abſtineant; & quòd in Adventu Domini, & Septuageſimâ, jejunia obſervent. Attendentes prædictam moderationem, licet omni rigore & auſteritate careat, in pluribus Monaſteriis ejoſdem Ordinis omninò contemni: omnes Abbates, Priores & Præpoſitos ejuſdem Ordinis in Domino exhortamur, quatenùs de cætero ſupradictis diebus & temporibus à carnibus abſtineant, & jejunent, cum idem à pluribus ſæcularibus Clericis & merè laicis ſollicitè cuſtodiatur. Ad Regulares Canonicos circà jejunia & abſtinentiam carnium, idipſum obſervari exhortamur quod idem Benedictus pridem in ſuis Conſtitutionibus, quæ Benedictinæ dicuntur, ab eiſdem voluit obſervari. *Cap. 16. De eſu & abſtinentiâ carnium, &c.*

CAPUT II.

Religioſi modeſtè ſe gerant in veſtimentis.

CUm evagatio, diſſolutio, atque levitas, maximè indecentia veſtium, debeant à Religioſis evitari, cum illa ſint devotioni & honeſtati Religionis contraria & inimica: omnes Abbates, Priores, & Præpoſitos, ſive quoſcumque alios Religioſos, cujuſcumque ſint Ordinis vel Religionis, in charitate Domini monemus, quatenùs amodo à ſe & ſuis ſubditis omnem evagandi materiam, quantum eis poſſibile erit, repellere conentur; & ſervent, ac obſervari faciant ea quæ à ſanctis Patribus de honeſtate ac gravitate Religioſorum fuerunt laudabiliter inſtituta, tam in veſtibus quàm in calceamentis, necnon in geſtibus & inceſſibus eorumdem; & quòd præcipuè ea, quæ de flocis vel cucullis, cappis atque capuciis fixis ſuper humeros, botis, & ſotularibus corrigiatis Cle. *Ne in agro*, ſalubriter ſtatuit, ſervent, & faciant ſalubriter obſervari. *Extra in Cle. Ne in agro, de Stat. Mon.* Quam quidem Clementinam, & Conſtitutiones ſalutares in eâ contentas, in Capitulis, maximè generalibus dictorum Religioſorum præcipimus ſæpiùs publicari, & verbis etiam gallicis, ſi opus ſit, clarè & lucidè exponi, ut ſic via indecentiis & abuſionibus præcludatur, propter quas hodie Religioſi à ſæcularibus in opprobrium habentur & contemptum; qui tamen cæteris debent eſſe forma Religionis pariter & exemplum.

Digitized by Google

CAPUT III.

Nihil recipiendum ex pacto pro ingreſſu Religionis.

QUia canonicæ inſtitutiones, quæ de ſimoniâ loquuntur, diſtrictè prohibent pro ingreſſu Religionis ab ipſis ingredientibus, vel eorum nomine quidquid exigi, etiam prætextu cujuſcumque conſuetudinis, quæ potiùs dici debet corruptela. Omnibus Abbatibus & Abbatiſſis, Prioribus & Prioriſſis, & aliis quibuſcumque ſuademus, quòd jura de hac materiâ loquentia diligenter obſervent; ſic ſcilicet, quòd pro ingreſſu Religionis pro ſe vel Monaſteriis ſuis ex pacto vel conventione nihil recipiant; ſi autem poſt ipſum Religionis ingreſſum aliquid fuerit ab ipſis ingredientibus, vel eorum parentibus Monaſterio ex devotione oblatum, illud recipi minimè prohibemus.

CAPUT IV.

De Decimis & Parochis quid obſervandum.

LIcet per jura canonica fuerit ſufficienter proviſum circà patronos parochialium Eccleſiarum, jura decimarum in parochias obtinentes, tam Religioſos quàm ſæculares, exemptos & non exemptos, quòd ſcilicet benè & competenter provideant Curatis Eccleſiarum prædictarum, in quibus habent jus patronatûs. Quia tamen eadem jura multis in locis negliguntur, & propter hoc fiunt plures ex eiſdem Eccleſiis vacantes, & Paſtoribus viduatæ in magnum periculum animarum; omnes hujus provinciæ Epiſcopos in Domino exhortamur, quatenùs jura prædicta, & præcipuè c. de Monachis, tit. de præben. & c. 1. eu tit. in vj. & Clem. 1. de jure patronatûs irrefragabiliter faciant obſervari.

ARTICULUS QUARTUS.

Concernens ſtatum laïcorum, & generaliter omnium fidelium.

CAPUT PRIMUM.

Quomodo feſta ſunt celebranda.

CUm circà celebrationem feſtorum & dierum Majeſtati divinæ, Chriſti & Sanctorum ſolemnitatibus ſpecialiter dedicatorum, multa in noſtris provincialibus Conciliis & Synodalibus Conſtitutionibus diœceſum ſingularum fuerint laudabiliter inſtituta, Scripturarum ſanctarum & canonicarum inſtitutionum teſtimonio roborata: omnes Epiſcopos & parochiales Sacerdotes, & alios ad quos ſpectat, curam volumus gerere ſpecialem, ut dies ipſi Domino ſanctificati nullis ſervilibus operibus profanentur, nec vanitatibus aut voluptatibus occupentur; ſed divinis vacando officiis, expoſitioni & auditioni divinorum eloquiorum, laudes, vota, & ſacrificia Domino offerantur, & ad hæc omnia populi ſæpiùs moneantur. Si quid autem in his tranſgreſſionis, vel omiſſionis fuerit commiſſum, pœna contrà tranſgreſſores ad devotionis omiſſæ vel neglectæ per pia opera ſupplementum, non ad privatum emolumentum applicetur vel quæſtum. Ut autem quo celebriores & majores Domino ſolemnitates celebrantur, eo convenientiùs populi præparentur; volumus, & ordinamus quòd parochiales Sacerdotes & Rectores Eccleſiarum in quinque feſtivitatibus præcipuis, etiam ultrà Paſcha, videlicet Nativitatis Domini, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Aſſumptionis B. MARIÆ, & Omnium Sanctorum, populos hortentur pariter & moneant piis commonitionibus & devotis, & ſua confiteri peccata, & ſe ad celebritatem & devotionem in ipſis ſolemnitatibus ſpecialius præparare, dictas commonitiones pias & devotas die Dominicâ ante ipſarum celebrationem feſtivitatum debitè faciendo.

CAPUT II.

Quibus pœnis afficiendi qui in blaſphemiam, vel execrabilia juramenta incidunt.

CUm propter horrendam divini nominis blaſphemiam, ac execrabilia plurium juramenta, ultrà æternæ damnationis interitum propter talia debitum, etiam temporales plagæ, bella, peſtilentiæ, fructuum vaſtationes atque clades, tempeſtates atque tonitrua, ac mala in populis evenire ſoleant ex divini animadverſione judicii quamplurima; & contrà blaſphemantes & execrabiles juratores, ac Deum temerè denegantes, tam ſacrorum Conciliorum quàm Romanorum Pontificum, quinimò & Principum ſæcularium plurima emanarint inſtituta, quæ à multis hodie negliguntur; attendentes ex teſtimoniis Scripturarum quòd Dei & Sanctorum injurias diſſimulare nefarium & periculoſiſſimum judicatur; quodque crimen talium in negligentibus Prælatis & Judicibus, qui tales retrahere negligunt à delictis, etiam quandoque ſeveriſſimè vindicatur. Omnibus Epiſcopis & aliis ad quos ſpectat in noſtrâ provinciâ ſubditorum mores & vitam in melius reformare, ſub obteſtatione divini judicii præcipiendo mandamus, quatenùs populos Domini ſæpiùs commoneant, ac faciant particulariter ac ſpiritualiter commoneri à talibus horrendis abſtinere, horrorem ac deteſtationem criminis, pœnas temporales pariter & æternas, corporales & ſpirituales in contrà delinquentes in talibus à jure, & conſtitutionibus etiam Principum ordinatas atque impoſitas intimando; ac pœnas legitimas, abſque acceptione perſonarum, pro quantitate & qualitate criminum juxtà ſanctiones canonicas, omni timore ac negligentia poſtpoſitis, delinquentibus imponendo, videlicet pro primâ vice pœnas pecuniarias in cerâ vel aliter fabricis Eccleſiarum, & non alibi, applicandas; pro ſecundâ per incarcerationem & jejunia in carceribus facienda; pro tertiâ contrà adductos per inſtallationem vel aliam pœnam publicam procedendo, ſic quòd cæteris cedere valeat in exemplum, & divina valeat ira placari, & Dei miſericordia & pietas à populis obtineri.

CAPUT III.

Decima ſolvenda.

QUerimoniam plurimorum Religioſorum, & aliorum Eccleſiaſticorum audivimus, quòd licet Dominus in veteri Teſtamento præceperit, perceptores fructuum Eccleſiæ Miniſtris decimas tribuere; tamen his noſtris temporibus eaſdem diminuere conantur, ut jam ex eis aliqui dicant & aſſerant, decimalia jura nonniſi ad voluntatem fore ſolvenda; propter quod Eccleſiæ & earum Miniſtri maxima damna & incommoda patiuntur. Quapropter nos circà tales hominum nequitias occurrere cupientes, omnibus Epiſcopis, Archidiaconis, Decanis ruralibus, cæteriſque Eccleſiarum Rectoribus præcipimus, quatenùs Dominicis diebus, necnon meſſium & vindemiarum temporibus admoneant & hortentur, faciantque admoneri & hortari per eos

qui

Digitized by Google

qui verbum Dei populo prædicant; omnes qui ad ſolutionem decimarum tenentur, quòd ipſi amodo ſolvant benè & competenter ſine fraude vel deceptione, quâlibet ullâ contrariâ conſuetudine non obſtante, pœnas in ſcripturis ſanctis, & canonicis Inſtitutionibus contrà non ſolventes ordinatas, ac præmia & temporalia & ſpiritualia ſolventibus repromiſſa populis intimando. Singulos autem Ordinum mendicantium Fratres, qui ad prædicationes faciendas, vel confeſſiones audiendas, in diœceſibus admittuntur, juxtà Conſtitutiones Concilii generalis, & cap. *Cupientes*, *De pœnis*, *in Clementinis*, admonemus ſub pœnis in eodem capite contentis, quatenùs populis prædicantes aut confeſſiones audientes, juxtà formam illius populos ipſos commoneant ad prædictam ſolutionem decimarum, nihilque privatim vel publicè proponant, per quod ab ipſarum ſolutione decimarum populi retrahantur.

Viennenſis. Lib. 5. tit. 8. c. Cupientes, de pœnis.

CAPUT IV.

Matrimonium publicè in Eccleſiâ eſt contrahendum.

CUm jura canonica non ſine magnis rationibus jubeant matrimoniorum contractus in Eccleſiis publicè celebrari, ſcilicet propter ſacramenti dignitatem, reverentiam & honorem, in quo confertur gratia, ſicut & in cæteris ſacramentis; & etiam ad tollendam omnem malam peccati ſuſpicionem, cum plures æſtimare poſſent inter ipſos conjuges ſolum fore concubinatum, ſi de ipſo matrimonio publicè non appareret: his tamen non obſtantibus plures ſunt, qui à ſuis Prælatis faciliter obtentâ licentiâ, non in ipſis Eccleſiis, ſed in privatis Oratoriis matrimonia contrahunt & ſolemnizant; quod cedit in maximum ejuſdem ſacramenti contemptum. Nos autem circà id providere volentes, omnibus Epiſcopis, & Eccleſiarum Rectoribus, ſub pœnâ interdicti & ingreſſûs Eccleſiæ per unum menſem prohibemus, ne de cætero in privatis Oratoriis ſolemnizationem matrimoniorum faciant aut fieri diſpenſent, niſi forſitan ſubſit urgens vel neceſſaria cauſa, & non ficta, etiam pluribus præſentibus. Inſuper ſub eiſdem pœnis propter eaſdem cauſas ipſis & aliis, quibus de jure vel conſuetudine id competit injungimus, ne de cætero ita faciliter diſpenſent ſuper bannis & matrimoniis concedendis, etiam prætextu cujuſcumque pecuniæ, ſicut hactenùs diſpenſare conſueverunt.

CAPUT V.

Certis anni temporibus cur Matrimonium celebrari prohibeatur.

CUm certis anni temporibus matrimonia ab Eccleſiâ prohibeantur celebrari, ſcilicet tempore Adventûs, Septuageſimæ, & Rogationum, & quia tunc omnes magis quàm aliis temporibus debent devotioni & orationi intendere, à quibus tamen retrahit plurimùm carnale commercium, eo etiam quòd illis devotionis temporibus feſta, choreæ, ludi & convivia, quæ in nuptiis fieri ſolent, non benè congruunt, ſed verius opponuntur devotioni & contemplationi: nihilominùs tamen in hac Senonenſi provinciâ quædam mala conſuetudo vel corruptela inolevit, quòd ſcilicet ſupradictis temporibus plurimæ fiant feſtivitates nuptiarum, choreæ, ludi, convivia, & alia indecentia quæ iiſdem feſtis, conviviis vel choreis frequenter evenire conſueverunt; quæ omnia, & non ipſum matrimonium contractum intendebant jura prohibere. Eapropter nos prædictum abuſum ſeu corruptelam exſtirpare volentes, omnibus & ſingulis viris Eccleſiaſticis, ac cæteris, necnon fœminis hujus provinciæ ſub excommunicationis pœnâ inhibemus, ne ſupradictis temporibus audeant facere vel fieri procurare ſolemnizationes nuptiarum, id eſt convivia, feſta, choreas vel cætera hujuſmodi, vel eiſdem quomodolibet intereſſe. Præcipientes interim Epiſcopis, & Curatis ſeu Presbyteris Eccleſiarum parochialium, quatenùs hoc præſens ſtatutum in ſuis Eccleſiis publicent, & publicari faciant diligenter, & maximè duobus vel tribus Dominicis ante ſupradicta devotionis tempora.

CAPUT VI.

Libertates & immunitates Eccleſiæ adversùs Judices ſæculi ſunt propugnandæ.

CUm circà gravamina, quæ per multos judices ſæculares & Officiarios Curiarum ſæcularium multipliciter Eccleſiis ſacroſanctis, & Eccleſiaſticis viris in juriſdictionibus ſuis, libertatibus & privilegiis in perſonis pariter & in bonis quotidie inferuntur, multæ conſtitutiones & ordinationes in Scripturis ſacris atque canonibus fuerint promulgatæ, quæ jam in multis hujus noſtræ Senonenſis provinciæ locis fuerunt ſolemniter publicatæ, & ſecundùm conſuetudines Eccleſiarum laudabiles multoties ordinatis diebus publicantur; noſtrorum prædeceſſorum veſtigiis inhærentes, & ſanctæ Eccleſiæ jura & privilegia noſtris temporibus conculcari dolentes, eaſdem Conſtitutiones, pœnas pariter & cenſuras ſecundùm obſervationes & conſuetudines hactenùs in Eccleſiis conſervatas publicari volumus & mandamus, monentes & exhortantes omnes ſingulos hujus noſtræ provinciæ Prælatos, quatenùs monitionibus præmiſſis canonicis ut ſæculares ipſi à talibus gravaminibus & moleſtationibus abſtineant, & ad publicationem & executionem dictarum Conſtitutionum procedant & procedi faciant, prout uniuſcujuſque Prælati moderationi & diſcretioni, neceſſitati ac qualitati temporum videbitur expedire, jura Eccleſiæ ſicuti ad unumquemque eorum ſpectat & convenit, convenienter ac viriliter defendendo, & ſe in murum pro domo Domini opponendo, ſic quòd & jura Eccleſiarum valeant conſervari, & Prælati & Epiſcopi de negligentiâ apud Deum & homines minimè valeant accuſari.

CAPUT VII.

Quæ à Monialibus obſervari debeant.

AD noſtrum quibuſdam referentibus devenit auditum, quod Epiſcopi hujus provinciæ Senonenſis obſervare & obſervari facere omittunt, ea quæ ſtatuta canonica circà Moniales obſervari jubent; propter quod magna ſcandala, & ſpiritualia & temporalia incommoda frequenter eveniunt, ac in poſterum contingere præſumuntur: niſi de ſalutari remedio occurratur. Quapropter eiſdem Epiſcopis diſtrictè præcipimus, quatenùs prædicta ſtatuta faciant in ſuis diœceſibus inviolabiliter cuſtodiri, & præcipuè *Cap.* Monaſteria, *de vi. & ho. Cleric.* Statutum felicis recordationis Bonifacii octavi, quod incipit: *Ut periculoſa*, de ſtatu Monachorum in 6. & cap. *Attendentes*, eodem tit. in Clem. Quæ capitula cum aliis conſtitutionibus ad ſtatum Monialium pertinentibus per eos, ad quos ſpectat, volumus ipſis Monialibus etiam verbis gallicis exponi & publicari, ſervatâ ſemper gravitate & honeſtate, quæ in talibus viſitationibus Monialium debet à viſitatoribus obſervari.

Lib. 3. tit. 1. c. 8. Lib. 3. tit. 14. in Cle. vel Mon. c. 2. Lib. 3. tit. 16. de Stat. Mon. c. 2.

Concluſio totius Concilii.

PRo concluſione autem omnium præmiſſorum ſtatutorum noſtrorum, & verâ executione eorum, volumus & ordinamus quòd teſtes ſynodales in diœceſi qualibet ordinati, & inferiùs nominandi, diligenter inquirant ſi prædicta ſtatuta ab omnibus obſervabuntur, prout in cap. *Sicut olim. De accuſationibus*, in Decretalibus continetur, in alio proximo Concilio provinciali debitè & fideliter relaturi quæ circà ea viderint minimè obſervari. Statuimus inſuper & præcipimus quòd omnes Suffraganei noſtri, Abbateſque, Priores Conventuales, & Capitula Eccleſiarum noſtræ Senonenſis provinciæ, necnon Decani rurales cujuſlibet diœceſis copiam habeant authenticam noſtrorum præſentium ſtatutorum, illaque faciant infrà duorum menſium ſpatium in ſuis Synodis, & aliis locis ſolemniter publicari & declarari. Præcipuè autem volumus quòd illa, quæ concernunt vel concernere poſſunt ſtatum & mores laicorum, faciant iidem Suffraganei & Decani in publicis prædicationibus & vulgari ſermone coram populo exponi, ne aliqui valeant eorumdem ignorantiam prætendere.

Teſtes ſynodales hujus Concil.

Teſtes autem ſynodales hujus ſacri provincialis Concilii Senonenſis eodem approbante Concilio in qualibet diœceſi ordinamus, nominamus & eligimus infrà ſcriptos, ſcilicet pro diœceſi Senonenſi, Decanum Chriſtianitatis Pruvinenſis, & Officialem ſancti Juliani de ſaltu; pro diœceſi Carnotenſi, Decanum Eccleſiæ Collegiatæ B. MARIÆ de Meduntâ; pro diœceſi Pariſienſi, Decanum Eccleſiæ Collegiatæ S. Germani Autiſſiodorenſis Pariſienſis, & Decanum ruralem de Fontenaio: pro diœceſi Aurelianenſi, Cantores Eccleſiarum Collegiatarum de Sulliaco, & S. Petri Puellarum: pro diœceſi Nivernenſi, Abbatem S. Martini Nivernenſis, & Præpoſitum de Tannaio: pro Autiſſiodorenſi diœceſi, Archipreſbyteros S. Priſci de Varziaco: pro diœceſi Meldenſi, Decanos rurales de Columbariis, & de Domno-Martino: pro diœceſi Trecenſi, Decanum Chriſtianitatis Trecenſis, & Decanum Chriſtianitatis de Sezannâ.

Nos verò LUDOVICUS Archiepiſcopus antedictus in dicto Concilio provinciali præſidentes, ipſo approbante Concilio, omnia & ſingula ſtatuta prædicta teneri & inviolabiliter obſervari ab omnibus & ſingulis noſtræ Senonenſis provinciæ volumus & jubemus, ipſaque ſtatuta & omnia præmiſſa laudamus, approbamus, concludimus & definimus, prout ſuperiùs eſt expreſſum, ulteriorem ipſius ſacri Concilii proſequutionem & continuationem, quoad ea quæ nondum perfecta ſunt, de Fratrum & Suffraganeorum noſtrorum, ac aliorum in eodem noſtro provinciali Concilio comparentium voluntate & conſenſu, hinc ad diem quintam menſis Julii anni Domini milleſimi quadringenteſimi ſexageſimi ſecundi

Indicitur aliud Concil. Pariſiis celebrandum an. 1462.

Pariſius cum continuatione dierum ſequentium, ſi commodè fieri poſſit, alioquin ex novâ aſſignatione ſeu evocatione uſque in triennium prorogantes, dictamque diem cum continuatione dierum ſequentium pro ipſius Concilii & agendorum in eo, quæ nunc expediri obſtantibus certis juſtis & evidentibus impedimentis minimè potuerunt, ad effectum deduci, totali & finali concluſione, Pariſius præfigentes, ſtatuentes & ordinantes.

In quorum omnium & ſingulorum certitudinem præmiſſorum præſentes noſtras literas exinde fieri, & per Notarios publicos Scribaſque Concilii provincialis prædicti infrà ſcriptos ſubſcribi & publicari mandavimus, noſtrorum Archiepiſcopi & Epiſcoporum Suffraganeorum præſentium appenſione ſigillorum fecimus & juſſimus communiri. Datum & actum quoad præmiſſorum concluſionem in Eccleſiâ noſtra Senonenſi, nobis inibi mane horâ Concilii conſuetâ in eodem Concilio præſidentibus, anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo

Locus Concilii, an. 1460.

more Gallicano, Indictione nonâ, menſis verò Martii die duodecimâ, Pontificatûs ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Pii divinâ providentia Papæ ſecundi anno tertio: præſentibus ad

Pii Papæ II. an. 3.

hæc Reverendo in Chriſto Patre ac Domino Domino [Claudio] Dei gratiâ Lingonenſi Epiſcopo; venerabilibuſque & diſcretis viris Dominis & Magiſtris Petro Surrelli, Ludovico Frochet Canonicis Senonenſibus, Petro Regnieo Canonico & Officiali Nivernenſi, in Decretis Licentiato; unà cum plebis multitudine copioſâ ad hæc congregatæ, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Conſtitutiones Concilii ſub Ludovico innovantur (quibuſdam immutatis & additis) à Triſtando & Patribus Concilii.

Quibus ſtatutis, ſanctionibus & ordinationibus præinſertis lectis & publicatis, eodem ſacro præſenti approbante Concilio, ipſas laudavimus, ratificavimus, approbavimus & innovavimus, laudamuſque, ratificamus, approbamus & innovamus per præſentes, decernentes eaſdem fore inviolabiliter obſervandas ſub pœnis eiſdem contentis. Et inſuper quòd earumdem tranſgreſſores ſeu contrà facientes, & eas non ſervantes, per ſuos Superiores, Ordinarios, Judices Eccleſiaſticos pœnâ arbitrariâ ſecundùm perſonarum qualitatem, & exceſsûs gravitatem puniantur. Verùm quia ſecundùm varietatem temporum variantur ſtatuta humana, ordinationes & ſtatuta circà correctionem morum virorum Eccleſiaſticorum, & de eorum converſatione, veſtibus, vitâ, & moribus & doctrinâ editas vel edita, cum plures ſuper veſtibus deformitates in diſſuetudinem nedum Eccleſiaſticorum, verùm etiam laicorum penitùs abſceſſerint, noſtriſque temporibus hominum inſtabilitate quamplures aliæ ſupervenerint ordini Eccleſiaſtico nullatenùs convenientes, prædicto ſacro approbante Concilio ipſas duximus innovandas, immutandas & emendandas ſub hac verborum ſerie.

De habitu Clericorum.

Scandaloſam habituum deformitatem in viris Eccleſiaſticis Religioſiſque, ac Eccleſiæ Miniſtris indecenti converſatione temporibus noſtris introductam prohibere volentes ſtatuimus, & de novo ordinamus; quòd viri Eccleſiaſtici, Religioſi, ac Eccleſiarum Miniſtri tunicas retroſciſſas neque cornetas, & pileos, brodequinos ſeu pantoſlas, niſi forſan causâ invaletudinis alicujus, ſignanter per villam & per Eccleſiam, & divino ſervitio intereſſendo quoquomodo deferant; & ſub divini obteſtatione judicii ab hujuſmodi deformitate & indecentiâ, necnon à caligarum albarum vel diverſorum colorum delatione penitùs abſtineant.

Ac Religioſorum.

Item quòd Religioſi, cujuſcumque Ordinis, ſtatûs vel prælaturæ exiſtant; à ſuæ vocationis habitu congruo non recedant, neque ſoderaturas ſtatui ſuo non congruentes, & maximè minutos verutios, neque zonas de veluto aureas ſeu deauratas, aut floſtullos etiam, nec habitus de ſerico ſuprà tunicas patenter, neque aliter indecenter, in vilipendium ſui ſtatûs & Ordinis deferant: ſed more Sanctorum Patrum incedant, & eorum veſtigiis inhærendo habitus deferant.

Item volumus & ordinamus omnia ſuprà ſcripta, ſicut præmittitur, in præſenti ſacro provinciali Concilio ſtatuta & innovata per omnes Suffraganeos noſtros in ſuis Synodis intimari, publicari, & linguâ maternâ populis aſſiſtentibus per Curatos diebus Dominicis clariùs exponi, & per eoſdem inviolabiliter obſervari; ſcientes omnes & ſinguli qui

Digitized by Google

negligentes, contumaces, & culpabiles fuerint in præmiſſis & ſingulis eorumdem, quòd veritate compertâ, eorum negligentia, culpa, ſeu contumacia ſeveriſſimè punientur per Ordinarios ſuos.

Teſtes ſynodales Concilii ſub Triſtando celebrati.

Hujus autem ſacri Concilii provincialis Senonenſis, eodem approbante & confirmante Concilio, in quâlibet hujus provinciæ diœceſi nominamus, eligimus & ordinamus teſtes ſynodales qui ſequuntur, videlicet pro diœceſi Senonenſi, Abbatem S. Petri vivi prope Senonis, & Decanos Chriſtianitatum Pruvinenſis & Muſterolii: pro diœceſi Carnotenſi, Magiſtrum Dionyſium de Paris Decanum Caſtriduni, & Magiſtrum Ludovicum de Quernay Decanum S. Salvatoris Bleſenſis: pro diœceſi Aurelianenſi, Magiſtrum Johannem Cotereau Cantorem & Canonicum S. Petri virorum Aurelianenſis, ac Cantorem B. Mariæ de Magduno: pro diœceſi Nivernenſi, Abbatem S. Martini Nivernenſis, & Decanum de Fraſineto: pro diœceſi Autiſſiodorenſi, Cantorem B. Mariæ in civitate Autiſſiodorenſi, & Theſaurarium Eccleſiæ Collegiatæ de Conadâ: pro diœceſi Meldenſi, Abbatem S. Pharonis, & Decanum de Claiâ: & pro diœceſi Trecenſi, Abbatem Monaſterii Arremarenſis, Magiſtrum Nicolaum Herault, & Decanum S. Marguaretæ.

NOS igitur TRISTANDUS Archiepiſcopus prænominatus aſſiſto in provinciali, & ipſo approbante, præſidentes Concilio, ulteriorem ipſius Concilii proſequutionem & continuationem hinc ad triennium, ſeu donec & quouſque cauſis emergentibus Concilium convocare expedierit: quibus occurrentibus, eiſdem Fratribus Suffraganeis noſtris, & aliis quorum intererit ſignificabimus & notificabimus, cum proteſtationibus tamen in talibus fieri ſolitis & ſequentes prorogantes ſtatuentes & ordinantes.

In quorum omnium & ſingulorum fidem, robur & approbationem præmiſſorum, has noſtras literas extendi confici, & per Notarios ſubſcriptos dicti provincialis Concilii ſeu Graffiarios creatos & juratos ſignari & publicari mandavimus, ac noſtrorum Archiepiſcopi præſidentis, & Epiſcoporum Suffraganeorum noſtrorum præſentium munimine in pendenti ſigillorum roborari fecimus, & juſſimus.

Locus & tempus Concilii Senonenſis ſub Triſtando An. 1485.

Datum & actum quoad præmiſſorum concluſionem & definitionem in noſtra Senonenſi Eccleſia, nobis ibidem mane horâ nonâ vel circumcircà in eodem Concilio præſidentibus, anno Domini milleſimo quadringenteſimo octuageſimo quinto more Gallicano computando, Indictione tertia, menſis verò Auguſti die primâ, Pontificatûs ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini INNOCENTII ſupernâ providentiâ Papæ octavi anno primo: præſentibus ad hæc venerabilibus & circumſpectis viris Dominis & Magiſtris LUDOVICO de Meloduno Archidiacono Senonenſi, ANDREA Colin Theſaurario Eccleſiæ Senonenſis, LUDOVICO Brochet Archidiacono Meledunenſi in eadem Eccleſia Senonenſi, HUBERTO Bernier Priore S. Floſculi Aurelianenſis, Juriſperitis; nobilibuſque & honorabilibus perſonis HECTORE de Salazar S. Juſti, PETRO Piedefer de Champleto dominis temporalibus, PETRO de Viezchaſtel Receptore ordinario Senonenſi, unà cum pluribus aliis perſonis fide dignis teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Annus I. Pontificatûs Innocentii VIII.

GUILLOCHON. J. BAUMERY. BAPAULME.

M O N I T U M.

LITTERAS ET ACTA quæ ad ſchiſma, quod Concilium Piſanum An. Chriſti MCCCCIX. *celebratum præceſſit, attinent, à ſcriptoribus vel omiſſa vel detruncata diſcerptaque, nos majori ex parte eruimus, ſeu integritati ſuæ reſtituimus è tribus ſcriptis codicibus Abbatiæ Gemeticenſis; cætera ſuppeditavit hiſtoria manu exarata Monachi Sandionyſiani, qui geſta Caroli VI. Regis Francorum, quæ ipſe oculis perſpexit auribuſque hauſit, vel ex relatione eorum excepit, qui dum illa gererentur præſentes aderant, poſteritati conſignavit. Hanc porrò hiſtoriam è Thuaneâ Bibliothecâ mutuati ſumus; quam paulo ante è latino ſermone in gallicum eleganter verterat V. C. Joannes le Laboureur, atque in publicum emiſerat cum lectu digna Præfatione, ubi de Auctoris nomine haud ſpernendas conjecturas adhibet, quam adi ſi lubet.*

LITERÆ ET ACTA NONNULLA,

Quæ ad Schiſma, quod Concilium Piſanum anno Chriſti MCDIX celebratum præceſſit, attinent.

ANNO 1378. a *Literæ* [a] *Cardinalium qui Romæ exiſtentes elegerunt* BARTHOLOMÆUM *pro tunc Barrenſem Archiepiſcopum, qui ſe* URBANUM *nominavit, ad Cardinales in Avenione exiſtentes.*

b REverendiſſimi Patres & Domini, quia plerumque, imò plurimùm, præſertim in rebus [b] arduis, famæ loquacitas veritatem quibuſdam coloribus adulterinis obnubilat; ideo quid in his diebus in Romanâ Eccleſiâ, cujus honorabilia membra & ſublimes columnæ pariter nobiſcum exſtitis, geſtum ſit, vobis præſenti ſcriptione veridicâ curavimus intimare, ut his qui vobis rem aliter narraverint ſeu ſcripſerint, non credatis; & mentes veſtræ hac noſtra inſinuatione clarificatæ, in tranquillo & ſereno

a *Literæ*] Antea editæ à Contelorio.
b *in rebus*] Sic reſtituit Baluzius ex ipſo codice: prior editio *in diebus*.

veritatis littore conquieſcant. Veſtris igitur Paternitatibus innoteſcat, quod ſanctæ feliciſque recordationis Domino & Patre noſtro Domino Gregorio Papa undecimo, XXVII. die menſis Martii nuper elapſi viam univerſæ carnis ingreſſo, &, ſicut de largiſſimâ Dei pietate confidimus, poſt labores ad præmia evocato, ſicut aliàs vobis ſcripſimus, tantique Patris, ut erat juris & moris, omni debito, honore, & reverentiâ exequiis celebratis; die ſextâ præſentis menſis Aprilis Conclave Palatii Apoſtolici, in quo præfatus Dominus noſter abierat, ne dicamus* obierat, juxtà ſanctiones Canonicas decrevimus introïre. Sed certis [c] ex cauſis ad id noſtrum inducentibus animum, hujuſmodi noſtrum introitum ad diem immediatè [c] ſequentem duximus differendum. Quâ quidem die, videlicet ſeptimâ hujus menſis, primitùs gratiâ ſancti Spiritûs invocatâ, Conclave præfatum intravimus, de electione & ſubſtitutione futuri Pontificis tractaturi: ſequentique die luciferi neſcientis occaſum, ut piè credimus, & radiis, circà illam diei horam, quâ Spiritus ille Paraclitus in ſanctorum Diſcipulorum corda deſcendit, ad perſonam Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Bartholomæi Archiepiſcopi Barrenſis, viri utique magnorum meritorum claritate conſpicui, & multiplicium virtutum lampade refulgentia, liberè & unanimiter direximus corda noſtra, cum ad celſitudinis Apoſtolicæ ſpeculam concorditer evocantes; & hanc noſtram evocationem ſeu electionem in conſpectu maximæ Chriſtianæ plebis multitudinis nuntiantes. Cæterùm die nonâ hujus menſis idem Dominus noſter electus, coram fidelium turbâ copioſâ ſuper thronum dignitatis Apoſtolicæ ſublimatus, ſibi Urbani VI. nomen aſcivit; ac die heſterna, quâ Christus Jesus ſummus Pontifex vitam noſtram reſurgendo reparavit, ſicut in Romanâ Eccleſiâ conſuetudinis eſt, in Baſilicâ Principis Apoſtolorum de urbe cum ingenti tripudio & lætitiâ innumerabilis populi Chriſtiani, Pontificali regno magnificè & ſolemniter exſtitit coronatus.

Quæ quidem vobis ideo nuntiamus, ut ſicut obitus Domini memorati Gregorii vobis amaritudinis & triſtitiæ calicem [d] propinavit, ſic de præſentis Patris conceſſione hactenùs* vobis & nobis factâ gaudii & exultationis ſpiritum aſſumatis. In illo enim* cujus vices idem Dominus noſter gerit in terris, firmam ſpem fiduciamque tenemus, quòd ſub ejus felici regimine ſtatus Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ reflorebit, & Orthodoxa fides felix optatumque ſuſcipiet incrementum. Salvator noſter Jesus Christus diù & feliciter in ſuo ſervitio vos perſeverare faciat juxtà vota. Datum Romæ die decimâ nonâ menſis Aprilis ſub ſigillo [e] noſtrûm Petri Portuenſis Epiſcopi, G. tituli S. Stephani in Cælio monte, & Jacobi tituli Sancti Georgii ad velum aureum Diaconi, Cardinalium, hic prioratûs locum obtinentium in ordinibus antedictis.

P. Portuenſis & tituli ſanctæ Rufinæ Epiſcopus.
I. Peneſtrinus Epiſc.
Robertus duodecim Apoſtolorum (qui poſtea dictus eſt Clemens) Preſbyter.
G. Sanctorum Johannis & Pauli Preſbyter.
G. Sancti Clementis Preſb.
P. Sancti Euſtachii Preſb.
G. Sancti Stephani in Cælio Monte Preſb.
P. tit S. Sabinæ Preſb.
B. tit S. Cæciliæ Preſb.
H. tituli Sanctorum quatuor Coronatorum Preſb.
G. tit S. Crucis in Hieruſalem Preſb.
P. tit. S. Laurentii Preſb.
Jacobus S. Georgii ad velum aureum Diaconus.
G. S. Angeli Diaconus.
P. Sanctæ Mariæ in viâ latâ Diaconus.
P. S. Mariæ in Coſmedin Diaconus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales.

Hic poſt Clementem ſucceſſit, & dictus eſt Benedictus.

Literæ [a] Cardinalium ad Reges & Principes ſuper electione Bartholomæi in Papam per impreſſionem.

Anno 1378 a

Miſeratione divinâ Johannes Epiſcopus Peneſtrenſis, Guillelmus tit S. Stephani in Cœlio monte, Bertrandus tit. ſanctæ Cæciliæ, Robertus tit. Baſilicæ XII. Apoſtolorum, Hugo tit. SS. quatuor Coronatorum, Guido tit. S. Crucis in Jeruſalem, Johannes tit. S. Marcelli, Petrus tituli ſancti Laurentii in Lucinâ, Gerardus tituli ſancti Clementis Preſbyteri, Petrus tituli ſancti Euſtachii, Guillelmus tituli S. Angeli, Petrus tit. Sanctæ Mariæ in viâ latâ, Petrus tit. Sanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconi Cardinales S. Romanæ Eccleſiæ, facientes ultrà duas partes omnium Cardinalium in urbe exſtentium tempore obitûs ſanctæ memoriæ Gregorii Papæ XI. &c. Urget nos Chriſti charitas: urget nos zelus fidei: urget nos Petri navicula, quam continuis concuſſam fluctibus cernimus procelloſo in æquore à nautâ piratico circumduci: urget arca fœderis Domini, quæ novorum Philiſtæorum impetu Iſraëlitarum erepta de manibus, profanis Sacerdotibus peccato populi in miniſterium tempore eſt relicta [b]: urgent vaſa Sanctuarii, quæ ab Jeruſalem ad Babylonem portata ſunt, quibus temerariam manum injecit Princeps Babylonius Balthaſar ſic ut eis ad uſus proprios potiatur: urget Domini inconſutilis tunica quæ jam ſorte non unitraditur, imò . . . [c] ſi foret poſſibile, miniſtris ſathanæ exhibetur: urget pudorificæ ſponſæ Chriſti calamitas, quæ* vim quam patitur ægrè ferens* nos omnes jam de tarditate arguens impellit ad debitum, ne ob defectum obſequii brutorum [d] pateat incurſibus, & infelicibus manibus attrectanda linquatur: urget ultrà hæc omnia ſingularis illa affectio, quam vos erga orthodoxæ obſervationem fidei habere cognovimus, ut ea quæ his temporibus noviſſimè lapſis in vacatione Romanæ Eccleſiæ occurrerunt, Serenitati Regiæ nota fiant, ne forte vulgaris opinio, quæ veritatis ignara errorem ſæpe parturit, vos in hac parte traheret ad illa forſan

c *ſed certis*] Sic codex vetus: Acherius *cæteris*: ex eodem codice reſtituimus *immediatè*, ubi legebatur *imminentem*.

d *calicem*] Hoc etiam loco plura perversè edita eſſe nos monuit Baluzius: nam & vox *calicem* deerat, & omiſſum erat *hactenùs*, & mox Acherius ediderat *aſſumatis in illo cujus*.

e *ſub ſigillo*] Sic ex fide codicis, & verè: Acheriana editio *ſub ſigillis*.

a *Literæ*] Editæ tomo IV. Hiſt. Univerſ. Pariſienſis pag. 473. In codice veteri MS. exſtat epiſtola Cardinalium ad Ludovicum Andegavenſem, quæ iſtis litteris eſt ſimilis, niſi ubi adnotatæ ſunt variæ lectiones, vel additiones. Sic autem incipit. *Miſeratione divinâ Collegium ſanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinalium. Dilecto ejuſdem Eccleſiæ filio Ludovico Duci Andegav. illuſtri ſalutem & deſideratum gaudium in Domino ſempiternum. Quia urget nos Chriſti charitas, urget & zelus fidei, urget certè Petri navicula.*

b *relicta*] Ita habetur in laudato veteri codice: in priori editione *relata*.

c *imò . . . .*] Hic nonnihil deeſſe conſtat; quod quidem cujuſmodi ſit haud ſatis ſcio. Vetus codex ita habet: *imò ſua ſobriea hoc partienda, ſi.* Infrà ex eodem reſtituimus, *quæ . . . . ferens*, ubi legebatur, *qui . . . . ferentes.*

d *brutorum* Laudatus codex, *leonum.*

opinanda quæ nec veritatem ſapiunt, nec fidei Catholicæ ſe coaptant. Non enim revocamus in dubium, quin ſicut veritatis magiſter & rerum omnium providus Diſpenſator vos præ aliis voluit regale conſcendere ſolium, regnique ſceptrum tenere, ſic dum lamentabilem caſum ipſius Eccleſiæ ſponſæ ſuæ, matriſque veſtræ & Fidelium omnium per præſentis ſcripturæ paginam, quam pro rei geſtæ veridico teſtimonio mittendam decernimus, ſenſeritis, piâ certè compaſſione viſcera movebuntur, mens excitabitur regia, auferetur opinio, & gementi matri non deerit tam probati filii præſidium, imò ſub coronâ capitis illius protegetur. Nulla igitur vos obumbratæ veritatis ſeducat phalerata opinio, nulla ſcriptura præter hanc certos reddat, nulla Nuntiorum multiplicata congeries lectis ſuis, fictè tamen compoſitis ſermonibus, regias ſic aures demulceat, quin ſedenti arido ſuper ſurculo, & ad nihil aliud quàm lamentoſis luctibus jam vacanti ſubveniat raptæ matri oculus filii hoc cernentis, ne raptoris ipſius ſatietur taliter ingluvies, quin filii baculo atteratur. Nos igitur matris hujus vernaculi, qui vim quam patitur unà cum ipſâ patimur, nec immeritò inceſſanter, uſque ad hoc tempus diſtulimus in hac re procedere ad actus debitos, metu juſto nuſquam nobis abſente. Sed ne tam flagitioſi ſceleris occultatio mentes fidelium forſan faceret titubare, Chriſti, cujus res agitur, timore antepoſito, hominum verò terroribus procul pulſis, volentes potiùs, ubi neceſſitas hoc exigit, in manus hominum incidere, quàm derelinquere legem Dei noſtri, ad publicationem proceſſimus infrà ſcriptam [e].

ANNO 1378. *Eorumdem Cardinalium ad Univerſitatem Pariſienſem.*

MIſeratione divinâ Collegium S. R. E. Cardinalium, &c. Dilectis filiis Rectori, Magiſtris, Doctoribus & Scholaribus Univerſitatis Pariſienſis, ſalutem, & poſt litterarum glorioſa certamina, æternæ felicitatis bravium adipiſci. Scripſiſſe nos vobis recolimus per dilectum filium JOHANNEM de [Gurgnunte] in ſacra Theologia Baccalaureum, ea quæ per inſanum populum miſerabilis urbis Romæ, ejuſque Officiales perfidos dirâ tyrannide, auſuque ſacrilego, belluarum ſævientium more, dum poſt obitum fel. record. Domini GREGORII Papæ XI. [ad] futuri electionem Pontificis curaremus, tam in perſonas noſtras, quàm bona, enormi actuum multiplicatione infeliciter patrata ſunt, ut per ipſorum effrænatam malitiam aliquis in Sede Apoſtolicâ intruderetur, prout rei exitus lucidè demonſtravit. Hac itaque occaſione habet Petri ſedes Seſſorem Apoſtaticum unicè dilectæ Domini tunicæ invaſorem, ſatorem erroneorum dogmatum, & veritatis totius contemptorem. Hunc certè non tradidit canonica electio; hunc Spiritus Domini non vocavit; hunc non ſtabilivit conſenſus; hunc truculenta rabies & Senatiniorum intruſio [a] in Apoſtolicâ Sede intruſit. Ne igitur intruſus ipſe, qui & datus in ſenſum reprobum, terreni faſtûs appetitor factus eſt, per ſuam obſtinatam malitiam & obſtinationem iniquam, fideles aliquos ſuper [præſenti] negotio faceret dubitare, ad publicationem quamdam proceſſimus: ſicut per dilectum filium Petrum de Corbeiâ Secretarium Regium præſentium portitorem informabimini pleniùs: cujus relatibus fidem petimus adhiberi.

Datum Anagniæ XVII. Kalendas Septembris, anno Domini MCCCLXXVIII. Apoſtolicâ Sede vacante.

Inſtrumentum de Confeſſione Domini Mediolanenſis Cardinalis citramontani, in mortis articulo facta in civitate Niciæ. ANNO 1381.

IN nomine Domini amen. Noverint univerſi tam præſentes quàm futuri, præſens publicum Inſtrumentum inſpecturi & audituri; quòd anno à Nativitate Domini noſtri JESU CHRISTI milleſimo trecenteſimo octuageſimo primo, Indictione quartâ, die Lunæ vigeſimâ ſextâ menſis Auguſti, Pontificatûs Sanctiſſimi in Chriſto Patris & D. N. D. CLEMENTIS, divinâ providentiâ Papæ VII. anno tertio, in præſentiâ teſtium, & mei Notarii publici Antonii, infrà ſcriptorum ad hoc vocatorum ſpecialiter & rogatorum; Reverendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus, SIMON de Broſſano civitatis Mediolani miſeratione divinâ tituli Sanctorum Joannis & Pauli Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Preſbyter, Cardinalis Mediolanenſis vulgariter nuncupatus, exiſtens ſanus mente, memoriâ, & intellectu, licet æger corpore, cognoſcens ſe mortalem, ac diem & horam ſui obitûs penitus ignorans, invocato, &c. Infrà ſcriptam ſuam declarationem antequàm ſuum conderet Teſtamentum, fecit in hæc verba:

IN NOMINE OMNIPOTENTIS DEI PATRIS & Filii & Spiritûs ſancti: Ego SIMON de Broſſano civitatis Mediolanenſis tituli SS. Joannis & Pauli Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Preſbyter Cardinalis, volens meipſum & totum populum Chriſtianum, quantum in me eſt, declarare, & ipſum populum de veritate informare in facto præſentis Schiſmatis noſtris temporibus, proh dolor! exorti, & diſcordiæ ſuper Papatu exiſtentis, & quantum mihi poſſibile eſt, de Chriſtianitate omne dubium removere, & de cordibus quorumcumque Fidelium iſtud ſchiſma peſtiferum radicitùs extirpare, & ut populus Chriſtianus ad unitatem ſanctæ matris Eccleſiæ reducatur, pro quâ unione ſtando de medio, & velut indifferenter, nec ad unam partem nec ad aliam declinando, uſque ad hæc tempora, unà cum Reverendiſſimis Patribus & Dominis meis PETRO Epiſcopo Portuenſi, dicto Florentino, & JACOBO de Urſinis bonæ memoriæ, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, fideliter laboravi. Idcircò nolens quidquam ſub verborum involucro neque ambiguè loqui, neque obſcurè, ſed clarè, attentis omnibus quæ intervenerunt in facto hujuſmodi ſchiſmatis, & his quæ diſponuntur, & ordinantur in jure expreſsè. Dico & aſſero, & apertè declaro electionem BAR-

e *infrà ſcriptam*] In epiſtola ad Lud. Andegav. ſequitur *modo & formâ tibi exhibendas pro noſtri parte per dilectum filium Joannem de Baro Propoſitum Valentinum, præfatæ Rom. Eccleſiæ Subdiaconum, exhibitorem præſentium; quem, ut ſuper præmiſſis omnibus plenius informeris, ad tuæ charitatis præſentiam duximus deſtinandum, ipſam affectuoſe deprecantes, exhortanteſque per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti, ut fidem plenariam adhibeas dictis ſuis, in omnibus ſtatum dictæ Eccleſiæ ſanctæ concernentibus: ſic & taliter te habere diſponas quòd proinde præmium ſempiternum merearis, nomen quoque tuum in præſenti ſæculo gloriam conſequatur & laudem, noſque ex hoc tibi peramplius adſtricti, pro tuo ſalubri regimine Deum exorare propenſius inducamur, qui te diu & feliciter protegat cum incolumi ſoſpitate. Datum Anagniæ XVIII. Kal. Septembris, primâ Indictione, anno à nativitate Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo-octavo, Apoſtolicâ Sede vacante.*

a *Senatiniorum intruſio*] Sic vetus codex, non rectè quidem, ſed paulo melius quàm quod in editis legebatur *ſævæ timoris incuſſio*. Infrà ex eodem codice repoſuimus XVII. *Kal.* ubi erat XII. *Kal.*

THOLOMÆI tunc Barrenſis factam fuiſſe per impreſſionem, & nullam ipſo jure, ſicut etiam Reverendiſſimi Patres & D. Domini Cardinales ultramontani hoc idem declaraverunt & publicaverunt. Et electionem ſanctiſſimi in Chriſto Patris D. N. D. CLEMENTIS, divinâ clementiâ Papæ VII. factam à numero ſufficienti RR. & DD. Cardinalium, eſſe validam & canonicam.

Item dico, quòd ſi verbo, ſcripto, diſputatione, vel opere aliquid unquam dixerim vel fecerim contrà præfatum ſanctiſſimum Patrem & D. noſtrum Papam CLEMENTEM, confiteor me erraſſe, & humiliter veniam peto, ac recommendo animam meam & familiam meam eidem SS. Domino noſtro Papæ Clementi tamquam vero Chriſti Vicario, & B. Petri ſucceſſori legitimo, ac etiam omnibus DD. Cardinalibus, ut eam habeant favorabiliter recommendatam, prout indubiè ſpero. Quam quidem declarationem meam volo & mando in cunctis mundi partibus publicari, atque de ipſâ declaratione meâ, & omnibus & ſingulis ſupradictis volo & mando, quòd conficiatur publicum Inſtrumentum, unum & plura, & tot quot expedierit & fuerit opportunum, per te, Antonium Notarium publicum & Scribam meum, hîc præſentem unà cum Reverendis PP. & Dominis meis DD. PETRO Florentino, & GUILIELMO ſancti Angeli, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & Reverendo Patre Domino JOHANNE Epiſcopo Caſtellano, & nobili viro Zavardo de Vicedominis de Placentiâ, ac venerabilibus viris DD. Fratre PETRO de Alzate Ordinis Humiliatorum Camerario meo, & JOHANNE de Mondellis legum Doctore & Auditore meo; in quorum præſentiâ hanc declarationem meam ut ſuprà feci & facio. Ac etiam ut ipſa declaratio mea ſit magis valida, & authentica, & majorem roboris obtineat firmitatem, utque eidem indubia fides adhibeatur; iterum in effectu, dante Domino, eamdem replicabo, & faciam poni & inſeri in meo Teſtamento, quod hodie facere intendo, per te Antonium Notarium publicum tradendo, conficiendo, & publicando. Et rogo, & inſtanter requiro vos præfatos Reverendos Patres Dominos Cardinales Florentinum & ſancti Angeli hic præſentes, ut dictam meam declarationem ubique publicetis, & in omnium notitiam deducatis. Qui Reverendi Patres Domini Florentinus & ſancti Angeli Cardinales, ad ipſius Reverendi Patris Domini SIMONIS Cardinalis Mediolanenſis precem & inſtantem requiſitionem, hujuſmodi eidem gratioſè reſpondentes liberaliter promiſerunt, ſe velle etiam & in hoc libenter facere & effectualiter adimplere juxtà ipſius voluntatem toto eorum poſſe. De quâ quidem declaratione & ſupradictis omnibus & ſingulis factis, dictis, actis, & geſtis per præfatum Reverendum Patrem Dominum SIMONEM Cardinalem Mediolanenſem, & reſponſum eidem per præfatum Reverendum Patrem Dominum Cardinalem Florentinum, & S. Angeli; idem Dominus Cardinalis Mediolanenſis voluit ac mandavit, ac requiſivit & rogavit me Antonium Notarium publicum ſuprà & infrà ſcriptum, ut inde publicum conficerem Inſtrumentum unum, & plura, & tot, & quot expedierit & fuerit opportunum.

Acta ſunt hæc Niceæ in domo Fratrum Prædicatorum, ubi præfatus Reverendus Pater Dominus SIMON Cardinalis habitabat, Anno, Indictione, menſe, die, & Pontificatu prædictis, præſentibus ſupraſcriptis Reverendis in Chriſto & DD. Domino Florentino Epiſcopo Portuenſi, & G. Sancti Angeli Diacono, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ac Reverendo Patre in Chriſto Domino JOHANNE Epiſcopo Caſtellano, necnon nobili viro ZAVARDO de Vicedominis de Placentia, ac Venerabilibus & circumſpectis viris DD. Fratre Petro de Alzate Ordinis Humiliatorum, & Præpoſito Domûs Sanctæ MARIÆ de Braydâ Mediolanenſi, Camerario, & JOHANNE de Mondellis legum Doctore, & Præpoſito Eccleſiæ Sancti Laurentii Mediolanenſis, Auditore præfati Reverendi Patris Domini Cardinalis Mediolanenſis, teſtibus idoneis ad præmiſſa vocato ſpecialiter & rogatis.

Et ego ANTONIUS Baſſavega quondam Sylveſtri de Mediolano publicus Apoſtolicâ & Imperiali auctoritate Notarius, Secretariuſque & Scriba præfati Reverendi Patris in Chriſto & Domini D. Simonis Cardinalis Mediolanenſis, prædictæ ejus declarationi, & omnibus & ſingulis ſuprà ſcriptis dum ſic, ut præmittitur, dicerentur, agerentur, & fierent unà cum prænominatis teſtibus interfui, & ea ut ſuprà dictum eſt, dici, fieri vidi, audivi, & intellexi, ac rogatus & requiſitus per ſupradictum R. P. Dominum SIMONEM Cardinalem Mediolanenſem, hoc inſtrumentum publicum confeci, tradidi & publicavi, & in hanc publicam formam redegi & ſcripſi, & me ſubſcripſi, ſignoque meo conſueto appoſito in teſtimonium & fidem pleniorem præmiſſorum roboravi.

BONIFACII Papæ IX.

Anno 1391

UNIVERSIS Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis. Immenſam clementiam Domini Salvatoris, cujus vices licet immeriti gerimus, quique apertis in Cruce brachiis omnes complectitur, & quantum in ſe eſt neminem vult perire, quod adeo verum eſt, ut etiam pro crucifixoribus exoraret, dicens: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Et quanta paſſus eſt populus Domini occaſione nefandiſſimi ſchiſmatis, quod in unitate fidelium vir Belial ROBERTUS Gebennenſis Antipapa ſuperduxit, quidve per nos agi oporteat pro reducendo ad ovile Dominicum populum ipſum, deceptum illius aſtutiâ, & in perditionis devium oberrantem, in mentis ergaſtulo ſæpiùs devolventes, vipereis torſionibus quatimur, & vexationibus aſſiduis perurgemur. Tandem verò nihil magis operæ pretium in tanto Dei ſervitio ſenſibus noſtris occurrit, quàm viam oſtendere veritatis, quo nos apud juſtum judicem excuſabiles, & à nobis præmonitos reducamus ad eum, vel niſi videant voluntatem Domini, & viſitent templum ejus, ſtatuamus eos inexcuſabiles coram ipſo. Oſtendat itaque pretium Apoſtolicæ monitionis oratio [a], diuturnæ anguſtiæ dies, quibus æterni templi ſtructura Domino ædificante conſtructa, caput Chriſtianæ Religionis & fidei, præcelſi Papatûs, & principalium cardinum orbis terræ, ac ſacri Imperii titulis communita, à quâ cunctæ mundi Eccleſiæ dogmata ſalutis & normam ſumſerunt vivendi, per horrendam calumniam ab exquiſitore ſollicito declarandam deducta & detenta in Galliis XXXV. annis [per] deductionem, & detentionem hujuſmodi, ac aliena crimina, ad

Luc. 23. 34.

a *monitionis gratia*] Totus hic locus in priori editione mirè ab interpunctione laborabat, aliaque erant non pauca quæ ſenſum turbarent. Ita enim legebatur *monitionis, oratio diuturnæ anguſtiæ. dies . . . . fides præcelſi Papatus . . . . communitum, à qua cuncta . . . . declarandum . . . . annis deductionem.* Quidquid potiò mutatum eſt, nos codice quidem nullo favente, ſed ita poſtulante ſenſu mutavimus.

ripas Rhodani in triſtitiâ ſedit & flevit, facta quadammodo ſub tributo, priuſquàm fuerit, velut Iſraeliticus populus de Ægypto, ad locum hunc Sanctuarii principalem & principii ſedem, ac alveum proprium divinâ diſpoſitione reducta: quam quidem reductionem ea ipsâ diſpoſitione procedere, ille ſui temporis Hiſpaniæ decus PETRUS Infans Aragoniæ, vir regiæ ſtirpis, religioſus grandævus, & vitæ probabilis per ſeipſum, & BRIGIDA de Suetia, piæ memoriæ, ut in ſuo libro teſtatur, per Confeſſorem ſuum Priorem Eccleſiæ Lincopenſis, JOHANNI Franciſcæ & EDOUARDO Angliæ Illuſtribus tunc Regibus, tempore CLEMENTIS Papæ VI. prædeceſſoris noſtri, accepimus nun-
b tiaſſe [b], admonitione ſubjuncta ex parte Altiſſimi, quòd quilibet Chriſtianorum Regum eidem reductioni aſſiſteret, alioquin contrà facienti proſperitas non adeſſet, prout deſpicientem Franciæ in bello captum, & obedientem Angliæ Reges eoſdem felices eantus illicò comprobarunt. Quis URBANUM V. Galliæ natum & educatum ad uſque ſenium, & aſſumptum in Gallus ad Papatum, ad Sanctuarii proprium & Pontificii ſummum locum duxit, vel accedere compulit, niſi Deus? Quis eum contrà diſpoſitionem prædictam abinde recedentem, prædicto id ei per dilectum filium nobilem virum NICOLAUM Nolanenſem Comitem ea parte Brigidæ, in monte Flaſcone Tuſcanenſis diœceſis ante completum iter ab humanis exemit? Deus. Quis ejus proximum ſucceſſorem GREGORIUM, virum Gallicum, ſummos Pontifices prædeceſſores noſtros ſanctæ memoriæ, in ſuæ aſſumptionis primordiis viſitare Sedem, & Sponſam propriam, ad reſidentiam perpetuam in eâdem induxit & compulit? Nempe Deus. Quis eumdem GREGORIUM Papam diſponentem de regreſſu ad Gallias poſt votum hujuſmodi percompletum, miſſo per eum ad Hiſpanias pro galeis, ante ipſarum adventum in ſede propriâ perpetuò quieſcere fecit? Verè qui ſponſam ſuam non repulit propter peccata hominum, ſolus Deus.

Sed dicunt impii perverſores, in carnali brachio contrà potentiam dominantium Domini confidentes; fiat Concilium ut ſchiſma ſedetur. O damnoſa & damnanda impietas! O vanitatum hominum vanitas, & nefanda præſumptio! Quis carnalium contrà tam notam voluntatem Altiſſimi audeat
c aliud nominare Concilium, quàm concluſum [c] in ſuperis, & per voluntarios Gallicos, ad quos tunc pertinuit, in perſonam felicis recordationis URBANI Papæ prædeceſſoris noſtri, electi per eos canonicè, confirmatum & approbatum, prout exprimitur, quotidie contrà ipſum urgentes concilium * notoriis nocumentis; adeo ut non ſinat eos Omnipotens diù, licet in calamitatibus vivere, nec pace frui, nec finire vitam cæde communi. Numquid aliquando legit, qui ſic præcipitat ſenſum, quòd non eſt ſcientia, neque conſilium contrà Deum, qui agit omnia liberè ſolo nutu: mortificat inſuper & vivificat, deducit ad inferos & reducit. Numquid iidem Gallici Electores ante electionem damnabilem infeſti Deo Antipapæ, in eorum citatoriis litteris ſigillorum cujuſlibet appenſione communitis, & in Orbe diffuſis, quibus dictum URBANUM Papam ad docendum de vero electionis titulo accerſiverunt Anagniæ, non fatentur apertè ſe elegiſſe ipſum in Summum Pontificem, licet credentes eum talis eſſe conſcientiæ quòd hoc minimè acceptaret?
Aut litteras pœnitentiariæ [d] & Cameræ Apoſtolicæ d
dum eſſent ibi, in loco eis tutiſſimo non dederunt datâ Nono Idus Novembris, ſigillis ad hoc de novo confectis, & Pontificatu prædeceſſoris ejuſdem? Vel procedere præſumebant ad electionem dicti Antipapæ priuſquàm aſſenſum peſtiferum Principum Galliæ habuiſſent, menſibus VII. & ampliùs exſpectantes, quem impii perverſores falſis litteris, quibus eumdem URBANUM voluiſſe auferre domui Franciæ regnum Arelatenſe fingentes, temerè extorſerunt.

Sunt & aliæ cauſæ, quibus domus ipſa ſeducta huic nefando conſilio ceſſit, culmen Apoſtolicum S. cumulari debere per hoc in perſonam propriam tunc regentes, ut utriuſque corona Papatûs & Galliæ in eodem vertice injuncta, univerſi Orbis ſubderet Monarchiam. Alia quoque fictio fabuloſa eidem domui monſtrata eſt, privilegio quodam comperto in archivis ejuſdem, quo cautum dicitur, ut
cum propter dotes piorum [e] locorum ærarium Re- e
gum fingeretur exhauſtum, in ſublevamen dicti ærarii Eccleſiaſtica bona decennio * tantùm præſcriberent poſſeſſores; & quia per octo annos tenuerunt, ut fertur, decimas Franciæ dictæ domus, ad ſequens biennium, ſi Papam haberent Gallicum, ipſarum decimarum præſcriptio compleretur, & ſic talibus configmentis hereditatem Domini præſumentes uſurpare, calumniis decimas & Chriſti Eccleſiam ad loca buculi trahere, & hereditate poſſidere putaverunt. An idem ipſe Antipapa, ut taceatur de cæteris; in ſuâ Camerâ liber animo & perſonâ electionem ejuſmodi dicti URBANI VI. manu propriâ & ſub ſuo ſigillo clarè & lucidè non deſcripſit? Quis præterea dictum URBANUM eripuit à tot & tantorum laqueis venatorum? Quis eum cuſtodivit in carcere, ipſumque inde potuit liberaſſe? Quis duxit ab Orientali plagâ ſuos æmulos Britones, ab Oriente claſſes Januenſium ad ipſum Urbanum obſeſſum in caſtro Nuceriæ liberandum, ita ut illæ appulerunt littori, & illo iſti conducerent eum [f] in momento? Verè
vero verius qui ſolus facit miracula verus Deus. Ceſ- f
ſent itaque linguæ mendacii adorare docere ſimulacrum, & Omnipotente relicto, vacuum vel idolum ſequi nullâ prorſus authoritate ſuffultum.

Vos quoque Filii in ſecundam ingredi requiem feſtinantes, attendite Dominam Gentium; & magiſtram Fidelium, dictam Eccleſiam Matrem veſtram, cujus eſtis ſaluberrimè, extrà quam non eſt ſalus hominibus, lacte nutriti, filii ſpeciales, jam annis ferè duodecim mortales viperas gremio, ipſum rodentes uterum, tolerantem, & præ anguſtiâ perditionis carorum ſedentem in triſtitiâ, & non habentem ſpeciem vel decorem, ut jam tandem invenerit in vobis conſolantes: hæc eſt enim illa ma-

b *nuntiaſſe*] Vidè Odoricum Raynaldum an. 1379. § 9.

c *quàm concluſum*] Hujus pericopes intellectum neſcio an ſatis aſſequutus ſim: ſed in ea nihil præter vocem *conſilium*, mutavi, cujus loco curavi edendum, *concilium*. Sic locum hunc intelligo: Concilium fruſtra requiri, quod jam olim concluſum fuerit in cœlo, & per Gallos ipſos approbatum, cùm Urbanum VI. Papam elegerunt; ejuſque rei hoc eſſe argumentum, quòd eos qui Concilium urgent, variis damnis ad ſaniora conſilia revocet quotidie Deus. Interpunctionem Acheriaram exhibere libet: *in Superis & . . . . pertinuit in perſonam . . . . noſtri electi, per . . . . exprimitur, quotidie . . . . Omnipotens, diù licet, in.*

d *pœnitentiariæ*] Sic vetus codex, emendatè. Acherius, *primariæ*, corruptè.

e *dotes piorum*] Sic emendare libuit: prior editio *priorum*. Infrà etiam repoſui *decennio*, ubi legebatur *decenſione*.

f *eum in momento*] Hæc in loco non pauca expunxi, quæ ſententiam turbabant, & ab imperitâ manu adſcripta erant. Ita enim legebatur: *eum, ita quòd lingua mendacii adorare docere ſimulacrum, & omnipotentem relicto vacuum in momento, vere verò verius . . . verus Deus?*

ter ad quam pro remiſſione peccaminum & culparum, velut ad fontem gratiarum irriguum, & flumen ſaluberrimum paradiſi, ut de illo vivant, & g ultrà non [g] ſitiant, piè confluit plebs fidelis; & ſi ex vobis aliqui prælaturâ vel prærogativâ notentur, poſitos & nuntios dicti ſimulacri non admittant, nec cenſum ſathanæ dandum * decimam, potiùs confortate debiles, & relevate in errorum hujuſmodi lectulò langueſcentes ad fidei integritatem; unitatem Chriſti fidelium, pacem corporum, & animarum tranquillitatem exquirite, in quâ populi ad ſalutem proficiunt, & utilitas Gentium cuſtoditur; & ad reducendum vel redeundum ad gremium dictæ matris ſic nocivas tollite moras, ut alter alterum ulteriùs non exſpectet. Cæterùm, Filii, reſiſtatis urgentibus, ſi qui inter vos fuerint obſtinati ad peſſima, ut ſalutaria pretioſa contemnant, attendentes ad caducæ cupiditatis ſpiritum, h commonemus; [h] ut inſiliente in vos ſpiritu Salvatoris, in confuſionem dicti Antipapæ detur de ipſis gloria vero Deo, & unitas fidei proinde reddita fortior ad reſiſtendum principalibus æmulis Crucis Chriſti, qui propter hoc ſchiſma Fideles invadere non formidant, ipſius fidei unitas integram teneat firmitatem.

Nos quoque veritatem ignorantibus condolentes, & informati plenariè quòd dicta domus Franciæ quæ aliàs principalis murus defenſionis ejuſdem fidei ſolet eſſe, in hoc horrendo ſchiſmate principaliter non peccavit, falſis decepta literis & ſeductionibus antedictis, humiles pro eâ preces in altum porrigimus, ut hæc macula deleatur ab ipsâ, quæ quidem macula ab æmulantibus dicto Urbano VI. ante ejus attollentiam ad Papatum, & ſibi ipſis dicentibus: *Si dimittimus eum ſic, tollet locum noſtrum & Gentem*, potiùs traxit ortum; & nihilominùs non ceſſantes offerre dona & ſacrificia pro i peccatis, alias etiam [i] ſalvari amabunt redeuntes, eiſque ad gratias Apoſtolicæ munificentiæ dexteram aperire.

Datum Romæ apud S. Petrum, Kalendis Martii Pontificatûs noſtri anno ſecundo.

Anno 1392. *Literæ, quas Regi attulerunt duo Carthuſienſes ex parte* Bonifacii, *anno Chriſti* MCCCXCII. *circà feſtum Natalis Domini.*

Bonifacius, &c. Chariſſimo in Chriſto filio Carolo Regi Francorum Illuſtriſſimo. Regia circumſpectio, videlicet prout fide dignorum quam plurium relatus noſtras crebrò perduxit ad aures, ingemiſcit ſingulariter atque dolet, quòd omnipotens Deus univerſale malum, hoc ſummopere deflendum ſchiſma ſanctæ ſuæ Eccleſiæ peccatis exigentibus permiſit, ac tamdiu durare permittit, ut qui ad regimen populi in meliorem partem à Deo dati, ad unionem, & ipſius redintegrationem, aſſurgere, invigilare, & operari deberent & poſſent, ſegnes tranſeunt, & quaſi non curare, imò qui amodo curare non videntur. Sed cum venit in mentem quòd hæc talium rerum jugis & magni pendenda memoria & animadverſio tuo ſedet in animo, & quòd tu ex eâ non ſolùm vetuſtiſſimâ atque nobiliſſimâ, ſed etiam chriſtianiſſimâ & virtuoſiſſimâ progenie ducis originem, de quâ multi & inclyti Reges ac Principes prodiêre, ut etiam eorum aliqui fluctuantem Eccleſiam, & Rempublicam, fidem, integritatem & induſtriam indefeſſis laboribus, gravioribus periculis, magniſque ſumptibus juverunt, foverunt, defenſarunt, & ad portum ſalutis ac tranquillam duxerunt ſtationem: & vice verſâ cum fuit opus nonnulli tui progenitores, etiam in recenti memoriâ, ab eâdem Eccleſiâ præcipuos honores, & opportuna commoda reportaverunt, ut quamobrem tanta inter Eccleſiam piam matrem & progenitores ipſos filios connexio indiſſolubiliter viguit, ut Eccleſia abſque illis, & illi ſine Eccleſiâ, ſi recenſeantur Annales, nunquam vel rarò magnificum feliciter quid tentârunt: ſpes nos bona fovet, quòd, propitio Deo, ad unitatem & ſedationem hujuſmodi multa operaberis laude digna, & fortè iſta Eccleſiæ calamitoſa diviſio tuis operationibus magnâ ex parte ſopietur; potes enim ſi non deſit recta voluntas, & ut non deſit Deum ſuppliciter exoramus: nam ingenium, vigor animi, robur corporis, ætas integra, conſilium maturum, opes, favor, opinio, & alia requiſita abundè per Dei gratiam tibi ſuppetunt ad hanc rem: ideoque tuam Serenitatem requirimus, paternè monemus, rogamus, hortamur, & obſecramus per viſcera miſericordiæ Jesu Christi, per deſideratam ſalutem, per æternum præmium, per integram proſperitatem hominis utriuſque, per quam tandem [a] omnis ſpes a quæ de probè geſtis concipi poteſt, quatenùs hanc Dei cauſam promptè ſuſcipiens, & conſtanti animo perſequens, commendanda dignorum progenitorum veſtigia imitatus, ad intemeritatem veritatis & unitatis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ te conformans, ad hujuſmodi reprobi ſchiſmatis & diviſionis remiſſionem, & Eccleſiæ reintegrationem ingenii tui vires & efficaces operas adhibere velis, nec ulteriùs retardare; nam ſatis ſuper dictâ cauſâ rectus zelus populi Chriſtiani in te fuit; ſanguis humanus effuſus, & infidelibus ſancta Religio & Catholica fides ludibrio habita eſt, & tenella ætas in quâ tempore orti ſchiſmatis adhuc eras, te uſque fortàn hactenùs excuſavit; de cætero nulla talis excuſatio locum habet, & ſi rectè inſpiciatur quæ ſit res illa ad quam te invitamus, nulla res honeſtior, nulla æquior, nulla juſtior, nulla præclarior, nulla opportunior, nulla magis neceſſaria, nulla denique Principi Catholico, & animo ſublimi dignior modernis temporibus eſſe aut reperiri poſſet. Expergiſcere igitur jam demùm, dilectiſſime Fili, age ſtrenuè atque labora, nec deſinas operari quòd tam deſideratum tamque neceſſarium bonum, quantum in te eſt, ad effectum debitum perducatur. Nos enim quamprimum te ad id diſpoſitum fore ſenſerimus (nec aliter quàm per tuas litteras aut Nuntios cum bonâ credulitate ſecurè poſſemus) parati ſumus tecum apponere partes noſtras, nihil de contingentibus omittendo:

g *& ultrà non*] Nihil unquam fœdiùs editum eſt hac Bullâ, quæ nunc faciliùs intelligetur. Hoc loco legebatur *& ubi ut non.* Haud ita longè *nec cenſum* &c. ita emendari poſſe arbitror, *nec incenſum Satanæ dent; ſed potius*: nam de decimis illo quidem loco non agitur.

h *commonemus*] Hic idem quod ſuperius facimus h. e. quod emendatione indiget, emendamus vel invito codice MS. nam quod editum erat *quo movemur ut* ineptum erat omninò.

i *alias etiam*] Totum hoc uſque ad *datum Romæ* omiſerat Acherius. Quod quidem corruptum eſſe omnes vident, ſed plura à nobis in hanc Bullam præſtita eſſe confidimus, quàm ut nobis vicio verti queat, quod hæc emendare non potuerimus.

a *per quam tandem* Non pauca ſunt quæ in hiſce litteris meliùs ſcribi potuerant, ſed ut in iis ſtultus ſit ſiquis Grammaticæ regulis animum ſemper intendat, ita indiligentiæ notari non immeritò poteſt, qui in quibuſdam locis in quibus librarius peccaſſe videtur emendandis operam non intulit. Hujuſmodi porrò eſt locus iſte, quem forraſſe reſtitues, ſi reponas, *per eam tandem laudis vel honoris ſpem*.

tendo : ad præmiſſa igitur non gravaberis reſpondens.

Datum Romæ apud S. Petrum, quarto Nonas Aprilis, Pontificatûs noſtri anno tertio.

FRAUCISCUS.

ANNO 1393. Ex MS. hiſt. Caroli VI. à Monacho S. Dionyſii.

Viæ, quas univerſitas præſtitavit ad exſtirpandum Schiſma Eccleſiæ.

DE Dominorum Franciæ inopinato conſenſu, ut Deo debitæ gratiæ referrentur, die Converſionis ſancti Pauli proceſſionem faciens Univerſitas alma Mater, ſtationem habuit apud S. Martinum de Campis, & interim dum Miſſam de Spiritu ſancto ſancti Dionyſii venerabilis Abbas dictus GUIDO MONCELLI celebraret, ejuſdem Monaſterii Prior Reverendus, GUILLELMUS Varrant vocatus, Magiſter in Theologiâ publicam Prædicationem fecit. Tunc elegantiſſimè judicio audientium, mentem Regis & Dominorum Franciæ promptam ad unionem divulgans, eamque multis laudibus efferens, omnes monuit Dominum exorare ut in propoſito ſtarent. Nam procul dubio, nec immeritò, verebatur ne per Dominum Papam Clementem aliter inducerentur. Ut autem regio obtemperaretur præcepto, & ut uniuſcujuſque animus definiendo liber eſſet, in Univerſitate iterum publicè divulgatum eſt, ut quod cuilibet mens dictaret pro unione habendâ, notaret in ſchedula quam & juſſà unam arcam fortiter obſeratam, & in Clauſtro S. Maturini repoſitam, quaſi in gazophylacium mitteret, nemine compellente. Ad hoc certus dierum numerus præfixus eſt, quo tranſacto, Doctorum & Magiſtrorum in Decreto XIV. in ſacrâ paginâ Profeſſores decem & octo : in jure Canonico & in Artibus XXII. ſtatuuntur, qui ſchedulas repertas (quæ . . . numerum excedebant) ſtudio legerent diligenti, & omnium ſub compendio media ſcriptis notarent. Quamvis in ſchedulis ipſis quiſque propoſitum ſuum variis rationibus corroborare conaretur : deputatorum tamen judicio ad viam ceſſionis & renuntiationis plenariæ utriuſque de ſummo Pontificatu contendentis, vel ad viam mutuæ compromiſſionis amborum in aliquos eligendos, vel ad determinationem Concilii generalis omnes ſe determinabant. Quæ cum in generali Congregatione celebratâ retuliſſent, unanimi omnium aſſiſtentium conſenſu decretum eſt, ut hæ viæ in formam epiſtolæ Regi offerrentur, quam & venerabilis vir Magiſter NICOLAUS DE CLAMANGIIS Campanus natione, in Theologiâ Baccalaureus, vir utique meo judicio Tullianâ facundiâ ſingulariter pollens, coloribus rhetoricis tunc exornandam ſuſcepit.

ANNO 1393.

Copia Bullæ BONIFACII *Regi miſſæ.*

DIgna ſcriptu ſub compendio tetigi quæ contigerunt anno iſto, nunc ad incidentia externa quæ mihi digna videntur memoriâ, iterum ſtylus redeat. Superiùs memini me ſcripſiſſe, ut de Trans-Alpinis partibus BONIFACIUS, qui ſe pro Papa gerebat, litteras monitorias ſuper unione Eccleſiæ per duos Carthuſienſes miſerat, & quamvis Rex litteras reſponſivas non ſcripſerat, ſed per nuntios oraculo vivæ vocis dignum duxerat reſpondendum, per eâ legatione iterum alias Bullas ipſi Regi per prædictos remiſit, hunc tenorem continentes :

BONIFACIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei, Cariſſimo in Chriſto filio CAROLO Regi Francorum illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Præfari non eſt diù ; quæ ad materiam congrua [a] videbantur tuæ Sublimitati ſcripſimus, illam paternè monentes, & etiam obſecrantes, ut Dei cauſam de quâ agitur, promptè ſuſcipiens, & conſtanti animo perſequens, commendanda divorum progenitorum veſtigia imitatus, ac te intemeratæ veritati & unitati S. Romanæ Eccleſiæ ſponſæ noſtræ conformans, ad inſtantis reprobi ſchiſmatis ac diviſionis remotionem, & Eccleſiæ redintegrationem ingenii tui vires & efficaces operas adhibere velles, nec ulteriùs retardare. Tu autem hujuſmodi noſtris receptis litteris, cum præterea duos Fratres Carthuſienſis Ordinis ad tui præſentiam miſiſſemus, duos alios ejuſdem Ordinis Profeſſores cum dictis aliis Fratribus ad noſtram præſentiam tranſmiſiſti. Nos verò ex memorialibus regiis per eoſdem Profeſſores delatis, & ex his quæ dicti Profeſſores ſeriatiùs exponere curaverunt, vix aliud comprehendere poſſumus, quàm quòd illi peraſtuti viri, qui filium utinam benedictionis ROBERTUM de Gebennâ, olim Baſilicæ duodecim Apoſtolorum Presbyterum Cardinalem, Antipapam aut fecerunt, aut factum malignitate propriâ, ſeu aliorum verſutiis, vel utriuſque, ſunt ſequuti, te adoleſcentiam vel nondum vel vix egreſſum variis ambagibus detinent involutum, adeo quòd tui, ut ita dixerim, oculi illorum faſcinationibus & malis collyriis delibuti, videre nequeant ſolidam veritatem ; de quo certè ſummè dolemus. Sed nihilominus cum Spiritus ubi vult ſpiret, nec tarda molimina ſciat ; neque tantus error tam vehementer unquam mentes invaſerit humanas, quin Dei bonitas, cum ſupereffunditur, diſcuſſis eorum tenebris adducat lucidam veritatem. Ipſe namque Princeps Apoſtolorum Petrus, etiam in conſpectu veritatis ter lapſus, fortiſſimus & conſtantiſſimus reſurrexit. Adhuc ſpes nos ampla & penè certa fovet, quòd ipſe Deus aliquando te, ſuam nobilem creaturam, illuminabit, & videbis apertè quòd felicis recordationis URBANUS Papa VI. prædeceſſor noſter, piæ memoriæ Gregorio Papæ XI. noſtro & immediatè ſuo prædeceſſore vitâ functo, per eos ad quos Romani Pontificis pertinebat electio, canonicè electus, inthronizatus, & coronatus fuit, cui nos legitimè ſucceſſimus in Papatu. Et quia nonnulli ex prædictis Electoribus, neſcio quâ malâ animi paſſione impulſi, ſed caſu certe miſerabili atque dolendo, damnoſam ſe ſe tendentes in partem dictum Robertum Antipapam fecerunt, & hujus grande ſchiſma nunquam ſatis deflendum in ſanctâ Dei Eccleſiâ poſuerunt, ac totis viribus nutriunt, & ab ipſis ejuſdem ſchiſmatis primordiis cum non paucis terrenis opibus redundarent, ſæcularium adjuti potentiâ dictum Urbanum prædeceſſorem ſubruere, exterminare, & in totum confundere conati fuerunt, nihil prætereuntes indiſcuſſum, ſed ſemper incaſſum ceciderunt labores eorum : protegebat enim illum utique inopem & inermem Pontificem veritas & juſtitia.

Sed ne ſermonem in longum protrahamus, iterum Celſitudinem tuam attentiùs requirimus, hortamur, monemus, rogamus ac deprecamur ac per ea quæ optari, & quæ teneri per Catholicos & benè compoſitos viros poſſunt, obteſtamur, quatenùs pro Dei miſericordiâ promerendâ, ac reſtauratione & ampliſicatione inclyti regni tui à Domino impetrandâ, & acquirendâ vera laude, à modo diſcuſſis

a *congrua*] Editum erat *congruam.*

erroribus, quibus illorum malignitate adhuc implicitus detineris, velis in præmiſſis agnoſcere veritatem, & eâ cognitâ illam conſtanter ſequi ac defendere, ac pro poſſe tueri, teque unitati ejuſdem Eccleſiæ per omnia conformare, & ut tui idem faciant, totis viribus laborare, ac dare ordinem cum effectu, quòd ſive de tuo regno, ſive de Flandriæ, Vaſconiæ, aut Lotharingiæ, vel Britanniæ, vel aliis partibus, nulli ad ſequendum dictum Robertum per violentiam comprimantur, ... quia res eſt exempli mali, ſæpiùs iteratur. Quæ ſi effeceris, ut cupimus & ſperamus, Deum tibi tuiſque rebus conſtitues protectorem, & ejus Eccleſiam & nos in cunctis honoribus & commodis tuis reddes propitios & benignos. Nihil enim aliud in hac parte quærimus, quàm tuam tuorumque ſalutem, ac etiam ſi fieri poſſet præfati Roberti, & ſequacium ejus; & ſi tu perficies quæ ſuperiùs præmittuntur, Roberti & ſequacium eorumdem reductio ſatis faciliùs reddetur., & ſi fuerit expediens, & requiras nuntium vel nuntios, idoneum vel idoneos te de omnibus veridicè informaturum vel informaturos, ad præſentiam Regiam tranſmittemus. Exſpectabimus à te de tuâ diſpoſitione certiùs informari. Datum Perulii duodecimo Kalendas Julii, Pontificatûs noſtri anno quarto.

Bullam ſigillo plumbeo munitam Rex Franciæ, quia tunc cor tenebris ignorantiæ involutum habebat, non recepit, ſed Domini Duces Bituriæ & Burgundiæ, qui tunc regni ardua diſponebant, illam recipientes benignè, Conſilio ſuper hoc congregato, ad illam minimè dignum duxerunt reſpondere, quia ſolùm Bonifacius ut alter expelleretur poſcebat, & ſic negotia ſicut priùs remanſerunt.

Anno 1394. *Ad requeſtam Univerſitatis iterum Rex ſcripſit Cardinalibus ut electionem differrent.*

Novis de obitu Papæ in Univerſitate auditis, mox ſequenti die Mercurii ex Magiſtrorum & Doctorum conſenſu unanimi, cum Domino Rectore quidam ex ſolemnioribus, in parvo tamen numero, deputantur; qui Regem ocyùs adeuntes, ipſi per ordinem quatuor requiſierunt quæ ſequuntur. Primum fuit, ut Cardinalium moneret ſacrum Collegium electionem tardare, donec ſuper facto unionis pleniùs deliberaſſet, modum quoque atque viam procedendi elegiſſet, attento quòd inter vias, ipſi in epiſtolâ præſentatas, prima ad habendum pacem potior eis & facilior vid. batur. Iterum petierunt, ut Prælatos & Barones regni, etiam Univerſitatum famoſiores opere & ſermone, necnon aliquos ſummæ auctoritatis Burgenſes qui bonæ converſationis exiſterene, & unionem affectarent, congregaret, qui excogitarent & practicarent per quem modum in tam ſancto tamque arduo negotio commodè procederetur. Iterum quòd ſuper iſtis ſcriberet Bonifacio intruſo, ac etiam Baronibus qui partem ejus fovebant; & quòd per regnum ſuum propter pacem obtinendam ergà Deum à viris Eccleſiaſticis fierent orationes devotæ & proceſſiones ſolemnes: & quòd ſuper materiâ iſtâ ſtudio Pariſienſi liceret cæteris ſtudiis apices dirigere, & remiſſos recipere Regio irrequiſito aſſenſu.

Quæ poſcebant, quia rationabilia videbantur, Rex annuit, tandemque eos more ſuo benignè redarguens, cur tanto tempore à prædicationibus & ſcholaſticis actibus ceſſaverant, præcepit ut reiterarent prædicta; quod & libenti animo ſe facere promiſerunt; ſicque gaudentes & læti ad propria redierunt.

Ipsâ & eâdem die, horâ prandii tranſactâ, Rex, Bituriæ, Aurelianenſis, & Borboniæ Duces; Dominos etiam Petrum de Navarra, Carolum d'Albret cognatos ſuos; Epiſcopum Anicienſem, Guillelmum Vicecomitem Meleduni, Comitem Sacri Cæſaris, Johannem de Maingre, dictum Bouſſicaut Mareſchallum, & Guillelmum Martelli, cum nonnullis aliis ad conſilium accerſens, coram ipſis per Cancellarium ſuum quæ Univerſitati reſponderat, recitavit. Ulteriùs Cancellarius ſubjunxit, quòd intentionis Regis erat, ut præmiſſis Cardinalibus Regiis apicibus ad [b] eoſdem Dominum Patriarcham, b & Magiſtrum Petrum de Alliaco Eleemoſynarium ſuum, Vicecomitem etiam Meleduni ad unionem Eccleſiæ dirigeret, ſi bonum aſſiſtentibus videretur. Quamvis prænominatos Dominos quotquot accerſiti fuerant, dignos tantæ legationis judicarent, Dominus tamen Dux Bituricenſis retulit, quòd conditiones Cardinalium optimè cognoſcebat, & quòd gratioſiùs acceptarent, ſi mitterentur laïci, qui nil aliud negociaturi eſſent, niſi votum Regis exprimere, quàm viri Eccleſiaſtici. Iterumque Eleemoſynarium Regis ſciebat non eis gratum, cum crederent ipſum præcipuum Conſiliarium Univerſitatis exſtitiſſe in agendis, & ideo debebat ſufficere ſi Miles quidam, & unus Secretarius cum Mareſchallo Sacri Cæſaris, qui propè Avinionem degebat, mitterentur. Omnes tandem huic opinioni adhæſerunt; & tunc Dominus Reginaldus de Rayâ nuntius conſtitutus eſt, adjuncto ſecum per conſilium Ducis Bituriæ Mareſchallo Bouſſicaut, qui Domino Raymondo de Turoniâ literas ferret, & auctoritate Regiâ eidem præciperet, ne plus bellicis diſcurſibus moleſtaret Cardinales, ut ſic liberiùs poſſent ad unionem laborare. Quibus omnibus concluſis, Rex die ſequenti literas ipſis Cardinalibus per quemdam equitatorem direxit, hunc tenorem continentes.

Rex ſcripſit Collegio Cardinalium. Anno 1394.

Carolus Dei gratiâ Francorum Rex, noſtris cariſſimis & ſpecialibus amicis Cardinalibus ſacri Collegii Romæ, exiſtentibus in Avinione, ſalutem. Cariſſimi & ſpeciales amici, citò poſt doloroſa nova nobis exhibita de tranſitu defuncti Clementis Papæ bonæ memoriæ, cui parcat Altiſſimus, & de quo dolentes fuimus cordialiter & ſumus, congregavimus Conſilium noſtrum quod ad præſens habemus nobiſcum, cum multis aliis de noſtro magno Conſilio; ad aviſandum quid nobis agendum eſſet ſuper unione & bono univerſalis Eccleſiæ. Et quia hoc negotium magnum eſt & arduum, totamque fidelium Chriſtianorum congregationem tangit, in iſtâ materiâ non potuimus ita breviter deliberare vel concludere. Quapropter rogamus vos, & affectuosè requirimus per pacem & unionem Eccleſiæ, quam tenemini totis viribus procurare, & per amorem quem deſideratis habere erga nos, & regnum noſtrum, quatenùs ad electionem cujuſcumque minimè procedatis, ſed aliquantulum differatis, donec acceſſerint ad vos noſtri nuntii ſpeciales & ſolemnes, quos ad vos propter iſtam materiam citiùs quàm poterimus, tranſmittemus. Scienteſque interim vos minimè ſollicitabimus, nec require-

[b] *regiis apicibus ad*] Imò, *regios apices per.*

mus, quòd eligatis aliquem nec favore nec amore cujuſcumque. Scriptum Pariſiis 22. die Septembris.

ANNO 1394.

Rex Collegio Cardinalium.

CArolus Dei gratiâ Franc. Rex, noſtris cariſſimis & ſpecialibus amicis Cardinalib. ſacri Collegii Romæ, exiſtentibus in Avinione, Salutem. Cariſſimi & ſpeciales amici, noſtis quòd poſt mortem D. noſtri Papæ Clementis VII. bonæ memoriæ, cujus anima ſancta requie perfruatur, nos vobis ſcripſimus per noſtrum equitatorem, rogavimus & requiſivimus inſtanter & affectuosè, ut pro bono pacis univerſalis Eccleſiæ non procederetis ad electionem cujuſcumque novi Summi Pontificis uſquequò aliqua nova recepiſſetis à nobis per noſtros ſolemnes nuntios, quos ob hoc etiam vobis deſtinamus. Et quia, cariſſimi amici, ut noſtis, materia eſt ardua, & totam Chriſtianitatem tangit, nec potuimus adhuc deliberare ſuper hoc, maximè cum cariſſimus Patruus noſter Dux Burgundiæ nobiſcum principaliter non ſit; iterum vos rogamus cordialiter quantum poſſumus per amorem JESU CHRISTI, in tantum quàm affectatis Eccleſiæ univerſalis unionem & pacem, ut non procedatis ad celebrationem electionis cujuſcumque, donec noſtri nuntii vos poſſint adire. Nam procul dubio clarè percipimus, quòd ſi aliter faciatis, iſtud horribile ſchiſma, quod tam diù in Eccleſia duravit, adhuc durabit diutiùs, quod erit inevitabilis dolor & plaga, quæ non poterit curari, & quod malum nobis forſan imputabitur in parte.

Datum 24. die Septembris.

ANNO 1394.

Cardinales ad electionem proceſſerunt, priùs jurantes quòd ad unionem pro viribus laborarent.

JAm Domini Cardinales electioni Summi Pontificis inſtantes Conclave intraverant: ſed antequàm more ſolito clauderetur, equitator Regius, qui primas literas deferebat, huc advenit, & eas Domino Cardinali de Florentia, qui Decanus Cardinalium jure antiquitatis tunc erat, præſentavit. Per veriſimilem conjecturam in eis mandatum regium contentum Domini Cardinales conceperunt, quod ne floccipendere viderentur, omnium conſenſu unanimi illas minimè aperuerunt donec electionem peregiſſent, ad quam taliter proceſſerunt.

Primò namque mutuo congregati, ne ſchiſmatis nefandiſſimi fautores vel nutritores reputarentur, ſed potiùs avidiſſimi deſtructores, juraverunt quòd ad deſtructionem ipſius modis omnibus laborarent, ſecundùm formam cujuſdam cedulæ, cujus tenorem de verbo ad verbum hîc inſerere dignum duxi.

Schedula Cardinalium.

NOs omnes & ſinguli Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, congregati pro electione futurâ in Conclavi, ante altare in quo Miſſa communis celebrari conſuevit, pro Dei ſervitio, unitate Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, ac ſalute animarum fidelium omnium, promittimus & juramus ad ſancta Dei Evangelia corporaliter per nos tacta, quòd abſque fraude, dolo, & machinatione quibuſcumque ad unionem Eccleſiæ, & finem imponendum ſchiſmati proh dolor! in Eccleſiâ nunc vigenti, quantum in nobis erit laborabimus fideliter & diligenter, & per nos, quantum ad nos pertinet, ſeu etiam pertinebit, & dabimus Paſtori noſtro ac gregis Dominici, & Vicario Chriſti Domino noſtro futuro, qui erit pro tempore, auxilium, conſilium & favorem, nec ad impediendum vel differendum præmiſſa dabimus conſilium vel favorem, directè vel indirectè, publicè vel occultè. Et iſta omnia & ſingula, & aliàs etiam ultrà præmiſſa, omnes vias utiles & accommodas ad unitatem Eccleſiæ, & unionem prædictam ejuſdem ſanè & veraciter, ſine machinatione ſeu excuſatione vel dilatione quàcumque, ſervabit & procurabit poſſe tenùs quilibet noſtrûm, uſque ad ceſſionem etiam incluſivè per ipſum de Papatu faciendam, ſi Dominis Cardinalibus, qui nunc ſunt vel erunt in futurum, de his qui ſunt nunc, vel majori parte eorumdem hoc pro bono Eccleſiæ, & unitatis prædictæ videatur expedire. Ad juramenti majorem confirmationem poſt hujus cedulæ ſcripturam Cardinalis Preneſtrinus ſic ſe ſubſcripſit:

Et ego GUIDO Epiſcopus Preneſtrinus ſuprà ſcripta juravi & promiſi, & manu mea hic ſubſcripſi.

Formam iſtam tenuerunt quotquot tunc aderant Cardinales, videlicet:

JOHANNES Epiſcopus Tuſculanus,
NICOLAUS Albanenſis Epiſcopus,
LEONARDUS tituli S. Sixti Presbyter Cardinalis,
BERTRANDUS tituli Sanctæ Potentianæ Presbyter Cardinalis,
THOMAS tituli Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis,
JOHANNES tituli S. Cyriaci in Thermis Presbyter Cardinalis,
JOHANNES tituli S. Vitalis de Murolio Presbyter Cardinalis,
PETRUS tituli Sanctæ Suſannæ Presbyter Cardinalis,
JOHANNES tituli S. Anaſtaſiæ Presbyter Cardinalis,
MARTINUS tituli S. Laurentii in Lucinâ Presbyter Cardinalis,
JOHANNES tituli SS. Johannis & Pauli Presbyter Cardinalis,
GUILLELMUS tituli Sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis,
PETRUS tituli S. MARIÆ in viâ latâ, Diaconus Cardinalis,
PETRUS tituli S. MARIÆ in Coſmedin Diaconus Cardinalis,
AMEDEUS tituli Sanctæ MARIÆ Novæ Diaconus Cardinalis,
GALEOTUS tituli S. Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis.

Quo peracto, non diù protractâ morâ, adjutorio divino invocato Dominum PETRUM DE LUNA, nobilem utique virum de Aragoniâ oriundum, Diaconum Cardinalem, qui ſe etiam ſubſcripſerat ut alii, pari & conſonâ voce, ac unanimi conſenſu in Summum Pontificem eligentes, ipſum Benedictum vocaverunt. Quidam aſſerunt eumdem hanc ſummam auctoritatem primò refutaſſe, ſed poſtmodum ad preces Cardinalium acceptaſſe. Ipſam autem electionem tam celeriter peregerunt, quòd adveniente Regali nuntio ad hoc miſſo, ut eam aliquantulùm tardaret, ipſum Dominum electum apicem ſummum jam gubernantem invenit.

Petrus de Lunâ eligitur, & Benedictus nuncupatur.

Anno 1394.

Aſſentitur Univerſitas electioni Petri de Luna, eumque laude proſequitur.

Litteræ Univerſitatis Pariſienſis Domino Papæ miſſæ.

QUamquam, Pater Beatiſſime, dum ad nos perlata fuit Romani Pontificatûs vacatio, zelo pacis Eccleſiæ ferventiſſimè ſuccenſi, quam ſuper alia quæque à nobis deſiderata reſtitutam conſpicere impenſiùs ſemper optamus, Dominis Cardinalibus ut ſuam electionem celebrare aliquantiſper differrent, humili cordialique affectu ſupplicaviſſemus, exiſtimantes hoc pacto poſſe multo faciliùs leviuſque res tantopere quæſita obtineri, aliâ expugnandarum & validiori parte de viventium medio ſubducta, ſimulque veriti, ne, quod nonnunquam aſſolet in talibus, valida interveniret alicunde præſidendi cupiditas; ſic quòd non modo ſpes omnis ſchiſmatis eradicandi intercepta caderet, verùm inſuper radices rursùs altiùs agere inciperet. Poſtquàm tamen indubiè comperimus præfatos Dominos noſtros Cardinales in veſtram electionem pari & conſonâ voce, unanimique conſenſu conveniſſe, ingens animi noſtri lætitia voxque gratulationis exorta eſt, ſperantibus univerſis ſanctum illud propoſitum, flagranſque deſiderium unitatis Eccleſiæ Orthodoxæ quod veſtris in præcordiis indeſinenter huc uſque geſſiſtis, gerereque vos audimus & credimus, nunc tandem nacto tempore oportuno, facultateque de cœlo exhibitâ, debere pateſieri, ac in medium produci.

Nunc igitur, Pater Benedicte, ut vos nomine veſtro alloquamur, Pater inquimus Benedicte, inque omnia ſæcula jugiter benedicende, ſacratiſſimam illam voluntatem tanto tempore conceptam parturite, opere exequimini quæ tamdiù intendiſtis. Felicem illam diem, quæ perpetuum honorem, decus eminentiſſimum, famam indefectibilem, laudem inenarrabilem, pignus & arrham gloriæ ſempiternæ, vobis (ut ſperamus) affert, alacriter & jocundè ſuſcipite. Oblatam occaſionem, quam vobis tam frequentibus optaſtis, quamprimùm, quàm celerrimè arripite, rumpite moras omnes, tollite dilationem quantamlibet. Non diem ullum, non horam, non vel momentum temporis exſpectate; ſemper differre paratis eſt nocivum. Quamprimùm, inquit Ethnicus, rapienda cuique eſt occaſio prima. Si eras unum mens veſtra aliquantulùm lentior admiſerit, ecce confeſtim alterum, ecce tertium ſubibit, ſicque ſenſim procedendo, donec in negligentiam, operiſque deſidiam ventum erit. Accedent adulatores blandiloqui, ſub amicorum ſpecie virus peſtilentiſſimum nequitiæ inſpirantes. Accedent ambitioſi dignitatum, cupidi promotionum atque beneficiorum. Accedent Aulici omnes præſentis aſſentatores potentiæ, quibus ſi aures veſtras aperueritis, mentem veſtram ad ardui hujus operis aggreſſum non ſolùm remiſſam, ſed languidam & enervem reddent. Accedet denique bonorum aſſuetudo dulciſſima, quâ nil animo noſtro jocundius illabitur, vel quæ magis allicit, & ſi eſt verum dicere magis fallit, quâ nimirum pluſquàm ſatis noſtra hæc ætas abundat. Habetis recentiſſimum, ne hiſtorias alias inducamus, de veſtro anteceſſore exemplum: quem quid aliud impulit in eâ quam tenuerat ſententia tam inexorabiliter perſiſtere, niſi iſta? Quamvis, Pater Beatiſſime (verba hæc æquis auribus percipite) non vos illi comparare eſt animus, longè aliter de vobis ſperamus; nec ea diffidentiâ, ſed ex zelo vehementi, & cautelâ quâ vobis amantiſſimè conſultum eſſe volumus, hoc dicimus: nec certè ex his veremur veſtram offenſionem tam placidarum aurium incurrere. Veritatem vos amare nobis conſtat, indeque eam loquendi major multo audacia. Fragilis eſt, nôſtis, humana natura, & ſui excellentiam nimiùm appetens, ad quietem præterea & otium fallaceſque delicias, pluſquàm ad laborem prona.

Aggrediamini ergo quantocyùs ſupplici prece quæſumus rem iſtam, cunctatione qualibet aut tergiverſatione rejectâ. Si apti eſtis hodie, quid craſtinum exſpectatis? Si non hodie eſtis, eras certe minùs eritis. Non voluntatem intendi per procraſtinationem & temporis intermiſſionem, verùm remitti potiùs & refrigeſcere certum eſt. Morbus iſte prætereà celeritatem requirit auxilii, nec ulterioris moræ patiens eſt, quippe qui longâ nimiùm invaleſcentiâ, niſi citò medicantis invigilaverit manus, in deſperationem jam vergere incipit. Quid quòd neſcitis quamdiù hæc vobis à Deo data duratura eſt poteſtas? Multa incidere poſſunt quæ eam auferent. Vita brevis & incerta, nec ullius ſecura craſtini. Principum & Dominorum in ſuis voluntatibus, quas nunc Spiritus ſanctus (ut fas eſt credere) monet, mutatio, acri ferveſcentis tepor, temporis quoque & rerum aliarum nunc commodè ſubminiſtratarum facilis in contrarium converſio. Omnis enim creatura vanitati atque vacillitati ſubjecta eſt, quodque aſſiduò plura emergent impedimenta ab ineundo opere animum his occupatum, & quodammodo poſſeſſum ac victum revocantia, ut qui dum licuit agere noluit, poſtea ſi dum volet, non liceat. Principio eſt itaque labori quàm acerrimè inſiſtendum, ut hæc via tam ſalubris prærepta, occupato multis aliis aditum præripiat minoris certè honoris & fructûs.

Sed nobis fortaſſis dicturi eſtis, non ex me uno res pendet, maxima ejus portio in alieno ſita eſt arbitrio, libens quod potero agam, quodque in me erit. O Pater Beatiſſime, in veſtrâ, nobis credite, pax Eccleſiæ ſita eſt poteſtate; ſi id quod in vobis ſtat fideliter, & ſedulò adimpleveritis, nihil ultrà poſtulamus. Abundè eſt ſatis, & multum eſt; aut enim pars oppoſita æquè unà vobiſcum debitum faciet, & rationis cenſuræ ſeſe ſubdet, aut rationi ipſi pertinax refragabitur. Si quod in ſe erit agat, & rationis pariter judicio ſe ſubmittat, res acta eſt, inter vos citò de pace conveniet. Sin obſtinato animo rationis æquitatem, omnemque viam ſubire refugiet, & ſe-ipſum condemnabit, & ratio, & totus mundus; ſic quod rursùs concordiam facilè adipiſcemur. Nam & orbem univerſum veſtræ inhæſitabiliter juſtitiæ eo pacto teſtem feceritis, & ad æmulum veſtrum omni viâ poſſibili perſequendum, veluique improbiſſimum ſchiſmaticum de Sede, quam uſurpabat, deturbandum, imò etiam de terra penitùs exterminandum omnium Catholicorum mentes animadvertitis. Ecce, Pater Beatiſſime, nunc ſalutem Eccleſiæ, pacem & concordiam, nunc innumerabilium malorum exterminium, Eccleſiam ferocè nimium per tot jam ſchiſmatis annos vaſtatam dexterâ veſtrâ portatis. Si qua eſt ſpes remedii, ſi qua exſpectatio, ea vobis eſt. Oculi omnium in te ſperant, Domine, à te exſpectant eſcam benedictionis. Aperi ergo nunc manum tuam, & imple omne animal benedictione. Sed quâ benedictione? Illâ de quâ ſcriptum eſt in Pſalmo: *Benedicat te Deus ex Sion, & videas bona Hieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ: & pacem ſuper Iſrael.* Psal. 127. O vos certè benedictum, Pater Beatiſſime, ſi nos benedixeritis iſtâ benedictione. O vos feliciter natum. O fortunatos parentes, qui vos ad tam egregium & memorabile opus ediderunt, certè in laudis veſtræ celebrationem elegantiſſimum illud perſonabit:

Quæ te tam læta tulerunt ſæcula?
Qui talem tanti genuêre parentes?
In freta dum fluvii current, dum montibus umbra

Digitized by Google

Luſtrabunt, convexa polus dum ſidera paſcet,
Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt.

Et profectò firmiſſimè, indubieque tenemus, vos id enixè facturum, quibuſlibet etiam aliis poſthabitis. Novimus integerrimum veſtræ generoſæ mentis affectum, quem tamen experientia quodammodo didicimus; & ideo volucris aura famaque jam latiùs eumdem circumtulit, circumferreque in dies magis gaudet, ex quo quanta in noſtris oboriatur animis lætitia ſcire ne quæſieris, nobis inexplicabile ſermone eſt. Si verò in hoc opere ad exitum perducendo, noſtri moduli parvitas conferre aut ſubſervire veſtræ Beatitudini aliquantulùm valeret, nihil eſt quod recuſemus; ad quæque proſùs omnia ſubeunda quæ cervicibus noſtris imponere jam dicta Beatitudo dignabitur, promptiſſimi ſumus, id modò præcipiatis quod per nos agi velitis, & nos certè faciemus, ut noſtram ſedulitatem ſimulque fidelitatem in eâ re experiamini. Quam ob cauſam ſupplicamus humiliter, uti noſtrum Collegium, imò veſtrum, ſi in oculis veſtris ullâ gratiâ dignum eſt, hoc honore & munere dignemini, ut Clementiæ veſtræ literas ſuaviſſimas veſtræ benedictionis collatrices, & voluntatis indices mereamur quanto cujus commoditatis affuerit, accipere; id enim magnum gratiæ apud veſtram Sanctitatem indicium, & magni pignus amoris habebimus, & veſtri beneplaciti cognitâ intentione, nos idem conformare in agendis curremur.

Unum vobis ad poſtremum ſupplicamus, & pro veſtrâ cautione ac honore etiam atque etiam obſecramus, ut illum pacis æmulum (ne modo graviùs in eum dicamus) de cujus punitione[c] & veſtrum Anteceſſorem monuimus[*], & vos[*] congruo tempore Deo duce monebimus, à conſortio veſtro, ab illoque officio, quod ipſe indigniſſimus contaminat, præproperè abigatis. Quomodo enim ſincerè quidpiam adminiſtrabit, qui in tantis flagitiis enutritus, ſordibuſque volutatus hucuſque eſt? Sed quia de his aliàs, veſtro, Pater Beatiſſime, ingreſſui Spiritus ſanctus aſpiret, progreſſui comes adſit, feliciqueegreſſu vos ſiſtat, Amen.

Univerſitatis apices Dominus Papa in unionis perſiſtens propoſito, benigniſſimè recepit, literaſque Apoſtolicas, ut petierant remittens, omnes monuit, ut in hoc bono perſeverarent propoſito, & ſi Rotulum placeret pro ſeipſis dirigere, illum liberaliter ſignaret. Hujus nuncii lator fuit Avenionenſis Epiſcopus, qui poſtmodum Regem adiens, monuit ut unioni Eccleſiæ impenderet operam efficacem ſemper cum conſilio Clericorum Regni ſui, & præcipuè Univerſitatis Pariſienſis, & quam viam ab ipſâ ut potiorem electam ſummo Pontifici notificare dignaretur. Ut colloquium ſuper hoc ſecretum cum Domino Papa haberetur, Rex Magiſtrum Petrum de Alliaco, Doctorem in ſacrâ paginâ, Eleemoſynariumque ſuum, Avenionem deſtinavit. Eodem quoque tempore Univerſitas Rotulum ſignandi illuc miſit, & quamvis id Doctorum & Rectoris conſilio ordinatum fuerit, Rotulus tamen ille non fuit generalis.

ANNO 1394.

Rex Prælatos Regni ſui evocavit propter pacem Eccleſiæ.

DUm ſic ad habendum pacem in Eccleſiâ ſanctâ Dei tempus Legatos mittendo & remittendo teritur, Rex non immemor promiſſorum, ex cunctis oris Franciæ Prælatos Eccleſiaſticos, & de ſtudiis ſolemniores Doctores apicibus Regiis evocavit, ad feſtum inſtantia Purificationis Beatæ MARIÆ diem dicens, ut ſciretur qualiter horrendum ſchiſma ſopiretur. Ad latiùs conferendum ſuper hujuſmodi negotio tam arduo, Regale Palatium aſſignavit, ſtatuens ut ſpectabilis vir Dominus Arnaudus de Corbeiâ Cancellarius ſuus, cæterique alii notabiles de Conſilio ſuo, quoties poſſent ibidem intereſſent. Quamvis ad centum & quinquaginta Prælatorum, (omnes jure tituli, reſidentiæ, domicilii principalis, vel juriſdictionis ſpiritualis in Regno conſiſtebant) mandatum Regium perveniſſet, multi tamen antiquitatis, vel infirmitatis causâ, aut occaſione penuriæ rei familiaris excuſationem miſerunt. Qui autem mandato Regio paruerunt, hîc ſequuntur: Videlicet Patriarcha Alexandrinus, Carcaſſonæ, & Hieroſolymitanus, S. Pontii Thomeriarum, Eccleſiarum adminiſtratores perpetui, ac Lugdunenſis, Senonenſis, Remenſis, Rotomagenſis, Turonenſis, Bituricenſis, & Biſuntinenſis Archiepiſcopi, qui in Congregatione primi meritò nominandi ſunt. Interfuerunt & Eduenſis, Matiſconenſis, Lingonenſis, Cabilonenſis, Suffraganei dicti Archiepiſcopi Lugdunenſis. Epiſcopi etiam Pariſienſis, Carnotenſis, Aurelianenſis, Autiſſiodorenſis, Trecenſis, Meldenſis, dicti Archiepiſcopi Senonenſis. Catalaunenſis, etiam Tornacenſis, Maurinenſis, Atrebatenſis, Ambianenſis, Noviomenſis, Sylvanectenſis, Laudunenſis, Sueſſionenſis, dicti Archiepiſcopi Remenſis. Bajocenſis iterum, Abrincenſis, Ebroïcenſis, Lexovienſis, Conſtantienſis, dicti Archiepiſcopi Rothomagenſis. Cenomanenſis, Andegavenſis, Redonenſis, Nannetenſis, Archiepiſcopi Turonenſis. Mimatenſis, Anicienſis, Archiepiſcopi Bituricenſis Suffraganei. Pictavienſis, Malleacenſis, Lucionenſis, Condomenſis, Petragoricenſis, Xantonenſis, de Provinciâ Burdegalenſi. Agurnenſis, Lectorenſis, Conſeranenſis, de Provinciâ Auxitanâ. Magalonenſis, Nemauſenſis, Uticenſis, de Provinciâ Narbonenſi. Appamienſis, Rivenſis, de Provinciâ Toloſanâ. Valentinenſis, Gratianopolitanus, de Provinciâ Viennenſi; & Berlemenſis Epiſcopus.

Necnon Ciſtercienſis, S. Dionyſii, S. Benigni Divionenſis, Montis S. Michaëlis, Reſbacenſis, Fiſcanenſis, De Lirâ, S. Victoris prope Pariſius, S. Georgii prope Rotomagum, S. Eligii Noviomenſis, Abbates. Interfuerunt & cum prænominatis Abbatibus & Prior Sancti Martini de Campis, & Rotomagenſis, Andegavenſis, Remenſis, & Capellæ Divionenſis Decani, Magiſtri Petrus de Alliacu, Guilielmus de Jardino, Ægidius de Campis, Petrus Plo, Johannes Brevis Coxæ; fratres etiam Michael Picquier, & quidam alter de Ordine Minorum; Johannes de Huſſariâ Prior Auguſtinienſis Pariſienſis; Petrus de Conne Prior de Carmelo, Dominicus Herboly de Aragoniâ, dicti Ordinis de Carmelo, in ſacrâ paginâ & Decretorum Magiſtri & Doctores. Necnon Magiſtri Radulphus de Caradoc, Johannes de Matiſcone, Gerardus Vagoul, Vitalis de Caſtro Morono & ejus ſocius, ac Petrus Januti de ſtudiis Aurelianenſis, Toloſanenſis, & Andegavenſis Decretorum & Legum Doctores ſolemnes. Jacobus Bouy, Jacobus Coſſon, Guilielmus de Canteriis, Robertus de Doms, in Curia Parlamenti Conſiliarii Regis. Andreas Grangerii, Johannes de Milliaco, Radulphus de Ulmonte, etiam in Curiâ Parlamenti cauſarum Patroni. Magiſtri Robertus de Fretâ,

[c] *punitione*] Triplex eſt hoc loco Baluzii emendatio: ita enim ediderat Acherius: *de cujus promotione . . . . monuimus, & nos congruo.*

Amelius de Broho Auditores ſacri Palatii Apoſtolici, & Guilelmus Bouttacery Licentiatus in Legibus, ſocius Domini Epiſcopi Aniciensis. Prior Carthuſienſis propè Pariſius, Prior Cæleſtinorum Pariſienſium, necnon Johannes Capitis Biterrenſis, Johannes Placius Agathenſis, Prior Prioratuum Sanctæ Columbæ de Sanardino & Volvento Caſtrenſis, Guillelmus Chat Lemuvicenſis, Guillelmus Mineti Abrincenſis, Jacobus de Manſo Guichardo Ambianenſis, cum quodam alio, Miniatenſis, Epiſcoporum Vicarii & Nuncii: Officialis Lugdunenſis, Bertrandus Geneſte Archidiaconus Conſtantienſis, & quidam Religioſus Alemannus de Ordine Minorum, viri utique circumſpecti & eminentis ſcientiæ, etiam præſentes interfuerunt.

Omnes Prælati præfati conſenſu unanimi antequàm Concilium inchoarent, Dominum Patriarcham Alexandrinum, Simonem Cramandi vocatum, elegerunt, qui pro congregandis conſiliis, audiendis rationibus hinc & inde, determinandiſque concluſionibus authoritate præſideret. Is Decretorum Doctor famoſiſſimus, ſubtilis ingenio, clarâque eloquentiâ exiſtens, libenti animo peragendum ſuſcepit negotium; quod tamen antequam inchoari præciperet, Magiſter Petrus de Alhaco, quem Rex ad Papam miſerat, reverſus eſt, & ſuper legatione reſponſionem reportavit. Hanc, quia eſſet ſecreta, ignoramus; ſcimus tamen quòd ad requeſtam Univerſitatis, Februarii menſis primâ die, in aula regali S. Pauli publicam audientiam adeptus, prolixè elegantiſſimoque ſermone protulit quæ in ſubſtantia ſequuntur.

Primò namque Regem & proſapiam Regalem multis laudibus extollendo, allexit ad audientiam. Et cum vias & motiva epiſtolæ Univerſitatis venerandæ ſine tenùs recitaſſet, conclusit in finalibus, quòd via ceſſionis erat non modo à ſuppoſitis Univerſitatis, imò & à cunctis fidelibus, tamquam brevior, lucidior, & expedientior eligenda. His peractis, jubente Domino Patriarcha, quotquot Prælati Pariſius convenerant, die ſequenti in Capellâ Regalis Palatii Miſſam ſolemnem celebrari fecerunt, ibique Spiritum ſanctum, in arduis ſemper coadjutorem optimum, dignum duxerunt devotiſſimè invocare.[d] Sequenti igitur die, cum Dominus Patriarcha Alexandrinus præſidens requiſiviſſet omnibus aſſiſtentibus, quatenùs per juramenta ſua jam præſtita Deum ſolum habendo præ oculis dicerent in hac parte quæ ſibi conſcientia dictaret; interrogati ſuper hoc ſigillatim & ſingulariter, fuerunt octoginta & ſeptem ex illis qui convenerant, qui per viam ceſſionis eundum & non aliter concluſerunt. Inde abhinc & uſque ad diem XVIII. ſua colloquia continuantes, multa ad inſtructionem nuntiorum mittendorum tetigerunt, quæ ſcriptis, & ſub inſtrumento publico redigi mandaverunt, & quæ ſequenter dignum duxi litteris commendare.

Quæ tacta fuerunt in Concilio Prælatorum.

IN Inſtrumento prædicto habebatur: Sequuntur illa quæ pro inſtructionibus Dominorum Ducum, & aliorum Conſiliariorum ſuorum, quos Rex intendit mittere in Avinionem ad Dominum Papam & Dominos Cardinales, quæ unanimi omnium conſenſu concluſa & deliberata fuerunt. Habeantur primò pro repetitis excuſationes, proteſtationes, & correctiones Dominorum; præſuppoſitantur inde Orationes, Proceſſiones, Miſſæ, Prædicationes, cum aliis piis operibus, quæ tamen non ſufficiunt. Suppoſitatur etiam creducima expoſita menſe Octobri per Nuntios Apoſtolicos Domino Regi miſſa, & reſponſio tunc eis facta, & cauſa propter quam Rex mandavit Prælatos Regni ſui, plures Abbates, Doctores, Magiſtros, Religioſos, & alios nobiles viros, ut Regi præberent conſilium ſuper requiſita per Papam. Tangatur in brevi qualiter de præcepto Regis ante dictum tempus Prælatis aſſignatum, materia per plures diætas fuit notabiliter & diffuſè cum magnâ maturitate pertractata, tangendo vias omnes quæ reperiri poterant ad unionem, cum motivis ad eaſdem, dubiis in contrarium reſpondendo, & ſolutionibus eorum, & quæcumque in præſentia Domini Cancellarii Franciæ, & quorumdam notabilium de Conſilio Regis, & Deputatorum Univerſitatis Pariſienſis poſt adventum Prælatorum recitata fuerunt eis in effectum, quæ priùs diſputata, proloquuta & tractata fuerant, ut quilibet eorum clariùs deliberaret. Et inde de præcepto Regis examinatæ ſunt opiniones ſingulorum per juramentum. Opinio modica loquentis fuit, & eſt hæc in effectu, quòd primò ad viam facti nullatenùs eſt procedendum, quoniam in infinitum periculoſas induceret guerras, & diſſenſiones Regum & regnorum, per quam etiam forſan jus habens in Papatu ſuccumbere poſſet, & ſi per hanc viam altera partium obtineret, de facto non eſſet finis ſchiſmatis, neque Catholicorum corda ſedata eſſent; non enim propter hoc crederent illum qui victoriam obtinuiſſet, eſſe verum Papam. Via reductionis Intruſi, Regum, Principum, Prælatorum & populi ſuæ obedientiæ, ad obedientiam Domini Benedicti non videtur poſſibilis, propter nimium obſtinationem, ſchiſmatis diuturnitatem, promotiones Prælatorum, & aliorum Eccleſiaſticorum virorum, & quòd credendum eſt Principes partis adverſæ in hac materiâ æqualitatem velle ſervari, maximè cum jam ſit notorium ubique, tres vias per Univerſitatem apertas, eſſe ſatis æquales ad honorem utriuſque partis. Et ſi Romanus Intruſus ſimpliciter renuntiare vellet, (quod non eſt credendum) non ob hoc præfati obedientiæ ſuæ vellent obedire Domino Benedicto: ſicut ſi Dominus Benedictus ſolus renuntiaret, Rex & ejus ſubditi non obedirent Intruſo.

Quantum ad tres vias per Univerſitatem apertas, quia aliqui dixerunt ſufficere de præſenti conſulere Regi, quòd eas nominet Papæ, ſic quòd unam earum eligat, vel aliam viam meliorem, aut æquè bonam, videretur loquenti quòd ad præſtandum Regi per ſuos Prælatos fidele conſilium, & per Regem Papæ, ſi una via illarum trium, vel aliqua alitera inter cæteras melior, expedientior, & brevior appareat, illa ſit Regi conſulenda, & per Regem, ſi melius in ſuo conſilio non reperiat, Papæ exhortando eſt conſulenda, quoniam aliter conſilium eſſet incertum, & fruſtrà forent Prælati congregati, quoniam per epiſtolam Univerſitatis illæ tres viæ ſatis ſunt notoriæ. Si Papa, qui vult uti conſilio Regis, interrogaret ejus Nuntios, quæ via de tribus aut quatuor ſibi conſuleretur, & Conſiliarii Regis non eligerent unam viam, veriſimile videtur quòd illos oporteret ad Regem remitti, vel ad ipſum remittere pro certificatione viæ per ipſum conſulendæ, per quæ ſequeretur circuitus in hac materiâ requirente celeritatem, propter animarum periculum, & alia inconvenientia tollenda ſummè vitandus. Licet via Concilii generalis de jure præcedere videatur, non eſt tamen de præſenti conſulenda, propter ipſius difficultatem nimiam & prolixitatem, ſicut patet per

d *invocare*] Ita reſtitui: editum erat *inchoare*.

rationes communes: ſpecialiter quoniam oportet vocare partes & audire, Dominus Benedictus haberet omnes Prælatos ſuſpectos partis adverſæ, quos reputat ſchiſmaticos & excommunicatos; ſimiliter. Intruſus de Prælatis obedientiæ Domini Benedicti, jura partium nunquam eſſent diſculſa. Et ſi Papatus adjudicaretur uni, non ob hoc ſibi jus adjudicaretur, nec crederetur eſſe talis per ſubjectos partis adverſæ, ſicque non haberemus unionem.

Similiter & fortiùs per viam compromiſſi, licet per Commiſſarios uni adjudicaretur Papatus, ſequerentur etiam inconvenientia ſupradicta: eſſet etiam difficultas maxima ſuper conſiliariis eligendis & conveniendis. Valeretur etiam quod hæc materia tam ſpiritualis de Vicariatu JESU CHRISTI, poteſtate clavium ſolvendi atque ligandi, & curâ cunctarum fidelium animarum, in compromiſſo vel arbitrio cadere non poteſt. Et ſi Benedictus & Intruſus compromittentes cederent ex nunc prout ex tunc, ſi compromiſſarii judicarent [e], talis ceſſio conditionalis non valeret, quoniam ſicut conſenſus Papatui poſt electionem canonicam debet eſſe purus & ſimplex, non recipiens conditionem extrinſecam: ſic etiam renuntiatio debet eſſe pura & libera, ſine conditione quâcumque, ſpecialiter extrinſecâ; quia ſi apponeretur, vitiaret actum ceſſionis, & eſſet Regi verecundum, Prælatis & Concilio, viam unam offerre Domino Benedicto & Collegio, vel etiam Intruſo, ſive via illa eſſet ſola, ſive cum aliis viis, quæ via non eſſet rationabilis, & de jure ſuſtinenda. Nec eſt veriſimile quòd Dominus Benedictus, aut Intruſus, viam ceſſionis ponerent in compromiſſu, quia magis eſſet eis honeſtum liberè cedere, quàm per Arbitrorum ſententiam. Item Arbitrorum ſententia non parit actionem, niſi fuerit homologata, nec eſſet ſuperior eorum, quo poſſet exequutio finem requiri. Et licet aliqui dicerent viam iſtam compromiſſi per aliquas rationes poſſe ſuſtineri, tamen quia poſſet in dubium revocari, materia verò celeritatem deſiderat, omnes viæ dubiæ reſecari debent, excluſis diſputationibus & argumentis, amplectendo viam claram, brevem, ſchiſmatis ſedativam, conſervativam æqualitatis utriuſque partis, per quam conſcientiæ valeant pacificari.

Sanè ſuper eo opinantur quidam quòd eligatur aliqua via differendi, donec Dominus noſter Benedictus Nuntiis Regis expoſuerit unam bonam viam per ipſum deliberatam, quæ Regi & toti mundo placere debebit. [f] Nec eſt veriſimile Dominum noſtrum propter electionem melioris ſibi conſulendæ debere turbari, conſideratis ſuis ſanctis propoſitis, virtutibus, intentionibus, juramentis per ipſum & alios de Collegio in ſua creatione præſtitis, imò commendatos habere debebit tamquam fideles, Prælatos & alios in iſto Concilio congregatos.

Eſt etiam notandum Univerſitatem per modum conſilii non determinationis unam viam elegiſſe; ſi verò Prælati non eligerent, & Regi conſulerent viam ſaniorem, jam videretur inter Prælatos & Univerſitatem diviſio quædam. Et ſi (quod abſit) ex fideli conſilio ſecundùm conſcientiam, & per juramentum Regi præſtito vel præſtando Dominus noſter moveretur, vel permitteret ſcandalum ſequi aut inconveniens (quod nullatenùs credi vel dubitari debet) maximum onus eſſet ſuis conſcientiæ & honori. Tendimus enim ad redintegrationem & conſervationem ſtatûs & honoris ſummæ dignitatis Papatûs, & univerſalis Eccleſiæ, ſicut in noſtris conſecrationibus juramus, ad quæ tenetur adſtrictius plus ſine comparatione, quàm homo vivens. Nos enim Prælati ſuæ perſonæ ſumus obligati ſolùm ratione ſuæ dignitatis, per conſequens magis dignitati quàm perſonæ, quia propter quod unumquodque tale, & illud magis eſt. Debemus igitur honorem & commodum dignitatis præferre perſonæ.

Concludendo & eligendo per modum oppoſitionis & conſilii, ſolùm attentâ deliberatione Religioſorum Ordinis Carthuſienſis & Cæleſtinorum, & Univerſitatis Pariſienſis, & quia neceſſe eſt Eccleſiæ ſanctæ Dei ſub periculo deſolationis ejuſdem, iſtud deteſtandum ſchiſma breviùs quàm fieri (?) poterit extirpari, & Eccleſiam uniri; nec viæ prætactæ, vel aliæ quæ imaginari valeant, ſint ſufficientes ad veram unionem, pacem firmam & concordiam animarum, præter viam ceſſionis utriuſque partis; iſtam viam ſatis congruam quaſi inſtinctu Spiritûs ſancti elegit, & Regi conſuluit, per Nuntios ſolemnes Domini Regis Domino Benedicto conſulendam, ipſum & ejus Collegium ad hanc omnibus modis cum honore & reverentiâ decentibus exhortando. Exponendo tamen Domino noſtro primitùs alias vias prætactas, cauſas propter quas non approbantur de præſenti, & cauſas propter quas ceſſio cuilibet videtur eligenda.

In caſu verò quòd ſic Dominus Rex cum Dominis de genere ſuo, & aliis de conſilio ſuo ſic deliberaverit, modus perſequendi & procedendi poſſet eſſe talis; videlicet, quòd in Conſiſtorio publicè Nuntii Regis regratiarentur Domino noſtro & Cardinalibus de bonis intentionibus ſuis, de Nuntiis ſolemnibus per Papam miſſis Domino Regi. Significarent etiam in genere bonam intentionem Domini Regis, diligentiam per ipſum adhibitam circà materiam, convocando ſuos Prælatos & alios nobiles viros, & quòd cum Univerſitate habuit conſilium, & quòd Nuntios miſiſſet ad Papam ad ſciendum ipſius intentionem, & viam per ipſum deliberatam, prout ipſe ſe daturum per ſuos Nuntios Regi ſignificavit. Demùm apertè & ſecretè Nuntii Regis poterunt loqui cum Domino noſtro, relinquentes ejus arbitrio, ſi priùs voluerit eis viam per ipſum deliberatam aperire, vel audire viam ex parte Regis conſulendam. Et quicumque primus viam aperiat, ſi viæ ſunt concordes in nomine Domini; ſi verò clarè pateat Nuntiis Regis, viam Papæ non ita convenientem ſicut viam Regis, vel quis eligere vellet viam compromiſſi, ſeu Concilii generalis, ipſas vias impugnent ſecundùm ſuas inſtructiones per media prætacta, & alia ſatis congrua. Sed ſi via per Papam exponenda, quæ foret alia de tribus prætactis, Concilii, Compromiſſi, vel Ceſſionis, revocaretur in dubium, an eſſet melior vel æquè bona (quod eſt incredibile ſeu multum difficile) ſuper hoc Rex eſſet conſulendus, & ejus beneplacitum exſpectandum [g].

Reſtat modus exequutionis & proſequutionis in causa [h] quo Dominus noſter viæ renunciationis conſentiret, ſcilicet ſignificare per ipſum Dominum noſtrum & Regem Regibus & Principibus obedientiæ ſuæ, deinde per ipſum Regem & alios Reges Principes prædictos, non autem per D. Benedictum Regibus & Principibus partis adverſæ, quoniam ipſius ſignificationem gratam non haberent. Nec primò via Ceſſionis eſt Intruſo ſignificanda, quia

e *judicarent*] Hic legebatur *medicarent*, quod medicâ manu indigebat.

f *debebit*] Hic nonnulla deeſſe, cùm facile perſpici poteſt, tùm etiam monuit Baluſius, qui integriorem codicem à ſe viſum teſtatur, ſed lacunam, quâ de cauſâ neſcio, reliquit.

g *exſpectandum*] Hic etiam nonnulla deſiderari, quæ à ſe in altero codice reperta ſunt, monet Baluſius.

h *in causâ*] Lego *in caſu*.

Principibus obedientiæ ſuæ malignari poſſet. Credendum eſt autem Principes & Prælatos ſuæ partis tantùm unionem deſiderare, & quod ad ipſam toto poſſe præfatum inducent; qui ſi conſentire refutaret, cenſeretur notoriè fovere cauſam injuſtam, poſſentque contrà ipſum remedia reperiri ſubſtractionis obedientiæ, vel alia remedia juridica, tunc Principibus conſulenda. Nec videntur Principes illius obedientiæ congregandi, donec aliqua via certa ſibi ſignificetur. Non eſt enim veriſimile, quòd ipſi ſub incerto convenire vellent, & [ſi] etiam congregarentur, credendum eſt, quòd ipſi non deliberarent, niſi poſtquàm forent ad ſua regna reverſi, conſilium habituri tunc cum ſuis Prælatis, Clericis & notabilibus viris, prout obſervat Rex Dominus noſter.

Si diceretur quòd alii Principes Nuntios ſuos mittere poſſent ad Regem, ut ſcirent deliberationem ipſius, & ſuis Dominis referrent, &c. Reſpondeo quòd attentâ magnitudine materiæ, ſecuriùs exponeretur Principibus aliis per Nuntios Regis, quàm per alios, breviùs etiam poſſet factum expediri.

Poſtquàm Principes alterius obedientiæ viæ prædictæ conſenſerint, & ad conſentiendum eumdem Intruſum & ſuos Anti-Cardinales induxerint, appropinquarent ſe partes in duabus civitatibus convicinis, in limitibus duarum Obedientiarum ſituatis, & illuc convenirent aliqui Domini temporales potentes utriuſque partis, cum Prælatis & literatis viris, tam ad conſervandum partes & Collegia liberè & ſecurè, quàm etiam ad pertractandum ea quæ pro complemento negotii complenda reſtabunt, videlicet de abſolutionibus, diſpenſationibus, revocationibus, confirmationibus, & creationibus de novo, in quantum fuerit opus, Cardinalium, Prælatorum, & aliorum Beneficiatorum; necnon bonâ reconciliatione & pacificatione partium, cum dependentiis & connexis; quibus omnibus concordatis, convenirent ambæ partes cum Collegiis in eâdem civitate complecturæ pertractata; vel fieri poſſent iſta per Procuratorem, propter cauſas multas quæ ſatis patere poſſunt intuenti.

Tractetur etiam ante renuntiationem de modo & formâ electionis Summi Pontificis. Videtur autem ſcribenti ad vitandum odia Cardinalium utriuſque Obedientiæ, qui ſunt partes contrariæ, minùs affectato [i], quælibet pars pro capite ſuo, cum aliis pluribus cauſis magis expediens, & populo cujuſlibet partis placens, quàm pro iſtâ vice Benedictus & Intruſus de conſenſu Collegiorum ordinarent VII. vel IX. Compromiſſarios probos viros, non ſuſpectos, extrà Collegia, qui ſine præjudicio Cardinalium pro hac vice poteſtatem haberent eligendi. Præſtarent fortiſſima juramenta de fideliter eligendo de Collegio vel extrà, favore vel odio quibuſcumque ſecluſis, & quòd pro hac vice ſufficeret Electum voces majoris partis Compromiſſariorum habere. Sin autem ad hoc Cardinales induci non poſſent, expediret eligere numerum certum utriuſque Collegii, qui ad electionem omnes admitterentur, & recluderentur in Conclavi ſecundùm formam juris; hoc addito, quòd ſufficeret majorem partem convenire.

Nec obſtat ſi dicatur, per iſtam viam conjunctionis Collegiorum plures erunt Italici quàm aliarum nationum, ſicque habebimus Papam Italicum, & ſic Italici ex ſuo delicto, videlicet intruſione præmium reportabunt: quoniam apud Deum non eſt acceptio perſonarum, & eſt ſimiliter comparatione meliùs habere Italicum (utinam ſanctum!) quàm Eccleſiam manere laceratam. Et ſi percipiant Italici quòd cæteræ nationes ad habendum unum de ſuis, ipſi nitentur in contrariis, ex quo ſchiſma novum poſſet ſuboriri.

Dubitaverunt quidam, quòd ſi via ceſſionis publicetur, dicent adverſarii Dominum Benedictum hanc viam conſentire propter dubium ſui juris; & quòd Rex non tantum ſibi favet, quia non eſt Regnicola, ſicut favebat Domino Clementi cum multis aliis, &c.

Reſpondeo quòd in quâcumque viâ ſupervenient multa, quæ non omnes prævidere valent, ſed ex quo ferè per omnes hæc via ceſſionis reputatur ſanctior, & utilior, eſt proſequenda, ſub ſpe quòd omnibus pacem Eccleſiæ diligentibus placebit, & quòd optatum ſortietur effectum, quod annuat Altiſſimus. *Hæc Monachus S. Dionyſ.*

Literæ Univerſitatis Pariſienſis CAROLO *Regi Francorum.*

Anno 1394.

Tres viæ ad ſedandum ſchiſma propoſitæ Regi propter Univerſitatem.

CHriſtianiſſimo, ac Religionis orthodoxæ zelantiſſimo Principi, CAROLO Dei gratia Francorum Regi illuſtriſſimo, devota ſuæ Celſitudinis filia Univerſitas Studii Pariſienſis, devotæ & filialis obedientiæ ſinceritatem. Quamquam Majorum noſtrorum revocata ante oculos exempla nobis & maximos in arduis quibuſlibet ad virtutem capeſſendam ſtimulos incutiant, attamen ubi Religionis & fidei res geritur, ad ſtrenuè & viriliter agendum, quantum noſtrâ intereſſe poteſt, ex eorum monumentis ac geſtis majori quodam ardore accendimur, quibus id ſemper maximæ curæ fuit, pro ſacroſanctæ Religionis Catholicæ cuſtodiâ continuis vigiliis excubare, ne quid in eam erroris, detrimenti aut ſcandali irreperet. Sic nempe ſalutiferum ſuum fore ſtudium æſtimabant, ſi illud ad profectum & tutelam Eccleſiæ convertiſſent. Eâ nos occaſione ducti, zelo quoque domûs Dei potiſſimùm excitati, ſchiſmatis nefandiſſimi abominabilem peſtem, quæ Eccleſiam Chriſti radicitùs exterminat, de medio ſummoperè deſiderantes auferri, per ſexdecim evolutos annos, quibus idem ſceleratiſſimum ſchiſma jam viguit, nunc privatim diſceptando, conferendo, & ſcribendo, nunc palam & in aperto coram veſtrâ Celſitudine regiâ prædicando, proponendo, atque exhortando ad Eccleſiæ ipſius unionem quantum nobis divinitùs facultatis erat datum, eniti & anhelare nullatenùs ceſſavimus. Verùm obſiſtente ſemper & prævalente hoſtis nequiſſimi verſutiâ, qui in florente Chriſti agro hanc labem zizaniorum ſeminavit, ſeminatamque aluit, & magis in dies alit ac radicat, univerſi conatus noſtri, etſi non prorsùs irriti caſſatique, intentione tamen propriâ uſque adhuc fruſtrati ſunt: *Pacem* enim *quæſivimus*, ut cum Propheta loquamur, *& ecce turbatio*; turbati quippe ſumus hucuſque, & peſſimorum quorumdam nefariâ factione impediti. Acceſſit eodem, Princeps Chriſtianiſſime, veſtræ Majeſtatis Regiæ, ſine qua nihil poſſumus, excuſata legitimè infantia atque adoleſcentia. Sed poſtquàm evacuatis his quæ parvuli fuerant, Clementiæ cœleſti placitum eſt vos in virum perfectum adducere, & tam atrocis vulneris Eccleſiæ perniciem mente generoſiſſimâ concipere, illicò non degenerem ab illuſtribus proavis ad ſalutem Eccleſiæ, & diri hujus vulneris amputationem totis viribus animum intendiſtis. Sed qualiter intendiſtis, audiant fideles univerſi, & Chriſtianiſſimum verè Regem, clariſſimamque Francorum progeniem Majorum imitatricem agnoſcant. Jam certè rerum ſtatus immutatur, jam procedendi ratio in contrarium ordinem

[i] *minùs affectato*] Hoc loco librarius turbavit, ſed ſententia in univerſum perſpicua eſt.

revolvitur:

revolvitur : qui exhortari antea à nobis ſolitus erat, nos hortatur ; qui ſe pulſari toties audierat, nunc ultrò ad id ipſum nos pulſat, & non modo nos pulſat, ſed quod ſuo jure poteſt, ut vias & rationes quibus id fieri poſſit, ſollicitè ac ſedulò excogitemus imperat, ſe & ſua univerſa in hujus execrabilis ſciſſuræ reſartionem impenſurum pollicitus, etiam ſi regni ſui aut corporis impendium, negotium hujuſmodi depoſceret. O vocem Francorum Rege & Chriſtianorum omnium Chriſtianiſſimo Principe digniſſimam ! O nos tali Rege fortunatos ! O in tantis miſeriis adhuc abundè felicem Eccleſiam, cui talem Chriſtus filium, patronum, & curatorem delegit ! O vocem ſummis laudibus decorandam, & omnium ſermonibus, linguis atque præconiis extollendam ! Quam utinam quaquaverſum Catholicus orbis audiviſſet ; vocem, inquam, quâ pacis Eccleſiaſticæ zelatores animantur, & proſtrati hactenùs reviviſcunt ; quâ flagitioſiſſimi ejus inimici formidoloſo tremore quatiuntur, curis atque angoribus deficiunt : quâ Eccleſia ipſa priùs ſanè gemitibus & mœrore confecta, nunc gaudio lætabunda reſultat, ſe prope diem ſperans ab Ægyptiacâ iſta ſervitute liberandam : quâ poſtremò Cives ætherei totuſque chorus ſupernorum gratulantur, tartarei autem ingemiſcunt hoſtes. Immenſas tibi gratias clementiſſime Chriſte referimus, qui hanc ſanctam voluntatem in cor Regis immiſeris, utque eam adaugeas, ſerves atque perficias, obſecramus.

Sed ut ad mandata veſtra, Regum illuſtriſſime, revertamur, juſſit paterna veſtra benignitas, ut vias, modos, & formas, quibus ad hanc concordiam maturiùs veniretur per deputatos noſtros, ſolennes utique viros & diſcretos, cum majoribus veſtris Conſiliariis conveniendo excogitaremus : cui quidem juſſioni pro virili portione gaudenti prorsùs animo parvimus, viroſque celeberrimos è toto corpore noſtro probos, & valde ſincerè ad materiam affectos delegimus, qui Conſilium veſtrum ſemel, iterum, tertiò, & repetitis vicibus adeuntes, nihil ab eo audire, quamquam vehementer admodùm inſtitiſſent, de materiâ iſtâ potuerunt, quin potiùs omnium congreſſu iidem Conſiliarii perſeveranter omninò reſpondebant ſe nullatenùs nobiſcum collaturos, neque ad aliud ſe ſe delegatos, niſi ad nos, ſi quid forſan dicere aut aperire in materiâ vellemus, audiendos. Quibus in eâ omnino obfirmatis ſententiâ, quia regia veſtra Majeſtas hinc aberat, nequidquam nobis objici ab obtrectatoribus poſſet, per nos aliquâ ex parte ſtetiſſe, quominùs veſtra voluntas & juſſio implerentur, vias quaſdam tres numero ad pacem in Eccleſiâ obtinendam excogitavimus, quas diuturnâ ſuper his conſultatione, gravique digeſtâ deliberatione præmiſſis, tamquam juſtas, congruentes, & maximè pro tunc nobis apparentes idoneas ad peſtiferum ſchiſma celeriter eradendum, pacemque in Eccleſiâ reformandam, unanimi omnium conſenſu, nec uno quidem in tanto ſuppoſitorum conventu renitente, non ſine Spiritûs ſancti, ut credimus, interventu acceptavimus, probavimus, atque ratas habuimus, non per hoc vias alias, ſi quæ ſunt commodiores, aut factu faciliores excludendo, ſed tantummodo iſtas in modum aviſamenti præſentando, ad dandam occaſionem laborare volentibus : omnis enim via per quam bona & unanimis Eccleſiæ concordia poſſet veriſimiliter obtineri, nobis eſt eo ipſo accepta.

Iſtas itaque tres vias, Princeps Chriſtianiſſime, Celſitudini veſtræ hac præſenti epiſtolâ, prætermiſſis propter brevitatem rerum & temporum varietatem, prævìis earum diſpoſitionibus, præſentamus, quandocumque & ubilibet videbitur oportunum nihilominùs explicandas.

Prima igitur via eſt ceſſionis & renuntiationis plenariæ utriuſque partium, ſcilicet Domini noſtri Papæ, & alterius de ſummo Pontificatu contendentis, ad totale jus illud quod vel habet in Papatu, vel ſe habere prætendit ; ſive ceſſio illa ut aliqui tangunt, in manibus vel præſentiâ amborum Collegiorum in unum convenientium, pro bono pacis fieret, ſive in manibus vel in præſentiâ ſui Collegii pars quælibet ſeorsùm cederet, ſive poſtremò in manibus & præſentiâ aliquorum per eos & ſua Collegia nominandorum, ſive aliis modis rationabiliter excogitandis : quâ ceſſione factâ, de futuro Pontifice per veteres Cardinales fieret proviſio, ſeu pro bono pacis per Collegia amborum. Et hanc viam, Princeps Chriſtianiſſime, ad celer, conveniens & efficax hujus plagæ lethiferæ remedium cæteris in hac noſtrâ epiſtolâ contentis anteponimus : tùm propter facilitatem faciendi ; ſic nempe labores, ſumptus, difficultates plurimæ, maxima denique Chriſtianitatis totius vitarentur diſpendia : tùm propter univerſorum Fidelium utriuſque obedientiæ, totiuſque in genere Chriſtianitatis in cordibus & conſcientiis perfectam atque integram abſque remorſu aliquo quietationem : tùm maximè propter Principum & Regnorum utriuſque adhærentiæ honorem ex integro conſervandum, & devitandum ſcandalum ; quod judicio noſtro ſummopere attendendum, penſandumque in hac materia eſt ; fratres quippe omnes ſumus in Chriſto ; & nonne Domini vox eſt, quâ qui ſcandalizaverit fratrem, à nobis expellere præcipimur, etiamſi pes fuerit, manus aut oculus ? tùm propter apparentiam rationum utriuſque partis, qualis nunquam in ſchiſmate aliàs viſa eſt : tum propter adhærentiam fixam, atque radicatam cujuſque partis ad ſuum, ut nulla veriſimilis ſpes ſit aut nos ad aliam partem accedere, aut alios ad noſtram ullatenùs verti poſſe. I. Via.

Et profectò ad hanc viam debet eos, ut videtur, proprii amor honoris inducere, voluntarioſque reddere, ne ſi diſcuſſio fiat, in alterius eorum aut amborum ignominiam res veniat : debet & gregis Chriſti cui ſe præeſſe dicunt, lugubris, exitioſa, & miſerabilis diſſipatio, eis non æquo animo (ſi quid miſericordiæ & compaſſionis habent) intuenda : debet zelus animarum dicti gregis, pro quibus ſi perditæ ſint ex eorum neglectu, ſui in ultionem repoſcentur à Domino (dura planè contrà eos ſententia, & quam multùm attendere & timere debuerunt :) debet præterea tam virtuoſi operis, tamque ſublimis meriti apud Deum reſpectus : debet nominis gloria, quâ ipſi perenni laude ſuccedentibus ſæculis ex hoc inſigni facto omnium ore hominum & ſcriptis celebrabuntur ; plùs profectò quàm ſi uterque eorum centum aut ducentis annis etiam virtuosè, pacateque præſediſſet : debet poſtremò charitas ampliſſima, quâ prædìti eſſe debent, quâque pro ovibus ſuis juxtà ſupremi Paſtoris ſententiam, ſuam etiam animam in caſu exponere adſtringuntur ; quanto igitur ampliùs in tam horrendo ſcandalo gregis ſui, temporalem ſuum ſtatum in tam evidenti bono Eccleſiæ reſignare ? animadverſo præſertim quòd cuilibet eorum de ſecuro, excellenti & honorifico ſtatu fieret in Eccleſiâ, ſicut veriſimile eſt, proviſio. Et de primâ quidem viâ hæc hactenùs ſufficiant.

Quòd ſi ambo jure ſuo vero vel æſtimato tenaciùs inhæſerint, ſicut hactenùs fecerunt, & hanc viam ceſſionis pluriniùm expedientem ſubire recuſaverint, de ſecundâ viâ concilii particularis, ſeu mutuæ & ſubmiſſivæ compromiſſionis amborum in aliquos ſolennes viros, quos ipſi ambo duxerint nominan- II. Via.

dos, vel in aliquos alios debitè & canonicè eligendos, tamquam in plenarios definitores controverſiæ, qui ſint honorati & authorizati de diſcutiendo & terminando; & ſi forſan opus eſſet aut expediens viſum, & per eos ad quos ſpectat canonicè approbatum, de noviter eligendo. Per hanc autem viam vitaretur Concilii generalis difficultas; ceſſaret cavillatio dicentium, quòd in dicto Concilio generali Dominus noſter Papa ob ampliorem numerum aliorum, jus ſuum exponeret diſcrimini. Per hanc maturior eſſet terminatio facti, quam nos omnes maximo opere deſiderare debemus; per hanc quoque nota omnis perverſæ ambitionis dominandi tolleretur, quam rigoroſa nimium & pertinax defenſio cogniti etiam juris ſæpenumero inducit; denique ſubterfugiens viam iſtam æquitatis ſectatricem, charitatis & amicitiæ pleniſſimam, vehementem ſuſpicionem de injuſto titulo ſuo in omnium animos hominum ingerere videretur; nam præſumptio juris eſt, & rationis judicio conſentiens; quòd æquè, ſi non ampliùs, nocens, atque injuſtus alieni uſurpator, æquitatem judicii propriæ cauſæ diffidens ſubterfugit, ſicut juſtus innocenſque propriæ innocentiæ conſcientia ſecurus hoc appetit.

Matt. 18. 20 Hujus viæ nobis formam Chriſtus, qui eſt pax noſtra, faciens utraque unum, nos docuit: *Ubi*, inquit, *duo*, unus ſcilicet ex unâ parte, & alius ex alterà, *vel tres*, in caſu ſcilicet diſcordiæ, *in nomine meo congregati*, in nomine videlicet charitatis, concordiæ & pacis; *illic ego in medio illorum ſum*, ad concordiam revocans altercantes fratres, & inter ſe diſſidentes in pace reconcilians. Nec valet ſi quis dixerit Papam nullatenùs poſſe in aliquos hujuſmodi ſe ſubjiciendo compromittere. Primùm quidem, nihil ad rem hoc attinet, quia illic neuter eorum ſe tamquam Papa ſubderet, ſed tamquam in dubium revocatus, de ſuo atque alterius in Papatu jure; imò quilibet eorum ab adverſâ parte ſuâ velut Papatûs invaſor & uſurpator ipſius arguitur, & quoad hoc arbitrio ſe ſubdere poſtulatur. Simile quippe omninò ut videtur in generali Concilio, ſi ſuper hoc ageretur, & in parte iſtâ cenſendum eſt. Conſtat verò quòd illic neuter eorum ut Papa præſideret, quare nec etiam iſthìc ut Papa ſe ſubjicit. Præterea id falſum eſt, quod ſubjungitur, Papam non poſſe ſeipſum in alterius ditionem ſubmittere; numquid Chriſto major erit, de quo ſacratiſſima Evangelii profitetur hiſtoria, quia erat ſubditus illis, ſcilicet Matri & Joſeph? Matri namque ſuæ, hoc eſt ſanctæ Eccleſiæ, quam Fidelium omnium matrem eſſe conſtat, ſi ipſe Catholicus eſt, materno jure ſubditur: niſi forſan quis dixerit poſtquàm ſponſa facta eſt, matrem eſſe deſtitiſſe. Numquid Petrum anteibit, cui non ad Evangelii veritatem ambulanti Paulus in faciem liberè reſtitit, quam Pauli correctionem ſubmiſsè & humiliter ſuſtinuit. Numquid & Papatûs jure à fraternæ correctionis eximetur lege, ut eidem omnium malorum agendorum licentiam impunè donemus? De Deo ſolo Job Job 9. 12. ſanctus id loquitur: *Non eſt qui dicat tibi: Cur ita facis.* Caveant qui hunc titulum ſoli divinæ omnipotentiæ debitum, & ſacris literis adſcriptum, in ſeipſos uſurpando tranſtulerint, atque, ut ita di- a cam[a] ſuo ipſorum gladio ad inſtar nefandi Goliæ jugulentur.[a] Ab eiſdem percunctari libet, jura ſi quæ hoc prohibent, divinane, an humana ac purè poſitiva ſint? Non divina profectò aliqua allaturi ſunt; reſtat ergo ut poſitiva ſint, quibus, ut ipſi aiunt, non eſt Papa ſubjectus; idcircò ſemetipſum compromittendo ſubmittens, non contrà illa ageret. Nihil igitur cauſæ eſt quominùs ſe ſubjicere ac compromittere poſſit, & mirum eſt quod non vident hæc dicentes, ſe ſe illi potentiæ quam cœlo æquare volunt, tam apertè derogare.

Poteramus rationes multo copioſiores & ad hanc viam, & ad alteram præcedentem, exempla etiam quædam Romanorum Pontificum inducere; ſed quoniam brevitati ſtudemus, & hoc aliàs annuente Altiſſimo tractare diffuſiùs ſperamus, de eis in præſens tempus ſuperſedendum putamus. De ſecundâ ergo viâ hæc dicta ſint.

Supereſt tertia via, quam, ſi non ſuperiorum alteri acquieverint, fraternè ad hoc ſedulò & amicè admoniti, velut hujus ſacrilegæ diſcordiæ convenient noſtrâ æſtimatione remedium ſubjicimus. Et III. Via hæc utique via eſt Concilii generalis, aut ſecundùm formam juris ex Prælatis tantummodo celebrandi, aut quia plures eorum ſatis, proh pudor! hodie illiterati ſunt, pluteſque ad alterutram partem inordinatè affecti, mixtis unà cum Prælatis ad æqualem eorum numerum Magiſtris & Doctoribus Theologiæ, ac Juris, de Studiis ſolemnibus utriuſque partium antiquitùs approbatis; aut adhuc ſi alicui prædicta proviſio non ſufficit, adjunctis ultrà præmiſſa Capitulorum Cathedralium & Religionum principalium uno vel pluribus deputatis, ut ea quæ tunc illic decerni aut definiri contingeret, eſſent majori pondere & certiori etiam examine digeſta.

Et quamvis via iſta à nonnullis adulatoribus, ac hujuſmodi monſtruoſæ Sectionis fautoribus, ab ipſius initio uſque ad iſta tempora, magis turbandi ſtudio, quàm veritatis radice, velut inepta omninò repudiata ſit; tamen abſque fermento affectionis malignæ, veritatem intuenti non adeo refellendam eſſe ſatis liquidò clareſcet. Nam ut ab altiori repetamus, unde variæ hæreſes ſæculis anteactis in Eccleſiam Chriſti irrepſerunt, niſi quia ante piiſſimi Conſtantini Imperium Chriſtianis Præſulibus in unum conveniendi licentia interdicta erat, quâ ab ipſo acceptâ, univerſalium Conciliorum decretis hæreſes innumeræ ac perverſiſſimæ cum ſuis aſſertoribus damnatæ ſunt, ſicque Catholica fides intemerata permanſit? Si igitur ad tollendum hoc peſtiferum ſchiſma, quod jam propter longam moram hæreſis ſpeciem habet, (inveteratum quippe ſchiſma, ſicut ait Auguſtinus, hæreſis eſt) non liceat Eccleſiam congregari, repudiatis præſertim viis ſuperioribus, quid reſtabit? Reſtabit profectò, ut ſicut per ignaviam inexcuſabilemque negligentiam amborum, de quibus ſermo, Præſulumque & Collegiorum ſuorum, jam per ſexdecim annorum ſpatium hoc diſſidium duravit, ita adhuc per totidem attentâ majori ſemper invaleſcentiâ, & pacis turbatoribus, durare poterit, ſicque in oblivionem cum Græcorum diſſidio, atque in finem ſæculi perducetur. Quis igitur obviabit ſurgentibus hæreſibus, & jam ex nunc pullulare ac in lucem erumpere nitentibus, cum ab altero plectendus ad alterum de facili propter impunitatem confugiet? Graſſabitur paſſim & liberè iniquitas, nec erit qui obſiſtat, pertimeſcente quolibet partem ſuam & favorem minuere, atque hoſtes Eccleſiæ ſuæ concitare: quod quàm veriſimile ſit, viſa experientia de illo perfidiſſimo Jacobitâ, divinæ Majeſtatis ac Virginis glorioſæ blaſphematore, inſinuat.

Porro quæ amplior unquam aut fuit aut futura eſt congregandi Concilii occaſio, cum univerſalis ſtatus Eccleſiæ in diſciplinâ, moribus, legibus, inſtitutis, traditione Majorum ac obſervantiâ, & ut brevi abſolvamus, in ſpiritualibus & temporalibus funditùs

a *ut ita dicam*] In alio codice, ait Acherius, *ut iſta dicentes . . . . jugulemus*, legitur, quod quidem minus placet.

per hoc ſchiſma innumeroſque abuſus hinc naſcentes ſubvertatur : & niſi maturiſſimè piiſſimus inſtitutor ac conſervator ejuſdem reſpiciat, impendentia avertens ſcandala, in ruinam horribilem atque irreparabilem venturus ſit ? An non hoc inter illa numerandum quæ maximè ad fidem ſpectant ? An non ſatis id arduum, ut ſuper hoc proviſio per Concilium quæratur ? Serò, fidenter credite, Pontifices, remedium vos quæſiiſſe pœnitebit, ſi non modo dum poteſtas adeſt, inſtantia propè mala avertitis. Quis putatis hoc regimen laturus ſit ? Quis angarias iſtas & Eccleſiæ ſpolia ? Quis promotiones iſtas, utique mercenarias, indignorum quorumlibet ignorantiſſimorumque ad altiſſima quæque dignitatum ? Fallimini profectò, fallimini, ſi iſta diù licere æſtimatis ; quamvis homines ipſi diſſimulando taceant, lapides certè clamabunt adversùm vos.

Sed ut jam ad Concilium revertamur, Chriſtus Dominus noſter legem nobis ſtatuens de fratre corripiendo, ſi quid fortaſſe in nos peccaverit, præcipit ut illum primò inter nos & ipſum ſolos corrigamus; deinde ſi non audiat, teſtes aliquos nobiſcum aſſumamus ; & ſi tunc nihilo magis audierit, Eccleſiæ nuntiemus. Cum igitur per tam longa jam annorum curricula neuter alterum, nec ſe ſolo audire, nec teſtibus adhibitis voluerit, cum etiam nec ſpes ulla audiendi reliqua ſit ; quid jam reſtare videtur ſi Chriſti præcepta impleamus, niſi id dicere Eccleſiæ generali Concilio convocatæ ; quam ſi ipſi, vel alter, audire recuſaverint, aut ipſius judicio nequaquam obtemperare, planè & liberè cum Chriſto fatemur eos nobis ut Ethnicos & Publicanos habendos. Quòd ſi dixerit alter, ſe nondum ſufficienter fratrem ſuum prævus illis monuiſſe correptionibus, ſuus certè ſibi imputetur neglectus : an turpitudinem ſuam allegatam ſibi ſuffragari putat ? Nonne ſibi ſatis ad hoc conceſſum eſt ſpatii ? Excuſationes haud dubiè in peccatis iſtæ ſunt, & ſubeundæ æquitatis obliqua ſubterfugia, anilibus ineptiis ſimilia, nec à viris aut gravibus, aut peritis audienda.

At quàm frivola multa concordiæ turbatores ex adverſo objectant ! Quomodo, inquiunt ipſi, Papa noſter canonicè electus jus ſuum clarum adducet in diſcrimen, & illud, de quo conſtat, in dubium revocabit ? Quid clarum vocatis ? Certumne an verum ? Si verum, cum hæc veritas nunc ſub modio lateat, nec à tantis Catholicis cerni poſſit, eam ſuper candelabrum per Concilium ponite, ut omnibus qui in domo Dei ſunt eluceat. Si certum, videte ne verbo abutamini, qui id certum appelletis, de cujus obſcuritate atque ambiguitate tanta ſemper fuit, & eſt apud tantam fidelium portionem contentio. Lynceoſne habere oculos ſoli credendi eſtis, cum reliqui more talpæ cæcati ſint ? Quidquid verum aut certum ſit in tam tetrâ caligine, plurimis hebeſcentibus tam perſpicuè cernitis ?

Sed eſto, certum verumque ſit illud, quod certum verumque eſſe prædicatis ; reſpondebit tamen nobis Adverſarius veſter ita eſſe dicentibus, judicium rem iſtam depoſcere, nec fidem dictis veſtris unquam ſe ullo pacto habiturum. Qui contendens contrà eum pars eſtis, in judicium itaque deſcendite. Quid enim vultis ? nobis inquiet Adverſarius veſter : ille quem Papam dicitis aut de jure ſuo fidit, aut diffidit : ſi diffidit, modicè ponderandum eſt juris illius diſcrimen ; nam & alii meritò diffidere habent : ſi confidit, confidat in Domino, & Dominus juſtitiam ſuam tuebitur, nec fluctuare permittet : *Jacta*, inquit Pſalmiſta, *curam tuam in Domino, & ipſe te enutriet ; nec dabit in æternum fluctuationem juſto* : & præſertim cum pendente Concilio pro juſtitiæ habendâ declaratione fierent à cunctis Fidelibus ea indicto Eccleſiæ Ora-

Pſal. 54. 23.

tiones devotæ apud Deum, & proceſſiones crebræ & ſolemnes, quæ maximi erga Deum meriti reputandæ ſunt, ſi non fallit Scriptura quæ de unico etiam juſto ait : *Multùm valet deprecatio juſti aſſidua*. Quamobrem non valet quod plerique dicunt, minorem multo numerum Concilii pro unâ partium, & majorem pro alterâ ſtaturum. Primò quidem, quia Spiritus ſanctus Concilio aſſiſtere, ipſum quoque dirigere piâ fide creditur, quem non eſt veriſimile ipſum errare ſinere in hac Chriſtianæ pacis materiâ ; quin potiùs ſceleſtorum carnaliumque linguis hominum, veritatem etiam ipſis odioſam loqueretur ac patefaceret, ſicut olim per os Saul, & Cayphæ, & Balaam, licet multùm perverſorum, veridicè prophetavit. Deinde malæ mentis eſt, & carnaliter nimium ſapientis, ſic male de hominibus ſuſpicari, ut quilibet veritate dilucidè patefactâ, contrà agnitam etiam veritatem pro eâ obſtinatus & pertinax maneat, quam ante diſcuſſionem ſequutus ſit. Quid quòd S. Gregorius, tantus Eccleſiæ Paſtor, ſe quatuor Concilia univerſalia tamquam quatuor Evangelii libros venerari & colere profitetur ? Quod minimè affirmaret, ſi ea errare poſſe tam facilè, ſicut hi dixerunt, crederet. Sed fac ut errare poſſint ; quandoquidem hi errorum ſomniatores hoc volunt : quem tardiùs è duobus erraturum ire putemus, aut hunc vel hunc ſe Papam dicentem, aut Concilii totalis ſcientiam ſuper hoc deficientem : non tantâ impudentiâ quiſquam erit, quin Concilium in hoc remotiùs ab errore abfuturum dicat ? Minus ergo diſcrimen eſt Concilio credere in hoc caſu, quàm partibus.

Jac. 5. 16.

Sed jam iterum aliud ab æmulis audimus obſtrepi. Quis, inquiunt, dabit auctoritatem Concilio ? In promptu reſponſio eſt, eam dabit conſenſus omnium Fidelium, dabit Chriſtus in Evangelio dicens : *Ubicumque duo vel tres in nomine meo congregati ſuper terram*, &c. Et Domini juſſus ad Moyſem in Deuteronomio : *Si*, inquit, *difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris, & videris verba variari, venies ad Sacerdotes Levitici generis ; quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem*. Quid autem reperietur diſſenſione iſtâ magis difficile, magis ambiguum, magis in verbis varium ; ubi non varia modò verba currunt, ſed contraria penitùs & invicem pugnantia ? Nec hoc quidem inter paucos, ſed inter penè æquales orbis Chriſtiani partes, alterâ quòd amplior eſt, prætendente, & alterâ quòd ſanior. Et ſuper viâ iſtâ Concilii generalis hæc dixiſſe ſufficerit.

Matt. 18. 20.

Deut. 17. 8.

Hæ igitur ſunt tres viæ, Princeps Chriſtianiſſime, quas in hujus funeſtæ diſſenſionis medelam tamquam nobis primâ fronte viſas maximè congruas excogitavimus ; quas idcircò nunc breviter ſummatimque attingendo perſtrinximus, quod ſpatioſum de eis, & de totâ in genere materiâ tractatum conſtituere decrevimus, in quo enucleatiùs, latiùs, & ſubtiliùs rem, ſi Dominus juverit, explicare conabimur.

Cæterùm unum illud nunc audacter aſſerimus aliàs ſatis probandum, ſi opus ſit. Si alter diſſidentium aut uterque vias tres expoſitas inire obſtinatiùs refugerit, nec aliam idoneam vel alias obtulerit, eum velut ſchiſmaticum, pertinacem, & quod ad id conſequens eſt, hæreticum, nec gregis Chriſti Paſtorem, ſed deceptorem potiùs ac tyrannum judicandum ; ſicque ejus deinceps nec juſſis obediendum, nec eidem regiminis ulla adminiſtratio, imò nec patrimonium Eccleſiæ quo utatur relinquendum : ipſe quoque ab ovili JESU-CHRISTI non ut ovis aut Paſtor, ſed ut lupus infeſtiſſimus penitùs abigendus eſt, pœniſque acerbiſſimis ſchiſmaticorum plectendus ; nec in terrâ viventium, ſed cum Dathan & Abiron, nequiſſimis

ſchiſmaticis, portio ejus habenda; quippe qui gregis paſtorem ſe dictitans, non ad devitam ipſius adunationem, ſed magis ad perpetuam, quantum in ſe eſt, diſſipationem diſperſionemque tendit, lupique partes potiùs quàm paſtoris exequitur, nihil de ovium nece, jacturâ, vel incommodis recogitans, dum tamen ad propriam replendam ingluviem, ſuccus & ſanguis pecorum abundè ſuppetat.

Jam verò prudentiſſimi Salomonis judicium nonnihil ad rem attinet, qui annuente alterâ mulierum, ut puer, de quo certabant, medius divideretur; alterâ, quæ ſuper eo maternis erat commota viſceribus, exclamante: *Date potius illi, & non dividatur puer*: eam eſſe veram matrem conjecturâ deprehendit, quæ tam crudelem pueri ſectionem videre exhorruiſſet, & maternum antea jus abdicare, quàm amariſſimum nati aſpicere interitum maluiſſet. Quis enim dubitaverit Regem ſapientiſſimum propoſito ſibi caſu dicturum fuiſſe, eum veriſimiliùs verum Chriſti Vicarium, & Eccleſiæ filium, qui propriam matrem ſuam Domini ſui ſponſam teneritmè ab eo dilectam, ſuæ commiſſam fidei, ut eam integram ſervet inviolatamque, non modo dividi moleſtè tulerit, ſed iniquorum manibus violentis jam graviſſimè ſauciatam, laceratam & diſcerptam, redintegrare quamprimùm & ſanare totis animi viribus curaverit; etiamſi hoc agendo in exhæredationem ſui totalis ſtatûs, imò & vitæ propriæ periculum venire deberet. Eum verò, ſi quis eſſet talis, viperinum meritò filium, matris propriæ latera corrodentem, qui languenti hunc in modum matri, jamque nimio dolore & morbi longitudine paulo minùs abſumptæ, non ſolùm nullum omnino remedium quæſierit, cum plurima tamen perfacilia ſint, verùm inſuper medicos miſeratione motos optima medicamina atque electiſſima gratis etiam volentes adhibere rejecerit, matrem perenni languore tabeſcere magis volens, quàm temporalis aliquid detrimenti ſe propter eam paſſurum.

Ad pacem ergo iſtam & ſalutem Eccleſiæ almæ parentis veſtræ, Princeps Chriſtianiſſime, totis animi medullis ſicut facere cœpiſtis incumbite, ægrotæ medemini, reſpicite deſolatam, oppreſſæ miſeremini, indigniſſimè dejectam allevate, imbecilli præter modum, & de grabato ſurgere vix valenti auxiliarem dextram porrigite, aſſiduis ſuſpiriis, querelis & gemitibus opem veſtram implorantem non ultrà jam audire differte, poſtponite curas omnes temporales, quantumlibet vobis fructuoſas aut utiles, hæc una cura cæteris jure anteponenda eſt, quà & cæteræ proſperum magis exitum habebunt, & decus Regni veſtri vobis, & Regno eidem à clariſſimis veſtris progenitoribus partum, ſervabitur: mementote vos ſolum Principem Chriſtianiſſimi nomen non otioſè tenere, ſed quòd in omnibus ſemper Eccleſiæ anguſtiis et majores veſtri præſidium ante alios tulerint: nolite privilegium tam nobile, titulum tam magnificum amittere; non ſinite hunc honorem vobis à quoquam auferri, aut alterum in iſto vos antevenire: defendite jus veſtrum, defendite nomen, defendite decus; moveat vos omnium Catholicorum & fratrum veſtrorum in Chriſto exſpectatio, quæ tota in re iſtâ de veſtrâ perſonâ pendet: omnes enim tùm Principes Catholici, tùm cæteri, veſtram in hoc negotio manum præſtolantur, tamquam ejus cui jure, conſuetudine, potentiâ, cæteriſque adminiculis magis iſtud debitum eſt. Moveat vos ipſius præclara & percelebris ac perpetua laus, per quam veſtri memoria ſempiterna verſabitur in ore hominum; imò & illud maximè vos moveat, quòd tam egregii gloria facti uſque in diem iſtum, quo puerilem ætatem exiiſtis, ad decus & famam veſtram divinitùs quodammodo ſervata eſſe videtur, ne debitus vobis honos aliò tranſiret: moveat acceptiſſimum ſervitium, quod ex hoc opere Deo præſtabitis, quo reverà nullum majus, gratius, excellentius præſtare poteſtis: moveant denique matris miſeræ, tot, tantæ & tam inauditæ, ut vel ſaxeum pectus emollire poſſent, quæ ex hoc diabolico ſchiſmate ortæ ſunt. Diabolicum equidem juſtiſſimè dicimus, quoniam ſicut in pace factus eſt locus Chriſti, ſic in tantâ diſcordiâ locum oriri ſatanæ neceſſe eſt; ipſe enim eſt qui ſeminat inter fratres diſcordias, qui Eccleſiam Chriſti turbulentis ſeditionibus diſperdere ac conturbare nititur. Sic namque illud Chriſti de ſe dictum: *Omne regnum in ſe ipſum diviſum deſolabitur.* Illud quoque Saluſtii clariſſimi Romanorum hiſtorici: *Concordia parva res creſcunt, diſcordiâ maximæ dilabuntur.* Quod quàm verum utique ſit, nunc, proh dolor! plus nimio experimur. Quid enim [b] ante hoc ſchiſma, ſchiſmatiſque præambula Eccleſiâ florentius, quid majus, quid ſplendidius, quid locupletius, quid honoratius? Tam grandi exuberabat bonorum copia, ut mole etiam ſuâ laboraret; poſtquàm verò clades iſta ſchiſmatis damnatiſſimi introivit, pro libertate ſervitus & duriſſima ſervitus, pro divitiis egeſtas, pro ſpecie deformitas, pro honeſtate dedecus, pro eminenti gloriâ vilis atque abjecta contemptio, pro Eccleſiæ ipſius & bonorum ejuſdem tutela, præda, rapinæ, ſpolia invaſerunt. Et quare hoc? quia nimium indigni atque improbi homines ad regimen Eccleſiæ evecti ſunt, & plerumque quotidie evehuntur, quibus nihil ſancti, nihil æqui, nihil penſi, nihil honeſti curæ ſit, ſuis tantùm flagitiis & libidine paſcuntur atque delectantur; exhauriunt Eccleſias, Religiones diſſipant, Monaſteria ſpoliant; ſacras paſſim domos in vaſtitatem redigunt, ut ſuæ cupiditati ſacrilegæ, nunquam tamen ſatiandæ, de Chriſti patrimonio ſui pretioſiſſimi ſanguinis effuſione conquiſito ſatisfacere valeant, ſacraque & prophana, è quibus quæſtûs aliquid aut pecuniæ pendeat, promiſcuè habent, exactiones graviſſimas, maximas, intolerabiles, pauperibus Eccleſiæ miniſtris imponunt, impiiſſimos atque inhumaniſſimos homines ad colligendas eligunt, qui nemini parcant, nullius miſereantur quantàlibet inopiâ preſſi, quin ſtatim excommunicent, fulminent, ac exterminent; quin etiam in barathrum quantum in ſe eſt detrudant, niſi ſibi impoſitum protinùs unus exſolvant, etiamſi de calice pecuniam extorqueri oporteret, nihil ſibi unde vivant relinquitur. Mendicos jam Sacerdotes, & viliſſimis inſuper officiis profanis ſæcularibus ſervientes ubique videmus. Sacroſanctæ Reliquiæ, cruces, calices ipſi, omnia denique vaſa ſacrificа, ſi argentea tamen ſint vel aurea, proventus Eccleſiarum & redditus ad angarias iſtas importabiles ſolvendas multis in locis venduntur. Quot jam labentia templa, quot ruentes Baſilicas, quot jam ſolo æquatas cernimus, & multo nimirum plures cerneremus, niſi regia veſtra Sublimitas poſitis in manu ſuâ proventibus Eccleſias reparari ac reſici, invitis ſæpe earum Rectoribus, compelleret? Id enim jam publicè quæritur adversùs hujuſmodi direptores remedium. O ſtupenda Eccleſiæ calamitas! ô horribile ſchiſmatis prodigium! jam ovis gregem ipſum à Paſtoris inſidiis & violenta oppreſſione tuetur. O pudendum & infame ſæculum

Matt. 12. 25.

b

b *Quid enim*] Quæ ſequuntur uſque ad eum locum quem indicabimus, edita jam erant ab Odorico in Annalibus Eccleſiaſticis.

noſtrum, omniumque poſteritati perpetuò criminandum! O miſeranda nimium mater Eccleſia, quæ in ærumnas iſtas nefario filiorum ſcelere veniſti! O quàm malignis diebus, qui hæc videre cogimur, nati ſumus! malignis, inquam, ſi non veſtro reſpectu & opitulatione convertantur in melius: ſed in melius omnia revocanda veſtro, Rex ſereniſſime, ductu atque auſpicio ſperamus.

Quid nunc de Simoniacâ hæreſi loquamur, quæ in Eccleſiæ domo ſic præſidet, ut jam ejus ditioni omnia ſint propemodum ſubjecta, ut ſine ejus interventu pauci gratiæ quidquam niſi valde difficiliter obtineant; ſed qui eam advocatam habuerit, non lite, non judicio, non difficultate aliquâ terreatur, verùm in aurem utramvis otioſè ſi velit dormiat, quia pars ſua tuta eſt, & ſuperatis fluctuum turbinibus ipſe in portu navigat? Hæc eſt quæ beneficia, quæ alicujus omninò emolumenti ſunt, impuriſſimis quibuſcumque, dum tamen opulenti ſint, diſtribuit, maximeque ut ſedula diſpenſatrix contrà paſtorales curas invigilat, quæ pauperes aſpernatur, nec ullâ promotione quantâcumque doctrinâ polleant, dignos cenſet; imò quo plus literati, eo magis ut plurimùm ſibi ſunt odio habiti, quia liberiùs eam redarguant quàm alii, nec ſuo patrocinio in ullis beneficiis aſſequendis uti velint; & (quod iniquiſſimum eſt, nec ſatis exaggerari verbis poteſt) hæc eſt quæ damnatiſſimâ corruptelâ ſacramentorum omnium myſticas collationes, & præcipuè Ordinum ac pœnitentiæ, turpi deteſtabilique quæſtu vendit, ac per hoc ineptiſſimas viliſſimaſque perſonas ſordidâ cupiditate ad honores Eccleſiæ & gradus admittit, in grandem ignominiam Eccleſiaſticæ dignitatis.

Quid de divino cultu ex hac cruentâ ſchiſmatis pernicie ubilibet imminuto, atque in locis pleriſque prorsùs deſerto queremur? Quid de morum diſciplinâ & prioris Eccleſiæ virtutibus, quæ ſic in oblivionem, inque omnia vitia mutatæ ſunt, ut vix præcedentes Patres, ſi redeant, nunc eamdem Eccleſiam, quam ipſi dudum rexerant quamque Chriſtus inſtituit, eſſe putent, nullis virtutum ſuarum reliquiis, nullis uſquam veſtigiis, imò nec umbrâ tenui ibidem relictâ.

Omittamus Eccleſiæ libertates ereptas, veteres immunitates abolitas; patrimonium denique diſtractum, dilapidatum, alienatum: iſta, inquam, omittamus quia temporalia ſunt, quamquam majora iſti hæc temporalia dicunt: ad fidei Catholicæ detrimenta & ſcandala, quæ nos majora ponimus, veniamus. Irrident, Rex piiſſime, Religionem noſtram ſacro-ſanctam, talem in eâ videntes ſciſſionem, canes Ægyptii mordent, accuſant, blaſphemant; inde ſe commodiſſimam gaudentes occaſionē in eamdem inſultandi reperiſſe, quæ ſic inter ſe diviſa, ac in propria viſcera cæco furore ſæviendi ſemetipſam conficiat & deſtruat. Hinc Infideles oppugnant, hinc Hæretici irruunt, qui jam venenatum caput extollere vehementer nullo vindice cœperunt, & in quamplurimis locis hæreſes pernicioſas, etſi non adhuc patenter, tamen latenter ſeminant, & ut cancer quotidie magis ſerpunt; ſic in fidem Catholicam defenſione vacuam, & domeſtico ſe bello continuò perſequentem atque conſumentem undequaque fit impetus.

Sed quid univerſa mala ex hoc horrendo ſchiſmate naſcentia complecti nitimur? Res nobis & cuicumque impoſſibilis eſt. Quis enim tanto prædìtus ingenio, aut tantâ eloquentia decoratus, qui ærumnas, anguſtias, calamitates ſingulas, quas Eccleſia ſuſtinet, non dignè, ut res poſtulat, deplorare, ſed numerare valeat aut referre? quid numerare dicimus? Cogitare potius dicamus aut mente capere[c], tanta eſt miſeriarum ac moleſtiarum moles, tanta magnitudo tanta congeries, ut & mentem præſentium effugiat, & naſciturorum fidem credulitatemque vincat. Obſtupeſcent certè poſteri noſtri, mirabuntur & horreſcent tantorum immanitatem flagitiorum legentes, ſi litteris ab aliquo mandata ſint: quæ mala cum atrocia adeo ſint & ſuprema, ut jam nihil addi poſſe quo ulteriùs creſcant, videatur, tamen pejora imminent & in deteriùs ſemper res procedit. Nam quis dies poſterior non priore deterior, quæ lux ſequens præcedenti non aliquid maltiæ agglomerat? Omnia in dies mala augeſcunt, novi modi obſiſtendi Eccleſiæ unioni per perditos & nefarios homines, diabolo ſuggerente, quotidie oriuntur; novæ aſtutiæ, nova molimina. Qui quoniam non aliter ſe id poſſe arbitrantur quod cupiunt efficere, niſi nos ante omnia cæteroſque veritatem maximè ſibi hoſtem enuntiare ſolitos ubique infamaverint, totos virium ſuarum & aſtutiarum nervos in noſtram delationem moliuntur intendere. Itaque apud veſtram, Rex optime, Majeſtatem, itemque apud maximos Proceres regni veſtri, qui vobis claro ſanguine conjuncti ſunt, coram quibus veritatem nudare ſoliti ſumus, non ceſſant dies ac noctes in nos ore venenato machinari, nunc contrà Dominum Papam nos aliquid velle loqui confingentes, pro cujus certè honore pluſquàm ipſi nos loquimur; nunc arbitrio noſtro omnia regere velle ſi permitteremur, & præſertim Eccleſiam; nam quòd nos de ſtultitia & præcipui temeritate etiam culpant, parvi ſanè æſtimamus, ſermoni Apoſtolico innitentes: *Sapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud* 1. Cor. 3. 19.
Deum. Et iterum: *Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus,* Ibid. 1. 27.
ut confundat ſapientes. Suam ergo ſibi habeant prudentiam, & cum illis numerentur, de quibus apud Prophetam: *Prudentes ſunt ut faciant mala; bene* Jerem. 4. 22.
autem facere neſcierunt. Noſtram nobis ſtultitiam, quam ſuæ anteponimus ſapientiæ, relinquant.

His & aliis multis detractionum morſibus, Princeps illuſtriſſime, noſtram dente maledico apud vos famam lacerant, ſicque ſuis mendaciis, dolis, & machinamentis à veritatis lumine per nos auribus veſtris inſtillando rejicimur, ne ullam audientiam in veſtro conſpectu obtinere niſi perrarò poſſimus. Ita fit ut in errore & veri ignorantiâ vos veluti captivatum detineant, ad diſſimulationem & impedimentum rei: tota etenim eorum eo tendit & ſpectat intentio, tota mens, totus conatus, ut ejuſmodi frivolis ſermonibus tempus terant, & negotium differant, quo diutiùs poſſint Eccleſiæ ſpoliis ſic turbatæ incraſſari; magnas quippe dignitates & craſſa beneficia nunc turbata Eccleſiâ aſſequuntur, quas integrâ ac unitâ nunquam adipiſci poſſe, & meritò conſiderant; unde & eorum vulgatiſſimum jam uſu extat proverbium, *Optimum eſſe factu piſcari in aquâ turbidâ*; quorum idcircò minimè audienda eſt ratio, minimeque toleranda, quòd vias omnes repertas quantùmlibet exactas aut commodas calumniari ſtudent, cum tamen nullas penitùs alias afferant.

Quod verò nobis imponunt, nos arbitratu noſtro omnia regere velle niſi obviam iretur, faciunt quod ſoliti ſunt, impudenti mendacio nec colorato utuntur, non Eccleſiam regere ſed inſtruere volumus, non Eccleſiam regere ſed regi volumus, ipſi verò non regere, ſed vexare, lacerare, & omninò diſſipare volunt, quod quia diſſimulare aut æquani-

c *mente capere*] In his verbis deſinit Oldricus.

miter forte conſcientiâ ipſâ ac veritate cogente nec volumus nec poſſumus, indeni nos confingitur hæc culpa. An in tanto Eccleſiæ periculo, ubi & ſaxa jam clamare deberent, mutos eſſe convenit? Timeremus profectò de ſcientiæ talento abſcondito à Domino veniente redargui; quis ullus jam remedio locus erit, quùm gravi confuſione univerſa depereant, ſi & tam malè agitur ab ignaris, & ſcientibus, quid agendum quæſierve, ſubducto loquendi jure, elingues eſſe oportet? quid aget noſtra illa prædicandæ veritatis tanto ſudore quæſita licentia? quid operabitur? quando ſuum exercebit officium, ſi nunc nequit? quando vociferabitur, ſi modo reticet? quando ſe exeret, ſi nunc recondita manet?
Iſai. 58. 1. *Clama*, inquit Propheta, *ne ceſſes, & neque metuas à facie eorum, quia ego tecum ſum.*

Proinde vos obſecramus, Princeps Chriſtianiſſime, ut ad hanc ſacratiſſimam unionem aut per alteram viarum ſuperiùs expreſſarum, aut aliam vel alias idoneas per Conſilium veſtrum, ſi iſtæ forſitan minùs ſufficerint, cogitandas ſollicitè vigilando intendere, & quàm maturè velitis obſecramus. Præterea oramus obteſtamurque in charitatis Chriſti viſceribus, per amorem eximium quem ad Filiam geritis ſemperque geſſiſtis, per ſalutem Eccleſiæ & zelum Religionis Catholicæ, quo pro modulo noſtro unà vobiſcum flagramus, per inſitum vobis illum veritatis audiendæ generoſum affectum, cujus vos amantiſſimum eſſe ſcimus, ne animum inducatis oblatratoribus iſtis, in noſtræ famæ, nominis, aut honoris detrimentum nobis priùs non auditis, in aliquo aſſentire, vel ſiniſtrum quid de nobis ex talium ſuſpicari fallaciſſimo relatu, qui obinde malam ſui ſuarumque obloquutionum opinionem ingerunt, quod nunquam palam contrà nos & apertè, ſed in angulis potius ac latebris obmurmurant, ſolâ conſiſi nocte, nec audentes cum noctuâ in clarâ
Joan. 3. 20. luce verſari. *Qui*, inquit Salvator noſter, *malè agit, odit lucem:* & cauſam quare ſubjicit: *Quia in luce manifeſtantur opera ejus.* Diſcerpitur enim bubo aut noctua à volucribus cæteris confeſtim ut ſe in lucem extulerit. Congrediantur apertè nobiſcum, ſi quid adversùm nos habent, & nos certaminis campum nudo armati clypeo veritatis minimè refugiemus, licèt vitiis omnibus & totâ mendaciorum officinâ inſtructi veniant; de ipſius enim opere veritatis confidimus, qui ſuis aſſertoribus in Evangelio ſpondet: *Dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere nec contradicere omnes adverſarii veſtri.* Nec ſuſpicetur quiſquam nos propter regium veſtrum Conſilium hæc dicere; non profectò per hæc ipſum aliquatenùs lædere eſt animus, ſed propter particulares quoſdam malignos homines hæc dicimus, qui cæcâ ambitione & fallaci adulatione hujus peſtis ſchiſmaticæ nutritores, vos, Princeps ſereniſſime, Conſiliumque veſtrum, utique prudentiſſimum, ſeducere & turbare vehementiſſimè nituntur, quos forſan dum opus erit, licet nunc ſe in tenebris occultent, in lucem & notitiam educemus.

Et quoniam manifeſtâ id exigente hominum malitiâ, in hac noſtræ veritatis ſincerâ aſſertione, quâ pro pace Eccleſiæ, & pro evidenti bono, non pro temporali ullâ mercede certamus, quamplurimos interpretes ſiniſtros, nos ingenti veriſimilitudine habituros ſuſpicamur, lectorem in Chriſto quemlibet & Eccleſiæ filium exoramus, ut piâ intentione, non mordaci reprehenſione accipiat dicta noſtra & quid, quare, unde moti hæc dicamus, priùs cum vigilantia intelligas, quàm judicando accuſet aut condemnet. Si qui verò contrà veritatem uſque adeo pugnarent hoſtiliter, ut eam præclarè agnitam perſequerentur etiam obſtinatè, nihil ab illis petimus, ſed eos ut deſperatos, ut peccantes in ſpiritum veritatis, ab eo & veritate derelictos deſerimus.

Sed quia jam ſatis diù nos cum Petri naviculâ ſuper fluctibus & ſæviſſimis procellis agitatâ vela noſtra laborando laxavimus, libet jam portum petere, qui ut nobis liberior tutiorque pateſcat, quieſcentem nunc Dominum excitemus, obſecrantes inſtantiùs ut quaſſatam penè undis ratem ſuam, nec jam ſine ſuâ ope obniti valentem, tandem aliquando ſervet, ventis & mari imperans, ut poſitis turbinibus ſævire jam ulteriùs deſiſtant, quò per pacata æquora & dulces immiſſas auras nos cum ea pacis littus tamdiù deſideratum quàm proximè teneamus, Amen.

Datum in noſtrâ generali Congregatione apud ſanctum Bernardum, ut moris eſt in arduis, celebratâ, unanimi Facultatum ſingularum & Nationum conſenſu, octavo Idus Junii, vigiliâ [d] videlicet Pentecoſtes, quo die Spiritus ſanctus Diſcipulorum mentibus in unum congregatorum illapſus eſt, & charitate concordes mundantis gratiæ perfuſione replevit; quem & noſtro tam concordi conventui eâ horâ adfuiſſe piâ & veriſimili conjecturâ credimus. Anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo quarto.

Copia Literarum miſſarum Univerſitati Pariſienſi ex parte Studii Colonienſis. Anno 1394.

Hortantur Pariſienſes ut perſeverent ad laborandum ſchiſmati extinguendo faventes adhibitis ... Bonifacio.

Reverendi Patres, Magiſtri, Dominique præcipui. Suadet æquitas ut juſtum & oportunum, jubet charitas ut ſanctum & meritorium, dictat ratio velut expediens & congruum, quodlibet perſpicuæ ſapientiæ ſtudium, quamlibet ſcientiarum ſcholam ſive virtutum, ſanctæ Matri orthodoxæ compati debere viſceroſæ miſerationis affectibus in adverſis, maximè de execrabilis, & nunquam ſatis deflendi, proh dolor! ſchiſmatis, Eccleſiam nunc diſturbantis, diuturna nimium perduratione, providiſque conatibus ad ejus extirpationem vigilantiùs anhelare, ſicut de veſtris circumſpectionibus inchoativa quæ collaudanda nuper in Domino gratanter accepimus indicia, quæ noviſſimè pro ceſſatione ſchiſmatis, & univerſalis Eccleſiæ unione regalem Francorum Celſitudinem, modis, mediis & monitis ſalutaribus propulſaſſe famatur, prout hoc ad nos famæ communis deduxit opinio, necnon fidelium & veridicorum nobis aſſertio gratuita reſeravit; quodque pacis hortamenta veſtra ſalubria, Celſitudo regia placidius acceptaſſe, & ad cooperandum ſe piis conatibus obtuliſſe ac ſpopondiſſe refertur, de quibus Deo gratiarum referimus actiones, qui veſtros affectus & prudentias illuminet & confortet, ut ab incœpto non deſiſtatis, donec ſaluber & Deo gratus in eo quod agi videtur conſequutus ſit effectus: & utinam dudum ſemotâ ſublimium Poteſtatum pariter & ſapientum titubante deſidiâ, diligentia non defuiſſet in præmiſſis exacta. Quapropter licet fateamur opus non fore ſoli lucem ſuperaddere, vel docere Minervam, ſcientibuſve legem per manum loqui & calamum, nihilominùs quia ſcriptum eſt: *Da occaſionem Sapienti, & addetur ei ſapientia:* & ut humiliter cum paupercula minutum mittamus in gazophylacium, ad ſanctæ matris Eccleſiæ unionem conſtanter aſſerimus, & incontaminatè ſentimus, quòd nulla ſanctior, nulla celebrior vel ſalubrior via, quàm ut neque à dextris, neque à ſiniſtris, ſed viâ Domini regia gradiendo, rejectis quæ ſchiſmatis ab

d vigiliâ] Scil. die 6. Junii.

initio creduntur vigere ſiniſtris informationibus ac partialibus, ſatagatur ſinceris mentibus, conſcientiis puris, fide & charitate non fictis, ut miſericordia & veritas obvient ſibi, juſtitia & pax oſculentur, & ſic humana ſapientia divinæ ſapientiæ atque prudentiæ invincibilis ad inſtar vincat malitiam, attingens à fine ad finem uſque fortiter.

Venerabiles igitur divinæ & humanæ ſcientiæ Profeſſores, ſic, quæſumus rogate quæ ad pacem ſunt Jeruſalem, ſic in præmiſſis armaturam Dei induite, ſic zelo pacis & juſtitiæ ut filii lucis ambulate, quod laudabilia veſtri zeli memorati primordia, in eò qui eſt alpha & omega per ſancta & legitima media concludi fine felici mereantur: & non obſtante quod inconcuſſè de juſtitiâ Domini noſtri Summi Pontificis Domini Bonifacii Papæ moderni nullatenùs ambigentes, æſtimationum veſtrarum noſcamur adverſa ſentire, ſupplicamus tamen ſi quid juſti ac ſancti veſtris circumſpectionibus Dominus inſpiraverit ad intentam concluſionem, unà cum inchoatis mediis ac intentionibus veſtris plenioribus reſcribere non tædeat, ſed more ſapientum placeat communicare, & ſi quid boni ad ea quæ ſanctæ matris Eccleſiæ memoratam concernere videantur unionem, mediis juſtis ac licitis ſecundùm Deum & conſcientiam bonam, ſalvâ ſemper fide ſincerâ, atque juſtitiâ, cooperari poſſemus: ad hoc promptos nos & benevolos quantum ad nos pertinere poteſt, offerimus, & obſequium Deo præſtare crederemus, qui veſtras Reverentias ſancti Spiritûs gratiâ in præmiſſis confirmet, & dirigat in longitudine dierum feliciter & votivè.

Datum Coloniæ in Congregatione generali ſuper hoc apud Eccleſiam Fratrum Minorum ſpecialiter celebratâ, Anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo quarto, die quintâ Julii ſub ſigillo noſtræ Univerſitatis.

Rector & *Univerſitas Studii Colonienſis.*

Anno 1394.

Reſponſio Univerſitatis Pariſienſis ad Literas Studii Colonienſis ſupraſcriptas.

Gratias agit, ſed improbat quod Colon. cenſes Bonifacio potius quam Clementi adhæreant.

Literas, Magiſtri venerabiles, parte veſtrâ nobis directas vidimus, quibus nos ad virtuoſam perſeverantiam, ſolidamque conſtantiam in re per nos inchoatâ, ſuper facto unionis ſanctæ matris Eccleſiæ hortamini, quodque labores noſtri aut conatus &c. ut ea appellatis, hortamenta ſalubria ſatis proſperè ceſſerint huc uſque apud regiam Francorum Majeſtatem, gratias Deo agitis, id enim vobis compertum fide dignorum relatu & volante jam famæ aurâ dixiſtis. Præterea ſupplici prece omnipotentis Chriſti clementiam exoratis, ut noſtros affectus dirigendo illuminet confortetque, ne à pacto quoquo modo deſiſtamus, donec ſaluber ſequatur effectus. Et ut ſuper re iſtâ quæ veſtra ſit ſententia, quive modus procedendi tenendus ſit explicetis,[a] vos conſtanter aſſerere incontaminateque ſentire ſcribitis, quòd nulla ſanctior via, nulla celebrior, vel ſalubrior, quàm viâ Domini regiâ gradiendo, ut à dextris nullatenùs aut ſiniſtris declinetur, ſed rejectis quibuſlibet ſiniſtris informationibus ac partialibus affectibus, ad hoc ſinceris mentibus & puris conſcientiis ſatagatur, ut miſericordia & veritas obvient ſibi, juſtitia & pax ſe mutuò oſculentur. Denique ſi quid ſancti Dominus inſpiraverit, quòd unà cum mediis inchoatis vobis communicaremus.

Hic erat, nisi fallimur, paucis adjectis, veſtrarum major effectus & principalis continentia literarum, ſuper quibus quoad pium ſincerumque affectum, quem tùm ad cauſam ipſam potiſſimùm, tùm ad nos geritis, magnas vicìſſim gratias & Deo primùm, & vobis rependimus. Cæterùm de effectu qui ex noſtris conſequetur laboribus viderit Altiſſimus, cujus per nos res agitur, cujus eſt donum quidquid in parte iſtâ poſſumus, ex quo pendet univerſus noſtræ ſollicitudinis & vigilantiæ fructus, utinam ſacratiſſimo ejus in conſpectu acceptus! Ad id unum pro viribus elaborabimus, & totâ intentione enitemur, ut quod in nos fuerit, divino auxiliante præſidio faciamus, ne per nos aliquatenùs defuiſſe quis poſſit dicere quominùs finem proſperum res capiat; in quo operam veſtram adjutricem, & omnium fidelium, maximè literatorum, conſortium nobis in hoc aſſiſtere, favere, & opem ferre humiliter obnixeque depoſcimus, res enim communis eſt & communi conſilio conſenſuque peragenda, in quâ nec ſimpliciſſimi cujuſpiam Catholici doctrinam conſiliumve refugimus, aut erubeſcimus; plerumq; enim minori, juxtà Pauli ſententiam, quod majori opertum eſt, revelatur, & præſertim in illis quæ Dei & fidei ſunt. Quantum verò ad illud attinet, quòd debitè laborantes ad concordiam iſtam Eccleſiæ, debere viâ regiâ incedere altruiſtis, & partiales ſive ſingulares affectus, ac informationes ſiniſtras rejicere, in nullo prorsus à vobis diſcrepamus, ſed planè unà ſentimus; ad id tùm ipſa ratio, tùm maxima veritatis pernoſcendæ cupiditas, tum poſtremò Saluſtii veriſſima ſententia nos impellit, ait enim: *Omnes homines qui de rebus dubiis conſultant, ab odio, ab avaritiâ, irâ atque miſericordiâ vacuos eſſe decet:* non facilè animus verum pervidet ubi illa officiunt. Verùm inchoata media certis de cauſis pro nunc non ſcribimus ad veſtri notitiam, ſperantes aliunde perventura.

Unum in literis veſtris admodùm miramur, quòd vos, qui viæ regiæ tanti ſectatores eſtis, adeo in alteram partem declinaſtis, ut vos de juſtitiâ Bonifacii veſtri, quem Papam dicitis, vos inconcuſsè tenere, & nullatenùs ambigere ſcripſeritis: nam profectò coloratiùs nimium apparentiùſque de Domino noſtro Clemente Summo Pontifice illud dicere poſſemus. Quare, Fratres cariſſimi, ſi ad pacem Eccleſiæ zelum aliquem habeatis (ut vos habere credimus & gaudemus) zelo illi ſcientiam adjungite, & veſtram regiam viam ſequamini: vos providi viri eſtis, & quam ob rem[b] hoc dicamus advertere poteritis. Demùm obſecramus vos, hortamurque, ut Studia vobis confinia, Principeſque & Prælatos veſtros ad concluſionem iſtam inducatis, & eam diligentiam, quam circà Chriſtianiſſimum Regem noſtrum nos adhibere auditis & vultis, erga illos apponite. Pax Chriſti quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat ſenſus veſtros & intelligentias veſtras.

a *explicetis* Sic reſtituimus. Legebatur *explicetè* . . . . . . *Scribitis. Quòd.*

b *& quam obrem*] Ex hoc loco apparet Academiæ Pariſienſi haud injuriâ objectum eſſe, eam in Papam Italicum haud paulo propenſiorem fuiſſe, quàm in Papam Gallicum: quod objectum magnâ vi repulit ſuprà in literis ad Carolum VI. nam ſi quis eſt horum verborum ſenſus, is ſanè eſt, ſe Academicos Colonienſes monitos velle, quod de duobus Papatûs æmulis ſcripſit, non ex ſuâ ſententiâ, ſed ne quos offendat ſe ſcripſiſſe.

Anno 1394 *Literæ, quas Univerſitas Pariſienſis ſcripſit Domino* Clementi *ſuper facto Schiſmatis ſedandi.*

Sanctiſſimo in Chriſto Patri ac Domino noſtro Clementi, ſacro-ſanctæ Romanæ ac Univerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici.

COëgerunt tandem nos, Pater Beatiſſime, Chriſti fideles, coëgit Chriſtianæ Religionis devotio, coëgit diuturnitas jam tollenda nefandiſſimæ peſtis ſchiſmaticæ, quæ magis in dies creſcit, coboratur, atque invaleſcit, nemine efficaciter remedium apponente: coëgit miſerabilis & horrenda Eccleſiæ ſanctæ Dei ſubverſio ac diſſipatio, ut ad quærendam, tractandam, necnon pro viribus noſtris procurandam Eccleſiæ Catholicæ unionem vigilanti & ſedulo intenderemus animo; utque in primis ad hanc rem Chriſtianiſſimum Principem Carolum Francorum Regem illuſtriſſimum, ac deinde per ejus medium ad id ipſum, ni fallimur aptiſſimum, Beatitudinem veſtram ſuppliciter hortaremur. Movit ad hoc debitum noſtræ profeſſionis officium, quo & veſtræ & ſuæ ſaluti ac totius Eccleſiæ tenemur obnoxii. In Paſtoribus ſiquidem & Doctoribus maximè totum regimen Eccleſiæ conſiſtit: faciant Paſtores ipſi quod ſuum eſt, nos certè noſtrum docendi, ſi Dominus annuerit, nullatenùs omittemus officium, quod quamquam omni tempore congruum ſit & neceſſarium, præcipuè tamen hoc tempore, quo tam multis anguſtiis, ærumnis, & ſcandalis per hoc execrandum ſchiſma Eccleſia atteritur. Ad quid enim nos docendi licentiam ſuſcepimus, ſi nunc inter tot gravia Eccleſiæ & fidei diſcrimina à veritate ducendâ tacendum eſt? *Clama*, inquit, *Propheta, ne ceſſes; quaſi tuba exalta vocem tuam.* Movit ad hoc præterea præfati Domini Regis imperium, qui nos ad excogitandas Eccleſiæ pacis vias regiæ Serenitatis edicto, quod minimè præterire nobis licet, excitavit. His itaque aliiſque plurimis rationibus, quas breviandi gratiâ ſubticemus, inducti, quamdam ſuper hac re illâ epiſtolam, utinam tam efficacem quàm ſincero fidelique affectu compoſitam, Regi ipſi memorato direximus, intentionis noſtræ in hac parte pleniùs & uberiùs expreſſivam, quæ tres concordiæ vias à nobis excogitatas, & tamquam convenientes approbatas, cum ſuis apparentiis & motivis aliquibus complectitur.

Iſai. 58. 1.

Prima via eſt ceſſionis, aut renunriationis plenariæ ad totale jus illud quod habetis in Papatu, vel pars adverſa prætendit. Secunda eſt Concilii particularis, vel Compromiſſi. Tertia eſt Concilii generalis formaliter aut æquivalenter. Modi autem exequendi quamlibet harum viarum cum juſtificationibus earumdem, ſatis in dictâ epiſtolâ, quantum epiſtolaris patiebatur anguſtia, expreſſi ſunt, aliàs tamen fortaſſe adhuc magis explicandi: quam idcircò epiſtolam veſtræ Beatitudini non mittimus, quia per regiæ præceptũ Majeſtatis tranſmiſſam jam eſſe ſcimus.

Cæterùm, Pater Beatiſſime, nobis ea quæ audiviſtis erga præfatum Principem pro Eccleſiæ ſalute & concordi unione agentibus, & circà tam ſanctum opus, tam pium atque religioſum, operam dantibus ſupervenit inimicus homo, qui antiquis zizaniis nova ſchiſmata ſeminando, hunc totum laborem noſtrum tam ſalubrem tamque fructuoſum extinguere & caſſare, licet fruſtrà, molitus eſt. Et primò quidem tentavit audientiam noſtram in regiâ præſentia impedire, quo faciliùs factum rumperetur. Deinde ubi hoc cœptum minimè procedere ſenſit, & ſe penitùs excluſum de ſpe decidiſſe vidit, ad aliam ſe continuò fallaciam convertit, & ſuper hac materiâ perpetuum ſilentium imponi niſus eſt. Sed certè dignam nimirum meritamque repulſam retulit, quia à Rege Chriſtianiſſimo Chriſtianaque ejus progenie tam impium, nefarium, tamque inexpiabile ſcelus popoſciſſet, ut ſuper religionis & fidei Chriſtianæ materiâ, ſuper Eccleſiæ ſanctæ diſſipatione damnabilique jacturâ, Doctoribus Eccleſiæ & lucernis ardentibus ſilentium imponeret, nequam, qui hoc cogitavit; nequior, qui tam iniquo cogitatui conſenſit; nequiſſimus, qui hoc ipſum abominandum facinus explere voluit. Heu! Pater beatiſſime, iterum heu! tertiò heu! quòd vir Eccleſiaſticus hoc audeat. Si quis id verbo dumtaxat pertinaciter diceret, hæreticum cenſeremus; & nos publicè fieri id ipſum atque impunè ferremus? deteriora exempli multò ſunt facta quàm verba. Beatitudinem veſtram talium vindicem eſſe decet [a], quam & nos in ultionem hujuſmodi malorum appellamus, imploramus atque exſpectamus; nam de modis & mediis, per quos ſuum damnabile propoſitum obtinere conatus eſt, quid attinet ſcribere? Noti penè omnibus ſunt, nec etiam digni ſcribi, ne paginam hanc noſtram ſuâ fœditate polluant, & ne erret æſtimando ſecretos illos eſſe, ſatis certè ſcimus eos, ſciunt omnes propemodum, & mirantur regni hujus Chriſtianiſſimi accolæ, ſcient, proh pudor! exteræ nationes, ſcient, inquam, utinam non ad veſtræ Sanctitatis dedecus, utinam non ad veſtræ Eccleſiæ detrimentum, utinam non ad totius Eccleſiaſtici Ordinis confuſionem, opprobrium & contemptum. Eapropter, Pater beatiſſime, per fidem integerrimam, per fœdus inviolandum, per amorem ampliſſimum & ſinceriſſimum, quem ad Sponſam Eccleſiam habere debetis, per paſtoralis vigilantiæ debitam ſollicitudinem, per maternæ miſericordiæ, diſcriminis, aut ſcandali compaſſionem commiſerationemque, perquàm veſtro [b] honoris animo cura reſidet, perquàm vobis cara eſt ſalus animæ, vos hortamur, & iterum atque iterum repetentes charitativè monemus, ut ad hanc ſacratiſſimam concordiam, quæ in veſtrâ manu ſita eſt, non ultrà jam prorogando intendatis: ſatis jam ſatis huc uſque ceſſatum eſt, ſatis tepuimus, ſatis quievimus, ſatis exſpectavimus, exurgendum tandem aliquando ad pacem eſt, & deſides torpenteſque jam animi ad hujus rei aggreſſum excitandi, niſi ſchiſma perpetuum (quod Altiſſimus avertat) in Eccleſiâ Chriſti permittere proponamus: quia jam eo venturum eſt, & in tantam perniciem erroremque res proceſſit, ut plures paſſim & publicè non vereantur dicere: Nihil omninò curandum eſt, Papæ ſint & non modo duo aut tres, ſed decem aut duodecim, imò & ſingulis Regnis ſingulos præfici poſſe, nullâ ſibi invicem poteſtatis aut juriſdictionis authoritate prælatos: quod in quantum detrimentum ſacro-ſanctæ Eccleſiæ Romanæ, & totius Eccleſiaſticæ politiæ, imò & Religionis Catholicæ vergatur, judicate. Beatitudinem veſtram felicibus ſucceſſibus ſecundare velit Chriſtus, & eo plus felicibus, quo ad Eccleſiæ ſuæ unionem majori diligentiâ vigilaveritis. Scriptum, &c.

Devoti veſtræ Sanctitatis Oratores ac Filii Univerſitas Studii Pariſienſis.

a *decet*] Legebatur *decernat*; forte requirit *decebat*, & quidem magis placet, quod Clementi ipſi factum imputare videatur Academia.

b *per quàm veſtro*] Ita libuit emendare: nam Acherius ſcripſerat *poſtquam veſtra*.

Literæ

Anno 1394. *Litera clauſa miſſa Dominis Cardinalibus ex parte Univerſitatis Pariſienſis ſuper eodem.*

SCribimus, reverendiſſimi Patres, Domino noſtro Summo Pontifici ſuper facto unionis Eccleſiæ literas oratorias in hanc formam: *Coegerunt tandem, &c.* vos itaque, reverendiſſimi Patres, qui Eccleſiæ cardines, baſes & columnæ eſtis, in divini nominis amore, & fraternæ charitatis, officiique veſtri & honoris reſpectu requirimus, hortamur, obteſtamurque, ut laborem hunc noſtrum pro hac ſanctâ unione Eccleſiæ ſincerâ mente ſuſceptum, quem ſacrato veſtro Collegio gratum eſſe arbitramur, fovere & adjuvare, ad proſperumque exitum dirigere dignemini, Dominumque Summum Pontificem, cujus lateri jugiter aſſiſtitis, quorum ipſe conſilio in agendis uti debet, monere, ſollicitare, hortari, allicere ad hoc opus ſanctiſſimum, quantum in eo fuerit, maturè & celeriter exequendum, quod & Sanctitati ſuæ, & reverendiſſimis veſtris Paternitatibus principaliter incumbit & maximè ſpectat, cùm officii debito, cùm honoris ampliſſimi dignitate, cui eſt onus, & cura Eccleſiæ annexa, tùm majori profectu & emolumento, quod ab Eccleſiâ ipsâ pro ſervitio eidem impendendo percipitis: & per Dei miſericordiam non ſinite decus veſtrum uſque adeo minui, aut ad hanc rem devolvi, ut per homines laïcos atque ſæculares, ad perpetuum veſtri & Eccleſiæ contemptum, pacem iſtam reformari neceſſe ſit; quod procul dubio fiet, niſi per voſmetipſos citiſſimè proviſum ſit. Et ſi noſtra induſtria vobis in aliquo ſuffragari ad hanc materiam poſſit, habebitis nos fideles & conſtantes tam virtuoſi operis miniſtros: nec de nobis quodammodo diffidite, quia non fluctuabimus, quæcumque difficultas aut diſcrimen immineat, etiamſi vitas noſtras exponere deberemus. Paternitates veſtras nobis honore maximo venerandas, ad ea quæ ad pacis ſunt Hieruſalem cogitanda complendaque viſitet & tueatur ille, cujus res agitur, cœleſtis Dei filius Jesus-Christus. Scriptum, &c.

Humiles & aſſidui Oratores veſtri Rector *& Univerſitas Pariſienſis.*

Anno 1394. *Literæ, ex parte Regis ſcriptæ Papæ* Clementi, *includentes Literas ex parte dicti Regis directas Intruſo, ſuper facto unionis Eccleſiæ.*

POſt pedum oſcula Beatorum; Diù eſt, Sanctitas veſtra benè novit, quomodo veſter adverſarius nos jam pluries requiſivit, ut in mortem hujus præſentis ſchiſmatis vellemus peramplius vigilare: & quia credebamus in errorem induratum cor ejus, nos pro hujuſmodi gaudemus. Sed & Sanctitas veſtra debet peramplius gratulari, ut oriatur lumen in populo tenebroſo: etenim deſolatum pax ſimul & juſtitia oſculentur: & quoniam, prout ſcitis, inter vos & pro vobis eſt concertatio principaliter, conſideramus quòd cum conſiliis veſtris vias pacis melius ipſi noviſtis; credentes etiam firmiter, quòd ſi ille finem videre deſiderat, vos illum affectiùs cupiatis. Quâ in re nolentes hoc diſcrimen ulteriùs ſuſtinere, ſed operam aſſumere toto corde, eidem ſcribimus in hunc modum:

Tenor Literarum ſcriptarum Intruſo. Sedenti in Româ. Dudum quaſi non eſſemus pervigiles, ſuper diviſione gregis Dominici nos excitare curaſtis, quæ cum ſuper cunctos mundiales confractus cor noſtrum ſemper oppreſſit, ſed nec . . . . mentem ſinceram ætas præpedit tenera, pavor nec gladius, perſecutiones vel anguſtiæ, nec ultimum terribilium diræ mortis. In hac enim unitate omninò neceſſariâ, cunctis ſpretis deliciis, cunctis mundi periculis nobis objicientibus perneglectis, omnibus retrojectis anguſtiis regni tranſitorii & mortalis, continuè meditamur, dolentes uſque ad medullas, nervos & viſcera, noſtris in temporibus tam deploroſum inter Chriſticolas, niſi extirpetur celeriter, ſchiſma perpetuum radicari, ſed in tantum hunc dolor & gemitus, vel totius mundi exigente improperio, vel odio Principum & linguarum, vel magis forſan Eccleſiaſticorum avaritiâ dominanti, hoc ſchiſma annectunt, quòd vix via facilis optata vel ſcibilis à ſapiente quantumlibet reperitur. Et quoniam iſte actus eſt compaſſionis animarum & fidei, reſtat perquirere vias charitatis & pacis, concordiæ & amoris: eas requirimus cum ardenti deſiderio in Chriſto reperire, ut pro fide Dominica, Sedeque Petri non fiat inter fidei procultores cum enſe, mortibus, cæde vel gladio, reductio unitatis, ne de nobis inimici noſtri gaudeant, dicentes: *Ubi eſt Deus eorum?* Et vir Chriſtianus: *Ubi eſt Deus tuus?* Pſal. 78. 10.
Nam veri bene meritò Infideles nos cædentes valent dicere tale verbum, ſi per cædem & ſanguinem invicem nos cædamus, maximè propter fidem, quam nunc impugnans Agarenus nititur ſuperare, & Chriſtianos ſibi ſervos efficere, quos Chriſtus à ſervitute redemit. Ut igitur cum cæteris fratribus & conſanguineis noſtris Regibus circà eam faciliùs procedamus in facto hujus periculoſiſſimi ſchiſmatis, perquirimus totis pro viribus vias leves, faciles, breves, exuberes, concordes dilectionis & pacis. Sed quoniam unam de partibus hujus ſchiſmatis vos principaliter conſovetis, qui etiam pacem, ſi illam cupitis, militante Eccleſia poteſtis ediſcere, ne pro veſtrâ lite Chriſtianitas tota ruat. Et ſicut nos ſollicitaſtis ad pacem, viam poſſibilem, inter Chriſto redemptos placabilem, mente pura & ſimplici oſtendatis, ut videat mundus evidentiùs, quòd veſtra cum dictis opera concordetis; nam veri faciunt & non dicunt, & ideo à ſuis fructibus elucidatur homo, & jam reveriſſimâ adeſt caſus, quod Reges & Principes, & populus Chriſtianus pondus tanti ſchiſmatis, & negligentiam Cleri non poterunt ulteriùs ſuſtinere. Ceſſare ergo tale ſcandalum procurate, ne etiam vobis certantibus deterius inde contingat; ut etiam vitetis exterminium gladii bis acuti, memores quomodo in ipſis rudimentis Eccleſiæ Patres recuſabant aſcendere Sedem Petri, & modo cum enſe & ſanguine eſt gaudioſus aſcenſus, infinitis pro eis percuntibus animabus, non inſtar pii Clementis qui electus à Petro Linum & Cletum ſe fecit præcedi, ut ſucceſſionis ſcandalum in Pontificibus ceſſaret. Non videtis, rogamus, ſcandalum tollens devotionem ad Chriſtum, reverentiam Sacerdotii & cultûs miniſtrorum; cultus enim fovens ſeminans diſcordias inter Reges, amorem interficiens, inter linguas ſacramentum dans materiam dubitandi, & etiam hæſitandi in itinere ſalvandorum, infidelibus præbens audaciam à cætero dominandi. Quomodo ergo cum tanto diſcrimine præeſſe contendit aliquis Chriſtianus? Quæ autem vobis ſcripſimus, parti alteri non tacemus: nam in iis firmavimus mentem noſtram, *ut propter Sion non taceam, & propter Jeruſalem non quieſcam, donec egrediatur ut ſplendor Juſtus*, & unicus Vicarius Jesu-Christi. Iſai. 62: 1.

Vos autem, Pater beatiſſime, diligenter conſiderate tantarum periculum animarum, ſuper quo nullus ex Clero laborare contendit; nam felicis recor-

dationis noſter progenitor, non videns vobis nec veſtris Cardinalibus alibi eſſe refugium, veſtram cauſam benignè ſummarieque recepit, non dubitans in morâ vobis & Eccleſiæ majora pericula imminere; ſed præoccupatus à morte non vidit damna toti Eccleſiæ & Chriſtianitati poſtmodum generata: & ipſe etiam ſperabat quod laboraretur celeriter ad ſchiſma hujuſmodi exſtirpandum, ſuper quo totus mundus obdormivit: qui ſi ſciviſſet negligentiam Cleri, non ſic faciliter ſuper ſe regnumque ſuum pondus tanti ſchiſmatis poſuiſſet; nam etſi convertamur ad Gentes, quis æſtimare poſſet aurum & pecuniam, quæ propter hoc ſchiſma exiverunt de Regno, portatas ad Italiam, nunquam poſtea reverſuras, tam per bonæ memoriæ avunculum noſtrum Ducem Andegavenſem & ejus ſequelam, quàm per vos, veſtroſque Cardinales, qui aliunde non habent beneficia, & omnia habent mobilia Regni noſtri. Quis dubitat ſi duret longiùs iſtud ſchiſma, per hunc modum depauperari iſtud regnum? Quis poteſt æſtimare noſtros nobiles & Barones (ut de inferioribus taceamus) mortuos in Italiâ, cauſante iſtâ diviſione peſſimâ? & tamen hæc damna temporalia nobis ſuavia eſſent & levia, ſi ſuper mortem hujuſmodi ſchiſmatis labor fieret Deo gratus. Sed firmiter credatur, Pater ſancte, quòd hoc prædicat totus vulgus; quòd niſi de pompâ & temporali ſtatu non curatur; unde dolendum eſt, quòd mundus ſibi ſubditus diſcat corripere cunctorum Dominam & magiſtram, & omnino fieri ſic oportet, ex quo diviſionem videtur velle diutiùs duraturam; videns etiam Chriſtianitas à Sarracenis ſe taliter aggravari, contrà quos non poteſt procedi commodè tali diviſione durante: Et Sanctitas veſtra de fine etiam cogitetis, ne corruat nobis ovile in conſpectu adverſantium fidei ſacro-ſanctæ, &c.

Anno 1394.

Literæ ex parte Univerſitatis Cardinalibus, mortuo CLEMENTE VII. *directa, ut ipſi differant electionem Summi Pontificis.*

REverendiſſimi Patres, etſi firmam antea ſpem animo conceperamus, per veſtræ vigilantiæ ſanctam ſollicitudinem brevi reſtitutum iri Eccleſiæ concordiam; vos enim totis animi præcordiis id quærere, & jam pridem quæſiviſſe non ſumus neſcii, verumtamen ea ſpes ex præſenti rerum ſtatu divinitùs, ut credimus, orto adeo nobis accreſcit, ut rem ipſam propemodum jam factam æſtimemus, quandoquidem huc rediit, ut plenè in manu veſtrâ ſit poſita. Eia igitur fortiſſimi Tyrones Chriſti, ſolidiſſimæ columnæ Eccleſiæ, baſes argenteæ, cardines portantes orbem. Eia nunc agite; illas promite vires; illam ſanctam voluntatem jam apertam in lucem educite; nolite confidentiam, quæ nobis & Fidelibus univerſis tanta de ſacrato Collegio veſtro oborta eſt, frandare; accipite occaſionem vobis cœlitùs oblatam, non ſimilem forte unquam habituri; aperite invitanti Spiritui ſancto, & ad oſtium veſtrum nunc indefeſsè pulſanti; nunc incumbite remis, ſacratiſſimi remiges Chriſtianę naviculę, vaſtis fluctibus oppreſſam, procellis & flaminibus diſcretam, immaniſſimis illiſam ſcopulis, remiſque jam innumeris fatiſcentem ac penè ſolutam, in tranquillam pacis ſtationem nunc aditu faciliimam, ex diuturni pelagi turbinibus ſubducite. O nimium felices vos, & veriſſime felices, & ſuprà modum felices! O terque quaterve beatos, ſi hæc feceritis, vos ſiquidem certè dixerimus, qui ad tam beatum opus ineundum, celebrandum, complendumque in terrâ nati fuerint, quos merces tam copioſa manebit in cœlis, quorum perpetuus honos, fama atque memoria ſempiterna quoad ſęcula durabunt, ſervabuntur. Mementote modo Matris veſtrę, ô Filii, & talis ac tantę Matris, tales ac tanti Filii: recogitate animo quantum ei debeatis, à quâ vobis tanta bona, tot honores & commoda proveniunt; nolite ingrati eſſe, vicem eidem mutuam pietatis, compaſſionis, ſubſidii, modo rependite: ſi difficile à vobis & laborioſum quidquam exegerit, tamen vacuam abire poſtulato non deberetis ſinere; nunc verò quo nihil facilius, nihilque magis ſitum eſt in veſtrâ poteſtate, promptos, benevolos, ac unanimes animos ad ſuam pacem poſtulat: fingite nunc eam vobis occurrere vultu demiſſo ſupplicem veſtris affuſam pedibus, laceratâ veſte, crinibus effuſis, paſſis palmis, largo lacrymarum imbre, creberrimis ſingultibus, ſingulas ſingulis verbis interrumpentem querelas, longas & miſerabiles ſchiſmatis hujus horrendi in ſeipſam moleſtias referentem, pacem à vobis obnixè per exuberantiſſima maternę pietatis viſcera depoſcentem; nonne vos condeſcendere ſuis precibus decebit, nonne ipſa impetrare debebit quod requirit? Aut nos vehementer admodum fallimur, aut vos miſerebimini, nec incaſſum tot & tantas eam preces effundentem permittetis.

Sed quorſum, inquietis, hæc omnia, parati ad pacem ſumus, quid nos facturos vultis? Modicum eſt quod volumus, leve eſt, faciliimum eſt; volumus, rogamus, obſecramus, ſupplicamus quantum pacem & ſalutem Eccleſiæ diligitis, ne ad novi Pontificis celebrandam electionem maturetis, donec cognitum fuerit de adverſarii veſtri atque noſtri ad concordiam iſtam Eccleſiæ voluntate, ſitque undique tentatum quonam modo obtineri pax hæc quam quærimus, poſſit, quod commodiùs fieri, faciliùs, celeriùs ſede vacante conſtat, quàm unquam fieri poſſit in poſterum, quod & Dominus noſter Rex vobis ſcribit. Hic cardo rei vertitur, hîc ſumma eſt: hîc patebit qui amici, qui inimici fuerint Eccleſiæ, qui Paſtores, qui mercenarii, qui denique Catholici, quive Schiſmatici. Unum maxime veremur, quod per ſuam piiſſimam miſericordiam Deus avertere velit, ne per carnales aliquos & minimè ſapientes quæ Dei ſunt, turbemini, aut ab hoc ſacratiſſimo propoſito, in quo vos perſeverare confidimus, impediamini, qui cæcâ ambitione ad novam electionem præproperè faciendam, importunè, procaciter & pernicioſiſſimè vos ſollicitaturi ſunt in ipſius totius rei exectandam perniciem, & multo deteriorem præcedente. Sic enim crudele vulnus redintegraretur, morbuſque non in ſalutem, ſed penè in deſperationem omnium veniret. Quare, Patres reverendiſſimi, & ſincerâ charitate Chriſti amantiſſimi, à talium quorumcumque ſic pernicioſo fermento, quod totam maſſam corrumpit, vos ipſos cuſtodite, ne unius ovis morbidæ contagione grex veſter inficiatur. *Et utinam*, ut cum Apoſtolo loquamur, *abſcindantur qui vos conturbant*. Sunt in re iſtâ, nec illud, Patres optimi, vos moveat, quòd hi de parte adverſâ in re ſimili confeſtim elegerunt: damnabiliter, ſi quid, ut credimus, ac ſceleratè egerunt, nec illud opus egerunt coram vobis, qui ad unionem voluntarii eſtis, imitatione [non] dignum eſt. Et profectò id agendo quod quærimus, majorem de jure veſtro in animos fidelium ingeretis opinionem, quam per quodcumque aliud quid cogitare poſſetis. Paternitates veſtras reverendiſſimas, univerſumque cœtum veſtrum Deus pacis & humanæ ſalutis amator ad pacem & ad ſalutem Eccleſiæ inſpirare, viſitare, dirigere, & corroborare dignetur. Galat. 5. 12.

Datum in noſtrâ generali Congregatione apud

ſanctum Bernardum, ſuper hoc ſpecialiter celebrata, die vigeſimâ tertiâ Septembris[a].

Humiles & Eccleſiaſticæ pacis & veſtri Oratores RECTOR *& Univerſitas Studii Pariſienſis.*

ANNO 1394. *Litera ex parte illius, qui dicit ſe* BONIFACIUM, *Conſilio Regis Franciæ tunc temporis directa.*

BOnifacius Epiſcopus, &c. Dilectis Filiis cariſſimi in Chriſto Filii CAROLI Regis Franciæ illuſtris Conſilio, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Scribimus chariſſimo in Chriſto Filio CAROLO Regi Franciæ illuſtri in formâ iis præſentibus interclusa: eapropter vos in Chriſto, cujus res agitur, obnixè exhortamur, precamurque, & per viſcera miſericordiæ JESU CHRISTI, per augmentationem & conſervationem ipſius fidei, per unitatem ipſius Eccleſiæ Sponſæ noſtræ, veſtræ & cunctorum Chriſti Fidelium Matris & Magiſtræ, ſine quâ non eſt ſalus, per publicum bonum & communem ſalutem obſecramus, quatenùs eidem Matri veſtræ ut ſingulares filii compatientes, & in hoc miſerabili tempore ſuccurrentes, prædictum Regem, ac dudum Cardinales de Avinione, ac alios Principes & Dominos veſtris ſanis perſuaſionibus ſolerter inducatis, ut cuncta ea quæ Regi ipſi in prædictis litteris ſcribimus, velitis attendere, & ea effectualiter adimplere, & aliàs circà ea operemini, ut fiduciam gerimus ſingularem, omne bonum quod poteritis, per quæ & alia merita veſtra æternam gloriam conſequemini.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum tertio Idus Octobris, Pontificatûs noſtri anno quinto.

ANNO 1394. *Ejuſdem Domino noſtro Regi directa.*

BOnifacius Epiſcopus Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto Filio CAROLO Regi Franciæ illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Primòm ad tuæ Celſitudinis incrementum morem gerimus, dum te ad ea quæ ſaluti expediunt, & honori tuo congruunt, ſollicitis exhortationibus & monitionibus invitamus, quas devotâ mente ſuſcipias, & ad ea quæ tibi benignè ſuggerimus none opportunè intendas: inter cæteras enim curas, quæ animum noſtrum ſollicitant & pulſant, id potiſſimùm in ſolidæ caritatis ardore, crebris orationibus poſtulamus, ut ille lapis angularis, qui fecit utraque unum, ſuam ſanctam Catholicam & univerſalem Eccleſiam Sponſam noſtram, inſtantis ſchiſmatis ſciſſurâ, proh dolor! diviſam, miſericorditer uniens in unitate fidei orthodoxæ toto orbe dignanter adimat,[a] cùm illo nihil Deo acceptius, nihil cunctis mortalibus deſiderabilius non putemus. Cùm itaque nuper ſiquidem percepimus ſignantibus pluribus, iniquitatis benedictionis filium ROBERTUM, olim Baſilicæ duodecim Apoſtolorum Preſbyterum Cardinalem, Antipapam, qui ſe CLEMENTEM VII. auſu ſacrilego nominare præſumebat, viam fuiſſe univerſæ carnis ingreſſum, cujus animæ plurimùm compatimur, & dolemus: nunc cum more piiſſimi Patris ejus vitam potiùs optaremus in eo, cujus cauſa agitur; ſperantes quòd ipſe Robertus aliquando reverſus, & ſuos recognoſcens errores, veritatem fortaſſe cooperante Domino agnoviſſet; & nunc equidem acceptabile tempus advenerit, quo ſi operas efficaces, ut confidimus, adhibere volueris, hujuſmodi reprobi ſchiſmatis, ac diviſionis remotio, & ipſius Eccleſiæ redintegratio fieri poterunt, dexterâ Domini miſerante. Eapropter Rex inclyte, obnixè Sublimitatem tuam in Domino exhortamur, & obſecramus per viſcera miſericordiæ JESU CHRISTI, ut Eccleſiâ, tuâ cunctorumque Chriſti Fidelium Matre & Magiſtrâ admonente, ſingularis verè reſipiſcas ut Filius; mentemque erige Majorum tuorum digna grandi memoratu geſta contempla, & Matri tuæ Romanæ Eccleſiæ ſacro-ſanctæ hoc acceptabili in tempore, ut te aliàs ſollicitavimus, & ſæpiùs, ſi tutus ad te acceſſus fuiſſet, noſtra paterna ſollicitaſſet intentio, abſque ullâ retardatione ſubvenias, taliter cum illis dudum Cardinalibus, & aliis de Avinione operam efficacem quantocyùs tuis ſanis perſuaſionibus adhibendo, quòd ipſi ad alium eligendum non procedant, cum ipſis ſuperſedentibus, habiliùs & faciliùs hujuſmodi ſchiſmatis remotio, & ipſius Eccleſiæ redintegratio fieri poterit, ut optamus. Nam ſi ad hoc, ut confidimus, tua Celſitudo inſiſtere voluerit, radius veri ſolis ſerenabit, & diriget greſſus tuos, & Leo de tribu Juda pro te cuncta perverſa conteret, ac montes errorum in amplam reducet planitiem veritatis, per quæ & alia merita tua æternam gloriam conſequeris; ſciens quòd ſuper his & aliis diſpoſuimus Ambaſſiatores noſtros ad devotionem tuam quantocyùs deſtinare, qui de bonâ noſtrâ intentione in factis hujuſmodi & aliis te clariùs informabunt, taliter quòd tu & alii, quorum interfuerit, meritò poteritis contentari: quibus quidem Ambaſſiatoribus Serenitas ipſa ſalvum conductum concedere velit, prout ipſi duxerint requirendum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum tertio Idus Octobris, Pontificatûs noſtri anno quinto.

Prima Litera Domini noſtri Papæ BENEDICTI XIII. *Univerſitati Pariſienſi directa, præſentata per Epiſcopum Avinionenſem, & Magiſtrum Petrum Blavi, ejuſdem Legatos.* ANNO 1394

BEnedictus Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Rectori & Univerſitati Studii Pariſ. Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Mirabiles elationes maris hujus ſæculi, magni quidem & ſpatioſi, illic enim reptilia quorum non eſt numerus, ſpiritualis videlicet monſtra nequitiæ, quæ cum ipſis mare navigantibus, portumque ſalutis remige fide petentibus, formidabili congreſſione luctantur. Deuſis nempe ſurgentibus undique ventis, horrida ſævit tempeſtas, & exaltantur terribiliter fluctus ejus; quod etſi ſemper ſit turbidum, ſemper penitùs inquietum, his tamen infauſtis temporibus, ſuperabundantiùs; ac exigentibus demeritis peccatorum ſolito vehementiùs inturavit; flavit enim aquilo frigidus, & refrigeratâ plurium, proh dolor! Chriſti Fidelium charitate, præter bellorum & diſſenſionum exitioſa diſcrimina, quibus inter ſe diſſident, ac non ſine gravibus humanorum corporum ſtragibus miſerandiſque cladibus debacchantur, omnes ferè Reges & populi Chriſtiani, præterquàm mala cætera vix enarrabilia, quibus miſerabiliter concutitur totus Orbis, ſchiſmaticæ diviſionis in Dei Eccleſiâ ſupervenit diſcordia, cujus pernicioſiſſimum diluvium Catholica climata nunc inundans, non me-

a *Septembris*] Hoc loco legas velim epiſtolas Caroli Regis ad Cardinales in eamdem ſententiam ſcriptas.

a *adimat*] Corruptè; forte *adunet*.

dicam Fidelium abſorbuit portionem. Mirabilior tamen in altis Dominus dominans poteſtati maris, ac motum fluctuum ejus mitigans & tranquillans, Petri naviculam ipſius maris fluctivagis agitatam procellis, & variarum perſequutionum alliſam ſcopulis, timentemque cum Chriſti Fidelibus, qui præfati diluvii clade territi, ad ſalvificum ipſius præſidium confugerunt, tam ſævis inundationibus prorsùs obrui, tantàque tempeſtate demergi, ſemper à naufragii perditione liberat; & dum magis de supremâ periclitatione formidat, tunc eam mirabiliùs præter mortalium ſpem erigit in ſublime, dumque naucleri ſui eidem pro tempore præſidentis ab hac luce migratio pro mortalitatis humanæ neceſſitate contigit, ne pro Rectoris defectu periculum ſubverſionis ſubeat, ſecundùm exigentiam temporum & interiorum merita, ex ineffabili ſuæ bonitatis clementiâ providet ſucceſſorem; nec ſemper ad tanti ſupportationem oneris ſatis idoneum, ſed infirma mundi eligens ut fortia quæque confundat, utque liquidè pateat quòd ipſe ipſam naviculam per ſe conſtructam, ſuoque ſanguine pretioſo redemptam, per ſeipſum regit, protegit & gubernat; & ne dictæ naviculæ inter tanta pericula ſalvatio humanis adſcribatur ſuffragiis, nonnunquam ejus regimini præficit imbecillem, ſicut nos homuncionem viribus debilem, ac inſufficientem meritis, ad ipſius navis clavum, ſuæ videlicet Eccleſiæ regimen ſuâ dignatione vocando, feciſſe noſcitur his diebus. Felicis ſiquidem recordationis Clemente Papa VII. prædeceſſore noſtro, ab hujus terreſtris incolatu miſeriæ nuper ad ſupera, ſicut piè credimus, Chriſto vocante tranſlato, corporeque ſuo, prout mos & debitum expoſcebant, honorificè tradito ſepulturæ, venerabiles Fratres noſtri ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, inter quos & de quorum numero tunc eramus, in palatio Apoſtolico Avinionenſi, ubi dictus prædeceſſor vitam temporalem finierat, pro electione futuri Romani Pontificis congregati, in humilitatem noſtram, utinam non exorbitante judicio, concorditer & unanimiter per viam ſcrutinii concordantes, nos tunc Petrum ſanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconum Cardinalem, ad Summi Pontificis Cathedram evexerunt: verùm nos gradus altitudinem, & oneris imminentis tantæ celſitudinis aſcenſori molem, præſertim hujus deſtuendi ſchiſmatis proceloſo tempore, nobis in Cardinalatûs diverſarumque Legationum officio experientię longę participio non ignotam attentâ meditatione penſantes, eligentium & offerentium inſtantiæ, inſufficientiæ noſtrę imperitiam objecimus, debilitatem noſtram, dictante conſcientiâ, cum repetitâ multoties relaxationis ſupplicatione humiliter allegantes; cumque nec ſic ceſſaret inſtans Fratrum importunitas eorumdem, ſed vim inferens noſtro propoſito Collegii juſſus urgeret, Nos ex defectuum noſtrorum conſcientiâ diffidentes, de illius tamen confidentes omnipotente clementiâ, qui pacis & unitatis amator, utrumque fecit unum; ſperanteſque quòd operi manuum ſuarum dexteram porrigens, nos in tam profundâ maris altitudine poſitum non relinquet, noſtris per Fratres eoſdem multiplicibus excuſationibus non admiſſis, nec lacrymoſis deprecationibus exauditis, ne mundi gravi bellorum multiplicatione divulſi, potiſſimè tamen Eccleſiæ ſacro-ſanctæ ſchiſmaticę peſtis nunc miſerabiliter lacerata diſſidio, noſtrum electioni prędictę denegando conſenſum, diſcrimina negligere cenſeremur, quamquam immeriti oneris molem inſufficientia noſtra diffugeret; de ſuperabundanti tamen plenitudine miſericordię Dei noſtri confiſi, & noſtrę imbecillitatis ſubjecimus imperfectum, ac debiles humeros Apoſtolicę ſuppoſuimus ſervituti.

Ut igitur ipſe Deus nos qui debiles manus ad fortia miſimus, corroboret, adjuvet, & confirmet, ac Eccleſię ſuę navem noſtro creditam regimini in hujus mundi tempeſtatibus cuſtodiat & dirigat, ac per miniſterium noſtrum ad optatę portum pacis & unitatis adducat, ad quod quantum ipſe Deus concedet, & humana ſinet fragilitas, proponimus omnibus modis poſſibilibus intendere, totoque conamine laborare: Univerſitatem veſtram monemus ac charitativè rogamus, quatenùs preces humiles, ſedulas & devotas frequenter fundatis ad Dominum, ut inſufficientiam noſtram ſuâ pietate ſuppleat, debilitatem fulciat, nobiſque quod eſt oneroſum leviget, quod laborioſum alleviet, quod obſcurum ſuæ claritatis luce revelet, & aſpera convertat in plana, ſicque pręveniendo clementer aſpiret, & adjuvando miſericorditer proſequatur, quòd zelus noſter ſemper in ipſius beneplacitis ferveat, nec unquam in illorum exequutione torpeſcat. Cęterùm, amabiles Filii, affectum vobis charitativę benignitatis expandimus, & ſolidę charitatis gremium aperimus, proponentes quantum cum Deo poterimus honori veſtro deferre, ac veſtra & ſingulorum commoda pro quibus ad nos recurrere cum ſecuritate poteritis, in promptitudine benevolentię promovere.

Datum Avinione quinto Idus Octobris, Pontificatûs noſtri anno primo.

Litera Univerſitatis Pariſienſis, Dominis Cardinalibus directa. Anno 1394.

REverendiſſimi Patres, ſcribimus Domino noſtro Pontifici ſuper unione ſanctæ Dei Eccleſiæ in hanc formam: *Quamquam &c.* [a] Propterea, Reverendiſſimi Patres, toti veſtro ſacro Collegio, & veſtrûm unicuique, omnibus cordis viribus, omnique humilitate ſupplicamus, quatenùs in hujus rei maturandæ initio, nam maturato opus eſt, in promotione quoque apud eumdem Dominum, in omni denique proſequutione atque agitatione pro ſe quiſque partes ſuas laudabili ſollicitudine intermiſcere ſtudeat, ipſi inſuper Domino quem valde ad hoc affici ipſi meliùs noſtis, ipſumque ſicut credimus obinde elegiſtis, in opere promovendo conſilio, ſubſidio, cæteriſque generibus auxilii univerſi adeſſe, ut quod ſalutiferæ veſtræ electionis titulo exordium accepit, proſpero per vos ipſos qui ſpirituales eſtis, potiùs quàm per terrenam poteſtatem conſummentur effectu, in quo & noſtram operam, ſi ullius momenti eſt in veſtro conſpectu, nullatenùs defuturam confidite. Nobis autem qui veſtris Paternitatibus jam tertiò ſuper hac re ſcribimus, aliquod tandem reſponſum ſupplicamus remittatis. Valete, Patres metuendiſſimi, ita de militante Hieruſalem cogitate, ut vos triumphans ipſa poſt ſæculi naufragium in ſuo materno ſinu excipiat, Amen. Scriptum ut ſuprà.

Secunda Litera BENEDICTI XIII. *Univerſitati Pariſienſi.* Anno 1394.

BEnedictus, &c. Dilectis Filiis RECTORI & Univerſitati ſtudii Pariſienſis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Receptæ per nos Literæ ve-

a *Quamquam &c.* Vide ſuprà

a ſtræ [a] illatam mentibus veſtris ſuper injunctâ nobis univerſalis Eccleſiæ curâ regiminis lætitiam indicarunt, per quas nihilominùs ſollicitudinem noſtram ad unionem Eccleſiæ, tam miſerabili tanto jam tempore laceratæ diſſidio, impigrè procurandam filialiter excitatis, veſtrum ad id in quantum poſſitis nobis auxilium offerentes. Utinam, amabiles Filii, vobis, cæteriſque Fidelibus Eccleſiæ pacem & tranquillitatem optantibus, ex promotione noſtrâ juſta lætitiæ cauſa ſubſit, & ille quem optatis & ſperatis fructus perinde ſequatur: noſtrum enim ad tantam molem ferendam, tantumque debitè peragendum opus minùs ſufficere cognoſcimus imperfectum; affectionem tamen & voluntatem bonam eſſe ſciatis, noſque ad conſummationem negotii unionis hujuſmodi per nos adhuc in minoribus conſtitutos, in multis regnis & regionibus, & cum multis laboribus, ac ſollicitudinibus proſequuti, tanto ardentiores & intentiores effectos, quanto ſuſceptum officium ad id nos peramplius aſtringit; quod Deo & conſcientiâ teſtibus ad hoc principaliter recepimus, ne tot labores noſtri optato, quod abſit, fruſtrentur effectu, ſed per indefeſſæ noſtræ continuationis ſtudium feliciter, opitulante Domino, concludantur. Unionem nempe præfatam toto proponimus proſequi & procurare conamine, & ad effectum ipſius quàm celeriùs fieri bono modo poterit, cæteris quibuſlibet omnique cunctationis diſpendio poſtpoſitis laborare: quam intentionem noſtram Regibus & Principibus Orthodoxis per diverſos Nuntios Apoſtolicos propter hoc deſtinatos ad ipſos, ſed maximè chariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo Regi Francorum illuſtri, dilectiſque filiis nobilibus viris Ducibus patruis & germano ſuis, ac aliis de domo ſuâ Principibus, de quorum directione, auxilio, & favore, circà hoc principaliter poſt Deum confidimus, per venerabilem fratrem noſtrum Ægidium Epiſcopum Avinionenſem, & dilectum filium Petrum Blavi Decretorum Doctorem intimandum duximus, vobiſque prout eis injunximus notificatam fuiſſe credimus per eoſdem, ad cujus exequutionem oblationem veſtram ſpontaneè factam gratam ſuſcipimus & acceptam.

Datum Avenione ſecundo Idus Novembris, Pontificatûs noſtri anno primo.

Petrus de Pavellione.

Anno 1395.

Nuntii Regis à Papa recipiuntur curialiter & benignè; cui flexis genibus Literas Regias obtulerunt quæ ſequentia continebant.

Sanctiſſime Pater, ob magnum deſiderium & affectionem ſingularem quam ſemper habui, & habeo ad pacem & unionem univerſalis Eccleſiæ, exſtirpationem quoque ſchiſmatis doloroſi, quod, proh dolor! diutiùs viguit, & adhuc viget in ipſa. Ob hoc etiam quia vos mittendo Nuntios veſtros, nobis pluries ſcripſiſtis ad propoſitum, ſicut ſcitis; vobis cariſſimos Patruos & Fratrem noſtros cum multis aliis perſonis notabilibus tranſmitto ſuper materiâ iſtâ ſufficienter inſtructos. Ideo vobis ſupplico, Beatiſſime Pater, quatenùs ipſis credatis, & in iſtâ materiâ cum ipſis negotiari dignemini, ac ſi perſonaliter eſſem præſens. Scriptum manu propriâ.

Similes etiam Litteras Cardinalibus directas cum Cardinali Florentiæ Decano Collegii obtuliſſent, & Papa de ſingulorum ſalute quærens diligentiùs, verbo & vultu cum multâ mentis hilaritate demonſtraret eorum ſe ſuſcepiſſe adventum, Dominus Dux Bituriæ ad eum iterum ſic direxit verba ſua:

Sanctiſſime Pater, de præcepto Domini noſtri Regis ad veſtram Paternitatem acceſſimus, ut vobis Literas ſuas afferremus, injunxitque nobis aliqua dicere unionem univerſalis Eccleſiæ tangentia, quæ ſumus ad beneplacitum veſtrum depromendi.

Sed cum Papa reſpondiſſet ipſos ex equitatione nimiâ vexatos, quiete indigere, & quòd die ſequenti ad ipſum redeuntes, ſcirent quando poſſent audientiam obtinere; hac reſponſione contenti, eidem vale dicto, poſt exhibitionem ſpecierum & potûs ad Villam Novam redierunt. Prò parte etiam matris Univerſitatis cum Magiſter Johannes Luqueti, Doctor in ſacrâ paginâ, & Deputati, cum pedis, manûs & oris oſculo humili eidem exhibuiſſent reverentiam Papalem, & audientiam, ſicut primi Nuntii humiliter poſtulaſſent, eamdem reſponſionem acceperunt.

Anno 1395.

Reſponſio Benedicti *Papæ* XIII. *facta Dominis Ducibus Bituricenſi, Burgundiæ, & Aurelianenſi, ex parte Regis Francorum miſſis ſuper unione procurandâ in Eccleſiâ per viam ceſſionis.*

Benedictus, &c. Cum dudum ad procurandam & accelerandam ſciſſæ Dominicæ veſtis inconſutilis unitatem, & ſeneſcentis erroris ſævam profugandam eradicandamque Deo authore perniciem; ante noſtræ ad ſummum Pontificatum vocationis primordium anxios labores & prolixas vigilias noſtræ ſollicitudinis inſtantia ſubiiſſet; tandem nobis ad ſummum Apoſtolatûs apicem divinâ licet immeritis diſpoſitione vocatis, ex eo magis ad eliminandam peſtilentiſſimi morbi molem vigilantibus & intentis, quo ab eo cujus gerimus vices in terris, cujuſque negotium ventilatur, recepturi ſumus ob hoc, & de conſtanti & officioſâ curâ, & exquiſitâ ſolertiâ meritum, aut, quod abſit, de negligentiâ & puſillanimitate ſupplicium: Chariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus Rex Francorum illuſtris, Eccleſiæ Dei pugil invictus, & defenſor ſollicitus, à nobis iteratis vicibus ſuper hoc cum inſtantiâ requiſitus, ipſius Eccleſiæ compaſſus gemitibus, & afflictionibus diuturnis, inſignes Duces nobilis proſapiæ, claritate ſublimes, dilectos videlicet filios Joannem Bituricenſem, Philippum Burgundiæ, patruos, & Ludovicum Aurelianenſem, fratrem ipſius Regis ſolemniter deſtinavit, religioſæ devotionis & zeli dicti Principis erga Dei Eccleſiam (quod nobis non erat incognitum) affectum & conſtantiam exponentes, & alia nonnulla, quæ ad reformationem dictæ Eccleſiæ unitatis tendere videbantur: ſuper quibus cum venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus colloquutione & tractatu, ac deliberatione præmiſſis, ipſis quoque præſentibus, & aliis cæteris tam Clericis quàm laicis de conſilio dicti Regis, viam & modum [a] rationabilem & ſalubrem ad proceſſum & integritatem ipſius Eccleſiaſticæ unionis eiſdem Ducibus duximus offerendum ſub hac formâ, videlicet, quòd nos cum Fratribus noſtris prædictis ex parte unâ, & adverſarius Eccleſiæ Dei cum ſuis Anticardinalibus ex alterâ, in loco idoneo ad hoc eligendo ſub fidâ & ſecu-

[a] *litera veſtra*] Editæ ſuprà.
[a] *viam & modum*] Hæc edita jam erant ab Oldrico in Annal. Eccl. ad an. 1395.

ia protectione dicti Regis, cui ad hoc oportunitas plus ſe offert, conveniremus perſonaliter pro tractandâ &, Chriſto duce, conſequendâ prædictâ Eccleſiæ unitate; & tunc nos viam ſeu vias convenientes panderemus, quibus optata unio in Dei Eccleſiâ celeriùs ſequi poſſet; quas apertè uſque ad mutuam conventionem hujuſmodi æſtimabamus, & credimus nullatenùs expedire, imò illas publicare eſſet bono unionis pernicioſum impedimentum afferre, propter multa quæ contrà vias expreſſas machinari poſſet illorum peſtilens & omninò præcavenda verſutia, qui zizaniam & ſcandalum potiùs quàm unitatem in ſanctâ Dei Eccleſiâ ſerere moliuntur, præſertim cum de intentione adverſarii certitudo nulla penitùs haberetur.

Verùm Duces præfati præmiſſum modum ſeu viam non acceptantes, poſtea viam ceſſionis per nos & adverſarium prædictum faciendæ ex parte dicti Regis, ſuique Conſilii aperuerunt, nos requirentes quòd prætermiſſis omnibus viis aliis tactis & motis, hanc viam modo acceptare vellemus. At nos attendentes quòd dicta via ceſſionis pro ſedandis ſchiſmatibus nec à jure ſtatuta, nec à ſanctis Patribus in Dei Eccleſiâ causâ ſimili practicata, quinimò ut in geſtis Romanorum Pontificum, & alibi legitur, ut non conveniens aliquando repulſa, ne in acceptatione viæ hujuſmodi in tanto Dei & Romanæ Eccleſiæ, & omnium Fidelium negotio quidquam indigeſtè & improvidè de novo forſan attentaretur, quod poſſet non ſolùm in Dei offenſam, damnum Eccleſiæ, exempli perniciem, contemptum clavium, & cenſuræ, ac libertatis Eccleſiaſticæ læſionem, ſed etiam in ſcandalum Prælatorum, & aliorum Catholicorum Principum, Chriſtique Fidelium omnium, qui veritati & juſtitiæ partis noſtræ adhæſerunt hactenùs, & adhærent, ignominiam redundare: ac ne ex hac quâdam vulgari opinione pertinax obſtinatio adverſarii prædicti, ſuorumque ſequacium, in majoris obdurationis accederet perniciem & augmentum; & ne, quod abſit, parti juſtitiæ noſtræ adſcribi contingeret, quòd propter diffidentiam juris noſtri hæc via ceſſionis, aliis viis prætermiſſis, à noſtræ obedientiæ Filiis nobis oblata, & per nos inconſultè acceptata fuiſſet, cum ſuſpecta ſint abjicienda remedia, quæ veris ſunt periculis graviora: præſertim quia ex requiſitione reſignationis viæ per memoratos Duces, ut præfertur, generaliter factâ, de modo ceſſionis hujuſmodi, & electionis Summi Romani Pontificis, ac aliis plurimis præcedentibus & conſequuturis unionem ipſam & ad eam, minimè apparebat; idcircò auditâ apertione dictæ viæ ceſſionis, petivimus modum practicandi eamdem viam per Duces prædictos nobis explicari, ut apparere poſſet qualiter ex ipſis optata Eccleſiæ unio ſequeretur, offerentes nos ſuper hoc deliberatione præhabitâ ſine longâ dilatione, vel quocumque temporis ſubterfugio, taliter reſpondere, quòd Rex & Duces præfati, ac alii quicumque Catholici, deberent meritò contentari; cum in hac noſtra totalis verſetur intentio, ut per viam ſeu vias rationabiles, juridicas, & ſalubres animabus, dicto ſchiſmati finis imponatur, ac unio proveniat in Eccleſiâ ſancta Dei. Quæ quidem reſponſio & petitio noſtræ non fuerunt à dictis Ducibus acceptatæ, nec practica dictę vię ceſſionis nobis per ipſos extitit declarata. Verùm licet nos in conſcientiâ & quo ad Deum certi ſimus de jure noſtro, & veram notitiam habeamus, quia cum aliis Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, interfuimus perſonaliter in Conclavi Romę, & extrà in aliis hujuſmodi factis dum agebantur, in quibus ſtat veritas facti, & ex quibus jus oritur. Nihilominùs ut de nobis ipſis, ac tactis & expreſſis per nos reſponſionibus ſupradictis, juſtificatio & ſatisfactio pateſiant, non ſolùm dictis Regi & Ducibus ab eo miſſis (quos tam ipſorum, quàm progenitorum ſuorum exigentibus præclaris meritis, in viſceribus gerimus charitatis, prout nos & Romanam Eccleſiam ad id teneri fatemur) ſed etiam cunctis aliis mundi Principibus, ac omnibus Chriſtianæ profeſſionis Fidelibus: & ne quiſquam nobis impingere valeat, quòd eminentiam hujus ſtatûs, quam, teſte Deo, non appetivimus, per alicujus nefandæ ambitionis vitium contendamus pertinaciter retinere; appareatque pura & cordialis affectio, quam ad unionem hujuſmodi habuimus, & habemus continuè, ac diſponente Domino habere intendimus inceſſanter, offerimus dicto Regi & Ducibus, aliiſque Principibus, & toti populo Chriſtiano, noſtramque intentionem in hac parte declaramus, quòd ſi per ſupradicta per nos jam tacta, & oblata unitas Eccleſiæ haberi non poſſit, priuſquàm,[b] ut præfertur, convenerimus cum dicto adverſario & ſequacibus ſuis loco prælibato, cum conſilio Fratrum noſtrorum, certas perſonas Deum timentes, & zelum bonum ad Eccleſiæ unitatem habentes, in certo numero eligemus, ut etiam adverſarius prædictus totidem perſonas pro parte ſuâ eligat, quæ ſimul convenientes cum Clericis, à nobis juramento priùs præſtito per eaſdem de diligenter[c] & fideliter in negotio hujuſmodi procedendo, ad ſolum Deum & Eccleſiam habentes reſpectum, amore, odio, timore ceſſantibus quibuſcumque, infrà certum terminum præfigendum, & auditis & examinatis facti, & juris utriuſque partis rationibus, eiſque recta intentione diſcuſſis, prout qualitas negotii patitur, & requirit; declarent quis noſtrûm duorum jus habeat in Papatu, cum certâ & ſufficienti ſubmiſſione tenendo & obſervando quidquid per dictas perſonas, ut præfertur, electas, vel earum duas partes declaratum fuerit, ſeu etiam diffinitum; adhibitis hinc inde proviſionibus in præmiſſis neceſſariis & utilibus, ſeu etiam oportunis ad accelerationem & firmitatem negotii, ad tollenda dubia, & ſubmovenda impedimenta & ſcandala, quæ ex geſtis prætcrito tempore per utramque partium, vel ex declaratione ipſâ aut futurâ veriſimiliter ſequi poſſent, & ſi per præmiſſa vel eorum aliqua finis hujuſmodi ſchiſmati, quod abſit, non valeat imponi, antequàm partes ſine fructu optatæ unionis abirent, ſeu ſe à conventione in loco prædicto faciendâ ab invicem ſepararent, offerimus nos eo caſu aperire, ſeu aperiendum recipere & proſequi cum effectu viam, ſeu vias rationabiles, honeſtas & juridicas, per quam ſeu quas ſine Dei offenſâ, exempli pernicie, ac Eccleſiæ Romanæ & Fidelium ſcandalo, finis conveniens imponatur ſchiſmati, & vera unio, ac ſincera tranquillitas in Dei Eccleſiâ poſſit haberi: & in præmiſſis omnibus ſic dare operam efficacem, quòd ipſis Regi & Ducibus, ac cunctis Chriſti Fidelibus apparebit, quòd per nos non remanet, nec etiam remanebit, quominùs Eccleſia Dei conſequi valeat unitatem, &c.

Lecta & publicata fuit præfata reſponſio Dominis Ducibus de mandato Papæ, & coram eo Avenione in Palatio Apoſtolico die XX. *Junii, An.* MCCCXCV.

Confirmatio Reſponſionis ſupraſcriptæ. ANNO 139

BEnedictus, &c. Quamvis nuper dilectis Filiis Ducibus JOHANNI Biturcenſi, PHILIPPO Bur-

b *priuſquàm*] Imò *poſt quàm.*

c *de diligenter*] Editum erat *debere diligenter.*

gundiæ patruis, & Ludovico Aurelianenſi fratri cariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Francorum illuſtris, ad nos ſuper facto onionis in Dei Eccleſiâ procurandæ per eumdem Regem ſpecialiter deſtinatis explicaverimos die xx. hujus menſis, & in ſcriptis dederimus intentionem noſtram ſuper viis & modis tenendis & obſervandis ad unionem prædictam procurandam; quas vias credimus eſſe juridicas, honeſtas, utiles, & ſufficientes, ad tollendum tantum ſchiſmatis ſcandalum, & unionem habendam; adhuc tamen ex ſuperabundanti declarando mentem noſtram circà præmiſſa ipſis Ducibus in noſtrâ præſentiâ conſtitutis, dicimus quòd nos dictas vias proſequi intendimos toto poſſe, & alia facere, quæ ad id fuerint neceſſaria & etiam oportona, prout oobis incumbit ex debito officii nobis commiſſi, & aliàs in quantum virtute ejuſdem cedulæ [a] factæ in Conclavi teneamur in præmiſſis, Chriſto duce, dabimus operam efficacem, laboribus adhibitis continuis & indefeſſis, quòd ipſi Regi & Ducibus, & toti Chriſtianitati apparere poterit, quòd per nos non ſtabit, prout nec ſtetit, quominùs Eccleſia Dei unionem conſequatur optatam. Idcircò prædictos Regem & Duces per viſcera miſericordię Jesu-Christi, cujus cauſa agitur, hortamur & deprecamur, ut ipſi more progenitorum ſuorum pro Dei reverentiâ & animarum ſalute, tanto bono procurando velint diligenter intendere, prędictas vias per nos aliàs eis explicatas aſſumendo, virtuoſe & potenter proſequendo unà nobiſcum, qui in pręmiſſis intendimus divinâ gratiâ ſuffragante exponere nos & noſtra, & alia facere qualiter hujuſmodi negotii qualitas & conditio poſtulabunt & requirent.

Lecta & publicata, &c. die Lunæ vigeſimâ octavâ Junii, An. MCCCXCV.

ANNO 1395.

Cardinales in ſcriptis approbant viam Regis.

RESponſionem Papę Domini Cardinales decem & novem numero, ad prandium cum Dominis Ducibus evocati, non ſine admiratione audierunt, rogatique de veritate dicendâ, cum in propoſito Regis ſe manere unanimiter affirmaſſent, cedulam tabellionatam inde fieri, & ſubſcribi ſingulorum conceſſerunt nomina, cujus tenor ſequitur:

NOS omnes & ſingoli Eccleſię Romanę Cardinales propriis manibus in cedulâ pręſenti ſubſcripti, qui dudum vitâ functo felicis recordationis Domino Clemente VII. congregati pro electione futurâ in Conclavi, ac prout tenemur cupientes abolere peſtiferum ſchiſma, nunc, proh dolos! in Dei Eccleſiâ vigens, & animarum ſaluti, amputatis prolixarum viarum ambagibus, providere, ac procurare totis viribus unionem Eccleſię ſanctę Dei, promiſimus & juravimus ad ſancta Dei Evangelia corporaliter per nos & ſingulos noſtrorum tacta, prout continetur latiùs in quâdam cedulâ per nos in eodem Conclavi factâ, & ſubſcriptâ propriis noſtris manibus, cujus tenor ſequitur in hęc verba:

NOS omnes & ſinguli, *&c. ut ſuprà.* Cum itaque aſſumpto ad ſummum Apoſtolatûs apicem Domino Benedicto moderno, qui tunc de numero noſtrorum exiſtens, Cardinalis de Lunâ vulgariter dicebatur, de ipſius mandato diverſa tenuerimus conſilia, fueruntque per nos de hujuſmodi mandato pro dicto ſchiſmate tollendo, diverſæ viæ diſcuſſæ. Hinc eſt quòd bonâ fide & noſtris conſcientiis atteſtamur, quòd habitâ inter nos deliberatione providâ & maturâ ſuper omnibus viis & modis, quibus ſchiſma nunc in Dei Eccleſiâ vigens poſſet breviùs, meliùs, & faciliùs ſedari & extirpari, & ipſa Eccleſia ad unionem reduci, viam ceſſionis utriuſque partis, ſcilicet Domini noſtri Papæ Benedicti XIII. de Papatu, & Intruſi de jure quod prætendit ſe in Papatu habere, propoſitam pro parte ſereniſſimi Principis Domini Regis Francorum Chriſtianiſſimi per illuſtriſſimos Principes Dominos Duces Biturię & Burgundiæ patruos, ac Aurelianenſem germanum Domini Regis prædicti, ad eumdem Dominum noſtrum Papam pro dictâ causâ ab eodem Domino Rege nuntios deſtinatos, præ cæteris quibuſcumque viis elegimus & eligimus tamquam breviorem & utiliorem ad dictam unionem faciendam, & toti populo Chriſtiano gratiorem ad ſchiſma tollendum, & ſingulorum conſcientias ſervandas; viamque hujuſmodi expedire pro bono Eccleſiæ, & unitatis prædictæ, diximus eidem Domino noſtro Papæ, ac etiam dicimus, atteſtamur, & aſſerimus per præſentes, conſuluimuſque eidem & conſulimus, ut illam acceptet, & exequatur, prout etiam per præfatos illoſtriſſimos Principes pro parte dicti Domini Regis eidem eſt ſupplicatum. Inſuper aſſerimus & confitemur nos velle in hujuſmodi propoſito cum dicto Rege firmiter perſiſtere, & de practicâ exequutionis hujuſmodi viæ ceſſionis, & aliis circà illam & poſt illam neceſſariis & oportunis, debitè, prout ad nos pertinebit, conſulere, & etiam providere. In quorum teſtimonium omnium, quilibet noſtrûm præſentem cedulam manu propriâ ſubſcripſit, ſub anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo quinto, die, &c.

Non approbatur via Papæ, & Domini Cardinales viam Regis tenuerunt.

DIe Veneris ſequenti Domini Duces cum Legatis cæteris ad Papæ palatium, ut juſſi fuerant, convenerunt. Et tunc Papa aperuit illis viam, quam aliàs, ut dicebat, notificaverat Regi, ipſam aſſerens cum cœtu Fratrum ſuorum Cardinalium velut rationabiliorem, & magis ſchiſmatis ſedativam, elegiſſe. Talis autem erat, quòd ipſe & Intruſus cum collegis eorum ſe in aliquo loco tuto Regnum Franciæ collimitante, & ſub protectione Regis, mutuo congregarentur, & ibi ſuper unione tractandâ aperirentur rationes & colores hinc & inde, quæ erant neceſſariò primitùs audiendæ. Multis mediis probavit quòd ſic procedendum erat, nec aliter bono modo; & quòd conſenſus partium erat primitùs requirendus, tenuitque quòd hæc velut melior & ſanior aperienda erat citiùs quàm aliqua alia via particularis, per quam poſſet adverſario dari contradicendi materia, & fortiter repugnandi. Ulteriùs addidit, quòd viâ renuntiationis abjectâ, ſi iſta eligeretur, & exequutioni daretur, ambæ partes nunquam recederent ſine pace, ſed aliqua alia via potior daretur antequàm exequutioni dari poſſet, interim una veterum partium de medio tolli poſſet, ſicque maneret negotium imperfectum. Quæ cum prolixè eleganti ſermone protuliſſet, tunc Conſiſtorium ſolutum eſt.

Inde Nuncii Regales primâ die Junii iterum ad palatium redeuntes ſicut condictum fuerat, coram Papa & Cardinalibus Magiſter Ægidius de Campis aſſumens pro themate: *Viam veritatis elegi, judicia tua non ſum oblitus*; ſeaque vias prætactas in Conſilio Prælatorum edicto Regio recollegit, videlicet

a *ejuſdem cedulæ*] Quæ edita eſt ſuprà.

ſuper orationibus, jejuniis, & piis operibus exercendis pro unione habendâ; de Nationibus exteris reducendis ad obedientiam Papæ per prædicationes, & juri conſonas rationes. Et iterum de Summo Pontifice collocando in Sede Petri de facto; de Concilio generali ſuper hoc celebrando. Omnes iſtas vias, & quamlibet ipſarum per ſe inſufficientes probavit ad opus accelerandum. De partibus autem congregandis, ſicut Papa tetigerat, ſub protectione Regiâ, & modo compromittendi amborum contendentium, attentâ partis adverſæ obſtinatione induratâ, & quòd ſæpiùs gloriabatur maximam partem Chriſtianorum Regum ſibi obedire, hoc luce clariùs impoſſibile monſtravit. His & ſimilibus mediis viam Papæ non acceptans, finemque verbis faciens, ipſi & circumſtantibus perſuaſit, & pluries ſupplicavit, ut cum Rege ſentientes, viam ſcilicet liberæ & voluntariæ ceſſionis Papalis auctoritatis ſuſceptæ, acceptarent ut expedientiorem viam.

Hæc verba cum Dux Bituriæ confirmaſſet, aſſerens quòd ex intentione Regis procedebant, Papa reſumens propoſitum dixit, ſemper unionem uſque ad conſumptionem omnium bonorum temporalium, & expoſitionem proprii depoſiti recommendatam habuiſſe & habere, & quòd ſuper hoc intentionem Regis ſcriptis mittendam popoſcerat, non tamen per modum facti, ſed ſolùm adviſamenti. Iterumque rationem ſuam & concluſionem verbis politis, & apparentibus mediis more ſuo fortificans, in quibus circumſpectorum judicio multos famoſos Doctores ſuperabat; tandem ut via Regis in ſcriptis redigeretur [petiit], cum modo etiam ipſam practicandi. Ad hoc verbum Nuntii paululùm ſeceſſerunt ad partem, redeuntesque per proponentem reſponderunt, quòd omnia non per modum coactionis, ſed conſilii fuerant recitata, nec via in ſcriptis redigi indigebat, cum ſolùm ceſſionem vel biſſyllabam vocem contineret, & modum viam practicandi in ſcriptis petere, nonniſi dilationes, & argumentorum hinc inde multiplicationes prætendebat.

Ad hæc verba Papa turbatus, tunc dixit ſe nec immeritò mirari, ſi pro quantum re minimâ temporali conſueverant expendere magna conſilia, & diù deliberare, cur hoc negotium, quòd totam Chriſtianitatem tangebat, non dignum ducebant indigere prolixâ & maturâ deliberatione. Rogavit ulteriùs ut tempus & ſpatium deliberandi daretur, & quòd nullus poterat eum cogere niſi Chriſtus, cujus erat Vicarius, & cui erat rationem redditurus de regimine Eccleſiæ. Addidit & eos non dubitare debere, quin adveniente tempore opportuno circà pacem ſic efficaciter laboraret, quòd totus populus Chriſtianus contentaretur de ipſo. Manet, inquit ut ſciatis, mens eadem quæ fuit in principio ad dandam pacem Eccleſiæ, & nullo modo mutata eſt, quoſcumque rumores ſine fundamento nonnulli diſſererent; nihil certè aut in facto, aut in dicto adhuc in me repertum eſt, unde poſſim in hac materiâ diffamari.

Nihil plus expeditum eſt iſto mane, ſed Nuntii Regales Domino Papæ vale dicto, cum in domicilio Ducis Bituriæ mutuò prandium celebraſſent, tunc ibi Domini Cardinales rogati convenerunt: quibus idem Dux dirigens verba ſua, nomine Domini Regis & aſſiſtentium inſtantiſſimè requiſivit, ut eorum quilibet tamquam privata perſona, & non per modum Collegii in conſcientiâ diceret quæ via melior, ſanctior, & facilior videbatur ad pacificandum corda omnium Orthodoxorum ad habendum in Eccleſiâ unionem, & quid eis de viâ Regis expoſitâ videbatur.

Opiniones Cardinalium.

CONſenſu omnium Cardinalis Florentiæ Decanus Collegii pro cæteris reſpondens, hoc eis pergratum dixit, ſed rem procraſtinare voluit, allegando ne attædiarentur ipſi Duces; qui tamen cum reſpondiſſent, id tunc modis omnibus affectare; tandem precibus aſſequuntur quod poſcebant. Ut autem liquidiùs appareat quonam modo aliquorum vota in unum concurrerint, & quæ fuerit deliberationum diverſitas, non ſilentio ſupprimatur: ut etiam videatur ex quibus fontibus ſequentes opiniones emanaverint, nunc patebit.

Suſcipiens primum verbum Cardinalis antiquior, ſcilicet de Florentiâ, dixit quòd Eccleſia erat in inferiori ſtatu quàm unquam fuerat à tempore S. Petri Apoſtolorum Principis; ad quod adducens multas rationes, addidit quòd ad habendum unionem affectabat modis omnibus laborare, aſſerens in conſcientiâ quòd ad acquirendum ipſam, ſibi via ceſſionis ſanctior & expeditior apparebat.

Secundum ordinem tenens Dominus Cardinalis Pictavenſis: Viam, inquit, acceptabilem Deo reputo meliorem, & ſi talis ſit via ceſſionis, quòd per ipſam pax & unio univerſalis Eccleſiæ, & ſalus animarum ſequi poſſit, citiùs quàm per aliam, hanc reputo approbandam.

Cardinalis Ambianenſis finem præcedentis ſequens, per ſalutem animæ ſuæ, fidelitatem Regi Franciæ promiſſam & Eccleſiæ juravit, quòd via ceſſionis erat brevior, ſanctior, expedientior, honorabilior, magis placens Deo, magis corda & conſcientias credentium pacificans, ſchiſmatis ſedativa, & pacis Eccleſiæ univerſalis cauſativa, quàm aliqua alia, & ideo ipſam ſolam, omnes alias parvipendens, approbavit: & additis rationibus concludens, quod hæc exequutioni danda erat, nec amplius [a] practicanda, ut nefandiſſimum ſchiſma citiùs ſopiretur.

Conſequenter Dominus Albanenſis loquendi prolixiorem modum tenens, primò regratiatus eſt Regi & Ducibus de bonâ affectione, quam ad unionem habebant; ad factumque principale in ſententiam præcedentium liberaliter non ivit, aſſerens, quòd à tempore JESU-CHRISTI via iſta ceſſionis nondum [b] exequuta fuerat vel promota, & qui benè deliberando materiam iſtam practicaret, via melior & honorabilior pro Eccleſiâ, perſonâ Summi Pontificis, ac domo Franciæ, poſſet procul dubio reperiri. Addidit & quoſdam ſcire (de quibus pro tunc tacebat) qui ſummo ſtudio laborabant ut Papa deponeretur à Papatu, & tamen præſupponebat firmiterque credebat, quòd Rex & Domini Duces minimè intendebant quòd ipſe deponeretur, niſi Intruſus cederet. In calce tamen verborum viam non reprobans ceſſionis, concluſit quòd ſi per iſtam citiùs quàm per aliquam aliam uniri poſſet Eccleſia, & primò Intruſus renuntiaret prætenſo juri ſuo, tunc Benedictus hanc viam poſſet poſtmodum acceptare.

Poſt prædictum Cardinalis de Novo-caſtro firmiter juravit, ſe credere Regem & Patruos ejus huc uſque unionem Eccleſiæ affectaſſe, & quia maturè credebat & ſperabat, & cum magnâ deliberatione eos viam ceſſionis acceptaſſe, eam tenebat meliorem.

Inde Cardinalis de Agrifolio tenuit firmiter; quòd

a nec amplius] An nec alia ?

b nondum [Editum erat non modo.

Rex & ejus Conſilium intendebant breviùs quàm poterant ad unionem venire ; addidit ideo, quòd ſi via ceſſionis poſſet taliter practicari, quod pax inde ſequeretur, & quòd in antiquâ libertate remaneret ; ad hanc induceret Papam, etiamſi pater vel ejus filius exiſteret, tamquam ad viam meliorem.

Cardinalis de Giſono dixit in ſuâ conſcientiâ, quòd quia Rex deſiderabat unionem, quam aſſequi impoſſibile ſciebat, niſi mediante ejus dexterâ præpotenti ; & quia inter omnes vias propoſitas in Conſilio ejus, viam ceſſionis tamquam meliorem elegerat, eam ideo approbabat, dum tamen honeſte poſſet exequi, debitè & diligenter.

Hieruſalem Cardinalis dixit, quòd Rex unionem Eccleſiæ affectabat, ut apparebat de facto, quia reiteratis vicibus magnum Conſilium Regni congregaverat propter hoc. Et quia viam ceſſionis approbaverat, ipſam tamquam meliorem etiam approbabat, præſuppoſito tamen quòd ſic Eccleſia maneat in ſuâ libertate, & ſub defenſione Regis.

Cardinalis Neapolis tria dixit : Et primò, quòd Clementi vero Papæ ſucceſſerat Dominus Benedictus. Iterum quòd Rex & Domus c Franciæ recollegit Eccleſiam, & tenuit veram partem, nec unquam in iſto negotio, nec in fide erravit. Et tenebat quòd ipſa domus Franciæ deſiderabat quod Dominus Benedictus ſolus auctoritate Papali potiretur ; attamen quia ad pacem & unionem Rex viam ceſſionis elegerat, ipſam tenebat cum Rege, & non aliam, etiamſi ita efficax diceretur, quia ſuper viam iſtam maturam aliàs deliberationem habuerat.

Conſiderato, inquit Cardinalis Venetiæ, ſtatu Eccleſiæ doloroſo, meo judicio via ceſſionis melior eſt judicanda ; addens quòd eam tenebat fortiùs quàm unquam tenuerat, quia Rex eam tenebat de conſilio ſuorum Illuſtrium, qui nunquam exequutioni vellet dare aliquid, quod in dedecus vel Eccleſiæ præjudicium verteretur.

Cum præcedenti Domino Cardinalis de Murolio tenuit viam ceſſionis, dicens quod auditis Regis rationibus & motivis, eam magis quàm unquam fecerat, approbabat.

Cardinalis de Tureïo dixit quòd Clemens fuerat verus Papa, & vero Papæ ſucceſſerat Dominus Benedictus, & quantum erat de pace adipiſcendâ, excogitaverat duas vias, ſcilicet reducendi Intruſum ad obedientiam Domini Benedicti, vel viam renuntiationis. Sed quia ſibi impoſſibile videbatur, quod per primam ſchiſma ſedari poſſet, nec conſcientiæ hominum pacificari, attentâ diuturnitate ſchiſmatis pernicioſi, ſcilicet decem & ſeptem annorum, vel circiter, viam ceſſionis rogavit citò practicari.

Cardinalis de Vivario affirmavit in conſcientiâ, quòd quæ dicturus erat, dixiſſet Clementi Papæ, cui erat valde obligatus, & etiam coram Domino Benedicto, & quòd viam ceſſionis eligebat tamquam meliorem, & credebat quòd qui eam Clementi obtuliſſet, multum ſibi profuiſſet contrà adverſarium ſuum.

Priorum ſententias non ſequutus Cardinalis Pampiloniæ, dixit, & in conſcientiâ affirmavit, quòd tunc non intendebat aliquid dicere timore, favore, amore, aut odio, ſed ſecundùm dictamen veritatis & conſcientiæ, & ſuper hoc in teſtem Deum evocavit. Inde præſupponens & tenens firmiter, quòd Rex & domus Franciæ, ſicut ipſemet unionem affectabant, intulit quòd non erat modus ſecundùm cæremonias antiquas, quòd Collegium reſponderet coram quocumque de quàcumque re, niſi priùs ſuper hoc deliberatione habitâ, & cum Summo Pontifice, & per modum collegialem, non per modum opinionis ; nec aliquis poterat cogere Cardinales ad faciendum aliter, & ſi contingeret eos aliquid decernere, non debebat alicujus efficaciæ vel valoris reputari. Ponenſque poſtmodum unum fundamentum, dixit quòd Dominus Benedictus erat verus Papa, Paſtor univerſalis Eccleſiæ, & ſolus verus Vicarius Chriſti, & per conſequens omnes ipſum tenebantur amare, fovere, defendere & cuſtodire tamquam verum Papam, & Intruſum habere odio & expellere. Et ideo in conſcientiâ dixit, quòd recta via ſecundùm Deum & juſtitiam ad veniendum ad pacem, erat Intruſum expellere violenter, & de facto, quod tamen adhuc non viderat inchoare. Addidit & multiplicando verba, quòd mente nequibat concipere, qualiter per viam ceſſionis pax poſſet acquiri. Nec debebat via iſta inchoari, quia erat contrà Deum & rigorem juſtitiæ, cùm juſtitia non requirat quòd quis bono juri ſuo renuntiet. Nec erat juſtum vel rationabile, quòd Schiſmaticus æquipararetur vero Catholico, & quòd per viam ceſſionis Intruſus æquipararetur vero Summo Pontifici. Iterum quòd via ceſſionis electa in dedecus domûs Franciæ, tam vivorum quàm mortuorum, vertebatur, qui ſemper tenuerunt Dominum Clementem verum Papam, & hunc huc uſque verum ſuum ſucceſſorem tenent ; & quia pars adverſa tunc poterat dicere, quòd ipſi erraverunt, & adhuc errant, quando videbunt procurari ut Dominus noſter renuntiet juri ſuo. Quod quidem nec ab aliquo viſum fuit, nec in ſcripturis redactum, quòd domus Franciæ erraverit tenendo non verum Papam. Addidit in calce verborum, quòd promptus erat contrà quoſcumque rationibus ſuſtinere, quòd non per viam ceſſionis, ſed per viam expulſionis Intruſi eundum erat ad pacem. Sibi etiam placebat quòd Domini tenorem cedulæ factæ, & modum juramenti facti ante electionem conſiderarent ; quia cedula non ſe extendit ad viam ceſſionis, nec debet habere locum dicta via, nec intellectus cedulæ ligat aliquo modo Cardinales in iſto caſu, nec quantum ad viam ceſſionis : finemque verbis faciens, dixit quòd per viam conventionis & aggregationis cum Intruſo leviùs unio haberetur quàm per viam ceſſionis.

In ſententiam Cardinalis præcedentis ivit Cardinalis de Aſtenſi, addens tamen quòd ſi per viam ceſſionis libertas Eccleſiæ, honorque Domini Benedicti, domûs Franciæ, & illorum qui tenuerunt cum eâ, cuſtodiri poſſet, & quòd Intruſus vellet primitùs cedere, Benedictus tunc cedere teneretur, & hanc viam tenuit meliorem.

Cardinalis de Puteo viam ceſſionis tenuit meliorem, quia Rex eam tenebat, addens ſe ſperare Dominum Benedictum eam velle acceptare faciliter, dum tamen practicaretur per modum debitum, ad honorem Dei & Eccleſiæ, & maximè quia Dominus Papa Clemens vivens, renuntiare promiſerat Papatui, ſi vixiſſet, ut Eccleſia uniretur.

Eamdem viam tenuit Cardinalis de Vergiaco, & quòd erat Domino Benedicto conſulenda.

Cardinalis de Vergnio, dixit, quòd via reductionis ſibi impoſſibilis videbatur, quia partes erant in facto contrario, & varias intentiones habebant ſuper facto principali, & ideo non laudabat iſtam, neque conſulebat, ſed via ceſſionis ſibi melior videbatur, & per hanc conſcientiæ poterant pacificari, ſcandalaque ambarum partium vitari poterant.

Cardinalis de Salucus dixit, quòd ſi per viam ceſ-

c *& domus*] Acherius ediderat, *& domini.*

ſionis poterat haberi unio, & honor Domini Papæ ſervari, hanc approbabat; addiduque quòd ante electionem conſuluerat, ut eligeretur Intruſus, & hujus opinionis fuerant multi aſſiſtentes.

Cardinalis Petræ-Malæ ultimum locum tenens*, aſſeruit firmiter quòd Rex & ejus Conſanguinei habebant recommendatum factum Eccleſiæ, unde hoc præſuppoſito, & auditâ opinione Regis, qui manſit in viâ ceſſionis, ipſam approbavit, dicens quòd ſi Intruſus renuntiare vellet, ſimile Dominus Benedictus facere tenebatur. Ultrà dixit, quòd Cardinalis Pampiloniæ cedulam (de quâ fuit ſermo) ſcripſerat & dictaverat, tunc aſſerens ſic illam facere, & tam fortiter vallatam, quòd nullus Cardinalium ipſi poſſet contraire.

Sic Dominorum Cardinalium opinionibus auditis, Domini Duces ipſas redigi in ſcriptis præceperunt per manum Secretarii Regū, cunctiſque vale dicentes, rogaverunt ut unionem Eccleſiæ habentes recommendatam, etiam expeditionem eorum celeriter impetrarent.

Anno 1395

Inhibitio [a] *facta Cardinalibus ne opinionem ſuam de viâ ceſſionis traderent in ſcriptis Dominis Ducibus, vel in quâdam cedulâ ſuper hæc confectâ ſubſcriberent.*

BENEDICTUS &c. Cum ad noſtrum pervenerit auditum, quòd vos venerabiles Fratres noſtri Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales requiſiti fueritis, quòd in quâdam cedulâ vos propriis manibus ſubſcribere debeatis, quod ſi fieret, quod abſit, dubitari forſan poſſet, quod pro tempore redundaret in perniciem libertatis Romanæ Eccleſiæ, & contrà ipſius honorem, ac etiam in Dei offenſam non modicam, & in occaſionem vobis detrahendi, debilitationem juſtitiæ noſtræ partis, & exaltationem & obdurationem Intruſi, & ſibi adhærentium. Noſque jam obtulerimus plures modos & vias rationabiles, factibiles, Deo placentes, & juri convenientes, per quas utiliùs, veriùs, & expeditiùs ad honorem Dei & ſuæ ſanctæ eccleſiæ, & adhærentium juſtitiæ iſtius partis, unio in Dei Eccleſiâ haberi poteſt, & ſchiſma eradicari & evelli, prout de apertione & oblatione modorum prædictorum, & viarum per nos oblatarum dilectis Filiis Ducibus JOHANNI Bituricenſi, PHILIPPO Burgundiæ patruis, ac LUDOVICO Aurelianenſi germano cariſſimi in Chriſto filii noſtri CAROLI Regis Francorum illuſtris, & per eumdem Regem ad nos deſtinatis, ut in quibuſdam publicis inſtrumentis ſuper hæc confectis latiùs continetur. Idcircò præmiſſis & aliis multis attentis & conſideratis, quæ in tanto Dei & Eccleſiæ negotio attendi & conſiderari debent, loco & tempore oportunis latiùs explicandum & etiam exponendum; vos omnes & ſingulos, venerabiles Fratres noſtros, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales monemus, hortamur & requirimus in virtute ſanctæ obedientiæ ac fidelitatis, quibus nobis & Eccleſiæ Romanæ tenemini, ut nobis in proſequutione dictarum viarum per nos oblatarum, & aliorum in præmiſſis contentorum, quæ ad bonum unionis Eccleſiæ tendunt, prout ad vos pertinuerit aſſiſtatis, & adhæreatis fideliter & diligenter abſque fraude, dolo & machinatione quibuſcumque; nec ad impediendum unionem prædictam detis conſilium, auxilium vel favorem directè vel indirectè, publicè vel occultè, prout etiam virtute juramenti per vos ſuper hoc præſtiti eſtis adſtricti. Et nihilominùs inhibemus vobis & veſtrûm cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ, ne in dictâ cedulâ, ut præmittitur, vos ſubſcribatis, nec etiam conſentiatis aliqualiter aliis quæ non licent ſeu non decent, ſeu ex quibus occaſio fortè præberi poſſet detrahendi, quòd contrà reverentiam, obedientiam, aut honorem nobis & Eccleſiæ Romanæ per vos debitos ſeu laudabiles mores per nos & vos, prædeceſſores noſtros & veſtros obſervari conſuetos, aliqua fierent per vos, quod abſit, prout nec credimus quod facietis. Quòd ſi contrarium per vos vel aliquem veſtrûm fieret, quod non credimus, proteſtamur contrà vos & veſtrûm quemlibet ſic facientes de pœnis in jure ſtatutis, & aliis debitis pro tranſgreſſione præmiſſorum: ad quæ vobis injungenda movemur tùm conſideratione præmiſſorum, tùm etiam quia à pluribus dicitur, quòd erga nos & nobis aſſiſtentes modi inconvenientes ſervantur, propter quos ſi aliud etiam à nobis fieret vel diceretur, cenſeretur forſitan non valere, & poſſent inconvenientia & ſcandala ſequi: de quibus modis qui erga nos & noſtros tenentur, ſolemniter proteſtamur, videlicet quòd ſi per nos aliud fieret, ſeu diceretur, manente ſtatu negotiorum nunc occurrentium, id & ea, & quidquid ex eis ſequeretur, vel ob ea, reputamus & volumus non valere & haberi pro infectis. Per præmiſſa verò venerabilibus Fratribus noſtris, quorum honorem proſpicere ex noſtræ mentis affectu deſideramus, vel quibuſvis aliis in aliquo derogare non intendimus, nec præcipere aliquod illicitum, ſed tantùm occurrere ſcandalis & animarum periculis, quæ veriſimiliter evenire poſſe timemus, & honori ac juri Eccleſiæ Romanæ providere, ut juris ſeu rationis fuerit, & tenemur, & ita proteſtamur.

Papa nititur impedire ne Rex ampliùs procuret viam ceſſionis, ſcribens Duci Bituriæ patruo ejus ſub hac formâ. Anno 1398

BEnedictus, &c. Dilecte Fili, ad quaſdam literas cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Regis Francorum illuſtris Nepotis tui, quas his diebus recepimus, nos rem hactenùs inſolitam, & unde proceſſerit admirantes, ſcribimus eidem Regi paterno affectu, fulgore, ſuique zelo honoris inducti, in formâ ſequenti:

Cariſſime in Chriſto Fili, ex quarumdam literarum tuarum ſerie cum magnâ amaritudine cordis recepimus, quòd acceſſus dilecti Filii noſtri MARTINI Cardinalis Pampilonenſis, quem nuper unum de Nuntiis Cardinalibus ad te mittendum ſuper negotiis Eccleſiæ univerſalis pronuntiavimus, tibi non adveniebat placidus, ſubjungens proinde abſque aliâ expreſſione cauſæ, quòd illum tibi minimè mitteremus. Reverâ, Fili dilectiſſime, mirari non ſufficimus, & etiam credere vix valemus, quòd hujuſmodi litera de tui maturitate Conſilii prodire potuerit, vel etiam expediri, cum effectus illius nec honori tuo congruat, nec ſaluti expediat animarum; inde quòd inconvenientiæ multiplices ſequi poſſent. Videmus etiam, Fili cariſſime, quòd promotores ta-

a *Inhibitio*] Bullam hanc Acherius retulit anno 1408. quâ de cauſâ neſcio. Mihi conſtat referendam eſſe ad annum 1395. quo Duces Bituricenſis, Burgundiæ, & Aurelianenſis Legatorum munere fungebantur apud Benedictum XIII. De eâ Bullâ mentio fit in primâ Appellatione Univerſitatis Pariſienſis, quam vide infrà.

Digitized by Google

lium non rectâ intentione proceſſerunt, innitentes fortaſſe disjunctioni unius Cardinalis ab altero, quod honeſtè jam facere nequiremus, ac ne juſtitia & veritas in lucem deveniant, teque, quod abſit, ad rem nefariam, & hactenùs inauditam hominibus, in grande animæ tuæ diſpendium provocarent. Quis, quæſumus, tuam tuorumque conſcientias poſſet clariùs & meliùs de veritate rei geſtæ pariter & gerendæ, etiam noſtri ex parte inſtruere, quàm hi duo Cardinales, quorum vita, ſufficientia, probitas & honeſtas, per cuncta Fidelium Schiſmaticorumque climata commendantur? Rogamus ergo Magnitudinem tuam, & in Domino exhortamur, quatenùs more Catholici Principis, ea, quæ in præmiſſis ſub tuo nomine acta ſunt, ſtudeas (ſicut honori tuo convenit) in melius reparare. Et nihilominùs ad negotia Eccleſiæ Dei, quæ ad nos & Romanos Pontifices ordinariè pertinent, & quibus pro viribus (niſi impedimenta à vobis præſtentur) intendimus, manum tuam, ultrà quàm deceat modeſtiam Regiam, non extendas, quin potiùs in hujuſmodi ſic te reverenter ad Apoſtolicam Sedem, Romanamque Eccleſiam, cum progenitoribus tuis claræ memoriæ, velis gerere, quod apud Deum & homines valeas laudabiliter commendari. Datum, &c.

Hæc, Fili dilecte, pro tanto nobilitati tuæ intimare decrevimus, ut quia inter alios Regis propinquos ſanguine ad te pertinet optare ſemper & conſervare honorem & gloriam Regni Franciæ, quæ maximè ex ſinceritate fidei, devotiſque artibus circà negotia Romanæ Eccleſiæ, Romanorumque Pontificum prædeceſſorum noſtrorum exaltationem meruerat & ſuſcepit, præſenti attentione conſideres quantum obnubilari poſſit, &, quod abſit, honor & fama ipſius Regis, imò & tua & aliorum ſibi attinentium ex hujuſmodi refutatione Cardinalium nuntii Apoſtolici, ac ex illis quæ ad æmulorum ſuggeſtiones in derogationem eminentiæ Apoſtolicæ Sedis, libertatiſque Eccleſiæ dicuntur apud Majeſtatem Regiam promovere. Indeque tua clara nobilitas ad reprimendum & ſedandum talia, etiam pro reverentiâ Dei, æternæque vitæ merito efficaciùs animetur.

Datum Avinioni ſub ſignetto noſtro IX. die menſis Junii.

Accedit, Fili dilecte, ad prædicta, quòd ſicut poſt concluſionem præſentium accepimus, & eidem Regi ſcribimus, illi totius perturbationis & diſcordiæ filii, Simon qui Patriarcham Alexandrinum, & Petrus qui Abbatem ſancti Michaëlis ſe nominant, quique præmiſſa (ut creditur) incitarant & nutriunt, nuper in publico & generali Conſilio Regis, tuique præſentia, auſi ſunt ore ſacrilego nonnullam evomere maculam & infamiam non tantum perſonæ noſtræ, quantum Eccleſiæ ſanctæ Dei, quæ etiam ex loco ubi prolata ſunt, redundant in vituperium Regni, ſuæque irreverentiam Majeſtatis, quod profectò cum de uno ſimplici Epiſcopo audiri ſeu ſuſtineri fas non ſit, nec nos ſuſtineremus in Curiâ noſtrâ de ejus perſonâ proferri ſimilia, nullatenùs debet iſta honeſtas Regia, tuaque devotio patienter tolerare.

Datum ut ſuprà.

Prima appellatio Univerſitatis interpoſita pro facto Schiſmatis à Domino Papa Benedicto XIII.

SI tramitem veritatis vas electionis B. Paulus Judæorum, præſertim Phariſæorum populo minimè prædicaſſet, ab eiſdem de civitate in civitatem nullatenùs fuiſſet perſequutus: ſi prædicator ipſe veritatis hujuſmodi perſequutionem ad aliud non timuiſſet, non appellaſſet Cæſarem, & ſi non appellaſſet, perſequentium inſidias vix evaſiſſet: ſi Doctor Gentium veteris ne minùs proficeret quàm deberet, minimè fuiſſet proſequutus appellationem, eumdem nunquam timuiſſent perſequutores, qui ipſum Romæ traductum; eo quod nulla eſſet cauſa perſequendi, dimittere voluerunt immunem; ſed quia evangelizantibus virtutem, juſtitiam quærentibus, & diligentibus pacem adverſatur, non mirum ſi provocationis auxilium pro clypeo, remedium appellationis pro loricâ, & proſequutionis diligentia pro munimine ſecuro prodeant, quatenùs perſequutores malevoli potiùs deſiſtant, quàm ſuam proſequantur intentionem. Idcircò ergo N. Procurator & procuratorio nomine Univerſitatis Pariſienſis Rectoris & Decanorum Theologiæ, Decretorum, & Medicinæ Facultatum, & etiam Procuratores Franciæ, Picardiæ, Normanniæ, & Angliæ Nationum in Facultate Artium, ſingulorumque prædictorum, & Doctorum, Magiſtrorum, Licentiatorum, Bacchalaureorum, & Scholarium dictarum ſingularum Facultatum, Regentium, non Regentium, Studentium & Audientium dictæ Univerſitatis Pariſienſis, coram vobis Tabellionibus publicis veluti coram probis & honeſtis viris ac publicis perſonis, ſinguliſque veſtrûm, & teſtibus hîc præſentibus ad hoc vocatis ſpecialiter & rogatis, pro ipſis Univerſitatis Rectore, Decanis Facultatum, Nationum Procuratoribus in Facultate Artium, ſinguliſque prædictorum & Doctoribus, Magiſtris, & Licentiatis, Bacchalaureis, & Scholaribus, Regentibus & non Regentibus, Studentibus & Audientibus, ac quibuſque ipſi Univerſitati, ſinguliſque præmemoratis adhærentibus, adhæſuris & ſucceſſuris, contrà deſcriptos inferiùs & eorum quemlibet ſub proteſtationibus quæ dictus Procurator quibus ſuprà nominibus alicui ſubſcriptorum, contrà quos hujuſmodi in eorum abſentiâ appellatio & provocatio emittuntur, cum ipſorum præſentiæ copia commodè non poſſit haberi, non intendit proferre, dicere, vel ſcribere in ipſorum ſtatuum & conditionum, jurium & dignitatum eorumdem injuriam, vituperationem, contumeliam, diminutionem, oppreſſionem & famæ ſuggillationem ſeu denigrationem, contemptum, gravamen, læſionem, nec etiam quod malè ſonet, vel deviet à fide, ſeu ſiniſtrum quodcumque ſignificet; quòd ſi aliquid tale reperiatur, habeatur pro non appoſito, ſed intendit ipſa proponere & dicere duntaxat ad jurium ejuſdem Univerſitatis, ipſiuſque ſuppoſitorum tuitionem, oſtenſionem ſuæ innocentiæ, & cauſæ ipſius juſtificationem. Dicit & proponit quòd quamquam in primordio hujus tenebroſiſſimi ſchiſmatis oviculæ Chriſti, & venerabilis matris Eccleſiæ, quæ retroactis temporibus ſub uno Paſtore in unâ eademque caula * reductæ, & in loco pacis non afflictionis, in loco paſcuæ, non horroris & vaſtæ ſolitudinis, feliciter degerant, vagæque * & diſperſæ * luporum paterent morſibus, & ferè periclitarentur, nec erat tunc temporis vix qui pro domo Iſraël ſe murum opponeret, & oves diſperſas in unam reduceret concordiam unitatis; ſic unitate & pace

a Eccleſiæ nedum labefactata, verùm omninò [a] diſciſſâ, filia Chriſti Univerſitas prædicta, zelatrix fidei Catholicæ, unitatis matrona, & noverca diſcidii, animadvertens Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ flebilem deſolationem, afflictionem miſerabilem; quodque vix erat in Eccleſiæ diverſorio quiſquam qui tantæ afflictionis miſereretur, quaſi à gravi ſomno excitata ſurrexit, ac murum ſe oppoſuit pro Eccleſiæ unione, & ipſius ſchiſmatis peſtiferi ſedatione, vicibuſque repetitis felicis recordationis Domino Clementi Papæ VII. reſcripſit, vias multiplices reperiendo ad hujus ſchiſmatis contagioſi totalem eradicationem; ſed hujuſmodi viis neglectui habitis, viſum fuit laborem ipſius Univerſitatis, quaſi lateres lavaret, fuiſſe & eſſe fruſtrationem & deriſionem quodammodo: ſed quia nondum venerat hora, opus iſtud uſque ad obitum dicti Domini Clementis remanſit incompletum. Illo ſiquidem tempore durante in ſordibus ſchiſmatis, proh dolor! ſorduit Eccleſia, & in ſtercore ſuo jumenta computruerunt; ſtulti facti ſunt Principes Taneos, Principes Memphieos emarcuerunt: omnes ferè aut abierunt retrorſum, complacentias & beneficia, proh pudor! illac iſtacque venantes, aut dormierunt; & ſi quidem vigilabant, quia tunc videbant ſe non poſſe proficere, noluerunt mittere margaritas ante porcos. Itaque vacante Eccleſiâ Romanâ Domini Clementis obitu, quia tunc erat tempus acceptabile ſedandi ſchiſmatis, dies ſalutis, filia Eccleſiæ Univerſitas ſponſæ Chriſti calamitatum non oblita, iteratò ſurrexit, ac Sereniſſimum Regem Francorum, Illuſtres Duces, cæteroſque Principes domûs Franciæ, athletas Eccleſiæ fortiſſimos, ferventiſſimos fidei zelatores, & veritatis, pacis & unionis defenſores robuſtiſſimos, diligenter incitavit, eiſdem ſupplicando, qualiter ſcriberetur Cardinalibus, ut non ita citò eligerent, quatenùs ad ſchiſmatis ſedationem faciliùs deveniretur; quod & fecerunt: ſed antequàm hujuſmodi literæ ad notitiam Cardinalium pervenerint, Sanctiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum Dominum Benedictum divinâ providentiâ Papam XIII. elegerunt; nec ob hoc ceſſavit Mater Univerſitas quin Eccleſiæ negotium fuerit perſequuta, & adhuc viriliter proſequitur; in quâ ſiquidem proſequutione b Filia Eccleſiæ [b] nonnullis viis ſubtiliter perquiſitis, & cum ſummâ maturitate diſcuſſis, ad viam ceſſionis tamquam meliorem, planiorem, veriorem, ſanctiorem, honeſtiorem, leniorem & certiorem ad totale ſchiſma de cordibus Fidelium radicitùs evellendum, finaliter condeſcendit, multis ſiquidem mota rationibus nedum perſuaſivis, ſed omni fideli Chriſtiano, ſecundùm materiam ſubjectam concluſivis, quas longiſſimum foret hìc enucleare. Hanc viam benedictiſſimam inclytiſſimi unionis pugiles ſupradicti, vocatis Conſilio & Epiſcopis Franciæ, nonnulliſque viris prudentibus & literatis, approbaverunt & homologaverunt; & hanc tamquam expedientiſſimam ſequuti fuerunt & ſequuntur; non enim Sereniſſimi Principes à filiâ Eccleſiæ excitati ad præfatum Concilium congregandum, nec ipſa Univerſitas ad hujuſmodi viæ ceſſionis electionem, quaſi cæteros Principes Chriſtianos in hoc Eccleſiæ negotio contemnendo, ac uti ſoli qui ſchiſma vellent exſtirpare, proceſſerunt; ſed quia zelo fidei & Eccleſiæ tam enormiter deſolatæ ferventer animati, quod in ſe erat geſſerunt, & quod potuerunt id fecerunt, ſuî deliberatione conſilii cæteris fidei Catholicæ Principibus viam electam inſinuari decernentes, quatenùs aut viam prædictam tùm ſecundùm ſuæ voluntatis arbitrium, tùm ſecundùm dictamen rationis aut eligerent, aut aliam tutiorem & competentiorem reperirent, ac eam Eccleſiæ notificarent Gallicanæ: nec in præmiſsâ electione viæ aſſenſerunt, quaſi Summos Pontifices Gallicanos ſe perdidiſſe, & alterius nationis ſubrogatos extitiſſe dolerent, ſed dumtaxat ad ipſius ſchiſmatis totalem everſionem nullâ omninò conſideratâ quarumcumque perſonarum acceptione. Novit ille qui ſcrutator eſt cordium, quòd apud Eccleſiam Gallicanam non eſt Græci, nec Romani, nec Hiſpani, nec Alemanni, nec Gallici cura, dum tamen Eccleſia ſanctè regatur. Fuerunt equidem multi Summi Pontifices, qui de prædictis & aliis nationibus, etiam Aſianis & Africanis, & Europa ulteriori, qui ſanctiſſimè Eccleſiam Catholicam rexêre, ſub quorum præſidentiâ & regimine univerſalis Eccleſia fuit exaltata, multifariam, & affatim augmentata. Tametſi ſanctiſſimus Pater Dominus Benedictus ante ipſius aſſumptionem palam & ſecretè Pariſius & alibi ad unionem Eccleſiæ laborantes laudibus extulerit copioſis, & ipſemet hanc ceſſionis viam non ſemel, ſed pluries ad partem, & in pluribus locis coram notabilibus perſonis præ cæteris viis multifariè commendavit, aſſerens firmiter quòd licet cæteræ viæ in ſchiſmatis exordio tentari debuiſſent, tamen moderno tempore conſiderato hæc ſola, non alia ſimpliciter expediebat: ſed ex aſſumptione dignitatis ſequuta fuit mutatio opinionis, quæ utinam fuiſſet mutatio dexteræ Excelſi. Ægrè nempe credere potuit Filia Eccleſiæ tantum virum, tamque famatum, ſalvâ tamen in omnibus ipſius reverentiâ & ſanctitate, à viâ per ipſum approbatâ, & longo homologatâ tempore, ſic ſubitò deviaſſe, forſan amicorum, notorum, & conſiliariorum quorumdam, qui ſua ſunt non quæ Jesu Christi quærentium, fictis perſuaſionibus, & falſis deliramentis nedum inclinatum, ſed potiùs, ut ita dicatur, circumventum, quæ ipſum errare fecerunt in invio non in viâ, & agnitam viam veritatis deſerere penitùs & omninò, quam ante aſſumptionem ſuam tactis ſacro-ſanctis Evangeliis & ſuper altare juravit acceptare, in caſu quòd aſſumeretur in Papam, & à Dominis Cardinalibus hujuſmodi via præ cæteris judicaretur amplectenda, quæ tamen per dictos Dominos Cardinales poſtea cum maturâ deliberatione fuit, uno ſolo dempto, unanimiter approbata.

Item dicit & proponit idem Procurator, quòd cum ad inſtantiam Domini Benedicti Sereniſſimus Princeps Rex Francorum Nuntios quàm potuerit digniores, ac etiam Univerſitas ſuos ſolemnes deſtinarit eidem, qui ipſum pluries etiam flexis genibus requiſierunt, quatenùs dictam viam vellet acceptare, in caſu dumtaxat, quo adverſarius ſuus ad hoc condeſcenderet, prædictum juramentum ad memoriam reducendo: nihilominùs tamen aut ſui immemor juramenti, aut memor ſed non curans, ad dictam viam condeſcendere denegavit, aſſerens ipſam viam non eſſe juridicam, & in ſimili caſu reſutatam tamquam ſcandaloſam, in Dei offenſam vergentem; quæ tamen reſponſio viſa fuit ad ſchiſmatis tendere durationem. Rurſùs cum ad inſtantem petitionem dictorum Ambaſſiatorum omnes Cardinales, dempto uno, collegialiter [c] congregati viam ceſſionis unanimiter elegiſſent & approbaſſent, c

a *verùm omninò*] Editum erat *animo*. In ſuperioribus etiam nonnulla mutavimus, quæ neſcio quâ ratione Acherio exciderant, nam pro *cauda* legebatur *cauſa*, ac deinde *vagoque & diſperſe*.

b *Filia Eccleſia*] Quæ ſequuntur edita jam erant ab Oldrico uſque ad eum locum quem indicabimus.

c *collegialiter*] Temere dictum: vide ſupra

ut præfertur, ac eamdem inter ſe promiſiſſent totis ſuis viribus procurare, ipſique Ambaſſiatores cum humilitate ſummâ eumdem ſuppliciter exorarent, quatenùs ipſam acceptare dignaretur, allegando quòd Domini Cardinales elegerant eamdem, dictumque juramentum refricando; hoc omninò refutavit, fuitque dictum per nonnullos ſuorum quòd gloſari debebat illud juramentum; quòd primò perquiri debeant viæ utiles & accommodæ; ſi non ſufficiant, demum ad ceſſionem perveniendum, eo quod verbum *uſque* ordinem ſignificat agendorum. Quæ ſiquidem reſponſio infallibiliter ad ſchiſmatis tendere videbatur perpetuitatem: nam illud verbum *uſque*, nihil facere videtur, cum ordinem neceſſitatis non indicat, ſed dumtaxat congruitatis, ut in ſimilibus poſſet argumentari: non enim gloſa ad aliud tendere videbatur, niſi quòd vix aut nunquam aliqua via accommoda poterit inveniri, quin illa aut repudiaretur aut gloſaretur, ſicut juramentum, aut ipſa non juridica allegaretur, ut per hoc convincatur ipſum ſic ſemper velle in hujuſmodi remanere dignitate. Profectò quamvis omnes Cardinales, uno excepto, eidem intimaſſent, quòd viam elegerant ſupradictam, & itidem ut priùs ſupplicaſſent, nedum hoc facere recuſavit, ſed etiam multa verba comminatoria inferendo Cardinales requiſivit, ut cum ipſo ſtarent, quæ requiſitio ad totalem viæ ceſſionis abdicationem tendebat. Quam requiſitionem ſic factam dicti Ambaſſiatores audientes, dictos Cardinales iteratò requiſierunt, quatenùs ſuper deliberatione ſuâ cedulam conficerent, aut ſuis munitam ſignis, aut propriis ſigillis roboratam: quod obaudiens Dominus noſter, confeſtim eidem Cardinalibus ſub pœnâ excommunicationis, inobedientiæ & infidelitatis inhibuit, ne hujuſmodi cedulam conficerent, aut ſignarent confectam, vel etiam ſigillarent: quæ inhibitio apertiſſimam ſchiſmatis prorogationem deſignat, ut in ſuis fictis continuet adinventionibus noſtro tempore proſequendis, & in poſſeſſione dominationis ſuis temporibus perduret.

Deinde præfati Ambaſſiatores Dominum BENEDICTUM requiſierunt, ut ad ambaſſatam ſuam in Conſiſtorio publico explicandam, audientiam præberet; ſed ipſe ſecundùm ſimilitudinem aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas requiſitionem noluit exaudire. De quibus requiſitionibus toties iteratis, non niſi ſchiſmatis fautoria videtur poſſe concludi. Poſtremò illuſtres Principes & Nuntii ſæpe dicti flexis poplitibus per viſcera miſericordiæ Dei noſtri eidem ſupplicaverunt, quatenùs Eccleſiæ ſic diviſæ compateretur, & obnixè rogaverunt eumdem, quatenùs viam ſæpe tactam dignaretur acceptare; & ſic inauditi & repulſi in Franciam redierunt. Hæc quaterna admonitio dictorum Ambaſſiatorum, & viæ ceſſionis refutatio, nedum fautoriam ſchiſmatis, ſed etiam ſuſpicionem, nedum ſuſpicionem ſed pertinaciam, nedum pertinaciam ſed incorrigibilitatem in auribus quorumcumque Fidelium cenſetur reſonare: ad hujuſmodi etiam ſuſpicionis & fautoriæ ſchiſmatis cumulationem adſtipulatur illius Jacobitæ ſecundùm diſtinctionem velut catarides garrientis incorrectio & elargitio, contrà dictorum requiſitionem Nuntiorum receptio in familiarem, & ad majora promotio, qui filiam Eccleſiæ Univerſitatem, filiam ſatanæ, matrem erroris, & nutricem diſſenſionis ore polluto auſus eſt nominare. Ad quid eum non correxit ſed recepit in familiarem, niſi in tantarum ambaſſatarum contemptum? Ad quid provexit eumdem ad majora, niſi ut canem impudentiſſimum habeat, qui non ceſſet ore nefando contrà Filiam Eccleſiæ, quæ veritatem & pacis unitatem toto niſu proſequitur, immaniter oblatrare? Hæc eſt vehementiſſima ſuſpicio fautoriæ, hæc maxima ſchiſmatis adhæſio, adverſarium veritatis contrà viam unitatis & pacis nedum ſuſtinere, nedum fovere, ſed etiam promovère. [d] Quibus Dominus BENEDICTUS non contentus, ſed exoſiorem animum adverſus Filiam Eccleſiæ gerens, non ſolùm ſemel ſed pluries coram multis & magnis comminatus eſt eidem, & ejuſdem ſingularibus ſuppoſitis, & omnibus ſibi adhærentibus ad privationem privilegiorum, actuum, graduum, ſcholaſticorum, Beneficiorum Eccleſiaſticorum amotionem, inhabilitationes perſonarum, declarationes ſchiſmaticæ vel hæreticæ pravitatis, excommunicationes, ſuſpenſiones, interdictiones cæteraſque cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, ipſorumque fulminationes per edictum & aliter rigoroſiſſimè procedere: & ad hoc nonnullos fautores ſuos commiſiſſe & deputaſſe, qui ſuos jam proceſſus incœperunt, prout ad ipſius Univerſitatis devenit auditum. Mirum erit, ſi Filia Eccleſiæ innocens de bono opere lapidetur, ſi in ſuis legitimis defenſionibus minimè audiretur, quod concederetur diabolo, ſi in judicio perſiſtere valeret. Veretur debitè, prompta eſt coram quibuſcumque ſe viriliter defenſare: hujuſmodi nempe proceſſus, nonnulli adverſariòs provocant ad deteriora. Ad ultimum planè Filiæ Eccleſiæ dictum eſt verbum abſconditum, & quaſi furtivè ſuſcepit venas ſuſurri ejus, quòd D. noſter ſummè fuit perterritus de cujuſdam ſcholaris, & etiam rotuli reductione Pariſius, palam & plenariè dicens, quod nunquam alicui Summo Pontifici tanta fuiſſet irrogata injuria ſeu contumelia, quanta fuerat per Univerſitatem, aſſerens ſe ampliùs pati non poſſe quin ulteriùs procederet; quaſi jam incœpiſſet proceſſiſſe. Quid intendit? numquid vult diſcordiam diſcordiæ cumulare? numquid Eccleſiam ad tam infimum vult ſtatum reducere, quatenùs de cætero non adjiciat ut reſurgat? numquid ſuæ obedientiæ dividet unionem? numquid ſecundi ſchiſmatis author erit & inventor? numquid propagator? hoc eſt quod quærit pars adverſa, ut ipſius obedientia, in ſeipſam diviſa deſoletur. Si ſtat, videat ne cadat, advertat, conſideret. Utinam Deus oculos ejus cordis aperiat! utinam det ſibi Dominus cor humanum non ferinum! utinam domabilem non durum! utinam carneum non lapideum! non excæcet cor ejus Dominus, nec aures aggravet, nec oculos claudat, ut videat & intelligat, ac noviſſima provideat, ne ſibi poſſit dici, Phariſæus confiſus in ſuperbiâ populorum mœrebit quia . . . . ejus radetur: & vertatur in proverbium quòd *non orietur abundantia pacis donec auferatur Luna.*

Verumtamen præmiſſa omnia & ſingula vera ſunt, & quatenùs in facto conſiſtunt, & in facto ponit dictus Procurator, quibus ſuprà nominibus ea intendit & offert probare quantum ſufficiet ad intentum; & quæ omnia & ſingula idem Procurator aſſeruit, & aſſerit, & offert coram nobis Tabellionibus fuiſſe & eſſe facta, geſta, & actitata in dictæ Univerſitatis, ſingulorumque ſuppoſitorum ejuſdem, ac ſibi adhærentium & adhæſurorum injuriam, contemptum, & oppreſſionem, læſionem, opprobrium, vituperationem, ac eſſe ipſius damnum non modicum & gravamen. Idcircò dictus Procurator & procuratorio nomine Univerſitatis prædictæ, Rectoris ac Decanorum Theologiæ, Decretorum ac Medicinæ Facultatum, Procuratorumque Franciæ, Picardiæ, Normanniæ, & Angliæ Nationum; ſingu-

d *promovere*] Hoc loco deſinit Oldricus.

ſorumque prædictorum, ac Doctorum & Magiſtrorum dictarum ſingularum Facultatum, & Facultatis artium Regentium & non Regentium, necnon & pro ipſis Univerſitate, Rectore, Decanis Facultatum, Nationum Procuratoribus, ac Doctoribus, & Magiſtris Facultatis Artium regentibus & non regentibus dictæ Univerſitatis, ac quibuſcumque ipſi Univerſitati, ſingulíſque præmemoratis adhærentibus, adhæſuris & ſucceſſuris ſentiens prædictum ſanctiſſimum Patrem, Commiſſóſque ejuſdem, quorum pro nunc nomina & cognomina ignorantur, & committendos ab eodem eidem adhærentes & adhæſuros, ipſius ſequaces, & ſequuturos eumdem, prædictam Univerſitatem ſingulóſque præmemoratos fuiſſe & eſſe læſos, gravatos, & oppreſſos, ac timens ex veriſimilibus conjecturis potuiſſe & poſſe in futurum lædi, opprimi & gravari; & ne idem Sanctiſſimus Pater per ſe, ſeu prætenſos commiſſos & committendos, adhærentes vel adhæſuros, ſequaces aut ſequuturos, ſeu aliam quamcumque perſonam quocumque nomine cenſeatur, contrà dictam Univerſitatem ſingulaque ſuppoſita ejuſdem, & quibuſcumque ipſis, ſingulíſque ipſorum adhærentibus, adhæſuris & ſucceſſuris, ad hujuſmodi privilegiorum, actuum, beneficiorumque privationem, ſeu perſonarum quarumcumque inhabilitationem, citationem per edictum, aut aliàs monitionem, contumaciæ reputationem, ſuſpenſionem, interdictionem, excommunicationem, anathema, aggravationem, reaggravationem, hujuſmodique pœnarum & quarumcumque aliarum cenſurarum Eccleſiaſticarum ſententiam, condemnationem, declarationem, fulminationem, publicationem, intimationem, inſinuationem ſeu notificationem procedat ſeu procedi faciat de facto, cum de jure non poſſit, coram vobis Tabellionibus, probis & honeſtis viris, ac publicis perſonis, teſtibuſque hic aſſiſtentibus, ad hoc vocatis ſpecialiter & rogatis; à prædicto Domino Benedicto, prætenſiſque commiſſis, & committendis adhærentibus & adhæſuris, & ſucceſſuris, ſequacibus & ſequuturis, & quolibet ipſorum, ac contrà ipſos, & ipſorum quemlibet, necnon ab omnibus & ſingulis gravaminibus prædictis aliàs latis declarandis, ſi ſit opus, illatis, & aliàs inferendis, ad proximum futurum unicum, verum, orthodoxum, pacificum, & univerſalem Papam, ejuſque ſanctam Sedem Apoſtolicam, ſeu ad illum qui de hujuſmodi causâ appellationis de jure cognoſcere poterit, in iis ſcriptis quibus ſuprà nominibus, provocavit & appellavit, provocat & appellat, & à nobis Tabellionibus & quolibet noſtrum petiit, & petit primò, ſecundò, tertiò, ac inſtanter, inſtantiùs, inſtantiſſimè Apoſtolos ſaltem teſtimoniales ſuper hoc ſibi dari, proteſtans de aliis Apoſtolis petendis ab illis à quibus de jure fuerint petendi; ac quòd hujuſmodi provocatio in vim veræ appellationis tranſeat, ſi contingat contrà ipſam quomodolibet attentari, necnon & de hujuſmodi provocatione & appellatione ſatiùs declarando & corrigendo, eis addendo, vel ab ipſis diminuendo, ipſas intimando, notificando, proſequendo, iterum appellando & provocando, Apoſtoloſque petendo, ubi, dum, quoties, & coram quibus eidem viſum fuerit expedire, ſubmittens & ſupponens ſpecialiter & expreſſè, & in quantum de jure fieri poteſt, ipſam Univerſitatem, ejuſque ſingula ſuppoſita, ac ſingulos adhærentes, adhæſuros, & ſucceſſuros prædictos, ſingulorumque ipſorum omnium, ac beneficiorum & officiorum ſuorum jura & bona quæcumque, ubicumque exiſtentia, præſentia & futura, dicti futuri unici & veri Summi Pontificis, ejuſque ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, ſeu illius qui de hujuſmodi causâ cognoſcere poterit de jure, tuitioni, protectioni, & ſalvæ gardiæ ſpeciali, aſſiſtentiam invocando in teſtimonium præmiſſorũ.

Cancellarii Regis Francorum Oratio habita in Conſilio, ut ſubſtractio Obedientiæ Papæ fiat, donec acquieſcat ceſſioni. Anno 1398

PRo concluſione Conſilii, die Dominicâ, vigeſimâ octava Junii menſis, Dominus Cancellarius ſuprà nominatus præſentibus Dominis Ducibus Biturix, Burgundiæ, Borbonii, univerſo cœtu Prælatorum, Capitulorum, & Univerſitatum ſupradictarum in ſupradicta Aulâ ſuprà Sequanam, oſtio aperto, cunctis audire volentibus, præſentibus innumerabilibus utriuſque ſtatus hominibus, dixit quæ ſequuntur effectualiter.

MES SEIGNEURS ce que je diray cy-aprés, ſçachez que je le diray au commandement du Roy, & de Meſſeigneurs icy preſens, & briefvement m'en expedieray, car j'ay eu brief temps, comme depuis hier; & auſſi je ſuis bien aiſe de le faire brief. Il eſt voir, comme vous ſçavez, que quand vous fuſtes venus le Roy noſtre Sire vous fit dire la cauſe pourquoy il vous avoit mandez, c'eſt aſſavoir pour avoir advis, deliberation & conſeil à proceder pour extirper ce doloreus Schiſme, & avoir union en noſtre Mere ſainte Egliſe.

Poſtmodùm recitavit quæ propoſuerat Patriarcha, videlicet deliberationem primi Conſilii ad ceſſionem, Ambaſſiatas Dominorum Univerſitatis requiſitas. Item ſecundùm conſilium & ſommationem virtute ejus factam per Reges Franciæ, Hiſpaniæ & Angliæ, ambobus contendentibus; videlicet quòd acceptarent viam ceſſionis, & niſi eam acceptarent, aut infrà feſtum Purificationis pacem darent Eccleſiæ removerent dicti Reges omnia impedimenta, & nutritiva ſchiſmatis, & procederent ad pacem omnibus viis & modis poſſibilibus prædictis narratis, quæ pleniùs in literâ concluſivâ hujus Conſilii continentur, quæ causa brevitatis hic non pono; dixit in hunc modum:

Et pour ce que le Schiſme eſt ſi perilleux pour les ames, ſi comme vous ſçavez le Roy noſtre Sire a tres diligemment entendu à le oſter, & par l'advis & deliberation de mes Seigneurs cy preſens a mandé les Prelats & le Clergé de ſon Royaume à ce preſent Conſeil, & leur a expoſé ce que deſſus eſt dit. (Hoc eſt proceſſus prædictæ proſequutionis primi Conſilii, &c.) Et outre requis advis & conſeil pour mettre à execution la voie de ceſſion. Et pour ce que le Roy noſtre Sire, comme chacun ſçait, a eu pluſieurs occupations, & n'y peut continuellement eſtre, il ordonna mes Seigneurs icy preſens de Berry & de Bourgogne, & Monſeigneur d'Orleans, pour eſtre preſens à ce Conſeil, & ouir les opinions & deliberations des Prelats, & autres preſens au Conſeil. Et ordonna que tous preſens la matiere fuſt diſcutée pour mieux & ſainement deliberer, & ainſi a eſté fait. Et ont eſté ſix notables hommes d'un coſté pour impugner la ſubſtraction, & ſix autres au contraire pour la ſouſtenir, par leſquels la matiere a eſté tres grandement diſcutée & ouverte, ſi comme ils en ſont bien aiſies. Et aprés ce mes Seigneurs pour enſuir l'Ordonnance du Roy ont ouy les opinions d'un chacun par ſerment tres notable, fait ſur les Evangiles & ſur la vraye Croix, que toute hayne, crainte, faveur deſordenées arrieres miſes, ſelon leurs conſciences, franchement & volontairement, ſans paour de force de Pape, ou autre quelconque, ils donroient conſeil au Roy pour executer la voye de ceſſion. Et

tres diligemment a eſté en ce fait procedé, & tant que mes Seigneurs ont oüy les opinions de trois cens perſonnes & plus, & les Univerſitez de Paris, d'Orleans, d'Angers, de Montpellier & de Thoulouſe. Et ont eſté leſdites opinions bien diligemment & loyaument eſcriptes, & aveeques ce pour plus ſeurement proceder, fu ordonné que chacun baudroit ſon opinion par eſcript ſignée de leur ſigne manuel de leur main. Et apres ce mes Seigneurs enſemble tous diligemmènt ont veu toutes les opinions, & ceux d'une opinion mis à une part, & les autres à l'autre.

Et pour ce que pour l'arduité de la matiere & pour l'Ordenance du Roy la concluſion de ce Conſeil ſe devoit prendre par luy hier, (ſcilicet xxvii. hujus menſis,) Mes Seigneurs furent devers luy, & luy rapporterent leurs procés & diligences, & luy direnr les opinions & le nombre d'icelles. Et pour dire verité, des trois cens opinions, ſans les Univerſitez ouyes, comme dit eſt, il y en a deux cens & quarante ſept d'opinion, que ſans delay ſoit faite ſouſtraction totale au Pape juſque à ce qu'il ait accepté la voye de ceſſion, & que par effet il ait tant fait que nous ayons union en ſainte Egliſe. Aucuns autres juſqu'au nombre de dix-huit ou vingt, & non plus, vouloient que de preſent ſe fiſt concluſion de totale ſubſtraction, mais que l'execution ſe differaſt juſques à ce que le Pape fuſt de rechief ſommé. Aucuns autres ſeize ou environ vouloient que le Pape fuſt ſommé par le Clergé de ce Royaume, & que apres ce toute l'Obeïſſance fuſt aſſemblée, & ce que par elle ſeroit determiné fuſt tenu & executé. Aucuns autres & tres pou ont eu ſingulieres opinions qui ne ſe entretiennent en rien, & ne ſçavent qu'ils veulent dire. Et de la grant opinion l'Univerſité de Paris n'eſt contée que pour une opinion, & ſemblablement deux Docteurs pour celle d'Orleans, & deux pour celle d'Angers, & autant pour Montpellier, & leſquels ont dit, *nomine proprio & procuratorio dictarum Univerſitatum.* De ladite grant opinion ont eſté nos Seigneurs preſens de Berry, de Bourgongne, Bourbon, & les Ducs de Bar & de Lorraine, Alençon, Nevers, Savoye, Contes & plusieurs autres Nobles, de la ſommation un de nos Seigneurs.

Et tout cecy fuſt rapporté au Roy noſtre Sire, lequel a mercié nos Seigneurs de leurs diligences, & en a eſté tres bien contant; & apres ce il s'eſt condeſcendu à la grant opinion, c'eſt aſſavoir à fair ſans delay ſubſtraction de toute obeïſſance. Et ainſy l'a le Roy conclut, & veut que execution s'en face, & a commandé que toutes les lettres neceſſaires pour l'execution s'en facent, auxquelles ſi j'ay prou dit je me rapporte. Et oultre mes Seigneurs vous font dire que c'eſt leur entention de pourveir par toutes manieres raiſonnables, que dores en avant l'Egliſe de France ſoit tenuë en ſes franchiſes & libertez anciennes. Et pour ce que le procés au plaiſir Dieu ſe conduiſe mieulx, Dimenche prochain de huy en huit jours nous irons tous en poureeſſion à Sainte Geneviеve, pour loër Dieu & remercier. *Et factum eſt ita.*

Anno 1398.

Litera quam Cardinales miſerunt Regi ſuper ſubſtractione, quam fecerant Domino BENEDICTO.

CHriſtianiſſime ac Sereniſſime Princeps, nuper per venerabiles viros Magiſtros ROBERTUM Cordigeri, & TRISTANUM de Boſco veſtræ claræ Majeſtatis Conſiliarios & nuncios, literas ejuſdem Majeſtatis accepimus, per quos elegantiſſimè & prudenter veſtræ Serenitatis ea parte expoſita fuere quæ eadem Serenitas ſuper receſſu à totali Obedientiâ Benedicti ultimò in Papam electi, in illo grandi & celeberrimo Conſilio nuper tento Pariſius decreverat, prout & nobis innotuit per literas authenticas & publicas veſtræ ſacræ Regiæ Majeſtatis, quas nobis præfati Nuncii præſentarunt, quæ omnia audivimus & intelleximus luculenter. Et quanto magis credimus quòd per hanc cunctorum corda Fidelium in viam pacis optatæ celeriùs dirigentur, tanto affectuoſiùs Serenitati veſtræ uberiores gratiarum reddimus actiones, hortantes eamdem ex intimis, ut huic tam Catholico tamque laudabili principio per Serenitatem eamdem finis optimus impendatur, videlicet Eccleſiæ unioni, cum non ſufficiat grandia invenire principia, niſi perſeverantiâ & fine debito concludantur; nec enim in principiis, ſed in fine majores noſtri laudes & gloriam poſuerunt. Adhuc ut procliviùs & ardentiùs veſtra excellentiſſima Majeſtas accingatur, eidem notum facimus per præſentes, quòd conſideratis, ac etiam ponderatis omnibus quæ per veſtram Serenitatem, ac etiam per nos in hac parte facta ſunt, nec non cauſis motivis quæ (prout in veſtris literis pleniùs continentur) veſtram ad hoc ſacram Majeſtatem impulerunt, aliiſque rationibus quibus in conſcientiis noſtris urgemur, multiſque inter nos habitis conſiliis & deliberationibus digeſtis, Nos omnes numero decem & octo exiſtentes, & ſacrum Collegium Romanæ Eccleſiæ facientes, unanimi & concordi omnium voluntate & aſſenſu, ea quæ per Serenitatem veſtram, & Eccleſiam & Clerum Regni veſtri, & Delphinatûs facta ſunt, concernentes receſſum ab Obedientiâ totali dicti Benedicti, collegialiter laudavimus & approbavimus, laudamus & approbamus. Noſque nihilominùs à totali Obedientiâ ipſius recedere decernimus, recedimus, & aſſerimus receſſiſſe, & cum Serenitate prædictâ concurrere in proſequtione ulteriùs agendorum, ſperantes in Domino quòd ex hoc veſtro regali præſidio ſuffragante, repulſis ambitionibus hominum Thronus Dei, id eſt, Eccleſia ſancta Dei, tot inundationibus concuſſa elevabitur in ſublime, & qui poſt nubilum dat ſerenum, inclytam Sponſam ſuam oculo clementiori ex alto reſpiciet. non ſerens eam in ſui nominis injuriam diutiùs conculcari.

Datum in Villâ-novâ ſub ſigno trium Ordinum noſtrorum, decimo-ſeptimo Septembris.

Sacrum Collegium Sacro-ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium.

Anno 1398.

Literæ auctoritate Regis & Avunculorum ejus publicè in Parlamento perlectæ, quibus lege decretali præcipiuntur inviolabiliter ſervari, quæ tempore ſubſtractionis Obedientiæ facta ſunt.

CAROLUS, &c. Cùm ad noſtram notitiam pervenerit, quòd Dominus noſter Sanctus Pater, per importunitatem quorumdam ſupplicantium, vel aliàs, conetur impedire Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Priores, Canonicos, & alias perſonas Eccleſiaſticas, vel aliquas illarum, quæ in Prælaturis & dignitatibus inveſtitæ & promotæ fuerant, durante ſubſtractione, & intendit deponere dictos Beneficiatos à Prælaturis & Beneficiis per viam privationis, tranſlationis, ſuſpenſionis, vel aliàs, & alios inveſtire ſub umbrâ reſervationum, vel aliàs. Ultrà,

quia ipſe miſit jam Collectores & Commiſſarios per Provincias & Diœceſes Regni noſtri, ac etiam Delphinatûs, qui nomine ſuo vel Papalis Cameræ de facto cogunt Eccleſiaſticas perſonas, tam Prælatos, quàm alios, per monitiones, excommunicationes, vel aliàs indebitè ad ſolvendum ingentes & exceſſivas ſummas denariorum proventibus debitis vacantium vel ſervitiorum temporis retracti à XL. annis citrà. Et etiam pro veteribus debitis procurationum & decimarum, quas petit à dicto tempore; & ſpecialiter conatur exigere ſervitia Prælaturarum, Dignitatum, & Beneficiorum aliorum collatorum per Ordinarios durante ſubſtractione, veniendo contrà formam & tenorem literarum noſtrarum ſubſtractionis & reſtitutæ obedientiæ, & etiam contrà promiſſiones & ſecuritates per nos declaratas, quando reſtituimus ipſi obedientiam. Quæ omnia ſi permitterentur, eſſet contrà rationem, contrà honorem noſtrum, & illorum qui ſunt de genere noſtro, contrà honorem Conſilii noſtri, Cleri etiam Regni noſtri & Delphinatûs, & omnium qui conſenſerunt dictæ ſubſtractioni. Et poſſent inde ſequi odia & diviſiones inter noſtros ſubditos, Clericos, & ſæculares; & etiam per tales exactiones de novo adinventas evacuarentur financiæ dicti Regni & Delphinatûs, & Eccleſiaſticæ perſonæ ad talem paupertatem & confuſionem devenirent per tales ſententias & excommunicationes, quòd divinum ſervitium neceſſariò ceſſaret, & impediretur omninò factum unionis Eccleſiæ, & plura inconvenientia alia ſequi poſſent. Ideo his attentis, & quia nos ſumus cuſtodes & protectores dictarum Eccleſiarum, volentes obviare inconvenientibus tactis, & ſervare volentes Eccleſias in ſuis libertatibus antiquis, habitâ ſuper his deliberatione maturâ, ordinavimus & decrevimus quæ ſequuntur.

Et primò, quòd omnes qui promoti fuerunt ad Prælaturas, Dignitates, & quibus Beneficia collata ſunt per Ordinarios, ut dictum eſt, durante ſubſtractione, ſuppoſito quòd reſervatæ vel reſervata fuiſſent in Curiâ Romanâ, pacificè remaneant in ſuis poſſeſſionibus, & illis gaudeant ſine præjudicio quocumque; nec cogantur ſolvere Papæ, aut Collectoribus vel Commiſſariis ſuis qualemcumque financiam occaſione vacantium ſervitiorum, & decimarum à quocumque tempore debitarum.

Iterum, quòd omnes viri Eccleſiaſtici, cujuſcumque ſtatûs ſint, qui aſſumpti fuerunt ad Prælaturas & Dignitates ante ſubſtractionem, vel poſt reſtitutam obedientiam, non ſolvent arreragia de ſupradictis exactionibus, Collectoribus aut ſervitoribus Papæ. Dantes etiam in mandatis Seneſcallis noſtris, Balivis, & Rectoribus urbium Regni, quòd ſi ad hoc deinceps cogerentur, mox remedium apponant per detentionem bonorum cogentium, & de facto.

Datum Pariſius decimâ nonâ die Decembris.

Anno 1401. **Benedictus XIII.** *Regi Conſiliariis ejus, & Univerſitati Pariſienſi notum facit quare Avenione egreſſus fuerit.*

Benedictus, &c. Dilecte Fili, à multis, ut noſti, temporibus citrà, detenti in palatio Apoſtolico noſtræ civitatis Avinionenſis, pro defenſione juſtitiæ, & Eccleſiæ libertatibus non dubitantes perſonam noſtram periculis multis exponere, ſperantes per expoſitionem hujuſmodi nos poſſe erigere oppreſſum ſtatum Eccleſiæ ſanctæ Dei. Nunc verò quia, prout jam diù experti ſumus, ſic exiſtentes non poteramus ut expediebat proficere, die datæ præſentium Dei miſericordiæ, cujus res agitur, noſtram perſonam & ſtatum Eccleſiæ committentes devotè, palatium ac civitatem Avinionenſem exivimus, & ad Caſtrum Raynaldi diœceſis Avinionenſis quaſi horâ tertiarum pervenimus incolumes & illæſi, ubi credimus cum Domini auxilio, te & aliis Fidelibus opem ferentibus, pacem & concordiam tractare ſecuriùs, & ſalubriùs proſequi, prout divinis ſervitiis & Eccleſiæ ſacro-ſanctæ expedit. Quod tibi ſignificamus ad gaudium ſingulare, ſperantes pietate divinâ, quòd exitus noſter hujuſmodi cedet ad Dei ſervitium & proſperitatem Eccleſiæ, & partis Catholicæ, & tui nominis, domûſque Regiæ & ſanguinis gloriam & honorem, quos ſemper & ubique illæſos ſervare intendimus, & augere cupimus. Novit Deus. Nec tua nobilitas velit, hortamur in Domino & rogamus, aures præbere contrariis ſuggeſtionibus, ſi quæ fiant, quoniam per nos hactenùs ſtetit nec ſtabit, quæ diximus adimplere.

Datum apud Caſtrum prædictum die decimâ ſecundâ Martii ſub ſigneto noſtro ſecreto.

Iſti Articuli ſequentes pro exemptis fuerunt concluſi & deliberati per Concilium Eccleſiæ Gallicanæ vigeſimo primo menſis Octobris anno milleſimo quadringenteſimo-quarto. Anno 1404

I. Ciſtercienſes, Cluniacenſes & alii exempti omnes, tam Regulares quàm Sæculares, cujuſcumque ſtatûs & religionis exiſtant, in ſuis abſolutionibus, diſpenſationibus, viſitationibus, correctionibus, electionibus, confirmationibus, cauſarum proceſſionibus & terminationibus, conſervatoriis privilegiorum ſuorum, & aliis quibuſcumque ordines & regimina ſingulorum concernentibus, procedant ſecundùm privilegiorum, ſtatutorum, & exemptionum ſuarum tenorem, & laudabiliter hactenùs obſervatam conſuetudinem, & aliàs prout ante modernam neutralitatem in ſuis regiminibus proceſſerunt. Illi verò exempti qui extrà Papam Superiorem non habent, nec privilegium ſuper confirmatione recipiendâ, per Diœceſanos ſuos confirmabuntur, cum proteſtationibus prout in alio quodam articulo ſuprà continetur. Tranſivit in formâ.

II. Item eliguntur ex nunc quatuor Judices Pariſius reſidentes, cum poteſtate delegandi & committendi, videlicet Domini S. Germani de Pratis, & S. Genovefæ Abbates, & Domini Eccleſiæ Pariſienſis, & S. Germani Autiſſiodorenſis Decani, per quos eorum tres, vel duos ad minus, quorum alter ſit ipſe S. Germani Decanus, exemptorum omni cauſæ tam agendo quàm defendendo, etiamſi priùs pendebant in Romanâ Curiâ, quæ per Judices eorum citrà Sedem Apoſtolicam terminari non ſolent, appellationes etiam à Conſervatoribus privilegiorum eorumdem interpoſitæ vel interponendæ pro totius litigii conſummatione, auctoritate hujus Concilii terminabuntur. Proviſo quòd in eiſdem cauſis uſque ad tres inſtantias, prout de jure fiunt, procedi valeat. Illi tamen exempti qui conſervatorias perpetuas non habent, in agendo procedant ſecundùm jus commune. Tranſivit in formâ.

III. Item dicti Judices teneantur cauſas dictorum exemptorum ad petitionem utriuſque partis, vel alterius earum, in provinciâ unde cauſa ortum habuerit committere juxtà formam Capituli, ut litigantes nec compellant partes invitas Pariſius litigare. Tranſivit in formâ.

IV. Item Mendicantes gradatim ut cæteri Religioſi per Judices ſuos procedant, derelictis vehe-

menter

Digitized by Google

tâ mente per ipſum Petrum pro eadem parte elegantur, ſuſpectis de fautoriâ ſchiſmatis, & de Capitulo rorum provinciali, ad Judices ſuperiùs nominatos recurratur. Tranſivit in formâ.

V. Item dicti exempti à ſententiis ab homine ſive delegato, ſive quocumque alio, latis per præfatos Judices, & ipſorum ſubdelegatos, in caſibus in quibus juriſdictio eis ſecundum præmiſſa competere poteſt in foro contentioſo, ſecundùm formam juris abſolvi poterunt. Tranſivit in formâ.

VI. Item in caſibus reſervatis abſolventur, & diſpenſabuntur exempti à Pœnitentiario majori, ſi poſſit ad eum recurſus haberi: ſin autem, à ſuis Superioribus abſolventur & diſpenſabuntur auctoritate hujus Concilii, in caſibus, ac modo, & formâ quibus Epiſcopi circà ſuos ſubditos eâdem auctoritate hoc poſſent adimplere. Qui verò Superiorem citrà Papam non habent, ab eiſdem Judicibus etiam in foro conſcientiæ poterunt modo & formâ prædictis abſolvi & diſpenſari. Tranſivit in formâ.

VII. Item exempti habentes juriſdictionem Eccleſiaſticam, Epiſcopalem, vel quaſi, poterunt auctoritate hujus Concilii ſuos ſubditos à ſententiis juris & hominis, & peccatis in foro pœnitentiali & contentioſo abſolvere, & cum ipſis diſpenſare in omnibus caſibus, & ſub eiſdem modo & formâ quibus Epiſcopi circà ſuos ſubditos hoc poſſunt auctoritate prædictâ adimplere, ac prout in Capitulis ſuper hoc conſcriptis pleniùs continetur. Tranſivit in formâ.

VIII. Item quòd in Monaſteriis ſeu Abbatiis exemptis pendente neutralitate electi poſſint, & teneantur confirmationes & benedictiones ſuas recipere à Diœceſanis Epiſcopis, ſine præjudicio exemptionum ſuarum pro futuro tempore, & quòd hoc expreſsè ponatur in literis ſuper hoc conficiendis ante confirmationem & benedictionem, ex privilegio eis conceſſo ab aliis recipere poſſint. Tranſivit in formâ.

Anno 1404. *Literæ Regis Cardinalibus in Româ exiſtentibus directæ, ut differrent eligere ſucceſſorem poſt mortem ſui Papæ, quem* BONIFACIUM *vocabant, Anno* MCCCCIV.

CAROLUS &c. Venerabilibus ac magnificis viris Romæ ſe pro Cardinalium Collegio gerentibus ſalutem, & ad ea charitatis amplexibus condeſcendere quæ ſunt pacis. Venerabiles ac magnifici, quantum in votis hactenùs geſſerimus, quantum affluenti deſiderio lamentabilem militantis Eccleſiæ ſciſſuram noſtris cupierimus videre temporibus reſarcitam, quantum inſuper ſtudiis, laboribus & expenſis per literas & nuntios ad omnes penè Chriſtianitatis partes toties deſtinatos, ad abolendum hujuſmodi ſchiſma nequiſſimum, quod eamdem Eccleſiam tamdiù crudeli vulnere ſauciavit, operam dederimus, vos non credimus ignorare; nam hoc idem vos ipſi pluries ad aures veſtras indubitanter recolimus perduxiſſe, modos aperientes & vias rationabiles & accommodas, per quas optatam conſequi poſſemus faciliùs unionem. Sanè, Venerabiles & Magnifici, ad noſtram fide dignorum relatione perducta notitiam, quòd ille qui nuper vitâ fungens Romæ pro Papa ſe gerebat, viam ſit univerſæ carnis ingreſſus, æſtimantes jam omne ex his & aliis non indignis conſiderationibus quampluribus tempus opportunius ad unionem hujuſmodi, divinâ favente clementiâ, celeriùs aſſequendam adveniſſe, decrevimus illicò ſolemnes Nuntios noſtros ad vos omni quâ fieri poterit velocitate deſtinare, quorum relatus ut tenemus indubiè percipietis apertiſſimus, ac finale hujus peſtis mortiferæ exterminium & remedium ſalubre conſequendum: magnificum & honorabilem cœtum veſtrum rogantes & hortantes in Domino JESU-CHRISTO, quatenus; præmiſſis ſub piæ conſiderationis examine debitè revolutis, necnon ſcandalis, periculis & diſpendiis innumeris, quæ in Eccleſiâ ſanctâ Dei hujuſmodi damnatiſſimo cauſante diſcidio palam noſcuntur ſubcreviſſe, & quæ formidandum eſt pullulare peramplius ſi non occurratur conſultiùs in futurum, ab electione vel ſubſtitutione ſucceſſoris velitis penitùs abſtinere, ſaltem quouſque præfati Nuntii noſtri jam ad iter accincti, quod acceleratis greſſibus abſque mora, Deo duce, proficere non tardabunt, ad veſtras poterint provincias perveniſſe. Quod equidem ſi taliter differendum duxeritis, magnâ procul dubio merebimini gloriâ commendari; nam ex hoc, ut ſperamus in Domino, univerſis Chriſticolis Eccleſiæque ſanctæ Dei pax & unio de facili reddi poterit & haberi; ſecùs autem agendo, quod abſit, verendum eſt ne turbulentæ diviſionis hujus pernicies fortiùs invaleſcat, & fiat majoris labyrintho voraginis intricata.

Præterea Venerabiles & Magnifici, quia nobis ſub certitudinis veritate pariter ſimul relatum eſt, quod nimirum ægrè tulimus & moleſtè, dilectos noſtros PETRUM Epiſcopum ſancti Pontii, PETRUM Electum Ilerdenſem, ANTONIUM Abbatem Monaſterii ſancti Facundi, fratrem BERTRANDUM Radulphi Ordinis Fratrum Minorum, & FRANCISCUM de Fano Militem, qui tamquam viri famoſi, magnæque probitatis ac bonitatis laude conſpicui, nuper Romam causâ procurandæ pacis, cujus ſemper fuerunt fervidi zelatores pro parte Summi Pontificis noſtri BENEDICTI, deſtinati fuerunt, quorumdam, ut putamus, zizaniæ ſatorum procuratu recluſos carceribus detineri, minuſque reverenter tractari, ſalvo-conductu eis priuſquàm Romam ingrederentur conceſſo, quamvis magnæ ſecuritatis robore vallato, nullo eis præſidium afferente, Magnificentias veſtras cum majori quâ valemus inſtantiâ rogandas iteratò duximus & hortandas, quatenùs providè penſantes detentionem hujuſmodi, uti pacis & optatæ quietis inimicam, huic concupito negotio diſpendium afferre poſſe quamplurimum, quodque famæ veſtræ vel honori nihil ex eorum liberatione deperibit, ſed accreſcet, prænominatos detentos cum eorum familiâ, rebus & bonis univerſis faciatis & procuretis priſtinæ reſtitui libertati, in hoc nobis, qui liberationem hujuſmodi non alio petimus affectu, quàm ſi familiares proprii noſtri forent, quàm plurimum placituri, ſuper his per latorem præſentium, quem ad hoc ſpecialiter directum cum feſtinatione præmittimus, veſtram nobis intentionem reſcribentes.

Datum, &c.

Quæ facta fuerant Romæ, intruſus Univerſitati intimavit. Anno 1405

INNOCENTIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei, Dilectis filiis Rectori ac Univerſitati ſtudii Pariſienſis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Duas veſtras literas nuper primam nonâ, ſecundam XXVI. diebus menſis Novembris proximè præteriti, datas Pariſius, vidimus perlibentes[a]; quas per dilectum filium PETRUM de Bruxellâ, in Artibus Magiſtrum, & ſacræ Theologiæ Bacchalaureum, pro parte veſtrâ præſentare feciſtis. Ac intelleximus gra- a

a perlibentes] Editum erat perlegentes.

tiſſimè nobis ac Fratribus noſtris illum eundem finem inferentia circà remotionem peſtiferi horrendique ſchiſmatis, noſtro & eorumdem Fratrum noſtrorum cordibus inſidentem, exactiſſimè reſeraſa, cui quæ ad pacem & unionem decerent, ut noſtis, æſtimavimus. Et quia veritatis alumnos anterior ætas vos glorioſiſſime & digniſſimè prædicat, pro veritate conſtantiſſimè ſatagere & exponere vos decet. Nam & de Tobia in præconium ſcriptum; *Viam veritatis non deſeruit. Quoniam magna eſt veritas, & prævalet*, ut alibi ſcriptum eſt: ad quam vos exhortamur ex viſceribus charitatis, & ad deteſtabile ſchiſma (quod proh dolor! tantis retrolapſis temporibus in Chriſtianorum Eccleſiâ damnabiliter perduravit & durat) viis & modis debitis, congruentibus & juſtis auctoritate Domini exſtirpandum: ad illud etiam ſubmovendum, dum eramus in minoribus conſtituti, ſummis deſideriis aſpirabamus; nuncque ut tam fructuoſiſſimum in præfatâ Eccleſiâ bonum ſias dirigimus & extendimus curas noſtras.

Et ut eo efficaciùs atque conſultiùs illo de throno ſuæ ineffabilis clementiæ inſpirante, cujus res agitur, ſicut in deſideriis gerimus noſtri cordis, hoc fieri valeat; jam pridem per Nuntios noſtros & literas circà extirpationem tam deteſtabilis ſchiſmatis, incommutabile mentis noſtræ, ac præfatorum Fratrum noſtrorum propoſitum, tam Regibus, Prælatis, quàm Principibus ac Univerſitatibus, populiſque, nobis & Eccleſiæ Rumanæ divotis, quos & præſens tangit negotium, declarare prævidimus; exhortantes, ac etiam requirentes eoſdem totis affectibus hucuſque, ad feſtum Omnium Sanctorum proximè futurum ad præſentiam noſtram venire, vel ſolemnes eorum Oratores dirigere vellent ad conſulendum ſuper viis & modis hujuſmodi debitè & juſtè, circà remotionem præfati ſchiſmatis auctore Altiſſimo per nos ſolvendi, ad quod (novit ſcrutator almus cordium) finalis intentio noſtra tendit. Veruntamen non intendimus obliterare ſilentio, quòd Oratores, qui ad præſentiam felicis recordationis Bonifacii Papæ IX. prædeceſſoris noſtri, circà exſtirpationem hujuſmodi ſchiſmatis, ut aſſerebant, modico interjecto ſpatio ante Domini prædeceſſoris obitum fuerant de Avinione, ſive aliunde tranſmiſſi, viam conventionis ad certum locum perſonaliter prædeceſſori noſtro omnes alias vias intercluſuram, nullamque eorum judicio incluſuram principaliter obtulerunt, aſſerentes quòd ratione habitâ ſuper viâ conventionis hujuſmodi, ad aliqua particularia devenirent eidem prædeceſſori gratiſſima. Quam quidem conventionis viam poſt plures exactos dies idem prædeceſſor noſter, multiplicium ægritudinum acerbiſſimarumque ſtimulis, quibus per longa priùs tempora etiam fuerat pluſquàm exprimi valeat anxiatus, ipſumque ad extrema trahentibus: nam die tertiâ tunc ſuæ debitum mortalitatis exſolvit, moribundâ gravitate depreſſus adimplere non poſſe concernens, reſpondendo eiſdem, & declarans ex ſui infirmitate impoſſibile, poſtulavit obnoxiè, ut ad alia particularia juxtà oblata per eos deſcenderent, qui nihilominùs dictæ viæ conventionis innitentes nihil effectualiter inferebatur.

Poſtea verò eodem prædeceſſore ab hujuſmodi vitâ mortalitatis ſubſtracto, antequàm ſacrum Collegium Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, pro futuri electione Pontificis in Conclavi juxtà morem intraret, Oratores præfatos, quorum etiam, in caſu mortis antedicti Pontificis, ſpecialia ad idem Collegium habere unus aſſerebat, fecit evocari, quamvis nihil novi obtulerunt. Nam unum erat in omnium noſtrorum intentione propoſitum, ut ſi mandatum haberent ſufficiens ad reſignandum & cedendum, accederent illius nomine, qui eos (ut dicebant) tranſmiſerat, ſimili electione futuri Pontificis non procedere ceſſione peractâ, ſed exſpectare quouſque divinâ ſuperilluſtrante clementiâ, ſuper emotione præfati ſchiſmatis, in formâ debitâ & ſalubri, Domino authore, qui juſtas ſemper proſequitur actiones, proviſio facta fuiret, ut inconſutilis Chriſti tunica (quam dolentes referimus hactenùs deſciſſa lateribus) per Spiritûs ſancti gratiam redintegrationem ſuſciperet exoptatam. Et quoniam Oratores ipſi ſe expreſſerunt ad id mandatum ab eorum Domino non habere, obtulimus affectione ſincerâ, requirentes obnixè, ut aliqui ex eis ad præfatum eorum Dominum pro conſequutione mandati hujuſmodi remearent, reliquis hîc manentibus, ut tam ſalutaris concluſio ſequeretur. Ad quod reſponderunt, quòd eumdem arbitrabantur viam ceſſionis nullatenùs conceſſisrum, cum via hujuſmodi ſecundùm eorum judicium juri ac æquitati conſona non extaret. Ob hocque ne præfata Mater Eccleſia in terris Chriſti maneret Vicario deſtituta, Conclave hujuſmodi omnes Cardinales præfati intraverunt in nomine omnium Salvatoris. Tandemque effectum eſt poſt multos & exquiſitos ſuper hujuſmodi futuri creatione Pontificis tractatus habitos, ut iidem Cardinales ad humilitatem noſtram reſpicientes de communi concordiâ, Spiritûs ſancti gratiâ aſſiſtente propitiâ, nos in Patrem elegerunt & Paſtorem.

Poſtremò plurimorum auditu percepimus eoſdem Oratores fuiſſe in almâ urbe per Caſtellanum S. Angeli detentos, & ad redemptionem graviſſimam coarctatos. Quòd ſi vera, ut credimus, profiteri voluerint, debent equidem id eorum diffidentiæ adſcribere, nec indignè; nam fluctuantibus peſtiferis motibus in ipsâ urbe poſt præfati prædeceſſoris obitum, & ipſis à Collegio hujuſmodi Cardinalium licentiam ab eâdem urbe recedendi poſcentibus, cum abſque vitæ vel rerum diſcrimine ab urbe ipsâ, forenſi maximè, tutus non pateret abſceſſus, ipſis perſuaſum exſtitit, ut nullâ ratione diſcederent, ſed cum plenâ (quæ tunc eis oblata fuit & ſervata fuiſſet indubiè) ſecuritate manerent, qui eos . . . . . . præbuerunt, de quo doluimus & dolemus. Nam in illius manus eorum motus perduxit eos, de quo poſt hujuſmodi prædeceſſoris obitum, nec Collegium ipſum aut nos potuimus aut poſſumus quomodolibet diſponere, aut aliter ordinare. Et antequam Conclave ipſum intraremus, pro illorum liberatione ad caſtrum ipſi cum nonnullis aliis Cardinalibus acceſſimus, ſed incaſſum. De quo tamen præfati Caſtellani conditione penſatâ certiſſimi fuimus, quòd ſemper ita contingeret ut emerſit, itaque ipſis illud venit procul dubio imputandum. Super quo tam nos, quàm Collegium ipſum, poſſumus rationabiliter excuſare: & hæc omnia cupimus tam ad veſtram quàm aliorum quorumlibet notitiam pervenire. Rex autem pacificus, qui præfatam Eccleſiam ſuo pretioſiſſimo fundatam ſanguine inſeparabili fœdere copulavit, ſuâ miſeratione corda Fidelium ſic vivificet & illuſtret, & illuſtrata conſervet, ut depulſis erroribus in eâdem Eccleſiâ per ſanctiſſimæ unionis hujuſmodi myſterium in Angelico corde & opere canetur: *Gloria in excelſis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis*; prout humanæ fragilitatis conditio indiget, animarum ſalus & corporum; juxtà divinæ beneplacitum voluntatis, cui nos & reliquos decet & expedit in omnibus conformare.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum decimo tertio Kalendas Martii, Pontificatûs noſtri anno primo.

Anno 1407.

Nuntiorum legatione audita Rex Franciæ GREGORIUM *hortatur ut perſeveranter agat in proſequutione unionis.*

CArolus Dei gratiâ Francorum Rex Collegio ſe pro Cardinalibus Romæ gerentibus amicis noſtris cariſſimis, Salutem & fructum percipere unionis exhibitum. Amici cariſſimi ſcribimus Domino veſtro in formâ ſubſequenti:

CAROLUS, &c. Sancti propoſiti, & ferventi charitate illuminato viro ANGELO dicto Corrario, quem nonnullæ gentes in hoc deflendo ſchiſmate GREGORIUM appellant, amico noſtro cariſſimo ſalutem, & quæ ſunt Eccleſiaſticæ pacis. Ut honorificè cœpiſtis in omnibus operari, amice cariſſime, nuper veſtrorum relatu Nuntiorum, ac aliàs plurimodè ſcriptis veſtris, cognovimus manifeſtè ſinceritatem permaximam ac zelum integerrimum, quos ad miſerandæ Eccleſiæ Dei ſanctiſſimæ reſartionem veſtra probitas gerere ſe oſtendit, quibus tanto vos honore potiori dignum, & amplioris gratiarum retributionis apud Deum & homines veſtri benè meritum reputamus, quanto veſtri prædeceſſores circà id hactenùs remotiores ſunt reperti. Quâ de re quibus iſthic cuncti vos efferant laudibus neſciunt, videntes oblationes veſtras tantam Fidelium cordibus afferre lætitiam, quòd verbis complecti nequeat. Id eis namque quod tanto tempore quæſierant, quod tot ad Deum votis ſupplices orabant, quod immenſis laboribus procurare ſatagebant, uno momento, ſolo verbo ultroneo veſtræ voluntatis libertate contuliſtis. Homo Dei, tali quippe nomine dignum vos arbitramur & cenſemus appellandum, qui quæ apud nos totius difficultatis, ſi non dixerimus impoſſibilitatis erant factu, prona, imò facillima reddidiſtis. In quo affectum veſtrum candidiſſimum attendentes, illum ſuprà quàm dici valeat approbamus, collaudamus, attollimus; & horum reſpectu perſonæ veſtræ, veſtroque ſtatui, & veſtris oportunitatibus ſingulariter offerimus ſi quid eſt nunc vel in poſterum apud nos quomodolibet vobis gratum. De perſeverantiâ (quæ præ aliis virtutibus currentibus ad bravium ſola coronatur) vos hortantes, precanteſque. Quamquam de incommutabili, ut ſcripſiſtis, intentione veſtrâ, quoad vos attinet, nequaquàm formidemus, quemadmodum hæc & alia, quæ hîc laudabiliter & ſapientiſſimè geſſerunt; iidem Nuntii veſtri diutiùs & pleniùs referent vivâ voce. Qui profectò de prudentiâ diligenti, ac diligentiâ prudenti, meritis ſuis multiplicibus veniunt commendandi.

Datum, &c.

Hinc eſt, Amici cariſſimi, quòd Eminentiarum veſtrarum virtutem enixè rogamus, quatenùs laudatiſſimum hujuſmodi Domini veſtri propoſitum, ac factum unionis ſuprà tactum, tam juſtum, tamque pium, atque Religioni Chriſtianæ neceſſarium, & quæ digna profectò res eſt, in quâ conatus omnes veſtros atque ſenſus exercendo convertatis protinùs conſummandam; ætatem non ſinentes, viri ſapientes (qui de hujus rei ductu ingentes refertis laudes) elabi quoquo pacto, aut ſurripi è manibus veſtris oblatam pacis & concordiæ gregis Chriſti tantam oportunitatem, cui ſimilem longiſſima aut forſan nulla poſt ſæcula reſtituent.

Anno 1407.

Litera Regis ad GREGORIUM *exhortatoria quòd ſervet juramentum de viâ ceſſionis, & de pace danda Eccleſiæ, &c.*

CAROLUS, &c. Præcelſæ dignitatis viro ANGELO dicto Corrario, quem in hoc flebili ſchiſmate nonnullæ nationes GREGORIUM XII. appellant, ſalutem, & à priùs ſalubriter concepto propoſito ſuper unione Eccleſiæ breviùs aſſequendâ minimè reſilire. Et ſi jam diù magnam poſt Chriſti ſubſidium fiduciam reſtituendæ pacis Eccleſiaſticæ concepimus, dum primò literas veſtras inſpeximus, offerentes palam & nudè abſque quâvis ambiguitate verborum viam ceſſionis compendioſiſſimam ad reductionem ejuſdem pacis; dumque paulo poſt Nuntios veſtros recepimus, quærentes confirmationem tractatorum & concordatorum, imò juratorum Maſſiliæ per eoſdem Nuntios & nepotem veſtrum ex unâ parte, & per Summum Pontificem noſtrum Benedictum cum ſacro Collegio ſuo ex alterâ: quam confirmationem utique liberaliter & ultrò, ſicut noſſe poteſtis, conceſſimus. Miramur nunc admodùm, & dolemus ultrà quàm valeamus exprimere, quis vos ita decepit; quis faſcinavit non perſiſtere in oblatis prioribus tam ſanctis atque ſalubribus; quis abduxit aut ſeduxit vos non implere concordata juramentis, votiſque vallata, & ubique publicata; nam etſi non habeatur in reverentiâ & timore horrendum Dei judicium contrà prævaricatores præmiſſorum atque juratorum, contrà pacis univerſalis deſidioſos perſequutores, aut ſchiſmatis nutritores, pudere ſaltem debet fidei non obſervatæ apud homines Chriſtianos, quæ uſque ad mortem inviolabiliter ſervata eſt, & ſervari ſuadetur, etiam apud homines incredulos & barbaras nationes; cujus rei indignitatem procul dubio inquiremus brevibus exaggerare ſermonibus, quia meretur. Quapropter temperatiùs agere decernentes, poſtulamus & obteſtamur per ſi quod de Dei cuncta cernentis ſeveritate formidatis; per ſi quid de conſcientiâ veſtrâ apud voſmetipſos, de famâ quoque apud proxim m & populum univerſum curam geritis; per ſi quid denique compatimini miſerabilibus Eccleſiæ laceratæ doloribus; redite ad cor dum adhuc fas vobis eſt; veſtra quoque promiſſa, imò juramenta, imò vota, facta, ſcripta & publicata cum omni integritate celeriter obſervate, quatenùs redeat nobis pax, & vobis ſalus & gloria conferatur: alioquin decrevimus nos & etiam Regni & Delphinatûs noſtrorum in eâ concluſione neutralitatis ita perſiſtere, ſicut ex cauſis rationabilibus & motivis in aliis patentibus literis noſtris poteritis, ſi libeat, latiùs intueri; & eam ſimiliter eligendam & aſſumendam cæteros Principes & Fideles utriuſque Obedientiæ totis viribus inducere & hortari.

Datum, &c.

Anno 1407.

Copia proceſſûs facti per Papam B. contrà Regem Franciæ & quoſcumque alios à ſuâ obedientiâ recedentes.

BEnedictus, &c. Ad perpetuam rei memoriam. In dierum ſucceſſu creſcente malitiâ videmus mundum in deteriora jugiter prolabi, ſic hominum mentes aſſuetâ depravante nequitiâ malis paſſim cumulum ſuperaddi, ut & boni, qui alios oderunt virtutis amore delinquere, interdum cum perverſis admixti eorum inficiantur malitiâ vel errore. Eſt igitur compeſcenda præſumptorum audacia, ut ſaltem formidine pœnæ retrahantur à noxiis, ſicque boni ſe-

ctando virtutem meliores effecti, non inducantur perire cum illis. Ad noſtrum ſiquidem auditum famâ publicâ notoriante pervenit, quòd nonnulli perditionis filii tam Eccleſiaſtici quàm ſæculares, dum altiora ſe petunt, dum præpoſteris & turbatis gradibus citiùs ruituri, in magnis & mirabilibus ſuprà ſe ambulare conantur, illius deluſi fallaciis, qui ſe ut alios decipiat in lucis Angelum transfigurat, ſibi ruinam, [a] infirmioribus ſcandalum, ſolatoribus autem vexationis materiam paraverunt, pro viribus ſatagentes Catholicam Eccleſiam iteratis Schiſmatibus noviter lacerando, impedire ejus ſacratiſſimam unionem. Nam licet poſt aſſumptionem noſtram ad apicem ſummi Apoſtolatûs, & etiam ante dum nos minor ſtatus haberet, ad extirpationem hujus horrendi ſchiſmatis in Dei Eccleſiâ à triginta ferè annis, proh dolor! nunc vigentis; & procurandam pacem & unitatem in ipsâ Eccleſiâ, tanto accuratiùs ac ardentiùs, quanto rem ipſam ad nos peculiariùs ſpectare cognoſcimus, debitam, Deo ac conſcientiâ teſtibus, operam adhibuerimus, & intendamus indefeſſis ſtudiis adhibere, & poſt varios tentatoſque labores, & in caſſum peccatis exigentibus quandoque deductos, poſt oblatam per nos Angelo Corario in Sede Apoſtolicâ Intruſo, qui ab adhærentibus ſibi in hoc pernicioſo ſchiſmate ſe facit GREGORIUM nominari, viam renuntiationis per nos fiendam purè, liberè & ſimpliciter, prout in literis noſtris Apoſtolicis, datis Maſſiliæ ſecundo [b] Cal. Februarii, Pontificatûs noſtri anno infrà ſcripto, pleniùs continetur, ad exequutionem eorum quæ pro præmiſſis gerendis reſtant fienda de loco conventionis perſonaliter, noſtri ſcilicet, & dicti Angeli, & tempore [c] ac numero perſonarum ab utrâque parte ad conventionem hujuſmodi ducendarum, & de aliis circumſtantiis ad rem hanc pertinentibus, inter nos & venerabiles Fratres noſtros ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, eum nuntiis dicti Angeli & ſui prætenſi Collegii, illorum ſcilicet qui apud partem ſuam Cardinales nuncupantur, fit facta & concluſa concordia, in certo brevi [d] termino, præſtante Domino, exequenda, prout in publicis inſtrumentis pleniùs continetur. Tamen præfati iniquitatis filii nos, & dictos Fratres noſtros nituntur totis conatibus, modiſque exquiſitis & illicitis, ac quibuſdam fraudibus, & fucatis coloribus, in hac ſalubri proſequutione & exequutione dictæ unionis impedire, & ſub quodam unionis ſimulatu zelo Eccleſiaſtica vincula contemnentes, non abſque temeritatis audaciâ ſtabilem firmamque Chriſtianæ fidei compaginem reſcindere moliuntur, ac ſe à noſtrâ & Eccleſiæ Romanæ obedientiâ temerè ſubtrahendo, à nobis, quod de jure non licet, de facto ad defenſionem ſui erroris appellationes varias interponunt.

Nos autem licet aliquamdiù cum patientiâ tolerando præmiſſa diſſimulaverimus, ut ſaltem timor Dei & pœnæ jam contrà tales à nobis & ſacris Canonibus inflictæ, eos ad pœnitentiam provocarent, & facerent ad ſinum piæ matris redire: videmus tamen eos adhuc in majoris præſumptionis audaciam proſilire. Quamobrem zelus fidei, & fervor compaſſionis animarum meritò nos inducunt, ut contrà iſtorum audaciam, quaſi contrà publicam peſtem, per Apoſtolicæ proviſionis remedium occurramus. Idcircò habita ſuper his deliberatione maturâ, hac conſtitutione perpetuò duraturâ, in omnes & ſingulos qui præfatam Eccleſiæ unionem ſcienter, vel perſonam noſtram, vel perſonas venerabilium Fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, in exequutione præmiſſorum per nos oblatorum & concordatorum cum dicto Angelo & ſuis nuntiis impediverint aut turbaverint, vel à nobis ſeu à ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus canonicè intrantibus appellare præſumſerint, ſeu à noſtrâ vel ipſorum ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium Obedientiâ receſſerint, aut ſe ſubtraxerint, vel in præmiſſis ſubtractione, aut appellatione perſeveraverint, ſeu perſtiterint, vel eis in præmiſſis impedimentis, appellationibus, ſubtractionibus, vel perturbationibus ſcienter per ſe vel alium, ſeu alios quâvis occaſione ſeu colore quæſito dederint auxilium, conſilium vel favorem, & qui pertinaciter aſſeruerint illos qui præmiſſa committunt per noſtras ſententias non ligari cujuſcumque ſtatûs, gradûs, dignitatis, vel conditionis exiſtant, etiamſi Cardinalatûs, Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, Imperiali, Regali, aut aliâ quâcumque Eccleſiaſticâ vel mundanâ præfulgeant dignitate, ex nunc auctoritate Apoſtolicâ excommunicationis ſententiam promulgamus, à quâ nullus præterquàm à Romano Pontifice, niſi dumtaxat in mortis articulo poſſit abſolutionis beneficium obtinere. Et ſi forſan ipſorum aliquem in eodem articulo à dictâ ſententiâ abſolvi contigerit, volumus & auctoritate prædictâ ducimus declarandum, quòd taliter abſolutus, ſi quàm citò commodè poterit poſt reſumptam convaleſcentiam ſe coram Apoſtolicâ Sede omiſerit præſentare, mandatum ipſius ſuper præmiſſis humiliter recepturus, & ſatisfacturus prout juſtitia ſuadebit, in eamdem excommunicationis ſententiam reincidat eo ipſo. Quam quidem ſententiam ſuperiùs per nos latam ſi per viginti dies ſuſtinuerit animo indurato, ſi Laicus quicumque & cujuſcumque ſtatûs, gradûs, conditionis, vel dignitatis, etiam de ſuperiùs nominatis, Princeps vel alia ſæcularis perſona fuerit, terras, villas, civitates, & caſtra, ac loca quæcumque quæ obtinet & obtinebit, Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto. Si verò Univerſitas fuerit, ſimiliter Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto. Et quia meritò beneficia plerumque propter ingratitudinem revocantur, in prædictos omnes, & quemlibet ex eis, tam Clericos quàm Laicos, ſeu ipſis ſuper præmiſſis quomodolibet adhærentes, aut præſtantes auxilium, conſilium vel favorem, ut præfertur, ſi per viginti dies dictos viginti immediatè ſequentes ſententias ſuſtinuerint antedictas, eoſdem omnibus privilegiis & indulgentiis, gratiis, libertatibus, & immunitatibus realibus & perſonalibus, ipſis communiter vel diviſim ſub quâcumque formâ vel expreſſione verborum ab Apoſtolicâ Sede conceſſis, dictoſque Clericos omnibus Beneficiis Eccleſiaſticis, dignitatibus, perſonatibus, & officiis, cum curâ vel ſine curâ, etiamſi Archiepiſcopalis, Patriarchalis, vel Cardinalatûs, ſeu quævis alia dignitas forſan exiſtitent, ex nunc Apoſtolicâ ducimus auctoritate privandos, & de plenitudine poteſtatis ipſo facto & de certâ ſcientiâ privamus, & privatos eſſe decernimus. Prædictorum omnium tam Eccleſiaſticorum quam ſæcularium, & cujuſlibet ipſorum vaſſallos & homines à juramento, fidelitate, & aliâ quâcumque obligatione quibus eis tenentur ſeu tenebuntur, quomodolibet abſolventes. Feuda quoque, jura, honores, officia, & alia bona immobilia eorumdem, quæ ubilibet à dictâ Romanâ Eccleſia tenentur, confiſcamus; aliis verò feudis, juribus, honoribus & offi-

a *ruinam*] Sic emendamus ex codice Harlæano: Acherius ediderat, *animam*.
b *ſecundo*] In codice Harlæano *pridie*.

c *& tempore*] Sic codex jam laudatus, emendatè: prior editio, *& ipſe*, corruptè
d *brevi*] Vox addita è ſæpiùs jam memorato codice.

ciis, & aliis immobilibus bonis, quæ à quibuſvis aliis habent & habebunt Eccleſiis, ſunt ipſo jure privati; quæ ſic liberè ad eaſdem revertantur Eccleſias, quòd de illis earum Rectores pro ſuâ valeant diſponere voluntate, nec cauſæ quæcumque ad eorum vel alterius ipſorum, aut aliis præmiſſurum ſcelerum patratorum audientiam perferantur. Nec ipſorum valeant ſententiæ, vel proceſſus; & inſtrumenta confecta per illos, ea eis qui tabellionatûs obtinebunt officia, nullam habeant roboris firmitatem.

Et inſuper omnes & ſinguli qui cum prædictis aut eorum aliquo, ipſorum contumaciâ perdurante confœderationem, ſocietatem, colligationem, [e] ſeu
e ligam fecerint, vel ipſos juverint, aut eis dederint auxilium, conſilium, vel favorem, directè vel indirectè, publicè vel occultè, in rebellione & aliis prædictis, ſi perſonæ ſingulares fuerint, etiamſi Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriarchali, vel Cardinalatûs, Imperiali, Regali, ſeu quâvis aliâ fulgeant, ut præmittitur, dignitate Eccleſiaſticâ vel
f mundanà, anathematis, [f] Si verò civitas, caſtrum, locus, aut villa, Univerſitas Eccleſiaſtica vel mundana, vel Communitas aut Collegium fuerit, quibuſcumque privilegiis aut gratiis à nobis vel prædeceſſuribus noſtris conceſſis ſint ipſo facto privati; & nihilominùs Eccleſiaſtici ſubjaceant interdicti ſententiis, à quibus nullus præterquàm à Romano Pontifice abſolutionem ſeu relaxationem poſſit, niſi dumtaxat in eodem mortis articulo, ab eâdem anathematis ſeu excommunicationis ſententiâ, ſicut in caſibus antedictis exprimitur, obtinere. Prædictas & quaſvis alias confœderationes, colligationes & ligas, necnon & pactiones, conventiones, & obligationes quaſcumque inter prædictos hujuſmodi exceſſuum patratores, & quaſvis alias ſingulares perſonas quâcumque dignitate fulgentes, ſeu Communitates vel Univerſitates, ſub quâvis forma verborum factas, & quas in poſterum fieri contigerit, etiamſi fuerint juramentis, promiſſionibus, obligationibus, pœnarum adjectionibus, vel aliâ quâcumque firmitate vallatæ, annullamus, caſſamus, irritamus, & vacuas viribus nuntiamus, ac nullam habere decernimus roboris firmitatem, pœnis aliis contrà tales à nobis vel prædeceſſoribus noſtris quomodolibet inflictis in ſuo robore duraturis, non obſtantibus quibuſcumque conſtitutionibus, ordinationibus, privilegiis, libertatibus, gratiis, & indulgentiis, ac immunitatibus Apoſtolicis à nobis vel prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus editis & conceſſis, quibuſcumque & qualitercumque, & ſub quâcumque formâ verborum, etiamſi de illis & totis eorum tenoribus de verbo ad verbum ſpecialis & expreſſa eſſet mentio facienda, & qualemcumque clauſulam derogatoriam contineant, quam & quas de certâ ſcientiâ & plenitudine poteſtatis tenore præſentium revocamus, in quantum poſſent prædictorum effectum ſuſpendere, impedire, vel ſibi in aliquo derogare, ſeu ſi aliquibus à Sede Apoſtolicâ ſit indultum, quòd excommunicari, ſuſpendi, vel interdici nequeant per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, & de verbo ad verbum de indulto prædicto, ac eorum perſonis & locis, nominibus propriis vel ordinibus, ſeu dignitatibus mentionem, & aliis contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ promulgationis, declarationis, ſuſpenſionis, privationis, confiſcationis, annullationis, caſſationis, irritationis, nuntiationis, conſtitutionis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem Omnipotentis Dei & Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Maſſiliæ apud Sanctum Victorem decimoquarto Cal. Junii, Pontificatûs noſtri anno decimo tertio.

Papa B. intimat proceſſus præfatos Regi Franciæ. Anno 1408.

BENEDICTUS, &c. Cariſſimo in Chriſto filio CAROLO Regi Franc. Illuſtri Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Utinam, Fili cariſſime, ad plenum tibi pateret noſtræ ad tuam magnificentiam ſinceritatis affectus! Utinam plenè intelligeres noſtri erga te animi puritatem! Etenim profectò cognoſceres nos tamquam patrem benevolum more paterno de tam cari filii gaudere profectibus, & de ſiniſtris eventibus condolere; inde proceſſus noſtros ſinceræ intentionis [a] interpretes, calumnioſo non a
admiſſo ſuſurro, filiali benevolentiâ æſtimares, & obſtruerentur apud te ora loquentium iniqua; locus ampliùs detractioni non eſſet, detractoribus clauderetur aditus, nec præſtaretur auditus, ſed in regno tuo adversùs Eccleſiam ſanctam matrem tuam perſequutionum turbines jam ceſſarent. Noſti etenim, inclyte Princeps, & fama publica operibus comprobata ad tuam notitiam ſæpe deduxit, quantos labores ſumus perpeſſi, quantâ ſollicitudine, quantâve inſtantiâ per nos pax Eccleſiæ fuerit procurata. Inſtitimus utique diligenter apud illos, qui Sedem Apoſtolicam per vitium intruſionis temerè occupantes, ſchiſma peſtiferum plurimos jam per annos nutrierunt; & præſertim apud Angelum Corrario, qui ſe GREGORIUM appellans modernis temporibus in hac parte adverſatur Eccleſiæ, & qui poſt oblatam ab utroque viam ceſſionis, & concordiam habitam de conventione in civitate Saonæ, & poſt oblationes alias de conveniendo in locis etiam ſuæ Obedientiæ, nihil eorum deducere voluit ad effectum, ſed
per fruſtratorias dilationes negotium Dei [b] duxit, & b
ducit ut manifeſtè cernitur, cautelosè.

Et quamquam adeo notorium ſit, quod nullâ poteſt tergiverſatione celari, quòd per nos non ſtetit nec ſtat quin ſchiſmate depulſo vera unio in Dei Eccleſiâ celeriter habeatur, ecce non deſunt [c], ut au- c
divimus, qui apud Excellentiam tuam contrà nos ſine cauſâ, non tamen ſine malitiâ, ſubmurmurant, famæ noſtræ puritatem maledicis lacerare conviciis ſatagentes: non deſunt qui tuam & aliorum Principum de ſanguine tuo devotionem turbare ſtudentes, actus noſtros calumniantur injuſtè, aſſerentes, licet minùs verè, quòd circà conſequendam Eccleſiaſticam unitatem, quam ipſi exquiſitis modis turbare nituntur, diligentiam ſollicitam non præſtamus; verùm etſi in talibus veritas pro nobis ipſa reſpondeat, & ipſius evidentia tales falſitatum figulos, & ipſorum figmenta manifeſtè confringat, ipſis, ut
æſtimamus, ſuggerentibus actum eſt quòd cùm [d] d
per tuam Magnificentiam, à cujus progenitoribus memoriæ recolendæ, præſertim circa ſedanda ſchiſmata Eccleſia magnificè adjuta in ſuis neceſſitatibus

e *colligationem*] Codex Harlæanus *obligationem.*
f *anathematis*] Hæc uſque ad *vel communitas*, non leguntur in codice Harlæano.
a *intentionis*] Sic Harlæanus Codex; prior editio *dilectionis.*
b *negotium Dei*] Ultima vox addita è Codice Harlæano, quo aſi ſumus ad alia vitia leviora tollenda
c *non deſunt* Sic laudatus codex, & quidem optimè; prior editio hoc loco, perinde atque infinitis aliis locis corrupta erat; in eâ enim legebatur, *non deſunt.*
d *quod cum*] Hæ duæ voces additæ ſunt è laudato codice Harlæano.

reſpiravit, crederemus inter anguſtias hujus temporis relevari; unde præſtolabamur quòd ſperatæ quietis nobis ſerenitas arrideret, inde in oppreſſionum inquietos anfractus mergimur; & ne de juribus noſtræ Cameræ ad proſequutionem præfatæ unionis & vitæ noſtræ ſuſtentationem neceſſariis nobis reſpondeatur, à ſuâ Curiâ emanavit edictum, cujus prætextu ferè biennio jam exacto jura ſunt nobis ipſa ſubtracta, proviſionibus de nonnullis Eccleſiis in dicto Regno canonicè per nos factis non paretur, nec permittuntur earum Prælati ipſarum poſſeſſione gaudere. Quodque nonnulli Catholicæ veritatis æmuli, qui contrà nos & Romanam Eccleſiam rebellionis calcaneum erigere præſumſerunt, à nobis, quod eſt contrà Canonicas ſanctiones, appellationes interponere non verentes, multa etiam in tuâ præſentia contrà veritatem Catholicæ partis noſtræ publicè dogmatizant, varios errores contrà ſinceritatem fidei ſeminantes, permittuntur concluſiones nefarias, falſa intermiſcendo pro veris, proterviter ſuſtinere. Sed adhuc, quod referimus diſplicenter, venerunt in hac villâ ad noſtram præſentiam dilecti Filii nobiles viri Johannes de Caſtromorandi, & Johannes de Tomizeio [e] Ambaſſiatores tui, qui nobis pro parte suâ quaſdam literas tuo ſigillo munitas præſentarunt, per quas nobis ſignificas in effectu, quòd niſi uſque ad feſtum Aſcenſionis Domini proximè futurum præfata ſit unitas ſubſequuta, & unus ſolus verus & indubitatus Papa & Paſtor Eccleſiæ univerſalis habeatur, Tu, Clerus & aliæ genses Regni tui, &, etiam Delphinatûs Viennenſis, ut ſuis verbis utamur, eritis neutrales, & non facies, præſtabis, aut exhibebis, nec ſuſtinebis per aliquos de tuis ſubditis, à tunc in antea nobis, nec alicui qui teneat ſtatum noſtrum, obedientiam aliquam exhiberi.

Ex quibus, Fili cariſſime, ſi noſtra ſint commota viſcera, ſi juſtus nos dolor affligat, conſidera. Suntne iſta indicia cari filii veræ dilectionis ad patrem? Ex his namque ultrà alia multa inconvenientia hæc ſequuntur; nam qui tibi & aliis Principibus de ſanguine tuo venenata conſilia præbent, conantur te & alios cum eis in præcipitium trahere; fama inclytæ domûs tuæ non ſine gravi maculâ læditur, omnipotentiæ divinæ detrahitur, cum ejus miſericordiæ, qui certis regulis aut præfinitionibus temporum non artatur, terminus præfigitur, unio de directo impeditur, & duratio ſchiſmatis procuratur; cum adverſarius & ſequaces ſui ex his in ſuperbiam elevati, ad concordiam flecti non poſſint, ſed duriores efficiantur, ſperantes de proximo nobis & parti noſtræ comminata ſubventura ſubtractionis obedientiæ, & ſubdiviſionis ſcandala proventura, quibus noſtræ partis Catholicæ Eccleſiæ veritas obfuſcata deprimitur, & ſuæ tyrannicæ intruſionis violentia, quæ viribus jam ferè nudata languebat, noſtris oppreſſionibus roboratur. Verùm, dilectiſſime Fili, nos cui cuſtodia Dominici gregis commiſſa eſt, talia, quæ in divinæ Majeſtatis offenſam, & animarum periculum, & præfatæ unitatis turbationem, ac tuæ * & inclytæ domûs tuæ læſionem famæ redundare videntur, ampliùs ſuſtinere æquanimiter non valentes, Serenitatem tuam, quam per varias ſuggeſtiones decipi graviter doleremus [f], rogamus & hortamur in Domino, te in ejus vero ſalutari requirentes, quatenùs aures regias non accommodes malevolis, qui forſe quærunt in noſtrâ & Eccleſiæ * ac tuâ, & tuorum turbatione, & in alienis diſpendiis ſua lucra venari; ſed noſtrorum proceſſuum, de quibus per ea quæ tibi per nos ſcripta ſunt plenè conſtat, cauſas & ordinem ac puram procedentis intentionem tuo prudenti conſilio & ſpiritu quieto diſcutias, & inde rectum ſequendo judicium, omni turbationis materiâ ſummotâ, prædicta & alia nobis & Eccleſiæ in Regno, & terris tuis, illata gravamina & attentata in præjudicium Eccleſiaſticæ libertatis revoces & annulles, ac reducas & reduci facias ad ſtatum debitum & primævum. Et inſuper ad ea quæ ſcribis nullatenùs procedas, cum non expediat ſuæ excellentiæ & honori. Si enim in hoc paternis acquieveris monitis, ultrà humanæ laudis præconium æternæ retributionis tibi præmium accreſcet; & Apoſtolicæ Sedis ac noſtram benevolentiam ad tua beneplacita inclinabis. Nec te aliquis, amantiſſime Fili, vano decipiat errore: ſcire enim te volumus ultrà pœnas & ſententias à jure prolatas & homine, alias per quamdam conſtitutionem dudum à nobis editam promulgatas, quam ſub Bullâ noſtrâ cum præſentibus tibi mittimus, te & alios talia committentes, quod abſit, incurſuros: quod adeo feciſſe fatemur, & tibi voluiſſe præſentibus intimare, ut erga te & Chriſti populum nobis [g] commiſſum paternæ dilectionis, & curæ paſtoralis debitum perſolventes, & te ac cæteros Catholicos Principes, & cunctos fideles, à tam gravi divinæ Majeſtatis offenſâ, quantum in nobis eſt, præſervemus, & ne in extremo judicio pereuntium ſanguis, ſi talia diſſimulando conniventibus oculis tranſiremus, de noſtris manibus requiratur.

Datum apud Portum Veneris, Januenſis Diœceſis, xiv. Kal. Maii, Pôtificatûs noſtri anno decimoquarto.

Anno 1408.

Litera utriuſque Collegii Cardinalium Univerſitati Pariſienſi directa.

Miſeratione divinâ Epiſcopi, Preſbyteri, & Diaconi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ utriuſque Collegii Cardinales, venerabilibus & doctiſſimis viris Rectori, cæteriſque Magiſtris ſacræ Univerſitatis Studii Pariſienſis, Salutem. Super ſtatu atque conditionibus præſentium rerum & ſpe jamjam infirmâ parte repoſitâ Reipublicæ reformandæ, tollendique diſſidii de medio campo Orthodoxæ fidei, ſcribimus quantum pro nunc velocitas rerum patitur Chriſtianiſſimo Domino Regi Francorum in hæc verba:

Litera Regi Francorum.

Chriſtianiſſimo ac Sereniſſimo Principi Domino Carolo Francorum Regi, Veſtri Epiſcopi, Preſbyteri, & Diaconi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ utriuſque Collegii Cardinales, ſalutem in eo per quem Reges regnant, & diſperſiones Iſraëlis congregare. Certi ſumus devotionem veſtram non latere progreſſum amborum Dominorum contendentium de Papatu, neque ignorare ex veſtris accuratiſſimis ſtudiis, quibus oſtenſionibus, quibus palliationibus, quibuſve operibus aut affectibus, & ad quem exitum cauſa unionis Eccleſiæ ſanctæ Dei ab eiſdem contendentibus finaliter ſit perducta, imò quod non ſine dolore revolvimus, niſi de medio occurratur, nunquam magis propè in exilium coarctatam. Nos itaque quorum ex utrâque parte præ cæteris maximè in hac rerum vertigine, & ſupremo animarum periculo intereſt rebus tam gravibus obviare; utrimque decrevimus Spiritu ſancto dictante in uno

e *Tomizeio*] Codex Harlæus, *Courſejo*.

f *doleremus*] Hic etiam Cod. Harlæanum ſequimur, expunctis ineptis vocibus *non tenentes*, quæ legebantur in priori editione. Ex eodem codice ſuprà adſcripſimus *tua &c.* & infrà, *& Eccleſiæ*.

g *nobis*] Sic Harlæanus codex: prior editio *tibi*, fortaſſe non malè.

loco pro ſummo remedio convenire, ut ſicut jam mutua noſtrorum vota in unum aſpirabant, illud palam cum expreſſione operis atque pro viribus demonſtraremus. Eo igitur Spiritu ſancto agente annuit Deus piiſſimis votis noſtris, ut quod mente conceperamus, repente cum multorum admiratione impleremus. Venimus namque ad hanc terram veſtræ Celſitudinis, & in ſummâ pauculis diebus intermiſſis, ita in omni agendorum materiâ dictæ unionis attingendæ convenimus, ita concordes tamquam ex una mente per omnia ad rem ipſam perficiendam percuſſi, ut divinum potiùs quàm humanum fuerimus arbitrati. Rebus autem, Sereniſſime Princeps, ſic ſtantibus, ut præfertur, literas veſtras regales cuilibet noſtrûm Collegio directas accepimus gaudenter: tum quia ex illis cognovimus circà cœpta veſtram laudabilem perſeverantiam huic ſancto operi non deeſſe, tum etiam potiſſimè quia noſter effectus cum veſtro non diſcrepat. Et quod Regia Majeſtas nobis per ſuas literas ſuadebat, jam ferè opere complevisse, prout per ea quæ Dominus Patriarcha Alexandrinus Conſiliarius veſter, qui abhinc infrà breve recedet, particulariùs explicabit, veſtra Regia Majeſtas agnoſcet; quam ille conſervare dignetur cujus, &c.

Et quia ex præmiſſis licet pauculis pro præſenti attendere poteritis quantum materia, de quâ agitur, ad ſummum ejus divinis potiùs quàm humanis conſiliis dirigatur; & per dictum Dominum Patriarcham, alioſque Collegas redeuntes ad propria ob eamdem cauſam poteritis informari. Nihilominùs quia interea poſſunt multa ad opus dictæ materiæ vobis ſollicitantibus procurari, hortamur igitur vos, quatenùs circà illa velitis pro viribus inſiſtere, juxtà quod per literas Ambaſſiatorum Regiorum hîc exiſtentium eritis medullitùs informati.

Datum in Villâ de Liburno Piſani Diœceſis, ſub ſigillis noſtrûm ſex utriuſque Collegii prioris, ultima die menſis Junii, Anno Domini MCCCCVIII.

Anno 1408

Copia Literæ neutralitatis factæ per Dominos Cardinales alterius partis, tunc ſcilicet Domino GREGORIO *obedientes.*

Miſeratione divinâ Epiſcopi, Preſbyteri & Diaconi Sacro-ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, univerſis Chriſti Fidelibus præſentes litteras inſpecturis, Salutem in Domino ſempiternam. Quamvis ea quæ circà pacem & unionem univerſalis Eccleſiæ ſanctæ retroactis temporibus geſſimus, non dubitemus ex litteris & ſcripturis noſtris ad omnium veſtrûm notitiam deveniſſe, nihilominùs tamen ulteriori curâ miſerabili ſtatui ejuſdem Eccleſiæ & populi Chriſtiani ſuccurrere & providere cupientes, pauca admodum priùs acta reſumi convenit, dum ad ulteriora quæ reſtant, gratiâ nobis aſſiſtente divinâ, ſumus proceſſuri. Noviſtis enim ſatis quibus obligationibus, promiſſionibus, & modis Dominus GREGORIUS ad unionem in dictâ Eccleſiâ faciendam fuerit & ſit adſtrictus, & quibus pollicitationibus ſe illam facturum totimundo promiſerit, oculi cunctorum literis ſuis ſollicitati inſpexerunt: quorum omnium immemor, ſuis promiſſionibus, votis, & juramentis reiteratis vicibus factis per eum ſpretis & ad ludibrium tractis, damnatum ſchiſma, pro dolor! in ipſa Eccleſiâ inveteratum nequiter & pertinaciter fovere & manutenere, Chriſtianumque populum ſecum in participium hæreſis trahere, non ſolum non abhorret, ſed ſummâ diligentiâ nititur & procurat, ut ſic poſitus ad gubernationem populorum, factus ſit ruina multorum. Nos enim qui unà cum diverſorum Chriſti Fidelium, Regum, & aliorum Principum, ac Civitatum, Communitatum, Oratoribus & Ambaſſiatoribus propter. a Curiam dicti Gregorii tunc ſequentibus cum eodem Gregorio omnibus viis & modis quibus potuimus, ut prædictum ſchiſma juxtà promiſſiones, vota & juramenta tolleret, & Eccleſiam Dei prædictam ad unitatem reduceret, diligenter indeſinenterque tractaveramus & laboraveramus; conſiderantes, & per experientiam comprobantes, omnem diligentiam, omneſque labores & tractatus propterea factos, penitùs irritos & inanes, quodque nulla ſupererat ſpes proficiendi in hujuſmodi unionis materiâ cum Gregorio antedicto, ſed ipſum in dies magis & magis ac pertinaciùs ad dictum ſchiſma fovendum & manutenendum ſævientem [a], imò nobis ne de ipsâ unionis materia de cætero tractaremus publicè in effectu prohibentem, eumdem Gregorium velut hæreticum [b] & nutritorem ſchiſmatis antiquati dereliquimus ſibi, cùm juxta canonicas ſanctiones peccatum ſit ei obedientiam præſtare, die undecima menſis Maii proximè præteriti omnem quantum in nobis fuit obedientiam juxtà juris exigentiam abſtraximus; ac receſſimus ab eodem, diſpoſiti ut oportuit & oportet ex adverſo conſurgere, & murum nos opponere pro domo Iſraël; ſic enim Dominicâ voce præcipitur, ſeparandum à tabernaculis talium duriſſimorum hominum prout ipſe eſt, & eum ſequentes, ne ſimul pereamus in peccatis eorum; nam ſimili ſupplicio digni ſunt qui fuerunt peccatis eorum contaminati, juxtà divinas & canonicas ſanctiones.

Vobis igitur omnibus & ſingulis intimamus & notum facimus per præſentes, ab ipſius Gregorii obedientiâ penitùs & omnino deſiſtendum & recedendum fore, ſibique in ſuâ pertinaciâ perfidâ aſſiſtentes, & adhærentes, veluti ſchiſma foventes cenſeri debere & multari; necnon omnes & ſingulas promotiones & proviſiones Metropolitanarum & Cathedralium Eccleſiarum, ac Monaſteriorum quorumcumque; necnon literas, commiſſiones, & conceſſiones quaſcomque, ſive gratiam, ſive juſtitiam continentes, per eumdem Gregorium ſeu ejus prætensâ auctoritate ab eâdem die citrà factas & in antea faciendas, ſimiliter & omnes tam definitivas [c] quàm alias ſententias in quibuſcumque cauſis per ipſum Gregorium ſeu de ejus mandato, vel prætensâ auctoritate in ſuâ Curia interim latas & in antea ferendas, ipſo jure fore nullas & invalidas, eaſque, ac omnia & ſingula alia, quæ per eumdem Gregorium ſub titulo Romani Pontificis, aut ſua auctoritate ſupradicta, à dicta die citrà, ſive per modum juſtitiæ, ſive per modû gratiæ, etiam proprio vel alio quocumque motu [d] conceſſa ſeu facta, vel in futurum fieri contigerit, per primum Romanum Pontificem, prout juris fuerit, faciemus, gratiâ nobis aſſiſtente divinâ, nulla & invalida declarare, & in quantum de facto proceſſerint & expedirent, penitùs caſſari & etiâ revocari. Idcircò etiam, præſertim vos Reverendos in Chriſto Patres & Dominos, Dominos Legatos

a *manutenendum ſævientem*] Sic Harlæanus codex: prior editio, *manutenendo ſæviente.*

b *hæreticum &*] Hæc in codice Harlæano non leguntur. Monendus eſt lector in priori editione Gregorium nunquam nominari, quin Dominus dicatur. Quem honoris titulum cum ei denegetur in codice Harlæano, nos ubique expunximus.

c *definitivas*] In codice Harlæano legitur *beneficiales*. Alia ſunt in eodem codice, in quibus ab editis differt, ſed ejuſmodi ut ea exſcribere pigeat.

d *motu*] Sic laudatus codex, haud paulo meliùs quam prior editio, *modo*.

Apoſtolicæ Sedis, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios quarumcumque Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, & aliarum Eccleſiarum, necnon Monaſteriorum Prælatos, Rectores & Beneficiatos, præcipuè & vos ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Officiarios, & alios curiam Romanam ſequentes: Voſque etiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in ſpiritualibus & temporalibus Vicarios & vaſſallos, ac omnes & ſingulos ab ipſâ Romanâ Eccleſiâ vicariatus, officia, dominia [e], feuda, terras, poſſeſſiones, ſeu alia cujuſcumque generis bona tenentes, vel cenſum aut canonem ſeu aliàs alicujuſmodi debitum Cameræ Apoſtolicæ ſolvere debentes, tenore præſentium rogamus & hortamur in Domino, & quantum in nobis eſt, requirimus & monemus, quatenùs ab ipſius Gregorii obedientiâ penitùs & omninò deſiſtatis & recedatis, nec ei aut Cameræ Apoſtolicæ ſuo nomine de communibus vel minutis ſervitiis, ſeu annatis beneficiorum Eccleſiaſticorum, vel vaſſallagiis ſeu cenſibus, aut alicujus alterius generis debito quocumque nomine nuncupentur, per Clericos vel per Laïcos prædictæ Cameræ quoquo modo ſolvi conſueto aliquatenùs reſpondeatis; nec per veſtros ſubditos reſpondere faciatis, aut etiam permittatis. Si enim talibus honoribus boniſque temporalibus, obedientiâ inſuper & reverentiâ ſe viderit denudatum, ab hujuſmodi temeritate & obſtinatione deſiſtet, & rubore ſuffuſus ad humilitatis gratiam & ad ſanctiſſimæ unionis eff. ctum [f] tam ipſe quàm ejus conſultores, imò potiùs deceptores debebunt veriſimiliter inclinati; ſcituri quòd contrarium facientes velut inveteratum ſchiſma foventes, & manutenentes, ut Schiſmaticos, & fautores inveterati ſchiſmatis perſequemur, & eos juxtà ſacros Canones ut Schiſmaticus ſuſpenſus à ſuis beneficiis, dignitatibus, & omni honore Eccleſiaſtico jam habitis & obtentis nuntiando; & inſuper ad ſolutionem debitam dictæ Cameræ tempore congruo faciendam denuò compellentur. Et ſcientes quòd ad prædicta ſolvenda de cætero vos non adſtringunt promiſſiones, fidelitates, homagia, juramenta, & alia vincula quæcumque, imò de jure penitùs ab eis eſtis ipſo jure abſoluti & liberati quoad ipſum. Et ne aliquis vel aliqui prætextu ignorantiæ iſtius noſtræ notificationis, intimationis & ſaluberrimæ monitionis ſe valeat ſeu valeant excuſare, vos reverendiſſimos Patres & Dominos, Dominos Cardinales, Apoſtolicæ Sedis Legatos, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios ſupradictos in Domino exhortamur quatenùs præſentem noſtram deliberationem & notificationem tam utilem quàm neceſſariam ſanctiſſimæ unioni faciliùs obtinendæ, per veſtras legationes, provincias, diœceſes & loca quælibet publicetis; ita quòd ad omnium Catholicorum notitiam veriſimiliter debeant pervenire. Cæterùm ad illorum conſolationem qui nos pro hujuſmodi ſchiſmatis exſtirpatione, & univerſalis Eccleſiæ unione continuè ſatagentes ſequendo, exercitio & emolumentis officiorum dictæ Sedis hactenùs forſan fruſtrati, aut ipſis officiis, ſeu eorum beneficiis, aut vicariatibus, ſeu feudis, aut aliis bonis vel juribus, vel dictum Gregorium, ſeu ejus prætenſâ auctoritate privati fuerint, vel in poſterum fruſtrari ſeu de facto privari contigerit, intendentes, faciemus, Dei nobis ad hoc gratiâ aſſiſtente, cuilibet ipſorum ſic fruſtratorum, ſeu privatorum de beneficiis, vicariatibus ſeu feudis, aut aliis bonis vel juribus, ſi quæ per adhærentes dicto Gregorio tenentur aut occupantur, ſeu de aliis eorumdem adhærentium bonis, juxtà merita & conditiones fruſtratorum & privatorum eorumdem fieri recompenſam.

Datum Liburnii Piſanenſis Diœceſis ſub trium priorum noſtrorum impreſſione ſigillorum, die primâ menſis Julii, primâ Indictione, Anno à Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo octavo.

Literæ Regis ad Regem Aragonum, exhortantes quòd non faveat PETRUM DE LUNA, *&c.* — Anno 1408

CAROLUS, &c. Salutem & pacem Eccleſiaſticam piis aſſequi laboribus. Peſtiferum ſchiſma, quod tam diù ſanctam Eccleſiam intolerabili calamitate conturbat, ex tempore [a] quo divinæ placuit voluntati nos ad regimen regni vocare, quantum ad nos attinet exſtirpare ſuſcepimus, eoque diligentiùs, quòd & noſtræ ſtirpis auctores, ac cæteri Reges Chriſticolæ, præbebant exemplum illuſtre; ſed dum tot annis Eccleſiæ labores debitos impendimus, optatâ pace frui non permittit ambitioſa cupido, unde vitiis contrà virtutem tot viribus certatum eſt, mediis quoque validiſſimis, quibus hoc monſtruoſum ſchiſma jam penè ſedatum videbatur obire, niſi ſunt, qui contegendam malè actam vitam ultimâ ætate boni aliquid ſpondebant, in quo genere cum etſi multorum crimine agitur nefario curſu, præcipuè tamen habentur inexcuſabiles duo, qui multarum animarum naufragio Chriſti ſibi vindicant auctoritatem, quorum alter dictus Angelus Corrario nec votis, nec juramentis fixus à ſanctiſſimâ viâ declinavit; alter eo procedens aſtu quo ingreſſus fuerat, omnem quam Deus dederat ſerenitatem occultis deceptionibus obnubilavit. Verùm alterum, cui, nec ſuæ parti conſenſimus unquam, obmittamus, ad Petrum de Luna convertatur intentio, cujus fuit poteſtas Obedientiam ſuam adverſæ parti ſummâ cum gloriâ conciliare. Nam ſi ſanctæ proſequutioni pacis Eccleſiaſticæ occultis fraudibus, & apertâ tandem maliâ non obſtitiſſet, deſiderata Chriſtianorum unio votis jam arriſiſſet, ſi viam ipſe mutuæ renuntiationis, quam Legatus in Regno noſtro tanto tempore laudaverat, & in Conclavi electionis juraverat, voluiſſet amplecti, ſi viam illam non oppugnaſſet, cujus tantam ſpem dederat, ut duos Duces avunculos noſtros cariſſimos & unicum fratrem, non tam ſupplicandi quàm bonæ voluntati congratulandi, mitteremus, non fuiſſet factum difficile, morte duorum adverſariorum ejus oblatâ, ambo Collegia pro unius electione convenire; ſed pertinaciter dictam viam recuſavit, non ſolùm ſupplicationibus noſtris interjectâ trium Ducum humilitate, ſed etiam Obedientiâ ſuâ penè totâ poſcente ac requirente. Eo tamen non contentus invehitur in viam ſanctiſſimam, & in injurias & peregrinas aſſertiones prorumpit, cum ſuis adverſariis occultâ colluſione convertit fœdera, omnia denique ac ex omni parte congregat Chriſtianæ paci nocitura.

Quid tunc nobis animi eſſe debuit, inclyte Rex, cum Petrus de Luna totius ſchiſmatis fundamenta nutriret? Profectò graviter & acerbè tulimus; ſed nihilominùs exſpectavimus ut aliquando conſideratione propriæ ſalutis moliretur; & ipſum iterum aggredi-

e *officia, dominia*] Priorem vocem adſcripſi, poſteriorem repoſui in locum ejus quæ legebatur *domos*: atque id ex fide Codicis Harlæani, qui alias etiam emendationes ſubminiſtravit, quas indicare haud adeo operæpretium fuerit.

f *effectum*] Sic laudatus codex: prior editio *affectum*. Ex eodem cod. ſiſtâ ſcripſimus *perſequemur*, ubi erat *proſequemur*.

a *ex tempore*] Sic poſtulabat loci ſententia. In codice tamen MS. legitur *ex parte*.

mur legationibus, literis, ac univerſo prædicandi genere, non tamen mutat ſententiam; verbis tantùm ſimulat, promittens altero mortuo, cedente, vel ejecto, ſe juri ſuo ceſſorum, in quo rurſùs Obedientiam ſuam turpiter fraudavit. Tandem verò famâ vulgatâ ſui adverſarii viam ceſſionis puræ & claræ acceptantis, petimus ſuper eàdem viâ bullas quales ante promiſerat; petuntur & alia multa fidelium paci neceſſaria; ſed nullis obtemperat quæ in pacem renuntiationis juris ſui trahere valeantur; ſubterfugia, dilationes, & fruſtratorias reſponſiones adjecit: Saonam inde profectus legatis Angeli Corrario reſpondet, renuendo quod poſtulant, poſtulando quod renuunt, in aliis contrà pacis tractatus negandis obfirmatus, ut proborum omnium humiles exhortationes ſpernens, begardis quibuſdam ac ſimulatæ religionis curam dederit ipſius & adverſarii ſui ſcire conſilia communia; ſed eo ipſo quod falſa prodendo vera celebrantur, ſuâ ſponte magis emicuerunt: hinc agenda differunt iſti duo, qui partes Eccleſiæ ab unitatis ſpiritu revocant, conſultationes, reſponſiones, denegationes, ac varias querimonias actitant, & quod eſt mirabile locis Chriſti pro ipſorum conventione nec locum aptum, nec tractatum idoneum ſub longo temporis tractu reperire; unde acerrimis dolorum anguſtiis tacti indignanter accepimus, duos homines glorioſæ Chriſti ſponſæ fraudibus & hypocriſi turpiter illudere, pro cujus pace Pater omnipotens aræ crucis proprium filium deſtinavit. Itaque re ipsâ, proh dolor! ſeptenario experti ambitioſam cathedram ſuos occupantes in tantis eis tenuiſſe adſcriptos, ut ſe nullà ratione tali ſtatu valeant abdicare, cognoſcentes propterea contendentes de hoc ſtatu ex Obedientià ſibi præſtità defenſiones corruptorum hominum ſibi comparaturos, aliis demùm magno maturoque conſilio diſtrictiùs examinatis, hyeme nuper exactâ viam neutralitatis amplexi ſumus, Aſcenſionis Domini feſto, ſi pax petita non effulgeret, exequutionem habituram. Haud multo poſt proſpiciens Petrus de Lunà ſuis aſtutiis, ambitioni, obſtinatæ hypocriſi obvians in venenum quod effundere ſatagit, Dei matris Eccleſiæ, & omnium pacem procurantium hoſtem ſeſe conſtituens, promulgat literas ab omni ratione abhorrentes, quas anno præterito, cum bonam affectionem ſimularet, clam ediderat, quibus edixit ne ullo caſu ab eo appellare aut ſubſtrahere liceat, non Regno noſtro ſolùm interdicere, ſed etiam in nos ac ſanctæ pacis procuratores univerſos excommunicationes, fulminationes, inhibitiones, & alias pœnas jacere cupiens. In his autem cum ſola verba exiſtere non ambigeret; tamen multorum Regnorum ſimplices tali vento credidit à ſanctâ proſequutione deterreri, ac inde ſpatium dari, quo cæteris medium pacis intercluderet. Ut verò ſua rabies deſæviret ampliùs, dictis literis ſubditos noſtros, ubi mallent ſuam ſectari pertinaciam, à juramento fidelitatis abſolvebat, quaſi quæreret nos diviſionibus & diſſidiis regni noſtri occupatos ab hac proſequutione ſanctæ pacis fatigari; ſed longè contrà ſuam ſpem evenit, nam uno ſpiritu regnum noſtrum viam neutralitatis ingreſſum, eum inhumaniſſimum hoſtem judicavit, qui nos eſſe divinæ humanæque gratiæ voluit exſortes. Satis ex iſtis & aliis toto orbi notiſſimis viri perfidiam ſchiſma ſuperantem cognoſcitis, inclyte Rex. Quid igitur adversùs inhumaniſſimum hoſtem Chriſti Eccleſiæ & Regni noſtri vos agere velimus, quæſumus conſiderate. Primò rogamus per pacem Eccleſiæ, ac per integram amicitiam & totam quam ad nos habetis obſecramus, ut illum atrociſſimum pacis hoſtem in vobis obedientibus terris nullatenùs recipiatis, aut ſi receptus fuerit protinùs expellatis, fautores ſuos nec apud vos nec apud veſtros verſari permittentes. Deinde per ſanguinis communis fœdus, & Regiæ Majeſtatis Celſitudinem vos obteſtamur, ut ſi in regnis aut adjacentibus terris eum contingat vocare aut celebrare Concilium, neminem vobis ſubditū ibi permittatis accedere; hoc attento præſertim quòd ambo Collegia, non ſine divina miſericordià, conſenſu, loco & rectiſſimâ voluntate pacis proximè dandæ convenerunt, cui Petrus de Luna pro ſuâ conſuetudine parat non modicam turbationem. Date itaque, Sereniſſime Rex, animum Chriſtianitati quem poſtulamus, quo pacto diviſionem ampliorem Eccleſiæ ſanctæ concorditer vitabimus, cariſſimæ amicitiæ veſtræ & illuſtriſſimo fœderi conſulentes. Chriſtus pacis Rex & Imperator veſtram Regiam poteſtatem dirigat ad Eccleſiæ ſuæ ſanctæ valida ferendum auxilia, &c.

Litera patens ex parte Cardinalium per quam PETRUS DE LUNA *convocatur ad Concilium Piſanum.* Anno 1408.

SAnctiſſimo Domino noſtro Domino BENEDICTO XIII. miſeratione divina Summo Pontifici, ſui humiles & devoti Oratores Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, nunc in Liburnio Piſinæ Diœceſis exiſtentes, pro nobis & aliis reverendiſſimis Patribus Dominis Cardinalibus, pro nunc abſentibus, nobis adhærentibus, & adhærere volentibus in hac parte, cum ſupplici & devotâ ſui recommendatione utriuſque hominis ſoſpitatem. Qualiter hoc ſchiſma peſtiferum totius corporis Eccleſiæ infectivum, unitatem lacerans, [a] & enervans charitatem, Clerum involvens tortuoſis laqueis, & ſubvertens populos erroribus, quampluribus etiam fidem tangentibus intromiſſis, ortum habuerit, & diuturnitatem adeo noxiam, veſtræ Sanctitati notum eſſe non dubitamus: hæc enim in ſui exordio modica viſa eſt quaſi quædam [b] erroris ſcintilla, cui cum per deliberationem Concilii, ut ſanctorum Patrum moris fuit, non exſtitit ſalubriter obviatum, ſed duro propoſito, viâ repulsâ Concilii, fomenta adhibita per inordinatos & pernicioſos affectus, in quibus quæſiêre homines quæ ſua ſunt non quæ Chriſti, adeò in flammam præmaximam exhalavit, mundum percurrit univerſum, concutit Clerum, ſubvertit populum, fidem maculat, ſacramenta profanat, [c] Eccleſiaſticæ cenſuræ contemptum inducit, Eccleſiæ libertatem omnino exſtinguit, & indevotos reddit Chriſti charactere inſignitos, ut vix dignoſci valeat qui exiſtat Catholicus, cum plures appareant legis divinæ tranſgreſſores, & mandatorum Dei manifeſtiſſimi contemptores. Et ſi hæc nullatenùs in laïcis toleranda, quid ait vulgus, de his qui baſes & columnæ videntur Eccleſiæ, qui horum malorum actores [d] & tantorum ſcelerum patratores [e] eſſe dicuntur, dividentes Clerum & populum, & verſi in laqueum tortuoſum ubique ponunt ſcandalum, in ſuarum & ferè omnium perniciem animarum? Nihil aliud aiunt dici

a *lacerans*] Sic codex Harlæanus hoc loco, *unitatem vulnerans, & ſuffocans charitatem.*

b *quaſi quædam*] Ex laudato codice has voces adſcripſimus.

c *profanat*] Harlæanus codex, *inficit.*

d *actores*] Hanc vocem ſubminiſtravit laudatus codex, cujus fidem ſequuti ſcripſimus *patratores eſſe dicuntur*, ubi editum erat, *diſſimulatores eſſe videntur.*

poſſe, niſi quòd tanta ſcelera contrà Deum, orthodoxam fidem, & ſanctum Spiritum animo pertinaci commiſſa, inexpiabilia [e] etiam ſacrificiis reputentur; ſic Heli peccatum longè levius, ut ſacra refert hiſtoria, inexpiabile fuit piaculum & delictum. Hæc enim, Pater Sancte, ruina tam horribilis, tamque exoſa in divinæ Majeſtatis conſpectu, ut habet communis æſtimatio, in manu noſtrà ludibrua plena, & utinam non blaſphemiis infecta, ad noſtri reprobationem conſiſtit, qui cum [f] ex debito deberemus * ut tenemur ut præmiſſa tollerentur de medio noſtros indefeſſos adhibuiſſe labores, noſtra quæcumque exponere, etiam titulos dignitatum, animas noſtras, & ultroneè bibere calicem Paſſionis; ambulaſſe videmur [g] per devia & non plana, & velut cæci palpantes ad clauſos parietes, apertam latamque & planam januam refugimus * velut ſpinoſis aculeis & venenoſis jaculis conſertam, & juxtà noſtram [h] aſſertionem in conſpectu Altiſſimi & hominum judicio communi, voluntariam & non ſanam, fulcitam magnis periculis, licet in illâ conſiſtat ſumma ſecuritas, & hominum conſcientiarum indubia ſinceritas, ex quibus longo tempore declinata fuit ceſſionis via, quæ in ingreſſu planæ januæ conſiſtebat ſolitaria, cum Dei gravi offenſâ innumerarumque periculis animarum. Et quamvis ex poſt multis annorum curriculis fuerit hæc via ſancta & neceſſaria & communi omnium Fidelium judicio prælecta, cum Angelo Corrario Gregorio nominatu per veſtram Sanctitatem recepta & etiam approbata, tot tamen & tantæ in illius habendâ deſideratâ exequutione adhibitæ difficultates, variationes, dilationes, ac repudia circà locorum electionem & ſecuritatea hinc inde, quòd nullus effectus ſequutus eſt, nec abinde ſperatur modo aliquo proventurus, ſed quodam receſſu perpetuo in dicto pacis tractatu, imò veriùs repudio perenni abiiſtis in viam longinquam, unus ut [i] regnum ſibi compar̄et, alter ut juga boum probet, etiam ſub tyranno, nunquam ad Agni nuptias per unitatis vinculum [l] intraturi.

Quæ mala ſub brevi compendio deſcripta conſiderantes providè, ac pia mentis conſideratione penſantes reverendiſſimi Patres nominati in parte aliâ Cardinales à dicto Angelo Corrario, Gregorio nominato, ad omnem viam habendæ unionis pluſquàm deſcribi poſſet, mente & propoſito indurato receſſerunt juxtà divina mandata; ad quos de veſtræ Sanctitatis permiſſu & voluntate expreſſâ quatuor ex nobis directi fuêre cum quibuſdam [m] aliis ſervitoribus veſtræ Sanctitatis, ſcilicet Toloſano, Rothomagenſi, & Terragonenſi Archiepiſcopis, & generali Prædicatorum Magiſtro, & convenientibus in Liburnio cum quatuor ex eis Cardinalibus nominatis, & demum nos omnes & ipſi in unum convenientes, perſpeximus communi & concordi voto, & maturà deliberatione habitâ, cum multis notabilibus Prælatis, & quamplurimis literatis viris Deum timentibus, & pacem Eccleſiæ habentibus in fervore charitatis, fore neceſſarium, ut per Eccleſiam univerſalem congregatam huic tam peſtilenti morbo & inveterato laqueo erroribus fidem tangentibus pleno, ſubveniatur & occurratur in brevi, ad ſerenandas omnium Fidelium conſcientias, errores ſubmovendos notorios, virtutes inſerendas, morum & Eccleſiæ reformationem debitam; & ſalubrem quod per nos [n] ſanctitati veſtræ mandatum exſtitit in Portu Veneris; quæ eadem ſanctitas nobis per magiſtrum Symonem Salvatoris remandavit eamdem congregationem ſibi in loco Saonæ placere. Verùm cum ex aliquibus occaſionibus ſupervenientibus eadem ſanctitas negotio infecto & rupto inopinatò à dicto loco Portus Veneris; imò totâ Italiâ receſſerit, volentes in quantum in nobis eſt prædictam viam per vos noviſſimè approbatam exequutioni demandare, viſum eſt nobis, & etiam aliis rationibus ſuo loco dicendis, quòd per nos in noſtrâ obedientiâ; & alios nominatos Cardinales in ſuâ, Prælati & alii qui vocandi fuerint, convocentur per nos in civitate Piſanâ, & per illos in eâdem ad terminum xxv. diei [o] Martii proximè futuri; & hunc modum convocationis communi aſſenſu aſſumſimus propter neutrales [p] qui ad veſtram & dicti Angeli vocationem nullatenùs venirent, & propter defectus aliàs habitos in convocatione Concilii, de quo ſæpiſſimè, & diverſis decurſis temporum intervallis fuit per nos veſtra Sanctitas requiſita, & eidem humiliter ſupplicatum, & aliquando promiſſum, ſed nullatenùs adimpletum, & ut omnis adhibeatur cautela, ex abundanti vobis tenore præſentium ſupplicamus, & inſtanter requirimus, quatenùs quantum in vobis eſt, dictæ convocationi aſſenſum præbeatis & opem; & quòd Sanctitati veſtræ placeat in dictis loco & termino perſonaliter intereſſe, & convenire [q] nobiſcum & aliis Prælatis qui fuerint convocati; in quo nobis procurantibus plena & ſufficiens ſecuritas præſtabitur in veniendo, ſtando & recedendo, & de quâ ante dictum terminum congruo reſervato intervallo Sanctitatem veſtram certificare curabimus, & nos ſeu noſtrorum major pars eamdem Sanctitatem [r] humiliter commeare, cum omni honorificentiâ quæ Summo debetur Pontifici, & honorificè tractare ante conſummationem unitatis & pacis, & poſt ipſius exitum felicem. Hæc enim convocatio ad locum & terminum antedictos nullo valet colore difficultari, impediri, ſeu quocumque conficto pallio differri, declinari ſeu mutari: cum etſi in Sanctitate veſtra corporalis infirmitas vel aliud occurreret impedimentum, ſeu aliàs abſentiæ juſta cauſa, poſſit & debeat, de quo vos ſolemniter requirimus, & aliàs fuit per nos conſultum, hoc Dei tam neceſſarium negotium, quoad illa quæ per vos facienda exiſtunt, per Deputatum à vobis quoad omnia neceſſaria vel expedientia præambula ſufficientem auctoritatem habentem, perfici, & per Procuratorem ſufficienti & ſpeciali mandato ac irrevocabili munitum, ceſſio pro parte veſtrâ fieri valeat; Angelo nominato Gregorio

e *inexpiabilia*] ſequebatur in editis *teſte ſcripturâ*, quæ voces in Harlæano codice non leguntur.

f *qui cum*] Sic laudatus codex: prior editio, *qui tamen . . . . debemus.*

g *ambulaſſe videmur*] Prior editio, *ambulatum eſt* perſpicuè malè. At Harlæanus codex quem ſequimur optimè.

h *noſtram*] Vocem hanc addidimus è ſuperiùs memorato codice, quem etiam ſuprà ſequuti ſumus, ubi legebatur *aperta, lataque & plena janua rejecta eſt.*

i *unus ut*] Totum hoc uſque ad *nunquam* deerat in priori editione & additum eſt ex cod. Harl.

l *vinculum*] Sequebatur in priori editione, *ut à multis creditur.*

m *cum quibuſdam*] Hoc etiam uſque ad *& convenientibus*, adſcriptum eſt ex codice Harlæano, quod ſanè non levis momenti videbitur Hiſtoriæ ſtudioſis.

n *quod per nos*] Hic etiam Codex Harlæanus mirificè nos juvat; ex illo enim deſumptum eſt quidquid deinde legitur uſque ad illum locum: *quod per nos in noſtrâ.*

o *xxv. diei*] Hic variat Harlæanus codex: ſic enim habet: *terminum Purificationis proxime futurum.*

p *neutrales*] Sequebatur in priori editione *& illos qui de obedientiâ dicti Angeli ad noſtram, & etiam illos de veſtrâ*: quod profectò ſupervacuum erat. In codice Harlæano pro *nullatenus* habetur: *de facili non.*

q *& convenire*] Quod ſequitur uſque ad has voces *in quo nobis*, adſcriptum eſt ex codice Harlæano. Horum loco in priori editione legebatur, *& in Concilio convenire.*

r *eamdem ſanctitatem*] Sic laudatus codex. Editi, *cum veſtrâ ſanctitate.*

cedente in propriâ perſonâ, vel per Procuratorem ſimilem poteſtatem habentem, & irrevocabile & ſpeciale mandatum, vel ipſo ſublato de medio, vel canonicè per Eccleſiam ejecto.

Quòd ſi dictæ convocationi opem & aſſenſum præſtare refugeritis, & in loco & termino antedictis convenire, vel deputatum Procuratorem, ut præmittitur, deſtinare, cum extra terminos Italiæ nequeant partes, ſeu ipſarum altera, ad conſummationem unitatis habendæ multis conſideratis ita commodè & utiliter convenire, attento [f] quod per Concilia particularia, ſi diviſis & in locis diviſim longâ diſtantiâ ſeparatis tenerentur, ſchiſma exſtirpari non poſſet, Nos, & alii, qui ad vocationem noſtram venerint, procedemus in negotio unionis habendæ & ſchiſmatis tam horrendi, errorumque fidem tangentium exſtirpatione, cum Collegio partis alterius, ac cum [t] Concilio vocatorum per nos & ipſos, attentis promiſſis juratis & conventis per Sanctitatem veſtram & dictum Angelum, ut dictaverit Spiritûs ſancti gratia, & aliàs fuit per Sanctos Patres in Romanâ Eccleſiâ ſalubriter obſervatum, veſtrâ, & dicti Angeli, ſeu alterius abſentiâ non obſtante. In quo Reges [u] & catholicos Principes ac alios potentes Deo & Eccleſiæ devotos, quorum auxilium Eccleſiæ deeſſe non conſuevit, devotiſſimè imploramus, incunctanter ob Dei reverentiâ habebit Eccleſia adjutores & exequutores eorum quæ fuerint in Concilio per congregatam Eccleſiam ordinata.

Supplicantes vicibus iteratis, & exhortantes Sanctitatem veſtram in Domino, & per viſcera miſericordiæ Jesu-Christi, qui Eccleſiam ſuam fundavit pretioſo ſanguine, unamque eſſe voluit, ac in unitate Spiritûs permanſuram, ſine quâ & extrà quam non eſt ſalus, quatenùs convocationi jam dictæ in loco, & termino antedictis fiendæ opem & auxilium, ut decet zelatorem domûs Dei, adhibere velitis: ad quam [x] quantum efficaciùs de jure poſſumus ſuper prædictis vos provocamus ad cauſam; quia ſi, quod abſit, facere nolueritis, aut impedimenta præſtiteritis dictæ convocationi, & ad illam venientibus, ac nobis qui ad illam tendimus, eamque modis canonicis procuramus, talia ad impedimentum unionis Eccleſiæ, fautoriam [y] ſchiſmatis evidentem, & ipſius perpetuationem ſchiſmatis cenſerentur luce clarius pertinere; attendatque [z] veſtra beatitudo, quòd ad veritatem contrà falſitatem exſtitit collata poteſtas, & ad ædificationem, non autem ad deſtructionem. Et ſi, quod abſit, præmiſſis vellet veſtra Sanctitas impedimentum præſtare, cum nihil ſit per quod fiendæ unitati, ad quam tendimus, poſſet per poteſtatem aliquam juſtè fieri, cum in hoc proſequamur voluntatem divinam; Eccleſia, cujus unitati claves à Chriſto conceſſæ ſunt, talia non pateretur ſub diſſimulatione tranſire. Et circà præmiſſa veſtram intentionem, veſtrumque propoſitum, & quæ in præmiſſis agere intenditis præſentialiter nobis notificare dignemini, ut proinde certitudine habitâ providere valeamus, quantum in nobis erit, circà veſtram ſecuritatem & libertatem, & alia neceſſaria, ac ad tantum negotium opportuna. In quorum omnium & ſingulorum, &c.

Datum Liburnii ſub anno Nat. Domini MCCCCVIII. Indictione primâ, & die XIV. Julii.

Hac litera præcedens fuit exequutioni mandata, & Petro de Luna præſentata per Magiſtrum Guillelmum Saigneti.

Litera per quam Cardinales Benedicti XIII. *convocant omnes Prælatos, & alios de ſua Obedientiâ ad Concilium Piſanum.* Anno 1408.

Miſeratione divinâ Epiſcopi, Preſbyteri, & Diaconi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, nunc in loco Liburni Diœceſis Piſanæ commorantes, una cum Collegio Reverendiſſimorum in Chriſto Patrum Dominorum in parte aliâ Cardinalium nominatorum, pro nobis & aliis Reverendiſſimis in Chriſto Patribus Dominis Cardinalibus pro nunc abſentibus, nobis adhærentibus, & adhærere volentibus in hac parte, Reverendis in Chriſto Patribus Archiepiſcopo, & Capitulo Remenſi & ejus Suffraganeis; ejuſque Archiepiſcopi, & Suffraganeorum prædictorum Capitulis, necnon Venerabilibus & circumſpectis viris Abbatibus provinciæ..... exemptis & non exemptis cujuſcumque Religionis exiſtant, ſalutem & promptum habere affectum ad pacem & unitatem Eccleſiæ procurandam. Quantæ magnitudinis ampliorisque infectionis & facilioris incursûs exiſtat ſcelus ſchiſmaticæ pravitatis, & quantum ſit exoſum in divinæ Majeſtatis conſpectu, oſtendit pœna inflicta divinitùs diſponentibus ſe ad ſchiſma acerbior, quos vivos cum ſuis omnibus hiatus terræ abſorbuit, & in infernum detraxit viventes ſine perſonarum delectu, quia cum tales inconſutilem Domini tunicam, per quam militans Eccleſia figuratur, nituntur damnabili partitione dividere, quam Judæi & Gentiles milites Dei notitiam non habentes, Chriſtum crucifigentes, & morti diræ tradentes indiviſam dimisêre, ipſis notantur deteriores; ſe enim propoſito à Chriſti corpore & unionis charitate ultroneè dividentes, Spiritum ſanctum à ſe abjiciunt, agnitam relinquunt veritatem, cupitæ gloriæ & honoris gratiâ falſas opiniones gignunt, defendunt pertinaciter, & in errores damnatiſſimos prolabuntur, Clerum decipiunt, populoſque ſeducunt, & demùm innumeras animas eorum diabolicâ fraude deceptas ſecum ducunt ad barathrum catervatim; poſtremoque ex temporis diuturnitate in damnatas hæreſes irrevocabiliter deducuntur: adversùs quos Chriſti fideles tanto citiùs debent inſurgere, quanto eorum exceſſus corporis Eccleſiæ infectivos perpendunt divinæ Majeſtati evidentiùs diſplicere, fidei Chriſti, & omnium fidelium obviare ſaluti. Quæ hactenùs providè attendentes & conſiderantes propenſiùs ſchiſma, quod in Dei Eccleſiâ fuit poſt mortem ſanctæ memoriæ Domini Gregorii Papæ XI. qui Romæ prout Deo placuit diem ſuum clauſit extremum, ſuadente diabolo introductum, ipſiuſque diuturnitatem peſtiferam & nocivam in fidei derogationem, animarum pericula multiplicia, multaque alia inconvenientia, quæ enarrare per ſingula longum foret, felicis recordationis Domino Clemente VII. qui eidem ſucceſſit Domino Gregorio, viam univerſæ carnis ingreſſo, antequàm ad electionem Summi Pontificis, nos, qui tunc Cardinales eramus, procedere vellemus, pro unitate Eccleſiæ faciliùs obti-

[f] *attento*] Hæc uſque ad *Nos & alii*, non leguntur in codice Harl. nec ſanè huic loco admodum convenire videntur.

[t] *ac cum*] Horum verborum loco hæc leguntur in cod. Harl. *ac Prælatis etiam per ipſos vocatis & Eccleſiâ ibidem congregandâ.*

[u] *In quo Reges*] Quæ ſequuntur uſque ad *Supplicantes* adſcripta ſunt ex codice ſæpiùs memorato.

[x] *quantum efficaciùs*] Sic laudatus ſæpè codex; prior editio *ficut.*

[y] *fautoriam*] Hæc vox, ac duæ ſequentes additæ ſunt ex Harl. codice.

[z] *attendatque, &c.*] Hoc unum in editis legebatur, *cum ad veritatem.* Poſt *deſtructionem*, ſic habetur in codice Harlæano: *cum quoad talia proſequentes poteſtas ipſa ſuſpenſa ſit, & ſi non acquieſcatur, ex tunc Eccleſia cujus unitati ..... tranſire, ſeu aliàs incorrecta manere.*

nendâ, errore ſchiſmatis exſtirpato promiſimus, & invicem juravimus, quòd ſi aliquis noſtrûm in ſummum aſſumeretur Pontificem, proſequeretur unionem Eccleſiæ per omnes vias rationabiles & accommodas, etiam uſque ad renuntiationem Papatûs incluſivè, ſi Cardinalibus qui tunc erant, vel eorum majori parti, pro bono Eccleſiæ viſum foret expedire, ſine dilatione quâcumque, prout in quâdam cedulâ ſuper hoc factâ, manibus noſtris, qui tunc Cardinales eramus, ſubſcriptâ, pleniùs continetur. Quæ cedula, ſeu ejus tenor, per Dominum Papam Benedictum XIII. tunc Cardinalem de Luna vulgariter nuncupatum, jurata fuit & manu propriâ ſubſcripta, ac demùm eâ intentione quòd præmiſſa adimpleret electus, aliàs nullatenùs eligendus, ut inter nos tunc publicè dictum fuit, in Summum Pontificem, & Benedictus XIII. nuncupatus dictam cedulam approbavit, & de novo juravit inviolabiliter obſervare.

Ortâque ex poſt inter ipſum Dominum Benedictum ex unâ parte, & nos, ac nonnullos Reges & Principes noſtræ Obedientiæ ex alterâ, ſuper proſequutione unionis controverſiâ; ac declarato per nos quòd nedum in vim dictæ cedulæ & juramenti præſtiti ipſe tenebatur per viam ceſſionis proſequi unionem, illamque offerre, imò jure communi etiam ad hoc pro tanto vitando ſcandalo tenebatur, fuitque ex hoc conditio, quæ in cedulâ inſerta fuerat, purificata taliter, quòd Dominus prædictus fuit purè & ſimpliciter obligatus, & adſtrictus præciſè ad proſequendum unionem Eccleſiæ per viam ceſſionis, & in illius controverſiæ ſedatione præfatus Dominus poſt dilationes multas, ſolemniter contenta in illâ cedulâ ampliando & ſpecificando, promiſit per viam ceſſionis proſequi Eccleſiæ unionem, & cedere Papatui adverſario cedente, mortuo, vel ejecto, ut in inſtrumentis authenticis ad diverſas mundi partes directis latiùs continetur. Demùm nonnullis effluxis annis, & unione non habitâ, defuncto in parte alterâ Bonifacio, nullâque factâ diligentiâ de dando pacem Eccleſiæ, ipſo mortuo, per viam ceſſionis, ſicut promiſſum & juratum fuerat, imò ut aſſeritur refutatum; & ſecundo Tomaſio [a] defuncto, qui fuit à ſuis Innocentius appellatus, Reverendiſſimi Patres, qui in illâ parte Cardinales nominantur, cupientes finem imponere ſchiſmati, & per unionis habendæ vinculum animarum providere ſaluti, inter ſe promiſerunt & ordinaverunt, quòd ſi ipſorum aliquis ſecundùm eos in Papam eſſet aſſumptus, pro unione in Dei Eccleſiâ faciliùs obtinendâ, Papatui & juri ſuo prætenſo renuntiaret, Domino Benedicto pari modo [b] cedente, dummodo nos vellemus cum ſuo prætenſo Collegio taliter convenire, quòd ex nobis & ipſis ſequeretur canonica electio unius indubitati Paſtoris. Et prædicta fuerunt per ipſos juramento vallata, & voto ſolemniter roborata, ſpecialiter per Angelum Corrario, qui tunc Cardinalis inter ipſos Conſtantinopolitanus nominabatur, & demùm poſt aſſumptionem illius ad illum quem gerit ſtatum Gregorius nominatus, prædicta innovavit, voti & juramenti repetitis vinculis roboravit, & in publico quod tenuit Conſiſtorio renovavit, & ſe obſervaturum ſub eiſdem vinculis publicè prædicavit, brevique ex poſt conſumpto dierum curriculo, omnia Domino Benedicto præfato, nobis, & quamplurimis Principibus, & ad alias mundi partes varias, per ſuas literas intimavit, quæ præmiſſa ſunt, & quæ cenſebantur ad exſtirpationem ſchiſmatis neceſſariò & rationabiliter pertinere: quæ fuêre per ſæpedictum Dominum Benedictum approbata, ut in literis ipſius pleniùs continetur; multaque inter ipſum & Angelum prædictum hinc inde loca oblata, & finaliter propter difficultates, quas unus alteri ingerebat, nunc petendo [c] ſecuritates difficiles & inſolitas adeo quòd haberi non poterant ſeu concedi, & variando circà loca per ipſos oblata, & quia unus ipſorum loca maritima pro conventione petebat, alter verò omninò illa recuſabat; & aliàs ex ipſorum variis intentionibus effectum eſt, quòd ad loci ſeu locorum concordiam nullatenùs deventum eſt; compertumque quòd ipſi duo contendentes viam mutuæ ceſſionis recipere videbantur in verbo, non tamen in opere & mentis intentione. Cumque per præmiſſas difficultates voluntarias, quas unus alteri, & aliàs ad invicem ingerebant, quantum in eis erat viam ceſſionis redderent adeo difficilem, ut cenſeretur impoſſibilitati æquari, & ſic pacis & unionis conſummatio ponebatur in deſperatione, & impediebatur abſque ſpe aliquâ exſtirpationis ſchiſmatis mortiferi, & à cunctis fidelibus deteſtandi.

Propter quæ, & multas conſiderationes juſtas & rationabiles, imò veriùs neceſſarias, Reverendiſſimi Patres, qui in parte aliâ Cardinales nominantur, ſeu eorum partes tres, ab ipſo Angelo receſſerunt, juxtà mandata divina, & de Lucâ ad civitatem Piſanam ſe tranſtulerunt, ad hoc ut liberiùs indemnitati Eccleſiæ, & exſtirpationi ſchiſmatis, ac tantis erroribus poſſent conſulere, & Eccleſiæ ſic deformatæ calamitatibus ſubvenire, & animarum ſaluti. Nos autem videntes manifeſtum ex præmiſſis præſtari impedimentum exſtirpationi ſchiſmatis & negotio unionis, & conſiderantes quòd prætextu loci ſeu locorum, de quibus inter eos non erat concordia, unio tam neceſſaria nullomodo debet impediri ſeu etiam retardari, cum abſque præſentiâ corporali Domini Benedicti, & dicti Angeli qui nominatur Gregorius, poſſit ordinari de præambulis ad hoc negotium neceſſariis, ad quæ ipſi duo nunquam condeſcendere voluerunt, ſed ſolùm ad mutuam contentionem [d] locorum, & etiam mutua ceſſio ſeu renuntiatio fieri, & deinde ad electionem canonicam procedi; eidem D. Benedicto conſuluimus, quatenùs adverſario offerret ſe renuntiaturum per Procuratorem ſeu Deputatum, ab ipſo habentem ad hoc ſpeciale mandatum & ſufficientem poteſtatem, Angelo renuntiante in perſonâ propriâ, vel per Procuratorem ſeu Deputatum habentem mandatum ſpeciale, & parilem poteſtatem: quæ diximus & conſuluimus ſecundùm Deum poſſe & debere fieri, aliàs ſchiſmatis perpetuatio & diuturnitas recuſanti eſſet meritò imputanda. Super quo reſponſum habere non potuimus, imò perpendimus ipſum ad hanc viam minimè inclinari, poſtquàm quatuor ex nobis ad locum Liburni de voluntate ipſius acceſſerunt ad finem, ut cum Reverendiſſimis Patribus in parte aliâ Cardinalibus nominatis, qui ab Angelo receſſerant, tractaretur & videretur de modis per quos Eccleſia poſſet uniri, & ſchiſma exſtirpari faciliùs, contumacis, ſeu pertinacis non obſtantibus quibuſcumque, cum quibus in dicto loco Liburni quatuor ex Dominis alterius Collegii perſonaliter convenerunt, & ipſis ad invicem tractantibus de his quæ poterant ad unionem dandam rationabiliter & neceſſariò pertinere, Dominus Benedictus præfatus à Portu-Veneris receſſit,

a *Tomaſio*] Codex Harlæanus habet *Coſmato*.

b *pari modo*] Ita laudatus codex. Prior editio *Patre noſtro*, ineptè.

c *nunc petendo*] Hoc etiam loco Harlæani codicis lectionem reponimus, in ejus locum quæ edita erat, ſcil. *petendo difficultates*. Infrà etiam ex ejuſdem codicis fide *circà* edi curavimus pro *certa*.

d *contentionem*] Optima lectio, quam ſervavit Harlæanus codex: prior editio, *conventionem*.

nullo dato alio ordine ſuper his quæ ad pacem Eccleſiæ poterant pertinere, & verſus Catalonìam direxit greſſus ſuos, publicato prìus in loco Portus-Veneris quòd in feſto Omnium Sanctorum, & in loco Perpiniani intendebat Concilium convocare: quod Concilium ſi teneatur per eum, potiùs ad impedimentum unionis Eccleſiæ, & eorum quæ inter nos & aliud Collegium deliberata ſunt, quàm ad pacem Eccleſiæ cenſetur pertinere, attento quòd per Concilium unius partis, niſi concurrat alterius partis Concilium, unio haberi non poſſit, nec ſchiſma utiliter extirpari.

Nos vero de receſſu ipſius Domini adeo repentino, & aliis prædictis quamplurimùm admirati, & pro eo etiam quia ex dicto receſſu cognovimus luculenter omnimodam indiſpoſitionem ad unionem habendam, maximè quia à nobis frequenter requiſitus ut convocaret Concilium generale totius noſtræ Obedientiæ in loco habili & decenti, in quo poſſet etiam pars adverſa convenire ad hoc, ut per deliberationem communem faciliùs & citiùs procedi poſſet ad extirpationem ſchiſmatis & unionem habendam, hoc facere prætermiſit, & etiam recuſavit, quamvis aliquando per inſtrumentum, aliquando per bullam infrà certum terminum hoc facere promiſiſſet. Et perpendentes ex prædictis indiſpoſitionibus tam ipſius Domini Benedicti, quàm Angeli, unionem Eccleſiæ patenter impediri, imò veriùs ſchiſma perpetuari niſi celeriter occurratur: convenimus in unum cum Collegio partis alterius & nominatis Cardinalibus, qui à dicto Angelo receſſerant, quos reperimus benè diſpoſitos ad extirpationem ſchiſmatis, & unionem in Dei Eccleſiâ procurandam. Et conſiderantes ad invicem quòd ex indiſpoſitionibus prædictis, contumaciis & pertinaciis antedictis, ſi ſtaretur arbitrio duorum contendentium de Papatu, nunquam ſchiſma extirparetur, imò quodammodo perpetuaretur in ævum. Et etiam attendentes quòd ſchiſma quos inquinat, æquat, & non ſolùm qui ſchiſma facit & fovet, ſed etiam qui patitur, & extirpare negligit, eodem involvitur crimine & delicto. Conſiderato etiam quòd contendentes de Papatu, non ſolùm juramento & voto, ac promiſſione multiplici, ſed etiam jure divino & canonico, & ſub pœnâ damnationis æternæ, ſi refugerint, tenentur, & multipliciter ſunt adſtricti pacem dare Eccleſiæ per viam ceſſionis, attentâ ſchiſmatis diuturnitate & involutione, ac magnâ adhærentiâ quam utraque pars habere dignoſcitur; quæ via etiam eſt ab omnibus Chriſti Fidelibus approbata & neceſſaria reputata. Et etiam conſiderato quòd ex indiſpoſitionibus prædictis quamplures ſe ſubtraxerunt, & ſe neutrales fecerunt ab Obedientiâ utriuſque, multique ſe parant ad ſimilem ſubtractionem ſeu neutralitatem faciendam. Quodque ſi diffugia & dilationes contendentium ulteriùs attenderentur & exſpectarentur, qui ſe ſic ſimul ſeparant & diſpergunt, maximâ quaſi ex propoſito ſeu condicto locorum diſtantiâ, ut de eorum reductione in unum ſeu mutuâ conventione ſpes nulla de cætero habeatur, errores ſuccreſcerent, cum ſchiſma mater errorum exiſtat, & inveteratum tranſit in hæreſim, juxtà divinas & canonicas ſanctiones; & ſic Eccleſia ad irreparabilis deſolationis deduceretur opprobrium, in evidens & irreparabile periculum animarum. Conſiderato etiam quòd duobus contendentibus de Papatu qui ad pacem reduci nequeunt de facili, Concilium generale, ſeu Eccleſia congregata judex eſt competens controverſiæ prædictæ, quæ meritò tangit fidem. Et quod Concilium eſt per Cardinales, maximè in contumaciam, defectum, ſeu negligentiam contendentium convocandum, cum ipſi duo contendentes contrà ſe & intentiones ſuas Concilium nullo modo congregarent, ut experientia præteritorum docuit & docet, quæ occurrit in præſenti: cum etiam neutrales ſeu ſubtracti de facili ad eorum convocationem non haberent convenire, & ſequerentur alia pericula evidentia in impedimentum tam deſideratæ unionis: Habitâ [e] ad invicem inter nos & Collegium partis alterius deliberatione matura, & etiam cum multis Prælatis, notabilibus ac magnis literatis in Theologiâ, Canonicâ Facultate & Civili, ſequentes geſta & exempla Sanctorum aliàs virtuosè in Romanâ Eccleſiâ obſervata, deliberavimus quòd per nos in parte & Obedientiâ noſtrâ Concilium, ſeu Eccleſia convocetur in certo loco & termino; & idem fiat per Collegium ſeu Cardinales nominatos alterius partis in eodem termino & loco; cum auxilio & benigno ſuffragio Regum & Principum utriuſque Obedientiæ, quibus nunc Romana & univerſalis Eccleſia permaximè noſcitur indigere; & qui ut Deo devoti dexteras ſuas Eccleſiæ & nobis præbebunt adjutrices, & defenſionis ac protectionis præbebunt auxilia, ut devotiſſimos Principes decet, & eorum convenit honeſtati; ad finem quòd in dictis loco & termino convenientibus dicto Domino Benedicto, & Angelo, qui Gregorius nominatur, quibus intimatur prædicta deliberatio, & requiruntur ut Congregationi opem & aſſenſum ferant, & in eis conveniant, finiſque imponatur ſchiſmati per viam mutuæ ceſſionis, electioque fiat per utrumque Collegium in unum conveniens unici & indubitati Paſtoris: quòd ſi venerint & non renuntiaverint cum effectu, vel alter renuntiaverit, & alter recuſaverit; vel ambo non venerint, provideatur per Eccleſiam congregatam, attentis promiſſis juratis & voto firmatis, & aliàs ferè à cunctis Chriſti Fidelibus approbatis, decernatur & declaretur, ut in præmiſſis neceſſarium fuerit, & etiam opportunum taliter circà factum duorum contendentium, & neceſſitatem Eccleſiæ imminentem, ut ipſorum vel alterius abſentiâ, ſeu pertinacia & contradictione non obſtantibus, ſchiſma extirpetur, & per electionem unici & indubitati Paſtoris canonicam, unio perfecta in Dei Eccleſiâ habeatur ad Dei ſervitium, gloriam & honorem, fidei robur, ſalutem omnium Fidelium, & Eccleſiæ debitam reformationem. Quocircà prædictam deliberationem neceſſariam [f] fidei & Eccleſiæ, ſic deliberatè digeſtam vobis & veſtrûm ſingulis intimamus & notificamus, precamur, & ſub debito juramenti quo Eccleſiæ Romanæ tenemini, requirimus, quatenùs in quantum Deo placere cupitis, & defenſioni fidei aſſiſtere, & unitatis vinculo procurando, velitis in termino vigeſimæ quintæ [g] diei Martii proximè futuri; quem terminum ad hoc congruum elegimus; ad quem etiam terminum Domini Cardinales alterius partis nominati, Prælatos, & alios ſuæ Obedientiæ convocant, in civitate Piſanâ, cum Domino Benedicto, ſi venire voluerit, nobiſcum, qui in dictis loco & termino perſonaliter, Deo auxiliante, erimus, ac Prælatis & aliis noſtræ Obedientiæ, quos pari modo ad hoc ſpecialiter convocamus, ac cum Deputatis Regum & Principum, quorum benignum auxilium in hoc Dei negotio, fidei & Eccleſiæ neceſſarium, & quamplurimum opportu-

e *habitâ*] Quæ ſequuntur edita jam erant ab Odorico Raynaldo

f *neceſſariam*] Hanc vocem quæ omninò neceſſaria erat, adſcripſimus ex cod. Harl.

g *vigeſimæ quintæ*] Idem dies habetur in literâ Patenti Cardinalium ſuprà: ſed ille Codex Harl. habet diem ſecundam Februarii, hic Martii primam.

num imploramus, convenire & comparare, ad fines & effectus prædictos inſpirante gratia ſancti Spiritûs proſequendos, & feliciter conſummandos. Quòd ſi qui ex vobis, impedimentis cauſantibus, nequiveritis perſonaliter intereſſe, & ad dictos locum & terminum accedere, velitis pro Dei & Eccleſiæ reverentiâ, & fidei neceſſitate aliquos veſtri nomine Deum timentes, ſcientiâ & rerum experientiâ illuſtratos deſtinare, ſuffultos ſpeciali & ſufficienti poteſtate ad effectus præmiſſos conſequendos; taliter in præmiſſis vos habentes, quòd de promptitudine ſervitii divini, & defenſione fidei ac ſubventione Eccleſiæ, apud Deum meritum [h] conſequamini, & apud homines laudem & gloriam ſempiternam. Nec in hac parte & materiâ tam neceſſariâ aliquo modo dubitetis, aut cujuſcumque terrore concutiamini, quia cum nos & vos cauſam Dei, & exſtirpationem ſchiſmatis proſequamur, ſub protectione Dei & Eccleſiæ, de cujus congregatione agitur, & ad quam Dominum Benedictum prædictum per alias noſtras literas provocamus, & intimari facimus, ut Concilio interſit, ſecuri manebimus ab omni læſione proceſſuum: quòd ſi aliqui proceſſus contrà nos & vos fierent occaſione prædictâ, nulli forent, & evidenter ſubjecti vitio nullitatis, tamquam impeditivi ſacratiſſimæ unionis. Eſt enim noſtra & Collegii alterius partis præfati intentio & irrevocabile propoſitum, quòd cum his qui venerint ad dictos locum & terminum provideatur fidei & Eccleſiæ juxtà effectus prædictos, aliorum qui non venerint abſentiâ non obſtante, prout aliàs fuit factum in generalibus Conciliis, in quibus fuerunt per modum præmiſſum errores exſtirpati, fides exaltata, Eccleſia reformata, in vinculo pacis & unionis exſtincto errore ſchiſmaticæ pravitatis. Quia verò Fidelibus non eſt tam de ſollicitâ inventione quâcumque fidendum, quàm de inſtantiâ orationis humilis & devotæ ſperandum, veſtras caritates precamur, ac per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Jesu-Christi exhortamur, quatenùs per vos (& hoc idem procuretis fieri per fideles veſtræ ſollicitudini commiſſos) humiles preces fundantur ad Dominum, & devotis orationibus inſiſtatur, ut ipſe qui concordiam operatur in ſublimibus, ſuis dignetur efficere quòd debita per hanc deliberationem ſequatur proviſio celer, concors & canonica, ut animarum ſalus & fidei neceſſitas exigit, & totius Orbis utilitas deſiderat & expoſcit. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum, præſentes noſtras literas per Notarium infrà ſcriptum ſubſcribi & publicari mandavimus, ac noſtrorum trium priorum ſigillorum fecimus appenſione muniri.

Datum & actum in loco Liburnii ſupradicto, in Clauſtro Eccleſiæ dicti loci, nobis ibidem tunc Guidone Peneſtrino, Nicolao Albanenſi, Petro Tuſculano Epiſcopis, Petro tit. S. Suſannæ Preſbytero, Amedeo Sanctæ Mariæ Novæ, & Petro S. Angeli Diaconis S. R. E. Cardinalibus, congregatis, & perſonaliter conſtitutis; ac omnia & ſingula ſuprascripta pro nobis, & aliis Dominis Cardinalibus abſentibus, nobis adhærentibus & adhærere volentibus in hac parte, approbantibus & ratificantibus, & de præmiſſis, & de eorum ſingulis unum & plura publica inſtrumenta nobis & cuilibet noſtrûm fieri petentibus, ſub anno à Nativitate Domini mccccviii. Indictione i. & die xiv. menſis Julii, Præſentibus RR. in Chriſto Patribus DD. Dei gratiâ Simone Patriarcha Alexandrino, Adminiſtratore perpetuo Eccleſiæ Carcaſſonenſis, Petro Epiſcopo Meldenſi, ac venerabilibus & circumſpectis viris Magiſtris Roberto de Queſneio [i] Doctore, Johanne Franciſci Licentiato in Decretis & Johanne Petri Magiſtro in Medicinâ, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Litera per quam Cardinales Gregorii *convocant Prælatos, & alios ſuæ Obedientiæ ad Concilium Piſanum.*

Miſeratione divina, &c. *ut in convocatione factâ per Dominos alterius partis Cardinales.* Quantâ ſollicitudinis curâ Salvator noſter Jesus Christus, unitatem Apoſtolis commendaverit, quantoque nitore pulchritudinis unita reſplenderet ſancta mater Eccleſia, ſacra docent eloquia, ex quibus poſteà ſanctæ emanarunt ſanctiones. Quamquam enim poſt Reſurrectionem Apoſtolis omnibus parem tribuerit poteſtatem, dicens: *Sicut miſit me* [Joan. 20. 21.] *Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum ſanctum*: tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis ejus originem ab uno incipientem, ſuâ auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique Apoſtoli, quod Petrus erat, pari conſortio præditi honoris & poteſtatis; ſed exordium ab unitate proficiſcitur, ut Eccleſia Chriſti una eſſe monſtretur: quam unitatem ut Diſcipulis ſuis ſuaderet & pacem, inquit: *Si duo ex vobis* [Matt. 18. 19.] *convenerint in terrâ, de omni re quamcumque petierint, continget vobis à Patre meo qui in cœlis eſt. Ubicumque enim duo fuerint aut tres collecti in nomine meo, ego ſum cum eis.* Quam unam in Canticis prædicat Spiritus ſanctus, ex perſonâ Chriſti dicens: *Una eſt columba mea, perfecta mea; una* [Cant. 6. 8.] *eſt matris ſuæ, electa genitrici.* Quod unitatis ſacramentum etiam docet Apoſtolus dicens: *Unum* [Ephes. 4. 4.] *corpus & unus ſpiritus; una ſpes vocationis noſtræ; unus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus.* Hinc Sancti Patres alienum, profanum, hoſtem, patrem Deum non habentem indicant, qui univerſalis Eccleſiæ non tenet unitatem; & fidem erga Deum manifeſtant non habere, qui velut quoſdam artus dividi, & membra lacerari permittunt Eccleſiæ. Cum enim propter Eccleſiam Chriſtus paſſus ſit, & Chriſti corpus ſit Eccleſia, non videtur ab his fides exhiberi Chriſto, à quibus evacuatur paſſio ejus atque diſtrahitur. Epiſcopatus [a] ergo ſummus unus eſſe debet, & Eccleſia, una, quæ in multitudine latiùs incremento fecunditatis extenditur, & quomodo de fonte uno rivuli multi defluunt, & radii multi, ſed lumen unum, & rami arboris multi ſed robur unum radice tenaci fundatum, ſic Eccleſia Domini luce perfuſa, per Univerſum ſuos radios porrigit, unum tamen eſt quod ubique diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur; ramos per univerſum orbem copiâ ubertatis extendit, perfluentes largitur rivos, unum tamen caput, una origo, una mater Eccleſia, una ſponſa Chriſti incorrupta & pudica, unam domum noſſe debet, unius cubiculi ſanctitatem ſancto pudore cuſtodire decet.

Sanè (quod dolentes & ab intimis cordis contriti mœſtitiâ referimus, quod & vobis non arbitramur incognitum) Eccleſia jam triginta annorum ſpatio crudelem patitur, & paſſa eſt ſciſſuram, diviſa eſt tunica Chriſti, quam ut non ſcinderetur etiam Ju-

h *meritum*] Vox quæ deerat, addita eſt è ſuperiùs memorato codice.

i *de Queſneio*] Codex Harlæanus de Caynoit.

a *Epiſcopatus*] Apud Odoricum Raynaldum, qui has literas antea jam ediderat, legitur *Epiſcopus* hoc loco.

dæi in Chriſti Paſſione ſortiti ſunt. Heu proh dolor! obſcuratum eſt aurum, ſol tenebratus eſt, mutatus eſt color optimus, fons exſiccatus; rivuli areſacti ſunt, diſperſi ſunt lapides Sanctuarii in capite platearum, in fabulam & ſibilum verſus eſt amictus varietatis ejus, odor unguentorum ejus in infamiæ pudorem, ſuavitas ejus in crudelem horrorem[b]. Ut quid ampliùs immoramur? calamitates Eccleſiæ atque diſpendia, poſtquàm hoc maledictum viguit ſchiſma, manus non ſufficerent ad ſcribendum, lingua ad proferendum, aut memoria quamtumcumque tenax ad retinendum. Nos autem charitatis fervore, officii noſtri debito, ut contrà hanc peſtem de remedio provideremus oportuno, cum Domino GREGORIO tunc nobiſcum in minoribus exiſtente, poſt obitum felicis recordationis INNOCENTII Papæ VII. & alii tunc Domini Cardinales in Conclavi exiſtentes invicem promiſſionibus, juramentis & votis nos adſtrinximus pro ſchiſmatis extirpatione principaliter quinque continentibus.

Primum, quòd ſi quis noſtrûm ad Summi Apoſtolatûs apicem aſſumi contingeret, pro reintegratione unitatis Chriſtianorum renuntiaret ſummi Apoſtolatûs dignitati & juri ſuo. Secundum, quòd poſt aſſumptionem ſuam approbaret publicè votum & juramentum, & confirmaret Domino Petro qui ex alterà parte ſe BENEDICTUM appellat, Regibus & Principibus, & aliis Univerſitatibus, patentibus literis intimando, & offerendo ſe illud impleturum, & paratum ad cedendum. Tertium; quòd de Fratrum conſilio deſtinaret Ambaſſiatores ad eum, qui pro Papa ſe ex alterà parte gerit, ad prædicta intimanda & locum eligendum. Quartum, quòd tractatû pendente nullum crearet Cardinalem, niſi causà coæquandi numerum cum numero alterius partis, niſi ex defectu alterius partis ſteterit, quòd unionis præfatæ concluſio non ſequatur infrà annum à certo tempore determinato inchoandum. Quintum, quòd omnia promiſſa, inchoata & inchoanda, mediaremur & proſequeremur, nihil de contingentibus, neceſſariis, utilibus, aut quomodolibet oportunis omittendo.

Poſt quæ Dominus GREGORIUS præfatus ad apicem ſummi Apoſtolatûs aſſumptus, in quem omnium noſtra repoſita erat fides propter præteritam ejus apparentem vitam, quòd prædicta abſque morà efficaciter adimpleret, poſt ſui aſſumptionem pluribus adſtantibus omnia & ſingula prædicta publicè approbavit, confirmavit, atque ſubſcripſit; deſtinavitque ad eum qui pro alterâ parte ſe pro Papa gerit, & ad Reges, Principes, civitates quamplures, & Univerſitates utriuſque Obedientiæ literas patentes, tam noſtras quàm ſuas, in quibus prædicta notificans ea ſe profitebatur impleturum; & ſic ad quamplures Reges & Principes deſtinavit Ambaſſiatores, hæc omnia vivâ voce confirmantes, & eum impleturum offerentes. Tandem deſtinatis Ambaſſiatoribus; & factâ concluſione de loco civitatis Saonæ, à quà, poſtquàm illam ſuis literis approbavit pro loco decenti, captatis occaſionibus receſſit, & aſſumptà hinc inde ab utrâque parte ſuperflua diſceptatione locorum, circà illa multipliciter variando tempus anni & plus inaniter eſt conſumptum, & cum multis varietatibus & ambagibus, quas narrare longum eſſet, nunquam ad loci concordiam eſt deventum, quamquam loca in medio fuerint oblata decentia & habilia, & cum ſecuritatibus debitis; quæ modo ab uno, modò ab alio contendentium de Papatu fuerunt occaſionibus frivolis reprobata, nobis contradicentibus, & omnibus Ambaſſiatoribus, & aliis pro hoc negotio degentibus in Curiâ, & repugnante communi hominum opinione.

Poſtea à Domino Gregorio civitate Piſanâ multipliciter pro loco habili commendata ac loco prædicto à nobis de ejus voluntate poſtulato, & deſtinatis Ambaſſiatoribus ad dictum Petrum pro aliâ parte BENEDICTUM nuncupatum, & ſe Liburnum qui locus eſt propinquus civitati Piſanæ prædictæ, ac ejuſdem Diœceſis, accedere promittente, paratis Florentinis ad locum Piſanæ civitatis utrique concedendum, præfatus Dominus Gregorius nunquam tempus determinare voluit infrà quod accedere vellet, nec etiam cum diceret plures ibi neceſſarias ſecuritates, eas exprimere voluit, cum tamen Ambaſſiatores Florentinorum unà nobiſcum, & cum Ambaſſiatoribus Venetorum, ac Ambaſſiatoribus Domini Petri de Lunâ ex alterà parte BENEDICTI nuncupati ſuper hoc inſtarent; ipſis Ambaſſiatoribus Florentinis ſe ad ea, quæ concernerent Florentinos circà ſecuritates & alia implere paratos offerentibus. Et tandem Dominus GREGORIUS, quod dolentes referimus, per eum captatis occaſionibus, à tractatu ſatis ignominioſè receſſit; ex quibus ejus in prædictis non ſincera neque bona voluntas manifeſtiſſimè propalata exſtitit & oſtenſa, & ſic ſumus tracti per inania verba ſpatio anni & ultrà ſub velamine difficultatum loci, qui nec ad cedendum erat de ſubſtantià requiſitus, nec ex formà juramenti ad hunc actum deſtinatus, cum ubilibet cedere potuiſſet uterque per Procuratorem idoneum, aut in manibus Collegii ſui, nobis, & Dominis Cardinalibus ex altera parte paratis ad omnia loca tam conventa quàm oblata convenire pro his quæ incumbebant implendis.

Et tandem ut nihil de contingentibus obmitteretur ad præcludendas vias unionis ſanctæ, & claudendos aditus implementi juramenti & voti, ne quod boni agere nolebat aliis via pararetur; nobis fecit tria mandata pœnalia evidenter injuſta. Primum, ne ſub pœnà perjurii colloquutionem aliquam haberemus per nos vel per interpoſitam perſonam cum Ambaſſiatoribus Domini Benedicti, nec cum Ambaſſiatoribus Sereniſſimi Principis Regis Franciæ, qui pro nullà aliâ cauſà quàm unionis proſequendæ degebant in Curiâ. Secundum; ne ſub eadem pœnà congregaremur inſimul abſque ejus licentià, cum tamen in factis Eccleſiæ & fidei conventiones & colloquutiones ejuſmodi approbentur; nec verbum Dei, ut unionis & pacis eſt ſecundùm Apoſtolum, ſic debuerit aut potuerit alligari. Tertium, ne ſub pœnà privationis Cardinalatûs & beneficiorum de Lucanà civitate, in quà cum eo degebamus exiremus: & hæc omnia ut clauderentur viæ proſequutionis unionis & pacis; nec aliquid de eà quoquo modo valeret attentari: & demùm clariſſimis verbis voluntatem ſuam propalando aperuit, quam ante palliaverat, quòd ſuæ intentionis non erat ampliùs viam inſequi ceſſionis; quam pluries in publico multis adſtantibus reprobavit ut diabolicam, quæ tamen ante ab ipſo exſtiterat approbata, jurata, atque promiſſa, & à toto mundo recepta ut grata, ſancta & juſta; & per quam ſolam faciliùs poterat hujus peſtiferi ſchiſmatis finis haberi; cùm tamen ab hoc retrahere non debuiſſet, exemplo Chriſti, qui de cœlo in humana membra deſcendit, ut ſalutem humano generi daret & pacem. Noviſſimè contrà votum & juramentum, antequàm ab alterâ parte foret à tractatu receſſum, nobis renitentibus priùs,

b *horrorem*] Hic Harlæanus codex *errorem* habet.

poſtea abſentibus, in confuſionem unionis quatuor de facto creavit Cardinales in propoſito non cedendi ſibi applaudentes, & eum in hoc multipliciter confirmantes: ex quibus à populo Chriſti eum graviſſimo ejus ſcandalo de unione funditùs exſtitit deſperatum.

Nos autem per manus præfati GREGORII, & alterius qui ſe BENEDICTUM appellat, ſaluti & unitati populi Chriſti ampliùs provideri non ſperantes, cum & inter eos de colluſione permaximè ſuſpicaretur; & conſiderantes ſuper hoc nihil in præſentiâ Domini Gregorii agi poſſe, tùm quia reprobaverat ceſſionis viam, tùm propter prædicta iniqua præcepta, tùm propter notorias perſequutiones ipſius Gregorii & ſuorum perſequentium omnes nedum inſequentes, ſed & quoquo modo ſuadentes unionem, viâ juratâ; & ut clariùs loquamur, ut mortis & carcerationis injuſtæ periculum evidens evitaremus, prout in aliis noſtris expreſſimus literis, ut cum libertate in talibus debitâ, quam in civitate Lucanâ habere non valebamus, negotium præfatæ unionis ut multipliciter eramus adſtricti, proſequeremur, & circà illud cum quibus expediebat de oportuno remedio provideremus ſecundùm Deum & Canonica inſtituta, plùs Deo quàm homini parere volentes, diſceſſimus à civitate Lucanâ, in quâ pro tunc cum præfato Domino Gregorio degebamus, & Piſas acceſſimus, deinde Liburnum, ut cum Dominis Cardinalibus ex alterâ parte tractaremus de modis & viis quibus populo Chriſti pax daretur & unio. Et habitis ac conſideratis maturis conſiliis Uni-
c verſitatum Magiſtrorum Studii Pariſienſis & Bononienſis, quæ Univerſitates, maximè Bononienſis,[e] inclinabant in has concluſiones, quarum plurimæ ad ſcripturam publicam & authenticam roboratam ſigillis ſunt redactæ.

Videlicet primò, quòd uterque, & Dominus Gregorius, & qui ſe ex alterâ parte pro Papa gerit, ex debito officii Paſtoralis veri vel prætenſi jure communi circumſcripto quolibet juramento & voto, ſtante ſchiſmate tam inveterato cum tanto populi ſcandalo, tenentur & debent cedere, ex quo propter dubia facti & juris ſuper Papatu aliter non poteſt commodè dari unio & pax in Eccleſiâ Dei, ne plùs temporalem dignitatem quàm populi ſalutem & unitatem, ac æternam vitam appetere videantur; & quia finis Paſtoralis officii eſt providere unitati gregis, paci & ſaluti animarum populi Chriſtiani. Secundò, quòd longè fortiùs adſtringuntur concurrentibus tam ſolemnibus vinculis, ut promiſſionis, voti & juramenti. Tertiò, quòd Papa ſtante tali ſchiſmate pertinaciter reſiſtendo in complendo quod vovit & juravit, ad quod etiam abſque voto & juramento tenetur, incurrit crimen notorium, propter quod ſubjicitur proviſioni Concilii, & ultrà hoc concluditur ſchiſmatis nutritor & fautor, cujus obſtinatione & vetuſtate deſcenditur in hæreſim, & fides læditur Deo & Eccleſiæ debita, cujus etiam proviſio ſpectat ad Concilium. Quartò, quòd etiam
d ſtante dubio an hoc nutrimentum[d] ſchiſmatis tranſeat in hæreſim, vel an tale ſit delictum[*] ex quo proviſio ſpectet ad Concilium, quòd cognoſcere in dubio ad idem pertinet. Quintò, quòd ſtante dubio Papatûs inextricabili propter dubium facti & juris, ne in ſubverſionem fidei Eccleſia ſic maneat diviſa perpetuò cum ſcandalo tanto & animarum perditione, proviſio ſpectat ad Concilium & Eccleſiam univerſalem, ut utrumque eis non cedentibus poſſit à Papatu ejicere. Sextò, quòd ſtantibus terminis ut ſtant, & ambobus detrectantibus implere quod jurarunt & voverunt, cum ex hoc nutriatur ſchiſma manifeſtum, ſubditi poſſunt & debent ab eorum Obedientiâ recedere & etiam tenentur, cum ex eorum Obedientiâ palpabiliter videant utrumque in ſuo malo nutriri propoſito: & etiam peccant ſi non ſubtrahunt, tamquam principaliter ſchiſma facientes, vel ſaltem indirectè auxilium præbentes nutritoribus ſchiſmatis antiquati, nec ſententiis contendentium de Papatu aliquatenus propter hoc valent alligari. Ultimò ex factis & dictis quæ ſuprà ponuntur, quæ univerſo mundo notoria ſunt, ſatis notoriè patet utrumque detrectare implere quod debebat, & ad quod tenetur ex debito officii & juramenti, cum ſaltem potuerint cedere per Procuratores idoneos, vel uterque in manibus Collegii ſui, & ſic dare pacem populo Chriſti; cum uterque de jure & formâ juramenti artetur ad nihil de utilibus, neceſſariis, aut quomodolibet oportunis omittendum; cum etiam ab utriuſque pendeat poteſtate ſolvere perplexitatem conditionum juramenti, ſi qua ſubſit; & ſi quæ circà hoc excuſationem allegentur, frivolæ ſunt, & eorum cognitio eſt Concilii.

Quibus viſis; & pluribus habitis inter nos conſiliis, firmavimus nos unire cum Dominis alterius Collegii, & Liburnum accedentibus nobis, qui locus eſt prope Piſanam civitatem ejuſdem Diœceſis, ac de Dominis Cardinalibus ex alterâ parte in ſufficienti numero nobiſcum congregatis, in unum nos univimus propoſitum, ut modis omnibus juſtis & ſanctis, & ſecundùm canonicas ſanctiones populo Chriſti de unione & pace provideremus. Et conſiderantes quòd ipſi de Papatu contendentes contrà ſe minimè Concilium integrum congregarent, ut præteritorum experientia docuit & docet, & etiam præterita negligentia, & maximè quia Dominus Gregorius negavit ceſſionis viam, & eam ut diabolicam reprobavit, ad quam tractandam etiam Concilium denegaſſe videtur: attendentes etiam quòd uterque permaximè eſt de convocando Concilio ſuſpectus, ut aut nolit, aut nimium dilatet, aut etiam minùs fideliter congreget, cum verbis & factis viam impediant ad ſchiſma tollendum, ad cujus finem Concilium congregatur, cum perpendant uterque ſe congregato Concilio veriſimiliter excludi, & uterque multifariè declaraverit ſe anhelare, ut in Papatu etiam cum diviſione remaneat. Item propter probabiles dubitationes de Papatu tam ex facto & facti antiquitate, quàm ex jure deſcendentes, & propter Obedientias ſeparatas, neuter quoad totam congregationem utriuſque Obedientiæ, quæ in tali caſu tota eſt neceſſariò congreganda, poteſt ſe oſtendere Papam indubitatum, nec in ſolidâ poſſeſſione pacificâ Papatûs exiſtit, ſic ut eo modo quo oportet valeat totum Concilium congregare, nec uterque de facili ad hoc poteſt induci, ut congregent ſimul, tùm propter eorum indiſpoſitionem ad hoc, quæ perpenditur ex retrofactis & dictis, tùm propter nimiam inter eos diſtantiam in re tantam celeritatem deſiderante, tùm quia ſaltem caſualiter canones[e] e inferioribus Concilii congregationem permittunt: nullus autem proportionabilior caſus iſto, tùm quia ad congregationem Concilii requiruntur per nos, & per Concilium requirentur, ut conſentiant, & ſi conſentiant, benè quidem, aliàs Concilium procedere poterit, cum ab eorum poteſtate pendere non debeat, an de criminibus ſuis inquiratur, de quibus

e *Bononienſis*] Hanc vocem addidimus cùm ex Odorico, tùm etiam ex Harl. codice.

d *nutrimentum*] Sic Harl. cod. quem infrà etiam ſequuti edidimus *delictum*. Prior editio, *incrementum* . . . *debitum*.

e *canones*] Hanc vocem neſcio quomodo omiſerat Acherius.

poteſt

poteſt per Concilium inquiri; nec ut perpetuò ſic Eccleſia lacerata remanere debeat, cum etiam neutrales ſeu ſubtracti de facili ad eorum convocationem non venirent, & ſequerentur aliâ pericula evidentia in impedimentum deſideratæ unionis; & attendentes quòd ſi diffugia & dilationes contendentium ulteriùs attenderentur, qui ſic ſe ab invicem ſeparant & diſpergunt, maximâ quaſi ex propoſito locorum diſtantiâ, ut de eorum conventione in unum de cætero nulla ſpes habeatur, errores ſubcreſcunt, cum ſchiſma mater errorum exiſtat, & inveteratum tranſeat in hæreſim juxtà divinas & canonicas ſanctiones, & ſic Eccleſia ad irreparabilem deſolationis deduceretur opprobrium in evidens & irreparabile periculum animarum. Habitâ inter nos duo collegia deliberatione maturâ, & etiam cum multis prælatis notabilibus ac magnis literatis in Theologiâ, canonicâ & civili facultate, ſequentes geſta & exempla patrum aliàs virtuosè in Romanâ Eccleſiâ ſervata, deliberavimus quòd per nos in parte & obedientia noſtrâ Concilium, ſeu Eccleſia convocetur in certo loco & termino; & idem fiat per collegium ſeu Dominos Cardinales ex alterâ parte, & in eodem termino ac eodem loco, cum auxilio & benigno ſuffragio Regum & Principum utriuſque obedientiæ, quibus nunc Romana & univerſalis Eccleſia permaximè dinoſcitur indigere, & qui ut Deo devoti dexteras ſuas Eccleſiæ ſuæ & nobis præbebunt auxiliatrices, ut devotiſſimos Principes decet & eorum convenit honeſtati; ad finem qoòd in dictis loco & termino convenientibus Domino Gregorio & Domino Petro de Luna ex alterâ parte Benedicto nominato, quibus dicta deliberatio intimatur, & requiruntur quòd dictæ congregationi opem ferant & aſſenſum, & in eis conveniant, finiſque imponatur ſchiſmati per viam mutuæ ceſſionis, ut jurarunt, & electio fiat per utrumque collegium in unum convenientes unici & indubitati paſtoris, quòd ſi venerint & non renuntiaverint cum effecto, vel alter renuntiaverit cum effectu, alter non renuntiaverit, vel ambo non venerint, provideatur per Eccleſiam congregatam attentis promiſſis juramentis & voto firmatis, aliàs ferè à cunctis Chriſti fidelibus approbatis, decernatur & declaretur ut in præmiſſis fuerit neceſſarium & oportunum taliter circà factum duorum contendentium & neceſſitatem Eccleſiæ imminentem, ut ipſorum vel alterius, abſentiâ ſeu pertinaciâ & contradictione non obſtantibus ſchiſma exſtirpetur, & per electionem unici & indubitati paſtoris canonicam unio præſata in Dei Eccleſiâ habeatur ad Dei ſervitium, gloriam, & honorem, fidei robur, ſalutem omnium fidelium, & Eccleſiæ debitam reformationem. Qoocircà prædictam deliberationem neceſſariam fidei & Eccleſiæ, ſic deliberatè digeſtam vobis & veſtrûm ſingulis intimamus & notificamus, precamur & ſub debito juramenti & fidelitatis quo Romanæ Eccleſiæ tenemini requirimus, quatenus in quantum Deo placere cupitis, & defenſioni fidei aſſiſtere, & unitatis vinculo procurando Romanæ Eccleſiæ tenemini, velitis in feſto Annuntiationis beatæ Mariæ virginis proximè venturo, quem terminum ad hoc congruum elegimus, ad quem terminom Domini Cardinales alterius patris prælatos & alios obedientiæ ſuæ convocant, ad civitatem Piſanam prædictam, & in ipſâ cum Domino Gregorio, ſi venire voloerit, nobiſcum, qui in dictis loco & termino perſonaliter Deo auxiliante erimus, ac prælatis aliis obedientiæ noſtræ & partis, quos pari modo ad hoc ſpecialiter convocamus, ac cum deputatis Regum & Principum benignum auxilium hoie Dei negotio, fidei & Eccleſiæ neceſſarium ac plurimùm oportunum invocamus, convenire & comparere ad fines & effectus prædictos, ſpirante gratiâ ſancti Spiritûs proſequendos & feliciter conſummandos. Quòd ſi quis ex vobis impedimentia cauſantibus nequiveritis perſonaliter intereſſe ad dictos locum & terminum, pro Dei & Eccleſiæ reverentiâ & fidei neceſſitate aliquos veſtri nomine Deum timentes, ſcientiâ atque experientiâ illuſtratos deſtinare velitis, ſuffultos ſpeciali & ſufficienti poteſtate ad effectus præmiſſos conſequendos; taliter in præmiſſis vos habentes quòd de promptitudine divini ſervitii, & defenſione fidei, & ſubventione Eccleſiæ apud Deum meritum proſequamini, & apud homines laudem & gloriam ſempiternam. Nec in hac parte & materiâ tam neceſſariâ aliquem dubitetis, aut cujuſcumque terrore concutiamini; quia cum vos & nos cauſam fidei & exſtirpationem ſchiſmatis proſequamur, ſub protectione Dei & Eccleſiæ, de cujus congregatione agitur, & ad quam etiam Dominum Gregorium per alias noſtras literas ſpecialiter provocamus, intimari facimus ut Concilio interſit, manebimus ſecuri ab omni læſione proceſſuom. Quòd ſi aliqui proceſſus contrà vos & nos fierent occaſione præmiſſâ, nulli forent & evidenter ſubjecti vitio nullitatis, tamquam impeditivi ſacratiſſimæ unionis. Eſt enim noſtra, & Duminorum de Collegio alterius partis inteotio & irrevocabile propoſitum, quòd cum his qui venerint ad dictos locum & terminum provideatur fidei & Eccleſiæ juxtà effectus prædictos, aliorum qui non venerint abſentiâ non obſtante, prout aliàs fuit in generalibus Conciliis, in quibus fuerunt per modum prædictum errores exſtirpati, fides exaltata, Eccleſia reformata in vinculo pacis & unionis, exſtincto errore ſchiſmaticæ pravitatis. Quia fidelibus non eſt tam de ſollicitâ inventione quâcumque fidendum, quàm de inſtantiâ orationis humilis & devotæ ſperandum, veſtras charitates precamur, ac per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Jesu-Christi exhortamur, quatenùs per vos (& hoc idem fieri procuretis per fideles veſtræ ſollicitudini commiſſos) bumiles preces fundantur ad Dominum, & devotis orationibus inſiſtatur, ut ipſe qui concordiam operatur in ſublimibus ſuis, dignetur efficere quòd debita per hanc deliberationem ſequatur proviſio celer, concors, & canonica, ut animarum ſalus & neceſſitas exigit, & totius orbis utilitas deſiderat & expoſcit. Datum in caſtro ſeu loco Liburnii prædicto dictæ Piſan. Diœceſis ſub trium Priorum noſtrorum appenſione ſigillorum die xxiiii. menſis Junii, primâ indictione, anno à Nativitate Domini noſtri Jesu-Christi mccccviii.

Poſtquàm [f] autem hæc noſtra deliberatio ad notitiam tranſivit utriuſque de Papatu contendentiom, factæ ſunt ab eis ordinationes de convocandis Obedientiis ſuis ſeparatim, videlicet à Domino Gregorio apud provinciam Ravennatenſem vel Aquilegienſem in die Pentecoſtes; & à Domino qui ſe Benedictum dicit, apud Perpinianum in Aragoniâ ad feſtum omnium Sanctorum; & ſecundò per Dominum Gregorium alia bulla emanavit ad omnes Chriſti Fideles ſub quarto Idus Julii, in quâ declarat quòd ſuæ fuit voluntatis & eſt, &, ut in Deo ſperat, erit purè & fideliter ſervare formam & intentionem ſuorum juramentorum, voti, & promiſſionis in Conclavi factorum; atque nos convocat ſecom cum Cardinalibus prætenſis, quos de facto creavit ad tractandum ſuper negotio unionis: quæ tam convocationes, quàm literæ Domini Gregorii qualiter ad finem tendant unionis, literarum ſeries

f *Poſtquàm*] Hæc in Odorico non habentur.

patenter oſtendit, tùm quia ex convocationibus ſeparatis, & ad loca diverſa & remotiſſima, & diverſo tempore congregandum nullatenùs ſequi valet unio, nec aliqoid concludi, cum talia ex utriuſque pendeant facto; & quia ot detur unio, convocatio exigitur utriuſque Obedientiæ ſimul, & conventio totius univerſalis Eccleſiæ ſecundùm canonicas ſanctiones, Sanctorum Patrum inſtituta, & conſuetudinem hactenùs in talibus obſervatam: noſtra autem convocatio univerſalis eſt, & de utràque Obedientia, ex quâ conſequi poteſt unio. Et ſi ambo de Papatu contendentes bonæ forent voluntatis, ut aſſerunt, noſtræ potiùs conſentirent congregationi, ut requiruntur, de totâ Eccleſiâ, quàm novas & particulares facerent ſic ſeparatas, ex quibus nihil aliud ſequi poteſt quàm ſchiſmatis confirmatio; & ex hoc etiam detegitur fraus ſecundæ bullæ Domini Gregorii. Cum enim nihil reſtet noviter tractari, ſed ſola reſtat exequutio voti & juramenti, quam agiliter poteſt expedire Procuratorem conſtituendo ad cedendum; ipſe enim conatur illam ad novos reducere tractatus & anfractus, ad primordialia reducendo principia, quaſi materia non ſit ſatis trita & notoria, & quaſi ſatis per ipſum varietatibus & vacillationibus retrò non fuerit intricata; tùm quia ex ſuis tractatibus alterâ parte ſic in remotis partibus agente, nihil niſi ſchiſmatis confirmatio ſequi poteſt; tùm quia in quantum nos ad ſe convocat, hoc non agat propter aliud, niſi ut nos ſegreget à Collegio alterius partis, ut ſic convocatio univerſalis Eccleſiæ & utriuſque Obedientiæ, ex quâ ſolâ rebus ſic ſtantibus dari poteſt unio, de noſtris manibus auferatur, & ſic ſchiſma perpetuetur. Ex quibus ut ſuprà narratis ſatis patet qualiter retrò fuerit bonæ intentionis, cum expreſsè viam renunciationis reprobaverit, qualiter etiam de præſenti ſit, & veriſimiliter in futurum erit. Nolite ergo talia velut inania attendere, & quæ eveniant in confuſionem unionis, ſed ad congregationem noſtram iter præparate, ex quâ cum adjutorio JESU-CHRISTI pax & unitas dabitur in Eccleſiâ ſanctâ ſuâ.

ANNO 1408

Sequitur copia Literæ clauſæ, miſſæ Domino BENEDICTO *per Cardinales partis ſuæ, unà cum aliis literis patentibus, de quibus ſuprà, per quas ad Concilium convocatur apud Piſas.*

SANCTISSIME Pater, & clementiſſime Domine, humili & ſupplici recommendatione præmiſſâ. Etſi Sanctitati veſtræ celeriùs non fecimus nota, quæ per nos cum Reverendiſſimis Patribus in parte aliâ Cardinalibus nominatis proſequuta, & cum magnâ ac digeſtâ ſinceritate deliberata fuêre, communi aſſenſu & concordi, operante, ut credimus, Spiritûs ſancti gratiâ, qui unitis in unum in ſuo nomine piè ſubvenit, & in ore ponit etiam abſque aliâ præmeditatione ſolerti quæ agere debeant, quemque promere ſermonem, Sanctitas veſtra in admirationem non debet adducere, ſeu ad aliud quod debito & honeſtati non congruat, deputare: cum certum exiſtat bonis operibus frequenter adverſitates ingeri, non in reprobationis præſagium, ſed potiùs in virtutis, conſtantiæ & fortitudinis ſtabile fundamentum, quæ in hoc Dei negotio non defuêre, ſed latenter interfuêre, & interdum ſub fictis coloribus in ſcintillam aliqoam prodiêre, ob quas, etſi protractiones in concordandis virtuosè conceptis affuerint, tamen illis animo conſtanti depulſis, virtute Altiſſimi res qoæ gerebatur adeò ſerena effecta eſt, ut ſuâ valeat nunc firmitate & immobili fortitudine veſtræ Sanctitati, & cunctis Fidelibus nuntiari.

Et ut narrationis ſeries à ſuo principio ſumat exordium, convenientibus nuper tribus ex nobis, & Reverendiſſimo Patre Domino Cardinali de Chalento[a], Reverendis Patribus Rotomagenſi, Toloſano, & Terraconenſi Archiepiſcopis, ac venerabili viro Magiſtro Generali Ordinis Fratrum Prædicatorum, per veſtram Sanctitatem deputatis in Liburno, cum quatuor ex Dominis alterius Collegii Cardinalibus, ut de expedientibus & neceſſariis ad cautam unionis procurandæ pertinentibus cura haberetur ſollicita, cum aliàs tractatus pro extirpatione ſchiſmatis habitus, & diù per inanes altercationes inutiliter tractus, in evidenti foret rupturâ, taliter quòd piam habentibus mentem, & zelum charitate ardentem ad ſchiſmatis extirpationem, res ipſa in deſperationem viſa fuerit excidiſſe, ob quæ neceſſitate id expoſcente, & utilitate claro intuitu requirente, cum aliàs ſtatu rerum conſiderato ſchiſma extirpari non poſſet, de concordi aſſenſu omnium per Sanctitatem veſtram deputatorum aperta fuit via Concilii generalis utriuſque Obedientiæ in uno loco partium Italiæ, unoqoe termino congregandi ad finem, ut in eodem termino & loco Sanctitate veſtrâ & Gregorio convenientibus, per viam mutuæ ceſſionis concordatæ, & multiplici firmitatis irrevocabilis vinculo roboratæ, præſente & approbante Concilio finis imponeretur ſchiſmati peſtifero & nocivo: aliàs provideret Concilium, & congregata Eccleſia, ut foret ſecundùm Deum, ac divinas & canonicas ſanctiones providendum. Quæ via illicò in ſuo ortu per Dominos alterius partis Cardinales approbata exſtitit, & cum magnâ mentis exultatione recepta, ac ab omnibus audientibus quampluriмùm commendata; per cujus viæ apertionem depulſa fuêre quamplura aperta & mota, quæ ſic convenienter ad unitatis procurandæ vinculum non cenſebantur meritò pertinere. Demum habitâ præmiſſorum certitudine viam ipſam veſtra Sanctitas approbavit, & in procinctu receſsûs à Portu-Veneris eadem Sanctitas per Sacriſtam Magalonæ nobis mandavit, ut viam apertam generalis Concilii proſequeremur animo conſtanti, ac indefeſſo labore. Et quamvis ante notitiam veſtri receſsûs ad partes tam remotas via Concilii generalis utriuſque partis & Obedientiæ viſa fuerit neceſſaria, vobis & Gregorio exiſtentibus in propinquo, multo fortiùs & evidentiori neceſſitate complexa ad invicem vobis abſentantibus, & ad loca tantâ diſtantiâ ſeparata transferentibus, non ſine cordis lugubri lamentatione illorum qui unitatem fidei & Eccleſiæ gerunt in deſiderio charitatis. Si enim vobis ad invicem in propinqoo conſiſtentibus pax Eccleſiæ dari non potuit, quis ſanæ mentis & ſui compos exiſtens æſtimabit, ſine viâ utriuſque partis generalis Concilii Eccleſiam uniri poſſe, adeo longo terrarum ſpatio vobis exiſteotibus ſeparatis? Et propterea juxtà nobis à Sanctitate veſtrâ injuncta mandata, & ob majorem imminentem neceſſitatem, proſequuti ſumus cum Dominis alterius Collegii Cardinalibus prædictam viam Concilii utriuſque Obedientiæ, & finaliter poſt multa exacta dierum curricula concorditer convenimus, nomine etiam Reverendiſſimorum Patrum Dominorum Cardinalium pro nunc à præſenti civitate abſeotium, & nobiſcum in hac parte concordantium, ac ſincera charitate cum omnibus Dominis Cardinalibus alterius partis concordavimus, uno dumtaxat excepto, cu-

a *Chalento*] Codex Harlæanus *Chalant*.

jus tamen adventus parque concordia præſtolatur in brevi, ut generale utriuſque partis & Obedientiæ Concilium teneatur in hac civitate Piſanâ, per Sanctitatem veſtram & Gregorium aliàs electâ & nominatâ, in die Annunciationis Domini, quæ occurrit xxv. Martii proximè futuri, convocandum per nos in noſtrâ parte, & per Dominos Cardinales partis alterius in ſuâ, cum intimatione præmiſſorum faciendâ per nos Sanctitati veſtræ, & alios Dominos Gregorio nominato, noſtrâ ex parte S. V. cum humili ſupplicatione, ipſorum ex parte quoad Gregorium, à cujus Obedientiâ & communione ob evidentes, neceſſarias & juſtiſſimas cauſas receſſerunt, requiſitione ſolemni, ut præfato Concilio feratis opem & aſſenſum, vocando ex ſuperabundanti & ad cautelam, ut puſillis & ignorantibus ſatisfiat per veſtras literas, & Gregorius per ſuas ad locum & terminum antedictos eos qui Sanctitati veſtræ & illi obediunt; ut ſic veſtrâ, & illius, ac noſtrâ, Dominorumque alterius partis vocationibus in unum concurrentibus, res ipſa efficiatur validior; licet aliàs per ſe exiſtat valida & omni firmitate ſubnixa, tollaturque frivola quorumdam quærentium quæ ſua ſunt allegatio, qua aliàs contrà modum vocationis Concilii impertinenter uti vellent ad differendum vel impediendum tam gratum Deo ſervitium, fidei & animarum ſaluti neceſſarium, ac toti Reipublicæ opportunum, cum communis ſit omnium Fidelium opinio rei experientiâ comprobata, quòd nunquam Gregorius cum Sanctitate veſtrâ ſuper convocatione generalis utriuſque partis Concilii in loco & in termino concordaret; certumque exiſtit, quòd ad veſtram & illius generalem vocationem, ſi fieret, non obedientes, ſubtracti, & neutrales nullatenùs convenirent. Eſtque convenientius Canonibus, veriſque conſonum opinionibus, & Sanctorum Patrum exemplis meritò imitandum, duobus de Papatu contendentibus, quorum neuter ab univerſali Eccleſia pro vero Pontifice habitus eſt ſeu receptus, & quorum Obedientia per multorum ſubtractiones, & neutralitates in dies diminuitur & aufertur, ſuper quorum controverſiâ Deo non gratâ, Fidelibus nullatenùs acceptâ, neceſſariò utriuſque partis Concilium convocandum, quòd per Cardinales partis utriuſque potiùs, in quibus, quantum ad membrorum cohærentiam attinet, eſt reformatum unitatis vinculum, Fidelibus omnibus gratum; & qui ad hoc ſolùm agunt ut quantum ad ſubjectionem & communionem capitis inter Fideles exiſtat uniformis charitas, convocetur univerſalis Eccleſia in Concilium generale; quorum vocationi potiùs parebitur, quàm per Sanctitatem veſtram & Gregorium, quorum auctoritas ad effectus contemptu plenos in dies deducitur, negligiturque taliter, quòd ad vocationem veſtram & ipſius, univerſalis qui quæritur non ſequeretur profectus.

Sunt etiam alia fundamenta lucida & ſufficienti ratione fulcita, per quæ hic modus vocationis juſtus eſt, canonicus, debitâ ac juſtâ conſideratione neceſſarius, ac etiam opportunus, à quo & Concilio ipſo generali veſtra, & Gregorii non excluditur præſentia, ſed modis omnibus præſtolatur: tollitque hæc conſideratio omnem objectionis intentum, quæ adverſus ipſum generale Concilium, ejuſque modum vocationis, à volentibus ſubterfugere allegari poſſet. Ad hoc autem iſtud generale convocatur Concilium, ut in illo Sanctitate veſtrâ & Gregorio convenientibus ceſſio mutua promiſſa juramentis & votis roborata, & à cunctis Chriſti Fidelibus approbata, fiat; eaque factâ, & diſpoſitis quæ videbuntur utiliter diſponenda per Cardinales utriuſque partis in unum deductos Collegium, ad canonicam procedatur electionem unici, veri, & indubitati Paſtoris; hæc peragantur quâcumque querelâ aliâ, & accuſatione denuntiationeque depulſis, & erga Sanctitatem veſtram & Gregorium omnis adhibeatur honorificentia debita, libertas & ſecuritas tribuantur modis poſſibilibus, ſufficientibus & honeſtis, & etiam omnibus ad ipſum Concilium venientibus in veniendo, ſtando & recedendo; ſuper quibus cum Florentinis, quorum dominio ſubeſt Piſana civitas, certas habemus concluſiones & capitula, ſufficientibus promiſſionibus & cautelis ... roborata. Quòd ſi S. V. veniente, diſpoſita ... adimplere, Gregorio in damnata pertinaciâ & protervâ contumaciâ permanente, fidei, unitati Eccleſiæ & veritati Evangelicæ obviante; vel ſi Sanctitas veſtra ſic diſpoſita non venerit, tunc in alterius, vel utriuſque contumaciam & defectum provideatur per Concilium & Eccleſiam congregatam, ac ordinetur ut dictaverit Spiritûs ſancti gratia, volunt & diſponunt divinæ & canonicæ ſanctiones. Doctorum dicta per Eccleſiam approbatorum ſuadent, & oſtendunt geſta Sanctorum Patrum pariter & exempla; taliter ut defectibus, contumaciis & contradictionibus, & aliis non obſtantibus cauſis prætenſis, extirpetur ſchiſma, & unio in Dei Eccleſiâ reducatur ſub uno vero & indubitato Paſtore, modo præmiſſo, auxiliante Domino, eligendo. Hæc eſt via, Pater S. ſic deliberata, ſincerè de voluntate Sanctitatis veſtræ proſequuta, Deo grata, auctoritatibus veteris & novi Teſtamenti conveniens, geſtis Apoſtolorum & Sanctorum Patrum, dictiſque concordans, & à Canonibus approbata, acceptaque Prælatis, Regibus & Principibus, Notabilibus, Communitatibus, omni Clero & populo Chriſtiano, ad quos de ea pervenit veridica relatio, omnique lingua eam commendat, approbat & exaltat; per illam ſolum æſtimantes ſchiſma extingui poſſe, & unitatis vinculum inter Chriſticolas reduci. Qui in iſta laborare neglexerit, & laborantibus in ea opem & auxilium præbere noluerit, juxtà beatos Ambroſium, Auguſtinum & Anſelmum in Eccleſiâ non exiſtit, foris eſt, à tronco arboris ramus præciſus. Qui verò contradixerit, & impedimenta præſtiterit, ſchiſma diligit, nutrit & paſcit, unitatem odit, fidem violat, veritati Evangelicæ contradicit, & multo fortiùs à gremio Eccleſiæ alienus exiſtit. Itaque, ut ait beatus Cyprianus, tanta eſt macula, quòd nec ſanguine abluitur, cum ſit inexpiabilis, & gravis adeo culpa diſcordiæ, ut nec paſſione purgetur etiam pro Chriſti fide ſuſceptâ.

Hæc, Pater Sancte, cum charitatis zelo vobis ſignificamus, ſupplicantes etiam nomine Reverendiſſimorum Patrum Dominorum Cardinalium abſentium, & nobiſcum in hac parte convenientium, & nobiſcum facientium duas partes Collegii, quatenùs ad præmiſſa, ac lamentabilem ſtatum Eccleſiæ, animarum evidentia pericula, errorum ſuccreſcentium multitudinem peſtiferam, libertatis Eccleſiaſticæ detrimenta velitis aciem mentis dirigere, & attendere, quòd duæ partes veſtræ Obedientiæ & ultrà irretractabiliter, quantum ex modo colligi poteſt, à vobis receſſerunt, & ſe neutrales fecerunt, & in quo periculo ſunt illæ modicæ terræ Eccleſiæ vobis ſubjectæ, quas murus & arma non protegent, ſed eis potiùs, ut formidamus, occaſionem dabunt ruinæ & diſperſionis lacrymis deplorandæ, & generali utriuſque partis Concilio, ut præmiſſum eſt, congregando opem & aſſenſum ferre, & in ipſo convenire perſonaliter in loco & termino antedictis, cum diſpoſitione præmiſſa incommutabili, quæ omnibus Chriſti Fidelibus illicò innoteſcat, quòd veſtra Sanctitas intendit in ipſo Concilio

& oblata ſunt ad omnia loco concordata, ut uſque ad fines noſtræ Obedientiæ cum magnis damnis & laboribus, ſummiſque terræ & maris periculis acceſſiſſe; & demùm ad loca inter Lucam & Portum-Veneris conſtituta, & exiſtentia in ipſius Angeli Obedientiâ, & per Ambaſſiatores Venetorum, & alios de Obedientiâ dicti Angeli aperta, nos velle accedere, obtuliſſe. Verùm his omnibus per eumdem Angelum denegatis, & minimè obſervatis, de Liburno pro nobis, & de Piſis pro ipſo Angelo, per eum apertè & publicè oblata, licet inæqualia, & nobis periculoſa & incommoda loca, etiam contrà aliquorùm ex vobis opinionem, duximus acceptanda; quæ omnia & multa alia præfatus Angelus in ſuæ & multarum animarum periculum, & contrà ſuorum prætenſorum Cardinalium, multorumque magnorum de ſuâ Obedientiâ conſilium, facere & adimplere publicè recuſavit. Cæterùm omnem tractatum unionis, & quamcumque audientiam, ſalvumque conductum, noſtris Nuntiis & aliis denegavit, propter quæ & alia multi ex ſuis prætenſis Cardinalibus dictum Angelum in civitate Lucanâ deſerentes, Piſis ſe perſonaliter tranſtulerunt, nos cum inſtantiâ deprecantes, ut ad eos appropinquare vellemus Liburnum accedendo. Nos autem de veſtro & aliorum venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, tunc ad dictum locum Liburni accedere decrevimus ſine morâ: ſed quia ſalvus conductus prius à Florentinis ob ſecuritatem & victualia, & à Domino Lucano propter tranſitum aliorum, qui per terram nos erant ſequuturi neceſſarius videbatur, de veſtro & aliorum prædictorum Fratrum noſtrorum communi conſilio, vos tres prædictos, unà cum quinque ſuprà nominatis, ad antedictos prætenſos præmiſimus Cardinales pro illorum conſolatione, & ut pro hujuſmodi ſecuritatibus habendis veſtra circumſpectio laboraret cum bullâ noſtrâ credentiali ſe ad communes inſtructiones vobis omnibus traditas communiter referente. Quæ quidem inſtructiones per te, dilecte fili Cardinalis S. Angeli, principaliter formatæ, & demùm concorditer approbatæ, nihil aliud in effectu continebant nec continent, niſi quòd antefatos prætenſos Cardinales confortaretis in Domino, & informaretis de noſtro bono propoſito & brevi acceſſu ad Liburnum, audiretiſque & ſentiretis quas vias & modos pro unione Eccleſiæ ſervare & proſequi intendebant, & de illis nos curaretis reddere certiores; ad hunc videlicet finem, ut cum prædictis Fratribus communicato conſilio poſſemus procedere commodiùs in agendis. Viſis igitur & recenſitis prædictis inſtructionibus in formâ authenticâ, continentibus præmiſſa tantummodò, & auditis depoſitionibus dictorum Cardinalium Toloſani, & de Chalento [c] & Archiepiſcopi Terraconenſis, ac Generalis Prædicatorum, publicè & conſtanter aſſerentium, ſe, nec vos tres ipſis præſentibus aliud quàm ſit in dictis inſtructionibus, noſtri ex parte moviſſe ſeu aperuiſſe, hoc firmiter de vobis & ipſis credidimus & credimus, nec aliud credere veriſimiliter debebamus; quòd videlicet præter inſtructiones noſtras attentaretis aliquid ex noſtrâ parte nobis inconſultis proſequi, nec etiam aperire.

Scitis præterea quòd per dictos Florentinos, & Dominum Lucanum, non obſtante multiplici noſtrâ & veſtrâ, ac dictorum prætenſorum Cardinalium aliorumque inſtantiâ, fuit vobis & nobis omnis ſalvus-conductus & ſecuritas denegata, ob quam rem nos adire non valuimus Liburnum, nec vos Piſas; ex quo oportuit quatuor ex prætenſis Cardinalibus ad vos Liburnum ſe transferre: poſtmodum verò per dilectum filium SIMONEM Salvatoris cum inſtructionibus per vos ſibi datis, de proloquutis inter vos & dictos quatuor prætenſos Cardinales, nos & prædictos Fratres noſtros informare curaſtis; quibus inſtructionibus perlectis; nihil de prædictâ viâ nobis innotuit noſtro, ut aſſeritis, nomine perſequutâ: benè tamen ex veſtrâ parte per dictas inſtructiones & alias verbo & ſcriptis manu tua, dilecte fili Cardinalis ſancti Angeli, correctis ſumus nihilominùs informati, quòd dictis prætenſis Cardinalibus vobis ſeparationem à nobis, & cum ipſis conventionem & Concilii convocationem ſine nobis ſuadentibus conſtanter in facie reſtitiſtis, per organum tuum, fili Cardinalis Sancti Angeli, expreſſe allegando, quòd hæc ſecundùm Deum & juſtitiam per vos fieri non poterant, nec debebant vos de his requirere, & quòd ad nos tamquam ad caput, qui promiſſa conventa, & concordata ad unguem ſervavimus, convocare Concilium generale, & unionis negotium tractare principaliter ſpectabat, prout hæc multis rationibus fundaſtis.

Poſtremò non ignoratis quòd præfati quinque ad nos redeuntes, qui in ultimâ die tractatûs, quæ fuit die undecimâ [d] Junii, propter eiſdem imminentia gravia pericula de Liburno recedentes, noſtram præſentiam adierunt, veſtrûm trium & ſui ex parte nobis referentes, quòd ultima collatio inter vos, & ſæpedictos prætenſos quatuor Cardinales, habita fuerat, quòd ordinarentur certæ requiſitiones dicto Angelo faciendæ, ante quarum quidem ordinationem, & aliam quamcumque receptam concluſionem, ſeu factam concordiam, ipſos, ut dictum eſt, recedere, & ad nos venire eis gravi imminenti periculo cogebantur, qui ex parte veſtrâ nobis inſtanter conſuluerunt, ut dimiſſis illis partibus noſtram, & nos ſequentium perſonas in tuto, cujuſvis moræ ſublato diſpendio, poneremus; cum per certas miſſas literas vobis conſtaret, quòd de noſtrâ & eorum captione ibi mandatum venerat, unde poſſet grave in Dei Eccleſiâ ſcandalum ſuſcitari. Quibus penſatis ſatiſque notoriè divulgatis, de Fratrum noſtrorum concordi conſilio, & eorum pulſanti inſtantiâ, ad locum tutum & ſecurum cum noſtris decrevimus nos transferre, volentes nihilominùs ex quo in illis partibus ulteriùs adeſſe perſonaliter nequibamus, ſolemnes Nuntios cum plenâ poteſtate ibidem dimittere, qui ſuper agendis darent operam efficacem. Sed quemadmodum vobis & multis notum eſt, ſalvus-conductus cum inſtantia poſtulatus eis per Gubernatorem Januæ, procurantibus Ambaſſiatoribus cariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Franciæ Illuſtris, in ipſis partibus tunc moram trahentibus, extitit denegatus; licet non credamus hoc de dicti Regis voluntate & conſcientiâ aliquatenùs proceſſiſſe, propter quod nec eos dimittere, nec in illis partibus ſecurè potuimus ulteriùs remanere. Tandem de dictorum Fratrum noſtrorum & notabilium Prælatorum aliorum conſilio, in noſtri receſſûs procinctu generale Concilium brevi termino Omnium Sanctorum inſtanti, in villâ Perpiniani Elnenſis Diœceſis, utpote propinquiori inter loca ſecura, ſolemniter & publicè duximus convocandum.

His igitur omnibus conſideratis, attendite cum ſcribitis, quòd per Sacriſtam Magalonenſem prædi-

c *Chalento*] Hic etiam in Cod. Harl. legitur *Chalanto*.
d *undecimâ*] Codex Harlæanus *ſextâ*. Alia ſunt quæ ejuſdem codicis ope mutavimus, aut eam deeſſent reſtituimus; ſed ejuſmodi erant, ut de his quidquam notare haud admodum neceſſarium videretur.

ctum vobis in noſtri receſſûs procinctu injunxerimus ut conſtanter proſequeremini dictam viam; hæc enim & præfatus Sacriſta palam atque conſtanter denegat, & inſtructiones ſibi datæ, quæ de manu præfati JOHANNIS Cardinalis Arminiaci ſcriptæ manent, nihil continent ſuper illo. Cæterùm ſi forſan teſtes & ſcripta authentica ſuperiùs allegata vobis non ſufficiant, hoc ſaltem vobis & cuilibet intelligenti ſufficiet evidenter, videlicet quòd non eſt credibile, imò nec veriſimile, quòd nos cum noſtro Collegio de veſtro & aliorum Fratrum conſilio cum tanto periculo recedentes, denegato nobis & vobis in Piſis & aliis partibus, ut dictum eſt, ſalvo-conductu & ſecuritate, & convocato per nos, ut dictum eſt, Concilio generali, vobis in eodem noſtri receſſûs procinctu, prout ſcribitis, per dictum Sacriſtam mandaverimus quòd per vos Concilium vocaretur, quod non valet quocumque verborum colore aliquatenùs verificari: ex quibus cuilibet rectè inſpicienti conſtare poteſt, quòd prædicta noſtro nomine & mandato atque voluntate ſeu approbatione, ut veſtra continet litera, non feciſtis nec facere potuiſtis. De vobis igitur mirantur multi & magni, quid eſt quòd vos quinque vel ſex, ut dictum eſt, nobis & noſtro Conſilio inconſultis, quem Papam & Dominum veſtrum ſcitis, quique pro unione Eccleſiæ ſanctæ Dei tot & tanta fecimus & obtulimus, & alia majora omni tempore parati ſumus facere pro hujuſmodi unione, & qui Concilium generale non ſolùm non denegamus, imò de Fratrum noſtrorum conſilio convocavimus, & in liminibus ipſius celebrationis exiſtimus, & ad quem ſolum Concilii generalis celebratio pertinet, ad ſimilia procedere tentaviſtis, quæ tamen ſi ſancta, canonica & juridica, ſicut aſſeritis, eſſe demonſtraveritis, non recuſabimus, tantùm nos allicit tranquillitas populi Chriſtiani. Super quibus cum noſtro Collegio in hoc ſacro generali Concilio de proximo in hac villâ Perpiniani, loco utique celebri & inſigni, idoneo per nos celebrando deliberare intendimus, & ſuper allegatis & requiſitis per vos pro unione utilibus, quod juſtum & canonicum viſum fuerit totis viribus proſequemur, & efficaciter cum ſuffragio divinæ gratiæ exequemur. Ad quod generale Concilium vos in virtute ſanctæ obedientiæ per noſtras literas convocavimus, & expreſsè harum ſerie convocamus; ſperantes indubiè cum omnis pro vobis & aliis ſe exhibeat ſecuritas, & illuc in allegato per vos tempore, ſi nobis utile viſum fuerit, revertendi tempus adſit ſatis longum, quòd in dicto generali Concilio perſonaliter ſtudebitis intereſſe. Et tunc lucida fundamenta quæ habere prætenditis, licet illa non explicaveritis, poteritis declarare, quæ libenter audiemus, & benignè in quantum rationabilia viſa fuerint admittemus: præmiſſiſque diligenter attentis credere non valemus, vos nec quemquam nobis poſſe cum ratione conſulere, ut convocato hîc generali Concilio, ad quod jam plurimi ex Hiſpaniarum, & aliqui Franciæ, Sabaudiæ, Provinciæ, atque Vaſconiæ Prælati partibus, atque notabiles perſonæ adſunt, quidquam innovare ante celebrationem Concilii debeamus.

Ad id tamen quod tangitis, ut perſonaliter nos vel per Procuratorem Piſas conveniamus, Papatui in certis caſibus renuntiaturi, & aliis in veſtrâ literâ contentis, ſolùm pro nunc reſpondemus, nos firmam in Domino ſpem habere, quòd ipſo adjuvante, cujus ſunt recta conſilia, cum deliberatione dicti generalis Concilii talem ſuper his & aliis veram unionem concernentibus recipiemus concluſionem, quòd breviter quantum in nobis erit hoc deteſtabile, & proh dolor! nimiùm diuturnum ſchiſma tolletur de medio, & vera unio in Dei Eccleſiâ ſubſequetur.

Datum Perpiniani Elnenſis Diœceſis ſeptimo Idus Novembris, Pontificatûs noſtri anno quinto decimo.

ITem ſciendum, quòd etiam fuerunt aliæ literæ patentes ex parte Cardinalium præſentatæ dicto Petro de Luna apud Perpinianum per Magiſtrum GUILLELMUM Saigneti Judicem ordinarium Nemauſenſem, qui propter hoc ad eum ex parte Cardinalium fuit miſſus; quarum literarum tenor hìc ſtatim [c] ponitur. Et in ſubſtantiâ idem continent, ſicut literæ clauſæ ex parte eorumdem Cardinalium per Magiſtrum Joannem Guiardi præſentatæ, de quibus hìc ſuprà fit mentio ſecundo folio præcedenti. Et per iſtas patentes etiam dictus Petrus de Luna convocatur ad Concilium Piſis congregandum. Et erant etiam aliæ patentes, per quas ad idem convocantur Cardinales, qui erant cum eo quatuor, ſcilicet Auxitanus, de Fliſco, de Chalento, & etiam Gerondenſis, qui tamen tempore præſentationis literarum mortuus erat. Et dictus Guillelmus poſt præſentationem dictarum literarum, & intimationem, requiſitionem, &c. Sicut ſibi erat injunctum inſtitit pro reſponſione habendâ, ad quod finaliter dictus Petrus de Luna reſpondit: Habuimus alias literas clauſas ex parte eorumdem Cardinalium, ſuper ſimili materiâ licet poſterioris datæ, ſed primo nobis præſentatæ, quibus reſponſionem dedimus, ideo ſuperfluum eſſet ampliùs reſpondere, dicens quòd literæ plura continent quæ aliter ſe habent. Et quòd de omnibus unionem Eccleſiæ tangentibus, intendit deliberare in Concilio ſuo generali apud Perpinianum celebrando, & ſperat bonam concluſionem recipere, &c. Dicti autem Cardinales requiſiti, pro reſponſione dixerunt per os Cardinalis Auxitanenſis, quòd idem cum dicto Petro de Luna reſpondebant in quantum eos tangebat. Et ita fuit relatum per dictum Magiſtrum Guillelmum Saigneti, qui de omnibus attulit inſtrumentum ad longum.

Declaratio nominatim facta contrà certos fautores PETRI DE LUNA, *ſuper privatione Beneficiorum ſuorum per Concilium Eccleſiæ Gallicanæ.* Anno 1408.

IN NOMINE DOMINI. AMEN. Tenore præſentis publici Inſtrumenti cunctis pateat evidenter, quòd anno ejuſdem Domini milleſimo quadringenteſimo octavo, Indictione ſecundâ, menſis Octobris die vigeſimâ, horâ decimâ ante meridiem, ab electione PETRI DE LUNA ultimò in Papam electi, qui dudum BENEDICTUS XIII. nuncupabatur, anno decimo quinto, in Concilio ſive Congregatione Reverendiſſimorum in Chriſto Patrum Dominorum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, ac per Univerſitates, Metropolitanas, & Cathedrales Eccleſias Regni Franciæ, & Delphinatûs Viennenſis deputatorum, per Dominum noſtrum Regem mandatorum ad intereſſendum perſonaliter Pariſius, die primâ menſis Auguſti anni præſentis, Concilium Eccleſiarum Gallicanæ & Delphinatûs celebrandum, & tenendum ſuper ulteriori proſequutione unionis ſanctæ matris Eccleſiæ, ac regimen dictarum Eccleſiarum, pendente neutralitate,

c *hic ſtatim*] ſuprà editæ ſunt ſuo loco.

pro nunc in dictis Regno & Delphinatu currente, cum continuatinne dierum uſquequo ſuper omnibus in deliberatione proponendis receptæ & factæ eſſent certæ & finales concluſiones, prout de vocatione & ordinatione nobis Notarus infrà ſcriptis fuit facta fides per organum Magiſtri & potentis Domini Domini Arnaldi de Corbeia Militis & Cancellarii Franciæ, qui pluribus diebus præſedit in Concilio ſupradicto, præſidente tamen pro nunc Reverendiſſimo in Chriſto Domino Simone miſeratione divinâ Patriarcha Alexandrino, adminiſtratore perpetuo Eccleſiæ Carcaſſonæ, per ordinationem dicti Domini noſtri Regis Francorum, prout nobis Notarius publicis infraſcriptis per literas patentes ſigillo ſuo in cerâ albâ ſigillatas conſtabat, ipſis Dominis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Univerſitatibus, & aliis deputatis, qui tunc aderant & intereſſe volebant, Concilium Eccleſiarum Gallicanæ & Delphinatûs Viennenſis celebrantibus, & ipſas Eccleſias facientibus, & meritò repræſentantibus, ut dicebatur, præfatus Reverendiſſimus in Chriſto Pater Dominus Simon Patriarcha Alexandrinus ad Domini Rectoris, Deputatorumque Univerſitatis Pariſienſis requiſitionem inſtantem pluribus ante diebus, in præſentiâ totius Concilii iteratis vicibus repetitam, & ut adversùs credentes, fautores, participes, & defenſores, manifeſtè notorii expreſſis & explicatis nominibus dici debeant & vocari. Et quia in præſentiâ & conſpectu præfati Concilii Eccleſiæ Gallicanæ & Delphinatûs, per eumdem Dominum Rectorem quædam patens cedula lecta fuit, quæ continebat nomina & cognomina omnium illorum, quos dicta venerabilis Univerſitas Studii Pariſienſis ſuper hoc ſolemniter congregata, in dictâ Congregatione generali ejuſdem reputaverit indictis evidentioribus, & tunc reputabat veros credentes, fautores, participes, defenſoreſque notorios & manifeſtos ipſius Petri de Luna, quæ etiam pluribus ante diebus fuerat repetita.

Idem Reverendiſſimus Pater volens ſingulorum ſuper hoc exquirere ſingulariter votum, opinionem & mentem in deliberatione & opinionum interrogatione, poſuit & ſigillatim expreſſit, petens qui de nominatis & cognominatis prædictis in eâdem cedulâ & ſcriptura pro manifeſtè notoriis, credentibus, fautoribus, participibus, adhærentibus & defenſoribus ſæpe dicti Petri de Luna Schiſmatici & Hæretici tenendi ſint, ex tunc & legitimè reputarentur. Quorum omnium intentione opinionibuſque diſcuſſis, Johannes qui ſe facit Archiepiſcopum Auxitanum nominari, Petrus qui ſe S. Poncii Epiſcopum facit appellari, Johannes quondam Cabilonenſis Epiſcopus nunc dictus Mimatenſis, Abbas S. Saturnini Tholoſani dictus Condomienſis, Bertrandus de Maumont nuper Vaurenſis dictus Biterrenſis, Guigo Flandrini lator & in parte compoſitor damnati libelli ſub nomine epiſtolæ Tholoſanæ, præſentati Pariſius, Cardinales quondam Auxitanus, de Fliſcho, de Chalento, Generales Prædicatorum & Minorum, in præfatâ cedulâ & deliberatione Univerſitatis Pariſienſis annotati, ſuis exigentibus demeritis, & culpis urgentibus actibuſque, præfatis criminibus perſeverantiæ longioris, à præfato Eccleſiæ Gallicanæ Concilio reputati ſunt ipſius Petri de Luna ſchiſmatici & hæretici credentes, fautores, participes & defenſores notoriu, manifeſti, & pro talibus habiti atque tenti, ab ipſoque Concilio, & Domino Patriarcha, collectis opinionibus omnium declarati. De & ſuper omnibus & ſingulis præmiſſis præfatus Dominus Patriarcha, & alii quamplures, à nobis Notariis publicis infra ſcriptis ſibi fieri petierunt publicum inſtrumentum, unum, vel plura.

Acta fuerunt hæc in Aulâ altâ ſuprà Sequanam Regalis Palatii Pariſius ſub anno, Indictione, menſe, die, hora & electione prædictis: præſentibus ad hæc venerabilibus & diſcretis viris Magiſtris Guillelmo Benedicti, Nicolao Gauffrido de Perutiâ, Guillelmo de Broſſis, Nicolao Goé, Nicolao de ſancto Clario, & Guillelmo Rouſſelli, tam Doctoribus in Jure, quàm Magiſtris in Artibus, cum quoque pluribus aliis teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Et ego Johannes Bourrileti, &c.

De Concilio Piſano ſuper electione unici ſummi Pontificis celebrato.

Anno 1409. *Ex Hiſtoria MSS.* Caroli VI. *Reg. Francorum à Monacho San-Dionyſiano.*

Longe lateque per Orbem, qui Spiritûs ſancti gratiâ inſpirati tamdiù ſub nefandiſſimo ſchiſmate Fidelium univerſalem matrem Eccleſiam doluerant ancillari, amborum contendentium de Papatu, & ſummo ejus culmine ambitionem improbam execrabiliter damnantes, conventionem utriuſque Collegii Cardinalium, ut viam facilem veniendi ad pacem & concordiam commendabant. Ubique obtemperando eorum monitis de Franciâ, Angliâ, Boëmiâ, cæteriſque Chriſtianitatis Regnis & Dominiis, Metropolitani, Epiſcopi, & Abbates, ex Collegiis Cathedralium Eccleſiarum, Univerſitatibuſque Regnorum jam ſolemnes Nuntii mittebantur, & iter arripuerant gaudentes ut in Concilio Piſano intereſſent pro diuturno ſchiſmate ſopiendo. Nec quemquam ex ipſis ſcio, qui non feliciter vitæ finem attigerit præoptatum, niſi Dominum Guidonem de Rayâ Remenſem Archiepiſcopum, qui quamvis in colloquiis publicis hucuſque, & coram Principibus, Petrum de Lunâ tenuerit ſummis laudibus efferendum, quia tamen ad id beneplacitum Deo negotium cum Cardinali de Baro obedienter procedebat, occaſum ſuum non immeritò deflendum, hic inſerere dignum duco.

Cum enim ambo ad villam quamdam duabus dietis à Januâ diſtantem, gratiâ hoſpitii divertentes, & ortâ verbali controverſiâ occaſione equorum memorati Cardinalis, mareſcallus ejus alium, qui hoc officium publicè exercebat, occidiſſet, mox populares commoti, & eidem ſubitò vicem pro vice reddentes, & ad hoſpitium Cardinalis accedentes quinque ex ſuis, quos habuerunt obviam, ferali rabie peremerant. Ulterius ad facinora volentes procedere, cum præfatus Archiepiſcopus ad feneſtras domûs ſe oſtendens, eos verbis lenibus tentaret compeſcere, ictu jaculi traos præcordia confoſſus interiit, nec ultrà vocem emiſit. Nec ſceleribus contenti, jam tentabant ut igne ſuffocatorio cæteri ſpiritum exhalarent, cum nuntius inopinatè ſupervenit qui tantam veſaniam auctoritate Gubernatoris Januæ repreſſit. Qui, quia villa ſubdita ſibi erat, ad perpetuam memoriam facinus inultum non reliquit; ſed peractis Archiepiſcopi exequiis, quantis ſtudiis funus ullum celebrari poterat, quotquot ad deteſtabilem commotionem convenerant, conditioni, ætati, aut ſexui non parcendo, variis exterminari ſuppliciis, & domus in quâ locatus fuerat ſolo æquari præcepit.

Ad promotionem autem cauſæ Eccleſiæ ſanctæ Dei rediens, quia Domini Cardinales vigeſimum quintum diem Martii aſſignaverant pro primâ Seſſione, in pulchrâ & ſpatioſa navi Eccleſiæ Cathedralis urbis Piſanæ celebrandâ, in quâ & ſedes Prælatorum ibidem aſſiſtentium aptari fecerant; ſecundùm exigentiam ordinum & dignitatum ibi convenientes nominandi, ſic fuerunt collocati. Primam

namque ſedem altitudinis altaris conſtituti in introitu Chori à dextrà, ab eoque pedibus XII. diſtantem, Domini Cardinales Preneſtinus, Albanus, Oſtienſis, Podienſis, de Turcio, de Saluciis, ac de ſancto Angelo, qui obedierant Domino BENEDICTO; Neapolitanus etiam, Aquileiæ, de Colomnâ, de Urſinis, de Brancacio, de Ravennâ, de Lande, & de S. Angelo, qui Gregorio adhæſerant, occupaverunt, ut decebat, & in facie altaris antedicti, cujus latera paulo longiùs, ſacri Palatii Protonotarii ambiebant. De Ambaſſiatoribus Regis Franciæ, Epiſcopus Meldenſis ſolus interfuit, pro Rege Siciliæ Ludovico Epiſcopus de Gap, duo Milites, quidam Doctor in Legibus, cum uno Secretario: necnon pro Rege Angliæ cum quodam Milite unus Doctor cum Clerico, qui de Alemannorum deliberatione factâ apud Francquefort veniebant, ſolùm præſentes fuerunt. Et his qui Prælati erant, Epiſcopis & Abbatibus ab utroque latere dictæ navis uſque ad valvas Eccleſiæ ſedes præparatæ erant, ſedilumque ſcabella Nuntii Capitulorum & Conventuum tenuerunt. In reſiduo capacitatis dictæ navis longè humilioribus ſcamnis, Ambaſſiatores Regum non Prælati, cæterorum Dominorum & Comitatuum cum Doctoribus, cæteriſque Nuntiis Capitulorum & Conventuum conſederunt. Et his debitè locatis, Dominus Cardinalis Preneſtinus Miſſam de Spiritu ſancto celebravit ſolemnem, quâ finitâ, & à quodam Doctore collatione facta, in quâ diſertiſſimè cauſam tangens congregationis Concilii, cum aſſiſtentes orare monuiſſet devotè pro unione Eccleſiæ, nil ampliùs actum eſt ipsâ die.

Die Martis, Martii ſcilicet XXVI. hujus ſacri Concilii fuit ſecunda Seſſio vel convocatio celebrata, & inter Miſſæ ſolemnia, quæ peregit quidam alterius partis Cardinalis, Mediolanenſis omnes monitione ſolemni hortatus eſt, ut Dominum devotiſſimè orarent, quatenùs cauſa Eccleſiæ inchoata bono fine clauderetur: & inde ſinguli Prælati ſe cappis Eccleſiaſticis induentes, albaſque mitras ſumentes, cum unus ex aſſiſtentibus Cappellanis altâ voce intonuiſſet: *Orate*: tunc omnes flexis genibus ſpatio dicendi Pſalmum *Miſerere mei Deus*, proni in terram ſe dederunt. Pauſam iſtam quidam Cardinalis unâ Collectâ ſuivit, & cum ſimilem dixiſſet poſt Antiphonam à Capellanis cantatam, unus eorum continuavit Litaniam altâ voce, cui Prælati reſponderunt: Et cum poſt Orationem idem Hymnum *Veni creator ſpiritus* inchoaſſet; hymno dicto, ERIGITE, altâ voce intonuit: & ſic omnes ſurrexerunt; & erecti, à quodam Cardinali dalmaticâ inſignito Evangelium unum devotiſſimè audierunt.

His peractis publicè indictum fuit auctoritate Concilii, ut omnes, Prælatis, Nuntiis & Doctoribus exceptis, ab Eccleſiâ recederent. Inde unus Advocatus, Notarii, Procuratores, & Promotores plures ſtatuti ſunt ad accuſandum ambos contendentes de Papatû. Quidam iterum eliguntur, qui nomina accedentium ad id ſacrum Concilium in ſcriptis redigerent, & quamdiu in Prælaturis vixiſſent, ut ſic ſecundùm ſuum ordinem in ſedibus locarentur. Super officiis iſtis debitè exequendis, juramentis præſtitis, Advocatus cathedram eminentem ad denuntiandum ſtatuta in Concilio aſcendens, intelligibilique vocis oraculo pertinaciam amborum contendentium recitans, quorum unum pro BENEDICTO, *Beneſiltum*, alterum pro GREGORIO, *Errorium*, pluries nominavit, prolixiori ſermone propoſuit quamdiù in hoc deflendo ſchiſmate Eccleſiam Dei tenuerant, & ut pro pace obtinendâ fuerant ſufficienter ad ſacrum Concilium evocati, concludens ut evocati publicè ſi dedignarentur comparere, reputarentur contumaces. Cum autem dixiſſet de illis de Fleiſc, Auxitanenſi, de Chalento, qui ſub uno, atque de illo de Thode, qui ſub altero contendentium ſe Cardinales dicebant, unus ex Promotoribus mox ſurrexit inſtanter poſtulans, ut quod Advocatus requiſierat Concilium approbaret, & ſuper petitione à Protonotariis Clericis Cameræ, ac cæteris Notariis præſentibus, fieri ſibi poſtulavit publica inſtrumenta; ſervandu judiciarium ordinem Conciliorum, petitis aſſentiendo: inde duo Cardinales cum uno Archiepiſcopo & uno Epiſcopo, Advocato quoque & Notariis prædictis, miſerunt ad valvas Eccleſiæ, quas protinùs aperientes, cum prænominatos altâ voce evocaſſent, à popularibus aſtantibus quærentes, ſi ſcirent aliquem ex eorum familiaribus in urbe locatum; ad ſedes ſuas redeuntes, ab ore unius retulerunt neminem eorum repertum, ſicque accuſatores petierunt ut reputarentur contumaces, & ſuper hoc ſibi fieri inſtrumenta. Tunc Cardinalis Preneſtinus, Pictavenſis aliàs nominatus, cunctis antiquior, & qui ante ſchiſma ad Cardinalatum aſſumptus fuerat, cæteris quæſivit, quid agendum. Qui omnes negotium dignum duxerunt differri uſque ad diem ſequentem: quod cum cæteri aſſiſtentes approbaſſent iterando PLACET, PLACET, ſic illa Seſſio ſoluta eſt.

Die igitur ſequenti tertia evocatio Concilii celebratur cum ſolemnitatibus priùs tactis; fueruntque dicti Contendentes nominatique priùs ſibi adhærentes evocati; qui cum non comparuiſſent, nec aliquis vir pro ipſis, Promotoreſque inſtarent ut reputarentur contumaces, de benignitate tamen omnium aſſiſtentium, quæ petebant uſque ad diem ſibbati ſequentem, quæ fuit Martii dies ultima, dignum duxerunt differre: & ſic Concilium illud ſolutum eſt.

Die dictâ quartâ ſeſſione celebratâ cum ſolemnitatibus ſolitis, cum prænominati Contendentes minimè comparuiſſent, ad Advocati & Promotorum requeſtam reputati ſunt contumaces; & in ſcripto quod tunc legit Cardinalis Preneſtinus, dixit, quòd de eis, adhærentibuſque exſpectaretur uſque ad aliam Seſſionem aſſignatam ad diem Lunæ, poſt Octavas Reſurrectionis Dominicæ, quia illâ hebdomadâ non debebant juriſdictiones exercere; ſicque omnibus concedentibus quòd Eccleſia Piſana apta erat ad Concilium celebrandum, ita diſceſſum eſt.

Quæ in Synodo facta ac deliberata fuerunt à die Aprilis XV. uſque XXII. menſis Maii.

ULteriùs procedendo in facto unionis, XV. Aprilis iterum celebratum eſt ſacrum Concilium cum obſervantiis priùs tactis in Seſſione ſecundâ; ibique Domini Cardinales Mediolani & de Baro, qui Alemannorum deliberationi interfuerant apud Francquefort, venerunt: præſentes quoque fuerunt octoginta & decem Archiepiſcopi & Epiſcopi, nonnulli quoque Abbates, Doctores, Clerici, Notarii, qui non interfuerant in congregationibus antedictis. Et tunc quatuor prænominati Cardinales, qui cum duobus Contendentibus ſe tenebant, evocati iterum minimè comparuerunt, ſicque de benignitate aſſiſtentium fuit continuata diæta uſque ad aliam Seſſionem, Nuntios Regum Franciæ, Angliæ, Hungariæ, Boemiæ, ac multorum Dominorum Allemanniæ, qui (ut fama referebat) veniebant, exſpectando.

Die dictâ quidam Archiepiſcopus, duo Epiſcopi, &

Digitized by Google

& totidem Clerici, qui ſe Nuntios dicebant Ducis Ruperti de Bavariâ, quem Regem Romanorum nominabant, in Concilium ſunt inducti, qui tamen cum aliis non ſederunt, nec ſicut ipſi decorati fuerunt indumentis Eccleſiaſticis ſed mox propoſi fecerunt per Epiſcopum dictum de Berde, & in ſuâ propoſitione ambiguitatibus plenâ ſolùm fecit xxvi. quæſtiones, inter quas principaliores fuerunt: Si Cardinales ſui Collegii poterant ſe ſubſtrahere ab Obedientiâ ſui Papæ? Si poterant evocare dictum Papam? Si poterant vocare Concilium generale? Si duo Collegia poterant ſe mutuò habilitare ad tenendum Concilium? concludendo quòd dictum Concilium debebat mutari & differri, attento quòd ille quem Papam nominabant ſuum, promptus erat comparere, dum tamen eſſet in alio loco, & promittebat complere quæ juraverat, ſi alter etiam adimpleret, dureque redarguendo ſuos Cardinales dixit, quòd injuſtè & irrationabiliter fecerant ſubſtractionem prædictam. Cum verbis finem feciſſet, & ſe paululum Nuntii retraxiſſent, unanimi aſſenſu aſſiſtentium concluſum eſt, ut revocati, eiſdem præciperetur auctoritate Concili, ut ſcriptis quæ propoſuerant, traderent, & qualem à Domino ſuo habebant auctoritatem; quod tandem non ſine difficultate magnâ peregerunt.

Iterum dum hæc agebantur, qui extrà valvas Eccleſiæ cuſtodiebant equos ſuos, magnam contentionem commoverunt, & ad invicem rixati ſunt; præfati enim Domini recedentes, in ſcandalum omnium aſpicentium mutuò altercabantur, indeque clarè patuit, quòd non venerant niſi ad impediendum factum Eccleſiæ.

Nondum exactâ hebdomadâ, ad villam Piſanam venit quidam Ivo nominatus Karlut Malum caput, Dominus civitatis Darmin, in quâ tunc Gregorius vel Errorius morabatur, qui ut erat literatus, & facundus, & ſummè in Rhetoricâ expertus, inſtantiſſimè Dominis Cardinalibus requiſivit, ut Concilium differretur, & locus mutaretur, ſed ad eum audiendum conſtituti valde ſolemnes Clerici, Domini Cardinales Albanenſis & de Tbureio de parte noſtrâ, de parte verò alterâ Aquileiæ & Mediolani, qui multis rationibus oſtenderunt, hoc non poſſe fieri; & ſic inefficax unde venerat, rediit.

Dominicâ Aprilis menſis die xxi. in præſentiâ omnium de Concilio exiſtentium, in Eccleſiâ S. Martini Archiepiſcopus Toloſanus Miſſam celebravit; & inter ſolemnia Miſſæ, quidam Frater Minor Epiſcopus Dignenſis in Provinciâ, ſermonem faciens, & pro themate capiens; *Mercenarius fugit*, oſtendit luculentiſſimè quomodo duo contendentes non erant veri Paſtores, ſed Mercenarii, ideo expellendi, attentis viis quas tenuerant; propoſitiones eorum etiam evidentiſſimè improbavit, nec tenendas oſtendit, quas propoſuerant Ambaſſiatores Ducis Ruperti de Bavariâ; qui tamen Nuntii eàdem die ſubitò ſine reſponſione (neſcitur quo ducti ſpiritu) receſſerunt, quamvis aſſignata eis eſſet ad comparendum dies ſequens.

Aprilis xxiv. die in majori Eccleſiâ congregatio ſacri Concilii facta fuit, Miſſaque cum obſervantiis prætactis celebrata; quia Domini Cardinales totum proceſſum diviſionis Eccleſiæ à principio & huc uſque, & quidquid Summi Pontifices & ipſi interim egerant, in ſcriptis redigi fecerant de conſenſu omnium aſſiſtentium. Advocatus ſacri Concilii cathedram aſcendens, ſpatio trium horarum proceſſum illum altè & intelligibiliter legit. Indeque fuerunt lectæ requeſtæ Promotorum, continentes contrà ambos contendentes: primò quòd Concilium acceptabat aggregationem, & unionem mutuam duorum Collegiorum, & totum quod ex eâ poterat dependere: approbabat etiam evocationem Concilii generalis per eos factam; citationem & evocationem factam contrà duos Contendentes roborando, firmas etiam decernebat. Iterum, & quòd locus Piſanus habilis erat ad celebrandum Concilium ulteriùs, attento quòd ambo Contendentes fuerant debitè evocati, & contumaces reputati. Ulterà, & quòd Contendentes privarentur à dignitate Papatûs, eorum quoque fautores, omnibus beneficiis, dignitatibus, officiis privarentur; & ſi contrà privationem iſtam aliquid attentarent, puniri poſſent per Judices ſæculares. Iterum, quòd omnes Reges & Principes, & generaliter omnes cujuſcumque ſtatûs eſſent, penitus abſolverentur à juramentis præſtitis duobus Contendentibus.

Ordinatum & tunc fuit in eodem Concilio, ut viri literati, honeſtæ converſationis & bonæ conſcientiæ eligerentur ad recipiendum informationes, teſteſque producendos per Promotores præfatos contrà duos Contendentes, & ſpecialiter ſuper continuatione ſchiſmatis pertinaci, & ſuper colluſionibus [a] mutuò inter ſe factis; & ad nominandum prædictos viros, ut procederetur ulteriùs in facto dicti Concilii fuit continuata diæta ad diem Martis propinquam ultimam menſis Aprilis.

Ipsâ die Dominus Patriarcha Alexandrinus, Magiſter Simon Cramant, Univerſitatis Pariſienſis, Nuntii Ducum Brabantiæ, Hollandiæ, ac patriæ Leodienſis villam Piſanam ingreſſi ſunt; ſubſequenter quoque Ambaſſiatores Angliæ, videlicet Archiepiſcopus Salberienſis cum uno Epiſcopo, duobus Abbatibus, uno Milite, & duobus Doctoribus, in comitivâ nobili ducentorum Equitum. Applicuerunt poſtea Ambaſſiatores Archiepiſcopi Maguntinenſis, & Archiepiſcopi Colonienſis, cum apparatu inſigni. Nuntii tamen Colonienſes ad duas diætas de villâ Piſanâ à gentibus Marchionis de Mala Spina capti fuerant & detenti, ſed interventu & favore Domini Bouſſicaudi Gubernatoris Januæ, cum omnibus bonis ſuis fuerant liberati.

Ultimâ die Aprilis congregato Concilio, & Miſſâ ab Epiſcopo Luxovienſi in præſentiâ Nuntiorum Angliæ celebratâ, poſt litanias & obſervantias prætactas, Archiepiſcopus Salberienſis Anglicus cathedram aſcendit, & ſermonem faciens, unum & alterum contendentium rationabiliter increpando, exhortatus eſt Dominos Cardinales & Concilium, ut procederent diligenter ad unionem Eccleſiæ; nihilque ampliùs actum eſt die illâ, ſed fuit continuata ad diem quartam Maii, dieque ſequenti Cardinalis Burdegalenſis, alterâ quoque ſequente Cardinalis Hiſpaniæ villam illam ingreſſi ſunt.

Die quartâ Maii Concilio congregato, dum Epiſcopus Ebroicenſis divina celebrabat, Anglorum Nuntii, qui tunc præſentes aderant, ad latus ſiniſtrum, Patriarcha verò, Epiſcopi Meldenſis & Conſtantienſis, Nuntii Regis Franciæ, Epiſcopus quoque de Gap Nuntius Regis Siciliæ, ad latus dextrum poſt Cambellanum Romæ ſederunt. Peractiſque Miſſæ ſolemniis, cum Prælati poſt conſuetas obſervantias ornamenta ſumſiſſent Eccleſiaſtica, & Patriarcha poſt primum Cardinalem Epiſcopum, Dominum ſcilicet Preneſtinum, ſediſſet, ſicut ſtatutum fuerat, quidam excellentiſſimus Doctor Bononienſis, Petrus d'Aquaran nominatus, cathedram aſcendens, quæſtionibus factis ab Ambaſſiatoribus

[a] *colluſionibus*] Sic reſtitui, Acherius ediderat, *concluſionibus*.

Digitized by Google

Ducis Ruperti de Bavariâ reſpondens ſubtiliter & profundè, oſtendit Contendentes per Cardinales & Concilium ſufficienter evocatos ; & quòd contrà eoſdem poterant juſtè procedere ; ſed & illi Domini ſub quibus tunc reſidebant, prolatas dubitationes à Nuntiis dicti Ducis Ruperti penitùs annullando. Poſtea etiam Advocatus aſcendens cathedram, dixit quod ad examinandum teſtes per Promotores producendos contrà duos Contendentes, Cardinalis de Lande Italicus, & Cardinalis S. Angeli pro duobus Collegiis; pro Regno Franciæ Epiſcopus Luxovienſis, & tres Doctores ; pro Regno Angliæ unus Doctor ; pro Provinciâ unus; & pro Alemanniâ duo, velut ad id idonei nominati fuerant : & hoc omnes approbaverunt aſſiſtentes. Addidit finem dans verbis, quod quia Dominus Ladiſlaus, qui ſe dicebat Regem Siciliæ, armis Saonæ urbem infeſtabat, quæ erat Florentinorum, impediendo ſacrum Concilium, ut aliqui ad eum mitterentur, qui auctoritate Concilii præciperent, ut inde recedens reſipiſceret ab inceptis ; & hic ſermo bonus in oculis omnium aſſiſtentium viſus fuit ; dieſque continuata fuit ad diem x. Maii. In congregatione iſta Nuntii Maguntini & Colonienſes non interfuerunt ob diſcordiam motam inter eos pro prioritate ſeſſionis, ordinatumque extitit ut reducerentur ad pacem.

Octavâ die Maii in Eccleſiâ S. Michaëlis, quia tunc celebrabatur feſtum Apparitionis ejuſdem Archangeli, præſentes fuerunt in Concilio Cardinales, Miſſamque celebravit Dominus Patriarcha, qui prædicationes faciens ſex rationes poſuit, per quas propoſitiones Nuntiorum Ducis Ruperti de Bavariâ efficaciter deſtruxit, & annullavit ; qui ponebant in dubium, ſi Cardinales poterant evocare Papam ſuum ? ſi poterant ſibi ſubſtrahere Obedientiam ? ſi ambo Collegia poterant ſe habilitare mutuo ? Nam luculenter probavit, quòd hæc omnia rationabiliter poterant pro tanto bono, ſicut extirpatio ſchiſmatis, & unio univerſalis Eccleſiæ ; & quòd quidquid tactum fuerat, Concilium poterat confirmare; multaque ibi tetigit facientia ad bonum unionis. In iſto Concilio interfuerunt Archiepiſcoporum Maguntiæ & Colonienſis Nuntii, & ſicut ſtatutum fuerat intermixti conſederunt ; & primus de Coloniâ : Miſſâque peractâ, per Promotorem & unum clientem multi Prælati citati ſunt ad comparendum die ſequenti in domo Carmelitarum coram Commiſſariis per Concilium ordinatis, ad jurandum in causâ amborum contendentium. Iſtâ die poſt prandium in Eccleſiâ ſancti Martini cum Dominis Cardinalibus Nuntii Regum & Prælati congregati, tunc Cardinalis Preneſtinus dixit, quòd Fratres ſui in proſequutione unionis nihil agere intendebant ſine deliberatione Concilii, & quia omnes nequibant in his deliberationibus intereſſe, bonum erat aliquos ordinare qui ſemper præſentes, cum deliberaretur, eſſent, & deliberata aliis nuntiarent, & ſi aliquos dignos ad hoc reperirent, illos nominarent. Ad hoc Patriarcha dixit : Jam concluſum pro natione Franciæ, ut de qualibet provinciâ Archiepiſcopus, ſi præſens eſſet, & in abſentiâ Epiſcopus, vel Doctor hujus provinciæ intereſſet, fueruntque nominati poſtea pro Franciâ Patriarcha, Archiepiſcopi præſentes ; pro provinciâ Senonenſi Epiſcopus Meldenſis ; pro Rothomagenſi, Epiſcopus Luxovienſis, & ſic de aliis ; pro Provincia, quæ ſemper cum Francis ſtabat, Epiſcopus de Gap ; ſtatutumque ut ſic de cæteris Nationibus fieret, & ut ſoli nominati in deliberationibus remanerent.

Inde Cardinalis Albanenſis novam materiam intrans, Nuntios Petri de Luna nuntiat brevi venturos, quærens tamen quomodo reciperentur, audirentur, vel etiam tractarentur. Addidit & requeſtis per Promotores factis xxiv. Aprilis, ut per dictum decerneretur Concilium, quòd ad ipſum ut repræſentans univerſalem Eccleſiam cognitio pertinebat extirpationis ſchiſmatis, ac deciſionis ipſius : ſtatutumque eſt ut die craſtinâ poſt prandium provinciarum Deputati cum Cardinalibus propter hoc congregarentur.

Super hoc ix. Maii loquutus Patriarcha pro natione Franciæ & Provinciæ, dixit, quòd mutuâ deliberatione habitâ, rata habebant per Cardinales poſtulata ; adducens ultrà, ut promotiones Prælaturarum duorum Contendentium uſque ad limitatum tempus approbarentur per dictum Concilium ; cui mox viſum fuit, quòd in finalibus fieret. Quantum ad receptionem Nuntiorum Petri de Luna indiſcuſſum reliquit, qualem honorem ipſis exhiberent, qui nondum ſcilicet ſubſtraxerant Obedientiam ; quoad audientiam concedendam dixit, quærendum ab eis qualem auctoritatem habebant, & quibus dirigebantur, antequam audirentur, nec negavit quin honeſtatem ſervando, ſine moleſtiis vel injuriis ſemper tractari deberent. Poſt Patriarcham loquutus Archiepiſcopus Salberienſis pro Natione Angliæ, in puncto unico D. Patriarchæ contradicens : mirari ſe dixit, quòd aliqui ſubſtraxerant, aliqui non, addens quòd neceſſe erat ut in Concilio omnes eſſent unius voluntatis, & quod ſubſtractio communis eſſet omnibus, concludens quòd nullus honor erat Nuntiis Petri de Lunâ exhibendus : in quâ opinione tandem ſtetit Patriarcha, quidam Epiſcopus de Cracovia, Regis Poloniæ Nuntius, Maguntini & Colonienſes Nuntii, & alii ; ſed ſuper hoc Cardinales, qui non ſubſtraxerant, deliberationem petierunt.

Veneris decimâ die Maii poſt Miſſam celebratam ab Epiſcopo Maſſilienſi, & obſervationes prætactas, cum Electis provinciarum inito conſilio, cum Advocatus propoſuiſſet quæ proloquuta fuerant, non faciendo de ſubſtractione noſtrorum Cardinalium mentionem, & à Promotoribus Anglicis ſuper hoc interrogati ad hoc deliberationes peterent, tandem ſuper hoc interrogati aſſiſtentes omnes, ſubſtractionem debere eſſe communem unanimiter concluſerunt. Tunc Dominus Patriarcha ſedem ſuam, quam habebat inter duos Cardinales antiquiores, relinquens, & cathedram aſcendens, pronuntiavit altâ voce, auctoritate Concilii ſubſtractionem Obedientiæ duorum Contendentium licitè fieri potuiſſe, & debere, & illi qui eam fecerant, debebant & poterant, nec deinceps à quoquam obediendum erat eis, & quòd ſuper habilitatione promotionum per eos facta, de poſt quòd ceſſaverant à proſequutione unionis Eccleſiæ, maturè deliberaretur. Ulteriùs, & quia dies prima productionis teſtium contrà duos Contendentes ſervari non poterat, quia diebus feſtivis acciderat, pro ſecundâ productione diem xvii. Maii aſſignavit ad procedendum ulteriùs in causâ prædictâ.

Maii xi. die in præſentiâ Electorum provinciarum quidam Epiſcopi & Doctores fuerunt deputati, qui minutam facerent ſubſtractionis prætactæ, quæ traderetur Concilio ad corrigendum, ſi correctione indigeret, & correcta mitteretur ad omnes Chriſtianitatis Nationes, dieque xiii. hujus menſis in generali Concilio Dominus Cardinalis Preneſtinus dixit : quòd omnes Fratres ſui conſentiebant ſubſtractioni per Concilium ordinatæ.

Maii xvii. die ad inſtigationem Promotorum, in generali Concilio ſtatutum eſt ut ſubſtractio prædicta in ſcriptis publicè legeretur, ut conſuetum de jure. Inſuper aliæ requeſtæ factæ & concordatæ fuerunt, quæ continentur in cedula ſequenti, aſſignataque eſt dies ad xxii. menſis Maii, quâ conſenſu univer-

Digitized by Google

ſalis Concilii Dominus Patriarcha cathedram aſcendens, prædictam cedulam altè legit, quæ ſequentia continebat.

Prætermiſit hic Auctor referre quæ in aliis actis ſunt Seſſionibus.

Anno Domini MCCCCIX. XVII. die menſis Maii quæ fuit Veneris, ſancta & univerſalis Synodus &c. *quæ infrà videſis.*

ANNO 1409. *Ex eâd. in Hiſtoria MSS.*

De Electione Papæ Alexandri.

UTriuſque Collegii Dominis Cardinalibus à ſancta Synodo auctoritate conceſſa, ut ad electionem procederent unici Vicarii Christi, devotiſſima ejus ſponſa Eccleſia (quam tamdiu obſtinata ambitio amborum Contendentium ancillari coegerat) honorem recuperaret priſtinum, & Regnis dominaretur univerſis, invocatâ Spiritûs ſancti gratia, quæ agenda ſuſciperet dirigenda, Conclave circà feſtum ſancti Johannis Baptiſtæ ingreſſi ſunt. Ne à ſemitis rectitudinis deviarent preces validas, Principum compatriotarum favorem, opulentiam, vel quorumdam generis claritatem juſto favorabiliùs attendentes, ut actu ſimili Annales ſæpiùs referunt accidiſſe, quotquot peſtiferum ſchiſma oderant, & reprobabant, devotis orationibus divinas aures pulſabant, ut votis eorum ſic condeſcendere placeret, quod inchoata valerent commendabili fine terminare. Qui Regis aſſiſtebant aſſiduè conſiliis, ambigendum dicebant ne Domini juſto remiſſiùs in agendis ſe habentes, mora nimia aliquod impedimentum inter medium allatura eſſet, quapropter ipſis compendioſam epiſtolam accelerationis exhortativam miſit; ſed antequàm nuncius medium itineris attigiſſet, eos audiens negotium conſummaſſe, non ulterius progredi, dignum duxit. Sanè ſanctæ converſationis ac devotionis virum PATRUM de Candiâ Ordinis Fratrum Minorum, in ſacrâ paginâ excellentiſſimum Profeſſorem, de Archiepiſcopatu Mediolanenſi ad Cardinalatum aſſumptum (quem ſciebant ex Candiâ Græciæ remotiſſimâ Inſula, & ea ignotâ proſapiâ ortum, cùi nec opum acervi, ſed tenuis facultas res etiam familiares miniſtrabat) in Summum Pontificem elegerunt circà finem Junii, Julique VII. die Alexandrum quintum vocaverunt. Quæ cum Regi literis intimaſſent ſui nuncii Pariſiis miſſi, & quàm laudabiliter olim ſtudio Pariſienſi ſacræ ſcripturæ flores odoriferos ubique longè latèque per orbem ſpargere docuerat, promotionem ejus tam favorabiliter acceptavit, ac ſi Regnicola, vel de Regio ſanguine procreatus exſtitiſſet.

ANNO 1410. *Ex Monacho San-Dionyſiano ubi ſuprà.*

De morte ALEXANDRI *Papæ. & electione* JOHANNIS. XXIII.

HIs diebus univerſalis Eccleſiæ Summum Pontificem Dominum Alexandrum V. ferè octogenarium gravis arripuit ægritudo, quâ ingraveſcente, cum lecto decubuiſſet, & Dominos Cardinales accivisſet, eos mœſtos conſolatus eſt, dicens: *Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum*, & ideo non debetis contriſtari: thema ſumptum more ſuo profundiſſimè deducens, & poſtulans pro ſe Chriſtum exorari, ut ad eum valeret aſcendere in ſpiritu contrito & humiliato, piè ac religioſe fidem Chriſti articulatim diſſeruit, eoſque dulciter monuit, ut unionem Eccleſiæ continuare ſtuderent, verbiſque finem faciens, rogavit ut Franciam & Univerſitatem Pariſienſem recommendatam haberent, quòd nefandiſſimum ſchiſma ſic ſtuduerint pro poſſe extirpare. Omnibuſque vale dicens, menſis Maii exactâ tertiâ die, circà noctis medium, inter verba orationis ſpiritum reddidit Creatori. Cujus corpus (ſicut vivens ſtatuerat) ad Eccleſiam Fratrum Minorum delatum eſt, ut ibi ſepeliretur, priùs tamen obſervantiis ſervatis in morte Summorum Pontificum conſuetis. Die igitur ſequenti inter Miſſarum ſolemnia, ad recommendationem defuncti Fratrum Minorum Generalis, *Aſſumptus eſt in cœlum*, ſumens pro themate; & inter cœlos primum, ſecundum, & finale deducens, oſtendit ut in primo ſcilicet Univerſitate Pariſienſi, ex Prædicatoribus Petrus de Tarentaſiâ, Petrus quoque de Palude Hieroſolymitanus Patriarcha, de Minoribus verò Alexander de Halis, & Alexander Papa tunc præſens, velut ſtellæ lucidiſſimæ claruerant. Procedenſque ad ſecundum, eum cum virtutes ſingulas conſervaſſe, vitiaque declinaſſe, velut jubar & ſpeculum omnium mortalium multis medijs probaſſet, tandem pro cœlo tertio ipſum glorificandum dignum duxit, concludens verbum aſſumptum, quòd *Aſſumptus eſt in cœlum.*

Ab obitu verò ejus Domini Cardinales Neapolitanus, Albanenſis, Vivarienſis, Anicienſis, Epiſcopi: Laudenſis, Hiſpalenſis, Ravennatenſis, Tudertinus, Meletenſis, de Urſinis, Burdegalenſis Preſbyteri: de Brancaſſio, Barrenſis, Bononienſis, de Colomnâ, S. Angeli, de Chalento, Preneſtinus, de Turcio, de Saluſcis, de Fleſco, de Baro, Diaconi, Romanum morem ſervando uſque ad novennium electionem tardaverunt. Quo peracto, cum funeralibus obſequiis, quantis ſtudiis funus ullum celebrari poterat, peractis, Miſſam pro defuncto & de Spiritu ſancto peregiſſent, poſt recommendationem defuncti, moniti ſunt & humiliter rogati, ut ſuper electione faciendâ de unico Paſtore univerſalis Eccleſiæ, unanimiter & ſecundùm Deum convenirent. Ut monita optatum conſequerentur effectum, XIV. die hujus menſis ante ſolis occaſum ingredientes Conclave, domum videlicet quam Dominus Alexander inhabitabat dum ageret in humanis, die tertia ſequente, horâ diei ſeptimâ Dominum BALTHASAR tituli Sancti Euſtachii Cardinalem Diaconum, Legatum Bononienſem, virum utique nobilem & expertum in agendis, elegerunt, quem poſtea JOHANNEM XXIII. vocaverunt.

M O N I T U M.

CONCILIUM PISANUM ſcio vulgatum Pariſiis An. 1612. ac poſtmodum Conciliis Generalibus inſertum, ſed ita contractum & imperfectum, ut quamplura in eo acta præſtantiora, ac Patrum qui interfuere ſubſcriptiones deſiderentur. Nonnulla quoque, fateor, ſparſim intexuere ſuis Annalibus Bzovius & Rainaldus, quæ iterum prælo ſubjicienda non judicavi, ne actum agere viderer: pauca nihilominùs, quæ Concilio præmitti debebant, fuere neceſſariò recudenda.

Concilium autem integerrimum, omnibuſque numeris, ut ita dicam, abſolutum ſubminiſtravere tres Gemeticenſis Bibliothecæ codices: cui præfiximus hiſtoricam narrationem, ac ephemeridem eorum quæ in hoc ipſo geſta ſunt Concilio, ex laudatâ Sandionyſiani Monachi hiſtoriâ nimirum uſque ad Seſſionem XVIII. ubi deſiit Auctor, idcircò forſitan quòd ſubſequentibus minimè interfuit. Subjecimus denique electionem Alexandri hoc nomine V. à Patribus Concilii peractam. Porrò teſtem oculatum auritumque Concilii Acta univerſa retuliſſe, legenti planum fiet.

Anno 1409.

CONCILIUM PISANUM.

Forma ſervata in celebratione Concilii generalis apud Piſas, Anno Domini MCDIX. *ſecundùm* [a] *morem Curiæ computando, die* XXV. *Martii, quæ erat dies Annuntiationis* BEATÆ MARIÆ.

ET primò adveniente dictâ die vigeſimâ quintâ menſis Martii, ad quam diem erat dictum Concilium convocatum apud Piſas, fuit facta proceſſio per Cardinales & Prælatos reveſtitos, ac alios qui ad dictum concilium convenerant, de S. Michaële, ubi eſt quædam Abbatia Monachorum, uſque ad Eccleſiam Cathedralem, & ibi Dominus Cardinalis de Thurcio [b] fecit Miſſam, & unus de Ordine Prædicatorum, vocatus Frater Leonardus de Florentiâ, fecit ſermonem. Et fuit iſta Seſſio continuata ad diem proximè ſequentem.

Seſſio I.

Die igitur ſequente, ſcilicet quæ fuit dies Martis, vigeſima ſexta Martii, ſedit dictum Concilium in dictâ Eccleſiâ Cathedrali; & fuit una Miſſa ſolemnis celebrata per Dominum Cardinalem Vivarienſem, in quâ erant omnes Cardinales, Prælati, & alii qui ad Concilium convenerant, ac etiam Legati ſeu Ambaſſiatores Regum & Dominorum, aliique Procuratores, ſedentes ſecundùm ſedes ordinatas benè & decenter per longum navis dictæ Eccleſiæ Cathedralis; & poſt iſtam Miſſam D. Cardinalis Mediolanenſis fecit ſermonem, quo facto omnes Cardinales, & alii Prælati, Epiſcopi & Abbates in locis ſuis ſe reveſtierunt cappis & mitris albis.

Poſtea Cleri ad hoc ordinati cantaverunt certas Antiphonas, & dicebantur certæ Orationes, & poſtea per Diaconum dicebatur altâ voce ſub tono: ORATE; & tunc omnes flexis genibus & inclinato capite orabant ſub ſilentio quilibet in loco ſuo. Deinde poſt modicum ſpatium Diaconus & Subdiaconus incipiebant altâ voce Litaniam, & omnes reſpondebant proſtrati in ſede ſuâ uſque ad finem Litaniæ; quâ finitâ unus ex Cardinalibus Epiſcopis dicebat certas orationes & proprias ad propoſitum unionis; quibus completis, quidam Cardinalis Diaconus legebat unum Evangelium altâ voce, & omnes ad Evangelium audiendum aſſurgebant, quo lecto dictus Epiſcopus Cardinalis incipiebat hymnum: *Veni Creator*: & omnes proſtrati ſimul perficiebant dictum hymnum cantando; quo finito dictus Epiſcopus Cardinalis dicebat aliquas orationes, & manebant omnes proſtrati quilibet in loco ſuo. Poſtea dictus Diaconus qui inchoaverat priùs Litaniam, hymno finito, altâ voce in tono dicedat: ERIGITE vos, & ſic omnes ſurgebant, & ſedebant quilibet in ſuo loco.

His factis pro procedendo in negotio primò illâ die Martis, quâ erat prima Seſſio, finitis dictis Litaniis quidam legit de verbo ad verbum per cedulam C. *fideli* de Sum. Tri. in Cle. & ſimiliter C. *In loco*, factum in Concilio Toletano, quod habetur v. q. iiij. Poſtea etiam legit cedulam continentem quod hoc Concilium tenere profitetur & credit omnia, quæ de ſummâ Trinitate, & fide Catholicâ, & ſacramentis Eccleſiæ, hactenùs Eccleſia tenuit, & docuit atque docet; firmiter tenens omnem hæreticum vel ſchiſmaticum cum diabolo eſſe damnatum, niſi ante finem vitæ fuerit reconciliatus aut redintegratus Eccleſiæ. Poſtea etiam legit cedulam, qualiter Concilium ordinabat Seſſionem ad diem craſtinam, ſcilicet Mercurii diem XXVII. Martii. Poſtea Concilium illâ die creavit Officiarios, ſcilicet Mareſcallos Sedis Apoſtolicæ duos, Auditores Cameræ duos, Advocatos pro hac cauſâ tres, Promotores ſive Procuratores tres, Notarios ſex. Et omnes iſti juraverunt ſua officia fideliter exequi.

Poſtea Advocatus propoſuit, quòd cum Domini Cardinales utriuſque Collegii ſe invicem unierint ad convocandum Concilium generale contrà BENEDICTUM, & GREGORIUM de Papatu contendentes, qui Eccleſiam tenent in ſchiſmate, nolentes cedere prout juraverunt, &c. ipſique ambo fuerunt citati & vocati prout per inſtrumenta patebat; petebatque quòd hujuſmodi literæ vocationis legerentur, & ulteriùs procederetur in cauſâ; fuerunt igitur lectæ literæ convocationis, & inſtrumenta de exequutione ipſarum. Poſtea Advocatus requiſivit quòd dicti duo ad valvas Eccleſiæ vocarentur. Et ita factum fuit per duos Dominos Cardinales, quos Concilium ad hoc commiſit. Et cum rediſſent, retulerunt quòd nullus comparuit vel reſpondit; quare Advocatus requiſivit contumaciam. Concilium autem ordinavit adhuc eſſe eos vocandos, & ad hoc ordinavit diem craſtinam pro ſecundâ Seſſione.

Seſſio II.

Secunda Seſſio fuit die XXVII. Martii, ubi poſt Miſſam celebratam omnes Prælati quilibet loco ſuo ſe reveſtierunt cappâ & mitrâ albâ, & cantatæ fuerunt Litaniæ, Orationes, Evangelium, *Veni Creator*, *&c.* ſicut in alia die factum fuerat. His factis

a *ſecundum*] Scilicet apud Francos adhuc volvebatur annus 1408. quòd illâ tempeſtate annum nonniſi à Paſchate auſpicarentur.

b *de Thurcio*] Id Cardinali Preneſtino tribuit Monachus San-Dionyſ.

Concilium adhuc ordinavit cum primis aliquos Advocatos, Promotores & Notarios, qui ſicut primi fecerunt juramentum, &c. Poſtea Advocatus requiſivit quòd dicti duo contendentes vocarentur ad valvas Eccleſiæ, & ita fuit factum per duos Cardinales ad hoc commiſſos, qui retulerunt quòd nullus comparebat; quare Advocatus ſicut aliàs petebat contumaciam dari contrà eos: & produxerunt Promotores adhuc dictas literas convocationis illorum duorum, ſicut alia die factum erat, & inſtrumentum qualiter fuerant exequutæ. Concilium ordinavit adhuc dictos Contendentes exſpectandos, & ad hoc pro tertiâ Seſſione aſſignavit diem xxx. Martii: declarando quòd ſi ex tali exſpectatione aliquis oriretur defectus in proceſſu, illum volebat Concilium ſupplere & ſupplebat, non intendens derogare poteſtati, juriſdictioni, & facultati ſibi competenti, ſed ad mitiùs agendum cum iſtis: & Promotores etiam de hoc fecerunt proteſtationem expreſſam, petendo ſemper de omnibus inſtrumentum.

Seſſio III. Tertia Seſſio fuit die prædictâ xxx. Martii, in quâ poſt Miſſam & Litaniam ſicut priùs, Advocatus inſtitit quòd dicti duo Contendentes reputarentur contumaces, & adjudicaretur contumacia contrà eos; & requiſivit quòd Domini Cardinales Aquilegienſis, & Mediolanenſis, qui exequuti fuerant literam citationis contrà Gregorium, de hoc facerent ſpecialem relationem, & ita ex parte Concilii fuit eis injunctum, & illicò fecerunt. Poſtea iterum, ſicut aliàs factum erat, dicti duo Contendentes vocati fuerunt ad valvas Eccleſiæ per duos Dominos Cardinales, ad hoc ex parte Concilii de ſede ſuâ miſſos ibi, qui retulerunt quòd nullus comparuerat; ideo fuit per Concilium adjudicata contrà eos contumacia per cedulam quam legit D. Cardinalis Preneſtinus, cujus cedulæ tenor eſt infrà ſcriptus; per quam cedulam Concilium ordinavit, quòd Domini Cardinales abſentes, qui etiam vocati fuerant, quorum erat unus cum Gregorio, & tres cum Benedicto, & non comparuerant adhuc, ex cauſâ exſpectarentur; & fuit præceptum quòd cedula illa ad valvas Eccleſiarum civitatis affigeretur, ne poſſet aliquis ignorantiam allegare, & ita fuit factum. Fuit etiam ordinata Seſſio ad diem xv. Aprilis, ſcilicet poſt feſta ſeptimanæ pœnalis, & Paſchæ.

Tenor autem dictæ cedulæ ſuper contumaciâ dictorum Contendentium ſequitur, & eſt talis:

SAncta Synodus, ſeu hoc ſanctum generale Concilium, Dominum Petrum de Luna BENEDICTUM XIII. nominatum, & Dominum Angelum Corrario GREGORIUM XII. nuncupatum, de Papatu contendentes, & quantum in eis eſt Eccleſiam Dei notoriè in ſchiſmate tenentes, legitimè requiſitos, vocatos, & provocatos in cauſâ ſchiſmatis & fidei ad hoc præſens ſanctum & generale Concilium, & omnia in eo agenda, non venientes, ſeu legitimè comparentes per ſe vel alios, nec termino ſtatuto ſatisfacientes, licet exſpectatos poſt terminum per duas ſeſſiones, reputat, decernit & declarat in cauſa ſchiſmatis & fidei contumaces, ponitque in contumaciam & defectum. Et ordinat in eorum contumaciam ad ulteriora debere procedi, & procedendum fore: ordinans Seſſionem aliam fieri die Lunæ poſt Dominicam *in Albis*, quæ erit xv. dies futuri menſis Aprilis, ad quam diem ordinat præſens ſanctum Concilium, Dominum Cardinalem Tudertinum Domino Gregorio adhærentem, & Dominos Johannem Sabinenſem Epiſcopum S. Adriani, & ſanctæ MARIÆ in viâ latâ, de Fliſcho & de Chalento vulgariter nuncupatos, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, Domino Benedicto adhærentes, de benignitate exſpectandos fore, cum intimatione, quòd ſi prædicti duo Contendentes & præfati Domini Cardinales non comparuerint in dicto termino, ad ulteriora procedetur, eorum contumaciâ non obſtante. Ordinat nihilominùs præſentem ordinationem in valvis præſentis Cathedralis Eccleſiæ affigi publicè, ne de præmiſſis valeant ignorantiam allegare, ſuper quibus quidem reputatione, decreto, & declaratione præfati cauſæ hujus Eccleſiæ Dei Deputati petierunt fieri unum & plura publica inſtrumenta, in proceſſu cauſæ hujuſmodi regiſtranda. Datum die Sabbati penultimâ menſis Martii, Anni Domini milleſimi quadringenteſimi noni.

Quarta Seſſio fuit die Lunæ, quæ fuit dies xv. Aprilis, & fuit celebrata Miſſa ſancti Spiritûs, & cantatæ Litaniæ more ſolito, ſicut priùs. In quâ die Epiſcopus Verdenſis, & alii Ambaſſiatores Domini Ruperti de Bavariâ in Regem Romanorum electi c, petierunt, & habuerunt audientiam & ibidem propoſuerunt certas dubitationes ad difficultandum congregationem Concilii & agendorum in eo; & illa poſtea per certos articulos tradiderunt in ſcriptis, quorum tenor infrà ſcribitur. Et eâdem die duo Contendentes iterum vocati fuerunt ad valvas Eccleſiæ, ad quod miſſi fuerunt duo juniores Cardinales, ſicut in primis tribus Seſſionibus factum fuerat, & etiam fuerunt vocati Cardinalis Tudertinus, qui cum Gregorio remanſerat; ac tres Cardinales qui cum Benedicto adhuc erant, ſcilicet Auxitanenſis, de Chalento, & de Fliſcho. Et licet contrà dictos duos Contendentes jam fuiſſet decreta contumacia in aliâ Seſſione, ſcilicet tertiâ, tamen adhuc iterum fuerunt reputati contumaces ex abundanti. Et dicti quatuor Cardinales adhuc fuerunt exſpectati de gratiâ, ſicut in aliis Seſſionibus etiam dictum fuerat eos eſſe exſpectandos ſub ſpe, &c. Et fuit dies aſſignata pro quintâ Seſſione ad diem Mercurii quæ fuit dies xxiv. Aprilis. Seſſio IV.

Tenor autem propoſitorum per Ambaſſiatores dicti Domini Ruperti ſequitur, & eſt talis:

REverendiſſimi Patres & Domini, excellentiſſimi Principis & Domini Domini Ruperti Romanorum Regis ſemper Auguſti Oratores exponunt coram veſtris Reverendiſſimis Paternitatibus ſinceriſſimam affectionem, quam ſemper habuit & hodie habet ad promovendum felicem ſtatum, ac ſacratiſſimam unionem ſanctæ matris Eccleſiæ, & poſſe tenùs laborandum ad remotionem iſtius peſtiferi ſchiſmatis, ut ſublatis univerſis animi paſſionibus, ſcrupulis, perplexitatibus, dubiis, difficultatibus, altercationibus, involutionibus & erroribus quibuſcumque conſcientiæ ſingulorum etiam ab utràque parte poſſent ſerenari, & ſubſequenter ut ſincera, pura, integra, ac totalis unio Chriſti Fidelium procurari valeat, & introduci Domino concedente. Et quia omnibus & ſingulis circumſtantiis hinc inde, ac proceſſibus tam Domini Gregorii, quàm Dominorum in Piſis exiſtentium, maturis & frequentatis deliberationibus præhabitis, dili-

c *electi*] In editione anni 1612. aliter legitur, nimirum *ſanctæ ſedis Imperatoriæ Electoris.*

MMMmm iij

mati, nec ad contrarium inducti? Hęc dubia inducta reſpiciunt ſubſtractionem obedientię per aliquos factam, & aliis ſuaſam per eoſdem.

Reſponſio. *Reſpondetur quòd ex parte perſonæ cui obediebatur negotium eſt mutatum, notoriè, &c.*

9. Objectio. Deinde ſurgunt dubia circà indictiones Concilii, & convocationes per Dominum Gregorium & etiam per Reverendiſſimos Dominos, &c. factas & promulgatas.

10. Objectio. Et quia Concilium D. Gregorii fuit indictum, prout ex bullis ſuis manifeſtè habetur III. Non. Jul. & convocatio Reverendiſſ. Patrum, &c. fuit indicta die XXIV. menſis Junii, ut patet ex literis eorumdem Dominorum, quibus indicebant ſuam convocationem in Piſis, ſurgit dubium quare dicti Domini ſcripſerunt Sereniſſimo Domino noſtro Regi Romanorum literas ſub datâ Liburni XXVI. Julii, continentes hęc verba: *Deliberavimus autem convocare Concilium generale ex utràque parte, cujus rei atque noſtri propoſiti intimationem determinato loco, ubi optandiſſima Congregatio hujuſmodi fieri debeat, & Oratorem noſtrum præcipuum mittemus in brevi ad Majeſtatem veſtram.* In quibus literis videtur locum pro convocatione die XXVI. Julii nondum fuiſſe determinatum: quomodo ergo die XXIIII. menſis Junii immediatè pręcedentis pluſquàm per menſem ante, ad illum locum poterant indicere convocationem fiendam? Pręterea eſt teſtimonium Magnorum dicentium, quòd per totum menſem Auguſti proximè pręteriti nondum fuerunt certi de loco Piſarum.

Reſponſio. *Reſpondetur quòd locus erat determinatus per eos die XXIV. Junii, ſed non incommutabiliter, ſi fortè locus aptior occurriſſet, vel de loco Piſarum impedimentum aliquod ſuperveniſſet, ideo nihil eſt hic quod obſtet.*

11. Objectio. Item, ſi die XXIV. Junii convocationem ſuam indixerunt, quare, in partibus Rheni non remotiſſimè diſtantibus de menſe Octobris primo publicaverunt per quemdam Nuntium, qui habuit literas credentiales dictorum Dominorum ſub datâ primâ die Septembris?

Reſponſio. *Reſpondetur quòd magis à loco Piſarum diſtantibus fuit citiùs intimandum, quàm propinquioribus, qui de iſtis aliàs poterant eſſe certi, & quibus minor dilatio, ſeu minus ſpatium temporis ſufficiebat ante diem Concilii.*

12. Objectio. Item, Gregorius qui ſecundùm eos Concilium ſuum poſteriùs indixit in partibus Alemanniæ, & pręſertim Rheni, per duos menſes ſuum Concilium priùs publicavit quàm Domini ſupradicti.

Reſponſio. *Reſpondetur quòd ex hoc arguitur ipſius Gregorii fervor & ſtudium ad impediendum Concilium generale Piſanum, & exequutionem viæ ceſſionis quam juraverat, quæ ibi poterat habere effectum, ſed non in Concilio particulari Obedientia ſua potuiſſet habere effectum ſuum.*

13. Objectio. Item, in literis dictorum DD. pro convocatione & Congregatione fiendâ in Piſis, cavetur quòd hujuſmodi convocatio facta ſit per Dominos de utroque Collegio ad invicem unitos. Nam in principio earumdem literarum dicitur in hęc verba: *Miſeratione divinâ Epiſcopi, Preſbyteri, & Diaconi Cardinales ſacro-ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, nunc in loco Liburni Piſanæ Diœceſis commorantes, unà cum Collegio Reverendiſſimorum in Chriſto Patrum & Dominorum in altera parte Cardinalium.* Et infrà verſùs medium dicitur ſic: *Habitis inter nos conſiliis firmavimus nos unire cum Dominis alterius Collegii.* Et poſt pauca: *In unum nos univimus propoſitum.* Sed circà hoc oritur dubium: nam non videtur veriſimile quòd ambo Collegia convocaverint, vel convocationem indixerint ante ſuam confœderationem, ſed confœderatio primò facta eſt penultimâ Junii, ut patet ex tenore inſtrumenti deſuper confecti, per quatuor vel quinque dies poſt indictionem convocationis.

Reſpondetur quòd tunc primò fuit deliberatio eorum intimata coram Notariis ad conficienda inſtrumenta pro tempore futuro. Item fuit primò per ipſos Cardinales facta ſubſtractio, ſed . . . . . . ſcilicet non obediendo in his quæ eſſent contrà bonum unionis, ſed poſtea fecerunt aliâ vice ſubſtractionem, talem videntes ejus obſtinationem firmatam. Diſtingue ergo tempora, & non eſt aliqua contrarietas. Reſponſio.

Item, nonne convocatio Concilii pertinet ad Papam diſpoſitum ad convocandum, & qui, quantum in ſe eſt, Concilium indixit & convocavit? Et reſpondent aliqui quòd hoc ſit verum de Papa indubitato. Sed quomodo Papatum Gregorii revocant in dubium, cum tamen in inſtrumento Conclavis ſic dicatur; *Et intendentes ad remedia fortiora, non quid juris pro parte eorum juſtitia ſuadeat:* quod jus veriſſimum eſt, & plena veritate fulcitum. 14. Objectio.

Reſpondetur quòd convocatio ipſius Gregorii erat impedire Concilium generale, ut eſt notum; & ideo in ejus defectu in caſu tam neceſſario Cardinales habebant hoc facere, etiamſi indubitatus Papa eſſet; imò in defectum eorum Clerus Romanus potuiſſet convocare. Notant Oſtienſis, Johannes Andreas in cap. Licet, de elect. Reſponſio.

Item, ſi dubitant de Papatu Gregorii, quare ſimili ratione non dubitant de ſuo Cardinalatu: quod ſi dubitant, videtur quòd ex ſimili dubio non habent ſe intromittere de electione Summi Pontificis contrà practicam quam habent pre manibus. 15. Objectio.

Reſpondetur quòd dubium de Papatu ſurgit ex novâ cauſa ſuperveniente in cauſâ Gregorii, quia factus ſchiſmaticus vel hæreticus: & hoc non concernit Cardinalatum præcedentem. Reſponſio.

Item, pari ratione habebunt dubitare de Papatu Innocentii VII. & Bonifacii IX. & fortaſſe Urbani VI. & ſic videntur in eadem opinione cum Gallicis, qui à principio diviſerunt Eccleſiam, incidere, & in dando Gregorio & alios in Summos Pontifices, totam obedientiam noſtram videntur decepiſſe, ſi fas eſt dicere. Pręterea in litteris quas ſcripſerunt Romanorum Regi poſt aſſumptionem Gregorii ſub datis Romæ X. Decembris, dicunt in hæc verba: *Poſt ſolemnes de futuri Pontificis electione tractatus, illo divinitùs inſpirante, qui cuncta perpetuâ ratione gubernat, vota noſtra in Reverendiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum ex noſtro Collegio, Dominum Angelum tit. Sancti Marci Preſbyterum Cardinalem Confratremque noſtrum, ad culmen dignitatis Apoſtolicæ, poſt divinæ gratiæ munera univerſis ejus exigentibus meritis, nec immeritò aſcenſurum nemine diſcrepante direximus, ipſumque Confratrem noſtrum die ultimâ Novembris in Dominum noſtrum elegimus atque Patrem, &c.* In quibus verbis non prętendunt eum elegiſſe in Papam dubitatum: ſi enim de ſuo Papatu dubitaverunt, quare eum elegerunt; & ut talem toti noſtrę Obedientiæ promulgarunt? 16. Objectio.

Reſponſum eſt hìc ſuprà. Reſponſio.

Item, dubium eſt utrum Dominus Gregorius in convocatione factâ in loco Piſarum teneatur comparere, & ſi non venerit, an poſſit judicari. Dubium autem ſurgit ex hoc, quia major pars Prælatorum in Piſis exiſtentium eſt de parte ſibi adverſâ, quę 17. Objectio.

Partem noſtram ſemper reputavit ſchiſmaticam, & prædicavit. Alii autem ferè omnes ſubſtraxerunt Domino Gregorio obedientiam, & fecerunt ſe partem contrà eum, accuſaverunt eum, & crimina manifeſtè impoſuerunt ante ſententiam latam: modo non videtur quòd adverſarii ſint competentes judices vel conjudices; n● videtur quòd quis ad vocationem talium teneatur comparere.

Reſponſio. *Reſpondetur quòd neutrales & ſubſtracti, ſunt magis habiles & idonei ad cognoſcendum de iſto caſu ſchiſmatis & diviſionis de Papatu, & ad introducendum unionem in Eccleſiâ Dei, quàm illi qui firmiter obediunt alteri, & ejus partem ſuſtinent & procurant. Ideo hoc non impedit quin vocatus comparere teneatur, ex quo vocatio alias eſt debitè facta: nec poſſunt dici adverſarii vel inimici, quia ex culpâ ipſorum vocatorum procedit hæc ſubſtractio, & criminis impoſitio juxta cap.* Si de rebus *xxiii. q. vii. nec eſt diffidendum de determinatione quæ fiet per Concilium generale xxiiii. q. 1*

18. Objectio. Item, convocatio Concilii videtur habere vim citationis, quia quæ in eâ aguntur juriſdictionis ſunt. Dubium igitur remanet, quare dicti Domini ſuam convocationem die feriato indixerunt, ſcilicet ipſo die ſancti Johannis Baptiſtæ, & ad diem feriatum convocarunt, ſcilicet ad feſtum Annuntiationis proximè præteritum, cum talis convocatio, ſi ſaltem vim habeat citationis, nulla ſit ipſo jure.

Reſponſio. *Reſpondetur quòd natura negotii, ſcilicet Concilii congregandi, talis eſt quòd primo fit proceſſio & preces ad Deum, & hoc in die feriatâ convenienter fit, & ita etiam de facto fuerat hic ſervatum, nec Concilium ſedit illâ die feriatâ. Inc.* veniens de *accu. Citatio ibi facta fuit ad diem Reſurrectionis Dominicæ. Idem habetur in c. fi. de dilati. in fi. & in c.* tum ex literis *de in inte. reſti. §. fi. unde dies erat aſſignata hic ad ſe præſentandum, non ad procedendum, vel reſpondendum, quare, &c. Notat Hoſt. in Sum. de feri. §. fi. in prin. imò quod plus eſt citatio fuit facta ad reſpondendum, in c.* cum dilecti *de dolo & contemptu. Et valuit quia intelligitur ſemper, alioquin, &c. Item licet alii judices hoc facere non poſſunt, tamen id licet de judice ſupremo.*

19. Objectio. Item, dubium eſt an convocatio Concilii poſſit fieri ab illo, vel illis, qui nullam habet, vel habent auctoritatem ſuper convocandos, & præſertim ſuper Concilium, cujus ipſi Cardinales non ſunt ſuperiores, nec videntur habere aliquam auctoritatem ſuper ipſum, nec ordinariam nec delegatam.

Reſponſio. *Reſpondetur quod ubi Concilium eſt convocandum, ſicut in caſu noſtro, & Papa & unicus non vult, negligit, aut non poteſt, quia fortè furioſus, vel aliàs, Concilium convocare; non eſt dubium quin Cardinales hoc poſſint; quod faciliè poteſt oſtendi de jure. Nec eſt de ſubſtantiâ Concilii, quod convocans habeat auctoritatem ſuper Concilium, ut eſt notum, ſicut Archiepiſcopus vocat Concilium. & tamen Concilium eſt ſuper eum, q●a de eo appellatur ad Concilium: c.* multis *xvii. di. Cle. 1. in fi. de ſent. excomm. S. de caſu. c.* ſi forte *lxv. di. Sic duæ partes Capituli vocant Capitulum. Notat Innocentius c. 1. de no. o. & tamen Capitulum eſt ſuprà, &c.*

20. Objectio. Item, videtur quòd convocatio ad Piſas facta per dictos Reverend. Patres, ipſo jure non mereatur dici Concilium, eo quod Concilium debet eſſe liberum; ſed illud eſt reſtrictum & limitatum; unde dicitur in literis convocationis in hæc verba, ferè poſt medium vel circà: *Finiſque imponatur ſchiſmati per viam mutuæ ceſſionis &c.* Et infrà: *Eſt enim noſtra & Dominorum de Collegio alterius partis intentio & irrevocabile propoſitum, quòd cum hic qui venerint ad dictum locum & terminum provideatur fides & Eccleſia juxtà effectus prædictos.* Numquid volunt ipſi imponere legem Spiritui ſancto? Numquid non ſunt dabiles aliæ viæ rationabiles pro habendo unionem Eccleſiæ ſanctæ, &c.

Reſponſio. *Reſpondetur quòd ex quo via ceſſionis erat jurata, & erat bona, & conveniens, non erat meliùs agendum, quàm quod procuraretur ejus effectus & executio celeriter; & hæc intentio erat bona & ſancta. Nec hoc imponit legem Concilio, quin liberè deliberet quid agendum, ſive per hanc viam, ſive per aliam.*

21. Objectio. Item, in caſu quo dictus Dominus Gregorius veniret Piſas, & vellet renuntiare, non veniente Benedicto, dubium eſt an deberet renuntiare, cum poſtea poſſet contingere quòd Benedictus manere vellet in ſuâ poſſeſſione; quia poſſet dicere: Ego jam ſum unicus, & nullum habeo contendentem de pari, cur vultis me privare vel compellere ad cedendum? Et iſtud veniret ad ignominiam & verecundiam partis noſtræ; & maximè quia dicitur quòd Domini de parte adverſâ nondum ſubſtraxerunt Obedientiam ſuo Domino.

Reſponſio. *Reſpondetur quòd petebatur executio mutuæ ceſſionis ſicut juratum fuerat, non particularis ceſſionis.*

22. Objectio. Item, ſi Benedictus non veniret, vel nollet renuntiare, videtur quòd Gregorius non obligetur ad renuntiandum, prout colligi poteſt ex tenore inſtrumenti Conclavis.

Reſponſio. *Reſpondetur quòd de hoc nihil ad propoſitum, quia de hoc nec ad hoc agebatur.*

23. Objectio. Item, terminus ad conveniendum aſſignatus videtur eſſe nimis brevis, quoad omnes noſtræ obedientiæ partes, quia plurimi fideles noſtræ partis tantum diſtant, quòd modo humano non poſſent Prælati, vel alii eorum nomine ad locum Piſanum devenire. Si ergo non venient, non ſunt tamen contumaciter abſentes, & per conſequens Congregatio hîc facta non meretur dici Concilium generale. Hæc circà convocationem & convocationis indictionem dubia occurrebant.

Reſponſio. *Reſpondetur quòd voluntaria eſt hæc impugnatio, quia attentâ celeritate & neceſſitate cauſæ, & ad evitanda majora pericula, quæ quotidie inſtant, terminus erat aſſignandus quantumcumque brevior bono modo & commodè poterat aſſignari, nec reſpondendum quòd eſt nimis brevis.*

24. Objectio. Demùm dubitatur circà Dominorum unius Collegii cum Dominis alterius unionem, utrumne alterum iſtorum Collegiorum ſit verum, & alterum prætenſum. Præterea quomodo, & quo jure potuit unum habilitare, reliquum abſolvere, diſpenſare, famæ reſtituere, in Cardinales creare; utrum iſtud pertineat ad Cardinales, &c. Plura alia multa poſſent induci dubia quæ brevitatis gratiâ ſunt prætermiſſa.

Reſponſio. *Reſpondetur quòd ambo Collegia ſimul unita ſunt. & unire ſe invicem potuerunt pro neceſſitate proſequutionis unionis Eccleſiæ; in quo caſu etiam cum excommunicatis & ſchiſmaticis communicare liceret. xi. p. iii.* anteceſſor. *&c. ſc. nec requiritur habilitatio, vel Cardinalatûs creatio, quia etiam electores poſſunt ad eligendum ſecum aſſumere aliquos, qui jus eligendi non habent. Nec in Cardinales poteſt aliquid obiici circà c.* Licet *de Elect. & Cler. Romani. Item ex verbis juramenti facti in Conclavi, quando Gregorius fuit electus Romæ, patet quòd ambo Collegia poterant ſimul convenire, &c. Et ſic talis modus quoad primos Cardinales fuit ſatis authorizatus.*

Verum eſt, Reverendiſſimi Patres, quòd, non obſtantibus præmiſſis & pluribus aliis, Sereniſſimus

Princeps

Princeps & Dominus noſter Dominus Rupertus Romanorum Rex, acerbiſſimo cordis dolore tactus intrinſecùs, corpore & rebus vellet, prout ſemper voluit, quòd iſtud miſerabile diſcidium & deteſtandum ſchiſma auferretur penitùs de Eccleſiâ ſanctâ Dei, ſic quòd fieret ſincera, purâ, integra & univerſalis Fidelium unio & concordia, & quia Concilio & convocatione prælibatis timet, ut præmittitur, id fieri non poſſe, fretus magnorum Principum, Dominorum & ſapientum Conſilio, commiſit nobis ſuis Ambaſſiatoribus quatenùs Dominum Gregorium, & Reverendiſſimas Paternitates veſtras, ad conveniendum pro certo tempore congruenti in uno loco certo partibus congruo, in quo Dominus Gregorius faceret id ad quod voto & juramento ſe adſtrinxit, pro parte ſuæ Regiæ Majeſtatis inclinaremus, & induceremus; ut ſic omnibus dubiis, perplexitatibus, ſcrupulis, & difficultatibus, ac novis diviſionibus, præcipuè in parte noſtrâ, ſublatis & excluſis, ſincera & pura ac univerſalis unio ſequeretur in Eccleſiâ Dei. Adjiciendo quòd ſive Dominus Gregorius in dictis termino & loco compareret, & debitum ſuum faceret, ſive non, nihilominùs ad effectum intentum, ſcilicet ad electionem unici ſummi Paſtoris procederetur; quia ea tunc appareret quòd Dominus Gregorius nollet facere debitum ſuum; & vellet Majeſtas Regia deinceps cum eis laborare, & eis aſſiſtere totis viribus & conatibus, corpore & rebus. Et pro iſto, nomine dicti Sereniſſimi Regis ſupplicamus, inſtamus, petimus & pulſamus exhortando vos Reverendiſſimos Dominos, & omnes & ſingulos Prælatos, Patres ac Dominos in iſtâ congregatione ſimul conſedentes, ſive exiſtentes, quatenùs propter ſanguinem Jesu Christi, & amorem intemeratæ Virginis Mariæ, & totius Curiæ cœleſtis, & propter ſalutem plurimarum animarum procurandam, & infinita pericula ſpiritualia & temporalia excludenda, ad id ipſum velitis adhuc hodie inclinari. Numquid quòd una anima lucranda expediret rem magnam facere; multo magis incomparabiliter ad lucrandum plures animas, ad cavendum injurias & ſtrages, ad præveniendum deſtructiones, deſtitutiones, & deſolationes Eccleſiarum, Monaſteriorum & Cœnobiorum, ac pro univerſali, integrâ atque purâ unione faciendâ & procurandâ, brevis mora cum aſſignatione alterius loci benè commodi, nullatenùs eſſet deneganda?

Ego Magiſter Conradus de Suſato, ſacræ Theologiæ Profeſſor præſentavi die xvi. Aprilis, milleſimo quadringenteſimo nono, præſentem cedulam, dubia per Epiſcopum Verdenſem expreſſa continentem.

Seſſio V. Quinta Seſſio fuit facta die xxiv. Aprilis. Et poſt Miſſam & Litanias dicti duo Contendentes iterum vocati fuerunt ad valvas Eccleſiæ per duos Dominos Cardinales, ſicut in aliis Seſſionibus factum fuerat. Et quia non comparebant, requiſivit Advocatus quòd eorum contumaciâ non obſtante procederetur ulteriùs, & ita fuit ordinatum. Et illicò per eumdem Advocatum propoſiti fuerunt articuli continentes petitionem contrà dictos duos Contendentes, quorum articulorum tenor hîc ſcribitur infrà de verbo ad verbum: & requiſivit Advocatus quòd deputarentur per Concilium aliqui Examinatores ſeu Commiſſarii ad examinandum teſtes ſuper notorietate propoſitorum contrà eos. Et ita fuit ordinatum. Quodque in proximâ futurâ Seſſione daretur eis auctoritate Concilii commiſſio ad teſtes examinandos. Et aſſignabatur terminus pro aliâ Seſſione ad diem Martis, quæ erat dies ultima Aprilis: & interim per provincias eligerentur & nominarentur de qualibet natione aliqui, quibus auctoritate Concilii in dictâ Seſſione daretur commiſſio ad actum examinationis ſupradictum.

Sequuntur Articuli propoſiti contrà duos de Papatu contendentes, lecti & publicati in Concilio generali apud Piſas, Anno Domini MCDIX. *die* XXIV. *Aprilis.*

Coram hac Sanctâ & univerſali Synodo hic præſentialiter Spiritûs ſancti gratiâ congregata, pro parte Procuratoris, Promotoris, Inſtigatoris, ſeu Sollicitatoris Deputatorum ad cauſam proſequendam pro caſtirpatione hujus deteſtandi & inveterati ſchiſmatis, & unione & redintegratione ſanctæ Matris Eccleſiæ, contrà & adversùs DD. Petrum de Lunâ, à nonnullis Benedictum XIII. appellatum; & Angelum Corrario, ab aliis vocatum Gregorium XII. de Papatu damnabiliter & temerariè contrà omne fas contendentes, & quantum in eis eſt Eccleſiam dividentes, ad hanc præſentem ſanctam Synodum legitimè vocatos, & per eamdem contumaces reputatos, & quemlibet eorum, proponitur, & pro plenâ informatione omnium in hac præſenti Synodo reſidentium ſubjungetur plena narratio omnium, & quorumcumque geſtorum per quemlibet prædictorum duorum Contendentium, ſub formâ infrà ſcriptâ:

Et ut ab exordio ſchiſmatis vera & notoria deſcribatur narratio, Deputati ad facta infrà ſcripta colligenda & cauſas dant & exhibent huic ſancto Concilio quæ in ſequentibus deſcribuntur, tamquam vera, manifeſta & notoria. I.

Poſt mortem felicis recordationis Domini Gregorii XI. qui Romæ obiit, Anno Domini MCCCLXXVIII. & die XXVI. menſis Martii Reverendiſſimi in Chriſto Patres Domini Cardinales, tunc Romæ exiſtentes, metu, ut aiebant, Romanorum petentium eligi Romanum vel Italicum, elegerunt Dominum Bartholomæum quondam Barienſem Archiepiſcopum qui fuit Urbanus VI. nominatus. Iidemque Domini Cardinales reputantes hoc non obſtante Romanam vacare Eccleſiam, ex poſt elegerunt Dominum Robertum de Gebennis, Baſilicæ duodecim Apoſtolorum Preſbyterum Cardinalem, qui ſic electus fuit Clemens VII. appellatus. Quanta ex iſtis electionibus & ordinationibus inde ſequutis inſurrexerit in Dei Eccleſiâ diviſio, in quantum turbo inde exortus concuſſerit Clerum, & populum involverit Chriſtianum cum notoria exſtant, & rei evidentia manifeſtet, illa proſequi ſupervacuum reputatur. Sicque invaluit ambitio, ut tempore Urbani, Clementis, & Bonifacii aliqua reperta non fuit diſpoſitio, per quam ſchiſma extirparetur, ut unitas in Dei Eccleſia reduci valeret. Quod advertentes Domini Cardinales, qui Clementi jam defuncto adhæſerant, & volentes futuris impedimentis & ambitionibus viam præcludere, poſt Conclavis ingreſſum antequàm ad electionem procederent, adinvicem promiſerunt & juraverunt, firmaveruntque, ſi eorum aliquis in Papam eligeretur, proſequeretur exſtirpationem ſchiſmatis, & unitatis vinculum in Dei Eccleſia reducendum per omnes vias rationabiles & accommodas, per quas citiùs & breviùs poſſet haberi unio, etiam uſque ad renuntiationem Papatûs incluſivè, ſi majori parti Dominorum Cardinalium eorum, qui tunc erant, pro bono unionis videretur expediens facere, ut hæc in quâdam cedulâ ſuper præmiſſis factâ, ſubſcriptâ manibus ipſorum Dominorum Cardinalium pleniùs continetur. Et ſingulariter fuère prædicta jurata per Dominum Petrum de Lunâ, tunc Diaconum Cardinalem

Variat hic Odoricus, & ai qua interponit.

Digitized by Google

ſanctæ Mariæ in Coſmedin. Et ex poſt ipſe Dominus Petrus de Luna electus fuit in Summum Pontificem ab ipſis Dominis Cardinalibus ea confidentia & intentione, ut tunc inter eos dictum fuit, quòd præmiſſa obſervaret, aliàs nullatenus eum elegiſſent. Qui ſic electus, & Benedictus XIII. nuncupatus, iterata vice juravit prædicta inviolabiliter obſervare ad requiſitionem Dominorum Cardinalium prædictorum. Et tunc illicò ipſe Dominus Benedictus ad varias mundi partes verbo & ſcripto mandavit & notificavit, quòd erat omnino diſpoſitus renuntiare pro bono unionis, adverſario pariter renuntiante. Sed infrà paucos dies ſic opinionem mutavit, quòd de via ceſſionis verbum audire nolebat, illoſque exoſos habebat qui de illa mentionem faciebant, & tales eos publicè refutabat.

II. Poſt verò ipſius Domini Benedicti aſſumptionem, Domini Cardinales varia tenuerunt Concilia ſuper modo uniendi Eccleſiam; & dum ipſa Concilia inchoarent, fuit eis dictum per unum Dominum ex parte ipſius Domini Benedicti, quòd de viâ ceſſionis non loquerentur: per quæ ſatis evidenter apparuit, quòd ipſe Dominus Benedictus viam ceſſionis per ipſum juratam proſequi non intendebat, ſed potiùs illam declinare. Nam ex poſt, quia aliqui D. Cardinales apertè loquebantur de via ceſſionis, fuerunt in periculo captionis & incarcerationis, taliter quòd interdum aliqui comminationum metu ſubitò & à Conſilio & à Miſſa recedebant, non petita licentiâ, nec fine expectato; aliqui metu territi ſilentium imponebant ori ſuo; alii etiam ſubitò à civitate Avinionenſi recedebant, capi timentes & incarcerari. Nam illi reputabantur ſibi inimici & adverſarii, qui de unione proſequendâ loquebantur per viam mutuæ ceſſionis.

III. Deinde infrà annum aſſumptionis Domini Benedicti, Sereniſſimus Princeps Dominus CAROLUS Rex Francorum, ad ipſum Dominum Benedictum illuſtres Principes Bituricenſem & Borgundiæ Patruos, & Aurelianenſem fratrem Duces, cum notabili comitivâ Prælatorum, Magiſtrorum in Theologia, in jure canonico & civili, & aliorum virorum inſignium deſtinavit ad requiſitionem ipſius Domini Benedicti, qui per ſuos poſtulaverat nuntios, ut Rex mitteret ad eum tales, & ſic ſolemnes nuntios cum quibus poſſet deliberare de facto unionis Eccleſiæ, ut cum ipſo Rege. Qui cum magnâ ſinceritate, humilitate ac devotione exhortâti fuerunt Dominum Benedictum ad proſequutionem unionis Eccleſiæ, offerentes pro parte Regis & ſuâ, ac totius Regni Francorum conſilia, auxilia & favores; requirentes ab ipſo Domino Benedicto ut dignaretur Regem & eos certificare de viâ, per quam extirpationem ſchiſmatis proſequi intendebat. Et quia Dominus Benedictus aliud noluit ſpecificè aperire, quàm viam compromiſſi, quam juſtitiæ appellabat, ac conventionem partium in certo loco faciendam, quæ fuêre coram judicio Dominorum Cardinalium, ipſorum Dominorum Ducum, Prælatorum, & aliorum Notabilium virorum, dilatoria & inania reputata, ac ad unionem in Dei Eccleſiâ reducendam nullatenùs pertinentia: præfati Domini Duces pro parte Regis & ſuâ, & Prælatorum Regni propoſuerunt, quòd via mutuæ ceſſionis ipſius Domini Benedicti, & ſui adverſarii, erat illa per quam ſchiſma extirpari poterat, attentâ diuturnitate ſchiſmatis, magnâ partis utriuſque adhærentia, ac difficultatibus tam facti quàm juris in cauſâ ſchiſmatis occurrentibus, & aliàs, multiplicibus mediis & rationibus luce clarioribus oſtenderunt viam ceſſionis neceſſariam exiſtere, ſupplicantes ut vellet eam acceptare, offerre, & proſequi, maximè quia idem Dominus Benedictus per antea Regi per ſuos nuntios mandaverat, quòd ipſe omnem viam ſibi aperiendam rationabilem acceptaret, & nullam penitùs refutaret, quæ poſſet ad extirpationem ſchiſmatis pertinere. Et etiam quia ipſe Dominus Benedictus exiſtens Legatus tempore Clementis in Franciâ, dixerat aliquibus ex Dominis Ducibus antedictis, & quibuſdam aliis viris notabilibus, quòd erat neceſſarium & expediens ut per viam mutuæ ceſſionis finis ſchiſmati imponeretur. Domini etiam Cardinales iteratis & humilibus ſupplicationibus inſtantias fecerunt permaximas, ut ipſe Dominus Benedictus prædictam viam ceſſionis acceptaret, offerret, proſequeretur. Et ultrà, quia videbant ſupplicationibus & rationibus non poſſe proficere, in vim cedulæ in Conclavi juratæ dixerunt quòd erat omnino expediens pro bono unionis ut ipſe Dominus Benedictus per viam ceſſionis mutuæ proſequeretur pacem Eccleſiæ, & ſchiſmatis extirpationem; & in vim prædictæ cedulæ juratæ ipſum ſolemniter requiſierunt, ut per viam ceſſionis pacem Eccleſiæ proſequi vellet, quod facere expreſsè denegavit, aſſerens eam eſſe pernicioſam & non bonam, &c.

IV. Ex poſt Sereniſſimi Principes, Reges Franciæ, Angliæ, & Caſtellæ ſuos ſimul nuntios ſolemnes deſtinaverunt ad ipſum Dominum Benedictum in Avinione reſidentem, ſupplicantes inſtantiùs pro viâ ceſſionis per eum acceptandâ & proſequendâ; pro qua ſimilem inſtantiam facere intendebant Domino Bonifacio, qui tunc Romæ reſidebat: quam viam ceſſionis publicè impugnari fecit & reprobari in præſentia Dominorum Cardinalium, & nuntiorum prædictorum, per Dominum Bonifacium de Manatis. Et aliud Dominus Benedictus reſponſum non dedit, ſed dixit quòd per ſuos nuntios Regibus antedictis ſuam infrà breve notificaret intentionem; quod facere ex poſt omninò prætermiſit, & ſupplicationes Dominorum Cardinalium exaudire ſuper hoc recuſavit. Et licet nuntii prædictorum Regum ad Dominum Bonifacium Romæ acceſſerint, tamen Dominus Benedictus præmiſit ſuos nuntios ad Dominum Bonifacium, videlicet Epiſcopum Tiraſonenſem valde ſibi familiarem & domeſticum, & quoſdam alios, qui ſecreta & familiaria habuerunt cum dicto Domino Bonifacio & ſuis conſilia & colloquia, ante adventum nuntiorum Regum prædictorum; & nuntii dictorum Regum ſimiles ſupplicationes eidem fecerunt de viâ ceſſionis acceptanda, & in effectu eadem Dominus Bonifacius reſpondit, quæ dixerat Dominus Benedictus, & eodem præmeditato ſermone, nullo alio ſubſequuto effectu; comprehenderuntque evidenter & notoriè nuntii antedicti, & publicè dixerunt, quòd in Domino Benedicto & Bonifacio nulla erat diſpoſitio ad viam ceſſionis, vel aliam, per quam pax in Dei Eccleſia haberi poſſet, ſed potiùs inter ipſos erat colluſio & concordia, ut manerent in eorum damnatis Cathedris & honoribus conceptis, poſt terga ponentes quidquid de fide, Eccleſia & ſalute Fidelium foret in eorum viâ futurum. Et maximè colluſio antedicta evidenter colligitur, quia per antea ipſi duo Contendentes miſerant ſibi ad invicem nuntios & literas abſque conſcientiâ Dominorum Cardinalium, quoad illa quæ erant tractaturi & proſequuturi. Et nuntiis ſuis, quos ad Dominum Bonifacium deſtinaverat, in mandatis dedit, ut Domino Bonifacio reverentiam Papalem exhiberent; idemque fecerunt nuntii Domini Bonifacii Domino Benedicto publicè & notoriè, &c.

V. Poſt hæc Illuſtriſſimus Princeps Dominus Rex Romanorum & Bohemiæ ſuos ſolemnes nuntios, inter quos fuit principalis Reverendus Pater Dominus Epiſcopus Cameracenſis, ad Dominum Benedictum tunc

in Avinione reſidentem, deſtinavit. Et in publico Conſiſtorio præſentibus Dominis Cardinalibus, Prælatis, Clericis & Laicis in copioſa multitudine, propoſuerunt ex parte dicti Domini Regis mala quæ ex diuturnitate ſchiſmatis obvenerunt toti Chriſtianitati, & difficultates occurrentes in iſtius peſtiferi ſchiſmatis exſtirpatione: quodque ipſi Regi, & ſuo Conſilio videbatur utilis & neceſſaria via mutuæ ceſſionis, & pro illâ acceptandâ & proſequendâ ſupplicabat inſtantiùs, intendens ſimilem inſtantiam facere D. Bonifacio Romæ reſidenti. Cujus ſupplicationibus idem D. Benedictus nullatenus voluit aſſentire. Et in eodem publico Conſiſtorio viam ceſſionis expreſſè refutando, publicè dixit & notoriè, omnibus audientibus, quòd de hac viâ ceſſionis proſequendâ aliàs fuerat requiſitus, ſed illam non acceptaverit, nec intendebat in futurum acceptare, quia crederet peccare mortaliter, ſi illam acceptaret, & proſequeretur. Hæc autem aſſertio ſive dogmatizatio publicè ſic facta, audientes commovit quamplurimùm, quia cum via ceſſionis mutuæ pro unione in Dei Eccleſiâ reducendâ, ſit juſta & ſancta, auctoritatibus novi & veteris Teſtamenti conveniens, determinationi Eccleſiæ, ſacris Canonibus, & Sanctorum Patrum dictis & exemplis, ſitque ſummæ charitatis & perfectionis, & ab omnibus Chriſti fidelibus approbata, ac neceſſaria in hoc caſu reputata, non videbant audientes à quo fonte poſſet procedere iſta aſſertio, niſi ſolùm ex dominandi cupiditate, quæ frequenter, juxtà B. Auguſtinum, opiniones gignit legi & fidei contrarias. Et quid importet hæc aſſertio ſic publicè & notoriè prædicata, iſtius ſancti Concilii eſt deliberare & decernere, prout fidei, Eccleſiæ unitati, & ſaluti Fidelium noſcitur expedire.

VI. His perfectis, oſtenderunt Domini Cardinales frequenter Domino Benedicto claris & evidentibus rationibus, quòd ſua via compromiſſi, cui nimis pertinaciter inhærebat, non erat bona & conveniens ad unitatem Eccleſiæ procurandam, nec juridica, quia cum compromiſſum reprobetur à jure, cum de titulo beneficii Eccleſiaſtici cujuſcumque agitur, multo fortiùs cum agitur de titulo Papali, & habendâ Eccleſiæ unitate; illaque via non erat conſcientiarum ſerenativa, imò potiùs maculam inferens, & adverſarius illam meritò poterat rationabiliter refutare; ſupplicantes ut illi nollet inhærere, ſed potiùs viæ mutuæ ceſſionis per eum juratæ, & ferè ab omnibus Chriſti fidelibus approbatæ; quæ facere expreſſè denegavit, ſubjungens idem D. Benedictus, in præſentiâ omnium Dominorum Cardinalium tunc in ſuâ præſentia exiſtentium, quòd fruſtra ſibi fiebat mentio de viâ ceſſionis, quia ipſe nunquam illam offerret, ſeu proſequeretur, etiamſi adverſarius renuntiare vellet, nunquam ſederet inter Cardinales in eorum ſcamno. Oſtendens per hoc evidenter, quòd nullatenùs renuntiare intendebat pro bono unionis, ſed potiùs teneret illum ſtatum quamdiù viveret in humanis. Nam pluries frequenter dixit publicè & aſſeruit, quòd cedula per eum jurata ad viam ceſſionis, quæ bona non erat, nullatenùs obligabat, nec illam intendebat aliquo modo acceptare, etiamſi totus mundus hoc ſibi conſuleret: poſito etiam quod omnes ſibi obedientes, à ſuâ recederent obedientia. Et ſi hæc ad impedimentum unionis Eccleſiæ, juramenti liciti tranſgreſſionem, notorium ſcandalum, pertinaciam & contumaciam notoriam evidenter pertineant, videant zelum Dei habentes, decernat & judicet hoc ſanctum & univerſale Concilium.

VII. Ulteriùs quia multi Reges & Principes, Prælati & alii diſponebant ſe ſubſtrahere ab obedientiâ ipſius Domini Benedicti, quia perpendebant evidenter & notoriè ipſum indiſpoſitum, pertinacem & contumacem ad unionem Eccleſiæ proſequendam, Domini Cardinales pro evitatione tantorum ſcandalorum eidem ſupplicaverunt, ut viam ceſſionis offerret & proſequeretur, vel ſaltem conſentiret & offerret, ut per omnem viam rationabilem & juridicam finis ſchiſmati imponeretur, & quòd via ceſſionis eſſet ultima ſi per alias unio haberi non poſſet; vel conveniret cum adverſario in certo loco, & ibi ageretur de viis debitis & neceſſariis. Quæ omnia facere expreſsè, & publicè, & frequenter denegavit, non curans, ut tunc publicè & frequenter dixit, de ſubſtractione quacumque quæ ſibi fieret, etiam ſi totus mundus ſe ſubſtraheret, quia beatus Petrus, ut dicebat, non habuerat in ſua obedientia Franciam, nec alias partes de quarum ſubſtractione timebatur. Subdens etiam publicè in verbis ſuis, quòd plus merebatur ceſſionem non acceptando, quàm poſſet demereri aliàs uno menſe: & quòd ſi cogeretur ad ceſſionem, dimitteret Eccleſiam in tali ſtatu, ut poſt ſuam mortem longo temporis ſpatio reparari non poſſet. Facta verò ſibi ex poſt in Regno Franciæ generali ſubſtractione, Domini Cardinales eidem ſupplicarunt, ut pro evitatione tantorum periculorum, cum & Regnum Caſtellæ ad ſimilem ſubſtractionem faciendam ſe diſponeret, & nonnullæ aliæ Nationes, ut ex poſt fecerunt, vellet offerre viam ceſſionis quia ipſi Domini Cardinales offerebant ſe interpoſituros & laboraturos ut ſubſtractiones factæ revocarentur, & aliæ non fierent. Ipſe Dominus Benedictus præmiſſa facere recuſavit, & expreſsè denegavit. Et, quod longè deterius exſtitit, tunc publicè in Eccleſia Prædicatorum Avinionenſium prædicari fecit per ſuum Conſiliarium Magiſtrum Vincentium, quòd ipſe nunquam acceptaret viam ceſſionis pro quâcumque ſubſtractione ſibi facta vel facienda, imò potiùs pateretur mortem, ſi ſibi hac de causâ inferretur, quàm ceſſionem offerret. Si iſta benè ſonent, & impedimentum pacis & unionis Eccleſiæ importent, & notorium Eccleſiæ ſcandalum cum pertinacia & contumacia notoria, videat & judicet hoc ſanctum & univerſale Concilium.

VIII. Subſtractione ipſi Domino Benedicto factâ durante, ipſe tunc ſuos defectus aliqualiter agnoſcens, obtulit ſaltem in verbo cum inſtrumento publico, quod ferè ad omnes Reges & Principes ſuæ partis direxit, viam ceſſionis (quæ tunc viſa ſibi erit juſta, licet per prius aſſereret illam peccatum mortale continere) adverſario volente pariter cedere, mortuo, vel ejecto. Promiſit etiam in eodem inſtrumento, quòd ad congregationem, Synodum vel Concilium, quod inde contingeret teneri & celebrari pro unione Eccleſiæ, ipſe Dominus Benedictus accederet. Et propter hanc oblationem & alias conſiderationes reſtituta ſibi fuit obedientia, quia credebatur quòd illa quæ verbo obtulerat, facto haberet adimplere. Et in reſtitutione obedientiæ inter ipſum Dominum Benedictum & Dominos Cardinales fuerunt initæ certæ conventiones ſub inſtrumentis publicis, inter quas una fuit, quòd primitùs ſeu intendebat ipſe Dominus Benedictus convocare & tenere Concilium ſuæ obedientiæ ſuper bono regimine Eccleſiæ, & unione Eccleſiæ proſequenda, & licet de hac fuiſſet facta ſpecialis mentio in caſtro Raynaldi, & Fonte Sorgiæ Diœceſis Avinionenſis in inſtrumentis ibidem confectis, tamen Dominus Benedictus conatus fuit ex poſt, ut Notarii inſtrumenta in formam publicam redigerent, illo articulo de convocando Concilio prætermiſſo contrà veritatem rei geſtæ. Et quia Camerarius Domini Albaucolis, qui fuerat unus de rogatis Notariis, hoc

facere recuſavit ne crimen falſi incurreret, fuit per Dominum Benedictum ſub arreſto tentus in Curiâ per annum & ultrà, & factæ ſibi graves comminationes incarcerationis, & quòd igni traderetur, niſi hoc faceret. Sed in illo fuit firma conſtantia, adeo quòd minis & terroribus ad hoc induci non potuit. Et per hoc patuit evidenter quòd D. Benedictus ſervare nolebat præmiſſa de viâ Concilii convocandi, & minùs proſequi pacem Eccleſiæ per viam ceſſionis, de quâ factâ ſibi reſtitutione etiam verbum audire nolebat.

IX Exactis ex poſt aliquorum temporum intervallis, Dominus Benedictus ſuos deſtinavit nuntios ad Dominum Bonifacium; & licet notificaverit Dominis Cardinalibus quòd mittebat pro facto unionis, ut dicebat, tamen ad quid mittebat, & quæ debebant ibidem tractare, ſeu proſequi, ipſis Dominis Cardinalibus omninò occultum tenuit, prout & aliàs ſemper erat facere aſſuetus quando ad Dominum Bonifacium nuntios deſtinabat. Et prædicti nuntii, ut ex poſt dictum fuit, ipſum Dominum Bonifacium requiſierunt de viâ conventionis ipſios, & Domini Benedicti in uno loco de viâ compromiſſi, quam Juſtitiæ appellabant, & quibuſdam aliis. Et licet tunc in Domino Bonifacio non fuit reperta diſpoſitio ad unitatem Eccleſiæ proſequendam, tamen ipſo Domino Bonifacio tunc infrà breves dies defuncto, adhuc nuntiis Benedicti Romæ exiſtentibus, Domini Cardinales qui Domino Bonifacio adhæſerant, ipſos requiri fecerunt, quòd ſi à Domino Benedicto habebant mandatum ſeu poteſtatem de viâ ceſſionis offerendâ, hoc eis notificarent, quia eo caſu ipſi Domini Cardinales erant diſpoſiti ab electione ceſſare, & negotio unionis intendere. Et ſi de hoc mandatum non habebant, quòd mitterent ſuper hoc ad Dominum Benedictum, & ipſi erant diſpoſiti exſpectare reſponſum. Qui quidem nuntii reſponderunt quòd nullum habebant mandatum de viâ ceſſionis offerendâ, & per hoc non intendebant mittere ad Dominum Benedictum, quia via ceſſionis non erat bona.

X. Subſequenter mortuo dicto Domino Bonifacio, præfati Reverendiſſimi Domini Cardinales in Conclavi exiſtentes, inter quos erat Dominus Coſmatus tunc Cardinalis Bononienſis appellatus, poſtea aſſumptus in Innocentium VII. antequàm ad electionem procederent, ordinaverunt certa quæ tunc videbantur utilia pro unione Eccleſiæ procurandâ & faciendâ, prout in inſtrumento ſuper hoc confecto latiùs continetur. Et quia electo poſt præmiſſa per ipſos Dominos Cardinales, qui tunc Romæ reſidebant, Domino Innocentio prædicto, ſatis infrà breve apparuit evidentia facti, quòd illa quæ fuerant per ipſos Dominos Cardinales prævila & ordinata pro bono unionis, non fuerant ad pacem introducendam ſufficientia, malitiâ penſatâ hominum; propterea infrà breve tempus defuncto Domino Innocentio præfato, antequàm ipſi Domini Cardinales ad electionem vellent procedere, in Conclavi exiſtentes inter ſe magno zelo diſpoſuerunt ad fortia manus ponere; ideo ſtatuerunt & ad invicem promiſerunt & convenerunt, juraverunt, & ſolemniter ſe voto adſtrinxerunt, quòd ſi eorum aliquis in Papam aſſumeretur, pro unione in Dei Eccleſiâ reducendâ, & ſchiſmatis exſtirpatione, renuntiaret Papatui, & juri quod ſibi poſſet competere in illo, dum tamen Benedictus pariter renuntiaret, vel moreretur, dummodo Domini Cardinales, qui Domino Benedicto adhæſerant, vellent ſic convenire cum Dominis Cardinalibus Romæ exiſtentibus, quòd ſequeretur electio unius veri & indubitati Paſtoris & Summi Pontificis, ut in inſtrumentis ſuper hoc confectis pleniùs continetur. Et ſpecialiter prædicta juravit & vovit Dominus Angelus Corrario, tunc Cardinalis Conſtantinopolitanus vulgariter nuncupatus, & poſtea ad Papam ab ipſis Dominis Cardinalibus electus; qui interrogatus per bonæ memoriæ Dominum Florentinum, Priorem dictorum DD. Cardinalium, ut conſentiret electioni de ipſo factæ, dixit conſentire & non velle contradicere voluntati divinæ, tantùm ut daret unionē & pacē Eccleſiæ. Et poſt Gregorius nominatus prædicta de novo juravit, & voto firmavit, & inſtrumenta publica ſuper hoc iteratò manu propriâ ſub nomine Gregorii ſubſcripſit, ut in ipſis inſtrumentis pleniùs continetur. Miſitque literas ſuas ſub mediâ bullâ bullatas ferè ad omnes Principes, & Notabiles, Communitates, Univerſitateſque Studiorum præmiſſa continentes, & quòd ea vellet obſervare inviolabiliter. Et poſt ſui coronationem in Conſiſtorio generali de novo prædicta omnia & ſingula promiſit, vovit & juravit, præſente multitudine Cleri & populi copioſâ, increpando Prædeceſſores ſuos, quòd tantùm neglexerant in dando unionem & pacem Eccleſiæ, de quibus fuit velut Angelus Dei multipliciter commendatus, & fuiſſet peramplius ſi perſeveraſſet in incæptis juratis & voto toties repetitis firmatis.

Item ipſe Dominus Gregorius per ſuas literas & XI.
nuntios prædicta per eum jurata, & voto firmata, notificavit Domino Benedicto in Maſſiliâ reſidenti, requirens eum ut prædictis vellet annuere, quod fecit tandem attractus & quodammodo invitus, nec ſic ſimpliciter ut Dominus Gregorius, licet per Dominos Cardinales & nuntios Domini Gregorii fuiſſet ſæpius ſolemniter requiſitus, ut ſimpliciter conſentiret, ut fecerat & faciebat Dominus Gregorius, imò voluit partem ſibi ſervare in electione futura, quod non fecerat Gregorius, dum dixit in ſuis literis: *Dummodo Domini Cardinales Gregorio adhærentes, velint nobiſcum & Fratribus noſtris taliter convenire, quòd ſequatur canonica electio*; prout in literis dicti Domini Benedicti reſponſivis literis dicti Domini Gregorii, & eidem miſſis latiùs continetur. Ita quòd ex modo agendi, loquendi, & circumſtantiis evidentibus deprehendebatur, quòd Dominus Benedictus viæ ceſſionis aſſentiebat in verbo, non autem in re & effectu; & de hoc erat obloquutio & fama Maſſiliæ inter Dominos Cardinales, & alios quamplures tunc Maſſiliæ reſidentes.

Et per antea audito de bonâ voluntate Domini XII.
Gregorii, quam habere videbatur ad Eccleſiæ unionem, magnificus Dominus Malateſta, de Malateſtis de Penſauro, etiam propriis expenſis ad Sereniſſimum Dominum Regem Franciæ, & ad dictum Dominum Benedictum tamquam fervens zelator hujus ſacratiſſimæ unionis, accedere ſe obtulit, qui pro parte Domini Gregorii, occaſione ipſâ, ut ad urbem propterea ſe transferret, fuit requiſitus, qui poſtquàm cum honorabili comitivâ Romam ad exequendum oblata & requiſita applicuerat, ſupervenientibus nepotibus Domini Gregorii, ſcilicet Domino Antonio tunc Epiſcopo Montonenſi, & Paulo Corrario, idem Dominus Gregorius per dictos ſuos nepotes, ut creditur, ſeductus, & in reprobum ſenſum datus, variare, & evidenter à promiſſis retrocedere incæpit; nam juxtà conſilium omnium Dominorum Cardinalium ſuorum noluit mittere dictum Malateſtam ad legationem prædictam, ſed dictum Dominum Antonium, cui arcana ſuæ mentis (ut creditur, & poſt facto conſtitit) aperuit, aſſociatis ſibi bonæ memoriæ Domino Guillelmo tunc Epiſcopo Tudertino, & Domino Antonio de Butrio utriuſque juris Doctore, ad famam tantùm, quia ipſi neſciebant ſecreta, ut ex poſt dixerunt publicè

prædicti Domini Epiſcopus & Antonius, imò nec Domini Cardinales aliquid ſciverunt de ſecretis quæ portavit Dominus Antonius ejus nepos, cui dedit unam bullam clauſam, cujus continentiam præfati Domini Cardinales ignoraverunt, quibus per aliam ſuam bullam de conveniendo de loco habili & decenti mandatum dedit. Per quos Oratores tandem concluſum fuit de loco Saonæ cum dicto Domino Benedicto & ſuo Collegio, qui & præfatum Dominum Gregorium in vim dicti mandati obligarunt, ut in certis terminis declaratis cum ſuo Collegio deberet ire Saonam, cum certis etiam modificationibus, prout in inſtrumento ſuper hoc confecto continetur.

XIII. Item, quòd dictus Dominus Gregorius cum de dictâ concordiâ loci Saonæ notitiam habuiſſet, ipſam concordiam commendavit, approbavit, & ratificavit, & coram ſuis Dominis Cardinalibus & aliis notabilibus perſonis ſæpiùs affirmavit, quòd locus ille ſibi placebat, commendando nepotem prædictum, & increpando Dominos Cardinales qui illum ſuſpectum habuerant dum mittebat, confortando & ſollicitando eoſdem Dominos Cardinales pro acceſſu ad dictum locum; cum quibus Dominis Cardinalibus in diverſis conſiliis deliberavit, quòd ſi galeas habere non poſſet, diſpoſitus erat ire in unâ barchalinâ, ſeu pedes ſi aliter tranſire non poſſet, aſſentientibus & ad hoc confortantibus etiam dictis Dominis Cardinalibus. Scripſitque bullas ſuas Sereniſſimo Domino Regi Francorum, ſollicitando per ſuos Oratores ut ea quæ ipſum tangebant, ſecundùm dictæ conventionis capitula celeri exequutioni mandaret, ac per fratrem Joannem Dominici Dominum Gubernatorem & Regentem Januenſem, requiſivit pro celeri expeditione & exequutione eorum quæ ad ipſos ſpectabat; quæ omnia ex relatione dicti fratris Joannis Dominici per dictum Dominum Gubernatorem & Januenſem fuere integraliter ſubſequuta. Et ſimiliter Communitati Saonæ, regratiando de promptâ devotione & exequutione eorum quæ ad ipſos pertinebant, illos hortando in Domino ad ulteriorem proſequutionem, per ſuas bullas conſcripſit, & ab Oratoribus & Syndicis dictorum Communitatum Januæ & Saonæ in Româ exiſtentibus, juxtà continentiam conventionis prædictæ, juramentum fidelitatis recepit. Redeuntemque dictum Dominum Antonium nepotem ſuum, pro bonis geſtis & meritis in legatione prædictâ in Camerarium promovit. Deinde autem idem Dominus Gregorius variare, & evidenter retrocedere à promiſſis tam ſolemniter firmatis & ratificatis incæpit, allegans aliquas frivolas excuſationes & cauſas impedimenti, videlicet galearum defectus & inopiam pecuniarum; nam dum ab Oratoribus Domini Benedicti in Româ eſſet requiſitus de acceſſu ad Saonam, finaliter reſpondit ſe nullo modo velle ire Saonam ſine galeis. Similem etiam reſponſionem fecit Oratoribus Sereniſſimi Francorum Regis, etiam requiſiverunt Dominos Cardinales tunc Romæ exiſtentes, ut attentâ indiſpoſitione Domini Gregorii ad unionem, ſe declararent an vellent Saonam accedere juxtà promiſſa, eos etiam rogantes ut ſi interim Dominus Gregorius decederet, non procederent ad electionem futuri Præſidentis; qui de mandato Domini Gregorii reſponderunt, quòd ipſi facerent debitum eorum. Quoad ſecundum quæſitum reſponderunt etiam de ſuo mandato, quòd ipſi non poterant obligare abſentes, ſed inſtarent cum Domino Gregorio ut ſuper hoc conſtitutionem faceret validam; quam conſtitutionem facere promiſit, prout apparet per inſtrumentum publicum manu Domini Franciſci de Montepolitiano; ſed tamen poſtea recuſavit, ut ſcilicet etiam poſt mortem ſuam, quantum in ſe foret, ſicut in vitâ unionem impediret. Et licet galeæ, quas etiam à Domino Gubernatore Januæ in Januâ dictus nepos ſuus requiſiverat, & Capitaneum, videlicet Dominum Joannem Ultramarinum, ſibi exhibitæ & oblatæ fuiſſent per Oratores Sereniſſimi Regis Franciæ, etiam cum juramentis Capitanei & patronorum, ac etiam obſidum datione de filiis & nepotibus prædictorum, & alia quâlibet ſecuritate; illas tamen recuſavit, quamvis galeæ prædictæ oblatæ ſibi fuerint armatæ, vel tantùm corpora galearum cum fulcimentis omnibus, ut ſi confidere noluiſſet de hominibus Januæ, armare potuiſſet de ſuis, licet priùs acceptaſſet dicta corpora galearum. Et ſimiliter ire per terram omnimodè recuſavit, non obſtante quòd per conſilia Juriſperitorum extiterit eidem Domino Gregorio conſultum, quòd per terram tranſire tenebatur, ſi non habebat galeas.

De pecuniis autem quas multas exegit à Clero magnæ partis ſuæ obedientiæ, occaſione unius charitativi ſubſidii per ipſum impoſiti, ut iret Saonam causâ proſequendi unionem, ut in ſuis bullis deſuper confectis pleniùs continetur, pro expenſis neceſſariis extitit ſufficienter proviſum, licet inter nepotes & conſanguineos ſuos non in facto unionis, ut in bullis ſuis narrabat, eaſdem diſtribuerit. Nec etiam idem Dominus Gregorius voluit conſtituere Procuratorem ad renuntiandum, & Saonam tranſmittere, licet promiſiſſet idem Dominus Gregorius per inſtrumentum publicum in certos caſum & eventum, quòd ſi ire non poſſet aut nollet ad dictum locum Saonæ, idoneum mitteret Procuratorem infrà dictum terminum, cum pleno & ſufficienti mandato & poteſtate ad faciendum ea quæ ipſe facturus eſſet, ſi perſonaliter adeſſet, ſecundùm juramentum & votum emiſſum, & ſecundùm formam contractûs facti in Conclavi Romæ.

XIV. Item quòd licet dictus Dominus Gregorius maximè ad importunam inſtantiam Dominorum Cardinalium, qui conabantur Saonam appropinquare, versùs Senas accedere dixiſſet, tamen dum in civitate Viterbi reſideret, totis conatibus quæſivit Peruſium ſe transferre, quæ via ſe elongabat ab acceſſu Saonæ, niſi Cardinales ſe in hoc ſibi efficaciùs oppoſuiſſent, quorum quaſi devictus inſtantiâ verſus Senas ſuos greſſus direxit. Et cum ibidem reſideret, & inſtaretur quòd iret Saonam, dixit per Lombardiam ad terras Marchionis Montisferrati velle tranſire, & ibi morari & tractare in alio loco, & clarè dicebat nolle ire Saonam; quæ via totaliter erat indiſpoſita, & impoſſibilis videbatur, tam propter hyemem quàm guerras tunc inſtantes. Et hæc omnia ex malâ intentione ad impediendum proſequutionem & concluſionem ſacratiſſimæ unionis fieri evidenter apparebant. Sperabat enim ad aliquem locum declinare per illam viam, in quo fortiorem ſe reputaſſet, & Dominis Cardinalibus totaliter inhibuiſſet, ut ampliùs non loquerentur de materiâ unionis, ſicut in Lucâ poſtea fecit. Sed reſiſtentibus Dominis Cardinalibus propter indiſpoſitionem prædictam, & quia ipſe Dominus Gregorius quærebat ſe divertere ad loca ubi potentior eſſet pro recedendo totaliter à proſequutione unionis prædictæ, ut ſuprà dictum eſt, eumdem pro majori parte ſequi recuſantes, dum eum requirerent ut eos permitteret ire Saonam, & debitum eorum facere, ſecundùm quòd promiſerant, etiam de ſuo mandato, negavit expreſsè. Et replicato per Cardinales ut vellet ſe ſupponere juri, & ſtare conſilio Univerſitatis Bononienſis, Pariſienſis, Senenſis, vel Romanæ Curiæ, an Cardinales tenerentur Saonam accedere, etiam eo nolente, recuſavit, dicens: *Ego ſum Pa-*

pa, nec habeo me alicujus ſubjicere conſilio, imò ego ſum ſuprà jus, & meæ ſententiæ debetis vos conformare in totum. In hoc Dominos Cardinales ne debitum ſuum facerent, quantum poterat prohibendo. Tractarunt demum præfati Domini Cardinales ut ad locum Petræ-Sanctæ dominii Lucani unus ipſorum, ſcilicet Dominus Gregorius ſe transferret; quem locum de Petrâ-Sanctâ per priùs per ſuos Oratores obtulerat Domino Benedicto morinti in Saonâ, videlicet per protonotarium de Utino, ſcilicet Magiſtrum Jacobinum Phyſicum, Abbatem de Pratalià, & Dominum Franciſcum Juſtinianum de Venetiis, & Dominus Benedictus ad Portum-Veneris appropinquaret, ea quo de loco Saonæ omnis erat penitùs ſpes ſublata, ut mutuâ vicinitate poſſent faciliùs concordare, & materiam unionis juxtà eorum vota & promiſſa perficere. Idem tamen Dominus Gregorius tot difficultates poſuit, quot pro tunc nullatenùs voluit acceptare Petram-Sanctam, aſſerens eum locum non ſibi ſecurum, licet ſecuriſſimus ſibi eſſet, ut Lucana civitas, nam ejuſdem Domini & domini erat, videlicet domini Lucani; qui etiam pro ſecuritate ſuâ voluit ſibi Domino Gregorio dare in obſidem unicum filium ſuum, & etiam ipſe Dominus Lucanus homagium ſe ei præſtaturum offerebat, ac etiam roccham Petræ-Sanctæ ponere volebat in manibus magnifici Domini Berardi de Camerino, vaſalli Romanæ Eccleſiæ, & tunc ſtipendiarii Domini Gregorii, de quo permaximè confidebat. Quæ omnia negavit, velut ille qui nullam voluntatem habebat Eccleſiam uniendi, non obſtante quòd Lucam iverit ſine aliqua dictarum ſecuritatum, quæ utique ſibi neceſſariæ non erant, attentâ illius magnifici Domini Lucani probatâ fidelitate.

XV. Tandem loco de Petrâ-Sanctâ, ut præmittitur, priùs oblato, & poſtea recuſato, intercedentibus Oratoribus Venetis, & devictus precibus & inſtantiâ Dominorum Cardinalium, inclinatus eſt Gregorius ire Lucam. Et ut Dominis Cardinalibus timorem incuteret ne ipſum ita pro unione ſollicitarent, voluit habere promiſſionem expreſſam à Domino Lucano, ut liberè poſſet in Dominos Cardinales animadvertere; qui tantam affectionem ad unionem habebant quod mortem non timuerunt, imò tali promiſſioni conſenſerunt, quam aliter Dominus Lucanus nullo modo facere diſpoſitus erat; quem acceſſum ipſe Dominus Gregorius malè libenter fecit, adeo quod oportuit dictos Dominos Cardinales ſibi de eorum propria pecuniâ mutuare tria millia florenorum, de quibus adhuc eis non eſt plenariè ſatisfactum, licet ipſe aliunde haberet pecuniam neceſſariam pro acceſſu ad Lucam. Et Dominus Benedictus inſtantibus etiam ſuis Dominis Cardinalibus ad locum Portûs-Veneris, ad finem quòd ipſis exiſtentibus in locis propinquis, convenientiùs poſſent concordare de loco mutuæ conventionis pro mutua ceſſione faciendâ, & dandâ pace Eccleſiæ. Et licet tunc plures nuntii, & iteratis vicibus miſſi fuerint per Dominum Benedictum ad Dominum Gregorium, & è contrà, nunquam tamen Domini Cardinales partis utriuſque ſcire potuerunt ad quæ proſequenda mittebantur, imò ſemper fuit eis ipſa materia occultata. Et ulteriùs D. Benedictus continuè in civitatibus Senarum & Lucanâ tenuit quoſdam ſuos ſervitores & familiares & ſpeciales, Magiſtrum Simonem Salvatoris Decretorum Doctorem, fratrem Avinionenſem Ordinis Prædicatorum, & quoſdam alios, qui abſque conſcientiâ Dominorum Cardinalium, de nocte & ſecretis horis familiaria & ſecreta colloquia habebant cum Domino Gregorio, & ejus nepotibus pluries & frequenter. Et vice verſâ idem Dominus Gregorius tenebat cum dicto Domino Benedicto quemdam Michaelem de Piſis ſuum Secretarium in Portu-Veneris, qui etiam cum dicto Domino Benedicto & ſuis ſua ſecreta conſilia tenebat & habebat, ea quibus velut evidentibus indiciis inſurrexit in Lucâ & Portu-Veneris fama & communis reputatio, prout hodie peramplius eſt, quòd inter Dominos Gregorium & Benedictum erat mutua colluſio, ut ipſi ad invicem ſic difficultarent hoc negotium electionis locorum & concordiæ, quòd nunquam ad mutuam ceſſionem devenirent. Et evidentiùs patebat ferè omnibus in dictis locis exiſtentibus ipſorum colluſio, quia circà loca ad invicem nominata, tantas ipſi duo contendentes de Papatu adhibebant difficultates circà ſecuritates & munitiones Caſtrorum eis tradendas ſuperfluas, & adeo difficiles quòd poterant impoſſibilitati æquari, & ſic difficultaverunt ad invicem iſtud negotium electionis locorum, quòd nulla inter eos fuit concordia de loco, in quo haberent convenire pro mutuâ ceſſione faciendâ. Nolentes ipſi duo de Papatu contendentes ſequi conſilia ſuorum Cardinalium, imò penitùs illa voluntariè & ſine cauſa refutabant. Et cùm Domini Cardinales cum Domino Gregorio inſtarent ut vellet de loco aliquo concordare, reſpondit: *Fruſtra fieret talis concordia loci, quia ego ſcio quòd Dominus* Benedictus *nullo modo eſt diſpoſitus cedere.* Unde autem talis notitia venerit, non apparet niſi ex mutuâ colluſione.

XVI. Præterea ut evidentiùs appareat de ipſorum Dominorum contendentium de Papatu colluſione, eſt veritas notoria, quòd quando Domino Benedicto fiebat mentio, quòd ſi Dominus Gregorius non faceret debitum ſuum juxtà vota per ipſum præſtita, multi ſibi adhærentes ſubſtraherent ſibi obedientiam, hoc ſibi diſplicebat, & diſſuadebat hoc fieri. Nam egregiis & notabilibus viris Dominis Maſio de Albitis Militi, & Laurentio de Rodolph Decretorum Doctori, & Nicolao de Uſano, Civibus & Oratoribus Florentinis ad ipſum Dominum Benedictum pro causâ unionis profectis in Portu-Veneris, expreſsè dixit non debere fieri ſubſtractionem Domino Gregorio; necnon & certos ſuos nuntios diù tenuit in civitate Florentinâ, Priorem ſcilicet Sancti Maximini in Provinciâ, & Joannem de Burgo ad finem, ut procurarent, prout & fecerunt, poſſe tenùs, ut per inſigne commune Florentiæ nulla fieret ſubſtractio, vel alia novitas Domino Gregorio & ſuis nuntiis: quòd ſi Dominus Benedictus non faceret debitum ſuum circà pacem Eccleſiæ, ſibi adhærentes ſubſtraherent Obedientiam, Dominus Gregorius & ſui nuntii hoc diſſuadebant fieri, dicentes quòd hoc non benè fieret. Et ſic fovebant & nutriebant notoriè ſchiſma verbo & facto, & impedimenta præſtabant paci & unitati Eccleſiæ procurandæ, habentes quidem facies diverſas; quia quilibet appetebat & appetit habere Papatum in ſolidum, ſed caudas habent ad invicem colligatas, ut de vanitate conveniant, & convenerunt in idipſum, videlicet ad difficultandum ſic iſtam materiam voluntariè & ſine causâ, ut nunquam perveniatur ad mutuam ceſſionem, nec ad pacem Eccleſiæ & ſchiſmatis extirpationem. Et ulteriùs ipſi duo contendentes de Papato pati noluerunt, imò inhibuerunt Dominis Cardinalibus, ut de pace Eccleſiæ non tractarent, ſed totus tractatus relinqueretur ipſis duobus, quia ipſi ad invicem eſſent benè concordes, prout & fuerunt ac ſunt, ad impediendum pacem Eccleſiæ, & procurandum ſchiſmatis prorogationem ac perpetuationem.

XVII. Exiſtentibus autem præfatis DD. Gregorio & Benedicto in Lucâ & Portu-Veneris, poſt multas oblationes & recuſationes locorum factas hinc inde, ut

negotium dilataretur, tandem fuit oblatus locus in Liburnu per Oratores D. B. cum communi æqualitate dominii & Rocharum & oppidi à mutuatione pecuniarum, licet finalis deſtructio unionis fuiſſet, ſi ipſi habuiſſent totale dominium loci conventionis. Et licet Dominus Gregorius omnem tractatum rumpere illicò voluiſſet, tandem devictus inſtantiâ Cardinalium, dixit ſe velle mittere ad videndum locum, & ſi habilis erat, acceptaret, Legatoſque pro hoc elegit, videlicet Reverendiſſimos Patres quondam Dominum Florentinum, Dominum Militenſem, magnificum Dominum Malateſta de Malateſtis de Penſauro, Paulum Corrario ejus nepotem, & Bartholomæum de Zamiſbenis, Cardinalibuſque dixit, ut invenirent pecuniam pro ejus acceſſu; petiit enim per organum magnifici Domini Malateſtæ de Penſauro à Cardinalibus pro eundo de Lucâ ad Liburnum triginta millia florenorum, & eſt una parva dieta, licet Cardinales obtulerint ſibi duodecim millia florenorum. Videte ergo quomodo ſuam diſcooperuit voluntatem. Tamen cum Cardinales modum darent ut haberent pecunias neceſſarias pro acceſſu, finaliter ad videndum noluit mittere ad dictum locum, eumque tamquam inhabilem recuſavit pro ſuæ libito voluntatis; quâ recuſatione ſicut præmittitur, factâ, apertum & motum fuit per egregios viros veræ unionis amatores nuntios & Oratores Venetorum, à quibus ipſe Gregorius traxit originem, ut acceptarentur pro ipſis duobus contendentibus & ſuis loca da Carrerià pro Domino Gregorio, & de Avensâ pro Domino Benedicto, ad invicem vicina & conſiſtentia in obedientiâ Domini Gregorii. Et licet nuntii Domini Benedicti verbo & non in effectu in hoc conſentirent, tamen D. Gregorius illa expreſsè refutavit ſine quâcumque rationabili causâ, imò nec mittere voluit ad videndum eumdem locum de Carrerià ſi habilis erat, ſed ſolùm pro libito voluntatis eum recuſavit, licet dictus locus de Carrerià eſſet & exiſtat magis habilis & idoneus quàm ſit locus de Avensâ, & Dominus Lucanus omnimodam ſecuritatem, necnon & fortalicium in Carrerià conſtitutum eidem Domino Gregorio offerret, & contrà illa, quæ aliàs obtulerat, cum per priùs obtuliſſet omnia loca obedientiæ ſuæ, & hoc fecit contrà conſilium & voluntatem Dominorum Cardinalium tunc in Lucâ exiſtentium, & etiam contrà conſilium Oratorum Principum, Notabilium, & Communitatum tunc ibidem præſentium in magnam ſui infamiam, quia evidenter cunctis apparebat, quòd ipſe Dominus Gregorius nullatenùs curabat de pace Eccleſiæ nec ſchiſmatis exſtirpatione.

XVIII. Videntes autem Domini Cardinales in Portu-Veneris exiſtentes negotium pacis in rupturam venire, ipſi ſeu eorum major pars ſupplicaverunt Domino Benedicto & conſuluerunt, ut non teneret tot galeas nec gentes armigeras in tanto numero, ne occaſione hujuſmodi tractatus pacis poſſet impediri; & quòd vellet condeſcendere ad aliquem locum eligendum in terrà conſiſtentem, & aliqualiter à mari remotum, quia Dominus Gregorius refutabat loca maritima. Ipſe tamen Dominus Benedictus præmiſſa nullatenùs facere voluit, imò frequenter & publicè reſpondit, quòd nullo modo pro hac cauſa dimitteret loca maritima, & fruſtrà ſibi dicebatur ſeu conſulebatur contrarium, quia ipſe volebat unum pedem tenere in aquâ & alium in terrâ, & quòd nullo modo dimitteret galeas aut gentes armigeras, imò potiùs numerum augmentaret & augeret; & pro his tenendis ſeu agendis impignoraret ſeu alienaret omnia bona & proprietates Romanæ Eccleſiæ quando ſibi videretur, prout & fecit in magnum detrimentum Romanæ Eccleſiæ, & caſtra particularia Eccleſiæ Avinionenſis ad ſummam quadraginta millia ducatorum ſine causâ & voluntariè: per quæ evidenter, & notoriè oſtendebat, quòd in verbo & non in re & effectu quærebat unionem, & quòd nullo modo volebat renuntiare, ſed manere in illo ſtatu quamdiù viveret in humanis; & ſic difficultare negotium, ut nunquam via ceſſionis in verbo concordata poſſet habere effectum: & de hoc erat communis vox opinio famaque in Portu-Veneris, & ferè inter omnes Curiam ipſius Domini Benedicti ſequentes.

XIX. Item pari modo Dominus Gregorius alienavit multa bona Eccleſiæ Romanæ mobilia pretioſa, ut mitras pretioſas, libros & alia nobilia jocalia, necnon & terras notabiles, ut Romam, Perufium, Beneventum, Tudertum, & alias in Marchia, & alibi exiſtentes, & provincias Maritimæ & Campaniæ, pro certâ pecuniarum ſummâ, ad ditandum ſuos fratres, nepotes, & alios agnatos ſuos, etiam de patrimonio JESU-CHRISTI, etiam ad procurandum ſibi fautores in ſchiſmate, illos ſaltem quibus hæc alienabat.

XX. Item quòd idem Dominus Gregorius loquentes ſibi vel aliis, ubi ad ejus notitiam veniebat, de ſuo debito, videlicet renuntiatione & aliis fiendis per eum ad unionem Eccleſiæ, odio habuit, illoſque carceri mancipavit, & alios fecit multipliciter moleſtari, & inter alios Magiſtrum Michelinum de Novarià Scriptorem literarum Apoſtolicarum, Procuratorem Ordinis Carmelitarum, qui in quodam ſermone dictum Dominum Gregorium exhortatus eſt, ut ſervaret vota & juramenta ſua in Conclavi emiſſa prò unione habendâ, & unum familiarem Domini Cardinalis Laudenſis, qui ante palatium in Senis clamabat, ad Saonam, ad Saonam.

XXI. Demùm Domini Cardinales, ſeu eorum major pars, ne tantum Dei negotium veniret in rupturam, conſuluerunt & ſupplicaverunt Domino Benedicto, ut pro loco mutuæ ceſſionis offerret civitatem Piſanam, aliàs per ipſum oblatam cum publico inſtrumento, & quam Dominus Gregorius non poterat recuſare, cum aliàs ipſam obtuliſſet. Et quòd vellet ipſe Dominus Benedictus contentari de communibus & ſufficientibus ſecuritatibus, & quòd non peteret ita exactas ut erat ſolitus petere, cum per hoc daret cauſam rupturæ; ipſe reſpondit, quòd dictam civitatem Piſanam nullatenùs offerret, vel ſibi oblatam acceptaret, reputans valde temerarium hoc ſibi conſulere. Dixit etiam quòd ſemper intendebat petere ſecuritates aliàs per ipſum poſtulatas, & de aliis quæ eſſent minores nullo modo contentaretur, quidquid ſibi diceretur vel conſuleretur. Per quæ evidenter colligitur, & tunc omnibus apparebat, quòd viam ceſſionis nullatenùs intendebat proſequi, ſed ſic eam difficultare ut nunquam poſſet habere locum, & de hoc erat communis vox, fama & reputatio.

XXII. Conſequenter Domini Cardinales in Portu-Veneris exiſtentes, ſeu eorum major pars, videntes quòd inter Dominum Gregorium & Dominum Benedictum nulla erat concordia ſuper loco mutuæ conventionis, nec in futurum ſperabatur eſſe, quia quod unus ipſorum offerebat, alter voluntariè refutabat, ne tam neceſſarium fidei & animarum ſaluti negotium in deſperationem & totalem rupturam deveniret, ſupplicaverunt & conſuluerunt Domino Benedicto, quatenùs offerret ſe renuntiaturum per procuratorem habentem ad hoc ſpeciale & irrevocabile mandatum, Domino Gregorio renuntiante in perſonâ propriâ, vel per procuratorem habentem ſimilem poteſtatem. Oſtenderuntque ipſi Domin.

Cardinales, ſeu eorum major pars, ipſi Domino Benedicto, quòd hoc tenebatur facere de neceſſitate ſalutis, & ſe morti exponere pro exſtirpatione ſchiſmatis, & unione in Dei Eccleſiâ reducendâ: à quo præfati Domini Cardinales nullum reſponſum habere potuerunt, ſed perpenderunt ſatis evidenter ex indiciis & modis quòd hoc facere nullatenùs intendebat, prout & rei probavit eventus, & præſens teſtatur experientia. Et in eâdem opinione fuit Dominus Gregorius, qui cum ſemel in publico diceret, quòd nunquam per procuratorem renuntiaret, licet ſibi contrarium per Dominos Cardinales conſuleretur, quibus per antea ſe obtulerat per procuratorem renuntiaturum, ut ſuprà dictum eſt, fuit ſua reſponſio negativa per Archiepiſcopum Terraconenſem nuntium Domini Benedicti, tunc in ſuâ præſentiâ conſtitutum, publicè laudata & multipliciter commendata. Ex quibus evidenter & notoriè conſtitit, quòd nec per ſe, nec per procuratorem ipſi contendentes renuntiare intendebant, ſed potiùs Eccleſiam in ſchiſmate & diviſione tenerent quamdiù vitam ducerent in humanis. Et in hoc apparuit eorum colluſio & concordia, maximè quia idem Archiepiſcopus Terraconenſis ſpecialis familiaris Domini Benedicti, multa colloquia ſecreta habuit, rejectis ſociis ſuis, cum Domino Gregorio, & nepote tunc Camerario, & aliis ſuis ſecretariis. Ex quibus inſurrexit vehemens ſuſpicio in Lucâ, & communis fama, quod inter ipſos duos contendentes de Papatu erat colluſio, & damnata concordia; & quòd ſic difficultarent hoc negotium ut nunquam in diebus ſuis ad mutuam ceſſionem devenirent.

XXIII. Item Dominus Gregorius in Lucâ exiſtens obtulit Domino Benedicto locum Piſarum diviſum flumine, ita quòd unus ſtaret cum ſuis ab unâ parte civitatis, alter ab aliâ; quem locum immenſiſſimè commendavit, & inter alia dixit, quòd iſte locus à natura omnia neceſſaria pro tali conventione habet, adeo quòd ad hoc fabricatus penitùs videbatur: & hanc ſimilem oblationem voluit per Cardinales fieri, quod & factum fuit in portu-Veneris per organum Comitis Campaniæ, Dominorum Cardinalium Oratorem, à quâ oblatione reſilivit, dicens ante concluſionem hujus oblationis velle à Florentinis aliqua pacta & ſecuritates, quas ſi eſſent rationabiles, Florentini ſe obtulerunt facere, dummodo eis declararentur; quam declarationem nullo modo facere voluit, nec etiam tempus infrà quod deberet Piſas venire unquam voluit declarare, imò ex poſt facto venire Piſas penitùs recuſavit.

XXIV. Subſequenter Dominus Gregorius in Lucâ exiſtens, nuntiis Domini Benedicti ibidem exiſtentibus, qui in verbo potiùs quàm in effectu loci concordiam proſequi videbantur, & nuntiis Sereniſſimi Regis Francorum, qui re & effectu unionis materiam promovebant, denegavit ſalvum-conductum prorogare, & de novo concedere, denegans eiſdem ſuam præſentiam & omnem audientiam, nedum ſuper viâ ceſſionis, imò ſuper aliis unionem tangentibus, receſſum indicendo, & mandando eiſdem nuntiis ut à dictâ civitate Lucanâ recederent. Dixit etiam idem Dominus Gregorius publicè & frequenter, quòd via ceſſionis erat mala & injuſta ac diabolica, & quòd eam de cætero proſequi nullo modo intendebat, contrà juramenta & vota per ipſum præſtita notoriè veniendo, in magnum ſcandalum Eccleſiæ, cum pertinaciâ & cum contumaciâ notoriâ, à quibus diverti non potuit, etiam luce clarioribus reſponſionibus ſibi factis, concordans in his cum Domino Benedicto, qui eodem cupiditatis inſtinctu aſſeruit, & publicè prædicavit, quòd ſi viam ceſſionis proſequeretur pro unione habendâ, crederet peccare mortaliter, ut in præcedentibus eſt deſcriptum. Quæ quantum erroris etiam fidei oppoſiti, juxtà multorum aſſertionem contineant, decernat & judicet hoc ſanctum Concilium in Dei nomine aggregatum.

De præmiſſis non contentus Dominus Gregorius, XXV.
ut majora & evidentiora exſtirpatione ſchiſmatis præſtaret impedimenta, & ut haberet cupiditatis ſuæ & errorum ſuorum fautores ac defenſores, contrà juramenta & vota præſtita, & in bullis ſuis ſcripta, etiam contrà conſilium Dominorum Cardinalium, & ipſis abſentibus, quatuor de facto, cum de jure non poſſet, in Cardinales promovit, ſuæ cupiditatis & errorum ſuorum fautores, ac unionis Eccleſiæ notorios impeditores, adhuc tractatu unionis pendente, Oratoribus videlicet Domini Benedicti in Lucâ exiſtentibus, & Oratore Dominorum Cardinalium de mandato Domini Gregorii exiſtente in Portu-Veneris pro concordiâ loci, & contradicentibus omnibus Cardinalibus talem profanationem fecit. Et ideo contradicebant, quia de jure communi non poterat, cum talis profanatio eſſet notoriè deſtructio unionis Eccleſiæ: & mala malis addens, ac pejora pejoribus, ac pacis Eccleſiæ evidentiora impedimenta, Dominis Cardinalibus tunc in Lucâ exiſtentibus paulo antè prohibuit & interdixit ſub magnis pœnis, privationis videlicet dignitatum & beneficiorum ac perjurii, quas ipſo facto voluit incurrere, ne exirent civitate Lucana, nec per ſe, nec per medias perſonas participarent cum nuntiis dicti Domini Benedicti, & Domini Regis Franciæ, & ne auderent ſe inſimul congregare; quæ duo ultima mandata clarè contrà unionē erant: nam niſi tractaretur cum Oratoribus Domini Benedicti, non poterat unio procurari; & ſic contrà juramenta ſua & Cardinalium: nec etiam unio tractari poterat ſine Cardinalium congregatione: & hoc revocare noluit, nec aliàs exſtirpationi ſchiſmatis intendere, quantumcumque fuit monitus & requiſitus per Dominos Cardinales, & quamplures alios notabiles viros. Et quia Domini Cardinales tunc in Lucâ exiſtentes, non obſtante præmiſſis, intendebant & laborabant ut finis imponeretur ſchiſmati per viam ceſſionis juratæ, & voto firmatæ etiam per eos & eorum quemlibet; pro quâ conſequendâ jurarunt nihil omittere de contingentibus, utilibus, neceſſariis, aut quomodolibet opportunis; nec ab his retrahi poterant minis vel terroribus; D. Gregorius deliberavit cum ſuis aliquos ex ipſis Dominis Cardinalibus capere & carceri mancipare, & aliquos tractare duriùs, quod & feciſſet certâ die in ſua domo & palatio adunatis in magno numero armigeris, niſi per Dominum Lucanum, & ejus providentiam fuiſſet cautè & honeſtè obviatum.

Videntes autem tunc Domini Cardinales in Lucâ XXVI.
exiſtentes Domini Gregorii pertinaciam, contumaciam, & diſpoſitionem notoriam, nedum in viâ ceſſionis juratæ, voto firmatæ, & in verbo cum Domino Benedicto concordatæ, imò & ad omnem aliam viam per quam haberi poſſet unio, & quòd ipſi D. Gregorio abſque gravi offensâ Dei, & ſchiſmatis perpetuatione, ac fautorio multorum eorum detrimento fidei, & notorio ac evidenti periculo animarum ac Eccleſiæ deſolatione irreparabili, non poterant adhærere, nec vota nec juramenta per ipſos præſtita obſervare: ipſi *DD.* Cardinales tunc in Lucâ exiſtentes, ſeu eorum duæ partes, & finaliter omnes, uno dumtaxat excepto, ab ipſo *D.* Gregorio receſſerunt, & ad hanc civitatem Piſanam, velut ad locum tutum ſe tranſtulerunt, cum firmâ intentione & propoſito ut ſe conjungerent cum DD. Cardinalibus, qui D. Benedicto adhærebant, ad finem

ut

ut ipſis ſimul unitis utiliùs & liberiùs poſſent exſtirpationi ſchiſmatis intendere; prout vigore inſtrumenti in Conclavi celebrati obligabantur & tenebantur, & ſecundùm multorum valentium Doctorum conſilia per ipſos DD. Cardinales habita in Senis, de mandato expreſſo dicti Domini Gregorii expreſsè tunc dicentis, quòd contentabatur quòd haberent conſilia, & ſecundùm conſilia procederent, impedimentis, pertinaciis, & indiſpoſitionibus notoriis Dominorum Gregorii & Benedicti non obſtantibus; cum evidenter foret notorium, quòd ſi attenderetur ipſorum Dominorum Gregorii & Benedicti voluntas, nunquam ipſis viventibus exſtirparetur ſchiſma, ſed potiùs perpetuaretur, & Chriſti charactere inſigniti erroribus involverentur ex eorum factis, dictis & damnatis perſuaſionibus, à cunctis Chriſti Fidelibus deteſtandis.

XXVII. Moleſtè autem gerens Dominus Gregorius receſſum Dominorum Cardinalium, & de ſtatu ſuo dubitans, per ſuos armigeros inſequi fecit bonæ memoriæ Cardinalem Leodienſem, quampluri mùm affectatum ad unionis procurandum bonum, dato dictis ſuis armigeris mandato crudeli, ut ipſum quondam dictum Dominum Cardinalem ad Dominum Gregorium vivum reducerent, vel inciſum per fruſta. Ecce mandatum Pontificis adeo crudele, ut videretur impius Menelaus contrà Oniam Sacerdotem ſanctum ab inferis rediiſſe, cuncta diſſipans & civitatem inficiens bonorum ſanguine cruento. Sed Altiſſimus qui bonis aſſiſtit & malis conſiliis obviare conſuevit, ſic protexit ipſum quondam dictum Dominum Cardinalem, ut in ſicariorum manus non incideret, ſed à Domino protectus, ad locum Libræfactæ Piſani diſtrictûs ſalvus & incolumis perveniret. Deinde die ſequenti tam ipſe bonæ memoriæ Cardinalis Leodienſis, quàm alii Domini Cardinales qui de Lucâ receſſerant, ad hanc civitatem Piſanam ſe perſonaliter contulerunt. Expoſita tamen exſtitit domus ipſius quondam Domini Cardinalis in Lucâ exiſtens prædæ rapaci, & bona mobilia ibi reperta, fuerunt violenter ad domum tunc Camerarii & nepotis Domini Gregorii apportata, & idem creditur quòd fuiſſet factum de aliis Dominis Cardinalibus, niſi per dictum Dominum Lucanum exſtitiſſet obviatum.

XXVIII. Ex quo verò Domini Cardinales in civitatem Piſanam convenerunt, voluerunt adhuc laborare ut Dominus Gregorius debitum ſuum faceret, & veritatem agnoſceret, ac ad unitatem Eccleſiæ procurandam procederet juxtà vota & juramenta per ipſum præſtita; & de his fecerunt ipſum requiri & exhortari, primò per eorum literas, ſecundo per Dominum Cardinalem Burdegalenſem, tertiò per duos notabiles Epiſcopos, videlicet Varmienſem & Lubucenſem, qui licet exhortationibus piis, humilibus ſupplicationibus, & rationibus luce clarioribus inſtiterint, ut ipſe D. Gregorius pertinaciâ depoſitâ veritatem agnoſceret, vota & juramenta ſervaret, & ulteriùs pacis & unitati Eccleſiæ ſe obicem non poneret in ſuæ animæ detrimentum, & Eccleſiæ ſcandalum, offerendo eidem quòd in caſu quo præmiſſa faceret, ipſi Domini Cardinales omnem honorificentiam & adhærentiam debitam præſtarent & exhiberent. Requirentes eumdem, ut ad civitatem Piſanam veniret, ad quam venire debebat, quia ipſam obtulit & in ſublimibus commendavit, quam etiam offerri fecit per ipſos Dominos Cardinales, & promitti quod ad ipſam irent, ut ſuprà pleniùs tractatum eſt, vel ſi venire nollet per procuratorem renuntiaret. Ipſe tamen Dominus Gregorius velut in cor durum datus acquieſcere noluit, omnia contemnens, & in ſuâ ſolita permanens pertinaciâ, impedimendis & erroribus antedictis.

XXIX. Demùm quatuor ex dictis Dominis Cardinalibus qui ad Piſanam ſe tranſtulerant civitatem, cum quatuor ex DD. Cardinalibus, qui D. Benedicto adhærebant, in Liburno diœceſis Piſani de voluntate D. Benedicti, & totius ipſorum Collegii convenerunt ad tractandum de unione Eccleſiæ celeriter procurandâ. Et quia Dominus Benedictus de tribus ſuis Cardinalibus ad hoc deputatis confidentiam non habebat juxtà ſuæ conſiderationis intentum, adjunxit eiſdem quatuor ſuos familiares, videlicet Rothomagenſem quondam, Toloſanum & Terraconenſem Archiepiſcopos, ac Magiſtrum Generalem Ordinis Prædicatorum. Et his omnibus exiſtentibus in Liburno, poſt aliqua colloquia aperta fuit inter eos via Concilii Generalis utriuſque partis & obedientiæ in uno loco partium Italiæ convocandi ad finem, quòd ibidem duo de Papatu contendentes renuntiarent juxtà concordata juramento & voto firmata, aliàs in eorum contumaciam provideret Concilium & Eccleſia congregata, ut foret ſecundùm Deum, divinas & canonicas ſanctiones providendum. Quæ via ſic aperta, velut neceſſaria & canonica, accepta & grata fuit Dominis Cardinalibus partis utriuſque ibidem exiſtentibus, & aliis per Dominum Benedictum, ut præmittitur, deputatis, qui Dominum Benedictum de hac viâ Concilii ſic apertâ certificaverunt, & ex poſt retulerunt, quòd ipſe Dominus Benedictus erat contentus de viâ Concilii ſic apertâ; & idem retulit in Liburno Magiſter Symon Salvator Decretorum Doctor, ipſius Domini Benedicti familiaris, ad hoc deſtinatus. Et ex poſt antequàm Dominus Benedictus à Portu-Veneris recederet, ſcripſit literas credentiales Dominis Preneſtino, de Thureio, & ſancti Angeli, in Liburno exiſtentibus, per Sacriſtam Magalonæ, qui in vim credentiæ ipſis expoſuit quòd Dominus Benedictus erat receſſurus ad partes Cathaloniæ, & quòd erat contentus ipſe Dominus Benedictus quod ipſi Domini Cardinales proſequerentur viam motam generalis Concilii utriuſque partis & obedientiæ; & quòd ipſe Dominus Benedictus erat diſpoſitus dimittere aliquos de ſuis ad iſtam materiam proſequendam unà cum ipſis Dominis Cardinalibus prædictis, dummodo à Gubernatore Januæ poſſet pro illis ſalvumconductum habere.

XXX. Concluſo verò tractatu de viâ generalis Concilii in Liburno inter dictos Cardinales prædictos utriuſque partis, & alios deputatos per Dominum Benedictum, ſubitò Dominus Cardinalis de Chalento, tres Archiepiſcopi prædicti, & Generalis Ordinis Prædicatorum, è Liburno receſſerunt, & ad Portum-Veneris accedentes retulerunt Domino Benedicto quæ geſta fuerant, & eidem conſuluerunt Domini Cardinales tunc in Portu-Veneris exiſtentes, & alii Prælati ſui Conſiliarii & familiares, ut omninò ſequeretur & amplecteretur viam Concilii generalis utriuſque partis, de quo apertum fuit in Liburno inter Cardinales partis utriuſque; quorum ſprevit conſilium, & mutatâ voluntate deliberavit ad Perpinianum accedere; & volens viam Generalis Concilii utriuſque partis impedire, ibidem publicavit quòd in feſto Omnium Sanctorum in loco Perpiniani teneret Concilium ſuæ obedientiæ. Dominus etiam Gregorius in Lucâ audiens, & per D. Benedictum certificatus, quòd DD. Cardinales concluſerant de viâ Concilii utriuſque partis, etiam deliberavit è Lucâ recedere; & volens pariter viam Concilii generalis utriuſque partis impedire, ibidem publicavit quòd teneret Concilium ſuæ obedientiæ & partis in feſto Pentecoſtes futuro in Provinciâ Aquilegenſi, vel Exarchatu Ravennatenſi: per quæ Concilia ſic diviſa, & in locis adeo remotis ac di-

verſis terminis, & ſi impediri poſſet pax Eccleſiæ juxtà intentionem ipſorum duorum contendentium de Papatu, qui unâ colluſione ac concordiâ damnatâ in hanc vanitatem conveniebant, nullo tamen modo poterat ſchiſma exſtirpari, ſed potiùs nutriri & foveri in magnum Eccleſiæ detrimentum, & periculum animarum.

XXXI. Ex poſt Dominus Benedictus de menſe Junii proximo præteriti receſſit à Portu-Veneris, ſuos greſſus dirigens ad Regum Aragonum, & ad locum Perpiniani applicuit, nullo alio dato ordine ad ſchiſmatis exſtirpationem, imò tractatu pacis rupto, & proſequutione unionis Eccleſiæ omnino deſertâ, in dicto loco Perpiniani de menſe Septembris proximi præteriti promovit de facto quinque in Cardinales, ſuos familiares, opinionum ſuarum & viarum in impedimentum unionis tendentium ſequaces, & pertinaces defenſores: & pari modo Dominus Gregorius de Lucâ recedens, & de unione Eccleſiæ nullo modo curans, novem de facto in Cardinales promovit. Et hæc per ipſos facta ſunt colluſione mutuâ, & concordiâ damnatâ, ut evidenter oſtendunt eorum facta & dicta in impedimentum unionis concurrentia & concordia, per hoc credentes plures habere ſequaces & defenſores, & faciliùs viam generalis Concilii utriuſque partis impedire.

XXXII. Ex poſt Dominus Benedictus cum fuit in Perpiniano, antequàm ſuum inchoaret particulare Concilium in impedimentum unionis, & ut ſuum Concilium particulare majoris videtur auctoritatis, tres alios ſuos familiares in Patriarchas promovit, & tales qui contra ſuam voluntatem veritatem dicere non auderent. Et demùm per plures dies tenuit ſuum particulare Concilium, in quo interfuerunt ferè quadraginta Prælati, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & ibidem legi fecit ſecundùm ſe ſuæ aſſumptionis modum, & quæ fecerat pro unione habendâ; ſed non fuerunt ibi deſcripti ſeu recitati ſui defectus, & impedimenta per eum paci Eccleſiæ præſtita, nec alia quæ in præcedentibus ſunt vendicâ narratione deſcripta. Et ex poſt, ut fertur, dici fecit per Concilium ſuum particulare, quòd ipſe erat verus Papa, & quòd fecerat debitum ſuum in unione Eccleſiæ proſequendâ, & quòd ipſe ſemper fuerat Catholicus abſque labe hæreſis vel ſchiſmaticæ pravitatis; fecit etiam publicè dici & prædicari in Perpiniano, quòd Concilium in hac civitate Piſanâ convocatum teneri non poterat, nec convocari ſine ipſo, & quòd ad ipſum in ſolidum pertinebat convocatio Concilii generalis, contrà veritatem juris, volens per hoc impedire hoc Concilium generale utriuſque partis; & quòd Prælati Aragoniæ & Caſtellæ ad ipſum Concilium non venirent. Et ſi ad iſta impedimenta unionis Eccleſiæ & ſchiſmatis nutrimentum pertineant, deliberet & decernat hoc ſanctum Concilium.

XXXIII Et licet per præmiſſa velut ex evidentibus & certis indiciis, ac præſumptionibus violentis, famâque communi & vulgatâ, appareat notoriè de eorum colluſione & damnatâ concordiâ ad impediendam viam mutuæ ceſſionis per eos juratæ, & omnem aliam per quam poſſet haberi unio & ſchiſma exſtirpari: tamen ultrà præmiſſa in Româ, Senis, & Lucâ, & Portu-Veneris inter Curias ipſas ſequentes fuit & eſt communis fama & opinio, & aliqui Notabiles viri dicunt ſe vidiſſe literas & cedulas, continentes quòd inter Dominos Gregorium & Benedictum eſt & fuit confœderatio, concordia, & colluſio juramento firmata, quòd ad hoc, ut ipſi evitare & repellere valeant viam mutuæ ceſſionis, ipſi ſeipſos & ſuos dicunt ſe tractare debere materiam unionis, & non Concilio Dominorum Cardinalium, Principum, ſeu aliorum quorumcumque qui de ſuo conſilio & opinione non eſſent, quia ad ipſos, ut aſſerunt, & non ad alios præcisè ſpectat proſequi unionem, niſi in quantum alii per eos eſſent requiſiti, & quòd ipſi loca electa pro pace dandâ Eccleſiæ poſſunt mutare pro eorum libito voluntatis, & dicere contrarium, eſt Eccleſiæ, ut aiunt, contradicere, & pacem impedire. Tenent etiam mutuâ concordiâ, quòd melius eſt Eccleſiam ſtare in diviſione, ut eſt, quàm ſi cogerentur ad viam mutuæ ceſſionis. Tenent etiam & concordes exiſtunt, quòd ſi ſimul haberent in uno loco convenire, tractarent de reductione unius ad alterum de viâ compromiſſi & ſucceſſionis, ut ſic manerent, dum viverent, & uno defuncto ſuperſtes unicus Papa remaneret; & iſta aſſeritur plus placere ipſis contendentibus, ut aſſerunt viri Notabiles, qui præmiſſa audiverunt, & aliquas ſcripturas ipſorum contendentium viderunt & legerunt.

XXXIV Poſtquàm autem Dominus Benedictus receſſit à Portu-Veneris ad partes Cathaloniæ dirigens greſſus ſuos, diſpoſuit D. G. à Lucâ recedere; & ſic ſe ad invicem elongare, ut unus ad Occidentem, & alter ad Orientem viderentur intuitum dirigere, omninò deſerto unionis negotio & in deſperationem poſito, Domini Cardinales partis utriuſque in majori numero hinc inde in Liburno convenientes, quia adhuc non habebant alium locum accommodum pro conventione, & materiam Concilii utriuſque partis & obedientiæ ibidem apertam velut neceſſariam proſequentes, prævideruut fore utile & neceſſarium ut ipſum Concilium generale partis utriuſque convocaretur, ut priùs deliberaverant, ad vigeſimam quintam diem proximi præteriti menſis Martii, cum continuatione dierum ſequentium in hac civitate Piſanâ, quæ civitas aliàs per ambos de Papatu contendentes ad conſummandum pacis & unitatis vinculum fuerat electa, oblata & nominata, & idonea ac conveniens reputata; ſic quòd per Dominos Cardinales, qui Domino Gregorio adhæſerant, in eorum parte convocarentur Domini Cardinales abſentes, Prælati, Principes, & alii qui forent convocandi; & pariter per alios Dominos Cardinales in ſuâ parte ad prædictum locum & diem: quod & factum exſtitit per ipſorum patentes literas de communi & concordi ipſorum conſenſu, in formâ canonicâ & juridicâ. Actum fuit etiam & concluſum, quòd pari modo per ipſorum Dominorum Cardinalium literas, præmiſſa omnia intimarentur Dominis Benedicto & Gregorio &, requirerentur ut vocationi ipſius Concilii præſtarent conſenſum & opem; & ex ſuperabundanti vocarent ad prædictos locum & diem unà cum Dominis Cardinalibus ſibi obedientibus. Et quòd ipſi contendentes de Papatu vocarentur & provocarentur ad dictum Concilium renuntiare, ut promiſſum, juratum & voto firmatum & concordatum fuerat, per ſe, vel procuratores ſuos ad hoc ſufficiens, ſpeciale & irrevocabile mandatum habentes, cum intimatione quòd alias in ipſorum contumaciam, contradictionem vel recuſationem provideret Concilium, & Eccleſia congregata, eorum vel alterius ipſorum abſentiâ non obſtante, prout foret ſecundùm Deum, divinas & canonicas ſanctiones providendum, & aliàs fuit in Romanâ Eccleſia ſanctè & virtuoſiſſimè obſervatum. Quæ omnia fuerunt per patentes literas dictorum Dominorum Cardinalium Domino Benedicto intimata in perſonâ ſua propriâ in loco Perpiniani, & ſolemniter fuit vocatus & provocatus ad hoc prius Concilium, etiam in causâ ſchiſmatis & fidei, ut conſtat literis ipſius Domini Benedicti, & publicis & authenticis inſtrumentis. Et nihilominùs præfati Domini Cardinales in vim cedulæ in Conclavi juratæ, de novo ipſum

Digitized by Google

Dominum Benedictum requiſiverunt per ſuas literas, ut renuntiaret, quia hoc reputabant & reputant pro buno unionis expedire. Ut autem præmiſſa omnia notificarentur Domino Gregorio, duo Domini Cardinales, videlicet Domini Aquilegienſis & Mediolaneoſis vulgariter nuncupati, de voluntate & mandato ac aſſenſu aliorum Dominorum Cardinalium, ad civitatem Senarum, in quâ reſidebat Dominus Gregorius, acceſſerunt. Et quia ibidem Domini Gregorii oon potuernot habere præſentiam, ipſo impediente, nec ipſum perſonaliter ad prius Concilium provocare, nec alia facere quæ ordinata fuêre, licet ibidem cum Senenſibus ſollicitam facerent diligentiam, per plures videlicet octo dies, ut præſentiam ipſius Domini Gregorii habere poſſent, literas patentes provocationis ipſius ad Concilium in causâ fidei & ſchiſmatis aliàs premiſsâ plenariè continentes, publicè ac patenter ſub publico teſtimonio, in præſentiâ multorum Clericorum & laïcorum poni fecerunt & dimiſerunt in principali altari Cathedralis Eccleſiæ civitatis Senarum, & in valvis Eccleſiæ ſancti Chriſtofori ejuſdem civitatis, ſub teſtimonio publico & multorum præſentiâ, affixerunt taliter quòd de illis Dominus Gregorius non poſſet ignorantiam allegare, prout iſti ſacro Concilio eſt per inſtrumentum facta fides, imò ad ejus notitiam pervenerunt, & haberi debent de jure perinde, ac ſi ſibi perſonaliter intimatæ fuiſſent.

XXXV. Ex poſt Dominus Gregorius per varios nuntios & alios conatus eſt impedire hoc ſanctum Concilium in impedimentum unionis Eccleſiæ, procurando ut Domini Cardinales, qui ſibi adhæſerant, mutarent locum & diem ordinatum, & convenirent cum ipſo Domino Gregorio in alio loco & termino. Et quia Domini Cardinales evideuter perpenderunt, quòd iſtud petebatur ad impedimentum unionis Eccleſiæ, & ut impediretur hoc ſanctum & univerſale Concilium utriuſque partis in hac civitate Piſanâ congregatum, cum in hoc tractatu nulla fieret mentio de Domino Benedicto & parte quæ ſibi adhæſit, ſine quibus ſchiſma exſtirpari non poteſt, nec unio haberi; propterea præfati Domini Cardinales conſtantes in inceptis permanſerunt, nec voluerunt, ſicut nec debuerunt tam evidenti malitiæ & notorio impedimento unionis aliquatenùs conſentire, ut etiam evidentibus reſponſionibus dicti Domini Cardinales nuotiis hoc tractantibus luce clariùs oſtenderunt.

XXXVI. Et ulteriùs Dominus Gregorius nedum viam Concilii generalis, ſed omnem proſequutionem unionis impedire volens, notificavit per ſuas literas, quas ad varias mundi partes direxit, quòd Dominos Cardinales qui ſibi adhæſerant, & qui unionem Eccleſiæ proſequebantur, privaverat dignitatibus & beneficiis, & contrà Prælatos & Officiarios ſequentes Dominos Cardinales, & eis in unione proſequendâ adhærentes, proceſſit ad privationem dignitatum, beneficiorum & officiorum, nulliter & de facto, cum de jure hoc facere non poſſet in impedimentum unionis. Et pari modo Dominus Benedictus volens impedire omnem proſequutionem unionis Eccleſiæ, fecit de facto certos proceſſus contrà Dominos Cardinales, Prælatos, Reges, & Principes, & alios qui ſe à ſuâ obedientiâ ſubſtraherent. Et ut viam Concilii generalis impediret, citari fecit coram ſe in Perpiniano comparituros certos Prælatos, Univerſitatem Studii Pariſienſis, & nonnullos Magiſtros & Doctores, & alios viros literatos, reſponſuros ſuper certis articulis in impedimentum unionis & Concilii generalis, cum ipſi citati conſtanter proſequantur viam Concilii generalis, & ſchiſmatis exſtirpationem. Intendentes per hoc præfati Domini Gregorius & Benedictus proſequutores unionis Eccleſiæ & Coocilii generalis utriuſque partis terrere, & avertere à proſequutione unionis & pacis Eccleſiæ, ac viæ Concilii generalis utriuſque partis, in eorum animarum detrimentum, & Eccleſiæ grave & notorium ſcandalum.

Ultrà præmiſſa verbis & literis præfati Domini Gregorius & Benedictus conati ſunt impugnare hoc ſanctum & univerſale Concilium, & ejus vocationem, dicendo & aſſerendo quòd hoc univerſale Concilium non poterat ſe intromittere, vel cognoſcere, ſeu aliquid diffinire de causâ ipſorum, & ſchiſmatis exſtirpatione, & ſic per coofequens nec de aliis erroribus quibus ipſi notoriè, quantum in eis eſt, corpus Eccleſiæ commaculant; & hoc eſt ſatis evidens & notorium, ac etiam evidens exiſtit & certum, quòd ipſi licet ſolemniter & ex ſuperabundanti cautelâ requiſiti noluerunt huic ſancto Concilio aſſenſum ferre & opem, nec ad ipſum venire Concilium, ut fuerunt ſolemniter vocati, & etiam provocati, renuntiaturi pro unionis bono, ut juramento & voto multipliciter ſunt adſtricti, ut manifeſtum exiſtit & notorium, per quæ evidentiùs conſtat de eorum notoriâ contumaciâ, hæreſim in hoc caſu importante, & ſummam damnationem ſecundùm Canones in eos dictante, incorrigibilitate & damnatâ pertinaciâ adeo evidenti & notoriâ, ut adverſus illam admittenda non ſit excuſatio. XXXVII.

XXXVIII. Quare pro parte dicti Procuratoris, Promotoris ſeu Sollicitatoris petitur, poſtulatur & requiritur, per hanc ſanctam & univerſalem Synodum, & ejus ſententiam decerni & pronuntiari: primò unionem & conjunctionem factam de duobus Collegiis in unicum Collegium fuiſſe & eſſe legitimam & canonicam, ipſamque auctoritate præfatæ Synodi roborari pro bono tam ſancti & pii negotii, ac validam & rationabilem declarari pro bono & evidenti neceſſitate ſanctiſſimæ unionis: ac etiam hanc ſanctam Synodum per Dominos Cardinales utriuſque Collegii ad tantum bonum ſimul legitimè unitos & congregatos, ritè & debitè convocatam, ac etiam congregatam, & tempore congruo, in loco tuto, habili & idoneo, ſecuro & libero, & ad eam velut repræſentantem univerſalem Dei Eccleſiam, cognitionem hujus cauſæ, ac etiam deciſionem pertinere & ſpectare. Decerni etiam & declarari omnia & ſingula ſuperiùs enarrata fuiſſe & eſſe notoria, & ſuper eis tamquam notoriis procedendum, & exinde memoratos contendentes, & eorum quemlibet toti populo Chriſtiano denuntiari, & oſtendi debere omni dignitate & honore, etiam Papali ſe reddidiſſe indignos, velut notorios ſchiſmaticos, notorios fautores, & ſchiſmatis nutritores, pertinaces hæreticos, & notoriis criminibus enormibus, perjurio & violatione voti irretitos, etiam notoriè ſcandalizantes cum incorrigibilitate, contumaciâ & pertinaciâ evidentibus & manifeſtis; ipſoſque propter præmiſſas iniquitates ne regnent vel imperent, ſeu præſint, à Deo & ſacris Canonibus fore abjectos, privatos, ac ab Eccleſiâ præciſos, ſuis ligatos peccatis; & nihilominùs ſententiando privari, abjici & præcidi: & inſuper eiſdem & cuilibet eorum inhiberi, ne aliquis eorum pro Summo Pontifice gerere ſe præſumat. Omnes & quoſcumque Chriſticolas ab eorum obedientiâ, non obſtante quocumque fidelitatis juramento aut alio vinculo adſtrictos, perpetuò abſolutos declarari. Inhibendo etiam cunctis Chriſti Fidelibus, ne dictis contendentibus, ſeu eorum alteri, tamquam Papæ ſeu Summo Pontifici obediant, pareant, vel intendant, nec conſilium, auxilium, vel favorem præſtent, aut eos recipiant vel receptent, etiam ſub pœnis excommunicationis, & aliis à ſan-

ctis Patribus & Canonibus inflictis, promulgatis & ordinatis. Et ſi parere contemſerint ordinationi & ſententiæ hujus ſacri Concilii, decernendum fore & decerni ipſos, & eorum fautores, defenſores, & adhærentes etiam per poteſtates ſæculares compeſcendos fore & compeſci, juxtà ſacrorum Canonum diſpoſitiones & divina mandata.

Et pari modo petitur, poſtulatur & requiritur decerni, & declarari omnes ſingulos proceſſus ac ſententias per dictos contendentes, & eorum quemlibet factos, latos, & fulminatos; ac privationes ordinum, dignitatum, beneficiorum, & officiorum, ac graduum quorumcumque, & qualiacumque, ac quomodocumque nuncupentur, ſeu nominentur, contrà Dominos Cardinales, & eis adhærentes, ac eos ſequentes, ac etiam contrà Dominos Reges & Principes, Prælatos & alios Eccleſiaſticos & ſæculares cujuſcumque conditionis & ſtatûs; & etiam contrà Univerſitates, Pariſienſem, Bononienſem & alias Univerſitates ſeu Communitates, ac ſingulares perſonas, cùm hæc omnia in odium proſequutionis unionis, & impedimentum ejuſdem appareant eſſe facta, fuiſſe & eſſe nullos, & caſſos, & irritos, ac nullius vigoris vel momenti; & quatenùs de facto proceſſerunt annullandos, caſſandos & irritandos, ac annullari, caſſari & irritari debere. Et nihilominùs etiam promotiones vel potiùs profanationes Cardinalium, velut in impedimentum unionis attentatas, & quæcumque alia quomodocumque, & qualitercumque per eos, vel eorum alterum geſta, vel facta ſub colore Pontificalis officii in impedimentum unionis, fuiſſe & eſſe nullas, caſſas, irritas & inanes; & quatenùs de facto proceſſerunt, annullari, caſſari, & irritari per hanc ſanctam & univerſalem Synodum debere. Et conſequutivè omnes ſententias excommunicationis, inhabilitationis, vel alicujus alterius pœnæ per eos vel eorum aliquem latas in adhærentes, neutrales, ſeu eis obedientiam ſubtrahentes, auctoritate præſentis Concilii nullas declarari. Et inſuper omnem ſuppleri defectum, ſi quis forſan intervenerit in præſenti proceſſu ex ſolemnitate juris omiſsâ.

Et ad informandum pleniùs hanc ſanctam Synodum, ſi prædicta omnia omnibus notoria non exiſtant, licet omnia & ſingula prædicta ſint vera, manifeſta & notoria, ita quòd aliquali tergiverſatione celari non poſſunt, nec indigeant clamore alicujus accuſatoris, tamen Procurator ſeu Promotor præfatus dat, exhibet, producit articulos præſentes, & contenta in eiſdem narrativè & diſpoſitivè, & de quolibet ac conjunctim & diviſim, & in quantum vidcatur huic ſanctæ univerſali Synodo offert ſe probaturum in eis contenta vel ea quæ eis ſufficient, ſeu ſufficere videbuntur, ad ſuum propoſitum conſequendum in toto vel in parte, & non aliter, nec alio modo; de quo ſolemniter proteſtatur, veſtrum benignum auxilium humiliter implorando.

Et prædicta omnia & ſingula dictus Procurator ſeu Promotor dat, exhibet & producit omni meliori modo, viâ, formâ, & cauſâ quibus poteſt & debet, ſalvo jure ſibi corrigendi, addendi, detrahendi, &c.

Seſſio VI. Sexta ſeſſio fuit die ultimâ Aprilis: & ibi ſtatim poſt Miſſam & Litanias propoſuit Epiſcopus Saliſberienſis de Angliâ, qui tempore medio cum multis aliis Dominis Anglicis applicuerat Piſas, exhortans in effectu totum Concilium ad procedendum in negotio ſecundùm bonam juſtitiam & æquitatem, dicens ſe cum aliis habere ſufficiens mandatum ex parte Regis Angliæ & Regni ad tractandum & proſequendum cum aliis, & tenendum ſeu accordandum quidquid ibidem ordinaretur in facto Eccleſ. ſeu unionis &c. Et quia nondum ex parte dictorum Anglicorum, nec ex parte illorum de Alemanniâ fuerant nominati per eos eligendi ad examinandum teſtes, de quibus dictum eſt in ſeſſione præcedenti, ideo fuit dies continuata ad diem ſabbati proximam, quæ erit dies quarta Maii; in quâ, ſicut dictum fuit per Advocatum ex parte Concilii in hoc negotio ordinatum, Dominus Petrus de Ancorano, utriuſque juris Doctor Bononienſis, debebat dare reſponſiones ad propoſita aliàs in quartâ ſeſſione per Epiſcopum Verdenſem, & alios Ambaſſiatores Regis Ruperti, de quibus ibi dicitur: *Et fiet etiam commiſſio nominandis ad examinandum teſtes* (de quibus eſt ſuprà dictum:) *Et ulteriùs in negotio procedetur prout fuerit rationis.* Fuit etiam illicò proteſtatum per dictum Advocatum ad inſtantiam Promotorum & Procuratorum ad hoc totum negotium proſequendum, ex parte Concilii ordinatorum, de proſequendo tempore & loco contrà dictum Epiſcopum Verdenſem, & alios Ambaſſiatores dicti Ruperti, (de quibus ſuprà) qui non exſpectato reſponſo illicentiati receſſerunt; quodque ipſe & alii qui cum eo ſic receſſerant, & debebant Concilio intereſſe, incurrerant pœnas juris contrà ſic recedentes vel non venientes latas à jure, &c.

Septima ſeſſio fuit die Sabbati quartâ Maii: & ibidem poſt Miſſam & Litanias Doctor Bononienſis, Seſſio VII.
vocatus Dominus PETRUS de Ancorano, dedit reſponſiones ad propoſita aliàs per Oratores & nuntios D. Ruperti, &c. de quibus ſuprà eſt facta mentio in quartâ ſeſſione. Poſtea fuerunt lecta nomina electorum pro quâlibet patriâ ad recipiendum teſtes & inſtrumenta, ad probandum notorietatem propoſitorum in quintâ ſeſſione contra iſtos duos contendentes; & illicò fuit eis auctoritate Concilii data commiſſio, de quo Promotores petierunt inſtrumentum. Fuit etiam dictum, quòd expediebat auctoritate totius Concilii mittere ad Regem Ladiſlaum Siciliæ, ad exhortandum eum quòd non impediret Concilium, & quod ceſſaret ab impedimentis, quodque teneret & ſervaret ibi deliberanda, &c. & ab omnibus fuit dictum, *Placet.* Et fuit dies continuata ad procedendum ulteriùs in hoc negotio ad diem Veneris, quæ erit dies decima Maii.

Octava Seſſio fuit dicta die Veneris, decimâ die Seſſio VIII.
Maii, & poſt Miſſam & Litanias, fuit poteſtas data in alia ſeſſione ad examinandum & recipiendum teſtes & inſtrumenta, continuata ad octo dies, videlicet ad diem Veneris decimam octavam diem Maii. Ibidem etiam ad inſtantiam Promotorum & Procuratorum, &c. fuit determinatum, unionem amborum Collegiorum Cardinalium propter bonum unionis Eccleſiæ & pro neceſſitate proſequendi hoc tam pium negotium, aliàs factam, fuiſſe bene ritè & debitè factam, eamque Synodus roboravit & confirmavit, & declaravit quòd per eos potuit Concilium Eccleſiæ univerſalis congregari ad providendum iſti negotio; & quod hoc præſens Concilium eſt ſufficienter repræſentativum totius Eccleſiæ Catholicæ, in loco tuto, idoneo & ſecuro, & tempore congruo congregatum; quodque hoc præſens Concilium habet poteſtatem cognoſcendi de hoc toto negotio &c. & decidendi, tamquam quod non habet alium quoad hoc ſuperiorem in terris. Et hæc omnia fuerunt illicò per dictum Concilium accordata, pronuntiata, & concluſa per os Domini Patriarchæ, prout in cedulâ ſuper hoc factâ & lectâ continetur, cujus ſcriptus eſt tenor infrà.

Item fuit auctoritate Concilii dictum & declaratum, licet pro tunc non pronuntiatum in ſcriptis, quòd à tempore, quo iſti contendentes recuſarunt adimplere juramenta ſua & vota de viâ ceſſionis

Digitized by Google

per eos præſtita, ſicut ſubditis ab eis ſubſtrahere obedientiam, ab eo tempore quo viam ceſſionis proſequi omiſerant, &c. Et quòd pro nunc erat ab omnibus obedientia eis & eorum cuilibet ſubſtrahenda; & quòd proceſſus, inhabilitationes, & cenſuræ latæ per eos, aut eorum alterum in præjudicium proſequutionis unionis erant irrita & caſſa, &c. ſed quia de hoc non erat litera ſeu pronuntiatio dictata, fuit hoc ſic dimiſſum uſque ad aliam ſeſſionem, quæ fuit aſſignata ad decimam ſeptimam diem menſis Maii proximam.

Tenor autem dictæ Cedulæ in hac Seſſione pronuntiatæ ſequitur, & eſt talis:

Decretum. SAncta Synodus habitâ plenâ & maturâ deliberatione decernit, pronuntiat & declarat unionem & conjunctionem factam de duobus Collegiis Dominorum S. R. Eccleſiæ Cardinalium fuiſſe & eſſe legitimam & canonicam; ipſamque ſuâ auctoritate roborat, approbat & confirmat pro bono tam ſancti & pii negotii, ac evidenti & imminenti neceſſitate univerſalis Eccleſiæ Catholicæ, exſtirpatione ſchiſmatis, ac unionis & redintegrationis ipſius Eccleſiæ: ac etiam hanc ſanctam Synodum per Dominos Cardinales utriuſque Collegii, ad tantum bonum ſimul unitos & congregatos tempore congruo, & in loco tuto, habili, idoneo, ſecuro & libero, ritè, debitè & canonicè convocatam. Declarat inſuper, pronuntiat & decernit per Dei gratiam hic eſſe generale Concilium repræſentativum totius univerſalis Catholicæ Eccleſiæ, ritè, juſtè & rationabiliter fundatum & congregatum, & ad hoc generale Concilium, tamquam ad unicum Superiorem & judicem in terris pertinere hujuſmodi cauſæ, & omnium propoſitorum contrà Dominos Benedictum & Gregorium nominatos, contendentes, ſeu, ut aſſeritur, colludentes, cognitionem, examinationem, deciſionem, & omnimodam determinationem omnium ſingulorum ad dictam cauſam pertinentium, quoquo modo dependentium, incidentium, ſeu emergentium ex præmiſſis.

Item ſancta Synodus habitâ maturâ ac plenâ deliberatione ex cauſis præmiſſis, pro ſecundâ dilatione ad producendum teſtes, ſtatuit terminum ab hodie ad octo dies, quæ erit decima ſeptima præſentis menſis Maii, & ad illum diem aſſignat proximam ſeſſionem.

Seſſio IX. Nona ſeſſio fuit die Veneris XVII. Maii, in quâ poſt Miſſam & Litanias fuit ex parte Concilii dictum & declaratum, quòd ordo ſedendi in Concilio per quoſcumque Prælatos ſive Ambaſſiatores, aliquorum non faceret præjudicium Eccleſiis, vel perſonis, ſeu eorum dignitatibus aut prærogativis; quodque de hoc nullus de cætero contrà alium poſſet ſe juvare in aliquo, tam in proprietate quàm ſaiſinâ ſeu poſſeſſione, vel quaſi.

Item per os Domini Patriarchæ Alexandriæ de mandato Synodi fuit pronuntiatum in ſcriptis ſuper illis tribus, de quibus in proximâ ſeſſione dictum fuerat, ſed pro tunc non pronuntiatum, videlicet, *Quòd licuit*, *&c.* ut in præcedenti ſeſſione dictum fuit; *& quòd ſubſtractio obedientiæ ex nunc in antea curreret; & quòd proceſſus contrà hoc facti non tenerent*, *&c.* ut ibi dictum eſt. Et ulteriùs in eâdem ſententiâ pronuntiatum fuit & declaratum, quòd Domini Cardinales & alii Prælati producti in teſtimonium in hac causâ poterunt eſſe conjudices, ac etiam teſtes: tenor autem hujus cedulæ eſt infrà ſcriptus.

Item, in eâdem Synodo commiſſio aliàs data examinatoribus teſtium fuit continuata ad diem Mercurii proximam, quæ erit dies vigeſima ſecunda Maii quæ dies etiam fuit pro proxima ſeſſione aſſignata. Et fuit data auctoritate Concilii poteſtas dictis Examinatoribus addendi articulos alios novos, vel declarandi jam datos, &c. prout viderint expedire pro causâ.

Tenor autem dictæ pronuntiationis factæ in prædicta Seſſione ſequitur, & eſt talis:

SAncta & univerſalis Synodus hîc in Chriſti nomine congregata declarat, pronuntiat & decernit, ex juſtis & rationabilibus cauſis à Petro de Lunâ, qui Benedictus decimus tertius, & Angelo Corrario, qui Gregorius duodecimus dicebantur, improbè contendentes de Papatu, & ab ipſorum cujuſlibet obedientiâ licuiſſe recedere liberè & impunè, videlicet à præfato Benedicto ex eo tempore quo viam ceſſionis per eum juratam ſolemniter, realiter proſequi, & eamdem effectualiter adimplere damnabiliter omiſit; & à præfato Gregorio ex eo tempore quo viam ceſſionis per eum juratam, & ſolemni voto firmatam & promiſſam, realiter proſequi, & effectualiter adimplere damnabiliter prætermiſit. Decretum.

Inſuper eadem ſancta Synodus ex cauſis, quibus ſuprà, pronuntiat, ſtatuit, ordinat & decernit præfatis contendentibus de Papatu, & ipſorum cuilibet, qui canonicè requiſiti & vocati in præſenti causâ ſchiſmatis & fidei fuerint declarati legitimè contumaces, fore à cunctis Chriſti Fidelibus omnimodam obedientiam ſubſtrahendam, & ex nunc in antea ab omnibus pro ſubſtractâ haberi; & ita obſervandum decernit, pronuntiat atque mandat.

Proceſſus autem & ſententias, condemnationes, privationes, inhabilitationes & cenſuras quaſcumque per ipſos contendentes, aut ipſorum alterum, in præjudicium unionis Eccleſiæ, aut proſequutionis ejuſdem contrà ſubſtractos, aut in poſterum ſubſtrahentes factos, aut in poſterum fiendos, hæc ſancta Synodus decernit & declarat caſſos exiſtere, & nullius eſſe roboris vel momenti, & eoſdem caſſat & annullat, quatenus de facto proceſſerunt aut in futurum procederent.

Item, eadem ſancta Synodus in favorem fidei, & pro ſchiſmatis exſtirpatione, ac laceratâ Eccleſiâ uniendâ & pacificanda decernit, pronuntiat & declarat omnes cujuſcumque ſtatûs, etiam ſi Cardinalatûs præfulgeant dignitate, qui in causâ præſenti ſunt, & eſſe poſſunt judices ſeu conjudices in Concilio, etiam eſſe poſſe legitimos teſtes, eorumque tam ſententiis quàm teſtimoniis fidem eſſe indubiam adhibendam.

Item, cum propter diverſitatem & prolixitatem articulorum, in præſenti causâ productorum, poſſet teſtium examinatio diſpendiosè protelari; propterea ſancta Synodus decernit, pronuntiat, & declarat quòd Domini Commiſſarii, ſeu Examinatores ad hoc per ſanctam Synodum deputati, poſſunt dictos articulos declarare, ſpecificare, & in eis addere, detrahere, mutare, ac etiam novos articulos de novo recipere, & ſuper eis teſtes examinare, interrogatoria facere, prout utilitati & accelerationi cauſæ viderint expedire, & mittere etiam extrà locum Concilii, maximè Florentiam, ad recipiendum & examinandum alios teſtes; & ex prædictis causâ cognitâ & deliberatâ, dat, ſtatuit & decernit tertiam dilationem ad probandum, & teſtes producendum, prout eidem ſanctæ Synodo videbitur expedire, diem Mercurii proximam, quæ erit vigeſima ſecunda hujus menſis; ad quam diem ſtatuit & ordinat proximam Seſſionem.

Decima ſeſſio fuit die Mercurii vigeſimâ ſecundâ Seſſio X.

Maii. Et primò poſt Miſſam & Litanias fuit petitum, quòd Benedictus & Gregorius de Papatu contendentes, quibus aliàs data fuerat dilatio ad audiendum jurare teſtes, & dicendum contrà eos ſi quid dicere vellent, nunc antequàm fieret publicatio vocarentur ad valvas, & ſi non comparerent, decernerentur quoad hoc contumaces, & in eorum contumaciam ulteriùs procederetur ad publicationem teſtium, &c. Et ita fuit factum. Poſtea illicò decretum fuit publicationem eſſe faciendam; & illicò fuit incœpta per hunc modum, quòd unus de Notariis legebat articulos, & unus de Examinatoribus, ſcilicet Archiepiſcopus Piſanus ad hoc deputatus lecto articulo dicebat, contenta in hoc articulo probantur notaria per tot teſtes, nominando in genere eorum dignitates, ſed non perſonas: & quia illâ die non potuit perfici iſtud, iſte actus continuatus fuit ad diem ſequentem, quæ pro aliâ ſeſſione fuit aſſignata.

Seſſio XI. Undecima ſeſſio fuit die Jovis vigeſimâ tertiâ Maii; in qua poſt Miſſam & Litanias continuatus fuit actus heſternâ die inchoatus; & poſt articulorum lecturam completam, ſecundùm formam aliâ die inchoatam, petitum fuit & requiſitum, quòd per Concilium decerneretur publicationem teſtium eſſe factam, & eſſe ulteriùs procedendum in causâ prout Concilio videretur; ſuper quo ſi placeret, daretur dilatio ad diem Sabbati proximam ad reſpondendum ſuper iſtis, & deliberandum tempore medio quid dicendum, & ita fuit accordatum, & ad aliam diem Sabbati, quæ erit dies vigeſima quinta hujus menſis Maii fuit ſeſſio aſſignata. Et ulteriùs illicò fuit requiſitum, quòd de novo ad valvas Eccleſiæ aſſignaretur illa dies duobus de Papatu contendentibus ad audiendum ordinationem Concilii de modo ulteriùs procedendi, & audiendum decerni publicationem teſtium debitè eſſe factam, & debere haberi pro factâ, niſi dicant, vel aliquis pro ipſis cauſam quare, &c. & ita in omnibus fuit accordatum.

Seſſio XII. Duodecima ſeſſio fuit die Sabbati vigeſimâ quintâ Maii, quæ fuit vigilia Pentecoſtes, & poſt Miſſam & Litanias fuit requiſitum per Advocatum, quòd dicti duo contendentes ad valvas vocarentur, & ita fuit factum per duos Cardinales more ſolito; & quia non comparuerunt, nec aliquis pro iis, fuerunt reputat contumaces, & in eorum contumaciam dictum fuit publicationem teſtium haberi pro factâ, & ulteriùs procedendum; & illicò fuit per os Domini Patriarchæ Alexandriæ pronuntiatum auctoritate Concilii, videlicet quòd attentâ notorietate eorum, de quibus agitur, viſis atteſtationibus receptis, & publicatis, crimina & exceſſus & alia neceſſaria ad deciſionem cauſæ, fuerunt & ſunt notoria, & pro talibus reputabat, decernens ulteriùs tamquam ſuper notorio eſſe procedendum. Poſtea fuit petitum & requiſitum ex abundanti, quòd adhuc prorogaretur poteſtas aliàs data Commiſſariis ad examinandum teſtes, de quâ ſuprà, uſque ad tempus latæ ſententiæ ad finem; quòd ſi aliquæ literæ producerentur, quæ facerent ad cauſam, vel ſi fierent adhuc alii novi articuli ſuper illis, teſtes poſſent recipi, & ita fuit accordatum.

Item etiam petitum fuit & accordatum, quòd pro bono cauſæ, ſi Cardinalibus videretur eſſe mittendum ad D. Lucanum & ad Senenſes pro aliquibus quæ ad hanc cauſam eſſent expedientia, ipſi Cardinales ad hoc fine aliâ congregatione poſſent nomine Concilii ibidem mittere, & ad hoc eligere perſonas ſicut voluerint.

Item ad procedendum ulteriùs fuit dies & ſeſſio aſſignata ad diem Mercurii poſt feſtum Pentecoſtes, quæ erit vigeſima nona Maii, videlicet ad deliberandum de die aſſignandâ dictis contendentibus ad audiendum ſententiam diffinitivam, & de citando eos ad illam diem ad ſententiam audiendam.

Tenor verò pronuntiationis factæ, de quâ in hac præcedenti Seſſione fit mentio, talis eſt:

Decretum. SAncta Synodus attentâ eorum de quibus agitur notorietate, de quâ per factorum evidentiam, depoſitiones teſtium, & alia documenta legitimè conſtat, habitâ ſuper his deliberatione maturâ pronuntiat & declarat delicta, crimina & exceſſus, & alia ad deciſionem neceſſaria in petitione præſentis cauſæ deducta, contrà dictos Benedictum & Gregorium de Papatu contendentes, per Promotores ſeu Procuratores per hanc ſanctam Synodum deputatos, fuiſſe & eſſe notoria, & tamquam ſuper notoriis fuiſſe & eſſe ad ulteriora procedendum, & tamquam in causâ in quâ imminet ſcandalum, & periculum notorium eſt in morâ.

Seſſio XIII. Tertia decima ſeſſio fuit die Mercurii vigeſimâ nonâ Maii, quæ fuit in ſeptimanâ Pentecoſtes, in quâ poſt Miſſam & Litanias Magiſter Petrus Plaoul pro Univerſitate Pariſienſi dixit, & declaravit opinionem Univerſitatis eſſe iſtos duos contendentes debere reputari ſchiſmaticos, & antiquati ſchiſmatis nutritores, & hæreticos pertinaces, firmans auctoritatem Concilii ad decidendum hanc cauſam, & declarandum eos eſſe ab Eccleſiâ præciſos & abjectos, & eos quantum opus eſt abjiciendos & ejiciendos, &c. ſumens thema ſuum, *Congregabuntur filii Juda & Hieruſalem, & ponent ſibi caput unum, &c.* (Oſee 1. 11.) Poſtea immediatè unus Epiſcopus Italicus, dictus Novarienſis, legit quamdam cedulam facientem mentionem qualiter ſecundùm ordinationem Dominorum Cardinalium, per Dominum Cardinalem Mediolanenſem fuerunt ſimul congregati omnes Magiſtri in Theologiâ, & Licentiati, ac Baccalaurei formati, qui ad dictum Concilium de multis partibus & Univerſitatibus convenerant, & inter eos fuerat habita plena deliberatio ſuper iſtâ materiâ, & poſtea in eamdem opinionem convenerant, & concordes fuerunt, videlicet quòd dictos ambos contendentes tenent ſchiſmaticos & hæreticos pertinaces, &c. ut ſuprà: & omnium & ſingulorum nomina recitavit, quorum multi ſunt Epiſcopi & Prælati, & faciebant omnes numerum centum & trium.

Item poſtea dixit quòd in eâdem opinione fuit Univerſitas Florentina, in quâ fuerunt centum & viginti Magiſtri ſubſcripti. Idem etiam deliberavit Univerſitas Bononienſis, quæ de hoc miſit literas. Idem Univerſitates ſive ſtudia Aurelianenſis, & Andegavenſis, & Toloſana per ſuos Ambaſſiatores præſentes ibidem.

Poſtea advocatus petiit, quòd ad procedendum ulteriùs in hac causâ aſſignaretur dies Mercurii proxima peremptoriè iſtis contendentibus, ad audiendum ſententiam diffinitivam in hac causâ; & quòd de hoc cedula affigeretur in valvis Eccleſiæ; quòd ad hoc agendum aſſignaretur ſeſſio ad diem Mercurii, quæ erit dies quinta menſis Junii.

Ulteriùs dixit quòd ſi placeret tempore medio, ſcilicet die Sabbati proximâ, fieret una ſeſſio, in quâ fieret relatio de teſtibus quibuſdam examinatis poſt relationem aliàs factam, qui ſcilicet fuerunt examinati ſuper quibuſdam novis articulis de novo additis & traditis, & etiam ſuper antiquis juxtà ordinationem aliàs in proximè præcedenti ſeſſione factam; & ad faciendum etiam, ſi ſit opus, pleniorem relationem quàm aliàs facta fuit ſuper examinatione teſtium aliàs receptorum, ad ſervandum con-

Digitized by Google

ſcientias aliquorum, ſi viſum fuerit expedire. Et ita fuit per Concilium accordatum; & ſeſſiones iſtas ordinavit, ſcilicet unam ad diem Sabbati, quæ erit prima dies Junii, & aliam ad diem Mercurii ſequentem, quæ erit quinta dies Junii.

Seſſio XIV Quarta decima ſeſſio fuit die Sabbati primâ die Junii, in quâ poſt Miſſam & Litanias Examinatores ſive Commiſſarii, ad examinandum teſtes aliàs dati, fecerunt per os D. Archiepiſcopi Piſani, onios ex eis, recitari numerum teſtium, qui de veritate contentorum in articulis deponebant, deſignando eorum dignitates & titulos, non propria nomina recitando ſummariè effectum articuli non ad longum, & poſtea ſubjungendo: Iſte articulus probatur per tot teſtes de veritate, quorum teſtium tot ſunt Cardinales, tot talis ſtatûs, &c. ſicut in ſimili ſuper notorietate fuit factum in decimâ & undecimâ ſeſſione, quando teſtes fuerunt recitati, qui de notorio deponebant, & fuit hoc factum ad pacificandum aliquos qui volebant ſcire, ſi per teſtes probarentur eſſe vera illa, quæ dictis contendentibus opponebantur, quia interdum dicuntur aliqua notoria, quæ tamen non probantur eſſe vera. Et hoc facto ſubjunxit dictus Archiepiſcopus, quòd ſi aliquis vellet valere depoſitionem teſtium, ut magis probaret veritatem illorum quæ dicebantur, reperiret die Lunæ & Martis proximâ apud Carmelitas, quidictas depoſitiones oſtenderet cuicumque videre volenti, ſed non expediebat aliter publicari.

Seſſio XV. *In edit. Seſſio 15. non reperitur, ſed p ſt 14. ſequitur 16.* Quinta decima ſeſſio fuerat ordinata ad audiendum jus ad diem Mercurii quintâ die Junii, quæ fuit vigilia Sacramenti, & illâ die fuit hujuſmodi ſeſſio. Et priùs per Advocatum nomine Procuratorum & Promotorum in hac cauſa fuit requiſitum, quòd ad valvas Eccleſiæ vocarentur duo contendentes, qui ad hanc diem vocati fuerant & citati, prout ex relatione, & per inſtrumentum apparet; & ſic fuit factum per duos Cardinales more ſolito, nulluſque comparuit. Poſtea dictus Advocatus requiſivit contumaciam contrà eos, & quòd ulteriùs procederetur ad ſententiam proferendam, ſicut aliàs fuerat ad hoc hæc dies aſſignata, fuit reſponſum, *Placet.* Poſtea ſurrexit Patriarcha Alexandriæ, qui de conſenſu Synodi ſibi dato protulit nomine totius Synodi ſententiam diffinitivam, per quam declaratur ac diffinitur, quòd objecta contrà dictos contendentes ſunt & fuerunt notoria; & quòd ex his ſunt ſchiſmatici, & antiquati ſchiſmatis nutritores & fautores; quòd etiam ſunt hæretici, & à fide devii, & ex hoc ab Eccleſiâ præciſi, & ideo ne præſint dejecti & abjecti, & ſic declarat dicta Synodus; & nihilominùs eos privat & dejicit ab omni honore & dignitate etiam Papali. Et ultrà hoc decernit proceſſus per eos factos, aut eorum alterum, contrà aliquos Cardinales, ſententias, cenſuras, aut privationes eſſe irritas & inanes, eaque caſſat ad cautelam & irritat. Et ulteriùs decernit ſancta Synodus, promotiones ſeu ordinationes, imò profanationes Cardinalium, per dictos contendentes, & eorum utrumque factas, videlicet per Petrum de Luna à die xv. Junii, & per Angelum Corrario à die tertiâ Maii, anni milleſimi quadringenteſimi octavi, eſſe irritas & inanes, & quantum opus eſt caſſat & irritat, &c. prout in formâ quæ eſt hic infrà ſcripta continetur, de quibus omnibus Promotores petierunt inſtrumentum.

Poſtea etiam ex parte Concilii fuit lecta una cedula, per quam Concilium ordinat, quòd ordo ſedendi in iſto Concilio tentus & habitus per quoſcumque ſit, non poſſit cuiquam facere præjudicium, nec etiam commodum, aut prærogativam afferre, &c. ſicut fuerat etiam factum in nonâ ſeſſione.

Poſtea etiam dixit dictus Patriarcha Alexandriæ quòd à multis petebatur ordinari & decidi, quid dicendum aut tenendum eſſet de promotionibus factis per iſtos contendentes, quoad alias dignitates quàm Cardinalatus; & ſimiliter de proceſſibus per eos factis contrà alios quàm contrà Cardinales, de quibus omnibus in formâ ſententiæ nulla facta eſt mentio, ſuper quo ſi placeret, ordinaretur una ſeſſio ad diem Lunæ proximam, quæ erit die decimâ Junii, in quâ decerneretur ſuper iſtis, & interim deliberaretur pleniùs ſuper hoc quid dicendum: & ſic fuit ab omnibus accordatum, & ad dictam diem fuit propter hoc ſeſſio ordinata. Fuit etiam petitum quòd in ſententiâ prædictâ diffinitivâ omnes ſe deberent ſubſcribere, quando poſita eſſet in formâ; ſic fuit accordatum, & etiam poſtea factum. Et illicò etiam prohibitum fuit omnibus, ne de villâ recederent, quouſque prædicta omnia eſſent completa. Et his factis & dictis ſtatim cœperunt Clerici qui Litanias dixerant cantare, *Te Deum* altâ voce, & hymno perfecto omnes receſſerunt de Eccleſiâ.

Tenor autem pronuntiationis Sententiæ diffinitivæ contrà prædictos Contendentes ſequitur, & eſt talis:

CHriſti nomine invocato, ſancta & univerſalis Synodus univerſalem Eccleſiam repræſentans, & ad quam cognitio & deciſio hujus cauſæ noſcitur pertinere, Spiritûs ſancti gratiâ, in hac majori Eccleſiâ Piſanâ congregata, ibique pro tribunali ſedens, viſis & diligenter inſpectis omnibus & ſingulis productis, probatis & agitatis in præſenti cauſâ unionis Eccleſiæ, fidei & ſchiſmatis contrà Petrum de Lunâ, Benedictum XIII. & Angelum Corrario, Gregorium duodecimum olim nuncupatos, quæ in præſenti proceſſu hujus cauſæ pleniùs continentur, ac quibuſcumque aliis ipſam ſanctam Synodum ad infrà ſcriptam diffinitionem moventibus & inducentibus, habitâ priùs inter ſeipſos, & demùm cum copioſâ multitudine Magiſtrorum in ſacrâ Theologiâ, ac utriuſque juris Doctorum, pluries & pluries diligenti collatione, & tandem deliberatione maturâ, omneſque pariter in hanc ſententiam reperiens unanimiter concordare omni modo, viâ & jure, quibus magis & meliùs poteſt in prædictorum contendentium, ſeu veriùs colludentium de Papatu, & cujuſque eorum contumaciam, in his ſcriptis pronuntiat decernit, diffinit & declarat omnia & ſingula crimina & exceſſus, & alia cuncta neceſſaria ad infrà ſcriptam deciſionem præſentis cauſæ deducta per providos viros Magiſtros Henricum de Monteleone, Johannem Deſcrivanis, & Bertholdum de Wildunghen Promotores, Inſtigatores & Sollicitatores, ſeu Procuratores deputatos ad proſequendum præſentem cauſam, pro hujus deteſtandi & inveterati ſchiſmatis extirpatione, & unione atque redintegratione ſanctæ matris Eccleſiæ contrà & adversùs prælibatos Petrum de Lunâ Benedictum decimum tertium, & Angelum Corrario Gregorium duodecimum (de Papatu damnabiliter contendentes) ab aliquibus nuncupatos, in petitione coram ipsâ ſacrâ & univerſali Synodo præſentata & exhibita, fuiſſe vera & eſſe atque notoria, ipſoſque Angelum Corrario, & Petrum de Luna de Papatu, ut præfertur, contendentes, & eorum utrumque fuiſſe & eſſe notorios ſchiſmaticos, & antiqui ſchiſmatis nutritores, defenſores, fautores, approbatores, manutentores pertinaces, nec non notorios hæreticos, & à fide devios, notoriiſque criminibus enormibus perjurii & violationis voti irretitos, univerſalem Eccleſiam ſanctam Dei notoriè ſcandalizantes, cum in-

Extat in edit. & apud Oderic. an 1409. § 71 & Bzovium ad hunc an.

Digitized by Google

corrigibilitate, contumaciâ & pertinaciâ notoriis, evidentibus & manifeſtis. Et ea his & aliis ſe reddidiſſe omni honore & dignitate, etiam Papali indignos, ipſoſque & eorum utrumque propter præmiſſas iniquitates, crimina & exceſſus ne regnent, vel imperent, aut præſint, à Deo & ſacris Canonibus fore ipſo facto abjectos & privatos, ac etiam ab Eccleſia præciſos, & nihilominùs ipſos Petrum & Angelum, & eorum utrumque, per hanc ſententiam diffinitivam in his ſcriptis privat, abjicit & præcidit; inhibendo eiſdem ne eorum aliquis pro Summo Pontifice gerere ſe præſumat, Eccleſiamque vacare Romanam ad cautelam inſuper decernendo.

Et inſuper omnes & quoſcumque Chriſticolas, etiam ſi Imperiali, Regali, vel aliâ quâlibet præfulgeant dignitate, declarat ab eorum & cujuſlibet eorum obedientiâ, non obſtante quocumque fidelitatis juramento, aut alio quocumque vinculo, quo illis vel eorum alteri tenerentur adſtricti, fore perpetuò abſolutos, inhibendo eiſdem Chriſti fidelibus ne prædictis de Papatu contendentibus, ſeu eorum alteri quomodolibet obediant, pareant, vel intendant, aut conſilium, auxilium vel favorem ipſis præſtent, aut eos recipiant, vel receptent, ſub pœnis excommunicationis & aliis à ſanctis Patribus & ſacris Canonibus inflictis, promulgatis & ordinatis. Quodque ſi parere contempſerint huic ordinationi & ſententiæ, ipſos & eorum fautores, defenſores, adhærentes & ſequaces, etiam per ſæculares poteſtates fore compeſcendos, & compeſci debere juxtà præcepta divina & ſacrorum Canonum diſpoſitiones, eadem ſancta Synodus pronuntiat & diffinit.

Ac inſuper omnes & ſingulos proceſſus, & ſententias excommunicationis, inhabilitationis, vel alterius cenſuræ & pœnæ, privationes quoque ordinum & dignitatum, etiam Cardinalatûs, beneficiorum & officiorum, ac graduum quorumcumque, qualiacumque ſint, & quomodocumque nuncupentur, ſeu nominentur, contrà Dominos Cardinales per dictos Petrum de Lunâ, & Angelum Corrario factos, actos & fulminatos, fuiſſe & eſſe nullos, caſſos & irritos, nullas, caſſas & irritas, ac nullius roboris, efficaciæ vel momenti, & quatenùs de facto proceſſerunt, eatenùs annullandos, caſſandos & irritandos, annullandas, caſſandas & irritandas; ſicque & etiam ad cautelam quatenùs expediat omni modo & jure quo meliùs poteſt, annullat, caſſat & irritat.

Et inſuper promotiones, imò veriùs profanationes, quorumcumque ad Cardinalatum per dictos contendentes de Papatu, & eorum utrumque attentatas, videlicet per dictum Angelum à die tertiâ Maii, & per Petrum antè dictum à die xv. Junii anni proximè præteriti milleſimi quadringenteſimi octavi, fuiſſe & eſſe nullas, caſſas, irritas & inanes, & quatenùs de facto proceſſerunt, de facto annullandas, caſſandas & irritandas, & ſic etiam ad cautelam quatenùs expediat omni modo & jure quibus meliùs poteſt, præfata ſancta Synodus per hanc ſententiam diffinitivam caſſat, irritat & annullat.

Ad providendum autem adversùs proceſſus, conſtitutiones, & ſententias in præjudicium unionis, & aliàs per Petrum de Lunâ & Angelum Corrario olim contendentes de Papatu, ſeu colludentes præfatos factas & latas contrà Reges & Principes, Patriarchas quoque, Archiepiſcopos, ac alios Eccleſiæ Prælatos, Univerſitates ſtudiorum, Communitates, ac ſingulares perſonas Eccleſiaſticas & ſæculares, & circà promotiones per ipſos olim contendentes factas ad dignitates qualcumque: & ulteriùs ad procedendum ſuper aliis bonum univerſalis Eccleſiæ tangentibus, ſancta Synodus ſtatuit diem Lunæ proximam pro ſeſſione futurâ, quæ erit decima menſis præſentis Junii.

Sexta decima ſeſſio fuit die Lunæ decimâ Junii, ſicut fuerat in proximâ ſeſſione ordinatum. Et ibi fuit Dominus Cardinalis de Chalento, qui Petrum de Lunâ dimiſerat, & ab eo receſſerat, & ad Concilium venerat. Et in iſtâ ſeſſione primò fuit per os Domini Archiepiſcopi Piſani lecta una cedula, in quâ omnes & ſinguli Cardinales erant ſubſcripti, continens in effectum formam cujuſdam promiſſionis, quam fecerunt prædicti omnes & ſinguli Cardinales ad ſatisfaciendum multis, qui requirebant & petebant, quòd reformarentur uſurpationes quæ erant in Eccl. introductæ in præjudicium libertatis Eccleſiaſt. &c. per quam cedulam omnes & ſinguli prædicti Card. promittunt, videlicet quilibet eorum ſi eum contingat ad Papatum aſſumi, quòd intendet reformationi Eccl. tam in capite quàm in membris; & ſi eum contingat aſſumi ad Papatum, erga eum inſtabunt & procurabunt fideliter, & bonâ fide, quòd circà dictam reformationem intendet, nec permittet quantum in eo erit, quòd hoc Concilium diſſolvatur quouſque ſuper hoc proviſum exſtiterit: & ideo placet eis quod adhuc Concilium continuetur, &c. ut in formâ cedulæ; cujus tenor eſt infrà. Seſſio XVI

Poſtea venit Advocatus per Concilium aliàs deputatus, qui petiit & requiſivit quòd cum aliàs in proximâ præcedenti ſeſſione fuerit ſententia lata diffinitiva contrà duos contendentes, &c. & parum eſſet, ſi non demandaretur exequutioni; quòd placeret dare & ordinare Commiſſarios ad publicandum dictam ſententiam, & exequutioni demandandum ubique, vel in diverſis mundi partibus, ubi oportebit, ad quos nominandos ſi placet ordinet Concilium, quòd Collegium Dominorum Cardinalium eos tales ſicut voluerit ad hoc idoneos poſſit & valeat nominare. Et ita fuit accordatum.

Item petiit & requiſivit, quòd cum Angelus Corrario, olim ab aliquibus nominatus Gregorius XII. ſedem ſuam nitatur tenere in Patriarchatu Aquilegienſi, & populum illius patriæ ad ſe allicere, ac ab obedientiâ Domini Patriarchæ Aquilegienſis faventis huic Concilio generali retrahere, placeat huic Concilio mandare Dominis illius patriæ, ac Vaſallis Eccleſiæ, quòd dicto Patriarchæ Aquilegienſi pareant & intendant, & dicto Angelo ſeu Gregorio nullatenùs obediant, &c. Et ita fuit ab omnibus accordatum.

Poſtea fuit dictum & publicatum, quòd ſi placeret continuaretur hoc Concilium, & alia ſeſſio ordinaretur, ad providendum & ordinandum circà illa de quibus in proximâ ſeſſione dictum fuerat, videlicet de promotionibus & proceſſibus, &c. & generaliter ad providendum circà illa quæ agenda reſtant, ad quod, ſi placeret, ordinaretur ſeſſio ad diem Jovis proximam, quæ erit decima tertia Junii. Et ita fuit accordatum.

Tenor autem Cedulæ continens juramentum Dominorum Cardinalium, de quà ſuprà, ſequitur & eſt talis:

NOs omnes & ſinguli Epiſcopi, Preſbyteri, & Diaconi Cardinales, congregati in civitate Piſanâ pro ſchiſmatis exſtirpatione, unitate & bono ſtatu in Dei Eccleſiâ reducendis, promittimus in verbo veritatis, Deo, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & ſanctæ Synodo hîc in Chriſti nomine congregatæ; quòd ſi quis noſtrûm in ſummum Romanum Pontificem eligetur, præſens Concilium continuabit, nec diſſolvet, *Habetur in edit. & Bin.*

vet, aut diſſolvi permittet, quantum in eo erit, uſquequò per ipſum cum conſilio ejuſdem Concilii ſit facta debita, rationabilis & ſufficiens reformatio univerſalis Eccleſiæ & ſtatûs ejus, tam in capite quàm in membris. Promittimus etiam quòd ſi aliquem de Dominis Cardinalibus abſentibus, vel extrà noſtrum Collegium aſſumi contingat in Papam, purè, veraciter & bonâ fide antequàm procedamus ad publicationem electionis illius, procurabimus toto poſſe habere ab eo promiſſionem, ac ſufficientem ſecuritatem, quòd ſervabit & adimplebit omnia & ſingula ſupradicta: & interim latâ ſententiâ contrà contendentes de Papatu ſuper eorum dejectione ſumus contenti, & ratum habemus, quòd Sede vacante continuetur Concilium, & quòd in eo quantum commodè fieri poterit, in dictâ reformatione procedatur; & quòd ſuper hoc in proximâ ſeſſione alia ſeſſio indicetur.

Variant hic editiones.

Habet Bzovius ſubſcriptiones Cardinalium.

Seſſio XVII

Septima decima ſeſſio fuit die Jovis decimâ tertiâ Junii, anno prædicto, in quâ poſt Miſſam & Litanias venit Capitaneus & Poteſtas, ac Vicarius villæ Piſanæ; & tunc Advocatus aſcendit pulpitum, & dixit altâ voce; quòd quia inſtabat tempus intrandi Conclave ad eligendum Papam, & juxtà Conſtitutionem Gregorii decimi, quæ incipit *Ubi majus*, qui eſt de elect. lib. VI. Domini temporales loci ubi eſt Papa eligendus debent facere certa juramenta, ut in primâ Conſtitutione continetur; ideo ad hoc ibi veniebant prædicti Officiarii, qui pro parte Dominorum Florentinorum, qui habent dominium civitatis Piſanæ, parati erant facere debita juramenta, & fecerunt. Poſtea ſubjunxit, quòd etiam ſecundùm tenorem dictæ Conſtitutionis ſunt preces ad Deum porrigendæ pro habendo Papam, &c. Ideo ſi placeret in craſtino fieret proceſſio generalis de Eccleſiâ ſancti Martini uſque ad Eccleſiam Cathedralem: & ità fuit accordatum. Poſtea Domini Patriarchæ Alexandrinus, Jeroſolymitanus, & alius de Bohemiâ, dictus Antiochenus, aſcenderunt pulpitum, & ibi legit Patriarcha Alexandrinus cedulam continentem qualiter Synodus ordinabat, quòd pro hac vice ambo Collegia Cardinalium procederent ad electionem Papæ, non obſtante quòd aliqui eorum ſunt promoti in unâ obedientiâ, alii in aliâ, ſeu ab alio Papa; & quòd poteſt eſſe dubium qui ſint Cardinales vel non. Per hoc tamen, ut dicit cedula, non intendit Synodus ſive Concilium aliquid de novo ordinare vel immutare circà modum & poteſtatem eligendi Papam, quæ ſpectat ad Dominos Cardinales, cujus quidem cedulæ tenor infrà ſcribitur.

Item, legit aliam cedulam continentem in effectu, quòd Concilium ordinat proceſſus & ſententias, inhabilitationes, privationes imò etiam Conſtitutiones Papales per iſtos contendentes contrà quaſcumque perſonas cujuſcumque ſtatûs, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Univerſitates, Collegia, Reges, Principes, &c. videlicet per Angelum Corrario dictum Gregorium duodecimum, à die tertiâ Maii, anni Domini milleſimi quadringenteſimi octavi, & à Petro de Lunâ, quicumque fuerit, factos ſeu factas in præjudicium unionis Eccleſiæ eſſe nullos ſive nullas, & tales proceſſus ſive ſententias annullat & caſſat, &c. ut in formâ cedulæ quæ hîc infrà ſcribitur.

Item etiam continebat hæc cedula, quòd Concilium ordinabat non eſſe ſtandum de cætero aliquibus bullis vel litteris, quæ ab aliquo dictorum duorum contendentium dicantur emanaſſe, quæ illis quibus dirigebantur aliàs priùs non fuerint præſentatæ, vel aliis oſtenſæ, ſic quòd ſufficienter tollatur ſuſpicio, quòd dictæ literæ ſub antidata, vel aliàs in fraudem factæ fuerint, niſi iſto Concilio ſedente exhibeantur, & oſtendantur in dicto Concilio per illos qui eas habent, &c. ut in formâ cedulæ cujus tenor infrà ſcribitur.

Item poſtea in dictâ ſeſſione ſupervenerunt Ambaſſiatores Regis Aragoniæ, ſcilicet tres Milites & unus Doctor, & ſupplicaverunt pro audientiâ, quæ fuit accordata, dum tamen nihil ſcandaloſum dicerent in præjudicium ſeu diffamationem hujus Concilii generalis, &c. & in effectum propoſuit ille Doctor, quòd Rex Aragonum audiverat hanc congregationem eſſe factam pro facto Eccleſiæ ſeu unionis; ideo ipſe affectans bonum unionis recommandabat huic congregationi factum hujuſmodi. Secundò dixit quòd Rex Aragoniæ non vellet pro aliquo interêſſe particulari dare impedimentum unioni Eccleſiæ, ſive pro favore Petri de Lunâ vel alterius cujuſcumque. Tertiò quòd Petrus de Lunâ, unà cum Concilio quod tenuerat apud Perpinianum, ordinaverat aliqua, quæ ad factum unionis habendæ poſſunt, ut creditur, proficere, ſuper quo miſerat Ambaſſiatores ſuos, qui illa habent dicere: ideo ex parte Regis Aragoniæ, ſupplicabat quòd ipſi ſuper iſtis audirentur, ſupplicans quòd in hoc facto nihil innovaretur vel fieret de novo, quouſque fuiſſent auditi. Quartò ſubjunxit, quòd dictus Rex non fuerat aliqualiter informatus de illis quæ in hoc Concilio facta erant; ideo de præſenti illa non poterat approbare, ſed paratus erat informationes recipere, & per Dei gratiam taliter in facto Eccleſiæ ſemper faceret, quòd omnes deberent contentari, nec ab aliquo poſſet reprehendi; de hoc tamen petiit inſtrumentum.

Poſtea hoc facto, dictum fuit ſingulis Prælatis qualiter Domini Cardinales conſulebant debere reſponderi iſtis Ambaſſiatoribus per hunc modum; videlicet quòd Concilium primò regratiaretur Regi Aragonum de affectione quam habet ad bonum unionis. Secundò quòd darentur libenter aliqui Deputati notabiles, qui per Cardinales poſſent nominari & deputari, & iſti eos informarent ad plenum de actis in hoc Concilio, ut etiam ipſi de his poſſent Regem ſuum informare, & ſperabatur quòd de omnibus manerent benè contenti. Tertiò quòd placebat Concilio audire illos Nuntios Petri de Lunâ, dum tamen docerent de literâ vel mandato; & ad hoc etiam aliqui ex parte Concilii deputarentur qui eos audirent, cum aliàs fieri non poterat bono modo ſedente Concilio, quia hora erat tarda, & iſta erat ultima ſeſſio ante introitum Conclavis; ideo aliter fieri non poterat, quòd daret Concilium poteſtatem Cardinalibus eos nominandi. Et ab omnibus fuit reſponſum, quia placebat ita reſponderi. Poſtea ergo Advocatus aſcendit pulpitum, & dictam reſponſionem dedit ex parte Concilii dictis Ambaſſiatoribus Regis Arragonum ibidem præſentibus, & ſic receſſimus illa die.

Tenor autem primæ Cedulæ, de quâ in iſta Seſſione fit mentio, ſequitur & eſt talis:

QUia hoc peſtiferi ſchiſmatis tempore, Domini Cardinales in hoc ſacro Concilio exiſtentes, quidam fuerunt à diverſis olim contendentibus de Papatu creati, & nunc Deo dirigente procedendum eſt ad electionem unici & indubitati Papæ, hoc ſacrum Concilium univerſalem Eccleſiam repræſentans, vult, conſentit, diſponit & ordinat quòd ipſi à diverſis creati ad electionem prædictam procedant, ſi & in quantum opus eſt hac vice auctoritate hujus Concilii: nec per hoc poteſtati Dominorum Cardinalium circà electionem Romani Pontificis intendit

in aliquo derogare, vel aliquid innovare. Hortatur tamen prædictos Cardinales quòd ipſi cum charitate ad electionem unius Paſtoris procedant ſic unanimiter, quòd de quâcumque diſcordiæ ſcintillâ notati non debeant.

Secunda Cedula.

OMnes & ſingulos proceſſus, ſententias excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, maledictiones, ſeu alterius cujuſcumque cenſuræ pœnæ; Conſtitutiones Papales, inhabilitationes, privationes ordinum, dignitatum, beneficiorum, officiorum & gradoum quorumcumque, tam Eccleſiaſticorum quàm ſæcularium, contrà proſequentes unionem ſanctæ matris Eccleſiæ, videlicet tam contrà Principes, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios viros Eccleſiaſticos cujuſcumque ordinis, vel ſtatûs exiſtant, quàm contrà ſingulares perſonas cujoſcumque conditionis, ordinis, vel ſtatûs exiſtant, etiam ſi Imperiali, Regali, vel aliâ præemineant poteſtate: nec non relaxationes, abſolutiones juramentorum, fidelitatis, confœderationis, & homagiorum, ac etiam contrà civitates, Univerſitates ſtudiorum, Collegia Eccleſiaſtica vel ſæcularia, Communitates Villarum, Caſtrorum, terrarum, ſeu diſtrictuum, ac ſingulares perſonas; per Petrum de Lunà à quocumque tempore, & per Angelum Corrario à die 11s. Maii, anni Domini milleſimi quadringenteſimi octavi, de Papatu olim contendentes, imò verius colludentes, factas, & illatas, & de ipſorum, ſeu alterius eorum mandato: Hæc ſancta Synodus decernit & declarat, nullos, ſeu nullas fuiſſe & eſſe, & quatenùs de facto proceſſerunt, caſſat & annullat, vultque eſſe nullius roboris vel momenti, & pro infectis haberi.

Item, ſi aliquæ bullæ, ſeu literæ ſub eorum ſeu alterius eorum titulis, ſeu nominibus expeditæ reperiantur, ſeu exhibeantur à dictis diebus; videlicet à dicto Petro de Lunà à quocumque tempore, & per Angelum Corrario à die tertiâ Maii vel antè, contrà proſequentes unionem ſupradictam, ſi illæ non ſunt ante dictos dies præſentatæ, vel exhibitæ ſub teſtimonio ſufficienti, Capitulis vel Eccleſiis, ſeu Prælatis, aut aliis quibus diriguntur, ſeu ſcribuntur, conſimili modo ſint nullæ, & nullius roboris vel momenti, & pro infectis habeantur.

Die Veneris decimâ quartâ Junii, quæ erat craſtinum præcedentis ſeſſionis, ſicut in eadem ſeſſione fuerat deliberatum, facta fuit proceſſio generalis omnium Prælatorum reveſtitorum, ab Eccleſiâ ſancti Martini uſque ad Eccleſiam Cathedralem, cum cantu Litaniarum & Antiphonarum. Et in dictâ Eccleſiâ Cathedrali fuit celebrata Miſſa ſolemnis de ſancto Spiritu per unum Dominum Cardinalem.

Eâdem autem die poſt prandium venerunt nuntii Petri de Lunà apud ſanctum Martinum, & intraverunt locum ubi erant aliqui Domini Cardinales ordinati ad audiendum eos; & cum difficultate intraverunt propter aſſiſtentiam populi & ſervuorum ac famulorum, qui deridendo contrà eos proclamabant & ſibilabant; ibi tamen poſtquàm ingreſſi fuerunt, oſtio clauſo fuit eis denuntiata & intimata ſententia lata contrà dictos contendentes de Papatu, de quâ ſuprà in quintâ decimâ ſeſſione.

Item etiam Capitaneus Villæ Piſarum erat ibidem, qui intimavit eis quòd jam fecerant juramenta de cuſtodiendo Conclave, & de multis aliis juxtà formam *c. ubi majus de elect. l.* vi. inter quæ erant tria capitula, quæ principaliter concernebant; quòd non permitteret dictus Capitaneus quòd aliquid fieret in præjudicium, ſcandalum, vel vituperium ſeu impedimentum procedendi ad electionem unius Papæ; & iſta tria capitula dictis nuntiis intimavit explicitè, eis denuntians quòd quidquid facerent, aut dicerent, tamen caverent ſibi quòd contrà iſta nullatenùs attentarent. Ipſi autem dixerunt quòd volebant habere copiam dictorum capitulorum, & ſuper hoc deliberare antequàm aliquid proponerent; & hanc copiam habuerunt, & ſic pro tunc receſſerunt. Et die ſequenti licentiâ non petitâ abierunt, & ſic nihil propoſuerunt, videntes eſſe diſpoſitionem negotiorum ad aliud quàm illud quod forſitan prætendere aut dicere volebant pro dicto Petro de Lunâ.

Die autem ſabbati immediatè ſequente; quæ fuit dies quinta decima Junii; omnes Cardinales de ſero intraverunt Conclave, quod fuerat præparatum in domo Archiepiſcopali civitatis Piſanæ, & ad electionem Papæ proceſſerunt, videlicet die Mercurii, quæ fuit dies vigeſima ſexta Junii. Et elegerunt Dominum Cardinalem Mediolanenſem, ordinis Fratrum Minorum, qui vocatus eſt Alexander quintus.

Octava decima ſeſſio fuit poſtquàm dictus Dominus Alexander Papa electus erat, ipſo ibidem præſidente die Lunæ prima Julii, in quâ poſt Miſſam & Litanias per Dominum Cardinalem de Chalento fuit lecta & publicata una cedula, omnium & ſingulorum Cardinalium manibus ſubſcripta, per quam publicabant omnibus, & nuntiabant ſe elegiſſe in Papam concorditer Dominum Cardinalem Mediolanenſem, & in eum conſenſiſſe, & ideo ſe in dictâ cedulâ omnes ſubſcripſiſſe. Seſſio XVIII.

Die autem Dominicâ immediatè ſequente, quæ fuit dies ſeptima Julii, dictus Dominus Papa ALEXANDER fuit coronatus in Eccleſiâ Cathedrali, ubi fuit cebrata Miſſa ſolemnis. Et illâ die fuerunt multa ſolemnia, ut puta, de ſtupis combuſtis, dicendo *Sic tranſit gloria mundi:* de Epiſtolâ & Evangelio in Miſſâ græcè hebraïcè & latinè: de impoſitione tiaræ, cum quâ Papa reveſtitus equitat per villam, & omnes Prælati reveſtiti cum equis de panno albo coopertis; de lege Judæorum quæ Papæ per Judæos præſentatur, & de ſimilibus; quæ omnia fuerunt debitè & ſolemniter expedita.

Nona decima ſeſſio fuit die Mercorii decimâ Julii, in quâ poſt Miſſam & Litanias conſuetas, unus ex parte Florentinorum aſcendens pulpitum propoſuit, offerendo obedientiam Papæ, laudando electionem ejus, &c. & ad idem ſtatim etiam idem dixit unus ex parte communitatis Senenſis. Hoc facto Cardinalis de Chalento legit per cedulam quomodo Papa revocabat omnes proceſſus & ſententias, ac cenſuras latas durante ſchiſmate per aliquem contendentium de Papatu, decernens nullum de cætero debere reputari ligatum dictis ſententiis, & ad cautelam omnes abſolvit, &c. Seſſio XIX.

Item legit unum alium articulum, per quem Papa approbat & ratificat ex certâ ſcientiâ, ſacro Concilio approbante, omnes diſpenſationes ſuper matrimoniis, & ſuper etiam caſibus concernentibus conſcientiam, aut forum pœnitentiale, factas per aliquem dictorum contendentium, quoad ſibi obedientes, etiam in partibus neutralibus vel ſubſtractis. Et de iſtis lectis tenor ſive copia ſcribitur infrà.

Et poſtea idem D. Cardinalis dixit, quòd quia Papa habebat intentionem laborandi ad reformationem Eccleſiæ in capita & in membris, ſicut aliàs obtulit, ipſe ordinavit certos Cardinales, tam Epiſcopos quàm Preſbyteros & Diaconos, uſque ad numerum octo Cardinalium, quibus commiſit quòd cum deputandis ex parte Prælatorum, & aliorum de diverſis mundi partibus, haberent videre de illis quæ viderentur reformanda; circà quod horta-

batur diligenter intendere : & ad concludendum ſuper aviſatis ſeu aviſandis aſſignabatur ſeſſio ad diem Lunæ proximam, quæ erit dies decima quinta Julii.

Tenor autem Cedulæ lectæ in hac Seſſione ſequitur, & eſt talis :

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti. Amen. Nos ALEXANDER divinâ providentiâ Papa quintus, conſiderantes quòd tam Petrum de Lunâ, Benedictum decimum tertium, & Angelum Corario, Gregorium duodecimum à nonnullis nominatos, nuper de Papatu contendentes, quàm per Dominos quondam Archiepiſcopum Barrenſem, Urbanum ſextum, Perrinum Thomacellum, Bonifacium IX. Coſmatum de Thomacellis, Innocentium ſeptimum, & Robertum de Gebennis, Clementem ſeptimum, nuncupatos, dictorum nuper contendentium Prædeceſſores, durante præſente ſchiſmate & occaſione ejuſdem, nonnulli proceſſus, ſententias excommunicationis, privationis, irregularitatis, inhabilitationis, ſuſpenſionis & interdicti, ac alias cenſuras Eccleſiaſticas in ſe continentes, in & contrà diverſas perſonas, Regna, Juriſdictiones, Communitates, Univerſitates, Collegia, loca, diſtrictus & territoria fuerint & ſint hinc inde facti & promulgati; ac propter antiquationem dicti ſchiſmatis, & etiam quia multi notabiles Doctores utriuſque juris, & Magiſtri in ſacrâ paginâ ſcripſerunt pro & contrà, ac publicè & ſolemniter determinaverunt, in dubium vertatur à multis, quis à tempore dicti ſchiſmatis fuerit verus Romanus Pontifex, ſeu quis veri Vicarii JESU-CHRISTI fungeretur officio, ad exonerationem conſcientiarum utriuſque obedientiæ, quæ jam per Dei gratiam ad unum ovile redactæ ſunt, omnes & ſingulos hujuſmodi proceſſus & ſententias, qui vel quæ occaſione & prætextu ſchiſmatis, ac adhærentiæ utriuſque partis, ſeu viæ neutralitatis aſſumptæ vel introductæ, hinc inde, ut præmittitur, lati, decreti, ſeu fulminati fuerint, quos omnes & ſingulos hîc pro expreſſis haberi volumus, hoc ſacro approbante Concilio, ex certâ noſtrâ ſcientiâ tollimus & abolemus, ac pro ſublatis & abolitis in perpetuum haberi volumus; neminem præfatis ſententiis aut proceſſibus eſſe ligatum vel involutum declarantes. Et nihilominùs ex abundanti, & ad cautelam, ſi & quatenùs indigeant, quoſcumque ſub dictis proceſſibus comprehenſos, à dictis ſententiis & cenſuris abſolvimus, & pro abſolutis haberi decernimus & declaramus, etiam ſuper irregularitatibus ſi quas propter præmiſſa vel occaſione præmiſſorum contraxerint, diſpenſantes.

Item, omnes & ſingulas diſpenſationes factas per contendentes, vel eorum alterum, ſeu eorum prædeceſſores, ſuper matrimoniis & aliis caſibus, quæ forum conſcientiæ reſpiciunt, eorum durante obedientiâ, etiam in partibus neutralibus vel ſubtractis, ex certâ noſtrâ ſcientiâ ratificamus & approbamus.

Seſſio XX. Viceſima ſeſſio, quæ erat aſſignata ad diem Lunæ prædictam, ſcilicet diem quintam decimam Julii, non fuit illa die, ſed per Papam ex cauſa fuit continuata ad diem Sabbati diem viceſimam Julii : & iterum fuit continuata ad diem Mercurii XXIV. Julii : & propter adventum Regis LUDOVICI iterum fuit continuata ad diem Sabbati inde ſequentem, quæ fuit dies XXVII. Julii. Et in hac ſeſſione interfuit Rex Siciliæ Ludovicus, in quâ poſt Miſſam & Litanias per os Domini Cardinalis de Chalento ex parte Domini Papæ pronuntiata fuerunt in ſcriptis ea quæ ſequuntur, habita priùs per aliquos dies deliberatione per provincias & Prælatos ad partem : tenor autem dictæ pronuntiationis eſt infrà ſcriptus.

Item poſtea Dominus Archiepiſcopus Piſanus in præſentiâ Papæ præſidentis in Concilio altâ voce dixit, quòd ex parte Domini noſtri Papæ, qui præſens erat, dictus Dominus noſter compatiens ſtatui Eccleſiarum & paupertati, plenè & liberè revocabat reſervationes factas de ſpoliis defunctorum Prælatorum. Item revocabat reſervationes fructuum obvenientium Sede vacante, quos fructus aliqui ſui Prædeceſſores reſervaverant. Item, revocabat reſervationes procurationum Epiſcopalium & aliorum Prælatorum ad quos ſpectant, nec illas vult habere. Item dixit, quòd dictus Dominus noſter Papa plenariè & liberaliter quittabat & remittebat omnia arreragia, quæ per Eccleſiaſticos Prælatos & alios Beneficiatos ratione vacantium, ſeu annatarum, vel aliàs Cameræ Apoſtolicæ debebantur de toto tempore tranſacto uſque ad diem ſuæ aſſumptionis.

Item poſtea idem Archiepiſcopus propoſuit, quòd quia Dominis Cardinalibus, ſeu Collegio Cardinalium, quod ſolet recipere medietatem dictorum vacantium, quoad Prælaturas, etiam ad cauſam hujus medietatis debebantur multa arreragia, expediens videbatur ſupplicare dicto Collegio quòd omnia arreragia ſibi debita remittere vellent, ſicut Papa requirens quod Prælati reſponderent ſi hoc eis placeret, omnes reſponderunt, PLACET. Et ſtatim dictus Archiepiſcopus ſe inclinans dixit alta voce : Vobis Dominis meis Cardinalibus pro parte omnium ſupplicatur, quatenùs iſta arreragia remittere dignemini; & licet nihil reſpondiſſent pro horâ, tamen dictus Archiepiſcopus ſtatim iterum dixit altâ voce omnibus : Videatis ſi expediens ſit, quòd omnia iſta ſint remiſſa & quittata. Et ſuper hoc reſpondeatis ſi placet. Omnes ſtatim clamaverunt, PLACET, PLACET. Et ſtatim dictus Archiepiſcopus nomine omnium de iſtis petiit inſtrumentum. Verùm eſt quod ſatis ſciebatur per ante quòd quaſi omnibus Cardinalibus ſatis placebat, excepto Cardinale Albanenſi, qui ſæpius dixerat, quòd nunquam remitteret, & ipſe etiam in dictâ ſeſſione exiſtens clamabat quòd ſibi non placebat. Et ad idem erat Cardinalis Neapolitanus, cui etiam non placebat. Et pro aliis concernentibus reformationem Eccleſiæ expediendis fuit adhuc una ſeſſio ordinata ad diem Veneris, quæ erit dies ſecunda Auguſti.

Dictâ vero die Sabbati viceſima ſeptima Julii, anno prædicto milleſimo quadringenteſimo nono, præſidente eodem Domino ALEXANDRO *Papa V. per os Domini Cardinalis de Chalento pronuntiata fuerunt in ſcriptis ea omnia quæ ſequuntur in forma :*

SAnctiſſimus Dominus noſter ALEXANDER Papa quintus, ſacro approbante Concilio, omnes & ſingulas electiones, poſtulationes, promotiones, confirmationes, collationes, quaſcumque proviſiones quibuſvis perſonis hodie pacificè poſſidentibus, & huic ſacro Concilio, & ejus determinationibus adhærentibus, de quibuſcumque Prælaturis, dignitatibus & beneficiis Eccleſiaſticis, curatis vel non curatis, conſecrationeſque Epiſcoporum, & ordinationes Clericorum, per ipſos contendentes de Papatu aut eorum alterum, ſeu eorum prædeceſſores, aut eorum mandato vel auctoritate, temporibus & locis, in quibus eiſdem realiter & liberè præſtabatur obedientia, dum tamen ante ſententiam, & aliàs canonicè factæ ſint, & publicè & pacificè tem-

pore ſententiæ poſſederint, & in præjudicium unionis aut proſequutionis ejuſdem, vel huic Concilio adhærentium factæ non fuerint; ex certâ noſtrâ ſcientiâ, ac motu proprio ſacro etiam approbante Concilio, ratificamus & approbamus, ac ratas haberi volumus atque firmas, & etiam ſi oporteat de novo providemus. Ubi autem aliquis caſus emergeret, per quem appareret aliquem adhærentem huic Concilio gravatum per aliquem ex contendentibus, à die tertiâ Maii quoad Angelum Corario, & à die decimâ quintâ Junii, quoad Petrum de Lunâ, anni milleſimi quadringenteſimi octavi; placet Concilio quòd Dominus noſter provideat ſecundùm quod ſibi videbitur.

Item placet Concilio quòd ſuper facto Archiepiſcopi Januenſis Dominus noſter provideat. Item electiones, poſtulationes, ipſarum admiſſiones, confirmationes, mutationes, conſecrationes, Clericorum ordinationes, collationes, præſentationes, inſtitutiones, permutationes, privationes, & quaſvis proviſiones & diſpoſitiones quibuſvis perſonis, huic ſacro Concilio & ejus determinationibus adhærentibus, de quibuſcumque beneficiis Eccleſiaſticis & prælaturis per Electores, Confirmatores, Patronos, Ordinarios, & quoſcumque Proviſores ad hoc habentes poteſtatem & authoritatem canonicè factas, temporibus & locis ſubſtractionis & neutralitatis, in quibus hujuſmodi contendentibus obedientia non præſtabatur, dummodo aliàs canonicè factæ ſint, hoc ſacro approbante Concilio ratificamus & approbamus, & ratas manere volumus, atque firmas, ac omnem ſuſcipere roboris firmitatem, reſervationibus non obſtantibus quibuſcumque, declarationibus tamen & decretis hoc capitulum concernentibus in aliis ſeſſionibus lectis, in ſuo robore permanentibus.

Item ut unione & pace jam in Dei Eccleſiâ per ipſius gratiam in capite confirmatâ, pax & tranquillitas ſubditorum perfectiùs procuretur, & litium anfractus quorum dubii ſunt eventus conſultiùs evitentur, hoc ſacro approbante Concilio decernimus & declaramus, quòd omnes & ſinguli beneficia Eccleſiaſtica, dignitates, perſonatus vel officia curata, titulo ordinario aſſequuti, & poſſeſſionem pacificam jam adepti, dum tamen canonicè, & aliàs quàm per privationem adhærentium huic ſacro Concilio & ejus determinationi aſſequuti fuerint, beneficiis hujuſmodi liberè & pacificè gaudeant, nec in jure, titulo, ſeu poſſeſſione ſuis hujuſmodi quomodolibet inquietentur, turbentur ſeu graventur, etiam ſi ſpecialiter vel generaliter beneficia prædicta Sedi Apoſtolicæ fuerint reſervata.

Per præmiſſa verò, ſeu aliquod præmiſſorum non intendimus derogare ordinationibus circà præmiſſos articulos factis in ultimâ congregatione Prælatorum, & aliorum Eccleſiaſticorum facta Pariſiis. Nec etiam ex præmiſſis vel aliquo præmiſſorum volumus aliquod præjudicium generari Venerabilibus Fratribus noſtris Cardinalibus, vel alicui ipſorum huic ſacro Concilio, & ejus determinationi nunc adhærentium, in beneficiis aliàs per ipſos, & quemlibet ipſorum poſſeſſis canonicè.

Item per hoc non intendimus fieri aliquod præjudicium fratri noſtro Cardinali Albanenſi in jure quod habet in Archidiaconatu Locionenſi.

Item ſacro approbante Concilio decernimus fore procedendum contrà obedientes & adhærentes pertinaciter, ſeu fautores Petri de Lunâ, & Angeli Corrario, nuper de Papatu contendentium & colludentium, per hoc ſacrum Concilium de ſchiſmate & hæreſi notoriis per diffinitivam ſententiam condemnatorum, modis quibus eſt ſecundùm ſacros Canones contrà contendentes & fautores hæreticæ pravitatis procedendum.

Item ſacro approbante Concilio decernimus per nos vel ſucceſſorem noſtrum ex certis, magnis & arduis cauſis, nos & hoc ſacrum Concilium moventibus, iterum generale Concilium Eccleſiæ fore convocandum, hinc ad triennium, videlicet an. quo dicetur D. milleſimo quadringenteſimo duodecimo in menſe Aprilis, in civitate ſeu loco habili & decenti, qui locus declarabitur per annum ante tempus Concilii per nos vel ſucceſſorem noſtrum, convocationem facientem.

Item ſacro approbante Concilio decernimus & declaramus, quòd ſi Cardinalis de Fliſco infrà duos menſes proximos perſonaliter ad nos venire, & obedientiam nobis præſtare, & determinationi hujus ſacri Concilii adhærere voluerit, benignè recipiatur cum integritate ſtatûs & honoris, atque beneficiorum, quæ decimo quinto Junii milleſimi quadringenteſimi octavi obtinebat.

Item omnes diſpenſationes factas per Epiſcopos Diœceſanos in partibus neutralibus, cum defectum ætatis patientibus causâ aſſequendi & obtinendi beneficia, dignitates aut Prælaturas.

Item & omnes abſolutiones & habilitationes in foro pœnitentiali, tam per contendentes, quàm dictos Ordinarios pendente ſchiſmate factas ſuper caſibus ſanctæ Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ex certâ noſtrâ ſcientiâ hoc approbante Concilio ratificamus & approbamus.

Seſſio XXI.

Viceſima prima ſeſſio, quæ erat aſſignata ad diem ſecundam Auguſti, fuit continuata ad ſeptimam Auguſti; in quâ poſt Miſſam & Litanias fuit lecta cedula continens aliqua expedientia pro bono regimine Eccleſiaſtico; cujus tenor infrà ſcribitur. Et dedit Papa plenam indulgentiam omnibus qui interfuerunt Concilio prædicto generali, & ejus determinationi adhærent, ſic quòd quilibet infrà duos menſes à tempore, quo ad ejus notitiam devenerit, poſſit dictam abſolutionem aſſequi: & etiam voluit quod quilibet prædictorum hac indulgentiâ uti poſſit in mortis articulo. Et hoc totum etiam extendit ad familiares & ſervitores illorum, qui in dicto Concilio fuerunt, &c. & dedit omnibus licentiam recedendi; & Concilium continuavit uſque ad aliud Concilium infrà triennium convocandum, prout in dictâ cedulâ continetur, cujus tenor eſt infrà ſcriptus, & ſic finis.

Ipsâ die ſeptimâ Auguſti præſidente Domino Papa ALEXANDRO *V. in dicto Concilio generali Piſano pronunciata fuerunt ea quæ ſequuntur, Anno videlicet Domini* MCDIX.

SAnctiſſimus Dominus noſter ſacro approbante Concilio ordinavit, quòd bona immobilia Eccleſiæ Romanæ, ſeu aliarum Eccleſiarum nullatenùs per ipſum, vel alios Prælatos alienentur ſeu hypothecentur uſque ad proximè indictum Concilium, in quo ſuper hoc articulo maturiùs poterit deliberari.

Item Dominus noſter eodem approbante Concilio ordinat & mandat celebrare Concilia provincialia per Metropolitanos, & Synodos per eorum ſuffraganeos, ſecundùm formam juris & Concilii generalis; quia ex eorum obmiſſione multa ſequuntur inconvenientia.

Item Dominus noſter eodem approbante Concilio ordinat & mandat celebrari capitula Monachorum nigrorum, & Canonicorum regularium ſecundùm formam Concilii generalis, & Conſtitutiones Honorii tertii, felicis recordationis, & Benedicti duode-

Digitized by Google

cimi. Et quia limitatio Provinciarum facta per Benedictum duodecimum non poſſet obſtante temporis malitiâ obſervari, ordinat Dominus noſter quoad dicta Capuula celebranda ſtandum juri antiquo durante impedimento prædicto, videlicet ut provincia communis & vulgaris poſſit per ſe provinciale Concilium celebrare, ea quo commodè non poteſt cum aliâ convenire, & deputabit Dominus noſter Præſidentes & Eaequutores ad præmiſſa exequenda.

Item Dominus noſter miſericordiâ motus, liberaliter remittit, prout aliàs fecit, omnia arreragia majora, & minuta ſervitia ſuæ Cameræ Apoſtolicæ, de toto tempore antiquo debita, ſibi dumtaaat competentia: etiam ſi qui propter defectum ſolutionis hujuſmodi arreragiorum ſententiam eacommunicationis incurrerint, eos authoritate Apoſtolicâ abſolvit; & ſi aliqui propter cauſam prædictam, irregularitatem incurrerint, cum eis miſericorditer diſpenſat, & ad communionem ſacramentorum & ſuorum Ordinum reſtituit; mandatque literas & inſtrumenta tradi & confici omnibus petentibus de remiſſione prædictâ.

Item Dominus noſter ſacro approbante Concilio diſponit non facere tranſlationes de invitis, niſi parte vocatâ & auditâ, & de conſenſu majoris partis Cardinalium, niſi ex cauſis juſtis & rationabilibus.

Item Dominus noſter ſacro approbante Concilio decernit, quòd per dictum Dominum noſtrum cum Cardinalium conſilio deputentur Nuntii ſolemnes, & mittantur ad Reges & Principes cunctos fideles, ad publicandum & proſequendum, auctoritate Domini noſtri Papæ & ſacri Concilii, acta in iſto ſacro Concilio.

Item Dominus noſter auctoritate Dei & Apoſtolorum Petri & Pauli, atque ſuâ, concedit omnibus qui in hoc ſacro Concilio interfuerunt, & ejus determinationi adhærent, abſolutionem plenariam à culpâ & pœnâ ſemel tantùm.

Item quòd quilibet de prædictis infrà duos menſes poſtquàm ad ejus notitiam hujuſmodi conceſſio pervenerit, poſſit dictum beneficium abſolutionis aſſequi in formâ Eccleſiæ.

Poſtquam articulus iſte per Reverendiſſ. in Chriſto P. Dominum Cardinalem de Chalento in pleno Concilio lectus fuit, Dominus noſter Papa Alaaander V. voluit quòd eatenderetur dictus articulus in mortis articulo, & ſic eſt duplea; voluit etiam quòd ſervitores illorum qui ad dictum Concilium venerant, & illis in veniendo & ſtando in loco Concilii ſervierant, præfatam indulgentiam perciperent.

Item Dominus noſter ſanctiſſimus cum conſilio Concilii intendit reformare Eccleſiam in capite & in membris. Et quia jam multa per Dei gratiam ſunt eapedita, quæ ipſum Dominum noſtrum, & favorem Prælatorum, aliorumque inferiorum concernunt, reſtantque alia quæ propter receſſum Prælatorum & Ambaſſiatorum de præſenti expedire non poſſunt, propterea Dominus noſter ſacro requirente & approbante Concilio dictam reformationem ſuſpendit, & continuat uſque ad proximè indictum Concilium, & præſens Concilium prorogat & continuat uſque ad illum terminum, qui præfiaus eſt ad Concilium jam dictum. Et interim dat licentiam omnibus ad Concilium convocatis ad proprios lares redeundi uſque ad tempus præfiaum, ut ſuprà.

Et ſic finis dicti Concilii.

Præſentes autem in dicto Concilio, aut qui ad eum miſerunt, inferiùs ſunt ſubſcripti.

SEQUUNTUR PRÆLATI, Ambaſſiatores & Procuratores, ſeu eorum nomina, qui in hoc ſacro Concilio Piſano comparuerunt & fuerunt: quod Concilium tentum & celebratum fuit anno MCDIX. *computando ſecundùm morem Curiæ Romanæ, & incepit die* XXV. *Martii.*

Et primò Reverendiſſimi in Chriſto Patres & Domini, Domini Sacro-ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales.

EPISCOPI CARDINALES.

Reverendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus, Dominus Guido Epiſcopus Præneſtinus.
R. in Chr. P. & D. D. Henricus Epiſc. Tuſculanus, dictus Neapolitanus.
R. in Chr. P. & D. Nicolaus Epiſc. Albanenſis.
R. in Chr. P. & D. D. Johannes Epiſc. Oſtienſis, dictus Vivarienſis, S. R. E. Vicecancellarius.
R. in Chr. P. & D. D. Antonius Epiſc. Præneſtinus, dictus Aquilegienſis.
R. in Chr. P. & D. D. Petrus Epiſc. Tuſculanus, dictus de Podio.

PRESBYTERI CARDINALES.

R. in Chr. P. & D. D. Petrus tit. S. Suſannæ, dictus de Thureïo.
R. in Chr. P. & D. D. Angelus tit. S. Potentianæ, dictus Laudenſis.
R. in Chr. P. & D. D. Petrus tit. S. Praacdis, dictus de Hiſpaniâ.
R. in Chr. P. & D. D. Conradus tit. S. Griſogoni, dictus Militenſis.
R. in Chr. P. & D. D. Franciscus tit. Sanctorum Quatuor Coronatorum, dictus Burdegalenſis.
R. in Chr. P. & D. D. Jordanus tituli S. Martini in Montibus, dictus de Urſinis.
R. in Chr. P. & D. D. Johannes tit. ſanctæ Crucis in Jeruſalem, dictus Ravennatenſis.
R. in Chr. P. & D. D. Petrus tit. duodecim Apoſtolorum, dictus Mediolanenſis.

DIACONI CARDINALES.

R. in Chr. P. & D. D. Amedeus S. Mariæ novæ, dictus de Saluciis, ſacri Collegii Camerarius.
R. in Chr. P. & D. D. Raynaldus S. Viti in Marcello, dictus de Braneacus.
R. in Chr. P. & D. D. Radulphus S. Nicolai in carcere Tulliano, dictus Barenſis.
R. in Chr. P. & D. D. Balthasar S. Euſtachii, dictus S. Euſtachii.
R. in Chr. P. & D. D. Odo S. Georgii ad Velum aureum, dictus de Columnâ.
R. in Chr. P. & D. D. Ludovicus S. Agathæ, dictus de Barro.
R. in Chr. P. & D. D. Petrus S. Angeli, dictus Romanus.
R. in Chr. P. & D. D. Petrus Blavi, dictus etiam S. Angeli.

Sequuntur Ambaſſiatores Regum, & primò Illuſtriſſimi Domini Romanorum & Boemiæ Regis.

R. in Chr. P. & D. D. Wenceslaus Patriarcha Antiochenſis.
R. in Chr. P. D. D. Simon Epiſcopus Miſnenſis.
Magnificus Baro D. Bonscius Colmoi Miles.

Ambaſſiatores Domini Francorum Regis.

R. in Chr. P. D. D. SIMON Patriarcha Alexandrinus.
R. P. D. PETRUS Epiſcopus Meldenſis.
R. P. D. ÆGIDIUS Epiſcopus Conſtantienſis.
Venerabilis vir D. GUILLELMUS Boiſraterii, Legum Doctor.
Venerabilis vir D. JOFFREDUS de Peruſiâ. Decretorum Doctor.

Ambaſſiatores Domini Anglicorum Regis, & omnium ipſius Regni Prælatorum, & Capitulorum Eccleſiarum, ac totius Eccleſiæ Anglicanæ.

R. P. D. ROBERTUS Epiſc. Saliſberienſis.
R. P. D. HENRICUS Epiſc. Menevenſis.
V. vir D. THOMAS, Abbas Monaſterii B. MARIÆ Jorevallenſis, Ordinis S. Benedicti.
D. THOMAS Prior Cantuarienſis, Ordinis S. Benedicti.
D. Comes Sucfolchiæ.
D. JOHANNIS Colme Miles.
D. RICARDUS Canyngſton, Legum Doctor, Canonicus & Officialis Eboracenſis.

Ambaſſiatores Regis LUDOVICI.

R. P. D. JOHANNES Epiſc. Vapicenſis *ſeu* Vapincenſis.
D. GUILLELMUS de Rupibus, Miles & Cambellanus.
D. JOHANNES de Genoardis, Legum Doctor, Conſiliarius.
Magiſter Lucas de Caſtilione, Secretarius.

Ambaſſiatores Regis Poloniæ.

R. P. Dominus PETRUS Epiſcopus Cracovienſis.

Ambaſſiatores Regis Cypri.

R. in Chriſto Pater & Dominus, Dominus Cardinalis S. Angeli.

Ambaſſiatores Ducis Brabantiæ.

V. vir D. JOHANNES Abbas Monaſterii de Gemblous, Ordinis S. Benedicti.
V. P. D. Abbas Monaſterii de Villari, Ordinis Ciſtercienſis.
V. P. D. Abbas Monaſterii de Tungerloe, Ordinis Præmonſtratenſis.
V. vir D. PETRUS Guidonis, Legum Doctor, Cancellarius.
V. vir D. JOHANNES de Terouhont, Licentiatus in Legibus.
V. vir D. GODEFRIDUS de Orchenis, Licentiatus in Legibus.

Ambaſſiatores Domini Ducis Careſtii Auſtrienſis.

Sacræ Theologiæ Magiſter FRANCISCUS, Ordinis Prædicatorum.
Magiſter PETRUS de Vingar, Vicecancellarius Univerſitatis Studii Viennenſis, Magiſter in Artibus.

Ambaſſiatores Domini Ducis STEPHANI *Bavariæ.*

V. P. D. JOHANNES Abbas Monaſterii S. Gisleni in Cellâ, Ordinis S. Benedicti Cameracenſis Diœceſis, ſacræ Theologiæ Profeſſor.
D. THOMAS de Fraxino, Miles.
D. THOMAS de Reyngheſſliette, Licentiatus in Legibus, Eccleſiaſticus S. Petri Luthoſenſis Cameracenſis Diœceſis.

Ambaſſiatores Dominorum HENRICI *&* GONTHERII *Fratrum Comitis de Vvatſemburg.*

V. vir Dominus JOHANNES de Goch, Præpoſitus Eccleſiæ S. Sebaſtiani.

Ambaſſiatores Ducis Clevenſis.

R. in Ch. P. & D. D. GUIDO miſeratione divinâ Epiſc. Cardinalis Præneſtinus.
V. D. PETRUS Scalpipe, Canonicus Zauttenſis Colonienſis Diœceſis.

Ambaſſiatores Domini GEORGII *Benzon Domini Croüit.*

V. P. Frater PANTHELEON de Zuëlis Ordinis Minorum, Conſiliarius.

Ambaſſiatores Domini Blandratæ.

R. P. D. JOHANNES *ſeu* JOHANNOTUS Epiſcopus Novarienſis.

Ambaſſiatores Domini CAROLI *Ducis Lotharingiæ, & Marchionenſis.*

D. HENRICUS Tronle, Licentiatus in Decretis, Decanus Eccleſiæ B. MARIÆ in Ivodio, Conſiliarius.
D. GERSELUS de Walderſringrâ, Paſtor in Sinis, Treverenſis Diœceſis, Capellanus.

Ambaſſiatores Domini Ducis Mazoviæ Senioris.

V. vir D. PAULUS Præpoſitus Eccleſiæ S. MARIÆ extrà muros Placentiæ, Ordinis Præmonſtratenſis.

Ambaſſiatores D. JUDOCI *Marchionis Brandeburgenſis & Moraviæ, Archicancellarii ſacri Romani Imperii.*

R. P. D. JOHANNES Epiſc. Lubecenſis.
V. vir D. THEODERICUS Præpoſitus Tangermontenſis, Licentiatus in Decretis.

Ambaſſiatores Domini FRIDERICI *Comitis Mortenburg, & in Sternberg.*

D. WLRICUS in Urſtin Eccleſiæ Rector, & D. JUDOCUS in Feroſtomin Eccleſiæ Rector, dicti Domini Comitis Secretarii.

Ambaſſiatores Dominorum FRIDERICI *&* WILLELMI *germanorum Lantgravi, Thuringiæ, Marchionum Miſnenſium.*

V. vir NICOLAUS Lubiche, Decanus Eccleſiæ B. MARIÆ Effordenſis, dictorum Marchionum Secretarius.

Ambaſſiatores R. P. Archiepiſcopi Colonienſis.

Magnificus vir JOFFRIDUS de . . . . . . Præpoſitus Maguntinenſis, & Theſaurarius Eccleſiæ Colonienſis, Comes.
Magnificus vir D. THEODERICUS de Murſe, Præpoſitus Uriennenſis, & Archidiaconus Eccleſiæ Colonienſis, Comes.
D. JOHANNES de Huepe, Subdiaconus Eccleſiæ Colonienſis.
D. HENRICUS Weſtriheltz utriuſque juris Doctor, ſacri Palatii Auditor, Decanus Eccleſiæ S. Andreæ Colonienſis.
D. HUGO de Hernoiſt Miles.
D. CHRISTIANUS de Cipr, Legum Doctor, Scholaſticus Eccleſiæ S. Geronis Colonienſis.
HENRICUS de Cipr, Legum Doctor, Canonicus Eccleſiæ S. Caſſii Biconienſis, Colonienſis Diœceſis.

D. Baldelinus de Diclie, Canonicus Eccleſiæ S. Andreæ Colonienſis.

Ambaſſiatores Domini Archiepiſcopi Maguntini.

D. Johannes Kempen, Præpoſitus S. Bartholomæi Frankfordenſis, Maguntinenſis Diœceſis.
D. Conradus Curos, Decanus B. Mariæ ad gradus Maguntini.
D. Henricus Herenſelle Decretorum Doctor.
D. Weyso Præpoſitus Jetheburgenſis.
D. Philippus Prælath, Canonicus Maguntinenſis.

Ambaſſiatores R. P. Domini Archiepiſcopi Salzeburgenſis.

V. vir D. Fridiricus Deys, Decretorum Doctor, Decanus Padeburnenſis.

Ambaſſiatores R. P. Domini Patriarchæ Aquilegienſis.

R. P. D. Johannes Epiſc. in univerſali Eccleſiâ.
Nobilis vir Francislinus de Pantherâ.
D. Andreas de Monticul, Licentiatus in Legibus.

Ambaſſiatores Magiſtri Ordinis de Pruſſiâ.

Procurator Generalis S. Johannis Jeruſalem.

Ambaſſiatores R. P. Domini Johannis *Electi Leodienſis.*

Sacræ Theologiæ Profeſſor Magiſter Girardus Rondelli, Magiſter in Theologiâ.
V. vir D. Lambertus de Stipite, Decretorum Doctor.
V. vir D. Ægidius de Jomalintue, in utroque Jure Licentiatus.
V. vir D. Andreas Sudemian, Licentiatus in Legibus.
V. vir D. Paulus de Clotingerii in utroque Jure Licent.

Sequuntur Patriarchæ præſentes.

R. P. D. Simon Patriarcha Alexandrinus.
R. P. D. Wenceslaüs Patriarcha Antiochenus.
R. P. D. Hugo de Robertis Patriarcha Jeroſolymitanus.
R. P. D. Franciscus Laudo Patriarcha Gradenſis.

Protonotarii.

D. Aragonenſis de Maleſpinis.
D. Dominicus de Fliſco.

Archiepiſcopi præſentes.

Reverendi Patres Domini
Franciscus Narbonenſis, Camerarius.
Philippus Lugdunenſis.
Petrus Bituricenſis.
Nicolaus Sipontinus.
Amelius Turonenſis.
Pilsus Januenſis.
Vitalis Toloſanus.
Alamanus Piſanus.
Bertrandus Arborenſis.
Johannes Viennenſis.

Epiſcopi præſentes.

Reverendi Patres Domini
Petrus Meldenſis.
Guillelmus Lexovienſis.
. . . . Albingaunenſis.
Dominicus Albienſis.
Gentilis Neocaſtrenſis.
Helias Anicienſis.
Bertrandus Apamianus.
Julianus Marſicanenſis.
Nicolaus Boianenſis.
Benedictus Vintimilienſis.
Guillelmus Uticenſis.
Lanprancus Bethlemitenſis.
Petrus Belvacenſis.
Ludovicus Wlturanus.
Petrus Famaguſtao.
Guillelmus Veſtanenſ.
Jacobus Florentin.
Ægidius Nemauſenſis.
Petrus Lomberienſ.
N. Nazareth.
Alvanus Ovetenſis.
Petrus Cracovienſis.
Nicolaus-Antonius Luceritenſ.
Petrus Cameracenſis.
Annonius Calenen.
Raimundus Petragoricenſis.
Jo. Lubecenſis.
Franciscus Oſcenſis.
Blasius Sulcitan.
Gregorius Landemerien.
Guillelmus *olim* Ep. Carleonen.
Simon Caſſinenſis.
Matthæus Piſtorienſis.
Guillelmus Ebroïcenſis.
Walterus Bonon.
Jo. Forjulienſis.
Guillelmus Mirapicenſis.
Jacobus Æduenſ.
Paulus Cernienſ.
. . . . Aretinenſis.
Tristanus Trecorenſis.
Paulus Maſſilienſis.
Jacobus Comaculenſ.
N. Siſtaricenſis.
Branoia Placentin.
Philippus Saonenſis.
Jo. Vapincenſ.
Leonardus Fermacenſ.
Bertrandus Dignenſis.
Stephanus Dolenſis.
Bartholomæus Alarienſis.
Petrus Faventinus.
Martinus Atrebatenſis.
Alexius Bobienſis.
Jacobus Laudenſis.
. . . . . . Santonenſis.
Johannes in univerſali Eccl.
Bertrandus Tutelenſis.
Ægidius Forojulienſis.
Ægidius Conſtantienſis.
Johannes Novarienſis.
Imbertus Aginnenſis.
Franciscus Cicen.
Jo. Vivarienſis.
Gumbenis Elect. Sconiginenſ.
Nicolaus Fanonen.
V. vir D. Leonardus Adminiſtrator Eccleſiæ Chienſ.
V. Pater Magiſter Nicolaus Ordinis Minorum, Adminiſtrator Eccleſiæ Tregeſtin.

Sequuntur Abbates præſentes Monaſteriorum infrà ſcriptorum.

V. P. D. Bernardus Abbas Monaſterii S. Mariæ Vallis-umbroſæ Feſulan. diœceſis.
V. P. D. Jo. Abbas Ciſtercienſis pro ſe & toto ſuo Ordine.
D. Abbas Camaldulenſis.

D. Jo. Abbas S. Mariæ de Agario Ordinis Camaldulenſis.
D. Andreas Abbas Monaſterii Caſæ-Dei Ordinis S. Ben. Claromontenſ. diœceſ.
D. A. S. Mariæ de Fraboro Ord. S. Benedicti Florenſ. diœceſ.
D. Guido Abbas SS. Sergii & Bacchi Ordinis S. Benedicti prope Andegavum.
D. Simon Abbas Gemmeticenſis Ordinis S. Bened. Rotomagenſis diœc.
D. Abbas S. Salvatoris de Septimo Ordin. Ciſtercienſ. Floren. diœc.
D. Petrus Abbas Grandimontenſis.
D. Guillelmus Ab. de Nuçariis Ordinis S. Bened: Turon. diœc.
D. Guido Ab. Graſſenſis Ordinis S. Benedicti Carcaſſonenſ. diœc.
D. P. Ab. de Thironio Ordinis S. Bened. Carnoten. diœc.
D. Jo. Ab. Pontiniaci Ciſtercienſ. Ordinis.
D. I. Abbas S. Juſtinæ de Paduâ Ordinis S. Benedicti.
D. Jo. Ab. de Gringniano de Prato Ord. Valliſ-umbroſæ Piſtoren. diœc.
D. Bernardus Abbas S. Michaëlis de Podiobonzi Ordin. S. Bened. Floren. diœc.
D. Michael Abbas Monaſterii S. Bartholomæi de Bono ſolatio, Ordinis Ciſtercienſis Floren. diœc.
D. P. . . . . Ab. Camporum bonorum, Ord. Ciſterc. Vivarienſ. diœc.
D. Marcus Abbas S. Salvii de Florentiâ, Ordinis Valliſ-umbroſæ.
D. Balthasar Ab. S. Michaelis de Paſſingano, Ord. Valliſ-umbroſæ Floren. diœc.
D. Jo. Ab. S. Petri ſuper Divam, Ord. S. Bened. Sagienſis diœc.
D. Ab. S. Michaëlis de fuſculis de Piſtorio, Ord. Valliſ-umbroſæ.
D. Philippus Ab. Anianæ, Ordinis S. Bened. Magalonen. diœc.
D. Antonius Abbas S. Michaëlis de Batgepiſano, Camaldulen. Ordinis.
D. Stephanus Ab. Crudacii, Ordinis S. Benedicti Vivarienſ. diœceſis.
D. P. . . . Abbas S. Maxentii, Ordinis S. Benedicti.
D. P. . . . Ab. Monaſterii S. Auguſtini Lemovicenſis, Ordinis S. Bened. nominatus pro Clero Lemovicenſis diœc.
D. Franciscus Ab. Monaſterii S. Mariæ de Parcianâ, Ordinis Valliſ-umbroſæ, Piſtorienſis diœceſis.
D. Guillelmus Abbas de Gimondo, Ciſtercienſis Ord.
D. Paulus Ab. S. Anaſtaſiæ de Amandulo Fremen. diœc.
D. Abbas S. Martini ad Pinum, Ord. . . .
D. Stephanus Abbas de Caritate, Ordinis Ciſtercienſ.
D. Ægidius Ab. S. Eligii Noviomenſis diœc. Ord. S. Bened.
D. P. . . . . . Ab. S. Victoris Maſſilienſis.
D. Antonius Ab. S. Pauli de Roſnello, Ordinis Valliſ-umbroſæ, Féſulanenſ. diœc.
D. Jo. Ab. Ceſanenſis Ord. . . . .
D. Jo. Ab. S. Criſpini Majoris Sueſſionenſis.
D. Guillelmus Ab. de Corneliis, Ord. S. Bened. Lexovienſis diœc.
D. Franciscus Ab. de Upolis Ord. Valliſ-umbroſæ Floren. diœc.
D. Gaspardus Ab. S. Trinitatis de Floren. Ord. Valliſ-umbroſæ.
D. Franciscus Ab. S. Genovefæ Pariſienſ. Ord. S. Auguſtini.
D. Ricardus Ab. Monaſterii S. Pavacii de Floren. Ord. Valliſ-umbroſæ.
D. Sebastianus Ab. S. Salvatoris Camaldulenſis.
D. Nicolaus Ab. S. Mariæ de Florentiâ.
D. Jo. S. Giſleni in Cellâ Ord. S. Bened.
D. A. S. Dominici Piſan. Ord. . . .
D. Jo. Abbas S. Baronti, Ord. S. Bened. Piſtorienſ. diœc.
D. Laurentius Abb. S. Petri de Ceveo, Ord. Camaldul.
D. Philippus Ab. Caſſiani Ord. S. Bened. Wlteranenſis diœc.
D. Gregorius Ab. S. Salvatoris de Salvamundâ, Ord. Camaldulenſ.
D. Jo. Ab. S. Petri de Muchero, Ord. Valliſ-umbroſæ Floren. diœc.
D. Jacobus Abbas S. Stephani de Cencono, Ord. Camaldulenſ.
D. P. Ab. Montis S. Michaëlis in periculo maris, Ord. S. Bened. Abrincenſ. diœc.
D. Mamilianus Ab. S. Fadiacii de Piſis, Ord. Camaldulenſis.
D. Salvator Ab. S. Ægidii, Ord. S. Bened. Nemauſenſ. diœc.
D. Radulphus Ab. Omnium Sanctorum Andegavis, Ord. S. Auguſt.
D. Ruffinus Ab. S. Laurentii extrà muros Novarienſes.
D. Andreas Ab. Galliaci, Ord. S. Bened.
D. Abbas de Gemblous, Ord. S. Bened. Cameracenſ. diœc.
D. Abbas de Villari, Ord. Ciſt.
D. Andreas Ab. S. Bartholomæi Angliari, Ord. Camaldulenſ.
D. P. Abbas Vezeliacenſis, Ord. S. Bened. Eduenſ. diœc.
D. . . . Ab. Moliſmenſis, Ord. S. Bened. Lingonenſis diœc.
D. Bartholomæus Ab. S. Bartholomæi de S. Jucundâ, Ord. Camaldul.
D. . . . Ab. xii. Apoſtolorum, Ord. . . .
D. Jacobus Ab. S. Donati de Senis, Ord. Valliſ-umbroſæ.
D. Bartholomæus Ab. S. Fidelis Puppio, Ordinis Valliſ-umbroſæ, Aretin. diœc.
D. Landulphus Ab. Saganen.
D. Matthæus Ab. Claræ-vallis, Ord. Ciſtercienſ. Sacræ Theologiæ Profeſſor.
D. Meszilaus Ab. Monaſterii Curcienſ. Ordinis S. Bened. Cracovienſ. diœc.

GENERALES ORDINUM:

Primò Generalis Fratrum Prædicatorum.

R. P. Sacræ Theologiæ Magiſter Thomas de Fimo, Ordinis Prædicatorum Magiſter Generalis dicti Ord. partis Citramontanæ, pro ſe & toto ſuo Ordine cum infrà ſcriptis Magiſtris:
Magiſtro Simone de Piſis, Regente Florentiæ:
Magiſtro Michaele de Florentiâ, Vicario Nationis Tuſciæ:
Magiſtro Jacobo de Piſis:
Magiſtro Leonardo de Florentia:
Magiſtro Werturo Florentino Priore Florentino:
Magiſtro Andrea de Florentia:
Magiſtro Johanne de Provincia Poloniæ, Regente Cracoviæ:
Magiſtro Ardisono de Padua, Priore Paduano, & Vicario generali Provinciæ S. Dominici.

R. P. F. ANTONIUS de Ponto, Miniſter Generalis Ordinis Minorum partis Citramontanæ, pro ſe & nomine ſuo, unà cum infrà ſcriptis Magiſtris in Theologis, videlicet:

Mag. FRANCISCO de Creppa Miniſtro provinciæ Mediolanenſis.

Mag. JOHANNE de Bononia Miniſtro provinciæ Bononiæ.

Mag. MATTHÆO de Palma Miniſtro Provinciæ Romanæ.

Mag. VITALE Volentini de provincia Provinciæ.

Mag. JOHANNE Johannis de Florentia.

Mag. NICOLAO de Tergeſto.

Mag. BARTHOLOMÆO de Bononia.

Mag. LANGALSCIO de Placentia.

R. P. F. MATTHÆUS de Bononia Sacræ Theologiæ Profeſſor, Generalis Ordinis B. MARIÆ de Monte Carmeli partis Citramontanæ, pro ſe & ſuo Ordine, unà cum infrà ſcriptis Magiſtris in Theologia videlicet:

Mag. ANDREA de Luca Procuratore dicti Ordinis.

Mag. JOHANNE de Florentia Vicario generali in Provincia Tuſciæ.

Mag. BARTHOLOMÆO de Florentia Syndico Univerſitatis Bononiæ.

R. P. Sacræ Theologiæ Magiſter JOHANNES Graſſi Generalis Ordinis Carmelitarum partis Ultramontanæ, una cum Magiſtro RAIMUNDO Procuratore generali dicti Ordinis.

R. P. Sacræ Theologiæ Magiſter NICOLAUS de Caiſſia Generalis Ordinis Fratrum Heremitarum partis Citramontanæ, pro ſe & toto ſuo Ordine, unà cum infrà ſcriptis Magiſtris in Theologia, videlicet:

Magiſtro BOLCIO de Tolentino Procuratore dicti Ord.

Magiſtro SIMONE de Florentia, Regente Florentiæ.

Magiſtro BARTHOLOMÆO de Piſis, Regente Piſis.

Magiſtro Gabriële de Spoleto, Regente Bononiæ.

Magiſtro JACOBO de Guella Provinciali provinciæ Vallis Spoleti.

R. P. Sacræ Theologiæ Magiſter ANTONIUS de Bononia Generalis Ordinis B. MARIÆ Servorum partis Citramontanæ, pro ſe & Ordine ſuo unà cum infrà ſcriptis Magiſtris:

Mag. ANTONIO de Alexandria.

Mag. URBANO de Bononia.

Mag. Antonio de Paſſcingaro:

R. P. Sacræ Theologiæ profeſſor Magiſter PETRUS de Vena Generalis Fratrum Eremitarum ſancti Auguſtini, partis Ultramontanæ unà cum Fratre Raimundo de Croſio.

MINISTRI ORDINUM:

Primò Miniſter provinciæ Turoniæ Ordinis Fratrum Minorum.

V. F. ALANUS David Miniſter Provincialis Ordinis Minorum Provinciæ Turoniæ, nomine ſuæ Provinciæ, & ut nominatus inter Electos pro dicta Provincia.

Præceptores præſentes Præceptoriarum infrà ſcriptarum.

Nobilis vir D. JACOBUS de Algis Miles, Præceptor Domûs ſive Præceptoriæ Hoſpitalis ſancti Johannis Jeruſalem de Florentia, & Procurator Generalis dicti Ordinis nomine ſuo, & ut locum tenens D. Nicolai de Urſinis Militis Prioris Venetiarum, locum tenentis Domûs Hoſpitalis dicti Ordinis.

Religioſus vir F. JOHANNES Præceptor domûs ſancti Antonii de Rinverſo, & Cellerarius Generalis Monaſterii Viennenſis, pro ſe & Præceptoribus ſuæ dictæ Præceptoriæ ſubjectis.

Religioſus vir F. GUILLELMUS de Unone Præceptor Præceptoriæ ſive domûs de Eleëmoſinario, Ord. S. Antonii Biſuntinenſis Diœceſis, ſuo nomine & ſuæ Præceptoriæ.

Priores & Procuratores generales Ordinum præſentes.

R. vir F. ONESIMUS Prior Generalis totius Ordinis Camaldulenſis, pro ſe & quadraginta uno Abbat. & ſeptuaginta Prioribus dicti Ordinis.

Religioſus vir F. Nicolaus de Balinibus Prior Generalis S. Sepulcri Dominici.

R. vir D. GALTERUS Craſſi Prior Eccl. & Conventus Rodi, Ordinis S. Johannis Jeruſalem Decretorum Doctor.

R. vir F. PETRUS Procurator Generalis Ordinis B. MARIÆ Teuthonicorum, nomine ſuo ac Procuratorio nomine Magiſtri Generalis dicti Ordinis.

Sequuntur Priores Prioratuum tam Conventualium quam aliorum, & tam ultra quàm Citramontanorum.

Religioſus vir D. RADULPHUS Prior Prioratûs S. Johannis in Monte.

R. vir F. JOHANNES Prior Prioratûs S. Fabiani Piſtrienſis diœceſis.

R. vir F. Jo. de Griffomonte Prior Vallis-viridis propè Pariſios.

R. vir F. JOHANNES Tuelli Prior Prioratûs Fontiſ-Noſtræ-Dominæ, Ordinis Carthuſienſis, Sueſſionenſis diœceſis.

R. vir F. DOMINICUS Prior Prioratûs S. Bartholomæi prope Iaouam; omnes tres eorum propriis nominibus & pro toto Ordine Cartuſienſium in Regno Franciæ exiſtentium.

R. vir F. GUILLELMUS de Soiffet Prior Prioratûs Conventualis S. Arnulphi de Criſpeio, Silvanectenſis diœceſis.

R. vir F. FRANCISCUS Prior Monaſterii de Popiena, Ordinis Camaldulenſis.

R. vir F. Jo. Prior Prioratûs S. MARIÆ de Serra.

R. vir F. . . . . Prior Prioratûs de Sarmaſia.

R. vir F. . . . . Prior Prioratûs Conventualis de Boudolens.

R. vir F. PETRUS Moorandi Prior Prioratûs B. MARIÆ de Claterio Dignenſis diœceſis.

R. vir F. . . . . Prior Prioratûs de Podio Caprenſi.

R. vir F. . . . . Prior Prioratûs Conventualis de Boulonia.

R. vir F. PETRUS Prior Tueris Viennenſis diœceſis.

R. vir F. PETRUS Dacres Prior Prioratûs Abbatiſvillæ, Ambianenſis diœceſis.

R. vir F. ANTONIUS de Reſtis, Præpoſitus Domûs Pervercelinæ Mediolani.

Ambaſſiatores Univerſitatum Studiorum generalium:
Primò Studii Pariſienſis.

Venerabiles & circumſpecti viri Magiſtri DOMINICUS Parvi, & PETRUS Plaoul in Theologia Magiſtri.

ROBERTUS de Queſneyo, PETRUS de Provino, Decretorum Doctores.

JOHANNES Petri in Medicina Magiſter.

EUSTACHIUS de Foquembergue in Artibus Magiſter & Licentiatus in Decretis.

PONCIUS Symoneti in Artibus Magiſter & Licentiatus in Theologia.

Digitized by Google

Guillelmus Carpentarii in Artibus Magiſter & Baccalaureus formatus in Theologia.
Arnoldus Wiwit in Artibus Magiſter & Licentiatus in Theologia.
Johannes Broulleti dictus Franciſci in Artibus Magiſter & Licentiatus in Decretis.
Univerſitas Studii Bononienſis.
Univerſitas Studii Exonienſis.
Univerſitas Studii Toloſæ, pro qua erat præſens V. vir Magiſter Johannes Gartis Ordinis Fratrum Minorum, in Sacra Theologia Profeſſor, dictæ Univerſitatis Procurator, & Ambaſſiator.

Univerſitas Studii Andegavenſis.

V. Vir D. Guillelmus Maligeneris utriuſque Juris Doctor.
V. vir D. Nicolaus de Mellcio Legum Doctor, dictæ Univerſitatis Ambaſſiator.
Univerſitas Studii Viennenſis.
Univerſitas Studii Cracovienſis.
Sacræ Theologiæ Magiſter Franciſcus Ordinis Prædicatorum.
Ven. vir Magiſter Petrus de Lingier Vicecancellarius dictæ Univerſitatis.

Univerſitas Studii Montiſpeſſulani.

Ven. vir D. Leonardus Alamandi Licent. in Decretis.
Univerſitas Cantabrigiæ.
Univerſitas Studii Pragenſis.
Univerſitas Studii Colonienſis.

Sequuntur Archiepiſcopi qui miſerunt Ambaſſiatores & Procuratores.

Reverendi Patres Domini
Archiepiſcopus Colonienſis.
Archiepiſcopus Maguntinenſis.
Thomas Aquenſis.
Arthaudus Arelatenſis.
Archiepiſcopus Ebredunenſis.
Archiepiſcopus Turritanus.
Ludovicus Rothomagenſis.
Guido Remenſis.
Theobaldus Biſuntinenſis.
Hibeharbus Salzburgenſis.
Gunthjernus Magdeburgenſis.
Archiep. Cantuarienſis de Anglia.
Archiep. Eboracenſis de Anglia.

Sequuntur Epiſcopi qui miſerunt ſuos Ambaſſiatores & Procuratores.

Reverendi Patres Domini.
Petrus Pariſienſis.
Aymo Gratianopolitanus.
Hugo Lemovicenſis.
Guillelmus Regenſis.
Leonardus Grallenſis.
Johannes Vencienſis.
Johannes Glandatenſis.
Johannes Aptenſis.
Johannes Thulonenſis.
Wlricus Lamecenſis.
Leonardus Cain.
Eholmarus Viennenſis.
Bertrandus Montiſ-albani.
Johannes Ratiſponenſis.
Johannes S. Pauli.
Stephanus Vabrenſis.
Conradus Olomucenſis.
Henricus Nannetenſis.
Gatianus Coriſopitenſis.
Guillelmus Ruthenenſis.
Johannes Caſtrenſis.
Guido Leonenſis.
Johannes Malleacenſis.
Germanus Lucionenſis.
Johannes Laudunenſis.
Johannes Bajocenſis.
. . . . Abrincenſis.
Johannes Sagienſis.
Philippus Noviomenſis.
Bertrandus Biterrenſis.
Acardus Conſeranenſis.
Hardovinus Andegavenſis.
Victor Sueſſionenſis.
Martinus Tornaceoſis.
Johannes Ambianenſis.
Carolus Cathalaunenſis.
Matthæus Morinenſis.
Adam Cenomanenſis.
Martinus Carnotenſis.
Wlricus Brixinenſis.
Lanceslaus Vratiſlavienſis.
Johannes Electus Leodienſis.
Franciſcus Tenealbanenſis.
Henricus Tullenſis.
Fredericus Trajectenſis.
Milo Eduenſis.
Henricus Electenſis.
Petrus Papienſis.
Petrus Terdonenſis.
Bartholus Alexandriæ.
Petrus Pacenſis.
Antonius Troienſis.
Gonſalws Lamacenſis.
Johannes Briocenſis.
Michael Autiſiodorenſis.
Stephanus Tiecenſis.
Petrus Matiſconenſis.
Radulphus Metenſis.
Robertus Nivervenſis.
Georgius Patavienſis.
Jacobus Plotenſis.
Arnoldus Culmenſis.
Johannes Pomezanienſis.
Henricus Warmienſis.
Henricus Sambienſis.
Henricus Claromontenſis.
Philibertus Cabilonenſis.
Girardus Pictavenſis.
Udalricus Neubergenſis.
Walterus Merſeburgenſis.
Bartholomæus Vintimilienſis.
Joannes Vudunenſis.
Petrus Auraicenſis.
. . . . Plocenſis.
. . . . Bangorenſis.
. . . . Aſaphenſis.
. . . . Vigornienſis.
. . . . Lichefeldenſis.
. . . . Conventrenſis.
. . . . Herefordenſis.
. . . . Roffenſis.
. . . . Elienſis.
. . . . Wintonienſis.
. . . . Londonienſis.
. . . . Bathonienſis.

Sequuntur Abbates qui miſerunt Procuratores cum plena poteſtate.

Ven. P. D. Gerentonus Abbas Monaſterii S. Antonii Vienneníis, Ordinis S. Auguſtini.

V. P. D. Raymundus Abbas Monaſterii Cluniacenſis pro ſe & toto ſuo Ordine.

V. P. D. Estoldus Abbas Fiſcannenſis, Ord. S. Benedicti, Doctor Decretorum.

V. P. D. Helias Abbas Monaſterii Burgidolenſis, Ord. S. Bened. Bituricenſis Diœceſis.

V. P. D. Guillelmus Abbas Monaſterii de Lezato, Ord. S. Bened. Rivenſis Diœceſis.

D. Johannes Abbas Monaſterii S. Cypriani extra muros Pictavenſes, Ord. S. Benedicti.

D. Aymericus Abbas Monaſterii S. Benedicti de Quinciaco prope Pictav. Ord. S. Bened.

D. Pe. Abbas Monaſterii S. Crucis de Angla Ord. S. Auguſt. Pictavenſis Diœceſis.

D. Johannes Abbas Monaſterii Montiſ-majoris, Ord. S. Bened. Arelatenſis diœc.

D. Bertrandus Abbas Monaſterii S. Hilarii, Ord. S. Bened. Carcaſſonenſis diœc.

D. Jacobus Abbas Monaſterii B. Mariæ de Quadraginta, Ord. S. Auguſt. Narb nenſis diœc.

D. Io. Abbas Monaſterii Fontis-frigidi, Ord. Ciſtercienſis.

D. Per. . . . . Ab. Monaſt. S. Juſti de Ulteris Ord. Camaldulenſis.

D. Leo Abbas Monaſt. S. Petri de Tenolio Præmonſt. Ord. Laudunenſis diœc.

D. Michael Ab. Monaſterii Montis S. Eligii Ord. S. Auguſtini Attebat. diœc.

D. Philippus Ab. Monaſt. S. Taurini, Ord. S. Bened. Ebroicenſis diœc.

D. Gervasius Ab. Monaſt. de Bello-loco, Ord. S. Auguſt. Cenomannenſis diœc.

D. Io. Ab. Monaſt. de Ybreio, Ord. S. Benedicti Ebroic. diœc.

D. Guillelmus Ab. Monaſt. S. Petri de Cultura, Ord. S. Bened. Cenoman. diœc.

D. Io. Ab. Monaſt. S. Vincentii, Ord. S. Benedicti Cenoman. diœc.

D. Io. Ab. Monaſt. de Vadscio, Ord. S. Auguſtini Cenoman. diœc.

D. Io. Ab. Monaſterii S. Georgii de Nemore Ord. Auguſt. Cenoman. diœc.

D. Io. Ab. Monaſt. S. Carilephi, Ord. S. Bened. Cenoman. diœc.

D. Petrus Ab. Monaſt. de Vadoalneti, Ord. S. Bened. Cenom. diœc.

D. Io. Ab. Monaſt. de Pelicia, Ord. S. Bened. Cenoman. diœc.

D. Simon Ab. Monaſt. de Ebronio, Ord. S. Bened. Cenoman. diœc.

D. Prior & Conventus Monaſt. de Lonlayo, Abbate ipſius Monaſterii in remotis agente, Ord. & diœc. prædictorum.

D. Guillelmus Ab. Monaſt S. Andreæ Avinion. Ord. S. Bened.

D. Io. Ab. Monaſt. Præmonſtratenſis.

D. Io. Ab. Monaſt. S. Petri ad Montes, Ord. S. Bened. Cathalaun. diœc.

D. Guillelmus Ab. Monaſt. Omnium Sanctorum in Inſula Ord. S. Auguſt.

D. Io. Ab. Monaſterii S. Memmii in ſuburbio Cathalaun. Ord. S. Auguſt.

D. Guido Ab. Monaſt. de Uſarchia, Ord. S. Bened. Lemovic. diœc.

D. Petrus Ab. Monaſt. S. Mariæ S. Euſichii de Cellis, Ord. S. Auguſt. Bituric. diœc.

D. Io. Ab. Monaſt. de Virsione, Ord. S. Bened. Bituricenſ. diœc.

D. Guillelmus Ab. Monaſt. de Caſalibenedicto, Ord. S. Bened. Bituricenſ. diœc.

D. Io. Ab. Monaſt. S. Gildaſii Ord. S. Bened. Bituricenſ. diœc.

D. Guillelmus Ab. Monaſt. Fontiſcombaudi, Ord. S. Bened. Bituric. diœc.

D. Io. Ab. Monaſt. S. Genulphi, Ord. & diœc. prædictorum.

D. Gacsanus Ab. Monaſt. B. Mariæ de Exoldnno, Ord. & diœc. prædict.

D. Jacobus Ab. S. Petri Villæ de Nato, Ord. S. Bened. Vabrenſ. diœc.

D. Prior & Conventus Monaſterii de Millebeco, Ord. S. Bened. Bituric. diœceſ.

D. Americus Ab. Monaſt. S. Ambroſii, Ord. S. Aug. Bituric. diœc.

D. Robertus Ab. Monaſt. Miſeraïenſis, Ord. S. Aug. Bituric. diœc.

D. Raimundus Ab. Monaſterii Conchenſis, Ord. S. Bened. Ruthenenſ. diœc.

D. Aymaricus Ab. Monaſterii Pſalmodienſis, Ord. S. Bened. Nemauſenſ. diœc.

D. Germundus Ab. Monaſt. S. Trin. de Maloleone, Ord. S. Auguſt. Malleacenſ. diœc.

D. Petrus Ab. Monaſt. Cendratenſ. Ord. S. Bened. Nemauſenſ. diœc.

D. Io. Ab. Monaſt. S. Landi de S. Lando, Ord. S. Aug. Conſtantienſ diœc.

D. Io. Ab. Monaſt. B. Mariæ de Angliis Ord. S. Auguſt. Lucionen. diœc.

D. Guillelmus Ab Monaſt. B. Mariæ de Hembeïs, Ord. S. Bened. Conſtantienſ. diœc.

D. Petrus Ab. Monaſt. B Mariæ Loci-Dei in Iaido, Ord. Præmonſtratenſ.

D. Michael Ab. Monaſt. S. Salvatoris Vicecomitis, Ord. S. Bened. Conſtantienſ. diœc.

D. Poncius Ab. Monaſt. de Nobiliaco, Ord. S. Bened. Pictavenſ. diœc.

D. Stephanus Ab. Monaſt. S. Mariæ de Montiſburgo, Ordinis S. Bened. Conſtantienſ. diœc.

D. . . . . . . Ab. Monaſt. de Bellofonte, Ord. S. Bened. Malleacenſ. diœc.

D. Io. Ab. Monaſt. S. Johannis Angeliacenſis, Ord. S. Bened. Xantonenſ. diœc.

D. Nicolaus Ab. Monaſterii S. Leodegarii, Ord. S. Bened. Xantonenſ. diœc.

D. Michael Ab. Monaſt. Villæ-magnæ, Ord. S. Bened. Bitetenſ. diœc.

D. Adsmarus Ab. Monaſt. Caroffenſ. Ord. S. B. Pictavenſ. diœc.

D. Raimundus Ab. Monaſt. Jocundenſ. Ord. S. B. Electenſ. diœc.

D. Guillelmus Ab. Monaſt. B Mariæ de Becco-Hellumi, Ord. S. B. Rothomagenſ. diœceſ.

D. Arnaudus Ab. Monaſt. de Joncellis, Ord. S. B. Bitterenſ. diœc.

D. Io. Ab. Monaſt. de S. Anianno, Ord. S. Bened. S. Poncii. Thomeriacenſ. diœc.

D. Matthæus Ab. Monaſt. Sæcularis Eccleſiæ S. Affrodiſii, Biterrenſ. diœc.

D. Bernardus Ab. Monaſt. S. Tiberii, Ord. S. B. Agathenſ. diœc.

D. Jacobus Ab. Monaſt. S. Mauri ſupra Ligerim, Ord. S. B. Andegavenſ. diœc.

D. Guido Ab. Monaſt. S. Mariæ Ungiaci, Ord. S. Aug. Eduenſis diœc.

D. Theobaldus Ab. Monaſt. S. Albini Andegavis Ord. S. Benedicti.

D. Io Ab. S. Petri de Burgolio, Ord. S. B. Andevenſ. diœc.

D. I. Ab. Monaſt. S. Martini Ruri-Curtenſis aliàs de Boſco, Ord. S. Aug. Belvacenſ. diœc.

D. Simon Ab. Monaſt. S. Nicolai prope Andegavum, Ord. S. Benedicti.

D. Reginaldus Ab. Monaſt. S. Vitoni Virdunenſ. Ord. S. B.

D. Radulphus Ab. B. Mariæ de Rota, Ord. S. Aug. Andegav. diœc.

D. . . . . . Ab. Monaſt. Stabulenſis, Ord. S. B. Leodienſ. diœc.

D. . . . . Ab. Monaſt. Gemblacenſ.

D. Patrus Ab. Monaſt. B. Johannis Evang. Mellinenſis, Ord. S. Aug. Andegavenſ.

D. . . . . Ab. Monaſt. S. Trudonis, Ord. S. B. Leodienſis diœc.

D. . . . . Ab. Monaſt. S. Umberti, Ord. S. Bened. Leodienſ. diœc.

D. . . . . Ab. Monaſt. Ulidersbatenſis, Ord. S. B. Leodienſ. diœc.

D. . . . . Ab. Monaſt. Alnenſis, Ciſterc. Ordinis Leodienſ. diœceſ.

D. Guillelmus de Cadonio Prior Monaſt. B. Mariæ de Caſſiano, Bitterrenſis diœc. de Monaſt. S. Rufi prope Valentiam immediate dependentis.

D. . . . . Ab. Villarienſis.

D. . . . . Ab. Vallis S. Lamberti, Ord. Ciſtercienſ. Leodienſ. diœceſ.

D. . . . . Ab. Monaſt. Villiſ Dei, Ord. Ciſtercienſ. Leodienſ. diœc.

D. . . . . Ab. Monaſt. Magni-Prati, Ord. Ciſterc. Leodienſ. diœc.

D. . . . . Ab. Monaſt. Floreffienſ. Ord. Præmonſt. Leodienſ. diœc.

D. . . . . Ab. Monaſt. S. Gerardi de Bronio, Ord. S. B. Leodienſ. diœc.

D. . . . . Ab. Monaſt. Walchiodorenſ. & Haſtérienſis, Ord. S. B. Leodienſ. diœc.

D. . . . . Ab. Monaſt. Florinenſis, Ord. S. Bened. Leodienſ. diœc.

D. Renerus Ab. Monaſt. S. Jacobi, Leod. diœc. Ord. S. Bened.

D. Henricus Abb. Monaſt. S. Laurentii extra muros Leod. Ord. S. Benedicti.

D. Io. Ab. Monaſt. duodecim Apoſtolorum Bellireditus Leod. Præmonſtratenſ. Ord.

D. Guillelmus Ab. Monaſt. S. Egidii in Pulcromonte prope Leodium, Ord. S. Aug.

D. . . . . Ab. Monaſterii Averbodienſis, Ord. Præmonſt. Leod. diœc.

D. . . . . Ab. Monaſt. Parcenſis, Præmonſtrat. Ord. Leod. diœc.

D. . . . . Ab. Monaſt. Leffienſis, Ord. Præmonſtrat. Leod. diœc.

D. . . . . Ab. Monaſt. Heliemenſis, Ord. Præmonſt. Leod. diœc.

D. . . . Ab. Monaſt. Novi-Monaſterii. Ord. S. Aug.

D. . . . . Ab. Monaſt. Florenſis, Ord. S. Aug. Leodienſ. diœc.

D. . . . . Ab. Monaſt. Malonienſis, Ord. S. Aug. Leodienſ. diœc.

D. Johannes Ab. Monaſt. Sanctorum Floræ & Luciliæ Aretinenſis, Ord. S. B.

D. Antonius Ab. Monaſt. S. Janvalis & Copolonenſis, Ord. . . . . Aretinenſ. diœc.

D. Johannes Ab. Monaſt. de Campoano, Ord. Camaldunenſ. Aretinenſ. diœc.

D. . . . . Ab. Monaſt. S. Andreæ de Sexto, Ord. . . . . . Januenſ. diœc.

D. . . . . Ab. Monaſt. S. Mariæ de Pervallo, Ord. . . . . Januenſ. diœc.

D. . . . . Ab. Monaſt. S. Benigni, Ord. . . . . Januenſ. diœc.

D. . . . . Ab. Monaſt. S. Bartholomæi de Foſſato, Ord. . . . . Januenſ. diœc.

D. . . . . Ab. Monaſt. S. Mariæ de Jubino, Ord. . . . . . Januenſis diœceſis.

D. . . . . Ab. Monaſt. S. Andreæ de Bono, Ord. . . Januenſ. diœc.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Maſſayo.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Vernuſſia.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Mareſſiis.

D. . . . . Ab. Monaſt. S. Sulpicii.

D. . . . . Ab. Monaſt. Beatiſſimæ Trinitatis de Vindocino, Ord. S. B. Carnot. diœc. ad Romanam eccleſiam nullo medio pertinentis.

D. Bernardus Ab. Monaſt. S. Polycarpi, Ord. S. Bened. Narbonenſ. diœc.

D. Johannes Ab. Monaſt. S. Trinitatis de Exaquio, Ord. S. Bened. Conſtantienſis diœc.

D. . . . . Abbas Monaſt. S. Honorati.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Croſſio.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Toroneto.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Salvane.

D. . . . . Ab. Monaſt. S. Salvatoris Lodovæ, Ord. S. Bened.

Sequuntur Domini Abbates de Anglia qui miſerunt Ambaſſiatores ſive Procuratores.

D. . . . . Ab. Monaſt. S. Auguſtini extra muros Cantuarienſes.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Faveshan.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Bello.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Waldenue.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Coleheſte.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Hida.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Vervelle.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Cartheryz.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Abindonia.

D. . . . . Ab. Monaſt. Desherbonne.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Miletone.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Perne.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Abbatiſſinteye.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Malmeſbury.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Taneſtolie.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Evershan.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Gloucestre.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Barchere.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Vincecombe.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Alteſcoe.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Temeſbeſbury.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Glaſconia.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Monchailesb.

D. . . . . Ab. Monaſt. S. Albani.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Eushan.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Rameſey.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Burgo S. Petri.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Coruland.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Bardenay.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Ceſtria.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Sallopia.

D. . . . . Ab. Monaſt. Bortonenſis.

D. . . . . Ab. Monaſt. Ternei.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Burgo S. Edmundi.

Omnes ſupra dicti ſunt Ordinis S. Benedicti.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Wernerley.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Forneſta.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Fontanis.

D. . . . . b. Monaſt. de Riavalle.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Bellaloënda.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Meſſa.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Vaſcallis.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Orelay.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Nonconentio.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Holinculcani.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Caldria.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Rethford.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Ruppe.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Buelford.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Tirefordia.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Cumba.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Salbro,
D. . . . . Ab. Monaſt. de Scoloay.
D. . . . . Ab. Monaſt. de Parcoludo.
D. . . . . Ab. Monaſt. de Strataflorida.
D. . . . . Ab. Monaſt. de Haylio
D. . . . . Ab. Monaſt. de Walledregia,
D. . . . . Ab. Monaſt. de Turbueret.
D. . . . . Ab. Monaſt. de Regaliloco.
D. . . . . Ab. Monaſt. de Turtenna.
D. . . . . Ab. Monaſt. de Doze.
D. . . . . Ab. Monaſt. de Villiſdenni.
D. . . . . Ab. Monaſt. Hiltenſis.
D. . . . . Ab. Monaſt. de Blande
D. . . . . Ab. Monaſt. de Selitished.
D. . . . . Ab. Monaſt. de Lilyshellis.
D. . . . . Ab Monaſt. de Gracia.
D. . . . . Ab. Monaſt. Walborum.
D. . . . . Ab. Monaſt. de Lacres.
D. . . . . Ab. Monaſt. Halnenſis.

Omnes ſupradicti ſunt Ordinis Ciſtercienſis.

D. . . . . Ab. Monaſt. de Walchen.
D. . . . . Ab. Monaſt. Loyceſerie.
D. . . . . Ab. Monaſt. Corutenſis.
D. . . . . Ab. Mooaſt. Norteoſis.
D. . . . . Ab. Monaſt. Oſtency.
D. . . . . Ab. Monaſt. S. Jac. Norhthantonne.
D. . . . . Ab. Mooaſt. de Darle.
D. . . . . Ab. Monaſt. de Roboetoe.
D. . . . . Ab. Monaſt. de Oſcy.

Priores Prioratuum Monaſteriorum & Eccleſiarum infrà ſcriptarum in Regno Angliæ.

Prior Monaſt. de Davoyo.
Prior Monaſt. Henenſis.
Prior Monaſt. Eccleſiæ Roffenſis.
Prior Monaſt. de Lubben.
Prior Monaſt. de Boſgrohow.
Prior Monaſt. Eccleſiæ Wintonienſis.
Prior Mooaſt. S. Neoty.
Prior Monaſt. de Walingford.
Prior Monaſt. de Daventre.
Prior Monaſt. Couventrenſis.
Prior Mooaſt. de Bonore.
Prior Monaſt. Eccleſiæ Elienſis.
Prior Monaſt. Norwicenſis.
Prior Monaſt. S. Nicolai Exonenſis.
Prior Monaſt. de Barneſtahele.
Prior Monaſt. Wigornienſis.
Prior Monaſt. de Letheſt.
Prior Monaſt. de Malverne magna.
Prior Monaſt. Eccleſiæ Bathonienſis.
Prior Monaſt. de Spaldoag.
Prior Monaſt. de Terforde.
Prior Monaſt. de Caolſale.
Prior Monaſt. de Bronholme.
Prior Monaſt. de Feſtome.
Prior Monaſt. de Snapiis.
Prior Monaſt. de Wymadham.
Prior Monaſt. de Bymahan.

Omnes prædicti ſunt Ordinis S. Benedicti.

Sequuntur Capitula Eccleſiarum quæ miſerunt Procuratores.

Tholoſenſis.
Ambianenſis.
Narbonenſis.
Noviomenſis.
Aquenſis.
Arelatenſis.
Ebredunenſis.
Volienſis.
Regenſis.

Focalquerii.
Graſſenſis.
Pimatenſis.
Vencienſis.
Dignenſis.
Tholonenſis.
Forojulienſis.
Aptenſis.
Siſtarienſis.

* Spicil. Tom. I.

Maſſilienſis.
Vapicenſis.
Nauvantenſis.
Lomberienſis.
Niverneoſis.
S. Petri de Boneva.
Carcaſſonenſis.
Conſeranenſis.
Tarvienſis.
Januenſis.
Dolenſis.
Albienſis.
Electenſis.
Uticenſis.
Cenomanenſis.
Tornacenſis.
Pragenſis.
Atrebatenſis.
Carnotenſis.
Tutelenſis.
Vabrenſis.
Ruthenenſis.
Mimatenſis.
Nemauſenſis.
Lodienſis.
Florienſis.
Sylvanectenſis.
Parilienſis.
Senonenſis.
Saonenſis.
Agathenſis.
Cameracenſis.
Rothomagenſis.
Bituricenſis.
Eduenſis.
Conſtantienſis.
Aretinenſis.
Bononienſis.
Biterrenſis.
Novarienſis.
Andegavenſis.

Mirapicenſis.
Tullenſis.
Matiſconenſis.
Metenſis.
Cabilonenſis.
Lingonenſis.
Claromontenſis.
Wintonienſis.
Dunelmenſis.
Laudunenſis.
Viennenſis.
Cathalaunenſis.
Anicienſis.
Magalonenſis.
Vigintimilienſis.
Vudunenſis.
Vivarienſis.
Auranceuſis.
Beati Martini Turon.
Condomenſis.
S. Flori.
Exonienſis.
Sareſburienſis.
Elienſis.
Bathonēſis, & Wellenſis.
Roffenſis.
Herefordenſis.
Ciſtrienſis.
Lichefeldenſis.
Cornenſis.
Wigornienſis.
Lincolnienſis.
Londonienſis.
Norvicenſis.
Menevenſis.
Bangorenſis.
Aſaphenſis.
Culmenſis.
Pomezanienſis.
Warmienſis.
Sambienſis.

Sequuntur Procuratores Civitatum & Diœceſium qui miſerunt ad iſtud ſacrum Concilium.

Cleri civitatis & diœceſis Ambianenſis.
Cleri civitatis & diœceſis Sueſſionenſis.
Cleri civitatis & diœceſis Bononienſis.
Cleri civitatis & diœceſis Januenſis.
Cleri civitatis & diœceſis Lodienſis.
Cleri civitatis & diœceſis Sylvanectenſis.
Cleri civitatis & diœceſis Novarienſis.
Cleri civitatis & diœceſis Wratiſlavienſis.

Sequuntur Provinciæ quæ miſerunt Procuratores.

Rothomagenſis.
Turonenſis.
Remenſis.
Senonenſis.
Lugdunenſis.
Ebredunenſis.
Arelatenſis.

Aquenſis.
Mediolanenſis.
Ravennatenſis.
Burdegalenſis.
Piſanenſis.
Cantuarienſis.
Eboracenſis.

Sequuntur Communitates quæ miſerunt Ambaſſiatores.

Communitas Januenſis.
Communitas Florentinorum.

Digitized by Google

Anno 1391. *Ex Chartophylacio Ambianenſi.*

INDICTIO AUT CONVOCATIO

Concilii Provincialis Capitulorum Eccleſiarum Cathedralium Provinciæ Remenſis.

UNiverſis præſentes litteras inſpecturis, Remenſis, Sueſſionenſis, Laudunenſis, Noviomenſis, Belvacenſis, Catalaunenſis, Silvanectenſis, Ambianenſis, Cameracenſis, Tornacenſis, Atrebatenſis & Morinenſis Cathedralium Eccleſiarum Remenſis Provinciæ Decani & Capitula, æternam in Chriſto ſalutem.

Cum ritus & mores feliciſſimæ vetuſtatis ex charitate, & ut paci & tranquillitati Eccleſiarum provideatur diſtrictiùs ſint ſervandi, nec ſit novum, etſi aliquo tempore uſitatum non fuerit, urgentibus negotiis, & ut perverſorum compeſcatur temeritas, & malignari volentium nefariis auſibus aditus præcludatur, remedium antiquum renovetur, ut in quiete permaneant Eccleſiæ, & viri Eccleſiaſtici ſuper ſtabile fundamentum; & ut ea quæ plurium auctoritate firmabuntur, firmiùs obſerventur. Attendentes igitur quòd Antereſſores noſtri volentes ſuis Eccleſiis & ſibi ad invicem Fraternâ dilectione conſolari, ex charitate moti (prout in antiquis litteris, eorum ſigillis ſigillatis reperimus) quòd ſuis & Eccleſiarum ſuarum cum majori & diſcretiori deliberatione negotiis peragendis concorditer ordinarunt, quòd in villâ ſancti Quintini in Viromanduâ Noviomenſis diœceſis, quolibet anno indictâ die duo Canonici cujuſlibet Eccleſiarum Cathedralium Remenſis Provinciæ præſentes, pro Capitulis ſuis ſufficienter fundati ad tractandum & ordinandum de dictarum Eccleſiarum negotiis convenirent.

Nos verò conſiderantes præmiſſa fuiſſe providè & laudabiliter ordinata, eorumdem prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, dictam ſalubrem & antiquam ordinationem renovantes, ad providendum Eccleſiis noſtris, quantum cum Dei adjutorio poſſumus, eamdem reformantes volumus, conſentimus ac etiam ordinamus concorditer, quòd unumquodque Capitulum Eccleſiarum Cathedralium Remenſis Provinciæ, excepto Capitulo Eccleſiæ Sylvanectenſis, deinceps ſingulis annis octavâ die Maij horâ primâ de ſuis Canonicis duos, Capitulum verò Silvanectenſe unum, viros providos & diſcretos procuratorio nomine Capitulorum ſuorum ſufficienter fundatos, apud dictam villam ſancti Quintini mittere, & iidem procuratores comparere teneantur, ad tractandum & ordinandum convenienter dictis die & horâ cum diebus & horis ſequentibus, in domo Fratrum Prædicatorum dictæ villæ, vel alibi duxerit conveniendum de cauſis & negotiis ibidem exponendis, nos & Eccleſias & Capitulum noſtrum tangentibus, ſtatuimus inſuper & ordinamus quòd ſi contingat aliquod Capitulum, vel aliqua Capitula non mittere, vel procuratores prædictos ſic miſſos in dicto Capitulo minimè comparere, acta & ordinata per procuratores aliarum Eccleſiarum in dicto Concilio, dummodo fuerint procuratores majoris partis Eccleſiarum prædictarum, rata & firma manebunt, ipſâque ſic ordinata Eccleſiæ & Capitula etiam qui non miſerint, ſeu quorum procuratores non comparuerint, ſervare tenebuntur, & iis ligabuntur perinde ac ſi procuratores ipſarum Eccleſiarum non mittentium vel non comparentium cum aliis conſenſiſſent: rataque & firma habebimus ea, quæ per eos fuerint ordinata; dum tamen ibidem omnes præſentes concordes fuerint, aliàs tractata per eos, in quibus concordes non fuerint, nobis referre tenebuntur, quo aſſenſu noſtro, prout expedire nobis videbitur, apponendo firmentur, Salvis tamen libertatibus, conſuetudinibus, & privilegiis ſingularum Eccleſiarum noſtrarum, quibus per hoc non intendimus derogare.

Et ſi contingat aliquod de Capitulis noſtris duos ad minus de ſuis Canonicis, Silvanectenſe autem unum non mittere, ſeu illos aut eorum alterum non comparere dictis die & horâ & loco (impedimento ceſſante legitimo) Capitulum prædictum (excepto Sylvanectenſi) decem librarum Pariſienſium, Silvanectenſe verò centum ſolidorum Pariſienſium pœnam incurret, infrà menſem ſolvendam, ad arbitrium præſentium in pios uſus convertendam: proviſo quòd ſi aliquis mittendus fuerit in pluribus Eccleſiis Canonicus, non poterit niſi pro uno Capitulo ſe procuratorem fundare: & quòd quæcumque tractata ſeu ordinata per procuratores noſtros fuerint, ſecreta ſub juramenti vinculo tenebuntur, adeo quòd non debebunt revelari niſi noſtris Capitulis & Conſiliariis, nobis juramento adſtrictis. Singuli etiam de nobis Capitulis memoratis ea quæ per dictos procuratores noſtros relata fuerint, ſub ſecretis Capituli, ſeu etiam ſub juramento præſtito ſuis Capitulis ſervare ſecreta tenebuntur. In quorum omnium & ſingulorum teſtimonium, ut præmiſſa firma & inconcuſſa permaneant, præſentes litteras fecimus ſigillorum noſtrorum principalium & perpetuorum munimine roborari. Datum & actum apud dictam villam ſancti Quintini 19. die menſis Octobris anno 1395.

F I N I S.

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

A.

ABBATIS conſecratio ut fieri debeat 480. Abbas ſucceſſorem ſibi dare non poteſt, ſed qui ei ſuccedat, à Monachis eſt eligendus 483. Abbatis officia. *ibid.* Prioratuum, aliorumve beneficiorum fructus ne ſibi reſervet interdicitur 710. ſi ad Synodum vocatos non adfuerit 719. Abbatem ſi quis capiat 8.9.

Abbatis eligendi ritus apud Cluniacenſes 881. qui honores ei impendantur 880. ejus munia 685. quid ſervandum in ejus electione 702.

ABBATISSA à ſacerdote conſecrari poteſt 480.

ABBO Epiſcopus Nivernenſis 599.

ABBO Monachus S. Germani à Pratis, Sermones in uſum ſacerdotum plebanorum ſcripſit: ex his quinque edit 116 & ſeqq.

ABRAHÆ fides 7. primus omnium circumciſioni ſe obnoxium fecit. *ibid.*

ABSTINENTIA à carnibus quibus ſaltem [illegible] temporibus à Monachis Regulam S. Benedicti profeſſis ſervanda ſit 709. 719

ACARBARDUS Epiſcopus Pariſienſis. 124

ACCEPTABILIS Camerinus Epiſcopus. 6 0.

ACCUSARE qui non poſſint 542 qui ſe accuſatum Epiſcopi profeſſus eſt, ſi ad diem dictam non compareat, à communione repellendus eſt. 514

Accuſare ſe quid liceat 197

ACOLYTHORUM ordinandorum ritus, 551. eorum munia 616

ACTARDUS Epiſcopus Namnetenſis. 602

ADALBERTUS Epiſcopus Trecenſis. 591

ADALHELMUS Epiſcopus Catalaunenſis 594

ADÆ quod fuerit peccatum 6 quæ pœna *ibid.* ejus peccati rei omnes ejus poſteri ſunt 80

ADAM Epiſcopus S. Aſaphi. 639

ADEMARUS Epiſcopus Barcinonenſis 638

Alter Epiſcopus Santonenſis *ibid.*

ADELVALDUS vatus e SS. Patrum collectis ſententiis, brevem ex iis de corpore & ſanguine Domini tractatum edidit. 150

ADMONITIO IN Monaſterium 484

ADRIANA [illegible] à tuo ſenis [illegible] [illegible] 95

ADULATORES à Regibus vitandi 531

Adulatio [illegible] mimum mendacii genus 182 [illegible] moribus qui [illegible] ita [illegible] maxime nocet. *ibid.*

ADULTERII vir non minus reus eſt, ſi fidem uxori non ſervet, quam mulier, ſi alteri viro copiam ſui præbeat 281 adulteram vir dimittere poteſt 287 non enim ea convenire non debet 128 ſi tamen admiſit, vivente alteram uxorem ducere, adulterii crimine ipſe tenetur. 287

In contubernio viri adulteri uxor manere debet 318 adulterii pœna 249. 128 gravior, ſi quis cum Judæa aut gentili mœchatus ſit. 328

Adulter an filium ex adulterino coitu natum alere debeat. 504

S. ÆGIDII Eccleſiam in Valle Flaviana à ſe dedicatam, Urbanus Papa II. Romanæ Sedi ſubjicit. 610

ÆGIDIUS Epiſcopus Conſtantienſis. 834. 835

—— Epiſcopus Ebroicenſis. 638

—— Epiſcopus Forojulienſis. 851

—— Epiſcopus Nemauſenſis. *ibid.*

—— Abbas S. Eligii Novomenſis 856

ÆNEAS Epiſcopus Pariſienſis quæ Latinis Græci objecerant, ea SS. Patrum teſtimoniis refellit 116 idem libertatem à S. Landerico Pariſienſi olim Epiſcopo conceſſam Monaſterio ſancti Dionyſii in Francia, confirmat. 599

AGAPÆ in uſum pauperum. 538

AGILO Epiſcopus Catalaunenſis. 758

AGIUS Epiſcopus Aurelianenſis. 599. 602

AILRIDUS Epiſcopus Scirtetinenſis. 604

AIMO Archiepiſcopus Tarentaſienſis. 838

AIRARDUS Brinæ Comes. 632

ALAMANNUS Archiepiſcopus Piſanus 835

ALBA Diaconus non niſi oblationis ac lectionis tempore uti debet. 551

ALBERICUS Epiſcopus Gardianus. 637

ALBERICUS Epiſcopus Landenſis. 638

—— Epiſcopus Regenſis *ibid.*

ALBERTUS Cardinalis Presbyter. 810 631

—— Epiſcopus Bethleemitanus. 637

ALBERTUS Epiſcopus Pictavienſis, 604

ALDRICUS Archiepiſcopus Senonenſis, Senonenſium Abbatiam S. Remigii ad Varellas tranſtulit permittit. 593

ALDRICUS Epiſcopus Cenomanenſis. 594

ALDUINUS Epiſcopus Virdunenſis *ibid.*

ALEÆ ludus damnatur 718 Clericis ac Monachis interdictus 705 708

ALERICUS Epiſcopus Bobienſis 838

ALEXANDER Papa V. electio 829. 850 ejus geſta in Concilio Piſano 810 & ſeqq. mors & funus 817

ALEXANDER Archiepiſcopus Vienneniſis litem inter Abbates duos dirimit 601

ALEXANDER Epiſcopus Lucenſis 638

ALEXIUS Epiſcopus Bobienſis 835

ALGISIUS Archiepiſcopus Mediolanenſis. 618

ALLELUIA Paſchali tempore cantari cur ſoleat 899 ejus frequens uſus tempore eodem apud Cluniacenſ. 614. 835

ALPHONSUS Epiſcopus Callenſis. 638

ALTARDUS Epiſcopus Genevenſis. 594

ALTARIBUS quantus honor impendendus 614 ad ea mulieres propius accedere, eaque à mulieribus vel Deo Sacratis miniſtrandum non eſt. 581

In altari apud Cluniacum columba pendens 879

ALTARIA ſive Decimæ à Monachis poſſeſſa ſub certa quadam redemptionis lege 838 in iis tamen Epiſcopis reſervatur jus præter cenſum annuum. *ibid.*

ALTHEUS Epiſcopus Auguſtodunenſis. 596

ALTHIRIDUS Epiſcopus Hildeshemenſis. 601

ALVANUS Epiſcopus Ovetenſis 855

ALURICUS Epiſcopus Genevenſis 638

AMALPHITANA provinciæ Sedes Epiſcopales. 617

ARMANDUS Vigilenſis Epiſcopus. *ibid.*

AMATUS Archiepiſcopus Burdegalenſis & Legatus 630 831

—— Elleronenſis Epiſcopus 631

AMBIANENSEM Eccleſiam SS. Acei & Acheoli liberam eſſe decernit, in eaque Canonicos collocat Roricus Epiſcopus 626 eidem non nulla donant Ingelrannus Comes Ambianenſis & Euſtachius Vicedominus 627

Ambianenſis Nolocomii Statuta. 715

AMEDEUS de Saluciis Cardinalis Diaconus S. MARIÆ Novæ. 771. 814. 816. 8.5

AMELIUS Archiepiſcopus Turonenſis. 811

AMICUS Abbas S. Laurentii extra muros 8 5

ANDEGAVENSES Synodi plures ab anno MCCLXI. ad an. MCCCIV. 726 & ſeqq.

Andegavenſium Archidiaconorum, Archipresbyterorum, Decanorum Sedes 716

ANDREAS Archiepiſcopus Babaſtenſis. 6.2

—— Epiſcopus Albenſis. 638

—— Epiſcopus Boravienſis. 837

—— Abbas Caſæ-Dei 856

—— Abbas Galliaci. *ibid.*

—— Abbas S. Bartholomæi Angliaci. *ibid.*

—— Comes Ramirucii 631 632

ANGELRANUS Epiſcopus Ambianenſis. 6.5

ANGELIS cum crearentur libertas à Deo data eſt 13 qua de cauſa 14 incorporei ſunt 15 &c. 189 quæ ſit eorum vox in cœlo 190 eorum varii ordines ac munia 116 numina 835 eorum princeps olim fuit, qui nunc eſt damnatus. 14

Angelus ad uniuſcujuſque hominis cuſtodiam eſt deputatus. 115

Angeli lapſi *Vide* DÆMONES.

ANGELUS Corarius eligitur ſummus Pontifex, ac ſe Gregorium XII. appellat 8 4

ANGELUS Cardinalis Presbyter S. Potentianæ 835

—— Epiſcopus Laquedonenſis. 837

ANGILMODUS Epiſcopus Sueſſionenſis 5 9

Ad ANIANENSE Monaſterium pertinere eccleſiam S. Mariæ de Gordiano decernitur 631

ANIMA hominum, ſi genſibus credas ex Deo eſt 9 revera à Deo facta eſt. *ibid.* incorporea eſt. corporis 137 36. extera qua de ea diſputatur, incert. 137

Animæ ſtatus 11.8 446

ANNONIUS Epiſcopus Calenenſis 85.

ANSELMUS Epiſcopus Havelbergenſis à Lothario II. Imperatore legatus Conſtantinopolim 6.. 18. diſputat

Digitized by Google

nem à ſe cum doctiſſimis Græcorum ſuſceptam deſcribit juſſu Eugenii Papæ III. 1…

ANSELMUS Epiſcopus Cumanus. 638
— Epiſcopus Mutinenſis. 637
ANTICHRISTUS quot mala perpetraturus ſit 38 quo tempore venturus 39 quamdiu regnaturus ibid. Judæos ut fallat, ſe Chriſtum dicet. 40 idem ſe ad orandum exhibebit. ibid.
ANTONIUS Cardinalis Epiſcopus Præneſtinus. 813.
ANTONIUS Abbas S. Michaëlis de Bargepita. 0. 856
— Abbas S. Pauli de Roſnello. ibid.
ANTONIUS Epiſcopus Mathonenſis, Gregorii XII. fratris filius, eum ut prava conſilia ſequatur impellit 836
ANTONIUS de Butrio J. V. D. à Gregorio XII. Legatus de pace Eccleſiæ ad Benedictum XIII. 8 6
APOCRISIARII munia apud Cluniacum. 691
APPELLATIONIS ab Epiſcopis Africæ Romam, pœna 534
AQUARUM natura 231 cur ex iis aves ortæ ibid. quæ ſint eæ quæ ſuper firmamento ſunt poſitæ 227 aquæ in aëre ſuſpenſæ. 230
Aqua ſanctificata ad eum dumtaxat uſum ſervanda eſt ut ſpargatur, nec balneum ex eâ faciendum. 410
Aquam Græci dum miſſam celebrant, non ſtatim cum vino, ſed poſt orationem miſcent. 205
ARAGONES, militum genus quoddam, excommunicantur, &c. 705
ARCHANGELI octavum locum obtinent inter beatos Spiritus. 226
ARCHIDIACONORUM munia 560 veſtimenta. 718. 729
Archidiaconum ſi quis capiat. 629
ARCHIPRESBYTERI munus 560 in ſuo Archipresbyteratu reſidere perpetuò debet 729 ac plebanos Sacerdotes interdum, ut cum iis de rebus communibus deliberet convocare. 731. 733
Archipresbytero per ſe non viſitanti procurationem exigere non licet. 728
ARDICIO Epiſcopus Mutinenſis. 618
ARDUICO Archiepiſcopo Veſontionenſi, qui de variis conſuluerat, reſpondet Nicolaus Papa I. 596
ARDUICUS Epiſcopus Auguſtenſis. 604
ARDUINUS Abbas S. Savini 631
AREFAST Nobilis Normannus, Hæreticos quoſdam detegit, dum ſe fingit ab iis ad veram pietatem velle informari. 604
ARELATENSIS Concilii Statutum, quo Lerinenſe Monaſterium jubet à Juriſdictione Epiſcopi Forojulienſis quadantenus eſſe liberum 481
ARIALDUS Epiſcopus Curſinus. 604
ARIANORUM prava dogmata reſelluntur 19 eorum Clerici in ſuis officiis non ſuſcipiendi. 521
ARMARII munia apud Cluniacum. 690
ARMATUS Epiſcopus Nannetenſis. 616
ARNALDUS Archiepiſcopus Trevirenſis. 639
— Epiſcopus Bigorritanus. 638
— Epiſcopus Urgelenſis 638
ARNALDISTARUM prava de Sacramentis à probroſo Sacerdote miniſtratis ſententia confutatur. 214
S. ARNULPHI Epiſcopi Sueſſionenſis ſanctitas in Concilio Belvacenſi declaratur, & corpus transfertur. 633
ARNULPHUS tum Archidiaconus Sagienſis, in Girardum Epiſcopum Engoliſmenſem, qui ſe ad Petri-Leonis Antipapæ partes applicuerat, acriter invehitur. 151
ARNULPHUS Capreaquenſis Epiſcopus. 6.7
— Abbas Lobienſis. 627

ARPINUS Epiſcopus Poliniacenſis. ibid.
ARSIUS Epiſcopus Convenarum. 638
ASAHEL Epiſcopus Agninus. 616
ASCENSIONIS Domini feſtum ut celebraretur olim apud Cluniacenſes. 656
ASTROLOGIA quam judiciariam vocant, Dæmonum inventum. 12. 13
S. ATHANASII ſymbolum ab omnibus Sacerdotibus memoriâ retineri jubet Atto Epiſcopus Vercellenſis 402 idem ſingulis Dominicis diebus recitari decernit Haito Baſileenſis Epiſcopus 584 id Cluniacenſes olim uno quoque anni die recitabant. 645
ATO Archiepiſcopus Arelatenſis 635 636
ATREBATENSIS Synodus, in quâ Hæreticos quoſdam confutat, & ad ſanam fidem reducit Gerardus Epiſcopus 607
ATTO Epiſcopus Nannetenſis. 594
AVARITIÆ malum demonſtratur 215 ab omnibus, maximè à Regibus vitandum ibid. quot ex ſe mala gignat. 215. 210
AVENIONENSE Concilium anni MCCIX. 705
AUGURIIS operam dantis aut ſervientis pœna. 1.9
AUGUSTINUS Epiſcopus Guaterfordenſis. 639
AURELIANENSE Concilium in quo, præſente Roberto Rege & Conſtantiâ Reginâ Hæretici quidam confutati, & in ignem conjecti 604
Auſcenſis Concilium decimas ab unâ quâque Provinciæ Eccleſiâ Epiſcopis ſolvi jubet. 615
AUSCENSIS Monaſterii S. Orientii Abbatem Archidiaconi munere in ſuis Eccleſiis fungi debere decernitur. ibid.
AUSTINDUS Archiepiſcopus Auſcenſis. ibid.
AUTISSIODORENSIS Abbatiæ S. Germani bona recenſentur & confirmantur. 600
AZYMI & fermentati uſus in Eucharistiæ Sacramento expenditur. 200

B.

BACCENSE Monaſterium in Africâ. 484
BALDEWINUS Epiſcopus Aliſanus. 637
BALNEA viris ac mulieribus communia eſſe non debent 508 Balneo Cluniacenſes bis in anno utebantur. 695
BALTERIDUS Epiſcopus Baiocenſis. 556
BALTHASAR Cardinalis Diaconus S. Euſtachii 813 eligitur in ſummum Pontificem, ac ſe Joannem XXIII. appellat. 827
BALTHASAR Abbas ſancti Michaëlis de Paſingano. 856
Baptiſmi in Veteri Teſtamento tres 212 in Novo unus, qui tribus modis confert remiſſionem peccatorum 31. 212 ejus neceſſitas 53. 608 ejuſdem virtus 260. 608 & ſeqq. vel trinâ immerſione, vel trinâ effuſione celebrandus 712 olim non niſi in Paſchali feſto ac Pentecoſte celebratus 404. 545 omni tamen tempore ægrotis, aut obſeſſis ſi peterent conceſſus ibid. item parvulis pro quibus alii peterent 404 item prægnantibus 541 à Sacerdote niſi præſente Diacono celebrari non debebat. 404
Baptizandi in linguâ maternâ ac vulgari interrogari debent 508 octo ſaltem dies poſt ſuſceptum baptiſmum à venere debent abſtinere 410 pacti cum Deo initi eos nunquam non meminiſſe oportet. 262
Quid ſervandum ubi dubitatur an aliquis baptizatus ſit 508. 545 quid, ſi quis ſciens baptiſmum iterum ſuſcepit. 486. 152. 545
De ſacro fonte aliquem ſuſcipere non licet ei qui nondum eſt baptizatus 410 Patrum ſpiritualium erga illos de ſacro fonte ſuſceperunt, officia quos 263. 404
BARTHOLOMÆUS Archiepiſcopus Barenſis eligitur in Summum Pontificem, ac ſe Urbanum VI. appellat 764 ab eo Cardinalium pars ſecedit. ibid. & 765
BARTHOLOMÆUS Epiſcopus Achanus. 637
— Epiſcopus Alarienſis. 855
— Epiſcopus Arranenſis. 637
— Epiſcopus Laudunenſis. 633
— Archiepiſcopus Narbonenſis. 594
— Abbas S. Bartholomæi de S. Jucundâ. 856
— Abbas S. Fidelis Puppio. 856
BASCLONES, quoddam militum genus, excommunicantur, &c. 705
BASILEENSE Concilium à Gallicanâ Eccleſiâ receptum. 752
BASILIUS Archiepiſcopus Tarentinus. 637
BAVAGALLANENSIS Monaſterii Virginibus licentia datur ſpiritualem cibum unde voluerint ſumendi. 484
BELVACENSIS Noſocomii Statuta. 715 & ſeqq.
BENEDICTI Papæ XIII. electio 771 de câ certiorem facit Academiam Pariſienſem 787 quæ eam probat, ſimulque ut ſchiſmati finiendo operam efficacem det, hortatur 772 id quidem diſertis verbis ſe facturum recipit 788 cæterum optimam ceſſionis viam ſibi ab Oratoribus Caroli VI. propoſitam rejicit, ac viam compromiſſi minùs commodam offert 789 quam pleríque Cardinales non probant 791 iis ne ſententiam ſuam Oratoribus Gallicis ſcriptam tradant, inhibet 791 ejus literæ ad Carolum VI. ac patruum ejus Ducem Bituricenſem. ibid. ab eo appellat Academia Pariſienſis 795 ab ejus obedientiâ ſe ſubtrahunt Regnum Francorum, & Avenionenſe Collegium Cardinalium 798. 799 Avenione egreditur 800 pœnas decernit in eos qui ſe ab obedientiâ ſuâ ſubtraxerint 805 cætera ejus prava conſilia fusè deſcribuntur 814 & ſeqq. cum ſui Cardinales ad Concilium Piſanum vocant 809. 815 ipſe Concilium Perpiniani indicit 817. 821 ac non nulla ſibi à Cardinalibus ſuis objecta refellere conatur 820 ab eo denique ſe ſubtrahunt ſui Cardinales in Concilio Piſano 826 in quo dejicitur à Papatu, & hæreticus declaratur. 847
S. BENEDICTI laudes. 168
BENEDICTUS Epiſcopus Lavicanenſis. 604
— Epiſcopus Nannetenſis. 611
— Epiſcopus Portuenſis. 604
— Epiſcopus Vintimilienſis. 855
— Abbas S. Criſpini Sueſſionenſis. 617
BENEFICIA Eccleſiaſtica quibus conferenda. 711. 756
BENEVENTANÆ Provinciæ ſedes Epiſcopales. 637
BERDARIUS Epiſcopus Ilerdenſis. 639
BERMUNDUS Epiſcopus Siſterenſis. 638
BERNARDUS Archiepiſcopus Auſcenſis. 635
— Archiepiſcopus Tarraconenſis. 639
— Archiepiſcopus Toletanus, & Legatus. 637
— Epiſcopus Barcinonenſis. 619
— Epiſcopus Biterrenſis. 638
— Epiſcopus Cajetanus. 604
— Epiſcopus Matiſconenſis. 601
— Epiſcopus Nolanus. 637
— Epiſcopus Olorenſis. 638
— Epiſcopus

— Epiſcopus Parmenſis. *ibid.*
— Abbas S. Mariæ Vallis-umbroſæ. 855
— Abbas S. Michaëlis de Podio-bonni. 856
Brunoinus Epiſcopus Carnutenſis. 594
Brunoz Epiſcopus Virtenſis. 619
Bertham Roberti Francorum Regis uxorem ab eo ſeparari jubet Gregorius Papa V. 603
Bertolous Epiſcopus Conſtantienſis. 619
Bertrandus Cardinalis ſanctæ Cæciliæ. 764
— Cardinalis S. Potentianæ. 771
— Archiepiſcopus Arborenſis 855
— Epiſcopus Apamianus *ibid.*
— Epiſcopus Dignenſis. *ibid.*
— Epiſcopus Tutelenſis *ibid.*
Bertrannus Epiſcopus Nemauſenſis. 610
Bigamus ad Clericatum promoveri non debet 548 Bigamus cenſetur qui virginitatem profeſſus, irritam fecit ſponſionem 547
Bigamorum pœna. 487. 537. 528
Bituricenses Eccleſia S. Martini de Campis, ſive de Brivâ, datur Majori-Monaſterio 615
Blasphemi ut coërcendi. 760
Bonacursus olim Catharorum hæreſi contaminatus, quid illi pravè ſenſerint exponit, ſimulque eorum deliramenta confutat. 208
Bonifacii Papæ IX. Bulla contrà eos qui Papam Avenionenſem ſectabantur 766 ejus literæ duæ ad Carolum VI. Francorum Regem 768. 769 eumdem ut poſt mortem Clementis VII. alterius electionem differri procuret, hortatur 787 ejus prava conſilia deſcribuntur. 814
Bonifacius Epiſcopus Carthaginenſis 481 & *ſeqq.*
— Epiſcopus Gratianenſis. 482
— Epiſcopus Novarienſis 818
Bonum eſt naturâ ſuâ quidquid à Deo creatum eſt. 14
Bonum compenſatione mali nullum fieri debet. 386
Bona alia propter ſe expetenda, alia propter aliquid neceſſaria. 372
Boso Cardinalis Preſbyter S. Anaſtaſiæ. 635. 636
Brabanzones, Militum quoddam genus, excommunicantur, &c. 701
Branoia Epiſcopus Placentinus. 855
Burcrus Epiſcopus Lombrienſis. 619
Brytonum tonſura. 505
Bruno Epiſcopus Signinus 630. 631
Burchardus Abbas de S. Baſolo. 617

C.

Catinus Epiſcopus Cuperſanenſis. 617
Calamitates quibuſcum ineunte ſæculo V. Imperium Romanum conflictatum eſt, deſcribuntur 41
Calchedonensi Concilio quinam præfuere nomine Romani Pontificis. 192
Calices argentei in Eccleſiis, quantum fieri poteſt, ad uſum altaris habendi. 72
Camerarii munia apud Cluniacum. 691
Campanæ pulſandæ ante, quàm Domini Corpus fidelibus adorandum exhibeatur. 731
Canones, diſciplina Dei 351 quàm ſanctè ſervandi. 380
Canonum contemptûs Racherii ætate cauſæ non improbabiles. 547 & *ſeqq.*
Canonici ſtipendia niſi neceſſitatis accipere non debent 566 alimenta omnibus eadem porrigi oportet 567 eorum clauſtra diligenter munienda 568 cætera ab iis ſervanda *ibid.* & *ſeqq.* Canonicorum delinquentium pœnæ. 570 575
Canonicorum veſtimenta 576. 723 eos cuculla Monachorum dedecet. 576
Duo minimùm Canonici in ſingulis Prioratibus degere debent. 731
Cantores orariis uti prohibetur 554 eorum officia. 575
Capitula Provincialia à Monachis unoquoque anno celebranda 719 quid in iis Capitulis ſervandum ſit in Provinciâ Narbonenſi, ſtatuunt ejus Provinciæ Abbates. 728
Capituli leges apud Cluniacenſes. 673
Capuanæ Provinciæ Sedes Epiſcopales. 637
Causvilus Epiſcopus Baiocenſis. 594
Caro quæ concupiſcit adversùs ſpiritum, quid ſit 446 ejus appetitus diligenter frænandi. *ibid.*
Carolus Calvus fundavit Eccleſiam Compendienſem SS. Cornelii & Cypriani. 617
Carolus VI. Francorum Rex Clementem VII. ac Bonifacium IX. ut ſchiſmati finiendo operam dent hortatur 785 Collegium Avenionenſe Cardinalium rogat, ut ſucceſſorem Clementi VII. dare differant 770. 771 Concilium Prælatorum Pariſios convocat 771 Benedictum XIII. per ſuos Oratores ut Pontificatu cedat, vehementer urget 789. 790 idem fieri curat a Cardinalibus 791 ab ejus obedientiâ Francorum Regnum ſubtrahit 798 & quid interea dum ad meliorem mentem redeat ſervandum ſit, ſtatuit 799. 800. Collegium Romanum Cardinalium poſt Bonifacii IX. mortem, ut alium eligere differant, rogat 801 Gregorium XII. ut paci Eccleſiæ reddendæ operam det, Cardinaleſque ut eum ad id impellant, hortatur 803 Regem Aragonum ut ne Benedicto XIII. faveat, monet 828 Oratores ſuos ad Concilium Piſanum mittit. 814
Carthaginense Concilium anni DXXV. Monaſteria jubet à conditione Clericorum eſſe libera. 485
Castitas commendatur 355 379 non niſi Dei auxilio vel comparatur, vel ſervatur 355. 443 jejuniis ac vigilantiâ retinetur 446. 447 quæ res caſtitati adverſentur *ibid.* non actionibus ſolùm, ſed etiam cogitatione læditur 448 ejus gradus ſex. 447
Qui abſtemperandum eſſe libidini ſentiunt, confutantur. 185
Catechumenis ſal dumtaxat, etiam in Paſchali feſto & Pentecoſte dari oportet 585
Catharorum hæreſis detegitur & confutatur. 208
Cathosecus Archiepiſcopus Terconenſis. 839
Celsaminus Archiepiſcopus Toletanus *ibid.*
Cellarii apud Canonicos officium. 568
Cellerarii munia apud Cluniacum. 691
Censius Epiſcopus Tuſcanenſis. 636
Cerei Paſchalis accendendi ritus apud Cluniacenſes. 651
Charitatis neceſſitas 305. 386 ubi deeſt, cætera quoque bona deſunt 332 radix eſt virtutum omnium 305 ea charitas eſt Deum plùs quàm ſe diligere, amicum in Deo, inimicum propter Deum. 305
Cherubim alterum locum inter beatos Spiritus obtinent. 286
Choreæ & cantilenæ in Eccleſia interdictæ 701
Chorepiscopi Eccleſias an conſecrare poſſint 597 eorum jura. 557
Chrisma ex ſucco balſami, vel ex olivæ liquore confectum 102 id plebani ſacerdotes uno quoque anno petere debent per ſe, vel per Diaconum ſuum, aut eum qui ſacrarium tenet, ab Epiſcopo 401. 551. 758 & quidem ſuo, non alieno 405 ac diligenter ſervare 711 ſine eo progredi nuſquam debent. 555
Christiana Religio ut inſtituta, ut propagata 339 ejus ſumma quæque principia. 16
Christiani dignitas 316. 318. 330 Chriſtianis omnibus quid præceptum ſit: quid item iis qui ad perfectionem aſpirant 34. 35 inſtitutaChriſtiani cum jubilæe cum Monacho comparatio 458
Christianos pacti à ſe cum Deo initi nunquam non meminiſſe oportet 341 quid huic item ſervandum 328 primorum Chriſtianorum vita à noſtrâ quàm diverſa ſit. 376
Confutantur qui Chriſtianos de ſalute ſuâ ſecuros eſſe jubent 386 Chriſtianus ſi vitam conditione ſuâ indignam duxerit, gravius puniendus quàm infidelis. 374
Christianus Archiepiſcopus Moguntinus. 619
— Epiſcopus Autiſiodorenſis. 621
Christus verus Deus, itemque verus homo 19. 45 Chriſtum Deum eſſe agnoverunt Dæmones 4 probant miracula ab ipſo dum in terris verſaretur perpetrata *ibid.* alia deinde affertur argumenta 26. 43. 223
Hominem eſſe probatur 5. 16. 19. 210 quo ſenſu minor Patre, ac nonnulla ignoraſſe dicitur. 29
Ejus redemptio quam neceſſaria fuerit 360 cur tamdiù diſtulerit opem ferre hominum generi. 9
Non neceſſitate homo factus eſt, ſed ea merâ voluntate 4 homo autem fieri voluit eodem modo quo cæteri, niſi quod ſine permixtione ſeminis conceptus eſt, & corpus incorruptibile induit, *ibid.* De eo modo quo Chriſtus è Virginis ſinu in hanc lucem eductus eſt, diſcrepantes Paſchaſii Ratberti & Ratramni ſententiæ 41. 55 ille ut non ſecundùm uſum naturæ in utero de carne Virginis procreatum, ita nec ſecundùm naturæ legem natum eſſe contendit 45 46. 47 clauſoque utero & conceptum & natum vult 52 hic contra aſſerit Chriſtum è Virgineâ aulâ tam uteri viâ proceſſiſſe, quam in utero conceptum, formatum, ac novem menſes geſtatum 51 huic ſententiæ veteres favere probat 7 & *ſeqq.*
Chriſtus primogenitus dicitur, non quòd eum ſequuti ſint fratres, ſed quod eum nullus anteceſſit 49. 58 ejus paſſio à Prophetis perſpicuè prædicta 50 item reſurrectio 51 ejus mortis ac reſurrectionis monumenta Sæculo V. 9 quam legis partem aboleverit 23 quid ſit virtus quæ de illo exibat 69 in cruce non Deus, ſed homo pependit. 5
Chriſtus in Euchariſtiæ ſacramento panem ac vinum in ſubſtantiam carnis ac ſanguinis ſui inviſibilis ſacerdos ita mutat, ut panis ac vini non niſi ſapor ac figura remaneant 48 panis ac vinum ſic mutata, cujus rei ſigna eſſe dicantur *ibid.* integrum ſingulis dari probatur 410. & *ſeqq.* quantumcumque de ſacramento ſumatur, integrum Chriſti corpus accipi, ſimilitudine quâdam petitâ è grano mortuo, & in multiplices fructus reſurgente probabile fit 42 de Chriſti corpore poſtquàm ſumptum eſt, Adrevaldi ſententia 149

Index rerum Memorabilium.

Chriſti corpus in Eucharistiæ ſacramento verè percipi agnoſcit Ratherius: verùm cujus corporis ſint ſapor & color qui remaneant, an penitus ſublatus omninò ſit, an in cælum mutatus, inquiri non oportere exiſtimat 178 idem Chriſti corpus ac ſanguinem ſumi arcet ab eo qui ſit ſuperbiæ, hypocriſis, aut luxuriæ vitiis obnoxius. 318

Corpus Chriſti & frequenter, & caurè ſumendum 291 quæ ad illud percipiendum adhibenda præparatio 477 qui raro percipit, non leve diſcrimen incurrit 292 qui verò indignè, is maximum ſibi malum accerſit 291. 294 469 quibus de cauſis ad illud accedendum eſt 469 ter ſaltem uno quoque anno ſumi debere decernitur 809 531. 721 poſtea ſaltem in Paſchali feſto 717 ad illud Græci frequentiùs quam Latini accedunt 487 energumenis, dum eo malo affliguntur, non porrigendum, imò ne quidem ſtatim atque liberati ſunt 409 ſi Chriſti corpus aut ſanguis in terram cadat, quid ſervandum ibid. illud dum ad infirmos fertur ſequentibus indulgentiæ conceſſæ 730 Chriſti Corporis ac ſanguinis particeps eſt, quiſquis in baptiſmate factus eſt membrum Chriſti 441 Chriſto ſe nobis in ſacrificio alteris offerenti quid offerre debeamus. 450

Chrodegangus Epiſcopus Metenſis, Canonicis Eccleſiæ ſuæ leges dat 581 & ſeqq

Chryſogonus Cardinalis Diaconus S. Nicolai de Carcere. 835. 638

De Ciborum delectu præclara monita 266. 267

Circatorum munia apud Cluniacenſes. 687

Circumciſio cur inſtituta. 7. 11. 133

Ciſtercienſis inſtituti laudes. 168

Claudius Epiſcopus Lingonenſis. 761

Claudius laudes fusè proſequitur Petrus Cellenſis. 414 & ſeqq.

Clementia Regi neceſſaria. 149

Clerici unde dicti 370. 573 à quibus tonderi poſſunt 534 in Clerum admitti non debet qui inter pœnitentes locum habuit 581. itemque invito à patrono obſequio manumiſſus eſt 408 recenſentur alii qui Clerici eſſe non poſſunt 546. 547. 548 548. 550 Clericus non abſolutè, ſed ut in certâ quâdam Eccleſiâ Deo ſerviat, ordinari debet 405 eam Eccleſiam ſi ſponte ſuâ deſeruerit, deponendus ibid. graviuſque in eum animadvertendum, ſi alterius Eccleſiam ſubripere conatus ſit 408 quibus intervallis ordines conferri poſſunt Clericis. 548

Clerici cæteros exemplo ſuo erudire debent 577 quæ ſaltem in iis requirantur, ibid. & 578 eorum varia officia 531 & ſeqq. 370. 403. 518 & ſeqq. 578 eis varia interdicuntur 408. 724. 725. 749 eorum incontinentia quot Eccleſiæ mala importet 439. 440 de eorum veſtimentis & ornamentis variæ leges 404. 505. 543. 728. 748. 758 quando iis incipiat quadrageſimale jejunium. 908. 712

Clericus ſi ſe in clientelam alicujus laici dederit, & ipſe & patronus ab Eccleſiæ communione pellendi 407 ne ſe per literas judicis ſæcularis obliget u...tedicitur, 730 item ne ad judices ſæculares confugiat 498. 553. 598 aut procuratoris cautionumve patroni officium ſuſcipiat 705. 748 aut fidejubeat 498 aut litem duello dirimat, ibid.

Clericus ad teſtimonium dicendum vocari non debet 598 nec compelli de rebus ſuis coram judice ſæculari diſceptare ibid. & 496 à tributis immunis eſt 712 adeoque ejus famuli à vectigalibus immunes, ibid. Clericus facinoroſus an capi poſſit à judice ſæculari 725 quid ſi clericum captum judex retineat. 749

Clericos in Latinâ Eccleſiâ cœlibem vitam ducere non immeritò compelli probatur 103 158 item nihil in eo reprehendendum, quod ſervare jubentur de barbâ aut comâ 102. 141 quæ mulieres apud Clericos manere poſſint. 130. 406

Quid ſervandum ubi Clericus accuſatur 410 ſi accuſator non probet, alia verò crimina clerico objicere velit, non audiendus 555 Clericorum cauſas Epiſcopus agnoſcit 134 ac in reos pœnas decernit 718. Clerici peccantes cæteris graviùs puniuntur, ac ne poſt pœnitentiam quidem Clericorum munia poſſunt exercere. 182

Clericus ſi jubente Epiſcopo ad ampliorem gradum promoveri nolit, ne in ſuo quidem miniſtrare poteſt 406 559 Clerici publicè concubinarii ut coërcendi 716 item qui ariolos, magos, &c. conſulunt, aut ipſi divinationi operam dant 407 item qui adversùs aliquem conjurant 132 aut munera pro judicio accipiunt 135

Clericus in majoribus negotiis Epiſcopum debet conſulere 707 ſi Diœceſi ſine Epiſcopi literis excedat, à nemine in communionem recipiendus. 181

Clericus qui ſe hæreticâ communione polluit, ita ab Eccleſiâ Catholicâ dum ad eam redit ſuſcipitur, ut à ſuo gradu nunquam recedat 183 Clericus qui aut in bello, aut in rixâ, aut in ludis publicis mortem obiit, ... ſepulturâ non privandus; ita pro eo non orandum, nec ſuſcipienda oblatio 501 Clericorum filii an ad ſacros ordines poſſint promoveri 532 quid ſervandum ſi quis Clericum interficiat. 706

Clericorum pravi mores Ratherii ætate, 367 Clericorum duorum, quorum unus loricâ, alter amicâ utebatur, concertatio. 368

Cluniacenſis cœnobii conſuetudines ſuſè deſcriptæ à S. Udalrico 641 & ſeqq. eaſdem Bernardus Monachus deſcripſit. 640

Cœlorum deſcriptio 117. & ſeqq 390 item cœleſtis beatitudinis. 11

Cœnæ Dominicæ diem quæ res maximè commendent 336. & ſeqq. eo die quid ſervatum apud Cluniacenſes. 662

Cœnobitæ in Occidente ſæculo V. quibus rebus incumberent. 38

Cogitationes aliæ ex Deo, aliæ ex Diabolo, aliæ ex nobis 444 cogitationibus pravis non interpellari nemo poteſt, at eas aut reſpuere aut ſuſcipere cuique cum Dei auxilio licet ibid. Cogitationes immundæ quàm diligenter cavendæ. 475

Colbertus Studium Academiæ Pariſienſis, quòd ſiniendo ſchiſmati incumbat, gratulatur. 781

Cometa Aprutienſis Epiſcopus 647

Comprobiſosis Eccleſiæ SS. Cornelii & Cypriani privilegia approbantur 687 ejuſdem bona confirmantur. ibid.

Competentibus ſymbolum olim datum octo dies ante Dominicam reſurrectionem. 404

Completorium pars officii divini. 470 471

Conciliorum utilitas 778 Concilium ſingulis annis ter in unâquâque Provinciâ celebrari debere ſtatuitur 537 ad idque præter Epiſcopos, & Eccleſiarum Cathedralium presbyteros, alios etiam ſacerdotes, ac nonnullos laicos vocari debere 538 ſimul ſtatuitur quid ſervandum ſit erga Epiſcopos qui vocati non adfuerint ibid. in unâquâque Diœceſi Concilia bis anno celebrari debere ſtatuitur. 490

Concilia generalia non niſi auctoritate Romani Pontificis celebranda 595

Concilium perfectum quid ſit. 507

Concilium Conſtantinopolitanum dum non nulla addidit Symbolo Apoſtolorum, exemplum cæteris dedit, ſi quid addere vellent quo hæreſes impugnarentur, ac firmaretur fides. 91

Conciliorum aliquot ridiculus. 107

Concionatorum officia elegantiſſimè deſcripta 474. & ſeqq Concionibus ſalutem aliorum procurare multo melius, quàm in ſcholis alios docendo conſeneſcere. 478

Concordia inter eos qui diverſis moribus ſunt, nulla eſſe poteſt. 364

Concubinatus non Clericis ſolùm, ſed etiam laicis interdictus 718. 717 Concubinam ſi quis habeat matrimonii legibus nondum addictus, à communione non eſt repellendus 108 idem ſi deinde uxorem ducat, non eſt bigamus. 518

Conducere aliena prædia Epiſcopis, Clericis ac Monachis non licet 552

Confirmatio. Vide Consignare.

Confeſſio peccatorum quàm utilis 481 quænam vera ſit ibid. peccata non ſacerdotibus ſolùm, ſed etiam Deo confiteri quiſque debet 571 de levioribus peccatis ſacerdotibus non confitendis Jonæ Aurelianenſis ſententia. ibid.

In Confeſſione quid ſervari velit Chrodegangus Metenſis 572 quid item ſervaretur apud Cluniacenſes. 672

Confiteri peccata ſua ter ſaltem unoquoque anno laicos oportebat 571 721 id nunc ſemel facere jubentur 730 Monachi unoquoque ſabbato 671

Confeſſiones audire tam Monachi poſſunt quàm Sacerdotes ſæculares 818 at non niſi de Epiſcopi licentiâ 735 plebani Sacerdotes alienorum ſi infirmi ſint, peccata audire tenentur. 731

Confeſſoribus honorem perinde ut Martyribus impendi oportere probatur. 610

Conjugium à Deo inſtitutum eſſe probatur 510 non libidinis, ſed liberorum procreationis causâ appetendum eſt 127 conjugium officiis in eo quod matrimonii debitum vocant, fusè deſcripta 179 & ſeqq. 579 fidem alter alteri ſanctè ſervare debet 180 uxor niſi adulterio thorum maculârit non dimittenda 134 ea verò ubi dimiſſa eſt, quamdiu vivit, altera duci non poteſt 587 inter quos conjugium iniri non poſſit 134 Vide Nuptiæ.

Conon Epiſcopus Præneſtinus A. S. Legatus in Galliâ. 635. 835. 836

—— Epiſcopus Sedonenſis. 838

Conradus Cardinalis Presbyter ſancti Chryſogoni. 853

—— Archiepiſcopus Salzburgenſis. 839

Consignari quiſque poſt baptiſmum debet 463. 480 Conſignandi jus ſolis Epiſcopis competit 106. 541. 544 ſi tamen Epiſcopus conſenſerit, Energumenus à Sacerdote, adeoque à Diacono conſignari poteſt 546 alterum qui conſignetur Epiſcopo offerre non licet ei qui nondum eſt conſignatus 410 conſignati octo ſaltem dies à venere debent abſtinere. ibid.

Conſilium Regi neceſſarium. 149

Digitized by Google

Index rerum Memorabilium.

Constantinopolitana Eccleſia ab hæreticis non tarò perturbata 594 Conſtantinopolitanorum Præſulum ambitio ſæpe caſtigata. 108 & ſeqq.
Constantinus Epiſcopus Culetanenſis. 638
Consuetudo quæ divinæ legi non adverſetur, omninò ſervanda 438 Conſuetudines in Eccleſiâ interdum mutantur. 95
Convitia à Chriſtiano homine vitanda. 311
Convivia quâ hora ineunda. 534
Coquinæ leges & utenſilia apud Cluniacum. 680. 682
Corbeiæ Veteris Statuta, in quibus potiſſimùm adminiſtratio bonorum deſcribitur. 586 & ſeqq.
Cordis puritatem non niſi ſummo labore adipiſci poſſumus. 446
Cormaricensis Cœnobii Abbatem ex ſepulcro S. Martini baculum paſtoralem ſumere debere decernitur. 610
Corona Clericorum qualis eſſe debeat. 705.
Coronatus Epiſcopus Potenſis. 639
Corporalia abluendi ritus apud Cluniacenſes. 694
Corripiendi modus. 175
Cusanæ Provinciæ ſedes Epiſcopales. 617
Creaturæ omnes naturâ ſuâ bonæ et malè utentibus nocent 55 Creaturarum varii ordines deſcribuntur. 225. & ſeqq.
Credere in Deum, ac Deo credere quî differunt. 400
Cresconius Epiſcopus Villategenſis. 259
Crucis mentio facta à Platone & à Sibyllâ 5 ejus dignitas 681 crucis ſignum ut formandum 578 ſine eo nihil benedici poteſt. ibid.
Cuculla Monachorum Canonicos dedecet. 576
Culpæ levioris pœnæ apud Cluniacenſes 671 item culpæ gravioris. 684. 685
Curiales ad Clericatum admitti non debent. 147
Curiositatis vitio fit, ut eadem ſemper amare non poſſimus, ac nova mirentur 440 curioſitatis pericula 32 in idem vitium. 303

D.

Dæmones olim Angeli 13 cur ſummâ dignitate dejecti ſunt ibid. quo tempore id infortunium illis acciderit 241 sit pœnitentiæ tempus fortaſſe indultum 14 quas nunc ſedes occupant 230 horum princeps primo homini tentatandæ præcepti legis auctor fuit 8 cur eos hominibus eſſe infeſtos paſſus eſt Deus 14 quid adversùs homines poſſint 331 eorum multiplices fraudes explicantur 13 ſibi mali ſunt, at Deo boni. 231
Dagobertus Archiepiſcopus Bituricenſis 804
Daimbertus Archiepiſcopus Piſanus Cardinalis 630
—— Archiepiſcopus Senonenſis. 231. 635
Davidis Pſalmorum utilitas. 223
Debitoris non ſolventis, ſi teſtibus aut ſtipulationibus arguatur, pœna 499 item ejus qui litem duello dirimit ibid. poſt ſolutionem ſe abſolvi curare debet. 707
Decano per ſe non viſitanti procurationem exigere non licet 758 in ſuo Decanatu perpetuò reſidere debet. 759
Decanorum munia & officia apud Cluniacenſes. 686
Decimas bonorum Eccleſiis pendendas à laicis probatur 493 de eâ re Conciliorum Statuta 704. 750. 760 Decimæ in Galliâ à laicis uſurpatæ, quibus merum quantum abutebantur 593 earum collectionem laicis perpetuò locare prohibetur 704 ut dividendæ ſint, & quota earum pars Epiſcopis cedat 579. 584 in Decimas Monachis donatas quid juris Epiſcopo ſuperſit. 618
Decimae ab unâquâque Auſcenſis Provinciæ Eccleſiâ, præterquàm ab iis Eccleſiis quæ S. Orientii Monaſterio ſubſunt, Epiſcopis pendi jubet Concilium Auſcenſe. 635
Decima bonorum omnium hoſpitibus alendis deſtinata apud Corbeiam 594 item in Monaſterio S. Germani Autiſiodorenſis 600 eodem conferri jubetur decima pars eorum quæ Plebanis Sacerdotibus offeruntur, in Diœceſi Metenſi. 574
Decimas bonorum Eccleſiaſticorum octo jam annos ſibi conceſſas perpetuò retinere velle inſimulantur Francorum Reges. 767
Defensores Eccleſiarum. 518
Defunctorum Commemoratio apud Cluniacenſes ut celebrata 663 eorumdem memoria in divinis officiis ſingulis fermè diebus. 628
Delatores ut coërcendi. 538
Delricus Epiſcopus Baſileenſis 594
Deorum qui à Gentilibus colebantur, vanitas. 11
Depositi fides ut ſervanda 497 quid ſi res depoſita furto ablata ſit. ibid.
Desiderius Epiſcopus Morinenſis. 618
Desperandum de ſalute ſuâ ne maximo quidem peccatori 187 deſperationis manifeſtiſſimum exemplum. 391
Detractione aliena peccata noſtra facimus 315 tam peccat qui detrahenti aurem præbet, quàm qui detrahit, ibid.
Deus principium unum 173 ejus ſubſtantia ſimplex 9 incorporeus probatur 188 ab eo creatum quidquid eſt in rerum natura 209 quâ ratione iraſci dicitur 6 quàm indulgens ſit in homines ibid. cur hominem per ſe, non per Angelum reparavit 15 in ejus conſpectu conſtat ſumma felicitas ibid.
Deum à nobis patrem dici poſſe, quanti facere debeamus 226. 228. aro ejus nomen quâ ratione ſanctificatur ibid. quid ſit quod petimus ut regnum ejus adveniat ibid. Deum ut diligamus, infinita ejus beneficia nos monent 239 qui Deum diligit, idem eum timet 241 non diligit, qui mandata ejus aſpernatur. 140. 147
Deum qui novit, ac præcepta ejus non ſervat, non melior eſt eo qui, cum Deum ignoret, ad juſtitiæ leges vitam ſuam dirigit. 9
Deus-dedit Cardinalis Preſbyter S. Laurentii in Damaſo. 631. 632
Diabolus è quo loco dejectus 229 quas nunc cum cæteris Dæmonibus ſedes occupet 230 quid obſtiterit quominùs ejus ut deinde hominis „Deus miſereretur 457 Vide Dæmones.
Diaboli quæ partes ſint in tentationibus 216 immundarum cogitationum non auctor eſt, ſed incentor 278 et contrà animam militant carnalia deſideria: eumdem abſtinentia debellat. 391
Diaconæ quænam olim dictæ fuerint. 438. 439
Diaconi ordinandi ratio 494. 556 quibus anni temporibus ea celebrari poſſit ordinatio 146 quæ ætas in ordinando requiratur 551 non abſolutè, ſed ut in certâ quâdam Eccleſiâ Deo ſerviat, ordinandus eſt 550 unus minimùm in unâquâque Eccleſiâ eſſe debebat ſæculo X. 404 atque is ordinabatur quem Sacerdos plebanus Epiſcopo obtulerat; aut ſi ille in morâ eſſet, dabat Epiſcopus ibid. quot Diaconi eſſe debeant vel in magnâ Eccleſiâ. 552
Diaconus an uxorem poſſit ducere 524. 554 quid cum eo ſervandum, ſi ante acceptum honorem peccaſſe detegatur 524 non niſi urgente neceſſitate confeſſiones audire, aut Corpus Domini infirmis miniſtrare poteſt 735 ſi quid acquirat, id Eccleſiæ conferre debet 545 nonnulla alia quæ ad Diaconi jura, aut officia pertinent. 494. 555
Diaconus ſi accuſetur, à tribus Epiſcopis unà cum ſuo Epiſcopo audiendus 533. 534 quid erga eum ſervandum, ſi è gradu ſuo dejectus, innocens deinde reperiatur. 518
Diacono pœnitenti manus non imponuntur. 528
S. Dionysii Monaſterio conceſſa libertas à Landerico Epiſcopo Pariſienſi, in Sueſſionenſi Concilio confirmata. 399
Dionysius Archiepiſcopus Amalphitanus 617
Disputationum quis eſſe finis debeat a io iis vitandæ, & temeritas in affirmandè, & in refellendo ira. 286
Dives quis verè ſit 276 Divitiarum quæ ſint pericula: quæ pœna horum qui iis malè utuntur 56 in divitiis qui gloriatur, quàm vanus ſit 547. 548 quàm iniquus, qui eas in pauperes non effundit. 256
Divinationum vanitas demonſtratur 22 iis qui operam dant, quàm graviter peccent 316 divinatores Epiſcopis denuntiandi à plebanis ſacerdotibus. 737
Divinitas in Chriſto non eſt paſſa. 5
Docendi munus quàm nobile 474 Doctor eſt qui alios aptè, promptè, facilè ubi opus eſt, docere poteſt 471 & ſeqq. quo animo quis ad gradum Doctoris in Theologiâ aſpirare debeat 474 quæ in eo requirantur ibid. pravorum doctorum vitia deſcribuntur 477 eorum qui alios docendi curam in ſe receperunt, officia 577. 582
Dodo Epiſcopus Andegavenſis. 600
—— Epiſcopus Reatinus 636
Dogmatum pars in ſacris Scripturis non expreſſa. 190
Domestici hominis qui ſit ut maximi ſint ejus inimici. 634
Dominationes quartum locum inter beatos ſpiritus obtinent. 226
Dominicæ orationis breviores quinque, at elegantes expoſitiones 215. & ſeqq. ea oratio & frequenter, & non ſine ſui probatione recitanda. 198
Dominicus dies cur ſic dictus 576 qui honor ei impendendus 335. 576. 486. 745 eo die nec cauſæ audiendæ 535 nec jejunandum 409 nec genua inter orandum flectenda ibid. & 544
Dominicus Epiſcopus Albienſis 835
Dona meretricibus, hiſtrionibus, &c. collata arguuntur. 208
Drogo Epiſcopus Vigienſis 638
Duello lites dirimere quàm ſit iniquum. 418

E.

Ebrietas quæ vitia gignat 255 à Clericis maximè vitanda 578 in iis ut coërceatur. 409. 533
Ecclesia Corpus Chriſti eſt 317 ea domus eſt quam Sapiens fundavit ſuprà petram 414 totum orbem comprehendit 82 ejus caput unum in terris,

Roma 598 jus varii ſtatus, ſi Anſelmo Havelbergenſi credas, in Apocalypſi deſcripti ſunt. 166. & ſeqq.
Eccleſiæ an à Chorepiſcopis poſſint conſecrari 597 in earum fundatione quid ſervandum 303 iis inſtaurandis certa quædam redituum pars deſtinanda 210 earum vaſa ex ſorde ſint, ac diligenter ſerventur, curæ eſſe debet 754 in eas nihil præter vaſa ſacra, libros ac veſtimenta Eccleſiaſtica recondendum, niſi tamen neceſſitas urgeat 4·4 in iis quid legendum, aut canendum ſit 408. 185 nec choreæ celebrandæ, nec exhibenda ſpectacula, nec ſternendæ menſæ 404. 302. 754 nulla negotiatio inſtituenda 754 nec mortui ſepeliendi, niſi quorum vita illuſtris fuit 406 quid ſervandum ſi Eccleſia polluatur 513 aut aliam in locum transfertatur 487 Eccleſias in modum caſtellorum munitas aut diruti, aut Epiſcopis permitti præcipitur. 705
Eccleſiis qui honor habendus 613. 758 eæ ſunt orationis causâ frequentandæ 167. 531 qui verò in iis aut otioſi, aut turpibus fabulis vacant, nedum peccata minuant, prioribus nova addunt. 369
Eccleſiæ à quovis tributo, vectigali, &c. laicis pendendo immunes 704. 706 earum immunitates adverſus ſæculares judices propugnandæ 761 earum bona invadentis, aut jura minuentis pœna 724 earum bonorum decima Francorum Regibus ſoluta. 767
Eccleſiarum bona ab Epiſcopo & Oeconomo debent adminiſtrari 540 inter quos, & quâ ratione diſtribuenda 367. 378. 4·4 de iis bonis leges aliquot 541. 543 quæ Eccleſiis conferuntur, in Eccleſiæ accipienda 406. 538 eorum quæ Eccleſiis legata ſunt, uſus, & à quibus ſervari debeant 249 quod ab Eccleſiis anno & die poſſeſſum eſt, id in earum jus tranſit 134 adverſus eas longi temporis præſcriptio locum non habet 502 res Eccleſiis collatas ſi quis retineat 538. 539 item ſi Eccleſiarum res Clericus furatus ſit, aut aliquod Eccleſiæ damnum intulerit 532. 533 eæ ne ſub ſpecie quidem illas in pauperes diſtribuendi, retinendæ. 429
Eccleſiarum bona poſt Epiſcopi mortem vacante ſede ſub manu Regiâ teneri, & in Principum uſum cedere, ſæculo X. jam obtinebat 428 quod graviter reprehenditur. 428. 429
Eccleſiæ Romanæ bona nec à ſummo Pontifice, nec à Sacerdotibus alienari poſſunt. 545
Eccleſiis quæ olim ſolerent à teſtantibus legari, quæve ex inteſtatorum rebus in Eccleſiarum jus cedebant in Hibernia 497. 501 jus quid ſervandum erat, ſi heres nimiam teſtatoris liberalitatem objiceret. ibid.
Eccleſiarum defenſores. 118
Electionibus Epiſcoporum, Abbatum, &c. laici ſe immiſcere non debent 704
Electorum æterna felicitas deſcribitur 358
Eleemosynæ erogandæ neceſſitas 176 non ſolum peccat qui aliena rapit, ſed etiam qui ſua bona cum pauperibus non communicat 313 quibus, & quâ ratione eroganda ſit eleemoſyna 366. 186 eam pauperes ipſi facere etiam quâ ratione poſſint 176 pauperibus fruſtrà conferunt, qui vitiis ſuis iram Dei accendunt 313 eleemoſynæ optimum genus. 121
Eleemoſynæ Canonicorum Lugdunenſium. 719
Eleemosynariæ munia apud Cluniacenſes. 696
Elementorum gravitas comparata. 257
Erimannus Epiſcopus Laudunenſis. 631. 127. 628
Energumeni & baptizari, & conſignari poſſunt 410 adeoque ſi Epiſcopus jubeat, eos à Presbytero conſignari licet 546 at Chriſti Corpus iis non porrigendum 409 aliæ de iis leges. 545. 546
Engelbertus Epiſcopus Cabillonenſis. 835
Episcopus ut eligendus, 428. 157 juſtè niſi à Deo eligi non poteſt, atque hinc intelligi poteſt quid ſentiendum de Principibus qui Epiſcopatus arbitrio ſuo largiuntur 411 electionis ejus qui ſit adhuc ſub ferulâ magiſtri, lepida deſcriptio 483 eligendus non eſt, qui ſit triginta annis junior ibid 693 qui indignum eligunt, quàm grave diſcrimen incurrant 425 ex electione mali Epiſcopi quæ mala gregi ipſi commiſſo immineant, deſcribuntur 312. 425 eum qui per contemptum Canonum electus, aut turpis vita corpus, vix credibile eſt ejus animi fore ut ſubjectos Canonibus obtemperare cogat 548 idem Ratherio videtur contaminare quidquid contrectaverit, ut nec Spiritum ſanctum dare poſſit, nec ſacramentum Altaris miniſtrare. 310
Epiſcopus à quibus, quâve ratione ordinandus 493. 549. 550 cur oleo ſacro ungitur in capite 425 quid ſervandum erga Clericos, quos ordinavit is, in cujus ordinatione vitium fuit. 550
Epiſcopus è ſua ſede ad aliam ne transferri poſſit 517. 518 ad eum pertinet adminiſtratio bonorum Eccleſiæ ſuæ 536 quæ Clericis per Presbyteros aut Diaconos, ſi quos probos noverit; ſi deſint, per ſe diſtribuere debet 346. 347 quid è bonis Eccleſiæ in jus ejus cedat 540. 543 ſi quid acquirat, id Eccleſiæ conferre debet 542. 544 ſi paganum aut hæreticum heredem inſtituerit, aut ſi inteſtatus deceſſerit ſciens hereditatem ad paganos aut hæreticum venturam, anathema poſt mortem dici debet. 513
In Epiſcopo Dei, ac gregis ſibi commiſſi amor requiritur, ſi is eſſe velit, cui à Chriſto dictum eſt: *Paſce oves meas* 307 Clericorum ſuorum pravis moribus ſtrenuè debet obſiſtere 364 eorumque & victui & ſaluti conſulere 376 ejus officii cum officio ſtomachi comparatio non inelegans 364 ſi Canones contemnat, iis ac ſibi contemptum accerſit 313 Synodum unoquoque anno celebrare debet 405 ac Diœceſim ſuam viſitare ibid quid ab eo ſervandum in Viſitatione 540. 723 ei reſervata quorumdam peccatorum abſolutio. 736
Plures Clericos quàm neceſſe ſit, ordinare non debet 184 an eum poſſit, qui ſit alterius diœceſis 724 quid ſi in alienâ Diœceſi ordinet 558 quid item ſi alienam Eccleſiam invaſerit, aut ſuam ab alio uſurpatam, ſine Synodo vindicarit 519 item ſi vacans ipſe vacantem Eccleſiam uſurpavit 563 alia ad Epiſcoporum officium pertinentia 508 560. 561. 582. 703. 715
Epiſcoporum jura in Eccleſiis quæ à Monachis pendent 828 item in decimis ibid an obſides fide de Principibus ſervandâ date teneantur. 641
Episcopi
Abrincatenſis Walbertus 599
Abſarenſis. Lamfredius. 638
Abulenſis. Sancius. 839
Achanus. Bartholomæus. 637
Aconſenſis Jocius. *ibid.*
Adarenſis. Joannes. *ibid.*
Aenenſis. Petrus. *ibid.*
Aginnenſis. Imbertus 855
Aguinus. Aſabel. 856
Alarenſis. Bartholomæus. 855
Albanenſis. Gauterius. 630
Joannes 604
Nicolaus. 771. 814. 820. 853
Ricardus. 831
Albenſes Audicas. 638
Teugrinus. 594
Albienſis Dominicus 855
Albingaunenſis. Lucretius. 638
Aletrinus Leo. 636
Alexandrinus. Simon Cramant 774. 794. 810. 821. 831. 834
Alſiacus. Baldewinus 637
Amalphitanus. Dionyſius *ibid.*
Ambianenſes. Angelranus. 633
Gaufridus 713
Guido. 628
H[illegible]madus 599
Ragmarius. 596
Ragnerius. 594
Rorico. 616 617
Tedbaldus. 638
Ameliuus. Petrus 636
Andegavenſes. S. Albinus. 507
Dodo 600
Guillelmus Major. 735
Goffredus. 635
Michaël. 730
Nicolaus Gelant. 736
Radulphus. 638
Andrenſis. Ricardus. 637
Anglonenſis Roboant. *ibid.*
Anicienſis Helias 855
Antiochenus Wenceſlaus 853
Antipolitanus Fulco. 638
Apamienſis. Bertrandus. 855
Aprutinus. Petrus. 833
Apurienſis Comita. 637
Aquenſes Folco 636
Renardus 638
Aquenſis. Ubertius *ibid.*
Aquinas Reinaldus. 637
Aravenſis Bertrandus 855
Arelatenſes. Aro. 635
Aurelianus. 507
Cæſarius. *ibid.*
M[illegible]us *ibid.*
Reimundus. 638
Rotlannus. 601
Aretinus Gabriel. 638
Armenienſes Humbertus. 604
Jochelinus 637
Arrunenſis. Bartholomæus. *ibid.*
Arvernorum Durandus. 635
Guillelmus 631
Aſculenſis. Joannes 637
Aſſiſinas. Rufinus 636
Atrebatenſes. Martinus. 855
Robertus. 633
Aturenſes Ægidius. 789
Petrus. 638
Zœnus 719
Aufumanus. Gentilis 637
Auguſtenſis. Aiducus. 639
Auguſtodunenſes. Althcus. 596
Hagano. 635
Jacobus. 855
Jonas 600
Notgaudus. 638
Aurelianenſes Agius. 599 601
Franciſcus. 751
Jonas. 558. 134. 594
Rainerius 695
Theobaldus 758
Auſcenſes. Auſtindus. 635
Bernardus 635
Autunenſis, Petrus. 639
Autiſſiodorenſes Chriſtianus. 601
Goffridus 828
Humbaudus. 638

Digitized by Google

Hugo. 630
Joannes. 711
Rotbertus. 615
Petrus. 712
Babaſtenſis. Andreas. 639
Baiocenſes Baltfridus. 596
Carevilcus 194
Baionenſis. Ademarus. 638
Bambergenſis. Odo. 639
Barbaſtrenſis, Raimundus. 635. 638
Barcinonenſis. Berardus. 639
Barenſis. Rainaldus. 637
Barocienſis, Rainaldus 639
Baſileenſis Delritus. 594
Haito. 584
Belicenſis Ranzaldus. 638
Bellagenſis. Terbaldus. 604
Belvacenſes. Guarinus. 606
Guido. 615. 628
Joannes. 717
Odo. 599. 600
Petrus. 633
Petrus alter. 855
Urſio. 637
Bergamenſis. Galo. 638
Bethleemitani Albertus. 637
Lanfrancus. 855
Bigoritanus. Arnaldus. 638
Biterrenſis Bernardus. *ibid.*
Bituntenus. Joannes. 637
Bituricenſes. Dagobertus. 604
Garinus 638
Hildebertus. 631
Honoratus. 507
Petrus 855
Ricardus 625. 628
Rodulphus. 599. 602
Stephanus. 594
Bobienſis Alericus. 638
Alexius. 855
Bononienſis. Gualterus. *ibid.*
Boravenſis. Andreas 637
Bojanenſis. Niculaus. 855
Branderburgenſis Sifridus. 639
Brixienſis. Joannes. 638
Briocenſis Rao 637
Brixonenſis. Galfridus. 638
Brunanſinus. Guillelmus. 637
Burdegalenſes. Amatus. 630. 631
Btnaldus 633
Frotarius 606
Gauſcelinus 635
Lochanus. 602
Burgalenſis. Omerus. 639
Cabelliononenſis. Pontius. 638
Cabillonenſes. Engebertus. *ibid.*
Fova. 594
Girbaldus. 801
Godelſadus. 606
Caſarius Leonardus. 638
Cæſarienſis. Heraclius. 637
Cajetanus Bernardus. 604
Calagoritanus. Rodericus. 633
Calenenſis. Annonius. 855
Callenſis. Alodetius 636
Cameracenſes. Borgardus. 636
Gerardus. 607. 627.
Petrus. 855
Rogerius. 638
Camerinus. Acceptabilis. 638
Cannenſis. Joannes. 617
Capronquenſis Arnulfus. *ibid.*
Capuani. Giſelbardus. 604
Palphanus. 837
Carcaſſenſis. Odo. 638
Carleonenſis. Guillelmus. 855
Carnotenſes. Agilo. 751
Bernoinus. 594
Falbertus. 604
Gaufridus. 152. 633
Giſlebertus. 599
Helias. 595
Joannes. 638
Ivo. 631
Milo. 752
Carthaginenſes. Aurelius. 507
Bonifacius. 481
Reparatus. 485
Caſertanus. Porphyrius. 637
Caſſinenſis Simon. 855
Caſtellanenſis. Petrus. 636
Caſtellani. Joannes. 772
Raimerus. 636
Caſtrenſis. Petrus. *ibid.*
Catalaunenſes. Adalhelmus. 594
Erchenraus. 601
Guiliborus. 599
Guillelmus. 633
Hugo. 631
Lupus. 596
Rotgerius 625. 667. 628
Catharenſis. Maio 637
Cenomanenſes. Aldricus. 590
Hildebertus. 633
Hoel. 631
Cephaledienſis. Guido. 637
Cerenſis. Stephanus. 604
Cervienſis. Paulus. 855
Cicenſis. Franciſcus. *ibid.*
Ciſtenſis. Odo. 639
Civitatenſis. Robertus. 637
Civitatis Roderici. Petrus. 639
Cluſini. Arialdus. 604
Leo. 636
Comaculenſis. Jacobus. 855
Compoſtellanus. Petrus. 639
Conſtantienſis. Herluinus. 599
Conſtantienſes. Ægidius. 854. 855
Bertoldus. 639
Lambertus. 604
Convenarum. Arſius. 638
Coriſopitenſis Galfridus. *ibid.*
Cornelienſis. Henricus. *ibid.*
Coſanus. Herbertus. 637
Cracovienſis. Petrus. 854
Cremonenſis. Vinfredus 638
Crotonas. Philippus. 637
Calernenſis. Conſtantinus. 639
Cumani. Anſelmus. 638
Petrus 604
Cuperſanenſis Caſinus. 637
Curienſis. Ulricus. 639
Cuſetanus. Rufus. 637
Dertoſanus. Pontius 639
Dienſes. Hugo. 625
Robertus 638
Dignenſis. Bertrandus. 855
Dolenſis. Stephanus. *ibid.*
Dracoranenſis. Nicolaus. 637
Dublinienſis. Laurentius. 639
Dunelmenſis. Hugo. *ibid.*
Ebredunenſis. Petrus. 638
Ebroicenſes. Ægidius. *ibid.*
Gombertus. 599
Guillelmus 855
Hilduinus. 601
Ellorenſis. Amatus. 625
Embriacenſis. Pegrinus. 637
Engoliſmenſis. Gerardus. 855. 638
Eporedienſis. Gannatus. 638
Eſinus. Rainaldus. 637
Eugubinus. Ofreductus 636
Famaguſtanus. Petrus. 855
Fanenſis. Mimaldus. 637
Fanonenſis. Nicolaus. 655
Faventinus. Joannes. 638
Petrus 855
Ferrarienſis. Martinus. 571
Ferentinas. Rodulphus. 636
Fermacenſis. Leonardus. 855
Feſulanus Lamfractus. 637
Firmani. Hubertus. 604
Petrus. 636
Florentinenſis. Robertus. 637
Florentini. Jacobus. 855
Robertus. 637
Fori-Sempronii. Nicolaus. 638
Forojulienſis. Ægidius. 855
Foroliv(i)enſis. Joannes. *ibid.*
Frequentinus. Jaquintus. 637
Fundanus. Joannes 636
Fanenſis. Paulinus. *ibid.*
Gardianus. Alaſius. 837
Genevenſes. Altadus. 596
Aluicius. 638
Hugo. 604
Gerundenſis. Reimundus. 639
Gervitanus. Vincentius. 463
Glatenſis. Raimundus. 638
Glegenenſis. Marinus. *ibid.*
Gradenſes. Franciſcus Lando. 855
Henricus. 628
Gratianenſes. Bonifacius. 482
Liberatus 482. 483
Gratianopolitanus. Odo. 638
Gravinenſis. Robertus. 637
Groſſetanus. Martinus. 636
Guamarienſis. Goradus. 639
Guaterfordenſis. Auguſtinus. 639
Havelbergenſis. Anſelmus. 565
Herfordenſis. Robertus. *ibid.*
Hidruntinus. Jonathas. 637
Hieroſolymitanus. Hugo de Rubertis 855
Hildeſheimenſis. Althfredus. 601
Hortanus. Paulus. 636
Humanenſis. Jordanus. *ibid.*
Januenſes. Hugo. 637
Pileus. 855
Ilerdenſis. Bergarius. 639
Petrus. 806
Inſulanus. Petrus 638
Landamorienſis. Gregorius. 855
Laquedonenſis. Angelus. 637
Larinenſis. Petrus. *ibid.*
Laſturrenſis. Guido. 635
Laudenſes. Albericus. 638
Jacobus. 855
Laudunenſes. Bartholomæus. 633
Helinandus. 615. 667. 628
Hincmarus. 599
Rogerius. 638
Simeon. 595
Lavellanus. Joannes. 639
Lavicanenſis. Benedictus. 604
Lauſanenſis. Rogerus. 638
Lemovicenſes. Guido. 605
Seibrandus. 638
Leodienſes. Joannes. 854
Radulphus. 839
Leonenſes. Eudo. 638
Gulo. 635
Leſinorienſis. Felix. 639
Lexovienſes. Freculphus. 595
Guillelmus. 855
Haitardus. 592
Radulphus. 594
Lingonenſes. Claudius. 762
Iſaac. 606
Robertus 636
Lucienſis-Caſtrenſis. Peruceius. 637
Lombarienſis. Petrus. 855
Lubecenſis. Joannes. 854. 855
Lucenſes. Guillelmus. 636
Joannes. 638
Lucerinus. Nicolaus-Antonius. 855
Rainaldus 637
Lugdunenſes. Hugo. 630. 631
Philippus. 628
Philippus alter. 855
Priſcus. 507
Lumbrienſis Bricius. 639
Lunenſis. Petrus. 636
Lurenſis. Alexander. 638
Luſtala. Humbertus. 604
Magalonenſes. Gauterius. 635
Gotefridus. 630
Joannes. 638
Magdeburgenſis. Giſlarius. 604
Mantuanus. Garſentius. 638
Maranenſis. Joaphus. 637
Marſicani. Joannes. *ibid.*
Julianus. 855
Marſus. Zacharias. 636
Maſſilienſes. Fulco. 638
Paulus. 855
Matiſconenſes. Bernardus. 601
Radingus. 600
Maturanenſes. Joannes. 604
Michaël. 637
Maurianenſis. Lambertus. 638

Index rerum Memorabilium.

Mediolanenſis. Algeſius. 638
Meldenſis. Gualterus. 617. 618
Hildegarius. 599
Habertus 594. 595
Joannes. 751. 752
Petrus 814. 824. 855
Simon. 638
Melfenſis Radulphus. 637
Melpitenſis. Joannes *ibid.*
Meatenſis. Henricus. 854
Petrus. 639
Meſſanenſis. Nicolaus 637
Metenſis. Fredericus. 637
Methenſis Anſelmus. 637
Mirthonenſis. Antonius. 836
Miraprenſis. Guillelmus. 855
Miſnenſes. Martinus. 639
Simon. 853
Moguntini. S. Bonifacius. 507
Chriſtianus. 639
Leobertus. 601
Monaſteriensis. Stephanus 637
Montis-[illegible]. Nicolaus. *ibid.*
Montis-Marini. Joannes. *ibid.*
Morinenſes Deſiderius. 638
Hunfridus 599
Joannes. 633
Muaenenſis. Aldicio. 638
Namnetenſes. Actardos. 600
Atto. 594
Benedictus. 635
Narbonenſes. Bartholomæus. 594
Franciſcus 855
Jacobus. 724
Pontius 638
Ricardus. 836
Nazarenſis. Armatus. *ibid.*
Neapolitanus. Sergius. 837
Nemauſenſes. Ægidius 855
Bertrannus. 835
Neocaſtrenſes. Gentilis. 853
Guido 837
Nepeſinus. Martinus. 636
Nivernenſes Abbo 599
Gotfredus. 594
Herveus 635
Hugo. 525
Joannes 752
Ludo 605
Obaldus. 638
Petrus. 751
Nolanus. Bernardus. 617
Nannenſis. Matthæus. 638
Norwicenſis Joannes. 639
Novariensis. Bonifacius 618
Joannes. 854. 855
Noviomenſes. Ratbodus. 625. 627. 628
Reinaldus. 638
Oſcenſes. Franciſcos 855.
Stephanos. 639
Oſtienſes. Gregorius. 604
Hubaldus. 636
Joannes. 853
Lambertus. 535
Ovetenſis. Alvarus. 855
Oxomenſis. Michaël 639
Palerminus. Raimundus 639
Pampilonenſis. Petrus. *ibid.*
Papienſis. Gregorius. 630
Pariſienſes. Acardus. 594
Æneas. 586. 589
Fultadus. 536
Gauffredos. 585. 627. 628
Guilelmus. 752
Ludovicus 751
Parmenſes. Bernardus. 858
Hubertus. 545
Patavinenſis. Terbaldus. 639
Paravinus. Gerardus. 618
Perſatenſis Ricardus. 637
Peruſinus. Vivianus. 636
Petragoricenſis Raimundus. 855
Pictavenſes. Frotcrius. 536
Ingenaldus. 600. 601
Joannes. 638
Petrus. 632
Piſani. Alamanus. 855
Dsimbertus. 630
Ubaldus. 637
Piſaurenſis. Aldebertus 604
Piſtarienſis. Petrus. 637
Piſtorienſis. Matthæus. 855
Placentini Brandia. *ibid.*
Sigifredus. 604
Terbaldus. 617
Polimartenſis. Arpinus. *ibid.*
Pompilienſis. Lamfredus. 638
Puteoli Coronatus. 639
Portuenſes. Benedictus. 604
Petrus. 764. 765
Potentinus. Joannes. 617
Praneſtinus. Antonius 853
Cono. 533. 635. 636
Guido 771. 814. 820. 853
Joannes. 764
Petrus. 604
Puppianenſis Reparatus. 484
Ravellenſis. Joannes. 537
Ravennates. Gerardos. 638
Gerbertus. 604
Henricus. 634
Reatinus. Dodo. 636
Redonenſes. Marbodus. 631. 633
Melanius 507
Regenſis. Henricus.
Reginus. Albericus. *ibid.*
Remenſes. Guido de Raiâ. 843
Guillelmus. 638
Hincomares. 599. 602
Manaſſes. 628. 631
Raynaldus. 617
Rheginus. Thomas. 637
Rotomagenſes. Joannes. 820
Raynardus 824
Ruricus. 594
Roſenſis. Gregorius. 639
Ruſpenſes. Feracianus. 485
S. Fulgentius. *ibid.*
Sabinenſis. Joannes. 829
Sagienſes. Hildebrandus. 599
Ingelnonus. 594
Saxbodus. 595
Salaminitanus Vitalis. 507
Salernitanus. Rainaldus. 637
Salisberienſis. Robertus. 854
Salpitanus Paulus. 637
Saltzeburgenſis. Conradus 639
S. Angeli de Lombardis Joannes. 637
S. Aſaph. Adam. 839
S. Pontii. Petrus. 805
Santonenſes. Ademarus. 638
Freculphus. 600. 601
Petros. 633
Saonenſes. Goigo. 638
Philippus 805
Sarrianenſis. Petrus. 637
Sardonenſis. Michaël. 638
Sconigavenſis. Gundenis 855
Sebaſtenus. Radulphus. 637
Sedunenſis. Cono. 638
Hugo. 604
Segobienſis. Gonſaldus. 639
Senegallienſis Jacobus. 636
Senonenſes. Aldricus. 593
Daimbertus. 632. 633
Guido 638
Guilielmus. 749
Guillelmus alter. 748
Ludovicus. 751
Richerius. 635
Triſtandus de Salazar. 718
Wenilo. 595. 599. 602.
Senenſis. Joannes. 637
Serretenenſis. Aifredos 604
Seſſarenſis Bermerdos. 538
Signini. Bruno. 630. 632
Petrus. 636
Sipontinus. Nicolaus 855
Slundenſis. Rainerius. 604
Spalatenſis. Renetius. 638
Spoletinus Rahiletteus. 836
Strombinus. Jerenus. 637
Sueſſanus. Herveos. 637
Joannes. 604
Sueſſionenſes. Angilmoldus. 599
Hilgotus. 617
Liſiardus. 633
Nevelo 638
Rotvaldus 594
Sulcitanus Blaſius. 855
Sutrenſes. Gulfranus. 636
Lideprandus 604
Sutrinus. Joannes. 636
Sylvanectenſes. Herpuinus. 599. 601
Urſio. 627
Tarentaſienſis. Aimo. 638
Tarentinus. Baſilios 637
Tarraconenſes. Bernardus. 639
Joannes. 820
Oldegarius 635. 636
Taurinenſis. Milo. 638
Terdonenſis. Obertus. *ibid.*
Terrenenſis. Catholicus. 639
Termulanus. Goffridus. 637
Terracinenſis. Hugo. 636
Teleſinus. Petrus 637
Theanenſis. Petrus. *ibid.*
Tiburtinus. Florentinos. 538
Milo. 636
Toletani. Bernardos. 630
Celebrimos. 839
Tolonenſis Petrus. 638
Toloſanus. Vitalis. 855
Turritanenſis. Leonardos. *ibid.*
Tornacenſes. Lambertus. 633
Raginelmus. 599. 601
Trecenſes. Adalbertus. 595
Folcherius 600. 601
Goalterus 628
Helias. 594
Jacobus. 738
Ludovicos 752
Matthæus. 638
Philippus 635
Trecorenſis Triſtanus. 855
Trevirenſis Arnaldus. 639
Tridentinus. Salomon. 638
Tripolitanus. Romanos 637
Triſtanenſis. Robertus. *ibid.*
Terventinus. Petro. *ibid.*
Tudertinus. Guittanus. 636
Guillelmus 836
Turonenſes Amelius. 855
Herardus. 599
Herchembaldus. 603
Jotſmarus. 595
Landramnus. 596
Rodulphus. 625. 632
Tuſcanenſis. Centius. 636
Tuſculani. Henricus. 853
Joannes. 771
Odo. 715
Petrus. 826. 810. 853
Tutelenſis. Bertrandus. 855
Valentinus. Odo. 638
Vapincenſis. Joannes. 856. 855
Vaſatenſis. Garſias. 638
Vegeſelitanus. Januarius. 482
Vellanorum. Guido. 604
Venafranus. Reinaldus. 637
Venetenſis. Morvanus. 635
Verulanus. Formundus. 636
Veſontionenſes. Arduicus. 596
Hugo. 630
Veſtanenſis. Guillelmus. 855
Vitenſis. [illegible]ogerius. 637
Vi[illegible] Alexander. 602
Guido 630. 835
Joannes. 855
Philippus. 507
Robertus. 638
Vigilienſis. Amandus. 637
Viglenſis. Drobo 638
Villareginenſis. Creſcentius. 559
Vintimelienſes. Benedictus. 855
Stephanus. 838
Virdunenſis. Alduinus. 594
Vitrenſis. Bernoz. 639.
Viventienſis. Joannes. 855
Uebevetanus. Ricardus. 636
Urbinas. Guido. *ibid.*

Digitized by Google

—— *Engolismenſis.* Arnaldus 619
—— *Uticenſis.* Guillelmus. 855
—— Raimundus 638
—— *Valen ſis.* Odalrikus. 616
—— *Vintonienſis* Ludovicus. 855
—— *Wormatienſis.* Fulconius. 594
—— *Ypprenſis.* Oldicus 599
—— *Zacatenſis.* Felix. 585
Episcopi teſtimonium quàm grave 197 ejus ſententiæ ſanctæ incorruptæque ſ ſervandæ *ibid.* ſi laicæ ſine Clericis abſentibus, irritæ ſunt 535 Epiſcopo ſi cui communicare noluerit, qui crimen à ſe ſolo cognitum negat, nec ab aliis Epiſcopis communicandum 533 alii caſus in quibus à cæterorum communione ita ſeceruntur, ut tum ſuâ Eccleſiâ communionem ſerves. 538. 539
Epiſcoporum vitia à pleriſque ferenda, ab aliis non ſine maximâ cautelâ arguenda 419. quot olim difficultatibus à ſacris Canonibus ſepti fuere, ne temerè accuſarentur 415 ab eo qui criminoſus ſit, accuſari non poſſunt 533 à quibus audiendi 533. 535 quæ ſiſtendi te tempora Epiſcopo accuſato concedantur, & ſi non ſtiterit, quid ſervandum 534 ab eo non petendum, ut ſe aliorum Epiſcoporum ſacramento purget 415 nec ut ſingulari certamine ſe tueatur *ibid.* 417 ſi ad Romanum Pontificem appellarit, appellatio ejus admittenda, nec interea ſucceſſor ei dandus eſt 538 ſecus, ſi Imperatorem adeat 537 ſi à gradu dejectus, deinde innocens repertus, quid ſervandum 538
Epiſcopo defuncto, res ejus à duobus viris adminiſtrandæ, ac ſucceſſori ſervandæ, 528. 609
Erchenraus Epiſcopus Catalaunenſis. 601
Eremitarum laus. 33
Erbaldus Archiepiſcopus Burdegalenſis. 621
Eſſæni quibus potiſſimum rebus à cæteris Judæis diſtincti. 97
Eucharistia *Vide* Christus.
Eudo Epiſcopus Leonenſis. 538
Eunuchi an in Clerum admitti poſſint 420. 548
Evrardus Abbas Corbeienſis in Concilio Compendienſi depoſitus. 627
Eustachius Vicedominus Ambianenſis non nulla donat Eccleſiæ SS. Acei & Acheoli. *ibid.*
Excommunicari quot modis quis poſſit 501. 523. 538. 539 in excommunicando nihil temerè aut properanter faciendum 501 excommunicati ſingulis diebus dominicis denuntiandi 737. 748 ſed non ante certum tempus ex quo impetrata eſt excommunicatio 751 Clericorum qui excommunicatorum nomina deleat, aut aliis deſignant quibus excommunicatio ceris minùs noceat, pœna. 746
Excommunicati ita vitandi, ut cum iis ne quidem in privatâ domo orare liceat 409 res eorum eleemoſynæ non ſuſcipiendæ. 501
Excommunicatio juſta vel injuſta timenda 596 ejus qui excommunicationem aliquamdiu ſpernatus, ſe abſolvi non curat, pœna 705. 733. 736. 749 ſi ſententiam per duos menſes ſuſtinuerit, cautum ejus ut ſaltem interdicto ſupponi præcipitur 758. 747 excommunicatus etiam ubi ſuſceperit, abſolutionem debet petere. 747
Excommunicationis genus quoddam in Noſocomio Ambianenſi. 714
Exoldonienſe Concilium. 625
Exorcistæ ordinandi ratio 551 ejus munus. 616
Extrema-unctio ægrotis tam à laicis quam à ſacerdotibus adhiberi poteſt 326. 541. 572 ſine pretio concedenda 735 pœnitentibus negatur 548 apud Cluniacenſes ante Viaticum data. 700

F.

Falsum teſtimonium qui dicit, quàm graviter peccet. 301
Fato hunc mundum non regi probatur 12
Felicianus Epiſcopus Ruſpenſis. 485
Felix Epiſcopus Leſmorienſis. 639
—— Epiſcopus Zacatenſis 485
Feminæ virus in conventu docere non debent 420 ne virilem habitum ſumant, ut coërceantur *ibid.* ne quidem eæ quæ ſe & corpora ſua Deo conſecrarunt, ad altare accedere, aut ſacra vaſa contrectare debent 403 iis caput tondere non licet 538 ne in cœmeteriis noctem ducant, interdicitur *ibid.* earum teſtimonium non accipiendum 495 iis certis temporibus ab Eccleſiæ ingreſſu, & à communione interdicitur 487
Feria ſextâ qui otio vacandum cenſebant, eorum prava opinio confutatur. 435
Festi dies quomodo celebrandi 760 in iis & ab omni opere ſervili ceſſandum 735. 741 & à ſpectaculis abſtinendum. 410
Feſtorum dierum ſyllabi. 179. 184. 718
Feſtos dies celebrandi ratio apud Cluniacenſes 649 quid ſi in Quadrageſimâ occurrerent. 668
Fidejussor Clericus eſſe non debet 498 qui fidejubere non poſſint *ibid.* fidejuſſor quando ſolvere teneatur *ibid.*
Fides ſervans Patrum traditiones 32 quâ ratione fides dæmones ejiciat, ſerpentes tollat, &c. 460
Fidem Regi omnes quidem, at præcipuè Epiſcopi ſervare debent 441 an obſides de fide ſervandâ dare Epiſcopi teneantur. *ibid.*
Filia ſpiritualis eſt ejus ſacerdotis à quo baptizata eſt, aut qui Parochiæ præfectus eſt 717 item filia ſpiritualis habetur ejus, cui peccata confeſſa eſt. 741
Filius Patri coæternus, non tamen ſine principio 174 ſicut à Patre habet ut ſit Deus, ſic à Patre habet ut procedat de ipſo Spiritus ſanctus 83 ad eum ſolum incarnatio pertinet. 84
Filii improbi improborum parentum, non pro ſuis ſolùm, ſed etiam pro parentum peccatis pœnas luunt. 371
Filii ſpiritualis fidejuſſor eſt qui eum ſuſcepit 581
Firmamentum Cœli quid ſit. 387
Fœneratorem artem exercentibus publicè domus non locandæ 732 fœnus ſi Clericus exerceat, coërcendus 552. *Vide* Usura.
Folcmarius Epiſcopus Trecenſis. 600. 601
Formatæ Epiſtulæ ratio. 163
Formundus Epiſcopus Verulanus 638
Fornicatio quàm mala ſit, demonſtratur. 379
Fova Epiſcopus Cabillonenſis 594
Franciscus Cardinalis Presbyter SS. quatuor Coronatorum. 853
—— Lando, Patriarcha Gradenſis. 855
—— Archiepiſcopus Narbonenſis. *ibid.*
—— Epiſcopus Aurelianenſis 758
—— Epiſcopus Cicenſis. 855
—— Epiſcopus Oſcenſis. *ibid.*
—— Abbas S. Genovefæ Pariſienſis. 856
—— Abbas de Upolis. *ibid.*
Francorum Reges electioni Urbani VI. non conſenſerunt 787 Francorum pravi mores 642
Frecufphus Epiſcopus Lexovienſis. 595
—— Epiſcopus Surtonenſis 600
Frodericus Epiſcopus Metenſis 612
Frotarius Archiepiſcopus Burdegalenſis. 600
Frotharius Epiſcopus Pictavenſis. 538
Fulcardus Abbas S. Bavonis. 847
Fulco Epiſcopus Antipolitanus. 838
—— Epiſcopus Aquenſis. 636
—— Epiſcopus Maſſilienſis 638
Fulconius Epiſcopus Wormatienſis. 594
Fulradus Epiſcopus Pariſienſis. 536
Furis pœna. 438. 497

G.

Gabriel Epiſcopus Arienſis. 638
Gaisotus Cardinalis S. Georgii ad velum aureum. 771
Gaifridus Epiſcopus Briocenſis. 638
—— Epiſcopus Coriſopitenſis *ibid.*
Gallicanæ Eccleſiæ Concilium Pariſios à Carolo VI. convocatum, ut de pace Eccleſiæ reddendâ tractaretur. 793. & ſeqq.
Galo Epiſcopus Bergamenſis. 638
—— Epiſcopus Leonenſis. 635
Gennarius Epiſcopus Eporedienſis. 638
Garinus Archiepiſcopus Bituricenſis. *ibid.*
Garinus Archidiaconus Belvacenſis, cum Vincentio Ordinis FF. Prædicatorum, Statuta Noſocomii Belvacenſis conſcribit. 716
Garsentinus Epiſcopus Mantuanus. 638
Garsias Epiſcopus Vaſatenſis. *ibid.*
Galfridus Epiſcopus Ambianenſis, ejus Urbis Noſocomii Statuta confirmat. 741
Galfridus Epiſcopus Carnotenſis, A. S. Legatus. 572. 643
—— Epiſcopus Pariſienſis. 625. 627. 628
—— Archicancellarius. 628
Gauterius Epiſcopus Albanenſis. 630
—— Epiſcopus Magalonenſis. 235. 838
Gelasii Papæ I. Decretum, ut volunt, in Concilio Romano promulgatum. 411
Gentilium Superſtitio cur refellenda ſit ſeculum ad quam veræ ſapientiæ habuêre; cur ante Chriſtum à verâ religione aberrarunt. 54
Genesius Epiſcopus Auſumarus. 637
—— Epiſcopus Neocaſtrienſis 855
Genua die Dominico non flectenda 409. 544
Gerardus Epiſcopus Cameracenſis & Atrebatenſis, hæreticos quoſdam dictè refellit, & ad ſanam mentem reducit in Synodo Atrebatenſi. 607 & ſeqq.
Gerardus Cardinalis S. Clementis. 764
—— Archiepiſcopus Ravennas 838
—— Epiſcopus Patavinus *ibid.*
Gerardi Abbatis Monaſterii cujuſdam Cluniacenſis fides. 641
Gerbertus Archiepiſcopus Ravennas. 6 4
Gerfridus Epiſcopus Nivernenſis. 594
Gervinus Abbas S. Richarii. 847
Giraldus Epiſcopus Caturcenſis. 638
—— Abbas Hameticis. 847
Girardus Epiſcopus Engoliſmenſis, A. S. Legatus, Concilium Loſduni celebrat 634 cum ſe ad partes Petri-Leonis Antipapæ applicuiſſet, ab Arnulfo cum Archidiacono Sagienſi acriter exagitatur. 655 & ſeqq.
Giraldus Epiſcopus Cabillonenſis. 601

GISLARIUS è Maeſchorgenſi Epiſcopo Archiepiſcopus Magdeburgenſis, de tranſlatione ſuâ ſe purgare jubetur. 604
GISEBARDUS Epiſcopus Capuanus. *ibid*
GISLEBERTUS Epiſcopus Carnotenſis. 599
GODEFRIDUS Abbas de Monte S. Quintini 687
GODESCALCUS Epiſcopus Cabillonenſis. 609
GOSFRIDUS Epiſcopus Andegavenſis. 631
—— Epiſcopus Autiſiodorenſis 6.8
—— Epiſcopus Termilanus. 637
GOMBERTUS Epiſcopus Ebroicenſis. 599
GONSALDUS Epiſcopus Segobienſis 619
GOBADUS Epiſcopus Goamateienſis. 839
GORDIANENSEM Cellam S. Mariæ ad Amanenſis Monaſterii jus pertinere decernitur. 615
GOTEFRIDUS Epiſcopus Magalonenſis. 630
GRÆCI Latinis quæ objecerint ſæculo IX. 63. 118 eorum objecta fusè refellunt, & Ratramnus continuâ, nec ineleganti diſputatione 63. *& ſeqq.* & Æneas Epiſcopus Pariſienſis, ſingulis objectis opponendo plurima SS. PP. teſtimonia. 118. *& ſeqq.*
GRATIA divinæ neceſſitas 623 & vis 3 Gratia quibus confecatur. 3
GREGORIUS Papa V. in Concilio Roberti Francorum Regis ac Berthæ conjugium diſſolvit, ac non nulla alia ſeſtituendæ ubi labefactata fuerat, diſciplinæ decernit. 603
GREGORII Papæ XI. mors 764
GREGORII XII. electio 803 renuntiare Papatui ſpondet, ac deinde id ſe facturum negat *ibid.* ab eo ſecedit Collegium Romanum Cardinalium 805 Concilium in Provinciâ Aquileienſi convocat 817 vocatur ad Concilium Piſanum 814 in quo contumax declaratur 819 ejus cauſam ludificandi Concilii causâ ſuſcipiunt Oratores Roberti Bavariæ Ducis, ac ſolidè confutantur *ibid.* *& ſeqq.* iota ejus ea quo Papa electus eſt agendi ratio exponitur 836 *& ſeqq.* dejicitur tandem à Papatu, & hæreticus declaratur. 8 47
GREGORIUS Cardinalis Papienſis. 630. 631
—— Cardinalis Diaconus S. Angeli. 635. 636
—— Epiſcopus Landemerienſis. 815
—— Epiſcopus Oſtienſis. 604
—— Epiſcopus Roſenſis 639
—— Abbas S. Salvatoris de Salvamondâ 856
GUALTERUS Epiſcopus Bononienſis. 855
—— Epiſcopus Meldenſis. 617. 618
—— Epiſcopus Trecenſis. 628
—— Abbas S. Joſeti. 687
GUARINUS Epiſcopus Belvacenſis hæreticos quoſdam in Concilio Aurelianenſi confutat. 606
GUIDO Cardinalis Epiſcopus Præneſtinus. 771. 814. 820. 851. 853
—— Cardinalis Presbyter S. Crucis in Hierulalem. 784
—— de Raiâ, Archiepiſcopus Remenſis: ejus mors. 825
—— Archiepiſcopus Senonenſis. 638
—— Archiepiſcopus Viennenſis. 630. 631
—— Epiſcopus Ambianenſis. 628
—— Epiſcopus Belvacenſis. 835. 628
—— Epiſcopus Cephaludienſis 637
—— Epiſcopus Lalcurtenſis. 635
—— Epiſcopus Lemovicenſis. 685
—— Epiſcopus Neocaſtrenſis. 637
—— Abbas Graſſenſis. 856
—— Moncelli, Abbas S. Dionyſii in Franciâ 767
—— Abbas SS. Sergii & Bacchi. 858
GUINO Epiſcopus Saonenſis. 638
GUILLEBOLUS Epiſcopus Catalaunenſis. 599
GUILLELMUS Cardinalis S. Angeli. 764
—— Cardinalis S. Ceciliæ 771
—— Cardinalis S. Stephani in Cœliomonte. 784
—— Archiepiſcopus Brundiſinus. 637
—— Archiepiſcopus Senonenſis, varia Statuta promulgat in Concilio Provinciali. 748
—— Epiſcopus Arvernorum. 632
—— Epiſcopus Carleonenſis. 855
—— Epiſcopus Catalaunenſis 633
—— Epiſcopus Ebroicenſis. 855
—— Epiſcopus Lexovienſis. *ibid.*
—— Epiſcopus Lucenſis. 616
—— Epiſcopus Mirapicenſis. 855
—— Epiſcopus Pariſienſis 752
—— Epiſcopus Todertinus. 816
—— Epiſcopus Veſtanenſis. 855
—— Epiſcopus Uticenſis *ibid.*
—— Abbas Briuolienſis. 687
—— Abbas de Cormeliis. 856
—— Abbas de Gemondo. *ibid.*
—— Abbas Hirſaugienſis: ejus laudes 641 liberalitas. 685
—— Abbas Majoris-Monaſterii. 633
—— Abbas Nocarienſis. 856
—— Comes Nivernenſis. 638
GUITFARDUS Abbas SS. Trinitatis Florentiæ. 856
GUISSO Epiſcopus Urbinas. 636
GULÆ vitium quàm ſit exitioſum 455. 859
GULCRANUS Epiſcopus Sunenſis. 636
GUNDEMIS Epiſcopus Seonigienſis. 855
GUNOULPUS Italus, ſectæ cujuſdam hæreticorum auctor. 607

H.

HAALMHUSAS Abbas in Hiberniâ, varia è diverſis Conciliis ac SS. Patrum Operibus capitula excerpi curavit, quorum pars hîc exhibetur. 491. *& ſeqq.*
HÆRETICI arcendi ac puniendi 704. 711. 720 munera oblata his qui hæreticos ceperint 720 eos vel Epiſcopi ipſi capere poſſunt, vel Epiſcoporum juſſu judices ac domini temporales 749 hi, ſi juſſi hæreticos aut capere, aut captos Epiſcopis tradere noluerint, excommunicati eſſe jubentur *ibid.* animadvertendum in eos qui hæreticos fovent. 710
Hæretici ſingulis diebus Dominicis excommunicandi 721 & Eccleſiarum ingreſſu prohibendi 523 nec orandum cum iis, nec Eulogiæ eorum accipiendæ 524 cum iis affinitas à Catholico non jungenda *ibid.* officia iis non committenda 711
Quid ſervandum erga hæreticos ſi reſipiſcere videantur 711 ne quidem poſt abjuratam hæreſim officia publica iis committi debent aut poſſunt. 711. 720
Hæreticus ſi morti proximus aliquod pœnitentiæ ſignum dederit, conſignari poteſt 523 quæ ſit hæretici ad Catholicam Eccleſiam redeuntis pœnitentia 522 is ſi olim dum inter Catholicos verſaretur ordines aliquos accepit, in iis miniſtrabit, ad ſuperiorem nunquam promovendus 523 ſi verò ab hæreticis ordinatus ſit, officia ſua non ſervabit. *ibid.*
Hæreticorum ſæculi V. variæ ſectæ recenſentur, & confutantur. 25 *& ſeqq.*
Hæreſes occaſionem Patribus dedere veritatem Catholicam pleniùs & apertiùs exponendi. 21
HAGANO Epiſcopus Auguſtodunenſis. 625
HAIRADUS Epiſcopus Lexovienſis. 599
HALIAS Epiſcopus Anicienſis. 855
—— Epiſcopus Trecenſis. 594. 595
HELINANDUS Epiſcopus Laudunenſis 625
HELMERADUS Epiſcopus Ambianenſis. 599
HENRICUS I. Francorum Rex non nulla donavit Eccleſiæ Compendienſi SS. Cornelii & Cypriani. 628
HENRICUS Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus. 853
—— Patriarcha Gradenſis. 856
—— Epiſcopus Cornelienſis. *ibid.*
—— Epiſcopus Menevenſis. 854
—— Epiſcopus Regenſis. 638
—— Abbas S. Remigii Remenſis. 687
HERACLIUS Archiepiſcopus Cæſarienſis. 637
HERARDUS Archiepiſcopus Turonenſis. 599
HERBERTUS Archiepiſcopus Coſanus 837
HERCHEMBALDUS Archiepiſcopus Turonenſis ob celebratas Roberti Fr. R cum Berthâ nuptias à communione ſuſpenditur, donec ſui purgandi causâ Romam adierit. 603
HEREDITAS à parentibus liberis relinquenda. 497. 498
HERLUINUS Epiſcopus Conſtantienſis 599
HERPUINUS Epiſcopus Sylvanectenſis. 599. 601
HERVEUS Epiſcopus Nivernenſis. 638.
—— Epiſcopus Sueſſanus. 637
HEUZO Cardinalis Presbyter. 630. 631
HIBERNIÆ variæ leges à legibus cæterarum Orbis Regionum diſcrepantes. 493 *& ſeqq.*
HILDEBERTUS Epiſcopus Cenomanenſis 633 idem Archiepiſcopus Bituricenſis. 638
HILDEBRANDUS Epiſcopus Sagienſis. 599
HILDEGARIUS Epiſcopus Meldenſis *ibid.*
HILDUINUS Epiſcopus Ebroicenſis 601
HILGOTUS Epiſcopus Sueſſionenſis. 627
HINCMARUS Archiepiſcopus Remenſis 599. 601
—— Epiſcopus Laudunenſis 598
HOEL Epiſcopus Cenomanenſis 631
HOMICIDARUM variæ pœnæ, ſi quis Monachum aut Clericum, ſi Epiſcopum aut Sacerdotem, ſi laicum interfecerit 488 item ſi injuriam inferens, ſi mortem repellens 490. 530 item ſi ſervus juſſu Domini mortem intulerit 489 ſi ancillam Domina aut Dominus ſervum occiderit 530 nec qui interficit, nec qui homicidio auxilium, conſiliumve, aut aſſenſum præbuit, ad Clericatum admitti debet. 547
Quid ſervandum erga eum qui ſibi ipſe mortem intulit. 489. 530
HOMINUM poſt peccatum conditio 814 eorum poſt diluvium inſania quam clementer à Deo repreſſa 6 eorum causâ Scripturæ divinitùs inſpiratæ 4 & Chriſtus inter homines verſatus *ibid.* cur iis infeſtos eſſe Dæmones paſſus eſt Deus 14 de ſingulis factis ac dictis ſuis rationem Deo reddent 315 eorum varia conditio poſt exceſſum è vitâ 235. 236 eorum animæ corpora aliquando receptūræ ſunt, atque id qui fieri poteſt. 10 39
HORÆ vel nocturnis vel diurnis quos Pſalmos interſererint Cluniacenſes, ultrà id quod S. Benedictus conſtituerat 645
HOSPITUM cura commendatur 304 ii ut

Digitized by Google

ot ſecepti, ut tractari apud Cluniacenſes 697 ita apud Monachos Benedictinos carnes non apponendæ. 709
Hoſpitum recipiendorum cura quibus commiſſa apud Corbeiam, & eorum alimentis decima bonorum omnium deſtinata 593 iiſdem decima bonorum deſtinata in Monaſterio Autiſiodorenſi S. Germani 607 & decima pars eorum quæ Plebanis ſacerdotibus uſferebantur, in Diœceſi Metenſi 574
Hostes ſi quis in patriam adducat, 506
Hostiarum præparandarum ratio apud Cluniacenſes. 694
Husaldus Epiſcopus Oſtienſis 616
Hubertus Epiſcopus Aquenſis. 618
—— Epiſcopus Firmenſis. 604
—— Epiſcopus Meldenſis. 594 595
—— Abbas S. Winocii. 819
Hugo Cardinalis Preſbyter SS. Quatuor Coronatorum. 764
—— de Robertis, Patriarcha Hieroſolymitanus. 815
—— Archiepiſcopus Janueñſis. 617
—— Archiepiſcopus Lugdunenſis & Legatus. 610. 615
—— Archiepiſcopus Veſontonenſis. 630
—— Epiſcopus Autiſiodorenſis. ibid.
—— Epiſcopus Catalaunenſis. 615
—— Epiſcopus Dienſis, A. S. Legatus. 6 5
—— Epiſcopus Dunelmenſis 639
—— Epiſcopus Genevenſis. 604
—— Epiſcopus Nivernenſis. 615
—— Epiſcopus Regienſis, A. S. Legatus. 203
—— Epiſcopus Ruſenenſis. 639
—— Epiſcopus Sedunenſis. 604
—— Epiſcopus Terracinenſis. 616
—— Borellus, Dux Burgundiæ. 615
—— Comes Campaniæ, non pauca donat Eccleſiæ Moliſmenſi. 631. 632
—— Comes Rithelli. 615
Humbaudus Epiſcopus Autiſiodorenſis. 815
Humbertus Epiſcopus Atimæ. 604
—— Epiſcopus Lulcalæ ibid.
Humilitas virtus omnibus hominibus neceſſaria & perutilis 548. 566 eam Chriſtus exemplo ſuo commendavit. 505
Hunerinus Epiſcopus Morinorum. 599

I.

Jacobinus Abbas Pratalienſis. 838
Jacobus de Urſinis Cardinalis Diaconus S. Georgii ad Velum aureum. 764 769
—— Archiepiſcopus Narbonenſis. 714
—— Epiſcopus Auguſtodunenſis. 815
—— Epiſcopus Florentinus ibid.
—— Epiſcopus Laudenſis. ibid.
—— Epiſcopus Senegalienſis. 836
—— Epiſcopus Trecenſis. 751
—— Abbas S. Stephani de Cenceno. 855
Januarii Calendæ & Brumæ à Chriſtianis non colendæ. 418
Januarius Epiſcopus Vegeſeltanus. 612
Jacintus Epiſcopus Frequentinus 617
Idololatriæ junta 6 ps admittendi ſunt ii, qui ſe in idolis ſacrificarent, impelli ſivère 582
Jejunium Deo acceptum eſſe probatur 36 jejunio apti quidam ſeptimanæ dies, aliis diebus à j junio abſtinendum 482. 495 charitatis ergo jejunium non nonquam diſſolvendam 494 ſine humilitate & charitate quàm ſit inutile ibid. nulla de jejuniis lex infirmos ad jejunandum adſtringit. 488
Jejunium in Quadrageſima, aut in Quatuor-Temporibus magis ſervandum, quàm ulla feſtivitas, ſi quæ occurrat, celebranda 179. 584 præter feſtivitatem ejus Sancti qui in Parochiâ jacet. 179
Jejuniorum ratio apud Cluniacenſes poſt Pentecoſten 693 item in Congregatione Canonicâ quam inſtituit Chrodegangus Metenſis Epiſcopus. 573
Jeremias Epiſcopus Strombinus. 637
Ilgondus Abbas Majoris-Monaſterii. 814
Imagines Chriſti aut Sanctorum quæ nos moveant. 655
Imaginibus Auguſtorum immodicus honor delatus. 55
Imbertus Epiſcopus Aginnenſis 855
Imperatorum aut Regum non eſt, vel de ſacris dogmatibus, vel de Eccleſiaſtico ritu diſputare. 64
Incantatorum, & eorum qui incantationibus ſerviunt, pœna. 490 510
Incesti quinam ſint 559 ii in Eccleſiâ non niſi ad Miſſam Catechumenorum admittendi ibid. inceſtas nuptias diſſolvere excommunicatione cogendi ſunt 682 an illis deinde nuptias poſſint contrahere. 596
Inceſti ut puniuntur in Jure. 436
Infames accuſare non poſſunt. 512
Infantes qui in Eccleſiis projiciunt, eorum pœna ſus erga infantes ipſos quid ſervandum. ibid.
Infernus ignis æternus quis ſit. 535
Infirmi viſitandi 535 & oleo ſancto ungendi, vel à Sacerdotibus, vel à laïcis 118. 545 179 ad eos non pertinent jejuniorum leges. 488
Infirmorum leges apud Cluniacenſes 690 quid ſervaretur erga eum qui morti proximus videbatur. 700
Ingelbertus Abbas Foreſtenſis. 617
Ingelnomus Epiſcopus Saghuſis. 594
Ingenaldus Epiſcopus Pictavenſis. 600. 602
Ingelramus Comes Ambianenſis, non nulla donat Eccleſiæ SS. Acei & Acheoli 627
Innocentius Papa VII de electione ſuâ certiorem facit Academiam Pariſienſem, ac ſe de Legatis Benedicti XIII. captis purgat. 401
Inquisitorum munia. 711
Inventæ res dominis, ſi agnoſci poſſint, reſtituendæ 487
Investituras de honoribus Eccleſiaſticis ne laici uſurpent, prohibetur. 634
Invidiæ malum quàm diligenter vitandum 110 ſuperbiam plerumque ſequitur 107 invidi miſera conditio. 108
S. Joannis Baptiſtæ Nativitas ut celebraretur apud Cluniacenſes. 619
Joannis Papæ XXIII. electio 8 7
Joannes Cardinalis Epiſcopus Albanenſis 853
—— Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis 853
—— Cardinalis Epiſcopus Prænestinus. 764
—— Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus. 771
—— Cardinalis Armaniaci Archiepiſcopus Rotomagenſis. 820
—— Cardinalis Preſbyter S. Anaſtaſiæ. 278
—— Cardinalis Preſbyter S. Chryſogoni. 853 855
—— Cardinalis Preſbyter S. Crucis in Jeruſalem. 853
—— Cardinalis Preſbyter S. Cyriaci. 728
—— Cardinalis Preſbyter SS. Joannis & Pauli ibid.
—— Cardinalis Preſbyter S. Marcelli. 764
—— Cardinalis Preſbyter S. Vitalis de Murolio. 771
—— Cardinalis Diaconus. 610. 611
—— Archiepiſcopus Auſcenſis. 883
—— Archiepiſcopus Viennenſis. 853
—— Epiſcopus Adatenenſis 617
—— Epiſcopus Albanenſis. 604
—— Epiſcopus Aſculanus 637
—— Epiſcopus Autiſiodorenſis. 751
—— Epiſcopus Belvacenſis, quæ ſit ſua in Noſocomium Belvacenſe juriſdictio definit. 717
—— Epiſcopus Bituntinus. 637
—— Epiſcopus Brixienſis. 838
—— Epiſcopus Cabillonenſis. 853
—— Epiſcopus Cannenſis. 617
—— Epiſcopus Carnutenſis. 638
—— Epiſcopus Faventinus. ibid.
—— Epiſcopus Favetinus. ibid.
—— Epiſcopus Forolivienſis 855
—— Epiſcopus Fundanus. 636
—— Epiſcopus Grananopolitanus. 638
—— Epiſcopus Lavellanus. 637
—— Epiſcopus Lubecenſis 814. 815
—— Epiſcopus Lucenſis. 618
—— Epiſcopus Magalonenſis. ibid.
—— Epiſcopus Marſicanus. 637
—— Epiſcopus Matiſconenſis. 604
—— Epiſcopus Meldenſis. 751
—— Epiſcopus Melficenſis. 617
—— Epiſcopus de Monte Marano. ibid.
—— Epiſcopus Morinorum 633
—— Epiſcopus Norvicenſis. 638
—— Epiſcopus Novarienſis 814. 815
—— Epiſcopus Pictavenſis 442 alter. 638
—— Epiſcopus Potentinus 637
—— Epiſcopus Ravellenſis. ibid.
—— Epiſcopus S. Angeli de Lombardis. ibid.
—— Epiſcopus Sernenſis. ibid.
—— Epiſcopus Sueſſanus 604
—— Epiſcopus Sutrinus 636
—— Epiſcopus Vapincenſis 835
—— Epiſcopus Vivarienſis. 855
—— Abbas Cæſarienſis 856
—— Abbas Ciſtercienſis 855
—— Abbas Gemblacenſis. 814
—— Abbas Gingiriani. 816
—— Abbas Pontiniaci. ibid.
—— Abbas S. Bavonis ibid.
—— Abbas S. Criſpini Majoris ibid.
—— Abbas S. Ghiſleni in Cellâ. 854. 855
—— Abbas S. Juſtinæ de Paduâ. 856
—— Abbas S. Mariæ de Aurajo. ibid.
—— Abbas S. Petri de Muchito. ibid.
—— Abbas S. Petri ſuper Divam ibid.
—— de Podio-Nucis, Magiſter Ordinis Fr. Prædicatorum 820
—— Dux Bituricenſis à Carolo VI fratris ſuo Orator miſſus ad Benedictum XIII 789
—— de Caſtromorandi, Orator Caroli VI ad Benedictum XIII 804
—— le Maingre, dictus Boucicaut, Franciæ Mareſcallus, Orator ejuſdem ad Collegium Avenionenſe Cardinalium 770
—— de Tuniſſein, Orator ejuſdem ad Benedictum XIII. 806
Josephus Epiſcopus Maravenſis. 637
Joabitorum conjugum exemplum 278
Jocelinus Epiſcopus Atimienſis 617
Joscius Epiſcopus Acconenſis. ibid.
Jonas Epiſcopus Auguſtodunenſis 600
—— Epiſcopus Aurelianenſis 574
Jonatas Archiepiſcopus Hydruntinus. 837
—— Epiſcopus Fundanus 636
Jordanus Cardinalis Preſbyter ſancti Martini in montibus 853
—— Epiſcopus Humanenſis. 636
Joseph cur ab Angelo dicitur filius David 41
Ira quàm diligenter vitanda. 551. 419
Isaac Epiſcopus Lingonenſis. 601
—— Abbas Stellæ, quidquid in Miſſa præcipuum eſt, breviter explicare conatur. 442

Index rerum Memorabilium.

Itali maximi omnium, ſi Ratherio credas, deiuratores ac ſuſurrones, 164 eoſdem ſcribis ſi cui injuriam intulerint, de eo ſolere ut injuriam paſſos apud Principem queri *ibid.* quærit etiam cur Itali Clerici cæteris ſint libidinoſiores. 314

Jubilæi lex in uſu apud Hibernos. 599

Judæos Deus cur in Ægypto vexari ſiverit 7 in eorum gratiam quæ miracula perpetrarit *ibid.* cur eos tamdiu voluit in deſerto commorari 8 cur iis plures ſimul uxores habere licuerit 23 quanta iis Deus beneficia præſtiterit 24 cur eos paſſus eſt Evangelii fidem minimè aſtrqui. *ibid.*

Judæi ut à Principibus defendendi, ita & ab ipſis & à Chriſtianis omnibus odio habendi ſunt, ne eferenda illorum ſemeritas, dum in Chriſtum, &c. ac ſacta noſtra blaſphemant 360 perverſa ſimulatione cujuſdam de Judæis à Chriſtiano læſis ſententia confutatur *ibid.* Judæis nec cauſas agere, nec militare licet, ac poſtremo ab omni munere publico arcendi ſunt 197 704 Chriſtianos iis ſervire non ſerendum, *ibid.* quò ſœnebrem artem porrò exercere non poſſint, excommunicari jubentur qui ab iis mocuam pecuniam fœnore accipiunt 704 domoſque iis locare prohibentur 711 in eorum contractus Judices Eccleſiaſtici ſigillent, prohibentur 718 ſi Judæus Chriſtianum civili actione conveniat, quid ſervandum 724. 725 aliæ de Judæis leges. 724. 734

Judicium futurum deſcribitur 40 de eo ſemper cogitandum 350 quatuor in illo futuri ſunt ordines hominum *ibid.* quænam ii quos David ait in Judicio non reſurrecturos 386

Judicia prava, de rebus incertis, ac nimis præcipitanter prolata arguuntur 410

Judicum officium 399 nulla pro jure dicundo præmia requirere debent 214. 222 Judex qui capitis ſententiam tulit, ad Clericatum admitti poteſt. 587

In Judice Eccleſiaſtico quæ requirantur. 496

Julianus Epiſcopus Marſicanenſis. 851

Julius Epiſcopus Florentinus 637

Ivo Epiſcopus Carnutenſis. 631

Jurare nunquam debet, qui nunquam pejerare vult 300 niſi neceſſitas cogat, non jurandum *ibid.* tam jurat qui teſtem Deum appellat, quàm qui per Deum quid affirmat. 301

Juriſjurandi fides ita ſervanda eſt, ſi poſſit abſque peccato ſervari 424. 499 juſjurandum liberorum ſine conſcientia patris, aut Monachi ſine Abbatis licentiâ, nullum. 499

Juhimarus Archiepiſcopus Turonenſis. 595

Juſtitia Regibus admodum neceſſaria 544 eam benignitate temperare debent. 545

L.

Lactucas agreſtes quas Judæi cum Agno Paſchali comedere juſſi erant, quid ſignificarent. 392. 393

Laicorum conditio periculoſior conditione eorum qui ſæculo nuntium dixere 452 u præſente Clerico, niſi ipſe probet, docere non debent 410 aliquot ad Concilia Provincialia vocari jubentur 538 iis olim perinde ac Sacerdotibus oleo ſacro infirmos ungere licuit 316. 549 579 lectione ſacrarum Scripturarum iis interdicitur 711 ad Epiſcopatum promovendi non ſunt 561 Clericos vexare, aut accuſare non debent 428 beneficia Eccleſiaſtica de eorum manu non accipienda 639 Plebanos ſacerdotes niſi conſentiente Epiſcopo aut in curam Parochiarum mittere, aut ab eâ removere non debent 908 nec ab iis quibus Parochias commendant, munera exigere. *ibid.*

Lambertus Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis. 835. 636

—— Epiſcopus Conſtantienſis 604

—— Epiſcopus Maurianenſis. 838

—— Epiſcopus Tornacenſis. 633

—— Abbas Pultarienſis 631

Lambractus Epiſcopus Felulanus. 637

Lambertus Epiſcopus Abſarenſis 638

—— Epiſcopus Pompilienſis. *ibid.*

Landericus Epiſcopus Pariſienſis, libertatem donat Monaſterio S. Dionyſii 599

Landrannus Archiepiſcopus Turonenſis. 594

Landulphus Abbas Saganenſis. 856

Lanfrancus Epiſcopus Bethleemitanus 855

Lateranensis Concilii IV. Sententia de iis locis, in quibus Albigenſium hæreſis graſſata erat. 707

Laternæ ligneæ uſus in horis Nocturnis apud Cluniacenſes. 673

Laurentius Archiepiſcopus Dublinienſis. 639

—— Abbas S. Petri de Cerco 856

Lautertus Epiſcopus Albingaunenſis. 638

Lectio bonorum librorum quàm ſit utilis 415. 464 ut legendum. 464

Lectores ordinandi ritus 551 iis aut uxorem ducere, aut continentiam profiteri cogendus 559 ſi uxorem ducat, ad Subdiaconatûs ordinem duntaxat promoveri poteſt. 554

Legare res ſuas Epiſcopus poteſt 501 adroque nonnullas Eccleſiæ res *ibid.* non poteſt qui ſub cenſu degit res ſuas legare inconſulto domino *ibid.* at ſi dominus diſſimulaverit, valet legatum *ibid.* quas res mulier inconſulto marito legare poſſit *ibid.*

Legata Eccleſiæ à quibus cuſtodienda, & eorum uſus. 723. 746

Legati ac Subdelegati Summi Pontificis Literis ſuis non prius uti poſſunt, quàm eas Ordinariis commonſtrarint. 751

Legationis ſplendidiſſimæ Caroli VI. ad Benedictum XIII. Acta non nulla 78 790. 791. 792

Lemonis ſe quidem in morte communione concedenda. 128

Leo Epiſcopus Alteinus 636

—— Epiſcopus Cluſinus *ibid.*

Leonardus Cardinalis Presbyter S. Sixti 273

—— Epiſcopus Cæſarius 638

—— Epiſcopus Firmacenſis. 855

—— Epiſcopus Torcellenenſis. 638

—— Adminiſtrator Eccleſiæ Clivenſis. 855

Lex ut lata 8 quæ præcipiat, & quæ prohibeat *ibid.* ejuſdem qui Evangelii conditor 16 Dei conſilium in condenda lege 21 quam legis partem Chriſtus abolevit. 25

Leges humanæ cur diligentiùs quàm leges Chriſti ſerventur. 376

Liberalitatis genus duplex. 485

Liberatus Epiſcopus Gratianenſis jurisdictionem in Monaſterium quoddam uſurpare conatur: quod liberum eſſe jubent Patres Concilii Carthaginenſis. 481 & ſeqq.

Libertas homini cur data ſit 5 cur Angelis. 14

Libertus, ſi quod ejus obſequium ſibi retinuerit patronus, ad Clericatum admitti non poteſt 408. 5 1 libertus patronum accuſare non poteſt 132 ſi libertus Eccleſiæ, eam accuſet, aut in eam teſtimonium ferat, in ſervitutem revocandus eſt. 144

Leoprandus Epiſcopus Sauanus 604

Lignum ſcientiæ boni & mali cur dicta ſit arbor, cujus fructus Adamo deguſtare non licuit. 133

Lirinense Monaſterium à juriſdictione Epiſcopi Regienſis liberum eſſe certis quibuſdam legibus decernitur. 485

Liſtardus Epiſcopus Sueſſionenſis 631

Literæ Summi Pontificis Quæſtoribus datæ, niſi ab Ordinariis probatæ, nullius ſunt roboris 718 in Literis citatoriis quæ requirantur 7 0

Literas Canonicas ſoli Epiſcopi & Chorepiſcopi dare poſſunt 563 honeſtioribus commendatitiæ dari debent, aliis pacificæ. 563

Lites intrà triennium ſaltem definiendæ 734

Liutbertus Archiepiſcopus Moguntinus. 601

Loquacitas periculo non vacat 453

Losdunensia Concilium. 632

Lotharius Archiepiſcopus Burdegalenſis. 601

Ludovicus Siciliæ Rex Concilio Piſano intereſt 811

—— Dux Aurelianenſis, Orator de pace Eccleſiæ miſſus à Carolo VI. fratre ad Benedictum XIII. 789

—— Cardinalis Diaconus S. Agathæ 853

—— Archiepiſcopus Senonenſis 751

—— Epiſcopus Pariſienſis. *ibid.*

—— Epiſcopus Vulturanus 811

Lugdunensia Capituli Statuta. 718

Lucius Epiſcopus Nivernenſis. 601

Luna multò lucidior fuit ante primum hominis peccatum, quàm nunc eſt 218 unde ejus incrementa ac decrementa. *ibid.*

Lupus Epiſcopus Catalaunenſis. 596

Luxuriæ vitium minus eſt ſuperbiæ 250 251 & ejus nonnunquam pœna eſt *ibid.* 358 luxuria Clericorum, contemptûs Canonum præcipua cauſa 353. 354 luxuriæ remedia 355

M

Magicam artem profitentes à Plebanis ſacerdotibus Epiſcopis denuntiari debent 237 Magos ſi Clericus conſulat, ut puniendus 513

Magontianum olim Monaſterium in Diœceſi Veronenſi, in quo, amandatis Monachis, Clerici à Ratherio Epiſcopo conſtituit 169

Majo Epiſcopus Catharenſis 637

Majori-Monasterio conceditur Eccleſia S. Martini de Brivâ 633 eidem datur Capella Caſtri Cantiliaci 633

Masturbationes cavendæ. 311

Mamilianus Abbas S. Fadacii de Piſis 856

Mammona iniquitatis quæ ſit, & cur de eâ amicos nobis conciliare moremus. 386

Manasses Archiepiſcopus Arelatenſis: ejus prava ambitio 173 174

—— Archiepiſcopus Remenſis. 628. 631

Mancipia Eccleſiarum ut manumitti poſſunt. 545

Mandata Epiſcoporum, ſi de eâ re ſit quæ cognitionem deſideret, Mandatarius per ſe exequi debet. 753

Mandatu celebrandi cùm in Cœna Domini, tùm alio quovis tempore ratio apud Cluniacenſes 651. 682

Manichæorum errores confutantur 15

Manus cur Epiſcopus imponit iis quos ordinat. 607

Marbodus Epiſcopus Redonenſis. 631

633
MARCIONITARUM impietas refellitur. 26
MARCUS Abbas S. Salvii de Florentiâ. 856
MARE affine quiddam habet cum Lunâ. 2.3
MARIA virginitatem & in concipiendo, & in pariendo ſervavit 4 de modo quo Chriſtum peperit diſcrepantes Paſchaſii Ratberti & Ratramni ſententiæ 41. 55 ita conjux dicta eſt permanente pudore, ut mater virginitate ſervatâ 41 Dei Genitrix rectè dicitur ibid. 41 unius Chriſti mater eſt 49 cur dies purgationis implevit. 47. 48
Mariam Ratbertus opinatur de carne peccati natam, atque ipſam carnem peccati fuiſſe donec eam Spiritus ſanctus ſuperveniens mundavit 45. 46 eamdem interpolator originis peccati ceram nunquam fuiſſe hoc argumento probare nititur, quòd ejus nativitas ſuâ ætate ab univerſâ Eccleſiâ celebraretur. 46
MARINUS Epiſcopus Glogenenſis. 638
—— Epiſcopus Miſnenſis. 639
MARITUS ſi uxor ab eo diſceſſit, poſt biennium: ſi hoſtium potita eſt, poſt annum alteram ducere poteſt 490 an uxore adulterâ dimiſſâ, alteram ei ducere liceat ibid. & Vide ADULTER ut puniendus ſi uxorem mœchari paſſus ſit 528 aut ſi eam alteri prodiderit 489 uxore mortuâ, poſt menſem quo minùs alteram ducat nihil obſtat. ibid.
Mariti jus in uxoris bona apud Hibernos. 501
MARTINUS Cardinalis Pampilonenſis: eum, ſi ad ſe mittatur recipiendum negat Carolus VI. 794
—— Epiſcopus Groſſetanus. 636
—— Epiſcopus Neprſinus. ibid.
MARTYRIUM peccata omninò delet 31 ad id ſuſtinendum Chriſtianus quivis paratus eſſe debet. 40
MATTHÆUS Epiſcopus Nonenſis. 638
—— Epiſcopus Piſtorienſis. 855
—— Epiſcopus Trecenſis. 638
—— Abbas Claræuallis. 856
MATUTINARUM laudum antiquitas. 169
MEDICAM artem exercere prohibendus is, cujus fides ſuſpecta eſt. 715
MENDACIUM quàm diligenter vitandum 188 mendaciorum varia genera 302 nullum à culpâ vacat. 303
MERSEBURGENSIS Epiſcopatus varii caſus. 605
MESZLAUS Abbas Curcienſis. 856
METROPOLITANI jura in Provinciâ ſuâ 563 ad eum pertinet jus Provincialia Concilia celebrandi. 537. 538. 519
MICHAELEM Archangelum ſecundâ feriâ Miſſam celebrare, non nulli ætate Ratherii ſomniabant. 389. 391
MICHAEL Epiſcopus Andegavenſis. 730
—— Epiſcopus Maturanenſis. 637
—— Epiſcopus Oxomenſis. 639
—— Epiſcopus Scardonenſis. 638
—— Abbas S. Bartholomæi de Bono ſolatio. 856
MILO Papæ Notarius, A. S. Legatus. 706
—— Epiſcopus Taurinenſis. 638
—— Epiſcopus Tibartinus. 636
—— Comes de Barro. 632
MILONIS perfidia erga Ratherium Epiſcopum Veronenſem. 373
MINALDUS Epiſcopus Faenſis. 637
MIRACULA à Chriſto perpetrata quantum differant à Magorum oſtentis, & à curationibus medicorum. 5
MISERICORDIA Regibus quàm neceſſaria ſit 245 eâ Deus honoratur 246 miſericordia nobis primùm impendenda, ut de eo faciendo curemus, quod nobis à Deo præceptum eſt 385 miſericors eſt fruſtrà aliis, qui ſibi ipſi non eſt miſericors 322 proximo miſericordia ut impendenda. 385
MISSA à ſacerdote ſolo non celebranda 403. 580 nec niſi in locis ab Epiſcopo ſacratis 403 Miſſam jejunus ſacerdos celebrare debet ibid. ea non ante horam diei tertiam in Eccleſiis plebanis celebranda 745 in nobilium domibus niſi conſentiente Epiſcopo celebrari non debet 759 in illo altari ubi Epiſcopus conſecravit, eo die ne Preſbyter celebret interdicitur 608 quid ſi quis Miſſam integram non audiat 490 aut ſi Preſbyter Miſſâ celebratâ non communicet. ibid.
In Miſſâ quidquid præcipuum eſt explicare conatur Iſaac Abbas Stellæ 449 Miſſæ pro Monacho defuncto quibus temporibus celebrandæ 487 item pro laico. 488
Miſſæ totius ordo apud Cluniacenſes explicatur 676 & ſeqq. apud eos duæ unoquoque die Miſſæ cantitatæ. 647. 648
MODUS in omnibus ſervandus. 255
MOLISMENSI Eccleſiæ non pauca donat Hugo Campaniæ Comes. 631
MOLLIUM pœnitentia. 490
MONACHI unde dicti 500 Monaſtica vita quo ſit conſilio inſtituta 35 ejus dignitas intelligitur ex eorum vitâ, qui verè Monachi ſunt ibid. alii cœnobitæ, alii ſe in loca avia ablegant 36 non nullorum qui monaſticam larvam induunt ut tutiùs fallant, deſcriptio. 35
Monachis quænam ſint præcipuè ſervanda 256 propinquorum commoda curare non debent. ibid. Vide RELIGIOSA
Monaſticam vitam quo ætatis anno quis amplecti queat 490 Vide PUERI ejus amplectendæ ritus quidam olim uſitatus in Angliâ 420 ſervus præter conſcientiam domini ſui ad monaſticam vitam non admittendus. 562
Monachi ne quid proprium habeant, interdicitur 500. 708 iis pecunia pro victu vel veſtitu non tribuenda 709 nec vineæ, aut terræ, aut poſſeſſiones concedendæ 727. 735 nec ferendum eos alicujus Eccleſiæ curam ſuſcipere ſub certâ quâdam penſione. 733. 735
Monachi niſi conſentiente Epiſcopo Monaſterio egredi non debent 563 qui vagantur extrà Monaſterium, coërcendi 727 non minores octodecim annis in Prioratus aut alia loca mittendi ibid. Vide PRIORATUS. exequiis mortuorum extrà loca in quibus degunt, intereſſe non debent 727 quatenùs iis liceat intrà ſolitarias cellas degere 563
Monachus ſi Monaſterio abſcedat, excommunicandus, eâdemque pœnâ feriendus qui illum ſuſcepit 500 ut puniendus is qui Monachum ut è Monaſterio ſuo diſcederet, impulit 489 quidquid Monachus transfuga acquiſivit, ab Abbate recipiendum. 500
Monachi votum ſine licentiâ Abbatis nullum 499 idem non temerè dixeris de jurejurando quo ſe ad aliquid faciendum adſtringit 499 confeſſiones audire, ac cætera ſacerdotalia munia obire tâ poſſunt Monachi, quàm presbyteri ſæculares 628 confeſſiones tamen non audient, niſi Epiſcopus permittat. 735
Monachi decimas ſibi conceſſas ita retinere jubentur, ut cenſum annuum Epiſcopis ſolvant 628 aliena prædia conducere iis non licet 562 alia ad eos pertinentia. 500. 501.
Monachus ſi vitium alicui fœminæ obtulerit, ut puniendus 524 Monachi ſi ſibi invicem concubinas præbeant, excommunicatione publicâ coërcendi 719 Monachi ſepeliendi mos 450 Miſſæ pro Monacho defuncto quibus temporibus celebrandæ. 487
Inter Monachos olim Epiſcopi eligebantur in Hiberniâ. 499
MONASTERIA ſine Epiſcopi conſenſu nec conſtituenda 562 nec transferenda 488 dum transfertur Monaſterium, in eo quod relinquitur unus ſaltem presbyter retinendus. ibid.
Singulis Monaſteriis præficiendi Abbates 500 Monaſterio præfici non debet qui in altero profeſſus eſt 538 in ſingulis etiam Monaſteriis magiſter quidam eſſe debet, qui illiteratos doceat 759 ab his qui in ea recipiuntur nihil debet exigi ibid. Monaſteriis puella vel invita à patre tradi poteſt. 490 Vide PUERI.
Monaſteria à conditione Clericorum eſſe libera ſtatuitur in Conciliis duobus Carthaginenſibus. 485. 485
MONITIONES ad ſe miſſas quàm diligentiſſimè publicare ac ſigillare debent Plebani ſacerdotes. 747
MONTISPESSULANI Conſules jurejurando ſe ad ea quæ Milo A. S. Legatus juſſerat, ſervanda adſtringunt 706 in eâ urbe Concilium. 724
MORTEM invexit primum Adæ peccatum 6 morti cur homines Deus poſt diluvium obnoxios eſſe voluit ibid. mortis immaturæ infantium variæ cauſæ afferuntur. 16
Mors ante oculos ſemper conſtituenda 314. 466 ad eam quâ ratione quis ſe optimè præparaverit. 467
de MORTICINIS non comedendis leges. 487. 490. 491
MORTUI ſepeliendi 316 an in Baſilicis 317 pro iis orandum, & ſacrificium offerendum ibid. de mortuorum reſurrectione dubitare non licet 318 Vide HOMINIS
MORVANUS Epiſcopus Venetenſis. 632
MOYSES cur Ægyptiorum diſciplinis inſtitutus 7 miracula ab eo perpetrata quantum differrent à magorum oſtentis. ibid.
MULTILOQUIUM ſollicitè vitandum. 276
MUNDUS aliquot argumentis probatur non eſſe æternus 10 in mundo ipſæ res inanimæ peccatis hominum corruptæ, in Judicio renovabuntur in melius. 11

N.

NARBONENSIS Provinciæ Concilium. 724
Narbonenſis Provinciæ Monachi Benedictini ad inſtaurandam diſciplinam Regularem Statuta quædam promulgant. 708
NATALE Domini ut celebraretur olim apud Cluniacenſes 661 in eo celebrando quid intereſſet inter Eccleſias Latinam & Græcam. 489
NATALITIA in Quadrageſimâ non celebranda. 525
NATIVITAS alia carnis de carne, alia Dei de Deo, & alia quarumlibet rerum. 50
NEGOTIARI Clericis niſi intrà Provinciam ſuam non licet. 512
NEVELO Epiſcopus Sueſſionenſis. 638
NICOLAUS Cardinalis Epiſcopus Albanenſis. 771. 814. 853
—— Archiepiſcopus Meſſanenſis. 637
—— Archiepiſcopus Sipontinus. 855
—— Gelant, Epiſcopus Andegavenſis: ejus Statuta Synodalia. 726 & ſeqq.
—— Epiſcopus Bolanenſis. 855

—— Epiſcopus Draconarienſis. 637
—— Epiſcopus Fanonenſis. 815
—— Epiſcopus Fori-Sempronii. 836
—— Antonius, Epiſcopus Lucerinus. 815
—— Adminiſtrator Eccleſiæ Tregeſtinæ. *ibid.*
—— Abbas S. Mariæ de Florentiâ. 836
—— de Clemangiis, Academiæ Pariſienſis nomine tres pacis Eccleſiæ inſtaurandæ vias elegantiſſimè exponit 769. 776 ejuſdem liber de Studio Theologico. 473
Noalea à tributis immunes. 733
Noarnaldus Epiſcopus Auguſtodunenſis. 831
Notariorum Eccleſiaſticorum pravæ artes: iis obviam itur. 738. 740
Novatiani non hæretici ſed ſchiſmatici 30 ſe Catharos vocant, quàm varè *ibid.* eorum perverſæ opiniones confutantur. *ibid.*
Novitii ut inſtitui apud Cluniacenſes 867 ut benedici ſolerent 675 de Novitiis inſtituendis ac benedicendis leges 708
Novus homo quem in Baptiſmate induimus, quis ſit. 161
Nundinæ à Clericis non frequentandæ. 515. 553
Nuptiarum celebrandarum ratio 413. 515. 579 niſi bannis factis non celebrandæ 730 celebrari debent publicè 761 & quidem in Eccleſia Parochiali 731 qui nuptias clandeſtinas celebrarint, quique iis interfuerint, excommunicari eſſe jubentur. 740
Nuptiæ non niſi certis temporibus poſſunt celebrari 410. 761 in quo cognationis vel affinitatis gradu contrahi poſſunt. 487. 490. 555. *Vide* Incestum an poſſint inter ſpirituales germanos 655 & ſeqq. an inter ſervum & ingenuam 481 nubere non poteſt quæ minor eſt duodecim annis. 529
Qui nuptias contraxere iis jubentur triginta dies ab Eccleſiâ abeſſe, & xl. inter Pœnitentes verſari, utrumquam ad communionem accedant 82 quædam huic affinia decernitur in eos qui ſecundas nuptias contraxerint 518 ſecundæ nuptiæ non ſunt, ſi quis concubinam habens uxorem ducat 126 nuptialia convivia à Clericis vitanda. 513. 579
Nuptias alterius conjugum captivitas an diſſolvat 482. 126 qui uxorem duxit ejus qui in poteſtatem hoſtium venit, mortuum credens, non puniendus 126 ſi captivus redierit, & uxorem repetat, redintegratur conjugium *ibid.* uxor ſi prioris mariti conſuetudinem averſatur, communione privanda. *ibid.*

O.

Obaldus Epiſcopus Nivernenſis. 618
Obertus Epiſcopus Terdonenſis. *ibid.*
Odalricus Epiſcopus Walvenſis. 836
Odelricus Epiſcopus Seguntinus. 830
Odo Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus, A. S. Legatus. 718
—— Cardinalis Ottonus S. Georgii ad Velum aureum. 813
—— Epiſcopus Bambergenſis 619
—— Epiſcopus Belvacenſis. 599. 608
—— Epiſcopus Carcaſſonenſis. 638
—— Epiſcopus Ciſterſis 612
—— Epiſcopus Valentinus. 638
Officium Divinum cur certis horis celebretur 569. 570 in Eccleſiâ ut celebrandum 712 ne extrà chorum 723 ut cæteri dum interea dum Officium celebratur, extra Eccleſiam vagantur. *ibid.*
Officii Divini ratio apud Cluniacenſes explicatur. 644 & ſeqq.
Oldeductus Epiſcopus Eugubinus. 818
Oldegarius Archiepiſcopus Tarraconenſis. 835. 636
Olei ſacri uſus in Eccleſiâ. 615
Olardus Epiſcopus Yprenſis. 619
Omibus Epiſcopus Bargalenſis. *ibid.*
Opus manuum quodnam tempus impenderetur apud Cluniacenſes. 658
Oratio omni tempore ac loco neceſſaria 154. 571 ei aſſiduè inſiſtendum 368 qualis eſſe debeat 385. 481 virtutes ei adjungendæ. 189
Orationis Dominicæ breves, ſed elegantes expoſitiones. 116 & ſeqq.
Oratoria in quibus Miſſa celebretur, non niſi conſentiente Epiſcopo in Nobilium domibus conſtruenda 739. 741 in iis Miſſa die Dominico non celebranda. 741
Ordines ſacri quibus anni temporibus conferri queant 546. 561 & quibus intervallis 548 Ordinum ſacrorum tota ratio explicatur 616 ſi quis eorum aliquem tranſilierit, quid ſervandum. 634
Oſtiarii ordinandi ritus. 151
Otho Abbas Artemarenſis. 633
Otioſitas animæ quàm ſit inimica. 110

P.

Palliata quæ olim dictæ ſint. 104
Palphanius Archiepiſcopus Capuanus 617
Panis quotidianus quem à Deo petimus, quis ſit 116 & ſeqq.
Papa Eccleſiæ Romanæ bona nec alienare, nec commutare poteſt. 548
Paradisus in quo primus hominum à Deo collocatus eſt, quinam fuerit 532 cujus arboris interdictum ſit ne decerperet fructum. 533
Parasceves celebrandæ ratio apud Cluniacenſes. 852
Parentum erga liberos officia 288. 497 eorum peccata liberis, ubi ſalutaribus aquis abluti fuer, non nocent 441 non pro ſuâ ſolùm, ſed etiam pro liberorum quos malo exemplo ſuo corrupêre, nequitiâ puniuntur 371 puellam invitam nuptum alicui dare non poſſunt, at poſſunt Monaſterio tradere. 498
Parentibus ſi quis opem non ferat, etiam ſi divini cultus gratiâ ab iis abſcedere videatur, excommunicandus. 497
Pariſiis celebratum Concilium Provinciæ Senonenſis 748 ibidem Prælati Regni juſſu Caroli VI. congregari, ut ex omnium ſententiâ viæ pacis Eccleſiæ inſtaurandæ inirentur 773 quid in eo Concilio ſtatutum ſit 774
Pariſienſis Academia ſinendo ſchiſmati ſedulò incumbit 769 ejus nomine Nicolaus de Clemangiis ſcripto tradit tres pacis Eccleſiæ reddendæ vias, & elegantiſſimè exponit 789. 778 in eamdem ſententiam Academia ſcribit Clementi VII. 784 & Collegio Avenionenſi Cardinalium 785 poſt Clementis mortem ut ſucceſſor ei non detur operam dat. 770. 784 Benedictum XIII. ut pacem Eccleſiæ reddat hortatur 773 ab eodem ſchiſma fovente appellat 791
Parochialis Eccleſia cui committenda 710 ejus eſt Epiſcopi qui eam per triennium ſine vi tenuit 560 quæ ei offeruntur ſunt in Epiſcopi poteſtate. 148
Partus necati, aut ex utero excuſſi pœna. 489. 525. 530
Parvuli, ac rationis expertes cur baptizentur 584 in tenerâ ætate à parentibus, vel ab his à quibus de ſacro fonte ſuſcepti ſunt, ad pietatem inſtitui debent. *ibid.*
Paschalis ſolemnitas non ante æquinoctium Vernum celebranda 390 quid in illa ſervandum 391 ejus celebrandæ ratio apud Cluniacenſes 853
Judaicus Paſchatis celebrandi ritus explicatur. 101
Pastores in Eccleſiâ qui verè dici debeant 473 paſtores non ſunt qui in ſcholis conſeneſcunt ut alios doceant. 478
Patientia cùm cæteris omnibus, tùm Regibus admodum neceſſaria 144 quæ ſit patientia commendabilis 311 tribus modis patientia exercetur 407
Patripassianorum hæreſis confutatur. 28
Patris in filium jus. 489
Patres ſpirituales quos de ſacro fonte ſuſceperunt, eos verbis & exemplis ad pietatem debent inſtituere. 584
Patroni Eccleſiarum, ſi vacent, ſacerdotes à quibus regantur Epiſcopis intrà ſex menſes offerre debent. 705
Patroni cauſarum munia Clericus obire non poteſt. 708
Paulinus Epiſcopus Funenſis. 636
Paulus Epiſcopus Cenetenſis. 815
—— Epiſcopus Hortanus. 616
—— Epiſcopus Salpitanus 817
Pauperum officium 317 eos qui ſpernunt, aut qui eleemoſynam iis erogare detrectant, quàm graviter peccent. 397
Pax diligenter coli debet 148 alia eſt ſalutaris, alia noxia 433 pacem reſarcire non it ſolùm qui læſere, ſed læſi ipſi debent 161
Pax inter privatos inſtauranda, ac bellis privatis reprimendis incumbunt Patres Conciliorum Avenionenſis & Toloſani 708. 711 eorum pœna qui pacem infringerint. *ibid.*
Peccatum quot modis in corde, quot opere perpetretur 378 quot modis remittatur. 162
Peccatum cujus contagio in plures ſerpit, graviſſimè in eo punitur à quo initium cepit. 370
Peccata & ſacerdotibus, & Deo confiteri debemus 171 graviora ſacerdotibus, quotidiana & leviora alter alteri manifeſtare debet. *ibid.*
Peccatorum alienorum conſcii, ea nonnunquam manifeſtare tenentur 373 alterius peccatum qui tacuit, ipſe peccat 198 peccatorem qui ad bonam frugem reducit, ejus præmium. 390
Peguinus Epiſcopus Embriacenenſis, 817
Pentecostes celebrandæ ratio apud Cluniacenſes. 653
Perjuri ut coercendi. 450. 705
Perseverantia in bono, ſola nobis æternam felicitatem conciliat. 40
Petio Epiſcopus Triventinus 637
SS. Petri & Pauli Natale ut celebraretur apud Cluniacenſes 650
Petrus Cardinalis Epiſcopus Portuenſis. 784. 765
—— Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus. 814. 853
—— Cardinalis Preſbyter XII. Apoſtolorum 853
—— Cardinalis Preſbyter SS. Coſmæ & Damiani. 638
—— Cardinalis Preſbyter S. Laurentii in Lucinâ 764
—— Cardinalis Preſbyter S. Praxedis. 811
—— Cardinalis Preſbyter S. Suſannæ. 776. 814. 853
—— de

Digitized by Google

—— de Candiâ ex Archiepiſcopo Mediolanenſi Cardinalis, eligitur Summus Pontifex, ac ſe Alexandrum V. appellat 827
—— Cardinalis, Archiepiſcopus Toloſanus. 820
—— Cardinalis Diaconus S. Angeli. 814. 853
—— Blavi, Cardinalis Diaconus S. Angeli. 853
—— de Lunâ, Cardinalis Diaconus S. Mariæ in Coſmedin 764. 771 eligitur Summus Pontifex, ac ſe Benedictum XIII. appellat. 771
—— Cardinalis Diaconus S. Mariæ in Viâ lata. 764. 771
—— de Palude, Patriarcha Hieroſolymitanus. 827
—— Archiepiſcopus Bituricenſis. 855
—— Archiepiſcopus Compoſtellanus. ibid.
—— Archiepiſcopus Ebredunenſis. 638
—— Archiepiſcopus Tarraconenſis. 820
—— Epiſcopus Acunenſis. 637
—— Epiſcopus Amelinus. 636
—— Epiſcopus Autonenſis. 639
—— Epiſcopus Belvacenſis 633 alius. 855
—— Epiſcopus Cameracenſis. 855
—— Epiſcopus Caſtellanenſis. 636
—— Epiſcopus Caſtrenſis. ibid.
—— Epiſcopus Civitatis Roderici. 619
—— Epiſcopus Cracovienſis. 854. 855
—— Epiſcopus Cumanus. 604
—— Epiſcopus Famaguſtanus. 855
—— Epiſcopus Faventinus. ibid.
—— Epiſcopus Firmanus. 636
—— Epiſcopus Ilerdenſis. 801
—— Epiſcopus Inſulanus. 637
—— Epiſcopus Latinenſis. ibid.
—— Epiſcopus Lunenſis. 636
—— Epiſcopus Meldenſis. 814. 854. 855
—— Epiſcopus Menevenſis. 639
—— Epiſcopus Nivernenſis. 751
—— Epiſcopus Pampilonenſis. 639
—— Epiſcopus Pictavenſis. 633
—— Epiſcopus Piſcarienſis. 637
—— Epiſcopus Præneſtinus. 604
—— Epiſcopus S. Pontii. 801. 823
—— Epiſcopus Santonenſis. 633
—— Epiſcopus Satrianenſis. 637
—— Epiſcopus Signinus. 636
—— Epiſcopus Teſelinus. 637
—— Epiſcopus Themenſis. ibid.
—— Epiſcopus Tolonenſis. 638
—— Prior Hieroſolymitanus. 637
—— de Caſtronovo, A. S. Legatus: in ſicarios à quibus interfectus fuerat, ſeveriſſima lex. 706
—— Abbas Altiviliarenſis. 627
—— Abbas Camporum bonorum. 856
—— Abbas Grandimontenſis. ibid.
—— Abbas S. Luciani Belvacenſis. 627
—— Cellenſis, Abbas S. Remigii Remenſis, de utilitate vitæ monaſticæ, ac Monachorum officiis tractatum edit. 452 & ſeqq.
—— Abbas de Thironio. 856
—— de Ancharano, J. C. Concilii Piſani juſſu reſpondet objectis ab Oratoribus Ruperti Bavariæ Ducis. 830. 844
Petrus Epiſcopus Litienſis Caſtrenſis. 637
Philippus I. Francorum Rex bona à prædeceſſoribus ſuis Compendienſi Monaſterio SS. Cornelii & Cypriani collata confirmat. 627
—— Burgundiæ Dux, Orator de pace Eccleſiæ miſſus à Carolo VI. fratris filio ad Benedictum XIII. 789
—— Archiepiſcopus Lugdunenſis. 718. 855
—— Epiſcopus Crotonas. 637
—— Epiſcopus Saonenſis. 855
—— Abbas Anianæ. 856
—— Abbas Caſſiani. ibid.
Philosophorum diſciplina multis partibus Chriſtianâ diſciplinâ inferior. 458
Photinianorum hæreſis confutatur. 27
Pileus Archiepiſcopus Januenſis. 855
Pisani Concilii hiſtoria 813 & ſeqq. ejuſdem Acta. 828 & ſeqq.
Platonis locus alieno ſenſu uſurpatus. 3
Plebani Sacerdotes non niſi ab Epiſcopo curam Eccleſiarum poſſunt accipere 180. 619 ſi Eccleſia ad jus alicujus Monaſterii pertineat, conſenſus Abbatis requiritur 628 præter conſcientiam Epiſcopi nec expelli poteſt plebanus ſacerdos 580 nec ipſe lubens ad aliam Eccleſiam migrare 508 uni duntaxat Eccleſiæ præeſſe poteſt 579 nec ei licet alienæ parochiæ curam ſuſcipere 732 aut pia loca in ſuis parochiis conducere. 745
Plebanus Sacerdos ſi abeſſe cogatur, Capellanum in Eccleſiâ ſuâ conſtituere debet 727 cum autem conſtituere aut apud ſe habere non poteſt, qui non ſit ab Epiſcopo probatus 585. 727 ſi diutiùs ab Eccleſiâ ſuâ abſit, ut puniendus 494. 737 & parvulos docere 408 & ſacramenta miniſtrare gratis debet 729 alienorum, ſi infirmi ſint, confeſſiones audire ne detrectet 731 quidquid è donis ſibi collatis ſuperfluum habet, id Eccleſiæ donare jubetur 494 jubetur etiam donorum omnium decimam partem conferre in hoſpitalem domum 574 ejus dona quem non probè novit, ne accipiat interdicitur. 494
Plebanus ſacerdos Chriſma ſingulis annis ab Epiſcopo ſuo petere jubetur, nec uſquam ſine eo proficiſci 508. 537. 555 pœnitentiæ ac reconciliationis tempora Epiſcopi arbitrio debet concedere 411 cumque in rebus gravioribus conſulere ibid. res Eccleſiæ ſuæ inconſulto Epiſcopo vendere non poteſt 542 nec Canonicas literas dare 561 Epiſcopo jubetur denuntiare excommunicatos 727. 728 & magicam artem profitentes 737 & teſtamenta intrà menſem 727. 729 alia ab his petuntur ibid. Plebanus ſacerdos qui vitium obtulerit parochianæ, aut ei quam baptizavit, graviter puniendus. 727. 731
Plebani Sacerdotes ac Clerici ſemel unoquoque menſe per Plebes, ſeu Decanatus congregari, ac de rebus quæ ad officium ſuum pertinent, conferre jubentur 405 id ſaltem ab his unoquoque anno fieri jubet Nicolaus Epiſcopus Andegavenſis. 731
Pœnitentiam ei qui poſt baptiſmum peccavit, non inutilem eſſe probatur. 30. 31. 618 eidem neceſſariam eſſe demonſtratur, & argumenta quibus non nulli ut eam detrectent ſe adduci ſinunt, aptè refelluntur 110 & ſeqq. probatur etiam mortuis pœnitentiam ſuperſtitum prodeſſe. 619
Pœnitentia alter baptiſmus 164 non procraſtinanda 165 ejus modus in arbitrio ſacerdotum eſt conſtitutus ibid. qui mos olim erga pœnitentes ſervaretur in Occidente 166 quàm graviter offendant, qui inter ſacerdotes eligunt, quos clementiores quàm peritiores norunt ibid. quid à pœnitentibus in victu ſervandum ſit ibid. 267 de eorum officiis breviter. 257. 428
Pœnitentiæ concedendæ ritus 519. 571 conjugatis non niſi ex utriuſque conſenſu concedenda 520 ei deneganda, qui dum ſe reum alicujus peccati confitetur, alteri peccato adhuc eſt obnoxius. 655
Pœnitenti ægroto oleum ſanctificatum non infundendum 411 pœnitentiæ tempora varia pro variis criminibus 485. 489. 490. 503 &c. ejus ac reconciliationis tempora ex Epiſcopi arbitrio pendent 411 quo inconſulto pœnitentem plebanus ſacerdos abſolvere non debet ibid. 520 pœnitentis abſolvendi ratio 520. 571 quo maximè tempore abſolvatur. 521. 571
Pœnitentia morientibus non neganda 518. 521. quid ſi ægrotus vocem amiſerit 518 quid item ſi pœnitens nondum abſolutus vitâ decedat. 518
Qui inter Pœnitentes verſatus eſt, ei multa non licent quæ aliis licent 518 à conjugio, niſi junior ſit, abſtinere, 519 aut ſi conjugatus ſit, poſt mortem conjugis, ſecundas nuptias aſpernari debet ibid. ſi matrimonium deinde contraxerit, quid erga eum ſervandum ibid. aut ſi pœnitentiam profeſſus, aliena à pœnitente inſtituta ſectatus ſit 521
Qui inter Pœnitentes fuit, ſi neceſſitas cogat, ad Subdiaconatûs ordinem duntaxat promoveri poteſt. 551. 554
Polygamia cur Judæis indulta. 23
Pontius Archiepiſcopus Narbonenſis. 638
—— Epiſcopus Cabellionenſis. ibid.
—— Epiſcopus Dertoſanus. 639
—— Abbas Anianæ. 635
Porphyrius Epiſcopus Caſertanus. 637
Potestates ſextum locum inter beatos Spiritus obtinent. 226
Præbendas plures ſi quis in eâdem urbe obtineat. 714
Præcentoris, qui & Armarius, munia apud Cluniacenſes. 690
Prædones ut coërcendi. 705. 710
Prægnantibus baptiſmus nullo tempore denegandus. 545
Præpositorum officia 569. 574 ſi quid occurrat gravius, Epiſcopum debent conſulere. 568
Præscriptionis tricennalis vis 540 ibi non habet locum, ubi quominùs quis de jure ſuo diſceptaret, obſtitit bellum. 634
Presbyter quâ ætate quis ordinari poſſit 557 ejus ordinandi ritus ibid. ab uxore, ſi habeat, continere jubetur 514 ejus, ſi uxorem duxerit, pœna ibid. presbyter eſſe non poteſt qui viduam duxit 490 filios ex illicito coitu quæſitos apud ſe retinere non debet. 727. 730
Presbytero Abbatiſſam ordinare licet 487 alia ei licent apud Græcos, quibus illi eſt apud Latinos interdictum 487 altaria erigere aut conſecrare non debet 556 nec in alienâ Diœceſi, præſente Epiſcopo aut Presbytero offerre, aut communionem porrigere ibid. nec pœnitentem inconſulto Epiſcopo, niſi aliud neceſſitas ſuadeat, abſolvere 520 ſi Miſſâ celebratâ non communicaverit, deponendus 490
Presbytero aliena prædia conducere non licet 559 ſi quid acquirat, id Eccleſiæ conferre debet 542 quas fœminas apud ſe habere poſſit 514. jus qui concubinam habet, Miſſa non audienda 741 ſi vitium alicui fœminæ obtulerit, ut puniendus 514. 731 quid, ſi vitiaverit filiam ſpiritualem, aut eam cujus confeſſionem audivit 742. 743 quid, ſi homicidii reus ſit. 489
Presbyter ſi accuſetur, à ſex Epiſcopis cum Epiſcopo ſuo audiendus 553. 547 ſi deponatur, communione non privandus 490 Presbytero pœnitenti manus non imponendæ 521. 550 poſt pœnitentiam an in ſacro ordine miniſtrare poſſit. 494. 597

Presbyterorum filiis ſpectacula præbere, aut iis intereſſe interdicitur. 538
PRIMOGENITUS in Scripturâ ſacrâ, non is quem fratres ſequantur, ſed quem nullus antecedit. 42
PRINCIPATUS quintum locum inter beatos Spiritus obtinent. 286
PRINCIPUM majeſtas, ne quidem cum injuſti ſunt, impugnanda. 431 & ſeq.
PRIORATUS non niſi Religioſis profeſſis committendi 709 in iis aut tres aut ſaltem duos vel Monachos, vel Canonicos Regulares conſtitui debere ſæpe ſtatuitur 708. 723. 731. 733 in iis degere non debent juniores octodecim annis 727 diebus Dominicis & feſtivis Matutinæ ac Veſperæ cani debent 733 & 708 Abbatis aut Monaſterio ſuo, aut aliis Prioratibus, niſi Epiſcopus aſſentiat, unire non poſſunt. 738. 739. 740
In Prioratibus quos ſæculares tenent, duæ minimùm Miſſæ unâquaque hebdomadâ celebrandæ. 718
Prioris Majoris jura & munia apud Cluniacenſes. 682 item Prioris Clauſtralis. 687
PROCESSIONES ut celebrandæ 738 ab iis arcendæ Moniales ibid. ut frequentiores eum eſſe debet Plebanis ſacerdotibus. 738. 739
Proceſſionum ratio apud Cluniacenſes. 648
PROCURATIONES ne graves ſint, Epiſcopi cavere debent. 736
PROCURATORIS officium Clerico exercere non licet 740 Procuratorum Eccleſiaſticorum pravæ artes deteguntur, atque his obviam itur. 738. 740
PROVENDARII apud Corbeiam. 582. 598
PROVINCIALIA Concilia his unoquoque anno celebrari decernitur 177 ad Metropolitanum jus ea convocandi pertinet. 537. 538. 539. Vide CONCILIA
PROVOCARE ab iis judicibus quos communis conſenſus elegit, non licet 137 Clericis Afris ne ad tranſmarina provocent, interdicitur. ibid.
PROXIMUS quis ſit, quem diligere jubemur 240 ei dimittendum, ſi munera noſtra Deo accepta eſſe velimus 591 proximum qui odit, in tenebris adhuc jacet. 309
PRUDENTIA Regibus quàm neceſſaria ſit 241 ſimplicitate temperanda eſt. 544
PSALLENDI conſuetudo tam Deo accepta, quàm antiqua 58. 583. 224. 621 in Eccleſia quid canatur 583 408 585 quâ ratione canendum ſit. 224. 571
Pſalmorum Davidis utilitas 523 ii inter operandum, etiam in coquinâ cantitati apud Corbeiam, & Cluniaci 591 683 apud eoſdem Cluniacenſes Pſalmi ad horas Regulares additi. 645
PUERI Monaſteriis non ante offerendi, quàm decimum ætatis annum ſuperaverint 584 iis deinde Monaſterio egredi non licere ſtatuitur ibid. aliàs, nuptiis iis non interdictam, donec ſedecim annos nati ſint 490 non ante vigeſimum quintum ætatis annum ordinari debent. ibid.
Puerorum oſtendorum ratio apud Cluniacenſes 687 ii ut inſtituti. 688
PULSANTES apud Corbeiam. 587
PURGATORIUM ignem exiſtere probatur 36 purgatoriæ poſt obitum pœnæ quibus deſtinatæ. 387

Q

QUADRAGESIMA cur è quadraginta diebus conſtet 97. 584 in dierum numero variarum 96 & in jejunii ratione ibid. ut ſervandum jejunium 384 410 quod corpori ſubtrahitur, id pauperibus erogandum 385 malè jejunat, qui à vitiis omnibus non abſtinet ibid. eleemoſyna neminem juvat, quo minùs jejunet ibid. jejunio oratio & eleemoſyna adjungendæ ibid. de eo quod in Quadrageſimâ ſervandum eſt. 379. 392
In Quadrageſimâ memoriam martyrum fieri non licet 179. 410. 144 licet tamen ejus ſancti qui in Parochiâ jacet 179 item cujuſvis liter in die Dominico & Sabbato 410 nuptias celebrare non licet ibid. 125. 741
Quadrageſima Clericis quando incipiat 408. 738 olim Quadrageſimæ tres: quid in eis ſervandum eſſet à Clericis. 178
In Quadrageſimâ Officii divini ratio apud Cluniacenſes. 667
QUÆSTIONES profundiores ut non contemnendæ, ita à pleriſque, etiam ſacerdoribus vitandæ. 408
QUÆSTORES Literis ſuis uti prohibentur, donec ab Epiſcopis probatæ ſint, 725. 738 adeoque Epiſcopi in cujus Diœceſi verſantur ſigillum his additum ſit 728 730 ſacerdotes plebani ſi à quæſtoribus convocentur, à parochiis ſuis abeſſe non debent, donec id mandato Epiſcopi fieri conſtet. 730
QUATUOR-TEMPORIBUS quid potiſſimum ſervaretur apud Cluniacenſes. 657

R.

RADENDI capitis ratio apud Cluniacenſes. 695
RADINGUS Epiſcopus Matiſconenſis. 600
RADULPHUS Cardinalis Diaconus S. Nicolai in Carcere Tulliano. 813
—— Epiſcopus Andegavenſis. 618
—— Epiſcopus Leodienſis. 619
—— Epiſcopus Lexovienſis. 594
—— Epiſcopus Melfenſis S. Marcii. 637
—— Epiſcopus Sebaſtenus. ibid.
—— Abbas omnium Sanctorum Andegavis 816
—— Abbas S. Symphoriani. 617
RADBODUS Epiſcopus Tornacenſis. 599. 601
RAGENMUNDUS Abbas S. Carileſi. 594
RAGNERIUS Epiſcopus Ambianenſis. 594. 596
RAIMBERTUS Epiſcopus Caſtellanus. 636
RAIMUNDUS Epiſcopus Barbaſtrenſis. 635. 636
—— Epiſcopus Glaſenſis. 638
—— Epiſcopus Palentinus. 619
—— Epiſcopus Petragoricenſis. 815
—— Comes Toloſanus, Terram S. Ægidii in Valle Flavianâ Odiloni Abbati donat. 629
RAINALDUS Cardinalis Diaconus S. Viti in Marcello 813
—— Archiepiſcopus Barenſis. 637
—— Archiepiſcopus Remenſis 627
—— Archiepiſcopus Salernitanus. 637
—— Epiſcopus Baruvienſis. 639
—— Epiſcopus Elinus. 637
—— Epiſcopus Lucerinus ibid.
RAINALDUS Archiepiſcopus Rotomagenſis. 594
RAINERIUS Epiſcopus Aurelianenſis. 611
—— Epiſcopus Slundenſis 604
RANVALDUS Epiſcopus Biterenſis. 638
RAO Epiſcopus Bruxenſis. 637
RAPTORES ut coërcendi 137. 627
RASTEBARCUS Epiſcopus Spoletinus. 636
RATBODUS Epiſcopus Noviomenſis. 611. 617. 618
RATHERIUS Epiſcopus Veronenſis, ſe à diſpenſandis Eccleſiæ ſuæ rebus amotum eſſe queritur 346 & in reſcriptum eâ de re datum à Summo Pontifice acriùs invehitur 368 ejus diſſenſiones cum Clericis ſuis 346. 365 à contumacioribus bona quædam ad ſe retraxit, ac pauperioribus largitus eſt 365 Clericis ſuis acriter objurgatis licentiam dat in quâ voluerint ſuæ Diœceſis Eccleſiâ Deo ſerviendi 369 ex Moguntiano Abbatiolâ Monachos quorum mores depravatiſſimi erant, amandat, & Clericos in eâ collocat ibid. matrimonii prohibiti reis, ac ſibi ipſi quòd eos ſeriùs reprehenderat, pœnitentiam impoſuit. 371
A ſede ſuâ expulſus, Joannem Papam XIII. ut apertè declaret an adhuc Epiſcopus ſit, obſecratur 374 eumdem de omnibus quæ pertulit ex quo Veronenſi Eccleſiæ præfectus eſt, certiorem facit 12. Epiſcoporum omnium auxilium implorat, iniquoſque ad certamen canonicum provocat. 371
Ad Eccleſiam ſuam redux, Clericorum qui ab invaſore ordinati fuerant, nomine Romanam Eccleſiam quid de his faciendum ſit, conſulit 371 Romam proficiſcitur, ac de cauſâ ſuſcepti itineris Clericos ſuos ita certiores facit, ut eorum depravatos mores acerrimè reprehendat 379. Iterum quæ ab inimicis paſſus eſt, deſcribit 380 è domo ſuâ ab inimicis ejectus, graviter in eos invehitur 393 id à ſe ſerius factum fatetur. 317
E Leodienſi Eccleſiâ ejectus, ſe jure ſuo nunquam ceſſurum novo quodam modo profitetur 316 ſe ipſe depingit, ſed ita ut quod de ſe ait, id ab inimico dictum videatur 318 & ſeqq. ejus falſum, ac petulans dictum in Clericos quoſdam, qui cum ſtupris contaminati eſſent, à bello abſtinere ex ſententiâ Canonum volebant 348 ejuſdem altercatio cum homine quodam aleatore, ebrioſo, &c. qui negabat ſibi Veronenſi ſede pulſo, hanc ſe Eccleſiæ Leodienſis curam ſuſcipere ibid. Opuſculum quoddam, & quidem ut videtur, id quod pag. 317 editum eſt, ad virum quemdam illuſtrem, forte Brunonem mittit 375
Epiſcopum aut Presbyterum vitiis fœdum, quidquid tetigerit contaminare opinatur 350 hominem peccatis obnoxium carnem Domini manducare, aut ejus ſanguinem bibere negat. 352
REBAPTIZATI ad Clericatûs ordinem non promovendi 538 Vide BAPTISMUS
REFECTORII leges, & Refectorarii munia apud Cluniacenſes. 674. 696
REGNUM Dei, in quo Chriſtus ait ſe bibiturum de genimine vitis, quid ſit. 392
RAIMUNDUS Archiepiſcopus Arelatenſis. 638
—— Epiſcopus Gerundenſis. ibid.
REINALDUS Epiſcopus Aquinas. 637
—— Epiſcopus Noviomenſis. 613
—— Epiſcopus Venafranus 217
RELIGIOSÆ vitæ exemplum præbuere Apoſtoli 414 eâ vitia omnia impugnantur 415 ac prima tranſgreſſio reparatur 416 Religioſo ſcientiæ non inutiles 417 præcipua Religioſorum officia ibid. 483 &c. eorum diſciplinæ cum diſciplinis Philoſophorum, Judæorum, & cum Chriſtianorum communi lege non inepta comparatio 418 de Religioſorum veſtimentis & ornamentis leges aliquot. 706. 728. 732. 738. 717. 739. 741. Vide MONACHI. PUERI.
RELIQUIÆ Sanctorum eadem miracula perpetrant, quæ Sancti ipſi dum in vivis eſſent 9
RAMNOUS Epiſcopus Uticenſis. 638
RENARIUS Archiepiſcopus Spalatenſis. ibid.

Index rerum Memorabilium.

Reorum qui pro ſceleribus ſuis puniuntur, cadavera cum Pſalmis ad ſepulturam non deducenda, nec pro illis ulla in oblatione ſive Miſſâ commemoratio facienda erga eos qui ex officio ſuo mortem afficerunt, aut qui ab iis veritatem per tormenta exquiſierunt, an ad Clericatum promoveri poſſint. 547. 548
Reparatus Epiſcopus Puppianenſis. 484
Reproborum æterna ſupplicia ante oculos ſæpe ponenda. 328
Resurrectio mortuorum probatur 40. 318 aliis ad vitam, ad pœnam aliis futura eſt. 319
Rex quid ſit; quid eſſe debeat. 318. 496 quod propriè ſit ejus miniſterium 329 ejus conditio periculoſa 330 de Regum officiis fusè 245 & ſeqq. 330 ne plures uxores habeant 497 ex malo Rege quot mala populis impendeant. 496
Ricardus Cardinalis Epiſcopus Albanenſis, A. S. Legatus. 631
—— Cardinalis, Abbas Maſſilienſis. 630
—— Archiepiſcopus Bituricenſis. 625 628
—— Archiepiſcopus Narbonenſis. 636
—— Epiſcopus Andrenſis. 637
—— Epiſcopus Urbevetanus. 636
—— Abbas S. Pavacii de Floscutiâ. 816
Richerius Archiepiſcopus Senonenſis, 625
Robertus Francorum Rex Bertham conjugem ſuam dimittere jubetur 603 hæreſim quamdam ſolertet opprimit 604 non nulla donas Eccleſiæ Compendienſi SS. Cornelii & Cypriani. 628
—— Cardinalis Presbyter XII. Apoſtolorum. 764
—— Archiepiſcopus Viennenſis. 638
—— Epiſcopus Atrebatenſis. 633
—— Epiſcopus Autiſiodorenſis. 625
—— Epiſcopus Civitatenſis. 637
—— Epiſcopus Dienſis. 638
—— Epiſcopus Florentinenſis. 637
—— Epiſcopus Gravinenſis. ibid.
—— Epiſcopus Herfordenſis. 639
—— Epiſcopus Lingonenſis. 631
—— Epiſcopus Saliſberienſis. 824
—— Epiſcopus Tritancenſis. 637
—— Abbas Haſnunenſis. 627
—— Abbas Moliſmenſis. 632
Roboam Epiſcopus Anglonenſis. 637
Rubertus Epiſcopus Nivernenſis. 604
Rodericus Epiſcopus Calagoritanus. 639
Rodulfus Archiepiſcopus Bituricenſis. 599. 601
—— Archiepiſcopus Turonenſis. 625
—— Epiſcopus Terentinas. 636
—— Abbas S. Petri Inſulæ Germanicæ. 631
Rogationes quàm rectè inſtitutæ ſint ante feſtum diem Aſcenſionis Domini 399 cur ut celebrarentur apud Cluniacenſes. 651
Rogerius Epiſcopus Cameracenſis. 638
—— Epiſcopus Catalaunenſis. 621. 627. 628
—— Epiſcopus Laudunenſis. 638
—— Epiſcopus Lauſanenſis. ibid.
—— Epiſcopus Vicenſis. 637
Romanæ Eccleſiæ auctoritas. 379
Romanus Epiſcopus Tripolitanus. 617
Rorico Epiſcopus Ambianenſis, Eccleſiam SS. Acci & Acheoli confert Canonicis, ac dotat. 626. 627
Rotlannus Archiepiſcopus Arelatenſis. 601
Rotvaldus Epiſcopus Sueſſionenſis. 194
Rufinus Epiſcopus Aſſiſinas. 636
—— Abbas S. Laurentii extrà muros Novarienſes. 816
Rufus Archiepiſcopus Cuſetanus. 637
Rutricus Archiepiſcopus Rotomagenſis. 595

S.

Sabbato à carnibus abſtinendum 634 eo die apud Latinos cur jejunetur. 9
Sabbato ſancto quid potiſſimum ſervaretur apud Cluniacenſes. 652
Sabellii perverſa dogmata refelluntur. 27
Sacerdotum gradus Epiſcoporum gradui penè conjunctus 402 eorum dignitas & auctoritas 327. 402 pro Regibus Deo rationem reddituri ſunt 327 ignorantia ab his vitanda 402 cæteris mundiores eſſe debent. 390
Sacerdotibus maximus honos impendendus 294 poteſtas ligandi, ac ſolvendi his data 31. 296 eorum monitis obtemperandum, & parendum excommunicationibus 296. Vide Presbyteri.
Sacra vaſa ne quidem à Deo ſacratis feminis, aut à laicis viris contrectari debent 403 ad alienos uſus ne detorqueantur ibid. & à plebano ſacerdote inconſulto Epiſcopo non vendantur. 548
Sacramenta ſine pretio miniſtranda. 729. 731
Sacrificium triplex ab homine Deo debet offerri. 450
Saeculum hoc cujus inimici eſſe jubemur, quid ſit. 382
Salmurii Concilium Provinciæ Turonenſis celebratum. 738
Salomon Epiſcopus Tridentinus. 638
Salvator Abbas S. Ægidii. 856
Salutationem Angelicam recitantibus indulgentiæ conceſſæ. 750
Sancius Epiſcopus Abulenſis. 639
Sanctorum reliquiæ eadem miracula perpetrant, quæ Sancti ipſi dum viverent 9 eorum feſtivitates quatenùs celebrari queant in Quadrageſimâ 379. 410. 544 earum celebrandarum ratio & in Quadrageſimâ, & Paſchali tempore, & aliis anni tempeſtatibus apud Cluniacenſes 655. 657. 668 ibidem ut celebraretur feſtum Sanctorum omnium 663 id feſtum in Diœceſi Andegavenſi celebrari jubet Guillelmus Epiſcopus. 743
Sanctuli cujuſdam, qui ope S. Joannis Baptiſtæ mortem imminentem evaſit, hiſtoria. 416
Sanguinis minuendi ratio apud Cluniacenſes. 675
Sapientia Regibus quàm neceſſaria ſit 242 ſapiens quis haberetur apud Gentiles. 2
Saxbodus Epiſcopus Sagienſis. 595
Scandala ut vitentur, an Epiſcopus pravos ſuorum mores arguere non debet. 364
Scholasticorum Theologorum prava de Theologicâ ſcientiâ opinio confutatur 476 in ſcholis alios docendo qui conſeneſcunt, multo inferiores ſunt iis qui Apoſtolica munia obeunt. 478
Scientiæ Religioſis non inutiles 457 quæ ſcientia Theologum deceat. 476
Scriptura ſacræ intelligentia à Deo poſcenda 476 ejus interpretandæ modi tres 133 eam ſi quis contemnat, & judicem & accuſatricem experietur 313 ejus lectione laicis interdicitur. 711
Scripturæ ſacræ libri quibus temporibus vel in Eccleſiâ, vel in Refectorio, vel utrobique legerentur apud Cluniacenſes. 644
Scurrilitas vitanda. 312
Sebastianus Abbas S. Salvatoris Camaldulenſis. 856
Sebrandus Epiſcopus Lemovicenſis. 628
In Senibus maximè vituperanda bonorum acquirendorum cupido. 361
Senonensis Provinciæ Concilia tria. 748. 751
Sensus humanos ad veri perceptionem nemo ſapiens ſequatur. 54
Sepeliendus quiſque in paterno ſepulcro 495 item Clericus in ſuâ Eccleſia ibid. 496 ac Monachus in eo Monaſterio ubi ſe Deo obtulit ibid. ſepeliendus intrà Eccleſiam nemo, niſi vitâ ac meritis clarus 404 ſepulturæ pretium à ſacerdotibus non exigendum. 405
Seraphim primum locum inter beatos ſpiritus obtinens. 226
Sergius Archiepiſcopus Neapolitanus. 637
Servi ne qui ſint in Regno ſuo Chriſtiani Principes curare debent 253 ut tractandi à Dominis 29. quid, ſi dominus ſervum iratus occiderit. 530
Servorum officium 157 ſi ſervus ad Eccleſiam confugiat, ſaluti ejus quatenùs conſulendum 531 ſervus Eccleſiæ quâ lege manumitti queat. 543
Servus ancillam ducere non poteſt, niſi utriuſque domini conſenſerint 585 accuſare non poteſt 532. ad Clericatum, niſi dominus conſentiat, ac jure ſuo cedat, non promovendus 549 idem conſenſus requiritur, ſi ſervus vitam Monaſticam amplecti velit. 562
Sibyllæ verſus de Cruce Chriſti. 3
Siffridus Epiſcopus Branderburgenſis. 639
Sigifredus Epiſcopus Placentinus. 604
Silentium, quod Religioſis tantoperè commendatur, cujuſmodi eſſe debeat 463 in quibus præcipuè Monaſteriorum locis tenendum 707 ejus tanta apud Cluniacenſes cura, ut pleraſque res ſignis demonſtrarent. 670
Simson Epiſcopus Laudunenſis. 595
Simon de Broſſiano Cardinalis Presbyter SS. Joannis & Pauli, morti proximus Urbanum VI. per impreſſionem electum fuiſſe palam teſtatus. 765
—— Cramandi, Patriarcha Alexandrinus, ac Perpetuus Eccleſiæ Carcaſſonenſis Adminiſtrator. in duobus Eccleſiæ Gallicanæ Conciliis præſides 774. 813 Benedicti XIII. pravas artes in Conſilio Regis Francorum aperit 795 intereſt Concilio Piſano. 854. 855
—— Epiſcopus Belvacenſis. 717
—— Epiſcopus Caſſinenſis. 855
—— Epiſcopus Meldenſis. 638
—— Epiſcopus Miſnenſis. 855
—— Abbas Gemmeticenſis. 856
Simoniaca hæreſis pecuniam danti & accipienti noxia 421 in Galliis frequens ibid. 422 eam in generali Synodo damnari curavit S. Gregorius Papa 422 quot modis ſimoniæ rei eſſe poſſimus 413 ſimoniaci communione privandi. 490
Simplicitate prudentia temperanda eſt. 144
Sodomitarum pœnitentia. 490
Sol ante primum hominis peccatum multo lucidior fuit quàm nunc eſt. 228
Sors quando mitti debeat. 497
Spectacula in Eccleſiis non exhibenda 734. ſpectaculis ne presbyterorum filii interſint, prohibetur 533
Spiritum-Sanctum Deum eſſe probatur 18. 27 eum ut à Patre, ita à Filio procedere probatur, primùm quidem variis argumentis è Scripturâ ſacrâ petitis 64 & ſeqq. deinde teſtimoniis Sanctorum Patrum 75 & ſeqq. 119 &

ſeqq. de eâd. in proceſſione prolixa diſputatio inter Anſelmum Epiſcopum Havelbergenſem, & Nechitem, ſive Nicetam Archiepiſcopum Nicomediæ 175 & *ſeqq.* Sancti Spiritûs proceſſio quid ſit 23 an æqualiter procedat à Patre & Filio 184. 188 an dici poſſit à Patre procedere per Filium 190 proceſſionem à Filio non agnoſcere videtur Zachæus. 32
Sponsaliorum fidem frangentis pœna 489. 551 alterius ſponſam ne quis ducere intendit, ac vel corruptam ei à quo deſponſata eſt reddi debere ſtatuitur. 104. 128. 112
Stephanus Archiepiſcopus Bituricenſis. 598
—— Epiſcopus Carerſis. 504
—— Epiſcopus Dolenſis. 811
—— Epiſcopus Oiceuſis. 630
—— Epiſcopus Vintimilienſis. 638
—— Abbas de Caricate. 816
—— Abbas Crudaiti. *ibid.*
Studiis operam dantes, cui præcipuè tunc incumbere debeant. 12
Stultiloquium quid ſit. 122
Stuprat vai æque æ, ſi virgini, aut maritæ familiæ illatum ſit. 488 ſtuprum quæ volens paſſa eſt, variè etiam punitur, ſi virgo vel vidua, ſi marito juncta, ſi Deo dicata ſit. 487. 488
Subdiacone ordinandi ritus 494. 555 ab uxore ſi habeat, continere jubetur 816 ſi publicè concubinam habeat, ut coërcendus. 783
Ad Subdiaconatus ordinem, ſi neceſſitas cogat, promoveri poteſt qui inter pœnitentes verſatus eſt 5 4 poteſt etiam bigamus, & qui viduam uxorem duxit. *ibid.*
Superbia omnis peccati initium 550. 307 eam invidia plerumque ſequitur 307 ejus pœna non rarò eſt luxuria 351 358
Synodus ſemel quoquoque anno in ſingulis Diœceſibus celebranda 40 quæ tum eſſe debeat ſacerdotum convivia *ibid.* huic Abbates intereſſe debent, niſi quæ cauſa impediat 739. 740 qui intereſſe debent, ſi ſine cauſa legitimâ abſint, ut puniendi. *ibid.*

T.

Tabernarum ingreſſo Clericis interdictum 552. 553 561
Taxillorum ludo Clericis interdictum. 728
Tebaldus Epiſcopus Bellezenſis 604
Tempestates aut à Dæmonibus, aut ab improbis hominibus excitari qui opinantur, quàm graviter peccent. 400
Terrarum orbis ſitus & conditio. 134
Testari non poteſt qui ſub cenſu degit, inconſulto domino; ſi tamen dominus recuſaris, valet teſtamentum 508 in teſtamentis condendis quod obſervandum 781. 728 teſtamenta Epiſcopis denuntianda à plebanis ſacerdotibus 737. 739. 740 contra quam olim, cum Epiſcopis ne cuinnoctem teſtamentorum ſuſciperetur, interdictum erat 462 Teſtamentorum executoribus ne quid de bonis ſibi commiſſis comparent, prohibetur. 714. 7—
Testimonium vel unius Epiſcopi quàm grav. 197 ad teſtimonium dicendum Clericus compelli non debet 598 nec improbi, nec feminæ teſtimonium accipiendum eſt 495. indicantur alii qui teſtes eſſe non poſſunt 535 falſi teſtis pœna 495
Teubaldus Epiſcopus Ambianenſis. 638
—— Epiſcopus Parainenſis. 639
Theobaldus Epiſcopus Albenſis. 594
Theodisius A. S. Legatus. 703
Theologus cuinam ſcientiæ debeat incumbere 476. 477 quid ſibi in ſtudendo proponere. 577
Thesaurum in cœlo quâ ratione collocemus. 147
Thomas Cardinalis Presbyter S. Praxedis. 771
—— Archiepiſcopus Reginus. 637
—— Abbas S. Mariæ Jorevallenſis. 854
—— Prior Cantuarienſis *ibid.*
—— de Fimo, Magiſter Ordinis FF. Prædicatorum. 816
Thronus tertium locum inter beatos Spiritus obtinent. 383
Timor Domini commendatur. 141
Tolosana Concilia duo. 615 750
Traditionis Patrum ſidem ſervans. 14
Tricanse Concilium. 616
Tributorum coactores vias publicas muniſtercenentur. 712
Trinitatis myſterium explicatur 18. 20. 31. 81. 225 Trinitatem non rectè dicas incarnatam eſſe 84 in eâ de ſingulis dicitur quod omnium eſt *ibid.* in illâ nulla ſunt tempora. 86
Trinitatis feſti celebrandi ratio apud Cluniacenſes. 65
Tristandus de Salzas, Archiepiſcopus Senonenſis. 751
—— Epiſcopus Trecenſis. 855
Tristitia alia bona, alia mala. 310
Tuadensi Capitulo ſubditum Cormartense Monaſterium 630
Turpe nihil eſt naturâ ſuâ in corpore humano. 13

V.

Vabellsas transfertur Senonenſe Monaſterium S. Remigii. 593
Ubaldus Archiepiſcopus Piſanus. 637
Ubbatus Epiſcopus Aquenſis. 618
S. Udalricus Monachus Benedictinos, Conſuetudines Monaſterii Cluniacenſis fusè deſcribit 821 & *ſeqq.* in Germaniâ peregrinatus eſt, atque ibi à Guillelmo Abbate Hirſaugienſi liberaliter habitus. 641. 639. 583
Vectigalia non niſi Regum aut Imperatorum auctoritate exigi poſſunt. 704
Venationum amor immoderatus arguitur 292 Venatione Clericis interdictum. 555. 722. 729
Venditiones, ſtipulationibus ſcriptis, ac teſtibus confirmanda. 498
Verbum Patri coæternum eſſe probatur. 22
Veronensis Eccleſia bonis ſuis penè omnibus jam ante Ratherii ætatem ſpoliata, ejus etiam tempore multa incommoda paſſa eſt 36 ejus Eccleſiæ Clerici & Epiſcopo ſuo ſemper rebelles, & vitiis omnibus contaminatiſſimi. 353. 361. 162. 180
Vestium humilitas Deo accepta 86
Vetus homo quem in baptiſmate exuimus, quis ſit. 161
Vidua non niſi poſt annum alteri viro nubere poteſt 489 Viduarum officium generatim 156 item earum quæ Eccleſiæ ſtipendio aluntur 504 Viduas olim in Eccleſiâ Latinâ velari non poterat. 436
Viduam qui duxit, ad Clericatum admitti non debet 490. 547 551 poteſt tamen, ſi cum Lector eſſet viduam duxit, ac neceſſitas cogat, ad Subdiaconatûs ordinem promoveri. 514
Vigiliarum antiquitas & utilitas 531. 535. 539 quâ ratione quis ad eas ſe præparare debeat. 529
Vincentius Epiſcopus Gitvhazut 483
Vindesolus Epiſcopus Cremonenſis. 518
Virginitatis prærogativæ 17 Virginum officium 156 ejus virginis quæ ſtuprum volens paſſa eſt, pœna. 487 558
Virgines quo ætatis anno velari poſſint 104. 551 quid in his velandis ſervandum 486 ne ſe in proceſſionibus conſpiciendas præbeant, prohibentur 715 ejus quæ ſtuprum volens paſſa eſt, pœna. 488. 515 585
Virtutes ſupremum locum inter beatos ſpiritus obtineat 616
Visitando Eccleſias quid ſervare debeant Epiſcopi 729. 726 in procurationibus cavendum his eſt ne aliis oneri ſint 540 733 736 clericos ſibi ſervili more ſervire ne cogant. 500
Vita æterna deſcribitur 516
Vitalis Archiepiſcopus Toloſanus 815
Vivianus Epiſcopus Pruſienſis 636
Ulrici s Epiſcopus Curienſis 639
Unctionum ſacrorum ratio explicatur. 615
Vocati ſunt multi ſunt, ac pauci electi. 193
Votum Monachi, niſi Abbas conſenſerit, nullum 490 idem dicas de voto quod femina ſine conſulto viro 489 aliud pro alio ſolvi poteſt *ibid.* qui virginitatem vovit, ſi uxorem ducat, conjugium non diſſolvitur. *ibid.*
Urbans VI electionem Cardinalibus qui Avenione remanſerant, nuntiant Cardinales qui Romæ degebant 763 eam aliquot Cardinales per impreſſionem factam aſſerunt 764 atque idem teſtatur Cardinalis Mediolanenſis morti proximus. 785
Urso Epiſcopus Belvacenſis. 817
—— Epiſcopus Sylvanectenſis *ibid.*
Usuræ & Clericis & laicis interdictæ 407. 538 585 Uſurarii ut coërcendi 704 domus iis non locanda 732 Uſuras ſi Judæus à Chriſtiano petat, quid ſervandum. 714
Walbertus Epiſcopus Abrincenſis. 592
Wencesslaus Patriarcha Antiochenus. 855. 855
Wantelo Archiepiſcopus Rotomagenſis. 599
—— Archiepiſcopus Senonenſis. 595. 599 601
Wido *Vide* Guido.
Willelmus *Vide* Guillelmus
Uxor infidelis, ſi ad fidem adduci non poſſe videatur, dimittenda. 488

Z.

Zacharias Epiſcopus Marſus. 616
Zosolus Epiſcopus Avenionenſis, A. S. Legatus. 719

FINIS.

VA1 162964

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

163
K
11

Digitized by Google

Digitized by Google